VILLANOVA COLLEGE LIBRARY
Villanova, Pennsylvania

This book was donated
3-4-49
by
Rev. M. Sullivan, O.S.A.

DATE DUE

| | |
|---|---|
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Lyrasis Members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/actasanctorum05unse

# ACTA

# SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY ET SOC., VIA GARANCIERE, 5




PARISIIS APVD VICTOREM PALMÉ VIA DICTA SAINT-SVLPICE. M.DCCC.LXIV

# ACTA SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

QUÆ EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLEGERUNT AC DIGESSERUNT,

SERVATA PRIMIGENIA SCRIPTORUM PHRASI ET VARIIS OBSERVATIONIBUS ILLUSTRARUNT


JOANNES BOLLANDUS, GODEFRIDUS HENSCHENIUS,

SOCIETATIS JESU THEOLOGI


PRODIT NUNC TRIBUS TOMIS FEBRUARIUS IN QUO MCCCX NOMINATORUM SANCTORUM ET ALIORUM INNUMERABILIUM MEMORIA VEL RES GESTÆ ILLUSTRANTUR.

EDITIO NOVISSIMA CUM ANIMADVERSIONIBUS EX TEMPORALIBUS D. PAPEBROCHII NUNC PRIMUM EX MSS EDITIS CURANTE JOANNE CARNANDET

## FEBRUARII TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS DIES X MEDIOS A VII AD XVII


PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM.



VILLANOVA LIBR

BX
4655
.A2
v.5

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

# GASPARI NEMIO

CAMER. ARCHIEP. AC DUCI COM. CAMERACESII ETC.

Adit ad TE, ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS, Februarius noster, sed subtimide : non quo intuta itinera formidet, cum secum eos trahat, qui olim et latronum spreverunt insidias, et hostium castra securi penetrarunt. Verum illud sibi sentit esse metuendum, ne ipsius incuses tarditatem. Solebas enim, cum hujus urbis esses Præsul, identidem hortari nos, et non sine quadam, benevola tamen et paterna, objurgatione stimulare, ut cœptum opus acceleraremus, ac sciscitari, ubi Februarius hæreret? quando nos tandem ad finem totius operis perventuros speraremus, si ita lente ab initio progrederemur? Probe equidem intelligebas, magnæ profecto et ingentis operæ conatusque rem esse, ut quæ ad Sanctos pertinent, omnia perquirantur, digerantur, examinentur, ad Chronologiæ Topographiæque probatos calculos revocentur, cum vetustis, ac subinde compluribus exemplaribus conferantur, historiisque illius ævi, quo, quæ narrantur, res gestæ. Sunt hæc, atque alia multa, quæ una provideri debent, sane laboriosa et molesta, quæ indocti quidam non perinde æstimant, quod arbitrentur fortassis omnia in vetustis codicibus uno velut tenore contineri, ut describi solum inde oporteat : neque illud pensant, quam vel ipsos codices, in quibus nuda exstent Acta Sanctorum, difficile sit ex quorumdam morosorum hominum (ne dicam Capitulorum quandoque et cœnobiorum) scriniis ac bibliothecis extorquere. Non igitur certe quidem segnitiei in nobis culpam aliquam residere existimabas, sed ut desiderio TUO quam citissime satisfaceremus urgebas : cum unice optares, hoc opere nostro, Sanctorum amplificari honorem, piis hominibus lectionis utilissimæ materiam, incentiva pietatis, omnium exempla virtutum subministrari.

Is TUUS, ILLUSTRISSIME DOMINE, honoris Divini boniique publici erat zelus, quo hic constanter pro dignitate ac libertate Ecclesiastica, orthodoxæ religionis defensione, Tuorum adversus impios hostes ac vafros salutari præsidio, decertabas. Cum enim tam sollicite et acriter contendebas, (uti meminimus) ne in parte aliqua Brabantiæ, quæ ad Tuam ac Silvaducensem Diœceses spectabat, templa omnia hæreticis

67335

hæreticis traderentur, publicaque Catholicæ religionis munia abolerentur; non commodum aliquod Tuum spectabas, sed solatium ac salutem optimi populi, cujus calamitas illa Tibi pectus effodiebat, sed Sacramentorum usum, quem retineri ac vigere exoptabas, sed Sanctorum, qui in cœlis ævo beato ac sempiterno fruuntur, gloriam ac venerationem.

Vide porro, de hoc Tuo Cœlitum honoris augendi studio quemadmodum opinemur. Multa fuere ac præclara Tua merita, ob quæ Catholicus Rex noster, ac Pontifex Maximus, Illustrissimo Capitulo Cameracensi cum primis assentiente, ad illius amplissimæ Archidiœcesis præfecturam transferri Te voluerunt : sed non sine Dei numine id cepisse eos consilium executosque nemo potest inficiari : Deo vero, ut id fieri vellet, supplicasse antea Sanctos, quod sui exaugendi honoris ita studiosum animadverterant, censemus. Sanctos equidem (quod miramur) Antverpiensis Diœcesis perpaucos habet, qui ex ea orti, in eave vixerint ac diem obierint; Cameracensis innumeros : ut non mirum sit, multorum preces, sibi Te honoris sui propagatorem deposcentium, prævaluisse. Lira oppidum Antverpiensis Diœcesis S. Gummarum, tractus Renensis, aut (ut nunc vocant) Riensis, Dynastam, proindeque indigenam, sacris solennibus veneratur. Turnini vico ad Scendam flumen, uno ab Antverpia lapide, vixit, coliturque etiamnum, reliquiis alio asportatis, S. Fredegandus Scotus : Oosterhouti in ditione Bredana S. Oelbertus Martyr, qui tamen cujas fuerit, quando vixerit, quid egerit, non satis constat. Nec plures nunc in memoriam nobis veniunt Sancti, hujus Diœcesis inquilini : nam celebris illa Nazareti juxta Liram Beatrix necdum in tabulas Cœlitum ab Ecclesia relata est : ac Fredegerus, qui Liræ, dum Missæ sacrificium Deo offerret, a Normannis trucidatus est, nondum publico Ecclesiæ judicio vindicatus est, Martyrque declaratus. Aliorum tamen plurimæ Divorum exterorum exuviæ religiose in multis hujus Diœceseos Ecclesiis honorantur, aliquæ huc Tuo tempore allatæ, Tuaque auctoritate publicæ venerationi expositæ. Sed una fortasse Lætiensis in Cameracensi Tua Diœcesi Abbatia magnam hujus Episcopatus partem, Reliquiarum istiusmodi numero pretioque, exuperat. Una in urbe Cameracensi basilica Cathedralis quadruplo plures numerat suos Antistites Sanctis adscriptos, quam sint universim cujusvis ordinis Sancti in tota hac Diœcesi. Nam quid Lobienses in eadem Diœcesi Sanctos dicemus, Ursmarum, Erminum, Theodulphum, Ulgisum, Amoluvinum, Abelem, Abbates et Episcopos, ac Hidulphum Ducem? Quid Crispinienses, Landelinum, Adelinum, Domitianum, Aibertum? Quid Maricolensem Humbertum? Quid Gislenum, Lambertum, Berlerium, Gislenopolitanos? Quid Montenses Waldetrudem et Aiam? Quid Malbodienses Aldegundem

GUNDEM

gundem, Madelbertam, Aldetrudem, Amalbergam? Quid Vincentium Comitem, Sonegiensis Ecclesiæ, ac monasterii Altimontensis fundatorem? Quid alios pene innumerabiles? Hi te omnes adeam Cathedram, cum hanc annos xvii sapientissime adminitrasses, cœlitus exciverunt, ut calamitosis hisce temporibus ipsorum Ecclesias tuereris, Reliquias adservari, et ad eas sacra religiose peragi curares, eo ampliorem ad res illas allaturus auctoritatem quod in luce vicinæ Duacensis academiæ annis pluribus, doctrina ac virtute, ante Antverpienses infulas, clarissimus extiteras.

Non erit igitur quisquam, qui quem ad suas sedes Sancti evocarunt, ad eum recurrere hinc Sanctos, ut Acta sua offerant, miretur. Hæc, Illustrissime Antistes, pro Tua humanitate, dudum postulata, benigne suscipias, precamur: atque illud vovemus, ut Sanctorum præsidio fultus, Ecclesiam istam diu feliciter gubernes, atque universo Belgio nostro, ut cœpisti, sapientissime consulas.

ILLUS.ME ET REV.ME GRATIÆ TUÆ

*Humillimi servi*

Joannes **BOLLANDUS**,

Godefridus **HENSCHENIUS**.

## FACULTAS SUPERIORUM, ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cum Acta Sanctorum mensis Februarii, quotquot toto orbe coluntur, vel a Catholicis scriptoribus celebrantur, ex antiquis monumentis, Latinis Græcis, aliarumque gentium, servata primogenia scriptorum phrasi, collecta, digesta, variis Observationibus illustrata a Joanne Bollando et Godefrido Henschenio Societatis Jesu Theologis, tres ejusdem Societatis Theologi legerint, opusque laboriosum et eruditum, ac luce publica dignum judicarint; Ego infrascriptus Societatis ejusdem per Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Nostro Goswino Nickel Præposito Generali, concedo Jacobo Meursio, Typographo Antverpiensi, facultatem eadem Acta excudendi.

Cumque sacræ Cæsareæ Majestatis decreto cautum sit, ne qui libri a Societate Jesu conscripti, in provinciis Romano Imperio subjectis excudantur, aut venales proponantur, absque ejusdem Societatis consensu; hisce declaro eumdem Typographum isto privilegio legitime frui. In quorum fidem hisce officii mei sigillo munitis manu mea subscripsi. Antverpiæ III Aprilis CIƆIƆCLVII.

*Thomas Dekens.*

---

## APPROBATIO CENSORIS.

Hoc opus continens Acta Sanctorum mensis Februarii vere doctum, elaboratum, et a multis viris eruditis expetitum, hisce modis a Reverendis Patribus Joanne Bollando et Godefrido Henschenio Societatis Jesu Theologis editioni præparatum; magno lectorum fructu, nulla fidei vel bonorum morum noxa, excudendum censui. Antverpiæ, hac XVII die Aprilis CIƆ IƆCLVII.

*G. Voochts Canonicus, Archidiaconus,*
*S. Th. Licentiatus ac lib. Censor.*

---

## SUMMA PRIVILEGII REGII.

Philippus IV Hispaniarum et Indiarum Rex Catholicus, ac potentissimus Belgarum et Burgundionum Princeps, Diplomate suo sanxit, ne quis Acta Sanctorum mensis Februarii, a RR. PP. Joanne Bollando et Godefrido Henschenio, Societatis Jesu Theologis, collecta, digesta, ac Notis illustrata, præter voluntatem Jacobi Meursii proximis duodecim annis ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impressa in has Germaniæ nostræ Inferioris ditiones importet, venaliave habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum et alia gravi pœna multabitur, uti latius patet in litteris datis Bruxellæ XII Maii anni CIƆ IƆCLVII.

Signat.

*Loyens.*

IN TOMUM SECUNDUM

# DE ACTIS SANCTORUM

## MENSIS FEBRUARII

## PRÆFATIO

AD REVERENDISSIMUM ET AMPLISSIMUM DOMINUM AC PATREM

## JUDOCUM GILLIS

CELEBER. MONAST. LOCI S. BERNARDI AD SCALDIM PROPE ANTVERP.

## ABBATEM

AC SACRI ORD. CISTER. PER BELGICAS PROV.

## VICARIUM GENERALEM

DOMINUM IN PUDERSSE, DE HEMISSEN, WESMAEL, SOERSEL, S. MARTENS-POLDER ETC. EJUSQUE RELIGIOSISSIMUM CONVENTUM.

Futurum neminem arbitramur, REVERENDISSIME ET AMPLISSIME DOMINE, qui hæc quorsum spectet Allocutio miretur, si secum recogitet, quantum in Tuo gravissimo sapientissimoque judicio, ad utilitatem, quam ex omni nostra de Sanctorum actis ac certaminibus lucubratione redundaturam in publicum speramus, insit momenti. Nam tunc scilicet fructus luculentus existet, si quamplurimi ad hæc Acta, animis rite præparatis, volvenda accesserint. Inde enim consequetur, utquæ a Sanctis sunt præclare gesta, imitari ipsi contendant, et eorum in suis necessitatibus opem religiose implorent, iisdemque patronis dona cœlestia acervatim a Deo impetrent. Quis vero non libenter et avide ea leget, atque etiam teret, quæ Tibi didicerit fuisse probata? Norunt enim universi, qua eruditione, ingenii sagacitate, prudentia, rerum usu, polleas : quibus ornamentis amplissimam tum in sanctissimo Vestro Cisterciensi Ordine dignitatem, tum apud Belgas omnes existimationem venerationemque es consecutus.

Non necesse est, quæ a Te sunt hactenus suscepta, gesta, ad exitumque feliciter perducta, recensere, quæ homines oculis ac fere manibus ipsis usurpant. Quis enim aut ad hanc urbem secundo Scaldi descendit, aut hac vel et Batavia vel aliunde advena Bruxellam aut Mechliniam petit, qui non, cum Locum S. Bernardi prætermavigat, atque augustam illam ædem ceteramque molem ædificiorum conspicit ac miratur, ab aliis vectoribus, aut etiam navicularis ipsis, discat, opus hoc Tuum esse, restauratam a Te basilicam ac monasterium, quæ fuerant pridem Hæreticorum furore direpta, eversa, flammis vastata? Alia audiunt plura, etiamque illustriora : Tua potissimum diligentia, fide, solertia, quæ misere distractæ erant, monasterii possessiones recuperatas : restitutum loco pristinum studium pietatis : cooptatos in Ordinem tirones quamplurimos, et ad omnem sanctitudinis disciplinam conformatos, secundissimo Episcoporum duorum Antverpiensium favore, JOANNIS MALDERI, ac GASPARIS NEMII, qui nunc Cameracensis Archiepiscopus est : penes hos enim titulus erat tunc ac potestas Abbatialis præfecturæ. Sub Maldero primum Supprioris officio duos fere annos, duos postea Œconomi functus, demum Prior, invitus

licet

licet, renuntiatus es, amplissimaque ad familiæ totius administrationem potestate ornatus: quam sub eodem Antistite, ac dein successore, ad XXV annos pari moderatione ac felicitate gessisti : multis interea et magnis curis exercitus, cum (quæ belli inter dissidentes religione populos effervescentis incommoda sunt) non semel familiam omnem in Coolhem, locum tutiorem ultra Rupelam flumen, transferre coactus sis. Alia complura pericula, non a Tuo solum, sed et Tuorum omnium capitibus, ac monasterio quoque ipso, Tua industria, aut potius singulari providentia Numinis, quod identidem propitiabas sanctorum operum exercitatione, depulisti. Quæ omnia incredibilem quemdam Tibi et domesticorum et externorum amorem conciliarunt : sed potissimum illa Tua admirabilis morum sermonisque suavitas, comitas, benignitas, cum singulari prudentia conjuncta. Tandemque id evenit, ut, quod plurimi dudum optarant, Tiaram postliminio in Locum S. Bernardi reduceres, Abbas unanimi Tuorum consensu, maxima externorum gratulatione, inauguratus.

Illa vera dignitas est, quæ ex merito venit, diuturno præsertim ac multiplice. Conspicuos eras nobilitate generis : eras eximia præditus eruditione, ac Sacræ Theologiæ Licentiati titulum solenniter adeptus. Neutrius quidem decoris indiget Virtus; ab utroque tamen splendorem non exiguum mutuatur. Sed suis ipsa pollens benefactis, tum suffragiis illorum, qui eam æstimant ac diligunt, tum præsertim cœlesti favore, ad id fastigium, quod illi Deus constituit, evehitur. Ea Te nimirum, qui novo illo honore augereris, dignum effecit.

Novus igitur, longeque amplissimus, Tibi apertus est campus, in quo Tua desudaret industria : aut potius novum et illustre theatrum erectum, in quo prudentia pietasque Tua spectaretur. Spectata est enimvero, spectaturque in dies. Quæ enim de Tua in consulendo maturitate ac sapientia, in agendo strenuitate, moderatione in secundis rebus, in difficilibus fortitudine ac constantia, Procerum ac patriæ totius, præsertimque illustrissimi conventus Ordinum Brabantiæ, existimatio sit, ita dilucidum est ac pervulgatum, ut a nobis explanari verbis haudquaquam sit opus.

Se revocant nos ea præcipue quæ ad Dei cultum amplificandum, inserendumque mortalium animis salutis suæ studium, et in iis qui se rebus Divinis devoverunt absolutionem veræ virtutis curandam, spectant. Ut nihil dicamus de præclaro decore Domus Domini, de affabre elaboratis in Choro subselliis, de reliquo ornatu templi, quæ tamen omnia haud vulgarem solent sanctæ devotionis sensum mentibus inspirare; nonne in Tuis nunc Ascetis omnibus ardor quidam pietatis elucet? Vultus, habitus, gestus, incessus, motus omnes, quis eorum corda spiritus alat regatque, ostendunt. Quid sanctimonialium Vestri instituti cœnobia referemus, sub curam Tuam Tuorumque reducta, quæ antea fuerant Vestro juri tantisper subtracta, quod cavendum censerent supremi Ordinis Vestri Præsides, ne hujus civitatis antistites in ea aliquando, etiam ad alias spectantia diœceses, jus sibi aliquod vindicare conarentur? Huic incommodo, Tuo labore et industria, Deique benignitate, prospectum. Efflorescit nunc in iis monasteriis decor quidam eximiæ virtutis : elucet in ipsa exteriori morum compositione species minime fucatæ sanctitatis. Ea Tuarum lux virtutum ac sapientiæ tandem et illud effecit, ut Generalis Vicarius totius Ordinis Vestri per provincias Belgicas constituereris : quo nempe zelum illum religiosæ disciplinæ, in Tuo flagrantem pectore, latius ac fructuosius exereres. Ut porro uberior ad ceteros conventus ea ratione Tuæ curæ subjectos fructus dimanet; Tuum hunc in Loco S. Bernardi ita ordinas, ut ceteris præbere monasticæ disciplinæ exempla possit. Nihil non ipse domesticorum operum inspicis, nullas non adis ac lustras officinas, ut eorum qui has curant studium excitetur, dum a Te sua cerni et paternæ sollicitudinis censura examinari acta norunt. Quid illa precandi assiduitas, quantam vim habet ad omnium inflammandam pietatem? Vident Tui, numquam Te, nisi ratio officii alio avocarit, a publicis precationibus, Matutinis præsertim, abesse, imo et primum ad eas convenire, etiam cum honorati hospites hilari cœna excipiendi pridie fuerunt : et si assiduis fere corporis doloribus, a calculo ac frequentibus morbi regii commotiunculis, affligaris. Atque ab hoc Tuo exemplo, zeloque Divini cultus, ceterorum animis vigor quidam spiritalis infunditur.

Satis hæc multa sunt ac magna, REVERENDISSIME DOMINE, ut certo confidere nobis liceat, cum Tua sententia approbatum erit opus hoc nostrum, consueta nimirum benignitate Tua susceptum,

susceptum, fore ut id ab omnibus avide expectatur legaturque, tum cujuscumque ordinis ac conditionis piis hominibus, tum Vestri præsertim instituti Religiosis. Non enim possunt hi non meminisse, etiam a S. P. V. Bernardo scripta esse Acta quædam Sanctorum : ut S. Malachiæ Episcopi Hiberni Vitam, quam III Novembris edemus : S. Victoris Archiacensis Confessoris laudationem, quam ad XXVI Februarii nunc edimus. Erit filiis amantissimis jucundum, qua in materia Parentis sanctissimi stylus desudavit, in consimili saltem contemplanda versari : præterquam quod et suorum commilitonum complurium ex Ordine Cisterciensi, qui jam in Cœlitum sunt tabulas adscripti, Acta legent : uti XI Februarii S. Adolphi Episcopi Osnabrugensis, et aliorum alibi.

Quid autem spectemus toto hoc opere, quo ordine ac methodo progrediamur, breviter hic exponemus : quæ luculentius persecuti sumus in præfatione ad primum tomum Januarii mensis, pridem editum. Eadem hic repetere, caussasque singulorum explanare, et quæ alia isthic pertractata, nihil attinet. Cui enim accuratius expendere ea lubuerit, eum adire commentarium nostrum potest. Et vero maxime consentanea ratione esse, quæ hic succincte proponemus, et Tu, Reverendissime Domine, et Tui, pro vestra singulari sapientia, perspicietis. Hic ea breviter velut intento digito commonstrabimus, quorum seriem in pervolvendo opere observare lector quivis possit : sed ideo illa in antecessum indicabimus, ut ejus advertant attentionem ac legendi studium, Tu Reverendissime et Amplissime Domine, pro summa Tua, omnibusque explorata, benignitate, placide et comiter suscipe Commentarios hosce nostros, et diu, ad Ecclesiæ ornamentum, Reique publicæ salutem, Vale.

## CAPUT PRIMUM.

# Scopus scriptionis. Dierum atque ætatis Sanctorum ordo. Quidam alio rejecti, aut prætermissi.

*Vita SS. cur hic scripta?*

Erit fortassis, qui ad primum vasti hujus operis conspectum sciscitetur, post Laurentium Surium Carthusianum, cujus plura extant, teruntur que omnium eruditorum manibus, de Sanctorum rebus gestis volumina; quid necesse fuerit, hunc a nobis laborem tam immanem suscipi. Nempe quia nobis quadruplo plurium Acta Sanctorum occurrebant, quam essent ab eo vulgata, ipsa tamen luce quoque dignissima. Et quæ ille ediderat, eorum pleraque, ne (ut erant tunc tempora) nauseam moverent delicatulis quibusdam, imo fastidiosis, ingeniis, ipse prudentissimo consilio, cum stylo polleret prompto et eleganti, expoliverat, multis, quæ non probaret, recisis. Ea tamen postea viri eruditi, etiam heterodoxi quidam, edita maluissent, ut olim erant conscripta, quantumvis ineleganter et inscite. Deinde plurimorum passim Sanctorum nomina, et signati in Martyrologiis aliisque Ecclesiasticis tabulis natales occurrebant, quorum nusquam Acta extabant: ut saltem quid de iis in veteribus monumentis reperissemus, exponendum videretur.

*et quidem primorum auctorum phrasi,*

Conquisivimus igitur, et conquirimus etiamnum, quæ ubique in antiquis codicibus extant Sanctorum Acta: eaque ut olim conscripta vulgamus, phrasi primorum auctorum sollicite retenta, quantumvis sæpe agresti incultaque. Neque metuimus ne id non et Sanctis ipsis probetur, et eruditis quoque lectoribus. Illorum certe plurimi ambulaverunt in melotis et pellibus caprinis: nec suam eo cultu infuscari sanctitatem, sed ornari potius existimabant: ut neque nunc aspernaturi sint, veluti meloten quamdam, non admodum tersam, humeris suis injectam, impolitas de rebus a se gestis piorum hominum narrationes. Lectores vero, æstimatores antiquitatis, etiam tales narrationes, hispidas et sine arte temere consutas, libenter et cum veneratione quadam evolvent.

*grata lectoribus:*

Neque ferme qui ad historias Sanctorum legendas accedunt, elegantiam styli sectantur: sed vel genuinam rerum gestarum veritatem, vel incitamenta pietatis, vel virtutum variarum exempla. Hæc vero nescio quo modo purius jucundiusque hauriuntur, cum absunt illa verborum adscititia ornamenta: ut sitibundus quispiam hilarius aquam potat limpido e fonte, quam si per varios canales, etiam auratos, derivata longe sit.

*ex per dies digestæ,*

Eas igitur Sanctorum Vitas, secundum seriem dierum, quibus illorum vel in Ecclesiastico officio uspiam feriæ celebrantur, vel in variis Martyrologiis nomina consignantur, ordinamus: uti eas quoque, quas ipsi ex variis scriptoribus et aliis documentis collegimus contexuimusque, narrationes, cum peculiara deessent Acta.

*nominibus initio diei cujusque positis,*

Exhibito igitur die quocumque, primo loco post designatum ipsius diei numerum civilem, dein Ecclesiasticum per Kalendas aliasque receptas dierum differentias, Sanctos, quotquot eo die occurrunt, recensemus, majoribus characteribus exaratos, ut statim in oculos incurrant ac perlegi possint. Additur locus, quo vel finierunt vitam, vel præcipuo nunc cultu celebrantur; dignitas aut vitæ conditio, aureola, si quam peculiarem promeriti sunt: V. G. VII *Februarii S. Theodorus, Dux, Martyr, Heracleæ in Ponto.* IX *Februarii, S. Apollonia, Virgo Martyr, Alexandriæ in Egypto. S. Philagrius Ep. in Cypro Martyr.* etc.

*servato ordine ætatis:*

Ipsos vero Sanctos secundum tempora, quibus vixerunt, distribuimus, quantum quidem de eorum ætate statuere licet. Neque tamen penitus ab usu Martyrologii recedimus: in hoc, qui illo die præcipuam obtinent celebritatem, primo loco jubentur nominari; nos majoribus quadratis litteris, ut emineant, nomina exaramus, sed ordine tamen ætatis eorum retento.

*quidam ad alios dies rejecti:*

Dein syllabum subjicimus eorum Sanctorum, qui eo quidem die vel mortui sunt, vel aliquam habent solennitatem, ob translationem fortassis aut miracula, caussamve aliam; vel certe quacumque ratione quibusdam sunt Martyrologiis ibidem adscripti; tamen quia vel plerisque locis, vel in iis saltem Ecclesiis, quæ eorum gloriantur Reliquiis ac patrocinio, alio die præcipua celebritate honorantur; ad hunc illos rejici æquum est: id tamen hic indicari, ut si quis eos hic quæsierit, intelligat ubi sit reperturus.

*alii prætermissi:*

Sunt deinde complures Martyrologiis, Menologiis, Hagiologiis recentiorum scriptorum, præsertim monasticis, aut certarum nationum urbiumque, liberaliter adscripti, Beatique nonnumquam et Sancti appellati; quibus an is honos ab Ecclesia decretus, aut per longissimi temporis decursum, populorum pietate, attributus sit, nullis certis documentis satis adhuc assequi potuimus. Eos propterea malumus tantisper præterire, quam temere Beatos aut Sanctos indigetare, atque ita Urbani VIII Pont. Max. sanctionem, id vetantem, perfringere. Indicamus tamen hic eorum nomina, obnixe rogantes, ut si cui eorum haberi Cælitum honores eruditus et cultui Sanctorum addictus lector didicerit, nos moneat.

*in utrisque ordo.*

In horum quoque recensendis nominibus duplicem observamus ordinem. Nempe ut qui ad Januarium mensem pertinent, aut præcedentes Februarii dies, ii prius referantur, secundum ipsorum dierum et Kalendarii ordinem: deinde subjiciantur qui omnino omittendi: ac demum qui ad sequentes Februarii dies spectant, ac menses ceteros, eadem semper conservata dispositione ac serie. Inter eos etiam, quos plane prætermitti debere censuimus, rationem ætatis cujusque habuimus, quantum eam assequi fas fuit.

## CAPUT SECUNDUM.

# Prolegomena in singulas Vitas, hæ in capita distributæ. Auctor semper indicatus. in capita Annotationes.

*Prolegomena Vitis præfixa, qualia?*

Postquam ordinatim, uti jam constitutum, ad cujusque Sancti acta explananda devenimus; singulis eorum προλεγόμενα, sive prævios commentarios præfigimus, a nobis elaboratos. In his quærimus, quo loco ii vixerint Sancti? quo tempore? an colantur? qua auctoritate rituque? Quis eorum Vitam et quando scripserit? Quid de ea, ipsoque auctore, videatur? an eorumdem Sanctorum alii meminerint scriptores? an Reliquiarum factæ, quando, a quibus, ad quæ loca, Translationes? Atque alia id genus disquirimus, quæ lectores scire expediet, priusquam ad ipsam legendam Vitam accedant.

Quia vero hæ Præfationes non ita possunt con-

*eorum auctor indicatus :*

juncto studio ab ambobus nobis concinnari, quin unus præcipue singulas sua opera componat: apposuimus in exteriore libri ora litteras J. B. cum a Joanne Bollando compositæ sunt; cum a Godefrido Henschenio, G. H. ut lector, si citare eas Vitas Præfationesve voluerit, norit cujus præcipue studio harum unaquæque elucubrata sit, illarum discussa et examinata. Nam si suggerere quid cupiat circa Vitas jam editas, aut adhuc edendas, quamdiu Deo ac Sanctis placuerit ambobus nobis vitam servare, perinde est ad utrum scribat. Neque tamen quidquam edimus, quin et ante consilia mutuo conferamus, et quod ab uno compositum, ab altero recognoscatur : ac methodus tota utrique eadem; stylus forte nec nihil omnino, nec multum discrepans, quia neutri affectatus.

*qui Vitas miserunt, nominati :*

In his quoque Prolegomenis illud religiose observamus, ut e qua bibliotheca, cujus beneficio, quas vulgamus, Vitas simus adepti, exponamus : quod et fidem operi conciliat, et nobis opinionem gratitudinis, ac non paucos movet, ut quæ ipsi parabant in lucem edere, nobis communicent.

*In margine dies et annus mortis SS. indicatus :*

In margine ad eorumdem προλεγομένων initium, annum etiam, quo Sancti ad cœlos migrarunt, exprimimus : qui si non ita diserte in Vita indicatur, a nobis per varios characteres in iisdem προλεγομένοις investigatur. Diem quoque annotamus. Quamquam et hic in superiore margine signatus, et nomen Sancti, cujus illic res gestæ narrantur : adeoque aperto quocumque libri folio, de quo Sancto agatur, et quo is die colatur, intelligere lector potest : nec opus est, ut ejus rei cognoscendæ gratia folia aliquot revolvat. Illud etiam, quoad fieri potest, curamus, ut sic aperto libro capitis alicujus initium in alterutra pagina sese offerat oculis.

*in superiori margine Sancti nomen, et dies.*

*Vitarum in capita distributio :*

Post hæc Prolegomena pluribus quandoque paragraphis, vel capitibus, distincta, Vitas ipsas sive Acta damus, sed alia characteris forma, ut (quod et in Prolegomenis omnique alia narratione observamus) constare queat, quæ nostra sint, quæ aliena. Vitas ipsas in plura capita distribuimus, ut interquiescere lector possit. Et quia in variis MSS. discrepant subinde sectiones illæ ac divisiones; nos ejusmodi adhibemus, quæ nobis aptissimæ videntur, ut nec nimis longa sint capita, nec brevia nimis. Si ab ipsis auctoribus facta illa capitum partitio sit, ac forsan etiam tituli singulis appositi ; utraque retinemus : nisi tamen nimis brevia videantur. Nam quidam singula etiam miracula, etsi perpaucis lineis comprehensa, novis capitibus distinguunt. Tunc vero nos plura ejusmodi brevia capitula in unum conflamus : indicamus tamen id ipsum vel in margine, vel, si commodius videatur, in Annotationibus.

*si ab auctore, fere hic retenta*

*Annotationes post capita,*

Annotationes enim, ubi opus videtur, singulis capitibus subjicimus, quibus vel variæ lectiones in diversis codicibus animadversæ, quæ quidem alicujus sint momenti, suggerantur; vel verba obscura barbarave explicentur : vel urbes locaque alia, (nisi vulgo nota) ubi sita sint lector doceatur; vel si quid aliter, atque hic, uspiam narretur, id ipsum lectori significetur; multoque etiam magis si a recta chronologia scriptor, cujus is est fœtus, aberret; aut si quid receptis Theologorum scitis repugnare videatur; aliaque id genus explanentur. Et sunt Annotationes illæ eruditis lectoribus non graves, quia et breves et prætermitti, si velint, possunt; at minus doctis subinde necessariæ certe utiles.

*littera designatæ.*

Indicatur porro unaquæque Annotatio littera, sed alterius formæ, in textu narrationis posita, atque item e regione in ipso margine, eademque post finem capitis unicuique Annotationi præfixa secundum ordinem Alphabethi.

*auctor Vitæ in omni pagina indicatus :*

Auctor Vitarum singularum, in earum titulo nominatur, si notus; sin minus, illud ipsum indicatur, nempe ab incerto vel anonymo conscriptas. Eæ quoque ipsæ Vitæ, sive a notis sive ab ignotis compositæ scriptoribus, unde hic edantur edicitur, an videlicet e MSS. codicibus, et quibus, an ex alterius auctoris opere, puta Surii, Lipomani, Mombritii etc. In ipsa quoque superiori parte extimi marginis, id ipsum exprimitur. E. G. VII Februarii ad S. Theodori Ducis Martyris Acta appositum, AUCTORE AUGARO, EX METAPHRASTE. ad secunda Acta : AUCTORE BONITO EX MSS. Eodem die ad S. Laurentii Sipontini Vitam: AUCTORE ANONYMO, EX MSS. ad S. Romualdi priorem Vitam : AUCTORE B. PETRO DAMIANO. ad alteram : AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDULENSI.

Idem quoque in Prolegomenis servamus, Vitisque iis quæ sunt a nobis e variis scriptoribus ac monumentis collectæ : ut AUCTORE J. B. aut G. H. adscribamus.

## CAPUT TERTIUM.

## Vitæ plures unius Sancti. summaria marginalia. Appendices. seni Indices.

*Vitæ plures unius Sancti*

Quandoque unius Sancti, ut jam innuimus, plures sunt Vitæ, a diversis, gravibus et eruditis, concinnatæ scriptoribus, tum qui ipsi quæ tradunt vel spectavere, vel a spectatoribus audivere; tum qui longo post tempore ex aliis monumentis scriptoribusque collegere. Atque hæ a pluribus compositæ Vitæ non styli solum, aut ordinis, sed et materiæ quoque dissimilitudinem nonnumquam habent, dum unus plura commemorat ab altero prætermissa, aut tempus, locum, habitos a Sanctis inter se aut cum tyrannis aliisve sermones, et omnem circumstantiam explicitius edisserit; ut non possit sine scriptorum ipsorum injuria, ac veritatis præjudicio, altera earum Vitarum omitti. Atque ita fieri a clarissimis viris animadvertimus, ut plura unius Sancti, si ad cujusvis historiæ contextum ipsis ita commodum videtur, Acta edant, plura unius Imperatoris alteriusve Principis, cum plura sunt tradita litteris : ut tanto magis licere id nobis existimemus, qui omnia, quæ a Sanctis gesta sunt, quam possumus fidelissime diligentissimeque daturos nos professi simus.

*omnium summaria in margine.*

Si cui Acta utraque pervolvere molestum sit, fere in Prolegomenis, quæ nobis maxime probentur, indicamus. Dein ampliusne aliquid in altera narratione contineatur, potest ex compendiis adjunctis colligere : nam in marginibus omnium quæ narrantur summarium repræsentamus.

*item litteræ A B C etc. cur?*

In iisdem marginibus has litteras ABCDEF expressimus ad certa spatia ac partes paginarum designandas, ut Indicibus subserviant : nam iis litteris admonetur lector, an initio, medio, fine columnæ utrinsque de re in Indicibus expressa agatur : quando enim tota fere pagina res una tractatur, nulla ejusmodi littera est opus. Ac de Indicibus quidem mox agemus.

*Appendices post singulos tomos.*

Appendices ad singulos tomos adjicimus, quibus vel Acta complectimur, aliaque ad Sanctos pertinentia, quæ cum singuli ederentur dies non eramus adhuc assecuti; vel emendamus, quæ antea ty-

pothetarum

potbetarum incuria peccata erant, quæque nostram, quamlibet attentam, sedulitatem fugerant. Levia tamen errata, aut quæ facile animadvertere et corrigere lector quivis potest, non persequimur.

*Indices sex : 1 Sanctorum :* Indices singulis voluminibus senos addimus, uti antea in Januario factum. Duo initio cujusque voluminis post præfationem positi. Prior nomina Sanctorum exhibet Alphabeti ordine disposita, quorum in eo volumine vel acta eduntur, vel quoquo modo memoria illustratur. Neque nuda nomina eduntur, sed sua cuique Sancto dignitas ac conditio aureolaque, ut vocant, apponitur : præfigitur dies quo illius celebratur memoria. Exhibetur deinde velut in brevi tabella, quid de illo exploratum nobis, quid hic vulgatum. An Vita? quo auctore? an Prolegomena? Si longiora, paragraphorum tituli recitantur, uti et capitum, in quæ longiores distributæ sunt Vitæ. An sola comperta nobis nomina sint? ex uno, an pluribus Martyrologiis Latinis, an ex Menæis aut Menologiis Græcorum?

*2 Chronologicus :* Subjungitur huic INDEX CHRONOLOGICUS, in quo res præcipuæ, quæ hoc volumine narrantur, ad annos Æræ vulgaris annotantur : die quo singuli temporum characteres reperiri possint, ipsaque adeo pagina expressa.

*Historicus* Quatuor reliqui Indices ad calcem voluminis relati. Tertius igitur est INDEX HISTORICUS, hominum scilicet cujusvis conditionis, quorum hoc in tomo mentio fit : non tamen eorum Sanctorum, quorum in primo Indice series Actaque indicata, nisi extra propria Acta alibi nominentur. Omnibus additur status seu conditio, num v. g. Rex sit quispiam, Comes, monachus, Episcopus, miles etc. Et, nisi vulgo noti, quo seculo, qua in regione urbeve vixerint. Sanctis aut Beatis non S aut B littera, sed † præfixa, ne quis celeri conjectu oculorum quidpiam vestigans, aliarum intercursu litterarum perturbetur.

*4 Topographicus :* Quartus est INDEX TOPOGRAPHICUS, nomina continens regionum, urbium, locorumque aliorum : additis Sanctis, qui die aliquo tomi hujus eo loco obierunt, coluntur ve, sola tamen indicata pagina, qua primum de iis Sanctis locisve agitur, etsi in iisdem Actis sæpius illa nominentur loca. Quæ tamen regiones urbesve passim, etiam rudibus, notæ, eæ hic minime nominantur. *Italia*, *Hispania*, *Gallia*, *Germania*, *Roma*, *Hierosolyma*, *Constantinopolis* etc.

*5 Onomasticus:* Quinto loco INDEX ONOMASTICUS est, sive GRAMMATICUS, in quo verba obsoleta, e barbaris linguis efformata, aut alias obscura, quæ hoc toto volumine occurrunt, recensentur, ac subinde explicantur. Quædam tamen ea colligentibus hinc inde exciderunt.

*6 Moralis.* Sextus INDEX MORALIS est, amplissimam suppeditans materiam Concionatoribus, Interpretibus sacrarum litterarum, asceticis scriptoribus, philologis etc. Non tamen sola hic descripta virtutum ac vitiorum nomina, sed quarumvis rerum, quæ ad morum institutionem, etsi ad eam per se non spectet, referri tamen possunt.

## CAPUT QUARTUM.

# Horum Actorum lectio utilis, etiam publice usurpanda.

Liceat hic nobis, REVERENDISSIME ET AMPLISSIME DOMINE, quibus verbis S. Antonii Magni Vitam S. Athanasius, et ipse cognomento Magnus, concludit, iis Te, aliosque religiosarum congregationum Archimandritas, compellare : *Hunc itaque*, inquit, *Fratribus librum magnopere perlegere* *Acta SS. ex consilio S. Athanasii legenda religiosis,* *curate : ut agnita fideli vita sublimium Christianorum et monachorum, sciant, quod Salvator noster Jesus Christus glorificantes se glorificat, et servientibus sibimet, non tantum regna cælorum, sed etiam hic in ipsis montium secretis latere cupientibus, famæ tribuit nobilitatem : scilicet ut et ipsi fruantur laude meritorum, et ceteri eorum provocentur exemplis. Si autem necessarium fuerit, et Gentilibus legite, ut vel sic agnoscant, quia Dominus noster Jesus Christus, non solum est Deus, Dei filius, sed etiam his, qui eum sollicite colunt, et in eum fideliter credunt, hanc dedit potestatem, ut dæmones, quos illi deos esse arbitrantur, conculcent atque ejiciant, deceptores scilicet hominum, et totius corruptionis artifices.*

Hæc ille. *Fratres* autem præcipue monachos appellat : *quibus et ipse scripsit.* nam fere apud eos amabile illud *Fratrum* nomen, quod erat in principio Ecclesiæ omnibus Christianis commune, adhæsit. Et vero ad monachos scriptam fuisse eam Vitam, ex ejus exordio liquet, ubi ita loquitur : *Athanasius Episcopus ad peregrinos fratres*, Græce πρὸς τοὺς ἐν τῇ ξένῃ μοναχούς. Videtur *Scetes* vel *Libyæ* monachos intelligere, ut ad eam Vitam diximus. Tum eos ita alloquitur : *Optimum, Fratres, iniistis certamen, aut æquare Ægypti monachis, aut superare nitentes, virtutis instantia. Etenim apud vos plurima sunt monasteria : monachorum quoque nomen est celebre : et hanc voluntatem vestram juste quisque miratur : orantibusque vobis optatum Deus tribuet effectum.*

*publice, præsertim super mensa* Ac sane quidem multo maxime ab religiosis hominibus legendas lucubrationes has nostras speramus, tum privato studio, tum in publicis conventibus : ac præsertim super mensa, quando et vetusta consuetudine et peculiaribus omnium Ordinum institutis, semper lectio adhibetur. Quæ sane res maximas habet utilitates, temperatque, ac cœlesti quodam sapore delinit ac frænat ciborum appetentiam. Tunc enim suis dapibus potuque mens reficitur non sine eximio quodam sensu interioris voluptatis, nunc Sanctorum gloria exultans, nunc Deo gratias agens, *quid audientibus cogitandum?* quod cœlestibus præsidiis eos ab inanibus seculi studiis abstraxerit, et ad aspera multa pro pietatis defensione perferenda corroboravit, denique quod nunc eorum nomen miraculis illustret. Alius fortassis, dum hæc leguntur, erit qui tacite suam Sanctis felicitatem gratuletur, eos invocet, optetque quamplurimos inflammari ad eorum imitanda heroica facinora. Utinam et nobis quoque Sanctos piis votis concilient, exorentque ut eorum patrocinio adjuti, Acta ipsorum, quæ colligimus, sedulo imitemur, ac tandem cœlestis gloriæ fieri consortes mereamur.

Iis vero suaserimus, qui ejusmodi publicæ præsunt lectioni, ut si quid tædii oriri posse senserint, *quid si plures Vitæ?* cum subinde Sancti unius plures Vitæ eduntur; percurrant ipsi prius Prolegomena, quæ in singulas Vitas a nobis scripta sunt. Ex iis intelligent, quæ solidior e pluribus sit Vita : an ita fortassis invicem discrepent, ut omnes legendæ videantur. Neque ipsa Prolegomena omittenda sunt unquam : absque iis *aut nuda SS. nomina?* enim vel non tam perspicue intelligi Acta poterunt, vel non quanti sunt fortassis, fieri. Ne ea quidem prætermittenda ducimus, quæ de Sanctis nonnullis paucula nobis occurrerunt, ac sola quandoque verba Martyrologiorum. Sane cum prælium adversus hostes Ecclesiæ commissum, cum urbes eorum aliquæ captæ, cum aliud quidpiam fortiter gestum, magna voluptate audimus eorum recitari nomina, quorum præcipue virtus eluxit, etsi minime illos antea noverimus. Quid ni ergo longe magis volupe sit, Heroum illorum publice nomina audientibus nobis recenseri

censeri, quos novimus æterno Numini nunc adstare in cœlis gloriosos, pro cujus honore adversus illius hostes nostrosque generose dimicarunt, etsi quid proprie singuli egerint ignoremus? Illud saltem novimus, pugnasse eos, vicisse, ab cœlesti Agonotheta donatos laurea. Hæc iis possumus gratulari, atque orare ut nobis ipsi nunc præsidio sint. Atque ita solis ex nominibus fructum non levem hauriemus.

*num etiam Annotationes,* *et quomodo?*

Annotationes, quæ singulis Vitarum capitibus subnectuntur, sunt quandoque perbreves, neque omnibus ita necessariæ : velut cum indicatur quo anno quispiam regnum capessiverit, adierit Pontificatum, aliaque id genus, quæ quia multis utilia, haudquaquam negligenda censuimus. Operæ pretium fecerit, qui ejusmodi lectioni præest, si antea eas percurrerit Annotationes, et quas palam legi, quas omitti expediat, constituere apud se queat. Sunt enim nonnullæ, quas non nos soli, qui scribimus, sed et alii eruditi ac graves viri judicarunt necessarias, aut certe perutiles multis fore. Eæ ita legi possunt, ut absoluto capite, cui subnexæ, pronuntietur, *Annotationes*, ut ea ratione attentio excitetur auditorum. Dein ex ipso capitis contextu repetantur verba aliquot, ad quæ Annotatio quælibet spectat. Ea autem verba ostendet littera Annotationi præfixa, inque textu ipso ac e regione expressa in margine.

Qui vero privatim sibi hæc legent, seu Religiosi, seu pii alioquin viri, si plures unius Sancti Vitas legere nolent; breviaria saltem earum quas prætermittent, in margine adscripta, percurrant, ut si quid in priori Vita omissum, aut minus accurate narratum occurrerit, pervolvere id quoque, si videatur, possint.

*Fructus ejusmodi lectionis.*

Utrique autem, quod ait S. Athanasius, intelligent, quanta Deus eos, qui ipsius honorem ac cultum amplificare, dum viverent, conati sunt, gloria cumularit, etiam apud posteros, eximiam illis impertiens nominis celebritatem, *ut et ipsi fruantur laude meritorum, et ceteri eorum provocentur exemplis.*

*quid pios lectores rogemus, ac doctos?*

Eos autem omnes obsecramus, ut et Sanctos deprecentur, nobis ut a Deo gratiam uberrimam impetrent, quo parere ejus jussis, ipsorumque imitari facta valeamus ; et si qua nacti erunt Acta sinceriora, si quæ non visa nobis miracula, si quæ alia ad Sanctorum honorem resque ab iis gestas spectantia, ea communicare dignentur : ac sicubi nos ratio aut conjectura fefellit, si non sumus veterum auctorum sententiam probe assecuti, si quodpiam supposititium scriptum pro legitimo suscepimus, si respuimus quod rectum erat ac purum, nos moneant. Non pudebit quæ perperam scripta erunt, retractare ac corrigere : et grates iis habebimus agemusque, et unde quamque rem acceperimus, edicemus. Neque enim dissimulamus unquam, quinam ad opus hoc nostrum opem operamque contulerint.

*Etiam Gentibus hæc legenda,*

Addit postremo S. Athanasius, ut etiam Gentilibus hæc legantur, et quem inde reportare fructum possint ostendit. Pauci nunc forsitan sunt Gentiles, qui saltem linguam Latinam calleant, aut hæc lecturi sint. Athei sunt quidam hac ætate, qui cum ceteris mortalibus ita versantur, ut se eorum quadantenus accommodent institutis, omnem tamen religionem, deque Deo doctrinam, ipsi in animis suis contemnant. Qui sic Divina oracula pro fabulis habent, næ illi haud magni Sanctorum Acta æstimabunt. Hos ergo nec speramus lecturos hoc opus, nec magnopere optamus. Hæretici sunt plures, et quidem multi ita errori a prima pueritia innutriti, ut diu hæreseos crimen ab errore abfuerit, donec per ætatem confirmato judicio, didicerunt alia, quam ante animis præceperant, tradi a saniori parte eorum qui Christiani appellantur, ac deinde idoneis instructi doctrinæ præsidiis, assequi veritatem potuerunt, ni restitissent Spiritui sancto, errorique obstinate adhærere sive ob temporaria quæpiam emolumenta, seu molestiæ alicujus metu, maluissent. *et Hæreticis.* Alii enim perfidiosi homines, qui ob scelera sua ab Catholica Ecclesia defecerunt, puta ob effrænem ambitionem, vindictæ cupiditatem, impudicitiam, sacrilegia, quibus patrocinium in molliore illa Synagoga quæsierunt, (numquam enim hæresis primum in ullo homine peccatum est) ii ut hæc voluere in animum inducant, haudquaquam futurum confidimus : fugiunt enim quidquid admovere conscientiæ ipsorum novos aculeos videtur : et vero ita lenibus remediis raro possunt curari, qui sic gratuita improbitate a Deo recesserunt. Priores illi, in hæresi nati et educati, ac subinde minime mala præditi indole, si scripta hæc nostra legent aliquando, serioque expendent, utilitatem fortassis non exiguam ex iis reportabunt. Neque enim, ut reour, ita superbi ii sunt aut stolidi, ut se solos sapere existiment, ceteros mortales ab omni retro antiquitate desipuisse, nec quemquam Divinos libros, traditaque a Christo et Apostolis mysteria religionis, intellexisse. Si fateantur (ut fateri debent) fuisse viros sanctos ac doctos, qui Divinorum dogmatum non imperiti extiterint; animadvertent certe ex hisce commentariis, quos etiam alio fortassis fine volvere cœperint, ea doctrinæ capita, in quibus ipse ab Ecclesia Catholica dissident, ita fuisse, ut illa docet reverenter suscepta omnia a Sanctis, et ad nos usque transmissa. Quæ ut et ipsi capessere aliquando ac profiteri, cumque Ecclesia Catholica omnium Christianorum Matre redire in gratiam velint, Deum precamur ac Sanctos.

# PROTESTATIO.

Quæcumque in hoc opere eduntur a nobis, ea nolumus aliam obtinere vim ac momentum, quam quod Humanæ Historiæ inest : nisi si qua sunt e Divina Scriptura, Decretalibus Pontificum epistolis, Bullisque Canonizationum, aut scitis Œcumenicorum Conciliorum, sumpta. In ceteris si quid imprudentes offendimus, (homines enim sumus, errori obnoxii) ubi a peritioribus monebimur, libenter corrigemus. Nam si (quod non remur) aliquid scriptum hic esset quod cum sacrosanctis Ecclesiæ Constitutionibus minus concordaret, id nos ultro repudiamus ac damnamus. Non existimamus quidem ulli nos (quod est Urbani viii pluribus Constitutionibus vetitum) Sancti aut Beati titulum tribuisse, cui non esset is vel ab Ecclesia decretus, vel constanti populorum pietate plusquam ab uno seculo adscriptus, eadem approbante Ecclesia ; nulla item cujusquam, qui non videatur *per communem* ejusdem *Ecclesiæ consensum vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel Ordinarii*, venerationem obtinere, miracula, prædictiones, arcanorum manifestationes commemorasse ; si tamen ejusmodi quidpiam insciis et imprudentibus excidit, ubi nos quisquam rerum gnarus monuerit, continuo, quidquid illud est, corrigemus.

INDEX

# INDEX

# SANCTORUM

## X DIERUM FEBRUARII, A VII AD XVII.

*Continet Index hic Sanctos, quorum, ut antea dictum, decem diebus, a* VII *ad* XVII *Februarii, natalis agitur. Cuique Sancto dies præfigitur, qui illi dicatus : at non S. aut* B. *vel* ✝ *ut in tertio Indice, cum eo signo opus non sit, ut a non Sanctis secernantur. Additur singulis dignitas quam gessit, ordo seu conditio vitæ, aureola.*

*Indicatur deinde quid de unoquoque edatur, an Vita, Prolegomena etc. singulorum capitum ac paragraphorum expressis titulis. Si sola nomina proferuntur, indicatur id quoque, an ex uno Martyrologio, an pluribus, de eorum natali ac sanctitudine constet.*

*Notæ contractionum obviæ. Exempli gratia,* R. *Rex.* M. *Martyr.* MM. *Martyres.* Mrol. *Martyrologium.* Mroll. *Martyrologia.* Presb. *Presbyter.* Ep. *Episcopus.* V. *Virgo.* Men. Gr. *Menæa Græcorum etc.*

A


14 Abraames Ep. Carris in Mesopotamia. *Comment. præv.* Cultus sacer : alii Abraamæ anachoretæ 768 Vita *auctore Theodoreto.* Vita Episcopalis et anachoretica : injuriæ toleratæ, abstinentiæ, preces, honos a Theodosio Imp. delatus, obitus 768

7 Adaucus, sive Adauctus, Generalis officiorum Magister et Quæstor M. Antandri in Phrygia. *Comment. histor.* § 1 Martyrium ab antiquis relatum 14. § 2 Ejus dignitas, sociorum numerus, tempus martyrii 15 § 3 Martyrium Hispaniæ affictum 16

11 Adolphus Ep. Osnabrugensis in Westphalia. *Comment. histor.* Monachatus Cisterciensis in Vetere campo. Episcopatus, miracula, cultus sacer, elevatio corporis, altare dicatum 571

15 Adventus M. in Syria *Ex Mroll.* 825

14 Advotus M. Alexandriæ *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 752

8 Æmilianus M. in Armenia minore. *Comment. præv.* Cultus sacer. An natus in Armenia, et Trebiæ Episcopus obierit? 157 Acta Trebiensis Æmiliani *ex Italico Jacobilli cap.* 1 Patria, socii, Episcopatus 158. *cap.* 2 Varia inflicta tormenta, miracula, mille Martyrum cædes 158. cap. 2. Martyrium, sepultura, veneratio 159

9 Æmilianus M. Membressæ in Africa. *Ex Mroll.* 293

13 Agabus Propheta Antiochiæ. *Comment. histor.* Natalis, nomen Apostoli, et Martyris : prædictiones famis et captivitatis S. Pauli. 644

15 Agape V. M. Interamnæ in Umbria. *Comment. hist.* Pia sub Valentino Ep. institutio, martyrium, cultus, templum, reliquiæ 824

14 Agatho Exorcista M. Alexandriæ igne combustus. *Ex Mroll.* 751

9 Agatho M. in Ægypto. *Ex MSS. Mroll.* 294

14 Albinus. Reliquiæ Anicii 750 e

9 Alexander M. in Cypro. *Ex Mroll.* An alius Alexander Martyr hoc die passus Romæ? 293

12 Alexius Metropol. Kiioviensis in Russia. *Comment. præv.* Sancti Kiiovienses, hujus natalis et Acta 639 Vita, *ex MS.* Ortus, monachatus, Episcopatus, legationes, obitus, miracula 641

15 Alfardus M. in Suecia. Ex Adamo Bremen. et Vastovio 852

9 Alto Ab. in Bavaria superiore. *Comment. præv.* § 1 S. Altonis monasterium, varia ejus fortuna 358 § 2 Patria, ætas, acta scripta, veneratio 359. Vita *ex Metropoli Salisburg.* Pueritia sancta : adventus in Bavariam : monasterium extructum, restauratum 360

7 Amantius M. Claromonte in Gallia. *Ex Mroll. et tabulis Eccl. Claromont.* Cultus, altare 8

10 Amantius M. Romæ *Ex. Mroll.* An reliquiæ Ulyssiponem delatæ. 380

11 Amantius M. *Ex Mroll.* An passus in Campania 511

14 Amantius M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 751

7 Ammon M. *Ex Mroll.* 13

9 Ammon M. Membressæ in Africa. *Ex Mroll.* 293

9 Ammon alius hujus socius *Ex Mrol. MS. Aquisgran* 293

14 Ammon M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 747

9 Ammonius M. in Cypro *Ex Mroll.* 292 Alius ab eo Ammonius discipulus Origenis Abbas Ægyptius 293

11 Ammonius M. *Ex Mroll. MSS.* 511

12 Ammonius M. Alexandriæ. *Ex Mrol. S. Hieron.* 580

12 Ammonius infans, M. Alexandriæ. *Ex Mroll.* 580

13 Ammonius M. Alexandriæ *Ex Mroll.* 656

14 Ammonius M. Alexandriæ decollatus. *Ex Mroll.* 751. An Rhodæ in Hispania passus? 752. Reliquiæ Bononiæ 752 c

11 Ampelius M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Comprehensus Abitinæ 515 f Carthaginem ductus 516 b Fidem professus ac cæsus carceri includitur 518 c An fame interierit 515 b Natalis 515 a

7 Amulwinus Abb. Lobiensis in Belg. et Ep. *Comment.*

*Comment. histor.* Ratio dignitatis Abbatis et Episcopi, ætas, natalis, miracula, Translatio 82

7 Anatolius M. *Ex Mroll.* 13

10 Andreas M. Bethlehemi Judæ. *Ex Mroll.* 379

9 Ansbertus Archiepiscopus Rotomagensis Gandavi in Flandria. *Comment. præv.* § 1 Memoria in sacris fastis 343 § 2. Vita scripta : mentio apud varios auctores 344 § 3 Chronologia fundatæ Fontanellæ, ejusque Abbatum S. Wandregisili, Lantberti, Ansberti 345. § 4 Variæ Translationes reliquiarum SS. Wandregisili, Ansberti, et Vulfranni 346. Vita *auctore Aigrado monacho ex MSS.* Prologus 348 *cap.* 1 S. Ansberti ortus, studia, sponsalia, Cancellarii officium 348 *cap.* 2. Vita monastica sub S. Wandregisilo Abb. 349. *cap.* 3 Vita monastica sub S. Lantberto Abb. 350, *cap.* 4. Regimen monasterii Fontanellensis S. Ansberto collatum 351 *cap.* 5. Ejus Archiepiscopatus Rotomagensis. Liberalitas erga pauperes 352 *cap.* 6. Privilegia Fontanellensis cœnobii in Synodo confirmata 353 *cap.* 7. Curata solemnis translatio S. Audoeni 353 *cap.* 8. Exilium in Altomonte : reditus concessus 354. *cap.* 9. Obitus, sepultura 355. *cap.* 10. Translatio corporis Fontanellam versus, miracula 355 *cap.* 11. Alia in itinere miracula. Depositio corporis Fontanellæ 356

14 Anthimus M. via Flaminia, *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 747

13 Antius M. Alexandriæ. *Ex Mroll.* 656

14 Antoninus Abb. Surrenti in Italia. *Comment. præv.* § 1. Natalis, patria, vitæ historia 784 § 2 Ætas 785 § 3 Ecclesia dicata : præsidium curandis energumenis : statua argentea. 786 Vita *ex MS.* Præfatio 787. *cap.* 1 S. Antonini adventus Stabias : Vita in solitudine acta 788 cap. 2 Gesta Surrenti : monasterii præfectura, ædilicia, sepulura 789 *cap.* 3 Surrentum ab hoste per eum defensum 790. *cap.* 4 Variæ ægritudines curatæ 791, *cap.* 5 Victoria de Barbaris relata, eo juvante et exhortante 792. *cap.* 6 Divinitus inflicta ultio, præsertim perjuris, ac depulsa ejusdem nutu 793. *cap.* 7 Epilogus 794. Vitæ epitome *ex antiquis Lectionibus Ecclesiæ Surrentinæ* 794

12 Antonius Cauleas Patriarcha Constantinopol. *Comment. præv.* Tempus Sedis et obitus. Vita scripta, natalis 622. Oratio *Nicephori philosophi.* Exordium et propositio 623. *cap.* 1. Ortus, institutio, vita monastica 623. *cap.* 2 Sacerdotium : præfectura monasterii, præclaræ in eo munere virtutes, patris monachismus 625. *cap.* 3 Patriarchatus : in eo labores 626. *cap.* 4 Obitus, sepultura, miracula 627. *cap.* 5 Comparatur cum veteribus SS. invocatur ab auctore 628

7 Antonius a Stroncone Laicus Ord. Minorum Asisii. *Comment. Præv.* Corporis elevatio. Miracula. Titulus Beati 145. Vita *ex Italico Ludovici Jacobilli. cap.* 1 Vita perquam austera 146. *cap.* 2 Pietas, patientia, castitas 146. *cap.* 3 Prædictiones, mors, Translatio, miracula 147

14 Antonius M. Alexandriæ in mare mersus. *Ex Mroll.* 751

7 Apollinaris Ep. Hierapolitanus in Phrygia. *Comment. histor.* § 1 Patria, publica veneratio 4 § 2 Doctrina, scripta, zelus contra Cataphrygas hæreticos 4. § 3 Scripta et certamen contra Cataphrygas *ex Eusebio* 5. § 4 Scripta illa Apollinari asserta 7

10 Apollo M. Alexandriæ. *Ex MSS. Mroll.* 381

9 Apollonia V. M. Alexandriæ. *Comment. histor.* § 1 Martyrium, natalis 277. § 2 Varia de ea scripta, incerta 278. § 3 An alia fuerit Apollonia Romana Martyr, filia S. Apollonii Senatoris 279. § 4 Acta, ut videntur, apocrypha S. Apolloniæ Romanæ ex MS. Ultrajectino 280. § 5 S. Apolloniæ reliquiæ 281. § 6 Veneratio, patrocinium alexicacum, miraculum 282

15 Apollonius M. Antiochiæ. *Ex Mrol. MS. S. Hieron.* 821

10 Aponius, sive Aporius, M. Bethleemi *Ex Mroll.* 379

9 Aratus M. in Ægypto. *Ex MS Mrol. S. Hieron.* 294

14 Arbasus M. Alexandriæ. *Ex eodem MS. Mrol.* 751

14 Armata M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 751

10 Arnaldus Cataneus Ab. Patavii in Italia *Comment. præv.* Acta, genus, natalis, altare ei erectum 500, Vita *Ex Chronico monachi Paduani. cap.* 1 Monasterium administratum. Bona Imperatori oblata. Exilium : carcer 501, *cap.* 2 Obitus in carcere. Crudelitas et obitus Ecelini 502

9 Athenodorus Ep. in Ponto M. *Comment. histor.* § 1 Duo SS. Athenodori : eorum natalis 288. § 2 Hujus patria, eruditio 288. § 3 Episcopatus 290. § 4 Concilium contra Paulum Samosatenum 290. § 5 Obitus 292

9 Attracta, sive Tarahata, V. in Hibernia. *Comment. præv.* Natalis, Origo. Velum a S. Patricio acceptum 296. Vita *ex Colgano. cap.* 1 Fuga nuptiarum et patriæ. Cella extructa 297. *cap.* 2 Monstrum diabolicum devictum. Patena divinitus accepta. 298. *cap.* 3 Lacus siccatus. Mortui suscitati. Cervi cicures facti 299

7 Angulus Ep. M. in civitate Britanniæ Augusta. *Comment. histor.* Sedes Episcopalis, tempus martyrii 16

10 Austreberta V. in Belgio et Normannia. *Comment. præv.* § 1 Genus, ætas, vitæ historia 417. § 2 Natalis, Translatio, miracula, Reliquiæ 418. Vita *ex MSS. et Surio. Prologus* 419. *cap.* 1 Ortus et monastica vita in Portensi cœnobio 420. *cap.* 2 Præfectura Pauliacensis cœnobii 421. *cap.* 3 Miracula, mors 422. Miracula *ex MSS. cap.* 1. Beneficia post mortem Pauliacensibus impensa 424. *cap.* 2 Translatum corpus : facta ad id postea miracula 425. *cap.* 3 Potestas adversus dæmones : defensa castitas : obsequiorum remuneratio : aliæ curationes 426. *cap.* 4 Post vastationem Normannicam restitutus cultus : monachi Pauliaci constituti 427. *cap.* 5 Variæ curationes : locus sepulturæ in honore habitus 428. *cap.* 6 Aliæ per marmor sepulchri et aquam fontis curationes : correcta quorumdam improbitas 428

14 Auxentius Presb. Archimandrita in Bithynia. *Comment. præv.* Ortus, loca exercitationum, monasterium et cœmeterium Auxentianum, Acta scripta, memoria in Fastis 769. Vita *ex MS. Græco. cap.* 1 Vita Constantinopoli acta. Virtutes inter opera militaria 771. *cap.* 2 Habitatio juxta Oxiam montem : cæca illuminata, energumeni liberati 772 *cap.* 3 Leprosus, paralyticus, energumenæ sanantur 774. *cap.* 4 Evocatur ad Concilium Chalcedonense, Miracula in via 774 *cap* 5. Acta et tolerata in monasteriis ad Ruffinianas et in Philio 776. *cap.* 6 Colloquium cum Marciano Imp. Professio

fessio fidei orthodoxæ 776. *cap.* 7 Habitatio in monte Siopa. Insultus dæmonum superati : modi orandi : adhortatio 777. *cap.* 8 Vestis anachoretica variis data, itemque monita. Dæmonum insultus varii, item remedia 779. *cap.* 9 Cultus divinus aliis præscriptus. Mors S. Simeonis Stylitæ aliaque revelata. Monasterium sanctimonialium inceptum 780 *cap.* 10 Monasterium constitutum. Adhortatio de castitate. Obitus et sepultura 781

B

10 Baldegundis Abbatissa. *Ex Mroll.* 429
10 Baptus miles M. Magnesiæ, post tortum S. Charalampium conversus, et capite plexus. *Ex Men. Græc.* 381 382
11 Basilianus M. in Campania. *Ex Mrll.* 511
11 Basilius in Armenia. *Ex Mroll.* 511
12 Basilius mon. Ratensis in Gallia. *Ex Mroll.* 604 897
14 Bassianus Lector M. Alexandriæ igne combustus. *Ex Mroll.* 751
14 Bassus M. Alexandriæ in mare mersus. *Ex Mroll.* 751
9 Bastamus M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 294
12 Benedictus Ep. Albingaunensis in Liguria. *Comment præv.* Natalis, ætas, translatio 629 Vita *auctore Philippo Malabayla.* Genus, patria, monachatus, episcopatus, obitus, miracula, cultus solennis 630
12 Benedictus Ab. Anianæ et Indæ in Gallia Narbonensi et Belgicu. *Comment. præv.* § 1. Aniana et Inda monasteria ab eo extructa 607 § 2 Gesta ad seriem ætatis digesta 608. § 3 Annus obitus. Memoria sacra. Vita scripta 610. Vita *auctore S. Ardone discip.* Prologus 611. cap. 1 Ortus, militia, vita monastica 612. *cap.* 2 Mortificatio. Cellarii officium 612. *cap.* 3 Fuga in patriam. Vita solitaria. Monasterium Anianæ extructum 613. *cap.* 4 Inopia aliena sublevata. Miracula patrata 614. *cap.* 5 Templum Anianæ extructum : monasterium stabilitum 615. *cap.* 6 Monasterium Gellonis extructum a S. Guilielmo Duce Aquitaniæ : hujus Vita 616. *cap.* 7 Varia S. Benedicto subjecta monasteria. 616 *cap.* 8 Inducta Regulæ accurata observatio : scripta ejusdem Concordia 618. *cap.* 9 Beneficia variis collata. Morbus, obitus 619. *cap.* 10 Epistola monachorum Indæ de Vita et obitu 620. *Epistola* 1 *S. Benedicti* 621. *Epistola* 11 621
13 Benignus Presb M. Tuderti in Umbria. *Ex Ferrario, Mroll. et Officio Ecclesiast.* 656
12 Benignus M. Romanus Gandavi in Flandria, caput ibidem in templo Societatis Jesu 896
15 Berachius Ab. et Conf. in Hibernia. *Comment. præv* Nomen a miraculis, Acta, ætas, veneratio 833. Vita *ex Colgano cap.* 1 Ortus, institutio 834. *cap.* 2 Vita monachica Ghendalochæ, miracula, quæsitus novo cœnobio locus 835 *cap.* 3 De fundo cœnobii construendi contentio cum mago 836. *cap.* 4 Varia miracula, obitus 838. Alia Vita *ex Hibernico* 838
11 Beredina M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensa 515 f Carthaginem ducta 516 b An fame in carcere extincta 515 b
14 Bruno Archiep M in Prussia. *Comment. præv.* Doctrina, monachatus, Archiepiscopatus prædicatio, martyrium, veneratio 797 Vita *auctore Ditmaro Ep. Merseburg.* 798
8 Bycarion puer M. in cruce concisus. *Ex Cytheræo* 156

C

11 Cæcilia M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensa 515 Carthaginem ducta 516 b An fame in carcere extincta 515 b
11 Cæcilianus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abinitæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b An in carcere fame mortuus 515 b
16 Cæcilius M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 868
13 Cælestinus M. Romanus Gandavi in Flandria caput ibidem in Templo Societatis Jesu 897
11 Calocerus Ep. Ravennas. *Comment. histor.* § 1 Episcopatus, cultus sacer, Reliquiarum translatio 508. § 2 An fuerit discipulus S. Jacobi in Hispania? 510
12 Carpophorus M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 580
11 Cassianus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b An fame in carcere interierit 515 b
13 Castor Presb. Confluentiæ in Germania. *Comment præv.* Veneratio Confluentiæ et Caradoni, dignitas, ætas, elevatio et Translatio corporis 661. Hymnus 662. Vita *ex MS. cap.* 1 Sacerdotium, virtutes, miracula, mors, sepultura 663 *cap.* 2 Reliquiæ inventæ, pars Confluentiam translata 664
11 Castrensis Ep. Afer Conf. Vulturni in Campania. *Comment. præv.* § 1 Tempus persecutionis Wandalicæ. S. Castrensis publica veneratio 523. § 2 Corpus Capuam et Montem-Regalem delatum. Acta scripta 525. Vita *ex MSS. cap.* 1 S. Castrensis et sociorum captivitas, tolerata verbera, consolatio Angeli apparentis 526 *cap.* 2 Verberans S. Castrensem punitus et sanatus. Martyres navi putridæ impositi, in Campaniam appulsi 527. *cap.* 3 S. Castrensis in Campania labores, miracula, obitus 528
15 Castula M. in Syria. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 825
11 Cedmonus mon. Streneshalæ in Anglia. *Comment. præv.* Bubulcus, an Benedictinus? Natalis Translatio 552. Vita *ex historia Bedæ*, Cantus divinitus traditus, morbus, mors 552
14 Celerinus M. via Flaminia. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 747
10 Charalampius Presb. M. Antiochiæ Pisidiæ. *Comment. præv.* Persecutio Severi Imp. S. Charalampii Acta, natalis, socii 381. Vita *ex MS. Græco. cap.* 1 Prædicatio, miracula, tolerata Magnesiæ tormenta 382. *cap.* 2 Tormenta jussu Severi Imp. inflicta : facta coram eo Antiochiæ Pisidiæ miracula 383. *cap.* 3 Nova in eum quæstio : blasphemi divinitus puniti. B. Galenæ visio 384. *cap.* 4 Imperator ab Galena filia monitus : ab eadem confracta idola 385. *cap.* 5 Alia S. Charlampii miracula, mors, sepultura 385
14 Christina ex III ordine S. Augustini Spoletii. *Comment. præv.* Corpus et imago in altari : Vita scripta, ejus epitome carmine datur 799. Vita *auctore Cornelio Curtio cap.* 1 Res gestæ : obitus, sepultura 800. *cap.* 2 Miracula post mortem 801
7 Chrysolius Ep. M. Cominii et Verlenghemii in Flandria *Comment. præv.* § 1 Natalis 9. § 2 Acta, socii 9. § 3 Reliquiæ, fons 10. Vita *ex MSS.* 11 Alia ex MS. a Raissio edita 12

7 Claudius Apollinaris Ep. *vide* Apollinaris.

8 Cointa M. Alexandriæ in Ægypto. *Comment. histor.* Persecutioni Decianæ prælusum in Ægypto. S. Cointæ martyrium Natalis 155

7 Colianus Ep. Adriæ in Æmilia *Ex Mrol. MS. Aquisgranensi*, An Calionistus sub S. Martino Papa? 68

9 Colorus M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 294

15 Columbanus Ab. inclusus Gandavi. *Comment. hist.* Annus adventus et obitus, nomen in fastis sacris, et Litaniis Belgicarum Ecclesiarum 846

9 Comminus M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 294

8 Communis M. Tuscaniæ in Etruria. *Ex Ferrario et Epitaphio* 159

12 Constantius Brixiæ in Ital. *Ex Ferrario et aliis.* An Ordinis Humiliatorum, et Ep. Brixiensis? Reliquiæ 605

16 S. Cornelius M. Romanus Gandavi. ubi corpus in ecclesia Societatis Jesu quiescit 864

15 Craton Orator M. Romæ. *Ex Actis S. Valentini Ep. Interamnensis, et Mroll.* Sanato filio conversio, martyrium 823

9 Cronanus Ep. Hibernus. *Ex Mroll. et Actis S. Columbæ.* 339

8 Cuthmannus Conf. in Normannia. *Comment. præv.* Cultus, Acta, ætas, 197. Vita *ex MS cap.* 1 Adolescentia sancta, in matrem pietas 197. *cap.* 2 Templum Stanningense ædificatum, non sine miraculis 198. *cap.* 3 Alia miracula 199

15 Cuturnus M. in Syria. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 824

9 Cyriacus M. in Ægypto. *ex MS. Mrol. S. Hieronimi* 294

8 Cyriacus M. Romæ. *Ex Mrol.* 136. An Reliq. Bononiæ? 137 d An corpus Genuæ 894

11 Cyriacus M. *Ex Mrol. MSS.* 511

12 Cyriacus M. Alexandriæ. *Ex Mroll.* 580

12 Cyriacus alius M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 580

13 Cyriacus M. Alexandriæ. *Ex Mroll.* 656

14 Cyrion Presb. M. Alexandriæ igne combustus. *Ex Mroll.* 751

D

11 Dacianus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b An fame in carcere extinctus 515 b

12 Damianus Martyr Romanus, Salmanticæ in Hispania: corpus auctoritate Urbani VIII translatum 581

12 Damianus miles M. in Africa. *Ex Mroll.* 581

16 Daniel Ægyptius M. Cæsareæ in Palestina. *Comment. præv.* Veneratio sacra, reliquiæ Bononiæ 866. Vita *ex Eusebio* Captivitas, tormenta, caput abscissum, sepultura 867

11 Dantus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513 Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 An fame in carcere extinctus 515 b

11 Dativus Lector M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513 Natalis 515 a Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 a in eculeo suspenditur, fortiter tolerat 516 517 carceri includitur 517 c An fame perierit 515 b

15 Decorosus Ep. Capuanus. *Comment præv.* Veneratio, acta, sepultura, ætas 842. Vita *ex antiquo Breviar.* Virtutes: moribundus sanatus conciones, obitus 843

14 Desideratus Ep. Viennen. in Gallia. *Ex Mroll. et Savarone.* Electio, ætas, cultus, festum, ecclesia, reliquiæ 552

9 Didymus M. Membressæ in Africa. *Ex Mroll. MSS.* 293

8 Dionysius M. in Armenia minore. *Comment. præv.* Natalis. an natus in Armenia et Trebiæ occisus? 157. Acta Trebiensis Dionysii *ex Italico Jacobilli.* Adventus Trebiam, civium conversio 157 f 158 a. Martyrium 159 b

9 Dionysius M. Alexandriæ. *Ex MSS. Mroll.* 294

14 Dionysius M. Alexandriæ decollatus. *Ex Mroll.* 751. An Rhodæ in Hispania passus? 752

14 Dionysius Ep. M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 751

14 Dionysius Presb. M. Alexandriæ. *Ex eodem MS. Mrol.* 751

16 Dionysius M. *Ex eodem MS. Mrol.* 868

9 Dioscodus M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 294

13 Dominicus Ossoriensis in Hibernia. *Ex Vita S. Davidis Meneveusis* 673

13 Domninus Ep. Diniensis in Gallia. *Comment. præv.* Natalis, sepultura, ætas, 660. Vita *auctore Petro Gassendo.* Prædicatio et conversio Diniensium, zelus contra hæreticos, obitus 661

12 Donata M. in Italia. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 581

9 Donatus Diac. M. in Castello Lemelensi in Africa, occisus a Donatistis altare defendens. *Ex Optato Milevitano* et *Mrol. Rom.* 294

12 Donatus M. in Italia. *Ex Mroll.* 581

16 Donatus M. in Africa. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 865

E

11 Ectanus sive Echenus Ep. Chainfodiæ Hibern. *Comment. histor.* Ortus, virtutes, miracula, sacerdotium S. Columbæ collatum 551

11 Eleuchadius Ep. Ravennas in Italia. *Comment. hist.* § 1 Episcopatus, cultus sacer, Reliquiæ translatæ 748. § 2 Eexcerpta ex sermone S. Petri Damiani 748

8 Elfleda V. Abb. Streneashalæ in Anglia. *Comment. histor.* § 1 Parentes, majores Reges 177. § 2 Oblata a patre post obtentam victoriam 178. § 3 Tres fratres Reges, duæ sorores Reginæ 179. § 4 Magistra ejus S. Hilda 180. § 5 Vita in monasterio ad annos 26. parentum fratrumque eo tempore gesta 181. § 6 Familiaritas cum S. Cuthberto: futura ex eo cognita 181. § 7 Sanitas restituta meritis S. Cuthberti: utriusque congressus, hujus cœlestia visa 183. § 8 Adnitente S. Elfleda restitutus solio Episcopali S. Wilfridus 184. § 9 S. Elfledæ obitus, reliquiæ, anniversaria memoria 185

16 Elias Ægyptius M. Cæsareæ in Palæstina. *Ex Mroll. et Eusebio.* Cultus sacer 866. Captivitas, tormenta, caput sublatum. Sepultura 867

11 Emeritus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Comprehensus Abitinæ 515 f ductus Carthaginem 516 b in eculeo extenditur 517 e Scripturam cordi inscriptam habet 517 f An fame interierit 515 b

11 Eoharnus eremita M. in Britannia Armorica. *Ex Mroll. et Vita S. Gildæ.* 569

13 S. Ermenilda Regina Merciæ et Abbatissa Eliensis in Anglia. *Comment. histor.* § 1 Progenies S. Ermenildæ et Wulfheri mariti, Regis Merciorum Christiani. Conversio Merciorum 686. § 2 Acta Wulfheri Regis. Hujus et S. Ermenildæ

nildæ filia S. Wereburga. An etiam filius Ceonredus Rex? 687. § 3 Martyrium SS. Wulfhadi et Ruffini affictum Wulfhero. An hujus et S. Ermenildæ filii. 689. § 4 Vita monastica S. Ermenildæ Veneratio 690. Vitæ epitome *ex Capgravio et MS.* 691

8 Esaias Bonerus Ord. Eremitarum S. Augustini Casimiriæ ad Cracoviam. *Comment. præv.* Casimiriæ conditæ occasio Ven. Sacramentum. Veneratio B. Esaiæ, ætas, Acta scripta 213. Hymnus 214. Vita *Cracoviæ excusa. Cap.* 1 Res in Vita gestæ 214. *cap.* 2 Felix obitus. Miracula olim facta 215 *cap.* 3 miracula recentiora 216

12 Ethelwoldus Ep. Liodisfarnen. in Angl. *Comment. hist.* Ex Præposito et Abbate Episcopus. Crux erecta. Liber Evangeliorum exornatus. mors. reliquiæ translatæ. Cultus sacer 605 897

8 Eventius Ep. Ticinensis *vide* Juventius.

12 Eulalia V. M. Barcinone in Hispania. *Comment. præv.* Acta S. Eulaliæ Barcinonensis, et S. Eulaliæ Emeritensis apud scriptores confusa : Illius Natalis, festum 575. Acta *ex MS.* Pia educatio : desiderium martyrii : tormenta generose tolerata : obitus in cruce, sepultura 577. Inventio et Translatio I *ex variis* 578. Translatio II 579

16 Eulalius Ep. Syracusanus in Sicilia. *Ex Mroll. et Vita S. Fulgentii Ep. Ruspensis.* Hospitalitas, sanctitas, natalis, ætas 889

12 Euminius M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hier.* 580

9 Eunomius Ep. Lesinæ et Neapoli. *Comment. hist.* Cujus Sedis Episcopus 336 In crypta Lesinensi Inventio corporis, Translatio Neapolim 339

11 Euphraxius M. Apameæ. *Ex Mroll.* 511

11 Euphrosyna V. Alexandrina. *Comment. præv.* § 1 Cultus sacer apud Latinos et Græcos 535. § 2 Acta conscripta, Ætas, Reliquiæ 536. Vita *ex MSS. et Vitis Patrum. Cap.* 1 Ortus, desponsatio, desiderium vitæ monasticæ 537. *cap.* 2 Habitus monasticus assumptus. Fuga et vita monastica inter viros 538. *cap.* 3 Paphnutii patris tristitia, inquisitio filiæ, et cum ea incognita colloquium 539 *cap.* 4 Morbus S. Euphrosinæ, quæ se tum revelat patri. Utriusque obitus, miracula 540. Vita alia *auctore Metaphraste ex MS. Græco in similia 4 capita distincta, a pag.* 541 *ad* 544

15 Eusebius anachoreta Asichæ in Syria. *Ex Theodoreto et Menæis.* Habitatio sub dio aut arcta cella, victus, vestitus, obitus, natalis 825

15 Euseus eremita calceolarius Serravallæ in Pedemontio. *Ex Italico Bellini.* Ortus, artificium, cultus sacer, Translatio, ecclesia illi erecta 853

F

16 Fabianus M. *Ex Mroll.* 868

15 Faustina V. M. *Ex Breviar. Ultraject. et Florario MS.* 825

16 Faustinianus M. in Britannia *Ex Mroll.* 868

15 Faustinus Presb. et Jovita Diac. fratres MM. Brixiæ. *Comment. præv.* § 1 Memoria sacra : Vita a variis scripta 806. § 2 Tempus martyrii 808. § 3 Variæ Translationes : Altaria, templa, cœnobia iis dicata 809. Vita I *ex MS. Cap.* 1 Fides, Ordo sacer, captivitas, constantia. Statua solis dejecta 810. *cap.* 2 Victoria de feris et igne. Conversio SS. Caloceri, Afræ et aliorum 811. *cap.* 3 Varia tormenta, martyrium 813. Vita II ex *MS. cap.* 1 Captivitas, constantia. Divina protectio contra feras, ignem, aliaque tormenta. Multorum conversio 814. *cap.* 2 Non læsi plumbo liquefacto et fornace accensa. Energumeni liberati. Variorum martyrium 815. *cap.* 3 Feræ cicures redditæ. Varia tormenta terra marique superata. Martyrium consummatum 817. Vitæ majoris pars *ex Mombritio. Cap.* 1 Illata Brixiæ tormenta. Eductis per Angelos e carcere : sacri Ordines collati. Conversio et baptismus aliorum 818. *cap.* 2 Inflicta Mediolani tormenta, martyrium aliorum 819. *cap.* 3 Separatio a S. Calocero, hujus obitus 821. Excerpta ex Vita MS. S. Secundini M. Astensis 821

16 Faustinus Ep. Brixiensis. *Comment. hist.* Ætas, Natalis, Translatio. Vitæ SS. Faustini et Jovitæ, et S. Apollinaris ab eo scriptæ 887

11 Faustus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513 Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b An fame in carcere extinctus 515 b

15 Faustus mon. Casinensis Romæ. *Comment. hist.* Institutio sub S. Benedicto. Missio in Gallias, reditus in Italiam. Romæ scripta Vita S. Mauri, an etiam S. Benedicti? Obitus, veneratio 840

14 Felicula M. Romæ. *Comment. hist.* § 1 Cultus sacer 744. § 2 An reliquiæ adserventur in Hispania? 745

11 Felix Lector M. Carthagine. *vide Saturninum Presb. ejus parentem* 513. Abitinæ comprehensus, Carthaginem adductus 515 516 An fame interierit 515 b

11 Felix M. Carthagine cum S. Saturnino Presbyt. *In hujus Actis.* 513 Natalis 515 a Comprehensus Abitinæ 515 f ductus Carthaginem 516 b fidem profitetur, fustibus occiditur 518 ab

11 Felix alius eodem modo occisus 513 518 b

11 Felix alius, fustibus cæsus, carceri includitur 513 518 c An fame interierit 515 b

11 Felix M. in Africa. *Ex Mroll.* 510

12 Felix M. Alexandriæ. *Ex. MS. Mrol. S. Hieronymi* 580

7 Fidelis Ep. Emeritensis in Hispania. *Comment. præv.* Ætas, Cultus 63 Vita *auctore Paulo Diac. Emeritensi.* Adventus Emeritam, Ordines sacri et Episcopatus suscepti : Apparitiones Sanctorum : obitus, sepultura 63

14 Flavianus Diac. M. Abellinensis cum S. Modestino Ep. *In hujus Actis* 764 890

16 Flavianus anachoreta in Oriente. *Ex Menæis Græc.* Jejunium, miracula 887

14 Florentius Presb. M. Abellinensis cum S. Modestino Ep. *In hujus Actis* 764

12 Florus M. Romanus Antverpiæ. Corpus in templo Societatis Jesu. Bulla Gasparis Nemii Ep. Antverpien. 583

16 Fructuosus M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 868

13 Fulcrannus Ep. Lodevensis in Gallia. *Comment. præv.* Acta varia scripta, ætas, corpus incorruptum a Calvinistis concisum 711. Vita *auctore Bernardo Guidone Ep. ex MS. Cap.* 1 Ortus, educatio, Episcopatus 712. *cap.* 2 Zelus justitiæ contra male agentes 713. *cap.* 3 Opera misericordiæ, sacra ædificia 714. *cap.* 4 Humilitas, aliæ virtutes, pœnitentia ob imprudens dictum. *cap.* 5 Mors, miracula 715. *cap.* 6 Miracula in vita facta 717 Testamentum 897

13 Fusca V. M. Ravennæ et Torcelli in Italia. *Comment. præv.* Natalis, cultus variis locis, templum. Varia Acta et compendia. Tempus martyrii 645. Acta *ex MS. Budecensi. Cap.* 1 Baptismus

Baptismus. Constantia varie a parentibus tentata 646. *cap.* 2 Inflicta tormenta, cædes. Translatio 647. *Acta ex MS. Coloniensi* 648

G

16 Gallo M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 868

12 Gaudentius Ep. Veronen. *Ex Variis.* Elogium, reliquiæ 602

11 Gaudinus Ep. Suessionensis. *Comment. histor.* Tempus Sedis, natalis, elevatio 554

15 Gemella M. in Syria. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 825

15 Gemellianus M. in Syria. *Ex eodem MS. Mrol.* 825

15 Generosus M. in Syria. *Ex eodem MS. Mrol.* 825

15 Georgia V. Deo devota Claromonte in Gallia. *Comment. histor.* Vita ruri acta. Funus ab Angelis honestatum : Reliquiæ, natalis 826

9 Germanus M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hier.* 294

12 Germanus sive Germinius M. Alexandriæ. *Ex MSS. Mrol.* 580

13 Gilbertus sive Gislebertus Ep. Meldensis. *ex Breviario Meldensi, Hemeræo et Mroll.* Ætas, natalis, ortus, Canonicatus, Episcopatus, sepultura, miracula 718

11 Givalius M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513 Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b An in carcere fame mortuus 515 b

12 Goslinus Ab. Taurini in Pedemontio. *Comment. præv.* Præfectura monasterii S. Solutoris, Inventio, Translatio, veneratio sacra 631. Historia inventionis et miraculorum *ex MS. Pars* 1 Vita, occasio inventionis corporis, et miraculorum descriptorum 632. *Pars* 2 Miracula facta an. 1472. *Cap.* 1 Miracula facta mense Junio 633. *cap.* 2 alia eodem mense patrata 634. *cap.* 3. Facta mense Julio 636. *cap.* 4 Facta mense Augusto 637. *cap.* 5 mense Septemb. patrata 637 *cap.* 6 Legitima approbatio 638

13 Gregorius II Papa *Comment. præv.* § 1 Gesta ante Pontificatum. Ad Justinianum Rhinotmetum Imp. iter 692. § 2 Pontificatus. Joannes Patriarcha CP. hæreticus depositus. Anastasii et Theodosii Imperium 694. § 3 S. Gregorii ædificia. Illustres Romam peregrini ejus tempore. Casinum reædificatum 695. § 4 SS. Corbinianus et Bonifacius in Germaniam missi ad prædicandum Evangelium 696. § 5 Studium tuendæ auctoritatis Ecclesiasticæ ac disciplinæ morum : cum Regibus amicitia 698. § 6 Pro cultu sacrarum imaginum gesta et tolerata 699. § 7 Scripta, obitus, acta 702. Vita *auctore Anastasio Bibliothecario. Cap.* 1 Gesta duobus primis annis Pontificatus circa publica ædificia, conversionem gentium, Ecclesiæ defensionem 703. *cap.* 2 Saraceni bis ingenti clade affecti. Missi quater a Leone Isaurico Imp. qui S. Gregorium II occiderent. 704. *cap.* 3 Hæresis Iconomachorum damnata. S. Gregorius neci sæpe ereptus, studiis Italorum et Dei nutu 704. *cap.* 4 Bellici tumultus discussi. S. Gregorii obitus piaque opera 705

10 Guilielmus Magnus, Eremita in Stabulo Rodis in Etruria. *Comment. præv.* § 1 Antiquiores Duces Aquitaniæ. Ex his S. Guilielmus sub Carolo Magno constitutus ante annum 800, dein monachus Gellonensis, qui et S. Guilielmus Magnus et eremita, illo 350 annis junior pro uno eodemque a variis habiti 433. § 2 Sex Guilielmi Duces Aquitaniæ ab anno 860 ad annum 1060. nonnullorum et S. Guilielmi eremitæ res gestæ confusæ 435. § 3 Alii duo Guilielmi Duces Aquitaniæ ab anno 1058 ad annum 1126 pro eodem S. Guilielmo perperam sumpti, neque ab invicem satis distincti 437. § 4 Guilielmus ultimus Dux Aquitaniæ et S. Guilielmus pro uno eodemque passim habiti : illius, apud Compostellam obitus anno 1137, hujus anno 1157 in Stabulo-Rodis 439. § 5 Consensus historicorum seculo Christo 12, 13 et 14 de eadem Ducis apud Compostellam morte 442. § 6 Vita S. Guilielmi a Theobaldo exornata. Quis hic auctor, et quæ provincia Franciæ, cui inscripta? 444. § 7 Vita hæc ad seculum pene XVI incognita. Varia ejus menda notata 445. § 8 Figmentum Bucheti aliorumque explosum de simulata morte Guilielmi Ducis 447. § 9 S. Guilielmi Magni et Eremitæ veneratio antiqua. Vita ab Alberto discipulo scripta 449. Epitome Vitæ antiquæ *ex Responsoriis et Antiphonis Officii Ecclesiastici* 450

Vita *a Theobaldo exornata.* Prologus 451. *Pars* 1 suspecta, dubia, interpolata aut S. Guilielmo falso afflicta. *Cap.* 1 Commentitia acta juventutis Guilielmi ultimi Ducis Aquitaniæ pro S. Guilielmo Magno et eremita habiti 452. *cap.* 2 Schisma Ecclesiæ. Anacleto Antipapæ adhæret Dux Guilielmus. Primus S. Bernardi cum eo congressus 453. *cap.* 3 Secundus S. Bernardi congressus cum Duce Guilielmo. Hujus conversio 455. *cap.* 4 Duplex consultatio Duci Guilielmo cum duobus eremitis afflicta 456. *cap.* 5 Lorica et galea ferrea assumpta. Possessiones abdicatæ 458. *cap.* 6 Congressus cum Eugenio Papa 458. *cap.* 7 Vita Hierosolymis novem annis in specu peracta 460. *cap.* 8 Ob amicorum molestiam recessus in Etruriam. Militia resumpta : cæcitas inflicta et depulsa 461 *cap.* 9 Vita solitaria iterum Hierosolymis acta 462. *Pars* 2 certa magis et sincera. *Cap.* 1 Peregrinatio ad S. Jacobum. Recessus in Etruriam 463. *cap.* 2 Tentationes dæmonum superatæ. Consolationes datæ a Deipara Virgine apparente 463. *cap.* 3 Variæ migrationes. Domicilium ultimum in Stabulo-Rodis 464. *cap.* 4 Varia virtutum exercitatio 465. *cap.* 5 Miracula in vita : prophetia 467. *cap.* 6 Obitus, sepultura 468. *cap.* 7 Gloria ejus ostensa : ægri et energumeni sanati 469. *cap.* 8 Miracula in incendio, tempestatibus, rebus amissis, captivis et ægris facta 470. *cap.* 9 Energumeni liberati. Auctor vitæ scriptæ, aliique ægri sanati 471

Ordo Eremitarum S. Guilielmi. *Comment. histor.* § 1 Quinque classes Eremitarum seculo 13. duæ S. Guilielmi, tres S. Augustini 473. § 2 Congregationes B. Joannis Boni et S. Guilielmi apud scriptores confusæ : illis data Regula S. Augustini, his S. Benedicti 474. § 3 Congregatio Eremitarum sub Innocentio IV, diversa ab Ordine S. Guilielmi 476. § 4 Guilielmitæ sub Alexandro IV Augustinianis adjuncti, ab ea obedientia absoluti. Regula S. Benedicti iis confirmata 478 § 5 Privilegia Guilielmitis ab Urbano IV et Clemente IV concessa. Controversia hos inter et Augustinianos sedata 479. § 6 Privilegia in Synodo Basileensi confirmata. Domus et monasteria Ordinis 481. § 7 Cultus S. Guilielmi apud Augustinianos 482. § 8 Ulterior inquisitio ejusdem cultus. An Guilielmus Fundator Vallis Scholarium

scholarium pro S. Guilielmo habitus 484. § 9 Cultus apud Benedictinos et Cistercienses. Ejus origo male attributa conversioni Ducis Aquitaniæ per S. Bernardum 485

Reliquiæ S. Guilielmi. *Comment. histor.* § 1 Stabulum-Rodis eversum et instauratum. Caput S. Guilielmi in Germaniam delatum, reliqua ossa Castilionem Piscaliæ 486. § 2 Caput diu honoratum apud Guilielmitas Marcoduranos : monasterio destructo apud varios asservatum 488. § 3 Caput Antverpiam delatum : Societati Jesu ibidem donatum 489. § 4 Solennis capitis apud Antverpienses veneratio, a Sede etiam Apostolica approbata 491. § 5 Variæ S. Guilielmi reliquiæ. Quid de nova capitis inventione censendum 492

10 Guilielmus Presb. eremita, fundator cœnobii Olivæ in Hannonia. *Comment. præv.* § 1 Cœnobium S. Mariæ de Oliva fundatum 493. § 2 B. Guilielmi Vita. Beati titulus, natalis 495. Vita *ex MSS.* Prologus 495. *Cap.* 1 B. Guilielmi ortus, juventus lubrica, conversio 496. *cap.* 2 Pœnitentia 497. *cap.* 3 Labores et studia : terra illi data 498. *cap.* 4 Lucta cum dæmonibus, visiones, sacerdotium 498. *cap.* 5 Cœnobium fundatum, obitus 500

10 Guilielmus Zucchius Alexandriæ in Italia. *Comment. histor.* Natalis, miracula, imago in ecclesia 504. Vita *auctore Bartholomæo Zucchio.* Studia et pietas, candor animi, humilitas, secessus, liberalitas, mors, miracula 504

13 Guimerra Ep. Carcassonensis in Gallia. *Comment. histor.* Veneratio, sepultura, ætas incerta 671 897

H

13 Haymo et Veremundus fratres Medæ in diœcesi Mediolanensi. *Comment. præv.* Ortus, natalis, ætas 706 Vita *ex Italico Emmanuelis Laudensis. Cap.* 1 Conversio, sanctitas 706. *cap.* 2 Miracula 707. *cap.* 3 Reliquiæ a Federico Borromæo Card. translatæ 709

15 Henricus M. in Suecia. *Ex Adamo Bremen. et Vastovio* 852

12 Heradius vel Heraclius M. in Italia. *Ex Mrol.* 581

11 Herenæus M. in Africa. *Ex Mroll. MSS.* 510

9 Herodus M. in Ægypto. *Ex MS. Mroll. S. Hieron.* 294

16 Hierapius M. *Ex eodem MS. Mrol.* 868

3 Hieronymus Æmilianus Fundator Congregationis Somaschæ. *Comment. præv.* § 1 Vita scripta. Memoria diei natalis. Reliquiæ a S. Carolo honoratæ 217. § 2 Miracula recentiora *ex Italico Rossii* 218. § 3 Congregatio Somaschensis post ejus obitum confirmata lateque propagata 219. Vita *auctore Augustino Turtura.* Prologus 220. *Lib.* 1. *Cap.* 1. Patria, natales, ortus 220. *cap.* 2 Ingenium, puerilis educatio, litterarum studia 221. *cap.* 3 Transitus ad arma 222. *cap.* 4 Depravati adolescentiæ mores 223. *cap.* 5 Arma resumpta difficillimo Reip. tempore 223. cap. 6 Castrum-novum contra Cæsarianos defensum 224 *cap.* 7. Castrum-novum direptum. Hieronymus carceri adductus 225. *cap.* 8 Ope Deiparæ Virginis liberatus 226. *cap.* 9 Novo miraculo Tarvisium deductus 226. *cap.* 10 Præfectum Castri-novi bellicis rebus compositis 227. *cap.* 11 Magistratus rejectus : rei familiaris, fratre defuncto, suscepta administratio 228. *cap.* 12 Insignis morum mutatio 228. *cap.* 13 Rerum spiritualium Moderatoris subjectio. 229. *cap.* 14 Varia virtutum exercitia 230 *cap.* 15 Gradus perfectionis brevi obtentus 231. *cap.* 16 Subsidia miseris in annonæ caritate collata 232. *cap.* 17 Familiaritas cum Joanne Petro Caraffa 233. *cap.* 18 Salus e gravi morbo donata 235
*Lib.* 2 *cap.* 1 Deliberatio de nova vitæ ratione instituenda 235. *cap.* 2 Vocatio ad pauperum derelictorum curam 237. *cap.* 3 Collectis orphanis certa domus assignata et præscripta vivendi ratio 237. *cap.* 4 Iter ad orphanos e vicinis insulis colligendos 238. *cap.* 5 Cura valetudinarii insanabilium demandata 239. *cap.* 6 eadem caritas ad varias civitates extensa 240. *cap.* 7 Brixiæ orphanorum domus constituta 241. *cap.* 8 In agro Bergomensi fruges demessæ ; duo pia loca in civitate excitata 241. *cap.* 9. Impudicarum mulierum salus procurata instructo domicilio 242. *cap.* 10 Rudes homines in agro Bergomensi mysterio fidei imbuti 243. *cap.* 11 Nova sociorum accessio 244 *cap.* 12. Profectio Novocomum civitati et pauperibus frugifera 244. *cap.* 13 Primi Comitis, socii, res gestæ et obitus 244 *cap.* 14 Leonis Carpani e primis sociis vita et obitus 246
*Lib.* 3. *Cap.* 1 Deliberatio de principe Congregationis loco 247. *cap.* 2 Pagi Somaschensis descriptio, aeris temperies 247. *cap.* 3 Disciplina domesticorum Somaschæ et in externos caritatis officia 248 *cap.* 4 Hieronymi Mediolanum profectio, in Deum fiducia, et Francisci Sfortiæ in Hieronymum liberalitas 249, *cap.* 5 Pii loci exordia et varia Mediolanensium judicia 250. *cap.* 6 Caritas Mediolanensibus morbo laborantibus exhibita, Ducis testimonio commendata 251. *cap.* 7 Gesta Ticini 252. *cap.* 8 Angeli Marci Gambaranæ virtus 253. *cap.* 9 Vincentii Gambaranæ virtus 254. *cap.* 10 Reditus Hieronymi Somascham lectis novis sociis 255. *cap.* 11 In nôvo domicilio in arce Somaschensi constituto, ardentius pietatis studia exulta 256. *cap.* 12 Reditus Venetias 257. *cap.* 13 In reditu mira documenta abstinentiæ in itinere edita 258. *cap.* 14 Acta Salodii et Brixiæ 258 *cap.* 15 Desiderium remotioris solitudinis : nova sedes in arce constituta 260. *cap.* 16 Infirmitas, obitus 261
*Lib.* 4. *Cap.* 1 Probitas plurium testimonio commendata 262. *cap.* 2 Admiranda quædam 264. *cap.* 3 Alia ejusdem generis 265. *cap.* 4 Alia beneficia divinitus concessa 266. *cap.* 5 Caritas in Deum 267. *cap.* 6 Caritas in proximos 269. *cap.* 7 Educatio derelictæ sobolis Reip. utile institutum 270. *cap.* 8 Mortificatio corporis, pœnitentia et paupertas 271. *cap.* 9 Mortificatio interior, humilis sui abnegatio, obedientia 273. *cap.* 10 Corporis forma et figura 274

11 Hilarion puer M. Carthagine filius S. Saturnini Presb. M. *In ejusdem Actis* 513 Abitinæ comprehensus, Carthaginem abductus 515 f virili animo Christum confitetur. tormenta spernit 519 d An fame in carcere obierit. 515 b

9 Hippias M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 294

12 Hippolytus M. Romanus Cameraci. Corpus in monasterio sancti Sepulchri 582

9 Hippus M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 294

16 Honestus Presb. M. Apostolus Pampelonensium *Comment. præv.* Ætas, natalis, Reliquiæ, laureola 860. Vita *ex Actis S. Firmini Ep. M.* Genus prædicatio, conversio Pampelonensium

sium. Evocatus S. Saturninus, instructus S. Firminus 861
11 Honorata M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensa 515 f Carthaginem ducta 516 b An fame in carcere extincta 515
8 Honoratus Ep. Mediolanensis. *Comment. histor.* § 1 Fuga ob Longobardos 163. § 2 Aquileiensis pseudosynodus ævo S. Honorati 164. § 3 Paulini pseudoepiscopi ordinatio perperam tributa S. Honorato 165. § 4 Hujus ætas, scripta, sepultura, natalis 166
16 Honoratus M. in Africa. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 864
16 Honorius M. *Ex eodem MS. Mrol.* 868
10 Hyacinthus M. Romæ *Ex Mroll.* 380

I

Irenæus M. Romæ. *Ex Mroll.* 380

J

11 Januaria M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513 Abitinæ comprehensa 515 f Carthaginem ducta 516 b An fame in carcere extincta 515 b
11 Januaria alia ibidem in eadem societate 513 515 516
11 Januarius M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b An fame in carcere perierit 515 b
11 Januarius M. in Africa. *Ex Mroll.* 511
16 Jeremias Ægyptius M. Cæsareæ in Palæstina. *Comment. præv.* Veneratio sacra 866 Vita *ex Eusebio.* Captivitas, tormenta, caput abscissum : sepultura 867
16 Joannes Diac. M. in Ægypto. *Ex Moll.* 864
16 Jocundus M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 868
11 Jonas monachus, hortulanus cœnobii Muchonse in Ægypto. Natalis *ex Mrol. Rom.* Acta *ex Vita S. Pachomii.* Obedientia prompta, abstinentia, vestis, cibus, somnus, sepultura 520
14 Jonas M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 747
13 Jordanus II Generalis Ordinis Prædicatorum. *Comment. præv.* § 1 Patria, ingressus in Religionem : generale Ordinis magisterium, virtutes 720. § 2 Procurata S. Dominici Translatio et Canonizatio : Libri editi. Provinciæ et cœnobia Ordinis sub utroque erecta 722 § 3 Locus et annus mortis Acta unde edita. Titulus Sancti ac Beati 724 Acta *ex Vitis Fratrum Ord. Prædicatorum.* Prologus Humberti v Generalis 725. *Cap.* 1 Vita B. Jordani in seculo. Ingressus in religionem. Eleemosynæ, orationes 726. *cap.* 2 Miracula : vis dicendi. Plures ad Ordinem conversi 727. *cap.* 3 Varia in proximos beneficia : ejus humilitas et patientia 728. *cap.* 4 Pietas erga Deiparam. Hujus beneficia illi et Ordini collata 729. *cap.* 5. Variæ illusiones dæmonum depulsæ 730. *cap.* 6 Necessaria suppeditata : obitus, gloria revelata 730. *cap.* 7 Miracula post mortem 731. *cap.* 8 Dicta ejus et responsa 733. *cap.* 9 Analecta *ex aliis libris de Vitis Fratrum* 735. Alia virtutum exempla *auctore Cantipratano* 737 Hymnus *auctore eodem Cantipratano* 739
15 Josephus, seu Josippus Diac. Antiochiæ *Ex Mroll.* Non fuit hymnorum scriptor 822
15 Jovita Diaconus frater S. Faustini Presb. M. Brixiæ. *Vide illius Acta, utrique communia a pag.* 806 *ad pag.* 821
16 Juliana V. M. Nicomedien. *Comment. præv.* § 1 Ætas, patria, natalis, Acta Latina duplicia 868. § 2 Translatio triplex : ecclesiæ illi dicatæ. Reliquiæ an Neapoli 870. § 3 Reliquiæ in Hispania, Lusitania, Germania, Belgio, non omnes hujus 872. § 4 Reliquiæ Bruxellæ in Belgio 873. Vita *ex MSS. Cap.* 1 S. Juliana connubium Gentilis Præfecti aversata, ab eo et patre dire torquetur 875. *cap.* 2 Dæmon impia suadens, ab ea verberatur, et vinctus trahitur 876. *cap.* 3 Varie torta decollatur. Conversi cxxx. Translatio corporis 877. Alia Vita *auctore Petro Subdiacono ex MSS.* Prologus 879. *Cap.* 1 Propositum non nubendi Ethnico, verberibus a patre, multiplici argumentatione a Præfecto frustra impugnatum 879. *cap.* 2 Secunda interrogatio : in tormentis constantia ac sapientia 880. *cap.* 3 Victoria de dæmone : nova tormenta, cædes, Translatio I et II 881 Translatio III *auctore teste oculato. Cap.* 1 Cumæ Neapolitanis eversæ 883. *cap.* 2 Reliquiæ Cumis Neapolim translatæ 884. de eadem translatione Lectiones 885
16 Juliana V. M. Veronis, ubi corpus quiescit 886
16 Juliana Romana V. M. Bononiæ : ubi corpus adservatur 887
13 Juliana matrona Taurini in Pedemontio. *Comment. histor.* § 1 Vita, obitus, cultus sacer 657. § 2 Reliquiæ ejus et aliorum Sanctorum deportatæ ad ecclesiam Societatis Jesu 658
7 Juliana vidua Bononiæ in Italia. *Comment. histor.* § 1 Antiquus cultus S. Julianæ, diplomatibus Pontificiis confirmatus 48. § 2 Encomium S. Ambrosii 49. § 3 An una eademque Juliana Florentiæ habitarit et Bononiæ obierit 51. § 4 Compendium Vitæ S. Julianæ 52
12 Julianus M. Alexandriæ. *Ex Mroll.* 580
13 Julianus M. *Ex Mroll.* An passus Lugduni num Nicomediæ 655 a b. An Juliana V. an Julianus hospitator alinsve? 656 a d
14 Julianus M. via Flaminia. *Ex MS. Mrol. S. Hier.* 747
14 Julianus M. Ægeæ in Cilicia. *Ex Mroll.* 747
16 Julianus Ep. M. in Ægypto. *Ex Mroll.* 863
9 Julius M. in Ægypto. *Ex Mroll. MSS.* 294
16 Junilla M. in Africa. *Ex MSS. Mroll.* 865
12 Justus M. Hispali. *Ex Mroll.* An arte figulus 581
8 Juventius Ep. Ticinensis in Italia. *Comment. histor.* § 1 S. Juventius Ep. Ticinen. unus an duo? Primi natalis 151. § 2 Acta SS. Syri et Juventii : ab hoc gesta sub illius disciplina 152. § 3 S. Juventii episcopatus, prædicatio, miracula 152 § 4 Porphyrius Dux cum suis conversus 153 § 5 S. Juventii obitus, sepultura, ætas 154
16 Juventia M. in Britannia. *Ex MS. Mrol. S. Hier.* 868

L

9 Lassa M. Membressæ in Africa. *Ex Mrol. MS. S. Hieron.* 293
7 Laurentius Ep. Sipontinus in Apulia. *Comment. præv.* Sedes, ætas, natalis 56. Vita *ex MS. Cap.* 1 Electio ad Episcopatum 57. *cap.* 2 Reliquiæ Sipontum allatæ. Ejus inauguratio, ædificia 58. *cap* 3 Victoria ope S. Michaelis relata 59. *cap.* 4 Miracula, ædificia, obitus 59. Vita II *ex MSS. Cap.* 1 Episcopatus 60. *cap.* 2 Victoria obtenta, futura prædicta 61. *cap.* 3 Tyranni animus placatus : obitus S. Laurentii 61. Vita metrica *ex officio Ecclesiæ Sipontinæ* 62
11 Lazarus Ep. Mediolanensis. *Comment. histor.* § 1 Tempus Sedis, Gothorum infestatio. Epigramma

gramma S. Ennodii de eo 521. § 2 Litaniæ triduanæ institutæ : monasterium extructum, cultus sacer 522

14 Leviorus M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 751

9 Liastamon M. in Ægypto. *Ex eodem MS. Mrol.* 294

13 Licinius Ep. Andegavensis. *Comment. præv.* § 1 Vita duplex, tempus Episcopatus 675. § 2 Sepultura, anniversaria celebritas, Reliquiæ 677. Vita *ex MSS.* Prologus 678. *Cap.* 1 Vita aulica ac religiosa 678. *cap.* 2 Episcopatus, præfectura Palatii 679. *cap.* 3 Miracula, solitudo expetita 680 *cap.* 4 Ædificia, alia miracula 681. *cap.* 5 Ægritudo, mors, sepultura, ad sepulchrum miracula 681. Alia Vita *auctore Marbodo ex MSS.* Prologus 682. *Cap.* 1 Studia, officia Palatina, sanctioris vitæ professio 682. *cap.* 2 Functiones episcopales 683. *cap.* 3 Ædificia, quietis studia, miracula 684. *cap.* 4 Alia miracula, morbus, mors, sepultura 685

7 Lucas Junior Thaumaturgus Soterii in Græcia. *Comment. præv.* Nomen Junioris, cultus sacer : Acta eruta 82. Vita *auctore ejus discipulo, interprete Francisco Combefis Ord. Prædic. ex MS.* Prologus 83. *Cap.* 1 S. Lucæ majores, patria, adolescentia 84. *cap.* 2 Vita monastica expetita, Athenis cœpta, relicta 85. *cap.* 3 Vita solitaria in monte Joannitzis : orationis studium, hospitalitas 87. *cap.* 4 Malevolorum facinora detecta. Lucta carnis per Angelum repressa 89. *cap.* 5 Fuga in Peloponnesum ob Bulgarorum incursionem : ministerium Stylitæ exhibitum 90. *cap.* 6 Reditus in montem Joannitzis, munera non admissa. Eucharistia servata 91. *cap.* 7 Furtum detectum. Moribundus sanatus. Adventus hospitum præscitus 92. *cap.* 8 Habitatio in Calabio et Ampelo insula. Naufragi excepti 94. *cap.* 9 Ultima habitatio Soterii electa : dæmon fugatus, morbus sanatus, fausta prædicta 95. *cap.* 10 Habitus monasticus in honore habendus. Variæ prædictiones et curationes : hospitalitas divinitus defensa 96. *cap.* 11 Mors, sepultura, habitus mortuo honos 98. *cap.* 12 Unguentum ab loculo manans : varia miracula 99. *cap.* 13. Alia miracula etiam absentibus collata : dæmones pulsi 100

16 Lucilla M. in Africa. *Ex MS. Mroll S. Hieron.* 865

7 Lucius M. *Ex Mroll.* 13

8 Lucius M. Romæ *Ex Mroll.* 156 An Reliquiæ Bononiæ 156 d

11 Lucius Ep. Hadrianopolit. M. *Ex S. Athanasio, Socrate, Sozomeno et Mrol. Rom.* Exilium, martyrium, natalis 519

12 Ludanus Peregrinus in diœcesi Argentinensi : *Comment. præv.* Cultus, templum, sepulchrum; miracula 638 Vita *Ex MS.* Origo Scotica, hospitale extructum, miracula in obitu, et postea facta 638

9 Lusus M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 294

8 Lycarion puer M. in cruce concisus. *Ex Menæis Græcorum* 156

M

12 Macarius M. Hispali *Ex Mroll.* 581

16 Macrobius M. in Africa. *Ex Mrol. S. Hieron.* 865

14 Magnus M. via Flaminia. *Ex eodem MS. Mrol.* 747

11 Major M. Carthagine cum S. Saturnino Preb. *In hujus Actis* 513 Abitinæ comprehenditur 515 f Carthaginem ducitur 516 b Forsan fame in carcere extinguitur 515 b

15 Major miles Maurus M. Gazæ in Palæstina. *Ex Menæis Græcorum* 891

16 Marcellinus M. in Africa. *Ex MS. Mroll. S. Hieron.* 865

14 Marcianus M. Ægeæ in Cilicia. *Ex MSS. Mroll.* 747

14 Marcianus M. via Flaminia. *Ex Mroll.* 747

16 Marcus M. in Africa. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 865

16 Marcus alius M. in Africa. *Ex eodem MS. Mrol.* 865

11 Margarita M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513 Abitinæ comprehensa 515 f Carthaginem ducta 516 b An fame in carcere extincta 515 b

8 Maria V. M. in cruce concisa. *Ex Menæis et Galesinio* 156

11 Maria M. Carthagine filia S. Saturnini Presb. M. *in ejusdem Actis.* 513 Abitinæ comprehensa, Carthaginem abducta 515 An fame in carcere obierit 515 b

9 Marianus Scotus Ab Ord. S. Benedicti Ratisponæ in Bavaria. *Comment. præv.* § 1 Scotorum in Germania monasteria 361. § 2 B. Mariani monasterium, scripta 363. § 3 Ætas, Natalis, acta scripta 364. Vita *auctore Scoto monacho Ratisponensi ex MS. cap.* 1 Hiberni ad fidem conversi : eam alibi prædicant 365. *cap.* 2 B. Marianus in Germania scriptione et miraculis clarus 367. *cap.* 3 S. Petri ecclesia ei data : monasterium extructum 368. *cap.* 4 Monasterium S. Jacobi Scotorum Ratisponæ ædificatum, fundatum 369. *cap.* 5 Monasterium Scotorum S. Jacobi Herbipoli : S. Ægidii Nurenbergæ 370. *cap.* 6 Monasteria Scotorum Viennæ et Eistadii. Ratisponæ restauratum. 371

14 Maro anachoreta juxta Cyrum in Syria. *Comment præv.* Cultus sacer. Ejus magister ac discipuli 767. Vita *auctore Theodoreto.* Habitatio, miracula, obitus 767

16 Marobius M. in africa. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 865

8 Martha V. M. in cruce concisa. *Ex Menæis et Galesinio* 156

16 Martialis M. in Africa *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 865

16 Martialis M. *Ex eodem MS. Mrol.* 868

13 Martinianus Eremita in Palæstina *Comment. præv.* Acta scripta, ætas, veneratio 666. Vita *Ex MS. Græco. cap.* 1 Vita solitaria, miracula, insultus diaboli meretricis opera 666. *cap.* 2 Pœnitentia in ignem se conjicientis. Emendatio meretricis et vita monastica sancte peracta 668. *cap.* 3 Vita solitaria sub dio in rupe medio mari 669. *cap.* 4 E naufragio appulsa puella. S. Martiniani fuga ope delphinorum : peregrinatio, obitus 669 *cap.* 5 Puellæ in rupe maris vita sancte peracta, obitus, sepultura 670

11 Martinus Presb. Canon. Regularis Legione in Hispania. *Comment. præv.* Natalis, Vita, et alia sanctitatis testimonia 569. Vita *ex Hispanico Athonasii Lobera.* Peregrinatio, Sacerdotium, institutum Canonici Regularis : scientia divinitus acquisita, miracula, mors, translatio 570

11 Martinus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513 Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b An fame in carcere extinctus 515 b

13 Martyres

13 Martyres II, pater et filius crucifixi. *Ex Men. Græc.* 649

10 Martyres III, mulieres Magnesiæ per S. Charalampium conversæ et capite plexæ. *Ex Menæis Græc.* 381 382 c

7 Martyres VI, monachi Ægyptii cum S. Moyse Abb. occisi. *In hujus Actis* 45 b

10 Martyres X, Romæ via Lavicana. *Ex Mroll.* 380

14 Martyres XVIII, socii S. Brunonis Archiep. in Prussia. *In hujus Actis* 797

9 Martyres XX, socii SS. Alexandri et Ammonii Mart. in Cypro *Ex Mroll.* 292

14 Martyres XXIV, milites in Africa. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 763

9 Martyres XXXVIII, Membressæ in Africa. *Ex Mroll.* 293

14 Martyres XLIV, milites Spoletii. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 747

16 Martyres LIV, aut CIV, in Africa. *Ex MSS. Mroll.* 865

7 Martyres XIII, ex familia et clientela. Quatuor Imperatoris Protectorum Nicomediæ. *Comment. præv.* Cultus sacer, Acta a quo scripta. Quinam Protectores 18. Acta Martyrii *ex MS. Græco.* Generosus animus in fide profitenda et martyrio subeundo 18

16 Martyres 5000 in Ægypto. *Ex Mroll.* 864

15 Martyres, uxor et domestici S. Cratonis Oratoris M. Romæ. *In hujus Actis* 823

7 Martyres socii S. Chrysolii Ep. Cominii et Verlinghemii. *In hujus Actis* 9 10 d

7 Martyres, socii S. Theopempti. *Ex Men. Græc.* 17

12 Martyres Alexandrini cum SS. Juliano, Victore etc. *Ex MSS. Mroll.* 580

8 Martyres monachi cœnobii S. Dii Constantinopol. *Comment. hist.* § 1 S. Dii monasterium : tres ejus Archimandritæ 160. § 2. Cyrillus, Archimandrita pro fide orthodoxa laborat : multi ejus monachi Martyres 160

11 Martyres varii Hadrianopolitani, renuentes recipere Arianos occisi. *Ex S. Athanasio et Mrol. Rom.* 519

10 Martyres multi Alexandriæ, socii SS. Apollonis, Prothei etc. *Ex MSS. Mroll.* 381

11 Martyres plurimi in Numidia sub Diocletiano passi. *Ex Eusebio, S. Augustino et Mrol. Rom.* 513

8 Martyres sub Cabade R. Persarum. *Comment. hist.* § 1 Cabades quibus modis æquior factus Christianis 161 § 2 Persecutio Christianorum sub Cabade. Martyrum natalis 162

7 Martyres integræ urbis Antandri in Phrygia socii S. Adauci. *Comment. histor.* § 1 Horum martyrium ab antiquis relatum 13. § 2 Sociorum numerus, tempus martyrii 14. § 3 Martyrium Hispaniæ afflictum 15

11 Matrona M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis.* 513 Abitinæ comprehensa 515 *f* Carthaginem ducta 516 b An fame in carcere extincta 515 b

11 Matrona M. alia ibidem in eadem societate 513 515 516

13 Maura M. nutrix S. Fuscæ V. M. *In hujus Actis.* Locus cædis et sepulturæ 643 Consilia fidei amplectendæ : baptismus 646 647 Martyrium, translationes 647, 648.

16 Maurus M. in Africa. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 865

16 Maxima M. in Africa. *Ex MSS. Mroll.* 865

11 Maximianus, seu Maximus, M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b Fidem confessus carceri includitur 518 c An fame interierit 515 b

7 Maximus, sive Maximianus, Ep. Nolanus. *Comment. histor.* § 1 Cultus sacer 19. § 2 Vitæ epitome *ex Greg. Turon.* 20. § 3 Alia epitome *auctore S. Beda in Vita S. Felicis Presb.* 20 § 4 Alia Vitæ historia *auctore Marcello Presb. in Actis S. Felicis* 21. § 5 *alia Vita* 21. § 5 Miraculum *ex MS. Breviario Nolano* 22

14 Maximus M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 752

16 Maximus M. in Africa. *Ex Mroll.* 865

16 Maximus alius M. in Africa. *Ex MS. Mrol. Hieron.* 865

16 Maximus M. *Ex MS. Mroll.* 868

7 Medanus seu Meldanus Ep. Hibernus Peronæ in Gallia. *Comment. præv.* Reliquiæ Peronæ. Patria, cultus, alii Meldani 66 Historia apparitionis. *Ex vita S. Fursei* 67

12 Meletius Magnus Ep. Antiochenus Conf. *Comment. præv.* § 1 Episcopatus Sebastenus, dein Antiochenus 584 § 2 Professio fidei pro concione : exilium 586. § 3 Reditus ab exilio. Discidium Antiochiæ inter Catholicos 587. § 4 S. Basilius non est a S. Meletio Diaconus ordinatus 589. § 5 Exilium 2 sub Juliano. Concilium Antiochenum sub Joviano Imp. S. Meletii apud hunc gratia 590. § 6. Valentis Imp. persecutio : multi a S. Meletio pietatem edocti, præsertim S. Chrysostomus 591. § 7 Exilium 3. Valentis Imp. interitus. Episcopi per Gratianum revocati, restitutæ Catholicis ecclesiæ 594. § 8 Discordia Antiochenorum sopita. S. Meletii post reditum res præclare gestæ 595. § 9 Constantinopolim a Theodosio ad Concilium evocatus Meletius. Episcopatus S. Gregorio Theologo confirmatus 597. § 10 S. Meletii obitus, exequiæ, translatio, aniversaria celebritas 599. Oratio *S. Joannis Chrysostomi. cap.* 1 Antiochenorum erga S. Meletium studium 600. *cap.* 2 Exilium, reditus 600. *cap.* 3 Mors, translatio 601

16 Memmius M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 868

9 Memor Ep. Canusinus in Apulia. *Historica narratio.* Natalis et Acta ignota. Ætas. Corporis Translatio 300

8 Mengoldus M. Hui in Belgio. *Comment. præv.* § 1 Veneratio publica : secularis dignitas : martyrii titulus. 186 § 2 Acta an penitus repudianda 187. § 3 Cædis tempus per conjecturas investigatum 188. § 4 Genealogia expensa, 189. § 5 Translationes variæ 190. Acta *ex MS.* Prologus 191. *cap.* 1 Genealogia, conjugium 192. *cap.* 2 Fundi dotales defensi : cæsi adversarii 193. *cap.* 3 Obsessio, liberatio : adversariorum punitio 194. *cap.* 4 Pœnitentia, martyrium, sepultura, Translatio 195. *cap.* 5 Comparatio cum SS. Domitiano et Magdalena. Adhortatio ad pœnitentiam 196. Miracula *ex MS.* 196

9 Milicatus M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 294

14 Modestinus Ep. M. Abellini in Italia. *Comment. præv.* Acta hujus et S. Erasmi confusa, ideo omissa. 764 Tres hymni 764. Historia Translationis *auctore Rogerio Ep. Abellinensi.* Prologus 765. *cap.* 1 Historia Inventionis et Translationis 765. *cap.* 2 Miracula tunc facta 766. Epitome Actorum. *Ex Ferrario* 890

12 Modestus M. Carthagine *Ex Mroll.* 580

12 Modestus infans M. Alexandriæ. *Ex Mroll.* 580

13 Modomnocus Ossoriensis in Hibernia *Ex Vita S. Davidis Menevensis* 673

7 Moyses Episc. Saracenorum in Arabia. *Comment. histor.* § 1 Saracenorum origo, sedes, bellum cum Romanis 42. § 2 S. Moyses expetitus et ordinatus illorum Episcopus 44. § 3 Memoria ejus in sacris fastis 45
7 Moyses Abbas in Ægypto M. *Ex Vitis Patrum.* Variæ virtutes, martyrium, cultus sacer 45
14 Moyses M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 747
9 Murcheratus Inclusus Ratisponæ *Ex Actis B. Mariani Scoti.* Non fuit Abbas aut monachus ad S. Petri ædem 365 e f Natalis, ætas 365 a Suscipit B. Marianum Scotum 368 b c
16 Mustacius M. in Africa. *Ex MSS. Mroll.* 865

N

9 Nebridius Ep. Egarensis in Hispania Taraconensi *Comment. histor.* Sedes Episcopalis Egara, non Agraga in Hispania aut Africa, non Agabria in Bætica, non Agatha, aut Agennum, aut Bigerra aut Biterra in Gallia, non dein Barcino. Nomen in Martyrologiis 301
7 Nepotianus M. *Ex Mroll. MSS.* 13
8 Nicephorus M. gladio occisus. *Ex Menæis Græc.* 156
9 Nicephorus M. Antiochiæ. *Comment. præv.* Acta varia. Natalis 283 Epitome Vitæ *ex Menæis et Anthologio Græc.* 283 Vita *ex MS Græco cap.* 1 S. Nicephori et Sapricii ex summa amicitia odium infestissimum 283. *cap.* 2 Sapricius renuens odium deponere, martyrio excidit 284. *cap.* 3 Martyrium S. Nicephori 284. Alia Vita *auctore Joanne Ep. Sardium ex MS. Græco.* Prologus 285. *cap.* 1 S. Nicephori amicitia cum Sapricio : hujus infestissimum odium 286. *cap.* 2 Sapricius martyrii palma privatus, renuens cum Nicephoro redire in gratiam 287. *cap.* 3 Martyrium S. Nicephori 287. Alia Vita *ex MS. Latino* 895
8 Nicetius Ep. Vesontinus. *Comment. præv.* Natalis, ætas, supplicatio ad sepulchrum. 167 Vita *ex MS.* Sapientia, eloquentia, sanctitas, benevolentia. Familiaritas cum SS. Gregorio et Columbano, mors, sepultura, miracula 167
16 Nundianus M. *Ex MS. Mrol. Hieron.* 868

O

11 Occominius M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 511
16 Onesimus Apostolus, Ep. Ephesinus M. *Comment. histor.* § 1 Conversio, Apostoli nomen, Epistola S. Pauli pro eo ad Philemonem 856. § 2 Episcopatus Apostolicus. An Ephesi vices S. Timothei suppleritʔ an in Hispania prædicarit 857? § 3 Episcopatus Ephesinus. Martyrium Romæ consummatum. Acta duorum SS. Onesimorum confusa 857
12 Orbana M. in Italia. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 581
9 Orbasus M. in Ægypto. *Ex MSS. Mroll.* 294
14 Orbasus M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 751
9 Orinion, Orion, M. in Ægypto. *Ex MSS. Mroll.* 294
10 Orion. M. Alexandriæ. *Ex MSS. Mroll.* 381

P

13 Palladius M. Romanus. Antverpiæ ejus corpus in templo Societatis Jesu 657
12 Pamphilus M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieronymi* 580
9 Pampirus M. in Ægypto. *Ex eodem MS. Mrol.* 294
9 Papias M. in Ægypto. *Ex eodem MS. Mrol.* 294
7 Parthenius Ep. Lampsaci in Hellesponto. *Comment. præv.* Cultus sacer, Acta scripta, ætas 37 Vita *auctore Crispino discipulo ex MS. Græco. cap.* 1 Ortus, sacerdotium, Episcopatus, ecclesia ædificata, fanum idolorum eversum 38. *cap.* 2 Miracula in morbis curandis, pellendis dæmonibus, mortuis suscitandis 39, *cap.* 3 Gesta Heracleæ in Thracia, variæ prædictiones : obitus. 41
10 Paschasius Ab. Lesinæ et Neapoli. *Ex Officio Eccles.* An mortuus in Gargano monte? An Abbas Montis-Virginis? 493
14 Paulianus Ep. Velaunensis, sive Aniciensis. *Ex Mroll. et Officio Eccl. Aniciensis.* Natalis, Reliquiæ, miracula 750
7 Paulus III Episc. Brixiensis in Italia. *Ex Mroll. Actis S. Philastrii et Ughello.* Cultus, reliquiæ, ætas 52
8 Paulus Ep. Virdunensis *Comment. Præv.* § 1 Acta a quo scripta 168. § 2 Vita ejus in eremo et cœnobio 169 § 3 Episcopatus, decessor 170. § 4 Gesta in episcopatu 171. § 5 Obitus, reliquiæ 172. § 6 ecclesia, miracula 174. Vita *ex MS. cap.* 1 S. Pauli adolescentia, anachoresis, 174. *cap* 2 Vita cœnobitica 175. *cap.* 3 Recusatus Episcopatus 176. *cap.* 4 Vita ejus et miracula a Berthario scripta 176 *cap.* 5 Res gestæ in episcopatu 177
8 Paulus Ep. M. Romæ. *Ex Mroll.* 156 An Episcopus Jacetanus. 156 d. An Reliquiæ Bononiæ 156 d
9 Paulus M. Alexandriæ. *Ex MSS. Mroll.* 294
14 Paulus M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 751
16 Paulus M. in Africa. *Ex Mroll.* An recte ab aliis eremita statuatur 865
16 Paulus alius M. in Africa. *Ex MS. Mrol S. Hieron* 865
16 Paulus M. *Ex MSS. Mroll.* 868
16 Paulus alius M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 868
9 Pectimus M. in Ægypto *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 294
11 Peleonicus M. *Ex eodem S. rol.* 511
11 Pelusius M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis,* 513 Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b An fame in carcere extinctus. 515 b
10 Peregrinus Conf. Placentiæ in Italia. *Ex Officiis Eccl.* Labores Apostolici, sanctitas, sepultura. 389
16 Pessianus M. *Ex MS. rol. MS. Hieron.* 868
9 Peticonides M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 294
9 Petrus Archiep. Canusinus in Apulia. *Comment. hist.* Titulus Sancti, ætas, Translatio corporis S. Savini curata 357
13 Petrus Ep. Vercellensis in Italia *Ex Lectionibus Ecclesiasticis et Vita S. Bononii.* Peregrinatio Hierosolymitana, et ad Montem Sina, captivitas Babylone, ac liberatio, ætas, natalis 720
7 Petrus monachus in Monobatis. *Ex Menæis Græc.* Apparitio et reprehensio ob corporis neglectum. 68
9 Philagrius Episc. in Cypro M. *Ex Menæis Græc.* 277
15 Phœbus M. Antiochiæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 822
10 Plausus M. Alexandriæ. *Ex eodem MS. Mrol.* 381
14 Plebus M. Alexandriæ. *Ex eodem MS. Mrol.* 751
9 Pleseus M. in Ægypto. *Ex MSS Mroll.* 294
16 Plesius M. *Ex Mroll.* 868
12 Plutinus M, gladio occisus. *Ex Menæis Græc.* 583
9 Pœmus M. Membressæ in Africa *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 293

11 Pœna

11 Pœna, sive Pœon M. Apameæ. *Ex Mroll.* 511

13 Polycetus Diaconus M. Caravis in Hispania. *Ex Martyrol. Hispan.* 645. Hymnus de vita 645

13 Polyeuctus M. Melitenæ in Armenia. *Comment. præv.* § 1 Cultus sacer, templa illi dicata 650 § 2 Acta duplicia. Tempus martyrii 651. Acta Latina *ex MS.* 651. Acta Græca *ex MS. cap.* 1 S. Polyeucti et Nearchi amicitia: metus dissolutionis ob edicta in Christianos 652. *cap.* 2 Conversio ad fidem, revelatio. Edictum Imperatorum et idola confracta 652. *cap.* 3 Invictus animus inter lamenta soceri et uxoris. Verbera, mors, sepultura 653. *Appendix.* Fulminatrix legio 654. Templum S. Polyeucti Constantinopoli 655

11 Pomponia M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensa 515 f Charthaginem ducta 516 b An in carcere fame mortua 515 b

15 Pomponius M. in Syria. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 825

10 Porphyrius miles M. Magnesiæ, post tortum S. Charalampium conversus et capite plexus. *Ex Menæis Græc.* 381 382 c

16 Porphyrius famulus S. Pamphyli M. Cæsareæ in Palæstina. *Comment. præv.* Veneratio sacra 866 Vita *ex Eusebio* Ob petita corpora Martyrum tortus, lento igne petit 867

12 Posinnus, sive Posinna, M. Carthagine. *Ex Mroll. MSS.* 580

9 Potamon M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 294

14 Præconidius M. *Ex eodem MS. Mrol.* 747

14 Præcunus M. Alexandriæ. *Ex eodem MS. Mrol.* 751

16 Præsens M. in Africa. *Ex MS. Mroll.* 865

9 Prima M. Carthagine. *Ex Procopio et Baronio* 295

11 Primæva M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus actis* 513 Abitinæ comprehensa 515 f Carthaginem ducta 516 b An in carcere fame mortua 515 b

9 Primus Diac. M. in Castello Lemelensi in Africa, occisus a Donatistis, altare defendens. *Ex Optato Milevitano et Mrol. Rom.* 294

16 Primus M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 868.

10 Protadius Ep. Vesontinus. *Comment. præv.* Ætas, Vita, festum, patrocinium, reliquiæ 413 Vita *ex MSS.* Nobilis ortus, virtus, doctrina, odium hæreseos et simoniæ, obitus, sepultura 413

10 Protheus M. Alexandriæ. *Ex MSS. Mroll.* 381

9 Prothirion M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hier.* 294

14 Protidius M. *Ex eodem MS. Mrol.* 747

14 Protolycus M. Alexandriæ in mare mersus. *Ex Mroll.* 751

Q

15 Quinidius Ep. Vasionensis in Gallia. *Comment. præv.* Natalis, tempus vitæ 829. Vita *ex MS. cap.* 1 Ortus, institutio 839. *cap.* 2 Episcopatus, robur animi in adversis 839. *cap.* 3 Miracula, mors, sepultura 832

11 Quintus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513 Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b Fidem confessus, ac fustibus cæsus, carceri includitur 518 c An fame interierit 515 b

R

9 Raynaldus Ep. Nucerinus in Umbria. *Comment. præv.* Ecclesia Cathedralis illi dicata. Varia Acta: hymni 372. Vita ab *auctore antiquo Latine scripta, hic ex Italico restituta. Cap.* 1 Rerum gestarum epitome, obitus, veneratio 373. *cap.* 2 Virtutes illustribus factis et miraculis in vita probatæ 374. Miracula xv seculo facta, *a Sylvestro Ser-Angeli descripta* 375

9 Recumbus M. in Ægypto. *Ex MS. Mroll. S. Hieronymi* 294

11 Regula M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 413. Abitinæ comprehensa 515 f Carthaginem ducta 516 b. An fame in carcere extincta 515 b

11 Restituta M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513 Abitinæ comprehensa 515 f Carthaginem ducta 516 b An in carcere fame mortua 515 b

7 Richardus R. apud Anglo-Saxones in Britannia. *Comment. præv.* § 1 Familia piissima S. Richardi: ejus filiorumque SS Willibaldi et Wunibaldi historia 69. § 2 Ætas ejus et filiorum 70 § 3 Patria SS. Bonifacii, Richardi ac filiorum apud Occiduos Saxones in Britannia 71. § 4 Nobilitas, divitiæ, regia dignitas 72. § 5 Fabulosa regna adscripta et rejecta 73. § 6 Cultus sacer, Reliquiæ 74. Epitome 1 Vitæ *ex Hodœporico S. Willibaldi ep.* 75. Epitome 2 *ex Actis S. Wunebaldi* 76. Epitome 3 *ex Actis S. Willibaldi, auctore Reginoldo Ep.* 77 Epitome 4 *ex Itinerario S. Willibaldi* 78. Epitome 5 *ex Gestis SS Eystettensium auctore Adalberto Ab.* 78. Epitaphium Lucæ sculptum 79. Alia Vita *ex MS.* 79 Historia elevationis corporis, *ex Vita S. Willibaldi auctore Philippo Ep. Eystettensi* 80. Miracula *ex Franciotto et Ferrario* 81

12 Riocus mon. Landeveneci in Britannia Armorica *Comment histor.* Mater resuscitata. Vita ejus anochoretica et monastica 603

11 Rogatianus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b Fidem confessus carceri includitur 518 c An fame interierit 515 b

11 Rogatianus alter M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. et...

11 Rogatianus tertius M. Charthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensi 515 f Carthaginem ducti 516 b An fame in carcere obierint 515 b

11 Rogatus M. Charthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensus 515 f Carthaginem ductus 516 b An fame in carcere interierit 515 b

11 Rogatus alter M. *ibidem* 513 515 516

9 Romanus Thaumaturgus mon. Antiochiæ. *Comment. præv.* Natalis, patria, ætas 295. Vita *auctore Theodoreto Ep.* Habitatio, virtus, vestitus, virtutes miracula, 296

15 Romanus M. Antiochiæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 822

7 Romualdus Ab. Ord. Camaldulensis Fundator, Fabriani in Piceno. *Comment. Præv.* § 1 Vita a quo scripta? 101. § 2 Ordinis Camaldulensis, ab eo fundati, appellatio unde? 101. § 3 Ætas 104 § 4 Natalis, Translatio, anniversaria celebritas 105. Vita *auctore B. Petro Damiano.* Prologus 106. *Cap.* 1 Conversio a vita seculari ad monachicam 106. *cap.* 2 Tirocinium vitæ eremiticæ sub Marino, mox magisterium 107. *cap.* 3 Tentationes, vitæ austeritas, miracula 109. *cap.* 4 Variorum conversio et beata mors 110. *cap.* 5 Vexationes a dæmonibus et improbis monachis 111. *cap.* 6 Abbatiæ Classensis

Classensis præfectura gesta, deposita. Tibur servatum 112. *cap.* 7 Institutio S. Venerii. Conversio Ducis Thamni. Pœnitentia Ottonis III procurata 112. *cap.* 8 Illustres discipuli : in his S. Bonifacius Russorum Apostolus 113. *cap.* 9 Discipulorum Joannis et Benedicti martyrium in Polonia 115. *cap.* 10 Prædicta mors Ottonis III. Excursio in Istriam 116. *cap.* 11 Reditus in Italiam : prædictiones 116. *cap.* 12 Condita in Camerinensi ditione monasteria : castigati Simoniaci 117. *cap.* 13 Gesta in Orvietana ditione : profectio in Ungariam 118. *cap.* 14 Mali correpti : fures repressi 118. *cap.* 15 Miracula : persecutiones a discipulis : scripta 119 *cap.* 16 Vitæ austeritas, morborum curationes 120. *cap.* 17 Punita divinitus detractio, inobedientia, irreverentia 121. *cap.* 18 Technæ dæmonum repressæ 122. *cap.* 19 Congressus cum S. Henrico Imperatore. Divinæ opis fiducia 123 *cap.* 20 Obitus, miracula, translatio 124

Alia Vita *auctore Hieronymo Eremita Camaldulensi ex MS. Cap.* 1 In læta solennitate virtutes S. Romualdi mirandæ 125. *cap.* 2 Exemplum efficax : ratio regiminis : de diabolo victoria 126. *cap.* 3 Sedata tempestas : mundæ et delicatæ vestes improbatæ 127. *cap.* 4 Abstinentia. Gula monachis et eremitis perniciosa 128. *cap.* 5 Miracula. Victoria de dæmone. Sitriensium monachorum sanctitas 130. *cap.* 6 Evagatio monachis et eremitis turpis et noxia 130 *cap.* 7 Proprietas monachis et eremitis noxia 132. *cap.* 8 S. Romualdi humilitas, martyrii desiderium exemplo SS. Adelberti et Bonifacii : colloquium cum S. Henrico Imp. 134 *cap.* 9 Prælatorum reprehensa negligentia et luxus 135. *cap.* 10 Camalduli descriptio. S. Romualdi hospitalitas, miracula 136. *cap.* 11 Institutio monachorum, præsertim tironum 138. *cap.* 12 S. Romualdi humilitas, prædictiones, zelus contra Simoniacos, scripta, curationes 139. *cap.* 13 Obitus, Translatio 140. Visitatio reliquiarum. *Ex Italico Silvani Razzi* 141 Translatio Æsium et Fabrianum. *Ex Italico ejusdem* 142. Translatio brachii *ex variis* 144. Clementis VIII constitutio de festo 144

9 Romulus Diaconus Atripaldæ in Italia. *Ex variis.* Manna e corpore fluit 332 Epitaphium 333 Translatio 334 c

9 Roneus M. in Ægypto. *Ex MSS. Mroll.* 294

9 Ruffinus Ep. Canusinus in Apulia. *Historica narratio.* Natalis et Acta ignota. Ætas. Corporis Translatio. 300

12 Ruffinus M. Hispali. *Ex Mroll.* An arte figulus 581

15 Ruffinus M. Antiochiæ. *Ex MSS. Mroll.* 822

S

9 Sabinus Ep. Canusinus in Apulia. *Comment. præv.* § 1 S. Sabinus Ep. Canusinus, unus an duo? Hujus natalis 310. § 2 Vita quando scripta 311. § 3 Aliæ Vitæ 313. § 4 Præclare gesta ante episcopatum, si unicus fuit ; aut a seniore, si duo 313. § 5 Episcopatus : calumnia superata, familiaritas cum variis Sanctis 315 § 6 Constantinopolitana legatio 316. § 7 Reditus in Italiam. Divinæ revelationes 317. § 8 Cæcitas : donum prophetiæ 317. § 9 Obitus. Longobardorum irruptio 318 § 10 Inventio et Translatio S. Sabini. Duces Beneventani 320 § 11 Reliquiæ Canusio Barium translatæ 321 § 12 Reliquiæ Barii inventæ, ornatæ 323. Historia Vitæ, Inventionis et Translationis *ex MS. Cap.* 1 Virtutes, Episcopatus 324 *cap.* 2 Amicitia cum Sanctis, ædificia 325. *cap.* 3 Prophetiæ donum 325. *cap.* 4 Ultima ad suos monita, mors 326. *cap.* 5 Sepulchrum ostensum, miraculo et ecclesia honoratum 327. *cap* 6 Sanatus contractus, surdus ac cæcus 328. *cap.* 7 Translatio, miracula 328. Vita metrica *auctore Joanne Archidiac. Baren. Ex MS.* 329 Historia Inventionis II *auctore eodem. Cap.* 1 Viso Archiepiscopus de Reliquiis inquirit 330. *cap.* 2 Elias Archiep. Reliquias invenit. 330

9 Sabinus Ep. Atripaldæ in Italia. *Comment. histor.* S. Sabinus Atripaldæ Patronus, an sit Canusinus Episcopus? 332. § 2 Memoria sacra, hymnus duplex, epitaphium 333. § 3 Miracula 334. § 4 Translatio 334

9 Sabinus Ep. Neapoli et Lesinæ in Apulia. *Comment. præv.* An sit Episcopus Canusinus, an Canusio oriundus? Corpus Lesina Neapolim translatum 336 Historia Inventionis *ex Italico Aurelii Marra.* Ecclesiæ eversæ crypta, in iis altaria, reliquiæ S. Sabini et aliorum : Translatio Neapolim 337

16 Samuel Ægyptius M. Cæsareæ in Palæstina. *Comment. præv.* Veneratio sacra 866. Vita *ex Eusebio.* Captivitas, tormenta, caput abscissum, sepultura 867

14 Sammonus M. *Ex MS. Mrol. Hieron.* 747

12 Sapratius M. Brixiæ. *Ex variis.* Inventio, reliquiæ 575

9 Saturnilla M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 294

11 Saturnina M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 515 Abitinæ comprehensa 515 f Carthaginem ducta 516 b An fame in carcere extincta 515 b

11 Saturninus Presb. M. Carthagine : cum aliis nominatis XLIII. *Comment. præv.* Gesta Proconsularia, tempus martyrii. Acta, natalis. 513 Acta martyrii *ex MS.* Prologus 515. *Cap.* 1 Martyres Abitinæ comprehensi Carthaginem abducti 515. *cap.* 2 Proditus Saturninus profitetur sacra sua opera 516 d 517 b. *cap.* 3 Quæstio in S. Saturninum et socios 517. *cap.* 4 Quæstio in hujus filium et alios 518 An fame occisus 515 b

11 Saturninus Lector M. Carthagine. *Vide Saturninum Presb. ejus patrem* 513. Abitinæ comprehensus, Carthaginem abductus 515. In confessione constans, eculeo tortus, carceri inclusus 518 d e An fame occisus 515 b

12 Saturninus M. gladio occisus. *Ex Men. Græc.* 583

14 Saturninus M. Alexandriæ. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 752

7 Saturnus, sive Saturna M. *Ex MSS. Mroll.* 13

16 Saulus M. in Africa. *Ex MSS. Mroll.* 865

10 Scholastica Virgo in monte Casino. *Comment. præv.* § 1 Natalis 392. § 2 Vita a quibus scripta? 392. § 3 Religiosa fuerit an devota? 394. § 4 An juxta Casinum habitarit 396. § 5 An corpus in Galliam delatum 398. § 6 An relatum in Italiam 399. Vita *auctore S. Gregorio.* Familiare colloquium cum S. Benedicto. Obitus 402. Alia Vita *ex MS.* Ortus, educatio, colloquium cum S. Benedicto : regula, prædictiones, obitus, exequiæ 403 Laus encomiastica *auctore Hieronymo Dungershemio* Prologus 405. *Cap.* 1 Ortus, innocentia 405 *cap.* 2 Institutio ac regula a S. Benedicto accepta 406. *cap.* 3 Abstinentia, castitas, caritas 407. *cap.* 4 Virtutes columbæ moribus expressæ

expressæ 408. *cap.* 5 Illustres imitatrices 410. *cap.* 6 Plures ejus exemplum imitatæ 412

8 Sebastianus M. in Armenia minore. *Comment. præv.* Veneratio : An ex Hispania oriundus, an ex Armenia Trebiam venerit? 157 Acta Sebastiani Trebiensis *Ex Italico Jacobilli.* Adventus Trebiam, civium conversio 157 f 158 a Martyrium 159 b

11 Secunda M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 613 Abitinæ comprehensa 515 f Carthaginem ducta 516 b An fame in carcere mortua 515 b

11 Secunda alia ibidem in eadem societate 513 515 516

16 Secunda M. in Africa. *Ex MSS. Mroll.* 865

11 Secundinus Ep. Trojæ in Apulia. *Comment. præp.* § 1 Troja Apula extructa. Historia duplex Inventionis corporis S. Secundini 529. § 2 Locus et tempus Episcopatus S. Secundini 530. Historia I Inventionis *ex MSS.* 531. Historia II Inventionis *auctore Guayferio monacho Casinate ex MS.* Prologus 532. *cap.* 1 Inventio corporis inter Trojæ ruinas 532. *cap.* 2 Sanctitas probata Episcopo dubitante, Reliquiis in igne illæsis 533. *cap.* 3 Miracula morbo insanabili curato, et palla ab incendio liberata 534

12 Secundus M. Alexandriæ. *Ex MSS. Mroll.* 580

16 Secundus M. in Africa. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 865

16 Secundus alius M. in Africa. *Ex MSS. Mroll.* 865.

16 Seleucus Cappadox M. Cæsareæ in Palæstina. *Ex Eusebio et Mroll.* Virtutes, plagæ toleratæ, ob oscula Martyribus data caput abscissum 868.

9 Serapion M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 294

9 Sermata M. in Ægypto. *Ex eodem MS. Mrol.* 294

12 Severianus M. Alexandriæ. *Ex eodem MS. Mrol.* 580

11 Severinus Ab. Agaunensis. Castro-Nantonis in Gallia. *Comment. præv.* § 1 S. Severini monasterium Agaunense quale? novum postea a S. Sigismundo Rege ædificatum 544. § 2 Ætas, Vitæ historia, memoria in Martyrologiis 546. § 3. Ad tumulum monasterium Canonicorum Regularium : ejus Reliquiæ ornatæ : variis casibus servatæ 547. Vita *ex MSS.* Prologus 548. *Cap.* Ex Agaunensi cœnobio in Franciam iter 548. *cap.* 2 Miracula Niverni et Parisiis 549. *cap.* 3 Mors, sepultura, miracula 550.

15 Severus Presb. in Valeria apud Italos. *Comment. præv.* Locus domicilii, cultus, an corpus hujus Orvieti 826. Vita *ex Dialogis S. Gregorii* 828 Vitæ epitome *ex Ferrario* 827 Translatio in Meinfelt diœc. Trevir. *ex variis* 828

15 Sigfridus Ep. Vexione in Suecia. *Comment. histor.* § 1 Cultus sacer. Adventus ex Anglia in Norwegiam ad S. Olaum Regem 848, § 2 Adventus in Sueciam 849. § 3 Miraculum Eucharistiæ. Baptismus Regis Suecorum. Fontes S. Sigfridi 850. § 4 Socii laborum. S. Sigfridi obitus 851 § 5 Officium Ecclesiasticum 851

10 Sigo Ep. Claromontanus. *Comment. histor.* Episcopatus, Papæ jussu restitutus. Ædes D. V. extructa. Natalis, Reliquiæ 429.

10 Silvanus Ep. Tarracinæ in Italia Conf. *Ex Mroll.* An socius S. Silverio Papæ in exilio 392

16 Simeon Ep. Metensis. *Comment. hist.* Genus, ætas, natalis, Translationes, miracula 860

12 Simplicius Ep. *Ex Mroll.* An Veronensis, an Bituricensis 603

12 Simplicius M. Alexandriæ. *Ex Mroll.* 580

11 Simplides Ep. Viennæ Gall. *Ex Mroll. et Liruræo* Ecclesia S. Petri extructa : ætas 512

10 Soteris V. Romana M. *Comment. hist.* § 1 Nomen, patria, genus, Acta 386, § 2 Martyrii tempus, dies, locus 387. § 3 Cœmeterium, sepultura, Tranlsatio 389

7 Statianus M. *Ex Mroll.* 13

13 Stephanus Ep. Lugdunensis. *Comment. hist.* Amicitia cum SS. Ennodio, Avito, aliis. ætas, natalis 672

8 Stephanus Fundator Ord. Grandimontensis apud Lemovices. *Comment. præv.* § 1 Religionis Grandimontensis origo, nomen, Fundator, regula 199. § 2 Disciplinæ laxamentum et caritatis prævalescentibus laicis : qui dein repressi 201. § 3 Vita scripta, ætas, natalis, Translatio, canonizatio 202, 894. Vita *auctore Geraldo Priore Grandimont. Cap.* 1 Vita in seculo et eremo 205. *cap.* 2 Mors et sanctitas miraculis promulgata 206. *cap.* 3 Paupertas, pietas, pœnitentia, de suo instituto judicium 207. *cap.* 4 Castitas, erga egentes et ægros caritas 208. *cap.* 5 Miracula, monita, mortis memoria 208. Translatio 210. Revelatio 211. Miracula ex Gallico Caroli Fremon 212

13 Stephanus Ab. Reate in Italia. *Comment histor.* § 1 Cultus sacer : vita et obitus ex Gregorio Magno relata 674. § 2 Alius ab eo Stephanus Abbas Ratensis in Lusitania 674

8 Stephanus M. gladio occisus. *Ex Men. Græc.* 156

14 Stoppius M. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 747

15 Sunamannus M. Vexione in Suecia, nepos S. Sigfridi Ep. *In hujus Actis* 848. Martyrium, miraculum 851

16 Stupuris M. in Africa. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 865

10 Sura, seu Soteris, aut Zuwarda V. M. Dordraci in Hollandia. *Comment. histor.* § 1 Dordraci urbis origo : templum ibi a S. Sura ædificatum : ejus martyrium, veneratio, fons miraculosus 430 § 2 Quæ Dordraci, cum vigeret orthodoxa religio, templa, monasteria, sacella, loca sacra 431

9 Susanna V. soror S. Victoris M. *Ex hujus Actis.* Corpus Mosomi cum corpore fratris adservatur 340 341

12 Susanna M. in Italia. *Ex MSS. Mroll.* 581

T

16 Tanco Ep. Verdensis in Saxonia inferiore. *Comment histor.* Origo. Ætas, obitus, natalis. Dalmatica inter reliquias adservata 890

9 Tarahata V. in Hibernia *eadem quæ* Attracta *supra.*

9 Telians Ep. Landavensis in Wallia. *Comment. præv.* § 1 Ætas 303. § 2 Vita, res gestæ ante episcopatum 305. § 3 Episcopatus : privilegia a Regibus impetrata 305. § 4 Commoratio septennalis in Britannia Armorica 306. § 5 Reditus in Walliam, obitus, publica veneratio, scripta 307. Vita *ex Legenda SS. Angliæ. Cap.* 1 Res gestæ ante episcopatum 308. *cap.* 2 Episcopus inauguratus Hierosolymis 309. *cap.* 3 Iter in Armoricam, mors, sepultura 309

16 Tetradius Ep. *Ex Mroll. MSS.* An Bituricensis Ep. vir doctus et in sacra loca liberalis? 888

11 Thelica M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensus 515 f

515 f Carthaginem ductus 516 b Tormentis se objicit, in tormentis constans carceri includitur 516 c d e An fame perierit 515 b

11 Theodora Imperatrix Constantinopoli. *Comment. histor.* § 1 Patria, parentela, conjugium 554. § 2 Magnificentiam a marito, justo sed severo, edocta 555. § 3 Liberi, mariti castitas 556. § 4 Veneratio occulta sacrarum imaginum, marito has persequente 557. § 5 Imperium cum Michaele filio præclare administratum 558. § 6 S. Methodius Patriarcha constitutus. Imagines restitutæ 559. § 7 Zelus contra impios : sollicitudo de anima mariti : reverentia erga Confessores 560. § 8 Corpora SS. Nicephori Patriarchæ et Theodori Studitæ Constantinopolim translata 562. § 9 Bulgari conversi, Rex Bogoris monachus : Manichæorum defectio. S. Ignatius Patriarcha 563. § 10 S. Theodora a Michaele filio contumeliose irrisa 564. § 11 Præsagium de Basilio Macedone. Thesauri relicti : abitus e regia 565. § 12 Velum sanctimoniale invitæ impositum : relegatio. Obitus, veneratio 566

7 Theodorus Dux M. Heracleæ in Ponto. *Comment. præv.* § 1 S. Theodorus Dux a S. Theodoro Tirone diversus : utriusque natalis 22. § 2 Uter Theodorus præcipue Euchaitæ cultus 23. § 3 Acta, socii martyrii 25. § 4 Miracula 25. § 5 Theodori corpus Venetias allatum. 26 Acta *auctore Augaro, interprete Herveto Cap.* 1 Victoria de immani dracone 28. *cap.* 2 Idola Licinii Imp. confracta 28. *cap.* 3 Tormenta, cædes, sepultura, miracula 29. Alia Vita *auctore Bonito Subdiacono ex MS.* Prologus 30. *Cap.* 1 Victoria de dracone. Euchaitarum conversio 31. *cap.* 2 Licinii Imp. idola confracta 33. *cap.* 3. Tormenta, mors, miracula 35. III Vita *ex MS. Latino. Cap.* 1 Victoria de immani dracone, ope divina relata 891. *cap.* 2 Idola Licinii Imp. confracta, ejusque perturbatio irrisa 892. *cap.* 3. S. Theodori post gravia tormenta cædes, sepultura, miracula 893

14 Theodosius Ep. Vasionensis in Gallia. *Ex Saussaio et Vita S. Quinidii* 783

9 Theonita M. in Ægypto. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* Forsan aliis Thonas 294

7 Theopemptus *M. Ex Menæis Græcorum* 17

16 Therapius M. in Africa *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 865

9 Thyrsus M. in Ægypto. *Ex eodem MS. rol.* 294

14 Tiannus M. via Flaminia. *Ex eodem MS. Mrol.* 747

16 Trigridius Presb. Claromonte in Gallia. *Ex Savarone et Saussaio.* Natalis, ordo, ætas, sepultura 887

11 Tigrinus M. Romanus Taurini in Pedemontio. Corpus in ecclesia Societatis : instrumenta donationis 512

7 S. Tresanus Presb. Aveniaci in Campania Gallica *Comment. præv.* Ætas, cultus, reliquiæ 53. Vita *ex MS.* Origo, educatio, presbyterium, miracula, obitus, sepultura 54

10 Trumwinus sive Tumma, Pictorum Australium Ep. Streneshalæ in Anglia *Comment. histor.* § 1 Ex Abbate Episcopus Pictorum ordinatus 414. § 2 Gesta in Episcopatu 415. § 3 Ab episcopatu pulsi vita monastica, obitus, elevatio, natalis 416

13 Tullianus M. Alexandriæ. *Ex Mroll.* 656

11 Tulicus M. *Ex Mroll. MSS.* 511

U

15 Unamannus M. Vexione in Suecia, nepos S. Sigfridi Ep. *In hujus Actis* 848. Martyrium, miraculum 851

V

Valentinus Ep. M. *Ex variis.* Caput Tauri, et Corpus Bagæ in Hispania. An passus sub. Trajano 743

14 Valentinus Ep. Interamnæ in Umbria M. *Comment. præv.* Genus, ordinatio Episcopalis, zelus, natalis, tempus martyrii 755. Acta *ex MSS.* S. Cratonis post filium sanatum conversio cum tota familia : martyrium 757

14 Valentinus Presb. M. Romæ via Flaminia. *Comment. præv.* Memoria in Martyrologiis. Acta. Martyrii tempus, locus, sepulchrum, ecclesia, Abbatia, supplicatio, reliquiæ variis locis 752. Acta *ex MSS.* Fidei professio, S. Asterii conversio, filia cæca illuminata, martyrium 753

14 Valentini M. Veneratio capitis Gemmetici in Gallia. *Comment. præv.* 758. Acta Translationis capitis et miracula *auctore Baldrico Ep. Dolensi. Cap.* 1 S. Valentini caput Roma Gemmeticum delatum. Agris incursu bestiarum liberatis, veneratio aucta 759. *cap.* 2. Incendia extincta. Pestis et siccitas sublata 760. *cap.* 3 Varii ægri sanati 761

14 Valentinus M. Romanus Hamedii et Armenteriæ in Belgio, ob corpus illis locis adservatum 763

14 Valentinus M. Romanus M. Socuellami in Hispania : ubi corpus adservatur. 763

14 Valentinus M. in Africa. *Ex MS. Mrol. Hieron.* 763

14 Valentinus alius. Reliquiæ Anicii 750 e

12 Valentinus M. Brixiæ. *Ex variis.* Inventio, reliquiæ 575

13 Veremundus frater S. Haymonis Medæ in diœcesi Mediolanensi. *Comment. præv.* Ortus, natalis, ætas 706. Vita *ex Italico Emmanuelis Laudensis. Cap.* 1 Conversio, sanctitas 706. *cap.* 2 Miracula 707. *cap.* 3 Reliquiæ a Frederico Borromæo Card. translatæ 709

9 Victor M. Mosomi in Gallia Belgica. *Comment. præv.* Corporis depositio, Translatio triplex. Memoria sacra 340. Vita *ex MSS. Cap.* 1 Cædes, prima Translatio 341. *cap.* 2 Miracula 341. *cap.* 3 Tertia Translatio 342

11 Victor M. in Africa. *Ex Mroll. et S. Cypriano* 510

12 Victor M. Alexandriæ. *Ex Mroll. MSS.* 580

15 Victor M. in Syria. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 825

15 Victor alius M. in Syria *Ex eodem Mrol.* 825

11 Victoria V. M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensa 516 f Carthaginem ducta 516 b contra Fortunationem fratrem defendit S. Dativum in tormentis 516 f ortu illustris nuptias fugit, inter Virgines consecratur 518 f 519 a, immota inter blanditias fratris et Proconsulis carceri includitur 519 b d An fame extincta 515 b

11 Victorianus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513. Abitinæ comprehensus 515 Carthaginem ductus 516 b An fame in carcere interierit 515 b

11 Victorinus M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *Eadem Acta* 513 115

15 Vinamannus M. Vexione in Suecia nepos S. Sigfridi Ep. *In hujus Actis* 848. Martyrium, miraculum 851

11 Vincentius M. Carthagine cum S. Saturnino Presb. *In hujus Actis* 513 Abitinæ comprehensus

sus 515 f Carthaginem ductus 516 b An in carcere fame mortuus 515 b
12 Vincentius M. in Italia. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 581
16 Vincentius M. in Africa. *Ex eodem MS. Mrol.* 868
16 Vincentius M. *Ex eodem MS. Mrol.* 868
14 Vitalianus M. Spoletii *Ex MSS. Mroll.* 747
11 Vitalis M. in Africa. *Ex MSS. Mroll.* 510
14 Vitalis M. Romæ. *Comment. histor.* § 1 Cultus sacer. Reliquiæ 745. § 2 An apud Hispanos Victor et Victorius Marcellinus vocetur, et reliquiæ sint in Hispania 746
14 Vitalis miles M. Spoletii. *Ex MS. Mrol. S. Hieron.* 746

W

15 Walfridus Ab. Montis-viridis in Etruria. *Comment. præv.* Acta scripta, natalis, ætas 843. Vita *auctore Andrea Ab. ex MS. Cap.* 1 Secularis vita, eaque relicta, monastica 844. *cap.* 2 Præfectura monasterii, mors, sepultura 845. *cap.* 3 Miracula post obitum 846

X

15 Xystus M. in Syria. *Ex MS. Martyrologio S. Hieronymi* 825

Z

10 Zeno monachus juxta Antiochiam Syriæ. *Comment præv.* Natalis, patria, ætas 390. Vita *ex Philotheo Theodoreti.* Militia relicta. Vita aspera in sepulcro : pietas, eleemosynæ, miracula 390.
14 Zeno M. Romæ. *Comment. histor.* § 1 Cultus sacer. Reliquiæ 744. § 2 An reliquiæ ejus in Hispania adserventur 745
14 Zeno M. Romanus Bononiæ, ubi corpus adservatur 746
15 Zeno M. Antiochiæ. *Ex Mroll.* 822
15 Zocus Presb. M. Antiochiæ *Ex MS. Mrol. S. Hier.* 822
15 Zosimus M. Antiochiæ. *Ex eodem MS. Mrol.* 822
9 Zoticus M. in Ægypto. *Ex eodem MS. Mrol.* 294
10 Zoticus M. Romæ. *Ex Mroll.* ejus monumentum 380
11 Zoticus M. *Ex Mroll.* 511. An in Africa passus 511 e
12 Zoticus M. Alexandriæ. *Ex Mroll.* 280

# INDEX

# CHRONOLOGICUS

## IN TOMUM II FEBRUARII.

*Quæ hoc tomo examinantur quæstiones Chronologicæ, strictim ordine seculorum a Christo nato ad nostra tempora observato, proponuntur, quo scilicet tempore Sancti, præcipue, quorum Acta hoc tomo, aut memoria, referuntur, diem extremum obierint, nati sint, aut ad episcopatum, aut quid aliud evecti sint, aut eorum reliquiæ elevatæ, aut translatæ. Aliorum etiam Regum ac Principum anni annotantur, qui propter Acta accuratius discutiuntur, ut sunt Ducum Beneventanorum in Italia et Aquitanorum in Gallia.*

*Litteræ A B C etc. indicant partes paginarum, in quibus rationes Chronologicæ observantur*


I SECULUM A CHRISTO NATO.

*Hoc 1 seculo.* SS. Andreas et Aponius, sive Aporius MM. Bethleemi 379

*An.* 58 S. Onesimus a S. Paulo commendatur S. Philemoni et aliis 856 c

*Eodem seculo* S. Policetus Diac. M. sub Nerone Caravis in Hispania 13 *Febr.* 645

S. Philagrius Ep. Cypri M. obit 9 *Febr.* 277

*An.* 97 S. Thimotheus occiditur 857 e

II SECULUM.

*Sub Trajano* S. Valentinus Ep. M. an in Hispania passus 14 *Febr.* 743

*An.* 109 S. Onesimus Ep. Ephesinus M. obit 16 *Febr.* 856

112 S. Elenchadius Ep. Ravennas obit 14 *Febr.* 748

117 Hadrianus fit Imperator, et persecutionem cœptam sub Trajano continuat nullo novo edicto promulgato 808 b c

118 SS. Faustinus et Jovita torquentur Brixiæ coram Hadriano Imp. 808 c d

119 Hadrianus Imp. degit Mediolani et occiduntur S. Martianus Ep. Dertonensis, Secundus Astensis, Calocerus, Albingaun. et Callistus Papa 808 d e

*Sub Hadriano Imp.* Calocerus Ep. Ravennatium obit 11 *Febr.* 508

SS. Valerianus, Valentinus, Saprutius MM. Brixiæ 12 *Febr.* 575

120 SS. Faustinus et Jovita MM. Brixiæ 15 *Febr.* 806 808 d

Hadrianus Imp. per 4 annos abest ab Italia 808 f

*Hoc 2 seculo* S. Juventius Ep. Ticinensis obit 8 *Febr.* 152 155 e

156 *aut* 170 Cataphryges hæretici exoriuntur 5 a b c d

176 Pluvia Christianorum militum precibus exercitui Aurelii Antonini impetratur 654

*Sub 2 sec. finem.* S. Claudius Apollinaris Ep. Hierapolitanus in Phrygia obit 7 *Febr.* 4

S. Simeon Ep. Meten. obat 16 *Febr.* 860

III SECULUM.

*An.* 202 SS. Charalampius Presb. Porphyrius et Baptus milites et tres feminæ Martyres Magnesiæ et Antiochiæ Pisidiæ 10 *Febr.* 381

*Hoc 3 seculo.* SS. Fusca V. et Maura ejus nutrix MM. Ravennæ sub Caracalla aut Decio 13 *Febr.* 645

*An.* 249 S. Apollonia V. M. Alexandriæ 9 *Febr.* 277 e f

S. Cointa M. Alexandriæ 8 *Febr.* 155

*Cir.* 250 SS. Felix, Victor, Januarius, Vitalis, Herenens, MM. in Africa 11 *Febr.* 510

*Cir.* 258 S. Nicephorus M. Antiochiæ 9 *Febr.* 283

*Cir.* 259 S. Polyeuctus M. Melitenæ in Armenia 13 *Febr.* 650

*Cir.* 260 Paulus Samosatenus fit Ep. Antiochenus 290 e

*An.* 264 *aut initio seq.* Antiochenum Concilium contra Paulum Samosatenum habetur 291 e

*Cir.* 270 S. Honestus Presb. M. Apost. Pampelonensium 16 *Febr.* 860 861 a

*An.* 269 S. Valentinus Presb. M. Romæ 14 *Febr.* 752

*Cir.* 270 S. Athenodorus Ep. in Ponto M. 9 *Febr.* 288

*Cir.* 273 S. Valentinus I Episc. Interamnensis in Umbria M. 14 *Febr.* 755 756

S. Agape V. M. Interamnæ in Umbria 15 *Febr.* 824

SS. Craton Orator, ejus uxor et domestici MM. Romæ 15 *Febr.* 823

*Cir.* 273 SS. Proculus, Ephebus, Apollonius MM. Interamnæ in Umbria 16 *Febr.* 863

*Sub 3 sec. finem* S. Simplides Ep. Viennæ obit 11 *Febr.* 512

*Cir.* 300 Martyres plurimi in Numidia 11 *Febr.* 513

IV SECULUM.

*An.* 302 S. Chrysolius Episcopus M. Verlengehemi in Flandria 7 *Febr.* 9

Martyres 1003 ex quatuor Imperatoris Protectorum familia et clientela, Nicomediæ passi 7 *Febr.* 18

303 S. Adaucus, sive Adauctus Generalis Officiorum Magister et Quæstor, ejusque socii, Præfectus ærario, Præfectus militaris Senatus populusque cum fœminis et infantibus Antandri Urbis in Phygria Martyres 7 *Febr.* 13 15 a b

SS. Saturninus Presb. Saturninus et Felix Lectores et alii XLV nominati Mart. Carthagine 11 *Febr.* 513 514 c d e

S. Eulalia

S. Eulalia V. M. Barcinone in Hispania 12 *Febr.* 575 577 a

*Sub Diocletiano* S. Benignus Presb. M. Tuderti in Umbria 13 *Febr.* 656

S. Augulus Ep. in civitate Britanniæ Augusta 7 *Febr.* 16 17 a b

S. Soteris V. M. Romæ 10 *Febr.* 386 387 388 b

S. Major miles Maurus M. Gazæ in Palæstina 15 *Febr.* 892

*Sub Maximiano* S. Juliana V. M. Nicomediæ 869

10 viri, cxxx fœminæ MM. ibidem 885

308 SS. Elias, Jeremias, Esaias, Samuel, Daniel, Porphyrius, Seleucus MM. Cæsareæ in Palæstina 866

313 Licinius Imp. ducit uxorem Constantiam sororem Constantini Magni 25 e

319 S. Theodorus Dux Licinii M. Heracleæ in Ponto 7 *Febr.* 23 28 f

348 S. Lucius Ep. Hadrianopoleos et varii cives ab Arianis occisi 11 *Febr.* 519

351 S. Maximus Ep. Hierosolym. obit. 589 c

*Hoc 4 sec.* S. Parthenius Ep. Lampsacenus obit 7 *Febr.* 38

S. Jonas monachus in Ægypto 11 *Febr.* 520

S. Juliana matrona in Pedemontio 13 *Febr.* 657

S. Domninus Ep. Diniensis in Gallia obit 13 *Febr.* 660

360 S. Meletius fit Episcop. Antioch. pellitur 585 c

361 Constantius Imp. obit 3 *Novemb.* 587 e

Julianus apostata succedit 587

362 S. Meletius Ep. Antiochiam ab exilio redit 588 f

*Cir.* 362 Primus et Donatus Diaconi Mart. in Castello Lemelensi in Africa 9 *Febr.* 294

363 Julianus apostata 26 Junii perit. Succedit Jovianus 591 b

364 Jovianus Imp. moritur 21 Apr. succedunt Valentinianus et Valens 591 e

366 Valens Imp. Baptizatur sub finem anni aut initio sequentis 592 b

*Cir.* 370 S. Maro anachoreta juxta Cyrum in Syria obit 14 *Febr.* 767

S. Faustinus Ep. Brixiensis in Italia obit 16 *Febr.* 887

*Cir.* 371 S. Meletius Ep. Antiochenus a Valente Imp. pellitur 593 a

*Cir.* 372 Mauvia Regina Saracenorum bellum infert Romanis 43 e 44 a

378 Valens Imp. cæso exercitu perit 594 e f

379 Theodosius M. victis Gothis fit Imp. 597 b

381 S. Meletius Ep. Antiochenus obit 12 *Febr.* 585 599 a

*Cir.* 390 S. Abraames Ep. Carris in Mesopotamia obit 14 *Febr.* 768

S. Tigridius Presb. Claromonte in Gallia obit 16 *Febr.* 888

*Sub 4 sec. finem* S. Castor Presbyter Confluentiæ in Germania obit 13 *Febr.* 662

S. Moyses Epis. Saracenorum in Arabia obit 7 *Febr.* 45

*Cir.* 400 S. Martinianus eremita in Palæstina obit 13 *Febr.* 666

S. Peregrinus Conf. Placentiæ in Italia obit 10 *Febr.* 389 390

## V SECULUM.

*Quinti seculi initio* S. Eusebius anachoreta in Syria obit 15 *Febr.* 825

S. Moyses Ab. et 6 monachi Martyres in Ægypto 7 *Febr.* 45

*Cir.* 419 S. Zeno monachus juxta Antiochiam Syriæ obit 10 *Febr.* 390 c

*Cir.* 435 S. Juliana vidua Bononiæ in Italia obit 7 *Febr.* 58

*An.* 439 Carthago a Wandalis capitur 523 c

*Cir.* 449 S. Lazarus Ep. Mediolanen. obit 14 *Apr.* colitur 11 *Febr.* 521 522 d 523 d e

*An.* 449 S. Dubricius consecratur a S. Germano Autissiodorensi Episcopus in Britannia 303 f

*Cir.* 450 S. Castrensis Ep. Afer. Conf. Vulturni in Campania obit 11 *Febr.* 524

*Hoc 5 seculo* S. Romanus Thaumaturgus monachus Antiochiæ obit 9 *Febr.* 295

S. Attracta sive Tarahata V. in Hibernia obit 9 *Febr.* 296

S. Riocus mon. Landeveneci in Britannia Armorica obit 12 *Febr.* 603

*Cir.* 470 S. Auxentius Presb. Archimandrita in Bithynia obit 14 *Febr.* 769 770 a

*Cir.* 487 Monachi cœnobii S. Dii Constantinopoli Martyres, 8 *Febr.* 160 et tomo 3 *Febr.* 507 b

493 S. Michaelis ecclesia in Gargano dedicatur 314 b c

*Cir.* 500 S. Ruffinus Ep. Canusinus in Apulia obit, relatus 9 *Febr.* 300

## VI SECULUM.

*Sub initium 6 seculi* Martyres sub Cabade Rege Persarum 8 *Febr.* 161

*Post annum* 503 S. Eulalius Ep. Syracusanus, in Sicilia obit 16 *Febr.* 889

*An.* 504 et 505 Chlodoveus I R. Franc. febri laborat; sanatur a S. Severino Agaunensi 546 f

*An.* 506 S. Severinus Ab. Agaunensis obit 11 *Februarii* 544 546 c

*Cir. an.* 512 S. Stephanus Ep. Lugdunen. obit 13 *Febr.* 672

*An.* 514 S. Memor Ep. Canusinus in Apulia obit relatus 9 *Febr.* 300

515 *aut* 516 Agaunense novum monasterium a S. Sigismundo Rege extruitur 545 b

518 SS. Tehaus et David Britanni creantur Episcopi 304 d.

*Hoc 6 seculo* S. Tresanus Presb. Aveniaci in Campania Gallica obit 7 *Febr.* 53

*An.* 522 S. Dubricio Episcopo Landavensi mortuo succedit S. Telians 304 e

*Cir.* 529 S. Secundinus Ep. Trojæ in Apulia obit 11 *Febr.* 529

*Cir.* 530 S. Severus Presb. in Valeria apud Italos obit 15 *Febr.* 827

*An.* 541 Ad Synodum Chalcedonensem evocatur S. Auxentius 775

*Cir.* 542 S. Scholastica V. in Monte Casino obit 10 *Febr.* 392

*Eodem 6 sec.* S. Nebridius Ep. Egarensis in Hispania obit 9 *Febr.* 301

Stephanus Ab. Reate in Italia 13 *Febr.* 674

S. Cronanus Ep. in Hibernia 9 *Febr.* 339

S. Modomnocus, sive Dominicus, Ossoriensis in Hibernia obit 13 *Febr.* 673

*Cir.* 550 S. Laurentius Ep. Sipontinus in Apulia obit 7 *Febr.* 56

*Cir.* 554 S. Theodosius Ep. Vasionensis obit 14 *Febr.* 783

*Cir.* 560 S. Telians Ep. Landavensis obit 9 *Febr.* 305

*Cir.* 566 S. Sabinus Ep. Canusinus obit 9 *Februarii* 318 e

*Cir.* 567 S. Honoratus ordinatur Ep. Mediolanensis 167 c

*Cir.* 570 S. Fidelis Ep. Emeritensis in Hispania obit 7 *Febr.* 63

*An.* 570 S. Honoratus Ep. Mediolanensis obit 8 *Febr.* 166

*Cir.*

*Cir.* 570 S. Euphrosyna V. Alexandrina obit 11 *Febr.* 535 536 e
*An.* 576 S. Germanus Ep. Parisiensis obit 169 d
*Cir.* 577 S. Ecianus sive Echenus Ep. Cluainfodiensis in Hibernia obit 11 *Febr.* 551 f
*Cir.* 578 S. Quinidius Ep. Vasionen. obit 15 *Febr.* 829
*Cir.* 590 Zotto Dux Beneventanus obit 319 b d succedit Arichis 219 b dein alii 319 c
*sub 6 seculi finem* S. Paulus III Ep. Brixien. obit 7 *Febr.* 32
*Cir.* 600 S. Desideratus Ep. Arvernen. obit. 11 *Februarii* 552
*Cir.* 600 S. Berachius Ab. et Ep. in Hibernia obit 15 *Febr.* 833 f
S. Licinius fit Ep. Andegavensis 675 c

## VII SECULUM.

*Seculi 7 initio* S. Nicetius Ep. Vesontinus obit 8 *Febr.* 168
*Cir.* 607 S. Faustus mon. Casinensis Romæ obit 15 *Febr.* 840
*An.* 616 S. Hilda Ab. in Anglia nascitur 180 d
*Cir.* 616 S. Licinius Ep. Andegavensis obit 1 *Novemb.* colitur 13 *Febr* 675 677 a c
*An.* 624 *aut initio seq.* Remensis Synodus sub Sonnatio habetur 171 a 676 f Subscribit Godo Ep. Virdunensis 171 a
*An.* 626 S. Protadius Ep. Vesontinus obit 10 *Februarii* 413
*Cir.* 649 S. Paulus Ep. Virdunen. obit 8 *Febr.* 168 172 f
*An.* 649 S. Hilda fit Abbatissa mon. S. Heinæ in Anglia 180 d e
655 Oswius R. Northumbrorum devovet Deo filiam S. Elfledam, et victoria de Merciis obtenta eam tradit disciplinæ S. Hildæ 178 e f
*Cir.* 656 S. Austreberta V. velatur a S. Audomaro 417 b
*Ant.* 657 Wulfherus maritus S. Ermenildæ fit Rex Merciorum 687 d e
659 S. Wandregisilus extruit mon. Fontanellam 345 c
662 Grimoaldus R. Longobardorum incipit regnare 319 b c
669 S. Ceadda datur Episcopus Merciis 688 c
670 Oswius R. Northumbriæ pater S. Elfledæ moritur 181 c
671 Grimoaldus R. Longobardorum obit 320 d succedit Romualdus filius Dux Beneventanus 320 e
672 Winfridus datur Episcopus Merciis 688 d
673 S. Wandregisilus Ab. Fontanellensis obit 345 f succedit non S. Genesius, sed S. Lantbertus 346 a
674 Sexwulfus datur Episcopus Merciis 688
675 Wulfherus maritus S. Ermenildæ Rex Merciorum obit 688 d S. Ermenilda fit sanctimonialis 690 f
680 S. Hilda Abb. Streneashalæ in Anglia obit 181 S. Elfleda fit Abbatissa 181 f
*Cir.* 680 S. Cedmonus mon. Streneashalæ in Anglia obit 11 *Febr.* 552
681 S. Trumwinus datur Episcopus Pictis 405 a
684 S. Genesius Ep. Lugdunensis obit, S. Lantbertus Ab. Fontanellensis succedit 346 a
S. Ansbertus fit Abbas Fontanellensis 346 b
Synodus Twifordensis in Northumbria habetur 415 e S. Cuthbertus eligitur Episc. 182 f 415 e
685 S. Cuthbertus consecratur Episcopus in Paschate 183 a 415 d
Egfridus R. Northumbriæ frater S. Elfledæ moritur 183 a 416 b
687 S. Cuthbertus Ep. Lindisfarnensis obit 183 d
687 Romualdus Dux Beneventanus obit, successerunt Grimoaldus, dein Gisulfus filii et alii posteri 320 f
689 S. Audoenus Archiepisc. Rotomagensis obit 346 c
S. Ansbertus ordinatur Archiepiscopus Rotomagensis 346 d
*Cir.* 690 S. Decorosus Episcop. Capuanus obit 15 *Febr.* 842
*An.* 691 *aut seq.* Rotomagensis synodus sub S. Ansberto habita 897 a
693 S. Audoeni corpus a S. Ansberto transfertur 353 f
695 S. Ansbertus Ep. Rotomagensis obit 9 *Febr.* 343 345 e
*Cir.* 700 S. Trumwinus Ep. Pictorum Australium Streneashalæ in Anglia obit 10 *Feb.* 414 416 e
S. Ermenilda Regina Merciæ et Abbat. Eliensis in Anglia obit 13 *Febr.* 686

## VIII SECULUM.

*An.* 701 S. Wunibaldus Ab. Heidenheimen. nascitur 70 e
704 S. Austreberta V. Abbatissa obit 10 *Febr.* 417 418 c
Transferuntur corpora SS. Wandregisili, Ansberti et Vulfranni 346 f
S. Willibaldus Ep. Eistetten. nascitur 70 d
708 Constantinus eligitur Papa 25 *Martii* 694 b
715 Constantinus Papa 8 aut 9 Aprilis moritur 694 a
S. Gregorius II eligitur 20 *Maii* 694 c
S. Germanus initio Augusti constituitur Patriarcha CP. 694 e
716 S. Elfleda V. Abb. Streneashalæ in Anglia obit 8 *Febr.* 185 a
Leo Isauricus fit Imperator 695 a
S. Ceolfridus Ab. Anglus moritur 695 b
719 S. Bonifacius a S. Gregorio II in Germaniam mittitur 697 d
*Cir.* 720 S. Gaudinus Ep. Suessionensis obit 11 *Febr.* 554
*An.* 712 S. Richardus R. Anglo-saxonum obit 7 *Febr.* 69 72
731 S. Gregorius II Papa obit 13 *Febr.* 692 702 d
736 *aut seq.* Godescalcus fit Dux Beneventanus 321 a
740 S. Ethelwoldus Ep. Lindisfarnæ obit 12 *Febr.* 605 606
745 S. Willibaldus constituitur Ep. Eistetten. 70 f
*Hoc 8 sec.* S. Amulwinus Ab. Lobien. Ep. obit 7 *Febr.* 82
S. Petrus Arch. Canusinus floret. 9 *Febr.* 357
*An.* 750 Hiedenheimium mon. in Germania ædificatur 706
*Cir.* 750 S. Benedictus Ab. Anianæ et Indæ nascitur 607 f
*Cir.* 760 S. Alto Ab. in Bavaria obit 9 *Febr.* 359
*An.* 761 S. Wunibaldus Ab. Heidenheimen. obit 70 c
761 Gisulfo II Duci Beneventano mortuo, succedit Aregisus 321 b
*Cir.* 765 S. Walfridus Ab. Montis-viridis in Etruria obit 15 *Febr.* 843
*An.* 774 S. Benedictus dein Ab. Anianæ et Indæ fit monachus apud S. Sequanum 607 f
780 S. Benedictus monasterium Anianum extruit 607 e
781 S. Willibaldus Ep. Eistetten. obit 70 a
788 Aregiso Duci Beneventano mortuo succedit filius Grimoaldus IV 321 b

*Cir.*

*Cir.* 790 SS. Haymo et Veremundus obierunt in diœcesi Mediolanensi 13 *Febr.* 706

*Cir.* 800 S. Tenco Ep. Verdensis in Saxonia inferiore 16 *Febr.* 890

## IX SECULUM

*Seculi 9 initio* S. Victoris M. reliquiæ ab Herivæo Ep. Remensi Mosomum deferuntur 340

S. Lucas Siculus prope Corinthum 6 *Novemb.* obiit 82 f

*An.* 806 Corpora SS. Faustini et Jovitæ transferuntur 809 c

S. Guilielmus ex Duce Aquitaniæ, a Carolo Magno constituto, fit monachus Gellonensis 434 f

817 Concilium Aquisgranense Abbatum 609 e

818 Grimoaldo iv Duce Beneventano mortuo sufficitur Sico 321 f

818 S. Antonius Ab. venit Stabiis Surrentum 785

821 S. Benedictus Ab. Anianæ et Indæ obit 11 *Febr.* colitur 12 *Febr.* 607 610 c d e

829 Theophilus maritus S. Theodoræ imperare cœpit mense *Octobri* 554 e

Canusium ur. Apuliæ evertitur 321 e

*Cir.* 830 S. Antoninus Ab. Surrenti in Italia obit 14 *Febr.* 784

832 Sico Dux Beneventanus vita eximitur 322 a

839 Sicardus Dux Beneventanus occiditur 322 a succedit Radelchis 322 a

*An.* 841 *fine aut initio* 842 Theophilus Imperator maritus S. Theodoræ obit 558 f

*An.* 842 *aut seq.* Saraceni e Sicilia evocantur in Apuliam 322 b c

842 Michael iii filius Theophili et S. Theodoræ incipit imperare. 568 f

843 Corpora SS. Faustini et Jovitæ iterum transferuntur 809 d

844 *aut* 845 Corpus S. Theodori Studitæ Constantinopolim revehitur 562 a

847 Corpus S. Nicephori Patriarchæ CP. transfertur Constantinopolim 562 e f

S. Methodius Patriar. CP. moritur, et S. Ignatius succedit 564 c

S. Sabini reliquiæ Canusio Barium transferuntur 323 c

856 S. Theodora Imperatrix a Michaele iii filio Imp. ex regia pellitur 566 f

858 S. Theodora cum filiabus in monacham attonsa includitur 567 d

S. Ignatius Patriarcha CP. pellitur in exilium 567 b

858 Corpora SS. Wandregisili et Ansberti transferuntur ad villam Bladulphi 347 c

866 Bardas Cæsar occiditur 21 *Aprilis* 568 b

867 S. Theodora Imperatrix, uxor Theophili obit ii *Febr.* 554 568 e

*Cir.* 873 S. Sigo Ep. Claromontanus obit 10 *Febr.* 429

*An.* 878 Corpus S. Eulaliæ V. M. Barcinonensis invenitur 578

888 S. Antonius Cauleas fit Patriar. CP. 622 b

*Cir.* 890 S. Lucas Junior Thaumat. nascitur 84 e

*An.* 890 Guilielmus Pius i Dux Aquitaniæ fundat Cluniacense monasterium 435 f

*Cir.* 890 Ranulfus ii Dux Aquitaniæ moriens Ebolum filium successorem commendat S. Geraldo Comiti Aureliacensi 436 a

*Cir.* 892 S. Mengoldus M. Hui in Belgio 8 *Febr.* 186

*An.* 895 S. Antonius Cauleas Patriarcha CP. obit 12 *Febr.* 622 623 a

Corpora SS. Wandregisili et Ansberti transferuntur Carnutum 347 f

900 S. Benedictus Ep. Albingaunensis obit 12 *Febr.* 630

## X SECULUM.

*An.* 916 Bertharius scribit Vitas Episcoporum Virdunensium 168 c

*Cir.* 935 Guilielmus ii, Caput-stupæ dictus, Ebolo patri defuncto succedit Dux Aquitaniæ 436 b

*An.* 944 Corpora SS. Wandregisili, Ansberti et Vulfranni transferuntur Gandavum 348 a

*Cir.* 946 S. Lucas Junior Thaumaturgus Soterii in Græcia obit 7 *Febr.* 83 98 e f

*An.* 959 S. Columbanus Ab. inclusus Gandavi obit. 15 *Febr.* 847

*Cir.* 963 Guilielmus iii Dux Aquitaniæ creatur Abb. S. Hilarii 436 c

*An.* 977 *aut* 978 Petrus Urseolus ex Duce Veneto fit monachus apud S. Romualdum 105 b

996 S. Romualdus fit Abbas Classensis 105 b

997 S. Adelbertus Ep. Pragensis M. obit 796 f

*Cir.* 1000 Guilielmus iv, Ferreibrachii dictus, Dux Aquitaniæ 436 d

## XI SECULUM.

*Seculi ii initio* S. Fulcrannus Ep. Lodeven. in Gallia obit 13 *Febr.* 711

S. Gilbertus Ep. Meldensis obit 13 *Febr.* 718

*An.* 1008 S. Bruno Archiep. et 18 socii in Prussia Martyrio coronantur 14 *Febr.* 798

*Cir.* 1010 S. Petrus Ep. Vercellen. obit 13 *Febr.* 720

*Cir.* 1020 S. Eboarnus eremita M. in Britannia Armorica obit ii *Febr.* 569

*An.* 1025 S. Victoris M. Reliquiæ in capsam argenteam Mosomi transferuntur 340 f

*Cir.* 1027 S. Romualdus Ab. Ordinis Camaldulensis Fundator obit 19 *Junii* colitur ob translationem 7 *Februarii* 104 105 c

*Cir.* 1030 Guilielmus v, Pinguis et Crassus dictus, Dux Aquitaniæ 437 a

*An.* 1036 Guilielmus vi, Acerrimus dictus, Dux Aquitaniæ 437 b

1037 Conrado Salico Imp. mortuo Henricus iii filius succedit 437 b

1043 Henricus iii Imp. ducit uxorem Agnetem filiam Ducis Aquitaniæ 437 c

*Cir.* 1045 S. Sigfridus Ep. Vexione in Suecia obit 15 *Febr.* 848

*An.* 1058 Guilielmus vii, ante Gaufredus Wido dictus, Dux Aquitaniæ 437 d

*Cir.* 1061 S. Goslinus Ab. in Pedemontio 12 *Febr.* 631

*An.* 1071 Guilielmus viii Dux Aquitaniæ nascitur 438 a

1086 Guilielmus viii fit Dux Aquitaniæ 438 a

1087 S. Nicolai Ep. Myrensis reliquiæ Barium transferuntur 205 c

1088 B. Marianus Scotus Ab. Ratisponæ obit 9 *Febr.* 361

1091 S. Sabini Ep. Canusini reliquiæ inventæ 323 f 330

1099 Guilielmi ix sive ultimus Dux Aquitaniæ nascitur 438 b

## XII SECULUM.

*An.* 1101 Guilielmus viii Dux Aquitaniæ in Terram sanctam suscipit expeditionem 439 a

1119 Synodus Remensis præsente Callisto Papa habita: in ea excommunicatur ob adulteram assumptam Guilielmus viii Dux Aquitaniæ 438

1124 Guilielmus viii Dux Aquitaniæ habet bellicam excursionem contra Francos 439 b

S. Stephanus Fundator Ordinis Grandimontensis

sis apud Lemovices in Gallia obit 8 *Febr.* 199 203 d
1126 Guilielmus VIII Dux Aquitaniæ 10 *Febr.* obit 439 d Guilielmus IX filius succedit 439
1131 Cuilielmus Dux Aquitaniæ adhæret Anacleto Antipapæ 440 b
1135 A schismate Anacleti a S. Bernardo reducitur 440
1136 Normannos bello vastat 440 e
1137 Compostellæ 9 *Aprilis* obit 440 441 442
Ludovicus Junior, seu VII, R. Francorum ducit uxorem Alienoram filiam et hæredem Guilielmi ultimi Ducis Aquitaniæ mortui 441
1150 Canonici Regulares obtinent monasterium S. Severini in Castro Nantonis 547 b
1157 S. Guilielmus Magnus et Eremita in Stabulo-Rodis obit 10 *Febr.* 433 468 a
1161 Theobaldus Archiep. Cantuariensis obit 444 b
1169 S. Licinii reliquiæ tranferuntur 677 f
1174 Corpus S. Julianæ V. Veronam transfertur 16 *Febr.* 886 b
1189 S. Stephanus Fundator Ordinis Grandimontensis canonizatur a Clementem Papa 204
1195 Cœlestinus III Papa tradit Bulla Apostolica Bononiæ in templo S. Stephani adservari corpora S. Julianæ viduæ et aliorum Sanctorum 48 49 a b

XIII SECULUM.

*An.* 1201 Ordo Vallis scholarium a Guilielmo Parisiensi fundatur 483 484 a
1202 S. Ludanus Peregrinus in diœcesi Argentinensi obit 12 *Febr.* 638
S. Guilielmus Sanctis ab Innocentio III adscriptus traditur 450 b
1207 Cumæ urbs a Neapolitanis eversa et Reliquiæ S. Julianæ V. M. Neapolim translatæ 871 b 883 885
1209 B. Arnaldus Cataneus creatur Ab. Patavii 500 c f 501
*An.* 1209 B. Joannes Bonus cœpit Congregationem Eremitarum 474
1216 Ordo Prædicatorum ad Honorio III confirmatur 721 c
1220 B. Jordanus ingreditur Ord. Prædic. 721 c
1221 B. Martinus Presb. Canonicus Regularis Legione in Hispania obit 11 *Febr.* 569
1222 B. Jordanus eligitur Generalis II Ord. Prædic. 721 f
1222 S. Adolphus Ep. Osnabrugensis in Westphalia obit 11 *Febr.* 571 f
1223 Reliq. SS. Faustini et Jovitæ repositæ 809 a
1225 S. Raynaldus Ep. Nucerinus in Umbria obit 9 *Febr.* 373
1232 S. Guilielmus in Germania miraculis claret 485 f
1233 Corpus S. Dominici a B. Jordano transfertur 722 c d e
1237 B. Jordanus II Generalis Ordinis Prædicatorum obit 12 *Febr.* 720 721 b c
1241 B. Guilielmus Presb. eremita, fundator cœnobii Olivæ in Hannonia obit 10 *Febr.* 493
1246 B. Arnaldus Cataneus Ab. Ecelino carceri includitur 500 e f
1249 B. Joannes Bonus auctor aliquorum Eremitarum S. Augustini obit 482 f
1255 B. Arnaldus Cataneus Ab. Patavii obit 499 501 d
1255 Monasterium Guilielmitarum in Monte-Rubeo prope Parisios cœptum 115 c
*Cir.* 1256 Corpus S. Theodori Ducis M. a Jacobo et Marco Dandulis Venetias transfertur 27 d
*An.* 1256 Congregationes plures Eremitarum in unum Ordinem redigit Alexander IV sub regula S. Augustini et Lanfranco Generali 477
*Cir.* 1257 Eremitis S. Guilielmi permittitur pristinum institutum et regula S. Benedicti 477 f 478 a
*An.* 1263 Urbanus IV prohibet ne Guilielmitæ transeant ad Augustinianos 480 a
*Post.* 1264 Reliquiæ S. Julianæ V. M. Neapoli in Gallias translatæ inde postmodum Bruxellas 873 874 c
*An.* 1280 Bona Rotnacensia ab Ab. Indensi venduntur Guidoni Comiti Flandriæ 608 c

XIV SECULUM.

*Cir. An.* 1320 Russorum monarchia immutatur 639 f
*An.* 1339 Corpus S. Eulaliæ V. M. Barcinonensis transfertur 579
*Cir.* 1364 S. Alexius Metropol. Kiioviensis in Prussia obit 12 *Febr.* 640
*An.* 1377 B. Guilielmus Zucchius Alexandriæ in Italia obit 10 *Febr.* 504
*Hoc* 14 *seculo* B. Esaias Bonerus Ord. Eremitarum S. Augustini an floruerit, post an. 1380 mortuus 8 *Febr.* 216 a

XV SECULUM.

*An.* 1401 S. Benedicti Ep. Albingaunensis corpus transfertur 631 b
1433 Hieronymus monachus Camaldulensis scribit Vitam S. Romualdi 141 e
1435 Guilielmitarum privilegia in synodo Basileensi confirmatur 481
1458 B. Christina 3 Ordinis S. Augustini Spoletii obit 14 *Febr.* 800
1466 Tumba S. Romualdi aperitur 103 f 141 f
1472 S. Goslini Ab. in Pedemontio corpus invenitur, claret miraculis 631 e 638 d
1477 Sixtus IV Papa confirmat Bullam Cœlestini III de corporibus S. Julianæ viduæ et aliorum Sanctorum adservatis Bononiæ 48 e
1479 Caput S. Guilielmi Francofurto Marcodurum defertur 487 d
1480 Reliquiæ S. Romualdi Æsium deferuntur 105 d
1481 Reliquiæ S. Romualdi Fabrianum deferuntur 7 *Febr.* 105 e
1481 Hieronymus Æmilianus Fundator Congreg. Somaschæ nascitur 221 e

XVI SECULUM.

*An.* 1537 Hieronymus Æmilianus Fundator Congreg. Somaschæ obit 8 *Febr.* 218 261 f
1540 Somaschensi Congregationi Paulus III privilegia concedit 219 f
1543 Marcodurum ur. Ducatus Juliacensis vi a Carolo V expugnatur 488 d
1546 Somaschensis Congregatio unitur Teatinis 219 f
1555 Somaschensis Congregatio separatur a Teatinis 220 b
1568 Somaschensis Congregatio in numerum Religionum adoptatur a Pio V 220 b
1570 Bona monasterii Marcodurani Guilielmitarum donantur Canonicis Juliacensibus 488 e
1573 Caput S. Guilielmi donatur R. P. Arnoldo Cools Carmelitæ et dein Antverpiam transfertur 489 b d
1575 SS. Goslini Ab. Julianæ et aliorum corpora deferuntur ad oratorium Taurinense Societatis Jesu 633 d 638 e

1578 Corpora SS. Wandregisili, Ansberti et Vulfranni ab hæreticis Gandavi dissipata 348 b c
1586 Caput S. Guilielmi donatur Societati Jesu Antverpiensi 489 d 490 e
1588 S. Sabini corpus Atripaldæ e crypta elevatur 334 b
1594 Clemens viii Papa confirmat possessionem capitis S. Guilielmi Societati Jesu Antverpiensi 491
*Cir.* 1600 In Stabulo-Rodis construitur eremitorium 486 d

XVII SECULUM.

*An.* 1605 S. Valentini Ep. Interamnensis corpus invenitur 757 b
1612 Corpus S. Tigrini M. Romani deponitur in Taurinensi collegio Soc. Jesu 11 *Febr.* 512
1616 Somaschensi Congregationi unitur Congregatio Doctrinæ Christianæ in Gallia 220 c
1621 Templum Antverpiense Societatis Jesu dedicatur 491 d
1623 Corpus S. Valentini M. Romani Hamedii deponitur, dein translatum Armenteriam 763
Corpus S. Zenonis M. Romani Bononiæ deponitur apud sanctimoniales Benedictinas 14 *Febr.* 746
1626 SS. Haymonis et Veremundi Reliquiæ a Federico Borromæo Card. transferuntur 709
1641 Corpus S. Valentini M. Romani Socuellami in Hispania deponitur 14 *Febr.* 763
1650 Corpus S. Hippolyti M. Romani Cameraci deponitur 12 *Febr.* 582
Capita SS. Benigni et Cælestini MM. Romanorum Gandavi in Ecclesia Societatis Jesu deponuntur 12 et 13 *Febr.* 897 898
1651 Corpus S. Cornelii M. Romani Gandavum transfertur ad templum Societatis Jesu 864
1651 S. Adolphi Ep. Osnabrugensis corpus elevatur 571 f
1652 Corpora SS. Flori et Palladii MM. Romanorum deponuntur Antverpiæ in ecclesia Societ. Jesu 12 et 13 *Febr.* 583 657

# DE ACTIS SANCTORUM FEBRUARII

## TOMUS SECUNDUS.

*Partiri in tres tomos* FEBRUARIUM *cogimur. Neque tamen æquali numero Dierum determinare singulos licet : non solum quia* XXVIII *distribui in tres numeros* ἰσαρίθμους *non possunt : sed quoniam Dies quidam plurium Acta Sanctorum, vel diffusiora, etiam paucorum, habent. Ac subinde quas præmittendas ducimus commentationes, prolixiores evadunt, dum uberius et ad hominum intelligentiam accomodatius explanantur, quæ sæpius essent, minus apte minusque perspicue, patefacienda per partes. Verum quæ semel firmata principia sunt, alibi in ea intendere dumtaxat digitum sat erit.*

*Te autem,* LECTOR BENEVOLE, *rogamus, primum ut faveas operi haud sane parum laborioso; dein ut Divos preceris, impetrent a Deo vires nobis ac lumen, ad sua pervestiganda mandandaque litteris Acta, et robur cœlestis gratiæ ad eadem imitanda; itaque stylo moderentur nostro, ut dum ipsorum inservire honori studet, id sine cujusquam mortalis offensione assequatur.*

---

## VII FEBRUARII.

### SANCTI QUI VII ID. FEBRUAR. COLUNTUR.

Sanctus Claudius Apollinaris, Episc. Hierapolitanus in Phrygia.

S. Amantius, Martyr Claromonte in Gallia.

S. Crysolius Episcop. et socii } Martyres, Cominii et Verlengenhemi in Flandria.

S. Anatolius,
S. Ammon,
S. Statianus,
S. Nepotianus,
S. Lucius,
S. Saturninus,
S. Saturnus, sive Saturna, } Martyres.

S. Adaucus, sive Adauctus, Generalis officiorum Magister et Quæstor, Præfectus Ærario, Præfectus militaris, Senatus populusque, Fœminæ et infantes } integræ unius urbis } in Phrygia, Martyres.

S. Angulus, Episcop. Mart. in civitate Britanniæ Augusta.

S. Theopemptus et socii } Martyres.

Sancti mille et tres, famuli quatuor Protectorum Imperatoris, Martyres Nicomediæ.

S. Maximus, sive Maximianus, Episcopus, Nolæ in Campania.

S. Theodorus Dux, Megalomartyr, Heracleæ in Ponto.

S. Parthenius, Episc. Lampsaci in Hellesponto.

S. Moyses, Episcopus Saracenorum in Arabia.

S. Moyses Abbas et VI socii } Martyres in Ægypto.

S. Juliana, vidua Bononiæ in Italia.

S. Paulus III, Episcopus Brixiensis in Italia.

S. Tresanus, Presbyter, Aveniaci in Campania Gallica.

S. Laurentius, Episc. Sipontinus in Apulia.

S. Fidelis, Episcopus Emeritensis in Hispania.

S. Medanus, sive Meldanus, Episcopus, Hibernus, Peronæ in Gallia.

S. Petrus, monachus in Monobatis.

S. Colianus, Episcopus Adriæ in Æmilia.

S. Richardus, Rex Anglo Saxonicus in Britannia, Lucæ in Italia.

S. Amulwinus, Abbas Lobien. et Episcopus, in Belgio.

S. Lucas junior Thaumaturgus, Soterii in Græcia.

S. Romualdus Abbas, Ordinis Camalducensis Fundator, Fabriani in Piceno.

B. Antonius de Stroncone, Laicus Ordinis Minorum, Assisii in Umbria.

---

### PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Sanctus Gonzalus, Presbyter Ordinis Prædicatorum, apud Bracaram in Hispania, *refertur hac die iis verbis a Ferrario in Catalogo generali Sanctorum : ejusque vita ad hunc diem edita est a Frugillo in Thesauro Concionatorum, asserente eum coli in Ecclesia Bracarensi, et quibusdam aliis in Lusitania. Est is* S. Gonzalvus Amaranthus, natus in districtu Bracharensi, *ut tradit Didacus de Rosario in Vita ejus cap.* 1, *quam dedimus, die ejus natali* X Januarii.

*Verum alius Gundisalvus Ord. Prædicatorum* VII *Februarii memoratur, in Hagiologio Lusitano Georgii Cardosi, Vimarani in Lusitania sancte mortuus an.* CIƆCXX.

*Quatuor Protectores Nicomediæ sub Diocletiano pro fide necati referuntur in Menæis cum mille et tribus eorum famulis, quorum Acta infra damus : sunt autem hi IV Protectores SS.* Bassus, Eusebius, Eutichius, Basilides, *de quibus cum iisdem Menæis egimus* XX Januarii.

S. Dorothea Alexandrina, Virgo Deo devota *inscripta est ad hunc diem Menologio Virginum a Francisco*

A *Lahierio nostro. De ea egimus* VI Februarii.

S. Amandus Episcopus Trajectensis *colitur hoc die in Ecclesia Cameracensi, uti indicatur in Officiario Curatorum illius Ecclesiæ anno* MDLXII *excuso: in quo præcedenti die agitur de S. Vedasto. Nos Vitam utriusque dedimus* VI Februarii.

Sanctorum Pontificum Trajecti superioris commemoratio *consignata hoc die in MS. Florario Sanctorum: recolitur ea in Ecclesia Trajectensi, die (quo singulorum natalem indicavimus)* VI Februarii.

S. Ennius Martyr *memoratur in eodem MS. Florario. Omittimus donec aliunde certum quid de eo eruamus.*

Antiochus, Patricius, Centuriones, Milites LXXXIII *referuntur infra in Actis S. Theodori Ducis Megalomartyris missi a Licinio Imp. ad ejus corpus in mare jactandum. Verum cum eum vivum et incolumem reperissent, eo miraculo* conversi sunt ad Christum: *atque in Menæis quidem dicuntur* pro eo mortem subiisse. *Petrus Canisius in Martyrologio Germanico ait* duos centuriones et XLVIII milites martyrio coronatos. *Uspiamne tamen venerationem obtineant haud comperimus, uti infra ad S. Theodori Acta* § 3 *dicemus.*

Sextus, *vel* Cestus, *aut* Cestes, Proconsul, *infra in*

B *Actis S. Theodori Ducis per Baratum scribitur* Christi Martyr effectus. *Constat, ab Hunno quodam trucidatum, cum Leandrum cupientem S. Theodoro necem inferre prior jugulasset. Accenseri tamen Martyribus nusquam in sacris Fastis legimus.*

Dervanus *memoratur quidam ab Alberto Magno de Morlaix in Indice Sanctorum Britanniæ Armoricæ, et huic diei adscribitur, nulla publicæ venerationis argumento expresso, nec loco, ubi colatur, indicato, sive hic, sive* XII *Februarii ubi ejus meminit in* S. Rioci *Vita.*

Timotheus Papa Alexandrinus *refertur in Kalendario Coptico* XIII *mensis Mechir, qui est* VII *Februarii. Videtur is primus illius nominis, decessor Theophili patrui S. Cyrilli: cujus ordinationem refert Baronius ad annum* CCCLXXX, *obitum ad* CCCLXXXV, *ac de eo seorsum agit. Nos hactenus in nullis aliis tabulis Ecclesiasticis repertum, hic omittimus.*

B. Felix Sipontinus in Apulia Episcopus, *qui Concilio Romano sub Hilaro Papa subscripsit,* Flavio Basilisco et Herminerico Coss. *an. Christi* CDLXV, *non* CDLXVII, *ut ad illud concilium, annotatum a quibusdam; videtur aliquando apud Sipontinos in Sanctorum numero habitus. Nam in Vita* S. Laurentii *ejus*

C *successoris infra, jussu Benedicti Episcopi conscripta cap.* 1 *num.* 3 *simpliciter* Beatus Felix *appellatur. Et in priore Vita, a multis seculis, incolumi adhuc Siponto, scripta num.* 3 *de eo ista habentur:* Sipontina civitas innumero populo habitata, suo Antistite, Felice nomine, est orbata: quod nomen beatitudinis bene sibi congruit, quandoquidem de

Matth 5. 8 illis erat, de quibus Dominus in Evangelio dicit: Beati pacifici, beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sed huic beato beatior successit Laurentius. Postquam itaque idem B. Felix Episcopus terrea carnis mole deposita, cælestem adeptus est mansionem, etc. *Verum quo die decesserit, et num vere Ecclesiæ auctoritate, an sola scriptoris pietate, sit Sanctis annumeratus, nos latet. Quod tamen de eo re occurrebat, hic indicandum censuimus.*

S. Sanissimus Confessor *refertur hoc die a Ferrario. Is* S. Tresanus *est, ad cujus Vitam infra hoc ipso die mendi occasionem indicabimus.*

S. Aidum Sleptensem in Lagenia apud Hibernos Episcopum *scribit Joannes Colganus in appendice ad Vitam S. Ædani Medoci* XXXI *Januarii, coli* VII *Februarii, quo die ejus non memini.*

S. Chrittanus, S. Lonanus, S. Mellanus, Darii filii in Hibernia *memorantur ab eodem Colgano* XII *Januarii Notat.* 8 *ad Vitam S. Laidgenni, ubi eos coli dicit in monasterio S. Luani* VII *Februarii. Et de* D Lonano *rursum idem tradit* XVII *Februarii Notat.* 13 *ad Vitam S. Fintani. Tamen ad* VII *Februarii eorum minime meminit. Adhuc nobis ignoti sunt. Agimus infra de S. Meldano, qui et* Mellanus *ab aliquibus vocatur, sed ab illo Darii filio diversus est.*

Sancti cujusdam, in Ampelo, *juxta Atticam insula,* conditum corpus *memoratur infra in S. Lucæ Thaumaturgi Vita cap.* 10 *num.* 53, *ubi hic illius dicitur opem implorasse ac sensisse. Sitne illius nomen alibi in tabulis Ecclesiasticis expressum, sed ab scriptore Vitæ hujus vel ignoratum, vel adeo non indicatum, quod minus id esse necesse existimaret; an vero ignoti nominis Sanctus, Ampelotarum, apud quos sepultus erat, Patronus vulgo appellatus; haud facile nobis est conjicere. Fuisse ejus et notum vulgo tumulum, et populari fama celebratum religionem, ex S. Lucæ facto liquet; neque enim Divina revelatione excitatus dicitur ad eum invocandum; sed veluti ad notum ultro confugisse.*

S. Ronanus Episcopus *in Breviario Aberdonensi coli dicitur* apud Kilmanorem in Lenuocia provincia Scotiæ. *Eumdem refert in Kalendario Scotico Adamus Regius, atque* floruisse sub Malduino Rege, *qui ab anno* DCLXIV *ad* DCLXXXIV *regnasse dicitur.* E *Ferrarius eumdem hoc die referens, tradit circa annum* DCIII *floruisse, qui characteres non congruunt: licet utrumque imperite adjecerit, qui quod habemus Breviarium Aberdonense exscripsit. Dempsterus* Ronanum *habet* XVII *Februarii* Scotorum Episcopum, *quem ait eodem* anno DCIII vixisse. *Ferrarius* XI *Decembris* Ronnano *Presbytero eumdem annum adscribit, uti Breviarium Aberdonense* Ronano Episcopo, *qui* XXII *Maii colitur. Majorem lucem desideramus.*

Irmgardis, *sive* Irmgert, *Magdeburgi in Saxonia, tempore S. Henrici Imperatoris,* cum sorore Alwred, admodum laudabilem vitam agebat, non cum ceteris sanctimonialibus conversando, *sive, ut Laherius noster interpretatur, in cœnobio degendo,* sed singulariter in ecclesia, quæ Rotunda dicitur, Christo ejusque dilectæ Genitrici sedulum exhibebat obsequium. *Ea* externorum lumen oculorum perdens, interiori acie æterno fruitur splendore, et non longe post ad patriam semper optatam VII Idus Februarii transiit. *Secuta soror* X *Kalendas Junii. Ita Dithmarus Episcopus Merseburgensis, gravis scriptor et pius, et, quod caput est, coævus, lib.* 7 *Chronici; qui deinde subdit:* Hoc verum esse, Fratres in Christo, mihi credite et has Ecclesiæ F adjutrices nostræ admodum utiles esse pro certo scitote. In suas orationes sanctas me peccatorem hic susceperunt, et nihil umquam boni ex mea parte (pro dolor) susceperunt. *Sitne postea aliqua iis decreta habitave palam veneratio, cum eversa deinde sit in iis partibus Catholica religio, explorare non potuimus.*

Nivardus frater S. Bernardi, fundator monasterii de Spina Ordinis Cisterciensis in Hispania, *refertur hoc die in Kalendario Cisterciensi Divione excuso, et* Beatus *appellatur in Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henrique, ac Martyrologio Hispanico Joannis Tamayo Salazarii, qui Acta ejus ex variis scriptoribus collecta adjunxit. Haud reperimus venerationem aliquam publicam haberi, cum in Annalibus Cisterciensibus Manriquez ei titulus* Beati *non adscribatur. De eo agemus* XX *Augusti ad Vitam S. Bernardi.*

Raynerus, mortua uxore factus Conversus Ordinis Cisterciensis in monasterio Villariensi in Brabantia, *ibidem, ut in Chronico ejusdem monasterii legitur,* obiit sanctus et felix. *Eum hoc die inscripsit Menologio Cisterciensi Chrysostomus Henriquez, et* Beatum *appellavit. Piis viris solum accenset Saussaius in Martyrologio Gallicano.*

Rizericus

A Rizericus a Mutina, S. Francisci socius, Beatus appellatur a Gonzaga par. 1 Histor. Seraphicæ, Petro Rodulphio Tossinianensi lib. 1, Arturo a Monasterio in Martyrologio Franciscano, et Masino in Bononia illustrata hoc die. Wadingus Ricerium, Rodulphius Rigerium, S. Antoninus Richerium nuncupat. Haud adhuc comperimus Beati titulum ei auctoritate Ecclesiastica decretum. Nam quod Arturus scribit a S. Antonino 3 par. titul. 24 cap. 2 § 3 Beatum appellari, fallitur; solum habet : Frater quidam, Richerius nomine, tam moribus quam genere nobilis.

P. Antonius Criminalis, primus e Societate Jesu martyrii lauream obtinuit in India Orientali, anno CIƆIƆXLIX; incertum quo die, sed quia VII Februarii, Sisii in agro Parmensi, prodierat in lucem, ideo et hoc die adscriptus est Hagiologio Lusitano a Georgio Cardoso : qui testatur Joannis III Lusitaniæ Regis mandato omnia conscripta firmataque legitimis testimoniis, quæ ad vitæ illius cædisque notitiam spectarent; et ad Curiam Romanam transmissa, ut ad ejus Canonizationem institui processus posset. Nihil tamen adhuc, quod sciamus, a Pontifice Max. statutum est. Nisi ad eum præcipue fortassis Pius V respexit; quando in Constitutione Dum indefessæ, anno
B CIƆIƆLXXI lata, ait, Presbyteros Societatis Jesu... adeo Servatori suo se dedicasse, ut... non contenti terrarum finibus, usque ad Orientales et Occidentales Indias penetraverint : ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, ut etiam proprii sanguinis prodigi, ut verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario se supposuerint. De Criminale agunt Orlandinus, Maffeius, Tursellinus et alii quamplurimi.

S. Alto Abbas monasterii in Bavaria, ab eo vulgo Altomuster appellati, refertur hoc die in Catalogo Sanctorum Hiberniæ; quo eumdem die coli tradit Dempsterus lib. 1 Historiæ Eccles. gentis Scotorum
NOT 1 cap. 11. De eo agemus IX Februarii.

S. Matthiæ Apostoli festum solenniter celebratur hoc die cum Vigilia in Ecclesia Mediolanensi, in qua tempore Quadragesimæ nullum de Sanctis officium peragitur. Vitam dabimus XXIV Februarii.

S. Sergius Martyr memoratur hoc die in Calendario Cophtico. Forte is est celebris Martyr Sergius Cæsareæ in Cappadocia, cujus Acta dabimus die, quo in illo Martyrologio non refertur, ast in reliquis aliis, XXIV Februarii.

Apollonius, Senator et Martyr, pater S. Apolloniæ,
C refertur ab Hermanno Greven in Auctario ad Usuardum secunda editione an. MDXXI. De S. Apollonia Alexandrina V. et M. agemus IX Februarii, ubi et inquiremus, num alia extiterit Apollonia sub Juliano Apostata, cum Apollonio patre martyrio coronata. Alioquin alius multo antiquior colitur S. Apollonius Senator et Martyr XVIII Aprilis.

S. Rictrudis et filiarum elevatio contigit hoc die, cujus meminit Molanus in Natalib. SS. Belgii ad XII Maii, et in Auctario Usuardi hoc VII Februarii, quo die de eadem agunt Wion, Menardus et Dorganius in Martyrologiis Benedictinis, Ferrarius in Catalogo, Saussaius in Martyrol. Gallicano, qui e filiabus exprimit SS. Clotsendem et Adalsendem. Egimus II Februarii de iis ad Vitam S. Adalbaldi; seorsim acturi, de S. Rictrude XII Maii, de S. Clotsende XXX Junii, de S. Adalsende XXV Decembris, de S. Eusebia, hic non expressa, XVI Martii.

S. Guilielmus Episcopus in Anglia refertur hoc die ab Hermanno Greven, Canisio, Ferrario : diciturque in MS. Florario Episcopus Cantuariensis. Verum hanc postremam vocem, quia de S. Odone Cantuariensi Episcopo immediate ante in eodem Florario actum erat, vitio amanuensium reamur additam, sive ab
D Odone ad Guilielmum translatam; cum nullum vestigium sacri cultus Guilielmo cuipiam Cantuariensi delati reperiatur. Putamus ergo cum Ferrario, hic agi de S. Guilielmo Episcopo Eboracensi, cujus variæ fuerunt Translationes, ut dicemus ad diem ejus natalem VIII Junii.

Frindrudis Virgo memoratur ab Hermanno Greven. Ast in Florario MS. dicitur Frindudis Virgo et Martyr : nobis adhuc incognita. Suspicamur ob vicinitatem nominis esse fortassis S. Erendrudem Virginem et Abbatissam, cognatam S. Ruperti Episcopi Wormatiensis et Salisburgensis, cujus Vitam dabimus XXX Junii.

S. Odo Archiepiscopus Cantuariensis refertur hic a Molano, Hermanno Greven, Saussaio in Supplemento Martyrologii Gallicani, Hugone Menardo, MS. Florario; sed in hoc Abbas appellatur. Obiit non hoc die, ut scripsit Carolus Saussaius lib. 4 Annal. Ecclesiæ Aurelianensis cap. 8, sed, quo et Vitam ejus dabimus, IV Julii.

S. Hermolaus Presbyter Martyr colitur ab Ecclesia Beneventana in Italia VII Idus Februarii : quo videlicet die reliquiæ ejus, quæ etiamnum asservantur,
E isthuc allatæ putantur; licet Translationis historia interciderit. Is existimatur esse, de quo Martyrolog. Romanum XXVII Julii.

S. Lubetia Electa, S. Helenæ Augustæ ancilla, refertur hoc die ab Andrea Saussaio in Martyrol. Gallicano, et Francisco Lahierio in Menologio Virginum, quibus eam adscribit, et Lubeciam vocat. An hæc quæ aliis Libania, diciturque in sacræ Crucis Inventione suscitata? Certiora inquiremus ad Vitam S. Helenæ XVIII Augusti.

S. Moyses Æthiops memoratur a Maurolyco et Canisio, eumdem cum S. Moyse Episcopo Saracenorum, de quo infra hoc die agimus, confundentibus : quod et Petrus de Natalibus et Alegrænus fecerunt. De S. Moyse Æthiope cum Græcis et Martyrol. Romano agemus XXVIII Augusti.

Inguberti et Wendelini Confessorum, Episcoporum Trevirensium memoria fit in Auctario MS. Carthusiæ Bruxellensis ad Usuardum. Neuter reperitur inter Episcopos Trevirenses. Forte prior est Egbertus ab Hermanno Greven et Canisio relatus ad XVIII Septembris, at mortuus juxta Acta MSS. postridie Conceptionis B. Mariæ IX Decembris. Alter forte est S. Wendelinus, qui in diœcesi Trevirensi floruit,
F et colitur XXI Octobris.

S. Amandinus Confessor Claromonte in Gallia, refertur hoc die a Ferrario et Saussaio in Supplemento : et ejus commemorationem fieri in Ecclesia Claromontana observat ex Ordine et Breviario Claromontano Savaro ad libellum antiquum de Ecclesiis Claromontanis a se editum lib. 1 num. 22. Verum addit ex Martyrologio MS. natalem ejus celebrari, quo die cum Saussaio, Molano et majori Ecclesia Claromontana de eo agemus VII Novembris.

S. Andreas refertur in vetusta Martyrologio MS. Richenoviensi prope Constantiam. Forte is est qui Bethlehemi ... colitur X Februarii : aut a quinto Februarii huc translatus, Andreas Apostolus, cujus eo die ordinatio Episcopatus in Patris urbe Achaiæ consignatur in variis Martyrologiis, etiam antiquissimo S. Hieronymi. De ipsius Apostoli actis plenius dicetur XXX Novembris.

S. Syrus, Episcopus Ticinensis, adscribitur ad hunc diem a Richardo Witfordo in Martyrol. Sarisburiensi : colitur IX Decembris.

DE

# DE S. CLAUDIO APOLLINARE
## EPISCOPO HIERAPOLITANO IN PHRYGIA,
## Commentarius historicus.

J. B.

### § I. *S. Apollinaris patria, publica veneratio.*

*Sub finem II seculi. VII Febr. Hierapoleos urbis,*

Hierapolitarum *civitas in Phrygia majore locatur a Ptolemæo lib. 5 cap. 2, estque primaria earum urbium, quibus ἱερᾶς πόλεως nomen; dicta, Stephano teste, ἀπὸ τοῦ ἱερὰ πολλὰ ἔχειν; quod* multa sacra habeat, *inter quæ forsan numeratæ aquæ calidæ, quæ plurimæ isthic scaturiunt. Sitam alii scribunt* in Asia minore, *alii* in Phrygia, *quæ et ipsa in Asia est; Stephanus* inter Phrygiam et Lydiam, *Strabo lib.* 13 κατ᾽ ἀντικρὺ Λαοδικείας, e regione Laodiceæ, *ad Mæandrum flumen.*

*a S. Philippo conversæ,*

2 *Eum primus fide Christi collustrasse* S. Philippus *Apostolus dicitur, quem prædicat Romanum Martyrologium Kalendis Maii,* postquam omnem pæne Scythiam ad fidem Christi convertisset, apud Hierapolim Asiæ civitatem cruci affixum, et lapidibus obrutum, glorioso fine quievisse. *Egregii eam deinde administrarere Antistites,* S. Papias, S. Joannis senioris auditor, Polycarpi autem sodalis, *de quo infra ad* XXII *Februarii, et* S. Abercius, qui sub M. Antonino Imp. claruit, *uti habet* XXII *Octobris Martyrologium.*

*post SS. Papiam et Abercium.*

B

3 *Post eos infulis admotus* S. Claudius Apollinaris, *in eadem urbe natus, uti Photius cap.* 14 *Bibliothecæ his verbis indicare videtur:* ἔστι δὲ Ἱεραπολίτης ὁ συγγραφεύς, τῆς ἐν Ἀσίᾳ Ἱεραπόλεως γεγονὼς ἐπίσκοπος: Est vero scriptor Hierapolitanus, Hierapoleos in Asia factus Episcopus. *Fuisse autem prænomine* Claudium *appellatum, patet ex fragmento scriptorum S. Serapionis Episc. Antiocheni apud Eusebium lib. 5 hist. Eccles. cap.* 18 *ubi ista habentur:* Misi vobis et Claudii Apollinaris (Ἀπολιναρίου) beatissimi Hierapoleos in Asia Episcopi litteras.

*Episcopus fuit Apollinaris, ibi natus,*

*Claudius dictus*

4 *Ejus nomen Martyrologio Romano ad* VIII *Januarii primus inscripsit Baronius his verbis:* Hierapoli in Asia, S. Apollinaris Episcopi, qui sub M. Antonino Vero sanctitate ac doctrina floruit. *Ignotus est Menæis ac Menologiis Græcorum. Plura MSS. Martyrologia eum* VII *Februarii referunt. Ita vetus MS. Centulense, Bedæ præferens nomen:* Apud Asiam minorem civitate Hierapoli, S. Apollinaris Episcopi, viri eruditissimi. *Eadem, totidem fere verbis, habentur in MSS. S. Lamberti Leodii, Carmelitarum Coloniensium, Treverensi, Bruxellensi S. Gudilæ, itemque in Martyrologio excuso Coloniæ an.* MCCCCXC, *et Hermanni Greven additionibus ad Usuardum, editis an.* MDXXI. *At MS. pervetus Domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ, et ipsum Bedæ nomine prætitulatum:* Apud Asiam provinciam, S. Apollinaris Ierapolitani Antistitis, viri eruditissimi. *Eadem habent MS. vetus monasterii S. Laurentii Leodii, quod est Adonis, licet subinde interpolatum, et MS. Florarium; adduntque ambo:* Claruit anno CLXX. *Idem Florarium ad* I *Junii ita habet:* Apud Antiochiam depositio S. Apollinaris Confess. et Doctoris. *De hoc an alio agat Apollinare, haud scimus; nec de qua Antiochia. An fortassis* S. Apollinaris *hic noster Antiochiæ obiit, Cariæ urbe, sita ad Mæandrum flumen, haud procul Hierapoli, quam et* Pythopolim *dictam scribit Stephanus, ab Antiocho Seleuci filio ædificatam, una cum* Laodicea et Nyssa, *factaque illis nomina ab* Antiochide *matre,* Laodice *sorore,* Nyssa, *aut* Nysa, *uxore? Denique* S. Apollinaris *natalem locat Canisius* XXIII *Julii, quo S. Apollinaris Ravennatum Apostolus colitur, post hujus elogium,* Item commemoratio, *inquit,* alterius S. Apollinaris, Episcopi Hieropolitani, sanctitate et doctrina clarissimi, qui pro Christiana religione multa scripta reliquit.

*ejus nomen in Rom. Martyrol. 8 Jan. in pluribus 7 Febr.*

C

*1 Jun.*

*23 Julii.*

### § II. *S. Apollinaris doctrina, scripta, zelus contra Cataphryges: horum hæresis.*

Quæ *in omnibus jam citatis Martyrologiis commendatur sanctissimi hujus Antistitis eruditio, eadem a Theodoreto laudatur hæreticarum fabularum lib. 3 cap.* 2, *his verbis:* Contra hos *(Montanistas)* scripsit Apolinarius, Hierapolis in Phrygia Episcopus, vir laude dignus, qui ad divinarum rerum cognitionem externas quoque disciplinas adjunxit. *De eo quoque Photius ante citatus,* Vir sane præstans, *inquit,* et insigni usus stylo. *Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis:* Apollinaris Hierapolitanus in Asia Episcopus, vir doctus et fidei Christianæ defensor insignis, ingenio clarus et disertus eloquio; scripsit non contemnendæ lectionis opuscula, quibus se virum non tam eruditum quam zelosum, ostendit. *Hoc Petrus Halloix noster cap. 3 Vitæ S. Apollinaris,* gratis et temere ab ejus ignaro scriptorum esse dictum *pronuntiat,* atque etiam falso. *Acris censura. Sane qui* virum doctum, ingenio clarum, disertum eloquio, non contemnendæ lectionis scripsisse opuscula *testatur, non negat eum se* virum eruditum ostendisse, *et si affirmet, magis* zelosum, *et* fidei Christianæ defensorem insignem, *sive, non tam ostentare doctrinam voluisse, confutandis Gentilium erroribus, ac dolis hæreticorum; quam Christianæ religionis innocentiam ac veritatem tueri. Ita Baronius in Notat. ad Martyrologium, in iis quæ supersunt scriptorum ejus fragmentis, præ ceteris* animi ejus candorem effulgere *ait,* dum nihil proprio ingenio se in rebus sacris velle scribere vel definire profitetur. *Quæ dum scribit summi judicii vir, non doctrinam negat in illius scriptis effulgere, sed præ ea candorem, uti Trithemius, præ eadem zelum, sive Divini honoris et orthodoxæ religionis defendendæ studium.*

*fuit doctissimus,*

E

*zelosus,*

*et eximii candoris;*

6 *De scriptis Apollinaris agit Eusebius non uno loco. Nam lib. 4 cap. 20 eum Hegesippo, Dionysio Corinthio, Pinyto, Philippo, Melitone, Musano, Modesto, Irenæo eum connumerat;* quorum, *inquit,* recta Apostolicæ traditionis et sanæ fidei sententia, scriptis prodita, ad nos pervenit. *Et cap. 25 libri ejusdem:* Ex iis, quos supra citavimus, Meliton Sardensis Ecclesiæ Episcopus, et Apolinarius Hierapolitanæ, magna celebritate floruerunt quorum uterque separatim librum pro fidei nostræ defensione, Romanorum Imperatori, quem ante a suo tempore memoravimus, obtulit, *nimirum* Antonino Vero, *ut cap.* 18 *indicavit sive M. Aurelio Antonino Philosopho.*

F

*numeratus inter illustres scriptores ab Eusebio.*

7 *Idem deinde Eusebius cap. 26 lib.* 4. E multis Apolinarii scriptis, quæ apud multos servantur, ista ad nos pervenerunt: Liber ad prædictum Imperatorem. Adversus Gentiles libri V. De veritate libri duo. Contra Judæos totidem. Et quæ post hæc conscripsit adversus hæresin Phrygum, quæ haud multo post tempore res novas molita est, tum autem quasi pullulare cœpit, Montano una cum suis falsis prophetissis initia secessionis faciente. *De scriptis contra eam hæresim infra. De eodem autem S. Apollinare ejusque lucubrationibus S. Hieronymus cap. 26 de scriptoribus Ecclesiast.* Apollinaris Asiæ Hierapolitanus Episcopus sub Imperatore M. Antonino Vero floruit, cui et insigne volumen pro fide Christianorum dedit.

*scripti ab eo libri.*

Extant

A Extant ejus et alii quinque adversus Gentes libri. Et de veritate duo. Et adversus Cataphrygas tunc primum exortos, cum Priscilla et Maximilla insanis vatibus incipiente Montano. *Tres ejus tractatus*, contra Gentiles, de pietate, de veritate. *legisse se Photius testatur.*

8 *Cœpit ea hæresis* Phrygum, *sive* Cataphrygum, *aut* Cataphrygarum, *Epiphanio* φρυγαστῶν Phrygastarum, *vulgo* Κατὰ φρύγας secundum Phryges, *Severo* II *et Herenniano Coss. anno* XI *M. Aurelii. Ita Eusebius in Chronico :* Pseudoprophetia, quæ Cataphrygas nominatur, accepit exordium, auctore Montano, et Priscilla Maximillaque insanis vatibus. *Est annus ille Æræ vulgaris* CLXXI. *S. Epiphanius scribit sub annum* XIX *Antonini Pii, qui est Christi* CLVI, *emergere cœpisse. Quamquam illud in eo capere non possum, quod scribit, a prophetia Maximillæ ad tempus quo scribebat, annum scilicet* Valentiniani, Valentis ac Gratiani Imperatorum XII, *plus minus* CCXC *numerari annos ita enim habent Græcæ duæ editiones, Basileensis et Parisiensis, Cornarii versio in tribus editionibus, et Petavii. Atqui si ad* CLVI *annos, addantur* CCXC, *existet annum* CCCCXLVI; *ad quem non pervenit Epiphanius. Videtur pro* διακόσια ἐννενήκοντα *restituen-*

*impugnati Cataphryges, exorti an* 171.

*vel* 156 *secundum S. Epiphanium :*

ANIMADV. PAP 1

B *dum* διακόσια ἐννεακαιδέκα, *sive pro* CCXC, CCXIX, *nam hi ad* CLVI *additi efficient* CCCLXXV, *qui numerus in Æra vulgari in annum Valentiniani* XII *incidit.*

9 *De iisdem hæreticis ista scribit S. Augustinus tom. 6, in libro de hæresibus ad Quodvultdeum, Diaconum cap.* 26 Cataphryges sunt, quorum auctores fuerunt Montanus tamquam Paracletus, et duæ prophetissæ ipsius Prisca et Maximilla. His nomen provincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt, ibique vixerunt et etiamnum in eisdem partibus populos habent. Adventum Spiritus sancti a Domino promissum, in se potius, quam in Apostolis ejus, fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent : et ideo dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat et ex parte prophetabat; nondum enim venerat quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Montanum et in ejus prophetissas venisse delirant. Sacramenta perhibentur funesta habere. Nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi eucharistiam suam facere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes : qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro Martyre; si autem vixerit,

*eorum errores;*

*et feralia mysteria,*

C pro magno sacerdote. *Ac paullo post de Pepuzianis loquens,* Faciunt, *inquit*, et ipsi de sanguine infantis, quod Cataphryges facere supra diximus : nam et ab eis perhibentur exorti.

10 *Hausisse posteriora illa videtur S. Augustinus ex Catalogo hæreseon S. Philastrii, ubi de Cataphrygibus post alia sic scribit :* Hi mortuos baptizant, publice mysteria celebrant, Pepuzam villam suam, quæ sic dicitur in Phrygia, Jerusalem appellant; ubi Maximilla et Priscilla, et ipse Montanus, vitæ tempus vanum et infructuosum habuisse dignoscuntur; Ubi et mysterium Cynicorum, et infantis execranda celebratur impietas : dicunt enim eos de infantis sanguine in Paschа miscere in suum sacrificium, *etc. Petrus Halloix noster in Notat. ad cap. 2 Vitæ S. Apollinaris, contendit S. Augustinum illa infanda non credidisse, ideoque non affirmasse ea illos habere, sed dixisse quod habere* perhibeantur. *Prædestinatus Sirmondi hæresi* XXVI, *cum priora pleraque ipsis S. Augustini verbis retulisset, subdit :* Hactenus dixerim de Cataphrygis. Cetera quæ dicuntur, quasi incerta prætereo, de infantis sanguine eos accipere. Quod ideo dicimus, ne videamur ignorare omnia quæ de iis dicuntur. Hi enim qui contra eos scripserunt, nihil hinc penitus memorarunt. *At S. Epiphanius,*

*relata a quibusdam PP.*

*non credita S. Augustino*

*et aliis.*

*qui Maximillæ pseudoprophetiam, quam sacrosanctam habebant, pluribus refutat, illa tamen non attingit.* D

AUCTORE J. B.

11 *Theodoretus, qui Prædestinati fere æqualis fuit, ita de eorum erroribus scribit loco ante citato.* Hæreseos, quæ appellatur Secundum Phrygas, auctor primus fuit Montanus, e quodam pago illic sito oriundus, Ardaban appellato. Hic præsidendi cupiditate percitus, se Paracletum nominavit, et prophetissas creavit duas Priscillam et Maximillam : et illarum scripta Propheticos libros appellavit : Pepuzam vero pagum appellavit Jerusalem. Hic et nuptias dissolvendas sanxit, et jejunia præter Ecclesiæ consuetudinem nova introduxit. Doctrinam tamen de divina Trinitate non labefactavit; et de mundi creatione eadem quæ nos edocuit. Qui vero doctrinam ejus sectati sunt, Montanistæ ab eo vocati sunt; a gente autem, Secundum Phrygas appellati; Pepuziani denique a pago, quem ille Jerusalem nominavit. Priscillæ porro et Maximillæ prophetiæ præ divino Evangelio apud eos honorantur. Dei ipsorum autem mysteriis quædam nonnulli jactitant, sed ipsi non fatentur, verum eam accusationem appellant calumniam. Quidam vero eorum tres personas Divinitatis conformiter Sabellio inficiantur, eumdem dicentes esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum. E *Hæc Theodoretus.*

*nec ab ipsis agnita*

## § III. *S. Apollinaris scripta et certamen contra Cataphrygas, ex Eusebio.*

Sed *ipsum præstat audire Apollinarem, illius hæresis ortum ac scita declarantem, eaque refutantem, apud Eusebium lib. 5 hist. Ecclesiast. cap.* 15 *a cujus narratione ipsa sancti Doctoris verba distinguemus.*

Eusebius. Contra hæresim, quæ Cataphrygas dicitur, Apolinarium Hierapolis Episcopum, (cujus mentio in superiore nostro sermone facta est) tamquam firmum et inexpugnabile præsidium, tum alios complures una cum illo ejus ætatis viros perquam disertos, divina vis ac potentia, veritatis propugnatrix, excitavit. Ex quorum libris permulta testimonia ad hanc nostram historiam accommodata a nobis collecta sunt. Nam quidam ex his, quos modo diximus, in principio operis quod contra Cataphryges scripsit, primum ostendit quo pacto cum illis fuerit absque scripto congressus, eorumque errores refutarit. Isto enim modo scribendi facit initium.

*S. Apollinaris datus a Deo Ecclesiæ contra eos propugnator,*

*verbo eos confutat*

13 Apollinaris. Quamquam longo jam et valde prolixo temporis spatio, Aberci Marcelle carissime; F a te, ut aliquid contra Cataphrygum hæresim scriberem, incitatus sum, tamen hactenus me ab illo instituto continui, non tam quod dubitarem, possemne falsa errorum commenta convincere, et firmis testimoniis veritatem corroborare; quam quod tum metuerem, tum sedulo præcaverem, ne Evangelico novi Testamenti verbo (cui neque apponere neque detrahere quidquam licet, ei præsertim qui secundum Evangelium vitam degere instituerit) quibusdam viderer aliquid vel addere, vel statuere, quod non in eo omnino comprehensum sit. Verum cum nuper essem Ancyræ Galatiæ urbe, Et Ecclesiam quæ est in Ponto, contentionum procellis ab ista nova et inusitata, non ut illi dicunt, Prophetia, sed potius (ut post demonstrabitur) pseudoprophetia, concitatis jactatam offenderem, quantum poteram, juvante Deo, de his ipsis eorum erroribus, qui jam passim vagantur, et de iis quæ ab illis proponebantur, multis diebus assidue in ecclesia disceptabam : adeo ut ea non solum permagna efferretur lætitia, sed ad veritatem vehementer roboraretur : et qui contrarias partes tuebantur, eodem temporis momento a me refutati, animos dejicerent, et omnes veritatis adversarii summo dolore angerentur. At cum

*diu rogatus ut et stylo,*

*Ancyræ eos convincit,*

*Catholicos confirmat.*

A cum Presbyteri qui in eo loco erant, præsente Zetico, Otreno, consacerdote nostro, postularent, ut de his, quæ fuissent contra veritatis adversarios eo sermone disputata, commentarium aliquem relinqueremus; istud ibi minime præstitimus, sed constanter illis sumus polliciti, Domino nobis gratiam largiente, nos illum scriptis hoc loco mandaturos, et absque cunctatione ad eos missuros.

*AUCTOR J. E. tandem se scripturum pollicetur :*

14 Euseb. Ista aliaque deinceps verba in exordio libri præfatus, et in sermone progressus paullulum, auctorem hæreseos, de qua locuti sumus, hoc modo commemorat.

Apollinar. Illorum hæreticorum originis, temeritatis, et novæ ac recentis sectæ, quæ tantum dissidii et contentionis in Ecclesia concitavit, talis caussa exstitit. Pagus quidam esse dicitur in Mysia Phrygiæ, qui nuncupatur Ardaban. Ibi ferunt quemdam nomine Montanum, qui nuper ad fidem venerat, Grato tum Proconsule Asiæ, primum insatiabile quadam animi cupiditate in primatu ambiendo incensum, simul atque aditum diabolo adversario ad se patefecerat, spiritu quodam maligno arripi cœpisse, et derepente furore et mentis insania exagitatum bacchari, atque mox non temere solum garrire, sed

*Cataphrygum auctor Montanus neophytus et ambitiosus, arreptus a dæmone*

B peregrinas quasdam voces fundere, et contra quam Ecclesiæ consuetudo cum traditione, tum successione a priscis temporibus eousque derivata postulabat, prophetare. Ex illis qui eo temporis articulo adumbratas eas et adulterinas voces auditione acceperant, nonnulli illum, tamquam insano spiritu præditum, dæmonio agitatum, falsi erroris quasi vento pulsum, et hominum denique multitudinem magnopere conturbantem, acriter increpabant, et loqui prohibebant, memores denuntiationis et comminationis Domini, de pseudoprophetarum vigilanter præcavendo adventu : alii autem Dominicæ denuntiationis penitus obliti, velut Spiritu sancto et dono prophetiæ elati atque insolenter intumescentes, a quo decepti, inque fraudem inducti, spiritum illum vesanum, fallaciter blandientem, et populum in errorem astute inducentem, vehementer sollicitarunt, ut se a loquendo non amplius prohiberi permitteret.

*inepta vaticinatur reprehenditur a quibusdam : habet relatores,*

15 Diabolus igitur arte quadam, imo ejusmodi falsæ fraudulentæ astutiæ præstigiis, perniciem immorigerorum machinatus, et ab eisdem, contra atque meruerat, magno honore affectus, illorum mentem a fide, quæ est secundum veritatem, lapsam errorisque somno consopitam, excitavit inendilque;

*et duas meretrices pseudoprophetissas :*

C ita ut duas meretrices ad illud idem scelus impulerit spirituque compleverit adulterino, quo, non aliter quam Montanus ipse, furiose, inepte et novo ac peregrino modo garriret, spiritu illo veteratorio eos, qui in eo se oblectarent et effuse gloriarentur, interdum beatos prædicante, et promissorum magnitudine inflante; interdum dextre et rationibus ad persuasionem appositis, aperte eorum peccata coram redarguente, ut putaretur etiam corrector vitiorum. Pauci quidam ex Phrygibus erant ejus erroris tenebris involuti, tamen præfractus ille et arrogans spiritus suos docebat, ut Catholicæ et universali, quæ sub cœlo est, Ecclesiæ maledicerent, propterea quod idem ille pseudoprophetieus spiritus neque aditum ad illam sibi patentem habere, neque honorem in illa acquirere potuerat. Nam ubi fideles, qui Asiam incolebant, sæpenumero et multis in locis Asiæ in unum convenerant, et doctrinam prædictam examinarant, et eam profanam ac detestabilem ostenderant, et hæreseos damnarant, sic tandem isti tum ab Ecclesia extrusi, tum a communione penitus depulsi fuerunt.

*cum iis ejicitur ab Ecclesia;*

16 Euseb. Quæ postquam scriptor ille in primo libro memoravit et in toto opere illorum errorem coarguit, in secundo libro de morte illorum, quos supra persecuti sumus, hæc ait :

Apollin. Quandoquidem ergo nos ideo Prophetarum interfectores appellarunt, quod garrulos in primis et loquaces illorum prophetas minime admiserimus (hos enim prædicant esse, quos Dominus pollicitus sit se populo missurum) nobis jam coram Deo respondeant : Ecquis, amabo, o optimi, illorum qui Montani et mulierum illarum disciplina eruditi garrire cœperunt, reperitur, qui vel a Judæis sit persecutionem perpessus, vel a nefariis et facinorosis gentibus neci traditus? Nemo certe. Neque quisquam illorum comprehensus aliquando pro Christi nomine cruci affixus est : neque in Judæorum synagogis ulla istarum mulierum aliquando flagris cæsa, aut lapidibus obruta. D

*nemo eorum pro fide passus :*

17 Et quod ad Montanum ipsum et Maximillam attinet, illi alio quodam et longe diverso mortis genere occubuisse dicuntur. Nam illos ferunt spiritus vesani et perditi impulsu commotos, sibi laqueo mortem conscivisse : non simul quidem : eo tamen quo quisque eorum occubuit tempore, multus sermo de illis inter homines fuit, ita eos occubuisse, ut diximus, et eumdem cum Juda proditore vitæ exitum adeptos. Est etiam pari ratione de admirabili illo Theodoto, qui primus illius commentitiæ prophetiæ quasi procurationem susceperat, valde frequens sermo, e mentis potestate deturbatum, fraudulento spiritui seipsum concredidisse, ab eoque sublimem aliquando in aerem sublatum, et derepente præcipitem dejectum, misere ac perdite interiisse. Negant illi id ita factum. At cum ipsi non viderimus, quid eorum, o beate, scire nos arbitremur? Montanus namque, Theodotus, et mulier illa, quæ supra commemorata est, fortasse sic, fortasse secus mortem oppetiverunt.

*Montanus et Maximilla laqueo se perimunt;*

E

*Theodotus eorum fautor a dæmone in altum raptus, ac dejectus, perit.*

18 Euseb. Rursus eodem in libro dicit, sanctos et pios Episcopos id temporis conatos esse Maximillæ spiritum redarguere reprimereque; sed ab aliis, qui videlicet spiritui illi patrocinio esse studebant, impeditos esse. Sic enim scribit.

Apollin. Ne amplius loquatur Maximillæ spiritus, sicut Asterius Urbanus in libro suo illam loquentem inducit : Omnium insectatione urgeor, et tamquam lupus ab ovibus repellor. Non sum lupus : verbum equidem sum, spiritus et virtus. Sed virtutem, quæso, in spiritu efficaciter demonstret, et coarguat ac confiteri per spiritum cogat, qui tunc præsentes erant ad explorandum et disceptandum cum garriente illo spiritu, viros spectatos et Episcopos, Zoticum ex vico qui dicitur Comana, et Julianum ex Apamea : quorum ora Themizon et ejus socii obturabant, neque ullo modo patiebantur mendacem illum et subdolum spiritum ab illis redargui refellique. F

*Maximillæ spiritus mendax reprimitur ab Episcopis, qui a quibusdam impediuntur :*

19 Euseb. In eodem libro iterum, aliis interpositis, ad commentitias illas Maximillæ prophetias convincendas, tum tempus quo ipse ista scripserit, ostendit, tum vaticinationum illius meminit, quibus augurabatur bella et seditiones futuras, quarum commenta isto modo coarguit.

*prædicit bella,*

Apollin. Qui fieri potest, ut istud illius mendacium jam non satis omnibus perspicue exploratum sit? Nam ex tempore, quo illa mulier abiit e vita, jam quartusdecimus annus agitur, et neque bellum in aliqua regione separatim, neque passim in toto orbe terrarum gestum hactenus accepimus : quin Christianis etiam, Dei misericordia largiente, pax stabilis permansit.

*nec secuta.*

Euseb. Hæc ex secundo libro hactenus. Ex tertio item pauca verba proferam, quibus Montani æmulos, qui inani ostentatione complures ex suis Martyres fuisse jactitant, impugnat ad hunc modum :

20 Apollin. Cum jam omnia illorum argumenta, quæ supra posuimus, sint penitus confutata, et nihil

A *falso gloriantur Cataphryges se habere Martyres,*

hil habeant quod dicant amplius, ad Martyres confugiunt, seque affirmant complures habere Martyres: atque hoc certum argumentum esse virtutis et potentiæ, quæ est in prophetico illorum spiritu abdita. Ceterum istud, ut videtur, omnino a veritate alienissimum est. Etenim non pauci aliarum hæreseon propugnatores permultos venditant se habere Martyres; non tamen propterea cum illis consentiemus, neque illos veritatem penes se tenere fatebimur. Qui primi ex Marcionis hæresi Marcionistæ vocati sunt, permultis se Christi Martyribus abundare prædicant; sed tamen Christum ipsum, uti veritas postulat, minime confitentur.

*ut Marcionistæ.*

Euseb. Non multo post ista addit.

Apollin. Simul atque viri vere Ecclesiastici et Catholici persecutionis temporibus ad testimonium fidei, quæ est ex veritate, una cum quibusdam Cataphrygum hæresi cæcatis (quos illi hæretici pro Martyribus habebant) essent forte vocati, ab illis plane dissenserunt plurimum: et ne cum Montani et mulierum illarum spiritu ulla ex parte consentire viderentur, cum illis communicare ad extremum usque spiritum prorsus recusarunt. Atque hoc verum esse, et nostris temporibus Apameæ, quæ juxta Mæandrum sita est, gestum, Caius et Alexander Eumeniæ prognati, qui tunc martyrium subibant, satis perspicue declararunt. B

*utrorumque societatem aversantur Catholici Martyres.*

21 Eusebius cap. xvi. In eodem volumine idem auctor meminit Miltiadis scriptoris, ut qui contra prædictam hæresim et ipse quoque librum conscripserit. Productis enim quibusdam ejus verbis, ita subjicit.

*S. Apollinaris citat scripta Miltiadis :*

Apollin. Hæc cum invenissem in quodam Miltiadis fratris commentario, ubi demonstrat non debere Prophetam in extasi loqui, in compendium redegi.

22 Euseb. Longius dein aliquanto progressus, eos qui in novo Testamento prophetarunt recenset, inter quos numerat Ammiam quamdam et Quadratum, sic dicens:

Apollin. Ast hic pseudopropheta, quem in extasi prophetantem comitantur impudentia et audacia, a voluntaria inscitia exorsus, in animæ insaniam non voluntariam, ut ante dictum est, delabebatur. Prophetam autem eo modo a spiritu exagitatum, neque in veteri neque in novo Testamento ostendere poterunt; non Agabum, non Judam, non Silam, non Philippi filias, non ante dictam Philadelphiensem Ammiam, non Quadratum; neque denique ullos alios, nisi qui ex ipsorum sunt numero, sic prophetasse gloriabuntur. C

*Montanum uti in furore vaticinatum, quod non solent Prophetæ;*

Euseb. Rursus vero post pauca, ita scribit:

Apollin. Si enim post Quadratum et Ammiam Philadelphiensem, mulieres illæ Montani, quemadmodum aiunt, prophetiæ gratiam exceperunt; demonstrent quinam apud ipsos Montano et mulieribus successerint. Oportere enim propheticæ Spiritum usque ad postremum Christi adventum perseverare censet Apostolus. At neque nunc, cum labatur annus decimusquartus ab excessu Maximillæ, ostendere id possunt.

*nec habuisse suæ prophetiæ successores.*

23 *Hactenus Eusebius, atque apud eum Apollinaris, quod § sequenti probabimus, quoniam id Halloix noster in controversiam duxit. Qui ab eo hic nominantur* Caius et Alexander, *Apameæ ad Mæandrum, non longe ab Hierapoli, martyrio coronati, coluntur* x *Martii;* S. Julianus *Episcopus Apameæ (hujusne, an quæ in Syria tunc inquiremus)* IX *Decembris;* S. Zoticus *Comanæ Ponticæ Episcopus* XXI *Julii; qui idemne sit cum Zotico Otreno, quem Apollinaris supra num.* 13 consacerdotem *sive Coepiscopum appellat, haud equidem facile statuero: nam si idem, cur nunc* Otrenus, *nunc e* vico Comana *appellatur? an fors ἐξ Ὀτρέω, Otro urbe Phrygiæ oriundus, Comanæ Episcopus fuit? At qui* Otrenus *Eusebio, Nicephoro lib. 4 cap. 43 est* Ostrenus; Zotici *cujusdam, inquit,* Ostreni Presbyteri mentionem faciens. D

*SS. ab Apollinare hic nominati*

AUCTORE I. B.

## § IV. *Scripta jam recitata, S. Apollinari asserta. Cataphrygum ante secessionem sanctitas explosa.*

In *dubitationem adducit Petrus Halloix noster cap.* 3 *Vitæ* S. Apollinaris, *et in Notationibus, an quæ ex Eusebio recitata jam sunt, scripserit* S. Apollinaris; *pronuntiatque non videri scripsisse. Neque enim Eusebium id asserere, sed solum* quemdam ex iis quos antea nominarat, *suum ita exordiri opus; neque hic unquam, qua alibi solet, formula uti,* Hæc Apollinaris; *ac proinde non existimasse illius operis eum extitisse auctorem. Secundo,* Apollinarem, *ut § 2 num. 7 ex Eusebio ac S. Hieronymo ostensum, scripsisse adversus Cataphrygas* tunc primum exortos; *at citatum ab Eusebio auctorem non nisi quartodecimo post Montani et Maximillæ obitum anno. Tertio, non videri* Apollinarem, *natione Phrygem, atque Phrygiæ Episcopum, ita ambigue ac dubitanter de Montani patria, pago nimirum ejusdem Phrygiæ, locuturum:* Pagus esse quidam dicitur in Mysia juxta Phrygiam, Ardaba nomine. Ibi ferunt quemdam, *etc., sed absolute scripturum:* Est pagus in Phrygia, *etc.,* ibi Montanus quidam, *etc. Quarto, Eusebium, dum scripta* Apollinaris *recenset, numerum librorum contra Cataphrygas ignorasse, certe quidem non edidisse; ast anonymi illius auctoris tres enumerasse libros. Quinto denique auctorem hunc profiteri, se quædam* Miltiadis *contra eam hæresim scripta in compendium redegisse: quod* non est ejus, qui Miltiade major fuit ætate, dignitate, scientia, auctoritate. E

*An relata scripta sunt Apollinaris, dubitat P. Halloix, 5 allatis argumentis :*

25 *Ista Halloix: quæ parum sane habent firmitatis. Nam primo quidem argumento et quarto id solum confierre posse fortassis videretur, Eusebio opus Apollinaris contra eam sectam visum non esse cum præfixo auctoris nomine; ideoque neque librorum numerum habuisse perspectum, cum scripta Apollinaris enumeraret; neque nomen cum ex ipsis libris, quæ retulimus, delibaret. Suppletum id a Ruffino, cui aliunde id potuit esse perspectum. Nam quod scripsisse Apollinaris dicatur contra* sectam tunc primum exortam, *non aliud inde sequitur, quam ab eo confutatam esse, non ut a S. Epiphanio et aliis post ducentos aut plures ab infelici ortu illius annos, sed sub ipsa principia, sive superstes esset auctor, sive jam defunctus vita. Nonne sectæ aliquæ adhuc novitiæ censentur, etiam extinctis auctoribus, quibus vita diuturnior non contigit ad virus disseminandum? Nonne post mortem auctorum vulgatæ nostra ætate quædam, quasique posthumæ? Censet Baronius dicisse* Maximillam *ultimis M. Aurelii temporibus ultimisque Commodi annis illa scripsisse Apollinarem. An id adeo mirum, floruisse eum opinione doctrinæ, et scriptis jam editis, anno Christi* CLXXI, *M. Aurelii* XI, *ac deinde* CXC *aut* CXCI, *Commodi* XI *aut* XII *alios adhuc vulgasse libros? Eusebius quoque loco ante citato, recensitis aliis ejus commentariis addit* post hæc scripsisse adversus hæresim Phrygum; *cum scilicet longo tempore, ut id faceret, eum hortatus esset Abercius Marcellus, ut supra num.* 13 *dictum.* F

*refutantur 1 et 4 quod id Eusebius non tradiderit :*

*2. quod serius hæc scripta :*

26 *Unde autem constat Apollinarem Miltiade* majorem *fuisse* ætate ac scientia? *An quod ille sub M. Aurelio floruisse dicitur, hic sub Commodo? Scripsit quidem Apollinaris sub M. Aurelio, sed potuit et paucis post annis sub Commodo Miltiades doctrinæ opinione floruisse sub M. Aurelio, ac sub filio demum scripsisse. Dignitas, et, si quæ ab ea sola existit, auctoritas nihil officit, quo minus citare aut etiam in compendium redigere, suisque inserere commentariis, privati scripta Episcopus possit, etiam junioris, etiam minorem abtiuratus,*

*3 quod Miltiadem citat, Apollinare minorem.*

A *nentis, quam ipse, famam eruditionis. Nam quod scribat*, Pagus esse quidam dicitur, *etc. an censet Halloix, Episcopum unum aliquem in amplissima regione, quæ quinquaginta numeret episcopatus, non debere vel minimum vicum ignorare? Quid si hic scribat sive Episcopus, seu quis alius vir doctus*, Vicus esse quidam dicitur in Frisia, nomine Blessum, *inexcusabilem ignorantiam prodere censebitur, etiamsi numquam Frisiam adierit? At quanto longius ab Hierapoli distabat Mysia, circa Hellespontum posita, quam ab Antverpia qui circa Leovardiam Frisiæ metropolim ab Ortelio locatur pagus* Blessum? *Sciscitatus ego nonnumquam fui ex viro erudito, historiam Leodiensem conscribente, de pagis quibusdam in ea diœcesi ac provincia sitis verum is neque ubi essent, neque pertinerent necne ad diœcesim, norat. Pars quota Phrygiæ esset diœcesis Leodiensis, licet amplissima? Nimis durum legem ponimus scriptoribus, si nihil patimur ignorare. At ne ignorat quidem qui sic loquitur, sed affirmare nisi fama, quod dicit, non vult. Quoties ea formula loquitur Cicero, aliique?*

*Auctore I. B.* 3 *quod de patria Montani videatur dubitare*

27 *At Ruffinus, proximus Eusebii ætati, ita eum Latine est interpretatus lib.* 5 *cap.* 15. Sed adversus hæresim Cataphrygarum scutum validissimum protulit Apollinaris Hierapolites, de quo supra memoravimus, aliique quamplurimi ad id locorum eruditissimi viri, adversus eos pro veritatis defensione certarunt: qui etiam nobis ad historiæ texturam munimenta validissima reliquerunt. Interim, ut diximus, Apollinaris scribens adversus hanc hæresim, et designans in præfatione, quod per Ecclesias Galatiæ vicinarumque provinciarum digrediens, et plurimos ab eis irretitos videns, multos quidem et coram disputando correxerit; rogatus tamen a Fratribus, et um hæc ad ipsos scripta transmiserit. *Hæc et alia Ruffinus; sed quod num.* 18 *de Zotico et Juliano* I *pi capis relatum, itaque Græce effertur:* ὧν δὲ παρὰ Θεμίσωνα τὰ στόματα φιμώσαντες οὐκ εἴασαν τὸ ψευδὲς καὶ λαοπλάνον πνεῦμα ὑπὸ αὐτῶν ἐλεγχθῆναι, *id ipse aliorsum trahit, quasi Themizon Juliani Zoticique adjutor fuerit, qui erat Montanista:* Zoticus, inquit, de Cumana et Julianus de Apamia aggressi cohibere spiritum, qui loquebatur in Maximilla, jusserunt Themisonem obturare os ejus, et excludere vocem falsi et erratici spiritus, quod et ita factum est.

*S. Apollinari tribuunt disecte Ruffinus;* B

28 *Nicephorus Callistus lib.* 4 *cap.* 23 *in eamdem it cum Ruffino sententiam:* Luculenter sane, ut antea retulimus, contra hanc sectam scripsit Apollinaris Hierapolita, qui statim in principio operis sui, se C adversus eam argumentis quoque et confutationibus sine scripto depugnasse ostendit. Librum autem eum ad Abercium quemdam scripsit, ita exorsus: Carissime Aberci Marcelle, *etc. Videtur hic* Abercius *vir* D *honoratus fuisse, et cognatus fortassis* S. Abercii, *qui, ut diximus, ante S. Apollinarem Hierapolitanus Antistes fuit, et, ut Halloix in ejus Vita tradit*, Hierapoli natus. *Unde non minus conjectura fieret, scriptorem illum Eusebio non nominatum, Apollinarem esse, nisi Nicephori Ruffinique testimonio id satis constaret: quibus Baronius ad an.* 173 *num.* 9 *subscribit, quæ recitavimus ex Eusebio, quem et citat, adscribens omnia Apollinari.*

*Nicephorus Callistus,*

*Baronius.*

29 *Aliud de Montanistis ad Vitam S. Apollinaris tradit Halloix, quod nobis probari neutiquam potest.* Credibile est, *inquit*, fuisse illos in Catholica Ecclesia sanctioris severiorisque disciplinæ, et integrioris item castimoniæ, et veris prophetiæ donis ditiores quam plerosque alios: nec damnasse secundas nuptias, sed dissuasisse: itemque abstinentiæ studio, non gloriæ, elegisse tres Quadragesimas. Quæ omnia proinde majoris atque singularis erant perfectionis, nimineque vituperanda .... Verumenim cum processu temporis de Dei donis ingrati, et superbiæ atque ambitionis vento inflati, in pejora declinassent, tum prophetia vacillare, et ipsi falsa pro veris subinde eloqui, tum alteras nuptias damnare, tum suas consuetudines contra Ecclesiæ arbitrium de- E fendere, tum denique in præceps labi atque erroribus involvi, *etc.*

*An Montanus cum suis initio sancte et caste vixerit?*

30 *Verum ea refutat ipse S. Apollinaris verbis jam citatis, dum ait Montanum*, primum, *sive* recentissime, ad fidem conversum, τῶν νεοπίστων πρῶτος; *mox immodica cupiditate primatus accensum, cum dæmoni ad se accessum dedisset*, repente *(ut exponit Ruffinus)* in quodam excessu mentis effectum, et velut spiritu actum, proloqui cœpisse nova quædam et diversa ab his quæ ex successione majorum Ecclesiæ tradita fuerant, velut prophetali specie proferentem. *Ubi illa quæ Halloix laudat, veræ prophetiæ dona, ubi sanctior disciplina, si mox ut Christo nomen dedit, aspiravit ad primatum, et correptus a dæmone est, itaque, nec aliter quam in illo furore, vaticinatus? Insiquis vero sectæ illius castimonia fuit, cujus auctor arreptitius, et adscitæ ab eo adjutrices, ac celeberrimæ prophetissæ, meretrices? Nam quod non in multis capitibus initio dissentiebant ab Ecclesia, non idcirco minus attulissent detrimenti, imo multo fortassis amplius, dum quod modicum videtur, subinde negligitur. Satis illud superque exitiosum erat, quod responsa dæmonis pro oraculis Spiritus sancti accipiebantur. Ut minime mirum, tanto conatu, tot sapientissimos viros, ad eam sectam opprimendam* F *illico insurrexisse, et in his* S. Apollinarem *nostrum.*

*nempe mox a conversione primatum ambiens,*

*arreptitius,*

*sicque vaticinans,*

*et adjutrices habens meretrices.*

# DE S. AMANTIO MARTYRE

## CLAROMONTE IN GALLIA.

G. H.

E*cclesia Claromontana apud Arvernos in Gallia quamplurimos colit Sanctos, e suis gentilibus, ob vitam aut summa cum pietate ac virtute peractam, aut sanguine pro fide Christiana fuso consummatam, cœlitibus adscriptos. Ex his varios dedimus mense Januario, multos etiam in Februario prolaturi; et jam* XI *die celebravimus martyrium* S. Antholiani, *ibidem occisi sub Chroco Rege Alamannorum, cujus persecutione interemptos etiam esse SS. Cassium, Victorinum, Liminium, cum sociis sexcies mille ducentis sexaginta tribus, istic diximus.*

*Vetere. Claromonte plurimi Sancti,*

*et Martyres*

2 *In libello antiquo de Ecclesiis ac Sanctis Claromontanis a Joanne Savarone edito hæc leguntur lib.* 1 *num.* 25. In ecclesia S. Symphoriani altare S. Symphoriani, altare S. Amantii, altare S. Marcelli, ubi S. Genesius requiescit. *Unde S. Genesii jam pluribus seculis dicta est ea ecclesia. Certe ut veteri donatione Rogerii militis hæc a Savarone adnotata legimus, circiter an.* MXL *scribebatur:* Ecclesia S. Symphoriani, quæ nunc nuncupatur S. Genesii: *ut vel inde, aliisque rationibus motus censeat eum libellum scriptum esse circa annum* DCCCCL: *quo tempore jam istic erat* altare S. Amantii. *De S. Symphoriano agemus* XXII *Augusti, et de S. Genesio* III *Junii. Est autem ea ecclesia collegiata et parochialis ut idem scribit Savaro.*

*altare S. Amantii in templo S. Genesii*

*ante annum* 950

3 *Hunc* S. Amantium Martyrem *esse, et coli* VII Idus Februarii *tradit idem ex veteri Kalendario MS, in Notis ad lib.* 1 *cap.* 22. *Quo die Hermannus Greven in auctario Usuardi*, Amantium *recenset, sed* Episcopum et Confessorem. *Melius Ferrarius, citatis Ecclesiæ Claromontanæ tabulis*, Arvernis, *inquit*, SS. Amantii Martyris et Amandini Confessoris. *Hujus eo die fieri*

*colit.* 7 *Februarii.*

A *fieri commemorationem in Ecclesia Claromontana observat Savaro, sed adjungit ex martyrologio MS. diem ejus natalem esse* VII *Idus Novemb. quo die de eo agemus.*

Martyrium ex Saussaio. 4 *Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano* VII *Februarii S. Amantium hoc elogio exornat :* Arvernis S. Amantii Martyris, qui fide præstans, et morum castimonia insignis, Christianæ religionis accusatus, Judicis mandato diris divexatus cruciamentis : quo acerbius tortus, eo fortius liberiusque Christi Domini nomen confessus est, demumque in constanti fidei asseveratione ad extremos spiritus perseverans, nobili agone, immortalis gloriæ donativum percepit. *Hæc Saussaius. Tempus certaminis silet, neque alibi legimus. An sub Chroco Alamannorum Rege passus inter supra numeratos Martyres censendus sit, non conjectamus.* D AUCTORE J. B.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# CHRYSOLIO EPISCOPO ET SOCIIS,

## COMINII ET VERLENGEHEMI IN FLANDRIA,

## Commentarius historicus.

J. B.

### § I. *S. Chrysolii Episc. M. natalis.*

AN. CIR. CCCII VII FEBR.

*Cominium Flandriæ oppidum est ad Lisam flumen, satis etiamnum elegans, olim quoque opulentum, at muris carens, tribus ab Insulis urbe leucis. Ejus multa memorantur decora; inter* B *quæ arx præclara, et Philippi Cominæi, Augerii Gislenii Busbequii, aliorumque præstantium virorum natales ; sed præcipua laus a S. Chrysolio Apostolo Cominiensium et Martyre.* S. Chrysolius Cominii Patronus. *Is regio ortus apud Armenios genere, episcopalibusque ornatus infulis, his quoque cum natali solo, vel furore persecutionis coactus, vel fidei alibi serendæ studio, dimissis, Romani Pontificis auctoritate, cum aliis viris Apostolicis in Belgicam secundam venit, postquam in Celtica aliquamdiu prædicasset : ibique plurimos Christo, præsertim Cominii, adjunxit. Hic et ædem sacram condidisse, et aram erexisse, sacrosanctis peragendis mysteriis, fertur; cum denique sibi locum sepulturæ elegisse. Nam cum Verlenghehemi flagellatus, ac vertice esset truncatus, hoc duorum milliarium itinere venit. Et deinceps loco sacræ ejus exuviæ præsidio et ornamento fuere, frequenti vicinorum populorum ad eas venerandas concurrente multitudine.*

colitur 7 Febr. 2 *Ejus natalis* VII *Februarii agitur. De quo Molanus in addit. ad Usuardum :* Cominii, natale S. Chrysolii, qui huc venit a Marcello Papa ad prædicandum missus. *Galesinius :* Cominii ad Lisam, S. Chrysolii Episcopi et Martyris. Hic cum Quinctino, Crispino, Piato et aliis, ab urbe Roma in Galliam, Evangelicæ prædicationis caussa profectus, cum Tornaci aliis- C que Belgarum locis fidem propagasset, ob eam caussam Diocletiano Imperatore martyrium pertulit. *Ferrarius in generali Catal. SS.* Cominii in Flandria S. Chrysolis Episcopi et Martyris, *in Notis tamen* Chrysolium *appellat. Eum referunt alia quoque Martyrologia, Ghinii, Bucelini, Willotii. Saussaius in loco martyrii ab aliis dissentit :* Cominii ad Lysam, *inquit,* in præsulatu Tornacensi S. Chrysolii Episc. et Mart. qui SS. Quintini, Piatonis et Euberti Roma proficiscentium in Gallias, prædicationis Evangelicæ caussa, socius, Tornacensibus et aliis Flandriæ populis Christi nomen annuntiavit : cumque plura loca salutari lumine illustrasset, Tornacum post S. Piatonis triumphalem agonem ingressus, ibi cum religionis recenti turbine concussa fundamenta consolidare, ac ædificium domus Dei amplificare contenderet, a Diocletiani ministris comprehensus, direque exagitatus, a Christi confessione et fidei præconio quod minime cohiberi posset, primum derisus, consputus et flagellatus, demum ob constantem Divinæ gloriæ testificationem, capitis damnatus, pretiosi verticis corona cum cerebro sibi amputata, ad supernos triumphos evolavit, diademaque decoris et stolam gloriæ de manu Domini recepit. Quiescit Cominii in Canonicorum sanctissimæ Dei Genitricis templo, ad quem locum excisas cervices, Divino fretus nutu ac ductu, ipsemet venerandas detulit. *At non Dei Genitrici, sed Apostolorum Principi sacrum est templum Cominiense : neque eo præcisas cervices, sed summam partem capitis, detulit S. Chrysolius : neque post S. Piati cædem Tornacum venit, sed cum eo* E *isthic, Sanctoque Euberto, ut* I *Februarii diximus, strenue laboravit, ac potissimum in vicina Medenatensi regione, quæ hinc Scaldi, inde Lisa clauditur, de qua alibi : demum cædes ei non in ea urbe, neque (quod ad annum* CCCCLXXXIV *scribit Meierus) Cominii; sed Verlenghehemi, aut Vrelenghehemi, illata.* in ecclesia S. Petri :

3 *Pridie ejus natalem consignarat in priori editione Molanus his verbis :* Natale S. Chrysolii, qui Dionysio notus huc venit, a Marcello Papa ad prædicandum missus. *In margine ita illud* hue *exponit :* Brugas, ubi quiescit ad S. Donatianum et Cominii apud Cortracum. *Molanum secutus est in secunda Germanici Martyrol. edit one Canisius, ita scribens :* Item natalis S. Chrysolii, qui notus S. Dionysio, a Marcello Papa ad prædicandum missus est Brugas (*vitiose habet* Burgas) ubi apud S. Donatianum quiescit. *Verum an Brugarum nomen, quod a ponte deductum constat, nostro vigore alicui fuerit ea ætate, haud videmus monumentum, unde conjici queat : quingentis septuaginta post annis habitari frequentius cœpit, minus etiam probari potest, isthic semina tunc jacta Christianæ religionis. De reliquiis S. Chrysolii eo allatis, mox dicemus.* an Brugis prædicarit?

### § II. *S. Chrysolii Acta, socii.*

*Testatur Joannes Buzelinus noster Gallo-flandriæ lib. 1 cap. 10* Vetus S. Chrysolii martyrium Vrelenghehemi et Cominii asservari. *Id nos e MS. codice Cominiensis Ecclesiæ damus, in quo erat in brevissimas Lectiones, tota Octava recitandas, distributum. Contulimus vero cum MS. exemplari Canonicorum regularium Rubeæ-vallis. Recitat ex eo nonnulla loco citato Buzelinus, plura Cousinus hist. Tornac. tom. 1. quæ iisdem verbis hic extant. Aliam S. Chrysolii Vitam jungemus ab Arnoldo Raissio Duacensi Canonico editam ann.* MDCXXIII *ex Lensiensi MS. Lectionario. Non esse ab eo interpolatum, vel inde liquet, quod num. 4 ad marginem annotarit pro* intellexit, *forte legendum* intelligens : *quod indicium est fideliter omnia, quæ reperit, adnumerare verba. Et vero Buzelinus Gallo-fl. lib. 1 cap. 28 nonnulla citat ex veteris officii Ecclesiæ Lendiensis lectionibus, quæ eadem in ea Vita habentur.* F Vetus ex offic. Cominiensi : alia ex Lensiensi

5 *Agit de S. Chrysolio, uti jam retulimus, Buzelinus Gallo-flandriæ lib. 1 cap. 10 et lib. 2 cap. 2 fusiusque multo in Annalibus lib. 1. Ubi tradit, a Caio Papa missum in Galliam cum Dionysio, Quinctino, Piatone, Euberto, et aliis viris Apostolicis, anno* CCLXXXVI, *iterumque quod supra, Armeniæ Regibus prognatum memorat, sed spreta tanti regni, quæ ipsum* Acta non coæva :

*AUCTORE I. B.*

*spectabat, hæreditate, ad Christi legem et pauperiem convolasse : Archiepiscopum factum, grassante deinde Diocletiani et Maximiani persecutione, excedere patria coactum, Romam venisse : Tornacensi quoque in urbe, cum Euberto, animis hominum excolendis, rebusque ad pontificium munus spectantibus peragendis, S. Piatoni operam commodasse : sed latius extra muros laborem porrexisse, præcipueque eam plagam excoluisse, quæ nomini subest Insulensi : favisse Deum conatibus, præsertim cum adversus Christianos, ob assiduas bellorum tempestates, minus in Belgio sævirent Imperatores. Tandem anno* CCXCII *Verlenghehemi, quondam oppido, nunc pago, sævi Judicis jussu captum, atrocibus affectum injuriis, membra virgis concisum, et cum nihil constantiæ remitteret, ac potius inter cruciatus suaviter renideret, desectam ipsi summam capitis partem, quæ corona insignis erat, effusumque humi cerebrum ; sed Martyrem cerebrum verticemque collegisse : cum ita versus Cominium iter faceret, ingentique siti æstuaret, ad preces ejus enatum repente fontem aquas præbuisse ardori restinguendo : postquam Cominium pervenit, ibi coronam et cerebrum aræ imposuisse, multis spectantibus : deinde videnti similem, molliter animam egisse : eo tumulatum loco corpus, multis quondam claruisse miraculis hominum curationibus : lectum ideo ab Cominiensibus et Vrelenghehemensibus Patronum. Hæc iisdem fere verbis Buzelinus.*

*De eo scripta*

6 *Agunt de eo quoque Miræus in Fastis Belgicis, Molanus in Natalibus SS. Belgii, Indiculoque et Chronico, Vita S. Piati, die prima Octobr. Antonius Sanderus Hagiologii Flandriæ lib. 2. Gulielmus Gazæus in histor. Ecclesiast. Belgii. Jacobus Meierus Annal. Flandr. lib. 1 ab anno 484. Ubi cæsum scribit ob pietatem,* sub Principibus Diocletiano et Maximiano, super flumen Lysam, ubi nunc Cominium, *quod ex Actis aliisque Scriptoribus refellitur. De eo agit præterea Heribertus Rosweydus noster in histor. Ecclesiast. Belgii; Joannes Cognatus in histor. Tornacensi tom. 1 cap. 22.*

*a quo et quando in Belgium missus?*

7 *Molanus, Andreas Bocrus noster, Anton. Sanderus, a S. Marcello Papa missum in Galliam scribunt. Id Joanni Cognato aliisque minus probatur, propterea quod sub Diocletiano et Maximiano perfunctus martyrio dicatur, quorum tamen anno ultimo, Christi* CCCIV *S. Marcellinus occisus sit ; cui, jam rerum potientibus Maximiano Galerio et Constantio Chloro, S. Marcellus suffectus est. Vult igitur Cognatus a Marcellino missos Chrysolium ac socios : Buzelinus a Caio. His assentiri oportet eos, qui Diocletiani persecutione coactum fateantur Armeniam excedere. Verum eo ita constituto, corruere necesse est, quæ passim ab aliis traduntur, comitem fuisse SS. Dionysii, Quinctini, Crispini Piatum; hujus Chrysolium et Eubertum : nisi si comites ita dicantur fuisse, quod ad eamdem Evangelii sementem, quam alii jam inde a Decii aut Valeriani imperio inchoarant, ipsi Claudii vel Aureliani aut Cari, Diocletianive temporibus, ab eadem Sede Apostolica submissi sint. Uti recte S. Xaverii in Indica vinea adjutores ac comites dicuntur, qui etsi cum eo non navigarunt in Indiam, secuti tamen postea sunt, et in præclari laboris societatem venerunt.*

*Socii martyrii.*

8 *Ut cum S. Piato præter Eubertum et Chrysolium plures affecti martyrio apud Turnacum existimantur; ita et cum Chrysolio Verlenghehemi alii interfecti, licet eorum nullum exstet monumentum. Asseritur id in Vita a Raissio edita :* Cum eo et alii quamplures referuntur martyrio coronati. *Et Buzelinus lib. 1 Annal.* Multos etiam alios, quorum nomina nusquam produntur, cum hoc sanctissimo Pontifice cruciatibus pro Christi nomine afflictatos Vrelenghehemi accipio.

## § III. *S. Chrysolii reliquiæ, fons.*

**D**e *S. Chrysolii reliquiis ita scribit Meierus :* Cominium ejus reliquiis etiam nunc nobile. *Miræus quoque :* Quiescit Cominii in Canonicorum Divæ Virginis templo. *Idem habet Sanderus et Saussaius supra. Verum certiore Buzelini Cognatique testimonio, docemus, non Deiparæ Virgini, sed S. Petro sacram esse Cominiensem basilicam, in hac tamen etiamnum quiescere, a B. Eligio ante annos mille elevatum, auctor est Molanus, eumque secutus Ghinius. Elevatum quidem ejus corpus a S. Eligio memoratur in Vita* et in argentea capsa venerabiliter honorificeque collocatum.

*Reliquiæ olim Cominii.*

*elevatæ a S. Eligio.*

*inde ablatæ*

10 *Verum hanc capsam ac reliquias, belli tempore, ademptas Cominiensibus scribit Cognatus, neque ex incolis, quantumvis magno natu, esse quemquam, qui visas a se meminerit : magnam tamen isthic, ut loci Apostolum, venerationem habere : ejus in difficilibus rebus opem religiose implorari : festum agi* VII *Februarii et consequentibus septem diebus, magna celebritate : in solemnibus supplicationibus statuam ejus argenteam circumferri : capsam vero S. Chrysolii nunc Brugis esse in S. Donatiani æde ; atque in catalogo reliquiarum Ecclesiæ illius isthæc se legisse testatur :* Magna pars corporis S. Chrysolii Armenorum Archiepiscopi. *Extat hic catalogus tom. 1 Flandriæ illustratæ Ant. Sanderi, Rer. Brugensium lib. 2 cap. 1. Fatetur et Miræus,* partem ossium translatam esse Brugas ad cathedralem S. Donatiani basilicam. *Celebrari olim ejus festum ab Ecclesia Brugensi consuevit officio semiduplici ; nunc duplex est.*

*pars Brugis extat,*

11 *Hinc pars aliqua Tornacensi Ecclesiæ data an.* MDCXI, *de qua Buzelinus lib. 12 Annal.* Octobri mense datum est aliquid SS. Chrysolii et Eleutherii reliquiis apud Brugenses et Tornacenses honoris gloriæque. Habebant Brugenses apud S. Donatianum Canonici non exiguam B. Chrysolii, Martyris apud Gallo-flandros, ob cultum hunc tractum notissimi, et Cominiensium Patroni, ossium partem : sancti Pontificis Eleutherii Tornacensium Patroni lipsanis carebant. Contra nihil Divi Chrysolii apud Tornacenses Canonicos erat. Igitur inter utrumque Episcopum et Capitulum convenit, ut quædam eorum ossium permutatio fieret : ac cum eæ novas in sedes Reliquiæ deferrentur, non levi utraque Ecclesia honore prosequeretur, conciliandis ad opem impetrandam Sanctorum animis. *Meminit hujus Translationis Cognatus, recitatque Caroli Philippi Rodoani Brugensis Episcopi testimonium, quo fidem facit, se ex* feretro reliquiarum S. Chrysolii Episcopi et Martyris, in Ecclesia cathedrali S. Donatiani quiescentium, desumpsisse notabilem partem costæ ejusdem Sancti, idque in præsentia RR. et Venerabilium Dominorum Decani, Cantoris et Archipresbyteri, aliorumque Canonicorum dictæ Ecclesiæ Cathedralis, eamdemque misisse RR. Venerabilibus et Eximiis DD. Decano et Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis ... an. MDCXI mensis Septembr. die XXVIII. *Exceptæ sunt Tornaci* VII *Octobris, insigni reverentia ac honore, uti idem Cognatus testatur. Fit nunc illius in Officio Ecclesiastico Tornaci commemoratio* VII *Febr. ut ex Officiis anno* MDCXXVI *excusis patet, utriusque Translationis S. Chrysolii meminit Arnoldus Raissius in Hierogazophylacio Belgico.*

*pars Tornaci.*

12 *Lensii quoque, Artesiæ oppido, in collegiata S. Mariæ ecclesia, partem corporis S. Chrysolii asservari tradit idem Raissius in Hierogazophylacio et in Notis ad ejusdem Sancti Vitam.* Et fidem facit, *inquit,* feretrum illius cum sacro capite in capsula argentea antiqua valde, quod hodie religiose et pie adservant Canonici. *Recitat et versiculos de reliquiis in ea Ecclesia quiescentibus, qui ita habent :*

*pars Lensii.*

Continet Ecclesia Lensensis Cella Mariæ,
Corpora sub feretris Sanctorum condita claris :
Vulgani celsi, qui quondam natus ab Anglis,
Ac Willibrordi Trajecti Præsulis almi,
Corpus Chrysolii Martyris eximii, etc.

A de S. *Willebrordi reliquiis agemus ad ejus Vitam VII Novembris.*

*sacellum,* 13 *Ecclesia Cominiensis, ut scribit lib.* 1 *cap.* 10 *Gallo-fl. Buzelinus,* a S. Chrysolii, oppidi Patroni, *templum,* famosissimo quondam sacello non leve nomen obtinuit. *Verlenghemi autem ecclesia parochialis illi dedicata est, juxtaque eam* is fons scaturit, *ut idem Auctor* *fons contra febres salutaris.* *cap.* 28 *scribit,* quem eidem sancto Martyri post abscissum verticem viam facienti, et vehementer sitienti, Deus repente suppeditavit: multique remedium bausto ejus latice febribus quærunt. *Ejus fontis mentio fit in Vita a Ruissio edita num.* 6. *Eum Cognatus muris conclusum scribit, certoque sibi compertum ait, Jacobum Philippum Rasseghemium, Isenghenii Comitem, ab expeditione Francica, quam duce Alexandro Farnesio Belgii Gubernatore susceperat, reversum, postquam in arce sua Lommensi, sive Ulmensi, sex hebdomadas molesta fuisset febri conflictatus, hinc haustam aquam potasse, dissuadentibus licet medicis, ac mox recte valuisse.*

## ACTA

### *ex MSS. Cominien. et Rubeæ-vallis.*

ANIMADV. PAP. 2

B

Lect. 1 *S. Chrysolius regii generis,* a — Sicut referunt historiographi, quorum dictis aures benevolas præbere, fidemque pium est adhibere, B. Chrysolius de *a* Armeniis partibus extitit oriundus. Nam Armeniæ Rex Reginaque eidem B. Chrysolio parentes carnales dicuntur veraciter exstitisse.

L. 2. *studet litteris* — In annis puerilibus existens B. Chrysolius, a parentibus litterarum studiis traditus est, ipsarum nectare veraciter imbuendus.

L. 3 *fit Episcopus:* b — In quibus tantum profecit, et studendo tantam sollicitudinem adhibuit, ut tam propter illustrissimam illius scientiam, quam vitam sanctissimam, nec non fidem ferventissimam, in Armenia tandem *b* Archiepiscopus fieri mereretur.

L. 4. *ob persecutionem,* — Beato autem Chrysolio ibidem Archiepiscopo existente, et pie sancteque vivente, facta est validissima Christianorum persecutio.

L. 5. — Nam ex jussu Cæsaris, tunc totius orbis Imperatoris Christicolæ, ubicumque inventi erant, ad adoranda idola cogebantur, et eis victimas et sacrificia offerre a satellitibus urgebantur.

L. 6 *divino instinctu migrat e patria.* c — Hæc autem facere renuentes possessionibus propriis privabantur, et ab infidelibus per tormenta varia necabantur. Quod S. Chrysolius conspiciens, et ex *c* revelatione divinitus palmam martyrii se recepturum in Gallicanis partibus non ignorans, Armeniam C

Matth. 10, 23 derelinquit, Romam petiit, illud Dominicum adimplendo: si vos persecuti fuerint in unam civitatem, fugite in aliam.

2 die L. 1 *Papam adit:* — Cum autem B. Chrysolius Romam pervenisset, Papam accessit, seque eidem tamquam benevolus filius et Catholicus præsentavit.

L. 2 — Quem Papa sicut filium Christianissimum benigniter suscepit, de hujus adventu quamplurimum congaudendo.

L. 3 *ab eo honoratur,* d — Sed cum ejus famam lucidissimam, vitamque sanctissimam veram summus Pontifex reperisset, eum intantum honoravit, ut ei *d* canolam S. Petri Apostolorum Principis, in signum amoris præcipui, tribuere dignaretur.

3 die L. 1. *et in Galliam mittitur* — Accepta autem a Papa potestate prædicandi B. Chrysolius, benedictioneque Papali primitus insignitus, Romam reliquit, et se ad partes transtulit Gallicanas.

L. 2. e *cum aliis SS* — Cum vero ab urbe Roma egrederetur, associatus est beatissimis Christi Martyribus *e* Dionysio, Quintino, Piato, Luciano, et aliis quam pluribus, quorum nomina vitæ adscribuntur in libro, qui ad fidem Christi prædicandam in Gallias fuerant destinati.

L. 3. — Quin vero Dionysius Parisiis, Quintinus Ambianis, Piatus Tornaco, et Lucianus Belvagi prædicaverint, apud modernos nulla est ambiguitas. D

AUCTORE ANONYMO, EX MSS. *Apostolis Galliarum:*

Jam quid quisque eorum, Crucifixum prædicando, in dictis locis egerit, ipsius gesta exitusque rei plenius manifestant.

4 die L. 1. — (this day's first lesson above)

L. 2. — Quia difficile est, loca, regiones et populos divisim exprimere; quibus B. Chrysolius verbum salutis disseminans prædicavit, et ne sermo prolixior aurem fatigare valeat auditorum; quomodo et ubi B. Chrysolius ad martyrii palmam perveuerit, breviter videamus. *prædicat variis locis,*

L. 3 Matth. 10, 28. — Sanctus namque Chrysolius illud Domini præceptum in corde meditans, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt; sed etiam pro viribus adimplens, fidem Trinitatis vivificæ constanter per universam Galliam veniendo, gentibus prædicavit.

5 die L. 1 *Verlenghemi* f — Qui tandem prædicando, et populos quam plurimos ab erroribus suis convertendo, ad locum vulgariter *f* Vrelenghehem nuncupatum, ac in Insulensi territorio situm, securus ac intrepidus pervenit, non veritus incredulæ gentis expetere feritatem.

L. 2. E *capitur,* *et flagellatur:* — Ubi cum pervenisset, et innumerabilia miracula faciendo, sæpedictum nomen Trinitatis verbo prædicasset, et cum sanctitatem conditionemque suam fama celebrior Cæsaris auribus intimasset; extemplo militibus, satellitibus et ministris missis, Martyr beatus ex Cæsareo jussu tenetur, deridetur, conspuitur, flagellatur, et tandem pretiosa corona cum cerebro crudeliter amputatur.

L. 3 *amputatum verticem cum cerebro* — Mira res magnoque miraculoque dignissima. Nam postquam beato Martyri corona cum pretioso cerebro ipsius ab hostili gladio amputata fuisset, et sparsa super terram cecidisset, ipsam cum cerebro Martyr Domini propriis manibus collegit.

6 die L. 1. *colligit, et defert Cominium.* g — Denique beatus Martyr a loco, in quo martyrium sustinuit, recedens, et coronam suam cum cerebro, una cum canola B. Petri superius nominata ante pectus suum in manibus deferens, usque ad locum qui nunc *g* Comines nuncupatur, non dicitur restitisse.

L. 2. *moritur:* — Ad quem locum cum venisset, et ibidem super altare canolam B. Petri Apostolorum Principis, coronamque propriam et cerebrum obtulisset, ut locum Comminensem suo insigniret martyrio; extemplo beatus Martyr dormiens, vivens in Christo, beatam animam dulciter exhalavit.

L. 3. F — Locus vero Comminensis, in quo B. Chrysolii venerabile corpus requiescit, a loco in quo ipse passus est, pæne distat milliario secundo.

h 8 die L. 1. *elevatur a S. Eligio* — Beatissimus Christi Confessor ac patrator *h* Eligius, Noviomensis Ecclesiæ Pastor strenuissimus, audita B. Chrysolii vita, ejusque venerando triumpho, jussit ejusdem Martyris corpusculum post multos annos a terra sublevari, et in argentea capsa venerabiliter honorificeque collocari.

L. 2 *capsæ argenteæ includitur.* — Quod et ita factum est. Nam ejusdem Martyris gloriosa ossa in argenteo feretro sublimantur: quod cunctis cernere volentibus in dicta Comminensi ecclesia ad præsens demonstratur.

L. 3 *claret miraculis.* — Quo in loco per Beati reliquias, nec non per B. Chrysolii merita, quotidie multa miracula operatur, qui vivit et regnat Deus per infinita seculorum secula. Amen.

*Regum Armeniæ sanguine ortus,* *ubi multi tum Christiani.*

a MS. *Cominien.* [illegible] *et infra* Herentalum. *Quod* [illegible] *non potest,* [illegible] *Armeniam regno* [illegible] *veritas constet,* [illegible] *in Actis SS.* [illegible] Diocletianum et Maximianum, quod tota magna Armenia et Cappadocia illorum edicto repugnarent, et jam omnibus spectaret ad defectionem, immutabilem habentes animum in dominum nostrum Jesum Christum. [illegible] *in magna Armenia nominetur,* [illegible] *de minori* [illegible] limitaneorum. [illegible] *Imperator curam gerere omnium* [illegible] commorans, *de Christianis* [illegible], Satalis, *urbe minoris Armeniæ*

A AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*tianis quæstiones habuisse. Et S. Chrysolius in 2 Vita dicitur mi-*noris Armeniæ partibus oriundus *fuisse.* — b *Dubitat Molanus an Episcopus fuerit, an ita pingatur et honoratur, uti et S. Piatus, quia fuerunt Apostoli Tornacensium.* — c *MS. Roma habebat di-*latione — d *Cognatus disputat, quid fuerit canola, an reliquiæ aliquæ S. Petri, an pallium a Pontifice concessum, idemque* S. Petri *dictum, quod fortassis S. Petri reliquiis esset admotum.* Canola.

ANIMADV. CAP 3 *Baronius tom. 1. suorum Annal. ad ann. 1280 num. 5 ex monumentis Ecclesiæ Vaticanæ, recenset inter alia Nicolai III Papæ donaria,* Canolum argenteum ad observandum corpus Christi. *Unde conjici potest capsulam aliquam fuisse cum reliquiis S. Petri, a Pontifice donatam S. Chrysolio.* — e *Habemus horum SS. Acta,* 1 *Octobr. Piati,* 9 *Januarii,* 31 *Quintini. Luciani Bellovacorum Apostoli dedimus* 8 *Januar.* — f *MS. Rubri-vallis* Verlenghem, *quasi* prolongationis domum, aut desiderii, *vel prolongatam do-*mum *sonat.* — g *MS. Rub. vall.* Commes. *Ita nunc a Gallis, a Flandris* Comene *appellatur.* — h S. Eligius, *Episcopus Noviomensis et Tornacensis, multa Sanctorum corpora elevavit, et elegantibus capsis inclusit, ut ad ejus Vitam 1 Dec. dicemus.*

# ALIA ACTA

### *e MS. Lensensi edita ab Arn. Raissio.*

*S. Chrysolii patria, genus,* **B**eatus a Grysolius regia stirpe editus, minoris Armeniæ partibus extitit oriundus. Qui ab ineunte infantia litterarum studiis, sacro innovatus baptismate, imbuitur: in quibus se usque adeo exercuit, tantamque adhibuit operam, ut tam ob illustrissimam illius scientiam, quam vitam sanctissimam, nec non fidem *episcopatus,* ferventissimam, in eadem regione Archiepiscopus B tandem fieri meruit.

2 Suscepto igitur a B. Grisolio Archiepiscopatu, facta est Christianorum validissima persecutio. Jussu enim Diocletiani Romanorum Principis, ubicumque Christiani inventi essent, ad adoranda idola ducebantur, eisque victimas et sacrificia offerre a satellitibus urgebantur: hæc autem facere renuentes, primum a possessionibus privabantur, durissimeque ab infidelibus necabantur. His conspectis B. Grisolius, divina revelatione admonitus, Armenia relicta, *iter Romam,* se Romam contulit: illud Dominicum implendo, Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Matth. 10, 23 Cum autem Romam pervenisset, Pontificem adiit, seque eidem tamquam filium Christianissimum præsentavit. Qui clementissime susceptus, cognitaque ejus fama illustrissima, vitaque sanctissima, sic est honoratus, ut ab eo Canolam B. Petri Apostolorum Principis, in signum amoris, acciperet.

3 Accepta autem potestate prædicandi B. Grisolius, et benedictione Pontificali primitus insignitus, *in Galliam* Roma relicta, se ad partes Gallicanas contulit. Cum vero ab urbe egrederetur, associatus est Beatis Christi *cum aliis SS.* Martyribus Dionysio, Quintino, Piato, Luciano et aliis quampluribus, quorum nomina in libro vitæ C scripta sunt. Quod vero Dionysius Lutetiæ, Piatus Tornaci, et Lucianus Bellovaci prædicaverunt, apud modernos nulla est ambiguitas. Nam quidquid, Crucifixum prædicando, dictis in locis horum quisquis egerit, ipsius gesta exitusque rei plenius manifestant.

4 Sed ne sermo prolixus auditorum animos fatigare valeat, quomodo et ubi B. Grisolius martyrii palmam est adeptus breviter videamus. Sæviente in Christianos Diocletiana persecutione, missus est Parisios ad perquirendum Dei Martyrem Dionysium cum suis, quidam Præfectus Fescenninus: Bellovacum vero ad perdendum virum Dei Lucianum tres ferocissimi viri Latinus, Jairus et Antor: circa vero inferiora loca, quidam Præfectus non minoris crudelitatis et malitiæ, nomine Decius, ut e medio sanctum Archiepiscopum Grisolium tolleret. Decius autem potestate sibi in Christianos sæviendi tradita gaudens, intellexit beatum Dei virum Grisolium, suis exhortationibus, ac monitis saluberrimis, plurimos ad veritatis lumen *intrepide fidei prædicatio,* reduxisse, sanctissimæque Trinitatis fidei et Dei voluntati subjecisse; ipsius quoque vitæ sanctimoniam D famam prodere; illuc concito gradu perrexit. At vero acceptissimus Deo Grisolius, nequaquam incredulæ gentis veritus est expetere feritatem: illud sæpius Domini præceptum in corde meditabatur: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non Matt. 10, 28 possunt occidere.

5 Decius extemplo cum suis militibus atrocibusque lictoribus insecutus beatum virum, invenit eum intrepide prædicantem juxta quoddam Gentilium fanum, in loco, qui vulgo Vrelenghem dicitur. Beatus hic Martyr, virtute caritatis imbutus, stabat velut columna immobilis: a satellitibus furentibus, ut mitissima ovicula catenulis ligatur, quasi mancipium acerrime flagris atteritur, et tamquam omnium scelestissimus fustibus immanissime cæditur: cum *cruciatus,* tamen esset totius virtutis et honestatis exemplar, bonorum morum et bene vivendi norma. At vir Deo plenus in omnibus injuriis sibi illatis, velut alter Job patiens, dicebat cum regio Propheta: Tu es patientia mea: memineratque verbi Dominici: Nisi grana frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ipsum vero duxerunt ad occidentalem plagam f mi ministri diaboli, impiumque ferrum *vertice amputatus,* in patientissimum virum stringunt, pretiosumque ei E capitis verticem amputaverunt, sparso super terram cerebro. Cum eo et alii quamplures referuntur martyrio coronati. Ps. 70, 5 Joan. 12, 24

6 Amputato itaque sacri Antistitis vertice, divina *lucit,* cœperunt clarere miracula: nam e terra pulcherrimus erupit fons. Mira denique res, magnoque miraculo digna: postquam beati Martyris corona ab hostili gladio fuisset amputata, in terram eliso cerebro *fons miraculosus,* ac sparso, ipse se erigens, cerebrum cum corona propriis manibus recollegit. Deinde a loco, in quo Dei Martyr effectus est, recedens gressu stabili pervenit in villam, quæ modo nuncupatur Cominium, *gestatio verticis,* suisque manibus sacras secum deferens reliquias, videlicet coronam sanguine litam cum cerebro, ac nobili Canola B. Petri Apostoli ante pectus suum: ubi sæpius diligentissime Dei verbum disseminaverat, et templum ejusdem loci, ob reverentiam reliquiarum B. Petri Apostoli, consecraverat; quas secum Roma veniens detulerat.

7 Deinde ingresso ejusdem Cominii templo, vir Dei ad summum altare, in quo obtulit reliquias prædictas, quibus ac suo martyrio insigniret Cominiensem *mors,* locum, tandem positis genibus oratione completa, se F ac suis Deo commendatis, subito beatus hic martyr dormiens mundo, vivens in Christo, gloriosam resolutus in mortem, sanctam animam dulciter exhalavit.

8 Beatissimus Christi Confessor Eligius Noviomagensis Episcopus, audita B. Grisolii vita, ejusque *elevatio,* venerando triumpho, jussit ejusdem Martyris corpusculum post multos annos a terra sublevari, et in argentea cassa venerabiliter honorificeque collocari. Quod et factum est: nam ejusdem Martyris gloriosa ossa in argenteo feretro sublimantur: quod cunctis cernere volentibus in prædicta Cominiensi ecclesia ad præsens demonstratur. Quo in loco per B. Petri *miracula.* reliquias, nec non per beati Martyris merita, quotidie multa fiunt miracula, in eo qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto per infinita seculorum secula. Amen.

a *Ita habebat etiam MSS. Cominiensis. Hic id reliquimus, quia etiam Raissius sic ediderat.*

DE

## DE SANCTIS MARTYRIBUS
# ANATOLIO, AMMONE, STATIANO, NEPOTIANO, LUCIO, SATURNINO, SATURNO, sive SATURNA.

G. H.

VII FEBR. — *Anatolius,* — *Ammon,* — *Statianus,* — *Lucius,*

*Illustris horum pugilum corona ex variis Martyrologiis contexitur. MS. Romanum monasterii S. Cyriaci in Thermis, quod Baronius in notis ad* XIX *Februarii vetustissimum censet, solum* Anatolium Martyrem *profert: quem ceterorum antesignanum seu ducem arbitramur. Plures hujus nominis Martyres fuerunt, sed alibi cum aliis sociis: uti liquet in Martyrologio Romano ad* XX *Martii et* XX *Novembris. MS. Aquisgranense et Hermannus Greven in Auctario Usuardi tres S. Anatolio jungunt socios in his verbis:* Item Anatolii, Ammonis, Statiani, Lucii. *Plures* Ammones Martyres *coluntur, et quidem in Martyrologio Romano: primus Kalendis Septembris cum* XL *Virginibus Heracleæ occisus; alter* VIII *Septembris Alexandriæ passus cum sociis* XXIV, *tertius etiam Alexandriæ cum* IV *commilitonibus* XX *Decembris interemptus.* Ammonii *plures sunt, quorum aliquos in Januario retulimus, sed cum aliis sociis: nam qui adjungitur* Statianus, *nusquam adhuc a nobis prolatus est.* Lucios *(nam id pervulgatum nomen) dedimus* VIII, XVIII, XIX, XXI *et* XXVII *Januarii, sed aliis ubique junctis sociis. In antiquis MSS. Laetiensi et Tornacensi hi duo referuntur* Statianus et Saturninus. *Quamplurimi reperiuntur* Saturnini Martyres, *ex quibus* XIII *in Januario retulimus, ac nonnullos hoc mense damus; sed hisce nusquam adjunctos socios. Hos ita expressit MS. Trevirense S. Maximini:* Saturnini, Lucæ *(alias* Lucii) Saturnæ et aliorum. *Qui omnes ita referuntur in veteri MS. Romano, quod S. Hieronymi appellamus: Et alibi* Anatoli, Ammonis, Statiani, Nepotiani, Lucii, Saturnini et Saturni. *In MS. Richnoviensi:* Anatoli, Ammonis, Statiani, Nepotiani, Lucii, Saturnini et Sarnæ. *At loco* Sarnæ, *in MS. S. Maximini* Saturnæ, *in S. Hieronymi* Saturni *legitur: quo nomine qui appellatus sit nullum adhuc Sanctum dedimus, uti neque* Nepotianum *ullum. Celebris est S. Nepotianus Episcopus Arvernorum, de quo agemus* XXII *Octobris. Notus et Nepotianus Presbyter, ad quem S. Hieronymus epistolam* II *scripsit de Vita Clericorum et Sacerdotum, et cujus Epitaphium tradit epistola* III *ad Heliodorum Episcopum avunculum.*

*Saturninus,* — *Saturna,* — *sive Saturnus,* — *Nepotianus,*

B — E — NOT. 2

## DE SANCTIS MARTYRIBUS
# ADAUCO, sive ADAUCTO,
## GENERALI OFFICIORUM MAGISTRO ET QUÆSTORE,
## ET SOCIIS: PRÆFECTO ÆRARIO, PRÆFECTO MILITARI, SENATU POPULOQUE UNIVERSO, CUM FOEMINIS ET INFANTIBUS ANTANDRI URBIS IN PHRYGIA,

Commentarius historicus.

G. H.

### § I. *Horum martyrium ab antiquis relatum.*

CIRCA ANNUM CCCIII. VII FEBR. *In Phrygia,* — *perampla provincia,* — *integra urbs incensa ob fidem.* — *Civium martyrium narrant* — *Eusebius,*

*Phrygia ampla Asiæ regio, præter tres metropoles Laodiceam, Synnada, Hierapolim, numeravit olim ultra quinquaginta urbes Episcopali Sede illustres: quarum incolæ historiam Ecclesiasticam plurimum adornarunt, e quibus contra hæreses præclarum propugnatorem S. Claudium Apollinarem jam supra dedimus. At quæ ea Phrygiæ civitas tam pia, ut tot uno eodemque die Sanctos cælo miserit, vulgo latet. Nos infra conjectamus Antandrum, antiquis notam fuisse. Martyrii historiam exhibet lib. 8 Eusebius, ubi cum immanem persecutionem a Diocletiano motam indicasset, et præcipuos per universum Imperium Martyres nominasset, tandem quasi eum tæderet tantum sanguinis fusum sigillatim narrare, cap. 23 ita exclamat:* C

2 Quid opus est multa persequi et novas piorum Martyrum per orbem dimicationes, alteras alteri succedentes proferre; eorum quidem maxime, qui non communi lege, sed more et instituto bellico essent undique obsessi oppugnatique? Jamdudum enim urbs Christianorum, quæ est in Phrygia, universa, una cum populo ejusdem, ab hominibus armatis obsidione undique cincta fuit, et dum viri simul cum teneris liberis et uxoribus Christi Dei omnipotentis opem invocabant, facibus ardentibus injectis incensa: propterea quod tum universus populus, qui civitatem incoluit, tum Curator ejusdem et Præfectus præsidii, pariter cum Magistratibus et privatis omnibus se Christianos ingenue confitebantur, neque infidelibus, qui eos idolis hostias offerre mandaverant, ulla ex parte volebant obtemperare. Quidam autem, Adaucus nomine, dignitate a Romanis ornatus, genere apud Italos clarus, cum fere honorum gradu ab Imperatoribus potitus, et Magistri officiorum, et Quæstoris generalis munera integre et incorrupte executus, et præter hæc omnia præclaris pietatis officiis et confessionibus fidei in Christum insigniter nobilitatus; tandem dum adhuc Quæstoris generalis munere fungebatur, pro pietatis defensione certamen ingressus, illustri martyrii corona gloriose redimitus fuit. *Hæc juxta versionem Christophorsoni Eusebius. Plura interserit Ruffinus lib. 8 historiæ Eccles., cap. 11, quæ hic addimus.* F

*Ruffinus,*

3 Jam vero illud, quod apud Phrygiam gestum est, quis audeat præterire, in quo et communia humanitatis, et propria Romani regni jura violata sunt! Ubi urbem quamdam Christianorum civium, in qua cum et populus omnis, et honorati viri et Curator et Magistratus Christianos se esse, nec adquiescere ad sacrificandum faterentur, circumdari militibus juberent, cunctosque simul cum mulieribus viros, cum parvulis senes, cum civibus civitatem injecto igni concremari, ita ut nullus penitus ex illa urbe, etiam cum optio volentibus daretur, abscederet. Et hoc in cives perpetratum est; quod si in hostes egisset, notam crudelitatis habuisset. Verum beati hujus numerosique martyrii pariter ab universa urbe suscepti auctor et dux extitit vir pietate et religione atque omni benignitate clarus, Adauctus nomine, patria et genere Italus, honoribus palatii per gradus singulos usque

A *martyrium rejicit in annum Christi* CCCVIII, *quartum post purpuram a Diocletiano et Maximiano Herculeo depositam. Quo modo et Martyrologium Romanum correctum, in quo hæc leguntur.* In Phrygia S. Adauci Martyris, qui ex Italia genere clarus, et omni fere dignitatum gradu ab Imperatoribus honoratus, dum adhuc Quæstoris officio fungeretur, martyrii corona pro fidei defensione dignatus est. Item plurimum sanctorum Martyrum urbis unius civium, quorum dux erat idem Adaucus, qui cum omnes Christiani essent, et constanter in fidei confessione persisterent, a Galerio Maximiano Imperatore igne consumpti sunt. *Hæc ibi. Est Galerius Maximianus, anno* CCCIV *cum Constantio Chloro Augustus creatus.*

10 *Alios duos Martyres in Phrygia fustibus occisos retulimus* XXVI *Januarii, quos non recte Raderus cum his Martyribus confundit.*

## § III. *Horum martyrium Hispaniæ affictum.*

*Horum Martyrium Hispaniæ adscribitur*

**P***hrygiæ nova lis intentatur ab Hispanis, ob Chronicon Juliani Petri, sæpius a nobis refutatum: in quo num.* 127 *hæc leguntur:* Septimo Februarii sub Diocletiano in Hispania civitate Frigia, quæ nunc dicitur Frias, B in Veteronibus, innumerabiles Martyres sub Duce Adauco cive, et ipsi cives horribiliter combusti, in quibus Virgines, Matronæ, nobiles ac totus Senatus ac Clerus patitur. *Hæc in illo Chronico, quod secutus Joannes Tamayus Salazar, ita scribit in Martyrologio Hispanico:* VII Idus Februarii, apud urbem Phrygiam Hispaniæ in Veteronibus passio SS. Adauci Ducis, cum omnibus Clericis, Decurionibus, Nobilibus, Virginibus, Matronis et accolis civibus ipsius urbis, qui Diocletiano imperante omnes pro Christi fide martyrizati, turmatim purpureis redimiti coronis, in æternam sunt beatitudinem ingressi. *Hæc Salazar, a quo citatur P. Hieronymus Rom. de la Higuera in Martyrologio. Hispan. nondum edito: cujus verba ita Latine transfert:* Apud Hispaniæ in Veteronibus urbem Frias, olim Phrygiam vocitatam, sic a Phrygiis conditoribus dictam, innumerabilium Martyrum qui pro Christo in Diocletiani persecutione combusti sunt. Hanc eamdem opinionem, *addit Salazar,* amplexi sunt Martinus Carillo Annal. Eccles. lib. 2 ann. 309 fol. 115, P. Camargo ejus abbreviator in Theatro Eccles. anno 309 fol. 182. *Verum fallitur Salazar: citato quippe folio agit Carillo de variis Martyribus Romæ, in Palæstina, in Ægypto, Alexandriæ, Antiochiæ,* C *aliisque in locis interemptis, interque eos recenset hos Martyres his verbis ita Latine translatis:* In Phrygia quædam civitas universa cum Duce suo Adauco, quod omnes cives essent Christiani, igne absumpta est VII Februarii. *In Carillo simul rejicitur abbreviator ejus Camargo, quem non vidimus.*

*a Juliano Petro, Tamayo Salazario, Higuera, neutiquam a Martino Carillo.*

12 *Est autem oppidum Frias, ubi traduntur hi Martyres occubuisse, ad flumen Iberum in confiniis Biscaiæ et Castellæ veteris, sub diœcesi Burgensi, a qua urbe* XLVIII *Mill. distare ait Salazar. Gabriel Pennotus lib.* 2 *Historiæ Canonicorum Regularium cap.* 31 § 6 *meminit* collegii Canonicorum Regularium, quod de Frias dicitur, *siti in Diœcesi Palentina, regni Legionensis, dictæ Burgensi diœcesi contigua. Verum quis antiquorum auctorum istic* Phrygiam *urbem seu* Frigiam *constituit? Quis populos* Veterones *dixit?* Berones, *Græce* Βήρωνας *agnoverunt non procul inde Ptolemæus lib.* 2 *Geographiæ cap.* 6, *Strabo lib.* 3, *qui eos a Tyriis appellatos censet, et ex Hispanis Florianus do Campo lib.* 2 *Hist. Hispan. cap.* 4 *a Salazario citatus, qui lib.* 4 *cap.* 13 *et* 14 Betulones *describit, quos corrupte tradit* Beterones *ab aliquibus dici, populos Catalaniæ, quorum urbs Betulo, nunc Bedelona dicitur, leuca a Barcinone distans, quam fluvius* Beses, *seu* Beson, *forsan antiquis Betulo, præterlapsus, in* D *mare mediterraneum effluit: verum quam hæc procul a Biscaia distant! Et tamen ob vocabulum, quod corrupte expressum Florianus fatetur, suam conatur opinionem confirmare vir eruditus.*

*Frias oppidum ubi situm? an Phrygia et apud Veterones?*

AUCTORE G. H.

13 *Demum etiamsi certo constaret oppidum Frias, et olim Phrygiam dictum fuisse, et metropolim Veteronum extitisse; nihil tamen inde conficeretur contra apertissima testimonia Eusebii, Lactantii, Ruffini, Nicephori, ac tabulas Ecclesiasticas Ecclesiarum Orientalium æque atque Occidentalium, uti ex supradictis liquet. Opponitur a Salazario auctoritas* Alphonsi de Madrigal, Ecclesiæ luminis, et Hispaniæ sanctitate et litteratura ornamenti, Episcopi Abulensis in Animadversionibus ad dictum caput 23 Eusebii, verba *hujus* secundum genuinam veterum codicum lectionem sic extendentis: Jam dudum urbs Christianorum, quæ Phrygia est. Ubi mutilata præpositione IN, remanet Phrygia, nomine et titulo urbis, non provinciæ. Ex quo libet, quod exscriptores Ruffini, Nicephori et Lactantii, ignorata urbe, titulo Phrygiæ condecorata, Eusebii autographum corrumpentes, præpositionem IN addiderunt, ut sensus esset, non quod urbe cognomento Phrygia Martyres isti occubuere, sed quod urbe in provincia Phrygia agonem complevere. *Hæc Salazarius.* E

*Vera lectio Eusebii oppugnata,*

14 *At primo, qui profertur Alphonsus de Madrigal, vulgato nomine Tostatus appellatus, Madrigalæ oppido diœcesis Abulensis natus, has in Eusebium non scripsit Animadversiones, inter opera ejus omnia sæpius edita nondum prolatas; nec potuit secundum genuinam veterum codicum lectionem citata ante verba corrigere, quæ non sunt Eusebii auctoris Græci; sed Joannis Christophorsoni interpretis, integro seculo dicto Alphonso Tostato junioris: cujus versioni consentiunt Græca Eusebii a Roberto Stephano anno* MDXLIV, *ac deinde cum interpretatione Christophorsoni Coloniæ Allobrogum anno* MDCXII *excusa, his verbis:* Ἤδη γοῦν ὅλην χριστιανῶν πόλιν αὔτανδρον ἀμφὶ τὴν Φρυγίαν ἐν κύκλῳ περιβαλόντες ὁπλῖται, πῦρ τε ὑφάψαντες κατέφλεξαν, αὐτοῖς ἅμα νηπίοις καὶ γυναιξὶ τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν χριστὸν ἐπιβοωμένοις. *Malim pro* αὔτανδρον, Ἄντανδρον *legere, quæ urbs Phrygiæ Straboni, Ptolomæo, ipsique Virgilio* 3 *Æneidos memorata. Sensus ergo est.* Jam igitur Antandron urbem Phrygiæ, totam Christianam milites obsidione cingentes igne injecto combusserunt cum ipsis parvulis et mulieribus Christum Deum super omnia inclamantibus. *De Phrygia aliquin agere Eusebium patet ex transitione ad hoc illustre certamen sub finem capitis præcedentis:* ταῦτα μὲν οὖν τὰ κατὰ Παλαιστίνην ἐν ὅλοις ἔτεσιν ὀκτὼ συμπερανθέντα μαρτύρια. Ista sunt martyria octo annis integris in Palæstina patrata. *Illis consentiunt verba tituli hujus capitis:* Περὶ τῶν κατὰ Φρυγίαν πραχθέντων. De iis quæ in Phrygia gesta sunt. *Qui titulus ita formandus fuisset:* De iis quæ in Hispania gesta sunt: *potissimum cum ex Palæstina tam procul ad Hispaniam, in ultimum Occidentem deflecteret narratio.*

*substituitur ex consensu editionum Græcarum et Latinarum, urbis Antandri, et locorum conjunctorum*

F

15 *Secundo perperam assumitur, autographum Eusebii ab exscriptoribus Ruffini, Nicephori et Lactantii corruptum esse: cum contra certissimo confirmetur antiqua Eusebii lectio ex constanti illorum consensu, quem Ruffino affirmant Goffredus Boussardus, Joannes Scallus, Beatus Rhenanus, qui ex variis MSS. in lucem illius opera ediderunt, primus anno* MDXXVI, *alter an.* MCDLXXIX, *tertius an.* MDXLI. *Nicephorus vero vocavit* πόλιν μίαν περίοικον τῆς Φρυγίας, *id est, interprete Joanne Langio, et recognoscente Frontone Ducæo in omnibus prorsus editionibus,* oppidum quoddam Phrygiæ, *sive intra Phrygiam aut in circuitu Phrygiæ: ita* περίοικον *est quasi* ἐν κύκλῳ τῆς Φρυγίας. *Demum Lactantius Eusebio antiquior, cujus hic meminit in Chronico ad* X *annum Constantini Imperatoris, omnem nobis*

*uti et Ruffini, Nicephori, ac Lactantii Eusebio antiquiori,*

A nem decimam Diocletiani potius, quam ad præcedentium aliquam referri necesse esse, si a communi scriptorum *Britannicorum* consensu non discedatur, qui primum omnium Albanum in Britannia pro Christo sanguinem fudisse statuit : *ideoque in Indice Chronologico martyrium ejus attribuit anno Christi* CCCIV. *Ad sequentem refert Martyrologium Anglicanum priori editione, his verbis :* Eodem die Londini depositio S. Auguli Episcopi et Martyris, qui in persecutione Diocletiani, propter prædicationem Christianæ fidei, in nostra insula magnæ Britanniæ interemptus est a veritatis inimicis, circa annum Christi CCCV, paullo post necem S. Albani. *In posteriore editione dicitur* mandato Præsidis Britanniæ occisus, circa annum CCC. *Colitur S. Albanus* XXII *Junii, inter antiquos Britanniæ Martyres præcipuus, cujus Acta Gildas de excidio Britanniæ et Beda lib.* 1 *cap.* 7 *describunt.*

4 *Extat excusum typis Plantinianis anno* MDLXIX Calendarium Ecclesiasticum Joannis Horolani et recognitum *appellatur, forte ob* Calendarium Ecclesiasticum Radulphi de Rivo, *olim circa annum* MCCCXC *Decani Tungrensis, cum Usuardo a Molano anno* MDLXVIII *vulgatum. In hoc Calendario recognito ista leguntur :* VII Idus Februarii Augurii Episcopi Hiberniæ anno CCCLXI, sub Valentiniano. *Citantur* Beda *et* Usuardus, *quibus* Augulus, *in nonnullis MSS.* Augulius *est, non* Augurius : *et Episcopus* Britanniæ, non Hiberniæ *dicitur : nec cædis indicant tempus, quod et hic non recte consignatum. Imperabat adhuc anno* CCCLXI *mense Februario Constantius, qui demum* III *Nonas Novemb. vita functus. Ei Julianus, huic Jovianus suffectus : ac tandem Valentinianus anno* CCCLXIV. *Henricus Fitz-Simon noster Catalogo Sanctorum Hiberniæ Leodii* MDCXIX *excuso inscripsit* Augurium Episcopum VII Februarii ; *citato* Genebrardo in Calendario ad Sanctos anno CCCLXI. *Eumdem* Augurium *refert Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, Venetiis anno* MDCXXV *impresso :* In Hibernia S. Augurii Episcopi, *annotatque* ex Calendario Genebrardi, qui illum sub Valeriano vixisse tradat. Putat *autem* eumdem esse cum S. Augulo. *Imperavit Valerianus a b anno* CCLIV *ad* CCLX. *Usserius in Addendis ad caput* 7, *eumque secutus Colganus hoc die, allegant Genebrardum in Calendarii Romani Chronologia ; atque eadem verba, quæ ex Calendario Horolani dedimus, repetunt : ut una utriusque censeatur auctoritas. Colganus deinde hæc magis confundit, dum S.* Augurium *vult non* Episcopum Hiberniæ, *ut Horolanus, Genebrardus, Fitz-Simon, Ferrarius scribunt, sed* C patria vel origine Hibernum, in Britannia Augustæ, hoc est Londinensis civitatis, Episcopum fuisse. *Quod etiam innuere videtur Usserius.*

*an Episcopus Hiberniæ?*

B

*an origine Hibernus?*

5 *Thomas Dempsterus lib.* 1 *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum num.* 40 *hæc scribit :* S. Augurius, Augulius, Aulus, Augulus, vir sanctissimus, Episcopatum in Britannia gessit, id est, Scotia. Nam eo seculo nulli in Anglia Christiani, siquidem prima Evangelii receptio evanuerat : nec S. Augustinus illius gentis sanctissimus Apostolus advenerat, ut clare successio temporis indicat. Hunibertus sane Scotus scriptor antiquissimus in sua historia, ejus in Scotia labores, prædicationem, et miracula extollit. Scripsit de fide plantanda lib. 1. de fuga persecutionis lib. 1. Passus est Augustæ in Britannia VII Februarii anno CCCLX. Ghinius, Genebrardus, Usuardus, Wandelbertus. *Quorum auctorum verba protulimus.* Libidinem Dempsteri in fingenda historia Huniberti, et libris ab Augulo scriptis *reprehendit Usserius, et quod* recentiori Scotiæ antiquum Christi Martyrem vendicet. *Adde inepte asseri, dicto anno* CCCLXI, primam Evangelii receptionem evanuisse : *circa quod tempus fidem Christianam maxime floruisse indicat tum præsentia Britannorum Episcoporum in Ariminensi Synodo sub Constantio anno* CCCLIX, *apud Sulpitium Severum lib.* 2 *Historiæ sacræ; tum facta ab hac Ecclesia Britannica approbatio fidei, quam Patres in Concilio Nicæno professi fuerant, in litteris anno* CCCLXIII *ad Jovianum Imperatorem datis indicata, a S. Athanasio et reliquis Episcopis nomine omnium Ægypti, Thebaidos et Libyæ Episcoporum apud eumdem Athanasium tomo* 1, *pag.* 399, *Theodoretum lib.* 4 *Histor. Eccl. cap.* 3. *et Nicephorum Callistum lib.* 10 *cap.* 12. *Demum quamvis* annum CCCLXI *permitteremus cum* DLXI *permutari, quo* S. Augustinus necdum advenerat, *magna tamen pars Britanniæ neque erat ab Anglis occupata, neque ab iis ad idololatriam redacta ; ut vel ideo ad Scotos relegari S. Augulum Episcopum non sit necesse. Quin Scotorum Historicus Hector Boethius lib.* 8 *tradit Vodinum Episcopum Londinensem ab Hengisto primo Duce Anglo-Saxonum, qui Britanniam ingressi sunt, interfectum esse ; ut etiam S. Augulus, si eum tempore Anglorum vixisse comprobasset Dempsterus, locum vel inter Vodini successores reperire potuerit ; qui omnes ignoti latent usque ad Theonum, quem Westmonasteriensis scribit anno tandem* MXXXVI *cum reliquiis Sanctorum in Cambriam transfugisse. Quod idem de Todiaco Archiepiscopo Eboracensi narrat. Sed ipse ejus rei fidem præstet.*

D

*AUCTORE G. H.*

*an Episcopus Scotiæ?*

*et scriptor?*

E

6 *David Camerarius eumdem inscripsit Menologio Sanctorum Scotorum, traditque* reliquias asservatas fuisse Dundrani in Brigantibus. *Fuerunt autem Brigantes non Scotiæ, sed Angliæ populi, quorum sedes nunc occupant Eboracenses Occidentales, Dunelmenses, Lancastrii, atque alii. Quæ a Camerario allegatur* Vita Dernargillæ, *nobis prorsus incognita est. De eodem autem* S. Augulo *se agere fatetur, dum auctoritatem adducit Constantini Ghinii. Fuit ergo* in Britannia, civitate Augusta, S. Augulus Episcopus et Martyr. *Cetera, quæ e variis adjecta, nil solidæ rationis habent ; ideoque a nobis cuncta diffusius exposita.*

*an extent reliquiæ.*

F

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# THEOPEMPTO ET SOCIIS

G. H.

V FEBR.

Plures *Menæa Græcorum suggerunt* Theopemptos, *qui defectu Actorum difficulter distingui possunt. Ex his in Januarii dedimus* S. Theopemptum *Episcopum sub Diocletiano gladio peremptum, cum* Theona *mago, quorum infra mentio fit in Martyrum Nicomediensium Actis. Alium hunc arbitramur* Theopemptum, *quem Menæa matyrii palmam volunt obtinuisse cum sociis sine comitibus,* καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ et comitatu ejus : *absque ulla dignitatis sacerdotalis aut Episcopalis mentione. Eadem Menæa* II *Januarii hæc habent :* SS. Theopemptus et Theodote, quæ fuit mater sanctorum Medicorum, qui sine pecunia ægrotos curabant, in pace quiescunt. *Agimus eo die de* S. Theodote *matre SS. Cosmæ et Damiani, omisso* S. Theopempto, *ne forte idem esset qui* III *Januarii Episcopus colitur : addo, aut* VII *Februarii ; licet hoc intersit discrimen, quod ille pace obdormierit, hi martyrio decorati.*

*SS. Theopempti plures.*

# DE SS. MILLE ET TRIBUS MARTYRIBUS

## EX QUATUOR IMPERATORIS PROTECTORUM FAMILIA ET CLIENTELA, NICOMEDIÆ.

G. H.

*CIRCA ANNUM CCCII. VII FEBR.*

*Dignitas Scholarium,*

Gordianus Junior *Imperator, ut auctor est Cedrenus,* primus Candidatos et Protectores, ordinemque Scholarium instituit, quem de suo nomine Juniorum appellavit. *Erant autem* Scholares, *Græce Σχολάριοι, ex solis militiæ peritis exercitatisque præcipui loco selecti, ut assidue in aula, tamquam Imperatoris custodes, versarentur, eumque in publicum prodeuntem magnificentiæ atque ornatus caussa comitarentur. Ex Scholaribus secundum institutionem ejusdem Gordiani eligi solitos Candidatos, ætate vigentes ac robore, quique hosti adspectu forent terribiles, traditur in Chronico Alexandrino. Inter hos duos ordines dignitate quasi media censebantur* Protectores, *Græcis vocabulo Latino etiam Προτίκτορες appellati: erantque teste Menandro de Legationibus, tamquam βασίλειοι προσκέπασταί, id est, Stipatores Imperatoris, ejusque, Σωματοφύλακες.*

*Candidatorum*

*Protectorum Imperatoris.*

B

*Horum Martyrum Acta Græca hactenus inedita,*

2 *Horum Protectorum dignitatem apud subsequentes Imperatores, non solum continuatam, sed amplis etiam honoribus divitiisque auctam fuisse, horum Martyrum Acta confirmant, quæ Græca nacti sumus ex bibliotheca Medicæa Regina Franciæ, hactenus inedita: quibus hic titulus præfixus erat:* Ἄθλησις τῶν ἁγίων χιλίων τριῶν, τῶν ἐν Νικομηδείᾳ τελειωθέντων. Certamen Sanctorum mille trium qui Nicomediæ vitam finiverunt, *et quidem, ut sub finem dicitur,* μηνὶ τῷ παρ' Αἰγυπτίοις λεγομένῳ Μεχὶρ τρισκαιδεκάτῃ, die XIII mensis ab Ægyptiis Mechir appellati: *qui dies in VII Februarii concurrit; soletque is numerus hoc modo* ΙΓ *exprimi, pro quo errore amanuensium* ἡμέρᾳ δωδεκάτῃ, *dies duodecima, quæ Græcis hac nota* ΔΙΙ *indicatur, in MS. irrepserat.*

*an Ægyptio auctore scripta?*

*Ex mense autem Ægyptio expresso colligi posse videtur, Acta ipsa ab initio auctore quopiam Ægyptio conscripta fuisse, atque aliquos e Martyribus, et forte præcipuos, quorum honori augendo illud studium auctor impenderit, ex Ægypto oriundos, aut certe eorum sacra lipsana eo translata.*

*Eorum memoria 7 Febr. apud Galesinium,*

3 *Galesinius ita horum meminit:* Nicomediæ sanctorum trium millium Martyrum. Hi servi cum Dominos suos, eosque principes viros ad fidem conversos,

C

Diocletiano Imperatore, pro Christo martyrium constanter subiisse vidissent, eorum divinam virtutem imitati, adjunctis sibi filiis et uxoribus propinquisque omnibus, veniunt in Diocletiani conspectum unoque ore ac libera voce Christianos se esse professi sunt: quos omnibus artibus frustra tentatos, ut de sententia deduceret, jussit omnes a militibus occidione occidi. *Hæc Galesinius, quæ in Notationibus ait,* in litteris Græcis prodi. *Ast in Actis MSS. ii qui de familia quatuor Protectorum erant, cum uxoribus ac liberis mille et tres numerati sunt, Græce* συναριθμήσαντες ἑαυτοὺς χίλιοι καὶ τρεῖς.

*et in Menæis Græcorum.*

4 *Græci in Menæis hoc ipso die ista habent.* Μνήμη τῶν ἁγίων χιλίων Μαρτύρων καὶ τριῶν οἰκετῶν καὶ τεσσάρων Προτεκτόρων, τῶν ἐν Νικομηδείᾳ μαρτυρησάντων, etc. Eodem die memoria sanctorum mille Martyrum et trium famulorum, et quatuor Protectorum Nicomediæ occisorum. Isti famuli serviebant quatuor Protectoribus, sub quibus ex edicto Imperatoris comprehensus est Petrus sanctissimus Episcopus Alexandrinus, qui capite plexus est: post cujus mortem et Protectoribus cum tota familia sua in Christum credentibus et martyrio affectis; horum famuli propter fidem in Christum ultro omnes cum uxoribus et liberis et infantibus ad Diocletianum properarunt, et se Christianos professi, cum adduci non possent, ut Christum negarent, omnes ab exercitu gladiis concisi sunt. *Hæc Menæa, quæ eadem leguntur in* βίῳ Ἁγίων *Maximi Cytheræi.*

*Quis Nicomediæ Petrus Martyr?*

5 *At qui memoratur* Petrus, *custodiæ quatuor Protectorum commissus, male dicitur* Episcopus Alexandrinus, *quem in Februarii ad Vitam SS. Phileæ et Philoromi § 1 num. 6 aliquot annis ostendimus superfuisse, postquam Diocletianus purpuram posuerat. Et vero Petrum constat non Nicomediæ, sed Alexandriæ, ubi Episcopus erat, martyrium subiisse. Videtur autem hic Petrus esse illustris e Cubiculariis Diocletiani Martyr, cujus egregium certamen referemus XII Martii. De eo agit Eusebius lib. 8 histor. Eccl. cap. 6 et passim alii. At S. Petrus Episcopus Alexandrinus colitur XXVI Novembris.*

*Theopemptus,*

E

6 *Videntur autem hoc ordine occisi, primo SS. Theopemptus Episcopus et Theonas Magus III Januarii, dein quatuor Protectores XX ejusdem Januarii, postea hi mille et tres illorum servi et clientes VII Februarii, denique Petrus Cubicularius XII Martii: quorum omnium infra in Actis mentio fit.* Excepit *autem* S. Theopemptus excitatæ a Diocletiano Imperatore persecutionis primam procellam, *uti referunt Menæa III Januarii, quibus consentiunt Acta antiqua Latina in Appendice ad illam diem edita, quæ ita incipiunt:* In primo anno persecutionis suæ Diocletianus Imperator de Roma veniens subiit urbem Nicomediam, in qua fabricari fecit idola multa. Factum est autem post dies aliquot, ut a suburbanis prædiis urbem vir Dei ingrederetur Episcopus, nomine Theopompus. Hic namque primus est, qui martyrium pertulit in initio persecutionis Diocletiani nequissimi. *Ex Protectoribus solius* Eusebii *nomen infra in Actis exprimitur. Hoc autem ordine referuntur XX Januarii in Menæis:* Bassus, Eusebius, Eutychius, Basilides. Vixerunt hi, *ut ibidem additur,* Diocletiano Imperium gerente, opibus ac Senatoria dignitate conspicui, Christo vero conciliati, ejusque initiati baptismate, cum Theopemptum Episcopum vidissent diros superare cruciatus, mirandaque Christi virtute prodigia edere. *Eodem modo persecutionem Diocletiani Nicomediæ motam a S. Petro cubiculario auspicatur Eusebius, aliorum nominibus non indicatis.*

*et 4 Protectores*

F

*Plurimi Nicomediæ Martyres.*

7 *Referuntur in Menæis XXI Decembris quingenti Martyres, cum centum et triginta feminis Nicomediæ occisi: dein XXVIII ejusdem Decembris leguntur inscripta iisdem Menæis XX millia Martyrum simul in templo combustorum, cum Natalitia Christi celebrarent: quos Martyres in eisdem Natalitiis XXV Decembris recolit Martyrologium Romanum: in quo cum Menologio Græcorum XVIII Martii referuntur decem millia Martyrum itidem Nicomediæ gladio occisorum. Præterea XXIII Junii commemoratio est plurimorum Martyrum, qui cum diu in montibus et speluncis tempore Diocletiani latuissent, postea Nicomediæ occubuerunt: a quibus omnibus hi Protectores eorumque famuli fuerunt diversi.*

ANIMADV. PAG. 19

G. H.

## ACTA MARTYRII,

### *ex MS. Græco Medicæo.*

*Martyres sub Diocletiano. S. Theopemptus*

Imperante Diocletiano, impio ac crudeli tyranno, magna adversus sanctas Christi Ecclesias commota est persecutio, multique Christianorum carceribus inclusi sunt, ac mortem pro Christo subierunt. Tunc Martyres effecti famulus Christi Theopompus Episcopus

A copus et Theonas Magus, nec non et quatuor Protectores, quorum custodiæ commissus erat B. Petrus. Horum etiam uxores fidem amplexæ, ejusque in confessione perseverantes, vitam pro Christo profuderunt.

*et 4 Protectores :*

*horum exemplo famuli excitati,*

2 Dein famuli eorum, procuratores ac dispensatores, aliique tam servi quam liberi, rebus inter se accurate consideratis, unanimi consensu dixerunt : Ecce Domini nostri, qui in rebus secularibus jus nobis dicebant, ob sanctam in Jesum Christum Dominum nostrum fidem, vita hac præsenti ac fragili contempta, regnum cœlorum appetiverunt, ac terrenis rebus spretis, bonorum æternorum felicitate perfruuntur. Quidni ergo et nos dominorum nostrorum vestigiis insistamus ? Accedamus ad Diocletianum Imperatorem, eumque ita alloquamur : Christiani et nos sumus, optamusque cum dominis, qui nobis in hac vita præpositi erant, incorruptibilem coronam adipisci. Hoc ergo consilium adeo præclarum inter sese collatum, unanimi consensu amplexi, cum uxoribus simul ac liberis numerati sunt mille et tres : qui eodem omnes affectu progressi, ante crudelis atque impiissimi tyranni Diocletiani tribunal constiterunt, clamantes : Et nos Christiani B sumus : et imitamur mores patrum et dominorum nostrorum, qui vitam pro Christo profuderunt. Dæmonibus non obedimus : simulacra cæca et surda, atque idola muta, immotaque atque inanima non adoramus.

*cum uxoribus et liberis ad 1003, ultro accedunt Diocletianum :*

3 Ut autem Imperator multitudinem eorum vidit, vehementer est conturbatus : ac primo insidiis fraudulentoque apparatu capi eos posse ratus, blandis cœpit adulationibus circumvenire : Ut quid, inquit, adeo dementes ac nefarii ruitis in interitum ? Quin potius obedite mihi, instar patris optima suadenti, et sacrificate diis; ac vosmet ab hac insania eximite, in quam abrepti Eusebius ejusque socii Protectores, infeliciter e vita migrarunt. Vos ergo si obediatis mihi, accedentesque sacrificetis diis immortalibus, honores a me et dona non vulgaria accipietis, nostraque abundanter locupletabimini amicitia. Sancti hoc tyranno dederunt responsum : Nos neque dona tua æstimamus, neque minas timemus; sed festinamus sacrificium laudis offerre Deo vivo et vero. Quod igitur vis facere, fac cito. Nihil enim nobis D est Christo carius.

*ejus blanditias dona et amicitiam spernunt;*

AU ORE O. R.

4 Quæ cum audivisset Diocletianus, veritus ne quid novi molirentur (erant quippe pro fide Christi defendenda alacres) innuit exercitui suo, ut accedentes multitudinem Sanctorum cingerent. Omnes enim ideo cum uxoribus et liberis alacres simul convenerant, ut pro sua in Dominum Jesum Christum fide decertarent. Infantes autem, qui ulnis matrum deferebantur, alii erant sex mensium, aut unius anni, alii duorum etiam aut trium mensium. Postquam eos armati milites circumcinxerant, dixit Imperator : Et nunc igitur parete meo consilio, et confitemini vos velle sacrificare diis, eosque adorare, ut salvi atque incolumes in domos vestras revertamini. Misereminì vestri et infantium vestrorum, quantum ego adversarius misereor vestri : ne dementia vestra et vos et liberi vestri pereant. Si enim mihi non pareatis, neque Dominus vester Christus aliquid auxilii præstabit. Cui Sancti responderunt : Nos edocti sumus solum adorare Deum in cœlis viventem, et unigenitum Filium ejus et Verbum Dominum nostrum Jesum Christum, per quem omnia facta sunt, et sanctum ejus Spiritum. Noli ergo vana specie cujuscumque amicitiæ nos decipere, quos neque illecebris tuis induces, neque minis terrebis, ut a fide E in Jesum Christum Dominum nostrum desciscamus, atque inanima idola, quæ a te et patre tuo diabolo honorantur, adoremus. Nihil enim Christo, qui vivit in secula seculorum Deus, carius nos ac pretiosius possidemus.

*etiam militibus circumcincti*

*constanter fidem profitentur,*

5 Tunc in furorem actus Diocletianus, innuit denuo militibus, ut eos conscinderent : qui instar ferarum agrestium circumquaque in eos irruentes, percusserunt sanctos Christi Martyres, nulli parcentes, non infantibus etiam aut ubera sugentibus, neque vel unicum ex illis vivum reliquerunt. Et ita gloriosam suam in Christo confessionem consummarunt mense ab Ægyptiis Mechir appellato, die decima tertia, Romanis septima Februarii, Nicomediæ metropoli Bithyniæ sub Diocletiano impio et sceleratissimo Imperatore; apud nos vero regnante Christo Jesu vero Deo, et Salvatore nostro; cui laus et gloria cum Deo Patre, et sancto per omnia, ac bono et vivificante Spiritu in secula seculorum. Amen.

*et Martyres occumbunt.*

# DE S. MAXIMO, SIVE MAXIMIANO,

C

## EPISCOPO NOLANO IN CAMPANIA,

F

## Commentarius historicus.

G. H.

### § I. *Cultus sacer S. Maximi.*

VII FEBR.

*S. Maximus Episcopus Nolanus colitur 15 Januarii,*

N*ola urbs Campaniæ duodecim millibus passuum Neapoli distans, multis adhuc antiquæ nobilitatis et magnitudinis vestigiis inclita; inter antiquos suos Præsules* S. Maximum, *sive* Maximianum *numerat, cujus memoriæ plures dies in variarum Ecclesiarum Fastis dicati. Nam* XV *Januarii ista habet Martyrol. Romanum :* Nolæ in Campania S. Maximi Episcopi, *addit Galesinius,* et Confessoris. *Quædam Martyrologia* Maximianum *vocant. Ghinius in Natalib. Sanctorum Canonicorum eodem die hoc eum elogio exornat :* Nolæ in Campania S. Maximi Episcopi : qui cum laboraret in Evangelio, sub idolatris multa passus, ingravescente persecutione jam senio prægravatus, putans se non posse ferre supplicia, silvarum saltus adiit, quos dum pererrasset, affectus fame, gelu attritus, solo corruit semivivus, sed Dei nutu a S. Felice Presbytero inventus, et uva divinitus parata paullisper recreatus, sublatusque humeris, apud viduam magis refocillatus est, et tandem in pace spiritum reddidit. *De S. Felice egimus* XIV *Januarii. Postridie adjunctus* S. Maximus, *cujus fortassis dies natalis ignorabatur.*

2 *Nos initio, uti ad Acta S. Felicis annotavimus, statueramus de illo agere eodem* XV *Januarii : verum postea cognita traditione Ecclesiæ Nolanæ venerantis natalem ejus* VII *Februarii, maluimus ad hunc diem remittere, quo eumdem inscripsit Ferrarius generali Catalogo SS. his verbis :* Nolæ in Campania S. Maximi Episcopi. *Longius contexit encomium in Catalogo SS. Italiæ, additque* septimo Idus Februarii ad cœlestem patriam evolasse. *Ecclesia Beneventana, ob* VII *Februarii officio Duplici S. Hermolai Martyris impeditum, celebrat postridie sive* VIII *Februarii* S. Maximum *Episcopum Nolanum ritu semiduplici, ut tradit Marius de Vipera in Catalogo SS. Ecclesiæ Beneventanæ, asseritque,* sacros cineres in ecclesia Beneventana servari sub altari majori, *illudque ibi in marmore* sculptam inscriptionem indicare. *Cum vero ex Beneventanæ*

*7 et 8 Februarii :*

A ventanæ urbis devastationibus monumenta deperierint, quomodo delati fuerint, nullam extare memoriam : credi ex Principum Beneventanorum pietate asportatos. *Reliquum elogium ex Ferrario descriptum adjungit.*

*Auctore G. H. reliquiæ aliquæ Benevenit.*

3 *Acta S. Maximi e Vita S. Felicis Presbyteri a S. Paulino vario natalitio carmine expressa, eruenda essent, nisi eamdem Vitam soluta oratione concinnassent S. Gregorius Turonensis, Venerabilis Beda et Marcellus Presbyter Nolanus, quam singularum expositione triplicem* XIV *Januarii dedimus, et hic excerpimus quæ ad* S. Maximum *spectant. Accepimus Neapoli ab Antonio Beatillo nostro Vitam* S. Maximi *Italice ab Andrea Ferrario compositam, sed, ut Auctor præfatur, e Vita S. Felicis erutam. Ea ergo omissa damus miraculum ab eodem missum Beatillo, ex vetusto Breviario MS. Ecclesiæ Nolanæ in festo S. Maximi pro lectionibus ad Matutinum legi solitum. Servatur illud Breviarium MS. in collegio Nolano Societatis* Jesu.

*Acta dantur ex Vita S. Felicis*

*et miraculum ex MS.*

4 *Agunt de eodem* S. Maximo, *seu* Maximiano, *in Martyrologiis* XIV *Januarii Beda vulgatus, tradens* S. Felicem a Maximiano Nolanæ urbis Episcopo presbyterii honore prælatum; *Notkerus et Maurolycus, qui et historiam S. Maximi in solitudine semimortui,*

B *et a S. Felice recreati commemorant, quæ omnia Ado conjungit. Agitur de eodem in Breviario Romano in Lectione propria de S. Felice, et* Maximianus *appellatur. Eam persecutionem Diocletiano et Maximiano attribuunt Ferrarius uterque, et Ughellus : silent Paulinus et reliqui antiqui.*

*ejus memoria apud alios Martyrologos, et in Breviario Rom.*

## § II. *Vitæ epitome ex lib. 1 S. Gregorii Turonensis de Gloria Martyrum cap. 104*

De Felice Nolano Martyre, quia historia passionis non est in promptu, juxta id quod B. Paulinus versu conscripsit, pauca huic lectioni oblectat inserere. Hic enim a Maximo prædictæ urbis Pontifice presbyterii honore præditus, quantæ fuerit sapientiæ eruditionisque, non modo Christianis, verum etiam ipsis quoque paganis occuli non potuit. Cum autem Imperatorum decreta Christianos insequi præcepissent, Maximus Pontifex jam senio prægravatus, putans se non posse ferre supplicia, silvarum saltus adivit : quos dum turbidus de hac persecutione pererrat, afflictus fame, gelu attritus, solo corruit semivivus.

*S. Maximus S. Felicem ordinat Presbyterum,*

*ob persecutionem fugit,*

C 6 At Felix Presbyter captus, cum multa de deorum portentis, quod nihil fuerint, disputasset, percursis diversorum suppliciorum generibus carceri dijudicatur, in quo non mediocribus vinculis tenebatur adstrictus. Nocte autem media venit ad eum Angelus Domini, et confractis catenis, scissaque trabe, qua pedes ejus conclusi erant, ait : Surge, et sequere me. Qui surgens egressus est cum eo januam carceris; dixitque ei Angelus Domini : Conscende ad montana, et require Sacerdotem tuum, inventumque ac refocillatum, reduc ad urbem, et in loco abscondo secreto, ne inedia ac frigore depereat, donec desinat persecutio a Christianis. Accepto Felix mandato, pergit quo nesciebat ; sed providente Deo, reperit Sacerdotem solo prostratum, clausis oculis strictisque dentibus, in quo nihil aliud quam tenuis halitus inspirabat, interpellatoque nullum sermonem potuit elicere, tactoque sensit ejus membra hieme rigida, et absque ullo vitali tepore præmortua.

*a S. Felice,*

*per Angelum e carcere educto*

*semimortuus invenitur,*

7 Anxius autem cum nullum alimentum esset quod periclitanti porrigeret, neque quo ignis accenderetur haberet; dum staret attonitus, quasi de æthereis sedibus dilapsum, quod ita erat, munus contemplatur Angelicum. Ecce enim de sente, quæ erat proxima, uvam dependere miratur, de qua granis in os D Confessoris expressis, paullulum senior refocillatus erectus est : quem humeris impositum tanta velocitate detulit, ut putaretur magis ille ferri quam ferre. Sic tugurio cujusdam viduæ commendato alimentum præbuit, donec insecutio Christiana discessit. Quo Sacerdote migrante, Felix electus a populo, ut Cathedræ Ecclesiasticæ superponeretur, noluit acquiescere. Ergo Quintus nomine, Presbyter, Episcopus ordinatur.

*uva in sente reperta reficitur,*

*domum reportatur, obit.*

## § III. *Alia Vitæ epitome, auctore S. Beda in Vita S. Felicis Presbyteri.*

ANIMADV. PAP. 5

Exorta infidelium persecutio, gravi Ecclesiam certamine pulsavit : nec tamen portæ mortis, portas filiæ Sion, ut non nuntiarent laudem sui Creatoris, avertere potuerunt. Cumque magistri auctoresque perfidiæ primum suæ vesaniæ conflictum contra ipsos veritatis ad fidei Dominicæ magistros intendissent, primosque Episcopos vel Presbyteros Ecclesiarum, ad terrorem minorum, aut morti tradere, aut ad negandam fidem cogere conspirassent; factum est, ut ministri erroris et infesti furoris, Nolam quoque pervenientes, Episcopum urbis illius, nomine Maximum, virum doctrina, pietate atque ætate venerabilem ad tormenta quærerent. Quod ille animad- E vertens; memor Domini præcepti, quo dictum est : Cum vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam, petit ad tempus secessum loci remotioris, relicto ad tuitionem civitatis Felice Presbytero, quem filii loco complectebatur, atque heredem suæ Sedis accipere desiderabat. At persecutores ubi Episcopum invenire nequiverunt, nihil morati, manus in Felicem mittere contendunt, eumque primum, quasi maximam post Episcopum urbis arcem, a constantia famosæ suæ virtutis dejicere, vel blandiendo promissis, vel pœnis terrendo satagunt. Comprehensus ergo Felix ab adversariis furentibus, sed ipse multum de interna Spiritus sancti consolatione confisus, mittitur in carcerem tenebrosum.

*S. Maximus Episcopus persecutionem fuga declinat.*

Matt 10 23

*Ecclesia commissa S. Felici.*

9 Interea Episcopus, qui ad montium latibula hostem fugiendo secesserat, et ipse non minore martyrium passione gerebat, quam si ferro vinctus, aut testis superpositus, vel flammis esset urendus. Urebat namque animum illius cura maxima sui gregis, urebat et corpus fames, una cum gelidæ rigore hiemis : qui inter spineta sine tecto et alimento jacens, noctem una cum die pervigil, sollicitis continuabat F in precibus. Nec difficile membra senilia, et longis exhausta jejuniis, tanta vis malorum comprimens, vel ad mortem usque coegit.

*in solitudine miserus conficitur*

10 Sed ut superna pietas apertissime, quanta sui cura vir ille dignus esset, ostenderet, mittitur e cœlo Angelus, qui B. Felicem Confessorem vinculis exemptum, ad quærendum recreandumque ac domi revocandum Antistitem ocyus venire præciperet. Erant autem plures eodem in carcere clausi : sed Angelus adveniens, soli Felici, qui pietatis gratia vinctus erat, apparuit, luce splendens corusca, et ipsam quoque domum gratia lucis adimplens : cujus voce simul et luce Felix motus intremuit, ac primum quidem se somnii imagine illudi putavit. Angelus surgere illum, et se sequi exeundo præcepit. Qui stupens ad imperium jubentis caussabatur se exire non posse, quia et vinculis et claustro carceris, et custodum diligentia teneretur. Porro Angelus iterata voce surgere illum propere, nihil obstantibus vinculis, jussit; et dicto citius catenæ de manibus et collo ejus, compedesque cecidere de pedibus. Eduxit autem illum foras miro rerum ordine, aperta sibi quidem janua carceris, sed ceteris clausa : ita ut per ipsos custodes, quibus claudebatur, ignaros rerum

*a S. Felice ab Angelo e carcere educto.*

iter

A iter agerent, ipso Angelo instar columnæ Mosaicæ, et ducatum Felici et lumen, usque dum hostium manus evaderet, præsentiæ suæ fulgore præbente.

*pene exanimis reperitur,*

11 Ut autem pervenit B. Felix Confessor ad locum deserti, quo Episcopus secesserat, invenit eum ægra suspiria tenui flatu trahentem. Et quidem gavisus, quod eum viventem invenerit; constristatus vero est multum, quod inventum morti proximum vidit. Itaque complexatus et osculatus est Patrem, cœpitque tentare, si forte crebro anhelitu sui oris, et sui totu corporis aliquid caloris posset gelidis ejus artubus afferre. Cum vero diu laborans, neque clamando, neque tangendo aliquid sensus vitalis in ejus posset vel animo excitare vel corpore, sed neque ignem aut alimentum in proximo, quo eum rigentem ac tabescentem recrearet; tandem invento salubri consilio, flectit genua sua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, suppliciter obsecrans, ut ipse cœlitus eum juvaret, quo ministerium pietatis, quod jussus erat, erga Patrem suum explere valeret. Nec mora: exanditus vidit pendentem vicinis in sentibus uvam: et illius esse munus agnovit, qui naturarum conditor atque auctor omnium, et aquam de petra produxit arida, et ipsam eum voluit in vinum convertit. Lætatusque multum hoc munere divinæ pietatis, tulit racemum, atque ad os Episcopi morientis admovit. Sed quia ille strictis dentibus instar mortui, utpote omni sensu et cordis et animæ carens, oblatum sibi gustum prorsus accipere nesciebat; tandem sanctus Presbyter Felix, felici manuum suarum luctamine aperuit arida ejus labia, et sic ori ejus, resoluta uva, quantum potuit succi salutaris infudit. Quo gustato, mox Pater sensum et animæ recepit et corporis: aperiuntur deinde oculi, linguaque, quæ siccis hærebat faucibus, ad loquendum soluta est.

*uva divinitus accepta recreatur,*

B

*ante edoctus a Christo ejus adventum,*

12 Et ubi pæne reviviscens, Felicem esse, qui ad se quærendum venisset, agnovit, paterna illum pietate complexus, et quare tam sero veniret, conquestus est: Ubi, inquiens, tam diu demoratus es fili? Nam te jam dudum Dominus ad me venturum promiserat. Vides autem, quia etsi fragilitate victus corporis, ad horam cessi; solidam tamen animi fidelis constantiam servavi, sicut etiam loci hujus, ad quem successi, status indicat. Poteram quidem ad vicum aliquem, sive aliam urbem, ubi ab hostibus essem tutus, intrare, si mihi vilis fides, et cara hæc vita fuisset. Nunc autem cuncta hominum refugia declinans, ad deserta vero montium confugiens, divinæ tantum

C me gratiæ tuitionique credidi, ut videlicet me ipse quocumque modo vel ordine vellet, aut in hac vita conservaret, aut in futuram transferret. Neque vero me spes, quæ in Deum erat fefellit, sicut tuo manifeste probatur adventu, per quem ab ipso, ut ita dixerim, limine mortis sum revocatus ad vitam. Unde, nate mi, complere festinus cœptum pietatis opus curato, et impositum me humeris tuis domum reportare satage.

*domum reportatur.*

13 Quibus dictis, Felix celerrime quod jubebatur explevit, revectumque humeris Antistitem, suam ad domum retulit, quam unica servabat anus. Intantum autem Antistes venerabilis a mundi erat rebus alienatus, ut ulli de omni turba domus et summa census, anus una superesset. Pulsatis ergo foribus, hanc suscitavit Felix surgentique ac januam aperienti dedit et commendavit Episcopum. Tunc Episcopus pro impenso sibi officio pietatis, B. Felici debitam gratiarum retulit actionem, et imposita capiti ejus dextera, paterna illum benedictione donavit.

*gratias agit S. Felici.*

## § IV. *Alia Vitæ historia auctore Marcello Presbytero in Actis S. Felicis.*

In primis B. Felix ætatis suæ annis officium Lectoris accepit, inde Exorcistæ gradum potiori dignitate sortitus est, ut ordinatione paullatim cresceret, qui fide jam creverat. Sed dum in eo gradu constitutus plurima in Christo virtutis signa monstraret, ad dignum presbyterii sacerdotum servitio ducente pervenit. Et ut sacratissimum caput ejus duplex gratiæ corona præcingeret, Christianæ persecutio legis effecit. Quæ furore impietatis armata, pietatis jura turbabat, et fideles perfidos, sanctos sacrilegos judicabat: et ut odia circa justos furoris exerceret insani, innocentes nocenti sorte perdebat. Eodem fere tempore Nolanam urbem sanctis legibus Maximus gubernabat Episcopus, qui Ecclesiæ suæ populos, nunc mentis pietate, nunc oris solamine confortavit, et grandævum ætatis suæ senium Sancti baculo Felicis oblectans, paterna mente complexum hæredem sibi, metu persecutionis abscedens, consilii tacita dispositione substituit, et ignorante B. Felice ad montium deserta discessit. Quem venerandus Confessor pro desolati gregis miseratione perquirens, circa Ecclesiæ septa, fugiente sene, sollicitudinem boni Pastoris implevit. Hunc piissimis operibus insistentem, stimulata diabolo paganorum turba comprehendit et tam sanctæ cervici, quam manibus ferrea vincula nectentes, liberum fidei lumen injuriosa carceris nocte clauserunt....

D

*AUCTORE VEN. BEDA*

*In persecutione Ecclesia S. Felici commissa, fugit,*

*in solitudine inter preces*

E

15 Interea B. Maximus in solitudine montium, ad quam carnificum manus fugiendo pervenerat, vitam æger in ærumnis agebat, non duro catenarum ferro vinctus, sed solo relicti gregis desiderio torquebatur: et nunc famis deforme jejunium, nunc algorem senilis ætatis et frigoris sustinebat. Qui noctis dieique tempus pervigili prece continuans, inter aspera montium in oratione prostratus, consolationem tribulationi lacrymosa supplicatione poscebat. Membrorum dolorem fortior cordis dolor excluserat. Sed licet fidelissimi senis mentem solida in Christo constantia roboraret, carnis tamen infirma fragilitas frigore fameque confecta, spiritus sui substantiam, fabrica deficiente, linquebat.

*fame et frigore exhauritur.*

*a S. Felice ad ejus solatium*

16 Hac cœlestis Pater miseratione permotus, non pertulit Pontificis sui vitam in obscura montium asperitate transire: quamvis eum sicut Eliam volucris servitio potuisset, qui et Prophetam inter famulantia leonum ora cibis spiritualibus educavit. Ergo Sacerdotem Confessoremque sereno Deus vultu respiciens, non passus est senem in solitudine tabescere: sed, ut eum digno consolationis comite visitaret, B. Felicem de carceris custodia liberavit, per quem attonito gregi probatum fide posset revocare Pastorem, atque suis humeris sanctum oneri pondus imponens ad propriæ Ecclesiæ septa reduceret. Sed fere silenti nocte venit Angelus, et inter afflictos, quos arcta custodiæ vincula constrinxerant, Felicem solum respexit, quem reum caussa pietatis effecerat. Tunc loquente sibi Angelo, et mœroris ab eo dolor abscessit, et marcentes carceris tenebræ cum ministris subita luce fulserunt: turbatusque tanto nuntio, fideli tamen aure Angelicæ virtutis verba captabat. Sed primo agi somniis cuncta credens, respondit se retentum catena sequi non posse, quod et carceris claustro et custodis terroribus teneretur. Quem morantem vox divina increpans, catenarum vincla dissolvit, et dormiente custode, in auxilium B. Felicis Angelica virtus invigilat. Quo faciente libera fugienti datur occasio, nec claustro retineri poterat, quippe cui janua Christus extabat. Fit per eos custodes via, per quos adimi solet inclusis. Ipse enim Christus famuli sui Felicis libera fecit a catenarum ferro vestigia, qui Apostolum suum Petrum, ut cruentam Herodi prædam diriperet, de carcere liberavit. Discedente vero Angelo, beatus Confessor Christi mandata custodiens, ad deserta montium et defessi senis habitacula,

F

*ab Angelo*

*e carcere educto,*

*semimortuus reperitur,*

A cula, licet per ignotum iter, Domino tamen ducente, pervenit: invenitque eum inter extrema vitæ suspiria defectis animam flatibus perurgentem. Qui postquam B. Felix cari parentis membra cognovit, osculatus notissimos vultus, super pectus senis jacens, calorem gelidis membris et ardorem fidei piis complexibus revocabat. Sed nec sensus in corpore tepefacto, nec mobilis pulsus extabat. Similis quoque mortuo jacens, modico flatu salutis occultatæ vestigium in extremo vitæ limine retinebat.

*auctore Marcello presb.*

17 Cujus postquam famulus Dei Felix deficientia fame ora conspexit, tristis ingemuit, quia neque unde calefaceret algentem habebat, neque ad reficiendum senem aliquod in deserto erat compendium. Cogitanti siquidem in ea hora cibum Christus opposuit, quia de spinosis sentibus super caput justi media hieme pendere uvam permisit. Hanc B. Felix celeri legit obsequio. Cujus liquorem supra gelida ora senis expressit, et distillanti musto morientibus labris succum vitæ diffudit. Refectusque subito jucundo et cœlesti remedio, clausos pene morte oculos in januam salutis aperuit. Mox notis faucibus rediens vox animata resonuit, et pari complexu gaudentes, arguens B. Felicem de tarditate, talia senex verba reddebat:

*divinitus oblata uva reficitur,*

B Dic mihi, præcipuum gratiæ pignus Felix, et in Christo fidele remedium, quænam te cessantem mora retinuit? Dudum te ad me venire Dominus nuntiavit. Ego enim si fragili ad tempus corpore discessi firmo tamen pectore perduravi, sicut et locus docet, et membrorum victa fragilitas, in qua me cernis trahentem lucis extrema. Ergo susceptum tibi opus a Deo perfice, et me supra humeros tuæ pietatis imponens, ad commune ovilis habitaculum care porta subvectum. Gaudens tanto munere B. Felix devotæ cervici carum pondus imponens, ita levior effectus est, ut ferri magis quam ipse ferre videretur, cujus pedes ad festinandum pietas veloces effecerat. Ad suæ cellulæ mox eum tecta perduxit, quæ unicamnus servans, tanti Sacerdotis meritum commendabat, et pro omni servitiorum turba vel pompa facultatum, sola famulo Christi suffecerat. Hanc B. Felix pulsatis januis excitans, carum oneris pignus sub Christi observatione commendat, ut tantam fidei gemmam in Domini judicio præsignet incolumem.

*ante de ejus adventu mentitus,*

*ejus humeris demum reportatur.*

### § V. *Miraculum a S. Maximo patratum, ex MS. Breviario Nolano.*

C Cum pene per universum mundum mirificus odor Sanctorum miraculorum Sanctissimi Maximi suavissime fragraret, nec esset locus aut provincia, quæ de illius subsidio non gauderet, et nemo esset afflictus periculo, nemo ægritudine quassatus, qui ejus beneficii medelam non inveniret, tandem aliquando ipsius odor pervenit ad notitiam Divinæ legis amatoris Damasi sanctæ Romanæ Ecclesiæ summi Pontificis, atque universalis Ecclesiæ Papæ, eo tempore, quo magnam ægritudinem corporis patiebatur, et ab impiis æmulis valde infamia opprimebatur. Nam, ut in libro Pontificali legitur, quem *a* B. Hieronymus eidem Papæ composuit, dum ordinandus esset iste Damasus in sacratissima Sede B. Petri, sub contentione cum quodam *b* Ursicino, facto consilio Sacerdotum, constituerunt Damasum Romæ, Ursicinum vero ordinaverunt *c* Neapoli Episcopum. Et quia odio, ut scriptum est, habent mali bonos, impietatis fama impii æmuli, adulterii crimine præfatum Damasum infamare conati sunt. Iste igitur cum in tali afflictione positus esset, et de infirmitatis molestia fatigatus, inventa quadam occasione ambulandi pro suæ purgationis solamine, Nolam ad beatissimum Maximum Confessorem suppliciter properare curavit. Ingressusque illius templum, procidens ante tumulum, ubi ejus sacratissimum corpus requiescere videbatur, Dominum deprecabatur, dicens: Jesu Christe Domine Deus, qui humanum genus pretioso tuo sanguine redimere dignatus es, ac de falso opprobrio illustrem Susannam mirabiliter liberasti, adjuva me, et miserere mei, et per merita tui famuli sanctissimi Maximi destrue mortis insidias, et quassa laqueos adversariorum meorum, qui sacratissimam Cathedram dilecti Apostoli tui Petri infamare conantur. Tu enim es Dominus, arcanorum conditor et cognitor, tu scrutator renum, et cordium, tu allevas omnes qui corruunt, et erigis omnes elisos; tu pugnare jubes, et superare facis, atque post lacrymationem, et fletum, auxilii imbrem infundis: Sancti quoque tui Confessoris Maximi meritis *d*... ac Commodum confitendo, vel conferendo. Iste Papa, præcipuum, et tamquam cœleste oraculum consulendo, quod postulavit de valetudine, assecutus est; et quod exoptavit de adversariis, optime superavit, ac victor effectus est. *e* Facta siquidem synodo in urbe Roma a quadraginta quatuor Episcopis, purgatus est. Condemnaverunt Concordium et Callistum, et de sancta Ecclesia projecerunt. Hæc autem, ne cuilibet impossibilia videantur, testantur versiculi ab eodem Papa digesti, qui in basilica, et ecclesia Sancti Felicis, ubi jacebat corpus S. Maximi, opere mosayco descripti sunt, quos ipse pro salute infirmitatis, et purgatione falsi criminis parare vel percantare curavit.

*S. Maximi miraculis clari religiosus*

*visit S. Damasus Papa*

D *afflictus morbo a ANIMADV. PAP 6 et infamia, b c* Mich. 3, 2

E *ejusque patrocinio liberatur.* *d* *e*

Corpore, mente, animo, pariter quoque nomine Magne,
Sanctorum numero Christi sociate triumphis,
Qui ad te sollicite venientibus omnia præstas,
Nec quemquam pateris tristem repedare viantem. F
Te duce, servatus mortis quoque vincula rupi,
Hostibus extinctis, fuerant qui falsa locuti.
Versibus his Damasus supplex tibi vota rependo.

a *Est hic liber de Romanis Pontificibus, sub nomine Damasi ipsius citari solitus, et Anastasii Bibliothecarii, qui adjecisse posteriorum Pontificum Vitas videtur.* — b *De hoc schismate per Ursicinum excitato agit Ammianus Marcellinus Ethnicus illius temporis scriptor, aliique apud Baronium ad annum* 367 *et sequentes.* — c *Idem Baronius ad annum* 381 *num.* 7 *negat Ursicinum fuisse creatum Episcopum Neapolitanum, ob rescriptum Imperatorum, quo exilio longinquo mulctatus est.* — d *Hic aliqua desunt.* — e *Sunt verba Anastasii in Vita S. Damasi.*

# DE S. MEGALOMART. THEODORO DUCE
## HERACLEÆ IN PONTO,

J. B.

## Commentarius prævius.

### § I. *S. Theodorus Dux a Tirone diversus. Utriusque natalis.*

*an. Ch. CCCXIX. VII Febr. Duo SS. Theodori MM. unus Amasenus,*

Illustres *uno tempore in Ponto* Theodori *duo extitere; sub Maximiano Galerio alter Amaseæ, Heracleæ alter sub Licinio, martyrii palmam adepti. Hic* Στρατηλάτης Dux exercitus, *ille* Τήρων, Tiro *vulgo appellatus, non quod tirocinio armorum tunc erudiretur, cum certamen pro fide suscepit, sed (ut ex Græco quodam scriptore adnotat doctissimus et religiosissimus Jacobus Goar Ord. Prædicatorum, Observat.* 29 *in cap.* 6 *lib.* 1 *Codini Curopalatæ de Officiis Curiæ et Ecclesiæ Constantinopolitanæ) quod in cohorte, Tironum dicta, præcipuus esset, aut Centurio, vel*

Tiro dictus.

A *vel simpliciter, ut inferius citandus Nicephorus, quod ex* Tironum ordine, ἐκ τοῦ τηρωνικοῦ τάγματος. *Is* ex Amasea civitate oriundus erat, loco qui Chœmialon dicebatur, *uti referunt Menæa* XVII *Februarii; aut* Chumialorum, ἐκ χωρίου λεγομένου Χουμιαλῶν, *ut est in Anthologio Antonii Arcudii. Cum porro, ut in ejus Actis scribit Metaphrastes*, in Orientis regione militaret, cum multis aliis ductus est ad legionem, quæ vocabatur Marmaritarum, sub Præposito Brinca, quæ legio sedebat in civitate Ponti, nomine Amasea, *ubi ipse glorioso agone perfunctus est. Hinc Usuardo et aliis errandi præbita occasio, ut* apud Amaseam civitatem Marmaritanorum *peremptum scriberent.*

*alter Euchaita, Dux,*

2 *Alter vero* Theodorus, *ut citata Menæa habent ad* VIII *Februarii*, ex Euchaitis genus ducens, domicilium fixerat Heracleæ ad Pontum : *quippe* Mariandenorum genti præfectus, *uti lib. 7 cap. 44 tradit Nicephorus Callistus.* Tenebant *autem* Mariandeni ab Heraclea urbe, usque ad Cytorum (Κύτωρον) urbem *Ptolemæo teste, lib. 5 cap* 2. Myryandyni *in Græca Vita S. Alypii Cionitæ* XXVI *Novemb. appellantur. Ita habet MS. exemplar, si quidem mendo caret; discrepat certe ab ea Vita quam Latine vertit Gentianus Hervetus* : ᾧ πατρὶς μὲν ἡ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα κειμένη πόλις, B μία τῶν Μυρυανδυνῶν, καὶ αὐτὴ τῆς Παφλαγόνων γῆς ὑπάρχουσα, Ἀδριανούπολις οὕτω καλουμένη. Cui *Alypio* patria fuit ad orientem solem sita urbs, una Myryandynorum, et ipsa in Paphlagonum regione existens, Adrianopolis appellata. *Interpres Nicephori Joannes Langus* Mariandynos *vocat, sed Græca Frontonis editio* Μαριανδηνεύς.

*Mariandenorum Præfectus*

*uterque festo secundi ordinis apud Græcos celebris :*

3 *Recensetur utriusque* Theodori *natalis, in Novella Manuelis Comneni Imp. ante* D *circiter annos lata, inter dies festos secundi ordinis, quibus* ex parte judicia agitantur; ut scilicet a mane usque ad ipsum Divini sacrificii tempus liceat Judicibus vacare orationi et Dei glorificationi; et post Divinum sacrificium justitiæ curam gerere, et iis qui injuria affecti sunt, legum virtute opem ferre. *Ita Theodorus Balsamon in scholiis ad Nomocanonem Photii tit. 7 cap.* 1, *ubi inter dies* qui ex parte cessant a judiciis, et non sunt omnino, ut prædiximus, a negotiis gerendis immunes, *numerantur* ἡ ζ' τοῦ φευρουαρίου, διὰ τὸν μεγαλομάρτυρα στρατηλάτην Θεόδωρον, καὶ ἡ ιζ' διὰ τὸν ἀθλοφόρον Θεόδωρον τὸν Τήρωνα. VII Februarii, propter magnum Martyrem Ducem exercitus Theodorum, et XVII, propter victoriosum Theodorum Tironem.

*Tiro ab illis 17 Febr.*

4 *Quam Græci* XVII *Februarii agunt* S. Theodori C Tironis *anniversariam celebritatem, uti patet ex Anthologio, Menæis, et Henrici Canisii Menologio, in quo tamen perperam* Dux exercitus *appellatur, cum Latini die* IX *Novembris recolunt, uti illic dicemus.* S. Theodorum Ducem *venerantur nunc Græci, ut in Menæis et Anthologio videre est,* VIII *Februarii; quo die et Galesinius eum suo Martyrologio inscripsit, et Molanus auctario ad Usuardum.* VII *Februarii consummasse martyrium affirmant Acta; eoque die celebrari ejus festum solere a Græcis, jam ex Manuelis Comneni Novella ostendimus. Atque ad illum diem ista in Martyrologio Romano leguntur :* Heracleæ S. Theodori ductoris militum, qui Licinio imperante, post multa tormenta truncatus capite, victor migravit in cœlum. *Eum tamen quidam Latinorum ad* IX *Novembris, quo alterius* Theodori *celebrior solemnitas agitur, revocant. Ita Maurolycus :* Item Heracleæ in Macedonia S. Theodori alterius militis, quem Licinius Imp. multipliciter cruciatum, tandem decollari jussit : cujus corpus Venetias est translatum. *Eodem die breviter ejus Acta commemorant Petrus Canisius et Hermannus Greven, traduntque* apud Heracleam Macedoniæ *passum; ille, draconem ab eo interfectum* in Achaia : *quæ a Petro de Natalibus ambo acceperunt, lib.* 10 *cap.* 40 *fusius ea prosequente, a quo et Ferrarius descripsit, quæ in Catalogo SS. Italiæ de* S. Theodoro *memorat, sed chorographicis illis erroribus emendatis.* D

*a Latinis 9 Novemb. colitur :*

*Dux a Græcis 8 Febr. olim 7,*

*uti et nunc a Latinis,*

*a quibusdam 9 Novemb.*

AUCTORE J. B.

## § II. *Uter Theodorus præcipue Euchaïtæ cultus?*

C*elebris olim ad Euchaitanam* S. Theodori *ædem peregrinatio erat, quod ex Joannis Moschi Prato spirituali cap.* 180 *discimus. Nam Joannes anachoreta, ut ibi dicitur,* nunc quidem pergebat Ephesum ad S. Joannem, nunc autem Euchaitam ad S. Theodorum, nunc vero ad S. Theclam in Seleuciam Isauriæ, nunc ad S. Sergium in Saraphas, et modo ad istum, modo ad illum Sanctum. *Alypius quoque, cujus antea meminimus, cum e patria clam profugisset,* Euchaitis *ab Episcopo Adrianopolitano eum perquirente inventus est,* cum dies festus ageretur S. Theodori. Καταλαμβάνει τοῦτον ἐν Εὐχαΐτοις ἤδη τῆς πανηγύρεως τελουμένης Θεοδώρου τοῦ μάρτυρος. *In Menæis etiam* XXII *Januarii, mentio fit* τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεοδώρου Εὐχαΐτων sancti Martyris Theodori qui Euchaïtis colitur.

*Euchaitæ celebris cultus S. Theodori :*

6 *Verum uter e duobus præcipue eo nomine intelligatur, quærat fortassis nonnemo : nam uterque Euchaitis sepultus memoratur. Et de Tirone quidem ejus Acta Latina :* Quædam autem mulier, nomine Euse- E bia, nobili genere, veniens petiit corpus sancti Martyris Theodori, et vino unguentisque pretiosis condiens sanctum corpus ejus, et in sindone munda involvens, posuit in loculo mundissimo, et transtulit in possessionem suam, quæ distat a civitate Amasia via unius diei, in loco qui vocatur Euchaita. In qua videlicet possessione, cœlitus inspirata, cogitavit ecclesiam construere. Fecit autem ibidem domum perfectam et sanctificatam in honore beati Martyris Theodori : et erat illic quotidie celebrans commemorationem ejus. In quo etiam loco per beati Martyris Theodori merita, multi mundantur ab spiritibus immundis, et variis infirmitatibus liberantur, usque in præsentem diem. *Eadem fere in Græca MS. Vita habentur; et illud diserte :* ᾐτήσατο τὸ σῶμα τοῦ ἁγίου καὶ καλλινίκου μάρτυρος Θεοδώρου, καὶ μύροις διακοσμήσασα, καὶ σινδόνι καθαρᾷ ἐνειλήσασα ἐπέθετο ἐν γλωσσοκόμῳ, εἰς οἰκίσκον ἑαυτῆς, ἐν πόλει Εὐχαΐτων, μνήμην ἐπιτελοῦσα τῆς πολυάθλου αὐτοῦ μαρτυρίας εἰς δόξαν *etc.* Petiit sancti et egregia victoria clari Martyris Theodori corpus, atque unguentis delibutum, mundaque sindone involutum, ac thecæ impositum F ad domum suam in civitatem Euchaitarum devexit, memoriam gloriosi ejus martyrii celebrans, ad gloriam *etc. Illud de Euchaitis, ita effertur ab Herveto apud Lipomanum et Surium :* Deposuit in loculo in domo sua, in civitate Euchaitarum sub metropoli Amasenorum, quotannis peragens memoriam ejus venerandi et colendi martyrii.

*utrius?* Tironis *certe sepultura,*

*ab Eusebia curata,*

*illustrata miraculis,*

*in urbe Euchaitarum*

*sub metropoli Amasenorum*

7 *Aliud argumentum, quo probetur* Tironem Theodorum *præcipue celebrem Euchaitis fuisse, suggeri videtur, ex ejus apparitione, Juliani Apostatæ tempore facta. Cum enim hic per urbis Constantinopolitanæ Præfectum curasset esculenta ac poculenta venum in foro exposita submoveri; et ea solum quæ ipse præbuisset, mixta sanguine sacrificiorum, impiisque ritibus inquinata, proponi, ut ita omnes, nisi fame confici vellent, cogerentur sacrificiorum participatione contaminari; fraus est divinitus per S. Theodorum Martyrem detecta, et qua ratione eludi posset indicatum. Extat apud Lipomanum et Surium oratio, Nectarii Archiepiscopi Constantinopolitani nomine,* propter quam caussam in primo sabbato sanctorum jejuniorum celebretur memoria sancti Martyris Theodori; et de jejunio et eleemosyna; *in qua oratione illa S. Theodori apparitio refertur. Sed Baronius tom.* 4 *ad an.* 362 *num.* 42 *existimat eam* orationem ab aliquo ex Græcorum recentioribus

*idem, cupiente Juliano Apostata Constantinopolitanos ad esum idolothytorum cogere,*

A centioribus depravatam esse, quod Episcopus Constantinopolitanus Patriarcha dictus habeatur, eidemque per visum apparuisse dicatur Theodorus Martyr, commonuisseque eum de insidiis Juliani. Quam quidem apparitionem, *inquit*, cuipiam alii potius quam Episcopo factam esse putamus, quod Eudoxius tunc præesset Ecclesiæ Constantinopolitanæ, hæreticorum omnium scelestissimus.

*AUCTORE J. B. cuidam apparet,*

8 *Sed ipsum de Theodoro Nectarium audiamus :* Quid ergo qui nos creavit Deus? numquid neglexit aut despexit? Nequaquam : sed simul cum his gravissimis insidiis et improba machinatione salutem excogitavit. Pontifici enim et Pastori Christianorum, qui tunc erat, hoc iniquum aperuit consilium, mittens ad eum in somnis Magnum-martyrem Theodorum, revera Dei donum, donatum ad salutem nostræ fidei. Dei itaque Martyr accedit ad Patriarcham, revera et non in somnis apparens, memini autem eorum quæ dixit, ad verbum. Sic enim dixit Principi Pastorum : Surge, et congrega gregem Christi, et omnes diligenter admone, ne quicquam emant ex cibo et potu qui est in foro propositus : impius enim Julianus omnia polluit execrando sanguine sacrificii simulacrorum. Pontifex vero Sancto respondit :

*jubetque pauperibus annonam aliam subministrari,*

B Quomodo, o Domine mi, potest hoc fieri? Nam hoc quidem possunt fortasse qui sunt divites : nam sibi quidem prius habent reposita quæ sunt necessaria. Pauperes autem ne habent quidem victum unius diei. Quidnam ergo erit, quo possint solari inopiam rerum necessariarum? Martyr vero dixit : Prælens eis colyba, solare necessitatem. Patriarcha autem dixit : Et quidnam hoc fuerit? Nescio enim quod sit hoc vocabulum. Martyr vero (o solidam et acrem ejus defensionem!) respondit, Frumentum, inquit, coque, et eis in cibum distribue : sermone enim Euchaitarum solemus hoc vocare Colyba. Cum sic ergo feceris, conserva Christi gregem illæsum et impollutum. Et quis es, Domine, inquit Patriarcha Martyri, qui tam benigne et misericorditer nostræ salutis curam geris? Ego sum, inquit, Martyr Christi Theodorus, qui ab ipso missus sum ad vestram salutem....

*voce Euchaitica usus,*

*seque Theodorum professus :*

9 Postquam ergo sic audivit Patriarcha, admiratione plenus et lætitia, surrexit et Christi populum congregavit, Martyrisque Christi adventum, et quodnam ferendum significarit auxilium, aperte narravit omnibus : et cum fecisset ut Sanctus statuerat, servavit illæsum gregem Christi. Peracta autem hebdomada, cum inutilem fuisse machinationem, et C successu caruisse insidias accepit Julianus, aperte quidem et summe victus, e foro extulit ea quæ erant polluta : proponi vero jussit ea quæ consueverant. Quamobrem cum venisset sabbatum, intellexissent autem Christiani irritam fuisse machinationem furiosi Juliani, hymnum gratiarum actionis glorioso Martyri Theodoro exhibentes, lætum et splendidum festum ei celebrarunt : frumentumque coquentes et pauperibus distribuentes, fecerunt eorum salutem omnibus manifestam. Singulis itaque annis usque in hodiernum diem miraculi inclyti Martyris memoriam pie fidelibus peragendam reliquere. Hoc est quod a nobis nunc peragitur et celebratur miraculum.

*sic eluso tyranno,*

*exultans Christiani,*

*eeque anniversariam memoriam colunt :*

10 *Licet autem* Theodorum Tironem *non nominet Nectarius, ejus tamen illud fuisse beneficium diserte asserit Nicephorus Callistus lib.* 10 *cap.* 12, *e quo corrigas Hervetí errorem, qui τὰ κόλυβα colybem vertit. At Nicephorus σῖτον δὲ λέβησιν ἕψοντας, ἃ ἐν Εὐχαΐτοις κόλυβα εἰώθασι λέγειν,* triticum in ollis coquentes, quæ colyba Euchaitis appellare solent. *At de Martyre Divini præcepti nuntio :* Theodorus autem iste est, qui ex Tironum ordine, Tironis nomen accepit, et sub Maximino ad ignem voracem damnatus, cursum suum in martyrii stadio pulchre peregit. *De festo autem ita tradit :* Ex eo tempore facti memoriam re- D novans Ecclesia, et celebrem agens conventum, ad hunc usque diem conservat. *Confirmant id quoque Menæa* XVII *Februarii hisce verbis :* Peragitur illius memoria in sanctissimo ejus martyrio, *sive templo, quod est in ædibus, vel regione urbis, aut via, quæ* Phoracii *dicitur,* (τῷ ὄντι ἐν τοῖς Φωρακίου) primo sabbato primæ hebdomadis Quadragesimæ : quando miraculum per eum contigit colyborum, *seu frumenti cocti,* quo populum orthodoxum ab execrato immolatitiorum ciborum esu liberavit, ὅτε καὶ θαῦμα γέγονε παρ' αὐτοῦ τῶν κολύβων, ῥυσαμένου τὸν ὀρθόδοξον λαὸν ἐκ τῆς μεμιασμένης βρώσεως τῶν εἰδωλοθύτων. *Eadem habentur in Anthologio Ant. Arcudii.*

*HUNC AUTEM S. Theodorum Tironem fuisse constat ex Nicephoro*

*et Menæis,*

11 *At S. Theodorus Dux Euchaitæ natus ac sepultus fuit. Ita Menæa* VIII *Junii :* ἐν Εὐχαΐτοις μὲν γεγονὼς, καὶ τὸ γένος ἐκεῖθεν ἕλκων, ἐν Ἡρακλείᾳ δὲ τῇ κατὰ Πόντον κειμένῃ τὰς διατριβὰς ποιούμενος. In Euchaita natus, indeque genus ducens, Heracleæ quæ ad Pontum sita est, diu versatus. *Consentit Menologium ab Henr. Canisio editum. Anthologium vero ait* habuisse in Euchaitis domum, *sed Heracleæ commoratum fuisse.*

*S. Theodorus Dux, Euchaitæ natus,*

12 *Apud Euchaitas quoque ut sepeliretur, Augaro scribæ mandavit :* Reliquias autem meas, *inquit cap.* 3 *num.* 17, depone in Euchaitis, in majorum meorum E possessione. *Menologium etiam* VIII *Junii :* Martyr ipse mandavit, ut ejus ipsius reliquiæ ad Euchaitas relatæ, in paterno prædio sepelirentur. *Et Menæa* VIII *Februarii* Μετετέθη δὲ ἀπὸ τῆς Ἡρακλείας ἐν τοῖς Εὐχαΐτοις ἐν τῷ γονικῷ αὐτοῦ οἰκήματι, καθὼς Αὐγάρῳ τῷ ταχυγράφῳ αὐτοῦ ὁ μάρτυς διεκελεύσατο. Translatus est Heraclea ad Euchaitas, in paternam domum, quemadmodum Augaro notario suo Martyr præceperat. *Ipse Augarus, seu quisquis ejus nomine Vitam descripsit, quæ extat apud Metaphrasten cap.* 3 *num.* 18 : Posthæc autem cum accepissent venerandas et sanctas ejus reliquias, cum cereis et suffitibus, universa comitante multitudine, Heraclea tulerunt Euchaita, et illic deposuerunt omnibus videntibus, VIII mensis Junii. Quo in loco nunc quoque ex universa terra, quæ est sub cœlo, congregatur genus hominum. *Anthologium quoque :* τὸ δὲ τίμιον αὐτοῦ λείψανον ἀνακομισθὲν ἐτέθη ἐν Εὐχαΐτοις. Venerabiles ejus reliquiæ translatæ depositæ sunt Euchaitis.

*ibidem sepeliri se mandat;*

*quod solenniter factum*

*8 Junii,*

13 *Celebris est apud Græcos* VIII *Junii dies, quo recolitur, ut est in Menæis et Anthologio,* ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Θεοδώρου τοῦ στρατηλάτου. Translatio reliquiarum sancti Magni-Martyris Theodori Ducis. *Menologium Henrici Canisii :* F Eodem Die relatio reliquiarum sancti Martyris Theodori Ducis exercitus ad Euchaitas. *Atque ille Dies in citata superius Manuelis Comneni Novella, in secunda festorum classe reponitur,* Propter Magnum-martyrem Ducem exercitus Theodorum.

*qui deinceps festus fuit :*

14 *Ex his liquet, utrumque Euchaitis merito tribui, licet ob hunc præcipue Theodorum Ducem urbs ipsa Euchaita, postea* Theodoropolis *sit appellata, ut inferius dicemus. Quam tamen appellationem Baronius in Notat. ad Martyrol.* XI *Novemb. a Tironis Theodori nomine sumptam credidit, suo ipse mendo confirmans, quod ad* VII *Februarii scripserat,* ob nominis convenientiam alterum pro altero acceptum aliquando reperiri Theodorum.

*Euchaita post* Theodoropolis *dicta,*

15 *Breviter S. Theodori Ducis Acta complexus Nicephorus Callistus lib.* 7 *cap.* 44 *invicem duos illos, et a S. Theodoro Pergensi, qui colitur a Græcis* XIX *Aprilis, a Latinis* XX *Septembris, distinguit, ea scribens :* Quo tempore (*persecutionis Licinii*) etiam exercitus Dux Theodorus martyrio est defunctus, spectata fortitudine vir, qui Heracleæ in Ponto habitans, Mariandenorum genti præerat : et quod evocatus ad Licinium non venisset, hospitem ipsum habuit, ejusque deos comminutos egentibus dedit. Hunc Licinius

etiamsi

A etiamsi egregie carum habuerit, multis tamen affecit cruciatibus. Nam et in crucem eum egit, et subulas in meatus secretiores corporis ejus immisit, postremoque capite truncavit. Cujus corpus postea in patriam ejus Euchaita magnifice deportatum, et ibi insigni templo cohonestatum est. Alius hic est a Tirone illo, qui in Amasea civitate, sub Bringa Maximiani Præfecto holocaustum factus, supplicium ignis fortiter pertulit. Sicut et ille qui Pergæ in Pamphilia crucifixus vitam hanc finiit.

*ubi insigne ejus templum.*

## § III. *S. Theodori Acta. Socii martyrii.*

*S. Theodori Acta ab Augaro notario scripta,*

Augarus *S. Theodori ducis notarius, sive ταχυγράφος, qui coram omnia spectarat,* sigillatim interrogationes ac responsa, vimque ac varietatem tormentorum, et auxilia divinitus allata, late descripta exposuit in templo, *quod postea in Sancti honorem excitatum est; ita Menæa. Idque jussu sancti Martyris egisse se ipsemet Augarus testatur :* Ego autem, *inquit*, aderam scriba Augarus, et videns gravia hæc supplicia, et audiens etiam dolorem occultorum ejus gemituum, abjectis codicillis, devolvebar lacrymans ad ejus pedes. Dominus vero meus, Christi miles Theodorus, parB vam vocem emittens, mihi dixit : Augare, ne relinquas munus tuum, nec intermittas dicere quæ in me futura sunt supplicia : sed sustine meum adventum describere, et certamina et diem meæ consummationis. *Hunc scribam Petrus de Natalib. pro Augaro* Eucharium *vocat.*

*ipso jubente;*

*quæ hic edita, NOT. 3 ANIMADV. PAP. 7 vel eorum compendium*

17 *Eam porro Augari narrationem, a Metaphraste descriptam, Latine vertit Gentianus Hervetus, edidit Aloisius Lipomanus, ex hoc Surius. Neque nos aliud nacti MS. exemplar sumus. Videri tamen possit commentarii, quam Augarus scripsit, compendium duntaxat esse, cum dicatur* πλατύτερον διαχαράξαι fusius descripsisse *omnia, quæ succincte hic referuntur.*

*alia, jussu Gregorii Archiep. Neapolit.*

18 *Eadem Acta ante annos circiter* ∞, *Latine composuit* Bonitus *Subdiaconus Ecclesiæ Neapolitanæ,* Gregorii *Archiepiscopi sui auctoritate. Quod ita in Prologo testatur :* Ex quibus igitur solertissimis ac studiosioribus viris Gregorius Parthenopensis loci servator, non solum industriam, verum etiam originem trahens, qui videlicet nepos ac proles, frater ac patruus extat Parthenopensium Ducum; cum quorumdam passiones sanctorum Martyrum rustico Archivorum stylo digestas legi in Ecclesia comperisset, et ex his populus audiens ridiculum potius quam imitaC tionem acquireret; Christi æstimatione permotus, non est passus Dei opus ludibrium fieri populorum. Quapropter me Bonitum indignum Subdiaconum Ecclesiæ Neapoleos compulit, quatenus S. Theodori gesta potiori serie pertractarem; et me totis nisibus reluctantem ad hoc quod voluit inclinavit invitum. Quamobrem legentium veniam obnixe deposco, uti meæ indulgeant ætati; et si quodlibet hic compererint ineptum, suo libitu studeant emendare. Nimirum quintum ætatis percurrens lustrum, discipulum fore quam magistrum potius decet.

*a Bonito Subdiacono scripta,*

*satis verbose*

19 *Habet hæc narratio, res quam prior illa ex Metaphraste haud multo plus, verborum, nec optimorum, immane quantam farraginem. Eam tamen adepti ex MSS. codicibus RR. PP. Oratorii Romæ, benevolentia eruditissimi Oderici Raynaldi indicavimus haudquaquam publicæ lucidendam. Erat Gregorius Archiepiscopus Neapolitanus anno* CIƆCXVI, *uti ex quodam* Paschalis II *Papæ diplomate declarat Bartholomæus Chioccarellus in catalogo Antistitum ejus Ecclesiæ.*

*ante annos 830*

*Sextus, aut Cæstus an Martyr?*

20 S. Theodoro *jungit hic scriptor* Cæstum Anthypatum (*qui in Augari narratione vocatur* Sextus Proconsul) *qui cum* CCC *militibus missus a Licinio, ut* Antiochum *ac* Patricium *centuriones et* LXXX *milites, a S. Theodoro conversos, interficeret, et ipse cum suis*



*Christi fidem suscepit, irruentemque in Theodorum stricto ense Leandrum quemdam occidit, ac demum ipse a Merpa, sive Merpusio, Hunno trucidatus est, uti in Actis memoratur. Hunc ergo pronuntiat Bonitus* Christi D Martyrem effectum. *Menæa* VIII *Februarii, Centuriones illos cum* LXXXIII *militibus fatentur pro Christo interfectos :* Misit, *inquiunt*, Licinius, qui corpus Martyris tollerent, et in mare jactarent. Ut eo autem venerunt qui missi erant, et viderunt vivum et incolumem, Christo crediderunt : erant autem quinque et octoginta. Et post eos alii CCC milites, quos Cestes Proconsul (ὁ ἀνθύπατος Κέστης) ducebat, qui prioribus morte sublatis missi, et ipsi ad Christum conversi sunt. *Et Menolog.* VIII *Junii :* Quem cum vidissent qui missi fuerant a Licinio, crediderunt Christo ipsi, et Martyres facti sunt. *Canisius scribit duos centuriones et* XLVIII *milites pro Christo mortem subiise. Nusquam horum mentionem in martyrologiis reperimus.*

AUCTORE I. B.

*an Antiochus et Patricius cum 83 sociis?*

*Quo anno occisus sit S. Theodorus?*

21 S. Theodori *martyrium refert Baronius ad* CCCXVI *annum Christi : Ferrarius ad* CCCXIX, *qui quartus erat a Licinii morte. Si, ut habent Acta, sabbato occisus est sanctus Martyr, et quidem* VII *Februarii; necesse est id anno Christi* CCCXIX *contigisse; neque enim ab anno* CCCVIII, *sub cujus finem Licinius Imperator est renuntiatus, usque ad ejus necem, dies* VII *Februarii in* E *sabbatum incidit; nisi anno* CCCXIII *et* CCCXIX. *At* CCCXIII *duxit Licinius Constantiam uxorem, et cum Constantino leviro adversus Galerium Maximinum arma junxit, favitque aliquamdiu Christianos, quos postea crudelissime est persecutus.*

## § IV. *S. Theodori miracula.*

*S. Theodorus plurimis miraculis clarus,*

P*lurimis miraculis illustratum est sancti Martyris* Theodori *nomen. Ita ejus Acta per Augarum :* Multa enim miracula facit Dominus et curationes, per venerandum et sanctum corpus gloriosi Martyris Theodori. *At Bonitus cap.* 3 *num.* 28. In quo itaque loco haud longo post tempore ad honorem nominis sui fideles populi ecclesiam construxerunt, ubi ipsius Sancti opitulantibus meritis multa mirabilia operantur. *In Menæis quoque ita invocatur sanctus Martyr* VIII *Febr. et* VIII *Junii :* Memento gloriosam tui memoriam recolentium, tuarumque reliquiarum in fide adorantium urnam, e qua petentibus sanitatem et magnam misericordiam profundis. *Ac deinde :* O fax terram miraculis irradians. *Atque alibi :* Martyrum decus illustre. Date, quotquot estis fideles, laudum coronas, Theodorum coronemus. Magnum enim Dei F donum mundo ostensum splendoribus miraculorum.

*in bellis invocatur :*

23 *In bellis invocari* S. Theodori *auxilium præcipue solet, neque unius fiducia Joanni Zemiscæ orthodoxo Imperatori parta, illius ope, de Russis victoria est. Moverat adversus eos secundo imperii sui anno, qui erat Christi* CMLXXI, *variisque attritos cladibus,* Dorostorum *sive* Dristram, *Mysiæ inferioris urbem Scythis finitimam, compulerat, una cum Sphendosthlabo ipsorum Duce. Hic barbari diuturna obsidione ad summam rerum omnium penuriam redacti, extremum tandem pro vita certamen summa vi inire, quod diu anceps fuit; sed tamen ad internecionem cæsi. Georgius Cedrenus in Compendio historiarum ita memorat adfuisse Imperatori commilitonem hunc Divum :* Ferunt ea pugna divinitus quoque Romanis latum auxilium : nam ab Austro obortam procellam in facies Scytharum ingruisse, eosque impedivisse ne suo arbitratu rem gererent. Et ab omni Romanorum exercitu conspectum fuisse virum albo equo vehentem, qui princeps pugnam inierit, hostiumque ordines conturbaverit, nemini neque ante neque postmodo cognitum : eum aiebant fuisse Theodorum, unum de pulcherrimas consecutis victorias Martyribus. Sane his semper auspicibus atque antesignanis adversus hostes uti solebat

*adest Joanni Zemiscæ Imp. contra Scythas,*

A Imperator hic: et quo die hæc pugna est pugnata, is festus fuit memoriæ illius Theodori exercituum ductoris.

*AUCTORE J. B.*

24 Sed et veneranda quædam mulier Constantinopoli fidem fecit, id visum fuisse divinum. Ea enim pridie istius diei in somnis visa fuerat adstare Deiparæ, et audire eam dicentem cuidam militi: Domine Theodore, meus ille et tuus Joannes in periculo versatur; festina ad opem ei ferendam: idque insomnium prima luce vicinis narraverat. Enimvero Scythæ eo prælio funduntur, cumque se portis interclusos a Barda sentirent, in campum fuga disperguntur, pereuntque innumerabiles, partim a se invicem conculcati, partim a Romanis obtruncati, vulnerati pene omnes.

*missus a Deipara [...]tis victis,*

25 Martyri Theodoro gratiam pro ope lata referens Imperator, templum, in quo is humatus erat, ad fundamenta usque demolitus, aliud magnificentissimum extruxit, ac prædiis amplos habentibus reditus donavit: urbem in qua is erat, pro Euchaneia, Theodoropolim nominavit. *Narrat deinde, qua ratione paratum sibi triumphum, Deiparæ urbis regiæ custodi detulerit, ejus imagine curru triumphali imposita, et ante se in urbem magnifice devecta, eique publice atque*

*novum ei templum ædificatur; Euchaita Theodoropolis appellatur.*

B *ejus Filio Salvatori actis gratiis.*

26 *Eadem aliquanto brevius commemorat Joannes Zonaras, qui addit Byzantinæ illi feminæ, castitate ac* religione claræ, visam in somnis Deiparam procedentem cum magno comitatu, προϊοῦσαν καὶ παραπεμπομένην ὑπὸ πολλῶν, *somnium vero* quibusdam indicasse, qui die notato, id pridie postremæ pugnæ accidisse comperuerunt. *Baronius in Notat. ad* IX *Novembris, id S. Theodoro Tironi tribuit, ut supra monuimus, licet Cedrenum et Zonaram citet, qui ambo hunc τὸν στρατηλάτην,* Ducem, *fuisse aiunt. Quamquam in Curopalate ita habeatur.* Etenim forte accidit, ut hoc prælium ea die committeretur, qua celebrare memoriam militis consuevimus. *Verum Joannis Baptistæ Gabii interpretis ea incuria fuit. Etsi enim Joannis Scylitzæ Curopalatæ Græcum textum non vidimus, dicitur tamen cum Cedreno ad verbum congruere, qui ita habet:* Καὶ γὰρ δὴ καὶ συνέτυχε τονδὲ τὸν ἀγῶνα κατ' αὐτὴν συνενεχθῆναι τὴν ἡμέραν καθ' ἣν εἰώθαμεν ἑορτάζειν τὴν μνήμην τοῦ στρατηλάτου.

*Hæc S. Theodoro Tironi tribuuntur a quibusdam, perperam*

27 *De templo Martyri ab Imperatore extructo, Zonaras:* ναὸν αὐτῷ κατὰ τὴν Εὐχάνειαν, ἢ Εὐχαΐταν, περικαλλῆ δομήσατο, etc. Templum ei Euchaniæ sive

C Euchaitæ, splendidissimum educavit. *Εὐχανεία est Cedreno: qui* Theophilum Euchaitarum Archiepiscopum, τὸν τῶν Εὐχαϊτῶν ἀρχιερέα, *in ea expeditione Joanni Imperatori adfuisse, et legatione ad Patzinacas functum tradit. Erat autem Archiepiscopus Euchaitarum autocephalus, in provincia Helenoponti, uti videre est apud Carolum a S. Paulo in Parergo ad Geographiam sacram: ob venerationem fortasse sancti Martyris eo privilegio donatus, ne Amaseno Helenoponti Metropolitæ subesset.*

*Euchaita urbs archiepiscopalis autocephala,*

28 *Quod supra retulimus ex Cedreno, semper consuevisse Zemiscen uti* auspiciis atque ante signanis adversus hostes, προμάχοις καὶ προβόλοις, sanctis Martyribus, quos Καλλινίκους vocant, pulchris decoratos victoriis; *ex eo fortassis facto ritus* Flammulorum *manavit, quem Codinus cap. 6 memorat; aut, si antiquior, confirmatus certe religiosissimi illius Imperatoris pietate.* Dum Liturgia peragitur, *inquit Codinus,* aut solæ etiam vesperæ sabbato vel Dominica decantantur, Proceres ii qui circumstationis moderatores sunt, gestant flammula, *sive* φλάμουλα. Sunt autem ista, primum, Archistrategus, *sive S. Michaelis imago*. Alterum Octapodion, habens multas divinasque sacrorum Pontificum imagines, lingulis octo. Tertium, Crux habens imagines quatuor Magnorum Martyrum, Demetrii, Procopii et utriusque Theodori. Quartum repræsentans S. Georgium equitem. Quintum Draconteum. Sextum Imperatoris effigiem exhibens equo incidentis. Sunt autem bina omnia, id est, simul duodecim.

*in Flammulis, seu vexillis Græcorum, S. Theodori imago*

D

29 *Illustre quod de S. Theodori templo juxta Damascum, et imagine, memorat ex S. Anastasio Sinaita S. Joannes Damascenus orat. 3 de imaginibus, quod ad* Tironem *refert Baronius: nos utri adscribendum, merito ambigimus; eoque hic non censuimus prætermittendum. Ita ergo habet.*

*Miraculum S. Theodori, incertum an hujus*

30. S. Anastasii a sancto monte Sinai. Quatuor passuum millibus Damasco distat locus, qui Carsatas dicitur, quo in loco S. Theodori templum est. In hoc templum ingressi Saraceni, omnibus illud sordibus et immunditiis, ex feminarum et puerorum atque animalium rationis expertium commixtione fœdaverunt. Quadam igitur die cum plures ipsorum considerent et colloquerentur, unus eorum sagittam in S. Theodori contorsit imaginem, et dexterum ipsius humerum vulneravit: statimque sanguis defluxit, et ad extremam usque imaginis partem decidit, omnibus id quod factum fuerat, sagittamque in humero Sancti defixam, et sanguinem emanantem contuentibus.

*templum ejus a Saracenis profanatum, imago læsa, sanguine defluente*

31 Quo tamen tam admirabili signo perspecto non resipuerunt, nec enim qui sagittam conjecerat pœnituit, nec quisquam eorum commotus est. Non recesserunt e templo, nec illud commaculare destiterunt: attamen extremo sunt affecti supplicio. Cum enim viginti essent eorum familiæ quæ in templo commorabantur, intra paucos dies acerbo omnes morbo deleti sunt: cum eo in loco nemo ipsorum diebus illis interierit, exceptis iis qui in templo fuerant commorati. Hæc igitur imago sagitta perculsa adhuc superest, sagittæque vulnus habet, et vestigium sanguinis. Multi autem eorum qui rem viderunt, et eo tempore fuerunt, quo res hæc admiranda contigit, adhuc vivunt. Et ego ejus imaginem vidi, et quod vidi monumentis mandavi. *Hæc ille. Vixit autem S. Anastasius Sinaita Episcopus Antiochenus temporibus Justiniani, Justini junioris, Tiberii, Mauricii Impp. uti* XXI *Aprilis ad ejus Vitam diximus.*

E

*sacrilegi puniti S. Anastasius Sinaita imaginem vidit, et rem gestam didicit ab iis qui viderant*

ANIMADV. CAP. 8 et 9

## § V. S. *Theodori corpus Venetias allatum.*

Allatum est deinde Venetias S. Theodori *Ducis ac Martyris corpus, uti in suis Martyrologiis Franciscus Maurolycus et Petrus Canisius annotarunt. Sancti tamen antiquior in ea urbe cultus, positumque illi inde ab* F *Æræ Christianæ sexto seculo templum fertur. Ita Bernardus Justinianus de Rebus Venet. lib. 6.* Solutus Narses Deo vota, ex manibus bello partis et Romæ et Ravennæ basilicas: voti quoque apud Venetos non immemor, duas in Rivalto construi curat, transmissuras suæ memoriam, alteram Theodoro Martyri, eo in loco urbis nunc est ædes S. Marci, quæ illam Theodori a Narsete conditam majori ambitu nunc includit, postea scilicet quam beati Evangelistæ corpus est delatum, alteram vero Mennæ et Geminiano. *Idem in historia translationis S. Marci, meminit* ædis B. Theodori, quam supra diximus, *inquit*, a Narsete conditam. *Blondus Flavius in Italia illustrata, regione 8.* Primum externorum Venetiis ornandis attulit adjumentum Narses Eunuchus Patricius, primi Justiniani Imp. copiarum in Italia adversus Gothos missarum Dux, qui, quod Veneti eum traducendis a Tarvisio Ravennam copiis navigiis juvissent, postquam subegerat Gothos, Ecclesias S. Theodori et Geminiani de capite Broli in Venetiis ædificavit. *Idem in libro de gestis Venetorum.* Beneficii memor Narses, quamprimum Ravennæ fuit, opifices Venetias misit a quibus S. Theodori sacellum, ubi Ecclesia nunc est S. Marci, et SS. Menæ et Geminiani Ecclesia in capite Broli ædificata est. *De*

*S. Theodori ædes Venetiis, a Narsete ædificata*

*iisdem*

*jam intra S. Marci basilicam :*

A *usdem templis Sabellicus Enneade* 8 *lib.* 4. Templa hodie Venetiis visuntur cum vestigio vetustatis quorum Narses auctor traditur; unum Theodoro sacrum, aurea nunc æde comprehensum, in fronte Marcianæ areæ Geminiano. *Franciscus Sansovinus lib.* 2 *de civitate Veneta testatur, sua ætate, ante annos numerum* LXX, *solitos in eo* S. Theodori *sacello, sive oratorio, haberi plerumque conventus Sacræ Inquisitionis. Meminere ejusdem Ecclesiæ Joannes Nicolaus Doglionus, et Paulus Maurocenus, uterque historiæ Venetæ, lib.* 1.

*itidem statua S. Theodori Ducis,*

33 *Visitur in area S. Marci, statua* S. Theodori, *columnæ prœaltæ imposita de qua Sabellicus de situ Venetæ urbis lib.* 2. In Marciana area, qua ad meridiem excurrit, geminæ columnæ præstanti forma prominent : mira in illis spectatur proceritas. In hoc epystylio Divi Marci simulacrum ea forma, qua alatum imitatur leonem : in illo Theodori Martyris, intenta hasta draconi incubantis. In utriusque numinis tutela civitas ad hunc diem mansit; in Martyris olim, nunc in Divi Marci est. *At Petrus Justinianus hist. Venetæ lib.* 1. Inter reliqua præclara ædificia D. Marci templum principem locum tenet : cui Ducarium juxta accubat, magnificentia splendoreque insigne, cum palatio æque ornatu eximio. Area quo-

*quondam Venetiarum Patroni :*

B que latissima patescit, ubi geminæ firma basi erectæ ad ripam inusitatæ magnitudinis columnæ, quarum altera ex ære alatum habet epistylio leonem, superbo statu in mare respicientem : tacitaque ea admonitio esse videtur, ut civitas aquis fundata maritima, arma exerceat; altera D. Theodori figuram, qui dextra præpostere clypeum manu tenet, læva autem hastam : quod signum pacis innuitur. *Primitus Venetæ urbis tutelarem Divum extitisse* Theodorum *Sansovinus quoque testatur.*

*ejus corpus allatum Venetias,*

34 *Quo autem tempore corpus ejus allatum sit Venetias non perinde inter Venetæ historiæ scriptores convenit. Petrus de Natalibus tradit* ab Euchario in Achaiam *delatum; voluit* ab Augaro in Euchaiam, *vel* Euchaitam, *scribere, addit deinde :* Temporis vero processu, corpus ejus de partibus illis a Venetis raptum, Venetiasque delatum, atque in Ecclesia Salvatoris, quæ est Canonicorum regularium, sepultum est. *Id qui-*

*non ann.* 1125 *a Dominico Michaele Duce,*

*dam anno* MCXXV, *alii* MCCLVI *factum tradunt. Expugnaverunt Latini Proceres, ope præcipue Venetæ classis, Tyrum urbem in Kalendas Julii ann.* MCXXIV. Calojoannes *Imperator invidia motus Venetis intulit bellum. Dominicus Michael dux Venetus ab senatu revocatus, insulas aliquot Ægei maris in reditu diripuit; interque*

C *ceteras Chium,* ex quo loco, *inquit lib.* 2 *Petrus Justinianus,* Divi Theodori corpus sublatum Venetiasque deportatum, in sacello Salvatori dicato reponitur. *Blondus Flavius sub Manuele Calojoannis filio id factum scribit, et a Dominico Michaele Duce,* qui prob us vir, *inquit.* Rhodum primo, post Chium Græci Imperatoris insulas spoliavit, gloriosum nactus in Chio Theodori Martyris corpus, quod in S. Marci basilicam delatum, in capella insigni servatur, quam Marsetem Chartolarium ædificasse docuimus. *Verum cum ex* Dominici Michaelis *epitaphio, quod in S. Georgii æde extare testatur Sansovinus, constet eum anno* MCXXVIII *obiisse,* XV *annis prius quam imperium capesseret Manuel, manifestum est, non sub eo sed sub parente* Joanne Comneno, *sive* Calojoanne, *id evenisse.*

*qui tunc Chio expugnata inde S. Isidori M. corpus abstulit;*

35 *Sed* S. Isidori, *non* Theodori *illud fuit corpus. Ita Sabellicus Decad.* 1 *lib.* 6. Michael Chium quoque pari affecit clade : ex ipsa insula Isidori corpus sublatum, Venetias deportandum curavit, quod in aurea Divi Marci æde est conditum, eo quidem sacello, quod a Narsete ex hostium manubiis erectum supra ostendimus. *Petrus de Natalib. lib.* 5 *cap.* 2, *ubi de* S. Isidoro *Martyre agit :* Tempore vero Dominici Michaelis Ducis Venetiarum corpus hujus Martyris inde a Venetis ad eorum urbem translatum, quiescit in Ducali basilica S. Marci. *Extat apud Sansovinum* D

AUCTORE J. B.

*lib.* 2 *inscriptio ejusmodi :* Corpus B. Isidori præsenti tumba clauditur, Venetiis delatum a Chio, per Dominicum Michaelem inclitum Venetiarum Ducem in MCXXV. Qui occulte in Ecclesia S. Marci permansit usque ad inceptionem ædificationis suæ Cappellæ, suo nomine ædificatæ, inceptæ ducante D. Andrea Dandulo inclito Venetiarum Duce, et tempore Nobilium virorum D. Marci Lauredano, et Nicolai Lion, et Joannis Delphino Procuratorum Ecclesiæ S. Marci, in MCCLV, mense Julii, die X. *Hujus inventionis meminit idem Sansovinus lib.* 13 *in* Andrea Dandulo *Duce. De allatis S. Isidori reliquiis agit quoque Paulus Maurocenus lib.* 5 *et Jo. Nicolaus Doglionus lib.* 2 *Nos plenius ad Sancti ipsius natalem* XV *Maii.*

*sed a Jacobo et Marco Dandulis sec.* 13

36 *At* S. Theodori *corpus quando sit Venetias allatum ita tradit Sansovinus lib.* 2. Cum Jacobus Pandulus, *inquit,* sub annum Christi MCCLVI, cum XII triremium classe Pontum Euxinum ingressus, Mesembriam occupasset, illic e S. Sophiæ basilica corpus S. Theodori Martyris abstulit, vexitque Constantinopolim : unde id Marcus Dandulus Venetias deportavit, et in Sancti Salvatoris æde reposuit, cujus in vicinia habitabat. Quamquam alii velint, isthic a Joanne Baduario Patriarcha Gradensi collocatum. E *At nullum ipse Sansovinus in Chronico* Joannem Baduarium *inter Patriarchas Gradenses recenset. Quando autem* Mesembriam (*quæ urbs est Mœsiæ inferioris ad Pontum Euxinum*) *fuerit S. Theodori corpus allatum, necdum comperimus.*

*positum non in S. Zachariæ,*

37 *Venetiis in S. Zachariæ ecclesia depositum S. Theodori corpus ita tradit Sabellicus lib.* 2 *de situ urbis :* Ad veterem aram Gregorii, Zachariæ, Theodori, Sabinæ, Pancratii, Nerei et Achillei corpora uno condita sunt sacrario. *Testatur Sansovinus in illo sanctimonialium Virginum cœnobio asservari reliquias* SS. Zachariæ, Pancratii, Savinæ, Leonis, Tirasii eremitæ, Gregorii, Nerei, Achillei *et aliorum :* S. Theodori *isthic non meminit, sed (ut jam retulimus) in æde S. Salvatoris, quæ est Canonicorum regularium, extare ejus exuvias tradit. Idem refert antea citatus Petrus de Natalibus; idem Philippus Ferrarius in Catalogo S. Italiæ.*

*sed Sancti Salvatoris templo.*

*Reliquiæ ejus Romæ :*

38 *Scribit Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis almæ Urbis, reg.* 8 *eccl.* 1 *extare utriusque* Theodori, *hujus qui draconem occidit, et Amaseni, reliquias aliquas in æde S. Onuphrii, sed quando aut quo pacto illuc allatæ, nescire. Sunt variis locis in Belgio reliquiæ aliquæ* S. Theodori Martyris, *hujusne an Tyronis, an cujuspiam alterius, non constat : ita memorat* F *Raissius in Hierogazophylacio Belgico, in metropolitana Cameracensi basilica* Theodori Martyris *reliquias extare; in Cathedrali Atrebatensi* Os S. Theodori M. *in cœnobio Marchianensi* partes notabiles Theodori M. *Atrebati in monasterio S. Autberti* de ossibus S. Theodori M. *Ita et Coloniæ in æde Crucigerorum, teste Gelenio lib.* 3 *Syntag.* 45 § 6 *num.* 10 de S. Theodoro in aurea monstrantia. *Et in S. Dionysii cœnobio apud Parisios, ubi Jacobus Doubletus in illius cœnobii Antiquitatibus lib.* 1 *cap.* 46 *scribit. Volaterris quoque in Etruria inter alias illustres Ecclesiæ Cathedralis reliquias, in hierotheca, cui figura Ascensionis insculpta,* S. Theodori Martyris *reliquiæ, et aliorum quorumdam illustrium Sanctorum asservantur. Itemque, et iisdem verbis, in alia hierotheca, in qua S.* Caroli *effigies expressa.*

*variæ in Belgio S. Theodori, incertum an hujus;*

*an et Coloniæ,*

*et in S. Dionysio.*

39 *In nonnullis recentioribus Kalendariis adscriptam reperimus ad* XVIII *Martii* Translationem S. Theodori Martyris. *Quæ illa sit, aut cujus, necdum comperimus.*

ACTA

A

ANIMADV. PAG. 10

# ACTA AUCTORE AUGARO

INTERPRETE GENTIANO HERVETO.

## CAPUT I.

*S. Theodori Ducis victoria de immani dracone.*

*Martyrum gloria*

Quomodo resplendet sol iis qui vident, ita de Martyribus oratio iis qui audiunt. Quomodo autem cælum est astris ornatum, ita etiam Ecclesiæ, quæ Dei tenent Martyres. Et quomodo flores campi, ita etiam Martyres in Ecclesiis. Memoria Martyrum, est remissio debitorum. Memoria Martyrum, est revocatio eorum, qui vexantur a dæmonibus. Memoria Martyrum, est vita et sanitas iis qui amant Martyres. Magna Martyrum certamina, splendidæ sunt Sanctorum coronæ. Tradiderunt enim flagellis sua corpora, et quæcumque sunt mundi jucunda, arbitrati sunt esse stercora, ut Christum non negent. Propterea Dominus ipsos quoque est remuneratus ea vita, quæ degitur cum Angelis incorporeis.

*Licinio Imp. Christianos persequente.*

2 Nam cum, qui est ab initio inimicus generis humani, putaret se eos esse oppugnaturum, potius habitatores effecit Paradisi. Non cessavit enim agrestes feras movere in eos, qui sunt fide pii, et si semper ab eis vinceretur. Qui etiam nostro tempore excitavit hanc agrestem feram adversus gregem Christi, B *a* Licinium, inquam, sororis pii Imperatoris Constantini maritum. Nam cum accepisset sceptra ab impio *b* Maximiano, imitans ejus mentem et actiones, statim irrecone [illegible] excitavit persecutionem adversus eos, qui erant insignes pietate, et misit edicta per universam civitatem et regionem. Qui etiam ex innumeris militaribus, ille impiis suis decretis interfecit *c* quadraginta Sebastiæ, et similiter septuaginta centuriones et trecentos in Macedonia. Cum autem vidisset sceleratissimus, quod magna atque adeo infinita multitudo contemneret impia ejus decreta, et se daret ad mortem propter pietatem in Deum, statuit insigniores potius et magis eminentes comprehendere in exercitibus et in civitatibus, et eos cogere cultum offerre simulacris, existimans stolidus, se modo posse persuadere omnibus, qui sunt ejus ditionis.

*ac præsertim illustriores;*

*Theodorus Dux egregius*

3 Cum vero ubique quærerentur ii, qui sunt gloriosiores in rebus hujus mundi, et magna uterentur diligentia, ei significatum est de quodam viro, nomine Theodoro, specie quidem formoso, et in dicendo sapiente, qui fuit *d* Defensor regius scholasticus, is autem vocabatur *e* Bryo rhetor; ætate quidem juvenis, antiquus vero in pia actione. Qui etiam occidit draconem Euchaitis: illic enim erat draco, *f* immanis bellua: quando enim movebatur, ut egrederetur, contremiscebat terra ob ejus motum. Quando ergo egrediebatur a sua caverna, sive homo, sive jumentum illic occurrisset, omnino ab eo devorabatur. Cum de hac ergo sævissima bellua audivisset generosus Christi athleta Theodorus, et in suis castris nullum edidisset tumultum, solus est profectus, sua sapientia portans Crucem pretiosam, et arma ejus societatis, dicens apud se: Vadam, et liberabo paternam meam possessionem a sæva hac bellua, dracone.

C

*patriam ab excidio dracone liberaturus,*

4 Cum vero venisset in illum locum, et fœni vidisset viriditatem, jacuit illic et dormivit, nesciens illic expectare draconem. In parte autem Euchaitarum, quæ vergit ad Austrum, erat quædam pia mulier, *g* nomine Eusebia, credens in Christum. Ea cum vidisset Christi athletam Theodorum dormientem, cum magno metu ad eum veniens, et eum manu apprehendens, eum excitavit, dicens: Surge frater mi, et cito recede ex hoc loco, nescis enim metum qui est in hoc loco, est enim hic magnus metus. Sed surge, et cito viam tuam ingredere. Venerandus autem Martyr Christi Theodorus cum surrexisset,

*periculi admonetur a pia fœmina:*

dicit ei: Quis est timor et tremor in hoc loco, o mater? Dei vero ancilla Eusebia, dicit ei: Fili, est in hoc loco draco ingentis magnitudinis, et ideo nemo potest hac transire. Quotidie enim egrediens, sive homo, sive pecus inventum sit ante eum, ab eo interficitur. Vere perfectus autem Christi athleta Theodorus, dicit mulieri: Vade mater, et sta procul ab hoc loco, et videbis virtutem Christi mei. Veneranda vero illa mulier cum a loco recessisset, se pronam humi projecit, flens et dicens: Fer ei opem Deus Christianorum hac hora. D

*eaque commonente,*

5 Sanctus autem Martyr Christi Theodorus, cum Christi fecisset signaculum, et suum pectus pulsasset, et in cælum adspexisset, dixit: Domine Jesu Christe, pulchrum nomen, qui e patris effulsisti essentia, ne differas facere quam a te peto petitionem; qui in bellis mihi assistis, et das mihi victoriam contra adversarios. Et nunc tu idem es, Domine Christe Deus: emitte mihi victoriam ex alto sancto tuo, ut vincam hostem draconem. Tunc tanquam cum homine cum suo equo disserens, dixit: Scimus Deum esse bona voluntate in omnibus tam hominibus quam bestiis. Quamobrem tu quoque fer mihi opem, te Christo corroborante, ut vincam adversarium. Cum equus autem audisset verba sui domini, stetit expectans motum draconis.

*Cruce se signat,*

*et Christum invocat:*

E

6 Tunc dicit Martyr Christi draconi: Tibi dico et præcipio in nomine Domini nostri Jesu-Christi crucifixi propter genus hominum, et ejus virtutem, egredere ex hoc loco, et veni ad me. Cum vero Christi athletam audisset draco, se ipsum movit. Et cum ipse moveretur, petræ loci conterebantur, et terra tremuit. Sanctus autem Theodorus cum Christi fecisset signaculum ascendit equum suum, et calcitrans stetit equus supra draconem quatuor suis pedibus. Tunc Christi athleta Theodorus, stricto gladio, percussit draconem, et dixit: Ago tibi gratias, Domine Jesu Christe, quod me exaudisti in hac hora, ut vincam adversarium. Deinde is conversus, viam suam in pace iniit, canens lætans et Deum glorificans. Multi autem ex Gentibus, qui illic erant, militibus, cum audissent miraculum, quod Sanctus fecerat Theodorus, Christo crediderunt, sic dicentes: Revera magnus est Deus ejus, et ab ipso baptizati sunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et facti sunt omnes unus grex Christi, et laudabant omnes Deum sancti et magni Martyris Theodori.

*draconem e spec. u evocatum occidit,*

*ac multos convertit*

a Licinio Constantinus anno Æræ vulgaris 313 sororem suam Constantiam conjugem dedit. — b Ita Sextus Aurelius Victor: Galerius, adscito in consilium Jovio, seu Diocletiano, jam privato, Licinium vetere cognitum amicitia Cæsarem, creat Augustum. Eutropius lib. 10: Per hoc tempus Licinius a Galerio Imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine. Factum id ann. 308 videtur. [illegible] lib. 11 cap. 5 post id tempus factum ponit, quo Maximianus Herculeus periit, quod an. 310 contigit. — c De XL Martyribus Sebastenis agemus IX Martii. At LXX Centuriones ac CCC milites, qui sint, aut quando colantur, nusquam adhuc comperimus. — d De Defensoris dignitate dictum aliquid 20 Januarii ad S. Sebastiani Acta, § 1 num. 1. Hic videtur sumi pro comite vel assecla Imperatoris. De Scholastici nomine actum 6 Febr. ad S. Dorotheam, et alibi sæpius. — e Eodem nomine appellatur in Menæis 8 Junii. Significat fontem eloquentiæ, a βρύειν quod est scaturire. — f Frequens draconum ac serpentium immanis magnitudinis mentio apud veteres. Consule Raderum tom. 4 Bavariæ sanctæ in Magno et Tossone, ubi varios citat scriptores. — g Eusebia memoratur in S. Theodori Tironis 17 Febr. actis, mulier nobilis ac religiosa, ut supra § 2 num. 6 retulimus. Eadem esse potuit, sed hic jam paullo ætate provectior, cujus reverentia cum ipse Dux Matrem appellat, ipsa filium.

F

## CAPUT II.

*Licinii Imp. idola a S. Theodoro confracta.* a

Licinius vero, cum hæc de ipso audivisset, mittit ad ipsum, a Nicomedia usque ad Heracleam, cum prope esset Pontus Euxinus. Illic enim eo tempore degebat B. Theodorus. *b* Protectores itaque mittit cum satellitibus, qui eum cum omni honore comprehenderent. Illi autem cum venissent Heracleam, as- b

*vocatus a Licinio,*

sidue

A sidue instabant, ut iret Theodorus ad Imperatorem, dicentes ei: Accede ad Imperatorem, qui te desiderat. Præclaram enim tuam formam valde cupit intueri. Beatus autem Theodorus eos illudebat verbis probabilibus: simul vero facto quoque munere, eos excepit magnifice. Tres autem dies eos detinuit. Cum illi vero urgerent, ut viam iniret, ipse paucis retentis, reliquos misit ad Licinium, ad eum scribens epistolam, ne ægre ferret ipse Imperator ad eum venire cum diis suis insignioribus: ut te, aiebat, præsente diis sacrificem. Illi autem reversi ad eum qui ipsos miserat, cum reddidissent epistolam, et ejus exposuissent prudentiam et virtutem, quin etiam ejus animi magnitudinem, et decere eum non gravari ire ad ipsum. Quod si fiat, omnes qui locum habitant, adorabunt deos Imperatoris. Eorum verbis inductus Licinius, cum magnam congregasset multitudinem, tam civium quam aliorum, ad octo millia, profectus est Heracleam in magno gaudio.

*cum ad se invitat*

8 In ipsa autem nocte videt Sanctus in somnis, quod in altum elatum erat tectum in quo manebat, et ignea jacula ad ipsum de cœlo ferebantur, et vox Domini exiuit, dicens ei: Confide Theodore, sum enim tecum. Beatus vero e somno excitatus, cum B conjecisset somnium, id esse reputavit martyrium, quod a Domino ei significabatur; et lætatus est exultans. Post hæc autem cum scivisset jam venisse Licinium, ingressus intimum suum penetrale, flevit non mediocriter, dicens: Adsis mihi, Domine, in cursu stadii, pro te suscipiendo.

*cœlesti visione ad martyrium animatur:*

9 Et cum rursus scivisset appropinquare Licinium, surrexit, et lavit vultum, et oculos composuit, contexta byssinaque indutus tunica, flammæ ignis simili, et sedens in equo Dardano præclarissimo, factus est obviam Licinio, et salute qua par erat, impertit Imperatorem, dicens: Salve Domine divinissime, potentissime Imperator. Imperator vero juvenem osculatus est, dicens: Adesdum, inquit, nitide ut sol, legum adjutor, coronate corona. Tuum est sua sponte enatum diadema. Oportet enim te post me constitui Imperatorem. Deinde eo ingresso Heracleam, ei excelso parato tribunali in foro in medio civitatis, cum ascendisset et sedisset, turbis præsentibus, concionatus est, dicens. Vere clara et celebris est hæc civitas, et quæ a me munera accipit: quare etiam exultat. Tu quoque care Theodore, ostende diem, in quo diis maximis offers sacrificium. Beatus autem Theodorus dixit: Imperator, affer ad C me insigniores tuos deos, ut cum eos fecero ingredi meum penetrale, eosque vaporavero, et unguentis unxero, eos rursus reducam, et te præsente eis sacrificabo. Hæc cum audiisset Imperator Licinius, cum magno gaudio jubet ipsos ei dari. Cum deos autem Licinii accepisset B. Theodorus, qui constructi erant ex auro et argento, in suum penetrale, cum media nocte eos confregisset et contrivisset, dedit pauperibus.

*occurrit Licinio,* [illegible]

*ab eoque blanditiis sollicitatus ad sacrificandum,*

*deos* [illegible]

10 Cum duo vero dies præteriissent, Licinius accersito Martyre, dicit ei: Ut generosus et inclytus, et honoratus ab iis, qui nos præcesserunt, Imperatoribus, ostende promptum tuum in deos animi studium, ut reliqui videntes te hæc facientem, promptiores fiant et alacriores. Maxentius autem quidam c Centurio assistens dixit Licinio: Per deos, o Imperator, divina tua potentia ab ipso fuit illusa. Vidi enim præcedenti nocte, magnæ nostræ deæ Dianæ d manum cuidam mendico obtigisse, qui abibat et lætabatur. Hæc cum audiisset Licinius, mansit mutus et attonitus. Respondens autem Beatus dixit Theodorus: Per Christi mei virtutem, ita est, ut dicit Maxentius. Recte vero feci, o Imperator. Si ergo dii tui sibi non possunt opem ferre, quomodo vobis poterunt? Licinius autem mutato vultu, et manibus complexis genibus, deflebat, dicens: Hei D mihi! hei mihi! habitus sum ludibrio. Quid dicam, aut quid faciam, aut quid loquar, nescio. Imperator potentissimus accessit ad hunc virum pestiferum, et congregavit tantam multitudinem, et fuit irrisus ab omnibus phalangibus inimicorum. Quin etiam victoriæ insignes deos meos confregit, et dedit pauperibus. Beatus autem Theodorus dixit ei: Fremis, o Imperator, sed ego rugio: tu stertis, at ego exilio. Tu cum Deo pugnas, at ego de Deo dissero. Tu blasphemas, ego vero Deum hymnis laudo. Tu colis deos mortuos, ego vero Deum vivum. Tu Serapin, ego vero eum qui est super Seraphim. Tu Apollinem, ego vero Deum semper viventem. Tu es e carbo e Thracius, ego vero Princeps Romanus. Tu Licinius f f ventilator, ego vero Theodorus g donum Dei. Quamobrem ne ægre feras, o Imperator, neque calcitres: hæc enim faciens, tuos ostendis cruciatus. Asini enim et muli tenes figuram. g

*Licinio indignanti insultat*

a Nicomedia Bithyniæ urbs, olim domicilio Imperatorum Diocletiani, Maximiani, Licinii, etc. nobilitata, sed et plurimorum ibi profuso Martyrum sanguine. — b Erant Protectores, Græcis scriptoribus posterioribus προτήκτορες dicti, stipatores Imperatorum. Menæa habent, τῆς αὐτῆς τάξεως, ejusdem ordinis, cujus nimirum erat ipse Theodorus, qui Defensor regius, seu Protector. Alibi de Sanctis IV Protectoribus Nicomediæ martyrio perfunctis egimus. — c Menæa: Μαξεντίου δὲ κομενταρησίου εἰπόντος. Maxentio commentariensi referente. — d Menæa: τὴν κεφαλὴν μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος, E caput magnæ deæ Artemidis. — e Θρᾷξ ἄνθραξ. Alludit ad Licinii patriam Daciam, non magno terrarum intervallo remotam a Thracia, atque adeo paronomasia. Est aliquando Thracius lapis, aut carbo, qui, teste Plinio lib. 33 cap. 5 aqua accenditur, sicut calx, idemque oleo restinguitur. — f Alia paronomasia ad Licinii nomen: λικμὸς et λικνὸς vannum significat; λικμήτης ventilatorem. — g Θεόδωρος, Θεοῦ δῶρον.

## CAPUT III.

### *S. Theodori tormenta, cædes, sepultura, miracula.*

Tunc multa ira plenus Licinius, jussit exui Martyrem, et cum extendi a quatuor, et boum nervis ei plagas inferri, a sexcentas super dorsum, et b quingentas super ventrem: et postea jubet globis plumbeis immisericorditer ejus verberari tendonem: deinde ferreis ungulis lacerari ejus carnes, et lampadibus ignis ustulari ejus ulcera, et acutis testis radi concretum sanguinem. Post hæc autem omnia, jubet eum tuto teneri in custodia, et ejus pedes illigari compedibus, et eum sic manere c quinque dies, neque gustare quippiam. Cum autem fuissent impleti quinque dies, jussit crucem deferri in basilicam, et duci Sanctum, et cruci affigi. Lictores vero F cum sanctum adduxissent Martyrem, ligno affixerunt ejus manus et pedes, et fibulam unam in occultis ejus partibus usque ad partes superiores. Excogitatum quoque fuit aliud deterius. Jussi enim pueri jaculari in ejus oculos, et tela evellebant cum pupillis. Alii autem secretas partes ejus testiculorum ense secabant per obliquum.

*a b torquetur flagris, ungulis, facibus, testis,*

*c inedia,*

*cruce etc.*

12 Ego autem aderam scriba Augarus: et videns gravia hæc supplicia, et audiens etiam dolorem occultorum ejus gemituum, abjectis codicillis, devolvebar lacrymans ad ejus pedes. Dominus vero meus, Christi miles Theodorus, parvam vocem emittens, mihi dixit: Augare, ne relinquas munus tuum, nec intermittas dicere, quæ in me futura sunt supplicia: sed sustine meum adventum describere et certamina et diem meæ consummationis. Deinde clamans ad Dominum, dicebat: Domine, mihi prius dixisti, Ego sum tecum; et nunc quid a me recessisti? Vide Domine, fecisti me nulli culpæ affinem; et feræ agrestes me sauciaverunt propter te: exturbatæ sunt pupillæ oculorum meorum, carnes igne sunt dissolutæ, pili autem humi decidunt, dentes evelluntur, livida fit facies, ossa arida in cruce detinentur. Memento Domine, quod crucem propter te sustinui: quin etiam ferrum et ignem et clavos pervasi. De cetero

*Augarum jubet sua acta scribere:*

*Deum invocat*

A tero accipe meum spiritum, et rege ut velis, ego enim exeo ex vita mea. Hæc cum dixisset Martyr, non amplius est locutus; erat enim totum ejus corpus laniatum. Arbitratus autem impius Licinius eum esse mortuum, reliquit in ligno pendentem.

*AUCTORE AUGARO, ET UITAPHRASTE.*

*per Angelum de cruce deponitur sanus:*

13 Circa primam vero vigiliam noctis adstans Angelus Domini, solvit eum ab illo instrumento, et reddidit eum sanum corpore, sicut prius, et eum salutavit, et dixit: Gaudeas et corroboreris in sapientia et gratia Domini nostri Jesu Christi. Ecce enim tecum est Dominus Deus: et cur dixisti, Recessisti a me? Consumma ergo cursum tuæ decertationis, et venies ad Dominum nostrum Jesum Christum, accipiens coronam immortalitatis. Hæc cum Martyri dixisset Angelus, ab eo recessit. Sanctus autem Martyr Christi Theodorus, effectus sanus, Domino suo agebat gratias, et cœpit psallere: Exaltabo te, Deus meus Rex meus, et benedicam nomen tuum in seculum et in seculum seculi.

Psal. 144.

14 Sævus vero et iniquus Licinius, cum nondum venisset dies, mittit Antiochum et Patricium, duos suos Centuriones, (erant enim ordinarii) dicens eis: Ite et adducite mihi male mortuum corpus deceptoris Theodori, ut imponam in capsa plumbea, et id in B maris abyssum projiciam, propter mente captos Christianos. Cum autem venissent centuriones, et loco appropinquassent, lignum quidem videbant erectum, eum vero, qui quærebatur, nusquam: dixitque Antiochus Patricio: Revera convenienter vocet Galilæorum, qui dicunt Christum surrexisse a mortuis, forte hunc quoque hodie fecit surgere. Patricius autem propius accedens, vidit B. Theodorum sedentem et Dei prædicantem eloquia, et clamans, magna voce dicebat: Magnus Deus Christianorum, et non est alius Deus præter eum. Et accedentes ad Sanctum, dixerunt ei: Rogamus te nos quoque, qui ab hoc tempore sumus Christiani. Et crediderunt in illo die ipsi et octoginta milites.

*duos Centuriones et milites convertit,*

d

15 Cum hoc autem rescivisset Licinius, mittit d Sextum Proconsulem, et cum eo trecentos milites, ut eos morte afficerent. Cum illi vero venissent, et vidissent miracula, quæ fecerat S. Theodorus, crediderunt ipsi quoque Domino nostro Jesu Christo. Concurrit autem infinita quoque multitudo in locum, et clamavit: Unus est Deus Christianorum. Ipse est Deus solus, et non alius. Tunc una voce omnes clamarunt et dixerunt: Quis est hic lictor Licinius, ut eum appetamus lapidibus? Est enim noster Deus et C Rex Christus, qui prædicatur per Theodorum. Fit vero magna confusio et tumultus et impetus ad fundendum sanguinem. Irruit enim quidam ensem ferens, Leander nomine, adversus S. Theodorum. Ei autem occurrens Proconsul, spatha ab eo ablata, eum transegit medium. Quidam vero Merpas, Hunnus genere, impetu facto, confodit Proconsulem.

*et Sextum Proconsulem, et alios:*

16 Tunc veniens B. Theodorus, multis verbis turbas alloquens, vix tandem sedavit tumultum, dicens eis: Cessate carissimi. Dominus meus Christus fuit cruci affixus, reprimens Angelos, ne hominum genus ulciscerentur. Prætereunte autem S. Theodoro cum magna turba per carcerem, clamabant qui erant in vinculis: Miserere nostri, serve Dei altissimi. Sanctus vero Martyr solo verbo solutis eorum vinculis, dixit eis: Ite in pace, et mementote mei, o viri. Magna autem multitudo idololatrarum credidit in Dominum nostrum Jesum Christum, et qui vexabantur ab immundis spiritibus, curabantur tactu manus ejus et coloris ejus vestimentorum.

*captivos vinculis solvit, energumenos tactu liberat:*

17 Quamobrem quidam ex cohorte renuntiarunt Licinio, quod universus populus, diis relictis, Deum credidit per Theodorum. Is vero ira repletus, misso spiculatore, jussit sanctum ejus caput abscindi. Videns autem populus, cœpit seditionem agitare adversus Licinium. Beatus vero Theodorus prolixa D oratione et admonitione rogabat eos, dicens: Fratres et Patres, ne succenseatis Licinio. Est enim minister patris sui diaboli, et me de cetero oportet ire ad Dominum meum. Cum hæc dixisset Martyr, et diu esset precatus, et bene precatus esset Fratribus, et precibus finem imposuisset, obsignavit totum suum corpus, et deinde sic dicit Augaro: Fili mi Augare, ne neglexeris litteris mandare diem meæ consummationis. Reliquias autem meas depone in Euchaitis, in Majorum meorum possessione. In tua vero consummatione dormias mihi a sinistris. Et cum rursus diu esset precatus, et imposuisset finem suis precibus, et dixisset, Amen: et valere jussisset omnes Fratres, extendit pretiosum suum collum: et sic ense fuit consummatus, Februarii mensis die septimo, sabbato, hora tertia diei.

*coercet seditionem contra Licinium.*

*plectitur capite:*

*defertur Euchaitam.*

18 Post hæc autem cum accepissent venerandas et sanctas ejus reliquias, cum cereis et suffitibus, universa comitante multitudine, Heraclea tulerunt Euchaita, et illic deposuerunt omnibus videntibus, octavo mensis Junii. Quo in loco nunc quoque ex universa terra, quæ est sub cœlo, congregatur genus hominum. Multa enim miracula facit Dominus et curationes, per venerandum et sanctum corpus glo- E riosi Martyris Theodori: ad gloriam et gratiarum actionem ejus nominis, quem decet omnis gloria, honor et potentia, nunc et semper et in secula seculorum, Amen.

a *Menæa*, septingentas. — b *Eadem*, quinquaginta. — c *Menæa*, quinque. — d *Ps. ac N.* Antipatrem Ducem.

# ALIA VITA

## AUCTORE BONITO SUBDIACONO

### *ex MSS. PP. Oratorii Romæ.*

ANIMADV. PAR. 11

## PROLOGUS AUCTORIS.

Quidam a inertes Sanctorum Martyrum passiones describentes, tanta eas absurditate fannum, tantaque obscuritate sensuum replevere, ut nec tempora passionis, agonumque constantia, vel contra impios eorum victoriæ intelligi queant. Verumtamen ceu a solertissimis b chartigeris talium figmenta fuerant deprehensa, cultro suæ scientiæ detruncantes, solummodo de ipsis, ceu reliquias de naufragio, sententias colligentes, ad liquidum ea suo convertere student ingenio. Ex quibus igitur solertissimis ac studiosioribus viris Gregorius Parthenopensis loci servator, non solum industriam, verum et originem trahens, qui videlicet nepos ac proles, fraternæ patruus extat, c Parthenopensium Ducum; F cum quorumdam passiones sanctorum Martyrum, rustico Archivorum stylo digestas, legi in ecclesia comperisset, et ex his populus audiens ridiculum potius, quam imitationem acquireret; Christi æmulatione permotus, non est passus Dei opus ludibrium fieri populorum. Quapropter me Bonitum, indignum Subdiaconum Ecclesiæ Neapoleos, compulit, quatenus S. Theodori gesta potiori serie retractare, et me totis nisibus reluctantem ad hoc quod voluit inclinavit invitum. Quamobrem legentium veniam educixe deposco, uti meæ indulgeant ætati; et si quid ibet hic compererint ineptiæ, suo libitu studeant emendare. Nimirum quintum ætatis percurrens lustrum, discipulum fore quam magistrum potius decet. Veruntamen si quibusdam hoc nostrum displicet opusculum, congrua responsione eos alloquimur. Nos namque hoc demus, non solum vepribus sentibusque stipatum, verum etiam acutissimis rhamnis d caprificisque condensatum invenimus, adeo ut illuc ingredi nequaquam valeremus. Allatis vero securibus, adhibitoque labore omnia præcidentes, simul

a

b

*Gregorii Ep. Neapolit. jussu,*

c

*Bonitus Subdiaconus,*

*etsi satis juvenis,*

d

*S. Theodori Acta elegantius describit.*

A mul combussimus, et sic tandem ex umbriferis ac perniciosis aprica atque amœnissima loca reddimus. Sed cum rastros habere minime quivimus, ingrediantur et ipsi jam in præcisum cultumque novale; et radices sub terra delitescentes sapientiæ suæ rastris effodiant, ut iterum seminato novali fructus ejus exinde pariter cum gaudio metamus.

ANIMADV. CAP. 12.

a *MS habebat,* uberte — b *Ita conjecimus legendum, apographum videbatur habere,* callugetis — c *Duces Neapolitani, qui hic Parthenopenses, alibi sæpe* Consules *appellati, ut in appendice ad S. Januarii in historia* *translationis S. Severini cap.* 3 *num.* 9 *mentio fit* Gregorii consulis Neapolitani; *qui num.* 13 Dux *appellatur.* — d *Ita legendum censuimus : apographum habebat* capificisque.

## CAPUT I.

### *S. Theodori de dracone victoria. Euchaitarum conversio.*

Cum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi venerandæ Incarnationis mysterium, scilicet post triumphale vivificæ Crucis lavacrum, postque Resurrectionis ascensum ab inferis, ac post Assumptionis recursum ad dexteram patris, a discipulis suis prædicaretur; primum quidem, a Nerone inchoante, deinde ceteris prosequentibus, tanta in

B Christicolas permota est persecutio, ut nullus dumtaxat hominum nosse valeat, qui numerus sanctorum sit Martyrum, qui pro Christo diversorum machinatione suppliciorum peremptus est, nisi is, cu-

*In persecutione Licinii,*

jus fide et amore talia sustinuerunt. Talis itaque per diversos Imperatores crudelis examinatio æstuans, per annos nimirum trecentos, usque ad Constantini Magni pervenit imperium. Hic dum juvenis venustissimæ pubertatis existeret, et pater ejus Constantius, occidentalia bella peregeret, Romæ a Galerio, qui cum eodem Constantio simul Augustus

a fuerat ordinatus, *a* sub religionis specie, vice obsidis tenebatur. Sed cum jam Redemptor humani generis Ecclesiam, quam pretioso suo sanguine redemerat, ab iniquorum impulsione vellet esse quietam, hujus Constantini patrem prædictum Constantium Augus-

b tum, in Britannia Eboraci *b* fata ultima perurgebant. Quapropter Constantinus divino spiramine pulsus Roma, aufugiens ad patrem suum in Britanniam pervenit. Constantio vero defuncto, ipsum Constantinum filium ejus omnis exercitus sibi creaverat Au-

c gustum. Qui ut *c* Galerium regno privare potuisset, Licinium Cæsarem fecit, et dans ei Constantiam sororem suam conjugem, eum super regiones orien-

C tales instituit. Quæ vero Constantia dum filium pe-

d perisset, ob Licinii amorem *d* Licinianum illum vocavit, quem pene viginti menses gerentem, simul Constantinus cum filio suo, nomine Crispo, quem ex

e *e* Fausta filia Maximiani Herculei susceperat, Cæsarem procreavit. His ita fientibus, Constantinus Au-

f gustus de *f* persecutore effectus est Christianus, et Romæ a S. Silvestro in palatio Lateranensi baptisma est consecutus. Sed dum prædictus Licinius a Galerio Augusto Carnunti Imperator ordinatur, et uterque sibi mutuo faverent; inter ipsum, et Constanti-

g num ingens *g* controversia exoriri cœpit.

3 Eo igitur tempore erat quidam vir insignis ac robustus athleta Dei, Theodorus nomine, Euchaitæ civitatis Præfectus: ætate quidem juvenior, sed

h mente senior; *h* forma quidem vel obtutu pulchrior, sed bonæ operationis et virtutum more præstantior.

*S. Theodorus Euchaitas multos convertit :*

Hujus itaque civitatis a septentrionali scilicet plaga agrum vastissimum habuerat, in cujus supereminentia inerat quoddam barathrum profunditatis immensæ : in hujus inferioribus vero immanis draco degebat, quem olim (eheu! pro scelus) misera plebs ejusdem loci excolens, quasi Deo utebatur. Sed cum vir Dei prædictus S. Theodorus Euchaitæ civitatis populum, ab idolorum simulacris cohibens, paullatim ad Christum sua prædicatione studeret perducere; D

AUCTORE BONITO, EX MSS.

draco ipse, diabolico instinctu, ipso ex barathro per incertos eventus exiliens, quodcumque animal arripere poterat protinus pernecabat. Cumque multa hominum ac pecorum strages ab ipso fieret, universa plebs ad Dei famulum et suum Principem currens Theodorum, asperis suggestionibus adversus eum disceptabant, dicentes : Liceat diis nostris offerre libamina, sicut parentum nostrorum prisca semper egit industria : ex quo ab eorum cultura recessimus, diversis opprimimur cladibus, variisque casibus ab-

*hinc draco, antea ibi cultus, instinctu dæmonis, dire sævit :*

dicamur. Aut in tui Dei, quem asseris, draconem nostræ substantiæ consumptorem extingue virtute : aut si hoc facere non prævales, nostræ voluntatis fiat excessiva devotio. Hæc ubi dicta Dei famulus hos promere audivit, tumultus eorum valde ingruentes, nectareo demulcens famine, Vos, inquit, hodie hinc ad propria remeate securi : nam Deo auxiliante, a nunc et deinceps nullum a dracone incommodum patiemini.

*plebs a S. Theodoro opem poscit :*

4 Quibus igitur euntibus, venerabilis athleta Christi sese Domino in oratione prosternens, hanc precem fudit ad Dominum, dicens : Omnipotens Domine Jesu Christe, Rex, et dominator omnium ele-

*ipse Deum precatus,*

E mentorum, qui in hujus mundi theatrum pro nobis peccatoribus descendisti, quatenus tuo sacro sanguine de diabolicis abstraheres faucibus; qui etiam omnem hominem per universum mundum ad te sub uno momento clamantem veluti unum attendis et conspicis, exaudi me miserum ad te clamantem, et misericordiam tuam nimium deposcentem, ut, extincto tua virtute dracone, omnis hæc turba cognoscat, quia tu es verus et admirabilis Deus in cœlo, et in terra faciens prodigia. Peracta vero hujuscemodi oratione, quasi fessus assurgens, sopore imminente depressus quievit. Confestim ei per somnium, juvenis apparens, stola indutus nivea, nitenti vultu, ac serenissimis oculis, ad eum dixit : Theodore, Jesu Christi Dei verissime testis, scito, quoniam tua exaudita est deprecatio. Surge nunc, et adscende super equum tuum, galea salutis indutus, clipeoque sanctissimæ fidei præmunitus, vivificamque Crucem, sub chlamyde gerens, lanceamque manu gestans, in Jesu Christi nomine intrepidus ac securus abito, quoniam a te draco illico extinguetur.

*in somnis ab Angelo animatus,*

Hæc ubi dicta dedit, teneras se miscuit auris.

5 Exurgens itaque a somno vir sanctus gavisus ac roboratus angelica revelatione equum optimum, quo in bello solitus erat uti, sibi sternere jussit; F quem græco eloquio Dardanum; quod Latine *i* Brunum dicitur, nuncupabat. Dardanum quippe Danai vocant equum, quem albus perobscurus color exornat. Sed egomelius ac rectius Dardanum dictum esse arbitror, *k* quod de Troja ortus vel emptus fuerit. Nam Troja ab *l* una de portis suis quæ Dardana nuncupabatur, per tropum videlicet, qui synecdoche appellatur, hoc est a parte totum, tota civitas Dardania nomen accepit. Vir itaque Christi miles dum super equum ascendit, auream Crucem sub chlamyde collotenus bajulans, viam arripere cœpit. Porro cum a civitate paullulum divertisset, quoddam arvum ingressus est, in quo viride fœnum erat, modicum ibi subsistens. Et ecce quædam femina, Eusebia nomine, Christiana ac nobilis, cum iter ad civitatem cum se comitantibus ageret, prospiciens, a longe vidit S. Theodorum in periculoso rure subsistentem : ad eum concita devenit, et quia, ut reor, parens ejus erat, eum per oram chlamydis arripiens, quo solus hic armatus tenderet inquisivit. Cui cum diceret, Ad draconem vado, quo in nomine Jesu Christi eum interficiam. Protinus in terram ad pedes ejus corruens muliebri fragilitate, ne illo iret, monere cœpit. Quam vir Domini alloquens, ut tum

*equo conscenso,*

i

k

l

*Eusebiam, ei timentem confirmat :*

*Concarmana, con ea cum tendit,*

a

*AUCTORE DONITO, EX MSS.*

A a cœpto itinere non deviaret, quin potius Deum pro se deprecari deberet m.... Quo audito fœmina dixit ad eum : Ille utique qui crucifixus est, valet draconi conferre perniciem, et te victorem suum ostendere servum. Si enim terribilis Deus et admirabilis non esset, de sepulchro non resurgeret. Qua dicente, a loco paullisper secedens substitit, conservans eventum rei, Dominumque pro eo deposcens.

*denuo precatus,*

6 Interea gloriosissimus Christi miles cum ad os perveniret speluncæ, equo descendens humotenus sese in orationem prosternit, et erectis ad sidera palmis, hac prece Deum deposcit : Jesu Christe Domine, qui in principio apud Patrem cum Spiritu sancto manens, ex informi quæ non erat materia, visibilia et invisibilia patrasti ; quique etiam chelydrum pessimæ feritatis, ac virus superbiæ tumidum, de polo pellens, stygiali barathro ligasti : ipse mihi victricem virtutem et auxilii tui dextram protende, ut hoc dracone tua virtute perempto, omnis hæc Euchaita civitas cognoscat et credat, quod tu es solus et verus Deus, per cuncta seculorum secula vivens et regnans. Tali igitur prece finita, iterum subiit equum, in quo draco jacebat, tribus vicibus ambiens, sicque demum præ ore subsistens, ad eum ita clamavit. O

*draconem evocat*

B pessime ac vorax draco, per vivificum æterni Regis Domini mei Jesu Christi nomen te obtestor, ut foras ad me confestim tuo ex specu prodeas. Quo dicente, cœpit undique ambitus ipsius antri vehementius agitari : et ecce draco inenarrabili ira prosiliens, erecto capite, ingluvie quam maxime patefacta, tumenti cervice, cristis extantibus, cauda super dorsum obliqua, utroque ardenti lumine, foras ad eum terribilior exivit. Super quem robustus Dei n... cum equo

*et occidit :*

insiliens, jecori suam, quam manu gestabat, lanceam fixit : qui cauda sua valde terram percutiens, aliquantis per spirans et excitans, postremum ita spiritum exhalavit.

*Christo gratias agit :*

7 Tunc vir Domini extinctum illum cernens, hanc laudem Domino gratulabundus cecinit, dicens :

Rex æterne Deus... mundique Redemptor,
Qui cœlum terramque regis, qui fulgura mittis,
Quo sine nulla vigent cœli terræque creata ;
Depromat cœlum, tellus tibi pontus et æther,
Cuncta creata simul laudum præconia semper :
Sit tibi cum Genitore pio, et cum Flamine sancto
Gloria, majestas, virtus per secula compar.

Et sicut me, omnipotens Domine, tuo auxilio dignatus es confortare, quatenus iste nunc draco a me in-

C veniatur occi.us, ita et populum civitatis hujus, qui dæmonicæ idololatriæ parent, te favente, ad agnitionem sanctissimæ veritatis tuæ perducam. Hanc ubi laudem cantavit, ad civitatem suam revertebatur ovans. Mox ei obviam fuit prædicta Eusebia, cum

*Eusebiam sibi gratulantem instruit :*

qua prius sermonem habuerat, necdum enim de loco abierat sed erat expectans et ambigens quid Christi miles esset acturus. Hæc dum advenire conspiceret, expansis ulnis incedens ad eum, dixit : Putasne, piissime Domine, noster occubuit inimicus? vel si qua tibi provenit fortuna, mihi deprecor evidentius manifesta. Ad quam ille, Ex eo, inquit, totius orbis inimicus se occubuisse non dubitavit, ex quo Dominus et Salvator Jesus Christus virtutes ei et potestates auferendo, in crucem fecit eum essa ostentui ; quia et si ipse auct.r mort.s cognovisset hunc pro salute nostra crucifigi, nullo modo voluisset : nam et inimicum nostræ substantiæ ipso favente nunc a me credas esse peremptum. Cui denuo mulier : Benedictus Deus æternus, qui te ad hanc gloriam provexit, ut ipse tuo ore prædicetur, et draco tuis manibus occisus inveniatur.

*cives plaudentes*

8 Interea dum hæc fama in civitate audita fuisset utriusque sexus ac diversæ ætatis turba omnis ad spectaculum festina cucurrit. Invenientes igitur

D S. Theodorum, suum videlicet Principem, equo sedentem, cruentamque lanceam manu gestantem, omnes ante eum pariter corruerunt, dicentes : Tu gloria et exultatio nostra : tu civitatis Euchaitæ admirabile decus, tu lætitia, tu honorificentia populorum tuorum : tu redemptio et liberatio gloriosa animarum nostrarum : quia non pepercisti animæ tuæ, sed in nomine Dei tui exclusisti a nobis inimicum persequentem nos. Cum quibus interea robustissimus Christi miles ambulans, in quo draco extensus jacebat pariter locum adierunt. Mirum in modum videntes bestiam procul, antequam ad eam accederent, plurimi eorum, reiterato tramite, volueri fuga ad civitatem redierunt : nam omnes terror e nimio formido penetraverat. Unde et quidam eorum attoniti stantes, nullus audebat loco approximare. Quapropter bellicosissimus Christi miles eum adiens, et equo dis-

*ducit ad draconem occisum.*

siliens, utrumque pedem super ingentem bestiam depausavit, idcirco post hæc ausi sunt appropinquare loco. Et illis obnixe ammiranribus, bellicosissimus Christi miles dixit ad eos : Ecce vos ipsi aspicitis, quanta Domini mei Jesu Christi virtus existat, cujus divino nomine feralis hæc bestia a vobis demonstratur occisa. Dimissis ergo nefandorum simulacrorum

E culturis, veram ejus religionem studete percipere, quandoquidem in hoc seculo inimicum vestræ substantiæ peremit. Ipsi in illo, quo omnis homo carnis conditione trahitur, si in ejus nomine credentes perseveraveritis, draconem diabolicum sempiterno

*eosque convertit :*

incendio alligatum vobis in felicissimo regno gaudentibus a vestra dominatione faciet esse peremptum. Quibus auditis relicta et abrenuntiata penitus idolorum cultura, ab ipso sanctum baptismum protinus accipientes, omnes in Christum crediderunt, et magnalia opera ejus mirabilius enarrantes, ac laudantes et benedicentes eum, qui admirabilis est in Sanctis suis.

9 Huic ergo, carissimi, ammirabiliori atque excellentiori exemplo priscum, prophetæ Danielis concordat sublime miraculum. Nam cum a populo baby-

*similis Danieli in cæde draconis*

lonico draco (heu pro nefas!) quasi deus adoraretur, Rex eorum dixit ad Danielem : En non potes dicere

Dan 14.

quod iste non sit deus vivens, adora ergo eum. Cui ille, Tu, inquit, Rex, da mihi potestatem et interficiam eum absque gladio et fuste. Accepta Daniel igitur potestate, coquens picem, et adipem ac pilos, in os draconis inferens, eum interfecit, et dixit ad illos: Ecce quem colebatis. Gaude nunc ideo civitas Euchaita,

F et satis exulta, quæ tanto talique redimita Patrono, parvitate tuæ humilitatis meruisti a Domino superba esse Babylonia major. Illa viso miraculo, non dedit honorem omnipotenti Deo, verum etiam suis in squaloribus perduravit ad suam usque perditionem. Hæc tu ipsa omnium minima civitatum, viso tui miraculo, honorem non solum dedisti, verum etiam Christo mirabilius credidisti. Restat ergo, dilectissimi, interea scire, quare S. Daniel massa picis et adipis, ac pilorum commixtione concreta draconem interruperit ; hic vero athleta Christi S. Theodorus

*utriusque cædis instrumenta mystice explicata*

eum polito gladio interfecerit. Quid ergo per picem qua compago lenitur navium, nisi Mosaicæ Legis vel.men? et quid per adipem, quæ pro peccato offerebatur, nisi Judæorum sunt fluxuosi otii cœnosa ludibria? Et quid ergo per pilos, qui acuti velut tenuissimi prodeunt stimuli, nisi ipsius Legis aculeata secundum litteram observatio designatur? Attes.ante B. Paulo Apostolo : Littera enim occidit,

Spiritus autem vivificat. Ergo per hujusmodi mas- 2 Cor 3 6

sam, qua draco occiditur obscuritas Legis, otiique scurrilitas, ac stimulosa ejusdem Legis, observatio exprimitur, Danielque proque hujusmodi commixtione dracone o conteruit, quia per obscura Legis, o

mysticum intellectum Christus, quem ipsa Lex figurabat,

A rabat, bujusmodi draconem diabolum, humilitate suæ Incarnationis occidit. Et quid itaque per lanceam, quæ durissimo præcisa metallo, ab artifice igne formatur, et formata iterum petrino metallo acuitur, et acuta oleo politur, et polita draconem occidit; nisi Redemptoris nostri veneranda Incarnatio designatur? qui ex paternæ indeficienti metallo substantiæ inseparabiliter prodiens, nostroque mortalitatis suscipiens corpus, ignea est hujusmodi fornace decoctus, et adversitatibus usque ad mortem et passionem suam, est validius executus: sed oleo exultationis et lætitiæ adeo est a Patre mirifice perunctus, de quo Psalmographus vates canit: Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. (Psa. 44. 8) De quo itaque polito gladio per Paulum Apostolum dicitur: Et gladium spiritus, quod et verbum Dei. (Eph. 6. 17) Et sane gladius iste, id est, lancea qua draco occiditur ligneum manubrium habuit; quia Divinitas humanitate commixta hujusmodi Principis, diabolum interfecit. Restat interim quod Babylon, quæ olim caput omnium extitit urbium, modo parvissimorum oppidorum seu municipiorum minima reperiatur, et quantum gloriosior extitit primitus, tantum nunc divino humiliata judicio funditus inveniatur; sicut

*Euchaita felicior Babylone*

B in Apocalypsi Joannis dicitur: Quantum se exaltavit et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum. (Apoc. 18. 7) Hæc vero civitatum parvissima, divino auxilio, ad Dei laudem et gloriam, ex his quæ Christo crediderunt, nullatenus nascitur impar. Quare hoc? quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. Illa Babyloni, quæ confusio interpretatur, melius præfertur: unde sane rector ac Princeps ejus Theodorus appellatur, quod rite Dei donum disseritur, profecto datur intelligi, quod non suis meritis, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi hoc Dei donum habere meruerit.

a *Ita Aurelius Victor.* — b *Idem* vitæ ultima. — c *Hic alter est* Galerius Maximinus, *qui post* Galerii Maximiani Armentarii, *avunculi sui, mortem, contra Constantinum et Licinium (pridem Cæsarem, ac deinde Augustum, ut supra notavimus, a Galerio Maximiano creatum) bellum suscepit, et in Illyrico victus ab Licinio est.* — d Licinium *vocat Orosius lib.* 7 *cap.* 28 *et Idatius in Fastis*, Licinianum *Miscella, et Zosimus.* — e *Non ex* Fausta, Crispum, *sed ex* Minervina *suscepit Constantinus; qui* Gallicano et Basso *Coss. anno* 317 *eum, ac* Licinium *juniorem* XX *menses natum, et* Constantinum *juniorem, suum ex Fausta filium, Cæsares creavit.* — f *Numquam persecutus Christianos Constantinus, ac ne ejus quidem pater Constantius.* — g *Periit enim ann.* 311 *Galerius Maximianus,* 312 *Maxentius,* 313 *Maximinus, cum ann.* 314 *bellum inter Constantinum et Licinium cœpit.* — h *In Menæis* 8 *Junii dicitur fuisse* moribus compositus, forma corporis elegans, elegantior animo, eloquentia præterea et rerum variarum cognitione ac sapientia excultus. — i Brunus *quidem pro* fusco *usurpatum legimus quibusdam medii ævi scriptoribus; sed Latinum non est; neque* Dardanus *ut Græcis significat.* — k *Imo verisimilius quod e Dardania, Mœsiæ superioris provincia, equitos, ubi fortasse, ut in non longe dissito Epiro, equi præstantes. Mittit enim, ut cecinit Virgilius lib.* 1 *Georg. versu* 19 Eliadum palmas Epiros equarum. — l *Idem rectius Maro,* Dardanus Iliacæ primus pater urbis et auctor. — m *Videtur deesse* admonuit, *vel quid simile.* — n Miles *deest, aut quid simile.* — o *Fors auxilio ut positum, fors imitatione Tibulli lib.* 1 *el.* 4. Aut operi insuetas attriuisse manus.

C

## CAPUT II.

### *Licinii Imp. Heracleam adventus, ejus idola a S. Theodoro confracta.*

His igitur tali serie promulgatis, restat ut ad hujus athletæ Christi mirabiles agones nostrum articulum quantocyus convertamus, et quo pacto vir egregius pro Christo robustius dimicans, severissimum Licinium superaverit, qualique constantia almificum spiritum Deo reddiderit, ipso numirum favente, cujus omnipotentia ejus substantia vivificatur ac gubernatur, solertissimo acumine prosequamur. Licinius interea, sicuti jam prædiximus, cum a Galerio Augusto Imperator efficeretur, et utique sibi mutuo faverent animadvertentes, didicit quod non in aliud Constantinum contristare posset Augustum, nisi si rudem, quam ipse perceperat, fidem persequi conaretur, in Christicolas validissimam persecutionem

*Licinius una cum Maximino Christianos persequitur:*

D commovit, et diuturno examine inveniebat, uti severissime prænecaret: quorum denique sollitudini die noctuve pervigilans, per singulas civitates et oppida peragrans, ubicumque Christianæ fidei nanciscebatur amicum, crudeli continuo extinguebat pernicie. At ubi Nicomediam tali pervenisset indagine Christianorum æstuans æmulatione, sciscitari sibi cœpit astantes, ubinam Christianæ culturæ custos reperiretur: Cumque multimoda sicut moris, eum adulatio exoriretur, profecto cum jam omnipotens Deus maluisset suum militem inter militiæ cœlestis disponere cives, et quum jam juxta ejus vocem civitas abscondi super montem posita non poterat, quidam illi insinuavere, dicentes, quod civitatis Euchaitæ Princeps, Theodorus nomine, in hujus religionis culturam draconem occidens, omnibus cum suis nostram culturam penitus exhorret. Quibus ergo Licinius Imperator auditis, totus in gaudio, jubilans de eo ingenti industria. Nam quo tempore S. Theodorus Heracliæ civitati præsidebat, non alio modo, ut arbitror, nisi ut populum ejus ad fidem Christi converteret, vel suo dominatui pertinens eam visitationis gratia solito more revisit. Est autem ipsa Heraclia civitas Asiæ haud procul ab Euchaita, non ut quidam putant, ab Imperatore Heraclio condita, qui needum natus E fuerat, sed propter fertilitatis ac situs amœnissimam speciem a Heracliam dictam, hoc est, desiderabilis dicta sit. Sequentia videamus. Desiderabile quippe Christi nomen per militem suum B. Theodorum illis in partibus affuturum erat innotesci, quatenus populus ejus insinuatione doctrinæ ad Christum conversus, accepto salutis lavacro, æternæ lucis gloria repleretur. Unde per Prophetam dicitur: Veniet desideratus cunctis gentibus, et replebitur gloria Domus Domini. (Agg. 2. 8) Verumtamen ad prædicti sermonis sequentia redeamus.

*AUCTORE BONITO, EX MSS.*

(Matth. 5. 14)

*inquirit de S. Theodoro:*

11 Comperto igitur Licinius, quod S. Theodorus Heracliæ persisteret, quæ haud procul aberat a Nicomedia, direxerat ad eum nobilissimos viros ejusdem Nicomediæ, cum aliis ex Officio suo, qui eum honorabiliter alloquentes, ad eum properare visendum efficaciter invitarent. Surgentes igitur milites, concito cursu Heracliam adierunt. Ingredientes igitur ad S. Theodorum, simul ante conspectum ejus corruerunt. Et surgentibus his dixit: Quæ res expostulat, quæ vos huc venire cogit? Cui dixere: Licinius Augustus nos ad te destinavit, quatenus ad eum veniens congrui honoris ab eo percipias gratiam: F et revera plurimum te videre delectat; quia de vobis multæ probitatis, et justitiæ, bonæque exercitationis, et in populo conversationis audivit efficaciam. Mox S. Theodorus pertractans, quid Licinio dicendo transmitteret, eos per triduum distulit. Post diem vero tertium scribens epistolam ad Licinium ita: Stemmate superni examinis renitenti, totiusque orbis piissimo capiti Domino ac Divo nostro Licinio Augusto, Theodorus princeps. Ab omnipotentiæ vestræ potestate mirabili fautores nostros directos, vestros Apocrissarios, ferventissima ambitione suscepimus, et quidquid vestro imperio libuisset, existimavimus gratum fore, nulla connivente segnitia, provido mentis acumine, ad summam nostræ possibilitatis, illos experiri cognoscetis. Et quidem quod diva Vestræ Excellentiæ, quo ad vestræ gloriæ piissimum properarem imperium, dignata fuit evocare potestas; non solum nos quidem paratos, verum etiam omnes has patrias animadvertatis esse; et vestram piissimam perceptionem ultronea reverentia magnoque cum tripudio percompleré. Verumtamen quia qualitas hujus temporis irritam nostri adventus designat esse fortunam; a vestra dominatione fiduciam impetrantes, temerarie dicimus, quatenus nostro Domino consultus suorum haud displiceat

*eum ad se honorifice evocat.*

*ipse eum Heracleam invitat.*

A ceat servulorum, quia si vestræ gloriæ libitum esse decernitur, harum patriarum universus cœtus suppliciter vestram adinvicem deprecamur solertiam, quo subjectos non vos pigeat visere vestros. Et quia omnes variis fortunæ cladibus abdicamur, vestri adventus visa præsentia, consolatione cuncti nimia uberius consolemur. Valete.

*AUCTORE BONITO, EX MSS.*

12 Hanc igitur schedulam milites a S. Theodoro Heracliæ accipientes, reversi Nicomediam Licinio contulere, probitatem simul atque industriam viri laudabili famine depromentes. Perlecta igitur ante Licinium, et Magnates ejus hujusmodi epistola, dixit ad eos Augustus: Hac de re quid vobis videtur. Debemusne ad visendum patrias ire, an non? Quod ergo confertis consilium? Responderuntque de astantibus, quorum cuncta peragebat consilio, sapientes: Hujusmodi, inquiunt, profectio salutiferam trium rerum demonstrat tibi provenire fortunam: primo quidem quod vestræ potentiæ omnibus comperta gloria, dubii de tuo Imperio firmantur, et incerti continuo roborantur, et amplius non sit quid ambigant. Secundo, quia hujus profectionis rumor varias distentus per urbes, æmulos tuos ingenti *b* ervitudine vi-B brat. Tertio, quia thesaurus tuus pene consumptus, larga dumtaxat manu distributus ex locupletissimis urbibus conquisito quæstu augebitur atque instaurabitur. Et ut evidentius fateamur, decentius ac expedius est tuas ambulare per urbes, tuos visitare subjectos. Cumque hoc coram Augusto cunctisque magnatibus consilium libuisset; congregatis deintus et foris a profectione octo millibus, dispositis equitibus, ipse *c* hedram auream considens, Heracliam veniebat, inenarrabili lætitia fartus.

*Licinius ex Procerum consilio,*

*eo tendit*

13 Insequenti igitur nocte, prius videlicet quam Licinius advenirel, cum sanctissimus vir solito orationi incubuisset, subito in ipsius domo, in qua manebat, aperto tecto coruscus super eos nitor cœlitus illuxit, et solis adinstar irradiavit: et inter ipsius nitoris admirabilis jubar, ad eum divina vox intonans: Constanter, inquit, age Theodore, et noli Licinii adventu terreri, quando quidem ego tecum sum. Et hæc dicens, ipsa lux funditus distracta summotaque est. Mox ipse surgens, de visione secum pertractans, animadvertit quod Domini esset testificatio, spes ejus ingenti jubilatione congaudens, in Deo salutari suo exultare cœpit. At ubi intellexit advenire Licinium, in conclavi ingressus, magno cum C fletu Deum rogare cœpit, dicens: Domine Deus omnipotens, qui omnes in te sperantes tuæ misericordiæ tutela munire non desinis, esto mihi propitius, et tuere me tuæ protectionis munimine, ut non corruam in conspectu adversariorum meorum, et ne gaudeat super me inimicus meus. Assiste nunc mihi, Salvator, in certamine isto propter nomen sanctum tuum, quia tibi revelavi caussam meam, Domine Deus meus. Hæc autem eo orante, nuntiatum est ei, quod Licinius Imperator ab Heraclia jam cominus esset; et statim surgens, suam abluens faciem, induit se prætextam byssinam, et expeditis in comitatu suo equitibus, ipso vero Dardanium equum, cum quo draconem occiderat, considens, obvius Licinio abiit, et viso eo pariter cum suis comitibus in terram corruens adoravit eum, a quo est etiam ipse clementissime salutatus.

*S. Theodorus divinitus confirmatus,*

*et occurrit:*

14 Post multam igitur variæ confabulationis indaginem, omnibus suis Licinius beati viri pulchritudinem conlaudavit atque solertiam: deinde simul ambulantes civitatem Heracliam ingressi sunt, et in medium ejus civitatis, quod Ad signa vocabatur, adierunt. Ibique tribunali posito auro gemmisque rigenti, Licinius super eum consedit. Mox profana idolorum templa ingenti pompa coronari ornarique cœperunt, et tota civitas diversis exultare choreis.

Cernens autem Licinius omnium populorum se ferventi esse devotione susceptum, eorumque adorari affectu, diversa munera ac plurima dona singulis erogavit. D

15 His igitur per biduum sic abeuntibus, postero die Licinius tribunali residens, S. Theodorum ante suum adesse conspectum præcepit; quem sic alloquens dixit: Discretio talis esse unicuique convenit, ut ante interrogationem nullius vituperator existat. Quapropter solito more, sicuti semper Divorum Imperatorum cœlitus data egit industria, necdum sciscitatus quilibet a me aliquid experiatur incommodum. Denique antequam huc veniremus, multa super te audivimus, profecto mihi talia dicenti fidem nostram non accommodavimus; quin potius aiens ad illos: Non utique consequens est quod talis tantusque vir impudenda nefandaque committat. Sed postquam huc venimus, hæc et his similia prosequentes præsto sint, qui super hoc testes existant; tamen quousque ore proprio audiam, nec credidi nec credam. Quod si unus eos sermonis sententia mendaces esse volueris, videris quo examine pœnam meæ indignationis experiantur. Ad quem Christi miles respondens: Horum, inquit, accusatio dicatur, quo certe discere queam, utrum falsi, an veri testes existant. Respondit Cæsar, et talia famina reddidit: Ferunt, inquit, (quod dii omnipotentes avertant) te nescio quem crucifixum hominem prædicare, ejusque nomini deservire. Cui Sanctus: Ego enim, o invictissime Imperator, illum Deum colens adoro, qui cœlum terramque creavit, et a quo cuncta creata reguntur. Nam si tu propriis uteris diis, jube illos mihi conferre, ut eos domum meam feram, et per totam noctem eorum gloriam deprecans, thura illis incendam, et crastina die illos ante tuum conspectum adorem. Tum Imperator, existimans quod Jovem diceret cœli terræque factorem, gaudio exultans maximo, præcepit ei idola quæ secum detulerat aurea vel argentea dari, et audiente eo simulanter dixit astantibus: Numquid non dixi vobis, quod talis vir non meditetur inepta? Procul dubio qui super eum talia dixerunt non ibunt immunes. Delata igitur vir Sanctus domum suam idola nocte simul ea confregit, ac cuncta Christianis occulte delitescentibus distribuit.

E

*ab eo provocatus ad colenda idola.*

*petit ea sibi tradi domi primum colenda,*

*sed confringit:*

16 Postera igitur die Licinius jussit suis eum præsentari obtutibus, quem exhilarato alloquens vultu dixit: Scio equidem quod primis ab incunabulis præclaris parentibus insignem ducens originem, F honoratus hactenus fuisti satis et opulentus; sed necdum es meum expertus honorem. Ergo ut experiaris illud quod nobis hesterno spondedisti, hodierno die facturum te esse confirmes. Te etenim hæc persolvente, tanta nostræ gloriæ prærogativa sublimaberis, quantam tibi non evenire aliquando fatearis. Cui S. Theodorus dixit: Tu quidem, optime Imperator, superius proposuisti, dicens, quod nulla discretione vivere liceat homini. Ergo quia ita est, et si aliquando indiscrete vixit jam taliter nullatenus vivam. Cui Cæsar: Ita convenit, te solum discrete vivere, totum orbem *d*.... manifestissima ratio monstrat. Ergo quos divi Imperatores et universus semper excolit orbis, allerto tibi deos collatos, et sacrifica eis, quatenus illis tibi opitulantibus nostræ clementiæ potiaris salute. Contra quem Sanctus: Vere, inquit, mihi videtur rationabilis non esse discretio in hoc ipso, quod deis adorare me creaturam insensibilem, et contemnere cœli terræque Creatorem. Et Cæsar respondit: Et hoc nobis intimato, quæ sit creatura, quisve creator. Gloriosissimus enim Dei famulus ait: Creator est Dominus meus Jesus Christus, cujus divina omnipotentia visibilium et invisibilium omnis essentia vivificatur ac gubernatur. Creatura vero est, scilicet non a Deo creata, sed a diabolo conficta,

*confitetur Deum,*

A conficta, simulacrorum vestrorum, auri vel argenti, seu æris cujuslibet operatio; quandoquidem si creatura Dei vestra simulacra fuissent, in principio, cum totum mundum cunctaque creata fecit ex nihilo, hæc idolorum confictio ab ipso efficeretur. Sed cum nihil Deus imperfectum creavit, verum etiam ab hominibus diabolico instinctu hæc idola operata testatur Sanctissimus Propheta, dicens : Simulacra gentium
*Ps. 113. 4* argentum, et aurum, opera manuum hominum, os habent, et non loquentur. Unde Joannes Evangelista
*Joan 1. 3* ejus Domini mei Jesu Christi discipulus ait : Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quid est enim nihil, nisi idolum? sicut per Paulum
*1 Cor. 8. 4* Apostolum dicitur : Scimus quia nihil sit idolum, in mundo. Et ut magis te certum faciam, quod nihil sit idolum, cum a me in ista nocte simulacra tua in frusta comminuerentur, quare sibi aliquod non su-
*seque idola confregisse :* brogarunt auxilium? sed quia nihil sunt, nihil sibi, nihilque se colentibus aliquid prodesse possunt : male enim alium defendit, qui se ipsum defendere minime valet. Quibus Licinius Imperator auditis, intendens sibi adstantibus dixit : Demens est, ut reor, effectus.

17 Tunc quidam ex astantibus, Maxentius nomine, qui pro eo quod centum militibus præerat centu-
B rio vocabatur, dixit ad eum : Si demens est effectus, nescio, hoc autem scio, qui fefellit, cum deos tuos poposcit. Per salutem scio vestram, quia ita egit ut dixit, eos simul confringens, egenis divisit : porro ista nocte vidi quemdam inopem caput Arthemiæ magnæ deæ tuæ aureum in ulnis ferentem, et con-
*et Tyranno se delusum frementi insultat :* cito cursu pergebat ovans. Quo audito, Licinius stupore perculsus nimio, diu conticuit, et magna confusione reverentior esse cœpit : et quia cunctus populus, qui ante ipsum adstabat, de hoc, quod acciderat, confabulari mutuo cœpit; in semetipsum reversus, dixit ad eum : Affer deos, quos tibi petisti, et libato eis : si quo minus, talem nunc meæ indignationis experieris sententiam, qualem te nec audisse, nec
*e* vidisse aliquando manifeste e.... Quia, ut video, te vanum vani docuere parentes : et nos agere studeamus, ut vecordia tua validissimis verberibus resipiscat. Tunc B. Theodorus subridens dixit ei : Turbatus es, o Imperator, ego enim nullo modo turbor. Tu deorum tuorum incommodo, magno conquereris tædio, ego vero de Dei mei virtute et adjutorio securus maneo. Tu deos mortuos quæris, ego Deum vivum, et Deum verum quærens, jam adeptus sum. Tu Serapis et Apollinis ac Arthemiæ trium deorum
C contritionem condoles, ego enim indivisam atque inviolatam Patris et Filii et Spiritus sancti Trinitatem ineffabilem adipisci congaudeo.

a *Rursum mihi in hoc etymo ariolari hic auctor videtur. Quis ignorat ab Hercule appellari* Heracleum; *illius vero nomen ab* Ἥρα, *quod* Junonem *significabat et* κλέος, *quod* gloriam *ductum?* — b *An evidentia et claritate? an* hebetudine *et stupore.* — c Ἕδρα sedes, *lectica.* — d *Videtur aliquid deesse.* — e *Deest aliquod verbum.*

## CAPUT III.

### *S. Theodori tormenta, mors, miracula.*

Mox Licinius ingenti indignatione repletus, dixit ministris : Expolietur, et toto corpore super terram
*Ceditur flagris* funditus exterminetur. Quo facto, cum retro et ante flagris multis quam maxime cædi jussit. Et ei insultans dixit : Theodore sustine modicum quantulumcumque, donec veniens Deus tuus ex hoc eripiet te. Ad quem Sanctus respondit : Fac quod facis, noli cessare, quia me non angustia, non tribulatio, non gladius, non qualibet pœna separabit a caritate
*plumbatis :* Christi. Tunc iratus, Cæsar dixit : Adhuc Christum fateris? Plumbatis cædite eum. Cumque hoc peractum fuisset, iterum erecto eo a terra dixit : Theodore, nescio quo abiit Deus tuus, et ad eruendum te minime properavit. Constantissimus enim Christi Martyr constanter respondit : Dominus meus Jesus D
Christus hic præsens est, qui numquam est absens, *AUCTORE BONITO, EX MSS.*
sed vult ut cursum meum per temporales passiones consummem, et deposito mortali honore in illa æternæ felicitatis gloria immortalem lauream adipiscar. Contra quem Cæsar : Et hoc nobis insinuato, quid sit immortale, quidve mortale. Cui Sanctus : Mortale est corpus hominis, quod si mille annis vixerit, moriturum ac transiturum erit. Immortalis vero est anima, quæ non ex Deo, sed a Deo talis creatur, ut sicut Deus initium non habuit, nec finem est habiturus, sic et ipsa ab ipso Domino sumens exordium, finem se habere ignoret. Unde scias me secundum Apostolum ejus velle dissolvi, et esse cum Christo *Phil. 1. 23*
multo melius.

19 Mox iniquissimus Cæsar dixit ei : Ergo quia ita est, nos te hic faciamus mortalem, ut te illic cum Deo tuo possis esse immortalis. Tunc præcepit ut *ferreis ungulis :*
ferreis unguibus totum corpus ejus effoderetur et vehementer effosso, dixit ad eum : Visne ut in his suppliciis, aliquantisper tibi nostræ clementiæ patientia detur? Cui Sanctus : Dominus, inquit, mihi adjutor est: non timebo quid faciat mihi homo. Truculentissimus autem Cæsar iterum dixit ministris : Numquid non videtis, quia adhuc Theodorus indiget E
hujusmodi fomento? Levate, inquit, eum a terra, et faces accensæ deferantur. Quibus allatis, jussit super plagas ejus poni, et omnes artus ejus cremari. Et post hæc dixit ei : Theodore, num quidnam putas *tædis ustulatur :*
quod duriorem mollies durus? Scio equidem quod ferream gestas animam, sed me silicem nactus es adamantinum. Patienti enim toleranda sunt verbera, quum jubenti tolerandus est exitus. Magnanimus enim Martyr Dei respondit : etiamsi millenas inferas mihi pœnas, non est mihi curæ, quia non solum corpus, verum etiam pro amore Domini mei Jesu Christi paratus sum, sicut ipse pro nobis peccatoribus posuit suam, meam animam ponere. Confestim sceleratissimus Cæsar hoc audiens dixit mi- *fragmentis testarum raditur :*
nistris : Afferentes acutissima testarum fragmina, tota ejus viscera complodere celerius studete. Cumque letaliter fuisset explosus, jussit eum carcere trudi, et pedes ejus arctissimo ligno constringi, et ei ne medicorum, vel cibi potusve quis adhiberet auxilium, ipsum carcere custodire jussit.

20 Finitis autem quinque diebus iterum jussit Licinius in quodam atrio excelsam figere crucem et *inedia torquetur :*
ministris suis præcipiens dixit : Euntes sacrilegum illum e custodia producite, et deferte quo crux fixa F
manet. Si sacrificaverit diis, afferte eum huc : alioquin sine aliqua dilatione crucifigentes eum ipso in patibulo jaculis insuite. Extrahentes autem eum ministri e custodia, detulerunt eum quo crux fixa erat. Erat autem ipse beatissimus Martyr toto corpore saucius; solummodo spiritus vegetabat artus : dixeruntque ad eum ministri : Hæc dicit Dominus noster Licinius Augustus : Elige tibi e duobus unum; aut ora deos nostros, aut arripe crucem. Robustissimus autem Christi miles, quia jam terrena cuncta despexerat, et ad cœlestis patriæ gaudia ejus spiritus anhelabat, dixit ad eos : Absit hoc a me, ut abnegem Deum meum Jesum Christum, et sacrificem *deos rotet :*
nefandis simulacris, quæ sine sensu et anima esse cernuntur, et deteriora magis, quam animalium cadavera mortuorum esse probantur : quum illa, dum adhuc viverent, ambulavere pedibus, sumpsere ore alimoniam, fœtus procreavere, et in natura sua se mutuo intellexere. Et quidem parentibus mortuis, filii eorum naturam sequentes vivunt, spirant et sentiunt : ista vero simulacra nec vixere, nec gressibus ambulavere, nec cibum ore aliquando percepere, et nunc nec vivunt, nec sentiunt, neque discernunt. Initium eorum mors fuit, et finis eorum

mors

*Auctore coævo, ex MSS. crucifixus, sagittis confoditur.*

A mors erit. Ergo similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Ministri igitur jussa iniquissimi Imperatoris percomplentes, crucifixerunt eum, manus ac pedes ejus clavis ferreis perfodientes : et delatis sagittis, ipso in patibulo eum veluti tegmen hericii jaculis repleverunt. Quo facto, iniquissimus Cæsar jussit eum in cruce pendere usque mane, existimans eum mori.

*Augarum hortatur ut sua Acta describat.*

21 Ego interea Augarus, qui præsens eram, videns hæc, et gemitum quem faciebat audiens, omne certamen ejus ac pœnas, quas patiebatur, veloci diligentia scribere cœpi, et dum non potuissem me continere, lacrymis suffusus abjeci, tomum quem manu tenebam, et corrui ad pedes ejus, et lugens benedictionem ab eo expetebam. Mox ille voce suavi me alloquens, dixit : Augare, cœptum opus quod cœpisti, noli deserere; sed recense pœnas, quas perpessus sum, omnes, et futuri obitus diem, seriatim omnia describere stude. Quo dicente, quia magno cruciatu jam velut exanimis solo spiritu palpitabat, iterum exclamavit lugubri dicens voce : Domine Jesu Christe, Rex universæ creaturæ tuæ qui pro nobis peccatoribus crucem subire voluisti, et cum voluisti iterum eam sumpsisti, exaudi me miserum ad

*Deum orans,*

B te clamantem, et recipe spiritum meum, ne insultent mihi inimici mei, dicentes : Ubi est Deus ejus ? Et nunc Domine quemadmodum spopondisti mihi, dicens : Constans es, quia ego tecum sum; adesto mihi ad te venienti, ne teterrimus princeps aliquid suum in me deprehendat, quia tu es Deus meus, quem dilexi, quem quæsivi, quem videre desidero. Suscipe animam meam, Domine Jesu Christe. Hæc eo orante, prima videlicet hora noctis, missus est Angelus Domini, et eum de cruce pausavit, cui et dixit : Gaude, ac recipe virtutem, Theodore, quoniam Dominus Jesus Christus, sicut promittere dignatus est, tecum manet. Et nunc constans esto, quia ipse me misit ad te, quatenus tui corporis pristinam recipias sospitatem.

*ab Angelo deponitur sanus :*

Hæc ubi dicta dedit, tenues se misit in auras.

Tunc gloriosissimus Christi Martyr totum corpus suum sospitati redditum cernens, grates Deo referens, hunc Psalmum canere cœpit : Exaltabo te Deus Rex meus, et benedicam nomen tuum in æternum, et in seculum seculi. Per singulos dies benedicam te : et cetera quæ sequuntur.

*Ps. 144*

*Deo gratias agit.*

22 Restat interea, Dilectissimi, nosse quis hic Augarus fuerit, qui in hujus sanctissimi viri certamine præsentem se asserit esse, et ad ejus imperium suam

*Quis fuerit Augarus?*

C passionem describere. Idcirco hoc dicto, Karissimi Fratres, quoniam fuere nonnulli, qui sanctos Martyres nec noverunt, nec viderunt, et post multa annorum circula nati, se ibidem esse corpore notaverunt. Sed quia hoc dimittendum est ei, qui occultorum est cognitor, quantum de eo conjicere possumus, vestræ caritati intimari curamus. Augarus iste, *a* qui Latine præclarus interpetratur, Christianus ut arbitror, erat, sed in occulto, ob validissimam in Christianos examinationem. Et quia clanculo Christiano, palam gentili more vivebat, propterea reor, cum a ministris Cæsaris deprehensum fuisset, quod sanctum Martyrem custodiret, ob id facultatem cum eo loquendi, et passionem ejus scribendi, libere suscepisse. Sed hoc dominico actum est nutu, quatenus hujus viri ammirabilis agon non esset occultus : et quia ejus passionem inculco famine, ac rusticissimo sensu digessit, idiotam et imperitum eum fuisse credamus. Sed sive hoc sive aliud fuerit, eum ibidem esse corpore nullatenus ambigamus.

23 His igitur tali ordine prælibatis, sequenti die ad crepusculum Licinius Augustus vocavit duos centuriones, qui præerant *b* omni regno suo, vocabulo Antiochum, et Patricium ; dixitque ad illos : Ite et

D deponentes de cruce corpus nefandissimi ac seductoris Theodori, ne forte Christiani eum nanciscentes, deum sibi faciant, eum in aliqua cloaca lapidibus obruere facite. Tunc illi simul abeuntes crucem reppererunt in terram jacentem, illum vero non invenerunt. Tunc dixit Antiochus ad Patricium : Vere cognovi modo, quod Galilæi vera dicant, qui Christum resurrexisse confirmant, qui et istum hodie se prædicantem resuscitavit. Ad quem Patricius : Fateor, inquit, si eum invenire potuissem, confestim Christo credidissem. Et Antiochus ait : Eamus, quousque reperiamus eum, quia et ego ita, ut tu asseris, faciam. Cumque simul iter agerent, invenerunt S. Theodorum in medio populorum sedentem, usque Christi fidem docentem, et exclamarunt ambo in populum : Vere magnus et ammirabilis est Deus Christianorum. Et corruentes ad pedes ejus deprecabantur eum, dicentes : Rogamus te, obtestamur per illum, cujus fidem prædicans talia sustinuisti, ut nobis Christianæ religionis doctrinam insinuare digneris. Videns autem hoc turba infidelium, qui simul aderant, rogare cœperunt et ipsi, ut baptizarentur : et baptizavit eos illico S. Theodorus in nomine vivificæ Trinitatis numero octoginta et duo.

*S. Theodorus duos Centuriones et alios convertit,*

24 Quo audito Licinius, diabolico instinctu magis E magisque instigatus, destinans Cæstum Anthypatum et cum eo quadraginta milites præcipiens eis, ut quotquot Christo credidissent, nulla mora interposita confestim mucrone jugularentur. Veniens igitur Cæstus cum prædictis militibus, ut viderunt tantam turbam conversam ad Dominum, et B. Theodorum incolumem esse, quem seminecem in cruce dimiserant, credentes et ipsi Christo, baptizati sunt confestim ab ipso. Et cum turba multa accessisset, et tantum populum fatentem audiret, Magnus est Deus Christianorum; credentes et ipsi baptizati sunt a S. Theodoro, laudantes et glorificantes Deum in omnibus quæ fiebant. Tunc inter Christianos et Ethnicos ingens tumultus ac disceptatio exoriri cœpit, adeo ut utrique mutuis se gladiis necarent. Nam cum quidam Ethnicus, Leandrus nomine, evaginato S. Theodorum gladio peteret, prædictus Cæstus Anthypatus ei restitit, et vi auferens gladium de manibus ejus, eum ipso gladio per medium divisit. Videns hoc alius quidam Hunnorum genere, Merphasius nomine, abiens ipsum Cæstum Anthypatum interfecit, qui Christi Martyr effectus est.

*et Cæstum Proconsulem,*

*qui mox, occisus :*

25 Cernens igitur S. Theodorus Christianorum turbam Gentiles gladio petere, dixit ad eos : Sinite F Karissimi Fratres, sinite; non enim fas est nobis ferro pugnare, sed fide. Nam cum Judæi ad Dominum nostrum irent adprehendendum, pacificis eis alloquens verbis dixit : Tanquam ad latronem venistis cum gladiis et lignis comprehendere me. An non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi duodecim legiones Angelorum. Ille enim solo verbo potuit disperdere eos, sed noluit; quinimo pro crucifigentibus se oravit, dicens : Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Cum in eorum auribus ista insonuisset, Ethnicorum, ac Christianorum est confestim sedatus tumultus. Et quia pro Christi nomine plurimi in eadem civitate vincti tenebantur in ergastulis, sanctissimus Martyr, una cum ipsis omnibus se comitantibus, ad eos pergens, solo verbo de vinculis et carcere solvens, in pace liberos abire sinebat. Hoc denique miraculo viso, gentiles plurimi eorum, derelictis idolorum culturis, in Dominum Jesum Christum credere quantocyus studuerunt. Et hi qui vexabantur a spiritibus immundis, vel quicumque aliqua languoris tabe fœdabantur, ad eum vehiculis advecti, eos in nomine vivifici Regis æterni Domini Jesu Christi pristinæ sospitati reddebat.

*Theodorus tumultum sedat.*

*Matt. 26*

*captivos verbo solvit*

*ægros sanat*

26 His interea taliter abeuntibus, relatum est Licinio,

A cinio, quod tota plebs ad Christum conversa per S. Theodorum baptizaretur. Mox ille, quia in omnibus se confusum esse cernebat, et quid amplius agere non babebat, magnis furiatibus stomachans, spiculatorem destinavit, eique mandans, ut ipso in loco, quo Martyrem Christi prædicantem nancisceretur, eum protinus capite detruncaret. Interea robustissimus athleta Dei B. Theodorus, profecturum se ad Dominum sciens, nimirum priusquam spiculator eum adiret, conversus ad Augarum, de quo supra fecimus mentionem, dixit ei : Augare, cum spiritum exhalavero, tolle corpus meum, et fer illud in Euchaitam, et in humo propriæ paternæque meæ subtantiæ facto sepulcro sepelies illud : quoniam et tu post meum transitum paullisper hic superesse te sentias. Quo dicente, spiculator illico affuit : a quo impetrata licentia, curvatis od terram poplitibus, expansis ad sidera palmis, oculisque in cœlum intendens, hanc precem pro se Domino cantavit, dicens : Rex omnipotens Domine Jesu Christe, cui deifica virtute omnis cœli et terræ substantia nutritur et regitur; qui in cœlo substantialiter residens, nullo cœlestium, terrestrium, vel infernorum loco clauderis; cujus divina majestas omnes qualibet tribulatione clamantes, solita pietate mirabiliter intendit; exaudi me B servum tuum, tota tibi mente devotum, et suscipe in pace spiritum meum, eruens eum de tenebrosi principis horribili potestate : et delicta juventutis atque ignorantiæ meæ ne memineris Deus, sed secundum magnam misericordiam tuam mihi propitiari digneris, ut teterrimus princeps nullum meis luminibus anteferat obicem : sed serenissimi animam meam Angeli tui suscipiant : quoniam tu es Deus benedictus, qui cum Patre sanctoque Flamine vivis et regnas ante omnia secula et post omnium secula seculorum. Expleta igitur hujusmodi oratione assurgens, totum corpus suum vexillo Crucis munivit, et denuo inclinatis humotenus genibus, spiculatorem ammonuit, ut feriret. Ille autem magna vi feriens, uno mucronis ictu caput ejus cervice tenus amputavit. Cujus venerandæ passionis dies septimo Idus februarii celebratur, quo exordium verni temporis inchoatur.

*jubet se Euchaitæ sepeliri.*

*decollatur Cruce se signans.*

27 Cur vexaris, o impiissime Licini? quid æstuas o atrocissime Imperator? quare per diversa tuæ mentis torqueris molimina? Ecce Martyrem nostrum apprehendens spolias, totum ejus corpus super terram extendens flagellis cædis, plumbatis ossa ejus atteris, ferreis unguibus carnes ejus dilaceras, flammigeras faces suis in plagis adhibes, omnia viscera C testis acutissimis explodens, carcere trudis, gressus ejus arctissimo ligno vinciens, famis sitisque inopia abdicas, excelsa cruce suspendens clavis ferreis perfodis, omnes ejus artus jaculis insuens membra cuncta dilanias, et quasi hæc non sufficerent ejus novissime caput jugulasti. Ecce occisus est. Ecce migravit e seculo, pro quo grassabaris. Eia nunc satiare, requiesce paullulum, quantulamcumque habeto quietem. Eia nunc vescere, epulare. Sed quia ingluviem tuam valde replesti, digestio tibi est necessaria. Ad mensam consedisti potentis, qualia ibi exhibuisti, talia te oportet recipere. Quid tibi profuit truculentissime sacratissimum Martyrem tantis exaggerare tormentis? quod tibi ipsa persecutio irrogavit subsidium? quam tibi concessit victoriam? Nempe non ibis immunis; quoniam vindicat Dominus sanguinem servorum suorum : et sanguis filiorum Dei defundetur, et retribuet judicium inimicis suis. Nam ut sciatis, Dilectissimi, qualis hujus impiissimi divina ultione finis extiterit, sequentia audiamus. Igitur cum celeberrimus vir, videlicet Constantinus Augustus, divina gratia Christianam fidem plenius percepisset; hic Licinius ejus æmulatione ductus, Christicolam ubicumque nancisci poterat, severius pernecabat. Audito igitur Constantinus, in Christianos multimodam persecutionem ab ipso illatam, ad eum destinans, ut se ab hoc compesceret imperavit. Qui cum non acquiesceret ejus imperio, quin imo contra eum amplius exardesceret, congregato agmine Augustus eum adiit : primumque apud Cibalas c juxta paludem, Hiulcam nomine, ejus castra irrumpens, ipsum exercitum fugavit, qui volucri fuga Bizantium veniens, illic Martinianum Officiorum Magistrum Cæsarem procreavit. Deinde Constantinus acie potior apud Bithyniam ipsum Licinium adegit. Ubi etiam pax cum ipso pacta, paullo post dirupta est, et eum exinde expellens, ac Thessalonicam abigens, illic d ipsum et Martinianum, quem Cæsarem fecit, jugulari præcepit. Hujus Licinii talis extitit finis. Regnavit annis quatuordecim; sexagesimo vero ætatis suæ anno, ut prælatum est, divino judicio regnum cum vita perdidit.

*Invectiva in Licinium.*

D *AUCTORE BONITO, EX MSS.*

*qui a Constantino victus,*

c

E

d *ac postea occisus est.*

28 His interea taliter decursis, ad id quod de ammirabilis Christi Martyris triumphalibus gestis laxavimus, seriatim exponere curemus. Igitur cum Christi miles decollatus fuisset, prædictus Augarus, præceptionis suæ non immemor, adhibitis Christianorum plurimis, venerandum ejus corpus simul et caput tollentes ab Heraclia in Euchaitam deportaverunt. Ibi etiam, sicut ipse præceperat, in propria ejus substantia facto tumulo, diversis cum aromatibus condientes, cum magna exequiarum gloria, reverentissimoque affectu sepelire honorabiliter meruerunt. In quo itaque loco haud longo post tempore, ad honorem nominis sui, fideles populi Ecclesiam construxerunt; ubi ipsius Sancti opitulantibus meritis multa mirabilia operantur, præstante hoc Domino nostro Jesu Christo, cujus gratia omne conceditur meritum, et unicuique secundum proprium laborem retributio irrogatur; qui cum Patre, et Spiritu sancto ... per cuncta seculorum secula. Amen. F

*S. Theodorus Euchaitæ sepultus,*

*clarus deinde miraculis*

a *Ita Hesychius in Lexico :* Ἄυγαρος ἄσωτος ὑπὸ Κυπρίων. Apud Cyprios idem significat αὔγαρος quod ἄσωτος, *id est,* luxu perditus — b *Quasi vero id Centurionum sit munus. Melius primarii.* Erant enim ordinarii; *præfecti fortassis satellitii aut custodiæ Augusti.* — c *Illud prælium, ut supra monuimus, ante cædem S. Theodori contigit, an.* 314 *die 8 Octobr. ut habet Idatiu.* — d *Anno* 324 *aliquot præliis victus, sequenti,* Paulino et Juliano *Coss. occisus est, una cum Martiniano, quem is Cæsarem crearat.*

# DE S. PARTHENIO EPISCOPO

## LAMPSACI IN HELLESPONTO.

J. B.

*SECULO IV VII FEBR.*

Hellespontus, *ut Plinius lib.* 4 *cap.* 11 *scribit,* septem stadiis Europam ab Asia dividens, quatuor inter se contrarias urbes habet, in Europa Callipolin et Seston, et in Asia Lampsacum et Abydon. *Et* Lampsacus *quidem (ita enim, quæ Plinio lib.* 5 *cap.* 32 Lampsacum *est, appellant Græci, Ptolemæus lib.* 5 *cap.* 2, *Socrates lib.* 4 *cap.* 4 *Stephanus, Strabo lib.* 13) Lampsacus *igitur, ut ait Strabo,* mari imminet, urbs bonitate portus, aliisque rebus memorabilis : Pityusa *prius dicta,* διὰ τὸ πιτύων ἔχειν πλῆθος, *inquit Stephanus,* quod plurima illic pinus. *Est autem* in augusto Hellesponti posita, *ut habet Socrates.*

*Lampsaci in Hellesponto*

2 *Eam, Constantino Magno imperante, sanctitate et miraculis illustravit* S. Parthenius *Episcopus : cujus die* VII *Februarii festum agi annotarunt Molanus in addit. ad Usuardum, et Ferrarius in generali catalogo SS. Breviter de eo Menologium ab Henrico Canisio vulgatum :*

*Episcopus S. Parthenius colitur 7 Februarii*

*AUCTORE BOL-LANDO, EX MS officio Ecclesiastico a Græcis :*

*vulgatum* : Commemoratio S. Parthenii Episcopi Lampsaci. *Prolixius ejus encomium extat in Anthologio et Menæis : atque in his quidem ita Officium hujus diei inchoatur* : Hellesponti gloria, Lampsaci luminare, admirandorum operum splendidus lucifer, Magnus Parthenius, nos omnes sui memoria convocat, ad spiritualem solennitatem peragendam, ac Christum salvatorem celebrandum. *Aliis enim honorificentiæ plenis titulis ornant; appellant enim inter alia*, θαυμαστὸν καὶ μέγαν ποιμένα, πανθαύμαστον, Λαμψάκου παμμέγιστον ποιμένα καὶ περιβόητον, θαυματουργὸν ἱεράρχην τῆς οὗ Χριστοῦ ἐκκλησίας, τὸ Ἑλλησπόντου καύχημα, καὶ τῶν πιστῶν ἑδραίωμα, μέγαν μύστην, θεόφρονα ἱερόν, θαυματουργὸν θεοφόρον, ἅπαντα τὰ τῶν πιστῶν πάθη ἀποκαθαίροντα, πνεύματα τῆς πονηρίας ἐλαύνοντα. Magnum et admirabilem Pastorem, omnino stupendum, Lampsaci perquam maximum Pastorem et fama clarissimum, celebrem miraculis Hierarcham Ecclesiæ Christi, Hellesponti exultationem, fidelium fulcimen, magnum Sacerdotem, divina sapientem vatem, miraculorum patratorem Deiferum, omnes fidelium ægritudinis expurgantem, malignos spiritus abigentem. *Et plura id genus, quæ sunt ex Vita ejus sumpta.*

*laudatus in Menæis.*

*Vita ejus a Crispino scripta,*

B

*hic collata cum MS. Græco*

3 *Vitam autem descripsit simplici et candido stylo* Crispinus; *ejus (ut creditur) discipulus, Lampsacenus certe et coætaneus; uti ipse indicat cap. 2 num. 16 his verbis* : Maximinus quidam nomine, ex Byza civitate Thraciæ, qui erat discipulus unius ex iis qui SUNT APUD NOS Diaconi, nomine Psertæ. *Hanc vitam e Græco vertit Gentianus Hervetus, edidit Aloysius Lipomanus, atque ex eo Laurentius Surius : nos cum Græco codice Regis Christianissimi contulimus.*

*vixit sub Constantino,*

4 *Ætatem S. Parthenii indicat Crispinus, dum memorat Byzantium ad Constantinum Magnum esse profectum. Et Nicephorus Callistus lib. 8 cap. 42.* Par istis, *inquit, id est*, Spiridoni et Nicolao, etiam Parthenius fuit, urbis unius in Hellesponto Episcopus, vitæ splendore, humanitate et prodigiis ingentibus clarus, adeo ut accepta a Deo potestate, mortuos excitarit, dæmonibus imperarit, atque ægritudinum omnis generis promptus curator extiterit et gratuitus. *Agit de eo Baronius tom. 3 ad ann. 337 num. 38 et sequentibus, et censet eum quoque Nicæno concilio interfuisse.*

*putaturque interfuisse concilio Nicæno*

*coætaneus fuit S. Abrahami eremitæ,*

5 *Quam idem Baronius subjungit pagi idolorum cultui deditissimi conversionem, S. Abrahami eremitæ constanti patientia procuratam, plane arbitramur S. Parthenii tempore contigisse, sed nihil ad eum, diœcesimve Lampsacenam pertinere. Erat S. Abrahamus Syrus*

C

*genere, vitamque anachoreticam in loco duobus milliaribus a patria distante ducebat, uti XVI Martii ostendemus.* Erat vero, *inquit in ejus Vita a se scripta S. Ephræm*, non longe a civitate illa vicus valde magnus ac spatiosus, in quo cuncti pariter pagani admodum atroces, a minimo usque ad maximum degebant, quos nullus plane ab idololatria avertere poterat.... Una ergo die Episcopus sedens cum Clericis suis, beatissimi hujus viri memor, dixit ad eos : Talem ego virum cunctis temporibus meis non novi..... Volo eum in hoc paganorum vico ordinare Presbyterum .. Et consurgens e vestigio una cum Clero ad cellulam sancti viri contendit ..... Eductumque jam illum ex sua cellula, in civitatem subito introduxit, ibique per impositionem manus eum Presbyterum ordinavit, ac protinus ad vicum paganorum cum gaudio cum multis Clericis deducendum curavit ... *Vico jam converso*, latenter in alium locum recessit : *et quidem apud S. Ephræm, ut postea dicitur, habitavit. Eadem in antiquissima Vita Latina habentur.*

*qui Presbyter factus ad convertendum vicum Gentilium,*

*t... ab Hellesponto, ut accepit Metaphrastes,*

6 *Metaphrastes ita eam narrationem interpolavit* : Lampsaci, quod est oppidum ad Hellespontum, erat quidam magnus vicus et frequens populo, qui vocatur Tænia. *Ac postea nominat* vicum qui est ad Hellespontum. *Narrata vici conversione subdit* : se clanculum proripit ad secessum. *ac deinde* : Cum in eo in quo latebat loco hæc per Spiritum cognovisset, *Presbyteros scilicet et Diaconos in vico illo esse creatos*, ab illius vici curis animum liberavit. *At paullo post* : rursus revertitur ad vetus habitaculum : et cum ei contiguam ædificasset domunculam, et obstruxisset aditum, priori se tradit solitudini, *sive vitæ solitariæ, in qua, ut ante diximus, socium habuit Ephræmum.*

D

7 *Sed qui cum animo suo reputarit, quantum ab Hellesponto Mesopotamia distet, a Lampsaco Edessa, circa quam Ephræm Abrahamque habitarunt, facile intelliget hunc velut e propinquo loco a S. Parthenio non esse deductum, ut Græcis hominibus homo Syrus præficeretur.*

*sed circa Mesopotamiam.*

# VITA AUCTORE CRISPINO,

## INTERPRETE GENTIANO HERVETO,

### Cum Græco MS. Collata.

ANIMADV. PAP. 13

### CAPUT I.

*S. Parthenii ortus, sacerdotium, Episcopatus, ecclesia ædificata, fani idolorum eversio.*

E

*S. Parthenius piscatu pauperibus subvenit:*

Desiderio et amore motus ego peccator Crispinus, studui conscribere admirabilem et gloriosam Vitam atque a puero institutionem sancti Patris nostri Parthenii Episcopi. Est enim plena utilitate animæ, et quæ potest iis, qui legent, ostendere ea, quæ Deus præbet diligentibus se.

2 Beatus ergo et inclytus hic Parthenius habuit quidem patrem, nomine *a* Christodulum, dignitate Diaconum sanctæ Dei Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ, quæ erat *b* Melitopoli, litterarum *c* imperitus, sanctarum autem Scripturarum vel maxime valens memoria. Crescens vero ætate, ibat in propinquum *d* lacum, et ibi piscabatur, et piscium mercaturam suppeditabat usui eorum qui egebant. A prima enim ætate, gratia Dei dignatus, seipsum celabat. Decem vero et octo natus annos signa facere cœpit, dæmones expellens ab hominibus Christi invocatione. Cum vero bona de eo fama est multorum sermone celebrata, Melitopoleos sanctissimus Episcopus, nomine *e* Philetus, cum audivisset de S. Parthenio, eum accersitum et multum laudatum, vel invitum ordinat Presbyterum et *f* Visitatorem sanctæ Melitopolitanæ Ecclesiæ.

a

b c

d

e

f

*fit Sacerdos·*

F

3 Porro autem ei quoque opem ferebat gratia curationum in omnibus ægrotantibus : et faciebat multa signa admirabilia in nomine Domini nostri Jesu Christi. Inter cetera vero accidit aliquando, ut ei homo fieret obviam, cui a tauro fuerat effossus oculus; quem dependentem manu sua portabat, et deflebat. Eum cum accepisset vir sanctus, et in suo loco imposuisset, aqua madefaciens, in tribus diebus sanum reddidit.

*erutum oculum restituit cancrum Cruce sanat*

4 Quædam autem mulier, quæ in pudendis corporis sui partibus cancrum habebat extantem, rogabat virum sanctum, ut acciperet morbi curationem. Sanctus vero in ejus fronte facto signo Crucis, eam curavit protinus : et excidit ab ea morbus, adeo ut species cancri vel ipsam terram exulceraverit. Tunc omnes, qui aderant, cum hoc vidissent miraculum, dederunt laudem et gloriam Deo nostro, qui facit miracula.

5 Cum itaque iret aliquando B. Parthenius ad visendum quamdam ægrotum, intereundum repente canis ingentis magnitudinis et *g* cædem spirans, rupta catena, qua ei fuerat imposita exibit a quadam domo cujusdam ex Proceribus, et eum invasit et rectus stetit supra corpus ejus. Sanctus autem cum in eum spirasset, et Crucem Christi fecisset, repente exiccavit,

g

*... Cruce et ha... ...*

A cavit, et ab humeris suis in terram projecit mortuum.

Hæc et his similia cum audivisset, qui erat illo tempore sanctissimus *h* Cyzicenorum Metropolis Episcopus nomine *i* Ascholius, cum accersivisset venerandum et sanctum hunc virum Parthenium, eum ornavit dignitate Episcopatus, et maximum concessit donum civitati Lampsacenorum. Homo autem Dei Parthenius, cum venisset ad ei dedicatam civitatem Lampsacum, et eam invenisset deditam cultui simulacrorum, graviter angebatur. Sed non cessabat, sicut Apostolus admonet, rogare, increpare, veritatis viam eis ostendere, imbecillitatemque et vanitatem simulacrorum: et faciens miracula in nomine Domini nostri Jesu Christi, et curans eorum infirmos, paullatim traxit eos ad Dei agnitionem.

*h fit Episcopus Lampsaci: prædicatione et miraculis cives convertit:* 2 Tim. 4. 2

7 Cum vero vidisset eos proficere in fide, et simulacra despicere, voluit eorum templa diruere, et ædificare ecclesiam in nomine Domini nostri Jesu Christi. Cum se autem sustinuisset, sic statuit, quod cum Imperator sit Christianus et pius, justum sit ejus sententia templorum idolorum fieri demolitionem. Hæc cum apud se statuisset Christi servus Parthenius, et solvisset ex civitate Lampsaco, venit in urbem regiam. Forte autem accidit, ut die sequenti B pius Imperator Constantinus descenderet in vehiculo ad videndos agros. Ad eum itaque accedens vir sanctus, exposuit ei suam petitionem. Venerandus vero et plane Christi amans Imperator Constantinus, benigne accepit ejus petitionem, et valde est lætatus: jussitque eum ire in regiam, et exspectare donec ipse rediret ab agris. Reversus itaque Imperator in palatium, lubenter accepit virum sanctum, et complexus rogavit, ut pro ipso precaretur: et protinus jussit fieri Edictum pro idolorum templis expurgandis: et cum hoc suis divinis confirmasset syllabis, dat Parthenio cum multo auro ad extructionem sanctæ Dei ecclesiæ; et eum amplexus, dimisit in pace.

*obtenta a Constantino Imp. potestate,*

*fana evertit:*

8 Reversus autem B. Parthenius in suam civitatem Lampsacum, templa diruit, et eum pulcherrimam et ornatissimam descripsisset Dei ædem, ipse per se assistens operi, magno studio eam curabat excitandam. Etenim cum multi adnavigarent et enavigarent hospites, non contingebat eis transire, nisi prius eum vidissent, et benedictione ab eo dignati, eam, tamquam multorum bonorum viaticum, auferentes recedebant.

*k*

*Christo ædem struit: advenientibus et appellentibus benedicit.*

9 Quodam autem die accessit quidam ad eum, qui C latenter in se habebat spiritum immundi dæmonii. Quem cum longo tempore habuisset, hoc ignorabat. Hic ergo homo cum vidisset Sanctum, eum salutavit. Homo vero Dei Parthenius, cum cognovisset dæmonem, qui in eo habitabat, eum non resalutavit. Dæmon autem perturbatus, dixit Sancto: Quoniam desideravi te videre, ideo te salutavi: cur tu non salutasti? Sanctus autem Parthenius dicit ei: Ecce vidisti me, quid sum? Dicit dæmon: Et te vidi, et agnovi. Dicit Sanctus: Si revera me vidisti et agnovisti, egredere cito a Dei creatura. Dixit dæmon: Hoc totum est, ut me expellas a mea habitatione? Nunc, rogo te ne me expellas post tantum tempus. Dicit ei B. Parthenius: Est ne longum tempus, ex quo in eo habitas? Dixit dæmon: A pueritia: nec fui ulli unquam cognitus nisi nunc tibi: tu autem me expellis, ut video, et quo jubes me abire? Dixit Sanctus: Do tibi locum, quo proficiscaris. Dicit dæmon: Omnino dices mihi, Abi in porcos. Dicit ei Sanctus: Minime, sed do tibi hominem, et ingressus in eum, illic habita. Nunc vero ex eo egredere. Dixit Dæmon: In veritate hoc facis, an solum hoc dicis, dum me ejeceris? Dixit Sanctus: Dico tibi in veritate, mihi quidem est homo paratus, in quo debes habitare: solum cito egredere. Dæmon autem

*dæmonem ab energumeno pellit,*

*potestate facta in se ingrediendi*

D Sancti pactis conventis persuasus, petebat ut promissio deduceretur ad effectum. Tunc Sanctus os aperiens, dixit dæmoni: Ecce ego sum homo: ingredere, et in me inhabita. Dæmon autem tamquam ab igne ustus ob id, quod Sanctus dixerat, exclamavit dicens: Hei mihi! Me in alieno vase existentem post tantum tempus persequeris; et quid non mali a te passus fuero? Quomodo vero in domum Dei ingrediar? Non licet veritatem audire a vobis Christianis. Tunc dæmon egressus ab homine, abit in loca deserta et inaccessa; homo autem evasit sanus virtute et gratia Domini nostri Jesu Christi, *l* Deinque perpetuo laudabat et glorificabat, et sanctum ejus famulum Parthenium.

AUCTORE CRISPINO, EX MS. GR.

*l*

a *Menæa et Anthologium* Christophorum *vocant* — b *Gentianus vertit*, Meliti. *In MS. Græco est* μελιτην πολεως, *in Menæis* Μελιτόπολις; *in antiqua Notitia quam edidit Carolus a S. Paulo*, Μελιτούπολις, *dicitur. Ea esse videtur, juxta quam*, in stagno Artynia oriri Rhyndacum amnem *Plinius scribit lib.* 5 *cap.* 32 *licet* Miletopolim *appellet.* — c *Quas tamen cum, jam natu grandiorem, priusquam Presbyter fieret, adhibuisse Menæa et Menologium tradunt.* — d *Gr.* ἐν τῇ πλησίον λίμνῃ Artynia (*ut verisimile est*) *a Plinio memorata.* — e *Menæa et Anthol.* Philippum vocant — f *In Græco est* περιοδευτήν; *quem alii Vicarium Episcopi esse volunt. An soluta fortasse* ἐξυπνιστής, *sive* ἐξυπνιστὴς *erat, sive Excitator; qui in vigiliis circuibat, et somnolentos excitabat?* — g *Menæa et Anthol.* γυττήσαντα, in rabiem actum *aiunt fuisse.* — h *Sub* Cyzico *enim metropoli Hellesponti et Melitopolis erat et Lampsacus.* — i Ἀχίλλιος *est in Anthol. et Menæis* — k *Videatur Menæa a severe verbo ac precatione eversa ab eo templa*: Ῥημάτων σου συνῳδιτε δυναστείᾳ, Παρθένιε, ναοὶ ἐρράγησαν τῶν εἰδώλων, θείᾳ χάριτι καὶ ὁ ἄπιστος λαὸς πίστιν προσελάβετο, μεγαλύνων συμφώνως τὸν Κύριον. Verborum tuorum precumque potentia, Partheni fana confracta sunt idolorum. Divina virtute et incredulus populus fidem suscepit, unanimi voce Dominum magnificans. — l *Sequentia usque ad num.* 10 *desunt in Græco MS*

## CAPUT II.

### *Miracula S. Parthenii, in morbis curandis, pellendis dæmonibus, mortuis suscitandis.*

Perfecto vero opere ædificationis sanctæ Dei ecclesiæ, studium ponebat homo Dei ut poneretur mensa, in qua oportebat Domino offerri spiritale et incruentum sacrificium. Cum autem invenisset in quodam loco, *a* dedito idolis, lapidem pretiosum et aptum ad sanctæ mensæ concinnandum opus, quod quærebatur, effecit id pulchre elaborari et adaptari ab artificibus. Perfecto vero opere, jussit id afferri in ecclesiam. Cum ergo artifices lapidem currui imposuissent, et boves junxissent, ducebant ad civitatem. Incidens autem et bonorum operum æmulus diabolus non ferens ignem divini zeli sancti viri, conturbatis bobus, effecit, ut ii repente impetu qui cohiberi non poterat incitati, supinum in terram projecerint eum, qui trahebat boves, nomine Eutychianum: quem excipiens, currus rotis circumactis *b* perfregit omnem viscerum ejus compagem, sicque exspiravit. Cum autem accepisset quod acciderat servus Dei Parthenius, dixit: Hoc satanica plane fecit malitia. Non impedies in hoc, diabole, opus Dei, et statim assumens secum pios viros, qui cum ipso erant, cucurrit ad locum: et stans prope cadaver, et sancta sua inclinans genua cum lacrymis intense oravit ad Deum, dicens: Tu Domine omnipotens, suppeditator vitæ et mortis, non ignorans propter quam caussam auctor malorum inimicus, machinatus est mortem in tuum figmentum. Sed, o benignissime, ut semper, ita nunc quoque ostende inanem ejus conatum: vitæ autem participem fac tuum servum Eutichianum, ostendens iis, qui in te credunt, invictam tuam potentiam: *c* quoniam tu es solus Deus, et te decet gloria in secula, Amen. Adhuc vir justus has ad Deum fundebat preces, cum reversus est mortui spiritus in corpus ejus, universo populo inspectante: et cœpit, *d* qui fuerat mortuus, dicere: Gloria tibi Christe Deus, qui etiam suscitas mortuos. Et cum protinus surrexisset, et factus esset sanus sicut prius, et accepisset boves, traxit currum usque ad ædem ecclesiæ.

E

*altare facit ex insigni lapide, frustra obsistente diabolo:*

*a*

F

*b*

*mortuum precibus suscitat:*

*c*

*d*

11 Tunc

A *Auctore ex spiritibus gr. multos infirmos sanat :*

11 Tunc omnes, qui viderant hoc miraculum adeo præter opinionem, dederunt gloriam et laudem benigno Deo, et afferebant undique omnes ægrotantes, et qui vexabantur ab immundis spiritibus : et gratia et virtute Domini Jesu curabantur omnes. Omnis autem ars medicinæ in diebus hujus sancti viri jacebat, propterea quod omne genus morbi in nomine Domini nostri Jesu Christi gratis ab ipso curaretur. Inter quos Dionysii quoque *e* Præpositi Imperatoriarum vecturarum, filiam virginem, nomine Daphnen, quæ a dæmone graviter castigabatur, ipse totis tribus diebus curavit. Alteram autem Mamalii cujusdam filiam, qui erat Princeps civitatis Smyrnensium, nomine Agalmatiam, quae ab immundo spiritu arrepta humi volvebatur spumans, totaque indurabatur, curavit. Zoïdam vero nomine, *f* quæ e Perside venerat, et a dæmone vaticinante miserabiliter conterebatur, haud ita longo post tempore, Domini gratia liberavit.

*f*
*res energumenas liberat,*

*g*
*alium rebellem parentibus, ideoque possessum,*

12 Alium autem rursus juvenem *g* ex Hunnis ortum, Presbyteri filium, nomine Nicomen, qui ab immundo spiritu graviter affligebatur, adducentes ejus parentes, jecerunt ad pedes Sancti, rogantes ut ejus misereretur juventutis, et eum liberaret ab immundo
B dæmone. Vir autem sanctus dixit eis : Non est dignus qui curetur, ad castigationem enim datus ei fuit stimulus spiritus, est enim parricida. Vos enim sæpe ab eo habiti contemptui, in animæ vestræ amarore a Deo petiistis, ut ipse castigaretur. Sinite eum sic esse, expedit enim. Illi vero, ut qui essent parentes et vincerentur visceribus, exclamaverunt rogantes eum lacrymis : Precare Deum pro ipso, ut liberetur a sævo et immani dæmone. Beatus autem Parthenius misertus abunde profluentium lacrymarum parentum, intense Deum precatus est pro ipso, et protinus egressus fuit ab ipso dæmon, et mundatus fuit homo. Tunc parentes ejus eum sanum acceperunt, et domum redierunt, Deum laudantes atque glorificantes.

*precibus liberat*

*h*
*aliam a draconali spiritu correptam,*
*cum imposition manuum, et precibus*

13 Alexandriam autem quamdam nomine, *h* ex Arisba, quæ est juxta Abydum, draconalem habens spiritum, sibilans et multos internuens, allata est ad servum Dei Parthenium. Qui cum increpasset spiritum, curavit eam, et remisit ad nos. Synodi vero cujusdam Abydeni filiam virginem, quæ ab immundo spiritu vexabatur in mentibus, parentes ejus comprehendentes, duxerunt ad Justum : et cum manus ei
C posuisset et esset precatus, eam curavit.

*i*
*paralyticum aqua benedicta et precibus sanat, mortuum suscitat*

14 Alium quoque, *i* Axanum quemdam militem, qui omnes partes corporis habebat dissolutas, duxerunt ad servum Dei Parthenium. Quem aqua undetaciens, et precans, sanum misit domum suam ambulantem. Quemdam autem alium, nomine *k* Alanum, genere Syrum, operatione mali, qui in eo habitabat, dæmonis, ex loco catechumenorum sanctæ ecclesiæ, quam condidit sanctus vir Parthenius, suspensum et deturbatum ac mortuum, ad cadaver adveniens Dei famulus, illum quoque vivificavit precibus, et ab eo fugavit dæmonem. *m* Eutropius vero quidam nomine *n* ex Pareo, uxorem suam duxit ad Sanctum, quæ habebat spiritum immundum, et rogabat eum multum, ut pro ipsa rogaret, ut curaretur a dæmone, qui ipsam vexabat. Vir autem sanctus cedens ejus precibus, cum eam accepisset, et in ejus oculos inspirasset, et super caput ejus esset precatus, liberavit a dæmone. Tunc maritus ejus Deum glorificans, ivit in domum suam cum ipsa.

*k*
*l*
*m*
*n*
*energumenam, insufflando in oculos, curat*

*item aliam, aliam intoxicatam*

15 Acaciam vero quamdam nomine, ex pago, qui dicitur *o* Celaens, quæ ab immundo spiritu vexabatur, ad eum adduxerunt : et gratia et virtute Domini Jesu, sanam dimisit. Eucheria quædam nomine, uxor Agapii Magistriani *p* Heracleotæ, veneficio attentata, cum ei roderentur intestina, allata est ad Sanctum : et cum tribus diebus pro ea esset precatus, et ex *q* oleo sanctorum eam potasset, sanam remisit in domum suam.

*o*
*p*

D *q*

*r*
*mortuum suscitat precibus :*

16 Maximus quidam nomine, ex *r* Byza civitate Thraciæ, qui erat discipulus unius ex iis, qui sunt apud nos Diaconi, nomine Psertæ : hic ergo Maximus cum incidisset in morbum dysenteriæ, desperatus fuerat ab omnibus. Cum id autem rescivissent ejus parentes, Byza venerunt Lampsacum ad eum sepeliendum : et cum eum accepissent cum lectulo, fide ducti, ferunt eum in sanctam ecclesiam, et eum ponunt in ingressu Episcopii, per quem Dei servus erat transiturus. Cum vero in eum locum venisset sanctus vir Parthenius, et vidisset eum in lecto jacentem exanimem, et ejus parentes lamentantes, et omnes, qui cum eis aderant, lacrymantes, ipse quoque est lacrymatus : et cum flexisset genua, Deum pro ipso est precatus, et virtute ac gratia Domini nostri Jesu Christi, ad ipsum reversus est spiritus ; et statim assedit, qui fuerat mortuus, et cœpit loqui. Data autem ei manu, fecit eum surgere, et sanum reddidit parentibus, adeo ut universa civitas Deum laudaret propter factum miraculum.

E
*s*
*2 energumenas aqua benedicta sanat :*

17 Quædam autem mulier Diaconissa, nomine Theophila, ex Aserino vico *f* Cherronesi, et cum ipsa Ruffina impubes ex eodem vico, ab immundo spiritu dissoluta, et effecta paralytica, allatæ sunt ad sanctum virum. Quas paucis diebus aqua aspergens, et precans, virtute Domini sanas remisit ad suos. Hilarii cujusdam Presbyteri ex *t* Ausadia filius unigena, nomine Thalassius, qui a maligno spiritu fuerat mente motus, portatus est ad Sanctum. Quem cum accepisset, orans totos septem dies, reduxit ad naturam, et Domino agentem gratias, cum patre remisit ad patriam. *v* Vetulam vero quamdam pauperculam, cui nomen erat Calliope, et cum ea puellam Cyriacam nomine, quæ ambæ ab immundo spiritu castigabantur, tulerunt ad Sanctum : qui per suas ad Deum preces ambas curavit. Cum autem iis quoque dedisset ea quæ ad victum necessaria, dimisit in pace.

*t*
*item 3 alios precibus.*
*v*

*dæmonem ejicit ex officina tinctoria*

18 Præter hæc autem et alia, quæ narrari non possunt, sancti hujus viri miracula, accidit ut officina quoque, in qua tingebatur purpura, impediretur ab immundo spiritu, qui in eam inculcaverat, et non efficeret eam, quam solebat, tincturam : sed etiam immundus dæmon appareret tinctoribus, et opus Imperatoris non sineret effectum reddere : adeo ut ex F
hac re magnum periculum et damnum servi sustinerent et tinctores. Quamobrem cum rescivisset homo Dei Parthenius, et ab eis fuisset rogatus, prompto et alacri animo venit ad locum officinæ : et cum advocasset immundum operantem dæmonem, et eum increpuisset terribili et sancto nomine Christi, jussit eum inde facessere, clamantem omnibus audientibus, se ab igne pelli in gehennam ignis. Cum autem jussisset Sanctus, tinctores impleverunt lebetes, et eo præsente immiserunt lanam. Ea vero ab illo tempore eam, quam oportebat, tincturam, citra ullum impedimentum, accepit, etiam in futurum. Sicque et qui gerebant rempublicam, et tinctores omnes liberati fuerunt a periculo, quod iis ab Imperatore imminebat.

*x*
*eam piscatione impedientem, aqua benedicta pellit :*

19 Audite aliud quoque magnum miraculum, quod factum est a sancto Patre nostro Parthenio. Tempore piscationis *x* thynnorum, cernebantur quidem pisces a piscatoribus, tamquam qui jam essent in manibus, cum laxarentur autem retia, nihil proficiebant, sed laborem manem sustinebant. Fuit vero hoc a diabolica aura impedimentum, non in uno tantum aut altero emporio, sed in tota regione maritima usque ad Abydum. Omnes autem simul congregati, rogarunt virum justum, ut Deum pro eis precaretur.

Eo

A Eo vero precante cum jejunio et fletu, Deus ei aperuit caussam et satanicam operationem. Exurgens autem, citra moram profectus est in unumquodque emporium usque ad Abydum, et aquam benedicens, et sal injiciens, et Deum invocans, jussit afferri retia, et se præsente piscium consuetam facere piscationem. Tunc cum magno gaudio sua retia laxantes, Domini virtute, et Sancti precibus, tanta bona consecuti sunt in piscatione, ut præteriti temporis defectum suppleverint. Sedente autem viro sancto in emporio juxta *y* Ptelæam, cum piscatio fieret piscium, reteque traheretur, thynnus maximus e reti exiliens, se projecit ad pedes Sancti. Quem cum signasset et Deum precatus esset, jussit scindi et distribui Fratribus ad gloriam Dei.

*paralyticum sanat: item ulcerosum*

20 Aliquando Heracleoten quemdam, nomine Callistum, cui a diabolica operatione fuerant pedes soluti, duxerunt ad B. Parthenium. Quem cum curasset virtute Domini, propriis pedibus ambulantem remisit in domum suam, lætantem et Deum glorificantem. Alium autem quemdam, nomine *z* Lesbium, ex insula, *aa* quæ dicitur Oa, duxerunt ad hominem Dei. Qui quidem a pedibus ad caput usque erat totus ulceribus obsitus, a leproso nihil differens. Eum oleo B ungens et precans tribus diebus, sanum remisit ad suos.

a Κατειδώλω. *Gentianus verterat,* dedicato, *quasi ex fano quopiam idolorum sublatus esset lapis.* — b *Menæa et Anthol.* διαρραγείσης οὕτω τῆς γαστρός: ventre ei abrupto. — c *Sequentia usque ad* Amen *desunt in Græco.* — d *MS. Gr. habet, populum hæc dixisse.* — e *Græce est* Ἐν οἷς Διονύσιος τοῦ πραιποσίτου τῆς βασιλικῆς βασταγῆς θυγατέρα παρθένον, ὀνόματι Δάφνην. *Gentianus vertit* Inter quos Dionysius quoque Præpositi filius, stirpe Imperatoria, cum haberet filiam Virginem, nomine Daphnen. *Censui legendum* Διονύσιον; *alioqui quo nominativus ille referatur, verbum nullum est. Si casu tamen retinendus videatur, verbo subintellecto, reponendum erit,* Præpositi filius. *Ceterum* βασιλικῆς βασταγῆς *Præpositus, videtur esse Præfectus bajulorum aut lecticariorum, aut eorum forte qui ponderibus et mensuris præsunt.* — f *Gentianus verterat,* quæ ad Persas venerat. *Græce est,* ἀπὸ τῶν Περσῶν. — g *Gr.* Ἀπὸ Ὀρίων. — h *Gr.* Ἀπὸ Ἀρύβης τῆς κατὰ Ἄμυδον. *Iterumque inferius* Ἄμυδος *pro* Ἄβυδος. *Strabo lib.* 13 *scribit* Arisbam et Abydum *Milesiorum esse colonias,* Arisbam *tempore belli Trojani fuisse* Asii Hyrtacidæ regiam, *ad flumen* Selleentem, Σελλήεντα *sitam. Mirum autem est quod idem scribit, suo ævo* ea loca ita fuisse in obscuro, ut minime conveniret inter eos qui de iis narrarent, nisi esse circa Abydum, Lampsacum et Parium. — i *Gr.* Ἀξύνου. — k *Gr.* Ἀλαβάν — l *Græce,* ἐκ τοῦ διστέγου τῶν κατηχουμένων. *Gentianus* ex tabulato. *Significat locum duas habentem contignationes.* — m *Græce est* Ἔκτροπος. *Menæa et Anthologium sic habent:* καὶ ἀπὸ τοῦ ἐπιτρόπου τῆς γαμετῆς τὸ ἀκάθαρτον ἀπήλλαξε πνεῦμα. *Vertit Raderus,* a curatore uxoris immundum abegit spiritum. *Priora ita scribenda fuissent:* καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ ἐπιτρόπου γαμετῆς, *etc.* ad Epitropi *vel* Entropi, *aut* Ectropi; uxore immundum, etc. — n *Gr.* ἐν τῆς παρίας. Parium *urbs Hellesponti inter Lampsacum et Cyzicum, quam Plinius lib.* 5 *cap.* 32 Adrastiam *dictam ab Homero scribit.* — o *Gr.* ἀπὸ κτήματος τοῦ λεγομένου Καλλίου. — p *Ita MS. Græcum. Gentianus habet:* Pageleoti. *De* Magistriani *voce et munere vide Meursii Glossarium, ubi exponitur,* Agens in rebus. — q *Gr.* τοῦ ἐλαίου τῶν ἁγίων. *An oleum benedictionibus sanctificatum, an ex Sanctorum (ut sæpe) reliquiis manans, an ex lampade ante reliquias aut aram suspensa sumptum id fuerit, non divino.* — r Byzia βιζύη *urbs est Thraciæ Ptolemæo nominata lib.* 3 *cap.* 11 arx Regum Thraciæ, a Terei nefasto crimine invisa hirundinibus, *inquit lib.* 4 *cap.* 11 *Plinius.* *Illis* Byzia *dicitur, hic in Gr.* ἀπὸ βυζύης. *vertit Gentianus,* ex Bizye. — s Cherronesum Thraciæ *reor intelligi, in qua Sestus est, mari VII stadiorum ab Abydo Asiæ urbe sejuncta.* — t *Gr.* ἀπὸ Σανσαδίας. — v *Andros vertitur fuerat Gentianus.* — x Multi in Propontide æstuant, *inquit Plinius lib.* 9 *cap.* 15 *ubi multa de eorum capturis.* — y *Gr.* ἐν τῷ κατὰ Πτελαίας ἐμπορίῳ. *Gentianus:* in emporio Cataptelee. — z *Gentianus,* Lesbum. — aa *Gr.* λεγομένης ὤας.

## CAPUT III.

*Gesta Heracleæ in Thracia: variæ prædictiones: mors S. Parthenii.*

Ex magnis ergo et multis miraculis, quæ a sancto Patre nostro Parthenio, Dei gratia, facta sunt, partem, prout potui, significavi vestræ caritati: *a* non tamquam de Patre et Doctore verba faciens ad eum ornandum, propter id, quod dicitur, Perdet Dominus omnes, qui loquuntur mendacium: sed res ipsæ testantur, etiam quæ fiunt post ejus obitum. Ivit aliquando, cum adhuc viveret, negotii caussa, in Thraciæ *b* metropolim Heracleam, et conveniens Archiepiscopum, qui illic erat, nomine *c* Hypatianum, qui ad extrema fere erat redactus, rogavit caussam

*Episcopum avarum, ideo graviter ægrotantem,*

D morbi. Cum per divinam autem revelationem cognovisset B. Parthenius, eum castigari propter avaritiam, ut qui res pauperum usurparet, et eos illis privaret, mane ivit rursus ad eum visendum, et ei dicit: Surge magne Domine. Non enim laboras infirmitate corporis, sed castigaris propter morbum animæ. Hunc ergo excute, et rursus evades sanus. Respondit ægrotus et dixit: Scio ego quoque, me esse peccatorem, et ideo castigari. Sed ora pro me, rogo te ut lever meis iniquitatibus. Dicit ei S. Parthenius: Si quis in hominem peccaverit, de eo fortasse exaudietur oratio; morbus autem tuus ad Deum tendit. Quæ sunt ergo pauperum, redde Deo, et eris semper sanus animo et corpore. Tunc is ad se rediens, dixit: Revera, Pater, peccavi Domino meo; Dominus vero justus. Et protinus accersito suo œconomo, jussit in medium afferri quidquid auri collectum fuerat ex pauperibus. Cum autem satis fuisset allatum, Sanctum rogavit Episcopus, ut id distribueret pauperibus. Ille vero non sustinuit, dicens: Cum Deus tibi det vires, tu per teipsum redde eis quæ sua sunt. Tunc is sedens in lectica, ivit ad templum sanctæ Martyris *d* Glyceriæ: et cum congregasset omnes pauperes civitatis, affatim omnibus distribuit. Benignus autem et clemens Deus, qui viduæ E duo minuta non despexit numismata, et rursus dives viduæ propositum acceptum habuit tempore Eliæ Prophetæ, et pauperis flagitiosæque meretricis lacrymas non est aversatus, et publicani suspirium comprobavit; ipse quoque prædicti Archiepiscopi acceptam habens pœnitentiam, intra triduum ei perfectam præbuit sanitatem.

*persuasa efficaciter liberalitate in pauperes,*

*precibus sanat:*

*alium aridum sacro oleo unctum,*

22 Dei vero servus Parthenius quotidie obibat sacras ædes civitatis, consuetas preces in eis peragens. Quodam autem die in martyrium, *e* quod Juxta Chilas dicitur invenit illic hominem quemdam jacentem omnino aridum. Cujus misertus, cum oleum petiisset, flexis genibus, cum lacrymis oravit pro ipso benignum et clementem Deum. Et cum deinde surrexisset a precatione, sensim et paullatim eum sancto oleo molliens, protinus et ipsa hora fecit eum sanum surgere, et jussit eum suis pedibus ad suos redire, Deum glorificantem. Cum hoc autem quod opinionem superat miraculum factum esset in Heraclea civitate, quicumque ægritudine aliqua laborabant, concurrebant ad Dei Hominem Parthenium, et virtute Domini nostri Jesu Christi omnes revertebantur sani.

*multos alios ægros:*

23 Simul vero cum eo aderat etiam Hypatianus, F qui in illo tempore erat Archidiaconus civitatis Heracleæ, quando hæc fiebant miracula. Quæ cum vidisset, procidit ad pedes sancti viri, rogans eum cum lacrymis et dicens, quod in prædio suo multa quidem sunt seminata, propter pluviæ autem egestatem omnia sunt exsiccata. Sed veni ad locum, dicebat, o venerande Pater, et ora Deum, ut terræ præbeat pluviam, ut conservetur universa nostra patria. Venerandus vero et sanctus vir Parthenius ivit prompto et alacri animo. Cumque venisset ad locum, et vidisset omnia exsiccata, lacrymatus est, flexisque genibus diu precans cum lacrymis, clementem Deum rogavit, ut pluviam in terram dimitteret ad fructus producendos. Benignus autem et clemens Deus, qui semper facit voluntatem eorum qui ipsum timent, cum adhuc preces essent in ore ejus, tectum fuit cœlum nubibus, et descendit multa pluvia, et satiavit terram. Ingressus autem ipsus in agrum, quæsivit habitaculum, in quo preces suas perageret. Archidiaconus vero Hypatianus, qui fuit etiam agri dominus, introduxit eum in unum ex suis cubiculis. Qui pernoctavit illic orationibus: et cum mane accersiisset Archidiaconum, dixit ei: Attende tibi, o Frater, non enim ignoras Episcopum tuum fuisse castigatum propter avaritiam. Ostendit enim mihi Deus hac

*precibus et lacrymis pluviam impetrat:*

*ex dono prædicto episcopum, hortatus ad eleemosynas;*

 nocte,

AUCTORE CRISPINO, EX MS. GR.

A nocte, te non multis post diebus futurum Episcopum. Vide ergo, ut semper curam geras pauperum: hoc enim Deum placat super omnia.

*item frumenti copiam ex agro exsucco,*

24 Sanctum autem rogavit Archidiaconus, ut veniret in suum prædium, et bene precaretur agris et vitibus. Ingressus vero Beatus in unam maximam regionem, quæ nihil habebat, dixit ei: cur non seminasti eam, cum sit maxima? Archidiaconus autem lacrymans, dixit: Seminata quidem est, o bone, sed mea peccata et pluviæ defectus, eam, ut vides, exsiccavit. Dicit ei Sanctus: Quot modios tibi præbuit Deus ex hac regione? Ille dixit: Mille, o bone. Sanctus autem dixit ei: Ne sis tristis, o Frater. Omnia sunt possibilia credenti. Sed Deus tibi dicit per me peccatorem, quod si in tempore messis fructum, qui ex hoc solo nascitur, solum triveris, invenies sicut dixisti, mille modios: quoniam leve est in conspectu Domini hæc facere. Eum quoque introduxit in vineam recens plantatam, erat autem omnino exsiccata et exesa a vermibus, propter pluviæ egestatem. Erat vero locus satis amplus, ut caperet sementem octoginta modiorum. Beatus autem sale injecto, totam vitem conspersit, et dixit Archidiacono: Esto bono animo; nam Deus dat tibi ex hoc loco satis magnam B benedictionem, sicut ei placet.

*et vini ex vinea a vermibus exesa,*

*item Episcopi mortem,*

25 Cum vero ingressi essent in civitatem, ivit ad Episcopum, ut ei valediceret, et navigaret. Ille autem ei processit obviam, et eum est complexus. Ii vero cum assedissent, Sanctus dixit Episcopo: Annuntio tibi, o Domine, quod post non multos hos dies excedes e corpore, et migrabis ad Dominum. Ecce enim Christus te accersiit, qui est verus Deus noster, et bonum successorem relinques, ut mihi revelavit Dominus, Dominum Hypatianum, tuum Archidiaconum. Dixit Episcopus: Fiat voluntas Domini. Et cum se invicem osculati essent in osculo sancto, Heraclea Sanctus navigavit Parthenius, et venit in suam civitatem Lampsacum.

*quæ omnia evenere:*

26 Accidit autem non multis post diebus, ut morbo correptus Heracleæ Episcopus, in Christo requiesceret. Pro ipso vero factus est Episcopus Dominus Hypatianus Archidiaconus convenienter ei, quod dixerat servus Dei Parthenius. Cum esset autem æstas, egressus Episcopus Hypatianus in agrum suum ad colligendos fructus terræ, et metendum id, quod erat natum ex exsiccata et squalida regione, invenit mille modios plenos frumento, convenienter verbo servi Dei Parthenii. Similiter vero in tempore C

D quoque vindemiarum, ex plantatione exsiccatarum vinearum Deus dedit magnam vini quantitatem. Qui cum experientia accepisset eventum ejus, quod Sanctus prædixerat, decimam fructuum utrorumque, nempe tam aridorum quam humidorum, navi impositam duxit Lampsacum, ut Sancto offerret, maximas ei agens gratias. Ille autem noluit accipere, dicens Domino Hypatiano Episcopo: Deo agens gratias in omnibus, eas distribue Fratribus. Et cum se invicem salutassent, reversus est sanctus Episcopus Heracleam, et distribuit frumentum et vinum suis Fratribus, ut jusserat homo Dei. Episcopus ergo Hypatianus non cessavit usque ad finem vitæ, narrare omnibus Dei magnalia, quæ fecit cum ipso per servum suum Parthenium.

*sibi oblatas dotorum fructuum decimas, jubet dari pauperibus:*

*mortuus ab Episcopis honorifice sepelitur.*

27 Cum ergo in hac pia et angelica vita refulsisset in terra Dei servus et vir venerandus Parthenius, et multos convertisset a simulacris ad Deum vivum, perinde ac morbo arreptus, a Deo vocatus, requievit in pace. Prædictus ergo Hypatianus Episcopus cum audivisset inclytum et venerandum Patrem nostrum Parthenium ad Christum migrasse, relictis omnibus, quæ habebat in manibus, solvens ex civitate Heraclea, secundo vento, cum Deus jussisset, E eadem nocte pervenit Lampsacum. Similiter etiam Cyzici Episcopus, et Episcopus Melitopoleos, in qua fuerat natus, et Parii Episcopus nomine Eustathius, et reliqui ex civitatibus, quæ erant circumcirca, sicque cum psalmis et hymnis et spiritalibus canticis deposuerunt eum prope ecclesiam in oratorio, quod ipse ædificavit.

ANIMADV. PAP. 14

*ac miraculis illustratur.*

28 Dormiit autem sanctus Christi servus Parthenius septimo mensis Februarii, juxta calculum Romanorum, juxta Asiaticorum vero decimoquinto; non parva nobis relicta doctrina per perfectam et immobilem ejus in Deum fidem. Qui etiam post decessum sua ad Deum supplicatione non cessat f facere miracula, dæmones expellens, leprosos mundans, et omnem morbum et ægritudinem curans, virtute et gratia Domini et Dei et Servatoris nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria et adoratio, unaque sanctissimo Spiritui, nunc et semper in secula seculorum, Amen.

a *Ita quidem Gentianus. Græca hæc sunt*: ὡς διδασκάλου ποιούμενος λόγον ἐπὶ τὸ σεμνῦναι τοῦτον *et videtur sensus esse*: non sermonem habens, qui magistri esse videatur, ad eum ornandum. — c *In Notitia Ecclesiarum apud Carolum a S. Paulo*, Heraclea metropolis Europæ *dicitur, Sita est e regione Lampsaci ultra Propontidem*. — c *Deest in Græco hoc nomen*. — d *Ita martyrium passa 13 Maii*. — e *Gentianus* quod Achilas dicitur, *in Gr.* [illegible] — f *De ejus miraculis post mortem agunt etiam Menæa.* F

# DE S. MOYSE

## EPISCOPO SARACENORUM IN ARABIA,

## Commentarius historicus.

G. H.

### § I. *Saracenorum origo, sedes, bellum cum Romanis.*

SUB FINEM V SECULI QUARTI. VII IEOR.

*Duplices Ptolemæo Saraceni,*

*in Arabia,*

*intermedii Scenitæ, et Pharanitæ,*

Ptolemæus *lib.* 5 *Geographiæ* ἐν τοῖς Ἀραβικοῖς, *et quidem Stephano de urbibus in* χαράκμωβα *teste* ἀξιόπιστος ἀνὴρ περὶ τὰ τοιαῦτα, σπουδὴν γὰρ ἔθετο ἱστορῆσαι ἀκριβῶς τὰ τῆς Ἀραβίας, vir in hujusmodi fide dignus, qui ut accurate describeret Arabiam, diligentem operam navavit. *Et potuit assequi, utpote Pelusii natus urbe Ægypti, vicina Arabiæ Petrææ, cujus partem hanc Ægyptus proximam cap.* 17 *assignat* genti Saracenæ, *a quo alios Saracenos in Arabia Felice distinguit, Scenitis et Pharanitis interpositis, sed deinde inter Saracenos habitis. Ita Ammianus Marcellinus lib.* 23 *iterata vice tradit, quos antiqui* Scenitas *dixerant, sua ætate Saracenos appellatos: et S. Hieronymus lib. de locis Hebraicis ait:* Faran oppidum trans Arabiam junctum Saracenis, qui in solitudine vagi erant, *ut vel inde aliqui hos* Scenitas *a tabernaculis dictos velint. Addit S. Hieronymus* in deserto Pharan habitasse Ismaelem; *et* Ismaelitas *fuisse*, qui tunc Saraceni erant. *De his omnibus intelligendus Stephanus de Urbibus:* Σάρακα χώρα Ἀραβίας μετὰ τοὺς Ναβαταίους, οἱ οἰκοῦντες Σαρακηνοί. Saraca regio Arabiæ post Nabatæos: incolæ Saraceni. *Strabo lib.* 16 *Geographiæ ait* Nabatæos esse Idumæos, sed per seditionem inde ejectos Judæis se adjunxisse, et eorum leges amplexos esse. *Est autem Idumæorum, populi Palestinæ, oppidum Elusa genti Saracenæ vicinum, quod tradit S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis* xxi *Octobris*, ex magna parte semibarbarum esse, propter loci situm: *ac Hilarione illac transeunte*,

*sive Ismaelitæ,*

*cum vicinis Elusanis.*

A *transeunte*, omnem oppidi populum in templum Veneris congregatum fuisse. Coli autem illam ob Luciferum, cujus cultui Saracenorum natio dedita fuit; *huic tacite Elusanos adscribens, Arabiæ olim annumeratos.*

*Christianis infensi,*

2 *Ab hisce Barbaris SS. Sabbam, Esaiam aliosque* XXXVI *monachos in monte Sina tempore Diocletiani occisos esse diximus* XIV *Januarii. Cum autem altero post seculo eorum istic annua ageretur celebritas, alii ibidem monachi trucidati sunt, Theodulus Presbyter, Paulus, Joannes, Proclus, Hypatius, Isaac, Macarius, Marcus, Benjamin, Elias aliique, quorum certamen a S. Nilo monacho, teste oculato, descriptum eodem* XIV *Januarii dedimus. Secundum hunc auctorem dicta* gens *eo seculo* ab Arabia usque ad Ægyptum, mari Rubro et Jordane fluvio prætentam incolebat solitudinem : Lucifero astro cærimonias adhibebat, et prona supplicabat, atque optima quæque ex præda immolabat.

*colunt astrum Luciferum.*

*An recte Sozomeno ab Ismaele prognati,*

3 *Hæc de Saracenis : ob quæ minus nobis probantur, quæ de iis occasione Episcopatus S. Moysis refert Sozomenus lib.* 6 *Hist. Eccl. cap.* 38 *his verbis :* Hæc quidem gens ab Ismaele filio Abrahami duxit originem, nomenque accepit, et propterea veteres a progenitore eos Ismaelitas appellabant. Verum quo spu- B rii generis maculam et ignobilitatem Agar matris Ismaelis (serva enim fuit) penitus oblitterarent, se Saracenos velut a Sara conjuge Abrahami prognatos nominarunt. Qui genere inde ducto omnes more Hebræorum circumciduntur, et a carne suilla abstinent, multosque alios Judæorum ritus observant. Quod autem omnino eisdem legibus et vivendi institutis non utantur, vel temporis longinquitati tribuendum est, vel quod gentibus finitimis permixti erant. Nam Moyses multis post seculis natus, solis illis qui sunt ex Ægypto egressi, leges dedit : et vicini eorum, qui, ut credibile est, valde erant superstitiosi, avitam vivendi disciplinam ab Ismaele derivatam (ex cujus unius præscripto veteres Hebræi ante leges a Moyse conditas vitam moderati fuerant, institutisque non scriptis usi erant) prorsus corruperunt. Porro eadem, quæ vicini dæmonia colentes, eosdem illis tribuentes et honores et nomina, caussam cur a patriis et avitis legibus desciverint, in similitudinem religionis, quam cum vicinis habebant, transtulerunt. Eodem accedit tempus longinquum interjectum, quod, uti assolet, alia obruit oblivione, alia ut colerentur, perfecit. Postea vero nonnulli eorum cum Judæis congressi, didicere, unde origi- C nem traxerant : et ita ad cognitionem revenere, seque institutis addixere et legibus Hebræorum. Ex quo quidem hactenus complures apud eos Judæorum vivendi disciplinam secuti sunt. *Hactenus Sozomenus, quem sequitur Nicephorus lib.* 11 *Histor. Eccl. cap.* 47. *Verum ea ad aliquos Ismaelitas et Nabatæos ab Idumæis sejunctos et Judaizantes, ut supra dictum est, potius sunt referenda, quam ad* αὐτόχθονας, *Arabiæque indigenas Saracenos, quibus tradit S. Nilus (qui eodem tempore, quo Sozomenus scripsit, Salaminius in Cypro Scholasticus, vixit inter hosce Saracenos, S. Chrysostomi discipulus) quibus, inquam, tradit* nullam religionem, nullam Dei vel manufacti vel mente cogniti curam cogitationemve *fuisse, præter cærimonias, immolationesque adhibitas Lucifero astro seu Veneri, quam patriam Ismaelitis deam etiam Metaphrastes in Vita S. Simeonis Stylitæ* V *Januarii, num.* 20 *testatur fuisse.*

*dicuntur Judaizare,*

*ac simul dæmonia colere,*

*seu potius αὐτόχθονες Arabum?*

*Aliqui a monachis in fide instructi ante an.* 364

4 *De fide Christiana a Saracenis suscepta hæc scribit idem Sozomenus :* Haud diu ante præsens Imperium *Valentis, a Valentiniano fratre anno* CCCLXIV *in collegam adlecti*, Saraceni Christianismum amplecti cœperunt, participes Christianæ fidei per eorum Sacerdotum ac monachorum consortium facti, qui illis cohabitarunt et in solitudinibus vicinis monasticam colebant disciplinam, homines quidem et pia vita et D miraculis nobilitati. Fertur etiam quod tum temporis ad Christianam religionem integra sit conversa familia seu tribus, Zocomo illius præfecto seu rectore ob hujusmodi caussam baptizato. Hic prole destitutus, ad monachum celebri ejus fama excitus venit, cum eo collocuturus et de calamitate sua conquesturus. Siquidem Saracenis (uti et cunctis arbitror barbaris) liberorum procreatio permagni æstimari solet. Monachus jubet eum bono animo esse, precibusque adhibitis dimittit, pollicitus, si in Christum crederet, filium eum habiturum. Ubi vero Deus promissionem hanc opere adimplevit, filiusque huic natus esset, Zocomus baptismatis mysterio initiatus est, suosque subditos ad idem ipsum induxit. Ex eo tempore familiam hanc et felicem fuisse et numerosam ferunt, ut tum Persis, tum aliis Saracenis terrorem injiceret. *Hactenus Sozomenus, quæ eadem apud Nicephorum leguntur.*



*et Zocomus obtenta prole baptizatus,*

5 *At quæ S. Moysen et Reginam Saracenorum Mauviam, a qua ille ad Episcopatum expetitus est, propius attingunt, profert ex Theophane Anastasius Bibliothecarius in Histor. Eccl. ad annum mundi* 5868, *Christi* 368, Aiunt autem, *inquit*, quia et ipsa *Mauvia Regina* Christiana erat, natione Romana, et captiva E ducta placuit propter pulchritudinem Regi Saracenorum, et sic regnum obtinuit. *Interea apud Alexandrinos S. Athanasio*, Gratiano II et Probo *Coss. anno* CCCLXXI, *vita functo suffectus est Petrus, at Valente Imperatore præcipiente Lucium Arianum ibidem ordinari, Petrus a Palladio Præfecto vinctus est : sed fuga elapsus Romam abiit. Quo tempore in Catholicos et monachos dira persecutio mota est, de qua agemus* XIII *Maii, quo die in Martyrologio Romano commemoratio fit plurimorum sanctorum Martyrum, qui tunc Alexandriæ ob fidem Catholicam ab Arianis occisi sunt.* Quæ dum Lucius, *inquit Ruffinus lib.* 11 *Histor. Eccl. cap.* 6, omnia arrogantia et sævitia gereret, Mauvia Saracenorum gentis Regina, vehementi bello Palæstini et Arabici limitis oppida atque urbes quatere, vicinasque simul provincias vastare cœpit.

*Mauvia Regina, an Romana et Christiana,*

*circa annum* 372

*bellum Romanis infert,*

6 *Tum inquit Socrates lib.* 4 *Histor. Eccl. cap.* 30, Saraceni, qui antea confœderati fuerant, a Romanis defecerunt, muliere Mauvia, post viri sui mortem, illis imperante. Itaque omnes Romanorum provinciæ versus Orientem illo tempore a Saracenis vastabantur. *Quæ pluribus supra citatus Sozomenus describit :* Mortuo, *inquit*, Saracenorum Rege rupta sunt cum Romanis fœdera. Mauvia autem conjux illius, impe- F rium illius gentis administrans, Phœnicum et Palæstinorum urbes usque ad Ægyptios, qui partem illam, quæ Arabion dicitur, incolunt ad lævam, cum Nilus adverso flumine navigatur, vastavit. Neque bellum erat leve, quale a muliere parari putaretur; sed graviter, ut ferunt, et invicto animo ab ea cum Romanis pugnatum est, adeo ut Præfectus militum in Phœnicia a Duce omnium equestrium et pedestrium copiarum in Oriente auxilium peteret. Dux se ad id bellum vocari ridens, alterum a pugna abstinere fecit. Verum videns Romanos, ducta acie contra Mauviam ex adverso dimicantem, terga vertere, atque ægre auxilio Præfecti militum in Palæstina et Phœnicia salvos evadere, stolidum duxit extra pugnam, sicut voluerat, manere : ideoque succurrens restitit barbaris, alterique opportunitatem securioris fugæ suppeditavit. Ipse vero se subducens, inter fugiendum jaculatus est, et hostes irruentes ab exercitibus repulit. Et hæc cum multi ex loci illius incolis adhuc commemorant, tum apud Saracenos in cantibus recitantur. *Hæc Sozomenus, quæ fere eadem a Nicephoro referuntur lib.* 11 *cap.* 46. *Hos Saracenos vocat Ismaelitas Theodoretus lib.* 4 *Histor. Eccl. cap.* 21. Ismaelitæ, *inquit*, agros Imperio Romano finitimos populati

*vastat vicinas provincias,*

*profligat Romanum exercitum.*

A populati sunt, quorum Dux fuit Mavia, quæ non complexa mente eam, quam habuit naturam, animos viriles sibi sumpsit.

AUCTORE G. H.

## § II. *S. Moyses expetitus, et ordinatus Saracenorum Episcopus.*

*A Mauvia pacem factura, petitur S. Moyses Saracenorum Episcopus,*

Hoc in bello, *inquit Socrates*, providentia Dei Saracenorum impetum compressit. Caussa autem fuit hujusmodi Moses quidam genere Saracenus qui in solitudine monasticum vitæ genus traducebat, propter eximiam pietatem, constantem fidem, et miracula ab eo edita, fama atque omnium sermone celebratus fuit. Istum Mauvia Saracenorum Regina suæ gentis Episcopum designari a Romanis postulavit, atque ea lege bellum restinguere, fœderaque cum illis facere pollicita est. Quibus auditis Duces Romani bene secum agi putabant, si ea conditione pax constitueretur : abjecta igitur omni cunctatione illud confici præcipiunt. *Hæc illa, quæ sic narrat Ruffinus* : Cum Mauvia frequentibus bellis Romanum attrivisset exercitum, et plurimis peremptis reliquos vertisset in fugam, orata pacem, non aliter se amplexuram promittit, nisi Moyses quidam nomine monachus, genti suæ ordinaretur Episcopus, qui in B eremo, partibus suis propinqua, vitam solitariam ducens, meritis et virtutibus ac signis, quæ faciebat Deus per illum, magnifice innotuerat. Petitio ejus Principi indicata Romano, sine ulla dilatione jubetur impleri.

*miraculis clarus,*

8 *Eadem fere habet Sozomenus* : Cum bellum, *inquit*, ingravesceret, videbatur necessarium legatos ad Mauviam de pace mittere. Quam quidem fama est legatis respondisse, se nullo modo fœdera cum Romanis percussuram, nisi Moyses, qui in solitudine finitima vitam agebat monasticam, vir tum ob piam vivendi rationem, tum ob signa divina et miracula ab eo edita insignis, suæ gentis crearetur Episcopus. *Hæc illa. Theodoretus paullo aliter scribit : scilicet*, Mauviam, post multa commissa prælia, primum fœdus cum Romanis fecisse, deinde luce divinæ cognitionis accepta, postulasse Episcopum genti suæ designari Mosen quemdam, qui in confiniis Ægypti et Palestinæ habitabat. *Nicephorus vero asserit* Mauviam primum pacis conditiones cum Romanis superbe rejecisse : ut doctrina sacrorum nostrorum initiatam, tandem pacem recepisse, si Moses, qui tum in vicina solitudine philosophice degebat, Episcopus ditionis C suæ populorum consecraretur, vir virtute et vitæ sanctioris severitate, prodigiisque et signis multis illustris. *Inter confinia sive ut Theodoretus appellat τα μεθόρια, Palestinæ et Ægypti, ponit S. Hieronymus in 27 Isaiæ oppidum Rhinocoruram, quod pro* Torrente Ægypti, *cui adjacet, a Septuaginta Interpretibus translatum advertit. Præfuit huic urbi initio seculi quinti S. Melas Episcopus, de quo egimus XVI Januarii. Ab hac Rhinocorura non procul abest cellula S. Hilarionis, qui inde* venit Pelusium, visitatisque Fratribus, qui in vicina eremo erant et in loco, qui dicitur Lychnos, morabantur, perrexit ad castrum Thebatum *etc. ut in hujus Vita tradit S. Hieronymus. Obiit autem S. Hilarion circa illud tempus, quo S. Moses a Mauvia expetitus est Saracenorum Episcopus. De monachis eorum ditionum aliqua diximus in Vita S. Isidori Pelusiotæ 4 Febr.* § 1.

*morans in confinio Ægypti et Palestinæ,*

*a monachis tum inhabitatis*

9 *Demum Saracenos a Christiana religione tum temporis non ita abhorruisse indicat Theophanes apud Anastasium his verbis* : Mavia Saracenorum Regina multa mala Christianis faciens, quæsivit pacem, et Mosen quemdam religiosorum in eremo commorantium Episcopum dari Saracenis, qui apud se Christianizabant, expetiit. *At Valente* Imperatore alacriter hoc faciente, Moyses non a Luciano Ariano consecrari *voluit*, sed a quodam Episcoporum, qui in exilio fuerant, quod D et factum est. *Qui Anastasio* Lucinianus *est, aliis* Lucius *dicitur, expulso Petro Catholico, in Sedem Alexandrinam intrusus. Pluribus rem gestam alii exponunt, ac Ruffinus quidem his verbis* : A Ducibus nostris, qui ibi infeliciter pugnaverant, captus Moyses ad suscipiendum sacerdotium ex more Alexandriam deducitur. Adest Lucius, cui ordinandi deferebatur officium. Quo viso Moyses præsentibus Ducibus, qui perurgebant, et populis, ait : Ego quidem me non esse dignum tanto sacerdotio judico. Verumtamen si aliqua in me, licet indigno, Divina dispensatio putatur explenda, Deum nostrum cœli ac terræ testor, quod Lucius Sanctorum sanguine pollutas et cruentas super me non injiciet manus. Cumque Lucius tam gravi nota inustum se videret in oculis plurimorum; Quare, inquit, o Moyses, tam facile condemnas eum, cujus fidem ignoras? Aut si tibi aliquis de me aliter indicavit, audi fidem meam, et tibi ipsi magis quam aliis crede. Tum ille : Desine, inquit, o Luci, dolosis tuis me quoque imaginibus aggredi. Bene mihi nota est fides tua, quam protestantur servi Dei per metalla damnati, Episcopi in exilium trusi, Presbyteri, Diaconi extra Christiani E nominis habitacula relegati; bestiis alii, alii etiam ignibus traditi. Numquid potest verior esse fides, quæ auribus capitur, quam quæ oculis pervidetur? apud me certum est, quod qui Christo recte credunt, ista non faciunt. Et ita majore dedecore deformatus, quoniam perurgebat necessitas Reip. consulendi, compulsus est adquiescere, ut ab Episcopis, quos in exilium truserat, sacerdotium sumeret.

*captus Alexandriam abducitur,*

*renuit ordinari a Luciano Ariano,*

*persecutore,*

10 *Eadem fere habent Socrates, Sozomenus, Nicephorus. Theodoretus paullum dissentit, ita scribens* : Maviæ postulationi assensus Valens, divinum illum hominem Mosen Alexandriam adduci jubet, ibique gratia Episcopali donari, propter ejus loci vicinitatem. Quo cum deductus fuisset, cerneretque Lucium imponere sibi manum velle : Absit, inquit, ut tua me manus consecret. Nam tua invocatione, Spiritus sancti gratia in neminem descendit. Cui Lucius : Unde, inquit, hanc conjecturam facis, cum hoc dicis? Non, inquit ille, conjecturam sequens dico, sed certo scio. Pugnas etenim contra doctrinam Apostolicam, et contrariam doces, atque cum verbis blasphemiæ impie facta conjungis. Quis namque impius non tua caussa conventus Ecclesiasticos petulanter insectatus est? Quis laudatorum virorum non per te exulavit? Quam immanitatem barbaram maleficia abs te F in dies singulos admissa non longe superarunt? Quæ cum animo valde fidenti dixisset, Lucius ejus verbis attente auditis, eum interficere magnopere cupiebat, sed ne bellum extinctum de integro accenderet, metuebat. Quamobrem ad alios Episcopos, quos ipse postulaverat, deduci jussit. *Hæc Theodoretus de congressu S. Moysis cum Lucio, cujus impia facta ex Petri Alexandrini Episcopi epistola capite præcedenti narrarat, et hæc tali epiphonemate concludit* : Atque Alexandriæ quidem ejusmodi scelera a Lucio admissa, et Divina providentia mire compressa cognovimus. *Addit Socrates*, per idem tempus simul atque Valens Imperator Antiochia decesserat, omnes qui ubique persecutionis tempestate jactabantur, ac potissimum Alexandriæ, magnopere recreatos fuisse, propterea quod Petrus Roma cum litteris Damasi Romani Episcopi eo reversus erat. Quæ quidem et Mosis fidem confirmabant et Petri ordinationem. Populus igitur illis confisus expellit Lucium, ac Petrum in ejus locum introducit.

*constans,*

*cum periculo vitæ,*

*dimittitur a Lucio*

*dein Alexandria pulso :*

*mandante Valente Imperatore,*

11 *Eadem paucis complectitur Sozomenus : qui de Episcopatu Moysi collato ista habet* : Cum Moyses jurejurando obfirmasset, se numquam a Lucio velle Episcopum creari, Romani Duces, rejecto Lucio, eum ad Episcopos,

*ordinatur Episcopus ab exulibus Episcopis,*

A Episcopos, qui jam tum ætatem in exilio degebant, recta deducunt. A quibus Moyses creatus Episcopus, ad Saracenos se contulit, quibus cum Romanis fœdere conjunctis, episcopatu ibi perfungitur : et perpaucis ibi repertis, qui religionem Christianam profitebantur, multos ipse ad eam profitendam perduxit. *Hæc ibi. At secundum Socratem*, necessarii, *sive* familiares, οἱ ἐπιτήδειοι *accepta scilicet a Ducibus facultate*, eum ad montem quemdam educunt, ut ab illis, qui ibi exulabant, crearetur Episcopus. Mose itaque hoc modo designato Episcopo, bellum Saracenorum extinctum est. Mavia autem sic cum Romanis pacem deinceps servavit, ut filiam suam Duci Victori desponderet. *Hujus victoris fidem orthodoxam laudant Theodoretus lib. 4 cap. 29. et Nicephorus lib. 11 cap. 49. Imo juxta Anastasium* Mavia suscepto Episcopo multos Christianos de Saracenis fecit. *Quorum conversionem miraculis S. Moysis attribuit Theodoretus his verbis :* Postremo Moses, ubi cum admirabili fide gratiam Episcopalem acceperat, ad illos qui eum requirebant profectus est, et partim doctrina Apostolica, partim miraculis eos ad veritatem traduxit. *Quamdiu vixerit, non liquet, nti neque de urbe Sedi Episcopali assignata. Ex successoribus* Eus-

*convertit Saracenos,*

*miraculis clarus.*

B tathius Episcopus Saracenorum *subscripsit epistolæ Synodicæ Episcoporum Phœniciæ secundæ, pro Concilio Chalcedonensi, ad Leonem Imperatorem, creatum anno* CDLVII. *At Maviam Reginam post necem Valentis obsessæ a barbaris Constantinopoli Saracenicis copiis opem tulisse tradunt Socrates lib. 5 cap. 1, Sozomenus lib. 7 cap. 1 et Nicephorus lib. 11 cap. 1.*

## § III. *S. Moysis memoria in sacris Fastis.*

*Celebris mox ab obitu,*

Celebre *nomen S. Moysis Episcopi, famamque conversionis Saracenorum, indicant hactenus a nobis memorati Scriptores antiqui, tam Græci quam Latini, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Ruffinus, omnes ætate S. Moysis proximi, ut eo Episcopo vel adoleverint, vel saltem nati videantur. Imo tanta horum Scriptorum consensio ostendit aliam extitisse dictorum bellorum, conversionis Saracenorum, ac S. Moysis historiam, ex qua singuli quæ scripsere excerpserint.*

*inscriptus antiquis Martyrologiis,*

13 *Celebratur natalis S. Moysis in quam plurimis Martyrologiis,* VII *Februarii. In antiquis MSS. Leodiensi S. Lamberti, et Coloniensi S. Mariæ ad Gradus:* S. Moysetis venerabilis Episcopi *addit MS. Centulense S. Richarii :* qui gentem Saracenam magna ex

C parte convertit. *In antiquo Romano a Rosweydo edito:* S. Moysetis, qui petente Mauvia Saracenorum Regina Episcopus genti illius factus est. *Usuardus :* Item S. Moysetis Episcopi. Hic primum in eremo vitam solitariam ducens, signis et virtutibus innotuerat, post vero gentem Saracenorum, cui Episcopus fuerat factus, grandi ex parte ad fidem Christi convertit, sicque gloriosus meritis quievit in pace. *Aliquanto prolixius Beda excusus :* Et S. Moysetis venerabilis Episcopi, qui primo quidem in eremo solitariam vitam ducens, meritis, virtutibus, ac signis, quæ faciebat per illum Deus, magnifice innotuit, qui D postmodum petente Mauvia Saracenorum Regina, Episcopus gentis illius factus, fidei Catholicæ custodivit intemerata consortia, et gentem, cui datus fuerat Episcopus, ex grandi parte ad fidem Christi convertit, sicque in pace quievit. *Eadem fere habent Ado et Notkerus. Sed in hoc male præponuntur hæc verba :* In Britanniis, *quæ ad S. Angulum spectant, incuria amanuensium omissum. Reliqua MSS. hisce, aut Usuardo, consentiunt. Ægypto eumdem adscribit Martyrologium Romanum his verbis :* In Ægypto S. Moysis Episcopi venerabilis, qui primum in eremo vitam solitariam duxit, deinde petente Mauvia Regina Saracenorum, Episcopus factus, gentem illam ferocissimam magna ex parte ad fidem convertit, et gloriosus meritis, quievit in pace.

AUCTORE G. H.

*confusus cum S. Moyse Libyco,*

14 *Alius est S. Moyses Æthiops e latrone conversus, quem cum Græcis celebrat Martyrologium Romanum* XXVIII *Augusti : hunc Petrus de Natalibus lib. 3 Catalogi SS. cap. 104 scribit* quiescere in pace in deserto Scithi VII Idus Februarii, LXXX discipulis derelictis, *ac plurima in Vitis Patrum de eo relata congerit, eumdem autumans fuisse* Saracenorum Episcopum. *Duos illos Moyses simili mendo confuderunt Franciscus Maurolycus, et Petrus Canisius in Martyrologio Ger-* E *manico his verbis :* Item Moysetis Æthiopis Episcopi, qui discipulus Isidori Abbatis in eremo signis et virtutibus innotuit. Inde Saracenis, quibus præerat, ad fidem conversis, quievit in pace. *Galesinius omisso verbo* Æthiopis, *et quod* discipulus Isidori Abbatis *dicatur ad eumdem Æthiopem spectans; hunc nostrum Moysem Ægyptiorum Episcopum loco Saracenorum statuit, his verbis :* Sancti item Moysetis Episcopi, qui primum monachus virtutum laude et vitæ sanctimonia nobilis, deinde Ægyptiorum factus Episcopus, eos magnam partem ad fidem Christi convertit: sicque meritorum gloria cumulatus, abiit in cœlum.

*Carmelitis adscriptus,*

15 *Alegreus stuta 2 Paradisi Carmelitici decoris ætate 5 cap. 89 Carmelitis eum adscribit, sed et cum Æthiope confundit :* Moyses, *inquit*, Æthiops natione, Saracenorum Episcopus, post ab Ægyptiis captus, et servus effectus, a domino suo propter scelera ejectus, homicida et latro fit, *etc. ac tandem addit :* An iste fuerit Moyses ille, de quo Cassianus in Collationibus suis, cum quibus editæ hujus duæ homiliæ, una de festivitate monachi, altera de discretione sub nomine Moysis eremitæ vel Abbatis, prorsus addubitamus. *Hæc ibi. De eo Moyse, Abbate in Scithi solitudine, mox agemus. Joannes Baptista de Lezana eum-* F *dem refert in Annalibus Carmelitanis ad annum* 372 *num. 7. Ubi animadvertit plures hujus nominis memorari Abbates, Moysem in cacumine montis degentem, Moysem Scithicum, Moysem Abbatem qui habitabat in Petra, Moysem ex latrone monachum, Moysem Libycum, Moysem Antiochenum, et Moysem Polychronii discipulum, (quos eo ordine Rosweydus noster in Indice ad Vitas Patrum recenset) ac tandem, an cum aliquo ex istis coincidat, incertum relinquit. Nos prorsus alium existimamus.*

AN. MADV. PAP. 15.

# DE SS. MOYSE ABB. ET VI MONACHIS

## MARTYRIBUS IN ÆGYPTO,

### Commentarius historicus.

G. H.

SUB INITIUM SECULI QUINTI. VII FEBR. *In Scithi solitudine Libyæ*

Scithi, Scethe, Schitium, Scithiaca regio, *pars Libyæ censetur, ab Ægypto propriæ sumpta paludibus Mareotide et Mœride, montibus Nitria et Pherme discreta ; in cujus solitudine ad Æthiopiam usque protensa, quam plurimi olim habitarunt monachi, vitæ innocentia sanctitateque illustres : inter hos lib. 5 de Vitis Patrum, a Pelagio Latine reddito, libella 18 num. 13 et 14 referuntur SS. Moyses Abbas, Lybicus dictus, et sex monachi a Barbaris interempti ; quod Martyrium his verbis istic narratur :* Dicebat Abbas Moyses in Scithi : Si custodimus mandata Patrum nostrorum, ego præsumens de Deo, spondeo vobis,

*Moyses Abbas,*

*mandata Patrum, edocet*

A vobis, quia huc Barbari non venient : si autem non custodierimus, desolandus est locus iste.

AUCTORE … H.

*a barbaris irruentibus,*

2 Sedentibus aliquando Fratribus apud eumdem Abbatem Moysem, dicit eis : Ecce Barbari hodie in Scithi venient ; sed surgite et fugite. Dicunt ei illi : Et tu non fugies, Abba? Ille autem dicit eis : Ego per tot annos expecto diem istum, ut impleatur sermo Domini mei Jesu Christi dicentis : omnes, qui accipiunt gladium, gladio peribunt. At illi dixerunt ei : Neque nos fugiemus, sed tecum moriemur. Et ille dixit eis : Ego caussam non habeo : unusquisque vestrum videat, quomodo sedeat. Erant autem septem Fratres cum eo, et dicunt ei : Ecce barbari appropinquarunt januæ. Et statim intrantes Barbari occiderunt eos. Unus autem ex eis timore carnali perterritus fugit, et abscondit se post plectas de palmis; et vidit septem coronas descendentes, et coronantes Abbatem Moysem, et sex Fratres, qui cum eo fuerant interfecti.

Matth. 26. 52

*in cella perstitus,*

*cum sex monachis occiditur, coronis cœlitus supra eos visis.*

3 *Hæc ibi. Dies obitus non indicatur. Cum altero S. Moyse, ex monacho Saracenorum Episcopo,* S. Moysen in Scithi deserto Abbatem *jungit Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus lib.* 3 *Catalogi Sanctorum cap.* 103 : *additque* ngi ejus festum septimo Idus Februarii : *quo die eumdem alii Martyrologus inscripserunt. Galesinius* : Scytopoli in Ægypto S. Moysis Abbatis. *Maurolicus* : In Ægypto apud Scythopolis solitudinem Moysi Abbatis. *Est Scythopolis Palestinæ secundæ metropolis, quod nomen hic pro Scithi solitudine acceptum apte corrigit Ferrarius in Catalogo SS.* Apud Scetim, *inquit*, in Ægypto S. Moysis Abbatis. *Eadem habentur in Martyrologio Sarisburiensi Richardi Witfordi. Sed ubique absque sociis, et palma martyrii.*

*7 Februarii inscriptus Martyrologiis :*

B

4 *Ejusdem S. Moysis illustriora aliqua facta monitaque addimus ex Vitis Patrum : ac primo ex eodem libro 5 interprete Pelagio excerpta, quorum illud refertur libello* 13 *num.* 4. Factum est aliquando in Scithi mandatum, ut jejunarent illa hebdomada, et facerent Pascha. Contigit autem ut in ipsa hebdomada venirent ad Abbatem Moysem Fratres quidam ab Ægypto, et fecit eis modicum pulmentum, et cum vidissent vicini fumum, dixerunt Clericis ecclesiæ, quæ illic est : Ecce Moyses solvit mandatum, et coxit apud se pulmentum. Illi autem dixerunt : Quando venerit, loquemur ei nos. Facto autem sabbato, videntes Clerici magnam conversationem Abbatis Moysis, dicunt ei coram omni plebe : O Abbas Moyses, mandatum quidem hominum solvisti, sed Dei mandata fortiter alligasti. *Hæc ibi, distincto loco Scithi ab Ægypto.*

*ob hospitalitatem in jejunio dispensat :*

C

5 *Ibidem libello* 9, *num.* 4. Frater aliquando in Scithi inventus est culpabilis; et fecerunt seniores conventum, et miserunt ad Abbatem Moysem dicentes, ut veniret : ille autem venire noluit. Misit autem ad eum Presbyter dicens : Veni, quia plebs Fratrum te expectat. Et ille surgens venit. Tollens autem secum sportam vetustissimam, implevit eam arena, et post se portavit. Illi vero exierunt ei obviam, dicentes : Quid hoc est, Pater? Dixit autem eis senex : Peccata mea sunt post me currentia, et non video ea, et veni ego hodie judicare peccata aliena. Illi autem audientes, nihil locuti sunt Fratri, sed ignoverunt ei. *Quod idem factum refert Petrus de Natalibus, citatis Vitis Patrum, sed quod addit, eum in* Domino quievisse, *aut alium a S. Moyse Martyre putavit, aut certe reliqua in Vitis Patrum non legit.*

*sua et aliena peccata non … se judicaturum :*

6 *Ibidem libello* 8, *num.* 10 *hæc habentur*. Audivit aliquando Judex provinciæ de Abbate Moyse, et perrexit in Scythi, ut videret eum; et nuntiaverunt quidam seni de adventu ejus, et surrexit ut fugeret in paludem. Et occurrit ei ille Judex cum suis, et interrogavit eum dicens : Dic nobis senex, ubi est cella Abbatis Moysi? Et dicit eis : Quid vultis eum inquirere? homo fatuus est et hæreticus. Et veniens Judex ad ecclesiam, dixit Clericis : Ego audiens de Abbate Moyse, veni ut viderem eum; et ecce occurrit nobis senex pergens in Ægyptum, et interrogavimus eum, ubi esset cella Abbatis Moysi, et dixit nobis : Quid eum quæritis? fatuus est et hæreticus. Audientes autem Clerici contristati sunt dicentes : Qualis est senex ille, qui hæc de sancto homine locutus est ad vos? Et illi dixerunt : Senex vetustissimo vestimento utens, longus et niger. Et illi dixerunt : Ipse est Abbas Moyses, et quia noluit videri a vobis, ideo hæc vobis ipse de se dixit. Et multum ædificatus Judex discessit. *Eadem refert Ruffinus lib.* 3 *de Vitis Patrum num* 119, *ubi* Judex *dicitur voluisse eum adorare, ab eoque benedici. Quod tamen niger fuerit, forte de S. Moyse Æthiope ex latrone converso, qui etiam in Scithi solitudine vixit, accipienda sunt. Colitur is* XXVIII *Augusti. Quæ referuntur libello* 15 *num.* 29 *et libello* 16 *num.* 7, *omittimus, quod Æthiops istic vocetur. Eadem illi applicantur a Petro de Natalibus, qui Æthiopem Moysen Saracenorum Episcopum existimavit, ut supra monuimus.*

*honorem fugit*

D

*diversus a S. Moyse Æthiope :*

7 *Libello* 10. *num.* 64. Dixit Abbas Pastor, quia Frater quidam interrogaverit Abbatem Moysem, dicens : Qualis homo mortificat se? homo a proximo suo? Et respondit ei : Nisi posuerit homo in corde suo, quia triennium habet in sepultura, non attingit ad hoc verbum. *Eadem lib.* 7 *interprete Paschasio cap.* 26 *respondet Moyses petenti cuidam Fratri*; *in quo libro cap.* 35 *hæc habentur* : Abbas Moyses ad solitarios solebat proferre sermonem, dicens : Quatuor sunt principalia observantiæ regularis, id est, tacendi, servandi mandata Dei, humiliandi semetipsum, et angustia paupertatis. Tres autem has virtutes homo difficile possidet, ut semper lugeat, et semper suorum sit memor peccatorum, et omni hora ponat sibi præ oculis mortem. *In eodem libro cap.* 18 *agitur de* Abbate Moyse, qui ex latronibus conversus fuerat, *quo innuitur in reliquis de alio Moyse sermonem esse : de quo eadem traduntur a Ruffino lib.* 3 *num.* 196.

E

*docet veram mortificationem,*

*aliaque a monachis observanda,*

8 *Eodem lib.* 3 *num.* 58, *et lib.* 7 *cap.* 1 *numer.* 6. Dixit Abbas Moyses : Per has quatuor res pollutionis passio gignitur, per abundantiam escæ et potus, et satietatem somni, per otium et jocum, et ornatis vestibus incedendo. *Deinde numer.* 7 *additur in libr.* 7. Idem dixit : Corporeæ multæ sunt passiones. Et dicit ei Frater : Et quæ sunt Abba? At ille respondit : Quia Paulus Apostolus dicit : Fornicatio et immunditia, vel omnis cupiditas nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos : visus quoque et fiducia frequenter ad prælium venit.

*et caussas passionum carnis,*

F

Eph. 5. 3

9 Septem capitula verborum, quæ misit Abbas Moyses Abbati Pœmenio *continentur libro* 6 *Joanne interprete, libello* 4 : I. Dixit senex Moyses : Quia debet homo, quasi mortuus esse socio suo, hoc est mori amico suo, ut non dijudicet eum in aliqua caussa. II Dixit iterum : Quia debet homo mortificare seipsum ab omni re mala, priusquam egrediatur de corpore, ut non lædat ullum hominem. III Dixit iterum, Nisi habuerit homo in corde suo, quia peccator est, Deus non exaudit eum. Dixit ei Frater : Quid est in corde habere, quia peccator est? Et dixit senex : Si quis portat peccata sua, non videt peccata proximi sui. IV Dixit iterum senex : Nisi conveniret actus orationi, in vanum laborat homo. Et dixit Frater : Quid est consensus actus cum oratione? Respondit senex : Ut pro quibus oramus, jam non illa faciamus. Quando enim homo dimiserit voluntatem suam, tunc ei reconciliatur Deus, et suscipit orationes ejus. Interrogavit Frater : In omni labore hominis quid est quod eum juvat? Dicit ei senex : Deus est qui adjuvat.

*et alios nec judicare,*

*nec lædere,*

*cogitare se peccatorem,*

*opera quæ petuntur, implere,*

Ps. 45. 1

A adjuvat. Scriptum est enim : Deus nostrum refugium et virtus in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

*jejuniis et vigiliis se humiliare.*
*Ps. 24. 18*

10 v Dixit Frater : Jejunia et vigiliæ, quas facit homo, quid efficiunt? Dixit ei senex : Quoniam ipsa sunt, quæ faciunt humiliari animam. Scriptum est enim : Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea. Si ergo fecerit anima labores istos, miserebitur super eam Deus propter eos. vi Interrogavit Frater senem, dicens : Quid faciet homo in omni tentatione veniente super se, aut in omni cogitatione inimici? Ait illi senex : Flere debet in conspectu bonitatis Dei, ut adjuvet eum, et requiescet velociter, si rogat in scientia. Scriptum est enim : Dominus mihi adjutor, et non timebo, quid faciat mihi homo.

*in tentatione Deum invocare.*
*Ps. 117. 6*

11 vii Interrogavit eum iterum Frater, dicens : Ecce homo cædit servum suum propter peccatum quod egit, quid dicet servus ille? Dicit ei senex : Si bonus servus est, dicet Peccavi, miserere mei. Dicit ei Frater : Nihil aliud? Dicit ei senex : Non ex quo enim culpam super se posuerit et dixerit : Peccavi, statim enim miseretur ei Dominus suus : finis autem horum est, non judicare proximum suum. B Quando enim manus Domini occidit primogenita in terra Ægypti, non erat domus, in qua non erat mortuus. Dicit ei Frater : Quid est hoc verbum? Respondit ei senex. Quia si conspexerimus peccata nostra, non videbimus peccata proximi. Stultitia est enim homini habenti mortuum suum, relicto eo, ire et flere mortuum proximi sui. Mori autem proximo tuo, hoc est, portare peccata tua, et sine cogitatu esse ab omni homine : quia iste bonus est, et ille malus est, et ne facias malum ulli homini; neque cogites malum in aliquem, neque spreveris aliquem facientem malum, neque acquiescas facienti malum proximo tuo, et noli gaudere cum eo, qui facit malum proximo suo : et hoc est mori proximo tuo. Et noli obloqui de aliquo, sed dicito : Quia Deus cognoscit unumquemque. Noli ergo obedire detrahenti, neque congaudeas ei in detractione ipsius. Noli obedire obloquenti proximum suum, et hoc est, Nolite judicare, et non judicabimini. Non habeas inimicitias cum quocumque homine, neque retineas inimicitias in corde tuo, neque odio habeas eum qui inimicatur proximo suo, et non consentias inimicitiis ipsius. Noli despicere eum, qui inimicitias habet cum proximo suo, et hæc est pax. In his temetipsum C consolare : modicum tempus est labor, et sempiterna requies, gratia Dei Verbi, Amen.

*implorare ejus misericordiam,*
*flere sua peccata,*
*et mori proximo variis modis.*
*Matth. 7. 1*

12 *Joannes Cassianus lib. 10 Institutionum Monachorum cap. 25 Moysem omnium Sanctorum summum deprædicat* : Cum incipiens, *inquit*, in eremo commorari, Abbati Moysi, omnium Sanctorum summo, dixissem, me ægritudine acediæ hesterno die gravissime fuisse confectum ; nec ab ea alias potuisse liberari, nisi ad Abbatem Paulum protinus cucurrissem ; ille, Non te, ait, ab ea liberasti, sed magis ei te deditum ac subditum præbuisti. Gravius enim te, ut desertorem ac fugitivum deinceps adversarius impugnabit, quem de conflictu superatum protinus aufugisse conspexit : nisi de cetero commissa congressione, non desertione cellæ, vel somni torpore, ingruentes æstus ejus ad horam evaporare malueris, sed tolerantia potius et conflictu didiceris triumphare. Unde experimento probatum est, acediæ impugnationem, non declinando fugiendam, sed resistendo superandam.

*habitus summus Sanctorum :*
*docet acediam resistendo superari :*

13 *Sub ejusdem nomine collationem primam et secundam edidit idem Cassianus ; atque ab eo ita exorditur* : Cum in eremo Scithi, ubi monachorum probatissimi Patres et omnium Sanctorum morabatur perfectio, Abbatem Moysen, qui suavius inter illos D egregios flores non solum actuali, verum etiam theorica virtute flagrabat, institutione ejus fundari cupiens expetissem, una cum sancto Abbate Germano,... pariterque ab eodem Abbate ædificationis sermonem fusis lacrymis posceremus ; quippe cujus hunc animi rigorem manifestissime noveramus, ut nisi fideliter desiderantibus et cum omni cordis contritione quærentibus, nequaquam acquiesceret januam perfectionis aperire, ne scilicet, si passim vel nolentibus eam, vel tepide sitientibus exhiberet, res necessarias, et quæ solis perfectionem cupientibus debent esse compertæ, indignis et fastidiose suscipientibus pandens, aut jactantiæ vitium aut proditionis crimen videretur incurrere, tandem fatigatus precibus nostris exorsus est.

*excellit vita activa et contemplativa :*
AUCTORE G. H.
*perfectionem non tradit nisi eam sitientibus.*

14 *Ex tradita tunc ab eo doctrina unicam promimus sententiam, quæ, ex collatione 2 cap. 10 excerpta, legitur lib. 5 de Vitis Patrum libello 5 numer. 3 his verbis* : Dixit Abbas Cassianus, quia dixerit nobis Abbas Moyses : Bonum est non abscondere cogitationes, sed senibus spiritualibus et discretionem habentibus manifestare eas ; non his qui tantum tempore senes sunt : quoniam multi ad ætatem respicientes, et cogitationes suas dicentes eis, qui experimentum non habebant, pro consolatione ad desperationem ultimam pervenerunt. E *Hæc ibi : ac tandem libello 18 cædes ejus narratur : ut de eodem ubique agi videatur.*

*præcipit cogitationes aperire senibus discretis,*

15 *Alardus Gazeus in Commentariis ad citatum caput 25 libri 10 de Institutis monachorum tres Moyses anachoretas sanctitate conspicuos commemorat, Æthiopem ex latrone conversum, alterum Saracenis datum Episcopum, et hunc tertium, quem Libycum credit a Palladio vocari lib. 8 cap. 88. ubi hæc de eo traduntur* : Moyses Libycus fuit vir mitissimus, et maxima caritate præditus : is dignus est habitus dono curationum. Is hoc narravit : In monasterio, inquit, eram valde juvenis, et fodiebam maximum puteum, latum viginti pedes ; in eo cum tres dies fodissemus, viri octoginta, et venam consuetam, et quæ aspiciebatur transiissemus circa cubitum, aquam non invenimus. Magna ergo affecti molestia, deliberabamus de desistendo ab opere : dumque de eo deliberaremus, ad nos adveniens Pior ex vasta solitudine, in ipsa sexta hora æstus, cum esset senex indutus sua pelle ovilla ; et cum nos salutasset, dicit nobis post salutationem : Quid animum abjecistis, homines modicæ fidei? Vidi enim vos jam ab hesterno die abjecisse animum. F Quod cum dixisset, in putei fossam statim demisit scalas, et cum eis facit orationem, et accepto ligone et tertio ictu incusso, dixit : Deus Sanctorum Patriarcharum, ne irritum et inutilem feceris laborem servorum tuorum, sed mitte ad eos usum aquæ. Et statim aqua exiit, ut nos omnes ea adspergeremur. Et cum rursus orasset, abiit, dicens : Hac de caussa missus sum : et aperta est. Cum autem illi vim facerent, ut illic comederet, non potuit in animum inducere, dicens : Propter quod missus sum, hoc factum est.

*vir mitissimus*
*in puteo a se fosso*
*Pioris precibus*
*aquam impetrat :*

16 *De hoc Moyse agit Sozomenus lib. 6 cap. 29* Moses autem, *inquit*, cum ob mansuetudinem et caritatem erga omnes, tum ob morborum curationem, quam precibus solum effecit, magnam laudem consecutus fuisse traditur. *Eadem habet Nicephorus lib. 11 cap. 36. Demum inter sententias Ægyptiorum Patrum a S. Martino Episcopo Dumiensi Latine redditas hæc num. 49 referuntur* : Abbas Moyses venit ad puteum haurire aquas, et vidit Fratrem Zachariam orantem, et Spiritum Dei super eum requiescentem. *Hinc apud Pelagium libello 15 num.* 17 Abbas Moyses dixit Fratri Zachariæ : Dic mihi quid faciam? Ille autem hæc audiens, jactavit se pronus in terram ad pedes ejus dicens : Tu me interrogas, Pater? Dixit autem ei

*morbos precibus pellit.*
*videt Spiritum sanctum super alium*

AUCTORE G. H.

A ei senex : Crede mihi, fili Zacharia, quia vidi Spiritum sanctum descendentem in te, et compellor interrogare te. *In Notis ad Usuardum in Carthusia Bruxellensi hæc habentur VII Februarii :* Item alterius Moysi alibi in deserto Scithi qui fecit collationem D primam. *An tamen omnia a nobis recensita, uni eidemque conveniant, certo non audemus affirmare.*

# DE S. JULIANA VIDUA

## BONONIÆ IN ITALIA,

### Commentarius historicus.

ANIMADV. PAP. 16.

G. H.

### § I. *Antiquus cultus S. Julianæ, diplomatibus Pontificiis confirmatus.*

*CIRCA ANNUM CHR. CCCCXXXV. VII FEBR. Cœlestinus Papa in Bulla Apostolica*

*Inter alia illustria templa ac monasteria, quæ in celeberrima Æmiliæ apud Italos urbe Bononia visuntur, basilica est S. Stephani Protomartyris : cujus pervetustam originem, sacra* Julianæ *aliorumque Sanctorum in ea recondita corpora, eorumque intercessione patrata miracula, nec et concessas indulgentias refert Cœlestinus Papa in diplomate sequenti, edito a Francisco Patricello in sua Historia, et qui illum citat, Donato Pallieno Luparo, tractatu 7 Histo-* B *riæ relationis, seu Chronici, basilicæ S. Stephani; qui asserit Bullæ autographum apud Abbatem adjuncti monasterii adservari, legi ejus exemplum in sanctuario appensum. Eam hic recitamus, certissimum cultus olim S. Julianæ impensi testimonium. Ita ergo habet.*

2 Cœlestinus Episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus salutem et Apostolicam benedictionem. Vitæ perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum, a redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso corpore Redemptoris meritorum debet acquiri virtute : inter quæ illud esse prægrande dignoscitur, quod ubique, sed præcipue in Sanctorum ecclesiis majestas Altissimi collaudetur. Cum itaque in templo gloriosi Protomartyris Stephani, quod dicitur Hierusalem de Bononia, quod servus Dei Petronius ejusdem civitatis Episcopus, instar sepulchri Domini nostri Jesu Christi in Hierusalem erexit et construxit, quam plurium Sanctorum reliquiæ requiescunt, maxime vero corpora Martyrum Vitalis et Agricolæ, Floriani cum quadraginta sociis, quinque corpora Innocentum, et S. Julianæ viduæ; ac mysteria fere cuncta Salvatoris nostri Jesu Christi ibidem devotissime designantur ac demonstrantur ; C ubi multa miracula Deus Opt. Max. ipsorum Sanctorum intervenientibus meritis operatur; Universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad præfatum templum, imploraturi a Domino delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, ut Christi fideles quasi per præmia salubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in dicto templo altare S. Mariæ Virginis devotionis gratia quoties visitaverint, et manus pro ipsius ecclesiæ statu et conservatione porrexerint adjutrices, annos ducentos, et altare S. Petri, Innocentum, sexcentos, et S. Jacobi, centum; S. Catharinæ, centum et quinquaginta, S. Mariæ Magdalenæ, centum et quinquaginta; S. Joannis Baptistæ, centum et sexaginta; S. Stephani, trecentos; S. Agnetis, ducentos; et sanctæ Trinitatis, trecentos; columnam vero, ad similitudinem illius, in qua Redemptor noster flagellatus extitit, ducentos, nec non S. Julianæ, centum, et sanctorum Martyrum Vitalis et Agricolæ, ducentos et quinquaginta; ac BB. Floriani et sociorum ejus sepulchra in dicta ecclesia consistentia, quadringentos, et locum qui appellatur Calvariæ, trecentos et sexaginta; similiter et, qui in Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis et Pentecostes, et S. Stephani festivitatibus, et celebritate Omnium Sanctorum dictum templum annuatim visitaverint, septingentos; sepulchrum vero ad instar sepulchri Domini fabricatum, sexta feria majoris hebdomadæ, et in Paschate Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, et duobus sequentibus diebus annuatim devotionis caussa intraverint, et manus porrigentes adjutrices, omnium peccatorum remissionem plenariam de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus, et concedimus perpetuam * valituram. Datum Lateranense, octavo Idus Maii, Pontificatus nostri anno quinto. E

*tradit Bononiæ in templo S. Stephani*

*adservari corpora S. Julianæ viduæ, et aliorum SS.*

*et inter alias indulgentias,*

*concedit 100 annos visitantibus sepulchrum S. Julianæ.*

* *erat* valetudinem

3 *Hæc Cœlestinus Papa, cujus Bullæ præcipuam partem repetit Sixtus Papa* IV *diplomate dato* Romæ apud S. Petrum Idibus Januarii, Pontificatus anno VI, *qui nobis est annus Christi* MCCCCLXXVII, *istic mare Pontificio annus præcedens. Hæc Bulla Sixti* IV *incipit :* Etsi cunctæ orbis Ecclesiæ, et tota sub Sanctorum vocabulis fundata, digna reverentia debeant frequentari *etc. ubi Sixtus omnes* indulgentias a Cœlestino Papa concessas *refert* approbatque, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernit. Et nihilominus pro majori cautela *propria auctoritate easdem indulgentias* concedit largiturque præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis : *et his repetuntur* anni centum indulti visitantibus sepulchrum S. Julianæ. *In hac Sixti Bulla,* Cœlestinus prædecessor, *errore typographico aliove mendo appellatur* primus, *qui necessario* tertius *fuit.* Creatus est S. Cœlestinus I, *secundum Prosperi ac Marcellini Comitis Chronica* Coss. Asclepiodoto et Mariniano, Indictione VI, *id est, anno Christi* CCCCXXIII, *et die* III *Nonas Novembris, cujus annus in Pontificatu quintus mense Maio, quo dicitur Bulla concessa, incidit in* CCCCXXVIII : *quo tempore non extabat templum S. Stephani cœptum extrui (quando* VI *Aprilis obiit S. Cœlestinus* I) *anno* CCCCXXXII, *ut tradunt Antonius Paulus Masinus in Bononia perlustrata ad* XXVI *Decembris, et Patricellus apud Pallienum Luparum tractatu* 1 : *sed hic mallet eo anno absolutum esse, ac cœptum extrui anno* CCCCXXX, *quasi tum relata supra Bulla a Cœlestino* I, *uti sæpius toto libro inculcat, potuisset concedi, et quidem anno quinto Pontificatus : quem incidere in* CCCCXXVIII *non reflexerat. Deinde, dicto anno quinto Pontificatus S. Cœlestini primi creditur præfuisse Ecclesiæ Bononiensi S. Felix Episcopus, mortuus anno sequenti* CCCCXXIX *die* IV *Decembris, uti observant Masinus ad eum diem, usus testimonio Alidosii de Episcopis Bononiensibus; Ferdinandus Ughellus tomo* 2 *Italiæ sacræ, Carolus Sigonius lib.* 1 *Historiæ Bononiensis secundum annos in argumento expressos, atque margini appositos, Cherubinus Ghirardaccius lib.* 1 *Historiæ Bononiensis, Gaspar Bombacius in Bononia illustrata, aliique. Huic S. Felici successit S. Petronius sive sub finem ejusdem anni* CCCCXXIX, *ut aliqui tradunt ordinatus, sive potius anno sequenti* CCCCXXX, *quem assignant Ghirardaccius et Sigonius. Præterea, post extructum a S. Petronio templum S. Stephani supervixisse S. Julianam, ac magnam*

*Sixtus IV an. 1477 confirmat Bullam Cœlestini,*

*non primi,*

*cujus anno 5 nondum erat templum S. Stephani* F

*neque S. Petronius Episcopus,*

*neque S. Juliana mortua,*

A *nam fortunarum suarum partem adjuncto monasterio exstruendo, ac monachis alendis attribuisse infra dicemus, ut de ejus sacro corpore istic quiescente ante eum mortuus non egerit S. Cælestinus Papa* I. *Denique inter præcipuas* Ecclesiæ festivitates *enumerat Cælestinus* solennitatem Omnium Sanctorum, *quæ ex Bonifacii Papæ* IV *institutione sub initium seculi septimi Romæ sumpsit exordium, postmodum a Gregorio Papa* IV *circa annum* DCCCXXXV *ceteris Occidentalis orbis Ecclesiis præscripta : ut non potuerit quadringentis annis citius memorata Bulla data esse.*

*neque festum Omnium Sanctorum institutum.*

4 *Vixerunt postea quatuor Pontifices Cælestini appellati, ex quibus tres non integro anno Ecclesiæ præfuerunt, scilicet Cælestinus secundus sexto mense, et Cælestinus quartus primo mense Pontificatus mortui : et S. Cælestinus quintus sexto mense sponte abdicato Pontificatu ad solitudinem monasticam reversus. Solus Cælestinus* III *ad septimum Pontificatus annum pervenit, creatus* XXIX *Martii anni* MCXCI *mortuus* VIII *Januarii anni* MCXCVIII, *cujus extant aliquot Constitutiones in Bullario Lærtii Cherubini, quibus in stylo ac modo scribendi prorsus similis est memorata supra Bulla, data* VIII *Idus Maii anno Pontificatus* V *Christi* MCXCV. *Est autem illud S. Julianæ sepulchrum ex marmore*

*sed Bulla est Cælestini* III,

*anno* 1195 *data;*

B *eleganter confectum supra altare, quod ab ea cognominatur, visiturque in sacello repræsentante Christum a resurrectione sub specie hortulani apparentem S. Magdalenæ. Augustinus Zanettus Episcopus Sebastenus, et Episcopi Bononiensis Vicarius istis indulgentiis Cælestini* III *adjunxit anno* MDXXXVI *quadraginta dies indulgentiarum, quas omnibus ac singulis S. Julianæ sepulchrum, sive altare, solita forma visitantibus concessit : ut auctor est Pullienus Luparus tractatu* 8.

*postea alii dies 40 indulgentiarum adjuncti*

ANIMADV. PAP. 17

5 *Cultum ejusdem S. Julianæ indicat Martyrologium Romanum* VII *Februarii paucis hisce verbis :* Bononiæ S. Julianæ viduæ, *additum erat a Galesinio,* testimonio B. Ambrosii Episcopi illustris. *Eodem die propriam de ea Missam celebrari, ac reliquum Divinum officium recitari tradunt Bombacius sub finem Vitæ ejusdem S. Julianæ, et Masinus ad* VII *Februarii, qui solemnitatem eam testatur haberi et in æde S. Stephani, ubi corpus ejus quiescit, et apud sanctimoniales SS. Vitalis et Agricolæ, quæ eam monasterii sui fundatricem agnoscunt. Agunt de eadem S. Juliana Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Ludovicus Zacconus lib.* 2 *Compendii Vitarum Sanctorum, Celsus Falconus in Historia Ecclesiastica Bononiensi, tum ante citati Ghirardaccius, Sigonius, Bombacius, Pullienus, aliique ab*

*Cultus S. Julianæ 7 Februarii :*

*Vita Italice edita.*

C *eisdem citati. Demum Bernardus Pellicanus ejusdem Vitam duobus libris, prolixis commentariis moralibus interspersis, descripsit.*

## § II *S. Juliana vidua a S. Ambrosio laudata.*

P*ræter metropolitanam basilicam S. Petro dicatam, alia Bononiæ est ecclesia, SS. Petro et Paulo Apostolis sacra : quam passim historici Bononienses tradunt S. Basilium hujus urbis Episcopum (cui* VI *Martii sacer est) aut primo inchoasse, aut nuper a S. Faustiniano (qui* XXVI *Februarii celebratur) inchoatam perfecisse. Ad hanc S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis cum S. Eusebio Bononiensi Episcopo corpora SS. Vitalis et Agricolæ Martyrum tunc inventa, magna cum solennitate transtulit : eique postea S. Petronius Episcopus conjunxit ecclesiam S. Stephani; in quam* XI *Martii anni* MXIX *sacra istorum Martyrum corpora translata esse refert Masinus ad* IV *Novembris diem, illorum martyrio sacrum : atque una confirmat memoratam supra Bullam Pontificiam, ex qua constat ea corpora in ecclesia S. Stephani adservari, post illum annum* MXIX *datam esse, non satis sui memor, qui eam Bullam alibi Cælestino Papæ* I *adscribit.*

*Ecclesiam SS. Petri et Pauli Bononiæ*

*dedicat S. Ambrosius SS. Vitali et Agricolæ.*

7 *Post hanc etiam corporum SS. Vitalis et Agricolæ ad ædem S. Stephani translationem, vixit Auctor Chronici MS. monasterii S. Stephani ad annum* MCLXXX, *saltem a continuatore, deducti : in quo post Vitam S. Petronii referuntur sacra corpora, quæ in ista S. Stephani æde honorantur, atque inter illa* corpus S. Julianæ, quam multum laudat S. Ambrosius, *quæ verba post diligentem hujus MS. codicis relectionem se reperisse de S. Juliana dici scribit in hujus Vita Gaspar Bombacius. Agit pluribus locis de hoc Chronico Pullienus Luparus, qui tractatu* 9 *arbitratur, auctorem ejus coævum fuisse S. Bononio, primum hujus monasterii monacho, postea Lodecensi in agro Vercellensi Abbati, circa an.* MXXIV *vita functo* XXX *Augusti. Qui autem ab Auctore hujus Chronici indicatur tractatus S. Ambrosii, extat operum ejus tomo* V *sub titulo* de Hortatione ad virginitatem, *nonnulla huc transferimus. Ita eam auspicatur :* D

AUCTORE G. H.

*Julianam viduam laudat*

*in Hortatione ad Virginitatem.*

8 Qui ad convivium magnum invitantur, apophoreta secum referre consueverunt. Ergo ad Bononiense invitatus convivium, ubi sancti Martyris celebrata Translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis et gratiæ reservavi. Apophoreta autem solent habere triumphi Principum, et hæc apophoreta triumphalia sunt : Christi enim nostri Principis triumphi sunt Martyrum palmæ. Nec vero huc dirigam iter, sed E quia petitus a vobis sum, debui mecum deferre, quæ aliis parabantur, ne minor ad vos venirem : ut, quod in me minus est quam præsumebatur, in Martyre plus inveniretur. Martyri nomen Agricola est, cui Vitalis servus fuit ante, nunc consors et collega martyrii.... Sepulti autem erant in Judæorum solo inter ipsorum sepulchra.. Illic igitur Martyris exuvias requirebamus, tanquam inter spinas rosam legentes. Circumfundebamur Judæis, cum sacræ Reliquiæ veherentur. aderat populus Ecclesiæ cum plausu et lætitia.... Detuli ergo vobis munera, quæ meis legi manibus, id est, Crucis trophæa, cujus gratiam in operibus agnoscitis. Condant alii aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis : legant pretiosa monilium serta : temporalis ille thesaurus est, et sæpe habentibus perniciosus. Nos legimus Martyris clavos, et multos quidem, ut plura fuerint vulnera, quam membra. . Colligimus sanguinem triumphalem et Crucis lignum. Hæc sanctæ viduæ negare non potuimus postulanti. Munera itaque salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur.

*Bononia apophoreta defert,*

*scilicet reliquias ex corporibus SS. Vitalis et Agricolæ illic elevatis,*

*easque condit sub altari,*

9 Ea igitur vidua sancta est Judæa, quæ hoc Domino templum paravit atque obtulit, quod hodie de- F dicamus : digna tali oblatione, quæ in sobole sua, templa jam Domino pudicitiæ atque integritatis sacravit. Dum Julianam volui dicere, Judæam dixi. Non erravit lingua, sed definivit. Judæa enim est anima, quæ Christum fatetur. Denique notus in Judæa Deus, id est, ubi agnoscebatur Deus, non ubi negabatur. Est ergo in spiritu Judæa, ubi major portio, intellectus sincerior : quia salus ex Judæis est. Linguæ igitur error testimonium sanctitatis invenit. Honoremus ergo hanc viduam, quia scriptum est : Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Licet verborum nostrorum honorem non ambiat, quæ Apostoli mandatum adæquaverit, habens in bonis operibus testimonium, quæ bene filios educaverit, melius instituerit. Quis hanc non ut destitutam ut miserabilem deploravit, quando amisit maritum ? At ista ministrum sacris ereptum altaribus amplius ingemuit, quam sibi conjugem aut patrem filiis. Nam etsi præsidio esset mariti viduata et solatio, tamen apud piam mentem caussa Ecclesiæ præponderabat. Succinxit itaque mentis viscera, et circumfusam se videns numero filiarum trium et unius filii, quo solent terreri ceteræ, hoc fortior facta, tali filios alloquio convenit : Filii amisistis patrem, matrem ha-

*templi a Juliana extructi, a se dedicati :*

*ea vidua,*

I Tim. 5, 4

*post obitum mariti autem sacris initiati,*

*solatur liberos*



betis,

AUCTORE G. H.

A betis. Melior quidem fuisset illa commutatio, si pater viveret, mater deesset : tamen infirma licet et desolata, ostendo vobis, si vultis sequi, quo arbitremini patrem vobis non decessisse. Habetis enim meliorem de cœlo parentem : ille est, qui et hos suffulsit patres. Quid enim aliud jam superest spei. Pater vobis fuit dives gratia, non pecunia, opulentus ministerio, non patrimonio : cujus hæreditas fides est, utrique indiscreta sexui, census virorum, dos Virginum.

*filium voto S. Laurentio facto impetratum,*

Prov. 31. 1, 2 et 3

10 Et tu quidem, fili, aliquanto propior patri, agnosce quæ matri debeas, quod domini vocabulum reddas. Ætas te excusat, sed hæreditas vocat. Jucundentur, fili, pater et mater in te. Noli matrem contemnere quasi imprudentem. Regis admonitio inquit, quem erudivit mater sua. Quid servabis, fili? Dictiones Dei. Primogenite, tibi dico, fili. Quid fili mei ventris? Quid natus mearum orationum? Ne dederis mulieri tuam honestatem. Audis quid Sapiens dicat, quid Scriptura asserat. Considera, quis te, ut nascereris, juverit : filius es votorum magis, quam dolorum meorum. Considera, cui te muneri pater tali nomine designaverit, qui vocavit Laurentium. Ibi vota deposuimus, unde nomen assumpsi-
B mus. Vota effectus secutus est : redde Martyri, quod debes Martyri. Ille te nobis impetravit : tu restitue, quod de te hujusmodi nominis appellatione promisimus. Quid autem est, fili, aliud, quod eligendum putes, nisi Deum patrum nostrorum?... Dat votum optanti et benedicit annos justi...

*Deo offert :*

*omnibus suadet virginitatem,*

Matt. 19. 11

11 Hanc tentationem tantarum necessitatum si vultis, filii, evitare, integritas corporis expetenda vobis est, quam ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola est enim virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest : res magis voti, quam præcepti... Ipsi sunt qui habent in cœlo præmia ceteris præstantiora. Hoc in Evangelio nos prædicat Dei filius... Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est : hoc est, non capit hoc conditionis humanæ infirmitas, ut omnibus pateat, sed illis solis facile est ad capiendum, quibus Divina refulsit gratia, ut castrare se possint, quo regnum cœlorum adipiscantur. Audistis, filii, quantum sit præmium integritatis. Regnum acquirit, et regnum cœleste, vitam Angelorum exhibet. Hoc vobis suadeo, quo nihil pulchrius : ut inter homines Angeli sitis, qui nulla sibi ligantur nuptiali copula... Considerate, filiæ, si velitis nubere, quantum vobis de-

*ad eam adhortatur filias,*

C sit, quibus pater deest. Deest optima dos, quod ipsum tamen si abundaret, emeretis magno pretio servitutem... Quoniam quæ nupserit, ad servitutem pecunia sua venditur. Meliori conditione mancipia quam conjugia comparantur. In illis meritum emitur servitutis, in istis pretium ad servitutem additur. Nupta venalis auro gravatur, auro æstimatur. Experta sum, filiæ, labores copulæ, conjugii indignitates, et sub bono conjuge, nec tamen sub bono marito libera fui : serviebam viro et laborabam placere. Miseratus est Dominus et fecit ministrum, continuoque et mihi et vobis raptus est, et fortasse miserante Domino, ne diceretur maritus. Videtis, filiæ, longævam matrem doloribus, et adhuc immaturam viduitatis stipendiis. Videtis amissum omne præsidium et ornamentum. Nec auxilium viri habeo, nec virginitatis gratiam. Et de me levis cura : vos intueor, vos considero. Remanserunt mihi onera conjugii, abiere adjumenta. Quanto mallem in hos nunquam venisse usus? Potestis tamen excusare patrem, allevare matrem, si quod in nobis amissum est, in vobis repræsentetur. Hoc solo nos conjugii non pœnitebit, si vobis labor noster profecerit. Proximum putabo, matrem esse virginum, ac si virginitatem tenerem... Si volueritis sic manere, nullius opem requiram :

*ut se matrem Virginum esse possit gloriari.*

abundabit mihi ad omnem opitulationem vestræ integritatis corona. Quis non dicet beatam, quam nunc miseram putant? Quis non honorabit tot Virginum matrem? Quis non venerabitur aulam pudoris?... Profiteamur, ego viduitatem, vos virginitatem... quoniam non solum Virgo, sed etiam mulier innupta cogitat quæ Domini sunt... Considerate, filiæ, quid votis debeatis parentum... pater provocat ad integritatem; mater hortatur id sequi, quod convenit. Bonum est ergo virginitas... Hæc vobis, filiæ, sint commendata. D

12 Tu autem, fili, quem mihi verus Helcana, id est, Dei dedit possessio, postulatus meus, petitus meus, (inde enim etiam Samuel nomen accepit) tu, inquam, impetratus meus, et votivus meus, qui quomodo in uterum meum veneris nescio (jam enim desperaveram sobolem sexus virilis) quem mihi vota mea, non aliqua solennis coitus secreta formarunt, tu, inquam, fili, agnosce a quo donatus sis mihi. Ille tua ora plasmavit, ille tua membra distinxit, ille mea orata suscepit, cujus templo, cujus obsequio te, antequam nascereris, sacravi. Non parentibus, non tibi, sed Deo natus es : cujus antequam de vulva matris exires, esse cœpisti. Et omnes quidem illius sumus, sed tamen tu specialiter promissus Domino. Tu reddideris, quia scriptum est. Vovete et reddite Domino Deo vestro. Ego misera, ego indigna, et tamen quasi Anna promisi, ut omnibus vitæ tuæ diebus ac noctibus, a conspectu Domini non recedas. Ego promisi, tu exequere : Dominus sibi hostiæ suæ munus implebit. Hæc et alia pia mater. Quæ postquam congruentem filiorum vidit affectum, ablactatum suum uberibus gratiæ spiritualis in templum Domini deducens, conversa ad preces, Confirmatum est, inquit, cor meum in Domino.

1 Reg 1 20

*filium virtutum præceptionibus instructum,*

E

Psal 75. 12

1 Reg. 1 28

*Dei ministerio addicit*

1 Reg 2. 1

13 Ista igitur ad filios mater dicit, quæ simul et viduitatis in se, et integritatis in liberis titulos in domum suam intulit, quasi quosdam fœmineos principatus. Egregia sane fœmina, quæ sibi nihil reliquit : totum, quod habuit, Deo obtulit : cujus vita institutio disciplinæ est, et quædam formula castitatis bono proposito et meliore magisterio. Exemplum enim viduitatis, et virginitatis magisterium est. Procedit in Ecclesiam filiarum virginum septa comitatu, domesticum decus invehens, et invenit in ecclesia, quod suum dicat, filium sacrarum lectionum oracula personantem, ut videantur sibi sorores domi discere, cum frater auditur. Mater quoque ad imitationem cœlestis exempli gaudet se proficere de filio, et omnia legentis verba pio mandat affectu, et sedulo corde conservat. Sed quamvis nihil maternis defuerit hortationibus, ego quoque vos, filiæ, vel paucis alloquar : Quærite Dominum Jesum, qui nos monet, ut quæramus regnum Dei, et ecce omnia, inquit, suppetent vobis... Attende, Virgo, sacræ professioni, et ab hominis irreverentis oculis cave... Attende tu præcipue, fili, attende tibi, ut et tu læteris in juventute tua, cui dicit Scriptura : Lætare, adolescens in juventute tua....

*frequens cum filiabus in templo,*

*audit filium sacros libros legentem.*

F

Matt 6 33

Eccl 11 9

14 Te nunc, Domine, precor, ut supra hanc domum tuam, supra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, supra hos lapides spiritales, quibus sensibile tibi in singulis templum sacratur, quotidianus Præsul intendas, orationesque servorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, Divina tua suscipias misericordia. Fiat tibi in odorem suavitatis omne sacrificium, quod in hoc templo fide integra, pia sedulitate defertur. Et cum ad illam respicis hostiam salutarem, per quam peccatum mundi hujus aboletur, respicias etiam ad has piæ hostias castitatis, et diuturno eas tuearis auxilio, ut fiant tibi in odorem suavitatis hostiæ acceptabiles, Christo Domino placentes, et integrum spiritum eorum, animam et corpus sine querelæ

*S. Ambrosius implorat gratiam Christi,*

*maxime pro casta illius familia.*

A querelæ loco usque in diem Domini nostri Jesu Christi filii tui servare digneris. Amen.

## § III. *An una eademque Juliana Florentiæ habitarit, et Bononiæ obierit?*

*Tempore Eugenii Tyranni an. 392 aut sequenti,*

P*aulinus Presbyter, auctor Vitæ S. Ambrosii, quod hæc historia elevatorum Bononiæ corporum SS. Vitalis et Agricolæ esset ab ipso Ambrosio fusius narrata, eamdem, nulla facta Julianæ mentione, paucis attingit, indicato tamen tempore, quo ea contigit.* Postquam, *inquit,* augustæ memoriæ Valentinianus in Viennensi Galliarum civitate vitam finivit, *(quod contigit Arcadio* II *et Ruffino Coss. Idibus Maii, sabbato, pridie Pentecostes, anno* CCCXCII*)* Eugenius suscepit imperium: qui ubi imperare cœpit, non multo post, petentibus Flaviano tunc Præfecto, et Arbogaste Comite, aram Victoriæ, et sumptus cæremoniarum, oblitus fidei suæ, concessit. Hoc ubi audivit Sacerdos *Ambrosius*, relicta civitate Mediolanensi, ad quam ille festinato veniebat, ad Bononiensem civitatem emigravit, atque inde Faventiam usque perrexit. Ubi cum aliquantis degeret diebus, invitatus a Florentinis ad Tusciam usque descendit, declinans magis adspectum sacri-

*S. Ambrosius Florentiæ deposuit reliquias SS. Vitalis et Agricolæ,*

B legi viri.... In prædicta itaque civitate Florentinorum... basilicam constituit, in qua deposuit reliquias Martyrum Vitalis et Agricolæ, quorum corpora in Bononiensi civitate levaverat. Posita enim erant corpora Martyrum inter corpora Judæorum. Nec erat cognitum populo Christiano, nisi se ipsi sancti Martyres Sacerdoti ipsi revelassent. Quæ cum deponerentur sub altari, quod in eadem basilica constitutum est, magna illic totius plebis sanctæ lætitia atque exultatio fuit, pœnaque dæmonum confitentium merita Martyrum. *Hæc Paulinus, nulla, ut diximus, facta Julianæ mentione: de qua ita scribit Baronius in Notis ad* VII *Februarii:* Julianam viduam laudibus cumulat S. Ambrosius in Exhortatione ad Virgines: sed illa, ut apparet, Florentiæ nobilissima fœmina claruit, quæ erexit illic illustrem basilicam, quam S. Ambrosius dedicavit, locupletavitque sacris reliquiis S. Agricolæ Martyris, quas Bononia secum detulerat. *Illas autem reliquias ad propriam Ecclesiam Mediolanensem deferre videtur alias destinasse ut innuit epistola* 55 ad universos plebes Italiæ, *his supra relatis verbis:* Nos legimus Martyrum clavos, et plures quidem, quia plura in eis vulnera quam membra fuerunt. Collegimus sanguinem triumphalem et Crucis lignum. Nam-

*in templo,*

C que sicut qui ad convivium magnum invitantur, apophoreta secum referre consuerunt; ita nos ex convivio Bononiensi apophoreta gratiæ et sanctitatis plena nobis reservare curavimus.

*a Juliana vidua*

16 *Quæ Baronius pluribus explicat ad an. Ch.* 392 *num.* 24, Cum *Ambrosius, inquit,* pervenisset Florentiam, opportune accidit, ut rogatus dedicaret ecclesiam a Juliana clarissima fœmina erectam: sub cujus altare condidit idem Sanctus reliquias Martyris Agricolæ, quas Bononiæ acceperat. Habuit ibidem luculentam orationem Ambrosius, qua cum religiosæ fœminæ in erectione basilicæ factum laudibus celebrarit, majori tamen præconio extulit, quod de vivis lapidibus nobilius templum Deo dicaret, nempe tres filias una cum filio. Fuit ecclesia illa nomine S. Laurentii nuncupata, eademque Ambrosiana dicta in memoriam tanti viri, qui eam dedicasset, Ambrosii. *Eadem fere scribunt idem Baronius in Vita S. Ambrosii, una cum operibus edita: Carolus Sigonius de Episcopis Bononiensibus lib.* 1 *in* S. Eusebio, et *Scipio Ammiratus* par. 1 Historiæ Florentinæ lib. 1 *ad an.* 393. *Erat eo tempore Episcopus Florentinus S. Zenobius, in cujus Vita ad* XXV *Maii scribit Joannes Archipresbyter Aretinus,* basilicam quamdam parvam versus Septentrionem, tunc parumper a civitate distantem sub ho-

*ad honorem S. Laurentii*

nore B. Laurentii Martyris ab Ambrosio, ut attes- D tatur Laurentius Episcopus Melphitanus, effusa Florentinorum fidelium celebritate dedicatam fuisse, et ipsam Ambrosianam vocatam: et, ut refert B. Simplicianus, eam ecclesiam ab eodem Ambrosio donatam corpore beatissimi Marci Papæ, quod sub altariolo ad Orientem disposito, ab ipso eodem in honore Vitalis et Agricolæ consecrato, magna devotione condidit. *Congruunt hæc piis votis Julianæ ejusque mariti supra ex S. Ambrosio relatis, ob quæ ad honorem S. Laurentii suscepta, cum desperarent sobolem sexus virilis, agnoscunt se filium obtinuisse, quem ideo Laurentium appellarunt: ut videantur simili affectu eidem Martyri hanc ecclesiam extruxisse: et forte in proprio fundo, in quo extra civitatem habitarint.*

AUCTORE G. H. *extra civitatem extructo.*

17 *En* Julianam *ut sanctam viduam a S. Ambrosio laudatam, sed apud Florentinos, non Bononienses habitantem, quam Sanctis Florentinis adscribit Silvanus Razzius, nixus testimonio Vincentii Borghini, asserentis in tractatu de Episcopis Florentinis, hanc* Julianam *viduam ab illa Sancta Bononiensi aliam esse. Borghinum ut diligentem scriptorem laudat Ughellus tomo* 3 *Italiæ sacræ de iisdem Episcopis Florentinis. At Philippus Ferrarius in Annotatione ad* VII *Februarii, opinatur eamdem* S. Julianam *viduam et Bononiæ coli, et* E *prope Florentiam ecclesiam, in qua reliquias prædictorum Martyrum deposuit S. Ambrosius, exædificasse. Laurentius Archiepiscopus Amalphitanus, qui anno* MXXIV *ad eam dignitatem evectus decessit anno* MXLVIII, *scribit in Vita S. Zenobii Episcopi Florentini, ab Ughello ex vetusto MS. edita, hunc* S. Zenobium *a morte* in ecclesia S. Laurentii juxta altare depositum esse, *sed ob* infestationem quarumdam gentium in S. Reparatæ basilicam translatum, *quod factum esse* anno Imperatorum Arcadii et Honorii XI, Feria quinta XXVI Januarii, *docet antiqua inscriptio: ergo anno Ch.* CCCCV, *cyclo Solis* XXII, *littera Dominicali A, qui tamen annus Christi istic male intrusus legitur* CCCCVIII. *Nam juxta Chronicon Prosperi* Stilicone II et Anthemio Coss. Radagaisus in Tuscia multis Gothorum cæsis, ducente exercitum Stilicone, superatus et captus est, *scilicet eo anno* CCCCV, *forte ad finem vergente, ut ideo ad sequentem retulerit Marcellinus Comes. An tum* Juliana *videns ecclesiam S. Laurentii a se constructam cum aliis suis domiciliis barbarorum furori exponi, ac majora pudicitiæ pericula verita imminere, quæ S. Augustinus lib.* 5 *de Civitate Dei cap.* 23 *proponit, cum sua familia, ac Reliquiis SS. Vitalis et Agricolæ migrarit Bononiam? Ibi tradit Sigonius lib.* 1 *Historiæ* F *Bononiensis, illam* domum suam in speciem monasterii composuisse, et reliquam vitam cum filiabus Virginibus degisse: *quod monasterium ab eo tempore dicuntur possidere sanctimoniales SS. Vitalis et Agricolæ et suam fundatricem Julianam agnoscere, ac duas costas dictorum Martyrum religiose adservare: ibidemque feruntur habuisse sepulchra filiæ ejusdem S. Julianæ. Quid si, juxta Bononiensium scriptorum consensum Bononia oriunda ex nobili Banciorum familia, ob nuptias aut publicum aliquod pro Imperatoribus a marito administratum officium, ante Bononia Florentiam migrarit, eoque facilius et a S. Ambrosio obtinuerit Martyrum suæ civitatis Reliquias, et in publica Etruriæ depopulatione patrium repetierit solum? Hæc fere sunt quæ de Julianæ viduæ habitatione apud Florentinos, et morte apud Bononienses in diversum trahunt, quam ut unam eamdemque fuisse explicemus, Chronicon MS. monasterii S. Stephani suadet, dum alia antiquiora certioraque monumenta ex earum urbium archivis eruantur. Est autem dicta S. Laurentii ecclesia a Serenissima gente Medicea magnifice atque pulcherrime exornata, et instructissima bibliotheca etiam codicum MSS. nobilitata.*

*Ea a S. Juliana Bononiensi diversa aliis,*

*alii potius eadem habetur:*

*qua occasione videatur migrasse Bononiam,*

ANIMADV. PAP. 18

*unde creditur oriunda*

§ IV.

A

### § IV. *Compendium vitæ S. Julianæ.*

AUCTORE G. H.

*Quibus nata parentibus?*

*cui nupta?*

*ejus filius Clericus,*

*filiæ Virgines sacræ,*

*Multa præterea de S. Juliana scriptores Bononienses proferunt, e quibus aliqua seligemus, quæ pluribus videntur vero magis similia. Traditur autem prognata patre Julio Bancio, ac matre Facunda, ab iisque in omni pietate ac modestia educata, ad annum usque ætatis decimum quintum: quo ex voluntate parentum nupta data est sponso nobili æque ac diviti, et Christianis moribus abunde instructo, cui tres filias genuit, (alii quatuor numerant) et voto S. Laurentio facto, meruit filium suscipere, qui Laurentius appellatus est. Mariti nomen plerique silent, Pallicinus* Lucium *nuncupat. Hic obtenta mascula sobole, mutuo consensu thoro ab uxore separatus, Cleroque adscriptus, sacris est ordinibus initiatus. Sed non diu superstes, anno initi matrimonii circiter decimo, vita functus reliquit Julianam viduam, quæ liberos ita pie educavit, ut filius adhuc adolescens in Clericorum numerum sit allectus, et filiæ perpetuam Christo sponso voverint virginitatem, servarintque; ad quam S. Ambrosius supra relatam Exhortationem scripsit. Earum nomina hæc referuntur:* Lucia, Perpetua, Victoria, Candida, *quarum forte aliqua consobrina, aliove gradu consanguinitatis propinqua, ad eamdem vitæ spiritualis*
B *institutionem assumpta, videtur et ab aliis soror appellata fuisse et S.* Julianam *ut matrem honorasse, quæ matertera aut alioquin consanguinea erat.*

*ipsa pietati dedita,*

19 *Eisdem et quibuscumque aliis præluxit Juliana singulari exemplo, divino ad cælestia appetenda Spiritu instincta, assidue Christi se servitio impendens, perstitit in oratione et jejunio, materque pauperum habita, eos suis possessionibus juvit, in eleemosynis erogandis effusa,* D *nec minus munifica in ecclesiis ac sacris altaribus restaurandis. Inter alia pia opera traditur ecclesiam SS. Petri et Pauli, in qua S. Ambrosius corpora SS. Vitalis et Agricolæ e sepulchro Judæorum elevata deposuerat, pio erga hos Martyres affectu innovasse, et rebus omnibus ad Divinum officium celebrandum necessariis instruxisse. Hac ratione creditur ad annos prope quinquaginta vidua permansisse, ita Divinæ contemplationi dedita, ut sæpius in extasim acta, non facile a circumstantibus excitaretur.*

*templa exornat:*

*in extasin rapitur:*

*juvat S. Petronium in condendo cœnobio S. Stephani;*

20 *Subsidio ei ad ea pietatis consilia fuerunt sancti Antistites; inter eos S. Felix Bononiensis post Eusebium Episcopus, D. Ambrosii olim discipulus ac Diaconus. Cui circa annum* CCCCXXX *S. Petronium successisse dicimus, eximiæ doctrinæ et sanctitatis virum, qui tum alia templa, tum S. Stephani Protomartyris ædem condidit, et cum SS. Petri et Pauli conjunxit. Huic ecclesiæ Laurentius Julianæ filius traditur Abbas datus: ipsaque Juliana magnam fortunarum suarum partem alendis istic monachis attribuisse, in eaque sibi sepulturam poposcisse.*

*evocata a Christo in cælum,*

*moritur 7 Febr.*

21 *Cum tandem ex ergastulo vitæ mortalis educi optaret, vocem de cælo se ad Paradisi gaudia evocantem audiisse fertur; nec multo post morbo correpta, et* VII *Idus* E *Februarii læta ad Christum emigrasse, cujus cordi Crucem impressam aiunt visam fuisse. Funus, non sine totius urbis luctu, a S. Petronio splendide elatum. Annos vitæ enumerant universim circiter septuaginta quinque, ab* CCCLX, *ad* CCCCXXXV *probabili calculo.*

*circa an. 435*

# DE S. PAULO III

## EPISCOPO BRIXIENSI IN ITALIA.

G. H.

SÆC. VI
VII FEBR.

*Inter Episcopos Brixienses*

*tres* Pauli *appellati,*

*Rampertus Brixiæ, Cenomanorum urbis in Italia Padum fluvium inter et Alpes, sub Venetorum modo dominio, Episcopus in tractatu de Translatione S. Philastrii, quum plurimos, qui huic successerunt, enumerat Episcopos, interque eos tres Paulos, hoc ordine:* Triginta, *inquit,* Brixienses sunt Episcopi, qui in altari nomini B. Philastrii dicato, et super caput ejus posito, preces Missarum celebraverunt, et diem transitus ejus venerantes, ab
C omni terreno opere populum abstinere jubentes, reverenter, honoraverunt. Hi sunt tertius ab eo et secundus a Gaudentio Paulus, deinde Theophilus et Silvinus, et Gaudiosus; Optatianus, et Vigilius et Titianus, Paulus, Cyprianus, Herculanus, Honorius, Rusticianus et Dominator: Itemque Paulus, Paterius, Anastasius et Dominicus, Felix et Deusdedit: item Gaudiosus iterum, Rusticianus, Appollinaris, Andreas, et Theodaldus, Vitalis et Benedictus, Ansoaldus, Cunipertus, Aunfridus et Petrus venerabilis memoriæ Episcopi: quorum ordine et meritis novissimus ego Rampertus indignus Episcopus Brixiensis sanctæ Ecclesiæ *etc.*

*et Sanctis adscripti*

2 *Ita ille sæculo Christi nono, quo volunt eum tempore Lotharii Imperatoris vixisse. Colitur autem* S. Philastrius XVIII *Julii, ante S. Ambrosium vita functus. At* S. Gaudentius, *qui Vitam illius brevi sermone complexus est, a S. Ambrosio Episcopus ordinatus,* XXV *Octobris in cælos avolavit, relicto successore* S. Paulo, *ejus nominis primo, cujus post felicem obitum inter Sanctos habiti, natalis celebratur* XXIX *Aprilis. Alter qui successit S.* Titiano Paulus, *multis cumulatus meritis, ab obitu Cælitibus adscriptus, quartum Martii sibi sacrum diem accepit. Hunc aliqui* Paulinum *appellant, quod nomen priori adscribitur in Martyrologio Romano. Hinc qui Ramperto tertius est* Paulus, *ab aliis solum secundus ejus nominis censetur Episcopus. Hic, teste Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ,* VII *Februarii,* prædictæ Ecclesiæ inter S. Dominatorem, qui illum præcessit, et S. Paterium successorem aliquamdiu præfuit. Qui de urbe sua optime meritus, VII Idus Februarii migravit in cælum. Cujus corpus in ecclesia S. Petri in F Oliveto hoc tempore conditum requiescit. Gesta et tempus, quo vixit, ignorantur. *Eumdem commemorat Ferrarius in generali catalogo SS. additque successisse* S. Dominatori circa annum DL. *Inscripsit et Petrus Galesinius Martyrologio hoc die:* Brixiæ, *inquit,* S. Pauli Episcopi et Confessoris. *Meminit ejusdem Almus Capreolus lib. 4 Annalium Brixiensium, eumque etiam recenset inter* SS. Dominatorem *et* Paterium, *quorum ille V Novembris, hic XXI Februarii colitur. Demum idem Ferrarius in Topographia ad Martyrologium eumdem adscripsit* VIII *Februarii, errore typographico, quem deinde citatis tabulis Ecclesiæ Brixiensis, tradit VII Idus Februarii migrasse in cælum. Ughellus tomo 4 Italiæ sacræ in Episcopis Brixiensibus inter S. Dominatorem et S. Paulum collocat* Bertuanum, *sive* Bertacenum, *quem addit* repentina morte disperiisse, quod pecunia corruptus, nequissimi hominis sepultura SS. Faustini et Jovitæ ecclesiam violasset. *At S. Paulum ait* floruisse anno DXCVIII ejusque celebritatem haberi VII Idus Februarii.

*horum III colitur 7 Febr.*

*corpus servatur in S. Petri in Oliveto.*

# DE S. TRESANO PRESBYTERO,

## AVENIACI IN CAMPANIA GALLICA,

### Commentarius historicus.

ANIMADV. PAP. 19

J. B.

SEC. IV
VII FEBR.

Aveniacus, *fuit vicus provinciæ Remensis in quo cœnobium sanctimonialium a S. Bertha, temporibus Childerici Regis, Clodovei II filii, ædificatum, loco qui* Aurea vallis *dicebatur, uti* I *Maii ex ejus Vita patebit;* Aveniacum *nunc, Flodoardo in historia Remensi locis aliquot* Avenniacum *appellatum, vulgo* Avenay. *Hic* S. Tresani *Presbyteri seculo* VI *traditum sepulturæ est corpus, asservaturque etiamnum. Licet id Joannes Colganus in Actis SS. Hiberniæ scribat* in monasterio S. Remigii Remis requiescere, *At Francisca Marenna Antistita Aveniacensis, in præfat. ad officia propria Sanctorum illius monasterii, quæ ipsa, Clementis* VIII *Pontificis Maximi, ac Philippi Archiepiscopi Remensis auctoritate, ad Romani Breviarii formam restituta, excudi Remis an.* MDC *curavit, ita suas alumnas alloquitur :* Et nos, bonæ et dilectæ filiæ meæ, in paupere hac nostra religiosa domo ac cœtu,
B honoramus corpora SS. Gumberti, Berthæ, Tresani; quorum meritis ac suffragiis, locus nostræ habitationis felicitate cumulatur ac gratia Dei, qui sanctorum horum corporum præsentia frequentia operatur miracula, ac res naturæ vim longe superantes planeque divinas, uti in dies oculis perspicere quivis potest. *Ac deinde se plurimum allaborasse ait, ut per homines peritos concinnarentur Officia* gloriosorum illorum Sanctorum, quorum corpora in ea ecclesia quiescunt, *primo autem loco est officium* S. Tresani *ad Octavas usque ordinatum.*

*Aveniaci in Gallia*

*asservatur corpus S. Tresani,*

2 *In illo vero Remensi S. Remigii cœnobio, corpus asservatur* S. Gibriani, *qui frater fuit* S. Tresani, *multoque celebrior est, et turmæ sanctorum fratrum ac sororum antesignanus, uti* VIII *Maii ad ejus Vitam dicemus. De iis Flodoardus histor. Ecclesiæ Remensis lib. 9, cap. 4 ubi de* Fulconis *Archiepiscopi rebus gestis agit :* Delata sunt etiam tunc temporis ad ecclesiam B. Remigii membra S. Gibriani a pago Catalaunensi, ubi peregrinatus fuisse noscitur et humatus. Advenerant siquidem in hanc provinciam septem fratres ab Hibernia, peregrinationis ob amorem Christi gratia : hi scilicet Gibrianus, Helanus, Tresanus, Germanus,
C Veranus, Abranus, Petranus, cum tribus sororibus suis Franda, Promptia, Possenna; eligentes sibi super fluvium, nomine Maternam, opportuna degendi loca. *Hæc ille. De* S. Helano, *sive* Tesano, *agemus* VII *Octobris.*

*qui cum S. Gibriano et aliis in Galliam venit.*

3 S. Tresani *Vitam Gallice edidit Renatus Benedictus, a Petro Viellio concinnatam e prolixiori Remis edita, quam non vidimus. Præter eam vero quæ legitur in lectiones distributa, in citato Aveniacensi Officio, aliam habemus, sed ex illa, stylo expolito, conformatam a Guilielmo Dujatio Canonico regulari, quæ in Nicolai Belfortii codice extabat. Aliam recitat David Camerarius ex MS. codice monasterii S. Remigii Remis sed subinde contractum, uti annotat Colganus : hic vero pleniorem exhibet, compluribus tamen mendis tum typothetarum quam amanuensis. Certe quod num.* 2 *dicitur vir sanctus* famulatu corporeo cibum quærere *voluisse,* quem ministerio Ecclesiastico habere non posset, *uti quatuor citati auctores habebant, id indecorum visum amanuensi, si Sanctus ex Hibernia in Galliam suscepta peregrinatione, de victu vere alia quam de cœlo cogitationem ullam admitteret; et* cœlum *pro* cibo *supposuit. Tum quod num.* 15 *dicitur,* finiens agonem cosmicum, *id est, mundanum, extulit :* finiens agonem Cosnucii; *quasi locus, quo obiit, indicetur. Eam tamen nos Vitam, utpote pleniorem, a Colgano descripsimus, erroribus, quatenus fas fuit, ex aliis, et conjectura subinde, correctis.*

*Vita ejus unde hic edita?*

4 *Est ea Vita diu post Sancti obitum scripta, uti e num.* 11 *patet, ubi de illius scipione, qui in arborem excreverat, ait auctor :* qui usque nunc per tot annorum curricula durat, et miraculum, quod scribitur, monstrat. *Arbitratur Colganus ante annos* DCC *vel* DCCC *scriptam esse, ex eaque sumpsisse Flodoardum, quæ de* S. Tresano *ejusque fratribus ante* DCC *annos scripsit. Atqui de* Tresano *pauca habet Flodoardus, Vita hæc de fratribus pauca. Suspicetur merito quispiam, scriptam esse ante tempora Childerici Regis : nam tunc fundatum a S. Bertha Aveniacum monasterium est, cujus scriptor ille non meminit : quod aliquam fecisset ad* Tresani *isthic tumulati honorem.*

*quando scripta?*

5 *Ætatem porro* S. Tresani *clare indicat Auctor, cum SS. Remigii et Genebaldi fuisse coætaneum dicit. Consentit Sigebertus Gemblacensis (sive, ut rebatur Miræus, si quis Chronici ejus interpolator fuit) ad annum* 509 *ita scribens :* Gibrianus Scotus cum fratribus et sororibus in Gallia peregrinatus, urbem Remensem et vita et morte sua illustrat. *At plane alienum a vero est, quod Colganus Appendicis ad Vitam S. Tresani cap.* 2 *tradit :* Anonymus author Auctarii Gemblacen. Scribit ipsum ejusque fratres floruisse anno MCXLV, sed longe errat. *Ita Colganus. At neque quod hic refert ille scribit, neque errat in eo quod scribit; illius verba sunt :* Remis in cœnobio B. Remigii S. Gibrianus Scotus multis claret virtutibus, et multo populi concursu frequentatur. *Quod de miraculis ad ejus reliquias patratis est accipiendum. Et vero fratrum nulla ibi mentio.*

*vixit S. Tresanus seculo 6.*
E

*neque id negat Auctarium Gemblacense Sigeberti*

6 *Quod* III *Decembris in Vita S. Eloquii dicitur,* Anno Incarnationis Domini DCLVI, regnante Clodoveo jam Christianissimo Rege, venit B. Eloquius ad Gallarum littora ex Hibernia insula, cum aliquibus venerabilibus viris, videlicet Furseo, Ultano, Foillano, Boetio, Momboleo, Adalgiso, Ettone, Helano, Tresano, Germano, Verano atque Columbano, *imperite scriptum, aut ab sciolo quopiam adjecta nomina : ut mirum sit a Molano in Natalib. SS. Belgii non fuisse animadversum. Neque enim aut* Columbanus *cum iis venit, multo et* S. Gibriani *fratribus junior, et* S. Furseo *fratribusque antiquior; aut ceteri quoque cum Furseo, uti ex ejus* Vita, *quam* XVI *Januarii dedimus, liquet. Neque enim necesse est (ut insinuare videtur Ferrarius in gener. Catal. SS. Notat. ad* III *Decemb.) geminos comminisci* Tresanos *unum Presbyterum, qui an.* DIX *vixerit, monachum alterum, qui* DCLI.

*non fuit socius S. Eloquii :*
F

7 *Colitur* S. Tresanus VII *Februarii, rejecto in sequentem diem festo S. Romualdi; uti ex Aveniacensi officio, et Renato Benedicto patet : quo die eum quoque retulere Belfortius, Camerarius, Colganus, licet in officio Aveniacensi, Lect. 4 diei Octavæ, et in Vita quam scripsit Dujatius,* VIII *Februarii dicatur obiisse. Ferrarius* III *Decembris eum refert his verbis :* In Campania SS. Tresani, Verani, et Germani fratrum. *Quæ totidem verbis transscripsit Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani, eodem die. Citat Ferrarius Molanum, (qui nempe in Vita S. Eloquii, uti diximus, eos nominat) et Kalendarium Scoticum : quodnam illud? Dempsterus quidem in Menologio Scotico, et lib.* 17, *histor. Ecclesiast. Scotor. colit eo die* S. Tresanum *scribit, citatque et ipse perperam Molanum, et Colvenerium in Not. ad Flodoardum, qui solum ex Molani loco jam dicto probat* Helanum *potius, quam* Tesanum *dici debere alterum* S. Tresani *fratrem.*

*colitur 7 Febr.*

*non 3 Decemb.*

8 *Ridiculum est quod hoc ipso* VII *Februarii die habet*

A *bet Ferrarius :* Remis in Gallia, S. Sanissimi Confess. *qui in Notis ait ab aliis* Sanctissimum *appellari. Errandi occasio ex Gallica superlativi nota* tres. *Quare pro* Tresain, *legit quispiam* Tres-sain, *vel* Tre-sain, *sanissimus ; vel* tres-sainct, *sanctissimus. Quod addit* natione Brabantinum *fuisse, nobis hic in Brabantia ignotum.*

*AUCTORE ANONYMO. perperam alibi S. Sanissimus appellatus.*

# VITA AUCTORE ANONYMO,

## ex MS. monasterii S. Remigii

## *edita a Joan. Colgano Ordinis Min.*

*S. Tresanus Scotus venit in Galliam,* Gen. 12. 1

Igitur Tresanus *a* Hibernia insula, *b* Scotorum genere ortus, cum sex fratribus, tribusque sororibus, natali terra relicta, omnique possessione sua, in partem Galliarum venit. Audierat enim Dominum dicentem Abrahæ : Egredere de terra, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi: elegitque secretum locum ad habitandum, ut soli Deo militaret secretius, quo posset scandere cœlestia liberius. Erat enim prædictus Domini famulus litterarum ignarus : sed tamen quamvis idiota, cultor Domini devotissimus. B Sed quia eum diximus cum sex fratribus, tribusque sororibus, in Galliæ advenisse finibus, ut eorum nomina notentur, dignum duximus. *cum 6 fratribus, 3 sororibus :* Fuerunt itaque Gilerianus, *c* Helanus, Germanus, Veranus, *d* Abranus, Petranus, et sorores *e* Frauda, *f* Promptia, et *g* Possenna.

2 Hi sex fratres cum tribus sororibus, in Dei vacantes laudibus terrena despiciebant, æterna desiderabant, ad cœlestia anhelabant. Hinc itaque sancto viro, pro eo quod erat idiota, incidit cogitatio sancta, ut famulatu corporeo *h* cibum quæreret, *i* quem ministerio Ecclesiastico habere non posset. Adhæsit uni regionis incolarum, in *k* pago scilicet Remensi super *l* Maternam fluvium. Et cum vidisset eum dominus ejus Scotorum genere natum, et Francigenæ linguæ penitus inscium, commisit illi peculium porcorum, quod vilius est, et sordidius in omni genere gregum. *rudis litterarum, subulcum agit* Quod ille humiliter suscipiens, et fideliter exequens, non immemor Apostolici præcepti, Servi, subditi estote in omni timore dominis, vigilabat supra gregem, a pravisque cogitationibus custodiebat mentem. 1 Pet. 2, 18

3 In eo igitur loco custodiebat gregem prædictus Domini famulus. Est locus qui dicitur *m* Mutiniacus, ubi est ecclesia in honore B. Martini dicata : *frequentat Divina officia :* ubi dum Sacerdos expleret Matutinorum et Missarum C solemnia, advenit B. Tresanus *n* ad fores Ecclesiæ, cupiens discere Ecclesiasticæ regulæ ministerium : duplumque officium gerebat, custodiebat foris, et intus litterali scientia replebat mentem. *divinitus imbuitur scientia:* Pius ergo Dominus, qui custodit omnes diligentes se, videns famulum suum in suo servitio devotissimum, instruebat ejus animum peritia litterarum, et custodiebat gregem sibi commissum a morsibus belluarum.

4 Antiquus ergo hostis, qui non cessat persequi famulos Christi, incitavit homines proximi loci, qui dicitur *o* Ageius, et invidiæ stimulis accendit. Qui cum audissent quadam die B. *p* Remigium advenisse in villam, quæ dicitur *q* Villare in silva, adeunt præfatum Præsulem rustici, queritantque Tresanum, virum genere Scotum, vineas suas vastasse, campos que et prata depascere, omniaque sua diripere. *accusatur falso apud S. Remigium,* Sanctus autem Remigius, qui non erat, ut arundo flamine venti, leviter impulsus, legatum misit, Tresanum accersit, caussam inquirit. Sanctus autem Remigius, ut Tresanum inculpabilem invenit, accusatores et invidos a se repulit ; Tresanum vero verbis dulcibus a se consolatum dimisit. *absolvitur :*

5 Sanctus igitur Tresanus colligens in unum gregem porcorum, dum reduceret ad domos possessorum suorum, stetit in loco, qui adhuc dicitur Mons S. *accusatoribus maledicit,* D Tresani ; aspiciensque locum, qui dicitur Ageius, Vos, inquit, qui me apud summum Domini Sacerdotem mendaciter accusastis, postquam triginta annorum circulum transieritis, numquam secularibus pecuniis crescatis : melius est vobis in seculo puniri, quam in futuro sine fine cruciari. His verbis expletis, porcos, quorum erant, reddidit : sicque secum in Dei servitio mansit. *sequente in perpetuum eventu :* Volens ergo Dominus ostendere populis, quod exaudierit vocem servi sui, implet in præfatorum invidorum progenie ; et apparet usque hodie, quod postquam transierunt trigesimum ætatis annum, egestate laborant, indigent, et mendicant.

6 Parvo autem intervallo temporis transacto, S. Tresanus *r* Laudunum ivit : sanctum Pontificem Genebaudum adiit, et, ut B. Remigium peteret ut ab eo ad sacros ordines promoveretur, humiliter exposcit. *intercedente S. Genebaudo,* Sanctus autem Genebaudus videns sancti viri bonum desiderium, eumque modico tempore non mediocriter eruditum, perrexit ad S. Remigium, desiderium viri justi pandit, et quod suppliciter petit, velociter adquirit.

7 Statutis ergo temporibus, ne oblivisci videretur sacris canonibus, ut petierat Genebaudus, a Remigio ordinatur S. Tresanus, et ab electo eligitur, et a E sancto sanctificatur. *a S. Remigio sacros Ordines accipit :* Et cum in pace dimitteret, ut inserviat sacris Christi altaribus hortatur, confortatur, et corroboratur. Quantum Christo se in Dei famulatu exercuit, corpus jejuniis attrivit, vigiliis et orationibus indesinenter desudavit, pauperibus eleemosynas largiter distribuit, seculum contempsit, *sancte vivit :* diaboli opera odio habuit, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit, Christo inseparabiliter adhæsit, nemo est, qui enarrare possit. Qui enim Christo adhæret, ejusque opera sectatur, ipse et Christus unum corpus efficitur.

8 Igitur ad *s* ordinem Sacerdotis promotus S. Tresanus, elegit locum supra Maternam fluvium, qui dicitur *t* Marogillus, in quo est Ecclesia, B. Hilarii Pictaviensis Episcopi nomine dedicata : hanc elegit ad serviendum Deo, ad satisfaciendum Regi altissimo. *Marogilli degit :* Est præterea prope locum illum ecclesia in honorem B. Martini Turonensis Præsulis consecrata *u* ; ubi similiter divinum complexus officium, immolabat Deo sacrificium, mactans se in ara cordis sui, felix advena et peregrinus, qui a Domino in tantam gratiam sublimatus est, ut ad adipiscendos sacros Ordines a Genebaudo Laudunensi laudabili Episcopo præsentaretur, a S. Remigio Remensi Episcopo con- F secraretur, altaribus Christi devotissime deserviendis, a Christo Pontifice susceptus, in cœlesti Ecclesia sine fine mansurus : ad quod percipiendum non deerat sanctorum Confessorum pariterque Pontificum, Hilarii et Martini, incomparabile meritum.

9 Cum autem prædictus S. Tresanus moraretur, et se exerceret in divinis cultibus ; accessit ad eum quidam ejusdem loci incola, confitens peccata sua, et ut pro se ad Deum preces fundat humiliter implorat: Sanctum precibus postulat, ut de suo aliquid accipiat, fidens quia quod servo Domini datur, in futura et æterna vita centuplum retribuetur. *agellum sibi donatum acceptat :* Videns igitur vir beatus devotionem viri, ejus precibus acquievit, et ut unum pratum ei donaret, quod in proximo habebat, ad asinum suum pascendum, annuit. Hoc ergo pratum est infra terminos villæ, quæ dicitur Ageius, et ex nomine Sancti usque nomen obtinuit.

10 Hujus beati viri merita inquantum sunt Deo cara et acceptabilia, demonstrant miracula, quæ per eum in vita sunt mirabiliter operata. *claret miraculis :* Sed credendum est operibus bonis potius quam miraculis : ipsa enim veritas dicit, *Operibus credite.* Et quamvis omnia comprehendamus, et plurima omittamus ; tamen aliqua, Deo donante, in palam proferemus. Joan. 10 18

11 Quadam die expleto matutinali officio, Missaque

A que celebrata in Mutiniaco in ecclesia B. Martini, dum rediret, et ad Marogillum remearet, *x* somnus eum oppressit, terræ se prostravit: baculum humo defixit, in clivo montis, in quo erat tanta ariditas, ut numquam ibi aqua emanaret. Evigilans itaque post somnum vidit baculum suum viriditati pristinæ restitutum, et cortice foliisque naturalibus inductum: qui usque nunc per tot annorum curricula durat, et miraculum, quod scribitur, monstrat. Quodam ergo tempore quidam incola prædictæ villæ præfatam arborem abscidit, sed non terratenus truncavit: quam cum voluisset aptare fabricæ domus suæ, morbo corripitur, septimaque die post perpetrationem sceleris miserabiliter moritur.

*x*
*ejus baculus terræ infixus*
*crescit in arborem,*
*sine noxa non violandam;*

12 In radice itaque prædictæ arboris ea hora, qua solo eam infixit vir Dei, oritur fons miræ dulcedinis, qui decurrit usque ad confinium montis. Hoc idem præfatus Tresanus Sacerdos ut vidit, Deo gratias retulit, de fonte bibit, *y* et a Deo postulavit, ut numquam in hoc seculo aliquid injustum fieri posset de fonte prædicto. Nam usque hodie nihil furatum, nihilque vi alicui subreptum, prædicto fonte patet esse tactum. Novo igitur tempore quædam B prædictæ villæ, volens in prædicto fonte suas vestes abluere, quod cupiebat, non potuit implere: nam ut prædictas vestes in aquam misit, factus fons rubei coloris in similitudinem sanguinis de corpore vivi hominis prodeuntis. Plures itaque laborantes febribus tertianis aut quartanis, ibi adveniunt, et de fonte bibunt, salutem recipiunt.

*sub qua fons manat,*
*y*
*et ipse sacer,*
*ac salubris contra febres,*

13 Postquam ergo his et aliis signis et prodigiis Redemptor mundi merita servi sui in hoc mundo publicavit ad honorem nominis, et ad bonum exemplum posteris in carne venturis; de laqueis hujus seculi eum vocavit, translaturus in æternam gloriam Paradisi. Itaque vir sanctus Dei Sacerdos Tresanus, infirmitate corporis prægravatus, febrium incommodo vexatus, lecto decumbit, et usque ad extrema deductus, finem corporis sui imminere persensit, convocat Sacerdotes, et Ordinis ministros: profitetur se iniquum, et sacerdotio indignum, se in homines deliquisse, et in Dominum criminaliter peccasse.

*æger*

14 Itaque blanda a ministris consolatione suscepta, oleum sanctæ reconciliationis excepit, et cum cordis intima contritione et humilitate suscepit. Confortans itaque Fratres, ait: Confortamini in Domino, Fratres carissimi, et in potentia virtutis ejus, et C juxta illud verbum Domini, Ambulate dum lucem habetis: illudque Prophetæ David, Initium sapientiæ timor Domini et adjecit: Finis sapientiæ meditatio mortis. Quæ postquam explevit, viaticum petiit: quo ante se delato, surgens a lecto, et prostratus humi, dixit corde devotissimo: Ave felicissima spes nostra: ave sancta redemptio nostra: ave caro Christi sanctissima, mihi super omne aurum et topazion pretiosissima atque carissima, et super mel et favum dulcissima. Ave sanguis Christi beatissime in pretium redemptionis nostræ date, pro peccatis misericorditer effuse. Ave Jesu Christe fili Dei, defendat me virtus ab insidiis hostis antiqui: princeps umbrarum non occurrat mihi. Precor, ut velut servus tuus, appaream in ordine servorum tuorum ultimus. Quo dicto, et corpore et sanguine Domini percepto, repositus in lectum, spem suam ponens, oculisque et corde intentis in cœlum, sanctum emisit spiritum, penetrans regnum sine fine mansurum.

*oleo sacro inungitur:*
Joan. 12. 35
Ps 110 10
*Eucharistiam petit,*
*reverenter salutat,*
*sumit; ac sancte moritur,*

15 Eadem vero hora, qua sancti viri beata anima carnis carcere est dissoluta, tanta odoris fragrantia ibi mox affuit, qualem nullus omnium, qui ibi aderant, unquam in hoc seculo sensit. Nec mirum, neque incredulum: quippe qui in hoc seculo per bona opera bonus odor fuit Deo, et bonum opus reliquerat orbi caduco, dignum erat, ut cum bono odore egrederetur de mundo. Transivit autem a seculo S. Tre- D sanus Christi Sacerdos septimo Idus Februarii, finiens agonem cosmicum, a bono et supremo remuneratore æternum recipiens præmium. Cujus precibus adjuti, et bonorum operum referti fructu, laboremus in hoc seculo, qualiter perveniamus ad societatem Angelorum, et percipiamus regna cœlorum, per Jesum Christum Dominum nostrum, cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula, Amen.

*suavi odore diffuso:*
AUCTORE ANONYMO.

16 Postquam igitur beatus Christi Sacerdos Tresanus corpore exutus, mundum dimisit, et ad cœlestia transivit; Sacerdotes, et hi qui ejus funeri affuerunt, de exanimati corporis sepultura certare cœperunt. Propositum est, ut sepeliretur in Ecclesia S. Hilarii Marogilli, in qua Domino militaverat diebus multis. Volentes ergo levare feretrum, nihil proficere potuerunt. Deinde propositum est, ut ferretur ad *z* Altovillarense cœnobium: sed hoc tentantes suum laborem prioris similem compererunt. Sapientiori autem consilio, Deo inspirante, concepto, propositum ut plaustro corpus imponeretur, duæque buculæ jungerentur, et ubi a Domino dispositum erat, a bestiis ad locum sepulturæ duceretur. Legi- E mus in libro Regum, Arcam Domini Satrapas Philistinorum plaustro novo imposuisse, vaccasque ad plaustrum junxisse, quæ referuntur fœtæ fuisse, et per viam Bethsamis circumduxisse: ibant autem vaccæ in directum per viam, quæ devenit Bethsamis, pergentes et mugientes, et non declinabant ad dextram, neque ad sinistram. Luce clarius patet, quia et Ecclesiam Arca, et vaccæ plaustro junctæ Doctores designant. Ita et hic vir sanctus Ecclesiæ filius, et Ecclesiæ servus ab Ecclesiæ Doctoribus flentibus, et psallentibus ducebatur ad locum, quem disposuerat Dominus. Erat enim in proximo locus, qui dicitur Avenniacus, ubi cum buculæ advenerunt plaustro junctæ, cum Sancti corpore steterunt immobiles, nullo modo procedere valentes. Quod videntes Sacerdotes, cognoverunt esse Domini voluntatem, ut ibi sepeliretur Sacerdos, cujus sancta anima jam penetraverat cœlos. Ibi igitur sepelierunt corpus sancti Sacerdotis, in die judicii in gloriam resurrecturi, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui honor et gloria in secula seculorum, Amen.

*corpus moveri inde non potest,*
*sed junctis 2 buculis, ad plaustrum,*
*vehitur ultro Avenniacum,*
*ibique sepelitur.*

a *Acriter pugnat Colganus contra Hectorem Boëthium, Lesleum, Dempsterum, quod S. Gibrianum et fratres Scotiæ suæ vendicent, et Camerarium impudentis furti accusat, quod scribat* in Scotia natum. *At Dempsterus in ... 7 num. 500 queritur* Flodoardum, *cujus verba in præfat. num. 2 dedimus*, injurium esse genti *Scoticæ*, dum *S. Gibrianum, aliis ademptum, Hibernis donat. Pulchrum est posse Sanctos gentis suos prædicare: pulchrius eorum benefacta imitari.* — b *Dujatius exponit, non satis ex fide*: et apud Scotos ab infantia educatus et adultus. — c *Offic. Avenniac.* Helenaus *alii* Tesanum *vocant. De eo 7 Octob.* — d *Off. Avenniac. et Dujat.* Habranus — e *Ita Off. Avenniac., Camerar. et Flodoardus Sirmondi Colvener.* Francia. *Colg.* Fracia *Dujat.* Franda. — f *Dujat.* Pronizia *Off. Aven.* Pronicia, *non* Provincia, *ut perperam not. 5 citat Colganus.* — g *Ita Flodoard. Dujat. Camer. at Colgan.* Posemna *Offic. Avenniac.* Possena, *non* Possentia, *ut idem citat Colganus.* — h *Ita Viell. Camer. Dujat. Offic.: at Colganus*, cœlum. — i *Colg.* quod. — k *Colganus pagi nomen, quod districtum eodem nomine logibus significat, unde* pays *dictum, quo nunc Galli utuntur, urbem interpretatur, verum non ignorabat urbem Remensem* Matronæ *minime adjacere.* — l *Ita etiam Flodoard. supra.* Matrona *est, vulgo* Marne. — m *Ita Off. Avenniac. et Dujatius, Colgan. et Camerar.* Moutiniacum. *Viellius* Maligny *an non potius* Mutigny, *quem vicum exhibet Chorographia Remensis Diœcesis, Avenniaco vicinum. Et infra num. 11 in* Mutiniaco, *vertit Dujatius*, apud Mutignicum. — n *Viellius exponit, non ausum ecclesiam ingredi, ut ostium salutasse, ut et preces funderet, et aliquid e divino ministerio conduceret.* — o *Camer.* Agenis. *Dujat et Off. Avenniac.* Ageyus. *Gallice* Ay, *ut Dujatius et Viellius vertunt.* — p *S. Remigii Vitam dabimus 1 Oct.* — q *Dujat.* Villaro Silvam *vocat. In Chorographia Remen. vocatur* Villiers en Selve. — r Laudunum *urbs Picardiæ superioris, vulgo* Laon; *cujus primus Episcopus* S. Genebaldus, *sive* Genebaudus *a S. Remigio ordinatus, ut Flodoardus scribit lib. 1 cap. 14. Colitur 7 Decembr.* — s *Dujatius ait*, prius sacrorum ritus, Divi Genebaldi opera, docili mente, pioque studio percepisse. — t *Ita Off. Avenniac. et Camerar. at Colgan.* Marogilus, *et infra num. 10* Marolgilus. *Dujat.* Marovillus. *Viell.* Mareuille. — v *Addit Off. Avenniac.* in Mutiniaco sita. — x *Addit Dujatius*: antequam montem intermedium transcendisset. — y *Dujatius hæc ita paraphrastice explanat*: Ac demum a summo creatore petiit, ut quibuscumque ex ea libentibus nocumento esse non posset. Quod concessum illi fuisse, experientia quotidiana clare demonstrat: dum aquæ illæ non modo

*Scoti et Hiberni de S. Tresani patria certant.*
F
Pagus
Ay,
Laudunum
*Fons S. Tresani.*

A modo ad potum communem utiles sunt, sed etiam febri tertiana vel quartana laborantes in pristinam sanitatem restituunt; nec ad res ullas furto injustove lucro comparata decoquendas adhiberi possunt. — z *Vulgo Galli* Haultvilliers *vocant, jacet Remos inter ac Sparnacum oppidum, a S. Nivardo Ep. Remensi ædificatum, præfecto et S. Berchario, ut in hujus Vita 16 Octobr. inque illius 1 Septembr. diximus.* — aa *Ita Off. Avenioc. Habent Colgan. et Camerar.* volentes. D

*Altumvillare monast.*

# DE S. LAURENTIO

## EPISCOPO SIPONTINO IN APULIA,

J. B.

### Commentarius prævius.

CIRCITER AN. CHR. DL. VII FEBR.

*Sipontum urbs Apuliæ,*

Sipontum, *quæ Ptolemæo Tabula 6 Europæ Σηπεῦς, Stephano Σιπεῦς, Straboni lib. 6 Σηπιοῦς, urbs Apuliæ Dauniæ fuit : de qua isthæc inter alia tradit Leander Albertus :* A Manfredonia per oram mille passibus ad Gargani montis radices saxosa in rupe Siponti ruinæ cernuntur ..... Nunc plane collapsa jacet, ut vestigia tamen ædificiorum ejusmodi supersint, ex quibus cognosci manifesto queat, nobilem olim et magnificam fuisse. Summum quoque civitatis templum adhuc omnibus fere partibus integrum apparet : ubi principia sumptuosissimi sacelli ex lapide quadrato, quæ postea deserta sunt ..... Florentissimum omnibus rebus Sipontum fuit

*olim potens.*

B usque ad Saracenorum in Italiam adventum, qui totam Italiam imperio suo subactam tenuerunt, donec a Carolo Magno pellerentur : excedentes autem urbem hanc direptam, oppidanis omnibus interfectis, plane desolarunt, opesque ejus in Africam deportarunt. Hæc ita quidam de Siponti interitu monumentis tradunt : alii tamen id intestinis civilibusque contentionibus, nonnulli terræ motuum violentia, deletum scribunt : nec quidquam fortasse vetat, quin illa simul omnia evenerint, ut nunc tam plane ruinis deformata jaceat. *Hæc Leander.*

*post eversa,*

2 *Quod Saracenos a Carolo Magno pulsos Apulia, tumque eversum ab iis Sipontum, quidam tradunt, id plane verum non est : nam, ut IX Februarii ad S. Sabini Canusini Episcopi Vitam diximus, Lothario Ludovici Pii filio, Caroli nepote, imperante, primum in Italiam evocati venere Saraceni : sæpe victi, pulsique; sed vix demum altero post seculo penitus exterminati. Sipontum vero quando ruinam fecerit, haud comperimus : Stabat adhuc, et potentia florebat, anno Christi* DCCCLXXXIV, *quo anno, mense Octobri, Indict. II Aio, sive Ayo, Beneventanum principatum capessivit, uti testatur Lupus Protospata in Chronico. Hunc enim Ayonem cum Dux Spoletinus, Capuanorum consilio, per summam fraudem*

*non ante an. 884*

C *cepisset,* sub custodia, *ut scribit qui tum vivebat Herempertus,* Beneventum duci fecit; in quam introiens, multa ut dominus ordinavit. Cumque inde proficiscens, Sipontum ingressus esset, Ayonem foris reliquit in castris. Cum autem cognovissent Sipontini Ayonem seniorem suum captum, in supradictum Ducem unanimiter irruentes, clausere illum in quodam templo, captis ejus optimatibus. Hac illacque tunc missum est, et adductus est Ayo, redditusque est suis. Alio vero die, sacramento dato, vix cum dedecore elapsus est. *Non ergo eversum est Sipontum temporibus Caroli Magni, qui LXX annis et quod excurrit, prius mortuus erat, quam hæc a Sipontinis gererentur.*

3 *Ædificata dein ob Siponti interitum Manfredonia, a Manfredo Friderici II Imperatoris filio notho, qui patrem prius ann.* MCCL *compresso ore præfocasse, fratremque ejus Conradum, Conradini illius a Carolo Andegavo interfecti patrem, anno* MCCLIV *veneno necasse perhibetur; deditque haud diu post utriusque parricidii, et impii adversus Romanum Pontificem belli justas suas pœnas, anno* MCCLXVI *prælio victus et occisus. Unde corrigas quod Leander scribit, Manfredoniam anno* MCC *ab eo conditam, cum eo anno Fridericus ipse non nisi septennis esset : rectius* MCCLX *scripsisset. Est vero Manfredonia, ut idem testatur,* in rupe sinus marini, quem Gargani montis flexus efficit, sita. Translata huc Archiepiscopalis Siponti Sedes : unde Sipontini Antistitis nomen adhuc Manfredoniano manet. *Usque adeo, ut Joannes Paulus Grimaldus noster in Notis ad Vitam S. Rogerii Cannensis, S. Laurentium modo Siponti, modo Manfredoniæ Episcopum vocet.*

*Sedes Episcopalis Manfredoniam translata.*

4 *Siponti Episcopus fuit* Felix, *qui anno Christi* CDLXV *Basilisco et Herminerico Coss. concilio Romano sub Hilaro Papa subscripsit; quemque supra annotavimus fortassis in Sanctorum Catalogum olim relatum, licet nunc in sacris Fastis nusquam ejus extet memoria. Ei suffectus est* S. Laurentius, *cujus hoc die Siponti natalis celebratur. Hujus nomen in perantiquo MS. Martyrologio, quod penes nos est, ita inscriptum* VII *Febr.* Eodem die depositio beatissimi Laurentii Sypontini Ep. *Meminit quoque ejus Ferrarius.*

*S. Laurentii Episc. Sipontini natalis,*

E

5 *Triplicem illius Vitam damus, quam ex veteri codice, manu in membrana exarato, qui in Ecclesia Canonicorum Sipontinorum Manfredoniæ asservatur, descriptam, nobis transmisit Antonius Beatillus noster. Prima scripta est cum adhuc staret Sipontum, ut patet ex cap. 3, num. 13, ubi Sanctum pro incolumi adhuc urbe exorat. At cap. 4, num. 20 testatur se ad illius tumulum, ejus ope implorata, vidisse infirmos sanitati restitui, atque energumenos liberari. Altera ex priore contracta est, phrasi sæpenumero eadem retenta; interpolata est tamen, adjectis nonnullis, ut legenti patebit. Scripta ea fuit Benedicti Præsulis jussu, ut cap. 1, num. 2 dicitur. Nos quia tabulas Sipontinorum Antistitum non vidimus, quando hic illi Ecclesiæ præfuerit, haud scimus. Tertia denique non tam Vita est, quam Antiphonæ et Responsoria, ut vocant, Officii Ecclesiastici, quod S. Laurentii festo die recitari consuevit. Ea nos quoque hic edenda duximus, quod Vitam sanctissimi hujus Præsulis, vulgo ignotam, illustrent. Porro duplex erat horum metrorum exemplar : unum priori Vitæ præfixum; alterum secundæ, in Lectiones partitæ (quarum numeros margini adscripsimus) interjectum.*

*Vita triplex,*

F

6 *Mentio fit* S. Laurentii *in Vita S. Sabini Episcopi Canusini* IX *Februarii, cap. 1, num. 5 ubi cum* Palladio *(vel potius* Pelagio *Sulpitano,* Eutychio *Tranensi,* Joanne *Rubisino, sive Rufensi, aut Rubensi,* Austerio *Venusino,* Sabino *Canusino, affuisse narratur, cum S. Gelasius Papa Barolitanam S. Andreæ Ecclesiam dedicavit. Meminit quoque* S. Laurentii *Franciscus de Baucio Dux Andriensis in Vita S. Richardi Episcopi Andriensis, quam dabimus* IX *Junii; at partem eam, in qua de S. Laurentio invitatisque ab eo ad dedicanda in Gargano monte altaria vicinis Episcopis agitur, prælibabimus* IX *Febru. ad Vitam S. Sabini. De eadem dedicatione, ac S. Laurentio, mentio habetur in ejusdem S. Richardi Episcopi Officio Lect. 6. Joannes Paulus Grimaldus noster Annot. 16 ad Vitam S. Rogerii Cannensis Episcopi, qui* XV *Octobr. colitur, citat Legendarium in Cathedrali ecclesia Manfredoniæ asservatum, in quo* S. Laurentius *dicitur ordinatus Episcopus anno* DXXXVI *sub Gelasio Papa, et Zenone Imp. quorum ea anno neuter vivebat. At mendum codicis illius in pluribus aliis reperitur, ut videre est apud Leandrum in descriptione Apuliæ Dauniæ, ubi et S. Laurentii meminit. Ordinatus est* S. Laurentius *initio pontificatus S. Gelasii, qui ann.* CDXCII *initio*

*memoria alibi,*

*...rtas.*

Martii

A *Martii Pontifex creatus est. Quod* Laurentius *a Zenone Imp. an.* CDXC *Indict.* XIV *datus Sipontinis dicitur, ut sub finem illius anni factum oportet, ea indictione a Septembri jam cœpta. At quod jam a Gelasio Pontifice consecratus, architectos ab eodem Zenone impetrasse dicitur, correctione eget; nam mortuus est Zeno anno* CDXCI, *antequam pontificatum suscepisset Gelasius. Sedit* S. Laurentius *annis minimum quinquaginta, cum usque ad Totilæ tempora superstes fuerit, qui anno* DXLI, *Rex Gothorum est factus.*

7 *In citato* S. Laurentii *Officio ista habebatur oratio :* Deus qui B. Laurentium Confessorem atque Pontificem immanis Principis Totilæ vesaniam superare fecisti, præsta, quæsumus; ut ejus intercessione antiquum hostem et nostra vitia refrænare possimus. Per Dominum nostrum.

ANIMADV. PAP. 20

## VITA I

### AUCTORE SIPONTINO ANONYMO,

*ex MS. Canonic. Sipontinor. Manfredoniæ,*
eruta ab Ant. Beatillo Societ. Jesu.

### CAPUT I.

B *S. Laurentii electio ad Episcopatum.*

*Sanctorum Doctorum gesta, ad ædificationem fidelium, narranda :*

Civitas supra montem posita latere non potest, et lucerna accensa non sub modio tegitur, sed super candelabrum exaltatur, ut omnibus, qui in domo sunt, luceat : lucere enim debent discipulorum Christi opera coram hominibus, ut in Filii miraculis Pater, qui in cœlis est glorificetur. Indignum igitur valde est, minusque a reprehensione defendimur, si quorum in operibus Deum glorificari intelligimus, ipsos abscondi patiamur. Si enim lucernam contexeris, cujus suave lumen vehementer delectat, quas excusationis latebras invenies, ut non jure arguaris? Summus namque Imperator super verticem montium munitissimam civitatem suam locavit, quatenus qui ejus cives fieri desiderant, a longe speculantes, nullo itineris errore fallantur. Etenim ne festinantes aliquo in tenebris perambulante negotio impediantur, etiam in hoc itinere præclara luminaria ordinavit. Lucernæ enim ardentes Doctores sunt Ecclesiæ, quorum exemplis qui graditur, nocturnos omnes timores facile superabit. Hæ igitur lucernæ nullo sub modio sunt tegendæ; sed in patulo habeantur, et quæcumque possint prædicatione ministris C Christi omnibus annuntiemus.

*ex his S. Laurentius, prædicatione et miraculis celebris,*

2 Igitur de B. Laurentio Sipontinæ civitatis Pontifice locuturi, qui quasi sidus in cœlo, præclarum luminare effulsit in mundo, ad ejus facta et miracula articulum revocemus, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, et ad ædificationem eorum qui ea sunt audituri. Qui mensuram tritici, id est, fidei, secundum uniuscujusque capacitatem, in tempore suo populo Dei dispensare novit : qui etiam dum vixit in carne, multorum miraculorum patrator extitit : et cui divina gratia in tantum est concessa, quod de diversis orbis partibus ad sua sanctitatis vestigia infinita multitudo populi concurrebat, cupiens cernere mira, quæ per eum omnipotens Deus dignabatur ostendere.

a 3 Anno itaque salutiferæ Incarnationis Domini Salvatoris quadringentesimo nonagesimo, *a* Indictione quarta decima, Gelasio beatissimo Papa Romanæ Sedi præsidente, et Zenone regnante in regia urbe Constantinopolitana, Sipontina civitas innumero populo habitata, suo Antistite, Felice nomine, est orbata; quod nomen beatitudinis bene sibi congruit, quandoquidem de illis erat, de quibus Dominus in Evangelio dicit : Beati pacifici, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sed huic beato beatior successit Laurentius. Postquam itaque idem B. Felix Episcopus terrea carnis mole deposita cœlestem adeptus est mansionem; præfata civitas Sipontina per unius anni circulum sine Pastore extitit. Cum ergo Sipontinus Clerus et populus de substitutione Pastoris idonei curam gererent, ne lupus intrans gregem Domini disperderet, impedientibus variis cladibus et infinitis miseriis, quibus tunc universa Italia affligebatur, possessa tyrannica dominatione *b* Theodorici Regis Gothorum, potior ipsis civibus cura erat salutem vitamque tuendi, quam de Pontifice consulendi. Eo namque tempore idem Theodoricus Rex directus a Zenone Imperatore ad possidendam Italiam acriter dimicabat contra *c* Odoacrem Erulorum Regem; et tam Romanam urbem, quam totam Italiam innumeris afflictionibus premebat, nunc ferro, nunc igne, tyrannico furore omnia destruens et consumens, quibusdam sibi, aliisque Erulorum Regi famulantibus.

Matt. 5, 8

D *AUCTORE ANONYMO, EX MSS. cum diu vacasset Sedes Sipontina* b *ob bella,* c

E *tandem missis Constantinopolim Legatis,*

4 Sedatis vero ex parte præliis, Sipontinus Clerus et populus in majorem ecclesiam Beatæ Dei genitricis Mariæ congregati, devotas preces omnipotenti Domino effuderunt, ut ille, qui Matthiam in Apostolorum numero debere suppleri Apostolis indicavit, sua ineffabili clementia Sipontinæ Ecclesiæ idoneum concederet Pastorem. De communi ergo consilio electis honestissimis et illustribus viris, Clericis et laicis, præparatisque omnibus necessariis eorum itineri, læti navigium intrantes ad Constantinopolitanum portum, prosperis ventis flantibus, cum immenso gaudio applicuerunt. Deinde civitatem ingredientibus, palatiumque Imperatoris intrantibus, illico Sipontinorum adventus Imperatori innotescit. Imperator vero pius ad se venire jubet. Præmissa ab eis de more solito Imperatoria salutatione, caussam eorum adventus humiliter ei exponere cœperunt; deprecantes eum, quatenus Sipontinæ Ecclesiæ et populo subveniret, et talem eis a latere suo ministrum deligeret, qualem in tempore sciret in domo Domini necessarium, et qui valeret dominicas oves a tetris faucibus luporum, et ab imminentium hostium insidiis, et innumeris afflictionibus potenter eripere.

*datus a Zenone Imp. Episcopus,*

5 Quorum non aspernandam postulationem Imperator benigne suscipiens, Spiritus sancti igne accensus, Laurentium virum sanctissimum consanguinitate, familiaritate, et virtute sibi conjunctum, ad se vocari jussit : quem multis precibus rogavit, ut populo Dei, qui sine Pastore erat, ipse consuleret, et Sipontinæ civitatis Episcopus fieri dignaretur. F Venerabilis autem Laurentius ad tanti culminis onus ascendere indignum fore se asserens; Sipontinis vero ob reverentiam et præclaram suæ sanctitatis famam, in Pastorem et Patrem concedi instanter postulantibus, non contradixit; cognoscens se per Dei dispensationem ad episcopale ministerium peti : qui etiam ad exemplum Domini sui non solum improperia et carceres, sed mortem quoque pro fratribus a conservis suis se sustinere libenter exhibuit. Episcopalis igitur dignitatis concessione Confessoris Christi Laurentii ab Imperatore suscepta, qui missi fuerant, eum cum immenso gaudio et reverentia receperunt, præparantes se de felici ad propria reversione.

a *Hæc non congruunt. Anno Christi* 490, *Zenonis* 17, *cœpit quidem Indictio* 14 *at S. Gelasius non nisi Indict.* 16 *Anastasii Imp.* 2, *creatus Pontifex est, ut ad ejus vitam* 21 *Novembr. docemus. Et quidem vixisse adhuc S. Felicem III Pontif. quando Anastasius, mortuo Zenone, Imperator est factus, patet ex S. Gelasii Commonitorio ad Faustum Magistrum, cujus exordio ita scribit:* Quid sibi vult autem, quod dixerit Imperator, a nobis se in religione damnatum, cum super hac parte et decessor meus non solum minime nomen ejus attigerit, sed insuper quando principia adeptus regiæ potestatis exercuit in ejus se rescripsit imperii promotione gaudere? *Quod igitur in libro de Romanis Pontificibus de Gelasio dicitur,* Fuit temporibus Theodorici Regis, et Zenonis Augusti; *id non de solo pontificatu est intelligendum, sed quod etiam ante pontificatum, Zenone imperante, rebus gestis clarus extiterit, quibus pontificatum est promeritus.* — b Theodoricus

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

A Amalus *Ostrogothorum Rex anno 489, Probino et Eusebio Coss. ut habet Marcellini Chronicon, Italiam occupavit, sed non nisi ab anno 493, quo interfectus est Odoacre, ducitur Gothorum regni initium.* — c *Odoacer Rex Turcilingorum cum Herulis auxiliaribus Italiam invasit anno Christi 476,* Basilisco II et Armatu Coss. *ast anno 489 tertio prælio victus a Theodorico, et Ravennæ triennio obsessus, demum anno 493 interfectus.*

## CAPUT II.

### *Allatæ ab eo Sipontum Reliquiæ. Ejus Inauguratio. Ædificia.*

Beatus autem Laurentius cupiens cibum Domini fideliter familiæ dispensare, Dominumque vigilanter expectare, Ecclesiam quoque et populum sibi ad regendum concessum votivis ornamentis ditare, ab Imperiali dignitate petiit donari sibi de pretiosissimis reliquiis sancti Protomartyris *a* Stephani, et sanctæ Virginis *b* Agathæ. Cujus sæpe petitioni Imperator libenter favens, gratanter sibi donavit *c* incomparabilia sanctorum Martyrum dona, statimque jussit sibi assignari brachium sancti Protomartyris Stephani et mamillam sanctæ Virginis Agathæ. Suscipiens itaque ab Imperiali largitate inestimabilibus divitiis pretiosissimorum Sanctorum, valedicens Imperatori, et matri Luciæ, et sorori suæ Theodoræ,

*ab eo SS. Stephani et Agathæ reliquias obtinet*

B omnibusque propinquis, ascendit navem cum Sipontinis Clericis et laicis, qui ad Imperatorem venerant, et prospero velocique cursu Sipontinum in portum advehuntur.

7 Cives vero omnes gratulantes obviam Pontifici exeunt, et tam Clerus quam populus unanimes laudum præconia in altum extollunt, et descendentem de navi cum omni alacritate suscipiunt, et ut mereantur ab eo benedici suppliciter exposcunt. Bonus autem Pater bonorum filiorum congaudens alacritati, prædictorum Martyrum pretiosas reliquias ferens, ordinavit qualiter debita reverentia ipsa pignora Sanctorum infra civitatis mœnia deferrent, et in cathedrali ecclesia sanctæ Dei genitricis, honore debito collocarent. Cumque innumerabilis populus ad littus Adriaticum Sipontini portus congregaretur, ubi B. Laurentius pretiosorum Martyrum reliquias observabat, dum eas universus Clerus et populus laudibus et dignis præconiis extollerent, et ad episcopalem ecclesiam reverenter deducere vellent: sic immotæ ipsæ reliquiæ remanserunt, ut nullus eas a loco, in quo stabant, movere posset. Beatissimus autem Laurentius sanctorum Martyrum considerans maximam virtutem, habito consilio religiosorum Clericorum, vovit ecclesiam ædificare ad honorem ipsarum sanctarum reliquiarum in loco, ubi

*vehitque in Italiam,*

*sed immobiles factas,*

*facto voto templi iis ædificandi,*

C ipsæ morabantur. Votum igitur votivo sequente effectu, statim a loco, in quo stabant, moveri se permiserunt, et omnibus in excelsis hymnos et laudes canentibus, deductæ sunt in basilicam sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ubi virtutes earum exuberant usque in præsentem diem.

*in urbem suam inducit*

8 Sanctus itaque Laurentius ab omnibus lætanter susceptus, ineffabili tripudio eligitur, a cunctis laudatur, claris vocibus prædicantibus eum Deificæ Trinitatis cultorem. Posthæc diebus paucis transactis, nonnulli civitatis Proceres et majores, Divino instinctu admoniti, post canonicam sancti Pontificis electionem, ad sanctissimum Papam, quem superius nominavimus, concito gradu pergere satagunt, quatenus sanctus vir eorum Antistiti pontificatus plenitudinem per sacri Chrismatis unctionem concederet, secundum usum sanctæ Romanæ Ecclesiæ. In veteri namque Lege a Moise, Domino præcipiente, Aaron in Sacerdotem unctus est. Hinc etenim summi Romani Pontificis figuram Moisi gerente, Aaron ceterorum Pontificum, usus sanctæ Ecclesiæ crevit, ut a Romano Pontifice universi Episcopi per universum orbem constituti, sancti chrismatis unctione ungantur. Memoratus vero Papa Episcopis vicinarum D urbium convocatis sanctum virum Laurentium in Sipontinum Episcopum consecravit, et ei protinus cuncta Sipontinæ Ecclesiæ jura canonice confirmavit.

*a S. Gelasio Papa consecratur.*

9 Perfusus itaque rore sancti Spiritus B. Laurentius, et ad propriam Sedem cum omni suo comitatu prospere reversus, talenta quæ ab homine peregre profecto acceperat, ad lucrum offerre almis actibus insudabat, et secundum traditam sibi a Domino sapientiam non destitit mirabilia Domini mirabiliter annuntiare, et donum quod acceperat unicuique secundum propriam mensuram fideliter erogare, memorans illud Dominicum præceptum,

*episcopatum præclare regit,*

Sumpsistis gratis, cunctis impendite gratis. Matth. 10. 8

Erat enim in sermone verax, in corrigendis animabus sincerus, in judicio non personarum acceptor, quia scriptum noverat: Non est personarum acceptio apud Deum, sed in omni gente, qui invocat illum, et operatur justitiam, acceptus est illi. Et si quando pro lucrandis animabus irascebatur, furor ille de amore non de crudelitate procedebat. Fama sanctitatis ejus per diversas orbis partes divulgabatur, utpote civitas in monte posita, et lucerna super candelabrum exaltata. E

Coloss 3. 25

10 Eo quoque tempore vir vitæ venerabilis Benedictus in monte Cassino floruit, *d* Germanus in civitate Capuana et Sabinus in Canusina præsulatus officium exercentes, fulgebant in mundo, velut præclara cœli luminaria. Inter hos Pontifex Laurentius non impar illorum meritis et opere, per singulos dies non cessabat fidelium animas verbo et exemplo in Dei laudibus corroborare, et mentes hominum ab incursu invidi hostis liberare.

*d*

*suppar aliis SS. Italis.*

11 Cum autem initiatum pulcherrimum opus prædictorum Martyrum ecclesiæ juxta præfatum littus Adriatici sinus, pulchriori et elegantiori opere consummare, et aliam ad honorem B. Joannis Baptistæ juxta ipsius civitatis matricem ecclesiam construere disponeret, suas sacras litteras ad prædictum Imperatorem transmisit, præsumens non modicum de copula sanguinis, qua sibi erat conjunctus; rogando quatenus doctissimos artifices ei transmittere dignaretur, qui in fabricæ artis peritia ab omnibus possent approbari. Imperator vero sancti viri litteras gratanter suscipiens, peritissimos in arte ipsa opifices Sancto Dei transmittere tam devote, quam libenter curavit; deferentes secum auri purissimi centum quinquaginta libras, quas ipse Imperator devotissime transmisit ad perficiendum et mirifico opere consummandum prædictarum ecclesiarum inceptum F et dispositum opus, sciens esse scriptum, quia qui domum Dei in terris ædificat, cœlestem sibi mansionem præparat. Revertentibus autem nuntiis Sancti viri cum artificibus et devoto munere ab Imperatore transmissis, statim prædictorum Martyrum basilicæ inceptum opus pretioso et mirifico opere consummavit, et aliam quam disposuit incipiens, præclara et admiranda speciositate, diversis coloribus, minutisque vitreis lapidibus fulvo auro supertectis, opere *e* Mausoleo, prope memoratam ecclesiam sui episcopatus, ad honorem B. Joannis Baptistæ fabricare et consummare studuit.

*obtentis ab Imp. architectis,*

*multaque pecunia,*

*ecclesias varias ædificat,*

*e*

a *Inventæ sunt reliquiæ S. Stephani, ut patet ex epistola Luciani Presbyteri,* Honorio X et Theodosio VI Coss. *anno Christi 415. Dein Constantinopolim sub ejusdem Theodosii Junioris imperio allatæ, et in martyrio S. Laurentii depositæ 21 Septembris, ut habet Theodorus Lector lib. 2 Collectaneorum sub finem, ubi vel interpretis Musculi incuria, vel typographi, Latine habetur 27 Septemb. esse depositas.* — b *De S. Agatha egimus 5 Februarii.* — c *In MS fuerat* incorporabilia, *sed id erat ineditum. Conjecimus* incomparabilia *potius legendum, quam* corporabilia. — d *De familiaritate trium horum Sanctorum actum 9 Februarii ex S. Gregorio ad Vitam S. Sabini, 21 Martii ad S. Benedicti, 30 Octobr. ad S. Germani Episc. Capuani.* — e *Id est, magnifico; quale conditum Mausolo Cariæ Regi sepulchrum ab Artemisia uxore, inter septem orbis miracula numeratum.*

*S. Stephani reliquiæ.*

## CAPUT III.

A

## CAPUT III.

*S. Michaelis ope relata victoria.*

Eo autem tempore famosissima illa, et per orbem terrarum divulgata *a* Michaelis Archangeli in monte Gargano apparitio facta est: et B. Laurentio, quid faciendum esset, Michael ipse Archangelus per visionem narravit, prohibendo consecrari ab homine suam ecclesiam, dicens: Ego mihi eam condidi etiam et consecravi. Tu vero cum tibi credito populo intro ingredere, et me existente ibi Patrono locum precibus frequentate. Qua in re B. Laurentii prudentia vehementer enituit, et quod summam virtutum arcem possideret, aperte demonstravit: totum namque Domino negotium committens, nihil per se temere facere præsumpsit; et Angelicæ jussioni sine mora obediens, supernorum se civium socium evidentissime declaravit.

*a S. Michaele sibi apparente intelligit cryptam in Gargano consecratam:*

13 Cumque *b* Neapolitani cives suos gravi pugna lacesserent, confisus vir Dei Laurentius virtutem belli non in multitudine exercitus, sed in virtute Dei consistere, non equis, non armis, auxilium sibi patrantibus, cum populo sibi subjecto triduano se jejunio affligens, adeptus est de cœlo victoriam. Ipse B namque Michael Angelorum Princeps, in visione Pontifici Laurentio apparens, Sipontinis victoriam seque ipsum pro eis pugnaturum spopondit. Veteres revolvamus historias, et facta B. Laurentii antiquorum operibus comparemus. Daniel quondam ille vir desideriorum, completo trium hebdomadarum jejunio, quibus se afflixerat in conspectu Domini, orationes, quas pro populo suo faciebat, exauditas agnovit. Laurentius trium dierum se jejunio afflixit, seque a Domino impetrasse populi sui salutem audivit. Danielis oratione populus ejus inimicorum servitute libere exiturus promittitur. Laurentii precibus, hostibus in fugam versis, hostium colla calcaturus ejus populus nuntiatur. Sic semper, sic B. Laurenti, pro commisso tibi populo Dominum depreceris; ut sicut Sipontini populi tui præsens in carne curam habuisti, ita et magis nunc, cum sis præsens cum Domino, nostri memor esse digneris. Si enim per fidem ambulantem, cum in corpore peregrinabaris a Domino, de sancto cœlesti habitaculo suo exaudivit te Dominus, quanto magis nunc cum Domino præsentem omnia, quæ petieris, impetraturum speramus? Impetra ergo semper Angelorum præsidia civitati C tuæ. Tueantur semper supernæ virtutes locum habitationis tuæ. Præsentem te sentiant cives tui: potentem te cognoscant inimici tui. Per orationes tuas mereamur habere Michaelem adjutorem, et contra antiquum serpentem, qui est Satanas, fortissimum propugnatorem, ut sicut per Michaelem dejectus est de cœlo cum angelis suis, ita procul abjiciatur de mente et corpore nostro cum omnibus adinventionibus suis.

*b jejunio triduano victoriam impetrat, ope S. Michaelis,*

Dan. 10

*major Daniele Propheta:*

14 Post impetratam vero victoriam de cœlo, Confessor Christi Laurentius sciens quoniam otiosus replebitur egestate, volens cultum augere in terra sua, ut pane illo cœlesti, qui de cœlo descendit, saturaret, plures præter illas ecclesias, quas fabricaverat, infra civitatem et extra, ad honorem et laudem diversorum Sanctorum, studuit fabricare. Procuravit etiam diligentissime præfatam ecclesiam Christi Præcursoris diversorum et speciosissimorum marmorum coloribus ornare, beati viri studium et vigilantiam summopere commendantibus.

Prov. 28 19

*varias ecclesias ædificat et ornat:*

15 Cumque Clerici qui aderant admirantes sollicite inquirerent, cur ecclesiarum figuras tanto studio fieri jusserat, graviter suspirans inquit: Nolite, filii, nolite hoc opus superstitiosum existimare, nec putetis me aliquatenus vanam gloriam diligere, qui D Domino quanta possum mentis puritate studeo deservire. Cognoscite, filii, Italiam a barbaris universam et feris nationibus iterum devastandam. Civitates desolatas absque habitatore video: ecclesias destructas, domos incensas, Sacerdotes jugulatos a victoribus a longe aspicio *c*...

*vastationem Italiæ prædicit.*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

a *De hac apparitione agemus* 8 *Maii, aut* 29 *Septembris. Montis Gargani cryptam egregie describit Leander Albertus in Apulia.* — b *Baronius tom.* 6 *ad an.* 493 *num.* 43 *putat corrigendam hac in parte historiam apparitionis S. Michaelis, in qua idem habetur, quia non alio privato bello tunc vexata sit Italia, quam quod inter Theodoricum et Odoacrem gerebatur: censetque Sipontinos, qui se Theodorico dediderant, male ab Odoacre esse habitos. Verum video, qui id potuerit Odoacer, qui ter prælio victus a Theodorico, intra Ravennam coactus, obsessusque triennio est, ac dein trucidatus. Interea tamen, ubi Theodoricus, et ipse quoque potuit per suos duces in aliis Italiæ partibus, quos hosti favere deprehenderat, infestare. In eumdem Odoacrem refert Baronius damna, quæ Sipontinis negotiatoribus hostium populatione illata scribit idem Theodoricus apud Cassiodorum lib.* 2 *Variar. ep.* 38 *ad Faustum Præpositum, ubi ista habentur:* Urbis itaque Sipontinæ negotiatores hostium se asserunt depopulatione vastatos *etc., ideoque jubet* per juge biennium nulla coemptione (*aut forte*, commotione) vexari; *eorumque creditores* admoneri, ne in hoc biennii spatio quidquam de credita summa æstiment postulandum. *Probabile quidem est, id post bellum illud sive Odoacris, sive Neapolitanum, a Theodorico esse rescriptum: potuit tamen damnum istud alibi terrarum Sipontinis isthic negotiantibus inferri, unde dein sublevari se regia clementia, et adversus creditores defendi postularint.* — c *Hic in MS. codice prior paginæ pars erat lacerata.*

*Sipontini negotiatores Theodorici rescripto sublevati, an quia ab Odoacre vexati?*

## CAPUT IV.

*Miracula, ædificia, obitus.*

E

....Quemdam indomitum equum, qui sua immanitate vix poterat a dictis viris teneri. Ad hoc namque missus fuerat ab ipso Totila, ut experiretur, si vera essent quæ de sanctitate viri sibi relata fuerant. Applicantibus autem comitibus ad Sanctum Dei, utpote dolose venientes, volentesque interficere innocentem in insidiis *b*....

*a equo indomito innoxie insidet.*

17 .... Salutaria vitæ verba de ore suo procedentia gratanter excipiens, non tam de cetero crudelis extitit: aperuit tamen sibi votum non vovendum, quod ipse in animo conceperat; disposueram namque, aiens, omnes civitates Italiæ funditus destruere; sed propter correptionem sanctam tuam.... Rege Totila a loco, in quo cum viro Dei Laurentio colloquium habuerat, cum omni suo exercitu moto, *c* Cannas civitatem destruendam perrexit: quam dum obsessam affligeret, acerrima cæde penitus eam subvertit, et quotquot ibi viros et mulieres invenit, partim gladio extinxit, partimque captivos secum duxit.

*b Totilam mansuefacit,*

*c a quo Cannæ eversæ;*

18 Post hæc dilectus Deo et hominibus Pontifex Laurentius immensas Omnipotenti gratias agens, quod se suumque gregem ab iniquissimi Regis nece misericorditer liberavit, jejuniis, orationibus, et vigiliis insistens....

F *sanctissime vivit:*

19 .... Dum conspiceret Garganum montem ob apparitionem Archangelicam ibi factam et per omnes mundi fines divulgatam, caussa orationis ab innumero populo sedulo frequentari, ibidemque mansiones ab eis construi: tres *d* basilicas in eodem monte, unam ad honorem B. Mariæ Virginis, aliam ad honorem B. Joannis Baptistæ, tertiam in Principis Apostolorum ædificavit et consecravit: in quibus oratoriis caro Christi a fidelibus hodie sumitur, et sanguis potatur.

*d tria templa in Gargano construit:*

20 Sicque demum ornatus caritate, humilitate, castitate, ceterisque virtutibus, VII Id. Februarii Confessor Christi Laurentius ad Dominum de hoc mundo migravit, et in gloria polorum et in cœtu Sanctorum est receptus, ubi fruitur lætitia sempiterna, dum ejus speciem videt in cœlo, quem in præsenti vita toto cordis dilexit affectu, et cui per fidem semper adhæsit in terra. Sepultus est in sacrario juxta majorem basilicam Sanctæ Dei Genitricis, in quo vasa et vestimenta Divino cultui consecrata, illæsa servantur: ubi etiam virtutes ejus et miracula usque in hodiernum diem exuberant. Si quis vellet narrare, quantum mœrorem, quantumque lamentum universus

*moritur 7 Febr.*

*sepelitur, magno populi luctu.*

A universus Clerus, utriusque sexus Sipontinus populus de sanctissimi Patris destitutione, et in quo spes utriusque hominis erat sita, fundebant, exprimi nullatenus valeret. Ad cujus sacrum tumulum de diversis partibus, variis languoribus fatigati venientes, pristinæ statim redduntur sanitati: ab immundis spiritibus obsessi et diris cruciatibus lacerati, me narrante ac præsente, sanitati atque pristinæ saluti restituti, collaudant Dominum in Sancto suo Laurentio: cujus interventu sanantur, quicumque duplici ægritudine detinentur, si ejus suffragia devotissime poscunt: cujusque locum si quis oraturus intraverit, mox se sentiat exauditum. Et nos ergo in Domino gaudeamus, et Pastorem nostrum, quem cum ipso esse scimus, non velut amissum lugeamus, sed spiritu semper nobiscum præsentem credamus: non dubitemus eum etiam nunc compati nobis, qui dum in hoc mundo fuit, plusquam sibi prodesse studuit nobis. Celebremus devotissime diem natalis ejus, ut socii fieri mereamur coronæ retributionis ejus. Deprecemur eum, ut nobis a Domino impetret indulgentiam delictorum nostrorum, qui jam de se securus unam recepit stolam meritorum suorum, quam dedit illi Jesus Christus Dominus noster, cui B cum Patre et Spiritu Sancto sit honor, laus et imperium, nunc et semper et in æterna secula seculorum, Amen.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS. multa facit miracula, etiam præsente Scriptore.*

a *Ejusmodi fraudulenta ratione voluisse Totilam sanctorum eorum virtutem explorare testatur S. Gregorius lib. 2 Dial. cap. 14 de S. Benedicto agen., et lib. 3 cap. 5 de S. Sabino.* — b *Hic deerat in MS. unum pagina folio lacerato: et fortassis aliqua historia, de dracone qui ei in via apparuit, ut testatur antiquissima traditio, expressa in ipsius Sipontinæ urbis insignibus, ut nobis Beatillus noster significavit.* — c *Diversas esse a Canusio Cannas, quod quidam inepte negarunt, infra 9 Februarii ostendemus; et vel hinc patet, cum Cannas destruxerit Totila, Canusio vero propter S. Sabinum pepercerit.* — d *Franciscus de Blancto in Vita S. Richardi Andrien. scribit solum tria fuisse altaria, et tertium quidem non in honorem solius Principis Apostolorum, ut hic dicitur, sed in honorem beatorum Apostolorum Petri et Pauli, fuisse dedicatum. Porro hæc altarium dedicatio, nec statim post Archangeli apparitionem est facta, sed cum locus piorum hominum concursu cœpisset frequentari, non tamen anno 536, ut quidam volunt, nedum regnante Totila, cum jam cæcus esset S. Sabinus, vel, si duo fuere, prior mortuus, et, ut verisimile est, mortuus S. Rogerius, ne urbem suam Cannas videret excidi.*

*Draconis occursus terribilis Totilas.*

# VITA II

## EX PRIORI CONTRACTA, ET INTERPOLATA,

*Jussu Benedicti Episcopi;*

Ex MSS. ab. Ant. Beatillo eruta.

### CAPUT I.

C *S. Laurentius Sipontinis datus Episcopus.*

Lect. I. Civitas supra montem posita latere non potest, et lucerna accensa non sub modio tegitur, sed super candelabrum exaltatur, ut omnibus, qui in domo sunt, luceat. Lucere enim debent discipulorum Christi opera coram hominibus, ut in Filii ministris Pater, qui in cœlis est glorificetur. Indignum igitur valde est, minusque a reprehensione defenditur, si quos in operibus Domini glorificari intelligimus, ipsos abscondi patiamur. Si enim lucernam contexeris, cujus suave lumen vehementer delectat, quas excusationum latebras invenies, ut non jure arguaris? Summus namque Imperator super verticem montium munitissimam civitatem suam locavit, quatenus qui ejus milites fieri desiderant, a longe speculantes, nullo itineris errore fallantur. Etenim ne festinantes aliquo in tenebris perambulante negotio impediantur, in hoc itinere præclara lumina ordinavit. Lucernæ enim ardentes Doctores sunt Ecclesiæ, quorum exemplis qui graditur nocturnos omnes timores facillime superabit. Hæ igitur lucernæ nullo sub modio sunt tegendæ, sed in patulo habeantur; et quæcumque possumus prædicatione ministros Christi omnibus annuntiemus.

*Sanctorum Doctorum gesta narranda ad ædificationem fidelium.*

2 Si enim, quibus omnipotens Rex præmia æterna, et infinitos honores largitus est, nos congaudentes linguæ officium in laudem eorum non dederimus; verendum ne invidiæ aut negligentiæ arguamur, et illud nobis a Domino jure dicatur: An lingua tua nequam est, quia ego bonus sum? Quod tu rectissime quidem Præsul Benedicte intelligens, sæpius exegisti, ut B. Laurentium Sipontinæ urbis Episcopum sua scriptura commendaret, et ad laudem Domini nostri Jesu Christi, ad ædificationem vero eorum, qui audituri sunt, quod in diversis de eo locis invenitur, unum in locum colligeretur, et diversa membra invicem convenientia unum corpus conflarent. Accipe igitur exactionem tuam, et qui per extraneas scripturas hactenus celebris habebatur, nunc me id faciente, proprio charactere innotescat, et vivus in æternum viva per ora volitet. D

*L. II. S. Laurentii Vita Benedicti Episcopi jussu scripta.*

3 Defuncto ergo B. Felice Sipontinæ civitatis Episcopo, diu populus Sipontinus absque Pastore fuit; sive seditione Episcopi electionem prohibente; sive potius variis cladibus impedientibus, quibus tunc universa Italia affligebatur. Eo namque tempore Zeno rebus humanis præerat Imperator: et ab eo ad Italiam possidendam directus Gothorum Rex Theodoricus, a Thiodimeris ex concubina filius, acriter dimicabat contra Odoacrem Erulorum Regem; et ipse Romanam urbem et totam Italiam tyrannica dominatione possidebat. Infinitis itaque miseriis Italia laborabat, aliis Erulorum Regi, aliis Gothorum faventibus: unde civibus acrior erat cura salutem vitamque tuendi, quam de Pontifice consulendi. E

*Cum diu vacasset Sedes,*

4 Sedatis autem ex parte præliis, consulti Sipontini cives electos de Clero et populo ad Imperatorem miserunt, suppliciter deprecantes, quatenus eorum Ecclesiæ subveniret, et talem eis a latere suo virum dirigeret, qualem tali in tempore sciret in domo Domini necessarium. Quorum omnino non aspernandam postulationem Imperator benigne accipiens, Laurentium sanctissimum virum, sibi consanguinitate et amicitiæ virtute conjunctum, obnixe rogavit, ut populo Dei, qui sine Pastore erat, ipse consuleret, et Sipontinus Episcopus fieret. Hunc etenim noverat, qui sciret fideliter cibum Domini familiæ dispensare, Domino vigilanter famulari, nec sibi ipsi placere, sed ad Domini sui exemplum, et conservis suis, non solum improperia, sed mortem quoque libenter sustinere. Cognoscens vero venerabilis Laurentius se pro Domini dispensatione ad episcopale ministerium eligi, Pauli doctrina doctus dicentis, F quod qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; voluntati Domini non contradixit. Igitur episcopali dignitate suscepta, libenter onus et periculum subiturus, navem lætus ascendit, lætissimique eum qui missi fuerant receperunt. O navis locupletissima, quæ pretiosissimis Orientalibus mercibus Apuliæ regionem ditavit. Nam Confessor Christi Laurentius brachium Stephani Protomartyris, Beatæque Agathæ mamillam pro imperiali largitate accipiens inæstimabiles divitias afferebat.

*L. III. Constantinopoli Episcopus postulatur,*

*annuente Imp.*

1 Tim. 3. 1.

*et SS. reliquiis eum honorante;*

5 Surgens igitur a puppi ventus prosequitur euntes, et prospero velocique cursu optata regione potiti, Sipontinum in portum advehuntur. Cives vero omnes congratulantes obviam Pontifici exeunt, et tam Clerus quam populus unanimes laudum præconia in altum tollunt, et descendentem de navi omni cum alacritate suscipiunt, et ut boni filii Deum laudabant. Bonus autem Pastor bonorum filiorum congaudens alacritati, de navi Martyrum reliquias ferens descendit: quas eodem loco ultra nullatenus ferre potuerunt, donec ex consilio Episcopi in eodem loco ecclesiam Martyribus ædificandam devoverent. Ingressus vero civitatem B. Laurentius, in episcopali Sede, scilicet in ecclesia B. Mariæ, receptus, secundum

*L. IV.*

*quas, primum immobiles,*

*voto templo, Sipontum infert.*

A secundum traditam sibi a Domino sapientiam, non destitit mirabilia annuntiare, et donum quod acceperat unicuique secundum propriam mensuram fideliter erogare.

*ipseque inauguratur.*

## CAPUT II.

*Victoriam obtinet, futura prædicit.*

L. v. Tempore autem episcopatus ejus, famosissima illa et per orbem terrarum divulgata Michaelis Archangeli in monte Gargano apparitio facta est: et B. Laurentio, quid faciendum esset, Michael ipse Archangelus per visionem narravit. Qua in re B. Laurentii prudentia vehementer enituit, et quod summam virtutum arcem possideret, aperte demonstravit. Jam Deo totum committens, nihil ipse facere temere præsumens, et Angelicæ sine mora visioni obediens, supernorum se civium socium evidentissime declaravit.

*S. Michaelis apparitione recreatur.*

7 Cumque gravi pugna cives suos Neapolitani lacesserent, non equis, non armorum apparatu confisus est; sed semetipsum in caritate Domini affligens, victoriam de cœlo adeptus est. Ipse namque Angelorum Princeps Michael Pontifici in visione B apparens, Sipontinis victoriam, seque ipsum pro eis pugnaturum spopondit. Veteres revolvamus historias et facta B. Laurentii antiquorum operibus comparemus. Daniel quondam, ille vir desideriorum, completo trium hebdomadarum jejunio, quibus se afflixit in conspectu Domini, orationes quas pro populo faciebat exauditas agnovit. Laurentius trium dierum jejunio se afflixit, seque a Domino impetrasse populi sui salutem audivit. Danielis orationi de servitute inimicorum liber exiturus populus ejus promittitur. Laurentii precibus hostes in fugam versos, hostium colla calcaturus populus nuntiatur. A Daniele contra Persarum Principem, ut facilius populus liberaretur, Græcorum Princeps venire narratur. Laurentio contra inimicorum Principem non aliqua peregrina virtus tribuitur. Danielem Gabriel lætificat, dicens sibi ad victoriam esse Michaelem. Laurentium Michael ipse confortat, victoriamque de inimicis se habiturum pollicetur.

*opem et victoriam spondentis.*

*in ea re major Daniele Propheta* Dan. 10

L. vi. 8 Sic semper, sic B. Laurenti pro commisso tibi populo Dominum depreceris: et sicut Sipontini populi, cum præsens eras in carne, curam habuisti; ita et magis nunc, cum sis præsens cum Domino, C sui memor esse digneris. Si te per fidem ambulantem, cum corpore peregrinabaris a Domino, de sancto cœlesti habitaculo suo exaudivit Dominus; quanto magis nunc a Domino præsente te omnia quæ petieris, impetraturum speramus? Impetra ergo semper Angelorum præsidium civitati tuæ. Tueantur semper supernæ virtutes locum habitationis tuæ. Præsentem sentiant te cives tui: potentem te cognoscant inimici tui. Per orationes tuas mereamur habere Michaelem adjutorem, et contra antiquum serpentem, qui est Satanas, fortissimum pugnatorem: ut sicut per Michaelem dejectus est de cœlo cum Angelis suis; ita procul abjiciatur de mente et corpore nostro cum omnibus adinventionibus suis.

*ideo merito a suis invocandus:*

9 Post impetratam vero de cœlo victoriam, Confessor Christi Laurentius sciens quoniam otiosus replebitur egestate, volens cultum religionis augere in terra sua, ut pane illo cœlesti, qui de cœlo descendit, saturaretur, plures in urbe et extra urbem ecclesias studuit fabricare. Inter quas unam, sub nomine Joannis Baptistæ, admirandæ pulchritudinis in civitate dedicavit, ut etiam usque ad hanc diem est ibi cernere. Ecclesias, quæ Sipontinæ subditæ erant, depingi studiosissime procuravit; et Sipontinam una cum Garganensi in earum medio figuravit.

*ecclesias struit, et ornat,*

*easque aliis picturis curat exprimi*

10 Super qua re sollicite cum requireretur cur D ecclesiarum figuras tanto studio fieri jusserat graviter suspirans, inquit: Nolite filii, nolite hoc opus superstitiosum existimare, ne putetis me aliquatenus meam gloriam diligere, qui Domino, ut possum, mentis puritate studeo deservire. Cognosco, filii, Italiam universam a barbaris et feris nationibus iterum vastandam. Civitates desolatas absque habitatore jam video. Ecclesias destructas, domos Dei incensas, Sacerdotes jugulatos, omnia quæ victoribus adversus victos collibent, de longe aspicio. Sed misericordia Dei disponente, per hanc quam videtis picturam, hujus episcopatus futuram vicem cerno. Quo responso qui aderant dolentes et alacres effecti sunt; dolentes quidem in adversitate, quam futuram audiverant, gaudentes, quia post angustias consolationem, etiam suam restaurandam ecclesiam Pontifici Deus revelaverat.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS. L. vii.

*prædicit vastandam Italiam,*

*suam ecclesiam restaurandam.*

## CAPUT III.

*Tyrannum miraculo placat: moritur.*

Vixit autem in episcopatu suo B. Laurentius usque ad tempora *a* Justini et Justiniani Christianissimi Principis, cujus tempore Gothorum rabies iterum ad totam Italiam devastandam exarsit. E Nam *b* Badjulam, qui Totila dicebatur, eo tempore sibi Regem constituerunt: qui mox undique collecto Gothorum exercitu, per omnes Italiæ fines effrænata mente debacchabatur. Cum autem Campaniæ et Apuliæ partes cæde, rapinis, incendio et subversione omnia devastans, pertransiret, cura illi exigua non fuit servos Dei veros religiosos, quorum famam audierat, calliditatis argumentis experiri. Igitur cum crebro in auribus ejus personuisset, quod vir Dei Laurentius prophetiæ spiritum habuit, milites de exercitu suo ad eum direxit, caussaque probandi vera an essent quæ de eo acceperat, equum ferocissimum indomitum, ad probandum ipsum pro itineris labore per illos Pontifici destinavit. B. Laurentius placido vultu Regis legationem accipiens, de Domino, in quem solum sperabat, humiliter præsumens, salutifero signo Crucis se muniens ascendit equum: qui mox miræ factus mansuetudinis, tanquam sub manibus et assiduis magistrorum verberibus educatus, lento et quiete concito gradu virum Dei ad Regem usque portavit. Qui licet Rex mentis esset crudelissimæ, pro sanctitate tamen et virtute, quam videbat, immaniter admirans, digna eum veneratione F suscipiens, de ore sanctissimi viri melliflua et salutaria vitæ verba accepit.

*a Totila fraudulenter missum ferocissimum equum*

L. viii.

*Crucis signo mansuefacit:*

12 In tantum autem sanctissimus Pontifex Regis immensam duritiem melle eloquentiæ, et sapientiæ gravitate emollivit; ut sibi magna affectione conjunctus Rex diceret: Quidquid a me, sancte Pater, postulas, nullo modo tibi nostra munificentia denegabit. Benignus autem Pater credens non se sibi genitum, nec sibi vivere, sed toti, si fieri posset, mundo, maximeque commisso sibi a Domino populo, a Rege petiit, quatenus Sipontinam urbem intactam relinqueret: se malle mori, quam vel unum filiorum suorum perire dicebat. Furor namque Regis immanissimus nunquam nisi ferro et ruinis viam fecisse gaudebat, seque pacifice recipi despectui habebat: nihil magis quam humanum sanguinem furiata mens sitiebat. Impetravit tamen vir Dei quæ postulavit, et Sipontinam civitatem, quam totam jam pene barbarus Rex devoraverat, ab ejus hiantibus faucibus liberavit. Gaudete cives Sipontini, gaudete, qui talem meruistis habere Pastorem. Lætamini, qui talem habetis pro vobis interpellatorem. Qui enim vos a barbari Regis rabie, sua oratione, defendit, ipse vobis erit fidelissimus adjutor contra versutiam antiqui

*Totilam sibi conciliat,*

L. ix. *et ut Sipontinis parcat, obtinet:*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

A tiqui serpentis, et qui vos jam secundo de tantis periculis mortis aperto ore retraxit, ipse suis orationibus impetrabit, ut mortem secundam evadatis, et in prima resurrectione partem habeatis, quatenus in secunda feliciter et in æternum vivatis.

*moritur 7 Februarii*

13 Septimo autem Idus Februarii beatissimus Confessor Christi Laurentius de hoc mundo ad Deum migravit, ubi fruitur lætitia sempiterna, dum ejus speciem videt in cœlo, cui per fidem semper adhæsit in terra. Et nos ergo in Domino gaudeamus, et Pastorem nostrum, quem cum Christo esse scimus, non velut amissum lugeamus, sed spiritu semper nobiscum præsentem credamus. Non dubitemus eum in cœlo compati nobis, qui dum in hoc mundo fuit, plusquam sibi, prodesse studuit nobis. Celebremus devotissime diem natalis ejus, ut socii fieri mereamur coronæ retributionis ejus. Deprecemur eum, ut nobis a Domino impetret indulgentiam delictorum nostrorum, qui jam de se securus suam recepit stolam meritorum suorum, quam dedit illi Deus noster Jesus Christus, cui est cum Patre et Spiritu sancto honos, laus, et imperium nunc et semper et in æternum et ultra, et in secula seculorum, Amen.

*a MS. habebat*: Justiniani, Justini et Christianissimi Principis,
B cujus tempore, *etc.* — b *Ita eum quoque appellat Paulus Diaconus rer. Roman. l.* 17, *at in Hist. Miscella lib.* 16 *cap.* 18 Badwilla *vocatur, ab aliis* Baduilla.

# ALIA VITA METRICA,

## EX OFFICIO ECCLESIÆ SIPONTINÆ

*transcripta ab Ant. Beatillo Soc.* Jesu.

### AD VESPERAS.

An 1. Ad hanc urbem Sipontinam properet Apulia,
Convocetur Beneventum, et victa Campania,
Ad colenda Patris nostri festiva solemnia.
2 Felicissimus Felici successit Laurentius,
*S. Laurentii electio:* Aulæ Regis triumphalis Constantini maximus:
Quo Patrono gratuletur Sipontinus populus.
3. Viduata suo sponso Sipontina civitas,
A Zenone confirmari Cleri petit unitas;
Et concessa illi fuit Patris nostri sanctitas.
4 O Laurenti, membrum Christi, Pontifex mirabilis,
Terris templum recepisti conditum ab Angelis,
Et nunc cœlestis cum illis omnibus amabilis.
5. Gratuletur et lætetur Sipontina concio,
C Laudes Deo referendo et Sancto Laurentio,
Qui hanc regit et gubernat suo patrocinio.

### AD MAGNIFICAT.

*allatæ ab eo Reliquiæ:* Martyr volens adorari, et Sipontini venerari
Stephanus, immobilis
Portu stetit, voto quærit domum sui nominis;
Qua promissa, est concessa cunctis via facilis:
Et reliquias portantes, intrant urbem visitantes
Domum summæ Virginis.

### AD MATUTINUM.

Invit. Adoremus Regem magnum Confessorum omnium,
Qui Pastorem nobis dedit Beatum Laurentium.
An 1 Urbs beata Constantini genuit Laurentium,
*ejus patria,* Educavit, et instruxit, adjuvans Imperium,
Quem donavit Sipontinis ad Salutem omnium.
2 Urbs antiqua Sipontina gaudens in Domino,
Qui te tanti Confessoris munit patrocinio,
Terra regit et gubernat, ac maris navigio.
3 Consecravit hunc Beatum Pontifex Gelasius,
*ordinatio,* Ejus magnæ sanctitatis et virtutis conscius,
Rogans verbo et exemplis ut patetur socius.
Resp. 1. Urbs lætare Sipontina, gaudeat Byzantium;
a *a* Nam quem Patrem læta tenes, dedit illa filium,
Ad honorem tui Cleri et salutem civium. D
Laudes Deo referas Sipontina civitas, V.
Qui Patronum tibi dedit Laurentium. Ad honorem.
Ut est facta *b* Sipontinis digna postulatio, R. 2. *b*
Et Zenonis celebrata extitit concessio;
Ad nos Pater adventavit celeri navigio.
Hic Martyris Stephani communitus brachio, V.
Et mamillæ Agathæ cœlesti subsidio. Ad nos.
Postquam Sanctus portum cepit cum sanctis reliquiis, R. 3
Donec votum Præsul dedit, mox stetit immobilis; *ædificia:*
Quod celeriter formaret templum Protomartyris.
Hinc intravit civitatem, tendens ad ecclesiam V.
Matris nostri Salvatoris, dignam petens veniam.

### IN II NOCTURNO.

Hunc suscepit consecratum Sipontinus populus, An. 1.
Laudes Deo referendo quasi gemens servulus,
Et Pastori obviando velut patri filius.
Vere felix hic monstratur cœli fultus gratia. 2.
Nam instinctu Michaelis datur ei filia,
Quæ Romanæ sanctitati possit esse socia.
Plebs *c* pagana hæc impugnans et Samnitum mœnia, 3. *c*
Michaelis fulminatu sternitur per devia, *victoria miraculose obtenta:*
Et prostrata trucidatur Divina potentia. E
Tandem Romam consecrandus vir beatus adiit, Resp. 1.
Et Gelasio sacratus felix Præsul rediit:
Sed a Deo informatus sanctitate præfuit.
Hic innuctus et instructus Romano Pontifice, V.
Digna lege in hac Sede annis multis præfuit.
Hunc beavit et *d* ornavit Michael Archangelus, R. 2. *d*
Dans favorem, ut sub eo fit *e* Montanus populus, *e*
Qui pro loci sanctitate dicitur Angelicus. *Ecclesia in Gargano ei subjecta,*
Hic hortatu Michaelis cepit jus regiminis
Civitatis atque Cleri et cœlestis lapidis: V.
Turba Neapolitana bello citans Samnium, R. 3.
Et Siponti, ut pagana, quærens exterminium,
Fulgur sensit malesana, et humanum gladium;
Nam beatus Præsul noster hoc vidit per somnium, V. *futura revelata.*
Quod virtute Michaelis iret in exitium.

### IN III NOCTURNO.

Hunc dum Totila impugnat, trucem equum dirigens, An. 1.
Quasi agnum mitigavit super illum residens, *ferox equus mansuefactus.*
Et ad Regem properavit multa signa faciens.
Civitate liberata condidit ecclesiam, 2.
In qua totam designavit Siponti parochiam;
Qua pictura prophetavit teneri memoriam. F
O Laurenti, membrum Christi, et comes mirabilis, 3
Postquam carnem *f* exivisti, jam regnas cum Angelis; *f*
Sed ut felix extitisti, es et venerabilis.
Hæc dum Totilæ flagellum obsideret mœnia, Resp. 1.
Ferum equum Sancto misit multa plenum *g* mania, *g*
Quem sedavit equitando sanctitate nimia.
Quem ut vidit Rex crudelis, remissa sævitia, V.
Condonando civitati, remisit ad propria. *ipseque Totila*
Hic habendo prophetiæ sanctitatem duplicem, R. 2.
Aulam fecit Præcursoris, depingendo silicem; *picturæ in templis.*
Quam parochiæ prædixit recuperandæ vicem.
Hic habendo sanctitatis et virtutis calicem, V.
Ad pingendum suæ manus adaptavit pollicem.
Laudes Deo hoc in festo demus annis singulis; R. 3
Quia *h* stetit ut in terris Patronus mirabilis, *h*
Sic in cœlo stat cum Deo, et regnat cum Angelis.
Gaudeamus, et ad preces nunc sit quisque humilis: V.
Nam ut fuit hic benignus cunctis venerabilis, sic in cœlo.
*i* Cœli aulam dum mandaret Pontifex Gelasius *i*
Consecrari, convenerunt primitus Laurentius, Aliud Resp. *consecratio*
Hic Sabinus Canusinus, *k* Salpensis Palladius, *k*
Et Joannes *l* Rubesanus, *m* Tranensis Eutitius, *l m*
Et cum illis Venusinus affuit Austerius. *ecclesiæ in Gargano.*

Hoc

A Hoc vetavit Deo missus Michael Archangelus,
Dicens : Domum istam feci et sacravi cœlitus.
v. Quibus visu dum astaret summi Regis nuntius,
Ut cessarent ab incepto monuit Archangelus.

AD LAUDES.

An. 1. Præsens festum venerantes, laudes demus Domino,
Qui Sipontum exaltavit tanto patrocinio,
Et hanc aulam assignavit Beato Laurentio.
2. Gaude puer, gaude senex, gaudeat et juvenis
Sipontinæ civitatis, decus portans luminis;
Et hoc festo cantet Clerus dulce melos carminis.
3. O Laurenti, Pater pie, audi preces populi
Te clamantis, et precantis; tui devoti filii
Ut sint tibi commendati, velut veri servuli.
4. Gaudeamus et lætemur Clerici et milites,
Et nobiscum gratulentur nobiles et humiles;
Et hac die nuptæ cantent, et exultent Virgines.
5. Hic Eliæ Deum rogans, sensum cepit duplicem,
Nam futura præsignavit, et sanavit debilem,
Ac superbum conculcavit, et erexit humilem.
6. Res miranda, et colenda Siponti per secula,
Quo Laurenti tibi dedit Angelus oracula.
Beneventum simul sensit tua beneficia,
B Et domita sub te fuit Totilæ superbia.
Lumbos cinxit et præcinxit Beatus Laurentius,
Ac lucerna fulgens fuit, et servorum servulus.
In hac Sede digna sedit sanctitatis cumulus.

*S. Laurentii miracula.*

a *Prius exemplar sic habebat* Nam quo patre nos lætamur, dedit illa filium. — b *Exemplar* 2, a Siponto. — c *Erant tunc Neapolitani, ut ceteri Itali, Christiani, sed variis locis reliquiæ supererant idololatriæ: cum in Cassino monte Apollinis idolum contriverit S. Benedictus, aram everterit, lucos succiderit, ut S. Gregorius lib.* 2. *Dial. cap.* 8 *refert, atque ex eo Baronius tom.* 7. *ad ann.* 529 *num.* 11. *Idem Baronius ad ann.* 539 *ex Procopio ostendit, in ipsa urbe Roma fuisse adhuc aliquos Gentilitiæ superstitionis studiosos, quo tempore Romam Vitiges Gothorum Rex obsedit. Fortassis igitur qui in Campania erant Ethnici, magno numero se Odoacris Ducibus ad infestandum Samnium et Apuliam junxerunt: nisi pagani vocentur, quia Duces ipsi, uti eorum Rex Odoacer, Ariani erant, et fortassis nonnulli ex iis Gentiles.* — d *Prius exemplar habet* arctavit; *et in margine*, alias dotavit. — e *In primo exemplari adscriptum est ad marginem* alias Garganus. — f *Exemplar* 2, exuisti. — g *Idem exem.* insania. — h *Idem*, fuit. — i *Sequentia desunt in* 2 *exempl.* — k Salapia *urbs Apuliæ*

*Reliquiæ idololatriæ in Italia 6 seculo.*

*fuit, cujus reliquiæ et nomen extant in vico* Salpe, *aut* Salpi. *Qui hic Salpensis Episcopus* Palladius *dicitur, idem* Palladius *quoque* Salpitanus 9 *Febru. in Vita S. Sabini Canusini; in Joannis Pauli Grimaldi Annot. ad Vitam S. Rogerii*, Pelagius. *Memoratur inter* 48 *Episcopos, qui concilio Romano sub Hilario Papa an. Christi* 465 Basilisco et Herminerico Coss. *interfuerunt*, Palladius Salpinas; *hicne Salapinus, sive Salpensis, aut Salpinas, haud omnino liquet. Fuere* Salpinates *Hetruriæ populi, Volsiniensibus vicini, quibus juncti ultro bellum Romanis intulisse referuntur a Livio lib.* 5. *Horum Episcopum* Palladium *illum fuisse censet in Geographia sacra Carolus a S. Paulo.* — l *In Vita S. Sabini Canusini cap.* 2. *num.* 5 Rubisinus *scriptum.* Rubi *urbs vetus Samnii, sive Hirpinorum, qui et ipsi Samnites erant*. Rubos *habet Itinerarium Hierosolymitanum, et Antonini, ac Tabula Peutingeriana. Horatius quoque Sermonum lib.* 1 *Satira* 5

Inde Rubos fessi pervenimus

*Hoc idem oppidum quidam censent* Rufas *dici Virgilio*, Rufras *Silio*, Ruffrium *Livio. Virgilii locus est lib.* 7 *Æneid. v.* 739.

Quique Rufas Batulumque tenent, atque arva Celennæ.

*Ad quem locum Joannes Ludovicus Lacerda noster.* Quid vero si a Virgilio Silius, vel contra corrigendus? Ait enim Silius lib. 8 Qui Batulum Mucrasque colunt. *At non* Mucras *vocat Silius, quas Virgilius* Rufas, *sed* Rufras. *Ita enim habet*

Qui Batulum Mucrasque colunt, Bovianaque quique
Exercent lustra, aut Caudinis faucibus hærent,
Et quos aut Rufræ, aut quos Æsernia, quosve
Obscura incultis Herdonia misit ab agris

Rufas *castellum fuisse Campaniæ alios secutus idem tradit Lacerda: at non videtur eumdem locum* Rufas *et* Rubos *existimasse; nam ad Virgilii lib.* 1 *Georg. v.* 266

Nunc facilis rubea texatur fiscina virga,

*subscribit Servio tradenti* rubeam *virgam fiscinis texendis aptam dici a* Rubis *Italiæ oppido, juxta quod ejus copia nasceretur. Id quidem nobis minime probatur, ut a* Rubis *gentile* Rubeus *deducatur. Sed si fieri id possit, cur Virgilius oppidum* Rufas *appellet, et adjectivum non* Rufeus *sed* Rubeus *deflectat? Deinde vestigia* Rufarum *nulla extare ait Lacerda, qui* Rubos *Italiæ urbem Episcopalem esse, vulgo* Ruvo *dictam, non ignoravit. Unam tamen eamdemque esse urbem, quæ Horatio ac Virgilio ævo* Rubi *dicta sit, prius* Rufæ, *aut* Rufræ *aut* Rufrium, *nec asserere volo, nec asserentibus repugnare. De* Rufrio *agit Livius lib.* 8. Eodem tempore etiam in Samnio res prospere gestæ: tria oppida in potestatem venerunt, Allifæ, Callifæ, Rufrium. — m *In Vita quoque S. Sabini memoratur inter eos Episcopos, qui dedicationi Ecclesiæ Barolitanæ adfuerunt*, Eutychius Tranensis. *Est* Tranum *civitas Apuliæ Archiepiscopalis, cujus auctorem inscriptio supra portum posita indicat Pyrrhionum filium Diomedis, restauratorem Trajanum, unde* Trajanopolis, *et contractione vocis* Tranum *sit appellata, ita ex Collenucio Leander, absque antiquiore teste. Videtur in Itinerariis* Turenum *dici. Subscripsit hic Tranensis Episcopus* Eutychius *Concilio Romano in sub Symmacho Papa* Rufio Magno et Fausto Avieno *Coss. anno Christi* 501, *atque quarto* Flaviano Avieno juniore Coss. *an.* 502 *et quinto*, post consulatum Avieni *an.* 503 *et deinum sexto.* — n *Idem in Vita S. Sabini adfuisse memoratur consecrationi ecclesiæ Barolitanæ per S. Gelasium Papam factæ. Decessor fuit* Stephani *Venusini Episcopi, qui sub Symmacho Papa cum Eutychio Tranensi quatuor conciliis Romanis subscripsit.*

D *Salapia urbs.*

*Salpinates populi Hetruriæ.*

*Rubi urbs Italiæ.*

E *an Rufæ?*

*Rufræ?*

*Rufrium?*

*Tranum urbs.*

# DE S. FIDELE

## EPISCOPO EMERITENSI IN HISPANIA.

J. B.

CIRCA AN. CHR. DLXX. VII FEBR.

C Emerita, *vulgo jam* Merida, *urbs Hispaniæ est ad Avam flumen, quondam intra Lusitaniam censa. Ea multorum olim Martyrum certaminibus nobilitata, non paucos etiam Antistites sanctitate illustres habuit : inter quos* S. Fidelis *numeratur, a Thoma Tamaio de Vargas in* ἀποσπασμάτοι *de rebus Emeritensibus, atque aliis.*

*Fidelis Ep. Emeriten.*

2 *Obisse eum circa annum* DLXX *indicat M. Maximus Ep. Cæsaraugustanus in Chronico, etsi præpostere eum ante* Paulum *avunculum suum et decessorem locet. Nam cum et antea ita scripsisset*, Paulus Emeritensis Episcopus Episcopo succedit Fideli; *ad annum* DLXX *ista habet :* S. Masona succedit in Emeritensi Sede Paulo. *Ast ex Paulo Diacono Emeritensi patet*, Paulo *successisse* Fidelem, *huic* Massonam, *sive* Mausonam, *aut* Masonam. *Joannes Biclarensis ad annum* VII *Justini Junioris, qui est Christi* DLXXII, *ista scribit :* Masona Emeritensis Ecclesiæ Episcopus in nostro dogmate clarus habetur.

ANIMADV. PAP. 21

*circa an. 570, moritur.*

3 S. Fidelem *Georgius Cardosus ad* VII *Februarii Hagiologio Lusitano inscripsit, sive tabulas Ecclesiæ Emeritensis secutus, sive alia vetusta monumenta : nisi forte, ut Fastos suos impleret, hunc ei natalem assignavit, quem nusquam expressum repererat; cum alioquin passim* Sanctum *absolute appellari legeret. Non enim solum Ambrosius Morales lib.* 11 *cap.* 72 *inter sanctos* viros, qui sub Lewigildo Rege in Hispania vixerunt, *eum recenset*, inter claros et excellentes viros *Franciscus Padilla centur.* 6 *cap.* 30; *sed Joannes Mariella lib.* 5 *cap.* 28 *simpliciter* S. Fidelem *vocat, ac deinde* istum Sanctum. *Mauros Castella Ferrerius in Historia S. Jacobi lib.* 2 *cap.* 23 *enumerans Sanctos, qui ab adventu S. Jacobi usque ad ejus Inventionem, in Hispaniis floruerunt, inter alia sic scribit :* S. Fidelis Episcopus Emeritensis circa annum DC. *Barnabas Moreno de Vargas in historia Emeritensi libri* 3 *caput* 4 *ita inscribit :* Vita S. Fidelis Episc. Emeritensis; *et toto contextu* Sanctum *appellat. In Bibliotheca quoque Hispanica tom.* 1 *cap.* 5 *de Emerita urbe dicitur :* Episcopos habuit S. Paulum et Fidelem, natione Græcos, *ac deinde pag.* 121. SS. Paulus et Fidelis Episcopi Emeritenses. *Ipse Paulus Diaconus Emeritensis, e cujus libro de Vitis PP. Emeritensium* S. Fidelis *res gestas hic damus, diserte scribit*, gratiam S. Fidelis Antistitis in Massonam sanctum Episcopum videri requievisse. *Vixit autem Paulus ante mille circiter annos. Omitto elogium quo eum Cardosus concelebrat.*

*inscriptus Martyrologio Lusit.*

F *Sanctus a scriptoribus appellatus.*

*Vita ejus e Paulo diacono.*

## VITA

AUCTORE PAULO DIAC. EMERITEN.

Cum plurimos per annos felici tempore sua cum plebe frueretur Paulus Episcopus, et jucunde Deo vivens, plenus semper virtutibus floreret; accidit die quadam, CAP. V.

*AUCTORE J. B.*

*S. Fidelis puer venit Emeritam cum mercatoribus.*

quadam, de regione, qua ipse oriundus extiterat, negotiatores Græcos in navibus de Orientibus advenisse, atque Hispaniæ littora contigisse. Cumque in Emeritensem civitatem pervenissent, ex more Episcopo præbuerunt occursum. Qui cum ab eo benigne fuissent recepti, ac de atrio ejus egredientes in domo, in qua hospitabantur, fuissent regressi; sequente die ad eum munusculum miserunt pro gratiarum actione, deferente puero, nomine Fideli, qui cum eis, caussa mercedis recipiendæ, de regione eorum conductus advenerat. Cumque ejus fuisset præsentatus aspectibus, et quæ grato animo directa detulerat, vir sanctus gratanter suscepisset, eum cœpit sigillatim sciscitari, quo vocaretur nomine, de qua provincia, vel de qua civitate esset? Cum ergo illi nomen suum et civitatem suam nominaret, videns adolescentem bonæ indolis, cuncta eum per ordinem interrogavit, et nomina parentum requisivit. At ille consequenter, secundum interrogationem, patriam, civitatem, vicum, nomina parentum simpliciter manifestavit. Hæc eo dicente cognovit nomen sororis suæ: qui statim exiliens de sede sua, in conspectu omnium amplexibus ejus incubuit, (commota quippe fuerant super illum viscera ejus) atque irruens super collum ejus, et diutissime exosculans, præ gaudio ubertim flevit: statim supra nominatos negotiatores accersiri præcepit, quibus ait: Puerum mihi istum concedite, et quidquid vultis a me postulate. At illi responderunt: Hoc facere nequaquam possumus, quia ingenuus homo est, et a parentibus pro nostro solatio conductum accepimus: sine isto ad parentes suos nullatenus remeare possumus, nec faciem eorum ultra videndi habebimus licentiam, si hunc in tam longinquam provinciam dimiserimus. E contra ille ait: Compertum vobis sit, quia, si istum mihi non dimittitis, vos in patriam vestram minime revertetis. Sed accipite a me pecuniam copiosam, et abite secure pergentes cum pace. Hæc illi audientes, nec amplius tantæ potestati obsistere valentes, aiunt ad eum: Dic nobis Domine, quid caussæ est, ut hominem tibi incognitum, tanto amore diligere digneris? Ille vero, proximum suum esse, sibique affinitate valde vicinum. Et addit: Abite in nomine Domini absque aliqua hæsitatione, renuntiantes sorori meæ, quia filium ejus ob consolationem captivitatis meæ penes me retinui. Qui diversa per eos mittens munera sorori, ipsisque nautis multa largitus est dona, ac sic ditati ejus muneribus, ingressi sunt in patriam suam cum gaudio magno.

*a S. Paulo Ep. agnoscitur filius sororis,*

*ibique retinetur:*

2 Quibus redeuntibus, statim præfatum adolescentem tondere præcepit, ac Deo omnipotenti serviturum obtulit, et veluti alterum Samuelem in templo Domini diebus ac noctibus strenue erudivit, ita ut infra paucorum curricula annorum omne officium Ecclesiasticum, omnemque bibliothecam Scripturarum Divinarum perfectissime docuerit. Deinde vero per singulos gradus eum perducens, Diaconum ordinavit: qui mox effectus habitaculum Spiritus sancti, omnibus virtutibus ita est irradiatus, ut sanctitate, caritate, patientia, et humilitate universum transcenderet Clerum: sic nimirum Deo et hominibus securum affabilemque præbuit, ut nonnulli illum putarent homines ex numero Angelorum.

*fit Clericus,*

*deinde Diaconus,*

*angelicis moribus:*

3 Interea dum plurimis annis Deo irreprehensibiliter deserviret, et supra nominato nutritori suo dulci obsequio in omnibus obediret, ac senectutem ejus absque aliqua offensione suaviter oblectaret; idem supra nominatus beatissimus Pater, exactis jam multis curriculis annorum, atque ætate decrepita in senium vergens, hunc sibi successorem elegit, moxque etiam in loco suo se vivente ordinavit, et omnium bonorum suorum hæredem instituit; ita etiam testamentaria sanctione decernens, ut si eum Clerus Emeritensis habere vellet Pontificem, omnes res, quas illi contulerat, post obitum suum supradictæ Ecclesiæ derelinqueret; sin alias, haberet liberum arbitrium quidquid voluerit de præfatis rebus discernere, vel judicare. Hoc sane decretum vir sanctus, revelante sibi Spiritu sancto, promulgavit, prophetiæ gratia præscius, non defuturas eidem viro multorum obsistere invidias hominum improborum, qui eum canino more circumquaque in postmodum oblatrarent, atque invidiæ a faucibus successum mordaciter laniarent. Interim dum, auspice Domino, constituisset eum Antistitem, ita ei astare, et deservire cupiebat sicut Diaconatus tempore ministrare consueverat, ita ut exuens sibi *b* casulam, more ministri, coram eo assistens, servitium omne persolveret: quem ille id agere prohibuit, et ut jam deinceps auctoritatem Pontificatus sui constanter teneret admonuit, atque, ut fratrum suorum potius curam ageret, imperavit. Ipse vero sanctissimus senex mox derelinquens atrium, et omnia privilegia honoris sui, sese ad basilicam S. Eulaliæ in cellulam vilissimam contulit. Qui dum aliquando ibidem positus a seculi hujus procellis absolutus, et in multa quiete constitutus, in cilicio et cinere cubans, pro totius mundi piaculis Dominum precaretur, migravit e corpore.

*Episcopus consecratur,*

*hæresque bonorum avunculi instituitur,*

*cui vult, ut ante, servire, sed non permittitur:*

*CAP. VI.*

4 Post cujus discessum, quidam pestiferi homines, juxta id quod vir Dei prædixerat, contra beatissimum Fidelem Episcopum verbis malignis mussitare cœperunt, ut eum de loco, quo constitutus fuerat, per quamcumque occasionem pellerent. Quod cum ille perpendisset, et se una cum rebus suis ab eorum insectatione separare voluisset; comperto ab illis, quod si ille sublatis de jure Ecclesiæ prædiis suis se ab eis separaret, illis omnino nihil remaneret; plus inviti, quam sponte pedibus suis se prostraverunt. Quibus ille non usquequaque repugnans, præbuit adsensum, ut et curam regiminis gereret, et in postmodum omne patrimonium suum Ecclesiæ derelinqueret. Quod ita factum est, et eo tempore tantum Ecclesia locupletata est ipsa, ut illa in Hispaniæ finibus nulla esset opulentior: ac ita, Domino cooperante, confirmata est in eum cunctorum pura et sincera dilectio intantum, ut omnes uno eodemque animo, ardore immensæ caritatis flagrantes, erga eum immenso amore sancti ignis æstuarent, ut unum cor et labium cum eo effecti, nullo penitus modo ab alterna dilectione dissidio intercurrente discreparent.

*æmulos passus,*

*admittitur in Episcopum:*

*omnia sua dat Ecclesiæ:*

*amatur ab omnibus:*

5 Quoniam tanti vatis memoravimus nomen, operæ pretium nobis videretur esse perspicuum de ejus multis, quibus crebro effulsit, virtutibus quamdam exiguam particulam memoriæ tradere. Quodam igitur Dominico die, dum in atrium cum multis filiis Ecclesiæ tenderet, ut mos est, Archidiaconus cum Clero in *c* albis ab ecclesia venientes coram eo astiterunt: moxque ille consurgens, Diaconibus ex more thuribula gerentibus, atque ante eum præcedentibus, cum universis qui aderant ad ecclesiam perrexit, qualiter, Deo adjuvante, Missarum solennia celebrarent. At ubi universi cum eo de atrio paullulum fere decem graduum processerunt, illico ab imis fundamentis omnis repente amplissimi atrii fabrica ruit, et neminem ibi oppressit, Deo *d* jubente. Ex qua re pensandum est, cujus meriti iste vir fuerit, qui ita apud Deum suis precibus obtinuerit, ut prius non daretur antiquo hosti potestas tantæ fabricæ perpetrare ruinam, quam ipse cunctos foris eductos integro numero, Deo miserante, salvaret: sed ut in tanto periculo nullus periret, hoc maxime meritis sanctissimæ Virginis Eulaliæ fuisse præstitum, nullus ambigat. Cum vero sollicite requirens invenisset, quia nemo periret, in nullo penitus animum suum conturbavit, sed magis gratias Deo egit, eique sacrificium lætus obtulit,

*ne ruina domus opprimatur, cum suis divinitus servatur,*

A obtulit, diemque ipsum jucunde in Domino cum omnibus suis *e* potitus est. Post vero multum temporis intervallum sedis dirutæ fabricam restauravit, ac pulchrius Deo opitulante patravit: ita nimirum ipsius ædificii spatia longe lateque altioribus columinibus erigens, pretiosaque atrii columnarum ornatibus suspendens, ac pavimentum omne, vel parietes cunctos, nitidis marmoribus vestiens, miranda desuper tecta contexuit: tum deinde in mirum dispositionis modum basilicam beatissimæ Virginis *f* Eulaliæ instaurans in melius, in ipso sacratissimo templo celsa turrium fastigia sublimi produxit in arce. Hic namque vir beatus in hoc corpore positus crebro cum Sanctorum catervis in choro ecclesiæ stans, et psallens visus fuisse perhibetur: et alia multa narrantur, quæ scribere propter prolixitatem sui, ne fastidium legentibus præbeant, deseruimus.

*e collapsa restaurat magnifice,*

*ac templum S. Eulaliæ: f*

*sæpe in caterva Sanctorum visus:*

CAP. VII.

6 Die quodam puerum familiarem suum ad locum, cui Capsiana vocabulum est, quod ab Emerita urbe millibus sexdecim distat, direxit, ac præcepit ei sub omni festinatione reverti. Qui cum fuisset, et eodem die reverti non occurrisset, ibidem mansit: cui in ipso noctis initio jam dormienti visum fuit gallos cantasse, statimque expergefactus, caballum suum ascendit, B atque festinus properans, ante medium noctis ad portam ipsius civitatis, quæ appellatur Porta pontis, pervenit. Qui cum ibidem diutissime residens cerneret, quia ante horam opportunam consurrexisset, et quia quamvis clamasset vociferanter, nullus ei portam aperiret; visum est ei, ut caballo suo paullulum herbam daret, quousque aliquis forsitan portam reseraret. Et ecce subito intempestæ noctis hora elevans oculos suos, vidit eminus globum igneum ab ecclesia S. *g* Fausti, quæ ab urbe fere milliario distat, procedentem, atque ad basilicam S. *h* Leocritiæ pervenientem. Qui dum tacitus contemplaretur quidnam esset; nec mora, et ecce multitudo Sanctorum, quibus illud lumen præibat, venientes per pontem ad portam usque pervenerunt: cum quibus etiam gradiebatur sanctissimus Fidelis Episcopus. At ubi ventum est ad portam, videns supradictus puer aucta candidatorum agmina, ipsum etiam S. Fidelem, chlamyde nivea indutum, in medio eorum properantem cernens obstupuit, et exterritus atque tremebundus præ timore factus est velut mortuus: ille vero claustra portarum divinitus reseravit, moxque ingressi sunt civitatem. Quibus ingressis, ille consurgens atque volens post eos ingredi, sed nulla- C tenus potuit, quia portam ita clausam, sicut antea, invenit: qui cum primo diluculo aperta pervenisset ad atrium, protinus eum vir sanctus interrogavit, quali hora de prædicto loco egressus fuisset? Qui illi, et horam, in qua surrexerat, et moram, quam ad portam fecerat, enarravit. Quem cum vir Dei interrogavit, si aliquid vidisset? ille, vidisse se fateretur; hunc admonuit, et quousque ipse sanctus vir in corpore esset, nulli referret, ne ei ad immane periculum pertineret.

*famulo id fortuito spectante,*

*g h noctu cum SS. ecclesias visit cœlesti veste indutus, urbemque intrat divinitus reseratis portis:*

*jubet id sileri.*

7 Alia quoque vice similiter eum quidam religiosus cum multitudine Sanctorum quadam nocte de ecclesia S. Eulaliæ egredientem, et per basilicam Martyrum euntem vidit: sed incaute agens, multis statim indicavit, postremo ad virum Dei veniens, et ei quod viderat, retulit. Cui ille ait: Hoc ut vidisti jam alicubi dixisti, aut non? Qui statim respondens simpliciter professus est se dixisse. Ad hæc ille inquit: Indulgeat tibi Dominus, Frater, non recte fecisti. Scio igitur quia tibi in futuro judicio non reputabitur ad culpam. Interim vade, communica, et da nobis osculum; valefac omnibus, quia iturus es, tamen et domui tuæ sub omni festinatione dispone, et, si desideras, remedium pœnitentiæ percipe. Qui mox accepta pœnitentia dispositaque domo sua,

*alius visus similem processionem cum SS. obire,*

*morte punito qui id imprudens promulgarat*



valefaciens cunctis, sequenti nocte migravit e corpore. D

*AUCTORE PAULO DIAC.*

8 Cuidam viro religioso iterum intendere ad officium Ecclesiasticum recurrenti quadam nocte, dum in lectulo suo intempestæ noctis silentio sopore depressus jaceret, visum est, quod signum ad *i* matutinum dedisset. Qui statim consurgens omni festinatione, ad ecclesiam, ne ei tempus sacrificii præteriret, occurrit; cursuque rapidissimo properans, anhelabundus illuc pervenit. At ubi ingressus est ecclesiam S. Mariæ, quæ Sancta *k* Jerusalem nunc usque vocatur, audivit voces miræ modulationis canentium, inspiciensque ad chorum, vidit stantem multitudinem Sanctorum. Qui nimio pavore concussus, atque in tremorem versus, sese in angulum basilicæ silenter contulit, atque tacite contemplans, sollicite auscultans, audivit consueto ordine omne ab eis ejus officium esse completum. Quo expleto paullo adhuc ante gallorum cantum cum laudibus pervenerunt ad ecclesiam S. Mariæ ad basiliculam S. Joannis, in qua baptisterium est, quæ nimium contigua antefatæ basilicæ pariete tantum interposito utraque uno tecti tegmine conteguntur, explicitisque laudibus cœperunt ad invicem dicere: Ecce continuo hora est, ut signum dari debeat; ob hoc E prius necesse est, ut id, pro quo destinati sumus, ordinemus. Cumque hoc dixissent, apparuerunt in conspectu eorum Æthiopes tetri, nimiumque terribiles, quorum statura videbatur esse gigantea, nigredo perquam teterrima, ita ut ex ipso eorum toto intuitu, nimiumque atro vultu, palam cernenti daretur intelligi, ipsos procul dubio tartareos esse ministros; quique etiam romphæas acutissimas suis gestabant in manibus, quibus mox Sancti dixerunt: Sub omni celeritate pergentes ad atrium, ingredimini cellam, in qua S. Fidelis Episcopus jacet, et percutite eum vulnere gravi in corpore, ut anima ejus quantocyus egrediens e corporali catena nobiscum ad Dominum nostrum Jesum Christum, et ad præparatam sibi possit pervenire coronam.

*i*

*quodam spectante, k et cantum SS. audiente,*

*mittuntur a SS. mali angeli qui mortem ei immittant;*

9 Qui illico jussui obtemperantes, ambulaverunt, sed eum minime percutientes reversi sunt, dicentes: In cellam ejus minime ingredi possumus, quia non dormit, sed in terra prostratus jacet et orat; insuper tanto thymiamatis suavissimo odore cella ipsa redolet, ut nitor tantæ fragrantiæ incensi, qui ab eo oblatus est Domino, nos illuc penitus intrare non sinat. Quibus denuo præceperunt, dicentes: Ite, et percutite eum, quia jussio Domini est adimplenda. F Qui cum fuissent, nec intrare potuissent, revertentes iterum dixerunt: Vacat oratio, quando venit vocatio; sed ite et implete præceptum Domini: quod semel datum est, nequaquam transcendi potest. At ubi tertio fuerunt, permittente Deo, ingressi sunt, tam forti scilicet manu crudeli eum percusserunt, ut vocem, quam emisit cum dolore gravi, simulque et gemitu, is qui in ecclesia stabat religiosus, clare audivit. Facto vero diluculo ad sanctum Episcopum accessit, et cuncta quæ viderat, quæque etiam audierat, ei intimavit. Cui ille ait: Scio, fili mi, scio, et me nullo modo latet. Cumque hoc dixisset, et imminenti ægritudine artubus jam fatiscentibus se totum dissolvi repente sensisset, ad basilicam sanctissimæ Virginis Eulaliæ se deferri præcepit, sua ibidem in primis multis lacrymarum satisfactionibus deflevit delicta.

*qui ter oratione deterriti:*

*æger jubet se deferri ad ecclesiam:*

10 Deinde multis captivis et egenis multam largitus est stipem: ad ultimum redditis chirographis multorum debita relaxavit. Sed dum omnibus reddidisset, cautio cujusdam viduæ remanserat, quæ necdum fuerat reddita, quam ille exspectarat ut ei redderet: sed quemadmodum mulicrcula, præ turbæ densitate, qua circumseptus erat, ut accederet non

*egenis subvenit:*

*chirographa viduis reddit,*

9 habebat;

AUCTORE PAULO DIAC.

A habebat: quæ cum per singulos dies veniret, et locum minime reperiret, et nimium mœstificata mente anxiaretur, nihil agens, mœrore afflicta ad suum hospitium remearet; ei quadam nocte sanctissimus Cyprianus et Laurentius in visu astiterunt, dicentes: Nosti, quare locum non invenis? At illa respondit: Nescio. Et Dic, inquiunt, quare per reliquas basilicas fratrum nostrorum ceterorum Martyrum frequenter concurris, ad nos vero venire contemnis? Quæ statim surgens ad eorum basilicas concurrit, orationem cum lacrymis fudit, pro negligentia retroacti temporis veniam imploravit, atque inde ad basilicam S. Eulaliæ rediit: mira celeritate locum reperit, chirographum suum absque difficultate recepit, Deo et Sancto ejus miras gratias retulit, pro quo non solum locum paratum invenire meruit ingrediendi, verum etiam ita Sanctis Dei disponentibus gestum est, ut quando ingressa est, sanctus Episcopus cautionem ipsam manu propria tenens, præstolaretur, cui reformare deberet: atque ita factum est, ut illo benigne reddente, atque illa cum gaudio, quæ diu desideraverat, recipiente, paullo post vir præcedentibus Sanctorum meritis, exspectantibusque Angelicis choris, ad æætherea regna tri-

*nominatim vidua a SS. ut accedere posset adjuta*

*moritur*

B pudiando migraret, cœlestibusque phalangis consertus cum exultatione perpetua perpetim conglobari in sidereis mansionibus, Jesu Domino percipiente, meruerit. Corpusculum vero ejus juxta corpus sanctissimi prædecessoris sui uno eodemque sarcophago traditum, velut in uno lectulo, honorifice est tumulatum.

*cum S. Paulo Ep. sepelitur*

CAP. IX

11 Huic præfato almo viro ad supernam patriam transmigranti providentia Divinæ pietatis subrogatur non impar omnium virtutum gloria vir orthodoxus, cui nomen erat l Massona, scilicet beatus beato, et sanctus sancto, pius pio, bonus benigno, atque cunctis charismatibus refulgens, rutilanti immensis virtutibus, sacerdotali ordine Massona successit Fideli: prædecessore suo nimirum astrigeris civibus conserto in cœlis, successoris mansit dulcedo, ejusque insigne meritum cunctorum civium mœrorem lenivit in terris: ut omnibus pro obitu sancti Pontificis mœror non solum discuteretur, verum etiam instar priscorum Patrum Eliæ quondam et Elisei duplicata Paracleti Spiritus gratia, palam cunctis cernentibus, S. Fidelis Antistitis in Massonam sanctum Episcopum requievisse videretur, et plebs sublevato pastore non usquequaque tæderet afflicta languore, sed geminato gaudio congauderet, Divina tribuente miseratione, dum et illum pro sui salute præmisit ad cœlos, et istum eximiæ virtutis virum suscepit gratulanter in cœlis.

D *succedit ei Massona, Sanctus Sancto,*

*4 Reg. 2. 15*

a D. Thomas Tamaio de Vargas monet, alibi legi facibus. — b De hoc ritu in Notationibus ad cap. 5 idem Tamaius. — c Observat hunc Ecclesiæ Hispanicæ morem idem Tamaius ad cap. 6 Vitæ 2. — d Mallet idem juvante legere. — e Idem mavult, partitus. — f De S. Eulalia Emeritensi, atque hoc ejus templo, agemus 10 Decembris. — g Illum esse putat Tamaius, qui Cordubæ passus, colitur 13 Octobr. cum aliis, quorum basilicæ ac sepulturæ meminit S. Eulogius lib. 2 Memorialis cap. 9. Mihi alius quispiam videtur, qui Emeritæ fortassis passus aut sepultus sit. Cur enim alioqui S. Fausti ecclesia dicitur, et non, ut est apud S. Eulogium, Sanctorum trium? Neque est quod suspicetur quis, S. Faustum Corduba Emeritam translatum, ac non socios, nam S. Eulogii ævo omnes tres præsentialibus corporum suorum favillis Cordubæ quiescebant, ut ibi dicitur. — h Leocritiam hanc esse cum Tamaius censet, cujus in Vita S. Eulogii mentio fit, quæque 15 Martii colitur. At fuit illa 200 annis hoc scriptore posterior. Est ergo hæc quæ Lucretia appellatur in Martyrologio 23 Novemb. passa Emeritæ, non Cordubæ, ut illa. — i Hoc signum animadvertit Tamaius, exemplisque declarat, pro temporum diversitate, qualiter modis dari solitum, ligno, ære, cruce, cursori. — k Hanc ecclesiam seniorem (ut idem Paulus cum cap. 12 appellat) notat Tamaius in Concilio Emeritensi sub Recesuintho Rege, dici sub principali nomine numere dedicatam. Additque, Toleti in templo maximo S. Mariæ in secretario dicto Hierusalem, congregatum sub Reccaredo fuisse concilium: atque in secretario sacrosanctæ Hierusalem Spalensis Ecclesiæ concilium Hispalense secundum. — l De S. Massona agemus 1 Novembris.

*S. Faustus Emeritensis.*

E

*S. Leocritia Emeriten.*

*Ecclesiæ quædam Hierusalem dictæ.*

# DE S. MEDANO, SIVE MELDANO,

## EPISCOPO HIBERNO, PERONÆ IN GALLIA,

### Commentarius prævius.

G. H.

SUB FINEM SECULI VI VEL VII.

*S. Medani reliquiæ Peronæ a S. Furseo depositæ*

Patronum Peronæ, Veromanduorum in Gallia oppidum, ad Samonam fluvium, celebrat S. Furseum, ex Hibernia oriundum: cujus ad XVI Januarii geminam Vitam edidimus. Fit in utraque mentio de S. Medano ac sociis eorumque reliquiis Peronæ depositis a S. Furseo. De his agit prioris C Vitæ lib. 2 num. 20 auctor coævus: Tunc misit, inquit, Erchenaldus unum puerum habentem septem annos de parte Bercharii, et Bercharius similiter posuit puerum suum de parte Erchenaldi. Qui statim elevantes feretrum S. Fursei, jubente Salvatore deduxerunt sanctum corpus ad montem Cygnorum... ubi ipse Sanctus prius multorum Sanctorum condidit pignora, id est, Patricii, Beani, Meldani, et ceterorum, quos secum detulit. Scripserat, autem num. 13 montem Cygnorum Peronam dici. In altera Vita, auctoris aliquanto recentioris, hæc ita referuntur lib. 2 num. 28. Erchenaldus vero et præfata uxor sua religiosos Canonicos ad serviendum Deo et Sanctis suis, et præcipue eis, quorum præsentia ibidem habebatur, juxta beatorum Patrum decreta instituunt, ac possessionibus suis amplissimis ditaverunt. In prima enim quæ ibi fuerat ecclesia, B. Furseus sanctos collegas suos Patricium et Beanum atque Meldanum tumulaverat, quorum animas in visione, qua miranda sustinuit dæmonum improperia, viderat, et alia patrocinia pretiosorum Dei servorum, quæ secum detulerat... quorum meritis usque in hodiernum diem Rex cœlestis multis virtutum signis locum illum honestavit.

*miraculis claræ:*

2 Venerabilis Beda lib. 3 Historiæ Anglicanæ c. 19 hanc S. Fursei visionem strictim attingit, et hos viros inter Angelos apparentes, sanctos, ac justos appellat, suadetque ut qui de rebus iis omnibus plenius scire vult, legat libellum Vitæ S. Fursei, multum ex illo spiritalis profectus accepturus. Est ea Vita prior a nobis istic edita, ex qua eamdem apparitionem hic repetimus. Primum dicuntur viri illius provinciæ, in qua vir ipse Domini Furseus natus erat: unde aliqua de loco hujus natali hic examinanda.

*laudatur ipse a S. Beda*

F

3 Primum Hibernum fuisse S. Furseum ex Actis constat. Eadem igitur Medani patria. Quæ autem maxime ad Occidentem vergit totius insulæ regio, Connacia dicitur, seu Connactia. Illic in Comitatu Galluiensi duo olim extruxit monasteria S. Brendanus; alterum in Australi ejus parte, in insula Clynnaferta sive Cluainferta; in Occidentali alterum in insula Orbsen; quæ aliis Erbsen dicitur; in secunda Vita S. Fursei num. 12 et 20 Esbren et Ebren. Ad prius cœnobium Cluainfertense cum Philtanus S. Brendanum patruum adiisset, ducta secum uxore prægnante, natus illic est S. Furseus, qui in altera insula jam provectior Confessarium habuit S. Meldanum, de quo Cathaldus Maguir scriptor Hibernicus apud Colganum ita tradit ad XVI Januarii: S. Meldanus Mac-Hua-Coinn de lacu Oirbsen in Connacia fuit, Synedrus, sive Pater spiritualis, S. Fursei. Imo et Furseus ipse juxta lacum Orbsen monasterium extruxit in insula Rathmath, ex ejus nomine hactenus Hill-Fursa appellatum. Dicitur autem S. Meldanus Mac-Hua-Coinn, quod progenitus sit ex stirpe Conni,

*Hibernus patria fuit,*

*ex provincia Connacia,*

*S. Fursei Pater spiritualis,*

A *Connii, sive Constantini, celeberrimi apud Hibernos Regis.*

*colitur apud Hibernos 7 Februarii.*

4 S. Meldanus *ita inscriptus Martyrologiis Hibernicis Mariani Gormani, Cathaldi Maguir, et Dungalensi apud eumdem Colganum :* S. Meldanus Mac-Hua-Coinn. *In Tamlactensi est :* S. Meldanus de insula Mac-Hua-Coinn. *Addit Calendarium Casselense*, in lacu Oirbsen in regione de Hibhsean occidentalis Connaciæ. *Ita Colganus ad* IV *Vitam S. Columbæ, notatione* 72. *et iterum hoc* VII *Februarii, ubi de* S. Meldano *agit : eademque notat.* 12 *citat Martyrologia, verbis nonnihil mutatis. Eumdem autem Meldanum opinatur apparuisse inter Angelos S. Furseo, atque ejus reliquias in Galliam ab hoc translatas.*

*Videtur alius ab eo Meldanus avunculus S. Cuthberti?*

5 *In Vita S. Cuthberti apud Capgravium, referuntur* duo in Scotia Pontifices Meldanus et Eatanus fratres germani matris *ejus, quæ cum eisdem* aliquamdiu conversata, relicto sub eorum custodia filio *Cuthberto*, Romam profecta est : *diciturque hæc progenita patre* Muriardacho Rege divite et potente, ex regali Hiberniensium prosapia; *ac matre* Sabina, pro vitæ sanctitate et miranda conversatione Sancta celebrata. *Quæ* XX *Martii die S. Cuthberti natali examinanda. Colganus hunc eumdem esse* Meldanum *scribit, de quo* B *hic agimus, et, qui ejus frater appellatur,* Eatanum Beanum *alibi dici; eosque in Britannia etiam vixisse : atque iterum cum S. Nassadio, quem conjicit tertium fratrem esse, coli* XXVI *Octobris, quo die hæc tradit ex Martyrol. Tamlactensi :* Festum SS. Nassadii, Beoani, et Meldani. Tres Sancti de Britannia, et in una Ecclesia sunt, nempe in Tamlacta-Umhuil in regione Hivechiæ in Ultonia juxta lacum Bricreann. *Eos autem ibi die illo coli putat Colganus, quia ibi sepulti sunt. At neque inde sublati videntur fuisse cum illud scriptum est Martyrologium : ut proinde alius videatur esse* Meldanus : *et, si Capgravio fidendum, potius dicendus avunculus S. Cuthberti, junior altero illo Medano Fursei Confessario : cum hunc velit Colganus ante annum* D.XXX *floruisse, tempore S. Columbæ Abbatis, anno* DXCV *mortui.*

*Reliquiæ ejus perierunt*

6 *Mirum est Martyrologiis tam variis, tot Ecclesiarum Gallicarum ac Belgicarum, nomina S. Meldani ac sociorum saltem hactenus a nobis reperta non esse : forte memoria eorum periit una cum cultu reliquiarum, de quibus ita Desmayus scribit in Vita S. Fursei Gallice a se edita :* S. Furseus corpora SS. Beoani et Meldani, quæ ex Hibernia secum asportaverat, sepeliri curavit Peronæ in ecclesia sanctorum Apostolo- C rum Petri et Pauli. In qua autem loci hujus parte pretiosus iste thesaurus lateat, vel temporum injuria, vel majorum nostrorum tantæ rei indormientium incuria, hactenus ignoramus. *Olim ad Vitam S. Fursei rejeceramus memoriam S. Medani ad* XIV *Novembris, quo die Hermannus Greven in auctario Usuardi refert* S. Medanum. *Verum is in Breviario Aberdonensi dicitur* Middanus Episcopus, sive Abbas, Confessor, Patronus de Fillorth in Scotia sub Rege Conrano anno DIII. *ut is ab hoc diversus jam nobis esse arbitrari. Fuit et* Meldanus *de Cluain-Chembre discipulus S. Patricii, in hujus Vita tripartita, eaque quam Jocelinus scripsit : cum dicit Colganus coli* XXVIII *Januarii, et* XXVI *Octobris.*

## HISTORIA APPARIT. S. MEDANI,

EX VITA S. FURSEI.

*S. Medanus apparet S. Furseo inter Sanctos et Angelos*

Beatus tunc Furseus sursum adspiciens, vidit immensa agmina eximia claritate fulgentia, Angelorum ac præcedentium sanctorum hominum, qui advolantes, quasi alis, immensa coruscatione circumdederunt eum, omnem formidinem ignis ac dæmoniorum terrores procul abigentes. Conspicit quoque duos venerabiles viros illius provinciæ, in qua ipse vir Domini Furseus natus erat, quorum unus Beanus, alter Medanus vocabatur. Hæc videns quasi obiisse credebat. Hos Præsules cunctorum memoria usque ad nostra tempora celebrat : qui propius ad illum accedentes loqui ad illum familiariter cœperunt, dicentes ei propria nomina sua. D

*EX VITA S. FURSEI.*

2 Tunc adspiciebat magnam cœli serenitatem, et duos Angelos proximam cœli jucunditatem repetentes, et quasi per ostium æthereum intrantes; et erumpente circa illos mira magnitudine claritatis, audiebantur quasi per quatuor choros cantantium multitudines Angelorum, ac dicentium : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Tunc anima illius dulcedinem superni modulaminis ac sonitum ineffabilis lætitiæ ultra cœlum sonantis intendente, circumfundunt eum Angelorum quoque agmina stantia a dextris ejus de quibus unus ait : Scis ubi agitur hæc lætitia et gaudium? Illo respondente se nescire, sanctus Angelus respondit : Apud supernum conventum, unde et nos sumus. Tunc mens omnem laborem tribulationis obliviscens, immensa complebatur lætitia : quia superna audiens carmina clarius et modulatius resonare, pro se solo decantari reputabat, admiransque ait : Magnum est gaudium hæc auscultare carmina... E

*4 choris canentes, Isa. 6. 3.*

3 Tunc prædictos Sacerdotes, cum ingenti claritate a secreto cœli procedere, Angelica forma radiantes, ad se venire conspicit : ac sibi ad seculum redire præcipiunt. At ille tacens, et hujus nuntii tristitia stupefactus, in momento reversus est, sanctis Angelis eum reducentibus. Præfati vero viri venerabiles spatium poscunt cum eo loquendi, et dicunt. Quid times? Unius diei iter est, quo laboraturus es. Prædicans ergo omnibus annuntia, quia in proximo est vindicta. B. Furseo interrogante de mundi fine, aiunt finem creaturæ jam tunc non esse, quamvis in proximo sit; sed famis et mortalitatis plagis humanum genus esse vexandum : quod etiam signo solis, radios suos anno præterito abscondentis, et in modum lunæ jugiter splendentis, significatum est. Duo vero genera sunt famis, unum in abundantia sapientiæ, intelligendique verbum Domini, et non implendi : aliud vero, in tenacitate mentis in abundantia divitiarum, sed de una radice amaritudinis generantur. Sicut enim avarus non impletur pecunia, quia avaritiæ amaritudo non sentit dulcedinem de perceptis bonis, inhiando ad ea lucra, quæ illicita sunt : sic etiam sermonis Domini dulcedinem, malitia et amaritudine occupatæ atque detentæ non sentiunt animæ. Mortalitas vero propter Dei patientiam modicum quidem detenta est : sed quicumque hæc signa vidit vel monita sanctæ Scripturæ despicit, si non egerit pœnitentiam, mors illi in proximo est. F

*jubet eum ad corpus redire,*

*revelat multa,*

*futuras calamitates*

4 Et quamvis omnibus divina monita contemnentibus superni judicis ira jam jam immineat, maxime tamen super Doctores Ecclesiæ, ac Principes furor illius iratus est : quia per quatuor res pereunt animæ fidelium; per hujus mundi illecebrosa vitia, per suggestionem militantis diaboli, per negligentiam Doctorum, per mala exempla pravorum Principum. Doctores ergo, Prophetarum libros considerantes, intelligant, et quale sit hoc tempus cognoscant. Viri namque dimidii operis sunt : quia per omnipotentis Dei misericordiam alii largitatis gratiam sunt adepti, sed carnis incontinentia sunt lubrici : alii vero corpore quidem sunt casti, sed avaritiæ æstibus sunt cupidi : alii quoque gratiam habent lenitatis, sed rancore animi sunt pusillanimes : alii autem non recordando injurias suas, cito ignoscunt, sed minus cor caute custodiendo, citiusque irascendo, rixas provocant : alii, quod Deus singulis illis largiendo donavit, in hoc, quasi proprio labore acquisitum sit, gloriantur : alii vitia,

*ob peccata Doctorum et principum*

*quæ Doctorum*

A vitia, quæ se impugnabant, corde devincunt vigili, sed bonorum operum instantia virtutes obtinere negligunt.

*EX VITA S. FURSEI.*

5 Sunt quoque nonnulli, qui spiritualibus vitiis impugnantur, sed his omissis, corpus in abstinentia affligunt; verbi gratia, nocturnas illusiones, vel levia quæque, crimina gravia existimantes; superbiam vero, quæ Angelos de supernis dejecit, pro nihilo computantes vel avaritiam, quæ primum hominem de paradisi expulit amœnitate, non execrantur: nec invidiam, per quam fratricida Cain fratrem suum Abel interfecit: falsum quoque testimonium, per quod Salvator damnatus est, aut blasphemiam non abominantur; nec considerant, quales vel quantæ vindictæ super eos qui talia egerunt superpositæ sunt. Multi enim cibis, quos Deus ad percipiendam cum gratiarum actione creavit, abstinentes, hæc nefanda quasi licita sumunt, hoc est, superbiam, avaritiam, falsum testimonium, blasphemiam: per quæ detrahendo, quasi carnes proximi cum sanguine illius comedunt: et quæ leviora sunt in Dei judicio, gravius judicant; gravia vero, leviora putant. Omnis ergo Doctor singulis vitiis congrua debet opponere medicamenta. Nam qui hæc vitia leviora esse aut B gula aut fornicatione existimat, animarum inimicus potius, quam doctor judicandus est.

*alia quoque gravia.*

*Qui curari possint.*

6 Curatio ergo superbiæ, est increpatio coram omnibus, humiliatioque crebra in luctu et cinere. Avaritiæ quoque medicamentum, est largitatis dispensatio. Invidia vero per benevolentiam et benignitatem medicinatur. Falsum autem testimonium qui dixerit humiliter confiteri, et in quem falsa congessit verba, ab eo indulgentiam supplicare convenit. Blasphemiæ quoque malum, medicamento simili sanatur, id est, per humilitatem subjectionis, et linguæ ab omni inutili locutione refrenationem, atque per orationis instantiam. Contraria enim vitia contrariis virtutibus sanantur. Nec satis est corpus affligere, si animus a malitia et nequitia non curatur, Principes ergo et Doctores Ecclesiæ Christi, animas fidelium ad pœnitentiæ lamentum post culpas provocent D et eas spiritali pastu doctrinæ, ac sacri corporis et sanguinis participatione, solidas reddant. Nolentes vero excommunicent, ne reatum damnationis de neglectis sustineant, ne ulmum pro vite, et alnum pro oliva plantent; dum plus terrenum et infructuosum laborem diligunt, quam caritatem Dei, quæ omnium radix et culmus esse dignoscitur bonorum operum.

7 Contra Doctores irascitur Dominus eo quod divinos libros negligentes, curas hujus mundi cum omni dilectione agunt. Si enim legentes Prophetarum dicta intelligerent, nec is qui a mortuis resurrexit plus timoris atque compunctionis audientibus inferre potuit. Sed nemo est qui prohibeat, aut qui propellat. Rex enim et Sacerdos, unusquisque secundum hoc quod scriptum est, quod sibi rectum videtur, hoc facit. Caussa vero et radix omnium malorum est superbia. Populus enim contra regentem erigitur, Clerus contra Sacerdotem, monachi contra Abbatem, filii contra parentes, juvenes contra seniores, superbiendo diversa sentiunt. Sed sicut unusquisque eorum subjectus Prælato sibi non didicit obedientiam humilitatis exhibere, sic justo Dei judicio agitur, ut illo ceteris prælato nullus humiliter subdatur: et quod E ab illo superbiente alius injuste sustinuit, ille ab alio per districti judicis justitiam dolens sufferat. Malum ergo superbiæ, quod supernam Angelorum curiam destruendo corruperat, præsens quoque seculum inordinate pervertendo destruit.

*Superbia omnium malorum caussa.*

*Judic. 17. 6.*

8 His dictis a B. Beano et Meldano, supernum illud Angelorum simul cum ipso Beano et Meldano in cœlum receptum est agmen; beatoque Furseo cum tribus Angelis solis ad terram reversuro, maximus appropinquabat ignis. Sed Angelus Domini, sicut et ante, medium dividens findebat ignem.... Egressus inde B. Furseus verbum Dei per universam Hiberniam prædicabat, et ea, quæ viderat vel audierat, omnibus populis Scotorum annuntiabat.

*S. Meldanus redit in cœlum.*

# DE S. PETRO MONACHO,

## IN MONOBATIS.

*G. H.*

*VII FEBR.*

*S. Petrus*

C **G**ræcorum *Menæa Sancti hujus ita suggerunt nomen*, VII *Februarii*. Μνήμη τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Πέτρου τοῦ ἐν μονοβάταις ἀγωνισαμένου. Memoria Sancti Patris nostri Petri, qui decertavit, sive exercitatus est, in Monobatis, sive solitudine. *Græce namque* μόνος solus, singularis, μόνιος *sive* μονιός, *unde atque* μοναστικός, *vel* μονήρης Solitarius, solitudines captans; *et* μονόβατα *loca solitariorum, seu solitarium incessum habentium.*

*in Monobatis*

*sive solitudine,*

2 *Joannes Moschus in Prato spirituali cap. 9 narrat Inventionem corporis Petri solitarii sancti Jordanis: qui is esse videtur, de quo agunt Menæa.* Narravit, *inquit*, venerabilis Pater noster Abbas Gregorius, Archimandrita monasterii sancti Patris nostri Theodosii quod positum est in eremo sanctæ Christi Domini nostri civitatis, mihi scilicet et Fratri Sophronio Sophistæ, dicens. Cum ædificare inciperem templum S. Quirici in Phaselide, effodiens templi fundamenta apparuit mihi in somnis monachus quidam magnæ ut videbatur, abstinentiæ, indutus palma, ferensque in humeris parvulum cedolum de psiathio, dixitque mihi voce mitissima: Dic, Abba Gregori, numquid post tantos labores tantamque abstinentiam F debuisti me extra templum quod ædificas dimittere? Ego autem senis vocem habitumque reveritus aio ad illum. Non, Domine, absit a me ut hoc faciam, Et ille: Vere hoc fecisti. Dixi autem ad illum: Quisnam es tu, Domine? Ego, inquit, sum Petrus solitarius sancti Jordanis. Itaque surgens mane perrexi, et quæsivi fodiens circa templum. Cumque foderem, inveni corpus ejus ita jacens, sicut illum in somnis videram. Constructoque oratorio feci monumentum præclarum in dextera templi parte, et illic eum deposui. *De S. Theodosio Cœnobiarcha ejusque in solitudine monasterio egimus* XI *Januarii: de S. Quirico, qui hic Quiricus dici videtur, et istic mentio facta, et agetur plenius* XXIX *Septembris.*

*mors ejus apud Moschum mentio,*

*Gregorio Abbati apparens,*

*et reprehendentis neglectum corporis,*

*dein elevati*

# DE S. COLIANO,

## EPISCOPO ADRIÆ IN ÆMILIA.

*G. H.*

*VII FEBR.*

*Adriæ*

**A***dria nobilis quondam urbs Italiæ in Transpadana Æmilia, intra fauces Padi fluminis, non procul a mari sita, quod ab ejus nomine Adriaticum est dictum. Episcopali dignitate creditur statim exornata, atque fidem Christi cum vicinis urbibus amplexa est. Quæ deinde Sedes auctoritate Joannis* X *Pontificis Romani Rodigium, seculo Christi decimo a Paulo Adriensi Episcopo extructum, translata*

*antiqua sedes Episcopalis:*

A *lata est. Quinam Adriæ ante fuerint Episcopi, non liquet. Ughellus tomo* 2 *Italiæ sacræ, agens de Adriensi Episcopatu, ante dictum* Paulum, duos *tantum fatetur se* potuisse Episcopos expiscari: Gallionistum, *cujus meminit Hieronymus Rubens in Historia Ravennate lib.* 4, *et* Leonem *ex privilegio Nicolai primi Papæ: priori assignat annum* DCXLIX, *posteriori* DCCCLX.

2 *In antiquo Martyrologio MS. cui Bedæ nomen præfigitur, quod etiamnum quotidie legitur in illustri Ecclesia Aquisgranensi, ista habentur* VII *Idus Februarii.* Et Coliani Episcopi Adriæ Æmiliæ. *Reliqua nos latent. Solum hæc suborta est dubitatio, num hic Co-*lianus *Ughello et Rubeo forsan foret* Colianistus *sive* Calionistus, *aut* Gallionistus. *Interfuit hic Concilio* D *Lateranensi sub S. Martino Papa, cumque aliis amplius centum Episcopis, Typum Constantis Imperatoris proscripsit, Monothelitarum hæresim, ejusque propugnatores, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Paulum et Pyrrhum Constantinopolitanos Patriarchas, condemnavit anno* DCXLIX. *Inter nomina eorum qui Concilio subscripsere, hoc varie expressum in exemplaribus est: dicitur enim* Gallionistus, Callionistus, et Calionistus, Hadrianensis, *et* Adrianensis Episcopus. *De ea Synodo sæpius egimus, et nuper* VI *Februarii ad Vitam S. Amandi per Philippum ab Eleemosyna: plenius actum ad Vitam S. Martini Papæ* XII *Novembris.*

*S. Colianus Episcopus. an Calionistus* — AUCTORE G. H. — *sub S. Martino Papa?*

# DE S. RICHARDO REGE

## APUD ANGLO-SAXONES IN BRITANNIA,

G. H.

### Commentarius prævius.

§ I. *Familia S. Richardi piissima. Ejus, filiorumque SS. Willibaldi et Wunibaldi Vitæ historia.*

B

AN. CHR. DCCXII. VII FEBR.

Quod *in multis Sanctorum Actis observamus, sæpenumero ejusdem familiæ plures viros fœminasque vitæ sanctimonia excellentes reperiri; id Anglo-Saxonibus, quo primum tempore fidem Christi amplexi sunt, decus proprium fuit. Ita Goscelinus monachus in Vitis Sanctorum describendis apprime gnarus, quam plurimos Cœlitibus adscriptos enumerat* III *Februarii consanguineos S. Werburgæ, filiæ Wulfheri et S. Ermenildæ Regum Merciorum: quam Werburgam istic diximus subinde pro Walburge sumi, filia S. Richardi, de quo hic instituimus agere: de S. Walburge acturi* XXV *Februarii. Fuerunt huic Richardo sancti filii duo, Willibaldus Episcopus Eystadiensis in Germania, et Wunibaldus in illius diœcesi Abbas Heidenheimensis, ubi etiam S. Walburgis eorum soror Virginibus præfecta. Coluntur autem Willibaldus* VII *Julii, Wunebaldus* XVIII *Decembris. De S. Bonifacio eorum consanguineo infra dicemus.*

*S. Richardus pater S. Walburgis, et S. Willibaldi et Wunibaldi.*

2 *Acta S. Richardi dolemus ab nemine coævo, æque ac filiorum, conscripta, aut certe intercidisse. Ea utcumque, ex S. Willebaldi Hodœporico (is titulus Actis, quibus variæ illius peregrinationes expressæ) et Vita* C *S. Wunebaldi conabimur supplere. Vulgata ea primum tomo* IV *Antiquæ lectionis Henrici Canisii, quæ cum aliis codicibus MSS. collata, ad cujusque natalem edemus. Hic quæ eorum fides sit atque auctoritas, obiter indicandum. Ab eodem utraque auctore conscripta fuisse innuit tum stylus genusque orationis prorsus simillimum; tum Prologus Hodœporici, in quo utriusque Acta Presbyteris et Abbatibus dedicantur; tum denique hæc in Vita S. Wunebaldi verba:* Quæ nuper de gestis venerandi viri Willibaldi Episcopi composuimus, nunc ad alia fratris sui gloriosæ vitæ colloquia properando gradiamur. *Ac deinde,* sicut in alia fratris textura enarravimus. Fœminam *se auctor fatetur in Hodœporico,* et fragili sexus imbecillitate corruptibilem, nulla prærogativa sapientiæ suffultam, aut magnarum virium industria elatam; sed spontanea voluntatis suæ violentia coactam, non temeritatis audacia fretam *etc. additque se,* ipso Willibaldo vidente et referente; de oris sui dictatione audire, et nihilominus scribere duobus Diaconibus testibus, et simul audientibus IX Kalend. Julii: *ac sub finem repetit,* se *ea* ex illius ore perscripsisse in monasterio Heidenheim. *Ad quæ Glossographus in Rebdorfensi codice apud* Canisium *adscripserat,* hinc conjici S. Balpurgam *seu Walburgem,* scripsisse hanc Legendam, quia etiam in prologo asserit se esse de parentela S. Billibaldi: *dum* se, indignam tamen, de illorum genealogiæ stirpe, non aliunde, prognatam *ait. Ubi iterum in glossemate margini adscripto,* forte hæc illustris fœmina S. Balpurgis fuit. *Medibaudus* E *in Rythmis de S. Walburge* XXV *Februarii edendis testis est, hanc* utriusque *fratris* breviter, sed veraciter, conscripsisse Vitam insignissimam. *Idem scribit Adalbertus, de quo mox agemus. Dubios interim nos reddunt hæc in Vita S. Wunebaldi verba:* Compertam atque conscriptam atque ex brevitate transcursam Vitam B. Wunebaldi Christi Confessoris, quod a sorore ejus, et ab aliis venerandis viris, qui illi per familiaritatem et amicitiam conjuncti fuerunt, præsertimque ab eis, qui illi in discipulatu et magisterio subditi fuerant, relatione didiceram. Illa vero, quæ nunc capitulamus, atque disputamus, oculis nostris vidimus. *Translationi quoque corporis S. Wunebaldi ad monumentum novum scribit adfuisse* S. Willibaldum fratrem Episcopum et sororem ejus, quæ post obitum beati viri monasterium habebat. *Quæ nisi ab alia quapiam adjecta velimus, eam Vitam innuunt a S. Walburge non fuisse conscriptam. Fœminam tamen se prodit* opaca mentis ignavia præpeditam. *Ceterum, quod huc facit, antiqua hæc, et ab oculatis testibus conscripta Acta omnem prorsus merentur fidem, sive eorum auctor fuerit S. Walburgis, seu sub hac Abbatissa sanctimonialis Heidenheimensis ejus consanguinea, seu denique quispiam alius eadem continuarit.*

*Vita ejus illustranda ex horum Actis, scriptis ab eadem fœmina, tum ipsis vivente, forte S. Walburge, aut alia eorum consanguinea.*

3 *Floruit apud Eystadienses Reginoldus* XI *Episcopus, quem ferunt ei Sedi præfuisse ab anno* DCCCLX., *ad annum ejusdem seculi* LXXXIX. *Hunc Bruschius libro de Germaniæ Episcopis tradit* scripsisse Vitas SS. Nicolai, Blasii, Willibaldi item ac Wunibaldi fratrum. *Henricus Canisius ad calcem tomi* IV *Antiquæ lectionis aliam Vitam S. Willibaldi edidit, cujus auctorem facit hunc Reginoldum Episcopum,* conjectura, *inquit,* pene certa: *quam conjecturam variis argumentis confirmat. Contra animadvertit Gretserus noster in catalogo Episcoporum Eystadiensium, esse quæ persuadeant Reginoldum hujus vitæ auctorem non esse. De his alibi.* F

*Aliam Vitam S. Willibaldi videtur scripsisse Reginoldus Episcopus*

4 *Hanc alteram Vitam, seu potius Itinerarium, adjungit idem Canisius ex codice MS. monasterii Oxenhusani, cujus auctor hactenus incognitus,* procul dubio *(inquit Canisius)* habuit Hodœporicon *prius a sanctimoniali* Heidenheimensi conscriptum: *quod stylo paullo limatiore versis plurimis, additisque nonnullis, haud inscite interpolavit.*

*aliud Hodœporicon auctor incertus,*

5 *Inter Abbates Heidenheimenses clarus doctrina extitit Adalbertus, temporibus Eugenii* III *et Adriani* V *Pontificum. Hujus extat de Sanctis Eystettensibus et Heidenheimensi monasterio commentariolus a Gretsero lib.* 2 *Observationum Eystettensium cap.* 7 *editus,*

*Gesta Eystadiensium et Heidenheimensium*

*ex*

*AUCTORE G. H. Adalbertus Abbas:*

A *ex quo infra promemus epitomen Vitæ S. Richardi, quam auctor præfatur* ex scriptis S. Walpurgæ Virginis *a se contractam esse; reliquam vero lucubrationem de SS. Willibaldo et Wunibaldo contextam esse ex commentariis de rebus fratrum a S. Walburge scriptis. Plurima autem, quæ Adalbertus adfert, in Actis supra memoratis continentur, ut videatur ea S. Walburgi adscribere.*

*Vitam S. Willebaldi Philippus Episc.*

6 *Philippus Ecclesiæ Eystadiensis Episcopus* XXXIX, *anno* MCCCXXII, *die Februarii* XXV *vita functus, Vitam S. Willibaldi admodum prolixam scripsit, quam Gretserus fusiorem reddidit, additis observationum duobus libris, in quibus plurima a Philippo tradita, aut rejicit, aut modeste dissimulat, aut dextre exponit.*

*sermones de his Sanctis monachus Rebdorffensis.*

7 *Demum Rebdorffensis monachus incerti nominis, Divos Eystettenses aliquot sermonibus laudavit, quos ex codice MS. Rebdorffensi vulgavit Georgius Stengelius noster. Auctor non adeo antiquus est, utpote qui Maximilianum Regem Romanorum in Flandria captum referat, ac voto visitandi S. Willibaldum facto, liberatum. De auctoribus variis Vitæ S. Walburgis accurate dicemus* XXV *Februarii. Atque ex hisce circa Vitam S. Richardi nonnulla hic discutiemus, satis aliquin intricata, dein aliquot vitæ ejus epitomas seligemus.*

*Duplex compendium Vitæ S. Richardi,*

B 8 *De ipso enim Richardo, ut diximus, pauca ex instituto scripta olim, et nonnisi aliquot post ejus obitum seculis. Ex iis est compendium Vitæ, quod infra damus, a Surio ad* VII *Februarii, a Baronio ad annum Christi* DCCL *num.* 5, *et Italice a Cæsare Franciotto de SS. Lucensibus, et Sylvano Razzio de SS. Hetruscis editum. Id passim Epitaphium appellatur ob versus aliquot adjunctos. Aliam vitam perbrevem jungemus ex Passionali MS. cœnobii Budecensis Canonicorum Regularium prope Paderbornam in Westphalia, a Joanne Gamansio nostro inde submissam. In ea refertur occasio corporis elevati, partisque sacrorum cinerum in Germaniam translatæ. Addemus demum nonnulla miracula ex Franciotto, Latine reddita.*

*et miracula.*

## § II. *Ætas S. Richardi et Filiorum.*

*Antiquum hoc et expolitum epigramma Heidenheimii olim legebatur, a Gretsero lib.* 1 *Observationum cap.* 7 *editum.*

Hic Wunibaldus Richardi filius almus,
Qui regnum Anglorum mox linquens, hoc monachorum
Claustrum fundavit, Benedictique rigavit
C Nomine, septingento quinquagesimoque anno.

*Heidenheimii monasterii extructi anno 750,*

*Quod epigramma, quamvis non existimemus ab auctore coævo factum, domesticum tamen et satis solidum in observato temporis charactere auctoritatem obtinet; quod istic erecti olim cœnobii annus ex Principum privilegiis, fundatorumque, donationibus potuerit accuratius sciri. In hoc autem Heidenheimio* Wunibaldum decem fere annos Abbatem fuisse *legimus in Actis mirabilibus ibidem conscriptis; unde Gretserus loco citato, Raderus tomo* III *Bavariæ sanctæ, Carolus Stengelius in hujus a se edita* Vita, *inferunt eum anno* DCCLX *vita functum esse. Verum cum* ultimus dies vitæ *illi fuerit,* feria sexta, una hebdomada ante Natalem Domini, *sive* XVIII *dies Decembris, ac postridie sepultus sit* sabbato XIV Kalendas Januarii; *necessario rejiciendus est ad annum sequentem* DCCLXI, *quo cyclo Solis* XIV, *littera Dominicali* D, *Nativitas Domini et dies* XVIII *Decembris in feriam sextam, et* XIV *Kalendas Januarii in sabbatum convenerunt, ut aut minor aliquis numerus unius alteriusve anni a Poeta fuerit neglectus, aut Heidenheimium aliquamdiu ante extrui sit cœptum, quam monachis istic collectis censeatur datus Abbas* Wunibaldus.

*Abbas annis 10 S. Wunibaldus,*

*videtur obiisse anno 761,*

10 *His positis, quia in eadem Vita S.* Wunibaldus tunc cum *moreretur, traditur* fuisse annorum LX *ætate, recte inferimus circa annum Christi* DCCI *natum esse, et S. Willibaldum fratrem, quem triennio juniorem fuisse ex tempore suscepti Episcopatus infra constabit, circa annum* DCCIV. *Atque hinc S. Richardi manifesta est ætas. Nam, ut in Hodœporico priore S. Willibaldi legitur,* Wunebaldus novemdecim, *id est decem ac novem,* annorum ætate jam grandævus, *et ipse* Willibaldus, cum ad lanuginem et pubertatis adolescentiam pervenisset, *sedecim jam natus annos, animum S. Richardi parentis, ad longam versus limina Apostolorum suscipiendam peregrinationem, expugnarunt. Ea expedito jam annorum calculo sub initium æstatis anni* DCCXXI *cœpta nobis videtur, et sequente* DCCXXII *S. Richardi obitu retardata. Qui annus ex reliqua S. Willibaldi peregrinatione, ac vitæ decursu, plane confirmatur.*

D

*anno ætatis 60, natus anno 701,*

*et S. Willibaldus anno 704.*

*cum iis patria cedit S. Richardus anno 721,*

*obiit anno 722*

11 Anni peregrinationis Willibaldinæ, *juxta Hodœporicum,* quod patria sua transivit, decem fuerunt: quod de Roma, *usque dum* Hierosolyma *rediit,* in monte Cassino *factus est monachus, anni septem; alibi octo: in eo dein monasterio* decem annorum intercapedo transacta. *Ex* monte *ergo* Cassino Romam venit Willibaldus *circa* festum S. Andreæ *anno* DCCXL, *et* post Pascha *anni sequentis in Germaniam* ad S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, *consanguineum suum,* missus est a Pontifice Gregorio III, *eodem adhuc anno* DCCXLI *die* XXVIII *Novembris defuncto. Hinc falli Carolum Stengelium colligimus, tradentem hanc S. Willibaldi legationem susceptam anno* DCCXLIV, *ac differri debere discessum e patria ad annum* DCCXXIV, *atque e vita migrasse S. Richardum anno* DCCXXV. *In hoc suo ex Italia regressu,* Roma Willibaldus *(quod in ejus Actis traditur)* Lucam venit, ubi pater ejus requiescebat. *Inde* Ticino, Brixia, *aliisque secundum illud Hodœporicum, urbibus peragratis, venit ad* Odilonem Ducem *Bavariæ,* Suitgarium Comitem, *ac tandem ad* S. Bonifacium, *a quo cum* Suitgario Eystadium *missus, locum habitationis exploravit selegitque. Inde* Frisingam *reversus, cum* S. Bonifacio fuit usque dum omnes simul iterum veniebant ad Eystet. *Quæ omnia facta sunt, antequam Sacerdos anno* DCCXLIV *festo S. Mariæ Magdalenæ ordinaretur. Stengelius ea intra tres menses omnia constringit, et hanc annum ab ordinationem serius facta tradit, quæ triennio citius contigisse demonstravimus. Sacerdos ordinatus, Eystadii anno integro permansit, tum ad fratrem* Wunibaldum *in Thuringiam missus,* tribus ante natale S. Martini hebdomadibus in Episcopum consecratus est quadraginta et unius annorum ætate. *Annus is a Philippo traditur in ejus Actis* DCCXLV, *quem confirmant, teste Gretsero, communis hominum persuasio, ac vetera monumenta; et jam tradita ratio ex Actis Willibaldinis collecta. Idem Philippus, quem Bruschius aliique sequuntur, obitum ejus conjicit in annum Christi* DCCLXXXI, *ætatis ejus* LXXVII, *et administrati Episcopatus* XXXVI; *quæ nos dum certiora proferantur monumenta, sequemur.*

E

*S. Willibaldus diu peregrinatur*

*in Germaniam mittitur anno 741*

*invisit sepulchrum S. Richardi patris.*

*ordinatur Sacerdos anno 744,*

*Episcopus Eystadiensis anno 745,*

F

*obiit anno 781*

12 *Hinc primo arguitur scriptor Vitæ S. Swiberti Episcopi primi Verdensis, sub nomine Marcellini Presbyteri hujus discipuli editæ. Hic enumeraturus* XII *Apostolicos viros ex Britannia in Frisiam missos, ita scribit:* Fuerunt autem hi missi Willibrordus, Suibertus, Acca, Wigbertus, Willibaldus, Wunibaldus, Lebuinus, duo Ewaldi, Werenfridus, et ego minimus omnium Marcellinus, qui hanc historiam, sicut et Willibrordi, conscripsi. Omnes præfati Presbyteri ac Sacerdotes fuerunt, ac sanctissimus Adelbertus Levita... Igitur præfati duodecim prospero vento in Wiltenburg, seu Trajectum, advehuntur anno sexcentesimo nonagesimo, Pontificante Romæ Apostolico viro S. Sergio anno suo tertio. *Scilicet Presbyteri hic nominantur, antequam nati,* Wunibaldus *ac Willibaldus; de quibus hæc additur:* S. Willibaldus Orientalem Franciam adiens, Aureatensis, sive Eystatensis,

*Mendax pseudo-Marcellinus in Vita S. Swiberti,*

A Eystatensis, Episcopus effectus est. S. Winnebaldus frater ejus Hyndelamensis Abbas est ordinatus. Quorum germana fuit Walburgis. *Utrumque illum, cum is scriberet, anno (ut præfatur) post S. Bonifacii obitum quarto, Christi* DCCLIX, *adhuc superstitem, Sanctorum catalogo adscribit. Baronius dicto anno* DCXC, *refert num. 8 inter Apostolicos viros in Frisiam missos SS. Willibaldum et Wunebaldum, quos deinde anno* DCXCVII *creatos* Prælatos *scribit num.* 9, Willibaldum Eystatensium Episcopum, Winibaldum Heyndelamensem Abbatem.

*Othloni in Vita S. Bonifacii,*

13 *Secundo emendandus est Othlonus in Vita S. Bonifacii, aliquot seculis co junior : quem tradit* in provinciam patriamque suam misisse exinde tam fœminas, quam viros religiosos, scientiaque varia imbutos, plures venire fecisse, suique laboris onus inter eos divisisse. Inter quos erant præcipui quidam viri Burchardus et Lullus, Willibalt, et Wunibaldt frater ejus, Witta et Gregorius : fœminæ vero religiosæ, matertera scilicet S. Lulli Chunigilt, et filia ejus Berathgit, Chunidrut et Tecla, Lioba et Waltpurgis soror Willibaldi et Wunibaldi. *Baronius iterum, ob hæc Othloni verba, statuit anno Christi* DCCXXV *primum a S. Bonifacio evocatos SS. Willibaldum et* B *Wunibaldum in Germaniam venisse : quæ ex Hodœporico et Vita Wunibaldi refutata sunt.*

*scriptoris epitaphii S. Richardi*

*quos Baronius secutus.*

14 *Denique improbantur, quæ in priore Vitæ S. Richardi compendio, sive ejus epitaphio, traduntur, scilicet Richardum parentem cum filiis ex Anglia in Germaniam ad S. Bonifacium abiisse, filiisque apud eum relictis Alpes solum transiisse, et longis voluntarie peractis exilius Lucæ diem extremum obiisse. Baronius eadem denuo statuit anno* DCCL, *relato ibidem num. 4 dicto S. Richardi epitaphio : atque idem repetit in Notis ad Martyrologium Romanum* VII *Februarii, ubi addit* S. Richardum vixisse temporibus Zachariæ Papæ, qui sedere cœpit anno Domini DCCXLI. *Verum idem Baronius ad calcem tomi* XII *in Addendis et Emendandis*

*errores emendat.*

*ad annum* DCCXXV *scribit*, post hæc edita emersisse in lucem et typis edita triplicia Acta S. Wilibaldi, nec non Winibaldi atque Walpurgæ a Canisio collocata tomo IV Antiquæ lectionis, quibus quidem ista corrigenda sunt, eo quod Willibaldus non ex Anglia, sed ab urbe Roma vocatus fuerit tempore Gregorii III a S. Bonifacio, et Winibaldus ab eodem Bonifacio, cum Romam est profectus, inde deductus. *Et ad annum* DCCL *emendat :* Si certum tempus exploretur obitus S. Richardi, ex antiquioribus monumentis in- C veniri eum, subducto numero annorum ejus filiorum adventus in urbem, contigisse sub Gregorio Papa II, *scilicet ut statuimus anno* DCCXXII. *Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum, Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ,* VII *Februarii, Franciottus in Vita S. Richardi, aliique recentiores errantem Baronium secuti sunt; at non dicta retractantem : ut vel ideo hæc longiori serie deducenda esse censuerimus.*

## § III. *Patria SS. Bonifacii, Richardi ac filiorum, apud Occiduos Saxones in Britannia I.*

*S. Richardus vixit tempore SS. Ceadvallæ et Inæ.*

B*eda lib. 5 Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum cap. 7, postquam sanctos Reges* Ceadvallam et Inam *regno sese abdicasse, ad limina Apostolorum peregrinatos, vitamque Romæ sancte finisse narravit, subdit :* Quod is temporibus plures de gente Anglorum nobiles, ignobilesque, laici et Clerici, viri ac feminæ certatim facere consueverunt. *Inter hos nobiles numeramus S. Richardum ejusque filios. Vixit ille sub utroque : sub Ina nati SS. Wunibaldus, Willibaldus, Walburgis. Mortuus est S. Ceadvalla secundum Bedam anno* DCLXXXIX, *die* IX *Kalendarum Maiarum : illi eodem anno subrogatus Ina, qui deinde cognato suo Adelardo, regnum reliquit, Romamque profectus est anno* DCCXXVIII, D *quem* VI *Februarii diximus, tenuisse has occiduorum Saxonum provincias, Southamptoniam, Bercheriam, Wiltoniam, Dorsetiam, Somersetiam, Devoniam et Cornwalliam : et quas adjecerat Ceadvalla Southsexiam ac Suthreiam, insulamque Vectam, deleto Australium Saxonum regno. Adjacent hæ provinciæ Oceano Britannico, objectæ Galliarum littoribus : atque in hæc Richardus ac filii* de navi egressi, tentoria fixerunt in ripa fluminis, quod vocatur Sigona, juxta urbem, quæ vocatur Rotum. *Ita Hodoeporicon antiquum S. Willibaldi, in cujus altera Vita sub Reginoldi nomine, urbs ea* Rotumacum *dicitur, vulgo* Rotomagum, *emporium celeberrimum ad* Sequanam *fluvium, quem* Sigonam *etiam appellat Fredegarius in Chronico cap.* 20, 24 *et* 79, *qui auctor eodem quo SS. Willibaldus et Wunibaldus tempore, vixit.*

*AUCTORE G. H.*

*Regnum Occiduorum Saxonum,*

*ad Oceanum,*

*e regione Galliarum,*

16 *Inter* Clericos, *quos Beda scribit* certatim istis temporibus consuevisse peregrinari ad limina Apostolorum *et exteras regiones, censendus est S. Bonifacius, Archiepiscopus Moguntinus, qui S. Wunibaldo traditur in antiqua hujus Vita* carnali propinquitatis et sanguinis copulatione sociatus et glutinatus : *ut eadem omnium statuenda sit patria, quam Wolfardus Haserrietanus, qui circa annum Christi* DCCCC *floruit,* E *in Vita S. Walburgis Britanniam vocat.* Hujus eminentis, *inquit,* arboris ramus extitit Bonifacius. Ejusdem floridæ atque frondosæ arboris Britannicæ rami ad nos usque extitere protensi, duo beati Confessores Willibaldus et Wunibaldus, cum castissima sorore Virgine Christi Walpurga. *In ea autem Britanniæ parte habitarunt, quam tum Saxones incolebant : ita* S. Wunibaldus *in antiqua Vita,* voluit Saxonicam iterum propriæ nativitatis terram visitare, *et Vita S. Willibaldi Reginoldo attributa sic incipit :* Originem egregii Confessoris Christi atque Pontificis Saxonica tellus excepit, *qui, sicut mos est* Saxonicæ gentis, *coram Cruce Deo oblatus sanitatem recuperavit, ut tradit in Hodœporico consanguinea illius auctor, quæ in Prologo se vocat* indignam Saxonica de gente, istic venientium novissimam. *Ipse S. Bonifacius in epistola* 1 *ad Zachariam Papam tomo* 1 *Conciliorum Galliæ, se* in Transmarina Saxonia natum et nutritum fuisse *ait,* in qua Ecclesia imprimis a discipulis S. Gregorii, id est, Augustino, Laurentio, Justo, Mellito Archiepiscopis constituta et ordinata fuit. *Fuerunt hi Archiepiscopi Cantuarienses, et coluntur Augustinus* XXVI *Maii, Justus* X *Novembris, Mellitus* XXIV *Aprilis, Laurentius* II *Februarii, ubi de eorum* F *missione egimus : iterum acturi* XII *Martii ad Vitam S. Gregorii. Ex quibus omnibus manifestum est,* Saxoniam *hic* Britannicam, *sive, ut S. Bonifacius ait,* Transmarinam *intelligi.*

*consanguineus S. Bonifacius, et ipse filiique*

*Britanni,*

*ex gente et terra Saxonica*

*transmarina*

17 *Natus est* S. Bonifacius Cridianti, *nunc contracte* Kirton, *oppido Devoniæ, ad fluvium* Credonum, *qui inde* Exoniam *defluit provinciæ Metropolim, Romanis* Iscam Dannoniorum, *Anglo-Saxonibus* Exanceaster, *sive etiam a monachis* Monketon, *seu* Monasterium, *dictum. Hinc* S. Bonifacius *teste S. Willibaldo in Vita ejus cap.* 1, quinquennis directus est ad Monasterium, quod priscorum vocabulo nuncupatur ad Estanceastre, *cujus erat Abbas Wolfhardus. Inde cap.* 2 *traditur missus* ad Wynbertum Abbatem Nuiscellensem *in Southamptonia; a quo et Abbatibus* Wintra monasterii Disselburgii, *aut* Wisselburgii, et Beorwaldo monasterii Glastoniensis *in Camersetia, aliisque viris Ecclesiasticis ad* S. Inam Regem, *qui cum illis in* Synodali Concilio, *aderat, teste eodem S. Willibaldo cap.* 4, *evocatus est, atque* imposita a Rege legatione ad Archiepiscopum Cantuariensem Berechwaldum, *sive* Bertowaldum est directus : *dein, ut ibidem cap.* 5 *refertur, ne in locum demortui sui Abbatis subrogaretur,* a S. Daniele Episcopo Wintoniensis

*S. Bonifacius Devonius,*

*monachus in Southamptonia, S. Ina Rege,*

*et S. Daniele Episcopo Wintoniensi,*

urbis

AUCTORE G. H.

A *urbis in Hamptonia celeberrimæ, (de quibus et locis et viris plerisque actum est ad Vitam S. Inæ § 4) acceptis commendatitiis* Romam *profectus ad* S. Gregorium Papam II, *qui ab anno* DCCXIV *Ecclesiæ præfuit usque ad annum* DCCXXI, *quo e vita migravit* XIII *Februarii. Colitur* S. Daniel *Episcopus* X *Decembris.*

*In ejusdem regno habitarunt S. Richardus filiique,*

18 *In eodem Occiduorum Saxonum regno habitarunt S. Richardus ejusque filii. Nam* Saxonica de gente *fuerunt, et* Saxonicam propriæ nativitatis terram *habuerunt: cujus gentis occiduum regnum cæteris magis notum erat et Saxonum præcipuum. Erant iidem propinqui, erant et consanguinei S. Bonifacii, in illo regno et nati et educati. Et vero B. Wunibaldus in hujus Vita præclaram indicat se regni illius habere notitiam, ob quam etiam antedictum Episcopum Wintoniensem* beatæ memoriæ Danielem *appellat. Atque in eadem qua S. Daniel Episcopus provincia vixit, secundum Hodoeporicon sub* Abbate Egbaldo, *seu* Eguivaldo, *in monasterio* Waltheim *quod* Bishwaltham, *seu* Forestamde Waltham *modo dici arbitramur, ubi amplæ deinde ædes Episcopi Wintoniensis extructæ. Denique inde Oceanum ingressi navigarunt in Gallias. Nam congruo* æstatis tempore, *ut refertur in Hodoeporico,* prompti ac parati, sumptis secum vitæ stipendiis cum collegarum cœtu comitantium, ad loca venerunt destinata, quæ prisco dicebantur vocabulo Hamelea mutha, juxta illud mercimonium, quod dicitur Hambich.

*S. Willibaldus monachus in Hamptonia,*

B

*ex ea provincia naves conscendunt,*

*Locum indicat Beda lib. 4 Historiæ cap.* 16, *ubi ait* ostium fluminis Hamelea intrare pelagus Solente interpositum inter Vectam insulam et terram Gevissorum, *id est Occiduorum Saxonum.* Hamble *is nunc fluvius contracto vocabulo appellatur, et* Hamble haven, *quæ istic* Hamelea mutha *(ita enim legendum arbitramur) ante dicebatur; ut reliquæ apud eosdem Saxones istic urbes maritimæ adhuc nuncupantur:* Porthmuthum, Yimuthum, Exemuthum, Sidemuthum, Dermuthum, Plimuthum, Volemuthum *etc. Nec procul abfuit* Hamuich *emporium olim situm ad interiorem sinum, in quem influit Alramus, Wintoniam ante præterlapsus, ad cujus utramque ripam docet Cambdenus in Belgis illud stetisse, atque ad* Bittern *pagum,* ostendi rudera, parietinas et fossas antiqui castri; *e cujus cineribus commodiore loco* Southamptona *extructa. In provincia ergo Hamptonia natale solum S. Richardo ejusque filiis verosimilius fuit. Inde navigarunt in Gallias. In monasterio Walthamensi a quinto ætatis anno pietatem edoctus Willibaldus, in notitiam devenit S. Danielis Episcopi Wintoniensis. Ab hoc acceptis commendatitiis litteris Romam ivit S. Bonifacius, in ejus diœcesi, et forte urbe Wintoniensi monasticam ante vitam professus, ex Devonia eo missus: ex qua etiam provincia parentes ejusdem S. Bonifacii oriundos fuisse non improbabile est. Certe ex regno Occiduorum Saxonum solam Southamptoniam provinciam in sua diœcesi habuit Wintoniensis Episcopus Daniel: ut ad Vitam S. Inæ Regis* § 4 *diximus. Pitseus, secutus Balæum, lib. de Scriptoribus Angliæ,* S. Willibaldum Devonium *facit.*

*istic probabiliter nati,*

C

ANIMADV. PAP. 22

## § IV. *S. Richardi nobilitas, divitiæ, Regia dignitas.*

*Ab anno 673 Subreguli plures apud Saxones Occiduos,*

H*ic nodus cæteris difficilior visus, sed capta methodo ex antiquis scriptoribus solvendus. Beda lib. 4 historiæ cap.* 12 *tradit* mortuo Occidentalium Saxonum Rege Coinwalch *sive* Kenwalchio, *(quod anno Christi* DCLXXII *contigit)* accepisse Subregulos regnum gentis, et divisum inter se tenuisse annis circiter decem, ipsisque *deinde* devictis atque submotis Subregulis, Ceadvallam suscepisse imperium: et cum hoc duobus annis tenuisset, Romam abisse, ibique vitam finivisse: *cui tum S. Inam successisse supra diximus: cujus tempore adhuc Subregulos istic aliquos fuisse certum est. Quot ante simul imperarint, nusquam legimus: imo alii passim scriptores inter Kenwalchium et Ceadvallam memoratos solos a Beda Reges interponunt* Escwinum et Centuinum *ex priorum stirpe Regum oriundos. Illius initium referunt ad annum Christi* DCLXXIV, *cui biennio post alterum volunt subrogatum. His tertium adjungit* Regem Baldredum *Cuthredus, eorumdem Saxonum Occidentalium regnum adeptus anno* DCCXLI, *qui in diplomate, anno* DCCXLVII *dato, Glastoniensi monasterio confirmat* donationes priorum Regum Kentwynes, Baldredes, Ceadwallan, Ines, et Athelardes. *Extat cum dicto diplomate in MS. codice Glastoniensi,* Charta Baldredi Regis, scripta anno DCLXXXI *hoc exordio:* Omnia quæcumque secundum Ecclesiasticam normam justo moderamine decernuntur, quamquam proprium robur jure obtineant, attamen, quia incertus humanæ vitæ status evidenter agnoscitur, paginis saltem in libris pro ampliori firmitate roborentur. Denique ego Baldredus Rex ob amorem cœlestis patriæ, et indulgentiam criminum meorum, aliquam terræ portiunculam Hamgislo Abbati libenter ad supplementum honorabilis ecclesiæ B. Mariæ et S. Patricii confero, cum consensu Pontificis nostri Heddi (qui etiam eumdem venerabilem Hemgislum, Kentwino Rege consentiente, ibidem Abbatem pro fideli sua conversatione constituit) et ceterorum cognatorum gubernacula regni regentium. Prælargita vero terra est super verticem montis, cujus vocabulum est Pennard *etc. Subnotatur* signum manus Baldredi Regis. Scripsit Hedde Episcopus. Subscripsit Aldelm Abbas: *qui deinde factus est primus* Episcopus Schireburnensis *et colitur* XXV *Maii, uti* S. Hedda VII *Julii. Meminit hujus chartæ Usserius cap.* 6 *Rerum Britannicarum. En* Baldredus Rex, *et plures* cognati *simul cum eo* regentes, *quos a Ceadvalla* submotos *vult Beda. Inter eos fuit* Athelardus *frater Reginæ Ethelburgæ, nuptæ Regi Inæ: qui eisdem monachis Glastoniensibus plurima prædia donavit, privilegiaque confirmavit,* hortatu, *ut ait,* Baldredi et Athelardi Subregulorum: *ex quibus* Baldred Pennard sex hidas, Athelard Pohelt sexaginta hidas, eo annuente et confirmante, dederunt: *et post Regem Inam et Reginam hac formula subscribunt:* Ego Baldredus Rex confirmavi. Ego Adelard frater Reginæ consensi. *Deinde subscribunt* Beorthwaldus Archiepiscopus Dorobernensis, et Episcopi Daniel Wintoniensis et Fordredus Schireburnensis, anno, *ut additur,* DCCXXV. *Sed forte legendus* XXI, *ob Indictionem* IV *adjunctam. Hoc privilegium protulimus ad Vitam S. Inæ* § 3. *Ubi etiam* § 4 *egimus de* Cissa Abingdonensis monasterii *in Berchcria* fundatore, Rege Occidentalium Saxonum *a Cambdeno aliisque habito, et* § 5 *de quodam* Nun, *qui* propinquus Inæ Regis, *cum eo* contra Regem Walliæ anno DCCX bellum gessit. *Hos tamen Cissam et Nun nonnisi* Subregulos *in regno Occidentalium Saxonum agnoscimus. Demum* § 7 *dedimus competitorem regni, postquam illud Romam abiens Ina reliquit,* Oswaldum Clitonem, *id est, juxta Spelmannum in Archæologo,* filium Regis *eodem cum S. Ina proavo Cuthwino genitum; cujus proinde parens* Ethelbaldus, Rex *habitus, inter hos Subregulos necessario numerandus.*

D

*ex iis Reges habiti Escwinus, Centuinus,*

*Baldredus*

E

*Rex cum aliis cognatis,*

*etiam S. Ina regnante,*

*alii Subreguli:*

F

*tum S. Richardus*

20 *Jam illustrem S.* Richardi *familiam eodem istic tempore fuisse patet ex Hodoeporico* S. Willibaldi, *quem* triennem gravi corporis aggravatum ægritudine, parentes ejus obtulerunt coram Dominica sanctaque Cruce Salvatoris. Quia sic mos est Saxonicæ gentis, quod in nonnullis Nobilium bonorumque hominum prædiis non ecclesiam, sed sanctæ Crucis signum Domino dicatum, cum magno honore almum, in alto erectum, ad commodum diurnæ orationis sedulitatem solent habere. *Idem* S. Willibaldus *jam adolescens proposuit* temporales rerum terrenarum divitias

*genere nobilis,*

*dives possessionibus,*

A vitias deserere, *et parentem S. Richardum* a temporalis vitæ falsis divitiarum prosperitatibus segregare. *Qui tandem cum S. Wunibaldo*, sumptis secum vitæ stipendiis, cum collegarum cœtu comitantium, *in Galliam navigarunt*, et de navi descendentes castra metati sunt, et tentoria fixerunt, in ripa fluminis Sigonæ *etc. Idem* Willibaldus, *in altera Vita Reginoldo Episcopo attributa*, patrem, nomine Richardum, genere et rebus clarum, adiit, eique mundi contemptum et peregrinationem suadere cœpit. *Similia leguntur in Vita S. Wunibaldi cum priore Hodœporico scripta. Ibi hic* illuster, nondecim annorum ætate, carnalium suorum affectum postponens, præsertimque propriam hæreditatis patriam contemnens, ignotas peregrinationis prædas probare, penetrareque maluit, quam præsentis vitæ hujus falsis divitiarum florere prosperitatibus : *et* sic sociatus comitatu patris et fratris, *navigarunt in Galliam, ubi* castra metantes paullisper lassata requiescebant membra.

*illustris famulitio,*

21 *En* nobiles *erant, et* genere clari, prædiis, *aliisque* possessionibus *locupletes, et* famulorum comitatu illustres. *Quidni ergo S. Richardus inter eos* Subregulos quos S. Ceadvalla *Beda teste* submovit, *numerandus sit?* B *Locus et tempus congruunt, nobilitas rerumque temporalium affluentia adstipulantur : nomen ipsum Richardi, regum quid sonat Saxonum lingua; virum nempe* potentis, divitis, *ac* fortis indolis. *Ita inter majores Occiduos Saxones* Cenricus *et* Coelricus reges *et postea* Rex Brithricus *primam nominis Richardi syllabam in suo gesserunt; posteriorem vero supra nominatus Subregulus Adelardus, et Inæ in regno successor Æthelhardus. Quod hic observatum volumus contra quosdam ἀγιομάχους, qui cum regno ipsum S. Richardi nomen expunctum volunt, tamquam a moribus ac consuetudine antiquorum Saxonum prorsus alienum. Eodem modo nomina filiorum regium splendorem præferunt, ex quibus* Willibaldus, plurimum *seu* voluntarie audacem *vel* prumptum : *et* Wunibaldus, *seu* Winibaldus, audacem *vel* promptum victorem *significat. Fuerunt Inæ regi duæ sorores, S. Cuthburga et S. Quenburga, ambæ relicto regno temporali sanctimoniales, et forte Abatissæ monasterii Winburnensis in Dorsetiæ versus Hamptoniam parte Orientali : cum quibus aliisve filia S. Richardi* Walburgis, *antiquis fere* Walburga, *ut Cuthurga et Quenburga, dicta, ut vixit aliquamdiu vitam monasticam professa, aut certe magnam coluit amicitiam familiaritatemque : ut in S. Liobæ consanguineæ suæ,* C *atque istic in monastica disciplina exercitatæ, comitatu in Germaniam profecta sit. Coluntur S. Cuthburga* XXXI *Augusti, Quenburga et Lioba* XII *et* XXVIII *Septembris.*

*inter Subregulos censendus,*

22 *Inter memoratos ergo a Beda, Ina, aliisque, Subregulos censeri posse S. Richardum arbitramur, eadem cum reliquis stirpe regia Saxonum Occidentalium Oriundum. Præterea ut ceteros Subregulos, ab aliis passim scriptoribus, et mox ibidem subsecutis Regibus, nomine Regio honoratos, ipsosque eo titulo in subscriptionibus, post mortem etiam S. Richardi, usos fuisse supra ostendimus, quidni regium illi nomen permittatur? Et quamvis ipse filiique, ut in aliena regione melius laterent, hanc suam dignitatem non publicarint : eam tamen ex scriptis S. Walburgis probari testatur Adelbertus Abbas Heidenheimensis in Commentario de restituto monachis Heidenheimio apud Gretserum de rebus Eystettensibus.* Quicumque, *inquit*, genus *et* vitam SS. Willibaldi et Wunebaldi voluerit agnoscere, ex scriptis S. Walpurgæ Virginis, quæ germana soror eorum erat, pleniter poterit ediscere. Scribit enim, quod Richardus Rex Anglorum pater eorum fuerit, qui, cum a puero semper Christianissimus extitisset, regnum et patriam dereliquit *etc. Sed hæc S. Walburgis scripta, vel sub ejus nomine vulgata, aut perierunt, aut adhuc delitescunt. Ex iisdem scriptis forma-*

*an Rex appellandus?*

*ut demum a scriptoribus factum.*



*tum est epigramma de S. Wunibaldo supra relatum, in* D *quo hic dicitur* Richardi filius, regnum Anglorum liquisse. *Eodem modo* S. Willibaldus *ab anonymo Haserietano, qui seculo undecimo sub Gebehardo et Gundecaro II Episcopis Eystettensibus floruit, prædicatur* Regis filius, regnum mundi contempsisse *etc. quæ traduntur a Gretsero in Heriberto* XV *Episcopo. Similia memorat Medibaudus in Rhythmis de miraculis S. Walburgis infra* XXV *Februarii dandis, quæ ante soluta oratione scripserat Wolfardus Haserietanus, ubi hæc habet :*

*AUCTORE G. H.*

Filia Regis erat, sed egenam se faciebat,
Dives ut in Christo regnaret semper in ipso.

*Hæc in Prologo; quæ mox repetuntur hisce Rhythmis :*

Quæ cum esset Regis nata,
Regales divitias
Pro amore summi regis
Penitus contempserat.

S. Bonifacium nobili prosapia Anglorum oriundum *scribit apud Serarium lib. 3 rerum Moguntiacarum notatione 2 ad hujus vitam auctor anonymus, de ejusdem passione, quam v Junii integram dabimus. Eidem Bonifacio regium genus attribuunt versus antiqui in templo arcis Moguntinæ olim appensi, atque ita a Serario descripti :*

E stirpe natus regia Bonifacius E
Britanniam ultro deserens
Auctoritate Pontificis summi fuit
Apostolus Germaniæ.

*Ita quoque S. Richardus, S. Bonifacii consanguineus, et trium aliorum Sanctorum parens, in Epitaphio Lucæ ad ejus sepulchrum appensa, dicitur,* Rex sceptrifer Anglorum regnum demisisse; *Anglorum supposito nomine, quod regna apud Britannos Saxonica desiissent; et Heptarchia deleta, qui tunc rerum potiebantur, Anglorum Reges appellarentur. An etiam apud Saxones Orientales regnarit S. Richardus mox inquiremus.*

## § V. *Fabulosa regna S. Richardo adscripta, et rejecta. Num attribuendum ei regnum Saxonum Orientalium?*

R*egem in insula Britannica S. Richardum fuisse scriptores Catholici passim retulerunt; sed, quod vulgares indiculi Regum, quibus eum regnasse volunt seculis, nullum offerrent Richardum, dubii in varias abierunt opiniones. Quod itidem fecissent aliis supra relatis subregulis, et Baldredo etiam, quem ex diplomatibus Regum, Inæ, Cuthredi, et ipsiusmet Baldredi, Regem fuisse demonstravimus. Thomas Dempsterus lib. 29 historiæ* F *Ecclesiasticæ gentis Scotorum,* SS. Willibaldum, Wunibaldum et Walburgem, *uti etiam* S. Winfridum, *postea* Bonifacium *dictum,* natione Scotos *affirmat, et* sciri ex Historicis Anglicis Richardum Regem Anglorum eo seculo, et circa illa tempora nullum fuisse. *quod argumentum jam solvimus. Quare istum Richardum primus vult fuisse* Maldunum LV Regem Scotorum anno DCLXXXV extinctum, XVI *annis ante S. Wunibaldi nativitatem,* XX *ante S. Willibaldi; quibus multo junior fuit S. Walburgis. Auctores a Dempstero citati, sunt* Tritthemius, Bruschius, Cratepolius, Molanus, Possevinus, Mornanus, Joannes Frisius, *neoterici omnes; et, quo præcipue gloriatur,* Reginoldus Episcopus XI Eistattensis, Sturchandi successor, qui tribus Othonibus carissimus fuit, vitamque scripsit S. Willibaldi et Wunibaldi fratrum. *Eam edidit Canisius, hoc supra citato exordio :* Originem egregii Confessoris Christi atque pontificis Willibaldi Saxonica tellus excepit : *quam cum Scotica eadem esse necdum docuit Dempsterus. Tritthemio vero aliisque, occasionem erroris dedit Marianus Scotus, qui ad annum* DCCXLIII *allegat* epistolam Zachariæ Papæ ad Bonifacium Scotum Moguntinensem Archiepiscopum, datam Kalendis Aprilis anno XXIV regni Constantini.

*Non fuit natione Scotus*

*idem qui Maldunus Rex anno 685 defunctus*

10 sed

A sed imperii ejus anno II, Indictione XI. *Est ea prima* epistola Zachariæ Papæ ad S. Bonifacium *sed alibi nusquam in ulla editione* Scotum *appellatum : imo ipse* Bonifacius, *ut supra diximus*, in *sua* ad Zachariam Papam epistola in Saxonia Transmarina se natum et educatum *scribit*.

AUCTORE G. B.

*neque Teutonicus Dux Sueviæ,*

24 *Philippus Episcopus Eystadiensis cap. 1 vitæ S. Willibaldi tradit*, B. Richardum de nobiliori genere Saxonum per primitivos patres suos originem trahere, natione Teutonicum existere, Ducem Sueviæ, filium sororis Offonis Regis Angliæ, quo sine solatio posteritatis defuncto, communi Optimatum totius Angliæ voto electus in Regem, ad gubernacula regni Anglicani pervenit. *Hæc Philippus, nescius et Saxones Britanniam incoluisse, et Heptarchiam istic Anglo-Saxonicam institutam fuisse; sed ratus, ut sua erat ætate, uni soli, qui Rex Angliæ diceretur, totam eam regionem fuisse subjectam. Munsterus lib. 3 Cosmographiæ, de Offonis-burgo, et ex eo Spelmannus in Conciliis Britannicis sub initium seculi 7 referunt*, Offonem ex regio sanguine anno DCIII venisse ex Anglia, trajectoque Rheno, fidem Christi inter Germanos plantasse, fundasseque monasterium Schuttern, B prope castrum Offenburg ab eo super amnem Kintzih constructum, nunc oppidum imperiale. *Paulus Voltius Abbas Hugonis-curiæ apud Guilimannum de Episcopis Argentinensibus in S. Amando, (cujus Crusius part. 1 Annalium Suevicorum lib. 10, cap. 2 meminit) tradit hujus fuisse* Offonis cognatos ac pronepotes S. Richardum Angliæ Regem, Willibaldum, Wunibaldum et Walburgem, prædicti Richardi sanctam sobolem. *quæ item habet Munsterus agens de regno et ducatu Sueviæ. Ex hoc Offone occasio data comminiscendi S. Richardum Sueviæ Ducem fuisse.*

*ab Offone Offenburgi conditore oriundus.*

25 *Sed alius restat Offa quærendus, frater matris S. Richardi apud Anglo-Saxones Rex, absque ulla relicta prole defunctus. Is est Offa, Rex Orientalium Saxonum, qui anno Christi* DCCIX hortatu S. Kineswithæ filiæ Regis Merciorum Pendæ, cujus nuptias suspiraverat, regnum relinquens, Romam abiit, et attonsus in monachicam vitam habitu complevit, *ut his verbis, qui tum vivebat, scribit Beda lib. 5, cap. 20, absque ulla successoris mentione, quem etiam velata Offæ peregrinatione non indicant Chronologus Anglo-Saxo et Wigorniensis, quamvis referant Selredum, cujusdam Sigeberti Boni filium, Regem Saxonum Orientalium anno* DCCXLVI *occisum, quem Mal-* C *mesburiensis lib. 1 de gestis Regum Anglorum cap. 6, Westmonasteriensis aliique posteriores tradunt Offæ successisse. Quid si S. Richardus, qui anno illo* DCCIX *filium suum juniorem S. Willibaldum quinquennem commisit Abbati monasterii Waltheimensis, tum ex regno Occiduorum Saxonum evocatus, apud Orientales Saxones usque ad suum ex ea insula abitum, aut certe annos aliquot regnarit? Id Philippus Episcopus Eystettensis supra dicere voluit, licet* Teutonicum *et* Ducem Sueviæ, *loco Saxoniæ Transmarinæ appellarit. Certe in Epitaphio Lucensi dicitur etiam* filius sororis Offæ Regis. *Huc non pertinet alter Offa Rex Merciorum S. Richardo junior qui filium Egferthum hæredem reliquit, anno* DCCXCIV *vita sanctum. Inter hujus majores reperitur apud Chronologum Anglo-Saxonem alter Offa, sed duodecim interpositis generationibus : cujus Vita cum Actis Abbatum S. Albani extat, auctore, ut ferunt, Matthæo Parisiensi. Hunc quidam Riganus oppugnavit, sed aliquot S. Richardo seculis antiquior : quod monuisse sufficit.*

*Num avunculo Offæ Regi Orientalium Saxonum surrogatus anno 709?*

26 *Arnoldus Wion, lib. 4 Ligni Vitæ, cap. 24, agens de SS. Willibaldo et Wunibaldo, hæc de parente eorum S. Richardo statuit, primo* nepotem esse Offæ Saxonum Orientalium Regis ex sorore, *uti ab aliis dictum : secundo* filium Lotharii Cantiæ regis anno DCLXXXV occisi, *aut certe, quod antiqui tradunt, e vulnere, in pugna contra Australes Saxones accepto, eo anno extincti : tertio* Cantiæ regno ab Edrico patruele, deinde a Cadvalla et Molone fratre Regibus Saxonum Occidentalium occupato *(saltem, ut alii, anno* DCLXXXVI *vastato)* S. Richardum juvenem admodum relictum, regni cura relicta, ad S. Bonifacium Episcopum, cujus sororem Vunnam, seu Bonnam, in uxorem duxerat, ex eaque tres filios sustulerat, in Germaniam accessisse. *S. Bonifacius iis annis, quos exprimit Wion, adolescens in monasterio Nuscellensi exercebatur, circa annum* DCC *Sacerdos ordinatus : anno* DCCXVIII *Episcopali accepta a S. Gregorio II potestate, in Germaniam venit : ac tandem ab eodem Gregorio anno* DCCXXIII *consecratus Episcopus, captos in Germania labores resumpsit; S. Richardo anno uno prius Lucæ in Italia defuncto. Addit Wion*, Richardum a Suevis Rege carentibus, ob sanguinis Regii nobilitatem, in Regem electum, aliquot annis sapientissime sanctissimeque præfuisse; sed, cum videret se non posse simul Deo servire, ut præoptabat, et mundo placere, voluntaria peregrinatione suscepta, et filiis duobus secum assumptis, regnum terrenum Bonnæ uxori et Walpurgæ filiæ, sub cura S. Bonifacii avunculi sui educandæ, dimisisse, ut æternum acciperet. *Hæc Wion, levi, licet ingeniosa, conjectura : quam solo recentis scriptoris auctoritate firmat.* Franciscus Irenicus, *inquit*, lib. 3 Germaniæ exegeseos, cap. 80 solus nomen patris ejus prodit, sic inquiens : Tunc temporis Suevorum Dux memoratur, qui natione Burgundio ferebatur : secundum quosdam Anglicus. *At quæ subjungit Irenicus, reticet Wion.* Richardus ergo, *inquit ille*, et Erkingerus cum sororio suo Linfrido in Suevorum Principes abiverunt. Verum hi a Conrado Rege Conradi occisi filio, decollati sunt... Conradus ut Ducatum in suam familiam redigeret, suam filiam copulavit Burkardo Suevorum Duci, qui Richardi Ducis prius a nobis allegati filius extitit. *En Richardus ille, quicumque is fuerit, seculis aliquot S. Richardo junior, et capite plexus. Urget Wion in tabula Genealogica adjuncta referre*, Richardo filio Lotharii, et Utina conjuge, natos Willibaldum Episcopum Aichstet. et Urspergh Abbatem. *An voluit* Valpergem Abbatissam *et* Vunnam, seu Bonnam uxorem *scribere? Satis perspicere* Wion *potuit, hæc, ut pleraque apud Irenicum, omnia fœde corrupta esse ac perturbata. Demum quidni ob S. Walburgam confusam cum S. Werburga filia Regis Merciorum, Regem etiam Merciorum crediderunt S. Richardum?*

D

*Non fuit filius Lotharii Regis Cantii,*

*nec regno illo relicto,*

*Rex Suevorum factus,*

E

*confusus cum S. Richardo 200 annis juniore.*

F

## § VI. *S. Richardi cultus sacer. Reliquiæ.*

N*arrato S. Richardi obitu in Hodœporico S. Willibaldi, dicitur* corpus a filiis venuste involutum, et in urbe Luca ad S. Frigdianum tumulatum : *et cum anno* DCCXLI *in Germaniam proficisceretur*, Willibaldus, venisse Lucam, ubi pater ejus requiescebat. *Ibi, ut habent MSS. Acta*, cœpit a Remuneratore bonorum omnium Christo præmiis æternæ beatitudinis laureatus miraculis coruscare. *Et quidem* ab Episcopo cum magna veneratione ad dexterum latus principalis altaris sepultus est. *Sed tum accepta* Ecclesiæ Romanæ auctoritate, Lucensium Antistes corpus de terra sublevatum cum summa veneratione in altari collocavit : *quod altare illi sacrum fuisse ex miraculis infra dandis certum est. Franciottus eam reliquiarum elevationem refert ad annum Christi* MCLII *: additque in templo S. Pontiani servari aliqua ejus ossa cum uno calceorum.*

*Corpus Lucæ sepultum,*

*claret miraculis,*

*elevatur,*

*altari ei dicato.*

28 *Aliquas sibi reliquias petiverunt Eystadienses, quarum meminit etiam Adelbertus Abbas Heidenheimensis in suo commentario.* Quidam, *inquit*, juvenis Eberhardus nomine, qui innumerabilia mala monachis intulerat, et Sacerdoti Elsungo in festo S. Wunibaldi, et in sanctissimo adventu Domini nostri

*Aliquæ reliquiæ delatæ in Germaniam.*

Jesu

A Jesu Christi, dum reliquias S. Richardi Regis ad ecclesiam filii sui S. Wunebaldi deferret, ambulatorem abstulerat, excommunicatus vitam terribiliter finivit. *Aliquas inde ejus reliquias cum sacris pignoribus et aliis S. Walburgis in Angliam delatas esse, et solenni cultu ab* et Angliam : *Henrico VII Rege Cantuariæ depositas, dicemus XXV Februarii ad Vitam S. Walburgis. Aliquas S. Richardi reliquias possidet Ecclesia Volaterrana in Etruria, et tres ecclesiæ Bononienses, uti refert Masinus ad VII Februarii.*

29 *Nomen ejus in Martyrologio Romano inscriptum VII Februarii his verbis* : Lucæ in Tuscia S. Richardi Regis Anglorum. *Menardus addit*, et anachoretæ: Colitur 7 Februarii. *cujus tamen rei nullum extat vestigium. MS. Florarium* SS. Item S. Richardi Regis, patris SS. Willibaldi et Wimbaldi et S. Walburgæ Virginis. *Qui ut additur in Viola Sanctorum*, omnia quæ habuit propter Christum dimisit, et longissimam peregrinationem sumpsit, et tandem feliciter obiit. *Quæ fere eadem leguntur in antiquo Martyrologio Coloniensi, Auctario Molani et Hermanni Greven ad Usuardum. Primo eum loco Martyrologium Germanicum Canisii hoc elogio celebrat* : Hodie est dies S. Richardi Regis Angliæ, patris S. Walpurgæ et SS. Willibaldi et Wunibaldi, qui post obitum conjugis suæ regnum ob Christum B reliquit, et cum tribus liberis peregrinationem ad sacrum sepulchrum videndum suscepit : sed cum Lu- non sine mendis Martyrologiorum. cam in Italiam pervenisset, beato istic fine quievit et multis miraculis claruit. *S. Walburgem in patria cum matre adhuc superstite fuisse relictam, dicemus ad ejus Vitam. In Martyrologio Sarisburiensi Richardi Witfordi hæc leguntur* : Natale S. Richardi Confessoris Regis Angliæ, qui relicto regno ex magna pietate Romam profectus est cum duobus filiis S. Willibaldo et S. Wunibaldo, unde regressus in civitate Lucensi mortuus est : at filiorum alter factus est Episcopus, alter Abbas ; quorum soror, Regis filia, S. Walburgis facta est Abbatissa, claruit magna sanctitate et magnis miraculis. *In Martyrologio Anglicano Joannis Wilsoni, hæc ex Wione et Epitaphio Lucensi, non sine mendis referuntur* : Lucæ in Italia depositio S. Richardi Confessoris, filii Lotharii regis Cantiorum, qui ob majus Dei obsequium, assumpta longa peregrinatione venit Romam, veneraturus loca sancta : cumque inde reverteretur, obiit Lucæ circa annum Christi DCCL, ibidem hoc die cum debita veneratione in sacello S. Frigidiani sepultus, et Epitaphio tam soluta oratione quam versibus adornatus. *Ghinius etiam in Natalibus SS. Canonicorum, ac Ferra-* C *rius in Catalogo SS. Italiæ, longas illi et difficiles peregrinationes, relictis filiis apud S. Bonifacium, tribuunt : et sub Zacharia Papa ex hac vita tradunt migrasse, Ghinius anno DCCXLI, Ferrarius DCCLXXI, sed mendo typographico. S. Zacharias Ecclesiæ præfuit a VI Decembris anni DCCXLI vita functus XV martii anni DCCLII. Sed menda hæc, fundamentis supra solide firmatis, ultro corruunt. Gelenius in sacris Fastis Ecclesiæ Coloniensis eumdem refert.*

et 4 Februarii. 30 *Acta MSS. diem Elevationis reliquiarum ejus assignant II Nonas Februarii, quo die in Auctario Hermanni Greven ad Usuardum, et Martyrol. Colon. refertur* S. Richardus Anglorum Rex et Martyr, *quem forsan alium ab hoc arbitrati sunt illi auctores. In annotatis in Carthusia Bruxellensi ad eumdem Usuardum* et 4 Augusti. *hæc leguntur IV Augusti* : In Luca memoria B. Ricardi Regis Angliæ Confessoris, qui ibi peregre obiit. *Colunt eo die Furnenses aliqua præcipua solennitate S. Walburgem, ut XXV Februarii dicetur.*

## I EPITOME VITÆ S. RICHARDI,
### ex Hodœporico S. Willibaldi Episc.
### *auctore sanctimoniali ejus consanguinea.*

a Cum ille *Willibaldus* in procemio suæ infantiæ cunabulis amabilis atque delectabilis, blandisque nu- D trientium adulationibus, præsertimque parentum, EX VITA S. WILLIBALDI. erga illum magnæ devotionis affectu diurnaque sollicitudinis providentia curam gerentium, confortatus atque enutritus, ad triennium usque pervenit. Transactis itaque tunc tribus annorum curriculis, cum parvulus ille seu delicatus fragili ævo, infantiali ætate, teneri corporis adhuc gereret artus, subito In S. Willibaldi filii morbo b evenit, ut illum *b* triennio gravis corporis aggravaret ægritudo, tantaque est arreptus corporis molestia, ut exiguæ membrorum stringerentur compages, ut vix in eo permanens flatus, vicinum minabatur vitæ exitum. Cumque istud cernerent pater et mater, editum suum ægrotantem, jam usque pene semine- S. Richardus sollicitus cum uxore, cem, timidi extasi, novaque mentis mœstitia valde retenti, anxiari cœperunt, quod sobolem suam sibi genitam, recenti lue lassatam, exitialique discrimine ex improvisa morte irretitam fore viderunt; et illum, quem prius de primordialis infantiæ cunabulis ablactatum atque confotum, usque ad triennium nutriebant, illisque superstitem et hæredem habere optabant, jam exanimem seu extinctum, glebaque coopertum, dolore timebant. Sed omnipotens Deus, mundi fabricator, cœli terræque limator, servum suum infantem, et adhuc incoletum, exilibusque membrorum E compagibus tenerum, hominibusque incertum, de corporis ergastulo adhuc educere nolebat; sed ut magis postea per orbem sua norma neophytis patula panderet vitæ præmia.

2 Sed ad pristinam redeamus iterum præfati viri infantiam. Cumque parentes ejus magno mentis excessu suspensi, et de incerta filii sui evasione essent ambigui, sumentes filium suum, obtulerunt illum cum coram Cruce Christo offert, coram illa Dominica sanctaque Cruce Salvatoris; quia sic mos est Saxonicæ gentis, quod in nonnullis nobilium, bonorumque hominum prædiis, non ecclesiam, sed sanctæ Crucis signum, Domino dicatum cum magno honore almum, in alto erectum, ad commodam diurnæ orationis sedulitatem solent habere. Illic ponentes illum coram Cruce, Dominum Deum, omnium plasmatorem, illos consolari, sospitemque suum servare natum suis virtutibus, obnixe flagitabant; sicque intentissimis illorum precibus se vicem reddere spondebant Domino, ut, si pristina illius infantis restituta foret sanitas, extemplo illum sub sa- voventque monachum facere, cri Ordinis primordio tonsuram accipere, sub cœnobialis vitæ disciplina, sub divinæ legis moderamine militando, Christi famulatui subjicere promiserunt. Statimque, priusquam illi vota voverint, verba con- F summaverunt, filiumque suum cœlesti commendaverunt Regi militare, confestim gratiam, et præterea et votum recipit : a Domino petitionum consequebantur effectum, pristinaque puero postea restituta est sanitas.

3 Cumque illuster ille puer in infantia ad quinquennium usque pervenisset, ast in eo jam tunc tem- quinquennem poris germinabat sapientiæ virgultum. Itaque parentes votiva desideriorum implere properabant promissa, atque illustrem quantocyus cum consultu amicorum, carnaliumque propinquorum consilio, ad sacræ cœnobialis vitæ instrumenta præparare atque perficere festinabant, confestimque illum venerando fidelissimoque viro Theodredo commendabant, suaque providentia eum ad cœnobium ducere, omniaque prudenter de sua caussa dispensare, disponereque rogabant. Cumque perrexissent *c*, et illum ducerent c ad monasterium, quod vocatur Waltheim, venerando Abbati illius monasterii, qui vocatur Egbalt *c*, offe- tradit Egbalto Abbati Waltheimensi, c rebant, et illum suæ conditionis jure juniorem, seu obediendo discipulum, suo subdiderunt imperio. Statimque ille Abbas monasterii, secundum regularis vitæ disciplinam, declarabat ista suæ Congregationi; sicque, ut cum eorum consilio sive licentia hoc foret, ille flagitabat. Cui protinus omnis illa conventio Fratrum

A Fratrum simul responsum seu licentiam dabant, suæque voluntatis arbitrio hæc omnia fas fore dicebant, acceptumque illum ocyus inter cœnobiale vitæ eorum consortium jungendo sociabant.

*EX VITA S. WILLIBALDI.*

*sub quo imbuitur sacris studiis,*

4 Post hæc itaque cum protinus puer iste pudicus seu perfectus, sacris litterarum studiis imbutus atque eruditus, sacras Davidici carminis paginas solerti mentis intentione peragrans; sed et etiam alia Divinæ legis hagiographorum armariola indagando sive legendo, procaci sensu *e* sophyrus, mente moderatus, indagabat. Et tamen non adhuc plurimorum ætate annorum grandævus, sed sicut Divina semper supernæ pietatis clementia agere solet, secundum propheticum Prophetiarum vaticinium, ex ore infantium et lactentium perficere sibi dignatus est laudem. (Psal. 8, 3) Deinde itaque in eo jam simul annorum ætas, mentisque sagacitas, Divinæ dispensationis moderamine pullulare cœperat, et multo magis in eo jam tunc divina Spiritus sancti gratia, quam corporis magnitudo creverat, aut membrorum valitudo. Totusque jam ille in Dei amorem conversus, magna mentis diuturnaque meditatione tractando monasterialia moderationis instrumenta, monachialisque vitæ monarchiam in abdita mentis quiete diu noctuque B sollicite volutabat; quomodo illorum se copularet castæ monachorum clientelæ, aut qualiter illorum faustis interfore possit familiaris vitæ disciplinis. *(et disciplina monastica :)* Cumque ista sedulo intra mentis volubilitatem revolveret, tractare cœpit, qualiter hæc cogitatio promereri potuisset effectum, ut caduca cuncta cosmi istius contemneret, sive derelinquere potuisset: et non solum temporales terrenarum rerum divitias, sed et patriam atque parentes ac propinquos deserere, peregrinationisque tentare tellurem, et ignota externorum requirere rura. Cumque aliquanti temporis intercapedine transacta, post illa infantialis ejus oblectationis ludicra, et pueriles incentivorum lascivias, et illecebrosas luxuriosæ ætatis petulantias, per indefessam atque ineffabilem Divinæ dispensationis gratiam, ad lanuginem et pubertatis adolescentiam pervenisset, maximam in contubernio Fratrum dilectionem, per obedientiæ affectum, per mansuetudinis munificentiam, in se provocabat, ita ut amore et honore inter omnes illos haberetur insignis. Sicque diutius diurnæ sollicitudinis cura, et divinis litterarum studiis inhærendo die noctuque catenus ingereret, et rectitudinis rigore mentem edomaret, ut de die in diem ad meliora cœlestis militiæ instru- C menta proficeret.

*ab eo sollicitatur*

5 Postquam ille adolescens, Christi vernaculus, sicut supra diximus, ignotas peregrinationis suæ vias probare volebat, atque externas terminorum tellures adire, specularique optaret, nec non in *f* immanis maris discrimina ire decrevisset; statim ille ista cordis sui clandestina, cunctis occulta, carnali suo patri revelavit, atque illum obnixis flagitabat precibus, ut votivæ suæ voluntatis desiderio pergendi consilio præberet consensum, et ut illi transeundi licentiam daret, et ipse secum pergeret, attentius poscebat. *(f — S. Richardus pater ad peregrinationem)* Cumque illum ad tanti operis initium, tantæque vitæ conversationem invitando, a seculi voluptatibus, a mundi deliciis, a temporalis vitæ falsis divitiarum prosperis, suggerendo, segregare vellet, et illum, opitulante Domino, ad rectæ constitutionis formam, et ad cœlestis militiæ tirocinium, Divinum inchoare servitium, propriamque deserere patriam, et patula secum peregrinationis perquirere rura rogaret, et sic illum demum præmiis, blandis oraculorum studiis alloquendo invitaret, ut comitatu filiorum fungens, egregia adiret Petri Apostolorum Principis limina; *(ad limina Apostolorum,)* tunc ille primitus, illo postulante, petitum negaverat transitum, excusandoque conjugis et liberorum, inoletivorum parvitatem et fragilitatem, illos D orbare, et alienis derelinquere, inhonestum, et crudele esse respondit. Tunc ille belliger Christi miles, iteratis hortationum miraculis, magnisque precum perdurationibus, toties per asperiora rigidioris vitæ documenta metu et minis objurgabat, et toties blandis vitæ æternæ sponsionibus, amœnitate Paradisi, et amore Christi, mulcendo illum instigabat, et ita omnibus modis hortando, alloquendo, animum ejus ad suæ voluntatis assensum provocare conatus est. *(et diu renuens tandem assentitur :)* Sicque tandem omnipotentis Dei auxilio, petentis et provocantis invalescebat voluntas, ita ut ille suus pater et frater Bunebaldus adoptatam et hortatam se inchoare metam pollicerentur.

6 Post hæc itaque cum temporum intervallo, et annorum vergente curriculo, ætatis jam immineret tempus, pater suus, et frater cælebs prædestinatum et adoptatum inchoaverunt iter. *(discedit ex Anglia cum 2 filiis :)* Et congruo æstatis tempore, prompti ac parati, sumptis secum vitæ stipendiis, cum collegarum cœtu comitantium, ad loca venerunt destinata, quæ prisco dicebantur vocabulo *g* Hamelea Multa, juxta illud mercimonium, quod dicitur Hanvich. Et non multa post transacta temporis intercapedine, navigio parato, nauta ille cum classibus, suoque nauclero, naulo impenso, Circio flante, ponto pollente, remis crepitantibus, classibus cla- E mantibus, celocem ascenderunt. Cumque transmeatis maritimis fluctuum formidinibus, periculosisque pelagi pressuris, vastum per æquor, citato celocis cursu, *h* prosperis ventis, velata nave, tuti aridam viderunt terram; et statim ovantes de navi descenderunt, et illic castrametati sunt, et tentoria fixerunt in ripa fluminis, quod nuncupatur *i* Sigona, juxta urbem, quæ vocatur *k* Rotum; ibi etiam fuit mercimonium. *(venit Rotomagum ad Sequanam :)* Et illic aliquantis dierum curriculis requiescentes, iterum pergere cœperunt, et sic multa illic Sanctorum oratoria, quæ illis commoda fuerunt, orando petierunt; et sic in ante *l* Gorthonicum gradatim ex parte peragrantes supervenerunt. Cumque pergentes, venissent ad urbem, quæ vocatur Lucca, S. Willibaldus, et B. Bunebaldus, patrem eorum in comitatu itineris pariter cum illis ducebant. *(Lucæ in Italia moritur :)* Statimque ibi subitanea præventus est corporis infirmitate, ut præteritis temporum intercapedinibus propere jam instaret exitus sui dies. Et invalescente in eo ægritudinis gravitate, fessa ac frigida illius jam tabuerunt membra corporis, et sic ultimum vitæ suæ exhalavit spiritum. *(sepelitur ad S. Frigidianum.)* Statimque illi germani filii ejus, corpus patris eorum exanime paternæ pietatis affectu percipientes venuste involverunt, et terra tumulave- F runt. Et in urbe Lucca ad *m* S. Frigidianum ibi requiescit corpus patris eorum.

a Plerique singula explicabuntur ad proprios dies, dum Acta integra proferentur. — b Circa an. 707, ut ex supra dictis constat: ubi reliqua chronologiam docuimus. — c In Hamptoniam, ut eodem dictum num. 18. — d Alias Egwald, Egilwardus, Egwaldus, et Eglaldus. — e Ea voce sapientem [illegible] observat Henricus Canisius. — f Ita legendum arbitratur idem Canisius. Erat in MS. in inmensi maris discrimine decrevisset æquora. — g Hic locus ex [illegible] supra [illegible]. — h [illegible] — i Sequana, etiam Fredegario Sigona. — k Legendum Rotomacum, vulgo Rotomagum. [illegible] ex Britannia Italiam petivisse scribit. — l Legendum: Gorthonicum pervenerunt urbem, quæ vocatur Luca. Alii Gorthonicum. — m In MS. [illegible] Priscianum, sive Perscianum, cujus apud [illegible] S. Frigdianus [illegible] Lucensium Episcopus, [illegible] anno 588, 18 Martii.

## II. EPITOME VITÆ S. RICHARDI,
### ex Actis S. Wunebaldi Abbatis,
*auctore eadem sanctimoniali consanguinea :*

Cumque illustris ille, celeberrimusque Christicola *a* *W* *unebaldus*, a undecim annorum ætate jam grandævus, facie decorus, fide robustus, almi Dei adminiculo, fratrisque exhortatione, propinquorum amicorumque suorum carnalium affectum postponens, *(S. Richardus cum filiis,)*

præsertim ne

A præsertimque propriam hæreditatis patriam cum noverca fratrum sororumque suarum clientela contemnens, ignotas peregrinationis prædas probare, *relicta patria,* penetrareque maluit, quam præsentis vitæ hujus fluxis divitiarum florere prosperitatibus: et sic in extremis barbarorum finibus vitam ducere monachialem magna mentis devotione quotidie anhelando desiderabat; quod postea devotus adimplevit. Posthæc itaque cum sagax ille votiva voluntatum adimplere optabat desideria, statimque, Domino dispensante, adoptatum et desideratum inchoaverit iter. Et sicut in alia fratris ejus textura subtilius intimando enarravimus, et nunc iterando rememoramus, statimque ille suaviter suorum sociatus est comitatu patris et fratris, et sic agiliter cum sumptibus atque stipendiis ad loca venerunt venalia, quod est mercimonium: et statim illi cum consilio et consultu nautarum *b* navilia adepti fuerant loca, et Oceani tunc *transit mare:* illi marginem scandentes, navem competebant, cærulæ aquæ lympharum invaserunt liquida usque dum tumida æquora, timida, congelida gurgitum garrula, fluctuum spumosa, Syrtium superabant salsa.

2 Ast tunc plenis et prosperis ventorum flatibus arida terrarum gradiebantur gramina: et sic ovantes et lætantes, voti compotes, perfectas omnipotenti Deo impendebant gratias, quod prospere super B *Sanctorum patrocinium implorat:* spumosa undarum æquora, et periculosas ponti procellas, portum videre meruerint. Et sic castrametantes ibidem paullisper lassata de itinere requiescebant membra, usque dum vegetati ac roborati, votivam cœpti itineris iterum gradiebantur viam, multisque in itinere Sanctorum sacris se commendabant patrociniis: et plures per viam cum sociis Sanctorum petierunt basilicas, pia postulantes illorum præsidia, ut tuti alienas peragrarent barbarorum villas. Tum illi properantes profecti sunt: timebant enim ne autumnale sibi deficeret tempus, *c* et prius gelida hyems, aura vitiosa et nebulosa, horride irruentes, congelascerentur, antequam illi almam Apostoli adire specularique meruerunt basilicam Petri. Et tunc illi pergentes per vasta Gallicanæ rura, et per spatiosam Italiæ tellurem, usque ad urbem, quæ vocatur Lucca. *Lucæ moritur.* Et sicut in alio scripto libro ordine asserimus, patrem suum ægrotantem, etiam seminecem obtulerunt illic: et sicut prædestinata illud fore fecerunt fata, *d* vitam finivit illic, et terra tumulatus illic requiescit ad S. Frigidianum.

a *MS. Augiæ* undecim, *at* nondecim, *seu* novendecim *requirit ætas supra probata, et constans in aliis MSS. lectio.* — b *MS. Vistadiensium* navicularia — c *MS. Augiense* et prius gelida aura C horridæ hiemis congelaverit *MS. Vistad.* hiemis aura nivila et nebulosa horride irruens congelesceret. — d *MS. Augiense* et sicut prædestinavit Dei providentia, vitam finivit illic, et terra tumulatur; itaque requiescit ad S. Priscianum.

## III EPITOME VITÆ S. RICHARDI,

### ex Actis S. Willibaldi Episcopi.

### *auctore a Reginoldo Episcopo,*

Originem egregii Confessoris Christi atque Pontificis Willibaldi Saxonica tellus excepit, et tanta fœcunda de prole felix feliciter exultavit. *S. Richardus Anglo-Saxo,* Verum post eum salsivaga ponti lympha perlambens Orientis partibus destinavit: ut quem illa meruit per naturam; Bojaria mereretur habere per gratiam. Is igitur cum lepidis in primordio delicatæ teneritudinis educantium foveretur adulationibus, blandoque parentum præcipue affectu puerulus nutriretur, prosperum dierum rotantium cursu triennii pervenit ad calcem. Cumque futurus Dei tiro infantiales adhuc teneri corporis gereret artus, quædam illum repentina in viridi membrorum compagine tetigit ægritudo, tantoque corporis est arreptus incommodo, ut *S. Willibaldo puer ægrotante mœstus,* molestia prægravante, exiguæ stringerentur membrorum compages, et vix in eo vitalis permanens D flatus, vicinum jam jamque minaretur exitium. *EX VITA S. WILLIBALDI.* Cumque pater et genitrix anxii cordiflua sæpiusque protraherent suspiria, et ægrotantis peneque seminecis sui editi præstolarentur egressum, viscerali et inopinata affligi cœpere mœstitia, quod soboli sibi cœlitus attributæ lues tyrannica, et exitiale discrimen, ex improviso lugubrem minarentur excessum: et quem a primordiali infantia ablactatum, atque confotum usque ad triennium educaverant, et vitæ superstitem relinquere anhelabant, jam extinctum avara tegerent gleba.

2 Miserator ergo et misericors Dominus, qui infirmitatem sæpe suis incutit Sanctis, ut invalitudo *a Deo excitatus* fortes per ipsum virtutis recipiat vires, noluit beati pueruli Willibaldi adhuc terræ mundare corpusculum, ejusque mundum cum Sanctis cœlo suscipere flatum; verum ut per orbem jam fide firmus lucratorexisteret animarum, et spiritualium pastor ovium; ipse qui ei extitit ægro infirmitatis exordium, medelæ contulit incrementum. Salubri namque parentes ipsius consilio inito, vivificæ eum sanctæque *ante Crucem* Crucis obtulere vexillo; ut si per ipsam, per quam salus data est mundo, exitiali vita redderetur puerulo, sacri Ordinis primordio attonsum monachico *vovet se vitæ monasticæ eum addicturum,* donarent cœnobio. Statimque ut concepti ipsius felicis voti thesaurum tristia labia pendulis vocibus ex- E tulerunt, ipsa, quæ dudum in puero grassabatur *et sanum recipit:* morti vicina infirmitas, quasi quadam hostili manu repulsa, cessit fugiens pristinæ sanitati.

3 Læti sunt de tanto, quod optaverant, munere, laudes Christo promunt corde et corpore, et votum, quod fideliter voverant, opus conantur implere. Ergo cum eum ad quinquennii metam temporis rota devolveret, et spiritalis in eo germen sapientiæ jam *quinquennem offert Deo* jamque feliciter pullularet; parentes desiderabilis voti non immemores sui, ad sacræ cœnobialis vitæ rudimenta eum parare festinant: ut, quem Christus salutari reddiderat vitæ per vexillum Crucis vivificæ, vivendum eum et non moriendum jam spiritaliter in æternum contemplativæ traderent vitæ. Affectui denique animi prompto comitatur effectus: commendant namque eum, cui Divina gratia jam fuerat prævia, cuidam nomine Theodredo ad cœnobium destinandum, de se suisque omnibus provide eum dispensare, disponereque rogantes. Quem cum ad *in monasterio Waldh.im,* monasterium, quod ab incolis dicitur Waldheim, prospero calle pervehérent, tantæ indolis puerum illuc cœlesti munere destinatum, venerandi Abbatis, F Egnivaldi vocabulo, ad tirocinium sacræ militiæ, manibus tradunt, qui protinus ac si donum cœlitus *sub Abbate Egnivaldo* destinatum, cum consensu sanctorum inibi demorantium Fratrum, liberaliter, futurum Christi Sacerdotem in teneris infantiæ suscipiens artubus, et thesaurum Dominicum fideli mente complectens, cœnobialis vitæ eum subdidit institutis. Cumque sacras *(ubi ...)* Davidici carminis paginas solerti mentis intentione puerulus discendi gratia peragrasset, Hagiographorum se statim sedulus subdidit instrumentis, sanctissimis pridem Psalmorum ablactatus uberibus: ita ut ab ejus ore infantis, et pene lactentis vocem sibi Christus perficeret laudis. Sicque crescente in eo membrorum compagine, crevit etiam post circulum *(... tica)* dierum cœlestis observantia disciplinæ, et totius forma justitiæ. Totus namque in amore Dei conversus, nihil temporale, nil voluit habere carnale, excepto quod natura labilis carnis haud potuit denegare. Sumebat quotidie miles Christi fortissimus arma cœlestia, et cristato vertice galeam salutis æternæ, in stadio contra hostem antiquum præsentis vitæ acriter pugnaturus, Spiritus sancti machæra fulgebat acuta.

4 Tum denique in abdita mentis ejus quiete salubris

A bris oritur cogitationis effectus, qualiter cuncta, quæ sunt caduca, respueret; et illa, quæ necem et mortuos non sequuntur, sollicitus declinaret; et non solum oblectantes mundi divitias, mulcentesque seculi pompas, verum nota linqueret arva, et patrios desereret fines, peregrinationis angustiis pro deliciis uteretur: quod postea rei probavit eventus. Postquam igitur sanctus adolescens Willibaldus, in eo, cui se totum commiserat, spei et desiderii sui anchoram defixerat, conceptum jamdudum et abditum patefecit occultum; et genitorem in remotioribus super hoc negotio humiliter consulens, monet, ut votivæ suæ voluntatis consilio et libenter præberet assensum; et filius peregre proficiscens, patris in eundo frueretur consortio; ob amorem cœlestis patriæ, toto postulat mentis conamine: asserens ei mundi divitias falsas, et in perpetuum perituras, et simul cum mortis dispendio relaxandas; male homini in seculo vivere, nihil aliud fore, nisi ipsi gehennæ incendia cumulare; e contra bona cum fide agenti, et in ipsis perseveranti, et post corporis dissolutionem in perpetuum cum sanctis Angelis vivere, et nihil aliud agere, quam Deum in æternum laudare. Tum pater adhuc liberorum et conjugis amore B sollicitus, inhonestum et crudele cunctis esse testatur, ut orbatos patre liberos alienis quasi prædam relinquens, tellurem per tanta sali discrimina adiret ignotam. At miles Christi jam in petra firmissima sollidatus, nec genitoris lenocinnis frangitur, nec seculi gaudiis revocatur: quin potius iteratis adhortationum elogiis et precibus indefessis, et modo delicias paradisi spemque sine fine vivendi illi opponens, modo flammivoma barathri tormenta objiciens, desiderabilis voti potitur tandem effectu, et de patris jam lætatur assensu.

*EX VITA S. WILLIBALDI.*

*invitatur pater ad peregrinationem,*

*et post variam luctam annuit*

3 Itaque volvente temporum climate, et vergente annorum curriculo, cum æstatis fornax jam exordium posceret, commoda itineris secum tollentes, cum cœtu commeantium collegarum, juncto etiam B. Wunibaldo germano fratre, ad loca destinata perveniunt, quæ prisco nominantur vocabulo Hamelea Mittha, secus portum, quod dicitur Hamwich, ibique castrametantes paullulum temporis demorarunt, flamina navigii præstolantes. Adveniente præterea optati temporis hora, qua suis classem placidis pontum suscepit undis, naulo impenso, penniger̃um ascendere celocem, Circio flante, crepentibus remis, rugosi investigabiles marmoris venas jam læti sulcantes. Cumque vasti æquoris moles cæruleas citato C navium cursu prospere transegissent, Christum cum eis in Sanctis suis habitantem habentes, portum salutis inveniunt; ipsique immensas gratias agunt, ibique figentes tentoria, urbis proximæ, Rotumacum vocabulo, mœnia adeunt, et multa Sanctorum illic oratoria perlustrantes, ipsi, quem sponte peregrini sequebantur, totos se cum lacrymis commendarunt. Dein iter arripientes pervenerunt urbem, quæ vocatur Lucca, præfati duo cum patre intravere germani, patris illic ægritudine prægravati, *b* ruri ossa avaro mandantes.

*navigat in Galliam:*

*moritur Lucæ.* *b*

a *De Reginoldo Episc. sub cujus nomine hanc Vitam citamus, actum num.* 3. — b *Scilicet* in cœmeterio ad S. Frigdianum, *ut supra dictum.*

## IV EPITOME VITÆ S. RICHARDI, ex Itinerario S. Willibaldi Episcopi,

*Auctore* a *anonymo.* a

Præsul igitur Willibaldus, Angelicæ castitatis instar, de genere Anglorum emicuit oriundus. Cumque egregiæ indolis puer, cum maxima parentum spe jam triennium clauderet, morborum incommodis subito intabuit: spectabile oris decus fœda tenuatum macie defloruit. Ulcerati dolore parentes, quod D unicum tunc restabat, cum vix patulo ore aera trahentem *b* ecclesiæ inferentes, ante adorandam sanctam Crucem posuerunt, et si ad salutem recrearetur eum Divinæ mancipandum servituti devoverunt. Piis statim votis effectum merentibus, puero cum salute prior oris decentia rediit, et absolutæ valitudini reconciliatus, præmaturis pollere cœpit virtutibus.

*S. Richardus Anglus,*

*S. Willibaldo filio, pio voto, sanitatem recuperat;* *b*

2 Hoc igitur omine parentes Deum aliquid magni in tantæ indolis puero operaturum percipientes, sibi non defuerunt: sed filium suum vix quinquennem monachicæ districtioni apud monasterium, Waltheim dictum, sub venerando Abbate Egilwardo, dedicaverunt. Litteris ergo applicitus, nec momentum temporis otio indulsit; sed brevi solertissimus prælatus, pectus suum hagiographiæ armarium fecit. Et, ut Christum in omnibus exprimeret, quidquid divini, quidquid Legis Ecclesiasticæ legendo percepit, hoc moribus et habitu fideliter assequendo implevit. In singulis ergo virtutibus jam excellentissime eminens ita enituit perfectissimus in Christo, ut nil cogitaret, nisi esse cum Christo.

*Deo illum in monasterio Waltheim offert.*

3 Quamvis ergo jam abnegato seipso, mundum tam mente quam habitu calcasset;... timere, tamen deest perfectioni, quod in natali solo parentelæ dignitas aliquantulum famæ et honoris sibi, licet nolenti, addidit; decreverat patriam egredi, et tam ignotus, quam egens pro Christo peregrinari. Et ne solus ex suis Christi militiæ adscriberetur, patrem, nomine Richardum, genere et rebus clarum, adiit, eique mundi contemptum, et peregrinationem suadere cœpit. Qui cum objiceret filio, sibi videri crudelissimum, et omnino ab humanitate alienum, filios orbare, conjugem viduare, domum totam desolare; instillavit ei S. Willibaldus, nil Divino amori præponendum, hanc pro Christo crudelitatem omni pietate humaniorem, solosque mundi contemptores, Christi futuros cohæredes. Victus demum veridici filii narratione, se obtemperaturum et quocumque a caro duceretur pignore, secuturum promittit. Incenderat et idem felix ardor S. Willibaldi fratrem Wunebaldum, Heidenheimensis cœnobii constructorem, et Abbatem futurum, nec non et amborum sororem Virginum decus Walpurgam, multosque ejusdem non solum cognationis, sed et patriæ, ut capto Crucis vexillo, mundi evolarent, secuturi Regem gloriæ. E

*ab eo inducitur ad peregrinandum,*

*cum filiis*

*et S. Walburge filia:*

4 Anno in æstatem vernante, cum ventis patientibus prima fides arrideret pelago, sancti fratres Willibaldus et Wunebaldus, cum patre Richardo, F et sorore Walpurga, aliisque non paucis, in quorum pectoribus idem fervebat ardor, navi consensa iter optatum arripiunt, et ventis feliciter subsequentibus ripam fluminis Sigonæ, juxta urbem, quæ vocatur Rotum, appulerunt. Inde Romam tendentes, Lucam Tusciæ urbem devenere, ibique patrem suum carne solutum, et præmia, quæ obsecutus filio meruit, adeptum in cœmiterio S. Presciani sepelivere.

*moritur Lucæ.*

a *De auctore ejusque auctoritate actum supra num.* 4 — b *Supra negatur* Ecclesiam fuisse. — c *Deest aliquid.*

## V EPITOME VITÆ S. RICHARDI, ex Gestis Sanctorum Eystettensium,

*auctore* a *Adalberto Abbate.* a

Quicumque genus et vitam S. Willibaldi, et S. Wunebaldi voluerit agnoscere, ex scriptis S. Walpurgæ Virginis, quæ germana soror eorum erat, pleniter poterit ediscere. Scribit enim quod Richardus Rex Anglorum pater eorum fuerit: qui cum a puero semper Christianissimus extitisset, etiam liberos suos disciplinam Christianæ religionis et viam veritatis,

*S. Richardus Rex Anglorum,*

A tatis, et per se et per fideles pædagogos diligentissime edocuit: unde S. Willibaldum adhuc puerum, titulo monasticæ professionis addixit. Cum igitur ille beatus Rex gradus de virtute ad virtutem faceret, ut centuplum acciperet, et vitam æternam possideret; igne Divini amoris inflammatus, assumptis secum liberis suis, regnum, et patriam dereliquit, et peregrinationem duram, quæ etiam pauperibus gravis esse solet, aggressus, oceani periculo se commisit; et tandem post multos labores et multa pericula, Luccam usque pervenit, et inibi mortali infirmitate consummatus, in monasterio S. Frigidiani in Domino feliciter requievit.

*cum liberis, regno relicto, peregrinatur.*

a *De Adelberto ejusque scriptis actum num. 5.*

## EPITAPHIUM
### S. RICHARDI LUCÆ SCULPTUM,
### ex Surio et Baronio.

a Soror Offonis Regis, fuit mater B. Richardi. B. Richardus Rex Angliæ, exul patriæ, spretor mundi, contemptor sui, pater sanctorum fratrum Willebaldi et Winnibaldi, et B. Walburgis Virginis, terrenum regnum in cœleste mutavit. Deposuit coronam regiam pro vita perpetua. Exuit purpuram, et vilem induit tunicam. Regiorum reliquit tribunal, et Sanctorum quæsivit limina. Dimisit sceptrum, et accepit baculum: dimisitque filiam suam in regno B. Walburgam, atque simul cum filiis peregre profectus est. Et eis relictis apud S. *b* Bonifacium Martyrem gloriosum, tunc Archiepiscopum Moguntinensem, virum miræ sanctitatis, eo quod Anglicus esset, de *c* regno suo natus: idem sanctus Rex exilio se ulteriori limina Sanctorum trans Alpes adiit et loca deinceps magis devia petiit solitudinum, Deo soli idem solus libere vacaturus. Deinde post longa exilia, post multa certamina, post famis, sitis et frigoris multimodas ærumnas, in provincia Italiæ, civitate Luca, finitur pugna, dantur præmia, cœlo recipitur anima, et in B. Frigdiani basilica juxta corpus ejus ponuntur pia membra, ubi et miraculis coruscat. Cujus festivitas septimo Idus Februarii celebratur. Locus etiam, in quo requiescit, his versibus adornatur:

*S. Richardus, relicto regno,* B *Romam petit: moritur Lucæ:*

Hic rex Richardus requiescit sceptrifer almus.
Rex fuit Anglorum, regnum tenet iste polorum.
Regnum dimisit, pro Christo cuncta reliquit.
Ergo Richardum nobis dedit Anglia Sanctum.
C Hic genitor Sanctæ Walburgæ Virginis almæ,
Et Willebaldi Sancti simul et Winibaldi.
Suffragium quorum det nobis regna polorum. Amen.

*ejus ibi Epitaphium,*

a *De Offone conditore Offenburgi in Germania, et Offi Rege Orientalium Saxonum, et an hujus mater S. Richardi fuerit soror inquisivimus num. 24 et 25* — b *Imo 19 annis ab obitu S. Richardi S. Willebaldum Roma primum in Germaniam missum ad S. Bonifacium docuimus numer. 11* — c *SS. Bonifacium et Richardum in regno Occidentalium Saxonum, sub S. Ina Rege vixisse diximus num. 17 et 18.*

## ALIA VITA S. RICHARDI,
### *ex MS. Bodecensi in Westphalia.*

Postquam gens Anglorum per Apostolatum B. Gregorii Papæ ab infidelitatis tenebris eruta, pium nomen Domini nostri cœpit amplecti; quasi fructuosæ arboris radix beatissimus extitit Bonifacius, qui ob fidei imitabile meritum, patrios fines et dulcia rura postponens, ad prædicandum Christi Evangelium, Galliæ terminos invisit. Ubi et plurimum fructum animarum fidelium Deo acquisivit, quem etiam ad superna cœlorum regna transmisit.

*S. Bonifacii zelum,*

2 In diebus illis fuit in Anglorum gente ex ejusdem sanctissimi Bonifacii stirpe nobilissima progenitus Rex quidam, dives ac præpotens, et omni virtutum gloria pollens atque famosus, sed secundum D Deum ditior atque famosior, vir, inquam, religiosus ac timens Deum, nomine Richardus: qui habens uxorem condignæ nobilitatis et piissimæ voluntatis, secundum morem ac fidem Christianæ professionis generavit ex ea duos filios; nomen uni Willibalt, et nomen alteri Wunnebalt, et filiam unam, cui nomen erat Walpburch. Mortua autem uxore sua cœpit Rex nobilissimus, et Christianæ religionis perfectione solidatus, cogitare intra se, qualiter relictis terrenis divitiis, et terreno regno contempto, posset cælibem vitam imitari, filiosque suos quasi bonæ propaginis ramos spiritualis vitæ substituere disciplinæ, filiam vero Walpurgam virginali custodiæ mancipare, tactus intrinsecus Divini ignis calore, maxime quia B. Bonifacii virtute et sanctitate provocatus erat, qui eo tempore *a* legatos a Gallia in Angliam miserat, ut de sua gente aliquos conlaboratores et prædicares ad se invitaret. a

*S. Richardus consanguineum imitaturus,* *AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

3 Igitur vir egregius cum filios suos Willibaldum et Wunnibaldum, filiamque Walpurgam, ad indaginem regularis vitæ promovisset, et eos in proposito religionis perfectos agnovisset, ita ut in eis omnium virtutum incrementa persensisset, divina inspiratione permonitus, regnum et coronam propter regnum E cœlorum reliquit: et assumptis liberis suis peregre profectus est in regionem longinquam, volens visere sacra cum eis loca, et gloriosum Domini nostri Jesu Christi Sepulchrum; ut per tanti itineris laborem tentationum et passionum incommoda addiscerent, quatenus postmodum B. Bonifacio, qui eos nominatim vocaverat, ad collaborandum et comprædicandum valerent.

*patriam relinquit,*

4 Suscepto ergo tam optabili voto ob amorem Divinæ nativitatis, passionis, resurrectionis atque ascensionis, aggressi sunt iter, relinquentes familiam totam, et parentum atque totius regni sui turbam post se flentem ac lugentem, et miserabili voce lamentantem, prosperaque eis imprecantem. Cumque maris pericula navigio transvadassent, et ad Galliæ fines pervenissent, cognoverunt B. Bonifacium *b* Orientalium b Francorum terminos Pontificali regimine strenue gubernare, et secundum Apostolicam auctoritatem *c* Episcopales Sedes instituere, et Ecclesiæ Catholicæ c religionem dilatare: unde gavisi valde, primo volebant se ejus aspectui præsentare: sed timentes ne votum itineris sui aliqua retardatione impediretur cogitabant, imo firmiter proponebant, ut, si Deus permitteret, prius sanctam civitatem Jerusalem ob F amorem sanctæ resurrectionis, urbemque Romam ob venerationem sanctorum Apostolorum Petri et Pauli visitarent, et sic demum revertentes beatissimi Pontificis Bonifacii se famulatui manciparent.

*per Galliam* *In Italiam abit,*

5 Transcensis igitur Alpibus et transcursis primæ Italiæ regionibus prospero ac felici itinere venerunt in Lucensium civitatem, ubi *d* imago Dominicæ Cru- d cis quam ferunt *e* Lucam Evangelistam post ipsius e Dominicæ passionis vestigia in ligno expressisse, magna cum veneratione frequentatur a populo. In qua videlicet Lucensium civitate non diu ante hoc tempus præfuit Ecclesiæ Dei B. *f* Feridianus Episco- f pus, miræ sanctitatis atque virtutis vir, qui dum *g* g basilicam in eadem civitate construeret, saxum miræ magnitudinis, quod vix quadraginta juga boum minare possent, cum duabus parvis vaccis suis ad locum ædificii cum Dei adjutorio transvexit: quod nimirum saxum ob enormitatem miraculi etiam adhuc cunctis illuc venientibus, ad indicium sanctitatis B. Feridiani *i* demonstratur, ubi dum nobilissimi i illi peregrini pervenissent et sacra loca suis obligationibus ac sacris orationibus visitassent, commendaverunt se Deo et S. Feridiano. Quos *k* Episcopus k civitatis et benigne suscepit, et aliquamdiu secum pausandi

*et Lucæ*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.* *moritur.*

A pausandi gratia retinuit. Interea. B. Richardus ægrotare cœpit ibidem, longaque infirmitate castigatus, Deo vocante, in bona confessione migravit ad Christum. Quem Episcopus in B. Feridiani basilica, cum magna veneratione, ad dextrum latus principalis altaris sepelivit.

6 Sanctus vero Willibaldus et Wunnibaldus cum sorore sua Walpurga, peractis cum summæ devotionis studio exequiis patris, recedentes inde, perfecerunt iter suum ad Romanam civitatem. Ibi cum adorassent sacra vestigia beatorum Apostolorum Petri et Pauli, præsentabant se *l* Domino Apostolico, intimantes ei voluntatem suæ peregrinationis, et transitum B. Richardi patris sui. Quorum vota cognoscens Apostolicus, Deo et S. Petro commendavit eorum voluntatem, et *m* iter peregrinationis injunxit duobus, Willibaldo scilicet et sorori ejus Walpurgæ, præcipiens eis, ut peracto itinere peregrinationis suæ Romam reverterentur, retinuitque ibidem S. Wunnibaldum in pignus reversionis eorum.

*Proficiscuntur Romam filii* *l* *m* *in Palestinam*

7 Per idem tempus sanctissimus Bonifacius Archiepiscopus, qui erat cognatus eorum, sæpius venit Romam, et videns cum Apostolico Wunnibaldum, persuasit ei, ut cum fratre et sorore, peracta peregrinatione, *n* reverterentur ad Galliam, et ei essent B in auxilio prædicationis et sanctarum Ecclesiarum ædificationis: quod et ita utrimque est laudatum. Confecto igitur itinere longæ peregrinationis, perlustratis quoque sacris locis transmarinis, Dominicæ videlicet annuntiationis in Nazareth, et nativitatis in Bethlehem, et baptismi in Jordane, ac jejunii in monte qui dicitur *o* Quadraginta, atque passionis in Calvaria, nec non sepulturæ, imo gloriosæ resurrectionis in Jerosolyma, insuper et admirabilis ascensionis in monte Oliveti, ceterisque vestigiis, ubi steterunt sanctissimi pedes Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, S. Willibaldus una cum sorore ejus B. Walpurga Romam rediere, inveneruntque ibi legatum gloriosi Antistitis Domini Bonifacii cum Apostolico sanctaque Romana Ecclesia agentes, quæ Dei sunt. Resalutato itaque sancto Papa, et ejus se precibus committentes, assumpto fratre suo Wunnibaldo, cum præfato beatissimi Bonifacii legato, ad Gallias reversi sunt, inveneruntque beatissimum Archiepiscopum sæpe dicendum Bonifacium in lege Dei pariter ambulantem, et Ecclesiis Galliæ dignos Pastores instituentem. Qui de adventu eorum non modice gavisus, misit eos in prædicationem ad loca *p* Suaveldensis provinciæ, ubi quidem B. Willibaldum præfecit C Eihstetensi Ecclesiæ Episcopum, Wunnibaldum vero Heydenheim cœnobio monachorum, Walpurgam autem universis sanctimonialibus ibidem congregatis præposuit magistram.

*n* *ad loca sacra* *o* *[illegible]runt in Germaniam* *præficiuntur variis ecclesiis* *p*

8 Ut autem redeamus ad ea, quæ de B. Richardo superius omisimus. Postquam a Remuneratore bonorum omnium Christo, præmiis æternæ beatitudinis laureatus, miraculis coruscare cœpit in partibus Lucensibus, ubi, ut diximus, fuerat humatus, divulgata est fama virtutum ejus per omnes regiones, non solum Italiæ, sed etiam Galliæ atque Germaniæ, ita ut innumerabiles ægroti ac languidi, cæci, debiles, claudi, surdi, muti, atque paralytici illic mererentur sanari, undecumque fuissent adducti. Nemo tamen ex Lucensibus civibus adhuc clare noverat de nobilitate tanti viri præter solum nomen, et quod peregrinus ibi ante multa tempora sepultus fuerat.

*[illegible]dor[illegible] [illegible]culis S. Richar[illegible]dus.*

9 Cumque crebrescentibus miraculis fama virtutum ejus ubique celebris divulgata fuisset in seculis, cogitaverunt cives Eihstetensis civitatis, quomodo B. Richardi reliquias ad se transferrent, ut ubi filiorum corpora claritate signorum fulgebant, patris etiam corpus adjunctum non minori veneratione haberetur, quatenus de Rege ac regis filiis locus eorum nobilitaretur: imo, quod majus est, de sanctitate tantarum Reliquiarum tota illorum patria clarificaretur. D Congregato igitur auri et argenti immenso thesauro, consilium inierunt, mittere probatos viros et industrios in Lucensium civitatem, rogandi et obnixe postulandi pro reliquiis B. Richardi sibi corporaliter tradendis. Quod si petitio eorum nihil impetraret, aurum et argentum, quod illud hominum genus avare diligit, obtineret. *q* Missis itaque legatis cum immenso thesauro ad Lucensium urbem, cœperunt litteris deprecatoriis ac viva voce postulare, ut mererentur tanti Regis, cujus filii apud se Patroni essent, pignus impetrare. At Lucensium cives, audita nobilitate tanti Regis, qui tanta apud se signa atque mimiracula faceret, nullatenus tam pretiosum ac nobilem thesaurum dari consenserunt. Unde turbati Eihstetenses cœperunt pecuniarum pondere corda illorum movere, et, si non totaliter, saltem ut dimidium Regis corpus eis daretur, obnixe postulare. Illi vero nullo modo, etiamsi muri eorum pecunia replerentur, hoc se facturos esse affirmabant, dicentes: Sufficiat vobis, quod tres liberos hujus sanctissimi Regis habeatis: quorum si singulorum partem mediam dederitis, medietatem etiam hujus sanctissimi corporis dabimus vobis.

*p[illegible]tuntur [illegible] [illegible]stadi[illegible]* *q* *oblata plurima pecunia,*

10 Turbati rursus legati Eihstetensium, rogabant E demum, ut aliqua vel ejusdem sacri corporis particula eis pro caritate traderetur: unde memoria ejus in suis regionibus celebrior haberetur. Quo vix tandem impetrato, aliquos cineres de corpore S. Richardi acceptos, ad loca sua cum gaudio detulerunt: et ejus memoriam in finibus suis celeberrime cum summa devotione fieri constituerunt. Tum Lucensium *r* Antistes, auctoritate *f* Romanæ Ecclesiæ accepta, corpus S. Richardi sublevatum de terra, cum summa veneratione in altario ejusdem ecclesiæ, quod est ad caput tumbæ illius, secundo Nonas Februarii collocavit, constituitque diem Translationis ejus celebrem agere per omnes ecclesias ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

*impetrantur sacri cineres:* *i k* *Corpus elevatur.*

a *Ea legatio diu post obitum S. Richardi facta est, ut dicitur ad Vitam S. Walburgis Virginis.* b *Jam in Frisia aberat, cooperator S. Willibrordi [illegible] Radbodo Frisonum Rege, sed tempora Auctor confundit.* c *Bavariam in 4 Sedes partitus est circa ann. 739, in sexta [illegible] S. Burchardum et Aichstadii S. Willibaldum constituit.* — d *Baronius tomo [illegible] ad ann. Ch. 1099 num. 40 [illegible] quemdam patria Lucanum, [illegible] religionis [illegible] anno superiore peregrinationem susceperat ad Terram sanctam, [illegible] a Gregorio quodam Syro homine, imaginem [illegible] Christi Salvatoris [illegible] schemate pictam, et Lucam detulisse. De ea [illegible] plurima habent Franciottus lib. de SS. Lucensibus, et [illegible] de SS. [illegible] dicatam [illegible] Lucensibus, [illegible] anno* 782 *[illegible]* 740. e *[illegible] Nicodemo aut pictam, aut [illegible] [illegible] ex antiquitatis traditione affirmant* — f Fridianus, *alias, ex* Frigdianus, *[illegible] Episcopus anno* 560, *[illegible]* 588 — g *[illegible] S. Vincentio, in qua [illegible] sepultus est.* h *[illegible] Franciottus* — i *[illegible] S. Frigdiani [illegible] idem Franciottus* — k *[illegible] Episcoporum Lucensium apud Franciottum, sedit hoc tempore* XII Felix. l *S. Gregorio II, ad quem ante venerat S. Bonifacius [illegible] litteris Danielis Episcopi Wintoniensis [illegible]* — m *[illegible]* 25 *[illegible] ad Vitam S. W[illegible] [illegible], plenius ad Vitam utriusque fratris.* n *[illegible]* 738 *[illegible] S. W[illegible] in Germaniam, [illegible] Hierusalem, qui Gallia [illegible] dicebatur.* o Mons Quarantana *[illegible], ut [illegible]* 20 *Januarii ad caput* 5 *[illegible]* — p *[illegible]* Suaveld, Hiselet et Heidenheim, *[illegible] ad Vitam S. Walburgis* — q *[illegible]* 1182 *[illegible]* — r *[illegible]* Gregorius I, *Episcopus* XIV, *[illegible] catalogum Franciotti* — s *Pontifice Eugenio* III, *qui [illegible] ab anno* 1145 *ad* 1153.

F

# HISTORIA

## ELEVATIONIS CORPORIS S. RICHARDI,

### ex Vita S. Willibaldi Episcopi,

*auctore Philippo Episcopo.*

Igitur *a* quando corpora Sanctorum, scilicet B. *b* Frigidani, *c* Cassi, et S. *d* Faustæ Virginis, translata sunt, et loco magis honorabili consignata, corpus B.

*a b* *c d*

*S. Richardus apparens Cedeo Comiti, commendat elevationem sui corporis,*

A B. Richardi ex incuria, qua non quærebant diligenter, in loco suo remansit. Sed post aliquot dies apparuit cuidam infirmo, qui vocabatur Cedeus, qui erat homo bonæ nationis, toti terræ cognitus; erat enim Comes, et dixit ad eum: Vade ad Ecclesiam S. Frigidiani ad Priorem, et ad Fratres ejusdem Ecclesiæ, et dic eis ex nomine meo: Quare me dimisistis? quare me a sociis meis separastis? quos enim Deus conjunxit, homo absque Deifica ratione separare non debet. At ille: Infirmus, inquit, sum, et ire non possum. Longa namque intervalla temporum supervenerunt, quibus nec pedem ad ambulandum, nec manum ad operandum, quocumque modo extendere potui: paralyticus enim sum, omni virtute corporis destitutus, hic in lecto ex multa resolutione membrorum delibor. Et tu quis sis, ignoro. At ille inquit: Vade confidenter: nam Christus sua consueta benignitate, ex mea intercessione, te in hac hora sanavit.

*eumque paralysi laborantem sanat,*

2 Infirmus ex hoc verbo non modicum lætificatus, replicavit, dicens: Quis es, Domine, ut de te sciam ex ordine narrare, quæ mihi sunt mirifice facta, et tibi magnifice facienda? Respondit Sanctus Rex: Ego sum S. Richardus, quondam Rex Anglorum, prius *c* Dux Sueciæ, exul patriæ, spretor mundi, contemptor sui; qui regionum reliqui tributa, et Sanctorum quæsivi limina; simulque cum filiis meis peregre profectus sum ad regiones multas et post longa exilia, post multa certamina, in præsenti civitate, quæ Lucca vocatur, finita est mea pugna: et ex hoc seculo nequam ereptum, ad suam gloriam assumpsit me Dominus. Et indicavit ei locum sepulturæ suæ, processu dierum, et antiquitate temporum satis latitantem.

*et indicat sua acta, c B*

*et sepulturam*

3 Facto ergo mane Comes supra memoratus, qui pridie infirmitate magna tenebatur, venit sanus per omnia, ad quos destinatus fuerat, visionem narrans; et in portentum veritatis, se sanum et incolumem omnibus ostendit; manifestans locum sepulturæ certitudinaliter, secundum indicia, quæ B. Richardus memoriæ suæ impresserat. Ex tunc fodere cœperunt, sanctum corpus quæritantes; et quæsitum invenerunt, honorifice clausura nobili seratum, cum epitaphio exprimente personam ex nomine, opera virtutum, et gesta miraculorum continente, sanctissimum corpus collegio Sanctorum supra memoratorum associantes, honorem Sanctis debitum eidem suppliciter impenderunt.

*Corpus reperitur, elevatur.*

C a Quæ undecim prioribus capitibus scribit Philippus, hic omittimus, quod illa videri possint apud Gretserum, eademque vetriore calamo ab antiquioribus descripta hic dederimus. Hujus autem capitis alibi non tam exacta narratio reperitur, ideoque, ne quid desit quod auctitatem S. Richardi illustret, apponendum fuit. — b S. Frigidiani secunda hæc est Translatio facta anno 1151, ut ad illius in hujus Vitæ tradit Franciottus. — c S. Cassius hic fuit Episcopus Narniensis, cujus natalis in Martyrologio Romano indicatur 29 Junii, translatio apud Lucenses 13 Octob. — d S. Fausta Virgo cum S. Evilasio sub Maximiano Imperatore Cyzici in Propontide Martyrii palma coronata, inscripta Martyrologio Romano 20 Septemb. apud Lucenses colitur 25 ejusdem. Utriusque Cassii et Faustæ translationem narrat Franciottus. — e Hæc explicationis causa ab scriptore addita sunt, supra a nobis rejecta.

D *AUCTORE PHILIPPO EP.*

## MIRACULA S. RICHARDI,

ex Historia Lucensi Italice a Cæsare Franciotto scripta, et Philippo Ferrario de Sanctis Italiæ.

Quidam Germanus *a* usu aliquorum corporis sui membrorum privatus, ob mira, quæ in patria sua de S. Richardo Anglorum Rege audiverat, Lucam venit: jussitque, quo optimo poterat modo, ad Sancti aram se deduci; unde, cum multis profusis lacrymis se ei commendasset, sanus et incolumis discessit.

*a Sanantur ægri: privatus usu membrorum,*

2 Quidam religiosus, nomine Georgius, e *b* Canonicis Regularibus, qui illud templum incolunt, tempore cujusdam Prioris e familia Lanfranchorum, mirum in modum Sancto huic addictus, nullum diem, quo non alicui Sacerdoti ad ejus altare celebranti serviret, labi patiebatur. Hic gravissimo laterum dolore aliquando oppressus, cum adhibita remedia non prodessent, nec spes salutis superesset, memor quam frequenter ad Sancti aram sacris ministrasset, cum voce lacrymabili dixit: Heus, S. Richarde, ubi sunt tot a me tibi oblata obsequia? Obsecro, mihi misero subveni. His dictis incidit in somnum, visusque sibi videre Sanctum vultu Angelico et barba satis prolixa gerentem coronam regiam in capite, ac manu sceptrum regium. Hic præfatus se esse Richardum, quondam Regem Angliæ, injunxit illi, ut si corporis sanitatem appeteret, conferret se ad aram suam. Quod ubi factum est, ad altare somno correptus, mox sanus et incolumis surrexit.

*b laborans dolore laterum* E

3 Quædam mulier, Gaschola nomine, ancilla Ugherii nobilis civis, anno millesimo centesimo quinquagesimo, quo tempore multi in ditione Lucensi energumeni erant, a dæmone ad terrorem omnium agitata adeo fuit ac vexata, ut a multis viris iisque fortissimis teneri haud posset. Tandem dæmon coactus dixit, se a Ricardino, cujus esset jam imperio subjectus, in templo S. Frigdiani expellendum. Huc itaque quamvis valde repugnans deducta est, ac mox cœptæ audiri voces quasi diversorum animalium, insolitum atque incredibilem sonitum, non solum per totum templum sed etiam supra tectum, tanto cum stridore edentium, ut eo quam plurimi excitati ex suburbiis oppidisque vicinis accurrerent. Sed tandem per Dei gratiam, et ope S. Richardi, fuit liberata. F

*energumena.*

a Franciottus hæc miracula refert ex officio Ecclesiastico illo, ut opinatur, in ejus festo recitari solito, quod Vetus MS. appellat. — b De Canonicis hisce Regularibus prælare scribit Celsus de Rosinis lib. 6. Lucæ Lateranensis de Frigdionariis quoque sociis, et Franciottus tractatu de Ecclesiis Lucensibus. — c Addit Franciottus auctorem hisce miraculis adfuisse testem oculatum.

# DE S. AMULWINO

## ABBATE LOBIENSI ET EPISCOPO, LOBIIS ET BINCHII IN BELGIO.

*J. B.*

*SECULO VIII VEL IX.*

Laubacum *cœnobium est ad Sabim flumen in Belgio*, Laubiæ, Lobiæque *dictum aliis, cujus situm, etymon, fundationem, ex Fulcuino ejusdem loci ante annos* DCCL *Abbate, retulimus* IV *Februarii cum de* S. Ulgiso *Abbate et Episcopo ageremus. Post* S. Landelinum *fundatorem, Abbas primus simulque Episcopus fuit* S. Ursmarus, *dein* S. Erminus, *qui anno* DCCXXXVII XXV *Aprilis decessit. De SS.* Abele, Ulgiso, Amulwino, *qui itidem Episcopi fuisse traduntur et Lobienses Abbates, ita scribit Fulcuinus:* Habuit etiam *Erminus* et cooperatores et successores, ejusdem loci gubernatores et coabbates, Sanctum utique Abel, Scotum genere, et S. Wlgisum Episcopum, et Dominum Amulwinum æque Episcopum: qui utrum sibi vicissim successerint, an S. Ermino spiritualibus occupato rebus, locum in commune tractaverint, nihil certi reliquit antiquitas. Non tamen tamen locum Lobiensem eos et tenuisse et gubernasse, sed et pro opportunitate temporum locum emeliorasse. Rexit autem S. Erminus.... sicque expletis in regimine XXV annis participatus est gloriæ Magistri, decedens VIII Kal. Maias. Post quem extitit

*S. ... Abbates ...*

*[illegible]*

A 2 *Extitit et alter* S. Lucas, *itidem* Junior *dictus, quod vetus Stylitarum, sive Kionitarum, institutum imitaretur. Hic cum sub Imperatoribus Romano seniore et Constantino Porphyrogenito miles contra Bulgaros infeliciter pugnasset (de quibus bellis in Notis infra agemus) sacerdotio initiatus, in columna post alia pia exercitia triennio stetit : deinde in monte Olympo aliquamdiu vixit : ac tandem Chalcedonem profectus, quadraginta quinque annis in columna stetit, totidem fere annis junior hoc S. Luca, de quo agimus, qui decessisse videtur anno* DCCCCXLVI; *natus sub Leone Sapiente patre Porphyrogeniti circa annum* DCCCXC. *Colitur ille Stylita* XI *Decembris.*

*senior alio S. Luca juniore Stylita,*

*mortuus circa ann. 946 :*

3 *At nostrum hunc* Thaumaturgum Juniorem Lucam VII *Februarii ita in Menæis prædicant Græci* : Eodem die memoria S. P. N. Lucæ in Hellade. *Ubi in adjuncto disticho ad cognomen Thaumaturgi alludunt his verbis* :

*colitur 7 Febr.*

Ἔπλησε Λουκᾶς θαυμάτων τὴν Ἑλλάδα,
Ὃς οὐδὲ νεκρὸς παύεται τῶν θαυμάτων.
Implevit Lucas miraculis Græciam,
Qui nec a morte cessat miracula patrare.

*cum hoc apud Græcos elogio :*

Hic Sanctus Helladis germen est et deliciæ, cujus majores ex insula Ægina oriundi, perpetuas Agare- B norum incursiones non ferentes, transmigrarunt, et in Helladem se contulerunt : in qua natus eis est B. Lucas. Hic a puero non solum a carnibus, sed ovis etiam et caseo abstinuit : panis hordeaceus, et aqua ac legumina erant ei cibus ac potus. Omni genere austeritatis et afflictionis divexabat corpus : esurienti sibi cibum præbere, algenti vestem injicere, luxum et satietatem interpretabatur : proinde lacerna sua sæpe aliis donata nudus redibat. Quando preces ad Deum fundebat, supra pavimentum elevatus, pedibus terram non videbatur contingere. Ubi vero monasticam vitam est aggressus, dici non potest, quantam abstinentiam et afflictionem corporis Beatus suscepit. Loca autem maritima omnia obeundo, sedesque permutando, multis per miracula saluti fuit. Postea omissis locorum permutationibus, sedem in Sterio fixit, ubi septem annis peractis, obitu vitæ suæ prædicto, vivendi finem fecit. *Hæc Græci in Menæis, quæ fere eadem habet Maximus Cythereus in Vita SS. Molanus, citatis Græcis, in Auctario Usuardi hæc habet :* Die septima S. Parthenii Episcopi Lampsaceni, et S. Lucæ in Storio Græciæ, *imo* Sterio, *sive potius* Soterio. *De S. Parthenio supra egimus. Utrumque solenni cultu celebrant Græci.*

C 4 *Vitam S. Lucæ scripsit auctor coævus, et, ut videtur, monachus ejus discipulus, certe itinerum fugæque comes. Id num.* 63 *testatur his verbis :* Cum sic aliquando fugam arripuissemus simulque ambo fugæ socii, ego et Pater in speluncam quamdam clanculum ingressi fuissemus, errantes duæ feminæ ad nos penetrant... Nobiscum intra speluncam recepimus. *Quo tempore hæc Vita edebatur, supererat* soror ejus Cale *sanctimonialis, quam auctor asserit num.* 3 *sibi narrasse, quæ ad majores ejus primamque educationem spectant. Supererat etiam Philippus* Sphatarius, *qui relatum num.* 65 miraculum sibi factum prædicabat, seque ipse merito damnabat ob Justum immerito condemnatum. *Ita et* monachus Gregorius, *ejus ope a morbo sanatus, dicitur, numer.* 57 etiamnum superstes testis locuples. *Et alius* discipulus post obitum ejus sub horrendo sacramento confirmavit *num.* 18 *quæ ante Bulgaricam incursionem in monte Joannitzis peregit. Demum auctor præfatur se ea scribere* non multis a decessu decursis dierum, *id est, annorum,* curriculis : quin et multis quos adhuc vita superstes habebat, neque is senioribus, tantum, sed et junioribus oculis visum probeque cognitum. *Erat autem tum secundum prædictionem S. Lucæ, Creta insula tyrannidi Saracenorum erepta, quod anno* CMLXI *factum.*

*Vitam scripsit auctor coævus*

*fugæ socius,*

*edoctus a sorore,*

*aliisque oculatis testibus,*

*[illegible] post a. 961.*

5 *Eruit primus ex MS codice Græco Medicæo Regis* D *Christianissimi, admodum Reverendus Pater Franciscus Combefis, Congregationis S. Ludovici Ordinis Prædicatorum Theologus, eruit, inquam, Vitam hanc S. Lucæ junioris, ejusque partem excerptam edidit tomo* II *novi Auctarii bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ, in quo potissimum historia hæresis Monothelitarum, sanctæque adversus eam sextæ Synodi Actorum vindiciæ proferuntur. Ea autem* Acta *præfatur* valde illustria esse, nec Ecclesiasticæ historiæ eorum temporum inutilia, tametsi Baronius ipsum quoque nomen viri tanti ac Lucæ Junioris ignorarit. Esse vero prolixiora quam ut commodum ei videretur integra dare. *Integra petentibus nobis humanissime communicavit, Latine a se reddita, suumque judicium ita nobis exposuit :* Plenam, *inquiens,* habetis ac integram quantam Regis Christianissimi codex Medicæus repræsentavit, quam ex me expetistis, Lucæ Junioris vereque Thaumaturgi Vitam. Certant ubique in ea cum virtutibus miracula : ut vix statuas, magisne illa, præclara viri facinora imitandi desiderium accendat, an stuporem ex iis, quæ Divina auctoritate mirabiliter gessit, ingerat. Scriptor ubique accuratus est, gravis, stylo nitidus atque methodo, sententiarum etiam gemmis, ubi fuerit occasio, floridus : præcipuæ fidei, cum plerosque E testes eorum, quæ narrat, superstites producat, scripseritque pene Sancto æqualis. Non abhorruisse Lucam a Romanæ Ecclesiæ ac Latinorum communione, indicat illa passim in his Actis expressa ipsius necessitudo cum monachis, qui et legati Romam peterent, vel inde redirent. Per vos igitur, vestrisque que aliis amplissima ac lectissima segete Christianum orbem jure ditantibus consertum monumentum hoc Christianissimi libraria gaza producat in usum publicum, cunctis illa dives, nulli hactenus parca forteque adhuc nonnullis instituto vestro opportunis facta. Deus in annos plures incolumes servet, Sanctique, quorum studetis gloriæ, adjuvent. Valete, Parisiis in æde Prædicatorum sanctissimæ Annuntiationis VIII Idus Novembris anno MDCLI. *Hæc vir ille humanissimus.*

AUCTORE G. H. *eam primus eruit Combefis,*

*ac nobis communicavit Latine versam,*

*adjuncta hac epistola.*

6 *Titulus huic Vitæ præfixus est ejusmodi :* Βίος καὶ πολιτεία καὶ μερικὴ θαυμάτων διήγησις τοῦ Πατρὸς ἡμῶν καὶ θαυματουργοῦ Λουκᾶ τοῦ νέου, τοῦ ἐν Ἑλλάδι κειμένου. Vita et conversatio, quæque singulatim traditur rerum gestarum sancti Patris nostri ac miraculorum patratoris, Lucæ Junioris, in Hellade quiescentis, narratio.

*Vitæ titulus.*

F

# VITA

*Auctore monacho anonymo, ejus discipulo.*

Interprete Francisco Combefis Ord. FF. Prædicatorum Theologo;

*ex MS. Græco Regis Christianiss.*

ANIMADV. PAG. 23

## PROLOGUS AUCTORIS.

Plane non tempus, vitæ bonæ ac studiosæ in caussa fuit unquam, sed animus solus, bonaque ac honesta amans voluntas. Id vero cum ex aliis multis, qui haud ita pridem vitam multis irreprehensam, nihilque aut vix quidquam ab illa antiquorum summeque illustrium claritudine deficientem monstrarunt ; tum maxime ex eo, cujus nobis hodierna dies celebris agitur, Luca ostenditur : Luca, inquam, cujus in eo multa fuit opera, ut obscurus esset vitamque absconderet, quique tamen copiosa virtutis luce præfulgeret : sic pæne universis notus evaserit, ac dignum erat revera evadere, qui sic vixerat. Is non jam pluribus a decessu decursis dierum circulis, quin et multis, quos adhuc vita superstites habet, neque id senioribus dumtaxat, sed et junioribus, oculis visus probeque

*S. Lucæ celebris a morte memoria.*

*AUCTORE COÆVO EX MS GRÆCO INTERPRET. FRANC. COMBEFIS*

A probeque cognitus, veterum pariter, ac quæ vix fidem inveniat, confirmavit virtutem, viæque ad illam ducentis asperum arduumque ac plerisque inaccessum callem non penes ejus naturam ostendit; sed penes illorum magis animum ac voluntatem, qui bona quidem, verum ardua illa ac laboribus obsita, animi imbecillitate ac mollitie detrectant. Hujus præclara facinora laboresque ita omnibus amori sunt, ac tantam stillant dulcedinem, ut vel nuda ipsa ejus memoria abunde habeat ad fervorem animo injiciendum, ac ei creandam lætitiam. Hunc itaque operæ pretium nosse omnibus, unde ortus sit, utque vitam instituerit, ac quæ bona abs Spiritu illo bono consequi meruerit: nedum enim ad voluptatem ista conferent, sed et animæ lucrum non exiguum ac utilitatem afferent.

*ac vita imitatione digna.*

## CAPUT I.

### *S. Lucæ majores; patria; adolescentia.*

*S. Lucæ majores Æginæ oriundi,*

Bonus per omnia ac magnus Lucas, germen Helladis est, seu potius ornamentum, admodumque desiderabiles deliciæ; addam vero etiam, corona gloriæ. Neque enim in patriam visus est ingratus; quin præ-
B claris illi ac illustribus cumulis vicem rependit. Ejus
a porro majores *a* Ægina insula originem traxerunt,
b Ægina, inquam, ad *b* Ægeum sinum sita. Ii conti-
c d nuas *c* Agarenorum *d* invasiones non ferendas rati, una ipsi, ac reliqui omnes ejus incolæ, claro patriæ solo, vis redimendæ caussa, relicto, transmigrantes, ac per diversas dispersi civitates, matris loco nover-
e f cas adhibuere: atque alii quidem *e* Cecropis, alii *f*
g Pelopis, *g* Cadmi alii, aliasque alii regiones ac loca occupantes, in eis sedes figere coacti sunt.

*ob Saracenos patriam linquunt,*

h i 3 Divini itaque Lucæ avi ad *h* Phocidis, sive *i* Chrysi, provinciam commigrantes, ad maritimum quemdam montem, *k* Joannis appellatum, sui incolatus, tabernacula fixerunt. Quia tamen per hæc tempora, quibus is judiciis novit, cujus sunt judicia abys-
l m sus multa, *l* Ismaelitæ *m* mare infestantes, omnique
Ps 7 35 sinu, portu, ac ora latrocinantes, jam quoque (proh dolor!) eas partes incursabant; rursus loco cedere
n necesse habuerunt. Quemdam itaque portum *n* Bathyn nomine, auris commodum ac tranquillum petentes domicilium ponunt: ubi tempus non modicum commorati, admirabilis Lucæ patrem gignere promerentur, eumque Martyrum primi nomine honestantes congrue utique nomini educandum curarunt. Verum
C hinc quoque Divino quodam nutu vocante ad oppidum
o quoddam *o* Castorium nomine commigrantes, illic habitarunt. Hic porro nonnullum errandi finem facientes, solatii aliquid pro eo exilio, quo extra patriam vagati essent, percipere visi sunt. Utque id non tunc statim, haud tamen longiori temporis in-
Gen 32 10 terposita mora evenit. Qui enim peregrinanti Jacob comes ac auxiliator fuit, atque pauperem divitiis auxit, quique eum, qui prius in baculo Jordanis fluenta transmisisset, bonum armentis ac ovium gregibus locupletem reduxit; ipse plane horum quoque pecora ac substantiam reliquam palam benedicens, eo augmento donavit, ut nedum nulli substantiis deteriores viderentur, verum etiam iis indigenas non parum superarent, atque in illis illud Jobi perfecte impleretur
Job, 20. 4 ut nimirum viis gravescentes essent, ac Dominus eorum domus faceret visitationem.

*avus degit in Phocide ad montem Joannitzin.*

*tum in Bathy portu,*

*dein in oppido Castorio,*

*ditescit:*

4 Verum hic quoque ferre nequivit invidiæ oculus, in apertum livorem oppidi incolas accendens, uti olim Ægyptios in filios Israel. Hi plane cum ne omnino quidem videre, a malo acti, possent, velut advenas ac peregrinos ejecerunt, suisque finibus exterminare conati sunt. Haud secus ac gentes, qui ejusdem fidei erant, cum nihil ii læsissent, molestia afficiebant, expellebant, nullis non malis pulsabant. Hinc gravi angustia pressus Lucæ avus, sicque natura compa- D
ratus, ut nec resistere aut contendere, nec vero iterum alia aliis subinde loca mutare, veluti fugitivus quidam ac flagrio a quovis pelli atque abigi, induci posset, quam cito regiam petit, nullo quidem humano, solo autem Divino fretus præsidio. Deo itaque duce ac auspice, nulla molestia facileque confecto itinere, cum nullo sequestro ipse tunc rerum potientem pie devoteque adiisset, suaque singula clare exposuisset, benigne ab eo auditus, ac clementi aspectu dignatus est. Statim enim regias præbens litteras, ac regiarum jussionum ministro adjungens, plenum gaudio redire jubet. Is ubi advenisset, oppidum ejusque omnia media dividens, utrisque deinceps habitationem tutam facit, ut partem quidem indigenæ, partem advenæ ac peregrini recipientes, ab omni imposterum pugna dissidioque cessaverint; multa vero pace ac tranquillitate vitam sociam duxerint. Atque hæc quidem hactenus.

*ab incolis expellendus,*

*Imperatorem adit,*

*ejus litteris tutus, degit.*

5 Ille autem satus Stephanus, puerili decursa ætate, juvenile adeptus robur totoque medio tempore bene provectus ac pro eo ac decebat filium, ut majorem ei parentum amorem studiosi mores, quam genuina ipsa nativitas afferret: quod jam nuptiis opportunum tempus accessisset provida illorum cura mulieri Eu- E
phrosinæ nomine, matrimonio locatur: cum eadem quidem esset oriunda patria eademque natalium ingenuitate. Ex ea septem Stephano oriuntur proles; perfecto utique numero, ac Scripturæ cum primis celebrato; ut vel hac parte præstarent multis; remque totam Dei munus, non naturæ opus, condiscerent. Prima Theodorus: ei proxima Maria fuit: quarta porro Cale appellatur, estque superstes ista narrans, hactenusque monasticæ vitæ exercitia colit. Quinta Epiphanius, qui et ipse monachi vitam agens, vitæque rationem professioni consentaneam instituens, ad eum migravit, quem dilexisset. Duæ reliquæ proles, cum nedum immaturam ætatem maturiori mutassent, hancce commutantes vitam, humanis excessere. Tertia denique hic ille per omnia divinissimus Lucas est.

*Stephanus pater,*

*Euphrosynæ junctus matrimonio,*

*septem gignit liberos,*

*quorum natu tertius S. Lucas,*

6 Hic primam adhuc ætatem agens, ac cum pueris recenseretur, nihil puerile ostendebat in moribus. Pueris namque ludibria, risus, lusus, motus incompositi, quam maxime animo sunt atque delectant; Lucæ autem nihil ejusmodi, sed quies, tranquillitas animi, morum gravitas, quodque annos senio maturiores undique præferret. Quamobrem nulla ei unquam societas cum aliis, eorum quæ ad volup- F
tatem essent. Ac nemo sermonem fide nutare putet, qui nimirum rem ad esum pueris gratissimum poma sciat: hic autem novus adeo atque insolens abstinentiæ amator erat, ut statim a puero nedum carni, sed et caseo ovisque, ac alii omni obsonio voluptatem habenti, nuntium remittendum, pane hordeaceo et aqua ac oleribus leguminibusque sibi victitandum putaverit. Quartas tamen ac sextas ferias ad usque solis occasum ab omni jejunus cibo agebat. Quodque majori dignum admiratione videatur, nullo ad hæc magistro duceque usus; sed a se ipse, ultroque id omne infestus petens, quod gulæ blandiretur, labores, penuriam, ac quidquid affligit carnem, ex animo amplexus est, cum itaque dulcissima aliis summeque grata, insuavia Lucas nihilque amanda habuerit: vicissimque multis labore fugienda atque gravia valde illi facilia et ab omni labore libera fuerint; plane, quod talia habeantur non tam eorum naturæ sit atque indolis, quam utentium voluntatis ac consuetudinis.

*puer moribus gravis,*

*abstinet cibis delicatis,*

*jejunat 4 et 6 feria.*

7 Cum sane aliquando parentibus convesceretur, iique non religiosa pietate sanoque judicio hæc fieri arbitrarentur; sed rem magis puerilem ambitionem ex mentis quadam levitate profectam putarent, tali eum

A eum experimento probant. Carnes simul ac piscem, in eadem elixas olla, mensæ apponentes, jubent manducet. Is porro quod gestum erat penitus ignorans, patre piscem offerente, accepit. Ubi autem accepisset, jamque persensisset fabulam, nihil non egit, quo se rem molestius ferre ostenderet: animique acerbitatis indicio cibum assumptum evomit, sicque triduo, velut magno aliquo ac sponte patrato facinore, lamentis se ac gemitibus conficiens, nec ullo modo interim panem sumere sustinens, perseveravit. Ut ergo parentes ejus animi propositum exploratum omnino habuerunt, nihilque ipsum humani cogitatus habere, sed Divina plenum gratia esse cognoverunt, ut deinceps suo arbitratu viveret, indulserunt.

*sentiens piscem cum carnibus elixum, evomit,*

*et triduo jejunat:*

8 Porro ille, quamquam vitæ adeo accuratæ studebat, nihil tamen debita in parentes officia negligentius obibat, omni remota excusatione promptus ministerio existens, atque honorem quam quis maximum illis habens. Ac nunc quidem divini illius Abelis Jacobique ac Moysis exemplo, ovium se gregi impendebat, nunc agriculturæ labores assumebat. Jam enim et ætatis vigorem attigerat: quamobrem etiam omni corpus labore ac afflictatione exercere diligenter admodum certabat.

*parentibus obedit*

*pascit oves.*

*agrum colit:*

B 9 Abunde autem benignos illius mores, effusam in alios curam, in pauperes misericordiam, quis pro merito enarrare sufficiat? Tamquam enim totus proximi devotus obsequiis, nullamque sui rationem habens (quod quidem corporis spectat curam) si quando ad consueta ministeria mitti contingebat, ne quidem necessario cibo ac viaticæ annonæ parcebat; sed pauperibus obviis porrigens, jejunus ipse manebat. Sic et vestes libens admodum magnoque animo impertiebat. Quippe his qui nudi accederent tribuens, alacri se animo exuebat, eoque fiebat, ut non raro nudus domum rediens nullam vel frigoris vel puderis alteriusque rei rationem haberet. Sed conviciis ac acriori reprehensione eo nomine a suis coercitus, quin et quandoque verberibus fustibusque exceptus, nihil ab eo pietatis officio dimoveri potuit: potius autem honores ducebat ac gratiarum coronas, quas sibi pauperum caussa plagas infligi pervidebat. Non raro ad tempus non modicum nudus dimissus est, cum sic parentibus visum esset; quo vel sic illam beatam benignitatem humanitatemque deponeret: at ille pœnas istas non pœnas esse ratus, sed bonorum præmia reputans, impensius majorique vigore misericordiæ in egenos sese addicebat. Hujusmodi nimirum est anima Divini amoris capta vinculis. Nihili ducit mala perpeti, quin et molesta delicias æstimat, ærumnaque ac laboribus invalescit. Cum itaque nihil pro dilecto molestiarum ferre contigerit, tunc magis secum putat male agi, velutque tormentum gravissimum, remissionem fugit.

*datis cibis pauperibus, jejunat:*

*datis vestibus, nudus manet,*

*ac plagas inflictas*

C

*amore Dei sustinet:*

10 Ejus vero bonitatis inque pauperes effusioris animi præclarum illud occurrit symbolum. Rus profectus ut sementem faceret, majori æquave ex parte in pauperum sinu condidit. Rem porro et merces secuta est quam jucundissima. Quippe decebat, ut prima Bonitas hujusmodi vices rependeret: quo nimirum beneficentia illa in pauperes sementi detractum erat, eo amplius exuberavit in largissimas segetes ac copiosam messem.

*ob eleemosynas factas*

*majores colligit fruges:*

11 Brevi interim ejus pater ad Deum migrat. Is autem cœlesti magis patri sese addicens, gregis deinceps agrorumque culturæ neglecta cura, soli orationi ac Scripturarum sacrarum sedulæ meditationi studium ponit. Quod autem vir ille magnus in orandi studio multum profecerit, cum alia palam faciunt, tum quod gestum est in matre, haud plane exiguum illud, nec ejusmodi ut non satis habeat ad stuporem auditorum animis ingerendum. Illa namque ipsis oculis contueri desiderans, quidnam filius inter secreta noctis silentia operis faceret, profundo jam vespere, sociis aliis fœminis, prope accedit: tum apte captans latebras, ut videret quidem ipsa a nullo autem penitus conspici posset; magnum illud visuque pariter atque auditu tremendum cernit, uti iterum ipsa mater jurejurando vidisse affirmavit his, qui illa modo essent enarraturi. Erat orationi intentus totaque mentis attentione Deo assistebat. Pedes autem ne quid minimum terram tangebant, velutque in Deum toto corpore attollebatur. Hoc mater cum non semel sed iterum tertioque oculis percepisset, finem dubitandi fecit, nec ultra periculum facere quæsiit. Sunt et alii miraculi testes, non qui ex aliis auditu acceperint, sed qui ipsis oculis orantem illum aspexerint.

*addictus orationi,*

D

AUCTORE COÆVO EX MS GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.

*in ea elevatur a terra*

a Ægina, *nunc* Engia *dicitur, juxta quam Athenis urbe Attic*æ *navigatur Epidaurum urbem Argiæ in Peloponneso.* — b *Imo* Saronicum sinum, *nunc vulgo* Golfo de Engia, *in mari Ægæo, quod latius sumptum, ad mare usque Ausonium extenditur.* — c Agarenos *dici a posteris, quos antiqui* Saracenos *vocarunt ostendimus supra ad Vitam S. Moysis Episcopi Saracenorum.* — d *Has irruptiones faciebant potissimum ex insula Creta anno* 823 *intercepta.* — e *Atticum,* Cecropiam *dictam, uti Athenienses* Cecropidæ *appellantur, a* Cecrope *primo eorum Rege.* — f *Peloponnesum a* Pelope *et Peloponn adrecto.* — g *Bœotiam in Hellade, quæ* Cadmeis *dicitur, a* Cadmo *Thebarum conditore, ubi et arx Thebana,* Cadmea *nominatur.* — h *Phocis Helladis, sive Achaiæ provincia, ad sinum Corinthiacum, ob montem Parnassum et Delphicum Apollinis oraculum celebris.* — i Chrysis, *id est, Aurea regio, forte posteris Phocis dicta, quod terra ejus, teste Pausania, optima sit, et sationi, gregibus, atque armentis opportuna. Iterum memoratur num. 69. et forte latius sumpta.* — k *Græce* ὄρος Ἰωάννου καλούμενον. *infra num.* 17 montem, quem incolæ rusticana voce Joannitza vocarent. *Græce* … Ἰωαννίτζα καλούμενον. *at num.* 34 in Joannitzis eremo. ἐν τῇ κατὰ τὸν Ἰωαννίτζην ἐρήμῳ. *Et num.* 39 redit ad desideratam Joannitzis solitudinem. εἰς τὴν κατὰ τὸν Ἰωαννίτζην ἡσυχίαν. *Situs hic mons non procul a sinu Corinthiaco versus Bœotiam et Isthmum Corinthiacum.* — l *Ismaelitas confundi cum Agarenis, et ambos pro Saracenis accipi, diximus etiam ad Vitam S. Moysis.* — m *Sub finem Imperii Michaelis Balbi anno* 829 *mortui, Saracenis Sicilia potitos, ac postea Calabria, omnique late depredatos esse tradunt Joannes Curopalates, Cedrenus, aliique. Hinc et Græciæ littora eorum latrociniis infestata. Plura de iis* 5 *Februarii ad Translationem Reliquiarum S. Agathæ narrantur, ac* 9 *Februar. ad S. Sabini Vitam, ubi et de Ludovici II Imperatoris adversus eos expeditionibus.* — n Βαθύς, *id est profundus, scilicet portus et navis commodus, Græce* εὔορμος, *quasi propitio marte utens, nec ullis ventis sævioribus agitatus, prominente scilicet monte aut colle.* — o *Castorium oppidum in Thessalia fuisse colligimus infra ex num.* 12 *Ubi etiam Bathys portus videtur fuisse, e regione forte insulæ Eubœæ.* — p *Natus est S. Lucas circa annum Christi* 890.

*Ægina.*

*regiones Cecropis, Pelopis, Cadmi, Phocis, Chrysis.*

E

*Mons Joannitzis.*

*Saraceni in Italia.*

*Bathys portus.*

*Castorium opp.*

## CAPUT II.

### *Vita monastica expedita, Athenis cœpta, relicta.*

Cum porro olim jam animo agitaret relinquere mundi tumultus, ac monasticæ vitæ quietæque institutionem inire, occasionem captans, statim excedit Thessalia. In itinere positum capiunt excubantes milites, ut a dominis refugas servos caperent ac carceribus manciparent. Ii namque nihil cultiori habitu a vilissimis summeque neglectis intuentes, ac cujuspiam servum arbitrantes, extemplo ceperunt, atque ex illo consueta percontati sunt: Cujusnam esset et unde, ac quonam proficisceretur? Respondente illo ac profitente, Christi se servum esse; nec alia se causa quam orationis iter suscepisse; cum ad ista nihil adjiceret, rati illi celare servitutem, palamque ipsos ludificari, dire fortiterque cædebant: nec mentitus lingua, sed falsa militum suspicione, pœnas immeritus dabat. Ille nihilominus reipsa veritatis amans ac magnanimus, verberum necessitate a vero discedere, sibique servitutem adscribere, ignavi animi planeque degeneris existimabat. Ideirco etiam post verbera vir sanctus carcere clauditur; sic forte adversario ulciscente, quas eo motore clades acceperat, ac ne ille deinceps audenti fortique animo ipsum impeteret. Ceterum a quibusdam, qui probe noverant, agnitus, certoque testimonio, quisnam ac qualis esset, deprehensus, carcere solutus est: cumque ad suos incolumis remeasset, opprobria et calumnias vituperiaque longe plagis graviora, ab

*Monasticam quærens vitam,*

F

*a militibus capitur,*

*cæditur,*

*carceri includitur,*

*liberatus,*

*a suis irridetur.*

AUCTORE COÆVO EX MS GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.

A ab illis perpessus est. Ille porro cum non nesciret unde illi offendicula essent, ac quis ipsius ex Dei proposito gressus impediret, ejus misericordiam pulsare non destitit, suppliciter orans, ut animi ipsius propositum ad finem perduceret : et vero perduxit, qui bonis semper auxiliator adest. Hoc autem modo res gesta est.

*monachis Roma redeuntibus,*

13 Monachi duo e seniori redeuntes Roma, apud illius matrem hospitantur. Hos ubi aspexisset, subiit mox olim animo consuetum desiderium, Divinique amoris ignis velut aptæ materiæ, animæ ejus firmus insedit. Collato igitur sermone, rogat itineris comitem fieri, pariterque monachi habitum consequi. Porro illi proficisci quidem Hierosolymam dixerunt, comitem tamen assumere, aut mutato habitu facere monachum detrectarunt, duplici hac ex caussa, quod et *a* juvenis esset, nec longo assuetus itineri; quodque parentibus atque cognatis re cognita, non leves illi pœnas daturi forent. Ubi autem se et peregrinum et a nemine vindicandum dixisset, ac suasisset; clam cum eo oppido exeuntes, *b* Athenas veniunt, inque sacrum illic Dei Genitricis templum ingressi, ac fusis ad Deum precibus, illum quidem, in quo diversati erant monasterio, relinquunt,

*a* *post multas preces,*

*datus comes,*

*b* *Athenis in monasterio suscipitur,*

B ac ejus Præposito ipsum commendantes, foreque promittentes, ut brevi detonsus in monachum, pulchro Fratrum choro insereretur, ipsi vero, quod a principio propositum erat, iter insequuntur. Atqui monasterii Præfectus cum divinum Lucam sæpius interrogatum haudquaquam potuisset inducere, ut cujus esset, quave ortus prosapia, aperte ediceret; in monachum detondet, tum habitu monastico induit illo hactenus, qui Novitiorum habetur, quem et moris est appellare *c* Minorum habitum.

*tondetur, minorem habitum Novitiorum induit.*

*c*

14 Mater autem (nam nec illius res sunt obvolvendæ silentio, quippe cum matri ingens luctus sit filii privatio; idque maxime ubi accesserint viduarum mala propria) ut quam prorsus ferendam carissimi pignoris peregrinationem rata, tum lamentis plangebat, tum diro mœstitiæ telo feriebatur, ac neque ab omnium Domini accusationibus sibi temperabat : quin Elisæi viduam illam animi affectionibus imitata, Heu me, Domine, inquiebat, meæ testis viduitatis ac desolationis ! tu primum afflixisti, ut, quem matrimonio mihi junxeras, morte afficeres, ac viduitatis addixisti dispendiis, quæ res ipsa longe gravior morte fœminæ sit : nunc autem, quem ad tanti mali solatium aliquod habebam, a meis abstu-

*Matre ægre id ferente,*

4 Reg. 4. 28

*et lamentante.*

C listi oculis, nec habeo, ubi amœnum illud verum jubar videam vitæ meæ infelicis, ut et nos cum Propheta apte admodum clamemus : et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum. Sed et quæ caussa, ut longe a nobis puer profectus sit ? Num ego, ne tibi vacaret, ac obsequiis tuis assiduus esset, prohibebam ? Num cultum tuum minimi facere præ officiis in nos suis cogebam ? Num spiritalibus terrena et manentibus transitoria anteferre ipsum docebam ? Unde, quæ nedum carnis, sed et animæ mater esse a majoribus olim didiceram, quæque filium orationis opus, meliorem illi partem assignans, effeceram; porro illa mihi unica consolatio erat, ut pignus carissimum viderem, atque id semper, ut quidem fieri potuisset, sin autem, vel saltem per aliquam temporis horulam. Satis autem vel ipsa e vicino præclarorum illius operum auditio erat, ut in anima lætitiam generaret, et ad illius excitaret curam. Ne itaque, omnium Domine Rexque, meorum oculorum spernas lacrymas : sed eas pone in conspectu tuo, ut divini illud Davidis loquar, dignareque altas illas tenebras mœroris mei dissolvere. Dissolves autem haud alia ratione, quam ut pignus carissimum maternis iterum reddas oculis. Sic enim et omnes convocabo in filii inventione, et confitebor magnificen-

Psal. 37. 11

*Deumque deprecante,*

Psal. 55. 9

D tiæ tuæ, ac te laudabo omnibus diebus incolatus mei in carne.

15 Sic orans, Deum natura bonum ad misericordiam inflectit. Quidnam vero accidit, ac qua factum est ratione, ut mater diro gravata dolore, inopinato lætans de filio visa sit? Qui nutu conficit universa, monasterii Præfectum, sub quo Lucas Christi ovis rationalis merebatur, sic visam matrem alloqui facit, ac ei inclamare : Quid vero mihi viduæ vim fecisti ? Quid supra dolorem vulnerum meorum addidisti? Quid quod unicum erat viduitatis meæ solatium, nulla miseratione abstulisti? Ut quid filium, ut quid senectutis meæ cultorem rapuisti ? Cito illum mihi redde : lumen, unicam spem. Numquam enim Deum omnium Judicem Regemque adire cessabo, teque accusare, ut quæ injuriam a te passa sim. His insomniis territus monasterii Præfectus, primum quidem inanem visum rem putabat ac maligni tentationem. At ubi sequenti nocte alteraque ac sæpius mulierem se adeuntem vidit, ac talia dicentem, deque iisdem cum ira increpantem, operæ pretium duxit, ne velut fallentem imaginem sperneret, sed ut divinum somnium reputaret. Quapropter mox facto die accersitur adolescens, ac coram sistitur. Tum ille severiori tum verbo tum habitu, Heus,

*ac Præfectum monasterii per visum objurgante,*

*ab hoc admonitus,*

E inquit, tu, cujus gratia ac quo fine, quæ te spectant, celare voluisti, quamquam ea pridem ex te non segniter percontati sumus ? Quomodo autem et parentes habere et cognatos omnino pernegasti ? Aut quomodo ad sanctum hunc habitum institutumque accedere præsumpsisti, qui totus dolo constes ac simulatione, uti rerum ipso testimonio comprobatur ? Si namque a principio sane libereque detexisses, ne quidem nolente te in palam facta essent. Abi itaque a nobis ac universis Atticæ finibus, teque parenti restitue; qua ego nimium molesta, hanc tertiam noctem gravem admodum duxi. Hæc loquente monasterii Præfecto, gravi Lucas timore stabat, ac dimissis in terram oculis, nihil quidem ipse loquebatur, lacrymis vero ac corporis toto habitu vix non vocem mittebat; etiam detectam ægre separationem ferre, nec velle a Fratrum societate discedere. Ut ergo hæc novit Præpositus, ejus multa humilitate ac modestia mitior factus, iraque temperata, At, inquit, fieri non potest, ut ad matrem non redeas, quod ad præsens attinet. Quo facto nihil vetat, ut ne delecto quodam loco monasticam in eo vitam instituas, sicque animæ tuæ consulas. Nam, ut videtur, illius

*jussusque ad matrem redire,*

F oratio vi maxima pollet exorandi Deum, et ut tuam plurimum possit impedire.

16 His Lucas auditis, nihil quidem contradicit, qui valde humilis ac modestus esset ; juxtaque Scripturam præ modestia omnia vereretur : inque genua procumbens, ac orationum petens suffragia, etsi invitus monasterio exit, moxque iter ad matrem arripit. Quæ vero intra domum erat, invenit sedentem in cinere, demolita obscuraque facie, fixis mœstam terræ oculis, totaque facie ingentis tristitiæ indicia ferentem. Illa ut mox aspexit, gaudio commixta ac stupore, assurgit. Vide autem fœminæ virtutem, quanta fuerit, ut colligas par esse, ut ex tali arbore fructus talis prodierit. Filium videns, non in amplexus ruit, non se membris affundit, non se totam spectaculo impendit, sed in secundis hæc ponens, ante omnia statim ad Deum aspexit, manusque in altum expandens, illi gratias agit, quo auctore, quem amiserat filium, recepisset, dilectumque intra manus teneret : Benedictus, inquit, Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me. Sicque Lucas per Dei voluntatem matri redditus, illi ministrabat, inque eam quidquid filii in parentes obsequii est, conferebat. Id tamen dumtaxat ad menses quatuor : deinde vero Dei ac solitudinis

Job. 9. 28

*abit e monasterio,*

*redit ad matrem,*

*huic ministrat 4 menses :*

amore

A amore iterum inardescens, omnibus oblivioni traditis, illi se totum addicit, nec ipsa matre jam adversante, autve rem negligendam putante, quippe quæ aliis quidem omnibus anteponendos parentes, Deum tamen priori universis loco habendum non nesciret.

— a *Septemdecim circiter annos natus.* — b *Absunt duo hæc circiter millibus passuum a Thessalonica dissitæ sunt, et forte amplius a Castorio Lucæ patria.* — c Ἀκολουθία τοῦ μικροῦ σχήματος Officium parvi habitus, *accurate editum et explicatum est a Jacobo Goar in Euchologio Græcorum. Hic autem intelligitur habitus Novitiorum* τῶν ἀρχαρίων *cui que tunica, cingulum et pileus. At votis professis addebatur* μανδύας *pallium, qui proprie* Minor habitus *erat.*

## CAPUT III.

### *S. Lucæ vita solitaria in monte Joannitzis ; Orationis studium ; hospitalitas.*

*in montem Joannitzis discedit,*

Matris ergo bonum faustamque precationem viæ ducem assumens, ante dictum montem illum petit, quem loci incolæ sic rusticana voce Joannitza vocarent, ejusque partem, quæ mare respicit, lustrans (ubi etiam germani fratres *a* Cosmas et Damianus, Anargyri vulgo dicti, delubrum habent) in ea ipse monasticæ exercitationis tabernaculum *b* fixit. Qualia vero ac quanta illic certamina, laboresque ac B pugnas adversus ventrem ac somnum ; seu magis adversus sævos dæmones, per ea nos impugnantes, exhibuerit, neque aliquis dicendo assequi possit, neque dicentibus ob rei exuperantiam indubitata fides habenda sit. Sin autem et ex parvis quibusdam indiciis tamquam ex ungue leo, quod aiunt, aut fons ex levi gustu, viri præstantia declaranda sit, nihil absurdi, ut ne ejus bonis enarrandis et hæc adjungamus.

*attestante discipulo, diligenti observatore,*

18 Nam et ejus quidam discipulus, cum secum animo incredulitatem parturiens, ita existimaret ; simulare quidem virum se orationi ac vigiliis assiduum, somno autem noctis plurimam partem insumere ; quod maxime nec disciplinis addiceret animum, nec vel divinarum Scripturarum vel Patrum sermonibus esset assuetus, ut in eorum libris versari posset ; non longe vero ab extrema quadam imperitia abesse illum putaret, reique periculum facere desiderio cuperet ; cum jam nox incubuisset, ac casulæ fores pater occlusisset ; sese ille in solum jactans, ac capite nixo foribus, arrectisque auribus, quod proprium dicunt illorum qui longe attenti sunt, ad usque mane illo corporis habitu perseverans, tandem stratum proprium repetit ; admiratione utique ple-C nus, seque a priorum cogitationum suarum incredulitate absolvens. Quæ autem ita foribus defixus cognovit, sic se habent, uti ille ipse narravit post Patris obitum, sub horrendo sacramento sermonem confirmans. Cognovi, inquit, illum genua solo figentem, ac frontem illidentem terræ. Ad singulas porro genuflexiones, publicam illam accinebat vocem. Tunc velut fervore incalescens, crebriores genuflexiones adhibebat inque illis durabat, donec corporis virtute exhausta (neque enim illud pari conatu promptæ spiritus alacritati inservire valebat) supinus corrueret, diuque immotus permaneret. Sed et ita efficax erat, nec pigritiæ indulgebat. Non somno concedebat, sed sursum manus corporisque pariter atque animæ oculos habebat, con uetamque illam precationem, Domine miserere, tota animi contentione dicebat. Tum post modicam illam corporis remissionem iterum surgens in pedes stabat, seque orationi ad primam usque diei lucem dabat.

*Noctes integras orat, somno genuflexionibus*

*et stationibus impedito*

*divertit in monasterium,*

19 Accedat aliud pariter occultorum viri certaminum ferventisque ejus quietis monasticæ amoris argumentum. Divertit quandoque apud quemdam nota familiaritate conjunctum virum, ipsum utique studiosum ac virorum religiosorum cœtui præpositum. Ubi porro tertium jam apud illum diem ageret, subit casulæ ac solitudinis desiderium, rogatque ut liceat D abire. Præpositus autem non concedebat ; quippe quem rursus viri desiderium teneret, nec præsentia disjungi ferret. Etenim amantium Deum desideria vehementissima sunt, hisque fortiora quæ naturæ compendio concrescunt. Cum autem ille non acquiesceret, palamque redeundi commeatum peteret ; Præpositus, quod et occasio solennis e vicino diei festi faveret, durius quodammodo (cujus nimirum animum desiderii vis acueret.) Quamdiu, inquit, ita rustice obniteris ac solitudinem ecclesiastico conventui præhabebis ? idque maxime cum celebri totius populi conventu agenda celebritas in januis sit, cujus sacrarum cantionum jacturam faciens, damnum maximum reportabis ? Ad hæc vir Deo plenus sua illa amore digna beataque simplicitate (operæ pretium vero sit, ut nedum sensibus, sed et ipsis pulchræ illius linguæ verbis utamur) velut defensionem ordiens : Bone Magister, Pastor benedicte, bene jubes : verum Canones ac sacræ lectiones (siquidem illis animus adhibendus est) totum denique ecclesiasticum officium quo ferunt? quisnam vero illis scopus ? Hæc audiens, anceps hæsit monasterii Præfectus, nec prorsus occurrit quod responderet. Is porro velut dubitationem solvens, plane, inquit quan- E ta prius simplicitate, Magister bone, Pastor benedicte, psalmodiæ ac lectiones, omnisque alia collecta, ad Dei timorem, uti doces ipse, studiosos adducunt provehuntque. Qui ergo, hunc ipsum ut in corde habeat, diligentiam habuit, putas ullo modo ille indiget quæ laudasti ? Hæc præpositus ubi audiit, vim responsionis multum admirans, haud ultra retinere voluit ; sed statim ad tabernaculum suum ire permisit.

AUCTORE CONATO EX MSS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS

*rogatus a Præfecto ut diutius maneat,*

*vel ob festi instantes celebritatem,*

*præfert sedulitatem Ecclesiasticis lectionibus et collectis.*

*hortum colit,*

20 Colebat vir magnus hortum exiguum, tum ut in eo ipse laborans exerceret corpus, tum ut se adeuntibus nedum ille ad esum necessarium, sed et aliorum aliunde recrearet aspectum. Omni quippe arborum genere pulchre vernabat, omnisque generis oleribus consitus erat. Quod vero non lucri cujusdam caussa, aut proprii commodi rem obiret, sed ut proximorum usui cederet ac curationi, perspicue evincit, quod nihil unquam inde mercium visus sit vendere, sed potius undequaque ad eum venientibus, omni ultro alacritate præbere. Quandoque autem etiam ipse portans, aut asino imponens, in vicinos agros abibat, tumque occulte sarcina in medio deposita redibat. Sic laboribus suis aliorum commodis consulebat : id vero nihil curiosius disquirens, in quos beneficium conferret, sed Isaiæ colligationem delectumque tollens, ac communem omnibus humanitatem prætendens.

*in omnes sine delectu misericors*

Isa. 58. 6.

F

21 Hos ejus horti labores atque culturam, cervi montibus exilientes, eoque loci crebro venientes, qua depascentes vastabant, qua pedibus deformabant. Porro divinus vir modo quidem lapidibus, modo clamoribus abigere tentabat. Ceterum cum sæpius tum ille abigeret, tum hi redirent, nihilque interim olerum illi ac frugum appetitionem remitterent, velut Divino afflatus Numine, vir strenuus submissiore voce unum quempiam illorum, qui et aliis eminere videbatur, tanquam ratione præditus esset, sic alloquitur : Cujus, inquit, gratia injuriam mihi facitis, meosque labores vastatis, cum nihil ego unquam vos læserim ? Unius Domini servi sumus, unius Dei existimus opera. Omitto dicere, me solum secundum Dei imaginem in rerum naturam productum esse, inque omnia potestatem habere. Illo itaque jubente, non transibis locum, sed ubi hic subsistis, condignas injustitia pœnas daturus es. Dixerat vir magnus, isque velut telo percussus, statim in terram prostratus, immobilis jacebat. Rem a longe conspicati quidam venatores, velut ad lucrum quoddam insperatum citi accurrunt, gaudioque prædam ad cædem trahunt.

*cervum hortum infestum*

*cur eptione prosternit.*

Haud

*AUCTORE COÆVO EX MS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS*

*prostratum contra venatores tutum præstat :*

A Haud tamen placidis illius oculis res placuit : sed mox ut vidit, prostrati commiſereri cœpit. In medium ergo procedens blande eos adit, atque a conatu deterret : Fratres, inquit, nihil vobis et misero cervo huic commune intercedit. Neque enim labor aut cursus aliudve quod prius venando impensum sit, congrue vos ad cædem illius impellit. Liquet igitur misericordia potius indigere atque auxilio, qui ex imbecillitate prostratus sit. Hæc dicens, viros inflectit, magnam ejus lenitatem stupentes ac miserationem, tum et illos adjutores adhibens cervum erigit pariter ac dimittit : sed et illi abierunt, ejus magis bonitate prædæ facti, quam aliquid ipsi prædati.

*inter vigilias, jejunia,*

22 Nec hoc vero dignum, quod silentio prætereatur; quod nimirum cum tot jugiter laboribus corpus conficeret, vigiliarum irremissa vi, ciborumque penuria; (solo namque hordeaceo pane utebatur et aqua, atque his parce admodum, et castigate quandoque autem et oleribus, atque, ut par est, intervenientibus leguminibus, sicut etiam in superioribus declaratum est) cum item rigeret frigore, æstuque adureretur; ad hæc autem ferarum examine vexaretur,

*et aspera quæque,*

ut, ne dicam alia, immensas genuflexiones, noctium totas stationes, non amicam solitudinem, quæ ipsa B non raro exacerbare, durioresque animi mores facere consuevit. Cum itaque tot ille angustias pateretur, totque essent quibus exasperari posse videretur, numquam tamen vultu tristior aut morosior conspectus sit : sed longe iis, qui quotidie animi remissione, comessationibus ac mensis luxuriant, lætior,

*semper hilaris,*

adeoque his qui adirent, ac apud eum hospitarentur, haud minimum hilaris moribusque facetior, corporalibus pariter spiritalibusque edulliis non raro etiam iis, quæ essent ad delicias ad satietatem usque lætus conviva hospesque excipiebat : tametsi nihil aliud aut suppeteret aut speraretur, nihil cibo aut annonæ parcens. Reputabat enim secure admodum sanaque mente, cum Deus in montibus fœnum producat et herbam servituti hominum, cum paret terræ pluviam, jumentisque ac pullis corvorum escam præbeat, qui fieri possit, ut his qui incessanter ipsum invocant (ut divini Davidis verbis utar) providentia desit.

*benigne hospites suscipit,*

Ps. 146. 8

23 Quia vero necdum divini *c* magnique habitus consummantem gratiam consecutus erat, plurimumque ejus desiderium parturiebat, Dei tandem providentia, quæ ejus bonitas est, et hunc obtinet. Hunc autem res modum habuit. Monachi duo senii canis ornati, quin potius ornantes et ipsi virtute canos, C seniorem Romam quamdam velut legatione petebant. Is ubi bene ac humaniter hospitio viros excepisset, communicato postmodum cum illis consilio, voti compotem fieri se enixius postulat. Illi porro, quippe qui vas dignum esse nossent quod susciperet, nihil eum morantur : sed legitima omnia circa illum propere exequentes, *d* apostolicum ac beatum habitum ipsum induunt, arctæque ac angustæ viæ, ejus nimirum quæ ducit ad vitam, symbola imponunt, seu potius quod jam prius re ipsa erat, hoc eum illi ex habitu postmodum ostendunt. Res itaque universis lætitiæ causa fuit Deo, Angelis, hominibus, uni duntaxat universorum infenso suo hosti tristitiam metumque importavit. Videbat enim novum Christi militem ac revera pugnæ expeditum, Divini spiritus armatura indutum, valde quid strenuum ac virile spirare, jamque ferventius in illum pugnaturum.

*c*

*et duos monachos Romam euntes;*

*ab iisque habitum monachum monasticum accipit :*

*d*

24 At nec, quod is circa sacræ hujus rei consummatores monachos effecit, miraculo silendum videatur. Revertebantur illi, exceptis autem necessariis, nihil erat apud B. Lucam, quod ejus dignum magnifico animo ac voluntate videretur, atque maxime in tantos convivas, ac eos qui tanti boni extitissent

*Roma redeuntes excipiens hospitio,*

auctores. Quid ergo is, qui locupletem dexteram aperit, et implet omne animal benedictione? Sedent illi in littore, cum jam sol puros evibraret radios, inque marinos fluctus lenioribus auris excitatos, intenti erant, cum ecce magnus piscis alte in aera pennarum remigio sublatus, ante eorum jactatur pedes, suavissime palpitans atque saliens, velutque ad sui apparatum præsentes provocans, ac ciens. Ii porro curatori Deo ac annonæ præbitori gratias agentes, ejus de se providentiæ admiratione defixi erant. Tamquam vero non satis esset, quod fuerat prius præbitum, alium præterea mittere visum fuit : statimque piscis alius nihil priori magnitudine cedens, et ipse marinas relinquens sedes, in terram momento prosilit, tum convivas ad gratiarum amplius excitans actionem, tum ad sui ipse apparatum festinans. Aliquidne hæc minus ad miraculum habere dicat pius aliquis, ac divinas Scripturas doctus, Eliæ illa mirabili, corvi ministerio annonæ subministratione? Sic ita monachis palam factum est qualis hic esset, sicque percepta utilitate recessere.

D

Ps. 144. 19

*duos ex mari exilientes*

*pisces accipit.*

3 Reg. 17. 6.

25 Ille porro velut armaturæ signaculo hic primis adscriptus ordinibus, majoraque nunc prioribus debens certamina, majores utique etiam labores adversusque hostes cautelam impensiorem ostendit, E jejuniis addens jejunia, lacrymisque lacrymas cumulans, somno item de corporali omni remissione magis abstinens, prolixiori vero ac ferventiori oratione, constantiorique solitudinis quiete utens. Quibus exercitamentis copiosum Divinæ opis ac favoris munus obtinens, gratiaque sanationum uberrime donatus; præteritorum quoque, futurorum ac præsentium, aliis occultorum, scientia, mirifice claruit. Denique etiam *e* Scythicam illam lanceam, quæ universam pervadens continentem, totam fere exitio tradidit, multis ante diebus prædixit, non aperte quidem, ut quod gloriosa res videretur, gloriam ipse diligenter declinans, sed parabolice ac sub ænigmate. Atque aliis quidem alia hoc de negotio beata viri lingua locuta noscitur : ut alii autem ex eo audisse aiunt, fore ut Hellas percuteretur atque Peloponnesus bello infestaretur. Erat vero et Divini Lucæ tabernaculi compositio, non quo superflua quædam ac præter necessarium usum servaret ac deponeret (quomodo enim cui præter corpus peculii nihil erat) sed plane ut quo labores, quorum Deum duntaxat volebat testem, tutos servaret ac occultaret. Exigua autem ac longiori in hoc tabernaculo defossa scrobe, F in ea velut tumulo quodam corpus reclinabat, jugem sibi ac semper vigentem monumenti hoc mortis memoriam faciebat. Tum brevi parum degustato somno iterum exiliebat, ac Davidicum illud pronuntiabat : Præveni, in immaturitate et clamavi. Et iterum, Prævenerunt oculi mei ad matutinum ut meditarer eloquia tua.

*auget pia exercitia.*

*donatur gratia curationum et prophetiæ :*

*e*

*in angusta scrobe, quasi sepulchro, parum dormit :*

Psal. 118. 147 et 148

26 Ejus porro humanitatis profundum quomodo quis facile totum pervadat? Quamquam modica quædam superius declaravit oratio. Non solum enim ad usque homines, sed et jumenta et aves, ut ne quoque reptilia dicam (nam et quid ejusmodi illius extat) beneficium extendit. Duos namque angues vasculo inclusos ad longum fovit tempus, atque nutrivit, forte simplicius præceptum Dominicum, ut male facientibus benefaciamus, et ad illos extendere volens; quamquam nihil unquam ille ab his pertulit mali. Haud raro sane visus est agri passeribus annonam providere, adeo utique humanitate diffluens erat miserens semper ac commodans.

*duos angues nutrit :*

*passeribus annonam providet.*

27 Ejus itaque fama sanctitatis ubique pervagante (facit enim virtus habentem conspicuum, veluti lampas, eum a quo gestatur, quamvis invidiæ caligo multa circumcurset) duo quidam fratres Sanctum adeunt, quadam illos necessitate urgente. Hi viri

*duobus fratribus hospitio recreatis,*

A viri hospitio ac fabulatione abunde recreati, ut esset corporalis ac spiritalis refectio: deinde etiam ferventem admodum, sed illi quam molestam, quod omnino fugeret ostentationem, petitionem offerunt. Sic autem illa habebat: Pater, inquiunt, noster sub vitæ finem, quod illi aurum ac pecunia erat, terræ infodit. Locus porro nobis incertus, nulloque notatus indicio: rogamus ergo, ut is nobis Divinæ in te gratiæ luce manifestus fiat. Vides quo nobis statu substantia sit, ut et ipsa necessaria parce suppetant; sed istud pejus, quod et fratres existentes, non cessamus invicem lacessere, alter alterum furti accusantes. Audiit præclarus vir, ac velut præ magna humilitate, ne dignam quidem excusatione rem arbitratus, ab illis statim se expedivit. At illi ne sic quidem negligendum putantes, secundum periculum, velutque boni vates ejus, quod futurum erat sibi effecti, iterum adeunt. Is vero etiamnum repellens, externum se, nec ullo prorsus modo ejusmodi dignum gratia affirmat. Cum autem illi magis urgerent, seque minime recessuros ostenderent; vix tandem sero, sed et tunc sapienter, et ut quis videri volens nescire composuerit: Cum, inquit, ipsi sciatis locum, in quo pater moriens aurum condidit, talibus, in-
B quam, talibusque indiciis facile conspicuum, ut quid frustra vultis molestiam facere? His illis auditis haud increduli fuerunt: cito autem locum petentes signis designatum, ac fodientes, ita revera, ut dictum erat, esse compererunt, thesaurusque in prospectum productus est. Quem utique acceptum inter se dividentes, quod gestum erat miraculum, omnium pene auribus intulerunt.

*pecuniam a patre eorum, tum mortuo, in terra defossam,*

*sæpius rogatus,*

*certis indiciis prodit.*

a *Coluntur SS. Cosmas et Damianus 27 Septemb.* — b *Circa annum Christi* 908, *cum annum* 18 *ætatis ageret.* — c *Cucullo donabantur* μεγαλόσχημοι. *Vide eumdem Goar.* — d *Angelicum habitum passim Patres vocant, quos idem Goar citat.* — e *Bulgaros intelligit, de quorum incursione infra.*

## CAPUT IV.

*Malevolorum facinora detecta. Lucta carnis per Angelum repressa.*

*A diabolo immissas fœminas,*

Nec vero istud inane videatur ad utilium sempiternaque memoria dignorum viri sapientis operum cumulum. Ad illum ex quodam oppido tres adveniunt fœminæ, putem veteratoris illius malitia ordiente fabulam, eoque tamquam veteri instrumento, illis utente ac adhibente adversus animam justam, prætextu quidem pietatis, revera autem non alio
C fine, quam decipiendi ac perdendi in finem. Advolutæ itaque ejus pedibus, Misereri nostri, miserere homo Dei, in spiritus contritione dicebant; nec pectoris nostri gemitus, ac afflictionis, qua tenemur, pondus despicias. Ignis enim pectore accensus, ignis occulte depascens ac urens impellit, ut apud te peccata detegamus. Ad hæc illo abnuente ac jubente abirent; supra hæc superare modum, nec ullo modo ipsas recepturum; illæ contra gemitibus gemitus atque lacrymis lacrymas cumulantes, Ne, inquiebant, despicias, ne repellas, ne averseris humiliatas: memor esto Prophetæ præceptum esse, palam edicere pudenda opera et justificari sicut audimus: nosque ad hoc plane permovit Deus, qui vult omnes salvos fieri, ut justitiæ nostræ tu sis ipse conciliator salutis. Cum autem iterum abnuente illo majori fœminæ fervore instarent; subveritus vir sanctus, ne sic diu multumque renitens illarum in bonum animi alacritatem frangeret, vix tandem acquiescens occultorum *a* confessionem excipit. Tum permittit, ut sibi invicem ministrantes in communi cibum sumant, at quam cito domum revertantur. Quocirca alia ad hauriendum, alia ad hortum, tertia ad culinam festinant, paucaque olera elixantes ac manducantes, deindeque virum beatum adeuntes, ac de præteritis veniam, proque futuris cautelam reportantes abeunt. D

*peccata inde confitentes occulta,*

Isaiæ 43. 26

Tim. 2. 4

*sæpius rogatus audit*

a



AUCTORE COÆVO EX MS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.

Psal. 10. 3

*tentationibus postea illatis resistit,*

Eph. 6. 11

29 Porro is qui sagittat in obscuro rectos corde, statim ac illæ recessissent, sagittas misit, virumque strenuum secumque solitarium agentem cogitationibus ferit, ac carnis ei bellum suscitavit. Is vero insultus auctorem haud ignorans, pulchre se armis instruxit, adversusque illum stetit: armis, inquam, illis quibus divinus Apostolus Paulus Christi militem armare consuevit, sicque triduo depugnans oratione ac lacrymarum imbribus concupiscentiæ ignem extinguit, penitusque liber ab ejusmodi bello evadit. Sic autem evasit liber: videtur sibi in somnis videre Angelum adolescentis specie, qui manu tenens hamum, eumque in Lucæ viscera per os immittens, atque inde carnosum quoddam membrum extrahens (quod forte carnis libidinem designaret) sicque jubens macte animo esse liberat.

*Angelo extrahente libidinem caruit:*

30 Est et hæc Dei amantium auribus digna narratio. Cujus superius mentionem fecimus, divini Lucæ vere germana soror, (neque enim sanguine solum, verum etiam rebus ac moribus genuinam cognationem ostendit) hæc, cum illi moris esset, ut fratrem inviseret, cum eo maneret, ac illi ministraret, inventa quandoque est cum nonnullis etiam aliis, cumini purgans segetem, ejusque evellens herbam E ne justo majori cremento augeretur. Ait itaque Magnus ille universis audientibus: Venit ad nos homo, magnum onus et grave in humeros portans, multumque laborans. Dixerat brevique post cœtu relicto, montem ingreditur, ac tenebras ponit latibulum suum. Illis porro admirantibus, ac, quænam vis sermonis foret, considerantibus, qualisve esset hic onere pressus, ac quodnam onus ferret, (putabant enim loqui de corporeæ molis pondere) en ipse tandem in universorum aspectum venit solus, levis, expeditus, ne minimum quid oneris ferens; Sanctum tamen ex nomine appellans, ejusque dicens habere necessariam opem. Sancti autem soror ac comites expectare jubebant. Abiit enim, inquit, ut vides, nec est modo nobiscum, ac si quidem ipsum visurus es, oportet ut expectes. Cumque ille non prius se discessurum affirmaret, quam liceret virum alloqui, præteriit dies septima, cum vix tandem, seu ex quadam caligine, ex quietis ac solitudinis Moses alter adytis prodit. Mox autem ut hominem aspexit, oculis ad terram compositis, voceque gravi atque a solita lenitate abhorrente, Et quid tibi, inquit, cum inaccessa hac eremo rei? Ut quid relictis urbibus in F montes concessisti? Ut quid *b* Pastores ac Pastorum principes, quos Ecclesiæ habent, dimittens, ad homines rusticos ac litterarum rudes tete contulisti? Quomodo autem in conspectum quoque venire præsumpsisti, nec horruisti Divinam ultionem, qui immanium adeo scelerum reus sis?

*prædicit hominis facinorosi adventum;*

*adventientem dure increpat,*

b

*ad Pastores [illegible] monet eundum esse,*

31 Ad hæc illo terrore correpto, rivoque lacrymarum e genis profundente, ac præ metu præpedita lingua hiscente; subdens Sanctus, Quandiu, inquit, siles? nec palam omnibus peccatum traducis, ac inquam detegis cædem; quo te ipse accusans, Divinum numen, cui a natura mali odium est, modicum sic aliquantum repropitieris ac places? At ille vix tandem ipse sibi vim faciens, continuo ac intercluso anhelitu, Quid, inquit, Dei homo, a nobis petis discere, quæ Divina in te habitante gratia doctus, ante didicisti? Nec enim a te occultatum est, quod in occulto feci. Ceterum jubenti obtempero, dicoque, ac quod male gestum fuit, palam produco atque accuso. His dictis palam peccatum profitetur, edisserens singula, quomodo, ac ubi, quamobremque itineris socium occidisset. Tum Sancti pedibus advolutus, rogat, ut nolit despicere, nec sic misere inimici laqueis tentum sinere. Is autem cum ejus miseretur, tum statim erigit, admonetque et exhortatur, regulisque,

*hortatur ad sceleris publicam confessionem,*

*aliquam pœnitentiam injungit.*

AUCTORE COÆVO EX MS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.

A pro eo ut ferendo videbatur, munit; id præcipue *c* mandans, ut ad occisi sepulchrum vadens, lacrymarum illic copiam libaret, ejusque pro tertia et nona et quadragesima splendide funeritia sacra celebraret: genuflexiones haud tribus millibus pauciores, si res ferret, faceret : quin potius, quod totum vitæ reliquum erat, peccatum defleret, atque animi tabulis inscriptum, observans animo semper haberet. His ad eum datis mandatis, domum remittit, cum boni perfectam agnitionem ac peccati reprobationem animo injecisset, isque multam se pœnitentiam allaturum promitteret.

*c*

*Demetrio nauclero singulari amicitia conjunctus,*

32 Alius quispiam arte nauclerus, Demetrius nomine, Sancto familiaritate conjunctus, nec raro ad eum ventitans, pluresque ejus consuetudine dies transigens (quippe qui et animæ utilitatem non minimam inde consequeretur) tum ob sermones, tum ob ipsam utique congressionem ac morum suavitatem, multo ejus amore tenebatur, fervoreque eum sinceræ fidei prosequebatur. Verum nesciebat ille, quam vir sanctus habebat domesticam vim doni perspicacis ac prophetiæ : unde et quid tale accidit; humanum quidem, haud tamen omni vacans crimine. Versabatur quandoque cum navigio in Lucæ hospi-B tioli partibus, ac piscium capturæ vacabat. Aditurus vero Sanctum, nolebat vacuis manibus, sed ita ut ex captura aliquid ferret, non tam necessarii usus caussa, quam ad voluntatis indicium faceret. Atque is quidem illi finis erat. Quia vero diu multumque cum nautis laborans nihil ceperat, sero tandem vixque animum subit, ut in Sancti nomine mittat hamum. Quod ut fecit, mox ingentis molis piscis ac grandis valde, velut perurgente aliquo ac procurante, cursu celerrimo escam petit, hamoque transfixus, toto extrahitur. Nauclerus re visa, magisque ejus captus miraculo, quod magnus ille, etsi absens, solo nomine efficax existat, ac præter opinionem edat miracula, secundo rursus periculum facit jactoque similiter hamo, piscem expiscatur; id quidem tota captum facilitate uti prius, ut tamen minoris ille molis esset. Hic ille invidiæ parens circa hominem haud absimile quid molitur, atque in Cain, cæcatque ejus fidei jubar, ac miseræ voluntatis puritatem corrumpit, auctor existens, ut qui recte offerebat, non recte divideret : sed majorem quidem piscem sibi reconderet, minorem autem auferret. Porro Sanctus accipit quidem, palamque etiam videtur acceptum habere, cum simulans, qui nihil nosset. Ne autem C nauclerus velut se latere putans, sic animo æger, læsaque conscientia maneret, quique, ut Deum spectes, non bene discerneret (plane enim illi offerens, in Dei se gratiam prorsus facere arbitrabatur) ita placido lenique voce ait : Quorsum homines sponte nos peccatis subjicimus, Deumque nulla utique ratione ad iracundiam provocamus? velut Cain ille, Ananiasque postmodum cum conjuge, prior quidem, sua commoda ac lucra Deo anteponens; reliqui autem illa furantes, quæ eidem fuerant consecrata. Tale quid forte et in hoc pisce gestum est, atque eo, qui illo prior captus est, ut non Dei potius, sed hominis curationis major ratio habita sit. Ubi intellexit nauclerus, vituperati judicii loco, dignam laude pœnitentiam infert, inque faciem procidens, veniam petit, certo pollicitus nihil se unquam tale commissurum. Is porro placide veniam consecutus domum redit.

*e captis ab eo in suo nomine duobus piscibus,*

Gen. 4. 7

*deteriore donatum se muneris loco agnoscit;*

*comparat donis Caini et Saphiræ :*

Gen. 4. 7. Act. 5. 2.

33 Qui autem cum Patre Frater versabatur (gestit enim oratio, et miraculo aliud quid illi consectarium nectere, quod forte nec ipsum injucundum sit) qui itaque Frater illi socius erat, elixum piscem illi apponit, cen quid gratum, ac quod illi ad gustum foret. At qui olim sciret quibus ille magis cibis delectaretur, nec alias Magni illius delicias esse quam curationem proximi, velut ipse mittens, jubensque D quosdam ad eum illi familiares venire facit. Quos ille videns ait Fratri : Piscis iste illis a Deo missus est (absit enim ut mihi) adeoque illis apponatur. Quo facto et illi obsonium læti perceperunt, et ipse caritatem in illos deliciarum loco præcipue habuit.

*piscem sibi appositum pro hospitibus servat.*

a *Fuit hæc confessio ad consilium et suffragium, non autem ad judicium, cum non fuerit S. Lucas Sacerdos.* — b *Græce* ποιμένας καὶ ἀρχιποιμένας, *Pastores Sacerdotes innuens et Episcopos, quibus, concessa a Christo potestate, competit audire pœnitentium peccata, atque imposita mulcta absolvere.* — c *Hac confessione et pœnitentia voluit aptum reddere hominem, ut postea a Pastore aut Episcopo melius absolveretur.*

## CAPUT V.

### *S. Lucæ fuga in Peloponnesum ob Bulgarorum incursionem : ministerium Stylitæ exhibitum.*

Hæc hactenus divini Lucæ ante gentis irruptionem gesta, imo gestorum interim ejus pars modica, quæ autem fugam ac peregrinationem secuta sunt, jam narratura accedit oratio. Cum enim *a* septem jam annos in Joannitzis illa eremo implesset, una ipse ac reliqui omnes coguntur migrare. Simeon enim *b* Scytharum gentis Princeps (*c* Bulgaros moris nobis est appellare) *d* antiquato cum Romanis fœdere, universam continentem pervadit, peccatis nostris velut manu fortissima succinctus, cuncta mancipans atque E populans, ac alios quidem vita, libertate alios privans, vectigalesque faciens. Adeoque alii quidem velut carcere ac præsidiis urbium ambitu clausi tenebantur, alii in Eubœam et Peloponnesum fugientes, saluti consulebant. Tunc itaque, et qui circum hominem Dei habitabant rustici, in vicinas insulas transmittunt. Quamquam pejor occupans invidia, periculum illis inexpectato invexit. Cum enim illi tutas sibi res cum Justo putarent, Bulgari comparato furto navigio in eos repente irruentes, ad unum fere omnes perdiderunt, paucis quibusdam enatantibus, e quibus et Magnus ille, inque eum modum manus eorum evadentibus.

a

*Post 7 annos moræ in Joannitzis,*

b

c

d

*ob Bulgaricam incursionem, Duce Simeone.*

*fugit in vicinam insulam,*

*natatu evadit :*

35 Tum vero ita reversis facta ille navigii copia cum toto genere ac notis Corinthum transmittit : cum jam *e* barbam genas replentem, floreque juventam recreantem speciem haberet. Quamquam autem sic provexerat ætate, agebat tamen ipsum disciplinarum amor, quo sibi ad eloquiorum sacrorum lectionem iter muniret. Quamobrem ludum petens, litterarum se studio dedit. Verum modicum quid inde commodi percepturus erat. Videns enim pueros in- F honeste agentes, ac qui disciplinas quidem optime caperent, nec probos tamen iis suscipiendis animos aptarent, rem haudquaquam ferens, citius recessit; idque admodum laudabiliter sciteque : quippe cum sciret quam facilis juventus formetur, ac quam tenera sit, quamque facile pervertatur, ac vitium addiscat. Adeoque maluit indigere doctrina ac disciplinis, quam male vitio ac nequitia ditescere.

*Corinthum petit cum suis :*

e

*disciplinas addiscit, virili jam ætate :*

*desistit ob condiscipulorum vitia.*

36 Exit itaque in oppidula rusticana; quodque apud *f* Patras *g* Achaiæ sublimius vitæ genus consectans monachus quis *h* Stylites audiretur, illuc cogitavit transire, atque illius se obsequiis addicere. Hæc autem illo cogitante, legatio ab Stylite Zemenensi ad eum destinatur, rogans ad ipsum venire, ac contubernium inire, utque non grave videatur sub ipso agere, ac ministri curam suscipere. Is porro lubens legationem admittit. Quippe cui imperio subesse quam imperare longe acceptius esset, remque magis juveni quandoque conducere sciret. Alioqui autem qui sublimis humilitatis præstantiam perspectam haberet, libens accedit, totaque se hilaritate ministerio subjicit : deincepsque nullum erat ministerii genus, quod non ipso per se ipsum diligenter obiret; maximam utique jacturam seu etiam ignominiam ratus,

*f g*

*h*

*Patras abit :*

*servitio monachi Stylitæ se mancipat;*

A ratus, ut quis illo obsequiis foret addictior. Itaque non cessabat ligna comportare, culinæ ac mensæ curam agere, componere retia, piscatum agens: hæcque illum facientem, non unus vidit annus, neque duo, neque dumtaxat tres, sed ad *i* decennium perseveravit; pulchram hanc æmulatus Christi humilitatem, qui non ministrari venit sed magis ministrare. Sed et cum ita viro subjectus esset, tanta nihilominus benevolentia, ac ex animo amore in illum ferebatur, ut genuini in parentem filii amoris vim superaret.

*i 10 annos.*
*Matth. 20, 28*

37 Adeoque cum ei quandoque quidam petulanti lingua conviciaretur, ac probris virum exciperet, idcirco ille, quia præsens erat, sic gravate tulit, tantoque ejus animus zelo exarsit, ut silentii et decori, multæque ejus verecundiæ ac tranquillitatis oblitus, cogeretur et calentius efferri, et asperiora verba in impudentem illum ac conviciandi avidum jactare; castigata lingua, ac, quæ importune moveretur, petulantem ac maledicam linguam castigans. At ille valde effrons, nec leviter aut facili ad medelam morbo laborans, sed fortiori egens castigatione, confestim ostensus est. Non enim ferens, profana manu virum sanctum in genas cædit. At enim momento vindicta affuit. Deusque de cœlo auditum fecit judicium, B ac latens virtus in lucem profertur, virique improbitas probe punitur. Vix enim per injuriam percusserat, cum ipse pœna longe graviori, nempe dæmoniaca, percussus est, humique prostratus volutabatur ac discerpebatur, misereque patiebatur quæ solent obsessi a dæmone. Quidni vero dico quod terribilius est, ac multis deflendum lacrymis, potensque iis metum incutere, qui impotentiores linguæ non parcunt? Perseveravit hoc modo usque in finem, traditus Satanæ in interitum carnis, quod ait Paulus, ut spiritus salvus fieret. Quid ita vero? Quia nimirum quem magis decebat alios castigare, insipienter habentes (quippe cum Sacerdos esset) verboque ac vita officii admonere, ipse contra insipiens erat, ut et aliis in perniciem ac probrum Ordinis manifestum positus esset.

*convicia in eum jactantem arguit:*
*cæditur in faciem,*
*Psal. 75. 7*
*dæmone percussorem corripiente,*
*insons ostenditur*
*1 Cor. 5. 5*

38 Plane vero alienum hoc, prorsusque ab hostis abhorrebat invidia, ut admirabilem Lucam in finem usque sub Stylite ministrare permitteret; ac non potius omnem moveret lapidem, quo bona hac eum negotiatione prohiberet; quod utique livoris ac summæ improbitatis est. Haud itaque destitit omnia moliri donec perfecit, ambosque bonus ille adversarius ab invicem sejunxit. Quænam vero etiam mutuæ C illius separationis ac divisionis extitit occasio? Quod nimirum, cui litterarum cura credita erat, cum propter hostium incursiones, navigiis ad Helladis fines transmittere vetuisset, in navigio offendens transmittere paratum, plagis dirissimis concidisset. Idcirco igitur sibi privatim vivere decrevit: deinceps illum sub Deo ac Dei auspiciis viventem ac amicæ semper solitudini inhærentem divini Martyris *k* Procopii oratorium habuit. Sed et inde irruens copiosior imber, ac domunculam qua degebat evertens, vel invitum rursus abegit: Deo forte hæc utiliter ordinante, ne diutius morans in Peloponneso patriæ injuriam faceret, quam tali planta ac germine privaret.

*discedit ab Stylita:*
*seorsum vivit in oratorio S. Procopii.*
*k*

a *Usque ad annum Christi circiter* 915. — b Scythia minor, *Ptolemæo* Scythia Pontica, *adjacet Ponto Euxino in Mœsia, seu Mysia, inferiore, ubi urbs Tomi exilio Ovidii celebris.* — c *Bulgari non solum dictam Scythiam, sed totam Mœsiam, superiorem et inferiorem, inter Danubium, Pontum Euxinum, Thraciam, Macedoniam, et Illyricum obtinebant.* — d *Simeon sæpius per* 30 *annos pacem fregit, primo sub Leone Philosopho, anno* 3 *imperii, Christi* 891. *Dein post obitum Leonis imperante Alexandro fratre anno Ch.* 912 *recrudu it bellum, quod eo extincto, sub Constantino Porphyrogenito gestum usque illud Zoe Constantini mater fortius repelleret, ante cum Saracenis pacem fecit, et nihilominus victoria modo Bulgaris, modo Romanis Imperatoribus cessit. Tempore hujus incursionis circa an. Ch.* 915 *fugit S. Lucas. Denique sub Romano Lacapeno, a Constantino genero anno* 919 *in consortem Imperii assumpto, Bulgari sæpius victores, Thraciam ac Macedoniam populati sunt.* — e *Ergo annorum circiter* 25, *ut hæc epocha aliqua sit ætatis, et rerum hactenus ab Luca gestarum.* — f *Patræ urbs Peloponnesi, obitu et cultu S. Andreæ Apostoli celebris.* — g *Est hæc Achaia propria, provincia Peloponnesi. Aliis, id nomen latius usurpatum pro Hellade.* — h *De Stylitis et forma columnæ aliqua diximus* 5 *Januarii ad Vitam S. Simeonis Stylitæ.* — i *Ab anno circiter* 916 *ad annum* 926. — k *S. Procopii Martyris Acta dabimus* 8 *Julii.*

*Scythæ.*
*Bulgari.*
*Simeon Princeps Bulgarorum,*

D

AUCTORE COÆVO EX MSS. GRÆCO INTERPR. FRANC. COMBEFIS.

## CAPUT VI.

### *S. Lucæ reditus in montem Joannitzis: munera non admissa: Eucharistia servata.*

Haud enim longiori interjecta mora miser Simeon, ac qui fusi magna copia Christiani sanguinis auctor fuerat, ab humanis *a* excedit; *b* Petrusque ejus filius rerum summam capessit; sic quidem filius, ut tamen nequaquam, uti gloriæ ac substantiæ, ita quoque crudelitatis, et immanitatis hæres visus sit, sed plane ab ea longe alienus. Sane vero, quod ad ipsum spectat, nihil illius sanguinis habens ac affinitatis: is statim sanguines ac bella valere jubens, *c* pacem cum Romanis amplexus est: quando, ut verbis Prophetæ utar, gladius ac lancea armaque omnia ferro conflata, in falcem ac ligones conflabantur: quando item universis in proprias urbes ac oppida ipsosque lares cum salute remeantibus, divinus quoque Lucas E ad impensius desideratam Joannitzis solitudinem desideranter rediit: eosdem quidem ipse, aut etiam majores consectans virtutis labores: ut tamen labores aliorum ac comprimis ex itinere provenientes, humanitatis plena hospitalitate recreare studeret.

*a b*
*Post obitum Simeonis Bulgari, Petro filio pacem amante,*
*c*
*Isai. 2. 4*
*Lucas ad Joannitzis solitudinem redit:*

40 Quapropter etiam ubi Corinthi Præsulum adscendentem ad urbem regiam, haud procul illic positam, laboris inducias facere, ac paullulum quiescere audisset; ipsum adiit: haud vero vacuis manibus, verum munera offerens; illa quidem exigua, ex magna tamen ac larga voluntate: siquidem ea maxime obtulit quæ suppetebant, ac quibus nihil sibi melius repositum habebat (nempe diversi generis olera, hortuli proventum, quem manibus colebat) tum scilicet Episcopo, tum Clericis cum eo comitantibus, ac viris nobilibus. A quibus ille doctus quisnam is esset, ac ubi ageret, quamque vitæ rationem teneret, rem fecit hominis studiosi, atque in Divina amanter affecti. Fastum quippe ac dignitatis modum parvi faciens, plurimi æstimavit, ut viri pauperis (tametsi spiritualium ratione non erat pauper) tugurium devotus inviseret. Veniens itaque, ejusque omnia oculis lustrans, illa admirationi habebat, quæ reipsa admiratione digna erant: non divitias ac magnificum cultum, sed voluntariam ultroque assumptam paupertatem. Quapropter etiam alacris animo statuit, F ut virum auro prosequeretur. Sic quippe humanis comparatum est, ut non egentibus magis, sed his qui sublimiores sunt, quam ut egeant, alacrius ac propensius erogemus. Jussit ergo unum aliquem erogare inter domesticos illi comites præcipuum. Verum ille accipere renuit. Haud, inquit, Domine, quod auri indigens essem, accessi, sed precum et doctrinæ. Quid enim ad me aurum, qui sic elegerim vivere? Da ergo quo egeo, ac cujus me sitis æris tenet, rudem me ac rusticum docens, qua oporteat ratione salutem comparare.

*Corinthi Episcopum suis munusculis in itinere recreat:*
*ab eo, ad tugurium ejus veniente, oblatum aurum respuit:*

41 Valde porro tristatus est Archiepiscopus pro sui illa muneris repudiatione; non dati, sed sui potius spretionem ratus, quod ita gestum esset: ac tamquam his quidem aurum necessarium haberet, eo tamen datum repulisset, quod ejus dona displicerent. Atque ideo gravi admodum cordis dolore tactus, Quorsum, inquit, in hunc modum una cum dono nos quoque repulisti? Nam et ego fidelis sum, quamquam peccator: sum et Episcopus, etsi indignus. Qua ergo ratione, qui in omnibus Christum imitari velis, ejus in hoc imitationem non admittis? Nam et ille ultro a piis volentibus oblata recipiebat; ejusque rei testes loculos

*eo reputante moleste ferente,*
*Joan. 12. 10*

A

*AUCTORE GRÆCO EX MSS. GRÆCO. INTERPR. FRANC. COMBEFIS.*

loculos omni majores exceptione habes. Omnino enim tametsi ipse, quod datur donum, minus necessarium habes; at aliis indigentibus illud porriges. Nunc autem, quod ad te attinet, stultum quid ac irrationabile censendum sit beneficentiæ præceptum: sicque omnem animi ingenuitatem, cum religiosa pietate, humanitatis ac misericordiæ studia jungentem, inutilem reddis. Atque, ut verbo dicam, rem tollis, qua et gravi paupertatis oneri solatium aliquod adhiberi possit, et multis via pateat salutis. His Dei homo auditis haud ultra munus repudiandum putavit, ut ne sibi ipse gloriolam, et Antistiti immoderationem crearet tristitiam accepit ergo unicum duntaxat nummum, ac pro eo precum divitias rependit.

*accepit unicum nummum:*

42 Tum quæsiit ab Archiepiscopo, sensu admodum contrito et humili: Amabo te, inquit, o Domine, qua nos ratione, qui propter multa peccata nostra montes colimus ac solitudines, qua, inquam, ratione tremenda mysteria possumus sumere? Vides enim ut nedum collecta, sed neque Sacerdos nobis suppetat. Ille porro gratam admodum quæstionem habens: Bene, inquit, Pater, deque re bona ac maxime necessaria interrogasti. Nam bonum quoque, ut aiunt, non bonum est, ut non bene fieri contingat. Primo igitur ac præcipue quidem Sacerdotem adesse decet.

*supplex Episcopo factus,*

*docetur in absentia Sacerdotis, corpus Christi absque attactu manuum sumere*

B

Quod si ille necessaria omnino ratione desit, imponendum sacræ mensæ, sive altari, præsanctificatorum vasculum, siquidem oratorium sit, sin autem cellula, scamno mundissimo. Tum explicato linteolo, propones in eo sacras particulas, accensoque thymiamate e Typicorum psalmos, aut hymnum f Trisagium cum fidei symbolo decantabis, trinaque genuflexione adorans, g manus quidem contrahes, ore autem pretiosum Christi ac Dei nostri corpus sumes, dicendo, Amen. Loco autem sacri h laticis, i vini poculum bibes. Nec vero huic calicem ministerio addictum, in usum alium k communem assumes. Rursus vero reliquas particulas in vase l linteolo colliges, omnem diligentiam adhibens ne margarita, id est, Dominici corporis particula, dilabatur, ac conculcetur. Audiit Magnus ille, et pro documento gratias habuit: ac quidem Archiepiscopus propositum iter, Sanctus vero preces ac solitudinis quieta repetivit.

*e f*

*g*

*h i*

*k*

*l*

43 Viro huic magno in more positum erat, ut solemni m Palmarum die, prima statim luce, in montis cacumen divinam Crucis armaturam in manibus habens, atque illud, Domine miserere, inclamans, ascenderet. Quadam ergo die ascendenti invidens qui semper bonis inimicus invidet, volensque religiosæ mentis propositum ratione quadam impedire, egressam suo foramine viperam ab ejus pedis digito suspendit. Ac sic quidem nequam ille, reptili tamquam instrumento utens. Bonus autem ille quomodo ac qualia boni animi proposito egit? bono utique ac religioso homini congrua. Statim enim se Magnus ille inclinans, simulque pedem ac feram apprehendens. Neque tu, inquit, me læseris, nec ego te. Pergamus quisque viam suam; quando etiam unius ambo opificis creaturæ sumus, quo prohibente ac nolente, nihil agere possumus. His dictis statim quidem vipera a pede abscessit, iterque versus foramen suum instituit: vir autem admirabilis nihil prorsus mali a morsu passus, incolumis perstitit.

*m*

*in ipsa die Palmarum supplicatione*

C

*a vipera morsu*

*illæsus manet.*

a Simeon a Chrobatis, seu Croatis victus, mense Maio, Indict. 15 anno 927, postea morbo comitiali, teste Curopalata, interiit, Cedrenus cordis morbum, Zonaras dolorem stomachi appellat. — b Petrus e secundo thoro genitus successit: Michaele ex priore conjuge nato, monacho facto. Ita Curopalates. — c Pax ea facta est Mesembriæ urbe Bulgariæ ad Pontum Euxinum et confinio Thraciæ; Maria neptis Romani Imperatoris, filia Christophori Cæsaris, in uxorem Petro data. — d Missa, seu Liturgia, præsanctificatorum, sive ante consecratorum, Græcis προηγιασμένων in qua corpus Christi non conficitur, nec calix consecratur sed qua diebus antecedentibus consecrata sumit Sacerdos;

*Petrus Princ. Bulgar.*

D

ad quæ respicit auctor. De ea Missa præclare scribit Leo Allatius in dissertatione adjuncta Consensioni Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis. — e Post Horam Sextam et μεσώριον ejus (ita etiam Græci post Horas Primam, Tertiam, ac Nonam μεσώρια, id est, medias horas, seu minores preces habebant) subjungebatur officium Typicorum, ob quod Psalmus 22 Dominus regit me, et Psalmus 145 Lauda anima mea Dominum, quod hi in eo officio recitarentur, Psalmi Typicorum dicebantur, et eorum primus πρῶτα τυπικά, alter vero δεύτερα τυπικά. Consule Euchologion Græcorum, et Notationem 69 Jacobi Goar in Missam S. Chrysostomi. — f Τὸ τρισάγιον Græcorum Ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis. De eo agemus 24 Octobris ad Vitam S. Procli Episcopi Constantinopolitani, quem divinitus edoctum illud instituisse tradit Theophanes in Chronico, S. Joannes Damascenus in epistola de Trisagio, aliique apud Vincentium Riccardum in Notis ad Proclum. Preces Trisagio adjungi solitæ referuntur in Missa S. Chrysostomi, sed, ut hinc patet, a posteris auctæ, a quibus ipsius S. Chrysostomi inter Coleces relati memoria inserta est. — g Ecclesiam Corinthiorum cum reliqua Peloponneso, Achaia, Epiro, Thessalia et Macedonia fuisse juxta Notitiam Imperii Romani in Illyrico Orientali, et cum eodem subfuisse Pontifici Romano, tradunt Carolus a S. Paulo in Geographia sacra, et Leo Allatius lib. 1 Consensionis ecclesiæ Orientalis et Occidentalis cap. 9 et 10. Secutus ergo Archiepiscopus Corinthiorum in hoc ritu consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, prohibuit sacram Eucharistiam manu laici attingi. — h Græce τοῦ νάματος. Erat antiquis νᾶμα latex, fons, etc. aquæ præsertim: quia vero vinum Sanguinis e latere Christi velut latice erumpentis symbolum est, ejusque in Eucharistia conficiendi materia, propterea νάματος nomine a Græcis accipitur. Ita secundum Missam S. Chrysostomi ὁ διάκονος ἐγχέει ἐν τῷ ἁγίῳ ποτηρίῳ ἐκ τοῦ νάματος καὶ ὕδατος, πρότερον πρὸς τὸν Ἱερέα εἰπὼν Εὐλόγησον Κύριε. Diaconus infundit in sanctum calicem, vinum et aquam cum prius Sacerdoti dixerit: Benedic Domine. — i Ita etiam feria sexta in Parasceve vinum non consecratum sumitur, post sacram hostiam quæ pridie est consecrata. Et præclare hinc confirmatur usus communionis laicorum sub una specie. — k Ut major rebus sacris reverentia haberetur, calix quasi divino cultui attribuebatur. — l Græce εἰλητάριον, Latino ritu Corporale dicimus. — m Orationes supra palmas ipso die Palmarum distribuendas recitari solitæ, referuntur in Græcorum Euchologio, ad quas Goar annotat ordinem processionis.

*Missa præsanctificatorum.*

*officium Typicorum.*

*Trisagion.*

*Græcia sub Romano Patriarchatu.*

*νᾶμα.*

*Communio sub una specie.*

E

*Palmarum sacer usus*

## CAPUT VII.

### *Furtum a S. Luca detectum. Moribundus sanatus. Adventus hospitum præscitus.*

Mittitur regii quidam ærarii Comes ad partes Africæ ab Imperii Romani sceptrorum Moderatore. Ubi porro ille jam Corinthum advenisset, furatur aliquis, quam ille regiis addictam ministeriis auri summam portabat. Quod autem profunda nocte furtum patratum esset, ac iniqua molitio obscura consisteret, uti plane in ejusmodi solet, exquiruntur bivia, exquiruntur plateæ, suspecti omnes in quæstionem vocantur. Tandem autem ubi omnibus frustra tentatis, nulla jam spes inveniendæ pecuniæ reliqua videretur gravis mœror hominem angebat; jacebatque in faciem, ac præ dolore animo deficiebat. Convenientes itaque, quotquot in urbe primores erant atque nobiles, consolari nitebantur, ac sermonibus mœrorem velut incantabant. Deinde nihilominus memoriam ingerebant, qui non raro desperatis rebus exitum facilem invenire novit. Sicque velut exhalantem animam, præque nimia tristitia dire diffluentem, animæquiorem reddere satagebant. Tum quis divino fortasse nutu atque impulsu in medium surgens: A nullo, inquit, alio res detegi potest quam a Luca monacho, qui et nostram hanc provinciam multis signis illustrat, ac per quem Deus admiranda multa designat. Hujus sermonem, quotquot aderant, sua et ipsi adstipulatione firmantes, re ipsa veritate ita profitentur, ac viri sancti fausta multa, dignaque laude concelebrant.

*Ob pecunias regias furto sublatas,*

F

*consultatione facta,*

45 Hinc virum bona primum confovet spes, velutque animari incipit, ac vitæ spiritus paullatim resumere. Mittit itaque qui legatione fungantur ad B. Lucam, ac venire rogent; Illum, inquiens, imitare, qui salutis hominum caussa e cœlis in terram descendere non recusavit; teque ad brevem horulam civitati permitte, eos invisurus, quos magnæ tenent angustiæ. Ubi igitur qui missi erant advenissent, ac itineris caussa exposita, magno fervore ac instantia Sanctum rogarent, ne petitioni assensum abnueret; voluisset quidem ille non exaudire, non segnitia aliqua præpeditus aut viæ molestia, (quando enim hæc illi

*vocatus a Comite ærarii*

A illi rationis, ac curæ digna sunt babita, ubi dumtaxat vel modicum quid utilitatis labor assumptus allaturus erat?) sed inanis gloriæ a se caussam depellens. Sciebat enim fore, ut ipsum non lateret, qui furtum commiserat, faciliusque interioribus ejus caperetur oculis, quam ille aurum ceperat. Ob hanc itaque rationem lubens detrectasset, ne ad vocantem accederet. Oblatis tamen precibus, seu, ut verius *Corinthum venit :* dicam, superno nutui cedens, legatis se comitem adjungit. Ubi autem intrassent domum, occurrens regius ille Quæstor, ac quantum par erat honorem exhibens, abundeque excusans, quod non ipse potius ad eum accessisset, ac rei culpam in tristitiæ exuperantiam rejiciens, calamitatem illi exponit, ac pecuniarum, quod acciderat, furtum, palam declarat.

46 Porro vir divinus velut prævie deliniens tristem illius animum, jamque semina ac initia lætitiæ mittens: Interim vero, inquit, suum ventri redda- *epulatus cum aliis, Psal. 59. 5* mus debitum; gaudeamus, nosque invicem recreemus: potens namque est qui potavit nos vino compunctionis, et lætitiæ calicem benigne miscere. Lubens regius ille sermonem excipit: ac quidem ipse jubet famulis; illi statim ei parant mensam, ut divini *Psal. 22. 5* illud Davidis dicam, adversus tribulantem ipsum. B Ubi enim jam abunde satis epulati essent, Deique magis memoria quam escis deliciari pararent, apertis subito Magnus ille oculis, inque unum aliquem astantium intendens, atque ex nomine appellans, ad se *furem designat aliquem astantium :* eum accersit. Tum ubi prope venisset, Ut quid, inquit ad eum videns, cum tibi mortem, tum periculum domino, in regales temere pecunias involans, vix non creasti? Nunc autem cito profectus, ad nos aurum defer, quod terræ infodisti; si quidem et misericordiam et veniam consequi concupiscis. Audivit ille, ac tamquam compede revinctus linguam, nec omnino valens contradicere, ut cui conscientia contestis ac evictio esset, tenebrarum opus pœnitentiæ luce emendare contendit: moxque procidens sanctos contingebat pedes, tamquam furto contaminatas manus contrectatione illa mundaturus esset. Confitebatur quod male gestum erat, ac veniam fervide deposcebat; eamque consecutus (id enim animi viro erat, ut non solum vulnus ostenderet, sed et *pecuniam restituente, scelus condonat,* quam cito medelam adhiberet) abit statim, salvamque auri summam sub omnium oculis reportat. Vide itaque quot et quanta in uno illo eodemque miraculo concurrerunt. Qui mœstus animo defecerat, recreatus est, recuperato eo quod amissum tristitiam fa- C ciebat. Qui obscuro ac ignoto morbo laborabat, ad curationem ductus est. Convictum est tenebrarum opus, quod detectum peccati amputat aditum. Mali totius auctor confusus est; Christusque per suum *ac Deum laudat. Psal. 21. 26* utique famulum laudatus est. Revertitur ergo divinus Lucas, nihil quidem ipse sibi vendicans humanarum laudum; internis vero animæ labiis, Apud te laus mea, dicens ad Deum.

47 Cum Magnus ille quandoque virum religio- *a b Invisit monasterium prope Thebas,* sum *a* Antonium, monasterii ad urbis *b* Thebarum muros positi Præfectum viseret (consueverat enim vir hic divinus viros adire virtutibus egregie excultos) contigit, ut cujusdam non promiscuæ multitudinis, sed e primoribus civitatis filius in morbum incideret. Porro morbus ille quam gravis erat, ut nec longe a morte abesset, spemque nullam rediturae salutis relinqueret. Cunctis itaque viro assidentibus amicis, cognatis, domesticis, direque doloris vulnere affectis, quod et mox futura mors expectaretur: astantium quis mentionem aliquem Sancti fecit, ac *a cive ad filium moribundum sanandum,* aliquid de illo sermonis intulit; dixitque fore, ut, si is accersatur, ægrotum invisurus, non diu ipsi gemitus protrahamus; sed cito nos pariter lacrymarum onere, hicque decumbens morbo liberetur. His auditis, decumbentis pater nihil moratur, sed dicto citius monasterium petens, in quo et Magnus ille tunc D versabatur, ad ejus pedes advolvitur, miserabili ejulatu crebra suspiria ducens, solumque lacrymis com- *AUCTORE COÆVO EX MS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.* pluens. Quidnam vero aut facere omittens aut dicere, si qua inflectendo ad miserationem ejus pectori comparata erant? Quod autem haud satis ipse *multis precibus invitatus,* Sancti animum posset inducere, etiam Antonio innuit, ut adjutor supplicanti accedat. Illoque nihilominus fervore animi supplicante, morbumque ac casum graviter deplorante, summe tamen vir misericors duro pectore perseverans, nihil verbis illius ad annuendum petitis exorabatur. Quis ego? inquiebat, aut quid in me magnum, ut tali de me opinione decepti sitis? Unus ac solus est animarum et corpo- *præ humilitate renuit accedere :* rum medicus, qui et a morte potest liberare, qui nimirum nos plasmavit Deus. Corruptibilis autem homo, adeoque peccatis obnoxius, nihil plane ejusmodi valet præstare. Ubi porro hæc inaudisset ægroti pater, statim reversus est corde abjecto, lacrymis resolutus filii desperata salute.

48 Vespere autem seorsim Antonius cum Sancto *inductus a Præfecto monasterii,* agens ac sermonem pariter conferens, Haud bene, inquit, puto, Pater reverende, nec Divinis consentanee legibus, non invisimus ægrotum hominem, idque multis adeo exorati lacrymis: superest ergo E ut et nos audiamus, atque id jure optimo: Infirmus fui et non visitastis me. Num enim, inquit, ipsi nosmet per ostentationem ac ambitiose intrudimus? In quantam par est prolabi mœstitiam, quantis conflictari cogitationibus? ut plane mea sententia, omni prorsus vacuum humanitate existiment ac frustra visceribus durum. Ad hæc divinus Lucas: Et sanare, inquit, ægrotos, Dei solius est: et eorum proprium qui ejus digni gratia fuerint: consolari item mœstos animo ad illos spectat, qui satis sermonis vi ac prudentia præditi sunt. Ego autem qui nedum longe a priori, sed et cui plurimum de secundo desit, quinam prodero, adiens illos qui quærunt? Sin autem hoc tibi bonum videtur ac Deo acceptum, ipse prior viæ ducem agas, egoque impigre sequar, sed et ingrediente te domum comes ego ingrediar. Statim ergo surgentes capessunt iter. Quia vero et adve- *cum eo urbem adit :* nerunt in urbem et domum intraverunt, profundo jam vespere, ægrotum inveniunt omni loquelæ usu destitutum, jam vero et sine sensu; vitalibus in eo *moribundum invisit,* facultatibus defectis, ut solo habitu necdum mortuus crederetur. Qui itaque aderant, silentio ac submisse lacrymas libabant: solus autem ægroti pater assidenti Sancto quodam prope lectulum loco, Ora, aie- F bat, venerabilis Pater, pro servo tuo ac nostro filio, fac cum eo signum in bonum. Videam eum, quomodo *Psal. 85. 17.* miser ego pater peropto, possuntque tuæ ad Deum preces. Illo porro abnuente, nihilque sibi ac talibus miraculis commune excusante; supplicabat iterum pater, procidebat, obtestabatur, petitionis velut adjutorem habens Antonium monachum, ac orationi stimulos addentem. Vix ergo pressus exurrexit, expansisque in sublime oculis, omnibus audientibus, orationem fudit: tutaque oratione peracta abierunt; *preces fundit,* amboque simul monasterium petierunt. Mane autem surgens Magnus ille, statim in montem recessit, tota pedum velocitate fugiens gloriam hominum: noverat *fugit ad montem,* enim quid esset futurum. Bonus itaque Antonius scire volens, num quid Sancti oratio commodi attulisset ægroto, mittit qui interroget existentes in domo. Qui vero missus erat, illa dicens, revertitur, quæ et dicere tremendum, et facere valde invidum atque malignum. Puerum paullo ante vix non mor- *moribundo subito sanato :* tuis accensum, quemque vivere esset dubium, domo jam progredi, equo insidentem, sanumque ac incolumem ad balneum ire.

49 Matutinas quandoque laudes ac cantica una cum iis, qui secum aderant, Fratribus Magnus ille canebat,

AUCTORE LOYNO EX MS GRÆCO INTERPR. FRANC. COMBEFIS.

canebat, jamque ad finem pensum dependerat; cum mensæ præfectum monachum in hæc verba alloquitur: Tu vero, fili, cura, ut parum quid eduliorum pares his, qui ad nos venturi sunt, Fratribus, quo eorum labor nonnihil remittatur. Ierat ille, ac focum struens, secum dubitabat, quidnam viri sancti sermo vellet. Ubi enim, inquit, qui prius nuntiavit, aut unde profectus venit? Hæc animo anceps agitans ad Sanctum ingreditur; tumque ad illum: Cujusnam vero gratia jussus sum mensam instruere, cum nemo adsit, cui epulas apparemus? Quinam enim hic est, quisve de illo prior nuntiavit. Sic ille secundum hominem forte cogitans de eo qui potior quam secundum hominem esset. Vir tamen divinus velut ignorantiam simulans: At, inquit, ignoscas fili; videtur enim quod decepti a dæmonibus dixerimus, adeoque nullus curandus apparatus. His auditis, negligebat monachus; jam vero dilucescente die, post modicum adveniunt qui Magnum illum inviserent, ac quorum is prædixerat adventum. Hos ut monachus aspexisset, suam quidem incredulitatem damnavit. Patris vero perspicacitatem admiratus est. Verum ne sic quidem abstinet periculo, quo et addiscat, de quibus dubitarat: Accedens ergo ex ipsis qui venerant discit,

*cibos parari jubet hospitibus, prædicens eorum adventum:*

B quinam ii essent? auditque unde, quomodo item, quamve ob caussam accessissent; atque numquam antea Sanctum aspexissent, nec suum ante adventum nuntiassent. Eduliis autem mensæ appositis, quod clam egerat minister monachus, haud quaquam Magnum illum potuit latere, qui nimirum edulii partem aliquam clanculum retinens, sibi illi ad esum reposuisset. Adeoque illum quidem statim haurire mittit; ipseque prehensam ollam totam in catinum effundit. Illi itaque cibo refecti abeunt: rediens vero monachus, sibique cibum sumere volens, non invento quod condiderat, valde animo dolet ac efferatur, adversusque Patrem, ut læsus ab eo, inhoneste obstrepit; Quid vero, inquiens, nec ego dignus sum cujus habeatur cura perinde ac hospites? Quod si ipse quidem edulio non eges, nos qui egemus quorsum eo privas? Ad quem Sanctus leni ac blanda voce: Laudare, fili, par erat, ac cibo vesci, ut heri et nudiustertius. Illud enim edulium non nobis paravit Deus, sed illis qui huc ventitarunt. Plane vero haud ei impossibile est, ut et nos, si utile fuerit, deliciosis nutriat alimentis. His auditis monachum subiit pœnitentia illorum quæ dixerat: flexo itaque genu statim veniam petit accipitque.

*furtum gulosi monachi detegit,*

*ac castigat:*

C *a De eodem Antonio, ejusque monasterio dictum infra annot. num. 60. — b Thebæ urbs Bœotiæ, [illegible], Herculis et Pindari apud antiquos celebris, tum sedes Prætorum, seu Gubernatorum regionis.*

## CAPUT VIII.

### *S. Lucæ habitatio in Calabio, et Ampelo insula. Naufragi excepti.*

Cum autem eo loco multas ab his qui plures quotidie ventitabant, gratamque quietem, ac solitudinis tranquillum turbabant, molestias ferret; volebat quidem inde recedere, atque ad loca magis solitaria migrare: haud tamen iis cogitationibus se obsequentiorem præbebat, qui propriæ voluntati obniti sciret ac numquam temere consentire. Operæ pretium ergo duxit, ut ministrantem sibi monachum, Germanum nomine, Corinthum mitteret, ad virum virtutis laude celeberrimum; sapientem, inquam, illum Theophylactum, qui secularis sapientiæ Doctor, nihilominus tamen suarum exemplo virtutum honesti amantibus virtutem tradebat. Ad eum itaque mittens, quærebat doceri, quid illi facto opus esset, hicne maneret, inque eum modum plurimum molestias ferret; an loca multis invia, paucisque hominum usu frequentia anteferret? At ille, Tenendum, inquit,

*De loci mutatione*

*consulit Theophylactum:*

quod optime haberet, *a* Arsenii consilium. Is enim fugere, ait, homines, et salvari. Iterumque: Fuge, tace, quiesce. D *a*

51 Hæc porro ubi admirabilis Lucas audisset, *b* abscedit ab Joannitzis partibus, atque ad locum patria regionis voce Calabium appellatum, transit: quem ille nedum quieti commodum, sed et aeris temperie humanis aptum usibus, lubentissime incolebat; inque eo ingens animo exultabat. In eo tale quid accidisse ferunt, haud plane dignum quod oblivionis obscuro tradatur. Appulso quandoque ad Calabii portum navigio, egressi nautæ, ut sibi haurirent, ad Magni hujus tuguriolum deveniunt. Quod vero abesse illum contigisset, molendinum, quo ipse necessariis usibus comparata manibus commolebat, auferentes abeunt. Ubi autem his brevi post rediisset, remque cognovisset, *c* vestigio abeuntes insequitur. Ubi autem etiam attigisset, repetit quod fuerat ablatum. Illis autem firmiter asserentibus nihil tale abs se commissum, tum Magnus ille; Etsi, inquit, nihil vobis conscii estis; vos quidem prospere abite: Deus autem eum qui surripuit, ut visum illi fuerit, puniet. Ita dixerat, brevique prolato sermone, Divina ultio, tametsi plerumque solet tardare, citius reposcit pœnas; isque qui surripuerat molam, in terram corruens, mortuus jacebat: E gravi utique vindicta morte mulctatus; ut et manus ad malum faciles contrahantur, ac qui temere ac audacia modestiam spernunt, sciant quoniam est fructus justo, et quia est Deus indicans eos in terra. Ceterum divinum Lucam subiit ingens tristitia; multorumque dierum circulo mœstus animo, amaram illam ac sine pœnitentia mortem deploravit.

*b commigrat in Calabium:*

*molam furatum assequitur,*

*admonet,*

*subito mortuum deplorat* Psal. 57. 12

52 Ferunt beatum virum *d* tres illic annos egisse. Tum vero Turcarum gente incursante Atticam, in vicinam se recipit haud magni ambitus insulam, dictam *e* Ampelum, una cum his qui locum circumfusi incolebant. Porro ea insula extreme squallens est, et aquis destituta. Fit ergo illa strenui pectoris viro virtutis gymnasium, ac fructuum bonorum occasio. Quotidie namque abiens ac aquam advehens distribuebat turbis, nec aqua solum sed ex vino et cibariis, si quando suppetebant, eos impertiebat, quandoque etiam piscatione captos pisces gratis præbebat. Cum vero populus in Peloponnesum vellet trajicere, ut qui numquam se Atticam a Gentibus liberatam visuros sperarent, prohibuit ille. Verni, inquit, temporis, fratres, nubes est, brevique dissipabitur, ac nobis serenitas clarus illucescet. Sin vero, et Hesperiæ partes F haud permissæ sunt alta perfrui pace, idipsum nihilominus nobis atque Israelitis eveniet. Qui enim omnia novit Deus, cum eorum in malum pronam voluntatem, difficilemque curatu, ut ne omnino incurabilem dicam, morositatem perspectam haberet, non permisit ut Nave filius gentes Sioni vicinas penitus deleret: quo Israelitæ peccantes in foribus haberent, qui pœnas reposcerent. Non velut alia puniendi ratio minus Deo suppeteret, ut sibi semper impendens flagellum continentes, cautius viverent.

*d Ob Turcarum depopulationem secedit in Ampelum insulam:* *e*

*dissuadet transitum in Peloponnesum:*

53 Homo itaque Dei ad tres rursus circiter annos in hoc vivens insulæ angulo, non solum cibo sed et aqua ad potum necessaria non raro destituebatur. Siquando enim feris ventis flantibus exasperatum mare navibus importunum reddebatur, trajectum viro negans et ut adaquaret, ad multum illic tempus siti contabescebat. Sed et aliam quoque in eum hostis machinatur plagam, nimirum in membris genitalibus gravem adeo ac dirum pruritum immittit, ut parum abesset, quin ad exscindendum impulerit. Quod ergo ille remedium tanto huic curando morbo adhibuit? Utique continuas ad Deum preces, ac *f* Sanctum cujus illic corpus conditum esset. Is illi in somnis apparens, herbam ostendit, ac ita affatur: Per hanc affligentis

*siti contabescit*

*særo pruritu tentatus,*

*f a Sancto insulæ Patrono remedium edoctus.*

A affligentis te morbi medelam invenies. Ceterum perspicue noveris fore, ut patientiæ præmio, ejus certaminis gratia debito, priveris. Tum ille a somno excitatus haud malum se arbitrium ejus, quod sibi esset conducibile, eligendo ostendit: nec vero ejus quod molestum erat, ad modicum tempus remissionem æternæ retributioni præhabuit; quin elegit sic pati, donec is qui scientiarum Dominus est, ac destinatæ soli voluntati actionis consummationem ascribit, eam plagam qua novit ipse ratione curavit; tum perfecta athletæ præmia in futurum reposuit.

*ob præmium æternum negligit.*

*num. 5*

*panes a sorore oblatos,*

54 Beati Lucæ soror, cujus in superioribus facta est mentio, fratri in dicto jam insulæ angulo ærumnose habenti, ac laboranti panes offert. Hos ille accipiens, gratum sibi ostendit impensæ voluntatis ejus munusculum: nullum tamen horum, inquit, ipse comedam, quod neque Deus ad meos, sed ad aliorum necessarios usus paraverit. Et ut velis hos videbis, ususque necessitatem ac opportunitatem miraberis. Eo sic dicente, secum ipsa dubitabat, ac eos qui venturi essent videre expectabat. Non multo post dira eum tristitia ac angustia corripit, videbaturque condolere nonnullis in periculo versantibus, parique malorum procella exceptis; ac pro eis ferventer Deo B supplicabat. Tum et palam videre erat aures præbentem velut strepitu alicunde ad eum perveniente. At sero tandem ac in fine velut re bonum jam exitum habente, fiducia plenus atque gaudio apparebat. Denique gratiarum actiones offerebat. Horum vero caussa hæc fuit. Navigium ex Italia solverat, jamque media nocte dire tempestate jactabatur, quod tandem viri precibus superato periculo, ægre ad ejus insulæ applicat portum. Quod ergo nec nautis ignotum esset, quisnam illic moraretur, statim e navigio descendentes, Sanctum adeunt, de his quæ acciderant cum eo sermonem collaturi, ac narraturi insperatam salutem; nescientes illi se loqui, qui et diu ante cognovisset casum, solusque eis fuisset auctor, ut illo superiores salvi evaderent. Porro vir divinus, qui et dilectionis abundantia dives esset, vereque clementissimus ac summe misericors, tum ipse sororis panes hospitibus apponit, tum nihil non facit illis fovendis atque recreandis; opere pariter atque sermone consolans, ac laborem levans: sicque animo comparatus, ut si res ferret, ipsa aperiret viscera, intraque illa impensiori voluntate viros susciperet. Ejusmodi quid est hilariter dare, ac Abrahami pectore suscipiendis hospitibus præditum esse; nihil triste atque C morosum, nihilque exhibentes parcum, majori longe alacritate dare animo comparatos, quam illi accipere; indigentium pudorem superantes tribuendi ambitiosa voluntate.

*a tempestate præviso*

*suis precibus emersuris*

*in illam insulam,*

*reservatos apponit,*

*valde hospitalis.*

*S. Arsenii fuga.* — a *Utraque vox cœlitus S. Arsenio facta; prior in Palatio:* Arseni, fuge homines, et salvaberis. *Altera in solitudine* Arseni, fuge, tace et quiesce. Hæc sunt principia salutis. *Ita in Vitis Patrum lib. 3 Ruffinus num. 190, et lib. 4 Pelagio interprete, libello* 2 *num.* 3, *ubi hæc adjunguntur* Hæc enim sunt radices non peccandi. — b *Annum sequentia innuunt.* — c *Calabrio (Colabrio?) forte nomen inditum a pulchro sive præclaro vivendi genere, quasi* καλὸς βίος; *Est id in Attica.* — d *Turci hi in moderna Walachia et Russia habitarunt. Zonaras* τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον, Danubii *sive* Istri accolas *appellat. Eosdem ipse et Cedrenus* Ungros *cognominant. At Curopalates sejungit, asserens* Niceram missum ad Turcos, et eos qui Ungri vocantur, *qui scilicet Turcis vicini. Hi Turci ante ab Imperatore Leone Sapiente evocati, Bulgariam invaserunt, quando Simeon Princeps ægre Dorostolum, quod et Dristra nominatur, fuga elapsus est. Adjacet id oppidum Danubio, et jam retento nomine* Dorstor, *in viculum defecit. Hos autem* Turcos mense Aprili, Indictione VII, *anno Chr.* 934, facta impressione occidua omnia Constantinopolim usque depopulatos esse *tradunt Cedrenus et Curopalates, occupata ante Nicopoli ad Danubii ripam. Sequentibus annis eos in Atticam usque provinciam excurrisse ex hac Vita constat. Num postea hi Turci inde ad partes Septentrionales Caucasi montis, inter Pontum Euxinum et mare Caspium migrarint, incertum. Inde Turcæ seculo Christi XI tempore Constantini Monomachi egressi, sub Mahummede Saraceno Persarum Principe stipendia meruerunt, deinde illi rebelles Persidem post ejus obitum occuparunt; ac post modum immensum crescentes, Imperium Romanum in Oriente penitus extinxerunt, eidemque in Occidente horrendas intulerunt clades, majoresque ex dissidiis Regum Christianorum minantur, quas Deus avertat.* — e *Ampeli nomine plurima loca appellantur. Hic aliqua designatur ex iis insulis, quæ prope Atticam plures reperiuntur:* ἄμπελος *vitem significat.* — f *Hactenus nobis ignotus hic Sanctus.*

*Calabrum.*

*Turci ad Danubium,*

*ad mare Caspium.*

*Ampelus.*

D *AUCTORE COÆVO EX MS. GRÆCO INTERPR. FRANC. COMBEFIS.*

## CAPUT IX.

*Ultima habitatio Soterii electa: dæmon fugatus: morbus sanatus: fausta prædicta.*

Tempus vero est, ut et de ejus inde migratione in præsentiarum dicamus; atque ut is relicta hac insula ad a locum transierit, qui et vidit morientem et ejus modo reliquias possidet. Qui sancto viro fugæ socii fuerat, multaque ab eo in illa insula humanitatis officia perceperant, ii haud ignari quam esset viri spectata virtus, sibique volentes propinquum adjungere, ad eum accedunt. Quod autem vel non dicentes, vel præstare negligentes eorum quibus animus assuetis delectari solitus, ac omnino moleste ferens, locorum ex locis mutationes, inflecti posse videretur! Ad locum adducunt hactenus quidem ejus tantum spectatorem futurum, ac nisi ex animo videretur, ad prioris iterum loci secreta reversurum. Tum virum circumstantes, Quamdiu, inquiebant, habitabis in locis maritimis, multas a navibus multasque a prætereuntibus, easque permolestas turbas habiturus? Vides qualis locus sit in quo stas, quali aeris temperie; quam delectabilis, atque ab omni turba liber, vixque non hominibus invius? Accedit et aquæ limpidissimæ copia E quæ abunde sufficiat, cum ad sitis usum, tum ad irriganda olera ac plantas. Nihil tuo desiderio vel minus sufficiens, vel minus dignum invenies, sed et nos ad omne ministerii obsequium promptos atque alacres habiturus es. Lubens itaque Lucas eorum voluntatem accepit, tum loci situm tamquam ostensum a Deo adamavit pariter, atque in eo deinceps habitare statuit. Ad hæc aquam obumbrante silva nudans, limpidiorem simul ac copiosiori latice manantem fecit. In singulas autem horas locum excolens, ac mundans, omnique arborum genere conserens, velut hortum pulcherrimum exhibuit, nedum gustui gratum, sed et delectabilem aspectui. Cellulam autem non prope hortum ac fontem; sed magis longe procul, ac inter dumeta, ne vulgo facile cognita foret, erexit. Alte enim animo fixum habebat, ut inanis semper gloriæ occasiones amputaret; atque mortuus potius quam vivus iis, quibuscum versaretur, tum esset tum putaretur.

*a*

*Invitatus a sociis fugæ,*

*migrat ad novum locum*

*eum excolit:*

*cellulam exstruit:*

56 Cum sic viveret talique proposito animi esset; non ferens malignus ille, non solum immissis cogitationibus, hominumque nequam tentationibus strenuum pugilem deludere studebat, sed et sensibilium spectris, ac phantasmatibus; qualis utique ille est, F omnes modos induens, adeoque et omnigenus atque varius existens. Quandoque sane foribus astans nigri pumilionis figura, qua et libens apparet, qualis etiam omnino existit, proposita; Adussisti me, inquiebat, laice monache: ceterum paullulum expecta, cognoscesque quis vehementius adurere sciat. Sancto autem divinam Crucis figuram illi opponente, atque hæc adjiciente verba: Destruat te Dominus, confestim ille abibat, ac evanescebat. Tum e vestigio Gregorio monacho adeunte, qui et quodam illic loco, Sancto familiaris agebat; Occurrit tibi, inquit ad eum, b condidarius? tali enim nomine Magnus ille consueverat maligno illudere. Illo autem dubitante, ac quisnam hic esset percontante; Comes Æthiops, inquit, mihi adstans, nosque se adusturum comminatus, abiit fugiens. Utque is intellexit quod dictum erat, At nos, inquit, Pater, ab ejus nos Dominus eruat jaculis, id nobis præstantibus tuis precibus. Quod enim te spectat, qui a Deo protegaris, otiosus ille ac vanus existit.

*dæmonem spectris objectis terrentem*

*signo Crucis fugat:*

*b*

57 Cum eo itaque monachus hic Gregorius sacros jejuniorum dies transigens, non cessabat virum adiens, pro inolita sibi infirmitate rogare ut Deum oret, ipsumque a premente ægritudine liberari efflagitet. Erat

*Gregorium monachum importunius flagitantem curat,*

*AUCTORE COÆVO EX MS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.*

A Erat enim valetudinario corpore, ac stomacho debili laborabat. Porro illo cunctante, ut ei in talibus omnibus moris erat, ac affirmante majus esse quod petebatur quam pro sua virtute; Gregorius dolens pariter ac bene fidens (noverat enim favore ad Deum jugi pollere, sed expectare, ut rogaretur) urgendum putat, donec ille amplius repellere non posset. Tum vir admirabilis: Humilis Gregori, inquit, nocte præterita mihi de te illusere dæmones, nec quid dicam habeo. Gregorio autem non verbis temere decepto, sed Divinam esse visionem credente, tumque rogante ut quod visum erat, declararet; Virum, inquit, quemdam terribilem videbar aspicere, qui quidem e propinquo stans, aureis ac sumptuosis vestibus splendide ornatus esset. Te autem, inquit, alternis stante intentosque oculos in nos habente, Quare, ad eum aio, te demonstrans, hic mihi molestus est? Miserere illius, seu mei potius, et ab ejusmodi liberans infirmitate. At ille, Sine ipsum, inquit. Vult enim fieri monachus. Me autem dicente, At jam factus est, uti vides, habitumque digito monstrante; ille modum dicit monasticæ perfectionis, non simpliciter habitum: non enim ex vestibus, sed magis ex rebus ac virtutis profectu verus monachi character ostenditur. Atque hæc quidem qui Sancto apparuit.

*ostensa sibi visione deterret,*

B Siquidem ergo crucifixum esse ac mundo mortuum sincerum indicium est perfectionis virtutis, haud dubie clarum est etiam morbos eo ferre ac virtutis exercitamentum esse præcipuum. Quapropter ut quis velit verus monachus esse, ipsa quoque ægritudo corporis multum confert; hoc innuebat, quod dictum est: Sine illum, vult enim fieri monachus. Nihil itaque deinceps addit Gregorius, sed duntaxat tricesimum primum sibi accinit psalmum: haud tamen in finem usque illum homo Dei despexit, sed in somnis apparens medici habitu ac visus cauterium immittere stomacho, Vade, inquit humilis Gregori, sano jam corpore, non enim amplius ex cibo dolebis stomacho. Res eventu probata est, uti ille etiamnum superstes testis locuples est.

*doceique morbos ad perfectionem conducere;*

*tandem apparens in somnis eum sanat.*

58 c Pothus, quem norunt omnes, qui et Atticæ præfecturam Prætoris jure concreditam habuit: is Thebis habitans, conjugis et ipse opera Magni illius beneficium persensit. Cum enim tempestas non modica Byzantium haberet, velut murorum d tyrannidis aggressione adversus Imperii Romani sceptra tunc moderantem Clementissimum e Constantinum præsumpta; omnes vel minima suspicione laborantes, C regiæ illuc litteræ congregabant. Revocatur itaque Præfectus quoque Pothus litteris conjugis, ut spreto si quid in manibus negotiorum habet, quam celeriter ad urbem regiam convolet. Est enim, inquit, adventus tuus filiique tui carissimi mors magnæ curæ Imperatori. Reditum maturat. Hæc tamen virum tristem faciebat, multamque et cogitationum pugnam ingerebant. Tenebat quidem audita mors filii, ejusque gratia redire festinabat: timebat vero importunum tempus ac suspicio erat ne redeundo in pericula incideret: atque id maxime, quod nullo Imperatoris mandato, sed solis uxoris litteris, ut rediret invitatus esset. Cum sic itaque animo anceps, duplici dissecaretur desiderii ac timoris affectione; accedens nobilis quidam ac admirabilis Lucæ mentionem faciens, At, inquit, modo tantum cum illo sermonem contuleris, eique proposita exposueris, omni sublata dubitatione, quid sit facto opus ac expediat, pernosces. His Prætor auditis, nihil cunctatus, nec in longiores moras rem differens, plurimi faciebat, ut in Sancti conspectum veniret, remque ipse consecutus, audivit, non qualia ludebant oracula f Pythoa, lubrica quædam ac dubia; sed liquido ac clare quod conducebat. Ait enim congrua morum honestate ac fiducia, neque ad ostentationem respiciens, neque rursum præfecturam, qua ille pollebat, ut magnum aliquid D ac divinum suspiciens: Ascende, Domine Prætor, Constantinopolim, ab omni tristitia ac metu liber: Dominusque omnia tibi lubrica in recta convertet. Cum enim Imperator te placidis oculis aspecturus est, tum ipse sanum filium es aspecturus atque ab omni morbo liberum. Hæc Prætor tanquam ex Prophetæ atque a Deo afflata lingua audiens, nec amplius quidquam dubitans, sese itineri committit. Ubi autem veniens, omnia pro eo ac prædicta erant evenisse vidit haud silentio occultat miraculum, sed pulchram narrationem multorum auribus tradit.

*Pothum Prætorem Atticæ,*

*de reditu Constantinopolitano anxium,*

*fausta prædicens, ad iter impellit.*

a Soterium infra dicitur num. 66. — b Græce φθεῖρες, κόνιδες lendes et furfures capitis significant, ut eo nomine sordidum quemdam dæmonem arguisse videatur, quasi pediculosum aut lendibus scatentem diceret. — c Pothus circa annum 920 aut 921 a Romano Imperatore Domesticus Scholarum, sive Ordinum militantium factus, copias contra Bulgaros duxit: quibus etiam ab eodem Imperatore oppositi Joannes Rector, Leo et Pothus Argyri exercitum duxerunt, et victoribus Bulgaris Leo et Pothus Argyri in castellum se fuga receperunt. Romanus autem Imperator filiam suam Agatham in matrimonium collocarat Leoni Argyri filio, ut tradunt Cedrenus et Curopalates. Forte Leonis hujus frater Pothus fuit. — d Tyrannus ea fuit Romani Imperatoris, aspernantis Constantinum, a quo in consortem Imperii assumptus erat, cui, præter habitum et nomen Imperatoris, nihil relinquebat, omnium rerum administratione ad se translata: unde Constantinus avidus paterni Imperii recuperandi, filios in patrem Romanum concitavit. Pothus, quod a Romano potissimum esset promotus, magis videtur timuisse. Verum quia Marianus monachus, filius Leonis Argyri, Romano antea percarus, dein Constantini partes secutus multum et operam ad abrogandam Romano potestatem navavit; per eum conciliatus fortasse Pothus Imperatori. De his agunt Cedrenus, Curopalates, Zonaras. — e Constantini virtutes describunt dicti auctores, sed mixtas vitiis, ebrietate, sævitia, socordia. — f Id est, Apollinis Delphici, nam Delphos a flumine Pytho nuncupari docet Pausanias.

*Condarius.*

*Pothus Dux.*

*Romanus Imp. depositus.*

E

## CAPUT X.

*Habitus monasticus in honore habendus. Variæ S. Lucæ prædictiones: curationes: hospitalitas divinitus defensa.*

Quod autem in clarissimi viri ac perillustris a Criniti persona contigit, quis non scriptorum monumentis ac memoriæ consignans, vel invidiæ ac improbæ mentis vel pigritiæ notam effugiat? Nam et ille pariter Atticæ præfectura credita, eamdem adeundi causa iter faciens, b Larissæ jam proximus, cum iis narrationibus quæ de Sancti rebus gestis, seu mavis miraculis, celebri fama jactabantur, aures haberet plenas, subiit illius videndi amor, ac sermonem cum eo miscendi. Ubi itaque haud procul Thebis esset, statim mittens illum accersivit. Ille porro nulla mora servum vocantem secutus, Prætorem mensæ discumbentem invenit: nam et erat hora prandii. Tum ejus adventu cognito, jubente Crinito, ipse quoque F ingreditur ac discumbentium unus efficitur: surgitque cum aliis, ac incipit reverti, cum ita casu ferente, tanto ardore is qui vocaverat, nihil cum eo sermonis miscuisset. Ea res Sanctum moleste habuit; non sui caussa (quis enim ille amplius ignominiæ amans?) sed illius gratia ac venerabilis monachorum habitus nominisque sic in eo contempti. Exiens ergo, in hæc verba unum quemdam affatur Prætoris famulum. Sic vita juvet ac salus; nihil penitus subtrahens ac celans, hæc Prætori annuntia: ut quid frustra tot mihi laborum caussa extitisti? Cur vero solitudinis amantem, urbem ingredi coegisti? Non me dignatus es sermone: non osculum dedisti: nihil earum prorsus fecisti, quæ virtutem ac pietatem vel colenti facienda videbantur. Fortene hoc solum velut voluptatis avidum, tuæ me mensæ socium adhibuisti? Quibusnam vero etiam verbis spiritualibus in tua hac mensa, qua utilium rerum lectione nos recreasti? Et non potius impleti risu, ac remittentibus animum facetiis jocisque? Qualemnam autem et te convivantibus exhibuisti? non in sede aliqua, non in lecto, non super alio alicubi composite sedentem, sed super mensam stratam supinum jacentem? neque zona lumbos succinctum, sed ea procul abjecta discinctum,

*a Crinito Prætore Atticæ Thebas evocatus,*

*cum aliis jubetur prandere:*

*discedens indigne fert spretum in se habitum monachi:*

A cinctum, nihilque penitus eo cultu a Gentili discrepantem. Hæcne porro Christiani hominis, ac ejus qui Deum in animo habeat, ac salutis desiderio teneatur?

60 His Magnus ille dictis, jubensque iterum cuncta Prætori explicaret, ad monasterium in suburbio positum exit ad Antonium *c* monachum. Ubi itaque Prætor universa hæc, puero nuntiante, audisset, quod revera vir modestus esset atque humilis, seque male officio defunctum intelligeret, multa se negligentia usum agnoscit in his quæ studio curare oportuerat. Festinat ergo celeri pœnitentia sanare, quod per incuriam peccatum erat: moxque equum conscendens, sese ad Sanctum confert, ac primum quidem fervore ac diligenter excusans, cito quoque veniam obtinet. Quippe cum etiam vir esset intelligentis animi, ac ei cum illo caussa foret, qui facile admodum ad miserandum inclinaretur. Tum vero jubens astantes recedere, solus cum solo colloquitur, protracto ad vesperum usque sermone. Quid porro inde efficitur? Tanto dilectionis fervore Sancto conjungitur, ut ejus anima post eum conglutinata esset, ut Davidicum illud usurpem, nec vel omnino ad modicum tempus ejus libens absentiam ferret, denique

*Prætorem cum agnitione culpæ venientem excusat, amicum sibi conciliat,*

1 Reg. 18, 1

B ad ejus omnes necessarios usus ac obsequia promptissime inserviebat ac sumptus conferebat; uti plane potissima quæque contulit insignis victoriæ Martyris *d* Barbaræ excitando delubro; multamque in illud et operam adhibuit et impensam. Quia vero etiam Byzantium redire oportebat, velut jam fere provincia defunctum, Sanctum adiens, ejus se precibus itineris commeatu muniri rogabat, ac vero ne is ubi recessisset oblivioni traderet, observabat. Ad quem ille, At enim, inquit, haudquaquam nudo urbem regiam videbis: adhuc enim Deus *e* Hesperiis te partibus vult impendi. Ita ille factus est. Is vero iter arripiens cum jam Larissam venisset, reflectendo iter, fidem dictis haud dubiam facit. Statim enim veniens Imperiale scitum, Peloponnesi Prætorem atque Præsidem esse decernit. Sunt plane hæc quoque digna admiratione.

*d* *et templi S. Barbaræ conditorem:*

*novam ei præfecturam demandatum iri prædicit*

*e*

61 Quod autem de Creta prædixit, parum abest, quamquam multam veritatem contestantem habeat, ne rei miraculo fidem amittat. Fere enim *f* viginti ante annis tum capiendam prædicit, tum sub quo sit capienda Principe, sic clare dicens: Romanus Cretam subacturus est. Quia vero interim, cum hæc ille loqueretur Romanus senior rerum potiebatur, quærente quodam astantium, num hic ipse esset, qui

*uti Cretam sub Romano juniore recipiendam*

C tunc imperaret. Respondit ille: Non hic, sed alius.

62 Mulier quædam nobilis, urbis Thebarum, in gravem morbum incidit, ejus itaque maritus multis in medicos insumptis pecuniis, substantiam quidem partibus multis distraxerat, nihil autem commodi uxori attulerat. Quare suprema illis spes Dei homo efficitur. Is dolenti viro, ac ferventer roganti miserescens, Pancratium vocans monachum ait illi: Accipiens, quod ostendebat, oleo plenum vasculum, vade ad viri hujus uxorem, totamque unge tuis ipse manibus super nudo corpore. Ille porro nihil dubitans, (quippe qui simplicitate, bonisque moribus ornatus erat) ad eos abit, qui rogaverant. Ac primum quidem ægre hi contactum admittebant, quod res inhonesta videretur. Tum vero cum jubentem haud ignorarent quisnam esset, ipsi quoque necessitatis obscenti legibus, ministerium admittunt. Ungit itaque Pancratius fœminam a vertice ad pedes, paternis mandatis obsequenter cedens, seque obedientiæ filium exhibens. Vide autem qualis obedientiæ fructus evasit. Discedit ille ne nudo cogitatu læsus tactu illius corporis. Sed et vim fidei supplicium vide. Statim ab unctione mulier morbum abjicit, citiusque quam vestimenta exuit. Et hoc vero summæ viri af-

*mulierem desperata valetudine*

*sanat unctione per alium ejus mandato facta:*



fectionum vacuitatis, seu imperturbabilitatis certum D indicium, quod sæpe haud procul a fœminis decubans, cum ita contigisset, ne quid minimum inde nocumenti sentiret, aut impulsum solum cogitationis exciperet.

AUCTORE COÆVO EX MS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.

63 Mihi quippe idem narravit Pancratius monachus, consuevisse voce de cœlo lapsa moneri Patrem, cum jam in procinctu Gentium irruptio foret, ut ipse omnium primus recedens, ac se occultans, vicinorum accolarum populationi caveret, ut ille ipse interrogatus confessus est. Omnes enim in eum, ut in Prophetam, intenti erant: ac nisi eum primum fuga sibi præsidium quærentem vidissent, nullus prorsus ab operibus cessabat, aut domo absistebat, sed nuntium ut falsum, nihilque sani habentem, universi spernebant. Cum sic aliquando facta voce fugam arripuissemus, simulque ambo ego et Pater in speluncam quamdam clanculum ingressi fuissemus, errantes duæ fœminæ ad nos penetrant, vergente jam ad occasum sole. Eas Pater miseratus, quod ad fugam etiam hiems accederet, haud repellendas putavit. Nobiscum ergo intra speluncam recipimus; eisque, quam licuit, curam impendimus: ubi autem etiam tempus somni affuit, in una nos parte locans ipseque se in altera reclinans, medias illas propter frigus relinquendas præcepit, sicque transiit, ac si filius matrem propius adeat, aut tanquam lapides quidam aut stipites adjacerent, ne minima quidem subingressa cogitatione carnali. Adeo nimirum simpliciter ac summa quædam affectionum vacuitas, matris instar, terrenum Angelum insinuarat.

*divinitus moneri solet imminente irruptione barbarorum:*

*palantes fœminas in spelunca fovet ac curat:*

E

64 Philippus Theodosii monachi frater germanus erat, qui et ipse unus erat e monachis alumnis Sancti. Hic itaque Philippus, cum secularis esset, ac seculari polleret dignitate, (*g* Spatharios moris est nuncupare) haud raro Magnum illum adire solebat pro suo ad fratrem necessitudine. Quadam igitur die, cum is pro more venturus esset, videns eum vir magnus, quibus eum oculis viderat, urbane Theodosium appellans, Præpara, inquit, si quæ sunt ad convivium necessaria, venit enim frater tuus nobiscum cœnaturus. Cum sic Pater dixisset, tenebat Theodosium mixta stupore lætitia, actutumque vias publicas, compita, bivia, fratris expectatione cœpit observare. Jam itaque facto vespere, advenit ille rerum ad victum necessariarum magnum secum apparatum comportans. Instruitur itaque mensa, omnesque pariter cum Sancto discumbunt. Nihil porro mensæ appositum erat, quod non sibi omnes simili ratione manducandum indulgerent, ob excellens dilectionis bonum. Sic autem epulati, secumque mutuo jucundati, persoluto quoque consueto post cœnam canone, cubitum abeunt.

*g* *Philippum Spatharium venturum prædicens,*

*convivium parari jubet.*

F *lautius cœnat, ob caritatem hospitis:*

65 Porro Pater brevi degustato somno, statim surgit: ac alii quidem collectæ intererant; Philippum autem ejus frater, ut quem stationis ejusmodi laborisque et vigiliarum insuetum nosset, rursus se somno dare jubet, ad usque absoluta cantica *h* prooimaca, ac *i* versibus modulatam laudationem, quam sic vocant. Ceterum ubi is iterum cubile repetisset, multis cogitationibus cœpit conflictari, atque, ut Davidicum illud dicam, laborem parturire, et parere iniquitatem, edacem ac vini potatorem virum admirabilem arbitratus, quique simularet religionem. Atque id primo ejus erat qui clanculum mala semina animis nostris inserit; sed et illius modici nec ingenui satis animi, qui simpliciter ab his, quæ parent, omnia judicaret, nec quidquam magnum ac sublimius cogitare posset; nec prospiceret quod in appositis vescerentur, non gulositatis fuisse, sed eupensioris dispensationis; partim quidem ob abundantiorem dilectionem, uti jam superius declaratum est; contempto nimirum quod deterius esset majoris boni

*h*

*i*

*a Philippo gulæ insimulatus et hypocrisis,*

Psal. 7, 15

AUCTORE GRÆCO EX MSS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.

A compendio (quid enim ciborum abstinentia ad excellentem adeo dilectionem?) partim vero ut ab exuperanti modestia talis videri posset, qualis illi reipsa ex multa ejus ruditate ac stultitia visus est. Quod enim hæc sic haberent, ut male Philippus conjectaret, coram oblata visione ostendit, qui est testis in Cœlo fidelis. Cum enim eas ille cogitationes versaret, iisque immoraretur, corripit eum somnus; atque in somnis duos quosdam adolescentes videt. Tantus horum erat decor, ac qui ex facie splendor emicabat, qualem nec sermo explicare, nec oculi tollere possunt. Qui porro astabant, infenso ad eum vultu, ac amari animi indice, Quid te ipse, inquiunt, cogitationibus conturbas? Quid in crimen trahis insontem? Tolle oculos qui terram spectas, ac vide quantum hic promeruit honorem, qui tuo judicio seductor est ac hypocrita, sacrumque monachorum mentitur habitum. Tunc ille intentis in eum oculis, quem is ostendebat, magnum quid dignumque admiratione spectat. Purpura quædam pretiosissima humi strata erat. Super eam autem stans Magnus ille, mirabile quid nec verbis explicabile, cum ex forma, tum ex habitu effulgebat, totusque re ipsa lumen videbatur. Porro Philippus somno solutus, tremore accedit, ac vultu immutato, quo loco Patres collectam B habebant: atque explicans omnia, tum quæ in vigilia lecto desidens secum animo ipse versasset, tum quæ in somnis mirabiliter aspectasset; ac veniam consecutus, hactenus manet miraculum prædicans, seque ipse merito damnans, pro eo atque immerito Justum condemnasset.

*in visione inter duos adolescentes eum laudantes*

*apparet illi forma illustri.*

a Græce Κρινίτης, Cedreno Κρηνίτης, Crenita aut Crenites, vel Crinites, post præfecturam Peloponnesi, de qua hic agitur, Constantino solo jam imperante, Calabriæ in Italia præpositus. Virum quod Saracenos Siculenses et Africanos quibus ob penuriam et bellum a Cyrenensibus Saracenis illatum, [illegible] avaritia ductus subtraxisset subditisque sibi populis non leviter recrasset, præfectura si ab Imperatore, cum præmio conquisita, oblata est, atque ita cum dedecore consenuit. — b Larissa Thessaliæ caput in agro Pelasgico sita, quam Antiochus Rex Syriæ apud Livium lib. 36 frustra obsedit. Hodie adhuc Laristo nominatur. — c Supra num. 47 Præfectum monasterii vocat. — d Colitur S. Barbara 4 Decemb. — e Ita supra num. 62 Hesperiæ partes, Græce τὰ ἑσπέρια, utrobique Peloponnesum intelligit. Ita 4 Februarii in Vita S. Nicolai. Similiter Asia opposita constituitur τοῖς τῆς Ἀνατολῆς μέρεσι, in partibus Orientis quæ deinde Anatolia et Natolia dictæ sunt. — f Erat circa annum 941 quo Romanus senior adhuc imperabat; dein 2 Indict. 16 Decemb. anno 944 in ordinem a filio Stephano redactus. — g Spatharii satellites Imperatoris, Spatha, seu gladio latiore, armati a Niceta σωματοφύλακες custodes corporis appellantur. — h Secundum Euchologion de Ordine sacri ministerii, Sacerdos vel Antistes ab eo nominatus præ omnibus decantat Psalmum, qui est 103 hoc exordio: Benedic anima mea Dominum, Domine Deus meus magnificatus es vehementer, a quo Græci Vesperas, Missam aliasque preces exordiuntur. Inter Prooemiacas preces a primæva illius decantandi institutione principem locum obtinuisse C hymnum Trisagion, de quo ante alios docet Nicephorus lib. 14 histor. Eccl. cap. 46. Ex eo tempore, inquit de S. Proclo, Ecclesia Christi eum acceptum non quolibet tantum die usurpat, sed etiam, ut simpliciter dicam, cujuslibet laudis initio hunc canticum pleno ore emittit. Plures prooemiacæ preces [illegible] in Euchologio notatæ reperiuntur. — i Græce στιχολογία. [illegible] Scriptura, et [illegible] depromptus. Illum στιχολογίαν [illegible] in Vita S. Nili Junioris, Psalmos per versus recitare, et στιχολογία versibus isti modulata laudatio.

*Crinites Prætor.*

*Larissa.*

*Hesperia.*

*Spatharii.*

*Prooemiacæ preces.*

*Stichologia.*

## CAPUT XI.

### *S. Lucæ mors; sepultura; habitus mortuo honos.*

Ab eo tempore, ex quo vir mirabilis valedicens locis maritimis, ad Soterii locum devenerat, illicque monasticæ exercitationis tuguriolum fixerat, septimo jam decurso anno, beatam quidem mortem suam jam in januis, proximamque prænovit. Nulli tamen eam indicavit, sed, velut necessario urgente negotio, cella progressus, amicos omnes vicinosque conveniens, valeque dicens, ac cujusque exosculans labia, oculos, faciem; Orate pro me Fratres, aiebat; orate: incertum namque est, an deinceps mutuo nos aspecturi simus. Cum sic ergo omnes circumquaque visens, in cellulam postmodum rediisset, tresque postea menses vixisset; primo quidem lentus quidam

*Mortem [illegible] sub obscure [illegible] cat*

morbus invasit, tum vero febri vehementius incessente, cum octava jam transiisset dies, liquido cognoverunt omnes fore, ut relicta corporis habitatione ad Deum commigraret, quem dilexerat. Id ubi circumposita oppida incolentes vicini audiere, quamquam erat sæva hyems, cœloque lapsa immensa nix, itinera pene invia domosque inaccessas fecerat, haud tamen ne ad eum accederent cohiberi potuere. Quin uno velut agmine confluentes universi, ad nonam usque apud eum manent, nihil prorsus aut cibi memores, aut ad sua reverti cogitantes. Stabant vero intentis omnes in eum vultibus, ejusque hilari recreante aspectu, carissimam audire vocem, supremaque verba et preces excipere cupiebant: nec a lecto jacentis hactenus separari ferebant, et ut relicto ejus aspectu quisque domum reverterentur. Nam suprema illa et a morte separatio, quantum illis vulnus inferret, quamque ejus gratia animis afficerentur, juges illæ lacrymæ ab oculis defluentes monstrabant: donec tandem amplexatus omnes, ac bona adprecatus, etiam invitos dimisit, lugubriter gementes et diro dolore affectos.

D *febri corripitur.*

*populum undique accurrentem*

*amplexatur, et bona precatur:*

67 Gregorio autem Presbytero apud eum remanente, percunctatur ab eo Magnus ille tempus. Dicente autem solem ad occasum vergere; sciens ille E proximum esse, ut et ipse pulcherrimum sidus occideret, Abi, inquit, ac quam cito vespertinas persolve preces. Ubi porro, quod jussus erat, impleverat, putans aliquid se eorum quæ necessaria essent quærere, percunctatur ubinam post mortem sepeliri liberet. Rem ille moleste ferens; Quid vero inquit; nonne aperta verecundia est rem ejusmodi videri ignorare, ut nimirum ligatis e pedibus funibus, in voraginem aliquam projici debeam: ut, siquidem ad quodvis aliud sum inutilis, ac certe in escam bestiis cedam. Verum cum Presbyter nihil responsionis asperitate territus, etiam atque etiam de sepultura rogaret, ut et verbis commixtæ largo fluento decurrerent lacrymæ; (nolebat enim vel post mortem ad ejus quidquam voluntate deflectere) Locum, inquit, in quo jaceo, fodiens invenies coctos lateres. Hos tollens, ac honeste locum aliquantulum componens, cura pulverem pulveri reddere: tum vero lateres in terræ summa facie compone. Deo namque, ait, curæ est, ut arcanis sibi perspectis rationibus, ad mundi usque consummationem locum clarificet, confluentibus huc fidelium populis, ac ejus Divinum nomen laudantibus.

*decernit sepulturæ locum.*

*eumque miraculis illustrandum prædicit.*

68 His ita dictis, cumque ac qui simul aderant osculatus, tandemque in cœlum tendens, ac aperiens oculos, atque verba illa abunde pronuntians, In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, beatam *a* emisit animam. his quidem, a quibus recessit, amplam lugendi materiam relinquens: illos vero, ad quos concessit, omni gaudio ac lætitia replens: quin et istis cumulo accedens, nec a quibus recessit, spiritali ratione adesse, paterneque eos fovere tanquam filios desinens. Mane autem accersens Presbyter vicinos accolas, locum fodit ac pro facultate honeste componit, postque absolutum consuetum Canonem, sacrum ejus corpus, ceu thesaurum quemdam, in eo deponit, non avare aut sordide, ut ei soli esset reconditus, sed ut Christi amantibus ad fruendum commune cederet. Tum locum desuper lateribus sternens, ut jussus fuerat, discedit.

F *dicens, In manus tuas etc. moritur*

*a*

*sepelitur*

69 Sex porro a Patris dormitione transactis mensibus, monachus quidam eunuchus, *b* Paphlagonum regione oriundus, Cosmas nomine, in *c* Italiam proficiscens, cum ad *d* Chrysinæ partes venisset, aliquantula illic quiete reficiendum corpus putavit. Dormienti viro divinum quoddam insomnium exhibitum est, quod ille loci incolis narrans, sistendum sibi eo loco iter audivit. Dei inquiunt, voluntas est, ut ad mirabili ac juniori Lucæ inservias; quam et ob caus-

*b*

*c*

*d*

*ap[illegible] tumulo æditui [illegible]*

sam

A sam hocce te iter suscipere fecit. Ille nihil omnino ultra addubitans, velut Divina quadam manu trahente, ad viri sancti cellulam ducitur, atque ubi præsens veniens, locum adeo delectabilem et ad quietem compositum cognovit; ingenti perfusus gaudio, illic se deinceps habitaturum novit. Confestim ergo sacri pignoris thecam invenuste atque neglecte haberi videns, eidem componendæ aliquantum interim curam impendit. Elevat enim ac sublimem a terra tollit: tum locum exornat tabulis, cancellisque per orbem positis atque coronis inaccessam hac ratione ac intrectabilem facit, excepto dumtaxat, si qui fide multumque venerantes, propius ad eam accedere voluerint.

*locus exornatur:*

70 Post unum deinceps ac alterum annum ejus quidam discipuli, cum sanitates haud secus ac fontanos latices illic scaturire perspicerent, boni se Patris non bonas arbitrari proles, nisi velut alumni, post mortem quoque congrua a morte obsequia præstare viderentur, ad extruendas mox cellulas ac templum excitantur. Ac primum quidem divæ Martyris Barbaræ templum rudius elaboratum, diligenter perficiunt. Ornatumque adhibent, quam licuit maximum. Tum vero ædiculas sat multas, aliaque ac alia forma, cum ad Fratrum communem usum, tum suscipiendis

*cellula in oratorium convertitur.*

B hospitibus extruunt. Ad hæc cellulam ipsam, in qua Magni illius sepulchrum compositum erat, priori mutata specie in sacrum oratorium, in Crucis efformatum figuram, pulcherrime convertunt: ut rerum exitus verum illud Sancti eflatum monstraret, tum de loco, tum de his qui frequenti multitudine illuc confluxuri essent.

*R. Lucas Sedi Romanæ addictus.*

a *Post Romanum Lecapenum augusta dignitate spoliatum, quod contigit anno* 944, *forte anno* 945 *mensi nuncos, ac sequenti anno mortuus.* — b *Paphlagonia Asiæ regio ultra Bithyniam ad Pontum Euxinum.* — c *Ex hoc loco aliisque supra relatis videtur S. Lucas Romanæ Sedi peculiarius addictus. Hinc consilio et opera monachorum Roma redeuntium supra num.* 13 *monachus primo factus, et postea num.* 23 *dicitur habitum Angelicum, seu majorem monasticum, a monachis Romam legatis accepisse, impetratis etiam extraordinario beneficio piscibus, ut eos reduces exciperet et modo monachum Italiam petentem primum aditum a morte accepit.* — d *Chrisis provinciam supra videtur pro Phocide accipi, forte etiam vicinas partes, Bœotiam, aliasque complectitur.*

## CAPUT XII.

### *Unguentum ab loculo manans. Varia miracula.*

*Seliguntur a morte patrata miracula*

Porro tempus est ut de miraculis, quæ viri sapientis felicem transitum secuta sunt, mentionem faciamus. Non quidem de omnibus, neque id ordine (quomodo enim cum multa adeo existant, haud secus ac fluvii C latices, crebra fluant; maximeque quod neque hactenus ita fluere desinat?) sed ex multis pauca assumentes ad Dei gloriam, vestramque, qui ad hoc estis collecti, utilitatem narrabimus. Absurdum namque est, ut explicatis iis, quæ illo adhuc in vivis agente gesta sunt, ea, quæ sunt mortem secuta, silentio tradentes velut mortuorum lege virum oblivionis damnemus: quamquam ille palam se nobis ostendat ex operibus in Christo vivere. Adde quod et quæ post mortem gesta sunt, majorem tum admirationem habent, tum fidem, ut quæ nulla obscuret suspicio, sed et magis nostri in eum amoris vim testentur ac probent.

*C... ... pedibusque mutila,*

72 Mulier itaque prior ingreditur cum corporali infirmitate molesta quoque affectione gravata; uno et alio pressa malo, sicut et modo processu declarabit oratio; eamque ob rem multa digna consolatione, uti plane etiam consecuta est ex bono illo, qui omnes in tristitia ac ærumna agentes benignissime consolari soleat. Hæc itaque, fortean ex invidia malaque operatione, manibus pedibusque immobilis erat, ut plane pendere illa a reliquo corpore, ac compagem propriam servare viderentur, quod tamen spectat ad actionem motumque, aliena essent, suumque quodque eorum ministerium negarent: ut, quod illorum D erat, non vivens mulier putaretur, sed mortua. Accedebat mali tanti cumulo, quin et illo malum gravius, ut quem illa indigentiæ supplementum ac refectionem filium habitura erat, is ipse a malo ageretur dæmone, ac continue terræ allisus discerperetur. Ejus calamitatis miserti, qui genere eam contingebant, ac velut onus inanime asello imponentes, ac circumquaque tenentes, ad novum Siloe B. Lucæ sepulchrum adducunt, sequente quoque jam filio: quos ii illic relinquentes, domum reversi sunt. Quanta vero Dei judicia! Despexit eam Sanctus, et ad longum satis tempus sanationem differebat. Denique mulier ipsa ex mora fatiscens, ac spe curationis abjecta reverti cogitabat.

*AUCTOR COÆVO EX MS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.*

*et filius a dæmone obsessus,*

73 Enimvero (o arcanam tuam, Christe, bonitatem, ac miraculi in ea patrati nullis verbis explicabilem præstantiam!) haud diu ante viri sancti loculus, fontis instar, miræ fragrantiæ unguentum scaturierat, quod æditus diligenter reponens, acceptumque in vas quoddam lucernarium mittens, sacro sepulchro appenderat. Cum ergo mulier, meridiana ipsa luce, nemine præterquam filio præsente, eidem assisteret, ait ille ad eam submissa voce: At ego surgens bibam, quod in hoc lucernario est. Mater vero deterrebat, ne id ille attentaret; ne, inquiens, fili, iracundus sit æditus, ac ne forte plagis impositis nos amandaverit. Haudquaquam, inquit puer, sed animi desiderium implebo. Moxque surgens ac lucernarium accipiens, statim ori infundi: neque hactenus aliud quid fuit. Confestim autem cœpit volutari puer ac discerpi. Mater autem (ac, ne, rogo, miraculum levius aures afficiat, sed animo attenti simus, dicetur enim jam quod gratissimum est.) Mulier itaque ceu valde dolens ac carissimo filio opem ferre desiderio cupiens, (o rem novam! o arcanum verbisque inexplicabile miraculum!) nihil jam manibus pedibusque destituta, uti prius, sed utrisque valde efficax ac bene valens monstratur. Nam saliebat pedibus, ac manibus filium suffulciebat erigebatque, jam et ipsum sobrium, atque a dæmonii dira vexatione liberatum. Sic mulier duplex beneficium unius horæ momento mirabiliter consecuta, voluptate ac miraculo superantibus, quidnam fieret, quamve pro tanto beneficio gratiam rependeret, minime habebat. Quapropter alia se præstaturam desperans, vel a se ipsa quæ a seipsa ac propria erant reddebat; gratique animi lacrymas ferventi pectore ac spiritu contrito ubertim sacro sepulchro affundebat, velut quod puer unguentum ebiberat ipsa fletu rependere vellet, adeoque summa voluptate sepulchrum osculata, ac F gratiarum actionis sermones adjiciens atque accinens, etiam dupli miraculi præco luculenta universis existit.

*unguento ab ejus loculo manante,*

*a filio potato,* E

*sanantur ambo.*

74 Post mulierem alia quoque mulier introducatur; illa quidem, quod ipsam spectabat, haud priori similiter affecta (quod, inquam, ad debilia læsaque sua membra) quod vero filios, duplici supra quam illa calamitate super duplici carissima prole oppressa. Nomen illi Nicolao. Duplicem illa prolem, masculam alteram, alteram fœmineam cum suscepisset; haud tamen super filiis lætabatur, juxta Beatum Davidem; Psal. 112. 9 sed angebatur magis, multosque dolores ac tristitiam illorum caussa sustinebat. Ambos enim claudos, pedumque infirmis basibus, nec incedere valentes habebat. Corde itaque dolebat. Heu me, inquiens, quos lætitiæ caussam habere oportuit, hos lacrymarum multarum habeo materiam. Quos baculum senectutis meæ forte sperabam, hos ne baculus quidem quidquam nunc juvare potest. Adeoque hoc est quod lugeam. Quis me defuncta vos fovebit? Quis vobis pes erit, seu potius misericordiæ manus quæ humaniter aperiatur? Cum sic dolore conficeretur, refert quis

*duo claudi,*

*a matre ad sepulchrum adducti,*

Sancti

AUCTORE COÆVO, EX MS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.

A Sancti sepulchrum, veram illam spem, gratuitam officinam medicam, ultro omnibus utilia scaturientem. Non negligit mulier, sed asellis imponens carissima pignora, ad sepulchrum ducit, illique ferventer assidua, promptum illum ad beneficentiam rogabat, ut vel misericordiæ stillulam, multo lacrymarum jacto semine, liceret colligere. Quia vero arcanis providentiæ modis in hac quoque clementia ac misericordia in longum differebatur, octo jam elapsis diebus, mulierque superante ignavia tristis, iter domum arripiebat; ea tamen animi sensusque modestia, ut unam dilati caussam muneris, suam ipsa indignitatem profiteretur; ideirco etiam inopinato viri sancti humanitatis compos efficitur. Mox enim ac æde egressa est, sanos aspicit pedes, ac gressus firmos, secureque admodum incedentes. Ea res universos stupore, matrem vero etiam complevit voluptate; fundebatque ferventes gratiarum actionis lacrymas in beneficii auctorem, iis oppositas lacrymis, quas prius effuderat: amicosque simul atque cognatos convocans, una cum illis communia cantica ac lætitiæ vocem Deo transmittebat.

*post octavum diem sanati.*

75 Tertia iterum superiorum duorum cumulo mulier accedat. B Hanc gravis tenebat morbus, ac curatu difficilis, *a* Phagedænam appellare consueverunt medici. Is præter eam quam a natura obtinet acerbitatem, etiam a loco, in quo erat, miserabilem ægræ mulieri reddebat calamitatem. In ipsa enim facie insederat, multumque doloris ac probri fœminæ afferebat. Hæc innumera a medicis sustinens remedia, cum nihil inde commodi retulerat, tum et tempus se celerioris curationis perdidisse cognovit. Tandem enim aliquando ad Sancti sepulchrum veniens, partimque ex lucernarii illic vasculi oleo, partim ex venerabilis loculi stillis partem accipiens, multasque lacrymas ad sacrum sepulchrum fundens, nihil longi temporis, ut sanaretur, ambitum requisivit, sed plane octava eam dies morbo liberavit, puramque faciei supremam cutem, ut ne minimum prioris mali vestigium exstaret, effecit.

*a sumpto unguento curatur phagedæna,*

76 Ne quis animo fatigetur, etiamnum audiens mulierum morbo curatarum; ut sin aliud, curantis saltem reveréamur humanitatem ac clementiam. Quapropter ad superiores huc adsit et anus Bœotia; quæ nimirum morbo quidem perinde atque illa premeretur, non tamen sicut illa cum paupertate conflictatur. Hæc corporis lucernam, membrorumque cum C præcipuum tum lepidissimum, oculum scilicet, laborantem habebat. Quædam enim circa eum enata ægritudo, quam obscura nomine, tam curatu difficilis, acerbos illi ac diuturnos dolores afferebat; medicorumque cum artes tum manus arguebat, ac omni remedio fortior existebat. Morbus hic caligine obscurans oculum, ac aqueo opplens humore, velutque ex malo fonte perennes rivulos prodens, nec esse oculum, nec vere appellari sinebat, qui videndi facultate destitutus esset. Hæc itaque ad Sancti monasterium veniens, ad divinum ingressa delubrum, sacro procumbit loculo. Et (o gratiæ arcanum, nullisque verbis explicabilem virtutem!) adversus enim grande adeo malum ac prorsus insuperabile, nihil aliud profuit, præter similiter lucernarii oleum, cum resudanti ex loculo liquori, tum fervori fidei commixtum, ægroque oculo illitum. Paucis vero interim transactis diebus, illa necdum adepta perfectam sanitatem, revertendum sibi putavit, non pusilli animi vitio aliquo, aut ve fidei imbecillitate, sed fidei potius abundantia ac fiducia fore, ut is in quem speraverat, longe etiam positæ quod ad perfectam desiderabatur curationem abunde posset adjicere. Nec vero suo falsa judicio est, spesque bona qua crediderat. Cum enim necdum pervenisset domum, sed esset in medio constituta itinere, quo dolebat oculo, ex toto illuminato ac depurato, nec vel vestigium superioris morbi relinquitur, D sed perfectam adipiscitur sanitatem, alterique similis redditur.

*Gravis oculi morbus,*

77 At neque Nicolai miraculum par est silentio præterire, quando nec Sanctus par putavit, ut illum despiceret gravissima pulsatum calamitate. Simili namque atque divinus Job morbo conficiebatur, universis membris dolens, atque a capite usque ad pedes pessimo gravatus ulcere jugique sanie defluens: horrendum visu! Morbum *b* sacrum vocabant, quotquot rectum de illo judicium ferebant. Cum Nicolaus tali teneretur ægritudine, utque solet in ejusmodi, omnibus nauseam faceret, ad sacrum accurrit Lucæ delubrum, remediisque illic præstantibus utitur, quibus morbus omnis ac languor facile admodum dissolvetur, oleo, inquam, lucernarii ac liquore ex sacro loculo resudante. Quandoque igitur exundante vasculo liquore, is cum assideret, animique voluptate decurrentes rivulos spectaret; nolens quidem, at non plane sine Numine in illud incidit. Quis autem voluptate non alliciatur, morbique statim novitatem non stupeat? Instar pulveris cujusdam sive maculæ morbum facile eluit: sicque vir dignus memoria, qui continentia quidem ac frugalitate vitam duceret, a E dæmone tamen abripitur: quibus novit judiciis, qui omnia pro eo ac novit conducere disponit, sive ad occulti cujusdam ac anterioris peccati emundationem ita acciderit, sive ad superbiæ tumorem noxium elidendum, sive ob aliam ignotam nobis, Deo tamen exploratam, caussam. Is annos plures multa ab illo, graviaque sustinuit tormenta; qui nimirum alliderctur, discerperetur, horrendis terroribus quateretur, nullis non incommodis vexaretur. Iterum vero ad Sancti loculum accedens, atque ad illum dies non paucos perseverans, tardam tamen et ipse experitur ejus, qui ferventer opitularetur, gratiam. Quid ergo pius vir ac Dei amans? domum quidem revertitur; ac ne sic quidem despondet animum, ut ne curari speret: sed et adhuc crebro accedit, rogansque loculo procidit: jamque tres, aut etiam plures dies sic perseverans, reverti cogitabat. Sic itaque venienti ac cum Patribus Sanctum oranti, dormienti in somnis apparet, vocansque ex nomine os aperire jubet. Tum illo citius præstante quod jussus erat, insufflens in illud Sanctus, Vade nunc, inquit, sanus, annuntians cunctis Dei mirabilia. Utque is somno solutus est, nec somnium ignorans apertam esse veritatem, rem universis narrat; parique omnes consensu Deum F atque ejus famulum laudibus celebrant.

*b morbus sacer*

*energumenus liberatur*

*apparens S. Lucas*

*a* φαγέδαινα *ulcus immitum, profundum, et vicinas partes erodens ac depascens, unde illud nomen sortitum: atque in hoc sumitur. Abducitur etiam ad appetitum caninum, qui satiari comedendo nequit, transfertur. — b De morbo sive igne sacro egimus 3 Januarii ad miracula S. Genovefæ, et 17 ad S. Antonii, atque alibi.*

*Phagedæna.*

## CAPUT XIII.

### *Alia miracula, etiam absentibus collata: dæmones pulsi.*

Quin et Joannis miraculum quomodo quis jure prætereat, viri quidem probi beneque in Sancti cultum affecti, qui tamen nescio qua ratione a tetro abreptus dæmone, atque ab eo annis multis misere vexatus fuisset? Quia ergo grave erat ac diuturnum flagellum, nullamque vexatio remissionem habebat, (quomodo enim ille a se parceret vel misericordia aliqua hominem impertiret, qui natura sit vere invida ac humano inimica generi?) sero tandem intelligens unde curationem invenire possit, ad sacrum Lucæ sepulchrum confugit, utiturque et ipse valentioribus remediis; oleo, inquam, lucernarii, ac unguento scaturiente ex sepulchro, quo et cum suis ipse manibus Frater Pancratius perunxit. Huic enim solenne erat, ut et aliis pariter affectis, semper ac ubique

*Liberatur a dæmone obsessus.*

AUCTORE COÆVO EX MS. GRÆCO, INTERPR. FRANC. COMBEFIS.

A ubique miserationis viscera impendens, et opitulatrix illis dextera et benigna existeret, ut et in auxilium ex ipso nomine ab illis vocaretur, cum utique crebras dæmonis infestationes sensissent. Multis interim intercurrentibus diebus, eximiæ Joannes patientiæ dabat specimen. Non enim fatiscebat, non dubietate agebatur, non subibant pusillanimitatis cogitationes, sed expectans expectabat Dominum, donec exaudita ejus oratione, molesta eum dæmonis tyrannide absolvit: in hunc autem absolvit modum: sex jam menses transierant: tum nocte in somnum resoluto apparens Magnus ille infestum ab eo hospitem depellit, nequam illum spiritum, oreque ad os communes de arcanis cum eo sermones movens; jubetque, ne cui edicat ad ipsum usque necessarium mortis silentium.

Psal 39 2

79 Sed et alius pari nomine, uti et morbi similitudine huic affinis, (nam et ille Joannes vocabatur, eratque a malo abreptus dæmone, sed et annos jam plures eo infesto patiebatur) pari remedio, parem fere obtinet et curationem. Nocte enim illi dormienti in suo ipse habitu apparens, ac caput ejus tenens, os aperire jubet. Tum dextera visus laxare hamum ad faucem usque, ipsumque rursus extrahere; En, B inquit, liberatus es a maligno spiritu; inventaque ex fide salute, vade in pace. Vix dixerat, cum sermo in opus evasit, simulque homo tum somno tum dæmone solutus est: reddensque gratiarum actionis cantica, in suam deinceps gaudens redditur domum.

*item alius;*

80 Is autem qui dicendi jam miraculi beneficium consecutus est, cujas esset, ac quo nomine vocaretur, obscurum nobis est. Habebat hebetes oculorum obtutus: extinctis ambabus corporis lucernis lumine, quod universi dulcissimum habent, privatus erat. Hic humani omnis remedii abjecta spe, uti morbo humanam et artem superante et curationem, ad Sanctum confugit; ingressusque ejus templum, manusque simul ac animi oculos sublimes tollens, Solve, aiebat, tenebras meas, qui vero lumini possessor assistis. Libera me ab ea nocte, qua teneor. Videbo tuam imaginem. Aspiciam corporis loculum. Cernam monasterium. Delectabor delubri obtutu. Prædicabo omnibus, atque narrabo tua mirabilia, repleto gaudio ore meo et lingua mea exultatione. Sic ille orans, propterea quia Sanctus sanare tardabat, ignavia victus domum recedebat, animi pusilli proposito spem curationis postponens. Verum ne sic quidem homo Dei et ad miserandum paratissimus, C illum despexit: sed cum adhuc iter ageret, ac in viæ procinctu esset, votum implens, quod impensius desiderabat, lumen tribuit: non id repente, nec statim simul totum clare visum reddens, sed paullatim explicatum ac dilucescentem tristium ipsum recessum tenebrarum reformans. Denique et incredulitate primum pulsabatur, nec verum existimabat id quod fiebat. Ubi autem res quaslibet oculis subjectas clare percepit, parique ratione ac qui sanis atque integris oculis existunt vidit; mixto plenus admiratione gaudio, divino Lucæ, ac per eum Deo, gratiarum actionem reddit, ac miraculum universis exponit, voluptatis abundantia linguam disertam adeptus cum oculis.

*illuminatur cæcus*

81 Nec vero Dei homo oculorum tantum futurus medicus erat, verum et pedum, quin et omnis membri, ac quarumcumque corporis partium, uti et revera monstratur. Statim igitur Joannes Ternenia oriundus insula, cum pedes doleret, sicque pedum ille dolor acutus esset, ut is lecto decumberet, praque illo miserabili sorte tabesceret; quod morbus, ut spectet homines, insanabilis prorsus esset, auditione perceptis magni Lucæ miraculis, desiderio quidem cupiebat ejus monasterium petere, ac loculo miraculorum patratori procumbere, omnino tamen destituebatur, nec occurrebat quid faceret, neque enim D poterat equitare. Ut autem lecto decumbens tantum iter conficeret, erat plane difficile. Quid ergo facit? mente locum petit, transcurrit fidei alis; loculum labiis contingit: vocat, tametsi longe erat corpore, eum, cui non deerat ut posset esse prope per gratiam: Intret in conspectu tuo oratio mea, inquiens, et petitio mea appropinquet; daque qua apud Deum virtute polles, ut non supplicationem, sed gratiarum actionem offerens, tuum loculum sanis pedibus videam. Ejusmodi Sancto supplicationem offerens, non ad multos obtulit dies: sed beneficium super illo maturans Sanctus, doloribus repente levat, solvit ejus compedes pedum, sanum totum atque integrum statim ostendit, ut nedum gressu libero incederet, verum etiam pedibus saliret, ut et pene ipsum se esse non crederet, qui paullo ante ægritudine tanta pedes vinctus fuisset. Brevi itaque monasterium petit sanis pedibus, sana fide, ingressusque divinum templum, signifero sepulchro procumbit; Gratias, inquiens, tibi ago, homo Dei, quia liberasti oculos meos a lacrymis, et pedes meos a lapsu. Tum brevi Patrum contubernio usus, ac ægritudinem, quanta esset, narrans, qualique pedum dolore contereretur, (plane enim dulcis narratio) morbum refert morbo exolutus, ut et tristia omnia, posteaquam illa preterierant: tum ut sanitas repentina obvenerit ac celerrima, clare ac dilucide expositis omnibus, animo gaudens domum repetit. E

*sanatur æger pedibus.*

Ps. 114. 8

82 Calens res, audaxque juventus, ac ejusmodi ut non raro, quæ vires superant, prompto facile animo præsumat; idque in primis, cum ad ea naturali velut pondere inclinatur. Abunde fidem dictis facit, qui narrationi impræsentiarum propositus est Demetrius qui et Calonas; fuit quippe binomius. Is luxuriante juventa ac corporis tumens robore, specum fodiebat in ipsa domo, quam et rustici quidam Gonnam appellarunt; qua utique frumentum hordeumque, ac si quid aliud genus leguminum, conderet. Tum alte jam ducta fossa occurrit lapis gravi pondere maximusque, quem et ille ambabus apprehensum manibus, conatus extrahere, cum majoris longe molis esset, quam ut unius manibus cederet, alieni hujus a ratione, ambitiosique conatus diram miseramque mercedem accepit; diffluentibus illi violento nixu intestinis, miserandoque onere (heu) repletis colibus, tanquam is immodicæ ostentandarum virium cupiditatis pœnas daret, eaque patiens, quæ non ostentare, sed occultare magis operæ pretium sit. Quia F ergo illo ex casu difficilis ad motum, seu magis ipse a se prorsus immobilis factus erat, concurrentes qui eum genere contingebant, vix tandem extrahunt, ingentique mœrore ac dolore percussum in lecto reponunt: ubi flenti illi ac destituto fructusque carpenti stultitiæ, nihilque solatii percipienti ab aliquo, misit Deus misericordiam suam boni famuli sui in eum miseratione: nasciturque curationis occasio ex transeuntis præsentia. Vir enim quidam ex notis ejus reversus nuper e monasterio oleum ferebat e lucernario apud venerabile Sancti sepulchrum posito, hoc ille ei tradens, jubet affectas partes ungere. Utque fecit, quod jussus erat (haud vero faciendo plures tribus dies transiere) tum dolore, tum morbo penitus desinente, Sanctum cœpit laudare, perfectam jam adeptus sanitatem, atque illius prædicare miracula.

*alvus diffluentibus intestinis:*

83 At neque Constantini despiciendum miraculum; neque vero illud ejusmodi est, ut propter multitudinem non necessario videatur scriptis consignandum: quippe cum, excepto quod ad Dei cedit gloriam, pulcherrimum ferat patientiæ exemplum, doceatque rebus tristibus minime desperandum de Dei bonitate, orantibus nobis cum ille misereri tardans,

A tardans, altioris providentiæ rationibus a malis liberare distulerit. Hic itaque Constantinus patria urbeque ortus *a* Thermopylis, in qua et agebat, in molestissimum incidit dæmonem, qui nedum simpliciter abriperet, sed et terriculamentis, ac caligine animam ejus repleret, modisque omnibus sæve dilæderet. Allidebatur itaque homo crebrius ac concidebat, abreptitiorumque omnia, contorsiones, discerptiones, vertigines, ac si qua alia pati consueverunt, qui tali malo compediti sunt, sustinebat. Quid ergo ille? Humanam omnem opitulationem contemnens, ad Deum confugit, ac ejus famulum sacrumque illius delubrum petens, divino procumbit loculo, eumque ferventissimis rigat lacrymis. Tum et dæmonum, et morbi omnis averrunco utitur revera misericordiæ oleo, nihilque interdiu, noctuque agit, quam ut oret, procumbat, fleat, adeo mixto lacrymis sese ungat. Ceterum is quidem his assiduus, Dei præstolabatur clementiam; tardabat tamen benignitas, inque longiores moras beneficium differebat: haud vero id temere, sed ut ejus animus utile quid, quodque ad salutem esset, consequeretur. Nihil enim est sive eorum, quæ olim, sive quæ modo in nobis fiunt, quod non principaliter ad utilitatem animi tendere noscaB tur. Idcirco et ille pro eo ac decebat tarditate utitur, nihil fidei vigore obtuso, nullam domus, seu revertendi mentionem faciens, nihil quod pusilli animi videretur aut dicens aut agens, sed nec cogitatione præsumens. Atque id quidem vel ad breve tempus actum laudem promerebatur: haud tamen ita ut et patientiæ titulo esset admirandum. Constantino autem non ad unum duosque menses satis fuit dilatio, sed ad annos totos deficiebat, ut plane extenderetur pro ejus animi magnitudinis modo, ut non solum liberationem a dæmone, sed et animæ salutem adipisceretur; quod et contigit: atque in præsentiarum quidem dæmoniaca solvitur oppressione, fidei vero præ- D mia in futurum palam recepturus est.

*Auctore Coluo ex MS Græco, interpr. Franc. Combefis.*

*a a dæmone misere vexatus,*

*post aliquot annos liberatur:*

84 Alius quispiam genus quidem ex Euboea ducens, sed cujus ignotum nomen, in malum simile incidit, abreptus et ipse a sævissimo dæmone: similique vexatus modo, simili utitur et perfugio, divini, inquam, Lucæ loculo. Unus autem quis eorum, quibus communia ministeria concredita sunt, (Comerciarium appellare solent) Christophorus nomine, fidei caussa ad sacram ædem accedit, idque consecutus, ut venerabile adoraret sepulchrum, quod et benignius a Patribus hospitio susceptus esset, appetente jam vespere, rogabat ut juxta loculum dormire liceret. Abnuentibus autem Patribus, quod nemo alius, excepto illo qui æger esset, tumulo assisteret, ait ille: Sed et hunc nocte hac locus alius excipiat, mihi autem divinum adire loculum liceat: quippe etiam injucundum plane foret, ut uno cum ægroto tecto manerem. Concedunt et hoc Patres; atque is quidem ad divinum assidet loculum: æger autem quodam alio loco jussus noctem transigere, ingenti mœrore afficitur, spretioni deputans ac injuriæ quod gestum erat, ac velut minime consecuturus Sancti gratiam, quod ad sacrum loculum pernoctare prohibitus esset. Qui autem consolatur *b*...

*alius dæmoniacus videtur seorsim a loculo curatus.* *b*

E

*a* *Termopylæ in confiniis Thessaliæ et Achaiæ, ubi et angustia montium Termopylæ dicuntur.* — *b* *Reliqua desunt in MS. Græco. In Menæis celebrantur ejus miracula, uti hæc ode Latine reddita confirmat.* Injuriam cujuscumque passionis fugas, gloriose Pater, B. Luca, lepra vexatus sanans; debiles confortans et imbecilles, solvens valido vinculo mancos et claudos, illuminans cæcos, ut Dominum laudemus, clamantes, eumque superexaltantes in omnia secula. *Item alia ode de sacro ejus corpore ita habet.* Loculus tuarum reliquiarum, o Luca, fons ostenditur medicamentorum, ad quem quicumque accurrit, liberatur quacumque affectione, et te, o Sancte, beatum prædicat ac Christum Dominum nostrum laudat. *Ita vita ejus monastica, abstinentia, ceteræque ejus virtutes, quæ in Vita continentur, passim in Odis repetuntur.*

*Miracula in Menæis laudata.*

# DE S. ROMUALDO ABBATE,

## ORDINIS CAMALDULENSIS FUNDATORE, FABRIANI IN PICENO,

ANT. JACV. PAP. 24

J. B.

### Commentarius prævius.

#### § I. *Romualdi Vita a quo scripta?*

*Circiter an. MXXVII. VII Febr.*

*S. Romualdi Vita duplex, 1 per B. Pet. Damiani, 2. per Hieronymum Pragensem,*

*Eremiticæ vitæ in Italia restitutor ac propagator celeberrimus, seculo Christi decimo S. Romualdus exstitit. Is duos præ ceteris nactus est præclaros rerum suarum laudatores, alterum coætaneum, S. R. E. Cardinalem Petrum Damianum; alterum Romualdini instituti professorem, Theologum eximium, alterum apostolicis laboribus in fide Barbaris* C *prædicanda nobilem, Hieronymum Pragensem; utrumque sanctitate vitæ conspicuum, cum ille in Beatorum catalogum relatus sit, ut patebit ex iis quæ dicemus ad* XXIII *Februarii, quo cum civitas Faventina ut Protectorem præcipuo honore veneratur, hic vero diserte et absolute* Sanctus Hieronymus Pragensis *ab Arnoldo Wione non uno loco prædicetur.*

2 *Qui vir fuerit hic Hieronymus, discere ex Pio II Papa licet, qui in Descriptione Europæ cap. 26 ista tradit:* Ex Sclavis alii Gentili adhuc cæcitate tenentur; quemadmodum multi ex Lituanis idola colentes. Horum magna pars ævo nostro ad Christum conversa est, postquam Uladislaus ex ea gente Poloniæ regnum accepit. Novi ego Hieronymum Pragensem, sacris litteris apprime eruditum, vitæ munditia et facundia singulari clarum, qui annos supra viginti in eremo Camaldulensi in Apennino Etrusco pœnitentiam egit. Hic oriente apud Bohemos Hussitarum hæresi, fugiens pestiferum virus, in Poloniam transivit. Ubi acceptis litteris ab Uladislao Rege commendatitiis, prædicaturus Evangelium Christi, ad Vitoldum Principem in Lituaniam penetravit, multosque populos, Vitoldi favore fretus, ad salutiferam Dei Christi fidem convertit: venitque tandem ad synodum Basileensem, vocatus a Juliano sancti Angeli Cardinali, cum de rebus Bohemicis ageretur. Narrabat hic multa de Lituanis, quæ pene incredibilia videbantur. Audiebam ego ex aliis ejus dicta, nec movebat ut crederem. Libuit adire hominem atque F ab ejus ore lata cognoscere: comites mei fuerunt, Nicolaus Castellanus, qui tum Cardinalis Juliani domum regebat; Bartholomæus Lutimanus, Archiepiscopi Mediolanensis scriba, et Petrus Noxetanus, Cardinalis Firmani secretarius, viri graves et docti. Hominem in cella sua trans Rhenum apud Carthusienses convenimus. *Subdit quæ Hieronymus narrarat de serpentibus, sacrato igne, malleo ferreo raræ magnitudinis, arboribus ac lucis, quæ omnia ab illis gentibus culta, ipse flamma ac ferro excidi curarat, non absque divinis portentis: qui tamen a Vitoldo, tumultum aliquem plebis verito, ex provincia decedere jussus. Ac demum ita concludit Pius.* Hæc nobis Hieronymus, constanti vultu, nihil hesitans, ac per juramentum affirmavit. Dignum fidei et gravitas sermonis et doctrina ostendit, et viri religio. Nos quæ accepimus, immutata retulimus: veri periculum non assumimus. Persuasi tamen et nos et comites ab eo recessimus. *Hactenus Pius. Eadem breviter ex eo memorat Spondanus in Annalib. Ecclesiast. ad an.* 1413 *num.* 8. *Quæque ambo de*

*Apostolum Lithuanorum,*

*virum doctum, eremitam Camaldulensem,*

*notum Pio II,*

*fide dignum,*

A *de superstitionibus Lituanorum, eadem percenset Mathias Michovius Chronic. lib. 4 cap. 39 et Alexander Guagninus; nulla tamen Hieronymi facta mentione.*

3 *De eodem Hieronymo Wion lib.* 1 *Ligni vitæ cap.* 26 *de SS. et BB. Ordinis Camaldul.* S. Hieronymus Pragensis, eremita, Episcopus et Apostolus Lituanorum. *Et cap.* 25 *de Epp.* S. Hieronymus Pragensis, I. V. D. et Theologus Eremita, accepta facultate concionandi, cum Episcopali potestate, Lituanos ad fidem reduxit. Obiit Venetiis anno MCDXL : fuit in concilio Basileensi : scripsit multa opera; *quæ enumerant idem Wion, et Augustinus Florentinus, (interque ea* Sermonem de S. Romualdo) *et asservari manuscripta tradunt* in sacra Eremo Camaldulensi. *At cap.* 28 *(quod est de Scriptoribus Ordinis) id solum habet Wion :* S. Hieronymus Pragensis, supra. *Eum porro sermonem* edidit et compilavit *(ut ipsemet auctor infra scribit)* Frater Hieronymus de Praga, sacræ paginæ professor, quamvis indignus, ad petitionem Fratrum domus Carthusiæ Basiliensis, anno Domini MCCCCXXXIII. *Neque ipse se, neque Pius Pontifex aut Spondanus* Episcopum *nominant. Esto, fuerit fortassis* episcopali potestate, *ut habet* Wion, *in Lithuaniam missus. Quæ jam de Hieronymo retulimus, narrat ea-*

*Sanctis accensitum a quibusdam,*

*composita an. 1433.*

*unde hic edita?*

B *dem Augustinus Florentinus historiar. Camaldul. lib.* 2 *cap.* 67. *Et lib.* 3 *cap.* 12 *annumerat eum inter* Diffinitores, *a quibus Ambrosius, vir doctissimus, Camaldulensis Congregationis Generalis electus est : nec dissimulat, quod acrius pro concilio Basileensi stare contra Eugenium* IV *visus esset, interclusum illis ab eodem Ambrosio ad sacram eremum reditum esse. Porro ejus de S. Romualdo sermonem descripsimus ex codice collegii Paderbornensis Societatis* Jesu *in membrana exarato.*

4 *Quam vero Vitam composuit B. Petrus Damianus, cum* tria jam fere lustra transacta essent, ex quo B. Romualdus, deposito carnis onere, ad ætherea regna migrarat, *ut ipse in prologo testatur; eam Laurentius Surius ad diem* XIX *Junii edidit : sed vel phrasim (licet id, ut alibi, non profiteatur) paullum expolivit, vel vitiosum nactus fuit exemplar, discrepans certe ab iis quibus Constantinus Cajetanus est usus, cum eam Vitam Romæ tomo secundo Operum B. Petri Damiani an.* MDCVIII *in typographio Gulielmi Facciotti vulgavit; quibusque alter, qui eadem opera* novo studio ac labore recognita et aucta, *et in tres partita tomos,* sumptibus Claudii Landri *Lugduni publicavit an.* MDCXXIII. *Cum his duabus Surianam editionem contulimus, genuinam Damiani* C *simplicitatem magis redolentibus : capitum tamen distributionem, quæ invicem non semper in teris illis editionibus quadrabat, novam fecimus, reliquo nostro operi consentaneam.*

*unde prima?*

5 *Vitam eam* abbreviavit, *ut ipsemet loquitur, S. Antoninus parte* 2, *tit.* 15 *cap.* 15. *Ejus compendium exhibet Petrus de Natal. lib.* 5 *cap.* 128. *Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad* VII *Februarii et Franciscus Haræus ex Surio : ex Damiano eam lib.* 5 *de Vitis PP. Occidentis edidit Benedictus Gononius. Vertit eamdem Italice, ac Notationibus illustravit, citatus jam antea Augustinus; quam deinde Silvanus Razzius recognovit.*

*alia de S. Romualdo scripta*

## § II. *Ordinis Camaldulensis, a S. Romualdo fundati, appellatio unde?*

T*irocinium vitæ religiosæ inter Benedictinos posuit* S. Romualdus : *dein novum ipse ordinem instituit Camaldulensium, eadem tamen S. Benedicti Regula, sed et peculiaribus statutis, obstrictum;* dilatatum, *ut scribit loco cit. S. Antoninus,* et ampliatum in multis monasteriis in partibus Tusciæ et Longobardiæ; quorum principale monasterium est in diœcesi Aretina, et dominio Florentinorum. *Est id, ut Leander Alber-*

*Camaldulum præcipuum ... Camaldulensium ...*

*tus scribit,* altissimis in montibus *situm,* insignis religione locus, quod inter hæc ingentia frigora tam austeram duramque vitam cultui Divino mancipati agant. *Loci vocabulum vix obiter nominatum a B. Petro Damiano cap.* 15 *num.* 74 *his verbis, quæ tamen a tribus Surii editionibus absunt :* Cum in quadam eremo valde speciosa et egregia, cui nomen est Camaldulensis, quam ipse ædificaverat, in cella resideret. D

*AUCTORE I. B. in Apennino,*

7 *Hieronymus Pragensis loci situm, ædificia, nominis occasionem, candidumque habitus, quo monachi Camaldulenses utuntur, accuratius describit cap.* 10 *num.* 61. Veniens, *inquit,* Pater sanctus in Romandiolam, ascendit altissimum Apennini montem, lustrans Alpes per circuitum, cupiens invenire pro eremitis idoneum locum. Cui occurrit quidam vir, nomine Maldulus, dicens se habere amœnum locum in Alpibus, consueto nomine vocatum Campum-bellum. Hunc B. Romoaldo offerebat, petens instantius, ut nomine ipsius Camaldulum vocaretur. Ubi dum lassus quiesceret, vidit instar Jacob scalam excelsam cœlum quasi suo vertice tangentem, per quam albescentium monachorum videbatur adscendere multitudo in cœlum. Mox Pater sanctus, tamquam Divino illustratus oraculo, ecclesiam miræ pulchritudinis in eodem loco ædificavit, quam Theodaldus Aretinus E Episcopus in honore Salvatoris consecravit. *Nec parum fortassis* Theodaldi, *sive Thedaldi, genere ac vitæ sanctimonia clarissimi Episcopi, auctoritas valuit, præter cœlestem, quam diximus, visionem, ut locus is totius Ordinis fieret caput.*

*a fundi possessore dictum, (antea Campusbellus)*

8 *Sed pergit Hieronymus :* In circuitu autem ejusdem ecclesiæ quinque cellas construxit, et totidem eremitas ibidem collocavit. Est autem hæc sacra eremus Camalduli in Italia, in partibus Romandiolæ, distans itinere unius diei a civitate Aretina, in qua sunt cellæ XXIV eremitarum separatæ..... In circuitu autem dictæ eremi est pulcherrima silva lignorum abietum, per spatium unius milliaris Italici : quam silvam abietum nulla mulier potest ingredi sub pœna excommunicationis latæ per Dominum Papam sententiæ *etc.*

*cinctum silva feminis inaccessa :*

9 *Augustinus Florentinus Historiarum Camaldulensium lib.* 1 *fuse Camaldulensis cœnobii atque eremi situm, originem, etymon describit, unde quædam strictim delibabimus. Qui plura volet, librum adeat, cusum an.* CIƆIƆLXXV *Florentiæ, ac fortassis postea recusum. Instituto, ut is memorat, Vallis Castri cœnobio, S. Romualdus locum quærebat anachoreticæ rerum Divinarum contemplationi accommodatum. Agens ergo per Apen-* F *ninum iter, opacam densa abiete silvam ingressus, ad amœnum in ea pratum devenit, qui* Campus Malduli speciosus et amabilis *vulgo dicebatur : erat enim* Magdali, *sive* Malduli, *civis Aretini possessio. Captus loci amœnitate vir sanctus, ad fontem pellucidum, qui etiamnum juxta templum scaturit, cum quinque discipulis consedit modicaque refertus dape, suripta ab loci natura atque arboribus argumento, fuse de rebus ad pietatem pertinentibus disseruit : dein levi correptus sopore, visus sibi est scalam videre a terra ad cœlum usque pertingentem, per quam rutila albatorum monachorum ascenderet descenderetque multitudo. Mox spiritualis lætitiæ sensu expergiscitur, fixoque in cœlum obtutu, toto corpore suspendi in aera videbatur, quasi visam ascendere corporis gressibus scalam vellet. Accurrunt, qui paullum inde recesserant, ne somnum ejus turbarent, discipuli : intendente que in cœlum oculos, lucem et ipsi haud tenuem, sed jam evanescentem, conspexere. Sciscitantibus quid vidisset, aperire mysterium cœleste coactus est, suumque de instituenda candidatorum ascetarum congregatione consilium.*

*ubi scalam mysticam vidit S. Romualdus.*

10 *Post gratias Deo actas, in vallem inferiorem descendentibus, magnaque sensu pietatis, quæ dicta sunt, meditantibus, Maldulus, fundi dominus, venatu rediens,*

A *rediens, occurrit. Quem Romualdus idoneis monitis ab inani ferarum venatione ad curam animi, virtutisque exercitationem extemplo (ut erat illius eo in genere quodammodo omnipotens suadu) traduxit. Is continuo locum ac cetera bona sua Sancto donavit, seque ipsum in ejus tradidit disciplinam, asseverans eadem scalæ speciem sibi in somnis aliquando objectam. Accessit Aretini Antistitis auctoritas: oratorium primo, dein cellæ ædificatæ quinis anachoretis. Ea ut ab omni secularium hominum strepitu liberior esset eremus, inferiori, quam antea diximus, valle, nemorosis cincta montibus, amœno flumine irrigua, domum construxit ad fontem, a quo* Hospitium Fontis boni *dicta. Illic Sacerdos monachus, ac tres laici, sive (ut ipsi eos appellant) Conversi, locati, ut peregrinos exciperent, atque in eremo degentibus necessaria subministrarent. Hoc nunc celeberrimum illud est Camalduli monasterium: cujus situm, ædem, officinas, accurate describit idem Augustinus, uti et Eremi jam memoratæ cellas ac templum: ad eam a cœno*bio acclivis anhelusque adscensus unius milliarii et ultra interest, *inquit.*

*fundo donato a Malduło quem converterat,*

*ædificatum primo* Hospitium Fontis-boni *dictum.*

ANIMADV. PAP. 25

11 *Cœnobio igitur eremoque a Maldulo nomen (unde ad ordinis universi appellationem traductum) quasi Cam*B*pum Malduli *dicas, aut* Casam Malduli. *Idem scriptor* Malduli *nomen a Magdalo Mariæ Magdalenæ castello repetit. Inde enim ejus majores asportasse in Italiam opes non modicas, ac fixisse Aretii domicilium: ex veteri et opulenta stirpe reliquos circa annum Æræ Christianæ millesimum duos extitisse germanos; seniorem hunc bona sua S. Romualdo donasse, alterum valle domicilium locasse, Elsanæ vallis nobili oppido. Ea scriptori narrata ab nobili viro, ejus oppidi indigena, qui se ea stirpe prognatum ferebat, firmabatque dicta vetusti codicis fide aliisque monumentis; quibus nos auctoritatem abrogare haud visis nefas putamus, nec tamen ut credamus facile inducimur.*

*Malduli prosapia nimis repetita:*

12 *Eadem de Malduli majoribus, ac conversione, memorat Silvester Maurolycus in Oceano Religionum. At de mystica illa scala meminere quoque Wion lib. 4 Ligni Vitæ cap. 18 et Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, qui tamen in Sitriæ monte apud Fabrianum vidisse eam S. Romualdum scribit. Silvanus Razzius Maldulo prius aliquoties visam ait, cum ad sacellum in rupe, in qua nunc sacra eremus, ædificatum, precationis gratia cum sodalibus venisset. Quod cum S. Romualdo retulisset, exarsit hic ejusdem spectandæ cupiditate: estque ei sibi quoque oblatum, visum interpretatus, velle Deum* C *ut isthic monachorum habitatio esset. Quare Maldulus locum ei ac silvam subjectaque pascua libens donavit. Ita ille, qui et fatetur, narrari ab aliis, Maldulo ac Romualdo uno tempore eumdem objectum esse visionem. Distare ait Florentia eremum XXX millibus passuum, XX Aretio, abietes altas et densas, quibus undique cincta est, toto anno virere, amœnissima spectacula: septam vallo abiegno eremum, neque eo satis a furibus tutam, qui subinde nocturnæ psalmodiæ tempore cellas vacuas ipsamque sacrorum expilarant. Eamdem porro eremum ac cœnobium, uti et Augustinus, idem accurate describit Silvanus, ac Thomas Minius Florentinus, et F. Lucas Hispanus atque alii.*

*illi quoque visa scala, ante S. Romualdum,*

*aut eodem tempore.*

13 *Alexander* II *Pontifex Maximus in Constitutione* data Lucæ IV Calend. Novembris, pontificatus ipsius anno XII, *(is erat Christi* MLXXII*) ipsum Camaldulensem locum appellat* Campum amabilem, *ita enim* § 1 *loquitur:* Oratorium Sancti Salvatoris in Campo Amabili constructum, et omnes cellas ipsi adhærentes et circumcirca adjacentes, et omnia ad ipsum pertinentia, communi rogatione Fratrum, in tutelam Apostolicæ Sedis et nostram successorumque nostrorum suscipimus defensionem. *Est autem illius Constitutionis titulus:* Approbatio Congregationis monachorum Eremitarum Camaldulensium, alias Campi Amabilis, Ordinis S. Benedicti. *Et ne quis ambigat ipsam Camaldulensem eremum* Campum Amabilem D *esse, jungit ei Pontifex* Fontisboni hospitium: *de quo Hieronymus num.* 64. Post hæc sanctus Pater Romoaldus descendens de dicta eremo duorum milliarium Italicorum spatio, invenit Fontem bonum, ibique unam domum construxit, et unum monachum cum tribus Conversis ibidem ordinavit, pro adventantium hospitum susceptione, atque caritativa refectione; ut præfata Camaldulensis eremus sacra semper sit pacifica et ab omni strepitu seculari remota. In præfato hospitio Fontis-boni ecclesia pulcherrima est constructa. *Eadem* § 2 *Alexander* II *conjungit:* Primo loco, *inquit,* ponimus eremum et oratorium situm in loco qui dicitur Campus Amabilis. Secundo, Hospitium ejus, quod dicitur Fons Bonus.

*Camaldulum Campus Amabilis appellatum a Pontifice,*

14 *Instituta est Leonis* X *Pontificis Maximi tempore, uti ante citatus Silvanus cap.* 18 *et Augustinus lib.* 3 *cap.* 18 *scribunt, a* Paulo Justiniano, *Eremita Camaldulensi, alia Congregatio Eremitarum, qui* Romualdini *appellantur, sive Montis-Coronæ, qui locus in Perusina est diœcesi. Neque hi multum a Camaldulensibus discrepant habitu ac ritibus, nisi quod cucullo minime utuntur, sed pro eo pallium perpetuo gestent. Confirmavit hujus Congregationis a Camaldulensi separationem* E Paulus III, *constitutione lata anno Christi* CIↃIↃXXXIV, *pontificatus sui primo, Idibus Novembris, multaque iis privilegia concessit: uti antea Camaldulensibus concesserat* Leo X, *constitutione data primo anno sui Pontificatus, Christi* CIↃIↃXIII, IV *Nonas julii: in qua illius Ordinis pleraque enumerat monasteria. Exstat Constitutio utraque in magno Bullario.*

*Congregatio* Romualdinorum, *sive* Montis-coronæ.

## § III. *S. Romualdi ætas.*

Q*uotquot fere attigerunt S. Romualdi gesta scriptores, ei vitæ annos* CXX *tribuunt. Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ* CXXV, *solum* XCIII *Petrus Galesinius. At plerique seculo Christianæ Æræ undecimo ineunte mortuum consentiunt: Augustinus Florentinus, Thomas de Minis, Lucas Hispanus, Wion, anno* MXXVII, *Hermannus Greven in addit. ad Usuard.* tempore Henrici Imp. primi. *Idem habet Canisius in Martyrologio, signato tamen ad oram anno* CIↃXXX, *qui erat annus ab obitu Henrici sextus. Eodem anno* CIↃXXX *obiisse scribit S. Antoninus. Petrus de Natal. Benedictus Gononus atque alii, solum habent* CXX *vixisse annos; quando decesserit, silent. Neque adversatur scripta per B. Damianum Vita, nisi (quod mox haud inani conjectura probabimus) interpolata esset, aut perperam descripta. Ita certe quidem nunc habet cap.* 15 *num.* 77 Quod utique valde mirabile fuit, præsertim spirituales viros ex decrepito sene et ultra quam centenario, tam nefarium scelus credere potuisse; cui etiamsi voluntas adesset, natura tamen et frigidus sanguis et ariditas attenuati corporis hoc penitus denegaret. *Et clarius cap. ultimo, num.* 101. Vixit autem vir beatissimus CXX annis, ex quibus XX expendit in seculo, tres duxit in monasterio, XCVII in eremitico transegit proposito.

*S. Romualdus vixisse dicitur 120 annos,*

*etiam in Vita per B. Petrum Damianum,* F

16 *Non probatur illud de* CXX *annorum ætate doctissimo Cardinali Baronio tom.* 11 *ad ann.* 1027 *num.* 13, si habenda sit ratio, *ut inquit,* temporis Sedis Honesti Archiepiscopi Ravennatis, sub quo ipsum Romualdum monasticum habitum induisse, constans est ipsius assertio Petri Damiani. Verum eumdem Honestum sedere cœpisse anno DCCCCLXXI, sedisseque usque ad annum DCCCCLXXXIII, qui prosecutus est locupletius res Ravennates Rubeus, vir insignis, amicus noster, ostendit. Quod si tantum agebat suæ ætatis annum vigesimum cum monasticum induit habitum, ut Petrus Damianus testatur, idque contigit sub Honesto; sane quidem, etiam si velimus eum anno primo Honesti initiatum monastico ordine, usque ad annum

*neque durante Baronio,*

*non vicennis, sub Honesto Ep. an. 971 credatur, monachus sit factus,*

*atque ita deberet vixisse ad an. 1071*

A num millesimum septuagesimum primum eum oportuit pervenisse, ut asseri possit eum CXX annos vixisse. Verum nec Petrus ipse, qui vitam scripsit, superstes tunc erat. Sic igitur ad certiores calculos anni Romualdi sunt revocandi. *Hæc Baronius. Quo anno decesserit B. Petrus Damianus, ad ipsius Vitam* XXIII *Februarii dicemus : at sive anno* MLXXII *ut postea Baronius, sive (ut alii tradunt)* MLXXX ; *non potuere a Romualdi obitu, ad tempus quo Vitam ejus tradidit litteris, tria fere lustra transacta esse, quod ipse in Prologo asserit, si obiit ille anno* CIↃLXXI.

*cum tamen post ann. 1024 ejus non fiat mentio.*

17 *Verum si tamdiu superstes fuit, vegetus tamen semper et ad labores pro Dei gloria impiger, quid caussæ est, cur nusquam ejus post S. Henrici Imp. obitum mentio fiat? Cur difficillimis Ecclesiæ temporibus, non implorata ejus opera a Pontificibus, qui antea illum tanti fecerant ut ultro Parentio revocarent? Cur non ipse sponte sua Imperatores, aliosque Teutonicos Principes, apud quos tanta sub Ottone* III *et Henrico fuerat in veneratione, admonuit ne Ecclesiam Dei perturbarent? An auctoritatem ei an zelum potius dicemus defuisse? utrumvis injuriosum sit vel suspicari de eo, qui etiam Barbaros religionis disseminandæ caussa adiit; et* quasi unus de Seraphin, *homines,* quocumque pergeret,
B sanctæ prædicationis facibus accendebat.

*et Petrus Urseolus 4. ejus conversionis anno Christi 977 vel 978, monachus sit factus.*

18 *F. Lucas, Archangelus Hastivillius et alii, natum fatentur anno* CMVII, *obiisse* MXXVII. *Quando ergo monasticum institutum capessivit? Anno forson* LXIV *aut* LXV *ætatis, Christi* CMLXXI, *Honesti Archiepiscopi primo : qui ergo viginti solum in seculo expendit annos? An* CMXXVII? *Forsan ne natus tunc quidem erat* Honestus, *quo suffragante in Classense cœnobium admissus est. Quid, quod* Petrum Urseolum, *qui quarto circiter a Romualdi conversione anno monachus est factus, omnes Historici tradunt circiter annum* CMLXXVII *vel* CMLXXVIII, *Ducis sese munere abdicasse? Neque vero citius multo id potuit, cum ejus decessor Petrus Candianus, sororius extiterit Hugonis Magni Marchionis, qui adhuc anno* MI *Ottoni Imperatori contro Romani populi tumultum præsidio fuit eoque anno obiit. Ipse Hieronymus Pragensis cap. 2 num. 6 scribit,* XX *annis post conversionem Classensi abbatiæ præfectum. Atqui id contigit anno* CMXCVI, *Ottonis* III *nutu, non secundi, ut ipse existimat, perperam intellectis B. Petri Damiani verbis, qui id* juniore Ottone *annuente factum scribit, quod de tertio accipiendum, qui admodum adolescens regni habenas suscepit.*

*ipse 20 annis post conversionem, Chr. 996, Abbas Classensis.*

*vitiati in Vita numeri.*

19 *Quid ergo de B. Petri Damiani calculo dicemus? Vitiatos facillimo errore numeros : nam cum scripsisset,*
C vixisse virum beatissimum LXX annis, XX expendisse in seculo, III duxisse in monasterio, XLVII in eremitico transegisse proposito; *scriba quisquam pro* L *littera minus fortassis accurate expressa* C *legit, scripsitque* CXX *pro* LXX, *et* XCVII *pro* XLVII. *Ac consequenter quod num. 77 erat* ultra quam quinquagenario, *forte simili compendio formatum* L.^no^ *vel legi* C.^no^ *vel consulto, ut cum sequentibus congrueret, ita restituit. Et vero quis ita loquetur ut* ultra quam centenario, vergere jam in senectutem, *ut num. 80 habetur, sive in senium declinare ætatem dicat?*

## § IV. S. Romualdi natalis, Translatio, anniversaria celebritas.

*S. Romualdi canonizatio,*

Constat, *inquit loco antea citato Baronius, Romualdum* in Sanctorum numerum adscriptum quinquennio post ejus obitum, eo tantum ritu, qui tunc erat in usu, nempe ut petentibus concederet Apostolica Sedes super corpus ejus altare construere. *Quod nimirum Petrus Damianus cap. ultimo. num. 105 testatur. Inscriptum inde Martyrologio nomen ad* XIX *Junii, primum Bellini de Padua ann.* MCCCCXCVIII *Venetiis cuso, et Molani, his verbis :* Item S. Romoaldi Confessoris. *Franc. Maurolycus, et in addit. ad Usuardum Her-*

*natalis 19 Junii,*



*mannus Greven, ita habent :* Item S. Romoaldi Camaldulensium monachorum Patris, tempore Ottonis III. *At modernum Romanum :* Ravennæ S. Romualdi anachoretæ, monachorum Camaldulensium Patris, qui collapsam in Italia eremiticam disciplinam restituit, ac mirifice propagavit. *Eadem habent Wion et Hugo Menardus. Canisius et Galesinius prolixius elogium texunt.* D



*Translatio prima annis 5 post mortem,*

21 *Silvester Maurolycus S. Romualdi corpus scribit quinquennio post mortem, quando (ut habet B. Petrus Damianus)* sanum illibatumque *repertum est, intra marmoream tumbam conditum, multis nobilitatum exinde miraculis. Eam tumbam* CCCCXL *post annis apertam : qua de re infra post secundam Vitam, ex Silvano Razzio referemus. Consignat eam tumbæ aperitionem Wion, atque ex eo Menardus,* XXII *Novembris (postridie Ferrarius) his verbis :* In cœnobio Vallis de Castro, Reseratio corporis *S.* Romualdi Ab. fundatoris monachorum Camaldulensium.

*tumbæ apertio 22 Novembr. 1466*

*Reliquiæ delatæ Æsium,*

22 *Sub annum deinde* MCCCCLXXX *furtim Æsium delatæ cœlestes exuviæ. Est* Æsium, *sive* Æsis, *vulgo* Iesi, *ad Æsim flumen sita urbs, olim Romana colonia, nomen a fluvio mutuata, hic (si qua poetis fides) ab* Æsi *Rege Piceni. Coacti eas restituere Æsini, os tamen brachii obtinuerunt, quod summa ad hanc diem religione venerantur.*

*osse ibi retento, redditæ monachis,*

23 *Non potuit tamen ad Vallem Castri revehi corpus reliquum, mulo, qui illud bajulabat, ultro tendente* Fabrianum, *quantoris conatu monachi obniterentur. Illatæ ergo solenniter Fabrianum* VII *Februarii anno* MCCCCLXXXI. *Est porro* Fabrianum, *in Marchia Anconitana, inter* Matilicam *et* Sentini *ruinas, sub ipsis Apennini collibus,* honestissimum oppidum, *uti Leander scribit,* nobilitate ac magnificentia ædificiorum, primis Italiæ castellis vulgi dicto collatum, quo Crema Lombardiæ Pratum Tusciæ, Barulum Apuliæ, Fabrianum Marchiæ celebrantur.... Nominis etymon a Fabro Jano quidam esse tradiderunt, et in argumentum adferunt ipsius castelli symbolum, quod Jani imago est manu malleum tenentis, uti subjectæ incudi impressuri... Oppidum est laute ædificatum, colonisque frequens, majori ex parte opificibus chartarum, quæ hic laudatissimæ fiunt, tantaque copia, ut plurimis Italiæ regionibus atque Constantinopoli, et aliis insuper orbis partibus sufficiant. E

*sed miraculose avectæ Fabrianum*

*illustre oppidum :*

24 *Est ea S. Romualdi Translatio secundo Martyrologiis inscripta, ad* XXVIII *Decembris et* VII *Februarii. Et illo quidem die Eugenius Dorganius ista habet in Kalendario Benedictino :* Translatio S. Romualdi Abbatis. *Wion :* In cœnobio Vallis de Castro Translatio S. Romualdi Abbatis, et Ordinis Camaldulensis fundatoris. *Ferrarius in generali Catalogo SS.* Apud Fabrianum in Piceno Translatio S. Romualdi Ab. *In Catalogo autem SS. Italiæ ita scribit ad eumdem diem* XXVIII *Decembris :* Translatio corporis S. Romualdi Abbatis, quod furtim Æsium delatum fuerat. Circa hos dies anno Domini MCCCCLXXXI, Sixto IV Pontifice actitata, resistentibus Æsinis quo minus restitueretur, tandem VII Idus Februarii absoluta est, eo Fabrianum, oppidum maximum et clarissimum Piceni, asportato, atque in æde S. Blasii honorificentissime collocato, cum hujusmodi inscriptione marmorea : DIVO ROMVALDO CAMALDVLENSIS ORD. AVCTORI MVLTA REIP. IMPENSA AB ÆSINIS RESTITVTO S. P. Q. F. SIXTO PONT. IV S. D. P. DICAVIT MCCCCLXXXII. F

*hujus Translationis memoria 28 Decemb.*

25 *Anniversaria memoria illius Translationis, Pontificia sanctione, per universam Ecclesiam celebratur ad* VII *Februarii, quo die isto leguntur in Martyrologio Romano :* S. Romualdi Abbatis, monachorum Camaldulensium Patris, cujus dies natalis agitur tertiodecimo Kalend. Julias. *Wion vero et Menardus :* Fabriani Translatio S. Romualdi Ab. institutoris Ord. Camaldulensis. *Refert illum eodem die Dorganius, et, quia in Galliis annos complures habitavit, Andreas Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani.*

*et 7 Februarii.*

AUCTORE I. B.

A *Ferrarius* VII *Februarii ista scribit, parum congruentia iis quæ jam ex illo retulimus :* Cujus corpus, quinquennio postquam sepultum fuerat integrum repertum, Fabriani in ecclesia sui Ordinis honorifice conditum fuit. *Imo* CCCCLIII, *aut* LIV *annis, postquam in Valle-Castri anno* MXXVII *tumulatum fuerat, juxta ipsiusmet Ferrarii antea indicatum calculum, translatum est Fabrianum. Meminit Translationis Baronius in Not. ad Martyrologium* XIX *Junii, atque se ejus historiam MS habuisse.*

*os brachii allatum Camaldulum,*

26 *Alia deinde facta Translatio, non totius corporis, sed ossis e dextro brachio, quod Fabriano ad Camaldulensem Eremum detulit Paulus Justinianus Institutor Congregationis Montis-Coronæ, de qua antea actum. Os illud in ecclesia Eremi, uti Silvanus in descriptione Eremi cap. 4 tradit, ad latus altaris intra tabernaculum marmoreum asservatur in theca argentea ad brachii figuram efformata. In eodem altari custoditur, ut venerabile Sancti Patris monumentum, ejus expositio in Psalmos, de qua infra mentio fit aut pars illius potissima. Apertionis, de qua diximus, ac geminæ Translationis historiam, infra post secundam Vitam, ex Silvano recitabimus.*

*et honorifice habitum.*

27 *Cum autem inde a quinto post S. Romualdi obitum*
B *anno, quo annuente Pontifice ædificatum supra illius corpus erat altare, festum* XIX *Junii a solis Camaldulensibus, ac perpaucis aliis, eodem Silvano teste, celebraretur, decrevit tandem Clemens* VIII, *ut ab omnibus* VII *Februarii, qui dies est secundæ Translationis, natalis illius celebraretur. Caussa mutationis fuit, uti auctor est Gavantus Comment. in Rubric. Breviarii sect. 7 cap. 4, quod dies* XIX *Junii* impeditus sit festo SS. Gervasii et Protasii, quorum Missa non erat expungenda de Missali, quæ habet Introitum proprium, LOQUETUR DOMINUS PACEM *etc. compositum (ut idem alibi habet Gavantus) a S. Gregorio, quia eo die facta pax erat Romanos inter et Longobardos. Agitur autem S. Romualdi festum nunc ritu semiduplici, cum primitus ut ageretur decreverit Clemens* VIII, *constitutione data Romæ die* IX *Julii* MDXCV, *pontificatus sui anno* V. *Quam infra post Translationes recitabimus, quia insigne S. Romualdi encomium continet.*

*festum S. Romualdi 7 Febr. a Clem. VIII institutum :*

*cur non 19 Junii?*

# VITA

## Auctore B. Petro Damiano.

## PROLOGUS AUCTORIS.

C **A**dversum te prorsus, immunde munde, conquerimur, quia habes intolerabilem stultorum sapientium turbam, tibi facundam, Deo mutam. Habes qui per vanam eloquentiam, et inanem philosophiam, se sciunt in superbiæ cornibus arroganter extollere : non habes, qui profuturum aliquid ædificationi proximorum, ad posterorum velit memoriam schedulis adnotare. Habes, inquam, qui in prætoriis Judicum, negotiorum secularium lites et caussarum jurgia continuis valeant declamationibus perorare : non autem habes, qui possit in sancta Ecclesia vel unius Sanctorum virtutes et clara gesta describere. Sapientes siquidem sunt, ut faciant mala ; bona autem facere nesciunt. Ecce enim tria jam fere lustra transacta sunt, ex quo B. Romualdus, deposito carnis onere, ad ætherea regna migravit : et nemo adhuc ex hujusmodi sapientibus extitit, qui de tot mirabilis vitæ ejus præconiis pauca saltem historico stylo digereret, et avidissimæ devotioni fidelium satisfaciens, ad communem utilitatem recitanda sanctæ Ecclesiæ tradidisset. Nobis autem, in angusto cellulæ angulo residentibus, utilius erat, sicut proposuimus, propria peccata ad mentis oculos assidue revocare, quam alienæ virtutis historiam texere : magis expediret commissi reatus tenebras plangere, quam splendida sanctitatis insignia imperitis sermonibus offuscare. D Verumtamen, cum ad sepulcrum ejus ex longinquis terrarum partibus, toto anno, maximeque in ejus festivitate, fidelium multitudo conveniat, miracula per eum divinitus facta conspiciat, audire vitæ ejus historiam desiderabiliter quærat, sed, (utpote quæ non sit) audire non valeat; non irrationabiliter pertimescimus, ne celeberrima ejus fama, quæ adhuc populi totius ore depromitur, labente curriculo temporum, de memoria hominum penitus deleatur. Qua propter hoc timore compulsus, multorumque Fratrum precibus, et germana caritate devinctus, quod de prædicto mirabili viro ab egregiis ejus discipulis didici, aggrediar, Deo auctore, describere, vitæque ejus initium, cursum et finem, nimirum imperitus homo, non historiam texens, sed quoddam quasi breve commonitorium faciens, quibuscumque tentabo litterarum apicibus exarare.

*Vitam S. Romualdi,*

*aliis negligentibus 15 a morte ejus annis,*

*multis e longinquo ad ejus sepulchrum venientibus,*

2 Hoc autem unum in primis lectorem meum nosse desidero, quia non multa per eum facta miracula in hac ego descriptiuncula colligam, sed potius (quod ad ædificationem omnimodis attinet) conversationis ejus ordinem referre contendam. Beatus siquidem vir intantum se humilitatis tegmine a vento vanæ gloriæ custodivit, quod, undecumque humanis oculis E videri mirabilis potuit, studiosissima occultatione suppressit. Quæ tamen miracula etiamsi minime fecisset, mirabilem vitam ducens, minori veneratione dignus non esset. Neque enim Præcursor Domini fecisse miracula legitur, quo majorem nullum inter natos mulierum surrexisse Veritas ipsa testatur. Nonnulli enim Deo se deferre existimant, si in extollendis Sanctorum virtutibus mendacium fingant. Hi nimirum ignorantes Deum nostro non egere mendacio, relicta veritate, quæ ipse est, falsitatis ei putant se placere posse commento. Quos bene Jeremias redarguit, dicens : Docuerunt linguas suas loqui mendacium, ut inique agerent, laboraverunt. Qui enim ultro oblatam simplicem veritatem referre facile poterant, in componendis quæ nesciunt, casso labore desudant. Et quo se pro Deo stare quasi adjutores autumant, eo ut revera falsi testes, contra Deum pertinaciter pugnant; Apostolo Corinthiis attestante, qui ait : Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra. Deinde subjungit : Invenimur falsi testes Dei, quoniam diximus testimonium adversus Deum, qui suscitaverit Christum, quem non suscitavit. Sed quia necessitate ad scribendum coacti, velut commoti, ista præmisimus; F jam precibus ejus, de quo loquimur, Deo opitulante, ad narrationis ordinem veniamus.

*scribere aggreditur. B. Petrus Damianus,*

*non miracula, ob eo occultata.* Matth. 11

Jerem. 9, 5

1 Cor. 15 14

## CAPUT I.

### *S. Romualdi a vita seculari ad monachicum conversio.*

**R**omualdus igitur Ravennæ civitatis oriundus, ex illustrissima Ducum fuit stirpe *a* progenitus. Qui cum jam in adolescentiam pervenisset, cœpit in peccato carnis proclivis existere, quo videlicet vitio illa ætas impugnare homines, præsertim divites, vehementius solet. Mente tamen Deo devotus, frequenter se tentabat erigere, facturumque se magnum aliquid proponebat. Nam et si quando se ad studium venerationis accingeret, ubicumque per silvas amœnum locum reperire poterat, mox se ad eremi desiderium ejus animus accendebat, dicens intra se : O quam bene poterant eremitæ in his nemorum recessibus habitare : quam congrue possent hic ab omni secularis strepitus perturbatione quiescere ! *b* Et ita mens ejus cœlitus inspirata jam divinabatur in amore, quod impleturus erat postmodum opere.

*a*

*Romualdus carni deditus,*

*pius tamen,*

*b*

4 Huic erat pater, nomine Sergius, mundo vehementer

A menter intentus, et omnino secularibus negotiis implicatus : qui dum adversus quemdam propinquum suum exortis simultatibus pro possessione prati inimicitias exerceret, videns filium suum Romualdum in contentione mollescere, crimenque fratricidii medullitus formidare, minari cœpit exhæredem facere, si in eadem diutius sententia permaneret. Quid plura? Tandem utræque inimicantium partes ex urbe ad litis materiam proruunt, arma corripiunt, bellum sociale committunt : et dum cominus hinc inde pugnatur, repente manu Sergii inimicus et affinis occiditur. Romualdus autem, licet nullum perempto vulnus inflixerit, quia tamen *c* interfuit, pœnitentiam tanti reatus accepit : moxque ad *d* Classense monasterium *e* B. Appollinaris, more homicidarum, diebus quadraginta permansurus in luctibus, properavit.

*cæde a patre facta,*

*c in cœnobio 40 diebus pœnitentiam agit :*

*d*

*e*

5 Illic autem districta se pœnitentia jugiter macerans, cœpit cum quodam Converso quotidianum habere colloquium, a quo etiam, juxta mediocritatem sensus, bonæ exhortationis audiebat sæpe consilium. Quem cum Conversus frequenter admoneret, secularem vitam omnino postponere, et ad sanctæ conversationis ordinem festinare, sed ad hoc mentem ejus humiliare nullatenus posset; B aliquando inter cetera velut gratulabundus intulit, dicens : Si tibi ego B. Apollinarem corporali specie, ita ut eum manifeste videre possis, ostendero, quid a te præmii reportabo? Ad hæc Romualdus, Firma, inquit, et inviolabili me obligatione constringo, quia mox, ut beatum Martyrem videro, apud seculum ulterius non manebo. Hortatur ergo Conversus, ut ipsa nocte Romualdus dormire postponeret, et una secum intra ecclesiam in orationibus vigilaret. Cumque nocturno silentio longanimiter ambo in oratione persisterent, ecce circa gallicinium noctis B. Apollinaris, his duobus manifeste videntibus, exiit de sub altari, quod in medio ecclesiæ ad honorem beatæ Virginis Mariæ cernitur esse constructum. Visus est autem exire ab orientali parte, illinc videlicet, ubi marmor porphyreticum jacet. Confestim vero tantus splendor totam replevit ecclesiam, ac si sol fulgoris sui radios intra ipsos parietes cohiberet. Tunc beatissimus Martyr sacerdotalibus infulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta ecclesiæ incensavit altaria : et hoc facto, statim unde exierat rediit, et mox omnis ille splendor prosequens apparere cessavit. Cœpit itaque Conversus Romualdo, durus nimirum exactor, C vehementer insistere, et, ut impleret quod ultro promiserat, anxie postulare. Cumque Romualdus adhuc resisteret, et eamdem visionem cernere denuo flagitaret; alia nocte similiter in oratione persistunt, et beatum Martyrem per omnia, sicut prius, adspiciunt. Unde etiam postmodum, si de corpore prædicti Martyris aliquando quæstio oriretur, Romualdus penitus affirmabat, in ipsa ecclesia esse reconditum : et quamdiu vir sanctus vixit, hoc proferre testimonium non cessavit.

*excitatur ad seculum descrendum :*

*videt S. Apollinarem e tumulo prodire,*

*idque secundo :*

6 Habebat quoque Romualdus consuetudinem, ante præcipuum altare ecclesiæ orationi frequenter incumbere, ibique postquam Fratres abscederent, multis Deum satagebat gemitibus exorare. Dumque hoc quadam die post visionem attentius faceret, tanto mox divini amoris igne mentem illius Spiritus sanctus ascendit, ut in fletum repente prorumperet, uberes lacrymarum rivos restringere non valeret, monachorum se pedibus prostratus advolveret, tradi sibi monachicum habitum inenarrabili desiderio flagitaret. Monachi vero dum patris ejus duritiam metuunt, conversioni illius aditum pandere non præsumunt. *f* Honestus autem, qui tunc Ravennæ Archiepiscopalem Cathedram obtinebat, olim Classensis cœnobii Abbas extiterat. Hunc ergo Romualdus D impiger adiit, eique omne sui cordis desiderium patefecit. Qui alacer factus, castæ concupiscentiæ exhortationis stimulos addidit, Fratribusque ut eum suo collegio incunctanter asciscerent, imperavit. Hujus itaque patrocinio cœnobitæ suffulti, Romualdum intrepida securitate suscipiunt, eique sanctæ conversationis habitum tradunt.

*petit habitum religiosum*

*f*

AUCTORE B. PETRO DAMIANO.

*et Episcopi commendatione obtinet :*

a *Alii* Saxorum *familia ortum scribunt, quæ ab Grimoaldo, Duce Beneventano dein Longobardorum Rege suum repetit genus; ut videre est apud Augustinum, Florentinum Silvanum, Bazzium etc.* — b *Addit Silvester Maurolicus, illi* duos aut tres dies horrere solitum. — c *Maurolicus ait,* casu adfuisse *una cum patre, ut ne ipsi quidem patri crimen videatur adscribere.* — d *Hujus monasterii sæpius infra fiet mentio. Actum de* Classe *oppido* 31 *Januarii, ad Vitam S.* Geminiani *Ep. Mutinensis cap.* 4 *num.* 18 *litt. h et* 1 *Februarii in Vita* S. Severi *Ep. Ravenn.* — e *Colitur* S. Apollinaris *Ravennatum Apostolus* 23 *Julii.* — f Honestus *an.* 971 *vel* 970, *Petro a ultro cedenti suffectus, obiit an.* 983. *Actum de eo supra.*

## CAPUT II.

### *S. Romualdi vitæ ereméticæ tirocinium sub Marino : mox magisterium. Petri Urseoli Ducis Venetiarum conversio.*

In eo igitur monasterio triennium fere transegit. Sed cum ibi cerneret nonnullos per lata gradientes, remissius vivere, sibi autem arduam perfectionis se- E mitam, quam mens dictabat, arripere non licere; quid sibi agendum esset, sollicite in semetipso cœpit inquirere, multisque cogebatur cogitationum fluctibus æstuare. Præsumebat autem leviter conversantium vitam dure corripere, et sæpe ad eorum confusionem præcepta Regulæ in testimonium convocare. Cumque in redarguendis eorum vitiis vehementer insisteret, illi autem junioris et novitii verba pro nihilo deputarent; tandem hoc opprobrium non ferentes, dum propriam emendare vitam despiciunt, de corripientis morte tractare cœperunt. Solebat denique Romualdus per noctem ceteris Fratribus maturius surgere, et si oratorii adhuc janua clausa esset, intra ipsum dormitorium in orationibus excubare. Erat autem prædictum ædificium more solarii alte ædificatum. Hoc itaque invenerunt filii Cain, diabolo dictante, consilium, ut dum Romualdus ante alios solito more consurgeret, ipsi eum per solarii speculam, verso deorsum capite, in terram præcipitarent. Quæ res postquam Romualdo per conscium conspirationis innotuit, ille jam de cetero intra cordis cubiculum, clauso oris ostio, orans Patrem suum, imminens periculum devitavit. Hoc itaque modo dum sibi cavit præcipitium corporis, Fratribus, ne F in animarum mortem corruerent, barathrum clausit iniquitatis.

*monachos negligentes increpans,*

*necis periculum incurrit*

8 Cumque in ejus animo perfectionis amor magis ac magis in dies cresceret, nullamque mens ejus requiem inveniret, audivit quia in Venetiarum partibus quidam spiritualis vir esset, *a* Marinus nomine, qui ereméticam duceret vitam. Consensu itaque ab Abbate et Fratribus nimirum facillime impetrato, ad prædictum venerabilem virum navigio discurrente pervenit, et sub illius regimine degere humillima mentis devotione instituit. Erat autem Marinus inter ceteras virtutes, vir simplicis animi, sincerissimæ admodum puritatis, nullo quidem magisterio ereméticæ conversationis edoctus, sed ad hanc solummodo bonæ voluntatis impulsu fuerat incitatus. Porro autem hunc vivendi morem habebat, ut per continuum anni circulum tribus in hebdomada feriis mediam panis buccellam, et pusillum fabæ gustaret : tribus vero vinum et pulmentum discreta sobrietate perciperet. Psalterium quidem per dies singulos totum canebat. Sed nimium rudis, et nullatenus ordine vitæ singularis instructus, sicut ipse postmodum B. Romualdus hilariter referebat, plerumque de cella exiens, una cum discipulo passim per latitudinem eremi

*a*

*post 3 annos abit ad Marinum Eremitam*

*abstemium, sed rudem,*

*AUCTORE B. PETRO DAMIANO.*

A eremi psallendo spatiabatur, nunc sub ista arbore vicenos, nunc sub illa tricenos, vel quadragenos concinens psalmos. Romualdus autem, quia seculum idiota reliquerat, aperto psalterio, vix suorum versuum notas syllabatim explicare valebat: et hæc oculorum in ima defixio, intolerabilem sibi importunitatem acediæ generabat. Marinus vero virgam in dextera gerens, Romualdo e diverso sedenti, sinistram capitis partem sæpissime verberabat. Post multa autem Romualdus gravi admodum necessitate compulsus, humiliter ait: Magister, si placet, a dextro me deinceps tempore percute, quia jam lævæ auris auditum funditus perdo. Tunc ille tantam ejus patientiam admiratus, indiscretæ severitatis temperat disciplinam.

*et in discipulo castigando severum.*

9 Eodem vero tempore Petrus, cognomine Urseolus Dalmatici Ducatus gubernabat habenas. Qui videlicet ad hujus fastigium dignitatis ascendere idcirco meruerat, quia decessoris sui, *b* Vitalis scilicet Candiani, peremptoribus fautor extiterat. Cur autem ille a suis extinctus sit, non abs re esse arbitror, si servatæ compendio brevitatis exponam. In conjugium namque germanam *c* Hugonis Magni illius Marchionis acceperat, et æmulatione leviri suadente, multos ex Longobardiæ et Tusciarum partibus milites, prodigatis pecuniarum stipendiis, acquirebat. Hoc autem Venetiarum incolæ non ferentes clam iniere consilium, ut repentino impetu Ducis palatium armati violenter irrumperent, eumque cum omni domo sua in ore gladii absque ulla retractatione necarent. Hujus denique conventiculæ conjuratione comperta, Vitalis Dux nocturnis diurnisque vallatus excubiis, hostiles insidias ad nihilum redigebat. Illis autem hæc et illa tentantibus, sed ad inceptæ factionis effectum attingere non valentibus, tandem visum est, ut domum Petri, quæ Ducis palatio adjacebat contigua, prius incenderent, istoque modo et Ducem caperent, et universa ejus domestica concremarent. Istius vero rei experiendæ consensum a Petro, qui eorum consilii particeps fuerat, flagitantes, hujus tandem mercedis fœdere *d* pacti sunt, ut pro una ejus domo, quam igne consumerent, totam illius ditioni Venetiam subderent, et deleto illo, quem exosum habebant, Ducem hunc loco ejus protinus subrogarent. Hoc igitur modo Petrus Dalmatici regni adeptus est principatum, qui postmodum ambitionis suæ jam voluptate potitus, respectu Divinæ gratiæ donum corde compunctus

*b Petrum Urseolum a Vitalis Candiani nece*

*c*

B

*d Venetorum Ducem a conjuratis fortum, dein compunctum,*

C est.

10 Quidam autem venerabilis Abbas, Guarinus nomine, *e* ex ulterioris Galliæ finibus, orationis gratia, per diversas mundi regiones peregrinari solitus erat. Hic quoque ad Ducem veniens, ab eo protinus, ut sibi ad evadendum tanti reatus periculum consultum præberet, exactus est. Accersitis igitur Marino et Romualdo, hoc sibi communi jubetur sententia, ut seculum simul cum ipso, quæ per nefas invaserat, Ducatu relinqueret, et quia ad alienæ dominationis arcem injuste proruperat, ipse se alienæ potestatis dominio subjugaret. Ille autem, homo nimirum in potestate positus, quia conversionem suam manifeste facere ausus non est, tutum putavit hoc utendum esse consilio. Imminente igitur festivitate sancti cujusdam Martyris, ex cujus vocabulo basilicam in propria possessione adhuc privatus habuerat, ille pridie *f* uxorem suam præmisit, ipse quasi mox secuturus, hoc ei præcipiens, ut et ornatum ecclesiæ accuratissimum provideret, et secum venientibus sumptuosas epularum delicias in crastinum præpararet. Ipse autem post conjugem remanens, his de suis thesauris, quæ sibi videbantur, ablatis, cum quodam suo familiari, *g* Joanne scilicet Gradenico, qui præfatæ conjurationis conscius fuerat, et cum

*e*

*Ducatu et seculo, atque uxore relictis,*

*f*

*g*

*ipse, et Marinus Guarinusque mona-*

tribus illis beatis viris, quos præposuimus, navem ascendit, deinde in Galliam ad monasterium Abbatis Guarini magnus Conversus aufugit.

D

*chum in Gallia faciunt:*

11 Petro igitur et Joanne monachis in *h* S. Michaelis cœnobio factis, Marinus et Romualdus non longe a monasterio degentes, ad singularem vitam, cui adsueti fuerant, revertuntur. Quibus etiam ipsi jam dicti Fratres, peracto vix annuo spatio, ad perferendam ejusdem solitudinis districtionem, aggregati sunt. Interea Romualdus accenso mentis desiderio, cœpit de virtutibus in virtutes mirabiliter crescere, et reliquos Fratres sanctæ conversationis gressibus longius anteire, ut jam, quicquid inter Fratres sive de spiritualibus, sive etiam de corporalibus ipse decerneret, cunctis volentibus, ejus omnino sententia prævaleret. Ipse quoque Marinus gaudebat Romualdo esse devotus, cui nuper fuerat ipse prælatus. Per continuum quippe annum Romualdus nihil aliud in cibum habuit, nisi tantum per singulos dies ex uno pugillo cocti ciceris vixit. Tribus vero annis ipse et Joannes Gradenicus, sarculis terram frangentes, et triticum seminantes, ex manuum suarum labore vixerunt. Qui nimirum dum agriculturam exercebant, pondus jejunii duplicabant.

*g*

*redeunt in eremum, ubi Romualdus aliis præest: terram colit, et parce vivit.*

E

a Marinum *Augustinus Florentinus, Razzius, Minius, Wion, Hastivillius in Catalogo Beatorum Ordinis Camaldulensis recensent. Ferrarius 8 Augusti* Sanctum et Martyrem *indigitat. Et sane infra num. 23 dicitur* Apuliam versus abiisse, ibique postmodum in solitudine habitans, ab Agarenis latrunculis esse interfectum. *Lucas Hispanus et Hastivillius scribunt, cum ad eum venit Romualdus,* in paludibus Venetiarum solitarium degisse. *Sigonius lib. 7 de regno Italiæ, Barcinonensem eum fuisse ait. Augustinus ait 40 annis cum eo in Veneta ditione habitasse Romualdum, nempe ut 120 vitæ annos repleat. M. b. Petrus Damianus num. 9 scribit* eodem tempore *(quo nempe sub Marini disciplina se tirocinium ponebat,)* Petrum Urseolum Ducatus gubernasse habenas. — b *Sabellicus Decadis 1 lib. 3, Sigonius de regno Italiæ lib. 7, Petrus Justinianus hist. Venetæ lib. 1 non* Vitalem Candianum, *sed* Petrum *ejus fratrem, tyrannidis consilia agitantem, a furente populo interfectum scribunt.* Vitalem *autem* Petro Urseolo, *monasticam vitam amplexo, subrogatum. Franciscus Modestus Venetiados lib.* 2 Petrum Candianum *(quem versus necessitate* Cadianum, *vocat) occisum a populo scribit, sed* Vitalem *illum regimen suscepisse, ultro dein abdicasse, vix anno transacto, morbo invalidum, ubi vires recuperavit,* reliquum *tamen* vitæ Divinis addicasse. *Non filius hic Petri IV, sed frater fuit, quamquam et* Vitalis *Petro filius fuit, quem pater, (ut Sabellicus ait)* Joanna *matre repudiata,* initiatum specie religionis abdicavit; *sed postea* Gradensis Ecclesiæ Antistes fuit. — c *Hanc Sabellicus et Justinianus* Walderam *appellant, Panna in histor. Atestina* Valderiam, *Sigonius* Valdradam. Hugo *vero (ut scribit B. Petrus Damianus, opusculo 57, dissert. 2 de Principis officio ad Gothifredum Marchionem cap. 3)* obtinuit utramque Marchiam, et quam Tyrrhenum videlicet, et quam mare Adriaticum alluit: sed cum perpenderet, quia propter improbitatem injuste viventium, strenue regere utramque non posset, ultroneæ renuntiationis arbitrio, cessit Imperatori Marchiam Camerini cum Spoletano Ducatu; juri vero proprio Tusciam reservavit. ... Obertus Marchio, pater ejus, Hugonis Regis naturalis filius extitit: qui nimirum Guillam majoris Bonifacii Marchionis filiam conjugali sibi fœdere copulavit. *et cap. 5,* Hugo Marchio 50 annis vixit. *Obiit autem paullo ante Ottonem III, nempe 21 Decembris, an.* 1001. *De quo fuse Baronius ad an. 1002. Ejusdem mentio fit infra cap. 5 num. 27.* — d *Vitalem hunc Sabellicus et Sigonius, motu abtrusam fuisse cum dignitatem, forte veritus invidiam est, tum cædis modo exemplo a plebe, ipso consentiente, admissæ; tum incendio basilicæ S. Marci, et domorum propinquarum quas flammæ, ardente Ducali palatio longius sparsæ, absumpserant. Dux tamen creatus palatium et basilicam,* privato sumptu, *et quidem* aliquanto majore, *quam antea, apparatu restauravit, uti dec. 1 lib. 4 Sabellicus, et Justinianus scribunt: sed ille opus utrumque ab ejus filio absolutum ait.* — e *Sabellicus* genere Aquitanum *ait fuisse, et* Venetias peregre appulisse, ut Divi Marci corpus inviseret. *Petrus de Natal. scribit* de terra sancta ad Gallias redeuntem *Venetias divertisse. Eum Urseolus hospitio suscepit, ut habet Justinianus, qui* Guerrinum *appellat.* — f Felicia *et nomen fuit. Sed qui decere mariam et unicum potuit? Severit non maritam Urseo enim ex ea suscepto filio, de quo infra,* uterque perpetuam Deo vovit castitatem, *inquiunt Sabellicus et Justinianus,* incorruptoque *(ut hic addit)* valedictis rebus humanis, animo, cœlestium honorum solum contemplatione gaudebat. *Plura utrique scriptor de Urseoli virtute narrat. Ut ex vero, falsum igitur quod Wion et Justinianus ex quadam inscriptione retulit, Gradenicum et Mauroccenum Urseoli generis fuisse.* — g Joannem Gradenicum *vocat Sabellicus, alterumque socium adjungit* Joannem Mauroccenum; *sed hunc ait postea Venetias reversum unum ubi Memo Duce cœnobium Benedictinum condidisse.* — h *Hoc esse suspicor monasterium* S. Michaelis in eremo, *vel ad* Eremum, *vulgo* en l'Erm, *aut en l'Er, quod* Eldus *sive* Ebalo, *Episcopus Lemovicensis, frater* Guillelmi *Ducis Aquitaniæ, agnomine Capitis stupæ, paullo ante restauravit, ut eadem de sepultus ubi Joannes Besleus in historia Comitum Pictaven. et Ducum Aquitaniæ ex celeribus monumentis tradit. Est in inferiori, seu maritimo Pictonum diœcesis, in præditis elarum ob aliam, Ordinis Benedictini, dum Lucionensis. Archangelus Hastivillius* monasterium S. Michaelis, *in quo religiose vitæ tirocinium posuisse Urseolo, putavit esse* quod in monte Tumba *vocatur, in Normannia situm, sive in periculo*

*S. Marinus M.*

*Petrus et Vitalis Candiani Duces Venetorum*

*Hugo Marchio Etruriæ*

F

*Pet. Urseoli Ducis opera.*

*Felicia Urseoli uxor*

*Urseolus in monasterio S. Michaelis de Eremo monachus factus, non in monte Tumba,*

A riculo maris; *ipse* in terriculo *habet, incuria typographi. At Franciscus Maurolycus cœnobium illud in Gasconia locat. Arnoldus Wion Ligni Vitæ lib.* 3 *ad* 11 *Januarii eumque secutus Hugo Menardus* Urseolum *obiisse scribunt*, in Vasconia monasterio S. Michaelis de Cusano. *Citat Wion inscriptionem an.* 1572 *positam Venetiis præ foribus xenodochii in privatis Urseoli ædibus constituti, et volumen quoddam Italicum de rebus Venetis. Utrobique*, in monasterio S. Michaelis de Cusano *factus esse monachus dicitur. Wion* in Vasconia *addidit. Inscriptionis auctorem, scriptoremque Italici voluminis, illud fefellit, quod legissent* Cusanum S. Michaelis monasterium; *quod tamen non in Vasconia, sed in Catalania situm, ut* 5 *Januarii diximus, cum de* S. Flamidiano *ageremus. At non ibi Urseolus et Romualdus vixere: qui enim aliquin hic cap.* 4 *num.* 21 ex intimis Galliarum finibus *Ravennam venisse diceretur; et cap.* 2 *num.* 10 *Guarinus Venetus* ex ulterioris Galliæ finibus? *Optime Saussaius*, in Aquitania *vixisse Urseolum tradit in Martyrol. Gallicano ad* 11 *Januarii, ubi ejus natalem consignat, ut infra ad cap.* 4 *litt. b dicemus.*

*vel in Cusano apud Catalanos.*

## CAPUT III.

### *S. Romualdi tentationes, vitæ austeritas, miracula.*

Impugnabat tamen diabolus Romualdum multis et variis tentationum immissionibus, maxime initio conversionis, mentemque ejus per multa vitiorum incentiva raptabat, modo illi in memoriam revocans, quæ et quanta, utputa vir strenuus, in seculo acquirere potuit; modo quæ ingratis propinquis necdum post se concupiscibiliter hæreditanda reliquit;

*tentationes varias patitur,*

B modo parva nimis et nullius meriti esse, quæ faceret, accusabat: modo tanti laboris horrorem incutiens, longæ vitæ spatium promittebat. O quam sæpe cellulam ejus percutiens, eum, cum adhuc vix obdormisceret, excitavit, et quasi jamjam imminente crepusculo, per totam noctem vigilando deduxit! Per continuum ferme quinquennium super pedes ejus et crura diabolus nocturno tempore jacuit, et ne huc illucque se facile verteret, typo phantastici ponderis aggravavit. Quis explicare valeat, quot frementes vitiorum bestias pertulit? quam sæpe præsentes iniquos spiritus durissimis increpationibus effugavit? Unde etiam si Fratrum aliquis silentii tempore cellam ejus quavis necessitate compulsus adiret, statim miles Christi paratus ad prælium, solito more, ipsum esse existimans diabolum, claris vocibus increpabat, dicens: Quo tendis modo turpissime? quid tibi in eremo de cœlo dejecte? Recede, canis immunde: evanesce, coluber veternose. His igitur et hujusmodi verbis declarabat se cum malignis spiritibus in acie semper assistere, et fidei se armis accinctum, provocantibus hostibus in campum protinus obviare.

*et vexationes dæmonum: quos dure increpando abigit, ac subinde pro his Fratres:*

13 Contigit autem, ut aliquando librum de Vita

C Patrum legens, in illum locum incideret, ubi continetur, quod quidam *a* Fratres per continuam hebdomadam singulariter jejunantes, sabbatorum die pariter convenirent, ipsoque et Dominico die jejunii rigorem interponerent, et remissius victitarent. Quem vivendi ordinem statim Romualdus arripuit, et in eo quindecim fere annis, vel eo amplius, continua austeritate permansit.

*a legit Vitas PP. strictum jejunium assumit:*

14 Petrus autem Dux, quia multis educari deliciis solitus fuerat, jamjam sub tam districti jejunii pondere succumbebat. Unde se ad pedes B. Romualdi humiliter stravit. Jussus vero ut surgeret, necessitatem suam cum verecundia coactus aperuit. Pater, inquit, quia magnum corpus habeo pro peccatis meis ex hac paximatii medietate sustentare me non possum. Romualdus igitur fragilitati pie compatiens, consuetæ mensuræ quadram paximatii superaddidit. et sic labenti jam Fratri, ne omnino deficeret, misericordiæ manum tetendit, et ad peragendum bene vivendi iter, quod cœperat, confirmavit. Hunc filius ejus sibi æquivocus, vir valde secundum seculum prudens, aliquando visitavit. Cui pater, nescio utrum prophetiæ spiritu, seu revelatione aliqua, quæcumque sibi essent eventura, prædixit: Novi, inquit, fili mi, procul dubio, quia *b* Ducem te constituent,

*minuit illud Petro Urseolo, ferre non valenti. huic filio futura prædicit. b*

et prosperaberis. Tu tantummodo satage, ut et Ecclesiis Christi sua jura conserves, et erga subditos alicujus amore vel odio a justitia non declines. D

*AUCTORE B. PETRO DAMIANO.*

15 Post hæc autem Romualdus iterum legens, quia S. Silvester, urbis Romæ Episcopus, sabbatorum diem jejunandum esse, ut revera sancti Paschatis vigilias, instituerit, *c* mox remissionem sabbati in quintam feriam commutavit, et sic infirmorum imbecillitati consulens, longum jejunium discretione habita facilius reddidit. hanc nimirum vivendi regulam cunctis sectatoribus singularis vitæ præfigens, ut tunc se unusquisque eremeticæ vitæ jejunium tenere cognoscat, si per hebdomadam triduanas jejunando, quinta feria et Dominicis diebus olera vel quodcumque liquamen, cum gratiarum actione percipiat, exceptis videlicet duabus anni Quadragesimis, in quibus non solum ipse, sed et plerique sui discipuli, totius hebdomadæ soliti erant continuare jejunium. Et certe satis congruum erat, ut qui Deum in choro laudare semper studebat et tympano, præcipuas modulationis harmonicæ consonantias, diapason videlicet, et diapente, atque diatesseron, jugiter in aures incircumscripti luminis personaret. Jejunare autem omnino, hoc est, diem absque ullo cibo transigere, licet id ipse sæpissime fecerit, aliis omnino prohibebat. Dicebat enim, ad perfectionem tendenti hoc adsumme congruere, ut quotidie comedat, et semper esuriat, quatenus hoc modo caro per consuetudinem leviget, quod grave novitiis initio conversionis apparet. Parvipendebat autem, si quis ad tempus magnum quid inciperet, si non etiam in eo longanimiter perseveraret.

*Romualdus 5 dies per hebdomadam, c et duas Quadragesimas jejunat, cum suis:*

E

16 Vigilias vero temperate et cum magna discretione faciendas maxime suadebat, ne cui fortasse contingeret, ut sopori, peractis nocturnis officiis, consentiret. Sane hujusmodi somnum vir sanctus intantum habebat exosum, ut si quis ei confiteretur, post duodecim psalmorum vigilias, vel maxime circa diluculum obdormisse, nequaquam posset eo die cum ejus licentia sacra Missarum solennia celebrare. Dicebat etiam, melius esse, si possibile sit, unum psalmum ex corde et cum compunctione cantare, quam centum cum mentis fabulatione percurrere. Cui autem hæc gratia perfecte data non esset, hortabatur tamen nequaquam desperare, nequaquam vel ab ipsa corporali exercitatione tepescere, donec ipse qui voluntatem dedit, tribuat etiam aliquando facultatem. Tantummodo orationis incensum mentis intentio in Deum semel fixa custodiat, quod exterius veniens cogitationum aura perturbat. Ubi enim est intentio recta, contra voluntatem cogitatio veniens non est nimium formidanda.

*vigilias moderatas, sed severe exigit: contra distractiones quid suaderet.*

F

17 Quodam vero tempore dum adhuc in Galliæ finibus moraretur, familiarem sibi quemdam habebat agricolam, qui sibi et utensilia, quibus in cella opus est, aliquando faciebat, et si quid ei opportunum esset, ditior caritate quam rebus, de suæ paupertatis inopia hilariter ministrabat. Hujus vaccam Comes quidam superbus et tumidus, missis parasitis, impetu barbarico rapuit, ejusque carnes præparari sibi ad prandium cum magna gulæ aviditate præcepit. Ecce autem rusticus cellam Romualdi festinus aggreditur, jacturæ suæ casum clamosis ululatibus vociferatur, spem suam et suæ domus ablatam esse conqueritur. Sanctus itaque Romualdus ad eumdem Comitem concito gradu nuntium dirigit, et ut pauperi animal suum reddat, humillima supplicatione deposcit. Cujus preces lubricus Comes protervo spiritu respuit, et quem saporem crassæ vaccæ lumbi potuissent habere, quia ipso die esset gustaturus, asseruit. Adveniente autem hora prandii, apposita mensa, vaccæ carnes allatæ sunt: et divinæ ultionis jam imminente sententia, in ipso edendi initio Comes

*rustico ablatam vaccam restitui orat; id recusans Comes male periit.*

*AUCTORE B. PETRO DAMIANO.*

A mes frustum *d* bovini renis abscindens, sibi in os misit. Quod repente in illius gutture tam immobiliter hæsit, ut nec ad interiora descendere, nec foras ejici ullis conatibus potuisset. Sicque inter suorum manus, intercluso spiraminis aditu, terribili morte necatus est; et unde contra Dei servum concupiscentiam carnis explere ad saturitatem voluit, inde justo Dei judicio carnalem vitam adhuc jejunus amisit.

*d*

*Petrus Urseolus II, Dux Dalmatiæ*

*Jejunium Sabbati a S. Silvestro defensum*

a *Ita apud Palladium cap.* 24 *Virgo quædam anonyma, et cap.* 106 *Abbas* Elpidius Cappadox *Presbyter, in monte Luca apud Jericho habitans.* — b *Maurocenus hujus ætatis Justinianus et Sabellicus, asserit hic, Petro Urseolo juniori ob res in Dalmatia præclare gestas, auctoritate Reip. Venetæ imperium, titulum* Ducis Dalmatiæ *primo omnium delatum: quem tamen B. Petrus Damianus supra cap.* 2 *num.* 9 *etiam parenti tribuit.* Vitalis Candianus *post Urseolum* 16 *mensibus imperavit: dein Tribunus* Memmius *annis* 14; *demum* Petrus Urseolus II 18 *annis.* — c *Non tam invaluit S. Silvestri sabbati jejunium, quod ab Apostolicis temporibus fuerat servatum, quam Græci eum morem reprehendentes, recte id percrebuit, ubi* 31 *Decembr. diximus, ubi et refellemus quod in eamdem Vitam nomine Simeonis Metaphrastæ dicitur:* Hic autem magnus Pater cum decrevisset, ut in uno Sabbato jejunarent fideles, in quo Dominus adhuc situs erat in sepulchro, jejunium abrogavit in reliquis. Hinc in eum sunt exortæ apud Romanos calumniæ, qui patrios eorum ritus tolleret. *Habemus certe Græcorum quosdam sancti Pontificis Urbani cum Latinis in hac de jejunio sanctione consentientem. Plura hac de re leges apud Baronium tom.* 1 *Annal. ad an.* 57 *num.* 204 *et* 205 *ac tom.* 3 *ad an.* 313 *num.* 15. — d *Pet. de Natal.* os subito in gutture raptoris transvertitur, et ille continuo suffocatur.

B

## CAPUT IV.

### *Olibani Comitis conversio. Petri Urseoli, Sergii patris, Marini, Jo. Gradenici, beata mors.*

*a*
*Alium Comitem damnandum prædicit, ut monachus fiat,*

Alius quidam Comes *a* Olibanus nomine, in eisdem Galliarum partibus erat, sub cujus jure monasterium quoque prædicti Guarini Abbatis fuerat positum. Qui sublimi quidem culmine terrenæ potestatis erectus, sed multis erat peccatorum molibus aggravatus. Hic aliquando Romualdum gratia visitationis adiit, et ceteris extra cellulam manentibus, solus cum solo gestorum suorum seriem narrare, quasi per confessionem, cœpit. Cui vir venerabilis, his quæ ab eo referebantur auditis, respondit, aliter eum salvari minime posse, nisi mundum relinquens, ad monasterium convolaret. Comes autem mox mente turbatus, ait, quia videlicet sui spirituales viri, qui ejus acta cognoscerent, nequaquam ita sentirent, neque tam intolerabilem rem sibi aliquando suaderent. Ascitis itaque Episcopis et Abbatibus, qui secum venerant, cœpit in commune perquirere, si ita res, sicut Dei servus testabatur, se haberet. Illi autem B. Romualdi sententiam omnes una voce confirmant;

C se autem id Comiti hactenus non dixisse, terrore constrictos, excusant. Tunc Comes semotis omnibus, hoc cum B. Romualdo secreto valde consilio pepigit, ut ad Cassinum montem sub prætextu orationis pergeret, et in monasterio S. Benedicti divino se servitio irrevocabiliter manciparet.

*et persuadet,*

19 Interea Sergius pater Romualdi monachus efficitur, sed aliquanto post suadente diabolo, factæ conversionis pœnitens, in Ægyptum redire conatur. Quod protinus monachi cœnobii videlicet S. Severi, quod non longius ab urbe Ravenna est positum, ubi corpore, non corde Sergius habitabat, B. Romualdo indicare per nuntium studuerunt. Hac ille sinistra relatione perculsus, necessarium esse decrevit, ut Guarinus Abbas et Joannes Gradenicus, una cum Comite ad ejus conversationem pergerent, ipse vero pereunti patri quantocyus subveniret. Petrus autem Dux *b* extremum jam diem feliciter clauserat. His itaque duobus Comitem in eorum fide commisit, utrique quidem, sed Joanni præcipue, qui ei subditus erat, per obedientiam specialiter mandans, ut etiamsi Guarinus abscederet, ipse se nunquam a Comite separaret.

*b*
*jubetque deduci Cassinum:*

20 Audientes autem illius regionis incolæ, quia Romualdus abire disponeret, nimio mœrore turbati sunt. Et tractantes intra se, qualiter ab hac illum intentione reprimerent, hoc illis tandem potissimum visum est, ut eum missis interfectoribus impia pietate perimerent, quatenus quia cum non poterant retinere viventem, haberent pro patrocinio terræ vel cadaver exanime. His vero cognitis, Romualdus caput suum undique decalvavit, et hujus rei executoribus ad cellam ejus jam appropinquantibus, primo fere diluculo comedere quasi per aviditatem cœpit. Illi autem hoc videntes, dementiam credidere, et arbitrantes mentem læsam esse, corpus lædere dedignati sunt. Sic videlicet, sic prudens spiritualis David, insania stultam carnaliter sapientium superavit astutiam. Nam et volentes peccare cohibuit, et ad meritorum suorum cumulum sine mortis formidine, mortis periculum declinavit.

D
*volentibus Gallis, ut vel sic secum retinerent, eum occidere,*

*stultitiam simulat:*
1. Reg. 21

21 Deinde jam libera uti facultate permissus, non equo fultus, non vehiculo deportatus, sed solum in manu ferens baculum, nudis plantis ex intimis Galliarum finibus Ravennam usque pervenit; ibique patrem ad seculum reverti volentem reperiens in ligno pedes ejus fortiter strinxit, gravibus eum vinculis alligavit, verberibus duris afflixit, et tamdiu corpus ejus pia severitate perdomuit, donec ejus mentem ad salutis statum, Deo medente, reduxit. E Sergius igitur, tandem sanæ mentis recepto consilio, quicquid prius retrograda voluntate deliquit, multipliciter postmodum rectis sanctæ conversationis gressibus emendavit.

*patrem volentem ad seculum redire, severitate retinet,*

22 Habebat denique inter cetera consuetudinem, ante quamdam Salvatoris imaginem frequenter assistere, ibique peculiarius orans, uberibus lacrymis et multa se cordis contritione mactare. Quadam igitur die, dum ibi attentius in oratione persisteret (nova res et nostris temporibus inaudita) repente sibi, nescio qua specie, Spiritus sanctus apparuit. Qui protinus a Sergio quis esset interrogatus, manifeste, quia ipse esset Spiritus sanctus asseruit: et subito quasi pertransiens, ab oculis se adspicientis evasit. Statim ille in ecstasim raptus, atque ejus, quem viderat, igne succensus, cœpit per claustrum monasterii post eum velociter currere, Fratresque, qui illic aderant, magno ferveris impetu, quo Spiritus sanctus abisset, interrogare. Illis autem insaniam eum cecidisse putantibus, atque illum dure corripientibus, asserebat Sergius se Spiritum sanctum absque ulla dubietate vidisse, et ante suum conspectum visibiliter pertransisse. Qui statim langore correptus, lecto decubuit, et intra paucos dies felici consummatione F finivit *c*. Hinc sane probatur, quod divina voce ad Moysem dicitur: Non enim videbit me homo, et vivet. Hinc Daniel cum non Deum, sed visionem Dei se conspexisse diceret, addidit: Elangui, et ægrotavi per dies plurimos. Recte igitur Sergius, postquam æternam vitam, quæ Deus est, cernere meruit, a temporali mox vita defecit.

*qui pie deinde vivit,*

*et viso Spiritu sancto*

*c*
*sancte moritur:*
Exod. 33, 30
Dan. 8, 21

23 Olibanus autem Comes sua relinquens filio, cum multa divitiarum copia, quindecim scilicet onustis thesauro *d* sagmariis, comitantibus eum Guarino et Joanne, ipso quoque Marino, ad B. Benedicti se monasterium contulit, et valedicens his qui secum venerant, nil tale de eo usque tunc suspicantes, multis gemitibus et amaris se fletibus affligentes, ad propria remeare coegit. Marinus autem paullo post Apuliam versus abiit, ibique postmodum in solitudine habitans, ab Agarenis est latrunculis interfectus.

*d*
*Olibanus fit monachus,*

*Marinus Martyr.*

24 Brevi post tempore Guarinus, orationis caussa discurrere solitus, Joannes vero Fratris exemplo ad idem religionis officium provocans, Hierosolymam commeare pari consilio decrevere. Hoc igitur Olibanus cognito, tristis et flens obsecrare devotissime cœpit, ne se violata fide desererent, sed sicut B. Romualdus præceperat, in Dei illum servitio custodirent,

*Joannes Gradenicus, ab Olibano discedens contra mandatum S. Romualdi,*

rent, addens etiam : Memento tu saltem, Joannes, quia magister tuus in tua me propensius fide commisit, et titulum tibi inobedientiæ, si discedis, opposuit. Illi autem obstinata intentione in proposito persistentes, relicto tandem Olibano, peregrinationis iter arripiunt. Cumque descendentes de monte, jam in campestria declinassent, figentes se loco, necessarium aliquid inter se tractare cœperunt. Et inter agendum, subito Guarini equus furioso rotatus impetu, in aliam partem invito sessore divertit, et Joannis tibiam ferrato calce percutiens fregit. Qui illico ad terram nimio dolore prostratus, jam sero memor, magistri præcepta ad mentem revocat, et se perfidum, se inobedientiæ reum, verbis publicæ confessionis accusat. In fracto namque crure didicit, quia fidem frangere peccatum fuit : et quia ipse rationis capax, magistro inobediens extitit, ad incolumitatis suæ custodiam irrationale animal sessori obedire nescivit. Deinde illuc, unde venire cœperat, rediens, cellam sibi ædificari prope monasterium petiit, ibique per triginta fere annos quamdiu vixit, in sancta conversatione permansit. *e* Multa in eo caritas, mira humilitas, abstinentia vero districta nimis et cauta, ita ut nec infra claustrum monasterii quisquam sciret, vir sanctus qualiter jejunaret. Inter reliqua autem virtutum dona, ita exosum habebat detractionis vitium, quatenus mox ut quis ad detrahendum os aperiret, velut sagitta rigore lapidis repercussa in dirigentem protinus redundaret, ita ab eo illius obtrectatio reprimeretur. Post ejus vero obitum nonnulla per eum miracula divinitus facta sunt.

*ab equo læditur :*

*in cella sancte vivit 30 annis,*

*a morte, clarus miraculis.*

a *Meminit hujus* Olibani Comitis ditissimi *Leo Ostiensis lib.* 2 *cap.* 19 *et Marcus Antonius Scipio in Elogiis virorum illustrium sacri monasterii Casinensis* Oliba *est quidam, apud nomine, apud Bestium in historia Comitum Pictaviensium, Episcopus Engolismensis, illustri loco natus, qui e* Beoliba *Claudio Roberto.* — b *De eo Sabellicus decad.* 1 *lib.* 4 Is procedente tempore ita religione et sanctitate profecit, ut post mortem in Aquitania ubi reliquum vitæ egit, multis ut quidam tradunt sit miraculis illustratus *Idem habet Petrus Justinianus. Arnoldus Wion, Bucelinus, Dorganius Hugo Menardus, Andreas Saussaius,* absolute S. Petrum Urseolum *appellant, Ferrarius, de Minis et alii* Beatum. *An sit ab Ecclesia in Divorum tabulis relatus, necdum comperimus* — c *Wion de Minis, Bashvillius Scrgium recensent inter Beatos Ordinis Camaldulensis.* — d *Eadem voce utitur de Olibano loquens Leo Ostien ante citatus Significantur equi, vel homines, sarcinas gestantes. Ita etiam B. Petrus Damianus in Januarii in Vita S. Odilonis, cap.* 13 *num.* 26 Repente sagmarius, nonnullis oneratus sarcinis, per montis devexa collabitur *Et num.* 25 mulus desagmatur. — e *Eadem de Joanne memorat Petrus Diaconus in lib. de ortu et vita justorum sacri cœnobii Casinensis num.* 54.

*Petrus Urseolus miraculis post mortem clarus.*

*Sagmarius.*

## CAPUT V.

### *Vexationes S. Romualdi a dæmonibus et improbis monachis.*

Romualdus autem post patris correctionem, in palude Classis cellulam figens, in loco, qui Pons Petri dicitur, habitavit. Postmodum vero non corporis ægritudinem metuens, non fœtoris nauseam perhorrescens, sed ne imbecillitatis occasione quantumlibet se ab abstinentiæ rigore remitteret, ad *a* Classis itidem prædium, ubi est ecclesia B. Martini, quæ dicitur In Silva, migravit. Ibi vero quadam die dum Completorium caneret, quia antiquum illic cœmeterium fuerat, subito illi (ut sæpe fit) ex improviso quædam recogitatio incidit, moxque ejus animum magnus phantasticæ illusionis horror invasit. Cumque hoc crebrius in mente revolveret, ecce maligni spiritus repentino impetu cellam ejus ingressi, protinus illum in terram sternunt, immani eum cæde conficiunt, et exhaustis longo jejunio membris, durissimos ictus illidunt. Tandem Romualdus inter ipsa percussionum verbera, respectu divinæ gratiæ visitatus, in hanc vocem erupit : Care Jesu, dilecte Jesu, quare me dereliquisti? Numquid omnino me inimicorum manibus tradidisti? Ad hæc omnes iniqui spiritus divina virtute fugati sunt : et continuo tanta divini amoris compunctio Romualdi pectus accendit, ut totum cor ejus in lacrymas quasi cera liquesceret, et de tot allisionibus sauciati corporis nihil sentiret. Mox sanus et validus de terra surrexit, et licet impediente adhuc sanguine, ad eumdem Psalmi versum, quem reliquerat, rediit. In ingressu quippe dæmonum fenestra cellulæ in frontem illius impegit, in qua manifesta postmodum cicatrix occalluit, quæ evidens vulneris indicium, quamdiu vir sanctus vixit, ostendit.

*Romualdus verberatur a dæmonibus*

*divina consolatione roboratur :*

*AUCTORE B. PETRO DAMIANO.*

*retinet cicatricem.*

26 Jam igitur miles Christi assueto bello robustior, studebat quotidie ad majora proficere, de viribus in vires crescere, et semper semetipso fortior, nullas jam poterat enervati hostis insidias formidare. Sæpe enim sibi in cella residenti, velut teterrimi corvi et vultures, iniqui spiritus videbantur assistere, et quasi ad custoditum animalis cadaver, quia non audebant accedere, cogebantur eminus adspectare. Sæpe se in figuris Æthiopum, sæpe se per diversorum animalium species ostendebant. Quibus clarus Christi triumphator insultabat, dicens : Ecce paratus sum : venite, et si qua in vobis est virtus, ostendite. Numquid jam omnino defecistis? Numquid jam victi estis, et aliquas contra Dei servulum certandi machinas non habetis? His denique et hujusmodi verbis confundens iniquos spiritus, confestim eos velut missis totidem jaculis effugabat.

*varia forma apparentibus intrepide insultat :*

27 Videns ergo diabolus, quia per semetipsum contra Dei famulum prævalere non posset, ad callida argumenta conversus, quocumque vir sanctus ibat, discipulorum ejus animos adversus eum in malitiam excitabat : ut quia retentari eum ab accenso sui fervoris impetu impossibile fuerat, saltem ab alienæ salutis cura compesceret : et quia ipse ab hoste superari minime posset, vel ex aliis victoriam non negaret. Aliquando namque ad locum, qui *b* Balneum dicitur qui videlicet in *c* Saxenati constitutus est territorio, transivit. Ubi etiam non pauco tempore commorans, monasterium ad beati Archangeli Michaelis honorem construxit, a quo non longe cellam, in ea habitaturus, intravit. Huic autem Hugo Marchio septem sibi pro necessitate misit numismatum libras. Quas ille, ut bene prodigus misericorditer dispensaret, accepit. Audito itaque, quod monasterium *d* Palatioli fuisset igne consumptum, sexaginta solidos de prædicta pecunia Fratribus in adjutorium direxit : reliqua autem, ut in simile opus expenderet, reservavit. Cognito hoc, monachi S. Michaelis, belluino contra eum furore commoti sunt : tum quia pravis eorum moribus contrarius *e* jam in multis extiterat, tum quia, quæ illi deferebantur, non eis omnia, sed quædam aliis impendebat. Facta igitur conspiratione, unanimiter cellam ejus cum sudibus et *f* phalangis irrumpunt, verberibus eum multis afficiunt, et direptis omnibus, turpiter dehonestatum, de finibus suis expellunt. Cum itaque eliminatus abiret, et nimia tristitiæ vis in mentis ejus jam interiora descenderet, hoc apud semetipsum deliberat, ut jam de cetero sua contentus, alienæ salutis curam omnino postponat. Postquam videlicet cogitationem tantus animum ejus terror invasit, ut si in eo, quod mente conceperat, obstinate persisteret, periturum se, damnandumque divino judicio nullatenus dubitaret.

*construit monasterium*

*pecuniam ad alterius reparationem mittit :*

*ideo a suis male mulctatus expellitur*

28 Monachi autem compotes diu desideratæ ultionis effecti, et quasi projecto gravi onere levigati, hoc quod in Dei famulum egerant, multis inter se laudibus efferunt, et in immoderatum ludum atque cachinnum se, lætitia lenocinante, resolvunt : deinde etiam, ut tanti gaudii solennitatem quodammodo jucundissimam faciant, sumptuosas deliciarum copias sibi ad convivium parant. Erat vero tunc hyems, quæ non solum vicissitudini temporum sed frigidis quoque eorum mentibus aptissime congruebat. Unus

*qui deinde lætantes, divinitus puniti.*

autem

A autem ex eis, qui in beatissimum Christi famulum sævior fuerat, mel acquirere, unde mulsum epulantibus faceret, satagebat. Cumque *g* Sapin fluvium hoc studio transmearet, offendentibus in *h* planeas pedibus, subito de ponte dejicitur, et fluviali voragine funditus absorbente raptatus extinguitur; justo videlicet Dei judicio, ut turbida illum aqua satiaret ad mortem, qui in eo, quod flere debuerat, mellis dulcedinem ad vitæ concupierat voluptatem. Nocte vero, dum omnes ex more quiescerent, descendente crebra nivium multitudine, repente tota communis ædificii super eos fabrica corruit, et alteri caput, alii brachia, alii crura, vel quælibet alia membra contrivit. Uni etiam eorum oculis evulsus est, et merito divisionem corporæ lucis pertulit, qui divisus a proximo, etiamsi alterum haberet, geminæ caritatis unum lumen amisit. *i*

AUCTORE PETRO DAMIANO. *g h i*

a *Sur. et S. Antonin.* Classem. — b *Est* Balneum *in Apennino, vulgo* Bagno *dictum, haud procul ab eremo Camaldulensi.* — c Sarcina, *Plauti comici patria, urbs Flaminiæ, olim populosa, nunc planæ infrequens.* In antiquis marmoribus memoriisque, *inquit Ughellus tom.* 2 *Italiæ sacræ*, Sassina appellatur, interdum autem Saxina: *ipse certe Sassenatenses Episcopos scribit.* — d *Augustinus*, di Palazzuolo : *plura hujus nominis oppida ac loca in Italia : unum supra monasterium Classis, inter Bedesim et Candianum amnes. Aliud in paludibus Iuccanam inter et Padi ostia.* — e *Surius*, Jam et multis annis — f *Id est, fustibus sive perticis. Ita S. Augustinus sermone* 100 *de Tempore* 1 *infer.* 3 *post* 4 *Dominic. Quadragesimæ* : Duo ex illis (*exploratoribus terræ promissionis*) unum miræ magnitudinis in phalanga detulerunt ad filios Israel. *Et S. Prosper, de Promissionibus et prædictionibus, parte* 2 *cap.* 9 : Vallis quædam eos excepit, ex qua botrum abscindentes, pro magnitudine phalangæ imposuerunt, sicut cum malis granatis *etc. Proprium Afris vocabulum, ita Plinius lib.* 7 *cap.* 56 *circa medium* : Prælium Afri contra Ægyptios primum fecere fustibus, quos vocant phalangas. — Sapis *olim, Straboni* Isapis, *medio ævo* Sabis, *nunc* Savius, *fluvius est Italiæ, qui ex Apennino ortus, celerrime Flaminiam perlabitur, inque more Adriaticum defluit.* — h Planeæ, *tabulæ planæ. Acta S. Marcelli Papæ M.* 16 *Januarii ex libro de Romanis Pontificibus num.* 3 jussit in eadem ecclesia iterum planeas externi. *Et cap.* 5 *Actor. e MSS. num.* 22 ut in eadem ecclesia planeæ sternerentur. — i *Augustinus scribit, situm illud monasterium ac cellam fuisse in Vergereto pago ditionis Balneensis : qui pagus, monachis, quod Sanctum ejecissent, divinitus punitis, multatus et ipse est miro sterilitate, ut facta semente lætissima quidem pullularet viriditas, segetem tamen non daret, sed nescio quo hic exaresceret. Adiere coloni ad Vallem Castri, ac Sanctum precati sunt, ut ad ipsos rediret, atque homines et agros benediceret. Paruit Sanctus, mandavitque ut ab Sacerdote ipsius cellam inhabitante benedictionem quotannis singuli efflagitarent ac certam nummi unius, qui arboribus in locis humidis adnasci solet, ad cœnobium Vallis Castri deportarent : quod tributum anno* 1611 *aureo nummo annuo pendendo redemerunt.*

Balneum. Sarsina.

Phalanga, id est, fustis. B

Sapis fl.

Planca, asser.

## CAPUT VI.

*Classensis Abbatiæ præfectura gesta; deposita. Tibur servatum.*

C Aliquando autem vir sanctus non longe mansit a *a* Catria. Cumque ibi aliquamdiu moraretur, manifeste sibi B. Apollinaris apparuit, et quatenus ad *b* suum monasterium pergeret, ibique potius habitaret, ex magna auctoritate præcepit. Quod vir sanctus nequaquam negligendum ducens, locum, in quo morabatur, sine cunctatione deseruit, et quo missus fuerat, impiger festinavit.

*a* Jussu S. Apollinaris, redit ad monasterium Classense *b*

30 Inclusus est etiam quodam tempore vir venerabilis in palude *c* Comniaclensi quæ dicitur Origarium, unde postmodum, præ nimio palustris cœni fœtore et corrupto aere, ita totus tumefactus et depilatus exiit, ut nequaquam eadem, quæ inclusa fuerat, species videretur. Nam et caro ejus tota catenus erat viridis, ut vix stellioni discolor appareret.

*c* loco palustri deformatur :

31 Alio quoque tempore in insula, quæ Pereum dicitur, habitavit, quæ videlicet insula a Ravenna urbe duodecim fere millibus distat. Ibi vero dum in cella cum quodam venerabili viro, suo nimirum discipulo, Guillelmo nomine, moraretur, angusti parietes habitaculi repente flamma corripuit, deinde ad alta conscendens, dominari per tecta liberius jam viribus cœpit. Protinus vir sanctus ad solitæ defensionis argumenta confugiens, non quæ ibi erant reposita, foras extrahere, non, ut mos est, tecti scindulas dissipare, non aquarum abundantiam spargere, non ullis impulsus est ad extinguendos ignes nisibus D anhelare; sed solummodo orationem fudit, et confestim stridentes ignium globos Divina virtus extinxit.

incendium precibus restinguit :

32 Eodem vero tempore, junior *d* Otto Imperator Classensem abbatiam ordinare desiderans, optionem Fratribus dedit, ut quem ipsi vellent, indubitanter deligerent. At illi continuo unanimiter expetunt Romualdum. Imperator autem diffidens beatum virum ad aulam regiam evocari posse per nuntium, ire ad eum per semetipsum voluit, et ad cellam ejus sole jam occidente pervenit. Cui Romualdus, quia magnum hospitem in parva domo susceperat, lectulum suum ad quiescendum dare dignatus est. Coopertorium tamen Rex noluit, quia asperrimum judicavit. Mane autem facto, Rex secum ad palatium duxit, tandemque sibi instare, ut abbatiam susciperet, multis precibus cœpit. Qui cum reluctaretur, et regiæ petitioni assensum penitus denegaret, Rex autem e contrario excommunicationem et anathema ab omnibus Episcopis, Archiepiscopis et toto synodali concilio minaretur, tandem imminente necessitate succubuit, et animarum regimen coactus accepit. Referebat tunc hoc sibi nequaquam videri novum, sed ante quinquennium sibi fuisse divinitus revelatum. E

*d* invisitur ab Ottone III Imp.

præficitur Classensi abbatiæ,

33 Regebat itaque monachos sub districta regulæ disciplina, neque alicui ab ea declinare impune licebat : non denique nobilis, non litteris eruditus per actus illicitos in dextram lævamque partem deflectere, vel a rectæ conversationis audebat rectitudine deviare. Vir denique sanctus cordis oculos in cœlum figens, ut Deo in omnibus obtemperaret, non timebat hominibus displicere. Hoc autem Fratres considerantes, semetipsos prius accusant quia hunc sibi præsse poposcerant : deinde multis eum detractionum susurrationibus lacerant, et duris scandalorum aculeis vexant. Romualdus itaque videns, et suam perfectionem aliquatenus minui, et illorum mores proclivius in deteriora converti, Regem impiger adiit, et eo non leviter reluctante una cum Archiepiscopo *e* Ravennate, in utriusque conspectu virgam projecit et monasterium dimisit.

quam stricte regit,

post dimittit ob rebelles monachos :

*e*

34 Porro autem Rex Tiburtinam nunc civitatem obsidebat. Cives enim inclytum ejus Ducem *f* Mazolinum nomine, interfecerant, ipsum quoque Regem correptis armis, a suis mœnibus exturbarant. Unde non dubium est, B. Romualdum illuc ex Divina providentia missum, qui imminens tot animarum periculum, sequestra pace delevit. Hoc etenim inter eos pactum est, ut Tiburtes ad honorem Regis murorum partem diruerint, ac obsides darent : Ducis vero interfectorem ad ejus matrem catenatum dirigerent. Quæ sancti viri fusis ad Deum precibus mitigata, crudeli homicidæ crimen indulsit, et incolumem ad propria redire permisit. F

*f* pacem inter Tiburtes et Imp. facit :

a *Surius habet* Carla. *Mons est, aut jugum unum Apennini, vertice nubes superans, ut lib.* 1 *de Umbria Senonia, cap.* 8 *scribit Vincentius Maria Cimarellus. Augustinus situm tradit in Urbinate Ducatu, diœcesi Eugubina.* — b *Id est* Classense, *sive* S. Apollinaris. — c *Infra Ferrariam ad Padi ostia, æstuaria sunt ac stagna, paludesque, in his situm* Comaclum *aut* Commaclum, *urbs non incelebris ante annos* 800, *etiamnum Episcopatus, infrequens tamen. Leander Albertus scribit ab nonnullis* Cymaculum *dici,* ἀπὸ τῶν κυμάτων *ab undis marinis. Itali* Commachio *vocant.* — d *Venit in Italiam* Otto III, *Sedi Apostolicæ, Crescentii Ducis tyrannide vexatæ, opem laturus, anno Christi* 996, *ad quem annum hæc refert Baronius num.* 4. — e *Erat is* Gerbertus, *hoc ipso anno electus, qui deinde Papa* Silvester II *fuit.* — f *Surius atque ex eo Baronius,* Matholinum *vocat : in altera Vita* Masolinus *dicitur. Causam Tiburis obsidendi fuisse scribit Baronius eodem anno num.* 77, *quod Tiburtes Crescentio tyranno adhæsissent, atque adeo quæ hic narrantur perpetrassent.*

Catria mons.

Comaclum urbs inter Calinum urbem ac Saxum-ferratum.

## CAPUT VII.

*S. Venerii institutio. Thammi Ducis conversio. Ottonis III pœnitentia.*

Fecit quoque venerabilis vir apud Tibur alium boni

A boni operis fructum quem silentio prætereundum esse non arbitror. Quidam namque beatus vir, Venerius nomine, habitare primitus in monasterio cœpit cum tanta humilitate et simplicitate, ut omnes illum Fratres subsannando despicerent, et delirum eum atque dementem esse putarent. Alii enim illum sæpe colaphizare, alii sordida, qua lebetes lavabantur, aqua perfundere, alii diversis illum solebant conviciorum jurgiis lacerare. Cumque ille se perpenderet inter tot adversa tranquillum suæ mentis statum servare non posse, consortium deserens, in solitudinem fugiens properavit. Ubi per sex annos absque vino omnique pulmento, sub nimiæ districtionis ariditate, permansit. Hunc itaque Romualdus, audita ejus fama, visitare curavit. Quem interrogans, sub cujus regimine degeret, cujusve arbitrio suæ conversationis obedientiam exhiberet, respondit se alieno solutum imperio, hoc sequi, quod sibi utilius videretur. Cui Romualdus ait : Si crucem Christi portas, superest ut Christi obedientiam non relinquas. Vade igitur, et consensu a proprio Abbate suscepto, revertere et sub ejus dominio humiliter vive : quatenus sacri operis ædificium, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigit, obedientiæ virtus
B extollat. Hæc et multa alia ædificationis monita proferens docuit eum qualiter cogitationibus suis resistere, qualiter posset iniquorum spirituum infestationibus repugnare : et ita confirmatum et instructum, in multa eum alacritate reliquit. Ille igitur sancti viri documenta gratanter amplectens, Abbatem suum protinus adiit, consensumque accepit, et ad dilectam solitudinem quantocyus remeavit.

*S. Venerium ob injurias monachorum,*

*in solitudine austere viventem,*

*jubet consensum Abbatis petere, et instruit :*

36 Volens autem in possessione sui monasterii habitare, ascendit in quoddam saxum, nullis hominum vestigiis pervium, et ab humana penitus conversatione remotum, ibique per quatuor annos, omni humano solatio destitutus, singulariter habitans, exceptis tribus buccellis, quas de monasterio secum detulerat, non panem comedit, non vinum bibit, non coctum aliquid omnino gustavit, sed solis arborum pomis et herbarum radicibus vixit. Erat autem in eodem saxo quædam concavitas, ubi colligebatur aqua in hieme, et qua vir sanctus tota bibebat æstate. Tandem vero cognito, quod ibi servus Dei moraretur, cœperunt ad eum multi confluere, ciborum alimenta deferre, et quæque sibi quasi necessaria ministrare. Quorum ille nullius indigens, cuncta pastoribus pecorum et aliis indigentibus exhibebat. Ex-
C hortante autem loci Episcopo, basilicam ibi fieri et consecrari permisit. In qua ipse aliquanto post tempore defunctus est, et a quibusdam se quærentibus inventus est acclinis ante altare, quasi causa orationis in cubitis et genibus jacens. *a* Ubi nonnulla per eum Dominus miraculorum signa operari dignatus est. Sic denique, sic bona terra uberes fructus reddidit, quæ verbi semen ex ore Romualdi multiplicandum suscepit.

*in summa abstinentia vivens,*

*... a*

*... mori ...*

37 Apud prædictam quoque civitatem convertit beatissimus vir Thammum quemdam Theutonicum, qui, sicut dicitur, intantum Regi familiaris et carus extiterat, ut utrinque vestes utrumque contegerent, et amborum manus una paropsis communi sæpe convivio sociaret. Crescentius namque Senator Romanus, indignationem Regis incurrens, in montem qui dicitur Sancti Angeli, confugium petiit, et quia munitio inexpugnabilis est, obsidente Rege, ad defendendum se fiducialiter præparavit. Cui Thammus ex præcepto Regis *b* jusjurandum securitatis præstitit, et ita ille deceptus, adnitente *c* Papa, qui sibi inimicus erat, quasi reus majestatis, capitalem sententiam subiit. Cujus uxorem postea Imperator in concubinam accepit. Quia igitur Thammus et fraudis conscius, et perjurio tenebatur obnoxius, idcirco a

*Romualdus Thammum, perjurii reum, ...*

*b*

*c*

*Crescentii decollatio,*

*... monachum ...*

D B. Romualdo jussus est relinquere seculum. Qui mox a Rege licentiam expetens, non modo facilem reperit, sed nimium etiam alacrem fecit : erat enim prædictus Imperator monastico ordini valde benevolus, et nimia circa Dei famulos affectione devotus.

AUCTORE B. PETRO DAMIANO

38 Ipse autem Rex ex eodem crimine beato viro confessus, pœnitentiæ caussa nudis pedibus de Romana urbe progrediens, sic usque ad Garganum montem ad S. Michaelis perrexit ecclesiam. Per totam etiam Quadragesimam in Classensi monasterio B. Apollinaris, paucis sibi adhærentibus mansit. Ubi jejuniis et psalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto insuper fulgentibus palliis strato, ipse in storea, de papyris confecta, tenera delicati corporis membra terebat. Promisit denique B. Romualdo, quod Imperium relinquens, monachicum susciperet habitum : et cui innumeri mortales erant obnoxii, jam ipse pauperculo subjectus cœpit esse debitor sui.

*d*

*Ottonem Imp. eadem caussa ad severam pœnitentiam inducit*

a S. Venerii natalem consignat Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad 13 Septembr. quo alter S. Venerius Abbas colitur; fatetur ... in Ecclesia Tiburtina ejus memoriam non celebrari. — b Ita etiam Leo Ostiensis lib. 2 cap. 18. Imperator Crescentium Romanum Senatorem, qui se in castello sancti Angeli juxta pontem S. Petri, adversus eum rebellando muniverat, sacramento deceptum cepit; et mox ut reum majestatis capite obtruncavit. Glaber Rodulphus histor. lib. 1 cap. 4 scribit Crescentium clam arce egressum procidisse ad pedes Imperatoris, sed ab hoc jussum in arcem reduci, ea capta, unde præcipitatum, a vitulis per plateas ... raptatum, ac demum suspensum. Agit de his Baronius ad an. 996 num. 7 et seq. — c Erat is Gregorius V, Imperatoris consanguineus, cui a Crescentio oppositus Antipapa Philagathus Ep. Placentinus, Joannes XVI appellatus. — d In Gargano monte Apuliæ, celebris in eo S. Michaelis ecclesia, ejusque hic ... in S. Laurentii Ep. Sipontini Vita, et sæpe alibi.

*S. Venerius*

*Crescentii Ducis cædes.*

E

## CAPUT VIII.

### *Illustres S. Romualdi discipuli, in his S. Bonifacius Russorum Apostolus.*

Romualdus autem cum eo, de quo jam diximus, Thammo, et cum Bonifacio viro clarissimo, qui nunc felicissimum Martyrem se habere Russiana gloriatur Ecclesia, et cum aliis conversis Theutonibus, a Tiburis oppido ad Monasterium S. Benedicti, quod in Cassino est constitutum monte, devenit. Ibi namque graviter infirmatus est, sed cito ex divina misericordia convaluit. Habebat autem equum satis egregium, quem sibi Buscl avi Sclavonici Regis filius dederat, factus ab eo monachus. Hunc vir sanctus humilitatis studio permutavit, et lucroso commutatio asinum laudabilis negotiator accepit. Nimio quippe Redemptoris nostri desiderio, qui asellæ tergo consederat, vir venerabilis hoc ipsum animal libentius equitabat.

*a*

*in Cassino ægrotat*

*b*

*filium Regis Poloniæ monachum facit : equum asino mutat :*

F

40 Cum his igitur omnibus superius nominatis Romualdus ad Pereum, ubi dudum habitaverat, rediit, ibidemque his et aliis multis Fratribus aggregatis, et per cellas singulas constitutis, tanto fervore eremeticæ conversationis rigorem et in se et in aliis tenuit, ut illorum vita omnibus, ad quos fama eorumdem pervenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obstupesceret? Quis non immutationem divinæ dexteræ prædicaret, cum vidisset prius homines sericis, imo deauratis vestibus indutos, crebris obsequentium cuneis constipatos, omnium deliciarum affluentiis assuetos, nunc eos cerneret uno birro contentos, inclusos, discalceatos, incultos, et tanta abstinentiæ ariditate contritos? Faciebant autem omnes opera manuum, alii scilicet coclearia, alii nebant, alii retia nectabant, alii cilicia. Quorum tamen omnium vitam B. Bonifacii conversatio longius transcendebat. Hic denique Regis fuerat consanguineus, et ita carus, ut Rex illum non alio vocaret nomine, nisi Anima mea. Erat autem apprime liberalium artium doctrinis instructus, maxumeque in modulationis musicæ studiis approbatus. Hic itaque cum in

*socios in dura pœnitentia exercet*

*præcipue S. Bonifacium, virum illustrem, post Martyrem,*

A

*AUCTORE B. PETRO DAMIANO.*

in capella regia moraretur, videns ecclesiam antiqui Martyris Bonifacii, mox exemplo sui æquivoci ad martyrii desiderium provocatus, ait: Et ego Bonifacius vocor. Cur ergo ipse etiam Christi Martyr esse non debeo? Deinde quoque jam monachus factus, tanta se abstinentiæ frugalitate constrinxit, ut sæpe Dominicis diebus et quinta tantum feria per hebdomadam manducaret. Nonnunquam vero si urticarum, vel etiam veprium cerneret densitatem, illuc se projiciens volutabat. Ex quo cum quidam Frater aliquando eum corriperet, dicens: Hypocrita, quare hoc ad captandos popularis auræ rumores coram omnibus facis? Nihil aliud respondit: Tui sint Confessores, mei Martyres.

*monachum ferventissimum:*

*hinc Episcopus fit*

41 Cum vero per diuturnam eremeticæ conversationis vitam ad prædicandum jam ire disponeret, Romam pergere studuit, et ab Apostolica Sede consecrationem Archiepiscopatus c accepit. Retulit mihi quidam senex monachus, qui eum illuc comitatus de Ravennæ finibus fuerat, quia in toto illo itinere vir venerabilis, cum omnibus quidem, qui eum sequebantur, pedester ibat, sed ipse jugiter psallens, et ceteros longe præcedens, nudis semper pedibus incedebat. Pro labore quidem itineris quotidie comedebat, sed per singulos dies de medio pane et aqua vivens, in diebus festis, ignoto videlicet omni liquamine, quotidiano victui poma quælibet, vel herbarum radices addebat.

*Romam nudis pedibus profectus, tenuiter victitans:*

B

*Russos adit, nudis pedibus equitans, summo frigore:*

42 Postquam autem consecratus est, quotidie observabat et monasticum pariter et Canonicum in celebrandis Horarum officiis ordinem. Cum vero jam ultramontanos peteret fines, equo equidem vehebatur, sed venerabilis Pontifex, sicuti dicitur, nudis cruribus semper et plantis adeo intolerabilem frigidissimæ regionis tolerabat algorem, ut volens descendere, vix pedem ab subhærente ferro disjungeret, nisi aqua prius calida subveniret.

*ferventer prædicat, martyrii avidus:*

43 Ad gentiles autem postremo perveniens, cum tanta cœpit fervidi pectoris constantia, prædicare, ut jam nullus ambigeret, quia vir sanctus martyrium flagitaret. Illi vero timentes, ne, sicut post martyrium B. d Adelberti, coruscantibus miraculorum signis, Slavonicæ gentis fere omnes conversi sunt, ipsis quoque similiter eveniret, longo tempore a beato viro manus artificiosa malitia reprimunt, et cupidissimo mori, nolentes eum occidere, crudeliter parcunt.

C

*oblatas divitias spernit:*

44 Cumque ad Regem e Russorum vir venerabilis pervenisset, et constanti animo prædicationi vehementer insisteret, videns eum Rex squalidis vestimentis indutum, nudis pedibus incedentem, opinatus est, quia vir sanctus talia non religionis caussa perferret, sed idcirco potius, ut pecunias congregaret. Promisit ergo sibi, quia si ab hujusmodi vanitate recederet, ipso paupertatem ejus largissima divitiarum liberalitate ditaret. Bonifacius itaque mox ad hospitium sine mora revertitur, pretiosissimis pontificalibus ornamentis decenter induitur, et sic ad Regis palatium denuo præsentatur. Rex autem videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait: Nunc scimus, quia te ad vanam doctrinam, non paupertatis inopia, sed veritatis impulit ignorantia. Verumtamen si vis vera credi, quæ asseris, erigantur duæ excelsæ lignorum catastæ, brevissimo a se interstitio separatæ, et igne supposito cum vaporatæ fuerint, ita ut utriusque struis unus ignis esse videatur, tu transi per medium. Quod si læsus ex aliqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus tradimus. Sin autem (quod credi non potest) sanus evaseris, omnes nos Deo tuo absque difficultate credemus. Cumque hoc fœdus non solum Bonifacio, sed et cunctis, quæ aderant, gentibus placuisset; Bonifacius ita vestitus velut Missarum solemnia celebraturus, prius cum

*transit illæsus per ignem, aqua benedicta et thure lustratum:*

sanctificata aqua et incenso thure undique perlustrans ignem, dein stridentes flammarum globos ingressus, ita exivit illæsus, ut nec minimus capitis ejus capillus videretur exustus. Tunc Rex et ceteri, qui huic spectaculo interfuerant, catervatim se ad pedes beati viri projiciunt, indulgentiam lacrymabiliter petunt, et baptizari se instantissima supplicatione deposcunt. D

*Russos convertit cum Rege:*

45 Cœpit itaque tanta gentium multitudo ad baptisma confluere, ut vir sanctus ad spatiosum quemdam lacum pergeret, et in ipsa aquarum abundantia populum baptizaret. Decrevit autem Rex, ut regnum relinquens filio, ipse quamdiu viveret, se a Bonifacio nullatenus separaret. Frater autem Regis cum ipso pariter habitans, dum nollet credere, absente Bonifacio, ab ipso Rege peremptus est. Alius vero frater, qui jam a Regis erat cohabitatione divisus, mox ad eum vir venerabilis venit, audire verbum ejus noluit, sed de conversione fratris nimia adversus eum ira succensus, continuo comprehendit: deinde timens, ne si vivum teneret, Rex eum de manibus ejus eriperet, in sua præsentia, circumstante non parva hominum multitudine, decollare præcepit. Statim vero et ipse cæcatus est, et tantus eum cum omnibus, qui adstabant, stupor oppressit, ut nec sentire, nec aliquod humanitatis officium agere aliquatenus possent, sed cuncti velut lapides rigidi et immobiles permanerent.

*a cujus fratre occiditur; qui cum sociis cæcus et immobilis redditur:*

E

46 Rex autem hoc audiens, nimio dolore perculsus, omnino deliberat non solum fratrem occidere, sed et cunctos, qui sibi tanti reatus fautores extiterant, gladiis trucidare. Sed cum illuc protinus advenisset, et corpore Martyris adhuc in medio posito, fratrem simul cum reliquis hominibus sine sensu et motu stupefactos adstare conspiceret; hoc sibi cum suis omnibus placuit, ut prius pro eis oratio fieret, si forsitan illis divina misericordia sensum, quem amiserant, reformaret: deinde si acquiescerent credere, indulto crimine, viverent; sin autem, omnes ultoribus gladiis interirent. Cum igitur et ab ipso Rege, et a ceteris Christianis diutius fuisset oratum, non solum prior sensus stupefactis hominibus redditur, sed insuper consilium quoque flagitandæ veræ salutis immittitur. Nam continuo pœnitentiam sui criminis flebiliter expetunt, baptismi sacramenta cum magna alacritate suscipiunt, super corpus quoque beatissimi Martyris ecclesiam construunt. Verumtamen ego, si de hoc mirabili viro cuncta, quæ dici veraciter possunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forsitan lingua, non deficiente materia. Dum igitur Bonifacii virtus proprio indigeat stylo, idcirco tamen illum cum aliis Romualdi discipulis summotenus hic memorare curamus, ut ex eorum laude, quam magnus vir gloriosus magister eorum fuerit, demonstremus: quatenus dum celsitudo clientium auribus fidelium insonat, quam excelsus Doctor eorum fuerit, ex schola, quam tenuit, innotescat.

*Rege et populo pro iis orante, restituuntur et baptizantur.*

F

a *Iter hoc S. Romualdi ad Casinense monasterium, ejusque ægritudinem memorat etiam Leo Ostiensis lib.* 2 *cap.* 18. *Ad quod caput perperam annotatum a Bzovio est,* S. Bonifacium, S. *Romualdi discipulum,* Archiepiscopum Moguntinum *fuisse, cujus apud Surium extat Vita, non* 3. *ut ait, sed* 5 *Junii. Fuit S. Bonifacius Moguntinus altero illo annis circiter* 250 *prior; sed uterque Archiepiscopus, uterque Gentilium Apostolus, uterque Martyr. Ita verum autem Apostolus inscriptus est Martyrologio Rom. ad* 19 *Junii. Franc. Maurolycus eum quoque die quinto ejusdem mensis refert.* b *Surius,* Buselavinus. *Melius* Buselavi Regis filius, *ire* Boleslai, *aut* Bolizlai. *Ita infra num.* 48 Buselavus Rex, *ubi de* Boleslao *cognomento* Chabri, *Polonorum secundo Christiano Duce, primo Rege, est sermo. Cum enim non addat quorum is Rex esset, per pene innuit se de eo loqui, quem ante* Sclavonicum *Regem appellat,* sive Sclavorum Polenorum. *Sed quis ejus filius monachus? Scriptores Poloni solum et* Myeczlaum, *sive* Myeszkonem *videntur tribuere, cum Dithmarus Merseburgensis, qui cum eo vixit, ita scribat lib.* 4 *Chronici:* Duxit hic (*Boleslaus*) Rigdagi Marchionis filiam, postmodum dimittens eam: et tunc ab Ungaria sumpsit uxorem, de qua habuit filium Bespreni nomine, similiter expellens eam. Tertia fuit Emnildis, edita a venerabili seniore Dobremiro, quæ Christo fidelis, ad omne bonum instabilem conjugis sui mentem declinavit, et immensa eleemosynarum largitate et abstinentia utriusque maculas abluere non

*S. Bonifacius Ep. diversus a Moguntino.*

A non desistit. Peperit hæc duos filios Misceconem et alium, quem dilecti senioris sui nomine vocavit filias quoque tres quarum una Abbatissa, secunda nupsit Hermanno Comiti, tertia filio Regis Wlodomiri. *Eadem quoque ratione Mechovius et alii Polonici scriptores tradunt* Myeczlao i *unicum fuisse filium, quem diximus* Boleslaum : *ast idem Dithmarus*, Misecoui, Polentorum inclyto Duci *uxorem ait fuisse* Dobrawam, senioris Bolizlai *Bohemiæ Ducis sororem, cujus hortatu Christianam fidem suscepit : ex natus* Boleslaus *dein duxit* Miseco Odam Thiedrici Marchionis filia *quæ ei tres filios peperit*, Miseconem, Sventepulcum, et Bolizlaum. *Sed cum an.* 992 (*non, ut Mechovius*, 999) *obiisset* Miseco Dux, jam senex... relinquens regnum suimet plurimis dividendum, *ut* postea filius ejusdem Bolizlavus, noverca et fratribus expulsa, excæcatisque familiaribus suis Odilieno atque Pribuvolo, vulpina calliditate contraxit in unum *Quis autem fuerit ille Boleslai filius monachus, an primæ uxoris filius, an secundæ, an fortassis*, Boleslaus *Misceonis* II *frater, haud proditur, nec nos divinamus. Erat sane Miseco ea ætate, ut initio regni S. Henrici, ad hunc legatus a patre sit missus, ut potuerit frater monachicæ vitæ tunc quoque esse idoneus Proclivius tamen est, ut existimetur secunda Boleslai uxore Ungara natus, Misceone senior fuisse. Longe autem a recta ratione aberrat Mechovius dum lib.* 2 *cap.* 13 *scribit hunc Regis Poloniæ filium fuisse* Casimirum Monachum, *Misceonis* II *filium, quem ait an.* 1035, *annos natum fuisse solum* 20. *Atqui quod hic narrat B. Petrus Damianus contigit vivente adhuc Othone* III *Imp. qui obiit an.* 1002, 28 *Januarii.* — *Hieronymus in* 2 *Vita ait equum illum S. Romualdo donatum a* Briscani Croatiæ et Bulgariæ Regis filio. *Nondum cum illa scribebat B. Petrus Damianus, nedum cum viveret S. Romualdo in Italia erat Otto Imp. Dux Croatiæ regium titulum obtinuerat, qui ei demum an.* 1076 *a B. Gregorio* VII *delatus est, ut videre est apud Baronium ad eum annum num.* 66. *Neque Croatiæ et Bulgariæ uni parebant Principi. Tempore quidem Constantini Porphyrogeniti, filii*
B *Leonis Sapientis Imp. circiter annum* 942, *audita Simeonis Bulgariæ Principis morte*, vicinæ gentes Turci, Servi, Chrobatæ, atque alii, Bulgaros bello petere statuebant ; *inquit Cedrenus, ac postea*, Subacta *a Basilio Porphyrogenito* Bulgaria, *sub annum* 1019, Imperatori se dedidit etiam contermina Churbatorum gens, et ejus Principes, fratres duo. — c *Franciscus et Silvester Maurolyci et alii* Bosnensem *Archiepiscopum faciunt. Non videtur certæ Sedi addictus, sed ordinatus Antistes, ut Gentibus prædicaret.*
d S. Adelberti *Ep. Pragensis, in Prussia martyrio an.* 997 *coronati Vitam dabimus* 23 *April* — e *Jam ante Rex Russorum* Wladomirus, *ducta Augustorum Basilii filia et Constantini sorore* Anna *fidem Christianam susceperat, cum suis, et adhuc vivebat. Verisimile est S. Bonifacium olim quampiam gentem Scytharum, sive Russorum adiisset Maurolicus et Razzius Regem hunc* Busianum *appellant*

*tres filii, tres filiæ,*

*tres fratres*

*ab eo bonis exuti et pulsi :*

*unus e filiis ejus sub S. Romualdo monachus :*

*non vero filius Regis Croatarum,*

*qui Regem tunc nondum habebant,*

*nec eumdem quem Bulgari Ducem.*

## CAPUT IX.

### *SS. Joannis et Benedicti monachorum martyrium in Polonia.*

Interea Romualdo in Pereo adhuc habitante, Busclavus Rex preces *a* Imperatori direxit, ut sibi spirituales viros mitteret, qui regni sui gentem ad fidem vocarent. Mox Romualdum Imperator aggreditur, et concedi sibi de suis monachis, qui illuc destinari utiliter valeant, deprecatur. Ille vero nulli suorum hoc præcipere velut ex prælationis auctoritate voluit, sed in eorum voto ponens, sive manendi, sive abeundi eis optionem dedit. Ignorabat enim ex tam metuendo negotio voluntatem Dei : et ideo non illud suo, sed
C Fratrum potius arbitrio committebat. Instante igitur Imperatore et humiliter obsecrante, tandem duo solummodo sunt ex omnibus inventi, qui se ultro ad eundum promptos offerunt. Quorum unus Joannes, Benedictus alter vocabatur. Hi itaque ad Busclavum euntes, in eremo prius, eo sustentante, manere cœperunt, et ut prædicare postmodum possent, Sclavonicam linguam laboriose discere studuerunt. Septimo vero anno, cum jam loquelam terræ plene cognoscerent, unum ad Romanam urbem monachum mittunt, et per eum a summæ Sedis *b* Antistite prædicandi licentiam petunt. Injungunt etiam, ut nuntius aliquos secum de B. Romualdi Fratribus duceret, qui eremiticæ conversationis edocti, cum eis simul in Sclavorum partibus habitarent.

*a*

*Romualdus duos monachos mittit in Poloniam :*

*qui 7 annis linguam discunt :*

*b*

48 Busclavus autem, volens coronam sui regni ex Romana auctoritate suscipere, prædictos venerabiles viros obnixa cœpit supplicatione deposcere, ut ipsi plurima ejus dona Papæ deferrent, et coronam sibi a Sede Apostolica reportarent. Qui regiæ petitioni assensum penitus denegantes, dixerunt : Nos in sacro ordine positi sumus, tractare nobis secularia negotia minime licet : et ita relinquentes Regem, ad cellam reversi sunt. Quidam vero Regis agnoscentes consilium, sed quid sancti viri responderint, ignorantes, *c* copiosum auri pondus, quod mittendum

*secularia tractare recusant :*

*c*

Apostolico fuerat, secum eos detulisse ad cellulam
D falso opinati sunt. Deinde intra se conventione pacta condicunt, ut noctu eremum latenter ingressi, et monachos interficerent, et pecuniam absportarent. Quos cum beati viri tentantes irrumpere persensissent, adventus eorum caussam protinus agnoscentes, confessionem inter se facere, et sanctæ Crucis se cœpere vexillo munire. Erant autem ibi duo pueri, eorum obsequio ex aula regia deputati, qui, prout vires dabant, stare pro Sanctis, et furibus resistere nisi sunt. Fures vero reperto tandem aditu irruentes, extractis gladiis omnes pariter occiderunt.

AUCTORE B. PETRO DAMIANO.

*occisi a latronibus,*

49 Tunc thesaurum anxie perquirentes, sed eversis omnibus nihil invenientes, ut tanti reatus crimen obtegerent, et humana suspicio non armis, sed flammis potius, quod factum fuerat, deputaret, cellam incendere, et ipsa conati sunt Martyrum cadavera conflagrare. Sed admoti ignes, amissis naturæ viribus, nil omnino consumere ullis hominum studiis potuere. Ita enim eos ipsa etiam parietum materies repellebat, ac si pro lignis durissimi silices essent. Frustrati itaque fures, in fugam se conferre nituntur : sed et hoc illis ex divina providentia denegatur.
E Tota siquidem nocte per fruteta nemorum, per latitudinem saltuum, per opaca silvarum, viam anxiati sunt quærere, quam tamen nullatenus valuere errabundis vestigiis invenire. Sed neque pugiones in vaginas recondere, arefactis brachiis, potuerunt. Ubi vero Sanctorum jacebant corpora, copiosum lumen usque in diem splendescere, et dulcissima Angelicæ cantilenæ non desiit suavitas resonare.

*qui crimen tegere, aut fugere non valent,*

*arefactis brachiis : lux et cantus ad SS. corpora :*

50 Adveniente autem die, quod factum fuerat, Regem latere non potuit. Qui illico ad eremum cum numerosa populi multitudine festinavit, et ne fures evaderent, facta corona hominum, totam silvam undique circumcinxit. Qui tandem reperti sunt manifesti criminis rei, et ad gladios suos adhuc divina ex ultione ligati. Rex autem quid de eis faceret, habita consideratione deliberans, hoc postremo decrevit, ut nequaquam eos, sicut merebantur, occidi præciperet, sed ferreis catenis vinctos ad sepulcra Martyrum destinaret, quatenus aut ibi usque ad obitum in vinculis miserabiliter viverent, aut si sanctis Martyribus aliter videretur, ipsi eos sua misericordia liberarent. Qui cum ad Sanctorum tumulum fuissent ex præcepto Regis attracti, mox ineffabili divinitatis omnipotentia fractis sunt nexibus absoluti. Deinde facta super corpora Sanctorum basilica, innumerabilia non solum tunc, sed et nunc ibi fiunt ex divina virtute prodigia.
F

*ad ea solvuntur vincula latronum,*

*struitur ecclesia, fiunt miracula :*

51 Imperator autem *d* Henricus Busclavi consilium non ignorans, undique vias custodiri præceperat, ut si Busclavus Romam nuntios mitteret, in ejus illico manibus devenirent. Monachus ergo, qui nuper missus a sanctis Martyribus fuerat, demum captus est, et mox carcerali custodiæ mancipatus. Nocte vero illum Angelus Domini in carcere visitavit, et consummatos esse eos, quorum legatione fungebatur, admonuit ; statimque aperto divinitus carcere, præparatum sibi esse navigium in fluvio, quem transiturus erat, asseruit. Quo festinans monachus, Angelicæ promissionis fidem veram esse probavit.

*d*

*captivo indicata eorum cædes ab Angelo, et vincula soluta,*

a *Mechovius Polonicar. rer. lib.* 2 *cap.* 9 *ait* Benedictum et Joannem, ad instantiam Boleslai, et promotionem Imperatoris Henrici ex Pereo cœnobio viri insignis sanctitatis Romualdi, pro neophytis in Polonia educendis concessos, et tamquam Angelus Dei per nuntios ad Boleslaum adductos. *Sed cum dicatur eodem capite, anno* 1005 *occisos, patet non Henricum Imp. Sed Othonem* III *a S. Romualdo obtinuisse ut in Poloniam mitterentur, quandoquidem septem illic annis vixerint, et quarto, aut (ut alii habent) tertio regni Henrici anno, Christi* 1005 *aut* 1006 *occisi sint. Plenius de his agemus* 12 *Novembris, quo coluntur ; licet ab Hermanno Gecren, Canisio, Maurolyco ad* 19 *Junii referantur* — b *Is tunc erat* Joannes 18, *dictus* 19 — c *Plerique Poloni scriptores aiunt pecuniam iis ab Rege donatam, non ad Pontificem deferendam, sed ut in ipsorum usum cederet, ab iis vero postea ad illum remissam. Dubravius scribit, non Boleslaum, sed* Meschonem *Ducem, Boleslai patrem, ad sanctos eremitas venisse, iisque pecuniam misi*

*iis*

A lis reliquisse. Verum Miecco, ut supra diximus, jam anno 992 obierat. — d Bellum quippe (ut apud Ditmarum videre est) inter S. Henricum Imp. et Boleslaum erat; de quo ad Henrici Vitam 14 Julii.

AUCTORE B. PETRO DAMIANO.

## CAPUT X.

### *Ottonis III mors prædicta. Excursio S. Romualdi in Istriam.*

Dum moraretur autem Romualdus adhuc in Pereo, Imperator Otto monasterium ibi ad honorem S. Adelberti, eo suggerente, construxit, cui contigua Classensis cœnobii prædia contulit, et ea sibi ex fiscali possessione in Firmensis *a* monarchiæ partibus recompensavit. Abbate quoque illic ex Romualdi discipulis constituto, et Fratribus congregatis, cœpit eos sub magna Romualdus tenere custodia, et decebat eos sub regulari vivere disciplina. Præcepit etiam Abbati, ut in eremum secedens, per totam hebdomadam in cella consisteret: diebus vero Dominicis Fratres, ad monasterium veniens, visitaret. Qui sancti viri jussa contemnens, cœpit sæculariter vivere, et pede operis semel exorbitante, a rectitudinis tramite jam longius declinare. Videns ergo Romualdus, quod secundum suæ voluntatis ardorem ibi laborare non posset, Regem protinus adiit, et acceptæ promissionis exactor, ut Rex monachus fieret, insistere vehementius cœpit. At ille facturum se quidem quod exigebatur asseruit, si tamen prius Romam, quæ sibi rebellabat, impeteret, et, ea devicta, Ravennam cum victoria remearet. Cui Romualdus: Si Romam, inquit, ieris, Ravennam ulterius non videbis: et apertissime illi mortem propinquam esse denuntians, quia eum revocare non potuit, proculdubio de ejus certus interitu, dum Rex Romam properat, Romualdus navim ascendens, ad civitatem *b* Parentium transfretat. Rex itaque secundum beati viri prophetiam vix a Roma reverti incipiens, mox languore correptus, apud *c* Paternum defunctus est.

*ANIMADV PAP 26* — *a* — *Romualdus novum monasterium ab Ottone 3 strui curat:* — B — *ei mortem prædicit, brevi insecutam:* — *b* — *c*

53 Romualdus autem tribus annis in Parentinæ civitatis finibus habitans, in uno monasterium construxit, et Abbatem in eo cum Fratribus ordinavit: in *d* duobus vero inclusus mansit. Ibi nempe ad magnæ perfectionis cumulum pietas illum divina provexit, ita ut sancto afflatus Spiritu et novella ventura prospiceret, et multa veteris ac novi Testamenti occulta mysteria radiis intelligentiæ penetraret. Anxiabatur autem ibi aliquando in lacrymas erumpere, sed nullo valebat conamine ad contriti cordis compunctionem venire. Factum est ergo quadam die, dum in cellula psalleret, ut in hunc Psalmi versiculum incidisset: Intellectum tibi dabo, et instruam te: in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Repente igitur tanta sibi lacrymarum effusio orta est, et ita mens ejus ad intelligendas divinæ Scripturæ sententias illustrata, ut ex eodem die, et deinceps quamdiu vixit, et quandocumque voluisset, uberes sibi lacrymæ facillime fluerent, et plurima illum Scripturarum mysteria non laterent. Frequenter enim tanta illum divinitatis contemplatio rapiebat, ut quasi totus in lacrymas resolutus, æstuante inenarrabili divini amoris ardore clamaret: Care Jesu, care, mel meum dulce, desiderium ineffabile, dulcedo Sanctorum, suavitas Angelorum, et cetera hujusmodi, quæ ille sancto Spiritu dictante, in jubilum proferebat: nos humano sensu exprimere talia non valemus. Sicut enim Apostolus dicit, Nos, sicut oportet, orare nescimus: sed ipse Spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et ideo Romualdus Missam celebrare coram pluribus nunquam volebat, quia se a lacrymarum inundantia continere non poterat. Unde etiam postmodum præ nimia jam consuetudine vir simplicis animi, putans gratiam sibi divinitus prærogatam, omnibus esse concessam, dicebat plerumque discipulis: Cavete, ne multas lacrymas effundatis: quia et visum minuunt, et verticem lædunt. Ubicumque autem vir sanctus disponeret, oratorium cum altari primitus intra cellulam faciens, deinde se recludens, aditum damnabat.

*ad Parentium duobus monasteriis constructis* — *d* — C — *Psal 31 8* — *2 annos inclusus vivit.* — *mirabile donum lacrymarum obtinet* — *Rom 8 26* — D — *nimias suis dissuadet:*

54 Miserunt aliquando ad illum Fratres, qui morabantur in solitudine, quæ *e* Bifurcum dicitur, consilium flagitantes, qualiter conversari in eremo deberent, qualiter diabolicis impugnationibus resistere potuissent. Quorum nuntii cum ad monasterium, a quo Romualdi cella longius aberat, pervenissent, illico venerabilis vir per spiritum eorum cognovit adventum, præcepitque Abbati Ansoni, qui sibi tunc assistebat, dicens: Vade, et pulmentum Fratribus præpara, qui de longinquis partibus advenere. Qui continuo cœpit eum deridere, et dicere, quia vere falsus propheta esset. Postremo tamen velut coactus ad monasterium veniens, eos, quos vir sanctus prædixerat, orantes jam in ecclesia reperit. Quos videlicet Romualdus multo salutaris doctrinæ sale condivit, multis denique contra antiqui hostis insidias virtutum armis instruxit; et postquam eos de omnibus subtiliter docuit, cum multa eos ad eremum alacritate remisit.

*e* — *absentia cognoscit:*

a Ea vulgo Marchia Anconitana dicitur, in qua Firmum urbs archiepiscopalis S. Antoninus habet, in Firmensis Marchiæ — b Parentium, vulgo Parenzo, urbs antiqua Istriæ, in peninsula sita, ac fere tota mari circumfusa, commodum habens portum — c Ditmarus, qui tunc vivebat lib. 4 Chronici: in Paterna urbe pustellis interiora prementibus, et interdum paullatim erumpentibus, infirmatur: qui facie clarus ac fide præcipuus IX Cal. Febr. Romani corona imperii exivit ab hoc seculo, alii X Kal. Febr. alii XI, XII alii tradunt obiisse. Videtur Paternum, sive oppidum sive castellum, id esse quod circa Faventiam locum ponit Leander quamquam aliud item est in Marchia, non procul Ancona — d Petr. de Natal. ait apud Parentium tria monasteria fundasse. Augustinus primum S. Petro dicatum erexit, secundum S. Petronillæ, tertium, quod adhuc exstat, S. Michaeli. Ibi specus visitur, in qua gratiam, de qua hic mentio fit, obtinuit S. Romualdus. Est ibi petra, in qua is cubare solebat, refertque expressam ejus effigiem. — e Maurol. et Augustinus, Bifolco E

## CAPUT XI.

### *S. Romualdi reditus ex Istria in Italiam prædictiones.*

Alio quoque tempore rursus prædicti Fratres ad eum nuntios dirigunt, et de eadem se consilium majori adhuc anxietate requirunt. Quibus vir venerabilis ait: Ego nunc libellum de pugna dæmonum scribo, quem vobis, cum redieritis, dabo, vel certe ipse vobiscum forsitan venio. Hoc illi audientes, protinus in faciem se prosternunt, et ut cum illis ire dignaretur, importuna admodum supplicatione deposcunt. Altera vero die iturum secum incunctanter asseruit, et ut navim inquirerent jussit. Audiens hoc Parentinus Episcopus, nimio mœrore perculsus est. Inveniens quoque monachos propter navigium discurrentes, multis contumeliarum eos dehonestavit injuriis. Hoc etiam cunctis juxta portum manentibus promulgavit edictum, ut quicumque Romualdo navim dare præsumeret, ipse quoque una cum ipso irrevocabili profectione demigrans, Parentium ulterius non rediret. Festine igitur nuntius ad *a* Polensem Episcopum mittitur, ut beato viro navigium mittere non moretur. Sæpe namque præfatus Episcopus adhortatus illum fuerat, ut nequaquam de cetero in tam obscuro recessu inclusus lateret, sed illuc potius se conferret, ubi animarum lucrum copiosius facere potuisset, ne videlicet sicut carbo soli sibimet arderet, sed magis, ut revera lucerna super candelabrum posita, omnibus, qui in domo Dei sunt, radios suæ lucis infunderet.

*Parentio migrat, frustra impediente Episcopo:* F — *a*

56 Dum igitur nuntius, qui missus fuerat, expectaretur, Romualdus his, qui secum erant, Fratribus ait: Noveritis proculdubio, quia frater ille tardius veniet: et in alia navi nos ire prius, quam ille revertatur, oportet. Adveniente autem sancto die Dominico,

*adveniare naves, divinitus intelligit :*

A nico, in ipso primæ lucis crepusculo dixit assistenti sibi cuidam Fratri, nomine Ingelberto, qui postea Archiepiscopus in Gentibus factus est; Respice, inquiens, procul in pelagus, et vide duas naves longinquis adhuc spatiis pari adversum nos velocitate tendentes, quarum nos definite debet una suscipere. Qui curiosius intendens, et expansis oculorum radiis sollicite cuncta perlustrans, aliquod navigii signum omnino videre non potuit. At cum dies jamjamque claresceret, ecce extremo videt intuitu duas naves eminus advenientes, et præ nimia adhuc longinquitate quasi totidem volucres apparentes. Quibus tandem subeuntibus portum, interrogati remiges, utrum Romualdum cum suis in propria vellent nave suscipere, nova mox repleti lætitia, se et sua omnia in ejus potestate constituunt, et beatos se fore tam pretiosæ margaritæ pondere profitentur. Illo itaque die minas aeris formidantes ire noluerunt. Romualdus autem exhortatus est eos, ut statim in spe divinæ gratiæ iter inciperent, spondens eis, quia nullum omnino periculum sustinerent. Illi tamen tota die ibidem commorantes, nocte navigare cœperunt.

*oratione tempestatem sedat :*

57 Circa diluculum autem subito venti sæviunt, tempestas oritur, mare ab imo fundo versatur. Jam B vero furentes undique procellæ, ipsos quoque remiges transvolant, et navim hinc inde concutientes, totas pene tabulas laxant. Videres itaque homines, alios quidem se ad natandum exuere, alios vero diversis se palustribus religare, quosdam autem, ut supernatare fluctibus possent, remos, aut lignum aliquod strictum tenere. Cumque in tanto discrimine non jam dubium desperatis omnibus naufragium immineret, illico Romualdus ad solita videlicet orationis armamenta cucurrit, et reclinato paullulum capitio, capite devexo in gremium, preces sub silentio ad Dominum fudit : deinde Ansoni Abbati, qui comminus assidebat, secure præcepit, dicens : Denuntia nautis, ut nequaquam timeant, sed omnes se incolumes evasuros absque ulla penitus ambiguitate cognoscant. Vix modicum post hoc, et ecce ultra omnium spem, absque ullo humano studio ipsa se navis dirigit, et mox in portum Capreolæ civitatis delapsa, celeriter subintravit. Tunc omnes liberatori Deo dignas referunt gratias, et manifeste se de faucibus mortis ereptos Romualdi meritis profitentur.

*prædicit asseveranter serenitatem :*

*curiosas cellas aversatur :*

58 Veniens itaque Romualdus Bifurcum, visis omnium Fratrum cellis, quia superstitione quadam ambitiosæ videbantur, in nulla earum habere hospi- C tium voluit, nisi in illa solummodo, in qua *b* Petrus venerabilis ejus discipulus habitabat. Vir siquidem mirabilis abstinentiæ, multæque admodum extremitatis, qui cellulam sibi ad S. Hilarionis exemplum vix unquam largiorem fieri quatuor cubitis permittebat. Referebat autem nosse idem venerabilis vir, quia dum B. Romualdus cum ipso maneret, et psalmos inter se vicariis versibus alternaret, tricies in nocte, vel eo amplius se Romualdus ad requisita naturæ ire simulabat, quoniam affluentium lacrymarum inundantiam atque singultus cohibere non poterat. Cumque ibi Romualdus aliquandiu moraretur, et Fratres non solum de spirituali certamine, verum etiam ut sibi Abbatem præferrent, et communia cuncta facerent, admoneret; illi, quia suum habebat unusquisque sustentatorem, et prout cuique libuerat, proprii sequebatur arbitrii libertatem, Romualdi præcepta suscipere non magnopere curaverunt.

*dissimulat copiam lacrymarum :*

Pola *urbs.*

a Pola *Istriæ pervetusta et munita civitas, antiquum retinens nomen. — b Bucelinus et Wion hunc in Catalogo Beatorum Ord. Camaldulensis vocant* B. Petrum de Bifurco.

## CAPUT XII.

### *In Camerinensi ditione condita a S. Romualdo cœnobia : castigati Simoniaci.*

Romualdus ergo sterilitatis impatiens, anxia cœpit aviditate perquirere, ubi terram potuisset ad proferendos animarum fructus idoneam invenire. Misit D itaque nuntios ad Camerinæ *a* provinciæ Comites. Qui audito nomine Romualdi, nimio repleti gaudio, cuncta suæ virtutis offerunt prædia, non modo silvarum et montium, sed si sibi etiam placeret, agrorum. Postremo repertus est in eorum possessione locus, ereniticæ conversationi satis congruus, montibus undique vallatus et silvis. In medio vero ampla quædam planities non solum proferendis frugibus apta, sed perspicuis etiam fontibus irrigua. Hic itaque locus, Vallis de Castro antiquitus vocabatur, ubi jam parva erat ecclesia, in qua conversarum quarumdam mulierum videbatur esse conventus. His itaque loco cedentibus, constructis cellulis, illic habitare cum suis discipulis vir venerabilis cœpit. Ibi autem quantos animarum fructus per illum Dominus acquisiverit, quis valeat vel atramento describere, vel lingua proferre? Cœpere namque homines ad pœnitentiam hinc inde confluere, sua pauperibus misericorditer erogare; alii seculum omnino relinquere, et ad sanctæ conversationis ordinem spiritu fervido festinare. Erat enim vir beatissimus, quasi unus de Seraphin, quia et ipse flamma divini amoris incomparabiliter E æstuabat, et alios, quocumque pergeret, sanctæ prædicationis facibus accendebat. Sæpe namque, dum prædicationis verba proferret, tanta illum compunctio in lacrymas excitabat, ut subito interruptum sermonem relinquens, aliquorsum repentino impetu velut amens aufugeret. Nam et si quando cum Fratribus equitabat, longe post alios veniens, semperque psallens, nihilominus ac si in cella resideret, jugiter lacrymas effundere non cessabat.

*AUCTORE B. PETRO DAMIANO, abit ad Camertes.*

*a*

*ibi monasterium Vallis Castri ædificat :*

*ingentem fructum facit :*

*assidue ex devotione lacrymatur.*

60 Inter ceteros autem, præcipue seculares Clericos, qui per pecuniam ordinati fuerant, durissima severitate corripiebat, et eos, nisi ordinem sponte desererent, omnino damnabiles et hæreticos asserebat. Qui novam rem audientes, occidere illum moliti sunt. Per totam namque illam monarchiam usque ad Romualdi tempora, vulgata consuetudine vix quisquam noverat, Simoniacam hæresim esse peccatum. Qui dixit eis : Canonum mihi libros afferte, et utrum vera sint, quæ dico, vestris attestantibus paginis comprobate. Quibus itaque diligenter inspectis, et crimen agnoscunt, et errata deplangunt. Constituit itaque vir sanctus plures Canonicos et Clericos, qui laicorum more seculariter habitabant, Præpositis obedire, et communiter in congregatione vivere docuit. Nonnulli quoque Episcopi, qui per Simoniacam hæresim sacras Sedes invaserant, ad eum caussa pœnitentiæ concurrebant. Qui etiam venerabili viro se F committentes, et episcopatum termino statuto deserere, et ad sanctæ conversationis se promittebant ordinem festinare. Ex quibus tamen vir sanctus quamdiu vixit, nescio si vel unum convertere potuit. Est enim venenata illa hæresis, præsertim in Episcopali ordine, tam dura et ad convertendum rigida, ut semper promittens, semper de die in diem producens, atque in futurum procrastinans, facilius possit Judæus ad fidem converti, quam hæreticus latro pleno ad pœnitentiam provocari.

*increpat simoniacos, cum vitæ periculo*

*multos convertit :*

*etsi Episcopi, licet promitterent :*

61 In eisdem quoque partibus vir sanctus monasterium condidit puellarum. Solenni autem quadam die, dum vir venerabilis illic cum Fratribus in Capitulo resideret, et eos salutaris doctrinæ dapibus satiaret, repente ipsum interrumpens sermonem, anxia quadam voce exclamare cœpit, et dicere : Agite, agite, quantocyus properate, quia jam Fratris Gregorii cellam fur frangit : hic autem *b* Gregorius Archiepiscopus in Gentibus postmodum consecratus est. Qui protinus exilientes, ad cellam perniciter currunt, et furem jam parietes infringentem inveniunt. Quem capientes, ad Magistrum pertrahunt, et quid de tam sacrilego

*monasterium Virginum condit :*

*b*

*absentia cognoscit :*

*AUCTORE B. PETRO DAMIANO.*

A sacrilego raptore faciendum esset, inquirunt. Quibus vir sanctus cœpit hilariter dicere : Et ego, Fratres, ignoro, quid de tam malo homine possimus facere. Eruimus illi oculos? Sed postea non videbit. Incidimus ei manus ? Sed amplius non laborabit, et per hoc forsitan fame peribit. Si pedem truncamus, ambulare non poterit. Sed intro eum minate, et cibum illi prius apponite, ut quid de eo faciendum sit, interim pertractemus. Et ita vir sanctus exultans in Domino, postquam cibari latronem fecit, deinde modeste correptum, et dulcibus verbis admonitum redire ad propria in pace permisit.

*furem cibo recreatum dimittit.*

a *Eos opinor, qui Marchiam Anconitanam (in qua Camerinum, ad Umbriæ confinia) regebant, ubi Hugone Marchione, ut supra ex B. Petro Damiano retulimus, abdicatam atque Imperatori resignatam Rubeus scribit, præcipue Faroldum Comitem Sancto opem tulisse ad ædificandum Vallis-Castri cœnobium, duabus ejus miraculis motum, quia et ipsi ossiculum gutturi inhærens, quo pene suffocabatur evellerat, et feroces duos tauros cingulo suo injecto cicurarat, usus deinde iis ad materiem fabricæ advehendam.* — b *Ita fortius eumdem facit cum Ingelberto, de quo cap. 11 num.* 57. Gregorius Ingelbertus, *inquit,* Pisarum Archiepiscopus. *Uterque* B. *Petrus Damianus utrumque Archiepiscopum in Gentibus scribit fuisse. Neque apud Ughellum tom.* 3 *Italiæ sacræ, in catalogo Pisanorum Episcoporum, ullus aut* Gregorius *aut* Ingelbertus *reperitur.*

## CAPUT XIII.

B *In Orvietana ditione gesta a S. Romualdo. Profectio in Ungariam.*

Postremo dimissis in Valle de Castro nonnullis de suis discipulis, ad regionem se *a* Urbis Veteris contulit, et in possessione Pharulphi Comitis monasterium, multis quidem suffragantibus, sed eo maxime expensas præbente, construxit. Tantus namque in sancti viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat, ut effectis nunquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret, adeo ut putaretur totum mundum in eremum velle convertere, et monachico ordini omnem populi multitudinem sociare. Multos denique illic de seculo abstulit, quos per plura sacra loca divisit. Nonnulli quoque nobilium filii, contemptis parentibus, ad virum beatissimum fugiebant. Ex quibus etiam filius Guidonis Comitis fuit, qui in ipsa pueritia, *b* non longo tempore postquam monachus factus est, ad mortem veniens, vidit duos iniquos spiritus, quasi nigerrimos vultures, terribiles in se oculos infigentes. Cumque hoc assistenti sibi B. Romualdo puer ediceret, protinus addidit : Ecce Magister, tanti nunc Æthiopes intrant, ut jam totum ædificium repleant. Exhortatur autem, ut confiteretur quid deliquisset, hoc solummodo crimen felix C ille peccator cum magno terrore confessus est, quia jussus fuerat a Priore nescio quot scapus accipere, quas necdum acceperat. Romualdo igitur sibi tanti facinoris veniam indulgente, *c* in pace defunctus est. Postera vero die cæcus quidam, præbendarius videlicet patris ejus, ad sepulchrum illius venit, et altiori voce clamavit, Heu domine, inquit, meus, si cum Deo es, sicut credo, preces pro me ad eum funde, et oculorum mihi lumen restitue. Et hoc dicto, statim illuminatus est. Nonnulli quoque ægroti ad ejus tumulum venientes, redditi sunt sanitati. Nam et ipsum ejus sepulchrum velut multis plenum aromatibus redolebat. Et ita a Deo meruit honorari post mortem, qui pro ejus amore, dum viveret, carnalium parentum sprevit hæreditatem.

*a monasterium circa Urbem veterem condit :*

*multos a seculo convertit,*

*b*

*in iis nobilem adolescentem,*

*qui brevi mortuus, tentatur a dæmonibus,*

*c*

*miraculis claruit :*

63 Interea Romualdus audiens, quia beatissimus vir Bonifacius martyrium suscepisset, nimio desiderii igne succensus, ut pro Christo sanguinem funderet, Hungariam mox ire disposuit. Interim tamen dum in ipsa intentione persisteret, brevi tempore tria construxit monasteria, unum videlicet in Valle de Castro, ubi nunc sanctissimum corpus ejus est conditum : aliud prope *d* Isinum fluvium, tertium juxta oppidum condidit *e* Esculanum. Deinde licentia ab

*3 monasteria ædificat*

*d*

*e*

Apostolica Sede suscepta, et duobus e suis discipulis D in Archiepiscopos consecratis, cum viginti quatuor Fratribus iter arripuit. Tantus enim ardor moriendi pro Christo in omnibus æstuabat, quod vir sanctus ad tale negotium cum paucis ire difficile poterat.

*cum 24 it in Hungariam.*

64 Euntes ergo cum jam ipsis Pannoniarum finibus interessent, repente Romualdus languore correptus, ulterius ire non potuit. Cumque diutius pateretur, si quando redire disponeret, protinus ex ægritudine convalescebat : sin autem ire ultra tentaret, tota ejus facies protinus intumescebat, cibos quoque jam retinere stomacho languescente non poterat. Advocatis itaque Fratribus ait : Perpendo, nequaquam divinæ voluntatis esse judicium, ut ultra progrediar. Verumtamen quia intentionis vestræ desiderium non ignoro, neminem vestrum redire compello. Multi nempe etiam ante nos totis nisibus studuerunt ad martyrii culmen pertingere, sed quia divina providentia aliter sensit, in suo gradu coacti sunt remanere. Licet ergo vobis omnibus martyrium defuturum esse non ambigam, qui tamen ire, qui mecum redire voluerit, uniuscujusque relinquatur arbitrio. Quindecim igitur Hungariam prodeuntibus, duobus alibi jam dimissis, vix septem cum Magistro discipuli remanserunt. Euntium autem quidam flagellantur, venduntur, plures dominos subeunt; ad martyrium tamen, sicut vir sanctus prædixerat, non pertingunt. E

*impeditur divinitus.*

*15 eo pertingunt, et multa patiuntur.*

a Urbs vetus, *vulgo nunc* Orvieto, *ad Paliæ Claniique amnium confluentes, qui haud procul inde Tiberi miscentur, creditur olim* Herbanum *dicta. Augustinus Florentinus, et Silvester Maurolicus* Civita vecchia *interpretantur, quæ urbs ad maresiam, ubi olim* Centumcellæ. — b *Petr. de Natal.* Longo tempore in sancto proposito vixit. *Quomodo ergo* puer *dicitur obiisse?* — c *Wion, Bucelinus, de Minis in Catal. BB. vocat B. Guidonem Faroldi Comitis filium, cum hic dicatur Guidonis filius. Colitur* 20 *Maii (ut ex Ferrarii catal. SS. Italiæ, et Silvani Razzii tom.* 2 *de SS. Etruscis patet)* S. Guido Eremita, *sed alius, ut videtur, et istic inquirenius.* — d *Is est* Æsis, *limes olim Umbriam inter et Picenum, qui aliis* Æsinum flumen, *vulgo* Esino fiume, *et accolis* Fiumesino fiume. — e Asculum, *quibusdam (ut hic B. Petro Damiano)* Esculum, *dictum, vulgo* Ascoli, *urbs est Piceni ad Truentum flumen.*

Urbs vetus.

*Æsis est.*

Asculum *urbs.*

## CAPUT XIV.

*Mali Abbates correpti a S. Romualdo. Fures repressi.*

Romualdus autem, converso quodam nobilissimo viro, Adhelberonis videlicet Ducis consanguineo, qui postea monachus factus, in sancta usque ad mortem conversatione permansit, aliisque Theutonicis, ad monasterium, quod in Urbis-Veteris regione construxerat, rediit. Notandum itaque est, quia sanctus vir nequaquam velut levitate usus falli inaniter potuit, qui secundum intentionem quidem suam martyrium subiit, juxta divinum vero consilium F pro salute eorum missus est, quos convertit. In prædicto igitur monasterio multa persecutionis scandala passus est. Volebat enim Abbatem, ut revera monachum, extremitatem diligere, secularia ex desiderio non tractare, res monasterii pro vana gloria non expendere, Fratrum usibus necessaria ministrare. Quæ omnia dum ille surda aure contemnit, Romualdus locum cum suis discipulis deserens, non longe a castro prædii in virtute *a* Raynerii, qui postmodum Tusciæ Marchio factus est, habitavit.

*Abbatis vani monasterium relinquit*

*a*

66 Hic autem Raynerius conjugem suam occasione propinquitatis abjecerat, et consanguinei sui uxorem, quem ipse se insequentem quodammodo invitus occiderat, in conjugem copularat. Ob hoc itaque Romualdus, ne criminis ejus particeps fieret, gratis manere in ejus possessione noluit, sed unum sibi aureum pro aqua, alterum vero pro lignis appendit. Quos cum ille omnino respueret, malens videlicet sua dare, quam a sancto viro quicquam recipere, postremo tamen victus assensit potius, quam Romualdus abiret. Dicebat autem idem Raynerius, cum jam monarchiam obtineret :

*vel gratis vult a peccatore accipere*

A obtineret: Quia non Imperator, non aliquis omnino mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret adspectus. Ante ejus quippe vultum neque quid dicam scio, neque quibus me defendere valeam, ullas excusationes invenio. Habebat revera vir sanctus hanc ex divino munere gratiam, ut quicumque peccatores, præsertim potentes seculi, in ejus præsentiam devenissent, mox velut ante majestatem Dei tremefactis visceribus formidarent. Sanctus nimirum Spiritus, qui pectori ejus habitator inerat, hunc terrorem injustis divinitus intendebat.

*terrori est malis Principibus.*

67 Illis vero temporibus vir venerabilis unum monasterium non longe a *b* Massiliano castro construxit. Audiens autem aliquando, quia Venetus quidam Classensem abbatiam per coemptionem Simoniacæ hæreseos invaserat, insuper quoque in corpus suum inique peccabat; illuc protinus ire miles Christi impiger studuit, diversisque modis ex eo ipsum monasterium purgare tentavit. Vir autem reprobus dum abbatiam metuit perdere, non timet homicidium perpetrare. Intempesta siquidem nocte, dum Romualdum in lecto secure quiesceret, ille eum latenter aggressus, impiis cœpit digitis guttur ejus adstringere, nitens eum crudeliter suffocare. Sed dum vir sanctus B necdum prorsus intercepto spiramine, anhelitu vix eluctante, rauciret, Ingelbertus illico Magistri singultibus excitatus, torrem mox ex sepito igne corripuit, et ministrum diaboli ab incepto nefandissimi criminis exturbavit.

*simoniacum et impurum Abbatem increpat,*

*a quo fere occisus:*

68 Post hæc Romualdus denuo Parentium navigavit; sed Apostolicæ Sedis *c* Antistes et Romani cives, ad eum redeundi legationem dirigunt. Quod si reverteretur, facturos se omnia ejus præcepta promittunt: sin autem, excommunicationis sententiam comminantur. Hoc itaque modo suum Romualdum alumna Italia recuperare promeruit. Eo itaque tempore in faucibus *d* Callensium montium aliquamdiu mansit, deinde in Petranum montem, non longe videlicet a monasterio S. Vincentii, quod juxta Candilianum constitutum est fluvium, demigravit. Quocumque autem vir sanctus ibat, semper fructificans, semper animarum lucrum magis ac magis accumulans, et homines de seculo abstrahens, velut totus in ignem conversus, ad cœleste desiderium animos hominum accendebat.

*Parentio revocatur in Italiam a Pontifice.*

69 Volens autem tunc locum ad eremum faciendam idoneum invenire, præcepit cuidam Presbytero, ad domum propriam rediens, sibi et his qui eum comitabantur, alimenta deferret. Deinde montem indagine studiosa perlustrans, postremo quemdam monachum juxta parvam basilicam habitantem reperit, a C quo mox ut secum pergeret, et locum ostenderet, ubi aqua inveniretur, exegit. Qui nimirum denegavit se domum sine custode posse relinquere, quia latronum insidiantium impetum formidaret. Ad hæc Romualdus se recompensaturum, si tale quid accidisset, cuncta spopondit. Sicque jam alienæ injuriæ debitor factus, monachum secum duxit. Illis itaque locum quærentibus, ecce Presbyter ut jussus fuerat, prandium deferens, furem jam domum infringentem reperit, repertum cepit, captum usque ad Romualdi reditum custodivit. Quem Romualdus inveniens, prius illum pia studuit verborum austeritate corripere; deinde dulciter admonens, incolumem permisit ad propria remeare. Sic nimirum, sic divina providentia servavit illæsum, quod in absentis Romualdi custodia fuerat derelictum.

*servat illæsum monachi cellam,*

*fure increpito et dimisso:*

70 Rursus dum in eisdem partibus cellas construeret, (erat autem sarcina procul ab eis sub quodam saxo reposita) tunc vir venerabilis quemdam Fratrem illuc quasi cum quodam impetu propulit, præcipiens sibi, ut nimis anxie festinaret. Qui mox fures superveniens, illos quidem jam rapere tentantes reperit, sed nihil adhuc ex his, quæ reposita fuerant, deesse cognovit. Qua ex re recte colligitur, beatum virum non sine divinæ revelationis instinctu, Fratrem cum tanta sollicitudine destinasse, ipso videlicet puncto, quo fures ad rem non custoditam contigit pervenisse.

*sarcinam monachorum a furibus servat*

D 

71 Post hæc Romualdus ad monasterium Vallis de Castro revertitur, moxque Abbatem sic alios regere, ut semetipsum tamen nequaquam negligeret, exhortatur. Volebat insuper, ut cellam, qua usus fuerat, occasione regiminis non omnino desereret, sed in ea sibimet spiritualiter vivens, præcipuis tantum festivitatibus Fratres admonitionis gratia visitaret. Erat enim beato viro tam odiosa ista, quam cernimus, *e* Abbatum conversatio, ut non minus gauderet, si de manu cujusque abbatiam potuisset evellere, quam si daretur sibi potentissimum quemlibet secularium ad sanctæ conversationis ordinem convocare. Sed, sicut per Salomonem dicitur, Velut acetum in nitro, ita qui cantat carmina cordi perverso; ille prædicatione venerabilis viri de malo deterior factus, Comitissas loci dominas protinus adiit, et ut ligna, quibus Romualdi cellæ debebant construi, minutatim incidi præciperent, sacrilega machinatione suggessit. Eo itaque modo alta paradisi cedrus de terrenorum hominum silvis ejecta est. E

*Abbates vult ut monachos vivere.*

Proverb. 25, 20

*odio patitur adversarios:*

a *Dubitoin hic ille sit* Rainerius Marchio, *ad quem extat B. Petri Damiani ep. 17 lib. 7 et ad ejus uxorem* Guillam *ep. 18, ubi Rainerii patrem* Uguzonem Marchionem *fuisse indicat. Ipse vero cum eam epistolam scripsit, senex jam erat, uti inde colligitur: Guilla vero juvencula, certe recens nupta.* — b *Petr. de Nat.* Castrum Maximianum *vocat, Augustinus* Manlianum. — c *Hieronymus in 2 Vita cap. 10 num. 61 ait hunc fuisse* Silvestrum 2. — d Callium, *olim* Cale et Cales, *ac fortassis* Calles, *civitas est Umbriæ inter* Cantianum et Boatium, *sive* Boasum, *amnes, qui deinde* Metauro *miscentur, vulgo* Cagli *ab Italis appellatur. Alio nunc ædificata loco atque olim, ipsoque adeo S. Romualdi ævo, fuit. Nomen mutavit Nicolaus IV Pontifex, cum ut in* planum sancti Angeli *transferretur annuit, statuitque ut* Civitas sancti Angeli Papalis *appellaretur. Ita post alios Ughellus tom. 2 Italiæ sacræ in Calliensibus Episcopis, ubi Nicolai diploma recitat, datum ann. 1 ejus pontificatus, qui erat Christi* 1288. — e *Acrius etiam in hos invehitur Vitæ 2 auctor.*

Callium, civitas S. Angeli Papalis

## CAPUT XV.

### *S. Romualdi miracula. Persecutiones a discipulis. Scripta.*

Inde vero progrediens, non longe ab Apennino monte, in loco qui dicitur *a* Aquabella, manere constituit. Illic sane dum seculares quidam cum discipulis ejus habitationum tecta construerent, Romualdus autem quia jam præ senectute laborare non poterat, et solus hospitium custodiret, Presbyter quidam intolerabilem dolorem in dentibus sentiens, opus ædificii invitus reliquit, et postulata a Fratribus licentia, redire F domum miserabiliter ejulans cœpit. Cumque per Romualdum transitum reversionis haberet, interrogatus cur abscederet, mox casum suæ passionis innotuit. Tunc Romualdus hianti locum ubi patiebatur, digito tetigit, dicens: Ignitam subulam, ne labrum lædat, in calamum mitte, et hic pone: sic dolor aufugiet. Vix Presbyter unius jugeris spatio ultra progressus est, et confestim omni dolore deposito, ad opus, quod reliquerat, sanus et incolumis repedavit, claris nimirum vocibus exclamans, et dicens: Gratias tibi agimus, omnipotens Deus qui regionem nostram splendore tanti sideris illustrare dignatus es. Vere Angelus Dei, vere Propheta sanctus, et lux magna, occulta mundo, in finibus nostris apparuit. Hæc et alia multa in Dei laudem vociferans, vix a beati viri discipulis tacere compulsus est. Nam si talia verba ad Romualdi aures qualibet occasione pertingerent, gravissima cor ejus indignatione ferirent.

*a*

*dolorem dentium tactu digiti pellit:*

73 Alio quoque tempore, *b* cum in quadam eremo valde speciosa et egregia, cui nomen est Camaldulensis, quam ipse ædificaverat, in cella resideret, magnam aliquam fagum, quæ prope cellam ejus adstabat,

*b* *arborem ruentem ab cella avertit:*

A silentium continuum inviolabiliter tenuit. Verumtamen tacente lingua, et prædicante vita, vix usquam tantum laborare aliquando potuit, vel in convertendis hominibus, sive ad pœnitentiam concurrentibus.

79 Vivebat autem, vergente jam senectute, nimis districte, videlicet cum jam et ipsi perfecti viri solent remissius vivere, et aliquid sibi de sui propositi rigore laxare. *senex stricte jejunat in Quadragesima :* Nam per unius Quadragesimæ spatium nihil aliud neque in cibo, neque in potu penitus habuit, nisi de modica farina et paucis herbis sorbitiunculam faciens, ex ea ad imitationem Hilarionis vixit. Quinque vero hebdomadibus nihil aliud comedens, ad modicum se infusi ciceris adstrinxit. Et ita Romualdus per multa alia vivendi genera, quid sua virtus posset, per hæc et illa se jugiter exercendo, tentabat. Studebat quippe discretus Christi miles ad novum se certamen semper accingere, et cum jamjam cadere videretur, adhibita mox misericordia, vacillans corpusculum relevare. *cilicium mutat, non lavat* Duo autem, vel etiam tria quandoque habebat cilicia propter nascentem corporis importunitatem, quæ lavari nullatenus permittebat, sed ea potius ad imbrem projiciens, post triginta dies mutare consueverat. Novaculam autem nunB quam in suum caput patiebatur ascendere, sed ipse sibi perraro solebat excrementa capillorum et barbæ *se tondet ;* a forficibus attondere. Si quando vero eum ex aliquo esculentiori cibo gulæ vitium titillaret, *gulam irritat :* mox accurate illum præparari præcipiens, ori et naribus apponebat et solum captans odorem, dicebat : O gula, gula, quam dulcis, quam suavis modo tibi saperet iste cibus! sed væ tibi, ex eo nunquam gustabis ; et sic intactum ad cellarium remittebat.

80 Sed quanquam vir sanctus tantam erga se servaret austeritatem, semper tamen hilarem vultum, semper serenam faciem ostendebat. Nam Frater quidam, Gregorius nomine, gravissimum capitis dolorem se perpeti aliquando conquestus est. *dolorem capitis a dæmone immissum,* Qui cum ad beati viri cellulam, ubi et alii Fratres tunc erant, cum nimia lamentatione venisset, mox ut eum vir venerabilis vidit, hunc dolorem nequaquam humorum inæqualitati, sed insidiis antiqui hostis indubitanter adscripsit : et mox quasi deridens eum, ut erat semper alacri vultu, per fenestram cellulæ sibi insufflavit in frontem, et ut ceteri omnes, qui aderant, similiter facerent, innuit. *sanat insufflatus* Hoc autem facto, ita sanatus est, ut nullum penitus sentiret in suo capite doloris remansisse vestigium. Arbitror quod idcirco vir sanctus C hoc facere voluit, quia per Spiritum sanctum, qui in ejus pectore præsidebat, effugandum esse iniquissimum hostem, doloris immissorem, credidit. Ad evitandam vero propriam laudem, et ludum finxit, et socios quæsivit. Nam et Redemptor noster insufflasse legitur, cum Spiritum sanctum Apostolis dedisse perhibetur. *Joan. 20. 22*

81 Vir quidam capitis patiebatur insaniam, ita ut *insaniam osculo :* sensu rationis amisso, vel quid ageret, vel quid diceret, funditus ignoraret. Huic Romualdus nihil aliud fecit, nisi solummodo osculum præbuit, et protinus illum ad incolumitatem pristinam revocavit : et cum inquieto homine dum pacem fecit, ad mentis eum suæ pacem reduxit. Referebat autem postmodum ille qui curatus fuerat, dicens : Quia cum sacra beati viri labia tangere merui, statim prodire ex ore ejus quasi vehementis auræ spiritum sensi, qui totam faciem meam, et ipsum denique sinciput perflans, omnem cerebri æstuantis ardorem protinus effugavit.

82 Alio quoque tempore idem, qui supra, Gregorius tam virosam et marcidam tolerabat in cruribus scabiem, ut jam ex elephantiæ morbo crederet tam *scabiem et tumorem in cruribus* gravem prodire tumorem. Huic Romualdus hoc præcipuum medicinæ genus indixit, videlicet ut crura per tres dies frigida aqua perfunderet, promittens quia hoc modo sanitatem pristinam recuperaret. Quod D tamen ille adimplere studuit, nimirum magis necessitate jussionis, quam recipiendæ fiducia sospitatis. *AUCTORE B. PETRO DAMIANO.* Mirum satis, et solum divinæ potentiæ referendum. Confestim tibiarum tumor deponitur, virus omne siccatur, et penitus omni languore deposito, Frater sanus per omnia redditur. Credi ergo rationabiliter potest, quia eodem spiritu Romualdus discipulo, ut *terna lotione imperata : 4 Reg. 5. 10* ter aquis tumentia crura perfunderet jussit, quo Elisæus Naaman leprosum lavari septies in Jordane mandavit.

a *Surius et gemina B. Petri Damiani editio,* forcipibus.

## CAPUT XVII.

### *Punita divinitus detractio, inobedientia, irreverentia.*

Nonnulli tamen, carnales videlicet homines, eum malitiose reprehendere, et ejus dicta vel facta non timebant levitatis vitio deputare. Quidam namque *absentia divinitus agnoscit ;* ejus discipulus in alia procul eremo morabatur. Qui propinquorum necessitati aliquando condescendens, pro eorum utilitate tandem velut invitus Romam ire Quadragesimali tempore acquievit. Quod mox vir sanctus per Spiritum recognoscens, velut indignans E scripsit adstanti cuidam Fratri, quod videlicet ille bonus vir pro hujusmodi negotio Romam ire præsumpsit. Ille autem admirans, unde hoc Magister *quod quidam diabolo tribuens, et dejerans,* cognosceret, cum quo videlicet nemo aliunde veniens colloquium habuisset, rem sollicite perquisivit ; et ita esse, sicut vir venerabilis dixerat, comprobavit. Pergit ille ad alium suum condiscipulum, videlicet Ingelbertum, qui inclusus manebat, et Magistrum hæc dixisse, et sine dubio prophetiæ spiritum habere prorsus affirmat. Ille autem detestans, et penitus denegans, Fratrem corripuit, et quia hoc falsum esset, imprecationis se vinculis obligavit, dicens : Si Romualdus hoc per prophetiæ spiritum, et non magis per diabolum dixit, non me omnipotens Deus in hoc reclusorio perseverare permittat. Dictum factumque est. Nam vix paucis diebus transactis, Ingelbertus, *punitur :* fracto reclusorio, sine Magistri licentia abiit, et eum in hac vita (sicut dicitur) numquam ulterius vidit.

84 Alius Frater, Gaudentius nomine, Abbatis videlicet hujus monasterii S. Vincentii pater, cum magno fervore conversus, ardentiori postmodum spiritu in Dei est servitio conversatus. Hic aliquando a D. Romualdo licentiam petiit, quia vellet cuncta jam F pulmenta relinquere, et pane cum aqua contentus, pomis quoque sive crudis oleribus victitare. Hoc igitur impetrato, cum in eodem proposito infatigabiliter permaneret, Tedaldus quidam alius Frater infirmitati illius indiscrete compatiens, adire Magistrum *abstinentiam arctam cuidam prohibet,* studuit, et quia Frater ille tam grave pondus portare non posset, et hanc ejus obstinationem frangi omnino debere suggessit. Romualdus autem, utputa vir simplicis animi, Tedaldi verbis assensum dedit, et Gaudentio talis vitæ licentiam abstulit. Ille vero graviter ferens, nequaquam amplius cum Thedaldo in eremo in qua eos Romualdus posuerat, passus est habitare, sed Ingelberto qui a Romualdo disjunctus fuerat, se subdidit, et ab eo consensum prædictæ conversationis accepit. Hic itaque Gaudentius non multo post *at pro eo in inobedientia mortuo orari primum vetat,* tempore defunctus est, et in cœmeterio B. Vincentii juxta corpus a Berardi venerabilis viri, qui æque Romualdi discipulus fuerat, est sepultus. Romualdus autem, quia ille in prævaricatione inobedientiæ vitam finierat, orationem pro eo fieri penitus interdixit.

85 Aliquanto autem post tempore monachus quidam prædicti cœnobii, dum matutinam synaxim cum reliquis Fratribus celebraret, repente tam acrem dolorem sentire dentibus cœpit, ut jam in Choro ad psallendum

*AUCTORE B. PETRO DAMIANO.*

A psallendum stare omnino non posset. Qui protinus exiens, super sepulchrum se *a* Berardi atque Gaudentii lamentando jactavit, et medelam sibi per eos provenire sperans, medium se inter utrumque constituit : dumque ibi aliquamdiu jacens oraret, mox eum somnus oppressit. Illico sane videt Berardum sacerdotalibus ornamentis splendidissime decoratum, et tenentem in manibus librum aureis litteris scriptum, ante altare scilicet stare, et Missarum solennia celebrare. At cernit Gaudentium mœrentem, demisso vultu post tergum Berardi procul assistere, et velut excommunicatum, sacris appropinquare mysteriis non audere. Qui mox locutus est ei, dicens : Vides, Frater, illum Berardi librum mirabiliter deauratum? Ego quoque talem per omnia nunc haberem, nisi illum mihi, (heu, heu) Tedaldus monachus abstulisset. Statimque Frater evigilans sanus et incolumis, fugato omni dolore, surrexit. Deinde lætus visionem suam Fratribus per ordinem retulit. Quod Romualdus audiens, illico præcepit Fratribus, ut jam Gaudentio fraternam caritatem impenderent, atque pro eo enixius orarent. Unde non sine ratione colligitur, quod ille, qui privatus societate Romualdi, librum quem meruerat perdidit, jam ejus gratiæ restitutus B et orationibus sublevatus, eumdem librum recuperare meruit : et quem Tedaldus non nisi per Romualdum abstulerat, jam Romualdus orando pro illo cum omnibus simul Fratribus reddat.

*visione quadam audita,*

*orat ipse et orare alios jubet.*

86 Aliquando vir venerabilis cujusdam caussa necessitatis in viam ire disponens, uni discipulorum cellam commisit, et usque ad suum reditum in ea illum manere præcepit. Ille vero temerarius, dum debiti honoris reverentiam Magistro non servat, audacter in ejus strato jacere non dubitat. Ecce autem in illa nocte maligni spiritus super eum immaniter irruunt, gravissimis eum verberibus atterunt, et projectum de lecto, pene semineccm derelinquunt. Merito namque tam superbos suæ offensionis ultores pertulit, qui in talem virum, postposita humilitate, peccavit : et dum pio Magistro non exhibuit reverentiam, ex duris et impiis sensit manibus disciplinam. Similiter quoque venerabilis vir iter acturus, alium in eadem cella discipulum dereliquit. Cui cum discipulus diceret : Magister, ego in lecto tuo non jaceo, quia quod alii contigit, mihi etiam consequenter evenire formido ; ille respondit : Fili mi, jace et dormi securus. Ille enim in eo recubans, idcirco in manus inimicorum incidit, quia parvitatis meæ li- C centiam non accepit. Tu autem accepto consensu, in Deo spem pone, et sine pavore quiesce. Qui videlicet in eo, sicut jussus fuerat, jacuit, et nullum omnino casum adversitatis incurrit.

*Quidam in ejus lecto jacens, a dæmonibus verberatur*

*non alter, cui id permiserat*

87 Secularis quidam vir, Arduinus nomine, Romualdo se ad suscipiendum sanctæ conversationis habitum tradidit : deinde domum, ut sua quæque disponeret, remeavit. Cumque eum uxor sua venientem vidisset, fœmineo nimirum furore succensa, exclamavit adversus eum, dicens : Sic bone vir ab hæretico illo et antiquo seductore nunc venis, et me miseram et destitutam omni humano solatio derelinquis? Et, hoc dicto, protinus in amentiam vertitur, et ita furere et conquassari cœpit, ac si patenter a dæmonio vexaretur. Habebat autem vir sanctus hujusmodi consuetudinem, ut si quando Fratres in viam dirigeret, benedictionem illis, sive panem, sive pomum, seu quodcumque aliud daret. Unde discipuli, ut experti multoties fuerant, certum tenebant, quod si ex benedictione Magistri cuilibet ægroto porrigerent, ad salutem illum incolumem revocarent. Nam et ex aqua, unde manus ejus abluebantur, plures languidi sæpe restituti sunt sanitati. Quod tamen cautissime oportebat fieri, ne si vir sanctus hoc aliquatenus deprehenderet, in gravissimam tristitiam deveniret. Cum igitur diu jam fœmina miserabiliter D vexaretur, quidam Fratres, qui aderant, de benedictione panis, quam a Magistro susceperant, ei particulam tradiderunt. Deinde cum hoc mulier comedisset, mox mente sedata, ab omni redditur insaniæ furore liberrima. Quæ protinus omnipotenti Deo, et Romualdo famulo ejus, recuperatæ sanitatis gratias retulit, et viro suo conversionis licentiam ulterius non negavit.

*cum exclamata mulier, amentia punitur,*

*sed pane ab eo benedicto sanatur*

*alii aqua qua manus laverat.*

a Hi ambo inter Beatos Ordinis Camaldulensis recensentur a Thoma Minio, atque Augustino.

## CAPUT XVIII.

### *Technæ dæmonum a S. Romualdo compressæ.*

Alio quoque tempore, puer quidam dæmoniacus ad beatum virum delatus est, cui ille nihil aliud fecit, nisi pro benedictione sibi panis particulam tradidit. Qua mox puer ille refectus, confestim est a dæmonio liberatus. Jure quippe postquam benedictio Romualdi male possessum corpus intravit, inde confestim malignus spiritus cauteriatus exivit.

*dæmoniacum pane benedicto sanat*

89 Numquam tamen diabolus a sancti viri poterat impugnatione quiescere. Et quia occulta jam adversus eum fraude nil poterat, non cessabat virus suæ E malitiæ visibiliter demonstrare. Aliquando namque, vir venerabilis dum in cella consisteret, ecce malignus spiritus, ut est revera teterrimus, hispidus, horribilis, immensum cœpit sancto viro terrorem incutere, et cum nimio furore ac impetu, mortem sibi minitans intentare. Cumque Romualdus auxilium de cœlo imperterritus quæreret, et ut sibi Christus succurreret, fiducialiter exclamaret, mox antiquus hostis aufugiens, ipsum cellæ parietem tanto iracundiæ felle percussit, ut gravem fagi tabulam unius cubiti spatio, vel eo amplius, fiderit. In habitaculo igitur patenter ostendit, quanta adversus habitatorem flamma crudelitatis exarsit, et quodammodo scriptum reliquit in pariete, quod occultum gerebat in mente.

*Dæmon ei mortem minans, precibus fugatur*

90 Aliquando etiam dum venerabilis vir cum suis discipulis equitaret, ecce malignus spiritus rubei canis effigiem simulans, cum magno impetu obviam irruit, et equum cui insidebat, ita ut pene vir sanctus mergeretur, exterruit. Interrogati discipuli, si eum vidissent, exhorrescentem quidem equum conspexisse se asserunt, sed nil tale eis apparuisse testantur. Ille vero ait : Miser ille, qui olim præclarus Angelus fuisse cognoscitur, nunc se in immundi specie canis F ostendere non veretur.

*specie canis, terret ejus equum*

91 Rursus alio tempore cum monasterium ancillarum Dei, quod est in Valle-Bona, construere decrevisset, discordia mox inter sancti viri discipulos oritur : quia videlicet alii nolunt, alii vero ut fieret, vehementer insistunt. Cumque ante venerabilem virum utræque dissidentium partes, diversa utentes allegatione, contenderent, cœpit diabolus ante portellam cellæ quasi malleo *a* vegetem sine cessatione percutere, et per reboantem silvam crebris audiebatur tunsionum ictibus intonare. Deinde cum jam omnes monasterium fieri unanimiter concordassent, ecce malignus spiritus cunctis audientibus ululare, plorare, et flebiles non cessabat voces emittere. Postremo autem cum jam divisi ad suum quisque reverteretur hospitium, prosequebatur eos antiquus hostis cum tanta tempestate et turbine, ut quasi omnia ventorum genera commovens, totam silvam radicitus evellere putaretur. Quidam vero Fratrum increpans eum, dixit : Præcipio tibi in nomine sanctæ Trinitatis, immunde Spiritus, ut desinas venire post nos. Et ita fugatus est. Jure quippe auctor discordiæ, composita pace, compulsus est in fletum prorumpere, qui prius audiebatur crescente rixa gaudere : et qui tunc quasi circulum

*idem constructioni monasterii fœminarum adversatur,*

a ANIMADV. PAR. 27

*et tempestatem excitat,*

ANIMADV. PAR. 28

*sed in nomine S. Trinitatis fugatur,*

A circulum vacui vasis abstrahere, et partes, quibus compactum fuerat, dissipare tentavit, constrictis jam in vinculo pacis et caritatis compage discipulis, tristis abscessit.

92 Taliter autem in Sytria vivebatur, ac si ex similitudine non solum nominis, sed etiam operis altera denuo *b* Nitria videretur. Omnes siquidem nudis pedibus incedentes, omnes inculti, pallidi, et nimia omnium rerum extremitate contenti. Nonnulli vero damnatis januis clausi, ita mortui videbantur mundo, velut in sepulchro jam positi. Vinum ibi nemo noverat, nec si etiam gravissimam quis ægritudinem pateretur. Sed cur ego de monachis loquor, cum et ipsi monachorum famuli, ipsi quoque custodes pecorum jejunarent, silentium tenerent, disciplinas inter se invicem facerent, et de quibuslibet verbis pœnitentiam flagitarent? O aureum Romualdi seculum, quod etsi tormenta persecutorum non noverat, spontaneo tamen martyrio non carebat! Aureum, inquam, seculum, quod inter montium et silvarum feras tot cœlestis Hierusalem cives alebat. Cum vero illi Fratres jam tanti essent, ut illic omnes habitare vix possent, tunc Romualdus monasterio ibi constructo, et Abbate præposito, inviolatum servans silentium, B Bifurcum secessit ad habitandum. Illic etiam volens Abbatem spiritualiter vivere, et rectitudinis vitam tenere, multam ab eo passus est persecutionis injuriam.

*b*
*In Sytria sancte vivunt ejus monachi,*

*imo et eorum famuli.*

*Romualdus Bifurcum abit.*

a *Omissum hoc vocabulum a Surio: extat in utraque editione operum B. Petri Damiani. Quid sibi velit non sat capimus. An* vectem *scribere voluit, sive lignum, quo ostium vel sustentabatur, vel interius muniebatur? an* tegetem, *ostio fortassis appositam? an* pessulum? — b *Sæpius mentio facta a nobis in Januario, montis ac eremi Nitriæ, et cellarum, quas non procul ab hoc eremo inhabitabant sanctissimi anachoretæ, de quibus Palladius in historia Lausiaca cap. 69 et alii agunt.*

## CAPUT XIX.

### *Congressus S. Romualdi cum S. Henrico Imp. Divinæ opis fiducia.*

Interea Imperator Henricus de Ultramontanis partibus in *a* Italiam veniens, misit beato viro deprecatoriam legationem, ut ad eum venire dignaretur, promittens se facturum quæcumque præciperet, si suum ei colloquium non negaret. Cumque venerabilis vir prorsus abnueret silentium frangere, cœperunt omnes discipuli unanimiter illum obsecrare, dicentes: Magister, vides quia nos, qui te sequimur, tanti jam sumus, quod hic congruenter habitare non possumus: vade ergo, si placet, et Imperatori magnum aliquod monasterium quære, et multitudinem C te sequentium ibi constitue. Quibus vir sanctus, nescio si accepta jam revelatione, aut subita Dei inspiratione, fidenter scripsit: Scitote quia montis Amiati monasterium ex dono Regis habebitis: considerate tantummodo, quem illic Abbatem constituere debeatis. Igitur inviolato silentio perrexit ad Regem. Cui Rex protinus assurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit, dicens: O utinam anima mea esset in corpore tuo. Quem mox, ut loqueretur, suppliciter obsecrans, ipso die hoc impetrare non potuit.

*a*
*vocatur ad S. Henricum Imp.*

*quis futura insinuat scripto:*

*ab Imperatore honorifice excipitur silens*

94 Postera autem die Romualdo ad palatium veniente, ecce Theutonicorum multitudo certatim hinc inde concurrunt, capita salutantes humiliter flectunt, villos quoque pelliceæ vestis, qua erat indutus, anxie decerpentes, pro sacris reliquiis in patriam portaturi, studiose recondunt. Quæ videlicet res venerabilem virum tanto mœrore dejecit, ut, nisi discipulis obstantibus acquiesceret, ad cellam protinus repedaret. Ingressus igitur ad Regem, non pauca sibi locutus de restituendo jure Ecclesiarum, de violentia potentum, de oppressione pauperum, et post multa, unum sibi pro suis discipulis monasterium petiit. Cui postmodum Rex montis Amiati monasterium tradidit, et D Abbatem, quia multis erat malis obnoxius, foras ejecit. Ubi vir sanctus quanta adversa perpessus sit, non solum ab eo qui ejectus fuerat, sed etiam ab illo, quem ipse ex suis discipulis Abbatem constituerat, ille quidem perferre patientissime potuit, nos referre, etiamsi adesset facundia, non valemus. Sed qualiter illum Deus in cunctis adjuverit, uno exemplo monstrare sufficiat, ut prudenti cuilibet, quid etiam in reliquis evenerit, innotescat.

*honoratur ab aulicis invitus*

AUCTORE B. PETRO DAMIANO.
*Imperatorem instruit, et ab eo monasterium accipit:*

95 Monachus quidam vesano adversus eum furore succensus, pilum latenter exacuit, et eum reponens, ut beatum virum interficeret, expectare congrui occasionem temporis cœpit. Nocte vero, dum depressus sopore quiesceret, ecce videt malignum spiritum in se immaniter irruentem, qui retortam in collum ejus mittens, tanta ferocitate conabatur guttur ejus adstringere, ut jam ille cogeretur funditus expirare. Tunc monachus in extremo jam spiritu positus, Romualdum, ut sibi succurreret, obsecravit. Qui (ut monacho videbatur) protinus advolans, de manibus eum iniqui hostis eripuit. Hic igitur mox experrectus, ad pedes venerabilis viri prostratus, advolvitur; ut allisionem cervicis adspiciat, deprecatur: confiteri etiam crimen suæ malitiæ non veretur: postremo E conservatæ vitæ sibi gratias retulit, et pœnitentiam tanti reatus accepit. Et ita qui Romualdo vitam insidiabatur eripere, jam per eumdem sanctissimum virum et suam meruit conservare, et cui inferre mortem studuit, per eum suæ periculum mortis evasit.

*monachum ipsi eadem molientem,*

*a dæmone pene suffocatum liberat*

96 Habebat autem Sanctus consuetudinem, cum monasterium teneret, ut nisi cum jejunaret, ad communem mensam cum Fratribus quotidie veniens, unum quidem pulmentum comederet, postmodum vero lectioni, vel quid etiam apud unumquemque ageretur intentus, de reliquis non gustaret. Quadragesimali vero tempore, nisi necessitate inevitabili cogeretur, in cellula jugiter morabatur.

*in mensa ut se gerebat*

97 Dum igitur prædictum cœnobium vir beatissimus regeret, Quadragesimali jam propinquante jejunio, quærebat cum discipulis per vicina montium loca, ubi eremum facere potuisset. Dumque longas in quærendo moras protraheret, repente aquis undique circumfluentibus ita conclusi sunt, ut nec ipsi jam redire, nec de monasterio quisquam ad eos posset aliquatenus transvadare. Vivebant autem ex aliquantis castaneis, quas secum detulerant. Cumque dies Dominicus advenisset, et alia cibi spes nulla jam superesset, cœpere Fratres paucas, quæ remanserant, castaneas deglubere, et jam quodammodo dubitantes ultimum ex eis convivium præparare. F Romualdus autem, ut erat semper alacri vultu, fidenter ait, quia nisi Deus sibi panem per aliquem mitteret, ipso Die nullatenus manducaret. Discipuli vero mirantes inter se, in qua spe hoc ille præsumeret, certi tamen quia Magister mentiente aliquid vovere non posset, cibum jam tantæ solemnitati congruum cœperunt fiducialiter expectare. Sexta igitur diei hora jam propinquante, ecce tres viri, onusti pane et vino et aliis cibis, advenium, qui se de longinquis partibus cum multo labore pervenisse dicunt. Tunc itaque spiritali omnes repleti gaudio, benedicentes Deum, pariter cibum sumunt, et beatum virum per revelationem hoc cœlitus agnovisse indubitanter agnoscunt.

*in penuria in Deum sperat*

*ejus opem sibi adfuturam cognoscit*

*cibos miraculo submissos accipit:*

98 Quodam tempore venit vir venerabilis Sitriam. Qui cum adhuc jejunus esset, et Fratres, utpote in arduis montibus, piscem quem ei ad comedendum apponerent, non haberent, cœperunt inter se quodammodo confusi erubescere, et quid pro tam venerabili hospite parare potuissent, anxie cogitare. Tunc Frater quidam, puto divinitus inspiratus, ad siccum

*pisce in montosis locis capto reficitur.*

*AUCTORE S. PETRO DAMIANO.*

A siccum pene rivum, qui juxta præterfluebat, cum festinatione cucurrit, ubi nimirum et aquæ exiguum erat, piscis vero illic visus numquam penitus fuerat. Cœpit itaque Frater Deum devote deposcere, ut qui Israelitico populo aquam potuit ex arida petra producere, ipse sibi dignaretur piscem in arenti rivulo demonstrare. Confestim igitur missa manu, in exigua aqua piscem reperit, qui beato viro *b* ad refectionem abundanter sufficere potuit, Deo scilicet servo suo providente convivium. Inventum quippe est in saxeo et arido monte, velut in piscosa valle, vivarium.

a *Cum sæpius in Italiam ierit sanctus Imperator, Baronius illud cum Romualdo colloquium putat contigisse an.* 1022 *quo adversus Græcos expeditionem suscepit, Trojamque, constructam ab iis urbem, expugnavit. Petrus de Natal scribit* Henricum *tunc* de ultra mari reversum. *At quando is mare transivit?* — b *Petrus de Natal scribit piscem illum* in stagno parvissimo, ubi numquam piscis visus fuerat, *hamo captum,* et adeo magnum *fuisse, ut* ipso die cunctis ad esum suffecerit.

## CAPUT XX.

### *S. Romualdi obitus. Miracula. Translatio.*

Sed quia de vita beati viri hæc, quæ nimirum pauca de multis dicta sunt, sufficere credimus, jam ad transitum veniamus. Vir denique sanctus per multa alia habitavit loca, multa alia, præcipue a suis B discipulis, perpessus est mala; plura quoque per eum sunt facta miracula, quæ nos describere ideo prætermittimus, quia longioris styli prolixitatem vitamus. Post cuncta igitur habitationum suarum loca, cum jam finem suum imminere conspiceret, tandem ad monasterium, quod in Valle de Castro construxerat, rediit, ibique appropinquantem obitum indubitanter expectans, cellam sibi cum oratorio *Inclusus,* ædificari, in qua recluderetur, et silentium usque ad mortem servaret, instituit. Sane viginti annis, ante finem vitæ suæ, discipulis suis manifeste prædixerat, quia in præfato monasterio oporteret eum quiescere, nulloque adstante, vel funeris exequias procurante, expediret eum spiritum exhalare. Facto itaque reclusorio, cum mens ejus in eo esset, ut mox includi deberet, cœpit corpus ejus magis magisque molestiis ingravescere, et deorsum jam velut non tam languore quam decrepiti longævitate senii declinare. Nam a medio fere anno, nimia sibi phlegmatis abun- *pituita et tussi laborat,* dantia cum ipso fæsi pulmonis marcore defluxerat, et gravi eum tussis anhelatione vexabat. Non tamen propter hoc vir sanctus vel lecto decumbere, vel, inquantum possibile erat, soliti rigorem jejunii acquieverat relaxare.

C 100 Quadam igitur die cœpit paullatim corporis virtute destitui, et ingruente molestia gravius fatigari. Sole itaque jam ad occasum vergente, præcepit duobus Fratribus, qui adstabant, ut foras exirent, cellulæ post se januam clauderent; celebraturi vero sibi matutinos hymnos, ad eum diluculo remearent. *moritur nemine præsente,* Cumque illi de ejus fine solliciti velut inviti exirent, non statim ad quiescendum properant, sed ne Magistrum obire contingeret anxii, pretiosi thesauri talentum prope cellulam latentes observant. Aliquamdiu igitur commorantes, cum deinceps curiosis auribus attentius auscultarent, et neque motum corporis, neque sonum vocis audirent, jam quod evenerat, veraciter opinantes impulsa janua velociter irruunt, lumen accendunt, et beata anima in cœlum rapta, supinum jacere sanctum cadaver inveniunt. Jacebat itaque velut neglecta tunc cœlestis margarita, in summi postmodum Regis ærarium honorifice reponenda. Nimirum qui sic obiit, ut prædixit, illuc transivit, quo speravit. Vixit autem vir beatissimus centum viginti annis, ex quibus viginti expendit in sæculo, tres duxit in monasterio, nonaginta septem in eremitico transegit proposito. Nunc igitur inter vivos cœlestis Hierusalem lapides ineffabiliter rutilat, cum ignitis beatorum spirituum turmis exultat, candidis- D sima stola immortalitatis induitur, et ab ipso Rege Regum vibrante in perpetuum diademate coronatur.

101 Post sacratissimum autem viri venerabilis *multis miraculis illustratur:* obitum quanta miraculorum signa per eum Deus ostenderit, quis quærat transacta legere, cum frequenter valeat et nova videre? Quia igitur ea, quæ apud sepulcrum ejus fiunt, miracula tanta sunt, ut melius putemus cuncta silentio præterire, quam pauca narrare, duo solummodo, quæ per eumdem beatissimum Confessorem alibi facta sunt, sufficiat nobis exponere.

102 Denique Frater quidam, qui sancti viri discipulus fuerat, parvam basilicam pro anima sua monasterio dederat, ad quam videlicet basilicam extremitatem manicæ præscissam ex beati viri cilicio misit, et sub altari honorifice recondi præcepit. Quam tamen gerulus sub altari, sicut jussus fuerat, collocare neglexit, sed missam in rima parietis incaute dereliquit. Factum est postea, ut dæmoniacus quidam ad prædictam duceretur ecclesiam. Cumque adstans in medio, huc illucque rotans caput, cuncta undique circumspiceret, tandem torvos oculos in ipsum parietem terribiliter cœpit infigere, et intentus illuc, ubi sancti cilicii jacebat particula, crebris non cessabat vocibus exclamare: Ille me ejicit, ille me ejicit, et ita clamans, protinus ab eo expulsus est. E *dæmon reliquiis ejus pulsus.* Hinc ergo jure perpenditur, quid per semetipsum apud divinam clementiam impetrare non possit, ante cujus brevissimam vestimenti particulam dæmon stare non potuit: et qui talia absens exhibet, quid per corporis præsentiam non exercet?

103 Alio quoque tempore *a* Castaldius quidam *a vacca recuperata ejus invocatione,* pauperculæ mulieri vaccam violenter abstulit, et eam vociferantem, multisque precibus obsecrantem audire contempsit. Illa protinus accurrens, duos gallinarum pullos ad ecclesiam, quam supra memoravimus, detulit, et eos secum ante altare projiciens, hujusmodi verbis clamare flebiliter cœpit: Heu S. Romualde, exaudi miseram, ne despicias desolatam, et redde mihi gubernatricem meam injuste sublatam. Mira res. Vix adhuc villicus cum ipsa rapina, a domo mulieris abierat, et continuo emissione sagittæ *punito abigeo* percussus, vaccam in eodem loco dimisit: deinde domum perveniens, protinus expiravit.

104 Post quinquennium vero a sancti viri obitu, data monachis ab Apostolica Sede licentia, ut supra venerabile corpus ejus altare construerent, Azo qui- *altare erectum supra corpus,* dam Frater silvam petiit, quatenus modicam capsam faceret, quæ sancti Confessoris ossa et pulverem F tantummodo capere potuisset. Nocte igitur insecuta, dormienti cuidam Fratri venerabilis quidam senex apparuit, quem protinus interrogans, ait: Ubi est hujus monasterii Prior? Quod cum ille se scire negaret, illico senex addidit: Pro fabricanda capsa ire in silvam studuit, sed beati viri corpus in tam exiguum vasculum non intrabit. Postera igitur die Prior composita capsa revertitur, et mox a Fratre, qui visionem viderat, quæ illum caussa ad silvam invitasset, inquiritur. Quod cum ille velut labore defessus dicere noluisset, illico Frater et sui caussam itineris retulit, et quod ipse viderat, exponendo per ordinem non celavit. Defosso igitur tumulo, ita propemodum totum sancti viri corpus sanum illibatum- *post 5 annos integrum repertum* que reperiunt, velut tunc fuerat, cum sepulturæ illud primitus tradiderunt, excepto quod tenuis quædam mucoris lanugo in quibusdam ejus membris excrevisse videbatur. Rejecta igitur modica capsa quæ facta fuerat, illico vas aptum ad mensuram beati corporis præparant, et in eo sanctarum reliquiarum patrocinia recondentes, desuper altare solemniter consecrant. Obiit autem vir beatissimus XIII Kalendar. Juliarum, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui

A qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et gloriatur per infinita secula seculorum, Amen.

Gastaldus.

a Gastaldi, *sive* Castaldi, Gastaldei, Gastaldii, Gastaldiones Guastaldi, *Longobardus præsertim, justitiæ administrandæ præfecti fuere; quidam per amplum districtum, in quo urbes plures et castella; quidam breviore spatio, et in singulis forsan oppidis et pagis; uti hic fuisse videtur. De eorum nomine ac potestate fuse et docte agit Camillus Peregrinus lib. 2 historiæ Principum Longobardorum pag. 77 et seqq*

ANIMADV. PAP 29

# ALIA VITA

## SIVE SERMO DE VITA S. ROMUALDI,

## auctore Hieronymo Eremita Camald. ex MS. collegii Paderbornensis Societ. Jesu.

### CAPUT I.

### *Læta hac solennitate, S. Romualdi maxime virtutes mirandæ.*

Adest, dilectissimi, S. Romoaldi, Patris nostri, præclara solennitas: quæ dum devotionis nostræ frequentiam ex diversis in unum partibus convocat, nos etiam, ut insigne præconium pro modulo nostro non taceamus, invitat, sed quasi reperto communi totius Ordinis thesauro, communiter in Christo gau- B dere debemus; tantoque propensius spiritualem lætitiam alacri debemus mente concipere, quanto non ignoramus et ipsum humanæ salutis inimicum amarius suspirare. Gaudebat namque diabolus, sperans Romoaldum vincere suis machinationibus: sed victus ab eo, gravius nunc gemit, et ruinæ suæ dedecus, quod succumbendo pertulit, gemebundus agnoscit. *S. Romualdi solennitate,* Hæc est enim dies, in qua sanctus Pater Romoaldus triste hoc seculum deserens, deposuit sarcinam carnis, et stolam adeptus est Angelicæ caritatis. *dum mœret diabolus ab eo victus,* Hodie triumphato mundo et diabolo, palmam gloriosi certaminis ad Imperatorem cœlestis militiæ reportavit. Hodie alternantibus undique hymnidicis Angelorum cœtibus, vexillum peractæ victoriæ regnis cœlestibus intulit, diadema Aureolæ de manu Domini accepit. Idcirco, Fratres dilectissimi, exultate et lætamini, quia hodie nobis gaudia sanctæ lætitiæ seminantur, tam de Patris nostri gloriosa victoria, quam de hostis antiqui ignominiosa ruina. Gradatim siquidem Pater noster incedens per pugnam, consequenter venit ad palmam, et per palmam provectus est ad coronam. Cum invisibili sane videbatur hoste confligere, sed visibiliter meruit adversarium superare. Corporis sui obicem plagis dæmonum opponebat, sed C ejus fides munitissima mentis arce subnixa inexpugnabilis eminebat, et de hoste infernali victoriam capiebat. Hodie, inquam, Santus Pater noster Romoaldus deposito corpore, quo solo præpediri ab introitu gloriæ videbatur, tanto altior quanto expeditior penetravit in sancta, æterna redemptione inventa. *lætandum* Gaudete itaque in Domino, Fratres dilectissimi: iterum dico gaudete, quia hæc est dies cœlestis lætitiæ. Exultemus in ea, in qua relicto mundo supra mundum mundi victor ascendit, et jam pausat miles ex meritis, ac post labores sudoresque sacræ peractæ militiæ feliciter in cœlo collocatur sublimiter coro- *victoris triumpho,* natus. Nam et ipse in terris habitavit ut nobis esset exemplo, sed jam in cœlum levatus est, ut nobis esset patrocinio. Hodie itaque Pater sanctus de novissimo loco, quem sibi ex consilio Salvatoris elege- *Luc. 14. 10* rat in mundo, ipso summo Patre familias evocante, *concurrentibus ad ejus sepulchrum populis:* tanquam verus amicus jam ascendit superius. Et est ei gloria coram Angelis et omnibus Sanctis simul discumbentibus, quia bonitas divina inter continua suæ pietatis beneficia talem Sanctum indulsit mundo, ut ejus exemplo multi docerentur, et multo plures ejus oratione salvarentur. Hodie, inquam, totius Marchiæ Anconitanæ et ex longinquis partibus multitudo fidelium ad tumbam Patris confluit, ut miracula divinitus per eum facta conspiciat, et de tam D glorioso Patrono bonitati divinæ grates immensas *AUCTORE HYERONIMO MONACHO CAMALDUL.* referat. Quanto putamus gaudio hodie utriusque sexus copiosa multitudo tripudiat, et ob Sancti Patris immensam gloriam mirabiliter exultat? Gaude et tu pia mater Ordinis sacra eremus Camaldulensis, quæ tanti Patris sanctissimi es fundata sudoribus, dedicata laboribus, decorata virtutibus, exornata moribus, adaucta benedictionibus, sublimata miraculis, et dotata præ ceteris ipsius magnis meritis.

2 Sed dum Patris nostri S. Romoaldi communia gesta percurrimus, nonnulla conversationis ejus insignia describere debemus. Habemus namque, dilectissimi, in Vita Patris Nostri S. Romoaldi, et quod digne miremur, et quod salubriter imitemur. Tutius tamen æmulamur solidiora quam sublimiora, et quæ magis virtutem redolent quam gloriam. Studeamus proinde ipsius conformari moribus, cui in miraculis assimilari, etsi volumus, non valemus. Fecit namque Pater noster sanctus in vita sua magna et stu- *miranda ejus miracula;* penda et eximia miracula, sed primum et maximum miraculum ipsemet erat. Quid enim potest esse mirabilius, quam videre Patrem Sanctum in gloria humilem, in divitiis pauperem, in deliciis castum, in injuriis mitem, in opprobriis mansuetum, in plagis E et verberibus patientem? Quid etiamsi miracula nulla *magis virtutes* fecisset, mirabilem vitam ducens minori veneratione dignus non esset? Neque enim Joannes Baptista miracula fecisse legitur, quo majorem nullum inter natos mulierum Veritas increata testatur. Sic nimi- *Matth 11. 11* rum inter ceteras festivitates religiosa devotione celebratas S. Romoaldi celebritas egregia est, affectu delectabilis, memoria dulcis, experientia suavis, fructu perennis, jocunditate per omnia felix. Nam si ulla est in Sanctis distantia membrorum, si superni Patris in domo mansiones multæ sunt, si dein- *præclaræ et multæ,* que stella differt a stella in claritate, tanto differentius S. Romoaldus præfulget in cœlis, quanto sincerior conscientia, clarior virtus, gloriosior ejus vita fulsit in terris. Erat namque Pater sanctus electo quietis, refugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, erectus ad vitia, semper in exercitio, semper in compunctionis desiderio. Nulla illi cura propensior, nisi de Deo, in lectione atque sermone; aut cum Deo in *et in iis perenne martyrium,* oratione, quia gestans contrita jejunio ossa, solebat F de adversario longo triumphare martyrio. Nam etsi ipsum gladius persecutoris non tetigit, dignitatem tamen martyrii non amisit. Et quia sanctum Patrem Romoaldum diu contigit in corpore vivere, necesse fuit etiam longiora carnis et diaboli ac malorum hominum tentamenta perferre. Sed quia adjuvante Christo, virtutem patientiæ fortiter servavit, dum in sancta pace vixit, martyrii coronam a Deo promeruit.

3 Nam pro cibo et potu hæc secum incessanter ruminando dicebat: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est *Psal. 41. 4 et 16. 15* Deus tuus? Et illud: Satiabor, cum apparuerit gloria tua; ad quam gloriam quia semper corde anhelabat, et continuis suspiriis, ac gemitibus diurnis ac *cor in cœlis fixum,* nocturnis illam desiderans, pio luctu ad superna gandia suldevando se anima sancta pascebat. Et vere felix civitas Ravenna, quæ talem Sanctum genuit, et de alumno nobis Patronum, ac de homine Angelum emisit. Gloriosus itaque Pater noster S. Romoaldus, dum in hac peregrinatione mundi solo corpore esset constitutus, cogitatione tamen semper in illa cœlesti patria est conversatus: quia huic mundo crucifixus ac mortuus, quidquid in hac vita laboravit, ad illam transtulit, et se de sinistra semper ad dexteram misit, atque in cœlo sudores suos reposuit:

A reposuit : quoniam tamquam bonus Pastor super gregem suum vigilavit, et sæpe pro ovibus animam suam posuit. Vere fidelis servus et prudens, quem Dominus super familiam suam posuit, et ipse conservis suis tritici mensuram in tempore dedit, id est, pro captu audientium mensurate et opportune divini verbi pabulum ministravit, dum in se divitias cœlestium munerum aperuit, et de armario suaveolentium virtutum aromata sanctificationis et gratiarum suarum super Camaldulensem eremum, ac sui ordinis Ecclesias, copiose effudit. Ideo a Domino hodie audire meruit : Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui. O Romoalde sanctissime, tu vere fuisti Israel, id est, videns Deum. Euge quanta est hodie inter Confessorum agmina gloria tua, cum vestigia tuæ abstinentiæ et vitæ austerissimæ vigent adhuc hodie in tua sacra eremo Camalduli! Hæc enim eremus vere est scala cœli perseverantibus in ea, per quam a terra usque ad cœlum multitudo monachorum albescentium videbatur ascendere. Vere immortalis est, Pater sancte, memoria tua, quoniam apud Deum nota est, et apud homines, et in perpetuum triumphat coronata.

*AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.*

*cura suorum,*

*præsertim Camalduli :*

*imitandæ virtutes monasticæ,*

4 Imitemur ergo, Fratres dilectissimi, Patris nostri S. Romoaldi victum sobrium, affectum devotum, et mansuetum spiritum : imitemur cordis castimoniam, oris custodiam, et animi puritatem. B Discamus ponere frenum in ore, et modum linguæ, dormire parcius et orare frequentius, commonere nosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, diebus jungere noctes, et divinis laudibus occupare. Æmulemur charismata meliora, et discamus ab ipso, quod mitis et humilis corde fuit, jocundus ad hospites, liberalis ad pauperes, patiens ad peccatores et benignus ad omnes. Ut enim taceamus interiorem hominem ejus, cujus fortitudinem, puritatem et pulchritudinem satis indicabant mores ipsius, nam ipsum exteriorem hominem ita uno semper modo decentissimo et honestissimo gessit, ut nil prorsus appareret in eo quod posset offendere intuentes. Et quidem qui non offendit verbo, hic perfectus est vir. At vero in S. Romoaldo quis umquam deprehendit otiosum non dico verbum, sed nutum? Quis manum vel pedem moventem frustra? Imo quid non ædificans in ejus aspectu, habitu, et vultu? Denique vultus hilaritatem nec fuscavit mœror, nec levigavit risus. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, totum perfectionis forma fuit. Erat namque per omnia serius, non austerus, remissus interdum, C dissolutus numquam, negligens nihil, etsi pro tempore multa dissimulans, quietus sæpe, sed numquam otiosus. In his forma est, cui imprimamur; in miraculis gloria, quam miremur : illa lætificent, ista ædificent : moveant illa, ista nos promoveant. Et quia facilius ad operis sui gratiam favor inclinatur auctoris, et grandis etiam hominis prærogativa monstratur, nam hominem gloriosum, virtuteque pretiosum reddit imago. Ipse namque Pater sanctus Romoaldus, Ducis *a* Ravennæ nobilis natus fuit, moribus ornatus et magnis virtutibus decoratus. Utebatur semper jejunio, indutus omni tempore cilicio, pulcher facie et aspectu, sed pulchrior opere et sensu. Erat in vigiliis sedulus, et in oratione devotus, in eleemosynis largus et in conversatione sanctissimus, sinceritatem mentis, vultus sui sinceritate monstrabat et lenitate sermonis. Et quidquid ad salutem potest pertinere æternam, non minus implebat opere quam sermone. O virum per omnia Deo dignum! Eminebat in ipso habitu animi pulchritudo, in specie exterioris hominis ut ipsam putares expressam imaginem sanctitatis. Erat enim reverendus bonitate, venerandus benignitate, censuramque austeritatis temperabat mansuetudo humilitatis. Delinquentibus namque minabatur frontis austeritas, D sed blandiebatur cordis serenitas. Erga bene agentes Petrus apparebat in vultu, sed erga delinquentes Paulus in spiritu. Internorum autem bonorum suorum formas et species sicut nemo potuit ad plenum adspicere, ita nemo sufficit explanare : quas sicut ille studuit excolere, ita laboravit occultare, et cum vellet augeri nolebat agnosci. Sed quia hæc est natura justitiæ, ut quanto studiosius abscondi optat, tanto clarius innotescat, et occultatio ipsa prædicatio fiat; dum per omnes populos tantorum bonorum fama volitabat, eminebat in admiratione omnium velut civitas supra montem posita, nec lucerna poterat latere sub modio posita.

*oratio et devotio compunctio,*

*moderatio,*

*a*

*sinceritas,*

*mansuetudo.*

a *Testatur B. Petrus Damianus cap. 1 num. 3 ex* illustrissima Ducum fuisse stirpe progenitum. *Patrem vero Ducem Ravennæ fuisse non tradit: nedum, quod cap. 2 num. 6 idem hic Hieronymus, ipsum et* Romualdum Ducem et Dominum Ravennæ extitisse, sed Ducatum suum pro Christo reliquisse. *Hieronymus Rubeus lib. 5 Histor. Ravenn. ostendit, quo circiter tempore natus est S. Romualdus,* titulum Ravennatis dominatus peculiarem *fuisse penes Berengarium II et Adelbertum filium ejus Italiæ Reges. Alioqui quemdam* Romualdum Ducem *conventui an. 954 Ravennæ habito adfuisse idem testatur, sed diversum a nostro; neque tamen* Ravennæ Ducem *vocat, sed solum* Ducem. *Canisius in utraque Martyrologii sui Germanici editione,* Ravennatis Ducis filium *vocat. Petrus de Natal.* patre Sergio Duce ortum.

*S. Romualdus non fuit Ducis Ravennæ filius.*

## CAPUT II.

### *S. Romualdi exemplum efficax. Ratio regiminis. De diabolo victoria.* E

Spargitur enim paullo post opinio sanctitatis gloriosi Patris nostri Romoaldi per proximas regiones, et in odore virtutum ejus multi homines undique concurrunt, nobiles et illustres, amplis contemptis palatiis arcto situ monasteria construunt, atque pro Christo in cinere et cilicio vivere magnam gloriam ducunt. Concitatur nihilominus ad monastica certamina juvenum impetus, et ad mundi spernenda ludibria per infirmioris ætatis exempla fortia provocantur. Plures denique matrimonio juncti, mutuo consensu continentiam lege vincientes, viri ad ordines, mulieres ad monasteria transeunt; omnes æmulo fervore Christo servire desiderant, omnes hujus vitæ Angelicæ, quæ per Romualdum innotuit, fieri participes optant. Innumeri homines Romoaldi fama excitati dum ad claustralem vitam transire non prævalent, in propriis domibus sine regula regulariter vivere student. Tantus hic Pater sanctus Romoaldus suis parturiebat exemplis, ut in eo videretur divinum eloquium impleri : Jam vocaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Interea ne cœlestis hujus benedictionis vena breves intra F Italiæ terminos clauderetur, sic divina providentia derivatur in amnem, ut fluminis impetus totam Ecclesiæ lætificet civitatem. Nam tantarum novitas rerum longe lateque transivit in orbem, et ubique animas cœpit lucrificare Christo. Clausus manens Romoaldus in cella, toti mundo clarescere incipit, et laudum titulis præclarus refulget. Replet fama virtutum ejus ultramontana *a* duorum Imperatorum palatia, et ipsorum Principum penetrat quoque penetralia. Regum flectitur nobilitatis apex ad Romoaldi sectanda vestigia, et a superbi sanguinis genere sancta humilitate degenerat. Nonnulli Ducum ac Comitum, Romoaldi invitante præconio, arctam pœnitentiam faciunt, et qui potentes erant in seculo, Romoaldum pro Christo pauperem suo modulo imitantur. Ornantur monasteriis innumeræ *b* Alpes, ipsa quoque campestria hujus cœlestis ædificii fabrica decorantur. Multiplicatur religionis cultus in seculo, Romoaldo sanctissimo præcedente, et candidus ordo Camaldulensis in Ecclesia collocatur. His beatis floribus, quos Romoaldus parturiit, feliciter hodie vernat Ecclesia, cum quibus et vita eremitica in eremo Camalduli a Christo sublimatur.

*multos exemplo convertit,*

Gen. 17. 5

*a*

*etiam Principes ac Duces :*

*b*

6 Igitur

A 6 Igitur dum veterani mundi senecta vergente fidei caligabat visus, morum nutabat gressus, et marcebat bonorum operum fortitudo, quinimo fæces temporum, fæces comitabantur vitiorum; tunc amator hominum Deus, ex suæ pietatis arcano consilio sacrorum Ordinum suscitans novitatem, per eos providit et fidei fulcimentum et reformandis moribus disciplinam. Dixerim certe sanctum Patrem Romoaldum cum suis discipulis luminaria orbis, viæ ductores, vitæ magistros, in quibus meridianus fulgor mundo advesperante surrexit, ut lumen videat qui in tenebris ambulat. Suscitavit præterea pius Dominus sanctum et gloriosum Romoaldum, atque in eo clarissimam monachis et eremitis lucernam accendit. Erat quippe vir sanctus velut lucerna, quæ non sub modio curæ carnalis, sed super candelabrum purissimæ ac Deo dilectæ conversationis fuit ponenda. Vere potens in terra erat semen ejus, et idcirco generatio rectorum benedicitur. Nam potens in terra erat S. Romoaldus, quia Dux et Dominus Ravennæ extitit: sed quia Ducatum suum pro Christo reliquit, fundator Ordinis Camaldulensis a Deo esse meruit: semen quoque sanctorum eremitarum in terra reliquit, et generationem rectorum, id est,
B Prælatorum monachorumque Camaldulensium benedixit. Iste Pater sanctus Camaldulensis eximii ordinis lapis primarius, ac nobile fundamentum, in fundamento sanctæ humilitatis, virtutum omnium fabricam ab ipso principio studuit collocare. c Vigennio namque post suam conversionem nomen et officium Abbatis declinans humiliter subesse voluit potius quam præesse, et inter Christi famulos servire libentius voluit quam serviri: sed petente universo collegio Classensis abbatiæ, et cogente Ottone d secundo Imperatore, ac jubente e Sergio Papa tertio, suscepit tandem regimen Fratrum, ac præfatæ abbatiæ. De quo regimine in corde suo timor non tumor exoritur, nec libertas sed servitus augmentatur. Quo enim jam aliqua prælationis specie altior cernitur, eo reputatione propria vilior, obsequio promptior, et cultu despectior reperitur. Nullos jam famulorum respuit actus, adeo ut plerumque Fratrum deforis revertentium pedes ablueret, et ipse tergeret, invitus valde aliis præciperet, spontanee vero ipse faceret, magis eligens per seipsum facere quam Fratribus imperare. Ipse lavabat, ipse tergebat suo illo nobili spiritu, nec sordida fugiens nec fœda perhorrescens. Mos ei erat ad matutinum præ-
C venire Fratres, quos per signa simulanter excitans provocabat ad laudes. Sæpe ceteris dormientibus, ipse lampades accendebat, sæpe campanam propriis manibus ipse pulsabat. Nullus erat torpori, nullus in suo monasterio desidiæ locus, ubi orandi et Deo serviendi pigritiam aspera invectio stimulabat.

7 Vere quia Pater sanctus Romoaldus sic erat in carne præmortuus, sic a mundo penitus alienus, continue sacris orationibus et divinis laudibus erat occupatus. Ferventissimam interni desiderii aciem fixerat jam in lucem, et qui globum transcenderat terrenorum voluminum, sinum mentis latius expandebat imbribus lacrymarum. Longis post Completorium tractatibus cum Fratribus orat, et lacrymarum profluvia dum in ipso proruptim abundant, ii ceteris excitantur. Postquam vero ceteri fessa membra duris abibant refovere cubiculis, ipse Pater sanctus in oratione pervigil manebat et invictus; ut tunc venas divini susurri furtive susciperet, quando sopor ceteros occupasset. Sæpissime ad orationem prostratus in faciem, terram infudit lacrymis, osculisque demulsit, ut quasi semper suum Jesum tenere videretur in manibus, in cujus pedes lacrymæ illæ fluunt et oscula imprimantur.

8 Lacrymanti semel profunda nocte adstitit angelus tenebrarum in forma horribili, cœpitque sancto viro immensum terrorem incutere, et cum nimio furoris impetu mortem intentare. Sed Romoaldus imperterritus Jesum inclamabat: et mox Sathan aufugiens, ipsum cellæ parietem tanto furore percussit, quod gravem fagi tabulam unius cubiti spatio per medium fidit. In pariete ergo ostendit quanta adversus Romoaldum crudelitate exarsit.

9 Sed Pater sanctus quantam sui mutationem in fornace ferventis orationis accipiat, quantum sibi in illa fruitione bonitas divina dulcescat, solita indicia probant. Cum enim ab oratione Pater sanctus cum jocunditate redibat, calida verba, et quæ Fratrum pectora succendebant, de igne altaris divini reportabat. Mirabantur enim quamdam dulcedinem ex ejus ore procedere et clariorem solito faciem apparere. Paverat certe in dulcedine sua pauperem Deus, et mentem, quam in oratione lux vera repleverat, exterius corporaliter f exemplabat. Sic mundo labili et Jesu Christo amabili conjunctus non labitur, sed continue in supernis deliciatur. Sic in rota versatili, virtute tamen stabili, fultus carne in imis, mente tamen semper permanet in excelsis.

*propositus in lucem senescenti mundo:*

*c viginti annis præest:*

*Abbas factus d e*

*sui ipsemet servit*

*nocte orat et lacrymatur, ceteris dormientibus:*

D AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.

*dæmonium, Jesu invocato, fugat,*

*ab oratione totus inflammatus redit.*

*f*

a *Ottonis III et S. Henrici, unde sequitur, sub his solis Imperatoribus præcipua floruisse celebritate.* — b *Quilibet alti montes videntur* Alpes *dici. Ita Isidorus Originum lib.* 14 *cap.* 8 Gallorum lingua Alpes montes alti vocantur. *Proprie id nomen sunt montes altissimi, qui Galliam ab Italia dividunt.* — c *Vicennium* dicitur, *spatium* 20 *annorum. Porro Classensi abbatiæ præfectus est Romualdus an.* 996, *ut Baronius ad eum annum annotavit. Ergo hujus etiam scriptoris judicio an.* 976 *vel* 975 *conversus est.* — d *Imo Ottone* III, *ut patet ex aliis quæ de eodem Imperatore in priore Vita narrantur.* — e *Falsus mendum: nam qui* Sergius III *dicitur, anno* 910 *mortuus: at Sergius* IV *(ne quis in solo numero errorem suspicetur) an.* 1009 *creatus,* 1013 *mortuus.* — f *Aliud exemplare significat ad alterius exemplum describere. Videtur hic sumi, pro conformare, ut alius sit exemplum, aut ad suæ bonitatis exemplum formare.*

E Alpes

Vigennium

Exemplare.

## CAPUT III.

### *Sedata a S. Romualdo tempestas: mundæ et delicatæ vestes improbatæ.*

Libet hic orationum ejus manifestare magnalia, sicut veritate fidelissima, sic et veneratione prædigna. Habitabat sanctus Pater Romoaldus prope civitatem a Parmensium duobus annis in cella reclusus: et ecce eremitæ, qui morabantur in solitudine, quæ Bifurcum dicitur, miserunt nuntium ad virum sanctum, flagitantes ab eo consilium, qualiter in eremo conversari deberent, qualiterque diabolicis tentationibus resistere possent. Ad hæc Pater sanctus respondit: Ego, inquit, nunc libellum de pugna dæmonum scribo, quem vobis cum redieritis dabo, vel certe ipse vobiscum forsitan venio. Hoc illi audientes protinus in faciem se prosternunt, et ut cum illis ire dignaretur importuna supplicatione deposcunt.

F *scribit libellum de pugna dæmonum:*

11 Advenente autem primæ lucis crepusculo, dixit Pater sanctus cuidam Fratri, nomine Ingelberto; Respice, inquit, procul in pelagus, et videbis duas naves de longinquo ad nos venientes. Qui egressus ad mare vidit duas naves eminus venientes, et præ nimia adhuc longinquitate quasi totidem volucres apparentes. Quibus tandem subeuntibus portum, interrogati nautæ utrum Romoaldum cum suis vellent suscipere, nova repleti lætitia beatos fore se profitentur, si tam pretiosæ margaritæ pondere fruerentur. Tota ergo nocte sequenti navigantes, cum circadiluculum subito venti sæviunt, tempestas oritur, mare ab imo fundo versatur. Jam vero furentes undique procellæ ipsos quoque remiges transvolant, et navim hinc inde concutientes, totas pene tabulas laxant. Videns itaque Pater sanctus jam sibi cum omnibus imminere mortis exitium, illico reclinato paullulum cucullæ capucio, et capite devexo in gremium, orationem cum lacrymis fudit ad Dominum. Mira res! Statim aura datur grata, tempestasque

*futura divinitus cognoscit:*

*tempestatem precibus sedat:*

A tasque fit sedata, et quievit pelagus. Et absque ullo humano studio ipsa se navis sola dirigit, et in portum Capreolæ civitatis delapsa celeriter subintravit. Tunc omnes, qui aderant, Deo et S. Romualdo grates referunt, et advoluti pedibus se manifeste de faucibus mortis ereptos ejus meritis profitentur.

*AU TORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.*

12 Veniens itaque Romualdus Bifurcum, visis omnium eremitarum cellis, quia superstitiosæ videbantur et ambitiosæ, in nulla earum habere voluit hospitium. Vir siquidem sanctus mirabilis abstinentiæ, sectorque Christi et paupertatis Evangelicæ, cellam sibi ad B. *b* Hilarionis exemplum, vir unquam largiorem fieri quatuor cubitis permittebat; vilissimisque tectus vestimentis, duo semper cilicia habebat: quas quidem vestes et cilicia numquam lavari permittebat; maximam asserens stultitiam, monachum et eremitam in vili veste et cilicio quærere vel appetere munditiam. sed propter nascentem corporis importunitatem, ipsa sua cilicia projiciebat ad imbrem, quæ post triginta diebus mutare consueverat. Numquam caput suum lavit, nec novacula radere permisit; sed ipse sibi solebat extrementa capillorum et barbæ forficibus attondere, ut post futuris discipulis daret bonum exemplum sanctæ humilitatis.

*splendidam cellam aversatur,*

*et vestem mundam:*

B 13 Quia nemo est qui dubitet, quantum omnipotenti Deo placeat in monachis et eremitis vilis et aspera vestis: cum Rex Ninive purpura indutus propriæ civitatis excidium meruit; coopertus vero sacco, divini furoris motum vestis humilitate placavit. Ezechias quoque Rex cultu Regio decoratus, terribiles Regis Assyriorum minas tremefactus audivit; sed mox cilicio et sacco contectus, ab Isaia Propheta optatæ prosperitatis oraculum reportavit. Quem nimirum promissio, Scriptura teste, celerem pervenit ad exitum. Nam ecce Angelus Domini centum octogintaquinque milia una nocte percussit, et ipsum Sennacherib Regem illorum gladio digne trucidavit. Quid dicam de Achab Rege crudelissimo? Cui Helias Propheta ait: Hæc dicit Dominus. In loco isto, quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lingent quoque tuum sanguinem. Tunc Achab Rex scidit pretiosa vestimenta sua, et induit se cilicio, dormivitque in sacco. Et ecce sermo Domini ad Heliam: Vidisti, inquit, Achab in sacco et cilicio humiliatum? Propter hoc non inducam malum super eum quod locutus sum. O vere beata vilis et asperæ vestis humilitas, quæ tam faciliter iram Dei placas! Vides ergo, quantum vestis mollis et bona distet a veste vili et aspera, per-C pendens quia quem iratum experiri bona et mollis vestis meruerat, vilis et aspera vestis Deum judicem, placat: et quem puniendum illa reddiderat, venia dignum ista commendat. Quanti autem meriti apud Deum vilis asperaque vestis existit, ipse Dominus in Evangelio testatur, cum dicit: Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? ac si patenter dicat: Joannes, præcursor meus dilectus, in deserto habitans, mollibus non fuit indutus, sed pilis camelorum asperrimis erat vestitus: quia qui mollibus vestitur, licet corpore in eremo habitat, mentem tamen ejus illusam dæmon crudelis possidet. Nemo enim induitur bonis vestibus, nisi ut videatur ab hominibus.

*quod hæc noceat, prosit cilicium, ostenditur exemplis!*

4 Reg. 19, 35

3 Reg. 21, 19

Ibid. v. 29

Matth. 11, 8

14 Erubescat ergo monachorum superbia, confundatur eremitarum mens misera, vanæ gloriæ peste corrupta; dum S. Romoaldus amicus Dei, et templum Spiritus sancti, non dubitavit vilia et aspera vestimenta deferre, et infelix quis monachus, qui nec ullum meruit divinæ gratiæ indicium, superstitiosum laciniosæ vestis affectat ornatum. Quid namque agit superbia in scapulari et in cuculla? Quæritur itaque a monachis hujus temporis vestimentum, non quod frigus repellat, sed quod superbire compellat. Non denique juxta *c* Regulam, quod vilius potest comparari, sed quod pulchrius, imo vanius, possit ostentari. D Sæpe ex eodem panno partiuntur sibi et *d* miles chlamydem et monachus cucullam. Et jam vix in ista provincia potest inveniri pannus, quo dignetur vestiri monachus: sed contra Regulam pannos Ultramontanos molles et pretiosos comparant, quas contra conscientiam deferentes, animas suas damnant. Quilibet namque secularis Dominus, etiamsi Comes sit vel Baro maximus, jam non horrebit monachorum vestimenta, si suo sibi modo fuerint aptata. Ita sane dum illud vestimentum superbiæ a Deo despicitur, etiam monachus, qui illo induitur, consequenter a justo Judice condemnatur. Discat ergo *e* encæniatus monachus, quam male mereatur, quia unde pulcher apparere hominibus appetit, inde proculdubio ante Dei oculos sordescit: et unde impensius ab hominibus honoratur, inde gravius a Deo damnatur: cumque in admirationem sui intuentium oculos provocat, ab omnipotenti Deo elongatus seipsum condemnat.

*turpe est monachis, delicatas vestes expetere*

c

d

e

a *Imo Tarentum, ut ex altera Vita patet. Et quod alioquin circa Parmam pelagus?* b *S. Hilarion in Vita, quam* 21 *Octobr. dabimus, dicitur sibi extruxisse* brevem cellulam, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est statura sua humiliore; porro longitudine paullo ampliore, quam ejus corpusculum patiebatur, ut sepulchrum potius quam domum crederes. — c *Regulæ S. Benedicti cap.* 55 *enumeratis vestibus quæ singulis monachis dandæ, subditur:* De quorum omnium rerum colore aut grossitudine non causentur monachi, sed quales inveniri possunt in provincia qua habitant, aut quod vilius comparari potest. *In quem locum ego, ut exstat Haeftenus disquisitione* 3, *lib.* 5 *tract.* 8. — d *Eadem fere monachis exprobrat S. Bernardus ab Haefteno citatus.* — e *Ita S. Augustinus tract.* 48 *in Joannem, ex quo recitatur homilia in Evangelium Fer.* 4 *post Dominicam Passionis:* Jam et usus habet hoc verbum: si quis nova tunica induatur, encæniare dicitur.

*S. Hilarionis angusta cella.*

E

Encæniari.

## CAPUT IV.

### *S. Romualdi abstinentia. Gula monachis et eremitis perniciosa.*

Solebat etiam Pater sanctus Romoaldus contra peccatum gulæ acerrime disputare, et ad virtutem sanctæ abstinentiæ verbo suo et exemplo volebat discipulos provocare. Ideo ipse Pater sanctus ante curam regiminis habitans in eremo cum tribus discipulis, quotidie jejunabat in solo pane et aqua: quindecim annis numquam ante solis occasum solvebat jejunium, manducans non plus quam dimidium panem parvulum, nihil gustans exterius, nec pomorum nec pulmenti, nec alicujus rei cibum. Ideo Dux Dalmatiæ et Venetorum Petrus, dictus Urseolus, qui relicto Ducatu factus erat sancti viri discipulus, quia multis deliciis educari solitus fuerat, jamjam sub tam districti jejunii pondere succumbebat. Hic se ad pedes F B. Romoaldi humiliter stravit, jussusque ut surgeret, necessitatem suam cum verecundia coactus innotuit, dicens: Pater, inquit, quia magnum habeo corpus pro peccatis meis, ex hac paximatii medietate sustentare me non possum. Romoaldus igitur fragilitati ejus pie compatiens, consuetæ mensuræ quadram paximatii superaddidit, et labenti jam magno Converso, ne omnino deficeret, misericordiæ manum tendit; et ad peragendum bene vivendi iter, quod cœperat, confirmavit.

*S. Romualdi abstinentia in eremo,*

16 Postquam vero Pater sanctus Romoaldus officium Abbatis susceperat coactus, quotidie ad communem mensam, veniebat cum Fratribus: sedens autem ad mensam, unum quidem pulmentum comedebat, postmodum vero lectioni cum lacrymis vacabat. Si quando vero aliquem esculentiorem cibum Fratres sibi obtulissent; mox illum accipiens in manibus, ori et naribus apponebat, et solum captans odorem dicebat: o gula, gula quantum te delectaret iste cibus! sed væ tibi misera, quia ex eo numquam gustabis, et sic intactum ad coquinam remittebat. Quadragesimali vero tempore semper in eremo in cella jugiter permanebat.

*in cœnobio*

17 Dum igitur quadam vice, propinquante Quadragesima,

A dragesima, locum habitandi per silvas quæreret, repente aquis undique circumfluentibus ita cum duobus discipulis conclusus est, ut nec ipsi exire, nec aliquis ad eos venire posset. Cumque dies Dominicus advenisset, et nulla spes alicujus cibi esset; Pater sanctus, ut erat semper alacri vultu, fidenter ait : Quia nisi sibi Deus cibum mitteret, ipse nullatenus herbas manducaret. Sexta igitur hora diei ecce tres juvenes onusti vino et aliis cibis adveniunt, qui se a Deo missos asserunt, et B. Romoaldo cibos tradunt. Tunc Romoaldus cum Fratribus Deum benedicunt, et repleti gaudio cibum pariter capiunt. Vere fidelis Dominus in verbis suis, qui dixit : Primum quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.

*cibo divinitus submisso in eremo recreatur.*
Matth. 6. 33

18 Quid ad hæc dicturi sunt monachi et eremitæ modicæ fidei, qui contra Regulam (quod nefas est dicere) sani et incolumes audent carnes manducare, non ut possint corporis infirmantis ruinas reficere, sed ut possint carnis luxuriam et malam concupiscentiam perficere? Nemo enim potest carnis luxuriam extinguere, nisi prius studeat saturitatem gulæ superare. Nascitur quippe luxuria de gula, sicut nascitur de matre filia. Quid enim peccavit soror tua Sodoma, ait Propheta, nisi quia panem in saturitate B comedit, et in abundantia? Et quia per abundantiam panis Sodomitæ carnis ardore fuerant succensi, justo Dei judicio igne sulphureo sunt cremati. Quod si illos sola panis satietas, ad tam præruptum flagitiorum præcipitium impegit, quid censendum de monachis erit, qui vegetato corpore, in immoderata libertate esum carnium et potum vini præsumunt frequentare; non quantum imbecillitas expetit, sed quantum delectatio suggerit? Quæ delectatio dum primos parentes nostros ex illo prohibito cibo infausta perceptione corruptos manducare compulit, perpetuæ ultionis pœna perplexos, transgressionis culpam in posteros transmisit. Scriptum quippe est : Et vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculisque delectabile : tulit de fructu ejus, et comedit, deditque viro suo. Esau quoque dum de agro rediens, oppido se conqueritur lassum, damnosum valde pepigit cum fratre commercium : dumque immmoderatam gulæ rabiem in se sævire permisit, magnum primogenitorum decus vili *a* lenticulorum decoctione distraxit, sicut sacra testatur historia : quia juravit Esau et vendidit sua primogenita, et accepto lentis edulio comedit et bibit, et abiit, parvipendens quod primogenita vendidisset. Sic nimirum monachus, qui C gulæ deditus se ipsum deserit, postea corpus et animam damnatus amittit. Quid dicam de Nabuzardan principe cocorum Regis Babylonis, qui primus templum Domini succendit, vasa sanctuarii abstulit, et captum populum in Babylonem duxit? Sic nimirum gula, quæ arte cocorum principatur monachus, prima in eis succendit templum corporis, et omni eos spoliat merito sanctitatis, atque vinctos catena malæ consuetudinis perducit in Babylonem æternæ confusionis.

*Invectiva Auctoris in intemperantiam,*
Ezech. 16. 49
*ut olim Sodomitis,*
*primis parentibus,*
Gen. 3. 6
a
*Esau;*
Gen. 25. 34
*incendentem corpora, ut Nabuzardan templum;*

19 Nec sufficit falsa gulæ excusatio, ad excusandas excusationes in peccatis, dum quidam falsi monachi, ut possint continue sani carnes comedere, nituntur gulam suam sub specie medicorum excusare. *b* Leguminа, inquiunt, ventosa sunt, et caseus gravat stomachum, lac capiti nocet, et potum aquæ pectus non sustinet, caules melancholiam nutriunt, et porci choleram accendunt, pisces de stagno aut de lutosa aqua nostræ complexioni non congruunt, et ova bullita sanguinem faciunt. Quale est hoc? In omnibus fluviis, agris, hortis, cellariisque reperiri vix poterit, quod monachus comedere velit. Puta te, quæso, monachum esse non medicum : nec te Christus judicabit de complexione, sed judicabit te de tua professione : quia non Hippocratis, Galeni, aut Epicuri dicta debes curare, sed Christi et discipulorum ejus D præceptis debes obedire. Hippocras namque et Epicurus, alter voluptatem carnis, alter sanitatem corporis servare docet; sed Christus magister noster utrumque damnat, cum notabilem sententiam profert in Evangelio, dicens : Qui amat animam suam, id est, vitam animalem, perdet eam. Sæpe namque animales monachi dum sedent ad prandium *c* quantum fauces dapibus, tantum aures pascunt detractionibus, quibus totaliter intenti, modum nesciunt in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, et sæpe carnium pinguia corpora duplicantur. Cumque prioribus fuerint satiati, si secundas attigerint, videbitur eis necdum gustasse primas. Tanta quippe accuratione et cocorum arte cuncta aptantur, quatenus tribus aut quatuor ferculis devoratis, prima non impediat ultima, nec satietas minuat appetitum. Venter quippe dum nescit oneratur; sed varietas ciborum tollit fastidium : quia dum gula adulterinis quibusdam provocatur saporibus, transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. Ipsa denique qualitas rerum ita deforis pulchre aptatur, ut non minus aspectus quam gustus delectetur. Et cum jam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, necdum tamen curiositas satiatur : sed dum oculi coloribus, palatum E saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur, quam reficitur.

b
*frivola invalitudinis excusatio,*
AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.
Joan. 12. 25
c
*cum deliciæ et in copia appетantur,*

20 Jam vero de aquæ potu quid dicam, quando ne ullo quidem pacto vinum aquatum admittitur? Omnes nimirum ex quo monachi sumus, infirmos stomachos habemus, et contra legem Regulæ *d* vinum ad satietatem bibimus. Pudet scribere, sed non pudeat emendare. Videas uno in prandio ter vel quater scyphum semiplenum reportari, quatenus diversis vinis, magis odoratis quam potatis, nec tam haustis quam attactis, sagaci probatione, et celeri agnitione, illud quod melius et fortius sit, eligatur ad prandium, non propter stomachi infirmitatem sed ut amplius bibatur et delectabilius glutiatur. Sed cum venæ toto capite palpitantes fuerint ingurgitatæ, sic surgenti a mensa quid aliud libet, nisi dormire? Si autem indigestum surgere ad Matutinum coegeris, non cantum, sed planctum ab ipso extorquebis. Cum vero ad lectum redierit, requisitus incommodum plangit, non crapulæ peccatum quod fecit sed quod adhuc manducare non possit. Quis in principio, cum Ordo incepit monasticus, ad tantam crederet monachos crapulam devenire? O quantum distamus ab iis qui in diebus F Romoaldi extiterunt monachi? Siquidem illi cum se invicem ex caritate reviserent, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitus obliti, jejunis ventribus, sed non mentibus, totum sæpe diem transigerent. Nobis autem convenientibus insimul, jam nullus est qui panem animæ requirat, nullus est qui tribuat : nihil de Scripturis sanctis nihil de salute animæ agitur, sed nugæ et risus, crapula et potus, et verba in ventum proferuntur; ita quod jam potatio abusivo nomine vocetur collatio, dum non a conferendo, sed a collo lauto, collatio dirivatur. Rogo quæ est ista ignavia, o monachi, milites Christi? Plures seculares bona opera agentes, et mandata Dei servantes, vitam acquirunt æternam, et vos delicatos cibos amantes, et carni servientes, salutem perditis vestram.

d
*vinum exquisitum*
*large potetur.*
*cum risu et inanibus verbis.*

a *Haud meminimus nos alias legere* lenticulum *neutro genere.* — b *Hæc, totidem fere verbis, sumpta ex S. Bernardi ser. 30 in Cantica, ubi plura in eamdem sententiam, quibus congruentia plura congerit Haeftenus Disquisit. monast. lib. 10 tract. 5 Disquisit. 3.* — c *Hæc quoque ex S. Bernardi apologia de vita et moribus Religiosorum ad Guilielmum Abbatem cap. 8 accepta; ut et quæ de potu sequuntur.* — d *S. Benedictus cap. 40 Regulæ* : Ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius

Lenticulum.



CAPUT V.

A

*AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.*

## CAPUT V.

*S. Romualdi miracula ; de dæmone victoria. Sitriensium monachorum sanctitas.*

*S. Romualdus vagos monachos detestatur*

Detestabatur quoque Pater sanctus Romoaldus monachos et eremitas vagos et instabiles, et frequenter admonebat discipulos suos dicens : Noverint monachi vitio vagationis dediti, quia nisi a mundo pedem retrahant, et ad serviendum Deo in loco remotiori perseverent ; nec perfectionis culmen attingere, nec Ordinis sui præcepta poterunt custodire. Ideo ipse Pater sanctus Romoaldus, veniens in eremum quæ *a* Sitria dicitur, ibique damnato ostio in cella recluditur, atque per annos septem manens continuum silentium inviolabiliter tenuit.

*a 7 annis inclusus,*

22 Interea vir quidam phreneticus erat, qui ex insania capitis stultus factus multos læserat. Hunc parentes et amici ligatum funibus, cum clamore et strepitu ante viri sancti cellam adduxerant. Sanguis inerat oculis, spumabat os, et volubilis lingua de ore prodibat, ac super omnem terrorem clamor et rugitus horribilis rabiati hominis personabat. Quem videns S. Romoaldus, intime homini miserrimo compassus est, nec tamen silentium solvere voluit, nec cellam egredi acquievit ; sed per fenestram cellulæ pacis osculum insano homini dedit. Rem loquor inauditam. Mox ut labia sancti viri phreneticum tetigerant, perfecte redditus est sanitati, Deum et S. Romoaldum laudans. Mirabantur omnes qui aderant, post tantam ferocitatem et insaniam, in tantam subito mutatum sapientiam et mansuetudinem. Referebat autem postmodum ille qui curatus fuerat, dicens : Quia cum sacra beati viri labia tangere merui, statim prodire ex ore ejus quasi vehementis odoris spiritum sensi, qui totam faciem meam et ipsum sinciput capitis mei perflans, omnem cerebri æstuantis ardorem protinus effugavit. Quod postquam auditum est, et longe lateque percrebuit, certatim ad eum diversorum languorum infirmi confluebant. Ipse autem Pater sanctus inviolato silentio, oleum aut panem benedicens, infirmis porrigebat, et omnes sanitati pristinæ restituebat.

*interea phreneticum osculo sanat,*

B

*suavi spiritu afflatum :*

*alios ægros sanat oleo vel pane benedicto :*

23 Taliter autem tunc in eremo Sitriæ vivebatur, ac si ex similitudine non solum nominis, sed etiam operis, altera denuo *b* Nitria videretur. Omnes siquidem eremitæ nudis pedibus incedentes, omnes male vestiti et pallidi, ac nimia omnium rerum extremitate contenti, nonnulli vero damnatis januis clausi, ita mundo videbantur mortui, velut jam in sepulchro positi. Vinum nemo bibebat ibi, nisi forte gravissimam quis infirmitatem pateretur. Sed quid ego de illis eremitis loquor, cum et ipsi monachi et monachorum famuli, ipsi quoque custodes pecorum, jejunarent, silentium tenerent, *c* disciplinam inter se invicem facerent, et de quibuslibet otiosis verbis pœnitentiam flagitarent?

*b Sitriensium monachorum sanctissima sub eo vita*

C

24 Cumque jam Pater sanctus Romoaldus multitudinem Fratrum secum habitantium cerneret et turbas infirmorum non sufferret, quotidie flebat et incredibili desiderio majorem solitudinem desiderabat. Interrogatus autem a Fratribus, quid haberet, et cur sic amare fleret, tandem respondit : Quia rursus ad seculum redii et recepi jam mercedem meam in vita mea. Servabatur ergo a Fratribus ne fugeret ; sed ipse post modicum clandestine recessit, et ad Classis prædium, ubi erat S. Martini ecclesia, quæ dicitur Insula, migravit.

*c*

*inde clam profugit :*

25 Ibi vero quadam die dum reclusus in cella Completorium caneret, quia antiquum illic cœmiterium fuerat, ut sæpe fit, cogitare de mortuis cœpit ; moxque ejus animum magnus phantasticæ illusionis horror invasit. Et ecce maligni spiritus repentino impetu in cellam ejus ingressi, protinus eum in terra prosternunt, et immani eum cæde conficiunt, exhaustisque longo jejunio membris durissimos ictus illidunt. Tandem Romoaldus inter ipsa persecutionum vulnera visitatus divina gratia in hanc vocem erupit : Care Jesu, dulcis Jesu, quare me dereliquisti? Numquid omnino me in manibus inimicorum tradidisti? Ad hæc omnes iniqui spiritus Divina virtute fugati sunt, et continuo tanta divini amoris compunctio Romoaldi pectus accendit, ut totum cor ejus in lacrymas quasi cera liquesceret, et de tot plagis læsi corporis nihil sentiret. Mox sanus et validus de terra surrexit, et licet impediente adhuc sanguine ad eumdem Psalmi versum, quem relinquerat, rediit, nec propter hoc cellam egredi voluit : sed tamquam fortis miles Christi assueto bello robustior, insultabat dæmonibus, dicens : Ecce paratus sum, venite, et si qua in vobis est virtus, ostendite. Numquid jam animo deficitis? Numquid jam victi infelices estis?

D

*verberatur a dæmonibus,*

*quos Jesu invocato fugat,*

*et devotionis sensu plenus, et mox sanus,*

*ultro provocat :*

26 Quadam vero vice dum Pater sanctus Romoaldus ex more in cella quiesceret, et focum intus haberet, angustæ cellæ parietes repente flamma corripuit ; deinde ad alta conscendens dominari per tecta jam liberius cœpit. Protinus vir sanctus evigilans, non foras exire, non aquam spargere, non, ut mos est, tecti *d* scindulas dissipare, non ullis impulsus est ad extinguendos ignes nisibus anhelare, sed solummodo orationem cum lacrymis ad Dominum fudit, et confestim stridentes ignium globos divina virtus extinxit.

*incendium precibus restinguit.*

*d*

E

*a* Vulgo huic monasterio Sitria nomen, ut ad cap. 15 Vitæ prioris, litt. d indicatum. — *b* In Nitria Ægypti monte et vico dictum ad cap. 18 prioris Vitæ litt. b. — *c* Multa de disciplinæ, sive spontaneæ diverberationis usu, ritu, fructu egregie congerit Hæftenus Disquit. monast. lib. 8 tract. 5. — *d* Scindulæ sunt quæ asitatius scandulæ. Isidor. lib. 19 Origin. cap. 19 Scindulæ eo quod scindantur, id est, dividantur. Eamdem vocem aliorum auctoritate confirmat Turnebus adversarior. lib. 22 cap. 18.

Scindulæ.

## CAPUT VI.

*Evagatio monachis et eremitis turpis et noxia.*

27 Væ et tu monache ; si vis dæmones superare, si vis fomenta carnis et incentiva libidinis extinguere, stabilitatem in cella tene, recessum solitudinis inquire, aures tuas et oculos a negotiorum secularium vanitate firmiter obstrue, carnalium hominum...... destructioni magis quam ædificationi profutura contemne : quia vera est *a* Salomonis sententia : Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Intra cellæ cubiculum te collige ; cunctis corporis tui sensibus censoriæ disciplinæ repagula oppone. Fons enim, qui circumquaque ne effundatur concluditur, undis ad alta prodeuntibus elevata ; e contra qui per plures rivos hinc inde deducitur, mox per æstum solis exsiccatur. Denique si ambulanti David in solario domus regiæ clausæ fenestræ obstitissent, in Bethsabeæ concupiscentiam nullatenus exarsisset. Sed quia oculum sub custodia non tenuit, ipse quodque post eum in immane sceleris Barathrum totus in præceps ruit. Lubricatis enim gressibus totius sui lapsum est expertus, dum solius frænum laxavit obtutus. Cui videlicet illud Jeremiæ aptissime congruit : Deprædatus est, inquit, oculus meus animam meam. Si ergo tam sublimis cœli columna David, propter solam oculorum vagationem, gravissime corruit, quid de monachis girovagis sentiendum erit, qui per mundum vagantes continue discurrunt, et visu atque auditu, omnibusque sensibus suis in mundi vanitatibus occupantur?

*Cella monacho fons pectatis,*

*a* Eccl. 13 1

F

*evagatio peccati occasio :*

Thren 3 51

28 Quæ autem distantia sit inter monachos qui stabilitatem diligunt, et eos qui se per exteriora vagando diffundunt, in duobus Sancti Isaac filiis edocemur. Scriptum namque est : Esau vir gnarus venandi, Jacob autem vir simplex habitans in tabernaculis :

Gen. 25, 27

A naculis : sed iste prudenter simplex patris benedictionem accepit, ille fatuitate gnarus, quia gladio viveret et fratri suo serviret, audivit. Iste nisi intra domestici laris se septa contineret, singularis privilegii principatum non accepisset ; ille vero, nisi se instabilem per exteriora diffunderet, nequaquam benedictionis paternæ mysterium amisisset. Iste domesticæ quietis stabilitatem tenuit, et divina largiente gratia in aliena jura subintravit : ille venandi labore confectus, et hoc quod jure sibi competebat amisit. Ut autem monachi non possint scutum excusationis opponere, qui per mundum vagantes dicunt se obedientiam facere, non ignorent quia et Esau venatum prodiens paternis jussionibus paruit, et tamen optatæ benedictionis præmia non accepit. Sic monachus, qui aliquam rem propriæ voluntatis libenter exequitur, peccat graviter, etiamsi Prælati sui mandatis specietenus obedire videatur. Qui ergo vagando deforis, propriæ voluntati satisfacit et tamen se obedire Prælato asserit ; noverit Deum non tam coloratis verbis credere, quam de occultis hominum juxta conscientiam judicare. Desinat ergo monachus cum Esau monasterii sui claustris frequenter erumpere, desinat cum eo sub obedientiæ specie caussis B se secularibus implicare : ne quandoque cum ipso lugeat se divinæ benedictionis extorrem, quem noxiæ vagationis sequitur auctorem. Cum Jacob ergo se domesticum præbeat, cum Jacob tabernaculis stabiliter vivat, quatenus Deo, qui vere est pater electorum, boni operis edulium paret.

*patet utrumque in Jacob quieto et solitario, et Esau vago :*

*nec excusat vagos obedientiæ prætextus.*

29 Sed inter omnia hominum a suo proposito deviantium genera illud Deo non mediocriter displicet, quod ipsis sanctissimis eremitis quidam videntur admixti, quos idem pestifer vagationis morbus exagitat, et dæmon instabilitatis vexat. Quia videlicet hujusmodi eremitæ per publicum discurrentes, sicut sinistræ opinionis apud populum sunt habiti, ita de seculo redeuntes, a lumine divinæ gratiæ sunt alieni. Quisquis enim desiderat ad illud inaccessibile lumen acie mentis attingere, necessarium sibi est interiores oculos per diuturnam stabilitatem ab omni mundanæ actionis labe purgare, ne dum ad summa contemplanda oculos elevant, terrenæ conversationis pulvis obsistat ; et magis tenebras mundi, quas reliquerat, videat, quam lumen ad quod nititur, apprehendat. Tanto namque vita solitaria sit austerior ipsi eremitæ, quanto retrahitur insolita vagandi consuetudine, ita ut districtio eremitica sit gravissimæ difficultati, et cella ipsa videatur esse horrori. Consuetudo enim C facit eremitæ cellam dulcem, vagatio videri facit horribilem. Vagantibus eremitis cella carcer est, permanentibus vero est suave cubiculum. Silentium stabilem eremitam reddit vigilem, deforis autem venientem opprimit somnus. Confabulatio crebra in mente eremitæ cæcitatem parit, secreta vero remotio animam illuminat et custodit. Secularium negotiorum relatio, eremitæ animam passionibus mali desiderii facit obnoxiam ; sacri eloquii assidua meditatio mundo reddit extinctam. Paupertas eremitæ, securitas est mentis ; securitas autem mater est puritatis. E contrario abundantia rerum temporalium aculeos parit sollicitudinis, sollicitudo vero radix est anxietatis. Pedes non loti, manus neglectæ, cæsaries inculta quasi quædam anchora est eremitæ in cella jugiter permanendi : e diverso, bona vestis et delicati corporis compositio, fomes est et occasio in publicum prodeundi. Quisquis ergo vult ut eremetica vita dulcescat, profecto necesse est ut in ea constanti animo jugiter perseveret ; nec alternat vicibus, si suave jugum Domini vult portare quietus. Vita namque eremetica continuata quidem est refrigerium, intermissa autem videtur esse tormentum. Remotione quoque continua illuminatur anima, vita dete-

*eremitis præcipue evagatio turpis, et noxia,*

*professionem suam eis amaram faciens.*

*[illegible] dulcis et simplex sit [illegible]*

guntur, et quidquid eremitam de semetipso latuerat, D aperitur, quia cum piscis de aqua extrahitur, confestim moritur ; sic eremita extra cellam positus, coram Deo in anima est mortuus.



30 Sæpe namque eremita servus Christi per dæmones decipitur dum ad pacem peragendam, vel ad aliqua eremo profutura importune invitatur : imminens namque periculum, et commune discrimen nisi foras egrediatur, dæmones exaggerant ; quod si foras accesserit, cuncta ad suæ voluntatis arbitrium atque ad felices exitus proventura, false asseverant. Antiquus enim hostis videns militem Christi in procinctu sancti certaminis positum non aliter posse a sui fervore propositi tepescere, machinatur uberioris eremi fructus superficie ipsum fallaciter decipere, ut dum lucrum eremi magis attenditur, bonum animæ ad tempus quasi dispensatorie postponatur. Sed qui mendacis diaboli consuetudinem frequenter expertus est, prudenter novit, et vana suggerentium commenta respuere, et se ab infructuosi laboris exercitio custodire. Nam apud seculares absentis eremitæ auctoritas gravis est : si autem præsens affuerit, nullius judicatur esse momenti. Quia apud seculares eremita quisquis velut pictura est : pictura autem si procul absistat, cum aviditate prospicitur ; si vero prope sit, contemptibilis judicatur. Et eremita quis- E que secularibus absens est timori, præsens autem videtur esse despectui. Sed antiquus hostis, quos vagandi mala consuetudine velut assessor equitat, eosdem importunis vagandi calcaribus urget, ut ipsi ad seculi vanitatem redeuntes pereant, et alios secum ad inferni tormenta trahant.

*unde prætextu utilitatis ab eremo abstrahit,*

*eum apud seculares auctoritatem amittunt ;*

31 Ex hac namque instabilitatis venenata radice tot peccata oriuntur, ut in quacumque vigere cognoscitur, omni monasticæ perfectionis fructu velut arbor arida denudetur. Hoc namque vagationis peccatum tantæ est violentiæ, ut de ipso omnia vitiorum portenta credantur erumpere. Nam, ut pauca referantur ex multis, monachus in via positus tenere jejunium nequit, quia hospitalis ei humanitas non permittit : non sapienter psallit, quia ambulantium sociorum loquacitas eum impedit : nocturnis non insistit excubiis quia secretum deest singularitatis : flectendi genibus non insudat, quia sanctæ devotionis studio labor viæ non concordat ; nequaquam sub silentii censura constringitur, quia emergentibus caussis etiam invitus per multiloquia defrænatur? Quid dicam, quia lectioni et orationi non vacat, quem terrena tractare imminens necessitas invitat? Caritas in eo minuitur, quia mens, quæ tot actionum secularium ventos recipit, ab amoris Dei fervore tepescit. F Suum quoque castitas mentis dispendium patitur, quia concupiscentiæ bello configitur per feminarum speciem, quam externa contemplatur. Robur etiam patientiæ frangitur, cum repentini casus obviant, quos non æquanimiter portat. Sobrietas non servatur, quia dum lautioribus cibis hospitalis sedulitas exhibetur, et dum inhumanum putat invitantium precibus nonconde-scendere, delectationis sub caritatis specie ventri molliter indulgere. Lacrymarum compunctionem, quibus peccata defleat, non habet, quia mens arida et terrenarum cogitationum cœno plena, quia rore sancti Spiritus perfundi non meretur, arescit, et nullas per oculos lacrymas fundit. Mœret in seculo, anxiatur et anhelat ; sed quia hanc sui miseriam flere non potest, acriori doloris amaritudine repletus manet. Sic infelix vagus eremita, cum et se flebilem videat, et tamen flere non valeat, quam remote sit a salute animæ, ex ipsa cordis duritia cognoscat ; nimirum cum flere sola sit via qua peccator ad indulgentiam possit venire, ergo cum eremita reatum suum plangere nequit, videtur sibi quod necdum quidem in via pedem posuit, qua pervenire ad indulgentiam possit. 32

*Virtutum omnium exercitia impedit evagatio,*

*et duritiem cordis generat,*

A

*AUCTORE HIERONYMO MINA- RO CAMALDUL. nec bona quæsita fieri sinit,*

32 Quod si forsitan aliquando multis hominibus deforis prædicat, sed repente vana gloria subrepit, et quasi ex insidiis prodiens, eremitam, qui alios medicabat, occidit. Si autem hoc præcavens sub silentio se custodit, nihil eorum posse perficere, quorum gratia venerat, erubescit. Si morosæ gravitatis, ut dignum est, speciem servat, valde pertimescit, ne ex hoc hypocrisis peccatum incurrat : si autem a suæ mortificationis rigore se in levitate resolvit, hic etiam multo minus securus est, ne suo exemplo alios destruat. Si quando inter discordes pacis vult formare concordiam, si recte veritatem dixerit, numquam eos concordabit : quod si mendacio uti acquiescit, mox in peccati barathrum cadit : et cum voluerit peccantes arguere, sciat omnium contra se odia concitare. Videre autem et tacere, nihil aliud est quam male agentibus consentire. Tantis namque insidiarum tendiculis iste mundus densatus est, ut quisquis Religiosus desiderat innocenter vivere, debeat se ab illius processu abstinere; cujus si sæpe viam terit, procuratos insidiarum laqueos non evadit.

*ac post distractionibus animum replet*

33 Cum vero ad claustrum revertitur, mox illum quasi turba omnium, quæ vidit foris et audivit, comitatur : et præcipue si orationi vacare cœperit, ecce B phantasmata cogitationum, ecce imagines, quas in mundo viderat, rerum; ita ut in quovis angulo constitutus, videatur sibi ludis secularium interesse, vel inter litigantes residere. Et quandoque miser eremita vanis cogitationibus et mundanis renititur, et quasi circumvolantes muscas abigere conatur : at illæ mox ut abscedunt, protinus redeunt; illico, ut repelluntur, assistunt : ut quasi fugitivum suum capere, et in proprium servitutem velint reducere. Tunc infelix eremita discit quam male fecerit, quod se per mundum vagare inaniter relaxavit, dum in modum lapidis obdurato corde nec in lacrymas valet prorumpere, nec lumen post tenebras valet videre. Anhelat virtute qua potest ad summa contendere, sed mundanarum cogitationum phantasiis gravatus cogitur desperatus in terrenis jacere, quia eremitæ, qui spretis divinæ militiæ claustris ad mundanæ vertiginis molam revertuntur, quanta mala damnandi agant, quam infeliciter vivant, referant qui volunt. Mihi consultius videtur eos piæ compassionis lacrymis deflere, quam execrandæ conversationis ipsorum gesta calamo describere.

*et languore.*

a Non est Salomonis, sed Jesu filii Sirach, Ecclesiastici 13.

C

## CAPUT VII.

### *Proprietas in monachis et eremitis damnata.*

Et quia hæc est veræ caritatis et fraternitatis regula, ut ita Prælati subditos mutuæ dilectionis amore confoveant, quatenus, si quid in eis reprehensibile est, correctionis manum non abscondant, (Illa quippe auctoritas, probatur utilis et honesta, quæ dum cuncta producit in medium, et quod corrigendum est corrigit et quod sanum est mutuo puritatis amore custodit : sicque fit ut, dum subditorum culpa corrigitur, Prælato corrigenti major a Deo gratia cumuletur) ideo sanctus Pater Romualdus, dum Classensi monasterio præesset, officiumque Abbatis ibidem teneret, cordis sui oculos in cœlum figens, ut Deo placeret, non timebat subditis displicere : sed transgressores Ordinis omnesque monachos proprietarios dure reprehendebat, et acrius corrigebat, ac ad ipsorum confusionem præcepta regulæ in testimonium revocabat. Cumque redarguendis eorum vitiis vehementer insisteret, illi autem Patris verba pro nihilo ducerent; tandem correctionem non ferentes, dum propriam emendare vitam despiciunt, de Patris corripientis morte cogitare cœperunt.

*S. Romualdus monachos proprietarios increpat :*

*mox abit ab iis alioqui occidendus :*

35 Sed Pater sanctus, non mortem metuens, sed ne tam grave peccatum facerent præcavens, sapienter eos reliquit, et postposito Abbatis officio solus inde recessit : veniensque ad territorium Balnei, ibi non parvo tempore commoratus est : ubi etiam monasterium in B. Michaelis Archangeli honore construxit, in quo ordinatis monachis et Abbate, ipse non longe a Castro *a* Vargarethe reclusionem in parva cellula intravit. Sed dum præfati monachi S. Michaelis per latam gradientes, in proprietate viverent, et Regulam promissam non servarent; Pater sanctus eos per nuntios et per litteras pie redarguebat, et, ut pecuniam non servarent, sæpius increpabat. Illi autem facta conspiratione contra Patrem sanctum, hyemis tempore et una noctium omnes simul cum baculis et *b* phalangis cellam ejus frangunt, et projecto sene in terram crudelissimis plagis eum percutiunt, ac semineccem, direptis omnibus, turpiter extra cellam projiciunt. D

*a alios objurgans,*

*b crudeliter ab iis verberatur;*

36 Cumque semivivo relicto ad propria rediissent, tunc Pater sanctis apertis oculis neminem videns, collectisque viribus vix de terra surgens flere cœpit, et baculo nivem discutiens talia secum loquebatur, dicens : Habe tibi, Romoalde, id quod quæsisti. Equidem juste hæc pateris, quia non contentus de salute tua, semper pro salute aliorum sollicitus fuisti. Sicque plangens et lugens, lacrymisque nivem infundens, nudis, ut erat, pedibus in glacie et nive, inde nocte recessit. Sed infelices illos parricidas monachos mox divina ultio secuta est. Et quia super hoc alter locus referendi non est, hoc tandem dixerim ad terrorem eorum qui magistrum suum despiciunt. Nam sequenti nocte, dum præfati monachi ex more quiescerent, descendente crebra nivium multitudine, repente totius ædificii fabrica super eos corruit, et omnes simul oppressit. E

*qui divinitus puniti :*

37 Sanctus vero Pater Romoaldus ad solitudinem rediens constructa sibi cellula solitarie cœpit vivere, et magnis miraculis coruscare. Nam quidam *c* Comes superbus ac tumidus, missis parasitis suis, vaccam rapuit cujusdam pauperis, cujus carnes præparari sibi fecit ad prandium, cum magna gulæ aviditate. Et ecce pauper ille agricola cellam Romoaldi festinus ingreditur, jacturæ suæ casum clamosis vocibus vociferatur, spem suam et suæ domus esse ablatam conqueritur. Sanctus itaque Romoaldus ad eumdem Comitem nuntium dirigit, et, ut pauperi animal suum reddat, humiliter deposcit. Quod si non fecerit ultionem divinam absque dubio sustinebit. Cujus preces superbus Comes respuit, et posita mensa ad prandium sedit, et ecce in ipso edendi initio Comes frustum vaccinæ carnis abscidit, et in os misit, quod repente in ejus guttur ita immobiliter inhæsit, ut nec ad interiora descenderet, nec foras ejici potuisset, sicque inter servorum manus crudeli morte est necatus; nec unde contra Dei servam gulam carnis satiare voluit, justo Dei judicio carnalem vita adhuc jejunus amisit. F

*c claret miraculis*

*Comitem ut ablatam restituat rogat,*

*ultione prædicta nisi pareat;*

*ea mox secuta :*

38 Post cujus obitum, sanctus Pater Romoaldus volens monachis et eremitis exemplum paupertatis relinquere, tribus annis continuis terram sarculo fodiens, triticum propriis manibus seminavit. Quod metens et virga excutiens, de manuum suarum labore vixit. Qui nimirum dum agriculturam exercuit, pondus jejunii sibi duplicavit.

*agrum triennio colit.*

39 Nos vero monachi et eremitæ *d* proprietarii, qui mundi abrenuntiatores dicimur, cur ad mundum iterum, velut canes ad vomitum, revertimur? Cur non veremur pecuniam repetere, quam prius nullus vetuerat possidere? Porro non fecimus, ut a nobis pecunia possessa jam nostra non fieret, et quæ nostri juris erat in commune translata prodiret. Quid ergo consilium fuit, in tam periculosum nosmetipsos certamen

*d Invehitur in monachos proprietarios.*

tamen

A tamen adducere et contra Regulam ac sacri Evangelii sententiam dimicare? Quis, rogo, Ananiam et Saphiram rebus propriis abrenuntiare coegit? Sed quia partem pecuniæ uterque pro sustentanda quasi longa vita retinuit, subitaneæ mortis sententiam non evasit. Et quia nequaquam juxta renuntiatorum regulam sunt vivere contenti, juxta prævaricatorum *gravius quam Ananias et Saphira* pœnam sunt infeliciter expirare coacti. Et quidem illi, utpute rudes et ad fidem noviter venientes, simpliciter peccaverunt, districto quidem, sed pio Dei judicio, sola, ut credimus, corporum morte, et non animæ, puniti sunt. Nos autem qui cuncta præcepta Evangelii novimus, et vivere secundum Regulam promisimus, quid ante tribunal Christi dicemus, aut quod excusationis genus invenire poterimus? Nam *puniendos,* si adhuc marsupio nostro denarius includitur, si ad injuriam Dei quantumlibet pecuniæ reservatur, quid Matth. 25, 41 in die judicii audituri sumus, nisi illud terribile verbum, Discedite a me maledicti in ignem æternum?

40 Quia si tamquam de futuris alimentis lucrum carnale reponimus, dum nobis in posterum providentes pecuniam tenemus, thesauro fidei nos vacuos *immemores professionis,* esse monstramus. Et dum professionem, quam cum Christo pepigimus, frangimus, violatæ fidei potius B tormenta timere, quam præmia de nostra religione possumus sperare. In professione enim pactum, quod inter duos fit, vox ex utraque parte procedit, ut qui transgressus fuerit pœnam violatæ professionis sustineat. In professione autem nostra, qua cum Deo pactum fecimus, vox nostra hæc proculdubio fuit, e Quia Christum sequentes, mundum relinquere et *et promissi a Deo centupli,* Matth. 19, 29 paupertatem servare promisimus. Divina autem vox consequenter ad ista respondit: Amen dico vobis, omnis qui reliquerit patrem aut matrem aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. Ecce audivimus, quia perfectis monachis non qualiacumque munera promittuntur, sed cœlestes divitiæ et vita æterna pollicentur. Nimirum decebat, ut hæc mutatio dexteræ Excelsi fieret, quatenus qui pro Christo effecti sunt pauperes, jam cum ipso divites facti in vita æterna regnent, cœlestis curiæ senatores. Qui vero ad terrena quæ reliquit revertitur, sicut alienus est a seculo, ita alienus erit a cœlesti regno: fatuus nimirum viator, nec illuc reverti potest unde recessit, et quo ire disposuit non pertingit.

C 41 Enimvero toti mundo renuntiamus, proprietatem nostram Deum esse constituimus, et nos illius Psal. 118, 57 *quorum hæreditas Christus,* Prov. 20, 21 proprietatis effecti sumus, ut et ille sit portio nostra, et nos simus hæreditas sua. Dicimus enim: Portio mea Domine. Et ille nobis: Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea. Nam de hæreditate terrena scriptum est: Hæreditas, ad quam in principio festinatur, in fine benedictione carebit. Si ergo portio nostra ipse omnipotens Deus esse dignatur, quid rogo divitiarum genus tali thesauro præponitur? Thesaurus namque Deus talis est, ut si solus sit, omnes in eo divitiæ valeant possideri. In pectore itaque Domini nostri Jesu Christi omnes thesauri sunt absconditi. Si vero monachus pecuniam cum Christo servare voluerit, statim indigni consortii impatiens, dum retineri putatur, amittitur, atque hoc modo frustrati recedit de manibus possessoris. Nemo Matth. 6, 24 *impatiens consortis.* enim potest Deo servire et Mammonæ. Quapropter, o monache proprietarie, si vis in arca cordis recondere Christum, excute prius denarium. Neque enim in uno receptaculo convenienter sociantur Christus et denarius. Nam si utrumque simul incluseris, alterum sine altero, vacuus possessor inveneris. Quanto quippe in pecunia ditior fueris, tanto graviora tormenta in inferno sustinebis. Quia monachus habens obolum non valet obolum. Ergo obolus si tibi sit, in aliena protinus jura cedat, ut vacuam tui pectoris arcam Christus inveniat. Magnus quippe hospes D Christus Deus, quærit in tui cordis arcam descendere, atque sibi solus vult ac sine consortibus habitare. Quem enim cœli et terra non potest capere, quo pacto in exiguo cordis angulo vis illum cum pecunia habitare? Cedat ergo, cedat pecunia terrestris, ubi admittitur thesaurus cœlestis. Quæ enim societas lucis ad tenebras? aut quæ conventio Christi ad Mammonam iniquitatis?

AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.

42 Abjiciatur ergo pecunia, ærugini, tineæ et furtis obnoxia: vacet arca cordis tui, quæ cœlesti thesauro possit impleri. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Quia multo salubrius erat habitam in seculo pecuniam possidere, quam abjectam cum peccato in monasterio acquirere. Pudeat ergo te, o miles Christi monache, peritura pecunia in claustro ditescere, ne cogaris in inferno nudus et inops perpetuo igne ardere. Et qui pauper cum Christo noluisti in monasterio vivere, dives absque Christo, sed servus pecuniæ, cogaris cum diabolo perpetuo interire. Audisti ergo, nummicola monache, quid tibi avaritia pariat: audisti ad quem finem avaritia te perducat. Justum quippe est, ut cujus mens nunc ardet per avaritiam, postea corpus illius et anima comburatur in pœna æterna. Igitur quis- E quis desiderat futuræ paupertati occurrere, veras divitias debet appetere. Illum pretiosum thesaurum Jesum Christum Dominum nostrum studeat toto corde quærere, qui et vita est hominum et perennitas Angelorum. Hunc, inquam, in arca cordis tui recondere, in illum omnem tuæ necessitatis sollicitudinem projice, in ipso per assiduæ orationis colloquium delectare, in ipso te jugibus sanctarum cogitationum epulis refice. Ipse tibi sit cibus ipse tuum erit indumentum. Si autem contigerit, ut alicujus commodi exterioris indigeas, nihil hæsites, nihil de ejus firma promissione diffidas, qua pollicetur, dicens: Primum quærite regnum Dei, et omnia adjicientur vobis. Qui enim sitienti populo ex arida petra uberes aquarum rivos jussit effluere, et qui esurientibus cœleste manna per annosa temporum spatia potuit ministrare, putas uni monacho suis jugiter obsequiis insistenti non poterit necessaria vitæ providere? Et qui per quadraginta annorum curricula infinitæ illius turbæ vestimenta servavit illæsa, difficile sibi forsan erit attritis veteribus nova tibi vestimenta præparare?

*Adhortatio ad exinanitionem perfectam,*

*et spem in Deo reponendam,*

*qui necessaria promisit,* Matth. 6, 33

*et providit olim Israelitis,*

43 Nos certe, nos modicæ fidei, compellimus F Christum esse tenacem: quia pusillanimorum diffidentia facit pauperem Christum. Sed plena fides divitem illum et largum in exhibendis muneribus experitur. Satage tantummodo monache in iis te exercere, qui jussit, et nulla prorsus ex iis maneat dubietas quæ promisit. Sit securus exactor, ubi ad reddendum promptus est debitor. Sine caussa diffiditur, ubi ille promissor est qui numquam mentitur. Ceterum in illa veræ beatitudinis vita, quanta tibi dabuntur, et quam potiora, non est, fateor, mearum virium disputare, non est meæ facultatis enumerare. Hoc tantum ad compendium inexplicabile meritorum referre sufficit, quia hoc accepturi sunt boni monachi, qui mundum reliquerunt, et proprium non habuerunt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, 1 Cor. 2, 9 nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus.

*sed diffidentes deserit*

a *Est* Vergheretum, *vel* Vergherela, *vicus in Apennino juxta* Sapis *fluvii fontes, non longe a* Balneo *sive* Bagno, *cujus hic mentio fit, et in priore Vita cap.* 5 *num.* 27. — b *Quid sit* Pholonga, *ibidem diximus litt.* e. — c *In priore Vita cap.* 3 *num.* 17 *diverte id contigisse dicitur, dum vir sanctus* adhuc in Galliæ partibus moraretur. — d *De proprietate, atque ejus pœnis plura dixerit Haeftenus lib.* 4 *tract.* 7. — e *Haeftenus lib.* 4 *tract.* 5 *Disquisit.* 4 *aliquot Professionis Benedictinæ formulas proponit, in quarum nulla hæc habentur verba. Res tamen ipsa variis Regulæ capitibus inculcata.* Vergheretum

## CAPUT VIII.

A

AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.

## CAPUT VIII.

*S. Romualdi humilitas. Martyrii desiderium, exemplo SS. Adelberti et Bonifacii. Colloquium cum S. Henrico Imp.*

Quia igitur sub compendio, qualiter exemplo S. Romualdi vivere debeant monachi, utcumque dictum est, qualiter debeant esse prælati exemplo ejusdem Patris sancti, annectendum est. Ad tantam quippe fæcem quotidie semetipso deterior mundus iste devolvitur, ut non solum monachorum ordo a statu suo collapsus jacebat, sed etiam ipsorum vita Prælatorum solo tenus (ut ita dixerim) reclinata, ab assueta illa celsitudinis suæ perfectione languescat. Periit in Prælatis rigor, correctio subditorum evanuit, et honestæ vitæ religio jam cecidit, ac velut facto agmine omnium virtutum turba procul abscessit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, et contempto cœlesti desiderio terram insatiabiliter concupiscunt. Et quia sub ipso mundi fine post mundum inhiare non desinunt, quasi post alta pelagi in litus everti, terram remigio inaniter feriunt, dum adhuc, quibus ultro quiescendi locus offertur, supervacuo laboris studio pœnaliter fatigantur.

*Multi superiores monachorum se et suos negligunt:*

B

45 Qua propter ea tempestate, qua cives Tiburtinæ civitatis oppressérat, (Otto namque Imperator cum universo exercitu suo dictam civitatem obsidebat: cives enim inclytum ejus Ducem, Mazolinum nomine, interfecerant, ipsumque Imperatorem correptis armis de suis mœniis exturbaverant: ideo Imperator tam civibus quam civitati minabatur excidium) eo namque tempore Pater sanctus Romualdus Classense regebat monasterium: videns autem et suam perfectionem aliqualiter minui, et monachorum mores proclivius in deteriora prolabi, ideo adire Imperatorem impiger deliberavit, et eo licet renuente virgam pastoralem projiciens, monasterium jam dictum et curam ipsius refutavit. Habebat autem Pater sanctus equum satis egregium, quem sibi *a* Briscam Charvaciæ et Bulgariæ Regis filius, factus ab eo monachus, dederat. Hunc equum Pater sanctus humilitatis studio permutavit, et lucroso commercio asinum laudabilis negotiator accepit. Adducto itaque asello (nimis quippe exesus jejunio vix egredi poterat) hoc quoque animal exemplo Redemptoris libenter equitabat. Veniens igitur ad Imperatorem, et fusis ad eum precibus pacem civibus Tiburtinæ civitatis impetravit, et multos de palatio Imperatoris ad sanctæ religionis habitum convertit, inter quos *b* Felicem Bonifacium Imperatoris consanguineum, et *c* Thanium Principem Mutiæ, ac multos Theutonicos habitu monastico induit.

*ideo S. Romualdus Classensem abbatiam dimittit:*

*a*

*equum asino mutat.*

*Tibur urbem servat:*

C

*b*

*c*

*multos illustres monachos facit*

46 Eodem namque tempore B. Adalbertus, Pragensis Episcopus, a Sede sua Praga expulsus, Romam venit. Audiens autem tunc celebre nomen S. Romualdi, quod per totam Italiam ferebatur, incensus videndi eum studio, perrexit ad ipsum: et statim ut eum vidit, mutato pristino habitu, inter ejus discipulos *d* habitum monachi suscepit, contemplans ordinem vitæ ejus morumque gravitatem, quam creber in oratione, quam humilis in suscipiendis Fratribus, severus in corripiendis, alacer in exhortandis esset, et ut continentiam cibique ejus austeritatem et vestis asperitatem nulla unquam infirmitas frangeret.

*S. Adalbertus Ep. eum visit.*

*d*

47. Porro clarescente fama ejusdem S. Adalberti Episcopi Romæ extra portam in S. *e* Pauli Apostoli monasterio, et petente universo Bohemorum populo, ac præcipiente Benedicto Papa *f* octavo, Pragam ad Sedem suam revertitur. Sed modico post tempore, a Bohemorum populo duræ cervicis a Praga expellitur: qui assumptis secum duobus monachis, *g* Gaudentio scilicet et Crescentio, ad Pruthenos adhuc paganos in Prutziam profectus est. Quibus cum fidem Catholicam constanter prædicare, et illi audire nomen Christi recusarent; armato agmine B. Adalbertum circumdederunt, et septem lanceas cordi ejus infixerunt. Cumque Præsul sanctus sic perfidorum lanceis transfixus, extensis in modum crucis manibus, stans pro eisdem oraret: Prutheni lictores crudelissimi, necdum Martyris sanguine satiati, caput ejus absciderunt, et in palo levantes subsannare ac deridere illud cœperunt. Sed mox virtute divina anceps Martyris corpus *h* erigitur, et accepto proprio capite in manibus eadem via, qua venerat, in Poloniam revertitur, ac in civitate quæ Gnezna vocatur, a fidelibus honorifice tumulatur. Sed coruscantibus ad tumbam Martyris maximis ac crebris miraculis, Pragam *i* Metropolim Bohemiæ magno cum honore deducitur, factoque locello ex auro et lapide pretioso, supra majus altare Martyr et hostia Christi digne collocatur.

*e*

*f*

*redditur Pragam:*

*inde ejectus,*

*g*

D

*in Prussiam prædicat:*

*martyrio coronatur;*

*h*

*caput manibus gerat*

*i*

*transfertur Pragam:*

48 Audiens autem B. Bonifacius, B. Romoaldi et ipse discipulus, gloriosum S. Adalberti Episcopi Pragensis martyrii triumphum, et ipse accensus martyrii desiderio, susceptoque a Papa pontificatus officio, mox ad Regem Russiæ profectus est. Quem cum non posset ad fidem Christi convertere, jussit copiosum ignem accendi, et stans in medio ignis illæsus tali miraculo Regem cum universo populo convertit ad fidem. Sed cum ad convertendum fratrem Regis venisset, ille mox apprehensum in præsentia sua decollari fecit. Sicque et ipse Martyr coronam a Christo promeruit. Dum igitur SS. Adalberti ac Bonifacii Martyrum simulque Pontificum gesta proprio stylo indigeant, idcirco tamen eos cum aliis B. Romoaldi discipulis commemorare volui, ut ex eorum laude quam magnus et gloriosus magister eorum fuerit, demonstrarem; quatenus dum celsitudo discipulorum auribus fidelium insonat, quam excelsus Doctor eorum fuerit, ex schola, quam tenuit, innotescat.

*ejus exemplo S. Bonifacius Russos adit:*

E

*Regem convertit, in igne illæsus*

*fit Martyr.*

49 Interea sanctus Pater Romoaldus audiens quod discipuli ejus Adalbertus et Bonifacius glorioso martyrio coronati fuissent, et ipse nimio desiderio martyrii succensus, ut pro Christo sanguinem funderet, suscepta a Sede Apostolica licentia, cum viginti quatuor Fratribus ad Ungaros adhuc *k* paganos profectus est. Euntes ergo cum jam ad confines Ungariæ venissent, repente B. Romoaldus languore correptus ulterius ire non potuit. Advocans itaque Fratres, Adverto, inquit, quod non est Dei voluntas ut ultra progrediar; sicque Parencium remeavit. Sed Apostolicæ Sedis Antistes et Romani cives ad eum redeundi legationem dirigunt, quod si reverteretur, facturos se omnia ejus præcepta promittunt, sin autem, excommunicationis sententiam comminantur. Hoc itaque modo suum Romoaldum alumna Italia recuperare meruit.

*S. Romualdus, desiderio martyrii*

*k*

*Ungaros adit*

F

*morbo impeditur*

*revocatur in Italiam*

50 Romoaldus itaque Pater sanctus cum omnibus discipulis superius nominatis ad eremum de *l* Peretello, ubi prius habitaverat, rediit. Ibi denique his et aliis multis Fratribus et Theutonicis aggregatis, ac per singulas cellas constitutis, tanto fervore eremiticæ vitæ rigorem et in se et in aliis tenuit, ut eorum vita omnibus, ad quos fama eorum pervenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obstupesceret? quis non mutationem Divinæ dexteræ prædicaret, cum vidisset homines prius sericis, imo deauratis vestibus indutos, crebris obsequentium cuneis obstipatos, omni deliciarum affluentiæ assuetos, nunc eos cerneret uno *m* birro contentos, reclusos, discalceatos, incultos, et tanta abstinentiæ ariditate attritos? Faciebant autem singuli opera manuum in cellis suis: alii scribebant, alii vero cochlearia incidebant,

*l*

*cum discipulis sanctissime vivit,*

*m*

A cidebant, alii pannos texebant, alii vero retia nectebant. O aureum Romoaldi seculum, quod etsi tormenta persecutorum non noverat, longo tamen martyrio non carebat! Aureum, inquam, seculum, quod inter montium et silvarum feras tot cœlestis Jerusalem cives alebat! Non itaque Pater sanctus falli potuit, qui secundum intentionem et desiderium suum martyrium quidem subiit, sed juxta divinum consilium pro salute eorum missus est quos convertit.

*omnibus opus aliquod agentibus :*

51 Eo namque tempore defuncto Ottone Imperatore, Henricus Imperator *n* primus habenas Imperii suscepit : qui de Ultramontanis partibus *o* Italiam veniens, misit B. Romoaldo deprecatoriam legationem, ut ad eum venire dignaretur Veronam, promittens se facturum quodcumque præciperet, si suum ei colloquium non negaret. Ad quem Pater sanctus nudis pedibus et male vestitus, utpute fractis pellibus indutus, ac cum inviolato silentio venire dignatus est. Cui mox Imperator Henricus assurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem cum lacrymis prorupit, dicens : O utinam anima mea esset in corpore tuo! Quem mox ut secum loqueretur obsecrans, ipso die hoc impetrare non potuit. Iste Imperator Henricus et uxor ejus *o* Cunegundis ambo virgines permanserunt, et cælibem in terra vitam ducentes *p* B quadraginta annis, in pace quieverunt.

*n evocatur Veronam a S. Henrico,*

*sed ei primo die non loquitur :*

52 Postera autem die S. Romualdo ad Imperatoris palatium veniente, ecce Theutonicorum multitudo certatim hinc inde currunt, capita salutantes humiliter flectunt, vilis quoque pelliceæ vestis, qua erat indutus, anxie particulas decerpentes, pro sacris reliquiis in Alemanniam portaturi, studiose recondunt. Sanctus vero Romoaldus ingressus ad Imperatorem, non pauca sibi locutus est, arguens, obsecrans, increpans eum de violentia potentum, de oppressione pauperum, et de restituendo jure Ecclesiam, ac de conversione paganorum et infidelium. Ob hoc ipse Imperator Henricus sororem suam germanam, nomine *q* Gillam, dedit *r* Stephano Regi Ungariæ adhuc pagano in uxorem : et per hoc matrimonium convertit dictum Regem Ungariæ cum toto regno ad fidem Christianam.

*postridie, magno honore exceptus ab Aulicis,*

*piis monitis eum instruit.*

a *Ad cap. 8 prioris Vitæ, num. 39 litt. b diximus* Busclavi, *sive* Boleslai Chabri, *primi Poloniæ Regis, filium fuisse.* — b *Videtur Auctor, alterum ad S.* Bonifacii *nomen statuere, uno quis malit felicem sive beatum dici; uti B. Petrus Damianus* felicissimum Martyrem *appellat.* — c Thammum *vocat B. Pet. Damianus.* — d *Non suscepit a S. Romualdo habitum monasticum S. Adelbertus. Venit enim Romam (uti in Annalibus deducit Baronius) anno 983 Hierosolymam proficiscens divertit Casinum, dissuadent ei Abbas et monachi peregrinationem, sed cum ibi ut Episcopus honoraretur, abiit ad S. Nilum, a quo Romam missus ad Leonem Abbatem monasterii S. Bonifacii, ab eo monachili habitu indutus est : verum anno tandem 989, cogente Romani sententia, redire in Bohemiam coactus, uti plenius ad ejus Vitam 23 Aprilis dicemus. Atqui eo tempore nondum S. Romualdus ex Gallia reversus fuisse videtur.* — e *Non in S. Pauli monasterio vixit Romæ S. Adelbertus, sed (ut diximus) in S. Bonifacii, quod nunc S. Alexii dicitur, eratque recens a Sergio Damasci Episcopo, Benedicto 7 annuente, institutum in Aventino, nunc est Hieronymianorum.* — f *Non Benedictus 8, qui non nisi anno* 1012 *vel* 1013 *Pontifex creatus est, S. Adalbertum jussit Pragam reverti; ac ne* Benedictus 7 *quidem, qui anno 984 obiit, sed* Joannes 15, *idque secundo : verum an cum altera vice in Italiam venit, indeque reverlit Pragam, in Italia S. Romualdus fuerit, ab eoque de via salutatus, nec negare ausim, nec affirmare.* — g *Hic primus Gnesnensis Archiepiscopus factus, uti scribit qui tum vivebat Ditmarus lib. 4 Chronici; cum antea Gnesna, sive (ut scribit) Gnesin,* Ungero *Posnaniensi Episcopo subesset : quod Stephanus Damalevicius in Actis Archiepiscoporum Gnesnensium, Et Longinus in Tetrerus in Posnaniensium Epp. gestis, vel non animadverterunt, vel dissimularunt.* — h *Imo sacrum corpus pretio a barbaris redemit Boleslaus Poloniæ Rex, ut suo loco dicemus.* — i *Id factum a Bretislao Duce Bohemiæ et Severo Ep. Pragensi sub annum* 1039, *Poloni scriptores aiunt S. Gaudentii corpus, pro Adalberti suppositum, accepisse Bohemos. At Cosmas Pragensis lib. 1 Chronicæ diserte scribit translata septem sancta corpora, videlicet* S. Adelberti, *sanctorum quinque fratrum* Benedicti, Matthæi, Joannis, Isaaci, Christini *(quem vocat* Crispinum*)* et S. Gaudentii. — k *Jam antea Christi fidem Geisa Rex susceperat, ejusque filius S. Stephanus, non deerant tamen in numerosa gente, qui adhuc institutione egerent.* — l *Ubi id situm, docet B. Petrus Damianus,* et Perreum *vocat, licet quidam codices* Piretum, *et* Peretum *habeant.* — m *In Vita S. Romuldi 18 Januarii, cap. 4 num. 20* birrum suum, quem Græci amphibalum vocant, deponere voluit refrigerandi gratia. *Quo ex loco patet non interiorem tunicam fuisse, sed chlamydis genus. Consule quæ illic notavimus.* — n *Recte* Imperator primus; *nam proavus ejus* Henricus Auceps *Rex Germaniæ fuit non Imperator. Aucupis filii fuere* Otto, Henricus, S. Bruno. *Ottonis filio ac nepote mortuis, Henrici nepos* Christi adjutorio, et jure hæreditario regnavit, *ut lib. 5 scribit Ditmarus, eratque is Henricus tertius ex familia Saxonica Bavariæ Dux, de quo plura ad 14 Julii, quo colitur.* — o S. Cunegundis *Vitam dabimus* 3 *Martii.* — p *Stobiit, ut dicitur, S. Henricus anno ætatis* 52, *sequeretur hinc, duodennem matrimonium contraxisse.* — q *Usitatius* Gisla et Gisela *appellatur : numeratur a quibusdam inter Sanctos, uti 7 Febr. diximus, dicemusque 7 Maii.* — r *Vitam* S. Stephani *R. dabimus* 20 *Augusti.*

*S. Adelbertus non fuit S. Romualdi discipulus.* C

*Birrus.*

D

*AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.*

*S. Henricus jure hæreditario succedit Ottoni 3*

## CAPUT IX.

### *Prælatorum reprehensa negligentia et luxus.*

Quid ad hæc mali Prælati dicturi sunt, qui ad mundana negotia dispersi, aliud ex honore prælationis suscipiunt, atque aliud in opere faciunt? Ecce subditi eorum Deum offendunt, et tacent : in malis actionibus jacent, et correctionis manum non extendunt. Quotidie per multas nequitias pereunt, et eos ad infernum tendere negligenter vident. Sed quomodo mali Prælati corrigere possunt subditorum vitam, qui negligunt et suam? quia pompis secularibus et deliciis carnalibus intenti, tanto gravius damnabuntur in inferno, quanto delectabilius vivunt in hoc mundo. Debent enim Prælati delinquentium subditorum vitia non dissimulare, sed increpare; non sustinere, sed corrigere : ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat E a peccato. Quia sicut benedictione digni sunt, qui culpas subditorum corrigunt, ita nihilominus maledictioni obnoxii, qui peccatoribus blandiuntur. Nam facti siquidem culpam habet, qui, quod potest, negligit emendare : et dum increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio tacendo Prælatus occidit.

*Prælati debent subditorum peccata corrigere,*

54 Hinc est quod ipse Dominus cum omnis Israelitica plebs non dispari crimine teneretur obnoxia, de populo quidem tacuit; sed adversus solos Prælatos in furorem se dignæ animadversionis erexit. Iratus enim ait Moysi : Tolle cunctos Principes populi, et suspende eos contra solem in partibus, ut avertatur furor meus a vobis. Sed quid in his omnibus datur intelligi, nisi quod Prælatus, qui subditorum peccata corrigit et ulciscitur, pacem Dei et gratiam non modo sibi sed etiam subditis absque dubio promeretur. Unde divina vox, Phinees, inquit, avertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non delerem eos. Et subdit, Ecce, inquit, do ei pacem fœderis; et erit tam ipsi quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est Israel pro Deo suo. Quid dicam de Rege Achab, qui dum iniquo Regi *a* Assyriorum Benadad inordinata pietate pepercit, divinam adversum se sententiam provocavit? Unde sermo divinus ad Achab ait : Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima ejus, et populus tuus pro populo ejus. Merito enim debet Prælatus superni Judicis subire vindictam, qui negligit in subdito exercere disciplinam. Unde et Dominus per Prophetam sanguinem subditorum in peccato morientium de manu Prælatorum minatur esse requirendum.

*ne pro iis puniantur :* Nu 25, 4

Ibid. v 11 et 13

a

F

3 Reg 20, 42

Ezech 3, 18

55 Sed cur moderni Prælati subditorum peccata fovent, et non reprehendunt? nisi forte, si audeam dicere, nemo fidenter in alio reprehendit, in quo se esse reprehensibilem cognoscit? *b* Siquidem humanitas est omnium, in quo sibi quisque indulget, aliis non vehementer irasci. Nam vita Prælatorum subditis debet esse in exemplum. Sed quomodo jam lux mundi obscurata est? quomodo sal terræ infatuatum est! Quorum nobis vita via vitæ esse debuit, dum malum exemplum in suis actibus ostendunt, superbi cæci facti sunt duces cæcorum. Quod enim exemplar est humilitatis, in tantis deliciis vivere, et cum tanta pompa incedere, ut dicas, si videas incedentes, non Patres monachorum, sed Dominos castellorum, non rectores animarum, sed Principes provinciarum.

*multi id negligunt,*

*ipsi perversi,*

*et luxui dediti.*

56 Unde

AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.

*de Christi paupertate et opprobriis avar.,*

A 56 Unde hanc illis exuberare æstimamus rerum affluentiam, decorem vestium, mensarum splendorem, congeriem vasorum et argenteorum, nisi de bonis Crucifixi? Quod enim sine miserabili gemitu non est dicendum: Christi Jesu opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem et mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, et profligant jam in acquisitione turpis lucri; et pretium universitatis suis marsupiis includere festinant: hoc solo a Juda Scharioth differentes, quod ille horum omnium emolumentum denariorum numero compensavit; isti voraciori ingluvie infinitas exigunt pecunias: his insatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant timent, et cum amittunt dolent, harum in amore quiescunt: animarum vero sibi commissarum nec casum nec profectum omnino nihil curant. Sed cum sint de Crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritionem Joseph. Gloriantur itaque moderni Prælati, quod sunt ministri Christi, et serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui honorem Domino non deferunt. Inde is, quem quotidie videmus, histrionicus habitus et regius apparatus: inde aurum in annulis et sericum in lectis: inde mensæ splendidæ

*de ejus patrimonio lauti et magnifici,*

B in delicatis cibis et plenis scyphis: inde commessationes et ebrietates: inde cithara, lyra et tibia: inde redundantia torcularia, et promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud: inde dolia pigmentata: inde referta marsupia. Et propter ista, non propter Christum, volunt esse Prælati, Abbates, Priores, Præpositi, et Decani.

*persequentes Ecclesiam*

57 Sed væ Ecclesiæ Sanctæ Dei a fermento Scribarum et Pharisæorum, id est, malorum Prælatorum. Serpit hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ, et quo latius, eo desperatius, eoque periculosius quo interius. Nam si contra Ecclesiam insurgeret manifestus hæreticus, mitteretur foras et aresceret: si violentus paganus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc vero quem ejiciet, aut a quo se abscondet? Omnes Prælati sunt quasi amici, et omnes sunt Ecclesiæ inimici, quia omnes quæ sua sunt quærunt, et non quæ Jesu Christi. Ideo lugens et dolens clamat sancta Mater Ecclesia: Et ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius a paganis in nece Martyrum, amarior postea in conflictu hæreticorum, sed hodie amarissima in malis moribus Prælatorum. Sed cur dicit, In pace? quia hodie est pax, et non est pax. Est pax a paganis, pax ab hæreticis; sed

*magis quam pagani et hæretici:*

Isa. 38 17

C non est pax a malis Prælatis. Unde vox plangentis Ecclesiæ: Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Spreverunt et maculaverunt a turpi vita, a turpi quæstu et a turpi commercio. Superba enim mens Prælatorum, improvida periculi, semper majorum dignitatum appetit ascensum, nec nisi post factum terretur ex descensu. Quia quanto altius ascendunt, tanto gravius descendunt in infernum.

et cap. 1 2

*Prælati debent Christum amare,*

58 Dominus enim posuit Prælatos Ecclesiæ suæ custodes, et ovium suarum pastores, et vult ab eis de singulis ovibus reddi rationem. Qui si unam perdiderint, statim eos diabolus venumdatos in carcerem inferni poni jubebit. Ideo cum B. Petro oves suas committeret, quam attente ter ipsum admonuit, dicens: Petre amas me? pasce oves meas; quasi dicat: Nisi ames me plus quam tua, plus quam tuos, plus quam te, nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ovibus meis; pro quibus utique sanguis meus effusus est. Terribilis sermo, et qui posset etiam superborum quorumvis concutere corda. Propterea attendite vobis, Prælati, quicumque pascendas oves Christi suscepistis: pascite eas, necesse est, in pascuis Scripturarum et in lege mandatorum Dei. Sed sunt mandata, quæ duris atque carnalibus animis imponentur, ex lege vitæ et disciplinæ, et sunt

Joan. 21 17

*subditos pascere*

*varia esca,*

D olera dispensationum, quæ infirmis et pusillis corde de respectu misericordiæ apponuntur; et sunt consiliorum solida et fortia, quæ proponuntur sanis, et qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. Parvulis namque tamquam agniculis ad hortationis potus datur lac, non esca.

*præcipue exemplo*

59 Ad hæc boni sollicitique Pastores impinguare pecus non cessant, bonisque exemplis et suis magis quam alienis. Nam si alienis exemplis et non suis, ignominia est eis, et pecus non proficit. Si enim Prælatus apponit ovibus, id est, subditis Moysi mansuetudinem, Job patientiam, Samuelis misericordiam, et Jeremiæ sanctitatem, ipse impatiens, immitis et minime sanctus: sermo minus sapiet, et subditi non capient. Quod si Prælatus ignarus et idiota fuerit, quomodo, quæso, in pascua divinorum eloquiorum greges Dominicos educet? Sed et si doctus quidem fuerit, non sit autem bonæ vitæ, verendum est ne mala vita noceat et oves Christi destruat. Potiora enim sunt exempla quam verba. Stude ergo, o Prælate, ut te contiguus alloquor, quatenus subditos tuos, quos officio prælationis superas, etiam vita bona præcedas. Bona quippe doctrina est, subditis alimenta providere, providentem vero in jejunii rigore persistere. Optime ille Prælatus vigilare docet, qui primus E surgens pulsando alios suscitat: eloquentissime, dum Prælatus tacet et orat, silentium Fratribus commendat. Fructuose Prælatus de extremitate vestium disputat, qui se vili indumento deformat: et utiliter Prælatus observantiam Regulæ commendat, quando ipse primus totam Regulam servat.

*et doctrina.*

*a Rexerat illas Syriæ, cujus caput Damascus. — b Hoc ex S. Bernardo sumptum cap. 10 Apologiæ de vita et moribus monachorum; e quo, et tractatu de moribus Episcoporum, plura in hanc Vitam transcripsit auctor.*

## CAPUT X.

### *Camalduli descriptio. Romualdi hospitalitas. Miracula.*

Enimvero eremitica vita est, quæ supra omnes Ordines ad summa tendens, se servantem jam ponit in patria, et eum qui adhuc versatur in labore jam quodammodo consolatur in requie. Numquam tamen sancti eremitæ a portanda post Jesum cruce deficiunt, dum et proprias voluntates reprimunt, et contra cogitationum tentamenta quotidie confligunt. Hæc est quæ peccandi facultatem adimit, et bonis operibus insistendi necessitatem imponit. Hanc Salomon stylo fideli descripsit, dicens: Multæ filiæ con- F gregarunt divitias, tu supergressa es universas. Hanc vitam ereniticam in veteri testamento Helias incepit, Heliseus autem aucto discipulorum numero dilatavit. In novo autem testamento non dispari ordine *a* Paulus et Antonius vixit, dum Paulus solus in eremo habitavit, et plures Antonius in hac professione discipulos enutrivit. Quamquam et hoc certe non latet, quod Moyses sub ipso tunc antiquæ legis initio quadraginta annis populum per deserta eremi duxit, et totidem diebus ipse Dominus noster personaliter eremum consecravit. Baptista quoque Joannes hujus professionis assertor extitit, qui sine humano victu in eremo vivere non humana virtute decrevit.

*Vita eremitica perfectissima,*

Prov. 31 29

*in veteri et novo Testamento commendata.*

a

61 Hanc vitam eremiticam sanctus Pater noster Romualdus nonaginta septem annis laudabiliter tenuit, et in proposito eremitico usque in finem perseveravit! Eo namque tempore, quo Papa Silvester secundus, qui fuit natione Gallicus, et primo vocabatur Gilibertus, Remensis Episcopus, postea fuit Ravennas Archiepiscopus, ac demum Papa Sylvester secundus, hic *b* primus revocavit S. Romualdum in Italiam de Parencii confinibus. Veniens itaque Pater sanctus in Romandiolam, ascendit altissimum Apennini

*S. Romualdus,*

b

*tempore Silvestri II,*

A nini montem, lustrans Alpes per circuitum, cupiens invenire pro eremitis idoneum locum. Cui occurrit quidam vir, nomine Maldulus, dicens se habere amœnum locum in Alpibus, consueto nomine vocatum Campum bellum. Hunc B. Romoaldo afferebat, petens instantius ut nomine ipsius Camaldulum vocaretur. Ubi dum lassus quiesceret, vidit instar Jacob scalam excelsam, cœlum quasi suo vertice tangentem, per quam albescentium monachorum videbatur ascendere multitudo in cœlum. Mox Pater sanctus, tamquam divino illustratus oraculo, ecclesiam miræ pulchritudinis in eodem loco ædificavit, quam c Theodaldus Aretinus Episcopus in honore Salvatoris consecravit. In circuitu autem ejusdem ecclesiæ quinque cellas construxit, et totidem eremitas ibidem collocavit.

*in loco a Maldulo sibi donato,*

*visione scalæ motus.*

*c ecclesiam et 5 cellas ædificat :*

62 Est autem hæc sacra eremus Camalduli in Italia, in partibus d Romandiolæ, distans itinere unius diei a civitate Aretina, in qua sunt cellæ viginti quatuor eremitarum separatæ. Et quidam sunt eremitæ aperti, alii vero sunt reclusi. Omnes tamen eremitæ per totum annum jejunant tribus diebus in pane et aqua qualibet septimana, nudis pedibus sedentes in terra; B exceptis duabus Quadragesimis, in quibus Dominica tantum et feria quinta eremitis datur tantum unum pulmentum. Reclusi autem eremitæ quotidie dicunt totum psalterium; aperti vero eremitæ dicunt medium semper, sub obedientia unius majoris, absque proprio, induti ciliciis et cum disciplinis in cella occultis, tribus in septimana diebus, inviolatum servant silentium.

*d sunt jam cellæ 24.*

*Eremitarum preces et abstinentia :*

63 In circuitu autem dictæ eremi est pulcherrima silva lignorum abietum, per spatium unius milliaris Italici: quam silvam abietum nulla mulier potest ingredi sub pœna excommunicationis latæ per Dominum Papam sententiæ; eo quod reverendissimus in Christo Pater ac Dominus Ugolinus Cardinalis Ostiensis, cum magna devotione venit ad dictam eremum Camalduli, et ibidem propriis sumptibus cellam cum capella sibi construxit, quam in honore Beatæ Mariæ Virginis consecravit, et in eadem multo tempore reclusus habitavit. Per idem tempus defuncto Honorio Papa III præfatus Dominus Cardinalis in Papam eligitur, e cui nomen Gregorius IX imponitur: qui mox Romam cum ingenti honore deducitur, et in Sede B. Petri collocatur. Et ob hoc præfata cella sua vocatur Cella Papæ usque in præsentem diem: in qua cella omnibus pœnitentibus, confessis et contritis præfatus Gregorius Papa IX C concessit plenas indulgentias a pœna et a culpa, sicut Romæ in ecclesia B. Petri Apostoli, perpetuis temporibus duraturas. Iste Gregorius Papa IX libros f Decretales edidit, et Studio Bononiensi mandavit. Insuper ipse Beatam Elisabeth apud Perusium solenniter g canonizavit, et h Fredericum Imperatorem excommunicavit.

*circum silva fœminis inaccessa :*

*e*

*Cella Papæ, Gregorii IX, honorata Indulgentiis.*

*f*

*g h*

64 Post hæc sanctus Pater Romoaldus descendens de dicta eremo duorum milliarium Italicorum spatio, invenit fontem bonum ibique unam domum construxit, et unum monachum cum tribus Conversis ibidem ordinavit, pro adventantium hospitum susceptione atque caritativa refectione; ut præfata Camaldulensis eremus sacra semper sit pacifica, et ab omni strepitu seculari remota. In præfato hospitio Fontis-boni ecclesia pulcherrima est constructa, quam præfatus Dominus Papa Gregorius IX ad honorem Dei et sanctorum Martyrum i Donati et Hilariani propriis manibus consecravit.

*Boni-fontis monasterium construit*

*ad excipiendos hospites :*

*i*

65 Post hæc sanctus Pater Romoaldus redibat ad præfatam eremum Camalduli, sed lassus in medio itineris requievit paullulum super ingens saxum. Quem diabolus apprehendens per cucullam, conabatur præcipitare in vicinam fluminis fossam. Sed Romoaldus saxum præfatum manibus arripuit, et duro lapidi, D ac si mollis cera fuisset, sic vestigia manuum et pedum infixit. Cum clamasset Jesum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu omnis furia diaboli absorpta est.

*diabolum sibi minantem, vestigiis saxo impressis,*

*AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.*

*Jesu nomine fugat :*

66 Reversus itaque Pater sanctus ad præfatam eremum, mox ex opposito ecclesiæ cellam sibi parvulam construxit, in qua nudis pedibus damnato ostio se ipsum reclusit. Arbor autem quædam immensa fagus ita cellæ ejus acclivis imminebat, ut si vento fracta corrueret totam cellam indubitanter obrueret. Hanc Pater sanctus incidi præcepit. Cumque operarii, impactis circumquaque securibus, in ipsa jam arboris viscera venirent, arbor autem super beatum virum non jam dubie impetum minaretur: cœperunt omnes rogare et vocibus clamosis vehementer insistere, ut, si cellam postponeret, se ipsum foras exiens conservaret. Ille autem nequaquam clamoribus eorum acquiescens, ut arborem cito inciderent diffinite præcepit. Cumque arbor incisa graviter fremens super cellam directe corrueret, et k jam ædificio appropinquaret, Pater sanctus signum Crucis per fenestram contra eam edidit. Mox arbor nimiæ magnitudinis, quasi ad obicem indignans, terribili sonitu ita aliorsum est virtute Divina projecta, ut cunctis E mirantibus cella maneret illæsa. Omnes igitur tanto obstupefacti miraculo, lætas ad aera voces tollunt, et immensas Deo grates referunt. Hinc jure perpenditur sancti Patris Romoaldi meritum quamtum apud Deum pondus habuerit, in cujus conspectu gravissima arboris moles pondus habere nescivit, ac si non arbor sed stipula esset.

*arborem in cellam casuram,*

*k signo Crucis aliorsum avertit :*

a *Patent ista ex eorum Vitis, quas* 10 *et* 17 *Januarii dedimus.* — b *Cum hic auctor supra cap.* 8 *num.* 49 *scribat, S. Romualdum, profectione Hungarica desperata, Parentium divertisse, indeque ab* Apostolicæ Sedis Antistite *revocatum; non potest id Silvestro* 2 *tribuere, qui an.* 1003, 12 *Maii obiit: cum serius illud ad Hungaros iter contigisse velint Baronius, Inchofer, alii. At cum prima vice Parentio rediit, nullum dicitur Pontificis accessisse mandatum.* — c *Hunc Ughellus tom.* 1 *Italiæ sacræ, Bonifacii Marchionis Etruriæ fratrem scribit fuisse, ac celeberrimæ illius Comitissæ Mathildis patruum, castitate præcellentem, acremque Simoniacæ pravitatis adversarium, ac multa Camaldulensi eremo largitum.* — d *Leander in Etruria locat. Concordant pleraque chorographicæ tabulæ.* — e *Coronatus est an.* 1227, 21 *Martii, obiit* 22 *Aug.* 1241. — f *Ad id opera usus S. Raimundi de Pennaforti Ord. Prædicat. uti in hujus Vita* 7 *Januarii dictum.* — g S. Elisabetham *Thuringiæ Landgraviam canonizavit Gregorius* 9 *anno* 9 *sui pontificatus, Chr.* 1235. *Meminit id Odoricus Raynaldus tom.* 13 *Annal. Eccles. ad dictum annum num.* 22, 23, 24. *Nos de ea plenius agemus ad* 19 *Novembr.* — h *De Friderici* II *impii et perjuri Imperatoris excommunicatione sæpius iterata, consule eumdem Raynaldum prolixe hæc persequentem.* — i *Coluntur hi* 7 *Aug. et S. Donato quidem, ut Patrono, simulque Deiparæ Virgini dedicata est Cathedralis ecclesia.* — k *Exaggeratum nonnihil miraculum, quod simplicius narrat B. Petrus Damianus cap.* 15 *num.* 74

Theobaldus Ep. Aretinus,

*S. Elisabethæ canonizatio.*

## CAPUT XI. F

*Institutio monachorum: præsertim tironum.*

Convocatis itaque Pater sanctus Romoaldus omnibus et singulis eremitis, docebat eos ut per totum anni circulum tribus diebus in septimana in solo pane et aqua jejunarent, Psalterium cum canticis quotidie dicerent, silentium inviolabiliter servarent, disciplinas flagellorum in cella facerent, a metanias, ac genuflexiones frequentantes, semper cum lacrymis orarent, et vilissimo panno induti, mundi vanitatem fugerent. Ipse vere Pater sanctus, ut suo exemplo eremitas ad pœnitentiam provocaret, semper nudis pedibus in cella reclusus, asperrimo cilicio erat indutus, et, excepto die Dominico, quotidie in pane et aqua jejunabat. Sic alternatim dies penuriosæ refectionis et dies acerbæ mortificationis sibi invicem perfectæ abstinentiæ post vesperas solvebatur medietate panis et aquæ: frangebatque disciplinæ flagellis corporis sui alabastrum, ut tota eremus Camalduli repleretur fragrantia unguentorum. Ubi quam gloriose conversatus sit, tunc demum narrabitur, si doctrina ejus, qua eremitas docuit, primum narretur.

*a*

*rigorem pœnitentiæ suis suadet,*



68 Tribus

A *AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.*

*ter per hebdomadam singulis :*

68 Tribus itaque in hebdomada diebus et singuli eremitæ conveniebant ante viri Dei cellam, quos Pater sanctus Romoaldus docebat per fenestram, dicens : Quisquis ex vobis, filii carissimi, cellulam cum diabolo dimicaturus ingreditur, et in campum spiritualis prælii ferventi animo incitatur; ad hoc totam suæ intentionis mentem dirigat, ut delectationes carnis nec ad momentum quidem sentiat, sed sibimet simul et mundo mortuus vivat : ad tolerandas itaque calamitates et miserias animum præparet, morique pro Christo disponat, omnia sibimet aspera et dura proponat, ut cum acciderint non pavidus concidat, sed omnia æquanimiter ferat. Nec prorsus dubitet, quia si primæ tentationis pugnam vicerit, paullo post roboratus et validus terga vertentibus adversariis prævalebit. Idcirco nempe insidiator diabolus, totum fel suæ nequitiæ circa novum eremitam superare non potuit, ruinæ postmodum ipse subjacebit ; et qui rudi adhuc eremitæ non prævalet, exercitato postea succumbet.

*ut novi eremitæ dura sibi proponant,*

69 Tria autem vitæ eremiticæ sunt valde necessaria, videlicet, quies, silentium, atque jejunium. Unde non frustra antiqui *b* Patres, nostri antecessores, dixerunt : Sede in cella, et linguam tuam retine et ventrem tuum, et salvus eris. Venter siquidem reprimendus est, ne dum ipse immoderate repletur cibis, cetera quoque membra inficiat vitiis. B Lingua etiam jure restringitur, quia dum indisciplinato laxatur, animas quoque divinæ gratiæ vigore evacuatur. Ideo quicumque in vita eremitica manus ad confligendum cum diabolo præparas, mentem tuam ab omni sollicitudine terrena custodias, memorans illud Apostolicum : Omnem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Unum quippe e duobus verus eremita tenens, ut ingredientibus tentationibus semper obsistas, aut jam ingressas eliminare studeas. Sed facilius est hostiles impetus in vestibulo frangere, quam jam admissos extra mœnia propulsare. Serpens namque si ab ipso aditu effugetur, sana sunt omnia, et nihil horum quæ intus sunt inquinatur. Si vero semel admissus fuerit, tamen quantavis postmodum instantia cogatur abscedere, de veneno ejus vel squamis necesse est aliquid postmodum remanere. Ergo sollicitus esto semper ut tentationis principio velut armatus occurras, et parvulos cogitationum motus ad petram, qui Christus est, allidas. Vestibus vilibus et paucis semper esto contentus. Quod enim in principio non sine labore fit, sed procedente consuetudine, dum C quasi in naturam vertitur mortificatio abjectæ vestis, facile toleratur. Porro extremitas vestium, ciborumque penuria omnem avaritiam de corde eremitæ expellit. Quia concupiscere terrena opus non erit, quod nec alimentis nec indumentis accrescit. Igitur exiguitatem vestium, lecti duritiam, ciborum asperitatem, aquæ potum, panem aridum, grave cilicium, plagas flagellorum, incipientes non sine quadam formidine perhorrescimus ; perseverantes autem et longanimiter instantes facilia prorsus et tolerabilia deputamus. Asperitatem quippe frequentia mitigat, et rigorem consuetudo commendat.

*b quieti sint, sileant, jejunent,*

1 Pet. 5. 7

*tentationi statim resistant,*

*vestium victusque austeritatem ament :*

70 Quapropter obsecro vos, filii mei dulcissimi, si quando de seculari habitu aliquis converti voluerit ad eremum, nolite ei juxta monasterii normam ardua quæque dura vel aspera proponere ; quia adhuc fragilis mens, a rigore eremiticæ vitæ facilius frangitur, etiamsi levis injuriæ summotenus occasio præbeatur : et quem in afflictione jejunii, in censura silentii, in abjectæ vestis asperitate, quotidiana sarcina gravat, facile deliberat, ut tam grave onus deponat. Sed si devotio vera patuerit, in eremo, quam flagitat, conversationis ei aditus statim pateat. Tanta quippe fæce, ut lugens loquar, pleraque involuta sunt monasteria, ut vitiosiores reperiantur D ingressi in ea, quam ii qui in seculo solide perstiterunt. Ingressus autem cellulam, non statim omnem consuetudinis Regulam permittatur implere; sed diu quærat, quod difficulter inventum, carius teneat.

*e seculo venientibus quatenus proponenda Regulæ asperitas :*

71 Si autem de Regula monasterii ad eremum aliquis properat, *c* superstitiosas quasdam monasticæ conversationis censuras, supervacuos tintinabulorum clangores, cantilenarum multiplices harmonias, et cetera inutilia exercitia, quadam sobrietate coram eo reprehendentes, dijudicate et competenti deprecatione extenuate, inferentes illud Apostoli : Quia corporalis exercitatio ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia valet. His igitur et hujusmodi documentis æstimationem monasterialis ordinis modeste supprimite, ut dum in audientis mente fabrica consuetæ vitæ destruitur, ædificium eremiticæ vitæ in eo construatur, et ad standum in eremo se constanter accingat, qui se hactenus jacuisse considerat.

*c quid venientibus e cœnobio inculcandum ?*

1 Timot. 4. 8

72 Sed in his omnibus unusquisque vestrum sive susceptioni Fratrum, sive operi cuipiam sit deditus, sive Scripturarum meditationi sit intentus, frequenter ad orationem recurrat, et terræ prostrato corpore, mentem ad cœlum erigat ; quo fit, ut et cor tentatio deserat, et ab oculis acedia importuna discedat. Sæpe manus in oratione in modum Crucis extendat, ut dum sanctæ Crucis imaginem conatur exprimere, apud Dominum Crucifixum veniam facilius possit impetrare. Super omnia tamen, ut vitam eremiticam, quam semel incepit, perseveranter et constanter exequi velit, quia veritas certa dixit : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matth. 24. 13

*Eremiticæ occupationes.* E

73 His et similibus verbis sanctus Pater Romoaldus, quia juxta Dominicam vocem lux hujus mundi erat, lumen cordibus infundebat, et ignem verbi Dei eremitarum mentibus ingerebat? Quod profecto mysterium Moyses designat, cum dicit : Tollet sacerdos pugillum similæ, et totum thus quod super similam positum est, adolebitque illud in altari in odorem suavissimum Domino. Quid enim per similam, nisi vita sancta eremitica designatur; Quia sicut simila inter molam utramque conteritur, ut a farinæ siliginæ *d* cantabrum separetur ; ita velut inter duas legis antiquæ et Evangelicæ molas sancta vita eremitica stringitur, ut carnalis vitæ superficies a medulla spiritus discernatur. Thure autem, quod super similam positum dicitur, ejusdem sanctæ vitæ eremiticæ oratio devota designatur ; sicut in Apocalypsi Joannes ostendit, cum dicit, Quia phialæ plenæ odoramentorum, Sanctorum orationes, devotorum Sanctorum. Hanc itaque similam Deo sanctus Pater Romoaldus in odorem suavissimum adolevit, cum multos de religione et de seculo ad sanctam vitam eremiticam convertit ; quia fructus animarum in conspectu Dei fragrantius redolet, quam ulla suavitas sacrificiorum.

Matth. 5. 14

*Eremitarum oratio in figura expressa*

Levit. 6. 15.

*d*

F

Apoc. 5. 8

74 Hoc sacrificium devotæ orationis cum S. Romoaldo et nos pro modulo nostro Deo studeamus offerre, quatenus dum hostia devotæ orationis cum lacrymis in ara pectoris nostri adoletur, ab illo sacrificium nostrum mereatur in odorem suavitatis accipi, qui in ara Crucis pro salute nostra dignatus est immolari. Quod Propheta cuilibet eremitæ præcipit, dicens : Et holocaustum tuum pingue fiat. Plane non pingue, sed aridum Deo holocaustum immolat, qui sine lacrymis verbotenus Deum orat. Nullius enim meriti est, ore divina officia *e* verbositare, et misera mente per phantasias, quæ extrinsecus imminent, vagando circuire. Ideo stude, o eremita serve Dei, omni conatus instantia evitare : enitere

*pinguis lacrymis devotionis,*

Psal. 19. 4

*e*

A *quarum fontem obstruunt secularia negotia,* tere ut lacrymarum gratiam et contemplationis perfectionem possis attingere. Qui enim non tam arido corde mœrere, quam et lacrymarum inundantia quæris affluere, non modo te a strepitu negotiorum secularium remove, sed etiam a multiloquio te ipsum compesce. Omnes a te mundanæ actionis curas et sollicitudines amputa, et eas tamquam meatus obstacula, ab obstructi fontis spiramine removere festina. Sicut enim in caverna terræ de abysso veniens, aqua colligitur, sed obicibus oppressa non effluit; sic in humano corde, consideratis beneficiis Dei, devotio nascitur, quæ tamen per fletum cum lacrymis non emanat, si terrenorum actuum flamen obsistat. Devotio quippe lacrymarum materia est, sed ut hujus fontis possit uberrime vena profluere, satage cuncta negotii secularis obstacula removere.

75 Si igitur ad lacrymarum gratiam vis pervenire, non solum terrena negotia de corde tuo *et peccata;* amputa, sed etiam malitiam, iram, odium et reliqua peccata de mente tua elimina: ne si te accusatrix conscientia forte remordeat, mens tua ariditate formidinis contabescat, et lacrymarum aqua versa in glaciem non effluat. Sit ergo conscientia tua pura et sincera, ut paratus sis quotidie, tensis in cœlum ocu- B lis, lacrymarum suscipere irrigua. Nam summus *sed a Deo oportet longanimiter expectare.* arbiter Deus, licet ad tempus aquam lacrymarum provida dispensatione contineat, si te sollicitum ac vigilem esse conspexerit, in proximo agrum cordis tui profusis lacrymarum imbribus irrigabit: et qui prius sterilis videbaris, jam exuberante copia lacrymarum, magnis virtutum fructibus abundabis.

Metanœam facere, a Metanœam facere, metanœam mittere, pœnitentiam agere, genuflexiones mittere, *μετανοίας βάλλειν, μετανοίαν ποιεῖν usitatæ monasticis scriptoribus phrases, pro genuflexione, capitis aut etiam corporis inclinatione. Consule Rosweidi nostri Onomasticon in Vitas PP. Haefteni Disquisit. monast. lib.* 8 *cap.* 2 *disquis.* 2 — b *Ita præcipit Abbas Pœmen lib.* 3 *de Vitis PP. num.* 63. *Idemque repetitur lib.* 5 *libel.* 5 *num.* 9 *et lib.* 7 *cap.* 1 *num.* 9 *ubi* Pimenii, *alibi* Pastoris *nomine, qui unus idemque ποιμήν. Simile fere est quod tradit* Olympius *apud Joannem Moschum cap.* 12 *et alii passim.* — c *Hæc prudenter intelligendo, neque enim temere contemnere oportet ejusmodi ritus, quos viri graves ac pii instituerunt, etsi sequi nolis. Solum volebat vir sanctus, ut docerentur non ita iis adhærere, quasi perfectionem sine illo præsidio assequi non possent. Sic et Legis veteris cæremonias, a Deo institutas, reveremur; et si neque tunc vim per sese haberent ad sanctitatem animis mortalium conciliandam, et nunc usurpari absque damnabili superstitione non possint.* — d Cantabrum, Cantabrum *est purgamentum frumenti vel farinæ, furfur, cibus canum. Ita ex vetustis glossematibus Matthias Martinius. Eadem voce genus aliquod labari signive militaris significatur apud Arnobium et alios.* — e *Non idem quod alibi* verbocinari *vel* verbosari, *id est, verbose aut multum loqui; sed positum hic active, pro præcipitanter recitare.* Verbositare

C

## CAPUT XII.

### *S. Romualdi humilitas. Prædictiones. Zelus contra Simoniacos. Scripta. Curationes.*

Quia magna profecto et rara virtus est, ut magnus aliquis, magna virtutum opera faciens, magnum se esse nesciat; et manifesta omnibus ejus sanctitas *Mirabilior miraculis S. Romualdi humilitas,* solum ipsum lateat, et qui coram omnibus mirabilius apparet, contemptibilem se sibi reputet; hoc ego ipsis miraculis mirabilius esse judico. Fidelis revera famulus Christi sanctus Pater Romoaldus fuit, qui de multa gloria Domini sui nihil in manibus suis reservavit, sed juxta *a* elogium Prophetæ, projecit avaritiam *a* Isa 33. 15 ex calumnia, et excussit manus suas ab omni munere. Mirentur alii signa ejus et miracula ejus quæ fecit, mirentur incredibilem ejus abstinentiam, humilitatem et patientiam; ego nihil ita stupeo, quam gloria illum et honorem calcare potuisse. Concur- *intantum ad eum concursu:* rebant Episcopi, Presbyteri, Clericorum et monachorum greges, sed et potentes viri, Imperatores, Comites et Judices, (grandis tentatio!) et hinc inde ex urbibus et agris vulgus ignobile, ut benedictio- *prædicit se in solitudine Vallis-Castri moriturum:* nem ab eo acciperent. At ille nihil aliud nisi solitudinem et reclusionem meditabatur, intantum ut ante viginti annos sui obitus multis Fratribus prædiceret, quod eum in solitudine Vallis de Castro, D nullo assistente, obire oporteret.

77 Mox igitur ad Camerinæ provinciæ Comites nuntios misit: qui audito nomine Romoaldi, nimio repleti gaudio, promittunt non solum silvarum et montium loca, sed, si placeret sibi, etiam agrorum et vinearum prædia. Postremo repertus est in eorum possessione locus eremiticæ conversationi satis congruus, montibus et silvis undique vallatus; in medio vero ampla planities, non solum proferendis frugibus apta, sed etiam perspicuis fontium aquis irrigua. Hic itaque locus Vallis Castri antiquitus vo- *in ea valle monasterium ædificat:* cabatur; ubi jam parva erat etiam constituta ecclesia, in qua conversarum mulierum videbatur esse conventus. His itaque loco cedentibus, constructis cellulis, illic vir sanctus habitare cœpit cum suis discipulis.

78 Ibi etiam quantum animarum Fratrum per illum Deus acquisierit, quis enarrare potest, vel atramento conscribere? Cœperunt namque homines ad *multos ad pietatem convertit, et religionem.* pœnitentiam hinc inde confluere, et sua pauperibus misericorditer erogare, aliquando seculum omnino relinquere, et ad sanctæ conversationis habitum festinare. Erat enim Pater sanctissimus quasi unus de Seraphin, quia et ipse flamma divini amoris æstua- E bat, et alios, quocumque pergeret, prædicationis facibus incendebat. Sæpe namque dum prædicationis verba proferret, tanta illum compunctio in lacrymis excitabat, ut subito interruptum sermonem relinquens, submisso capite ubertim fleret. Nam etsi ali- *semper præ devotione lacrymatur:* quando cum Fratribus in asello equitabat, longe post Fratres veniens semperque psallens, nihilominus, ac si in cella resideret, jugiter lacrymas effundebat.

79 Inter ceteros autem præcipue seculares Presbyteros, qui pecunia ordinati fuerant, durissima severitate corripiebat, dicens: Detestabilem hæresim Simoniæ, quam communi pravitate diaboli male assueti Presbyteri committunt, omnes Christiani *dure increpat simoniacos Presbyteros:* abhorreant, qui tam detestabile scelus solo auditu sentiunt. Quapropter Giesi pœna et Simonis pravi- 4 Reg. 5 27 tas vos, o Presbyteri, terreat. Vox Petri, Christi Act. 8 20 Vicarii, ad Simonem nunquam de vestris auribus exeat, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri. Donum Dei est Spiritus sanctus. Communis autem mercatorum habet usus, ut vendito commutetur in melius. Asserit ergo Presbyter Simoniacus, pecuniam Spiritui sancto esse meliorem, cum ipsam commutat pro eo- F dem. Ideo sacros ordines, religionem, aut beneficia suscipientes, nulla omnino pactio, nulla opinio, nulla pecuniæ spes præcedat, quæ mentis puritatem simoniaca hæresi perturbet aut præveniat, quia beatum Eccli. 31. 8 Sapientia clamat, qui post aurum non abiit, nec *e vili statu,* sperat in pecunia, quæ justum judicium subvertit. Mirum quippe de multorum infelici conditione Presbyterorum, qui viles et abjecti in seculo, et in pa- *emptis ordinibus,* ternis domibus ultra vires se affligentes laboribus pro captando victu vilissimo, vix fabis et rapis cum rudi pane hordeaceo rugienti satisfaciebat stomacho; cum vero ad Christi mensam accedunt, et sacros ordines simoniace suscipiunt, mox pristinæ egestatis obliti lautiora quærunt, plus dediti epulis quam *ad delicias emergentes* milites et nobiles, qui natura et moribus probantur esse illustres. Quibus denuntio, non ego, sed Dominus; nisi ordines male susceptos sponte deserant, omnino damnatos et hæreticos esse se sciant.

80 Hanc beati viri audientes doctrinam, quasi inauditam et novam, indignati vehementer cœperunt dentibus fremere et moliti sunt eum occidere. Per *quidam eum voluit occidere,* totam namque illam monarchiam, usque ad S. Romoaldi tempora, vulgata consuetudine vix quisquam noverat simoniacam hæresim esse peccatum. Quibus Pater

A Pater sanctus ait : Canonum librum mihi afferte, et utrum vera sint quæ dico, vestris attestantibus paginis approbate. Quibus itaque diligenter conspectis, et crimen et errata deplangunt. Nonnulli quoque Episcopi, qui per simoniacam hæresim sacras Sedes invaserant, ad beatum virum causa pœnitentiæ concurrebant : qui etiam eidem se committentes, et Episcopatum tempore deserere statuto, et ad sanctæ conversationis ordinem se promittebant venire, et Christo servire *b*.

AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL. *alii convertuntur, etiam Episcopi:*

81 Vivebat autem Pater sanctus Romoaldus, vergente jam senectute, nimis districte, incredibili mentis fervore; ut eo tempore quasi novus accederet ad servitium Dei, quo certi solent remissius vivere. Et, ut mireris auditor quod imitari non potes; multo namque tempore Pater sanctus pane abstinuit, nihil aliud neque in cibo, neque in potu sumens, nisi de modica farina et succo herbarum sorbitiunculam faciens, pro cibo et potu vix quinque uncias appendens. Per integrum quoque annum nihil aliud in cibo habuit, nisi per singulos dies ex uno pugillo infusi ciceris vixit : sicque accenso mentis desiderio cœpit de virtutibus in virtutes crescere, et reliquos Fratres sanctæ conversationis gressibus longius anteire.

*Romualdi mira in victu parcimonia,*

B Semper tamen studebat in omnibus discretionem, matrem virtutum servare. Nam nuda humus, et interdum juncorum sarmenta erant sibi pro lectulo, lignumque durum sub capite præstabat pulvinaris officium. Processu vero temporis, cum jam senex fuit, *c* gestorium debilitato corpori substravit, et capiti modicam paleam clementer indulsit.

*in lecto durities :*

82 Quadam igitur die Missam celebrans, cum ad secundam Missæ secretam pervenisset, in extasim raptus, tam longo temporis spatio siluit, ut qui aderant mirarentur. Interrogatus autem post Missam, cur tantas moras præter solitum fecisset, sanctus Pater respondit : Raptus, inquit, in cœlum, oblatus fui ante Deum et continuo mihi divina voce præceptum est, ut secundum hunc intellectum, quem mihi Deus dedit, Psalmos secundum ordinem exponerem, et pro modulo mei sensus chartis scribendo commendarem. Ego autem, nimio terrore constrictus respondere nihil aliud potui, nisi tantummodo : Fiat, fiat. Unde postea vir sanctus totum psalterium, et nonnulla Prophetarum cantica luculenter exposuit, multaque futura spiritu prophetico veraciter prædixit.

*in Missa raptus in cœlum, jubetur in Psalmos scribere : futura prædicit :*

83 Solenni quadam die, dum Pater sanctus Ro-
C moaldus cum Fratribus in Capitulo resideret, et eos salutaris doctrinæ dapibus satiaret; repente intermisso sermone vocavit Fratres, dicens : Agite, inquit, et quantocyus properate, quia jam Fratris Gregorii cella frangitur. Qui protinus exilientes ad cellam currunt, et furem jam parietes infringentem inveniunt. Quem capientes ad Magistrum pertrahunt, et quid de tam sacrilego raptore faciendum sit, inquirunt. Quibus Pater sanctus cœpit hilariter dicere : In coquinam eum ducite, et cibum apponite, et post hæc dulcibus verbis admonitum ad propria in pace redire permittite.

*absentia indicat : furem cibo refici et dimitti jubet.*

84 Sancti Patris Romoaldi quidam discipulus, elephantiæ morbo percussus, tumefactis cruribus assam et marcidam scabiem tolerabat. Huic Pater sanctus præcepit, ut tribus vicibus aqua frigida crura perfunderet, promittens quod sanitatem pristinam recuperaret. Quod tamen ille fecit, non fiducia sanitatis recuperandæ, sed magis necessitate obedientiæ. Mirum satis et soli divinæ potentiæ referendum! Confestim tumor deponitur, virus omne siccatur, et penitus omni languore deposito Frater sanus per omnia redditur, qui postea Archiepiscopus in Gentibus ordinatur. Credi ergo veraciter debet, quia eodem spiritu B. Romoaldus discipulo ter aquis tumentia crura perfundere jussit, quo Elisæus Naaman Leprosum D septies in Jordano lavare præcepit.

*elephantiacum sanat, imperata triplici frigidæ aquæ lotione,*

85. Puer quidam parvulus, a pessimo dæmone obsessus, inter manus parentum vix adductus, sancto Patri Romoaldo oblatus est. Quem postquam Fratres viderunt, territi sunt; erat enim horribilis aspectu, retortis oculis, gyrans caput in circuitu. Cui Pater sanctus nihil aliud fecit, nisi acceptam buccellam panis benedixit, ac particulam ejusdem panis obsesso puero dedit. Quam mox ut ille puer comedit, confestim a dæmonio liberatus fuit. Jure quippe postquam benedictio Romoaldi male possessum corpus intravit, inde confestim malignus spiritus cauteriatus exivit.

*energumenum pane benedicto.*

a *Non idem quod* Eulogia *de qua voce alibi : sed* εὐλόγιον *quasi aptum pronuntiatum.* — b *Dubita, tamen B. Petrus Damianus cap.* 12 *num.* 61, *an vel unus ab eo Episcopus sit conversus.* — c *An lectum cubitrarve aut stoream indicare vult auctor, quod gereret, gereretur ve et amoveretur?* Eulogium. Gestorium.

## CAPUT XIII.

### *S. Romualdi obitus. Translatio* 1.

Multis quippe fuit utilis sancti Patris Romoaldi oratio, multorum animas et corpora sanavit ejus doctrina et benedictio, omnemque Italiam ejus reple- E vit opinio : sub cujus regimine sancto et mirifico, in regulari observantia cœnobitarum pollebat veneranda congregatio : omnes in commune viventes absque proprio, gestiebant unanimiter placere Altissimo, circumsepti Patris sancti admiranda vita et exemplo. Et, ut infinita brevi sermone comprehendam, bonum medicum Italiæ Christus indulserat. Quis non tristitiam mutavit in gaudium apud Romoaldum? Quis non iram vertit in pacem? Quis orbatus luctum ad ejus non mutavit aspectum? Quis non abjecto paupertatis mœrore, statim et divitum despexit opulentiam, et suam lætatus est paupertatem? Quis post lassitudinem monachus non ejus est refectus aspectibus? Quis adolescens succensus ætatis ardoribus, non ex ejus admonitione pudicus fuit et castus? Quis vindictæ cogitationibus distractus, non cæca tempestate sopitus, sano animo est ab ipso regressus? Sciebat enim Pater sanctissimus, quo quisque laboraret incommodo et ex vitæ merito discretionem spirituum agnoscens, adhibebat unicuique verborum, prout erant vulnera, sanitatem. Unde factum est ut innumerabilis multitudo nobilium et ignobilium, senum et juvenum, ad ipsum conflueret, et quasi ruinam mundi fugiens, Christo servire sub F ejus magisterio affectaret. Quos Pater sanctus benigne suscipiens, docebat vanitatem mundi respuere, desideria carnis elidere, et in regulari observantia vivere et jugiter permanere. Multa denique ædificavit eremitoria, sed multo plura construxit monasteria, semper fructificans, semper animarum lucra accumulans et homines de seculo abstrahens, velut totus inflammatus, animas hominum ad cœleste desiderium accendebat.

*Communis Italiæ medicus, multorum animos sanat : multa exstruit monasteria :*

87 Post hæc Pater sanctus Romoaldus videns monasterium vallis Castri regulari observantia optime ordinatum, et maxime multitudine Fratrum copiose repletum, nec dubius de celeri sua resolutione, cellam sibi cum oratorio ædificari haud procul a monasterio, inter duos altissimos montes in nemore præcepit, in qua recluderetur, ut silentium usque ad obitum observare potuisset. Facto itaque reclusorio, cum mens ejus in eo esset jam ingredi perpetuam reclusionem, convocata universa Fratrum multitudine, ita alloquitur dicens : Ultimam, filioli, Patris audite sententiam : non enim arbitror ut in hoc seculo amplius vos videam. Cogit enim conditio naturæ, ut post centenarium numerum, quem annis jam viginti supergredior jam resolvar. Ita locutus, audientium

*in cella ad mortem includendus, suis valedicit*

A audientium Fratrum pectora contristavit: voxque, gemitus et lacrymæ dicta mœrentia secutæ sunt. Amplexabantur universi Fratres senem cum lacrymis, quasi amplius non visuri. At ille, tanquam aliena deserens ad propria proficiscitur, magna cum lætitia properabat ad reclusorium.

88 Quadam igitur nocte, cum solus in cella oraret, cœpit paullatim corporis virtute destitui, et ingruente molestia gravius fatigari: viditque in spiritu Angelorum cuneos, quasi scintillas in arundineto discurrentes, in sui venire obsequium. Mox vir sanctus intelligens Salvatoris quoque adesse præsentiam, non quasi funeris, sed jam quasi præstolatæ gloriæ suscepit triumphum, in manus Domini suum commendans spiritum. Nimirum qui sic obiit ut prædixit, illuc transiit quo speravit. Nunc igitur inter vivos cœlestis Jerusalem lapides ineffabiliter rutilat, cum ignitis beatorum spirituum turmis exultat, candidissima stola immortalitatis induitur, et ab ipso Rege Regum vibrante in perpetuum diademate coronatur.

*apparentibus Angelis, pie moritur.*

89 Duo itaque ex discipulis ejus impulsa janua velociter irruunt, lumen accendunt, et pretiosam margaritam, sed neglectam inveniunt, id est, sanctum Patris corpus, sed exanime et supinum reperiunt. Rumor confestim de transitu sancti Patris Romoaldi

*Accurrunt ad cellam monachi Vallis-Castri,*

B totum stupendo auditu concutit Vallis Castri cœnobium: currunt mœrentium Fratrum agmina, omnes lugentes veniunt a primo usque ad ultimum, plangunt filii destituti sancti Patris recessu. Et quem ultra, ut prædixit, visuri non essent, cum lacrymis prosequuntur. Dolent amarissime totum ipsorum solatium cum illo recessisse, et se in valle lacrymarum relictos, non jam a suo Magistro ulterius consolandos. Vix a dilaceratione corporum solus pudor continet manum, et doloris ignem illud efficit acriorem, quod exteriore planctu non sinitur vaporare. Imperat claustralis censura silentium, extorquet vis doloris gemitum et singultum. Tument lacrymis facies, et novas adhuc aquas mœrebundi cordis impetu subministrant. Accurrunt Comites, Camerinæ provinciæ cum caterva militum, et multitudine armatorum, ne forte de pretioso thesauro, qui jacebat in medio, pati contingeret detrimentum. Commovetur etiam totius Marchiæ provincia, atque infinita multitudine gentes inundant, omnesque Sanctum, omnes Deo carum Romoaldum proclamant, et inter laudum verba nonnulli præ gaudio lacrymis manant.

*mœrentes in silentio,*

*et Principes*

*ac populus:*

C 90 Fratres quoque, memores quod advocatum perpetuum et Patronum præmiserant ante Deum, et ipsi luctum proprium convertunt in gaudium, et cantum mœroris mutant in jubilum laudis. Levatur pretiosum pignus, cum hymnis et laudibus ad monasterium Vallis de Castro portatur honorifice tumulandum. Lætare o felix Vallis Castri cœnobium, quod talem meruisti ex divina liberalitate Patronum, Lætare, inquam, et totis in Domino visceribus gratulare; quia dum sacri corporis in tuo gremio confoves glebam, diademati superni Regis imprimendam contines margaritam. Thesaurum servas cui non aurum digne conferri, non ulla quarumlibet opum summa valet æquari. Unde non Vallis Casta ex more dicaris, quod antiquitus a conventu conversarum mulierum tibi constat nomen impositum. Sed Vallis de Castro potius a pretiosissimo sacri corporis thesauro, quod in tua ecclesia, tamquam in castro fortissimo, servas reconditum. Beata igitur et dives Vallis de Castro, et totius terræ tuæ vena, quæ quasi superno Regi facta depositoria, illud recondidit talentum suis sinibus creditum, quod in die restitutionis cœlestibus est gazophylaciis inferendum, ubi vivi lapides et igniti perpetue rutilant; ubi triclinia auro

*corpus ad monasterium reportant,*

*vere ingentem thesaurum.*

radiantia vernantes margaritæ luculenter exornant. D Quod nimirum tunc indubitanter implebitur, cum jubilæus noster advenerit, cum extrema illa tuba, non jam legalis, sed judicialis, clangere cœperit. Sicut enim septimus dies, ita et jubilæus in lege veteri feriari præcipitur; per quem æternæ requies vitæ figuratur. Adveniente igitur jubilæo tuba canit, et mox ad antiquas possessiones unusquisque revertitur: quia appropinquante die Judicii, in voce Archangeli, et in tuba Dei, cunctis mortalibus suorum corporum possessio reparatur, dicente Apostolo: Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Beatæ animæ illorum monachorum, quæ tunc dum suis corporibus induuntur, S. Romoaldi participium sortiuntur. Vere beati, qui sic nunc ad sancti Patris memoriam excubant, ut ejus sibi ad imitandum semper exempla proponant, qui sic ejus solemnitatem laudando frequentant, ut tamen vivendo ab ejus tramite non recedant. Sanctum enim Romoaldum sequimur, si dum sicut ille sui corporis non quæsivit delectationes, nos etiam carnis studeamus frangere voluptates.

*AUCTORE HIERONYMO MONACHO CAMALDUL.*

*1 Cor. 15, 52*

91 Veneremur itaque, Fratres dilectissimi, et votivis honoremus obsequiis sanctum Patrem nostrum Romoaldum, per quem omnipotens Deus totius Ordinis nostri voluit illustrare conventum: ut dum gloriosum Patrem nunc amando et imitando prosequimur, ipso intercedente ad gaudia regni cœlorum pervenire mereamur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dei filius, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

E *ad ejus venerationem hortatur Auctor,*

92 Explicit sermo notabilis de vita et miraculis S. Romoaldi Confessoris et Eremitæ sacræ eremi Camaldulensis; quem edidit et compilavit Frater Hieronymus de Praga, sacræ paginæ professor, quamvis indignus, ad petitionem Fratrum domus Carthusiæ Basiliensis, anno Domini MCCCCXXXIII.

*monachus Camaldulensis,*

*an. 1433.*

En ego quem genuit pia olim urbs Pragensis,
Quem inclusum retinet eremus sacra Camaldulensis,
Hunc sermonem edidi satis cum labore;
Sed labor est facilis, vestro superatus amore.

## VISIT. RELIQ. S. ROMUALDI,

### EX ITALICO SILVANI RAZZI.

Cum diutissime sub altari conditum S. Romualdi corpus jacuisset, anno tandem MCCCCLXVI, Vallis-Castri cœnobium administrante Michaele Monte-Phiasconio; quæri inter monachos cœptum, extarent adhuc necne, post tanti lapsum temporis, totque casus bellorum, ac consuetas rerum varietates, sacræ illic Patris sui exuviæ. Nec defuit, qui quoquo modo explorari veritatem cuperet, ut ipse Abbas in litteris ad S. Quirici oppidanos, Decembris die III datis, testatur: ait enim inter alia, cujuspiam temeraria curiositate, noctu apertam esse urnam marmoream, in qua ipsos CCCCXL annos tumulatus fuerat B. Romualdus, repertumque sacratissimum ejus cadaver, idque propriis se oculis conspexisse, ita integrum atque intaminatum, ac cum primum illic depositum fuit. Nec se solum cum suis, sed id Camertium quoque *a* Antistitem, Commissarium Apostolicum, (a quo XL dierum Indulgentia concessa omnibus, qui ad illud pie deveneraudum ventitarent) et primores Fabriani oppidi, aliosque illuc tunc ea caussa profectos, vidisse. Dein alia subdit, atque id cumprimis, agendas sanctæ Matri Ecclesiæ gratias, quod in numerum Sanctorum B. Romualdum retulerit.

*ANN. CIↃCCCLXVI*

F

*An 1466 apertum S. Romualdi sepulchrum,*

*corpus integrum post 440 annos*

*a*

*a pluribus visum:*

2 Commonefactus, ejusdem Camerinensis Episcopi jussu, *b* Mariottus Camaldulensium Generalis, ipse quoque ad Vallem-Castri cum magno comitatu,

*b*

A xxviii ejusdem mensis, venit. Ubi ei a plurimis narrata sunt multa et magna miracula, ibidem iis diebus, meritis S. Romualdi, facta. Cum autem esset illic confertissima turba, (nam ab multis oppidis ac pagis ducta supplicatio erat, et aliunde incredibilis alluxerat multitudo) inter sacri celebrationem, unum editum est, sane præclarum. Mulier quædam, pendentem ab collo filium gestans, per densam eam turbam conatu quo potuit, sese ad venerabile Romualdi corpus penetravit. Ibi alta voce Deo gratias ac Sancto agere, quod, cum filium contractum, usuque membrorum, quæ ab umbilico deorsum vergunt, destitutum, vovisset se illuc apportaturam, ut id peregit, e vestigio liberum et incolumem recepisset. Lacrymas ea res audientibus, præ sensu cœlestis cujusdam lætitiæ, excussit.

*EX ITALICO SILV. RAZZI, INTERPR. J. B.*

*facta illic multa miracula,*

*contractus et paralyticus subito curatus,*

3 Generalis in Acta id legitime referri ab Cancellario suo jussit, atque alia xxv, ei a testibus oculatis dignisque fide commemorata. Addita his dein alia centum, quæ scriptis mandavit Franciscus Hispanus eremita, illuc ab sacræ Eremi familia amandatus. Atque de iis omnibus institutus processus, qui Venetiis in S. Matthiæ Muranensi cœnobio extat: uti et epistola ejusdem Abbatis ad Maurum Lapinum B Florentinum monachum, qua ad S. Romualdi corpus anno MDCCCCLXVIII a peste sanatam Lucretiam Petri Medicæi magnifici viri conjugem scribit.

*alia 25 miracula, alia 100.*

*quædam a peste sanata*

ANIMADV. PAG. 30

a *Fuit is Agapitus Rusticus Romanus, vir egregius, ut videre est apud Ughellum. Situm est porro Camerinum in ipsis montibus, qui Picenum ab Umbria disterminant, ut ait Strabo.* b *Fuit is 43 Eremi Prior atque Ordinis Generalis, Aretii natus ex nobili Allearia familia, ut scribit Augustinus lib. 2 cap. 68 et cap. 72 ubi facta hac reseratione corporis S. Romualdi multum coluisse Mariotti Generalis pietatem.*

# TRANSLATIO S. ROMUALDI.

## ÆSIUM AC FABRIANUM,

*ex Italico Silvani Razzi.*

Bifariam descripta ab Augustino Florentino Reliquiarum S. Romualdi e monasterio Vallis-Castri ad oppidum Fabrianense deportatarum historia: Latine primum, sed prolixius aliquanto, quam ut probari possit iis, qui in ejusmodi narrationibus convenientem modum amant: dein post Vitæ a B. Petro Damiano scriptæ vernaculam interpretationem adeo succincte, ut non facile rei gestæ series intelligi queat. Nos neutram penitus amplexi, media gradiemur via, ut neque prolixitate tædium afferamus C legentibus, neque nimia brevitate obscuri simus.

*Auctor nec brevis nimis, nec prolixus esse vult*

2 Cum igitur ex iis, quæ antea sunt commemorata, manifesto testatum esset, vere eo loco asservari S. Romualdi reliquias, denuo obstructum accurate est sepulchrum, fenestella in eo relicta, ut per eam monstrari vultus viri sancti, ad eum honorandum venientibus posset. Assidue porro confluentibus illuc magna religione populis, duo quidam ejus cœnobii monachi, Pedemontani ambo, ambo in Classensi monasterio religionem professi, quorum alteri Thaddæo, alteri (qui Conversus, sive Laicus erat) Rocho nomen; noctu ad eam fenestram insigni impudentia accesserunt, eamque *a* ferreis instrumentis, quam minimo potuerunt strepitu, aperuerunt ac dilatarunt. Verum simul ac profanis manibus sacrum illud depositum attigerunt, subito (ut ipsimet postea confessi sunt) caro omnis in pulverem est resoluta. Neque ideo tamen a proposito destitere maligni homines, *b* sed divulsas in frusta sacras reliquias, atque e sepulchro extractas, sacco in eum finem allato imponunt, cum aliis rebus ibidem sublectis, eumque saccum securo loco abdunt.

*S. Romualdi sepulchrum multi visunt.*

*id 2 monachi effringunt,*

*a*

*et carne ad tactum resoluta,*

*b*

*ossa tollunt et abdunt;*

3 Orta luce convenientes ad canendam Primam monachi, *c* viderunt apertum sepulchrum, indeque sublatas esse reliquias. Cunctis magno tumultu frementibus, perquiri sacri thesauri depeculatores *d* per totum monasterium Abbas jussit, seduloque dispici num uspiam perfractus paries esset, aliudve fugæ indicium patesceret. Frustra fuere omnia. Dimisit per castella ac villas certos homines, sollicite inquisituros num tanti sacrilegii vestigium ullum cerneretur, aut rumor de eo suboluisset. Resciri omnino nihil potuit. Ipsemet demum Abbas Fabrianum contendit, ac magistratibus aliisque primariis hominibus, quid accidisset narravit, auxiliumque ad recuperandas reliquias depoposcit. Quod enim illi auxilium ferrent nullo uspiam apparente indicio? Re tamen sollicite inter se deliberata, scripserunt ad omnes sui territorii Præfectos ac Rectores, ut quam diligentissime de sacris Reliquiis inquirerent, ac repertas deportarent Fabrianum, in S. Blasii æde collocandas, quam non ita pridem cœnobio Vallis-Castri donarant.

*c*

D

*quæ, frustra ab Abbate quæsita.*

*d*

*et per alios jussa quæri,*

4 Cum eo loco res esset, neque reperiretur qui sciret sublato thesauro factum quid esset; ubi pluvia resedit, quæ a tempore perpetrati flagitii maxima assidue ceciderat; abitum adornant sacrilegi, et conducunt, nescio quo prætextu, a Porcherellæ, vici propinqui, inquilino asinam, cui clam reliquias, resque alias e sacrario sublatas, imponunt, et citato E gressu Massaccium versus tendunt, illic pernoctaturi, inde iter porro prosecuturi: dicuntur autem vel in ditionem subalpinam, patriam suam, vel ad Classense monasterium, unde ad Vallem-Castri venerant, devehere thesaurum illum voluisse.

*pluente ob facinus cœlo,*

*ipsi postea clam avehunt.*

5 Æditus Valcastrensis, paullo post illorum discessum, sublatas esse res nonnullas e sacrario animadvertit, multaque animo volvens, tandem Abbati rem pandit. Non sine strepitu res inter monachos vulgata, intellectum quoque ab nonnullis, qui duobus illis occurrerant, Massaccium versus profectos, inde Æsium petituros. Jussi duo e monachis, una cum eo a quo asinam conduxerant, prima luce eos sequi, et, quacumque possent ratione, ad cœnobium reducere.

*missi qui eos insequantur,*

*indiciis habitis*

6 Cum Massaccium venissent sacrilegi, luto alte conspersi, ad Romualdum, templi S. Laurentii in eo oppido Præpositum, diverterunt. A quo comiter accepti, dempsere asinæ onus, et subter ligneas scalas saccum abjecere, quasi nihil in eo magni pretii esset. Postridie ante lucem, hospite insalutato, discessere Æsium versus. Is præproperum eorum abitum miratus, et quod de reliquiis factum audierat secum reputans, suspicari cœpit quod erat: sed dum quid F agendum sibi sit deliberat, commodum adsunt duo illi ab Valle-Castri monachi cum asinæ domino: intellecto quorsum adessent, Æsium eos comitatur.

*maxime ex præpropero furum abitu ex hospitio.*

7 Eo jam interea appulsi sacrilegi, *e* in suburbio *f* S. Frigdiani diversorium, Marchionis dictum, ingrediuntur, onusque asinæ eximentes, saccum in conclave sibi ab hospite assignatum collocant, atque aliquantulum cibo refecti, conclavi obserato, urbem ingrediuntur, ut argenteam supellectilem, quam furati erant, divendant. At subito velut oculis capti corporis animique, vagari stolide per urbem cœperunt, immemores quorsum venissent. Interea puer quidam hospitis filius, dum conclave, in quo dictæ reliquiæ erant, præterit, Dei nutu, per ostii rimas cernit totum flammis collucere, quæ non hospitium modo sed et universum suburbium absumpturæ viderentur. Hic ille vociferari, ut ad ignem restinguendum accurrant. Excitus clamore advolat hospes cum familia, et quotquot alii tunc in domo erant: aspiciunt per easdem ostii rimas periculum, quod puer denuntiarat: fores vi effringunt: momento evanuerunt quæ visæ erant flammæ, ut ne tenue quidem ignis vestigium cerneretur. Attoniti miraculo, intrant conclave, saccum excutiunt, repertisque in eo ossibus,

*e*

*f*

*Ossa ea in conclavi abdita,*

*miraculo immensæ lucis detecta,*

A ossibus, ab his extitisse apparentium flammarum miraculum, haud sane inani argumento, conjectant. Re vulgata, plurimi undique concurrunt, certantque suis ipsi oculis reliquias contemplari.

*g honorifice in summam ædem Æsii illata :*

8 Superveniunt ipso tempore Præpositus Massacciensis et Valcastrenses duo monachi, remque ad Æsinum *g* Antistitem deferunt. Is perquiri sacrilegos jubet et ad se perduci: qui libere rem omnem, ut gesta erat, sigillatim confessi sunt. Episcopus, Clero omni convocato, solennem supplicationem institui, et reliquias ad Cathedralem ferri basilicam atque illic collocari mandat. At sacrilegi illi monachi dies aliquot in custodia habiti, dein, nimia profecto Episcopi clementia, dimissi sunt, ac reliquo vitæ tempore hac illac misere divagati, tandem, uti memorant quidam, a feris devorati sunt.

*puniti divinitus sacrilegi.*

*Reliquias vi detinentibus Æsinis,*

9 Dum hæc Æsii geruntur, monachi ad Vallem-Castri celeriter reversi omnia Abbati retulerunt : qui subito et ipse Æsium venit, ac prolixe Episcopum obtestatus est, ut sibi, quod ratio jusque poscebat, restitueret Reliquias. Sed quia jam Æsini cives, assentiente Episcopo, illic retineri oportere decreverant, verbis tantisper eum sustentavit, ac tandem, cum eum aliquamdiu spe vana lactasset, ad B Priores civitatis ablegat : ad eos enim spectare rei totius arbitrium; quod profecto verum non erat. Postremo ergo edixere absolute Priores, nolle se ulla ratione monachis reliquias restituere : neque enim absque Dei numine ac S. Romualdi voluntate, eo allatas, sed ut majore quam prius reverentia ac honore haberentur.

*Fabrianenses caussam monachorum suscipiunt :*

10 Sentiens Abbas, tempus se ibi atque operam perdere, Fabrianum abit, ac primoribus oppidi significat, ipsorum nunc esse munus, ut omni ope connitantur sibi res suas vendicare. Haud erat multis precibus opus. Nam coacto quamprimum amplissimo concilio, cui et Silvestrinorum Generalis interfuit, decrevere unanimi voce, absque mora repetendum, qui furto sublatus, per vim detineretur sacer thesaurus. Prioribus atque honoratis aliquot civibus datum negotium est, ut modum, quem inire oporteret, excogitarent; ac publica auctoritate iis potestas rei exequendæ facta, edictumque ne impensis ullis ad eum finem necessariis parcerent.

*i quibus eas reddi jubet Legatus Pontificius :*

11 Missi primum viri duo primarii ad Episcopum ac senatum Æsinum, ubi cum nihil æquum impetrassent, ad Cardinalem S. *i* Georgii, Piceni Legatum paucis ante diebus a Sixto IV Pontifice Maximo constitutum, ierunt. Hic, quod et Fabrianensibus, qui sibi provinciam ineunti honorifice occurrerant, C patrocinium ac favorem addixerat, et vero rem justissimam postulabant, illico dat Legatis litteras ad Episcopum senatumque Æsinum, edicens ut Fabrianensibus e vestigio Reliquias, resque alias furto sublatas restituant, intentata, ni pareant, pœna excommunicationis, minisque aliis.

*cavent Fabrianenses,*

*ne permutentur,*

12 Hisce acceptis litteris, priusquam Macerata discederent, Fabrianum quid egerint nuntiant, rogantque, ut quia obtemperaturi necne Legati mandato essent Æsini ambigeretur, ipsi selectos homines mitterent, a quibus honorifice deduci Reliquiæ possent. Exhilarati mirum in modum hoc nuntio Fabrianenses, primarios octo cives cum maxima Cleri parte, atque aliis Nobilibus, Æsium in eam rem ablegant. Qui simul ac Æsium venerunt, quasi præsagientes fore ut perlectis Legati litteris Reliquias Æsini permutarent, recta ad basilicam Cathedralem, ubi eæ erant, adierunt, isthic, dum eas reciperent, excubias acturi. Neque sane supervacanea ea erat cautela. Nam Æsini, lectis litteris, scrutari cœperunt, quo pacto retinere sacrum corpus possent, aliudque dare Fabrianensibus. At successu hic caruit dolus. Numquam enim ab eo loco, nisi re per-

*assidue apud eas excubantes,*

fecta, summoveri Fabrianenses potuere. Vetitum D clandestino edicto est, sub gravi mulcta, ne quis cibum iis potumve præberet : fuit tamen qui vel sic iis secreto subveniret. Joannes quidam Legum Doctor, eos miseratus, quippe inique oppressos, et quod speraret se Fabriani juri dicundo Prætorem lectum iri, cibo eos suis in ædibus recreavit, partitos invicem excubias, ut parte stationem tuente, altera tantisper inde abiret ac denuo succederet.

*EX ITALICO SILV. RAZZI, INTERPR. I. B.*

*et contra edictum a quodam recreantur cibo :*

13 Cessere tandem Æsini, et restituere suum Fabrianensibus thesaurum, obtestati tamen eos, ut *l* brachium Sancti retinere sibi ad rei memoriam fas esset : quod ii annuere. Illud vero festo S. Romualdi, quod solenniter celebrant, religiosa ac magnifica supplicatione per urbem circumferunt.

*recipiunt reliquias, l brachio Æsinis concesso.*

14 Porro domum, re jam confecta, redeuntibus, curatoque quo introduci Fabrianum Reliquias oporteret, apparatu, contendere quidam ipso in itinere cœperunt, ut ad Vallem-Castri reportarentur; reclamare alii. Dirempta lis est hac ratione. Reliquias capsæ inclusas vectabat mulus; is nullis stimulis ac verberibus adigi unquam potuit, ut, quæ ad Vallem-Castri ducebat, viam insisteret, ultro eam, qua Fabrianum itur, occupans.

*mulus eas vehens, ultro Fabrianum tendit :*

15 Cum oppido appropinquarent, alta jam nocte, E aliud evenit miraculum, ultro sonantibus, nemine impellente, totius oppidi campanis. Ea re admoniti cives non longe abesse Reliquias, actis Deo gratiis, certatim obviam prosiliere. Sed quia non poterant quo par erat honore ac triumpho, magna jam parte noctis exacta, in urbem introduci, in æde S. Antonii, haud procul a muris, depositæ sunt. Facti interea sumptuosissimi apparatus, qua circumducenda erat pompa, evocatique ad solennitatem ex tota ditione homines.

*ultro sonantibus campanis*

*deponuntur in suburbio*

16 Die VII Februarii cum innumerabili prope copia luminum, Camaldulensium monachorum humeris in urbem Reliquiæ invectæ, circuitisque ac lustratis festa supplicatione viis omnibus, ad ædem S. Blasii deportatæ, et collocatæ supra aram, in qua etiamnum theca lignea, quæ secundum primam illam visionem facta erat, asservatur : ad quam simul atque infantes admoventur, vel ægri vel terriculis exagitati, convalescunt.

*solenniter in urbem deferuntur :*

*ad veterem capsam fiunt miracula.*

17 Neque illud dissimulandum, Fabrianenses ut injuriam ulciscerentur suis factam ab Æsinis, qui sacras excubias agentibus subministrari alimenta prohibuerant, simulque ut Joannis illius Jurisconsulti benefactum munerarentur, sanxisse ne cui Æsino præturam aliumve magistratum Fabriani gerere liceret, præterquam eidem Joanni, quem in sex pro- F ximos menses Prætorem creavere.

*Æsinis honores interdicti Fabriani.*

18 Æsini autem cum non Vallem-Castri, sed Fabrianum asportatas reliquias didicere, omnem adhibuere operam, ut remitti eas Æsium decerneret Legatus. Romam tandem caussa delata; ubi Legati ipsius patrocinio ac Generalis Camaldulensium, constitutum ut Fabriani in S. Blasii æde, ubi erant, remanerent. Ita retulere qui ad Pontificem Maximum missi erant Legati, XVII Maii anni ejusdem domum reversi. Decretum deinde ut in urbe totoque territorio festum S. Romualdi eadem celebritate, qua S. Joannis Baptistæ, qui urbis Protector, quotannis ageretur. Haud longe post sacellum majus a fundamentis exædificatum, quod vice Chori est, et sub primario ejus altari nova e marmore sepultura Sancto posita : inscriptio addita, Sepultum isthic S. Romualdum, Ravennæ natum Ducum stirpe. Alia alibi inscriptio, Sacellum araque dicata S. Romualdo Ordinis Camaldulensis parenti, recuperatis ejus reliquiis, ab Senatu populoque Fabrianensi, Sixto IV Pontifice Maximo, anno Christi CIϽCCCCLXXXII. Ea absoluta fabrica, occlusum est sepulchrum sera duplice.

*confirmata a Papa Fabrianensibus possessio reliquiarum.*

*festum Sancti,*

*novum sacellum,*

*sepulchri duplex sera.*

A plice, clave alterius Prioribus oppidi, Abbati alterius consignata, ut neutris seorsim pateret ad sacras reliquias accessus. Fuit autem deinceps apud Fabrianenses in summa veneratione S. Romualdus, quem peculiarem sibi Patronum, secundarium licet, et coram Deo Advocatum adoptarunt.

AUCTORE J. B.

a *Lectiones Breviarii Camaldul.* vectibus et cuneis saxum moliuntur. — b *Idem Breviar.* Ossa illi festinanter rapta ac multas in partes divulsa, in saccum immittunt. — c *Idem Breviarium habet, duos illos sacrilegos* summo mane in templum reversos, primos omnium surreptum Patris corpus exclamasse. — d *Idem Breviar.* Abbas cellas omnes, omnes templi ædiumque angulos perlustrare, cuncta rimari, excutere. — e *Breviar.* prope arcis portam. — f *De S. Frigdiano, Ep. Lucensi, agemus 18 Martii vel 18 Novembr.* — g *Is* Thomas Isilerius *fuit, qui, ut est apud Ughellium, an. 1505 obiit*, cum multos annos laudabiliter præfuisset. — h *De S. Silvestro Abbate, et Silvestrinorum ordine agemus 26 Novemb.* — i *Fuit is* Raphael Galeottus de Riariis *an. 1478 10 Dec. a Sixto IV Cardinalis creatus, ut habet Ciacconius.* — k *Urbs est Piceni*, frequens *ut habet Leander*, totaque regione Cancellariatus sede Marchiæ Legati celebris. — l *Breviar. Camald. habet*, os brachii.

Macerato.

## TRANSLATIO

### BRACHII S. ROMUALDI.

AN. CHR. MDXVI XIV MARTII.

*Dum hæc in Piceno de S. Romualdi corpore ejusve partibus committuntur, tantis urbium ac populorum studiis, dimicationes, ipsum interea Congregationis caput* B *Camaldulum ad 40 fere annos omni Reliquiarum ejus præsidio atque ornamento caruit. Qua demum ratione aliquibus exuviis Patris sui potitum sit, narrat idem Silvanus Razzius. Sacræ nimirum Eremi incolas ejusmodi thesauri cupidos, ignarosque fas esse sancti illius asceteræ præsidibus, ex quocumque sui instituti loco velint, Sanctorum sibi postulare et capere reliquias, statuisse omni studio adniti, ut aliquid nanciscerentur.*

*S. Romualdi reliquiæ ab Eremitis expetitæ,*

2 *Data ergo expediendæ rei cura Paulo Justiniano, cujus tunc maxima inter ipsos erat auctoritas. Is Fabrianum profectus anno* CIƆIƆXVI, *cum Cypriano Pedemontano, S. Blasii in oppido Fabrianensi Abbate, tanta industria et efficacia verborum locutus est, ut os brachii sancti Fundatoris impetrarit; quod peræ impositum illico ad Eremum asportavit. Mirati qui isthic erant Patres, ita rem celeriter ac dextre confectam, summo sanctum illud pignus plausu ac pietate exceperunt.*

*per Paulum Justinianum*

*os brachii impetratum,*

3 *Augustinus Florentinus lib. 3 cap. 11 paullo aliter id narrat.* Anno CIƆIƆXVI, *inquit*, quo sacratissimæ Resurrectionis Dominicæ dies XXIII Martii cecidit, concionatus est Paulus Justinianus Major sacræ Eremi ad Congregationem Eremitarum, se longe mirari, unde esset quod sacratissimus locus a S. P. Romualdo Divino numine institutus, totiusque Ordinis C princeps, nullis unquam sacratissimi corporis reliquiis honestatus fuisset; ostenditque facillimum factu esse, ut aliquæ obtinerentur, si legatio ad Cyprianum Pedemontanum Vallis-Castri Abbatem mitteretur, qui sibi aliquando omnem opportunam operam pollicitus fuisset.

*annuente Abbate Vallis Castri,*

4 Laudata ergo a Conventu ejus sententia, Paulus ipse Fabrianum mittitur. Ubi vero præmissis debitis precibus ad sanctum sepulchrum ventum est, reserata altera ex ferreis catenis, quæ mausoleum cingunt, res plena miraculi hujusmodi ostensa est, sicut hi qui interfuerunt adhuc referre soliti sunt. Quasi enim S. P. Romualdus præsenti auxilio justis votis annueret, vix Patres utrique manibus superiorem lapidem attollere nisi sunt, quod ille quasi sponte erigi videtur, donec ab intromissa manu os dextri brachii extrahitur.

*sepulchro facillime aperto,*

5 Quod miraculum postea sic firmatum est. Cum enim Cardinalis N. S. Romualdi devotissimus, aliquam similem sanctarum Reliquiarum portionem per eamdem viam ex venerabili sepulchro extorquere pertentasset; non modo lapidem elevare primo congressu datum non est, sed bis terque adhibiti ad eum attollendum funes confracti, animis rem tractantium et circumstantium non sine terrore frustratis. Igitur doctus Præsul id ipsum Dei ac S. P. Romualdi voluntate contingere, repetita prece, et oblatione altari imposita, ab incepto destitit, ad propriaque remeavit. D

*quod postea ab alio tentatum, fieri non potuit,*

6 Porro ut ad Justinianum redeamus, ille acceptum thesaurum statim in pelliceam illam thecam, quæ sub ara sacelli Cellæ majoris cernitur, condidit, et lætabundus ad sacram deportavit Eremum. Quo munere Patres in immensum exhilarati, cum processione ad initium silvæ ei obviaverunt, atque inter alias sacratissimas Reliquias in templo summa religione composuere die XIV Martii; quo die ejus Translationis annuam memoriam festive exinde quotannis celebrandam statuere, sicuti ex Constitutionibus habetur.

*honorifice in Eremum allatum,*

*anniversario festo honoratum.*

7 *Id anno* CIƆIƆXX *decretum tradit Silvanus, utque perpetuo lampas ante armarium, intra quod ex exuviæ brachio argenteo inclusæ, arderet. Extare porro gestæ rei memoriam in ædicula ad Cellam Patris Majoris dictæ Eremi, ipsius manu Justiniani consignatam.*

*theca argentea, et lampade.*

## DE FESTO S. ROMUALDI.

### CONSTITUTIO CLEMENTIS VIII.

Pia Mater Ecclesia ad hoc Sanctorum cum Christo E regnantium memorias a Christianis populis frequentari instituit, ut nos, quos uti filios Deo quotidie parere satagit, tantorum Patrum exemplis provocati, eorum sectemur fidem, imitemur virtutem, gloriamque paribus vitæ lineamentis, aut invenire, aut exquirere studeamus. Ad hæc ut eorum invocatione sentiamus ipsos, qui ex hac vita discesserunt, habentes adhuc erga nos, qui in hoc mundo relicti sumus, caritatem, curam de nobis gerere, suisque precibus atque interventu apud Deum nos juvare; cumque de propria salute et immarcescibili gloria sint securi, de nostra multiplici miseria sollicitos existere.

*Cum SS. multas ob causas honorandi sint.*

2 In his sane reponendum esse in primis judicamus gloriosum anachoretam Romualdum, patria, familia, vitæ sanctitate, et Divinarum rerum contemplatione, Ordinisque Camaldulensis fundatione illustrem: cujus tanta fuit in Deum religio et pietas, ut in cœlis solummodo ejus conversatio esse videretur, ab hominum conspectu et accessu remotissima: Sanctorum vero et Beatorum consuetudine, quorum apparitione et intuitu sæpissime dignatus est, acceptissima: tanta erga proximos caritas, ut oratione et lacrymis suis patrem Religioni et cœlo acquisiverit; F multos clarissimos etiam viros, Reges et Principes, suo exemplo ad humiles casas in eremo habitandas, et fulgorem purpuræ cum vili tunica commutandum, allexerit; plurimos a corporis et animæ infirmitatibus, ac imminentibus vitæ periculis, signo Crucis eripuerit; collapsamque in Italia eremiticam disciplinam restituerit ac mirifice propagaverit: tanta vero sui humiliatio et contemptus, ut Spiritus sancti, qui super humiles requiescit, domicilium effectus, sacrarum Scripturarum intelligentiam, et prophetiæ donum, consecutus sit; et quo magis humilitatem coluit, eo amplius a Deo exaltari meruerit, longitudine dierum in terris, immortalitate et Sanctorum gloria in cœlis coronatus.

*S. Romualdum illustris sanctimoniæ virum*

3 Ut autem tam insignis Dei miles debita ab omnibus veneratione et cultu honoretur, assiduisque precibus invocetur vir dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est, supplicationibus etiam dilectorum filiorum Abbatis Generalis et monachorum dicti Ordinis Camaldulensis, pro præclaro ejusdem Ordinis instituto nobis humiliter porrectis inclinati; de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi sacrorum Rituum præpositorum, quibus hoc negotium examinandum commisimus,

A simus, consilio et assensu; ejusdem S. Romualdi nomen et diem festum in Calendario Romano, quo nunc utimur, die VII Februarii, quo die ejus Translatio facta est, adscribendum, ejusque officium a quibuscumque personis Ecclesiasticis, secularibus et regularibus, ubique terrarum existentibus, sub ritu duplici, de communi Confessorum non Pontificum, ubi proprium deest, præter Lectiones secundi Nocturni, quæ propriæ assignantur, ab ejusdem Congregationis Cardinalibus approbatæ, celebrandum esse, auctoritate et tenore præsentium, perpetuo decernimus et statuimus: Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliis Ecclesiarum Prælatis, D ut in suis quisque Ecclesiis, Conventibus, Ordinibus, Militiis, provinciis, civitatibus ac diœcesibus, præsentes nostras litteras solenniter publicare, ac dicta die officium hujusmodi de S. Romualdo, ritu duplici, tam ipsi quam ceteri omnes Presbyteri et Clerici, seculares et regulares utriusque sexus, ac aliæ personæ, etiam exemptæ, quibus Officium dicendi et psallendi munus quomodocumque injunctum est, celebrare et psallere omnino debeant: Decernentes, omnes et singulas personas hujusmodi ad aliam recitationem Officii ea die non teneri, sed debito et obligationi hujusmodi perinde satisfacere, ac si Divinum Officium juxta suorum Breviariorum præscriptum recitarent. Non obstantibus *etc.*

*Officio Ecclesiastico, die 7 Febr.*

*ab omnibus coli jubet.*

EX BULLA CLEMENTIS VII.

# DE B. ANTONIO A STRONCONE,

## ORDINIS MINORUM LAICO, ASSISII,

J. B.

### Commentarius prævius.

AN. CHR. MCCCCLXXI VII FEBR.

B Stroncone (*quod alii* Stronconium *Latine appellant*) *sito ad Umbriæ fines, in diœcesi Narniensi, inter urbem Interamnam ac Himellæ fluvii fontes, oppido, et quidem, ut Leander tradit*, non infrequente, *prodierunt aliquot illustres sanctimoniæ fama instituti Franciscani professores. In his* Antonius *fuit, gradu Laicus, ut vocant, nullis videlicet sacris Ordinibus initiatus. Qui in patria cooptatus in eum Ordinem, tempore deinde non exiguo in Etruria et Corsica versatus, remissus postea in Umbriam, annos facile* XXX *in monasterio* Carceris, *vel, ut alii vocant,* Carcerum, *in monte Subasio, secundo ab Assisio milliari, habitavit: ac demum in conventu S. Damiani, dimidio tantum milliari ab Assisio distante; ubi et migravit e vita.*

*B. Antonius Stroncone natus,*

2 *Ambigebamus primum, esset necne absolute* Beatus *appellandus, quod Marcus Ulyssipponensis, Episcopus Portuensis, tom.* 3 *Chronicorum Minorum lib.* 5 *cap.* 39 *solum* fortunatum Fratrem, *ac deinde* sanctum virum, *Horatius Diola Marci interpres* beatum Fratrem, *Lucas Wadingus tom.* 6 *Annal. Minorum* Fratrem Antonium, *appellent; licet, ut infra ostendemus, ea de ipso singuli memorent, quæ eo titulo palam dignatum ab antiquo, magis tamen fortassis populorum pietate, quam solenni Ecclesiæ decreto, significent.*

*a quibusdam non simpliciter* Beatus *appellatus,*

3 *Franciscus Gonzaga parte* 2 *de Origine Seraphicæ*
C *religionis,* venerabilem beatumque *nuncupat: sed non omnino res illius exploratas videtur habuisse, qui et* Patrem *vocat, quod vix nunc nisi Sacerdotibus tribuitur. Ita ergo scribit de dicto ageus conventu, qui secundus est provinciæ S. Francisci:* Jacet hoc in loco sepultus venerabilis beatusque Pater Antonius a Stronconio, Franciscanæ olim familiæ decus et ornamentum, cujus vita sanctissima, et mors in conspectu Domini pretiosa fuit, ut ex eventu liquido constat. Abnuente siquidem Patre Guardiano piorum quorumdam Fratrum votis, qui tanti Patris ossa exhumata atque in eminentiori loco honestius collocata cupiebant, ingens quædam flamma ex ejus sepulchro protinus, non absque maxima omnium admiratione, erupit: qua conspecta, ut sacrum corpus exhumaretur, nobiliorique tumulo reconderetur curavit quanto citius is qui non ita pridem tergiversabatur. Dumque hausta terra venerabile corpus educeretur, carnea quædam recentissima atque pulcherrima rosa in altera ejus manu, præter spem, apparuit.

*licet corpus elevatum*

*cum miraculis,*

4 Beatum *inscripsit Martyrologio Franciscano ad* IX *Novembris diem, quo ejus sive Elevatio, seu Translatio contigisse dicitur, Arturus a Monasterio, haud sane alioquin parcus ejusmodi dignationis:* Assisii in Umbria, *inquit*, B. Antonii a Stronconio Confess. qui virginitatem incontaminatam custodivit, et prophetiæ dono illustratus fuit: cujus vita sanctissima et mors in conspectu Domini pretiosa, multis miraculis acclamatur. *Eumdem illi titulum tribuit a* LXV *annis Petrus Rodolphius, qui deinde Senogalliensis Episcopus fuit. Is historiar. Seraphicæ religionis lib.* 2 *fol.* 298 *ista habet:* Locus S. Damiani, ubi jacet B. Antonius de Stroncone.

*ab aliis absolute* Beatus *scriptus,*

E

5 *Omnem tandem nobis scrupulum exemit Ludovicus Jacobillus Fulginas, qui anno* CIƆIƆCXLI Compendium Vitæ B. Antonii Stronconensis, *Italice scriptum, typis vulgavit; haud temere id tentaturus, post iteratas Urbani* VIII *constitutiones, quibus cavetur ne cui is titulus adscribatur, cui non vel ante centum, ut minimum, annos is publica pietate præscriptus, vel certe Sedis Apostolicæ judicio delatus sit. Idem dein Jacobillus plenius* B. Antonii *Vitam scripsit tom.* 1 *de Vitis Sanctorum et Beatorum Umbriæ, quem anno* CIƆIƆCXLVII *Eminentissimo Cardinali* Francisco Angelo Rapacciolo *dedicavit, gravissimo sapientissimoque Antistiti, quem non tam suarum lucubrationum patronum sperare, quam censorem posset metuere, si qua exorbitaret, quippe et in Umbria, oppido quod* Collem-Scipionis *quidam, vulgus* Collescipoli *appellat, haud procul Stroncone, nobili natum ac vetusta familia. (de qua plenius ad Vitam* B. Benincasæ Rapacciolo, IV *Septembris agemus) et denique Interamnensem in eadem Umbria Episcopum.*

*præsertim a Lud. Jacobillo*

*in libro dedicato Cardinali Rapacciolo an.* 1647.

F

6 *Eumdem pridem attributum Antonio* Beati *titulum, et publicam (non tamen sacrorum) venerationem, confirmant et suspensa palam anathemata, et honorifice facta elevatio,* Beati Jacobi de Marchia *viri sanctissimi, consilio, gravissimorum Patrum consensu, legitima auctoritate. Plurima ei posita anathemata, non ipse solum Jacobillus, sed et Marcus quoque ac Diola testantur, ac Wadingus, qui et tradit,* vetusta incendio consumpta esse, multa postmodum allata conspici. *Tum ista subdit:* Nunc jacet reverenter super altare collaterale ad dextram templum ingredientis. Illæsum et incorruptum ego sub annum MDCXIX conspexi. *Hæc ille. Jacobillus peculiare illius honori constructum sacellum testatur.*

*anathemata appensa*

*corpus incorruptum, supra altare,*

*in proprio sacello.*

7 *Describunt* B. Antonii *res gestas, quas jam citavimus auctores, Marcus Episcopus Portuensis lib.* 5 *Chronicorum cap.* 39 40 41 42 43. *Horatius Diola Bononiensis lib.* 5 *cap.* 30 *et quatuor sequentibus. Lucas Wadingus tom.* 6 *Annalium Minorum, ad an.* 1471, § 13 *et sequentibus usque ad* 21 *Maluimus Vitam a Jacobillo Italice scriptam vertere, quod et ceteros citat, et ipse Umber inque Umbria scribens, certius coram explorasse cuncta videatur.*

*Vita ex Jacobillo.*

A

*EX ITALICO LUD. JACOBILLI, INTERPR.*

# VITA
## a Ludovico Jacobillo Fulginate Italice scripta.

## CAPUT I.
### *B. Antonii vita perquam austera.*

*B. Antonii patria, parentes, sancta pueritia*

Stronconium, Narniensis diœcesis in Umbria oppidum, B. Antonio patria fuit; parentes *a* Ludovicus e Vicorum familia, et *b* Isabella, ambo probi ac *c* pii. Ab his eruditus ad pietatem Antonius, a teneris annis non vana futuræ virtutis edidit documenta: macerabat enim abstinentia, jejuniis ac vigiliis corpus, semperque orationi acsanctis actionibus pro captu ætatis vacabat.

*duodennis fit Religiosus:*

2 Annos xii natus, Divina inspiratione, animum adjecit ad Religionem Minorum strictioris observantiæ, qui, *d* quod lignea solea utantur, quam ZOCCOLO Itali vocant, Zoccolanti vulgo appellantur. Adit ergo eorum, qui Stronconii erat, cœtus præsidem, seu Guardianum, seque ad illud admitti institutum flagitat. Ille collaudata pueri voluntate, ut Divinorum præceptorum observationi insistat hortatur; sacrum B tamen habitum adeo adolescenti non continuo tradidit, donec serio examinatum, ac sæpe probatum, vere a Deo vocari, eoque omnino dignum judicavit.

*it in Etruriam:*

3 Facta in eo cœnobio professione, cum Joannis Stronconensis *e* gentilis sui, qui *f* Paulo Trincio Fulginati, ante dictæ Observantium Reformationis auctori, primus Vicarius extitit, sanctitatem fama didicisset: annuente præside, ad eum in Etruriam contendit. Conspicatus eum B. Joannes, admodum adolescentem ac tenello corpore, veritus est ut ferendis religionis laboribus par esset; perspecta tamen ejus constantia, et assequendæ perfectionis desiderio, eum consuetis exercitationibus Ordinis instituendum *g* suscepit: in quibus cum strenue desudaret, ut erat imbecillis viribus, in morbum incidit.

*morbum fervore spiritus superat:*

Statuit eum Joannes ad Stronconiense cœnobium remittere, illic in patria benignius curandum. Verum beatus adolescens, etsi corpore debilis, spiritu tamen robustus, dissimulata, quatenus fas erat, infirmitate, Joannem obtestatur ne se in patriam remittat. Eo obtento solatio, brevi convaluit, cumque ut ætate virtutibus quoque cresceret, carissimus deinceps Joanni discipulus fuit.

*vult laicus manere:*

4 Ea erat modestia ac submissione animi, ut quamC vis nobili familia ortus esset, legendi scribendique peritus, ac sacerdotio idoneus, laicus tamen esse maluerit. S. Francisci, ac B. Pauli Trincii exemplo, qui studio humilitatis Sacerdotes fieri recusarunt. Inutilem se totiusque Ordinis vilissimum judicabat,

*vilissima amplectitur:*

providebat studiose, ac secreto, ut sibi abjectissima totius cœnobii munia imponerentur: quibus expletis continuo ad solitudinem ac preces revertebatur.

*mittitur in Corsicam:*

5 Missus in Corsicam insulam, benedictione postulata, confestim iter capessivit, ibique commoratus est, donec ab iisdem præsidibus revocaretur.

*revocatur in Umbriam:*

Reversus in provinciam S. Francisci, missus est ad cœnobium quod Carceris dicitur: ubi xxx ipsos annos habitavit, ac plerumque in silva ad cœnobium

*in spelunca degit,*

pertinente specum incolebat, quæ etiamnum B. ANTONII STRONCONENSIS appellatur. xxiv annis cum siti

*sitim domat:*

luctatus est, dum a cœnobio Carceris Assisium proficiscitur, neque unquam a fonte *h* qui in ea via est bibit, quamvis sæpenumero molestissima siti torqueretur; quam malebat in memoriam ac honorem sitientis in Cruce Salvatoris tolerare.

*nudis pedibus semper incedit*

6 Admirabilis ei inerat vitæ austeritas. Pedibus omnino nudis incedebat: qui proinde pro varia tempestate nunc summo frigore, nunc calore, disrupti ac fissi, magnum ei dolorem afferebant, stuporem et commiserationem aspectantibus: cogebatur quandoD que cerdonem adire, ut sibi laceram ac divulsam pellem subula perfoderet ac consueret. *i* Habitus ei non alius, quam tunica nudo corpori appressa, eaque pauper ac vilis; somnus brevis; victus plerumque panis et aqua.

*i tenui et duro habitu utitur:*

7 Primis xii annis *k* vitæ religiosæ, inter alia, quæ, Magistri nutu, domando corpori adhibebat, millies per diem genua religiose humi ponebat. In cœnobio Carceris, summis etiam æstatis mediæ caloribus, calidam bibebat absinthio temperatam, ut gustum acrius cruciaret. Monentibus Fratribus ut frigidam potius biberet tali tempore, respondebat id nimium suo corpori molle ac delicatum fore. Numquam ille carne, ovis, caseo vescebatur: non omittebat tamen, quin hæc et alia quibus opus esset, Fratribus mendicato quæreret. Cum iter ageret, mendicabat comiti escam, itaque eam illi offerebat: Comede Frater, quo eges, ut præsidi tuo obtemperes: ad me ne respice, *l* non enim unusquisque corpus suum ita habere, ut ego meum, potest. Erat ipse in se asper ac rigidus; erga ceteros magna ferebatur commiseratione et caritate.

*k millies die uno flectit*

*æstate calidum bibit*

*aliis benignus, in se durus.*

*l*

8 Atque ea quidem vivendi ratio principio illi gravis fuit ac molesta; sed tantum cum Divina gratia elaboravit, ut xiv annorum spatio viriliter certando subjugarit sensum: ac deinde absinthium, velut dulcissimum quem unquam gustasset cibum edebat: nec alia palato ejus esca gratior reperiri posse videbatur. Dies subinde plures cibi omnis expers transmittebat, præsertim in sacratiore hebdomada a Cœna Domini ad diem usque Resurrectionis: neque eo tempore ab ecclesia unquam abesse cernebatur. Admodum jam senem monebant Fratres, ut annis et laboribus confectus, carnem aut pisces ederet. At ipse ea sibi nocere aiebat. Qui vero nocere ea possunt? ait quidam maxime illi familiaris. Animæ sane quidem meæ nocent, inquit.

*post longam luctam,*

E

*etiam amaris delectatur*

*diu jejunat*

*nec senex carnem aut pisces edit*

a *Marco Ulyssippon et Waddingo* Vicus *dicitur* — b *Marco* Sabela *Wad.* Sabella. — c *Waddingus ait,* Tertii Ordinis S. Francisci sectatores *fuisse.* — d *Ita duximus pro ceteris Italicam vocem* Zoccolanti *explanandam* — e *Imo patrui, ut quidem tradit Waddingus. Jacobillus* Beatum *appellat, et corpus supra aram locatum. Obiit 8 Maii.* — f *Alii* Paulutium *vocant. Hic quoque* Beatus *ab Jacobillo indigitatur* — g *Scribit Waddingus, traditum ab eo esse* Regularibus imbuendum disciplinis Thomæ Scarlino, *sub quo* xii annorum instructione mirifice profecit. — h Maggium *vocat Waddingus. Marcus et Diola ignorant. Antonium hanc* xxiv *annorum luctam retulisse scribunt.* — i *Wad.* solum habitum, cingulum et femoralia gestasse *ait.* — k *Idem scribit,* in tirocinio exortum, per omnem vitam hanc observasse consuetudinem. — l *Aliter paullo ac clarius Waddingus:* Panem arctum et aquam brevem cum absinthio sibi sufficere, aliorum vero complexiones plura requirere.

F

## CAPUT II.
### *B. Antonii pietas, patientia, castitas.*

*contemplationi deditus,*

Præcipua illi exercitatio, precatio erat et contemplatio. His die ac nocte vacabat. Nec alia ei res jucundior pleniorque solatii esse poterat, quam cum Deo assidue agere, quem toto animo super omnia amabat. Ut securius autem impensiusque his sese actionibus dederet, satagebat ut semper, quoad licebat, solus esset: vitabat certe congressus aliorum, præsertim qui cum ejus spiritu non concordarent: raro inter homines videbatur; cumque iis non nisi urgente necessitate et brevissime agebat.

*et solitudini,*

10 Jucundissimum illi erat, solemni sacrificio Missæ aut Officio assistere; ubi tantam hauriebat animo voluptatem, ut cibi sumendi oblivisceretur: erat quippe pietatis ille sensus verum animæ ipsius alimentum. Fratres rogabat ut concinne ac libenter Divinum Officium in Choro concinerent, haud enim aliud gratius Deo ministerium esse. Ipse Divini Officii tempore cetera omnia seponebat, ut in Choro adesse cum Fratribus, ac divinam collaudare Majestatem posset *a*.

*sacri solemnis auditioni*

*ac Divini Officii*

*a*

11 Precanti

*a Christo coram edoctus,* *b multa luminaria in sacro accendit :* *ad celebrandi libens servit :* *etiam decrepitus id vult audire :*

A 11 Precanti aliquando adstitit Christus specie adspectabili, dixitque sibi valde Missam placere multis coruscantem luminibus. Ex eo tempore plurimum semper dedit operæ, ubicumque degeret, ut quamplurimos in ara cereos accenderet, *b* dum Missa celebraretur, potissimum solennibus Christi ejusque Genitricis feriis. Sacro intererat, aut illud peragenti ministrabat, tanta pietate et spirituali consolatione, ut si a prima luce usque ad noctem facta fuisseut sacra, neutiquam recessurus ab ecclesia videretur, sed omnibus ministraturus, certe adfuturus. Decrepitus cum esset ac morti propinquus, cupiebat tamen e strato surgere, ut Missam audiret. Suadentibus Fratribus, ut omitteret quod neque exequi, neque sine virium detrimento conari posset; respondit : Si sciretis lucri quantum capiat anima ex Missæ auditione, stuperetis sane non mediocriter.

*ad communionem humilitate se præparat* *ægris aliisque servit :*

12 Maximam adversus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum venerationem adhibebat, illudque per omnem vitam observavit, ut priusquam sacram synaxin sumeret, veniam erratorum ab omnibus Fratribus positis humi genibus precaretur. Immensa quadam caritate proximos complectebatur, neque ullam subterfugiebat difficultatem ac laborem, ut alieno commodo tum externis in rebus, tum quæ ad spiritum B pertinerent, serviret. Ægris quæ opus erant summo studio procurabat, iis famulabatur, eos singulari amore consolabatur.

*ipse patientissimus* *alios ad patientiam hortatur :*

13 Ita patientiæ virtutem possidebat, ut magna animi tranquillitate adversa omnia et persecutiones sustineret, neque de ullo mortalium unquam quereretur. Si quem e Fratribus cerneret alicujus sensu molestiæ oppressum, aut labore imposito turbatum; ejus ex animo misertus, hisce eum verbis animabat : Bibe Frater, bibe hunc calicem : progreditor strenue : ea tenenda est via Dei famulo, qua præivere quicumque Christo unquam placuerunt.

*gravem pœnam innocens sustinet, ac tacitus* *c*

14 Accusatus est apud Provincialem suum quod in horto Conventus, in quo tunc morabatur, triginta vites amputasset. Et prona creditu erat suspicio, quod immodico eum paupertatis studio duci omnibus erat exploratum. Objurgatur acriter a præside, quod alieni laboris fructum evertisset, atque illud Fratribus solatium invidisset. Non ille factum negare, ac ne quidem levissimo nutu culpam amoliri : sed humi prostratus, magna submissione reprehensionem, injunctamque pœnam excepit. Fuit ea non levis, minime jam ambigente Provinciali, quin omnino C reus esset, qui ne verbo quidem se purgaret. Jubet ergo, qui XXX vites præcidisset, tricies flagellis in sese animadvertere *c*. Paret Antonius prompte et alacriter, nihil obstrepens, itaque se gerens ac si vere reus esset. Patuit postmodum illius innocentia, qua omnes fuere mirum in modum ædificati.

*semper virgo,* *d* *e* *fœminæ vultum non aspicit* *otium vitat,* *Cruces faciendo,*

15 Corpore ac mente castissimus fuit, et Divinæ gratiæ præsidio usque ad obitum illibatam custodivit *d* virginitatem. XL annorum spatio nullius unquam fœminæ vultum aspexit. *e* Quod sane mirum fuit, in eo præsertim homine, qui amplius annis vicenis ostiatim stipem pro Fratrum cœtu emendicavit. Otium vitabat ut pestem : si quid ergo ab oratione et domesticis ministeriis supererat temporis, impendebat crucibus e ligno effingendis, ut ita in manibus atque oculis Crucem ferret, quam cordi habebat alte infixam. Has vero Cruces a se factas in silva monesterii, ac locis aliis opportunis statuebat, ad intuentium inflammandam pietatem.

*multos exemplo convertit :*

16 Plurimi mortales sancta ejus conversatione, ac suavi virtutum odore attracti, a peccatis, eorumque occasionibus generose avellentes animum, Divino sese cultui manciparunt, tum intra septa religiosarum familiarum, tum inter seculi occupationes.

a *Addit Wadingus* suasque ferventer effundebat preces, recto D semper corpore, neque in parietem inclinans, neque in sedilia recurvans, neque ulli prorsus innixus fulcimento. — b *Addit Marcus, magno studio in eam rem ceram et candelas conquisisse.* — c *Dissimulat pœnam Wadingus.* Patienter tulit, *inquit*, se asperrime reprehendi, et gravem injunctam pœnitentiam alacriter subivit. — d *Marcus tradit, hoc testatum esse* B. Jacobum de Marchia *et alios venerabiles Patres.* — e *Marcus et Wadingus scribunt, ipsum Antonium id* sub mortem religioso viro palam affirmasse. *Plura de ejus studio castitatis Wadingus.* Ab ipsa pueritia ita abhorruit verba minus honesta, ut proferentes acriter incusaret, auresque ne audiret, occluderet, consortium e longe fugiens eorum quos minus honestos reputabat; tamquam virgo in thalamo reclusa ne degeneri depravaretur afflatu, in cubiculo solus orabat vel laborabat; Fratrum etiam consodalium devitans alloquium, ne furtivum aliquod obreperet inquinamentum.

EX ITALICO LUD. JACOBILLI, INTERPR.

*etiam puer turpia colloquia horret.*

## CAPUT III.

### *B. Antonii prædictiones. Mors. Translatio. Miracula.*

*clarescit miraculis:* *futura prædicit, cujusdam mortem ex itinere temere suscepto,*

Usum quoque est Deo, illius meritis complura edere miracula in vita ac post mortem, ad animarum salutem. Inter alia certe Dei dona, prophetiæ spiritus fuit, quo multa priusquam evenirent prænuntiavit. Mulier ei maritum commendabat, Assisio Aquilam profecturum. Vir beatus eam admonuit, ut hoc illi iter dissuaderet, fatale alioquin futurum. Sprevit maritus consilium, Aquilam venit, revertens correptus morbo, extinctusque est.

E *a* *saucii sanitatem,* *matronæ prolem,* *b*

18 Cuidam *a* ita luculenta plaga convulneratum erat caput, ut medici negarent posse vivere. Parentes Antonium rogant, ut ei sospitatem a Deo impetret. Respondit, eum ex hoc vulnere non esse moriturum : itaque evenit. Mulieri cuidam quinque obierant liberi, neque alios se jam suscepturam sperabat. Cum hic eam graviter ureret dolor, Beatum rogat ut filium sibi impetret a Deo. Abi, inquit ille, et bono animo esto, aderit enim brevi solatium. Concepit illa non multo post, ac tandem enixa filium est. *b*

*pestem grassaturam,* *d* *alia adversa :*

19 Cum in cœnobio Carceris habitaret, admonuit sæpius Assisinates, Cruci sese præpararent. Cui, inquiunt, Cruci? Mortalitatis, ait : sæva enim a Deo pestilentia immittetur, quæ maximam populi partem absumet. *c* Annus insequens, qui erat ab ortu Christi MCCCCXLVIII, Assisium Umbriamque universam, et partem magnam Italiæ, adeo dira contagione afflixit, ut plurimæ vacuatæ sint domus. *d* Alias prædixit calamitates, ac fere usus forma verborum : Væ iis qui non sunt Deo conjuncti.

*e* F *obitus sui horam* *moritur 7 Febr 1471* *f*

20 Cum jam ad vitæ metam appropinquaret, præsentiscens se brevi a Deo ex hisce periculis in securam stationem æternæ felicitatis eductum iri, *e* aliquot diebus ad exitum sese comparavit. Libellum reliquit a se tritum, in quo orationes doctrinæ Christianæ et Regula descripta erant. Dein Fratribus obitus sui horam aperuit, ac perceptis singulari pietate et exemplo sanctissimis Sacramentis, suavissime ad Dominum emigravit, die VII Februarii, anno MCCCCLXXI Christi, ætatis suæ circiter LXXVI, *f* initæ Religionis LXIV, in conventu S. Damiani juxta Assisium, ubi postrema ejus per annos aliquot habitatio fuit.

*Corpus humiliter initio sepultum,*

21 Tumulatum est corpus in S. Damiani æde, neque ullis per anni circiter spatium publicæ venerationis indiciis honestatum. Translatum deinde ad sacellum ejus honori erectum in eadem æde : perstatque in hunc diem integrum et incorruptum, et frequentatur magno populorum, etiam longinquorum, concursu, atque ab Reformatis instituti Franciscani Religiosis isthic commorantibus magna pietate custoditur.

*g* *h*

22 Multis deinde a Deo et virtus quam vivens coluit, et gloria qua perfruitur nunc in cœlis, declarata miraculis est. *g* Novennis puer Assisinas, nomine Liberator, ex æde S. Mariæ de Angelis ad S. Damiani *h* deductus ab suis, in eam tempore Vesperarum ingressus, conspicit supra B. Antonii tumulum

EX ITALICO LUD. IACOBILLI, INTERPR. J. D.

*conspecto super illud mirabili lumine, auctoritate B. Jacobi a Marchia,*

A tumulum lumen, identidem augescens, et sequentem pone puerum id restinguere nequidquam cupientem, magis magisque excrescente splendore. Eo aspectu perculsus Liberator, tremens domum recurrit, ac matri quid viderit narrat. Ea prodigio et ipsa attonita, *i* filium ad conventum S. Damiani perducit, ac Fratribus, nominatim B. Jacobo de Marchia, qui eo tempore isthic aderat, quid filius viderit, quid ex eo ipsa audierit narrat. B. Jacobus ita prodigium explanavit : Quod conspectum est, inquit, supra F. Antonii sepulchrum lumen, ipsius declarat sanctitatem, quam Deus mundo cupit patefacere : puer restinguere illud tentans lumen, vos estis, Fratres, qui occulere eam sanctimoniæ lucem volebatis ; sed Divina bonitas eam manifestam fieri cupit. Jubet igitur recludi tumulum, in quo jam anno uno conditum erat sacrum corpus : hoc vero omnino integrum et absque ulla noxa repertum est, *k* inque dextræ manus palma rosa inerat ex eadem carne conformata. Quam ut vidit B. Jacobus, signum esse a Deo illi collatum pronuntiavit, ipseque humi prostratus, uti et ceteri Fratres, sanctam illam manum, manantibus ubertim præ sensu pietatis lacrymis, exosculati sunt, Dei Creatoris gloriam in suis operibus admirantes.

*i* *eleviatur, integrumque reperitur,*

*k* *rosam in manu gerens,*

B

*honorifice locatur : honoratur, etiam miraculis a Deo :*

23 Vulgata miraculi fama, confluxere plurimi ad sacrum corpus visendum : quod dein editiore et ornato loco repositum est in eadem ecclesia S. Damiani ; variæque ejus meritis curatæ ægritudines sunt. Concurrunt in dies plurimi ad illud venerandum.

24 Sanctimonialis quædam Tertiaria, nobili orta familia, *l* tibiarum usu capta genuum tenus, non sine magnis et assiduis doloribus, fusis ad Beati sepulchrum precibus, subito sana atque incolumis surrexit. D

*l* *ad illud sanatur tibiis capta,*

25 Puella *m* manibus ac pedibus capta, ad idem sepulchrum deportata est, et peracta precatione, votisque nuncupatis, sospes domum revertit. Fœminis duabus, ejus opem implorantibus, ac vota facientibus, restituta sanitas est. Alia multa edita a Deo, ejus intercessione, miracula ; uti fidem facit liber qui *n* Speculum Ordinis Minorum, vulgo Franciscina, dicitur, et tabulæ plurimæ atque donaria in ejus sacello suspensa.

*m* *item alia manibus ac pedibus duæ aliæ.*

*n* *multa ad id anathemata*

a Adolescenti, *inquit Wadingus.* — b *Addit Wadingus prædixisse Antonium,* accepto gratiæ breve fore solamen: *ut deinde, mulierem* post paucos annos etiam hoc senectutis solatium amisisse. — c *Addit Marcus,* subita morte. — d *Hoc ita exponit Wadingus:* Magnam tribulationem et scissuram in Ordine futuram prænuntiavit, eamque brevi suo tempore timens immittendam, dixit se sibi præparasse necessaria, ut a facie terribiliter grassantis fugeret in desertum, ibique lateret donec malum cessaret. In spiritu tamen sibi revelatum est postea, propter orationes Dei servorum, supplicium hoc dilatum fuisse in tempora posteriora. — e *Marcus,* IX. *Dada,* V. — f *Wad.* LXXX, religionis LXVIII. — g *Wadingus:* Anno integro postquam in communi Fratrum sepulchro appositus est puerulus septennis, Liberator nuncupatus, Jacobi de Hispello, civis Assisiatis et Peregrinæ filius, die Dominico dum sub horam Vesperorum ad ecclesiam S. Damiani descenderet, vidit prodeuntem ex Antonii sepultura quasi faculam ardentem. Aderat trimula puella, quæ pede flammulam, abundantius postea prodeuntem, non semel repressit. — h *Marcus et Dada aiunt, erutum quasi delatum ab Angelis.* — i *Iidem aiunt, cum duobus religiosis domum suam accersitis id retulisse.* — k *Addit Wadingus,* optimum spirans odorem. — l *Wad. solum habet,* utroque genu magnis doloribus affectam. — m *Marcus ait* utraque manu ac pede uno mancam *fuisse : Wadingus,* pede uno, utraque manu contractam. — n *Composuit illud* Jacobus Oddo *Perusinus. Henricus Willotus in Athenis Franciscanis* Speculum Minorum et Franciscinam *diversa facit, sed ambo ab eodem auctore, quem* Jacobum de Odo *appellat, compilata.*

*predicit scissuram Ordinis.*

E

VIII FEBRUARII.

# VIII FEBRUARII.

## SANCTI QUI VI ID. FEBRUAR. COLUNTUR.

Sanctus Juventius, sive Eventius, Ep. Ticinensis in Italia.
S. Cointa, sive Quinta, Martyr Alexandriæ.
S. Paulus Ep.,
S. Lucius,
S. Cyriacus, } Martyres Romæ.
S. Martha,
S. Maria, } VV. } Martyres.
S. Lycarion, sive Bycarion, puer;
S. Nicephorus,
S. Stephanus, } Martyres.
S. Dionysius,
S. Æmilianus,
S. Sebastianus, } Martyres in Armenia minore.
S. Communis, Martyr, Tuscanæ in Etruria.
Sancti monachi cœnobii S. Dii Constantinopoli, Martyres.
Sancti Martyres sub Cabade Rege, in Perside.
S. Honoratus, Ep. Mediolanensis.
S. Nicetius, Ep. Vesontinus in Burgundia.
S. Paulus, Ep. Virdunensis in Gallia Belgica.
S. Elfleda, Virgo, Abbatissa Streneshalensis in Anglia.
S. Mengoldus, Martyr, Hui in Belgio.
S. Cuthmanus Conf. Stenningæ in Gallia.
S. Stephanus, Fundator ordinis Grandimontensis in Gallia.
B. Esaias Bonerus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Casimiriæ ad Cracoviam in Polonia.
Venerabilis Hieronymus Æmilianus, Congregationis Somaschæ Fundator, in Italia. ANIMADV. PAP. 31.

---

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Sanctæ Zatianæ *Acta MSS. reperiuntur ad hunc diem in archiva Ecclesiæ S. Petri Romæ, hoc exordio :* Regnante in orbe terrarum Domino nostro Jesu Christo, adversante vero diabolo Christianis, sub Rege Alexandro, quarto anno regni ejus *etc. Quæ Acta sub nomine* S. Tatianæ *(nam eadem est) dedimus* xii Januarii.

S. Euberti Ep. Reliquiarum repositio. *Insulis in Flandria recolitur hoc die, ut dictum est ad ejus Vitam* i Februarii.

S. Vedasti Ep. Atrebatensis caput, *accepit a* Maria Imperatrice, Maximiliani ii *conjuge*, Joannes Borgia, *vir illustris, donavitque cum plurimis aliis Sanctorum reliquiis, Domui professæ Societatis* Jesu *ad S. Rochum Ulyssippone, ubi hoc die solenni sacrorum religione celebratur, cum præcedentes duo dies Officio* ix *Lectionum, ut vocant, impediti sint. Fuse de ejus gestis, translationibus, miraculis egimus*
C *ad* vi Februarii.

S. Chrysolius Martyr, Cominiensium in Flandria Apostolus, *inscriptus hoc die additionibus ad Usuardum a Molano in priori editione, et a Canisio Martyrologio Germanico. Acta dedimus* vii Februarii.

S. Maximus Ep. Nolanus *colitur hoc die in Ecclesia Beneventana : cujus sacros cineres illic sub altari majori servari tradit Marius Vipera, uti diximus ad ejus Vitam* vii Februarii.

S. Theodorus Dux et Martyr, *a Græcis recentioribus, uti ex Menæis patet, colitur hoc die, quo et Molanus ac Galesinius ejus meminere. De eo egimus* vii Februarii.

S. Julianus M. in Armenia, *cum SS. Sebastiano et sociis de quibus infra, refertur in MS. quodam sat antiquo, quod penes nos est ; ignotus aliis.*

S. Jacutus *memoratur quidam ab Alberto Magno de Morlaix in Vitis SS. Britanniæ Armoricæ,* S. Guingualoei socius ; *quem in indice adnotat* viii *Februarii coli. Nulla ejus mentio est in pluribus, quas habemus dubimusque* iii *Martii*, S. Guingualoei, *sive* Winwaloci *Vitis, neque ejus nomen in ullo adhuc Martyrologio reperimus.*

Pelagius ii Papa, qui ex monacho ad summum sacerdotium evectus, verbo et exemplo oves sibi concreditas pavit, et morbo inguinario, qui tunc Romæ maxime sæviebat, extinctus, ad cœlos evolavit vi Idus Februarii ; *his ipsis verbis adscriptus Martyrologio Benedictino ab Arnoldo Wione, quem Menardus et Dorganius sequuntur, ac* Sanctum *appellant : quo etiam titulo eum ornat Alfonsus Ciacconius de Vitis Pontificum ; ejusque imaginem exhibet radiis decoratam Andreas Victorellus. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ejus non meminit ; in generali Catalogo ad* xxix *Januarii ita scribit :* S. Pelagius Papa ii Cluniaci in Gallia. *Verum is* Gelasius ii *est, qui isthic anno* mcxix *mortuus.* Pelagius ii *autem anno* dxc *obiit, tribus seculis, et quod excurrit, ante conditum Cluniacum ; de cujus fundatione egimus* xiii *Januarii ad Vitam* S. Bernonis. *Octavius Pancirolus in novo theatro urbis Romæ, regione 3, ecclesia 5, tradit Officium Ecclesiasticum fieri de* S. Pelagio i *Papa,* ii *Martii, cui tamen Ciacconius* Sancti *titulum non tribuit ; ut facile in primo secundoque* Pelagio *cernere confusio aliqua ac perturbatio potuerit. Agit de* Pelagio ii *tom. 7. Annalium Baronius, absque tamen ulla publicæ venerationis mentione uti et ceteri passim Ecclesiastici scriptores.* F

S. Onchuo singularis poeta, de Connacia oriundus, Cluainmoriæ in Lagenia quiescit. *Ita Casselense Kalendarium hoc die apud Colganum, qui dubitat, an non hic sit, qui alio nomine* Conallus filius Aengussii, vates sive antiquarius, *vocetur in Martyrol. Tamlactensi* ix *Septembris ; ad quem diem forte majorem lucem dabit. Ignotus est scriptoribus non Hibernis.*

Herminfridus, *sive* Ermenfredus, Ep. Virdunensis, Sanctus *appellatur hic a Ferrario, qui iterum eum refert* viii *Januarii : Ghinius* viii *Decembris.* Sanctum *quoque indigetat Wion lib. 2 Ligni vitæ cap. 55. at non Franciscus Rosieres, qui tom. 3, historia capituli 47 ejus meminit : neque Richardus Wassburgius, qui tamen virum religiosissimum fuisse ostendit ; ut hoc ipso die dicemus ad Vitam* S. Pauli, *cujus is decessor fuit.*

Tiatgrimus, *alias* Thithgrimus, Thyadgermus Tyadermus, Thiadgrinus, Thiadgrimus, Tiagrinus, Episc. Halberstadensis secundus, *sub annum* dcccxxvii *S. Hildegrino mortuo subrogatus, decessit* dcccxl *vel sequenti,* viii *Februarii, in Werthinensi monasterio diœcesis Coloniensis ad Ruram flumen tumulatus.*

A *mutatus. Ostenditur marmoreum ejus sepulchrum in introitu cryptæ ad lævam. Sæpenumero a pluribus annis, ex variis viris doctis, percunctati sumus, num quæ ei ab antiquo veneratio habeatur, num honoretur suspensis anathematibus, radiatis imaginibus aut constanti* Sancti Beative *appellatione, a majoribus accepta. Nihil aliud assequi potuimus, quam* Beatum *ab recentioribus dici, prout alii similes vetustæ et venerandæ memoriæ vocari passim* Beati *solent. Inscriptum tamen Martyrologiis nomen. Nam Hermannus Greven in auctario ad Usuardum edito ante* CXL *annos ita illius meminit :* Thyadhghermi Episcopi secundi Halverstadensis et Confessoris, in Werdena quiescentis. *Eadem habet Canisius, sed diserte* S. Thyadgermum *vocat. MS. Florarium :* Item Thindegerini Halverstadensis Ep. et Conf. *Ferrarius in generali Catal. SS.* In Saxonia S. Thyaderni Ep. Halberstaten. *notatque ab aliis* Tigrinum *et* Tyagrinum *appellari. Imo et* Nagrius *dicitur apud Democharem tom. 2 de Divino sacrificio cap. 35, et* Dietgrinus *apud Bruschium in Catal. Epp. Halberstadensium. Ægidius Gelenius* V. CL. *in Fastis Agrippinensibus* B. Tietgrimum *scribit, incisumque ejus sarcophago epitaphium exhibet, in quo dies obi*-
B *tus ita exprimitur :*

Idibus in Febrni senis obit assecla Christi.

*Arnoldus Wion Ligni Vitæ lib. 2 cap. 44* S. Tiagrinum *indigetat. Trithemius de viris illustrib. Ord. S. Benedicti lib. 4 cap. 194 solum habet,* rexisse Ecclesiam sibi commissam strenue XIV annis, non sine opinione sanctitatis. *Splendidius de eo loquitur Krantzius Metrop. lib. 1 cap. 26.* Halberstadensis Ecclesia post Hildegrinum suum, quo diu feliciter fruita est, meruit sub Ludovico Imp. non minorem habere in sanctitate et Justitia Pontificem Tingrinum, Abbatem pridem Fratrum suorum; incertum an de Corbeia : res enim in obscuro mansit. Sed quod præcipua erat virtute, non siletur. *Suspicari licet, per bellicos tumultus, diros ac frequentes, negligentiam etiam forte aliquam,* Tiadgrini *et Acta deperdita, et abolitum cultum. Negant Werthinenses ullum ei haberi, aut antea habitum, cujus vestigium apud se extet.*

B. Petrus Igneus, *ex monacho Vallis-umbrosæ S. R. S. Cardinalis, Episcopus Albanensis, ideo* Igneus *appellatus, quia per ignem illæsus transivit ad revincendam Simoniaci Episcopi culpam ; is rejectus a nobis est in hunc diem ab* VIII *Januarii, quod speraremus*
C *interim nos firmiora de ejus publica veneratione argumenta reperturos.* Beatum *quidem appellat doctissimus Ferdinandus Ughellus tom. 1 Italiæ sacræ, in Episcopis Albanensibus; sed ait obiisse* VIII *Januarii. Differemus adhuc eum tantisper. Cum certiora cognoverimus, facile erit in appendicem cujus suis mensis, ad quem pertinuerit, eum conjicere.*

Paulus Conversus monasterii de Luka Ord. Cisterciensis in Saxonia, natione Friso, Beatus *appellatur a Chrysostomo Henriquez, et hoc die refertur; ut et in Kalendario Cisterciensi, sed in hoc sine* Beati *titulo. Fuit sane tum eximia sanctitate adolescens, ut in extremis ei Beatissima Virgo Dei Mater apparuerit, animam ejus susceptura; ipseque suavissimo risu sanctissimam innocentis animi voluptatem testatus, felicissime obierit : ut scribit Cæsarius lib. 7 cap. 53, qui ei illum Poetæ versiculum aptat :*

Incipe, parve puer, risu cognoscere Matrem.

Joannes de Saline Conversus Villariensis in Brabantia, *hoc die refertur ab eodem Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi, et* Beatus *appellatur. Non existimamus ei unquam publicum cultum esse habitum. Ejus mentio fit in Prologo* libri de gestis virorum illustrium monasterii Villariensis : *ubi inter* Milites quondam famosos, qui monasticum habitum dimissa mundana militia ibidem susceperunt, *recensentur post alios,* D. Henricus de Weys, D
Bominus de Berem, D. Joannes de Salink, D. Joannes de Rost ex Comitatu Lossensi, et D. Walterus de Rikelam versus Mechliniam. *Additurque :* Hi quatuor extremi, quondam milites præclari, in Conversos se vestierunt. *Neque aliud de* Joanne *ullibi legisse Chrysostomum arbitramur. Saussaius Pius eum reponit.*

Jacoba de Septemfoliis, matrona Romana, *nobilitate generis, religione erga Deum, adversus S. Franciscum et viventem et mortuum pietate clarissima, celebratur in annalibus Ordinis Minorum : atque a Petro Rodulphio lib. 2, ubi de Reliquiis agit quæ Assisii in æde S. Francisci reperiuntur; itemque a Waddingo tom. 1 ad an.* 1235 § 24 *et* 1239 § 14; *ab Arturo quoque in Martyrol. hoc die* Beata *appellatur, an publica Ecclesiæ auctoritate, needum comperimus.*

Hermannus in Ordinem Minorum a S. Francisco assumptus, *hoc die apud Fulginates in Italia, magna cum opinione sanctitatis obiit an.* MCCLVI, *miraculis in vita et post obitum clarus. Vitam ejus exhibet Jacobillus de SS. Fulginatibus. Agunt de eo Pisanus, Marcus Ulyssipponensis, Rodulphius, Wa*- E
*dingus, aliique ab Arturo citati in Martyrol. Franciscano.*

Jodocus Palmerius, *Ord. Montis-Virginis, sanctitate clarus memoratur hoc die a Menardo, Wione, Dorganio, et* Beatus *appellatur. Tradit Wion obiisse an.* MDLIII, *et ab aliis* Jordanum Dodum Palmerium *dici.*

S. Martinus Presbyter Legionensis. *Ferrar. De eo agemus.* XI Februarii.

S. Gaudini Ep. Suessionensis et Martyris *commemorationem hoc die agi tradit Claudius Robertus in Gallia Christiana. Natalem ejus refert Saussaius* XI Feb. ANIMADV. PAG. 32

S. Salomon Martyr Cordubensis, *cujus certamen in Apologetico sub finem describit S. Eulogius, hoc die in antiquissimis Usuardi exemplaribus, aliisque MSS. Martyrologiis, uti et a Bellino, Maurolyco, Galesinio, atque aliis refertur. Martyrol. Romanum, et Martinus Roa noster in libro de SS. Cordubensibus, eum cum* S. Ruderico *reponunt.* XIII Martii.

S. Venantii Episcopi et Confessoris natale *ponitur primo loco ad hunc diem in Martyrol. MS. monasterii S. Cyriaci : quod quidem Martyrologium testatur Baronius ad* XIX *Februarii, ceteris quæ vidit antiquius esse : non retulit ipse tamen hunc* S. Venan- F
tium *in suum Romanum Martyrologium, uti alios. An idem hic fortassis existimandus qui* S. Venantius Ep. et M. *ad Kalendas Aprilis ab aliis relatus, cujus nulla in hoc S. Cyriaci Martyrologio mentio fit? Neutro loco, nec cujus Sedis fuerit Episcopus exprimitur, nec quo perfunctus martyrio, utrumque et immortuus, an superstes, ut propterea* Confessor *ab aliis nominetur. Ea expendemus ad* I Aprilis.

S. Barsanuphius, *sive* Barsanus, *Uriæ, Salentinorum urbe inter Tarentum et Brundusium, colitur hoc die et* XXX *Augusti, ut Patronus, teste Ferrario. Nos de eo agemus cum Martyrol. Rom.* XI Aprilis.

S. Julius Papa *hoc die refertur ab Rabano, Notkero, Beda vulgato, Hermanno Greven et aliis, ut dicemus cum de SS.* Paulo, Lucio, Cyriaco MM. *agemus. colitur* S. Julius XII Aprilis.

S. Salomon Britanniæ Armoricæ Rex *refertur hoc die a Ferrario et* Martyr *appellatur. Vitam ejus ex Britannicis annalibus collectam exhibet Albertus Magnus de Morlaix, ad* XXV Junii.

S. Ampelius Ep. Mediolanensis *refertur hoc die a Philippo Ferrario in Catal. SS. Italiæ et generali. Colitur, ut ex Breviario Mediolanensi patet,* VIII Julii.

S. Marina, *sive* Maria, Marinus *dicta, cum* S. Eugenio

A nio monacho, parente suo, Sanctis adscribitur ad hunc diem a Molano in Addit. ad Usuardum, et Ferrario: et in Vita, quæ extat apud Surium ex Metaphraste, dicitur hoc die obiisse. Menæa Græcorum eam referunt XII Februarii. In Martyrologio Romano adnotata est, (quia translatæ tunc Venetias Reliquiæ) quando et Vitam dabimus, XVII Julii.

S. Helenæ Augustæ Translatio, in Adonis appendice, vulgato Bedæ Martyrologio, aliisque nonnullis consignata hoc die, uti et VII Februarii. Translationis illius historiam, una cum Vita dabimus XVIII Augusti.

S. Zacharias Propheta, undecimus inter Minores, colitur a Græcis hoc die, ut patet ex eorum Menæis et Menologia; a Latinis VI Septembris.

Eudoaldus Ep. Lugdunensis. Florar. Suspicamur Chagnoaldum esse, sed, Lugduni Clavati, sive Lauduni Episcopum, de quo agemus VI Septembris.

S. Gislarius Presbyter, S. Chunibaldus, } socii S. Ruperti Salisburgensis Episcopi, memorantur hoc die ab Hermanno Greven in addit. ad Usuardum his verbis : Chunibaldi Confessoris. Gislarii Presbyteri. Itemque in MS. Florario : Cunibaldi Conf. et Gislarii Ep. Raderus noster tom. 3 Bavariæ sanctæ hunc Cunialdum, Cunibaldum, et Chunobaldum vocat; illum Gisilarium et Gislarium : traditque die Translationis S. Ruperti ac ipsorum, quia natalis ignotus sit, coli XXIV Septemb. B D

S. Burchardus Ep. Herbipolensis refertur hoc die a Davide Camerario, qui tamen fatetur alio ab aliis die coli, nec cur dissentiat, affert rationem. Agemus de eo cum Ecclesia Herbipolensi XIV Octobris.

S. Serapion Martyr Alexandriæ in eadem persecutione, qua S. Cointa de qua hoc die agimus, scilicet Decii Imperatoris occisus, refertur in Martyrol. Sarisburiensi, Romam ; XIV Novemb.

S. Syrus, primus Episcopus Ticinensis, in nonnullis Kalendariis recensetur hoc die : quia nimirum ejus socius ac discipulus fuit, qui hoc die colitur, S. Inventius. Communia utriusque Acta dabimus IX Dec.

S. Thomæ depositio consignata hoc die in MS Martyrologio monasterii S. Cyriaci Romæ, uti infra dicemus cum de SS. Paulo Ep. Lucio et Cyriaco agemus. Quis ille tamen sit Thomas non exprimitur. Memoratur IX Februarii in quibusdam Martyrologiis Repositio S. Thomæ Apostoli facta per S. Helenam Augustam, ut hic videatur de eodem esse sermo. De eo ad XXI Decemb.

E

# DE S. JUVENTIO, SIVE EVENTIO.

## EPISCOPO TICINENSI IN ITALIA,

### Commentarius historicus.

J. B.

### § I. S. Juventius Ep. Ticinen. unus an duo? primi natalis.

SEC. II, VIII FEB.

SS. Syri et Juventii Epp. Ticinensium

12 Septemb. in Martyrologiis memoria,

Ticinensis civitatis populus ut a primo statu crescentis Ecclesiæ, et Apostolorum vicinia, ad Domini sit fidem conversus, actus beatissimorum Syri et Juventii, qui hujus urbis primi prædicatores ac Præsules extiterunt, scripti firmant. Ita in eorumdem proœmio actuum, de quibus infra. Amborum autem sanctorum Præsulum in omnibus fere Martyrologiis conjunctim ad XII Septembris signata memoria est: quod eo die Ticinensem urbem simul ingressi credantur, Syrus a S. Petro missus, Juventius a S. Hermagora. Eo ergo die Usuardus ita habet : Apud urbem Ticinum, sanctorum Confessorum Syri et Iventii : qui a B. Hermagora ad præfatam C urbem directi, primo illic Christi Evangelium prædicantes, et magnis virtutibus ac miraculis coruscantes, etiam vicinas urbes divinis operibus illustrarunt ; sicque in pontificali honore, glorioso fine quieverunt in pace. Hæc ipsa verbis totidem plurimi codices editi ac manu exarati, quidem paullo paucioribus verbis, pluribus nonnulli : atque Ado quidem, Beda vulgatus, aliique urbes exprimunt per eos divinis operibus illustratas, Veronensem scilicet, Brixenam et Laudensem.

ac solius Juventii,

2 MS. monasterii S. Martini Treviris utrumque Martyrem facit, uti et Syrum Wandelbertus, qui solum eum refert. At solum Juventium eo die memorant Petrus de Natal. et Galesinius, atque his verbis Martyrol. Romanum : Apud Ticinum S. Juventii Ep. de quo VI Id. Februarii. Is a B. Hermagora, discipulo S. Marci Evangelistæ, ad eam urbem una cum S. Syro directus est ; et ambo illic Christi Evangelium prædicantes, et magnis virtutibus ac miraculis coruscantes, etiam vicinas urbes divinis operibus illustrarunt; sicque in pontificali honore, glorioso fine quieverunt in pace.

qui peculiariter colitur 8 Febr.

3 At Februarii VIII idem Martyrologium ista habet : Papiæ S. Juventii Ep. qui strenue in Evangelio laboravit. Eodem die Galesinius : Papiæ S. Juventii Ep. et Confessoris. Hic cum B. Syro ad eam urbem profectus, Januensibus, Derthonensibus et Astensibus populis Evangelii instituta ac præcepta tradidit. Post Papiæ creatus Episcopus, cum novem et triginta annos episcopale munus pie religioseque gessisset, admirandæ sanctitatis officiis præclarus, obdormivit in Domino. In Notis citat Calendarium Ecclesiæ Papiensis. Referunt eum quoque hoc die Hermannus Greven in auctario ad Usuard. Constantinus Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, qui de Genuensibus, Dertonensibus, Astensibus ab eo fide collustratis eadem quæ Galesinius tradit.

Eventius alius sec. 4

4 Opinatus sum aliquando, inquit Baronius in Notis ad Martyrol. hoc die, Eventium alium esse a Juventio, ambosque Episcopos Ticinenses, diversisque temporibus claruisse ; et quem dicunt Eventium, vixisse temporibus Theodosii Imp. Reperitur enim Eventius subscriptus epistolæ synodicæ S. Ambrosii de damnatione hæresis Joviniani ad Siricium Papam lib. 1 cap. 9 edit. Rom. quem et illum esse existimavi, qui in Concilio Aquileiensi mendose scriptus reperitur Eventius Episcopus Citinensis : ut restituendus textus esset, Ticinensis. Sed quoniam recentiori editione S. Ambrosii Romæ facta Cenetensis pro Citinensi positum habetur, amplius non laboro. F

Cenetensis Ep. an Ticinensis, incertum.

5 Hæc Baronius. Quam citat S. Ambrosii epistolam, ea in operum illius editione Basileensi an. 1538, et Parisiensi an. 1588, est 81, sive lib. 10 ep. 4. atque ita habet, uti et in Conciliis editis an. 1585 Venetiis et Coloniæ 1606, ubi Epistolis Siricii conjuncta est : Ego Eventius Episcopus, saluto Sanctitatem Tuam in Domino. Ast in Coloniensi editione Oper. S. Ambrosii, ad Romanam, opinor, quam non vidimus, conformata, est lib. 1 ep. 7; suntque tum alia in subscriptionibus mutata, tum illud : Eventius Ep. Cenetensis saluto Sanctitatem tuam in Domino, et huic epistolæ subscripsi. Concilio Aquileiensi sub Damaso, cui Valerianus Ep. præsedit, interfuisse legitur, in Conciliorum editione Coloniensi an. 1551 a Petro Crabbeo Mechliniensi Ord. Minorum curata ; inque Severini Binii duabus, itidem Coloniensibus, annorum 1606 et 1618,

et

A *et Veneta anni* 1585, Eventius Episcopus Citiniensis, *in margine adpositum*, Tiniensis. *Plane ut certo statuere haud queamus*, Cenetensis *legendum sit*, *an* Ticinensis.

AUCTORE J. B.

6 Eventii *illius, qui S. Ambrosii ævo vixerit, non meminerunt Stephanus Breventanus, Bernardus Saccus, Jacobus Gualla, Antonius Maria Spelta, Ticinensium rerum scriptores. Ferdinandus Ughellus tom.* 1 *Italiæ sacræ, Hieronymi Rossii Annales Papienses, quos necdum vidimus, secutus, decimum octavum Ticinensium Antistitem statuit* S. Juventium II, *quem ait* Episcopalem conscendisse Cathedram anno CCCLXXVII, illamque administrasse usque ad annum CCIII, decessisse XII die ejusdem anni: ejus Reliquiæ in Cathedrali an apud S. Nicolaum requiescant, incertum esse: *Synodo Aquileiensi an.* CCCLXXXI *interfuisse, atque* CCCXC *Mediolanensi. illudque demum addit:* Hunc Juventium cum supra memorato plerique confundunt; tametsi ob distantiam temporum diversum esse appareat, juxta Bossii narrationem. *Hujus secundi* Juventii *non est a nobis ad* XII *Januarii mota mentio, cum tomus ille Ughelli necdum prodiisset, Baronius incertam conjecturam videretur retractare, et in nullo Martyrologio ad eum diem illius extaret nomen, licet in notis ad* B VIII *Febr. ejus meminerit Ferrarius. Habuerit necne* Ceneta *eo tempore Episcopum, quibus tanti id erit, disquirant. Aliquin etiam prior* Juventius, *quo de nunc agimus*, Eventius *appellatus reperitur, et* Iuventius *ac* Iventius, *imo et librariorum incuria, in MSS. et excusis*, Yventius, Yentius, Hyventius, Quentius, Juvencus.

*nuper Ticinensibus adscriptus,*

*et Sanctis ad 12 Jan.*

*qui Conciliis Aquileien. et Mediolan. interfuit.*

*S. Juventii nomen varie scriptum.*

## § II. *Acta SS. Syri et Juventii. Ab hoc gesta sub illius disciplina.*

Quæ *jam citavimus SS. Syri et Juventii Acta, ea* IX *Decembris ad natalem S. Syri, qui in iis princeps, integra dabimus ex tribus bonæ notæ MSS. codicibus, antea jam vulgata a Bonino Mombritio ac Surio. Hic de eorum auctore istud in titulo adnotavit:* Incertum est, illane sit Vita, quam B. Syri discipulus Pompeius, an vero quam ex hoc Paulus Diaconus edidit; a quibus scripta relictam doctissimus Petrus Galesinius Protonotarius Apostolicus annotavit. *Qui vero potuit* S. Juventii *gesta S. Pompeius scribere, qui annis multis prius illo obiit diem? Unum tamen esse utrorumque Actorum scriptorem, imo utriusque Divi una esse Acta, ex stylo totoque contextu evidentissimum est. De iis Galesinius in notis ad Martyrologium* IX *Decembris ista* C *habet de S. Syro loquens:* Illius Vitam scripsit Pompeius ejus discipulus, a quo Paulus Diaconus sumpsit. VIII *Februarii de S. Juventio:* Ejus Vitam primo scripsit Paulus Diaconus, deinde Jacobus Gualla. *Auctoris nomen codices MSS. non exprimunt. Credibile est Paulum Diaconum esse, qui stylo promptus, aliorum quoque Sanctorum res gestas litteris mandavit, ut Ticinenses minime neglexisse videantur, cum istic habitaret, Cancellarius Desiderii Regis. Citat ea, qui ducentis fere post Paulum annis Ecclesiæ Ticinensis Diaconus fuit, Luitprandus lib. 3 hist. cap. 2 quamvis auctorem non nominet, sed ipsamet ejus verba affert; ex quibus certo conjici possit, scripta ea esse dudum post Attilæ tempora cum jaceret in ruinis Aquileia, imo sub Longobardis Regibus, quorum regia erat Ticinum. Innuere tamen auctor videtur antiquiora se acta secutum; an ea etiam quæ S. Pompeius reliquisse dicitur, affirmare haud possumus. Hic solum excerpemus, quæ ad S. Juventium proprie pertinent.*

*Acta SS. Syri et Juventii*

*non a S. Pompeio scripta,*

*sed a Paulo Diacono,*

*saltem perantiqua,*

8 *S. Hermagoras, qui S. Petri Apostoli ac S. Marci Evangelistæ fertur discipulus fuisse, Episcopus Aquileiensis, (uti habetur in Actis ejus, quæ* XII *Julii dabimus)* ad civitatem Tergestinam Presbyterum et Diaconum direxit, et per alias civitates similiter faciebat: *neque solum in Carnorum Venetorumque provinciis, sed et in circumpadanis quoque ut disseminaretur Evangelium procurabat. Eaque caussa* Syrum alumnum suum Episcopali fastigio dedicavit, *Ticinumque ablegavit, socio illi addito Juventio, nullis adhuc initiato ordinibus, nec admodum fortassis provecta ætate, qui postea annis minimum* XC *vixisse Ticini feratur. Refragantur his multi rerum Ticinensium scriptores, voluntque S. Syrum a S. Petro missum esse Ticinum, sed Aquileiam usque in S. Hermagoræ comitatu profectum, ibi etiam aliquamdiu in semente Evangelii laborasse; ac tandem Juventium aliosque adjutores ab eo obtentos secum Ticinum duxisse. Plenius de his post ceteros, qui Breviarium Vitæ Epp. Ticinensium nuperrime vulgavit.* D

*S. Juventius ab S. Hermagora, cum S. Syro et aliis, Ticinum missus.*

9 *Ticini porro Juventius sub S. Syri disciplina adolevit, sacrorum ejus laborum administer, atque individuus comes, uti Innocentius Ecclesia lib.* 2 *Vitæ S. Syri cap.* 6 *tradit. Cum deinde allatum esset SS. Nazarium et Celsum Mediolani pro fide interfectos, detineri in custodia SS. Gervasium et Protasium; missus est a Syro Mediolanum, ut illi honorifice sepelirentur, inque eodem tumulo martyrii historia reponeretur, curaturus, ac moniturus Christianos, idem ut Gervasio Protasioque fieret, ubi martyrium finiissent. Ille urbem noctu ingressus ad Christianos, ab Syro indicatos, divertit, ab iisque didicit, jam uti cupiebat, tumulatos esse Nazarium et Celsum. Tum vero poposcit, ut cum reliqui duo agone suo perfuncti essent, particulam aliquam a corporibus eorum aut vestibus avulsam sibi impertirentur, amoris venerationisque ergo asservandam. Referunt hi, quamdam Dei famulam, dum B. Nazario cervix esset recisa, excepisse linteo cruorem, seque inde mox proripuisse. Dum responso auctus, Ticinum repetit, ipsa Dei ancilla cælesti monitu ei obviam venit, atque ultro Martyris largitur cruorem. Addit Ughellus, Juventium captivos Martyres clanculum esse ad martyrium cohortatum.* E

*a S. Syro Mediolanum mittitur humaturus Martyres:*

*S. Nazarii reliquias obtinet:*

10 *Cum autem opimis illis ditatus exuviis Ticinum ingrederetur, correptus a dæmone puer in platea volutabatur, cujus ex ore has cum ejulatu voces feralis hospes mittebat:* Væ mihi, quia torqueor Martyris ingressu cruoris. *Juventius perculsum sentiens adversarium, propius admotis reliquiis eum inde abigit. Qui consecutus sit fructus, ita tradit Actorum scriptor, quorum nulla est in S. Nazarii Actis mentio:* Contigit autem ut pro confirmanda fide Catholica ipse prudentissimus vir Juventius, operante Christo in multis signis, probabilem faceret sancti Martyris cruorem Nazarii. Nam positus super cæcorum oculos lumen restituit, et varias infirmitates concurrentium ad se frequenter curavit. Atque ex hoc tempore, B. Nazarii meritis et patrocinio promerente, plenæ credulitatis augmentum hujus urbis Ticinensis populus est adeptus. *Hæc ibi. De Sanctis autem* Nazario *et* Celso *agemus* XXVIII *Julii, Junii* XIX *de* SS. Gervasio *et* Protasio. *Non desunt tamen, qui hos Nazario Celsoque multo posteriores affirment.* F

*iis energumenum sanat,*

*aliaque facit miracula,*

*et fidem promovet*

## § III. *S. Juventii Episcopatus. Prædicatio. Miracula.*

Dum *Ecclesiam Ticinensem sapienter ac feliciter constituit S. Syrus Antistes,* discipulum suum Juentium et Pompeium mitissimos Diaconos fecit: Chrysanthum autem virum illustrem, et Fortunatum clarissimum Presbyteros ordinavit. *Ita in ejus Actis. Ughellus atque Innocentius Ecclesia Vitæ S. Syri lib.* 1 *cap.* 6 Chrysanthum *ac* Fortunatum, *cum Syro, Pompeio, Juventio Ticinum venisse scribit. Cur non potius duos illos Ticinenses fuisse arbitremur, in patria ad Christum conversos? Breventanus lib.* 2 *cap.* 2 *eorum reliquias Ticini in S. Gervasii æde asservari ait, uti et sanctorum* Mayneti, Bonini, Satyri, *de quibus agemus* XVII *Maii,*

*Diaconus ordinatur:*

A *Maii, quo die S. Syri translatio in eadem æde solenniter peragitur.*

12 *Antequam e vita decederet S. Syrus, ita S. Juventium allocutus fuisse memoratur :* Non te lateat, Fili carissime, tertium te post me ad hujus officii honorem pertingere. Confortare et viriliter age, ne terreat te perturbantium rabies. *Eo deinde mortuo, et paucis post annis ejus sancto successore Pompeio, de quo agemus* XIV *Decembris; cum omnium animi essent in Juventium intenti, ipse submissionis studio latebras circumspicit, ratus fortassis B. Syrum non tam Dei inevitabili decreto imponendam sibi illam dignitatem prænuntiasse, quam conspiraturas in id civium voluntates, quas proinde si paullum declinasset, confideret facile aliorsum impellendas. Clam ergo Laudem-Pompeium profugit, aut procul remotam urbem, inter amnes Adduam et Lambrum sitam, quæ dein a Mediolanensibus excisa, ad Adduam reædificata, vulgo* Lodi *italis dicitur, uti retulimus* XXI *Januarii ad S. Bassiani Laudensis Ep. Vitam.*

*ex S. Syro discit se Episcopum futurum,*

*id ut vitet, Laudam fugit*

13 *Delituisse isthic* annum unum *scribunt Antonius Maria Spelta atque auctor Breviarii supra citati : Paulus Diaconus* aliquantum temporis. *At summa diligentia a Ticinensibus perquisitus, Ticinum tandem reducitur, cogiturque oneri humeros subjicere. In eo munere, S. Syri, a quo educatus institutusque erat, sibi* B *sequenda vestigia proposuit. Erat ergo in Dei laudibus, precationibus, vigiliis, jejuniis assiduus : pauperes præcipuo studio juvandos, defendendas viduas ac pupillos susceperat. Vidua quædam, nummulario ab ea duplum summæ, quam dederat, exigente, Antistitis opem implorat. Is Diaconum Exuperantium accersit, nummos largitur, jubetque repræsentare quantum mulier debeat, et monere creditorem suo nomine, ne reposcat quod non dederit, ne et quod habet amittat : si tamen minime acquieverit etiam fœnus flagitatum persolvere. Paret Diaconus, debitum exolvit, eo ut contentus sit precatur, inculcat Episcopi monitum. Perstat ille pari indignitate et pervicacia. At simul pecuniam omnem a Diacono accepit, humi corruens momento exspirat. Vulgata rei fama, magnos excitavit motus animorum.*

*reducitur Ticinum, in episcopatu sancte vivit.*

*viduæ succurrit,*

*iniquo creditore divinitus punito*

14 *Ex Fisci Quæstoribus nonnemo dum Ticinum flumen, publica pecunia onustus, transmittit, vi aquarum abreptus, vix semivivus emersit, pecunia amissa. Mœrens ad Episcopum recurrit, sui ut misereatur, capite periclitantis, obsecrat. Is duci se ad locum, ubi eam jacturam passus sit, jubet. Ibi has mittit voces, fide firma, sacræ plenas auctoritatis :* Tibi dico, aqua, in nomine Domini nos- C tri Jesu Christi, qui pedibus super te ambulavit, ne retineas pecuniam, pro qua affligitur homo iste. *Continuo vasculum, in quo clausi erant nummi, a fundo emergit, et undarum impulsu sensim ad sancti Episcopi, in ora fluvii stantis, pedes advolvitur. Quod manu apprehendens homini restituit, tam sane illustri miraculo, quam quod Elisæus patravit ferramento securis ab imo emergere jusso; nisi minus est, ultro ad ripam, quam ad manubrium applicari. Qui aderant in Dei laudes actionemque gratiarum prorumpunt. Alii non ipsum Quæstorem in aquas lapsum referunt, sed ei, flumen quoquo modo transeunti, pecuniam excidisse.*

*pecuniam jubet e flumine emergere,*

*ac domino reddit*
4 Reg. 6.

15 *Neque sola urbs Ticinensis benefactis ab eo honestata : ipsum quoque Mediolanum virtutum ejus fulgor collustravit. Quod ita recensent Acta :* Beatissimus Juventius spiritalibus inflammatus desideriis, ambulansque de virtute in virtutem, Mediolanum perrexit propter sævientium contumaciam paganorum. Quam urbem dum ingredi cœpisset, ministri dæmonum, adnisu ingenti, conabantur ei resistere, dicentes : Resipisce; ne urbem deludas, sicut alii tui complices, ne et tu similiter puniaris; et cœperunt eum variis afficere injuriis. Vir autem Dei in cœlum elevans oculos, dixit : Domine, ignosce illis, quia ignorantia pleni sunt. Sed quia dat Dominus verbum evangeli-

*Mediolani male acceptus ab impiis,*

*pro iis orat*



zantibus virtute multa, eadem hora procellosus turbo D emicuit, et fortissima super eos grando descendens, capita, brachia et ossa inimicorum veritatis validissime contundebat : neque aliquis eorum ex tanta tempestate valebat effugere; sed fixis stantes vestigiis, ictibus immensæ grandinis contundebantur. Tandem reminiscentes pravitatem reatus sui, clamare cœperunt : Sancte vir, Iventi, Pater et Domine, libera nos, ut non ex tali pœna moriamur : et credemus in eum quem tu credis et prædicas. Orante autem ad Dominum beatissimo Iventio, mox ab eis cessavit tempestas. Quique tali supplicio liberati, pedibus ejus se protinus prosternentes, postulabant ut baptismatis undam mererentur percipere. *Gualla, insigni parachronismo, Arianos, vix altero post seculo exortos, irrogasse Mediolani Juventio injuriam scribit, et Divina ultione conversos, ab eoque baptizatos; qui Ethnici fuerunt. Quid deinceps evenerit, Acta exequuntur.*



*et grandine contusos et immobiles*

*precibus liberat*

*ac baptizat :*

16 Et quia ad hoc miraculum multi concurrerant, omnes cum eis a viro Dei sunt baptizati. Qua in urbe moram faciens beatissimus vir, et apud fideles Christianos Clerum sacerdotiumque ordinans, Papiam urbem regressus est. Sed in ingressu ipsius, paralytica quædam jacens in lectulo, salutis ab eo E auxilium postulabat : quam vir Dei intuens, extenta dextera signum Crucis super eam imposuit : statimque plenissimæ reddita sanitati, omnis ab ea paralysis et dolor aufugit.

*Clerum ibi ordinat :*

*Ticini paralyticam signo Crucis sanat :*

17 *Sæpius revisisse Mediolanenses, stabiliendæ disciplinæ aut Cleri consecrandi gratia, idem auctor tradit :* Ordines, *inquit,* Mediolanensium urbis Cleri, qui ab eodem fuerant constituti, quotidianis ejus augebantur exhortationibus in fidei religionisque gratia. Ad quos idem beatus vir, pro eorum ac fidelium populorum mentibus confirmandis, ibat frequentius : ibique multorum mirabilium virtutes operans, urbem revertebatur Papiam.

*sæpius visit et confirmat Mediolanenses :*

18 *Bernardus Saccus historiæ Ticinensis lib.* 6 *cap.* 8 *de rebus gestis Juventii, quem* doctrina conspicuum *fuisse asserit, ista porro subtexit :* Eo sacra curante, inferior Liguriæ pars Placentino agro finitima, ab Arena oppido usque Ruviscalam in Apennini latere sitam, una cum pluribus vicis castellisque, Christi fidem suscepit, ac Ticinensi Ecclesiæ et ditioni se conjunxit. Est autem Arena oppidum juxta Padum infra Ticini ostium, ubi Padi trajiciendi opportunitas summa adest.

*in diœcesi Ticinensi prædicat.*

F

## § IV. *Porphyrius Dux cum suis conversus.*

*Ut deinde coactus sit publicis apertisque concionibus abstinere, Saccus idem narrat :* Ferunt, *ait,* adversus Juventium in Ticinensibus oppidis erudiendis occupatum, Phorphyrium Ducem cum militum manu prodiisse, ut Episcopum e medio tolleret, ne ipsa religio latius serperet. Exivit Juventius obviam adventanti Duci, mollique oratione allocutus hominem, animi ferociam primo congressu delinivit : mox dixit se non sua, sed Dei præcepta edocere. Porphyrius autem viri modestia ac innocentia longo sermone perspecta, Episcopum sine injuria dimisit; interdixitque tantum ne in posterum ad populos (ut jam cœperat) concionabundus prodiret. Veritus igitur Episcopus, ne per ejus prædicationem persecutio et cædes in populos excitaretur, abstinuit concionibus, et familiari tantum sermone in abditis locis bonos in fide continuit. Secutique ejus vestigia sunt alii Ticinenses Episcopi, qui successive creati. *Hæc Saccus.*

*Porphyrium Ducem, cædem spirantem,*

*modestia placat,*

*sed ejus consilio privatim deinceps docet :*

20 *Quæ de Porphyrio relata sunt, aliter paullo in Actis memorantur : Porphyrium videlicet urbis Romæ Præfectum, jussum civitates ac vicos peragrare, et si quos invenisset Christianos, eorum describere nomina,*

*aut certe volentem in Christianos inquirere*

AUCTORE J. B.

A *atque ad Cæsarem referre : tantam porro fuisse in Ticinensi districtu Christianorum multitudinem, ut non facile omnium referri in tabulas nomina possent : ingressum porro urbem, honorifice a plebe exceptum.*

*et in templum, sacri tempore, irruentem ad cædem,*

*sed cum suis arreptum a dæmone,*

*fœdeque insanientem,*

21 Hora vero eadem, *inquit Actorum scriptor,* vir Dei Iventius in basilica S. Nazarii, quam ipse ædificaverat, Missarum celebrabat solennia. Porphyrius hæc audiens, nimio furore vexatus, effero in eam corde ingrediens cum armata manu, populum Dei ac tantum Præsulem suppliciis atque injuriis affligere cogitabat. Sed priusquam impetum in Dei famulum faceret, arreptus dæmonio cum omnibus secum ingressis, alterutrum pugnis ora, guttur, et faciem cædentes, extra atrium ecclesiæ seipsos cœperunt expellere. Ipse quoque Porphyrius ex ore et naribus sanguinem profluens madefaciebat superficiem terræ. Et amentes effecti, luctuosis vocibus nimium clamorem super sua capita emittebant, quousque vir Dei Missarum adimpleret solennia.

*cum Christianis orans,*

22 Completo autem mysticæ oblationis ministerio, egressus cum omni plebe ecclesiam, grande vidit miraculum. Nam chori ad choros circulum facientes, unus super alterum immensis fletibus ululabant. Tunc vir Domini Iventius omnes fideles in terram prosterni præcepit, ut pro eis Dominum exo-B rarent, quatenus a tali pœna ereptos ad intellectum mentis suæ eos Deus reduceret, et ad fidem sui nominis aggregaret. Ipse quoque S. Iventius orationem faciebat pro eis, dicens : Domine Deus, Pater cœli et terræ, qui omnibus gentibus sanctum tuum nomen prædicari jussisti, et misisti unigenitum Filium tuum Redemptorem nostrum, ut eos liberaret ab omni iniquitate et præcipitio, suscipe preces nostras pro stultitia istorum, et exime eos de manu inimici, qui in eis potestatem accepit, et dirige corda eorum in viam salutis, ut cognoscant te Creatorem suum et nullum alium præter te solum adorent, et quem misisti Jesum Christum.

*terræ motu et cælesti igne perculsum,*

*liberat et volentem baptizat, ut et omnes ejus milites.*

23 Orante autem sancto viro et omni populo, terræ motus factus est magnus, et circumsepsit eos subito, cunctis videntibus, ignis de cœlo : et statim relictis fletibus, cœperunt quasi ex uno ore clamare, dicentes : Vere magnus est Deus Christianorum ; idola autem qui colunt, omnes vani sunt. Porphyrius autem incessanter clamabat : Iventi, prudentissime vir, ora pro mea miseria verum atque tremendum Deum, quem colis, ut dignum me faciat ditione sua, quia ab hac hora pro nihilo habeo imperialia jussa C et idolorum culturam. Cui vir Domini respondit : Superna pietas non vocis auditrix est, sed cordis rimatrix : tu tamen si ex toto corde credideris, quidquid petieris, impetrabis. Die vero eadem antequam sumeret cibum, omnibus qui cum Porphyrio venerant baptizatis, et ipse Porphyrius baptizatus est. Iterumque Missarum celebratis solemniis, secum omnes mensæ refectionibus adesse præcepit ; omnisque civitas visis his miraculis lætabatur. Porphyrius vero sequenti die gaudens et exultans migravit ad Dominum. Qui autem cum eo advenerant, fide recepta ad sua habitacula sunt reversi, parvipendentes imperialia jussa.

*vel (ut quidam aiunt) mutuo ferro interfectos*

24 *Jacobus Gualla Sanctuarii Papiæ lib. 2 cap. 6 Porphyrii milites divinitus perculsos ita invicem collisos scribit :* Dum sic in mortis terrore esset populus constitutus, solum Deum suæ salutis sperans auctorem, qui suos sinit terreri, sed non perire; ecce quod ferus Porphyrius cum satellitibus furens, et putans in ore gladiorum truncare populum Christianum; Dei judicio obnubilati, se invicem diris invadunt armis, seque metipsos ejiciunt extra basilicam, pavimento ecclesiæ cruento relicto; et ibidem fero Marte certantes, mutuis se vulneribus confodiunt. Missa autem pro more celebrata, Juventius vir divinus basilicam omnes egredi jubet, et orare pro persecutoribus. D Ad quorum orationem satellites ipsi incolumes omnes surrexerunt, altis ad sidera vocibus clamitantes : Magnus et verus est Deus Christianorum etc. *Eadem habentur in vetusto Breviario Vitæ Epp. Ticinensium. Spelta ac Breventanus diserte scribunt, omnes mutuis vulneribus interfectos, ac deinde Christianorum precatione suscitatos. Posterior tamen etiam Sacci narrationem satis dignam fide existimat.*

*precibus suscitat et convertit :*

## § V. S Juventii obitus. Sepultura. Ætas.

*A S. Syro cum Martyribus apparente intelligit diem mortis suæ :*

*post Missam suos confirmans, moritur :*

**O***bitum S. Juventii ita narrat Paulus Diaconus :* Hic tantus operarius Christi, crebris in basilica B. Nazarii, quam ipse construxerat, vigiliarum excubiis pernoctabat in sacris orationibus. Sed quadam die filiis adstantibus, Sacerdotibus ac Clericis, retulit, apparuisse sibi, circa mediæ noctis silentium, S. Syrum, quem etiam Patrem memorabat ex baptismo, cum Nazario et Celso, Protasio atque Gervasio venerandis Martyribus, talia proferentibus : Iventi dilectissime, jam te oportet gaudere nobiscum in cœlestibus : ac scias te proxime ad nostra consortia transiturum, atque tertium post hunc diem aulam cœlestis patriæ percepturum. Quibus dictis ab ocu- E lis meis ablati sunt. Omnes vero qui præsentes aderant, auditis his sermonibus, valde tristes effecti sunt. Ipse autem immenso gaudio lætabatur, et biduo intra eamdem pervigil consistens basilicam, tertio die, qui est Dominicæ resurrectionis, Missarum solennia celebrans, omnes populos benedixit, ac Sacerdotes, ministros, cunctosque Clericos cœlestibus alloquiis admonens, lucidæ mansionis et beatæ vitæ habitacula possessurus intravit.

*sepelitur*

*claret miraculis :*

26 Sanctas vero ejus exuvias ad honorem et reverentiam tanto Sacerdoti competentem, in eadem basilica intra crepidinem ad altaris vicinam condientes posuerunt, sub die sexto Iduum Februariarum, ubi et nunc usque sancta ossa ejus quiescentia, virtutibus florent atque miraculis, præstante Domino Jesu Christo etc. *Breventanus et Innocentius Ecclesia lib. 2 cap. 10 testantur ecclesiam in SS. Nazarii et Celsi honorem a S. Juventio ædificatam, postquam ipsemet in ea sepultus est, cœpisse ejus nomine celebrari, atque etiamnum* S. Juventii *appellari.*

*quando obierit, juxta calculum Pauli Diaconi,*

27 *Ætatem S. Juventii ita colligit Paulus Diaconus :* S. *Syrus* expletis octo hebdomadarum curriculis urbis *Ticinensis* Sedem obtinuit. Post quem Pompeius ejus Sedis est infulas assecutus, quique paucos atque pacificos agens annos migravit ad Do- F minum. S. *Juventius* triginta et novem annis Episcopalis dignitatis Cathedram possedit. *Demus S. Pompeio annos quinque : efficientur anni centum. Quoto vero anno Christi Ticinum venerint, non constat : fuerunt certe quidem eo missi ante cædem Neronis, quæ contigit anno Æræ vulgaris* LXVIII, *cum sub eo SS. Hermagoras, Nazarius, Celsus (quorum mentio fit in horum Actis) martyrium sustinuerint.*

*et aliorum :*

28 *Ferdinandus Ughellus Ticinum venisse cum sociis S. Syrum ait anno Christi* XLVI, *qui erat Claudii* VI, *sedisse annos* L, *obiisse* XCVI, *quo cœpit Nerva imperare : S. Pompeium obiisse anno circiter* C, *Trajani* III, *S. Juventium autem decessisse* CXXXIX, *qui erat Antonini Pii* I. *Consentit Breviarium Vitæ Episcopor. obiisse S. Juventium (quem perpetuo Iventium appellat) an.* CXXXIX. *Breventanus venisse vult Syrum anno Christi* L; *sedisse annos circiter* L; *Pompeium* XVII, *Juventium obiisse* CLIV. *Gualla obiisse S. Juventium ait anno* CXVII, *cum sedisset annos* XXXIX; *unde sequeretur S. Syrum mortuum esse ante annum* LXXVIII. *Spelta venisse Syrum anno* XLVI, *annos sedisse* LVIII *vel* LX. *Pompeium ordinatum* CVI, *mortuum* CXX, *Juventium* CLXI. *Sed nullas adferunt hi, quas sequantur, Chronologicas notas.*

29

A 29 *Illud animadvertendum, videri ab aliquo librario mendum, sane quam fœdum, intrusum in Pauli Diaconi narrationem, alienum ab ejus insigni eruditione, atque iis quæ de tempore Sedis SS. Syri et Juventii scribit repugnans. Dicitur enim venisse Ticinum Porphyrius*, dum impiissimus Vespasianus Cæsar adversum Christianam religionem exarsisset : *atqui neque Vespasianus facessivit Christianis negotium: neque juxta ipsius Pauli chronologiam eo imperante, ac ne Domitiano quidem, Episcopus fuit Juventius. Trajani vel Hadriani imperio id factum videtur. Ab Trajano missus dicitur in citato sæpius Breviario Vitæ Episcoporum Ticinensium.* D

*Acta correcta,*

AUCTORE I. B.

30 *Tradit Baronius, circiter annum Christi* MDLXXX, *Ticini* inventum fuisse Eventii venerandum corpus, cum hujusmodi inscriptione : HIC IACET CLARVS MIRACVLIS EVENTIVS. *Verum sitne illud S. Juventii* I *aut* II, *an potius alterius cujuspiam qui Episcopus non fuerit, haud facile divinarim.*

*Reliquiæ S. Eventii inventa, incertum an hujus.*

# DE S. COINTA, SIVE QUINTA,

## MARTYRE, ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO.

J. B.

AN. CH. CCXLIX. VIII FEB.

*Illud atrocissimæ tempestatis esse præsagium ferunt, si nullis incumbentibus ventis, arcano quodam spiritu intrinsecus concitum ferveat mare. Id in publicis Ecclesiæ malis ipsum quoque usuvenit. Simul enim ac Divina Justitia cacodæmoni potestatem fecit novas quaspiam consciscendi calamitates, et si nondum parata sunt primaria earum instrumenta, edit ille* B *tamen uspiam aliqua seu jam liberi furoris sui indicia, seu feralis præludia lætitiæ. Quæ Decio imperante grassata est adversus sacræ religionis cultores persecutio, ea anno integro antequam edictum ullum latum esset, aut ipse fortassis adhuc imperium invasisset tyrannus, in Ægypto, atque Alexandriæ præsertim, desævit; vate quodam, architecto flagitiorum, Gentilium animos concitante, et ad patrias tuendas superstitiones vehementius impellente.*

*Decii persecutioni,*

*dæmonis instinctu, prælusum a plebe Alexandrina :*

2 *Qui sese illa habuerint, quæ rabies Ethnicorum exarserit, narrat qui spectarat S. Dionysius Alexandrinus Episcopus in epistola ad Fabianum Episcopum* Antiochenum, *apud Eusebium lib.* 6 *historiæ Ecclesiasticæ cap.* 34. *Prima popularis istius furoris victima fuit* S. Metras, *sive* Metranus, *de quo egimus* XXXI *Januarii. Secuta* S. Cointa, *sive* Quinta, *cujus martyrium idem ita percenset :*

*a quo S. Cointa,*

3 Deinde fidelem mulierem, Cointam nomine, ad idolorum fanum perductam, ut ea adoret compellunt. Cui ea aversanti facinusque detestanti, pedes vinculis constringunt, perque urbis totius plateas, asperis saxis constratas, raptant, et molaribus etiam lapidibus allisam, et flagris laceratam, ad eumdem pertrahentes locum lapidibus obruerunt. *Quem eumdem locum dicit,* προάστειον *erat sive* suburbium, *ubi* C *S. Metranum, post alios cruciatus, lapidibus obtritum retulerat. Musculus, Eusebii interpres, solum habet :* ad eumdem locum reducunt : *nec lapidationis, qua S. Metranus erat enectus, adversus* Cointam *quoque adhibitæ meminit : uti nec Ruffinus, qui solum id ait lib.* 6 *cap.* 31. Vincula pedibus innectentes, et per plateas totius civitatis trahentes, fœdo horrendoque supplicii genere discerpunt. *Sed diserte in Græco habetur :* ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἀγαγόντες κατέλευσαν τόπον. *Est enim* κατελεύειν lapidare. *Nicephorus quoque lib.* 5 *cap.* 30 *ita habet :* καὶ τέλος εἰς τόπον, ἐφ᾽ ᾧ καὶ τὸν προειρημένον ἀγαγόντες Μετρᾶ, τὸν ἴσον καὶ αὐτῇ διὰ τῶν λίθων περιβάλλουσι Στέφανον. Tandem in eumdem locum, in quem prædictum Metram, pertrahentes, pari et ipsam ex lapidibus corona circumdant.

*post varios cruciatus*

*lapidibus obruta,*

4 *Agunt de ea quoque Vincentius Bellovacensis lib.* 11 *cap.* 38, *Baronius tom.* 2 *ad an.* 252 *num.* 3, *Silvanus Razzius tom.* 1 *de fœminis sanctitate illustribus, Petrus de Natal. lib.* 3 *cap.* 106, *qui passam scribit* agente Divino Præside. *Nam quem diximus vatem tumultus adversus Christianos incentorem,* μάντις καὶ ποιητὴς *est Eusebio,* divinus *Ruffino. Quod nomen Petrus proprium fuisse Præsidis existimavit. At si ultimo Philippi Imperatoris anno hæc gesta sunt, nullus adeo demens Præses erat, qui Christianis palam auderet bellum inferre, et quidem populi seditione ad id excitata, quam etiam sub Ethnico Imperatore sedare tamen debuisset, et ad legitimum judicium omnia revocare : præsertim cum esset plebs Alexandrina ad seditiones ejusmodi proclivis, ac sæpenumero severis remediis coercita.*

*non Præsidis alicujus jussu :*

5 *Est* S. Cointæ *nomen omnibus fere Latinis Martyrologiis ad* VIII *Februarii inscriptum, ignotum (uti et S. Metrani) Græcorum Menæis. De ea ista prædicant Usuardus, Beda, Ado, Notkerus :* Eodem die Alexandriæ, S. Cointæ Martyris. Hanc pagani correptam ad idola perducentes, adorare cogebant. Quod cum illa execrans recusaret, vincula pedibus innectentes, per plateas totius civitatis eam trahentes, horrendo supplicio discerpserunt. *Eadem fere habet Martyrol. Romanum, et verbis mutatis Maurolycus ac Galesinius. Quædam Martyrologia excusa et MSS. breviori eam elogio celebrant.*

*inscripta Martyrologiis :* E

6 Quam *porro Eusebius* fidelem mulierem, *Nicephorus* quamdam fœminam, *Ruffinus* mulierem quamdam nobilem *appellant; eam Petrus de Natalibus* Virginem *facit, uti et Usuardi Martyrologium ann.* MCCCCLXXV *Lubecæ editum, ibidemque ann.* MXII *excusum Doctrinale Clericorum, Bellinus, item Maurolycus, Galesinius, Canisius, et MSS. quamplurima : existimatque Lahierius noster in magno Menologio Virginum, ex Eusebio colligi numquam matrimonio junctam fuisse. Nihil certi quidem de ordine ejus ac statu vitæ tradit ab Eusebio citatus S. Dionysius Alexandrinus, neque fortassis aliud ei, ut in magno Christianorum numero exploratum fuit. Sed cum S.* Apolloniam *(de qua* IX *Februarii agemus) in eadem epistola diserte* Virginem *vocet; de* S. Cointa, *quam ille tam* πιστὴν παρθένον *quam* γυναῖκα *scribere potuit, nihil possumus tuto pronuntiare. Illud tamen in Lahierio non probamus, quod a* Decii ministris *captam, et interemptam scribit, quod a plebe Alexandrina factum.* F

*Virgo an fuerit, non liquet.*

7 *Nomen, quod proprie* Quinta *videtur fuisse, a Græcis* Κοΐντα, *ac forte* Κυΐντα *redditum, vario errore vitiatam in exemplaribus MSS. et excusis. Nam* Cuinta, Cointha, Coynta, Coyta, Coinda, Conita, Chonita, Counita, Covita, Convita, Corintha, Corinthea, Chorintha, Conta, Concha, Chonta, Tonita, Thonna, *scripta reperitur.*

*nomen ejus varie expressum*

8 *Hermannus Greven qui* VIII *Februarii verbis Usuardi eam laudat;* XV *Januarii ista habet :* Alexandriæ, Tonitæ, sive Cointhæ Virginis et Martyris. *Ac rursus* XXI *Augusti :* In Alexandria Contæ nobilis. *Quo die MS Floriarium :* In Alexandria Conchæ Martyris; *in quo etiam* VIII *Februarii memoratur : nulla tamen ab utroque auctore ratio indicatur, cur diversis diebus ejus memoriam consignent : uti nec a Maurolyco, cur plures simul Martyres, quorum singuli proprios habent natales,* XIX *Februarii locet, ita de iis scribens :* Alexandriæ, SS. Juliani, Euni, Macarii, Epimachi, Alexandri, Metrani, Apolloniæ, Ammoniæ, Cointæ cum aliis decem, Martyrum sub Decio.

*relata etiam 15 Jan.*

*21 Aug.*

*et 19 Febr.*

DE

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

# PAULO EPISC. LUCIO, CYRIACO.

J. B.

VIII FEB.

*S. Paulus hic solus memoratur a quibusdam,*

Quandoquidem horum Sanctorum Martyrum Acta, ut plurimorum aliorum, interciderunt; sola possumus Martyrologiorum verba dare. Quædam solum Paulum memorant. Ita vetustissimum MS. Martyrol. monasterii S. Maximini Treviris: Romæ depositio S. Pauli. Pervetus item MS. Ecclesiæ S. Mariæ ad Gradus, Coloniæ: Romæ depositio S. Pauli Episcopi. Non esse sermonem de S. Paulo Papa, qui XXVIII Junii colitur, ex aliis patebit.

*alibi cum* Lucio

2 Lucium addunt MSS. quædam. Ita vetus Romanum, quod S. Hieronymi inscribitur: Romæ depositio S. Pauli Ep. Et alibi Lucii. MS. monasterii S. Cyriaci Romæ, quod crebro citat Baronius: Romæ depos. S. Pauli Ep. Et alibi Luci. et depositio Thomæ. Nullum Thomæ meminit hoc die Martyrologium.

*item cum* Julio *Papa:*

3 Paulo ac Lucio Julium Papam addit Martyrol. Ecclesiæ Aquisgranensis: Romæ depositio Pauli Ep. Julii Papæ, Luci. Item vetus MS. Augiæ Divitis, B sive Richenaviensis monasterii: Romæ depos. Pauli Ep. et alibi Lucii. Julii Papæ. Alibi, omisso Lucio, solus Julius Papa Paulo jungitur. Ita Beda vulgatus, Rabanus, Notkerus, et quædam MSS. Romæ depos. Pauli Ep. et Julii Papæ. De S. Julio Papa agemus XII Aprilis.

*a pluribus cum* Lucio *et* Cyriaco:

4 Tandem, Julio omisso, Paulum, Lucium, Cyriacum exhibent, MS. Florarium, Maurolycus, Molanus in addit. ad Usuardum, Canisius, editio Lubecensis Usuardi anni MCCCCLXXV, MSS. Pragense, et Carmelitarum Coloniensium, Bellinus de Padua in suo Martyrologio, quod Romanum vocat: Romæ, Pauli Ep. Lucii, et Cyriaci. Martyrii aureolam, hic omissam, addunt Martyrol. Coloniæ an. MCCCCXC editum, Hermannus Greven in auctario Usuardi, Galesinius: Romæ sanctorum Martyrum, Pauli Episcopi, Lucii et Cyriaci. MS. Martyrol. Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis: Romæ S. Pauli Episc. et Confessoris. Et SS. Luticii et Cyriaci.

5 Hactenus Martyrologia MSS. et excusa, quæ nobis ad manum erant. Unde mirari subit, cur Cardinalis Baronius restituisse se eos Martyres asserat ex veteri MS. martyrol. monasterii S. Cyriaci, hæc tamen solum de iis scribat: Romæ sanctorum Martyrum Pauli, Lucii, et Cyriaci. Erant enim jam in pluribus Martyrologiis: in quibus omnibus, etiam Romano illo S. Cyriaci, Paulus dicitur Episcopus fuisse, quod omisit: et in hoc Cyriaci non fit mentio.

*Episcopus fuit.*

6 Luitprandi Chronicon nuper excusum, ad Æram DCLI, sive annum DCXIII Christi ita habet: Memoria est S. Pauli Episcopi Jaccetani, qui Romam dum visitat, cum aliis duobus sub Decio martyrium patitur VI Idus Februarii. Hunc suo illos Martyrologio Hispano inscripsit Joannes Tamaius de Salazar, qui Jaccæ Episcopum ait fuisse Paulum urbis antiquissimæ ad Pyrenæi radices, cum Jaccetanos quidam procul inde circa Dertusam et Iberi ostia locent. Non est nostri otii id nunc disquirere, nec quanta Chronici illius sit auctoritas. E

*ut quidam putant, Jaccetanus in Hispania.*

7 Masinus in Bononia perlustrata testatur ad XIX diem Junii, illustres plurium Martyrum reliquias, Roma Bononiam allatas tempore Urbani VIII, atque in palatii Senatorii Angiolellorum sacello publice expositas anno MDCXLIII, affabre facto sanctuario insertas. Numerat nomina omnino XLIV, interque ea SS. Lucii et Cyriaci, quorum reliquias ad hunc diem VIII Februarii scribit, ex eo sanctuario exemptas, aliis donatas Ecclesiis esse. Ibidem tradit S. Pauli et sociorum Martyrum reliquias in Barnabitarum æde extare. Verum Pauli hujus qui socii sint, an Lucius et Cyriacus jam relati, an alii, non exponit; nec nos divinamus.

*Horum trium reliquiæ Bononiæ.*

NOT 4

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# MARTHA ET MARIA VV.

## ET LYCARIONE sive BYCARIONE, PUERO.

J. H.

C

VIII FEB.

Evangelicas sorores Martham ac Mariam et nominum similitudine, et pietatis ardore imitatæ hæ sunt: eo ortæ loco ac tempore, quo in sacrosanctæ religionis cultores sæviebat impietas; ceterum qua ipsæ fuerint conditione ac genere, quave ex gente, aut sub quo vixerint Principe, ignoratur: quamvis scribat Lahierus in Menologio Virginum, nescio quo auctore vel argumento, in Asia vixisse. Martyrium earum ita breviter e Græcis tabulis expressit Galesinius ad VIII Februarii: Eodem die sanctarum Martyrum Marthæ et Mariæ, germanarum sororum, quæ pietate ac virginitate illustres, cum a Prætore ad colenda idolorum simulachra adduci nullo modo possent, ejus jussu a militibus in crucem actæ, gladiisque transverberatæ, duplicem palmam tulerunt.

*SS. Martha et Maria germanæ*

2 Plenius aliquanto Menæa:

F

Ut protulit in lucem unus uterus
Martham et Mariam, sic unus luce privat ensis.
Sine voce vadit ad gladium Lycarion,
Qualis ante tondentem adstat agnus.

Sanctæ hæ sorores seorsim virginitatem colebant. Pertranseunte autem provinciæ Prætore locum, in quo morabantur, prospicientes per fenestram, se Christianas esse professæ sunt. Illo autem immaturam juvencularum mortem miserante, contra testatæ sunt, non esse mortem, quæ propter Christum toleratur, sed vitam potius fine carentem. Cumque eadem Lycarion puer, earum alumnus, proclamaret, jussu Prætoris in crucem actæ sunt, ferroque a lictoribus concisæ, animas in manus Domini reddiderunt. Eadem habet Maximus Episcopus Cythiræus: sed Bycarion est apud eum, et in Menæorum titulo, qui in contextu Lycarion.

*ultro se Christianas profitentur,*

*mortem, quæ pro Christo, vitam esse*

*cum Lycarione crucifiguntur*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# NICEPHORO ET STEPHANO.

J. B.

VIII FEB.

*Hi SS. gladio occisi.*

Hos quoque Græcorum tabulæ proferunt, pari perfunctos certamine: ubi, quando, sub quo Principe, non produnt. Ista solum de iis prædicant: Eodem die sancti Martyres Nicephorus et Stephanus gladio consummantur. Eadem habet Cythiræus. Addunt Menæa:

Desiderantibus Nicephoro et Stephano,
Victoriosi finis contexta est corona.

In ultimo versu allusio est ad propria Martyrum nomina. Νικηφόρου στέφανος ἐπλάκη τέλους. Alius ab hoc est qui IX Februarii celebratur Nicephorus.

DE

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# DIONYSIO, ÆMILIANO, SEBASTIANO,

## IN ARMENIA MINORE.

J. B.

VIII FEB.

*Martyrum horum in sacris Fastis nomina.*

Sanctorum Martyrum Dionysii, Æmiliani, Sebastiani *sola comperta nomina sunt, et provincia certamine eorum nobilitata. De quibus ista habentur in vetustissimo Romano Martyrologio, quod vulgo sub S. Hieronymi nomine citamus :* In Armenia minore, natalis Dionysii, Sebastiani, Æmiliani. *Referunt eos, nec fere pluribus verbis, Usuardus, Beda, Ado, Notkerus, Petrus Equilinus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Martyrologium Romanum, ceteraque edita et MSS. Horum quædam solum* Dionysium *exhibent. Wandelbertus* Sebastianum *omittit ; ita enim habet :*

Senas *(Idus)* Dionysius ornat et Æmilianus. *Vetus MS. quod penes nos est, pro Æmiliano* Julianum *ponit. Ita enim habet :* Apud Armeniam minorem, natale SS. Dionysii, Juliani, et Sebastiani.

*an Sebastianus Hispanus?*

2 Sebastianum *Hispaniæ vendicat Joannes Tamayus de Salazar, itaque de eo prædicat in Martyrol. Hispan.* B In Armenia minori S. Sebastiani militis, Italicæ urbis in Hispania ulteriori accolæ, qui, eodem Decio imperante, illuc cum aliis militibus perductus, et Christianus inventus, dimisso baltheo, et projecto cingulo, cum Dionysio et Æmiliano commilitonibus, gladio jugulatus ad gloriam agonista pervenit. *Satis illa credibilia possunt videri, si ullo veteri firmata testimonio essent. At momentum omne probabilitatis in Juliani Petri auctoritate situm, cui de rebus scribenti quæ ante suam ætatem annis fere* CM *gestæ sunt, nec ullum proferenti antiquum monumentum, impune non haberi fides potest ; præsertim cum nec uniusmodi sit quod ex eo depromitur. In editione Parisiensi anni* MDCXXVIII *ita in ejus Adversariis num.* 188 *habetur :* Sebastianus, quem Victor convertit, Italicæ in Bætica factus Christianus : post martyrium passus est cum aliis, VIII Februarii. *Tamayus* Sebastianum *a Victore* Photino *conversum, vult ad* XX *Martii pertinere : de hoc ita haberi in alio MS. exemplari, quod penes Laurentium Ramirezium extat :* Sebastianus legionis victricis miles, Italicæ in Bætica factus Christianus, Armeniæ post martyrium passus est cum aliis, VIII Februarii.

*an iidem qui 28 Januarii coluntur Trebiæ ?*

C 3 *Diximus ad* XXVIII *Januarii, coli eo die Trebiæ in Umbria sanctos Martyres,* Æmilianum *illius urbis Episcopum,* Hilarianum *monachum, Æmiliani in sacris litteris præceptorem,* Hermippum *et* Dionysium *nobiles adolescentes ; atque existimare nonnullos, eos ipsos esse qui hoc die in omnibus fere Martyrologiis memorentur. Quod quidem neque tunc probatum nobis est, neque nunc probatur, etiam postquam Vitam eorum a Ludovico Jacobillo Fulginate in libro de Sanctis Umbriæ editam, idque asserentem, legimus. Nam, ut illud omittam, mirum videri, Æmilianum ab remota gente advenam, exiguo tempore, quo vix Latinam linguam condiscere potuerit, in Italia commoratum, continuo Episcopum esse factum ; responderi enim potest, in Armenia quidem natum, sed Italicæ originis parentibus, uti et nomen indicat, ideoque et linguæ gnarum, aut eam ab Hilariano edoctum.*

*diversi videntur.*

4 *Sed quale illud, ut quo die martyrium perquam gloriosum finivisse cum sociis asseritur, nulla Martyrologia eorum meminerint, præterquam Ferrarii; quum plurima eos* VIII *Februarii referant? Eadem omnia illis Armeniæ minori tribuunt, nullum Italiæ : cum soleat magis quæ cælo Martyres peperit provincia aut urbs, quam quæ mundo protulit mortales, eorum tropæis celebrari. Quid quod nulla* Hilariani, *nulla* Hermippi *nomen exprimunt Martyrologia? Denique (quod sane prætermitti, saltem ab omnibus, non solet) Episcopalis dignitas, quam suo* Æmiliano *asserunt Trebiates, ab omnibus reticetur. Quas ob caussas opinamur alium esse* Æmilianum *Episcopum, aliumque* Dionysium, *qui cum* Hilariano *et* Hermippo *coronati feruntur.*

*Illorum tamen hic Acta dantur.*

5 *Quam tamen diximus a Jacobillo Italice editam SS. Æmiliani et sociorum Martyrum Vitam, ut fas sit cuique in quam voluerit sententiam ire, et ne quid dissimulare videamur, Latine hic reddemus. Eam se potissimum ex antiquo Passionali, seu Lectionario, Ecclesiæ Cathedralis Spoletinæ sumpsisse testatur. Sed et alios duos citat Trebiates scriptores, quorum unus an.* MDXCII, MDCXLIII *alter gesta* S. Æmiliani *vulgarint; quorum nobis necdum visæ lucubrationes. Citat et Gualdi urbis vetustos annales, ubi ista habentur :* S. Emilianus Episcopus in Lucana civitate, ubi Trevium dicitur, fidem Christi fundavit et Ecclesiam; et ibi martyrizatus est reconditus sub Maximiano Imperatore. E *Qua quidem testimonio non conficitur unum eumdemque fuisse Æmilianum, qui in Armenia minore Christi confessione claruerit, quique Trebiensem Ecclesiam fundarit.*

## ACTA HORUM SS. MARTYRUM,

ANIMADV. PAG 33

### VEL POTIUS QUATUOR ALIORUM

### qui XXVIII Januarii coluntur,

### *Italice scripta a Lud. Jacobillo.*

### CAPUT I.

### *S. Emiliani patria. Socii. Episcopatus.*

*S. Æmilianus ex Armenia cum Hilariano magistro*

In Armenia minore, Asiatica provincia, natus est S. Æmilianus Christianis ac nobilibus parentibus, eorumque cura ab Hilariano monacho et Sacerdote, viro religiosissimo, litteris ac pietate eruditus; magna cum opinione sanctitatis vitam agebat : cum eo fama pervenit crudelissimæ persecutionis ab Imperatoribus Diocletiano et Maximiano adversus Christianos in Europa excitatæ. Avidus ergo et fidei disseminandæ, et subeundi (si qua se occasio offerret) pro Christo martyrii, possessiones ac patriam F reliquit, adscitisque sibi comitibus, Hilariano præceptore suo, ac nobilibus duobus adolescentibus, fratribus germanis, haud multo ante Christo conciliatis, Dionysio et Hermippo, cui Sebastianus erat cognomen, in Italiam venit sub annum Christi CCXCVI.

*et Dionysio ac Hermippo, in Italiam venit :*

*Spoletii habitat.*

2 Cum Spoletii multos reperisset Christianos, vitam ex Christianæ perfectionis norma ducentes, ipsorum rogatu illic cum sociis sedem fixit, perque multos menses omnibus exemplum præbens eximiæ sanctitatis, identidem precationi, vigiliis, rerum Divinarum prædicationi instabat. Interea cum Pastore carerent Trebiates, (quorum urbs *a* Lucana aliis et Trebia *b* Matusca appellata reperitur) multiplici experimento probata Æmiliani virtute ac doctrina, eum sibi Antistitem elegerunt, Romamque ad *c* Marcellinum Pontificem Maximum perduxerunt, ut is et ratam esse electionem juberet, et ipsum ordinaret Episcopum : quod anno circiter CCXCVIII factum.

*eligitur Episcopus Trebiensis, et Romæ ordinatur :*

a
b
c

*multos convertit,*

3 Trebiam Roma ut venit, cum iisdem suis comitibus atque adjutoribus, Hilariano, Dionysio, Hermippo, et primariis Ecclesiæ Trebiatium; cœpit exemplo et sermonibus cunctos ad Christi amorem accendere, non in urbe modo, sed per universam diœcesim ;

*Ex Italico Lud. Jacobilli, interpr. miraculis clarus :*

A diœcesim : ac plurimos pertraxit ad fidem, frequentibus editis miraculis, cum esset non admodum ætate provectus, sed cui morum compositio, ac dignitas virtutum, quantævis senectæ auctoritatem conciliarent.

*Mutusca sive Trebula, diversa a Trebia.*

a *Qui Trebiam* Lucanam *vocarint, nondum legi.* — b Mutusca *scribere voluit, licet aliqui* Mutiscam *appellent. Ea* Trebula *esse censetur, vicus olim juxta Reate in Sabinis, qui et* Trebia *dictus videtur apud quosdam scriptores. Unde huic auctori, Blondo Flavio et aliis pluribus, errandi occasio; ut* Trebiam, *quæ vulgo* Trevi *dicitur, et Trivium a Blondo, estque oppidum Umbriæ inter Fulginium et Spoletium, putaverint* Trebulam *esse.* Trebiæ *sive* Trevii, *non Trebulæ Mutuscæ Episcopus fuit Æmilianus.* — c *Sedit* S. Marcellinus, *ut habet liber de Romanis Pontificibus*, a consulatu Diocletiani VI et Constantii II usque Diocletiani IX et Maximiani VIII, *id est ab anno* 296 *ad* 304 *vel fortassis* 303, *Diocletiano* VIII *Maximiano* VII *Coss. colitur* 20 *Aprilis?*

## CAPUT II.

### *Varia S. Æmiliani tormenta et miracula. Mille martyrum cædes.*

*tentus a Præside,*

Maximianus quidam, homo ferus, Etruriam Umbriamque, Præsidis aut Proconsulis titulo, regebat. Is ubi didicit quid ad evertenda deorum sacra moliretur Æmilianus, Trebiam advolat, eumque ad tribunal suum rapi jubet, quem et hisce verbis compellat : Quid de te audio, Æmiliane? Ecquid animadvertis, tua te amentia ultro in mortem ruere? At si servare vitam cupis, diis nostris sacrifica. Non sacrifico dæmoniis, inquit sanctus Episcopus : omnes quippe dii gentium dæmonia, uti sacri perhibent libri ; et qui iis sacrificaverit, æternos sibi inferorum cruciatus accerset.

B

*renuit diis sacrificare :*

*verberatur :*

5 Furore inflammatus Præses, verberari eum jubet, eique interea insultans, nulla præditum potentia Deum Christianorum aiebat ; omnipotentes esse, quos ipse veneraretur, deos. Respondet Episcopus magno animo ac firma fide : Experire, si lubet, Christi sit an deorum tuorum potestas major : Jube huc afferri paralyticum, aut qua voles alia pressum ægritudine ; sacrificulos deinde diis suis supplicare; ego meum orabo : cujus erit numine salus infirmo restituta, is vere Deus habebitur, et a cunctis coletur. Assentitur sponsioni Maximianus. Convenit ingens populi multitudo, tantæ rei eventum spectatura.

*ostensurus Christi potentiam*

*adduci paralyticum postulat,*

*eumque, nihil valentibus sacrificulis,*

6 Producitur paralyticus. Hic sacrificuli Æsculapium, Apollinem, Jovem, Mercurium, deosque alios invocant, irritis votis ; irridente miseros deos deorumque cultores Æmiliano. Qui tandem, mandante Præside, ut suum ipse Deum oraret, si quid opis ab eo speraret, humi prostratus, tendensque in cœlum manus, ita precatur : Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam a me ; in quacumque die invocavero te, velociter exaudi me. Ostende Domine omnibus istis te solum esse Deum ; et salva eos qui in te credunt. Surgit deinde, atque arrepta paralytici manu ait : In nomine Domini nostri Jesu Christi esto sanus. Et hic continuo sanus extitit, surgensque domum abiit gaudio exultans, ac Deum laudans. Perculit prodigium spectatores, quorum multi Christo nomina dedere, ac daturi videbantur multo plures, ipseque vacillabat Præses : quem sacrificuli idolorum monent, non Divina aliqua virtute, sed præstigiis magicis id gestum esse ab Æmiliano ; eum proinde tolleret e medio, aut funditus ab eo gentilitia sacra exstirpatum iri.

C

*in Christi nomine sanat ;*

*quod illi tribuunt magiæ :*

*spretis Præsidis minis,*

7 Horum persuasione motus Præses, ait : Acquiesce mihi, Æmiliane ; sacrifica diis : qui enim obtemperare meis consiliis noluerunt, ii elapsis diebus horribili cruciatu enecti fuere. Illi quidem, ait Æmilianus, abnuentes diis sacrificare, pro Christo mortem subiere, ac nunc cum eo sempiternis perfruuntur bonis. At Præses : Ne mihi Christum amplius nomines, sed tuæ ipse juventutis miserere ; maxima enim tibi parata sunt tormenta. Respondit Sanctus, Christi se servum esse, ac debere pro ejus honore tormenta quævis ac mortem ipsam subire. Tolli in equuleum Præses jubet, ac tedas ardentes admoveri lateribus. Cum et membra divellerentur, et urerentur latera, stabat tamen mens firma et immota sancto Antistiti, precanti interim Deum ut sibi in hisce cruciatibus adesset. Adfuit enimvero Divina bonitas : obtulit namque se ei videndum Christus, itaque compellavit : Ne timeas Æmiliane ; ego enim tecum sum in omnibus quæ patieris. Subito tedæ extinctæ, et contractæ carnificum sunt manus.

D

*equuleo et laterum ustione torquetur :*

*a Christo apparente, liberatur,*

8 Attonitus Proconsul, eximi equuleo jubet, atque ita affatur : Cujus artificiis disciplina isthæc addidicisti? Majora tibi infligam tormenta, neque ea superabis. Respondet Sanctus : Artifex meus est Christus, si majora intuleris tormenta, at majorem ille patientiam viresque mihi sufficiet. Præses in lebetem plumbo fervente plenum immitti jubet. Hic Antistes psalmos et laudes Christo accinebat : qui rursus ei apparuit, ac manu prehendit, simul vero et plumbum effusum et extinctus est ignis. Præses cum assessoribus, stupore atque ira correptus, ingenti ad collum saxo alligato extra urbem jactari eum in Clitumnum flumen imperat. Rursus eum Christus manu apprehensum suaviter ex aquis educit, et in ripa sistit, canentem Deo servatori ac Patri suo laudes.

*uti et e plumbo liquato,*

E

*et flumine, cui injectus saxo alligato :*

9 Præses tot visis prodigiis, mente prope alienatus, ad se perduci mandat, ac rogat vigentem florentemque ætatem suam respiciat, neu se cogat, graviora in eum supplicia decernere. Cum ejus verbis nihil moveretur Æmilianus, adduci aliunde leones, leopardos, ferasque alias curat, iis Sanctum objecturus. Cum brevi intervallo temporis advenissent, essentque intra septum quoddam aut Circum inclusæ, immissus est Æmilianus, populo universo spectante. Adest ei denuo Christus, eumque ita affatur : Euge Æmiliane, serve bone et fidelis, quia in modico fidelis fuisti, supra majora te constituam. Accedentes feræ, ut eum viderunt, blandiri ei motu aurium et caudæ cœperunt, manusque ei ac pedes lambere ; neque ulla ab eo recessit, nisi cui prius ille benedixisset.

*objicitur leonibus, qui ei blandiuntur :*

10 His tot miraculis attonita multitudo exclamat : Magnus Deus Christianorum : liberetur ejus famulus. Ac circiter mille homines ex urbe et territorio Trebiensi, qui ad spectaculum convenerant, fidem Christi susceperunt. Quos omnes furore æstuans Præses, trucidari jussit, ipsasque adeo feras, quæ Sancto pepercerant. Jacuere multos dies insepulta mille istorum Martyrum cadavera, nulla e carnivoris animantibus ea contingere ausa. Eo novo miraculo confirmati in fide ceteri Christiani, ea in vicinia locis occultis honorifice sepelierunt : quæ postmodum *a* Abundantia, nobilis vidua, Spoletium in patriam suam transtulit, inque *b* S. Gregorii æde tumulavit. Æmilianus hoc tanto fructu spirituali conspecto, exclamavit : Gloria tibi Christe ; quod non homines solum pro tui sancti nominis honore patiuntur, sed et feræ ipsæ potius ad mortem subeundam, quam ad noxam aliquam famulo tuo inferendam adactæ sunt.

*1000 eo miraculo conversi*

F

*occiduntur :*

*corpora a bestiis intacta,*

a

b

*Spoletii sepulta.*

a *Colit S.* Abundantiam *viduam, cujus hic mentio est,* 18 *Januarii tradit Jacobillus.* — b *Hic est S.* Gregorius *Presbyter et M. qui in Romano Martyrologio refertur* 24 *Decembris, licet (ut idem auctor est Jacobillus) festum ejus Spoletii celebretur* 30 *Januarii.*

## CAPUT III.

### *S. Æmiliani et trium sociorum cædes. Sepultura.*

Maximianus, ministrorum suorum consilio, novum crudelitatis

A crudelitatis instrumentum fabricari jussit, rotam nimirum undique ferreis deutibus præcinctam, cui Sanctus alligatus, ea circumacta, diro laniatu interiret. Interea in carcerem retrusus, dies ac noctes hymnis canticisque spiritualibus impendebat. Perfecta machina, eductus ad publicum spectaculum Æmilianus, rotæ alligatus est, ut cum ea ex præcipiti loco devolveretur. Adfuit iterum Christus, ac solutis vinculis famulum suum ab omni plaga immunem servavit, rota aliorsum acta quingentos homines perimente.

*ipse ferali rotæ alligatus, a Christo liberatur.*

12 Interrogatus a Proconsule Sanctus, quem habuisset magistrum, Hilarianum, inquit. Jubet Proconsul eum reduci in carcerem; perquiri Hilarianum, Hermippum, Dionysium, qui metu acerbissimæ persecutionis foris latebant. Reperti, capti, vinctique sunt, et Trebiam adducti, in eamdem custodiam, qua Æmilianus detinebatur, conjecti sunt. Magnum omnibus invicem solatium fuit, quod simul pro Christo patereutur, tanta pro ipsorum salute perpesso. Manifestavit iis sanctus senex Hilarianus, sibi superiori nocte revelatum, brevi sese corona martyrii donandum.

*capti socii :*

*Hilariano martyrii corona promissa:*

13 Adductis ad se paullo post Hilariano, Dionysio, B Hermippo edicit Præses, ut cum Æmilianum mysteriis suæ religionis imbuerint, ei nunc auctores sint, ut ab iis animum abducat expurgetque : id si fecerint, eos se in numero necessariorum habiturum. Recusantibus gravia minatur tormenta. Ast eos Christus suo conspectu animavit : ac subito terræmotu dejectæ confractæque sunt deorum statuæ. Efferatus Præses crudeliter torqueri imperat, ac decollari : atque ita martyrii diademate potiti sunt die uno prius quam Æmilianus.

*a Christo animati,*

*dire torti, decollantur :*

14 Ubi illi occubuerunt, evocat Præses Antistitem, cui indicari vetuerat quidquam eorum quæ sodalibus ejus evenerant : et composita fraude, En, ait, magister tuus et duo socii nuntium remiserunt Christo, interque necessarios a me cooptati, et negotii cujuspiam mei gratia in civitatem quamdam a me missi sunt. Aperuit Antistiti Spiritus sanctus, quid sociis factum esset. Quare ita Maximiano respondit : Mentiris, tyranne, illud tamen vere asseris, missos a te in cœlum, civitatem Dei.

*divinitus indicatum id Æmiliano :*

15 Fremebat præ rabie Præses : jussit tandem Æmilianum plecti capite ad locum mille passus Trebia, trecentos circiter a Clitumno amne, distantem, Carpianum dictum, juxta quem nunc ædes S. Petri C visitur cum nobili monachorum Montis Oliveti cœnobio. Dum ad locum martyrii a satellitibus duceretur, psalmos et hymnos decantabat : dein preces ad Deum fudit, pro populo suo, ceterisque Christianis, atque iis præsertim qui ejus, jam certamine perfuncti, colerent memoriam. Oleæ alligatum percussit lictor, gladio in caput impacto, qui ceræ instar iuflexus, nihil ei intulit noxæ. Lictores tot jam miraculis permoti, positis humi poplitibus veniam poscunt, Christum et ipsi profitentur, quem ut ipsis propitiet, cum lacrymis precantur. Ille venia data, flectit et ipse genua, Deumque orat, ut iis ignoscat ac vitam æternam largiatur. D

*jubetur et hic decollari :*

EX ITALI. O LUD JACOBILLI INTERPR.

*gladio non læditur*

*conversi 6 lictores :*

*ipse cœlesti voce evocatus,*

16 Peracta oratione, audita vox est cœlitus missa: Euge serve bone et fidelis, exaudivi te in omnibus quæ me rogasti. Ecce orante te aperti sunt cœli, chori Angelorum te expectant, parata tibi est corona : iutra igitur, benedicte, in æternam requiem. Deinceps Misericors appellaberis, ac plurimos liberabis, eris spes navigantibus, refugium oppressis, advocatus egentibus, ægris medicus, dæmonibus acerrimus persecutor.

17 His auditis, gratias Deo egit, et quia incredibili tenebatur martyrii cupiditate, Deum obnixe oravit ut se sineret ense vitam finire, illa ingeminans Pauli Apostoli verba : Cupio dissolvi et esse cum Christo. Philipp. 1 23 His quoque precibus annuit Deus : venit enim alius carnifex, eique promptissime amputavit E caput. Simul animam expiravit, corpus candidissimum, nivi persimile, extitit; proque sanguine lac cervice præcisa emanavit : novis frondibus fructibusque effloruit, ad quam alligatus erat, arbor : plerique Gentiles, qui Trebiam, honorandi Proconsulis caussa, ad spectaculum convenerant, hisce tot ac tantis miraculis permoti, manus dederunt veritati.

*ab alio occiditur, lacte pro sanguine fluente, reflorescente arbore, multis conversis :*

18 Corpus nocte a Christianis, ubertim lacrymantibus, aromatis conditum, alboque linteo involutum, non sine largo et pretioso suffitu, juxta Carpianum sepultum est, magna civitatis parte, atque adeo etiam diœcesis, ad id honorandum concurrente. Translatum illud aliquanto post in urbem, inque æde collocatum est ipsius honori dicata, quæ dein Cathedralis est facta.

*corpus honorifice sepultum,*

*in urbem translatum,*

19 Lapsu postea temporis, occultatum, sive ut furori subduceretur populantium Italiam babarorum, seu quo alio Numinis consilio; latet certe, ut nemo nunc affirmare possit quo jaceat loco : etsi obtinet fama in ædicula, sita supra dictum oppidum Carpianum, in effossa specu, quam antiquissimis temporibus Christiani sacrorum peragendorum gratia, clam frequentasse existimantur, conditum esse.

*jam ignotum loco.*

20 Contigit S. Æmiliani martyrium xxviii Januarii anno ccciI, imperantibus Diocletiano et Maximiano. Celebratur anniversaria illius memoria Officio duplici non solum in urbe et territorio Trebiensi, F sed Spoletii quoque et tota diœcesi. Trebia oppidum est muris cinctum, sed Episcopo nunc caret, diœcesi, quæ perangusta erat, Spoletinæ unita : porro Æmilianum ut primarium Tutelarem Divum veneratur.

*colitur Trebiæ et Spoletii?*

ANIMADV. PAP 34

J. B.

# DE S. COMMUNE MARTYRE

## TUSCANIÆ IN ETRURIA.

VIII FEB.

Tuscania (*vulgo nunc Italis* Toscanella) *civitas est Etruriæ perantiqua ad Martam flumen, haud longe a Volsiniensi lacu, equorum mercatu celebris. Hic* S. Communem *Martyrem pie coli hoc die scribit Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, corpusque illius ibidem asservari : sed ubi, quo tempore martyrium subierit, fatetur se ignorare. In generali Catal. SS. ait spectari ejus in marmore Epitaphium ; Acta latere.*

*S. Communis corpus Tuscaniæ.*

DE

# MONACHIS CŒNOBII S. DII,

J. B.

## Commentarius historicus.

### § I. *S. Dii monasterium Constantinopoli. Tres ejus Archimandritæ.*

CIRCITER AN CHR. CCCCLXXXV VIII FEB.

*Monasterium a S. Dio Constantinopoli ædificatum,*

Dius *fuit quidam, Theodosio Magno imperante, apud Antiochiam Syriæ clarus exercitatione virtutis: qui dein cælesti monitu Constantinopolim profectus, monasterium condidit, quod Acœmetorum disciplina, ipso tempore a S. Alexandro instituta, formatum, ad multa secula pietatis et sanctimoniæ fama celebre fuit. Ipse ejus auctor ac parens* Dius, *a S. Attico Sacerdos ordinatus, plurimis perpetratis miraculis, ob quæ* Thaumaturgus *est appellatus, tandem migravit e vita die* XIX *Julii, qua a Græcis colitur, ut ex Menæis et Menologio patet, testaturque id ipsum Baronius tom. 6 ad an. 484 num. 34 et tom. 7 ad an. 536 num. 64 et in Notat. ad 8 Februarii lit. e atque alibi.*

B

*non Diiticum appellatum,*

2 *Monasterium porro de ejus nomine* Diiticum *appellatum esse existimat idem doctissimus Cardinalis. Nam quod Concilium Constantinopolitanum sub Menna an.* DXXXVI, *post obitum S. Agapeti Papæ, celebratum dicitur ἐν τῷ μισαύλῳ τῷ δυτικῷ τοῦ σεβασμίου οἴκου τῆς δεσποίνης ἡμῶν τῆς ἁγίας καὶ ἐνδόξου θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, τοῦ ὄντος πλησίον τῆς ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας* in interiore ad occidentem sita aula venerabilis domus Dominæ nostræ sanctæ et gloriosæ Deiparæ et semper virginis Mariæ, quæ est prope sanctissimam magnam ecclesiam; *ubi initio singularum Actionum dicitur; id in Latina Conciliorum editione passim vertitur* in Mesaulio dytico. *At censet*

*ut putat Baronius,*

*Baronius tom. 7 an. 536 num. 64* hanc vocem cum librarii non intelligerent, corrupisse, ut pro Diitico scripserint Dyticum, alii Dipsychum. Sed germana est illa lectio, *inquit,* qua Diiticum ponitur: erat enim Constantinopoli perceleb re monasterium Dii appellatum, a quo Diiticum derivatum, cujus hoc tempore præfectus erat Agapetus, qui in ordine Archimandritarum in datis synodo libellis primo loco subscriptus habetur. *Hæc Baronius.*

ANIMADV. PAP. 35

*sed Dii, uti ejus Præfecti subscribunt, Agapetus,*

3 *At neque mihi forma illa derivationis nota est, qua ab* Δῖος *fiat* Διιτικός; *neque dicitur Agapetus* μονῆς διιτικῆς *aut* διιτικοῦ μοναστηρίου Ἀρχιμανδρίτης: *sed ita ipsemet subscripsit:* Ἀγαπητὸς ἐλέει θεοῦ πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμανδρίτης Δίου, δεηθεὶς ὑπέγραψα. Agapetus miseratione Divina Presbyter et Archimandrita Dii supplex subscripsi. *alias,* ἀρχιμανδρίτης μονῆς Δίου. *Et si venerabilis illa domus Dei Genitricis ipsummet erat Dii monasterium, mirum est nec ab ea aliquando denominari monachos, qui semper* Dii *vel* Acœmeti *appellantur, nec Archimandritas eum sibi titulum vindicare.*

C

4 *Qui enim ante Agapetum Archimandrita fuit* Constans, *et ante hunc* Alexander, *ita primi subscribunt libello monachorum ad synodum tempore B. Hormisdæ Papæ, qui libellus in posteriore illa synodo sub Menna recitatus est:* Ἀλέξανδρος ἐλέῳ θεοῦ πρεσβύτερος καὶ Ἀρχιμανδρίτης μονῆς τοῦ τῆς ὁσίας μνήμης Δίου, καὶ ἔξαρχος τῶν εὐαγῶν μοναστηρίων, ὑπέγραψα χειρὶ ἐμῇ. Alexander Dei miseratione Presbyter et Archimandrita monasterii sanctæ memoriæ Dii, et primas venerabilium monasteriorum, manu mea subscripsi.

*Alexander,*

*Dein post eum* Constans, *in Latina Concilii editione ita subscribit:* Constans Presbyter et Archimandrita monasterii S. Dii subscripsi. *Græce est:* Κώνστας πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς τοῦ τῆς ὁσίας μνήμης Δίου, προτάξας τῇ ἰδίᾳ μου χειρὶ τὸν τίμιον σταυρόν, καὶ τὸ ὄνομά μου ὑπογράψας, τοῖς δὲ λιβέλλοις διὰ χειρὸς Στρατονίκου καὶ δευτεριαρίου μου. Constans Presbyter et Archimandrita monasterii sanctæ memoriæ Dii præfigens manu mea propria venerandam Crucem, et nomen meum subscribens; libellis vero per manum Stratonici Deuteriarii mei. *Est* Δευτεριάριος, *sive, ut hic scribitur,* Δευτερειάριος, (*quasi* Secundarium *dicas,* δεύτερος secundus) monasterii, sub Hegumeno, *sive Archimandrita,* Præfectus, *uti habet Joan. Meursius in Glossario.*

*Constans.*

### § II. *S. Dii Archimandrita Cyrillus pro fide orthodoxa laborat. Multi ejus monachi Martyres.*

*Cyrillus ejusdem monasterii Archimandrita,*

A*ntiquior tribus illis, quos jam retulimus, monasterii* S. Dii *Archimandritis,* Cyrillus *fuit, Zenone imperante: cujus præclarum eluxit tuendæ Catholicæ pietatis studium atque erga sanctam Romanam Sedem observantia. Nam cum* Acacius, *qui ab anno* CCCCLXXI *ad* CCCCLXXXVIII *Constantinopolitanam Sedem tenuit,* Petro Moggo *Eutychiano, Alexandrinæ Sedis invasori, communicaret, ac sæpius monitus a* S. Simplicio *Papa, ejusque successore* S. Felice III, *variis illis, atque ipsi Zenoni Imp. (cujus tamen præcipue favore nitebatur) homo vafer illusisset; missi sunt Constantinopolim a Felice tres Legati,* Misenus *et* Vitalis *Episcopi, ac* Felix *Defensor. At prius (inquit Evagrius histor. Eccles. lib. 3 cap. 19)* quam illi ad regiam venirent, Cyrillus Acœmetorum, quos vocant, Hegumenus, mittit ad Felicem, illius quodammodo, cum talia contra rectam fidem patrarentur, tarditatem incusans. Scribit Felix ad Misenum et socios, ne quid agant, priusquam cum Cyrillo sint locuti, et ab eo quid agendum videatur intellexerint.

E

*Acacio Ep. hæretico communicante,*

*S. Felicem III Papam monet:*

6 *Quæ consecuta sint, ut legati Heracleæ retenti, dein Abydi in carcerem missi, post pecunia corrupti sint, ad S. Felicis Vitam* XXV *Februarii pluribus exequemur. Breviter ea perstringit Cedrenus:* Anno XII, *inquit,* Felix Concilio in sanctorum Apostolorum Petri et Pauli æde habito, duos Episcopos et Executorem (Ἔκδικον) Constantinopolim mittit, Zenoni et Acacio per litteras mandans, ut Petrum Moggum, quippe hæreticum, Alexandria proturbent. Anno XIII, Zenonis et Acacii jussu, Romani Legati Abydi sunt comprehensi, litteræ iis ereptæ, ipsi in custodiam dati: minatusque est iis Zeno mortem, nisi cum Acacio et Moggo communionem inirent..... Pecunia quoque missos Roma Legatos eo Zeno perduxit, ut, contra quam iis erat imperatum, cum Acacio communicarint. Felix ut id comperit, iis dignitatem abrogavit, et Acacium quoque per litteras ad eum missas excommunicavit. Nihil ille his motus, Felicis ipsius nomen e Diptychis expunxit. *Hæc Cedrenus.*

*ejus Legatos comprehensos:*

F

*dein ad prævaricandum pecunia inductos,*

7 *Innotuere autem Felici quæ gesta erant, per* Symeonem *monachum Acœmetum a Cyrillo missum, qui et retulit,* noluisse Misenum et socios cum quoquam orthodoxorum colloqui, nec litteras reddere, nec quæ contra rectam fidem facta erant examinare. *Quæ omnia Silvanus Presbyter, qui cum Miseno et Vitale fuerat, confirmavit. Ita tradit Evagrius lib. 3 cap. 21.*

*per Simeonem monachum ei indicat:*

8 *Missa est autem postea Constantinopolim sententia damnationis Acacii per* Tutum Defensorem, *quem Baronius ad an. 484 num. 16 putat* Titum *potius dictum fuisse: Liberatus Diaconus in Breviario de caussa Nestoriana et Eutychiana* Totum *vocat ita scribens cap. 18:* Ubi ergo ad plenum detectus est Acacius hæreticus, Papa Felix in litteris suis synodicis ad Acacium sic posuit:

*a quo sententia damnationis Acacii*

A posuit : Peccasti, ne adjicias, et de prioribus supplica. Susceptis his Acacius litteris perseverat, neque recedens a communione Petri, neque suadens ei palam suscipere Chalcedonense Concilium et tomum Papæ Leonis. Hæc cognoscens Papa Felix damnationis scripturam misit Acacio per Totum Defensorem, cujus est principium : Multarum transgressionum reperiris obnoxius. Et datis Acacio hujusmodi litteris, eas non suscepit, patrocinio fultus Imperatoris : ita ut cogerentur qui eas detulerunt, per quemdam monachum Achimetensem, ipsam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda sacra, suspendere in ejus pallio, et discedere. Qui tamen usque ad mortem, patrocinante Imperatore, remansit sacrificans.

*Constantinopolim missa per Totum Defensorem,*

*pallio ejus affixa,*

9 *Zacharias Rhetor apud Evagrium lib.* 3 *cap.* 18 *ita scribit :* Excommunicationis, *vel abdicationis*, sententiam (*καθαιρετικὸν*) reddiderunt quidam qui in monasterio, quod Acœmetorum dicitur, solitariam vitam agebant. *Et addit, (vel ignarus eorum quæ gesta erant, ut ait Evagrius, vel certe Eutychianus, ut Baronius annotavit)* quod non esset juxta Canones lata, ab Acacio non esse susceptam.

*vel tradita, per monachos Acœmetos.*

ANIMADV PAP 36

10 *Porro* Acœmetos *hosce monachos, quibus Cyril-*B *lius Hegumenus præerat, ex cœnobio* S. Dii *fuisse patet ex Basilio Cilice, quem Photius tunc vixisse scribit. Eum ita citat Nicephorus Callistus lib.* 16 *cap.* 17. Ut Basilius Cilix memoriæ prodidit, Felix etiam Acacio condemnationis sententiam, qua dignitas ei abrogaretur, misit, eaque illi in interiore sacrario a monachis Dii monasterii reddita est. Quam ob rem illius asseclæ, multos ex iis, quos diximus, monachis occiderunt, quosdam vulneratos rejecerunt, nonnullos vero custodiis incluserunt. Acacius vero usque adeo D exauctorationem eam despexit, ut mente sensuque omni captus, primus ipse Papæ nomen e sacris Diptychis expunxerit. Et ille ita animo et corpore vinctus, brevi post communem omnibus ingressus est viam.

*sive Dii in sacrario,*

AUCTORE I. B.

*ideo multi eorum occisi et vulnerati :*

11 *Idem ita narrat Anastasius Bibliothecarius ex Theophane.* Felix autem compertis quæ ab Apocrisiariis suis gesta sunt, deposuit eos, scribens Acacio depositionem. Porro is qui hanc deferebat, effugiens eos qui erant in Abydo, pervenit ad monasterium Dii. Monachi vero Dii, dominico die, in sacrario porrexere epistolam Acacio. Ast hi qui erant ex parte Acacii, peremerunt quosdam ex monachis qui epistolam dederant, quosdam autem punitos carceri tradidere. Verum Acacius insensate se habuit circa depositionem, nomenque Felicis a diptychis abstulit. *Merito Zonaras in Anastasio ait*, Ἀκάκιον, κάκιστον τοῖς ὀρθοδόξοις γενόμενον, *pessimum fuisse orthodoxis eum quem suum nomen malitiæ expertem significabat.*

*ad eorum monasterium diverterat Tutus :*

12 *Consecrata est ad posteros sanctorum illorum Martyrum memoria, a Cardinale Baronio, Pontificis Maximi auctoritate, tabulis Ecclesiasticis inscripta ad* VIII *Februarii his verbis :* Constantinopoli natalis sanctorum Martyrum monachorum monasterii Dii, qui ad defensionem fidei Catholicæ, cum ferrent litteras S. Felicis Papæ adversus Acacium, dirissime cæsi sunt. E *Poterat initio poni* natalis multorum Martyrum, *uti ex Basilio Cilice dictum. Quo anno occisi sint, disquiremus ad Vitam S. Felicis* III, *die* XXV *Februarii. Die dominico, ut habet Anastasius, accidit eorum cædes; quo mense, non exprimitur.*

*eorum in Rom. Martyrol. memoria.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# SUB CABADE REGE PERSARUM,

## Commentarius historicus.

J. B.

### § 1. *Cabades Rex Persarum quibus modis æquior redditus Christianis.*

INITIO VI SEC. VIII FEB.

Cabades Perozæ *filius*, Cosroæ *majoris pater, proavus ejus quem Heraclius Augustus debellavit, per annos* XLI *Persis imperavit, varia fortuna. Nam Hunnorum, quibus post Perozæ pa-*C *tris cædem vectigales fuerant Persæ, jugum excussit, regnumque in libertatem restituit. Dein solio dejectus est a suis, quod legem tulisset, ipsis etiam barbaris non ferendam, de uxorum communione. Regni interea patruo aut fratri (neque enim consentiunt auctores) commissa gubernacula sunt : ipse in custodia habitus. E qua mirabili modo elapsus, Ephthalitarum, sive alborum Hunnorum, veterum hostium, principem adit, ejusque armis recuperat regnum : quod annis antea* XI, *exinde* XXX *tenuit, et demum quinto Justiniani Imperatoris anno, qui Æræ vulgaris est* DXXXII, *id Cosroæ filio moriens reliquit. Si ad* XLI *hosce, quatuor Zambasis, Blasisæ, fratris aut patrui, annos adjeceris, comperies Zenone imperante sceptrum capessivisse.*

*Cabades regno pulsus,*

*ope Hunnorum restitutus,*

2 *Restitutus in regnum*, tuto id *deinceps* custodiit, *uti Procopius lib.* 1 *de bello Persico scribit*, et prudenter administravit, cum nulli et ingenio et in agendis experientia cederet. Paullo autem post, cum idem pecuniam Ephthalitarum Regi deberet, quam exsolvere nequaquam posset, ab Anastasio Romanorum Imperatore mutuo petiit. Quod ille cum in consultatione amicorum posuisset, eis minime visum; inutile quippe dictitantibus, propriis pecuniis firmiorem inimicorum cum Ephthalitis amicitiam reddere, eosque magis expedire inter se bello peti et viribus absumi. Quas ob res Cabades indignatus, nulla alia de caussa in Romanos exercitum movere statuit.

*pecuniam ab Anastasio Imp. mutuam petit,*

3 *Quod Procopius* paullo post *contigisse scribit, id Nicephorus ad annum ab recuperato regno* XI *rejicere videtur, nisi in eo sit mendum, ut infra dicetur. Ita enim habet lib.* 16 *cap.* 36. Et quod Cabades vir sagax atque industrius esset, regnum postea quam tutissime tenuit, et ad XI annos deinceps eo potitus, F primum quidem pacem cum Romanis coluit; ubi autem mutuam ab Anastasio pecuniam petiit, atque ei Anastasius respondit, cautionis syngrapham, si pecuniam accipere vellet, dare debere : absque ea ne unum quidem obolum accepturum esse; eam ob caussam rupto fœdere, adversus Romanos bellum suscepit. *Et quidem, ut indicat Procopius, quam celerrime, ut ipse primus belli nuntius in Armeniam irrumperit, agrosque late populatus, Amidam Mesopotamiæ urbem, hiemis tempore, obsidione cinxerit.*

*eaque non obtenta,*

*bellum movet,*

*et Amidam obsidet :*

4 *Ut autem varie fuit in Christianos animatus, alias visus furorem iis impendere, alias in eos sæviens tormentis; evenere tunc nonnulla quæ ejus animum possent in illos æquiorem reddere, videlicet miracula S. Jacobi anachoretæ, Amideni Sacerdotis acutum dictum, adepti, ad Christianorum preces fugatis dæmonibus, thesauri. Priora duo ita narrat Procopius lib.* 1.

*ob tria æquior in Christianos,*

5 Erat inter Syros vir quidam justus, Jacobus nomine, qui sese in rebus Divinis sedulo exercebat. Is in locum quemdam, diei itinere ab Amida remotum, multis annis ante se receperat, ut liberius quæ ad pietatem spectant meditaretur. Atque huic ejus subservientes voluntati homines, palis quibusdam eum circumdederant, non cohærentibus tamen arcteque

*cum S. Jacobum Eremitam sagittis petentes,*

*nimirum eo anno,* Indictione II, *a S. Saba inde abductus est Joannes, ne amplius barbarorum furori exponeretur, qui non tunc solum, sed et alias sæpe in ea loca incurrerunt, uti ad* XIX *Februarii patebit, cum de monachis ibidem interfectis agemus. Meminit incursus Saracenorum in Phœnicen et Syriam, circiter undecimum Anastasii annum, Historia Miscella lib.* 15 *cap.* 10.

*(suspicio mendi in Nicephoro)*

13 *Sed quid ad Nicephori Callisti locum* § 1 *num.* 3 *recitatum dicemus? Num statuere videtur, anno demum recuperati regni undecimo arma movisse adversus Romanos Cabaden. Sane quidem, sic enim habet :* εἰς ἔτη ἕνδεκα τοῦ λοιποῦ τῇ ἀρχῇ διαρκέσας, τὰ μὲν πρῶτα Ῥωμαίοις ἐσπένδετο ἐπεὶ δὲ *etc.* Ad XI annos deinceps regno potitus, primum quidem pacem, *vel inducias,* cum Romanis coluit; ubi autem *etc. At cum non agat de* XI *prioribus annis, sed de reliquis postquam regnum recepit, minime ambigam pronuntiare, irrepsisse in numeros errorem, ut pro* λ', ιά *expressum sit,* XI *pro* XXX. *Obiit enim, ut supra diximus,* V *Justiniani anno, Christi* IↃXXXII *vel* IↃXXXI, *cum regno recuperato præfuisset annis* XXX. *Ait ergo scriptor ille initio pacem cum Romanis habuisse, deinde bellum, pecunia negata, movisse : non definito, quod id fecerit, tempore.*

*... et an. 513 Christianos persecutus Cabades :*

14 *Quod autem Christianos scribit, antequam thesauro illo potiretur, ab eo excruciatos, id antequam regno excideret factum, ne fortassis vel ideo vindictam Deus acceleravit; aut certe ut primum in illud rediit. Si rursus, quod habet Cedrenus, anno Anastasii* XXII, *Christi* IↃXIII, *novis suppliciis in eos grassatus est, dicendum est vel magorum aliorumve nefariorum hominum impulsu, vel insita barbaris levitate, recruduisse ejus furorem. Nam et circiter quintum Justini Imp. annum, qui Christi erat* IↃXXIII, *Iberos conatus est a Christiana disciplina ad ritus gentilitios vi compellere. Quod in hunc modum Procopius lib.* 1 *commemorat :* Iberi, *inquit,* qui Asiam incolunt, ad Caspias portas, ipsis ad Boream positas, habitant : quibus ad lævam versus occidentem solem Lazica regio jacet, ad dextram, Orientem versus, Persarum gentes. Sunt autem ipsi Christiani, et præ omnibus, quos quidem novimus, populis religionem studiosissime observant, Regi Persarum ab antiquo subjecti. Tunc autem eos voluit Cabades ad suam vi traducere superstitionem. Eorum igitur Regi Gurgenæ imperat, tum ut alia peragat ex Persarum consuetudine, tum præsertim ne mortuos terræ mandet, sed avibus canibusque exponat. *Deinde narrat, quemadmodum Gurgenes in Lazicam regionem cum conjuge ac liberis profugerit, imploraveritque Justini opem.*

*... an. 523 Iberos voluit a fide abducere,*

*tamen familiaris Episcopo*

15 *Eodem prope tempore* Boazanen *Christianorum Episcopum cumprimis carum habebat Cabades, non quidem intuitu religionis, sed propriæ utilitatis gratia, quia medicæ artis peritissimus habebatur : ideoque eum supplicio, quod de Manichæis, perduellionem (ut rebatur) molientibus, sumpsit, adesse spectatorem voluit. Id ita Anastasius Bibliothecarius ex Theophane narrat ad* VI *Justini annum :* Kabades Persarum Rex, filius Perozi, multa millia Manichæorum, cum Episcopo eorum Indazaro una die peremit, una cum Senatoribus Persis, qui sensus eorum erant. Filium enim ejus, nomine Pthasuarsan, Manichæi a puero instruentes, et sui sensus efficientes, repromittebant ei dicentes, Quia pater tuus senuit, et si contigerit eum mori, principes magorum unum fratrum tuorum facient Imperatorem, eo quod teneat dogma ipsorum. Nos autem possumus per orationes nostras suadere patri tuo abrenuntiare imperio, et te promovere, ut ubique confirmes dogma Manichæorum; qui repromisit hoc facere, si imperasset. Cum autem hæc Kabades cognovisset, jussit conventum fieri, quasi facturus filium suum Pthasuarsan Imperatorem, et omnes jubens Manichæos, una cum Episcopo eorum et mulieribus et liberis, adesse conventui; similiter et principem magorum Glonazen, et magos, et Christianorum Episcopum Boazanen, dilectum a Kabade, utpote medicum optimum. Et convocatis Manichæis, ait : Gaudeo super dogmate vestro, et volo dare, dum vivo, filium meum Pthasuarsan, et consentaneum vestrum : sed segregare vosmetipsos ad recipiendum eum. Qui freti fiducia, semetipsos segregaverunt. Kabades autem præcipiens exercitus suos ingredi, omnes concidit gladiis cum Episcopo eorum, sub conspectu principis magorum, et Christianorum Antistitis. *Eadem habet Paulus Diaconus lib.* 15 *histor. Miscellæ cap.* 21 *totidem fere verbis, ex eoque Baronius tom.* 7 *ad an.* 523 *num.* 14. *Cædis Manichæorum meminit ad eumdem Justini annum Cedrenus. Zonaras solum cædis caussam ponit,* quod unum filiorum Coadæ in impuram suam hæresim pellexissent, *additque libros eorum, Coadæ jussu, combustos.*

*quem an. 524 spectatorem esse voluit cædis Manichæorum,*

*quorum et libros combussit.*

16 *Sive autem uno eodemque seu diverso tempore, agonem absolverint sancti Martyres; sive iidem sint qui memorantur tormenta illa pertulisse, sive eorum socii, vel alii; eorum memoria Martyrologio Romano ita inscripta ad* VIII *Februarii :* In Perside commemoratio sanctorum Martyrum, qui sub Cabade Rege Persarum ob Christianam fidem diversis suppliciis necati sunt. *At quod in Notis scribit Baronius, Cabaden fuisse* Regem Saracenorum *(quod non habet citatus ab eo Cedrenus) id affirmari eatenus potest, quia Saracenorum tribus quædam, quibus regio titulo præerat tunc* Alamundarus, *Cabadæ erant ac Persarum imperio obnoxiæ. De Cabade eodem varia habet lib.* 15 *Miscella, at non de hisce Martyribus, uti eum Baronius ibidem citat.*

*Martyrum Persicorum memoria in Martyrologiis.*

# DE S. HONORATO

## EPISCOPO MEDIOLANENSI,

## Commentarius historicus.

J. B.

### § I. *S. Honorati fuga, ob Longobardos.*

AN. CHR. DLXX. VIII FEB. *S. Honoratus Ep. Mediolanensis,*

Quo tempore *Insubres aliosque Galliæ Circumpadanæ populos subjugarere Alboino Duce Longobardi, Mediolanensem Ecclesiam regebat* Honoratus *Antistes, ea conspicuus sanctimonia vitæ, ut non solum apud suos anniversaria solemnitate celebretur, sed et Romanis sit Fastis ad* VI *Idus Februarii adscriptus his verbis :* Mediolani depositio S. Honorati Ep. et Confessoris.

2 *Nihil admodum ab antiquis de eo traditum litteris exstat, præter paucula ista Pauli Diaconi lib.* 2 *de gestis Longobardorum cap.* 25. Alboin igitur Liguriam introiens, Indictione ingrediente tertia, tertio Nonas Septembris, sub temporibus Honorati Archiepiscopi, Mediolanum ingressus est. Dehinc universas Liguriæ civitates, præter has quæ in littore maris sunt positæ, cepit. Honoratus vero Archiepiscopus Mediolanum deserens, ad Genuensem urbem confugit. Paulus quoque Patriarcha, annis XII sacerdotium gerens, ab hac luce subtractus est, regendamque Ecclesiam Probino reliquit. *Qui hic Paulus, infra, ac passim, Paulinus est, Aquileiæ pseudoepiscopus,* Patriarcha *a schismaticis Episcopis appellatus, novo ac*

*inde Genuam fugit an. 569*

*superbo*

AUCTORE J. B

A *superbo nomine; quod tamen postea Romani Pontifices in posteris, Ecclesiæ reconciliatis, pacis caussa dissimularunt. Quæ autem* Indictione ingrediente tertia, *mense Septembri, ea anno Æræ vulgaris* DLXIX *exeunte, gesta.*

*vel metu Longobardorum adventantium.*

3 *Fugeritne Honoratus adventantium hostium metu, an postquam deditam suo consilio urbem velut expugnatam diripi vidit, in ambiguo ponunt recentiorum scriptorum sententiæ. Bernardinus Corius historiæ Mediolanen parte* 1 *ita scribit* : Deinde ingressus est Mediolanum *Alboinus* tertio Septembris. Quamobrem Honoratus Archiepiscopus ex urbe Genuam fugit. *Jacobus Philippus Bergomensis lib.* 10 *Chronic.* Qui *Honoratus* cum Alboyn Longobardorum Regis impetum expavesceret, Ecclesiam suam ad tempus deseruit, et ad Genuensem urbem confugit. *Carolus Sigonius de regno Italiæ lib.* 1 *ad an.* 570. Alboinus Brixiam, Bergomum, Laudem, Comum, aliaque Liguriæ usque ad Alpes oppida eodem armorum impetu cepit, inde exercitum ad ipsum demum provinciæ caput Mediolanum promovit. Urbs neque firmo præsidio, neque validis munitionibus erat septa. Itaque imminente Alboini adventu, Honoratus Archiepiscopus, audita potentis hostis feritate perterritus, Genuam urbem ad mare sitam se contulit,

B atque eum plerique subsecuti optimatum sunt. Alboinus exercitu ad mœnia admoto, cum urbem se dederetur, expugnaturum ostendisset, cives extremi excidii terrore perculsos ad deditionem adegit. Ita Mediolanum Nonis Septembris, tertia Indictione, receptum. *Ita Sigonius, qui addere debuit, ut Paulus Diaconus,* ineunte tertia Indictione *id factum esse, et* III Nonas Septembris, *non ipsis Nonis. Eadem tradit Antonius Bessa Nigrinus in Elogiis domus Castiliona*, adventante cum valido exercitu Alboino, Episcopum cum magna populi parte, quia vires non erant, ut resisti barbaro posset, Genuam se recepisse. *Et Joannes de Deis*, cum Alboini, *inquit*, Longobardorum Regis expavesceret furorem Ecclesiam sibi commissam deserens ad tempus, ad Januensium urbem confugit. *Idem denique scribit Franciscus Besutius.*

*quibus resisti non posset;*

4 *At Blondus Flavius historiar. decad.* 1 *lib.* 8. Inde Abdua amne transmisso, Mediolanum duxit *Alboinus* : eamque urbem, dedentibus Honorati Ep. suasione civibus, brevi cepit. Speravit autem Honoratus, per deditionis facilitatem, barbarorum sævitiam mitigare : sed brevi contrarium cernens, Genuam se

*vel cum ab iis urbem diripi vidit,*

C contulit, quæ urbs in fide Romani populi permanebat. *Brevius in eamdem sententiam Tristanus Calcus historiæ patriæ lib.* 4. Tertio anno in Insubres profectus, intra urbem Mediolanum, suasu Honorati Archiepiscopi, recipitur : quam mox contra promissa diripi a barbaris permisit. Cujus rei indignitate permotus Honoratus exulatum Genuam abiit. *Georgius Merula quoque lib.* 1 *antiquit. Vicecomitum* : A Mediolanensibus persuasu Honorati Ep. in urbem recipitur : quam contra conventiones diripuit.

*ipse auctor deditionis,*

5 *Amplificat rem totam, non sine aliqua Honorati reprehensione, Josephus Ripamontius historiar. Eccl. Mediol. lib.* 8. Successerat *Auxano, inquit,* Honoratus Castelleonæus e Mediolanensi nobilitate, cetera vir magnus, ab una parte minus felix, quod et voluntario exulio vitam finivit, et prope visus est mereri ut excidii calamitatem ei Mediolanenses acceptam ferrent. Nam cum ad mœnia barbarus accessisset, et, rebus quamquam afflictis, primi tamen impetus viderentur posse sustineri, eoque civitas inclinaret, Honoratus fuisse dicitur auctor urbis dedendæ, accepta videlicet a barbaris fide, ne deditam violarent. Mox contra pactionem direpta est, non secus atque si diuturna obsidione fatigatus hostis, ab rabie et dolore sæviret in captos. Neque finis querelarum,

*aliis resistentibus pejore,*

*eoque pleri exosus :*

D queis Honoratum velut publicæ salutis proditorem incusarent. Et ille, tum impar dolori, quo trahi ac vastari populum suum videret, tum oneratus invidia quam publica calamitas conflabat, et gravabant viritim singuli, ultro in Ligures exulatum abiit.

6 *Discrepant ab ceterorum sensu, ac veritate quoque ipsa, ut reor, quæ hisce de rebus Leander Albertus in Lombardia Transpadana scribit* : Longobardi, *inquit*, post Narsetis excessum, in Italiam, per Forojuliensem agrum, Alboino duce penetrarunt : subactaque tota Venetia, Mediolanum profecti, id graviter et diu circumsessum deditione ceperunt. Quapropter ex veteri instituto coronam ferream Alboinus hic a Frontino Præsule sumpsit. Merula tamen Alboinum intra mœnia receptum, Honorati Antistitis suasione scribit, et contra fidem datam urbem diripuisse. Blondus introductum quidem Alboinum ad Honorati suasionem tradit, ceterum direptionis non meminit : imo alibi diserte negat, ullum eam ab Alboino detrimentum accepisse. *Ita Leander neque in iis quæ ex suo sensu aut ex fabulosis annalibus depromit, admodum felix, neque fidelis in alienis citandis. Non enim vel diu obsessum ab Alboino Mediolanum, vel Probinus tunc Præsul erat, vel ab hoc Alboinus Gentilis imponi sibi coronam voluisset; ut de ferreæ coronæ instituto nil*

*perperam tradita quædam de urbis obsidione.*

E *dicam, cum ipsemet illud fateatur multo recentius Alboini ætate a gravioribus scriptoribus statui. At Blondus quomodo direptionis non meminit, cujus ex octavo historiarum libro verba retulimus? qui et in Italia illustrata ita loquitur* : A Longobardis autem eadem urbs non quidem destructa, (*neque hoc asserit quisquam*) sed maximis molestiis agitata est. *Est ne hoc*, nullum detrimentum accipere?

7 *Quod ex hisce scriptorum de Honorati fuga judiciis dignius fide sit, haud equidem pronuntiem. At ne quid tamen videar dissimulasse, melius consuluisse Ecclesiæ suæ Episcopum arbitror, tantisper furorem barbaricum declinando, potissimum si plerique de populo, ac saltem optimates, fugam capessebant, nec tamen reliqui omni Sacerdotum præsidio destituti erant. Neque sane poterant non id illi suadere primores Cleri populique, non tam ut capitis ipse sui periculum ne adiret, quam ne ad enormem summam pendendam adigeretur, qua non Ecclesiæ modo facultates, sed et privatorum fortunæ omnes exhaurirentur. Spes quoque erat, non diu in iis locis hæsuros barbaros, sed præda onustos, unde venerant, Pannoniam repetituros, aut alioquin armis pellendos; uti paullo ante et Wandalorum in Africa, et in Italia Gothorum erat ab Imperatoris Ducibus eversus dominatus.*

*si ante fugit S. Honoratus, videtur prudenter fecisse*

F *Quid, quod Antistes primariæ urbis, nobili domo ortus, majori quam quisquam auctoritate opem Imperatoris videbatur imploraturus? Satius igitur erat, ut urbem, non ita pridem a Gothis excisam, nec adhuc fortasse satis idonee ædificiis ornatam, munitamque muris ac propugnaculis, sineret quam levissimo fato defungi, restituendam paullo post, si Deus annuisset, pristinæ libertati ac potentiæ : quam ut eam cum omni populo, si absque valido præsidio resistere victoria elato Regi conaretur, in extremum exitium pertraheret. Quid si ideo secessit, quod populum cerneret velle cum hostibus pacisci, cum ab eo ipse consilio abhorreret? Neque enim quod alii divinant, quam hoc, credibilius. Trahere quisque, quo suæ magis cogitationes inclinant, rationum momenta potest, cum nemo illis temporibus propinquus scriptor adest, quo satis certo stetur auctore.*

## § II *Aquileiensis pseudosynodus, S. Honorati ævo : alia longe posterior, eidem credita Baronio.*

E*cclesiæ Mediolanensi, ut ex Breviario patet anno* CIↃIↃCXXXV *excuso, solemne est S. Honorati festum : Officium tamen recitatur quod commune est omnium Pontificum.*

A *Pontificum, absque propriis etiam Lectionibus : credo, quia nihil suppetebat, unde ex apte concinnari possent. Ferrarius tamen in Catalogo SS. Italiæ*, ex Breviario, *ut ait, antiquiori fortassis, dein abdicato*, et Actis Ecclesiæ Mediolanen. *de S. Honorato hæc tradit sed quæ ipsemet* aliqua agere censura *confitetur* : Honoratus Mediolani natus ex Castilonia familia, iis virtutibus fuit præditus, ut S. Auxano in episcopatu successerit, maxime vero ob eloquentiam, doctrinam et morum sanctitatem, Benedicto summo Pontifice. Hic Ecclesiam Longobardorum barbarie valde labefactatam magna ex parte restituit. Concilio Aquileiensi, in quo Chalcedonensem synodum egregie defendit, adversus hæreticos, interfuit, ubi et Paulinum Aquileiæ Patriarcham consecravit. His aliisque rebus pie gestis, quibus ejus sanctitas eluxit, VII Id. Febru. quievit in Domino, cum annos III Ecclesiæ Mediolanensi præfuisset : cujus corpus in basilica S. Georgii ad Noxetam humatum est.

*Acta S. Honorati apocrypha ex Ferrario.*

9 *Hic duo velut perhonorifica imputantur Honorato, quæ si facta ab eo essent, summo verti dedecori deberent, Concilio Aquileiensi interfuisse (quod et de eo Besutius tradit) et Paulinum consecrasse. Si habitus tunc Aquileiæ est Episcoporum conventus aliquis de quo mox viderimus,* B *non id legitimum Ecclesiæ concilium, sed conciliabulum auctoritati Apostolicæ Sedis maligne obtrectantium fuit in quo, defendendi Chalcedonensis Concilii prætextu, teterrimum est schisma conflatum, quo se Istriæ Venetiæque Episcopi ab Apostolicæ Sedis communione separarunt, propter Tria Capitula, de quibus fuse egimus V Februarii cum de S. Ingenuino Brixinensi esset sermo.*

*Non interfuit Synodo Aquileiensi*

*pro 3 Capitulis*

10 *Ad hocce conciliabulum respicere videtur Pelagius Papa in ep. 5 ad Narsen Patricium, quam infra integrum recitabimus, ubi ita loquitur :* Nec licuit alicui aliquando, nec licebit, particularem Synodum congregare : *quam scilicet innuit Aquileiensis Episcopi consecrandi caussa congregatam. Habita eodem fere tempore in Illyrico Synodus (nisi eadem sit, latius sumpto* Illyrici *nomine) pro Tribus Capitulis : ejus meminit S. Isidorus lib. de viris illustr. cap. 31, ubi de Justiniano Imperatore ita scribit :* Condidit quoque et rescriptum contra Illyricianam Synodum, et adversus Africanos Episcopos Chalcedonensis Synodi defensores perverso studio. *Diversam ab Illyriciana Aquileiensem Synodum fuisse censet Baronius tom. 7 ad an.* 553 *num.* 222. Hincque accidit, *inquit*, ut Venetiæ et ei adjacentium regionum Episcopi, cum essent sub C Francorum dominio (Franci enim tunc illis dominabantur provinciis) contra Quintam Synodum cogerent Concilium Aquileiæ, cujus meminit Beda. *Severinus Binius eodem anno* IƆLIII *coactum esse Concilium Aquileiense scribit, quia* in locis imperii Romani, per edictum Justiniani, defensores Trium Capitulorum persequentis, id non licebat : *recitat deinde verba Bedæ ex libro de* 6 *mundi ætatibus.*

*et Paulini consecratione illegitima coactæ,*

*non an. 553 sub dominatu Francorum,*

11 *Quæ loca Franci an.* IƆLIII *in Italia tenuerint, non reperio, nec inquiro. Anno insequenti, Theodebaldi Regis auspiciis Buccelinus magnam partem Italiæ pervagatus, dein* a Narsete interfectus est, Italia ad partes Imperatoris capta : nec fuit qui eam ultra reciperet. *Ita S. Gregorius Turon. histor. Franc. lib. 4 cap. 9. Quod vel anno* IƆLIV *vel initio sequentis factum. Anno autem eodem* IƆLV *decessit Vigilius Papa, eique Pelagius suffectus, cujus tempore habita est Synodus illa Aquileiensis, in qua ordinatus Paulinus sub annum* IƆLVII *vel* IƆLVIII, *cum pridem ab iis locis pulsi essent Franci.*

*sed forte 557,*

*cum illi pridem Italia pulsi essent*

12 *At Synodus illa, de qua loquitur Beda, annis circiter* CXL *post habita est, tempore Tiberii Absimari, qui anno Christi* IƆCXCVI *Imperator est ab exercitu nuncupatus. Ita ille tom. 2 in libro de 6 ætatibus :* Tiberius annos VII. Synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam D fidei, quintum universale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati Papæ Sergii monitis instructa, et ipsa huic cum ceteris Christi Ecclesiis adnuere consentit. *Quomodo cum Sergii monitis cogitari potest instructa eique annuisse, si tanto ante tempore habita? Confirmat id Anastasius in Sergio ita scribens :* Hujus temporibus Aquilegiensis Ecclesiæ Archiepiscopus, et Synodus quæ sub eo congregata est, qui sanctum quintum universale Concilium, utpote errantes, suscipere diffidebant, ejusdem beatissimi Papæ monitis atque doctrinis instructi, conversi sunt, iidemque venerabile Concilium cum satisfactione susceperunt : et qui prius sub erroris vitio tenebantur, doctrina Apostolicæ Sedis illuminati, cum pace consonantes veritati ad propria relaxati sunt. *Sedit S. Sergius Papa, ut* IX *Septembris dicemus, ab anno* IƆCLXXXVII *ad* IƆCCI. *Non tamen ad id usque tempus omnes Aquileienses Episcopi in schismate permanserunt, cum legatur* Maximus sanctissimus Aquileiensis Ep. *sub S. Martino Papa Concilio Lateranensi interfuisse. Sed verisimile est, virus illud, quorumdam animis insidens, sæpius recruduisse.*

*alia 140 post annis pro iisdem 3 Capitulis habita,*

AUCTORE I. B.

*a S. Sergio Papa correcta.*

## § III. *Paulini pseudoepiscopi ordinatio, perperam tributa Honorato.* E

*Jam de Paulini ordinatione agendum. Obiit hic, ut ante dictum, invadente Liguriam Alboino, anno* IƆLXIX *vel initio* IƆLXX, *cum sedisset annos* XII. *Anno igitur* IƆLVII, *vel* IƆLVIII, *ordinatus, et quidem a Mediolanensi Archiepiscopo. Patet ex epist. 5 Pelagii Papæ, quæ ita habet :* Pelagius Narsæ Patricio. Istud est quod a vobis poposcimus, et nunc iterum postulamus, ut Paulinum, Aquileiensem pseudoepiscopum, et illum Mediolanensem Episcopum; ad clementissimum Principem sub digna custodia dirigatis, ut et iste, qui Episcopus esse nullatenus potest, quia contra omnem Canonicam consuetudinem factus est, alios ultra non perdat; et ille, qui contra morem antiquum eum ordinare præsumpsit, Canonum vindictæ subjaceat. Nec licuit alicui aliquando, nec licebit, particularem Synodum congregare : sed quoties aliqua de universali Synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem, aut sponte ii qui salutem animæ suæ desiderant, ad Apostolicam Sedem pro recipienda ratione conveniant; aut si forte (sicut de talibus scriptum est, Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit) ita obstinati, et F contumaces exstiterint, ut doceri non velint; eos ab iisdem Apostolicis Sedibus aut attrahi ad salutem quoquo modo necesse est, aut, ne aliorum perditio esse possint, secundum Canones per seculares comprimi potestates.

*Paulinus Ep. Aquileiensis a Mediolanensi illegitime ordinatus*

*pseudosynodum cogit.*

Prov. 18, 3

14 *Similia eumdem Narsetem ep. 4 rogat :* Auferte tales ab ista provincia, utimini oblata vobis a Deo opprimendi perfidos occasione. Quod tunc plenius fieri poterit, si auctores scelerum ad clementissimum Principem dirigantur, et maxime Ecclesiæ Aquileiensis invasor, qui et in schismate, et in eo maledictus, nec honorem Episcopi poterit retinere nec meritum. *Ejusdem argumenti est 2 et 3 epistola, et in hac quidem ista inter cetera habet.* De Liguribus atque Veneticis et Histriis Episcopis quid dicam? Quos idonea est Excellentia Vestra et ratione et potestate reprimere : et dimittis eos in contemptum Apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari? Cum si quid de judicio universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam Indictionem actum est, forte movebat, ad Sedem Apostolicam (quomodo semper factum est) electis aliquibus de suis, qui dare et accipere rationem possent, dirigere debuerant : et non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est sanctam Ecclesiam lacerare. *Quod ait per primam* Indictionem

*homo schismaticus,*

*inepte adversatus quintæ Synodo,*

A Indictionem *actum, annum indicat* ꟾↃLIII, post consulatum Basilii XII, *quo quinta Synodus habita.*

AUCTORE I. B.

15 *Quod autem tantopere in Episcopis Mediolanensi et Aquileiensi reprehendit Pelagius, id erat, quod hic ab illo esset ordinatus absque Apostolicæ Sedis approbatione, quam nempe impetraturum se non sperabat, qui opinionibus ab Ecclesia proscriptis pervicaciter adhæreret. Ut autem Narsetem fortius exstimulet Pelagius, ad ferendam Ecclesiæ opem compescendasque seditiosorum Præsulum conatus, sua et priora facta in memoriam revocat :* Recolere, *inquit*, debet Celsitudo Vestra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Histriam et Venetias tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non ante tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, nisi ad clementissimum Principem exinde retulissetis : et quid fieri debuisset, ejus iterum scriptis recognovissetis; et inter ubique ferventes hostes Ravennam tamen, et is qui ordinabatur et is qui ordinaturus erat, providentia culminis vestri deducti sunt. *Unde scilicet illud concludit, multo æquiori ratione eum, qui non consulto Romano Pontifice ordinatus sit, ejusque et Imperatoris edicto palam repugnet, gradu movendum, præsertim cum ipsam in factiones scindere nitatur Ecclesiam.*

*sine Papæ consensu ordinatus,*

*quod fieri non debuit :*

B 16 *Hoc præditus ingenio, ita admotus infulis Paulinus : a quo autem sacratus? Erycius Puteanus lib. 2 hist. Insubricæ, vetera forsan, quæ a Ferrario citata retulimus, Acta secutus,* Ab Honorato, *inquit*, Archiepiscopo Mediolanensi, *Viro sancto, et quem Mediolani cælestium honoribus celebrari vidisti?* Sane *inquit*, sed contra vetera exempla. *Æque frivola conjectura, in eodem libro, S. Maximianum Ravennatem Episcopum, qui XXIV Aprilis colitur, eum esse censet quem Pelagius Papa ep. 2 ad Narsetem,* Maximilianum *appellat*, et nomen tantum Episcopi habere *scribit*, ab Ecclesiæ unitate divisum, et ejus pacem iniquissime perturbantem, in suam et aliorum perniciem debacchantem.

*non ab Honorato,*

*ut censet Puteanus,*

17 *Nos suo loco* Maximianum *ab ea probra vindicabimus, uti Honoratum Ripamontius :* Hanc Paulini consecrationem, *inquit*, aliæ litteræ in Honoratum, qui Auxano successit, referunt, ipsaque quotidiani precum officii Lectio sic habet; haud parva in Episcopum illum injuria et probro. Nunquam enim ille, uti sanctus et Apostolicæ Sedi maxime addictus fuit, commisisset, ut interposita offensione, sese negotio tanti discriminis immisceret, atque quodammodo aleret jurgia et lites. *An' vero jurgia et lites? imo*
C *superbiam, improbitatem, pervicaciam schismatici hominis, atrocem in Ecclesia dissentionem ac tumultum nefarie molientis.*

*et vetus officium Mediola.*

*quippe viro sancto,*

18 *Dein improvidum illum improbumque ordinatorem indicat Ripamontius :* Potuit hoc, *inquit*, in Vitalem cadere, qui rerum humanarum usu et vulgari prudentia magis quam cælesti Spiritu negotia et res omnes ponderaret. Honorato tale quippiam admittere fuisset horror, eximiæ videlicet religionis, et haud dubie contemptu rerum humanarum in cælum eminenti. *Fuit Vitalis S. Auxani decessor, ille ipse, opinor, quem Narses deduci Ravennam curarat, illic in Antistitem sacrandum.*

*sed a Vitale,*

19 *Demum qui id Honorato tribuunt, plerique secum pugnant, dum eum tres dumtaxat annos egisse in episcopatu fatentur, et adhuc superstitem fuisse cum Mediolanum cepit Alboinus, quo ipso tempore Paulinus decessit annis XII gesto episcopatu. Longius etiam a vero abhorret, quod Antonius Beffa scribit,* Probinum, *Paulini successorem, ab S. Honorato consecratum. Quo pacto id aggredi voluisset vir sanctus, quod ita sciret antea Pontifici Maximo improbatum? aut qua ratione ad eum accedere poterat, cui nec Mediolani tuto esse licebat?*

*diu antequam Episcopus fieret Honoratus,*

## § IV. *S. Honorati ætas. Scripta. Sepultura. Natalis.* D

Uti *(quod sæpius jam querimur) nihil fere est de S. Honorati rebus gestis certum, ita nec quando episcopatum susceperit; aut quamdiu gesserit, constat. Acta* § 2 *e Ferrario recitata et Franciscus Besutius ac Joannes de Deis, volunt evectum esse ad episcopatum* Benedicto Pontifice Maximo, *qui* XVI *Maii, an.* ꟾↃLXXIII, *Indict.* VI. *Pontifex factus, decessit* XXXI *Julii, an.* ꟾↃLXXVII, *Indict.* X. *Qui potuit ergo* III Indictione ineunte, *sub finem nempe anni* ꟾↃLXIX *Mediolano abscedere Honoratus Episcopus? Alii, ut in Notis animadvertit Ferrarius, turpius etiam hallucinantur, dum an.* ꟾↃLVIII, *vel* ꟾↃLXVIII *volunt abiisse.*

*qui tamen non sub Benedicto Pontif.*

21 *Antonius Beffa sub Joanne* III, *anno* ꟾↃLXVI *factum Episcopum scribit; Donatus Bossius an.* ꟾↃLXVII. *Panvinius et Ughellus* ꟾↃLXVIII; *atque horum quidam annos* III, *Beffa* V, *ut aiunt sedisse : ut anno* ꟾↃLXX, *aut* ꟾↃLXXI *decessisse videatur, aut etiam* ꟾↃLXXIV. *Beffa ait benevole exceptum a* S. Felice *Genuensi Ep. qui* IX *Julii colitur, non multo post ibidem obiisse. Ripamontius :* Ibi fama est, obscuro ac devio loco, senio ac mœrore contabuisse. Clarum exitum alii Pontificis hujus tradidere, qui nimirum et abfuisse tamdiu donec Longobardicus resideret furor, volunt, et postquam is resederat, multa et magna decora reversum in patriam tulisse. *Id nempe tradunt Acta supra ex Ferrario relata, cum* Longobardorum barbarie valde labefactatam magna ex parte restituisse Ecclesiam. *Idem habet Besutius.*

*sed circa an. 567 ordinatus,*

*obiit vel Genuæ in exilio,*

E

*vel Mediolani cum honore :*

22 Nonnulla in divinis Scripturis composuisse *tradunt Bergomensis, Joannes de Deis, Beffa Nigrinus. Eo respexit et Ripamontius :* Neque dubium, *ait*, quin et ornamentis ingenii et animi virtutibus fuerit inter primos eorum temporum, quem scilicet litteræ S. Gregorii talem ferant. *Quæ enim litteræ? Non sane memini an usquam S. Gregorius in epistolis ad Laurentium, Constantium, Deus dedit Episcopos Mediolanenses Honorati meminerit. Vereor ut aliud argumentum habuerit Ripamontius, quam illa Bergomensis verba :* Hunc *Honoratum* Divus Gregorius in lib. Dial. multis effert præconiis. *At non de hoc Honorato in Dialogis agit, sed de Abbate Fundano, de quo nos* XVI *Januarii. Besutius et a S. Gregorio in Dialogis, et a Paulo Diacono in historia scribit laudatum. Pauli supra dedimus verba, quibus an laudetur, haud liquet.*

*dicitur quædam scripsisse :*

*an a S. Gregorio laudatus?*

23 *De sepultura S. Honorati Donatus Bossius in Catal. Epp.* Translatum deinde corpus ejus Mediolanum, sepultum est in templo Divi Georgii ad Nucetam. *Ast in Chronicis,* Jacet, *inquit*, in templo S. Eustorgii ad Noxetam. *Ferrarius supra* S. Georgii *vocat. Ædis illius meminit alia caussa Ripamontius lib.* 6 Qua parva nux, *inquit*, D. Georgii templo cognomento fecit. *Ea ecclesia, ut Beffa scribit, dicta vulgo* S. Georgii ad Nucula*m, sive* alla Nocetta; *nunc vero* Ad manum putei albi, *sive* Alla mano del pozzo bianco. *Ubi etiamnum asservari S. Honorati corpus, idem testatur.*

*Mediolani in æde S. Georgii sepultus*

F

24 *Quod nunc* VI *Idus Februarii agitur S. Honorati festum, olim* VI *Kalendas Martii, sive* XXIV *die agi solet. Ita Joannes de Deis :* Ejus festum VI Kal. Martii ab Ecclesia Mediolanensi celebratur. *Quo die ista de eo prædicat Galesinius :* Mediolani S. Honorati Ep. Is nobilis eximia virtute vir, rerum, quas constanti Christianæ religionis exercitatione gessit, gloria clarus, obiit in Domino.

*coli solet 24 nunc 8 Febr.*

25 *In Vita* S. Verani *Cabellicensis Episcopi, quam dabimus* XI *Novembris, ista habentur :* Mediolanum usque pervenit, *Romam nimirum revertens. Tum recensitis aliquot miraculis illic ab eo factis, subditur :* Deinde petente sanctissimo viro Honorato ipsius civitatis Episcopo, ad civitatem, cui nomen Albingavo, profectus recessit. *Ughellus primum inter Albinganenses*

*S. Veranus Ep. Cabellicensis ad eum venit,*

*ab eo usque ab eo Albinganum.*

A *nenses Antistites* Honoratum *locat,* qui S. Veranum, dum Roma reverteretur, excepit hospitio an. CCCLXXVII ut in hujus Sancti actibus plane legitur. *Nempe quales S. Verani actus recitat Petrus Equilinus lib.* 10 *cap.* 50, *qui vixisse scribit* tempore Imperatoris Valentis; *innuitque in Gallia tunc fuisse Valentem, et ab eo evectum ad episcopatum esse Veranum. A Sigeberto* I *Clotharii* I *filio, Rege Metensi, ad Cabellicensem Cathedram promotus est S. Veranus, ab Italia reversus Porro Sigebertus regnum illud Metense, sive Austrasianum, ut postea vocarunt, adeptus est anno* IↃLXI D *obiitque* IↃLXXV, *uti alibi diximus. Qui character temporis S. Honorati ætatem firmat. Ex S. Verani autem itinere per Italiam colligere est, non videri in Italia tunc fuisse Longobardos : quomodo enim ita secure Roma Ravennam, inde Mediolanum, Mediolano Albingaunum, barbarorum undique frementibus armis, facere iter potuisset? Nisi pauperi peregrino tuta omnia fuisse quis dicat.*

AUCTORE J. B.

# DE S. NICETIO EPISC. VESONTINO.

J. B.

INITIO VII SEC. VIII FEB.

V*esontione, Sequanorum metropoli, colitur* VIII *Februarii* S. Nicetius, XXII *illius urbis Episcopus; uti Joan. Jacobus Chiffletius Vesontionis par.* 2 *testatur. De eo Molanus in addit. ad Usuardum :* Eodem die natale S. Nicetii Ep. Bisontini et Confessoris, præclaræ sanctitatis viri. *Eumdem Ferrarius quoque refert, sed, mendosum Democharis catalogum secutus,* secundum Vesuntiensium Episcopum *fuisse tradit. Agit et Saussaius de eo in Martyrol. Gallicano, asseritque* corpus sepultum in B ecclesia S. Petri, magna illic frui devoti populi veneratione; celebrique Cathedratici Cleri processione, mysticisque officiis hodie sacram ejus memoriam honorari.

*B. Nicetii natalis 8 Febr.*

2 *Hæc Chiffletius in antiquo cæremoniali codice Metropolitanæ tradit ita præscripta :* In festo S. Nicetii, VI Id. Februarii, itur ad Missam in ecclesia S. Petri, ubi requiescit corpus ejusdem Sancti, cum processione, et omni decore, exceptis vexillis. *Addit de Divi sepultura :* Jacere creditur prope majus altare, nec unquam effossum est. Cum autem delatum fuerit ejus corpus in ecclesiam S. Petri, quam ab Eusebio quarto Præsule olim extructam ipse reædificarat, ut constat ex vetustis codicibus; et extra muros ejusdem ecclesiæ sepultum, prout adhuc vivens præceperat; cumque pii superstites, qui nec sacrum ejus corpus sub dio relinquere, nec alio, quam quem elegerat, loco reponere vellent, propriam et condiderint ecclesiam, sepulchrum intra sanctuarium continentem; hoc sic accipiendum putamus, ut ædes S. Petri ea parte ampliatæ sint, qua nunc S. Nicetii ossa continent : (neque enim ullus, quod sciam an- C tiquus liber, meminit ecclesiæ S. Niceti i) factumque successu temporis, ut ecclesiæ S. Petri majus altare, illud ipsum fuerit, quod prope S. Nicetii sepulchrum olim fideles erexerant. *Ita Chiffletius.*

*quo supplicatio fit*

*ad ecclesiam S. Petri,*

*ampliatam inclusa ejus sepulchro,*

*ad quod majus altare :*

3 *Alius ab hoc est* S. Nicetius *Ep. Trevirensis, qui* V *Decembris colitur. Hujus porro* Vesontini Nicetii *Vitam ad nos misit Petrus Franciscus Chiffletius noster, ex MSS. codicibus Ecclesiæ et diœcesis Vesontinæ : cujus partem præcipuam jam antea in sua Vesontione frater ediderat.* Ex libris S. Joannis, S. Stephani, et S. Petri. *Vixit initio septimi a Christi ortu seculi, ut in Vita patet ex Theoderici Burgundiæ Regis ætate, qui anno* DCXIII *obiit.*

*ejus Vita,*

*ætas.*

## VITA AUCTORE ANONYMO,

*ex MSS. codicibus Bisuntinis,*

eruta a Pet. Franc. Chiffletio S. J.

V irtus, animi habitudo, dono Dei altissimi data mortalibus, ad bene vivendum informat, ratione uti, ac utile cum honesto demonstrat : docet quoque quid sequatur quisque, quidve fugiat ; quomodo etiam inter bonum malumque discernat ; ne ab illo quidem in aliquo deviando commutet sententiam, ex quo formæ substantialis trahit essentiam : in eo et per ipsum se quoque cognoscens existere; in quo quidem, et per quem, cuncta noverit unum esse.

*Virtute clarus*

2 Hanc igitur virtutem sancti viri super omnia diligentes amando secuti, morituri seculi despecta vanitate, Divinis se mancipaverunt obsequiis; quorum corda, et caro in Dei vivi exultavit servitiis. Inter quos B. Nicetium, virum apostolicum, *a* Chrysopolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopum, religionis culmen sumpsisse indubitanter credimus: cujus hodie felicis migrationis diem ad cœlos recolimus : cujus etiam laudabilem vitam pro sui magnitudine in paucitatem digessimus : pro numero namque virtutum in eo habitantium pauca suggerimus, quarum multiplicitatem comprehendere nequaquam sufficimus. E

*Nicetius fit Ep. Vesontinus,* *a*

3 Tempore igitur *b* Theoderici Regis Burgundionum, qui nepos *c* Brunichildis erat Reginæ, cujus voluntatibus idem Rex sæpissime obediebat, viduata longo tempore Sedes Bisuntica extiterat. Post vero felicis martyrii gloriosum agonem *d* B. Antidii, ejusdem Sedis Antistitis, barbarica Wandalorum irruptione consummati, vir iste de sublimibus unus, eidem Sedi, pari consensu cleri ac populi, divina providentia destinatur patronus. Hoc enim sancta Bisunticensis Ecclesia ab initiis primitivæ Ecclesiæ sui juris in perpetuum obtinuit, quatenus nulla potestas ullo pacto vel caussa Pontificem sibi subrogaverit, nisi quem communis Cleri ac populi devotio sibi canonice elegerit.

*b* *c* *vir illustris,* *d* *electus a Clero et populo,*

4 Erat denique in beato Pontifice contra errores diabolicos cœlestis sapientiæ plenitudo, adversus mundi conflictationes infatigatæ constantiæ fortitudo. Cujus quidem eloquentia cœlitus inspirata populum sancte vivere edocebat, beatæ vitæ exemplis subditos roborabat, seculum ejusque amatores repletus Spiritu sancto confutabat. O quam juste prædicamus cunctis præconiis esse laudabilem, quem sanctitas Sacerdotem, quem eruditio Doctorem, quem vera fides constituit egregium Confessorem! F

*sapiens,*

5 Vir denique prudens et eximius, quia ardenti animo ad cœlestia properabat, terrena solo actu, non tamen affectu possidebat. Et quia non posse Deo servire et Mammonæ se sciebat, soli Deo serviens, divitiis imperabat, in dandis eleemosynis assiduus, in vigiliis strenuus, in oratione conspicuus, tam doctrina quam vita clarebat : prædicationem suam operibus confirmabat; cujus sermo puritate amabilis, simplicitate laudabilis, gratia admirabilis : et quia sancti Spiritus gratiæ perfecte donum possidebat, amatus ab omni populo erat.

*sanctus,* *eloquens* *gratus omnibus,*

6 Vir autem Israelita, in quo dolus non erat, hæreseos *e* incitamenta, fidei firmitate subnixus, conculcabat, sanctam Ecclesiam in fide orthodoxa regebat. In quo officio quantus, quamque utilis *e*rius extiterit, si quis studiose requirit, in epistolis *f* B. Gregorii Papæ super eadem hæresi abscissa, huic et aliis Gallicarum Episcopis directis, reperire poterit. Fuit enim B. Gregorii Papæ contemporaneus, et admodum sanctimoniæ ejus contubernio per litteras unitus. Cui sæpissime literarum schedulas dirigebat de conculcanda hæresi, de sancta prædicatione in populo Dei, de legis ministerio, et doctrina fidei. Ipse vero legaliter

*e* *strenuus contra hæresim,* *f* *S. Gregorii familiaris.*

AUCTORE J. B.

A liter suum implens officium, et Magistri præceptis diligenter et curiosissime intendebat, et a mandatis Domini nullatenus declinabat.

*altaria consecrat*

7 Erat autem tunc temporis B. Columbanus Luxoviensis cœnobii Pater celeberrimus; cujus rogatu B. Nicetius Antistes sanctissimus, *g* Anagrates, et Luxovium, et Fontanas adiit, et in utroque cœnobio, ab eodem sanctæ memoriæ Columbano ædificatis ecclesiis (quia in sua erant diœcesi) altaria dedicavit. Ibique de divinis dulci et admirabili confabulatione habita, post multarum lacrymarum sparsa flumina, post deosculationes creberrimas, Præsul ad civitatem rediit; Columbanus vero monachorum vitam educando apud Luxovium aliquanto tempore fuit. Inter quos quanta fuerit veræ concordiæ caritas, quantaque in oratione societas, non est dictu facile. Die enim, noctuque desiderabant alter alterum videre; salutatorias epistolas sæpe sibi mittebant de Dei servitio hortari et commonere invicem sese studebant.

*Rogatu S. Columbani,*

*quocum frequens communicat,*

*cumque Luxovio ejectum benigne excipit.*

8 Post hæc vero accidente discordia inter Reginam Brunichildem, et beatissimum Columbanum (nulla enim concordia inter bonum et malum) jussu Regis Theoderici (Regina enim urgebat) pulsus a Luxovio, per manus satellitum, ductus est *h* ad Bisunticam civitatem in exilium. Ubi videns eum B. Nicetius, mutuæ dilectionis alacritate perfunctus, et fratris adversnati solatium inferens, moleste condolebat, et multo gaudio replebatur, quia confabulandi copiam tali cum viro habebat: ubi diu eum honorifice tractans, salva Regis reverentia secum habuit: donec Dei voluntas, in cujus manu sunt omnia, sua potentia ac dispositione beatum virum ab hoc exilio liberatum *i* reduxit. Non videbatur B. Columbano se exilium passum esse, sed Dei paradisi deliciis, quamdiu cum sancto Episcopo mansit, interfuisse.

B

9 Verum cum jam omnipotens Deus voluit beatissimum Confessorem et Archiepiscopum ex suo servitio remunerari, et quia supra pauca fuerat fidelis, supra multa constitui, cœpit aliquantulum febribus fatigari. Cumque jam suæ depositionis diem imminere sentiret, convocans Clerum et populum; verbum salutis edidit, suæ vocationis diem ab hoc seculo notificavit; pacem eis, Magistri sui ac Salvatoris vestigia sequens, reliquit. Ipse vero sexto Idus februarii exutus hominem in Domino quievit. Cujus sanctissimum corpus delatum est ad ecclesiam, quam antecessor ejus sanctæ recordationis *k* Eusebius, quartus Episcopus, in honore B. Petri Principis Apostolorum construxerat, et extra muros sepultum est, sicut ipse in vita sua disposuerat. Populus autem sancta devotione commotus, propriam sibi condiderunt *l* Ecclesiam, sepulchrum ejus infra sanctuarium continentem, ut quem in terris dilectissimum habuerunt Pastorem, in cœlis mererentur propitium interressorem. Ubi ostendit piissimus Dominus qualis sui famuli fuerit vita, cujus ossa innumeris miraculis coruscant: ad cujus sepulchrum, fiducialiter recepturi quod jure poscunt, fideles populi properant; ad laudem ipsius et gloriam, cui honor, et jubilatio per infinita secula. Amen.

*die a se prænuntiato moritur.*

*sepelitur extra ecclesiam:*

D

*illustratur miraculis.*

a *Vallos citat Chiffletius par. 1 cap.* 2 *auctores medii ævi, qui Vesontionem* Chrysopolim *appellarunt, et rationes appellationis inquirit.* — b Theodoricus, *Childeberti F. Sigeberti N. Austrasiæ Regum, primum Burgundiæ Rex fuit: et suæ aviæ Brunechildis consiliis, seu quibus aliis furiis actus, fratri Theodeberto scelerata intulit arma an.* 612: *ipse anno sequenti morbo extinctus.* — c Brunechildis *scelera exaggerant Gallici scriptores, qui imperantibus Chlotario II posteris vixerunt. Aliquam reperitur sæpe laudata a S. Gregorio et aliis. Joannes Lloydus e Societate nostra vir eruditissimus integro volumine (quod nondum tamen lucem vidit) ejus innocentiam et sanctitatem asserit. Iniquior fuisse videtur in S. Columbanum, et ejus nepotum, hostium præsertim dissimulasse. Nos neque tam nigram, quam fingitur a Francis, censur fuisse, neque adeo sanctam ut ad aras invocanda videatur.* — d *Colitur* S. Antidius *Ep. M. ut scribit Chiffletius,* 17 *Junii, licet ad* 25 *sit Romano Martyrologio inscriptus.* In omnibus porro Archiepiscoporum Bisontinorum catalogis, *ut idem testatur Chiffletius,* proxime ante Nicetium reponitur, etsi longo dirimuntur interregno, et inter utrumque vacasse dicitur Sedes multo tempore. *Ipse SS. Leontium et Chelidonium, et sex alios interjicit.* — e Hæresis illa, *ait Chiffletius,* cui amovendæ adlaboravit Nicetius, simoniaca est, quæ per ea tempora toto quidem Christiano orbe, sed maxime in Galliis grassabatur: *et porro quassata est ut S. Eligio ac S. Audoeno, aliisque sanctis viris, ad eam evellendam multum fuerit laboris suscipiendum.* — f *Nullam vidimus adhuc S. Gregorii epistolam seorsim ad S. Nicetium datam: multæ extant ad varios Episcopos ac Principes de eo argumento scriptæ.*

Chrysopolis.

*Brunechildis.*

E

g Anagrates et Fontanæ *sunt duo Prioratus, seu cellæ monachorum, prope Luxovium, vulgo* Anegre et Fontaines. — h *De S. Columbano agemus* 21 *Novembris, ubi et de hoc ejus exilio.* — i *Mox iterum Luxovio pulsus,* per urbem Vesontionum Augustodunumque ad Avallonem castrum pervenit; *et per longos circuitus Italiam petiit.* — k *Vixisse traditur* S. Eusebius *Constantini Magni temporibus, Episcopus a S. Melchiade Papa consecratus. Quia ejus natalem ignoramus, referemus eum ad* 23 *Martii, propterea quod is dies est primus in quem incidere feria* 2 *Paschæ potest, qua, in ecclesia S. Petri ab eo fundata, Missa trium Evangeliorum, ut vocant, celebratur, ritu nusquam alibi a nobis adnotato. Eam ecclesiam tunc in suburbio fuisse, nunc in centro civitatis esse tradit Chiffletius.* — l *Priorem solum ampliatam censet Chiffletius.*

ANIMADV. PAG. 37

# DE S. PAULO EPISC. VIRDUNENSI,

C F

J. B.

## Commentarius prævius.

### § I. *S. Pauli Vita a quo scripta?*

CIRCITER ANNUM DCXLIX. VIII FEB.

Tertius decimus *Ecclesiæ Virdunensis in Gallia Belgica Episcopus recensetur a Richardo Wasseburgo, Antonio Demochare, Joanne Chenu, Claudio Roberto,* S. Paulus, *cujus* VIII *Februarii die anniversaria celebritas agitur. An res præclare ab eo gestæ, ipsius ævo traditæ sint litteris, nusquam legimus. Tertio post seculo,* cum libri et memoriæ sanctorum Patrum, *una cum ipsa primaria Virdunensi basilica, incendio magna ex parte essent absumptæ,* Bertharius Presbyter, *ut infra in Vita cap.* 4 *num.* 8 *dicitur,* a Domno Dadone ipsius urbis Episcopo rogatus, omnium ante se Virdunensium Episcoporum nomina et actus, scire ut potuit, mira brevitate contexuit: inter quæ etiam hujus non immemor, hæc quæ prædicta sunt, ordinatim suo loco constituit. *Wasseburgus lib.* 3 *Antiquitat. Galliæ Belgicæ, scribit Bertharium hunc, primum Dadonis Capellanum, deinde Ecclesiæ Virdunensis Decanum fuisse, atque ex libri illius præfatione ista recitat:* Reverendissimo et sanctissimo seniori meo Domno Dadoni Virdunensis Ecclesiæ inclyto Episcopo, Bertharius vester Presbyter devotæ urbis (*forte* vobis) orando felicitatem æternam in Christo. Quoniam vestro tempore per XXXVI annos, pro bono studio et inclyta fama, nobis multa venerunt prospera; nunc autem peccatis nostris exigentibus, principalis ecclesia nostra igne succensa, libri et memoriæ sanctorum Patrum nostrorum ex magna parte eidem flammæ sunt traditæ. Ne autem penitus oblivioni traderetur sacrosancta memoria, venerabile nomen, et operatio sancta, licet infirmitate et tristitia attritus, quæ de sanctis antecessoribus vestris legi et a fidelibus audivi, breviario sermone comprehendere commodum duxi, vobis quidem gratum, posteris utile.

*Vitas Episcopor. Virdun.*

*scripsit Bertharius*

*ad Dadonem Ep.*

2 *Interfuit Dado Episcopus Concilio Metensi anno Christi* DCCCLXXXVIII, *aut, ut Sirmondus et Browerus censent,* DCCCXCIII. *Deinde Triburiensi an.* DCCCXCV, *ut habent acta, vel* DCCCXCVI, *ut Regino qui tunc vivebat, et Browerus. Extat ejusdem Dadonis ad Ratbodum Treverensem Archiepiscopum epistola data* V *Id. Maii, Indict.* IX, *ann. Chr.* CMVI, *apud Ivonem parte* 6 *Decreti cap.* 435. *Annus porro ejus* XXXVI, *quo conscriptum est a Berthario*

an. 916

A *a Berthario Episcoporum Virdunensium breviarium, erat Christi* CMXVI, *non* CMXX, *ut vult Miræus in Mantissa ad Bibliothecam Ecclesiasticam. Nam instrumentum quoddam apud Wasseburgium, quo omnia, quæ suo tempore, duorumque decessorum suorum Hattonis et Berhardi avunculi sui, Ecclesiæ Virdunensi donata erant, describit, ita orditur idem Dado :* Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCXCIII, regnante vero Domino Arnulpho gloriosissimo Rege anno V, nostræ autem ordinationis XIII, Indict. IX, ego Dado Virdunensis Ecclesiæ Episcopus *etc. Ad eam igitur Cathedram erectus erat an.* DCCCLXXX, *quam tenuit usque ad ann.* CMXX, *ut habet Wasseburgius, aut* CMXXIII, *ut Cl. Robertus : non ergo obiit an.* DCCCLXXX, *ut perperam scribit Molanus Annot. ad* VIII *Febr.*

post eum Laurentius Leodien.

3 *Post Bertharium autem (qui Berecharius est Molano, Surio, Lippeloo, Haræo, Doubletio, Gerardo Joanni Vossio lib. 3 de histor. Latinis par. 2 ubi Auctores recenset incertæ ætatis) gesta Episcoporum Virdunensium scripsit sub Alberone Episcopo circiter anno Chr.* CIƆCXLVI *Laurentius Leodiensis, in cœnobio S. Vitoni apud Virdunenses monachus, instigante Hugone ibidem monacho, ut lib. 4 testatur Wasseburgius, qui sæpe eum citat. Miræus ait, Laurentium gesta Episco-*B *porum, quæ Bertharius scripserat, ad annum* CIƆCXLIV *produxisse. Valerius Andreas asserit, post Bertharium, ab anonymo conscripto usque ad ann.* CIƆXLVIII, *a Laurentio usque ad* CIƆCXLIV. *Wasseburgius in Berengarii* XXXIII *Episcopi gestis, citat Bertharium in collectaneis ad ann.* CMLX, *quæ indubie sunt ad Bertharium adjecta. in Richardo* XL *Episcopo ad ann.* CIƆXLV *citat Laurentium, quem Valerius vult suam historiam ordiri ab ann.* CIƆXLVIII. *Optandum ut hæc aliaque vetera monumenta lucem aliquando aspiciant, certius ut de variis auctoribus et Episcoporum gestis ferri judicium queat.*

S. Pauli Vitam anonymus,

4 *Aliam S. Pauli Vitam* graviter et fideliter jam olim conscriptam *asserit Laurentius Surius, quam ipse* redditam aliquanto Latiniori stylo, et quidem aliquot locis παραφραστικῶς, *edidit tom. 1 de Vitis SS. Quam eamdem esse censent Galesinius et Wion in Notis ad Martyrologium hoc die quæ a Berthario scripta dicitur. Verum manifestum fit legenti, ab alio scriptam esse, cum in ea Bertharius citetur. Eam nos hic primigenia phrasi exhibemus ex insigni codice monasterii S. Maximini Treviris, quem minimum a* CCCC *annis esse exaratum, ex charactere, aliisque judiciis conjicimus.*

hic editam ;

5 *Edidere præterea S. Pauli Vitam, e Suriana contractam, Franciscus Haræus, Zacharias Lippeloos,*

atque alii.

C *Jacobus Gononus lib. 1 de Vitis PP. Occidentis; Galliæ Jacobus Doubletius, et accurate Wasseburgius, Renatus Benedictus, Guilielmus Gazæus. Agit de eo Browerus lib. 7 Annal. Treviren. Trithemius de viris illustr. Ord. S. Benedicti lib. 3 cap. 258 et lib. 4 cap.* 201 *Wion Ligni Vitæ lib. 2 cap. 53. Democharès, Claudius Robertus, Joannes Chenu in Catalogo Episcopor. Virdunensium, Bruschius in monasteriorum Germaniæ Chronologia, ubi S. Mauritii Tholegiense cœnobium describit.*

## § II. *S. Pauli vita in eremo et cœnobio.*

S. Paulus Belga,

De *S. Pauli patria statuere nihil possumus. Natum in Gallia Belgica tradunt Browerus, Surius, Haræus, Ghinius, Lippeloos; Doubletius in Flandria; (qua nomine nos amplissimam inter Scaldim ac mare sitam regionem, Franci subinde universas Belgicas provincias appellant) at Wasseburgius, Wion, Gononus, Roserius, Saussaius, Augustoduni in Æduis. Hos ea ratio movet, quod S. Germani Parisiensis Episcopi frater dicatur fuisse, hunc vero constet, Fortunati testimonio,* territorii Augustodunensis indigenam *extitisse. Quod mirum est Surium, Haræum, Lippeloum, Doubletium non perpendisse, qui hic Paulum in Belgica natum, illius aiunt*

*Februarii T. II.*

*fratrem fuisse, quem* XXVIII *Maii fatentur Augustodunensem. Renatus Benedictus et Gazæus solum scribunt* D
*in inferioribus Galliæ partibus natum esse Paulum. Breviarium Virdunense ait,* ex Augustinensi territorio in inferioris Galilææ partibus progenitum ; consanguineum S. Germani. *In Responsorio tamen* frater S. Germani appellatur.

AUCTORE I. B.

non S. Germani Parisien. frater :

7 *Neque vero satis verosimile est fratres fuisse Germanum ac Paulum, et si id, præter recentiores jam nominatos, Bertharius tradiderit, et Trevirensis historia a Wasseburgio citata ; quod tamen ipsi quoque Wasseburgio haud satis probatur. Obiit S. Germanus anno Childeberti Regis* I, *Chr.* DLXXVI, *ut patet ex S. Gregor. Turon. lib. 5 cap. 8. natu grandis, ut qui a S. Agrippino Augustodunensi Ep. quem* I *Januar, ostendimus circa an.* DXL *videri decessisse, fuerit sacerdotio initiatus. Quis credat anno ipso, quo minimum sexagenarius obiit, natum illi fratrem germanum Paulum, quem plerique volunt ad ann. Chr.* DCXL *aut* DCIL *pervenisse? Quid, quod nec primogenitus erat Germanus, ut ex Vita patet? Ut necesse sit Paulum, si ejus germanus fuit, octogenaria matre genitum esse, aut centenaria, si (quod tradit Wasseburgius, et nos suo loco discutiemus) Germanus octoginta vixit annos? Wion, Chenu, Wasseburgius, Gononus, non fratrem S. Germani, sed nepotem* E
*scribunt fuisse, id est, fratris aut sororis filium : sed qui probant? Num quod patrem ejus Wasseburgius* Eleutherium, *Ren. Benedictus et Gazæus* Eleutharium *vocant, matrem* Eusebiam; *id ab illorum manavit opinione, qui S. Germani fratrem faciunt, quem constat patre* Eleutherio, Eusebia *matre natum. Testatur Wasseburgius vetustis monumentis proditum, septenos fuisse S. Pauli parentibus liberos, omnes religiosum institutum amplexos, omnes in Divorum tabulas relatos.*

fit eremita in Vogesi jugo,

8 *Ex patria, quæcumque illa fuerit, in montem Vogesum, aut Vosegum (ut habet Vita) secessit. Dividit Vogesus a Lotharingis Burgundos, et Alsatios, ut Ortelius et Merula scribunt : imo, ut alii, ab ipsis Sequanorum finibus ad Belgicæ usque limites varia protendit juga, vallibus apte discreta. Quam Vogesi partem coluerit Paulus, ita edisserit Browerus lib. 7 Annal. Trevir.* Tradunt domestici Scriptores, priusquam Theologiense monasterium iniret, eremi rudimento ponendo, locum eum delegisse, qui in urbis Trevericæ conspectu mons Gebenna antiquitus, exinde vero ab ipso trahens Paulo cognomentum, Pauli mons appellatus sit; cujus jugum, etsi variis locis interruptum, ad Vogesi ramos pertinere tamen, etiam testes ab hoc ævo supersunt : F

Mons Vogesus sumit Rhætis ex Alpibus ortum,
Et viridi costa te quoque Trevir adit.

*Trithemius de viris illustr. lib. 4 cap.* 201 *de Pauli vita anachoretica sic scribit :* Hic primo eremiticam duxerat vitam cum multis aliis super montem Gebennam in opposito urbis Treverorum, qui ex ejus nomine Mons-Pauli modo appellatur; sed vulgus nominat eum Bulisberg. *fuit id fortassis ætate Trithemii : at nunc* Paulsberg, *aut* Polsberg *vulgo dicitur. Idem Trithemius lib. 1 Compendii Annal. in Chlodovæo II.* His temporibus in diœcesi Trevirorum magnæ sanctitatis viri claruerunt : *quorum e numero* Paulus erat unus, qui super montem Gebennam in *opposito* civitatis Trevericæ, trans pontem Mosellæ fluminis, vitam duxit *eremiticam*..... Mons Gebenna dictus antea, nomen ab *eo* suscipiens, Pauli mons (vulgariter Paulsberg) nuncupatur usque in præsentem diem.

Gebenna dicto, nunc Paulsberg,

e regione Trevirorum.

9 *Ex hac eremo in Theologiense monasterium migravit Paulus. Id, teste Browero,* oppido S. Wendelini proximum, *loco nemoroso et* floridis pratis amœno situm est. Dolejam, sive Tabuleium placet appellasse veteres, ceu sectis instar tabularum et in quadrum aptis lapidibus ejus prima structura surrexisset :

dein monachus Theologii,

AUCTORE J. B.

A nos vero Theologium, quod frequens ibi de Divinis rebus commentatio, tum insignis etiam olim sacris addiscendis litteris erecta schola, nuncupatum didicimus. Posita vero ejus cœnobii fundamenta primis Dagoberti regni annis, Modoaldo Trevirorum Archiepiscopo studium atque patrocinium eam in rem suum conferente; cum privatis ejus loci documentis, tum publicis etiam litteris, quæ B. Pauli res gestas continent, demonstrari potest. *Ista Browerus; quibus consentanea jam ante tradita a Trithemio et Bruschio. Ille Compendii Annal. lib. 1 in Chlodovæo II ita scribit :* Sed neque silentio transeundum fuerat, quod Rex Francorum Dagobertus, anno Dominicæ Nativitatis sexcentesimo vicesimo septimo, Indict. Romanorum quintadecima, fundare cœpit monasterium Dologiense Ord. S. Benedicti, diœcesis Trevirorum, consilio et auxilio B. Modoaldi Archiepiscopi : quod Sigebertus Rex Austrasiæ, filius ejus, consummavit, et S. Pirminius, Præsul et monachus, postea pulchrius decoravit. *Eadem de fundatoribus, annoque fundationis scribit Bruschius, atque ex eo Cl. Robertus, et Gononus. Verum Antonius Yepes tom. 2 historiæ Benedictinæ ad an. Chr.* DCXX, *non a Dagoberto, sed Clothario ejus patre fundatum esse Dologium scribit; atque ante* B *eum Wasseburgius, ea motus ratione, quod antequam regnaret in Austrasia Dagobertus, jam Episcopus erat Paulus. Verum id erat probandum, ut optime Browerus.* Neque prohiberi, *inquit,* Virdunensium Episcoporum commentario volumus, quo minus antiquam et receptam a cœnobitis opinionem, testimoniis destituti præsertim aliis, amplectamur.

*(quod sub Dagoberto ædificatum,*

*juvante S. Modoaldo)*

10 *Quis primus Theologii Abbas fuerit, a quo Paulus in monachum adlectus, non proditur. Claudius Robertus S. Wendelinum fuisse existimat. Bruschius ait primi nomen intercidisse :* etsi sint, qui S. Wendelinum pro primo Abbate hujus loci habeant. *Agemus de S. Wendelino* XXI *Octob. Quod hic fecit, quia S. Paulo vel magister fuit vitæ religiosæ, vel collega, ita de eo scribit Browerus lib. 7 Annal. ubi de ortu agit Theologiensis cœnobii :* Et peregrinæ non minus quam domesticæ sanctimoniæ gloria Trevirense solum abundabat. Huc ex longinquo se intulerat magno pietatis ardore, sed fama mirandis editis operibus illustriore, S. Wandalinus, origine Scotus, et regia, quod famæ datur, stirpe procreatus. Hunc et patriæ cœlestis amore, et soli natalis fastidio, ut quod Christi desiderio postponeret, in illam ferunt Trevirorum regionem delatum, quam Westerreichum, seu Occi- C dentale regnum, appellamus : ibi viro nobili, præclaro studio vincendi sui, operam locasse pascendis suibus; oblitumque generis ac natalium, haud gravate personam induisse subulci, tantoque religionis æstu, cultui Divino ac reliquis vacasse piæ mentis exercitiis, ut ad inediam, assiduas obsecrationes, et pervigilia, nullum diurni nocturnique temporis spatium intermitteret; postremo vitæ perfectioris amore inflammatum, Theologiense monasterium ingressum, et regulæ disciplinæ libenter submisisse collum, humilitatis ac sui met abjectionis, ad ultimam usque vitæ metam, observantissimum. Quapropter Divinæ placuisse bonitati, nomen famamque viri maxima ad posteritatis memoriam claritate splendescere, oppidumque super sepulchrum ejus atque ædem extructum, Divi nomine venerandum, ad hoc usque tempus conservare : nam S. Wendelini oppidum posteritas nuncupavit, paretque Trevirorum Pontifici, cujus etiamnum ditioni subjacet. Porro locus insigni quondam miraculorum frequentia, ac populi religionis ergo concursantis multitudine, clarissimus extitit : tametsi ex quo gravem vicinis in locis res Catholica plagam accepit, ignibus insuper vexatus, ægre splendorem antiquum tuetur. *Hæc Browerus.*

*forte sub S. Wendelino,*

*Scoto, regii generis, sed subulco,*

*mox monacho,*

*(a quo oppidi nomen)*

11 *Hujus igitur vel magisterio vel exemplis eruditus* *Paulus, mox et ipse aliorum magister est factus. Nam* D *Theologiensem Abbatem secundum fuisse, Cl. Robertus, Saussaius, ac Bruschius tradunt : imo hic* factum scri*bit* ex eremita Abbatem. *Agnovit fortassis illico S. Wendelinus idoneum, qui aliis præficeretur; sibique eum substituit, ut solitariam ipse vitam agere posset, eo nimirum loco, ubi deinde tumulatus, uno a Toleia milliari. At Vitæ illius Scriptor negat eum a principio reliquis præfuisse, quando* pro suæ sanctitatis reverentia, excepto nomine Pastoris, colebatur vice magistri, *cap. 2 num. 5. Postea tamen videtur innuere Abbatem, aut minimum tironum magistrum factum, cum ad eum ait* ex longinquis terræ partibus, audita de eo famæ opinione, multos confluxisse, et se ejus magisterio *subdidisse. inter quos Grimo, regio genere ortus, ab eo* introductus in campos Scripturarum, intantum profecit brevi, ut disciplina et moribus æquipararet magistrum..... adeo ut ad diaconatus tunc temporis pertingeret gradum. *Unde colligi potest, Paulum in cœnobio non exiguo temporis spatio, sed annis aliquot commoratum : præsertim si verum est, quod ex Berthario recitat Wasseburgius :* Nepos, *inquit,* Dagoberti Regis Grimo Diaconus, qui et Adelgisus dicitur, cum fuisset a S. Paulo ab infantia reverenter educatus, *etc. At videtur potius maturus jam cœlestibus disciplinis capiendis* E *adolescens fuisse cum ad Paulum venit, octodecim fortassis annorum aut non multo junior : neque Dagoberti nepos, sed consanguineus.*

*non statim Abbas factus,*

*sed postea*

## § III. *S. Pauli episcopatus. Decessor.*

*Cum in gemina hac palæstra Pauli probata virtus et prudentia esset, lateque sparsa fama pietatis, invitus Ecclesiæ Virdunensis admotus infulis est. Tempus aditæ illius gestæque dignitatis, Vita MS. non prodit : auctores varium edunt, absque probabili charactere. Guilielmus Gazæus scribit, anno Christi* DCLII *mortuum, cum* XXIX *annis episcopatum administrasset, quem proinde an.* DCXX *deberet suscepisse. Joannes Chenu, Ghinius, Claudius Robertus, Arnoldus Wion lib. 2 Ligni vitæ cap. 35 volunt obiisse anno* DCXLVI, XXVII *episcopatus. Idem tamen Wion lib. 3 in Notis ad 8 Februarii, et Gononus lib. 1 de Eremitis Occidentis, scribunt,* DCXXI *factum Episcopum,* XXIX *Sedis anno, Christi* DCLVIII *decessisse : quæ non congruunt. Jacobus Doubletius, et Democharès an.* DCXXI *ordinatum Episcopum; quantum vero eo munere temporis egerit, non tradunt. Wasseburgius ait cum an.* DCXXI *Ermenfredus Virdunensis Præsul decessisset, oblatam Grimoni eam dignitatem a Clo-* F *thario, qui triennio ante Austrasiæ regnum, Theodorico mortuo, occuparat. Ergo, cum alibi probaverimus, ann.* DCXIII *mortuum esse Theodoricum, consequens erit, an.* DCXV *vel* DCXVI *obitum Ermenfredi contigisse. Porro Grimonem ait annis deprecatum, Dagoberti adhuc pueri patrocinio impetrasse, ut id Paulo imponeretur. Dagobertum sexto post anno Regem Austrasiis datum. Wasseburgium sequitur Renatus Benedictus.*

*Episcopus factus an. 621?*

13 *Fatetur tamen Wasseburgius, in Berthari commentariis, aliisque vetustis codicibus Ecclesiæ Virdunensis, asseri, Dagoberti jussu pertractum esse ad eam Cathedram Paulum. Verum id ipse censet emendari oportere, et Clotario tribui, cum constet, anno* DCXXI *contigisse, quo anno (ut censet) needum Rex erat Dagobertus. Unde autem illud de anno ordinationis constat? In multis certe quidem illius auctoris vacillat Chronologia. Nam præter id quod jam notavimus, de morte Theodorici, occupatoque a Clotario Austrasia, Charimerum Ermenfredi decessorem ait an.* DXCV *Episcopum esse factum, quod S. Gregorius Turonensis diserte scribit lib. 9 cap. 23 anno Childeberti* XIII, *qui Christi* DLXXXVIII *fuit, accidisse.*

*an initio regni Dagoberti,*

14 *Anno Clotharii* XXXVIII, *aut sequenti,* DCXXI *aut* DCXXII *Christi, Rex ab illo datus Austrasiis est Dagobertus :*

*cum Theologii, sub eo fundati, monachus fuerit?*

*bertus: quo dein jubente, atque expensas præbente, fundatum Theologiense monasterium, sive* DCXXVIII *anno Christi, ut Bruschius et alii tradunt, sive aliquanto fortasse prius. Cum id jam esset absolutum, aut certe quidem inhabitari cœptum, divertit eo Paulus, ibique per annos aliquot commoratus est, ut ex iis patet, quæ superiori § dicta sunt: ut conjectare haud temere possimus, non nisi* DCXXX *aut* DCXXXI *Christi anno inde extractum esse ad episcopatum. Et sane Remensi Synodo sub Sonnatio Archiepiscopo habitæ, non Paulus, sed Godo Virdunensis Episcopus interfuit, apud Flodoardum lib. 2 cap. 5. Celebrata ea Synodus est circa annum Christi* DCXXIV, *ut alibi solide probatum.*

*Remensi Synodo an. 624 subscripsit Godo Ep. Virdun.*

15 *At quis ille in Remensi Synodo Godo? Claud. Robertus in Catal. Epp. Virdun. ubi de Paulo agit, ita scribit:* Hoc tempore florebat S. Godo, qui a Flodoardo lib. 2 cap. 5 recensetur tamquam Virdunensis Episcopus in Synodo Remensi, habita circa an. Chr. DCXXIV, fortasse quia vices Episcopi sui obiret? *At si vices obibat Episcopi, cur non, ut alibi, additum,* missus a Domino N. Episcopo civitatis Virdunensis, *aut quid simile? Cur non, ut plerumque, postremo loco recensetur? Novemdecim enim post eum numerantur. Si is* Sanctus, *ut habet idem Cl. Robertus, ubi ejus extat memoria? Extat quidem in Kalendario Virdunensi ad* XIX *Octobris memoria* S. Godonis, *sed* Abbatis; *ejus, opinor, qui ab aliis* XXVI *Maii refertur, ortus in Virdunensi territorio, S. Wandregisili consanguineus et discipulus. Alius memoratur Godo Metensis Ep. ad* XIII *diem Maii. Sed neuter Virdunensis Episcopus fuit. Suspicabatur nonnemo gemino nomine appellatum fortassis fuisse Paulum, Godonis ac Pauli, uti hic Grimo Adalgisilus memoratur, et infra Albo Guericus, in Januario Tillo Paulus. Sed cum nihil sit, quod eam conjecturam fulciat, et illius excogitandæ ratio (quod et prius sedisse ac posterius Paulus videretur) jam refutata sit; non est cur Godoni successisse, anno fortassis* DCXXXI *aut etiam serius, videri non possit. Quod enim Rosierius tom. 5 historiæ capitali 79, atque ex eo Joannes Ruerus lib. 4 Antiquit. Vosagi, recitat instrumentum,* factum an. ab Incarnatione Domini 620, *cui inter alios Paulus Ep. Virdun. subscripserit, haud meretur fidem, tum ob alia, tum quia ea ætate Christi annos in publicis Actis non signabant Franci.*

*...Pauli decessor?*

*an Ermenfredus?*

16 *Ist Ermenfredo suffectum non solum Wassebourgius, sed et MS. Vita testatur: verum hæc multis post seculis scripta est, ille sæpius in chronologia hallucinatur, nec quæ de Ermenfredo commemorat, ullo veterum monumentorum testimonio firmat: natum in extremis Belgicæ finibus, circa Argentinam, qua in urbe frequens commorabatur Childebertus Rex; ad hujus aulam deductum, atque litteris probisque moribus institutum; cum filiis ejus Theodorico et Theodeberto educatum, post Childeberti mortem Theodorico Burgundiæ Regi adhæsisse: interfuisse prælio, quo is an.* DCV *Clotharium Parisiorum Regem vicit, et Angelum in aere strictum gladium vibrantem spectasse, ac statuisse deinceps se certamini non committere, sed Deo potius studiose servire: advenisse paullo post ex Hibernia S. Columbanum, et Luxoviense cœnobium condidisse, cumque admonendi Regis gratia ad Aulam ventitaret, Ermenfridum contracta cum eo familiaritate, una Luxovium quandoque divertisse, captumque monachorum sanctitate, Aula tandem relicta, habitum quoque religiosum suscepisse: mortuo deinde Charimero Episcopo Virdunensi, ipsum jam virtutis fama celebrem, Clero populoque flagitantibus, a Theodeberto, qui Argentinæ tunc erat, datum Antistitem; tandemque anno* DCXXI *vita functum.*

*...ejus gesta ... Theodorici ...*

17 *Hæc Wassebourgius. Prælium illud Clotharium inter et Childeberti liberos contigit anno post mortem Childeberti quinto, Christi* DC, *licet Sigebertus Gemblacensis, quem sequitur ac citat Wassebourgius, ad an.* DCV *referat, ubi sic scribit:* Lotharius et Theodericus prælio inter se colliduntur: in quo plusquam XXX millia cæsa referuntur; Theodericus tamen victoria potitur. In hoc prælio Angelus Domini, evaginatum gladium super populum tenens, visus est. *Rursus quadriennio post pugnatum inter Clotharium et Theodericum, sed de priori illa pugna agunt Sigebertus et Wassebourgius, de qua et Aimoinus Floriacen. lib. 3 cap. 88. Mirum illud, Theodebertum annuisse, ut Ermenfridus e regno Theoderici, ejusque nuper Aulicus, ad Virdunensem Ecclesiam evocaretur, cum jam inter ipsum ac Theodericum quædam initia gliscerent internecini, quod secutum est, belli. Sed hoc ceteraque Wassebourgii fidei, et Virdunensium, qua fortasse nititur, traditioni demus. Adstipulatur Franc. Rosierius Stemmatum Lotharingiæ tom. 3 historia capitali 47 ita scribens:* Hunc (*Charimerum, quem* Carannerum et Carinerum *appellat*) secutus est Hermenfredus vir antea militaris et nobilis, qui Columbani Lexoviensis (*imo Luxoviensis*) Abbatis suggestione aliquantulum seculo renuntiavit, moxque Pontifex factus vita pie transacta in Christo quievit, juxta decessoris loculos tumulatus, anno Sedis XII. *Eum Wion lib. 2 Ligni vitæ cap. 55 ubi ipsa recitat Rosierii verba, absolute* Sanctum *appellat: uti et Ferrarius in generali SS. catalogo* VIII *Januarii, ac rursus* VIII *Februarii; Constantinus Ghinius in Natalib. SS. Canonicor.* VIII *Decemb. quo die Claudius quoque Robertus obiisse scribit, citatque Ferrarium, qui in Topographia Martyrologii Romani octavo Decembris adscribit. Saussaius quoque in Supplem. Martyrologii Gallic. ad* IX *diem Febr. ubi et ipse Sanctum nuncupat, excessisse e vivis scribit* VIII *Decembris,* quæ dies, *inquit,* cum immaculato conceptui sanctissimæ Dei Genitricis colendo sit addicta, subsequentesque dies Domini expectationi et nativitati, aliisque illius festivitatibus ac natalitiis sint sacrati; hujus cœlitis reverenda memoria in hunc diem jampridem fuit dilata.

*haud sat probata.*

*an hic Sanctus*

## § IV. *Gesta a S. Paulo in episcopatu.*

*Virdunum ut venit Paulus, fœdum reperit sacrorum neglectum, quia sumptus alendis Ecclesiæ Cathedralis Sacerdotibus non suppeteret. Eam penuriam partim Grimonis discipuli sui, partim Dagoberti Regis, munificentia sublevavit, Canonicorum numerum ampliavit, eosque ut habet Vita,* canonice vivere instituit. *Constare ait Wassebourgius ex Virdunensis Ecclesiæ archivis, pluribus eam possessionibus locupletatam sub Paulo, quam sub ceteris omnibus, qui eam deinceps rexerunt, Episcopis.*

*Paulus Ecclesiæ suæ subsidium obtinet a Dagoberto,*

19 *Erat tunc regis Thesaurarius S. Desiderius Cadurcensis Episcopus. Hic post Clotarii Regis mortem, a Dagoberto* tanta familiaritate retentus est, ut ampliori dignitate, quam pridem indeptus fuerat, potiretur. Siquidem diligebat eum Rex, quia noverat eum strenuum virum, sibi et fidelem, et in Dei timore esse jam solidatum. Ipse autem officia sibi commissa ita providebat, ut et in Rege fidelitatem et in Deo gratiam conservaret. Opulentissimos quidem thesauros, omnemque palatii supellectilem, hujus arbitrio Rex Dagobertus commisit. Ad cujus obtutum data recondebantur, ad ejus nutum danda proferebantur. Multi quoque Episcoporum, Ducum, ac Domesticorum sub ala tuitionis ejus degebant. Multi nobilium sibi eum gratificare gaudebant. Regina autem Nanthildis unice eum diligebat. Rex, ut dictum est, copiosos ei thesauros, pluresque ædes, multaque Aulæ utentia commiserat. *Ita in ejus Vita, quam XV Novemb. dabimus. Per hunc igitur, ut verisimile est, Virdunensis Ecclesiæ egestati subvenit Dagobertus.*

*cujus Thesaurarius S. Desiderius,*

20 *Et contracta tunc fortassis inter eum ac Paulum, aut certe aucta familiaritas est, quam ejusdem Vitæ scriptor indicat cap. 3 ita scribens:* Desiderius autem inter

*Paulo amicus.*

AUCTORE J. D.

A inter exercitatissimi Palatii ministeria sedule Deo vacans, die noctuque orationibus insistebat : habebat enim amicos bonæ fidei viros, Paulum scilicet, Arnulfum, Elegium, et Audoenum, quorum exemplo atque hortatu assidue semetipsum ad meliora subrigens, vitam suam in melius propagabat. *Et in breviori ejusdem Desiderii Vita :* Exemplo enim, vita, et moribus Pauli, Arnulfi, Audoeni et Eligii informatus *etc. Hujus amicitiæ testis est ipsius Desiderii ad eumdem Paulum epistola, quam ex corpore historiæ Regum Francorum hic visum est dare, quod utriusque eximiam pietatem indicet :* Domino semper suo Paulo Episcopo, Desiderius peccator. Jam credo ad aures tuas perlatum, qualiter monasterium construere cœperim, et basilicam jam (mihi Domino cooperante) consummatam habeam. Proinde rogo atque invito Apostolicam dignationem vestram, ut ibidem ad dedicationem interesse dignemini. Et cum nos ibidem in Dei nomine viderimus, aliquantis simul diebus commorantes, de illa æterna ac desiderabili vita, de qua mutuo suspirare solebamus, familiaria colloquia desidero ut habeamus. Alios etenim plures Episcopos interesse faciemus, qui nos vel exemplo juvent, vel hortatu roborent, quorum nos contubernio non

*eum postea Cadurcos ad dedicationem ecclesiæ invitavit :*

B mediocriter opinor adjuvari. Veni igitur, carissime, quantum longius, tantum velocius; ut post diutinam corporis absentationem tandem refocillemur mutua confabulatione. Aderit, credo, Dominus de se concionantibus, adstabit orantibus; nec nos deseret unquam, qui passus est pro nobis, de sede veniens paterna. Orantem se pro nobis, potentia Domini nostri Jesu Christi conservare dignetur. *Hactenus Desiderius. Eamdem Epistolam recitat lib. 7 Annal. Trevir. Browerus.*

21 *Ipse quoque sacris ædificiis Virdunum ornavit Paulus. Nam S. Saturnini ab eo constructa ecclesia, quæ postea S. Paulus est appellata. Ejus molienda hæc traditur a Wasseburgio occasio.* Anno nono regni Dagoberti Hairbertus *(ut habetur in Gestis Dagoberti, alii* Aripertum, et Charibertum *vocant)* frater ejus moritur, relinquens parvulum filium, nomine Childericum, quique etiam nec post moram defunctus est : omneque regnum Hairberti, una cum Wasconia, Dagobertus Rex protinus suæ ditioni redegit. Ad adducendos quoque thesauros Hairberti, et sibi præsentandos, Barontum quemdam Ducem direxit. Barontus autem grave dispendium fecisse dignoscitur, fideliter una cum thesauris furtum faciens, nunquamque exinde

*Ariperti an. 636 mortui,*

*thesauros aufert Dagobertus,*

C fraudulenter subtraxit. *Eadem narrat Fredegarius cap. 67 et Aimoinus lib. 4 cap. 23, qui, quod huc facit, cap. 20 de eodem Dagoberto ita scribit :* Prioris oblitus bonitatis, non solum Ecclesiarum, verum etiam quorumque locupletum inhians rebus, improbus effectus est prædo. Nam inter alia Ecclesiarum, Galliæ spolia, ex occasione basilicæ Divi Dionysii exornandæ, direptas valvas fusili ære fabrefactas a templo S. Hilarii Pictavensis fertur abstulisse. *Simili modo corpus S. Saturnini Episcopi et primi Tolosatium Apostoli, pretiosa conditum theca, cum vidisset, Dagobertus, jussit ad S. Dionysii cœnobium deferri : eoque et ipse cum pluribus Episcopis venit, ut sacrum illud pignus honorifice collocari curaret ; adfuit inter ceteros Paulus, et qua valebat apud Regem gratia, et Grimonis discipuli quondam sui patrocinio, partem aliquam earum reliquiarum obtinuit. Ita fere Wasseburgius.*

*et corpus S. Saturnini :*

22 *Nicolaus Gillius, qui diu ante Wasseburgium hanc S. Saturnini Translationem Francicis Annalibus inseruit, tradit per Barontum Ducem, quarum videlicet quum Rex suus ejusmodi rerum esset studiosus, factam. Venisse deinde ab urbe Tolosa Legatos, qui reliquias sibi reddi flagitarent sancti Martyris, a quo essent Christi sacra edocti, quemque cives sui eximia prorsus religione venerarentur. Postquam enim illis sacrum*

*hoc Tolosanis, multa nepe ta perpessis, reddit,*

D *ablatum sit corpus, neque uxores suas edere partus potuisse, neque fruges maturuisse. Annuit Dagobertus ut S. Saturnini corpus ea lege reciperent, ut in illius vicem SS. Patrocli Episcopi Gratianopolitani, Romani Presbyteri Blaviensis, Hilarii Episcopi Gratianopolitani corpora darent. Descripsisse ea a Nicolao Gillio Wasseburgius videtur ; licet eum non citet : sed quod etiamnum tria hæc corpora in cœnobio Dionysiano asservari scribat, miramur eorum non meminisse Doubletium in Dionysiacis, quod quidem reperire in ea potuerimus. Idem ex Gillio describit Catellus lib. 3 Commentariorum Occitanor. neque tamen aut sua auctoritate confirmat, aut refellit : monet solum S. Hilarium, cujus una cum aliis duobus datum sit corpus, non Gratianopolitanum Episcopum fuisse, sed Gabalitanum, seu Mimatensem, qui colitur XXV Octob. quo die de ejus sacro corpore ita scribit Saussayus :* Utque impensiori cultu corpus ejus, organum tot gratiarum, potiretur, regia pietate ad augustissimam S. Dionysii in Francia basilicam delatum; ibidem proprio in sacello et loculo reconditum fuit, ubi in hanc usque diem honorifice servatur. *S. Romani Vitam dabimus XXIV Novemb. qua die ista habet idem Saussayus :* Corpus hujus cœlitis a Dagoberto Rege ex Aquitania interiorem in

*triumque aliorum SS. corpora accipit,*

*et in S. Dionysii cœnobio ponit.*

E in Galliam traductum, ab ipso in insigni cœnobio S. Dionysii sibi dilectissimo pie repositum est, ubi etiamnum quiescit. *S. Patrocli neque in Episcoporum Gratianopolitanorum catalogo, neque in Martyrologio Gallicano exstat nomen. De eo (cujuscumque Sedis Episcopus fuerit) egimus XXXI Januarii.*

23 *Hac ergo occasione Paulus partem aliquam adeptus reliquiarum S. Saturnini, in quem antea magno studio pietatis ferebatur, sacellum ei, sive ecclesiam extra urbis muros condidit, quæ primum Canonicis data, postea monachis Benedictinis, ut infra dicemus, demum Præmonstratensibus, et nunc S. Pauli appellatur. Ea ædificari cœpta videtur circa annum Christi* DCXXXVII, *nam* DCXXXVI, *sive Dagoberti* IX, *mortuus est Aripertus.*

*S. Paulus S. Saturnino, obtentis ejus reliquiis, templum ædificat.*

24 *Aliquanto post interfuit* Paulus *translationi S. Arnulfi, de qua ad illius Vitam* XVI *Aug. agemus. Sigebertus Gemblacensis eam scribit obiisse anno Heraclii Imp.* XXVIII, *quem ipse cum* DCXI *Christi anno componit. Verum cum Heraclius an.* DCX XVII *Martii imperium capessiverit, annus illius* XXVIII *inchoari debet a* XXVII *Martii anni* DCXXXVII *Christi. S. Antoninus par. 2 tit. 13 cap. 6 § 13 nulla facta annorum Christi mentione, scribit an. Heraclii* XXVIII *migrasse ad Dominum.* Post

*corpus S. Arnulfi transfert an. 638*

F anni fere jam acto tempore, *ut in ejus Vita habetur,* vir electissimus successor ejus Goericus Episcopus, consilio inito, coacervata Clericorum, seu etiam populorum ingente caterva, adscitis quoque duobus Episcopis secum, una pergunt ad eremum. *Quinam illi duo Episcopi fuerint, indicat Vita S. Goerici* XIX *Sept. in qua eadem Translatio, et Miracula tunc facta narrantur ; ita ergo habet :* Mittens accersiit duos venerabiles Episcopos, Tullensem videlicet et Virdunensem, harumque trium civitatum Clericis et monachis, divitibus et pauperibus concurrentibus, B. Goericus Vosagum iter aggreditur. *Tullensi Ecclesiæ præfuisse eo tempore* Teutfridum, *seu* Tenpectum, *scribit Roserius tom. 3 Stemmatum Lotharingiæ, hist. capitali 18. Idemque est* Theodefridus, *qui diplomati S. Sigeberti Regis subscripsit, quod e archivo Stabulensi dedimus I Februarii in Analectis post Vitam S. Sigeberti § 3 num. 19.*

## § V. *S. Pauli obitus. Reliquiæ.*

His *aliisque rebus præclare ac sancte gestis, decessit Paulus circa annum Chr.* DCL, *ut conjicit Hareus, cui subscribunt plerique supra citati, qui an.* DCXLVIII, *vel* DCXLVII, *vel* DCLII. *mortuum volunt; etsi nullum proferant*

*S. Paulus quando mortuus?*

A *raut characterem chronologicum. Fortassis etiam aliquanto diutius superstes fuit. Longe aberrat Trithemius lib. 4 de viris illust. ord. S. Benedicti cap.* 201 *qui* claruisse *scribit* temporibus Dagoberti Regis, anno Domini DCCXX, *nisi librarii erratum sit; nam in Compendio Annal. diserte asserit Dagobertum obiisse* DCXLV, *et sub filiis ejus Clodoveo et Sigeberto floruisse Paulum. Roserius loco cit. ita de Pauli morte scribit :* Dehinc Saturnini Aquitaniæ Apostoli reliquias Virdunum transtulit, cui honoris ergo aram struxit; statimque justitiæ omniumque virtutum ornamentis fulgidus ad cœlos evolavit.

26 *Nomen ejus sacris tabulis inscriptum ad* VI *Id. Febr. quo die vetus MS. Martyrol. Brugense, et MS. S. Lamberti Leodii, ita habent :* Ipso die S. Pauli Virdunensis Ep. *MS. S. Richarii :* Virdunis S. Pauli Ep. et Conf. *Ad MS. Usuardi Martyrolog. in cœnobio S. Germani Parisiis alia manu, sed antiqua, adjectum erat :* Viriduno S. Pauli Ep. et Confess. *Idem fere*

*inscriptus Martyrologiis 8 Feb.*

*habet Galesinius. Martyrol. Rom.* Viroduni in Gallia S. Pauli Ep. miraculorum gloria illustris. *Vetustissimum Usuardi MS. exemplar, (quod fuit Augustini Hunnæi) Molanus in addit. ad Usuard. Canisius, Florarium, multaque MSS. et excusa Martyrologia :*

B Virduni natalis B. Pauli Episcopi et monachi, ipsius Ecclesiæ restauratoris et rectoris præcipui. *Idem antiqua manu adjectum erat ad MS. Martyrol. Adonis cœnobii S. Laurentii Leodii; licet ibidem perperam* Martyr *sit appellatus. Prolixius ejus elogium habent Wion, Ghinius, Saussaius. At Maurolycus* IX *Febru. ita habet :* Virduno cœnobio Pauli Ep. et monachi. *Quis Virdunum urbem antiquissimam cœnobium*

*9 Feb.*

*appellarit? Alioquin* IX *Febr. eum quoque refert Martyrol. S. Gudilæ Bruxell. et alia nonnulla. In quodam*

*8 Januar.*

*MS. non admodum antiquo, refertur* VIII *Januarii. Colitur Virduni* VIII *Februarii Officio* IX *Lectionum, ut ex Breviario Virdunensi patet.*

*sepultus in æde S. Saturnini.*

27 *Sepultus est in eadem, quam fundaverat, æde S. Saturnini, ubi complura patrata per eum miracula. Qui illi successit Gisloaldus, circum eam ædem domos*

*ibique Canonici instituti.*

*complures construxit, deditque Canonicis et aliis Sacerdotibus habitandas, idoneo assignato, quo sustentarentur, censu; sacrorum, quæ identidem religiose peragerent, constituta disciplina uti antea Paulum ipsum animo destinasse didicerat. Ita Wasseburgius. Roserius quoque de Gisloaldo sic scribit :* Huic (*Paulo*) suffectus est Gisloaldus, apud cellam Theologiensem antea monachus, cum Clerus illum elegisset, Sigebertusque Austrasiæ

C Rex electionem confirmasset. Canonicos in æde S. Saturnini instituit, nec multo post abscessit ex humanis, anno muneris XVII.

28 *Idem de S. Pauli reliquiis ista habet :* Cujus corpus cum Fratres Theologienses noctu surripuissent, clamque domum deducerent, divinitus sistere moniti, progredi non potuerunt. *Id quemadmodum, et quando evenerit, plenius ita commemoratur a Wasseburgio. Primis Caroli Magni temporibus extremisque Pipini, fertur Ecclesia Virdunensis Antistite caruisse, ejus administratione Amelberto cuidam, viro sancto, sed invito, a Canonicis imposita, quia Episcopum eligere*

*varie vexata dioecesi.*

*Regis injussu fas non erat. Is coercere improbos quosdam homines non potuit, ne Ecclesiæ possessiones aut invaderent, aut jam per eum antea occupatas retinerent. Præfecit tandem Carolus ei Ecclesiæ Petrum Italum, qui Desiderio Regi urbis Papiæ deditionem suasisse ferebatur. Is dum rerum Ecclesiæ suæ egregie satagit, delatus est ad Regem, quod conscius nescio cujus adversus eum conjurationis fuisset. Mox datus in custodiam, e qua, cum crimen accusatores non probarent, ita deinde dimissus est, ut tamen Aulam regiam adire vetaretur, neque novas, quæ Ecclesiæ suæ inferebantur, prohibere injurias posset, nedum amissa bona recuperare : donec post annos fere duodecim, in Regis gratiam, filiorum* ejus patrocinio, rediit, eique suam innocentiam probavit. D

29 *Eo igitur tempore pleræque urbis Virdunensis Ecclesiæ a militibus aliisque nefariis hominibus impune vexatæ, ac rebus suis spoliatæ; relictæ nonnullæ, atque omni cultu Numinis orbatæ : imprimis S. Saturnini*

*neglecta illa ecclesia.*

*ecclesia extra urbis muros sita, omni ornatu spoliata, planeque deserta. Jacebat misera in æde absque honore S. Pauli Episcopi corpus. Ea re comperta, Theologienses monachi, clam illud ad monasterium suum asportare*

*Theologienses S. Pauli corpus auferunt :*

*moliuntur. Ex iis quidam Virdunum veniunt, obeunt ritu peregrinorum ecclesias, observant diligenter omnia; nactique opportunitatem, irrumpunt noctu in S. Saturnini ecclesiam, effringunt S. Pauli tumulum, reliquias reverenter eximunt, ac mundis linteis involvunt, atque illico abeunt : cumque sole oriente multum se itineris confecisse arbitrarentur, duobus solum milliaribus Virduno aberant, media in silva; ubi cum paullulum quievissent, iterum sese dant itineri, sed iterum ac sæpius ad eumdem locum reversi sunt.*

*certo loco detinentur.*

30 *Erat Virduni religiosus quidam Sacerdos, quem nocte eadem res divinas meditantem vox ejuscemodi perculit : Virdunenses, nimium privatis emolumentis intenti, socordia vestra perdetis urbis vestræ Patronum*

*a Virdunensibus, divinitus monitis,*

*Paulum, cujus corpus advenæ quidam hac nocte furati* E *asportant. Territus vir sanctus, e strato exilit, civesque excitat : ii peculatu comperto, certos homines quaquaversum dimittunt, qui fures persequuntur. Hos, quo diximus loco, media in silva deprehensos, et Divina quadam virtute retentos, interrogant, unde tanta iis audacia,*

*deprehensi,*

*ut tam enorme sacrilegium designarint. Illi attoniti, non contemptu se pravoque consilio, sed pietate motos aiunt sancti Antistitis corpus ad Theologiense monasterium deportare voluisse, ubi olim vitam egerat, multaque patrarat miracula, majori deinceps afficiendum honore, quam antehac a Virdunensibus. Simplici et ingenuo responso placati Virdunenses non facti modo veniam dederunt, sed et partem sacri capitis iis donarunt. Hanc illi*

*partem capitis obtinent.*

*hilares Theologium deferunt, ubi etiamnum religiose remur asservari. Testatur de sua ætate Bruschius :* Cujus caput, *inquit,* in Tholeia in magnis deliciis habetur, et plebi certis festis ostendi solet.

31 *Reliquum corpus in urbem revectum ad ædem S. Saturnini, majorque quam prius ei veneratio habita. Eo vero loco, ubi sacræ erant exuviæ recuperatæ, egregia e saxo Crux, atque ante eam altare erectum : manet loco nomen, nam vulgo* Palecroix, *quasi* Pauli-crux

*Cruce ibi erecta, facta miracula :*

*appellatur; pertinetque ad S. Vitoni cœnobium. Ea quoque Crux venerationi accolis fuit, ut ad eam frequen-* F *tes religionis ergo concurrerent. Verum hæc etiam sensim restincta pietas est. Tum vero propinquo e pago colonus, cum majori saxo ad nescio quam ædium suarum necessitatem egeret, abjecto omni tum metu Numinis, tum Sancti reverentia, lapidem, quo tectum illud erat*

*lapide inde sublato punitus sacrilegus,*

*ante Crucem altare, sustulit, ac domi ad profanos usus aptavit. At non diu impune id tulit. Nam oves illi, equi, boves, emortui : dein ipsemet gravi correptus ægritudine, ac prope depositus, redit demum, instinctu quodam Divino, in sacrilegii sui memoriam, magnoque cum animi dolore, sanctum Præsulem ac Deum veniam rogat, et*

*post curatu*

*restitui loco pristino lapidem jubet, publice culpam fassus, moxque valetudinem integram recuperat. Omnium animi denuo ad pietatem Sanctique venerationem inflam-*

*facta denuo miracula.*

*mati; concursus ad eum locum facti, multa patrata miracula. Quare monachi S. Vitoni (quod cœnobium haud multo ante a Berengario* XXXIII *Virdunensi Episcopo, sub annum Christi* CMLII *fundatum erat) istic ecclesiam ædificarunt, Prioratumque Ordinis Benedictini instituerunt; verum cuncta dein variis belli cladibus subversa, atque æs omne Campanum, lignaque et cæmenta Virdunum convecta ad S. Vitoni monasterium, planeque desertus est locus ille* Pauli-crucis, *Wasseburgio teste.*

* VI.

A

## § VI. S. Pauli ecclesia. Miracula.

AUCTORE I. B.

*Liquor salubris e reliquiis, aliaque miracula.*

*Quo fere tempore miracula ad Crucem illam facta memorantur, haud pauciora in æde S. Saturnini, ad S. Pauli tumulum, accidere : ac præcipue ex eo salutaris quidam liquor, olei instar, manavit, quo complures ægri curati. Illud vero portentum ita plebs Virdunensis interpretata, lacrymari Sanctum propter ædis a se olim ædificatæ squalorem ac ruinam. Eo rumore, ac præcipue miraculis, motus* Wilgefridus XXXIV *Episcopus, Berengarii successor, eam ædem a fundamentis restauravit atque amotis Canonicis monachos istuc Ordinis S. Benedicti constituit, quibus* Blieherium *Abbatem præfecit. At vero S. Pauli reliquias tumulo reverenter exemptas, argenteæ thecæ affabre factæ inclusit. Exinde ea ecclesia* S. Pauli *est appellata. Sedisse Wilgefridum tradit Wassebergius ab anno Chr.* CMLXI *ad* CMLXXXVII, *quo pridie Kalend. Septemb. decessit, inque eadem S. Pauli æde conditus est.*

*Collocati isthic monachi Benedictini,*

33 *Ut porro nulla est ita splendida virtus inter mortales, quæ non tandem affuscetur ; cum centum et quinquaginta per annos istud stetisset* S. Pauli *monasterium, omnis in eo soluta est morum disciplina. Quare Albero* XLVI *Episcopus, qui ab an.* MCXXXI *ad* MCLVI *Ecclesiam* B *Virdunensem gubernavit, cum frequentibus admonitionibus, minis quoque, ac pœnis etiam, non potuisset perversos monachorum mores emendare, neque inducere vel Laurentium S. Vitoni Abbatem virum eximiæ virtutis, vel alium ullum probatæ pietatis, ut illud regendum monasterium susciperet, monachis tandem ad diversa aut ordinis monasteria amandatis, Canonicis Præmonstratensibus illud habitandum tradidit an. Chr.* MCXXXVI. *Quod ejus factum postea Innocentius* II *Pont. Max. (uti in Chronico Præmonstrat. ad an.* MCXXX *scribit Miræus) confirmavit, diserte statuens, neminem* scandalum debere generare, si in locum monachorum, qui nimis remisse vivebant, sunt religiosi Canonici subrogati. *Primus Præmonstratensium isthic Abbas fuit Rogerus ab an.* MCXXXVI *ad* MCXLI *cui suffectus Theodoricus filius Hezamidi, vel (ut Pagius habet) Heynardi, Salmensis Comitis, qui an.* MCXLVIII *decessit. Rem eam omnem fuse lib. 4 in Alberone narrat Wassebergius, corrigendus tamen quod Præmonstratenses æque ac Cistercienses S. Benedicti servare regulam scribat. Illud vero ad religiosæ disciplinæ atque œconomiæ commendationem facit, quod cum antea vix* XX *ali possent, postea* CCC *alti sunt, monasterii proventibus nequaquam auctis. Quod vel non advertit vel sequi noluit Joannes* C *Pagius Bibliothecæ Præmonstratensis lib.* 2 *in Rogerii et Theodorici, quos, uti et Alberonem,* Beatos *appellat, Vita, ita scribens :* Res familiaris in ea *abbatia* adeo crevit, et aucta est, ut quæ antea in sustentandis XX Benedictinis sufficere non potuerat, illa insigniter sub ejus (*Theodorici*) regimine, Præmonstratensibus trecentis, munere censibusque multiplicata ac ditata est.

*Amotis, Præmonstratenses :*

*Albero Ep. ibidem Religiosus factus.*

34 *Ipse quoque Albero, relicto episcopatu ac sæculo, in eodem S. Pauli monasterio habitum ordinis Præmonstratensis suscepit : atque exacto fere biennio pie mortuus est, an.* MCLVIII. *Ita Wassebergius, Miræus, Pagius : hic eum* II *Novemb. scribit obiisse ; Chrysostomus Abbas in Novemb. eum refert in Natalib. SS. Ord. Præmonstrat. ubi Beatum quoque nuncupat, uti et Cl. Robertus. At Demochares, quem sequuntur Miræus et Robertus, ita scribit :* Pro isto B. Bernardus cum cantaret Missam, mutasse collectam defunctorum in Collectam Confessorum traditur.

# VITA AUCTORE ANONYMO

ANIMADV PAP. 38

### ex MS. monasterii S. Maximini,

## CAPUT I.

### *S. Pauli adolescentia. Anachoresis.*

Hic igitur venerandus Pater noster Paulus, illius quondam admirabilis gentium prædicatoris Pauli imitator eximius, cujus et nominis vocabulo æquivocus, et operis exhibitione exstitit univocus ; inferioris Galliæ partibus non vilium personarum dignitate originem ducens, e cunis et vagitibus exceptus, liberalium studiis litterarum, sicut olim moris erat Nobilibus, traditur imbuendus : quarum usu et studio ita brevi succreverat, ut non eum Grammaticæ, seu Dialecticæ, vel etiam Rhetoricæ, ceterarumque disciplinarum fugerent ingenia. Verum ubi hoc ebiberat, ab introitu mundialis pompæ (quæ curis et sollicitudinibus velut aureos montes coacervans, prima inter mortales putatur) semel illapsum retraxit pedem, ne nimio ejus illectus amore perferret ruinam inmanis præcipitii : totusque in divina conversus, circa ecclesias aut monasteria divinis cultibus erat semper intentus. Instabat denique misericordiæ operibus, E opem ferendo miseris, nihil sibi præter quotidiani victus et vestitus necessitatem reservans ; Evangelici præcepti non immemor, infirmis, nudis, esurientibus, carceribus inclusis, vel diversis necessitatibus præventis, quidquid habere potuerat, largiebatur : illud Dominicum in conclavi cordis retinens inconvulse, quo prohibemur de crastino cogitare. Addiderat his celerrimos ad cœlum jejunii et orationum volatus, cum studio pacis et sanctimoniæ, sine quibus, ut didicerat ab Apostolo, neminem Deum posse videre noverat. Et licet actualis vitæ negotiis ministraret Domino cum Evangelica Martha, tamen avidus divinæ contemplationis inspector satagebat eligere optimam partem, quæ ab eo non auferretur, cum Maria.

*Paulus nobilis*

*litteris eruditus,*

*sanctis operibus se exercet*

Matth. 6. 34

Hebr. 12. 14

2 Cumque hujus intentionis instantia dies noctesque detineretur, ut, si quo modo posset, ad summum perfectionis attingeret, divino respectu incidit ei salutis novissimum et præ ceteris utile consilium : scilicet ut Patriarchæ Abrahæ fidelissima credulitate subnixus, nativum solum relinquens, exteras nationes et ignota peteret loca, et beatæ paupertatis indigentia ditatus, pauperior vulpibus foveas, et cœli volucribus nidos habentibus, ipse cum Christo non F habeat ubi caput suum reclinet. Incitabatur præterea David Regis et Prophetæ non contemnendis dictis et exemplis, qui die palatium purpura nitens regebat, et nocte in cilicio et cineribus recubans, insudando gemitibus, lacrymis stratum rigabat, egenum et pauperem sese clamitando, Deum in adjutorium, ut se liberaret non diutius immorando, expostulans, Ego, inquit, egenus et pauper sum, Deus adjuva me : quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Et extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. Et iterum, Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. *a* Evangelica nihilominus tuba (ubi ad summum perfectionis culmen attingere cupienti, jubetur cuncta vendere, et pauperibus erogare, quodque pro Christo relinquenti agros, patrimonia, uxorem, filios et cetera, centuplicatio insuper et vita æterna repromittitur : hoc quoque quod nisi crucem quis tollat quotidie, Christum sequi non possit ; adhuc etiam non esse discipulum ejus, qui parentes, filios et fratres, insuper et animam suam non oderit) instigatus, insuetæ peregrinationis et ignotæ viæ longinquitatem, quo iret nescius, assumit : suæque nobilitatis oblitus, parentum diligentiam

*relicta patria,*

Psal. 69. 6, 26. 10, 68. 9, 54. 8

*a*

Matth. 19. 21. et 29. Luc 9. 23

A tiam odiendo et nesciendo fugiens, adversario suo in via Dei consentit, et Domino præduce eremum, quæ Vosegus nuncupatur, Christi servus, Regi suo militaturus, cunctis mundi curis postpositis ad perficiendum quod animo conceperat, lætus ingreditur. Hujus eremi solitudidem anachoritarum plurimi cellulis divisis feruntur inhabitasse, præter sabbatum et Dominicam mutuis visibus et alloquiis disjuncti, nisi quos aut corporalis infirmitas vel animæ salutis caussa visitari coegisset : quorum optabilem conversationem Paulus, ut diu desiderando animo deliberaverat, adipisci satagebat.

*Vosegum incolit*

*cum aliis Eremitis :*

a *Plura hic habebantur in codice quo usus est Surius. Addit enim* His aliisque inflammatus, mundi gloriam, ut rem inanissimam, putavit prorsus pro nihilo, ut quæ instar flosculi subito appareret et paullo post marcesseret: cogitationibusque diversum persuadere volentibus ejusque salutari proposito adversis et contrariis, opponebat illud Apostolicum: Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Huic jungebat illud ex Evangelio; quo perfectionem attingere cupienti *etc.*

1 Timot. 6, 7.

## CAPUT II.

### *S. Pauli vita cœnobitica.*

Sed quoniam non est in hominis potestate vita ejus, et non est consilium contra Dominum, neque volen-
B tis neque currentis, sed miserantis est Dei, longe aliter, quam ratus erat, nutu pietatis Divinæ creditur evenisse; ut quandoque futurus Pontifex interim delitescens in monasterio cum Fratribus viveret, atque in schola virtutum attentus addisceret, quod mox animarum saluti prædicatione conferret salutari. In eadem namque eremo erat monasterium, quod nunc usque miserante Deo conservatur, monasticæ religionis insigne, Tabuleium antiquitus nominatum, sic interpretatum eo quod sectis in modum tabularum lapidibus fuerit prius ædificatum : quod moderni melius interpretantes a Theologium dicunt; cujus interpretationis contentionem sapientibus, quod quisque melius viderit, relinquentes, ad proposita redeamus. Casu ad idem monasterium hospitandi gratia cum B. Paulus divertisset, a Patre et Fratribus libentissime ut Christus hospes excipitur, ac post orationem ad hospitium revertenti, Abbas cum fratribus, divinis obtemperando mandatis, pedes manusque lavant; et cum omni devotionis reverentia, cuncta humilitatis prabent obsequia : et ut aliquantisper ibidem remorando ob difficultatem longioris viæ fatigata insolito labore membra refoveat, rogant, et impetrant.

*Doleum divertit;*

*ubi benigne exceptus,*

C 4 Ubi aliquandiu moratus crebris cum Fratribus et Abbate alloquiis vir Deo carus cum cœpisset agnosci; reputans Abbas id divinitus actitari, quo ejus vita et mores exemplum esset ceteris salutare, cogitabat si posset eum monasticæ institutionis mancipare unanimitati; ne forte eo ad alia demigrante loca, ipse sanctitatis ejus perferret dispendia. Quadam itaque die, sicut sæpius, cum de mundi hujus contemptu sermocinarentur, sui animi intentionem, et quis esset, ut quid venisset, vel quo ardore cordis detineretur, quodque magis eremi solitudinem, dummodo Christi gratia potiretur, quam totius mundi amplitudinem diligeret, evidentissimis assertionibus quærenti aperuit Abbati; satis per Deum obtestans, hoc habeat secretum, sibique ad inhabitandum divinis aptum servitiis perquirat locum, ac renuntiare festinet inventum. Adjuratus Abbas, ne credita sibi denudet arcana, neque votis ejus existat contrarius, amplius autem anxius ne tanti viri absentiæ loci patiatur discrimina, jam non ex se, neque sua, sed ipsius Domini cœpit opponere, quo eum retineret, exempla : qui suæ Passionis hora, dum humanitate mortem timeret, Patrem orabat; Pater, inquiens, transfer, si vis, calicem hunc a me, attamen non mea voluntas, sed tua fiat. Et iterum : Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me. Pro D retentione viri hæc et cetera hujusmodi Abbate prosequente, ille perdurabat immobilis, nec ab incepta removeri poterat, quin quod mente conceperat compleret. Cumque videret Abbas in id propositi eum perseverare, nec ullo modo valeret urgere, (quippe non erat adeo humilis fortunæ, ut ad quod nollet cogi posset) sumens ex divinis ad suadendum exempla Scripturis, hæc per ordinem Abbas subsequitur. Si, inquit, cum Abraham Patriarcha pro Christo a natali cespite peregrinaris, quod reputabitur tibi ad justitiam; si cum David Rege ac Propheta elongasti fugiens, ut maneas in solitudine, et vir Evangelicus, patriam, parentes, agros ac cetera in Evangelio Christo jubente reliquisti; tamen adhuc ut justus justificeris, quiddam perfectionis tibi deesse noveris. Unde si ad id inhianter properas, ex persona humilium audi Prophetam protestantem : Induxisti nos, inquit, in laqueum; posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra; non nostram voluntatem, sed Prælatorum jussa exequi humiliter et obedienter debere præmonstrans. Et ne parva videatur Prophetæ assertio, quoniam hæc eadem a nemine pertulerit, ipsius Christi Domini, quem sequeris, utamur exemplo. Denique vide quid E Apostolus de eo dicat : Christus factus est pro nobis obediens Patri usque ad mortem. Ergo si vere eum sequi decernis, (sequi autem imitari dixerim) obedientiæ tramitem ingredere, et in ea perseveranter, si necesse fuerit, obediens esto usque ad mortem. Non enim laudabitur exercitatio discipuli, quem non approbaverit reverenda eruditio magistri, et auctoritas sacri eloquii est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit. Et salvator ad discipulos de novellæ gratia institutionis, Si hæc, inquit, scitis, beati eritis si feceritis ea. Et Apostolus Jacobus : Non auditores Legis tantum, sed factores justificabuntur.

*illius ratio- nibus ab Abbate inductus,*

Luc. 22, 42
Joan 6, 38

AUCTORE ANONYMO EX MSS.

Psal. 65, 11

Phil. 2, 8

Joan. 13, 17
Jac 1, 22

5 His auditis vir beatus, quibus contradicere non valebat, assensum præbuit : et quoniam quod rogabatur ipse prius rogare debuerat, pro negligentia toto corpore terræ prostrato veniam postulabat, ad omnia regularis vigoris præcepta Patris imperio se pollicens obtemperaturum. Votis itaque omnium, cum benedictione Patris monasterii, Angelicum monachi schema induitur; et ut verus Dei famulus, congregationi Sanctorum admixtus, qualem quantumque se exhibuerit, nullius (ut reor) facultatis est evolvere. Ex die namque mutati habitu in religioni F propositum, in eodem loco permanendo, incredibile effatu videtur, quas cruces, corpus castigando et in servitutem redigendo, sibi indixerit, quæ tormenta membris inflixerit, cum nec ad modicum saluti corporis indulserit, nec semel missam manum ad aratrum, recordatione uxoris Loth, retrorsum retorserit. Fuit enim in eleemosynis largus, caritate præcipuus, castitate mundissimus, humilitate sanctus, prudentia solers, astutiam serpentis cum lege custodiens, et puritatem simplicis animi non amittens; ad suasum b Salomonis cum timido de bello, cum superbo de humilitate, cum injusto de justitia, cum iracundo de mansuetudine, contraque omnium vitiorum genera, quæ oppositis pelluntur virtutibus, non arroganter increpando, sed humiliter ac sapienter quasi compatiendo disputans, quodam præsagio futurorum, Pastoris cura gregi advigilabat. Hac virtutum gratia pollens amabatur ab omnibus, venerabantur universi, placebat cunctis, unoque affectu pro suæ sanctitatis reverentia, excepto nomine Pastoris, colebatur vice magistri.

*fit monachus,*

*et austere ac sancte vivit*

b

*omnibus carus,*

a *Al. Beaurieu* Theologium *vocat*, c Dologium, *Trithem. lib.* 4 *de vir. illustr. ord. S. Benedicti cap.* 201 Doletum, *lib.* 3 *cap.* 58 Toleiense cœnobium. *lib.* 1 *Annal.* Dologiense, *Bruschius* Thologiense, *alii* Tabularium Tabulanum, Tabulagium, Tabulaneum, *vulgo*

AUCTORE ANONYMO EX MSS.

A *vulgo* Tholey. *Merito refellit Wasseburgius eos, qui Paulum putarunt in Sinaiensi monasterio habitasse, cum id multo post sub S. Sigeberto Rege sit constructum.* — b *Non Salomonis ille locus est, sed Jesu Sirachidæ lib. Ecclesiastici cap.* 37, 12.

a *Hunc Bruschius et Cl. Robertus fratrem Dagoberti faciunt; Wasseburgius et alii, consanguineum. Ab eo dictum remur* Grimburch *oppidum inter Tholesam et Treviros. Statuitur is tertius Abbas Tauleiensis.* — b *Hagæo et Doublelio dicitur* Adalgisus; *Ren. Benedicto* Algisilus. — c *Aliis* Ermenfredus, Hermenfredus, *et* Hermenfridus *dicitur de quo actum* § 3. — d *Minus apte Sirius:* Tametsi, inquit, laudo illorum tale de me judicium et existimationem, qua me tanto honore dignum arbitrantur. *Debuit quidem eorum laudare in se benevolentiam, at non probare judicium, vir humilis.* D

## CAPUT III.

### *Recusatus a S. Paulo episcopatus.*

Sed ne tanta virtutum copia manis esset et vacua, neque lucerna tot radiorum facibus accensa, sub modio celaretur abdita, verum cunctis in domo Dei luceret proposita; cœperunt ad eum ex longinquis terræ partibus, audita de eo famæ opinione, multi confluere, et se ejus magisterio non solum mediocrium filii, sed et præpotentum ac nobilium generositate progeniti, unanimes convolare. *a* Grimo namque, qui et *b* Adalgisilus, nepos Dagoberti Regis, pro amore cœlestis patriæ cunctam hujus mundi gloriam pro nihilo ducens, illius se doctrinæ subdidit imbuendum, cujus vitam et actus, velut agrum vernantem diversorum varietate florum, cuique benedixit Dominus, didicerat a compluribus odore omnium confragrare virtutum. Cujus dilectioni repente sic inhæsit, ut nullo modo, nisi morte præventus, ab eo posset divelli. A quo introductus in campos Scripturarum, B intantum profecit brevi, ut disciplina et moribus æquipararet Magistrum. Idem etenim monasterium Tabuleium, sive Theolegium, hæreditario jure proprietati competebat Grimonis, in quo, ut in proprio, libentius cum Magistro commorans, de gramine virtutum centuplicatum retulit fructum, adeo ut ad diaconatus tunc temporis pertingeret gradum.

*interque eos Grimonem*

*a*

*b*

*multos instruit,*

7 Per idem tempus defuncto *c* Ermenfrido Virdunensi Episcopo, quærebatur qui mox subrogaretur hoc officio dignus, ne per spatia temporum dilaniaretur absque Pastore grex Domini morsibus luporum. Nec defuit qui perferret ad aures Principum, degere infra regni sui fines et in jam dicto monasterio quemdam monachum, nomine Paulum, cui satis condigne posset pastoralis cura committi. Continuo ad Regis edictum legantur, qui hæc eadem ad Grimonem perferunt, jussumque ut assumptum Paulum quantocyus ad palatium abducat virum sibi carissimum, ad honorem Virdunensis Episcopatus, divinæ providentiæ nutu, Palatinorum, Cleri, plebisque assensu, ac in reciprocatione sui erga eum amoris, a Rege promovendum. Qui nimio repletus gaudio, nuntiat Patri carissimo Regis voluntatem, nobilium, mediocrium, ac C omnium erga se unanimem desiderantissimam devotionis electionem; suadetque, ut celerius mandata Regis festinet exequi. Cui ille, *d* Licet inquit, laude me præferant, et ad Pastoris curam quasi dignum eligant; forsitan tamen in Canonibus prohibitum ignorant, ne aliqui de suis Sedibus commigrantes, aliis facile ordinentur in locis. Unde nec ad Regis jussum, nec ad populi votum, noverint fas esse violare Divinarum decreta legum. Quapropter alio Regis et Principum se vertat intentio, ne si incognitum et ad rumores vulgi falso laudatum Christi Ecclesiæ præfecerint, in futuro sera pœnitentia persentiant detrimentum. Hæc dicens legatos remittit vacuos, hac occasione sperans et se posse quiescere, et Regem ab intentione proposita cessare. Sed Dei omnipotentis ante secula providentia, quæ eum noverat futurum Præsulem, ad dandam scientiam salutis plebi suæ in remissionem peccatorum eorum, quæque illum de remotis terrarum partibus ad hoc adduxerat, immisit in cor Regis, ut tractum de monasterio, quamvis renitentem et invitum, jam non sua pro libitu quærendo, sed quæ Dei sunt obedienter faciendo, Ecclesiæ suæ præficeret, secundum quod sibi viderentur consilio Regum audacter. Quod quomodo actum sit sequens sermo explicabit.

*c*

*oblatum episcopatum recusat,*

*d*

*frivolo prætextu*

## CAPUT IV.

ANIMADV. PAG. 39

### *Vita S. Pauli et miracula a Berthario scripta.*

Hunc vero B. Paulum extitisse fratrem S. Germani Parisiensis Ecclesiæ Pontificis, ut in scriptis accepimus, sanctitas virtutumque magnitudo liquido testatur. Quod ne cui forsitan veniat in dubium fatendo mendaciter confictum, et huic operi insertum, ideoque falsum, si non sit auctoris testimonio comprobatum; operæ pretium videtur veterum affirmationibus confirmare, quorum antiquitati nemo quamvis versutus valebit resistere. Adstipulatur huic assertioni Bertharius Presbyter, qui a Domino Dadone ipsius urbis Episcopo rogatus, omnium ante se Virdunensium Episcoporum nomina et actus, scire ut potuit, mira brevitate contexuit: inter quæ etiam hujus non E immemor, hæc quæ prædicta sunt ordinatim suo loco constituit. Et ne nostra reputentur ut falsa, ipsius subnectimus hujusmodi dicta: Post Ermenfridum, inquit, tractus est de monasterio Tabulcio S. Paulus, qui fuit frater S. Germani Parisiensis Ecclesiæ Episcopi, et in Ecclesia ista Episcopus consecratur, cujus memoria æterna est. Nam cum nepos Dagoberti Regis Grimo Diaconus, qui et Adalgisilus dicitur, fuisset a S. Paulo ab infantia reverenter educatus, pro amore ipsius Antistitis suam proprietatem, id est, Tabulcium monasterium, S. Mariæ in Virduno, suo scripto et multorum fidelium scriptis, ut in sempiternum *a* nostra Ecclesia ipsum monasterium habuisset, tradidit, roboravit, et omni auctoritate firmavit. *b* Frasindum vero villam idem Grimo pro pietate sua victui Fratrum nostrorum delegavit. Sanctus vero Paulus *c* Basonis-villare de suis redditibus comparavit. Privilegium etenim nostris Canonicis de antiquioribus villis fecit, et suis manibus et aliorum Episcoporum, sub divina attestatione roboravit. De virtutibus autem istius sancti Patris nostri illud mirabile audivimus, quod adhuc monasticam vitam ducens, cum in pistrino Fratrum obedientiam habuisset, et timeret ne hora statuta Fratres panem habere potuissent, ejecto igne de clibano, ipse intus F ingressus cum cuculla sua clibanum purgavit et panem illic ad coquendum ordinavit, et sanus foras egressus, panem *d* sanctum Fratribus in refectorio statuto distribuit. Legi, et picta vidi multa miracula, quæ vivens in episcopatu egit, et post excessum positus in ecclesia S. Saturnini, Deo cooperante satisfecit. Cæcos namque illuminavit, claudis gressum præbuit, ægrotos a variis infirmitatibus curavit. Quid plura? Istam ecclesiam rebus temporalibus dilatavit, et Deus omnipotens animam illius cum omnibus Sanctis in æterna gloria in fine gaudere facit.

*Berthario teste,*

*frater fuit S. Germani Ep. Parisien.*

*a*

*Ecclesiam Virdunensem locupletavit.*

*b*

*c*

*Clibanum intravit illæsus,*

*d*

*multa fecit miracula vivus et mortuus.*

9 Hæc ita se habere ipsius viri auctoritas et non spernenda antiquitas satis fidei ad id credendum videtur conferre. Sed quod ipse prosequitur, multa se legisse et picta vidisse quæ per negligentiam non sunt scripta, ipse quoque negligentiæ nota redarguitur, cum de scriptis vel de visis picturis ad ædificationem posterorum conscribere neglexerit. At nos pictura docente quod addiscere potuimus ad laudem Creatoris, et Sancti hujus venerationem, pro captu ingenioli nostri fidelibus legenda scripto detegere non piguit. Igitur illæsus de clibano egressus, imposito humero humiliter corbe et obedienter (nec enim non poterat

*mala a Berthario neglecta*

A poterat non esse talis, cui tantum præstitum sit gratiæ divinitus) dum in refectorio Fratrum afferret panem inesperatum, ecce audit post se vocem pauperis alimoniæ auxilium petentis : erat enim duplicis miseriæ debilitate adstrictus, rebusque inops tantum genibus et scabellulis repens, clamoribus quibus poterat satisfaciebat dolori. Cujus miseriæ vir plenus pietatis compassus sumptum ex sporta panem porrigit post terga clamanti : qui subito divina virtute attactus in pedes constitit, annonam excipit, et qui aliorum venerat adjutorio, proprio reddit ad sua adjutorio.

*curvum ac debilem sanavit.*

a *Hinc patet* Bertharium *tunc fuisse Ecclesiæ Virdunensis Presbyterum.* b *Rosieres* Franium oppidum. *Doublet. et Wasseburgius* Fraisne *vocant.* — c *Wasseb.* Basonville — d *Sur. frigide,* factum.

## CAPUT V.

### *S. Pauli res gestæ in episcopatu.*

Legati, ut præmissum est, tanto frustrati labore itineris, renuntiant virum Regis non obedire mandatis, indignum se, et ignotum, sive neophytum, ad animarum regimen respondisse, non ad promovendum et ejusmodi, non esse qui possit blandimento seduci, aut terrore concuti; Canonumque decretis B hæc eadem prohiberi. Hoc audito Rex furoris et amoris anxius, missis satellitibus extractum a monasterio, coactum et invitum, omnium tamen applausu dignissimum acclamatum, onus Pontificalis dignitatis subire compulit, et ab Episcopis Episcopum ordinatum, suæ Sedi honorabiliter præesse instituit.

*invitus ordinatur Episcopus;*

11 Prætactus vero Grimo nepos Regis, quod diu desideraverat videns adimpletum, nimio repletus gaudio, quicquid facultatis possidere videbatur, volenti animo juri Virdunensis Ecclesiæ ordinare festinabat. Erat autem ita temporibus illis ipsa Ecclesia rebus destituta, ut nemo Clericorum esset, qui assidue, vel, sicut præcepit Ecclesiasticus ordo, Missarum solennia, vel consuetum psalmorum inibi compleret cursum, sed præ inopia vix et cum magno labore per singulos dies adveniebat aliquis *a* forensis Presbyter, et citissime satisque indecenter horarum et Missæ simul complens officia, mercede accepta revertebatur ad propria. Similiter secundus, et tertius, ceterique, donec idem ordo confusus a novissimo rediret ad primum. Quod cernens Episcopus, Grimonem sibi dilectum advocat, et internum cordis dolorem super hac re multum conquestus edocet. C Cui e vestigio ille verba consilii et auxilii rependit : Negaveras te, inquit, prius, Pater, obauditurum Regi; sed quia invitum, et quasi regalis vigoris nexibus addictum, in hanc Sedem imposuit, juste apud eum de his quæ ad Ecclesiasticum jus pertinent licet conqueri. Præterea quæ mea sunt, vel esse possunt, in prædiis vel possessionibus seu in pecuniis, tuæ concedo libens potestati, ut tuo voto et mearum rerum adminiculo inserviat clericatus ordo per successiones, te ordinante, cultui Divino. Hæc dicens, Frasindum villam victui Fratrum delegavit. Moxque dilatione proposita palatium adeunt et pro Ecclesiæ suæ incommodis, Regis auribus querimoniam infundunt, orantes pariter ut ad gloriam sui et salutem impendat sanctæ Virdunensi Ecclesiæ rerum D terrenarum quamlibet portionem. Qui libens petitioni eorum annuit, et possessionibus pecuniisque locupletatos ad urbem cum gaudio remittit. Quarum nomina rerum, etsi non habentur proprie in scripto; tamen quia factum sit, præfatus presbyter non tacet, cum testatur eum suam Ecclesiam rebus dilatasse quam plurimis. De quibus propria manu privilegium conscripsit, aliorumque Episcoporum auctoritate sub anathemate roboratum in *b* archario ejusdem Ecclesiæ, in secula conservandum, condidit : quod usque ad nostra tempora in eodem loco constat permansisse. Memini me aliquos vidisse, qui idem privilegium se vidisse et legisse faterentur, et nunquam characteres litterarum honestius præfiguratos, et orationem facundiæ ordinabiliorem usquam conspexisse. Sed hæc interim.

*neglectum in ecclesia sua ob paupertatem divinum cultum,*

d

*facultatibus a Grimone,*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*et ejus consilio, a Rege obtentus,*

b

12 Adepto itaque quod optaverat Ecclesiasticæ curæ negotio, Canonicos canonice vivere instituit; et in sua Sede per plures residens annos, ab incepto virtutum non destitit. Cujus opera a scientibus neglecta sæpedictus Presbyter reprehendit, et tamen quod factor miraculorum fuerit se legisse et in picturis vidisse testatur, cum eum dæmones fugasse, paralyticos curasse, cæcos illuminasse, commemorando perhibet. E

*restituit*

13 Cum horum itaque et omnium bonorum exhibitione operum, quæ nobis incognita, Dei notitiæ sunt manifesta, de virtute in virtutem ascendendo, Deum deorum in Syon videre, et in similitudinem Patriarchæ Jacob eumdem Deum scalæ innixum, per quam Angeli gradibus ascendentes et descendentes visi sunt, promeruit, sibique terram viventium, si in hac convalle lacrymarum patienter peregrinaretur, repromitti audivit. Et depulsis post visionem nocturnis tenebris, jam Aurora irradiante, Evangelico videlicet præcepto intonante, Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, luctamen cum Angelo iniit, id est videlicet, spiritu ambulando, ne desideriis carnis inserviret, Angelico paruit oraculo; a quo nervus femoris ejus contractus emarcuit, cum insudando divinis institutis in se maceratione corporis extinxit ardorem libidinis, in hujus vitæ solo claudicando, numquam stabilem gradum posse firmari intellexit : sed post longæ peregrinationis tædium, qua cum Psalmista deplorando cantabat : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; regionem suam per desertum hujus incertæ solitudinis multimoda passione requisivit : ac senio confectus plenusque dierum, in pace suæ Ecclesiæ valedicens Fratribus, vi Idus Februarii obiit, et in Ecclesia S. Saturnini, sicut dictum est, se sepeliri mandavit : ubi meritis ejus præstantur beneficia Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per infinita secula seculorum; Amen.

*tandem sancte acta vita,*

Psal. 119, 5

F

*moritur,*

*clarus dein miraculis.*

a *Id est, externus, non adventitius, vel ab alia Ecclesia. Ita S. Ambrosius pro exteriore usurpavit, lib. 2 de Virginib. § 2* domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu. *Et de obitu Satyri fratris circa medium:* quamquam ita mutuus semper utrique nostrum insederit amor, ut interiore potius foveretur affectu quam forensi blanditia divulgaretur. *Surius nimis docte hic ita habet:* Presbyter quispiam circumforaneus conducebatur. — b *Id est, archivo, tabulario, ubi vetera monumenta asservantur.*

# DE S. ELFLEDA VIRGINE

## ABBATISSA STRENEASHALÆ IN ANGLIA,

### Commentarius historicus.

J. B.

### § I. *S. Elfledæ Virginis parentes, majores.*

*Quæ ab Humbro æstuario, Urique fluminis ostiis, ad Severi murum usque protenditur in Anglia regio, amplum olim regnum,* Northumbria *appellatum, quia ad Boream ab Humbro vergebat : minus late nunc id patet nomen, uni proprium provinciæ ad Dunelmensi diœcesi ab Scotorum confinia porrectæ. Fundatum id regnum traditur sub annum Christi* DXLVII, Ida *nobilissimæ prosapiæ viro regium sibi titulum arrogante. Huic* Alla *successit, e cujus regni provincia Deira dicta, Benedicto Pontifice, pueri Angli*

AN. CHR. DCCXVI. VIII FEB.

*Northumbriæ Reges.*

*Ida, Alla,*

A *Angli Romam allati, venumque expositi, S. Gregorio* AUCTORE ANONYMO. EX MSS *occasionem præbuere, ominandi, Anglos,* Angelicos vultus habentes, in cœlis Angelorum concives *fore, ac* de ira eruendos, *inque* Allæ *regno* Alleluia decantandum.

*postque alios S. Edwinus Allæ f.*

2 *Allæ* Ethelricus *suffectus, Idæ filius, huic* Ethelfridus, *rei bellicæ scientia carus, quem tamen* Edwinus, *sive* Eadwinus, *Allæ filius, Redwaldi Orientalium Anglorum Regis auxilio, oppressit, vitaque et regno exuit; adolescentibus filiis, nutritorum diligentia, ad Scotos fuga elapsis, ubi et Christianis mysteriis imbuti sunt. Ea quoque* Edwinus, S. Ethelburgæ *uxoris hortatu, ac* S. Paulini *Episcopi institutione didicit: at tandem, cum in maxima esset potentia, rebellantibus adversus eum* Carduella, *sive* Cedwalla *Britonum Rege, et* Penda, *Merciorum, cum Osfrido filio interemptus est. Reynum exinde inter fratris ejus filium* Ofricum, *et* Eanfridum *filium Ethelfridi ita divisum, ut huic Bernicii, illi Deiri parerent. Cum autem Christi fidem ambo ejurassent,* Cedwalla *utrumque impia manu, sed justa ultione, peremit, inquit Beda lib.* 3 *cap.* 1. *Mox* Osvaldus *Eanfridi frater exiguis copiis pulso Britone, solidum adeptus regnum, gentem universam Christo ut adjungeret laboravit. Demum et ipse a* Penda *crudelissimo Merciorum Rege occisus est.*

*primus Christianus:*

*inde simul duo:*

3 *Iterum a cæde* S. Osvaldi *divisum regnum, imperitante Deiris* Oswino, *Ostrici filio, Berniciis* Oswio, B *Osvaldi fratre, Ethelfridi filio. Sed quia potestas omnis fere impatiens est consortis, gliscere primum inter eos simultates cœpere, præcipue ob* Oswii *ambitione: dein apparatus ad bellum facti, habitique delectus.* Oswinus *imparem se videns, ultro dimisso milite, ad* Hunualdum *Comitem confugit, quem sibi amicissimum autumabat: sed ab eo nefarie proditus Oswio est, et ab hoc effera crudelitate interemptus.* Ita Oswius, *inquit Willielmus Malmesburiensis libr.* 1 *de gestis Regum Angl. cap.* 3 integri regni compos, nil non postea molitus est, quo existimationem suam purgaret, quo majestatem augeret, atrocis facti offensam probitate morum posteriorum imminuens: et primus quidem, idemque amplissimus, laudum ejus cumulus extitit, quia fratrem et avunculum nobiliter ultus, Pendam Regem Merciorum, illud vicinorum excidium, illud perduellionum seminarium, exitio dedit: ex quo tempore tam Merciis, quam omnibus prope Anglis vel ipse præsedit, vel præsidentibus imperavit. Hinc totus ad officia pietatis conversus, ut Dei beneficiis in se confluentibus digna sedulitate responderet, Christiani cultus infantiam, pro nece germani in regno suo palpitantem, vivacitate regia erigere, et pleno spiritu C animare contendit. Eamdemque mox doctrina Scottorum adultam, sed in multis Ecclesiasticis observationibus fluctuantem, primo per Angilbertum et Wilfridum, postremo per Theodorum Archiepiscopum canonico statu informavit.

*at cæso S. Oswino,*

*solus Oswius,*

*vir gloriosus*

*et pius,*

*pater S. Elfledæ S. Eanfleda mater,*

4 *Hæc singillatim, quatenus ad* S. Elfledam *Oswi filiam attineat, explicanda. Quorum cædem ultus Oswius dicitur,* SS. Oswaldus et Eadwinus *fuere, ille frater ipsius, hic avunculus:* Acca *namque* Allæ *filia,* Elfrici et Eadwini *soror, Ethelfrido nupta, ei Osvaldum Oswiumque peperit. Eadem S. Elfledæ avia; Eadwinus avus maternus fuit, pater S. Eanfledæ. Ita enim Beda lib.* 2 *histor. Eccles. gentis Angl. Cap.* 20. Occisus est Edwinus die quarta Iduum Octobris, anno Dominicæ Incarnationis DCXXXIII, cum esset annorum quadraginta et septem, ejusque totus vel interemptus vel dispersus est exercitus. In quo etiam bello ante illum unus filius ejus Osfrid juvenis bellicosus cecidit: alter Eadfrid, necessitate cogente, ad Pendam Regem transfugit, et ab eo postmodum, regnante Osvaldo, contra fidem jurisjurandi peremptus est. *Ac paullo post:* Turbatis itaque rebus Northanhymbrorum hujus articulo cladis, cum nihil alicubi præsidii nisi in fuga esse videretur, Paulinus assumpta secum Æthilburga Regina, quam pridem adduxerat, rediit Cantiam navigio, atque ab Honorio Archiepiscopo et Rege Eadbaldo multum honorifice susceptus est. Venit autem illuc duce Basso milite Regis Edwini fortissimo, habens secum Eanfledam filiam, et Vuscfrean filium Edwini, necnon et Iffri filium Osfridi filii ejus; quos postea mater, metu Eadbaldi et Oswaldi Regum, misit in Galliam nutriendos Regi, qui erat amicus illius; ibique ambo in infantia defuncti, et juxta honorem vel regiis pueris vel innocentibus Christi congruum, in ecclesia sepulti sunt. *Alia Bedæ editio habet* Regi Deberto, *sive* Dagoberto, *missos. Deinde lib.* 3 *cap.* 15. Presbyter quidam, nomine Utta, multæ gravitatis ac veritatis vir, et ob id omnibus, etiam ipsis Principibus seculi, honorabilis, cum mitteretur Cantiam ob adducendam inde conjugem Regi Oswi, filiam videlicet Edwini Regis Eanfledam; quæ occiso patre illuc fuerat adducta, *etc.* D

*filia S. Edwini*

*eo cæso fugit in Cantiam.*

*nubit Oswio:*

*utriusque majores.*

5 *Pater igitur* S. Elfledæ Oswius *fuit, mater* S. Eanfleda. Oswii *pater* Ethelfridus, Ethelrici *filius,* Idæ *nepos: mater* Acca, S. Edwini *soror,* Allæ *filia,* S. Eanfledæ *pater* S. Edwinus, *ejusdem* Allæ *filius: mater* S. Ethelburga, *sive* Æthilburga, *filia* S. Ethelherti *Cantiæ Regis, qui* XXIV *Februarii colitur, et* Bertæ, *sive* Adolbergæ, *filiæ* Chariberti *Regis Parisiorum.* E

## § II. *S. Elfleda a patre, obtenta victoria, Deo oblata.*

His *orta majoribus* Elfleda, *qua ratione Divino cultui fuerit in cœnobio mancipata, explicandum. Etsi* Oswium *patrem sceleris in* Oswini *cæde admissi vehementer pœniteret, idque conaretur assiduis beneficiis expiare; alias tamen ab eo ultor Deus, et graves quidem, pœnas reposcit; ipsomet ac Penda Mercio ad supplicia mutua, sed ad temporarium hoc, illo ad æternum, usus suæ Justitiæ ministro ac satellite. Nam multis a Penda cladibus acceptis, cum tandem prælio victum ac cæsum ad inferos demisit, non sine manifesta ope Numinis. Quod ita memorat Beda lib.* 3 *cap.* 24.

*Oswius R. ob cædem S. Oswini, Dei nutu,*

*multa patitur a Penda R.*

7 His temporibus Rex Oswi, cum acerbas et intolerabiles pateretur irruptiones sæpedicti Regis Merciorum, qui fratrem ejus occiderat; ad ultimum necessitate cogente, promissit se ei innumera, et majora quam credi potest, ornamenta regia vel donaria in pretium pacis largiturum; dummodo ille domum rediret, et provincias regni ejus usque ad internecionem vastare desineret. Cumque Rex perfidus F nullatenus precibus illius assensum præberet, qui totam ejus gentem a parvo usque ad magnum delere atque exterminare decreverat; respexit ille ad Divinæ auxilium pietatis, quo ab impietate barbarica posset eripi: votoque se obligans, Si paganus, inquit, nescit accipere nostra donaria, offeramus ei qui novit, Domino Deo nostro. Vovit ergo, quia si victor existeret, filiam suam Domino sacra virginitate dicandam offerret, simul et XII possessiones prædiorum ad construenda monasteria donaret. Et sic cum paucissimo exercitu se certamini dedit.

*quo spernente munera,*

*et volente totam ejus gentem delere,*

*devovet Deo filiam Elfledam:*

8 Denique fertur, quod tricies majorem pagani habuerint exercitum: siquidem ipsi XXX legiones, ducibus nobilissimis instructas, in bello habuere. Quibus Oswi Rex, cum Alchfrido filio, perparvum (ut dixi) habens exercitum, sed Christo duce confisus occurrit. Nam alius filius ejus Egfrid eo tempore in provincia Merciorum apud Reginam Cinnise obses tenebatur. Filius autem Oswaldi Regis Ethilwald, qui eis auxilio esse debuerat, in parte erat adversariorum; eisdemque contra patriam et patruum suum pugnaturis ductor extiterat: quamvis ipso tempore pugnandi sese pugnæ subtraxerat, eventumque discriminis tuto in loco expectabat. Inito ergo certamine,

*exiguis copiis maximas profligat*

A mine, fugati sunt et cæsi pagani Duces Regis triginta, qui ad auxilium venerant, pene omnes interfecti: in quibus Ædilhere, frater Annæ Regis Orientalium Anglorum, qui post eum regnavit, auctor ipse belli, perditis militibus sive auxiliis, interemptus est. Et quia prope fluvium Vinued pugnatum est, qui tunc pro inundantia pluviarum, late alveum suum, imo omnes ripas suas transierat, contigit, ut multo plures aqua fugientes, quam bellantes perderet ensis.

*possessiones ad fundanda monasteria confert:*

9 Tunc Rex Oswi, juxta quod Domino voverat, pro collata sibi victoria gratias Deo referens, dedit filiam suam Elfledam, quæ vix dum unius anni ætatem impleverat, perpetua ei virginitate consecrandam; donatis insuper duodecim possessiunculis terrarum, in quibus ablato studio militiæ terrestris, ad exercendam militiam cœlestem, supplicandumque pro pace gentis ejus æterna, devotioni sedulæ monachorum locus facultasque suppeteret. E quibus videlicet possessiunculis, sex in provincia Deirorum, sex in Berniciorum dedit. Singulæ vero possessiones decem erant familiarum, id est, simul omnes cxx.

*ANIMADV. PAP. 40 filiam tradit disciplinæ S. Hildæ.*

10 Intravit autem præfata Regis Oswi filia, Deo dicanda, monasterium, quod nuncupatur Herureu, id est, Insula cervi, cui tunc Hilda Abbatissa præ-
B fuit. Quæ post biennium comparata possessione decem familiarum, in loco qui dicitur Streaneshalh, ibi monasterium construxit. In quo memorata Regis filia primo discipula vitæ regularis, deinde etiam Magistra extitit, donec completo LX annorum numero, ad complexum et nuptias Sponsi cœlestis Virgo beata intraret. In quo monasterio et ipsa et pater ejus Oswi, et pater matris ejus Edwinus, et multi alii Nobiles, in ecclesia sancti Apostoli Petri sepulti sunt.

*cui in Abbatissæ munere successit:*

*an. 655 15 Nov. prælium*

11 Hoc autem bellum Rex Oswi in regione Loidis, tertio decimo regni sui anno, XVII die Kalendarum Decembrium, cum magna utriusque populi utilitate confecit. Nam suam gentem ab hostili paganorum depopulatione liberavit; et ipsam gentem Merciorum finitimarumque provinciarum, desecto capite perfido, ad fidei Christianæ gratiam convertit.

*(post quod conversi Mercii)*

*commissum juxta Winwed fl.*

12 *Commissum fatale illud prælium tradit Beda in* regione Loidis *circa flumen* Vinued, *vel, ut alia lectio habet*, Winued, *editio Laurentii Barræi et Heidelbergensis anni* 1587, Juwet. *Cambdenus circa* Arum *fluvium, qui* Caldero *accepto in* Urum *infra Eboracum influit, pugnatum tradit; eo quod arus* Leedes, Saxonice Loides, *ut ait* oppidum lanificio opulentum,
C *olim* villam regiam, *prætérlabatur. An fors mutatum fluvii nomen? Henricus Huntindoniensis historiar. lib.* 2 *ita scribit*: Percussus est *Penda* per Oswium Regem apud amnem Winwed, unde dicitur:

In Winwed amne vindicata est cædes Annæ,
Cædes Regum Sigbert et Eegnice,
Cædes Regum Oswald et Edwine.

*Hos nempe Reges Penda interfecerat. Eadem habet Westmonasteriensis. Addit Cambdenus:* Locus vero ipse, in quo pugnatum est, Winwidfiel a scriptoribus vocatur, quod nomen a victoria impositum suspicor. *Ita quidem Florentius Wigorniensis: Pendæ Oswius*, Christo duce confisus, in loco qui dicitur Winwidfelda, occurrit: *sed præmiserat, Pendam in* Berniciam ad debellandum Regem Oswium ascendisse. *At procul abest et* Leedes *oppidum et* Arus *amnis, quippe in occidua Comitatus Eboracensis plaga, a Bernicia, quæ, ipso judice Cambdeno*, a Tina ad Fretum usque Scoticum pertinuit, *Deiris citeriora omnia ad Humbrum usque tenentibus. An forte Wigorniensis* Berniciam συνεκδοχικῶς *posuit pro Northumbriæ regno, propterea quod hujus nunc gubernacula penes Idæ posteros erant, e Bernicia oriundos? an Oswius sagax bellator ad Arum usque et Eboraci territorium hosti occurrit, priusquam ille longius progrediens omnia vastaret,*

*in campo Winwidfelda.*

*... Eboraco, ut conjicitur.*

D *suosque præda ditaret? Et certe Ranulphus Cestrensis ait* commissum prælium in regione Leedes non longe ab Eboraco, juxta flumen Wynwed. *Posset alioquin ambigere quispiam, an non forsan alius esset amnis* Winwed, *seu* Windwed *apud Bernicios, ubi et* Tweda, *nunc Scotiæ limes, et* Venta, *vulgo* Wentsbeke? *Longius quidem aberat a Pendæ regno Bernicia sed Cumbriæ, quam Cedwalla, nefarii belli incentor ac socius, in eoque et ipse interfectus, tenebat, propinqua. Disquirant hæc alii, quibus ipsa coram lustrare fas est loca.*

*AUCTORE J. B.*

## § III. *S. Elfledæ tres fratres Reges, duæ sorores Reginæ.*

Erat *Oswii filia* Alhfleda *biennio ante, id est, anno* DCLIII, Peadæ, *filio Pendæ, Middelenglorum, sive Mediterraneorum Anglorum Principi nupta. Qui, ut Beda scribit lib.* 3 *cap.* 21, cum esset juvenis optimus, ac Regis nomine ac persona dignissimus, prælatus est a patre regno gentis illius. Venitque ad Regem Northanhymbrorum Oswi, postulans filiam ejus Alhfledam sibi conjugem dari: neque aliter quod petebat impetrare potuit, nisi fidem Christi ac
E baptisma, cum gente cui præerat, acciperet. At ille audita prædicatione veritatis, et promissione regni cœlestis, speque resurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter se Christianum fieri velle confessus est, etiamsi virginem non acciperet; persuasus maxime ad percipiendam fidem a filio Regis Oswi, nomine Alhfrido, qui erat cognatus et amicus ejus, habens sororem ipsius conjugem, vocabulo Cyniburgam, filiam Pendan Regis. *Fueritne autem S. Elfledæ Virginis soror germana* Alhflleda (*quam Ranulfus et Harpsfeldius etiam* Elfledam *appellant*) *an ut Alfridus notha, haud satis nobis liquet.*

*sorores S. Elfledæ,*

*Alfleda uxor Regis Middelanglorum*

14 *Qui Pendam non moverat geminæ affinitatis respectus, ne Oswio bellum nefarium inferret; is ipsum Regem Oswium flexit, ut generro paterni regni, a se subjugati, partem donaret. Ita Beda lib.* 3 *cap.* 24. Idem autem Rex Oswi tribus annis post occasionem Pendan Regis, Merciorum genti, necnon et ceteris Australium provinciarum populis præfuit: qui etiam gentem Pictorum maxima ex parte regno Anglorum subjecit. Quo tempore donavit præfato Peadan, filio Regis Pendan eo quod esset cognatus suus, regnum Australium Merciorum, qui sunt (ut dicunt) familiarum quinque millium, discreti fluvio Treanta ab Aquilonaribus Merciis, quorum terra est familiarum septem millium. Sed idem Peada proximo F vere multum nefarie peremptus est, proditione (ut dicunt) conjugis suæ, in ipso tempore festi Paschalis.

*et Australium Merciorum;*

15 *Alia Oswii filia, S. Elfledæ soror*, Ostritha *fuit, quam alii* Ostridam, Ostricam, Ostgildam, Ostgidam *vocant. Ea postea* Ethelredo *nupta, Pendæ filio, qui Wlphero fratri an.* DCLXXV *in regnum Merciorum successit, eoque per* XXIX *annos strenue administrato, monachus factus est anno* DCCIV. *Ast ejus uxor anno* DCXCVII a Suthumbrensibus *occisa est, ut habet Wigorniensis. Westmonasteriensis eam aliis Oswii, Egfridi aliis filiam ait fuisse, et necem ejus ad annum* DCXCVI *ita refert*. Mercii, qui dicuntur Suthumbri, id est, illa pars Merciorum, quæ est a parte Boreali Trentæ fluminis, scelus nequissimum commiserunt: Reginam namque Ostricam, uxorem Æthelredi Regis sui, et Egfridi Regis Northanhumbrorum filiam, crudeliter peremerunt. *Ranulphus ad eumdem annum, Oswii filiam fuisse scribit, sed a Northumbrensibus occisam. Beda in Epitome ait a Merciorum primatibus* interemptam.

*Ostritha uxor Regis Merciorum,*

*a subditis ann. 696 interfecta:*

16 *Fratres S.* Elfledæ *fuere germani quidem* Egfridus, Alfwinus, *sive* Elfuinus, *nothus autem* Alfridus. *Hic primum vivo patre Rex fuit apud Deiros, in iis videlicet*

*fratres, Alfridus*

*AUCTORE I. B.*

A *delicet provinciis, quæ antea Regis* Edilwoldi *fuerant filii S. Oswaldi. Eæ post Oswii mortem traditæ* Elfwino *videntur: constat certe Regem hunc fuisse; ita scribente Wigorniensi ad annum* 679. Inter Egfridum Regem Northimbrensium et Æthelredum Regem Merciorum conferto gravi prælio, juxta fluvium Trentam, occisus est Rex Alfwinus frater Regis Egfridi, cujus sororem Ostritham Rex Æthelredus habebat uxorem. *Idem narrat Westmonasteriensis ad eumdem annum, qui* Esewinum *vocat, et Bedæ verbis*, juvenem utrique provinciæ multum amabilem *ait fuisse. Erat autem, ut habet Beda lib. 4 cap. 21, tunc annorum* XVIII. Egfridus *Oswio patri successit ann.* IↃCLXX. *Anno deinde* IↃCLXXXV, XIII *Kal. Junias, sublato a Pictis occisus est. Suffectus ei est* Alfridus, *qui in Hibernia exulabat, Egfrido senior, et Oswii patris tempore titulo regali ornatus, uti jam dictum.*

*Elfwinus*

*Egfridus*

## § IV. *S. Elfledæ magistra S. Hilda.*

Reportata, *quam diximus, victoria, Oswius filiam consecrat Deo, clariori ad exemplum religione, quam ille quondam, pari in caussa, et eodem actus Spiritu, Jephthes, quod nec sanguinem fudit, nec intempestivum* D *filiæ occursum lamentatus est; filia vero usque adeo non* planxit virginitatem *sibi posteritatis fructu vacuam ut ad* LX *quot deinceps vixit annos, gratulata sit impositam sibi necdum intelligenti necessitatem voto alieno, cum æterno Regi illibatam conservandi.*

*Oswius, velut alter Jephthe,*

18 *Cum ergo* vix dum unius anni ætatem implesset, *ut Beda scribit, B. Hildæ, quæ et ipsa Regum Northumbrorum erat orta sanguine, sed ex stirpe Alleingorum, tradita est*, Deo dicanda; *circiter eum diem, (septimum a victoria) quo Ecclesia Catholica Matrem Christi celebrat, in templo Hierosolymitano, proprio pietate, non sola parentum devotione, oblatam Deo, anno tertio ætatis. Hæc fortassis respexit Ranulphus, cum ita scripsit:* Hac victoria parta Rex Oswy tradidit filiam suam, vix tunc triennem, disciplinatui Hildæ Abbatissæ. *Bedæ, utpote coætanei, potior fides. Sed cur S. Hildæ commissa, ac non potius S. Ebbæ amitæ, Oswaldi et Oswii Regum sorori, sub qua vitæ monasticæ aliquanto post S. Ediltruda, Oswii ejusdem nurus, tirocinium posuit? Quæ patrem matremque rationes præcipue moverint, ut Hildæ magisterium præferrent, haud equidem constare a veterum scriptis arbitror, nec operæ pretium fuerit, conjectura indagare: sed Divino id factum consilio videtur, ne quid nævi terrestris innocens anima contraheret, ab aliarum consortio, de quarum degeneri conversatione ista* XXXI *Januarii ad Vitam* C *S. Adamnani Presbyteri ex Beda relata sunt num. 4.* Virgines quoque Deo dicatæ, *in S. Ebbæ Coludiano monasterio*, contempta reverentia suæ professionis, quotiescumque vacant, texendis subtilioribus indumentis operam dant, quibus aut seipsas ad vicem sponsarum, in periculum sui status, adornant, aut externorum sibi virorum amicitiam comparent: unde merito loco huic et habitatoribus ejus gravis de cælo vindicta flammis sævientibus præparata est.

*filiam Deo offert,*

*sub cura S. Hildæ,*

*non S. Ebbæ amitæ,*

*in cujus cœnobio solutior postea disciplina*

19 *De Hilda porro ista lib. 4 cap. 23 scribit Beda, quæ Elfledæ gestis afferunt lucem:* Anno Dominicæ Incarnationis IↃCLXXX, religiosissima Christi famula Hilda, Abbatissa monasterii quod dicitur Streaneshalh, post multa quæ fecit in terris opera cælestia, ad percipienda præmia vitæ cælestis, de terris ablata transivit, die quinta decima Kalend. Decembrium, cum esset annorum LXVI, quibus æqua portione divisis, XXXIII primos in seculari habitu nobilissime conversata complevit; et totidem sequentes nobilius in monachica vita Domino consecravit. Nam et nobilis natu erat, hoc est, filia nepotis Edwini Regis, vocabulo Hererici: cum quo etiam Rege, ad prædicationem beatæ memoriæ Paulini primi Northanhymbrorum Episcopi, fidem et Sacramenta D Christi suscepit; atque hæc, usque dum ad ejus visionem pervenire meruit, intemerata servavit.

*Erat Hilda regio genere nata,*

20 *Ex hisce conficitur, natam esse Hildam an.* IↃCXIV, *baptizatam vel cum Eanfleda an.* IↃCXXVI in sanctis vigiliis Pentecostes, *vel cum ipso Edwino an.* IↃCXXVII in Pascha, *uti de his adnotatum in Chronologia Saxonica. Anno* IↃCXLVII *secularem habitum videtur posuisse. Anno deinde uno morata in provincia Orientalium Anglorum, in patriam ab Aidano Episcopo revocata*, ad septemtrionalem plagam Wiri fluminis, æque anno uno monachicam cum perpaucis sociis vitam egit. *De Wiro, seu* Vedra *fluvio egimus* XII *Januarii ad Vitam S. Benedicti Biscopii. Dunelmum urbem alluit, partemque non exiguam illius diœcesis rigat. Ostium Wiri, aut certe vicus ad ora ejus Borealem situs*, Monckswere-mouth *appellatur, id est*, Monachorum-Vedræ ostium, *quia illic habitatio fuit monachorum, imo et monacharum: alioquin ad australe latus Vedræ celebre postea monasterium ædificatum ab ante memorato Benedicto.*

*an. 626 baptizata,*

*an. 647 a seculo conversa,*

*an. 648 monacha facta,*

21 Post hæc, *inquit Beda, anno nimirum* IↃCXLIX, facta est *Hilda* Abbatissa in monasterio quod vocatur Heortheu, quod videlicet monasterium factum erat non multo ante a religiosa Christi famula Heru: E quæ prima feminarum fertur in provincia Northanhymbrorum propositum vestemque sanctimonialis habitus, consecrante Aidano Episcopo, suscepisse. Sed illa, post non multum tempus facti monasterii, secessit ad civitatem Calcariam, quæ a gente Anglorum Kalcacester appellatur, ibique mansionem sibi instituit. *Distat* Calcaria, *Romani nominis oppidulum*, IX *millibus passuum Eboraco, et vulgo nunc* Tadcaster *appellatur. Quæ vero hic* Heru, *alibi* Heju, *et communius* Heina *dicitur, inscripta est Martyrologio Anglicano ad* XXX *Maii.*

*an. 649 Abbatissa monasterii S. Heinæ*

22 *Inter Vedræ Tesæque fluminum ostia, in Orientali Oceani littore promontorium exiguum visitur, cui* Harlepole *emporium* celebre, et statio fida, situ percommodo insidet, *ut auctor est Camdenus, qui eumdem esse locum censet Bedæ* Heortheu *dictum, sive* Heruthen, Heortesig, Heruten, Heortei, *ut varii habent codices; Capgravio* Hertheia, *Joanni Bromton in Chronico* Ereen, Hertei *Huntindoniensi, Ranulpho et aliis* Herteseı, *quæ duo postrema propius accedunt ad notionem a Beda traditam supra § 2 num. 10. Est enim* hert *Teutonica, sive Saxonica lingua, qua usi tunc Angli*, cervus, ey, *sive* ey-land, insula: *unde* Hertsey, *sive* Hertesey, Cervi insula. *Suspicatur tamen Camdenus* Heorten *esse* territorioli illius nomen, *quod* Heort-nesse *in codice quopiam Dunelmensi appellari ait;* Nesse *autem promontorium, quasi terræ nasum, significare. Apud eum quoque et Spedum in Chorographica illius tractus tabula*, Harte *est vicus, propinquus ei promontorio, in quo* Hartlepole *oppidum, et olim, ut reor, Heinæ cœnobium.*

*in Hertesey, nunc Hartlepole*

F

23 *Hujus ergo* regimini monasterii prælata famula Christi Hilda, mox hoc regulari vita per omnia, prout a doctis viris discere poterat, ordinare curavit, *ut Beda tradit. At quæ illi instituta, quamve Regulam præscripsit? Quæ a Scotis acceperat, præsertim S. Aidano. Ita Beda:* Nam et Episcopus Aidanus, et quique noverant eam Religiosi, pro insita ei sapientia et amore Divini famulatus, sedulo eam visitare, obnixe amare, diligenter erudire solebant. *Obiit biennio post Aidanus, an.* IↃCLI, *uti habet Chronologia Saxonica, ac Bedæ Epitome. Primus Regulam S. Benedicti in eas oras intulit, ac monachis imposuit, S. Wilfridus: an Streneshalensibus, merito ambigimus, ob ea quæ infra de Hilda Elfledaque nimis ei addictis memorantur.*

*cujus instituta?*

§ V.

A

## § V. *S. Elfledæ vita in monasterio ad an.* XXVI. *Parentum fratrumque eo tempore gesta.*

*an. 658 fundatur Streneshal monasterium,*

*Tertium ætatis annum exegerat Elfleda, quando Herteseia Streneshalam cum Hilda migravit; magis enim magistræ erat adstricta quam loco, et novum illud cœnobium verisimile est possessionibus illi a patre donatis esse fundatum : ab ea certe non mediocriter fuit, ut infra dicemus, locupletatum. At de primo fundatione Beda lib. 4 cap.* 23. Cum aliquot annos huic *Herteseiensi* monasterio, regularis vitæ institutioni multum intenta, præesset *Hilda* ; contigit eam suscipere etiam construendum, sive ordinandum monasterium, in loco qui vocatur Streanesbalh : quod opus sibi injunctum non segniter implevit. Nam eisdem, quibus prius monasterium, etiam hoc disciplinis vitæ regularis instituit. Et quidem multam inibi quoque justitiæ, pietatis et castimoniæ, ceterarumque virtutum, sed maxime pacis et caritatis custodiam docuit : ita ut in exemplum primitivæ Ecclesiæ nullus ibi dives, nullus esset egens, omnibus essent omnia communia, cum nihil cujusquam esse videretur proprium. Tantæ autem erat ipsa prudentiæ, ut non solum mediocres quique in necessitatibus suis, sed

*floretque disciplina*

B

*sub S. Hilda prudentissima fœmina, S. Elfledæ magistra,*

etiam Reges ac Principes nonnumquam ab ea consilium quærerent et invenirent. *Tempus ædificati Streneshalensis cœnobii idem Beda superius § 2 num* 10 *indicavit, nempe* post biennium *ab Elfledæ in Herteseiense adventu. Et Wigorniensis ad ann.* 658. B. Hilda Abbatissa in loco qui dicitur Streoneshalh, monasterium construere cœpit ; in quo Regis Oswii filia primo regularis vitæ discipula, deinde extitit magistra.

*in loco nunc Whitby dicto :*

25 *Fuit* Streneshalh, *ubi nunc* Whitby, *in Eboracensis Comitatus parte Boreali, ad Orientale littus juxta* Dunum sinum : *sed* antiquæ dignitatis vix tenue præ se fert vestigium, *Cambdeno teste.* Streaneshalh *interpretatur Beda lib.* 3 *cap.* 21 Sinum Phari. *Censet Cambdenus potius* Sinum salutis *significare.*

*ann. 660 Egfridus, S. Elfledæ frater, uxorem ducit :*

26 *Anno* DCLX *Regi* Egfrido, *S. Elfledæ fratri, Oswii Regis filio, annos* XV *nato, nupta est S.* Ethildrida, *filia Annæ Orientalium Anglorum Regis : quæ, ut Beda lib.* 4 *cap.* 19 *scribit, ejus* consortio cum XII annis uteretur, perpetua tamen mansit virginitatis integritate gloriosa. *Qua de re pluribus agetur ad ejus Vitam* XXIII *Junii.*

27 *Anno* DCLXIV *habita est Synodus in Streneshalensi S. Hildæ monasterio, quam alii* Pharensem, *alii* Witbiensem *appellant : alii non Synodum, sed*

C

*an. 664 Streneshalæ Synodus de Paschate.*

*conventum aut colloquium dici volunt. Potissima quæstio illic agitata fuit de legitimo Paschæ tempore, cum Scoti illud etiam* XIV *Luna celebrarent, quando ea in Dominicam incidebat. Quem Scotorum morem tuebantur Colmanus Lindisfarnensis Ep. et alii Scotiæ Episcopi, Cedda Orientalium Saxonum Ep. Oswius Rex, Hilda Abbatissa, et alii : Romanum vero ac legitimum, Agilbertus Occidentalium Saxonum Ep. Alfridus Rex filius Oswii, Wilfridus Abbas, Agatho Presbyter, Jacob Diaconus, Ronanus, Eanfleda Regina. De hac disputatione alibi sæpe agendum erit.*

*an. 670 moritur Oswius R. pater S. Elfledæ*

28 *Anno* DCLXX *Christi mortuus est piissimus Rex Oswius Elfledæ pater, anno ætatis suæ* LVIII, *filiæ* XVI, *die* XV *Februarii, ut habet Beda lib.* 4 *cap.* 5. *Wigorniensis Kalendis Martii mortuum scribit. Successit Egfridus. Alfridus vero, qui partem Deiræ provinciæ, ab Ediluvaldo, filio S. Oswaldi, prius administratam, regio titulo tenebat,* quia nothus, *ut habet Malmesburiensis lib.* 1 *de gestis Reg. cap.* 3 factione optimatum, quamvis senior, regno indignus æstimatus, in Hiberniam seu vi seu indignatione secessit. Ibi et ab odio germani tutus, et magno otio litteris imbutus, omni philosophia composuit animum.

*succedit Egfridus ;*

29 *Anno* DCLXXII *Regina Etheldrita, Elfledæ fratria,* multum diu Regem postulans, ut seculi curas

D

AUCTORE I. B.

relinquere, atque in monasterio tantum vero Regi Christo servire permitteretur, ubi vix aliquando impetravit, intravit monasterium Ebbæ Abbatissæ, quæ erat amita Egfridi Regis, positum in loco quem Coludi urbem nominant, accepto velamine sanctimonialis habitus a præfato Antistite Wilfrido. Post annum vero ipsa facta est Abbatissa in regione quæ vocatur Elge : ubi constructo monasterio Virginum Deo devotarum perplurimarum Mater Virgo et exemplis vitæ cœlestis esse cœpit et monitis. *Ita Beda. Eanfleda quoque Egfridi mater, incertum quo anno, monasterium Streneshalense ingressa est, ut infra dicetur.*

*qui uxorem S. Edeltridam, adhuc virginem, sinit monacham fieri :*

30 Egfridus *interea et* Elwinus germani Reges, *ut lib.* 3 *de Pontif. Angl. ait Malmesburiensis, multis magnisque officiis per annos aliquot S. Wilfridum Eboracensem Episcopum honorarunt, et luculentis possessionibus Riponense ejus monasterium dotarunt. Quam beneficentiam continuo muneratus est Deus. Nam et Picti et Merci sunt ab Egfrido victi, quod ita idem narrat auctor :* Picti defuncto Rege Oswio parvi facientes teneram infantiam Reguli, proruunt ultro et conspirant in Northanhymbros, quibus cum subregulo Bernego regius juvenis occurrens, ita paucis suis militibus innumerabilem Pictorum delevit exercitum, ut campi cadaveribus constrati planitiem amitterent, flumina cursu intercepto subsisterent. Wlferius quoque Rex Merciorum in eos efferatus ductavit exercitum : quippe qui meminisset patrem suum ab eis interemptum. Itaque veniebat animo præfidenti, ut aut sarciret dispendium aut acquireret regnum. Enimvero prosequebatur eum fortuna non bona, nec pene prosperior quam paterna, nisi quod terga turpiter nudatus inglorius effugit ; ne multis post diebus superstes, partem provinciarum Northanimbrorum Regi cesserit. *Obiit Wlferus ann.* DCLXXV.

*honorans S. Wilfridum Ep.*

*victoriam de variis hostibus refert*

E

31 *Sensim Ermenburgæ Reginæ et quorumdam Procerum invidia alienatus a Wilfrido Egfridus eo furoris processit, ut Sede tandem illum sua exturbaret, atque etiam exulem exagitaret, implorata ad id exterorum Principum opera, etiam Ethnicorum, ut Adulgisi Regis Frisiæ. At dedit Egfridus illico pœnas, non tamen ad mentem pristinamque erga Wilfridum observantiam rediit.* Ethelredus enim Rex Merciorum frater Wlferii, *inquit idem Malmesburiensis,* post abcessum Wilfridi non multis diebus guerram inceptans, fraternas injurias ultum ire cupiebat. Occurrit illi animosus Egfridus, solito terrore acturum existimans, sed fugavit Mercius copias ejus, fuditque fratrem Elwinum. Quo dolore versa in luctum Northanimbria, consiliatoris sui quondam absentia modo ingemiscebat. Contigitque ut anno revoluto eodem die, quo ille præjudicium in Eboraco passus fuerat, cadaver regii adolescentis illatum urbi longum indiceret justitium. *Evenere hæc anno* DCLXXIX, *quo et beata Virgo Etheldritha, Eliensis cœnobii Abbatissa,* XXIII *Junii decessit.*

*eum persequens,*

*clade afficitur.*

F

32 *Anno* DCLXXX *obiit S. Hilda. Cui in regimine Streneshalensis monasterii S. Elfleda Virgo successit,* una cum matre Eanflede, *ut infra Bedæ auctoritate constabit,* § 9 *num.* 39.

*S. Elfleda fit Abbatissa*

## § VI. *S Elfledæ familiaritas cum S. Cuthberto. Futura ex eo cognita.*

*Egfridum fraternæ cædis sensus, dedecus acceptæ cladis, ac provinciæ, quam regno antea adjecerat, jactura, usque adeo non permovere, ut etiam Roma redeuntem Wilfridum cum gravissimis S. Agathonis Papæ litteris, quibus jubebatur pristinæ dignitati restitui, in custodiam tradiderit, omnibus suis rebus spoliatum, comitibus*

*Egfridus S. Wilfridum conjicit in carcerem.*

A *tibus in diversa deductis. Cum deinde cœlestibus signis sanctissimi Antistitis innocentia probaretur, ea ipse vel joco eludebat, vel infamabat opprobrio, uti plenius in Wilfridi Vita* XII *Octobris dicetur. Non tulit Divina Justitia illum, vel Sedis Apostolicæ, vel miraculorum ejusmodi ab sancto Spiritu editorum, contemptum : sed præmatura eum morte mulctavit : non tamen, ut sperare fas est, æterna, quoniam, ut de alio olim Rege pronuntiavit clemens Deus, bona opera inventa sunt in eo. Anno enim* DCLXXXII, *ut scribit* Wigorniensis, pro redemptione animæ XL familiarum terram Ablati Benedicto donavit, *ubi Girvum monasterium ædificatum est.*

*AUCTORE J. B.*

*spretis Papæ litteris,*

*alioquin pius,*

34 *Anno deinde* DCLXXXIV, *suis eum urgentibus fatis, aut furiis potius in perniciem impellentibus,* misso Hiberniam cum exercitu Duce Bertho, *ut Beda scribit lib. 4 cap.* 26, vastavit misere gentem innoxiam et nationi Anglorum semper amicissimam; ita ut nec ecclesiis quidem aut monasteriis manus parceret hostilis. At insulani et quantum valuere armis arma repellebant, et invocantes Divinæ auxilium pietatis, cœlitus se vindicari continuis diu precationibus postulabant. Et quamvis maledici regnum Dei possidere non possint, creditum tamen est, quod hi qui merito B impietatis suæ maledicebantur, ocyus, Domino vindice, pœnas sui reatus luerent.

*dein ann. 684 vastat Hibernos injuste,*

35 *Eodem anno S. Elfledæ prædixit S. Cuthbertus, Egfridum brevi extinctum iri. Quod ita in breviori ejus Vita, Alfrido regnante a Lindisfarnensi monacho scripta, ante annum videlicet* DCCV, *narratur.* Præterea sanctimonialis Virgo et regalis Elfleda Abbatissa sanctum anachoretam Dei humiliter, in nomine Domini, in obviam sibi navigare ad Coquedese petivit. Cui ancilla Dei flectens genua, multa interrogare cœpit. Postremo autem, per nomen Domini nostri Jesu Christi, et per novem ordines Angelorum, et omnium Sanctorum personas, fiducialiter adjuravit, interrogans de longitudine vitæ fratris sui Regis Ecfridi. Ipse autem homo Dei graviter adjuratus, timens Dominum, cœpit dicere de brevitate vitæ hominis, circuitu verborum, et adjunxit dicens : O ancilla Dei, numquid non parvum est, licet aliquis vivat XII menses? Illa vero statim arripiens mente esse dictum, amaro fletu lacrymavit. Sicut ei et multis aliis post anni spatium casus regalium a maligna manu hostilis gladii eminentiam amaritudinem renovavit.

*S. Elfleda quærit ex S. Cuthberto,*

*quam longo tempore victurus sit Egfridus?*

36 Adhuc adjungit dicens : Per eamdem Unitatem et Trinitatem supradictam adjuro te, ut dicas, C quem hæredem habebat. Ipse etiam paullulum tacens, dixit : Illum autem non minus tibi esse fratrem usurpaveris quam alterum. Hoc quippe incredibile videbatur : diligentius tamen interrogans, in quo loco esset, ipse vero patienter sustinens eam, ait : O serva Dei, quid miraris, licet in aliqua insula super hoc mare? Illa jam cito rememoravit de Alfrido, QUI NUNC REGNAT PACIFICE, fuisse dictum, qui tunc erat in insula quam Hy nominant.

*quis ei successurus?*

37 Addens quoque interrogationem de eometipso, quia sciebat Regem invitare eum voluisse ad Episcopatum, si sic Regi effectus evenisset, et quale spatium esset in Episcopatu. Ipse vero se non esse dignum excusans, tamen neque in mari, neque in terra a tali honore gradus occultari potuisset, dicebat. Et in brevi spatio annorum duorum requiem laboris inventuro. Et tu quoque audi quod ego præcipio tibi in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut quamdiu vixero, nulli hoc indicaveris. Et post multa verba prophetica, quæ omnia sine dubio acciderunt, ad locum suum navigavit.

*an ipse Cuthbertus futurus Episcopus, et quamdiu?*

38 *Venerabilis Beda in ejusdem Sancti Vita triplicem hanc ejus prædictionem ita narrat.* Alio tempore misit eadem reverendissima Virgo et Mater Virginum Christi Elfled, rogavitque virum Dei, adjurans in nomine Domini, ut eum videre et de necessariis D mereretur alloqui. Qui ascensa cum Fratribus navi venit ad insulam, quæ Cocuedi fluminis ostio præjacens, ab eodem nomen accepit, et ipsa monachorum cœtibus insignis. Nam præfata Abbatissa illo eum sibi accurrere rogaverat. Cujus petita colloquiis, cum multa ab eo, quæ sciscitabatur, audiret; ecce repente in medio sermone advoluta pedibus ejus, adjuravit eum per nomen illud terribile ac venerabile superni Regis et Angelorum ejus, ut diceret illi quam longo tempore victurus esset Egfridus frater illius et regnum gubernaturus Anglorum. Scio enim, inquit, quia prophetiæ Spiritu, quo polles, etiam hoc dicere potes, si vis. At ille expavens ad juramentum, nec tamen volens aperte, quod petebatur, revelare secretum; Mirum, inquit, quare sapiens fœmina, et in sanctis erudita Scripturis, longa vocare velis tempora vitæ humanæ, dicente Psalmista, quia anni nostri sicut aranea meditabuntur. Et cum moneat Salomon : Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguuntur præterita. Quanto magis is, cui unius solum anni vita superest, brevi videtur tempore vixisse, ubi mors adstiterit in januis? E

*de qua aliis cum consulit :*

*cognoscit ex eo Egfridum intra annum moriturum :*

Psal. 89. 10

Eccl. 11. 8

39 Hæc audiens illa, præsagia dira flebat : extersaque facie, rursus audacia fœminea adjuravit per majestatem summæ Divinitatis, ut diceret quem habiturus esset hæredem regni, cum filiis careret et fratribus. Qui parum silens, Ne, inquit, dicas, quia caret. Habebit enim successorem, quem germana, ut ipsum Egfridum, dilectione complectaris. At illa, Obsecro, inquit, ut dicas quibus in locis sit ille. Qui ait : Cernis hoc mare magnum et spatiosum, quot abundet insulis? Facile est Deo, de aliqua harum sibi providere, quem regno præficiat Anglorum. Intellexit ergo, quia de Alfrido diceret, qui ferebatur filius fuisse patris illius, et tunc in insulis Scotorum ob studium litterarum exulabat.

*successurum Alfridum*

*tunc apud Scotos exulantem :*

40 Sciebat autem quia proponeret Egfridus eum constituere Episcopum; volensque dinoscere, si propositum sequeretur effectus, ita quærendo exorsa est : O quam varia intentione dividuntur corda mortalium! Quidam adeptis gaudent divitiis : alii amantes divitias, semper egent : tu gloriam mundi, quamvis offeratur, respuis : etiamsi ad Episcopatum pertingere possis, quo sublimius apud mortales aliquid non est, tu claustra deserti huic gradui præferres. At ille, Scio me, inquit, tanto gradu dignum non F esse, nec tamen judicium superni gubernatoris usquam effugere potero; qui si me tanto oneri subjiciendum disposuit, credo quia post modicum liberum reddet, et fortassis non amplius quam duobus annis exactis solitam me meæ solitudinis remitteret ad quietem. Præcipio autem tibi in nomine Domini et Salvatoris nostri, ne cui ante obitum meum, quæ a me audivisti referas. Cumque illi multa et alia, quæ quærebat, exponeret, atque eam, de quibus opus habebat, instrueret, reversus ad insulam et monasterium suum, solitariam, ut cœperat, agebat sedulus vitam.

*Cuthbertum futurum Episcopum*

*ad 2 annos :*

*jubetur hæc silere.*

41 *Atque hæc quidem omnia, ut vir sanctus prædixerat, evenere : nam eodem anno, ut Wigorniensis scribit,* congregata Synodo sub præsentia Regis Egfridi juxta fluvium Alne, in loco qui dicitur Twiford, cui Theodorus Archiepiscopus præsidebat, Tunberto ab Episcopatu deposito, unanimo omnium consensu ad Episcopatum Hagulstadensis Ecclesiæ Cuthbertus eligitur. Sed quia ipse plus Lindisfarnensi Ecclesiæ dilexit præfici, placuit ut Eata reverso ad Hagulstadensem, Cuthbertus Ecclesiam susciperet Lindisfarnensem. *Habita est hæc Synodus in hodierno Northumbriæ Comitatu ad Alaunum flumen,*

*eodem anno Cuthbertus ad Episcopatum electus*

*in Synodo Alnensi,*

A *flumen, vulgo* Alne *dictum, in loco* Twifford, *quod* duplex vadum *significat. Diversa ab hac est Synodus habita aliquanto post in loco* Alne *dicto, in Wigorniensi, ut quidem conjectamus, diœresi, cujus mentio fit in Vita S. Egwini* XI *Januarii.*

*in Paschate an. 685 consecratus :*

42 *Non nisi anno sequenti ordinatus est S. Cuthbertus. Ita Wigorniensis :* Ordinatio B. Cuthberti in ipsa solennitate Paschali completa est Eboraci, sub præsentia Regis Egfridi ; ad consecrationem ejus VII Episcopis convenientibus, in quibus primatum tenebat Theodorus Archiepiscopus. Egfridus Rex, cum temere exercitum ad vastandum Pictorum provinciam duxisset, anno ætatis suæ XL, regni autem XV occisus est die Cal. Juniarum XIII, sabbato. Cui successit in regnum Alfridus frater ejus, vir in Scripturis doctissimus... Anno MDCLXXXVI, duobus annis in Episcopatu peractis, vir Domini Cuthbertus Episcopus, Divino admonitus oraculo, insulam Farnam repetiit. Anno MDCLXXXVII, Reverendissimus Pater Cuthbertus, Indict. XV, XIII Calend. Aprilis, feria IV, in insula Farne obiit. *Hæc Wigorniensis.*

*Egfridus occisus 20 Maii 685*

*Cuthbertus 686 secedit, 26 Martii 687 moritur,*

43 *Locus in quo SS. Cuthberti et Elfledæ quem retulimus, habitus congressus, fuit insula vulgo* Coquet, *sive* Coket, Coquedi fluminis ostio præjacens, carbone fossili satis fœcunda, *ut Cambdenus scribit. Est*

B

*autem* Coquedus, *sive* Coqueda, *Northumbriæ fluvius, haud procul* Alauno, *meridiem versus. Quod in priori S. Cuthberti Vita* Cocpedese *appellatur insula, legendum opinor* Cocwedes-ey, *id est* Cocwedi-insula.

*cum Elfleda an. 684 locutus in Coket insula.*

## § VII. *S. Elfledæ sanitas restituta meritis S. Cuthberti. Utriusque congressus. Hujus celestia visa.*

P*riusquam, quæ diximus, fierent aut prædicerentur a Cuthberto, sancta inter eum ac Elfledam amicitia intercesserat, et huic erat illius meritis sanitas restituta. Quod ita Beda recenset :* Neque vero sanitatum miracula per hominem Dei, tametsi longe ab hominibus positum, fieri cessabant. Siquidem venerabilis Christi ancilla Elfled, quæ inter gaudia virginitatis non paucis famularum Christi agminibus maternæ pietatis curam adhibebat, ac regalis stemmata nobilitatis potiore nobilitate summæ virtutis accumulabat, multo virum Dei semper excolebat amore. Hæc eo tempore, sicut ipsa postea reverendissimo Lindisfarnensis Ecclesiæ Presbytero Herefrido, et ipse mihi referebat, gravi percussa languore, ac diu vexata, pene visa est per-

*S. Elfleda S. Cuthbertum reveretur et diligit,*

C

venisse ad mortem. Cui cum nil curationis valuissent adferre medici, subito Divina intrinsecus gratia curante, paullatim morti subtracta est, nec tamen plene sanata. Nam dolor quidem intraneorum abscessit, membrorum vigor rediit, sed facultas standi vel ambulandi prorsus abfuit, quia nec ad standum erigi, nec nisi quadrupes valebat ingredi.

*e gravi morbo subito convalescit,*

45 Cœpit ergo tristis æternam timere debilitatem : nam et de medicorum auxilio jam pridem facta fuerat desperatio. Cui cum die quadam inter angustias tristium cogitationum veniret in mentem beata et quieta conversatio reverendissimi Patris Cuthberti, Utinam, inquit, haberem aliquid de rebus Cuthberti mei! Scio certe et confido in Domino, quia cito sanaret. Et non multo post advenit, qui ei zonam lineam, ab eo missam deferret. Quæ multum gavisa de munere, et desiderium suum viro sancto jam cœlitus patefactum intelligens, succinxit se illa, et mane mox erecta ad standum, tertia vero die plene est reddita sanitati.

*retenta summa debilitate*

*quæ zona a Cuthberto missa pellitur,*

46 Post dies autem paucos cœpit ægrotare quædam de Virginibus monasterii ipsius, dolore capitis intolerabili. Quæ cum ingravescente morbo per dies, videretur esse moritura, intravit ad eam venerabilis Abbatissa : cumque eam graviter afflictam aspiceret, tulit memoratam viri Dei zonam, et hac illi caput circumligare curavit. Quæ eodem mox die, abeunte dolore, sanata est : tollensque zonam, sua recondidit in capsa. Quam cum post dies aliquot abbatissa requireret, neque in capsa eadem, neque uspiam prorsus potuit inveniri. Quod Divina dispensatione factum intelligitur : videlicet ut per duo sanitatis miracula Deo dilecti Patris sanctitas appareret credentibus, et deinceps dubitandi de sanctitate illius occasio tolleretur incredulis. Si enim eadem zona semper adesset, semper ad hanc currere voluissent ægroti : et dum forte ex his aliquis non mereretur a sua infirmitate curari, derogaret impotentiæ non salvantis, cum ipse potius esset salutis indignus.

*Ita et ab alia Virgine summus capitis dolor*

D

*AUCTORE I. B.*

*et ea zona dein evanescit.*

47 *Anno* MDCLXXXVI, *paullo ante quam Episcopatum deponeret, collocutus est cum Elfleda Cuthbertus, quod ita in illius Vita memorat Beda :* Interea dum præscius vicini sui obitus vir Domini Cuthbertus jam decrevisset animo, deposita cura pastoralis officii, solitariam redire ad vitam ; quatenus excussa sollicitudine externa, inter libera orationum et psalmodiæ studia, diem mortis, vel potius vitæ cœlestis præstolaretur ingressum ; voluit prius non solum sua circuita parochia, sed et aliis circa fidelium mansio-

*S. Cuthbertus an. 686 visitans diœcesim*

E

nibus visitatis, cunctos necessario exhortationis verbo confirmare, ac sic ipse desideratæ solitudinis gaudio refoveri. Quod dum ageret, rogatus a nobilissima et sanctissima Virgine Christi Elflede Abbatissa, cujus superius memoriam feci, venit ad possessionem monasterii ipsius, quatenus ibidem et ipsam videre atque alloqui, et ecclesiam dedicare deberet. Nam et ipsa possessio non pauco famularum Christi examine pollebat.

*divertit ad quamdam possessionem S. Elfledæ.*

48 Ubi dum hora refectionis ad mensam consedissent, subito venerabilis Pater Cuthbertus aversam a carnalibus epulis mentem ad spiritualia contemplanda sustulit. Unde lassatis ab officio suo membris corporis, mutato colore faciei, et quasi attonitis contra morem oculis, cultellus quoque, quem tenebat, decidit in mensam. Quod dum Presbyter ejus, qui adstabat et ministrabat, adspiceret, inclinatus ad Abbatissam dixit silentio : Interroga Episcopum, quid viderit. Scio enim quia non sine caussa manus ejus tremefacta cultellum deseruit, vultusque mutatur illius : sed vidit aliquid spirituale, quod nos ceteri videre nequivimus. At illa statim conversa ad

*prandii tempore raptus,*

F

eum, Obsecro, inquit, Domine mi Episcope, dicas quid videris modo. Neque enim frustra lassata tua dextera cultellum, quem tenebat, amisit. Qui dissimulare conatus vidisse se quidpiam secreti, jocose respondit : Num tota die manducare valebam ? Jam aliquando quiescere debui. Illa autem diligentius adjurante ac flagitante, ut exponeret visionem ; Vidi, inquit, animam cujusdam Sancti manibus Angelorum ad gaudia regni cœlestis ferri. Rursus illa, De quo, inquit, loco assumpta est ? Respondit : de tuo monasterio. Adjecit nomen inquirere. Et ille, Tu mihi, inquit, die crastino Missas celebranti nomen ejus indicabis.

*ut interroganti Elfledæ jussus,*

*videt animam unius ex ejus subditis duci ad cælum :*

49 Hæc audiens illa, confestim misit ad majus suum monasterium, videre quis nuper raptus esset e corpore. At nuntius omnes ibidem salvos incolumesque reperiens, postquam mane facto reverti ad Dominam cœpit, obvios habuit eos, qui corpus defuncti Fratris sepeliendum in carro deferrent : interrogansque qui esset, didicit quia quidam de pastoribus, bonæ actionis vir, incautius in arborem ascendens deciderat deorsum, et contrito corpore, ipsa hora spiritum exhalavit, qua hunc vir Domini ad cœlestia ductum videbat. Quod dum rediens Abbatissæ referret, statim illa ingressa ad Episcopum, jam tunc dedicantem ecclesiam, stupore femineo, quasi no-

*mittit illa ad monasterium,*

*et intelligit quemdam ex arbore lapsum tunc expirasse.*

vum

A vum aliquid incertumque nuntiatura, Precor, inquit, Domine mi Episcope, memineris ad Missas Halwaldi mei, (hoc enim viro erat nomen) quia heri cadendo de arbore defunctus est.

*AUCTORE J. B.*

50 *Brevius rem gestam narrat antiquior Vitæ S. Cuthberti scriptor, monachus Lindisfarnensis, qui aliqua tamen a Beda prætermissa exponit :* Fidelissima, *inquit,* Abbatissa Elfleda, de sancto Episcopo aliud scientiæ spiritualis miraculum mihi revelavit. Nam cum quadam die in parochia ejus, quæ dicitur Osingadum, simul in convivio sedentes, vidit hominem Dei miro stupore in excessu mentis occupatum, cultrumque, quod habebat in manu, super mensam deserens cecidit. At illa, aliis non audientibus, humiliter interrogavit, quid esset quod ostensum ei foret. Ipse vero respondit : Vidi animam servi Dei ex familia tua inter manus Angelorum ad cœlum efferri, et in Choro sanctorum Martyrum collocatum. Interroganti autem ei, quo nomine vocaretur, respondit : Tu enim mihi cras celebranti Missam nominabis eum. Itaque in illa hora Abbatissa mittebat nuntium ad cœnobium suum, interrogare quis ex Fratribus nuper esset defunctus. Ille autem omnes viventes illic invenerat : postremo tamen diligenter inquirentes, unum ex Fratribus eorum in pastoralibus habitaculis de summo cacumine ligni deorsum cadens fracto corpore exanimem audierunt. Nuntius autem crastino die reversus ad Abbatissam, res ut erat gesta, referebat. Illa vero statim ad Episcopum sanctum cucurrit, dedicantique eo die ibi ecclesiam, et Missam cantantibus, tunc in ea loca ubi dicitur, Memento Domine famulorum, anhelans in basilicam pervenit, nomenque Fratris, dicebatur Hadowald, indicavit. Intelligens in eo non solum in hoc prophetiæ Spiritu, sed et in omnibus Apostolicam providentiam agnoscebat, quæ et mortem ejus multis modis evidenter prædixit.

*Osingadi hæc gesta,*

B

*in Missa ad Memento mortui nomen ei indicat.*

51 *Beda in metrica S. Cuthberti Vita, aliqua exprimit quæ in prosa omisit. Nam cum mortui Fratris nomen S. Elfleda inquisisset, responsum hoc Episcopi subjicitur :*

Cras mystica, dixit, ad altar
Obtulero cum sacra, mihi nomenque modusque
Quo petit astra, tuis pandetur in ordine dictis.

C *ac deinde Sancta,*

Intento votis precibusque renarrat ad aras,
Frondiferi aliquem nemoris dum scanderet alta,
Cæderet ut pecori arboreo de pabula como,
Decidnum, membris animam posuisse solutis.

*Qui ille ex arbore lapsus.*

## § VIII. S. *Elfleda potissimum adnitente, restitutus solio Episcopali S. Wilfridus.*

P*ublicæ adversus sanctum Antistitem Wilfridum invidiæ turbo Hildam quoque abripuit Elfledæ magistram, incertum an non et ipsam Elfledam ; falli utramque facilem, ac fortassis specie pietatis æquitatisque deceptam, cum in partibus essent viri sancti, Bosa, Joannes Beverlacensis, ipseque Cantuariensis Archiepiscopus Theodorus, qui postea tamen pœnitentia ductus, Wilfridum veniam oravit injuriæ temere et irrogatæ. De Hilda testatur Wilhelmus Malmesburiensis lib. 3 de Pontif. Angl.* Ut palam sit, *inquit,* quanta miseria involvat mortales, quod illi viri, quos sanctissimos celebrat antiquitas, Theodorus, Bertwaldus, Joannes, Bosa, nec non et Hilda Abbatissa, digladiabili odio impetierint Wilfridum Deo acceptissimum. *Subjicit deinde litteras Joannis* VII *Papæ ad* Ethelredum Merciorum et Alfredum Deirorum et Berniciorum Regem, *in quibus testatur Pontifex, accusatores a Theodoro Archiepiscopo et* ab Hilda religiosæ memoriæ Abbatissa *Romam missos.*

*S. Wilfrido adversata S. Hilda,*

*missi Romam legatis :*

53 *Adhæsisse Wilfridi adversariis Elfledam indicat Westmonasteriensis scribens :* Totis viribus Theodorus exurrexit, ut Wilfridus Episcopatum reciperet ; missis legatis et scriptis ad Alfridum Regem Northumbrorum, qui Egfrido successerat, et sororem ejus Elfledam Abbatissam de Streneshalh, ut simultatibus retropositis, incunctanter caritatem ejus COMPLECTERENTUR... Venienti ergo ad Reges cum epistolis Archiepiscopi Wilfrido, salutatio impertita, indultus favor. Alfrithus, qui eum quondam probe nosset, ad se sponte invitato prius cœnobium Hengsteldeim, hinc definitione Concilii Eboracensem Episcopatum, et Ripis monasterium liberaliter indulsit. Stetit hæc amicitia inter eos vix annis V. *Wigorniensis quoque :* Anno DCLXXXVI. Wilfridus Ep. post longum exilium Sedem suam, et Episcopatum Hagulstadensis Ecclesiæ, Rege Alhfrido invitante, recepit. *Ast ann.* DCXCI : Wilfridus Hagulstadensis Ep. denuo accusatus, ab Alhfrido Rege et plurimis Episcopis, præsulatu est pulsus.

D

*et S. Elfleda,*

*monita ideo a S. Theodoro.*

*Alfridus R. recipit S. Wilfridum an. 686*

*iterum pellit an. 691*

54 *Omnia ante expertus Wilfridus, denuo ad Apostolicam Sedem recurrit, attulitque a Joanne* VII *litteras ad Ethelredum Merciorum Regem jam monachum, et Alfridum, antea a nobis indicatas. Eas Mercius magna reverentia, genuflexo, suscepit, et quod eæ jubebant a Kenredo Wlferii fratris filio, quem sibi suffecerat,* compleri non gravate obtinuit, *inquit Malmesburiensis.* Solus Alfridus Rex Northanimbrorum, *ait idem scriptor,* obstinatioris animi sententiam terens, pervicaciam tenuit... Sed nec ipse multo post in vita moratus est tempore. Statim enim *Legatis* *Wilfridi* abeuntibus, acerba correptus valetudine, ad mortem exercebatur : amaritudo tormenti rationem olim in animo regali sopitam elicuit, et secundum Prophetam, Vexatio dedit intellectum auditui. Intelligens enim se merito inobedientiæ plexum, promisit omnem emendationem facti Wilfrido exhibiturum, si sibi viventi adduci potuisset. Nec cessavit, quantum ante præclusam vocem loqui potuit, idem promittere ; et si ipse voti effectu careret, hæredem suum, ut faceret, adjurare. Et ille quidem mature defunctus, APOSTOLICAS LITTERAS SE SPREVISSE SERO INDOLUIT, quarum minas effugere non meruit. *Hæc Malmesburiensis, et brevius Beda lib. 5 cap. 20. Obiit autem Alfridus Rex, ut habet* Wigorniensis, in Driffelda, XIX Calend. Januarii *an.* DCCV, *regni sui* XX.

E

*nec litteras Papæ recipit :*

*morbo correptus*

Isa 28 19

*resipiscit, et revocari jubet :*

F

55 *Post duos menses a morte Alfridi, occiso qui regnum invaserat* Edulfo, *restitutus est solio* Osredus *Alfridi filius a Proceribus : quorum* maximus, *inquit idem Malmesburiensis,* fide et auctoritate Berthfridus, summonitus a Berthwaldo Archiepiscopo, concilium in Northumbria fieri consensit, ut tandem justa Wilfridi caussa placabilem terminum acciperet. Ibi ex præceptis Apostolicis data est optio Episcopis, ut aut Wilfrido in sua Episcopatus Sede cederent, aut Romam pro sua defensanda caussa pergerent : qui his resultandum putaret, exors a communione fieret. Episcopis suo more obnitentibus, beatissima Virgo Elfleda, soror Alfridi, Abbatissa post Hildam de Streneshalh, terminum negotio fixit, dicens : Dimissis ambagibus, testamentum fratris mei, cui præsens interfui, profero : qui, si convalesceret, jussa se Apostolicæ Sedis incunctanter facturum promisisse, vel quod morte interveniente facere nequiret, hæredi suo faciendum transmisisse cognoscitur.

*S. Elfleda ut recipiatur curat,*

*prolato Alfridi testamento,*

56 Tum Bertfridus verbis Virginis conglutinans sua, Ego jussionibus Papæ obediendum censeo, inquit ; præsertim cum eorum robori accedat et Regis nostri jussio, et nostræ necessitatis sponsio. Namque dum nos post mortem ejus inimicis urgentibus in Bebbaburh inclusi essemus, in obsessionis angusto, in vitæ periculo, vovimus Deo impleturos nos jussionem Papæ, si potuissemus evadere. Vix votum finieramus, et, fateor, sacratissime Præsul, statim

*et Bertfridus Dux, voto suo et suorum relato.*

A statim certant obsequela, omnis in nostrum assensum accurrit provincia. Puer regius in Regem levatus, hostis abactus, tyrannus extinctus. Est igitur regiæ voluntatis, ut Episcopus Wilfridus revestiatur. His dictis emotæ dissensionum nebulæ, serenitas pacis infusa : cucurrit Episcopalis gravitas in amplexum, et concordibus animis quantum superfuit ævi exegit. *Hæc Malmesburiensis. Beda lib.* 5 *cap.* 20 *breviter illa perstringit, et hanc Synodum* juxta fluvium Nidd *habitam tradit.*

## § IX. *S. Elfledæ obitus, Reliquiæ, anniversaria memoria.*

*S. Elfleda moritur circiter an 716*

Elfleda *tandem* completo LX annorum numero, *ut supra relatum ex Beda*, ad complexum et nuptias Sponsi cœlestis Virgo beata intravit. *Si vitæ monasticæ* LX *annos complevit, cum sub finem anni* IↃCLV *Deo fuerit a patre dedicata, consequens est ut sub finem anni* IↃCCXV, *vel potius initio sequentis decessisse creditur : anno prius, si universæ ætatis illius id tempus fuit.*

58 *Quæ diu ante tam sollicite quæsierat ex S. Cuthberto, ecquis post Egfridum fratrem regnum esset Northumbriæ suscepturus, opportune educta de hoc seculo* B *est, ne cerneret fratris filio Osredo interfecto, multis magnisque calamitatibus regnum involvi. Quamquam non potuit non maximum animo ejus mœrorem idem Osredus flagitiosis suis moribus incutere. Nam cum Malmesburiensis scribit* annis XI regnum inumbrantem, turpemque vitam sanctimonialium stupris exagitantem, cognatorum tandem insidiis cæsum ; *anno nimirum* IↃCCXVI, *ut habet Wigorniensis, qui ei successisse ait,* Kenredum magnifici viri Cuthwini filium, *huic* Osricum, *Osrico* S. Ceolulphum *Kenredi fratrem, de quo* XV *Januarii egimus.*

*afflicta nepotis vita impura,*

59 *Quo tempore occisus a Pictis est Egfridus, anno nimirum* IↃCLXXXV, *S. Trumwinus Episcopus*, e vicinia freti, quod Anglorum terras Pictorumque disterminat *(inquit Beda lib. 4 cap. 26)* fuga lapsus, in sæpedicto famulorum famularumque Dei monasterio, quod vocatur Streanesbalch, locum mansionis elegit : ibique cum paucis suorum in monachica districtione vitam, non sibi solummodo sed et multis utilem, plurimo annorum tempore duxit.... Præerat quidem tunc eidem monasterio regia Virgo Ælfled, una cum matre Eanflede.... Sed adveniente illuc Episcopo, maximum regendi auxilium, simul et suæ vitæ solatium, devota Deo doctrix invenit.

*S. Trumwini Ep. institutione et consolatione recreata,*

C 60 *Plures alii sancti ad S. Elfledæ monasterium aut ultro veniebant, aut ab ea advocabantur, ut se ac suas monachas ad sanctitatem erudirent. Fuit inter hos S. Joannes Beverlacensis, Episcopus Eboracensis, cujus Vitam dabimus* VII *Maii. De eo Thomas Stubbs in Actibus Pontificum Eboracen.* Joannes propter affluentem cœlestis doctrinæ gratiam, de auditorio suo ad docendos populos, et Ecclesias instruendas fraterna ubique caritate invitatus, tantæ excellentiæ illustratus gratia, in monasterio Strenesalensi aliquantis detinetur diebus ab Elfride Abbatissa. Postquam autem non solum ibi, sed etiam in regionibus circumstantibus, verbum Dei rudibus adhuc Anglorum populis evangelizavit *etc. Accidit illud ante annum* IↃCLXXXVIII, *priusquam Episcopus esset ordinatus.*

*et S. Joannis Beverlacensis.*

61 *Quæ post S. Elfledæ obitum monasterii Streneshalensis extiterit fortuna, ita lib.* 1 *de gestis Reg. Angl. cap.* 3 *exponit Malmesburiensis :* Præcipuum monasterium tunc fœminarum, nunc monachorum, ab Eboraco XXX millibus, in Boreali parte situm, antiquo vocabulo Streaneshall, modo Wyteby nuncupatur, quod ab insignis religionis fœmina Hilda cœptum, Edelfleda ejusdem Regis filia in regimine succedens, magnis fiscalium opum molibus auxit : ubi et patri post XXVIII annos regni defuncto funera justa persolvit. Illud cœnobium, sicut et omnia ejus- D dem regionis, tempore Danicæ infestationis, quam dicemus inferius, deletum, multa Sanctorum corpora perdidit. Nam et sanctissimæ Viraginis Hildæ ossa tunc Glasconiam translata, et aliorum Sanctorum alias nonnulla : nunc mutato nomine paullulum pro tempore restauratum, antiquæ opulentiæ vix tenue præsentat vestigium. *De eadem Streneshala Harpsfeldius sec.* 7 *cap.* 27 Monasterium illud postea deletum est a Danis, et deinde a monachis Benedictinis cultum, et Whitbi dictum; ad mœnia postea Eboraci translatum, Divæque Virgini Mariæ consecratum. *Porro clades illæ excidiaque cœnobiorum a Danis seculo* IX *præsertim evenerunt : licet etiam octavo Anglos Dani infestarint, et decimo atque undecimo usque ad regnum S. Eduardi Confessoris, ut ad ejus Vitam* V *Januarii dictum est.*

*Streneshalense sive Witbiense cœnobium ab ea locupletatum,*

AUCTORE J. B.

*a Danis postea eversum,*

*tenuiter restauratum :*

62 *De eadem clade, et inventis postea S. Elfledæ, aliorumque Sanctorum corporibus lib.* 3 *de gestis Pontif. Angl. ista scribit Malmesburiensis :* Jam olim tempore Danorum monasteria per totam provinciam vice siderum micantia pessum ierant. Stant adhuc semiruti parietes, qui sint non delectationi oculo, sed tristitiæ monumento. Ibi fuit olim apud Wiremuth monasterium, Bedæ et multorum litteratorum E virorum nobile gymnasium. Ibi Streneshall sanctarum Virginum choro, beatorum Antistitum et egregiorum Regum mausoleis insigne; quod nunc Witebi dictum semisopitos cineres in vitam quorumdam industria satagente suscitat : inventaque sunt noviter, et in eminentiam elata Sanctorum corpora; Trumwini Episcopi, Oswii Regis, et Elfledæ filiæ ejus, quæ eidem monasterio post Hildam præfuit : nec non et illius monachi, quem Divino munere scientiam cantus accepisse Beda refert *etc.* Cedmoni *nimirum, de quo* XI *Februarii agemus. In eamdem sententiam Harpsfeldius sec.* 7 *cap.* 36. In hoc vero cœnobio Elfreda cum patre Oswio, matre Enfleda, aliisque multis Proceribus et Episcopis, humata erat in ecclesia Divo Petro sacra. Cœnobium vero in Danica vastatione (ut alia complurima) eversum est. Post Guilielmi Normanni tempora sacræ reliquiæ Elfredæ, et prædicti Cedmoni, atque aliorum repertæ sunt, et idoneo loco honorifice reconditæ.

*inventæ isthic S. Elfledæ et aliorum SS reliquiæ.*

63 Elfredam *vocat Harpsfeldius, quæ vulgo* Elfled, Ælfled, Elfleda, Elfledis, Edelfleda, Ethelfleta, Elsfleda. *Hallucinatur Wion lib.* 4 *Ligni vitæ cap.* 28, *duas statuens* Elfledam, sive Edelfledam, *et* Ethelfredam, *ambas Oswii filias, sanctimoniales ambas; illam* F in cœnobio Herothen, sub Hildæ regimine, in omni pietate et religione educatam, inde electione sacrarum Virginum ad monasterium SS. Petri et Pauli ad locum Streaneshalch translatam.... annum ætatis agentem sexagesimum, carne solutam, in eodem suo cœnobio sepultam anno Domini circiter 670. *Ut nempe Oswio patre, tertio ejus anni vita functo, duobus annis senior fuerit.* Ethelfredam *vero ait*, sub sanctissima Congylda Abbatissa in monasterio a patre suo Oswio in pago Vuithy fundato, vitam monasticam professam... vixisse anno 670 vel circiter. *Eadem scribit Antonius Yepes Chron. Ord. S. Benedicti tom.* 2 *de* Elfleda *quidem ad an.* 664 *et* 687 *de* Ethelfrida, *quam illius sororem vocat, ad an.* 688. *Wion pro* Elfleda *Bedam citat, quem non videtur legisse; pro* Ethelfrida *Polydorum Vergilium, quem non intellexit. Hic enim de unica agit Oswii filia, quam* Edelfredam *vocat, atque ita scribit lib.* 4 *histor. Angl.* Item optimus Rex condidit cœnobium, quod est ad Vuitthy pagum, ibique monacharum collegium instituit, cui præfecit Congildam sanctissimam mulierem : eique in disciplinam dedit filiam, nomine Edelfredam, quæ monacha facta est. Verum longo post tempore cœnobium istud a barbaris dirutum, monachi Benedictini ins-

*Elfledæ nomen varie scriptum:*

*non est diversa ab Ethelfreda.*

A taurarunt habueruntque. Ex eo postea loco extiterunt monachi præstantissimi, qui deinde cœnobium illud magnificum, Divæ Virgini Mariæ dicatum, proxime mœnia Eboraci posuerunt. *Restaurari cœpit a Remfrida monacho an.* MLXXXII, *uti testatur in historia Dunelmensi lib. 3 cap. 22 Simeon.*

*AUCTORE J. B. Witbienses monachi postea juxta Eboracum degunt:*

64 *Inscriptum est* S. Elfledæ *nomen Martyrologio Anglicano ad* VIII *Februarii a Joanne Wilsono, Benedictino ab Hugone Lenardo, ac generali Catalogo SS. a Philippo Ferrario: sed quod hic* Heriberti Fastos SS. Britanniæ *citat, duplici tenetur errore: nam neque peculiares Fastos SS. Britanniæ scripsit Heribertus, neque in iis Fastis quos vulgavit* Sanctorum, quorum in bibliothecis Belgicis extare Vitas *MSS. existimabat, hujus* Elfledæ *meminit, sed Romesiensis, sive Rumseyensis in Suthamptonia Abbatissæ de qua agemus* XXIX *Octobris. At Streneshalensem hanc referunt quoque ad* VIII *Februarii Edouardus Maihew in Tropæis Benedictinis Congregationis Anglicanæ, et Hieronymus Porterus in Floribus SS.* D

*nomen S. Elfledæ in Martyrologiis 8 Februarii.*

65 *Kalendarium quoddam SS. Ordinis Benedictini, recenti utcumque manu exaratum,* 11 *Aprilis ista habet:* S. Elfledæ Virginis et sanctimonialis, filiæ olim (*lege* Oswi,) Regis Anglorum, ac neptis S. Oswaldi Regis. *MS. Florarium* XX *Martii:* In Anglia Elfledis Conf. *Nullum* Elfledem *Confessorem legimus:* Elfledis, *sive* Elfleda, *præter duas jam dictas, alia in Martyrologio Anglicano extat* XIII *Aprilis, alia* XII *Decembris.*

*et aliis diebus.*

# DE S. MENGOLDO MARTYRE

## HUI IN BELGIO,

J. B.

## Commentarius prævius.

### B § I. *S. Mengoldi publica veneratio, secularis dignitas, martyrii titulus.*

CIRCITER AN. DCCCXCII VIII FEB.

Huum, *sive* Hoium, *urbs est Belgii celebris et opulenta, Namurcum inter et Leodium episcopales civitates sita, ad Mosæ Hoiumque amnium confluentes, uti plenius explicatum* XIII *Januarii ad* B. Ivettæ Vitam. *Hic* S. Mengoldi *Martyris servantur Reliquiæ, cum publica veneratione. Appellatur ab aliis* Maingoldus, Meingoldus, Maingaudus, Manigaudus, Munigaudus. *Agitur illius anniversaria celebritas in omnibus urbis ecclesiis* VIII *Februarii, ritu duplici, producta ad octiduum officii Ecclesiastici religione. Ad quem diem MS. Florarium:* Item Hoii in terra Leodiensi, natale S. Mengoldi Martyris et Comitis gloriosi anno sal. DCCCCX. *Molanus in prima editione Usuardi:* Item Hoii natalis B. Mengoldi gloriosi Martyris. *Brevius Hermannus Greven:* Mengoldi Militis. *Eodem die illum referunt Canisius, Ferrarius, Willotius, Gelenius in Fastis Agrippinensibus: postridie Wilsonus in utraque editione Martyrologii Anglicani: Molanus in secunda editione Usuardi, et Saussaius, atque hi duo* Ducem et Martyrem *vocant.*

*Hui colitur 8 Febr. S. Mengoldus,*

*Martyrologiis inscriptus,*

2 *Non nisi multo post tempore cinctum mœnibus est Huum. Amplæ illic tunc Mengoldi possessiones fuere. Ita Vitæ illius scriptor cap. 4 num.* 21. Locus ille ab Imperatore Arnulpho olim sibi datus, suæ fuit proprietatis, cum multis appendiciis in circuitu. *Forsan ejus loci Comes fuit, uti quidam recentiores diserte scribunt. Jam diximus* Militem *ab aliquibus, (quo vocabulo censebantur qui nunc* Equites, *sed delectu, experimentis, initiatione curatiori probabantur) ab aliis* Comitem, *ac* Ducem *appellari. Et fuit certe* Hoiensis Comitatus. *Ita Otto* III *in diplomate, quod Miræus recitat in Codice donationum cap.* 41 *et Chapeavillus ad cap.* 54 *historiæ Anselmi Canonici:* Adiit Celsitudinem nostram venerabilis, et fidelitatis nostræ in omnibus executor, Notkerus Tungrensium vel Leodiensium Episcopus, ut ei vel successoribus suis, S. Mariæ Sanctoque Lamberto deservituris, Comitatum Hoiensem, qui in nostra ditione hactenus erat, quemque Ansfridus Comes, illustris vir, qui illum ad præsens tenebat, pro Dei honore, et prædictorum Sanctorum veneratione, ipsiusque Episcopi amore reddiderat, perpetuo habendum concederemus. *Fueritne autem hic Comitatus unus e quatuor in Hasbania sitis, quorum mentio est in Divisione regni Lotharii an.* DCCCLXX *facta, an forte sub Condrusio habitus, haud nobis liquet. Urbis pars una in Hasbania est, Mosa interfluente, pars maxima in Condrusio. Affirmat Raderus noster tom.* 2 *Bavariæ sanctæ,* dynastiam olim Hoiensem postea Hasbaniensem dictam. *Cujus pronuntiati auctorem non citat. Quatenus id verum sit alii viderint.* E

C

*Comes Huensis, ut creditur,*

*qui Comitatus postea Ecclesiæ Leodiensi donatus*

3 *Quærunt nonnulli, quo jure illi* Martyris *titulus tribuatur, qui nec religionis nec alterius Christianæ virtutis caussa dicatur interfectus, sed ob veteres inimicitias cædemque Ingelfridi ab ejus cognato perpetratam. Tradit Vitæ illius scriptor, dum ex peregrinatione pro criminum expiatione suscepta reverteretur,* et de fide Christiana ejusque operibus, de fructibus pœnitentiæ et de vita æterna, de pœnis inferni, hospites et advenientes instrueret ex sacris Scripturis; *fama de reditu ejus circumquaque vulgata, conspirasse in ejus cædem quosdam Ingelfridi consanguineos:* quos dum *ille* pio salutat affectu, illosque.... de rapinis, de cædibus paterne admonet, salubriter corrigit... illi quod conceperant perficientes, diversis plagis virum Dei perimunt.

*occisus ipse a conjuratis, ob veteres inimicitias,*

4 *Censet qui nuper historiam Leodiensem vulgavit a se scriptam, vir doctus, lib. 6 ad annum* 909, vel rejiciendam *eam* mortis caussam, vel accusandam levitatis antiquitatem, quæ Martyrum honores immerenti decreverit. *Idem in Floribus Eccles. Leodien. ita scribit de Mengoldi nece:* Neque in unam omnes mortis caussam conveniunt. Eam tradunt nonnulli, quæ martyrii gloriosam illam palmam eripiat. *Aliam ipse excogitat; quæ nimirum ex Vita retulimus salutaria monita, iis, absque ulla ad pristinas inimicitias respectu, irritatos quasdam ei manus intulisse. Nam,* cum non vitæ duntaxat exemplo, *inquit,* verum piis etiam sermocinationibus mortales a vitæ turpitudine revocatos, ad honesti prosecutionem accenderet; quosdam ex equestri ordine, gentis suæ nobilitatem multis sceleribus polluentes, ad studium virtutis, solius atque unicæ nobilitatis, cohortari aggressus est. Salutares ejus monitiones ceu atroces injurias acceperunt perditissima capita: sanctumque Principem saluberrima consilia proponentem impie peremerunt. *Idem confidenter affirmat notatione* 6. De martyrio jam mentem aperui. Nec adversari licet sine gravi nota antiquitatis. F

*non solas admonitiones promeruit infestas,*

5 *Verum si Mengoldi monitis, ut innuit Vitæ scriptor, inflammati sunt sicarii, ut quam vindictæ cupiditate designarant, accelerarent cædem innocentis, non facile ostendet hic scriptor, quid ad propriam rationem martyrii desit. Conspirat tyrannus in legitimi Principis cædem, ut ejus dignitate ac bonis potiatur; obtendit tamen titulum Christianitatis, ut suam dissimulet ambitionem atque avaritiam. An qui sic necatur, Martyr non erit?*

*vel sic verus Martyr dicendus:*

*Æque,*

A *Æque, ut ego opinor, atque si perimatur odio religionis, sed, ne cædis auctores invidiam populi incurrant, perduellionis missæ consilia dicatur.*

*lato modo autem, si solum innocens occisus :*

6 *Verum etsi illæ ingestæ sceleratis ab Sancto admonitiones non essent, irritataque novo stimulo crudelitas, valeret tamen ad retinendum martyrii decus, quod Raderus noster adnotarat :* Mengoldus, *inquit*, si proprie vereque Martyrem definias, qui religionis Christi et professionis fidei, virtutis aut justitiæ caussa occumbit, non veniet in album Martyrum : quemadmodum et D. Sigismundus Burgundionum Rex, Colomannus et Nantwinus, aliique complures, aliis nominibus, quamvis innocentes, interfecti, vere Martyrum nomen non ferent. Sed quod viri cetera sancti, per falsas criminationes circumventi, mortem constanter obierint, atque injurias cædemque patienter tulerint, cœlum publicis prodigiis illorum voluit innocentiam per orbem testatam esse. *Hæc Raderus. Plures alibi in opere nostro occurrent, ita interempti, ac Martyres habiti : uti apud nos* Salvius *et* Rumoldus *Episcopi; alibi* Balduinus, Meinradus, Canutus *junior; in Anglia Reges aliquot in prælio occisi,* Edwinus, Oswinus, Oswaldus, *atque alii.*

*non id Hui contigit.*

7 *Non congruit cum Vitæ historia, quod idem ille* B *scribit, post septennii peregrinationem* Hoium rediisse, et vitam illic instituisse : *quodque Saussaius,* militiæ abrenuntiantem, atque pœnitentiæ amore ad oratorium SS. Timothei et Symphoriani ad Mosam, solitario loco secedentem, ibi sanctissimæ vitæ actus edidisse : donec a viris sanguinum, cum ad templum iret, innocens occisus. *Præivit tamen utrique Molanus*, ex Officio Cleri Huiensis *ita scribens :* Integro enim septennio pœnitentiam egit de homicidiis ceterisque peccatis. Postmodum recessit ad oratorium sanctorum Martyrum Timothei et Symphoriani, quod situm ad confluentiam Hoii et Mosæ... Eodemque in loco, cum, post sæpius postulatam concordiam, nondum extincta esset antiqua ira, dum ad templum iret, ab Ingheltfredi consanguineis mactatus est. *Ab hisce scriptoribus et Vitæ historia discrepat Miræus in Fastis Belgicis :* Quiescit Huii, *inquit*, in collegiata Canonicorum ecclesia, eo loci ab impiis interfectus. *Ast ubi vel nunc quiescat, vel interfectus videatur, infra quæremus.*

ANIMADV PAP 41

## § II. *Acta S. Mengoldi an penitus repudianda?*

*Quæ hic dabimus S. Mengoldi Acta, descripsimus ex* C *codice monasterii Corsendoncani Canonicorum regularium juxta Turnhoutum, Brabantiæ oppidum. Eorum compendium extabat in MS. Ultrajectino Ecclesiæ S. Martini, antiquiore manu exarato, quam esset codex Corsendoncanus : atque ex illo quædam S. Mengoldi miracula promemus. Composita autem sunt Acta illa, nisi nos fallit conjectura, inter annum Christi* CIↃCLXVI *et* CIↃCLXXIII. *Nam quartæ Translationis, anno* CIↃLXVI *sub Theoduino Ep. factæ, ut infra dicemus, meminit in Prologo auctor. At non quintæ, seu sextæ, quæ sub Radulpho paullo post annum* CIↃCLXXIII *contigit. Fatetur in Prologo, scriptum se,* quæ vulgata percipiuntur relatione, quæque fama vulgante colliguntur. *Fama autem tertio jam labente seculo et vera retinere aliqua solet subinde, sed, ut ceteris picturæ crinibus jam coloribus, falsa quædam aut incerta tum situ ipso pedoreque contrahere, tum aspergere studio innovandi ornandique. Fortassis autem non ex sola fama, sed aliquibus scriptorum monumentis accepit,* quod ut ibidem ait de illo antiquitas per successionem posteris reliquit. *Ins... sane nonnulla quæ sapiunt antiquitatem, ut illud num.* 11, Imscariam offerre : *nomina quoque, tum virorum eo ævo usitata,* Albericus, Balduinus, Ingelfridus, Wilhelmus, Richardus ; *tum locorum*, Greverias, Spanetum, SS. Timothei et Symphoriani oratorium.

*Acta ejus et miracula unde hic edita?*

*quando illa composita?*

*ex fama,*

*n... :*

*sapiunt antiquitatem :*

9 *Aliter de his Actis sensit citatus Leodiensis Historicus. Ita enim in Floribus scribit :* De Mengoldo D diversi scriptores tradidere diversa, vel supra modum splendida, vel eventu ad admirationem inexpectata, vel a vero manifeste aliena. *Ast in Notationibus ad historiam,* Mirum, *inquit*, fidem ullam invenisse, quæ de S. Mengoldo circumferunt. *Et in ipsa historia :* Vanis narrationibus detinendum non censui lectorem. *Multo etiam severius in litteris ad amicum an.* CIↃIↃCXXXVI *datis, (quæ ab hoc mecum communicatæ) pronuntiavit de his Actis :* Quærit, quid sentiam de Vita S. Mengoldi scripta in magno illo codice templi Beatæ Virginis *Huensis?* Censeo meras esse fabulas ab initio ad finem, æque ac reliquias omnes quas vidi : vidi autem præter illam tres aut quatuor alias.

AUCTORE J. B.

*plane explosa a quodam,*

10 *Ita ille Acta S. Mengoldi explodit, et simul tamen sequitur, hæc scribens in Historia ad annum* 909. Novum aliud Ecclesiæ Leodiensi decus tulit annus sequens, nobilem martyrii palmam Mengoldo partam. Qui Hoii Comes, cum gravibus implicitus bellis aliquot annos principatum administrasset ; cruenta tandem dissidia, mutuasque exosus cædes, quæ non facile cujusquam animum relinquunt ab omni noxa immunem, præteritas labes suscepit expiandas. Principem ergo dissimulans plebeio habitu, varia per E orbem Christianum sacra loca lustravit, duris interea corpus afflictationibus castigans, reficiensque animum rerum cœlestium commentationibus. Quibus postquam se toto septennio exercuisset, Hoium rediit, vitamque isthic instituit omnibus Christiani Principis Officiis venerabilem. *Ac paullo post :* Vixit sane Mengoldus cum Arnulpho Imperatore, qui vita functus est anno DCCCC.

*eorum tamen compendium probante :*

11 *Verum unde illa hausit?* E multis, *inquit*, vix fidem merentibus selecta lectori pauca dedi, in quæ ut ceteri fere consentiunt, ita similia vero magis visa sunt. *Qui ceteri illi? Molanus et Miræus viri doctissimi, itidem in genealogiam illius in Actis expressam consentiunt, quam ille repudiat. Citat Joannem Warnantum, qui a CCC annis, Joannem Ultramosanum, qui a CCL vixit; Zantfletum, quem subinde etiam allegat in Notationibus ad historiam Leodiensem Chapeauvillus. Sed cur non eorum verba adnumerat? Quia fortassis quæ ipse ita magnifice explodit, etiam ipsi referunt, utpote horum Actorum scriptore recentiores. Sed tamen qui potuere ei ex illis Actis aliqua similia* vero videri, *si meræ fabulæ erant ab initio ad finem? Utilius collocasset operam, si quid ab interpolatore afflictum veteri narrationi, indagasset. Nec arbitror id* F *illi difficile futurum fuisse, si historiam amplissimæ diœcesis scribenti patuere omnia urbium, Ecclesiarumque archiva ; uti nos illi nostra scrinia liberalissime aperuimus, stipulati modo ne Vitas Sanctorum ederet, ne scilicet quæ magno labore sumptuque a nobis ac Heriberto Rosweydo collecta erant, deflorarect : quod tamen postea fecit, salva, ut videri voluit, fide, quia tunc cum id pollicebatur non cogitabat Vitas edere, ac postea amicorum consiliis eo appulit mentem, et scilicet sancte id servavit, ne scripta nostra citaret, ac ne vulgata quidem jam a nobis Acta; sed ipsos fontes unde hauseramus, cum plurima nusquam nisi apud nos vidisset.*

*alus viris doctis non improbata :*

*examinanda potius, historiam scribenti,*

12 *Sed ad S. Mengoldi Acta revertamur, ita ab eo severe proscripta. Merebantur ea sane ut quovis labore discuterentur, provinciæ totius antiquitatem egregie illustratura. Et erit fortassis aliquando peritior aliquis, qui ea accuratius examinabit et pretiosum a vili, genuinum ab adulterino (si quod sit ejusmodi) separabit. Neque nos pigeret, aliquam etiam illi rei operam impendere, si inde plurium Sanctorum ætas actorumve fides penderet, aut aliqua generation historiis pluribus, quibus assidue uti nos oporteret, ea ratione lux affundi posset; uti I Februarii in S. Sigeberti Regis ætate ac ditione elucidanda non infructuose a nobis sudatum, et*

*quod fieri poterat,*

*alibi*

AUCTORE J. C.

A *alibi in aliorum Actis. At nunc quid ille scriptor egit aliud, quam qui nodum dissolvere se posse diffidens dissecuit? Sed quod factum cui comparo? Perinde potius videtur fecisse, ac si quis poma in propatulo ab humilioribus ramis pendentia decerpat, aut in alienis apothecis condita sublegat; cetera vel in alto posita, vel spinis sæpe præmunita, ut agrestia acerbaque culpet. Cur ita asseveranter tradit* vixisse cum Arnulpho Imperatore, *si nulla fides illis est Actis? Cur non potius incerta esse omnia, etiam illud ipsum, fassus est? imo ne constare quidem, vixerit necne in Belgio Mengoldus, an aliunde huc ejus exuviæ allatæ, Arnulphi Ottonumve ætate? Nam qui sine ratione, quod alibi non legit, nec contrarium tamen, libere negat, poterit quidlibet repudiare.*

*et mereantur.*

13 *Sunt ergo Acta hæc ejusmodi, ut examinari saltem mereantur, cum multo sint probabiliora, quam quæ de Episcopis Tungrensibus et Trajectensibus scripsit Joannes Placentius, deque aliis alii.*

## § III. *Cædis S. Mengoldi tempus indagatum per conjecturas.*

*De cædis ejus tempore incerta quidam scribunt,*

*Laurentius Melartius lib. 1 historiæ Huensis scribit* B Mengoldum *martyrium fecisse anno* DCCCLX, *aut, ut quidam volunt, inquit,* LMIX. *Postea tamen, haud sat memor dictorum, cum scribit, consilio præcipue Ottonis* II, *Geylam Guihelmi, anno* CMLX *mortui viduam duxisse; filiumque Lietardum, sive Luchardinum, ex ea suscepisse; ac post annum* CMLXX *ab Indelfrido et tribus aliis sicariis interfectum esse. Ne quæram, quid ad eas persuadendas nuptias valere Ottonis septennis octennisve pueri consilium potuerit, quæ illa computandi ratio? Moritur Wilhelmus an.* CMLX. *Comitatum cum Geyla suscipit Mengoldus, ejusque paucis post annis Richardo sororis filio regimen, ac Lietardi filii tutelam committit, abitque peregre. Richardus puero per summum scelus interfecto, occupat Comitatum, sed et ipse*

*et secum pugnantia.*

*in prælio perit anno* CMLXVI. *Huic Hugo filius succedit, imperatque annos* IV, VII *Guido, Simon* IX, *Aufridus* IV. *Quæ summa ad annos* DCCCCXC *pertinget. Tamen idem Melartius fatetur, anno* CMLXXXV *Comitatu sese abdicasse Aufridum. Forte etiam aliquanto prius: nam diploma supra citatum, quo idem Comitatus, ab Aufrido relictus, Ecclesiæ Leodiensi tribuitur,* Nonis Junii anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octuagesimo quinto, Indictione XIII, anno vero tertii Ottonis regnantis secundo, *datum, ut apud Chapeauvillum* C *et Miræum legere est. Nec mirum scriptorem hunc in calculo annorum figendo ita titubare, qui nullos Chronologicos characteres observet.*

*alii an. 909 contigisse,*

15 *Scriptor antea citatus historiæ Leodiensis anno* CMIX *occisum tradit. Quo id auctore didicit, coætaneo, inquam, aut firmæ fidei? Detur id tamen viro erudito, ut conjectare ei de re obscura liceat: quod et nobis quandoque sumimus; sed non ut rebus certam ac sanctam sententiam ponamus. Idem antea scripserat Florarii auctor, ut num. 1 dictum.*

*alii 908.*

16 *Sigebertus Gemblacensis (vel quisquis fuit qui ad ejus Chronicon lacinias assuit) ad annum* CMVIII *ista habet:* Hoc anno passus est in Hoyo Comes, Dux et Martyr, B. Mengoldus, Arnulfi Imp. Romanorum ex sorore nepos. *Aberant ea a vetusto MS. Lobiensi, quo usi sumus, atque a Laur. Barræi Pistoriique editionibus. Nec* in Hoyo passus, *ut antea indicatum.*

*videtur prius contigisse*

17 *Si quæ Actis fides, interfectus videtur Mengoldus, haud exiguo ante annum nongentesimum spatio temporis. Dicitur enim cap. 5 num. 24,* Crescente numero *ad ejus sepulchrum* servientium *Deo,* crevisse et census a fidelibus Christi, permanens usque ad impetum Nortmannorum, qui tempore Episcopi Franconis cum innumerabili exercitu exterarum nationum irruentes, locum illum et totius Leodiensis parochiæ ecclesias, ædificia, palatia destruendo combusserunt. *Atqui obiit Franco an.* CMIII V *Id. Januarii. Multæ* D *ejus tempore in diœcesim Leodiensem incursiones Normannorum fuere.*

18 *Quid si hic ille est* Megingaudus *Comes anno* DCCCXCII *in Rutilensi ecclesia interfectus? De eo ita scribit Regino:* Eodem anno, mense Augusto V Kalend. Septembris, Megingaudus Comes, nepos Ottonis Regis, dolo interfectus est ab Alberico et sociis ejus, in monasterio S. Xysti, quod vocatur Rotila. *Ita enim habebat MS. codex, quorum Wechelianum ex bibliotheca Pistorii editionem Reginonis contulit Rosweydus: consentiuntque Annales Metenses a Chesneo editi. Prior illa Reginonis editio habebat,* mense Septembri Megingaudum *interfectum in monasterio* quod vocatur Sotila. *Est autem* Rutila, *sive, ut hic appellatur,* Rotila, apud Mosellæ ripam, proxime Circium oppidum, *uti Annal. Treviren. lib. 9 tradit Browerus, olim Benedictinæ professionis, nunc Carthusianæ, monasterium. Additum in Pistorii editione:* Cujus corpus Treverim deportatum, apud S. Maximinum est sepultum: *quod et Browerus transtulit in annales suos Trevirenses.*

*forte 892 28 Aug.*

*apud Rutilam:*

19 *Primus* Maingaudum *hunc* Mengoldum *nostrum* E *esse conjectavit doctissimus Ægidius Bucherius noster in Chronol. Epp. Leodien. ad an.* 892, *ita scribens:* Megingaudus Comes ab Alberico interficitur. Reg. An sit Maingolidus Huensis? *Perpulit nos, ut eam conjecturam amplecteremur, (aut certe non respueremus) vir eruditissimus nobisque amicissimus Joannes Jacobus Chiffletius, Eques et Regius archiatrorum Comes: nam* Maingaudum *vocari ab Alberico monacho trium fontium, cujus inferius verba referemus; et genealogiam, quæ nobis paradoxa videbatur, firmari rationibus posse. Sed de hac § sequenti.*

*ita visum quibusdam viris doctis,*

20 *Alia interim oritur scribenti dubitatio, an non fortassis hic sit* Megingaudus *Comes sive Dux, de quo ista lib. 9 Annal. Trevir. scribit Browerus:* Rex *Arnulphus* Duci Megingaudo, profana liberalitate, D. Maximini opes elargitus est. Sed ut plane constet, munus istud quam feliciter Duci cesserit, haud pigebit ex Sigehardo veteri et probato hujus seculi monacho, quid ei acciderit, in hanc historiam intexere. Megingaudus itaque hac tam opima possessione ab Arnolpho Rege ditatus, lætitia diffluens, usque adeo sibi non temperavit, quin domum reversus, uxore seorsim vocata, gratularetur ei sibique communiter multis verbis, et petulanti simul in Divos effuso joco, sciscitatus ex ea, ecquid nosset, F quanto ipsum munere Imperator non ita multos ante dies exornasset? Qua negante, Servum ille prædivitem, inquit, mihi donavit: et is certe qui sit, si nosse curas, ipse cum abbatia sua Maximinus est. Hunc, si volueris, etiam sistere tibi modo et coram adducere possim. Aversata impium sermonem fœmina, jurgio maritum corripere, seque eo beneficio indignam clamitare. Sed neque isthæc linguæ petulantia diu inde multa abiit: quippe Deo, beatorum cœlitum suorum honorem vindicante, immani morbo Ducem ita afflixit atque prostravit, ut e vestigio, contortis ac velut in globum coeuntibus membris, non jam ultra hominem figura, non vultu vel ore ferret. Atque tum demum, acri præsentis mali dolore perculsus, et in semet descendere coactus; Divi, cujus tam vile nomen ei antea fuerat, supplex opem poscere, et ad aram illius Trevirim deportatus, jam se servum ejus, atque omnis auxilii egentem fateri, cujus ipse se dominum antea professus erat. Quæ sane tam alta, tametsi sera, animi abjectio, et humanæ imbecillitatis, ut tali tempore, necessaria cogitatio, homini salutem peperit; fervida præsertim monachorum ad Deum obsecratione sublevato. Ille igitur recuperatæ valetudinis memoria gratus, non solum pro antiquo suffragiorum jure cœnobitis reducendo

*An hic Megingaudus, abbatia S. Maximini donatus an. 888 ab Arnulpho R.*

*eo dono irreligiose exultans,*

*contractione punitus,*

*Sancti ope curatus,*

A ducendo apud Arnulphum Regem multum pugnavit, verum ut is eorum etiam opes... Ribiniaco villa ex fisco regali amplificaret, effecit : extantque testes hujus rei antiquæ litteræ, anno regni Arnulphi primo, ipsius rogatu Comitis sive Ducis Megingoz confectæ. *Annus autem regni Arnulphi primus fuit Christi* DCCCLXXXVIII, *post Caroli Crassi patrui sui obitum.*

*dein monachis amicus?*

21 *Verum si anno* DCCCXCII *occisum esse Mengoldum statuamus, metachronismum fateri oportebit in Actis commissum, dum sæpius* Arnulphi Imperatoris *meminere, qui solum Rex erat, anno demum* DCCCXCVI *Imperator creatus : neque totum septennium impendisse pœnitentiæ et peregrinationi Mengoldum, sed annum fortassis unum alterumve, aut fortassis solum menses* VII *aut* VIII.

*In Actis metachronismi.*

22 *Sed qui potuit sororis ejus filius Richardus ante annum illum militiæ idoneus esse? Quid ni vero? Natus erat Ludovicus Germanicus Pii F. sub annum* DCCCVI. *Genuerit anno* DCCCXXVI *Carolomannum : hic ex concubina anno* DCCCLXII *vel sequenti matrem Mengoldi, Richardi aviam, nuptam Hugoni forte circa* DCCCLXXV, *cujus filia anno* DCCCLXXVI *data sit Regi Northumbriæ, ac paullo post Richardum pepererit, ut hic* XXIII *annorum*

*Nepos ejus an anno 892 bello habilis?*

B *fuerit, aut etiam senior, quando ejus avunculus Mengoldus interfectus est. Quid si non eadem matre nati erant Mengoldus et Adeles, sed hæc senior e priori Hugonis conjuge? At de his § sequenti. Id solum hic ostendere volumus, non obstare Chronologiam, quin existimari possit eo anno interfectus Mengoldus. Quamquam id conjectando potius proponimus, quam asseveranter statuimus.*

23 *Quod apud Greverias occisus dicatur, objici non potest, nisi ab eo qui perspicue docuerit non fuisse locum illum circa Rutilam. At cur* VIII *Februarii colitur, si* V *Kalendas septembris occubuit? Fortassis eo die allatum est corpus Huum, quinque post cædem mensibus : depositum tantisper in S. Maximini æde, potius quam Rutilæ, quod de S. Maximini abbatia bene meritus antea erat, uti diximus; donec* nobiles viri circummanentes, olim sub ditione ejus fructuose degentes, *ad id transferendum tumulandumve concurrerent.*

*cur 8 Feb. colitur, si 28 Aug. occisus?*

## § IV. *S. Mengoldi genealogia expensa, conjecturis illustrata.*

G*enus nunc inquirendum* S. Mengoldi. *Hugone na-*

C *tus dicitur Rege Angliæ, et sorore Arnulphi Imperatoris, levir Northumbriæ Regis, et (si* Maingaudus *est, qui Rutilæ interfectus) nepos Odonis Regis. Perplexa hæc et primo aspectu non satis credibilia. At si singula expendas, nihil reperies, quod certo possis damnare falsitatis, nisi si quid auctor ad ornatum de suo attexuit, aut sicubi chronologiam parachronismo perturbavit. Singula discutiamus.*

*Ejus genealogia perplexa.*

25 *Nullus Angliæ Rex* Hugo, *Ain' tu? Exhibe ergo accuratum omnium quotquot in cunctis Anglorum provinciis regio honore potiti unquam sunt, catalogum. Nullum sane adhuc vidi. Dedimus* VII *Februarii* Richardum Regem, *nullo in catalogo consignatum. Produximus ad illius atque S. Inæ Vitam plures, qui et se Reges publicis actis subscripsere, et ab aliis eodem decorati titulo sunt, et absunt a catalogis. Ipso quoque tempore Arnulphi patrisque ejus Carolomanni, etsi res sensim inclinabat ad quamdam monarchiæ rationem, plures erant in variis adhuc provinciis Reges, ut videre est in Anglicis scriptoribus : licet hi subinde fateantur, se, quam late imperarint nonnulli, quantove tempore, ignorare. Non potuit in his esse* Hugo *aliquis? Contendes totius Angliæ Regem esse debuisse, non aliquem e turba Regulorum, qui Carolomanni Regis filiam sibi copularit. Sed notham : neque enim legitimam pro-*

*ANIMADV. PAR. 42 pater Hugo Rex Anglorum,*

*lem Carolomannus habuit. Nihil tamen Hugonis illius* D *regno potentiæque detraho. Potest ut Ethelwulphus Juditham Caroli Calvi filiam ita Ludovici Germanici neptem duxisse quispiam amplissimi regni dominus* Hugo *dictus : qui, quod forte (uti non multo ante Mollo Edelwoldus Rex Northumbriæ, et Eadbrictus Pren Rex Cantiæ) geminum haberet nomen, minus eo apud Anglicos scriptores celebratus est : quamquam erat nomen jam tum illud in ea gente usitatum. Hibernos audio qui patria dialecto* Aidh, Ethi, Aidani, *dicuntur,* Hugones *appellare : uti* Jacobos *Hispani* Didacos *vocant. Inficiari ergo qui possumus, quin fuisse aliquis Hugo Rex Anglorum potuerit, sive ignotus aliis scriptoribus, sive alio notus nomine, in tanta regnorum Regumque multitudine?*

*AUCTORES ... licet apud Anglicos scriptores sub eo nomine ignotus :*

26 *Matris nomen non indicatur. Id solum traditur* Arnulphi sororem *fuisse : igitur Carolomanni filia fuit, Ludovici Germanici neptis, qui Ludovici Pii filius, nepos erat Caroli Magni. Atque ita Carolingicæ stirpi inserendus Mengoldus. Alia Arnulphi soror Zuentebolda Moravo data uxor.*

*mater soror Arnulphi Imp.*

27 *Objicit auctor historiæ Leodiensis in Notationibus :* *Arnulphi* si fuit nepos, simulque Regis Angliæ filius, *quis* credat datam ei ab avunculo Imperatore uxorem Comitis Hoiensis viduam, eamque multis bellis im-

E plicitam? Quæ denique pars illa adversaria, quæ bellum ausit cum tanto Principe sustentare? Commenta ego existimo. *Quæ enimvero pars adversaria Zuenteboldum, Arnulphi filium, regno exuit?* Reginarius Dux, *seu Comes Hannoniæ, aliique ex Mosæ tractu, consuetatis invicem armis. Carolum Simplicem Franciæ Regem nonne consimilis factio labefactavit? Raro res novas machinantibus, etiam adversus maximi Principis potentiam, desunt æmulorum auxilia. Sed neque adversus Mengoldum nisi tumultuaria motu sunt bella. Opem illi Anglia non tulit, quæ vix ipsa se contra Danos piratas tutabatur : ac neque forsan jam pater neque sororius in vivis erant. Arnulphus ita illi adfuit, ut nollet subditos Principes irritare, quorum favore Lotharicense regnum Zuenteboldo filio notho tradere parabat.*

*qui, si tantus erat, et bella movere ausi?*

28 *Alioquin nec pauca Mengoldo nec exigua dedisse Arnulphus videtur, si jam ipso regni sui exordio, cœnobii S. Maximini ei prædia omnes fundosque tradiderat. Neque vel Geylæ dos, quam vindicare armis Mengoldus debuit, adeo tenuis censenda est fuisse, neque privigni, quæ ei administrandæ tutandæque committebantur, angustæ erant possessiones. Scriptor idem Wilhelmum, primum Geylæ maritum, aut* Comitem Hoiensem *fuisse : Miraris ac Molanus* Hannoniensem. *At Reginarius Hannoniam tenebat. Omnemne? Nullos is habuit patruos, aut cognatos? At non Comites, inquis. Id probandum erat. Nullone esse ex alia domo Comites potuerunt? Nonne Dagoberti ævo Comites simul in Hannonia fuere Walbertus, Vincentius Madelgarius et alii? S. Mengoldi tempore vixit* Sigohardus Comes Hannoensis, *qui in Reginariorum stirpe non memoratur. De eo Ludovicus Rex, Arnulphi filius, in diplomate data Aquisgrani an.* CMVIII, *indict.* XI, *quod extat apud Chapeavillum in*

F *annotat. ad cap. 40 historiæ Anselmi Canonici ita loquitur :* Laubacensem abbatiam... in pago ac in Comitatu Hainuensi sitam, cujus ad præsens Comes videtur adesse Sigohardus, ad fiscum, nomine Tentis, a Rege Suendipolcho fratre nostro concessum in pago ac Comitatu Liwensi positum; cujus etiam, inpræsentiarum idem Comes dignoscitur esse Sigohardus. *Fit ibidem aliorum in eodem districtu Comitatuum mentio. Hannoensis quoque fuit, neque in Reginariorum stirpe numeratur is, de quo Baldricus in Chronico Camerac. lib. 1 cap. 73.* Alter itidem Comes, *inquit,* ex pago Hainon, Amulricus nomine, vir genere nobilissimus, et juxta secularis gloriæ pompam fortunatissimus. *Vivebat is an.* DCCCCXLVII, *Sigohardi forte filius aut nepos. Ab hisce ortus ille quoque videri potest,*

*uxor antea Comiti Hannoniensi nupta :*

*Opes ejus non parvæ*

A mum a *Theodwino. an.* CIↃLXVI. *Nullam vel cladis illius tempestate inflictæ, vel operis a Baldrico inchoati, mentionem facit Theodvinus in diplomate suo, dato* anno Domini CIↃLXVI, Indict. IV, pontificatus *sui* an. XVIII, *regni vero Henrici* XI, *ita enim habet:* Notum esse volo tam præsentibus quam futuris, qualiter post libertatem Hoyensis Ecclesiæ, quam Dominus Maternus beatæ memoriæ Episcopus consecrando primitiavit, adjecerim libertatem etiam villæ. Præfatam siquidem ecclesiam a fundamentis ad laquearia, a laquearibus et ultra reædificavi, quam etiam in auro et argento et gemmis et prædiis, pro modulo meo ditavi, et de Agar Saram esse feci. Prænominata vero villa, pro libertate sua, ad sumptus ecclesiæ necessarios, omnia mobilia sua primo mihi tertiavit: qua libertate ut amplius frueretur, postmodum dimidiavit. *Contigit novæ illius ecclesiæ dedicatio* VIII Kal. Septemb. *uti habet Ægidius Aureæ-vallis cap.* I *et Magnum Chronicon Belgicum, ac Fisen noster.*

*4 an. 1066 ad D. V.*

*ab Episcopo et civibus reædificatam;*

37 *Tunc igitur, ut scribit idem Ægidius, Theodwinis Leodiensis et Lietbertus Cameracensis,* cum universa multitudine Cleri et populi, in eamdem ecclesiam corpus B. Domitiani Confessoris atque Pontificis pie et devote transtulerunt. *Relatum quoque ad* B *eamdem ecclesiam est* S. Mengoldi *corpus : estque sive eorum gloria, seu Pontificis populique pietas cœlestibus prodigiis confirmata.* Dum *enim, ut habet actorum prologus,* completo opere illuc referrentur, nimia populi conveniente turba, sub die claro duæ apparuerunt stellæ, radiis sui fulgoris quasi utrumque prosequentes feretrum, et qualem vel quantam haberent claritatem in cœlis, hominibus ad fidem et ad exemplum ostendebant in terris. *Et hæc quidem illius temporis scriptor, uti supra docuimus.*

*tunc facta miracula :*

38 *Centum post annis rursus translata sunt eadem sacra corpora, aut potius in magnificas singula thecas reposita, per vicos urbis religiose circumlata. Quamquam videtur S. Mengoldi corpus ante eam translationem denuo ad ipsiusmet nomini dicatam ecclesiam (eo fortassis spatio, quod Theodvinum inter et Radulphum Antistites intercessit, ædificatam) reportatum, aut illic tunc collocatum, ut splendidiore pompa ad majorem basilicam deveheretur. Agit de S. Domitiani translatione Ægidius Aureæ-vallis cap.* 51, *ad quod caput Chapeavillus ex Joanne Presbytero ista adscribit :* Anno Domini CIↃCLXXIII XVII Kalend. Julii, precibus Canonicorum Hoyensium, corpus B. Domitiani Episcopi C et Conf. honorabiliter a D. Radulpho Leodiensi Episcopo, præsentibus quamplurimis personis religiosis transfertur et in loculo argenteo deaurato decenter locatur. Tunc meritis Sancti facta sunt ibi multa miracula. *Plura narrat de instituta per urbem supplicatione Ægidius. Pergit de Mengoldo idem Joannes :* Translatio autem corporis B. Mengoldi Martyris Comitis Hoyensis, inde annis quibusdam revolutis, eadem die facta est ; et corpore ejus posito ab eodem Episcopo in locello argenteo, ab ecclesia ejusdem S. Mengoldi ad ecclesiam B. Mariæ Virginis cum maximo honore transfertur.

*forte 5 ad ædem S. Mengoldi :*

*6 cum S. Domitiani an. 1173, et ejus paullo post.*

*argenteis capsis inclusa corpora.*

39 *De eadem Translatione Fisenus lib.* 10 *Histor. Leod. num.* 28. Sunt qui eodem simul honore cultum scribant B. Mengoldum. Aliis placet magis in paucos annos differre; quamquam eumdem diem Præsulemque Radulphum et ipsi adscribant. *Melartius corpora scribit e sepulchris exempta et singulis thecis imposita ex argento affabre factis ab eximio artifice Godefrido Clara, cognomento Nobili. Sed jam ante, Theodrini tempore, imposita aliis feretris fuerant : an inde rursus sepulchris condita censet? Nec die* XVII *Julii, ut scribit, translata, sed* XVII *Kal. Julii, sive* XV *Junii. In anno quoque assignando variat, nam lib.* I *ait* CIↃCXXXVII, *lib.* 2 CIↃCLXXIV, *contigisse. Translatus est* *S. Domitianus* CIↃCLXXIII. *S. Mengoldus vel simul, vel* D *potius aliquot post annis.*

*ab insigni artifice factis.*



40 *Consignata est a Molano in Additionibus ad Usuardum in* 2 *edit. Translatio S. Mengoldi ad* XV *Junii, his verbis :* In Hoyo, Translatio S. Domitiani Ep. et Conf. Eodem die B. Mengoldi Ducis etc. Martyris. *Illud tamen admonet idem Molanus in Natalib. SS. Belgii :* Translatio cum S. Domitiani Translatione concurrit die decima quinta Junii, sed ob concursum sequenti die recolitur. *Hoc tamen accepi, Translationem S. Mengoldi agi* XIV *Junii. Duo tamen MSS. codices habent S. Domitiani Episcopi Translationem factam an.* CIↃCLXXII. VI *Idus Junii : uterque eorum tradit* locellum argenteum, *in quo sacrum collocatum est corpus, ei* jam dudum *ante* fabricatum fuisse. *Negat alter eam Translationem esse quæ anniversariis sacris celebretur, sed aliam multo antiquiorem.*

*Translationis anniversaria memoria.*

41 *Quæ porro tunc confectæ thecæ, eadem cum cœlesti incluso thesauro circumferentur in solemnibus supplicationibus, Dominica* Quasi modo, *die S. Domitiani, qui est* VII *Maii, festo Corporis Christi, die Assumptionis Deiparæ. Gestant autem S. Domitiani feretrum honoratiores e collegio laniorum : S. Mengoldi, molitores pistoresque. Credo (quia lanificio similibusque* E *opificiis, Melartio teste, in eam magnitudinem, quæ nunc cernitur, Huum excrevit) ab illis potissimum collatas esse pecunias ad eas capsas fabricandas, aut alio quopiam beneficio honorem illum commeritos.*

*quotannis aliquoties circumferuntur reliquiæ.*

42 *Addimus et illud ex Melartio, (si tanti est minime antiquum inventum, ad ejus genealogiam conformatum) ita S. Mengoldi effigiem in ejus æde expressam, ut Ducis formam, ternos leopardos (quæ Anglorum Regum nunc tessera) vesti militari intextos gerat, scutum manu, aquila insignitum, altera vexillum liliis Francicis inspersum.*

*S. Mengoldi imago.*

## ACTA AUCTORE ANONYMO

*ex MS. Canonicor. Regul.*

Corsendoncæ.

### PROLOGUS AUCTORIS.

Si ea digerendo inserantur, quæ vulgata percipiuntur relatione, utile est, iis qui ad sui informationem vitam et actus Sanctorum pia intentione exquirunt. Longe enim ante nos est dictum, et etiam in Scripturis sanctis, sed in Evangelica veritate comperitur. F Vera est lex historiæ, simpliciter, quæ fama vulgante colliguntur, ad instructionem pietatis, litteris commendare. Quapropter fraternum et salubre duximus, de viro Dei Meyngoldo scribere, quod de illo antiquitas per successionem posteris reliquit. Qui peregre profectus ad agendam de suis reatibus pœnitentiam, in suo reditu ab impiis interfectus est in loco qui *a* Creverias vocatur, et in *b* vico qui a flumine *c* Hoyo nuncupatur Hoyum, sepultus est : cujus vitæ meritum et efficax martyrium crebra divinitus declaraverunt miracula. Huic coadjutor et cooperator ab excelso datus est Confessor Christi Domitianus *d* Leodiensis Episcopus : qui quasi duo candelabra ante Deum lucentia, incolas loci meritis protegunt, orationibus defendunt, pro peccatis interveniunt. Quod manifeste in uno patuit cunctis videntibus : in suis enim feretris, de Majori B. Mariæ ecclesia, ubi tunc pausabant, delati sunt ad ecclesiam B.... eo quod loci fideles, ob nimiam vetustatem, volebant illam diruere ac reædificare. Dum autem completo opere illuc referrentur, nimia populi conveniente turba, sub die claro duæ apparuerunt stellæ, radiis sui fulgoris quasi utrumque prosequentes feretrum, et qualem vel quantam haberent claritatem in

*S. Meyngoldus Huensium patronus*

*a b*

*c*

*d*

*cum S. Domitiano Ep.*

*olim translati non sine miraculis.*

AUCTORE ANONIMO, EX MSS.

A in cœlis, hominibus ad fidem et ad exemplum ostendebant in terris. Sed jam ad effectum cœptæ intentionis veniamus.

*Graverias* — *Hoyus fl.*

a *Infra* Greverias *appellatur, ab aliis* Graverias. *Quidam in ipsa urbe Hoensi locum eum statuunt, qui hinc refelluntur; nam distinguuntur locus* Greverias, et vicus Hoyum. *Ubi tamen ille fuerit, nescimus. S. quis, juxta conjecturam supra insinuatam, occisum Botilæ, sive Butilæ censuerit, Graverias nemum aliquem locum dicet fuisse.* — b *Diu post adhuc Hoyum* vicus *fuit.* — c *Aliis* Hoyolus *dicitur, vulgo* Hoyou et Houyou. *In medio Condrusio, e rupe haud magna, sed copiosus erumpit, angesci sensim multis fontibus; unde aquam habet limpidissimam ac saluberrimam imbribus quandoque aut nivibus solutis ita intumescit, ut urbi ipsi ingentia damna afferat, uti nuper audivimus.* — d *Imo Trajectensis, ut fuse 6 Febr. ad S. Amandi Vitam probatum, ipseque Concilio Aurelianensi 5 ita subscribit:* Domitianus Episcopus Ecclesiæ Tungrorum, quod est Trajectum. *Colitur 7 Maii.*

## CAPUT I.

### S. Mengoldi genealogia. Conjugium.

*Arnulphi Regis sorore*

Insignis Martyr Christi Meyengoldus de nobili prosapia Francorum et Anglorum originem duxit: nobilitati insigniorem adauxit titulum, dignos pœnitentiæ fructus in vitam perennem. Mater ejus fuit *a* soror Regis Arnulphi, qui in Imperatorem benedictus a Formoso Papa, regni et Imperii statum consilio sapienti ordinavit, et strenue rexit. Cujus probi-

B tatem Hugo Rex Anglorum certa relatione percipiens, per honestos legatos et sapientes internuntios, jurata et firmata se illi amicitia conjunxit *b*, et, sicut mos est inter altas adeo personas, invicem et sæpius exquisitis muneribus sese magnificando visitaverunt. Quia vero Rex Arnulphus *c* carebat liberis, unicam germanam Regi Anglorum, Hugoni desponsavit, ut, si divinitus inde daretur proles, utriusque regni facies majori confidentia et ampliori pace gauderet.

*Hugoni Regi nupta,*

*nascitur Mengoldus,*

3 Accepta igitur Rex Hugo celebriter uxore, genuit filium, qui vocatus est suscepto baptismate Meyngoldus: filiam quoque genuit, quæ Adheles est nuncupata: hanc patre concedente, accepit in conjugem *d* Oswaldus Rex Nordanumbrorum, qui instinctu sponsæ suæ se totum Christianitati adjiciens, pro cultu fidei et pro defensione patriæ, inito contra Gentiles prælio, Martyr occubuit, et sicut testatur historia, ad sepulchrum ejus crebris et frequentibus miraculis se Divina ostentavit potentia. Accessit denique ad augmentum bonæ instructionis, quod Hugo utramque sobolem liberalibus et Ecclesiasticis disciplinis apto tempore tradidit, ut per solertes edocti magistros, scirent quæ appetenda, quæ-

*cum Adhele, Northumbriæ Regi nupta:*

C ve suis in locis essent prætermittenda, cum temporis afferret congruentia. Unde Regi Oswaldo conjuncta Adheles fuit ei in salutis probitatisque effectum, et Meyngoldus patri suo in promovendis negotiis regni ad solatium.

*egregie instituitur:*

4 Evidens igitur hujus rei assertio Imperatori Arnulpho gaudium super suis consanguineis attulit: et inde uberes gratias Divinæ agens clementiæ, utramque sobolem, ne a probitatis incepto desisterent, frequenti monuit legatione. *e* Quia vero, sicut dictum est supra, Imperator non habebat liberos, voluit ad tempus delectari, uti et confortari præsentia et alloquio nepotis sui Meyngoldi, velut mos est inter nobiles suorum probitatem hæredum intelligere et experiri. Misit igitur nuntios ad Regem Hugonem prudenti legatione instructos, et honestis moribus adornatos, ut in utroque et mittentis et suscipientis commendaretur devotionis affectus. Assensit Hugo, et filium suum Meyngoldum, Richardum quoque de Oswaldo et filia sua Adheles genitum, Imperatori Arnulpho cum incredibili apparatu misit. Uterque vero ignorabat, quid de hoc Divina actura esset providentia, quia pater filium tempore apto rediturum putabat, et avunculus illum remissurum disposuerat. Verum altissimus secretioris Angelus consilii

*evocatur ad Arnulphi aulam;*

præordinaverat tanto Leodiensem *f* parochiam di- D
tare thesauro, ut Meyngoldi pœnitentiæ præstaret exemplum et spem veniæ, et locus protegeretur pia ejus intercessione.

5 De Adventu igitur nepotis cum suis Primatibus pleno gaudio recreatus est Imperator: et sive in mediis, sive in summis juvenis edoctus prudenter respondebat, efficacius ad finem perducebat, in divinis et Ecclesiasticis tempore suo reverenter se habebat, et exercens militiam per Divinam se gratiam cohibebat ab iis, quibus multi hominum illius generis implicari solent: in eleemosynis faciendis, nesciente sinistra, se alterum Martinum sub chlamyde exhibebat, in comperienda rei militaris industria notam infamiæ, typhum excutiens jactantiæ, Sebastianum cum Mauritio repræsentabat. Verba enim Joannis Baptistæ ad milites, Contenti estote stipendiis vestris, neminem concutiatis, nulli calumniam feceritis, doctus a Magistris in interioribus suis revolvebat, ideoque ex bonis feliciores demum habuit exitus. Luc 3. 14

*ubi se strenue et Christiane gerit.*

6 Erant autem in palatio Imperatoris quidam Optimates, qui in dandis consiliis pro tempore et pro personis viam regiam tenebant, et, ut in re militari strenuitas nobiliter donetur, fructuose judicabant. Paullatim igitur inter eos cœpit sermo haberi, ut in

*Procerum consilio,*

E regno Arnulphi Meyngoldus ditetur beneficiis, sublimetur honoribus. Hæc quidem eorum sententia tali modo effectum habuit. Erat Dux Albricus, qui Geylam sororem suam Comiti *g* Wilhelmo desponsaverat, denominatis fundis et ceteris quæ illam jure paterno contingebant. Dux Albricus ferocis erat animi, verum soror se imprimebat formæ probitatis. Dux immutans animum, fundos et alia plura subtraxit, quædam abnegavit, quæ in desponsatione confirmata fuerant in præsentia et testimonio liberorum. Comes autem humili allocutione, modesta petitione, per probos mediatores, in colloquiis et justitiis Palatinorum, frequenter eum convenit. Dux licet invitus, intelligens quod jura legum, scita liberorum, partes Comitis tuebantur, de sui magnificentia nominis notam proditionis sibi inussit. Diem enim et locum mandat Comiti verbis pacificis, ut utrinque res ad finem componatur judicio et consilio Primatum, sed juratos in necem Comitis emittens satellites, ignobiliter et perniciose prævenit pacis colloquium. Veniens enim Comes ad locum et diem condictum, manu emissa interfectus est, cui uxor Geyla jam octo annorum genuerat puerum Lietharadum nomine.

*g Geylam viduam Wilhelmi*

*ab Alberico perfide occisi,*

F

7 Igitur de timorata et nobili vidua fit sermo in palatio Imperatoris, et seniores fidelis consilii Regi consulunt, ut Geyla Meyngoldo desponsetur. Imperator autem percipiens, fidelibus suis inde gratias agit ac reddit, et cum eorum determinatione nepoti suo Meyngoldo multa legitime superaddit, ad augmentum eorum quæ jure legum ex priori sponso possidebat. Sicut igitur lex *h* canonica de viduis habet, transacto anno post obitum Comitis Wilhelmi, celebrantur nuptiæ de Geyla et Meyngoldo. Et hæc conjunctis utrique fructuosam in salutem animarum palmam attulit: sed Lietharadum et Albricum typho superbiæ, peccato ambitionis et invidiæ, in locum Judæ, sicut se habuit finis, demersit.

*uxorem ducit,*

*probante Imperatore, et dotem augente.* *h*

a *De hac genealogia fuse actum supra* § 4. — b *De hoc Hugone actum quoque eodem* §. *Hæc ita narrantur velut si 30 aut 40 annis Arnulphus imperasset. Si soror ejus Mengoldi mater fuit, ea nuptum elocata, non a fratre Arnulpho, sed a patre potius Carolomanno.* — c *Imo filium habuit Arnulphus Imperii hæredem* Ludovicum 3, *nothum* Zuendeboldum *Lotharingiæ Regem: licet nullos stirpem reliquerit.* — d *Commentum monuimus supra,* Oswaldus *qui et ipse* Rex Nordanumbrorum *fuit, et a Gentilibus in prælio occisus, sed nequaquam illius ratus miraculis.* — e *Jam monuimus, falli auctorem, qui eam Arnulpho tribuat ætatem ut jam Imperator, aut certe Rex, tradiderit sororem suam Hugoni; ejusque filiæ filium Richardum, jam adultum et armis tractandis habilem ad se evocarit. Is quidem Carolomanno patri an. 880 in regnum Bavariæ, aut ejus partem successit, Carolo Crasso patruo in Imperium an. 888, coronatus a Formoso Papa an. 896, obiit* 899

*Arnulphi Imp. ætas.*

A 899 29 *Novembris.* — f Parochia *pro diœcesi posita, ut alibi sæpe.* — g *Wilhelmum hunc scribit Molanus fuisse* Comitem Hannoniensem, *quod supra § 4 num. 27 diximus probabile videri.*—h *Nulla ejusmodi (jam saltem) est lex canonica, imo contrarium ita definit Innocentius 3 lib. 4 Decretal. tit. de secundis nuptiis cap. ultimo :* Cum, secundum Apostolum, mulier mortuo viro suo ab ejus sit lege soluta et nubendi cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem ; non debet legalis infamiæ sustinere jacturam, quæ, licet post viri obitum intra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubat, concessa sibi tamen ab Apostolo utitur potestate, cum in his præsertim seculares leges non dedignetur sacros canones imitari. *Idem cap. 4* Super illa. *ibidem statuit Urbanus 3.*

*Viduæ quando denuo nubere liceat ;*

## CAPUT II.

### *Fundi dotales a S. Mengoldo defensi. Cæsi adversarii.*

Meyngoldus ergo fretus jure legum, patrimonium uxoris suæ ex Comite Guilhelmo et Duce Albrico, et dotem ex dono Imperatoris adauctam solenni sacramento suæ subdit ditioni. Ditiores vero et ampliores fundi, propter contentionem inter Ducem Albricum et Comitem Guilhelmum, neglecti partim ex timore, partim destructi erant ex invasione. Ad horum igitur restaurationem cœpit misericorditer Meyngoldus laborare, ut incolas ad sui sustentationem recolligeret, ac sine querela de justis vivens laboribus, acB ceptabiles Deo eleemosynas redderet. Reparantur igitur omnia, et cum pace agricolarum plenitudo reddituum accrescit : atque pausantes quiete in suis cubiculis homines, Deo omnipotenti gratias referunt, et de incolumitate Meyngoldi piis eum operibus interpellant. Interim autem prudenter de omni nota se absolvens Meyngoldus *a* filiastrum Liethardum quasi pater proprius in omnibus fovet, educat, promovet et instruit, et postquam ad liberos evasit annos de bonis ex parte patris et matris, consilio et judicio proborum, pacem cum eo componit.

*Meyngoldus bona uxoris, ab ejus fratre vastata, vindicat, ac secure coli curat : a privignum paterne educat.*

9 Hinc reaccessit, ut recrudescant mens impia et furor Albrici Ducis : quem nec timorata soror, nec unicus nepos, nec jura legum ad viam rectitudinis poterant deflectere. Ut autem ampliora suis viribus inserat et fortiora brachia, Ducem Balduinum, qui corrupto nomine vocatur Bevinus, sibi adjungit, ut manu militari in Meyngoldum et bona ejus usque ad internecionem insurgant. Venit octava dies Nativitatis Dominicæ, qua in optimo quodam fundo Meyngoldi debebat constitutus solvi redditus. Hoc præoccupans Albricus cum Duce Balduino illuc venit, et eadem sancta die redditus accepit, fundum combussit, agricolas cum præda captivos abduxit. Ignorans C autem hoc Meyngoldus, et nil infortunii æstimans, ad fundum suum secure ibat : cum ecce in reditu illorum, clamores audivit captorum, rugitus animalium, voces prædam dividentium. Postquam vero rei perpendit evidentiam, justitia sibi favente, ac illos impediente solemnis diei violatione, cum valida manu in eos impetum fecit, et interfecto Duce Balduino cum multis, Albricum captis pluribus fugavit ; suosque de illorum manibus eripiens, fundo eidem ablata victor restituit. Ex hoc itaque gravis in patria emersit commotio, quia Duci Balduino quatuor superstites filii erant, et Albricus nepotem suum Liethardum donis ac promissis a Meyngoldo discedere fecit.

*Albricum cum Balduino Duce bona sua denuo populatum persequitur, et Balduinum occidit :*

10 Imperator vero Arnulphus super tali eventu consilium habuit cum probis et timoratis regni Optimatibus, et Albricum Ducisque Balduini quatuor filios, per honestos mediatores, humili petitione ac rerum multarum oblatione, convenit. Quanto humilius, quanto devotius poterat, cedens de jure Imperatorio, ad pacem reformandam laborabat, ne si in tali negotio modum per potentiam excederet, dilectio nepotis sui dici posset nocumentum esse Imperii. Albricus cum quatuor filiis Ducis Balduini, et cum Liethardo nepote suo, quem Meyngoldo abripuerat, honeste ab illo educatum, cum Judice Inghelfrido,

*offert plus satisfactionem :*



minas, assultus, insidias, et invasiones fundorum in D Meyngoldum exaggerant. Verum Meyngoldus cum nepote suo Richardo, et cum strenuis militibus, non suas emittit vires, muniensque præsidia, patitur ac dissimulat, et de interfectione Nobilium quod jura legum habent, eoque amplius per Comites Palatinos offert humiliter. Rex igitur Arnulphus præmissa sæpius humilitate, Optimatum consensu, ad Imperialem se contulit sententiam, et ad sedem suam *b* Metis Meyngoldum et adversarios ejus convocans, generalem habuit *c* placitum. Patrio denique puncto tractatur de interfectionis reconciliatione, et de tali negotio supra jus et legem ex parte Meyngoldi offertur adversariis : sed illi obdurata mente persistentes, ea quæ pacis sunt non admittunt. Tandem per Imperatoris admonitionem, Palatinis in unam convenientibus sententiam, diem et locum Regi collaudant Albricus ejusque complices super hac caussa, quatenus infra sit utrimque securitas.

AUCTORE ANONYMO EX MSS.

*b*

*c*

*iisque propter Imperatorem acquiescere se simulantibus,*

11 De curia ergo Imperatoris recedunt ad sua Meyngoldus et Albricus, uno itinere, non eadem gradientes intentione ; quoniam plenis visceribus reconciliationi hostium Meyngoldus desudat, et Albricus cum suis ad necem Meyngoldi sitienti animo inhiat. Repetit denique adhuc humilis verba petitionis E Meyngoldus, et tamquam fortis leo confidens puræ conscientiæ, Albrico filiisque Balduini Ducis offert se in domo ejus ad judicium vel concordiam. Mox inde Inghelfridus semotim alloquens Albricum, ut solum annuat judicium die et loco consulit, eo quod legisperitus per interceptionem responsionis capere et abjudicare valebat Meyngoldum. Nominato autem die ad domum Albrici, cum quo erant filii Ducis Balduini, et Judex Inghelfridus venit, ac Meyngoldus cum nepote suo Richardo, et in curtis planitie equos armigeros relinquentes cum gladiis, palatium ingrediuntur, quo nobilium Procerum sedebat in circuitu multitudo. Quidam assurgunt Meyngoldo ejusque nepoti Richardo, dilectione Imperatoris et honore inter liberos probitatis, et plures in cordibus suis bonos optant Meyngoldo exitus, multique ut evadat nutibus et mutuis verbis se confirmant. Dux Albricus mortem Ducis Balduini proponit Meyngoldo : ille prout contigerat sapienter ostendens, ad pedes filiorum ibi sedentium cecidit, *d* Hascarum hominum emolumentum ad placitum illorum obtulit. Verum Judex Inghelfridus, unus ex iis qui sedentes in porta, advenæ, pupillo et peregrino ac viduæ non juste judicant, totum se hostili addicit vindictæ, decernit ut ex hoc capitalem subeat sententiam. F

*fraudulenter condicto die et loco,*

*adest cum cognato Meyngoldus :*

*d*

*capitali sententia perculsus,*

12 Ille vero ex nobili natura collectis animi viribus, judicium Inghelfridi oblato duello dedicit, et Inghelfridus præsumptione legum, animam suam in manibus jam portans, fuste illum in caput percussit, ea præmeditatione, ut filii Ducis Balduini cum aliis uno impetu in eum irruant. Sed quoniam non unus erat animus omnium, multi ad rem mitigandam se intermiscent : cum ecce Richardus nepos Meyngoldi valide concurrens caput Inghelfridi gladio amputavit. In tali ergo negotio cunctis ad rem hujusmodi discurrentibus et impeditis, Meyngoldus et Richardus aula se abripiunt, et equos viriliter adscendentes, prospero reditu ad tutum se locum conferunt. Ejus denique uxor nobilis et timorata Geyla, ne ad domum fratris sui Albrici iret, Meyngoldo dissuadendo consuluerat : sciens enim ferocitatem et perfidiam, sæpiusque inculcabat ei, si esset locus, ita illum sicut primum maritum interficeret. Quapropter inter illud iter Divinam clementiam piis operibus de prospero ejus reditu interpellavit, et misericorditer exaudita illum a morte ereptum recepit.

*ac fuste ictus, elucitatur inquo judice per cognatum occiso :*

*evadit ad uxorem, pro eo orantem.*

a *Gerardus Joannes Vossius de vitiis sermonis lib. 3 cap. 12 plura affert loca scriptorum, in quibus* filiaster et filiastra, *pro privignus*

filiaster.

AUCTORE ANONYMO EX MSS.

A *privignus et privigna usurpatur.* — b *Pertinuit urbs Melensis, juxta divisionem factam an.* 870 *ad regnum Ludovici Germanici, postque Ludovicum* 2 *et Carolum Crassum patruos suos possedit eam cum reliqua Lotharingia Arnulphus.* — c *Sæpe alibi* placitum, *et hic* placitos, *pro juridico conventu usurpatum.* — d *Videtur hæc vox* mulctam *significare: verum unde ea derivetur, haud nobis satis liquet. An a Teutonico* heyschen, heeschen, eyschen, hayschen, *postulare? Legis Salicæ tit.* 28 *de* homicidiis parvulorum; *num.* 1 si quis puerum infra XII annorum, non tonsoratum occiderit, *et mulcta dicitur, constitue* Malbergo, Aschara Leudardi. *Wendelinus* Malbergum, *sive* Mallobergum, *interpretatur aulam, sive salam, vel mallum, sive (ut supra) placitus habetur.* Leudardi et Leudi *sive* Leudi *aut* Ledo, Lieder *vel* Lier *esse censet, oppidum Brabantiæ, tribus Antverpia leucis distans.* Aschara *quid sit non explicat. Nec nos quidem id nunc quærimus: dubitamus tamen an inde* Ascharia *vel* Hascharia, *generatim dici cœperit mulcta, quæ penditur homicidii perpetrati causa.*

Hascaria.

## CAPUT III.

### *S. Mengoldus obsessus, liberatus. Hostes divinitus puniti.*

*S. Mengoldus obsidetur in Spineto castro*

Dux igitur Albricus super morte Inghelfridi Judicis, perversoris, et fautoris sui, supra modum perturbatus, colligit iras, vires congregat, multosque cum filiis Balduini sibi donis et beneficiis alligat. Negligens autem dominante sibi furore fidelitatem Imperatoris, parvipendens respectum de filio ejus sororis, in germanam quoque suam non habens viscera pietatis, *a* Spinetum castrum munitissimum natura, et victualibus refertum, obsidet, ubi Meyngoldus cum uxore Geyla et nepote Richardo, cum probis quoque militibus, se ad defendendum paraverat. B Longa vero concertatio fit in longa obsidione et sæpius multi sunt intus corporali præsentia, qui optatis votis extra sunt per devotionem animorum. Quod experto revolvens Dux Albricus, calliditate militari plures deintus sibi abstrahit, ut vires Meyngoldi minuens ad deditionem eum compellat.

14 Nobilis igitur Geyla, reddens tota pietatis odoribus, mandat Liethardo, ut loquatur sibi sicut filius matri, sperans per illum fratris sui Albrici animum erga Meyngoldum *b* … Exit pedes mater, filius est ei obviam super equum, et dum lacrymis et gemitibus jure materni affectus filium interpellat, ille indignatur, amovensque oculos, nec equo descendit, nec matri condignam responsionem facit. Ex abundantia denique doloris mater obsecrando, filium adjurando, verba multiplicat, cum ecce Sathanas in cor Liethardi misit, ut matrem percuteret. Sedens ergo super equum matrem stantem pede in pectus percussit, et supinam in terram projecit. Verum etiam inimici hoc ferunt moleste, et veraciter dicunt Liethardo quod tale factum ei non debeat in prosperum C cedere. Meyngoldus denique cum Richardo stantes ad mœnia hæc spectando ingemiscunt, et præstolantes nobilis Geylæ reditum, super tali actu Divinam ultionem expetunt. Geyla percussa quo potuit modo intus redit, et desperans super misericordia fratris et filii, ad Divina se confert subsidia per orationes et pia opera.

*Ejus privignus hostibus adhærens, matrem pede percutit,*

15 Divina igitur potentia Richardi animum corroborante, armis acceptis more militari equum adscendit, et confidenter exiens Liethardum ad duellum provocat. Ille ignorans justi Judicis in se ultionem, pace utrimque habita congreditur, et Richardus uno ictu transfigens eum vivum in terram dejecit, pedem, quo matrem percusserat, gladio abscidit, eumque ferro hastæ perforatum portans in patulo, sine omni læsione ad castrum rediit. Etenim tremor Altissimi animos totius exercitus Albrici corripiens, debilitaverat, ut infra Divinam ultionem nil adversi pateretur Richardus. Pes autem Liethardi, quo matrem percusserat, ad introitum eminentis januæ cunctis videntibus suspensus est, ut superba præsumptio ac jactantia confundatur, et matres ex præcepto Dei in omnibus filii revereantur. Nicanor cum valido exercitu Jerusalem veniens, manum dexteram in templum

*qui illi in duello obtruncatus,*

*palamque suspensus ad exemplum Divinæ ultionis.*

Domini extendit, jurans se illud funditus cum civitate destructurum, si Regis Antiocheni se non subderent ditioni. Quem cum prælio inito Judas per Divinum auxilium vicisset, dexteram manum, quam superbe in templum Domini extenderat, cum humero abscidit, suspendens ante januam templi. Et idem ipse, qui ante per Moysen dixerat, Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram; pendens in cruce ad matrum reverentiam de propria carnali matre ad discipulum ait: Ecce mater tua. Et ex hoc accepit eam discipulus in sua stipendia. D 2 Mach. 15 30 Exod. 20. 12 Joan. 19, 27

16 Imperator denique Arnulphus jam nuntios nepotis sui sæpius habuerat, sed nunc expressiori legatione percipiens, rem esse in arcto, collecto Imperiali exercitu illuc tendit. Et præmittens nuntios, monet Ducem Albricum per solenne sacramentum, ut ab obsidione discedat. Ille cum suis renuit, quoniam in corde ipsius pertinacia furoris principalem possidens sedem, jam in manibus necem ei parabat. Imperator, ab Altissimo habens auxilium, exercitum invadit, filiosque Ducis Balduini et Primores Albrici consiliarios, absque sui infortunio, perimit. Jubet autem Imperator ut Albricus capiatur: tentans adhuc si redeunte animo aliquid bonæ pacis ..... *c* erga Mayngoldum. Captus est ergo, et custodiæ sororis ipsius Geylæ traditus, quatenus altera die de reconciliatione tractetur. Divina igitur ultione suum operante judicium, homines adhuc incogniti noctu Albricum, sorore penitus ignorante, nescientibus et aliis, et immenso ad collum lapide suspenso in amplum et profundum vivarium sub pede castri demergunt. Mane facto mandat Imperator, ut Albricus adducatur: et Geyla ad custodiam veniens, et non reperiens, hæret stupefacta, singulas everrit domos, abstrusa exquirit loca, quosque adjurat, sed quid de Alberico evenerit nil certi habet. Intimatur hoc Imperatori: et super hoc valde commotus, jubet omnes exire de castro, et ante se venire. Meyngoldus pro se et conjuge sua spontaneam obtulit super Albrico purgationem: et prout exercitus dictavit ac judicavit, absque suo in oculis Dei periculo deduxit. Quosdam Imperator sortibus, alios sacramentis examinavit; istis vitæ amissionem, illis membrorum truncationem intentat: sed de Albrico nihil veri apud eos reperitur. Ad magnificandam igitur Divinæ ultionis tremendam potentiam, finis Albrici hoc modo detectus est.

*Meingoldus obsidione liberatur ab Imp.*

*cæsi hostes,*

c E *Albricus captus,*

*nocte in vivarium mersus*

*nec sciri potest a quo,*

17 Circumspiciens Imperator vivarium, animum induxit ut ad piscandum mitteret: et convocatis piscatoribus, præparantur naves et retia, intrant piscatores vivarium: et Imperator rei futuræ ignarus sedet super ripam, et Optimates circa deambulando super captione piscium delectantur et exspectant. Ad frequentes et singulas retium immissiones multitudo piscium trahitur: qui quasi spontanee intrantes retia, innuebant exosum sibi esse vivarium corpore Albrici ibi jacente. Ad ultimum unus tantum præcipitur tractus, et pro sui mercede laboris piscatores promptiori animo extremam parant imponere manum. Longis ergo inter se spatiis circumeuntes, offendunt in lapidem, et corpus Albrici; et dum illaqueati ibi tenentur, retia clamant sibi deferri, putantes alicujus magnitudinis piscem ibi esse. Tandem pluribus adminiculis cum multo labore extrahitur lapis cum Albrici corpore: et tota illa jucunditas super captione piscium versa in stuporem, concitat omnes ad admirandum Dei omnipotentis judicium. Jubet igitur Imperator secus composita Albricum sepeliri, qui Dei tot et tam apertis criminalibus non habens agnitionem, nullam suo Redemptori exhibuit satisfactionem. Finis ergo tam pretiosus Inghelfridi, Liethardi et Albrici, ipsis etiam raptoribus terrorem

F *a piscatoribus, spectante Imperatore, casu extrahitur corpus.*

A rem incutit; et Meyngoldum, Geylam, et Richardum reverenter ac fructuose metuunt, et ipsis serviunt.

a *Est quidem* Spinetum *in Belgio castrum, vulgo* Espinoy, *principatus titulo ornatum, sed extra regnum Lothariense, haud procul Bussæu Flandriæ oppido situm. Extet vero necne illud S. Mengoldi Spinetum, et qua Belgii parte, haud indagavimus. Sunt alia plura eo nomine loca.* — b *Videtur desiderari* placatum iri, *vel quid simile.* — c *Hic iterum aliquid deest.*

## CAPUT IV.

### *S. Mengoldi pœnitentia. Martyrium. Sepultura. Translatio.*

*Turbis compositis,*

Meyngoldus sedata divinitus diuturna calamitate, fundos reparat, cultores revocat, ædificia restruit, viduas et orphanos ad suorum loca patrimoniorum recolligit; ut in suo regimine quisque aquam et panem proprium secure et pacifice comedat. Sed jam vexillum triumphi et passionem Meyngoldi erigamus. Pace igitur reformata, Richardus ab Imperatore et Meyngoldo liberaliter donatus, ad patrem *a* Oswaldum Regem Nordanimbrorum magnifice rediit, et non multo post *b* absque regni et Imperii hærede Arnulphus obiit.

*Meingoldus cum uxore, c communi consilio,*

B 19 Meyngoldus et Geyla, Spiritu sancto corda illorum accendente, de salute animarum in cubiculis, exemplo *c* Cæciliæ ac Valeriani, in sacris quoque locis invicem incipiunt tractare, et virorum Dei consilia secreto inde capientes, de contemptu mundi, de modis pœnitentiæ, de criminalium satisfactione, Scripturas sibi exponi faciunt: esurientibus, sitientibus, nudis, infirmis, in carceribus positis, solerti assiduitate subveniunt, eo, quod didicerant, quod ex his quinque operibus misericordiæ, ibunt ex ore Filii hominis fideles in vitam æternam. Tandem proximioribus relinquentes fundos et secularia, uno assensu, Geyla *d* velum sacrum sibi imponit, et Meyngoldus militiæ abrenuntians arma deponit: et de criminalibus ac homicidiis, quibus obnoxius fuit, suscipiens a Sacerdote quod lex habebat canonica, cinere aspersus, cilicio indutus, nudis pedibus, in regiones longinquas abscedit. Septem igitur annos ab ingressu ecclesiarum se abstinens, sine querela, sine omni nota, sacra circuiens loca, sibi in salutem, aliis peccatoribus ad exemplum fuit, et corde contrito ac spiritu contribulato sacrificium Deo acceptabile de suis visceribus obtulit.

*abdicat se bonis, d*

*acceptaque pœnitentia*

*septem annis mendicans peregrinatur;*

*octavo anno quærens locum quietis,*

C 20 Octavo igitur anno sentiens se viribus corporis destitutum præ fatigatione itineris, cœpit secum volvere ac meditari, ut aliquem aptum et quietum locum sibi eligeret, ubi secum habitans per pia opera Deo redemptori suo animam redderet. Mariam sororem Moysi, quæ illi detraxerat, operuit candens lepra quasi nix, et ex verbo Domini septem diebus separata est et exclusa extra castra, et octavo die revocata. Sicut igitur omnia Moysi ad Dominum pro sorore sananda, et præcepto Domini exclusio illius septem diebus extra castra, obtinuerunt, ut octava die revocaretur Maria; ita septennis pœnitentia, quæ ex illis diebus septem in Ecclesia est assumpta, ut octavo anno quiesceret Meyngoldus, effecit. Septem quippe dies vitæ præsentis designant laborem, octava vero dies æternam quietem.

*Hoium redit e*

*divinitus monitu*

21 Redit ergo Meyngoldo in memoriam oratorium in honore Timothei et Symphoriani, juxta palatium, quod erat in planitie inter duos montes, ubi *e* Hoyum Mosam influit: et locus ille ab Imperatore Arnulpho olim sibi datus, suæ fuit proprietatis cum multis appendiciis in circuitu. Conceptam vero ejus intentionem Divina certificavit misericordia, quia in somnis vox facta est ad eum in hæc verba: Vade ad locum quem intendis, ubi in remissione peccatorum habiturus es sepulchrum. De longinquis igitur exiens finibus, notas olim sibi partes cœpit revisere, et confectus inedia et macie a nemine fuisset agnitus, nisi nominatus. A timoratis igitur utriusque sexus in singulis locis benigne hospitio susceptus, benignius per omnia tractatur, et de fide Christiana, ejusque operibus, de fructibus pœnitentiæ et de vita æterna, de pœnis inferni hospites et advenientes instruebat ex sanctis Scripturis; fama quippe de reditu ejus circumquaque divulgabatur. D

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*omnes ad pietatem erudit:*

*ab antiquis inimicis:*

22 Diabolus ergo ejus bonitati et aliorum saluti invidens, quibusdam Inghelfridi consanguineis, quem Richardus nepos Meyngoldi capite truncaverat, male meritus inspirans mortem viri Dei consiliatur. Positis vero insidiis, quo tenderet, quave via iturus esset vir Dei, perscrutantur: et intelligentes a transeuntibus animum ejus esse ut ad prædictum oratorium *f* iret, juxta locum qui vocatur Greverias, se in latibulis silvarum abscondunt. Huc autem vir Dei perveniens terræ prostratus paullulum membra recreat, et nunc psalmodiæ ac orationi insistit, nunc sui socios itineris de verbo vitæ instruit. Prodit denique pestifer ille cuneus armata manu, virque Dei rem præoccupans pio illos salutat affectu, illosque ad recreandum invitans, de rapinis, de cædibus paterne admonet, salubriter corrigit. Revelante autem Spiritu sancto intelligit, propter suam necem illos advenisse, statimque in modum Crucis se extendens, in manus Dei commendat spiritum suum. Illi vero quod conceperant perficientes, diversis plagis virum Dei perimunt: sed per gratiam Altissimi corpus remansit integrum. E

*f*

*pie illos admonens,*

*in reditu occiditur:*

23 Plures denique Clerici et timorati viri quondam ejus amici et familiares, audito ejus reditu, affectuose ad eum venerant, eis quo vellet ire, ubi quiescere intimaverat, ideoque illuc usque eum persequebantur. Fuerunt autem quidam in illo comitatu, qui boni apud Deum meriti, audierunt voces Angelorum in altissimis canentium: Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

*honoratur cantu Angelorum:*

Accipientes igitur corpus viri Dei, ad locum prædestinatum deferunt, et ponentes in oratorio aliquot diebus differunt sepelire, quia nobilis viri circummanentes, olim sub ditione ejus fructuose degentes, se illuc venturos mandaverant. Adveniunt igitur cum magna plebe, et ab altis personis honorifice traditur sepulturæ: ubi etiam quosdam de fundis et redditibus suis applicant ad celebrandum pro reverentia Martyris divinum officium.

*honorifice sepelitur,*

24 Crescente autem numero ibi servientium, crevit et census a fidelibus Christi, permanens usque ad impetum Nortmannorum, qui tempore Episcopi *g* Franconis cum innumerabili exercitu exterarum nationum irruentes, locum illum et totius Leodiensis parochiæ ecclesias, ædificia, palatia destruendo combusserunt, ut in locis natura munitis corpora Sanctorum et reliquiæ cum thesauris vix conservata sint. Redeunte autem divinitus tranquillitate, Ecclesia B. Mariæ quoquo modo reparata est, illucque allatus Martyr Meyngoldus Confessori Domitiano conjunctus est: et fundis utrinsque Patroni in unum attitulatis, debita ibi servientes cœperunt habere stipendia. F

*constitutis qui ad ejus sepulchrum Deo serviant*

*g*

*post vastationem Normannorum,*

*transfertur ad ecclesiam S. Mariæ,*

a *Supra indicavimus, anno* 867 *occisum esse* Osbertum *Northumbriæ Regem, quem diximus videri posse sororium S. Mengoldi. Post eum Rex a Danis constitutus est, et sub eorum dominio* Egbertus *eodem anno, uti Rogerus Hovedenus testatur. Is ab eis pulsus an.* 872 *anno sequenti obiit. Successit* Ricsigus *hoc an.* 876 *mortuo,* Egbertus II. *Inde* Guthredus *anno* 884 *Rex factus, obiit* 893, *deinde* Osbrihtus *alter, an.* 899 *regno pulsus. Postea* Sithricus *regnavit, Edwardi Westsaxonum Regis gener. Non ergo videtur paternum regnum unquam adeptus Richardus.* — b *Supra docuimus, ut putamus esse.* — c *De quibus* 22 *Novemb. et* 14 *Apr.* — d *Molanus scribit Canonissam factam Andanæ, quod Hoium inter et Namurcum a S. Begga, S. Gertrudis sorore, conditum est nobilium Virginum cœnobium.* — e *MS. Ultr.* Hoiolum.
f *Nondum ergo Hoium pertinuerat, ut quidam volunt.* — g *Mortuus est* Franco *Ep. Leodien. anno Christi* 903, *initi episcopatus* 18.

CAPUT V.

A

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

## CAPUT V.

### *Comparatio S. Mengoldi cum SS. Domitiano et Magdalena. Adhortatio ad pœnitentiam.*

*in exemplum propositus pœnitentibus,* Luc. 9, 26

Gaudet itaque in cœlis Domitianus super cura pastorali salubriter administrata, lætatur Meyngoldus super publica pœnitentia de criminalibus et ceteris fructuose peracta. Verba Domini Jesu, Qui me erubuerit coram hominibus, et ego erubescam eum coram Patre meo; et item Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente, efficaciter in Meyngoldo operata sunt, quia ex recordatione peccatorum, se intus per compunctionem mundavit et mactavit, et in conspectu hominum seipsum despiciens, per quotidianam crucem Domini ad martyrium pervenit. Domitianus illud Apostoli fixum tenens, Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar, de se et de grege sibi commisso sollicitus fuit, ac tribulationes, quas sæpe, imo sæpius passus est, ob incredulitatem et rebellionem subditorum, quasi martyrum desursum habuit. Meyngoldus, milites si in re militari deliquerint per nimios excessus, quo se conferre debeant ostendit. Domitianus Pontificibus intimat, ut in cœlis coronam et in præsenti ab hominibus obtineant reverentiam. Decertavit miles Meyngoldus contra adversarios justitia sibi favente, ex Scripturis pugnavit pro fide Christiana Pontifex Domitianus contra hæreticos, *a* Aurelianensi Concilio attestante. Amplectantur igitur conversi peccatores in Meyngoldo pœnitentiam, imitentur in Domitiano Præsule vitæ pastoralis normam.

et 15, 10 — 1 Cor. 9, 27 — *uti S. Domitianus Præsulibus.* — B — a

*Comparatur S. Meyngoldus cum S. Magdalena.* Joan. 20, 29

26 Maria peccatrix præsentem in carne Dominum lacrymis rigavit, capillis extersit, unguento unxit. Meyngoldus illud ipsius Domini ad Thomam : Beati qui non viderunt, et crediderunt, per fidem interiori revolvens contritione, et carnis maceratione, ut dimitterentur peccata, propitium sibi fecit. Maria verbis freta Domini, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, post ascensionem ejus, de terra et cognatione sua exiit, et cum *b* Maximino uno ex septuaginta duobus discipulis exulans, et ad Aquensem civitatem veniens, in sui custodia cum beato fine quievit. Meyngoldus omnibus relictis, accepta septenni pœnitentia, longinquos fines et incognitos, pectus percutiendo, circuivit. Et eadem Divina potentia, quæ Mariæ dixit, Dimittuntur tibi peccata tua, Meyngoldo apparens dixit : Vade ad locum, quem intendis, ubi in remissione peccatorum habiturus es sepulchrum. Labor exilii in Maria et Meyngoldo collata remissionis dona custodivit, et si quid purgationis restabat in oculis Dei, supperadditum martyrium in Meyngoldo delevit.

b — C — Luc. 7, 49

27 Certam et veram pœnitentiam faciunt diligens odium peccati et amor Dei : quando videlicet arescit homini et amarescit, quod cum prava delectatione deliquit; et spina, id est, peccatorum recordatione confixus, convertitur ex gratia Dei ad sui agnitionem ærumnæ. Nemo super enormitate scelerum suorum desperet, quia seram quoque pœnitentiam Christus in latrone dedicavit. Cum enim dixit, Calicem meum bibetis, loquens de sua in patibulo Crucis passione...... Habent Actus Apostolorum, Jacobum ab Herode occisum esse gladio. Legitur autem in veraci historia, quod *d* Joannes sibi tumulum effodit, et in eo quasi dormiens in pace quievit. Crux igitur ex verbo Domini quotidie tollenda, propositum est omnis fidelis Christiani; cui interioris patibulum crucis Paulus depingens ait : Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, iram, invidiam, avaritiam, fornicationem, immunditiam, contentionem, turpem sermonem etc. sine hoc martyrio nemo regnum Dei possidere potest : quod Dominus noster Jesus designavit nomine, et Paulus de tertio cœlo verborum expressione confirmavit.

*Adhortatio ad pœnitentiam,* — Marc. 10, 39 — Act 12 — d — Col 3, 5 *et mortificationem,* — D

28 De visibili autem martyrio Dominus Jesus, ne fideles sui persecutione infidelium desperarent, innotuit, dicens : Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Hoc non est commune et idem omnibus Christianis, sed tantum quibus ab Altissimo prærordinatum est. Verum alterum tota Divini nominis invocatione, tota propriæ voluntatis abnegatione, per mortificationem vitiorum appetendum est, in possessionem vitæ perennis. Omni autem Christiano illud Domini Jesu in suam salutem exsequendum est : Cum oras, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum. Cum igitur hoc profundiori accipiatur intellectu, salutiferum est iis quia aliquo præpediente obstaculo exilia vel gravia per diversas regiones non possunt ferre itinera, sed in fide Christiana simpliciter viventes, suas Deo animas suis in locis reddunt. Sapientia enim ait : Fili, miserere animæ tuæ placens Deo. Nam cum una sit fides, diversa sunt Spiritus dona : quoniam alius quidem sic, alius autem sic, et stella differt a stella in claritate, et in domo Dei mansiones multæ sunt, et erit Deus omnia in omnibus. Habent ergo Hoyenses, Beata præeunte Maria, duos patronos, quorum præsentia erit eis in damnationem, si eos non imitentur pro bonæ vitæ executione. Laborent igitur Divina aspirante gratia, ut eorum meritis locus protegatur et illorum intercessione ipsi in vita æterna glorientur, Amen.

Matth. 10, 28 *quod est invisibile martyrium.* — Matt. 6, 6 — Eccli 30, 24 — E

*a Habitum est Concilium V Aurelianense, cui, ut ante diximus, subscripsit S. Domitianus, an. Chr 547. Childeberti Regis 38, uti 1 Febr. ad Vitam S. Sigeberti Regis dictum, 13 num* 110. — *b Agemus de hoc* S. Maximino *Aquarum Sextiarum Apostolo* 8 *Maii.* — *c Aliquid deesse videtur.* d — *De obitu S. Joannis Evangelistæ fuse agit Baronius tom.* 2 *Annal. ad an.* 101

# MIRACULA S. MENGOLDI

auctore anonymo,

*ex MS. Eccl. S. Martini Ultraject.*

Theodericus quidam civis Hoyensis filium habuit, Firmatum nomine, qui febre correptus ad extrema pervenit. Venientes autem parentes ejus impetraverunt ut sepeliretur in basilica sanctorum Martyrum Timothei et Symphoriani. Ad declarandum ergo viri Dei meritum contigit, ut ignoranter foderent in loco ubi primum sepultus fuerat B. Mengoldus. Mox unda sanguinis ab intus cum impetu veniens emanare cœpit. Et illi tenentes fossoria sanguine illita, nimio stupore attoniti, vicinos convocaverunt. Cunctis autem admirantibus astiterunt quidam ætate seniores, qui retulerunt quod a suis antecessoribus didicerant, virum olim ibi tumulatum : et facto oratione, fossoriis intus projectis, eadem terra locum repleverunt, et ad certificandam posteris loci reverentiam duos lapides cum columnis ibi composuerunt.

*E loco sepulturæ S. Mengoldi, sanguis erumpit :* — F

2 Erat in eodem vico mulier, Eebrendis nomine, quæ per novem annos contracta in lectulo jacebat; et maritus ejus, illius procuratione, adeo suam consumpserat substantiam; ut ea relicta vellet exulare. Hoc illa percipiens, plus de viri abcessu, quam de sua infirmitate cœpit lacrymabiliter ejulare : et in hac obdormiens amaritudine vidit astare B. Mengoldum dicentem sibi : Dic viro tuo, ut in ecclesiam SS. Timothei et Symphoriani te deferat, ad locum ubi sepultus fui, et curaberis. Quod cum fecisset curata est.

*ibidem contracta sanata, ipsius Sancti monitu eo delata :*

3 Ægrotus quidam, Robertus nomine, in hospitali ante fores templi habitabat; cujus manus cum brachio arida lateri adhærebat. Hic sæpe a bonis viris monitus, in vigilia B. Joannis Baptistæ templum

A plum ingreditur : et sub feretro B. Mengoldi consistens, multis astantibus, est sanatus. *item paralyticus sub ejus feretro :*

4 Quidam etiam puer de Hasbanio allatus est contractus, et duos dies totidemque noctes sub feretro B. Mengoldi perseverans, tertia, quæ fuit Dominica, donum salutis accepit.

5 Puella contracta, Bermudis nomine, nocte Dominica sub feretro S. Mengoldi pernoctavit, ibique obdormiens sanitatem recepit. D *AUCTORE ANONYMO, EX MSS. et alius contractus, item alia et cæcus.*

6 Quidam Wibertus lumen oculorum amisit, et binos oculos cereos ad feretum S. Mengoldi obtulit, et visu recepto vovit se illos singulis annis oblaturum.

# DE S. CUTHMANO CONFESSORE

## STENNINGÆ IN NORMANNIA.

J. B.

VIII FEB.

Fiscanense monasterium, *uti scribit Glaber Rodulphus lib. 4 histor. cap. 4,* in Neustriæ partibus supra mare Oceanum constitutum, a Rotomagense urbe quadraginta fere milliaribus distat, *inter Diepam nimirum et Portum Gratiæ; a S. Waningo primitus ædificatum, dein restauratum a S. Guilielmo Divionensi circa annum Christi millesimum, uti ad hujus Vitam* I *Januarii, atque illius* IX *diximus. Ad illud pertinet (pertinuit certe olim) vicus, quem* Stenningas, *sive* Steningas, *aut* Stanningas, *sive* Stenningam *appellant, cum ecclesia quondam a* S. Cuthmano *ædificata, ejusque miraculis ac Reli-* B *quiis nobilitata. Eam Angli, cum Normanniam adhuc possiderent, illi monasterio donasse feruntur. Fuisse dicitur in Prioratum Ordinis S. Benedicti erecta : ab ipsisne Fiscanensibus, an priusquam ipsorum esset, haud comperimus. Colitur isthic* VIII *Februarii fundator ipse et ædificator ecclesiæ* S. Cuthmanus, *sive* Cutmanus, *vulgo* Cutmen. *Steningis in Normannia* *colitur S. Cuthmanus 8 Feb*

2 *Duplex Vitæ ejus exemplar accepimus; alterum Parisus ab Andrea Chesnæo Ludovici* XIII *Cosmographo, alterum Rotomago a Federico Floreto nostro, utrumque ex Fiscanensibus codicibus descriptum, sed diversis; nam Flovetianum subinde mutilum est, et in verbis quibusdam discrepat.* *Vita ejus unde hic edita?*

3 *Quando vixerit* S. Cuthmanus, *non proditur. Si vere Anglus fuit, et non ex Cornubia aut vicino tractu Britannus, credibile videri potest, seculo Christi nono, aut potius decimo conversis jam ad fidem Normannis, venisse in Galliam.* *ætas.*

## VITA AUCTORE ANONYMO

Ex II veteribus MSS.

### CAPUT I.

*S. Cuthmani sancta adolescentia, in matrem pietas.*

Beatus Cuthmanus, sicut ex veterum veridica relatione ad modernorum pervenit notitiam, parentibus Christianissimis in partibus Australis Angliæ extitit oriundus : qui paucis post nativitatem ex utero matris evolutis diebus, ex divini fontis utero est renatus, ac deinde parvi temporis intervallo sacræ unctionis impressione confirmatus. Effluxis itaque innocenter puerilibus annis bonæ indolis factus adolescens, proficiebat ætate et gratia coram Deo, et hominibus. Pater vero ejus carnalis, ab infantia jugum Patris illi cælestis imposuit, timorem Dei imprimens, promittens ei multa bona si pie coleret Deum. Docili quoque puero gratia Dei non defuit : sed intus in mentis auribus vox Patris cælestis satis inspiravit, quæ in aure corporis pater terrenus foris edocuit. Erat tunc piis oculis delectabile cernere virum, ætate juniorem, sensu vero seniorem, annis puerilibus tenerum, sed canis moribus maturum. Cum enimvero gratissima juventute mundo floreret, in ejus corde mundus jam aruit : quem quasi corruentem, simul cum suo flore marcentem despexit. Unde etiam nec lasciviam mentis et corporis, ut solet juvenilis ætas implicari, amplexus, sed simpliciter in forma, quam a patre didicerat, incedens, mundi blandimenta devitare studiose curavit. *S. Cuthmanus Anglus* *puer ad pietatem instituitur* *in juventute integerrimus,*

2 Procedente vero tempore, patris pecora suscepit ipso jubente pascenda, sollicitus cum illis egrediens et regrediens ad imperium commendantis. Cumque die quadam Cuthmanus pecoribus in pascua conservandis intenderet, prandendi hora advenit, qua oportuit eum domum ex patris præcepto redire. Cumque non posset opportune, nec auderet sine patris imperio, gregem *a* suum deserere, vicarioque custode careret; virga pastorali, quam manu gestabat, circulum fecit circa gregem suum, dicens : In nomine Domini nostri Jesu Christi, grex, tibi præcipio, ne metas istas, quas tibi posui ante regressum meum egrediaris. Mira res : intelligit pecus rationis egens tantæ invocationis virtutem, nec est aliquatenus ausum fines egredi limitatos. Ivit Cuthmanus et rediit, Deo gratias agens, quod gregem suum invenit illæsum. Sicque faciebat per singulos dies, quando similis necessitas eum a grege divertere compellebat. Erat autem in loco pascuæ lapis, supra quem pastor sanctus sedere consueverat, qui in magna veneratione habetur ab indigenis usque ad hodiernum diem, eo quod Dominus multa beneficia per ipsum contulit meritis memorati pastoris. *patris pecora pascit,* a E *intra certos limites ea jubet consistere se absente,* *idque sæpius* *in lapide sedet, dein miraculis claro :*

3 Volens igitur Dominus virum, quem diligebat, arcem gratiæ amplioris ascendere, adversis eum disposuit exercere : ut qui prius in prosperis mitis fuit et humilis corde, etiam in adversis adversus callidum hostem armis patientiæ decertaret; quatenus hunc inde bene meritum donis potioribus cumularet. Defuncto igitur patre suo, Cuthmanus mœrorem matris, qui multus erat, delinivit, non tam pii sermonis exhortatione quam devotæ operationis effectu. Satagebat denique in cura et officio ministrandi factus ei baculus senectutis et lumen oculorum, haudquaquam matri deesse, qui factus carnis generatione filius, sollicitudine pater, unius fidei professione frater devotissimus, obsequiis servus humilis et minister. Hic videns matris meritis bene respondere devotionem, cum maternæ necessitati numquam sentiret sollicitudinem deesse filialem, ac id frustra quoad inopiam corporalem agitur propulsandam *b*... *adversis probatur :* *matri ministrat,* F b

4 Lapsis igitur aliquot annorum curriculis, expensisque bonis temporalibus quæ pater reliquerat, vergere cœpit mater ad inopiam, et quod miserabilius est, multo jam senio confectam languor invasit gravissimus, qui membra debitis privavit universa officiis. Compassus matris passioni Cuthmanus, eo quod magis tædiosa effecta ut filius eam desereret, eo magis affectuosus extitit ut serviret. Cogitavit vir bonus novum subveniendi genus : ut quod opum penuria denegabat, artis beneficium ministraret. Ligneum profecto composuit lectum, in quo languidam collocavit : qui fune quodam ab humeris ejus dependens, impulsu manuum pariter et regimine, rotæ præambulæ adminiculo, ipsum præcedebat. Hoc semper in lecto matrem præviam subambulus secum portabat : seque prorsus dispositioni Divinæ commendans, lares proprios ac patriam dereliquit. *eamque coram et pauperem mendicans circumvectat.*

5 Tendens

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

A 5 Tendens igitur Cuthmanus cum onere c minus oneroso in plagas orientales, transitum fecit per pratum, in quo viri quidam gramina falce resecabant. Ibique, casu contingente, rupto repente fune, cujus beneficio lectus ille portabatur, inprimis obstupuit vir simplex, dubius quid faceret. Sed postmodum fiducialiter agens, de sambuco, quam prope vidit adstantem, virgulam sumpsit, ac torsit, et funiculi prioris defectum supplevit. Quod videntes illi prælibati deridebant eum quasi fatuum, cum sit sambucus lignum fragile, d fracturam facilius admittens quam torturam, nec soleat hujusmodi ministerio deservire. Non attenderunt miseri, quod mox erant expectaturi, quia risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. Adhuc exultatio vanitatis in gutture eorum resonabat; adhuc risus ab ore illorum non recesserat; cum subito turbata aeris serenitate, tanta pluviæ descendit inundatio, ut in se signum iracundiæ et vindictæ Dei e reportarent. Infecto igitur negotio, singuli domum repedare festinarunt, et præ nimio accelerandi desiderio eisdem fugientibus celeritas ipsa tarda videbatur. Et ne casu diceretur contigisse, vel aeris passionibus posset hæc mutatio temporis imputari, et non ultioni Divinæ ascribi; præter jacturam fœni, quod tunc inutile factum fuit, B ad instar irrisorum Prophetæ Elisæi, deplorat posteritas illorum risum, singulis annis descendente pluvia tempore falcationis ejusdem prati usque in hodiernum diem.

*sambuci virga pro fune utitur*

*eum irridentes puniuntur anniversaria pluvia messem turbante.*

a MS. Floreff. secum ducere. — b Hic aliquid deest. — c MS. Chesn. nimis. — d Desunt 8 sequentia verba in MS. Chesn. — e Addit MS. Floreff. ex sua nimietate.

## CAPUT II.

### *Templum Stanningense a S. Cuthmano ædificatum, non sine miraculis.*

Videns igitur Cuthmanus quod retribuerat Dominus vindictam in hostes suos, cum gratiarum actione votum vovit Deo, se non daturum requiem temporibus suis, donec inveniret locum Domino, ubi ædificaret tabernaculum nomini ejus, et hoc signum sibi constituit, dicens, quia in quocumque loco rumperetur funiculus ille sambucinus, illic ædificaret templum in honorem Domini, et appareret ibi ante faciem ejus manens illic jugiter. Et hoc effatus mox inde profectus est. Ibat autem per viam suam pauper et C egenus, et calamitosæ matris inopiam opera subvectionis, et mendicitatis sustentabat.

*vovet Deo templum,*

7 Tandem post innumeras famis ac sitis acerbitates, post molestas multifariæ fatigationis ærumnas, Domino ducente pervenit ad locum, quem a Stenningas nominamus. Ubi cum vehiculum memoratus sanctus vir ante se agitaret, rupto repente funiculo, quo ab humeris ejus dependebat, e manibus suis solotenus est elisum. Quo viso, Cuthmanus vehementer obstupuit et expavit; matrem enim læsam fuisse suspicabatur, sed cum illæsam certis cognovisset indiciis, ad se reversus ait: Domine Jesu Christe, qui fuisti mecum in via peregrinationis meæ hac qua ambulo, et custodisti me, et dedisti mihi panem ad edendum, et vestimentum, quo nuditatem meam operui, gratias ago tibi, quia in signo, quod petivi a te ostendisti servo tuo locum, quem elegisti, ad quem me cum salute perduxisti. In veritate comperi, quia non es personarum acceptor, sed in omni gente te diligentes humiles exaltans, et humilians peccatores usque ad terram. Nunc scio vere, quia elegisti locum istum, ut ædificem tibi in eo templum, in quo exaudias preces populi tui pro necessitatibus tibi supplicantis, ut consecutus quæ justis petierit desideriis, hic tibi gratiarum referat actiones. Mihi, Domine, tua dignatione hujus operis cura incumbat, quia tu interius velle inspirasti, ego autem exterius ad hoc D in verbis oris mei sum adstrictus. Quo ibo ulterius a Spiritu tuo huc adductus? Hic est finis b vagationis meæ, hic locus habitationis, in quo reddam vota mea de die in diem. Omnipotens pater, qui finem imposuisti vagationi, principium dispone operationi. Quis enim ego sum, Domine, aut quæ domus patris mei, ut ædificem domum nomini tuo? Tu scis quia pauper sum, et in laboribus a juventute mea, nec possum a meipso facere quidquam. Si respexero ad adjutorium meum, omnino non erit, nisi tu adjuvare decreveris. Tu affectum dedisti ædificandi, defectum supple ædificantis, et sacri duc ædificii opus plenum ac perfectum. Operare, Domine, opus istud manibus quidem meis, sed viribus tuis. Respiciens enim ad meipsum anima mea conturbata est, a pusillanimitate spiritus suffocata, et virtutis defectu: ad te autem si mentis oculos attollo, reviviscit et roboratur spiritus meus, ausus altiora quam aggredior. Virtus in me deficit, oculo providentiæ caligante. Tua, Domine, voluntas omnipotens est, cujus providentia nec falli nec fallere consuevit. In me vigent penuria et paupertas: in te sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Plus ergo securitatis et confidentiæ concipit anima mea, dum divitias tuæ bonitatis intuetur; quam diffidentiæ et dejectionis, dum miserias et defectus pro- E priæ calamitatis examinat.

*a quo divinitus designato loco,*

*Deo gratias agit,*

*illic deinceps mansurus,*

*et cælestem opem implorat:*

8 Sic locutus, locum, in quem diverterat, oculis perlustrabat: ipsumque suo operi per omnia convenire prospexit. Erat in eo tunc temporis rarus popularis accessus, rarus in eo tunc clamor et transitus, paucissimi et incolæ ejus. Erat locus in declivi montis pede submontanus, tunc dumis et arbustis silvester, nunc in terræ fertilis et fructiferæ agriculturam redactus, duorumque fontium de monte descendentium rivis decenter inclusus. Facto igitur ibidem tugurio, ubi cum matre possit caput reclinare, cœpit metiri, et disponere de templi situ et constructione. Agressus est opus sanctum non segnis aut otiosus, sed potius in sudore vultus et labore manuum, diei pondus portavit et æstus: ut quantum tarditatis opus inopis ex opum penuria sustinebat, tantum promotionis ex devoti cordis affectu, et liberalis corporis labore spontaneo reportaret. Dederat etiam illi Dominus gratiam in conspectu justorum habitantium in confinio, qui largitate munifica ei subvenientes, in corporis alimonia operisque constructione de bonis suis illi liberaliter impenderunt. F

*loco commodo*

*sibi tugurium,*

*dein templum ipsemet ædificat:*

9 Contigit autem die quadam, quod cum sanctus vir boves, quos a plaustro disjunxerat, misisset in pascua, ibi pascuæ metas sunt egressi: quos cum invenissent duo filii cujusdam matrisfamilias, quæ Fippa vocabatur, in prædio matris ipsos recluserunt. Cumque redeunte laboris hora Cuthmanus boves suos in loco consueto quærens non inveniret, ulterius progressus reperit dictos adolescentes, dicentes sibi, quod in vanum quærebat ibi boves, quos ipsi domi recluserunt: quibus modeste respondit Cuthmanus dicens: Nolite, filii, nolite opus Domini impedire: sed si in aliquo vos boves mei læserint, ostendite, et ego quod justum fuerit dabo vobis: illi autem neglexerunt. Et ait illis: Ne per vos tarditas operis Dei procuretur, pro quo districti Judicis sententiam formidabilem expectetis; præcipio vobis in virtute Domini nostri Jesu Christi, ut vice boum serviatis Domino, ut ipsi si liberi essent forent servituri: et imponens illis manus apprehendit eos, et junxit plaustro, in quo boves jungi consueverant. Sicque operatus est eis trahentibus plaustrum, nunc plenum, nunc vacuum, sine murmure, ad vocem ipsius stantes et incedentes sine querela.

*bobus ablatis,*

*abigeos frustra monitos,*

*plaustro jungit vice boum,*

10 Auditis interea quæ fiebant, mater eorum concito cursu advenit, et filios suos videns immensi conatus

A natus onere fatigari, furiose clamabat : Hei mihi, filii mei, ut quid vos genui et lactavi filios amaritudinis et confusionis perpetuæ? Pereat, obsecro, dies in qua natus est ille, qui vos tanta severitate subjugavit. Pereat, qui nos tantis afficit contumeliis ; et prorsus deficiat opus, in quo tam crudeliter estis inhumane fatigati. Hæc, et multa alia blasphemans conviciabatur. Ille vero voce modesta respondit : Mulier, crede mihi, opus, in quo servierunt filii tui, ego non operor illud, sed quæ habitat in me virtus Christi, ipsa facit opera, quæ penitus perire non possunt, quia in Deo sunt facta. Tu autem sicut deficit fumus, deficias ; et sicut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ ; ut discant posteri, c te castigata, quia non licet maledicere benedictis a Deo, nec opus destruere quod ipso disponente est constructum. Vix sermonem compleverat ; et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone et involvens eam elevavit in sublime, et tollens eam in montem excelsum, deorsum misit in terram. At illa patulo hiatu aperuit os suum, et absorbuit eam. Unde vocatus est locus ille, Fippæ puteus, usque in hodiernum diem.

*matri eorum blasphemæ prædicit interitum,*

*mox secutum :*

B Quo facto Cuthmanus solvit pueros a plaustro, et ait illis : Filii gratias agite Deo, quia castigans vos castigavit et morti non tradidit, sicut blasphemam matrem vestram. Ite in pace, de cetero cautius incedentes in mandatis Domini : et ne excidat opus a memoria quod operati estis, erunt vobis ac posteris vestris in signum perpetuum rugæ multiplices in cervicibus vestris, quas ex impressione jugi, et aeris humiditate contraxistis. Hæc dicens, dimisit eos. Et factus est timor super vicinos eorum ; et super omnia montana, quæ in circuitu eorum sunt, divulgabantur omnia verba hæc.

*dimittit pueros, laboris signum retinentes etiam in posteris :*

a *MS. Chesn.* Steningas, — b *Idem*, navigationis c *Idem*, per te castigati

### CAPUT III.

### *Alia S. Cuthmani miracula.*

Confluentibus itaque undique turmis ad audiendam vocem sermonum sancti viri, simul et mirifica gesta prodigiorum intuenda, in animantibus, et inanimantibus quotidie per ipsum contingentia ; in diebus suis laboribus sollicitus, in noctibus vero in orationibus continuus insistebat. Numquam vescebatur pane otiosus, juxta illud : In sudore vesceris pane tuo. Et, Dies festi vertantur in lamenta. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus quam pium est! Cuthmanus igitur more consueto quotidie ministrans operariis ecclesiæ suæ, sicut minimus, qui major præerat, crebro consuevit indumenta manualia, quæ chirothecas appellamus, radiis solaribus appendere, in ecclesia orationes devotione commemorans, resumpit easdem egrediens, sicque revertebatur cum gaudio. Quod faciebat per singulos dies.

D *auctore J. B.*

*strenue operatur :*

Gen. 3, 19

Amos 8, 10

*chirothecas in radiis solis suspendit sæpius*

12 Talibus ac tantis Sancto coruscante virtutibus, editis excellentiora succedunt opera. Vir sanctus dum pena frequenti in basilica construenda sollicitus est, nunc in columnis ligneis erigendis, nunc in laqueariis connectendis ; contigit quadam die trabale unicum sic ictu casuali fuisse incurvatum, quod prius perutile, postmodum operi penitus relinquebatur inutile. Sancto quoque ceteris ad invicem de damno conquerentibus, ecce sibi peregrinus peregre proficiscens subito advenit ; quibus ait : Ut quid ad invicem contristamini? Cui Cuthmanus respondit, dicens : Perpendiculo conjungibili ligni præsentis casualiter transsumpto, tædio afficimur et damno. Quibus ille : Timentibus Deum nihil deest. Extende et tu manum tuam distrahamus illud loco proportionato erigamus, coæquemus. Et factum est ita. Quo facto Cuthmanus prostravit se ad pedes protinus viri, dicens : Deprecor te, Domine ut indices mihi, Tu quis es? Ego, inquit, sum is, in cujus nomine hoc ædificas templum : tu autem perpetuæ memoriæ in eo particeps fies, et gloriæ. Et sic continuo disparuit ab oculis eorum. Cuthmanus autem diu in templo suo præsidens, tandem laboris meritum suscepit, a terrenis provectus ad superna gaudia, ubi manet per infinita secula seculorum, Amen.

E *trabem curvam, dirigit Christo in habitu peregrini suadente et juvante.*

*diu post sancte moritur*

# DE S. STEPHANO

## FUNDAT. ORD. GRANDIMONTENSIS APUD LEMOVICES IN GALLIA,

## Commentarius prævius.

J. B.

C § I. *Religionis Grandimontensis origo, nomen, Fundator, Regula.*

*Ascetarum est in Gallia congregatio, quos Bonos Homines vocant, sive Grandis-montis, quia ea in monte primarium illarum cœnobium est. Cœpit ea congregatio seculo Æræ Christianæ undecimo, celebris rerum humanarum contemptu, victusque austeritate, sed vix extra Galliam nota, neque multis per eam diffusa domiciliis, quia fortassis nimia disciplinæ durities haudquaquam tolerabilis humanæ imbecillitati existimata. Certe illius auctor Stephanus de Tierno Arvernus annis plurimis imitatores fertur habuisse perpaucos : donec sensim experientia probatum est, nullam esse infirmitatem, quæ ad quantumvis ardua roborari Divina gratia non possit.*

*An. Chr. MCXXIV VIII Feb.*

*Ordo Grandimontensis*

*austerus,*

2 *Non ipse tamen in Grandi-monte palæstram instituit Stephanus : eum posteri occuparere humilibus casis e luto ac frondibus, translato illuc Patris corpore ; cum pristinis sedibus excedere eos viciniorum coegisset invidia, si potiri necessaria ad rerum Divinarum contemplationem quiete vellent. Mureti Stephanus annis L habitarat. Qui collis est ab Lemovicum urbe tribus distans leucis, colliculis aliis incinctus, septus eminus altissimis rupibus ; e quibus plurimi in vallem medium confluunt rivi, in egregium rivorum industria ac labore monachorum conclusi. Est autem Mureti sterile solum, nec culturæ idoneum, quippe omnino lapidosum, ventis, imbribus, gelu ita obnoxium, vix ut habitabile videatur ; et horrebat ante S. Stephani adventum densis vepribus ac dumis. Meminit ejus loci, Sanctique Stephani, Franciscus Bencius noster oratione habita in M. Antonii Mureti funere :* Natus est, *inquit,* M. Antonius Muretus anno post Christum natum CIƆIƆXXVI mense Aprili, in Gallia, in pago suburbano Lemovici, cui Mureto nomen, loco honestissimo, patre Jurisconsulto, genere perantiquo et nobili : quippe quod et pagum illum antiquitus possederit, unde et familiæ nomen ; et quadringentis ab hinc annis tulerit Stephanum Grandimontensium ordinis auctorem, virum sanctissimum, atque hominem in corporis afflictione singularem, cujus dies festos in Idus Februarias incurrit. *Quæ totidem verbis descripsit Andreas Scottus noster in Mureti Vita. Verum amplius annis quinquentis ante quam ea haberetur oratio, aut decederet e vita Muretus, natus Stephanus est, duobus ac quadringentis ante Mureti ejusdem ortum mortuus neque Idus Februarias habet sibi dicatos, sed VI Idus : nec denique is illum pagus aut stirps, quæ M. Antonium, tulit. Apud Arvernos enim natus is est, Thierni quod nunc*

*quando et unde ita appellatus?*

*inchoatus Mureti, loco asperto.*

F

*per S. Stephanum.*

*alluditur ...*

*AUCTORE I. B.*

A *nunc* celebre emporium *est Papirio teste, olim castrum, quod tenuisse Stephanus, Stephani parens, creditur, atque alia amplissima bona, quæ nunc Thiernenses Canonici possident.*

*cui illic fundus donatus,*

3 *At fundum, in quo ædificatum Mureti cœnobium fuit, scribit Carolus Fremonus, in Gallica S. Stephani Vita, ei ab Amelino Domino Rauconii donatum; alios alii ad ejus cœnobii fabricam necessaria, non pauca postea Mathildem Imperatricem, Henrici I Angliæ Regis filiam, Henrici II matrem, elargitos. Etsi autem Mureto ad Grandem-montem migrarunt monachi cum Petro Lemovice secundo Priore, non tamen omnino Mureti relictum cœnobium est: sed vel remansere pauculi ad custodiam, vel ultro ab Ambazacensibus monachis, qui abeundi iis necessitatem attulerant, revocati. At nunc penitus deserta illa totius primæ Ordinis domus, S. Stephani habitatione consecrata. Visitur tamen etiamnum Sancti ipsius cella jactu lapidis distans a monasterii ruinis.*

*penitus nunc ab Ordine relictus.*

4 *Eximia laude Ordinem Grandimontensem efferunt, qui seculo* XII *et* XIII *floruerunt in Gallia, scriptores nonnulli. Joannes Saresberiensis, Episcopus Carnotensis, qui anno Christi* CIƆCLXXX *traditur obiisse, S. Thomæ Cantuariensi amicissimus, Policratici, sive*
B *de nugis curialium lib. 7 cap. 23 de Grandimontensibus ista scribit:* Hypocritarum autem nomen et notam cautissime et fidelissime declinant Carthusienses et Magni montis nova professio, in antiquæ virtutis culmine, Salvatore prævio, solidata. *Et post pauca:* Porro Magni montis incolæ vitam perarduam elegerunt, et non modo avaritiæ, sed et ipsius naturæ quodammodo dominatores, omnia necessitatis imperia excluserunt, abjecerunt sollicitudinem crastini. Omnia mundi oblectamenta contemnere parum est apud eos: quacumque ad portas eorum quis pulset imagine, excluditur, et confusus abscedit. In eas quippe solus Christus ingreditur, cujus innituntur gratiæ, jactantes cogitatum suum in eum qui parvulos enutrit, dat jumentis escam, pullisque corvorum; lilia vestit agri, et omnibus sperantibus in se, aut constitutionis suæ obtemperantibus legi, necessaria præstat, ut nihil desit his qui se ejus non subtraxerunt voluntati. Totam ergo sollicitudinem suam et omnem in eum projiciunt, cui de fidelibus cura est: adeoque providentiæ devitant angustias, ut vita eorum tota nonnullis tentatio videatur.

*Ordinis laudata paupertas,*

5 *Petrus Abbas Cellensis, postea Joannis Saresberiensis in Carnotensi Episcopatu successor, epistola 8 libri 3*
C *sese Grandimontensium precationibus commendat, et quam præclare de eorum virtute sentiat ostendit. Et lib. 8 ep. 7 eadem precum subsidia postulat, et consuetudinem annuæ ad Grandem-montem ex omnibus cœnobiis conveniendi laudat.* Dies enim Domini, *inquit*, sanctus est, solemnitas S. Joannis Baptistæ; quando ad matrem pulli gallinæ revolant, et de singulis locis vestris rivuli ad locum de quo exierunt, refluunt, ut de paterna instructione et correctione reparato meatu copiosius et fortius iterum fluant. *Et paucis interjectis:* Quia Fratres vestros, qui in nostris partibus commorantur, diligimus et honoramus, et etiam cellam bonam in nostro habetis patrimonio. *Erat Petrus, cum hanc epistolam scribsit, monasterii S. Remigii Abbas Remis; uti et cum 22 ejusdem libri, quam ita orditur:* Religiosæ Fraternitatis vestræ conventui et sanctissimis orationibus saltem anniversaria revolutione nos commendamus. Videtur siquidem mihi meatus suos fluvius Paradisi quasi ad sinum originalem revocare, cum de singulis partibus orbis ad diem B. Joannis Baptistæ solemnem contingit Priores vestros in unum convenire.

*anniversarii conventus,*

6 *Stephanus Episcopus Tornacensis, qui ab anno* CIƆCLX *ad* CIƆCCII *floruit, epistola prima, quam ad Robertum Abbatem Pontiniacensem, ipse tunc S. Genovefæ Parisiis Abbas, scripsit, hæc habet:* Grandimontensium grande nomen.... Hominibus placent, et
D servi Christi sunt: Boni homines appellantur; nam bonitatis illorum testis est et exclusa cupiditas et inclusa paupertas. Porro ambitio, quæ fere omnes impugnat et plures expugnat, tam remota est ab eis, quam longe est ab hominibus, qui numquam sese adepturos Cistercium certi sunt. Cumque terram dederit Deus filiis hominum, ipsi funiculum suum et sortem in cœlestibus extenderunt: viros Evangelicos exprimunt, nec solliciti sunt quid manducent et bibant aut quid induant; quoniam a Patre suo, qui in cœlis est, pascuntur cum volucribus, et cum liliis vestiuntur. Orationes eorum nec balantes greges impediunt, nec mugientia turbant armenta, nec universi familiæ strepitus interrumpunt. Fugerunt seculum: beati si eos seculum non sequatur. Et quoniam radix omnium malorum cupiditas inter illos aruit, recessit ambitio, litigandi materia sublata est, solitudo claudit, paupertas premit, humilitas ligat; qui disciplinam cum morum ordinata correctione apprehendunt; profecto nec irascetur eis Dominus, nec peribunt de via justa.

*humilitas, aliæque virtutes.*

7 *Cujus instituti ea Congregatio censeri debeat, aut certe principio fuerit, disputant quidam recentiores, et*
E *quæsitum jam olim ipsius S. Sthephani temporibus. Nicolaus Crusenius in Monastico Augustiniano par. 2 cap. 18 scribit,* S. Stephanum Comitem Arvernensem *fuisse*..... animum et mentem applicasse ad Regulam S. Augustini, quam Religiosis Grandimontensibus Mureti præscripsit, obtenta confirmatione sui instituti sub Regula S. P. Augustini a Sede Apostolica, in qua tunc præsidebat Alexander II.... Tamen circa annum MCXXXVI Religiosos hujus instituti, Regulam S. Augustini, occasione controversiæ cujusdam, reliquisse; ac eam, quam S. Benedictus suis præscripserat, ab Apostolica Sede impetrasse, ac locum Mureti in Grandimontensem commutasse. *Ita ille nec ullum præter Vincentium Belloracensem citat auctorem. At nusquam illud de S. Augustini Regula tradit Vincentius, nusquam ab Alexandro II approbatum ordinem, quem cœpisse ait an.* CIƆLXXVI, *cum Alexander II obierit an.* CIƆLXXIII X *Kal. Maii: neque Stephanum Comitem Arvernensem vocat. Neque eum Christophorus Justellus in accurato opere de Arvernensi domo cum uspiam recenset. Essius quoque in Encomiastico Augustiniano,* Stephanum Arvernensem Comitem *facit, atque sociis, quos* adsciverat, Regulam S. P. Augustini præscripsisse, Alexandro II Pontifice, anno
F CIƆLXXVI, ætatis suæ XXX... Montis Mureti Abbatem fuisse; *cum constet Ordinis præsides per aliquot secula non nisi Priores fuisse appellatos.*

*S. Augustini Regulam numquam secutus ordo,*

8 *At Thomas Herrera in Alphabeto Augustiniano negat Grandimontenses unquam Regula S. Augustini adstrictos: qui vero iis facessivere negotium monachi S. Augustini, ait Benedictinos fuisse ex Lemovicensi S. Augustini cœnobio; quod et alii antea animadvertere. Quam aliquis ridiculum, arbitrari, tam levi de caussa viri sancti sanctos discipulos a prima regula descivisse, quod quem incolerent locum, alii ejusdem Ordinis monachi contenderent ad se pertinere! Et vero Stephanus Tornacensis, tunc Abbas Canonicorum regularium Ord. S. Augustini, in epistola ad Robertum Abbatem antea citata, diserte ostendit Grandimontenses non agnoscere sui ordinis parentem ac patronum S. Augustinum.* Si ab eis quæsieris, *inquit*, cujus Ordinis sint; respondent: Peccatores sumus. Si ab aliis, Bonos homines esse dicunt. Nam et in provincia illa unde originem habent, ubi est caput et sedes eorum, cellæ eorum Boso nomine appellantur. Sed et Canonicos regulares nostri temporis sub regula B. Augustini Christo deservire scimus, et sub ea in domo Domini unius moris habitare. Ipsi autem non Augustinum,

*nedum eam repudiavit:*

sed

*imo nec Regulam olim habuit.*

A sed quemdam, ut dicunt, bonum hominem Stephanum de Mureto Magistrum suum profitentur. Libellus etiam qui eorum constitutiones continet, non Regula appellatur ab eis, sed Vita. Inde est, quod sicut a Regula, quam observant, Canonici nostri dicuntur Regulares; sic etiam ipsi necesse est a vita, quam profitentur, dicantur Clerici, seu Laici Vitales.

*propius ad Cisterciensem accedit.*

9 *Jacobus de Vitriaco, et ipse ex Canonico regulari Episcopus et Cardinalis, Grandimontenses videtur in Cisterciensium potius quam Augustinianorum ordinem aggregare, dum cap.* 19 *Historiæ Occidentalis, quod § sequenti integrum proferemus, fatetur eos* Regulam et instituta Cisterciensis Ordinis in omnibus pene observare. *Quæ ratio Chrysostomum Henriquez movit, ut in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cistercien. lib.* 2 *dist.* 11 *Vitam S. Stephani describeret, assereretque eum* Regulam et constitutiones Cistercienses observasse: *nec addit* in omnibus pene *quæ sunt in Vitriaco.*

*non in omnibus.*

*Animadvertit dein errorem suum Chrysostomus, dum S. Stephani nomen Cisterciensi Menologio non inseruit: nisi quod in Notat. ad* XX *Augusti scripserit, eum Cisterciensibus* legibus se suosque filios subjecisse. *Sed nec hoc satis probabile, cum* XXII *annis ante ordinem suum Stephanus instituerit, quam Cisterciensis nasceretur: atque ille semper professus sit se vivendi normam* B *sequi, quam in Calabria a quibusdam cœnobitis observari vidisset; qui profecto Cistercienses non erant.*

*eo antiquior.*

10 *Plures Regulam S. Benedicti secutos tradidere. Raphael Volaterranus, sanctus vir et doctus, sed non semper exactissimus, lib.* 20 *Commentariorum urbanorum pag.* 240 *Stephanum ait* a patre Beneventum ad Milonem, ejus urbis Præsulem, virum sanctissimum, missum ut erudiretur, Benedicti ordinis instituta annis XII probe didicisse. *Gilbertus Genebrardus Chronologiæ lib.* 4 *an.* 1076 *ita scribit:* Ordo Grandimontensis sub regula S. Benedicti inchoatur, per Stephanum Arvernum nobilem, apud Lemovicenses: ubi statuitur illius ordinis prima sedes in quodam monte, qui toti familiæ nomen dedit. *Eadem habet Joannes Azorius noster Institutionum moral. lib.* 12 *cap.* 21 *At non mons ille, seu collis potius, in quo sedem fixerat Stephanus, toti familiæ nomen dedit, sed ad quem posteri commigrarunt. Trithemius quoque de viris illustr. Ord. S. Benedicti lib.* 1 *cap.* 3 *inter* ordines, qui sub regula S. Benedicti militare feruntur, *Grandimontensem recenset, uti et Haeftenus Disquisit. monast. lib.* 2 *tract.* 6 *cap.* 4. *Consentiunt Lælius Zecchius lib. de Rep. Ecclesiast. tractatu de Regularibus* C *cap.* 2 *Aubertus Miræus Chronic. Bened. cap.* 65, *Wion, Menardus, Dorganius, Antonius Yepes, Renatus Choppinus (qui, ut fatetur lib.* 1 *de sacra politia tit.* 2 *art.* 15, *Abbati Grandimontensi forense patroni munus aliquando accommodarat, proindeque omnium, quæ ad eum ordinem spectant, apprime gnarus erat) lib.* 2 *Monasticon. tract.* 1 *art.* 22 *scribit* Benedictinæ potius quam Augustini Regulæ addictum eum ordi*nem esse.*

*non Benedicti sequitur, ut multi existimarunt.*

11 *At Stephanus Tornacensis antea citatus ait libellum, qui eorum constitutiones continebat, sua ætate non* Regulam, *sed* Vitam *appellari consuevisse. Carolus Fremonius cap.* 25 *Vitæ S. Stephani tradit fuisse in generali conventu Ordinis, anno* CIↃCLVI, *curante quarto Grandimontensi Priore Petro Delicrato, aut de Lismeo, omnem eorum vivendi rationem in certa capita digestam, atque a variis Pontificibus probatam, velutque Regulam ordini præscriptam. De ea ita loquitur in ejus confirmatione Clemens* III, *qui a die sexto Januarii an.* CIↃCLXXXVIII *ad* X *April.* CIↃCXCI *Ecclesiæ præfuit:* Ne igitur de regula vestra in posterum quæstio referatur, quam bonæ memoriæ Urbanus prædecessor noster (*tertius nimirum ejus nominis, qui a Decembri an.* CIↃCLXXXV *ad* XX *Octobris an.* CIↃCLXXXVII *Ecclesiam rexit*) de consilio et assensu Cardinalium et multorum

*Regula Grandimontensium quando scripta?*

*a Pontificibus approbata.*

D Episcoporum Italiæ, præsentibus ex vobis tam Clericis quam Conversis, ad ejus firmitatem et perpetuam pacem, per osculum pacis assensum præbentibus, noscitur correxisse, quod in ejus privilegio plenius continetur, eam sub sigillo in præsentibus scriptis de verbo ad verbum duximus inserendam, quæ talis est. *Est ea Regula typis excusa Divione an.* CIↃIↃCXLV *indicatis in margine iis quæ ab aliis Pontificibus postea mutata sunt. Ea porro Regula multum differt a Benedictina, ut perspiciet qui vel capita utriusque inspexerit. Denique Stephanus ipse, uti in Vita ejus cap.* 3 *num.* 19 *refertur, negabat, se ac suos Canonicos esse aut monachos, monachorumve aut Canonicorum vestibus uti: ac ne eremitarum quidem vitam imitari sat posse.*

**AUCTORE J. B.**

*diversa a Benedictina.*

## § II. *In ordine Grandimontensi disciplinæ laxamentum, et caritatis, prævalescentibus laicis: qui dein repressi.*

N*ulla inter mortales disciplina morum ita firma, quæ non aliquando collabascat, nulli ad sanctimoniam consequendam ita validi conatus, qui non sensim remittantur. Grandimontensium illa ita ab hominibus secreta, ita similis quodammodo Angelicæ, ita virtutum maximarum* E *exemplis conspicua conversatio, visa est tandem quibusdam maculis infuscari. Insinuat eas Stephanus Tornacensis in citata § superiore epistola, dum eum qui ab ordine Grandimontensi ad Cisterciensem transierat, et in hoc adhuc novitius erat, ita alloquitur:* Blanditur tibi memoria pravæ quietis; et loquendi licentia locis et horis indulta, somnus prolixior, vestis mollior, cibus delicatior, adolescentiam tuam revocare contendunt. Plura ibi fercula, pocula plura, quæ nonnumquam citra esuriem sitimque capiuntur, et ultra. Ibi fomenta pellium rigorem frigoris expellunt, lini aut cannabis occulta blanditics lanam temperat superjectam. Ibi salutationes Principum, visitationes Regum, occursus populorum, dona omnium. Ibi dicitur Aquiloni, Da; et Austro, Noli prohibere. Eis conferunt, afferunt, offerunt, inferunt omnes, quique terrigenæ et filii hominum simul in unum dives et pauper *etc. Hæc si vera sunt; non mirum, laxatam aliquantulum illam summæ austeritatis disciplinam.*

*quædam in eo ordine laxitati obnoxia sensim subortu.*

13 *Ne quis autem ista false dicta ab æmulo, quasique per satyram, existimet, lubet Jacobi de Vitriaco caput* XIX *Historiæ Occidentalis totum hic dare.* Est altera Fratrum religio seu regularis institutio, quæ de F Grandimonte nominatur, quorum caput et originale monasterium in partibus est Aquitaniæ. Hi siquidem Grandismontis Fratres a principio ordinis prudenter instituerunt, quod monachi spiritualibus et divinis officiis tantummodo intenderent; temporalium administratione et providentia laicis Fratribus credita et relicta. Regulam autem et instituta Cisterciensis Ordinis in aliis omnibus pene observant, excepto quod numquam carnes postquam professionem fecerunt, de cetero licet eis manducare, quantacumque ægritudine prægraventur. Silentium insuper in ecclesia, quamdiu divinis intersunt officiis, et in refectorio et in dormitorio tantum observantes; in aliis locis et ceteris horis, quandocumque placuerit, loqui possunt invicem instruentes, et mutuo consolantes, secundum quod Dominus eis inspiraverit. Adeo autem monasteriorum suorum septa clausis semper ostiis diligenter observare student, quod non nisi magnis et authenticis personis, et familiaribus ordinis, facile patet ingressus: nec ita claustrum suum et interiora habitationis suæ exponunt hospitalibus, sicut Cistercienses et alii regulares. Habent autem unum summum Priorem, qui licet nullam temporalium habeat administrationem, tantum coram eo

*Temporalium cura credita laicis*

*stricta a carnibus abstinentia*

*silentium quale?*

*arcta clausura*

A semel in anno laici omnes in generali capitulo, et qui prope in eadem regione commorantur, semel in mense villicationis suæ tenentur reddere rationem. Habet insuper potestatem mittere monachum unum cum laico ad totius ordinis monasteriorum visitationem.

AUCTORE J. B.

14 Licet autem monachis et viris spiritualibus videatur expedire, temporalium administrationem, seu qualemcumque dominium non habere, ut tanto tranquillius spiritualibus vacare valeant, quanto de temporalibus non cogitant; inimicus tamen humani generis, et totius religionis callidus impugnator, tam sanctis quam et salutaribus invidens institutis, hac occasione murmur valde perniciosum, seditionem et scandalum aliquando suscitavit, inter Clericos et laicos, monachos et Conversos prædicti monasterii Grandismontis. Videbatur enim monachis, quod in omnibus præesse debuissent laicis, non subesse; quemadmodum fit in aliis religionum congregationibus, qui capitella, non bases, in summo culminis consueverant ponere. Addebant insuper, quod eos Laici contemnebant, et eis dominari non solum in temporalibus, sed plerumque in spiritualibus præsumebant. Cum enim Sacerdotes eorum proprium diei officium vellent regulariter celebrare; laici Missas de B. Maria, vel de Spiritu sancto, vel pro defunctis volebant audire; et secundum varias eorum occupationes, quandoque citius, quandoque tardius postulabant sibi divina celebrari. Si autem Sacerdotes renuerent, indignabantur eis laici, et irascebantur contra monachos murmurantes. Et quoniam ea quibus indigebant, non nisi per laicorum manus recipiebant; monachis necessaria petentibus, surdis auribus prætereuntes et dissimulantes laici, frequenter ipsos monachos molestabant. E contra laici, monachos ingratitudine arguentes, asserebant, monachis in sua pace et contemplationis quiete commorantibus, se portare pondus diei et æstus, et temporalis administrationis sollicitudine prægravari, ut monachis, quibus serviebant, necessaria non deessent. Et quoniam contra Martham Maria non legatur murmurasse, eis sufficere deberet, quod possent, aliis exeuntibus, in claustro quiescere, et lectionibus et orationibus vacare.

*dissensio orta,*

B

*laicis ordinem et tempus divinorum præscribentibus,*

*et Clericos vexantibus*

15 Tandem vero partibus ad audientiam summi Pontificis venientibus, Dominus Papa, post multas allegationes et varias altercationes, et pacem et concordiam inter partes reformavit; Fratribus laicis præcipiens, quatenus monachos honorarent, et eis in spiritualibus subjecti essent, de divinis autem officiis nihil præcipere aut ordinare aliqua præsumptione attentarent. Monachis autem injunxit, ut Fratres laicos diligerent, verbo et exemplo ipsos in spiritu lenitatis instruentes, et misericorditer eorum defectus supportantes: nec eis temporalium procurationem et administrationem inviderent, sed sine querela et murmure eis exteriorum curam relinquentes, ipsi spiritualibus intenderent, et divinis vacarent officiis.

*invicem Papæ auctoritate reconciliati.*

C

16 *Discrimen illud munerum Clericos inter ac laicos expressum cap. 54 Regulæ. Adscripta tamen margini hæc:* Istud capitulum, quatenus loquitur de cura Conversorum, sublatum est a Joanne XXII, *qui a VII Augusti an.* MCCCXVI *sedit usque ad IV Decembr.* MCCCXXXIV. *Illud nimirum est, quod in ejus Pontificis Vita scribit Platina:* Ordinem autem Grandimontensem, quorumdam improborum factionibus labefactatum, in meliorem formam redegit, amputatis his quæ ordini obessent, additisque institutionibus quibusdam, quibus tanta religio constaret. *Et sane indignum erat, quod Stephanus Tornacensis scribit,* Plures numero, et prælatione majores, non Clericos, sed laicos; non litteratos, sed sine litteris existere.

*demum Laici Clericis subjecti*

17 *Videtur ea Clericos inter ac laicos dissensio causam dedisse S. Guilielmo Bituricensi, ut ab ordine Grandimontensi ad Cisterciensem transiret. Qua de re secunda ejus Vita X Januarii num. 3 ita habet:* Dum in robur virile maturior excrevisset, molestias seculi ferre non valens, quæ sanctum ejus propositum videbantur impedire, ruptis hujusmodi molestiarum compedibus, ad Grandimontensem eremum convolavit... Quadam vero die in eodem ordine Grandimontensi turbatione suborta, B. Willelmus, qui suæ mentis tranquillitati timebat, ad Cisterciensem Ordinem in monasterio Pontiniacensi se transferendum piæ studio deliberationis elegit. *Et in 3 Vita;* Timens ne rerum affluentia, et blandimenta seculi eum a sancto proposito revocarent, ad Grandimontensem eremum convolavit. Ubi cum seminator discordiæ omnis humani generis seminasset discordiam inter Clericos et Conversos, de licentiatis Clericis a Domino Papa transferendi se ad religionem aliam, prout Dominus unicuique inspiraret, B. Guillelmus Cisterciensem Ordinem prælegit. *Vocari in controversiam potest, fueritne Guilielmus ex iis, de quibus Robertus Pontiniacensis Stephanum consuluerat tunc adhuc S. Genovefæ Abbatem, (post annum utique* MCCLXXIV, *quo ejus decessor adhuc in vivis erat)* utrum obligatione voti, quod prius fecerant, reverti deberent ad *Grandimontenses*, an Pontiniaci salubrius demorarentur. *Conveniunt certe quidem tempora; sed cum S. Guilielmus tum demum Grandem-montem traditur deseruisse, cum* Clerici licentiati a Domino Papa essent transferendi se ad religionem aliam; *minime de eo dubium esse poterat, quin solutus priore obligatione esset, modo se Cisterciensium votis illigaret. Nec usquam tamen Stephanus allegat potestatem a Papa datam capessendi aliud institutum. Ceterum S. Guilielmi Bituricensis festum XIX Januarii Officio semiduplici adhuc celebrant Grandimontenses, ut videre est in Officiis ordinis.*

D

*S. Guilielmus, postea Episcopus Bituricensis, ea occasione Cisterciensis factus,*

E

*indulta a Papa facultate*

18 *Laici porro, sive Conversi illi, de quibus jam dictum,* Barbati *(ut in aliis quibusdam religionibus) dicebantur, quod barbam alere fas iis esset. Horum labore stagnum unum Mureti, quindecim in Grandi monte effossa. Alioquin S. Stephanus* omnes terrarum possessiones, quæ essent extra metas locorum *ipsorum, suis* interdixit; *itemque* omnis generis bestias; *ut cap. 4 et 6 Regulæ statuitur: quod tamen utrumque per Innocentium IV abrogatum dicitur. Imo ne mendicare quidem eos passus, nisi si annonæ penuria biduum jejunii exegerint. Præter hosce Conversos tradit Fremonus, alios fuisse familiares, quos* Associatus *vocat, qui bonorum operum, quæ ab ordine fiebant, erant participes, eique operam navabant, afferendis, quæ ex longinquo promissæ erant, eleemosynis, aliisque id genus ministeriis. Ex hac classe fuisse eum asserit, qui in* Vita *cap. 5 num.* 30 eorum familiaris *appellatur.*

*Laicorum munus*

F

*alii iis associati*

ANIMADV. PAP. 43

## § III. S. Stephani Vita. Ætas. Natalis. Translatio. Canonizatio.

Circiter annum MCLXVIII, *cum Grandimontensem familiam administraret Stephanus de Lisiaco, quartus Generalis Prior, collecta fuere S. Stephani acta, prout memoriam repetere singulorum seniores poterant, quæ ipsi spectarant, aut ab aliis, præsertim B. Hugone Lacerta, audierant. Hisce postmodum usus monumentis Geraldus Iterius, alias Gerardus et Girardus dictus, septimus Prior Generalis Vitam S. Stephani contexuit. Vitam hanc ex vetustis codicibus eruit, ac nobiscum communicavit Petrus Franciscus Chiffletius. Eamdem enim esse quæ a Geraldo scripta sit, ostendit Fremonus, dum cap. 8 citat ex illa Vita, quæ in hac cap. 1 num. 5 habentur totidem verbis.* A parentibus et fratribus et cognatis et amicis; qui de regressu ipsius admodum gaudebant,

*S. Stephani gesta an. 1158 collecta*

*ex iis Vita scripta*

*eadem quæ hic editur.*

A gaudebant, solus latenter recessit. *Quæ in officiis Grandimontensibus* de Vita B. P. Stephani auctore Geraldo Priore Grandimontis *recitantur, plerumque sunt proliciora atque ornatiora, quam quæ a nobis eduntur : ut ex Vita concinnata, non iisdem verbis descripta, videantur. Quamquam quæ* ex gestis ejus *depromit Bellovacensis, non omnino huic Vitæ respondeant; ut suspicari liceat, esse hanc subinde contractam; aut ab aliis alibi interpolatam, si hic genuina.*

*alibi amplificata :*

20 *Videtur Stephanus Tornacen. supra num. 8 innuere, eam Vitam aliquamdiu vicem obtinuisse Regulæ, aut fortassis Constitutionibus Ordinis præfixum hunc titulum fuisse,* Vita S. Stephani, *vel* Vita Fratrum de Grandimonte. Libellus, *ait,* qui eorum constitutiones continet, non Regula appellatur ab eis, sed Vita. *Nunc certe quidem,* Regula S. Stephani Confess. auctoris et fundatoris Ordinis Grandimontensis *appellatur. In ipsa hac Vita mentio fit Regulæ ab eo suis præscriptæ. Ita cap. 4 num. 24 :* Tantum in Regula de Evangelio per me sumpta perseveretis. *Ac ne quis, dumtaxat de ratione vivendi, quam ipse tenuerit, ac viva voce suos docuerit, hæc existimet sumi oportere, num. 23 ita loquitur Vitæ scriptor :* Quia in sententiis suis et doctrinis consiliorum suorum

*an ea pro Regula olim fuerit :*

*an sola Sancti monita?*

B scriptum est, sub silentio pertransimus. *Fueritne tamen ille commentarius ab ipsomet conscriptus, an potius ab alio deinceps digestus, non temere affirmem. Num. 28 dicitur,* noluisse reprehendentibus mentionem fieri institutionum suarum regularium.

21 *Præter eam Vitam, quamque lib. 25 cap. 45 et quatuor sequentibus edidit Vincentius Bellovacensis, agit de eo S. Antoninus part. 2 tit. 15 cap. 21, Petrus de Natal. lib. 3 cap. 120, Chrysostomus Henriquez in Fasciculo SS. Ordinis Cisterc. lib. 2 distinct. 11, Benedictus Gononus in Vitis PP. Occidentis lib. 3, Bernardus Guido apud Menardum lib. 1 Observationum ad Martyrol. Benedict. 13 Februarii; Simon Martinus in Floribus solitudinis lib. 3, Antonius Yepes Chronic. S. Benedicti centur. 6 ad an. 1076 cap. 3 et 4. Meminerunt quoque illius, præter antea citatos, Bartholomæus Cassanæus in Catal. gloriæ mundi part. 4 consid. 67. Polydorus Vergilius de Inventoribus rerum lib. 7 cap. 2. Claudius Robertus in Gallia Christiana; Vincentius Ciabrantus in antiquit. Samnii lib. 3 cap. 31. Ceteris vero copiosius vitam ejus gallice scripsit, editque Divione an.* CIↃIↃCXLVII *Carolus Fremonus ejusdem Ordinis religiosus.*

*Alia Stephani Vita.*

C 22 *Ætas S. Stephani ita in latina Vita colligitur :* Anno Domini CIↃLXXVI, trigesimum agens suæ ætatis annum, Deo in fide Catholica se serviturum spopondit : *cap. 1 num. 5. Dein,* ibidem in jejuniis et orationibus continuis, serviens Deo die ac nocte, ultra ad seculum non rediens, L annos complevit. *Si ad* CIↃLXXVI, *addantur* L, *fient* CIↃCXXVI. *Hinc Baronius eo anno contendit obiisse ætatis octogesimo. Eumdem calculum etiam alii sequuntur. Fremonus obiisse scribit anno* CIↃCXXV, VIII *Februarii, feria* VI. *Nam in Vita per Geraldum ait dici obiisse* anno Domini millesimo vigesimo quarto pene completo : *quia videlicet a Paschate annum auspicabantur Lemovices Gallique ceteri; qua ratione Februarius anni* CIↃCXXV *ad præcedentem pertinebat. Verum absunt illa verba ab ea Vita quam hic damus, solumque dicitur obiisse* VI feria, VI Idus Februarii, *anno non expresso. Eum quoque omittunt officia Ordinis, sed diem* VI *Idus ac feriam* VI *ponunt. Et vero anno* CIↃCXXV *littera Dominicalis erat D, inque Dominicam incidebat dies* VIII *Februarii. Nam quod ait Fremonus Guilielmum de S. Savino, et quemdam cognomento a Guardia, scriptores Ordinis, tradere sub Honorio* II. *qui anno demum* CIↃCXXIV *sub finem Decembris creatus Pontifex est, decessisse; potest hos ipsos scriptores calculus fefellisse; aut interpolata sunt fortassis eorum monumenta. Testatur cap. 21 Fremonus, extare primum Stephani*

*Obiit non an. 1126,*

*nec 1125,*

*sed 1124*

D *tumulum Mureti, in sacello postea ædificato, in quo hoc legitur epitaphium :*

AUCTORE J. B.

Nimbosus luces jam Februus egerat octo,
. . . . Stephani cum spiritus astra petivit;
Anno centeno milleno, bis quoque deno,
Adjuncto quarto, regno cœli sibi parto.

*In annum certe* CIↃCXXIV *secundum calculum hodiernum, quadrant characteres in Officiis et Vita expressi, quos perperam alio detorquet Fremonus. Nam eo anno bissextili littera Dominicalis usque ad Diem intercalarem fuit F. deinceps E. atque ita dies primus et octavus Februarii incidebant in feriam sextam. In Breviario Lemovicensi diserte dicitur* VI Id. Febr. anno Christi CIↃCXXIV migrasse in cœlum. *Fatendum tamen vel non integros* LXXX *annos explesse Stephanum, vel Fortassis in primo numero mendum esse, atque anno* CIↃLXXIV *secessisse in solitudinem, non* CIↃLXXVI.

*feria 6, 8 Febr.*

23 *Prima Translatio corporis ejus contigit, cum Mureto tota familia migravit ad Grandem-Montem, quod contigisse ait Fremonus* XXV *Junii, quinto ab illius obitu mense.* Reconditus est *sacer hic* Thesaurus subtus presbyterium ante altare paucis scientibus : *ne ad eum venerandum multitudo conflueret, et quies sanctæ domus seculari strepitu turbaretur. At mox innotuit miraculis locus, ut in historia Translationis narratur et*

NOT. 4

*translatus ad Grandem-montem,*

NOT. 5,

E *plenius apud Fremonum : qui addit, Petrum Priorem cum certatim concurrere turbas videret, sancto quodam zelo inflammatum, expostulasse cum Sancto, verbis tamen reverentia plenis, quod quam iis præcepisset quietem, ipse turbatum iret : ac demum rogasse, imo simplici quadam innocentia imperasse, ut desineret miracula patrare; se alioquin ossa ejus refossurum et in aquam abjecturum. Paruit Sanctus successoris imperio, neque, quoad ille vixit, miraculum ullum amplius fecit. Non ideo tamen desierunt homines eo confluere, tum ut Sanctum venerarentur, tum ut sese sanctorum ejus filiorum precationibus commendarent. Eo quoque tempore adeo frequentes ipsorum se instituto mancipabant, ut ampliare monasterium, et capacius sacellum ædificare oportuerit. Jacta tunc quoque fundamenta sunt ecclesiæ ac domus, quæ etiamnum extant.*

*rogatusque imo jussus a Priore 2,*

*nulla facit miracula,*

*visitatur tamen a multis :*

24 *Petro defuncto, nepos ejus subrogatus Petrus a S. Christophoro : qui paullo post ægritudine correptus, cum summis doloribus torqueretur, S. Stephanum, sanctumque avunculum suum orat, ut hos sibi dolores demant, aut saltem mitigent. Ita precatus, videt duos ad se accedere reverendos forma senes, alboque ac mundo linteo membra omnia a pedibus ad caput abstergere, si-*

*3 Priori morbum abstergit :*

F *mulque dolorem a singulis effugare. Ut ii abiere, pudorem ei beneficii novitas magnitudoque expressit, et amplissimam gratiarum actionem.*

25 *Huic Stephanus de Lisiaco successit, qui ecclesiam construxit, quando (quod in historia Revelationis num. 5 narratur) architectus ad vitam S. Stephani ope implorata revocatus. Hic in capitulo generali, quæ a S. Stephano tradita erat vivendi ratio, eam scripto mandari curavit, in quinquagena circiter divisam capita : atque hæc est Regula, a pluribus exinde Pontificibus approbata, quæ nunc in Ordine observatur.*

26 *Idem tamen cum multa alia accidere miracula S. Stephani invocatione audiret, veritus ne ea turbam denuo ad Grandimontensem ecclesiam exciterent, Sancti ossa e tumulo clanculum eximit, atque in claustro recondit, quasi minus exauditum iri preces crederet, quæ ad ipsas reliquias non essent conceptæ. Confluebant tamen, ut olim, plurimi, vel beneficia oraturi Sanctum, vel pro acceptis gratias acturi. Inque ipso cœnobio adolescens quidam, nomine Audoenus, ordinis candidatus, honestissimo loco natus, dum nescio quid, animi remittendi gratia, agit, lapsus humi est, vi tanta, ut cervices confregerit. Prior cadaver affert ad locum, ubi defossæ in claustro reliquiæ Sancti erant : quem deprecatus, vita ut adolescenti restitueretur, obtinuit.*

*Regula a 4 Priore digesta : corpus in claustro conditur?*

*mortuo ad illud suscitato,*

27 *Ipsemet*

A

AUCTORE J. B.

*ipso Priore sanato,*

27 *Ipsemet dein Prior in gravem incidit febrim : ratusque immissam, quia minus decenti loco locatæ sancti Parentis reliquiæ essent, præsertim quod theca lignea clausæ facile corrumpi possent ; ad se eas, ut erat lecto affixus, ferri imperat, ut ornatiori capsæ imponi, et ad priorem referri tumulum curaret. Ut ad eum sunt allatæ, continuo febri liberatur : Et, quid hoc, inquit, rei est, pater sancte? aut cui hanc subitam curationem adhibes? Non ego de tua sanctitate ambigo, ut eum mihi hoc miraculo probari oporteat. Confidebam fore, ut ad tuum consortium me hæc in cælum transmitteret ægritudo. Quando tamen aliter Deo tibique visum, ad vestrum nutum accommoda. Simul e strato surgit, omni penitus morbo liber ; imponitque novæ thecæ reliquias, atque in priori tumulo locat, sub altari sacelli, quod illius deinde nomini dicatum. Ita Fremonus cap.* 26.

*honorificentius reponitur ;*

*a 5 Priore instituta celebritas anniversaria primæ Translationis*

28 Tempore vero Domini Bernardi, quinti Prioris Grandimontis, coadunato in Grandimonte Capitulo generali, celebrata est Translatio corporis beatissimi Stephani, sequenti die nativitatis Præcursoris ac præconis Domini Salvatoris. *Ita historia Translationis num.* 4, *ac deinde :* Qui cum audisset, Sanctum Dei a supradicto Priore, et ab omni conventu, a claustro in ecclesiam deferri, etc. *quasi tunc ea contigerit Translatio, quam antea Fremonus Stephano Priori* IV *tribuit : qui cap.* 27 *scribit, Petrum Bernardum quintum Priorem id solum curasse, ut prima Translatio, quæ olim familia Muretum deserente contigerat, anniversaria solemnitate celebraretur : primum autem celebratum* XXV *Junii an.* CIↃCCLXVII, *pia et magnifica instituta supplicatione. Consentiunt officia Ordinis in quibus ritu duplici majore celebranda illius Translationis primæ memoria in eo die præscribitur, illaque in Lectione sexta ejus diei habentur :* Divinæ autem super ea re providentiæ caussa, Petro Bernardo Priore quinto, frequentibus Ordinis comitiis decretum est, ut septimus Calendas Junii dies, quo ea facta est Translatio, sacer et solemnis quotannis haberetur.

B

*25 Junii :*

29 *Curata demum canonizatio ab Geraldo, sive, ut Fremonus perpetuo appellat, Gerardo aut Girardo, ut MS. habet, septimo Priore. Meminit hujus canonizationis, ac revelationis, Claudius Robertus in Gallia Christiana. Contigit ex ea* XXX *Augusti* CIↃCLXXXIX, *cujus quotannis memoria festo secundæ classis recolitur. Enumerat Fremonus cap.* 28 *Episcopos qui solemnitati interfuerunt, una cum cardinale S. Marci legato Apostolico. Statuerat ipse quoque eo venire Henricus* II *Angliæ rex, sed fere bimestri antequam celebritas ea peragеretur, obiit in ipsa Gallia. Jusserat autem Geraldus prior suos obnixe Deo supplicare, ut novis miraculis Stephani sanctimoniam testaretur, celebritatemque honestaret. Quod abunde evenit. Recitat Fremonus bullam canonizationis, cujus dumtaxat partem Gerardus historiæ Revelationis inseruit. Totum hic dare operæ pretium videtur.*

*canonizatus declaratur 30 Aug.* 1189

*non sine miraculis.*

C

*Bulla canonizationis.*

30 Clemens Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis, Geraldo Priori et Fratribus Grandimontis, salutem et Apostolicam benedictionem. Ideo sacrosanctam Romanam Ecclesiam Redemptor noster caput omnium esse voluit et Magistram, ut ad ejus dispositionem et nutum, Divina gratia præeunte, quæ ubicumque a fidelibus gerenda sunt, ordinentur et errata in melius corrigantur : et ad ejus consilium in ambiguis recurratur : quod ipsa statuerit, nemini, quantumcumque de suis meritis glorietur, liceat immutare. Ne si forte promiscua daretur universis licentia, quæcumque sibi secundum voluntatem propriam occurrerent, perpetrandi confusa libertas, cum secundum personarum diversitatem vota dissentiant, in aliorum aliquando scandalum, sine justi discretione libraminis, commendanda supprimeret, et minus digna laudibus indebitis celebraret. Inde siquidem fuit quod bonæ memoriæ prædecessor noster Urbanus, audita fama religionis, et vitæ commendabilis puritate, qua sanctæ recordationis Stephanus Grandimontensis ordinis institutor emicuit, quantis etiam miraculorum testimoniis omnipotens Deus ipsius voluit mundo merita declarare, Legatis, quos ad partes illas direxit pro quibusdam negotiis Ecclesiæ tractandis, plenam circa hæc investigationem committere voluit, ut ex ipsorum ceterorumque virorum, quibus sine dubitatione fides esset adhibenda, testimonio, ad id agendum consulto procederent, quod et fidelium commodis et ipsius sancti viri honori, qui hactenus velut in sterquilinio gemma latuerat, congrue videretur.

*processus facti per Urbanum 3*

D

31 Nos etiam ex testimonio carissimi in Christo filii nostri Henrici, illustris Anglorum Regis ; nec non venerabilium Fratrum nostrorum, Guillelmi Remensis S. Sabinæ presbyteri Cardinalis, Bartholomæi Turonensis, et Heliæ Burdegalensis Archiepiscoporum, et Seibrandi Lemovicensis Episcopi, et dilectorum Bobardi tunc S. Angeli et Octaviani SS. Sergii et Bacchi Diaconorum Cardinalium, qui in partibus illis functi sunt legationis officio, et aliorum multorum Episcoporum plenius instructi de vita, meritis et conversatione, qua supradictus vir sanctus asseritur floruisse, et quod multimodis miraculorum indiciis divina voluit pietas eum illustrare ; hujus executionem negotii dilecti filii nostri Joannis S. Marci Presbyteri Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati, duximus arbitrio committendam, per Apostolica illi scripta mandantes, ut ad locum vestrum accedens, et convocatis adjacentium illarum partium Episcopis, ceterisque viris religiosis, ipsum inter Sanctos, auctoritate qua fungimur, nos denuntiet adscripsisse : deinceps in Sanctorum catalogo numerandum, et per ipsius merita Redemptoris suffragia decrevisse cum reliquorum Sanctorum interventionibus postulanda. Datum Lateranis, duodecima Calendas Aprilis, pontificatus nostri anno secundo. *Is erat annus, ut ante indicatum* CIↃCLXXXIX.

*examinati per Clementem* 3,

E

*a quo et canonizatus :*

32 *Præter corpus S. Stephani, sive præcipua illius ossa, asservatur in thesauro ecclesiæ Grandimontis tunica, qua olim indutus munus Diaconi in sacris peragendis obivit : jamque adhuc, post annos* IↃ *et quod excurrit, omnino recens videtur, etsi quicumque illic Diaconus ordinatur, quo primum die Evangelium publice canit, ea vestitur.*

*Ejus reliquiæ, Dalmatica,*

33 *Tiernenses Canonici cum audissent Stephanum, suum civem, atque adeo oppidi sui dominum, tabulis Sanctorum adscriptum, misere præstantia ad ejus tumulum donaria ; et Priorem conventumque Grandimontensem supplice libello deprecati sunt, ut sibi aliquam Sancti Patroni sui reliquiarum particulam donarent, oblato S. Feliciani Fulginatis Episcopi ac Martyris brachio. Annuerunt Grandimontenses, donaruntque S. Stephani Brachium Tiernensibus, qui insigni ac religiosa pompa id excepere, atque anniversaria solemnitate venerantur : uti et in Grandimontensi ordine universo S. Feliciani natalis* XXIV *Januarii officio duplici majore celebratur.*

*brachium Tierni,*

F

34 *Erat Auginiaci, qui vicus est diœcesis Lemovicensis, Presbyter, Sancto Stephano Ordinique addictissimus : is multis precibus dentem unum Sancti a Priore impetravit : Cumque haud multo post surdus effectus esset, nihil ut omnino audiret, sed obtuso quodam sonitu assidue perstrepere sibi aures sentiret ; in genua prostratus ante Deiparæ Virginis et Stephani aram, dentem eum promit, magnaque reverentia ac fiducia, in aures suas inserit, ac momento auditum recuperat, ut numquam antea se perfectius audisse testaretur.*

*dens Auginiaci,*

*quo sanata surditas :*

35 *Monasterium est in Pictonibus, quod* Fontem-cavatum, Fontcreuse *Gallice, vocant. Hujus Procurator, dum generali interest Capitulo, in quo decreta Translationis solemnitas, longis precibus exoravit Priorem*

*pars mensæ in Pictonibus ab incendio servata,*

A *rem Generalem, sibi ut particulam largiretur mensæ, qua usus Mureti Stephanus erat. At cista, in qua ea dein fuit recondita, fortuito casu integra deflagravit, et quæ in ea erant, alia penitus absumpta sunt, præter illam ligni particulam, et, qua involuta erat, linteum.* *contra morbos salutaris:* *Cœpit igitur venerationi haberi, et, cui intincta erat, aqua morbi plurimi sanati; ipse ejus monasterii Procurator aquæ illius potu febres, quibus conflictabatur, abegit.*

*Natalis ejus 8 Feb.* 36 *Natalem S. Stephani celebrat ordo Grandimontensis* VIII *Februarii officio duplici primæ classis, producta ad octavum diem solennitate. Eo die Ferrarius illius meminit in generali Catalogo SS. his verbis:* Apud Lemovicos S. Stephani Abb. Grandementensis. *Colitur et in Ecclesia Lemovicensi, ut ex ejus Breviario an.* CIƆIƆCXXVI *excuso liquet, officio duplici, eodem die.*

37 *Plura eum Kalendaria Idibus Februarii adscriptum habent: Petrus Equilinus lib. 3 cap.* 120 *et Saussaius in Martyrol. Gallicano, cum prolixo elogio. Brevius alii; ut Maurolycus:* In nemore agri Lemovicini, monte Mureto, Stephani Abbatis, Grandimontensium Ordinis institutoris anno CIƆLXXVI. *Molanus in auctario ad Usuardum, et Wion in Martyrol. Benedictino:* *apud quosdam 13 Feb:* Eodem die depositio Stephani Eremitæ, qui B Grandimontensis extitit fundator devotus. *Hermannus Greven in addit. ad Usuardum:* Stephani Diaconi et Confess. qui Ordinem Grandimontensem inchoavit primo circa annum CIƆLXXVI, sibique rigidus, subditis vero pius existens, eumdem rexit, plenusque operibus bonis quievit in pace. *Ejus quoque meminere eo die MS. Florarium, Menardus, Dorganius, Canisius, et, qui antea* VIII, *Ferrarius.*

*aliæ celebritates.* NOT. 6 38 *Ad festum Translationis, ut ante dictum* XXV *Junii agitur;* XXX *Augusti Canonizationis.*

# VITA

## auctore Geraldo Priore Grandimont.

*ex veteri codice descripta a Pet. Francisco Chiffletio Soc.* Jesu.

### CAPUT I.

*S. Stephani vita in seculo, et eremo.*

Fuit in Arverniæ partibus homo quidam nobilis, *a* Stephanus nomine, de *a* Tierno Dominus; cujus uxor *b* Candida nuncupabatur: cui divino nutu *b* natus est *Stephanus nobilis,* filius, qui semper Virgo permansit, et, in signum *c* coronæ quam meruit, de nomine patris *c* Stephanus C appellatus. Quem progenitores sui more nobilium diligenti studio educatum, cum ad intelligibiles an- *litteris institutus,* nos pervenisset, ad addiscendum litteras tradiderunt, tanto carius eum diligentes, quanto elegantioris *d* formæ et bonæ indolis *d* puer cœpit apparere.

*duodennis ducitur Barium a patre:* 2 Crescente itaque puero, et in sancta litterarum scientia magis magisque proficiente; et interea cor- *e* pore S. Nicolai *e* translato a Myrrea civitate ad urbem quæ Barro appellatur; præfatus nobilis vir Stephanus cœlitus inspiratus, illic cum multis aliis ad orationem procedens, filium suum Stephanum, Domino præordinante, secum duxit; quia eum ante omnia diligebat, et ideo absque eo esse non poterat.

3 Unde cum per Beneventanam civitatem, com- *æger S. Miloni Archiep. Beneventano commendatus,* pletis orationibus, feliciter remearet; puer idem oblatus Deo qui parvulos suscipit, infirmatus est. Eo vero tempore *f* B. Milo prædictæ civitatis Ar- *f* chiepiscopatum regebat, huic viro, de quo loquimur, cognitus a juventute in finibus Arverniæ, unde genus habuerat. Cui Archiepiscopo nobilis prædictus *g* filium suum commendavit, *g* ut infirmitatis ejus curam ageret, et, si viveret, eum erudiret; erat enim puer Stephanus jam duodennis. Volebat enim omnipotens Pater, quatenus puer ea ætate sibi servire D inciperet, qua filius suus a parentibus secundum *AUCTORE GERALDO EX MSS.* carnem ad templum deductus est, et quemadmodum puer Jesus remansit in Hierusalem, sic puer iste remansurus erat in itinere, Deo disponente. Sicque nobilis prædictus, caro pignore destitutus, desolatus *brevi convalescit:* ac mœstus ad propria reversus est. Post paucos vero dies Divina operante clementia puer sanus factus est, et quasi oblitus patris et patriæ, hilaris et gaudens in terra fuit aliena. Unde Archiepiscopus, velut pius pater, et fidelis doctor, apud quem XII annis *adhæret ei 12 annis.* moratus est, bonitatem et disciplinam et scientiam ipsum studiosius edocuit: ac ipsum a scholis vacantem, cum suæ diœcesis placita pertractabat, *h* pedibus suis adsistere faciebat. *h*

4 Pueritiæ igitur Stephanus metas excedens, defuncto Archiepiscopo *i* Romam ingressus, cum quo- *i* dam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali IV annos *Romæ degit 4 annis:* permansit, et de diversis diversarum Religionum actibus et dispensationibus totius Ecclesiæ Catholicos viros sæpissime disputantes audivit: et de prædictis edoctus, a Romano Pontifice, *k* cui bene notus *k* erat, devotissime petiit, ut ordinem quem in Calabria observare didicerat *l* quamdam religiosam con- *l* gregationem recta via incedentem et unanimiter in claustro sine proprio viventem, et obedientiam hu- *obtinet a Papa facultatem ordinis instituendi.* mani generis reparatricem pro suis viribus in omnibus custodientem, et mundum sibi et se mundo crucifigentem, et in Cruce Domini gloriantem, in E suorum remissionem peccatorum sibi alicubi observare concederet. Cui Christi Vicarius quod petebat concessit, et omne bonum quod ageret, ei in pœnitentiam et virtutum præmium injunxit. NOT. 8

5 Et discedens a Curia Romana Tiernum rediit. Sed parvam ibi faciens moram, a parentibus, *m* fra- *m* tribus, cognatis, qui de regressu ejus admodum gaudebant, solus latenter recessit, *n* et in Aquitaniam *n* ad nemorosum montem, qui non longe distat ab urbe *secedit in montem Muretum:* Lemovicarum, et Muretum dicitur, Christo ducente pervenit: ubi facto de virgultis parvo tugurio anno Domini CIƆLXXVI, trigesimum agens suæ ætatis annum, Deo in fide Catholica se serviturum spopondit: *Deo se devovet:* et cum quodam annulo, quem de omni substantia mundi habebat, semetipsum castissimum Virginem Christo desponsavit *o*: et ibidem in jejuniis et ora- *o* tionibus continuis serviens Deo die ac nocte, ultra ad seculum non rediens, L annos conplevit, sciens *50 annis ibi vivit,* quia quærentibus et diligentibus Deum frequentia hominum et copia rerum nociva sunt, utilia vero paupertas et solitudo, ut est terra solitudinis montis prædicti Mureti, silvestris et sterilis, ac fere omni *loco aspero.* tempore hiemalis, hominibus insueta, assueta feris, F afflictionem corporis illi offerens, et requiem mentis promittens.

6 A die namque conversionis ejusdem, cibus ejus panis et aqua fuit, et interdum farinulæ siligineæ *duro et parco victu* modica sorbitiuncula, quæ ceteris ceterarum farinularum sorbitiunculis minus sapida, necessitati utcumque servit, non delectationi. In senectute tantum, a trigesimo suæ conversionis anno, modico vino usus est propter stomachum, quem ciborum ariditas et penuria nimis arctaverat. Verumtamen districtionis suæ regulam, et mensuram possibilitatis suæ nemini imponebat, sed quemadmodum inchoaverat, sibi quidem crudelis et asper, aliis pius longeque moderatior erat: sciebat enim quia secundum collatam sibi cœlitus gratiam, alius alio fortior est, et non omnia possumus omnes.

a Tiernum, *S. Gregorio Turonensi* Tigernense castellum *dictum, Brietio nostro* Thiernum, *vulgo* Thiers, *oppidum est non incelebre Arverniæ inferioris, sive Limaniæ, in diœcesi Claromontana.* — b *Carolus Fremonus scribit, cum diu prole caruissent Stephani parentes, multis precibus, jejuniis, eleemosynis, filium hunc a Deo impetrasse, voto antea nuncupato, eum se Divino servitio mancipaturos.* — c *Στέφανος enim coronam significat.* — d *Fremonus ait a puerilibus crepundiis alienum fuisse, solitumque a prima ætate secedere in castelli paterni hortum, in cujus extremo* *Tiernum opp.*

A *mo locus in rupe excavatus cernitur, in quo puer fundere preces consuevisse dicitur.* — e *Quia cum hanc Vitam scriberet Geraldus, frequentissima erat ad S. Nicolai Reliquias peregrinatio, existimavit eamdem Stephano Tieruensi caussam fuisse Beneventum Bariumque cum filio adeundi, in quo eum fefellit conjectura: nam non nisi* XXVII *post annis allatæ Barium sunt S. Nicolai reliquiæ, sive (ut in Translationis historia scribit Stephorus Barensis) quando* millesimus et octogesimus septimus cum Indictione X vertebatur annus. — f *De B.* Milone *agemus* 23 *Februarii. Quidam* Milonem *vocant.* — g *Scribit Fremonus, puerum patientissime morbum tulisse, neque de doloribus unquam questum atque eam rem patri magnæ consolationi fuisse.* — h *Idem auctor tradit, eum a Milone Subdiaconum, dein Diaconum ordinatum; et ab eo, dum diœcesim visitaret, comitem adscitum, ministrumque aliis sæpe ad varia gerenda negotia: imo in vetustis quibusdam codicibus monasterii Grandimontensis dici, Archidiaconum eum, et Officialem Milonis fuisse.* — i *Fremonus cap. 4 scribit, ad visendos parentes rediisse Stephanum in Galliam, cumque Beneventum reverteretur, Romæ mortem Milonis Archiepiscopi intellexisse, ibi quemdam e primoribus collegii Cardinalium qui antea eum noverat sæpius cum Milone Romam ventitantem, ultro rogasse ut istic commorari sibique adesse vellet.* — k *Fremonus scribit et Alexandro* II *notum fuisse, qui varia ei conferre officia voluerit et Gregorio* VII *illius successori, hujusque anno* 3 *Galliam repetiisse.* — l Illorum *enim* propositum, *uti dicitur Lectione 5 secundæ diei intra Octavam,* sapientissimus Archiepiscopus Milo in sermonibus, quos ad populum habebat, jugiter commendabat. *Addit Fremonus eis sese jam ante jungere Stephanum voluisse, nisi Milo obstitisset.* — m *Non ergo, quod asserere quosdam tradit Fremonus, parentes jam mortui erant, nec ipse nobilis, ut plures.* — n *Ait idem, initio itineris in extasin raptum, sensisse sibi ossa crepare, quasi solvenda eorum compages videretur, absque tamen ullo dolore. Exinde divino quodam perfusum solatio, alacriorem ad propositum urgendum exstitisse. Cum in Lemovicinum tractum venisset, S. Gaucherium adiit, eremitam in loco qui nunc Aureilus dicitur, vulgo S. Jean d'Aureil. Sub colle, in quo Gaucherii eremitorium erat, loco apto moratus aliquantisper est Stephanus, indeque ad Gaucherium ventitabat. Sed cum hic non longe a monasterio suo aliud sanctimonialibus feminis ædificasset, periculum hinc sibi veritus Stephanus, Gaucherio valedixit, ac Muretum tandem pervenit. Colitur S. Gaucherius in diœcesi Lemovicensi, Officio semiduplici 9 Aprilis.* — o *Hac formula, uti refertur Lect. 5 die quarta intra Octavam:* Ego Stephanus abrenuntio diabolo, et omnibus pompis ejus et offero me ac reddo Deo Patri et Filio ejus et Spiritui sancto, trino et uni Deo vivo et vero. *Eadem habet Bellovacensis et Fremonus.*

AUCTORE GERALDO, EX MSS.

*Reliquiæ S. Nicolai quando Barium allatæ.*

*S. Gaucherius Confessor.*

B

## CAPUT II.

### *S. Stephani mors et sanctitas miraculis promulgata.*

*S. Stephanus visitatur a 2 Cardinalibus a, præscit obitum suum :*

Cumque duo Legati Cardinales a in Galliam missi, ipsum in solitudine Mureti visitassent, et de ejus conversatione diligenter inquisivissent, octavo die ab eorum recessu, pridie Nonas Februarii, nullo tamen dolore vexatus, se totum contulit doctrinæ discipulorum suorum, et orationi : scivit enim per Spiritum sanctum diem obitus sui appropinquare. Quibus quærentibus quomodo post ejus mortem sine temporalibus viverent, respondit : Deum solum vobis relinquo, cujus sunt universa, cujus etiam amore cuncta pariter et vosmetipsos reliquistis. Si amando paupertatem ei constanter adhæseritis, nec a veritatis via declinaveritis, ipse juxta providentiam suam qua mirabiliter gubernat omnia, vobis quod expedire noverit largietur.

*suos hortatur ad paupertatem*

C

*viatico et unctione munitus,*

8 Et quinta die, dolore invasus, in oratorium portatus, finita Missa post sacram unctionem et receptionem Corporis et Sanguinis Domini, Fratribus flentibus Psalmosque cantantibus, octuagesimo ætatis suæ anno, in ordine diaconatus, VI feria, VI Idus Februarii, dicens, In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, feliciter migravit ad Dominum.

*moritur 8 Febr. feria 6,*

*NOT b*

9 Quo Patre Stephano defuncto, mox monachi S. Augustini, Præpositura vicinæ b Ambasaco, cum Capellano ejusdem loci, et magna plebis multitudine, ad cellæ domus Mureti januam pulsaverunt, cum mœrore clamantes et dicentes : Boni viri, nolite celare nobis mortem Domini Stephani Patris vestri. Vere scimus, vere scimus, quia mortuus est amabilis Pater. Janitor autem hoc audiens, et volens eos a sepultura removere, quatenus tanti funeris exequias sine tumultu digne et devotissime celebrarent, quasi consolando dixit eis : Quid est hoc quod dicitis, quia mortuus est ? Imo multo melius solito illi credimus esse. Cui Sacerdos, qui cum monachis et populo venerat, ait : Bene scimus quia mortuus est.

*absentibus revelata mors ejus,*

D

In vico etenim nostro quidam puer modo in extremis positus, ab heri et nudiustertius loquelam amiserat, qui cum a matre sua exitum præstolante reservaretur, subito in hæc verba prorupit : Video, inquit, scalam lucidissimam, cujus altera pars cœlum, altera pars tangit Muretum; et Angeli multi descendunt per eam, ut animam Domini Stephani Deo gratissimam perducant ad gloriam; subjungens : Nunc audio circumquaque sonare signa. Et hoc vobis indicium est, quia dico vobis veritatem, quia modo moriar, nec ultra loquar vobiscum; sed ascendam cum sanctissimo Patre, et Angelorum multitudine. Quibus dictis expiravit. O felix visio ! Et quis congruentius Virgini debuit testimonium perhibere quam Virgo ? Ambo namque Virgines erant, et fidelis servus et puer qui vidit visionem et retulit.

*a puero moribundo, conspecta mystica scala et Angelis,*

*qui et mortem suam prædixit :*

10 Mira namque Dei dispensatione decessus illius apud Turonicam civitatem et c Verselaium eodem die divulgatus est : quæ duo loca ab invicem et a Mureto adeo remota sunt, quod, nisi miraculose id fieret, nequaquam decessus athletæ Christi eadem die sciri potuisset.

*c item alibi in locis remotissimis :*

11 Sequenti vero nocte cuidam Canonico d familiari suo per visum apparuit, habitu e roseo decoratus. Nec mirum si roseo, quia Christi Martyr extiterat, dum in præsenti seculo vixerat. Qui quidem Canonicus evigilans intellexit illum debitum mortis persolvisse, et celeriter surgens, pro commendatione ejus ex integro divinum peregit officium. Mutua namque caritate ambo inter se dixerant : Ille qui diutius viveret, exequias alteri celebraret.

*d e apparet Canonico ex pacto :*

E

12 Tempore quo Lupardus cum multitudine hominum malefactorum terram Lemovicensem depopulabat, capti fuerunt duo homines : quibus in carcere Deum orantibus, ut eos per merita S. Stephani liberare dignaretur de manibus inimicorum suorum, B. Stephanus apparuit illis fulgidus, dicens eis : Surgite, ne timeatis, et me sequimini, ducens eos secum videntibus cunctis ductor duorum hominum inimicis, et nemo alieni eorum nocuit, nec nocere potuit.

*et 2 captivis, quos liberat :*

13 Et quadam die cum Frater Hugo Lacerti, discipulus S. Stephani, ad domum Mureti venisset, et Presbyterum dictæ domus solum cum suo ministro præparantem se ad Missæ officium in oratorio repperisset, ab oratione surgens, oculos suos ad altare et ministros altaris intentus sublevasset, repente vidit S. Stephanum Leviticis ornamentis indutum ac refulgentem, velut Diaconum altari et Sacerdoti cum omni devotione honorifice ministrantem. Quo viso vir Dei Hugo alacris efficitur, lacrymisque perfunditur, et a superno lumine illustratur. Ad quem Missa finita S. Stephanus se convertens, alacri vultu subridens palmas extendit, ex qua extensione manuum credimus S. Stephanum suum discipulum ad cœleste vocasse regnum, qui post paucos dies feliciter migravit ad Christum.

*apparet B. Hugoni, habitu Diaconi ministrans Sacerdoti,*

F

*eumque ad cœlum evocat.*

a Gregorius et Petrus, *inquit Bellovacensis cap.* 48, inter quos postmodum de Papatu schisma fuit. *Nam mortuo an.* 1130 14 *Februarii, Honorio* 2, *ipso die electus est* Innocentius II *antea* Gregorius *dictus, moxque ab alia factione Cardinalium et Antistitum antipapa et oppositus* Petrus Leonis, *atque* Anacletus II *appellatus.* — b *In historia Translationis* vicus Ambasiacus *vocatur. Bellovac. habet* Ambaizaco, *vitio librarii. Fremonus cap.* 22 Ambaize *Gallice vocat, atque distare leuca media Mureto. Illic prioratus erat, dependens a monasterio S. Augustini, quod est Benedictorum in urbe Lemovicensi.* — c *Bellovac.* Verseliacum. *Fremonus* Podium *interpretatur, quod nimirum in* Vellaunis *ea sit urbs. Revelatum ergo ait viri sancti obitum Lemovicensibus quibusdam, qui Podium pietatis ergo peregrinatum ierant, et aliis qui Turones.* — d *Regulari Ordinis S. Augustini, inquit Fremonus : putatque S.* Gaucherium *fuisse.* — e *Fremon.* Diaconali tunica quali in Officio de martyre utuntur. — f Quorum unus, *inquit Fremonus,* associatus erat domui Bonæ-vallis de Serra in agro Lemovicino. — g *Fremonus ita id narrat :* Hugo Lacerta cum Guidone de Millaco, ex Grandimontensi cœnobio Plaignam revertens, Muretum divertit, ingressusque sacellum, in quo Missam tunc Sacerdos offerebat, videt Stephanum Diaconi habitu eum ministrantem : varios e Fratribus seorsim ad se vocat ac quærit quem ad aram videant ? Solum, inquiunt, Sacerdotem cum acolytho. Sensit ergo, soli sibi eam ostendi visionem, etc. *De B.* Hugone *agemus* 27 *Aprilis.*

CAPUT III.

## CAPUT III.

### *S. Stephani paupertas, pietas, pœnitentia. De suo instituto judicium.*

*a S. Stephanus tota vita alitus ultroneis eleemosynis, b*

Ceterum si quis scire voluerit, unde etiam illa tenuis substantia, qua corpus athletæ Christi Stephani sustentabatur, illi aderat, præsertim primo suæ conversionis anno, quo, humano carens solatio, solus in eremo fuit; revocet in memoriam quomodo Abdias *a* Prophetas Domini in spelunca absconditos pro amore Dei pane nutrivit et aqua : et noverit, quia nihilominus circumstantium *b* vicinorum caritas sola Divina inspiratione huic Dei servo necessaria deferebat. Qui etiam Danieli in lacu leonum incluso prandium per Abachuc misit; qui per ministerium corvi et viduæ Heliam a famis liberavit inedia; qui quotidie dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum; hominis tantæ fidei, quem ad se diligendum absconderat in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum, non potuit oblivisci. Nec nimis esurit panem hominum, qui frequenter panem comedit Angelorum. Solis igitur cœlestibus intentus, alimenta corporis a devotione fidelium, refectionem B vero mentis, et unctionem spiritus a divinæ contemplationis beneficio affluenter sortitus est.

*deditus contemplationi.*

15 Nam quomodo non gustaret, quam suavis est Dominus; et dulcedinis ejus stillicidia stillantia non haberet, qui corpus suum castigando et in servitutem redigendo per districtam *c* abstinentiam macerabat; etiam lorica ferrea contra carnis insidias et mentis lasciviam tamdiu incessit armatus, quousque toto exsiccato corpore, plenum de seipso obtinuit victoriam? Ad cujus eximiæ perfectionis cumulum tanta parcitas vestium lectique accessit durities, quæ cunctis humanæ conditionis facultates cernentibus, vires hominum videatur excedere. Indumenta namque, quibus super loricam induebatur, nullo tempore minuebantur, aut augebantur : sed in hieme et æstate ad repellendum frigus et caumа æqualia semper erant et eadem.

*c lorica ferrea induetus*

*et iisdem vestibus hieme et æstate.*

16 Stratum vero, in quo post nimiam carnis suæ vexationem fatigationemque ad quiescendum se modicum conferebat, adeo durum erat, et quieti contrarium, quod in eo dormiens vexari poterat, non foveri. Erat enim ex tabulis ligneis instar sepulchri in terra consertis, omni stramento omnique lectisternio carens, præter illam tunicam ferream, quam semper C ad nudam gestabat carnem, vilissimum dumtaxat habitum, quo desuper manebat indutus. Illa ad stratum veniens secum afferebat, illa de strato surgens referebat secum, parcus in cibo, parcus in lecto, et parcus in somno existens.

*quali lecto*

17 Exceptis etenim Ecclesiastici officii regularibus debitis, Agenda videlicet diei, et B. Mariæ, ac Fidelium defunctorum, a prima die qua venit in eremum, usque ad ultimum diem vitæ suæ, Ordinem de sancta Trinitate cum novem lectionibus, et horis canonicis, singulis diebus ac noctibus devotissime celebravit. Psalmodiam vero et familiares orationes intantum amabat, et gratiam illius excellentissimæ contemplationis, in qua Deus melius cognoscitur, tam affluentem habebat, quod nunc hujus dulcedine raptus, nunc illarum occupatione detentus, frequenter biduo aut triduo a corporali vacabat edulio. Verum si pro eorum colloquio, quibus servata caritate deesse non poterat, ea quæ orando facere vel dicere consueverat, statutis horis sive temporibus quandoque non impleret, differri quidem poterant, non omitti. Postquam enim ab eo qui advenerant recedebant, quæcumque hora tunc esset, antequam comederet vel dormiret, omnia quæ de consuetis orationibus, quæ necessario intermiserat, cum omni devotione restituebat. Unde plerumque usque in crastinum nullum D sumebat cibum, Christi discipulorum imitator verus, qui proptor venientes et redeuntes manducandi spatium non habebant.

*longas precationes,*

*ob caritatem subinde differt,*

*numquam omittit :*

*AUCTORE GERALDO, EX MSS.*

18 Etenim quia non potuit lucerna accensa latere sub modio, longe lateque sanctitatis ejus divulgata est opinio. Veniebant itaque ad eum undique multi, parvi et magni; inter quos ex Divinæ pietatis dispensatione, in fine suæ conversationis duo Excellentissimi Cardinales a Summo Pontifice in Galliam missi venerunt, ut Christi servus Stephanus quia a Vicario Apostolico in exordio propositi sui bene vivendi præceptum, ut dictum est, habuerat, a viris Apostolicis Cardinalibus Christi vicariis testimonium suæ sanctitatis obtineret. Qui Christi servus requisitus ab eis an esset Canonicus, aut monachus, seu Eremita, exemplo S. Joannis Baptistæ se esse negavit, ne superbus videretur ab hominibus, quamquam verissime totum de se posset profiteri. Quemadmodum enim dicitur de Joanne, dum Judæi interrogarent illum, quis esset, vel quid diceret de seipso, cum nec Christum, vel Heliam, vel Prophetam, se esse responderet, ipse ait, Ego vox clamantis in deserto; similiter isti duo Legati B. Stephanum interrogaverunt, dicentes : Quid ergo dicis de teipso, cum fateris quod non Canonicus aut monachus, vel eremita E sis, quibus ordinibus fulcitur omnis vita Religiosorum?

*Marci 6 31 interrogatus cujus ordinis esset,*

29 Quibus Legatis, cum esset paratus semper ad satisfaciendum omni poscenti se rationem reddere, humillime veluti Joannes Baptista respondit : Cum de fallaci mundo, ducente nos Christi gratia, voluimus exire, et a Romano Pontifice, prout melius potuimus, nostram suscepimus pœnitentiam, et cum ipsius præcepto et obedientia in remissionem peccatorum nostrorum hujus paupertatis et abjectionis viam sequi proposuimus, etsi sanctos et laudabiles eremitas, quos per totam septimanam absque corporali cibo Divinæ contemplationi vacasse legimus, fragilitate nostra non possumus imitari; tamen, quia a via publica aliquantulum declinavimus, et Fatres, qui in Calabria Deo serviunt utcumque sequimur, in extremo judicio, cum Christus venerit judicare vivos et mortuos, ejus misericordiam expectamus. Et ecce vestibus monachorum et Canonicorum, de quibus interrogatis, non utimur, ut videtis, quoniam tantæ sanctitatis vocabula *e* nobis non usurpamus : nam Canonicorum institutio habet potestatem exemplo F Apostolorum ligandi atque solvendi. Monachorum autem nomine non utimur, qui nomen sanctitatis, vel singularitatis sortiti sunt vocabulum : quorum illi specialiter monachi dicuntur, qui sui curam agunt, nec aliud cogitant, nisi tantummodo de Deo. Eremitarum vero vitam imitari minime valemus, quia in hoc specialiter est vita omnium eremitarum, devitare seculi tumultus, et permanere in cellulis suis, quatenus vacent orationi et silentio.

*fatetur institutum suum a Pontifice approbatum,*

*se tamen nec Canonicum esse, nec monachum, nec eremitam. e*

20 Pœnitentiam, quam vigilando, jejunando, carnem suam spiritui tota die subjiciendo, frigus æstumque tolerando, Crucem Dominicam corde bajulando, et ex caritate se cunctis indigentibus affabilem ac hilarem præbendo, sic libera voluntas, Dei gratia prævenіente, et jugum Domini suave ac onus ejus leve viro sanctissimo atque per omnia laudabilis vitæ Stephano facilem reddiderat, quod nullum laborem sustinere formidabat. Nec unquam dicebat, quod a multis frequenter dicitur : Fatigatus sum vigiliis, seu jejuniis, aut frigore constrictus sum, vel nocte stratus fuit mihi durus. Sed hoc quantæ perfectionis fuit, quisquis attente seipsum considerat, intelligere valet. Numerum autem genuflexionum venerabilis Patris, quem, terram deosculando et cum fronte nasoque percutiendo, humiliter faciebat, scire non possumus :

*constans in pœnitentiis,*

*et indefessus,*

*creberrime humi procumbens, callos contraxit, et nasum obliquum*

AUCTORE GERALDO, EX MSS.

A possumus : quem utique propter earum sæpissimam iterationem ipsum etiam credimus ignorasse. Scimus quod manibus ac genibus in modum cameli, earum assiduitate genuflexionum, callos contraxerat, et nasum curvaverat in obliquum.

a Scriptum erat, Prophetia et absconditus. *Itaque vertit Fremonius cap. 7 Abditæ prophetæ in cavernis latitanti divinitus subministratam annonam. Sermo est de Abdia dispensatore domus Achab Regis, qui, ut lib. 3 Reg. cap. 18, v. 4 dicitur,* cum interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit centum Prophetas, et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua. — b *Scribit Fremonius, pastores quosdam, dum sparsas per nemora pecudes quærunt, vestigia humana observasse, eaque secutos venisse ad Stephani cellam: quem cum illic velle Deo servire didicissent, panem et certis temporibus attulisse, ac deinceps alios sparsa per vicinium fama.* — c *Modicum panis ad vesperam sumebat, inquit idem scriptor, hauriebatque ad potum aquam e vicino fonte.* — d *Squamosus factus cutem contraxerat corrugatamque, ut idem interpretatur.* — e *Aliquando tamen postea nomen Canonicorum affectarunt, si vera de iis scribit Stephanus Tornacensis in citata superius epistola.* Ipsi certe, *inquit*, nunc Canonici appellantur, nunc Canonici volunt appellari. Et quomodo cum eis participabunt se, quibus participari dedignantur et nomine? Nec eos canonicos esse crediderim, quorum et plures numero et prælatione majores non Clerici sed laici, non litterati, sed sine litteris existunt. Nisi forte quis dicat Clericos eorum esse Canonicos, laicos autem eremitas.

## CAPUT IV.

### *S. Stephani castitas, erga egentes et ægros caritas.*

B

*suavem odorem afflat,*

Miri odoris fragrantia, quam cum eo loquentes, et astantes circa eum, ex ipso procedere sentiebant, totius suavitatis auctorem in eo requiescere testabatur. Verumtamen quantum nobis datur intelligi, meritum erat, quo integerrima virginitas et humilitas animæ, quæ in eo eminebant, etiam in hac vita, dum viveret, donabantur. Fuit enim inter ceteras virtutes in ipso intemerata virginitas, quam Christus templi sui conservator vigilque defensor nulla labe violari permisit: sicut ipse quibusdam discipulorum suorum, quorum numerus *a* jam excreverat, confitebatur, dicens: Profecto nullo tempore meam carnem aut spiritum motus libidinis concussit; sed hoc mihi sine dubio majoris timoris ratio. Virginitas in quolibet affectu superbiæ citius perit, quam fornicatione.

*ob illibatam virginitatem et humilitatem:*

*cellæ et silentii amans:*

22 Porro cunctas virtutes stabilitas religionis conservabat in eo integras, quoniam nulla ex caussa procedebat a cella. Quin etiam per alterum oratorii sui ostium vitabat exire: quasi si vovisset, ut oculos a vagatione custodiret, et in seipso claustrum et tabernaculum Domino præpararet, nolens sponsum dimittere, postquam semel invenerat, quia diu per
C arctam viam ipsum quæsierat.

*omnes ad virtutem instruit*

23 Quam prudenter et quam sollicite de religionis observantia, morum maturitate, ac de omnibus quæ ad salutem animæ spectant, viva voce, Sanctorumque sententiis et exemplis discipulos suos, et eos qui cum ipso loquebantur, docebat, quia in sententiis suis et doctrinis consiliorum suorum scriptum est, sub silentio pertransimus. Quoties autem inveniebat aliquem verbum Dei audire volentem, non caussa cibi vel somni, frigoris aut æstus retardabat eum ab hoc opere Christi. Diversis itaque diversa monita salutis dare, providens verbis suis ut instantius audiretur, convenientia inducens ænigmata, quasi mel in cera reclusum prætendens.

*infatigabiliter*

*suorum necessitatibus prospicit,*

24 Nec quærebat discipulorum suorum corpora necare, sed vitia. Unde tamquam fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, in cibis et vestibus ceterisque humanæ fragilitatis necessitatibus, eis æquo libramine indulgebat: hoc tantum ab eis exigebat, ut Deum super omnia diligentes, ei dicere veraciter possent: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis, dicens Fratribus venerabilis Pater: Sciatis pro certo, quod in hac solitudine fere L annos complevi, quorum alii in magna egestate, alii in

*ad mortificationem hortans et fiduciam,*

magna fertilitate transierunt: Divina vero bonitas D sic semper ad mensuram mihi omnia contulit, quod in egestatis tempore nihil necessarium defuit, nec in ubertate quidquam superavit. Similiter vobis eveniet, si vitetis omne superfluum; nam necessaria neminem damnant: tantum in Regula de Evangelio per me sumpta perseveretis.

*suo exemplo:*

25 Erga discipulos cum summa discretione tantum benevolus atque misericors Pater amabilis erat, quod in egestatis tempore panem cum ceteris victualibus abundantius solito ipsis discipulis ministrabat, subjungens hujuscemodi caussam providentiæ: Cum panis magis incipit amari annona deficienti, tunc edendi voluntas solet in hominibus crescere: unde necesse est relegatis in carcere Christi eo tempore largius cibaria ministrare, ut exultantes nomen Domini benedicant.

*largius iis providet, dum carior annona:*

26 Postquam vero disponente Deo discipulorum ejus crevit numerus, non quasi unus ex illis in illis factus est, sed minor omnibus illis. Nam sicut consuetudo religionis est, in refectorio ad mensam sedentibus et residentibus illis, ille humiliter humi residebat, legendo Passiones Sanctorum vel Vitas Patrum, vel aliam ædificantem scripturam; ut corporum alimenta sumentes, illius sententiæ recordaren- E tur: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Matt. 4, 4 quod procedit ab ore Dei. Legerat quippe et memoriæ commendaverat, Quanto major es, humilia te in Eccl. 3, 20 omnibus, et coram Deo invenies gratiam. Et illud, Marci 10, 43 Qui voluerit inter vos major esse, erit omnium servus. Et inter alios recumbens in infimo loco, neminem discipulorum in occursum sui surgere volebat, locum ministri tenens in persona et habitu.

*legit ad mensam, humi sedens*

27 Et multitudine nobilium virorum, qui venerant eum audire, die advesperascente discedente; egenorum turba cum ipso remanente, paralyticos tamquam fratres osculabatur, respondens discipulis suis admonentibus eum, ut ad ipsos fatigatus accederet: Modo cum Christus advenit, me recedere dicitis, qui hodie moratus sum cum sæculi hujus potestatibus? Absit hoc in me dedecus, ut Christo non occurram. Unde gratiæ prærogativam ab illo Patre luminum, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, tam efficaciter Deo et hominibus amabilis Pater S. Stephanus acceperat, quod, præsertim discipulis suis, quid cogitabant, et tentationes, quas a diabolo patiebantur, apertissime dicebat; et qualiter pravis cogitationibus et importunis tentationibus viriliter resisterent, tamquam pius Pater, et de salute F eorum bene sollicitus, eos prudenter instruebat.

*a pauperibus et infirmis avelli non potest, ut a Christo:*

*secreta cordium cognoscit:*

28 Nec non multis modis discipulos suos instruebat, qualiter de vita sua inquirentibus responderent, dicens eis: Fratres, ne miremini si nonnulli a vita vestra moribus discordant: quandoquidem ab eo, quod illi tenent, discedetis, et non vultis eos sequi in hoc quod faciunt, volens per eos reprehendentibus mentionem fieri institutionum suarum regularium, ut de vita regulari eorum, cum sancta sit, nullus dubitet hominum.

*de sua Regula quid responderi velit:*

a *Scribit cap. 8 Fremonius, cum annum integrum in Muretensi eremo exegisset S. Stephanus, unum aliquem in illius se disciplinam tradidisse, deinde alterum, longe post plures eorum exemplum secutos.*

## CAPUT V.

### *S. Stephani miracula, monita, mortis memoria.*

Frequenter etiam, cum discipulorum suorum poscebat infirmitas, ne in hoc mari magno et spatioso hujus mundi fluctibus submergerentur, suis eos orationibus adjuvabat. Erant enim preces ejus tantæ virtutis apud Deum, quod ipso cooperante ab ipsis dæmonum faucibus et pravis machinationibus homines

*precibus multos periculo eripit:*

A nes capti poterant liberari. Quod ut manifestum sit, de pluribus miraculis, quæ per orationem ipsius, Dominus operari dignatus est, hic breviter duo narremus. Igitur miles quidam cujusdam criminis tenebatur reus, qui ad virum Dei accedens, quasi unus de stultis hominibus loquens ait : Obsecro te, serve Dei, noli pro me Dominum deprecari, quia quoddam peccatum, cui adhæreo, intantum diligo, quod nullatenus illud odire vel relinquere nolo : sed timeo mihi contingere, si pro me tua caritas exoraverit. Unde peto, ne mihi in hac parte subvenias. Tuis ergo orationibus aliis auxiliare, mihi minime. His dictis, stultus miles recessit. Quo audito fidelis athleta Christi caritatis incendio inflammatus, tristis remansit et anxius, ingressusque capitulum, reserato cum lacrymis sermone stulti militis, et ipso cum Fratribus orante pro eo sine intermissione ad Dominum, peccator rediit de jam dicta stultitia veniam postulans, et suæ iniquitati ex corde renuntians, orationum suffragia a dicto servo Dei vehementer petiit, ut sua iniquitate resurgere posset. In quo facto cognoscitur caritatem quantam habuit, qui donec errantem proximum ad viam veritatis reduxit, preces cum lacrymis Domino fundere non cessavit.

*militem pro eo invito orans, convertit :*

B 30 Est et aliud fidei ejus præclarissimum opus, huic non dissimile. Cum enim intimatum, Fratribus conquerentibus et dolentibus, viro sancto fuisset, quod homo quidam eorum familiaris, satis opulentus, victualia ipsis in eremum deferens, traditus a suo perfido *a* hospite duobus latronibus fuisset, qui eum in speluncis ligatum, ut se versus eos redimeret, tenebant; servus Christi Fratribus ait : Scio, cui manifestum est de homine ubi sit, et quomodo se habeat : verumtamen nudatis pedibus eamus in oratorium, et gloriosæ Virginis Matris Domini, in cujus obsequio homo captus est, imploremus auxilium. Nullus est carcer, nullusque est locus, de quo sine mora eum nobis reddere ipsa non possit. Et cum hoc factum ecce crastina die diluculo proditor hospes et duo latrones vinculis religati, cum homine, quem ceperant, soluto et libero, ad cellæ Mureti januam pulsantes adstiterunt : quos Frater janitor intuens, Patri spirituali, qui more solito eadem hora discipulos in Capitulo instruebat, secreto manifestavit. Sed Christi servus gaudium mentis vultu dissimulans, verbum Dei, quod inceperat, minime prætermisit; dans Fratribus exemplum, quod non in miraculis, sed in solo Deo gloriarentur. Et deinceps completo C sermone, fures et proditorem a vinculis, quibus erant religati, absolvit et tutos ac liberos abire permisit.

*captum a latronibus,* *a*

*ope Deiparæ implorata,*

*liberari imperat :*

31 Fuit exul spontaneus, exemplo Abrahæ, de terra et de cognatione sua egrediens B. Stephanus, in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in caritate perfectus, spem suam Deo committens, nihilque amori Dei præponens; temperamentum habens in prosperis, patientiam in adversis : a quo nemo pauperum vacuus recessit aliquando : illud jugiter mente replicans, quod Deus in Evangelio ait : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, et illud : Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis; quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum, et de Beato Job legitur : Janua ejus omni advenienti patebat. Et sic ipse cum Beato Job potuit libera voce clamare : Ostium meum viatori patuit. Erat pes claudorum, et oculus cæcorum, orphanorum pater, ac viduarum consolator. Illa vero quæ de ipsa parochia suscipiebat, pauperibus ejusdem parochiæ ubi habitabat, non extraneis impendebat, dicens : Nos in locum istorum pauperum venimus aliunde, eleemosynas debitas illis suscipientes : quas si possumus, oportet eisdem reddere.

*largiter subvenit pauperibus,*

Matt. 5, 7
Luc. 11, 41
Eccli. 3, 33

Job 31, 32

*præsertim accolis*

32 Sed post lectionem, in qua summopere vacabat, sciens quod lectione sensus augetur, et intellectus tribuitur; eo quod lectio docet quid caveatur; seminabat in plebem virtutis verba, fructu fidei redundantia, sufficienti sale discretionis condita, velut aromaticis, unguentis infusa; instando secundum Apostolum opportune et importune, arguendo, obsecrando et increpando, in omni patientia et doctrina, et more B. Joannis Baptistæ prædicantis in deserto, peccatores ad eum venientes de peccatis suis arguebat, ipsis adhibens dignas curationes sermonum, et verbi Dei salubre medicamentum ostendens contra vulnera insidiatoris malagma confessionis, cum autem videbat peccatorem trepidantem, eidem dicebat : Frater mi, ne terrearis; Deum vincere non potes, ut plus valeas peccare quam ipse dimittere. Certe Petrus Apostolus nondum fraudes diabolicas perfecte cogitaverat, cum Christum interrogavit, utrum fratri peccanti septies dimitteret. Sed Jesus multiplicavit veniam, non attendens discipuli ignorantiam.

D

AUCTORE GERALDO, EX MSS.

*omnes ad virtutem hortatur :*

33 Talia pœnitentibus dicebat : obstinatis et defendentibus se rigidus et asper erat, non discedens tamen a modestia; rigore utens in discussione justitiæ, et misericordia in definitione sententiæ; et indisciplinationes, et transgressiones discipulorum suorum a regula ejus recta, arguebat clementer, et tolerabat quantum debebat et oportebat patienter. Eratque in eo mira in cunctis operibus discretio, et immutabilis erga omnes dilectio, mœstos consolans, et agenda demonstrans, ad æternam vitam instanti studio subditos incitans; dicebat enim suis subditis multoties : Ideo debuistis relinquere possessa exterius, ut manifeste possitis videre quid estis interius, nullatenus hic remansuri, sed alibi moriendo transituri. Unde minus video, cur ampliora velitis cum qualiscumque victus suppetit. Paupertatem ergo diligite, de substantia vestra semper timorem habentes, ne in bonum valeatis expendere secundum Domini voluntatem. Sed de iis quæ non habetis, securi estis, quod de his rationem non reddetis.

E

*suorum errata corrigit :*

*paupertatem commendat.*

34 Sed hoc non evacuat spiritualem paupertatem, si quis illud desiderat, unde solummodo Deo serviat, et nemini paratus est propter eamdem opinionem injuriam facere. Jacob Patriarcha victus petiit necessaria, panes ad vescendum, et vestes ad induendum. Verumtamen quaslibet eleemosynas, etiam datas a pauperibus, nullatenus Christi servus respuebat. Imo commodius illas accipi debere iis verbis perhibebat, F cuilibet Fratrum dicens : Nonne vides de paupertate quid te instruit facere? Christum vult lucrari tecum, piissime tibi etiam suadendo, quod ulnas extendit, in eleemosynas dando, mercedem proculdubio spectat ab alio. Munus igitur illius congaudenter accipe; confestimque, si potes, abundantius ei retribue; monens ut laudet Deum, ex eo quod patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit.

*Eleemosynæ, ut accipiendæ.*

35 Ipse etiam ex omnibus, quæ egisset bonis nihil meritis suis tribuebat, nihilque in viribus suis unquam præsumebat; sed omne opus suum, ad Deum semper conferens, in cunctis actibus ejus auxilium implorabat, exemplumque salutare ex sua bona conversatione donabat, forma gregis factus ex animo, sciens quod non est laude dignum quod docet quis, nisi dictis facta conjunxerit; sed potius si quod docet facit, ei gloriosius habetur. Ideo fuit Deo et hominibus amabilis Pater, quæ docebat agens, et quæ agebat docens, nec aliud ore promens, aliud corde volvens; sed quod ore docebat, opere contrahebat, exemplo Apostoli qui ait, Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Summa quoque bonitate subditos

*exemplo aliis prælucet :*

1 Cor. 9, 27

*AUCTORE GERALDO, EX MSS.*

subditos regebat, et summa severitate seipsum domabat.

36 Insuper itaque sanctitatis recitato proposito S. Stephanus perseverans præbuit se futurum vas electionis, utile Deo ad omne opus bonum paratum. Et in omni sua conversatione, quasi Lucifer inter astra refulgens rutilabat specie, robustus virtute, sic in se exercebat, quasi semper inciperet, et sic se præbebat, quasi quotidie moriturum. Semper enim ante oculos ejus dies ultimus versabatur, semperque mens ejus cœlestia meditabatur, pericula aliena in se pertimescebat, aliorumque casus, suos esse judicabat, finem vitæ suæ semper considerabat, vigiliis, orationibus, suspiriis, gemitibus, lacrymis, genuflexionibus, jejuniis, eleemosynis vacans, studiose vita spirituali et doctrina salutari florebat et redolebat, pennis contemplationis sanctæ frequenter sursum volabat, ardentique desiderio in cœlis habitabat: hostem præterea invisibilem orationibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore, non gladio, orationibus, non telo. Cunctis autem diebus, cunctisque horis diei flagitabat præsidium, ut dignus post hujus mundi lucem venire posset ad bravium. Non enim poterat in eo invenire humani generis inimicus quod fraude deciperet, aut simulatione fuscaret: nam quidquid bonorum in principio arripuit, usque ad finem vitæ nullis negotiis passus est implicari, sed integrum et sanum propositum servans, in nullo cœptam regulam commutavit. Crucem Dominicam mente et corpore bajulans. Unum sollicitus erat, omnino peccatores ad viam veritatis reducere, omnibus volens proficere, et nulli nocere. Studebat se vas sanctificatum exhibere, ut habitatorem Dominum in mentis suæ hospitio posset habere, et post eum in odore unguentorum ejus currere; finitoque ejus vitæ agone ante ipsius faciem apparere. Eia igitur, dilectissimi, devotissime supplicemus, ut ex imitatione et precibus tanti Patris det nobis proficere taliter, quod suæ perpetuæ felicitatis mereamur participes esse.

*semper memor mortis,*

*et ad eam se parans,*

*resistens diabolo.*

*constans in bono.*

a In vico Bonneo, *inquit Frecumus, additque captivum ductum in vallem intra densos saltus Vigennæ amni vicinos, ac diu quæsitum S. Stephani jussu ubi eum liberum adesse janitor Sancto nuntiavit, lectionem spiritualem, quam tunc ad suos habebat, primum absolvisse, dein ad januam abisse. Alius, inquit idem auctor, equum panibus onustum ad monasterium ducens, in latrones quoque incidit, quos monuit ne ea diriperent, quæ viro sancto ejusque discipulis mittebantur. Ex pluribus ii dicta, qui se assererent biduo nil comedisse. At panes non potuere vel gladiis secare, nedum manibus diffringere. Delictum agnoscunt, cujus ut a Sancto veniam exorent perduci se ad eum postulant. Ille subridens, panem levissimo conatu frangit, atque eos monet ut ab infami ea vitæ ratione desistant, ac honesto opificio discant vitam tolerare.*

*Annonam et missam diripientes prodigio puniti.*

## TRANSLATIO S. STEPHANI.

Dato corpore sanctissimi Stephani sepulturæ, Fratres de conventu suo unum, Petrum scilicet Lemovicanum, in Priorem et spiritualem Patrem sibi concorditer elegerunt. Hic *a* prius in sæculo venerabilis Sacerdos, postmodum in Religione paternæ traditionis et voti, quod fecerat, æmulator existens, Deo et hominibus carus et amabilis fuit. Sub cujus regimine, grege Dominico in augmentum proficiente, *b* locum de Mureto, in quo Fratres serviebant, diuque cum sanctissimo Patre suo servierant, monachi vici de Ambasaco, abbatiæ S. Augustini de Lemovicis, calumniari cœperunt. Sed qui potius auferenti tunicam, pallium volebant dimittere, quam unde ad placita et litigandi consuetudinem traherentur habere, locum alium vigilanter perquirere curaverunt, ubi caput Religionis suæ convenienter constituerent, Deoque sincere, libere, et quiete servire possent.

*Sub 2 Priore Petro, viro sancto,*

*infestati ab aliis monachis Grandimontenses,*

*locum alium perquirunt*

2 Locis itaque diversis a Fratribus sedulo peragratis, nullo tamen idoneo reperto, tandem divinitus illuminati, salubre consilium omnes unanimiter inierunt; ut Prior scilicet cum omni humilitate ac devotione Missam celebraret, et cum Fratribus universis affectu præcordiali supplicaret Domino, ut clementer eis consuleret, et quod postulabat, indicare non differret. O mira Dei clementia, et perenni memoriæ commendanda! Potuit fortasse livor Dei servis moliri calumniam; sed unde eos comprimere voluit, inde amplius dilatavit. Nam immensa et ineffabilis supernæ dispensationis providentia locum latiorem, et ad observantiam religiosæ conversationis et situ et nomine magis idoneum eis a constitutione mundi paraverat: cujus loci nomen etiam per divinam vocem audire meruerunt. Priore namque, sicut condictum erat, Missam celebrante, cum Agnus Dei ter cantatum fuisset, et tam ipse quam omnes alii Fratres ardentissime Dominum exorarent; quædam cœlestis vox audita est, dicens: *c* In Grandimonte, In Grandimonte, In Grandimonte. Hanc sane beatissimam vocem Prior et nonnulli de Fratribus audierunt. Finita vero Missa, quæsivit Prior a Fratribus, si cœlicam audierant vocem? Et cum unus eorum confestim diceret; Ego audivi eam ter dicentem, In Gradimonte; et alii similiter, cuncti affluenter lætati sunt et consolati ac confortati, vehementer divinæ pietatis largitorem propter gloriosam revelationis felicitatem mirari et laudare studuerunt. Et quia in Grandimonte adversus Principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, milites Christi ne perderent cœlestia, semper erant pugnaturi, merito ibi auditum est nomen ejus, ubi victoria, quam de antiquo humani generis hoste Christus habuit, quotidie celebratur.

*orantibus simul in Missa,*

*c voce cœlesti indicatur Grandis-mons*

3 Pergentes igitur ad locum Divina revelatione compertum *d* satis Mureto vicinum, ecclesiam et domos ad habitandum, jussione Domini, cujus erat, omni festinatione fecerunt. Quibus vili schemate utcumque factis, reversi sunt Muretum, ubi nonnulli de Fratribus remanserant: et accipientes sanctissimi Patris gloriosum corpus, transtulerunt illud in Grandimonte, paucisque scientibus recondiderunt subtus presbyterium ante altare *e*.

*d eo migrant cum S. Stephani corpore*

*e id postea translatum 28 Junii*

4 Tempore vero Domini Bernardi quinti Prioris Grandimontis, coadunato in Grandimonte capitulo generali, celebrata est *f* Translatio corporis beatissimi Stephani, sequenti die Nativitatis Præcursoris ac præconis Domini Salvatoris: ubi interfuit Frater quidam Guillelmus nomine, qui nimia surditate ambarum aurium afflictione confundebatur anxie. Qui cum audisset Sanctum Dei a supradicto Priore et ab omni conventu a claustro in ecclesiam deferri, accessit velociter ad sarcophagum, ubi *g* sotulares S. Stephani adinvenit: accipiensque eos, cœpit mittere digitos infra sotulares, et exinde extrahere quodcumque invenire poterat, et in aures suas transferebat. Cumque ita plenus bona fide ac spe diutius fecisset; auditum, quem amiserat, veraciter recuperavit.

*f*

*g surdus per ejus calceos sanatus*

5 Pannus etiam, quo sanctæ ejus reliquiæ ossium involutæ fuerunt, a Sacerdote, qui decentiori panno eas involverat, semel et iterum atque iterum projectus in ignem, comburi non potuit. Et nihilominus quidam S. Stephani discipulus, qui lumen amiserat oculorum, prostratus et orans ad ejus sepulchrum, pristinum recuperavit visum.

*pannus, quo involutæ reliquiæ, comburi nequit*

6 Cum *h* Remundus de Plantadio miles morbo paralytico corporis sui medietatem amisisset, ad Grandimontem se deferri fecit: et a quodam filio suo ex uno latere, a Priore secundo Grandimontis ex altero, totus fere portatus ad ecclesiam, postquam super lapidem, sub quo ante altare S. Stephani corpus sepultum erat, pedes suos tenuit, libera voce exclamans ait: Sinite me, nolite me juvare; ego enim in hoc loco, in quo pedes teneo, modo sanus factus sum. Dico autem vobis, quod hic jacet Sanctus

*h cæcus ad eas recepit visum*

*paralyticus sanatus.*

A tus aliquis tumulatus, pro cujus amore et meritis mihi Deus contulit sanitatem.

a *Fremonus cap. 22 ait 60 annorum fuisse, ex quibus 30 in religione egerat.* — b *Idem cap. 23 Ambazacenses monachos ait conspecto concursu populi ad S. Stephani venerandum sepulchrum, invidere ejus discipulis cœpisse, deque eorum sanctitatis opinione detrahere, et per rusticos Ambazacenses turbare eorum quietem. Potius videntur locum ipsum sibi vindicare voluisse: unde mox dicuntur Murelenses noluisse habere*, unde ad placita et litigandi consuetudinem traherentur. — c *MS habebat constanter*, In Grandimonte; *ex incuria amanuensis ut opinor.* — d *Leuca unica distat, inquit Fremon.* — e *Tradit idem, isthic repertum vetus sacellum, S. Bartholomæo sacrum, aut certe tunc ædificatum.* — f *Scribit Fremonus, suasisse Bernardum Priorem Generalem an. 1167, ut quo die in Grandem-montem translatæ primum S. Stephani reliquiæ essent, eo solennis ageretur per annos singulos memoria illius Translationis, et stabilitæ in Grandimonte habitationis.* — g Sotulares *calcei sunt. Ita 4 Janu. in Vita B. Rogerii Ab. Ellantii cap. 7 num.* 12: Sotulares nihilhominus tamdiu frequenter portabat foratos, donec stramen per soleas exiret. *11 Januarii in Vita S. Eginini Ep. cap. 4 num. 19:* Pulverem de domo sua sumpsit, et sotulares implevit, ut tute jurare posset, quod super terram suam staret. 8 *Jan. in 2 Vita S. Gudilæ Virg. cap. 2 num.* 8 subtalares *dicuntur. Quæ vox magis probatur Gerardo Joanni Vossio lib.* 3 *de variis glossematibus cap.* 31, *ubi hæc affert ex nostro opere exempla.* — h *Fremondus* Raymond de Plantat *Gallice vocat. Sed contigisse hoc miraculum post paullo quam Mureto translatæ erant Sancti reliquiæ, itidem ut duo præcedentia: quare veritum Petrum secundum Priorem, ne populorum concursu quies religiosorum turbaretur, supplicasse Sancto ut a miraculis faciendis desisteret; et nulla amplius facta, quoad is vixit.*

Sotulares.

## RELEVATIO S. STEPHANI.

B

*S. Stephani elevatio et canonizatio petitur a Clemente 3*

Cum ordo Grandimontis diu post transitum beatissimi Stephani Confessoris Christi, Divina largiente gratia, religione ac sanctitate populis multiplicatus, in magna pace, caritate et honore, prosperitate non modica persisteret, *a* Girardus vii Prior Grandimontis, habito consilio cum ducentis et xx Cleris, ac lx Fratribus conversis, ad electionem dicti Prioris in Grandimonte congregatis, pro relevatione B. Stephani Confessoris, duos Fratres *b* cum litteris Prælatorum multorum et Principum a *c* Clemente Papa iii obtinenda transmisit.

2 Qui Clemens, visis litteris tantorum Prælatorum et Principum, negotium relevationis dicti Sancti, Deo disponente, fideliter adimplere curavit, credens quod si suo tempore tale ac tantum opus perficere posset, magnum præmium apud Deum meritis B. Stephani perenniter obtineret. Habitoque cum sacri sui collegii Fratribus consilio, ad relevationem dicti S. Stephani præfatus Clemens Papa iii hoc modo processit: Cum bonæ memoriæ prædecessor noster Urbanus, audita fama religionis, et vitæ commendabilis puritate, qua sanctæ recordationis Stephanus, ordinis Gradimontis institutor enituit, tantis etiam

*qui, secundum inquisitionem miraculorum antea factam,*

C miraculorum testimoniis omnipotens Deus, ipsius voluit mundo merita declarare, Legatis, quos ad partes Gallicanas direxit pro quibusdam Ecclesiæ negotiis tractandis, plenam circa hæc investigationem committere voluit, ut et ipsorum cæterorumque vivorum, quibus sine dubitatione fides est adhibenda, testimonio, ad id agendum procederet, quod et fidelium commodis, et ejusdem sancti viri honori, qui hactenus velut in sterquilinio gemma latuerat, congruere videretur; Nos etiam testimonio carissimi in Christo filii nostri *d* Henrici illustris Anglorum Regis, nec non venerabilium Fratrum nostrorum Cardinalium, et aliorum multorum Episcoporum, plenius instructi de vita, meritis, et conversatione, qua sæpedictus vir sanctus asseritur floruisse, et quod eum multis miraculorum indiciis divina voluerit pietas illustrare, hujusmodi executionem dilecti filii nostri *e* Joannis tituli S. Marci Presbyteri Cardinalis et Apostolicæ Sedis Legati duximus arbitrio committendam, per Apostolica illi scripta mandantes, ut ad Grandimontem accedens, ipsum inter Sanctos, auctoritate, qua fungimur, nos denuntiet adscripsisse, deinceps in Sanctorum catalogo numerandum, et per ipsius merita Redemptoris suffragia decrevisse cum reliquorum interventionibus postulanda.

*rogante Rege Angliæ,*

*legitime Sanctum declarat*

3 Convocatis igitur a dicto Legato apud Grandimontem cum dicto Legato multis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus quoque et viris religiosis, ac plebe innumerabili, corpus beatissimi Stephani Confessoris a loco, ubi humatum subtus presbyterium ante altare jacebat, cum digno honore elevatum extitit, populo præcedente et subsequente cum hymnis et laudibus deducitur, et super altare ecclesiæ Grandimontis B. Mariæ Virginis honorifice collocatur. Cum igitur Bituricensis Archiepiscopus præcepto dicti Domini Legati Missam in honore præfati S. Stephani Confessoris devote celebraret; puer quidam, qui ex utero matris suæ claudus et mutus ac manibus aridus extiterat, Dei virtute et meritis S. Stephani loqui et ambulare cœpit, manusque suas ad libitum movere.

D

AUCTORE GERALDO, EX MSS.

*corpus ejus elevatur.*

*sanatur tunc ibi claudus et mutus:*

4 Post quem adolescens vesicam habens in collo tantam, quod faciem suam aliquorsum, nisi simul cum toto corpore, divertere, nec sursum aspicere valebat, quia mentum ejus conglutinatum et conjunctum cum pectore permanebat, meritis ejusdem Sancti ante Missam sanatus fuit omnino a vesica prædicta. Et puella quædam manum dexteram curvam et aridam ab utero matris suæ habens, cum ceteris in Grandimonte adveniens, dum oraret, manum, quam prius aridam et curvam habebat, Dei virtute et meritis S. Stephani, et ad signandum se extensam et erectam habuit, digitisque ab invicem disjunctis. Et quidam nomine Stephanus, vici S. Hilarii juxta Beneventi cœnobium, qui cæcus a nativitate extiterat, unicus filius matris suæ viduæ pauperrimæ, orando ad sepulchrum ipsius S. Stephani visum recepit.

*tumore colli constrictus:*

*aridam habens manum*

E

*alius cæcus:*

5 Ad quæ miracula repletur clamoribus ecclesia, mirantur atque extolluntur Dei magnalia, videntur atque laudantur B. Stephani merita. Inter alia siquidem innumera miracula, quibus divina pietas voluit B. Stephanum illustrare, accidit quod, dum ecclesia Grandimontis ædificabatur, lapis magnus in altum delatus, corruens obvium habuit Geraldum magistrum operis, quem graviter collisum occidit. Qui quidem Geraldus, ad preces flebiles Domini Stephani de Lissiaco quarti Grandimontis Prioris et Fratrum ad sepulchrum S. Stephani orantium, vitæ pristinæ redditus fuit *g*.

*mortuus S. Stephani meritis suscitatur:*

6 Et cum homo quidam territorii Pictaviensis cum uxore sua, Petronilla nomine, in festo ipsius Sancti ad Fratres *h* de Boscoaloni veniret; ejusque uxor de jumento casu pedem incaute ponente cadens expirasset; dicto homine cum lacrymis clamante, Sancte Dei Stephane adjuva me; nunc appareat bonitas tua in reddenda mihi uxore mea; Divino nutu ipsa respondit: Heu mi Domine, numquid pro me anxius fuisti? Certe bene eram; multo melius extiteram. Tunc vir exultans levavit illam super jumentum, et cum gaudio quo tendebant pervenerunt.

*item alia:*

F

7 Insuper miles quidam territorii Lemovicensis, morbo ignis infernalis pede invasus, veniens ad ipsius sancti viri tumulum, per manus suorum deportatus, orans et lavans lapidem aqua, sub quo corpus dicti S. Stephani sepultum erat; et eamdem aquam infundens ulceri, confestim extinctionem ignis, curationemque pedis ac mitigationem doloris obtinuit.

*alius ab igne sacro curatus*

8 Nec non et homo quidam, nomine *i* Reginaldus ejusdem territorii Lemovicensis de visitatione domorum Grandimontis, Mureti, et de *k* Plantia ad villam rediens, videns illam villam, in qua manebat, subito accendi; rogando Deum, ut per merita servi Dei Stephani ab ignivomis domum suam, cum omni sua supellectile liberaret; obtinuit quod ille ignis domum suam nec etiam festucam unam lædere fuit ausus.

*incendium repressum*

9 Ecquid dicam? Adducuntur ad ejusdem Sancti tumulum cæci et illuminantur, claudi et curantur, muti et sanantur, dæmoniaci et liberantur, amentes et mutantur, ægri et sanantur, mortui et suscitantur, surdi

*plurima alia facta miracula.*

EX CAR. FREMON. surdi et adjuvantur: de quorum multitudine miraculorum pauca dicta sint, ne verborum prolixitas vel audientibus sit onerosa.

a *Fremonus* Gerardum *vocat*, Geraldum *Officium Ordinis*. — b Conversos *ait idem Fremonus, sive Laicos*. — c *Clemens* 3 *sedit a* 6 *Jan.* 1188 *usque ad* 10 *April.* 1191. — d *Hic erat Henricus* 2, *qui obiit an.* 1189 6 *Julii, cum regnasset annos* 34. — e *Erat is patria Anagninus, ex Comitibus Signiæ, ab Adriano* 4 *creatus Cardinalis an.* 1158. — f *Prior hunc deinceps alium teste Fremono et alium itidem visu donatum Vicecomitis Lemovicensis. Senex quidam ex vico Ambazaco, eodem tempore, ante tamen adventum Legati Apostolici, orans in æde Grandimontensi, efformato a Priore signo sanctæ Crucis, illico visum recepit.* — g *Eo quoque tempore, cum ingens arboris truncus, ut secari serra posset, moveretur, impetu devolutus Joannem monachum oppressit. S. Stephanum subito invocat Stephanus Abbas qui aderat, ac mox incolumis exurgit Joannes.* — h *Interpretatur Fremonus,* domum de bois d'Aulonne, *quam ait in Pictonibus sitam.* — i *Girardum vocat Fremon.* — k *Idem* Ploigne *interpretatur.*

*cæci 3 illuminati.* *quidam mortis periculo ereptus.* NOT. 10 NOT. 11

# MIRACULA S. STEPHANI,

## *ex Vita Gallica per Car. Fremon.*

J. B.

*Lubet aliqua hic, a Carolo Fremono edita, S. Stephani miracula exponere, haud ulla tamen certa serie nexa invicem, sed carptim collecta.*

*Geraldus quidam, propinqui vici incola, Muretum venit, Sanctoque retulit, uxorem sibi domi infirmam esse, nec suppetere quo se aut eam alat, qui dies noctesque assistere illi debeat, adeoque nil agere operis amplius possit: quare deserendam eam sibi, si vivere ipse velit. Miseratus hominem Stephanus, monet ne relinquat, contrarium olim pollicitus cum matrimonium iniit: spem collocet in Dei auxilio, qui neminem destituit: simul panem ei largitur, nummumque argenteum, et spondet eo et uxorem et familiam ejus omnem sufficienter sustentatum iri. Redit hilaris domum Geraldus, dumque uxori quid a Stephano acceperit monstrat, ita multiplicantur in manu ejus nummi, ut retinere omnes manu non valeret, sed multi in terram deciderent. Neque ei illum pecunia defecit, quoad in vivis uxor fuit. Ipse exinde Geraldus et Stephano gratias egit, et illa ex pecunia divinitus aucta nummos Mureti obtulit: qui diu in miraculi memoriam accurate servati sunt.*

*Pecunia a S. Stephano accepta multiplicatur*

2 *Bosa, vir nobilis, Mureti benedictum die Cœnæ Domini panem poposcit: quem a S. Stephano sibi oblatum reverentissime asservavit: ac postea ex eo ægris particulas largitus est, qui omnes restituti sunt sanitati. Quæ ille miracula late vulgavit. Viget etiamnum ea consuetudo, ut in Grandimontensi aliisque Ordinis monasteriis eo die panes benedicantur, in subsidium inopum atque infirmorum, quos alii multi certatim expetunt.*

*morbi curati accepto ab eo pane, qui in Cœna Domini benedictus*

3 *Postquam Translationis S. Stephani anniversaria instituta anno MCLXXXVII celebritas erat, plurima variis locis evenere miracula. Cum in Senonum metropoli ingens ortum incendium esset, ac plurimæ jam domus in cineres redactæ; Genulphus quidam Matricis Ecclesiæ Canonicus, S. Stephani admodum studiosus, ut qui jam ejus Ordini cœnobium de suis facultatibus ædificarat; in domum suam se inclusit, nec ullis amicorum famulorumque precibus perpelli potuit ut egrederetur, dicens se probaturum, quam expediat, Ordini Grandimontensi Sanctique Stephani venerationi addictum esse; planeque confidere ejus tutela servatum iri ædes suas. Ita evenit; nam undique circum ædificiis incendio vastatis, nihil illæ incommodi pertulere.*

*ejus ope domus ab incendio servata.*

4 *Quo fere tempore Petronilla, ut supra in historia Revelationis num. 6 narratum, cum marito adiens ad Fratres Domus Boscoaloniis, ex jumento collapsa fractis cervicibus, ad vitam S. Stephani auxilio revocata; alia quædam apud Lemovices matrona, apprime studiosa Fratrum Podii-Giberti, quæ multas in eos eleemosynas erogabat, morbo correpta, cum se vi ejus sensim tendere ad extrema sentiret, filium rogat ut se sacramentis muniendam curet. Advocat puer Sacerdotem, sed domum reversus, matrem reperit mortuam: mœrens ergo noctem totam in precibus exegit. Diluculo dum ad stratum matris accedit, vivam invenit, petentem identidem ne se absque Sacramentorum præsidio mori patiatur. Evocatur denuo Sacerdos, tribuit ei Sacramenta: illa post paullo pie et quiete moritur.*

*mortua suscitata, ut Sacramenta suscipiat*

5 *E Gasconia vir nobilis captus conjectusque in carcerem ab Guilielmo Gordono, ad petendum S. Stephani auxilium, cujus erat assiduus cultor, se vertit: noctes aliquot in precibus exigit. Adest illi nocte quadam Sanctus, vinculis eum solvit, jubet per fenestram in fossas arcis desilire: inde ad Dordoniam amnem ducit, in scapha illic forte reperta locat. Ea ille amnem trajicit ad Vessieri cœnobium venit, dum preces matutinæ concinerentur: his absolutis, prodigium exponit, utque secum Deo et sancto Patri suo gratias agant invitat.*

*captivus liberatus, Sancto apparente.*

6 *Quo tempore S. Stephani celebrata canonizatio, instituta quoque per cœnobii porticum sive claustrum supplicatio est: in qua vir nobilis cum aliis feretrum bajulans, quo conditæ reliquiæ erant, Sancti ope implorata, febri quartana, qua dudum laborarat, liberatus est.*

*quartana sanata,*

7 *Exciti fama miraculorum Normanni quidam, ab Rupe S. Amatoris in Cadurcis, ubi Deiparæ Virginis celebris religione ædes est, redeuntes, ad Grandem-montem diverterunt, et Sanctum veneraturi et sacras illas apotheoseos cæremonias spectaturi. Erat inter eos mulier, cui soluta dudum paralysi manus, simul locum ubi reliquiæ erant tetigit, pristino restituta vigori est.*

*paralysis:*

8 *Eodem tempore pueri duo, gressum alter, alter visum, recepere: visum puella, quo annos octo caruerat: alii item, cui inter precandum cunctis videntibus deciderunt squamæ ab oculis, antea crystalli instar duris. Puer quoque hectica confectus tabe, perfecte convaluit. Mulier e vico Montgaio Joanna Burgeola filium ad Divi tumbam adduxit mancum, ac facie ad horrorem fœda, dentibus maxillisque ita distortis, ut nec mandere cibum, nec loqui apte posset: quæ omnia corporis vitia, ad matris preces, Divi ope correcta.*

*illuminati 3, claudus sanatus, hecticus, mancus ac distortus,*

9 *Pauper vici Ambasaci incola filium habebat ita a nativitate captum usu tibiarum, ut serperet potius quam incederet. Hortantibus propinquis venit cum eo ad Grandem-montem, haud satis tamen firma fiducia: quare ubi biduum triduumve illic cassis precibus exegerat, domum revertit. Objurgavere eum vicini, quod tam levi momento spem abjecisset, dictisque perpulere ut illuc reduceret filium. Paruit ille quidem in speciem, sed clam secedens puerum in media populi turba destituit, haudquaquam sanatum iri confidens. Sed præter illius spem evenit. Identidem S. Stephanum, uti docebatur a prætereuntibus, invocabat puer; qui mox firmissimum adeptus incessum est, universo spectante populo.*

*puer tibiis captus, patre licet diffidente.*

10 *Demens quidam a matre illuc adductus, tertio die usum rationis recuperavit. Adolescens languore immedicabili annum integrum lecto fuerat affixus: inaudiit de S. Stephani miraculis: eo se vehi postulavit, preces fudit, confestimque viribus restitutus est. Lemovix quidam adolescens, Stephanus nomine, qui ab ipso ortu destitutus erat, usum tibiarum ad S. Stephani tumulum obtinuit: quæ res ita jucunda parentibus accidit, ut eum Deo per omnem vitam in eodem ordine serviturum ultro devoverent.*

*amens, languens, tibiis captus*

11 *In eadem urbe Lemovicum ipso tempore mortuum patrem duorum filiorum preces ad S. Stephanum fusæ in vitam revocarunt, atque hi in miraculi tanti argumentum sindonem a patre missam in Grandimonte obtulere. Alia cereum attulit filii magnitudine, cui jam animam agenti, Sancto factum ab ipsa votum, salutem attulerat. Idem alteri puero Solignaci contigit ad parentum preces. Lemovici clauda puella neque ire ad Grandem-montem viribus defecta poterat, neque habebat sumptum ut se eo devehi curaret: spe magna Sanctum domi suæ invocat, atque illico sanatur.*

*mortuus suscitatus, moribundi 2 sanati, claudus*

12 *Avus illius pueri quem in Grandimonte Missæ tempore sanatum supra num. 4 in historia Revelationis diximus, importuna surditate tenebatur: filium ergo, ejusdem*

A *ejusdem pueri matrem, jubet nudis pedibus ad Sancti tumulum ire, sibique auditum exorare. Paret filia, ac domum reversa matrem omnino incolumem invenit.*

*surda,*

13 *Post octavam a canonizationis celebritate diem, cum hominum ad veneranđas Divi reliquias ingens adhuc esset affluxus, ipso Deiparæ nativitatis die quinque illic facta miracula memorantur. Quidam eo tunc quoque venit, prædicans ingenti se debilitate, qua anno amplius affixus ita strato fuerat, ut neque pedem neque manum movere valeret, liberatum, simul ac venturum se ad Divi tumulum vovit. Die Exaltationis sanctæ Crucis adolescens annorum* XII, *ad easdem reliquias loquendi facultate, qua adhuc caruerat, donatus est.*

*quinque ægri, debilis, mutus,*

14 *Die S. Michaelis in oppido Esgletono, medio frequentis mercatus, qui tunc illic concelebrabatur, Andreas quidam ex eodem ortus oppido, subita oppressus ægritudine est, ita violenta, ut quam primum exhalaturus animam putaretur. Mente, quod verbis non poterat, S. Stephanum invocat, eique nuncupat vota: cum subito eum videt ad se venientem senili forma, candidioribus nive vestibus amictum, manu gestantem phialam aqua plenam, qua ægro corpus abluit, omnemque abstersit ægritudinem, ac tanta simul perfudit illius animum voluptate, ut sibi jam frui cæli deliciis videretur. Ita retulit cum ad Grandem-montem vota soluturus venisset.*

*moribundus, ab eo apparente aqua adspersus,*

B *Quemdam adolescentem ex vico Aureria, jam triduo angina fatalis occuparat, ut jam nec loqui posset, nec comedere, vix etiam ducere spiritum. Votum S. Stephano pro filii incolumitate facit vidua mater, eodem S. Michaelis die. Adest illico S. Stephanus peregrini habitu, sociis duobus comitatus, ac tribus digitis ægri guttur contingit, sanumque reddit, hærentibus in ejus collo digitorum vestigiis, quæ facile dederit religiosi videre.*

*alius ab eo apparente liberatus angina*

15 *Eodem tempore viri nobiles duo, quorum alteri, ex oppido S. Juniani prope Lemovicum oriundo, nomen Petrus erat, alteri Iterius cognomen, Geraldi Iterii Grandimontensis Prioris consanguineo ab Gerardo quodam, qui omnem regionem crudeli latrocinio populabatur, capti sunt, et catenis vincti in tetro ergastulo duos menses habiti: qui tandem cælesti instinctu admoniti, opem Divinam per sanctæ Crucis particulam, quæ in Grandimonte asservabatur, perque S. Stephani merita implorarunt. Prece concepta, Iterii ceciderunt in terram catenæ, alterius ita laxatæ sunt, ut egredi cum iis posset; nam simul et patefactæ divinitus sunt fores. Venerunt ergo in Domum quamdam Ordinis, Castanellam dictum, unde triduo post ducti ab Religiosis sunt ad Grandem-montem, ubi ante S. Stephani tumulum alterius appensæ catenæ, diu spectaculo peregrinis eo venientibus fuere. Idem Iterius gravi morbo ad extrema deductus, cum astantes patrocinium S. Stephani invocassent, illico morbo morbique vestigiis omnibus caruit.*

*captivi duo liberati*

*alter eorum postea moribundus*

C

16 *Eodem anno quidam, cum fratre suo Abbate Solignacensi ad Grandem-montem venit, gratias acturus S. Stephano, cujus ope erat febri quartana liberatus. Advenere et alii, qui gratias agerent, missi a Domina S. Baudelii in diœcesi Rutenensi, cujus filius per S. Stephanum difficili morbo erat liberatus. In Lodevensi Episcopatu mortuus puer in vitam est revocatus, simul ac parentes opem S. Stephani implorarunt: qui dein ceream statuam in quodam Ordinis ejusdem cœnobio ad S. Stephani honorem locarunt, magnitudine staturam pueri æquantem; eaque diu ad tantæ rei memoriam servata.* D

EX CAR. FREMON.

*quartana laborans, æger alius.*

17 *Calonus vici Boissiacensis, scelerata mente Cruces, a Fratribus Clusæ cœnobii, ad signandos saltus sui limites defixas, revellerat, combusseratque. Quare ulciscente Numine invasit eum cacodæmon, qui tamen liberatus est ad S. Stephani tumulum. Uxor Domini Rupisscissæ apud Rutenos jam deposita erat a medicis: maritum rogat, ut pro se S. Stephano nuncupet votum. Voto quam fieri potuit piissime concepto, apparet infirmæ Stephanus, turma haud parva stipatus sui Ordinis religiosorum, ejusque manu prehensa, Surge, inquit, non morieris: sensitque illa se penitus restitutam esse sanitati. Missa ad S. Stephani tumulum cerea mulieris statua, illius par staturæ, diu illic asservata.*

*sacrilegus a dæmone corripitur, liberatur a S. Stephano,*

*et alia morti propinqua*

18 *Grassabatur in confiniis Grandis-montis militum cohors, ab his captus Sacerdos pagi S. Salvatoris, atque Ambasacum ductus, multaque aspera perpessus, ut ad immodicum lytrum adigeretur. Hic ille S. Stephanum ita orat: Prope tuum captus sum sepulchrum, sancte Pater, ad quod ego tot fieri prodigia vidi; ne me nunc despicias, ac solum tuæ immunem opis esse sinas. Vix ea fatus, cernit fores domicilii, in quo erat, reseratas, solutas catenas; quas inde egrediens ad S. Stephani tumbam attulit.* E

*captivus liberatus*

19 *Bernardus erat quidam Domini Podii-Giberti in Cadurcis associatus, uti superius diximus laicos quosdam eorum familiares, atque domesticos, appellari. Cum hujus filius jam animam ageret, Sacerdos quidam pueri lustricus parens, atque alii qui aderant amici, patrem rogant, ut votum S. Stephano nuncupet, se preces conjuncturos. Id dum fit, exclamat puer: Quo abiit ductor meus? Quærentibus amicis quid sibi vellet, ait: Senex quidam manu mea apprehensa, Veni, inquiebat, ad S. Stephani tumulum, et convalesces, sed sequentem subito destituit. Nemini dubium fuit, quin is Stephanus fuisset, præsertim cum momento sanatus esset puer, qui deinde cum patre ad Grandem-montem venit, Sanctoque gratias egit.*

*moribundus*

20 *Habebat associatus quidam, sive familiaris Fratrum cœnobii Inter-fines, insignem domum Monti-Morillonio propinquam. Hanc undique cingebat ignis qui vicinas omnes corripuerat domos. Hic ille ad S. Stephani opem confugit, neque, ut ceteri, quidquam e domo sua exportat, sed, Sancte Pater, ait, justi quam fideliter tibi tuisque servivi: succurre igitur mihi, et domum serva, quæ non minus tua est tuorumque, quam mea. Ignis, universo fere redacto in cineres pago, ne stipulam quidem ad domum illam pertinentem attigit.*

*domus alia servata ab incendio.*

F

# DE B. ISAIA BONERO

## ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI, CASIMIRIÆ AD CRACOVIAM IN POLONIA,

G. H.

### Commentarius prævius.

VIII FEB.

*Casimiriæ ad Cracoviam,*

G*eminum visitur in Polonia minore oppidum* Casimiria, *utrumque ad Vistulam fluvium, alterum in Lublinensi Palatinatu, ab urbe Lublino septem leucis distans: alterum in Cracoviensi Palatinatu, ipsique Cracoviæ ita junctum, ut una cum illa urbs censeatur. Hujus Casimiriæ cum templis ac monasterio Augustiniano conditæ hanc occasionem refert Martinus Cromerus de origine et rebus gestis Polonorum lib.* 12 *in Casimiro* II, *cognomento Magno, ad an.* 1346. Nec illud, *inquit,* silentio prætereundum est, quod eodem anno apud Cracoviam accidit. Nam cum scelerati quidam homines sacrilega cupiditate adducti, sanctissimum corpus Christi cum ferculo suo, e templo omnium Sanctorum memoriæ dicato, suffurati

*ob miraculum Ven. Sacramenti.*

*AUCTORE J. G.*

A suffurati essent, atque id ferculum non aureum, ut crediderunt, sed æreum inauratum esse comperissent, apud Bobalum, sive Bavolum, pagum suburbanum, qui erat in ditione collegii basilicæ Cracoviensis, in cœnosam paludem id impie et irreverenter abjecerunt. Mox locus crebris ignibus atque faculis dies noctesque aliquot perpetes collustratus est. Id miraculum cum ad Episcopum perlatum esset, neque caussa tamen ejus pateret, post indictum triduanum jejunium, Episcopus eo cum solenni pompa Sacerdotum et supplicationibus profectus est, repertumque sanctissimum Corpus ingenti cum veneratione eo, unde sublatum erat, retulit. In eo vero loco, ubi id repertum est, Casimirus insequenti anno augustum templum titulo Corporis Christi de coctis lateribus ædificavit: successuque temporis peramplum spatium muro complexus, novum oppidum condidit et Casimiriam de suo nomine appellavit. In quo oppido monasterium etiam aliud excitavit sodalitati monachorum sive eremitarum Augustinensium. Mortuus est eodem anno, qui fuit post Christum natum CIↃCCCXLVII. Joannes Grothus Episcopus Cracoviensis. *Hæc Crommerus. Supervixit Casimirus Rex ad Nonas Novemb. anni* CIↃCCCLXX, *ante quem annum*

*a Casimiro Rege condita est,*

*cum monasterio Augustinianorum :*

B *monasterium Augustinianorum conditum est. Nicolaus Crusenius in Indice monasteriorum Ordinis Eremitarum S. Augustini ad calcem Monastici Augustiniani, extructum indicat conventum Casimiriensem anno* CIↃCCCXLVI : *quo contigit miraculum memoratum : at sequenti anno extructum est templum Corporis Christi. Thomas Herrera in Alphabeto Augustiniano fundatum scribit anno* CIↃCCCXLVIII : *sed oppidum ante conditum indicat Crommerus, quod similius vero est. Meminit et Casimiriæ tum conditæ Mathias de Machovia lib. 4 Chronicorum regni Poloniæ cap.* 21.

2 *Edita sunt Cracoviæ anno* CIↃIↃCXVII *Elogia Divorum Tutelarium diœcesis Cracoviensis, atque a Congregatione Assumptionis Deiparæ, apud Societatem Jesu istic instituta, dicata Martino Szyskowski Episcopo Cracoviensi. Inter hos Divos memoratur* B. Esaias Boner, Ordinis Eremitarum S. Augustini, sacræ Theologiæ Doctor, mortuus anno Domini CIↃCCCCLXXI die VIII mensis Februarii, Casimiriæ ad Cracoviam in templo SS. Catharinæ et Margaritæ Virginum et Martyrum sepultus. *Subjungitur poema elegiacum, quod hic omittimus. Damus vero hymnum vetustiorem de B. Esaia : nam Vita olim scripta incendio periit. Extat alia Vita a recentiori auctore ex majorum traditione collecta, et Cracoviæ apud Basilium Skalski anno*

*colitur istic B. Esaias Bonerus :*

*ejus Vita scripta.*

C CIↃIↃCX *excusa : quam contraxit Abrahamus Bzovius, ediditque tomo* 18 *Annal. Eccl. anno* 1471 *num.* 34 *hoc exordio* . Eodem anno in humanis esse desiit B. Isaias Boner Augustinianus S. T. Professor *etc. Bzovium secutus Simplicianus a S. Martino eamdem Vitam Gallice versam edidit par.* 4 *historiæ Augustinianæ cap.* 19, *ubi solum viris illustribus annumerat, et, quod mirum, seculo fere integro serius ait vixisse ad annum usque* CIↃIↃLXIII. *Melius in Alphabeto Augustiniano Herrera inter viros sanctitate præstantes recenset et cum Bzovio anno* CIↃCCCCLXXI *mortuum, appellatque* B. Isaiam Boner, *ejusque et alterius Esaiæ Lechi Acta conjungit, veritus, ne quæ alioquin unius sunt, alteri adscribantur. Fridericus Szembek noster, teste Philippo Alegambe in Bibliotheca Societatis Jesu, magnus promotor cultus Sanctorum, in procurandis sacris pignoribus et per diversa Poloniæ loca distribuendis, operam Serenissimis Regibus Sigismundo* III, *et Vladislao* IV *commodavit, ac varias Sanctorum ac Beatorum, qui in illis regionibus ad Cælites migrarunt, Vitas typis vulgavit. Is pro suo erga nostra studia affectu, varia nobis Sanctorum Acta submisit, interque ea Vitam B. Esaiæ istic excusam, sed nonnullis expunctis emendatam.*

3 *Verum scrupulus hæret, quod expuncti sint Vla-* D *dislaus et Hedwigis, Casimiri Magni parentes, quibus regnantibus Cracoviæ trudebatur natus B. Esaias : deletus item sit Ludovicus Hungariæ et Poloniæ Rex, ejusdem Casimiri successor, sub cujus regno legebatur e vita abiisse. Cœpit Vladislaus, cognomine Locticus, regnare anno* CIↃCCXCVI, *ast an.* CIↃCCC *expulsus, post quinquennium regnum recuperavit, tenuitque ad annum usque* CIↃCCCXXXIII. *Si ergo B. Esaias natus dicatur postquam regnum receperat Vladislaus, potuit jam tum, quando construebatur Casimiria, inter primos fuisse, qui monasterium illic Augustinianum ædificarunt : in quo tandem septuagenarius vitam sancte finierit sub Rege Ludovico, qui Casimiro anno* CIↃCCCLXXX *mortuo subrogatus, duodecim regnum utrumque administravit. Sunt hi characteres satis eximii, si in antiquis schedis credantur reperti, quibus expunctis, centum annis juniorem faciunt Bzovius aliique, et ducentis fere Simplicianus. Philippus Elsius in Encomiastico Augustiniano natum scribit an.* CIↃCCCLXXX, *mortuum an.* CIↃIↃLXXI, *ætatis suæ* XCI. *Quæ menda, opinor, a typographi incuria nata. Certiora forsan eruent Casimirienses, et qui eum domesticum istic Patronum colunt, Eremitæ Augustiniani.*

*quando vixerit B. Esaias?*

## HYMNUS DE B. ESAIA. E

Festiva lux, optata lux,
 Divi Esaiæ nomini
 Dicata splendescit, Polonia,
 Promamus ore gaudia.
Hic illecebras seculi
 Et blandimenta respuit,
 Christumque complexus Deum
 Toto ferebat pectore.
Carnisque motus incitos,
 Mirasque fraudes dæmonis,
 Somni cibique angustias
 Vincebat, o quam fortiter !
Precesque solvens debitas
 Ad altare almæ Virginis,
 Præbebat aures fervido,
 Humo relicta, spiritu.
Matremque adorans Virginem,
 Defuncta membra suscitat :
 Et plura sunt miracula
 Testata Esaiæ sanctimonia.
Tu nunc bravio perfruens
 Inter beatos Cælites F
 Sis, o benignus, sis parens,
 Nostros reatus deprecans.

# VITA

Cracoviæ excusa anno CIↃIↃCX.

## CAPUT I.

*Res a B. Esaia in vita gestæ.*

Beatus Esaias, gente Polonus, Confessor Christi dilectus... nobilibus imprimis et religiosis Ecclesiæ Catholicæ amantissimis parentibus Cracoviæ in platea Arcensi feliciter est natus, patre magnifico Domino Floriano Bonero, matre vero Bronislava Lanckoronska nobilissima fœmina, cum aliis virtutibus, tum pietate in Deum præstantissima. Hic postquam teneram illam et puerilem ætatem sub disciplina optimorum parentum egit, et eos annos attigit, qui studio litterarum sunt apti, sine ulla mora ad gremium academiæ Cracoviensis ex amantissimo parentum sensu translatus est : ut ea indoles, quæ præclarum et divinum quiddam portendebat, illa magistra suam maturitatem assequeretur, et uberes fructus ac fertiles Ecclesiæ Dei daret. Cujus in bonis litteris atque imprimis in divinis mirum fuit et indefessum

*B. Esaias natus Cracoviæ*

*excellit in studiis,*

A indefessum studium, admirabilis in apprehendendo celeritas, in explicando felicitas, in exponendo jugis et melliflua orationis copia : et cum ea cognitionis varietate et copia esset, maxime vero cum in divina scientia non mediocrem sibi peritiam comparasset, lauream Doctoratus in Theologia suscepit. *Doctor Theologiæ creatur* :

2 Quam dignitatem cum non fastus nec otii caussa sibi oblatam esse probe nosset, sed laboris et humilitatis; confestim animum in partes varias versare cœpit, secumque meditari, quo in loco, et qua vitæ conditione suscepta, in partem vineæ Dei Sabaoth excolendam veniret. *amplectitur institutum Eremitarum S. Augustini*, Erat tum temporis Casimiriæ Religio Fratrum Eremitarum S. Augustini in exercitiis pietatis et vitæ monasticæ austeritate sane laudabilis et perquam celebris. In hanc, magni animi cum demissione, spreto mundo et illecebris ejus, nomen suum dedit : in quo tam sancto instituto, magno spiritus et hominis interioris ardore, in mandatis Domini meditandis dies noctesque versabatur : quando illi nullus sermo, nulla cogitatio gratiosior et jucundior adferebatur, quam de illa beatitudine cœlestis patriæ. *piis exercitiis et pœnitentiæ deditus* : Mores vero ac vitam ad præscripta vitæ monasticæ ita conformabat, ut omnibus speculum et exemplum consummatum, et omnibus numeris absolutum esset. B Et quemadmodum vitis in fertili solo plantata, uberrimos fructus ferre consuevit; ita hic in fœcundissimam omnium virtutum Eremitarum religionem insertus, voto pietatis, jejuniorum afflictionibus, cubationis humi, vigiliarum, et aliarum piarum exercitationum afflictionibus perpetuis maximos fructus dabat. De quo illud divini Psalmistæ merito tum dici poterat : *Psal. 1* Erat tamquam lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabat in tempore suo.

3 Nec multo post delatum sibi munus, in auditorio Fratrum Divinæ Scripturæ sensus reconditos interpretandi, non invitus suscepit. *sacram Scripturam suis exponit* : Cujus in dicendo quanta contentio, quantus fervor! Quam non tam intellectum verorum subtilium pervestigatione tamquam pabulo reficiebat, quam ipsam voluntatem in amorem Christi rapiebat : dum verba illa ex ore suo, divini Spiritus flamma accenso, tamquam faculas in audientium animos spargeret : et modo oratione repeteret, quis primi parentis nostri lapsus fuerit, et quantas in calamitates universam illius progeniem conjecerit : et quomodo tanti facinoris supplicia ab homine removeri non poterant; nisi unigenitus Dei Filius ex sinu Patris missus, humanam carnem sus- C cepisset, nosque cum aliis sponte laboribus susceptis, tum Crucis trophæo, ab illis æternis suppliciis emancipasset. Quanta vero et animi contentione in memoriam iisdem in Christo Jesu dilectissimis Fratribus revocabat, ut vitæ suæ susceptæ recordarentur, ut castitatem, paupertatem et obedientiam, tamquam veræ professionis trigam, qua in cœlos ex hisce terrenis evolent, amplexarentur, ac studiose retinerent. *studium virtutum inculcat.* Et hoc tantumque studium erga Fratres in beato Patre Esaia elucebat.

4 Sed dum sic teneris Fratrum animis Divini verbi fluenta instillabat, ipse quoque tanto durior et severior in carne sua maceranda et cupiditatibus domandis erat, in eoque Divum Paulum Apostolum imitatus, corpus suum castigabat, et in servitutem redigebat, ne forte, cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur. *orationi jungit mortificationem* : Die noctuque genibus positis in oratione persistebat : animusque Divinarum contemplationum suavitate captus, et delinitus, parvam aut nullam corporis curam gerebat : jejunia illi suavissimus cibus erant. Tumque se vincendum sentiebat, cum nullis aut raris aut exiguis perturbationum fluctibus agitaretur : et ut fræno impetus equi comprimitur, ita ex setis equinis contexto sibi cilicio, carnis concupiscentiam, ne aliquando incautius erumperet, frænabat. D Nec tantum illi cum desideriis carnis colluctatio fuit, sed etiam cum potestatibus tenebrarum. *EX EDITA CRACOVIÆ. a dæmonibus vexatur* : Cum enim divino mentis fervore in Deum elevatus, aut preces funderet, aut meditabundus persisteret ; fœdissimorum spirituum aut horrendis vocibus percellebatur, aut verberibus concutiebatur. Nullibi autem tam ille frequens in orationibus, quam ante imaginem beatissimæ Virginis Mariæ, quam sua cura et piorum hominum impensis extruxerat. *invocans S. Mariam in aerem attollitur* : Et, si quando in preces et in spiritus fervorem effundebatur, magna claritate circumfusus, in aerem rapiebatur, quo in raptu carmen Ecclesiæ, AVE REGINA CŒLORUM, cantare audiebatur.

5 Eo tempore, quo beatus Pater Esaias vixit sanctitate vitæ admirabili... *nudis pedibus templa invisit* sæpe nudis pedibus, hyeme et frigoribus intensis temporibus, in templum veniebat, et si quando ob defatigationem somno corripiebatur, in terram se abjiciebat, et membra defessa quiete reficiebat. Totum tempus, quod illi ab officiis monasticis supererat, in divinis precibus et meditationibus consumebat : maxime vero pro his, qui mortalium peccatorum pondere depressi jacebant, supplex apud Deum erat. Fratribus autem suis languore aut aliqua infirmitate correptis, quæque omnia et minima obsequia cum magna alacritate præstabat. E Jucundissimum illi quoque fuit, aliquoties in hebdomada cum licentia Superioris, S. Stanislai Martyris, *Reliquias Sanctorum veneratur* S. Hedvigis in arce, S. Solomeæ Reginæ Poloniæ, et aliorum Sanctorum, quorum sancta corpora Cracoviæ tumulata sunt, sepulchra nudis pedibus visitare : illorum cineres et sanctissima ossa cum magna veneratione exosculari. Eadem opera divertebat ad domos pauperum, infirmorum ac mœstorum : eosdem ad patientiam excitabat, crebro suis sermonibus adhortans, felicem hanc molestiam, beatam ægritudinem esse, quæ illis æternis gaudiis compensabitur : eosdem ad pœnitentiam per salutarem confessionem expiando peccata hortabatur.

6 In eos vero, qui illius odio flagrabant, tanto amore fuit, ut sæpius ad illorum genua procumbens, *erga male in se affectos benevolus* ; veniam deprecaretur, manus ac pedes eorum exosculans, ac in eam orationem prorumpens : Ignosce, Frater, mihi peccatori, quia Deum meum ac te fratrem meum graviter offendi, votumque Regulæ S. Augustini Patris nostri sæpius ignorantia et negligentia mea fregi. Ignosce quæso mihi, Frater mi, et hanc noxam dimitte, quia te graviter offendi. Et in his innumeris et admirandis pietatis exercitiis dum B. Esaias versaretur, animum tamen et vitam F ad divinam contemplationem referebat. *scribit in Magistrum Sententiarum.* Cujus doctrinæ et ingenii luculentissimum testimonium præbent commentarii ejus acutissimi super quatuor libros Magistri sententiarum conscripti, et in lucem editi.

## CAPUT II.

### *Felix obitus B. Esaiæ. Miracula olim facta.*

Cum autem vir beatus Esaias, jam plane præsentis vitæ suæ pertæsus, ardenti desiderio ad Jesum Christum anhelaret, non in longum ejus desideria fidelissimus servis suis Dominus Deus distulit. *Visitatur a Deipara Virg.* Sed cum jam ægritudine correptus decumberet, beatissimam Virginem Mariam cum cœtu Angelorum ad se venientem conspexit, quæ pretium et salutem mundi, Christum Jesum puerulum in suis ulnis gestans, deferebat : *et Sanctis Poloniæ* hanc vero pone sequebatur comitatus sanctorum Patronorum regni Poloniæ, inter ceteros S. Stanislaus, S. Hyacinthus, S. Hedvigis, S. Salomæa, S. Kunegundis Reginæ Poloniæ : atque sic illi beata Virgo Maria hilari vultu et mellifluis verbis locuta est : Esaia, serve mi dilecte, paratus esto, jam possidere regnum Dei ab initio mundi a Deo omnibus Sanctis paratum.

8 Hæc

*EX EDITA CRACOVIÆ. munitur extremis Sacramentis.*

8 Hac tam cœlesti visione mirum in modum recreatus, tempus resolutionis suæ vitæ cum magno gaudio expectabat : convocatisque ad se Fratribus, illis omnibus sui diem obitus indicavit. Postea in terra prostratus, ac genibus flexis, peccatorum suorum confessionem fecit, et cum magna humilitate absolutionem petiit : et sanctissimo Eucharistiæ Corporis Christi Sacramento communitus, aliisque Sacramentis ex more Christiano receptis, gratias Deo omnipotenti pro universis beneficiis vitæ suæ fecit : et manu extensa, elevatis oculis in cœlum signo sanctæ Crucis Fratres muniens, ultima hæc verba locutus est : In Christo Jesu Fratres mei carissimi, feliciter hic diu, in pace Domini nostri Jesu Christi valete : cum hoc benedicat vos Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, patrum nostrorum : benedicat vos Pater et Filius et Spiritus sanctus : et det vobis suam sanctam pacem, timorem Dei, fraternam caritatem, sanctam patientiam, firmam obedientiam, fidem, spem, caritatem firmam, fraternam in sancta Religione conversationem ac sinceram devotionem ; posthac vero vitam illam sempiternam, in qua ævo sempiterno fruamini sine fine. Ad extremum singulos exosculans, elevatis in cœlum oculis et plaudens manibus, verba hæc dicens : In manus tuas, Domine Jesu Christe, fili Dei et Virginis Mariæ, commendo spiritum meum, ex hoc mortalitatis ergastulo solutus, ad cœlum lætus migravit die octavo mensis Februarii.... Corpus vero multis suorum cum lacrymis in ecclesia B. Catharinæ, et in sacello ejusdem Beatæ in ambitu Fratrum ecclesiæ, honorifice sepultum est. Et hæc est beati Patris Esaiæ Vita brevis : ea enim quæ a Fratrum manibus cum miraculis conscripta fuit, incendio una cum aliis libris periit.

*dat Fratribus benedictionem* *pie moritur : sepelitur.*

*Mortuum votis resuscitarat :*

9 Miracula vero, quæ illius vitæ sanctitatem testata sunt, aliqua tantum præcipua subjungimus. Quod Deus operatus est, per merita ejus, beati servi sui Esaiæ, nunc et semper operari non desinet. Cum adhuc vivus orationi vacaret ante imaginem beatissimæ Virginis Mariæ (quam ipse sua impensa in pariete in ambitu, devotionis suæ caussa, depingi curavit pulcherrime) gestantis puerum Jesum parvulum ; cujusdam viri, nomine Stanislai, civis Casimiriensis mortui cadaver inferebatur, ut humo traderetur cum luctu parentum, cui vitam et spiritum restituit, verbis illis ad beatam Virginem fusis : Monstra te esse matrem, Felix cœli porta, etc.

*sepulchrum ejus luce cœlesti illustratur :*

10 Tumulum ejus lux sæpius descendens suis illustrabat radiis, quam non raro noctu et matutino tempore devoti Fratres conspiciebant.

*ab eo impudicæ feminæ repelluntur,*

11 Anno Christi MDLXXIX mulieres impudicæ et mundi voluptatibus deditæ supra B. Esaiæ tumuli locum consistebant, vel pedibus calcabant, a quo sunt vi quadam repulsæ, ut prope ex animis decesserunt.

*lapis inde removeri nequit.*

12 Anno CIↃLXXIX, Aprilis decimo constituerant Fratres corpus Provincialis sui defuncti sepulturæ, quæ esset vicina tumulo B. Esaiæ mandare : sed cum longus et magnus labor fuisset susceptus in lapide monumenti revolvendo, irritumque esse conatum cum viderent, qui divinæ voluntati repugnarent, a proposito recesserunt.

## CAPUT III.

### *Miracula recentiora a B. Esaia patrata.*

*B. Esaiæ ope curantur epilepsia,*

Anno Domini CIↃIↃCII die VII Octobris, famatus Joachimus Foxius, civis Casimiriensis, a morbo caduco est liberatus, facto voto visitandæ B. Esaiæ tumbæ cum cereo : votum implevit, gratiam accepit.

*infirmitas gravis,*

14 Anno Domini CIↃIↃCIII die IX Februarii honestus adolescens, nomine Petrus Snacki, Casimiriensis, e gravi infirmitate decumbens, votum vovit visitandi sepulchrum B. Esaiæ cum Missa votiva et munusculo cereo, votum implevit, sanitatem obtinuit.

*dolor pedum et capitis,*

15 Anno Domini CIↃIↃCIV die X Februarii tres Fratres ejusdem Ordinis, ob itineris gravitatem, pedum capitumque dolorem diu passi, et alii quam plurimi, voto facto visitandi sepulchrum beati servi Dei Esaiæ, ejus favore brevi tempore perfecte sanati sunt.

*morbus periculosus,*

16 Anno Domini CIↃIↃCVI die X Februarii honesta quædam mulier, nomine Anna Niedzielanka, Casimiriensis, gravi morbo correpta, in lecto decumbens, jamque extremis laborans, voto facto cum devotione visitandi beati Patris Esaiæ tumulum cum una Missa votiva et munusculo cereo ; votum explevit, et sanitatem pristinam recepit.

*dolor pedum,*

17 Anno Domini CIↃIↃCVII, die XXX Januarii, nobilis Christophorus Prawinsky tympanista sacræ regiæ majestatis, Sigismundi III, faciens votum cum munusculo cereo et una Missa votiva visitandi tumbam B. Esaiæ doloris pedum diuturni sanitatis obtinendæ caussa, quem tantum patiebatur, ut etiam nulla medicamenta aut ingenia medicorum prodesse valerent, perfecte meritis B. Esaiæ est sanatus.

*epilepsia :*

18 Anno Domini CIↃIↃCVII die IV Februarii, nobilis Hieronymus Lazarowsky puerum suum, nomine Stanislaum, morbo caduco multas per vices sæpe laborantem, voto pro eo facto adeundi tumuli B. Esaiæ cum cereo, Sancti meritis sanitati restitutum vidit.

*sanantur moribunda,*

19 Anno Domini CIↃIↃCVII die VIII Martii, famatus Simon, civis Clepardiensis, habuit conjugem suam Hedvigem in gravi infirmitate ferme agonizantem, multo tempore in lecto decumbentem, tantique morbi pertæsam, ut dierum continuorum spatiis nullo potu ac cibo reficeretur. Votum pro ea a marito factum est visitandi tumulum B. Esaiæ, cum una Missa votiva. Post votum promissum sanam se invenit. Laus Deo.

*energumena,*

20 Anno Domini MDCVII die I Aprilis honesta Domina Catharina de Casimiria a maligno spiritu diu obsessa, et semper a dæmonio vexata, ad hujus Sancti tumulum curata et liberata est.

*febricitans,*

21 Anno Domini CIↃIↃCVII die II Aprilis famatus Adalbertus, sutor Casimiriensis, febri acuta et alio morbo longo tempore oneratus, votum fecit visitandi sepulchrum B. Esaiæ cum cereo et una Missa votiva, et cito sanitatem pristinam lucratus est. Laus Deo.

*periculose ægra ;*

22 Anno Domini CIↃIↃCVII, die V Martii honesta matrona Anna Spercina, cujus Casimiriensis, tanta infirmitate correpta, ut in dubium consilia medicorum vitam vocassent. Ad D. Esaiæ sepulchrum itineris suscipiendi a suis parentibus voto facto, mox sanitatem obtinuit. Gloria in excelsis Deo in sanctis suis.

*pelluntur phthisis,*

23 Anno Domini CIↃIↃCVII die IX Aprilis honesta femina, nomine Anna Czapikowska, Casimiriensis, puerum suum, nomine Albertum, phthisim gravissimumque pectoris morbum diu perpessum doluit : post votum vero pro eo factum cum oblatione Missæ votivæ in honorem B. Mariæ Virginis ac D. Esaiæ, statim pristinæ sanitati restitutum cum cernens, cum maxima Dei et Deiparæ Virginis Mariæ, hujusque B. Esaiæ peculiari gratiarum actione non mediocri lætitia perfusus est.

*lepra,*

24 Anno Domini CIↃIↃCVII die II Augusti, famatus Augustinus Stokloska, civis Casimiriensis, lepra et gravi dolore capitis diu multumque excruciatus, simili voto cum munusculo cereo ac Missa votiva facto expletoque, perfecte sanatus est.

*morbus incurabilis,*

25 Anno Domini CIↃIↃCVII die VII Maii famatus Samuel Ferborn, aurifaber civisque Cracoviensis ex platea Arcensi, gravi et insanabili infirmitate uno mense pressus, a medicisque jam prorsus derelictus, expositis plusquam triginta Hungaricis in medicamenta ; tandem illis non proficientibus, ad B. Esaiæ merita

A merita cum voto unius Missæ solvendæ conversus, voto expleto, sanum se multis stupentibus conspexit, gratias Deo agens in Sanctis suis.

*febris periculosa,*

26 Anno Domini cIɔIɔcviii, die x Junii, honestus adolescens Stanislaus Sulkoviex famulus reverendi Patris Provincialis, D. Jacobi Moyski Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, dum se ex Lithuania, civitate Brzescia Cracoviam reciperet, propter æstum solis in gravem morbum vel febrim incidit, ita ut de sanitate sua desperaret. Votum vovit visitandi sepulchrum B. Esaiæ, et sanitatem pristinam paullo post consecutus est.

*cæcitas ex febri orta,*

27 Anno Domini cIɔIɔcviii die xiv Maii, ego Stanislaus Golebrowski, civis Casimiriensis, protestor coram Deo et piis hominibus, qualiter puer meus, nomine Stanislaus, valde infirmus, et per septem hebdomadas in lectulo decumbens, sine ullo cibo, tantum parum potu refocillatus, et die ac noctu sine ullo quietis spatio: in qua etiam infirmitate (nam lumen oculorum ob gravem calorem et frigiditatem febris ac dolorem capitis amiserat) cæcus permanens, tandem in hora mortis una die agonizans, deploratus, derelictus. Votum pro eo feci, si esset vivus, visitare monumentum B. Esaiæ, Patroni Casimiriæ, B cum Missa votiva et munusculo cereo. Statim evaluit, et sanus extitit. Laus Deo in S. Esaia.

*morbus difficilis*

28 Anno Domini cIɔIɔcviii die xxix Julii, Domina Anna Milowska, civis Casimiriensis, testatur, quod puella sua, nomine Hedvigis, servilis, graviter infirmata, diu in lecto decumbens, post vota facta visitandi sepulchrum B. Esaiæ, patrocinio ejusdem B. Esaiæ sanata sit. Laus Deo.

*infans mortuus natus*

29 Anno Domini cIɔIɔcviii die ultima decembris, Casimiriæ ad Cracoviam, in platea dicta Cracoviensi, conjux Domini Joannis Zalenski, civis Cracoviensis, nomine Regina, in partu diu periclitata, puerum mortuum peperit. Quod ubi maritus ejus inaudivit, luctu et lamentis una cum uxore domum replere cœpit, et Divinam misericordiam implorare, ut hoc peccatum sibi non imputaret. Tandem ad patrocinium beati Patris Esaiæ confugerunt, votoque facto, si puer esset vivus, visitandi sepulchrum B. Esaiæ cum una Missa votiva et munusculo cereo ad instar pueri magno. Quod vix dum illi animo conceperant et voverant, et statim puer Divina misericordia revixit. Nam post horam fere tertiam nativitatis suæ oscitare et plangere fortiter cœpit. Parentes grati Divino beneficio, gaudentes cum vicinis suis votum persolverunt, et puerum aquis lustralibus, nomine Esaiæ C imposito, tinxerunt. Laus Deo in Sanctis ejus.

*[illegible]it,*

*in baptismo appellatur Esaias:*

*[illegible] dolor capitis,*

30 Anno Domini cIɔIɔcviii die xvii mensis Aprilis, honestus vir Laurentius Leopoliensis, dum Casimiriæ aderat, ob dolorem capitis vehementissimum per aliquot hebdomadas oppressus est, atque a medicis D derelictus. At cum jam medicorum artes frustra tentasset, ad Deum, beatamque Virginem Mariam, atque B. Esaiam propter auxilium recurrens, votum fecit cum munusculo visitandi sepulchrum B. Esaiæ, atque a desperato dolore perfecte sanatus est. Laus Deo in Sanctis ejus.

*EX EDITA CRACOVIÆ*

*iterum in alio*

31 Anno Domini cIɔIɔcix die xii mensis Martii, famatus Joannes Haler, civis Olcusiensis, ubi metalla fodiunt, intenso dolore capitis pressus diverso tempore, tandem coram Patre fratre Augustino Casimiriense, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini votum vovit visitandi sepulchrum B. Esaiæ, cum una tabella argentea, et una Missa votiva. Vix votum vovit, et statim Divina miseratione a capitis dolore perfecte sanatus est. Laus Deo in B. Esaia. Votum vovit, sanitatem obtinuit, ac tabellam argenteam pro majori fide apud tumbam B. Esaiæ appendit.

*Submersus in Vistulam*

32 Anno Domini cIɔIɔcix, die iii Augusti, cum Casimiriæ hora x, Albertus puer annorum quatuor, filius famati Josephi Tyranski, architecti et civis Casimiriensis et matris Dorotheæ, cum aliis pueris ad ripam fluminis Vistulæ staret ludendi gratia, casu fortuito contingit eum in flumen Vistulam, quæ tunc inundaverat, incidisse. Mox submersus atque ab E aquis absorptus est, neque amplius visus apparuit. Tunc sanctimoniales monasterii S. Agnetis, Ordinis S. Claræ, horas vespertinas decantantes, ex ecclesia per fenestras viderunt pueri miserabilem interitum, ac genibus in terram flexis invocarunt nomen Jesu et beati Patris Esaiæ patrocinium. Mox puer apparuit in medio Vistulæ, inde ad pontem mirabiliter in dorso plus sexaginta passus natans, et usque ad ripam perveniens exanimatus, ex aquis a circumstantibus extractus, et a matre sua mœstissima ad sepulchrum B. Esaiæ cum gratiarum actione oblatus est. Ita pristinæ sanitati restitutus et a morte liberatus est meritis B. Esaiæ. Laus Deo.

*[illegible]ergit,*

*[illegible]*

*[illegible]*

33 Anno Domini cIɔIɔcix, die vii mensis Septembris, honesta Catharina, uxor famati Joannis Malaanna dicti, sartoris, civis Casimiriensis, testatur filiam suam unius anni, in gravi infirmitate sua visam fuisse usque ad mortem agonizare, quam vovit ad sepulchrum B. Esaiæ, cum esset sana, cum munusculo præsentare. Post Missæ sacrificium domum reversa, filiam sanam invenit meritis B. Esaiæ, ac tabellam testimonii fide descriptam et pictam appendit.

*[illegible]alia.*

34 Anno Domini cIɔIɔcix, die x Junii Cracoviæ honesta virgo Hedvigis, in gravi infirmitate sua usque ad mortem agonizans, pro qua pater suus votum F vovit visitandi sepulchrum B. Esaiæ cum una Missa votiva, pro tunc sanitati restituta est meritis B. Esaiæ. Laus Deo.

# DE V^en. HIERONIMO ÆMILIANO

## CONGREGATIONIS SOMASCHÆ FUNDATORE,

*G. H.*

## Commentarius prævius.

### § I. *Hieronymi Vita scripta. Memoria diei natalis. Reliquiæ a S. Carolo honoratæ.*

*AN. CHR. MDXXXVII*

*VIII FEB.*

*Vitam Hieronymi scripsit nobilis Venetus,*

*Somascha agri Bergomensis castrum, primaria Congregationis hujus sedes, a qua et Ordo nomen sortitus, ubi Hieronymus mortuus est, describitur infra lib. 3 Vitæ cap. 2. Ipsius Hieronymi res gestæ vix altero ab ejus obitu anno evoluto litteris consignatæ sunt ab aliquo e nobilioribus Venetis, qui cum præ ceteris conjunctissime Venetiis agere solitus fuit: ejus tamen nomen silentio obvolutum est, uti dicitur lib. 2 cap. 5: et cui perfamiliari suo amico aperte significavit, non multo post ultimum Venetiis discessum, suam ex hac vita migrationem subsecuturam, ut legitur lib. 3 cap. 12. An deinde Vitam ejus conscripserit Angelus Marcus Gambaranus, qui illi ab epistolis fuerat, et postea Ordinis a Sede Apostolica approbati primus Præpositus Generalis, subdubitatur infra lib. 3 cap. 8. Alter Vitæ Scriptor citatus lib. 3 cap. 10 Scipio Albanus, qui Sacræ Theologiæ laurea donatus, et Scalensis Ecclesiæ Mediolani Canonicus, nec non Sedis Apostolicæ Protonotarius. Vitam Hieronymi, sub finem præcedentis seculi Mediolani excusam, brevi sed gravi commentario prosecutus traditur. Secutus est Andreas Stella, qui*

*[illegible] Angelus Marcus Gambaranus?*

*[illegible] Scipio Albanus*

*[illegible]tum Andreas Stella,*

AUCTORE G. H.

A *Supremum magistratum Congregationis Somaschæ magna cum laude ob singulorum rerum agendarum prudentiam gessit. Hic in summo morbi periculo, post sumptum sacrum Viaticum, voto se obstrinxit, si pristina sibi redderetur sanitas, se Hieronymi Æmiliani Vitam scripturum : quod morbo relevatus præstitit, ac Vitam ejus Italico sermone summa eloquentia ac pietate conscripsit : quæ pluribus narrantur lib. 4 cap. 4. Tot enim libris Vitam, quam damus, distinxit Augustinus Turtura, et ipse Præpositus Generalis Clericorum Regularium Congregationis Somaschæ et Doctrinæ Christianæ in Gallia. Hunc* de Hieronymo Æmiliano cum diligentius tum copiosius scripsisse *tradit Josephus Silos lib. 7 Historiæ Clericorum Regularium Theatinorum. Est ea Vita Mediolani excusa anno* MDCXX, *cum* pastorali exhortatione ad Patres et Fratres ejusdem Congregationis, ad Hieronymi Vitæ lectionem et imitationem, *in qua asserit ejus* præclare gesta ab aliis quidem ante se litteris mandata, sed adeo mutila et imperfecta, ut permulta eaque insignia posteritatem laterent, suaque fraudaretur laude Divina bonitas et Hieronymi virtus, et magno carerent pietatis fructu qui eo duce spirituali militiæ in hac Congregatione nomina dedissent : animum igitur se adjecisse ad

*postea Augustinus Turtura, qux hic datur :*

B universa, quæ de eo colligere potuerit, certo ordine exscribenda *etc. Reliquam exhortationem, cum de ejus Vita nihil singulare habeat, brevitatis caussa omittimus. Denique ejusdem Hieronymi Vitam Italico sermone Mediolani anno* MDCXXX *et* MDCXLI *vulgavit Constantinus Rossius ex Clerico Regulari ejusdem Congregationis Episcopus Vegiensis, sive Veglienisis, insulæ maris Adriatici juxta littora Dalmatiæ sub Venetorum dominio. Hic ordinem fere secutus est Augustini Turturæ, paucis hinc inde additis, omissis, immutatis.*

*denique Constantinus Rossius Ep.*

2 *Joannes Baptista Guilhermus, juris utriusque Doctor, et Feltrensis Ecclesiæ Canonicus, ac Vicarius Episcopi Bergomensis, mox ab obitu Hieronymi, epistolam scripsit, infra lib. 4 cap. 1 relatam, in qua testatur eum* die septima mensis obiisse. *Monet Turtura eum tertia fere noctis vigilia exspirasse, melius* VI *Idus Februarii mortem annotandam videri. At Rossius omni quasi dubio remoto, scribit lib. 3 cap.* 13, benedictam hanc animam in Domino requievisse VIII Februarii post medium noctem. *Alii mensem obitus ejus,* Martium tam certo crediderunt, ut *teste Turtura,* Nonis Martii S. Thomæ Aquinati dicatis, a plerisque pia Hieronymi memoria coleretur. *Quod jam fit hoc* VIII *Februarii, quando Somaschæ aliisque in locis, Patres*

*Creditur Hieronymus obiisse 8 Februarii,*

*quo die ejus memoria recolitur,*

C *imagine ejus super altare ad hoc specialiter erectum exposita, solenne sacrum cantant de Sanctissima Trinitate. At* VII *Martii inscripsit eumdem Catalogo generali Sanctorum Ferrarius his verbis :* Somaschæ in territorio Bergomensi B. Hieronymi Æmiliani Somaschensium Clericorum Auctoris. *Idem de Sanctis Italiæ hoc elogium ex Vita per Andream Stellam scripta edidit cum hoc titulo.* De B. Hieronymo Æmiliano Somaschensium Institutore. Hieronymus Æmilianus, Patricius Venetus, variis pro Rep. Veneta muneribus egregie perfunctus, bello ex Cameracensi fœdere adversus Venetos æstuante, ad fines ipsorum tutandos destinatur. Qui ab exercitu Maximiliani Cæsaris Castri-novi obsessus, captus, et vinculis constrictus ope sanctissimæ Virginis Deiparæ eripitur, ac per medios hostes deductus Tarvisium incolumis pervenit. Tanti autem haud immemor beneficii, patrimonio pauperibus distributo, valedicens seculo, in pietatis officiis cœpit exerceri, non modo Venetiis, sed et in aliis Italiæ urbibus, pueros parentibus destitutos in unum collectos, in extructis eis ædibus alendos curavit. Quod et circa puellas præstitit. Multis autem peragratis urbibus Somaschæ castro (quod inter Bergomum et Larium locum occurrit) demum substitit : ibique multis ad eum confluentibus alum-

*et 7 Martii a Ferrario*

*cum hoc elogio,*

nis, Congregationis Somaschensis fundamenta jecit, D multis fulgens miraculis. Nam cum fame multi in proximis regionibus ob victus inopiam conficerentur, ipse, pane in gremio suo divinitus aucto, non solum suos, sed etiam exteros quoque adventantes pavit. Ita vero dæmonibus erat formidolosus, ut eos a multis obsessorum ad eum catervatim advenientium corporibus ejiceret. Spiritu quoque prophetico afflatus, multa, quæ ita evenere, prædixit. Denique obitus sui præscius annum LVI agens ætatis, VII Martii *(imo* VIII *Februarii)* cessit e vita anno reparationis nostræ MDXXXVII.

3 *Quem Ferrarius utroque loco illi attribuit* Beati *titulum, eumdem, post omnia circa cultum Sanctorum decreta Urbani* VIII *passim adscribit Constantinus Rossius Episcopus in Actis Italico sermone editis, quibus præfigit hunc titulum,* Vita del B. Girolamo Miani Fondatore della Congregatione di Somascha. Vita B. Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congregationis Somaschæ. *Quorum Italorum animadversis vestigiis, eumdem ab hoc opere non potuimus excludere : solum tamen* Venerabilem *appellamus, donec certius nobis constet ab Apostolica Sede* Beati *titulum non improbari. Bartholomæus Peregrinus in Vinea Bergomensi anno* MDXXXIV *edita, dum Hieronymus viveret, eum* Sanctum, E Sanctum Dei et animam beatam *appellat, ut docet Rossius lib. 4. cap. 1, quo etiam libro et capite infra de eodem Peregrino agitur, additurque a Pio* V *Pontifice appellari* virum eximiæ pietatis insignem, Spiritu sancto, ut pie creditur, afflatum.

*Beatus appellatus,*

*et Sanctus, dum viveret*

4 S. Carolus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis, *ut tradit Rossius lib. 3 cap.* 13, anno MDLXVI *Somascham* profectus, ac vix portam templi ingressus, mox ob suavissimum odorem a se perceptum, raptus in sanctam admirationem, astantibus Bartholomæo Brocco Præposito Somascheno, et Doctori Antonio Vimercato Præposito Olginatensi dixit, in ea ecclesia quiescere corpus alicujus magni servi Dei. Et ubi divinitus illuminatus cognovit aliquem odorem prodire ex Reliquiis P. Hieronymi, petiit a P. Brocco, sibi ostendi sepulchrum viri Dei, ad quod perductus, jussit inde levari aliquot sacra ossa, quæ manu sua dignatus est sacri thuris honore, præseferens singularem devotionem. Deinde vero cum ad innovandum templum, pars illa, in qua illud sepulchrum erat, dejicienda esset, Reliquiæ ad altare majus translatæ sunt, ad quas istic visitandas auctoritate Sedis Apostolicæ deputati sunt D. Marius Antonius diœcesis F Mediolanensis Vicarius Generalis, dein Archiepiscopus Cæsariensis, D. Julius Cæsar Vice-Comes, Primicerius Ecclesiæ Mediolanensis, et D. Horatius Casatus Protonotarius Apostolicus et Canonicus. Hi tres Visitatores litteris Apostolicis constituti, exactam disquisitionem fecerunt de miraculis Servi Dei, et non solum venerandum ejus corpus, sed etiam prærupțam in eremo latebram, in qua res divinas solitus erat contemplari, ac corpus suum assumptis pœnis affligere, visitarunt : atque hoc de tota sua legatione ad sacram Congregationem dederunt responsum : Somascham profecti sumus, ubi pius ille vir vitæ integritate et piis operibus præfulsit, incolarumque magna pietate colitur. Invisimus pias Reliquias, lustravimus loca asperrima, ad quæ sæpe divertebat, orationi et macerationi corporis impensius ut incumberet : oculis vidimus, quanta ibi reverentia habeatur, frequentiam votivarum tabellarum, quibus et nos ipsi maximam sensimus excitari erga servum Dei devotionem.

*Reliquiæ a S. Carolo Borromæo ob suavissimum odorem cognitæ,*

*et pie honoratæ,*

*ad majus altare delatæ,*

*ab Apostolicis Visitatoribus lustratæ,*

*dato hic ad sacram Congregationem responso.*

## § II. *Miracula recentiora ex Italico Rossii.*

I*dem Rossius refert lib. 4 cap.* 2, de miraculis Hieronymi variis in locis factos esse Processus, diligenter

A ter allaborantibus Joanne Calto Præposito Somascheno, et Joanne Antonio Palmio Rectore collegii Clementini Romæ, eosque Processus a Congregatione Rituum traditos Consilio Sacræ Rotæ, incumbente in hoc negotium magna cum diligentia Illustrissimo ac Reverendissimo Victore Capello Episcopo Famaugustæ, constituto Congregationis Somaschæ Procuratore generali. *Ac præter miracula infra lib. 4 cap. 2, 3, et 4 relata, sequentia tria adfert cap. 3, post Vitam a Turtura editam facta.*

*Processus in Consilio Sacræ Rotæ:*

6 Hieronymus Riva Zerbinus Mediolanensis, a quadraginta annis usu auditus privatus erat, ut neque audire conciones posset, nec sonitum campanarum, nec colloquia domesticorum, nisi proximi adstarent, ac voce admodum elata loquerentur. Hic evocatus ad examen de virtutibus ac miraculis Hieronymi instituendum, nocte præcedente priusquam Somascham veniret ad opem viri beati pro recuperatione auditus confugit. Die sequenti, ubi Somascham appulit, ingressus templum S. Bartholomæi, ante omnia adivit sepulchrum B. Hieronymi, atque in genua procumbens ante ejus imaginem, vovit, si auditum recuperaret, in annos singulos certa quædam pietatis opera. Oratione finita, advocatus ad examen, subito

*Surdus ad sepulchrum ante imaginem ejus orans, auditum recuperat:*

B se non amplius surdum esse advertit: singulas interrogationes, quamvis voce moderata atque ordinaria pronuntiatas, optime audit, nullo etiam verbo repetito, quod ante cum quodam clamore per tres quatuorve vices sæpe faciendum erat. Perfectam itaque sanitatem adeptus, rapit in magnam admirationem, quotquot eum ante noverant, et potissimum qui hujus itineris inde ab domo socii venerant, atque deinceps plura sanitatis adeptæ certe signa deprehenderunt, uti distinctius ex Processu constat.

7 Hieronymus Novellus ex antiquioribus Congregationis Patribus, vir præclare litteris excultus, Venetiis in Seminario Patriarchali, cum magno audientium fructu olim docuerat Rhetoricam et Philosophiam. Hic egregie pius erga Patrem Hieronymum, ob res varias easque illustres, quæ ipsi a primis Patribus, et præcipue a Primo Comite (*hujus res gestæ et obitus referuntur infra lib. 2 cap. 13*) de ejus sanctitate et miraculis dicta fuerant. Quamobrem voluisset eodem cum Patre tempore vixisse, eumdemque ab omnibus esse cognitum et Sancti honore decoratum. Vicissim e cœlo venerabilis Hieronymus Æmilianus aspexit pium animum Hieronymi Novelli, eique in collegio Mediolanensi S. Petri, quod in Monte-forti appelatur, ægro ac morti vicino apparuit,

C mira luce circumfusus ac cœlesti quadam majestate adornatus; et sua visitatione ac benedictione hunc sibi devotum clientem in eo articulo consolatus est. Adstabant moribundo Præpositus collegii, et Franciscus Leoni novitiorum Magister, qui ob certos motus eosque insolitos admirationis et reverentiæ, et ob pium infirmi alloquium, quod aliquot diebus loqui nequiverat, clare adverterunt aliquam ei objectam visionem, quam certo didicerunt per expressam et sæpius repetitam ejus relationem, aliquot horis antequam moreretur: quod factum est XXV Octobris MDCXXIII.

*Hieronymus apparens moribundo, eum consolatur.*

8 Catharina Petruccia Religiosa professa Ordinis Benedictini in antiquissimo monasterio S. Stephani Ameriæ in Umbria, graviter ægrotabat, afflicta morbo non solum incurabili, sed qui medicos, eam visentes, in stuporem rapiebat: quapropter censebant fieri non posse, ut illa vitam diutius protraheret. Præter alia incommoda morbi, quibus pessime afficiebatur, cibum numquam sumebat, quamvis in minima semper quantitate, magnoque nisu, quin decuplo plus pituitæ viscosioris, quam sit gluten aut albumen ovi cum omni cibo evomeret, intentissimoque stomachi et capitis dolore sub ipsum vomitum comprimeretur:

*Sanctimonialis variis morbis multos annos vexata,*

et dolor ille in partibus lienis continuo persistebat, D frequenter et colicus erat, quem duabus vicibus per multos dies perpessa sat vehementem, ac sæpe adjuncta febri, ex catarrho proveniente. Hæc ægritudo, sicuti illam tribus aut quatuor annis prioribus afflixerat, ita anno MDCXXVII sævum in modum adeo excrevit, ut ordinem naturalem videretur immutasse ob quædam extraordinaria symptomata, quæ medici fatebantur a se adhuc neque visa neque lecta: et profecto ex sola eorum relatione audientium capilli erigerentur, quæ tamen, honestate exigente, convenit silentio involvi. Solum referam quod Joannes Dominicus Flaschettus, qui artem medicam aliquot annis Ameriæ exercuit, aliquoties pronuntiavit; illam e naturali dispositione non posse ultra tres quatuorve dies vivere: eo quod subinde absque arteriæ pulsu vitam indicante a se reperiretur, atque etiam pateretur deliquium animi gravissimum ob summam debilitatem atque acerrimam vim morbi: et quamvis idem medicus in suo ab urbe discessu reliquisset vivam, edixit tamen, quoniam adhuc morbus exasperaretur, non diu victuram. Itaque misera illa Religiosa in tali statu absque ulla vitæ spe erat mortemque opperiebatur. Illucescente, VIII Februarii anno MDCXXIX, die anniversario felicis obitus Venerabilis Patris Hieronymi, cum ea de causa juxta antiquam Congregationis consuetudinem, primo diluculo, ære campano signum daretur in templo S. Angeli hujus



*et morti vicina a medico judicata,*

*8 Februarii solemni memoria Hieronymi excitata, eum invocat.*

E Congregationis, quando ab alia Religiosa, nomine Lucretia Novelli admonita est, ut ad intercessionem B. Hieronymi confugeret. Illa subito animo commota, diversos actus internos eliciens, patrocinium beati servi Dei viva fide imploravit: nec frustra. Eodem quippe die dolores intermissi sunt, cibum sumpsit, sumptum retinuit, nec passa amplius vomitum: demum plenam adepta est sanitatem cum admiratione omnium sanctimonialium atque universæ civitatis. Hæc Religiosa hactenus superest sana et hilaris, gratias Deo et B. Hieronymo referens, et vulgo vocatur Mortua ad vitam suscitata: a qua missum est ad sepulchrum Beati anathema argenteum cum succincta rei gestæ narratione.

*et subito convalescit.*

## § III. *Congregatio Somaschensis post obitum Hieronymi a Sede Apostolica confirmata, lateque propagata.*

*Augustinus Barbosa lib. 1 Juris Ecclesiastici universi cap. 41 num. 160, et in Summa Apostolicarum* F *Decisionum collect. 166, cum retulisset ex Vita infra danda, jacta hujus Congregationis fundamenta, hæc addit:* Huic familiæ adhuc non professæ Paulus III concessit facultatem eligendi Superiorem, sive Ecclesiasticum, sive secularem, ex iis qui hospitalibus sive orphanotrophiis institutis inserviunt, et statuendi decreta, prout locorum opportunitas postulabit. Demum recitandi divini officii eorumdem hospitalium Sacerdotibus facultatem dedit, et confessiones audiendi. *Extat ea Constitutio tom. 1 Bullarii* data Romæ anno MDXL, Nonis Junii, Pontificatus ejus anno VI: *ejusque infra mentio fit lib. 3 cap. 8.*

*Varia privilegia huic Congregationi concedit Paulus III.*

10 Postmodum (*verba sunt Barbosæ*) Joannes Petrus Caraffa, Cardinalis Theatinus, univit Theatinorum congregationem cum hac Somaschensi ut piorum operum curam suscipiat, eaque omnia pietatis munia peragat, quæ Somaschensi in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur, ut in suis litteris sub Dat. Romæ in propriis ædibus VIII Novembris MDXLVI. *Eas litteras exhibet Silos lib. 7 Historiæ Theatinorum, in quibus hæc verba leguntur:* Quamobrem Sanctissimus in Christi Pater et D. N. D. Paulus Divina providentia Papa Tertius, vivæ vocis oraculo nobis hoc negotium demandavit, et ut illud in nostram fidem reciperemus

*hujus auctoritate Cardin. Caraffa eam unit Theatinis,*

*datis ad hoc litteris,*

A reciperemus injunxit : atque ut vos hortarer in Domino, et nihilominus nomine et auctoritate Sanctitatis suæ vobis in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandarem, ut eorumdem piorum operum curam pro Dei amore, et pro sanctæ Sedis reverentia vos suscipere deberetis *etc. ac deinde :* Auctoritate nobis tradita, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut supradictorum piorum operum et personarum in eis quomodolibet pro tempore servientium, curam et administrationem suscipere debeatis *etc. Hæc ibi : quibus a Barbosa summatim descriptis, succenset ei Silos, quod* de hac Ordinum conjunctione, *inquit,* perinde loquatur ac si non ipsi Somasceni summis precibus cum nostris egerint, ut reciperentur : *quod Barbosa non negat, sed, ut lectori minus necessarium, omittit. Verum magis insultat Silos :* Et quod, *inquit,* omnino non est viro eruditissimo ferendum, Carafæ litteras laudat : quas si legisset, non peccasset profecto stylus; scivissetque quis ejus consilii auctor fuerit, quis postulaverit, et qua tandem prudentia ac mora religiosissimam alioquin familiam Nostrates cooptarint. Esset adhuc quod in Barbosa perstringamus : nam non uno quidem errore labitur, cum in nostram Sodalitatem in-

*AUCTORE G. 8*

*an sincera fide a Barbosa indicatis?*

B cidit. Sed nunquam is impune erravit, qui mentitus aperte est. *Ita Barbosam arguit Silos, nimis acriter nec merito, quia satis ad institutum erant, quæ ille scripserat. Sed pergit idem Barbosa :* Ipse Caraffa ad summum Pontificatum assumptus, et Paulus IV dictus, Theatinorum Congregationem a Somaschensi separavit, et ad pristinum solum institutum coegit, *litteris datis die* XXIII *Novembris anno* MDLV, *quas Silos penes suos esse asserit lib. 8 ubi de hac divisione agit.*

*idem postea Papa Paulus IV eam separat.*

11 *At* Clericorum Regularium Somaschæ Congregationem (*verbis Barbosæ utimur*) Pius V in Religionum numerum cooptavit, et sub regula S. Augustini reposuit, facultatem emittendi tria vota solemnia concessit, et nomen Congregationi imposuit, videlicet Clericorum Regularium S. Majoli Papiæ, seu Somaschæ. *Donarat huic Congregationi S. Carolus Borromæus ecclesiam S. Majoli Papiensis, quæ monachorum Cluniacensis ordinis fuerat, certosque annuos reditus assignarat, obtenta ad id Apostolica auctoritate. Quæ omnia Pius V Papa in sua Constitutione data die* VI *Decembris* MDLXVIII, *Pontificatus anno* III *confirmat, estque ea 78 tomo 2 Bullarii, uti alia Sixti* V, *num. 4, qua exemptiones et gratias eidem Congregationi a Gregorio* XIII *concessas statuit ratas esse, anno*

*eamdem in numerum Religionum adoptat Pius V.*

C *Pontificatus* I, *Christi* MDLXXXV, *Kalend. Maii. Ut autem iidem Clerici Regulares de Somascha gauderent omnibus privilegiis, ordinibus Mendicantium concessis et concedendis, indulsit Paulus* V *Constitutione 37 tomo 3 Bullarii, data anno* III *sui Pontificatus, Christi* MDCVII, *die* IX *Novemb.*

*privilegia augent Gregorius XIII, Sixtus V, et Paulus V.*

12 *Erat tum altera Congregatio Clericorum secularium Doctrinæ Christianæ a Cæsare de Bus viro eximiæ pietatis primum in civitate Avenionensi instituta, cui præerat anno* MDCXVI *Antonius Vigerius, quando Paulus* V *eam univit Congregationi Clericorum Regularium de Somascha, ita ut in Gallia deinceps vocari deberent* Patres Doctrinæ Christianæ Congregationis Somaschæ, seu S. Majoli Papiæ, *victuri sub obedientia Præpositi Generalis de Somascha, et habituri in regno Galliæ Provincialem, ceterosque suos superiores Gallos, non autem necessario in ditione Pontificia. Extat ea Constitutio in Appendice ad tomum 3 Bullarii num. 8. data* XI *Aprilis, anno Pontificatus ejus* XI, *Christi* MDCXVI.

*his eidem adjungit Congregationem Doctrinæ Christianæ in Gallia.*

13 *Agunt præter ante citatos de Hieronymo Æmiliano, ejusque Congregatione Somascena Henricus Spondanus in Continuatione Annalium Ecclesiasticorum tomo 3 anno 1531 num. 18 et anno 1616 num. 7. Asca-*

*Meminere Hieronymi et aliorum scriptores.*

D *nius Tamburinus de jure Abbatum tomo 2 disputat. 24 quæst. 4 num. 86, Lezana parte 2 Quæstionum Regularium cap. 4 num. 23, Paulus Morigia de Origine Religionum lib. 1 cap. 68, Silvester Maurolicus in Oceano Religionum lib. 5. Illi priores aliquot Præpositos Generales enumerat. Quam damus Vitam, exornamus summario rerum ad marginem adscripto, et pauculis subjunctis notatiunculis. Divisionem librorum et capitum ab auctore factam retinemus.*

# VITA

## AUCTORE AUGUSTINO TURTURA

## *Congregationis Præposito Gener.*

### PROLOGUS.

### Ad Illustrissimum ac Reverendissimum Horatium S. R. E. Cardinalem Lancelottum.

Hieronymo Congregationis nostræ Auctori lucem prodeunti, te Patronum adopto, Cardinalis Illustrissime : adoptionis nec una, nec levis, suppetit caussa. Sed privatum meum in te studium, aliaque ut omittam, hoc unum Hieronymo enixe flagitanti ne-

E gare non potui, qui clientelæ tuæ possessionem, jamdiu a nobis initam, sibi patrio jure vindicat; eumdemque gratiæ tuæ unum contendit, in quo instituta olim a se Congregatio conquiescit. Nec, opinor, causa cadet : novi summam illam tuam Urbi prorsus admirabilem in dijudicandis caussis peritiam et æquitatem : novi eximiam ac singularem benignitatem, qua nos nostraque complecti soles. Quæ una cum mihi etiam animos addiderit, ut te summum e primario eruditorum ordine Antistitem, ingeniorumque florem hac pia elucubratiuncula, Patribus meis pro exemplari evulgata, convenirem, eadem etiam perficiet, ut grati animi, observantiæque nostræ obsidem, hoc qualecumque donarium solita humanitate admittas, idque mihi ipsi de tua prolixitate recipio, ut non tam laborem hunc meum nova clientela, quam Congregationem universam antiqua, et foveas, et complectare.

# LIBER PRIMUS.

## CAPUT I.

### Patria, natales, ortus.

Venetorum *a* Respublica quam singulari hominum prudentia, sapientique legum moderatione fuerit inF tus domi forisque divinitus constituta, et tot seculorum diuturnitate divino plane beneficio administrata, vel ex eo intelligere licet; quod una, eademque Reipublicæ ratio moderata et concors, nullis seditionibus, nullo intestino divexata malo; magno non virtutis, et prudentiæ solum, sed et cœlestis præsidii divinæque opis argumento, annos supra mille opibus, et imperio florentissima perduravit : atque eo plane mirabilius, quod adversis et calamitosis Italiæ *b* temporibus, parvis initiis, hoc est, profugis hominibus exorta, qui servitutem aversantes, fortunis omnibus abjectis, e continenti sese in undas æstusque conjecerunt, modo unam secum libertatem extollerent; brevi tamen ad eam imperii magnitudinem, quam modo non sine admiratione suspicimus, pervenit.

*Floret Resp. Venetorum.*

*ultra mille annos.*

3 Imperii sedes et caput est ipsa Venetiarum civitas, florentissimum totius Italiæ lumen, et emporium longe opulentissimum : hæc inter illustriores Europæ civitates, ob egregiam situs naturæque speciem, et eximiam artis industriam, facile princeps. Adeo enim spectando theatro, speciosa naturæ ostentatione urbs undique tota se prodit, ut neque locum ad opportunitatem omnem aptiorem, neque ad aspectum

*ejus caput Venetia.*

A aspectum jucundiorem facile queas invenire; quando in eo situ effingendo, formandaque civitate, natura ipsa, quasi cum arte suscepto certamine, ad loci dignitatem et venustatem augendam, vires contendisse videatur. Etenim magno qua naturæ, qua artis miraculo Nilos Euriposque introrsum admittit complures; quorum intercursantium anfractibus, vagisque mæandris interluitur, et jucundo prospectu discinditur universa. Nili duo, perpetuo tractu Urbem totam percurrunt, ab iis transversa Euripi minores, et minores publica, et privata ædificia, vicosque fere omnes sinuosis meatibus intersecant et distinguunt, et vago multiplicique flexu majori evectionis, et subvectionis commodo in æstuaria, mareque ipsum remeant: late marginatis utrimque, vel altera ex parte semitis, et ad terrestre iter astructis, ut pedibus, et cymba plerique vici simul adiri possint: lapidei pontes egregie facti supra mille recensentur; ad homines vero modica etiam mercede quacumque transmittendos, cymbæ tum certis trajectibus dispositæ, tum tota urbe vagæ et dispersæ, frequentissimæ occurrunt. Publica ædificia, nec non privata permulta operis elegantia, et insuetatæ molis magnificentia, communi admiratione majora; advenarum et mercatorum eo commeantium numero longe maximo refertissima. Civitas trecentis habitatorum millibus frequentari dicitur; ut, superante multitudine, etiam ipsa aqua constrata navigiis incolatur. Ejusmodi denique civitas est, ut ex illius aspectu, quasi Imperii facie, orisque dignitate, reliquam augustissimi corporis majestatem facile conjicias.

*urbs illustris varietate aquæ,*

*mille pontibus, navibus,*

*ædificiis,*

*mercatura,*

B

*frequentia civium.*

4 Inter cetera autem sapientissimæ civitatis decreta hoc unum inprimis illis solemne est, ut Reipublicæ administrandæ certis familiis, ab Urbis usque initio, veteri nobilitate clarissimis potestatem faciant, præterea nomine. Eæ claræ, nobilesque habentur, reliqui (hoc illi ordini peculiare nomen est) cives nuncupantur: quorum etsi peramplæ sunt fortunæ, genusque familiæ perhonestum; nullam tamen civitatis procurationem attingunt; nisi forte, aut apud Magistratus domi, aut apud Oratores ad Principes foris, officio quod est a secretis honestentur. E priscis autem, nobilioribusque familiis Æmiliana, et Maurocena maxime commendantur; e quibus paternum, maternumque genus traxit Hieronymus, cujus modo vitam scribere ordimur. Utriusque familiæ decora non multis recensebo; cum noverim nec humano, nec Divino judicio his rebus hominis dignitatem expendi. Apud sapientes enim non multum refert, quali C genere ortus sis, sed quanta fide pietatem colas; neque quot gentilia a majorum insignia numeres, sed quorum vestigia prosequare; apud Deum vero nullum habet locum humani generis claritas; sed virtutis divinæ præstantia. Verum nec eadem surda omnino aure præteribo; cum ad eximiam probitatis, et sanctitatis laudem permagni referre omnes existiment, hominem nobilem domi, multisque illustrem majorum gloria despecta, familiæ insignibus, titulis et honoribus abjectis, spiritali militiæ ac Evangelicæ paupertati sese addixisse.

*Ex antiqua ejus nobilitate*

*sunt Æmiliani, et Maurocени,*

*majores Hieronymi:*

5 Ut autem a Romanis usque Æmilianæ stirpis originem non accersam, a quibus ea gens cum pari nobilitate familiis Marcella, Cornelia, Valeria, Quirina, Pisona, aliisque ad Venetos commigravit (quarum postrema vitio multitudinis, nomine corrupto, Pisana dicitur, quod et Æmilianæ accidit, quæ Miana patrio usu appellatur) illud inprimis constat Hieronymum paterna, et materna stirpe his majoribus natum, qui pari cum prisca nobilitate, pietate etiam, et religione in Deum commendentur. Decimo septimo enim supra nongentesimum salutis nostræ anno, illustre Divi Thomæ Apostoli fanum Venetiis ab Æmilianis, privatis sumptibus, extructum: vix altero interjecto anno, ea, quæ modo Sancti Angeli est, Divo Mauro gentis patrono, a Maurocenis est ædificata.

*Æmiliani a Romanis progn[ati],*

*[illegible] S. T[homæ] [illegible] 917,*

D

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.*

6 Plures vero Æmilianorum sago, togaque illustres, vetusta monumenta referunt. Inter quos Jo. Æmilianus, eversa Tenedo, Corcyra in Venetorum potestatem redacta, Nauplia dira obsidione soluta, militaris gloriæ laude maxime claruit; et Joannes alter, qui in extremo illo Reipublicæ discrimine, ad fossam Clodiam cum Januensibus, et Carrario Patavino Tyranno, res Venetas pene accisas, pari Venetorum Ducum in eo bello tum virtute, tum ardore strenue dimicando, tutavit, et prope labentem Rempub. sustinuit. Duo item Marci Procuratores insigni civilis prudentiæ gloria floruerunt; quorum alter apud Turcarum Imperatorem Reip. Interpres in ipsa gravissimarum rerum tractatione, alter difficili Reipub. tempore in Præfectura Cydoniensi obiit. Petrum vero Æmilianum Pontificem Vicentinum, et vitæ probitas sacro Antistite digna, et doctissima, quæ de sacris litteris ingenii monumenta reliquit, satis consequentis posteritatis memoriæ commendant; ut alios ejusdem notæ veræ nobilitatis fulgore conspicuos plurimos omittamus.

*re militari,*

*civilis legationibus,*

*et dignitate Episcopali.*

E

7 Quod vero ad Maurocenæ parentis majores attinet, longum, et extra rem esset eos referre, quos aut civilis, aut sacra purpura, aut militaris disciplina insignes reddidit: præter quos tres etiam Serenissimi Reipub. Principes, Dominicus, Marinus, et Michael ex eadem familia recensentur, quam tandem Thomasinæ lectissimæ feminæ virtus ad supremum honoris culmen evexit, quæ anno ducentesimo octogesimo septimo supra millesimum, Stephano Pannoniæ Regi fortissimo sacro matrimonii vinculo copulata, et ex eo Regni successore Andreasio relicto, primum Regale decus in Maurocenam familiam invexit.

*E Maurocenis*

*[illegible] Duces Reip.*

*[illegible] Regina Hungariæ.*

8 His ergo majoribus felicissimo satu editus, Angelum Æmilianum Senatorem amplissimum, et Eleonoram (Dionoram vulgo vocant) prudentissimam feminam parentes agnoscit Hieronymus noster. Dignus utique truncus, unde eximius hic effloresceret surculus, quem, editis jam Luca, Carolo, et Marco Antonio, postremo loco susceperunt, anno ab ortu salutari Salvatoris nostri, millesimo quadringentesimo octogesimo primo, cum sacris Romæ præesset anno jam decimo Sixtus Quartus, et Venetorum imperio Joannes Mocenicus anno quinto. Qui vero natalis ei fuerit dies, nihil certi produnt auctores. Ad salutares aquas, et expiatrices lymphas ejus parœciæ, qua F paterni lares colebantur, delatus, et primigenia labe expurgatus, e vitali fonte, parentum jussu, Hyeronimus dictus est, divino plane nutu, ne nomen, quod futuram sanctitatem redoleret, tanto natalium splendori deesse videretur. Adhuc infantem tanto impensius Domino commendarunt parentes, quanto major in minores filios eorum amor, et indulgentia esse solet: neque incassum fusæ preces, nam sanctitatem [illegible] nomine indicatam factis aliquando semulatus, multo sua, quam majorum laude, factus illustrior, antiqua familiæ insignia novis virtutum ornamentis reddidit illustriora.

*Patre Angelo, matre Eleonora,*

*[illegible] Hieronymus anno 1481*

a De Rep. et urbe Venetorum pauca auctor delibat, quæ passim alii pluribus tractant. Gaspar Contarenus Patricius Venetus, Donatus Jannotius Florentinus, et ante illos Blondus, Sabellicus, Petrus et Bernardus Justiniani aliique. b Quando, ut ferunt dicti Auctores, Attila in Italiam infudit exercitum, et Aquileiam obsidione captam solo æquavit anno 452

## CAPUT II.

### *Ingenium, pueriles educatio, litterarum studia.*

Exactis infantiæ puerilis incunabilis, quæ prima latentis

A latentis naturæ prodiere indicia, egregiam et præclaram ad omnem virtutem indolem declararunt. Inerat illi oris, et aspectus elegantia: festivitas et lepos in loquendo, non tamen omnino puerilis et mollis; sed nescio quid spirans avitæ dignitatis: elucebat jam tum ingenium illud acre atque docile, in quamcumque partem trahere velles; necnon animi celeres motus, sed ingenui; qui si ad virtutem ab optimo præceptore incitarentur, facerent in omni genere studiorum fructus uberrimos; denique in summis ornamentis fortunæ prima ingenuitatis ornamenta non desiderabantur. E prima luce reliquum diem facile conjectasses. Neque vero parentes tam excellentem in puero indolem cura et studio destitutam voluerunt: sed matris religiosissimæ fœminæ diligentia tenellus adhuc animus Christiana religione, fidei nostræ mysteriis, et summis ejusdem capitibus est imbutus, atque ad omnem pietatem informatus; ut sacrificiis quotidie interesse, bis in die statas preces fundere, sacras ædes crebro invisere, Sacerdotes, sacrasque imagines maxime venerari, iisdemque Sanctorum imagunculis delectari et capi, firmo usu assueverit. Non omnino sterili solo commissa tam egregia pietatis sata; quæ, licet densis B vitiorum vepribus et dumis aliquando obducta, radicibus tamen hac prima ætate jactis, uberes tandem solidæ virtutis fructus attulere.

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA indolem nactus optimam,*

*a matre piis moribus imbuitur,*

10 Cum primum per ætatem licuit, idoneis præceptoribus adhibitis, ingenii facilitate, et primo illo discendi ardore, eos brevi in studiis progressus fecit; ut æqualibus suis docilitatis atque industriæ laude antecelleret. Ad decimum quintum annum fere in litteris fuit. Tum (ut est ea ætas æque laboris impatiens, ac libertatis appetens) novis illorum temporum belli motibus a primo studiorum ardore tantisper avocatus, brevi alio cogitationes et animi studia penitus convertit, factoque cum musis repudio, armis et militia se oblectare cœpit, affinibus id indigne ferentibus, et matre quam maxime reclamante; sed mente ille in armis obfirmata, suos tandem pervicit monitores, pessima, ut tunc quidem videbatur, victoria, sed quæ tandem Divina providentia victorem ipsum salubriter aliquando vinceret. Cum electis enim omnia proficiant in bonum, ita occulto Dei numine, cœlestique instinctu accidisse minime dubitandum, ut, antequam spiritale contra spiritales nequitias bellum susciperet, hostium visibilium pugnis et victoriis exerceretur, indeque primo æternæ salu- C tis existeret initium, unde damnationis sempiternæ certissimum imminebat exitium. Sed quæ prima fuerint ejus militiæ rudimenta, accuratius est dicendum, nam, qui de Hieronymi rebus gestis, ante me scripserunt, ab eo admodum adolescente literarum studia magna cum affinium matrisque molestia, novi belli ardore rejecta consentiunt; qua tamen in expeditione prima ille induerit arma, haud distincte ab illo accepimus. Quod enim de Castri novi præfectura, ubi divinitus prima illius conversionis sunt jacta semina, subjiciunt, non est ejusmodi, ut vel in hanc immaturam ætatem cadere, vel cum aliqua suorum matrisque molestia accidere potuerit: quippe trigesimum fere jam annum natus, satis ei muneri maturus, et aliquot annis ipsi matri superstes, eam præfecturam obivit; quæ certa historiarum luce præeunte, in dubium vocari nullo modo possunt. Quibus igitur aliis primum motibus ad arma sit excitatus, tradendum est.

*a studiis litterarum anno ætatis 15*

*ad arma convertitur.*

## CAPUT III.

### *Quando primum ad arma transierit.*

Quoniam vero in obscuris, ac difficilibus rebus, et vetustate pene obrutis, bene etiam dubitasse non postrema laus; liceat nobis in re perantiqua, et a scrip- D toribus parum dilucide explicata, quasi divinando conjectare: ea tamen lege, ut maxime veritati affinis nostra videatur conjectura. Quod non erit, opinor, difficile ostendere, cum hæc una apud Venetos belli occasio, quam modo subtexam, in hanc Hieronymi ætatem inciderit, quæ illum a studiis avocatum facile ad arma traxit. Cujus gravissimi *a* belli initia paucis omnino repetenda sunt. Carolus Octavus Galliarum Rex, expeditione in Aragonios Neapolitanos Reges suscepta, ingenti cum exercitu in Italiam transmisit, nulloque ex Principibus nostris prohibente, paucis diebus Italia fere omni pacatissime emensa, nullo belli discrimine, nulla adversæ fortunæ alea objecta, Aragoniis Neapolitano regno pulsis, ejus provinciæ Imperium paucis mensibus occupavit. Cujus victoriæ fastu Rex juvenis mirifice elatus, ipsaque natura, gloriæ studio, et vasta Imperii propagandi cupiditate vehementissime incensus, reliquam ferme Italiam animo sibi destinare videbatur; cum reliqui Principes non ignari, quam perniciosum universæ Italiæ bellum intestinum atque domesticum, ab exteris illatum, et tanta victoria confirmatum, futurum esset; rebusque suis, tam facile Aragoniorum opibus excisis, ab insolente vic- E tore nemo non certam impendere cladem timeret; ut Carolo nova, et libertati Italiæ maxime perniciosa molienti, sese objiciant, universi decernunt; Gallorum amicis æque, ac inimicis maxime verentibus, ne nimium auctæ victoris potentiæ, universa tandem cederent. His enim ut ab inimico victore certa pernicies; ita illis ab amico non certa salus expectanda videbatur. Adeo hominum vesana dominandi libidine rarum, et insolens in summa victoria summæ moderationis exemplum.

*a Occupato regno Neapolitano a Carolo VIII Rege Francorum,*

12 Igitur Veneti Italiæ dignitati studentes, cum eam periculo vacuam, et armorum terrore liberam cuperent, in communem fœderis societatem alios convocarunt; initumque fœdus est anno MCCCCXCV, cum decem jam annos Ducariam dignitatem in Venetos exerceret Augustinus Barbadicus. Fœderis juramento convenere cum Venetis Summus Pontifex Alexander sextus, Maximilianus Cæsar, Hispaniarum Rex Ferdinandus, et ipse Ludovicus Sfortia Carolo belli auctor, et suasor, Regulique Estensis, et Gonzaga. Eo vero nomine fœdus evulgatum est, ut pace inter socios servata, communibus armis bellorum incendia ab Italia arcerentur, ejusque liber- F tas, et Summi Pontificis autoritas, et majestas servaretur; socii, cujusque ditionem tuerentur, et quo magis citra Caroli injuriam hæc facta viderentur, nec ipsi negatus in fœdere locus si sociis amicus, hostili ferro ab eorum finibus abstinuisset. Verum ille accepto de fœdere nuncio, quid tandem consilii subesset probe intelligens, fœderatis vehementer iratus, extremam illorum rebus perniciem illaturus, mox Neapolitano regno discessit. Quo nuntio cum rebus suis a Gallo excidium imminere haud dubie omnes intelligerent, ut tantum ac tam propinquum periculum, et tam commune ex fœderis lege mutuis propulsarent auxiliis, celerrime quisque injunctum sibi militem describere maturat: idque Veneto Senatu, cujus amplissimum erat in Italia Imperium, studiosissime curante, lectissima nobilium virorum manus, ad publicam rem tutandam, in fœderatorum castra conduxit, in quibus Hieronymum fuisse, si hac ille ætate (quod produnt auctores) in armis fuit, mihi persuasum est.

*et fœdera contra eum a variis inito anno 1495,*

*creditur militix adscriptus,*

13 Quod matri non accidere non molestissime potuit; nam paulo ante Angelo conjuge carissimo, satis integra ætate, in ipso magnorum honorum cursu, non immaturo magis, quam acerbo funere ex humanis prærepto, filium hunc natu minimum, patrem inter

*ægre ferente matre vidua.*

A inter ceteros referentem, veluti unicum præsentis orbitatis relictum solatium, in ea viduitate thori, ea ætate ab se longius abesse periniquo animo ferebat: tum vero libera illa militum vivendi licentia, nondum satis firmatos juvenum mores labefactari, castitatem haud dubie quati, conceptos pietatis igniculos consopiri sciebat, excitatis scilicet amatoriis, et turpioribus domi sub pudoris cineribus delitescentibus. Ad hæc varios casus et pericula, quæ militem adire necesse est, incertos, et adversos plerumque belli eventus Hieronymo vehementer extimescebat; in quo uno eximium familiæ decus, et magnarum rerum laudem ingenti spe collocarat. Quare cum illam, et amor, et spes, et metus, et quæ maternos animos mirifice torquet, diuturnior absentia sollicitam haberet; nihil intentatum relinquere, amicos adhibere, interponere affines, nullum lapidem non movere, quo filium a suscepta animi sententia deterreret: sed ille vel militaribus amicorum vocibus, vel insita illa animi magnitudine, alacritate naturæ ad ardua et eximia quæque extimulante, vel quod ad familiæ decus, et honores in Repub. sibi parandos, armorum studia litterariis præstare existimaret; nullis vel precibus, vel difficultatibus expugnatus, jugo maternæ servi-
B tutis excusso, jugum pravæ libertatis, ac militaris licentiæ subdita cervice lætus excepit: adhuc ignarus summum esse servitutis genus, juventutis licentiam. Quinto igitur et decimo ætatis anno, militari sacramento est addictus: qua etiam ætate S. Martinus prima militiæ stipendia fecisse dicitur.

*Victoribus Venetis militia partа,*

14 Summa vero totius belli tandem hæc fuit. Gallo Venetos lacessente, annuentibus Melchiore Trivisano, et Luca Pisone Legatis, pugnatum est in agro Parmensi ad Tari fluminis ripam adeo felici marte; ut victore exercitu fugato, opulentissimaque tantæ victoriæ præda direpta, parum abfuerit, quin a Veneto Senatu Italia leges acciperet. Atque hæc quasi divinantes in tanta rerum obscuritate, ne rem incertam pro certa prodere videamur. Sed reliqua, quæ clariora et magis distincta accepimus, prosequamur.

a *De hac irruptione Francorum in Italiam, et de regno Neapolitano agunt Guicciardinus, Garimbus, Gillius, Ferronus, Contarenus, aliique et Spondanus in Annal. Eccles. ad annum 1494 et sequentes.*

## CAPUT IV.

### *Depravati adolescentiæ mores.*

*Cum bellico ardore*

C In primis autem certum est ab ea ætate Hieronymum ita militari studio delectatum, ut nihil cum voluptate præter arma tractaret: quibus ille se totum ætatemque omnem propterea magno laudis ardore devoverat, quod maxima interdum terra marique bella Reipub. imminere cum didicisset, permagni ad nominis immortalitatem, et æternum familiæ decus referre intelligebat, si vel externis bellis Rempub. vexatam propugnare, vel Imperii fines armis longius proferre sibi contigisset. Sed nobilem illam, et matri postea non adeo ingratam armorum tractationem infecti militiæ mores, quibus illud hominum genus fœdari solet, comitabantur. Nam secutus castra contraxerat inde solita vitia et labes: militares vero et feroces adeo spiritus hauserat, ut identidem audax animus, et efferum illud ingenium sese proderent: quippe levissimis etiam de rebus vehementer excandescens ita animi furore abripiebatur, ut jam pene ferri non posset. Quod impotentis iræ vitium ita paulatim in naturam abiit, ut operosius postea ab uno iræ motu, quam ceteris vitiis animo expurgando laborarit: iracundia vero sedata, nihil illo mitius, nihil humanius. Antiquior illi militiæ gloria, quam aut litterarum, aut etiam Christianæ pietatis laus erat. In serendis amicitiis, aut in

*deditus v... iræ,*

conciliatis, et firmatis mutuis deinde benevolentiæ officiis excolendis studiosissimus. Ex quo factum, ut æqualibus esset unice carus, ejusque consuetudine et amicitia delectarentur universi; quibus tamen ille, et depravato naturæ sensu impellente, et juvenilis ætatis impetu concitante, non tam in amicitia socium, quam in patrando scelere ducem diligentissimum se præbebat; siquidem amatoriæ vesaniæ, et voluptatum illecebris delinitus, naturæque blandimentis sopitus, cupiditatibus omnibus facile obtemperabat; in quibus ætatis florem, cum magno damno, tum pernicioso sodalibus ad imitandum exemplo, misere consumpsit. D

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

*et luxuriæ:*

*frustra a matre admonitus,*

16 Sensit tum ejus mater prudentissima fœmina se haud dubiam conjectricem de illius moribus, et vatem extitisse, cum primum militaribus ejus studiis refragari cœpit. Hæc Hieronymum sæpe ad se vocatum maternis adhortationibus, saluberrimis consiliis, et precibus ad saniora revocare consilia, graviter objurgare, reprehendere, impietatem et audaciam juvenilem detestari, ut dignum suis natalibus indueret ingenium, obtestari. Sed incassum fusæ vel cum lacrymis preces. His severiores accedebant fratrum objurgationes quibus sæpissime ab illis tentatum, si forte ejus animum tam obfirmatum, et tam durum in scelere aliqua ratione mollire possent. Verum ille E frænum momorderat, qui objurgationibus, non quasi injecto fræno coerceri, sed veluti acutis stimulis ad pejora impelli videbatur, quam esse improborum naturam Spiritus sancti voce commonemur. Sed ita cœlesti nutu permissum quo Divinæ gratiæ vis reburque splendidius elucerent; quæ inveteratas in scelere voluntates, et diu obfirmatos in malum mores repente commutat, eque impense improbis egregie sanctos efficit. Ceterum, etsi ea militari licentia, laxatis vitiorum omnium habenis, in extremam prorsus animi perniciem, nullo penitus prohibente, ruere videretur; quandoque tamen fluxos ætatis mores, et periculosam juventutis libertatem humana quædam jura mirifice moderabantur. Cum enim magistratus in Repub. non tam nobilitati, quam virtuti, et morum integritati deferri intelligeret, maxime verebatur, ne suis flagitiis apud Senatores læsa de moribus opinio impediret, quo minus propositas nobilibus viris dignitates assequeretur. Itaque ardens illa honorum sitis, et ad magnos in Repub. progressus flagrantissima cupiditas, quæ ejus animum vehementer accenderat, nonnunquam, a sceleribus avocatum, ad frugem, et libero homine dignam vivendi consuetudinem revocabat. Adeo misera, vel cæca hominum F ingenia potiora Divinis humana jura ducunt; et facilius terrenæ ambitionis gloria, quam Christianæ pietatis disciplina reguntur.

*et a fratribus objurgatus*

*emendatur tamen re... in dignitatum ambitu*

## CAPUT V.

### *Iterum difficillimo Reipub. tempore ad arma revocatur.*

Paucis omnino annis ab ea tempestate sedata turbulentior alia procella exorta est, et nescio quo infelici adversoque Reipublicæ astro, novo rursus belli turbine Venetorum res involvuntur. Rem multorum celebratam *a* litteris placet hic, nec longa, nec a decursu narrationis aliena egressione, ab ipso principio repetere. Maximilianus Cæsar, nobilibus aliquot oppidis Germanicæ ditionis ad Carnorum juga, Liviani Venetorum Ducis opera spoliatus, nec dissimili exitu ad Tridentinas fauces bello vexatus, Venetis vehementer infensus, eorum Imperio excidium animo concipere, reque ipsa moliri cœpit. Verum non temere putavit, tantum bellum adversus Rempub. copiis atque opibus terra marique insuperabilem, comparandum: nisi communi omnium Europæ Principum consensu et viribus, arma in Venetos expedirentur;

*Fœdere a t... are.*

A expedirentur; quos ille universos certa conjectura facillime sibi assensuros non dubitabat; fuitque votis eventus. Qui enim tum sacris præerat Julius secundus, infenso in Venetos animo, provinciam minime detrectavit, quod primariæ Urbes Ariminum, Faventia, et Ravenna Pontificiæ ditioni ereptæ, et sæpius repetitæ, minime redderentur. Ludovicus Gallorum Rex Cremonam, et Brixiam, aliasque urbes Mediolanensi Imperio detractas vehementer dolebat. Hispaniarum Rex Ferdinandus minus totam et integram Neapolitani Regni possessionem putabat; cum maritimæ Apulorum urbes Tranium, Monopolis, Brundusium, Hydruntus, Barleta, Sipontum non ita pridem ab Aragoniis oppignoratæ Venetorum præsidio et imperio tenerentur. Ferrariensis vero Dux Rhodigio, Mantuanus Asulo in Cenomanis, et Pischeriæ inhiabant; nec ullus fere Principum erat, qui non aliquam Veneti Imperii partem ad suam pertinere ditionem, quoquo tandem jure, non assereret. Quare universi evocantur, tanquam ad solemne sacri belli edictum, totius Europæ Principes; eisque indictus apud Cameracum *b* Morinorum in Belgis conventus; ubi ad diem statutam illorum Oratores frequentes adfuere. Totius deliberationis summa fuit,

*Auctore Augustino tertura Pontifice.*

*Regibus Franciæ, et Hispaniæ,*

*aliisque Principibus,*

*b*

B ut omnes uno belli fœdere sociati, communibus copiis et viribus bellum in Venetos susciperent; et, quod magni fuit, tanta religione, silentii sacramentum ab omnibus observatum, ut ejus belli calamitas, prius quam suspicio, ad Venetos pervenerit. Annus octavus supra millesimum, et quingentesimum a die Christi natali numerabatur, cum belli consilia clanculum agitari, et tantum incendium excitari cœptum est, cujus deinde flamma anno quingentesimo nono, quarto Idus Decembri erupit. Tanto autem formidolosius bellum exortum est; quanto fuerant principia occultiora.

*Foedo an. 1508.*

*Veneti oppugnantur an. 1509*

18 Non est credibile, quanto animi ardore, quam acerbis odiis, quanta crudelitate sit utrimque pugnatum. Senatus de tam gravi Principum omnium expeditione accepto nuntio, in summa rerum perturbatione et discrimine, neque metu superatus, neque dolore victus, veterem constantiam retinuit; fortique ac præsenti animo jus suum bello persequi, et laboranti Reipub. trepidisque rebus subvenire aggreditur; terra marique quanta celeritate fieri potuit, militem conscribere, copias expedire, imperii fines munire. Cum vero ab omnibus acriter impeterentur, tum maxime ab uno Cæsare extrema cala-

*fortiter resistunt,*

C mitas imminere videbatur; qui capitali odio in Venetos incensus, non discessurus ab armis videbatur, priusquam Venetorum Imperium delisset excidio; tantam quippe bellatorum manum contraxerat, ut militum copia reliquos omnes fœderatos solus pene superaret, centum enim armatorum millia sub signis habuisse fertur: quo exercitu in eam Fori-Julii partem primo impetu invaserat, quam partem tutari maxime Reipub. intererat. Itaque missis in eam rem Ducibus cum exercitu, Hieronymus Castro-Novo cum tribus militum centuriis Prætor decernitur. Arcis Præfectus erat Andreas Ruunudius. Eo profectus impigre omnia præstitit Hieronymus, quæ Ducem optimum decent: locum omnem diligenter perlustrare, minus tutas partes confirmare, repurgatam fossam, ruderibusque evectis altius deprimere, tormenta muralia pro mœnibus apte disponere, suas præsidiis stationes assignare, nihil omittere, quo inimico adventanti sese opponeret, quem jam jam imminere, locis superioribus devictis, audiebat: nec longa expectatione fatigatus est, siquidem hoc tanti robur exercitus, Bassiano et Acelo in Euganeis direptis, aliisque locis incendiis, cædibus, et populatione vastatis, tandem agrum Tarvisinum insedit, et pervigilio S. Augustini sexto Calen. Sep-

*commissa Hieronymo defensione Castri-Novi,*

tembris quingentesimo undecimo anno, ad Castrum- D Novum tanta belli moles deflexit. Locus est ad ripam Plavis fluminis in regione, cui nomen est Querinto, in Alpibus supra Tarvisinos fines, leni jugo editus, artis, et naturæ præsidio valde munitus; quem locum Cæsariani, quod suis conatibus valde officere viderent, omnino aggrediendum et expugnandum sibi esse statuerunt.

*situs ad Plavem fl.*

a *De hoc fœdere et bello agunt passim illius temporis scriptores Veneti et Spondanus ad annum 1508 et sequentes.* — b *Cameracum, in finibus Nerviorum situm, procul a Morinis distat, Atrebatibus interpositis.*

## CAPUT VI.

### *Castrum-Novum acri oppugnatione Cæsariani invadunt.*

Ductabat Cæsaris copias Palissia magni nominis Dux. Is, copiis eductis, sese in conspectum Castri dat, tantamque multitudinem oppidanis loco idoneo conspiciendam ostentat, ratus forte obsessos viso hostium numero trepidos, metuque perculsos, deditionem facturos. Et nisi per Hieronymum stetisset, respondebat votis eventus. Adsunt celeres Legati Hieronymum admonentes, ut Castro excedat, extrema minantes, si deditio, aut recusetur, aut differa- E tur. Breve responsum ad ea fuit Hieronymi: devotum caput habere libertati patriæ; atque adeo sibi statutum vita potius quam loco cedere, experiretur, ubi vellet Imperator, Venetam fortitudinem, pectus telis quantumlibet petens, abeuntis terga non visurus. Iraruin et diræ feritatis incitamentum Palissiæ ea responsio fuit, qui rem armis bellicisque machinis extemplo agere statuit, murosque oppidi tormentis æneis diverberare cœpit. Quæ in mœnia primum tum saxea, tum ferrea machinis bellicis impellebantur missilia, parum nocere; si quæ vero intra mœnia accidebant, disjectis ædificiis, magnam stragem edebant. Sed longa tandem ejaculatione, et continuata plures dies murorum verberatione e majoribus tormentis ingentis magnitudinis explosæ ferreæ pilæ, omni regione horribili sonitu latissime personante, ita oppidi mœnia quassarunt, ut solutis juncturis pluribus in locis, maxima muri pars corruerit, hostique irruenti aditus patefecerit.

*Cæsarei Castrum-Novum oppugnant,*

*tormentis quatiunt.*

20 Quare, tormentorum oppugnatione intermissa, diripiendi oppidi signum milites expectabant. Veneti tam horrenda murorum vastatione animo consternati, salutem desperare cœperant. Andreas Ruunudius arcis Præfectus, cum oppugnationem amplius sustinere se posse plane diffideret, idque palam dictitaret, tandem pleno sceleris atque perfidiæ consilio, F nocte intempesta ex arce, et e Castro clam dilapsus, fuga fœdissima sibi consuluit. Ea res propterea gravissime offendit Hieronymum, quod militum animos timore debilitavit, ac fregit, et oppidanos in eam rerum desperationem conjecit, ut de ditione palam agerent, nihilque propius erat, quam ut ad colloquium hostes vocarentur. Ea re intellecta, Hieronymus vehementissime universos pro concione objurgavit, quo tandem vesaniæ devenerint, ut levissimi transfugæ, et hominis perfidiæ scelere contaminati exemplo moverentur: probe intelligerent, non modo quidquam turpius ea deditione illis accidere posse, quæ insigni dedecoris infamia notatos deformabit, sed etiam, quod perfidi hominis facto permoti, ad ista consilia deflexerint, non levem turpitudinis notam contraxisse; proinde non desponderent animos, tam nefaria consilia adjicerent, dignum Veneto nomine induerent ingenium; sibi quidem esse, et gloriæ famam, et patriæ defensionem, quavis omnino vita potiorem, sequerentur ergo optimi cives, et fortissimi milites amantissimum Patrem et Ducem.

*Arcis Præfecto arcis ad hostes transfugiente, consternati,*

*ab Hieronymo animantur,*

21 Hæc aliaque permulta militari plane vultu, at-

que

A que incredibili animi ardore locutus, ita universos confirmavit; ut, deposito metu, nihil præter pugnam exoptarent, in qua ad extremum usque spiritum oppidum se defensuros pollicebantur. Et dictis respondere facta. Nam diripiendi oppidi dato signo, per muri ruinas facto impetu, intra mœnia non uno in loco per vim conantur irrumpere Germani. Sed, Hieronymo Duce fortiter ex adverso Venetis pugnantibus, primi Germanorum impetus magna suorum clade sunt rejecti. Tum Hieronymus diurnis, nocturnisque operibus qua murum instaurare, qua apertis locis novas munitiones objicere, per milites et oppidanos terram comportare, aggerem construere, quaqua tandem ratione posset, aditum obstruere. Nec irritus omnino labor: qui enim locus antea hostibus is videbatur, ut levi tormentorum displosione, et uno aut altero militum impetu facile obtineri posset; Hieronymi virtute factum est, ut pene insuperabilis appareret, vel non nisi maxima hostium clade posset expugnari. Jam enim tertio oppidum aggressi, magna semper suorum cæde et ignominia, aditu erant prohibiti.

*militem invadentem sæpius repellunt:*

*mœnia restaurant:*

22 Suppudebat jam Palissiam tam exiguo hostium numero se tamdiu distineri, quando majores admovere copias, et delectum tanti exercitus florem B in paucos expedire statuit. Itaque dato pugnæ signo, acrior, quam unquam antea oppugnatio instituitur: lectissimos milites, et totius exercitus robora primo immittit, qui aditum in Castrum strenue pertentent. Hos auxiliares copias, quæ fessis subsidio sint, subsequi mandat: ut nulla nostris, vel murum reficiendi, vel a prælio cessandi data quiete, certior esset victoriæ spes, cum integri semper fessos adorirentur. Æmilianus etsi tantam belli molem in se unum, et admodum paucos milites, eosque laboribus fractos incumbere, et multis partibus uno tempore cum frequenti et integro hoste dimicandum animadverteret; tamen, quod vix credibile videatur, animo stetit, ac viribus; milites egregie cohortatus, perite disposuit. In prima acie ille constitit, periculosiorem sibi stationem provinciamque deposcit: exemplo et virtute Ducis reliqui ita animo confirmati sunt, ut exercitus impetum excipere, diuque acerrime pugnando sustinere, et oppido arcere non dubitarint. Sed longam, et semper ardentiorem oppugnationem diutius ferre non potuerunt ii, quos, præter certaminis labores et vulnera diuturnæ pariter et nocturnæ vigiliæ conficiebant: quippe propter paucitatem assiduis pene stationibus dispositi circa mœnia, dies noctesque in C armis traducere cogebantur. Quæ damna hostis in magna militum copia facile sarciebat; cum deserta stationum loca alii subinde aliique replerent. Novis itaque semper, ac viribus integris sibi per vices succedentibus Germanis, tandem paucorum virtus multitudini cessit. Adeo enim multis locis perfosso dirutoque pariete, cum Veneti, quos præter ceteras, ut dixi, belli difficultates, ipsa semper magis paucitas fatigabat, admodum infrequentes, et ii perpetuo labore et vulneribus confecti apparerent, liberoque introitu irruerent alii post alios Germani, vis ac numerus sustineri ultra non potuit; Itaque totis connixi viribus, et multis partibus simul irruptione facta, Castro tandem, sed haud incruenta victoria, sunt potiti.

*acri assultu,*

*licet exemplo Hieronymi præeuntis excitati,*

*superantur,*

*et capto oppido*

## CAPUT VII.

*Castro-Novo direpto, Hieronymus carceri addicitur.*

In tam difficili, et cruenta oppugnatione eximia certe, et singularis tum militum, tum oppidanorum virtus emituit; licet pene omnes tandem, aut tormentorum fœda laceratione discerpti misere interierint, aut hostium copiis circumventi, fortiter pugnando, D extremo vitæ periculo multitudini cesserint. E Bellonensibus, qui eo subsidii caussa convolarant, duo minores duces Michael Paganus, et Victor a Cruce magna fortitudinis laude cæsi leguntur. De Rimundi fuga nihil amplius compertum est. Sed Hieronymi virtus militaris, et prudentia in primis admiranda. Is enim et ante prima signa fortiter dimicando, et idoneis locis disponendo milite, et, ubi res postularet, celeriter muniendo, omnia tandem militaria munera impigre obeundo, fortissimi simul bellatoris et Ducis præstantissimi laudem, etiam inimicorum testimonio, est consecutus. Verum nec longo quidem intervallo victorum virtus in ea oppugnatione Germanorum immanitatem in oppidi direptione exæquavit. Primum enim oppidum ingressi, vix credibile est, qualia inauditæ sævitiæ, et barbaræ crudelitatis spectacula exhibuerint, seu militum virtute in resistendo, seu tanta suorum clade in rabiem acti: nam obtruncatis passim militibus et oppidanis, promiscua cæde in armatos æque atque inermes, nullo sexus vel ætatis discrimine, debacchati sunt: in trucidata quoque oppidanorum, et militum corpora sævitum. Itaque brevi fœdissima et confusa omnium ordinum et ætatum strage, adeo locum deformarunt, ut humano sanguine satiari haud posse viderentur. E

*plurimi intereunt,*

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

*aut a victoribus trucidantur:*

24 Ceterum in tam horribili rerum omnium clade, in tanto sauciorum numero, illud miraculo par, unum Hieronymum, qui inter primos ordines prælium ciebat acerrime, cujus universi fere jugulum petebant, tanta hostium cæde in oculis omnium edita, vivum et, nullo accepto vulnere, in hostium manus devenisse. Eo capto, fuit pugnæ finis: partam tanto sudore, ac sanguine victoriam inter se gratulantur Germani. Nota virtus Æmiliani, probataque magno cum eorum damno militaris fortitudo prædam reddit illustriorem; quem Palissiæ tanquam insigne partæ victoriæ trophæum sistunt. Is Hieronymum in tetrum ac tenebricosum carcerem in imo turris fundo anguste admodum effossum detrudi, et debitis suppliciis audacissimi hominis scelus ulcisci jubet (sic enim appellabat) quod deditioni minime annuisset, quod pari fortitudine, atque fide, locum esset ad extremum usque egregie tutatus. Hic pane, et frigida aqua tantum alebatur: ferrea vincula manus et pedes constringebant: collum ambiebat in mancipii morem circulus ferreus, et quo duorum triumve annulorum catenula cum pila marmorea pendebat; globus tormentarius is erat haud exiguæ magnitudinis additus, sive ut nocte quiescentem vexaret, vel fatigaret F interdiu vigilantem; aut, si fugam intentasset, crebro ictu globi tergum, vel pectus diverberantis fugienti cursus retardaretur; et ne qua tandem membra quiete fruerentur, ad gravem carceris fœtorem, loci angustiam et tenebras, varii accedebant corporis cruciatus: quippe Ducis edicto acerbis quotidie suppliciis exquisite torquebatur.

*Hieronymus captus,*

*tetro carceri includitur.*

*inedia et vinculis torquetur.*

25 Multos jam dies carceris acerbitatem, et Germanorum sævitiam eo loco perpessus nihil præterea, quam, ut extrema de suo capite statuerentur, Hieronymus expectabat. Sed hominum consilia Divina bonitas antevertit; dum enim hujus vitæ imminens periculum a mortalibus extimescit, æternæ vitæ ab immortali Deo certissima initia recepit, et qui miseriarum, et calamitatum locus plenissimus videbatur, is cœlesti solatio, et maximorum dolorum levamento, non multo post extitit jucundissimus: quandoquidem illi Deus tantis belli laboribus, et tam apertis vitæ periculis, non extremam perniciem corporis, sed salutarem occasionem promerendi æternam salutem impendere, singulari et inaudito miraculo, consequenti posteritati prorsus admirando, declaravit. Singulare hoc est Divinæ bonitatis medicamentum, ut, quos

*in mortis periculo*

*ad meliorem vitam a Deo erigitur:*



beneficiis

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.

A beneficiis ad virtutem allicere nequit, severioribus pœnis a scelere avocare contendat. Adeo enim diuturna peccandi consuetudo malorum animis callum impietatis obducit, et sensus cupiditatibus addictos immanitate quadam stuporis offundit, ut nullos divinæ gratiæ motus, nullas internæ vocationis voces auribus admittant : nisi irati numinis plagis contusi atque debilitati, medicinam aliquando non aspernari condiscant. Quod cœlestis providentiæ singulare beneficium in Hieronymo mirifice per id tempus eluxit; qui Divina benignitate diutius ad suam perniciem abusus, tenebricoso, et squalore obsito carcere, e flagitiorum tenebris ad honestatis lucem contuendam est excitatus. Sed quoniam res est omnium, quæ in illius vita acciderunt, commemoratione dignissima, quod ex ea tam insignis consecutæ pietatis initia extiterunt, cogit me ratio suscepti muneris, ut magni eventus seriem sin minus æqua, saltem fusa narratione prosequar, ut divinæ beneficentiæ vel aliqua ex parte inserviat scriptoris diligentia, vel certe minimum sua negligentia detraxisse videatur.

## CAPUT VIII.

B *E carcere insigni beatissimæ Virginis miraculo liberatur.*

Eo in carcere nulla gravior molestia Hieronymum sollicitabat, quam acerbæ et diræ necis, cujus sibi periculum in singula momenta crudeli ab hoste imminere non dubitabat. Quam cogitationem diu animo versans, vehementer est commotus, serioque cœpit, non tam de corporis, quam de animæ salute agitare secum salubria consilia : et ab omni humana ope destitutus, unum sibi in Divina præsidium reliquum esse cogitare, quam tamen, ne implorare confidenter auderet, faciebant anteactæ vitæ commissa, quæ multa et gravissima menti occurrebant, quorum conscientia deterritus, ægre admodum precibus suis locum futurum apud Divinam clementiam verebatur. Sed illum jam satis cruciatibus, carcere, et mœdia maceratum, et scelerum conscientia afflictum, respexit Deus, divinæ lucis splendore, et suavi gratiæ cœlestis virtute in ejus animum sese liberius effundente. Cujus beneficio ita cœpit peccatorum gravitate ac turpitudine angi; ut jam longe major contempti Numinis, quam præsentis calamitatis dolor ejus animum discruciaret : jamque cœlestem iram in C se merito concitatam, divinamque justitiam, quam ille suis flagitiis, et effrenata libidine tamdiu contempsisset, et cujus imperium sanctissimis legibus repudiatis etiam detractasset, justas suorum scelerum pœnas repetere intelligeret. Quare obortis lacrymis, se merito Divina tutela et præsidio exclusum, in supremum capitis et salutis periculum adductum inclamabat; quod cœlestis gratiæ beneficentiam semper ingrato animo rejecerit; quod toties Divina misericordia de sua salute tam variis modis admonitus, ad pristina tamen scelera magnum in dies singulos impietatis cumulum addere studuerit.

*peccatorum dolore angitur,*

27 Hæc ille, et alia multa ex magno animi dolore, et lacrymarum copia cum mente volutaret, ac pene ad extremos desperationis scopulos misere deferri videretur; derepente aura cœlestis Numinis leniter ejus pectus afflante, in pacatissimum portum salutis est invectus. Animum enim ejus pene destitutum subiit Deiparæ Virginis Tarvisinæ memoria, quam Matrem misericordiæ mortalibus datam, unicum miseriarum solatium, et peccatoribus extreme laborantibus certissimum perfugium a Deo constitutum recordatur. In hujus igitur beatissimæ Virginis tutela salutis suæ præsidia collocanda putat ; qua Patrona, et Advocata si apud Deum utatur, non dubiam sibi scelerum indulgentiam, et æternæ salutis D auxilium pollicetur. Itaque fusa illico ad Virginem, non tam longo verborum ambitu, quam interno animi affectu, et lacrymarum imbre gravis et pia oratio; ne se miserum, licet ejus clientela et patrocinio indignum, tot circumvallatum calamitatibus, et tot pressum malis negligeret; se a Christianis illis peccatoribus unum esse, eumque insignem, quibus a Christo Mater misericordiæ, et commune perfugium data est; proinde ne abjectissimum famulum, a filio sibi commendatum, clementissima cœli Regina et Dei Mater despiceret : de salute atque incolumitate animi prope desperanti mature subveniret : flagitiis, criminibusque suis, quæ ille innumerabilia fateretur, ab irato filio veniam et pacem posceret : non desereret Patrona clientem, Regina servum, communis misericordiæ Parens jacentem in sordibus et squalore filium. Ad hæc se nudis pedibus eamdem sacram Tarvisinam ædem invisurum, ibique certum sacrorum numerum suo ære curaturum, et voce tabulisque tam insigne beneficium palam testaturum, voti religione obstrinxit.

*invocat Deiparam Tarvisinam.*

*vota varia nuncupat :*

28 Cordi utique Deo, beatissimæque Virgini fuere preces et vota : vix enim ea Hieronymus absolverat, cum sese oranti, et multis lacrymis supplicanti, candida in veste, necnon cœlesti luce circumfusa, ac di- E vina plane majestate conspicua Dei Genitrix obtulit, carcerisque tenebras inusitato atque inexplicabili radiorum suorum splendore dispulit ac fugavit. Ex oculis enim, ac vultu, atque adeo toto celsissimæ Virginis corpore tanta claritas emicabat; ut neque posset in eam oculorum aciem defigere, nec emicantem inde fulgorem diutius intueri. Itaque hujusmodi spectaculis insuetus, terrore attonitus, totis artubus contremiscere, quid rei esset expectare; cum beata Virgo Hieronymum benigne intuita, et proprio compellans nomine, præsenti animo, et hilari vultu, omni cura vacuum esse jubet : cujus preces et vota, se Advocata et Patrona, essent a Filio clementer admissa. Ille animo erectus, Patronam suam intueri connixus, haud commode potuit; cumque oculorum, et animi voluptate quadam delinitus, illam obnixius attentius acriusque contemplari, tanta sensit radiorum vi obtutus aciem perstringi, ac prope obtundi, ut potuerit ardentem meridiani solis facem multo commodius intueri. Quare adhuc animo dubius, levi aliqua somni imagine se illusum putat; cum Beata Virgo cœptis addit, ut vota solvat, et vitæ emendatioris in posterum consilia ineat; tum manu ad eum F porrecta, claves offert, quibus et vincula et carceris ostia reserare, et quocumque libeat, abire mandat. Fidem visi fecit expleta promissio; siquidem ille impiger ad jussa, acceptis clavibus, vinculis, et carcere reseratis, sensit haud vanam esse tantarum rerum imaginem, tum ad cœlestem Patronam venerabundus, et in gratiarum actione totus effusus se convertit. Sed illa tenues in auras momento dilapsa, lætissimum Hieronymum summo mœrore suo discessu complevit; qui tandem verbis et lacrymis, dolore et lætitia simul intermixtis, actis intimo cordis affectu Deiparæ Virgini gratiis, e carcere liber egreditur.

*a Deipara mira pulchritudine apparente,*

*erigitur :*

*e carcere liberatur :*

## CAPUT IX.

*Novo miraculo Tarvisium deducitur.*

Extulit e carcere, (quo tanti beneficii sempiternum aliquod ad posteros extaret monumentum et probata fides) claves e cœlo sibi delatas, tum manicas, et compedes cum pila marmorea, et reliqua crudelitatis instrumenta, præter interiorem subuculam, ceteris vestibus nudatus. Ea sarcina, quasi trophæo suæ victoriæ, ornatus verius, quam oneratus,

*claves et vincula effert.*

sese

A sese in viam dat. Sed mox aliud imminet gravius periculum: vix enim aliquot passibus processerat, cum in exercitum Cæsaris incidit, et viam omnem armato pervigilique milite occupatam circumspectat. *per milites Cæsareos,* Expalluit Æmilianus, animoque corruit subito hostium incursu: humanisque deficientibus, ad divina perfugia se convertit: invocat iterum Patronam, et Dominam suam, ut se præsenti periculo ereptum, certo itinere incolumem dirigat, precatur. Nec irritæ *Deipara viam monstrante,* preces; vix enim ea complerat: cum priorem et speciem et habitum referens beatissima Virgo præsto est, et mox miraculum miraculo cumulat, manum apprehendit, securum sequi jubet, et per medios hostes ferrea vincula gestantem, alienis oculis minime conspicuum educit: hoc præterea singularis be- *Tarvisium venit:* nevolentiæ specimen addidit, quod Tarvisini itineris ignaro se comitem præbuit, donec civitatis mœnia in conspectum sese darent. Tum Diva tutelaris et comes Hieronymi repente ex oculis sese mira celeritate proripuit, illius mente novo et insolito splendore divinæ lucis sub ipsum discessum illustrata, et perfusa, occultoque igne divini amoris corde succenso. Atque utinam hic mortali fas esset dulcissima et prorsus cœlestia beatæ Virginis hortamenta referre.

B 30 Ille civitatem ingressus beatissimæ Virginis *vota solvit,* ædem adit, longa et pia oratione Filio, Matrique gratiis actis, novi miraculi eventum omnibus prædicat; obligatam voti sponsione sacrorum fidem integre liberat; tabellam, quæ rei admirandæ exitum *b* et accepti beneficii memoriam *b* scripto et pictura *claves et vincula suspendit:* perpetuo testetur, cum manicis, compedibus, collique vinculo et marmorea pila, e summo tholo pendentem curat, remque totam, quo ordine gesta est, publica fide scriptis consignari mandat. Illud vero vehementer dolendum, claves per sanctissimam Virginem cœlitus delatas infelici eventu, quo templum illud multis abhinc annis conflagravit, deperisse. Ideo cetera, quæ integra superfuerunt, a communi illa anathematum turba delecta, in interiorem altaris partem iisdem ferreis cancellis, quibus sanctissimæ Virginis imago, conclusa singulari religione asservantur, nec nisi pia adeuntium postulatione produntur. Compedes vero non ejus sunt generis, quibus fere uti consuevimus, ut ferreo vecte claudantur, sed quales interdum equis ad pascua dimissis injicere solemus brevi annulorum catena colligatæ. *Venetias abit* Hieronymus his rite Tarvisii perfunctus, Venetias eodem habitu properat, insigne beatæ Virginis bene-
C ficium palam per vicos, et compita in area magna Divi Marci enuntiat, quamplurimis hominem, quasi insanum somnia narrentem, irridentibus; aliis dubiam rei fidem, et suspectam non plane admittentibus, permultis vero, quibus Hieronymi ingenium ab omni fictionis et vanitatis suspicione alienum jam pridem notum erat, admirandæ rei eventum obstupescentibus.

a *Spectat hæc ædes teste Bossio, ad Canonicos regulares S. Salvatoris.* — b *Verba hujus scripti profert Bossius huic narrationi con... ad a. Eadem excuso tradit in libro* De miraculis et gratiis Deiparæ Virginis Tarvisinæ *Italice scripto, ac dein rhythmo etiam Italico vulgato.*

## CAPUT X.

*Bellicis rebus compositis Castro-Novo Æmilianus præficitur.*

Cum vero per annos ferme quatuor, eoque amplius, variis bellorum motibus tota nutasset Italia, ac omnis fere Europa; tandem de compositione inter *Pace facta,* Christianos Principes agi cœptum est: nec multo post æquis conditionibus commune pacis fœdus initum. Non facile credi potest, quanta lætitia, et jucunditate, subitus hic de compositione inter summos Principes nuntius omnem Europam perfuderit, atque compleverit, et quam mira serenitate miserabilem illorum temporum faciem, diuturno mœrore obscuratam, illustrarit. Sed apud Venetos præsertim lætissima omnia, quando ea dira tempestas, quæ paulo ante non terrorem modo, sed extremam perniciem, et interitum toti Venetorum Imperio attulisse videbatur, exitus habuisset omnium opinione feliciores. Siquidem opulentissimis civitatibus antea amissis, in potestatem redactis, tanti Imperii decor et majestas est iterum constituta. Sed Ducibus, et militibus optime de Repub. meritis larga ex veteri Senatus munificentia præmia decreta sunt: inter quos cum emineret Hieronymus, hoc in eum grati animi et benevolentiæ monumentum, ac ejus virtutis singulare testimonium extare voluit sapientissimus Senatus; ut Castro-Novo in potestatem recepto Æmilianæque familiæ ad annos triginta attributo, iterum Hieronymus summa cum potestate præficeretur; ut qui locus paulo ante calamitatis et ærumnarum plenus extitisset, idem et dignitate et commodo illi, totique familiæ jucundissimus foret. Sed alia omnia animo volvens, totum hoc, quidquid erat splendoris et dignitatis, quod suæ deferebatur virtuti, constantissime repudiasset Hieronymus, nisi familiæ ratio aliter suasisset: cujus non modo dignitati, sed opibus etiam, quas necessariis belli sumptibus pene exhauserat universas, hac tanta Reipublicæ munificentia honeste consulendum amici et affines contendebant: quorum adeo obfirmatos in ea re cernebat animos, ut in præsentia omne contradicendi studium frustra suscipi appareret. Quasi igitur supremum illud Reipub. et familiæ præstaret obsequium, oblatam dignitatem non tam admisit, quam subiit, quia citra Senatus, et affinium offensionem recusare non potuit. Pluribus autem annis Castrum-Novum Æmilianæ genti paruisse satis constat, ad alios postea feudali jure auctoritate Reipublicæ translatum.

D *AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.*

*oblatam a Rep. præfecturam Castri-Novi*

*amicorum rogatu admittit:* E

32 Commodo igitur tempore in viam se dat. Tarvisium primo profectus, Patronam suam beatam *Deiparam Tarvisinam invisit:* Virginem invisit, eamque religiosissime precatus, ut, quando voluntatis suæ plane conscia, non studio quæsitos a se fasces, non ambitam provinciam sciret, vires eidem oneri pares a Filio impetraret, et quem primum vellet esse ingressum, quemque extremum administrandæ provinciæ exitum, indicaret; qui jam, votis de novo genere vitæ conceptis, commodo, non impedimento foret. Ad oppidanos vero, *a civibus Castri-Novi* quos funesta patriæ calamitas reliquos fecerat, nec eodem impetu furentis exercitus rabies absumserat, si- F mul atque de Hieronymi reditu fama pervenit; ejus visendi studio maxime flagrantes, summa omnes lætitia complevit, nihilque, quod ad celebrandum adventum ejus excogitari ab incolis, aut præstari posset, *læte excipitur:* prætermissum; tam gratis animis exceptus, quam expetitus. Ut enim primum Prætorem adventare nuntiatum est, non domi venientem expectant, sed multitudine ad aliquot milliaria Castro-Novo obviam effusa, faustis acclamationibus accedentem excipiunt; et festis clamoribus deducunt, non sine multis expressis gaudio lacrymis, in omnibus tandem benevolentiæ studium, summæque voluntatis significatio enituit. Augebat in dies eorum lætitiam admirabilis quædam Hieronymi, tum lenitas et clementia in cives, tum pietas et ardor in Deum, quibus virtutibus administrationem illam vita obivit, ut eorum commodis accuratissime inserviens, numquam tamen a pietatis officiis in Deum retardaretur. Quare sanctioris *virtuti et pietati studet:* vitæ studiis incensus, alloquio mitis, in egenos liberalis, nulli impacatus, publicæ utilitatis perstudiosus, omnium denique virtutum genere ornatus, cunctis repente admirationi pariter, et exemplo fuit.

## CAPUT XI.

A

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.

## CAPUT XI.

*Defuncto fratre, magistratu se abdicat, reique familiaris administrationem suscipit.*

*morte fratris mæstus,*

Sed ista summa cum justitiæ, et pietatis laude administranti, tristis e patria nuntius, nec opinanti, allatus est, Lucam fratrem carissimum vixisse. Molestissimum id accidit Hieronymo, eoque nuntio pene consternatus facile declaravit, quanto in pretio, et amore fratrem viventem haberet, quem sensu vitaque carentem, tanto animi sensu deploraret. Ceterum, ut lacrymis indulsit, quantum prudens humanitatis ratio, et sanguinis conjunctio postulare videbantur; omnia tandem divinæ bonitati accepta referens, eidemque gratias habens, mœrentem animam solatus est, et sacras ac solennes expiationes de more pro illius quiete procurari jussit: ut igne purgante, si illo detineretur, liberaret; pauperibus insuper pecunias erogare, ipse frequens in oratione sollicitare cœlites, ut illum sua apud Deum gratia sublevarent, ab omnibus, ut idem faciant postulare, nihil tandem omittere, quod in acerrimis tormentis versanti aliquid præsidii posset afferre. Sed quoniam Hieronymo

*Eleemosynis et precibus animam juvat:*

B

præ ceteris negotium dederat ille moriens, ne quid ex testamento aut immutaretur, aut prætermitteretur, filiorumque tutelam uni illi maxime demandarat; crebris evocabatur affinium litteris ad res domesticas rite componendas, ad lugentem viduam solandam, ad nepotum curam tutelamque suscipiendam. Ille Prætoriam provinciam diu pertæsus, id saltem commodi, ex gravi illo familiæ incommodo sibi colligendum putavit, ut oblata occasione domestici vulneris, publicæ gubernationis fasces deponat: quapropter rei familiaris impedimenta caussatus, honestaque missione ab Senatu impetrata, eo magistatu et imperio se quamprimum abdicavit, et ex eadem Æmiliana gente novo Prætore subrogato, Venetias contendit. Quam vero libenter et peramanter in primo congressu ab oppidanis exceptus, tam mox ægre et permoleste in digressu dimissus.

*præfecturam Castri-Novi dimittit:*

34 Cum primum Venetias attigit, duo maxime nepotum gratia præstitit: alterum, quod tenellos adhuc puerorum animos ad omnem pietatem informandos, honestis moribus imbuendos, studiisque litterarum erudiendos curavit. Alterum, quod cum illis multæ atque amplæ variis in locis res rationesque cum multis essent patre contractæ, earum ille procurationem suscepit accuratissimam, et illorum

C

mercaturis fœnudis reique augendæ se diligenter tradidit. Nemini autem mirum aut novum esse debet homines natalibus nobiles, et honorum luce conspicuos mercimoniis implicari, quando non modo liberis in civitatibus, veteri consuetudine approbante, factum est, ut nihil mercatura nobilitati officiat, quod apud Januenses, Lucenses, Epidaurios, aliosque liberos homines cernimus, quorum institutis, et legibus nullam nobilitatis jacturam tractandarum mercium occupatio cuiquam civium parit. Sed multo magis etiam, quod, si rem suis pendamus momentis, si antiquorum diligenter discutiamus monumenta, et illustrium testimonio scriptorum, parique rationum suffragio, et exemplorum copia, nobilem hominem mercaturam haud dedecere comperiemus; sordidam semper, ac vilem excipio, quam civibus suis interdixerat Lycurgus, et nobilioribus exercendam vetuit Aristoteles. Necesse est enim hujusmodi homines sordidos esse, ac pusillos; ut qui lucello magnopere inserviunt, quæstuique se prorsus dedunt; ac proinde nullius honestæ rei studio incendi, nullius præclari facinoris gloria duci consueverunt. Quod luculenter expressit Cicero. *Mercatura autem*, inquit ille, *si tenuis est, sordida putanda est; si magna, et copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda.* Sed veterum dictis illustria gravissimorum hominum accedunt exempla. Solon, qui et sapiens unus fuit ex septem, et legum scriptor longe prudentissimus, cum ei perangusta domi res familiaris esset, propterea quod pater ad beneficentiam propensior patrimonium valde imminuisset, ad mercaturam, rei augendæ gratia, se contulit. Thaletem quoque mercaturam exercuisse auctor est Aristoteles. Platoni etiam olei in Ægyptum exportationem peregrinationis viaticum suppeditasse, docet Plutarchus. De Zenone præterea Stoicæ familiæ principe sunt, qui idem ex Laertio haud levi conjectura affirment; propterea, quod purpuram ex Phœnice mercatum tradat; non alia certa causa, ut conjiciunt, nisi ut iterum distrahendo quæstum aliquem faceret. Neque enim ea fortuna fuit Zeno, aut eo luxu, ut eam sibi vestem emeret. Auget etiam mercaturæ fidem, quod ex pecunia quæstum quærere illi familiare erat, patremque Mnesam mercatorem habuit. Catonem insuper Censorium, absolutum apud antiquos probitatis exemplar, negotiationi fuisse deditum, seque mercimoniis implicasse auctor est Plutarchus.

*pro temporibus facit mercaturam,*

*honestam apud antiquos habitam,*

7 Polit.

1. Offic. 151

D

Plutarchus in Vita

1. Polit.

In vita Solonis

Ex Laer

In ejus vita

E

*et a Regibus atque Imperatoribus exercitam:*

35 Sed a sapientibus ad nobilissimos, hoc est ad Reges, et Imperatores gradum faciamus. Tarquinius Priscus, qui præclaris virtutibus Romanorum regnum est assecutus, quique cultum Deorum novis sacerdotiis illustravit, Senatum numero auxit, Equestrem ordinem frequentiorem reddidit, ex patre mercatore mercator ipse extitit, et ingentes opes mercatura congessit. Vespasianus Imperator, non solum ante Imperium ad mercaturæ quæstus, sustinendæ dignitatis caussa, descendit; sed, illo etiam adepto, negotiationes palam exercuit, multa viliori emendo, quo pluris distraheret. Ælius Pertinax Imperator renunciatus, non secus mercaturam per suos homines exercere instituit, ac si privati ordinis extitisset. Addatur et hoc postremo loco, Mercurius Rex, et Philosophus a priscis illis inter Deos relatus, quod mercaturæ non modo operam dedit, sed et eam primus omnium ceteris tradidit: ideoque divini honores illi decreti. Vides igitur et Regiam et Imperatoriam dignitatem, quin etiam divinitatem mercatoribus ab antiquis deferri; ut minus mirum sit, si eumdem hominem nobilem esse, et mercatorem sæpe contingat. Sed ista longius prosequi præsentis non est instituti: hæc pro oblata occasione leviter delibasse satis: nec enim Veneta nobilitas cujusquam eget defensione, cui primas deferri in confesso

Val. Max. lib. 3. c. 3.

Diony. lib. 3

Ex Suet

Diony. lib. 6.

F

est apud omnes. Ad Hieronymum redeamus, qui, nepotum suscepta tutela, integra fide illorum bona curavit, nullo emolumento, nulla quæstus utilitate ductus; quippe non istis rebus labores ille suos metiebatur, sed Christianæ caritatis ardore magis, quam utilitatis fructu, aut sanguinis conjunctione, ad ea procuranda motus, uberiores laborum suorum proventus a Deo, cujus caussa erant suscepti, sibi pollicebatur.

*Christiana caritate juvat nepotes.*

## CAPUT XII.

*Insignis in Hieronymo morum mutatio.*

*Studet rebus spiritalibus,*

Haud segnior autem in suorum morum cultura, quam in rei familiaris administratione extitit Hieronymi industria, et diligentia. Solutus enim gravioribus publicæ gubernationis curis, diligentius cœpit spiritalium, ac cœlestium, rerum studiis vacare; vitiorum omnium in primis servitutem depellere, et liberam animi sui possessionem ab improbis et injustis direptoribus, quibus jam adeo fuerat addictus, ad verum Dominum omnino transferre statuit. Nec divinarum rerum studio flagranti præsens numinis auxilium

A lium defuit : quod occulta virtute ita cœpit Hieronymi mentem animumque versare, ut admirabilis vitæ correctio et insignis morum emendatio brevissime extiterit. *modestia in moribus :* Nam rejectis omnibus antea aut ad vanitatem aut ad luxum quæsitis universa, tum in habitu et ornatu corporis, tum in dictis, et factis, ad gravitatem et modestiam composita ; excisæ ad breves capillos luxuriantes comæ, quibus maxime juventus aut calamistro comptis, aut in cincinnos inflexis, aut in obeliscum erectis, delectari solet. Venustas oris in speciem virilem commutatur, verborum parcus, et prudens æstimator. Denique a seipso plane diversus, atque in alterum mutatus totus apparet ; ut in eo facile cerni posset Divinæ gratiæ atque benignitatis virtus et amplitudo.

37 Cum autem numeris omnibus absolutam hominis conversionem, et sui ipsius cognitione, et commissorum detestatione contineri didicisset : harum *conciones pie audit,* ille rudis rerum et ignarus, divini verbi præconibus, de superiori loco in Ecclesiis, sacris diebus ad populum disserentibus, aures dabat quam assidue attentissimas ; quo facilius animus salutaribus eorum monitis informatus, in reconditam et difficilem sui cognitionem deveniret, et præteritorum scelerum dolorem conciperet salutarem. Quo audiendi studio B contestatam a Divo Paulo veritatem illam sæpius est re ipsa expertus : *Vivus est sermo Dei et efficax, et* *Ad Heb. 4* *omni gladio ancipiti penetrabilior.* Quippe inter audiendum incalescere, tristarique, et damnata rerum speciosarum vanitate, paupertatis, et pœnitentiæ amore *compunctus* succendi, sibimet acriter indignari, quod veræ virtutis spreta dignitate, in tam vilia et obscœna dejecisset animum ; eoque cœlesti gladio admodum salubriter transverberatus, altis præcordiis conceptum salutaris vulneris dolorem ; modo ex oculis uberi fletu, modo ex pectore crebris singultibus ac suspi- *ab eis discedit :* riis erumpentibus, indicabat. Dimissa concione, e templo discedens, non luxuriabat in plausus quosdam vulgares, et inanes ; sed in uberrimam virtutis solidæ frugem maturescebat, non levi quadam animi titillatione, aut aurium dulcedine delinitus, sed corde compunctus, tacitus, ac meditabundus sanctiora vitæ consilia coquens, abibat.

38 Inde Hieronymi pectus divini spiritus lumine in dies clarius illustrante, cœpit ipse intenta mentis acie, cum anteactæ vitæ ingratitudine et impuritate, *despicit res caducas :* cœlestium bonorum magnitudinem et præstantiam diligenter conferre, qua una cogitatione sic ille afficiebatur interdum, ut, veluti sensibus destitutus, C non modo nullum amplius e rerum terrenarum usu atque aspectu solatium caperet, sed ingens etiam *deplorat vitam præteritam* earum odium atque fastidium hauriret. Tum sæpe acrioribus conscientiæ stimulis agitatus, humi prostratus ad Christi signum de Cruce pendentis, manantibus ubertim lacrymis, et superioris vitæ annos in amaritudine animæ suæ memoria repetens, pectus tundere, oscula terræ figere, se identidem inter lacrymas et singultus, ingratum, impium, mortalium omnium vilissimum caput, idemque scelestissimum vocitare, tum in seipsum asperius animadvertere, ac pene desævire. Sic humi diu hærens, quidquid fluxum, immundum, et sordidum antea in animo fuerat, id totum, et longo lacrymarum imbre diluere, pœnitentiæ nitro expurgare, et cœlestis caritatis incendio in ara cordis concremare studebat : ac Evangelici publicani humilitatem æmulatus, non audebat oculos ad cœlum tollere.

39 Illud etiam identidem usurpabat, ut caritatis fervore, divinique amoris æstu exundante, ad sanc- *ardet amore Jesu Crucifixi :* tissimum Crucifixum convolaret, ejusque pedes arcte complexus, enixe deprecaretur : ut, quando seipsum æterno Patri, pro totius mundi salute effuso sanguine, immaculatam hostiam in ara Crucis litasset ; sibi etiam misero peccatori tam pretiosi sanguinis sacrificium salutare esse præciperet, hæc ipsa verba D crebro ingeminans : Dulcissime Jesu, non sis mihi Judex, sed Salvator. *AUCTORE AUGUSTINO TURTURA* Hocque illi erat perfamiliare jaculum, quod singulis pene momentis quodcunque aliud agens, in aures Divinas contorquere consueverat. Frequentissimam S. Augustino fuisse eamdem ferme orandi formulam, in hæc verba legimus. Jesus esto mihi Jesus. Quæ precandi ratio eodem plane cum Hieronymi precatione recidit. Verum non ex Augustini scriptis adhuc illi ignotis hoc hauserat, sed eodem certe Magistro, quo S. Augustinus didi- *meliores imitatur, malos fugit :* cerat, qui utrumque simili orationis formula pari in eos effuso spiritu precum, instruxerat. Adhæc habitus ab eo prudens aliquorum delectus, quibuscum frequenter ageret, et familiariter versaretur ; non ignarus, quam multa subsidia ad hominum mores in quamvis partem formandos ex privata consuetudine petantur ; quin longe facilius homines pravorum congressu ad impietatem traduci, quam bonorum studiis ad pietatem informari : tanto proclivius malorum ad perniciem, quam bonorum ad salutem impulsus, et exempla cæci mortales sequuntur. Qua igitur diligentia malorum aversabatur familiaritatem, eadem plane conquirebat bonorum, quos mirifice diligebat, et observabat, proposita sibi ante ocu- E los non oscitanter fraternæ virtutis disciplina, et morum sanctimonia ; ut virtutum flores undecunque collectos in alvearium melliti cordis sedula æmulatione comportaret.

## CAPUT XIII.

### *Rerum spiritalium Moderatori se totum permittit.*

Cum in ceteris artibus magnum aliquid atque arduum aggressuris, prudens omnino, et peritus Dux eligendus est, tum vero in spiritalis vitæ disciplina, in qua una periculosum, et anceps nimis sine rectore, et magistro versari, idque quotidie magis qua virtutis difficultate, qua interioris conscientiæ molestia experiebatur Hieronymus ; ut ideo prudentem aliquem virum, pium, ac religiosum sibi deligendum censuerit ; cujus consilio in studio pietatis uteretur : ne solus in stadio Christianæ virtutis oberrans, in ejus *Patrem spiritualem eligit Canonicum Lateranensem,* umbris, et imaginibus occupatus, ipsam solidam et expressam virtutis rationem amitteret. E sacro igitur Canonicorum Lateranensium ordine, quibus est perillustre, et antiquum Venetiis templum, cui nomen Caritati, delectus est dux spiritualis, et con- F scientiæ moderator Sacerdos doctus juxta, ac pius. Huic annos plures confessiones audienti operam dedit Hieronymus, ab eo primum enixe contendens, ut studia omnia sua dirigat, vota, voluntatesque componat, dicta, facta, cogitataque omnia pro arbitrio, et prudentia moderetur suo ; se omnino futurum in præcipientis potestate. Hieronymum ille excepit amanter suique muneris partes explevit egregie : nam salutis monita, virtutum præcepta, mundi suique ipsius contemptum inculcans, sitienti animæ æternæ vitæ pocula abunde offerebat ; quibus illa sobrie inebriata, ad virtutum, et bonorum operum studia majori, quam antea impetu exarsit.

41 In primis illi persuasum, ut sacræ Pœnitentiæ, et Eucharistiæ mysteria frequentissime simul obiret quorum alterum, qua mysterii sanctitate, qua suæ conscientiæ infirmitate dejectus, licet frequentissime *quotidie confitetur peccata, et Eucharistiam sumit,* optaret, minus tamen frequenter usurpabat ; utili ut tum quidem putabat religione, et humilitate : non enim abstinebat, quod animus illi non esset ad sacrum epulum promptus ; sed sicut S. Petrum alioqui Christi amantissimum, ab ejus conspectu, atque consortio revocabat suæ tenuitatis, ac peccatorum conscientia, atque ideo cum maxime cuperet adhærere Christo

A Christo (aiebat enim, Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes) cum tamen alias se profanum atque immundum cognosceret, aiebat: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. Ceterum, cum hoc sibi non admodum salutare e spirituali Magistro didicisset Hieronymus, propterea quod eo cœlesti pabulo unicum exilii nostri solatium, et humanæ imbecillitatis præsidium contineretur, quo sæpius recreatæ piæ mentes, præter summam dulcedinem, et eximiam jucunditatem, qua perfunduntur, iis etiam virtutum præsidiis instruantur, quæ non facile hostis sempiterni viribus labefactari, et infringi valeant, cautior factus, sæpius sacris epulis magno utique bono spiritali accumbebat, exindeque in morem duxit hebdomadis minimum singulis Pœnitentiæ Sacramento peccatorum sese vinculis expedire, et sacram Synaxim peragere. Et certe S. Augustini testimonio, illi licere quotidie sumere, qui dignam quotidie homine Christiano vitam ducat, non ignoramus.

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.*

Joan. 6, 1

Luc. 5, 8

*saltem singulis hebdomadis:*

42 Præterea ancipiti perturbatione fluctuantis conscientiæ stimulis ejusdem Magistri consilio maxime consultum, illos enim carnifices implicatæ mentis aculeos, quos scrupulos vocamus, adeo graves cum susceptæ pietatis incommodo, atque etiam periculo B experiebatur; ut illis agitatus, non diutius conscientiæ diurnam, nocturnamque luctationem ferre, non orationi, aut rerum cœlestium contemplationi ardentius vacare, non tandem institutum sanctioris vitæ cursum diu tenere posset, nisi periti institutoris consilio, et opera, molesta illa perturbationum et punctionum divexatio, quæ in spiritali schola tironum animos mentemque obsidere solet, depelleretur. Commissorum igitur conscientia non leviter vexato præsto erant solatia verborum, et consiliorum, ad levandam hujus morbi ægritudinem, et erigendum animum pene dejectum; hominem enim orsus pius Sacerdos spiritualis vitæ expolire præceptis, scrupulosque ac sollicitudines animi, quibus dies et noctes exedebatur, eximere, præterita primum, quæcumque memoriam longissimi temporis consequi potest ultimum, Hieronymum confiteri jubet. Præstitit vir pius, quod jubebatur, animi ardore et demissione incredibili, fructu, et utilitate pari: vitam omnem confessione accuratissima recognovit: crebri gemitus, suspiria, et lacrymæ subinde confessionem interpellantes, satis aperta veræ pœnitentiæ indicia prodebant; tum a confessione Hieronymum metum omnem in posterum, et animi sollicitudinem abjicere C mandat; sperare se, Deo favente, immissimam illam mentis exulceratæ scabiem, Pœnitentiæ Sacramento sanatam; si quid molestiæ hujusmodi acciderit, fore illa obstrepentium dæmonum machinamenta, quæ eludendo potius, quam contra nitendo depellantur.

*scrupulis agitatur,*

*facta Confessione generali,*

*liberatur*

43 Fuit prædictioni eventus: reddita enim menti securitas, et tranquillitas conscientiæ; omnia paratiora deinceps in oratione, et rerum cœlestium commentatione expertus: nisi illud unum hominem misere torqueret non infrequenter, quod, cum menti recurreret, quam multa ardua, et perpessu aspera ac difficilia militaris gloriæ studio, et cupiditatum ardore antea præstitisset: nunc Christi signis, militiæque mancipato, adeo in bonorum operum cursu, otio et inertia torpere sibi, ac gelu obrigescere videretur; ut ne inter gregarios quidem censeri mereretur. Sæpius itaque ea Christi Domini voce, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat Crucem suam, et sequatur me, quasi tuba terribilius in hominis pectore perstrepente, ad pugnam excitatus, acri bello voluptatibus omnibus, quarum antea crudeli dominatu premebatur, indicto, superioris adolescentiæ vitia cœlestis auxilii præsidio, magnis postea virtutibus compensavit.

*optat ardua æque pro Christo pati atque pro mundo passus erat.*

Matth. 16, 24

D

## CAPUT XIV.

### *Varia virtutum exercitia.*

Militiæ spiritalis exordia, et certa sui ipsius abnegationis atque victoriæ duxit initia ab gloriæ et magistratuum contemptu. Etenim rationis appetitum, honorum illecebris et dignitatum splendori valde obnoxium, quo facilius Christianæ humilitati ac despicientiæ subjugaret; abdicato a se publicæ rei tumultu, muneribus ac dignitatibus valere jussis, nuncio magistratibus et publicis officiis remisso, omnem illi ambitionis escam, et inanis gloriæ segetem subtraxit. Itaque non amplius frequentare Senatum, non in curiam ventitare, non publicis interesse conventibus, neminem prehensare, nullam denique Reip. procurationem attingere: satis perdifficilem rempublicam sibi administrandam ratus, propriæ saluti invigilare, et varios sensuum motus honeste, et cum pietate moderari. His igitur publicis muneribus, quasi compedibus, quibus maxime retardari solent concitati ad summam virtutem animorum cursus, fractis et rejectis, mirum est, quam, quantum nusquam antea, ad sanctioris et asperioris vitæ studia concitate raperetur.

*Omnem ambitionis viam præcludit:*

E

45 Superbiam in primis, et animi elationem, malorum omnium incitamentum et originem, crebris humilitatis exercitationibus radicitus ex animo aggressus evellere; humilis vestitu, alloquio, et consuetudine ubique apparebat: neque exterior modo humilitas, interioris haud dubie index, in eo enitebat; sed multo magis interior certis indiciis sui ipsius contemptu ac despicientia emicabat. Quippe laudum præconia et gloriæ splendorem perinde aversabatur et horrebat, ac ceteri dedecus et ignominiam: de seipso ita demisse et abjecte, quasi de mortalium omnium despicatissimo ac scelestissimo loquebatur: nec aliter sentiebat: si quid vero præclare gestum negare, aut dissimulare non poterat; id totum Divinæ gratiæ acceptum ingenue referebat.

*superbiam evellit actibus humilitatis:*

46 Effusa etiam, et Christiano homine digna liberalitate superioris vitæ cupiditati obviam itum. Cum enim eleemosynarum parcissimus, profusissimus autem vanorum sumptuum extitisset, adeo prolixam, et beneficam postea in pauperes induit naturam; ut inops nullus occurreret, in quem ille stipem benigne non conferret. Ejus vero benignitatem non mediocriter in primis sentiebant Virgines, quas egestas posset impellere, ut quæstui haberent pudicitiam. Illas enim, ne qua inhonestæ turpitudinis macula F prostituerentur, dote locupletatas, et veste ornatas, honeste collocandas curabat. Mulieribus, ac familiis, quæ ad inopiam redactæ, ingenuo pudore a corrogandā stipe arcebantur, ipse suis fortunis clanculum subveniebat: neminem denique ab se vacuum et inanem, quoad posset, abire patiebatur.

*cupiditatem tollit largis eleemosynis,*

*factus ad virgines in honestate servandas,*

*et familias ingenuas juvandas*

47 Sed et invidentiæ fraternæ felicitatis per id tempus medicinam fecit: ut, qui prius immodice sui amans, non æquo animo secundos proximorum eventus ferret, postmodum charitate efferveseente, factum sit, ut magnus aliorum commodis omnis Hieronymi desudaret industria; et alienæ salutis procurandæ universæ excubarent cogitationes et studia: prosperos eorum successus ea vultus serenitate et hilaritate excipiendo, qua illius animus perpetuo fruebatur, nisi quando commissorum recordatio, depulso gaudio, dolorem immitteret.

*invidiam superat*

*aliis bene volens et faciens:*

48 Acrius autem illi, et difficilius bellum adversus effrænatos appetitionum impetus et incendia carnis instabat; eoque periculosius et gravius, quo superiorum vulnerum nondum obductis cicatricibus, incommoda subinde et damna in progressu virtutis, acerrima experiebatur et gravissima. Quare cum magnum

*carnis appetitum domat*

A magnum esse in victus continentia præsidium ad insanas corporis libidines debilitandas, et frangendas intelligeret; hac quasi lorica et scuto tectus, furentibus sensuum appetitionibus sese abjicere statuit. *jejunio,* Itaque multa inedia, et assiduis jejuniis delicatum corpus affligere, in summa rerum omnium copia extremæ inopiæ et victus incommoda, ad perdomandas corporis cupiditates, libentissimo animo subire cœpit. *vigilia,* Somni erat parcissimus, necessitasque verius, quam voluntas hominem cubitum discedere cogebat. Ubi satis naturali corporis desiderio intra naturæ necessitatem fecisset, depulso somno de multa nocte vigilabat: *continua occupatione,* præmissa oratione vilioribus se domi exercitiis dabat. Interdiu ecclesiarum limina religiosa animi pietate frequens terebat. Ægros invisens voce et opera recreabat, eorumque corporibus juxta et animis perutilis aderat. *lectione sacra,* Cumque alia deessent universa, in asceticis versabatur assiduus? quorum lectione, divini amoris consopitus ignis excitaretur ardentius. *oratione:* Orationis studium cumprimis in eo enituit singulare; licet enim nondum satis divinarum rerum commentationibus esset expeditus et informatus; vocali tamen precationi plures horas tribuebat, paullatim mentali sese accommodans: idque tanto B animi ardore, ut lacrymas cohibere, reprimere suspiria nequiret. Quo orandi studio maxime adjutus, brevi suorum sensuum corporisque victoriam, difficilem post dimicationem, reportavit, et spiritalis pugnæ trophæa revexit.

## CAPUT XV.

### *Ad quem perfectionis gradum, et qua ratione brevi pervenerit.*

*iram frangit* E tanta bonarum frugum semente in Hieronymi pectore divinitus injecta, et exercitiorum labore, atque optimi diligentissimique magistri disciplina exculta, non modo albicabat ad futuram messem uberrima virtutum seges; sed jam tum fructus legebantur omnium admiratione non indigni, ejusque virtutis inprimis, quæ quo rarior in terris, eo præstantior censeri, et in summa admiratione haberi solet; in Hieronymo autem tanto admirabilior, quanto longo usu depravatæ consuetudinis vehementius adversabatur: de iræ moderatione loquor. Erat enim ipse natura, ut antea diximus, animi concitationibus et iræ motibus maxime obnoxius Æmi- C lianus, ut levissimis etiam de caussis iracundia et stomacho excandesceret, neque iratus, animo aut verbis aut manibus moderaretur. *consideratione Christianæ religionis abhorrentis ab inimicitiis,* Sed cum didicisset nihil magis proprium Christiani hominis, aut dignum, quam concordissime vivere cum omnibus, et tamquam proximos eximio quodam amore universos complecti; nihil vero a Christiana religione magis alienum, et abhorrens, quam inimicitias, licet alioquin justissimas, exercere cum aliquo, vel tacitas et occultas, vel indictas et apertas; *et Christi secernentis filios Dei dilectione inimicorum* hoc unum Christum Dominum egisse, hoc a nobis enixe contendisse; ut studio et voluntate non dissideremus; proposita hac una mutuæ benevolentiæ et inimicorum dilectionis nota ad veros Dei filios a gehennæ filiis secernendos; hæc ille reputans efferatos iracundiæ motus comprimendos, omnesque odiorum et inimicitiarum fibras evellendas constituit.

*offensas condonat,* 50 Itaque firmo inprimis decreto induxit prorsus in animum, quascumque vel gravissimas offensiones ad eum usque diem hominum improbitate acceptas, libentissime Christi Domini Crucifixi amore deponere ac condonare: tum, si quæ in posterum inferrentur injuriæ ac contumeliæ, non solum remittendo, *beneficiis injuriam rependit,* sed etiam beneficiis compensando, Christiana nobilitate ulcisci. Extititque brevi eximius salutaris D instituti fructus: nam tolerantiæ studium, et exercitium patientiæ tam insignis est subsecuta incitatioris illius naturæ moderatio, *AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.* et turbulentissimæ ad offensiones commotionis castigatio; ut gravissimis contumeliis iis ipsis præsentibus, qui palam injuriam intulissent non modo ardentius non succenseret, *lenis vultu et verbis:* sed etiam ita se moderatum, lenem, patientemque præberet; nullam in verbis iracundiam præseferret. Satis erit quasi ad speciem tantæ virtutis, quod illi in hoc genere mirandum accidit, recensere.

51 In Area Marciana Venetiis cum nepotum negotia curaret, nescio qua caussa, ut sæpe fit, ab improbo quodam et pervicaci homine, et quidem jure bono, dissentiebat Æmilianus. Ille contra jurgiis et clamore contendere, acrius urgere, atque ferocius *post varias injurias* insolescere (sic enim Justinianus Senator gravissimus, qui tum forte aderat, commemorare solebat) Hieronymus incitatum lenire blandis verbis et Christiana patientia ad moderationem invitare conabatur: at ille nihil minus furens ac frendens, plurima in eum maledicta conjecit, et egregie conviciis onerans, eidem se barbam carptim convulsurum postremo minatus est. *volenti barbam evellere mitis vultu* Hieronymus hac tanta, et tam insigni E accepta injuria, quamquam ea esset ætate, quæ solet esse ad maledicendum effrænatior, et ad ulciscendum acerbior, ac impatientior ad ferendum, iis vero et fortunæ et corporis præsidiis munitus, ut hæc omnia facile præstare posset, ita tamen se gessit, ut nemini omnium vel oratione, vel vultu, vel animo visus sit in conviciatorem vel mediocriter commoveri. *mentum offert,* Quin etiam (quod vix credibile videatur) minanti barbæ evulsionem, sereno et hilari vultu, paullum inflexa cervice, et producto capite, mentum porrigit: tum blando oculo hominem intuitus, placido ore, et ad risum fere composito, En, inquit, barbam: si Deo ita cordi est, ut lubet, age. *incussoque pudore,* Quod tantæ moderationis exemplum nefarium hominem, sin minus pœnitentia emendatum, pudore certe confusum abegit, circumfusamque multitudinem admiratione complevit: palam asserentibus, qui ad iracundiam præcipitem Hieronymi naturam jam antea perspectam habebant, si quid olim tale eidem contigisset, futurum fuisse procul dubio, ut hominem dentibus dilaniaret, quando cetera ad vindictam defuissent. Sed vicerat Christiana animi submissio et mansuetudo naturæ fastum; et sui ipsius despectus et *similis semper sui mansuetudine:* contemptus vindictæ cupiditatem represserat; studiumque imitandi Christum, insanam vulgi opinio- F nem abjecerat, idque in omni vita constantissime postea retinuit; ut quavis gravi offensione interposita, sermone tamen singularis modestiæ suavitate, et humanissimis verbis uteretur condito: ut in omnibus dictis et factis ea præstantis animi effigies, et quasi internæ species appareret, quæ, perturbationibus sedatis, summa tranquillitate perpetuo frueretur.

52 Sed unde tantæ in Christiana disciplina progressiones extiterint, nec injucundum, nec inutile Christiano lectori erit cognoscere. Aggressus evellere, quam inimicus homo in ejus animo superseminaverat *singula vitia seorsim oppugnat:* zizaniam, dum veterno peccatorum consopitus detineretur, ita sibi cum vitiis agendum putat, ut non omnia simul justo prœlio adoriatur; sed, quasi singulorum viribus divisione imminutis, seorsim bellum inferat, interitumque molıatur: idque tentatum ex animi sententia cessit, nam, cum aliquod vitium ex iis, cui diu, multumque assueverat, contrariæ virtutis actibus quatere, et pietatis machinis evertere conaretur, non longam post oppugnationem tandem victoria potiebatur: eoque prostrato et penitus dejecto, aliud in aciem provocabat; rursumque adversæ virtutis exercitiis oppugnatione instructa, non prius desistebat, quam, expugnato vitio, virtus in animo

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA, et omnia brevi profligat.*

A mo dominaretur; tum ad reliqua pari pugnæ victoriæque cursu pergebat. Itaque Divino auxilio majores in dies afferente vires, brevi factum est, ut quasi minutis prœliis universum vitiorum agmen vicerit, ac profligarit quod simul adoriri difficile fuisset ac periculosum. Ita cordis agro veluti noxio semine expurgato, paratior in dies mens erat ad suscipiendos cœlestes Divinæ gratiæ satus, ut facile credita semina in centuplum segetem cultori suo referret.

*eamdem rationem aliis præscribit,*

53 Nec dissimili ratione ceteros informabat. Cum enim ex eo nobilis quidam ejus perfamiliaris, qui Hieronymi exemplo et exhortatione oppressam sceleribus conscientiam exonerare aggressus, accurata et diligenti confessione collectum per multos annos peccatorum exitiale virus evomuerat, quæreret diligenter; quibusnam gradibus in posterum, certam salutis rationem inire, et illius vestigia posset insistere. Hoc unum illi ingerebat Hieronymus: Amice, si, peccatorum labe detersa, ea cordis puritas est in votis, quæ non indigne Christum Dominum excipiat hospitio, certum aliquod, et singulare vitium primo aggressus, eo satis idonea, te judice, castigatione emendato, ad reliqua seorsim perge, et brevi recuperatam sanitatem experiere. Quod adeo salutare ad B vitia perdomanda consilium non tam e terrenæ militiæ institutis petitum, ubi maxime distractis hostium viribus, victoria quæritur; quam e Spiritus sancti schola haustum crediderim. Ita enim in Collationibus apud Cassianum, Abbati Serapioni, adversus animi pravitates proclivitatesque vitiorum pugnandum visum est, ut non cum universis, sed cum singulis usque infestioribus, et principibus certamen ineatur; quo levioribus quasi pugnis, universa facilius animo depellantur. Minutis enim prœliis quotidie debilitatum hostem, ad summam etiam belli totius, mox invalidum habebimus. Dignus plane Cassiani locus, qui totus hic integer adscribatur. Sic autem habet.

*Collat. 5. cap. 14 olim a Serapione Abbate indicatam,*

*e Cassiano huc relatam*

54 Quamobrem ita nobis adversus hæc arripienda sunt prœlia, ut unusquisque vitium, quo maxime infestatur, explorans, adversus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem observationemque defigens, adversus illud quotidiana jejuniorum dirigens spicula: contra illud cunctis momentis cordis suspiria crebraque gemituum tela contorquens: adversus illud vigiliarum labores, ac meditationem sui cordis impendens, indesinentes quoque orationum ad Deum fletus fundens, et impugnationis suæ extinctionem C ab illo specialiter ac jugiter poscens. Impossibile namque est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria, vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse, cum tamen, ut valeat emundari, necesse sit eum die noctuque in omni cura et sollicitudine permanere. Cumque se ab ea senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret, et excipiat sibi, quam inter reliquas prospexerit duriorem, atque adversus eam spiritualius omnia spiritus arma commoveat, et ita semper validioribus superatis, celerem de residuis habebit, facilemque victoriam; quia et mens triumphorum processu redditur fortior, et infirmiorum pugna succedens, promptiorem ei proventum faciet prœliorum; ut fieri solet ab his, qui coram Regibus mundi hujus omnigenis congredi bestiis præmiorum contemplatione consueverunt, quod spectaculi genus vulgo Pancarpium nuncupatur. Hi, inquam, feras quascumque fortiores, robore, vel feritatis rabie conspexerint diriores, adversus eas prioris congressionis certamen arripiunt; quibus extinctis, reliquas, quæ minus terribiles, minusque vehementes sunt, exitu faciliore prosternunt. Ita et vitiis semper robustioribus superatis, atque infirmioribus succedentibus, parabitur nobis absque ullo discrimine perfecta victoria. Sed præter Cassianum Divum etiam Basilium, ejus rei auctorem placet referre, cujus verba in eamdem sententiam ad Chilonem Monachum sunt: Præstat enim paullatim proficere, et per gradus quodammodo exercitationis ad altiora tendere. Ne subito vitæ voluptates omnes abscinde, ne ab extremo ad extremum statim commutatio fiat. Quia, si cumulatim omnes illico abs te illecebras absterrere velis, tentationum turbam tibi magnam creaveris. At si unam forte cœperis per vim superare, ad aliam vincendam jam te quodammodo præpara, ut sic omnes postea paullatim extinguas. Ceterum hæc aliaque hujusmodi non Cassiani, aut Basilii, alteriusve scriptis, quæ manu terere nondum didicerat, sed Spiritus sancti institutioni accepta referenda sunt. D

*antea quoque a S. Basilio traditam:*

*sensuum custodia et externa modestia alios ædificat.*

55 In sensuum autem omnium, in linguæ præsertim, et oculorum custodia, totiusque corporis et habitus compositione adeo multus et emendatus; ut ipsa externa pietatis specie, omnium civium ora oculosque in se unum defixos teneret; tantam morum emendationem et correctionem vitæ, vix iis ipsis credentibus, qui eam oculis quotidie cernerent. Ceterum non fucatam et adulterinam Hieronymi virtutem, sed veram et solidam fuisse extrema illa communi et peracerba sequentis anni calamitate, quasi aurum coticula, comprobatum est. E

## CAPUT XVI.

### *Miseris in magna annonæ caritate plura collata subsidia.*

*in summa annonæ caritate.*

Annus appetebat ejus seculi vigesimus octavus, calamitatibus atque hominum funeribus fœcundissimus et memorabilis, si quis alius. Hic satis amplam caritatis et patientiæ palæstram, optatam et copiosam ærumnarum segetem, et uberiorem, quam antea, bene merendi de hominibus materiam Hieronymo obtulit. Laboratum enim eo anno tota fere Gallia Cisalpina adeo graviter annonæ caritate, ut nullus tantam aliquando se vidisse, aut audisse rei frumentariæ ceterarumque frugum difficultatem testaretur: quod malum ita brevi auctum est, qua soli sterilitate, qua bellorum difficultate, in agro præsertim Mediolanensi ipsaque Insubrum principe civitate; ut, evincente dira fame naturæ fastidium cum nausea sordidos insolentesque cibos rejicientis, consumptis cibariis, jumentorum strages passim homines ediderint, feles, canes, mures devorarint, aliaque multa in jucundissimas epulas habuerint, quæ humanus stomachus perhorrescere consuevit. F

*fame pressos,*

E fertilissimo totius Insubriæ agro de reliquis facilis est conjectura, ut non leviter dubitaretur a multis, ne fame civitates illæ cive exhaustæ, delerentur. Multo melius cum Venetis Præfectorum annonæ diligentia agebatur, qui communem egestatem certis indiciis præsagientes, ingentem undique rei frumentariæ ceterarumque frugum copiam per annotinas naves mature comportandam curarant. Sed ejus abundantiæ fama per Insubrum civitates evulgata, adeo brevi omnium ordinum undique multitudinem accivit, ut ibi etiam durior in dies annona fieri, gravique fame civitas urgeri cœperit, ejusque non multo post commutata facies, misera species, flebilis aspectus extiterit. Oberrabant siquidem ante omnium oculos miserorum greges, omnia mendicis, atque ægris late compita obsessa laborabant, adulta jam hyeme, et ingravescente in dies egestate, algore et fame enectis: ora pallentia, corpora quasi horribili tabe consumpta, color exhaustus, fractæ vires ad vocem et ejulatum, nedum ad incessum imbecillæ, vultus animosque bonorum omnium tristitia, et mœrore defixos tenebant: et urgens, extremi tot miserorum casus expectatio omnium mentes sollicitabat.

*Venetias, frugum horreum,*

*undique petentes.*

A

57 Indoluit præ ceteris Hieronymus diræ calamitatis acerbitatem, et innumerabilium pene egenorum funestas clades intimo animi sensu ingemuit, hæsitque aliquamdiu peracerbo dolore vehementer consternatus. Sed magnanima illa sua in proximos caritate paullo post erectus, omnium egestatem animo complexus, de omnibus sublevandis, etiamsi domesticas omnes in eam rem opes exhauriri oporteret, cogitavit, reque ipsa cogitata perfecit : nam omnium calamitosorum cura magno animi ardore suscepta, eos domum adductos, omni caritatis officio recreatos, stipe auctos, veste etiam, si opus esset, ornatos dimittebat : in compitis ac viis jacentibus large et copiose sua pecunia subveniebat : quocunque iret, nemo inops occurrebat, in quem ille non fuse de sua misericordia derivaret. Familias, quarum inopiam nobilis pudor aggravabat, clam alendas sibi assumebat. Cumque de tanta in pauperes benignitate admodum frequentes, et secundi manarent tota civitate rumores ; egenorum turba ad Hieronymi ædes alimenta petitura, velut examen apum, undecunque convolabat : quos ille profusa et benefica in pauperes natura exceptos, cibo reficiebat, veste tegebat, nummis etiam instruebat. Quæ indefessæ pietatis officia, quotidiana nec interrupta benignitate, eo brevi processerunt, ut deficiente censu, et excussa in pauperes crumena, ne unus quidem illi superesset ad seipsum alendum, nedum ad inopes sublevandos, nummus.

*adjuvat*

*caritate liberali*

*omnem distribuit pecuniam.*

B

58 Sed tum maxime cum nihil esset pietati relictum, intellectum est, quo pietatis ardore ferveret, et quo caritatis studio pauperum inopiæ sublevandæ flagraret. Multa enim secum animo volvens, id tandem consilii cepit, ut ornamenta domus, pretiosamque suppellectilem distraheret, et quæ antea parietibus domoque exornandis inservierant, tum feliciori consilio ad animæ ornamentum, pauperumque subsidium traduceret ; quo diutius Christianæ pietatis fons largissime flueret. Magna itaque bonorum distractione facta, nec vilioris substantiæ, quin vestium et indumentorum, pretiosiorisque rei domesticæ, et ingenti collecta pecunia, largius est multorum necessitatibus prospectum ; solenneque illi exinde fuit nihil domi proprium, quamvis eximium aut necessarium, sed cuncta pauperibus possidere ; eaque promiscue, solius fraternæ necessitatis habita ratione, evulgare. Itaque brevi domum suam nobili ante peristromate, debeata supellectili fulgentem, universo ornamentorum apparatu denudatam, et vacuam, in xenodochium propemodum convertit ; vulgo enim a miseris nullo discrimine ejus atria, porticus, interiora domus frequentabantur ; si qui etiam tecto carerent, hospitio excipiebantur ; ut non minus in Hieronymum cadere, quod de se S. Job affirmabat, mihi videatur : Si negavi, quod volebant, pauperibus et oculos viduæ expectare feci. Si comedi bucellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est. Hæc, inquam, usurpare poterat, et misericordiæ lacte se nutritum gloriari, qui adeo referta pietatis viscera gerebat, nihil ut sibi reliquum faceret, quo humana quæque in egentes derivaret subsidia, cumque pecunia, vel cibus ad manum non essent, divendita re familiari, eorum inopiam sublevaret. Hac tanta Hieronymi caritate tota urbe enitente, provocata est multorum in pauperes misericordia, plurimis injectus subveniendi ardor, reque ipsa major deinceps fuit in miseros civium caritas, largior in egenos erogata benignitas, excita haud dubie tam illustri Hieronymi exemplo.

*vendita supellectile.*

*subvenit egenis*

C

*Job. 31*

*Jobo comparatur*

*[illegible]*



D

59 Sed his non contenta finibus ad decumbentes et occumbentes etiam progressa est Hieronymi cura : iis enim crebro assidere, sedulo ministrare, solatio pariter et auxilio esse studebat ; quos in lecto vis morbi extingueret, hos supremam illam summæ rei clausulam consummantes adhortationibus salutaribus et monitis adjuvabat, ardentissimis verbis confirmabat : nihilque, quod in extremo illo certamine præsidio futurum esset, omittebat. Verum ne cum suprema quidem occumbentis vitæ clausula, tam spectatæ pietatis periodus claudebatur ; ipsa etiam defunctorum cadavera omnis vitæ et sensus expertia, complexa. Cum enim res eo loci devenisset, ut passim jacentes in compitis pauperes miserandum in modum expirarent ; et non raro per medias vias atque fora tristi sane et luctuoso spectaculo prostrata eorum corpora, quos vel dira fames extinxisset, vel frigore et gelu sæva necasset hyems, sepulturæ beneficio destituta jacerent ; hoc etiam ad suam pertinere caritatem Hieronymus arbitratus, diebus in vivorum ministerium absumptis, in sepeliendis mortuorum corporibus noctes insudabat. Erat enim hoc illi frequentissimum per media intempestæ noctis silentia vicos civitatis obire, ut, si quem extremo languore oppressum, et jam vita destitutum invenisset, consuetæ caritatis officio, vel funus ei curaret, vel in humeros sublatum, quod sæpissime faciebat, ad sacra cœmeteria ipse deferret. Et quamvis tam insigne pietatis officium clam ille cuperet esse ; haud tamen diu celari potuit, fuitque tam egregium facinus etiam ab illius ætatis Oratoribus celebratum ; quod suo loco dicemus. His ille misericordiæ operibus annum ferme totum transegit, magnamque pauperum turbam, quoad novis frugibus ditior annus copiam frumenti uberiorem suppeditare cœpit, aluit : ut, hac tam benigna, et prolixa in pauperes natura fontes sibi Divinæ aperuisse clementiæ, totamque munivisse ad salutem viam plane videri possit.

*AUCTORE AUGUSTINO TORTURA*

*succurrit ægris*

*et moribundis ;*

*mortuos noctu sepelit,*

*cadavera humeris ad cæmetaria defert.*

E

## CAPUT XVII.

### *Joanne Petro Caraffa familiariter utitur.*

Auctus est Hieronymus per id tempus alio non ignobili spiritalis vitæ magistro : is fuit Joannes Petrus Caraffa, vir et doctrinarum omnium insigni laude florens, et magnæ integritatis, pietatisque fama illustris, qui postea in Cardinalium Collegium a Paulo Tertio lectus, ejusque ordinis princeps, Marcelli Secundi Pontificatum excipiens, Paulus IV, mutato de more nomine, appellari voluit : hujus opera et consilio utebatur assidue Hieronymus, eique tantum deferebat, nihil ut eo inconsulto moliretur ; ut ideo multa deinceps ab Hieronymo sua sponte gesta Caraffæ consiliis ascriberentur, quod suis infra locis dicetur. Interim quis eo tempore Caraffa, et quæ illi occasio Venetiis commorandi, et consuetudinis cum Hieronymo (paullo altius repetita rei narratione, sed sine fastidio ac molestia) aperiendum. Datus fuerat Joannes Petrus ab Julio II sub initium Pontificatus Teatinæ Ecclesiæ in Marsis Pontifex : et ad Archiepiscopatum Brundusinum Teatinensi longe opulentiorem apud Clementem VII a Carolo Cæsare postulabatur. Sed multo majora in Dei gloriam, et animarum lucra animo moliens Caraffa, etiam Teatinensi Episcopatu se sponte exuit, Summique Pontificis arbitrio libere conferendum permisit : tum lectis notæ probitatis et nobilitatis aliquot sociis, ipso Clemente approbante, anno sui Pontificatus primo, ejusque seculi vigesimo quarto solemnioribus Religionis votis Romæ nuncupatis, Clericorum Regularium primus auctor extitit : quibuscum, exiguis ædibus ad Montem-Pincium conductis, religiosam vitam ducebat.

*Joannes Petrus Caraffa,*

*postea Cardinalis*

*et Papa Paulus IV ;*

F

*relicto Episcopatu Teatino,*

*ordinem Clericorum Regularium instituit anno 1524*

30 61 Sed

A

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA. *d*

*Roma, a Borbonio, anno 1527, capta, et turpiter spoliata,*

61 Sed mox annus irruptione turbulentissimus externa vigesimus septimus est subsecutus : cum Borbonii arma *a* Romanæ civitati superfusa, fœda populatione ac direptione simul Urbi, simul Religioni vastitatem intulere, ut inter Romanæ Urbis et sacrorum clades, nulla forte major aut turpior numeretur. Erat exercitus pene totus ex Catholicæ fidei desertoribus, et Pontificiæ Sedis hostibus infensissimis conflatus, quibus studium desævire per lasciviam in sacra, et ex Clericorum injuriis ac dehonestamentis voluptas. Unde sacri homines statim sævo victori ludibrium, et præcipua materies infestissimæ crudelitatis : Roma in primis miserante cum lacrymis, Ecclesiæ Catholicæ Pontificem ejectum, et sua pulsam Sede vicariam illam veri numinis majestatem : Ædes vero sacræ, religiosorumque cœnobia militares in casas fœdo spectaculo concessere : Ibi manipulares nulla reverentia sacri soli, tamquam in ganeo, et fornice, alea, ventre, et omni reliqua fœditate lasciviebant; atque adeo universa, cruento rapacissimoque milite summa cum sacrorum injuria furente, et funestissime populante, fœdata, direpta. At ne intra vilia quidem et exigua tecta pauperes novique religiosi, de quibus agimus, fuere tuti ; ad erogan-

*amissis bonis suis,*

B dam siquidem pecuniam a direptore milite compelluntur ; idque domestica egestate prohibente, indignis probris ac verberibus male accipiuntur, tenui et vili supellectili expoliantur. Quare in tam miserabili et extrema Urbis clade, et rerum omnium direptione, sibi diutius Romæ subsistendum non putarunt. Igitur Veneti Oratoris ab Urbe discedentis benignitatem nacti, anni sub exitum, cum eo Venetias commigrarunt, conductisque ædibus ad S. Nicolai Tolentinatis, anno ineunte vigesimo octavo, domicilium posuerunt; ubi fuit Caraffa ad annum fere trigesimum sextum, quo a Paulo III sui item Pontificatus anno tertio, Cardinalis honore inauguratus est.

*coactus abire, Venetias migrat :*

62 Ut primum doctrinæ et pietatis novorum Religiosorum fama latius per Urbem manare cœpit, multorum ad eos factus est concursus, multis religiosi instituti probata est disciplina, ardenter etiam expetita et suscepta : plurimorum civium, Patrum opera et studio, castigatus vitæ luxus et morum licentia ; nec sero ista ad Hieronymi aures deferuntur qui, ut erat proborum studiosissimus, facile ad eos se confert, Caraffæque consuetudine maxime delectatus cœpit religiosas ædes frequentare ; nec molestus erat Joanni Petro creber Hieronymi accessus,

*cum Hieronymus adit,*

C nec inutilis Hieronymo; ille enim hominis nobilitatem tanto cum pietatis ardore conjunctam suspiciebat et admirabatur : Hieronymus vicissim in Caraffa universa humanæ divinæque sapientiæ ornamenta cum summa vitæ integritate, non sine admiratione ubique commendabat ac prædicabat : multaque in animæ et salutis suæ commodum, spiritalisque profectus uberiorem fructum semper e congressu probatissimi hominis hauriebat. Itaque venit illi in mentem ad sanctiora majoraque pietatis studia informandum Joanni Petro se tradere ; quippe nihil in spiritalis vitæ progressu regendarum animarum moderatore peritissimo antiquius habebat; qualis ei Caraffa videbatur, e cujus nutibus, veluti certo divinæ voluntatis interprete, totus penderet, seque et sua componeret universa ; propterea quod certa lege sibi indixerat jampridem, nihil ut proprio statuerat arbitrio, neve in rerum spiritalium usu, suo fallaci sensu et inexperto uteretur ductore, ne hac una via occultis dæmonum fraudibus facilis pateret aditus. Quod pium et prudens animi decretum adeo religiose tota vita servavit, ut ne pietatis quidem opera, inscio et inconsulto conscientiæ moderatore, aggrederetur : sive quod adeo illi in omnibus proprii sensus esset suspecta libertas : sive quod sciret, quo minus de

*cum fructu audit,*

*Patrem spiritualem eligit :*

nostro imperata res habet, eo cumulatiori mercede D meritum obsequii compensari. Igitur, vel priore magistro destitutus, vel quod utriusque operam perutilem sibi existimaret, e Caraffa quæsivit, ut sese rerum spiritalium doctrina instituendum susciperet, de se, et de rebus suis, ex Dei gloria animæque salute, libere statuere vellet ; id sibi pergratum fore.

63 Non gravate provinciam suscepit Caraffa, ex eo fertili solo uberem frugum copiam se brevi collecturum (quod postea rei eventus comprobavit) conjiciens ; et, quod liberaliter spoponderat, pari postea fide ac religione persolvit : sæpius actum est inter eos de divinis rebus, de proximorum salute procuranda, de corruptis ejus ætatis moribus sanandis, de novo certoque vitæ genere deligendo; quibus frequentissimis colloquiis ad strenue in vinea Domini laborandum, quotidie magis inflammabatur Hieronymus ; nec contemnendos in rerum spiritalium exercitatione progressus ostendebat, quibus in dies ejus spiritus pietasque Caraffæ amplius probabatur : numquam tamen illum suo novo ordini adjungendum curavit ; forte, quia, communicato cum eo animi sui consilio, intelligeret hominem ad alia omnino, sed tamen Christianæ Reipublicæ proximorumque saluti E perutilia, a Deo vocari, ac proinde, cum eum maximi faceret, quotidieque ad pietatis progressum urgeret ; interiori tamen religione prohibebatur, ne ad ingressum recentis religionis illum sollicitaret. Quin etiam Caraffæ auspiciis et consiliis, Hieronymum ad pauperum derelictorum curam animum applicuisse adeo certa et constans eorum opinio fuit, qui ab eodem Hieronymo in partem laboris socii lecti fuerant ; ut anno ab ejus obitu decimo, a Joanne Petro Caraffa tum Cardinali, hoc uno maxime nomine, cum suo ordine Congregationis unionem postularint, quod scilicet ejus auspiciis illorum operum essent fundamenta jacta, et quod ad eos Hieronymum ipse destinasset, sed rem *b* aliter se habuisse idem ipse Caraffa datis ad Cajetanum Thienensem litteris affirmat, qui totum hoc Hieronymi consilio et caritati ingenue tribuit.

*e colloquio ejus proficit in virtute,*

*numquam sollicitatus ad ejus religionis ingressum ;*

*num adjutus in sua fundanda ?*

*b* Lib. 3 c. C.

64 Mirifice autem temporum progressu tanta illa Joannis Petri, et Hieronymi animorum consensio voluntatumque conspiratio apud utriusque ordinis alumnos processit, velut a radice mutuæ caritatis vigor ad ramos transmissus : ut non minoribus benevolentiæ vinculis hæ duæ familiæ modo vinciantur, quam ipsa ambarum Religionum capita fuerint amoris et caritatis necessitudine copulata. Qui vero primus Patrum Teatinorum locus a Hieronymo Venetiis F est frequentatus, is postea nostris usui et commodo maxime fuit. Nam ad ejus seminarii administrationem, quod Joannes Trivisanus Patriarcha, magno sane Venetæ Ecclesiæ non solum ornamento, sed fructu excitaverat, Patribus nostris ab eodem Veneto Patriarcha vocatis, ad idque amplissimis ædibus apud S. Hieremiæ conductis, ubi annos ferme viginti eoque amplius Seminarium substitit, nullum interim nostris erat publicæ ecclesiæ, nullum religiosæ sepulturæ jus, sed domestico sacello ad quotidiana et privata sacrificia utebamur. Itaque e Patribus per id tempus qui decessissent ad S. Nicolai Patrum Teatinorum religioso funere efferebantur : ubi longo linteatorum Patrum ordine cantu et funalibus occurrente, perhonorifice excepti, sacrisque Ecclesiæ precibus et cæremoniis expiati, intra domesticum cœmeterium, eodem sacro vestium et luminum apparatu cantuque comitante, condebantur. Ut quasi jam tum videretur Hieronymus filiis deinceps in societate procreandis, sepulturæ locum indicare, et viam aperire commodissimum sane locum ; ut iidem vita defuncti apud eos conquiescerent, quibuscum animorum summa conjunctione concordissime vixerant. Sed de Caraffa non semel mentio redibit.

*ex horum conjunctione, exorta mutua utriusque ordinis caritas,*

*et eadem apud Teatinos sepultura,*

a De

A a *De Roma capta agunt Tilius, Bellaius, Paradinus, Guicciardinus, Silos, aliique, et in Annal. Eccl. Spondanus ad hunc annum.* 1527. — b *Silos lib.* 7 *historiæ Teatinorum ait* hoc in loco Turturam a vero descivisse *quam controversiam inter illos amice transigit sanus, et Deo Sanctisque gratius.*

## CAPUT XVIII.

### *E gravi morbo desperata salute convalescit.*

Neque solum effusa honorum largitione, sed gravissimi etiam morbi molestiis, et supremo vitæ discrimine explorata est Hieronymi virtus et constantia; siquidem diram famis calamitatem popularis quædam lues est consecuta. Morbi genus id erat, quod, febri non intermittente, et accessionibus per intervalla increbrescente, per aliquot dies, ægri corpore pertentato, mox illud variis colorum maculis amethystinis, rubris, et murinis, haud dubio vicinæ mortis argumento, conspergebat (hujusmodi maculæ ab antiquioribus medicis papulæ nuncupantur, seu morbilli) Cum vero mali contagio latius serperet, et nihilo vero segnius pietatis opera exequeretur Hieronymus: eadem infirmitate correptus, lecto decumbere est coactus. Morbi vim ut sensit, ad animæ curationem se primo convertit, et expiatis peccatorum B maculis, sacro pane refici voluit; tum Deo rite compositus, seque ipsum impense illi commendans, de corporis infirmitate perinde sollicitus fuit, ac si ad eum nulla ratione pertineret; ita Deo hærenti cœlestia præ terrenis erant in votis. Tenuit hominem aliquot dies morbus, cumque se febris perpetuo intenderet; ita invaluit, ut jam maculæ illæ supremi discriminis indices toto corpore cernerentur, eo perniciosiores, quo majori nigredine inficiebantur, ut ejus saluti et curationi medici plane diffiderent.

*Hieronymus morbo periculoso correptus,*

*confessus peccata, sacro viatico munitur:*

66 Gravior tamen quædam animi, quam corporis molestia Hieronymi torquebat, hinc spe, metu illinc languentis animum ancipiti cura distrahente, subinde lætior, tristis interdum, ac mœrens cernebatur: nam cœlestium bonorum spe in hominis animo nonnumquam largius sese effundente, secum ipse magna cum voluptate reputabat, num compendiaria ista via sese Deus vellet ad amœna Paradisi his emissum vinculis evocare: eaque æternæ beatitudinis expectatione, tantis voluptatibus perfundebatur, ut e vultu ipso, licet vicinæ mortis appulsu et morbi tabe confecto, manifesta tamen emicarent intimæ delectationis et lætitiæ argumenta. Sed mox inanem gestientis et exultantis animi sensum sanior illa corrigebat, C penitusque comprimebat plena timoris cogitatio: quæ nondum cœlo maturum hominem monebat, qui adeo longo tempore sceleribus fœdatus, et toties infernum ignem commeritus, nondum tamen longo aliquo, et asperiore pœnitentiæ exercitio, et caritatis officiis expiatus, superiora crimina redemisset: abhorrere hoc a divina lege, esse admodum a suis culpis alienum. Itaque talibus curis in diversa trahentibus, anceps ac dubius nutabat animus, et extremo corporis languore conflictatus, acerbiore etiam æternæ salutis metu discruciabatur, veritus, ne pœnitentiæ spatio intempesta morte prærepto, vel de rerum summa periclitaretur, vel certe longe diuturniora et acerbiora manerent post obitum supplicia perferenda.

*modo spe æternæ vitæ erigitur*

*modo recordatione præteritorum peccatorum terretur:*

67 Inter hæc Sacramentorum usu conscientiam repurgat, animum præparat, riteque ad extremum illud certamen inunctus supremam jam expectat horam. Cum tandem gaudio et timore paulum abire jussis, se totum Divinæ voluntati permittit, et in preces effusus, Deum enixe rogat, ut, si e sua salute Divinique numinis honore foret, sive præsens vitæ interitus ad suorum scelerum vindictam, sive longior lucis usura ad asperiora pœnitentiæ studia, et ea executioni mandanda, quæ in proximorum salutem tamdiu, non sine illius instinctu, animo agitaret: supremus ipse, et æquissimus vitæ arbiter pro sua clementia ancipitem futuri casus eventum moderetur: D se omnino divinæ voluntati libentissime cessurum, et, quocunque vocaret, secuturum. Gratissimæ Deo fuere preces, cum pœnitentiæ ardore, tum divinæ voluntati obsequendi studio. Exinde enim melius factum est laboranti; ut relevatus morbo, et lecto surgere, et suis niti pedibus jam posset: citissimeque ex ea infirmitate medicis admirantibus emersit, et idoneis auctus viribus, integer restitutus est suis: ut miraculo par visum sit hominem medicorum judicio depositum convaluisse tam cito. At vero licet æternæ quietis gaudia peroptaret, eam tamen dilationem tulit non invitus: maximoque in lucro posuit, quod diceret, sacrificium suæ vitæ, pœnitentiæ sibi lacrymis, et asperitatum incommodis per aliquot etiam annos expiandum, et proximorum saluti consulendum. Quippe tam insigni vitæ divinitus prorogatæ beneficio hæc sibi Divino nutu imponi, plane intellexit. Quare illud firmum certumque statuit eam totam, quam unius Dei præsenti ope ac miraculo haberet, vitam, Divinæ gloriæ, pœnitentiæ studiis, proximorumque saluti consecrare, idque multo etiam præstitit copiosius, quam promisit.

*inunctus*

*se Dei voluntati offert:*

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

*subito convalescit.*

E

# LIBER SECUNDUS.

## CAPUT I.

### *Hieronymi deliberatio de nova vitæ ratione instituenda.*

Valetudine jam confirmata, ad pristina pietatis officia, pœnitentiæque labores se confert: eoque ardentius in hujusmodi curas incumbit, quo recenti et proprio exemplo extremam ægrorum indigentiam didicerat, et Divinam clementiam ac bonitatem in se ipsum fuerat expertus. Verum, multis diebus hisce muneribus absumptis, meliorum ille æmulator charismatum, haud sibi satisfaciebat: quippe, progrediente die, novo semper se pietatis studio excitari, ardentiore in Deum, et proximos amore incendi, ad majora rapi sentiebat; quod excelsi animi flamma cœlesti igne succensa, humili loco hærere non posset. Consilium itaque cœpit a cupiditate immortalis et æternæ gloriæ excelsum plane, et homine terrenis rebus superiore dignum, ut ab se opibus omnibus abdicatis, senatoria toga, nobilitatisque insignibus rejectis, et Reipub. dignitatibus penitus contemptis, liberiore voce tandem abjectum illud et hu- F mile vitæ genus, quod animo conceperat, profiteretur, vitamque omnem perpetuo operum caritatis ministerio publice devoveret. Ceterum deliberationem hanc de privatæ, et abjectissimæ vitæ ratione serio ingressus, spiritu cum carne luctante, satis arduam contranitentis sensus et reluctantis naturæ pugnam est expertus. Quæ contra facere maxime videbantur, erant, nepotum cura, familiæ splendor, Reipub. pietas. Nepotum res, et familiæ decus negligere, inhumanum; Rempub. deserere impium videbatur. Verum nepotum negotia minus Hieronymum morabantur, quando illorum major natu et rem familiarem curare, et rebus suis tuto per ætatem præesse posse videretur.

*Hieronymus deliberat de nova vitæ ratione,*

*nepotum curas facile seponit*

2 Sed, eo enavigato scopulo, difficiliorem omnino exitum e mundi Reipublicæque honoribus est nactus, mirifice hominis animum torquente amore patriæ. Est enim peculiare Venetis a natura insitum, adeo propensis et conspirantibus animorum studiis publicam rem diligere; ut ceteris nationibus amore et pietate in patriam longissime antecellere, putentur. Eam vero multo impensius adamabat Hieronymus, quod eum illius caussa extrema adiisset pericula; mutuam gratitudinis significationem ab se desiderari Respublica

*amore Reip. et suæ dignitatis diu detentatus,*

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.

A Respublica non permitteret, in qua præstans ac nobilis Senator haberetur, et apud civitatem universam admodum gratiosus esset, et in qua tandem summa prudentia, multiplex rerum usus, vitæ gravitas et morum probitas expeditum illi ad amplissimos honores cursum, nisi per eum stetisset, ostentarent. Quare in utramque partem ita multa eademque gravissima succurrebant suadentia novum vitæ institutum, atque dissuadentia; ut difficilis admodum et perobscura existeret tantæ rei deliberatio: cumque sensus humanus et divina pietas ex æquo fere in ejus decertarent pectore, non sumpto cibo, non data oculis quiete, dies aliquot illo curarum æstu, quasique cogitationum conflictu et vicissitudine, inter ancipites hinc inde fluctuantis animi et incerti propensiones, magna cum perturbatione est jactatus reque ipsa didicit quam difficilis et laboriosus sit egregius rerum humanarum contemptus, et quam ægre sensus ab his avellatur, quæ semel impense dilexit.

3 Inter hæc sæpe animo æstuare, nunc algere, modo Divino amore incensus, ad castra spiritalis militiæ aspirare, nunc honorum et nobilioris vitæ splendore, aliisque sensuum blandimentis ab ea mente revocari et deterreri, donec hisce cogitationi-
B bus secum diu luctatus puriorem hausit Divini luminis radium, seque ad sanctiora consilia, et perpetua pietatis officia, acriori quam antea pulsu ferri persensit: jamque caduca omnia fastidiens, ac moræ omnis impatiens sibimet indignari, hisque fere dictis non sine lacrymis seipsum acrius urgere, graviterque objurgare cœpit. *secum luctatur* Quid agimus anima? quid expectamus? cur acceptam a Domino vitam, non eidem reddimus? cur promissa non solvimus? quid tanto amore vanitatem sectamur? Quid tandem est in his rebus tam præclarum, aut sublime, quod nos a cœlestium amore possit abducere? an gloriæ splendor ac dignitas? quæ tandem hæc gloria? cujus caussa prehensandum quotidie ac diligenter, supplicandum omnibus, multorum suscipiendæ inimicitiæ, et ab fluctuanti atque incerto multitudinis judicio pendendum? Quanto sane melius est Divinam clementiam assiduis orationum precibus prehensare, æternum beatitudinis decus ambire, Divinæ gloriæ quam privatæ studere? At Reipublicæ pietas urget, atque satis illi operæ præstitum, satis laboribus ac periculis mortali huic patriæ factum; cur modo pro æterna non laborandum? an patriæ, quæ me mortalem genuit, summa erit apud me ratio; illius vero, quæ me
C immortalem expectat, nulla? ad illustrandumne familiæ nomen, magnos in Repub. honores consectari libet? At satis majorum bene rebus gestis nobilitatam stirpis memoriam cernimus; illustrioraque, cum volet Deus, feret posteritas: cur Evangelicam nobilitatem cœlo plane dignam, unice Deo caram et dilectam non conquirimus? cur non immortalem nominis famam apud Deum sectamur? falsa hæc, fluxaque bona plurimum apud me valebunt, æterna illa et vera minimum? cœlestia præ terrenis, divina præ humanis contemnam? Quæ schola, quæ religio docuit præferre pulverem cœlo, homines Deo? An cum Reipublicæ principem et vegetem vitæ partem impendero, cum rem familiarem auxero, cum prædia locavero, cum humana omnia procuravero; tum ambitionis occupationem perosus, si quid supererit otii, me ad Dei cultum, animæque procurationem convertam? Hominum non Deo, sed sibi servientium, ista sunt. Pereat hic omnis amor, ut vivat cœlestis. Quid enim salutarius, quid prudentius fieri potest, quam spretis labentibus et caducis, cœlestia et æterna consectari? Aude Hieronyme, Deum vocantem sequere.

4 Dum hæc, et hujusmodi multa intenta mentis contentione et cogitationum conflictu secum ipse loquitur; præsentem, et manifestam expertus est superni

D Numinis vim. Ardentissime enim cœpit divini amoris æstu torreri hominis pectus, ut ebullire et colliquefieri, nec diutius posse ardoris flammam ferre videretur: et ad novum de cœlo lumen, ita se totum sensit Divina virtute in virum alterum sensim commutatum, ut eumdem se esse plane negaret. *divinitus illustratus,* Quare depulsis ex animo rerum humanarum affectionibus, discussa sensuum et cæcæ mentis tetra caligine, divinæ gratiæ stimulis diutius obluctari non potuit, sed excitanti urgentique Deo manus dare compulsus est. Igitur ad Christi pendentis effigiem supplex stratus, calenti lacrymarum imbre irrorato solo, crebrisque gemitibus, et suspiriis imis pectoribus eductis, evocatisque ardenter in opem Superis, seipsum, suaque omnia, tota anima, toto corde ac voluntate, ardentissime Deo consecrat: abdicatis opibus ac honoribus, perpetuo pauperum ministerio in vili abjectoque habitu se addicit: *pauperum ministerium eligit* pro tam insigni divinitus immissæ vocationis beneficio, imo pectore gratias agit, ut par est; voluntati vires sufficere, suæque gratiæ præsidio, in tam sancto et firmo proposito perpetuo tueri vellet, exinde deprecatur.

5 Ab oratione digressus nepotem natu maximum advocat, ardenti cohortatione ad ea, quæ Christiani hominis et integerrimi Senatoris sunt, inflammat; ut
E tandem rerum suarum procurationem suscipiat, admonet: dati et accepti rationes præteritæque administrationis diligentissime a reddit. *curam familiæ fratris transfert in nepotem* Quanta fide res ejus procurarit, quanta cura auxerit, nullo a se derivato emolumento, ostendit: ut eadem tamquam villicus fidelis, et Dispensator a Domino constitutus, integre curare pergat, hortatur: se ad majora a Domino vocatum, haud diutius posse talium rerum occupationibus distineri. Nondum, quid consilii subesset, intellexerat nepos; obortis tamen lacrymis, Hieronymum enixe rogat, ut in suscepta rerum suarum procuratione, reique familiaris administratione pergeret, neve amplissimos Reipub. honores magno cum familiæ detrimento abjiceret. Cum interim hominem intuetur, quæ subobscure verbis indicarat, palam factis explicantem, novoque et insolenti vestium genere, qualis internus esset animi habitus, præseferentem.

6 Veste oblonga, manicis infra cubitum admodum laxis, strictioribus ad manus utitur Veneta nobilitas, eaque communi usu nigri coloris; nisi vel majores Reipub. dignitates, vel solenniores Senatorum concur-
F sus purpuram poscant, ejusdemque coloris in lævum humerum rejecta stola. Hæc suæ nobilitatis insignia tandem ab se rejecit, perpetuoque ablegavit Hieronymus: *depositis vestibus Senatoriis,* nobiliores etiam quascumque internas vestes ad intimam usque subuculam sibi detraxit, et veluti a Domino hactenus commodatas eidem libentissime reddidit, earum loco vilem et pannosum habitum, domi forte repertum, in usum pauperis cujuspiam antea comparatum, induit, *vilem habitum assumit* crassiores calceos, quibus rustici utuntur (perones vocant) adhibet, nec nobiliori pallio humeros tegit. Intuebatur hæc nepos, mœrore et admiratione defixus: intuebantur domestici, animo et cogitatione suspensi, manantibus interim ex omnium oculis ubertim lacrymis. Sed carnem aut sanguinem non respexit novus Christi miles.

7 Verum nobilioribus et hucusque insolitis spiritalis militiæ armis munitus, qui proprium sensum jam subegerat, cum mundo ipso quamprimum sibi congrediendum statuit. Quamobrem, vel quam constanter et ex animo ad Christum defecisset, mundoque bellum indixisset, declaraturus, vel paupertatem humanarumque rerum despicientiam jamdiu animo retentam palam professurus, ne salutatis quidem domesticis, statim pannosus et peronatus domo egreditur, nobiliora civitatis templa adit, *templa urbis adit,* seque

A seque novis Evangelicæ paupertatis insignibus ornatum, spectandum præbet. Non minus gratum Deo, et Angelis, quam hominibus admirabile spectaculum fuit. Mirum est, quam vehementer universam civitatem permoverit insolens vitæ ratio et nova vitæ conditio; multis, ut fit, hominem risu et jocis excipientibus; aliis, quibus pridem Hieronymi pietas non ignota erat, ejusdem religionem et animi demissionem admirantibus; quamplurimis rei admirandæ novitate attonitis, ex ipso facti eventu tam inusitatæ mutationis judicium expectantibus. Sed ille rumores ac suspiciones hominum neutiquam veritus, uni divinæ voci, cor suum alloquenti, omnino parendum, et, in quamcumque vocaret partem, perpetuo obtemperandum statuit.

*vario aspicientis motu.*

a Rossius addit præfuisse publicum Notarium Ludovicum de Zorzi, et testes adhibitos Joannem Franciscum Æmilianum consanguineum, et Joannem Fanzagum.

## CAPUT II.

### *Ejus vocatio ad pauperum derelictorum curam.*

B Sed eo jam suscepto consilio, et quasi totius consequentis vitæ fundamento jacto, ut ex nobili illo et illustri rerum humanarum fastigio, non ad æquadem modo cum ceteris, verum ad infimam etiam vitæ conditionem, et optatos Evangelicæ paupertatis amplexus descenderet; unum illud supererat, ut, qui se infimis pauperum ministeriis eorumque saluti devovisset, e tot caritatis officiis variisque exercitiorum generibus, quod potissimum amplecteretur, decerneret: qua in consultatione aliquantum hæsit, quod ad omnia caritatis munera æque se paratum atque animatum cerneret. Non illi animus ad discrimina subeunda, non vires ad perferendos labores deerant: sed quid magis e Divina gloria proximorumque salute esset, ignorabat. Quare flagrantissimus omni ratione probandi se Deo, universumque vitæ suæ cursum ad unam ejus voluntatem, rectissimam benefactorum regulam, dirigendi, dies noctesque supplex illum precabatur, sibi ut illuscesceret, eque tot ad salutem semitis, cui potissimum se vellet insistere, commonstraret: neque multo post in hac re defuit homini Divinæ voluntatis sensum cognoscendi expedita ratio.

*Ulteriorem deliberationem adhibet,*

9 E præteritis recentis annonæ angustiis et ciborum indigentia tetra gravisque lues exorta, et per C civium capita vagata, adeo ingenti funerum strage urbem universam fœdum in modum deformarat, ut refertissima puerorum agmina, parentibus orbata, internæ externæque institutionis cultura destituta, extremæ mendicitati et vitiorum omnium fœditati exposita, passim occurrerent, acerbo sane et miserabili spectaculo. Pupugit vehementer hominis pectus miserorum casus, inspectaque sæpius orborum solitudo et egestas, in remedii cogitationem traxit; ac, dum quotidie precibus Divinæ voluntatis decretum explorat, ardentius sentit plane eam sibi mentem inter orandum dari, quæ ad horum sublevandam inopiam, et morum institutionem suscipiendam, illum inflammet ac rapiat; et quidem tam effusa benevolentia, tanto voluntatis impetu, ut, sive cibum sive somnum caperet, ab hac una cogitatione animum abducere non posset. Quare in dies novi operis desiderio sese in ipso orationis fervore ardentius intendente, Divinæ vocantis gratiæ impulsum persensit, totoque pectore admisit, ac veluti tutor et pater miseris a Deo datus, non amplius sanctæ caritatis opus differre est ausus. Itaque fractis jam vitiosæ verecundiæ repagulis, et inani pudore deposito, operi manum celeriter admovit, et tum prima Venetiis orborum institutionis (quos mutuata a Græcis voce orphanos vulgus appellat) jecit initia, in quo opere subinde multis Italiæ locis promovendo, magno cum animarum fructu et civitatum commodo ad extremum usque spiritum strenue decertavit vir egregius: et, quæ ab eo postea emanavit, humilis hæc Religio nostra Somaschensis, idem tuetur institutum, et ubique pro viribus urget: quod certe quam commodum Reipublicæ, Deoque gratum acciderit, fuse suo reponemus loco. Nunc pium Hieronymi conatum sanctaque caritatis officia in tam laudabili pauperum institutione prosequamur.

*considerata multitudine orborum puerorum,*

*eorum miseria motus,*

*curam sui ipsi*

D *AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

## CAPUT III.

### *Collectis orphanis certa domus assignata, et præscripta vivendi ratio.*

Ac primum ad sedulam hujus miseræ destitutæque sobolis institutionem inchoandam, ædes sunt ab Hieronymo conductæ ad Divi Rochi illustre fanum; omni deinde instrumento et supellectili, quæ ad domesticam habitationem usui esse posset, et paupertati responderet, ornatæ: tum collecta undique e triviis et plateis ingens orborum manus, in paratas ædes deducta: postremo mercede acciti opifices, qui sedentariis artibus pueros instruerent: quibus scilicet et præsentem levarent aliqua ex parte egestatem, E et honeste aliquando victitarent ipsi, et, cum necessitas posceret, familiam etiam alerent. Ad colligendam autem stipem, si posset, neminem prorsus dilabi patiebatur: quippe sanis ac bene valentibus victum sibi precario parare, nisi christiana humilitate, vel Religionis instituto, aut necessitate impellente fieret, turpe ducebat et inhonestum. Et quidem iis, qui robusto cum sint corpore et validis lacertis, languori et ignaviæ ita se dedunt, quodvis ut malint, quam manu et honesto labore sua sibi, unde vivant, quærere, veteri quodam Græcorum versu jubemur panem dare, sed, quasi pro obsonio, insuper pugnum impingere: scite sane utrumque; illud quidem, quia homini panem roganti negare vix hominis videtur; hoc autem, ut discant ab illa fœda parandi victus ratione abstinere, et intelligant se bonis omnibus merito invisos esse, qui per pudendam ignaviam ab aliis quæritant, quod laudabili industria sibi parare queunt. Inerti igitur, et desidiosæ mendicitati nolebat Hieronymus teneram ætatem assuescere, sed opificio instare, illud identidem ingeminans: Qui non laborat, non manducat. Sed exigua adeo e puerorum opera redibant lucra, ut tam numeroso gregi alendo, longo intervallo satis esse non possent. Itaque tota alendæ familiæ cura et procurationis moles uni Hieronymo nitebatur, cujus erat et orborum tueri vitam, et conductarum ædium ac magistrorum pensitare mercedem. Neque vero ille in tanto puerorum numero, ac tanta annonæ caritate, sua illa accensa in Deum fiducia, præsentem extimescebat inopiam, quam Divina liberalitate cito sublevandam non dubitabat, quod brevi deinde comprobavit eventus.

*Orphanos colligit,*

*opificiis curat instrui,*

*prohibet mendicare*

2 Thessal 3. 10

F

*Deo fiduciam ejus juvante,*

11 Sed inter hæc multo impensius desudabat in puerorum animis Christiana pietate excolendis, eaque altius hærebat animo cura; quod, cum una cum Patris pauperum nomine onus etiam periculi plenum in se suscepisset, ex Christianæ legis institutis eorum mores fingendi, non raro mente versabat, quam caro stetisset Heli Sacerdoti honestam liberorum disciplinam neglexisse. Quare, nullis adhuc certis legibus ad eam rem constitutis, non negligenter tamen regebantur pueri. Primo mane, somno expergefactos una omnes inter vestiendum precationem Dominicam et salutationem Angelicam, Symbolum fidei, et alia pie ab ipso meditata, elata voce recitare jubebat: tum, persolutis de more precationibus, sacro intererant

*Christianis moribus imbuit,*

*pie surgendi,*

*audiendi sacrum,*

A interérant attentissime : a sacro deinde ad opificia discedebant. Neque vero, dum operi manus intenta vacat, vagatur animus inanibus cogitationibus, aut in leves solvitur lingua confabulationes : sed, indicta violati silentii mulcta, linguam cohibet, et sacra lectio vel pia cohortatio mentem salubriter occupat; potest inter opificia sæpe Cœlitum suffragia nominatim implorare, et sacros hymnos ac psalmos non sine cantu recitare, cœli terræque Reginam, et Matrem misericordiæ præscripta e formula cantuque invocare, nonnunquam etiam, alternantibus choris, sacram ejusdem Virginis Rosariam modulationem concinere, facto initio ab oratione Dominica, quam et primo loco, et absoluta quaque decade, omnes simul alta voce decantabant, et tota pentacontide decursa, Litanias beatæ Virginis addere; ut domus tota psallentium vocibus jucundissime personaret, non sine magna prætereuntium lætitia et pietate.

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

*inter operandum hymnos cantandi,*

*legendi rosarium,*

*et Litanias B. Mariæ :*

12 Tum bis in die, sero opificio dimisso, et mane nondum inito, de Christianæ legis præceptis, Catholicæque fidei capitibus erudiebantur : deinde litterarum elementa apicesque cognoscere, syllabas nectere, et verba rite percurrere edocebantur, sua voce Hieronymus eos sæpe ad virtutem formabat et exco-
B lebat : procul inde omnis profana garrulitas, nullus ferme nisi de pietate sermo, quod in teneris animulis multum erat. Mensæ accubituri, dum manus aqua mundant, quinquagesimum Psalmum alta voce reddunt, eorum animis solatii aliquid, et indulgentiæ bene precantes, qui apud inferos vitæ maculas piacularis ignis ardoribus expurgant, idemque pietatis officium erga defunctos et vesperi cœnaturi, et a cœna cubitum discessuri persolvebant. Puerorum lectus erat culcitrula, palea vel stramine farta. Integumenta, si quæ suppeterent, e crassiori aliqua materia rudia et aspera, nec hodierna nobiliora : mensa item pertenuis, eaque fere gratuita piorum misericordia instructa. Singulo quoque mense, nec non solemnioribus Christi Domini beatæque Virginis feriis, volebat eos de peccatis confiteri : albati prodibant omnes, vestes e tela nonnihil genua excedentes, ut externus ille vestium nitor internum innocentium puerorum referre candorem valeretur ; singulis etiam et sertum globulorum ad orandum, beatamque Virginem salutandam, et sudariolum de cingulo pendebat. Atque hæc erant fere instituta, quibus pia loca id temporis, tanquam legibus, temperabat Hieronymus.

*audiendi bis catechismum ;*

*pie accumbendi mensæ,*

*et decumbendi*

*sæpe confitendi peccata*

C 13 Sed illud apud cives commendationis plurimum habuit et admirationis, cum festis diebus, quos totos religioso cultui dicatos volebat, veluti supplicatione indicta, sanctissimi Crucifixi signo, salutari redemptionis nostræ trophæo, præeunte, longo ordine pueri Beatorum patrocinia nominatim deposcentes, et sacrarum precum carmina concinentes, in publicum procedebant, plateas, fora, celebrioraque civitatis loca obeuntes. Ad sacras ædes ubi ventum erat, ibi mora aliqua supplicando ducta, repetebatur cantus, et intermissum iter : sacræ rei, et concioni, ubi Hieronymo visum esset, magna cum pietate intererant. Quam jucundum et suave præbuerit ea res civitati spectaculum, non facile oratione consequi queam : comitabatur pium agmen ingens populi multitudo admirabunda, quæ ad novitatæ rei spectaculum convolarat : accurrebant omnes undique vicatim visendi gratia nobiliores cives, novo rei aspectu suspensi ; et quidem tanto omnium cum pietatis voluptatisque sensu, ut complures præ gaudio a lacrymis sibi non temperarent : alii cantus suavitate simulque puerorum pietate illecti, ad nomina Cœlitum devote responderent. Sed nihil æque Venetorum animos commovit, ac unus Hieronymi aspectus, qui plebeio in amictu novum agmen comitabatur, et in officio, si quid accideret, continebat, admirabili sa- D ne Christianæ humilitatis, et caritatis exemplo. Quod non satis pro dignitate admirari et commendare se posse videbantur, qui paullo ante Reipublicæ Senatorem, bello et pace longe clarissimum, intuiti, modo novo et insolenti illius ævi exemplo, titulos et fastum cum humili abjectione, opes et facultates cum Evangelica inopia, purpuram et trabeas cum attrita laceraque veste commutasse cernebant. Sed humanæ ille salutis, quam laudis studiosior, nihil, quod Divinæ gloriæ commodum, hominibusque salutare foret, aut sua ab ætate alienum, aut persona abhorrens ducebat. Ingentes motus fecit ea res in civium animis, multorumque languentia pectora ad pietatem excitavit et incendit.

*ducit diebus festis cantantes ad templa,*

*rapit cives in admirationem*

14 Hoc illustri pietatis exemplo sæpius repetito, adeo secunda totius civitatis admurmuratione novi operis institutio est celebrata; ut inusitatæ rei fama exciti complures cunctis ex ordinibus, ad pauperum domicilium confluerent, insolitam Christianæ pietatis speciem, quam auribus accepissent, oculis etiam usurpaturi : et certe ipsa domesticæ disciplinæ ratio, ipsa pauperum pietas et modestia conspecta, lætissima seges erat sanctissimæ voluptatis : cumque bonus odor novæ domus latius in dies tota civitate ma- E naret, magisque in vulgus probaretur, omnium, quibus facultas aderat, excitata est atque deprompta benignitas, qua puerorum solitudini et egestati succurrerent, ne tantæ pietatis opus una penuria victus intercideret : quin etiam præter ea, quæ quotidie communi hominum misericordia colligebantur, permulti Hieronymo certa pecuniarum subsidia ex intervallo subministrabant, quibus rei familiaris angustia ita paullatim levari cœpta est, ut, cum antea, egestate premente, non infrequenter collectæ eleemosynæ, et corrasa ex opellis lucra exiguæ familiæ vix alimenta præberent, postea peropportuna civium benignitate factum sit, ut ita omnia affluerent, ut apud egentes nullus jam videretur relictus indigentiæ locus. Pii vero operis fama non sine magna Hieronymi laude manans, celebriorem hominis virtutem et pietatem reddebat : quoque ille intensiore cura ad abjecta quæque et vilissima e Christiana demissione sese abjicere studebat; eo magis in vulgus præclara nominis, et sanctitatis opinio augebatur. Adeo solida virtus despecta abjectione clarior, et Christiana humilitate redditur illustrior.

*visitatur a pluribus,*

*et largas eleemosynas accipit.*

## CAPUT IV.

### *Ad orphanos e vicinis etiam insulis colligendos proficiscitur.* F

Eo magis autem enitebat Hieronymi labor et caritatis studium, quo miseriorum campus latius excurrebat ; neque enim Venetæ urbis finibus popularis morbi calamitas circumscribebatur, sed sensim, ut fit, latius serpendo, post urbanam stragem, circumfusas etiam insulas majori clade pervaserat ; quam universam, se ærumnarum et miseriarum, seu æternæ gloriæ segetem, sibi uni demetendam destinavit Hieronymus. Cujus in his locis ut quam fuerit fructuosa caritas et industria laboriosa, facilius æstimari possit, pretium erit operæ, loci situm et naturam breviter aperire, et ex insulis aliquot, quæ vage dispositæ civitatem undique ambiunt, referre. Æstuariis e supero mari leniter stagnantibus longe lateque circumambitur civitas ; quippe æstuariorum ambitus omnis in centum triginta fere milliaria expatiatur, et alterno stagnantium aquarum æstu statis horis refluente ac redeunte, non nisi per varios mæandros cæcasque ambages patet ad civitatem aditus, grandioribus illis ingentibusque phaselis exclusis, et quinto ab urbe milliario ad Methamauchi vel Popiliæ

*Incolis insularum, in vicinis urbi Venetæ æstuariis sitarum,*

A liæ sinum subsistere coactis, ingenti sane præsidio ad quoscumque hostium accessus prohibendos : quippe loci insolentia, solis indigenis et longo usu assuetis bene cognita, reliquis perpetuo et inconstanti aquarum accessu et recessu, difficilem admodum et fallacem præbet ingressum : statis enim aquarum incrementis, certisque dumtaxat euripis, æstuaria illa paullo majora admittunt navigia : quod si certus ignoretur alveus, vel æstu refluente aquarum decrementa occurrant, patet in cæca vada humilesque syrtes præsentissimum discrimen. Æstuaria porro ipsa modicis fretis euripisque discreta, multis et peramœnis insulis urbi undique circumfusis frequentantur. Inter viciniores, qua tota fronte ab Austro in Africum urbs ipsa spectat, Fossa Clodia, Pallestrina, Methamaucum cernuntur; obverso ad Boream tractu, Murianum occurrit : in ipsoque flexu ad Caurum, Burianum, Majorbium, Torcellum numerantur : qua vero Septemtrioni objacet, Margheria continenti fere adhærens æstuaria claudit.

*subvenit,*

16 Hanc adeo late patentem bene merendi sylvam primum extra Venetam urbem suis laboribus obviam habuit. Cum enim his in locis miserorum alios jam jam ferme enectos, pene animam agentes passim jacere in viis, alios misere errantes, extrema necessitate sensim confici intelligeret, iis etiam sibi, tamquam pauperum patri et tutori a lege dato, subveniendum ratus, sæpe subsidia e locupletioribus corrogata per certos homines submittebat : sæpe etiam eo ipse trajiciebat, gemina illa sua consueta animæ et corporis adjumenta, quibus proximorum commodis inserviebat, abunde subministraturus. Itaque alios præsenti stipe, alios vestimento, alios pecunia sublevabat : aliorum vero filios adhuc infantes, vel parentibus orbatos, vel ad quos alendos nulla parentibus adesset facultas (hos enim inter egentes præcipua caritate prosequebatur Hieronymus, quorum imbecillis ætas omni periculo propior erat) Venetias adductos, victu et vestitu in orborum contubernio attributo, artificio aliquo instrui curabat; satisque postea et Christianæ vitæ institutis ad scelera evitanda, et artis peritia ad paupertatis incommoda depellenda excultos, parentibus reddebat. Atqui communis salutis cupidissimus, divinæque gloriæ perstudiosus, in his etiam locis de rebus sacris cum omnibus colloquia serere, quemque pro re nata suæ salutis admonere, universos ad Christianam pietatem erudire, et e præsenti temporum calamitate occasione arrepta, sæpius ipse

B

*corrogatis eleemosynis ·*

*liberos Venetiis pie educatos parentibus remittit,*

C cœlestis minas inculcare, irati Numinis timorem incutere, ad veram commissorum pœnitentiam urgere; ut cunctos promiscue docendo, corrigendo, monendo, multas tandem ab insulis vitiorum pestes abegerit, multos ad frugem reduxerit, pravis consuetudinibus ablatis, salutares invexerit, et postremo discedens excellentis cujusdam sanctitatis vestigia apud insulanos impressa reliquerit.

*mores insulanorum emendat :*

17 Venetiis autem diu tenuit in primis illis ædibus prope S. Rochum suum institutum Hieronymus, illustri magis Evangelicæ paupertatis et abjectionis exemplo, quam verbo et sermone, singulos de sua salute monens, et securum iter certamque viam, alacriter præeundo, ostentans. Neque vero abjecta illa Christianæ humilitatis ministeria, pœnitentiæ rigor, orationum assiduitas apud alios parum valuere, sed magnam civitatis partem ea schola imbuit disciplina salutis. Nam permulti Hieronymi exemplo, metu suæ perditionis admoniti, e vitiorum probris emersere : multi ad pietatem ita serio adjecere animum, ut de ordienda perfectiore vita studiose agerent : plerique non vulgari probitatis laude contenti, ad Religiosorum Ordinum instituta sese aggregarunt, reliquo vitæ cursu summa pietatis commendatione transacto. Hieronymo interim simul

*civibus Venetis stimulum præbet ad virtutem,*

D lætitia gestiente, simul ob Divinam bonitatem obstupescente, quæ hominem antea vitiorum et scelerum, nunc virtutis, et pietatis incitamentum fecisset; ut, quod corruperat aliquando exemplo nequitiæ, pœnitentiæ resarciret. Nam obsecundante Divina gratia Hieronymi conatibus, magis nova persona et vitæ ratio valuit ad Christianos mores corrigendos, quam paullo ante libera illa vivendi licentia ad depravandos. Novæ autem domus institutio adeo belle procedebat, et a primoribus Reipublicæ Senatoribus honestioribusque civibus, tanta pecuniæ vis ad sustinendum opus, et promovendum in dies deferebatur; ut, cum antea paucioribus illis primis pascendis stipem aliqui desperarent, postea triplicato fere numero, Divinæ vel providentiæ vel fiduciæ fundo non fallente, universos aleret abunde. Quare, cum incrementa novi operis polliceretur in dies uberiora Divina bonitas, Hieronymus angustæ domus tecta ad augendum etiam numerum laxare cupiebat : quando cessit opportune, ut in ampliorem locum evocata fuerit ejus caritas et industria.

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA

*et largiores eleemosynas recipit.*

## CAPUT V.

### *Valetudinarii insanabilium cura illi demandatur.*

E

Non ita pridem Venetiis insigne pietatis opus excitatum fuerat, ejus *a* Cajetani Thienensis Vicentini opera, qui postea Romæ cum Joanne Petro Caraffa Clericorum Regularium parens et auctor fuit, eoque in Religioso ordine non obscura sanctitatis laude decessit *b*; nosocomium scilicet, in quo potissimum foverentur inter ægros ii, quos vel insanabilis morborum vexaret iniquitas, vel membrorum debilitas incurabili dehonestamento notaret : proinde loco Insanabilium valetudinario nomen factum, ferventibusque (ut novis in operibus solet) admodum initiis, perbelle aliquando opus processit : sed, pestilente vi morbi nondum satis repressa, cum alii super alios continue sternerentur, vel plus æquo excrescente ægrorum turba, vel ingruentis mali timore, ministros ab ægrorum cura ad suimet tuendi curam avertente, adeo congelarat operarum caritas et industria; ut perpaucis, ac tardis operi incumbentibus, quotidiana in ægros tum animæ, tum corporis desiderarentur ministeria. Igitur, qui valetudinario præerant viri et pietate et genere plane nobiles, tot animarum periculis et ægrorum incommodis maxime anxii, egregia etiam Hieronymi caritate et vitæ ratione perspecta, nihil habuere antiquius, quam ut salutaris loci procurationem ad eum deferrent. Hominem itaque enixe obsecrant, ut conductis orbis in valetudinarii ædes satis amplas, eo in loco et pauperibus simul et ægris operam suam navet, languentia operarum studia suo excitet exemplo, et pene collapsum pietatis opus caritate erigat, et laboribus tueatur.

*a*

*Insanabilium valetudinarium a B. Cajetano inceptum,*

*b*

*a primo instituto collapsum,*

F

*eo rectus suscipit :*

19 Non irrita fuere nobilium virorum vota. Hieronymus quippe in omnem de proximo bene merendi occasionem imminens, provinciam non detrectavit, sed postulatis cumulate satisfacturus, quo invitabatur, breve se contulit, ac veluti optatam a Deo caritatis palæstram adeptus, laxatis ardori habenis, ad ægros sanosque juvandos suas curas vigiliasque studiosius, quam antea, contendit. Orphanis eo in loco eadem erat, quæ antea, vivendi disciplina, idem opificiorum labor, orationum ardor, numerus autem multis capitibus auctior. Cum infirmis, et misere jacentibus multus erat Hieronymus, singulos invisebat, humanissime solabatur, cibos apponebat et ministrabat, nec illos e strato tollere, brachiis gestare, tetrumque fœtorem perferre gravabatur. Eratque hoc fere quotidianæ caritatis pensum, ægrorum lectos

*orphanis collaborantibus,*

*infirmis ministrat,*

A lectus sternere, corporum sordes purgare, quisquilias e pavimento verrere, abjectioraque munera obire. Nec corporum modo, sed animarum curationi maxime instabat : ut enim miserrimo cuique assidebat, ita illum suæ salutis admonebat, piis colloquiis ægritudinis molestiam levabat, in supremo vitæ discrimine Christianis adhortationibus viam munire studebat, quo ægrotantis animus paratior venienti Domino occurreret : maxime sollicitus, ne quem sacra Confessione inexpiatum adventantis mortis horror invaderet : iisque in extremo jam agone laborantibus ita assiduus erat, ut sorbitiunculas et pharmaca sua manu præberet, comminutum cibum in os insereret, apud eosdem nocturnas duceret excubias, quo singulis momentis ingruentibus periculis præsenti celeritate subveniret. Quæ omnia quam eximio ægrorum bono et totius Venetæ civitatis admiratione ab Hieronymo præstarentur, testes illi ipsi gravissimi viri valetudinarii curatores, qui tam multa et tam honorifica cum laude de Hieronymi virtute (sed haudquaquam vero majora) ubique prædicabant, ut Hieronymum vehementer tæderet puderetque : illud insuper addentes, nihil interim adversum Reipub. extimescendum, quamdiu hujus

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA,*

*eorum æternæ saluti invigilat,*

*magna Curatorum commendatione.*

B Dei servi precibus niteretur.

20 Sed ad externos etiam multum de sua caritate derivabat. Conveniebatur quotidie a multis consilii et institutionis caussa, virique graves de rebus animæ cum eo acturi accedebant, et tamquam a Spiritu Domini monita salutis postulabant : quibus adeo pie prudenterque, Domino Hieronymi mentem gubernante, satisfaciebat, ut, quæ de illius virtute, cœlestique spiritu omnium fama nunciabat, res ipsa comprobaret : cumque, accensis suo exemplo ad pietatem multorum animis, quotidie magis celebrarentur valetudinarii ædes, perhumanus et facilis omnibus aderat Hieronymus. Qua in re illud admirandum videtur esse maxime, quod cum orborum cura, quos magnum in numerum auxerat, infirmorum ministeria et externorum frequens accessus hominem adeo distinerent, omnibusque ille operam suam locaret assidue; ita tamen universa hæc pietatis studia temperabat, ut externorum congressus et institutio nihil de domestica administratione detraheret : hæcque vicissim in domesticos, externosque sedulitas nihil de ægrorum cura decerperet; rursum vero ægrorum studium nec externorum, aut domesticorum saluti fraudi esset. Igitur omnes ex

*consulitur a præcipuis viris,*

*omnibus unoque munere utrique orphanorum et ægrorum satisfacit.*

C congressu et sermone serendæ pietatis occasiones intenta mente captans, nullo loco aut tempore, quodcumque etiam aliud agens, proximorum saluti procurandæ deerat. Si quos ad bonam Evangelicæ virtutis frugem propensos, et paullo aptiores comperisset, hos salutaribus monitis, et institutionibus ad altiora pietatis studia provehere conabatur : quos vero hærentes in vitiorum cœno deprehendisset, et precibus ad Deum fusis, et acrioribus adhibitis exhortationibus, modo iræ cœlestis intentatis minis, modo beatioris ævi promissis lætioribus ingestis, ab ea fœditate abducere studebat : nec raro illorum pectora, hinc spe, hinc metu ita versabat; ut sacræ confessionis promissionem, et purioris vitæ propositum haud ægre extorqueret.

*alios ad virtutem incitat,*

*alios a vitiis abstrahit*

21 Vix oratione consequi possem, quam multos eo tempore ad meliora promoverit exemplo et verbo : ex quibus conjunctissime præ ceteris cum eo agebat tunc temporis et quidem e nobilioribus is, qui, proprio nomine silentio obvoluto, primus Hieronymi vitam vix altero ab ejus obitu anno litteris consignavit. Huic uni Hieronymus domestica omnia, huic puerorum opificia, huic ingenia sincere aperiebat : quatuor ex toto numero, qui octavum necdum excederent annum, indicabat, quibus summam pietatis laudem

*in precibus 4 pueritos adhibet socios.*

in oratione tribueret. Mecum (aiebat) isti orationi D vacant, Deo frequentissime simplicem innocentium puerorum fidem felici votorum successu comprobante. Ita ille, si quid precibus impetraret, secundum rei eventum e Christiana humilitate ab se abjudicans, puerorum pietati simplicitatique adjudicabat. Eidem, qui lectione, qui scriptione proficerent, qui opificio valerent, qui obedientia, qui silentio excellerent, ex ordine ostendebat : nec ipsum, in quo cubaret, lectum hunc unum celabat, adeo angustum et asperum, ut non tam cubantis lectum, quam occumbentis sepulchrum crederes : addita insuper ad hujusmodi vitæ institutum suscipiendum tam ardenti cohortatione, ut interdum non tam verba e dicentis ore ad promovendum animum prodire, quam cœlestis ardoris flamma e calentis pectore, ad audientem divino amore incendendum, erumpere nobili illi viro videretur, lacrymis etiam interim Hieronymo manantibus, quas cœlestis vitæ desiderium exprimeret. Quare sua illa scriptione semet accusat, graviterque hoc loco reprehendit amicus ille, quod tam ardentibus cohortationibus minus profecerit, neque cœlesti illo dicentis ardore, veluti plane ferreus, satis fuerit ad pietatem emollitus.

*duro lecto utitur.*

*ardet in cohortationibus.*

E

a *Colitur B. Cajetanus 7 Augusti Beatis adscriptus ab Urbano* VIII *anno* 1629, *cujus Beatificationis bulla habetur tomo* 4. *Bullarii.* — b *S. Franciscum Xaverium in hoc valetudinario ægris operam navasse, atque ulcerosi saniem exsuxisse scribit Tursellinus in ejus Vita lib.* 1 *cap.* 5. *De eo nosocomio agit Silos lib.* 1 *histor. Theatinorum.*

## CAPUT VI.

### *Ad continentis civitates eadem caritate juvandas se confert.*

Quo vero feliciori eventu ex animi sententia et voluntate arridebant omnia, eo vehementius ad majora inflammabatur quotidie Hieronymus : inter quæ subiit ejus animum aliquando ea cogitatio, multum e divina gloria, animorumque salute fore, si, maritima ora relicta, eodem labore ac diligentia mediterranea etiam oppida excoleret. Itaque in eam sententiam ingressus, cum institutum opus Venetiis ita confirmatum, suisque viribus nixum cerneret; ut, se absente, casum et ruinam non timeret, sæpius Divino numine precibus consulto, et re diu multumque piorum hominum consilio deliberata, celeriter ad novum opus se comparat. Ut vero Hieronymi discessum certissime instare vulgatum est, nihil intentatum ab amicis, quo hominem a suscepto consilio deturba- F rent. Verum ille nullis hominum vel precibus vel lacrymis ab ea sententia, quam divinitus sibi immissam intelligebat, dimoveri potuit. Orborum igitur educatione relictis, quorum prudentiam simul et pietatem egregiam in eo munere usu ipso cognoverat, ceterisque rebus omnibus rite compositis, et in nobilium amicorum tutela relictis, multorum cum lacrymis et dolore, qui celari non potuit, ad Lucifucinam (extremus hic versus continentem Adriatici sinus limes est) navi advectus, tum baculo viatorio innixus, nulloque viatico, præter suam illam in Deum confidentiam, et ardentem caritatem instructus, Patavium et Veronam versus iter intendit.

*Venetiis abit;*

*frustra dissuadentibus amicis,*

*Patavium et Veronam petit*

23 Hac una in re eo in itinere maxime felix, quod, cum omnia sua ad unam Dei gloriam referre, reliquos vero mortales de illis celare maximopere studeret, ne quid humanæ laudis sensus de divina mercede decerperet, hac prima peregrinatione suscepta, maxime obtinuit, quod erat in optatis; ut scilicet ex animi sententia lateret. Cum enim indubitatum mihi sit non otiose sibi eos effluere dies Hieronymum esse passum : quin consueta caritatis munia, pœnitentiæ paupertatisque labores exequeretur, vero simile est dum sub vili amictu inglorius inter pauperem greges

*inter mendicos latet*

sese

A sese abdit, et cum iisdem stipem mendicat ostiatim, sæpe illos de Christianæ legis capitibus, de spiritali salute, de vitiorum fuga, de agenda pœnitentia commonuisse, et ad pietatem extimulasse, arrepta undique occasione salutaria monita ingerendi. Illud vero prorsus indubitatum ac certum ex publica fide tabularum, et *a* Pontificii diplomatis testimonio, xenodochium orphanorum Veronæ Hieronymi studio atque opera fuisse excitatum : sed hoc ipsone, an alio tempore, cum vetera monumenta non distinguant, mihi in obscuro est : sunt tamen non pauca, quæ in præsens tempus animum magis inclinent; rei totius seriem, operisque molitionem haud nobis divinare licet, quare ad certiora stylum vertamus.

*a Veronæ xenodochium excitat*

a *Pauli* III dati *anno* 1540, 8 *Novemb. et Pii* IV *anno* 1563, 27 *Maii, teste Rossio.*

## CAPUT VII.

### *Brixiæ orphanorum domus constituitur.*

In hoc ipsum tempus Brixiensem primam ejus profectionem ex agro Veronensi, orborumque domicilii institutionem rejiciendam mihi omnino persuasum : quo primum Dominus Hieronymum advocavit, ubi B parem ejus animo ac virtuti benemerendi materiam præparaverat : communis enim calamitatis haud expers nobilis civitas, fame et morbo peracerbe vexata, ingenti derelictorum pauperum turba laborabat. Quare late omnia miseris obsideri cum cerneret Hieronymus, ingens ejus animo cura injecta, nec misericordia solum mota, sed industria excitata, ad ferendum in extremo casu destitutæ soboli solatium, quam sua posse opera erigi et juvari non desperabat. Itaque angustis et obscuris ædibus ad portam, cui a S. Joanne nomen est, utcumque paratis ad miseros orphanosque colligendos dilabitur, brevique non exiguus eorum inventus est numerus, quos omni cura destitutos sensim in triviis misere conficiebat egestas : quibus ille paratas in ædes adductis, quotidiana pabula emendicabat, collectamque misericordiam et ipse egenus, inter egenos dividebat. Nec deerat miseris civitatis tempestiva benignitas, quam non tam pauperum egestas, quam ardens Hieronymi in pauperes caritas, et summa in se ipsum vitæ asperitas exprimebat : pauperibus enim necessaria subsidia tota urbe conquirenti, sub noctem diurnis misericordiæ officiis defesso, humus vel asseres lectum, frustula emendicati panis pabulum præbebant ; nihil C illo ad suum victum admittente, quod ostiatim non obsecrasset, et e divisis etiam pro cujusque inopia congestis subsidiis superfuisset. Qui Christianæ pietatis ardor permultos dies spectatus, ad abunde cum Christi miseris communicandam benignitatem, universam civitatem vehementer accendit : quare opportuna civium caritate opificum adjumenta sunt quæsita, a quibus artificium aliquod domi cum didicissent, in promptu haberent, unde sibi aliquando victum suisque compararent.

*Brixiæ* — *ædes comparat,* — *orphanos colligit,* — *victum sibi illisque mendicat,* — *artificia eos doceri curat*

25 Sed cum ad celebriora civitatis templa suo more, supplicatione indicta, sacro pendentis e patibulo Christi vexillo præeunte, aliquando processissent pauperes, sacrarum precum carmina concinentes : ingentem admirationem ac voluptatem omnibus attulit rei novitas, et inusitata pietatis species, multorumque animos religionis ardor incessit : exinde mirifice cœpit opus tota civitate celebrari, vehementerque approbari. E secunda igitur omnium admurmuratione, cum rei bene gerendæ spem maxime affulgere cerneret Hieronymus, orborum causæ non indormiens, de ea apud primores civitatis diligenter egit, nec irrito conatu : pia siquidem, et ardenti hominis facundia civitate vehementer domicilium orphanorum expetente, brevi obvia civium liberalitate,

*impetrat orphanis præclarum domum,*



D ea æris precarii summa est expressa, quæ ad contubernii primordia et incrementa satis esset, donec angustum antea, rude et obscurum domicilium suis brevi partibus expolitum et auctum extiterit. Hieronymo semper ante civium oculos orborum angustias proponente, acresque stimulos ad properandum opus admovente ; factum pio loco a Misericordia nomen. Non modo autem per id tempus pia Hieronymi sedulitas, sed multo magis singularis de illius probitate opinio, quæ apud Brixienses diu floruit, mirifice ad opus augendum, multos etiam post annos valuit. Nam Zacharias Pezanus, Pius et honestus civis, Misericordiæ locum ex asse hæredem sibi instituere decreverat : sed cum plerique priscæ paupertatis retinentissimi minus commodum assererent hujusmodi loca certis redditibus ditescere, alioque cuperent hæreditatem transferri ; Zacharias ita morem gerendum paupertatis amatoribus censuit, nihil tamen ut pauperum commodis detraheretur. Quare majori xenodochio Brixiensi sua bona ea conditione legavit, ut orbis infirmis medicamenta omnia curaret, paramentis ecclesiam instrueret, domicilium in ampliorem formam ædificaret : quæ omnia executioni mandari per xenodochii Curatores S. Carolus, Apostolici Visitatoris munere provinciam Ve- E netam lustrans, omnino jussit : unde extitit nova, quæ modo cernitur ædificatio.

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.*

*certis bonis postea dotatam :*

26 Sed ad Hieronymum redeamus, qui dum Brixiæ totus pauperum commodis insudat, intelligit certa fama multorum sermonibus vulgata, nihilo meliori loco res pauperum Bergomi esse, quin acerbiori clade consternatos extremum implorare piorum subsidium. Non tulere diu Hieronymi viscera tantam miserorum calamitatem ; sed, cum Brixiæ locus orphanorum adeo jam in tuto videretur esse, ut per alios commode administrari posset, habito e sedula pietate aliquorum delectu, pio operi homines spectatæ fidei, caritatisque Christianæ præfecit ; tum non sine magno Brixiensium mœrore Bergomum accurrit.

*Brixiæ rebus ordinatis Bergomum abit.*

## CAPUT VIII.

### *In agro Bergomensi fruges metit : duo pia loca in civitate excitat.*

In agro ipsaque civitate Bergomensi mirum est, quam multa et præclara e divina re animorumque salute gesserit Hieronymus ; ut felici plane Bergomensium sorte in eas partes, ad universas Chris- F tianæ caritatis vires explicandas, a Domino destinatus videatur. Primum enim ditionem ingressus, domicilia pene omnia præterita fame et lue habitatore exhausta offendit ; tanta inter ceteros rusticorum edita strage, ut, cum essent jam albæ ad messem fruges, nulli tamen, qui messem facerent, superessent operarii, et falce ac messore diu frustra expectatis, jam jam sata deperirent. Sed tantam frugum jacturam non tulit Hieronymi caritas, qua factus omnia omnibus, aliquot adhibet, quos ægre colligere potuit, rusticos homines, messorias falces undique conquirit, et communis calamitatis famis propulsandæ caussa, non minus utili, quam difficili et periculoso conatu messes adoritur ; et, licet flagrantissima æstate ardentissimoque cœlo, infesto caniculæ signo agros prope adurente, ferverent omnia caloribus, haud tamen vir pius vel laborum insolentia, vel mordentis sideris æstuosa vi furente, factus est ad audendum segnior : ut enim magnis omnia caloribus arderent, unus tamen Hieronymus ardentiori conflagrabat caritate. Quibus vero horis dabatur messoribus ab opere cessatio, tum ad vires quiete sublevandas, tum ad corpus cibo reficiendum ; ille ad statas preces fundendas sese referebat : tum aqua

*Fruges defectu operariorum perituras,* — *collectis rusticis demetit,*

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

A et pane corpore nonnihil refecto, intermissum opus cum aliis repetebat, paucorumque dierum labore servavit, quod operarium penuria deperisset. Sed non magis per id tempus in demetendis frugibus, quam in messorum animis juvandis, et Christianæ doctrinæ rudimentis informandis, versabatur ejus industria et labor. Cum enim illi veteri et recepta consuetudine, quamquam prava, in ipso opere ad fallendum tempus, et laborem levandum, ineptas vanasque cantilenas, et plerumque turpes inducerent; Hieronymus, prudenter ea levitate cantus rejecta, ad sacra concinenda tanta facilitate traduxit, ut, cum Dominicum carmen, vel Angelicam salutationem, fidei Symbolum, vel alia alta voce præcineret, præeuntem illi sequerentur, quamque precationis partem ipse præfatus esset, eamdem ceteri redderent; ut immensa camporum spatia longe lateque psallentium vocibus jucundissime personarent, novo et salutari Hieronymi instituto.

*messores a turpibus cantilenis abstrahit:*

28 His in agro peractis, Bergomum tandem pervenit, ubi parem iterum suæ industriæ campum nactus, egregios subiit denuo labores, sed non pœnitendos etiam fructus legit. In pauperes primum et orbos conjectis de more oculis, quos extrema vexabat inoB pia, ac pene conficiebat, de illorum levanda egestate cogitare cœpit: nec multo post extra urbem paratis, quoad potuit, ædibus in suburbio S. Leonardi ad Divæ Mariæ Magdalenæ, collectis orphanis certa sedes est attributa, et paupertati prospectum: cumque festis diebus cum iis per urbem egrederetur, concinentibus pueris Litaniarum versus, aliasque sacras precationes, convolabant omnes ad insuetum spectaculum admiratione defixi. Reliqua circa orborum curam, quia eadem fere cum superioribus, ideo silentio satietati occurritur. Sed præter pueros, orbarum etiam puellarum maxime vicem indoluit, quarum inopia non modo vitam torqueret, sed etiam pudorem proderet: quare earum etiam solitudini et egestati Hieronymi caritate et labore certum constitutum domicilium, annona in dies piorum eleemosynis attributa, et vivendi lege præscripta. Mira habuere locus uterque ad hanc usque diem incrementa; et quidem orphanorum contubernium, emptis commodiori loco amplioribus ædibus, alio est translatum: puellarum vero domo laxioribus spatiis aucta, non exiguus illarum numerus vel ad honestas nuptias, vel ad sacra cœnobia asservatur.

*in suburbio Bergomensi ædes orphanis obtinet,*

*et puellarum pauperum domum erigit.*

C

## CAPUT IX.

### *Instructo domicilio, impudicarum mulierum saluti consulit.*

*Primus in Italia impudicas mulieres, ut sanctimoniales curavit cohabitare.*

Magnum aliud præterea, et luculentum opus tota Italia celebre est aggressus, ut earum mulierum spiritali saluti, quas inhonestæ Veneris labe fœdatas videbat, medicinam faceret, idque eo studiosius, quo latius manare, et plus æquo Bergomi earum turbam excrescere, magno cum animarum detrimento, cernebat. Re igitur semel tentata, non prius destitit, quam bonam earum partem ab impuro amore, ad Christianæ vitæ rationem traduxerit. Qua in re magnam illi gratiam, tamquam eximii operis primo in Italia parenti et auctori, ab omnibus deberi censeo. Qui enim mulieres hujusmodi, e sordido et infami corporis quæstu, ad religiosam vitam traducere, unoque in loco monialium in morem claudere curarit, in Italia, ante Hieronymum, nullum, quod meminerim, legi. Parisiis certe a Joanne Tisserrano Ordinis Minorum Religioso, hoc factum proditur apud Bardum in Chronicis anno MCCCCXCIV, Alexandri Sexti anno II, ubi primus hic traditur, qui prostituti pudoris mulieres ab illa vitæ fœditate ad pudicitiæ curam, atque morum sanctimoniam revocarit. Bergomi autem Hieronymus hoc præstitit anno CIↃIↃXXXII, Clementis VII anno nono, ætatis vero suæ LI. D

*erecto Bergomi domicilio*

30 Aggressus igitur est vir Dei opus plenum sane laboris et difficultatis; sed par omnino extitit industriæ fructus. Primum ergo cum honestis aliquot matronis egit, ut apud eas, si quæ inciderent animarum lucra, in tuto statim locaret: tum ardenti Dei amore, et magno salutis animarum zelo incensus, impudicitiam in suis castris adortus, ipsi lupanari divini verbi faces intulit, denique hujusmodi mulieres conveniens, eas gravi cohortatione, et Christianæ pietatis ardore inflammare (ut ipse ardebat) ad meliorem frugem traducere conatus est: qua in re adeo diserta fuit indocti hominis simplex oratio et fervens sermo, ut plures evulgatæ famosæque fœminæ, qua ardenti et pia Hieronymi orationi, qua divina virtute emollitæ, pudore et lacrymis perfusæ, e suis probris et impuritatibus emerserint: quas ad honestas et nobiles fœminas adductas, jubebat imprimis, biduo triduove incontinentiæ motibus repressis, divinis rebus vacare, attentas piis exhortationibus aures præbere: intimo animi sensu, quæ de æternis inferorum cruciatibus, quæ de divino judicio, de peccati fœditate, et beatorum gloria dicebantur, diligentissime perpendere: quibus rebus fiebat, ut vel æternæ damnationis metu perculsæ, vel cœlesti præmio illectæ, anteactam vitam gravius detestarentur, novamque amplecterentur ardentius. Cum vero ceterarum conversionem in dies magis urgeret Hieronymus, repugnantes admodum et adversas experiebatur permultas, quæ cum ludibrio hominem excipientes, salutaria monita, risum jocumque facerent et surda omnino aure viri Dei adhortationibus obstarent: quas tamen mirus animarum ductor non deserebat, sed iis artibus circumveniebat, ut victrici Divinæ gratiæ tandem cederent.

*aggreditur eas in lupanari,*

*eductas apud honestas matronas exercet,*

E

*sæpe ludibria passus*

31 Dominos conductitiarum ædium, in quibus morabantur, sæpius adibat, monebatque, non permittendum turpem quæstum, non ferendum execrandum emporium in suis ædibus tanta cum Numinis injuria exerceri. Nec prius desistebat, donec expulso scelere, illi suas ædes meretricia tartareaque frequentia expiassent. Tum vero diligentissime, ne alibi perditissimæ mulieres reciperentur, curabat; ita ut sæpe nobilissima scorta omni tecto exclusa conveniret, iisque gravissime objurgatis, illud postremo objiceret; quo tandem vanissima capita obdurata in scelere voluntas adduxisset, ut omnium ædibus ejecta in triviis sub dio tantum non cubitarent: ardenti cohortatione urgebat, ut infamis vitæ consilia abjicerent, sanctioremque induerent mentem; quam si modo constanter amplecti vellent, se et honestam habitationem et reliqua ad victum necessaria curaturum. Illæ simul conscientia, simul necessitate extimulante, tanto oblato et animæ et vitæ commodo, manus dabant; domumque adductæ, haud segniter imperata exequebantur.

*domos infames curat elocari honestis viris,*

F

*eaque necessitate plures convertit;*

32 Cum igitur ab fœdo illo et exitiali quæstu ad pudicitiam plures animum revocarent, earumque numerus in dies increbresceret; Hieronymus secundo rei eventu animo erectus, ut uberem illam animarum segetem tandem in horrea Domini inferret, de certo loco erigendo, quod antea animo constitutum habebat, agere cœpit; ubi et jam ab errore revocatæ, et quæcumque in posterum ab illa fœditate ad pudicitiæ curam et morum pietatem redissent, simul alerentur, et certis legibus ac institutis ad omnem pietatem informarentur. Res erat omnino pernecessaria; tum, ut honestæ familiæ eo tandem onere levarentur: tum ut, ipsis vixdum conversis mulieribus, ne ad eosdem iterum impuritatis scopulos offenderent, diligentissime provideretur, in quo omnis desudabat Hieronymi industria. Arduum enim, et perdifficile animadvertebat

*ædes comparat in quibus simul degentes, sint extra periculum,*

A animadvertebat vir prudens, hujusmodi mulieres, quæ pudorem suum jam publicassent, palamque evulgassent omnibus corpora, ita in officio continere, ut, prava consuetudine naturæ vim obtinente, ad ingenium non redirent. Quare piorum hominum liberalitate, Hieronymique labore et industria, paucorum dierum spatio steterunt ædes satis amplæ, supellectili nec tenui, nec incommoda instructæ et ornatæ; in quibus simul omnes inclusæ ab hominum congressu et aspectu, eorum præsertim, quibuscum illis impura consuetudo fuisset, arcerentur: Sacramentorum in primis frequentia inducta, quorum usu integram in posterum ab omni fœditatis labe mentem facilius conservarent.

*sumptus necessarios procurat,*

33 Quæcumque vero in quotidianos sumptus necessaria erant, hinc inde diligentissime collectis tota civitate piorum eleemosynis, abunde suppeditabat Hieronymus: ne cujus rei penuria nondum vitæ incommodis assuetæ, a suscepto purioris vitæ proposito abducerentur, et, quæ deessent, iterum ætatis flore fœde conquirerent. Leges primum, vivendique regulæ non admodum severæ vulgatæ sunt, quarum usu in sanctitate et justitia proficerent; tum paullatim mollesque per gradus severioribus præceptis B coercitæ, et ad vitæ asperitatem pœnitentiæque rigorem informatæ. *leges præscribit.* Amputati subito multarum crines, suscepta aspera jejunia, corporum acerbæ verberationes, aliaque id genus dura, satis aperta ex animo spreti seculi indicia fuere. Quocirca adeo toti civitati probatum est opus, ut non exigua earum multitudo, nullo certo vectigali abunde aleretur. Prompta siquidem ad id erat liberalitas civium, et piorum ultro oblata benignitas: in præcipuis autem, quorum gratia et liberalitate pii loci nitebantur initia, Bergomensis Antistes Lipomanus, et *b* Dominicus Tassus numerabantur.

a *Hic est Joannes Tesserandus Scriptor Vitæ quinque Martyrum ex Ordine S. Francisci in Mauritania occisorum, quam dedimus 16 Januarii, et* § 3 *de Tesserando egimus, Martyrologio Franciscano Arturi ad* 7 *Augusti inscripto.* — b *De illustri familia Tassiorum exstat præclarum opus Julii Chiffletii typis Plantinianis excusum. De Dominico infra iterum agitur lib.* 1 *cap.* 1

## CAPUT X.

### *Rudes homines in agro Bergomensi Christianæ fidei mysteriis imbuit.*

Bergomi rebus ita constitutis, non amplius intra mœnia se continuit, sed vicina egressus in oppida, C ad rusticos et rudes homines, Christianæ legis cum explorato salutis discrimine penitus ignaros, suo labore erudiendos, animum adjecit. Dolebat vero vehementer se litterarum præsidio destitutum, impensius non posse omnium saluti succurrere, sed, quando nec ætas nec otium ad litteras invitabat, statuit alienæ salutis amator, exemplo vitæ et rerum salutarium simplici explicatione, tradendisque Christianæ vitæ præceptis, proximorum saluti, quoad posset, consulere. Quare Bergomensis Antistitis sacra benedictione communitus, bonaque cum venia dimissus (nihil enim ille majorum minorumve rerum, Episcopo inconsulto, ejus in diœcesi facere consuevit) *obtenta ab Episcopo facultate,* e pueris jam ante ab se collectis, aliquot in summis totius Christianæ doctrinæ capitibus magis versatos, delegit: *assumptis aliquot pueris,* qui se et ad alios erudiendos, vicos et oppida obeuntem comitarentur: eoque pusillo grege stipatus, hoc ferme ordine rem aggreditur. Vicum aliquem ingressi ecclesiam adeunt, *ad vicos abit,* ibique fusa oratione, et tutelari Divo ejus loci consalutato, felicem operi progressum deprecantur: tum tintinabulo in hunc usum allato per vicum circumstrepente, advocabatur concio, collectoque auditore, et ad salutarem Christianæ doctrinæ institutionem invitato, ad rudem et infimam plebem tenellamque ætatem instruendam descendebat; opus egregie adjuvantiD bus pueris, inter quos, partito onere, brevi complures sacræ fidei mysteriis imbuebantur. *AUCTORE AUGUSTINO TURTURA. rudes instruit, in templo,* Neque vero inter puerorum opera languebat Hieronymi studium, aut remittebantur curæ: sed majores ille convenire, gravioris ætatis homines instruere, in quibus non exigua inerat laborum materies: summam enim reperiebat Symboli fidei, præceptorumque Dei ignorationem, multos ætate jam graves, Dominicæ precationis, Salutationis Angelicæ formulam minime tenentes, ac ne quidem sanctissimæ Crucis signum manu sibi rite imprimentes, *triviis, agris:* quos ille Decalogi Ecclesiæque præceptis, et aliis Christianæ fidei rudimentis ad salutem necessariis satis eruditos, ad ea omnia servanda longa cohortatione invitabat: idque publico in foro, in triviis aut agris; ubicumque tandem aut collegisset, aut collectam invenisset multitudinem, ibi dicebat, aperto patentique cœlo tonabat.

35 Erat autem illi dicendi initium perfamiliare ab illis Prophetæ verbis: Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra: *Psal. 94. 8* apposito sane exordio ad obdurata hominum corda primo loco perstringenda: satis gnarus, nihil æque divinos afflatus, excitantisque gratiæ supernos impulsus retarE dare, vel repellere prorsus ac extinguere, quam humanæ voluntatis divinæ semper obluctantis duritiem, *pertinaciam frangit,* et obfirmatam in suo sensu, hoc est, in scelere pertinaciam: in concione objectis, qua superum præmiis, qua inferorum suppliciis, multis de vitiorum turpitudine allatis, suos auditores ad Christianæ legis observantiam impellebat. Quo in genere adeo eloquens Hieronymi pietas, et facunda caritas erat, ut plurimos a scelere revocatos ad optimam frugem traduceret, qui Sacerdotum pedibus advoluti, multorum annorum onera, sacra Confessione deponebant: et sane quos non movisset ille, quem Spiritus Dei plane movebat et urgebat? Simplici ille quidem et inelaborata oratione ad multitudinem agebat; *vitæ emendationem procurat,* sed adeo plena pietatis, divinorumque sensuum, tanto ardore animi atque oculorum, tanta cœlestis spiritus efficacia et ostensione; ut ad auditorum animos ea spiritus dulcedine respersa, et ardore incensa, mirifice se profundens oratio, eos ad cordis compunctionem et vitæ emendationem facile promoveret. Itaque plures ille humili simplicique dicendi genere Christo peperit, quam eruditæ et disertæ multorum conciones.

F 36 Quoniam vero intelligebat se litterarum, ut diximus, prorsus expertem, multo minus posse aut dicendo, aut docendo aliorum saluti prodesse, idcirco, quæ sibi ac in parte deesse intelligebat, pietatis exemplis, et vitæ documento compensare decrevit. Quare, cum circumjectos pagos et villas assidua catechesi obiret, communi tantum misericordia ostiatim emendicata victitabat, *victitat cibo mendicato.* et inter pueros, quos ad catechesin adhibebat, meliore stipe divisa, si quid erat asperi panis et mucidi cibi reservabat. Vesperi vicis, ac pagis obeundis, rudibusque informandis defessus, *frequenter orat:* orationi ad multam noctem de more se tradebat, eamdemque, nondum illuscescente die, repetebat. Inter quotidiana etiam illa caritatis officia, et docendi labores suum institutum retinuit, ut certa commentandi precandique spatia non omitteret, ex quibus ad proximorum salutem procurandam alacrior et robustior redibat: nec tenuis certe, aut pœnitendus extitit tantorum laborum fructus: nam e letali rerum salutarium ignoratione innumeri pene liberati: Sacramentorum et pœnitentiæ creber usus multis persuasus, alii e veteri multorum annorum cœno, Hieronymo monitore, sacra Confessione emersere: *varios fructus in proximis facit.* complures, eodem adhortante, depositis odiis, in mutuos amores et complexus cum inimicis concessere;

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

A sere : præceps etiam illa temere jurandi, alienaque rapiendi licentia (rusticorum consueta vitia) Hieronimi voce multum castigata et repressa. Sed ægros etiam eadem caritate complexus est ; nam si qui erant in oppidis, humanissime invisebat, eosque et precibus ad Deum, et salutari aliqua cohortatione levare studebat : iis in laboribus diebus permultis magno animorum quæstu absumptis, Bergomum redit.

## CAPUT XI.

### *Nova sociorum ad Hieronymum facta accessio.*

Anteverterat hominis reditum prævolans laborum fama, universamque compleverat civitatem : ut omnium sermonibus passim celebraretur tam ardens de omnibus benemerendi studium, tamque excellens in infimos quosque, et effusa caritas : cujus illustri exemplo, non exigua ad eum novæ sobolis lucra redire. Nam multi se laborum socios constanti consilio ad illum aggregarunt, inter quos præcipui referuntur Alexander Besuzius, et Augustinus Barilus cives nobilitate et fortunis clari, sed opulento etiam sacerdotio uterque clarior et ditior ; qui Hieronymi exemplo permoti, sacerdotii reditibus sponte exuti, amploque patrimonio pauperum usibus attributo, strenuo in vinea Domini operario novos colonos sese addixerunt, et cujus incitabantur exemplis, ejus etiam vitæ genus cupidissime expetiverunt : Ab Hieronymo peramanter excepti in partem laboris et meriti, omnes suas curas et cogitationes ad proximorum salutem pauperumque curam in posterum conferre diligentissime : illoque ductore, tantum, Divina juvante gratia, in caritatis schola profecerunt, ut ad ultimam usque senectutem omnium virtutum laude florentissimi in Congregatione vitam egerint, non levi tandem sanctitatis opinione cœlo, ut pie credimus, a transcripti. Eadem ratione admissi etiam in eumdem numerum alii pii prob̃ique viri, quibus eadem a Deo donata mens erat : administri etiam plures, seu auxiliares socii ad domesticos labores destinati, per id tempus Hieronymo nomina dedere, quorum pietatis fervor in Deum, et in pauperes ardor caritatis tota civitate maxime enitebat. Horum certa summa iniri, singulorumque nomina distincte reddi haud potuere, permixta confusaque omnia nobis vetustate tradente. Ceterum piorum Fratrum nomina mihi haud dubium esse Deo in æterna felicitate nota. Hieronymo autem non admodum fuit eo tempore C sermone vel exhortationibus laborandum ad socios sibi conciliandos ; cum occursantis in omnium oculos Christianæ pietatis fulgor, virtutumque lumen in singulis ejus dictis ac factis emicans, ardentius hominum corda et mentes, quam disertissima oratio, inflammaret, et animos vehementius cieret ac raperet, quam eloquentissima concio.

*Jungit sibi socios Bergomi Alexandrum Besuzium et Augustinum Barilum,*

B

*postea sancte mortuos,*

*a*

*et varios alios*

*ejus zelo et virtute incitatos.*

*a Besuzius in Ordine Somaschensi perseveravit. Barilus ad Theatinos transiit, eorum dein apud Venetos et Patavinos Præpositus, obiit 10 Aprilis anno 1585, ut refert Tuffus in historia Theatinorum cap. 24*

## CAPUT XII.

### *Profectio Hieronymi Novocomum, civitati et pauperibus admodum frugifera.*

Extra etiam Venetæ ditionis fines suæ pietatis studia per id tempus laxavit, siquidem Novocomum usque ab eo excursum, oppidum in Cisalpina Gallia, et antiquitate et nobiliorum ingeniorum gloria perillustre ; quo direxit iter Hieronymus consueto puerorum comitatu, sanctoque Crucis vexillo præeunte. Et Primum Comitem tum Novocomi commorantem primum adit, hominem antea illi, opinor, non ignotum : a quo mutuis benevolentiæ signis humanissime exceptus, diu semoto loco assidentes simul egere : D intermisso postea colloquio, jussit Primus novis hospitibus mensam sterni, apponique cibaria. Ea dum curant domestici, Hieronymus cum suis supplex in genua provolutus, consuetæ orationi aliquandiu vacat : qua absoluta, et benedictione ab eodem appositis cibis impertita, communem benignitatem ipse inter pauperes dividit : enixeque rogatus a Primo, ut honestiori et lautiori domesticæ mensæ accumberet, collaudata hospitis humanitate, actisque gratiis, communi mensa ciboque cum pauperibus uti voluit, quibus idem pronus et pocillator aderat. A mensa Deo gratias acturi in preces iterum se dant, quibus rite persolutis, cum aliquandiu cum Primo, et Francisco ejus fratre, piis collocutionibus substitisset, hospites humaniter rogavit, ut bona eorum cum venia sibi liceret, puerorum supplicatione indicta, civitatem obire.

*Novocomi*

*Primum Comitem adit,*

*cibum cum pauperibus sumit :*

39 Circumduxit de more Hieronymus pium agmen sacras precationes concinens : habuit inusitatum civibus spectaculum solitos admirationis et pietatis motus, brevique non frustra suscepta peregrinatio aut supplicatio apparuit : plurima siquidem in communem animarum salutem ab illo gesta, ut pauperum præsertim inopiæ solitudinique consuleret : E quorum ibi etiam vagam multitudinem et errabundam conspicatus, ad illos colligendos, domiciliumque instituendum, animum adjecit. Vesperi communicato cum Primo consilio, advocatisque ejusdem Primi opera e civibus, qui pietate et nobilitate ceteris præstarent, duobus tribusve in novi operis partem, celeriter ad pii instituti exordia maturanda, manus est admota : Divinoque numine pie et religiose cœptis feliciter annuente, duo brevi derelictorum loca, consueta Hieronymi industria et labore, sunt excitata ; alterum in civitate sub S. Leonardi nomine ; in suburbiis alterum ad S. Gotardum : adnitente in primis et utrumque opus egregie adjuvante Bernardo Odescalco, e primaria civitatis nobilitate viro et Thomæ Odescalchi olim Mediolanensis Senatoris patre, qui Christiana liberalitate inter ceteros Hieronymi cœpta firmavit et auxit : neque unquam postea desiderata est civium benignitas ad locorum perennitatem.

*instituit puerorum supplicationem,*

*binas orphanotrophes erigit ;*

40 Singula referre ad domesticam disciplinam spectantia, superioribus præsertim non dissimilia, supervacaneum puto : solita enim fuere Hieronymi in pauperes et reliquos cives caritatis studia, eadem vitæ asperitas, pœnitentiæ rigor, orationum commentationumque assiduitas, pauperum domicilia iisdem cum superioribus munita legibus, vivendique F disciplina. Quandiu vero apud Primum hæsit Hieronymus, cubiculo ad pernoctandum sola palea strato cum pueris est usus : neque ullis Primi precibus, quin super paleas et ipse cum pauperibus cubaret, adduci potuit. Non exigua interim ad alios cives de more derivata animæ subsidia, tum opportunis cohortationibus, tum tempestivis colloquiis. Quamquam solida illa Christianæ virtutis species tanta cum animi demissione, omnium oculorum fide sæpius explorata, maximus ad pietatem motus, etiam Hieronymo tacente, in omnium animis excitabat, plurimosque ejus instituti studio incensos illi adjungebat : quorum deinde labore, et opera, post Hieronymi discessum, ex præscripta disciplinæ forma, fuere pia loca sanctissime administrata.

*constans in virtutum exercitiis.*

*duro lecto utitur,*

*socios adsciscit*

## CAPUT XIII.

### *Primi Comitis Hieronymi socii res gestæ, et obitus.*

Inter multos, quos sibi adjunxit socios Hieronymus, merito primum locum is obtinet, cui Primo etiam

A etiam nomen fuit, a quo Hieronymum Novocomi hospitio receptum diximus. Is ex nobili et perantiqua Comitum familia fuit, quæ a tribus Desiderii Longobardorum Regis ex sorore nepotibus Amphortio, Fusio, et Cato originem duxit : quique toto eo tractu, qui inter Novocomum et Leucum Lupiæ ad suprema usque Larii divortia excurrit, a Rege liberali donatione accepto, honoris etiam gratia, sunt ab ipso Rege Comites appellati. Inde factum est, ut horum etiam posteri sint Comites dicti, ab iisque majoribus propagata Comitum familia, quæ non modo in illis locis, sed etiam Mediolani complures habuit nobilitate et doctrina illustres viros, inter quos Primus hic noster Aloysii filius eminet, qui Hieronymo agrum Novocomensem oberranti, tandem hæsit, magno certe fœnore impensæ caritatis hospitii. Erat vero Primus non modo Latinis, Græcisque, verum etiam Hebraicis et Chaldaicis litteris pereruditus, et tam humanæ quam divinæ sapientiæ doctrinis illustris, æque autem in studiis bonarum artium, ac in rebus agendis optime versatus, et, quod caput est, ita innocenter vixerat, ut doctrinæ experientiæque ornamenta emendatissimi anteactæ vitæ mores abunde cumularent. Primus enim ita lubricos adolescentiæ B annos in vorticoso illo et præcipiti ætatis flexu egerat ; ut, cum Christianæ disciplinæ institutione egregie cohærerent morum bonitas ac innocentia.

*ex his Primus Comes ex Regum Longobardorum stirpe,*

*vir eruditionis et sanctitatis eminentis,*

41 Sed Hieronymi vitæ genus attente postea contemplatus, sæpiusque cum eo de rerum cœlestium amore, et humanarum contemptu collocutus, ita illius exemplo, alloquio et suavi consuetudine permotus est; ut se omnino Hieronymo adjungere, penitusque tradere decreverit; idque tanta animi submissione, et verborum ardore præstitit, ut se numquam ab illius sententia et voluntate ne latum quidem unguem recessurum profiteretur ; et quidquid ille de se in posterum decerneret aut juberet, id unum non modo justum et æquum ducturum, sed etiam omnino gratum, et jucundum sibi futurum assereret. Magna cum animi voluptate excepit Hieronymus tam promptam et alacrem in Dei obsequio hominis voluntatem, et in eamdem caritatis palæstram novum admisit athletam : cujus adeo magni et ardentes extitere in novo vitæ genere profectus, ut, cum antea Philosophiæ sacræque Theologiæ eruditus Magister haberetur Primus, tum, ubi in Hieronymi schola cœpit discipulus fieri, se novo Theologiæ genere apud imperitum Hieronymum exorna- C tum, veroque Christianæ philosophiæ lumine collustratum, ingenue palamque gloriaretur, eoque nobiliori doctrina imbutum fuisse, quo præstantius est bene agere, quam erudite et subtiliter disserere. Nox et tenebræ, aiebat, cæcæque errorum ambages superiora omnia; vera tum mihi Christianæ philosophiæ lux oborta in humili Hieronymi schola, ubi non ingenium exacui, sed voluntatem expoliri, et ad Dei amorem incendi, egregio sui ipsius rerumque humanarum contemptu, in dies experior.

*ejus se nutui subjicit,*

*instructionem extollit,*

42 Huic uni postea satis jam Evangelicæ paupertatis et rerum cœlestium præceptis exculto, novorum locorum curam demandavit Hieronymus, reliquisque sodalibus in administratione præfecit. Et operam suam præstitit Primus quam diligenter, unice que Hieronymo carus semper extitit, qui singularem in eo doctrinam tanta cum morum probitate et sui ipsius despicientia vehementer admirabatur, sæpiusque commendabat : quod rara admodum accidat, ut ipse aiebat, scientiæ et humilitatis conjunctio; illud vero frequentissime experiamur : Scientia inflat. Is, quoad Hieronymus vixit, in pauperum cura tum Novocomi, tum Mediolani, postremo etiam Somaschæ homini adjumento maxime fuit, et multis annis ipsi Hieronymo superstes, numquam pium opus semel susceptum intermisit.

*aliis locis præficitur,*

*1 Cor. 8. 1*

43 Ceterum cum Patres anno altero supra trige- D simum a Hieronymi obitu de Religione instituenda cogitarent, impetratoque jam Pontificio diplomate a Sanctissimo Pontifice Pio V, ut Apostolica facultate solennia Religionis vota nuncupare libere possent, Primus unus e sodalitio et solus abstinuit, gravem ætatem caussatus ac virium imbecillitatem, quod scilicet non parem animo socium, et religionis oneribus idoneum corpus esset sortitus; vel ea caussa fortasse, quod homini, licet tantis virtutum et doctrinæ ornamentis exculto, persuasum esset, sacris Ordinibus nusquam initiari, ut Hieronymi humilitatem in hoc etiam æmularetur, nolletque ad hoc Religionis imperio cogi. Quamquam ne hac quidem via licuit sacerdotio abstinere : cum enim ad gravem usque ætatem in ea perstitisset sententia, tandem e veteri et obfirmata voluntate hominem depulit Nicolai Ormaneti auctoritas, cui uni plurimum in sui moderatione deferebat Primus, ob egregiam illius probitatem, insitamque animi prudentiam, et rerum omnium cognitionem. Allegaverat autem Mediolanum Ormanetum S. Carolus, propterea quod Mediolanensis Ecclesiæ Pontificatu inauguratus, cum Roma abesse per Summum Pontificem minime posset, eximiam vero et numeris omnibus absolutam animo- E rum curationem, et Ecclesiæ administrationem animo meditaretur, eam interea perilloneos viros undique collectos, quoad liceret, sibi præstandam statuerat. Quare Ormanetum virtutum fama perillustrem Verona Romam accitum, et Vicaria auctoritate ornatum, Mediolanensi Ecclesiæ administrandæ præfecit, ibique a navo et diligenti viro prima semina jacta tantæ messis in agro Mediolanensi, a S. Carolo postea excultæ atque collectæ. Primo igitur familiariter admodum cum uteretur Ormanetus, eique sacros Ordines ardentissime sæpius suaderet; tandem aliquando recte monenti cessit Primus, ejusque probato consilio, plurium dierum oratione et pœnitentia, sacroque in primis Confessionis Sacramento totius præteritæ vitæ culpis detersis, sacris Ordinibus rite initiatus est : ad primitias Sacerdotalis Ordinis Divinæ majestati libandas dispositus, primum habuit sacrum multa cum animi pietate et lacrymis. Ex quo tempore suscepti muneris dignitatem sedulo perpendens, quo majoribus virtutum ornamentis ad tanti operis administrationem accederet, et seipsum hostiam vivam sanctam et Deo placentem quotidie offerret : terrenis rebus procul ab animo remotis, tota mente cœlestia deinceps est consectatus. F

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.*

*non emittit vota,*

*diu sacerdotium renuit,*

*ab Ormaneto*

*vicario S. Caroli Borromæi inductus, illud suscipit*

*magna pietate,*

44 Quare, licet religiosi instituti vinculo solutus esset, vitam tamen fere omnem apud nos egit, proximorum et pauperum commodis animarumque procurationi maxime intentus : Mediolani permultos annos in pauperum S. Martini domicilio ab Hieronymo erecto commoratus, Theologiam illam, quæ in disserendi subtilitate et Christianæ veritatis controversiis dirimendis versatur, pluribus in Religiosorum domibus est professus : in explicandis præterea de interiore foro quæstionibus, et conscientiæ caussis, multis per id tempus operam suam præstitit : sacræ etiam Scripturæ interpretem apud alios Religiosos Ordines magna cum laude egit : ad gynæcea sacrarum Virginum crebra divini verbi ardensque declamatio et mirifice salutaris ab eo habita. Ab Episcopo Novocomensi ad novos quosdam magistros e Valle Tellina missus, tum illis, tum plurimis aliis Catholicæ fidei desertoribus admodum utilis fuit, quos congressu et disputatione ab insanis opinionibus revocatos, ut voluntaria abjuratione hæresi valere jussa, cum Catholica Ecclesia redirent in gratiam, ad Quæsitorum tribunal adduxit. Magno præterea et celeberrimo Tridentino Concilio interfuit, ubi eruditionem suam Patribus illis pluries egregie probavit.

*docet Theologiam,*

*concionatur,*

*hæreticos convertit,*

*interest Conc. Tridentino.*

A probavit. Gregorio XIII Summo Pontifici carissimus *AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.* *Gregorio Papæ XIV carus,* fuit, cui etiam Latinis litteris datis summam Pontificis dignitatem est gratulatus: paupertatis studiosus, beneficia ecclesiastica, quantumlibet pinguia, numquam admisit.

45 Hujus etiam opera et studio, aliquot Marci Antonii Majoragii politioris doctrinæ et disertissimi oratoris monumenta prodierunt in lucem: quorum, quæ *curat edi libros Majoragii consobrini,* plurima moriens imprimenda reliquerat, ad Primum illius consobrinum cura delata est: ex quibus lucubrationes in partitiones oratorias Ciceronis maxime commendantur, quæ a Primo, Petro Galesino inscriptæ, primum in lucem prodiere. Nulla ipse litterarum monumenta vir alioqui doctissimus reliquit, ut non ab re celebre illud dictum ei accommodaverit Albanus: Scribere renuit, quia, quod scribendum erat, quoti- *obit anno ætatis 95,* dianæ operationis pagina monstravit. Vixit Primus supra quintum et nonagesimum annum, adeo vegeta tenacique doctrinarum omnium memoria, ut quibuscumque de rebus interrogatus eruditissime responderet, Doctorumque placita et animi sensa adeo *Christi 1593.* prompte et fideliter redderet, ac si nuper de libro, quæ recitabat, hausisset. Obiit anno præteriti seculi nonagesimo tertio. Huic gratiæ habendæ quam ma- B xime, quod multa, quæ de Hieronymo scribimus, ab eo derivarint, quem unum haud potuerunt latere Hieronymi opera, cujus ad obitum usque individuus vitæ comes extitit.

## CAPUT XIV.

### *Leonis Carpani unius e primis Hieronymi sociis vita, et obitus.*

Ad egregios etiam Hieronymi conatus promovendos, *alter socius Leo Carpanus* Leonem Carpanum, virum et splendore generis illustrem, et fortunarum copia opulentum ac prædivitem, Dominus excitavit, ad quem a Primo directus est Hieronymus una cum pauperibus, dum Meronii forte degeret Leo Plebis Incinii pago, quod olim Licinii oppidum dicebatur, non infrequenti, nec ignobili; sed a Longobardis postea dirutum, in varios pagos seu vicos diductum est. Is Hieronymi studio alienæ salutis procurandæ, et teneræ destitutæque sobolis instituendæ caritate mirifice delectatus, fuit primum horum operum laudator et admirator, mox etiam sectator evasit. Ad hunc enim or- *eum cum 28 orphanis excipit,* bos viginti octo, quos secum Novocomi habuerat, adduxit, ejusque pietati commendavit: hos perhu- C maniter excepit Leo, partemque suarum facultatum ad eorum aliorumque pauperum sustentationem liberaliter despondit. Fuit complures dies Hieronymus una cum pauperibus apud Leonem, a quo ad infimam plebem adjuvandam, et tradendis Christianæ religionis initiis, suo more passim dilabebatur.

47 Interea sagaci viro Leoni maxima per id tempus cognoscendi novi hospitis, atque introspiciendi penitus ejus animi sensus, est data facultas. Cœpit ergo diligentius illius vitam et mores pervestigare, ejus dicta ac facta dies noctesque etiam ex improviso *ejus exemplo,* curiosis et oculis et auribus observare. Cum autem non dubia oculorum fide majora quotidie sanctitatis experimenta in Hieronymo deprehenderet, quam fama et auribus antea accepisset, semperque notitia pariter, et admiratio cresceret tanti viri; vehementer animo est commotus Leo, seque ipsum attentius intuens, et ad ejus normam explorans, varia cœpit et magna animo volvere, puriorisque vitæ et sanctioris exordia meditari. Ad id maxime urgebant ho- *et piis adhortationibus incenditur :* minem frequentes subinde illati ab Æmiliano in quotidiano congressu de Christiana perfectione, de animæ salute, de rerum humanarum contemptu sermones; in quibus illud etiam sæpius ingerere solebat, non semper tanti esse in magna fortunarum copia, quando libeat, et in quos velis, esse liberalem, et de D eo, quod in tanta abundantia superest, aliquid indigentibus impertire: difficile illud unum esse et arduum, in quo summa rei posita videretur, rebus omnibus carentem, ipsa penuria vivere contentum: in pauperum usus non modo quidquid in præsentia adsit, sed, quidquid etiam consequentia tempora sint allatura, destinare; ad hæc omnem statuendi, sentiendi, agendique libertatem alterius imperio subjectam habere. Illud præterea non infrequenter repetebat Hieronymus, stultissime nos morum correctionem, vel bonorum operum executionem jam diu animo conceptam, in dies differre, quando nos lateat qua hora Dominus noster venturus sit, qui, licet pœnitenti veniam spoponderit, vel integrum tamen diem non promisit.

48 Hærebant hæc aliaque iis affinia animo Leonis, et perinde ac sibi uni a Domino dicta accipie- *resolvit* bantur; propterea quod antea etiam hujusmodi cogitationes ejus animo sæpius subreperent et occursarent, varieque mentem cæcis offusam tenebris, et somno pressam pulsarent, sed cœlestium donorum ignarus, immissa de cœlo semina tacito fovebat in pectore, nec ulla pietatis cultura excolebat. Verum aliquando simul exhortationibus, simul Hieronymi E exemplo, mollitus et excitatus, ita ad amorem cœ- *humana repudiare,* lestium et mundi contemptum est incensus, ut repudiatis rebus humanis, ad laboriosam Hieronymi vitam, abjectamque exercitiorum disciplinam, sese aggregare statuerit. Re secum mature perpensa, solum Hieronymum solus adit, ad ejusque vestigia provolutus, supplex in idem vitæ institutum adscribi postulat, sibi in animo esse caducis rebus nuntium *et se pauperum servitio devovere.* remittere, et tam fortunarum, quam libertatis facultate ab se penitus abdicata, se totum uni illius arbitrio et imperio submittere, et seipsum pauperem pauperum servitio devovere; proinde faceret, orat, tam piæ et justæ postulationi satis, quam Deo gratissimam fore non dubitaret. Nihil tum ex Hieronymi voluntate magis. Quare de tam subita mutatione tacito gaudio in sinu gestiens, Deo bonorum omnium largitori ex imo corde gratias egit, et Leonem per- *inter socios adoptatur,* amanter amplexatus, Christi pauperum numero sociavit, cujus facultates in eorumdem fere pauperum commodum cessere. Tam ardenti conversioni ex æquo respondere reliqui progressus: ex quo enim semel in tanti viri perpetuam curam et disciplinam se tradidit, vix paullum commonstrata via, urgere toto cœpit animi impetu ad instituta Magistri, et *Præclare proficit* fructuosæ ejus consuetudinis beneficio in dies confir- F matus, ita cœlestis sapientiæ fontibus inhiare, ut instar apis sedulæ spiritualium eloquiorum, et exemplorum floribus insidens, intra pectoris sui alvearium sinceræ pietatis virtutumque mella quotidie conderet.

49 Sacris postea initiatus, multos annos tanta pietate sacerdotio est functus, ut omnes virtutum *fit Sacerdos,* exemplis ad æmulationem provocaret, orationis præsertim, piæque commentationis studio, et humili sui abjectione perillustris. Multis annis hic etiam Hieronymo superstes, Paulo Quarto unice carus extitit, *gratus Paulo IV,* a quo primas Aulæ dignitates sibi oblatas e Christiana humilitate constantissime rejecit, supplex Pontificem deprecatus, ne a suscepto humilioris vitæ instituto, et suæ aliorumque salutis studio abstractum, insanis fluctibus aulæ tumentis objiceret. Morienti Pontifici adfuit Leo, precibus et pietatis officiis ad Deum migrantem strenue adjuvans. Nec minus postea Pio Quinto grata extitit Leonis probitas: is enim *et Pio V,* plurimum hominis virtute delectatus, eum religioso sacello, cui sacratiora sanctioraque pignora Sancta Sanctorum nomen fecere, præfecit; adeoque mirificum de ejus virtute judicium semper Pontifex dedit,

ut

A ut Leonem ægrotantem non alienum duxerit a Pontificia majestate invisere. *renuit Archiepiscopatum Neapolitanum.* Archiepiscopatum etiam Neapolitanum ultro sibi a Pontifice delatum, eadem, qua reliquas dignitates, constantia, repudiatum ferunt. In quo non vulgare fuit Pontificeæ benevolentiæ in Leonem argumentum, et egregium de virtute Leonis testimonium, vel quod a tam sancto tamque sapienti Pontifice ad amplissimam Ecclesiam fuerit expetitus, vel quod tam insolito studio paupertatis illud egregie Leo contempserit. Extrema senectute confectus obiit Leo, ea virtutum laude et sanctitatis opinione florens, ut haud indignus Hieronymo Magistro discipulus censeri possit.

# LIBER TERTIUS.

## CAPUT I.

### *De principe Congregationis loco Meronii in communi conventu deliberatum.*

In menses protracta apud Leonem Hieronymi commoratio, de communi re consultationi locum fecit, *Convocatis variis sociis.* deque ea deliberatum est tum cum iis, quos penes se habebat, tum etiam accersitis adesseque jussis, qui B familiis aliis regendis præerant; vel quia certum anni tempus ad publica negotia solenni cum aliorum congressu transigenda constitutum urgeret; vel quod pia Leonis liberalitas reliquos invitaret, cœtumque sociorum convocandum suaderet. Igitur, conventu coacto, post longam Divini numinis invocationem ad communium rerum deliberationem accedunt. *Hieronymus Meronii proponit varia deliberanda* Primus ad convocatos socios orationem habet Hieronymus e Christiana pietate satis ardentem et gravem, cujus ea summa fuit. Quæ a Divina mente manarent, universa certis legibus vinciri, et suavi Divinæ providentiæ dispositione, vario ac multiplici nexu inter se ad perpetuitatem stabiliri; quo certo et inviolabili rerum ordine perturbato, deficerent singula ac plane deperirent: proinde institutam hanc a se, susceptamque qualemcumque pauperum curam, eorum opera et caritate multis jam locis hucusque administratam, a summo bonorum omnium Largitore haud dubie profectam, ad eamdem quoque ab supremo Numine præscriptam rationem omnino conformandam, et Divinæ providentiæ exemplo constabiliendam, in perennem consequentis ætatis propagationem. Nullo autem opportuniori modo perpetuitati et prudenti rerum administrationi consultum iri, C quam constanti et certa rerum ordinatione communi sancita voto. ejus rei caussa accersitos opportune convenisse, nimirum ut iis de rebus, quæ ad publicam rem facerent, simul in Domino deliberarent.

2 Ceterum e multis per eos dies ab illis in deliberationem vocatis, id unum ad nos distincte pervenit, potissimum in eo conventu relatum, de certa sede et principe congregationis loco deligendo. *ac Sedem aliquam, quæ reliquis præferatur,* Qua de re dictæ multa cum varietate sententiæ. Meronium a multis vehementer probatum. Vercuragum ab aliis magis expetitum, Petro Borello ejus loci vicano maxime adnitente, qui a re familiari abunde instructus, Hieronymoque impense addictus, sua contulerat bona in pauperum obsequium, patriumque vicum ea principis loci dignitate ornare, suosque vicanos præsenti Patrum opera in Divinis rebus adjuvari cupiebat. Somascha vero nonnullis erat in votis, *ex aliorum votis solus inquirit.* locusque multis partibus aptior videbatur. An eo in congressu de Somaschensi sede quidquam certi decretum, mihi admodum incertum. Qui enim Hieronymi temporibus propinquiores, ab illis, qui cum eo fuerunt, rei narrationem planius accepere, aiunt, variantibus sententiis, ne in longum protraheretur anceps rei deliberatio, eam integram ad unum Hieronymum rejectam, qui, variis locis perlustratis, incolarumque animis pertentatis, eam deligeret sedem, D quæ rebus gerendis commodior videretur, quando nihil adhuc certi de Somascha, alioque loco statutum esset.

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.

3 Cum igitur in agro Bergomensi sedem ille sibi quærere statuisset, unde Novocomum et Bergomum, ubi boni operis seges jam adoleverat, et alia pii instituti loca subitis excursionibus, cum opus esset, inviseret, et Mediolanum, quo jam animo ferebatur, commode peteret, ad hoc S. Martini-Vallis peridonea visa. *e valle S. Martini magis expetita,* Quare Caloltii primum consistere in animo illi fuit, commodo nec infrequenti vico, ubi etiam S. Martini-Vallis Patroni ædes religiose frequentabatur: cumque omnia Hieronymi votis responderent hominis unius temeritas rem totam discussit atque disjecit. *ob maledicam linguam alicujus,* Joannes Antonius Mazolenus is fuit, homo lingua promptus, animo audax, opibus etiam satis valens, pietate non item. hic cum primas suos inter vicanos sibi usurparet, unus Hieronymo adversari, eoque vico illum cum sociis pellere est aggressus: multa injuriosa in hominem evomuit, multos commovit, ne ibi erronem mendicissimum, impostorem et rabulam (ita ille Dei servum, de salute animæ ad circumfusam multitudinem magna cum pietate E et fructu dicentem, appellabat) sedem figere paterentur. Hieronymus autem etsi multorum benignitate invitatus, facile Caloltii consistere potuisset; *discedit.* aliquorum tamen etiam alienatis animis, ne quid dissensionis vel rixarum sua causa inter incolas Caloltianos oriretur, pacis et caritatis amator, alio divertit, Bergomensique ditione excessit, et Addua transmissa Garlati non longe ab Olginato, aliquamdiu hæsit.

4 Sed ne eo quidem loco res ex animi sententia processit: quare iterum a multis invitatus, remensa Addua, ad Vallem-S. Martini revertitur, *redit,* in ea tandem sedes sibi quæsiturus: jam enim casso strepitu, omnino detonuerant, quæ Mazolenus in Hieronymum conjecerat maledicta, cujus ubique nota probitas Caloltii in primis avide expetebatur: sed ille ad postremos Vallis vicos Somascham, et Vercuragum disgressus, tandem non sine certo Numinis afflatu Somascham ceteris omnibus locis prætulit, eamque primam suæ congregationis sedem et principem delegit. *et vicum Somascham eligit.* Cur vero adeo humili vico, nobiles posthabuerit civitates, haud mihi exploratum, nisi id forte in eximiam hominis humilitatem referamus, qui lucem hominum, civitatisque splendorem aversatus, F solitudinem quæreret et latebras. Tanti certe Hieronymi sententia hac in re perpetuo valuit, ut non modo, qui proxime Hieronymum sunt secuti, huic loco veluti omnium parenti primas detulerint, sed multos etiam post annos exortæ Religioni, Somaschensi nomen indiderit, humilisque vici nomen, vix angustis antea finibus notum, multis jam orbis partibus illustraverint.

## CAPUT II.

### *Pagi Somaschensis descriptio, aeris temperies.*

Quando nihil frequentius posthac occurret Somaschensis domus commemoratione, et primæ congregationis atque adeo Religionis sede, non erit a præsenti scriptione alienum, neque lectori injucundum, *Somascha in ora agri Bergomensis,* loci non omnino noti naturam situmque, ad majorem historiæ rerumque gestarum claritatem, non longa digressione a silentio vindicare. Agri Bergomensis, qua ad meridiem vergit, et interjecto Addua flumine, Brigantio monti opponitur, non ignobilis et per amœna Vallis-S. Martini Bergomo sex fere milliaribus dissita visitur, *in Valle S. Martini,* duplo fere in longitudinem, quam in latitudinem spatiosior. nam longitudine ultra septem milliaria protenditur, ubi vero latissima est tertium

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.

A tertium non excedit. Vallis tota non admodum late in planities expatiatur, sed in colles clementer assurgens, vicis ferme duodecim distinguitur, iisque non infrequenter nec incommode habitatur. Vicorum princeps est, cui Caprino nomen, edito in loco situs.

*regione fertili,*

Regio satis fertilis, sed vini comprimis optimi feracior : secundum vinum oleo, pecore, ceterisque fructibus abundat, frumento non item, quo vix, ac ne vix quidem incolas alit, nisi aliunde importato; sed castaneæ, quarum in primis est Vallis dives, tritici vicem apud eos præstant : aquæ non magna penuria, præter enim pluviales collectas, fontibus etiam hinc inde passim erumpentibus, et aquarum divortiis solo frequenter interciso, satis irrigua conspicitur : præterea Addua flumine perpetuo tractu alluitur, unde nec pisce caret. Gens indigena corpore robusto, et viribus valens cœlo utitur admodum salubri et peramœno.

*inter Vallidervam montem,*

6 Qua Mediolanensi ditioni Leucum Lupiæ versus contermina est, duo postremi Vallis vici Somascha, et Vercuragum occurrunt, Somaschæ Vallidervæ mons imminet, jugo adeo excelso, ut ipsos avium volatus fatigare possit : hic Somascham leni ac demisso collis jugo insidentem excipit, pede in imo ad B ipsam Adduæ planitiem Vercuragum Somaschæ e regione respondens sustinet. His duobus vicis clauditur Vallis : vix enim ab illis digressa ad aliquot passus excurrit, Olginatum fere e regione ultra Adduam prospicit Somascha, ideoque Mediolano ad eam accessus facilis et apertus. Addua enim publico navigio trajecta, spatiosa sese offert planities a montium radicibus ad fluminis ripas excurrens : at solum non nihil asperum, omni plantarum genere erasum, virgultisque omnibus prorsus detonsum, et frequenti glarea grandioribusque saxis respersum : impeditum etiam Adduæ ripis, quæ pari libra cum aqua sunt : quod si magnæ pluviæ fiant, lubrico et lacunoso cœno inæqualem et difficilem transitum præbet, Galavesia præsertim interdum exundante, quæ in summis exorta montibus, et media inter illorum cacumina per abruptas cautes lapsa, longo varioque flexu, verticosis gurgitibus per confragosas valles agitur, donec in apertam hanc fluminis planitiem evadat, ubi nullas fere, quibus contineatur, ripas habet, sed paullum defosso solo, nec satis lato alveo, per glareos in Adduam se exonerat. Extremam hujus planitiei partem Galavesia intersecat, campumque a montibus dividit, qua transmissa, collis C non magna acclivitate promissus nascitur, passibus quingentis, minusve, qua brevior est via, nullibi apertus, sed undequaque multa succrescente arborum sylva et agrorum cultu sylvestris, ita ut non facile introrsum inspici possit. Ut autem sese jugum implicat, partim via se ostendit, partim latet : ita vero leni tractu attollitur collis, ut subinde in agrorum planities expatietur, et frumenti, vini, aliarumque frugum ferarissimus existat, virescentiumque segetum et arborum varietate peramœnus.

*et fluvios Adduam*

*et Galavesiam,*

*in vertice clivi*

*aere salubri,*

7 Ipsum clivi verticem Somascha insidet humilis omnino vallis vicus, ubi ducenta ad summum capita recensentur : aeris vero salubritate, cœlique clementia maxime insignis; vix enim fide digna, quæ de illius cœli temperie feruntur, videri possent, nisi longa incolarum ætas, vegetaque semper in longa ætate senectus, eadem confirmarent; qui immature admodum eripi putantur, si sexagenarii supremum diem clauserint, cum in ea ætate maxime agriculturæ labores perferre, et caloris frigorisque vim, ac ceteras temporum injurias negligere soleant, viridique senecta ad centesimum usque annum utantur : quam adeo amicam cœli naturam, cum in alia multa, tum in ipsam loci regionem tum in ventos referendam arbitror. Et quidem collium habitationem saluberrimam non semel affirmavit Aristoteles, ibique degentes duplo fere diuitius ceteris vivere multis in locis experimenta comprobant; quod scilicet non pigro, immoto, ac torpente cœlo, sed ventorum flabris purgato, ac fere semper irrequieto utantur : nullius enim loci aer impurior, quam ejus, qui agitationis expers est, propterea quod halitibus vaporibusque e terra quotidie remissis, pigrum illud cœlum crassescere, fumidis fæculentisque spiritibus oppleri, et tamquam sordibus inquinari ac fœdari sit necesse : inde fit, ut qui sub illo vivunt, habitudine corporis fere numquam bona utantur, colore omni firmæ valetudinis indice destituantur, maciemque perpetuam ex eo trahant, donec sensim corpore intabescente longo morbo ad interitum ferantur. Quod si ventorum appulsu et agitatione vapores illi et exhalationes dissipentur, aut calore validiore flabrorum impulsione nato, concoquantur et expurgentur, tum salubritas cœlo, et hilaritas accedit maxima. Quarum rerum Somascha admodum dives : quippe collibus undique enascentibus, peramœna, et crebra ventorum agitatione aerem perpurgante, bonæ valetudini peropportuna : ventorum autem salubrioribus admissis, noxiis bonæque valetudini adversantibus caret. Et quoniam rapidis validioribusque ventis optabiliores sunt et jucundiores lenes remissæque auræ; propterea quod aiunt multum ad loci salubritatem facere, si vehementiores venti, etiamsi salubres, objectu montium aut silvarum prius refracti et accisi afflent, et quasi de longinquo itinere fessi aspirent; ne hoc quidem commodum Somaschensi oræ deest; quandoquidem ex ea parte, unde ventorum vis major existere, et rabies erumpere potest, ita oppositis montibus iisque silvestribus est communita, ut omni sævitia refracta, lenissimi adspirent, molliterque accedant, quod etiam cum voluptate fit : ubique enim densæ arbores, quatientibus ventorum flabris, luxuriantem comam ita ramos inter se collidunt, ut eo ramorum foliorumque attritu, auræ murmur perennis sibilusque gratissimus erumpat. Atque hæc situs locique natura. Ad Hieronymum igitur, institutumque nostrum ut revertamur, exploratis, ille, uti diximus, aliis locis, vicanorumque animis pertentatis, difficultatibus undique suborientibus, nullus aptior Somaschensi jugo visus est locus, ubi tandem posita sedes, et domicilium nostræ religionis est constitutum.

D

*purgato ventis,*

E

*objectu montium et arborum fractis,*

## CAPUT III.

### *Qualis Somaschæ domesticorum disciplina, et in externos caritatis officia.*

F

Apud Ondæos primum divertit Hieronymus, quorum ædes in area Somaschensi visebantur, pauperibus recipiendis peridoneæ : postea Hieronymi et sociorum usibus conductæ, et Andreæ Borelli liberalitate, qui unus maxime pium opus industria et pecunia urgebat, supellectili ditatæ; sed Hieronymi institutis, et legibus longe ditiores redditæ. In his enim domestica disciplina ejusmodi est constituta, qualis domum hanc ceterarum caput ac præsidem deceret, a qua veluti a fonte in ceteras uberiore derivarentur omnium exempla virtutum, et unde certa, ac firma, et ubique sui similia vivendi jura, tamquam a capite omnes accerserent familiæ, purumque nostri instituti et disciplinæ spiritum haurirent.

*Ædibus conductis,*

*primam sedem constituit Hieronymus,*

9 Paupertas eminebat in primis, cum in victu ac vestitu, tum reliqua supellectili, quam pauperem et curtam exoptabat Hieronymus, malebatque reculam, quam rem familiarem sibi domi esse. Et certe victus pertenuis erat, idemque aridus et durus ex eo genere maxime, quod rusticis usui esse solet : ac ne vel illa cibi tenuitate quippiam de pristino ardore deperiret,

*præscribit vestitum et victum pauperum*

A riret, pius inducebatur super mensam anagnostes, qui conceptum pietatis ignem sacra lectione inter epulas perpetuo aleret. Asperioribus autem cibis ut cito assuescerent delicatiores stomachi, natura et usu lautioribus assueti, faciebat patiendi ardor et mortificationis studium, quod supra modum inter eos fervebat, novas semper faces Hieronymo subjiciente, et majores flammas excitante; qui mirum se præbebat Magistrum in corporibus castigandis, et Patrum voluntatibus frangendis, rejiciendisque appetitionibus, ut nonnumquam nimiam homines severitatem accusarent et asperitatem; et quidem veteris Adami commotiunculis interdum excitabantur, quibus postea Divinæ gratiæ beneficio sedatis, rationabile omnino obsequium ab Hieronymo deposci omnes fatebantur. Insignem hanc corporum voluntatumque

*humilem obedientiam,*

mortificationem comitabatur obedientiæ et humilitatis studium: quarum virtutum ferventissimus Hieronymus sibi non dissimiles alios volebat. Ad hæc

*et frequentes preces :*

diurnæ, nocturnæque precationes, quotidiana etiam de rebus divinis commentandi spatia numquam intermittebantur, sacrisque libris jucunda pabula animo assidua lectione quærebantur: ac, ne perpetua quiete languerent, subinde laboribus etiam frange-

B bant corpora: atque hæc quidem domi.

10 Foris vero sedula opera navata proximis, ac plurima animæ et corporis collata subsidia tum ægris, tum sanis. Ad conquirendam miseram et derelictam sobolem, suo more se vertit Hieronymus, usitataque in pauperes ministeria explicanda. Cum

*suscipit curam ægrorum,*

vero plurimos non tam egestate, quam variis morbis misere conflictari, ac prope contici cerneret, nec Vallis opportunos haberet ægrorum curatores, eorum ille curationem in se suscepit. Quippe non ignarus multarum rerum, quæ ad plagas et ulcera illa persananda morbosque tollendos valerent, qui sponte interdum suborientes, aut tumore, aut suppuratione, vomicisque certas corporis partes acerbissimo languore torquent atque discruciant; novo spiritus ardore, novum etiam hoc caritatis genus in eos exercere constituit, in quorum gratiam harum sibi rerum cognitionem et usum diligenter compararat. Itaque plurimus undique conquisitus et collectus

*morbos curat convenientibus remediis,*

æger est, Hieronymi curatione brevi sanandus: permulti accedebant deformi tumore et ulceribus fœdi: alii quibus putrefacti sub cute humores sanguinem in saniem verterant: aliorum ex tuberibus scatentes vermes odorem teterrimum efflabant: sed Hierony-

C mus numquam, aut sordes cavit, aut putridam tabem exhorruit, aut fœtorem est aversatus: sed pietatis et officii plenus, loca tumore et sanie fœda, leni mollique tactu contrectans (ne cura aut officium faceret dolorem) calida lavabat, ebullientes cum sanie vermes expurgabat, tum imposito medicamine, et fasciis obvolutis, data eleemosyna, domum dimittebat: cumque sæpius simili foverentur officio ægri,

*et sanctis precibus.*

tandem sanitati reddebantur. Nec dubito ulcera permulta, quæ omnium medentium artem et industriam facile elusissent, excellenti Hieronymi apud Deum gratia magis, quam unguentis, purgata atque sanata. Quantum vero studii et ardoris ad hæc munera caritatis adferret, illud unum in hoc genere admodum insigne testetur: quod, si quando alicujus morbi ulcerumque fœditatem experiretur sensum nonnihil abhorrere, eoque aspectu ab officio retardari, defor-

*ulcera oris d... osculatur ... [illegible]*

matum ægrum illum, et fœdissimum statim advocabat, præ ceteris diligentius curabat, ac ut de repugnanti sensu vindictam sumeret, ulceribus labris admotis oscula sæpius imprimebat: idque tanta cum animi voluptate, quanta Christi Domini vulnera exosculari contigisset.

11 Intensiori etiam cura a corporis ad animæ salutem Hieronymi studia vertebantur. Circumobibat



frequens Vallis vicos, singulos catechismi institu- D

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA. juvat vicinos catechismo,*

tione, et Christianis præceptis erudiens: nullusque fere Hieronymi et sociorum sermo cum externis erat, nisi de animæ salute piisque rebus, de supremo scilicet vitæ die, de reddenda ab unoquoque summo Judici ratione, de inferorum cruciatibus, et æternæ

*et piis colloquiis,*

vitæ gaudiis; utili sane et frugifera admodum congressione. Adeo vero piorum colloquiorum usus illis erat solennis, ut criminis instar haberetur, si quis cum externis agens, non commodum aliquem de pietate sermonem instituisset, hominemque salutari aliquo documento auctum dimisisset. Nulla tandem illis studia æque cordi, quam divinæ quærendæ gloriæ, et humanæ tuendæ salutis, in qua procuranda, piis intenti curis, perpetuo desudabant, cum proximorum fructu non tenui aut pœnitendo. Magni etenim

*cum magno fructu.*

fiebant ad Patres undique concursus spiritualis institutionis gratia, diebus præsertim festis, quibus totis in habendis ad simplices cohortationibus, simulque tradenda pueris, ac rudi illi vulgo Christianæ fidei doctrina singuli versabantur.

## CAPUT IV.

*Hieronymi Mediolanum profectio, in Deum fiducia, et Francisci Sfortiæ in Hieronymum* E *liberalitas maxime insignis.*

Dum hæc Somaschæ geruntur, Hieronymus majora semper animo in pauperum gratiam moliens, novum etiam domicilium in eorum usum (quod jam diu animo complexus erat) sibi tandem Mediolani excitandum statuit, maxima videlicet spiritualis lucri spe in admodum nobili et frequentissima civitate blandiente. Quocirca re familiari egregie constituta, domesticis et externis bene precatus, ac valere jussis, hoc quoque proscindere novale est aggressus, et quando magnam provinciam adoriretur, magno etiam stipa-

*Somascha abit cum 35 pueris*

tus milite, triginta quinque scilicet puerorum manu, discessit: quos ille sub vexillo Crucis, quasi agmine instructo, dispositos, et Sanctorum Litanias alias-

*Litanias cantantibus.*

que preces inter itineris molestias concinentes, ideo circumducebat, quod consimilium locorum disciplinam usu jam didicisset, facilius per eos, in novis domibus constitui, ceterosque eorum exemplo commodius erudiri. Ad pios autem Hieronymi labores magis illustrandos, Divinæ providentiæ nutu factum est, ut in ipso itinere Hieronymus non levi corriperetur

*febri corripitur:*

febri, et e pueris nonnulli cum eo pariter decumbe-

F rent. Nulla vero hic erant pecuniæ subsidia, nulla humana solatia ad ægros levandos: quippe Dei servus præter unam in summo Numine certissimam spem nihil præsidii ad itinera afferebat, nulloque alio instructus viatico prodibat: siquidem itineris auxilia erant obviæ hominum misericordiæ, tectum nosocomia suppeditabant.

13 Itaque aliquamdiu cum morbo et lassitudine in itinere luctatus, locum tandem obvium habuit, olim valetudinarium, sed tum vetustate dirutum: casa

*in ruinosa derelictaque domo decumbit*

verius fuit ruinosa, quam domus, cœli patens injuriis, revulsis foribus et ostiis, ventorum flabris atque imbribus undique pervia. Huc se recepit cum suis æger Hieronymus, humique super stramine cubitans, quod forte aderat, morbi molestias tolerabat, omni præterea humana ope destitutus, solam cœlestem expectans. Sed fidelem servum non est frustrata summa bonitas, quando non multo post factum est, ut quidam Hieronymi studiosus illac iter haberet, qui puerorum turbam conspicatus, et quod erat, forte conjiciens, locum adiit, hominem febri misere æstuantem ut offendit, amice invitat, et enixe rogat, ut se deferri patiatur ad hospitium, quod non longe aberat, quo si solus secederet, humanissime exceptus, liberaliter etiam haberetur, donec, vi morbi

 discussa,

A discussa, convalesceret. Sed nulla ratione admisit Hieronymus sibi uni oblatum domicilii beneficium : namque humanissime actis amico gratiis, eo beneficio se uti non posse, respondit, nisi secum Christi pauperibus etiam admissis, quibuscum vivere et mori sibi statutum esset; verum, vel quod homini nimis molestum videretur, eam domi colligere puerorum turbam, vel quod tecti hospitiique angustiæ tantam excluderent multitudinem, bonus ille vir non annuit, Mediolanumque discessit. Hieronymus vero, cum ea quiete melinscule se habere, et divina etiam ope aliquid virium recepisse videretur, et pueris melius omnino esset factum, ad cœpti itineris labores et incommoda hilaris, animoque erectus reverti jam meditabatur, adeo Christi amore et Crucis siti, quidquid erat asperum, mitigante; sed minime pares animo corporis vires suppetebant.

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA. renuit hospitium absque puerorum consortio.*

14 Interim autem amicus ille Hieronymi, Francisci Sfortiæ Mediolanensium Ducis negotiorum curator, quid illi in itinere accidisset, quantusque vir Hieronymus esset, ad Ducem abunde detulerat : quibus permotus religiosissimus Princeps, statim qui ægrum Hieronymum Mediolanum commode adveherent, dimiserat, quorum opera in urbem delatus, B (nec enim languente jam corpore pedes ulterius progredi valebat) ad humile xenodochium, stipante ejus latera exigua illa puerorum manu, deferri enixe postulavit : cumque lautiorem et honestiorem locum, vel etiam in Aula, et omnia curationi opportuniora illi sponte offerrent, ac Ducis etiam voluntatem obtenderent, nunquam annuit Hieronymus, qui voluntariæ paupertatis incommoda cunctis aulæ deliciis ac splendoribus anteferret. Exigua igitur perangustaque domo receptus est, quae Divi Martini sacello juncta, illis pueris colligendis ac servandis usui erat, qui forte a paterna domo vel parentibus vagi ac dispersi, tota urbe aberrantes, vagarentur. Jucundum maxime fuit Hieronymo vile hospitium, utpote suo instituto valde consentaneum; cumque illum Dux imperaret quibuscumque rebus opus erat liberaliter haberi, ille, gratiis semper Ducis benignitati per internuncios actis, Evangelicæ paupertatis memor, oblatas commoditates non admittebat.

*jussu Sfortiæ Ducis Mediolanum advehitur.*

*domum exiguam eligit*

*a Duce per aulicum oblatam pecuniam*

15 Quare Dux tantæ rerum humanarum despicientiæ, veræque paupertatis Evangelicæ periculum facturus, nobilem aulicum ad Hieronymum allegat, qui sibi a Duce magnopere imperatum referat, ut quæcumque ad suam suorumque vitam tuendam ne- C cessaria essent, munifice suppeditaret : ac, ut dictis fidem facta astruerent, crumenam illi multo auro refertam Ducis nomine offert, urgetque, ut velit transmissum hoc munus libenti animo accipere, ac propriis suorumque necessitatibus consulere. Hieronymus quamquam ignoraret, quorsum Principis liberalitas tenderet, tamen a solida paupertatis virtute consilium sibi petens, actis verbis amplissimis, ut tanta Ducis munificentia postulabat, gratiis, eique omnia fausta feliciaque precatus, respondit, se summæ illius paupertatis legibus, quam sibi profitendam proposuerat, omnino impediri, ne præsenti pecuniæ subsidio frueretur : e contra instabat amicus, licere pauperibus, salvis paupertatis legibus, oblata admittere; proinde nihil illum in perfectæ paupertatis jura peccaturum, si Principis liberalitati morem gereret : sed nullis plane rationibus perpelli potuit, ut vel obolum admitteret, testatus se non auro, sed hominum saluti, Evangelicæque paupertati studere : quin Divinæ providentiæ non levem se irrogaturum injuriam, si tantam auri vim collectam apud se reconderet, cum illa sibi, suoque gregi victum passim et ostiatim emendicanti in dies abunde sufficiat : quare sibi magnopere cavendum, ne humani auxilii tam larga liberalitas aliquid de Divinæ opis et providentiæ fiducia detraheret : quocirca pateretur, orat, ut, D vel quotidianis laboribus, vel precario victu paullatim collecto, se sociosque pro suo veteri instituto aleret. Cumque studiosius adhuc offerret, enixeque obtruderet aulicus Ducis nomine pecuniam, semper tamen idem aut persimile tulit responsum, collaudata scilicet regia Principis munificentia, sedulaque aulici opera commendata. Denique, ut finis sit, in pecunia tam fortiter constanterque repudianda, adeo sanctæ paupertatis tenacem se præbuit Hieronymus, ut superante liberalem Principis beneficentiam aulicique industriam paupertatis proposito, majori omnino, quam obtruderetur, constantia rejecta pecunia fuerit.

*non admittit,*

*et sæpius oblatam repudiat*

16 Franciscus hoc tam egregio facto mirifice delectatus, etsi opinionem de Hieronymi virtute non vulgarem induerat; certior tamen reddi per suum Oratorem voluit, qui tum apud Venetos morabatur de hominis nobilitate et rebus gestis : a quo cum multa, quæ armatus foris et domi togatus Hieronymus gesserat, pari laude et admiratione digna accepisset, ex illo cœpit hominem magis, quam antea, humanissime colere, ejusque instituto vehementer favere, cujus virtutem magna sanctitatis opinione firmatam admirabatur. E

*pluris æstimatur ob nobilitatem ab Oratore indicatam.*

## CAPUT V.

### *Pii loci exordia, et varia de Hieronymo Mediolanensium judicia.*

Eo autem Hieronymi curæ primum spectabant, ut pueris tum secum adductis, tum urbe tota Mediolanensi vagis ac dispersis certum poneret domicilium, et corporis animæque periculis suo more subductos, in tuto locaret : quod pium hominis votum ad Ducem delatum, ab eo vehementer probatum est, certumque ex suis navum et industrium hominem negotio præfecit, qui loci institutionem maturaret, efficeretque, ne quid ad eam rem absolvendam desiderari posset. Curatum est Ducis mandatum diligenter, et illæ ipsæ ædes, in quibus supra Hieronymum primo consedisse docuimus, sunt in pauperum usum destinatæ, Hieronymo locum maxime approbante. Cumque ædes illæ ad xenodochii majoris jura pertinerent, Ducis nomine et auctoritate, cum xenodochii curatoribus rite confectis emptionis tabulis, et certa pretii parte persoluta, ita inter partes conventum est, ut perpetuo pauperum usui cederent ædes, interim Francisco annuum censum persolvente, donec integram pretii F summam curaret, aliquanto etiam æris ad primam novæ domus supellectilem attributo, quod Sfortia imperante omnino servatum est. Sed vix altero ab ea pactione anno, peracerbo et perpetuo Mediolanensibus flebili funere, elato Francisco, haud potuit pacta pecunia persolvi. Quare ad Philippum Secundum Mediolanensi Imperio devoluto, placuit Catholico Regi eamdem esse prioribus tabulis vim, e publicisque ærarii Regii pecuniis, annuum pensum nondum soluti pretii, persolvendum jussit : quod pium Regis edictum ad multos annos religiose servatum est, donec Galeatii Moroni Maceratensis Antistitis hæreditate, ita pii loci necessitatibus subventum est, ut cum ad reliqua nomina, tum ad hoc etiam dissolvendum facultas fuerit.

*Domicilium orphanis impetrat,*

*sumptus conferentibus Duce Sfortia,*

*dein Philippo II Rege Hispan.*

*et Episcopo Maceratensi*

18 Sed ad Hieronymum redeo, qui optatum jam nactus domicilium, ad pauperes orbosque colligendos sedulo se convertit, quorum tantam brevi intra hospitii septa turbam coegit, ut admirationi voluptatique pariter eorum aspectus esset. Non referam hic amplius instituendorum locorum rationem : satis ex hucusque dictis indicata. Eædem Hieronymo curæ, iidem exhauriendi labores, dum domesticam disciplinam constituit, dum pietate et opificio pueros informandos

*pueros alit,*

A formandos curat, dum illis subsidia precario tota urbe conquirit. Neque etiam multis referam, quam ingenti primorum ordinum gratulatione prodeuntium festis diebus solenni cum supplicatione agmen sit exceptum, et quantis laudibus puerorum pietas et modestia commendata : facilis ex superioribus conjectura, licet hæc omnia Mediolani nescio quid amplius splendoris et publicæ acclamationis habuisse videantur.

*publico urbis applausu*

19 Verum, ne qua deesset in tanta operis laude, humilitatis et patientiæ materia, probataque virtus magis eniteret, cum aliorum incerta et dubia, tum vulgi iniqua, de se ipso judicia expertus est Æmilianus. Siquidem dum tanti Principis nixus præsidio, seu multo magis Dei, eo in opere multos labores exudat, et multis est admirationis materia pariter et sermonis ; multiplex etiam et frequens de eo, variantibus sententiis, obmurmuratio populi, in tam ampla præsertim, adeoque frequenti civitate, et nondum plane illius intimæ sanctitatis fulgore apud omnes explicato. Quare inter operum initia, contemptui erat multis, qui hominem hypocrisis et ignaviæ insimulantes, palam deceptorem, delirum, variisque ad contemptum nominibus appellabant, et probris ac B contumeliis incessere non verebantur. Alii, ita divino Numine eorum studia attemperante, melius sentientes, cum aliquid supra humanum de Hieronymi virtute animo conciperent, ejus sanctitatem veneraturi, in manus aut vestium oscula certatim ruebant, vel propriam manum, qua prætereuntis vestes religiose contigissent, osculaturi ori admovebant. Nonnullorum vero judicia erant eventus expectatione suspensa, quando nec in præsentia novum insolensque opus externi hominis approbare vellent, neque palam vitio vertere auderent, quod, approbante Principe et summis Ordinibus, in ipsa curiæ luce gerebatur. Quare attentis animis observabant, quo tandem ejus gesta evaderent, cujus virtutis splendorem, caligantis mentis acie nondum clare dispicere poterant.

*a nonnullis irridetur,*

*ab aliis ut Sanctus honoratur*

20 Sed Hieronymo, ut permolesta erant, quæ in ejus venerationem obsequia deferebantur : ita cum inter mendicandum alios obvios haberet, sese dicteriis et scommatibus irridentes, vel conviciis et loedoriis palam proscindentes, hos ille obturata aure præteribat, mirifice lætus, quod pretiosiora quam peteret, ac magis optata dona reciperet, nobilem scilicet ludibrii et contumeliarum stipem : eratque perfamiliare, cum ad communem misericordiam colC ligendam, totus squalore deformis ac macie, crassa tunicula tectus prodiret, sibilis et conviciis excipi, insequente a tergo velut amentem lasciviente puerorum turba : ita scilicet summus in ore pallor, attrita lacerna, humeroque pendentes manticæ, squalens et promissa barba hominem ludibriis et probris facile opportunum apud insanum vulgus reddebant. Diu tulit indignum infimæ plebis contemptum Hieronymus, nunquam animo vel levissime commotus : adeo Christi caritas, et sui contemptus omnes exorbebat irrisiones, et probra devorabat, donec in vulgus solidæ virtutis clarius explicandæ oblata occasione, quam subjiciam, omnia tandem cessere in commendationem probitatis et virtutis, verso in admirationem contemptu, et contumeliis in laudem recidentibus. Idque hujusmodi fuit.

*laudes rejicit,*

*opprobriis delectatur,*

*...mnes in admirationem rapit*

## CAPUT VI.

*Mediolanensibus morbo laborantibus succurrit : insigni Ducis testimonio ejus caritas commendatur.*

E bellorum motibus, quibus per aliquot annos tota Mediolanensis provincia nutarat, quasi e funesta semente hæserant in Mediolanensium animis mortifera vitiorum omnium germina, quæ sedatis deinde tumulti- D bus, pacem et quietem, quasi culturam nacta, in dies manare, latiusque se fundere, ut nulla pietatis facies, nulla caritatis indicia apparerent. Cumque in tartarum ruentibus animis Hieronymus, qua vitæ exemplo, qua verbo et cohortatione, tempestivam porrigere dexteram maturaret, nullo vulgus pia hominis officia in pretio habebat ; sed cum ad malorum scelera vindicanda, proborumque exercendam virtutem, cœpit morborum gravitas civitatem affligere, frequentesque invadere domos ; tum maxime enituit Hieronymi virtus, commendataque passim in vulgus nullo plane discrimine præcellens hominis caritas. Omnibus siquidem in ea morbida, ac fere pestifera anni intemperie, metu trepidis ac perculsis, cum admodum rari et infrequentes apparerent, qui laborantium multitudini navarent operam, et tantam ægrorum subirent molem ; unus Hieronymus, metu omni deposito, cum in nosocomio suo Divi Martini, tum alibi etiam vel sui periculo capitis, præsto erat ægrotantibus, quibus omnino sibi subveniendum, aut certe in communi calamitate abjiciendam vitam statuerat. Et sane hic, si quisquam, locus Hieronymi caritatem maxime illustravit. Quos enim graviori morbo conflictari sentiebat, hos sæpius invisens, vario placidoque sermo- E ne, ad perferendam animi ægritudinem et corporis dolores, hortabatur : multisque de aliorum constantia in cruciatibus et doloribus perferendis memoriter et jucunde narratis, ægritudinis fastidium et morbi acerbitatem lenire curabat. Cumque, morbo grassante, omnia tandem miserorum squalore, et gravissimo ac teterrimo odore, qualis ægrotantium in egestate solet esse, complerentur ; Hieronymum tamen strenue omnibus adesse, jacentes, si opus esset, erigere præparatos cibos suis manibus apponere, omnia denique munera, quæ in Dominum abdicioso et diligenti famulo præstanda viderentur, studiose ac demisse exequi, magna cum admiratione cernebant universi.

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*
*Grassantibus Mediolani morbis contagiosis,*

*magna caritate servit ægris,*

22 Neque vero tam pio labori tamque ardenti caritati Divina bonitas defuit ; siquidem, cum tota jam civitate insanabilis illa morborum vis adeo graviter per omnium ordinum capita grassaretur, nullis ut hominum consiliis, nulla diligentia, nullis fusis precibus mitigari posse videretur, quotidieque multa corpora lurida tabe affecta, vi morbi misere conflicerentur et interirent ; integer tamen Hieronymus atque intactus semper servatus est : quin etiam (quod fidem pene superat) neque eorum ullus, quos inter ægrotantes in suo xenodochio aluit et curavit, sive ex pueris, sive F ex administris, toto eo tempore desideratus est, quod pro miraculo ab omnibus est habitum : idque Hieronymi non quidem diligentiæ et industriæ quanquam ea maxima erat, sed sanctitati acceptum retulerunt universi : cum ille sævientem ægritudinem non tam medicinis depellere, quam orationibus et magnis pœnitentiæ asperitatibus læsi Numinis justissima flagella avertere, iratumque Deum suæ familiæ propitium facere niteretur.

*servatur sanus cum omnibus adjutoribus suis :*

23 Quam multa vero, et omnium æstimatione majora in rem communem gesserit eo tempore Hieronymus, facile, quæ subjiciam, testabuntur. Nam ipse Dux cum Joannis Petri Caraffæ opera (e cujus nutu hominem plurimum pendere didicerat) existimaret Hieronymum ad ea pietatis studia Mediolanum destinatum, datis ad Carraffam litteris humanissimis per suum Internuntium, apud Rempublicam Venetam tum commorantem, ei gratias egit quam maximas, quod hominem Mediolanum allegasset, tam magno totius civitatis bono : quam gratiarum actionem minime sibi debitam ingenue fatetur Caraffa. Placet hic ejus verba adscribere, quibus in Epistola ad Cajetanum Thienæum Neapolim data Venetiis quintodecimo Kalendas Februarii, millesimo quingentesimo trigesimo

*laudatur a Duce Mortio,*

*et Joanne Petro Caraffa, dein Papa Paulo 4*

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA

A trigesimo quarto ita rem explicat; Bergomensis Æmilianus noster, permittente Episcopo, reliquit Bergomum, et, ducto secum quinque et triginta militum exercitu, Mediolanum petiit, ubi, non dico, quanto cum applausu exceptus sit: hoc tantum dicam, gratias mihi Illustrissimum Ducem Mediolani egisse per suos, qui hic sunt, qui cum litteris ad me venerunt, quasi ego illuc Æmilianum miserim: et certe hic honor mihi sine caussa defertur. Ubi Bergomensem vocat, quod ibi aliquanto commoratus, ea, quæ supra diximus, gesserit. Exercitu autem illo triginta quinque militum, pueros innuit, quos secum Hieronymus adduxerat. Habes, amice Lector, eodem in loco duo gravissima de Hieronymi virtute testimonia, alterum Francisci Sfortiæ Ducis Mediolanensis, alterum Joannis Petri Caraffæ non inde multo post in Summum Pontificem electi.

*adsciscit sibi novos socios e nobilitate*

24 Quanto autem in pretio eum haberent reliqui cives, et quale judicium de ejus vitæ genere facerent, frequentissimi e nobilioribus declarant, qui ad idem vitæ genus sponte sese aggregarunt. Inter quos præcipua pietatis laude commendatur Fridericus Panigarola ex eo ordine, quos Protonotarios Apostolicos vocant, qui, spretis opibus contemptisque honoribus, divino se totum famulatui mancipa- B vit, Hieronymique vestigiis insistens, in eodem S. Martini loco, vitam omnium virtutum laude florentem, *Mediolanensi.* per multos annos traductam, magna tandem sanctitatis opinione Somaschæ absolvit. Eadem etiam mens a Domino donata Francisco Bavio, et Hieronymo Novato, alterique Hieronymo Calco, et Ambrosio Schiepato Mediolanensibus, quibus accessere Augustinus Gallus, is, cujus de agricultura monumenta vulgari sermone conscripta leguntur, et Jacobus Alesius, nobiles Brixienses, *Brixiensi,* tum Bernardus Odescalcus Novocomensis, et alius e Spinulorum familia Januensis, Franciscus item Dertonensis vir eruditione insignis, *Genuensi, etc.* et Guido Vercellensis. His autem complures alii quotidie et splendore generis et litterarum eruditione nobiles jungebantur, qui spretis humanæ vitæ commodis, et nuncio libertati misso, Christi paupertatis incommoda subire, seque totos Hieronymo informandos committere non dubitabant. Hoc vero certum plane divinæ virtutis indicium apud cordatos habebatur, hominem scilicet externum et pene ignotum, vili abjectoque pauperum servitio addictum, tam multos, eosque e Principibus civitatis sibi adjunctos, a summo opum et familiæ splendore, ad abjectissima pauperum ministeria deducere.

C

## CAPUT VII.

### *Ejus Ticini gesta.*

*Magnis votis excipitur, a*

Mediolanensem hanc profectionem Papiensis statim haud minus fructifera excepit, quam ille, Mediolani rebus satis bene constitutis, et regimini puerorum idoneis e prima nobilitate viris præpositis, a hoc tempore suscepit, quod non amplius viginti milliaribus Mediolano ea civitas distet. Prævenerat autem Hieronymi adventum percelebris ejus nominis et virtutum fama, quæ ob admirabilem in primis rerum omnium contemptum et eximiam in egenos caritatem, summam illi apud eos cives conciliaverat sanctitatis opinionem, ut eum præsentem intueri aliquando cuperent, de cujus virtute tam multus perstreperet sermo. Prima igitur Papiensi solo impressa Hieronymi vestigia, ea civium oculis spectanda obtulere, quæ jam omnium animis prævolans fama ob- *Ticini excipitur* jecisset. Vix civitatem ingredienti obviam adfuere frequentes, insolito et oculis insueto spectaculo circumfusi, quibus pauperum turba, quæ elato salutari redemptionis nostræ signo, suffragia Sanctorum posceret, hymnosque non sine Ecclesiæ cantu modeste et religiose persolveret, tantæ erat admi- D rationis et voluptatis, ut nova inusitati spectaculi specie animum atque oculos non satis explere posse videretur; sed Hieronymum inprimis, stupore prope defixi suspiciebant, et ejus nobilitatem et virtutem animo revolventes, admirabantur universi, qui tam gravi ætate, tam vili in veste, tanta cum animi demissione et religione, supplicationem comitaretur, cujus gravis ille ardensque et permodestus oculorum circumjactus, et nobilis species licet squalore obsita, obsoletaque ipsa vestimenta pietatem afflare, et redolere sanctitatem videbantur.

*moribus piis ædificat omnes.*

*hospitia nobilium non admittit,*

25 Itaque certatim nobiliores quique ei proprias ædes deferebant, hospitioque invitabant, rati nimirum satis eum felicem, magnoque auctum honore, cui primo contigisset Dei servum tecto excipere. Sed ille suæ paupertatis et humilitatis tenacissimus, omnibus permodeste gratiis actis, pervicit tandem, *divertit in nosocomium,* ut ad nosocomium duceretur, quod adeo libenti animo curavere, qui publico valetudinario (cui a Misericordia nomen est) præerant, ut complures jam ibi receptos missos facerent, quo Hieronymo cum suis commodior locus esset: forte enim superante multitudine, *ægris cedit locum,* non omnes admittebant eo tempore valetudinarii spatia; sed hoc nulla ratione tulit Hieronymus E enixe obtestatus, se omnino alio in quemvis publicum patentemque locum secessurum, si vel tantillum incommodi primis hospitibus suus afferret adventus. Quare per aliquot dies ad fanum SS. Gervasii et *in publico foro degit:* Protasii sub communi porticu fuit. Tantam animi demissionem, et in proximos caritatem abunde compensavit Divina benignitas: siquidem visum est xenodochii curatoribus locum Hieronymo destinare, quo solus cum suis secedere, libereque illis præesse posset.

*accipit domunculam,*

26 Domuncula erat prope sacellum Spiritui sancto sacrum, cui loco a columba Spiritus sancti Symbolo quæ pro foribus expressa cernebatur, Columbinæ nomen fecerat civitas, est quæ illi etiam hodie solenne Columbinam appellari. Ut eo divertat Hieronymus permissum, sed non sine magna Numinis providentia, quod brevi eventus ipse indicavit. Ibi solita cœpit obire in pauperes et reliquos omnes caritatis munera, sed præcipue cum primoribus civitatis, de novo orborum domicilio instituendo, magno animi conatu agere est aggressus: nec fuit difficile rem ex *erigit orphanorum domicilium,* animi sententia perficere, quippe libentissime annuerunt universi, quorum intererat, eumdemque ipsum locum, quo cum suis secesserat, ad eam rem perficiendam illi perpetuo concesserunt. Quo felici eventu Hieronymus mirifice lætus, nihil cunctatus, statim F orbos derelictos sibi aggregare, domesticam disciplinam componere, pietatis opificiique institutione eos sedulo exercere, tum ea, quæ ad domesticam supellectilem cibumque pauperibus parandum facerent naviter procurare. Prodibat ille quotidie onustus manticis ad rogitandam passim stipem, et vitæ subsidia conquirenda, pauperibus domicilio inclusis, sæpiusque fora obibat cum sporta obsonatum, dum illi domi considentes, artificum opera ad mechanicas exercentur, summa Christianæ fidei capita et sacras preces ediscunt, quas postea, instructo agmine, festis *sanctis moribus imbuit* diebus tota civitate usitato more decantant. Magni animorum motus in urbe facti, magna ad pietatem commotio et ardor ex novi operis inspectione: cujus institutum larga postea Papiensium benignitate auctum (ut est ea civitas cum aliis rebus permultis, tum maxime Christiana pietate nobilis) adhuc etiam magno pauperum civium commodo viget. Ita cum Hieronymi humilitate et abjectione Divina bonitate et liberalitate decertante factum est, ut, qui sibi publica fora ad hospitium paullo ante elegerat, ne pauperibus in valetudinario incommodo esset, statim perpetuum et sibi et pauperibus inveniret domicilium.

27 Sed

A 27 Sed, dum solita sua disciplina domesticos e virtute fingit, et ad normam Christianæ pietatis totos instituit, ad externorum etiam utilitates et salutaria commoda paribus sese studiis explicat : et quæ sibi a doctrina et ingenio ad proximorum salutem procurandam adjumenta deesse sentit, ea vitæ exemplis, ut antea diximus, compensare nititur : quibus ardentius humana pectora incendi, acriusque cieri, quam disertissima oratione usu ipso didicerat. Et certe quam ex animi voto et ingenti civium fructu Hieronymi labores acciderint, docet par nobilissimorum sociorum, quos tamquam illustria victoriæ tropæa gloriosus revexit : de quibus, antequam progrediamur, nonnulla hic obiter dicenda.

*saluti externorum studet.*

*socios acquirit.*

a Anno Christi 1534 ætatis ejus 53, uti ... in margine ...

## CAPUT VIII.

### *De Angelo Marco Gambarana.*

Angelus Marcus et Vincentius e Comitibus utrque Montis Segalii, et perillustri atque vetusta apud Papienses Gambarana gente, non opibus modo et nobilitate, sed animi etiam moderatione et civili prudentia inter suos facile principes, duo florentissima totius civitatis lumina omnium sententia cen-B sebantur. Hi sæpius Hieronymum veræ pietatis sensu intuiti, illius exemplis et cohortationibus incensi, et degustata nonnihil interius virtutis dulcedine, non modo novos plane animos se induere, novos ad pietatem impetus experiri sentiebant : sed etiam, ut illi se totos penitus dederent, crebris stimulis incitabantur. Verum, seculi voluptate suaviter animo et sensibus blandiente, adhuc distrahebantur, et honorum opumque fulgore mentis aciem perstringente, incerto fluctuabant animi consilio ; neque satis vitæ suæ rationes explicare, neque, quid sequendum, videre poterant. Sed, cum singularis illa in hominum animis perite tractandis et versandis Hieronymi suavitas et vis salutaria per colloquia sæpius accessisset, tandem ejus instituti humilitatem multo potiorem honorum titulis duxere, et, humana gloria præ cælestis desiderio abjecta, ad paupertatem et Crucem tamquam ad portum salutis confugere omnino decreverunt. Itaque ab Hieronymo in pauperum Jesu Christi disciplinam sunt admissi : multo certe nobiliores et illustriores, hoc edito inter suos cives Christianæ humilitatis et abjectionis exemplo, quam antea genere aut opibus. Multorum corda pupugit ad pie-C tatem, rarum et insolens exemplum. Tam illustria vero Christianæ pietatis exordia, majora semper sunt subsecuta in utroque incrementa, quorum aliqua seorsim hic breviter recensenda.

*Nobiles 2 e gente Gambarana,*

*visis ejus virtutibus,*

*et colloquiis accensi,*

*ejus institutum amplectuntur,*

29 Ac, ut primum de Angelo Marco dicamus, Hic præ ceteris videtur fuisse Hieronymo carus, consiliorum videlicet particeps, et peregrinationum comes; ab epistolis etiam, nam adhuc nonnullæ apud nos asservantur litteræ Angeli Marci charactere exaratæ, et Hieronymi manu proprii nominis chirographo subsignatæ. Quo loco mihi venit in mentem cogitare plurimi semper inter ceteros Angelum Marcum ab Hieronymo fieri consuevisse, quod supernæ lucis beneficio doctus præsagiret animo, quam generosum Ducem nascenti suæ Congregationi pararet Dominus, cujus aliquando virtute sustineri, imperio regi, studio et opera ad instituti perennitatem stabiliri, denique Religionis etiam nomine decorari deberet. Et certe hic unus a Domino delectus maxime videtur ad ea pietatis opera absolvenda et perficienda, quæ Hieronymus præpropera morte abiens, inchoata reliquerat. Primum enim sub obitum Hieronymi cum animo nutarent permulti, et ab instituto resilire meditarentur, Angeli Marci opera et auctoritate sunt in bene cœptis confirmati.

*Angelus Marcus, ... ab epistolis,*

*... fundatorem ... fuerat,*

30 Deinde, cum multa in operum progressione D socii experirentur adversa, oppugnatoresque non deessent, qui auctoritate et potentia plurimum negotii et molestiæ in vinea Domini strenue desudantibus exhiberent, in eam sententiam itum est ab omnibus, Angelo Marco referente, ut curarent Pontificia auctoritate Congregationem muniri, liceretque illi per Sedem Apostolicam sua obire munera, frustra contranitente oppugnatorum audacia. Ad eam rem allegatus est Romam idem Angelus Marcus : neque potuit majore studio, quam is fecit, communis caussa suscipi : siquidem ita sedulo et prudenter rem cum Summo Pontifice transegit, qui tum erat e Farnesia gente Paulus Tertius, ut datis litteris Apostolicis anno præteriti seculi quadragesimo, pridie nonas Junii, plurima in Congregationem contulerit ornamenta. Litterarum diploma adhuc apud nos in tabulario asservatur ; earum vero exemplum primum occurrit in Religionis Bullario, non ita pridem nostrorum Superiorum jussu typis excuso. Ejusdem generis etiam litteræ sunt postea a Pio Quarto anno sexagesimo tertio, sexto Kalendas Junii impetratæ, sed prioribus gratiis et privilegiis longe ampliores.

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA

*privilegia Congregationi impetrat*

*a Paulo III anno 1540,*

*a Pio IV anno 1563 confirmata.*

31 Verum his rebus minime contentus Angelus E Marcus, qui toto pectore confirmandæ Congregationis negotium suscepisset, cœpit tandem de eadem per Summum Pontificem in Religiosorum Ordinum album referenda, et in consequentes propaganda posteritates, certisque vincienda legibus, serio et studiose agere. Non tam suo ipsius consilio permotus, quam defuncti Hieronymi, cujus ille sensum et mentem cognitam habebat : sed in hoc magis opportunum tempus dissimulandum, et protrahendum negotium judicaverat. Igitur in deliberationem re cum aliis Patribus sæpius vocata, ne in tam gravi consultatione proprio fallerentur sensu, rem totam cum Domino transigere, et per orationes ac sacrificia aliasque corporis afflictationes Divinam voluntatem explorare statuunt. Quare per multos dies orationibus et sacrificiis institere universi, quibus vota, jejunia, acerbaque alia corporum supplicia non pauca addidere ; per externos etiam pios et religiosos Sacerdotes plura sacra in eamdem rem sunt curata : tum satis diu et spiritualium exercitiorum usu, et perseverantis inediæ rigore, cælesti Numine propitiato, tandem de re proposita communi voto deliberant ; ut quando, Hieronymo nimis mature erepto, et nondum Religionis ordine canonice insti-F tuto, Congregatio angustis paucorum hominum vitæ spatiis terminata, facile interitura videretur, quod scilicet permulti et litterarum studiis, et moribus probe exculti, nulloque obligationis vinculo in Congregatione adstricti, vel aliis Religiosorum ordinibus passim nomina darent, vel ad pinguia in sæculo sacerdotia, aliasque dignitates dilaberentur, hoc etiam postremum, ad egregia Hieronymi cœpta absolvenda, procurarent, ut Apostolica auctoritate inter sacros Religiosorum Ordines Somaschensis Congregatio referretur : quo perpetui ad posteros tantorum laborum et operum fructus manarent, et iterum Domino benedicente, copiosius in Ecclesiæ vinea ad Dei gloriam et animarum salutem maturescerent. Negotii feliciter perficiendi spem maxime faciebat, quod Romæ cum Sanctissimo Pontifice Pio Quinto tractanda res erat, Patrum Congregationis olim perstudioso, necnon Hieronymi memoriæ impense addicto, quocum egerat sæpius. Igitur e Patribus cura gerendæ rei demandata est Aloysio Boblonio Papiensi homini divinis humanisque litteris exculto, et tunc in Florentissimo Ticinensi gymnasio græcas litteras profitenti, qui Romam profectus, adeo felici eventu brevi negotium confecit, ut Summus Pontifex

*Præmissis precibus,*

*piisque exemplis,*

*post seriam deliberationem*

*Congregatio ... ...*

*Ordinibus religiosis annumerata a Pio V anno 1568*

anno

A anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, octavo Idus Decembris, ipso S. Nicolai natali die, publico diplomate dato, universa approbatæ Religionis jura Somaschensi Congregationi benigne contulerit, addito insuper honorifico tum Hieronymi, tum Patrum Elogio.

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.*

*et emissa anno 1569 professione,*

32 Sanctæ Sedis Apostolicæ, confirmatione impetrata, sequens annus sexagesimus nonus Divina benignitate plane felix et faustus natalis illuxit Religioni, emissis scilicet a sex e primis illis Patribus solenni ritu professionis votis tertio Kalendas Maii, S. Petro Martyri, et Catharinæ Senensi sacro die, Mediolani, in ipso Divi Martini Sacello; Derthonensi Antistite Cæsare Gambara, nobili Brixiensi Comite, atque Senatore Regio Ducatus Mediolani ipsa vota, ex Apostolicarum litterarum præscripto, recipiente. His actis a Patribus illis de Generali eligendo statim itum in vota, communique suffragiorum assensu, Angelus Marcus primus Religionis Præpositus Generalis est renunciatus, nemine, præter ipsum, dissentiente, integroque triennio Religionem administravit. Nam ultra ne liceret eam supremam dignitatem prorogare, diplomate Pontificio cautum erat.

*eligitur 1 Generalis;*

B Hujus tum præclare gesta in eo magistratu, tum illustria virtutum exempla toto consequenti vitæ cursu edita, cum ad historiam Religionis pertineant, ea universa ad illius scriptorem integra rejicio; hic solum felicem ejus mortem ad totius vitæ specimen breviter attingam.

*addictus orationi,*

33 Solenne erat Angelo Marco quotidie e codice horario statam diei psalmodiam in genua provoluto reddere, diutius rerum cœlestium commentationi vacare, tum rem sacram peragere, in quo ministerio adeo intimo pietatis sensu afficiebatur, ut inter orationum, et sacrificiorum vota nihil æque a Domino suppliciter et enixe contenderet, quam ut supremo etiam vitæ die liceret sibi immaculatam hostiam illam immolare. Vel supra vota satis est hominis pietati a Divina bonitate factum; orandi enim et sacræ rei agendæ perenquilo, vel ipsa jam adventante morte, licuit et sancto sacrificio et orationi vacare.

*æger ultimo die vitæ celebrat sacrum,*

Nam, urgente vi morbi, jam morti vicino ita Divina virtute auctæ sunt vires, ut ipso die, quo extinctus est, et commode lecto surgere, et insolita animi pietate et uberrimo fletu sacrum peragere potuerit; ut insuetus ille sacrificantis ardor et pietatis sensus non obscura præsagitio, si animadverteretur, immi-

C nentis obitus esse posset. Post obita rite divina, viribus iterum destitutus, lecto decubuit, cumque Angelus Cerrus tum Mediolani et medendi peritia et genere admodum nobilis ægrum invisisset, et venarum pulsu explorato, morbi gravitatem deprehendisset, jussit ægrotanti perpetuo adesse vigiles, qui in omnem eventum parati, ægrum diem noctemque custodirent. Proxima sequenti luce sacer instabat dies: itaque vesperi de more ut familiæ confitenti aures daret, consedit; quippe ita domesticis omnibus paterna illa sua caritate et mansuetudine carus erat, ut ei multo libentius, quamquam Superiori domus, cordis arcana detegerent, et intimas conscientiæ latebras animorumque maculas confessione aperirent, quam Sacerdotibus ad id assignatis. Cum autem numerosæ familiæ Confessionibus excipiendis, nimis defatigari videretur, erant, qui precarentur, ut in sequens matutinum tempus reliquos rejiceret, quibus ille in hæc verba, hilari vultu et præsenti animo, respondit: Nunc accedite, filii, mane enim haud licebit. Quam vocem prædictionis vim habuisse non multo post innotuit, cum denunciationi respondit eventus, licet tunc minime animadversa, cum nullus supremum casum tam proxime impendentem suspicaretur.

*audit confessiones suorum,*

34 Sed alta jam nocte, iis etiam, qui custodiæ gratia aderant, quieti traditis, sensim, ne cujusquam D somnum interturbaret, lecto consurgens, vesteque indutus ad ecclesiam, quæ vix a Patris cubiculo aberat, discessit, ibi scilicet vitæ spiritum redditurus, ubi sanctæ professionis et religionis spiritum antea hauserat; sed, cum fores clavibus obseratas offendisset, vehementer indoluit ingemuitque, et ad proximum oratorium divertit, ubi nixus genibus, ad momentum illud æternitatis arbitrum oratione se comparat, advenientique Domino paratus occurrere studet; et aliquamdiu supplicando ducta mora, manu scabellum, cui inhærebat, gravi ictu quatiens, quasi migrationis dato signo, irrevocabilem illam supremæ rei clausulam, ut erat in genua prostratus, et in preces effusus (egregiis sane suæ salutis indiciis) consummavit. Eo ictu a somno exciti excubitores, ubi Patrem lecto et cubiculo exisse comperiunt, accurrunt ad proximum oratorium, unde strepitus insonuerat, ibique genibus et scabello innixum, jamque extinctum deprehendunt. Tam repentino inopinati casus eventu consternatos vox et sensus, peneque spiritus defecit; sed novum pietatis sensum et admirationis voces addidit ipsum mortis genus, quo Pater extinctus est. Ut enim decebat vere reli- E giosum virum et familiæ præsidem, aliis somno deditis, ipse orans animam egit. Ea res postera luce a Scipione Albano, qui primus rem litteris consignavit, funerique interfuit, imo præfuit et duxit, ad S. Carolum delata, cui Pater æque notus ac carus erat, etsi tanti viri amissione admodum indoluit, mirifice tamen tam pio mortis genere, defuncto gratulari visus est. Quam migrationem admirabiliorem apud me reddunt duo illa, alterum, quod eam præsenserit ac prædixerit, alterum, quod eam precibus impetratam non levis conjectura confirmet. Hic ipse Angelus Hieronymi vitam egregio volumine conscripsisse fertur, quod opus si ad nos pervenisset, vel me hoc scriptionis onere levasset, vel certe multo plura et majora ad scribendum attulisset.

*de nocte ad templum abiturus,*

*in oratorio moritur.*

## CAPUT IX.

### *De Vincentio Gambarana.*

Vincentius ab Hieronymi obitu, reliquam fere ætatem omnem Bergomi orphanorum, puellarumque regimini præpositus exegit, tanta vitæ innocentia et Christianæ pietatis laude florens; ut eum Bergomenses tamquam virum sanctum omnino suspice- F rent, multaque ab eo passim extra vires modumque naturæ ægris corporibus adjumenta afferri narrarent, quæ haud dubiam hominis sanctitatem testarentur, quale fuit illud, quod subjiciam. In S. Alexandri æde quemdam intuitus altero tantum genu inflexo, sacro interesse, ratus id communis irreverentiæ vitio fieri, hominem modeste admonuit, ut in tanti sacrificii honorem alterum etiam inflecteret, multum dedecere Christianum, ita rei sacræ adesse: ille rejecto pallio, genuque detecto, ostendit id non vitio, sed infirmitate fieri; adeo morbi vi offenso nervo, ut frustra illud inflectere conaretur. Pater, hominis ægritudinem miseratus, magna fide plenus, Deo interiore animi affectu ægrum commendat, manuque in formam Crucis ducta, infirmam partem obsignat, et inter signandum blande subjicit: Atqui ne vereare, frater, cum sacro adstas sacrificio, omnino deponere et hoc genu, etiamsi læsum; id enim utique Deo libitum. Cumque ille experiri vellet, num succederet, plane sensit morbum omnem abscessisse, recteque postea semper eo genu convaluit. Vincentius vero domum reversus, totius familiæ preces, ad gratias Domino referendas, auxilio sibi deposcit, quod scilicet piorum pauperum orationibus (ut ille aiebat) debili Dominus reddidisset sanitatem: ita videlicet

*Vincentius Gambarana vestar Sancti habetur,*

*genu male affectum, signo Crucis sanat, ut inflecti posset sub Missam:*

A videlicet auctore et magistro Hieronymo, omnem præclari operis laudem in alios referre didicerat.

*moritur cum magna sanctitatis fama,*

36 Multa præterea passim tum ægris, tum sanis, et animi et corporis subsidia præstitit, quibus in dies de ejus sanctitate concepta opinio mirifice augebatur, donec tandem, quam apud omnes constans et singularis floruerit, obitus ipse indicavit, cujus per urbem vix evulgata fama, ingentem excivit civium multitudinem, qui ad ejus pedes vel manus osculabundi, magna cum religione et lacrymis, dulcique sensu pietatis, sese abjiciebant, permulti ad manus, aut vestium contactus rosaria et coronas proferebant. Sed et ipsum funus, quæque funeris apparatum sunt subsecuta, clarius, quam egregia sanctitatis opinione decesserit, confirmarunt. Nam pauperrimi Sacerdotis funebris pompa tam solenni apparatu est instructa, ut Clerus tum regularis tum secularis, ne a domesticis quidem requisitus, adfuerit frequentissimus cum facibus, cereisque ardentibus, ad ejus cohonestandas exequias: feretrum eleganter exornatum subvectabant certatim nobilium colla, maxima funalium ac luminum copia prosequente; nihil enim ad pompæ speciem, quam maxime fieri posset, augendam, piorum civium caritas, et in Patrem amor B desiderari voluit. Procedente vero funere, peracerba omnium exaudiebatur querela, ingens mœror, uberrimus fletus. Cum autem domi nullus esset sepulturæ locus, quando privatum sacellum domesticis tantum sacrificiis et familiæ commodo inserviret, in ædem Divi Dominici Fratrum Prædicatorum, cadaver est illatum (erat enim Vincentius ejus cœnobii Patribus unice carus) absolutisque de more Ecclesiæ supplicationibus non sine cantu musicoque concentu, peculiari in loculo conditum est, quo a ceteris discretum, ad posterorum venerationem facilius servaretur, tam densa interim multitudine et frequenti populo ad oscula et contactum manus aut vestium tum maxime convolante, vix ut humando corpori amplissimo in templo locum daretur. Placuit Magistro Fratri Paulo in eodem cœnobio tum Lectori, Patris sepulchrum hoc simplici pioque epigrammate exornare; cujus postea exemplum nuper Bergomi inter antiquiora pii loci Divi Martini scripturarum monumenta nactus, hic iisdem omnino verbis subjicere visum est. Sic autem habet:

*solenni pompa Cleri populique sepelitur, in æde S. Dominici.*

*epitaphio honoratur*

37 Vincentius ex Comitibus Gambaranis Papiensis Sacerdos, cum in hujus seculi bonis magnus esset, Christi Jesu pauperiem secutus, in humili societate C Patrum Somaschæ, orphanorum ministerio se totum dedit: ubi qualibet virtute Christiana excellens, ceu fulgentissimum sidus, e mundo sublatus, pios quosque mœstissimos dereliquit. Dormivit vir optimus Bergomi in Domino, quinto Cal. Julii MDLXI.

Aliquot viri nobiles, et Religiosi orphanorum tutores propriis sumptibus, tumulo erecto, nobile quoque funus peregerunt.

*reliquiæ asservantur.*

38 Sed et hoc non omittendum, enixe complures curasse, ut e paupere supelectille, quæ pio viro usui fuerat, sibi quidpiam impetrarent, tamquam sacrum pignus asservandum: sed admodum paucis e recula mos geri potuit. Vidimus non multis abhinc annis Bergomi apud Franciscum Pesantium pium senem Vincentii cyatum, quod ad potum utebatur, theca coriacea inclusum, religiose adhuc custodiri, qui etiam se Vincentii precibus multis in rebus passim adjuvari testatur. Cum vero multis post ejus obitum mensibus Divi Dominici templum demoliri necesse fuerit, quo civitas ad securiorem arcis formam accommodaretur, alioque deferrentur mortuorum cadavera. Vincentii corpus integrum repertum est, cœlestem ex urna inhalans odoris suavitatem. Cumque S. Dominici moniales Patrem ad se deferri enixe curarent cum aliis ejusdem ordinis Fratribus, obsti-

*corpus reperitur integrum.*

*expetitur a pluribus,*

tere S. Alexandri Sacerdotes; qui locum intra pa- D rœciæ fines asserentes, ecclesiam parochialem suo jure eoque pignore minime spoliandam contendebant: et post aliquam juris disceptationem S. Alexandri ecclesiæ corpus est ab Episcopo adjudicatum: eaque occasione refricata quasi Patris memoria, excitata iterum est ad funus et pietatem magna civium multitudo, et non sine pompa ad S. Alexandri conditum: donec tandem Patrum opera et studio recuperatum pignus Somascham est delatum, et Magistro suo Hieronymo appositum.

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA

*transfertur ad S. Alexandri templum,*

*unde Somascham*

## CAPUT X.

### *Lectis novis comitibus, Somascham redit.*

*Hieronymus Papia abit Mediolanum,*

Sed ad Hieronymum redeamus, qui anno jam vertente, cum solennioris conventus tempus appeteret, Angelo Marco et Vincentio comitibus Papia discessit: abeuntem multorum desideria et lacrymæ sunt prosecutæ. Mediolani paucis diebus commoratus, aliisque sociis vocatis, pio ac nobili comitatu auctus, Somascham contendit. Mediolano autem discedens, Meratum (oppidum est Brigantii montis) recta hospitii gratia divertebat, ubi cum illum multi hospitio sibi conjungere expeterent, vincebat tamen competi- E tores omnes benevolentiæ studiis et caritatis ardore Franciscus Albanus, qui Christianæ hospitalitatis partes adeo explebat abunde, ut ad eum properans Hieronymus, comitibus dicere soleret: ad Abrahamum nostrum divertamus, quando nihil illi carius accidere potest, nosque adeo hilari vultu et liberali opera excipit. Quæ postea Francisci in Hieronymum ejusque disciplinæ alumnos Christiana caritas, ad posteros etiam Albanæ familiæ transmissa est. Ut enim ceteros taceam, ejusdem Francisci nepotem, suarum laudum præconem habuit Hieronymus Scipionem Albanum, qui ex nobili illorum ordine, quos Protonotarios Apostolicos appellamus, sacræ Theologiæ laurea donatus, et Scalensis Ecclesiæ Mediolani Canonicus, piam Hieronymi memoriam veneratus, ætate jam gravi, ejus vitam brevi, sed admodum gravi commentario est prosecutus, quem viginti abhinc annis Mediolani excusum evulgavit.

*inde Meratum,*

*excipitur a Franc. Albano*

*patruo Scipionis inter scriptores.*

40 Somascham reversus Hieronymus mirifice universos exhilaravit, ingenti ipse vicissim gaudio perfusus. Cumque per id tempus eo etiam reliqui primæ auctoritatis Patres convenissent, fusis de more ad Deum precibus, habitaque ab Hieronymo in publico conventu, suo illo dicendi ardore, exhortatione, in F communem deliberationem sunt vocata, quæ ad publicam rem facerent. Sed quid præcipue eo anno constitutum, ne divinare quidem nobis licet; adeo confusam et mutilam harum rerum seriem vetusta autographa nobis tradunt. Libet tamen hic ad ipsam Somaschensem domum, Hieronymique familiam iterum oculos convertere, quam numero juxta et virtute in dies augeri curabat: unde currentes per se novos alumnos, Angelum Marcum præsertim et Vincentium, acrius ad Christi vestigia incitabat, urgebatque ad majora, ostentato sæpe veteranis ad solatium pariter et incitamentum eximio novorum militum ardore, et proficiendi studio. Aderant tunc Somaschæ, in numerosa valde familia permulti, non minus eruditionis laude quam generis nobilitate præstantes, sed multo certe, quam terrena gloria, Christianæ humilitatis luce magis conspicui, et virtutum splendore suspiciendi. Quam gratum Superis hominibusque jucundum spectaculum et admiratione plenum fuisse dicemus, in corruptissimis illius ævi temporibus, Patricium Venetum intueri vitæ sanctitate excellentem, rudi tritoque vestitu ac prope rusticano indutum, frequenti cum illustrium virorum comitatu, non modo Divinæ legis imperata toto pectore

*Somaschæ conventum publicum habet,*

*juniorum animos accendit,*

*præit in virtutum exercitio,*

A tore capessere, sed ardua etiam priscæ pietatis studia colere, dura paupertatis incommoda perferre, Crucis Christi probra majore animi ardore prosequi, quam reliqui mortalium perditissimi fluxas voluptates consectentur?

AUCTORE AUGUSTINO TORTURA.

*subditos regit in summa status varietate*

41 In eadem vero familia cum diversa cernerentur ingenia, gradus, ætates, animi dotes, ac nationes; aliorum enim florentem juventutem egregia naturæ dona commendabant; multorum constans ætas exquisitis litteris, et laurea etiam Doctoratus ornabatur; aliorum sine litteris sola vitæ probitas erat in pretio; nonnullorum cana et fere extrema vitæ pars eximia prudentia erat verenda; Sacerdotio permulti erant insigniti, alii non item; tamen cum essent ex tanta varietate permixti, summa tranquillitate concordissime vivebant, et pacatissime regebantur. Quid hic vero operum exercitia et illorum labores exequar? quos satis constat adeo in quotidianis fere agriculturæ operibus pauperum caussa desudare solitos, ut ipsos plane agricolas laborum assiduitate vincerent ac superarent? Verbis autem non satis assequi possem in tanta operum contentione quotidianos novæ familiæ, cum in omni varietate virtutum, tum in caritate erga Deum et proximos, tum in sui despectione et abjectione progressus: siquidem, Hieronymo præsente et urgente, fervebant adeo in dies apud eos virtutum omnium studia, ut in illorum victu et moribus expressa quædam Apostolicæ religionis facies emicare videretur.

*valde concordes,* *diligentes,* *virtutum exercendarum studiosos:* B

*eleemosynas pauperibus distribuit*

42 Cum vero multa interdum eleemosynæ gratia offerrentur, admodum pauca admittebat Hieronymus, cetera pauperibus abunde dispertiens: sive quod abundare, sive quod suis ad meritum et pietatem emendicandi laborem, ultro delatis eleemosynis, præripi nollet; atqui extremæ plerumque eleemosynarum paucitati, cibariorumque omnium penuriæ et caritati, par etiam erat in Dei servis patientiæ vis, patiendi ardor, et pœnitentiæ cupiditas. Censebantur tunc in ea domo capita supra sexaginta, indeque vel ad ordienda nova loca, vel ad cœpta adjuvanda, multiplicemque necessitatis varietatem, pro re nata ab Hieronymo mittebantur; e sanctæ contemplationis sinu ac solitudinis tranquillitate in apertum actionis campum, ac proximorum animæ et corporis commoda procuranda, exire jubebantur.

*suos ad varia loca mittit.*

## CAPUT XI.

### *Novo domicilio in arce Somaschensi constituto, ardentius pietatis studia colit.*

C Cum vero apud multos propagaretur quotidie magis salutaris disciplinæ nomen et fructus, et opimo famaque probitatis plurimis parta documentis, semper novis augeretur virtutum experimentis; complures Somascham ad id pietatis spectaculum, et Christianæ probitatis effigiem oculis contuendam et usu ipso degustandam, non modico itineris intervallo convolabant; alii etiam mirifica virtutum fragrantia illecti, ad hos confluentes, se suaque omnia in eamdem vitæ societatem conferebant; ut Hieronymus ad novi domicilii mutationem animum adjicere fuerit coactus; sive quod domesticorum numerum cum dies ipsa progrediens duplicasset, multis jam capitibus aucta familia ampliores postulabat ædes; sive quod, affluenti multorum concursu, nimium frequentari habitationem cerneret. Ut enim Christiana pietate admittebat eos juvabatque, quoad posset, qui vel ad impetranda apud Deum suffragia accederent, vel ut de rebus divinis illos consulerent, aut Patrum monitis et suavi alloquio aliquod ægrotanti animo levamentum quærerent; ita permolestus illi erat creber admodum et nimium frequens aliorum accessus, qui vel gravi et pia Patrum consuetudine illecti, ad fallendum tempus sæpius ædes frequentabant, vel quadam uti dixi, sanctatis fama permoti, oculos et animum præsenti spectaculo tantum pascere cupiebant: quorum accessum idcirco non admodum probabat, quod singulis pene horis adeo amicam interturbarent sibi et ceteris quietem orationis, vel consueta in alios caritatis officia impedirent. Adde, quod solidæ humilitatis Magister, etsi non mediocrem de Patrum probitate et integritate famam, longe lateque diffusam, ad unius Dei laudem referret: sibi tamen aut aliis vanitatis periculum creari externorum concursu nolebat, quorum aspectus blande admitteretur, et laudantium voces aliquo cum inanis gloriæ periculo exciperentur.

*Somascha* *rerum accidentium colloquiis distractus,* D

44 Quare abrumpenda abjiciendaque omnia dicebat, quorum in voluptate et consuetudine aliquid ad perfectæ vitæ rationem impedimenti resideret, vel periculi timeretur. Per speciem igitur laxandi ædes, utrique incommodo statuit occurrere, et novum domicilium alibi curare, bonamque familiæ partem eo transferre: qua de re sollicitus, oculum primo proximæ arci Somaschæ, totique valli imminenti adjecit. Abest hæc Somascha ad milliare, vel eo amplius, quod totum alto difficilique accessu consumitur, ingenio loci atque natura adeo munita, ut non facta, sed plane nata arx videatur, quæ inexpugnabilis cujusque numeros expleat. Valli enim Adduæque imminentes partes altissima præcipitia tuentur, alia latera invia montium juga muniunt: inde vero missilibus et tormentorum globis petitiones commodissimæ, sive in Adduam, sive in subjectos pagos et villas: sed tunc omni ædificiorum mole diruta, et æquata solo, omnibus pervia apertaque jacebat. Inter ruinas exigui sacelli vestigia Divo Ambrosio dicati visebantur. Opportunus suæ illorumque stationi visus est locus, quod in summo æqua planities late patens, veterisque ædificii signa novis ædibus extruendis sese offerrent. Saxea igitur in arce cellulis e vili rudique materia utcumque dispositis, et sacello in primis Divo Ambrosio veteri Patrono instaurato, brevi rude et impolitum opus, magnis sane Hieronymi et aliorum laboribus, stetit: quando non fabri operæve frequentes accersitæ non pecunia in sumptus erogata, sed opus ipsi per se magna ex parte extare, materiam e silvis suis manibus cædere, humeris convehere, saxa et cæmenta comportare, et qua poterant arte, singula componere, uno Hieronymo fabrilem, lignariam, cæmentariam, et quamcumque usus coegisset, artem non inepte, exercente. Sed cum cetera fere opportunitates ad pauperum commodum suppeterent, una aquæ potabilis copia desiderabatur, ad quam suppeditandam, jubet Hieronymus cisternam sub ipsum sacelli locum altæ admodum profunditatis justæque latitudinis ad aquilegium in saxo excavari. Difficile vero omnino apparebant pluviali aqua duntaxat, e tam angustis ædibus collecta, aut excisæ concavitati, aut degentium necessitati satisfacere. Sed eventu plane admiratione digno, aliunde Divina providentia indigentiæ occurrit abunde: siquidem in ipsam cisternam subita pellucidæ aquæ vis et ad potum apprime gratæ, non quidem pluvio cœlo collectæ, sed occultis terræ venis derivatæ, influxit indeficienti ad hanc usque diem copia.

E *in arce Somaschensi* *tum diruta,* *novum domicilium per suos extruit,* F *et cisternam saxo excavat*

45 Spectabatur jam ædificium rudi vilique schemate absolutum, sed cœlestium virtutum splendore illustre. Eo igitur recepti una cum Hieronymo e Patribus permulti, sanctæ pietatis studia maxime auxere, Sacerdoti quotidie eo in sacello sacris operanti summa cum pietate aderant, longiores ardentioresque in preces sese dabant, tum psalmodiæ et rerum spiritualium inter se collationi sua spatia tribuebant, magna in primis victus austeritate usi: ad corporis enim refectionem, statis horis imbricis sonitu advocati,

*in magna abstinentia degunt,*

A cati, vili agrestique ciborum genere famem, aqua frigida fere sitim mitigabant, enitente in primis aspera Hieronymi abstinentia, qui præter panem et aquam nihil ferme consueverat ad quotidianum victum adhibere. Quod tam difficile jejunium ac pene incredibilem abstinentiam vix aliquando postea remisit : certe aquæ potum numquam omisit, licet magnam initio difficultatem magno cum naturæ fastidio se expertum fateretur, ut hujusmodi potioni dumtaxat delicatum assuesceret stomachum : sed Divina gratia bene juvante, constante ille voluntate assiduoque usu omnem pervicit obluctantis naturæ vim, postremisque vitæ annis frigidam solum ad potum usurpavit.

*potu aqua contentus*

46 Quoniam vero divinæ humanæque caritatis studia perpetuo se invicem excipientium officiorum cursu ita temperare consueverat, ut neque divinum studium ipsum redderet proximorum et pauperum præsertim negligentem ; neque horum cura a perpetuo cum Deo familiaritatis cursu averteret; ad orphanos etiam eo transferendos animum adjecit : quo facilius, post sancta Mariæ otia, ad solita Marthæ ministeria se conferret. Uno igitur arcis fastigio Patrum domicilio occupato, remotiorem venatur pauperibus sedem, quam brevi sibi illisque percommodam est nactus. Qua enim Adduam versus protenditur B arx, non continenti excurrit tractu, sed quasi duas in partes saxea moles distinguitur, justaque spatii intercapedine duæ rupes illæ dissociantur. Sed incultus erat omnino locus dumetis, spinis, virgultisque obsitus; visus tamen Hieronymo ad rem idoneus, quod inter prominentia ingentium rupium saxa, ad domicilium construendum, interjecta appareret satis lata, quam dixi, intercapedinis area. Itaque succidendis extirpandisque arbustis, loco purgando, manus omnium primus admovit Hieronymus, rudera permulta inutilemque materiem suis extulit humeris; tum repurgata area, æquato solo, egesta terra, scrobibusque actis, posita sunt fundamenta, ducti parietes, impositum tandem fastigium; ut eodem, quo antea Hieronymi labore et industria, brevi domuncula pauperibus excipiendis peridonea steterit. Quibuscum fere degebat, consuetis laboribus et exercitiis occupatus, hic eorum morbis medebatur, hic de rebus divinis eos instruebat, hic artium exercitia edoceri curabat : et si quando ad Patres in arcis fastigio sese conferebat, vel Somaschæ degentes invisebat, aut circumjecta loca catechismi institutione lustraret; hilaris ad exiguam illam orphanoC rum vallem tanquam in quietis et orationis portum redibat : ita enim locum appellabant, quod inter summos arcis vertices humiliori depressiorique loco concludatur : estque etiam hodie illi vulgo exiguæ vallis nomen, Vallettam vocant.

*ædes orphanorum construit.*

*portum suæ quietis et orationis appellat*

47 Illud vero omni admiratione dignum non prætermittendum, quod hic accidisse tradiderunt, et qui rem oculis eo tempore usurparunt, et qui ab eisdem certa narratione acceperunt : eo scilicet in loco cum aquæ inopia maxime fuisse Hieronymo obluctandum, quæ ad nullum prorsus suppetebat usum, neque unde colligi, aut hauriri posset, omnino apparebat. Sed admirabilis plane Divinæ bonitatis vis indigentibus affuit, siquidem novo et ad eum diem (quod quidem sciri possit) eo in loco inusitato eventu, ex alta montis rupe ipsoque saxo erumpente aqua, et sensim gutta jugiter perstillante, subjectoque vase collecta, abunde in omnes usus et cibi et potus et ablutionum suppetebat. Ad annos permultos integrum stetit post Hieronymum domicilium, donec et vetustate et assiduis imbribus ruente primum fastigio, dissolutaque contignatione, et parietum ceterorum compage delapsa atque disjecta, nemine penitus reficiente, corruit universum. Sed proximis annis Patris Bartholomæi Brocchi, Somaschensis domus Præpositi, singulari pietate et industria iterum repurgato loco, ducto muro, instauratoque ædificio, cœpit pristina religio longo veluti postliminio veteri suo loco restitui. D

*aqua colligitur ex rupe stillans.*

*ædificium collapsum*

*restauratur,*

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.*



## CAPUT XII.

### *Venetias revertitur.*

Quintus jam annus ferme appetebat a Hieronymi discessu Venetiis, quod totum tempus in Gallia Cisalpina, multis rebus e communi animarum salute Deique gloria præclare gerendis, impenderat : cum Venetæ reversionis, et videndæ patriæ occasionem quædam pietatis opera attulere : quæ jamdiu inchoata parentis opem, qua perficerentur, postulabant. Sed et ipsum visitationis tempus Hieronymi reversionem urgebat : nam piæ institutionis propagandæ consilium ne alicubi in sodalium pectoribus congelaret, vel objectæ difficultates bene cœpta retardarent, certam anni partem locorum visitationi destinarat, quam pedes semper obibat. Cum igitur modo ex Insubriæ locis rediret, alia etiam in Veneta ditione posita aliquando revisere statuit : licet enim domus illas periti et integri moderarentur administri, ad universa tamen amolienda quæ suborirentur incom- E moda, ejus præsentia permagni erat momenti : quin etiam extra ipsum tempus visitationis si quid uspiam privati negotii accidisset, in quo præsens ipse utilem operam præstare posset, eo subinde accitus impigre se conferebat. Quare locum etiam ceteris antiquiorem ex longo annorum intervallo revisurus, in viam se dat.

*Visitat domicilia a se extructa*

49 Venetias ut appulit, quam ingenti animorum gaudio, et quam multis officiorum obsequiis sit exceptus, quippe jam sanctitatis fama et multorum operum gloria inclytus, silentio facilius, quam oratione consequi possum : sed non minori forte lætitia et ipse perfusus ex ejus loci inspectione, qui veluti primus laborum suorum fructus et industriæ fœtus ei maxime semper cordi fuit : quo in loco tam affinium quam amicorum omnium nobili hospitio constanter recusato, veteri sua consuetudine inter Christi pauperes esse voluit, ubi omnia vidit summa cum voluptate meliora esse facta, familiam inprimis, quam ipse abiens reliquerat, multo majorem, accessione videlicet tum puerorum tum operarum non exigua. Ibi aggressus universa de more recognoscere, colloquium cum unoquoque instituebat : de animæ corporisque rebus edoceri, de totius familiæ F regimine commonefieri volebat ; idque singillatim et remotis arbitris, quo liberior omnibus animi sensa depromendi facultas esset : quæ dicerentur, attente et diligenter excipiebat ; metu vel verecundia, inter loquendum forte hæsitanti, oris et vultus hilaritas, tum blanda subinde interpellatio animos ad dicendum addebat. Si quid vero vel ad communem familiæ gubernationem, vel ad privata cujusquam commoda, sua opera procurandum aut constituendum erat, id totum prudenter et opportune præstabat : nec fere quisquam erat tristi contractoque animo ad Hieronymum accedens, qui depulso mœrore disjectaque tristitiæ nebula, hilaris et lætus ab ejus colloquio non rediret.

*Venetiis magno cum gaudio excipitur :*

*rationem a singulis exigit,*

*omnes exhilarat :*

50 Sed cum domi rebus omnibus prudentia et diligentia pari prospiceret, foris etiam non tenui elaborabat proventu : frequentissimi ad hominem confluebant, sed magno etiam animorum commodo reportato discedebant : adeo enim uberes cœlestis disciplinæ rivos in omnes derivabat, ut salutaribus monitis et rerum cœlestium ardore complerentur universi. Unum inter cetera sunt Veneti eo tempore in Hieronymo admirati, quod miseram scilicet per-

*externos ad virtutem excitat,*

A ditorum hominum vicem tam acerbo animi sensu indoleret; ut nullam capere quietem, nullo frui commodo posset, donec ab exitiali animæ sopore et longo scelerum veterno sopitos excitasset, et letali noxæ facta medicina, ab inveteratis abstractos flagitiis, ad sanitatem traduxisset: id vero tanto cum animi ardore, et in perditissimos quosque paterno benevolentiæ et caritatis affectu procurabat; ut id unum omnibus maxime esset admirationi, vere tum illud oculis cernentibus, quod S. Gregorius aiebat: Qui a vera justitia compassionem habet. Quam magno successu, quanto animarum proventu, in hoc opere laborarit, piget hic fusius referre, cum in promptu sit conjectura assequi, si modo Hieronymum satis hucusque novimus.

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.

*a peccatis alios abstrahit*

51 Abeunte jam anno discessit, duoque maxime hominis profectionem nobilem reddiderunt atque illustrem; alterum adventantis suæ mortis vaticinatio, alterum communis omnium fletus et ingens mœror: amico enim illi suo perfamiliari, cujus supra meminimus, ejusque postea Vitæ scriptori, et aliis, jam digrediens aperte significavit, suam ex hac vita migrationem, non multo post hunc Venetiis discessum, subsecuturam: proinde ita valerent, B veluti Hieronymum non amplius in hac vita revisuri. Nec vana cecidit denunciatio: vix enim elapso anno, Somaschæ obiit Hieronymus. Tam ingens vero omnium fletus abeuntem est prosecutus, ut occumbentem verius, quam discedentem flere viderentur, meritoque illud hoc loco usurpare nobis liceat: Magnus autem fletus factus est omnium: dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri: et deducebant eum ad navem.

*discedit magno luctu aliorum,*

lib. 2 cap. 5

*mortem imminentem prædicit.*

Act. 20

## CAPUT XIII.

### *Venetiis rediens, mira abstinentiæ documenta edit in itinere.*

Quæ in præsens et proximum sequens caput rejicimus, scio ab aliis tanquam ab Hieronymo gesta, cum primum Venetiis discessit, sexto ab hinc anno recenseri. Sed graviter turbato sine dubio temporum ordine et historiæ veritate, ut ea fidem faciunt, quæ Pater Evangelista Auratus, olim Præpositus noster Generalis, plane sanctæ memoriæ vir, a Stephano Bertazolo Salodiensi Sacerdote accepta, litteris consignavit, qui una cum multis aliis hoc tempore fuit C Hieronymi in itinere comes, et rerum tunc gestarum inspector. Hic de Hieronymi rebus a Patre Evangelista aliquando Salodii interrogatus, hæc, quæ dicemus, aliaque plura testis oculatus apud eum deposuit, singula scripto excipiente Patre Aurato, quod adhuc apud nos sua manu exaratum asservatur, ut nulla prorsus mendacii suspicio penes eos residere possit, quibus eximia tanti Patris integritas est nota, et Stephani item optimi Sacerdotis commendata morum probitas. Ita igitur se res habuit. Cum Verona Salodium discedens vix ad Martinianos campos pervenisset, in nobilem plane comitatum incidit; Divina scilicet providentia illustrium virtutum exemplis testes submittente. Salodio enim Veronam Stephanus Bertazolus Salodiensis Sacerdos, Bartholomæus et Joannes Baptista Scaini fratres paullo ante advenerant, ut veterem amicum Joannem Petrum Caraffam, tum apud Matthæum Gibertum Antistitem Veronensem commorantem, Romamque statim discessurum, officii caussa consalutarent, et nescio quid negotii cum eo transigerent, quo mutuæ benevolentiæ officio persoluto, Salodiensem patriam repetebant. Hos igitur comites casu nactus Hieronymus, pedes subsequebatur equitantes. Sed illi, cum vacuos etiam adducerent equos, jubent unum Hieronymo admoveri, enixeque rogant, ut conscen- D dat: verum ille gratiis actis, et collaudata comitum humanitate, eo beneficio uti noluit: cumque precibus ardentius urgeretur, adduci non potuit, ut annueret.

*Veronam transit*

*equum oblatum recusat*

53 Pischeriam ut ventum est, Cenomanorum oppidum opere, munitione et amœnitate conspicuum, ad Mincii caput inter duas nobilissimas urbes Mantuam et Veronam, aliquamdiu subsistunt, sive loci amœnitate illecti, sive itineris fatigatione coacti, et data quiete corporibus, mensam sterni jubent, quæ laute admodum instruitur pretiosioribus piscibus e vicino lacu Benaco allatis: ad septemtrionem enim Mincio, ad meridiem continenti, ad occidentem autem solem Pischeria Benaco jungitur, orientem arx nobilissima spectat. Vescebantur alii lautioribus cibis satis naturæ et appetitui indulgentes, Hieronymus in eadem mensa solo pane et aqua contentus, nullis convivarum officiis, nullis ciborum vel gulæ irritamentis perpelli potuit, ut quidquam aliud ad esum admitteret. Cui cum postremo Stephanus illud tam vulgo protritum quasi per jocum objiceret, Omnis repletio mala, panis autem pessima; arridens Hieronymus, utique verum esse dictum respondit in iis, qui plus æquo eo cibo se replerent. Quod certe ab eo longe aberat, qui ne in cibario quidem pane, E quidquam de strictis temperantiæ legibus remitteret. A prandio iter repetentes, Salodium perveniunt: apud Bartholomæum invitatus divertit Hieronymus.

*Pischeriæ,*

*relictis lautioribus cibis,*

*pane et aqua modice victitat,*

*Salodium venit.*

## CAPUT XIV.

### *Acta ejus Salodii et Brixiæ.*

Non amplius quam tres dies Salodii commoratus est, sed non sine magno cum animorum fructu illustriumque virtutum exemplo, e quibus duo insigniora, quæ ibidem accidisse referuntur, subjiciam. Convenerant sequenti die apud Bartholomæum Scainum reliqui pridiani itineris comites ad prandium vocati: ille quo amicius novos hospites exciperet, satis copiosam et lautam instruxerat mensam. Cumque jam accubuissent, et vix primis gustatis epulis, subinde lautiores inferrentur; Hieronymus ita commotus est, ut in lacrymas effusus, eductis ab imo pectore suspiriis, cœperit seipsum gravissime reprehendere, ac de præsentis mensæ lautitia graviter accusare; idque tanto doloris sensu et ardore verborum, ut aliorum etiam lacrymas exciverit ubertim, qui Hieronymi temperantia vehementer permoti, et ipsi dapibus rejectis, nec dissimulare internum animi sensum, nec coercere erumpentem fletum potuerunt. F Res certe fuit tam admiranda, quam insolita. Hieronymus enim victus licet parcissimus, et abstinentiæ perstudiosus, interdum tamen nobilium et potentium Christi exemplo convivia non aspernabatur: ut per eam occasionem, quando ceteræ deessent, viam sibi, ad instillandum eis aliquid de suo spiritu virtuteque, muniret, et se comem blandumque omnibus præbendo, omnes Christo lucrifaceret. Et ante quidem apud alios victitans, appositis ex ejusdem Christi doctrina cibis uti consueverat: ut permirum fuerit, eo die apud Scainum a lacrymis sibi temperare non potuisse; quin adeo graviter in abstinentiæ leges peccasse sibi visum, ut remotis dapibus, hospitalis mensæ lautitiam, triduano jejunio pane et aqua traducto, vindicaret. Præbuit ea res gratum et salutare spectaculum omnibus Hieronymi abstinentiam et religionem admirantibus.

*Apposita lautiore mensa lacrymatur,*

*triduo pane et aqua contentus*

55 Sed interim, qui cibi et gulæ blandimentis capi non potuit, amœnitate loci et jucunditate plus nimio fere captus est; solitudinis enim cupidissimo arrisit quam maxime tum Salodiensis patriæ, tum Benacensis oræ amœna jucunditas, quam haud ingratam arbitror,

*delectatur lacu Benaco,*

A arbitror, legenti, futuram, si subjiciatur. Benacus celebris est tota Italia lacus, cujus longitudo ab occasu brumali ad aquilonem triginta passuum millia excurrit, latitudo admodum minor. *amæno ob fluvios influentes,* Cælebs non degit, Sarcbæ et Ponalis fluviorum dignatus connubia; a septemtrione Sarcbam, a Borea Ponalim bibit : hic e valle Leudri per avia et abrupta montium in lacum demittitur; ille vero e Nambino monte exortus, perpetuo et sonoro fluminis amne subjectam Randenam vallem scindit et irrigat, donec in Benacum evolvatur. Nec sterile conjugium, nam qua ad meridiem vergit Benacus, Pischeriamque interluit, nobilissimam sobolem Mincium flumen latissimo gurgite ex se fundit, Pischeria ipsa suo in sinu parienti Benaco obstetricis vices persolvente. Permirum autem est, quam multis magnisque hinc inde torrentibus ambiatur, qui ad exiguæ adhuc prolis incrementa novumque fœtum alendum blande nutricis munia subeuntes, veluti turgidis papillis mammisque perpetuo tumescentibus, novos latices uberi vena fundunt. Cassanus e monte Baldo tanta aquarum copia diffluit, ut fluvii nomen apud aliquos invenerit, fereque pares recensentur, qui eadem ex parte prope Brenzonios et Malsesinenses perenni aquarum fluxu e montibus
B ruunt : nec inferioris notæ altera ex parte Barbaranes, Bornicus, Brasa, ceterique, qui montes præcipiti cursu et sinuosis flexibus intersecantes in lacum influunt. Altissimæ profunditatis Benacus in medio esse dicitur : reliqua aqua ita perspicua apparet, ut in imo alveo minima quæque pellucide admodum et distincte conspici possint. Sed ut facili amœnaque navigatione transmittitur, dum nullo agitatur vento; ita violentus et minax, ubi vel tenui tempestate turbari cœpit. *Pl. lib. 32. cap. 11. abundante carpionibus;* Optimorum piscium feracissimus, inter quos Cyprini, carpiones vocant, omnium consensu principes habentur : illustrium conviviorum exquisitissima ganea, eruunturque hi solum ex profundis aquarum sinibus, non minori piscantium labore, quam discrimine, cum improvisa, ac subita tempestate lacus concitus, terribili furentique assurgat et intumescat fluctu. Placet hic, quæ de carpionum piscatione Poeta non ignobilis cecinit, adscribere :

*Jodocus Berganus in Bena. lib 4*

Nec carpio captu
Est facilis, non esca tibi, non farra paranda :
Retibus extrahitur tantum. Sint retia curæ,
Hæc bis centenas longa extendantur in ulnas.

Et rursus non multo post hæc eadem subjicit.

Nam Carpio sæpe pererrat
C In his centenos (abtrusa cubilia) passus.

Nec absimilia sunt, quæ in eamdem sententiam in eodem libro repetit.

Nec vero loca, cuncta lacus sunt commoda votis,
Nate, tuis, vada cum semper mediocria temnat
Carpio, et occulti subeat stabula alta profundi.
Ergo vadis spretis, altum pete.

56 Sed hæc satis. Benaci ripas inspiciamus in quibus hinc inde ab utraque parte amœnissima loca et cultissima oliveta spectantur, quibus horti passim *et ripas consitis arboribus,* interjecti sunt, odoriferis consiti arboribus Citris, Medicis, Massilicis, Linus, aliisque fragrantiam et odorem reddentibus, felicique proventu hæ omnes *junctis fontibus,* arbores ibi propagantur et adolescunt : nec desunt personantes rivi et obstrepentes gelidissimæ fontium perennitates : inde enim Frigello frigidissimo fonti, nomen factum aiunt Est in ipso lacu ad meridiem brevi tractu et sublicio ponte a terra discretus Sirmio, Catulli Poetæ elegantissimi et natalibus et carminibus celebris vicus; cujus situ *et variis pagis atque oppidis,* nihil amœnius, et ad vasta lacus assurgentiumque montium spatia longe lateque despectanda commodius : ubi miræ antiquitatis nobilissima vestigia cernuntur aquæductus, et antra fornicato opere et concamerato amplissima. Non in frequentibus vero oppidis ac vicis Benacensis ora habitatur; licet enim ad D Boream montes assurgant asperrimi, qui lacum ab *AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.* omni fere parte circumambiunt, eorum tamen imi colles ac omnis radicum ambitus per oppida, et vicos frequens incolitur; ad eam enim partem inflexo navigationis cursu, in conspectu sunt Madernum, Tusculanum, Fasanum, Gardonum, Portesium, Boiacum, Gargnæum, Limon. Nec ulla forte illustrior Benaci corona ea nobili pagorum serie et aspectu. Oram illam, quæ Veronensem agrum spectat, Lagisium, Bardolinum, Garda, Brenzonum, Malsesenum non ignobiles pagi cingunt. Brixiensi vero objacent Rivoltella, Desentianum, Minervium, Felicianum, Monigum. Nec reticendus inter ceteros humilior vicus Nacus, unde Benaco nomen factum plerique arbitrantur, ex ea parte, qua montem Baldum recta prospectat, intra colles montesque ad milliare et eo amplius excurrit Benacus, lateque exspatiatur. Ingredienti sinum, dextero in latere sese objicit Salodium egregio situ et peramœno, licet angusto : profundo enim admodum lacu una ex parte alluitur, et montium radicibus ex altera, ad lacus fere ripam excurrentibus premitur, ne adeo late ubique expatietur. *potissimum Salodio artificiose extructo :* Ceterum qua montibus commissum, qua lacu coercitum, oblongam in figuram se explicat, nobilemque et satis amplam incolis præbet habitationem. E Quæ pars Benaco imminet, multiplici contignatione ad liberum aquæ montiumque aspectum extollitur, podiis elegantibus, pictura, aut opere albario exornata, ut accedentium oculos non injucunde excipiat. Veneto magistratui celeberrimo oppidi loco stat amplum et illustre prætorium, additis ad prospectum pergulis, ac menianis commodisque ambulationibus, quas oblectationis causa pererret prætor. Octo et eo amplius animarum millibus oppidum frequentari dicitur, civili sane et perhonesto hominum genere, cumque aliarum rerum, tum eruditionis ingeniique gloria omnino nobili : et inter cetera Benacensis oræ oppida merito ea patria princeps.

57 Hieronymus igitur, (ut paullum egressus ad *habitationem istic electurus,* eum me referam) loci naturam diligenter contemplatus, statim solitudinis amœnitate pellectus, avidissime se in silvas et sanctæ otia solitudinis rapi sentit, eumque sibi ad remotum aliquem recessum parandum, aptissimum judicat; quando montes frequentem hominum accessum arcerent, subjecta vero loca et ad stipem colligendam, et ad divinæ sapientiæ semina jacienda, proximosque subinde juvandos, maxime commoda essent. Itaque actuosæ vitæ labo- F res cum solitaria quiete, illius pericula et ærumnas, quas jamdiu expertus erat, cum hujus securitate et gaudio commutare d liberat : seque jam ultimæ laborum metæ, ut animo præsagiebat, vicinum, solito ardentius contemplationi et solitudini impensius tradere omnino decernit : neque inde ad socios, vel invisendos vel adjuvandos, pro re nata nisi evocatos, et raro admodum exire. Adhibitis etiam comitibus et amicis, tutus est quæsitus per eos dies contemplationi recessus; sed Deo utique aliter statuente, nihil unquam occurrit, quod Hieronymo satisfaceret. *in oratione impeditur :* Difficilem rei eventum tertio die diligentius ille cum Domino in oratione expendens, statim rem illam minus Deo gratam interiori lumine est admonitus.

58 Quare blandientis sensus deceptione, propriæque voluntatis et privati commodi appetitu *Brixiam abit,* deprehenso, proxima statim luce, veluti insanientem sensum correcturus, Salodio ad Brixienses Cenomanos discessit. Amicis vero illis adeo pia Hieronymi memoria pectori semper hæsit; ut illi perpetuo addictissimi vixerint. Scaini certe nullum unquam in Hieronymum ejusque alumnos humanitatis et benevolentiæ officium prætermisere : cujus rei fidem omnino faciunt Hieronymi litteræ familiares ad eos datæ,

quæ

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA

*Bertazolo ad pietatem traducto :*

A quæ adhuc apud nos leguntur. Bertazolus autem vel brevi Hieronymi consuetudine et usu vita est ad pietatem traductus, ut excellentis admodum probitatis et integerrimi Sacerdotis exempla reliquerit : opulentum enim Sacerdotium (duorum millium aureorum dicitur fuisse) sponte dimisit, paterno censu contentus : in majori Ecclesia Salodiensi pœnitentibus operam dedit assiduam : ibidem quotidie, non sine magno pietatis sensu et lacrymis, liturgiam fecit, et sacram synaxim multis per Confessionem expiatis, impertivit : denique ætatem omnem ad extremam usque senectutem assiduis pietatis officiis et laboribus traduxit. Brixiam vero Hieronymum per id tempus

*conventu Brixiæ habito,*

evocabat etiam communis sociorum conventus, quem hoc anno pridie Nonas Junii ibi habitum, cum sexdecim eo loco convenissent vel familiarum præfecti, vel alii primæ notæ Patres, vetera autographa ipsius

*Somascham redit.*

Hieronymi manu annotata docent. His rebus Salodii Brixiæque peractis, Somascham contendit.

## CAPUT XV.

### *Remotioris solitudinis desiderio incensus, novam sedem in arce sibi constituit.*

B Somaschensi suæ solitudini atque adeo sibi ipsi restitutus, et externarum curarum tumultu tantisper vacuus, ad vitæ suæ rationes diligentius explorandas,

*Scrupulis angitur,*

seque ipsum ad unguem usque excutiendum de more convertit. Atqui sedulo sanctæ huic disquisitioni vacanti scrupulus hic unus, ac veluti aculeus injectus est, quo cœpit vehementer sollicitari et angi, quod scilicet per tot annos Christi vestigiis insistens, tamen remisse nimis ac frigide mentem ad ejus cœlestem disciplinam applicuisse videretur. Quæ una co-

*ob remissius curatum Dei cultum :*

gitatio cum hominis animum, et salutis obtinendæ et Divinæ gloriæ augendæ cupidissimum, dies noctesque sollicitum vehementissime haberet, de majori etiam spiritualis vitæ profectu severiorisque pœnitentiæ studio cogitare cœpit : quippe in Dei via cum ceteris exemplo et admiratione pariter esset, sibi

*appetit solitudinem.*

tamen uni numquam satisfaciebat. Inter hos autem animi motus rursus igniculus ille solitudinis Salodii excitatus, adeo solito vehementior revixit, ardentiorique flamma erupit; ut ipsam eremi solitudinem, ceu Paradisum, tota mentis aviditate singulis horis inflammaretur Hieronymus, et plane irrequieto animi motu deferretur; quo scilicet rerum cœlestium contemplationi liberius vacare suoque uni

C Christo, ab aliis rebus omnibus plane alienus, et ab interpellatoribus vacuus, adhærere posset. Ad colligendam enim mentem, proximorum institutione et congressu distractam, salutare admodum experiebatur per aliquot tempus aliorum vitare frequentiam. Itaque diligentissime per aliquot dies remotior adhuc quæritur pœnitentiæ et contemplationi secessus, sed nihil ad rem occurrebat.

*in profunda latebra*

60 In arce autem ipsa, quod tota fronte Somascham vallemque spectat, profunda apparet latebra, sed adeo prærupto et confragoso situ, ut hominum judicio inaccessus videretur locus : hanc eminus visam, sibique opportunam ratus, cominus etiam lustrandam statuit; sed nulli aditus, semitæ nullæ ad latebram apparebant, omnia dumis horrida, densis vepribus obsepta, et præcipiti loco adeo impedita, ut ferro et lacertis essent enata virgulta excindenda, manibusque ramusculi et frutices ad progrediendum hinc inde carpendi. Igitur cum omni difficultate acerrime obluctatus, illuc tandem adrepens pervenit, locumque attente contemplatus, ibi suæ solitudinis

*cellulam extruit solus,*

remotissimique recessus sedem legit, cellulam et oratorium extruere, totumque opus suis manibus absolvere constituit : nec interjecta mora, quod animo proposuerat, opere complere aggreditur. Res ipsa

fidem omnino excedere videatur, si cui loci natura D nota sit, ut, quo sine ullo onere vix validissimus adrepere posset, eo tamen bene onustus accederet Hieronymus. Conciderant in tanta vitæ asperitate, laborum defatigatione, et corporis conflictu, jam pene vires, et vividum illud firmæ constitutionis robur prorsus elanguerat, sed cœlesti virtute naturæ imbecillitatem superante, firmus et erectus animus, attritum jejuniis corpus ac debile, lapidum, ligno-

*humeris apportata materia :*

rum, sabuli, aliarumque rerum oneribus supponere non verebatur, suis ille humeris materiam convehebat, suis aptabat manibus, et quidem ex infima Adduæ ripa ad eam usque summitatem sabulo deportato. Non deerant e Somaschensibus, qui hominem onustum et tam difficili opere implicitum intuentes, ultro seipsos, ad materiam comportandam, opusque absolvendum perbenigne offerrent, quibus ille comiter actis gratiis, ita respondebat : Quando in cœlo meriti præmium solum in terris laboranti responderet, perinde esse, sibi laborem detrahere, ac cœleste præmium imminuere; quod nulla ratione factum vellet.

*lætus fruitur solitario loco,*

61 Absolutum tandem opus mirifice Hieronymum exhilaravit, quod nihil aut ad sanctæ solitudinis otia E commodius, aut ad aspectum amœnius desiderari posset. Difficili enim ac pene impervio accessu ab hominum congressu remota solitudo molestos cœlestis contemplationis interpellatores repellebat; edito vero et patenti loco sita, subjectum vallis tractum, et anfractus, flexuosasque omnium locorum excursiones, et vicorum intervalla, tum lata Adduæ spatia sese in lacum diffundentis, ita intuentibus objiciebat, ut tam vario et eleganti rerum aspectu oculorum acies quantumlibet fatigata, maxime recrearetur. Tam abditus recessus eremi nomen ad hæc usque tempora loco facit. Ex area domunculæ orphanorum ad eremum suam sibi ille viam perfoderat et aperuerat : nec enim admodum longo tractu ab eo domicilio distabat; quo ceteris solutus curis, tanta cum alacritate et celeritate se proripiebat, ut ad suos illum Elysios properare dixisses; ubi solutus curis humanis, majori cum jucunditate, quoad liceret, delitescebat, quam si totius orbis delicias, angusto secum in eo terræ foramine clausisset. Eo autem recessu sanctæ contemplationis pœnitentiæque studium maxime est auctum : ibi breviores quam antea somnos, sæva hyeme et cœlo obrigente, de nudo solo carpere, corpus arctiori inedia castigare, perenni lacrymarum fonte manante, superioris vitæ F sordes animæque maculas abluere, asperiori verbe-

*multus in pœnitentiis,*

rum flagellatione patrata in Deum scelera dignis pœnitentiæ fructibus emendare : cœlestium autem et æternorum meditationi intentus, adeo in eorum suavitate conquiescere, dulcique in somno divinæ contemplationis consopiri, ut jam Paradisi deliciis interesse, Deoque ipso se totum, quam maxime posset, explere videretur.

*assiduus in oratione,*

62 Prodebat se tunc maxime assiduum hoc orandi studium et arctior, quam antea, cum Deo consuetudo, cum ex umbratili illo solitudinis recessu in solem ac pulverem, ad ceteros juvandos et instruendos, suo tempore evolaret. Quam enim totus Deo plenus, quam cœlestibus auctus muneribus e cæco

*magno ardore excitat alios,*

illo montis latibulo prodibat! Si ad Dei amorem aut alia erant socii cohortatione inflammandi, id ille præstabat tanto pietatis ardore, ut spiritali illo igne, quo pectus fervebat dicentis, conflagrarent propemodum universi, et urenti illa voce, quantumvis frigidus incenderetur auditor, possetque expertus Domino dicere, Ignitum eloquium tuum vehementer : abunde scilicet eructante Hieronymo, quod propinante divino Spiritu, in sancta quiete biberat, et totus divino amore fervens, alios facile incendebat. Si

quæ

A quæ vero caritatis obeunda ministeria, ea sibi Hieronymus tam novo et inusitato fervore, tanta cum significatione insolitæ curæ virtutis deposcebat et exequebatur, ut ad pristinas ejus virtutes, (quas tamquam numeris omnibus absolutas ceteri antea admirabantur) tanta appareret, hac assidua schola solitudinis, et precandi studio, et ardenti divinorum commentatione, facta accessio, ac si tirocinium quoddam et rudimentum superior vita fuisset : ita ille e continua Dei consuetudine redibat, quotidie cœlesti virtute auctior et seipso major.

*mortem præsentit brevi adfore.*

63 Ceterum in supremos labentis vitæ menses dilata quies haud diu permisit Hieronymum solitudinis otio frui; siquidem non multo post tum ex ejus prædictione, tum subito rei eventu intellectum est, illam Hieronymum remotam sibi curasse eremi solitudinem, non tam sanctæ voluptatis conciliatricem quam proximi funeris apparatum, nec magis suæ quietis ac tranquillitatis sedem, quam instantis ultimi discessus scholam : in qua scilicet extremum hujus humanæ fabulæ actum, quem jam appetere occulta quadam præsensionis vi intelligebat, adornaret, et solus cum solo Deo res suas antea transigeret. Quam certo autem vicinum suum præsagiret B obitum, illud inter cetera argumento est; quod cum per eos dies a Joanne Petro Caraffa jam Cardinali, qui se totum, ut antea dixi, permiserat, litteras accepisset, quibus Romam perbenigne invitabatur, ut ea in Urbe aliisque Pontificiæ ditionis civitatibus eadem caritatis officia exequeretur, suoque exemplo multos ad eamdem pietatem excitaret (nullum enim adhuc Romæ institutum erat orphanorum domicilium, nullum puellarum) ille quadam die communi oratione cum aliis persoluta, ita de Cardinalis Caraffæ voluntate ad eos retulit, ut diceret se eodem tempore diversis plane locis a duobus accersiri, Romam quidem a Caraffa, a Domino autem in Cœlum; tum adjecit, se cœleste iter, Romano haud dubie brevi præferetur : quod ab eo dictum non sine certa futuri eventus præsensione, non multo post res ipsa comprobavit. Loco vero solitudinis et eremi mansit postea semper religio et reverentia; et adhuc magna ex parte dirutus quamdam tamen pietatem ac sanctitatem redolere videtur.

*invitatus a Card. Caraffa Romam.*

*cœleste iter præfert.*

## CAPUT XVI

### *Ejus infirmitas et obitus.*

C Hieronymi de sua morte prædictionem haud tardus excepit eventus; siquidem gravissimo, et eo tempore populari morbo correptus, non multo post interiit. Adventantis autem vitæ finis haud dubia præcessere indicia; missis enim in præsenti frequentibus et apertis prædictionibus, certe in asperiore illa postremo suscepta vitæ ratione, et plus solito pœnitentiæ rigore aucto, nemo non intelligebat, incitatiorem in virtutis cursu motum non multum a fine distare. Tum vero illorum temporum misera calamitas, hominis animum præ ceteris vexabat, quod Catholicam religionem novorum dogmatum peste, et iniquorum seditionibus agitatam, vehementer in fide ipsa tuenda, quæ totius est Christianæ religionis firmamentum, laborantem cerneret. Quare afflictam ejus seculi conditionem, et rerum humanarum inconstantiam et vanitatem maxime pertæsus, sordescentibus jam terris, ad suprema elatus, caduca omnia aversari, communem lucem refugere, hominum consuetudinem devitare, cœlestia dumtaxat inter vota precesque anhelare, solum Deum inter gemitus et suspiria quærere, et eodem plane cum Paulo spiritu cupere dissolvi et esse cum Christo. Neque diu fidelis servi vota tentationum certaminibus, et pœnitentiæ laboribus satis fatigati distulit Divina bonitas, sed felici plane genere mortis, quasi emerito D militi morem gerens, ut primis ultima responderent, ex caritate in proximos, qua tota vita maxime exarserat, mortis gloriosæ caussam illi præbuit, quo Christum pro humano genere morientem etiam supremo interitu imitaretur.

*Hæresi invalescente.*

*pertæsus vitæ longioris.*

*aspirat ad Christum*

*Phil. 1. 23*

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.

65 Horribili siquidem inguinaria lue Bergomensem ditionem fœdum in modum late depopulante, Hieronymus, qui nullis in ægrotos et misere jacentes officiis abstinebat, facile in pestilentem morbum prolapsus est. Ignotum plane medicis id morbi genus erat, cujus vis et pertinacia omnem eorum eludebat operam et industriam, et eo ipso die, quo de ægritudine illi judicium ferre solent (criticum ideo appellant) de ægri interitu morbus sententiam ferebat; quare quarto, aut ad summum septimo die sæviente tabe absumebantur universi. Eo igitur morbo acerbe correptus, brevi se moriturum, quod summum erat in votis, certissime præsensit : cumque vicinitas exitus ejus desiderium augeret, ad eum sese totum ex Christiana pietate comparare non distulit; intendenteque se morbo, cum, qui medicam manum admoveret, nullus fere eo in loco esset, abjecta jam omni spe vitæ, ad Divinam implorandam opem se convertit; sacerdotem pœnitentiæ Sacramenti ministrum, et suæ conscientiæ moderatorem E accersivit, confessioneque plena doloris, plena pietatis, criminibus quam accuratissime expiatis, sacratissimum Christi Domini Corpus Viatici nomine, et quæ moris sunt Sacramenta (extrema migrantis animæ solatia) quasi non multo post in cœlestes illas oras migraturus, magna cum animi demissione et humilitate postulavit, ac majore accepit. Ita dominicis præmunitus Sacramentis, supremam operiebatur horam.

*inguinaria lue correptus.*

*extremis munitur sacramentis*

66 Pestifer morbus Æmilianum invaserat pridie Nonas Februarii ipso Sexagesimæ Dominicæ die, quorum tres integros acerbe luctatus, quarto languore vehementer ingravescente, viribus omnino destitutus, mortem jam imminentem intellexit : cujus appulsu non modo non est territus, sed astantes etiam in lacrymas effusos, brevi planeque cœlesti alloquio, deficiente pene spiritu, est hortatus : ut Salvatoris nostri Crucifixi vestigiis prorsus insisterent, terrena despicerent universa, derelictorum pauperum curam susciperent accuratissimam, omnes inter se inviolabili mutui amoris vinculo nexi viverent : ad hæc omnia vero caritate in primis in Deum F arderent, cujus beneficio anima indissolubili nexu, suo sociata Creatori, a terrenis omnibus quam longissime divellitur. Se quidem sperare (quæ Dei misericordia est) plus illis in futura, quam præsenti vita profuturum. Ita solatos ac instructos dimisit, cum vox et vita pariter eum deficeret. Inde manibus, oculis, totoque corporis habitu insita pietate ad cœlum erectis, Jesu et Mariæ sanctissima nomina subinde ingeminans, sui ad ultimum compos, leniter occlusis oculis, quieto et tranquillo vultu, inter psallentium et lacrymantium choros, media jam nocte exacta, repetenti Deo spiritum reddidit Æmilianus. Ejus migratio sexto Idus Februarii annotanda, quem diem sanctus etiam Æmilianus in Armenia minori, egregio martyrio illustravit. Obiit diem suum anno trigesimo septimo supra millesimum quingentesimum humanæ salutis, ætatis vero suæ sexto et quinquagesimo abeunte, vigesimo quinto a sua ad Deum conversione, sexto jam exacto a prima sua Venetiis discessione, et duodecimo a depositione togæ, novi rudisque habitus, et asperioris sanctiorisque vitæ institutione. Quod de mense, et illius obitus die a nobis dicitur, non me latet aliorum sententiæ et receptæ hucusque opinioni valde adversari; sed certe veritatis a nobis proditæ probationes etiam luce

*hortabundus adstantes adhortatur*

*inter sancta vota moritur 8 Februarii, anno 1537, ætatis 56.*

A luce meridiana clariores, si desiderentur, afferemus primo capite sequentis libri. Obiit Somaschæ in Ondæorum domo, atque in ea solitudine, quam vivens præ ceteris locis mirifice coluit : neque dubitandum, quin præcipua quadam caritate eum Hieronymus locum e cœlo respiciat, quem in vita adeo dilexit. In ecclesia S. Bartholomæi ibidem sepulturæ mandatur, vir cum virtutum omnium exemplis, tum excellenti in Deum et proximos caritate admodum illustris, et terrenarum rerum suique ipsius contemptu plane eximius et singularis.

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

*sepelitur in templo S. Bartholomæi.*

# LIBER QUARTUS.

## CAPUT I.

### *Plurium testimonio Hieronymi probitas commendatur.*

Firmam illam et constantem integerrimæ probitatis atque adeo sanctimoniæ opinionem, qua adhuc in humanis apud omnes floruit Hieronymus, subsecuta mors vehementer confirmavit et auxit : quam non dictis, sed scriptis etiam quam plurimi testatam esse voluerunt. E multis ego pauca seligam. Joannes Baptista Guilbermius Juris utriusque Doctor, et B Feltrensis Ecclesiæ Canonicus, Episcopo Bergomensi, vivo Hieronymo, Vicariam operam præstabat. Is illius virtutum spectator et admirator sæpius fuerat : accepto igitur de ejus morte tristi nuncio ita ad amicum de eo scribit : referam autem ejus epistolæ partem, integra fide Latinitati donatam.

*Vitæ Hieronymo sanctitatem confirmat Guilbermius Episcopi Bergomensis Vicarius,*

2 Certissimis te nunciis Hieronymi Æmiliani strenuissimi in Christiana militia Ducis obitum accepisse non dubito, et duorum e sociis hujus præfecturæ, qui suum obiere diem. Eventum morbi et mortis casum describere si tentem, vereor, ne pietate ac intimo cordis dolore perculsus nimium commoveare. Ceterum divinæ felicitatis sortem certa spe (tanta erat illius in Christo confidentia) devoraverat animo; ut ipso cœli cardines manibus contrectare videretur. frequentibus adhortationibus suos sæpe compellabat, hilari serenaque fronte et ridenti oris aspectu, ut quemque suavissima Christi caritate incenderet. Certum sui obitus diem sic animo præsagibat, ut nihil minus illi de proxima morte constaret, quam mihi me in præsentiarum has ad te litteras exarare. Subduxisse ad calculum rationes suas, et cum Christo Domino pactum iniisse dictitabat. Patriæ Venetiarum nulla mentio, de parentibus sermo C nullus, frequentissima solum de Christi imitatione oratio. Adventante solenni Servatoris nostri Nativitate, hinc discesserat, sed primo me convenit, ad pedes provolutus fidem Christi commendavit, supplex erratorum veniam petiit, tum recessit ea sponsione, ac si nunquam (ut evenit) eum essem revisurus. Somaschæ ad cœlestem patriam evolavit, ubi quamplures probatæ vitæ Papienses, Novocomenses, Bergomenses Patres demorantur. Hodie non una in ecclesia sacris illius manibus parentatum est : Mercurii die peragendis funeris cæremoniis iterum litabitur. Summum Pontificem vel Episcopum nostrum e vivis excessisse diceres. Eo devenerat vitæ abstinentia corporisque maceratione, ut majores progressus minime exoptare posses. Age, Divinæ sic collibuit majestati : nullius mihi hactenus acerbior obitus visus. Orbitatem infelix hic grex proborum moderatorum sentit acerbam : divinæ tamen bonitati non diffido, quin infinitæ omnipotentiæ familiaria opera non perpetret. Epistolæ longitudinem ut excuses, oro : hic enim alter ab ultimo Bacchanalium dies est, quo ita me tecum ac oblector scriptione, hæcque ex M. Marii nostri narratione. Defuncto Deum propitium rogo : obiit autem die septima mensis hujus. D

*hac mox ab obitu missa epistola,*

3 Atque hucusque Vicarii litteræ, ex quibus duo maxime annotari velim : alterum quidem, quam amplum et illustre testimonium de Hieronymi probitate tantus hic vir tulerit : alterum, quinam certus fuerit ejus obitus mensis et dies. Cum enim in Vicarii litteris mensis nomen non apponatur, constet autem illas extremis Antecineralibus feriis esse datas, diem enim ultimo Bacchanalium proximiorem aperte nominat, quo litteras scripsit : multi ivere in eam sententiam, ut existimarint mensem illum fuisse Martium : idque tam certo creditum, ut Nonis Martii S. Thomæ Aquinati dicatis, a plerisque pia Hieronymi memoria coleretur. Sed tanta annorum series ab ejus obitu interjecta, facile quemvis decipere potuit. Non est autem difficilis veritatis pervestigatio : cum enim certissime constet ea trigesimo septimo anno, quo decessit Hieronymus, mense Februario agitata esse Bacchanalia, feriamque Cinerum sextodecimo Kalendas Martii celebratam, ac proinde litteras biduo ante datas, pridie Idus Februarii fuisse conscriptas, omnino certum est Hieronymi mortem nullo modo in mensem Martium rejici posse. Qua in re omnis dubitandi suspicio prorsus evelletur, si quis veteres illas temporarias mobilium festorum, ut vocant, tabellas adeat, ante E annum scilicet octogesimum secundum præteriti seculi editas, videlicet ante Kalendarii correctionem evulgatam, superiorumque annorum Epactas, Aureos numeros, et litteras dominicales singillatim perquirat, et rite præteritorum annorum tabellas percurrat et recurrat, donec ad annum trigesimum septimum perveniat : diligenti enim et accurata temporum supputatione plane comperiet ejus anni trigesimi septimi Epactam fuisse XVIII, Numerum item aureum XVIII, Dominicalem litteram G : ex quibus planum omnino fit et indubitatum, solennem illam Cinerum feriam eo plane die contigisse, quo dixi, menseque Februario extinctum Hieronymum, illique in Bergomensi Ecclesia eo mense justa persoluta. Quod si ille Nonis Martii obiit, multis sane diebus funebri pompa hominis obitum Bergomenses antevertissent. Cum vero septimo Idus Februarii mortuum asserat Vicarius, nos vero sexto, id ita accipiendum, uti antea monuimus, quod scilicet tertia fere noctis vigilia expirarit, ac proinde melius sexto Idus ejus mors annotanda videatur. Hoc etiam addo : ubi legitur in litteris Vicarii, die Mercurii reliqua persolvenda, mendum suspicor esse : qui enim proxime sequebatur dies Mercurii, is erat Cinerum ceremonia F solemnis, quo certe die mihi verisimile non fit Hieronymo alicubi funebria persoluta, sed forte legendum die Martis, sequenti videlicet die, qui Lupercalium feriarum supremus erat. Sed jam ad reliquos pergamus.

*confirmante obitum*

*non mense Martio,*

*sed Februario.*

*die 7, aliis 8.*

4 Bartholomæus Spatafora non ignobilis suæ tempestatis Orator, in ea oratione, quam in obitu Marci Antonii Trivisani Venetiarum Ducis habuit, cum plurimos sanctitatis fama conspicuos retulisset e Venetis ortos, hæc tandem de Hieronymo addit, quæ integre Latine reddam : Illud vero ardentissimum caritatis vas Hieronymum Æmilianum, qui non ut vivorum saluti tantum, sed etiam ut defunctorum cadaveribus consuleret, suæ minime parcebat vitæ cujus non recens memoria solum, sed recentia sunt vestigia, recens est monumentum. Legitur autem Spataforæ oratio inter illustrium virorum orationes parte secunda, quæ Italico sermone conscriptæ circumferuntur.

*Spatafora in oratione edita,*

5 Sed luculentum in primis est testimonium, quod Hieronymi caritati reddit Bartholomæus Peregrinus in eo libro quem Vinea Bergomensis inscripsit. Is parte

*Peregrinus in libro edito,*

A parte II. capite cxiv, iisdem plane verbis, quæ subjiciam, ea de Hieronymo scribit, quæ ipse oculis usurpaverat; ait enim: Laboravit etiam in hac Vinea Dominus Hieronymus Mianus Patricius Venetus, et verus Christi servus, quando anno Domini MDXXXII Bergomum venit, et suis christianissimis exemplis et exhortationibus, et assidua sollicitudine et cura, congregavit multas a diaboli compedibus solutas mulieres, ut simul juste ac caste viverent : vagantium quoque puerorum orphanorumque multitudinem S. Mariæ Magdalenæ hospitali gubernandam tradidit. Hæc ex oculata fide. Rursus idem Bartholomæus capite cxviii de Dominico Tasso, cujus opera maxime utebatur Hieronymus, ut diximus, hæc addit : Insuper idem magnificus Dominicus in ipso cœnobio cisternam cum aqua fluviali ex vicino amne construi fecit, et Domino Hieronymo Miano Patritio Veneto auxilio fuit, ad colligendas et uniendas meretrices, a peccato ad Christi normam conversas : tum et pueros et puellas nostra in Urbe mendicantes. Hæc ille.

*Malfetta Capuccinus in epistola dedicatoria libri,*

6 Neque vero Reverendi Fratris Hieronymi Malfettæ Concionatoris sui temporis celeberrimi e sacro Capuccinorum ordine Epistolam præteribo, quam B ille opusculo de Divino amore, a Reverendo Patre Fratre Bartholomæo ejusdem ordinis composito, præfixit, cum primum librum illum typis excudendum curavit, Patribusque et Fratribus servis pauperum, ac eorum pueris orphanis in operibus Insubriæ inscripsit : qua in epistola multa de Hieronymo ejusque operibus ex oculata fide refert, quæ pium lectorem scire operæ pretium est. Bonam igitur Epistolæ partem sincere Latineque redditam subjiciam. Cum igitur, inquit, hæ mihi rationes omnino persuasissent, ut libellum in vulgus ederem, cœpissemque tacitus cogitare, cui tam pium munusculum destinarem, vestræ caritatis, opinor, non sine divino afflatu recordatio succurrit, cui maxime convenire id genus argumenti putarem. Vos enim, tamquam lucernæ ardentes, amoris divini radios, virtutum officiis consentientibus, effunditis; nimirum ad omnia pietatis opera instructi, ac incitati exemplis, præceptisque illius beatæ animæ Hieronymi Æmiliani Patricii Veneti : qui summo studio contendit, ut omnes omnium ordinum homines ad Deum incitaret atque pertraheret : quod eo maxime tempore signis apertissimis declaravit, cum divinæ caritatis et Evangelii zelo vehementer inflammatus, ut regnum Dei, C quantum in eo esset amplificaret lautissimo patrimonio, nobilissimo genere, illustrissima patria contempta, se totum dilecto suo nudo et Cruci affixo Jesu Christo tradidit : cumque brevi peregrinatione suscepta, Bergomi primum, deinde aliis in civitatibus plurimis, omnia pietatis opera erga vos cœpit exercere; quos sordidatos inedia, frigore, nuditate afflictos complexus est et fovit humanissime : cumque in publica fame miserandæ calamitatis querimoniæ passim exaudirentur, ille vos tam benigne collegit, sic amavit, ita vestris commodis studuit, ut exemplis suis et admonitionibus sanctissimis, animarum morbis mederetur, et corporum necessitatibus idem ipse inserviret, ægris assideret, victum ostiatim pedes quæritans mendicaret. Quæ res et virtutum illius odorem suavissimum Divinis naribus afflarunt, et egregium lumen atque exemplar sustulerunt Insubriæ universæ, non in speciem quamdam sanctimoniæ, sed intime et ex animo Deum colendi : quandoquidem illius opera, in multis ejusdem provinciæ urbibus celeberrimis, xenodochia et orphanotrophia erecta sunt, in quibus vestra eadem vox, quæ olim temporum calamitates deplorabat, nunc diurnis ac nocturnis horis laudes summo Numini persolvit. Neque tamen hisce rebus gestis contentus fuit; sed, D cum magnum egentium numerum collegisset, tecto, victu, rebusque aliis ad vitam necessariis juvisset, multis præterea clericalis et laicalis ordinis persuasit, amplissimis patrimoniis abdicare se, atque in societatem tam piorum laborum communionemque venire.

*hujus subditis dicati.*

*ob ejus virtutes*

*zelum regni Dei amplificandi,*

*collectis sociis,*

*erectis xenodochiis et orphanotrophiis,*

AUCTORE AUGUSTINO TURTURA

7 Sed quid ego dicam de illius caritate in Deum, multis in locis plurimis experimentis atque rebus gestis aperte declaratam? Nonne illud certissimum fuit amoris argumentum, quod, cum ipse gravi morbo correptus, vobiscum jaceret in paleis apud ecclesiam sancti Sepulchri Mediolani, vestri tamen curam numquam deposuit? Quin etiam cum a plerisque honestis viris Mediolanensibus invitaretur in ædes amplissimas, solus curandi sui gratia, negavit pastor bonus se ab suis ovibus ullo modo posse divelli. Quam singularem pastoris in pusillum gregem caritatem sic Deus amavit, ut brevi tempore ampla domo ditari voluerit, et ad pristinam valetudinem revocatum confirmaverit. Quid Papiæ? Nonne, cum xenodochii curatores, cui a Misericordia nomen fuit, quosdam in eo degentes alio migrare jussissent, ut venienti Æmiliano et orphanis eum locum habendum concederent, maluit sub deserto illo, ventis et pluviæ undequaque pervio, tecto degere, quod apud E arcem in minori civitate visitur, quam ut cuiquam adventu suo incommodaret? Multa id genus sciens prætereo, de quibus, qui modo illum vel de facie norunt, affirmare vere et liquido possunt. Quale dixeris, illatas injurias patienter tulisse, peccantium ex animo semper misertum fuisse, noxam, errata, molestias non eorum modo, quibuscum viveret, sed omnium prorsus hominum æquo animo tolerasse. Ut igitur illius studium, opera mea aliqua ex parte juvem, qui vos ad Deum allicere, eique vinculis amoris conjungere vehementer elaboravit, vobis, dilectissimi, libellum hunc dicatum esse cupio : atque Deum oro, ut tantas amoris sui flammas in cordibus vestris accendat, quantas ego, ad illius honorem et ad Christianæ religionis amplitudinem exposui; ut vos quoque iisdem operibus misericordiæ et Divinæ caritatis insistere velitis, et alii exemplo ejusdem Hieronymi Æmiliani (quem ego mortuum singulari veneratione prosequor et colo) ad eadem pietatis opera præstanda vehementer excitentur; atque hinc illa tandem existat generalis in Ecclesia morum mutatio et sanctimonia, quam ille sitivit avidissime, et cujus impetrandæ gratia, statas quasdam preces ex certa formula recitandas conscripsit, quas subinde post Missarum solemnia in communibus vestris F orationibus canere soletis. Hactenus Frater Hieronymus, qui admodum graphice, ni fallor, et suis, ut aiunt, coloribus Hieronymum depinxit, vir et ob religiosi ordinis commendationem, et, quod caput est, ob oculatam fidem eorum, quæ scribit, omnino dignus, cui certa adhibeatur fides.

*caritatem orphanorum,*

*et ægrorum,*

*patientiam in ferendis injuriis,*

*fervorem in precibus recitandis*

8 Sed et in prætermissis non relinquam perhonorificum Pii V testimonium, quo hominem decoravit, cum in diplomate Pontificio hisce plene verbis eum appellat Hieronymus Æmilianus olim Patritius Venetus, vir eximiæ pietatis insignis, Spiritu Sancto, ut pie creditur, afflatus, omnibus seculi curis posthabitis etc. Quod illustre testimonium eo pluris faciendum est, quo a Summo Pontifice Pio V vere Sancto, qui Hieronymum probe antea nosset, proficiscitur.

*Pius ex V familiari notitia :*

9 Hoc etiam faciunt tam multiplicia illorum vota, qui vel magnis itineribus ad ejus sepulchrum religionis caussa accedunt; vel beato viro precibus se commendant : quorum permulti non exiguis gratiarum donis, tum ad animæ tum ad corporis commoda spectantibus, se in dies augeri testantur : et votivis tabellis oblatis, accensis funalibus, aliisque religionis

*votiva anathemata appensa.*

AUCTORE AUGUSTINO TORTORA.

A nis significationibus ad sepulchrum adhibitis, beneficii accepti gratos se profitentur: nequidquam æditituo prohibente, et reclamantibus Patribus; Gravi quippe Superiorum nostrorum edicto cautum est, ne quod omnino ejus honoris genus vel admittatur, etiam profectum ab externis, vel deferatur a nostris Hieronymo, quod sanctis viris, nisi supremæ Sedis accedente judicio et consensu, deferri nequit. Sed quantumlibet obluctantibus Superioribus, ægre admodum multis in locis piorum studia coerceri, et filiorum præsertim in Parentem optimum, et Congregationis auctorem pietatis ardor, et devotionis obsequium, non paucorum annorum cursu jam confirmatum, cohiberi potest. Verum de his sequenti et altero capite nonnulla dicemus.

## CAPUT II.

### *Admiranda quædam de Hieronymo.*

Etsi, quæ toto vitæ cursu in Dei gloriam proximorumque salutem peregit Hieronymus, quæque illi divinitus sæpe contigere, mortalium profecto omnium commendatione sunt et admiratione dignissima; quædam tamen adeo extra communem rerum

B ordinem de eodem recensentur, ut illis admirabilium nomen, peculiari quodam jure proprium, factum esse videatur. Quorum paucis exponendis, uno aut altero capite, immorabimur, quo splendidius Divina munera homini collata eniteant, et cœlestis benignitas ab omnibus laudetur impensius. Atque illud in primis admirabile, et rarum omnino Divinæ providentiæ et bonitatis argumentum in Hieronymo mihi videtur, quod unus ille tam multa opera aggressus, tam brevi tempore adeo secundo felicique eventu ad exitum perduxerit. Ex quo enim primo Venetiis discessit, ad ejus usque obitum anni non amplius quam sex intercessere, quibus ille duodecim ferme pia loca erexit, et legibus instruxit, adeoque certa et stabili vivendi ratione munivit, ut adhuc etiam multum aucta perseverent. Sociorum non exiguum collegit numerum, eosque non infimæ notæ sed litteris nobilitatos, et fortunis omnino præstantes et eximios. Supra trecenta capita Hieronymi nutu et auctoritate regebantur, quorum permulti quam sublimi honorum et divitiarum gradu sint ad humile et abjectum vitæ genus traducti unius Hieronymi exemplo et cohortatione, jam satis antea dictum. Quod certe non tam in hominis industriæ atque navissimi studium et dili-

*Hieronymus intra sex annos erigit 12 pia loca,*

*colligit 300 socios,*

C gentiam, quam in Divinam providentiam rejiciendum censeo. Nam vix primum servo Dei civitatem aliquam ingresso, licet ignoto homini et externo, abjectissimorum pauperum caussam gerenti, omnia ex animi voto succedebant; ut ipsemet, cum tam effusam in pauperes et egenos Divini numinis benignitatem animo perpenderet, vel aliis enarraret, erubesceret omnino, ac pudore suffunderetur, tum eductis ex imo pectore suspiriis, sermonem clauderet illis verbis: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit? Nihil scilicet sibi arrogans, sed Deo, quidquid bene gestum esset, acceptum referri volens; neque immerito sane, quando, quocumque animum verteret, vel manum admoveret Hieronymus, singulari quadam et admirabili ratione Divinam opem præsentem experiretur, quæ felici expeditoque cursu suis cœptis obsecundaret. Quod cum in omnibus ejus gestis fere animadvertere liceat: tum vero, si ad singula descendamus, quæ egit aut dixit, quæque precibus a Domino impetravit, multo clarius admirabilium operum successibus elucescet, inter quos ille mihi principem locum videtur obtinere, quem subjicio.

*omnia ex voto succedentia refert in Deum:*

*Psal. 112*

11 Cum domi aliquando, Somaschæ in arce scilicet, ad numerosam familiam alendam, panis deesset, et cœli hyemisque fœda tempestate, quæ solito asperior inhorruerat, omnia perhorrerent, viarumque aditus omnes nivium insolentia intercluderet, unde nec ab illis conquiri, nec suppeditari ab aliis diaria possent; Hieronymo denunciat triclinii, cellæque panariæ minister una cum aliis, domi vix tantum esse panis, quo eo die tres quatuorve parce admodum ali possint: numerabantur autem supra quadraginta capita in ea familia. Tum ille nil commotus, eos etiam vetuit esse sollicitos, in Deum tantum spem conjicerent, admonuit, cujus brevi largam benignitatem essent experturi. Num qui olim, inquiens, tot Hebræorum millia, aluit in deserto, et ingentem hominum multitudinem paucis admodum panibus ad satietatem pavit, qui implet omne animal benedictione, et pullis corvorum cibum præparat, idem nostri curam gerens, rebus necessariis destituet? sicque animis ad salutarem confidentiam excitatis, ad orationem ipse secedens, Deo fidenter supplicat, ut extremæ suorum inopiæ subveniat. Neque irritæ vel inauditæ preces. Iis enim persolutis, urgente jam hora prandii, totum, quidquid erat panis, ad se deferri jussit: tres autem, quatuorve ad summum erant; quos in frusta comminutos, in gremium suum (quasi Divinæ

D

*Somaschæ, aspera hyeme impediente afferri panes;*

*fusis precibus,*

*panes comminutos*

E confidentiæ agro seminis mandatis, uberem inde messem collecturus) injecit: tum manu ducta in formam Crucis, signat, tacitis secum precibus Divinæ clementiæ rem totam commendans: mox paucissimos panes illos intra gremium suum cœlesti benedictione usque adeo auctos sensit, ut large omnibus cœlestem gratiam dispertiens, non modo ad satietatem sufficerent, sed abunde etiam superfuerint. Facti fidem astruunt, qui præsentes et oculis et gestu rei veritatem explorarunt.

*signo Crucis auget,*

12 Magnitudinem vero miraculi, nescio, an auxerit, vel confirmarit, quod de eodem pane postea traditum accepimus; nempe post multos etiam annos asservatum, ad ægritudines depellendas, vim habuisse. Res est sæpius experimento comprobata a Martino Martellino, qui tum ex illis unus erat, qui Somaschæ ab Hieronymo alebantur. Hic frustum panis, quem divinitus auctum non ignorabat, magna religione diu asservavit, cumque et spectatæ probitatis Sacerdos, et animarum Curator Gardæ-vallis-Canonicæ diœcesis Brixiensis evasisset, sæpius ægros invisens, trito in aqua vel jure pane, eos morbo levabat. Idque tum alias, tum præcipue nominatim postremis Martellini diebus hunc in modum accidisse ferunt. Nicolaus Ruggerius in vico Fossæ

*quorum frusta diu servata*

*pellunt morbos,*

F prope Gardam, quinto jam mense febri misere conflictabatur, nec arte medicorum levari poterat; accedit ad eum Martellinus Gardæ Parochus, allatique panis, quem in ægrorum usum asservabat, paullum in aqua terit, tum ex eo ægro portionem porrigit: magna fide haustum panem sanitas consequitur, et Hieronymi meritis accepta refertur. Qui præsentes interfuere, factum testantur, sæpiusque Martellinus ad varia morborum genera, certo reparatæ valetudinis fructu, eumdem panem adhibuit. Auctum vero non semel in extrema suorum inopia Hieronymi precibus panem videntur testes indicare, Somaschæ scilicet et Bergomi.

*præsertim febrim:*

13 Quam multis ægris, non tam medicamentis, quam precibus vel signo Crucis, ut alii testantur, mederetur, supra indicavimus; fuitque multorum sententia, illum, cum medicamenta quibusdam ægris adhiberet, tegumenta curationum illis remediis de industria quærere, et valetudini, quam precibus erat impetraturus, velamentum obducere, ut scilicet remediorum adjumentis, non suis precibus æger convaluisse crederetur. Quæ res non valde quidem a veritate abhorret: nam permulti ulceribus gravissime affecti, quæ insanabilia apparerent, adeo levi curatione,

*creditur precibus et signo Crucis sustulisse morbos,*

*et ulcera:*

A ratione, brevique spatio convaluerunt, ut merito in admirationem, majorisque virtutis quam sit naturalis opinionem, eorum curatio veniret.

14 Nec minorem habet admirationem, quod paullo ante, quam extrema infirmitate decumberet Hieronymus, universis pene spectantibus et audientibus qui domi erant, evenit. E collectis ab illo pueris unus etiam lue illa populari, quæ tum passim, ut diximus, grassabatur, gravissime correptus, pene exanimis jacebat : linguæ enim usum ex morbo perdiderat, omnique motu destitutus, mortuus potius, quam morti vicinus omnibus videbatur : resolutis tamen momento faucibus, exclamat, mirum sibi et admirandum plane visum objectum : urgent præsentes, ut, quid rei illud sit, proloquatur; tum distinctis verbis et clara voce prosequitur : E sublimi illustrique loco sedem ab se conspectam, auro et gemmis valde conspicuam, et cœlesti fulgore radiantem, cum epigrammate aureis litteris in hæc verba exarato : Hieronymo Æmiliano præparata. Non dubium, quin ex ore infantium et lactentium Hieronymi servi sui laudem Deus perficere voluerit. Sed ille ea re vehementissime commotus, cum se magis in quamdam sanctitatis opinionem hisce rebus trahi B cerneret, fugam inde omnino meditabatur, eam cito arrepturus, nisi morbus hominem lecto citius allixisset.

*a puero moribundo*

*visa sedes illi præparata :*

15 Jam morti fere vicinum majoris illius vici convenerunt, ut moriens ipsis bene precaretur, et aliquid e salutaribus monitis instillaret; quibus ille testamenti loco hæc documenta reliquit : Si festis diebus a ludis, saltationibus et choreis abstinuissent, si sacros eos dies Christiane et religiose coluissent, si blasphemandi impiam consuetudinem sustulissent, se certissimum apud Deum sponsorem futurum, eorum agros a grandinis injuria tutos fore. Præstiterunt illi per aliquod tempus debitam festorum celebrationem, et blasphemiæ cessationem; stetit etiam Hieronymi promissis Divina bonitas; nam grandine per vicina loca dire grassante, Somaschensis ager immunis cernebatur; idque aliquot annos perdurasse illius vici seniores testati sunt. Sed rursus illis vel junioribus ad pristina redeuntibus, rursus etiam grandinis flagello graviter justeque percelluntur.

*ob ejus pias monitiones servatas*

*ager a grandine immunis fuit.*

## CAPUT III.

### *Alia ejusdem generis.*

C Post ejus obitum etiam permulti se illius precibus variis in rebus adjutos testantur, inter quos, ut ab antiquioribus initium faciamus, Joannes Antonius Mazzolenus Caloltii Notarius maxime eminet : qui viventi Hieronymo infensissimus fuerat, eumque Caloltii primo domicilium ponere, uti statuerat, non est passus, conviciisque hominem impetere, tamquam erronem et mendicum numquam destitit, uti suo loco monuimus. Hic capitis dolore numquam intermittente vexabatur, quin subinde etiam vehementi accessione facta, adeo graviter excruciabatur, ut desipere et insanire, ac pene de potestate mentis dejici videretur, frustra per multos annos adhibita medicorum opera. Vulgato Hieronymi obitu, famaque tunc maxime apud omnes de illius sanctitate increbrescente, tandem valde commotus est; quod unus ipse adversatus esset homini adeo probo, et omnium testimonio fere sancto : cumque ad defuncti corpus omnium ordinum concursus undique Somascham fieri cerneret, et ipse facti pœnitens, hominem vita functum venerari statuit, quem vivum contempserat. Ad feretrum igitur genibus nixus cum oraret, solitoque capitis dolore torqueretur, subit animum ea cogitatio, ut ad morbum depellendum, Hieronymi intercessionem imploraret, quem Deatum ab universis prædicari audiebat. Veniam igitur D offensionum primo deprecatus, magna fide ejus opem poscit; Si ea, inquiens, o Hieronyme, quæ de vitæ tuæ sanctitate circumferri audio, ita se habent : et mihi misero peccatori indulgere, et capitis dolorem precibus tuis abigere digneris oro. Vix precationem absolverat, cum capitis dolore vexari desiit, neque amplius morbus rediit. Actæ ab omnibus Deo, Hieronymoque gratiæ : fuitque apud universos illustrior gratia, quod prima ab Hieronymi morte præ ceteris fuerit inimico collata.

*Inimicus ejus*

*ad defuncti corpus*

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

*veniam deprecatus, implorata ejus ope, liberatur dolore capitis :*

17 Anno etiam volventis seculi decimotertio mense Maio, Veronica monialis monasterii sanctæ Matris Domini, Bergomi, ætate jam affecta, quæ sexagesimum excesserat annum, gravi ischiade laborabat cum ulcere putrido circa femur prope os coxendicis, ut Joannes Paulus Barilus monasterii medicus, morbo sæpius inspecto, assereret, aliqua certe ad ægrotantis solatium adhiberi posse remedia; ceterum desperatam esse morbi sanitatem, tum ob gravem ægrotantis ætatem, tum ob addita ulceri ob temporis diuturnitatem (ut fieri assolet) et labra callosa, et ossis exesionem, acerbissimo cum languentis cruciatu. Medicamentis nihilominus ad experimentum adhibitis, plane compertum, irritamenta potius quam medicamenta fuisse : post quartum enim mensem, ita E morbi vis increbuit, dolorque sese intendit, ut nisi ligneis adminiculis utrique axillæ subjectis, progredi aut se loco movere non posset. Cum igitur decimo Cal. Decemb. Hortius de Federicis, Vicarius Generalis Episcopi Bergomensis, de Hieronymi vita et moribus in eo monasterio inquireret, admonita fuit ab aliis etiam Veronica, ut se proxima luce examini subjiceret, et quæ de Hieronymi sanctitate admodum juvenis a senioribus audiisset, integra fide exponeret. Illa vesperi cubitum discessura, cœpit earum rerum memoriam diligenter recolere : cumque multa prorsus admiranda succurrerent, quæ a fide dignis accepisset, eam etiam induit mentem, ut se illi admodum ægram commendaret : et statim genibus nixis, orationi se dat, intimo cordis affectu Patrem rogans : ut, si ea vera sunt, quæ de sanitate aliis ægris reddita, et de panis multiplicatione auribus accepit, hoc etiam ceteris beneficiis addere velit, ut se gravi et insanabili infirmitate laborantem, suis precibus liberet : tum ita Deo, Hieronymoque benefidens, lecto se componit, solitos dolores, quibus singulis noctibus acerrime cruciabatur, non amplius experta, somnum commode capit. Primo mane ex- F pergefacta, morbo se liberam sentit, lecto surgit, nulloque lignorum usu adhibito, scalas descendit, sola salutationis Angelicæ signum et nocturnæ psalmodiæ dat; absolutis nocturnis horis iterum scalas ascendit : eodem die ad examen vocata, rem, ut est, exponit. Multisque interjectis diebus, iterum Vicarius Veronicam examini subjicit, quæ se multo etiam saniorem testata est, cum primum ne uno quidem gradu, sine fulcris axillis sustinendo corpori subjectis, promovere se posset. Abjecta lignea serperastra illa et adminicula, ad Hieronymi sepulchrum suspensa cum facti narratione visuntur.

*ischiade laborans,*

*et clauda facta,*

*testatura sanctitatem Hieronymi,*

*ejus ope implorata sanatur*

18 Jacobus Metaxanus Cephaleniæ nobilis, cum in Seminario Patriarchali Venetiis studiorum caussa degeret, sæpiusque a Patribus nostris de Hieronymi rebus gestis audisset, *a* Vitam etiam perlegisset : tanta pietate in eum accensus est, ut eum elegerit sibi Patronum et Advocatum apud Deum, seque totum uni illi in rebus omnibus commendaret. Anno igitur hujus seculi XIV febris tertiana, eaque duplex, nec intermissa, juvenem incursabat, misereque extorrebat, nec deerant manifesta malignitatis argumenta; cumque medicorum præceptis minus obtemperaret æger, factum est illius intemperantia ut ad usque *a*



salutis

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

A salutis desperationem morbus invaluerit. Cogitur ergo quadam die medicorum confessus, inter quos duo insigniores erant Marcellinus et Amalthæus, qui morbi gravitate perspecta, severe uno consensu pronunciant, ægrum in sequentem lucem vivere non posse : jam enim sensibus destituebatur. Marcellinus in discessu eum quam primum postremo sacræ unctionis auxilio muniendum commonet : advocatur illico Sacerdos, supremæ unctionis minister, a quo pluries interrogatus, num sacro oleo inungi vellet, vix tandem intermortuis vocibus, et oculorum motu annuit. Post extremam unctionem, cum jam animam agere videretur, ab eodem Sacerdote sacris precibus, quæ ad emigrantis animæ commendationem ex Ecclesiæ ritu adhiberi solent, expiatus est : comploratataque a medicis et omnibus ejus salute, mors imminens in singula momenta expectabatur. Aderat forte ex nostris Pater Franciscus Zoia, qui morienti astabat : hic in imaginem Hieronymi, quæ ægrotantis capiti imminebat, oculos conjiciens, Jacobum hortatur, ut se Hieronymo Patrono suo sanitatem a Deo impetraturo commendet, arreptaque imagine, exosculandam morienti porrigit. Nec vana denunciatio cecidit, nam ille Patroni sui effigiem in-

*ex febri moribundus,*

B tuitus, pie osculatur, ejusque intercessionem, utcumque potest, voto expetit. Nec mora : Hieronymo ad opem vocato, morbi vis sese remittit, liberiusque jam meante spiritu, sermo redit ægro una cum sanitate. Postera luce adest Marcellinus quæsiturus, num vixisset : deducitur in cubiculum, comperit, discussa febri, omni morbo convaluisse, reique magnitudine obstupescens, protinus exclamat : En Lazarum ab inferis revocatum. Et deinceps recte convaluit, medicoque affirmavit se Hieronymi ope voto quæsita, morbo emersisse ; idque Jacobus juratus Venetiis deposuit, hujus rei confectis tabulis, seque meritis, et deprecationi Hieronymi sanitatem debere professus est.

*osculatus ejus imaginem, implorat opem, sanatur*

19 Capitis dolore acerrimo quidam Sacerdos ex nostris vexabatur, cumque nullo remedio tanto dolore levari posset, sepulchrum Hieronymi adit : ibi aliquamdiu orat pro sanitate, meritaque Hieronymi interponit : tum capite ad sepulchrum inclinato, illud exosculatur, caputque dolore vexatum aliquantisper ad sepulchri petram sistit : quo contactu dolor omnis illico abscedit, cumque ille eventum, ceu miraculum, omnibus statim narravit.

*alius capitis, ad sepulchrum inclinati, dolore liberatur*

20 Gregoria Æmiliana fuit Hieronymo ex Luca C fratre neptis, Virgo Deo sacrata, in monasterio monialium S. Ludovici Venetiis, ubi octogesimum annum agens, miro religionis et pietatis exemplo clara, et monialibus omnibus cara excessit : hæc pluries referre solebat se Patronum sanctum habere, ad cujus intercessionem adversa re aliqua imminente se referret, eumque deprecatorem apud Deum adhiberet : a quo etiam multa se accepisse insignia dona profitebatur ; idque serio aliis monialibus, cum de Dei rebus ageret, narrare consueverat.

*neptis ejus intercessione varia beneficia impetrat.*

a Vitam ab Andrea Stella, de quo cap. 4 agetur, scriptam, ut addit Rossius

## CAPUT IV.

### *Alia beneficia Hieronymi precibus divinitus concessa.*

*Ejusdem intercessione, sublatus rheumatismus,*

Bergomi in monasterio puellarum suburbii S. Antonii Lucia Brigida quindecim jam annos rheumatismum (fluxionem salsam nostri vocant) patiebatur ; quo noxio humore calentibus admodum naribus (quo maxime defluebat) caput etiam ardenti inflammatione incendebatur : neque gravedini subveniri ulla medicorum peritia poterat, frustra jam per tot annos implorata eorum industria, et adhibitis reme- D diis, diligentique ciborum delectu servato. Erat autem genus morbi tum ob narium capitisque inflammationem valde noxium, tum ob putridam defluentem pituitam omnibus horridum et invisum. Lucia igitur, damnata quadam die inutili medicorum opera, ad Divinam opem, Hieronymo deprecatore, se convertit, ejusque meritis et intercessione sanitatem a Domino ardenti prece deposcit. Utilis omnino Patronus Hieronymus extitit ; siquidem citissime sanam se sensit, omnique ciborum genere in posterum sine ullo delectu ac discrimine usa, nullam prorsus offensionem est experta, itaque Deo Hieronymoque deprecatori gratias agit.

22 Somaschæ Catharina Vulpia Ambrosii uxor difficili partu laborans, duabus noctibus et die integro discruciabatur vix ferendum in modum, nec fœtum emiti poterat, cum ad eam accedit Andreas ejus socer, vixque parientis cubiculum ingressus, eamque tam acerbo cruciatu oppressam, et exclamantem intuitus, illico recessit, non diutius languentis aspectum ferre valens, in proximumque cubiculum secedens, ad imaginem Beatæ Virginis accedit, ibique humi positis genibus, fusa oratione, Hieronymi merita ad impetrandum laboranti levamentum adhibet, polliceturque se argenteam imaginem Hieronymi se- E pulchro oblaturum, si prægnans facilem partum enixa sit : statim ac Hieronymum voto propitiavit, partus incolumis prodiit, nullo fere doloris sensu, cum de utriusque vita ab omnibus antea dubitaretur. Andreas, argentea tabella Hieronymi sepulchro oblata, eum sui beneficii auctorem professus est.

*difficultas pariendi,*

23 Eodem in loco Prudentia Amigonia colicis doloribus sæpius acerrime vexabatur, nec ulla jam arte levari poterat, medicamentis omnibus irrito exitu tentatis ; cum Hieronymo tandem, ardentissimas in preces fusa, se commendat, votique sponsione obligat diebus singulis, vita durante, recitaturam ter orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, in honorem Dei et Hieronymi ; emissoque voto, nullo unquam postea dolore tentatur : quam gratiam Hieronymi precibus et meritis se debere testatur.

*colicus dolor.*

24 Sed externa beneficia recensenti haud prætereunda domestica, prodendumque maxime, quod ex nostris Pater Andreas Stella in Hieronymi Vita a se conscripta de se ipso publice testatus est. Ego rem scitu non indignam eo fusius explicabo, quod supremus a nobis tanti viri discessus admonet de eo liberius ea scribenda, quæ, illo vivente, minime licuisset. Res igitur in hunc plane modum se habuit. F Allegaverat in Dalmatiam Clemens VIII cum Apostolici Visitatoris munere Michaelem Priulum Antistitem Vicentinum, ad eam provinciam recognoscendam, et legibus ac constitutionibus ex Ecclesiastica disciplina, si opus esset, communiendam : degebat vero tunc Vicentiæ, collegio nostro præpositus, Pater Andreas Stella, qui eam Theologiæ partem, quæ de conscientiæ nodis quæstionibusque dissolvendis agit, publicis lectionibus in aula Episcopali, magno sane nomine et concursu, nec fructu minore, explicabat : ad populum etiam in ecclesia majore, nitido illo suo ac florenti dicendi genere, quo plurimum valuit, ac plane aureo eloquentiæ flumine, sæpe dicebat, auditusque ibi fuerat in magni jejunii feriis tam denso et frequenti auditore, ut in templo, alioqui amplissimo, interdum tamen ægre admodum ad suggestum perrumpere posset. Hunc igitur sibi Michael Theologi nomine in eo munere adsciverat : quo rite obito, cum Venetias rediisset, seu laboribus perfuncti muneris fractus, seu novi cœli inclementia graviter affectus, vix ab eo reditu mense decurso, ingenti sane patriæ mœrore, et Ecclesiæ Vicentinæ damno ex humanis ereptus est. Vir omnibus et probitatis et prudentiæ numeris absolutus, et in Ecclesiastica

*P. Andreas Stella*

*Theologiæ Professor,*

*et concionator eximius,*

A siastica disciplina constituenda, et retinenda nulli secundus : cui etiam cum multa Religio nostra, tum collegium Vicentinum acceptum referre debet. Persimile autem vitæ periculum, sed dissimili exitu non diu ab ea reversione adiit etiam Pater Stella ; nam mense Septembri anno præsentis seculi quarto, improba febri correptus est, cujus pestifera vis quo minus initio se proderet, tanto periculosius vitalia populabatur, medendique peritos diu ancipites incerti eventus exitu detinebat ; ad gravem autem corporis morbum, gravior etiam mentis ægritudo, phrenesis scilicet, addebatur, quæ aliquot dies hominem tenuit : in manifesto tamen delirio non deerat illi qualiscumque dicenda pietas : a medico enim adiri se non patiebatur, nisi antea de genu ibi ad ejus lectum quinquies orationem Dominicam, et salutationem Angelicam recitasset : magnum certe insitæ probitatis argumentum, ut natura quæ in eo genere morbi se maxime prodit, ad ea pietatis officia prorumperet. Ægro igitur per multos dies graviter conflictato, tum morbi improbitas omnino erupit, cum adeo misere jacenti nullam prorsus reliquam esse vitæ spem medici uno consensu affirmarent, eique tamquam medicorum sententia plane deposito, B extremam funeris pompam nostri appararent : et non una in ecclesia ejus salutis caussa indicta esset a nobilioribus civitatis supplicatio.

*febri pestifera correptus,*

25 Cum igitur ad sanitatem mens ægra rediisset sacro jam pane Viatici nomine refecto, et aliquantisper orationi intento, Hieronymus noster, cujus sepulchrum non multo ante religionis caussa adierat, animo occurri, simulque voti concipiendi mens est data, quod ille statim hisce verbis nuncupavit : Bone Deus, si pristinæ reddantur vires, lucisque usura addatur labenti vitæ, me servi tui Æmiliani ordinis nostri Auctoris Vitam scripturum recipio, et si Religionis meæ Præses, Divinæ tuæ voluntatis interpres, annuerit ; voti etiam religione me obstringo. Mirum dictu : vix concepto voto in Hieronymi obsequium, remisit se morbi vis, ceterisque de ejus salute desperantibus, unus æger certissimam vitæ et sanitatis spem illico concepit, nec ea frustratus, siquidem in dies imminuto semper morbo, citissime convaluit, ab omnibus desperatione in admirationem conversa. Vix morbo relevatus, promissis stetit, et summa eloquentia ac pietate Hieronymi Vitam Italico sermone conscripsit, cujus meritis acceptum vitæ beneficium refert.

*moribundus votum facit scribendi Vitam Hieronymi,*

*convalescit,*

*editque Vitam Italice,*

C 26 Atque utinam par exitus alterius infirmitatis fuisset, qua idem Pater hoc ipso anno Venetiis occubuit, ubi morbida quædam, ac pene pestifera autumni vis desævire visa est, mense præsertim Octobri, quo longe plures solito morbi tabe consumpti dicuntur. Decimo septimo igitur Cal. Novembris infirmitas Patrem invasit, quæ satis aperte periculum vitæ intentare initio ostenderet, adeo etiam offenso stomacho, ut, quidquid ingestum esset, continuo et magno impetu egereret : sed validioribus remediis statim adhibitis, ita videbatur repressa ægritudinis vis ; ut supremo etiam discrimine satis obviam itum, et periculum certissime propulsatum medici in primis arbitrarentur. Immanis enim illa stomachi offensio conquieverat, nihilque jam morbi supererat, nisi tenuissima febris, quæ viginti novem dies ægrum, sed levissime admodum tentabat, semper tamen recuperandæ salutis ostentata spe, medicis etiam nihil præterea mali futurum dictitantibus. Cum ecce, nihil minus illis nostrisque opinantibus, derepente collapsis viribus, tanto corporis languore correptus est, ut nullam in partem se movere posset : febriculaque in luem pestiferam versa, biduo hominem extinxerit. Non tamen imparatum supremus hic casus Patrem invasit, nam per eos levationis dies, cum ejus

*dein morbo stomachi et lenta febri,*

*extinctus.*

salutem omnino in tuto positam omnes illi certissime D affirmarent, jamque periculo liberatum, citissime ex omni morbo emersurum dictitarent, et medici in primis secunda ac prospera universa denunciarent ; una tamen illi impendentis mortis facies ita oculis semper obversabatur, ut nihil minus, quam de vita cogitaret. Quare nullus nisi de morte sermo, nulla cogitatio ; patientia autem tanta morbi molestias perferre, ut non obscuram vicinæ migrationis præparationem plane cerneres. Diem suum obiit quintodecimo Kalendas Decembris majore certe, quam in præsenti explicare queam, totius Religionis dolore et incommodo ; quam ille assiduis concionum laboribus in primis Italiæ civitatibus, solida suggesti gloria, non parum illustravit, et singulari rerum agendarum prudentia tum in supremo magistratu, quem inter nos magna cum laude gessit, tum postea semper magnis in rebus præclare adjuvit. Ingenium illi erat vividum et excellens, animus excelsus ad magna quæque et ardua factus, mores suavissimi ac plane amabiles, aspectus venustate simul et majestate decorus, semper hilaris ac renidenti persimilis. Cetera suo loco uberiori stylo tradet historia Religionis : hæc ego pauca præcurrens, quo communem acerbissimi vulneris dolorem aliqua ex parte lenirem ; ad E reliqua de Hieronymo redeamus.

**AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.**

*ante functus supremo Ordinis magistratu.*

## CAPUT V.

### *Hieronymi in Deum caritas.*

Præteritarum rerum intermissa narratione majori, credo, cum legentium utilitate, ad cælestes Hieronymi virtutes explicandas, stylus revocabitur. Ut enim superiora admirationis plurimum habeant, quæ legentium curiositatem alit et provocat ; ita hæc imitationem excitant et acuunt, qui sacrarum historiarum fructus solet esse præcipuus. Ab ea autem virtute libet scribendi initium sumere, quæ nobilitate inter ceteras et dignitate princeps est, ardenti scilicet et eximia in Deum caritate, qua una in primis adeo excelluit Hieronymus noster, ut universa hujus virtutis seu indicia seu partes in eo plurimum enituerint. Frequens primo loco atque adeo assiduum orationis studium in eo fuit, ut in plures horas supplicationem quotidie produceret : quantumque huic exercitio diurna proximorum ministeria et institutio interdiu detraxissent, tantumdem nocturnis spaciis somno ereptis sarcire studeret, jamque illi erat perfamiliare, non modo bonam noctis partem orando F traducere, sed integras etiam nixus genibus supplicando insomnes transigere ; idque præsertim cum ægris in valetudinario, aut suis domi ad necessaria ministeria advigilaret. Illud vero de asseribus aut etiam nudo solo somnum capere, neque positis vestimentis si ideo factum interpreter, quo citius expergisci, expeditiorque ad orationem excitari posset ; non longe a vero aberrem, qui sciam hujusmodi quiescendi rationem ab aliis etiam sanctis viris solius orationis caussa esse susceptam. Sancta enim Elisabeta (ut alios omittam) Lantgravii Turingiæ Principis uxor, super pavimentum distento tapetulo cubitabat, ne mollius jacenti arctior somnus horas intercipetet orandi. Atriensi non multum erat in Hieronymum conquirendo, si vocaretur ad januam, laborandum ; nisi enim communibus exercitiis, vel puerorum institutioni occupatum invenisset, certum illi erat, ad orationis locum hominem convenire.

*Hieronymus exferenti in Deum caritate,*

*multum orat :*

28 Qua ex longa frequentique cum Deo collocutione et consuetudine tam facilis et prompta inerat illi in Deum mentis elevatio, ut ex cujusque creaturæ aspectu, vel novo rerum objectu, aut etiam inusitato aliquo eventu, in Deum facillime raperetur ; et, quæ alios mente abstractos, evagationum molestiis a Deo

*facile in Deum mente elevatur.*

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.*

A a Deo abducere consueverunt, ea universa quasi supernæ adscensionis gradus Hieronymum semper in Deum agerent. Orationum autem ejus fructus non tenuis aut contemnendus erat, idque sæpius tum ægrorum, tum recte valentium commodo est comprobatum. Sed aliud, quod ad orationem etiam faciat, novum placet afferre experimentum. Cum aliquando Somaschæ in arce stata hora quotidianis precibus vacaret, omnisque circa familia effusa de more adesset; tam pium pietatis opus non ferentes inferni hostes, inter ardentes omnium preces, pueros invadunt impurissimi spiritus, eosque ita versant, ut in risus cachinnosque soluti, in turpes obscœnasque voces, in jocose scurriliterque dicta erumpentes, pia orantium studia interturbarent. Intellexit illico Hieronymus, unde vocum insolentia et insuetus existeret risus. Quare ardentiores in preces fusus, adjurare funestissimas bestias, ut illinc facesserent; Christi nomine imperare, ut pueros, in quibus nullum jus illis esset, liberos sinerent, et sine cunctatione loco se proriperent: nec mora, Hieronymi precibus inde exacta inferni monstra, nunquam rediere. Non tenue certe in Deum caritatis argumentum tam frequens, et tam uberi cum fructu, orationis exercitium.

*precibus suggestiones dæmonum pellit*

B

29 Tantum porro caducarum rerum contemptum, et tantam terrenarum omnium abdicationem atque oblivionem, an absque eximio aliquo et flagrantissimo ejusdem virtutis ardore existere potuisse putemus? Numquam certe adeo sordescentibus terrenis, superna expetuntur, nisi divinæ caritatis dulcedine suo in fonte degustata. Hieronymo autem adeo ista viluerant, ut nulla jam patriæ, nulla affinium, nulla harum rerum mentio aut recordatio apud eum vigeret: quin nihil molestius, quam si quis de his sermonem movisset: omnia enim perosus, nihil nisi divina illi sapere videbantur. Sed nullum forte illustrius ardentissimæ in Deum caritatis argumentum erat ingenti illo dolore, quo ex Divina offensa afficiebatur, et peracerbo animi cruciatu, quem, Numine læso, experiebatur. Est qui juramento affirmet, a Somaschensibus jam grandævis, octogenariis nempe testibusque oculatis audivisse, quod subjiciam.

*nihili facit res mundanas, patriam, amicos:*

30 Duo fratres, Somaschensesne an ex alio vico, non proditur, mutuis ac diuturnis implicati discordiis, odiis inter se capitalibus dissidebant: cumque alter Vercuragum peteret, alter Vercurago Somascham rediret, in ipso clivi descensu sibi occurre-

*2 fratrum rixas,*

C runt: utriusque ad alterius conspectum mota ira, excitati vindictæ motus, effervescente scilicet circa præcordia totoque corpore ebulliente sanguine; inde atrox et plena periculi, exorta rixa: et primo verbis agi cœpta res est, sed ita, ut inter jurgia et minas, alter alterum maledictis et injuriis lacesseret, impias omnino et immanes, prout ab hujusmodi hominum genere fieri assolet, in Deum sacratissimamque Matrem blasphemias frequentissimas uterque effunderet. Ut primum duo illi obviam se habuere, forte supervenit etiam Hieronymus cum aliis, mitioque contentionis audito, accurrit, medium se interponit, hortatur et rogat, iras ut deponant, a blasphemiæ scelere linguas coerceant. Quid (aiebat Hieronymus) quid mali commeruit Dominus noster? quid sacratissima Virgo? qua in re vobis damno aut offensioni fuit, ut tam diris a vobis proscindantur execrationibus? Cumque videret clausas esse monenti aures, et hortationibus ac precibus jam obduruisse pectora; ille, qui horrendum blasphemiarum sonum amplius ferre non posset, tantaque Numinis injuria plane disrumperetur; eodem in luto, ubi erat, genua ponit. Et vos, inquit, a tanto blasphemiæ scelere vel admoniti linguas non continetis? en ego in me ipsum ulciscar scelus vestrum, luam diræ blasphemiæ pœ-

*et blasphemias in Deum et S. Mariam,*

*adhortatione sua,*

*luto mandendo,*

D nas, ego cœlesti, ut potero, occurram vindictæ. Tum os infigit luto, dentibus carpit, toto ore cœnum versat, mandit, et dentibus terit: ad eosque iterum, non sine lacrymis; Vestris vos, inquit, linguis et ore plusquam sacrilego male Deum beatissimamque Virginem accipitis: ego lingua oreque meo tamdiu cœnum volutabo, donec a diris desistatis, læsoque Numini satisfiat. Cumque ita et lutum ore sumere, et veluti dentibus mandere illosque objurgare pergeret, non tulit Divina bonitas, ut tantus de Numinis injuria conceptus dolor, et tam nobilis ad eam avertendam Hieronymi conatus irritus concideret: siquidem illi tam raro insolentique facto vehementer permoti, stupore defixi hæsere; irarumque nonnihil restinctis ardoribus, maledictis etiam abstinuerunt. Tum Hieronymus pacem expetere, pacem urgere per Christi Domini beatissimæque Virginis merita, pacem implorare et deprecari: Hoc sanctissimis illis nominibus tribuerent, aiebat, quæ tam diris execrationibus fœde laniassent; ut pœnitentiæ satisfactionisque loco pacem inirent, pacem darent. Nec ægre Hieronymi factis et dictis obdurata pectora sunt emollita, positæ iræ, sublata rixa, ut non sine mutuis lacrymis gaudioque reconciliatione facta, in fraternam consuetudinem statim redierint. Ita inveteratas iras et dira blasphemiæ crimina inusitata ad eum diem Hieronymi pœnitentia castigavit et sustulit. E

*coercet:*

31 Et sane asperrima quæque prompto libentique animo subiisset, vel levissimæ in Deum offensionis propulsandæ caussa: adeo ille, læso numine, intimis animi doloribus discruciabatur: cujus rei caussa postremis præsertim vitæ annis maximopere affligi, ac pene profligari videbatur. Cumque corruptissimam illorum temporum vivendi licentiam diutius ferre non posset, et emendatam Christiano homine dignam morum disciplinam in omnibus avidissime expeteret; in eam rem brevem quamdam ac simplicem confecit orationem, quam a pueris sub Missæ sacrificium, et inter alias preces quotidie recitari voluit: eam orationem hic ego, eadem styli simplicitate Latine factam, subtexam; sic autem habet. Dulcis Pater noster, Domine Jesu Christe, rogamus te pro tua infinita bonitate, ut totam Christianitatem informes et dirigas ad eam normam sanctitatis, quæ floruit temporibus Apostolorum tuorum. Quæ precationis formula in præsenti etiam a pueris orphanis inter quotidianas orationes usurpatur.

*pro emendatione morum curat legi a pueris hanc a se compositam orationem:*

32 Sed cum non modo in meliorem locum res devenirent, verum etiam pravorum dogmatum pestilenti afflante viru, et nefaria insanissimarum opinionum licentia, in summam perturbationem incidissent tempora illa, et Catholica disciplina multis in locis immani perfidorum exagitata furore periclitari, frangi, ac omnino profligari videretur; tabescebat Hieronymus in tam dira temporum calamitate, nec sine lacrymis intueri poterat Ecclesiæ navem, commune salutis perfugium, improbissimorum hominum audaci temeritate, gravissimis adversæ fortunæ fluctibus misere jactari atque affligi. Cumque multo maximam, multoque gravissimam ex eo contraxisset molestiam, tamen quotidie magis contracti doloris vehementia ex improborum desperata salute absumebatur, neque ulla voluptas impressam animo sollicitudinem levare poterat: quin longo jam ærumnarum et malorum concursu defatigatus animus, cum ad obrepentem mœrorem opprimendum deficeret; ipsi etiam corpori supremam ægritudinem attulit, quæ ab animo in tanta molestia et gravi mœrore diu versante frequenter existere solet. Atque ita Hieronymum ærumnarum acerbitate debilitatum, et doloris angore victum, bona valetudo ac postea vita dereliquit: ut non immerito ardenti potius Catholicæ fidei F

*semel affligit, et dolore Ecclesiæ agitatus extinguitur,*

A fidei zelo, et acerbissimo divexatæ Ecclesiæ dolore (quæ ardentissimæ in Deum caritatis indicia sunt manifesta) quam morbi vi credatur extinctus.

## CAPUT VI.

### *Ejusdem Caritas in proximos.*

*Homil in Evang.* *Amore proximi ardet:*

Sed non infœcunda erat illa in Deum caritas et sterilis : nam amor Dei, ut inquit S. Gregorius, amorem proximi generat, et amorem proximi calefacit amor Dei. Amor hic porro proximi et ipse multiplici sobole germinans, late admodum in proximos ipsos sese effundit, quorum egestatem sublevat, inscitiam depellit, errata condonat, offensas suffert, quibus in officiis omnibus insignis plane, si quis alius, fuit Hieronymus : qui hanc benigne faciendi disciplinam erga omnes adeo excoluit ; ut inter virtutes, quibus in omni vita ornatissimus fuit, nulla mihi hac una in proximos caritate admirabilior videatur. Ut enim de suis bonis large pauperibus subvenire non rarum et infrequens sit ; quantum illud est, domesticam supellectilem eleemosynis universam exhaurire, facultates omnes in pauperum usus profundere ; seque adeo in eumdem paupertatis B et miseriæ ordinem redigere ; ut ostiatim victum mox egenis refundendum emendicaret, mucidis crustis, et panis recisamentis ipse victitare assueverit, meliore cibo pauperibus apposito ; quasi multo acerbius aliena, quam sua premeretur egestate, et inedia cruciaretur? Non absimilis certe hac in re S. Exuperio illi Tolosanæ Ecclesiæ in Narbonensi Gallia Episcopo, quem mirifice commendat S. Hieronymus ; quod scilicet viduæ Sareptensis imitator, ipse esuriens pasceret alios, et ore pallente jejuniis, fame torqueretur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogarit.

*omnia bona distribuit pauperibus,* *pro iis mendicat:* *Epist ad Rusticum monach.*

34 Sed, ut a recte valentibus ad ægros me referam, in quos multo effusior ejus excurrebat benignitas, hic unum non reticebo, quo universa superioribus libris hoc de genere tradita facilius ad examen revocabuntur, et intuentium oculis singula sua cum dignitate et præstantia subjicientur ; Hieronymi scilicet caritatem in languentes et ægros hujusmodi habuisse exordia et incrementa, quæ cum aliorum illustri sanctitate facile certet, et eos postremo exitus nactam, qui sublimem martyrii gloriam merito exæquent. Cogitanti enim mihi initia illa pietatis in ægros Venetiis impensæ, ubi prima Hieronymo fuit C hujus palæstra virtutis, plane sese objiciunt Divi *a* Bernardini Senensis sanctitatis tirocinia, quæ ille hujusmodi operibus ita apud cives suos posuit, cum Senæ gravi pestilentia vastarentur, ut duodenis comitatus juvenibus, quos sibi ad ipsum opus delegerat, circumiret ægrotantium domos, languentes et graviter affectos consolaretur, egestate laborantibus subveniret, sepeliret defunctos, paratus omnes subire casus, quos tetra illa lues se temere ingerentibus inferre potuisset. Certe si quis Hieronymi caritatis initia illa in ægros et defunctos, quæ suo retulimus loco, cum iis S. Bernardini conferre velit, non admodum forte inter se differre comperiet.

*ægris servit,* *incipiens cum S. Bernardino Senensi.* *a*

35 Quo deinde in studio impensius occupatus Hieronymus, et multo jam tempore animo obfirmatus, eos habuit progressus, qui præstantioribus in hoc genere nihil omnino concedant : quod planum fiet, si ea repetantur, quæ de *b* Elisabetha Pannoniorum Regis filia, et Lantgravii Turringiæ Principis conjuge in ægros caritate traduntur : quæ scilicet eo processerat, ut non alienum a sua dignitate putaret mendicum, infirmum, obsitum, squallidum, male olentem suo recipere sinu, suisque manibus crinem illius pectere, tondere caput, lavare totum corpus ; et quantum licuit a pædore, sordibusque vindicare : D aliaque hujusmodi in pauperes ægros et ulcerosos officia persolvere. Cui etiam adnectanda *c* Maria illa de Oignies, cognomento dicta, cum viro suo, quos non languoris deformitas, non tabes, non sanies feculenta ; non morbi evitanda contagio, ab ægrorum cura arcebat : quin miserabilior ægrotantium facies, ministrantium curam magis accendebat : quibus Christianæ caritatis incrementis ex æquo respondere cernet, quæ de Hieronymo, in ægros et ulcerosos ac sanie manantes, suo retulimus loco, qui attente perpendet.

*proficiens cum S. Elisabetha,* *b* *AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.* *et B. Maria de Oignies,* *c*

36 Sed exitum jam tantæ in ægros et misere jacentes caritatis spectemus, qui is tandem fuit, ut, grassante lue, cum ægris suo more impense deserviret Hieronymus eodem tactus morbo, non forte minori interierit, quam martyrii gloria : quando obeuntes in hujusmodi caritatis operibus implicitos, in album Martyrum ecclesiastici Fasti referre consueverint . ita enim pridie Kalendas Martii permultos, qui, peste grassante, laborantibus strenue ministrantes mortem oppetiere, veluti Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit : quibus etiam luculentum dedit testimonium S. Dionysius Episcopus Alexandrinus in epistola ad Hieracem Episco- E pum, quam refert Eusebius, *d* cujus hæc pauca nos verba subscribemus : Adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem et robustam fidem suscipiebatur, nihil a martyrii splendore abesse videretur. Adeundus omnino Eusebii locus, qui plurimum ad caussam mortis Hieronymi illustrandam facit. Atque ex his habemus quæ exordia, et progressus Hieronymi in proximos jacentes caritas habuerit, et quo tandem illustri suo exitu evaserit.

*finitur cum Sanctis Ægyptiis Martyribus adscriptis.* *d* *Lib. 7. hist. c. 10. 17*

37 Omissa vero corporum curatione, ad animorum culturam gradum faciamus. Quorum tanto erat studiosior Hieronymus, quanto corpore animus est præstantior : cujus rei caussa quos ille non tulit labores? quas non devoravit molestias? quæ non subivit discrimina? Hinc illa perpetua, ac fere nunquam intermissa catechismi tradendi occupatio, et Christianæ doctrinæ instructio : hinc creberrimæ illæ et ardentes in foro, in triviis, in agris, ubi tandem commodum fuisset, ad multitudinem exhortationes tam flagranti cum ardore dicentis, et audientium fructu, ut vir ineruditus sæpissime de rebus divinis verba faciens, libentissimis audiretur animis, et probaretur ab omnibus : cui nullum vacuum tempus a proximorum institutione et commodis esset, qui ad omnia faventis occasionis momenta incumbens, ea F sedulo exciperet, quo universos ignorantiæ tenebris, quoad posset, eductos, ad justitiæ et veritatis lumen traduceret. Et sane cum ea, quæ alienæ salutis procurandæ studio egit, mecum animo reputo, venit sæpius in mentem mirari, qui artus, quæ vires, quæ tam firma bene compacti corporis constitutio potuerit tanta paupertatis incommoda, laborum molestias ærumnarum acerbitates absorbere et concoquere, tranquillo præsertim semper animo, serena fronte, ac corpore prope indefesso. Sed nimirum cœlestis illa caritatis vis, et proximorum Christiana dilectio, ita mentem ad omnes corporis labores, et ærumnas æquo animo non solum perferendas, sed etiam contemnendas, confirmaverat, ut nullis hominum conviciis, et probris nullis paupertatis molestiis aut incommodis, nullis corporis laboribus et vigiliis, a proximorum salute procuranda revocari aut retardari posse videretur : ita scilicet ille, gemina in Deum et proximos caritate magistra, ad omnem animi et corporis patientiam, quæ malorum omnium victrix egregia est, jam eruditus, obduruerat ad molestias, et occalluerat ad labores.

*In proximorum salutem semper et ubique incumbit,* *in omnibus molestiis,*

38 Sed illud in hoc genere singulari animadversione dignum, quod magno ausu aggressus, exitu tam

A tam secundo felicique eventu absolvit; cum Christo Domino peperit adduxitque mulieres publico in scelere perditas, fecitque Christianæ probitatis magistras ac duces in claustro, quæ fuerant in lupanari integritatis hostes infensissimæ. Non defuere certe sanctissimi viri, qui eadem in proximos caritate incensi, eamdem etiam aggressi sunt provinciam; ut hujusmodi mulieres ad Christum perducerent: sed quam dissimili eventu intelligimus ex earum paucitate, quas vere ad pœnitentiam ab illis traductas legimus; idque non nisi summa quadam dissimulatione, et artificio plane singulari, non levi etiam interdum famæ honorisque jactura. Unus celebratur scriptorum monumentis *e* Paphnutius Abbas, qui *f* Thaidem nobile illud scortum eo artificio a quæstu meretricio ad pœnitentiam compulit. Impetrato scilicet ab ea secreto loco, et metum ac trepidationem simulans, identidem sciscitabatur, An, si congrederentur, eos visurus esset aliquis. Cumque negaret illa ab ullo se videri, præterquam ab ipso Deo, qui omnia cerneret, omnia sciret. Ergo, arrepta occasione subintulit senex, credis Deum nihil latere, et coram ipso peccare non erubescis, qui tua puniet, et omnium scelera? Perculit meretricis animum tem-B pestiva Paphnutii exprobatio, obortisque lacrymis, illico pœnitentiam egit. Sed tam nobili artificio, et acri interrogatione vix unam Christo peperit Paphnutius *g*. Vitalis etiam Alexandriæ monachi mira admodum in persimili opere fuit caritatis industria, qui prostibula sæpe adibat fœminarum, et cum ea, quæ impudentiore lascivia diffluere videbatur, noctem pactus, pretium offerebat; admissus autem, in aliquo fornicis angulo procumbens, orationi vacabat, donec illucesceret dies. Factum admirans mulier, cogebatur interim tacita intra se cogitare, non certe quantum lucri fecisset, sed quantum, turpiter vivendo, cœleste Numen offendisset: itaque nonnullæ ab eo hac simulatione conversæ, vitam correxere. Sed Vitalis perversa hominum opinione jactatus, palam male audiebat, quod frequens circa lupanaria esset: ut facile intelligam, hujusmodi mulierum correctionem tanto cum salutis et famæ discrimine, tanto cum labore et industria a sanctissimis viris tentatam, quam exiguo cum fructu sæpe successerit. Quo libeat magis in eodem caritatis opere admirari Hieronymum priscis illis sanctissimis Patribus non quidem sapientiorem aut sanctiorem; sed secundo rei eventu feliciorem: qui non unam aut alteram, sed permul-C tas, non ab ea turpi vitæ licentia et vitiorum castris abstraxit, quod permultum est et æstimandum maxime, sed intra monasterii septa in ipsa pœnitentiæ et virtutum omnium castra, quod maxime admirandum est, compulit; atque non integra solum apud omnes innocentiæ fama, sed illustriori etiam eximiæ caritatis commendatione et gloria.

39 Erat hic etiam ejus caritatis in proximos fructus non contemnendus, quod, aliorum in Deum commissis etsi intime angeretur, Divinamque bonitatem ab ingratis scelere offensam vehementissime indoleret; adeo tamen, humanam fragilitatem elevando et excusando, benigne ferebat, ut æquiorem in delinquentes ac mitiorem præbere se non posset. Cumque acerrime in vitia ipsa exardesceret, ac pene desæviret, vitiis tamen obnoxios mitissime accipiebat et lenissime: sic in se ipsum etiam ob leves noxas severus, in alios vero lenis et mitis esse consueverat. Si vero quidpiam injuriæ aut offensionis ab alio tulisset, admirationi prorsus erat animi illa constantia et æquabilitas, qua universa mitissime ferebat. Plura sunt hujus generis, eaque gravissima in tota ejus vita exempla observata: quin ita ille rebellantem sensum edomuerat, ut nullum dulcius acroama ad aures illius; quam multa in eum congesta convi-

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA. in impudicis fœminis convertendis*

*e f superat S. Paphnutium*

*g et S. Vitalem:*

*mitissime complectitur peccatores,*

*ac sibi infensos:*

D cia et illatæ contumeliæ, accedere posset: atque his, aliisque permultis experimentis, quibus Christiana in proximos caritas comprobatur, adeo illustris in hac virtute, et excellens extitisse videtur, ut, quod de *h* S. Honorato dixit aliquando S. *i* Hilarius, non incongrue de Hieronymo usurpare me posse diffidam. Tantam scilicet in eo fuisse latitudinem caritatis, ut, si specie facieque hominis ea virtus exprimenda esset, Hieronymi potissimum pingi vultu debere videretur: neque supra fidem, aut exaggerandi gratia aliquid a nobis dici existimabit, qui superiores vitæ libros æquo animo percurret. Sed quando nullibi magis assiduam et ferventem libet spectare Hieronymi caritatem, quam in pauperes derelictos et orphanos; placet seorsim hoc pium caritatis institutum expendere, fusiusque de eo agere.

*illustris in omni caritate, ubi S. Honoratus: h i*

a *Vitam S. Bernardini Ordinis Minorum dabimus* 20 *Maii.* — b *Colitur S. Elizabetha* 19 *Novemb.* — c *De B. Maria de Oignies agemus* 23 *Junii.* — d *Eam* 28 *Februarii damus, ubi de Sanctis his agimus.* — e *Refertur S. Paphnutius in Florario MS.* 8 *Martii, a Maurolyco* 29 *Novemb.* — f *Colitur* S. Thais, *a Græcis potissimum,* 8 *Octobris.* — g *Vitam* S. Vitalis *dedimus* 11 *Januarii.* — h *Acta S.* Honorati *illustravimus* 16 *Januarii.* — i *Colitur* S. Hilarius *Episc. Arelatensis* 5 *Maii.*

## CAPUT VII.

### *Derelictæ sobolis educatio quam pium, et Reipublicæ utile institutum.* E

Ardentem illum in Hieronymo sanctæ caritatis ignem alebat maxime, perpetuoque fovebat quædam non intermissa Divinorum beneficiorum recordatio, quæ semper in ejus mente vigebat; sed unico illo et inter cetera singulari mirifice capiebatur, quod, cum ille dives esset, pro nobis egenus factus est, cui cum nunquam parem ab humano genere gratiam persolvi posse intelligeret, quantam maximam tamen posset, pro viribus rependere studebat. Quocirca in Christi pauperes effusissima ferebatur caritate, quod ipsum Christum pro nobis egentem factum maxime referrent, et impensa Christianæ caritatis officia ejusdem Christi vice admitterent; qui, quod uni ex his minimis præstitum fuerit, sibi uni præstitum fatetur: ut nil mirum, si totus eo in opere Hieronymus, hoc unum, inter cetera pietatis officia, proprium sibi fecerit institutum: quod certe munus quam non modo ipsi Deo gratum et acceptum, sed et Reipublicæ commodum sit, neque a suscepta scriptione alienum, neque lectori injucundum erit paucis indicare. Qui enim Divina humano contuentur oculo, ad egregiam operis commendationem non animadver- F tunt, quam salubri et religioso conatu, e communi animarum salute Divinaque gloria quisque desudet; sed quam specioso et illustri hominum plausu, aut e privatæ utilitatis commodis et splendore laboret: ac ideo minus huic instituto deferunt, in quo plus est curarum et laborum, quam splendoris et pompæ. Ceterum utilius hoc quam speciosius institutum, solidæ caritatis reique publicæ percommodum opus, si quod aliud, merito censetur: nobilioribus enim et fortunis instructis, qui sedulam navent operam, reperiuntur non infrequentes, quando ex eo opere, vel non exigua lucri affulgeat spes, vel ambitionis aura e potentiorum servitute et clientelis excitata et collecta, non leviter blandiatur: extremorum vero inopia et miseria confectorum curam qui suscipiant, admodum perrari, cum nullum alliciat commodum, nullum sollicitet lucrum, sola laborum et ærumnarum copiosa seges efflorescat et invitet.

40 Quod si pauperis corpus vel cibo alere, vel veste contegere caritatis non infimæ putatur, quanto altioris ordinis illa erunt: ejusdem animum bonis moribus excolere, mentem Christianis virtutibus exornare, Catholicæ fidei rudimenta, Divinæque legis præcepta tenellæ adhuc ætati, et infirmæ instillare, quæ

*diligens in orphanis educandis,*

*licet nullo splendore,*

*sed magno labore*

*eos instruit:*

A quæ formantium manus ad virtutem, rectamque fidem facile sequitur; tum eosdem variis artibus et opificio informare, quo vitam honeste traducere, et, si contingat, familiam etiam alere queant : si qui etiam eminentioris ingenii existant, e sedentariis illis artibus sordiumque tenebris ad doctrinarum lumen adducere; nec modo corporis famem cibo, sed insitam etiam illam et a natura ingenitam sciendi cupiditatem ingenuis artibus sedare? Et certe si universos Christianæ reipublicæ ordines animo repetas, si gradus omnes ratione perlustres, si status denique mente revolvas ac percurras, complures occurrent, qui misere neglecti in perpetuis natalium sordibus, furto, vitiisque omnibus expositi, Divino numini et civitatibus infensi, perpetuo jacuissent : nisi hujus institutionis et disciplinæ beneficio e natalium tenebris, reique familiaris angustiis, vel ad doctrinarum culmen et gloriam, vel ad honestas artes et opes non exiguas, ingenti certe Reipublicæ bono, aliquando emersissent : quales etiam innumeri pene sunt tum minores opifices in officinis operam mercede exercentes, tum etiam officinarum magistri, qui ex hac pauperum derelictorum institutione prodiere, prodeuntque quotidie, quorum in officinis, si B quid contrahas, vides omnia citra fraudem ac perjuria omnino sincera fide transigi, magna contrahentium utilitate, et Christianæ probitatis exemplo. Nec in præteritis illud relinquendum, quam frequentes sacris Ordinibus nomina dederint, denique frequentissimi, quorum doctrina et probitas multis Christianæ reipublicæ partibus admodum utilis, et frugifera commendatur. Ut igitur nobiliorum institutio præclaros sane et egregios habeat exitus (permagni enim Reipublicæ interest, quam recte ad pietatem et virtutem nobilitas informetur, cujus tanta est in utramque partem vis atque potestas) infimorum tamen et tenuiorum informatio suo non caret fructu, nec minori apud Deum mercede compensatur. Quin uberiores etiam interdum pietatis et religionis fructus, vel tenui cultura, ex infimis et humilibus legi, quam e nobilium divitumque diligenti cultu, idcirco plures sanctorum Patrum sensere; tum quia opulenti et potentiores nihil præter terrena sapere aut curare videntur; tenuiores vero rebus humanis minus addicti facile, hisce contemptis, toto pectore ad cœlestia anhelant, eaque magno cum pietatis sensu contemplantur et expetunt : tum etiam, quia divitias et nobilitatem Dei hominumque contemptus fere comita- C tur; cum infimiores cœleste Numen puriori religione colere, ejusque majestatem vereri facile condiscant : hi enim humana non magnopere expetentes, divina avide arripiunt; quæ nobiliores, animo amplitudinis humanæ cupiditate occupato, penitus excludunt. pauperes illos rerum inferiorum contemptores haud ægre allicit cœlestis vitæ amor et studium; quod potentiores imaginariis honoribus excellentiæque studiis (cujus maxime appetens est nobilitas) indulgentes, tædio atque molestia afficit. Unde non immerito cœlestium donorum opes, laxiori manu in illos effundere Divina bonitas consuevit, quos ab his rebus mente soluta, ab alienataque voluntate, sitire cœlestia videt ardentius, et ad Christianam disciplinam multo esse propensiores. Quippe tanti refert, quam vacuo liberoque animo ad Deum accedas.

*summo Reip. bono.*

*et religionis Catholicæ incremento.*

42 Quibus certe aliisque permultis de caussis nemini jam mirum esse debet, si hujus destitutæ sobolis cura perpetuo summis viris sanctisque hominibus cordi quam maxime fuerit. Inter quos tam pii sacrique instituti princeps et auctor S. Zoticus censetur, qui eximia nobilitatis et virtutum omnium laude Romæ florens, cum aliis summis viris Constantinopolim a magno Constantino Cæsare traductus ad summa Imperii munera obeunda, ibi primus orborum curam suscepit, eisque contubernio erecto, proprias D ædes assignavit, et certam vivendi rationem instituit. Unde Leonis et Anthemii Augustorum rescripto ad Dioscorum Præfectum, sancti viri memoria in hæc verba commendatur. Zotici beatissimæ memoriæ, qui primus hujusmodi pietatis officia invenisse dicitur. Sed et Græcis Latinisque sacrorum fastorum monumentis pridie Kal. Januarii egregia viri sanctitas et pium caritatis opus illustratur : ut non parum etiam hæc pauperum derelictorum institutio auctoris nobilitate et sanctitate commendetur. Quod vero Constantinopoli S. Zoticus, idem etiam in Galatia, pari pietatis laude, *a* S. Clemens Episcopus et Martyr præstitit. Hic magnus ille Clemens martyrum columen, et carnificum terror, cui orphanorum colligendi curam et studium accendit dira fames, quæ tunc Galatiam invasit : cumque esset ille admodum juvenis, et tum vix vigesimo ætatis anno expleto, Ancyrensi Episcopatu inauguratus, orphanorum tamen institutum non dimisit. Quin illud etiam addidit (quod Hieronymus etiam Somaschæ præstitit, et nostra adhuc in Religione, certis ad id ædibus assignatis, usu receptum est) ut præter pauperes, orbos a nobilioribus etiam oblatos filios apud se domi aleret, educaret, et erudiret. In eamdem pietatis laudem acerri- E me incubuit *b* S. Adelhardus Pipini Magni nepos, et Caroli Augusti consobrinus, qui novam in regno Galliæ vel invexit, vel tempore desuetam derelictæ sobolis curam revocavit : orbis enim pueris in unum collectis insigne domicilium attribuit, tantaque pietate operi semper præfuit, ut, quos huic officio ministros assignarat, velut pauperum medicus ac parens, cum ipse interesse opusque suis manibus perficere non posset, diligentissime instrueret, qua ratione cibos pararent, ne tenellæ ætatis sanitas læderetur. Sed et hoc minime reticendum, quod maxime ad rem nostram facit, Adelhardum virum Religiosum fuisse, et Abbatem Corbeiensem, ut hoc institutum a religiosis hominibus non abhorrere appareat. In Cypro etiam S. Sophronius Episcopus, pupillorum et orphanorum patronus, et pauperum omnium adjutor mirificus fuit, cujus in pauperes egregia caritas ecclesiasticis fastis celebratur sexto Idus Decembris. Neque vero in omni consequenti posteritate viri omnium laudum genere præstantes defuere, qui in idem pietatis opus curas omnes direxerint, quibus Hieronymum etiam nostrum præterito seculo Divina bonitas addidit, et ad hujusmodi loca tota ferme Gallia Cisalpina construenda excitavit : quo in munere F quam Divina clementia magnis rebus gerendis eidem adfuerit, satis præcedentibus libris continenti narratione expressus illius vitæ cursus declaravit.

*exemplo S. Zotici*

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

*a S. Clementis Ancyrani,*

*b S. Adelardi Abbatis,*

*et S. Sophronii Ep.*

a *Vitam* S. Clementis *Ancyrani dedimus* 23 *Januarii*. b S. Adelardi *Acta varia illustravimus* 2 *Januarii*.

## CAPUT VIII.

### *Insignis Hieronymi corporis mortificatio, quæ pœnitentia et paupertate absolvitur.*

Veram et germanam in Deum proximosque caritatem et assiduum orationis studium insignis semper mortificatio comitatur, indissolubilique nexu illis perpetuo unitur : nec ea solum, quæ insanas corporis appetitiones et effrænos sensuum motus domat; sed etiam quæ animi elationes immoderatosque spiritus cohibet et reprimit : quæ utraque mortificationis pars, quam in Hieronymo fuerit absoluta, tradendum est. Ac ut eam primo contemplemur, quæ corpus respicit, ea fere pœnitentia et paupertate continetur, quarum virtutum gloria perillustris fuit Hieronymus : quippe asper admodum semper in se ipsum fuit, sensuumque et corporis domitor omnino severus. Quam enim asperam victus rationem usurparit,

*In cibo et potu austerus.*

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA*

A parit, sæpius indicatum est : initio namque suæ conversionis, cum cibi minimi esset atque vulgaris, tum vero eos fecit in abstinentiæ virtute processus, ut vix aliquid vilissimi edulii cum ceteris domesticis victitans ad panem adhiberet : eoque postremis vitæ annis processit, ut pane secundario, vel etiam hordeaceo, et frigida vitam duceret; atque adeo tam asperæ ciborum abstinentiæ assueverat, ut ne aspectum quidem lautiorum ciborum ferret : cujus rei argumento sunt uberrimæ lacrymæ super mensam apud Seainum fusæ. Quod ergo numquam certe memini, quin memoriæ succurrat, quod de *a* Palæmone Thebaidæ solitudinis monacho produnt, qui cum *b* Pachomium contubernalem suum hortaretur, ut celebri die Resurrectionis Domini solito lautius obsonaret, coxit ille olus, oleoque et sale condivit : sed, posita mensa, Palæmon suspensus paromper hæsit, ingemuit, hisque verbis lacrymas emisit : Dominus meus crucifixus felle et aceto potatus est, et ego oleum edam? Cumque illum ubertim flentem rogaret Pachomius, ut cibum sumeret, illamque olei lautitiam non tam sibi, quam illustri et omnium maximæ celebritati concederet, non obtinuit; quin Palæmonis lacrymæ pervicerunt, ut ne Pachomius quidem præter panem cum sale et frigida, quidquam gustaret. B Simili abstinentiæ ardore Hieronymus sanctissimi Crucifixi recordatione splendidiores aversabatur mensas, et pari lacrymarum ubertate alios etiam a lautiori escarum usu eo die apud Scainum revocavit. Et quidem ad hanc virtutem abstinentiæ domesticos in primis ceterosque, qui illi in disciplinam se traderent, suo informabat exemplo et institutione, parcoque et parabili cibo eos uti ubique volebat. Ut universa in hoc genere de ejus instituto illis plane verbis S. Hieronymi concludere posse mihi videar, quæ de monachis eremi ait : De cibis vero et potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida utantur, et coctum aliquid accepisse luxuria sit.

*Lib. 3. c. 13*

*a*

*b*

*exemplo S. Palæmonis,*

*et monachorum Ægypti ;*

44 Eadem vitæ asperitas comitabatur quiescentem : cum enim aliquando subjectas paleas ad cubitum adhiberet, eo postea devenit, ut corpore pavimento porrecto, nudo saxo, vel (si paullo commodius quiescere necesse fuisset) alicui asseri, neque positis indumentis, adcubaret : vixque satis naturæ faceret indigentiæ. In se ipsum autem immiti sævoque flagello nec citra sanguinem desævire, terga corpusque fœde discerpere, erat illi perfamiliare. Sed longum esset omnino recensere, quam adeo afflictum et flagris contusum debile corpusculum, C aliis præterea laboribus ac vitæ asperitatibus severe frangeret, cum illud ferendis oneribus subjiceret, longis itineribus oppidorum vicorumque concursationibus fatigaret. Quoties hominem ligna, saxa, sabulum convehentem conspexerunt? Quoties in agris, nulla frigoris aut caloris habita ratione, rusticorum vices explentem sunt intuiti? Quæ omnia ad corpus edomandum, rebellantisque sensus vires atterendas spectabant : quod mortificationis genus priscis etiam illis sanctis Patribus in usu fuisse, vel unum *c* Macarii Alexandrini monachi exemplum docet, qui saccum sabulo plenum sæpe gestabat humeris nihil inde præter extremam lassitudinem captans ; rogatusque quid supervacua illa sibi vellet opera, egregie respondit : nisi corpus hoc graviter affecero, periclitetur anima, necesse est : hunc plane Macarium mihi videtur referre Hieronymus, adeo propensus assiduis laborum defatigationibus, ad corporis vires perdomandas. In cujus certe labores mihi intuenti sæpe succurrit admirari, qui artus, quod robur, quæ corporis firma constitutio, et membrorum apta coagmentatio, tantam subire laborum molem potuerit : qui certe humanam fidem excedere videri possent, nisi pios hujusmodi conatus cœlo curæ esse sciremus.

*durius et parce cubat*

*flagellis in se sævit ,*

*corpus continuis laboribus frangit,*

*c*

*uti S. Macarius Alexandrinus.*

45 Unanimis etiam soror et indivisibilis comes D ejus mortificationis est paupertas : quæ sola suo honestat comitatu plurimis carentem commodis, vel ad ipsam vitam tuendam necessariis. Quo in genere quantum Hieronymus, sive ad peculiarem nec umquam intersistentem hujus virtutis exercitationem, sive ad absolutam corporis castigationem, excelluerit ; adeo totus illius vitæ cursus legentium oculis objectus ostendit, nihil ut jam superaddi posse videatur. Quare compendio sunt hic aliqua attingenda, tum quæ ad corporis mortificationem, tum quæ ad absolutum hujus virtutis exercitium faciunt. At, ut de primo dicam, extrema semper earum rerum inopia, quæ sunt alendo corpori necessariæ, ad ejus mortificationem conflictabatur : cumque sedulo cum aliis ageret, ut extremæ pauperum miseriæ vellent obviam ire, ex publicaque misericordia non exigua Christi pauperibus annonæ subsidia exprimeret ; ipse tamen commune cum illis paupertatis incommodum præcipuo damno, ex arctioribus scilicet mortificationis legibus, subire volebat : quippe stipem in alios large dispertiens, sibi tamen vix, quantum quotidiana tolerandæ vitæ necessitas postularet, reservabat : quoque magis apud illum valebat rarus ille sensus alienæ miseriæ, et diræ famis horror ; eo E minus sibi vitæ subsidia usurpabat. Itinera insuper, quæcumque incidissent, quovis anni tempore pedes et solo Divinæ providentiæ viatico instructus obibat : quocumque pervenisset, ad xenodochia vel nosocomia pauperum divertebat, incommoda scilicet et vilissima hujusmodi diversoria quibuscumque nobilium habitationibus, paupertatis et mortificationis simul amator, anteferens. Amictu adeo paupere et vili utebatur, ut interdum, sæva hyeme procedente, frigore obdurari ejus membra viderentur. Atque, ut uno verbo concludam, in hunc plane finem tum domi, tum extra in suppellectili et victu ceterisque rebus paupertatem potissimum eminere volebat, quo nullibi mortificando corpori deesset occasio. Eoque studio consequebatur, ut non modo mortificationi inserviret hæc virtus ; sed ad absolutam etiam Evangelicæ paupertatis speciem se ipsum aliosque formaret : quos non in postremo aliquo gradu consistere, sed ad altiores secum evehere contendebat.

*paupertati deditus,*

*stipem largiorem aliis procurat, non sibi :*

*iter pedes et absque viatico facit ·*

*ad nosocomia divertit .*

*utitur vili vestitu*

*et supellectile,*

46 Libet hic, quam per omnes paupertatis gradus sit egregie vagatus, cursim exponere. Primum enim abalienata a divitiis voluntate, omnique prava animi affectione detersa, interno illo divitiarum contemptu inter eos computari merito debet, qui primo in agmine F pauperes spiritu a Domino vocantur, et quibus regni cœlorum possessio addicitur. Verum primo in hoc ordine non constitit ille, sed ad proximum etiam paupertatis gradum evasit, ut scilicet tacito illo et in sinu latente bonorum omnium despectu aliquando evulgato, et in lucem educto, rebus suis se sponte abdicaret, omnique paterno censu exutus, Christi pauperrimus fieret. Illud etiam (quod permagni in paupertatis studio æstimatur) est tertio loco assecutus, ut voluntariæ huic rerum abdicationi perpetuitatem adderet : nam illam semel arcte complexus, in omni postea vitæ parte diligentissime custodivit, et quibuscumque officiis sanctissime retinuit, summis etiam opibus libens semper eam prætulit. Quippe in ea rerum inopia tam dives, nihil ut appeteret ; in magnis vero divitiis tam largus, omnia ut Christi pauperibus effuse divideret. Sed uno forte gradu summo illo evangelicæ paupertatis fastigio minor Hieronymus videri potest, quod, an voti religione ad hoc vitæ genus aliquando se obstrinxerit, incertum.

*pauper affectu,*

*re, abdicatis omnibus,*

*constanter, tota vita,*

47 Ceterum in tam ampla bonorum abdicatione, qualem de Hieronymo retulimus, majus quoddam inest voluntariæ paupertis momentum, et excelsi animi supra humana omnia erecti argumentum, quam

*an voto obstrictus*

leviter

A leviter intuenti appareat. Non enim forte admodum difficile privatæ renuntiare fortunæ, nec altioris ordinis injecta aliqua spe, velle præterea majoris voti aleam experiri : sed hominem in amplissima Republica natum, nequidquam illi majorum dignitatum, et supremi etiam in sua civitate principatus aura adblandiente, eo divitiarum bonorumque culmine sponte decedere, quamcumque supremi fastigii spem abjicere, et ad tam vilia abjectaque pauperum servitia sese dejicere : admirandum profecto, et supra communia mortalium vota obstupescendum facinus censetur. Quod facile magnum illum Ovinium Gallicanum, bis Consulem, pluries barbarorum victorem, et Constantini Magni generum designatum animo subjiciat. Hic toties Romani excercitus Imperator, post Thraces, Dacos, et Scythas bello domitos, Constantiam tamen Constantini Magni Cæsaris filiam sibi sponsalium pollicitationibus destinatam, cum ingenti opum vi sponte dimisit ; et ad Ostia Tyberina secedens sancto viro Hilarino sese aggregavit, et pauperum hospitalitati infirmorumque servitio se totum addixit, multo sibi gloriosus fore ratus, cœlesti militiæ subesse, quam Romanæ præesse, et salubrius Christi pauperibus se immiscere, quam B primo post Cæsarem loco in aula consistere : quare tam ardenter in privatis ædibus servi functus est officio, quam prius in castris Imperatoris ac Ducis : nec magis olim militaris gloriæ avidus fuit, quam postea abjectissimæ paupertatis studiosus : cui non admodum absimilis Hieronymus noster videri potest in tam egregio rerum humanarum contemptu et sui ipsius despectu. Sed et quemadmodum suos habuit admiratores voluntaria Gallicani paupertas, et in Christi pauperes pietas, cum vulgata latius per orbem tantæ rei fama, multos undique illuc acciret, qui ad virum ex Patritio et Consule lavantem pauperum pedes, ponentem mensam, affundentem manibus aquam, languentibus sollicite ministrantem, et cetera ... nctæ servitutis officia exhibentem, contuendum properarent ; ita neque iisdem suo caruit tempore Hieronymus, quos late manans in hominum ora ejus virtutis rumor, ad ipsum Somaschensis solitudinis recessum invitabat, quo tantæ paupertatis et pietatis spectatores forent. In ea vero abjectissima rerum conditione (ut hoc etiam postremo loco addam) non minori profecto laude digna sunt, quæ in pauperum obsequium præstitit, quam quæ in summa opum affluentia in luxus et voluptatis gratiam a va- C nis divitiarum amatoribus profecta videmus. Villas illi, palatia, thermas, theatra, aliaque ædificia insanis innixa substructionibus, et immanibus columnis suffulta, tam stulta, quam larga divitiarum profusione excitarunt : sed Hieronymus non secularis auræ, sed paupertatis studio incensus, pauperumque addictus servitio, humiles casas erigere, hospitia miseris parare, multa passim gymnasia ad exercendam pietatem caritatemque aperire, in quibus ille de his virtutibus prælectiones quotidie habebat admodum utiles et frugiferas non nitido dicendi genere et conquisita verborum pompa explicatas, sed assiduis asperæ pœnitentiæ et paupertatis laboribus atque incommodis expressas, quæ non vulgarem sui corporis mortificationem, illustri cum pietatis significatione, mortalibus obtestarentur.

*summo honoris culmine spreto,*

*infima appetit,*

*imitatus S. Gallicanum,*

*cum magna affluentium admiratione.*

a *De* S. Palæmone *egimus* 11 *Januarii.* — b *Colitur* S. Pachomius 14 *Maii.* — c *Hujus* Macarii *Vita dedimus* 2 *Januarii.* — d *Anno* 317, *et* 330. *Colitur* S. Gallicanus 25 *Junii.*

## CAPUT IX.

### *Ejusdem interior mortificatio, quæ humili sui abnegatione, et obedientia continetur.*

Sed ad alteram mortificationis partem devenio; quæ animi cupiditates frangere, et interni spiritus elationem humili sui contemptu et obedientia deprimere solet, arduo sane et difficili certamine, ut non D passim hujus victoriæ exempla numerare queas ; quippe Chium Aristonem illum plures secuti, ad propriæ laudis gloriæque studia potius, quam veræ virtutis sese retulere. Non minora tamen in Hieronymo suppetunt hujus virtutis, quam ceterarum argumenta : cui unum illud familiare fuit, infra omnes sese demittere, præ omnibus se contemnere; maxime sollicitus, ne magnarum virtutum mercibus referta navis ad cæcos elationis scopulos illisa, misero aliquando superbiæ fluctibus absorberetur. Molestior forte videbitur narratio, si singulos humilitatis propriæque abnegationis gradus persequar; ideirco pauca tantum hoc de genere attingam, ex quibus de reliquis in proclivi erit judicium. Ipse hominis habitus cum primum in oculos incurreret, erat non obscuræ humilitatis indicium : eamdemque virtutem tum domestica, tum externa ejus exercitia prodebant. Domi siquidem ad abjectissima quæque et laboriosa ministeria, studiosa et prompta ad omne officium celeritate, vel non rogatus, sese porrigebat : hoc erat illi solenne, coquo operam dare, sordida culinæ servitia obire, aquam et ligna convehere, lances patinasque perpurgare, reductis ad cubitum manicis, in- E quinatos lebetes et ollas ferventi aqua sua manu diluere, pavimentorum quisquilias verrere, in cujusque vel infimi obsequium se totum occupare ; ut, ceteris officio Prælatus, mutata cum illis officii vice, eorum expleret ministeria : ceterorum servum et administratorem, seu verius mediastinum dixisses. In communi vero et quotidiano congressu omnes comiter appellare, et infimum quemque blande affari consueverat : nec ulla re magis tam multos ille ad se alliciebat, quam miti illo suavique alloquio. Pauperes autem et egenos peculiari prosequebatur honore, omnia eorum caussa præstare cupiens ; quod in illis singularem quamdam Christi Domini speciem agnosceret, qui cum esset dives, propter nos egenus factus est.

*AUCTORE AUGUSTINO TORTURA.*

*Valde humilis*

*habitu corporis,*

*et in exercitiis vilissimis,*

*comis in alloquio,*

*etiam pauperum,*

49 Si quid interdum ab eo erratum esset (quod in hac contagione in proclivi est) non ille pertinaciter errorem defendere, non studiose occultare, sed gravissimum fateri, emendationem polliceri : sæpe cum in cœnaculo, ceteris assidentibus, suis erratis veniam deposceret, id tanto animi sensu et ostensione doloris præstabat, ac si vere gravissima fuissent : quæ tamen vel nulla, vel certe ex eorum genere erant, adversus quæ numquam satis cauta est humana fragilitas. Sed umbratilis ista exercitatio virtutis, minus F forte splendoris habet ac probationis; clarior illa et illustrior, quæ integris spectabatur civitatibus, cum onustus manticis, ad communem misericordiam prodiret in publicum : quo loco ne aliqua forte fictæ humilitatis suspicio esse posset, addebantur insanum plebis probra, scommata, et contumeliæ, e quibus molestiæ nihil, voluptatis vero plurimum hauriebat Hieronymus, magno certe edomiti interioris sensus argumento. Egregium fuit olim S. Francisci adversus gliscentem sanctitatis suæ famam commentum illud (quando latius quotidie in vulgus manaret, et celebrior in ora deveniret) ne qua inanis gloriæ voluptas subiret animum, cum negotium dedit dicacissimo cuidam, ut vitam et mores suos et omni verborum petulantia incesseret : urgere ille immaniter volentem non destitit; quin etiam convicia aliquanto severius acerbiusque, quam deceret, quæsita congestaque in eum scimus : sed et hoc unum mirifice adversus animi elationem medicamentum semper adamavit Hieronymus, sanctæ humilitatis et mortificationis sectator; cui nullum dulcius acroama, quam conviciorum et injuriarum nobile præconium. Lacessenti vero, et injuriam inferenti quam blandum se præberet, satis explicatum, cum barbæ evulsionem

*erratus in erroribus suis agnoscendis,*

*hilaris fert contumelias, cum S. Francisco:*

*AUCTORE AUGUSTINO TURTURA.*

A minanti, tam inusitato modestiæ documento, mitissimum se obtulit.

*supremam inter suos auctoritatem conatur a se amovere :*

50 Hoc etiam inter insigniores humilitatis et abjectionis notas referendum ; infima loca ambire, oblatos honores rejicere, suprema munera detrectare. Regebat ille initio auctoritate potius, quam imperio, reliquorum cœtum, cupiebatque eo se onere levare : cumque abnuerent ceteri, primum tamen ille gradum, quamdiu potuit, recusavit ; tamdiu vero restitit, donec omnium efflagitatione victus animum inflexit, ut desineret rogari tandem et negare : illud tamen constantissime semper retinuit, ut, quando primo loco abire non posset, cum saltem omnium nomina essent conscribenda, tertio se loco semper scriberet, duosque ad minus sibi præferret : idque vetustissima autographa sua manu exarata adhuc ostendunt, in quibus Alexandrum Mediolanensem et Augustinum Bergomensem illi prælatos legimus. Huc etiam mirifice facit, quod alibi a nobis est quæsitum, cur scilicet villarum et solitudinis recessum magnis prætulerit civitatibus. Ut enim illam in præsenti caussam omittam, quæ illi cum aliis sanctis viris communis esse potuit, qui urbes illecebrarum plenas, ceu scelerum irritamenta cum eremo libentissime commutarunt ; quo in genere illustris admodum fertur S. Benedictus, qui, Roma cum studiis relicta, in solitudine maluit esse cœlestium rerum contemplator, quam in ea urbe secularium studiorum cultor : hujus tamen Hieronymi consilii primas sibi partes usurpare videntur tum proximorum caritas, tum sui ipsius contemptus.

*rellat majores urbes*

B

*uti Romam S. Benedictus*

*agrestes homines docet exemplo S. Pachomii*

51 Videbat ille rudes et agrestes homines egere admodum Christianæ doctrinæ magistris, quorum in civitatibus copia non deesset ; proinde libentissime ad eos se conferebat, exemplo forte Pachomii monachi, qui animadvertens proximi vici colonos rerum cœlestium ignaros, a cultu abesse divino, et tantummodo in pascendis pecoribus studium protrahere, vehementer indoluit, nihilque moratus, ad eos se contulit, et inter illos tuguriolum constituit, neque prius discessit, quam illos docuisset Deum timere, Christo credere, pie atque innocenter vivere. Sed hoc forte melius in singularem hominis humilitatem suique contemptum rejiciendum ; qui se mortalium omnium vilissimum caput, et frequenti illa hominum luce omnino indignum arbitratus, latebras, solitudines, cavaque montium latibula circumspectabat. Sed quem ab hominum cœtu arcebat humilitas, revocabat postea caritas, cogebatque spiritualis institutionis gratia, hominum frequentiam subinde repetere. Veluti qui maris periculo emersus, jamque in ipso portu receptus, si quos naufragio conflictari videt, rursum committit se fluctibus, ut in alto laborantibus opem ferat ; ita fere Hieronymus sua nimirum quiete aliorum salutem potiorem habens.

*solitudinem amat,*

C

*hanc ob aliorum salutem deserit,*

52 Superest jam postremo loco ejus obedientia explicanda ; quam ab animi mortificatione non sejungendam docuimus. Cui virtuti (quoad licuit) semper Hieronymus, cum absoluta sui abdicatione judicii, ac voluntate promptissima paratum et alacrem se obtulit. Sed cum ceteris Moderator præesset, minus multa hujus generis exempla edere potuit. Initio suæ conversionis quam ardenti obsequendi studio rerum spiritualium moderatori se totum permiserit, ac penitus subjecerit, suo retulimus loco. Cumque postea in disciplinam etiam Caraffæ se tradidisset, ita ab ejus nutu pendebat, ut, eo inconsulto, ne levissima quidem attentaret. Ad tantæ virtutis specimen indicandum, hoc unum subjiciam ex quo de ceteris prudens lector conjecturam faciat. Cum Salodii Stephanus Bertazzolus, Hieronymo audiente, aliquot capita ex S. Augustini meditationibus perlegisset, magno pietatis ardore Hieronymum ea lectio compleverat, ut libellum apprime utilem et fructuosum vehementer laudaret commendaretque : ea res Stephanum impulit, ut librum Hieronymo muneris loco offerret : sed gratum dantis animum multa humanitate collaudans Hieronymus, gratiæ omnino remittebat ; verum cunctantem ad accipiendum, cum alter precibus perpelleret ardentius, annuit tandem Hieronymus, seque oblatum munus hac conditione admissurum spopondit, si datis ea de re ad Caraffam litteris, et ipse consensisset ; ne videlicet quidquam in sanctæ obedientiæ jura ea de caussa peccasse videretur. Post vero suum a Caraffa discessum, cum varia obiret loca, novasque pauperibus sedes pararet ; diœcesanis Episcopis eorumque Vicariis ita se suaque omnia subdebat, ut singula pro eorum moderaretur arbitrio. Si civitatem relinquere, villasque et agrestes homines Christianæ doctrinæ præceptis imbuere in animo esset ; id non nisi Episcopo benedictione annuente, aggrediebatur. Numquam ille vel civitates appetebat, vel ab eis Somascham redibat, quin saltem Vicarii benedictione ac venia muniri vellet. Quin etiam cum Bergomo Mediolanum ad orborum contubernium curandum se contulit, id, non nisi permittente Episcopo, ab eo factum asserit Caraffa. Quo manifeste liqueat illum adeo sanctæ obedientiæ studio incensum fuisse, ut, quando illius exercendæ argumenta, tamquam aliorum moderatori inter suos, deessent, ea apud externos studiosissime conquireret.

*perfecte obediens,*

*initio moderatoribus conscientia,*

*potissimum Caraffa,*

D

*et Episcopis*

E

a Colitur S. Franciscus 4 Octobris. — b De S. Benedicto agemus 21 Martii.

## CAPUT X.

### *Ejus corporis forma, et figura.*

Satis hucusque quantum vires tulere, internam animi effigiem Hieronymi proferre, hoc est, perfectæ virtutis simulacrum, et excellens Christianæ disciplinæ exemplum exprimere sum conatus : eaque parte quatuor libris adumbrata, ipsam etiam corporis formam, oris lineamenta, faciemque tradere, hac suprema operis clausula, libet. Statura fuisse aliquanto supra communem, et tota corporis mole egregie formatum, capillo superciliogue nigrum, sed ita, ut atro densoque pilorum excursu in unum fere supra nasum convenirent supercilia : grandioribus vivacibusque oculis, et pleno tandem majestatis ore omnino venerabilem tradiderunt, qui proximi Hieronymo, id vel a viventis imaginis spectatoribus hausere, vel contemplari recentes illius ævi figuras potuere, quam minime aberrantes a vero : sed difficile admodum ante tantum temporis absumpta lineamenta, penna tamquam pennicillo reponere. Multum tamen fuisse dignitatis in illius ore ac vultu, ut vehementer assentiar, facit pervetusta adhuc Venetiis apud Æmilianos gentiles suos hominis imago (quam e præsentis vultu forte pictor effinxit) quæ barba et mento, confirmata jam ætate, virum ea, quam referunt, aspectus dignitate insignem ostendit. Consequentes postea anni canitiem, et pœnitentiæ rigor maciem palloremque addidere, sed majestate vultus, et frontis imperio non imminuto. Cernitur adhuc Brixiæ in suprema ædium contignatione rudi et ineleganti opere expressa hominis jam senis figura, ac pene ævi tabe absumpta : quæ tamen ex tam dissita memoria plenum gravitatis propagavit in hanc diem hominis aspectum.

*fuit statura supra communem capillo nigro, vultu venerabili,*

F

*contracta cum senio macie*

54 Sed quæ fuerit Hieronymo facies, et quam minime dissimilis a pictoribus expressa, non multum laboro. Illud unum est, quod in operis meta constitutum me maxime sollicitat et urget, ut internam illius animi effigiem tam claris virtutum luminibus radiantem, et fusius hisce libris a me in hunc finem explicatam, quotquot ab Hieronymo sumus, vita et moribus tandem aliquando ad vivum referamus.

*Epilogus auctoris.*

IX FEBRUARII.

# IX FEBRUARII.

## SANCTI QUI V ID. FEBRUAR. COLUNTUR.

Sanctus Philagrius Ep. in Cypro Mart.
S. Apollonia V. M. Alexandriæ in Ægypto.
S. Nicephorus Mart. Antiochiæ in Syria.
S. Athenodorus Ep. in Ponto Mart.

S. Alexander,
S. Ammonius,
et alii xx.
} Martyres in Cypro.

S. Ammon,
S. Æmilianus,
S. Lassa,
S. Didymus,
S. Pœmus,
S. Ammon alter,
et alii xxxviii
} Martyres Membressæ in Africa.

S. Julius,
S. Milicutus,
S. Thyrsus,
S. Boneus,
S. Orbasus,
S. Ornion,
S. Agatho,
S. Recumbus,
S. Bastamus,
S. Sermata,
S. Prothirion,
S. Colorus,
S. Lusus,
S. Aratus,
S. Theonita,
S. Hippus,
S. Germanus,
S. Saturnilla,
S. Pectimus,
S. Serapion,
S. Liastamon,
S. Papias,
S. Pampirus,
S. Dioscodus,
S. Herodus,
S. Potamon,
S. Peliconides,
S. Cumminus,
S. Zoticus,
S. Cyriacus,
} Martyres in Ægypto.

S. Hippias,
S. Paulus,
S. Dionysius,
} Martyres Alexandriæ in Ægypto.

S. Primus,
S. Donatus,
} Diaconi Martyres in castro Lemelensi in Africa.

S. Prima Martyr Carthagine.
S. Romanus Thaumaturgus, monachus Antiochiæ in Syria.
S. Attracta, sive Tarahata, Virgo in Hibernia.

S. Ruffinus,
S. Memor,
} Epp. Canusii in Apulia.

S. Nebridius, Ep. Egarensis in Hispania.
S. Telians, sive Eliud, Ep. Landavensis in Wallia.
S. Sabinus Ep. Canusinus in Apulia.

S. Sabinus Episcopus,
S. Romulus Diaconus,
} Atripaldæ in Italia.

S. Sabinus,
S. Eunomius,
} Epp. Lesinæ et Neapoli in Italia.

S. Cronanus Ep. in Hibernia.

S. Victor M.
S. Susanna V.
} Mosomi in Gallia Belgica.

S. Ansbertus Archiep. Rotomagensis, Gandavi in Flandria.
S. Petrus Archiep. Canusinus in Apulia.
S. Alto Abbas in Bavaria.

B. Marianus Abbas,
B. Murcheratus inclusus,
} Ratisponæ in Bavaria.

S. Raynaldus Ep. Nucerinus in Umbria.

---

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Sanctus Erardus Confessor *hoc die refertur a Davide Camerario. Vitam ejus retulimus* viii Januar.

S. Furseus Confessor, *a Joanne Colgano* xvi *Januarii, recte, ac rursus veluti mutata sententia* ix *Februarii consignatur. Vita utrobique edita, hic quidem ea quam Gallice edidit Jacobus Desmarus, in qua et obiisse hoc die tradit. Eum, nullo suffragante Martyrologio, sequi maluit Colganus, quod in loco, ubi Sanctus mortuus est, vixit, Peronæ nimirum; sed mille ferme post S. Fursei obitum annis, cum diserte* xvii Kalend. Februarii ad æterna commigrasse regna *dicatur in antiquissima Vita, quam dedimus* xvi Januarii.

S. Sulpitius Ep. Trajectensis *hoc die ascriptus recentiori cuidam MS. Martyrologio. De eo egimus* xviii Januar.

S. Sena Virgo *memoratur hoc die in MS. monasterii S. Cyriaci Romæ. An* Xena, *sive* Xene, *quæ et* Eusebia, *Virgo Romana, Mylasæ in Caria mortua? Vitam ejus dedimus* xxiv Januar.

*An* S. Serena, *cujus allatæ Metas reliquiæ? uti dictum* xxx Januarii.

Purificationis gloriosæ Virginis Mariæ Octava *recolitur apud varias Ecclesias; et Santonibus quidem peculiari solemnitate, ob miraculum isthic patratum, uti in tractatu de Purificatione* § 3 *num.* 13 *retulimus* ii Februar.

S. Gilbertus, Fundator Ordinis Gilbertinorum, *refertur in* Kalendario sacri Ord. Cisterciensis *Divione an.* ciↄiↄcxvii *edito. De eo egimus* iv Februar.

B. Aldericus, subulcus in Fuscenich, *consignatur hoc die ab Ægidio Gelenio in Fastis Agrippinensibus, Joanne Pagio in Bibliotheca Præmonstrat. Chrysostomo vander Sterre in Natalib. SS. Ord. Præmonstrat. Inque Ordine recitandi Divini Officii cuso Madriti ann.* ciↄiↄcxxxv. *Vitam dedimus.* vi Febr.

S. Paulus Episc. Virdunensis *hic refertur a Maurolyco, Martyrol. Coloniæ an.* mcccclxc *edito, et quibusdam MSS. Vitam ejus dedimus.* viii Febr.

S. Maingoldus Dux Martyr, *hoc die refertur a Molano in Addit. ad Usuardum, Saussaio in Martyrol. Gallicano; Wilsono in Anglicano. De eo egimus* viii Febr.

Clavi Dominici Translationem *recoli hoc die* Catanæ *apud*

A *apud Siculos, in monasterio S. Nicolai Ord. S. Benedicti, tradit Octavius Cajetanus noster.*

S. Felicis Episcopi Bracharensis, qui regebat Ecclesiam anno CCXLV memoriam in Gallæcia celebrem *fuisse tradit Julianus Petrus in Chronico ad ann.* 288, *quem ob hujus auctoritatem Hagiologio Lusitano inscripsit ad hunc* IX *Februarii Cardosus: nos certiora monumenta exspectamus.*

S. Alexander Ep. in Ponto, frater S. Gregorii Episcopi Neocæsariensis *refertur hic a Ferrario. Is est* Athenodorus, *de quo nos infra.*

S. Alexander Martyr Romæ cum XXXVIII sociis, *inscriptus est Martyrologio Romano a Baronio, et Catalogo SS. Italiæ a Ferrario. Nobis videtur ille esse* Alexander, *qui hoc ipso die colitur, martyrio coronatus in Cypro: Martyres vero* XXXVIII *socii SS. Ammonis et Æmiliani in Africa hoc quoque die interemptorum.*

S. Ammonius confessor in Cypro *memoratur apud Maurolycum, Petrum de Natalibus, inque MS. Ultrajectino. Sed videtur* Martyr *esse,* socius S. Alexandri, *a pluribus hic relatus.*

S. Apollonia V. Romana, sub Juliano Apostata cum Apollonio patre martyrii lauream adepta *memoratur in*
B *Hermanni Greven auctario ad Usuardum, inque MS. Florario, ac Ferrario, et Canisii Germanico Martyrologio. Verum an ea extiterit aliquando, merito ambigimus: et de ejus ac patris tormentis ac nece hic ad vitam* S. Apolloniæ Alexandrinæ *agimus. Ferrarius citat Ant. Gallonium, in quo hujus* Apolloniæ *mentionem nullam reperimus.*

Ermenfridus Ep. Virdunensis *refertur hoc die a Saussaio in Supplemento Martyrologii Gallicani, et* Sanctus *appellatur, uti a Ferrario pridie; ubi de eo egimus inter Omissos, et ad Vitam* S. Pauli *ejus successoris.*

S. Ansbertus Abbas Moissiacensis in agro Cadurcino tempore S. Desiderii Ep. *refertur hoc die a Saussaio in Suppl. et videtur cum* S. Ansberto *Archiep. Rotomagensi confundi, uti infra ad hujus Vitam dicemus.*

Magilmonen monachus Romam peregrinatione instituta petens, ex itinere divertens, Ælfredum Regem Angliæ *convenit, quem* virtutum suarum reddidit admiratorem: fuit enim artibus frondens, littera doctus, Magister insignis Scottorum. *Ita, ex lib.* 4 *Chronici Ethelwerdi cap.* 3. *Dempsterus in historia Eccl. gentis Scot. cap.* 929, coli*que ait* IX Fe-
C bruarii, *atque scripsisse* Sermones de Sanctis ad Regem Ælfredum lib. 1 *et* De peregrinatione ad loca sancta lib. 1. *Quæ unde acceperit Dempsterus, non indicat. Dissimulat quoque de eo et duobus sociis scribere Ethelwerdum,* Hibernia stirpe tres viros lectos, advectos in Cornubiæ partes, *lembo* taurinis byrsis consuto.

Ericus discipulus S. Joannis Gualberti, quartus abbas monasterii Vallis-umbrosæ, *mortuus est* IX *Februarii uti tradit Eudosius Locatellus lib.* 2 *Vitæ S. Joannis Gualberti cap.* 4 *ubi breviter ejus gesta describit, ac* Beatum *appellat: eumque in suis Martyrologiis recensent* Wion, *Menardus, Dorganius, Ferrarius. Decretum illi publicum ab Ecclesia venerationem nondum comperimus.*

ANIMADV. PAG. 44 Nicolaus monachus Igniacensis, Ord. Cisterciensis, in diœcesi Remensi, *revelationibus ac miraculorum signis nobilitatus prædicatur a Philippo Seguino de viris illustr. Ord. Cisterc. uti hunc citat Chrysostomus Henriquez, qui* Nicolaum *Menologio Cisterciensi inscripsit,* Beatum *indigetans. Saussaius solum* Piis *annumerat.*

Julianus Teutonicus, sive Allemannus, Ord. Minorum, *Parisiis defunctus, refertur hoc die ab Arturo a Monasterio, ac* Beatus *appellatur, uti et a Tossiniano lib.* 1 *hist. Seraphicæ Religionis: traditurque* mi-
D raculis clarus *extitisse. Pisanus lib.* 1 *Conform. fructu* 8, *part.* 2 *titul. de provin. Franc. ait* virum *fuisse* miræ sanctitatis. *Demum post plures alios Waddingus ad annum* 1278 *num.* 31 *solum ait* sancto fine hoc tempore quievisse, *absque* Beati *titulo, et nulla miraculorum facta mentione.*

Monachi Novæ-Cellæ ordinis Cisterciensis in Lusatia, ex odio Catholicæ religionis interfecti. *Est illud monasterium* Novæ-Cellæ *in Lusatia fundatum an.* MCCXXX, *ab Henrico Marchione Misniæ et Lusatiæ et Landgravio Thuringiæ, ejusque uxore Catharina filia Leopoldi Archiducis Austriæ, ut tradit Jongelinus lib.* 3 *Notitiæ Abbatiarum Cisterciensis instituti: destructum ab Hussitis an.* MCCCCXXIX. *Ita tradit Petrus Langius monachus Bozawiensis in Chronico Citizensi, his verbis:* Bohemi crebris victoriis elati, et prædarum avidi, rursus hostili exercitu vicinas terras, præsertim Lusatiam Misniamque ex parte vastare cœperunt: inter alia damna, cœnobia Novæ Cellæ et Grunhaim Ordinis Cisterciensis destruxerunt, et monachos occiderunt, et cuncta eorum bona diripientes abduxerunt. *Albertus Krantzius lib.* 11 *Wandaliæ cap.* 20
E *ad annum sequentem id refert:* Hussitæ, *inquit,* anno tricesimo post mille quadringentos solita rabie exciti pervadunt Lusatiam, monasterium, quod Celle dicitur, a fundamentis evertunt, monachos exquisito genere supplicii, primum manibus pedibusque truncatis, abjiciunt. *Eadem ex Krantzio descripsit Cochlæus lib.* 6 *historiæ Hussitarum. Cochlæo citato Chrysostomus Menologio Cisterciensi illos inscripsit ad* IX *Februarii,* beatos monachos, ob confessionem fidei coronam martyrii promeritos *affirmans.* Cellam *porro hanc in diœcesi Ratisponensi sitam existimavit, frustra enumeratis monasteriis pluribus quibus* Cellæ *nomen fuit; Lusatica illa* Cella, *de qua sermo illi præcipue erat, prætermissa. Nobis necdum exploratum est, in album vindicatorum Martyrum esse hos ab Ecclesia relatos.*

Bernardinus Caimus, *Ordinis Minorum,* pietate prudentia ac virtute insignis *prædicatur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, ac* Beati *titulo honoratur, uti et ab aliis. Addit idem Arturus, ejus* sacrum caput *honorifice servari in sacello sepulchri Christi, quod in Varalli monte in diœcesi Novariensi extruxit. Agunt de eo præter auctores ab Arturo citatos, Carolus Episcopus Novariensis lib.* 1 *Novariæ; Joannes Petrus Jussanus lib.* 5 *Vitæ S. Caroli Borro-* ANIMADV. PAG. 45
F *mæi cap.* 6; *et Lucas Waddingus tomo* 7 *Annalium Minorum ad annos* 1477, 1483, 1484, 1485, 1486, *quoniam; at nusquam hic aliive eum* Sancti *aut* Beati *appellatione decorant: cumque idem Waddingus in Indice* XX Beatos *ex Ordine Minorum enumeret,* Bernardini *non meminit.*

SS. Orion et alii CCDC *referuntur in perantiquo Martyrologio minore monasterii S. Maximini prope Treviros. An hic est fortassis, qui in Martyrol. S. Hieronymi* Orimon *appellatur, cum pluribus sociis passus in Ægypto? Alioquin de alio* Orione *agemus* X Februarii.

S. Protadii Episcopi Vesontionensis, reliquiarum repositio *consignata hic est a Saussaio. Colitur* S. Protadius *postridie* X Februarii.

S. Trumwinus Episcopus *hoc die inscriptus Martyrologio Benedictino ab Hugone Menardo, referetur a nobis* X Februarii.

S. Simplicides Ep. et Confessor *refertur in MS. Florario.* Simplides *est Ep. Viennensis de quo* XI Februarii.

S. Petrus Damascenus Hieromartyr, gladio interfectus *memoratur hoc die in Menæis et Maximi Cytheræi* Βίῳ Ἁγίων. *Ex adjuncto in Menæis disticho patet,*

*patet, Majumenum illum esse, de quo cum Martyrologio Romano agemus* XXI Februarii.

SS. XL Martyres Sebasteni *in Coptico Kalendario referuntur hoc die, in Martyrol. Romano* IX Martii.

S. Benedicti Abbatis ædificatio *consignata est in MS. Martyrologio monasterii S. Cyriaci Romæ. Nihil de ea in aliis. S. Benedicti Vitam dabimus* XXI Martii.

S. Marcellus Episcopus Siciliæ, S. Pancratius Ep. Tauromenitanus, Martyres, *memorantur hoc die in Menæis et Maximo Cytheræo, ab Octavio vero Cajetano nostro, citante Menæa, consignatur hoc die* Commemoratio SS. Marciani et Pancratii Episcoporum ac Martyrum. *Coluntur,* S. Pancratius *quidem* III April.

S. Marcianus Episc. Syracusanus, *qui in Menæis videtur* Marcellus *appellari,* XIV Junii.

S. Cassiani Episcopi Hortani in Italia, et Augustodunensis in Gallia, Ordinatio *refertur hoc die a Saussaio. De eo agemus,* V Augusti.

S. Zacharias Propheta ex tribu Levi, *celebratur a Græcis* VIII *Februarii, uti illic dictum est: ab Ægyptiis, uti ex Kalendario Coptico patet,* IX *ejusdem mensis: a Latinis* VI Septembr.

S. Paphnutius *inscriptus eidem Coptico Kalendario, nota alia nulla, unde dignosci possit, addita. Nam plures fuere ejus nominis Divi. Qui Episcopus fuit et Confessor colitur* XI *Septembris: alii aliis diebus.*

S. Winandus Episcopus *memoratur hoc die in codice quodam recenti manu exarato, his verbis:* In Canusina civitate sanctorum Episcoporum Sabini et Wynandi. *Nullus in Canusinorum Episcoporum catalogo apud Ughellum* Winandus, *neque omnino quis hic sit assequimur. Frequens tamen est* Winandi *nomen in Mosæ ac Rheni tractu. Audivi qui Victorem esse vellent, quod fere sonat vox Teutonica* Winant. *Alii* Venantium *esse putant, nam Teutones V Latinum fere in W transferunt: ita pro* Vino, Wyn *dicunt. Quidam vir eruditus* Widonem *esse putat, sive* Guidonem, *atque* S. Guidonem, *qui Anderlaci juxta Bruxellam colitur, vulgo* Wyn *sive* Wyen *dici. Atqui etiam* Winandi *passim circa Rhenum* Win *seu* Wyn *vocantur: Colonienses* Wing *pronuntiant, G per paragogen adjecto, nescio an euphoniæ gratia. At S.* Guido Anderlacensis *Episcopus non fuit, ut ex ejus Vita liquebit* XII Septemb.

S. Simeon senex *coli hoc die consuevit in Suecia aliisque regionibus Septentrionalibus, ut ex veteri Missali, quod penes nos est, licet perspicere, ubi et peculiare de eo sacrum. Inscriptus est Martyrologio Romano ad* VIII Octob.

B. Ugonis Ep. Volaterrani *ossa e lignea in decentiorem capsulam hoc die anno* MDCXXXI *reposita, et in altari majore locata ad publicam venerationem, cum jam quartum mensem Volaterræ pestilentia laborarent, ut plenius dicemus ad ejus Vitam* VIII Octob.

S. Andragisina Virgo *in MS. Florario et aliis quibusdam MSS. huic diei adscripta, forsan ut S.* Ansberto *jungeretur, cui olim fuerat desponsa. Sed cultum ipsa peculiarem obtinet* XIV Octob.

Eada Presbyter *refertur hoc die in Kalendario adjuncto ad calcem Martyrologii MS. S. Hieronymi, exarato ante annum* MCXLI. *Ignotus nobis est hic* Eada, *nisi sit* Eata *ex Abbate factus Episcopus Hagulstadensis in Anglia, cujus dies natalis incidit in* XXVI Octob.

S. Thomæ depositio *consignata hoc die in veteri Martyrologio Romano quod vulgo S. Hieronymi nuncupamus. Additur in breviore Martyrologio S. Maximini, Alexandriæ. Ab Hermanno Greven et Martyrologio Aquisgranensi jungitur Martyribus Africanis* Ammoni, Æmiliano *etc. Ast in MS. S. Lamberti Leodii diserte habetur:* Depositio S. Thomæ Apostoli, *de quo nos* XXI Decemb.

Not. 12 Ammon. pag. 40 et 47.

# DE S. PHILAGRIO

## EPISCOPO IN CYPRO, MARTYRE.

J. B.

I SECULO. Ex Fasc. — S. Philagrii natalis. — Vita ex Menæis.

I*gnotus hic Latinis Fastis Cyprius Antistes* Philagrius: *celebrant eum Græcorum Menæa et Maximus Cythereus hoc die, sed cum S. Pancratio Episcopo Tauromenitano, qui III Aprilis colitur, et* S. Marcello *Episcopo Siciliæ, quem suspicamur* Marcianum *Syracusanum Episcopum esse, qui cum S. Pancratio fertur in Siciliam venisse. Menæorum verba hæc sunt:* Eodem die commemoratio sanctorum Martyrum Marcelli Episcopi Siciliæ, Philagrii Episcopi Cypri, et Pancratii Episcopi Tauromenii.

Fuso sanguine hi viri, carne soluti,
 Participes sunt deliciarum Edem.

Hi discipuli fuere S. Petri Apostoli. Cum in terris adhuc versaretur et miracula patraret Christus, inaudiit de eo Marcellus, atque Antiochia Hierosolymam cum Pancratio profectus est, ut eum videret. Innotuit ergo tunc S. Petro Pancratius, post Christi deinde adscensionem ei adhæsit, et ab eo designatus Tauromenii Episcopus, ab Ethnicis clam pro Christi nomine, cui serviebat, interfectus est. Marcellus pari modo Episcopus Siciliæ ordinatus, cum multos ad Christum convertisset, morte simili perfunctus est. Quemadmodum et Philagrius Cypri Episcopus, et ipse Christi prædicans nomen, cum multas pro vera fide tentationes pertulisset, ad Dominum emigravit. *Hæc ibi. Eadem habet Maximus Cythereus.*

martyrium.

# DE S. APOLLONIA VIRG. MART.

## ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO,

### Commentarius historicus.

J. B.

§ I. *S. Apolloniæ martyrium, natalis.*

ANNO CCXLIX. IX FEBR.

P*ersecutionem Decio excitandæ prælusisse cacodæmonem, gravissimo tumultu plebis Alexandrinæ adversus Christianos coorto, retulimus* XXXI *Januarii, cum de S. Metrano ageremus, eumque de S.* Cointa VIII *Februarii. Anno quippe integro ante mota est ea tempestas, quam ullum promulgaretur edictum, uti apud Eusebium histor. Eccles. lib. 6 cap. 34 asserit, qui præsens adfuerat, S. Dionysius Episcopus Alexandrinus. Adhuc igitur imperantibus Philippis, patre ac filio, id gestum. Nam Decius, ubi, his occisis, invasit imperium, continuo* (in quo se etiam ob hoc Philippos interfecisse docuit) ad persequendos interficiendosque Christianos, septimus post Neronem, feralia dispersit edicta; *uti Paulus Orosius lib. 7 cap. 21 scribit. Unde conjicimus non anno æræ vulgaris CCL, cum sub finem præcedentis Decius purpuram sumpsisset, sed*

Alexandrinæ plebis tumultus contra Christianos an. 249

A *sed ipso* CCXLIX *anno Christi, Philipporum* VI *Æmiliano et Aquiliano Coss. illam extitisse Alexandriæ seditionem, et Sanctorum, quam diximus, cædem perpetratam.*

*Auctore 1 6*

*Eorum domus direpta*

2 *Quæ, post SS. Metrani et Cointæ necem, deinceps in ea urbe contigerint, idem narrat in epistola ad Fabianum Antiochenum Dionysius apud Eusebium, his verbis :* Dein uno velut impetu in piorum ædes irruunt, et quos quisque vicinos noverat, ad eorum tecta propere turbam ducebat; eaque expilabant ac diripiebant : ita ut si quid in supellectile pretiosum erat, sibi seponerent: quæ e ligno, aut alioquin viliora, disjicerent, ac in plateis comburerent : planeque captæ ab hostibus civitatis species erat. Declinaverant autem Fideles plerique impetum seditiosæ multitudinis, seseque in secretiora loca subduxerant, et rapinam bonorum suorum, ut illi de quibus Paulus testificatus est, cum gaudio susceperant. Atque haud scio an adhuc quisquam, præter unum fortassis aliquem alicubi ab iis correptum, Christum negarit.

*fuga,*

*Hebr. 10 34 constantia :*

*S. Apolloniæ tormenta,*

3 Sed et admirandam illam Apolloniam, provectæ ætatis Virginem, comprehendunt, omnesque illi dentes maxillis diverberatis excutiunt : atque rogo in suburbiis extructo, minantur vivam se crematuros, nisi cum ipsis verba impia pronuntiet. B Illa paullum morata, velut secum deliberans, repente in ignem insilit, atque exuritur. *Hæc Dionysius apud Eusebium. Subdit Ruffinus :* Ita ut perterrerentur etiam ipsi crudelitatis auctores, quod promptior inventa est ad mortem femina, quam persecutor ad pœnam.

*mors,*

4 *Ex eodem Ruffino concinnavit hoc S. Apolloniæ elogium Usuardus :* Apud Alexandriam S. Apolloniæ Virginis, cui persecutores omnes primum dentes excusserunt : deinde (*Ado et Notkerus interjiciunt,* constructo ac succenso rogo) cum minarentur vivam se eam incensuros, nisi cum eis impia verba proferret, illa paullulum quid intra semetipsam deliberans, repente se de manibus impiorum proripuit, et in ignem, quem paraverant, prosilivit. *Addit Beda epiphonema, quod jam ex Ruffino retulimus. Idemque habet modernum Martyrol. Romanum, atque illa sub Decio gesta tradit : quod quatenus verum sit, antea diximus. Breviarium in MSS. multis elogium; ut hoc in vetusto MS. Treverensi :* Alexandriæ, S. Apolloniæ Virginis et Martyris, quæ post excussionem dentium, igne consummavit martyrium.

*natalis 9 Febr.*

5 *Quærunt nonnulli, quo pacto sit in sacros Fastos relata et Cælitum culta honoribus Apollonia, quæ sponte* C *sua in flammas insilüt; cum alioquin nefas sit sibi ipsi ultro mortem consciscere. Ast illa vel peculiari tunc Spiritus sancti afflatu instigata id fecit, vel inculpate ignoravit naturæ hic legibus adversari. Ita post alios Patres et Doctores Leonardus Lessius Noster lib. 2 de jure et justitia cap. 9 dubit. 6 num. 23.*

*an ei licuerit in ignem insilire?*

## § II. *Varia de S. Apollonia scripta, incertæ fidei.*

Quæ de S. Apolloniæ *martyrio retulimus, ea sunt Martyrologio Romano eleganter inserta. narrantur quoque a Vincentio Bellovacensi lib.* 11 *cap.* 38, *Silvano Razzio tom.* 1 *de feminis sanctitate illustribus, Baronio tom.* 2 *Annal. ad an.* 252 *num.* 4 *et aliis. Prolixius ejus agonem carmine heroico exequitur Baptista Mantuanus Carmelita tom.* 1 *Operum, Parthenice* 6, *ubi tamen, licentia poetica, non modo generis regii dignitatem, sed et primævum juventæ florem ei tribuit, ita scribens,*

*Mantuanus scribit*

*regii sanguinis fuisse,*

Hic erat, ut fama est, atavis sata Regibus, inter
Niligenas forma præstans Apolonia nymphas,
Splendida majorum titulis, in murice et auro
Et magnis nutrita opibus.

*ac paullo post :*

Apollonia Regum
Progenies. *Ac de ætate :* D
Quid faciat populo in tanto, sub Judice tali
Certa mori Virgo, viridi vix nubilis ævo?

*et juvenculam;*

*Huc spectat longæva parens, Virgini socia magistra pietatis, pene exanimata dolore cum eam rapi ad supplicium vidit. Addit alia quoque incerta, sed ad ornatum poetis permissa; Consulis Romani Alexandriam ablegati jussu cruciatam, populo seditionem ciente ex commiseratione Virginis : hanc dentibus excussis retrusam in carcerem, Angeli alloquio, Sanctorumque aspectu recreatam. Tum illa haud carentia verisimilitudine; corpus exanime, ab igne penitus inviolatum, et die integro in littore relictum, nullis tamen ovium ferarumque morsibus contactum, noctu a Christianis sublatum, inque urbem, scalis ad mœnia positis, reportatum, et religiose tumulatum. De dentium excussione illud non absone canit :*

*ab Angelo et SS. confirmatam;*

*corpus ejus ab igne et feris illæsum,*

*Alexandriæ sepultum :*

Corripiunt silices, manibusque levatis
Virginis audaces caput invasere ministri :
Ut visi excusso labi cum sanguine dentes,
Fit clamor *etc.*

7 *Hæc Mantuanus, sed poetice. Ultra etenim ea quæ sunt ex Eusebio Ruffinoque narrata, nihil alibi de illa scriptum, quod fidem habeat. Apolloniæ Virginis Romanæ, (si tamen fuit aliquando aliqua ejusmodi) quæ* E *extant Acta in MSS. Et* § 4 *proferentur. ea ad* IX *diem Februarii, nulla alterius* Apolloniæ *Alexandrinæ facta mentione, in quibusdam vetustis Breviariis succincte olim recitata, in aliis Alexandrinæ huic accommodata : in nonnullis de hac quædam narrantur, partim utcumque verisimilia, partim de Alterius Virginis cujuspiam sumpta Actis, utraque traditio, nec digna fide, quia Eusebio ceterisque antiquis vel ignorata vel neglecta.*

*alii alia tradunt,*

*etiam incerta;*

8 *Ejusmodi est hoc quod Argentinense Breviarium anno* MCCCCLXXVIII *excusum recitat.* Lect. 1 Beatissima Virgo et Martyr Apollonia Deo devota, nobili ex progenie genita, sed virtutum more et conversatione multo nobilior. Erat enim in puerili ætate Deo serviens humilitate et castitate, et omnium bonorum opere præclara, Dei etiam servitio, jejuniis et orationibus ac eleemosynis largiter intenta; ita ut multi per ejus bona opera et exempla ad Dominum converterentur; idola respuens, et multa convicia illis impendebat.

*nobilem fuisse,*

*a pueritia Deo devotam,*

9 Videns igitur Urbis Præfectus ejus sanctam conversationem, et vitam non ferens, misit ex officio qui sibi eam præsentarent. Quæ cum fuisset adducta, interrogans eam Præfectus, cujus conditionis, vel ex quo genere esset, vel quod sibi nomen; F B. Apollonia respondit : Christiana sum et nobili progenie, et Apollonia vocor. Tunc dicit ei Præfectus : Cessa ab hac stultitia et falsa tua doctrina; aut peribis per tormenta, quia Christum, quem adoras, prædecessores nostri morte turpissima condemnaverunt.

*L. 2*

*Præfecti jussu captam,*

10 Ad hæc B. Apollonia respondit : Ergo qui crucifixerunt, ipsi peribunt. Præfectus dixit : Aut sacrifica diis, aut etiam interibis. At illa dixit : Mori pro Domino cupio, quia adjutor est omnium se invocantium. Dicit ei Præfectus : Modo tu profer impia verba Deo tuo, ob laudes deorum nostrorum. Illa dixit : Nullo modo hoc faciam, sed prius pro ejus amore mortem sustineo. Commotus Præfectus jussit, ut dentes ejus duris lapidibus excuterentur. Quod illa sustinens patienter; deinde ignem copiosum fecit incendi, et sanctam Virginem imponi. Ipsa vero manus ad cœlum expandens, gratias Deo agens, sicque martyrio coronata gloriosa Virgo Apollonia ad Dominum feliciter migravit.

*L. 3*

*spretis ejus minis,*

*dentibus excussis,*

*rogo impositam,*

11 *Breviarium antiquum Ecclesiæ Ultrajectinæ anno* MDVIII *Goudæ cusum, Lectione prima tradit Apolloniam, sponsam Christi, nobili progenie Alexandriæ ortam, tempore Decii a persecutoribus ad fanum idolorum perductam.*

*idola sufflando evertisse,*

A *perductam. Lectione 2 ita habet :* Quæ cum fanum intrasset, signo se Crucis muniens, in deorum statuas sufflavit, et continuo ceciderunt et in nihilum redactæ sunt. Tunc S. Apollonia cœpit ibidem Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum prædicare. Cumque persecutores viderent hanc Virginem ad deorum suorum duliam non posse flecti, et quod magis Christum suum sponsum verum esse Deum affirmaret, omnes ejus dentes lapidibus effoderunt scrupulosis; et in carcerem eam miserunt, ut acriorem contra eam dictarent sententiam. Tunc beata Virgine orante pro dolorem dentium sustinentibus et se invocantibus, venit vox de cœlo dicens : O sponsa Christi, obtinuisti apud Deum ea quæ postulasti. *Tertia Lectione narratur postridie minantibus impiis se eam in ignem projecturos,* Spiritus sancti solamine refecta, et sanctæ Crucis tecta scuto, *in eum ultro prosiluisse.*

*Patronam contra dolorem dentium fore*

*divinitus ei promissum.*

12 *Breviarium Audomarense, anno* MDXVIII *editum, ista recitat : Lect.* I. Apud Alexandriam fuit quædam Virgo nobilibus orta natalibus, nomine Apollonia. Quæ ab ineunte ætate non solum corpore sed etiam moribus crescens, nitensque de virtute in virtutem crescere, mirabili modo fidei armis vallata pollebat. B Quod probat ejus vita effectibus immensis. *Lect.* II. Quæ cum esset Virgo Christianissima, velut civitas supra montem non potest celari posita, nomen fidei ejus per multa vulgatum loca, usque ad Imperatoris Alexandriæ notitiam pervenit. Qui missis satellitibus suis jussit, ut eam sacrificare diis compellerent. Quæ comprehensa, omnia idola surda et muta et inutilia prædicans, deosque eorum esse dæmonia auctoritate probans, in ejus afflictionem omnium carnificum animos provocabat. LECT. III. Qui nimium ira permoti, atrociter eam ligaverunt, ac primum omnes ejus dentes singillatim immaniter excusserunt etc.

*ad Imperatorem delatam;*

13 *In Breviario Ecclesiæ Eborensis in Lusitania, quod an.* MDXLVIII *excusum, multa memorantur, quorum nullum alibi vestigium, et videntur ex gestis* S. Eulaliæ *(de qua* XII *Februarii agemus) conformata : sunt autem in* IX *Lectiones ita distributa.* LECT. I. Apollonia, Virgo Alexandrina, ab infantia sua Deo dicata, cum parentibus, Alexandrinorum nobilissimis, in prædio proprio extra urbem morabatur. Mortuis vero parentibus, ipsa in proposito sanctæ virginitatis perdurans, et Christi pauperibus facultates suas distribuens, ad maturam pervenit ætatem.

*in prædio habitasse,*

C 14 LECT. II Interim cum jussu Decii sæva in Christianos persecutio Alexandriæ oriretur, agente Divino Præside: B. Apollonia pro Christo mori desiderans, quadam nocte ad galli cantum, ne a familia impediretur, sola adiit civitatem. LECT. III. Et captata hora, qua Præses in foro quæstiones exercebat, inter populi frequentiam accessit, dixitque Præsidi : Nequissime Judex, non solum Deum, qui est Rex Regum et Principum Princeps, non metuis; sed etiam illum metuentes, et ei servientes diversis afficis tormentis?

*noctu ad urbem venisse,*

*ultro Præsidem adiisse,*

15 IV. Intuens autem Præses B. Apolloniam stupefactus dixit : Quænam es tu, quæ sine jussu meo accedere ausa es, et contra me inaudita cum maxima superbia protulisti? Cui illa imperterrita alta voce respondit : Ego sum Apollonia, ancilla Jesu Christi, quæ tuam crudelitatem et insaniam multum admiror; quia Deum contemnens, cujus sunt omnia, diabolum colis; et homines, qui Deum colunt, sacrificare idolis compellis, et nolentes sacrificare, diversis pœnis afficis.

*ejusque crudelitatem exprobrasse,*

16 V Hoc audito Præses, faciens eam cædi a tergo, dicebat ei : Ubi est Deus tuus, qui te de istis non liberat pœnis? Si dixeris, te ignoranter hujuscemodi verba protulisse, veniam consequeris. Cui ipsa respondit : Impie, quare suades mihi mentiri? D quæ cum sim serva Dei, timensque Dominum, qui mendaces et sacrilegos mittit in gehennam, dicere non debeo mendacium. Imo propter veritatem fidei Christianæ, verbera tua non sentio, Domino Jesu Christo me protegente.

*ejus jussu verberatam,*

*AUCTORE J. B. veritatem defendisse, nec sensisse verbera,*

17 VI Tunc frendens Præses, et ira ductus nimia, præcepit omnes ejus dentes violenter extrahi. Quo facto ipsa lætificata, et magis ac magis exultans, Domino psallebat, dicens : Miserere mei, Domine, miserere mei; quoniam in te confidit anima mea. Non erubescam : ne dicat inimicus meus, Prævalui adversus eam. VII Videns itaque Præses tolerantiam ejus, et quod adversus illam nihil profecisset, mandavit ignem copiosum fieri, et dixit ei : Apollonia, hactenus condolui nobilitati et pulcritudini tuæ, sperans omnino te avertere ab intentione tua. VIII Nunc vero unum de duobus elige etc.

*excussione dentium exultasse.*

## § III. *An alia fuerit S. Apollonia Virgo Romana, S. Apollonii senatoris filia, Martyr?*

S*ecundam hoc die Apolloniam, aut pro Alexandrina Romanam, reponunt quidam, CXIV annis juniorem, imperio quippe Juliani Apostatæ interemptam, cum Apollonio patre. De hac Hermannus Greven, recensita Usuardi verbis sanctorum Apollonia, in secunda editione anni* MDXXI *(nam in priori anni* MDXV *ejus non meminerat) ista addit :* Eadem die S. Apolloniæ alterius Virginis et Martyris : quam Julianus Cæsar pro fide Christi primum fecit virgis cædi : deinde in equuleo suspensam vivam jussit excoriari, ac de carnibus ejus particulas scindi : ad ultimum post dentium atrocem evulsionem, gladio transverberatam Christi Martyrem fecit.

E

*Alia S. Apollonia Virgo Romana refertur 9 Febr.*

ANIMADV PAP. 48

*viva excoriata*

19 *MS. Florarium, alteram quoque memorata* Apollonia, *quam in Indice seniorem nominat, subjicit :* Romæ, S. Apolloniæ æque Virginis et Martyris junioris : quam ferunt excussis dentibus, ac aliis pœnis decursis, a Juliano Imperatore Apostata propria manu jugulatam, et sic Christi Martyrem effectam anno salutis CCCLXV, duodecimæ et ultimæ persecutionis anno secundo.

*Juliani apostatæ manu trucidata,*

20 *Canisius quoque in Martyrologio Germanico ita scribit :* Item sepultura alterius sanctæ Virginis Apolloniæ, quæ Romæ sub Juliano Cæsare martyrium subiit. Ejus pater, nobilis Romanus, sub eodem Imperatore occisus est. In hujus sanctæ Virginis certamine, multi conversi sunt ad Christum; quare eam ipse Imperator ira percitus, gladio transfixit : animam vero ejus columbæ specie Angeli in cœlum deduxerunt. *Ferrarius quoque in Notis ad* IX *Februarii ita scribit :* Hac die memoratur passio S. Apolloniæ Virg. et Mart. sub Juliano Apostata Romæ martyrio coronatæ. Vide Ant. Gallonium. *At nullam Gallonius in libro de Virginibus Romanis Apolloniam habet.*

F

*anima specie columbæ evolante :*

21 *Apollonii autem, qui dicitur hujus Apolloniæ parens fuisse, ita memoriam idem Greven* VII *Februarii consignat :* Apollonii senatoris Martyris, patris S. Apolloniæ. *Ejus alia Martyrologia non meminerunt. Nam longe alius ab eo* Apollonius *senator, qui* XVIII *Aprilis, sub Commodo Principe, insigni volumine composito ac in senatu lecto, rationem fidei suæ reddidit, et nihilominus sententia ejusdem senatus, pro Christo capite truncatus est.*

*pater ejus S. Apollonius 7 Febr.*

22 *Junioris illius* Apolloniæ, *atque* Apollonii *parentis, Acta descripsimus e codice Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti, ab aliquot seculis (ut conjicere licebat) exarato. Eademque extabant in secunda parte Legendæ an.* MCCCCLXXXIII *Coloniæ,* MCCCCLXXXV *Lovanii excusa, sed paullum subinde contracta, omisso patris* Apollonii *martyrio. Eadem Acta in vetustis quibusdam Breviariis, in Lectiones*

*Acta eorum MSS. et edita,*

A *Lectiones redacta, recitari consueverunt : ut videre est in Slesvicensi,* Godschalci de Alevelde *Episcopi auctoritate, ann.* MDXII *excuso : in Osnaburgensi,* Erici *Episcopi, Ducisque Brunsvicensis, an.* MDXVI. *In Mindensi,* Francisci *Brunsvicensis idem ac Luneburgensis Ducis, Episcopique Mindensis an.* MDXV. *In Caminensi, ann.* MDXXI. *Atque in hoc quidem primæ Lectionis illud est initium :* Temporibus Juliani Imp. fuit vir quidam nobilis de urbe Romana, de genere Senatorum, Apollonius. *Slesvicense Romanæ* Apolloniæ *agonem Alexandriæ sub Juliano exantlatum statuit. Ita enim orditur :* Apud Alexandriam S. Apolloniæ Virg. et Mart. quæ passa est a Juliano Imp. qui regnavit anno Domini CCCLXV. Et ipsa S. Apollonia de nobili genere Senatorum Romæ est orta.

AUCTORE J. B. — *inque Breviariis recitata*

*suspecta tamen et apocrypha.*

23 *Verum nobis hæc suspecta sunt Acta, non solum quia Romæ et Alexandriæ post occupatum imperium non fuit Julianus, (nam frequens est ut quod Præfecti gessere, id Imperatoribus adscribatur;) sed quia hujus* Apollonii et Apolloniæ *nulla, quantum meminimus, mentio apud veteres, nulla* Polycarpi *Presbyteri qui Juliani ævo vixerit. Quia vero* Apollonius *erat aliquis* senator, S. Polycarpus Presbyter *sub Diocletiano,* S. Apollonia *Virgo dentium excussione celebris, inde*
B *constata hæc omnis narratio videtur. Quam tamen visum est hic inserere, si quid forte certius periti possint eruere.*

## § IV Acta, *ut videntur,* Apocrypha, S. Apolloniæ *Virg. et Mart. Romanæ, ex MS. Ultrajectino.*

a

*Juliani apostatæ persecutione*

Tempore Juliani Imperatoris, fuit vir quidam nobilis, *a* de genere Senatorum, nomine Apollonius, qui habuit uxorem, nomine Dinam, genuitque ex ea filiam, nomen matris imponens eidem. Eo tempore maxima fuit persecutio Christianorum. Quodam tempore baptizatus est *b* Gordianus cum uxore sua et familia, qui omnes martyrium pro Christo susceperunt. Audiens autem Apollonius *c* Polycarpi et aliorum Martyrum famam, vidensque Christianorum constantiam, intra se cogitare cœpit, quis et qualis esset Deus Christianorum, pro quo sancti Martyres optarent magis mori quam vivere; aut quale præmium post mortem et victoriam consequerentur suæ passionis. Hæc in loco secreto intra se cogitans audivit vocem dicentem sibi : Apolloni, audi et vide, et voca filiam tuam; et vocata filia, vox prius dixit :
C Ego sum Angelus missus ad te a Deo, ad ostendendum quis sit Deus Christianorum, et quod meritum Christianorum sit, ut corde desiderasti. Si igitur hoc scire volueris, perge cum filia tua ad *c* Polycarpum Presbyterum, qui vos baptizabit, et induet vos vestimentis novis, signabitque signo Crucis; sicque videre poteritis omnipotentem Deum, qui est Deus Christianorum. His dictis continuo discessit Angelus ab eis.

b c

*Apollonius senator*

*ab Angelo mittitur ad Polycarpum Presbyterum cum filia,*

25 Altera die mane surgens Apollonius, cum sua filia perrexit ad Polycarpum Presbyterum, et, ut Angelus dixerat, totum referebat. Audiens hæc B. Polycarpus, quod tam nobilis vir Apollonius a cultura idolorum ad Deum esset conversus, gratias agens Deo, ac magno repletus gaudio, dixit Apollonio : Credis unum verum esse Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, an adhuc dubitas ? Qui respondit : Credo in unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Deinde dixit filiæ ejus Dinæ : Credis et tu ? Quæ respondit : Credo in Deum creatorem cœli et terræ, qui est unus Deus et verus, quia non est alius Deus præter eum, cujus claritatem video. Tunc B. Polycarpus baptizavit eos, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, induens eos vestimentis novis, signansque signaculo sanctæ Crucis, mutans nomen filiæ Dinæ in aliud nomen, vocans eam Apolloniam a nomine patris sumens illud. Statimque apertum est cœlum, et viderunt Filium Dei sedentem in throno cum multitudine Angelorum, ita quod præ nimia claritate gloriæ ceciderunt in terram.

*atque ea cum B.*

*baptizantur*

D

*Christum vident.*

26 Et ecce Angelus Domini apparuit ei, dicens : Apolloni, vide Deum cœli et Creatorem tuum, iste est Deus Christianorum omniumque bene viventium. Ecce jam vocat te, ut per martyrii palmam ad eum pervenias. Apollonius audita hac voce, filiæ suæ Apolloniæ dixit : Audi, filia, vocem Angeli, et vide sponsum tuum, propter quem multa passura es, et post multa genera tormentorum intrabis regna cœlorum. His dictis Angelus Domini disparuit. Manserunt autem cum Polycarpo Presbytero septem diebus, quibus transactis reversi sunt in domum suam.

*ab Angelo monentur de imminente martyrio.*

27 Altera die vocavit Apollonius Dinam uxorem suam, dicens : Baptizatus sum cum filia mea, et vidimus Filium Dei et Angelum suum. Cognosce et tu, et vade ad Polycarpum Presbyterum, qui te baptizabit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; et sic videbis Deum et Angelum suum. Audiens hæc infelix Dina, quod Apollonius vir suus cum filia sua conversi sunt ad Christum, surrexit cito cum magna iracundia, tanquam equus effrænatus, currens ad Julianum Imperatorem, annuntians omnia quæ audivit et scivit de conversione mariti et filiæ suæ, et dixit : O Imperator, mitte statim in domo mea nuntios, et virum meum et filiam meam ducant ad conspectum tuum, et propter minas pœnarum tuarum errores suos et vesanias dimittant.

*Apollonius uxorem invitans ad fidem,*

*ab ea accusatur,*

E

28 Sequenti die misit nuntios cum Dina, ut Apollonium et filiam ejus caperent, et Juliano præsentarent. Recedente autem Dina, et domum suam intrante, venit diabolus in modum canis, gutturique ejus insiluit, ceciditque ad terram, et fracto collo ejus expiravit. Nuntii vero, qui fuerant ab Imperatore missi, apprehenderunt Apollonium cum filia, vincientesque duxerunt ante Imperatoris faciem. Quem videns, ait : Tu de genere nobilium Senatorum natus es; et deceret nobilitatem tuam, ut esses amicus deorum nostrorum. Cui respondit Apollonius : Non sunt dii, sed dæmones; sed est unus verus Deus Christianorum, quem adoro, quem glorifico, cui servio, cujus nomen sit benedictum in secula. Audiens hæc Julianus, furore repletus, jussit statim eum in conspectu suo decollari, et corpus suum extra civitatem projici, et a nullo sepeliri prohibuit. Eadem nocte venit B. Polycarpus, et tulit corpus beati Martyris, et juxta corpora sanctorum Martyrum sepelivit.

*ipsaque a dæmone suffocata*

*capitur cum filia,*

*et Christum confessus*

*decollatur.*

F

29 Sequenti die post mortem Apollonii, Julianus Cæsar jussit B. Apolloniam sibi præsentari; cui dixit : Quia nobilis es, ut et tota parentela tua testatur, cogita de morte pessima parentum tuorum, quomodo mater tua suffocata sit a diabolo et pater tuus decollatus est; et tu ne stulte pereas sicut illi. Audiens hæc B. Apollonia, dixit Cæsari : Nescis quia scriptum est, Sive vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur, et unicuique redditur præmium secundum suum laborem. Ergo mater mea recepit præmium a diabolo, cujus se obsequio mancipaverat, quod est æternum supplicium. Pater meus feliciter vixit, et in Christo constanter triumphavit, ideo regnat cum illo æterno Angelorum consortio. Audiens autem Imperator verborum affluentiam, vidensque Virginis constantiam, dixit : Elige unum de duobus, Aut sacrifica diis, et bene tibi erit in domo *d* vestra; aut morte turpissima morieris, sicut parentes tui, et omnes divitias tuas simul et patrimonium tuum dissipabo. Apollonia respondit : Divitiæ illæ transitoriæ sunt, sed sunt divitiæ, quæ æternaliter perseverant

*S. Apollonia tyranni minas contemnit.*

Rom. 14. 8

d

*et promissa :*

A perseverant in cœlis, quoniam Dominus meus Jesus Christus abundanter suis distribuit in æternum.

*virgis cæditur :*

30 Tunc Imperator jussit eam virgis cædi, ut animum ejus a Domino nostro Jesu Christo revocaret Illa autem in pœnis gratias egit Deo. Videns autem Cæsar, quod animum suum mutare non posset, jussit eam in eculeo suspendi, et vivam decoriari, et de carne ejus particulas scindi. Ipsa vero in eculeo suspensa, clamavit ad Dominum, dicens : Miserere mei Domine et conforta me, ut fortiter certare valeam contra inimicum. His dictis, statim Angelus Domini venit cum impetu magno et liberavit eam, et fregit lignum in quo pendebat, et multi pagani ceciderunt in terram, et mortui sunt : sed et multi crediderunt in Christum. Tunc jussit Cæsar in carcerem poni usque in crastinum. e

*in equuleo suspensa, viva excoriatur :*

*liberatur ab Angelo :*

31 Altera autem die fecit eam præsentari sibi, et dixit ei ; Crede, Apollonia, in deum Jovem, et sacrifica. Quæ respondit : O miser, non debes dicere Deum, sed dæmonem, cujus minister es, et cum eo æterna supplicia possidebis. Audiens hæc Imperator, furore repletus, eam duci jussit in hortum ferarum, ut eam bestiæ morsu crudeli devorarent. Vidensque horribiles facies leonum ceterarumque bes- B tiarum, timuit, signansque se signo sanctæ Crucis orabat ad Dominum, dicens : Domine Deus, qui liberasti Danielem de lacu leonum, libera me, ne tradar his bestiis in rapinam. Et mox bestiæ, severitate et crudelitate postposita, accesserunt ad eam, tamquam catuli mansueti, ponentes se circa eam.

*feris objicitur,*

*quas Cruce et precibus cicures reddit :*

32 Quod videns Imperator, acriori pulsatus furore, jussit eam sibi præsentari, dicens : Abnega Christum, et adora Deum meum, alioquin morte crudelissima morieris. Quæ respondit : Quamdiu vixero in hac fragili vita, lingua mea et os meum non cessabunt pronunciare laudem et honorem omnipotentis Dei. Quo audito jussit durissimos stipites f parari, et in igne duro fieri præacutos, ut sic dentes ejus et per tales stipites læderent, radices dentium cum forcipe eruerentur radicitus. In illa hora oravit S. Apollonia, dicens : Domine Jesu Christe, Precor te, ut quicumque diem passionis meæ devote peregerint, ac acerbitatem hujus doloris recordati fuerint cum devotione, dolorem dentium aut capitis hujusmodi numquam sentiant passiones. Audiens autem Imperator, quod a laude Dei non cessaret, jussit amputari linguam ejus, ne ultra prædicaret. Ipsa vero in corde suo oravit, ut preces ejus Deus, qui est omnium con- C ditor exaudiret. Et ecce Angelus Domini cum magna luce apparuit, et eam nimia claritate circumfulsit dicens : Apollonia, soror mea, exaudita est oratio tua. Et portavit ei litteram, quæ aureis litteris scripta, orationes suas fore exauditas a Domino, continebat.

*dentibus crudeliter excussis,*

*orat ut se invocantes dolore dentium et capitis liberentur, lingua mutilatur*

*Angelo apparente discit se exauditam :*

33 In illa hora quingenti homines ad Dominum conversi sunt, propter miracula quæ viderunt. Videns autem Imperator, quod tot homines conversi sunt ad Dominum, in iracundia magna arripuit gladium, et B. Apolloniam propria manu crudeliter perforavit ; et sic cum palma martyrii migravit ad Dominum. Et ecce multitudo exercitus Angelorum, ducens illam sanctam animam, quæ visa est, in columbæ specie, a multis Christi fidelibus, ad regna cœlorum ascendisse. Sanctus vero Polycarpus corpus beatæ Virginis una cum corpore patris sui sepelivit. Supra omnia benedictus est Deus, Amen.

*multis conversis,*

*occiditur tyranni manu, anima specie columbæ in cœlum delata ab Angelis.*

a Addit 2 pars Legendæ, et Brev. [illegible] § 3 num. 22 [illegible] de urbe Romana. — b De hoc S. Gordiano, qui sub Juliano [illegible] martyrium subiit, agemus 10 Maii. — c Colitur 23 Februarii S. Polycarpus Presbyter Romanus, cujus est in Actis S. Sebastiani mentio : at neque in Juliani tempora traditur pervenisse, neque [illegible] — d Legenda et [illegible] Breviarium nostra. — e Addit Brev. [illegible] In ipsa nocte apparuit ei Angelus Domini in carcere cum immenso lumine et sanavit omnia vulnera ejus. [illegible] — f [illegible] ferreos



## § V. S. Apolloniæ reliquiæ.

D *AUCTORE J. B.*

Tradit Petrus de Natal. lib. 3 cap. 107, quem sequuntur Maurolycus et Canisius, S. Apolloniæ corpus, una cum reliquiis Cointæ Virginis et Metrani Martyrum, a Christianis Alexandriæ sepultum esse. Quo sint primum, et quando in Europam sacræ illæ exuviæ allatæ, nusquam legimus. MS. Florarium XXIX Januarii ita habet : Translatio B. Apolloniæ Virg. et Martyris. Hujusne an alterius, quo, unde, quove tempore, haud volumus divinare. Tot alioqui locis per Europam aliquæ asservari S. Apolloniæ reliquiæ feruntur, dentes præsertim, vix ut credibile sit unius ejusdemque esse. Neque tamen est cur ideo fidelium pietati scurriliter obstrepat, ut solet, Calvinus. In plurium Sanctorum reliquiis id usu venit. Cujus rei duodecim caussas statuit et explanat Joannes Ferrandus noster, insigni eruditione vir, in Disquisitione Reliquiaria, sive de suspicienda et suspecta earumdem numero Reliquiarum, quæ in diversis Ecclesiis servantur, multitudine : quem consulat qui plura cupit.

*S. Apolloniæ sepultura,*

*translatio,*

*Reliquiæ multis locis ;*

35 Nos quasdam hic enumerabimus Ecclesias, quæ S. Apolloniæ reliquiis gloriantur. Ac primum Romæ, præterquam quod in Transtiberina regione ecclesia sit S. Apolloniæ nomini dedicata ; in pluribus aliis ejus- E dem sanctæ Virginis reliquiæ asservantur ; caput in S. Mariæ itidem Transtiberina : brachium in S. Laurentii extra muros : pars mandibulæ in S. Blasii, quæ est in regione Capitolina : dentes in ecclesia Minorum de Ara-cœli in Capitolio, in S. Mariæ ad Campum Martium, in S. Rochi, in S. Cæciliæ Transtiberina : Reliquiæ aliæ in S. Mariæ æde, quæ Transpontana dicitur, inque S. Annæ de Funariis, regione Arenulæ, quæ vulgo de Regola dicitur.

*Romæ,*

36 Sunt ejusdem Virginis variæ in urbe Neapolitana Reliquiæ, quas meminimus nos uspiam annotatas vidisse. Volaterris quoque in Etruria Cathedralis ecclesia custodit os ac partem maxillæ, et dentem unum S. Apolloniæ V. M. uti nobis illustrissimæ illius urbis Capitulum ac Senatus perscripsit in insigni commentario, de quo egimus in Februarii, cum de S. Candido Martyre esset sermo. Antonius Masinus in Bononia perlustrata plures enumerat in ea urbe ecclesias, ubi S. Apolloniæ dentes aliæque reliquiæ asservantur : ac præsertim in æde illustris sodalitii cui a morte nomen, mandibula inferior, ad quam venerandam Legatus, ac Vice-Legatus, aliique Proceres solenniter hoc die conveniunt.

*Neapoli,*

*Volaterris,*

*Bononiæ,*

37 In Belgio nostro extant reliquiæ complures S. Apolloniæ, V. M. sive Alexandrinæ, sive alicujus e sodalibus S. Ursulæ ; nam earum aliquot memorantur eo nomine insignitæ, ut videre est in Ursula vindicata Hermanni Crombachii nostri. At quas dixi extare Reli- F quias, hæ omnes ab iis, penes quos asservantur, Alexandrinæ Apolloniæ esse existimantur.

*In Belgio, (sed an omnes ejusdem incertum ;)*

38 Et hic quidem Antverpiæ in sancto thesauro Domus professæ Societatis Jesu particula extat Reliquiarum S. Apolloniæ V. M. quam huc Jacobus Tirinus, clarus vir scriptis ac pietate, attulit. In hac eadem urbe, in ecclesia Eremitarum Ordinis S. Augustini, magno concursu populi, nec sine frequentibus prodigiis, pars mandibulæ ejusdem sanctæ Virginis honoratur, per totius anni decursum, sed præcipue IX Februarii et septem consequentibus diebus.

*Antverpiæ,*

*præ ertim apud PP. Augustinianos,*

39 Bruxellis in Isabellæ Claræ Eugeniæ Belgarum Principis oratorio fuit inter alias Reliquias, quæ nuper sunt ad S. Gudilæ basilicam translatæ, argenteo brachio inclusa particula brachii S. Apolloniæ, cum reliquiis SS. Margaritæ, Barbaræ, Magdalenæ, ut videre est in Arnoldi Raissii Belgico Hierogazophylacio ; e quo et alia hic adscribam. In eadem urbe, Augustiniani Patres Eremitæ, ut idem tradit, præclaras S. Apolloniæ Virg. et Mart. reliquiarum portiones, quæ ipsis

*Bruxellis,*

A Sanctæ natalitiis, a devotis personis cum honore parique pietatis adfectu, frequenti populorum caterva, visitantur, possident.

*AUCTORE I. B.*

*Mechliniæ, in Flandria multis locis,*

40 *Mechliniæ in Domo probationis Societatis Jesu est* pars dentis S. Apolloniæ V. M. Dentem *quoque ejusdem sanctæ Virginis habent Patres Franciscani Insulis, Ecclesia collegiata S. Amati Duaci, Trinitarii in eadem urbe; Markettense cœnobium juxta Insulas, et Swavecanum juxta Teneramundam, utrumque Virginum Ord. Cisterciensis; Arousiense item Canonicorum regularium in Artesia: Blangiacense Benedictinorum in eadem Artesia,* mandibulæ inferioris partem notabilem: *Floreffiense Ord. Præmonstrat. in diœcesi Namurcensi de capite ejusdem Sanctæ; S. Autberti Canonicorum regul. Cameraci de ossibus; aliquid de corpore cœnobium nobilium Virginum instituti Benedictini in oppido Broncburgensi, et Carthusia Rutilensis, non ad Mosam sita, ut idem Raissius scribit, sed ad Mosellam, Treviros inter et Theodonis-villam.*

*in Artesia,*

*alibi,*

*in diœcesi Trevirensi,*

*Coloniæ,*

41 *Coloniæ Agrippinæ plurimæ sunt S. Apolloniæ V. M.* reliquiæ: *nec mirum, cum duæ tresve Ursulanæ hoc appellatæ nomine reperiantur. Hujus tamen præcipue honori dicatum est monasterium Virginum, quod etiam* Mommers-lacense, *vocant, ubi brachium ar-* B *genteum visitur cum ejus* Reliquiis: *in monasterio Bethlemitico Virginum tertiæ Regulæ S. Francisci in platea Romana, in ix hierotheca* quatuor dentes, tres *et aliquot* aliæ Reliquiæ, *capsula clausæ tecta laminis aureis, in monasterio S. Maximini Virginum regularium Ord. S. Augustini* scapula, costa *et* dens *in Horto B. Mariæ, Virginum Ord. Cisterciensis:* partes notabiles *in statua pectorali deaurata apud Carmelitas:* mandibula *apud Carthusianos:* dens *in æde parochiali S. Mauritii: in parochiali item S. Albani,* argenteus tripus, cui imposita est inferior mandibula S. Apolloniæ: *aliquæ item ejus* Reliquiæ *in collegiatis S. Gereonis, et S. Cuniberti ecclesiis. Hæc omnia a Gelenio descripsimus, qui et Fastis Agrippinensibus ejus propterea nomen inseruit. Essendiæ quoque (quod, ut alibi diximus, cœnobium est illustrium Virginum in Westphalia)* binæ *S. Apolloniæ* reliquiæ *asservantur.*

*Essendiæ*

42 *Ex Germania in Lusitaniam, cum aliis plurimis Sanctorum pignoribus, a Joanne Borgia viro illustri,* dens et reliquiæ aliæ *ejusdem S. Apolloniæ delatæ sunt, et magnifico apparatu in S. Rochi templo Domus professæ Societatis Jesu Ulyssipone collocatæ an.* MDLXXXVIII *die* XXV *Januarii, uti ad eum diem indicavimus. Joannes Tamayus de Salazar in libro quem de* C S. Epitacio *Ep. et Mart. scripsit, recenset inter Reliquias Ecclesiæ Placentinæ, binas S. Apolloniæ; traditque hanc de ea orationem illic recitari:* Deus, qui B. Apolloniæ in tenero et puro corpore dira tormenta vincere tribuisti, da nobis, quæsumus, ut carnis illecebris superatis, nulla mundi adversa formidemus. Per Dom.

*Ulyssipone,*

*Placentiæ in Hispania.*

## § V. *S. Apolloniæ veneratio, patrocinium variarum, miraculum.*

*S. Apollonia in multis Ecclesiis colitur.*

P*ropter frequentia adversus molestos dentium ac capitis dolores remedia, multæ S. Apolloniam venerantur Ecclesiæ, non solum ut Romana officio* in *Lectionum, sed duplici quoque, ut Tridentina, Noviomensis, Atrebatensis, et olim Ultrajectina, aliæque. Et pleræque peculiari oratione ejus contra varias ægritudines patrocinium implorant. Breviarium Antverpiense an.* MCCCCXCVI *Venetiis excusum hanc recitat:* Deus, qui B. Apolloniam gloriosam Virginem Martyremque tuam, excussione dentium pro tui nominis fide passam, in D cœlestibus coronasti; tribue, quæsumus, omnibus ejus memoriam pie colentibus, perpetua pace gaudere, et a periculis tam corporis quam animæ liberari. Per Dom.

*invocaturque pro pace et incolumitate,*

44 *Breviarium Moguntinense an.* MCCCCXCV *ac dein novo editum sic habet:* Æterne ac fortissime Deus, qui ad toleranda carnis tormenta spiritu fortitudinis electos tuos roborare non desinis; exaudi nos propitius, ut, qui B. Apolloniæ Martyris tuæ quam excussis dentibus pro tui nominis gloria, acerbissima morte fecisti triumphare, martyrium colimus, meritis ipsius et precibus, a corporis et dentium doloribus et animæ languoribus eripi et protegi mereamur. Per Dom. *Racebургense quoque, editum an.* MDVI. Deus qui B. Apolloniam Martyrem tuam, excussis dentibus pro tui nominis amore, a sævissimo hoste mirabiliter triumphare fecisti; *concede,* quæsumus, ut ejus meritis *et* intercessione, a dolore dentium et ab omni languore *corporis* et animæ liberemur. Per Dom.

*contra dolores dentium et corporis,*

*et languorem animæ.*

45 *Coloniense vetus, sæpius editum:* Deus pro cujus amore B. Apollonia Virgo et martyr horribilem dentium *excussionem* constanter sustinuit; præsta, quæsumus, ut omnes qui ejus *com*memorationem E frequentant, a dolore dentium et capitis semper immunes custodias, et post hujus exilii ærumnas, ad superna bona perducas. Per Dom.

*capitis dolores,*

46 *Cum aliqua horum pleraque veterum Germanicarum Ecclesiarum, ut Spirensis, Constantiensis, Slesvicensis, Mindensis, Osnaburgensis etc. Breviaria consentiunt. In citato antea MS. Ultrajectino hæc habetur oratio, quæ non videtur tamen in Officio Divino solita recitari, cum in eo orationes omnes semper fere ad Deum dirigantur; ita ergo habet MS.* O Sancta Apollonia, per passionem tuam impetra nobis remissionem omnium peccatorum, quæ dentibus et ore commisimus per gulam et loquelam, ut liberemur a dolore et stridore dentium hic et in futuro, et diligendo cordis munditiam, per gratiam labiorum, habeamus amicum Regem Angelorum, Amen.

ANIMADV. PAP. 49

*contra peccata dentium et oris.*

47 *Lubet aliud adjicere ex eodem codice de* Ernesto *primo Archiepiscopo Pragensi, quod tamen neque in rerum Bohemicarum scriptoribus, neque in ipsius Ernesti, religiosissimi Præsulis, Vita nuper edita, refertur. Lector eruditus cujusmodi id censeri debeat, judicabit: nobis neque approbare, pronum est, neque convellere, quod absque gravi noxa potest evenisse, et divino tamen ostento, eoque non ad sensum mortui, non ad infamiam* F *apud superstites, admodum acerbo, vindicatum, ne vel tantillæ negligentiæ exemplum fraudi successoribus esset. Ita ergo post Acta, quæ nobis dicimus utcumque apocrypha videri, subjicitur.* MIRACULUM. Extra muros civitatis Pragis fuit capella in honore Dei et B. Apolloniæ Virginis consecrata. Volens igitur Ernestus Archiepiscopus loci capellam intra muri ambitum includere, eam quæ foris erat destruxit, ut illa intus ædificaretur. Elapso vero tempore supervenit negligentia Pontifici, et totum ædificium oblivioni est datum; et memoria S. Apolloniæ est oblita, et ex devotione hominum est deleta. Factum est autem post processu temporis, ut Pontifex clauderet diem extremum: et ecce omnes dentes de ore ejus sunt excussi, ita quod nec unus in ore ejus esset repertus; ut manifeste claresceret, eum esse punitum, qui sui memoriam destruxit in eo, in quo omnibus subvenire consueverat, qui eam a sua memoria non delerent.

*Episcopo oblito S. Apolloniæ ædiculam restaurare, excussi post obitum dentes.*

DE

ANIMADV. cap. 53 54

# DE S. NICEPHORO
## MARTYRE ANTIOCHIÆ IN SYRIA,
### Commentarius prævius.

G. H.

CIRCA AN. CCLVIII. IX FEBR.

*S. Nicephori sub Valeriano Martyris*

*Inter atroces persecutiones primis seculis a Romanis Imperatoribus illatas Christianis, octava censetur a Valeriano, cum filio Gallieno imperante, anno Imperii quarto, Christi* CCLVII, *mota : in qua illustriores Martyres occubuerunt Romæ SS. Stephanus et Sixtus Pontifices, Laurentius Archidiaconus; Carthagine S. Cyprianus; in Oriente S. Nicephorus, de quo hic agimus, alibi alii.*

*Acta antiqua, in MSS. a Metaphraste interpolata*

2 *Acta hujus Martyris nacti sumus duplicia ex Græco MS. codice Regis Franciæ, perantiqua diuque ante tempora Metaphrastæ conscripta : priora incerto auctore sunt, quæ Metaphrastes nonnihil interpolata edidit, quæque a Gentiano Herveto Latine versa vulgarunt Lipomanus et Surius. Nos eadem damus, sed quæ desunt in MS. Græco, aut tamquam postea adjuncta, alio distinguimus charactere, ac fere in annotationibus explicamus. Titulus horum Græce hic est :* Ἄθλησις τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Νικηφόρου, καὶ κατὰ μνησικακίας. Certamen sancti magnique Martyris Nicephori, et contra injuriarum memoriam.

B

NOT. 12

*alia auctore Joanne Episc. Sardium*

3 *Acta alia auctorem habent Joannem Episcopum Sardium, de quo alibi hactenus nihil legimus. Sardes urbs primaria Lydiæ in Asia, una ex septem, quæ primæ istic fidem Christi suscepere : ad quarum Antistites jussu Divino S. Joannes admonitionem scripsit cap. 3 Apocalypseos. Simon Wangnereckius noster, in Prolegomenis libelli de Pietate Mariana Græcorum, docte inquirit de conditoribus Divinorum apud Græcos Officiorum, ex quibus Menæa sive Menologia Sanctorum latius proferimus : cujus indicium perscrutantibus nobis occurrit Joannem Archiepiscopum, quem ille opinatur num. 27 S. Chrysostomum esse, fortassis Joannem Archiepiscopum Sardium potius dicendum esse. Verum in re obscura non lubet conjecturæ : poterunt alii collata hoc opusculo, cum encomiis eidem adscriptis, majori olim veritatem indagare. Titulus his Actis præfigitur ejusmodi :* Μετάφρασις τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Νικηφόρου, συγγραφεὶς παρὰ Ἰωάννου Ἐπισκόπου Σάρδεων, Expositio martyrii S. Nicephori, conscripta a Joanne

C Episcopo Sardium. *Ac vere priora Acta illustribus ab eo amplificationibus exornantur : quæ hic damus ab Alexandro Barvoetio nostro, ut nos eo labore levaret, Latine translata.*

*Natalis 9 Febr. apud Græcos,*

4 *Græci celebrant* IX *Februarii officium Ecclesiasticum* S. Nicephorum *Martyrem, ut eorum Menologia, Horologia, Anthologia, Menæa, indicant. In Menologio Cardinalis Sirleti, a Canisio edito, hæc leguntur :* Sancti Martyris Nicephori, qui Valeriano et Gallieno Imperatoribus martyrium superpessus est. *Ex pluribus encomiis, quæ in Menæis extant, unum hoc auctore Joanne Monacho in Vesperis deceptum damus.* Manifeste omnibus ostendisti, o invicte Nicephore, eum, qui proximum suum non amat, neque Deum unum posse diligere. Quapropter quia sincero amore complexus es Sapricium conservum tuum, ad Divinum cœleris assumptus es amorem, animaque tuam ob fidem confessionemque Christo dedisti. Infelix vero Sapricius, quia irreconciliabile adversus te odium detinuit, etiam Christum Deum negavit.

*et Latinis.*

5 *E Latinis Molanus eumdem retulit in Auctario Usuardi* : Die nona Sancti Martyris Nicephori. *Martyrologium Romanum* : Antiochiæ S. Nicephori Martyris, qui sub Valeriano Imperatore capite cæsus, martyrii coronam accepit. *Locum martyrii silent Acta utraque Græca, Menæa et Menologia : expressit Metaphrastes, et post eum Martyrol. Romanum.*

## EPITOME VITÆ
### Ex Menæis et Anthologio Græcorum.

Memoria sancti Martyris Nicephori.

Valeriano et *a* Gallieno imperantibus hic Nicephorus vixit, homo idiota, privataque vita contentus. Habebat autem amicum quemdam Christianum, Ecclesiæ Presbyterum, nomine Sapricium : qui diabolico impulsu oderat S. Nicephorum, nec memoriam inimicitiæ unquam ponebat. Cum autem Sapricius ab idolorum cultoribus captus esset, multaque tormenta perpessus, S. Nicephorus per internuntios ad eum missos, veniam rogavit : quos ille noluit audire. Videns autem S. Nicephorus abduci Sapricium, ut capite plecteretur, accurrit, abjectusque ad pedes ejus, gratiam offensæ petivit : legemque Christi de reconciliatione facienda recensuit; nihil tamen apud illum profecit. Ergo variis cruciatibus toleratis et superatis, cum martyrii præmium et lauream, securi jam jam percutiendus, mox esset habiturus, nec tamen Nicephoro ignovisset, repente omni auxilio Divino exutus, lictoribus dixit : Dimittite me, et diis sacrificabo. Quod ubi Nicephorus vidit, ipse ultro lictoribus se obtulit, Christumque magna cum libertate professus, jussu tyranni, reciso capite obtruncatus est, adeptus brevi præmia dilectionis, quam properavit adimplere propter Christum dilectionis caritatisque datorem.

E

Matth. 5. 23

*a Græce* Γ[illegible] *In aliis [illegible]* Γαλλιηνοῦ *ut in aliis Actis magis [illegible]* Γαλλιηνοῦ *dicitur, an sorte cum [illegible] Valeriani confusus, qui solus a Joanne Sardiensi profertur.*

## VITA AUCTORE ANONYMO,
### *ex MSS. Regis Christianis.*
### collata cum Metaphraste.

### CAPUT I.

*S. Nicephori et Sapricii ex summa amicitia odium infestissimum.*

F

*In illo tempore* erat quidam Presbyter *a in magna Antiochia Syriæ*, nomine Sapricius. Erat autem quidam quoque alius, qui appellabatur quidem Nicephorus, erat vero ordine laicus, et admodum germanus amicus ejusdem Presbyteri. Seque ambo sic mutuo diligebant, ut existimarentur esse fratres germani, nati ex uno utero; adeo ut esset excellens amor eorum mutuus. Cum longo autem tempore vixissent in hac affectione, bono et honesto infestus et sceleratissimus humani generis inimicus, eis invidens, [illegible] inter eos peperit dissensionem, ut nec in platea quidem vellent sibi invicem occurrere, ex dæmoniaco odio, quod inter se invicem conceperant.

a

*S. Nicephorus et Sapricii Presbyteri, [illegible] [illegible] odio [illegible]*

2 Cum [illegible] vero longo tempore ita fuissent affecti, ad se rediens Nicephorus, et cognoscens odium esse diabolicum, rogavit amicos quosdam, ut irent ad Presbyterum Sapricium, et rogarent eum pro Nicephoro, ut ei scelus condonaret, et eum pœnitentia ductum acciperet *propter Dominum*. Ille autem noluit ei condonare. Is vero rursus misit alios amicos, ut ei *reconciliaretur*. Presbyter autem Sapricius ne eos quidem rogantes audire sustinuit. Rursus ergo Nicephorus rogavit alios quosdam amicos, et misit ad ipsum, ut ei dignaretur sui debiti veniam concedere : ut *contineatur Divino eloquio, in ore duorum*

*a quot, interpositis aliis, [illegible] [illegible] reciperet*

Deut. 19. 17

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS*

A rum vel trium testium staret omne verbum. Ille autem cum esset duro corde, et implacabilis, et oblitus esset Domini nostri Jesu Christi, qui dicit : Remittite, et remittetur vobis. *Et* b *rursus : Si offeras donum tuum ad altare, et recordatus fueris, quod habes aliquid adversus fratrem tuum, dimitte id, et vadens, reconciliare fratri tuo.* Et rursus : Nisi remiseritis hominibus delicta eorum, nec Pater vester cœlestis remittet vobis delicta vestra : omnibus eum rogantibus et petentibus, non condonavit c *fratri et amico suo. Non enim habebat in se caritatem et misericordiam: quamobrem jure fuit privatus regno cœlorum.*

Matt. 18. 16 Luc 6. 37 b Matt. 5. 23 etc. 6. 15 c

3 d Imprimis autem pius et fidelis Nicephorus, cum vidit Sapricium despexisse communes amicos, qui pro eo petentes, veniam non acceperunt, ipse currens ad ædes Sapricii, se projicit ad pedes ejus, dicens : Condona mihi Pater, propter Dominum. Ille vero ei noluit reconciliari ut e amico, et maxime cum rogaretur : *et maxime* cum deberet, etiamsi non fuisset rogatus, a prima excusatione eum accipere, ut Christianus et Presbyter, et qui professus erat servire Domino.

d *etiam ad pedes ejus prostratus rejicitur* e

a *Desunt in MS. Græco hæc verba de loco martyrii, uti etiam in sequenti Vita et Menæis.* — b *Desunt hæc quoque in MS. Græco : et recte quia infra eadem leguntur.* — c *In MS.* non condonavit ei; *reliqua ad finem § omissis.* — d *Idem MS.* Fidelissimus autem et fidelissimus Nicephorus. e *MS.* ut amicus amico

B

## CAPUT II.

*Sapricius renuens odium deponere, martyrio excidit.*

Cum hæc autem sic fierent, repente existit persecutio et magna afflictio in a Antiochia civitate, ubi ambo habitabant : et apprehenditur Sapricius *ut Christianus*, et traditur Præsidi : et stetit ante ipsum, et dixit ei Præses : Quod est nomen tuum? Ille autem dixit : Vocor Sapricius. Dicit Præses : Cujusnam es generis? Dixit Sapricius : Sum Christianus. Præses dixit. b Es Clericus? Dixit Sapricius : Locum teneo Presbyteri. Dicit Præses : Augusti nostri et Domini hujus regionis et finium Romanorum, Valerianus et Gallus jusserunt, ut, qui se dicunt esse Christianos, sacrificent diis immortalibus. c Si quis vero despiciens, respuit hoc edictum, sciat se diversis tormentis et suppliciis plectendum, et sic gravissima morte esse condemnandum. Sapricius autem adstans, dixit Præsidi : Nos Christiani, *o Præses*, Christum Deum habemus Regem, quoniam ipse est

a *Ab eodem ob fidem capto,* b *eoque constanter confesso,* c

C solus verus Deus, et creator cœli et terræ et maris, et omnium quæ sunt in eis. Omnes vero dii gentium dæmonia, et pereant a facie universæ terræ, qui non possunt alicui opem ferre, aut aliquem lædere aut impedire, cum sint opera manuum hominum.

5 Tunc iratus Præses, jussit eum projici in cochleam, d jubens eum vehementer versari. Cum is ergo adeo acerbe et inhumane torqueretur, dixit Sapricius Præsidi : Carnis meæ habes potestatem; animæ autem meæ potestatem non habes, sed Dominus Jesus Christus, qui eam creavit. Longo vero tempore tortus, sustinuit tormenta. Cum vidisset autem *improbus et malitiosus* Judex eum non persuaderi, tulit in eum sententiam, dicens : Sapricium Presbyterum, qui edicta contemnit Imperatorum, et non paruit, nec diis immortalibus voluit sacrificare, ut qui a spe Christianorum non tulerit excidere, jubemus tradi supplicio capitis.

*in cochlea tortus,* d *ac morti adjudicato,*

6 Cum ergo ipse esset egressus, accepta martyrii sententia, et festinaret ad cœlestem coronam; audivisset autem S. Nicephorus, currens ei processit obviam, et se projicit ad pedes ejus, dicens : Martyr Christi, ignosce mihi, quoniam peccavi in te. Ille autem nihil ei respondit : *excæcatum enim fuerat cor ejus a malo dæmone.* S. Nicephorus eum rursus prævenit per aliam viam, et ei occurrit, priusquam ipse D egrederetur e civitate, et rogavit eum, dicens : Martyr Christi, condona mihi ea, quæ in te peccavi ut homo. Ecce enim de cetero data est tibi corona a Christo, quem non negasti, sed confessus es nomen ejus sanctum coram multis testibus. Ille autem *durus et implacabilis*, odio cor habens obcæcatum, neque ei dedit veniam, neque ei verbum voluit respondere, adeo ut ipsi lictores dicerent S. Nicephoro : Tam stultum hominem numquam vidimus. Vadit ad supplicium capitis : et quomodo petis veniam ab eo, qui jam est moriturus? Dicit eis S. Nicephorus : Nescitis, quid petam a Confessore Christi : Deus autem scit.

*festinantique ad supplicium, nequit in gratiam recipi :*

7 Et cum venisset ad locum, in quo erat interimendus Sapricius, rursus ei dixit Nicephorus : *Rogo te, Martyr Christi, ignosce mihi si quid peccavi, ut homo.* Scriptum est *enim* : Petite, et dabitur vobis. Matt. 7. 7
e Sed eo hæc dicente et quæ sunt his similia, non audivit sævus et durus amicus : nec flexus est sodalis asperrimus, *nec fuit mollitus totus inflexibilis. Non enim audivit illud : Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum* : sed clausit aures *cordis sui et corporis*, ut aspis surda et clauda, quæ non exaudivit vocem incantantium. E Propterea *qui personam non respicit, et* verax est Dominus, qui dixit : Si non remiseritis hominibus delicta eorum, *neque Pater vester cœlestis remittet vobis delicta vestra*, *et : In qua mensura metieris fratri tuo, in ea remetietur tibi.*

e *imo a mox interimendo spernitur.* Matt 22 37 et 6 15 7 2

8 Dominus cum vidisset eum nulla tangi proximi misericordia, f jure enim privavit g regno suo cœlesti: imo vero ille seipsum alienavit a gratia cœlesti et ab æternis Dei bonis, propter injuriæ a fratre acceptæ recordationem : et maxime quod in germanum et veterem amicum fuisset animo crudeli, immani et irreconciliabili. Tunc dicunt lictores Sapricio : Flecte genua tua, ut caput tibi amputetur. Dicit autem eis Sapricius : Quare? Dicunt ei lictores : Quoniam noluisti diis sacrificare, sed contempsisti edictum Imperatoris propter hominem, qui dicitur Christus. Hæc cum audiisset miser Sapricius, respondit lictoribus, *hanc miseram et tristem vocem*, dicens : Nolite me ferire. Facio enim, quæ jusserunt Imperatores, et diis sacrifico. Sic eum excæcavit odium, et ab eo abduxit Dei gratiam. Qui enim per ejusmodi tormenta non negavit Dominum nostrum Jesum Christum, cum venisset ad finem mortis, et esset accepturus præmium et coronam gloriæ *et spei*, negavit F *vitam æternam*, et fuit apostata.

f g *Eumdem ideo gratia perseverantiæ privatum,* *et negato Christo, volentem diis sacrificare.*

a *Deest in MS. et in Joannis quoque Sardium archiepiscopi oratione, urbis nomen, solumque legitur* ἐν τῇ πόλει, ὅπου ἀμφότεροι κατῴκουν in urbe, ubi uterque habitabat — b *MS. Græcum* Es Clericus an laicus? — c *addit MS* et æternis — d *Hæc minus perfecte in MS. leguntur*. Et vehementer versari adeo superbe Dixit Sapricius — e *Addit MS* quærite et invenietis pulsate et aperietur vobis — f *Addit MS.* sed implacabile odium servare. — g *MS.* gratia cœlesti.

## CAPUT III.

*Martyrium S. Nicephori.*

Hæc cum audisset S. Nicephorus, rogavit Sapricium *cum lacrymis*, dicens : Noli, o frater, noli transgredi et negare Dominum nostrum Jesum Christum. Noli omnino rogo te, ab eo deficere, et perdere cœlestem coronam, quam per multa acquisiisti tormenta et afflictiones. Ille autem noluit eum omnino audire, sed contendit abire ad interitum *et tenebras* ultimæ mortis, *et ad ignem, qui non potest extingui.* Qui tanti pretii gloriam in momento unius horæ ictus gladii perdidit, revera fuit miser, excæcatus ab odio.

*frustra animat S. Nicephorus*

10 Non enim audivit Dominum nostrum Jesum Christum, dicentem in sancto Evangelio : Si afferas munus tuum ad altare, et recorderis quod frater tuus habet Matth 5 23

A habet aliquid adversus te, dimitte munus tuum ante altare: et vade primum, et reconciliare fratri tuo, et tunc veniens, offer munus tuum. Et rursus Petro principi Apostolorum, cum rogasset Dominum, Quoties, si peccaverit in me frater meus, dimittam ei? septies? respondit Dominus: Non dico tibi, septies; sed septuagies septies. Ille autem miser ne semel quidem voluit condonare fratri suo, et maxime petenti veniam et roganti. Et Dominus quidem noster et Deus jussit ex animo condonare unicuique, et dimisso munere, quod Deo est offerendum, currere ad reconciliationem. Ille vero ne summis quidem labris condonavit ei, quem pœnitebat: nec in animum induxit, ut ei roganti remitteret; sed clausit viscera sua a fratre suo, propterea clausæ sunt ei fores regni cœlorum, et recessit ab eo gratia divini et vivifici Spiritus, et perdidit *magnam, pretiosam, et* gloriosam coronam martyrii. Quamobrem, o dilecti, nos quoque diligenter caveamus ab hac diabolica operatione, odii, inquam, et injuriæ acceptæ recordatione, ut nostrorum quoque peccatorum detur nobis remissio a Domino Jesu Christo, convenienter ei quod dicitur: Dimitte nobis debita nostra, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Fidelis est enim qui promisit.

*Matth. 18*

*illo obdurato odio pereunte,*

*Matth. 6*

B 11 Beatus autem Nicephorus postquam vidit transgressum esse Sapricium, *magna voce* dicit lictoribus: Ego sum Christianus, et credo in nomen Domini nostri Jesu Christi, quem iste negavit. Me ergo jam pro ipso ferite. Lictores vero non ausi sunt eum ferire absque jussu Præsidis: mirati sunt autem omnes, quod se ita ad mortem tradiderit. Libere enim dicebat: Sum Christianus, et diis vestris non sacrifico. Unus autem ex lictoribus currens, renuntiavit Præsidi, dicens: Sapricius quidem pollicetur se diis sacrificaturum. est vero illic quidam alius qui vult mori propter eum, qui dicitur Christus, clamans et dicens libere: Christianus sum, et diis vestris non sacrifico, nec obedio edictis Imperatorum.

*se morti pro Christo offert:*

12 Postquam hæc autem audiit Præses, in eum tulit sententiam, dicens: Si non sacrificat diis immortalibus, prout jusserunt Imperatores, jubeo eum mori gladio. *Sapricium vero sinite abire.* Tunc accipientes S. Nicephorum, eum capite truncarunt, ut Præses jusserat, a *nono mensis Februarii*, et sic consummatus fuit *in Christo* sanctus Martyr Christi Nicephorus: et ascendit in cœlos coronatus, per fidem in Christum, caritatemque et humilitatem. Quoniam enim propensus fuit ad caritatem et humilitatem, C ideo fuit redimitus corona martyrii, et dignatus est referri in numerum Martyrum, *b* ad laudem et gloriam magni Dei et Servatoris nostri Jesu Christi: cui *c* gloria et potentia nunc et semper et in secula seculorum, Amen.

*capite truncatus,*

*fit Martyr.*

a *Deest in utroque MS. dies obitus.* — b *MS.* ad laudem gloriæ magnificentiæ et gratiæ Domini et Dei. — c *MS.* gloria, potentia et honor.

# ALIA VITA

## *auctore Joanne Sardium Episcopo, interprete Alexandro Barvoetio Soc.* Jesu.

### PROLOGUS AUCTORIS.

Cum vilis et abjecta natura nostra multis subjecta sit animi perturbationibus, ex quo primus homo ipsam creationis pulchritudinem corrupit: magno quoque eget, ut ex hac abjectione attollatur et erigatur, subsidio. Neque enim tantum illud esset, quod nos conditos perturbationibus animi a ratione alienis quasi damnatos addiceret, si post lapsum celeriter a lapsu surgere fuissemus conati. Est enim in nobis, quæ animi perturbationibus dominetur, ratio, quæ nudam ipsam malitiam sistit, ac qualem naturam habeat, melioris electionis affectu ostendit: ac si quæ nobis obversetur mali cogitatio. Deique animæ D nostræ mortem minime desiderantis memoria, facile nos ipsos nosse possumus, quales nimirum facti simus, ac quales a sacris litteris esse dicamur, in qualem confusionem ac ignominiam nos ipsos conjecerimus. Nunc vero eo usque mentem nostram abducimus, ita rationem illius ac splendorem violamus, ut in pejoribus persistendo, quid tales nos reddat ne quidem sentiamus, in tenebris vere ambulantes, ad irradiantem bonorum operum lucem ob mentis otium ac ignaviam minime conversi. Non ita enim a nobis aversus est sollicitus ac sapientissimus vitæ nostræ moderator Deus, ut viam nobis, quæ ad recta ducit, præcluserit; sed omni modo potius, ut a perturbationibus animum nostrum infestantibus liberemur, multis iisque variis adhibitis remediis statuit. Si enim mentem nostram sæpius perturbationibus immergimus, ad splendidissimum illam lucem, quæ hanc nobis caliginem abstergat, respicere nolumus. Habemus tamen sacrarum litterarum adhortationes, quibus coerceamur a lapsu, sensibus nostris quodammodo subjicientes ea, quibus a malis revocemur. Habemus sacrorum Evangeliorum doctrinam, compendiosam nobis, ac minime operosam salutis viam demonstrantem. Prophetarum chorus nos ad ejusmodi continentiam excitat. E

*Perturbationum dominatricem rationem.*

*AUCTORE JOAN. EP. INTERPR. ALEX. BARVOET*

*tenebris obvolutam,*

*illuminat sacra Scriptura*

2 Proposita sunt nobis Martyrum certamina, a caducis hisce ac fluxis rebus nos abducentia, ac Divini amoris flammis animos nostros accendentia, omnemque in nobis tumorem reprimentia. Quotiescumque enim videt quis, animi perturbationem aliquam sese agitantem, mentis oculos obcæcantem, injuriaque afficientem imaginem illius, ad cujus similitudinem creatus est, excutit hanc et repellit, totam sese ad præclarorum illorum certaminum imitationem comparans et extendens: pœnas illas, a quibus humana natura abhorret, quibusque ferendis impar est, quanta cum voluptate ac amoris magnitudine ii sustinuerint, expendit. Fieri enim non potest, ut quis rebus eorum præclare gestis mentem attendat, quin singularem inde utilitatem ac fructum referat. Non enim hic tam quod præside at Judex, quod tormentorum varia scrutetur genera, quæ carnificum manus adhibet, ac quibus Martyrum corpora crucientur, attendimus, quam horum singula nobiscum expendimus, ac quod lucrum inde colligere possimus, spectamus. Cumque Judicum crudelitatem mente volvimus, mentis nostræ feritatem mitigamus, ut vel in eo illorum detestari videamur sævitiem. At manifesta F et intolerabilia cernentes supplicia, improbos animi excitatos et insurgentes motus arcemus, qui misera corpora nostra infestant, ac principem animæ partem evertunt. Cum autem carnificum manus mente effingimus, cogitationes, quæ humanum genus perpetuo bello exercent, retundimus. Martyrum vero generosa constantia, ac imperturbatæ mentis firmitas nobis in animo depicta, mentis sublimitatem docent, persuadentque, ut illa spectet, ac circumspiciat, quæ illius substantiæ Dei speciem referenti, quam maxime conveniunt, neque ita trahi se aut regi sinat a sibi subdito corpore.

*Martyrum certamina,*

*ad imitationem proposita,*

*feros motus sedant,*

*et mentem in Deum elevant:*

3 Tanta ac talis nobis ex Martyrum certaminibus redundat utilitas, is in iis animæ repositus est thesaurus: hic etiam nobis ex ea, quæ nunc est, celebritate fructus provenit. hoc illorum petit solennitas. Propterea enim et Ecclesia illorum ornatur certaminibus, et omnes tamquam ad epulas convocat, præclarum illorum finem deprædicans, neminemque spirituali huic convivio non refectum adesse patitur. No igitur, cum tantum lucri animis nostris afferre possimus, hunc concursum in nihilum abire sinamus. Celebratur enim hodierna die magni Martyris Nicephori memoria, quæ illius virtutes tamquam in theatro

*ideo Natales Martyrum celebrantur,*

*uti S. Nicephori:*

AUCTORE JOAN. INTERPR. ALEX. BARVOET.

A tro nobis spectandas proponit : ac imprimis candidos illius ac minime fucatos mores, tum ferventem illius in Deum proximumque amorem ostendit. Tametsi enim martyrii illius enarratio adeo varia tormenta ac sævientium Tyrannorum rabiem non complectatur, attamen virtutum thesauros nobis aperit, caritatem nimirum, in qua tanquam in capite lex omnis versatur, quaque servata mandata omnia observata sunt. Adhæc in hoc Sancto proponitur nobis mentis illius ac sententiæ constantia, ac spontanea sui ipsius in manus lictorum oblatio. Porro hæc descripta narratio multam animis nostris suggerit malorum tolerantiam. Corpus enim suum, quantum quidem in ipso erat, gravibus ac acerbis tradidit suppliciis, tametsi hoc tum temporis in Præsidis esset potestate, sive ad mansuetudinem, sive ad superbiam respicere, satis fuit Martyris caput ense præscindi. Ad initium igitur reducatur oratio, ac auribus Martyrum gesta audiendi cupidis totius certaminis argumentum exponat.

*in quo elucet caritas,*

*et sui oblatio.*

## CAPUT I.

### *S. Nicephori amicitia cum Sapricio : hujus infestissimum odium.*

B Erat Sapricius quidam (ita a parentibus ei nomen impositum) sacerdotii gradum adeptus, is magnam cum S. Nicephoro contraxit amicitiam. Clericis ille non adscriptus, in profanorum hominum numero censebatur, Divinas tamen observare leges, mentemque in iis exercere studebat. Tanta autem inter eos intercessit amicitiæ necessitudo, ut a multis fratres ex eadem matre geniti existimarentur : atque tantus hic inter eos affectus non exiguo duravit tempore, amoris illius vinculis minime interruptis : donec inimicum in eos oculum conjecit invidia, quam a primis vitæ initiis inimicus noster dæmon excitavit, quaque hanc illorum conjunctionem divisit, ecquid enim aliud machinatur ille, nisi ut hujusmodi in nobis abundent cogitationes? Hujusmodi itaque inter eos excitavit odium, quod ex illo originem ducens ita animos ab invicem alienavit, ut occursum mutuum in platea minime sustinerent, sed continuo ex una abeuntes in aliam declinarent : adeo in diversum eos agebant structæ iis a dæmone insidiæ.

*S. Nicephorus et Sapricius Sacerdos ex intimis amicis,*

*infestissimi inimici.*

5 Verum oportebat Dei Sacerdotem, cui incumbit dissidentes etiam aliorum animos conciliare ex Divinis mandatis, priusquam rem Divinam ad aram C faciat, eum, unde orta esset dissentio, nosset, hujusmodi dissidium amoliri, amicumque, tametsi nescio quid peccantem vidisset, ad hoc adhortari, pacem ut deperditam restauraret. At tantum abest, ut hoc præstiterit, ut diuturno etiam tempore amico iratus persistiterit, neque domesticum testem conscientiam curans, neque ullam veteris consuetudinis admittens memoriam, neque aurem iis, qui Divina præcepta quotidie ingeminabant, præbens, quorum tamen ille et mystes minister erat, et mystagogus. Verum anima, quæ sese semel ab iracundia abripi passa est, puritatem illam, ac quid materiæ omnis expers sit peccati occultante, dignitatem suam cognoscere non vult. Quid vero hic magnanimus pissimus pie Nicephorus? ubi, quod acciderat, sensit, priorisque amicitiæ consuetudinem, ac iniucunditas curatu difficiles in mentem revocans, quodque quos ante ne horæ quidem unius intervallum disjunxerat, tot modo solis occasus divisissent, non absque dæmonis malitia ac opera id factum esse suspicatus, ad dissensionem hanc tollendam quamprimum festinavit.

*Sapricio obstinato*

*S. Nicephorus reconciliari cupit*

6 Ac per sese quidem amicum ad hoc adhortari minime ausus est, ne suspicionis alicujus, aut impudentiæ crimen incurreret : verum alios ad id ipsum faciendum impulit : neque sese purgare a crimine ac culpa per horum testimonia minime fucatus, omnisque fraudis expers Nicephorus conatus est : sed reum sese ac delictum agnoscentem esse alteri renuntiari voluit, utque suis delictis ignosceret, hortatus est. Ut vero Sapricius virtutis suasores sine effectu ullo remisit, sine ullo pudore aut verecundia totum sese iracundiæ a perturbatione abripi sinens, Ne sic quidem Nicephorus ad omnem virtutem maxime propensus, a bene cœptis destitit : ast alios rursum, qui eum rogarent, misit : verum ille in eadem duritie perstitit : tertium quoque missos mente minime mota suscepit. Neque enim importunum sanctus hic vir existimabat, aut molestum, ad hujusmodi negotia sæpius amicos adhibere : probe enim noverat iis, quippe pacis conciliatoribus, hujus operis mercedem, quam vox Divina, promisit, esse repositam : ipseque amicum, quem vel minimum temporis spatium a se disjunxerat, cum indissolubilem antea amicitiam putasset cum eo se inivisse, iterum lucrari conatus est. At nihil quod illum placaret, inventum est, non continuæ amicorum preces, non quod culpam omnem sibi attribueret, non sacra illa, Dimitte et dimittetur vobis, promissio, non a cœlesti Patre pronuntiata sententia, veniam delictorum minime consecuturos eos, qui peccata aliis non condonarint. D

*nonnas culpam in se rejicit*

*frustra alios ad eum allegat*

Matth. 5. 9.

Luc. 6. 37.

E

7 Cum videret igitur aliter illum ad veniam dandam moveri minime posse, nisi ipsemet privatim illum accederet, ex aspectu fortasse eum in antiquam amicitiæ notitiam deventurum ratus, cum tempus ad hoc opportunum reperisset, sese ad pedes illius abjicit, si quid deliquerit, veniam precatur. At ne sic quidem illius animus ulla ex parte commotus est : verum ad instar Pharaonis potius, cor illius magis obdurabat. Tantum vero abest, ut eum ad remissionem ullo modo inflexerit, ut ne verbo quidem dignatus sit mille modis ac precibus suppliciter obtestantem, ad omnia surdus et immobilis. Potius enim Divinas leges ac præcepta violari sustinuit, quam aliquid de animi sui contra rationem insurgente iracundia remitteret.

*ipse ad pedes prostratus, rejicitur*

## CAPUT II.

### *Sapricius Martyrii palma privatus, renuens cum Nicephoro redire in gratiam.*

Cum itaque in pessima hac perturbatione diutius persisteret, alter vero culpæ deprecationi sese totum daret, bellum, quod pauxillo tempore quieverat, contra Christianos iterum recrudnit Valeriano Romanorum Imperatore, cum litteris illius civitates omnes perturbarentur, ut ad impietatem suam omnes provocaret, eisque contrarium credentes, per varia supplicia mortem irrogaret. Turba hæc civitatem quoque, quam incolebant Sapricius ac S. Nicephorus, invasit : ac primo quidem Sapricius, utpote honoris dignitate eximius, ab imperitante illo Præside, tanquam qui fidem Christianorum ejurare nollet, comprehensus est : ac quod ei nomen esset interrogatus, ubi illud indicavit, qua dignitate præditus esset, edicere jussus est. Ad hoc secundum respondit, Christianum esse sacris esse initiatum. Rogatus ordinem, quo censebatur, Presbyterum sese Sapricius esse dixit. Ut vero nomen illius, dignitatem, ac ordinem, is, cui munus interrogandi obtigerat, inaudiit, prolatis regiis litteris minarum plenus, quæ mortem Deos suos non colentibus denuntiarent, perterrere eum conatus est. At nos, inquit Sapricius, Divinis adhærentes litteris, veram germanamque fidem edocentibus, unum Deum adoramus, tribus quidem personarum proprietatibus distinctum, at una Deitate subsistentem, cœli, terræ, ac maris omniumque quæ hic videntur creatorem : hunc solum novimus ;

*In persecutione Valeriani Imper.*

F

*capitur,*

A mus: huic uni adorationis cultum deferimus, cujus etiam religionis pietas audita satis est et conspecta: cujus traditum cultum observant omnes et venerantur. Vestra vero sacrificia, et cum proferuntur, aerem inficiunt, et cum audiuntur, risum excitant. Pereant igitur a facie terræ dii tui, ut noster dixit Propheta, dæmonia eos vocans, ex humanæ mentis insania efformatos deos, cultuque ab hominibus magicis ac adoratione illis procuratis.

Psal. 67 3

*in cochleam conjicitur.*

9 Ut itaque nihil eum suis sermonibus moveri vidit perditionis suasor ac magister, ad supplicia feritatem animi sui declarantia conversus est: ac quam mox in sui contemptu adhuc persistentem Sapricium in cohleam conjici jussit, ac vehementius eam agitari, ut tanto citius anima avelleretur a corpore, imperavit. Verum perdurante in tormentis Saprício, ac de animi sui generositate nihil omnino remittente, ob cochleæ machinam, mortem continuo ei minantem, ac circumversantem, cum fieri non posse ut unquam illi persuaderet, existimaret Judex, ut gladio vitam finiret, sententiam tulit.

*morti adjudicatur:*

10 Ad mortem igitur properantem eum ut audiit Nicephorus, nihil amplius, quod ad reconciliationem obstare posset, superesse ratus, mente a terrenis hisce ad cœlestem pulchritudinem jam abducta, omniaque humana hæc abdicante, accurrit, ac ad

*a S. Nicephoro supplice rogatus,*

B pedes illius provolvitur, per sanguinem illius jam jam effundendum supplex obtestatur, ne ita irreconciliatus et hostis ad supernam pergat mansionem. Verum (o exsecrandam ac dæmoniacam prorsus mentem!) ne convertere quidem sese ad eum, qui ad pedes illius sese abjecerat, voluit, neque iis quæ proferebat attendere. Anxius itaque Nicephorus, totusque mœrore confusus, veritus, ne indissoluta hæc inimicitiæ vincula servaret, etiam ad cœlestem proficiscens mansionem, similibus cum verbis flectere conatus est, vinctum in conspectu lictorum prosequens, ac omni modo duritiem illius ad mansuetudinem ac commiserationem commovere pertentans. Quid vero non excogitavit? Quid non fecit, quod barbarorum etiam animos e feris cicures ac mansuetos redderet? At barbaris omnibus hic fuit implacabilior, in aliam quodammodo formam, quæ ab humana natura prorsus abhorreret, sese transmutans. Simul atque enim Divinis non cessit promissionibus, sacerdotii minime reveritus est dignitatem: non amicorum monitionibus ad ignoscendum motus est: non diuturnis obsecrationibus mollitus: non Divini judicii terrore sapere et ad meliorem mentem con-

*reduci in gratiam nequit*

C verti potuit; quodammodo submitis ac mansueti animalis specie ferinam et inhumanam induit naturam: adeo pudorem omnem, morumque urbanitatem animo exterminarat.

11 Eapropter a cœlestium bonorum illustri conspectu abstrahentibus, ac rebus hisce terrenis sua pulchritudine pellicientibus mentem attendens, martyrii confessione excidit: neque enim nobis ad pejora nostra sponte propensis malum exemplum relinqui poterat. Quippe, qui, si quid rari aut consueti videmus, ad extypi exemplum mores nostros conformare solemus, etiam quæ ad confusionem nostram faciunt, imitantes. At vide, quem ad finem eum animi iracundia perduxerit. Aspidis enim feritatem videtur sectatus fuisse, quæ ne cantum percipiat, aures solet occludere; et ipse autem occludens, ad ea, quæ mentis illius duritiem emollire quodammodo canendo poterant, instar furibundi ac amentis, ab animi perturbatione in rabiem actus, tantum non laborum, quos exhauserat, accepturus præmium, lictoribus jam cervicem præcisuris (o stuporem! o ingentes communis humani generis hostis conatus!) id ipsum ne facerent prohibuit, unum aliquem ex iis futurum sese asserens, qui impio cultu deos adorarent.

*e martyrio excidit:*

*cultum deorum admittit.*

Ita, quem verborum lenocinium pellicere non potuerat, quem cochleæ vulnera mortem minitantia non flexerant; verbum unum abitum jam ac ingressum in cœlos paratum subiturum, ab omni pietate avertit, persuasitque ut se totum cœno impietatis immergeret. Ita iracundiæ impetus animæ oculos, rationem excæcarat: adeoque clare in eo videmus impletum, quod ait Salomon; Vias memoris injuriarum adducere ad mortem, nimirum animæ. Quod si inferiorem superiori animæ parti subjicere voluisset, quot modis hæc ei utilitas non patuit? Habuit enim, quæ Divinis litteris continentur, oracula mentem erigentia, perturbationesque reprimentia: hinc quidem donum minime offerri jubentia, dum injuriæ fratris occurreret memoria, neque prius faciendam oblationem, quam inimicitiæ per mutuam reconciliationem essent sublatæ: alibi vero Petri Apostolorum principis interrogationem, qua, an usque septies ignoscendum esset quærenti, quoties opus foret, ignoscendum esse declarantem, ac Dei ipsius benignitatem, ac mutuum inter nos amorem. At tantum abest, ut divinis illis dogmatibus (quæ quotidie lingua quidem, ut videtur, verbotenus proferebat, at illorum vim et efficacitatem suscipere minime volebat) mentem præbuerit, ut et repulsis iis, qui id persuadere conabantur, nihil quod ad præceptam amici consolationem faceret, prorsus admiserit, fratri quidem occludens viscera, at sibi regni cœlestis januam.

D

AUCTORE JOAN EP INTERPR ALEX BARVOET.

Matt 5 23

Matt 18. 22

E

## CAPUT III.

### *Martyrium S. Nicephori.*

Illo itaque in perditionis barathrum ita abrepto, alius affectus S. Nicephorum invasit. Igne enim interius consumi cœpit, atque ab hisce laqueis Sapricium extricaret, conatus est, ac, Noli, inquit, o Frater, coram hominibus tibi oblatum martyrium rejicere: ne Christum Dominum ac Deum nostrum illiusque sanctos Angelos mœrore afficias, qui in libro vitæ nomen tuum descripserunt: ne coronam, quam capiti tuo per tot tormenta ac supplicia constanter tolerata imposuisti, breve unius horæ spatium detrahat. At frustra fuere hæc verba omnia. Quomodo enim, qui ad tantam insaniam devenerat, verba ulla sapientiæ aut salutaria admitteret? Deserit itaque miserum illum atque infaustum hominem mansuetissimus Nicephorus, contemptisque rebus omnibus terrenis sponte sua sese lictoribus tradit, hac cæde mortem ut sibi inferant, inclamat, Christianum nomen, ac Dei unius et trini semper laudandi invocationem ad desideratum hunc finem consequendum ingeminans. Obstupuere, quotquot animi illius viderunt magnitudinem.

*S. Nicephorus frustra Sapricium ad constantiam adhortatur,*

*se lictoribus ut Christianum tradit:*

F

13 At lictorum impetum continuit Præfecti potestas, hujusce spectaculi tum nondum conscii. At ut pietatem ille suam multis manifestam fecit, ac idolorum cultores ad dulcem sibi mortem ultro provocavit, unus aliquis ex iis, qui aderant, ad Præsidem abiens, impudentem illius pietatis abnegationem, ac præstantissimi Martyris Nicephori sua sponte ad mortem properantis factam oblationem exponit, divina verba, quæ ille tanta cum fiducia de sua fide protulerat, subdens. Quæ ut inaudiit impius erroris satelles ac propugnator, contra S. Martyrem condemnationis pronuntiavit sententiam, legum violationem cultum idolis deferre jubentium pro crimine adscribens. Hic vero cum sententiam scriptam iis, qui ad interficiendum eum parati erant, tradidisset; ea, quæ mandata erant, perfici jussit. Atque ita cervicem præbuit præclarus Christi Martyr, commiserationis ac obedientiæ filius: ictum gladii sustinuit, exigui sanguinis profusione regnum cœlorum commutans, sempiternam eligens ibi figere mansionem.

*a Præside morti adjudicatur,*

*capite plectitur.*

A AUCTORE JOAN. EP. INTERPR. ALEX. BARVOET.

sionem, non caducis hisce ac fluxis immorari, non cum impiis agere, sed animæ incorruptibilitatem exuto corruptibili corporis ergastulo adire; quam et ipsi adhuc perturbationibus obnoxii, animique tranquillitatem desiderantes, a vobis, sancti Martyres, qui eam illæsam servastis, exposcimus: Si quid enim vobis e carnis materia adhæsit, eluit hoc vestri sanguinis effusio. Propterea et vobis post mortem datum est, preces nostras posse offerre ei, qui aliquid a vobis postulari gaudet, omnemque, ne injuriam aliquam opus manuum suarum patiatur aut detrimentum, quærit occasionem.

a invocatur ab auctore.

14 Nosti ipse, qui cognatum *a* victoriæ nomen sortitus es, Nicephore, quantis fluctibus jactetur animus domestico carnis bello continenter agitatus, quod concitare non cessat inimicitiarum parens, qui continuum ac indissolutum nobiscum gerit bellum, D quod tuis apud Deum precibus averte, ac a lethiferis illius telis securos ac tutos nos redde: suavissimam quoque Ecclesiæ pacem a Deo impetra, scandalum omne ab ea extermina, et repelle, indissolubilem nobis erga invicem largire concordiam, mutuam inter nos conjunctionem astringens, ac servans, quæ summam virtutum perfectionem continet, inconcussis illius fundamentis reliquas virtutes superexstruens, quibus ad tantam sublimitatem pervenisti exiguo labore omnis laboris expertes delicias, domumque indissolubilem consecutus. Hujusmodi enim muneribus remuneratur, hujusmodi gloria coronat sese diligentes Deus, cui gloria ab omni spiritu tribuitur nunc et in secula seculorum. Amen.

a Νικηφόρος enim a νίκη victoria, et φέρω fero, deporto, deductum.

# DE S. ATHENODORO

## EPISCOPO IN PONTO, MARTYRE,

### Commentarius historicus.

J. B.

B

### § I. *Duo SS. Athenodori. Eorum natalis.*

CIRCITER AN. CCLXX. IN PONTO.

S. Athenodorus S. Gregorii Thaumaturgi frater colitur 7 Novemb.

*Duo memorantur in Martyrologiis* Athenodori, *alter in Mesopotamia sub Diocletiano lauream adeptus martyrii, alter Magni Gregorii Thaumaturgi frater, in Ponto Episcopus. Non eodem die a Latinis ac Græcis uterque celebratur. Nam hic quidem in Menæis refertur* VII *Novembris his verbis*: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀθηνοδώρου, ἀδελφοῦ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Θαυματουργοῦ.

Ἐκ γῆς καλοῦσιν Ἀθηνόδωρον νόες
Πρὸς τὰς νοητὰς δωρεὰς τοῦ Κυρίου

Eodem die commemoratio sancti Martyris Athenodori, fratris Sancti Gregorii Thaumaturgi.

E terra evocant Athenodorum Intelligentiæ
Ad domini donativum quod intelligentia percipitur.

*Menologium a Canisio editum*: Eodem die commemoratio sancti Martyris Athenodori, fratris B. Gregorii cognomento Thaumaturgi. *Eadem habet Maximus Cytheræus. In Romano vero Martyrologio refertur* 18 Octob. XVIII *Octobr. his verbis*: Neocæsareæ in Ponto S. Athenodori Episcopi, fratris S. Gregorii Thaumaturgi; qui doctrina clarus, in persecutione Aure- C liani martyrium consummavit. *Vetustiora Martyrologia illius eo die non meminerunt, sed* IX *Februarii*, 9 Febru. *ubi MS. Martyrologium Adonis monasterii S. Laurentii Leodii, et Florarium SS. ita habent*: Apud Pontum provinciam S. Athenodori Episcopi, fratris B. Gregorii, qui et Theodorus cognominatus est. *Eadem habentur in veteri nostro MS. quod Bedæ nomine inscriptum est, sed ultima ita efferuntur, qui et* Theologus cognominatus est. *Martyrologium Coloniense an.* MXD *excusum*: Apud Pontum provinciam S. Athenodori Episcopi et Confessoris, fratris B. Gregorii. *Eadem fere Maurolycus, et MS. Martyrologium Carmeli Coloniensis. Hermannus Greven in auctario ad Usuardum addit*, fratris B. Gregorii Niceni. *Integro seculo junior fuit Athenodoro et Thaumaturgo Gregorio Nyssenus. MS. Martyrol. Centulense Bedæ præferens nomen, urbem quoque, ut Romanum expressit, ubi vel coronatus sit, vel præcipue coli solitus*: In Ponto, civitate Neocæsarea, S. Athenodori Episcopi fratris B. Gregorii. *Retulit quoque eum hoc die Ferrarius, licet perperam* Alexandrum *vocet pro* Athenodoro.

2 *Alter in Martyrol. Romano* XI *Novembris celebra-* Alter cum aliis 2 Novemb. *tur* Athenodorus *hoc elogio*. In Mesopotamia S. Athenodori Martyris, qui sub eodem Diocletiano, et Eleusio Præside, ignibus cruciatus, et aliis suppliciis tortus, demum capitis damnatus, cum carnifex, cor- E ruisset, nec ullus alius gladio illum ferire ausus esset, orans obdormivit in Domino. *Græci eum colunt* VII *Decembris, ejusque certamina in Menologio et Menæis pluribus commemorant; uti et Galesinius* VIII *Decembris. Matthæus Raderus noster in MSS. Notis ad* VII *Novembris, ubi in Menæis agitur de S. Athenodoro Thaumaturgi fratre, ita scribit*: Existimo hunc ipsum esse Athenodorum Gregorii Thaumaturgi fratrem, qui in Mesopotamia imperante Diocletiano certamen martyrii sustinuit. Vixit Gregorius Aureliano Imperatore, nec diu post Diocletianus, sub cujus imperio Athenodorus occubuit. Agunt de hoc Athenodoro Fasti Romani Ecclesiastici XI Novembris. *Verum haud facile id nobis probaverit, cum Athenodorus et Gregorius ex Ponto, urbe Neocæsarea oriundi fuerint, alter vero Athenodorus ex Mesopotamia, ut diserte tradunt Menæa ac Menologium: deinde fuit hic a prima ætate monasticam vitam sectatus, quod de Gregorii fratre non traditur.*

### § II. *S. Athenodori patria, eruditio.*

*Mirari haud immerito quis possit, cur S. Gregorius Nyssenus; qui tam prolixo elogio S. Gregorii Thauma-* F *turgi res gestas celebravit, nusquam Athenodori fratris meminerit. Verum et alia sunt ab eo prætermissa de S. Gregorio, quæ ipso antiquiores retulerunt, ut quod infra de concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum coacto, ex Eusebii historia referemus: et ipse ita sub finem scribit Nyssenus*: Sunt autem etiam alia in hodiernum husque diem memoriæ mandata, Magni Gregorii miracula: quæ quidem auribus parcentes incredulis, ne offendantur, qui propter amplitudinem earum rerum quæ dicuntur, veritatem existimant esse mendacium, scriptis non adjecimus. *Fuerintne* Ejus Acta, *porro S. Athenodori separatim Acta descripta, nobis incompertum est: nusquam nunc fere illius mentio extat in antiquis Scriptoribus, nisi ubi de fratre agitur. Fuisse illum fratri sententia Catholicæ fidei, verbis, et* celebritas, *factis, plane fraterne conjunctum, et* veluti radiantem stellam fulsisse *scribit Nicephorus Callistus lib.* 6 *cap.* 27

3 *Patria illi, ut ex S. Gregorio Nysseno et Socrate lib.* 4 *histor. Ecclesiast. cap.* 22 *patet, Neocæsarea fuit, Ponti Polemoniaci urbs celebris, quam cum tota circum* patria, *regione ad Christum convertit illius frater Gregorius, ipso quoque fortassis Athenodoro socio et adjutore, saltem antequam proprium susciperet regendum Episcopatum.*

A *patum. Parentes, ut idem testatur Nyssenus,* in errore idolorum desipuerunt et infatuati sunt. *Eos vero innuit e vivis decessisse, cum admodum adhuc esset adolescens, nam Gregorium (quem, cum omnes semper priore loco commemorent, probabile omnino est seniorem natu, et fratri ad sapientiæ et virtutis studia ducem fuisse) tradit* juvenili adhuc ætate parentibus orbatum, et cognatorum cura destitutum, *tamen ad sapientiam condiscendam adjecisse animum. At S. Hieronymus libro de Scriptorib. Ecclesiast. cap.* 65 *in Theodoro sive Gregorio, tradit eos quinquennio ab Origene Cæsareæ eruditos,* ad matrem *esse remissos. Ubi Martinus Lypsius Canonicorum regular. Lovanii Prior,* ad patriam *legendum esse censebat; quo modo et Suidas scribit in Gregorio. Socrates loco citato ita scribit :* καὶ μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὴν πατρίδα τῶν γονέων καλεσάντων ἀνεχώρησε. Et post hæc in patriam, parentum accitu, revertit. *Potuit id quidem certius nosse S. Gregorius Nyssenus et ipse Cappadox, nisi temporis rationem neglexit, uti videtur et locum, ubi duo illi germani studuerunt, minus accurate expressisse.*

*parentes*

5 *De eorum studiis ista tradit S. Hieronymus lib. de scriptor. Eccle. cap.* 65. Theodorus, qui postea Gregorius appellatus est, Neocæsareæ Ponti Episcopus, admodum adolescens, ob studia Græcarum et Latinarum litterarum de Cappadocia Berytum, et in Cæsaream Palæstinæ transiit, juncto sibi fratre Athenodoro. Quorum cum egregiam indolem vidisset Origenes, hortatus est eos ad philosophiam, in qua paullatim Christi fidem subintroducens, sui quoque sectatores reddidit. Quinquennio itaque eruditi ab eo remittuntur ad matrem *etc. Eadem scribit Suidas, nisi quod de studio philosophiæ illis persuaso non meminit, et in patriam, non ad matrem, ait Cæsarea esse reversos. Ex S. Hieronymo ista habemus, venisse e Cappadocia Berytum, Beryto profectos Cæsaream, cœpisse isthic Origenis consilio studere philosophiæ, ea occasione fidei mysteriis ab eo imbutos, unde in patriam revertisse. Socrates lib.* 4 *cap.* 22 *Athenis studuisse Gregorium scribit :* οὗτος γάρ, *inquit,* ὡς τῶν Ἀθήνησι παιδευτηρίων ἀναχωρήσας, ἐν τῇ Βηρυτῷ νόμους ἐμάνθανε, πυθόμενος τε ἐν τῇ Καισαρείᾳ τὰ ἱερὰ γράμματα ἑρμηνεύειν Ὠριγένην, δρομαῖος ἐπὶ τὴν Καισάρειαν παραγίνεται. ἀκροασάμενός τε τῆς μεγαλοφώνου θεωρίας τῶν ἱερῶν γραμμάτων, πολλὰ χαίρειν εἰπὼν τοῖς ῥωμαικοῖς νόμοις, ἀχώριστος ἦν τοῦ λοιποῦ καὶ ἐπ' αὐτοῦ παιδευθεὶς τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν *etc.* Hic (*Gregorius*) ut e scholis Atheniensibus excesserat, Beryti legibus perdiscendis operam dedit; et cum accepisset Cæsareæ sacras litteras interpretari Origenem, celeriter eo evolat : cumque sublimem sacrarum Scripturarum scientiam audisset, Leges Romanas missas fecit, eique de cetero assidue adhæsit : et ab eo veram philosophiam edoctus *etc.*

B *studia litterarum etiam Latinarum.*

*an Athenis?*

C

6 *Suspicetur quispiam his lectis, primum Athenis politiore litteratura et oratoria facultate eruditos, deinde reversos in Pontum, atque hinc Berytum Phœniciæ primæ urbem petiisse, ut Legibus perdiscendis vacarent. Etiam altero post horum ætatem seculo juris ac legum studiis floruit Berytus : quod cognoscere est ex Vita S. Xenophontis, qui initio quinti seculi sub Theodosio juniore vixit, uti* XXVI *Januarii diximus, ubi ista leguntur :* Ἐπεὶ δὲ καὶ νόμων αὐτοὺς ἠβούλετο γνῶσιν ἔχειν, πρὸς πόλιν Βηρυτὸν ἐκπέμπει. ἐκείνη γὰρ τότε τοῖς πολλὴν ἔχουσι περὶ τοὺς νόμους μελέτην ἀνδράσι ἤνθει. Postquam vero etiam legum scientia eos imbui voluit, ad Berytum urbem, quæ hac tempestate viris legum peritissimis florebat maxime, eos dimittit. *Ipse Gregorius in oratione, quam, Cæsarea rediturus in patriam, ad ipsum Origenem habuit, de Beryto ita loquitur :* Πόλις Ῥωμαικωτέρα πως, καὶ τῶν νόμων τούτων εἶναι πιστευθεῖσα παιδευτήριον. Civitas Romani juris, harum legum communis schola. *In ea autem oratione non innuit se Athenis habitasse, sed admodum adolescentem in Palæstinam profectum cum sorore, quæ ad virum Palæstinæ Præsidis assessorem tendebat. Indicat deinde, se Beryto præterita, recta venisse Cæsaream, ibique in Origenem incidisse, qui ei deinde, et una scilicet fratri, auctor fuit ut philosophiæ darent operam, ac sensim illorum animis Christianæ religionis notitiam, amoremque instillavit, et quidem, ut scribit Suidas, seorsim singulis, ne si alter fortassis minus aures animumque sacræ doctrinæ præberet, ob ea quoque alterum averteret nondum satis in ea confirmatum.*

*an Beryti ubi juris studio?*

D

AUCTORE J. B.

*Cæsareæ sub Origene :*

7 *At S. Gregorius Nyssenus ab S. Hieronymi narratione ipsiusque Thaumaturgi dissentit; dum Gregorium ait jam* μαθητὴν τοῦ Εὐαγγελίου καθεστάναι, discipulum Evangelii factum fuisse, *priusquam ad Origenem accederet, atque* in Ægypto in magna Alexandri urbe, in quam undique philosophiæ ac medicinæ studiosa juventus confluebat, *fuisse versatum; ac demum* omnibus sapientiæ disciplinis percursis, incidisse in Firmilianum quemdam Patricium Cappadocem, eique animi sui consilium ac vitæ institutum, ut amico, patefecisse, quod scilicet ad Deum intentos jam haberet mentis oculos : cumque eum paria animo agitare consilia cognovisset, relicto omni externæ philosophiæ studio, accessisse una cum illo ad eum qui illo tempore Christianorum philosophiæ princeps erat, Origenem videlicet, cujus propter scripta fama celebris est. *Videtur Nyssenus, cum Gregorium legeret fuisse Origenis discipulum, hunc vero Alexandriæ docuisse, existimasse isthic in Origenis transisse disciplinam. Si tamen Alexandriæ fuit, uti alter Gregorius Theologus, ipsiusque Nysseni frater Basilius, atque ipse fortassis Nyssenus aliique ex eadem Cappadocia, probabile est (quoniam isthic philosophica studia tractasse dicitur) Origenis consilio isthuc esse aliquando cum fratre profectum, ut perspecta isthic Christianorum Philosophorum disciplina, et sancta vitæ ratione, in suscipiendæ fidei desiderio confirmarentur; indeque una cum S. Firmiliano, postmodum Cæsareæ in Cappadocia Episcopo, de quo agemus* XXVIII *Octobris, in Palæstinam reversos baptismo esse tinctos. Baronius ad an.* 233 *num.* 11 *scribit cum Neocæsaream Alexandria revertisset Gregorius, memoria Origenis, quem Alexandriæ degustarat, in Palæstinam se contulisse cum fratre et Firmiliano, ut litteris sacris ab eo imbueretur. Refellit hoc ipsemet Gregorius, scribens qua occasione in Palæstinam venerit, atque ab Origene, sibi antea nec fama noto, sit eruditus. Miratur idem Baronius S. Hieronymum non meminisse ejus peregrinationis in Ægyptum : at numquid magis mirum, Nyssenum profectionis in Palæstinam, et fratris Athenodori, omnino mentionem nullam facere? Nicephorus lib.* 6 *cap.* 17 *scribit,* Alexandriæ operam dedisse Origeni, sacras ac profanas litteras egregie addidicisse.

*ubi ad fidem ab eo conversus :*

E

*an Alexandriæ fuerit ac studuerit?*

F

8 *Cæsareæ certe quidem Origenis discipulos fuisse, et ab eo ad Christi fidem perductos, non modo Socrates et Suidas citati, ac S. Hieronymus Nysseni æqualis, sed Eusebius utroque longe antiquior, et Cæsareæ Episcopus, qui quæ ad Origenem pertinent studiose persecutus est, testatur lib.* 6 *cap.* 23 *ita scribens :* Ad Origenem vero consueta disciplinæ munera exequentem, non solum multi indigenarum, sed ab exteris quoque provinciis pene infiniti discipuli patria sua relicta ventitabant : quorum maxime insignes cognovimus, Theodorum, qui idem ille est inter Episcopos celeberrimus apud nos Gregorius, et fratrem ejus Athenodorum : quorum animis liberalium disciplinarum, tum Græcorum tum Latinorum, cupiditate supra modum inflammatis, Origenes Divinæ philosophiæ amorem instillavit, *eosque* a prioribus studiis ad sacrarum litterarum commentationem sua cohortatione traduxit. Quinquennio integro in ejus

AUCTORE J. B.

A schola versati, tantam in sacrosanctis Dei eloquiis fecere progressionem, ut dum ambo adhuc adolescentes erant Ecclesiarum in Ponto crearentur Episcopi. *Hæc Eusebius, consentanea iis, quæ ipse de sua in Palæstinam profectione Thaumaturgus scripsit.*

## § III. *S. Athenodori episcopatus.*

*S. Athenodorus Episcopus factus non an. 10 Alexandri;*

B*ellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiast. de Gregorio ita scribit :* Claruit tempore Alexandri Severi, cujus anno x factum Episcopum scribit Cardinalis Baronius in 2 tomo Annal. ad an. 233. *Baronius ad eum annum de recessu Origenis in Palæstinam agit, eaque occasione de Gregorii Thaumaturgi ad eum adventu, quem ait paullo post ad Neocæsariensem Cathedram evectum. Venit Origenes in Palæstinam an. x. Alexandri Imp. qui erat Christi* CCXXXI. *Ita Eusebius lib. 6 cap.* 20. Decimus jam annus agebatur imperii indicati *(Alexandri nimirum)* cum Origenes Alexandria Cæsaream profugiens, Heraclæ catecheseos, quæ isthic erat, scholam relinquit. *Cæsaream ad eum venerunt Athenodorus et Gregorius fratres; quo anno, non constat. Quinquennio eum audierunt, ac deinde in patriam reversi, paullo post Episcopi sunt facti.*

*nec 6 Gallieni,*

B 10 *Ruffinus Eusebii interpres videtur innuere sub Gallieno, capto jam a Persis Valeriano, quod contigit anno Christi* CCLIX, *Episcopos esse factos; scribit enim lib. 7 histor. Eccles. cap. 17 in hunc modum :* Per idem tempus cum Romano adhuc sacerdotio Xystus præesset, et apud Antiochiam Demetrianus, Firmilianusque adhuc Cæsareæ Cappadociæ superesset, Ponti Ecclesias Gregorius, qui prius Theodorus dictus est, ex Origenis discipulis, cum fratre Athenodoro suscepit gubernandas. *At verisimile non est eos primum venisse ad Origenem circiter annum Christi* CCLIII *aut etiam post, quod esset tamen consequens, cum idem de iis scribat Ruffinus lib. 6 cap.* 22. Quique apud eum *(Origenem)* per quinquennii tempus verbo Dei operam dantes, in tantum profectum divinæ eruditionis atque scientiæ pervenerunt, tantumque vitæ merito et morum cultu enituerunt, ut ab scholis ejus immatura adhuc ætate ad Episcopatus Ponti provinciæ sacerdotium uterque raperetur. *Si ab scholis ad sacerdotium rapti jam capto Valeriano, ergo ad eas scholas non nisi anno* CCLIII *vel* CCLIV *accessere. Atqui accessit cum iis Firmilianus, qui ante Gallieni imperium Episcopus fuit. Constat id ex Eusebio qui lib. 6 cap* 20 *ita scribit :* Non longo post tempore *(a discessu*

*cum S. Firmilianus ejus condiscipulus, tempore Gordiani Episcopus fuerit;*

C *Origenis ex Ægypto)* Demetrius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, cum XLIII annos integros sacerdotio functus esset, mortem obiit; successit Heraclas. Quo tempore Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, magna nominis celebritate floruit. *Obiit Heraclas anno Philippi Imperatoris tertio, cum sedisset annis* XI, *ut idem scribit lib. 6 cap.* 28 *Eusebius. Erat autem is annus Christi* CCXLVII. *Factus igitur erat Episcopus anno* CCXXXVI, *Maximini primo. Sive autem eodem anno, quo Heraclas, ordinatus est Episcopus Firmilianus, sive post paullo, saltem eo vivente et ipse celebris fuit. Cum porro constet ex S. Gregorio Nysseno venisse S. Gregorium Thaumaturgum ad Origenem cum Firmiliano, et quidem solum tunc candidata Christianæ religionis; manifestum est, haud paullo ante annum* CCXLVII *id contigisse, et fortassis sub annum* CCXXXII *vel* CCXXXIII, *quamquam de Firmiliano non constet, an et ipse quinquennio Origenem audierit; tanti certe eum fecit, teste Eusebio lib. 6 cap.* 20, ut interdum illum in suæ regionis fines ad Ecclesiarum utilitatem invitaret, nonnumquam ipse ad eum in Judæam proficisceretur, atque aliquantum temporis apud eum exigeret, ut in Divinis melius et perfectius erudiretur. *Sed de his in Firmiliani ipsius Vita. Ruffinus tamen sex solum annis sedisse Heraclam scribit*

*lib. 6 cap.* 26 Hujus *(Philippi)* tertio imperii anno Heraclas apud Alexandriam sexto anno episcopatus sui diem obiit. *Anno igitur* CCXLI, *Gordiani tertio ad episcopatum evectus. Sed per idem tempus, quo is Episcopus est factus, ut idem scribit Ruffinus lib* 6 *cap.* 19. erat in Episcopis magnificus Firmilianus Cappadocum gentis urbis Cæsareæ. *Ergo aliquanto ante annum illum tertium Philippi Episcopus erat Firmilianus, et Gregorius quoque atque Athenodorus, qui cum eo in disciplinam sese Origenis tradiderunt, et tamen adhuc juvenes ad Episcopalem evecti thronum. Quid quod S. Troadius, cujus certamini spiritu interfuit S. Gregorius Thaumaturgus jam Episcopus, sub Decio martyrium subiisse dicitur? Posset tamen id de Valeriani persecutione intelligi, quæ sæpius reperitur Decii appellata. Cujus autem Sedis Episcopus fuerit S. Athenodorus, nusquam scriptum legimus.* D

*sed saltem ante Decii imperium.*

## § IV. *Concilium contra Paulum Samosatenum.*

Q*uibus sanctissimi hi Antistites Ecclesias sibi creditas administrarunt, non una temporum facies fuit. Summam illam serenitatem, quæ Philippis imperantibus affulserat, fœda sub Decio tempestas excepit, quæ cum aliquantulum remisisset, mox gravius sub annum Christi* CCLVII *recruduit. Verum biennio post captus a Persis Valerianus, horrendus suæ sævitiæ justo Dei judicio pœnas dedit. Gallienus paterno malo doctus, persequi Christianos desiit. Sed alia tunc Ecclesiis procella incubuit a Pauli Samosateni Antiocheni Episcopi nefariis dogmatibus. In controversia de baptismo hæreticorum, quem respuebat Firmilianus cum circiter quinquaginta aliis Episcopis Asianis, rebaptizans eos qui in hæresi fuissent baptizati, qua ratione sese hi gesserint fratres, non reperimus diserte expressum : verisimile est a majorum traditione rectaque fidei regula non declinasse.* E

*S. Athenodori labores contra Paulum Samosatenum,*

12 *De Samosateno ita scribit S. Epiphanius hæresi* 65. Hic Samosatis Mesopotamiæ ad Euphratem urbe natus, Aureliano ac Probo imperantibus Antiochenæ Ecclesiæ præpositus est. *Sed manifestum est falli in ratione temporis Epiphanium. Sede pulsus est Aureliani temporibus, imo ejusdem edicto per Orthodoxos Antistites impetrato : capessivit vero imperium Aurelianus anno Christi* CCLXX, *tenuitque annos quinque. Probus anno* CCLXXVI *Imperator factus, anno* CCLXXXII *interfectus est, nec omnino ad ejus usque imperium Sedem Antiochenam tenuit Paulus. Ejus adeptæ tempus expressit Eusebius in Chronico :* Valeriano in Persas ducto, Gallienus pacem nostris reddidit. Antiochiæ XV constituitur Episcopus Paulus Samosatenus. *Et lib. 7 histor. Eccles. cap.* 22. Cum Xystus Romanam Ecclesiam XI annis rexisset, Dionysius cognominis illius, qui Alexandrinam Ecclesiam tunc regebat, Romanum pontificatum obtinuit. Tunc et Demetriano Antiocheno Antistite vita functo, Paulus ex Samosatis oriundus eam Ecclesiam suscepit. *Verum ex iis quæ idem Eusebius de S. Stephano Xysti decessore prolixe retulit, manifestum est in numero annorum, quibus dicitur Xystus II sedisse, errorem hic esse, ut ad ipsius S. Xysti natalem VI Augusti ostendemus. Captus est Valerianus imperii sui anno VI, Christi* CCLIX, *aut initio* CCLX, *quo pariter anno in Sedem Antiochenam evectus est Paulus.*

*qui circiter an. 260 Ep. Antiochenus factus,* F

13 *Amplissimam dignitatem adeptus, eam mox fœda hæreseos macula dedecoravit, sive jam antea concepta animo foveret adversantia orthodoxæ fidei dogmata, quæ tum demum in eminenti constitutus gradu libere proferre ausus; sive illum in errores dedere præcipitem flagitia, ut nemo fere nisi aliis jam vitiis debilitatus in hæresim corruit. Ea illius scelera commemorant Patres secundi concilii Antiocheni contra eum coacti, in epistola synodica ad Dionysium Papam, Maximum Alexandrinum aliosque*

*omnibus male partis,*

A *aliosque toto terrarum orbe sparsos Antistites data; qua videlicet ratione a summa indigentia et mendicitate, ut qui nullas a parentibus facultates accepisset, nec quidquam sibi arte vel instituto quapiam comparasset, ad summam opum affluentiam pervenerit, nefariis sceleribus, sacrilegiis, muneribus fraudulenter extortis ab iis qui litibus intricati illius implorabant auxilium; quod ample pollicitus, minime deinde præstabat: ut sese insolenter extulerit, ac secularium Magistratuum mores fastumque imitatus, per forum volitarit magna satellitum caterva stipatus, superbo utens incessu*, adeo ut propter illius fastum elationemque animi, fides nostra, *inquiunt Patres*, ingentem invidiam odiumque subiret. *Dein ut variis præstigiis et ineptiis vanæ gloriæ umbras consectatus sit, etiam in conciliis Ecclesiasticis, imperitorum mentes in sui admirationem traducendo: ut sublimem sibi thronum, quemadmodum seculi Principes solent, locarit, suoque eum nomine appellarit: ut in eo sedens, personæ suæ sacræque dignitatis oblitus, manu femur percutere, solium pede pulsare sit solitus: ut auditorum plausum vanissime captarit, eos qui modeste et religiose audirent dicentem, nec histrionum more ei turpiter applauderent acclamarentque, acribus increpans verbis: qua ratione in Divini verbi interpretes* B *jam vita functos, pro concione petulanter sit debacchatus, velut sophista quidam vel circulator de seipso magnifica jactans verba: ut se a vicinis Episcopis et Presbyteris publice e suggestu laudari, ut cantilenas in laudem suam compositas, quibus Angelus e cœlo demissus nuncupabatur, recitari se præsente, permiserit: quemadmodum psalmos et cantus, qui ad Jesu Christi honorem decantari solent, tamquam novos atque a recentioribus compositos exploserit: ut cantrices pararit, quæ ipsum in media ecclesia, solenni Paschatis die, inanibus hymnis celebrarent, quas audiens quivis exhorresceret: ut passus sit Sacerdotes ac Diaconos secum feminas habere, quas Antiocheni συνεισάκτους appellant, ex quarum consortio iis flagitii accusatio, aut aliis suspicio præberetur: ut alia eorumdem Presbyterorum scelera dissimularit, ne et ipsum ii reprehendere auderent, qui ejusmodi et ipse mulieres domi haberet, et quidem ætate florentes ac forma elegantes, quas, si quopiam forte iret, secum circumducebat. Sed hæc alioque ejus facta, ut idem inquiunt Patres, cum sit ab Ecclesia ejectus, nihil attinet disquirere.*

*seculari fastu,*

*marum insolentia,*

*contemptu veterum PP.*

*laudis studio,*

*disciplinæ neglectu,*

*mulierum consortio infamis,*

14 *His sceleribus coopertum quid mirum est in hæreseos barathrum esse prolapsum, aut si jam antea pravarum opinionum virus conceperat animo, hos deinde* C *tam exitiales protulisse fructus? Nicephorus Callistus lib. 6 cap. 27 scribit, cum curare Zenobiam Reginam Judæorum superstitioni addictam vellet, plurimumque operæ et curæ in ea recte instituenda et convertenda poneret, in Artemonis hæresim impegisse. Atque in illius fortassis gratiam dogmata ipse Judæorum non respuit. Eusebius lib. 7 cap. 22 ita hæresim ejus explicat, ut dicat* nimis vilem et abjectam, contra Ecclesiasticam doctrinam, de Christo habuisse opinionem, quod solum communis naturæ homo fuerit. *At Patres Antiocheni concilii in citata jam ante Synodica epistola, quæ extat apud eumdem Eusebium lib. 7 cap. 24 tradunt, noluisse eum confiteri filium Dei e cœlo descendisse, sed de terra initium habuisse; idque ex illius commentariis manifesto constare. De eodem Pauli dogmate ita scribit antiquus Auctor nuper a Sirmondo nostro editus sub nomine* Prædestinati *lib.* 1. Quadragesima et quarta hæresis, *inquit*, a Paulo Samosateo inventa, Paulianum sibi populum fecit. Christum non semper fuisse, sed a Maria cœpisse, nec amplius eum quam hominem dicunt. Hæc hæresis antea fuit Artemonis: quæ cum defecisset, ab isto Paulo Samosateo restaurata est. *Imo et personarum in Deitate trinitatem sustulit, ut S. Epiphanius hæresi 65 his verbis exponit:* Est autem hæc illius opinio, Deum Patrem et Filium ac Spiritum sanctum unum esse Deum. D Verbum Dei ejusque Spiritum inesse Deo perpetuo, sicut hominis in corde proprium verbum inesse cernimus. Filium Dei subsistentiam habere per sese nullam, sed in Deo subsistere: id quod Sabellio quoque placuit, et Novato, et Noeto aliisque nonnullis: quamquam non eodem cum istis modo, sed diverso quodam ille sentiat. Adhæc Dei Verbum in terras delapsum, in Jesu, qui homo merus esset, habitasse. Ita unus, inquit ille, Deus est: neque aut Pater est Pater, aut Filius Filius, aut Spiritus sanctus Spiritus est sanctus. Imo vero Deus unus est Pater, et hujus in ipso Filius, ut est in homine sermo. *Hæc Epiphanius, qui hisce Pauli erroribus refutatis, ad extremum ista subdit:* Hæreticus iste cum secta sua ad omnia sese genera institutorum applicans, iis se quam simillimum efficit. Nam et Christi sibi appellationem imposuit, et Judæorum dogma profitetur; et cum Verbum esse Christum fateatur, non eum tamen esse secum animo statuit. Denique in plerisque se sine ullo pudore traducit. *At quod de Trinitate quæ Sabellius ac Paulus docebant, eadem sensisse Novatum habet S. Epiphanius, quidam id nomen mendose irrepsisse merito suspicantur, cum Novatianos, quod ad Trinitatem attinet, Catholicis consentanea sensisse constet,* E *ut ostendit Baronius ad an. 265 num. 5. qui et alios Pauli errores, ut de Christi sanguine corruptibili in Eucharistia etc. ex S. Dionysii Alexandrini adversus eum epistola deducit, de quibus et Philastrius consuli potest, et supra citatus Prædestinatus.*

*negabat Christi divinitatem,*

AUCTORE J. B.

*et sanctissimam Trinitatem,*

*aliisque sectis adhærebat:*

15 *Quæ cum gereret ac doceret Paulus, lugebant quidem intra se et gemebant boni omnes, ejus tamen potentiam et tyrannidem metuentes accusare eum non audebant. Tandem Presbyteri Antiocheni et vicini Episcopi ut in sæpe jam citata synodica profitentur, aliorum Episcoporum opem implorarunt:* Misimus, *inquiunt*, et advocavimus multos, etiam longe a nobis distantes Episcopos, ut lethiferæ doctrinæ medicinam afferrent, ut Dionysium Alexandrinum et Firmilianum Cappadocem, beatæ memoriæ Antistes: quorum hic Antiochiam misit; ipsum tamen ducem erroris nec peculiari epistola ac ne salute quidem dignatus, verum universæ Ecclesiæ scripsit. Firmilianus vero bis huc venit, et quæ ab isto novata erant reprehendit, uti nos qui aderamus scimus et testamur, atque alii plures ejusdem rei nobiscum conscii. Sed cum Paulus sententiam sese mutaturum spopondisset, ille fidem ei adhibens, ac spem animo concipiens controversiam omnem absque ulla verborum alter- F catione commode posse componi, acquievit, delusus ab eo qui et Dominum suum negaverat, et fidem, quam ante habuerat, minime servarat.

*contra quem habitum Antiochiæ concilium*

16 *Hic fuit prioris synodi contra Samosatenum coactæ exitus. Firmilianus igitur, qui posteriori non interfuit, et bis tamen Antiochiæ ea caussa fuit, vel ante priorem synodum eo venit, et Paulum privatim monuit; vel post eam, cum ille jam ad vomitum reversus nuntiaretur. Habita est prior illa synodus anno Christi* CCLXIV *vel* CCLXV. *Nam S. Dionysius Alexandrinus ad eam invitatus, senectutem corporisque imbecillitatem caussatus, non adfuit ille quidem, sed quid de Pauli doctrina sentiret, Patribus per epistolam exposuit. Atqui hic, ut lib. 7 cap. 22 testatur Eusebius et S. Hieronymus lib. de Scriptor. cap. 69 duodecimo anno imperii Gallieni, qui erat Christi* CCLXIV, *mortuus est. Deinde eidem concilio interfuit Hymenæus Hierosolymorum Episcopus, qui tamen, ut idem in Chronico scribit Eusebius, anno* XII *Gallieni episcopatum illum suscepit: unde liquido patet ante eum annum illud non esse habitum concilium.*

*anno 264 vel initio 265.*

17 *Qui porro illi concilio, una cum S. Athenodoro, cujus caussa hæc omnia relata sunt, interfuerint, quidve egerint, ita commemorat idem Eusebius lib. cit. cap.* 22. Ceteri autem Ecclesiarum Pastores, alius aliunde

A aliunde, tamquam contra pestem ac perniciem gregis Christi Antiochiam celeriter conveniunt. In quibus insignes et præ ceteris præcellentes erant, Firmilianus Cæsareæ Cappadocum Episcopus, Gregorius et Athenodorus fratres, Ecclesiarum quæ in Ponto sunt Pastores. Post hos Helenus Tarsi Episcopus, (*Ruffinus Sardensem facit*) Nicomas Iconii, Hymenæus Hierosolymorum, Theotecnus Cæsareæ Hierosolymis finitimæ. Præterea qui fratribus Bostræ egregie præerat Maximus. Etsi vero alios fere innumeros Episcopos, una cum Presbyteris et Diaconis, qui ejus rei gratia in memorata civitate tunc temporis convenerunt, haud facile percensere quis possit; hi tamen omnium clarissimi extitere. His igitur omnibus sæpius, ut opportunum erat, in unum convenientibus, varii sermones habiti et quæstiones agitatæ in unoquoque congressu, tum ab ipso Samosateno et qui illi favebant, ejusque peregrinam doctrinam occultare adhuc et obtegere nitebantur; tum ab iis qui ejus hæresim atque adversus Christum blasphemiam patefacere, atque in apertum proferre omni studio conabantur. *Illud porro tunc evenit, quod jam ante ex posterioris concilii synodica epistola relatum est: nam versipellis hæreticus retractaturum se errores suos* B *pollicitus, Patres ludificatus est; et quod Ruffinus lib.* 7 *cap.* 25 *scribit*, conventum sæpe est, et absque operæ pretio discessum.

*AUCTORE I. B.*

*cui interfuit S. Athenodorus unus e præcipuis Episcopis.*

## § V. *S. Athenodori obitus.*

*Delapsus in hæresim Paulus,*

*Cum semel convictus impostor Samosatenus, rursus summa licentia grassaretur, ac nefaria sua dogmata proseminaret, rursum Antiochiæ coactum concilium est plurimorum Episcoporum. Eusebius in Chronico utrumque concilium confudit; scribit enim ad* XIII *annum Gallieni, qui pro parte cum Christi* CCLXV *concurrit:* Paulus Samosatenus a cunctorum prædicatione desciscens, Artemonis hæresim suscitavit: in cujus locum Antiochenæ Ecclesiæ decimus sextus ordinatur Episcopus Domnus. *At distinxit in historia, et posterius concilium habitum scribit sub Aureliano, qui anno Christi* CCLXX *mense Martio capessivit imperium.* Ubi Paulus, *inquit idem Eusebius cap.* 24. cum orthodoxa fide episcopatum quoque amisisset, Domnus ei subrogatus est. Verum cum idem Paulus ex do- D mo Ecclesiæ exire nollet, interpellatus Aurelianus Imperator, religiose de eo sancteque decrevit, iis videlicet tribui domum debere, quibus Italiæ atque urbis Romæ Episcopi per litteras tribuendam præscriberent. Sic demum ille cum summo dedecore, secularis imperii auctoritate, ab Ecclesia penitus extruditur. Talem eo tempore sese erga nos exhibuit Aurelianus: qui progressu temporis, aliena de nobis concepta opinione, et quorumdam impulsus consiliis, persecutionem contra nos movit. *Unde perspicue colligi potest, initio imperii ejus illud secundum habitum esse concilium. Ei tres Antistites supra memorati, Firmilianus, Gregorius Thaumaturgus, Athenodorus, non interfuere. Et de Firmiliano quidem ita in citata synodica scribunt Patres:* Venturus nunc quoque erat Antiochiam Firmilianus, jamque Tharsum pervenerat, ut qui illius impietatis, qua Deum pernegaverat, satis idoneum cepisset experimentum. Verum dum convenimus, eumque advocamus, et illius opperimur adventum, excessit e vita. *Gregorium autem Neocæsareensem tradunt quidam paullo post priorem synodum obiisse, licet Menologium Græcorum dicat sub Aureliano floruisse. Idem liceat de Athenodoro suspicari, vel ante secundum synodum e vita migrasse, vel morbo fortassis impeditum venire ad eam non potuisse.* E

*in 2 concilio Antiocheno deponitur*

*ejiciturque ex domo Ecclesiæ rescripto Aureliani.*

*Ei concilio non interfuit S. Athenodorus*

19 *Baronius ad annum Christi* 273, *Aureliani* 5. *num.* 9 *ita scribit:* Sed et in proxima regione Ponto, eodem Christianos persequente Imperatore, Magni illius Gregorii Thaumaturgi germanus Athenodorus Episcopus, in hoc illo major, in ultima senectute, post exanthlatos immensos tum adversus Gentiles, tum hæreticos juges labores, gloriosi martyrii palmam XV Kalendas Novembris est consecutus. *At nullum citat Scriptorem, cujus testimonio Athenodori firmet martyrium: et mirum sane si martyrium subiit, id a nullo veterum esse litteris traditum. Appellatur quidem in nonnullis Martyrologiis* Martyr, *ut supra ostensum est, sed et in aliis* Confessor. *Et Gregorius Thaumaturgus ejus frater, cum ut Confessor ab Ecclesia colatur, tamen Martyr a Ruffino lib. 7 cap. 25 appellatur:* Gregorii Martyris, *inquit*, et Episcopi Neocæsareæ fides; *quia nimirum fidei caussa multa aspera perpessus fuerat. Qua fortassis ratione etiam Athenodorus est Martyr appellatus. Meminit S. Athenodori Petrus Halloix noster in Vita Origenis lib. 1 cap. 14.*

*an martyrio coronatus?*

C

# DE SS. ALEXANDRO ET AMMONIO

F

## ET ALIIS XX MARTYRIBUS IN CYPRO.

G. H.

*IX FEBR.*

*Tres hoc die coluntur* Ammonii, *sive* Amonii, Ammones, *aut* Amones: *primus socius S. Alexandri fuit, de quo hic agimus. Antiquum Martyrologium Romanum MS. quod S. Hieronymi appellatur, hæc habet:* V Idus Februarii apud Cyprum natale Alexandri, Ammonii et aliorum viginti. *In veteri Martyrologio Richenoviensi, sive Augiæ-divitis prope Constantiam:* Apud Cyprum, Alexandri, Amonii et aliorum XX. *Martyrol. MS. Leodiense S. Lamberti:* Natale SS. Alexandri et Ammonis.

*Martyres hi apud Cyprum,*

2 *Hi locum martyrii addunt. Beda excusus:* Suevo apud Cyprum, natale S. Alexandri, Ammonii. *Eadem habent Galesinius, Rabanus, Notkerus, Beda MS. monasterii Richelbergensis, et Martyrol. MS. Aquisgranense: sed Ammonis nomen fere in hisce succiditur. Martyrologia MSS. Lætiense, et Tornacense S. Martini et Coloniense ad Gradus:* Sueno, *sive* Suevo, apud Cyprum nat. SS. Alexandri, Amonis, *sive* Ammonis, et Didymi, *qui* Didymus *infra ad Martyres Afros cum gemino* Ammone *adjungitur. Usuardus, ordine Martyrum mutato, ita habet:* Suevo apud Cyprum SS. Ammonis, Alexandri. *Sequuntur passim alia MSS. et excusa Martyrologia, in quibus locus hic* apud Cyprum Suevo, Sueno, Sweno, Sneno, Sieno, Dueno, *scribitur.*

*in loco Suevo aut Sueno,*

3 *Bellinus Venetiis anno* MCCCCXCVIII *excusus deflectit ab aliis:* Suevo, *inquit*, apud Ægyptum SS. Ammonis et Alexandri. *Quæ in editione Parisiensi anni* MDXXI *ita emendata leguntur:* Suevo apud Cyprum SS. Ammonis et Alexandri. *Maurolyco prior editio errorem præbuit, ut scriberet:* Syenæ apud Ægyptum SS. Ammonis et Alexandri. *Est quidem* Syena, *sive* Syene, *Ægypti urbs antiquissima et clarissima, sed frustra eo ille confugit absque solida caussa.*

*non in Ægypto.*

4 *In Martyrologio Romano hæc leguntur:* Soli in Cypro, sanctorum Martyrum Ammonii et Alexandri. *Ubi hæc observat Baronius:* Agunt de eisdem Beda, Usuardus, et alii omnes hac die, consentiuntque vetera MSS. licet alia, ÆGYPTUS loco Cypri ponant, et alia habeant SOLI, loco SUEVI, estque mea sententia verior lectio. Soli dicta est civitas in Cypro, de qua Strabo lib. 14 et alii. *Hæc Baronius. De S. Auxibio Episcopo Solensi agemus* XIX *Februarii. Ast nullum hactenus reperimus codicem MS. in quo hi Martyres*

*An Soli in Cypro?*

*traduntur*

A *tradantur occubuisse aut in Ægypto, aut Solis in Cypro. Ceterum quis iste locus* Suevo, Sueno *aut* Dueno *fuerit, alibi necdum legimus.*

*An alius ab hoc Alexander Martyr Romanus*

5 *In eodem Martyrologio Romano alter Alexander profertur his verbis :* Romæ sanctorum Martyrum Alexandri et aliorum triginta octo. *Adnotatque Baronius,* restitui eos et veteri cod. MS. monasterii S. Cyriaci. *Quamobrem observat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ,* horum sanctorum Martyrum solam extare in Rom. Martyrol. memoriam, nuper a Baronio Card. in dicto Martyrologio ex veteri codice monasterii S. Cyriaci insertam. *Verba hujus Martyrologii ad* IX *Februarii hæc sunt :* V Id. Febr. Nat. Alexandri et aliorum XXXVIII. Eodem die ædificatio B. Benedicti Abbatis, et S. Senæ Virginis. *Hæc solum in MS. S. Cyriaci leguntur. De ædificatione B. Benedicti Abbatis silent Martyrologia monastica, et* S. Sena *Virgo, tamquam incognita aut dubiæ fidei a Baronio omissa est. Forte ea est* S. Xene *Virgo Romana, quæ et* Eusebia *dicitur, Mylasæ in Caria mortua, cujus Vitam dedimus* XXIV *Januarii. At, quod huc spectat, unicus ob alios nominatur* Alexander *cum* Ammonio *et* XX *sociis in Cypro Martyr. Qui vero huic in MS. S. Cyriaci junguntur socii* XXXVIII, *iidem sunt Afri cum S. Ammone aliisque Membressæ occisi ; per errorem librariorum in eo Martyrologio conjuncti, omisso etiam loco martyrii, quem Baronius conjecit Romam fuisse.*

*in codice S. Cyriaci.*

*cum classe aliorum Martyrum confusus?*

B

*an S. Ammonius Martyr cum juniore Ammonio,*

6 *Martyrologium MS. Ultrajectinum , Martyri* Alexandro *adjungit* Ammonem *Confessorem his verbis :* Apud Cyprum Alexandri Martyris, et Ammonis Confessoris. *Maurolycus ablegatis in Ægyptum SS.* Alexandro *et* Ammone *Martyribus, addit :* Item apud Cyprum Ammonii Confessoris, disciputi Origenis. Floruerunt in Scetis solitudine, *apud Sozomenum, lib.* 6 *hist. Eccl. cap.* 30 *et Nicephorum lib.* 11 *cap.* 37, Origenes senex, unus ex discipulis Antonii Magni et Didymus et Cronion. *Imo hic* Origenes Presbyter et Oeconomus Abbatis Pambo *fuisse traditur in Historia Lausiaca cap.* 10. *De hujus Origenis discipulo aut condiscipulo Ammonio agit Petrus de Natalibus lib.* 3 *cap.* 109 *sub hoc titulo :* De S. Amonio Confessore et Abbate : *et hanc Vitæ epitomen tradit :* Amonius Confessor, vir eruditissimus, Origenis Didymique discipulus. Qui a juventute usque ad mortem, præter panem assum, nihil unquam comedit. Numquam visus est irascens, aut jurans, aut mentiens ; aut vanum vel asperum, vel infirmum proferens sermonem. Cum Athanasio Episcopo Romam tendens, et rediens, nullum civitatis ædificium vel opus spectabile præter Apostolorum et Lateranensem ecclesias conspexisse narravit. Electus aliquando in Episcopum aurem sibi præcidit, ut sic, uti mancus et mutilatus, episcopatu judicaretur indignus. Et dum adhuc omnino hoc non obstante electioni insisterent, protestans, quod sibi linguam præcideret, dimissus est. Ignem de domo vicinorum assumens, nec, in quo deferret, paratum habens, prunas inustis vestibus in sinu portavit. Quievit in pace apud Cyprum V Idus Februarii, ubi et sepultus est. *Hæc illa, ex Sozomeno et Nicephoro locis indicatis, Palladio, cap.* 12, *et* 117 *ubi ob aurem recisam* Parotius *agnominatur. Ast in Heraclidis Paradiso cap.* 2 *dicitur* a juventute sua usque ad obitum crudis usus cibis, interdum etiam præter panem. *At nullus horum eum in Cypro* IX *Februarii obiisse, et Sanctum haberi dixit, ut videatur pro S. Ammonio Martyre positus.*

D AUCTORE G. H.

*Abbate Ægyptio confusus?*

E

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# AMMONE, ÆMILIANO, LASSA, DIDYMO, POEMO, item AMMONE, et XXXVIII aliis,

## MEMBRESSÆ IN AFRICA.

G. H.

IX FEBR.

*Membressæ in Africa*

C

In *Itinerario Antonini, qua ab Hippone regio Carthaginem iter est, in Zeugitana provincia, collocatur* Membressa, *aut* Membrassa, *aut juxta Ortelium* Membrum. *In concilio quopiam Carthaginensi, apud Hieronymum Zuritam in emendationibus dicti Itinerarii, sententiam tulit* Confessor Lucius a Membressa. *Ima Collationi Carthaginensi anno* CDX *et sequenti habitæ adfuit* Gennadius Episcopus Membresitanus : *et in Notitia provinciarum et civitatum Africæ anno* VI *Regis Hunerici in exilium missus refertur, ordine octavus,* Bonifacius Episcopus Membrositanus.

*passi hi Martyres*

2 *Hoc in loco, aut prope eumdem, hos Martyres coronatos arbitramur : quos ad tertiam classem refert antiquum MS. Martyrologium Romanum sub S. Hieronymi nomine, his verbis :* Et ad Membras Ammonis, Æmiliani, Lassæ, Didymi, Poemi, et aliorum triginta octo. *Martyrol. MS. Aquisgranense :* Ammonis, Æmiliani, item Ammonis, Thomæ et aliorum XXXVII. *Beda excusus :* Item Ammonis et aliorum triginta octo. *Explicatius Galesinius :* Item sanctorum Martyrum Ammonis et sociorum triginta octo. *At Beda MS. monasterii Richenbergensis, Rabanus et Notkerus :* Item Ammonis et aliorum triginta septem. *Hermannus Greven in auctario Usuardi :* Item Ammonis, Thomæ, et aliorum XXXVII. Item Æmiliani. Wandelbertus *illo* Ammonem *versu celebrat, sive hunc, sive Cyprium antea memoratum.*

F

Quinis Ammonem recolat pia vota Beatum.

*a quibus sejungendus S. Thomas,*

3 *Qui in MS. Aquisgranensi et ab Hermanno Greven, interponitur* Thomas, *separatur in Martyrologio S. Hieronymi subjunctis his verbis :* Depositio Thomæ. *In Martyrol. MS. Leodiensi S. Lamberti post Martyres Cyprios legitur :* Depositio S. Thomæ Apostoli. *et sequenti die in Florario Sanct.* Thomæ Apostoli repositio per S. Helenam Reginam anno salutis CCCXIII. *de eo agetur* XXI *Decemb. Contra huc spectat* Didymus *adjunctus Martyribus Cypriis in MSS. Martyrologiis Coloniensi ad Gradus, Tornacensi S. Martini, et Lætiensi. De* XXXVIII *sociis a nonnullis adjunctis S. Alexandro supra egimus.*

*aliunde addendus S. Didymus.*

DE

DE SANCTIS MARTYRIBUS ÆGYPTIIS

# JULIO, MILICUTO, THYRSO, PLESEO, RONEO, ORBASO, ORINIONE, AGATHONE, RECUMBO, BASTAMO, SERMATA, PROTHIRIONE, COLORO, LUSO, ARATO, THEONITA, HIPPO, GERMANO, SATURNILLA, PECTIMO, SERAPIONE, LIASTAMONE, PAPIA, PAMPIRO, DIOSCODO, HERODO, POTAMONE, PETICONIDE, CUMMINO, ZOTICO, CYRIACO, HIPPIA.

G. H.

IX FEBR.

*Horum nomina in Martyrologiis.*

P*ræclaros hos Christi pugiles suggerit antiquum Martyrologium Romanum, sive S. Hieronymi; in quo ad hunc diem ita legitur :* In Ægypto Julii, Milicuti, Tirsi, Plesei, Roni, Orbasi, Orinionis, Agathonis, Recumbi, Bastami, Sermatæ, Prothirionis, Colori, Lusi, Arati, Theonitæ, Hippi, Germani, Saturnillæ, et Pectimi; Serapionis, Liastamonis, Papiæ, Pampiri, Dioscodi, Herodi, Potamonis, Peticonidæ, Cummini, Zotici, Cyriaci, Hippiæ. *An alter ordo Martyrum a Serapione incipiat,* B *ambigi potest. Aliquos ex his Martyribus exhibet Martyrologium MS. monasterii Richenoviensis prope Constantiam, his verbis :* Et in Ægypto Julii, Plesei, Ronei, Orfasi, Agathonis. *De variis in Ægypto adversus Christianos persecutionibus sæpius hoc opere egimus. In minore Martyrol. MS. S. Maximini prope Treviros perantiqua hæc leguntur :* v Idus Febr. Alexandriæ depos. Thomæ, Orion et al. mil. nc. *Forte hic Orion idem qui alius.* Orinion *est scriptori hujus Martyrologii existimatus : verum ad sequentem potius diem spectat, quo refertur in utroque MS. tam S. Hieronymi, quam Richenoviensi. Alii* S. Thomam *addunt Martyribus Africanis, ubi diximus videri agi de S. Thoma Apostolo, cui sacer est* XXI *Decemb. Quidni forsan detortum* Thomæ *nomen ex* Theonitæ, *quæ et inter hos Martyres censetur?* NOT. 11.

2 *Quos* XVIII *Januarii retulimus, glorioso agone perfunctos* XXXVII *in Ægypto Martyres, iidem qui hic memorantur videri cuipiam possint.* — *an iidem qui 18 Januarii?* — *Verum et diserte illic* XXXVII *fuisse dicuntur, et quædam hic nomina, quæ illic* E *desunt, ac proinde majorem numerum, si jungerentur, conficerent. Multa quoque nomina diversimode utrobique expressa. Dein, ut in Italia, Africa, Hispania, multi iisdem insigniti nominibus Martyres reperiuntur, ita et in Ægypto possunt extitisse. Nos quidem certi nihil definire potuimus, maluimusque denuo eos repræsentare, quam temere expungere, aut velut eosdem, qui forsan olim essent, invicem conflare.*

# DE SS. PAULO ET DIONYSIO

## MARTYRIBUS ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO.

G. H.

IX FEBR.

*SS. Paulus et Dionysius,*

N*atale hoc par Martyrum ita Martyrologiis veteribus inscriptum, S. Hieronymi, et Richenoviensi :* Alexandriæ Pauli et Dionysii. *Martyrol. MS. S. Maximini prope Treviros :* v Idus Februarii, in Alexandria SS. Pauli et Dionysii.

2 *Martyrol. MS. Carthusiæ Ultrajectinæ alium Dionysium suggerit his verbis :* Apollonia Virginis et *a quo diversus S. Dionysius Episc.* Martyris, cum multis aliis : Dionysii Episcopi Alexandriæ, exhortatoris prædictorum Martyrum. *Quæ hic* C *in epistola ad Fabianum Antiochenum de Christianorum apud Alexandrinos constantia, et S. Apolloniæ* *Alexandrinus.* *tormentis ac morte, scripsit, ad hujus Acta hoc die retulimus. Verum de alio* Dionysio, *qui socius Pauli in Martyrio fuerit, hic agi prorsus arbitramur : maxime quia* S. Dionysii *Episcopi Alexandrini in eodem S. Hieronymi Martyrologio extat* XIV *Februarii nomen, in aliis multis* XVIII *ejusdem, in Romano* XVII *Novembris. Illud quoque hic animadvertendum, inter illos* XXXVII, *de quibus* XVIII *die Januarii actum jam monuimus,* Paulum *item esse ac* Dionysium. F

DE SANCTIS DIACONIS MARTYRIBUS

# PRIMO ET DONATO,

## IN CASTELLO LEMELENSI IN AFRICA.

J. B.

CIRCITER AN. CCCLXII, IX FEBR.

*SS. Primus et Donatus Diaconi,*

I*mmaniter Donatistæ (ut est omnis sanguinaria hæresis, illius quippe sata edita, qui homicida fuit a principio) Eræ Christianæ quarto quintoque seculo desævierunt in servos Dei : quorum proinde passiones debere esse in Ecclesia gloriosas affirmat S. Augustinus tom. 2 Epist. 158 ad Marcellinum. Quare merito in Martyrologii Romani tabulas Sanctorum Diaconorum* Primi et Donati *relata nomina sunt, quandoquidem S. Optati Milevitani gravissimo testimonio constet, cum altare in Ecclesia tuerentur, a Donatistis esse occisos.*

2 *Tempus, quo eorum patrata est cædes, ita exponit idem Optatus lib. 2 paullum ultra medium :* Deinde alter, ut omnibus notum est, secutus Imperator, vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est *tempore Juliani Apostatæ,* minister inimici, Apostatam se edictis suis testatus est. Quem precibus rogastis, ut reverti possetis. Quas preces si vos negatis misisse, nos legimus. Nec difficultatem præbuit, quem rogastis : ire præcepit pro voto suo, quos intellexerat ad disturbandam pacem cum furore esse venturos. Erubescite, si *revocatis ab exilio Donatistis,* ullus est pudor. Eadem voce vobis libertas est reddita, qua voce idolorum patefieri jussa sunt templa. Eisdem pene momentis vester furor in Africam revertitur, quibus diabolus de suis carceribus relaxatur. Et non erubescitis, qui uno tempore cum inimico communia gaudia possidetis?

3 *Quo mox in Ecclesiam furore debacchati sint, quorum, ut antea retulit, duces et principes merita relegaverant sua, generatim ita Optatus idem explanat :* Venistis rabidi, venistis irati, membra laniantes Ecclesiæ; subtiles in seductionibus, in cædibus immanes,

A nes, filios pacis ad bella provocantes. De sedibus suis multos fecistis extorres, cum conducta manu venientes, basilicas invasistis : multi ex numero vestro per loca plurima (quæ sub nominibus dicere longum est) cruentas operati sunt cædes, et tam atroces, ut de talibus factis, ab illius temporis Judicibus, relatio mitteretur. Sed intervenit et occurrit judicium Dei, ut ille, qui vos jam dudum redire jusserat, Imperator profanus et sacrilegus moreretur ; qui persecutionem, vobis provocantibus, jam miserat aut mittere disponebat. Operata est apud loca supradicta in Catholicos trucidatio.

*ac dire grassantibus,*

4 *Dein ad peculiaria eorum facta progreditur :* Memoramini per loca singula, qui fuerint vestri discursus. Nonne de numero vestro fuerunt Felix Zabensis, Januarius Flumenpiscensis, et ceteri, qui tota celeritate concurrerunt ad castellum Lemellense : ubi cum contra importunitatem suam viderent basilicam clausam præsentes jusserunt comites suos, ut ascenderent culmina, nudarent tecta, jactarent tegulas. Imperia eorum sine mora completa sunt : et cum altare defenderent Diaconi Catholici, tegulis plurimi cruentati sunt ; duo occisi sunt, Primus, filius Januarii, et Donatus filius Nini, urgentibus et præsenti-

*altare defendentes occisi.*

B bus Coepiscopis vestris supra memoratis : ut sine dubio de vobis dictum sit : Veloces pedes eorum ad D effundendum sanguinem. De qua re Primosus Episcopus Catholicus loci supra memorati, in concilio vestro apud Thevestinam civitatem questus est : et querelas ejus dissimulanter audistis.

*AUCTORE J. B. Ps. 13*

5 *Qui hic nominantur Episcopi Donatistarum duo, ii in Optati editione per Franc. Balduinum adornata, inque posteriore per Gabrielem Albaspinæum,* Felix Diabensis et Januarius Flamen Pistensis *scripti leguntur, monetque Albaspinæus, recte Episcopum illum* Flaminem Pistensem *dici. At neque* Diabensis, *neque* Pistensis *Episcopatus usquam mentio.* Zabi *ac* Flumenpiscis *urbes sunt Mauritaniæ Sitifensis apud Carolum a S. Paulo in Geographia sacra Africæ. Atque in Notitia Africæ a Sirmondo nostro edita inter Episcopos Catholicos anno VI Hunerici Carthaginem citatos, sunt* Victor Flumenpiscensis et Possessor Zabensis.

*Zabi et Flumenpiscis urbes Africæ.*

6 *In eadem Mauritania Sitifensi fuit* Lemelefi *urbs episcopalis, et* Jacobus Lemelefensis *Episcopus in citata Sirmondi Notitia. Num tamen in* castello Lemellensi, *ubi et basilica, et Diaconi plures, Episcopi Sedes fuerit, an in alia urbe* Lemelefi *dicta, intra cujus districtum situm castellum, haud statuimus. Quæ porro* Thebestina civitas *hic nominatur, perperam alibi* Rhevestina, *videtur* Tebeste *Numidiæ civitas esse.* E

*uti et Lemelefi*

*et Tebeste.*

# DE S. PRIMA
## MARTYRE CARTHAGINENSI.

J. B.

IX FEBR.

*S. Primæ ignotus natalis, et Acta.*

*Cardinalis Baronius in Notationibus ad hunc* IX *Februarii diem, ubi de* S. Primo *Martyre egit, subjicit* fuisse etiam Carthagine illustrem Martyrem, Primam dictam : *neque tamen ejus natalem vel ipse indicat, vel nos aliunde comperimus. Nam quæ III Januarii cum aliis pluribus Martyribus memoratur* Prima, *cujus fuerit non est unde divinemus. Illa Carthaginensis fuit, aut e Libya saltem oriunda. Ita Procopius de ædificiis Justiniani lib.* 6. ἀνέθηκε δὲ καὶ ἱερὰ τεμένη, τῇ μὲν Θεοτόκῳ, ἅπερ ἐν παλατίῳ ἐστὶ, καὶ τούτου ἐκτὸς τῶν τινι ἐπιχωρίων ἁγίᾳ Πρίμῃ. Dedicavit et sacras ædes, Deiparæ quidem in palatio, extra illud cuidam indigenarum, S. Primæ. *At nec prima hæc, nec postrema, cujus intercederint vel incomperta nobis sint Acta.*

*templum Carthagine*

# DE S. ROMANO THAUMATURGO
## MONACHO, ANTIOCHIÆ IN SYRIA.

J. B.

V SECULO
IX FEBR.

*S. Romani natalis 9 Febr.*

*27 Novemb.*

*Diversos Matthæus Raderus noster in MSS. Notis ad Græcorum Menæa existimavit* S. Romanum Cilicem *et* S. Romanum Thaumaturgum ; *et hunc quidem e Russorum Scythica gente oriundum. Verum unicus est, licet in Menæis bis*
C *illius fiat commemoratio,* IX *Februarii et* XXVII *Novembris eique illic cognomen* Cilicis *a patria, hic a miraculis* Thaumaturgi *tribuatur. Utrobique tamen eadem de illo narrantur, ex Theodoreti Philotheo sumpta. Vetus MS. Martyrologium monasterii S. Martini Tornaci, nominibus Eusebii, Hieronymi, Bedæ prætitulatum, ita illius meminit* XXXI *Martii : In* Antiochia natale S. Romani monachi, et S. Corneliæ Virginis. *Verum S. Corneliam alio pertinere, isthic dicemus. Eodem die ista habet Martyrologium Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis ante duo triave secula exaratum :* Et Romani monachi.

*31 Martii,*

2 *Quæ ei patria fuerit exponit Theodoretus :* Ῥωμανὸς δὲ ὁ θεῖος, ἐκ τῆς Ῥώσῳ καὶ τεχθεὶς, καὶ τὰ πρῶτα τραφείς. Divinus vero Romanus et Rhosi genitus, et ibi primum educatus. *Ubi sita sit Rhosus, ejusdem Philothei cap.* 10 *tradit in Vita S. Theodosii Antiocheni, quam* XI *Janu. edidimus ex versione Gentiani Herveti :* Ῥῶσος ἐστι Κιλίκισσα πόλις, ἐν δεξιᾷ εἰσπλέουσι τὸν Κιλίκιον κόλπον. Rhosus Cilicum urbs est, ad dextram iis qui Sinum Cilicum ingrediuntur. *Hinc ergo ortus Romanus. Adstipulantur Menæa IX Februarii :* Οὗτος ὁ ὅσιος Ῥωμανὸς, Κίλιξ ὑπάρχων τὸ γένος, ἐκ πόλεως τῆς Ῥωσοῦ. Hic S. Romanus, Cilix cum esset genere, ex urbe Roso. *At* XXVII *Novembris :* ἐν τῇ Ῥωσσέων τεχθεὶς, καὶ τὴν πρώτην ἡλικίαν διαξάς. In Rhossorum urbe natus, ibi primam ætatem exegit. *Quæ varietas scriptionis occasionem præbuit Raderi ita in eum locum commentandi :* Profectus hic S. Romanus e Rossis, seu Roxolanis, seu Rutenis, Latinis est ignotus, quamvis alii hoc nomine celebres apud Romanos et Græcos colantur. *Infra tamen scribit hujus videri meminisse Nicephorum lib.* 11 *cap.* 41 *ubi de sanctis monachis Antiochenis agit. Atqui isthic de eo agit Nicephorus, de quo et Theodoretus, hunc autem de Cilice agere manifestum est, uti ex ipsa quoque patet vitæ epitome, quam utrobique exhibent Menæa. Non ergo* Rossi, *vel* Russi, *quos Græci* τοὺς Ῥῶς, *Latini quidam recentiores* Ruthenos *appellant, sed* Ῥωσσεῖς *vel* Ῥωσεῖς, *aut* Ῥωσεῖς, *seu* Ῥώσιοι *intelligendi sunt, Ciliciæ populi. Ita enim Stephanus Byzantius de Urbibus :* Ῥῶσος, τὸ ἐθνικὸν Ῥώσιος, ἀλλὰ καὶ Ῥωσεὺς, ὡς ἀπὸ τοῦ Ταρσός Ταρσεύς. Καὶ τὸ κτητικὸν, Ῥωσικός. Ῥωσικὸς σκόπελος. Rhosus, gentile Rhosius, et Rhoseus, ut a Tarso Tarseus. Et possessivum Rhosicus : Rhosicus scopulus. *De hoc scopulo actum* XI *Januarii in Vita S. Theodosii Antiocheni, qui in eo scopulo monasterium condidit. Maximus Cytheræus in SS. Vitis Raderi conjecturæ videtur subscribere ; nam* XXVII *Novemb. ita habet :* γεννηθεὶς εἰς τὴν Ῥουσίαν. natus apud Rhusiam. *Idem* IX *Februarii,* ὑπὸ τὴν χώραν ὀνομαζομένην Ῥωσόν. Ex regione Rhoso dicta.

*patria Rhosus urbs Ciliciæ*

*non Russia regio Scythica,* F

3 *Vitam*

A 3 *Vitam* S. Romani *scripsit Theodoretus ejus æqualis, cap.* 11 *Philothei, sive Historiæ religiosæ, qui liber nonus est de Vitis PP. Ejusdem meminit lib.* 4. *Ecclesiast. histor. cap.* 25, *quod aliis* 26 *est : ubi agens de sanctis viris qui in Syria florebant, inter alia sic scribit* : Quin etiam mons maximæ urbi vicinus prati instar renidebat. In hoc enim enituit Petrus Galata, et alter huic cognominis Ægyptius et Romanus, et Severus, et Zeno, Moses etiam et Malchus, aliique plurimi, vulgo quidem ignoti, sed noti Deo. *Eadem habet Nicephorus Callistus lib.* 11. *Eccl. histor. cap.* 41. *Sed quod Theodoretus scribit,* τὸ ὄρος τῇ μεγίστῃ παρακείμενον πόλει, λειμῶνι παραπλησίως ὡραΐζετο. Mons maximæ urbi vicinus prati instar renidebat; *id Nicephorus ita expressit :* ἐν τῷ παρακειμένῳ ὄρει τῇ πόλει, ὃ πολλοῖς λειμῶσιν ὡραΐζετο, in monte urbi vicino, qui multis pratis amœnus erat. *Quamquam id de spiritualibus pratis, id est ascetarum habitaculis intelligi potest.*

*AUCTORE I. B. Vita a quo scripta? commoratio in monte.*

*ætas.* 4 *Ætas S. Romani ex Theodoreti ætate, de qua nos* x *Februarii in Vita S. Zenonis et alibi, colligi potest. Videri potest S. Theodosium e Rosensi scopulo Antiochiam revertentem comitatus, aut paullo post secutus fuisse Romanus. Censuimus autem* xi *Janu. obiisse Theo-*
B *dosium circiter annum* CCCXII, *cum post reditum aliquando tempore vixisset juxta Antiochiam.*

## VITA
### *auctore Theodoreto Episc.*

*S. Romani patria, habitatio,* Divinus ille Romanus, et Rhosi genitus et ibi primum educatus, virtutis certamina suscepit Antiochiæ extra urbis mœnia, *a* uno in monte sedem figens, et aliena in cella, eaque angusta, *b* perpetuo vivens. *victus,* Vixit autem ad senectam usque nec igne utens, nec lucernæ lumen admittens. Cibus namque illi panis erat cum sale, potus vero aqua e fonte, *c* cæsaries magno par Theodosio, *d* vestisque et *e* ferrum similiter. *vestitus, simplicitas,*

2 Præstabat hic autem morum simplicitate, animique modestia, eamque ob rem Divinæ gratiæ radiis emicabat. Ad quemnam, ait Dominus, respiciam, nisi super mitem ac quietum et trementem sermones meos? Et discipulis suis rursum aiebat : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, invenietis requiem animabus vestris. Et iterum : Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Et Moysi Legislatori hoc illustrium facinorum fuit insigne : Erat enim
C

Esa. 66. 2 Matth. 11. 29 et cap. 5. 4

inquit, Moyses vir mitissimus super omnes homines D qui morabantur in terra. Hoc ipsum et de Propheta David testatus est Spiritus sanctus : Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus. Et de Patriarcha Jacob didicimus, quod vir erat simplex, domum inhabitans. Has virtutes cum velut apis ex Divinis illis pratis collegisset, mel confecit veræ philosophiæ.

Num. 12. 3 Psal. 131. 1 Gen. 25. 27

3 At non solus fructu laborum potitus est. Manabant etiam ad exteros suavissima illius fluenta : et iis qui ipsum conveniebant, leni dulcique voce, multas de fraterno amore, multas de concordia, multas de pace admonitiones suggerebat : multos etiam solo aspectu Divinorum rerum amatores effecit. Quis enim non est admiratus, senem contemplans membris confectum, *f* ferro plurimo sua sponte onustum et cilicina veste amictum, ciboque qui mortem tantummodo arceret victitantem? Præter magnitudinem porro et multitudinem laborum, quæ in eo florebat gratia, ut in admiratione honoreque esset omnibus persuadebat. *admonitiones, f*

4 Multorum etiam sæpe graves morbos depulit, multis sterilibus fœminis liberos impetravit. *g* Et tantam a Divino Spiritu potestatem adeptus, inopem se mendicumque appellabat. Omnes ergo, qui ipsum frequentabant, et aspectu et sermone, beneficiis cumulare, quoad vixit, non destitit : et postquam hinc abiit, Angelorumque in cœtum translatus est, memoriam reliquit, non una cum corpore consepultam, sed quæ floret vigetque, et inextincta perpetuo manet, ac volentibus opem ferre potest. Quare hunc et ego benedictionem exposcens, aliorum quoque athletarum res gestas pro viribus exponam. *miracula, g* E *humilitas, beneficentia.*

a *Bellius Hervetus* ad latus montis; *aut potius*, in latere montis. παρὰ τὴν ὑπώρειαν. — b *Menæa* 27 *Novemb.* ἑαυτὸν καθείρξας, seipsum cum inclusisset. *Ad quem locum ita commentatur Raderus:* Erat hic referendus inter Reclusos Sanctos in tertio Viridario, si id temporis lectus fuisset. — c Menæa 9 Febr κόμη δὲ μέχρι ποδῶν διήκουσα. Cæsaries ad pedes promissa. *De Theodosio Theodoretus cap.* 10 Comam præterea gestabat squalidam, et ad ipsos usque pedes pertingentem, atque ulterius etiam tendentem eoque lumbis alligatam — d *De Theodosio idem Theodoretus* De hujus ergo abstinentia, humique cubatione, ac veste cilicina, supervacaneum sit iis narrare qui ejus discipulos vident, ideoque in illis institutum conspiciunt. *De ipso Romano Menæa* 9 *Febru.* ἐσθὴς ἐκ τριχῶν. vestis ex pilis. — e *Menæa* 27 *Novemb.* ἐνεδιδύσκετο δὲ καὶ τρίχινα καὶ ἐνδοθεν τούτων σίδηρα βαρύτατα. Induebatur cilicina veste, intraque cam ferro gravissimo *Et* 9 *Feb.* τῷ τραχήλῳ δὲ καὶ ταῖς χερσὶ, καὶ τῇ ὀσφύϊ σιδήρου βάρυτες περιέκειτο Collo, manibus, lumbis ferri pondus erat circumpositum *Sic de Theodosio Theodoretus* Προσέθηκε δὲ τούτοις τὸ τὸν σιδηροφορεῖν αὐχένι, καὶ ὀσφύϊ, καὶ ἀμφοῖν ταῖν χεροῖν. Ad hæc ferri quoque pondus collo ac lumbis et ambabus manibus adjecit — f *Addit editio Herveti* qui prolixam gestabat comam. — g *Addunt Menæa utroque loco,* δι' εὐχῆς precibus.

F

# DE S. ATTRACTA, sive TARAHATA
## VIRGINE IN HIBERNIA.

G. H.

*SECULO CHR. V, IX FEBR. Colitur S. Tarahata 9 Febr.*

Florarium Sanctorum MS. *exhibet* IX *Februarii* S. Tharahatam Virginem *de qua eadem die Hermannus Greven in Auctario Usuardi hæc habet :* In Hibernia Tarahatæ Virginis. *Et Canisius* : Item in Hibernia sanctæ Virginis Tharahatæ. *Hanc Ferrarius* Taruntham *vocat, solo tamen in Notis Canisio citato. Idem Ferrarius* IV *Februarii hæc scribit :* In Anglia S. Taraghtæ Virginis, *annotatque eum se referre* ex Martyrol. Anglico, et Kalend. Scotico, teste Dempstero. *Eam in Menologio Scotico ita inscripsit eo die Dempsterus* : Taraghtæ Virginis. M. *qua Nota Martyrologium Anglicanum signare se profitetur. Ast in Wilsoni quidem Anglicano Martyrol. deest Taraghtæ nomen. Ferrarium sequitur Lahierius noster in Menologio Virginum, et quarto quidem die* S. Taragtam Virginem in Anglia *ponit; nono autem*, In Hibernia S. Taruntham Virginem magnarum virtutum et meritorum. *At in Februarii nomen* Taharattæ *inscriptum Kalendario Hibernico Henrici Fitzimonis nostri.*

*ab aliis* 4 *et* 3 *Febr.*

2 *Joannes Colganus de Sanctis Hiberniæ statuit hoc die* S. Attractam, *illamque censet eamdem esse quæ* S. Tarahata *sive* Tharacta *alibi appellatur : tum quod* nomen Tharacta nusquam alibi inter Sanctos Hibernos reperiatur, *tum quod* aliud nomen affinius non sit, quam Attractæ. *Sed quos pro* Tarahata *allegat ut distinctos*, Hermannum Greven et Usuardum auctum, *unus idemque est Greven in additionibus suis ad Usuardum. Addit idem Colganus*, S. Attractam secundum Hagiologos Hibernos coli XI Augusti, *atque ad illum diem referri* in Martyrologiis Mariani Gormani, Cathaldi Maguiri, Tan-blachtensi et Dungallensi : *ejusque illo die* natalem celebrari in ecclesia de Kill-Saile in regione de Crichchonuill *juxta glossam ad Marianum. Ecclesiam præterea tradit S. Attractæ dicatam esse* in regione Lugniæ, cœnobium in regione Gregruriorum, in diœcesi Achadensi, *et* capellam *ejusdem nominis* in diœcesi Tuamensi in parochia de Balla : *quæ loca in provincia Connaciæ sita sunt.*

*eadem creditur esse quæ S. Attracta, xi Augusti huic templa dicata.*

3 *De*

A 3 *De S. Attracta hæc tradit auctor Vitæ tripartitæ S. Patricii par.* 2. Rebus Ecclesiæ rite dispositis perrexit *S. Patricius* in regionem Gregrugiorum ad lacum Techet, populoque ibi instructo et converso, jecit fundamenta ecclesiæ in loco, Druimnea vulgo nominato.... Postea in eadem regione Gregrugiorum fundavit cœnobium de Kill-Athracta, quod nomen illud desumpsit a sancta Virgine Athracta, Talano Cathbadii filio nata, quam amor filii Dei ad suam virginitatem Deo consecrandam, velumque e manu S. Patricii, in agro olim Dromanna, hodie Machaire, appellato, suscipiendum attraxit : suumque germanum imitata fratrem S. Coemanum de Airdne-Coemhain, qui etiam ad prædicationem S. Patricii nuntium mundo remittens, Christi militiæ nomen inseruit, et in præcipuæ sanctitatis evasit virum. Hanc Virginem vir Dei præfato præfecit cœnobio : eique in sacræ subsidium supellectilis reliquit calicem cum disco sive patena. Inter ipsum et hanc Virginem cecidit etiam casula cœlitus missa, quam S. Patricius intuitu meritorum sanctæ Virginis missam asserebat; illa vero e contra sanctissimi Antistitis eam eximiis meritis collatam tribuebat.

*consecratur Deo a S. Patricio.*

*imitata S. Coemanum fratrem :*

B 4 *Quæ hic casula dicitur, velum appellatur a Jocelino in Vita S. Patricii :* Quadam vice, *inquit*, cum S. Patricius consecrasset duas Virgines in campo sito in finibus Gregri, quoddam velum, destinatum cœlitus, cecidit in gremio Patricii : quod Sanctus suscipiens, summa devotione Virgini consecratæ posterius, illud obtulit. Sed illa tali munere, tam sancta eulogia indignam se judicans, sancto Antistiti dixit : Quoniam istud datum optimum, donumque perfectum descendens a Patre luminum, mihi peccatrici missum non est; congruum arbitror, ut ipse habeas, cui delatum est, aut conferas alteri, quæ me melior est. Applaudens Sanctus Virginis humilitati, imposuit velum illud illius capiti, præcipiens, ut illud gestaret jugiter, donec introduceretur in thalamum sponsi sui. Virgo præcepto Pontificis acquievit, sancteque vivens sanctissimo fine in Domino requievit.

*Velum cœlitus missum accipit.*

5 *Pater S. Attractæ supra dicitur* Talanus, filius Cathbadii, *qui alius est* filius Sarani Dalaradiæ in Ultonia Principis, *nepos* Coelbadii ultimi Regis Hiberniæ ex stirpe Irii. *Aliquibus* Talanus est filius Dubhtaigh, nepos Rossii de stirpe Corbii, pronepos Fergussii Regis. *Alius* S. Attracta *dicitur* filia Sarani, *alius* filia Tigernaci. *Colganum consule num.* 2
C *in Notis, qui addit se* litem hanc non dirimere. *Qui S. Attractæ frater dicitur S. Coemanus, colitur secundum Martyrologia Hibernica* XII *Junii in ecclesia de Airdne-Coemhain juxta Wexfordiam in Lagenia. Floruerant ambo seculo Christi quinto.*

*oriunda ex familia regia*

*floruit seculo 5*

6 *Vitam S. Attractæ mutilam, initio et fine destitutam, edidit Colganus ex codice Insulensi : conjectatque auctorem ejus anonymum, videri monachum Cisterciensem monasterii Bulliensis in Connacia, ac proinde non ante annum millesimum et centesimum vixisse; et quicumque fuerit, nec stylo, nec fide in rebus gestis sincere referendis, multum commendandum esse. Qua Colgani cautione adhibita, audemus eamdem Vitam proferre, omissis sub finem nonnullis, quæ ipsemet insulsa, ut plurima Hibernica sunt, judicavit Colganus.*

*Acta ab imperito viro scripta.*

# VITA

Ex MS. edita a Jo. Colgano.

## CAPUT I.

*Fuga nuptiarum et patriæ. Cella extructa.*

a Insuper (inquit) nondum adulta, tenera ætate, Spiritus sancti gratia infusa, jejuniis, orationibus ac eleemosynis continuis corpus attenuabat. Mundi caduci gloriam, cum protoparentis filios in lacrymarum valle et miseriæ, cerneret mole peccati depressos, consternabat.

*S. Attracta puella sancta,*

D *AUCTORE ANONYMO, EX COLGANO.*

2 Cum autem ejus parentes nuptui, propter importunitatem in connubium petentium, impendere vellent, et intuentibus spectabilis nimis appareret; ipsa sponsi sui Jesu Christi non annuens thorum a quocumque maculari, Deitatis gratia docta nativitatis suæ terminos, ac patris sui regnum, regnique ipsius amœnitatem, ac splendida convivia effugere clam non seposuit. Fines advenit Connaciæ, duorum tantum comitatu, ancillæ videlicet, nomine Mitain, et servientis, videlicet Mochain, contenta : et sic nativitatis suæ patriam sua præsentia viduavit, ut liberius Deo vacaret, et solitariam vitam inter alienos expetens, transeundas vias sibi incognitas disposuit, ut majoris meriti sit propter carentiam visionis amicorum.

*fugit nuptias.*

*venit in Connaciam*

3 Interea cum sic partes repedaret easdem, in ipsius primo adventu vovit perpetuam castitatem se Deo servaturam; ac se hospitalem esse, promittens quod nullicubi terrarum mansionem aliquam haberet, nisi ubi septem viarum capita lucidius apparerent, ut eadem undecumque confluentibus, quantum E
posse ipsius se ad hoc extenderet, vitæ necessaria ministraret, commune *b* synochen omnibus retinendo. b

*vovet castitatem;*

*hospitalitati dedita,*

4 Contigit autem, cum quadam die prædictus servus ipsius orto jam sole, dum in specie purpurea juxta ipsius consuetudinem rutilaret, *c* manicatione c
summa jam facta solus incederet in nemore condensato, in partibus segregari, amplarum septem viarum capita, ac si diuturnis temporibus hominum transitus inibi esset, circumspexerat : quo viso rem hujusmodi admirans, tacitus apud se excogitavit, Dominam suam Deifica revelatione suum apud Deum impetrare optatum, prospero cursu ad eam quantocyus veniens, pronus in terram ad genua coram ea corruens, benedicens ei, insolitam rem hujusmodi sibi, humili ac facundo sermone enarravit. Cui cum honorabilem præberet auditum, septem illas vias ad unum locum redeuntes inspexerat : et tunc per Majestatem inclytam credens se de sponso suo promeritam esse, expansis manibus in cœlum placabiles egit gratias Deo. Porro prædicto sequaci suo hæc verba protulit : Hujus glebæ te ascriptitium facio, tanquam primum ejus nomine meo inventorem, et tibi do, et tuæ posteritati concedo : in quo equidem loco tu, et F
posteritas hospitales sitis, et vobis vivus ignis inibi usque ad consummationem seculi non deficiet, me promittente, et Deo meo operi mancipante : et in eodem loco habitandi licentiam de incolis terræ gratiose impetravit, ut viderant eam et sagacem in verbis, et ejusdem vultum vividum, et ipsa ab omnibus honorabilis videbatur; ita dilexerant eam nimio affectu tanquam sociam eis dilectam et decoram, ut quandocumque ad aliqua negotia sua effectu mancipanda prosiliter, in ejusdem jucundo adventu faustum omen ac prognosticum familiare solebant habere omnes circumstantes, ac ejus noti et vicini, diligentes eam tanquam si ab eisdem duceret originem : et ejus nomine et sanctissimæ Trinitatis, Beatæque Virginis gloriosæ, ibidem fabricata est Ecclesia.

*ob concursum septem viarum repertum,*

*grata as ...*

*ibique domicilium extruit :*

*ab accolis amatur*

5 Interjecto autem quodam tempore, in novitate adventus ejus ad Connaciam accidit, quod ipsa transeunte, ac gyrum per terras faciente, exposcens ubi sibi habitaculum præpararet, declinavit sancta Virgo ad B. *d* Connallum Droma *e* filium matris suæ, d e
et in Ecclesiæ ejus confinibus, propter loci amœnitatem, construi sibi voluit tabernaculum. Tempus autem Quadragesimale extitit tunc, in quo S. Conallus consuevit semper in aqua frigida suas dicere horas,

*profecta ad S. Connallum consanguineum,*

AUCTORE ANONYMO, EX COLGANO.

A horas, et sic totam Quadragesimam deducere. Visum autem fuit sibi quod dicta Virgo præ nimio apparatu amœnitatis loci, fabricari concupivit oratorium, tacitus in se dixit: Hæc enim illa, quam prædixerant veri vaticinatores, quod quædam Deo devota atque cara Virgo miræ sanctitatis de Boreis partibus tamquam vivax scintilla veniret, quæ sui miraculositate ac fama præfulgente nitida, maxime cum advena fuerat, stella diceretur matutina. Et nimirum, quia donec stellas cœli, maris et arenas, arborum frondes, densata nemora numerari contingat, miraculorum ejus opera diversa, cujuslibet infirmitatis speciei, non valebunt numerari, divina cooperante clementia, quia quibuscumque ægritudine quavis oppressis, reconciliationis antidotum deposcentibus, eam mente intenta, præbet opportunam.

*f non permittitur iste oratorium erigere.*

6 Excogitatis his, pro Sancto misit *f* Dachonna, ut eum ad Virginem destinaret, cui supplicare deberet, quatenus in Ecclesiæ ejus confinibus amore Dei ædificium non fabricaret. Qui hujus rei causa ad eam accessit benedicens ei, et exponens de negotio suo. Unde ipsa ait ei: Cum requisita sim amore Dei mei, ut loca ista relinquere non tardarem, quod postulas faciam, et quod jusseris non refuto; tamen B S. Connallus in primis, qui te pro istis misit negotiis, meæ sententiæ sentiet acrimoniam, et, si Deo placuerit, vehementi desiderio opto, quod, cum aliqui jejunii caussa, ad ejus venerint Ecclesiam, unus Lugnensis a Deo impetret, quantum centum alii. Insuper volo quod pater et filius simul et eodem tempore ibidem numquam deservient. Similiter volo, quod non crescat in ejus ecclesia aliquid farris, frumenti, nec hordei. Non denego, quod *g* vox campanæ inter habitacula vestra veniet, quæ vos ambos *h* primitiis vestris diminuet, vel in totum privabit: quod et factum est. Nam et *i* monasterium monachorum inter habitacula eorum est constructum, quod privavit eos primitiis. Similiter multa Dachonnæ sæva verba dixerat, quæ non sunt hic scripta.

a *Deest initium.* — b *Forte* Xenodochium *legendum; aliquod neutrius generis vocabulum exigit vox adjuncta* commune. *Alias* συνοχὴ *Græce significat inter alia* conjunctionem, complexum *etc.* — c *Manicatio, ambulatio matutina, seu illi opportunum tempus. Ita Luc. c. 21, v. 38:* Omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum. *Ubi in aliquibus codicibus legi* mane ibat, *monet Jansenius in Concordia Evang.* 127. — d *Existimat Colganus esse* S. Conallum Abbatem de Kill-chonail in regione de Maineach, sive Hi-Maine, *ejusque* natalem celebrari in Cluain-dallain 2 Aprilis. — e *Imo potius potentior S. Attracta, cum velint Hiberni Conallum hunc esse* filium Aidi, filii Saraní. — f *Alias sæpius* Machonna, *cujus nomine tradit Colganus dictam esse ecclesiam parochialem in diœcesi Clonfertensi, deque eo agere Martyrologium Hibernum* 17 *Februar.* 8 *Septemb. et* 15 *Novemb. Idem Colganus in Indice* 3, *vocat Dachonnam Abbatem de Easmacneirc in Connacia, et præterea remittit ad pag.* 358 *num.* 4, *ubi die* 17 *Febr. ad Vitam S. Fintani Epis. ex Vita tripartita S. Patricii refert* Dachonnam illum Rambardi *quem auctor illius Vitæ vocat presbyterum de Cluain-Rannach, ut aliqua videantur apud eum confusa esse.* — g *Illud monasterium cum templo, ad quod vicini sonitu campanæ vocantur, extendendum indicat.* — h *Id est, oblationibus et donariis populi, in quibus fructus primi continebant.* — i *Colganus conjicit id esse monasterium Each-dromense.*

C

## CAPUT II.

### *Monstrum diabolicum devictum. Patena cælitus accepta.*

*a Regulo Lugnensi invitata,*

7 Alio quandoque tempore, ut tota terra Lugnæ regionis per unam bestiam devastata esset feritate bestiali, adeo quod nemo habitator ejus aderat, illis dumtaxat exceptis, qui in montibus extiterunt et in cavernis. Rex autem, qui tunc in eadem regione regnavit nomine Bec, audiens eminentia signa et prodigia per Virginem prædictam facta in novitate adventus ejus, diversos ad eam nuntios præmisit, quatenus ad eum sibi locutura accedere dignaretur. Porro cum nuntii prædicti eam suis orationibus insistentem in ejus oratorio invenirent, poplitibus flexis humilibus verbis ex parte Regis ipsam salutarunt: et ipsa pro salutationibus respondebat: Deo gratias. Nuntii D exposuerunt ei, quod Rex prædictus aliquid secreti habuit, quod ejus discretioni fari concupivit, supplicans ei humiliter, ut ad eum venire dignaretur commota pietate Divina. Referimus insuper tuæ sanctitati quod homo illustris sit et perceptimus. Unde ipsa ait: Ite ante me, et renuntiate de adventu meo; cras enim, si Deus meus adjuverit, visitabo eum. Reversisque nuntiis prædictis, exposuerunt Regi omnia hæc per ordinem. Crastina autem die Rex cum consolaretur in platea sui castri, vidit sanctam Virginem in moratis gressibus cum pauca et honesta comitiva venientem ad se. Et quantocyus eam novit, corruit in terram, et osculatus est pedes ejus, sibi reponens de pressuris, quæ sibi acciderant, et damnis severitate bestiali ac insania. Mihi, inquit, fama tua creberrime per totius Hiberniæ partes crescente, innotuit, quod tu famula Dei sis: et quod, quæcumque ab eo efficienter expostulas, sine moræ dispendio obtinere dignosceris. Hæc autem sciens et intelligens, volo et concedo quod accolæ regionis hujus in perpetuum sanctitati tuæ posterisque tuis sint primitiales; et ut supplicationibus tuæ sanctitatis intenta mente pro nobis ad Majestatis excellentissimæ thronum a pestilentia hujusmodi valeamus auxiliari. Insuper si contingat, per emissiones E assiduas tuæ orationis sentiam juvamen, ego sponsione regia ac vehementi desiderio volo et concedo, ut tu in eleemosynam teneas de me et sequacibus meis terram inhabitatam jam per bestiam, et post te in terris locum tuum tenentes. Ait autem ipsa: Potens est, qui mundum creavit ex nihilo, et hominem ad imaginem suam de limo terræ figuravit, celeri effectui hæc omnia mancipare.

*ac patrocinium rogata,*

*diabolicum monstrum,*

8 Fertur autem hac sententia decreta hanc commeasse Virginem ad murum extremi ambitus loci, ubi fera bestia fuerat; et flexis genibus, ac tota mentis acie Deum silentio deprecabatur, quatenus ad sui nominis excellentiam fieret, quod antedictus Rex ardenti desiderio concupivit. Quo dicto sancta Virgo conspexit feram vultum draconis habentem, quæ expergefacta Sanctam sensit, ructus leoninos emisit: fricavit autem dentes suos, tamquam acumine aprinos, sed majores longitudine. Aspectu quidem horribilis, corporis ac horrore videbatur adeo, ut singuli ejus capilli, quasi fixi ex recto pendebant, insigni flatu scintillas emittentes ignitas. Habuit autem aures ad latitudinem veluti arietis, oculos magnos et rubicundos, lucentes quasi lucerna, nares F patulas, comam equinam, recta erat sibi cervix; velox pedibus incedendo, coloris cervi capitis; ursi membra erant sibi singula trementia præ nimia cupidine sanctam Virginem devorandi feritate inenarrabili, crudelitate accensa, recto gressu ac torvo collo in sanctam Virginem irruit: quæ cum signo sanctæ Crucis se muniret, tamquam ferox et armis crudelis se ex opposito dedit ei. Sancta autem Virgo videns non minimum hiatum oris feræ, cum baculo suo manum extendebat, quam fera ipsa usque ad cubitum cum baculo deglutivit: quæ Virginis impulsu, ac Divina clementia cooperante, spiritum emisit. In quo loco Virginis honore fabricata est basilica.

*instar immanis bestiæ,*

*signo sanctæ Crucis expugnat*

*S. Patricio Missam facturo*

9 Sanctus autem Patricius, cum prope loca, ubi fuit Virgo, transitum fecisset, sterilitatem fugans Hiberniæ totius, illis diebus volens quosdam sanctos viros in Presbyteros ac Episcopos ordinari, sanctam Virginem Attractam ad se corrogari fecit. Et cum omnes induti ad Missarum solemnia essent, dum ad collocationem sacri calicis ministri ad altare venirent, compertum est calicis discum ministros casu amisisse. Quod cum Sanctus audisset, conabatur sacrum deponere indumentum. Tunc ait sancta Virgo Attracta: Cum sanctum opus et Divinum ministerium incepistis, nolite desistere a tam sancto proposito:

*patenam divinitus impetrat,*

A posito : quia potens est Dominus vos adjuvare. Tunc S. Patricius, et ceteri confessionem incipientes, accidit S. Virginem, dum ad confessionem incurvaret, aliquam onerositatem in humeris suis adesse sensit: ad quam manum erigens, *a* discum ad modum Crucis figuratum reperit, quem S. Patricio submissis genibus præsentavit.

10 Postquam autem S. Patricius sanctos ordinavit viros, et tam sacræ rei finem dederat, inquit sanctæ Virgini : Manifestum est, quod Dominus Deus tuus tam debitum finem optatui tuo dederit, et hoc mihi manifestum est. Hanc imaginem, quam hodie in calicis disco habuimus, diligenter custodi : quia desuper tibi a Deo donata est, et sancta Crux tuo nomine vocabitur, quam ceteri Hibernienses honorifice adorabunt; quæ honorabilitate, et sui miraculositate pene ceterorum Sanctorum signa præcellet : quam ad præsens benedicimus, sacrificamus, ac attentissime in honorem summi Dei nobis eam mittentis glorificamus.

*a*

*ob Crucem impressam miraculosam.*

*a Supra diximus ex Vita S. Patricii, ab eo calicem cum patena sive disco datum esse S. Attractæ, at casulam seu velum cælitus acceptum. An auctor hic utrumque donum confuderit?*

B

## CAPUT III.

### *Lacus siccatus. Mortui suscitati. Cervi cicures facti.*

*Exercitum Lugnensem a Connachtensibus conclusum,*

Non multum post hoc exacto tempore contigit, quod Rex Connaciæ obsides totius terræ Lugnæ tenuit, quos cum magnates prædictæ terræ manu potenti rehabere conarentur, collecta multitudine ingenti accesserunt ad loca, ubi ipsi obsides reclusi erant, et secum eos vi armata adduxerunt, nec non et terram totam devastarunt. Et tunc omnes Connaciæ natu majores eosdem Lugnenses persequebantur ad stagnum, vocitatione Techet, ubi transitum non poterant habere salutarem. Sed post circumdabant eos majores Connaciæ ex utraque parte, tamquam ambitus murales, adeo quod ante nec post ingredi valuerunt. Rex autem Lugnæ de prope Virginis tabernaculum habens, eam adiit, exponendo per ordinem qualiter sibi accidit. Sancta ergo Attracta cum eo concitata accessit in ambitu Lugnensium, circumiens eos per gyrum, et ipsos dulcissimis allocutionibus confortans, dixit : Nolite terreri, sed potius facite quod hortor. Credite in eum solum Deum, qui omnium conditor est, et potens est vos ab omni pe-

C riculo defendere et liberare, cujus ego famula sum et ancilla. Crediderunt autem ei juxta ipsius verbum. Quibus inquit ipsa : Mei sitis sequaces, et nemo vestrum post tergum respiciat, sed recto incessu post me adsitis. His dictis ad littus accessit, et flexis genibus oculosque ad cælum erigens, oravit, ut denuo in Deum credentes auxiliari dignaretur omnipotens, et ut eosdem per idem stagnum salvos a periculo aquatico, uti Israeliticos per mare rubrum, perducere non postponat. Quibus verbis prolatis, et exterminatas omnes prospexit aquas, et quantum visus hominis continere potuit, ex utraque parte littus apparuit, et tunc omnis multitudo Lugnensium cum obsidibus prædictis a spoliis omnium Connachtensium per stagnum salubrem habuerunt transitum, dempto famulo tympani alicujus tympanistæ, qui vi fluminis inde fuit submersus.

*ducit sicci pedibus per medium lacum :*

12 Cum autem tympanista ille famulum suum sentiret fuisse extinctum, aggressus est Virginem talibus verbis, quod nisi famulum suum haberet, eam per mundi climata perperam diffamaret. Unde ipsa verecundia mota ait : Ego promitto tibi ad voluntatem tuam servum tuum, et quod in singulorum auribus delectabilis sis in arte tua præ nimio optatu chordarum tuarum. Quod penitus tympanista non admisit, minans ei infamiam inferre. Tunc autem D cum Virgo Christi verba illius audierat, præ pudore effecta est rosei coloris aut purpurei rutilantis : ad loca accessit latentia, invocans illud nomen, a quo bona cuncta procedunt, ut vivificato jam submerso, pristinæ daretur sanitati. Tunc Virgo in labore hujusmodi posita, pergens huc atque illuc, vidit Angelum Domini sibi hæc verba dicentem : Tædiosus factus est tibi Dominus Deus tuus; sed tamen impetrasti tuum optatum; vade tamen propere ad locum, ubi jacet submersus homo Dei *a* S. Fœlanus, in nomine Domini Dei tui suscita eum de somno suo, ut adhuc spiritu divino vivificetur, quia fortis Dei athleta extitit. Quæ cum monitu Angeli ad locum iret, invenit eum quasi in somno jacentem, tres lapides mirificæ dispositionis in manibus ac in ore gestantem. Et postquam tetigit eum, illico resurrexit dans † pristinæ sanitati, quasi de extasi surrexisset. Ac eumdem in eo Comitatu diu tenuit. Similiter famulum tympanistæ sibi vivum restituit : et sic omnes Lugnenses non sunt bene Regi Connachtiæ respectuales.

AUCTORE ANONYMO, EX COLGANO.

*ab Angelo monita,*

*a*

*submersos vitæ restituit, S. Foelanum,*

† *forte* datus,

*et famulum tympanistæ.*

13 Sed cum fama ejus crescebat, prout multiplici ac luce clariori hominum fatu ac enarratione lucidissimis miraculis fertur, per eam facta sunt præclara E ac distincta miracula et prodigia innumera, Divina cooperante clementia obtinens affectu capaci, quidquid homini indigne impetrare satagebat. Regnavit præsertim tunc temporis in *b* finibus Connaciæ Keannfaelaid dictus, tenens totum ejus principatum universaliter, qui cum corrogaretur per omnes suæ regionis Principes, ac terræ potentiores sibi subjectos, edixit, ut sibi munitionem construerent pretiosam, quæ suæ dispositionis speciositate alias in eodem regno præcelleret ædes; ut ejus signatione ac sculptura præfulgida in hominum aspectu jucunda videretur et amœna. Porro prædictus Rex regali præcepto servis suis imperavit, quatenus omnes suæ regionis, sive sint Ecclesiasticæ immunitatis personæ, sive servilis conditionis, sive civilis status, ad fabricam prædictæ munitionis intentis operibus accederent, ac præstabili Domino operarentur, auxilium opportunum ad tam regale opus et dignitati regiæ necessarium, præstantes. Exactione quoque regali hujus per singulas regni Connachtiæ partes laicas publicata, ac præcipue S. Attractæ Virginis, cujus vitam hic exaramus, littera expositæ ejusdem Regis sanctiones; oblectatores hac pro re hic Virginem allocuti sunt, dicentes, quod Rex ei ex debito F edicti regalis præceperat, ut ad munitiones prædictas construendas pro parte sua, prout ceteri Sancti ejusdem regni, necessaria ministrare dignaretur. Quæ cum ipsa Virgo audiret, ira accensa, veloci gressu ad Regem accessit, indebiti servitii ac inconsuetæ administrationis relaxationem ab eodem familiari colloquio, Divinæ majestatis intuitu, petendo offerens ei, quod de singulis mundi partibus aura vehementi naves portui munitionis memoratæ applicarant, ferentes bona pretiosa incognitarum terrarum, ubi inconsueta mercimonia abundantius valeant adipisci, et quod numquam nisi de sanguine ipsius regnum hujus quivis teneret. Hæc et alia multa sibi offerens, quæ non sunt scripta in libro hoc; quæ omnino levi consilio parvipendens Rex superbus, imo insanus, inficiabatur.

*b*

*Ad novam munitionem,*

*cuncta operam conferre,*

*ab Regulo frustra eam deprecatur.*

14 Quæ cum denegata esset, vehementi ira commota ad nemus sibi proximum accessit cum *c* S. Nathy, et cum paucis hominibus suis et caballis secare ligna ad quantitatem præcepti sufficientia. Præcepit ergo Virgo suis ministris onerare suos caballos prædictis lignis. Tunc cum caballi ad jussum Virginis adducerentur, unus famulus ejus, motus inertia sui miseri animalis, in hæc verba prorupit : Si super

*c*

*ligna secat,*

cervos

AUCTORE ANONYMO, EX COLGANO

*cervis oratione advocatis onera imponit,*

A cervos illos in conspectu tuo ad arbores se fricantes ligna hæc ad præsentiam Regis superbia inflati, ad convincendum ejus tumorem deferrentur; quoniam in nostris deberent portari caballis miseris. Hæc autem cum audisset Virgo, prona occubuit in terram, supplicans suo summo Creatori, ut annueret juxta proloquentis ministri sententiam; quod ita accidit. Illico namque cervi indomiti venerunt mansueti et mites ad Virginem Christi, onera sua humiliter suscipientes, et mansuete cum oneribus suis iter suum incedentes. Contigit autem permissione Divina, quod fracta essent vincula omnium onerum ipsorum, nec haberent alia vincula, ut onera ipsa ligarent. Virgo D Deo devota manus suas, postquam ministros de tanta negligentia arguebat, in crines suos submisit, de quibus paucos extraxit capillos, quibus mediantibus, licet tenues et exiles sint, quamvis res narratione mirabilis, in cervis prædictis ad urbem memorati Regis ligna illa bajulata sunt. *d*

*exilibus capillis colligata.*

*d*

a *Colganus arbitratur hunc esse* S. Foilanum *filium Æugussii, qui hoc tempore floruit, et colitur in Kill-Focla in Lagenia, et alibi* 20 *Junii.* — b *Seu aliqua parte Connaciæ Regulus aut Princeps ignotus aliis historicis, uti advertit Colganus.* — c *Conjicit idem Colganus, esse S. Nathi, seu Nathium de Achadhconair, quæ est ecclesia Cathedralis in eadem regione Luguiæ* — d *Aliqua omisimus, quæ, ut prænotavimus, insulsa Colgano videntur, et apud eum legi possunt.*

## DE SANCTIS EPISCOPIS CANUSINIS

# RUFFINO ET MEMORE

## HISTORICA ANNOTATIO.

J. D

CIRCITER AN. D ET DXIV. IX FEBR.

*Canusium diversum a Cannis vico,*

Canusium *Apuliæ urbs fuit, ad* Aufidum *sita amnem, qui nunc* Ofantus, *sive* Lofantus *appellatur; non etiam Cannæ dicta, ut in Apuliæ Peucetiæ descriptione tradidit Leander Albertus, manifesto errore, cum ex Livio et aliis constet, cæso ab* B *Hannibale, ad Cannas ignobilem tunc vicum, Romanorum exercitu, duo fere millia in ipsum vicum perfugisse, itaque a Cartalone atque equitibus, nullo munimento tegente vicum, circumventos: alios Canusium se recepisse,* mœnibus tectisque *a civibus* acceptos; *frumento, veste, viatico ab opulenta quadam muliere adjutos: ac mox isthuc alias quoque a Varrone Consule traductas copias, ut jam* species *esset* aliqua consularis exercitus, mœnibusque se, si non armis, ab hoste viderentur defensuri. *Et diserte testatur Procopius lib. 3 de bello Gothico Canusium inter et Cannas intervallum fuisse* XXV *stadiorum. Cannæ tamen postmodum in urbem exstructæ, et throno Episcopali, vulgata per Italiam Christi religione, ornatæ. Non tamen* Antipater, *quem Carolus a S. Paulo in Geographia sacra profert, veluti qui quintæ Synodo Romanæ sub Symmacho post consulatum Avieni junioris, anno Christi* DIII, *subscripserit, hujus Sedis Episcopus fuit: nec vero isthic* Cannensis *sed* Canneinus *appellatur, idemque est qui Concilio Chalcedonensi interfuisse legitur,* Canni civitatis Lyciæ Episcopus, *atque ab eodem Carolo alibi refertur: sed non animadvertit vir doctissimus, inter eos qui quintæ illi Romanæ Synodo sub Symmacho leguntur subscripti, fere centum ac quinquaginta Orientales* C *Episcopos esse, quorum plurimi concilio Chalcedonensi, quinquaginta duobus annis ante hoc Romanum celebrato, interfuerunt; ut appareat, (quod Baronius tom. 6 ad an.* 503 *num. 9 atque ex eo Severinus Binius annotavit) alterius concilii in Oriente haud longo tempore post Chalcedonense habiti, quod tamen modo non extet, has esse subscriptiones, temere a librario ad Romanum illud adjectas. Sed vixit circa ejusdem Romani concilii tempora* S. Rogerius Cannensis Episcopus, Baroli urbis *(quæ vulgo* Barletta *appellatur, olim, ut censet Cluverius,* Barduli) *Patronus, cujus Vitam dabimus* XV *Octobris. Verum* Cannarum *nihil nunc præter rudera extat.*

*post urbe Episcopali*

*jam eversæ;*

*eversum ipsum quoque alibi reædificatum.*

2 *Ipsum quoque vetus Canusium postea eversum a Saracenis, ut passim traditur. Quo tempore id factum videatur, infra ad S. Sabini Episcopi Vitam disputabitur. Dein, ex illius forte ruderibus, ædificatum aliud eodem nomine, tribus a veteri illo, amneque Aufido millibus passuum (ut in Topographia Martyrologii scribit Ferrarius) in colle visitur oppidum, vulgo* Canosa, nullo prorsus, *ut ait Leander,* antiquitatis argumento notabile: *conditum tamen, ut infra dicetur, ante Christi annum* CMLXV.

3 *Veteris illius Canusii Antistites, ante S. Sabinum, fuere* SS. Ruffinus et Memor, *quos in Sanctorum numero ab Ecclesia Canusina ac Barensi ab omni retro memoria habitos constat; quo tamen die colantur, nusquam comperimus: quare cum eodem S. Sabino hoc die collocandos duximus. Acta quoque eorum, vel mandata litteris non sunt, vel certe in tot Apuliæ populationibus intercidere.* E

4 Probo *Episcopo Canusino vita functo, (quem a Simplicio Papa ad Leonem Imp. Apostolicæ Sedis Legatum missum esse testatur S. Gelasius Papa ep.* XIII *ad Episcopos Dardaniæ, non* XI, *ut citat Baronius ad annum* 467 *num.* 12.) *huic igitur vita functo suffectus est* Ruffinus. *Quo id anno contigerit, exprimere certo non possumus. Anno Christi* CDXCV, *quo data illa ad Episcopos Dardaniæ a Gelasio epistola est* Viatore V. CL. *Cos. non* Victore, *ut perperam in excusis Conciliorum tomis habetur, jam mortuus erat Probus; nam eum Pontifex* sanctæ memoriæ Probum Canusinæ urbis Episcopum *appellat: an tunc Canusina Sedes vacarit, an eam* Ruffinus *tenuerit, nobis haud constat. Subscripsit Ruffinus Synodo Romanæ primæ sub Symmacho anno Christi* DII, post consulatum Paulini V. CL.: *quia nimirum Joannes Gibbus, qui solus in Oriente Consul erat creatus, nondum Romæ innotuerat Kalendis Martii, quando ea habita synodus est.*

*SS. Ruffini et Memoris natalis et Acta ignota.*

*Obiit S. Ruffinus circa an.* 500

5 *Nec diu post eam superstes fuit Ruffinus: nam synodo tertiæ Romanæ sub eodem Symmacho,* Ruffio Magno et Fausto Avieno VV. CC. Coss. *anno Christi* DII, X Kalend. Novemb. congregatæ, *inter alios* Memor Canusinus *subscripsit: item quartæ, quæ et* Palmaris *appellata,* Flaviano Avieno V. CL. *Cos. an. Christi* F DIII, *et sextæ sub eodem Symmacho. Sedisse* Memorem *Canusii* XIV *annis, ac* DXIV *Christi anno decessisse scribit in S. Sabini Vita cap. 4 Antonius Beatillus noster.*

*S. Memor* 514.

6 *Everso autem, vel certe ab hostibus, insesso Canusio, Barii Sedem illius Antistites fixerunt, suntque Barenses et Canusini Archiepiscopi appellati. Primus utrumque eum titulum* Angelarius *obtinuisse dicitur; quem idem Beatillus in Catalogo Barensium Episcoporum ab anno* DCCCXLV *ad* DCCCLXVIII *utramque illi Ecclesiam administrasse, miseris plane temporibus, cum Saraceni Afri Barium tenerent, sacrorum tamen permissu Antistiti ac civibus publica libertate. Is corpora* SS. Ruffini, Memoris ac Sabini *Episcoporum Barium transtulit, absque tamen pompa ulla ac celebritate, quam nec temporum illorum permittebat fortasse calamitas, et ne miseræ Canusinorum reliquiæ gravius commoverentur, si suos sibi eripi Patronos sentirent. Apud Barenses tamen facti fama permansit: nam Joannes Barensis Archidiaconus in historia Inventionis S. Sabini, quam infra dabimus, scribit Ursonem (qui anno* MLXXIX *ad Barensem Cathedram a Rapullana, Gregorii* VII *auctoritate, Roberti Guiscardi Ducis voluntate, translatus, eam annis novem, mensibus octo tenuit) quæsisse*

*Eorum corpora Barium translata,*

*ut vetus habet fama.*

*sæpius*

A *sæpius a senioribus illius Ecclesiæ Sacerdotibus de veteri altari, quod erat in Confessione, a quo esset Pontifice consecratum, vel cujus Sancti ei impositæ reliquiæ, at nihil quidem tunc certi retulisse: illud tamen subdit:* A suis autem prædecessoribus relatum memoria retinebant, sanctorum Confessorum Memoris et Ruffini, qui olim Ecclesiæ fuerunt Pontifices Canusinæ, corpora recondita conservari. Colloquium itaque inter nos *(nam ipse scriptor jam tunc Archidiaconus erat ab eodem Ursone renuntiatus)* cum eodem Ursone habebatur Archiepiscopo de inquirendis sub prædicto altari Sanctorum istorum corporibus. *Ac deinde Ursonis obitu atque Eliæ successoris consecratione relata, subdit:* Nam prædictus Elias Archiepiscopus cœpit simul ac ut prænotatum est, esse sollicitus de Memoris atque Ruffini Confessorum in altari jam dicto, ut certus esset, requirendis corporibus, non quievit *etc.* D

AUCTORE I. B.

7 *An tamen una cum S. Sabino, etiam illorum reperta corpora sint, non exprimit idem Archidiaconus. Constare ait Beatillus ex variis Ecclesiæ Barensis MSS monumentis, trium illorum Sanctorum corpora simul esse Barium allata; inque uno manu exarato codice ista legi:* Sedit B. Sabinus Episcopus in Canusina Ecclesia annis quinquaginta duobus: cujus corpus ibi requievit usque ad tempora Petri Archiepiscopi primi: et Angelarius ejus successor, destructo Canusio attulit Barum corpus B. Sabini, nec non corpora sanctorum Patrum Memoris et Ruffini Præsulum Sedis Canusinæ.

*ex MSS.*

# DE S. NEBRIDIO EPISCOPO EGARENSI

## IN HISPANIA TARRACONENSI,

### Commentarius historicus.

G. H.

B

SECULO CBR. VI. IX FEBR.

*S. Nebridius Episc. Egaræ urbe Episcopali,*

*Egara urbs Hispaniæ, a Saracenis diruta, Sede olim Episcopali sub metropoli Tarraconensi illustris, cujus situm prope Barcinonem fuisse, persuadet divisio terminorum diœcesium et parochiarum Hispaniæ a Rege Wamba facta, et quidem (testante Garsia Loaisa ex omnium historicorum Hispanorum fide)* in concilio Toletano XI, habito anno regni ejus IV, die VII Idus Novembris, Æra Hispanica DCCXIII *anno Christi* DCLXXV. *In hac divisione, sub metropoli Tarraconensi hæc leguntur:* Barcinona hæc teneat; de Mina usque Pagellam, de Usa usque Bordel. Egara hæc teneat; de Bordel usque Paludera, de Montesa usque Portellam. *Ubi terminus utriusque Sedis constituitur* Bordel. *Distabat autem Egara ab urbe Barcinonensi solum quatuor milliaribus versus Boream, prope oppidum Terracam, sive Terrassam: uti ostendunt instrumenta publica monasterii Terracensis, in quo Ecclesia ad honorem S. Mariæ Virginis Deiparæ anno* MCXII *ab Episcopo Barcinonensi Raymundo Guillelmo consecrato, dicitur* in Comitatu Barcinonensi apud terminum Terraciæ juxta ecclesiam parochialem S. Petri in loco eodem, ubi antiquitus ecclesia Egarensis erat constructa. *Imo anno* MXCVI *Fulchus Episcopus Barcinonensis* consecravit ecclesiam in honorem S. Martini infra terminos S. Petri Egarensis ecclesiæ: cui ipsa ecclesia ab antiquo tempore erat subdita, salvo in omnibus jure Egarensis ecclesiæ: *uti his verbis ex antiquis instrumentis ostendit Franciscus Diagus lib. 1 de Comitibus Barcinonensibus cap.* 17.

*sub metropoli Tarraconensi,*

*4 milliaribus Barcinone,*

*juxta Terracam,*

C

2 *Hæc certiora sunt, quam quæ traduntur in adversariis Luitprandi, ubi num.* 68 urbs, quam Gothi corrupte vocaverunt Egaram, *a Latinis dicitur* appellata Baseda in Castellanis, cujus meminit Ptolemæus, *scilicet lib.* 2 *cap.* 6. *et num.* 87 *dicitur* Egara tempore Maurorum vocata Beseda, vel Bosque de Malatesta: *et num.* 65 *traduntur* ruinæ Egaræ, civitatis tempore Gothorum amplissimæ, videri in fine Laletaniæ prope civitatem Basium, et exortum fontesque fluminis Clodiani. *Verum hic fluvius secundum Ptolemæum, prope montes Pyrenæos apud Indigetes populos exortus, non procul a Rhoda, vulgo Rhoses, oppido istic adhuc maritimo, in mare delabitur. Est autem Barcino urbs Læetanorum, qui Luitprando aliisque Laletani, ubi ad amnem minorem, qui mox in* Rubricatum *fluvium, vulgo* Lobregat, *illabitur, adjacet dicta supra Terraca juxta ruinas, ut diximus, urbis Egarensis. Nam ut additur in eisdem Luitprandi adversariis num.* 69, Æra Cæs. DCCLXIX, *id est anno Christi* DCCXXXI, Joannes Egarensis, destructa civitate sua, vix evasit, senex et confectus senio, peregre profectus est alio. *Subscripsit Concilio Toletano* XIII, *Æra* DCCXXI, *an. Ch.* DCLXXXIII, Samuel Presbyter agens vicem Joannis Episcopi Egarensis: *ipse vero interfuit Conciliis Toletanis* XV, *et* XVI, *Æra* DCCXXVI *et* DCCXXXI, *id est annis Chr.* DCLXXXVIII *et* DCXCIII. *Sed Hispania, occisa in prælio Roderico Rege, venit in potestatem Saracenorum anno Chr.* DCCXIV: *ab eisque secundum Diagum lib.* 1 *cap.* 18 *occupata est Barcino anno* DCCXVII; *ut vel eo tempore Egara videatur destructa: cujus Sedes Episcopalis deinceps Barcinonensi unita, sub ejus correctione, sine juris ipsius præjudicio, hactenus persistit.*

*prope fluvium non Clodianum*

*sed Rubricatum,*

E

*destructa a Saracenis seculo 8*

*Sede Barcinonensi unita.*

3 *Oblitterata urbis Egaræ memoria, et quasi ruinis defessa, in quam plurimos abitum est errores, dum varios S. Nebridio Episcopatus diversi attribuerunt. Carolus a S. Paulo in Geographia sacra inter antiquos Hispaniæ Episcopatus, quorum Sedes incertæ sunt, ita scribit pag.* 189: Agraga civitas Hispaniæ Episcopalis libro Conciliorum, cum Nebridius Agragensis Episcopus Concilio Toletano II hujus regionis Præsulibus subscriptus annumeretur, sed qua in provincia extiterit, ne quidem suspicari possum. *At Stephanus Garibaius lib. 8 compendii historialis Hispaniæ cap.* 16 *scribit:* Nebridius Episcopus Agragensis dicitur, Sedemque in Africa habuisse, alii Agrabiensem vocant: est enim hæc Beticæ civitas, vulgo Cabra, quæ illo ævo erat Episcopalis.

*Non fuit S. Nebridius Episc.*

*Agragensis in Hispania*

F

*aut Africa; non Agabriensis in Bætica:*

4 *Alii in Gallia Narbonensi, tunc Gothis subjecta, ejus Episcopatum statuunt: ita Ambrosius Morales lib.* 2. *Chronici generalis Hispaniæ cap.* 49. Semper, *inquit,* illis temporibus floruerunt in Hispania viri eruditione eminentes: inter quos excelluerunt sanctitate, doctrina et dignitate quatuor fratres, qui circa id tempus fuerunt omnes habiti illustres ob scientiam ac virtutem, et Episcopali dignitate honorati.... Eorum unus Nebridius videtur *certo* Episcopus Agathensis fuisse: ita Conciliis subscriptus, Vasæi etiam judicio, quod ea Galliæ civitas Gothis esset subjecta, ut constat ex concilio in ea urbe habito. *At Vasæus in Chronico ad an. Ch.* 540 Nebridium *appellat* Episcopum Agragensem, *additque* interfuisse Concilio Toletano II. *Mariana noster lib.* 5 *de Rebus Hispaniæ cap.* 7 *agit de quatuor hisce fratribus Episcopis: et de Nebridio isthæc ambigue pronuntiat:* Nebridius Agathensis Præsul in Gallia Gothica vixit, Loaisa Egarensem Episcopum vocat. *Marianam describit Miræus de scriptoribus Ecclesiasticis ad caput* 21 *Isidori Hispalensis infra proferendum. Joannes Marieta, lib.* 5 *de Sanctis Hispaniæ cap.* 13, *enumerat eum inter Confes-*

*non Agathensis in Gallia Narbonensi,*

*sores*

AUCTORE G. H. *neque Agennensis in Aquitania.*

A *sores Pontifices sub hoc titulo:* De S. Nebridio Episcopo Agathensi, *ac deinde hæc tradit:* Nebridius frater duorum Sanctorum, Justi et Justiniani: et, ut asserit Vasæus, fuit Episcopus Agenni urbe Gallica in provincia Aquitaniæ. De hoc Sancto agunt S. Isidorus et Abbas Trithemius. Præterea Frater Alphonsus Venerus in Enchiridio, ac Beuterus, et alii, qui de Sanctis scribunt, mentionem etiam hujus faciunt dicentes Sanctum fuisse, licet plura de eo non referant. *Alii Episcopatus ei plures attribuunt. Franciscus Padilla tomo 2 historiæ Eccl. Hispaniæ centur.* 6 *cap.* 22 *hunc præponit titulum.* De quatuor sanctis Episcopis S. Justo, S. Justiniano, S. Nebridio et S. Helpidio, qui fratres fuerunt ex Hispania oriundi, atque in ea illis temporibus floruerunt. *Et de sede Episcopali S. Nebridii post multa ita statuit.* Potest, antequam Episcopus Agathensis fieret, Egarensis fuisse.

*neque Egaram Agatham migravit.*

5 *Diagus lib.* 5 *Annalium regni Valentiæ cap.* 4, *et Tamaius Salazar in Martyrol. Hispan. ad hunc diem, tradunt* primam S. Nebridii Sedem fuisse Bigerrensem in Gallia; quam ob bellorum inter Alaricum Gothorum, et Chlodoveum Francorum Reges exortas processas, destructa et depopulata urbe et provincia, dimisit, et in Egarensem urbem Hispaniæ Episcopalem secedens, ipsius Ministri titulo appellatus, regimen Diœcesis acceptavit. *Hæc illi, quæ nobis minus probantur. Titulum Ministri in Tarraconensi Concilio, anno* XI *Theoderici Regis, Consulatu Petri, Æra* DLIV, *anno Chr.* DXVI *habito, ita sibi apponit in subscriptione:* Nibridius in Christi nomine, minimus Sacerdotum, constitutionem sanctorum canonum subscripsi, sanctæ Ecclesiæ Egarensis Minister. *Ita edidit Garsias Loaisa in Collectione Conciliorum Hispaniæ ex codicibus antiquis MSS. litteris Longobardicis etiam cum Gothicismis exaratis. Ast in Conciliis sæpius recusis ex collectione Petri Crabbæi, Laurentii Surii, Severini Binii, et quæ auspiciis Sixti* V *Pontif. Max. edita, ita legitur:* Nibridius in Christi nomine minimus Sacerdotum, Ecclesiæ ✝ Egarensis Minister, constitutionem sanctorum Canonum subscripsi. *En ubique constans lectio de* Egarensi Ecclesia, *forte tamen, ut alii* Agragensem, Agathensem, *aliasque substituerunt Episcopatus, ita nonnemo cum conjecturæ locus videretur, opposuerit margini nomen* Bigerrensis Ecclesiæ, *quam ex Conciliis ante excusis a Loaisa margini adscriptam male conjecit Diagus in MS. Toletano haberi, eamque dici* Bigerræ in Languedocia Episcopum; *non advertens in Notis a Loaisa dici* in hac subscriptione Egarensis Ecclesiæ consentire omnes codices MSS. *Verum esto; substituantur hæc verba,* Ecclesiæ Bigerrensis Minister, *non inde conficietur, ex Episcopo Bigerrensi factum esse Ministrum Ecclesiæ Egarensis, sed potius contrarium. Quæ a Tamaio Salazario expressa urbs Bigarra, est* Begorra *urbs apud Gregorium Turonensem lib.* 9 *histor. Franc. cap.* 20 *sed tum pro Apro Episcopo* Bigorritanæ civitatis *subscripsit* Concilio Agathensi Ingenuus Presbyter, anno XXII Alarici Regis, *qui anno sequenti a Chlodoveo acie victus occubuit. Est hic Episcopatus in Novempopulania sive Aquitania* III, *cujus Sedes hoc tempore est in urbe Tarbensi ad Atyrum fluvium. Aliam urbem Episcopalem in Gallia Narbonensi, a posteris Languedociam dicta, indicare valuit Diagus, Biterensem credo, seu Biterrensem, vulgo,* Bezers: *sed quo argumento conjicit urbem illam a Chlodoveo Rege destructam fuisse, vel certe in silentio antiquorum scriptorum nequimus probare.*

B

*Non relicta Bigerra venit ad Egaram,* ✝ *Bigerrens.*

*hujus Ecclesiæ Minister factus*

C

*sive Bigorra est in Novempopulania.*

*sive Biterra in Languedocia.*

6 *Subscripta est Synodus Gerundensis anno* VII *Theoderici Regis, Agapeto Consule, Æra* DLV *an. Chr.* DXVII, *cui* Nibridius in Christi nomine Episcopus subscripsit, *sed Sede in nullo Episcoporum subscribentium indicata. Iterum in Concilio Toletano* II *Æra* DLXV, *anno Regis Amalarici* V, *Christi* DXXVII *habito, hæc leguntur:* Nibridius in Christi nomine nostræ Ecclesiæ Egarensis Episcopus hanc constitutionem Consacerdotum meorum in Toletana urbe habitam, cum post aliquantulum temporum advenissem, salva auctoritate priscorum canonum, relegi, probavi, et subscripsi. *Ita ex eisdem Codicibus MSS. Loaisa, cum in excusis ante indicatis libris legeretur* Episcopus Agragensis: *quod supra improbavimus. Monet idem Loaisa in Notis in Concilium apud Lucum habitum, se reperisse in MS. ubi agitur de Episcopatuum limitibus,* Exaram, *non* Egaram, *appellatam: unde conjiciebat* Gea de los Cavalleros *prope Cæsaraugustam esse. Loaisam sequuntur Gaspar Escolanus lib.* 2 *Historiæ Valentiæ cap.* 9 *num.* 3, *et Padilla tomo* 2 *Hist. Eccl. Hispaniæ centuria* 6 *cap.* 22 *Verum ex supra relatis ea sententia plane corruit: et constans aliis in locis lectio* Egaræ *prævalet.*

*subscribit aliis Conciliis.*

D

*Egara perperam in Aragonia constituitur.*

7 *Tamayus Salazar e Sede Egarensi ad Barcinonensem evectum fuisse S. Nebridium tradit in Actis ejus a se adornatis.* Ergo, *inquit,* beatus vir his bonis operibus et doctrinæ spiritu plebem instruens Catholicam, talem de se omnibus præbuit sanctitatis odorem, ut transactis aliquot annis, ejus suffragantibus meritis, e vivis sublato Episcopo Barcinonensi, ad illius Cathedram urbis Præsul inclytus translatus est. Illo igitur Sedem istam moderante, Sergius Tarraconensis Ecclesiæ Episcopus, et provinciæ Metropolita, alteram apud Barcinonem Synodum congregavit anno Domini DXL, qua decem Canones sunt decreti, ubi beatus vir in ipsis proponendis, et ordinandis, singulari qua præditus doctrina erat, mirum in modum laboravit. *Canones Barcinonenses solum reperit Loaisa in codice Hispalensi scripto anno Chr.* DCCCCLXII: *quibus hoc præfigitur exordium:* Cum convenissent in Dei nomine Barcinona sancti Episcopi, id est, Sergius Metropolitanus, Nibridius Barcinonensis, Casonius Empuritanus, Andreas Ilerdensis, Stafilius Gerundensis, Joannes Cæsaraugustanus, Asellus Dertosanus, hæc observanda statuerunt. *Deerat huic Synodo character temporis, qua habita fuit; quare adjecit Loaisa Æram* DLXXVIII, *qui est annus Chr.* DXL *a Tamayo Salazario indicatus. Contra Diagus lib.* 1 *de antiquis Comitibus Barcinonensibus cap.* 17 *Synodum illam habitam tradit seculo Christi septimo, ac Nebridium illum successisse Episcopo Emilæ, qui subscripsit Concilio Egarensi Æra* DCLII, *anno Sisebuti Regis* III, *Christi* DCXIV: *additque supra nominatum Joannem Episcopum Cæsaraugustanum fuisse fratrem ac decessorem S. Braulionis. Subscripsit hic Conciliis Toletanis* IV, V, VI, *habitis Æra* DCLXXI, DCLXXIV, *et* DCLXXVI, *id est annis Chr.* DCXXXIII, DCXXXVI, *et* DCXXXVIII *Præfuit S. Braulio Ecclesiæ Cæsaraugustanæ viginti fere annis, et colitur* XXVI *Martii. Demus tamen Synodum eam habitam anno Chr.* DXL, *non continuo inferri potest, unum eumdemque Nebridium fuisse, ante Egarensem, tunc Barcinonensem Episcopum.*

*Non videtur ea relicta factus Episc. Barcinonensis.*

E

F

8 *De S. Nebridio et fratribus agit Isidorus Hispalensis de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 20 *et* 21 Justinianus, *inquit,* de Hispania Ecclesiæ Valentinæ Episcopus, ex quatuor fratribus et Episcopis eadem matre progenitis unus, scripsit librum Responsionum ad quemdam Rusticum.... Justus Urgelitanæ Ecclesiæ Episcopus Hispaniarum, et frater prædicti Justiniani, edidit libellum expositionis in Cantica canticorum.... Hujus quoque fratres Nebridius et Elpidius quædam scripsisse feruntur, e quibus quia incogniti sumus, magis reticenda fatemur. *Hæc Isidorus, qui quod capite præcedenti egisset de Facundo Afro, hic Justinianum de* Hispania *oriundum scribit, ut plerique passim interpretantur. Tempus indicat, agens de Justiniano, quem ait floruisse* in Hispaniis, temporibus Theudæ Principis Gothorum: *qui anno* DXXXI *Amalarico successit. Sub Amalarico collocantur quatuor* hi

*S. Nebridii et fratrum trium Episcoporum meminit S. Isidorus Hispal.*

*Julianus in Chronico.*

A *hi fratres Episcopi, in Chronico, quod Juliano Archidiacono adscribitur, ubi hæc leguntur num. 272 et sequentibus:* S. Montanus sub Amalarico habet Concilium Toleti. Justinianus Episcopus sanctus, qui interfuit Concilio Valenti in Hispania, scripsit ad Rusticum Antistitem. Florent hic Elpidius frater Nebridii, Episcopus Lugdunensis, et sanctus Pontifex Nebridius Egarensis in Hispania. *Hæc ibi. Habitum fuisse illud Concilium Toletanum anno* DXXIII, *et subscripsisse S. Nebridium, supra diximus. Alterum vero Valentinum celebratum est Æra* DLXXXIV, *anno Theudii Regis* XV, *Christi* DXLVI; *ac legitur subscripsisse* Justinus, *qui hic* Justinianus *est. De Elpidio Episcopatu Lugdunensi major controversia est. Præfuit huic Sedi S. Helpidius, sive Elpidius, sed secundum omnes Episcoporum tabulas integro seculo senior, de quo agemus cum Martyrol. Romano* 11 *Septemb. et de S. Justo Episcopo Urgellitano* XXVIII *Maii. Ast* omnes quatuor fratres *fuisse* Doctores, Episcopos, ac Sanctos, atque ejusmodi haberi in Ecclesia Hispanica *tradit Gaspar Escolanus lib.* 2 *historiæ Valentiæ cap.* 9 *num.* 6. *Eosdem etiam* sanctos quatuor fratres *appellat Diagus lib.* 3. *Annal. regni Valentiæ cap.* 4.

*S. Nebridii nomen in Martyrol. Hispanico.*

9 S. Nebridium V *Idus Februarii Martyrologio*
B *Hispanico inscripsit Tamayus Salazar his verbis:* Egaræ in Hispania citeriori, S. Nebridii ipsius urbis Episcopi qui frater germanus SS. Justiniani Valentinæ, Justi Urgellitanæ, et Elpidii Lugdunensis in Gallia Sedium Pontificum, primo Biguerrensem in Aquitania cathedram ascenderat: qua excisa, Egarensis infulas induit, vir litteris et sanctitate conspicuus

D (cujus elogium una cum fratrum recordatione concinnavit B. Isidorus) plenus dierum ac virtutum, Confessor inclytus obdormivit in Domino. *Hæc ibi. Biguerrensem Cathedram supra excussimus. Addit in Notis diem transitus suppeditasse Martyrologium Hispanum Hieronymi Romani de la Higuera nondum editum, in quo sic legitur:* Egaræ prope Cæsaraugustam Aragoniæ S. Nebridius, qui fuit Episcopus Agathensis in Gallia, post Egarensis, frater sanctorum Episcoporum Justiniani, Justi et Elpidii, quorum meminit S. Isidorus: fuit Prælatus insignis, doctus et sanctus, quievit in Domino V Idus Februarii anno DXLV. *Hæc ille. Egaram Hispanice vertit* Gea de los Cavalleros cerca de Zaragoza de Aragon, *quod supra cum Episcopatu Agathensi rejecimus. Idem Tamayus Salazar allegat* codicem MS. litteris pervetustis exaratum, cujus originale autographum beneficio Thomæ de Herrera accepit, in quo per alphabeti ordinem continentur Acta Sanctorum Hispanorum, *et hæc referuntur verba:* Isidorus noster, a quo Spanhemensis, agit de quatuor sanctis Episcopis Hispanis: quorum nomina sunt hæc. Nebridius, qui fuit natu major, aliquos Episcopatus in Gallia et Hispania accepit, ut in Conciliis videre est. Ejus memoria colitur V Idus Februarii, qui ad annum DXLV pertigit,
E sed non excessit. *Hæc ibi. Est autem Spanhemensis Abbas* Trithemius, *qui sub initium seculi* XVI *maxime floruit, et in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum* DXL Nebridium *et* Elpidium *appellat* viros doctos et eruditos, qui varia conscripserunt opuscula, quæ tamen ad manus minime pervenerunt, *ut ipse fatetur.*

# DE S. TELLIAO, sive ELIUD.

## EPISCOPO LANDAVENSI IN WALLIA,

## Commentarius prævius.

J. B.

### § I. S. Teliai, secundi Landavensis Episcopi, ætas.

*CIRCITER AN. CHR. DLX, IX FEBR.*

Taffus *est amnis, sive* Tafus, *in ea Angliæ ora, quæ ad occasum vergens, ab veteribus vetusta Britannis,* Wallia *nunc appellatur: is Glamorgancensem rigat provinciam; a Ptolemæo* Ratostathybius, *aut (ut alii legunt)* Ratostabus *dictus: quod*
C *vocabulum Cambdenus ex Britannico* Trait-Taff, *(id* Sabulosum Taffi æstuarium *significat) conformatum censet. Ad hoc flumen* Landavia *jacet, urbecula tenuis illa quidem ac situ humili, cathedrali tamen Ecclesia insignis, ab hac, simulque flumine sortita nomen; sonat enim* Landaf, *ut Giraldus scribit in Itinerario Cambriæ lib.* 1 *cap.* 7 *Ecclesia* sita super Taf fluvium.

*Landavia civitas episcopalis Walliæ:*

*primorum ejus Episcoporum obscura Chronologia.*

2 *Ecclesiæ huic qui primi tres leguntur præfuisse Antistites, sanctimonia conspicui, Cælitum adepti honores sunt;* I Dubricius XIV *Novembris colitur,* II Telianus IX *Februarii,* III Oudoceus II *Julii. Verum ætatem eorum exacte ordinare perdifficile est. Magnum quippe chaos Britannorum gentis historiæ offusum, ob monstrosas fabulas vulgaribus Chronicis intextas, quas alioquin Galfridus Monumethensis, dum hæc in Latinum sermonem transfert, visus est affirmasse. Et propterea, dum Britannorum Sanctorum gesta recognoscimus, videatur nobis quandoque ignotum pelagus nocte obscura pererrare, nusquam vel Luna, vel ulla stellarum earum quæ nautarum regere cursum solent, lucem præbente; nulla, inquam, aut ab ortu Christi ducta Æra, aut Consulum, Cæsarum, celebriumve Regum nominibus insignito calculo, temporum rationem distinguente. Unus est Gildas, qui sui ævi Regulos aliquot commemorat, eodem tempore in diversis occiduæ Britanniæ provinciis dominatum, eumque sane violentum, exercentes: quos*

*[illegible] Britannicorum SS.*

*ipsos tamen alii, prorsus inscite, statuunt universæ insulæ imperitasse. Sanctorum (nam horum saltem nomina pleraque ac publica veneratio dedita posteris) rarissima sunt acta a coætaneis consignata scriptoribus; pleraque ex fama, fricolas sæpenumero affingente licentius, scripta, aut mendose interpolata. Verum alios fortassis, quæ nos modo implicant, sese difficultas expediet. Et vero si ubique omnia enodare velimus, immensum et nobis laborem sumeremus, et asseremus fortassis tædium legentibus.*
F

*S. Dubricius a S. Germano consecratus an. 449*

3 *Existimant multi (et nobis quoque satis probabile videtur)* S. Dubricium *a S. Germano Autissiodorensi, cum circiter annum* CCCCXLIX *in Britanniam, ad Pelagianæ hæresis extirpandas reliquias, secundo venit, Episcopum esse ordinatum, aut saltem Presbyterum, Magistrumque constitutum cum Iltuto Catholicæ doctrinæ. Provisum enim tunc Germani ac Severi Trevirensis Episcopi diligentia et cura illud est, quod Beda lib.* 1 *Eccles. hist. gentis Angl. cap.* 21 *scribit:* factum nempe ut in illis locis multo ex eo tempore fides intemerata perduraret. *Nam quod posteriores quidam tradiderunt, sæpius repullulasse lolium illud infelix immenso auctu, vereor ne confictum sit. Quæ enim prius Britannos adegerat necessitas, Beda teste, ut a Gallicanis* Antistitibus auxilium belli spiritalis inquirerent, *quod* versutiam nefariæ persuasionis refutare verbis certando, *minime* sufficerent; *ea deinceps nulla fuit, cum non solum religio, sed et bonæ litteræ sedulo colerentur. Qua in re Dubricii potissimum ac discipulorum ejus desudasse industriam, ex plerorumque Britannicorum Sanctorum Actis constat.*

*dein Archiepiscopus Carlegionensis factus,*

4 *Hic postea archiepiscopus renuntiatus, throno in Carlegionensi urbe locato. Jacet ea ad* Iscam, *sive* Oscam *fluvium, qui Monumethensem provinciam intersecat,*

AUCTORE J. D.

A secat, inque Sabrinæ æstuarium evolvitur; et ipsa Isca appellata, Britannis Caer Leon, et Caer Leon ar Usk, id est, urbs Legionis ad Iscam, a legione II, quam istic locat Antonini Itinerarium. Splendida olim fuit, ut ex Giraldi Itinerario Cambriæ lib. 1 cap. 5 patet, exiguum nunc oppidulum. Qua ratione hic Archiepiscopus factus Dubricius sit, nullus solide docet. An cum primitus Landaviæ Cathedram obtinuisset, Carlegione postea domicilium fixit, ut Procerum voluntati pareret, populorumve commodis consuleret? An potius fuerat antea Carlegione, urbe juris operisque Romani, Antistes, eique demortuo ibi suffectus est Dubricius, ut tamen suam Landaviam dimittere noluerit; cum præsertim non ita dissitæ essent, quin facile in unam posset diœcesim coalescere aut unius cura Antistitis administrari? Neque enim verisimile est, eam Britanniæ oram, Romanis nobilitatam præsidiis, excultam disciplinis, Episcopis caruisse. Imo Caerlegionensis Episcopatus principia quidam inde a Lucii Regis temporibus accersunt. Plerique Britannici scriptores fuisse saltem ab antiquo illic Episcopalem Cathedram asseverant, ut III Februarii ad S. Wereburgæ Vitam § 2 num. 5 retulimus. Sunt qui et Landaviæ ante Dubricium fuisse Episcopos velint, licet sit eorum penitus obliterata memoria.

*forte non primus,*

B

5 Quidam Dubricium suspicantur, Landavia Iscaque S. Teliao relicta, Meneviam archiepiscopale solium transtulisse, ac S. Davidi reliquisse. Est ea urbs in Penbrokiæ Comitatu, ad promontorium, quod Ptolemæus Ὀκταπίταρον ἄκρον appellat, sita, vulgo nunc S. Davidis dicta. Probabilius videtur, mortuo, vel ob senium inhabili ad onus ferendum, Dubricio, Telianm Landavensi Ecclesiæ regendæ admotum, Carlegionensi Davidem; sed hunc Meneviam demigrasse, Archiepiscopa tamen retento titulo ac munere: aut certe Meneviæ Episcopum factum superstite adhuc Dubricio, eo mortuo Archiepiscopum Cambriæ habitum, favore Arturi Regis, cujus dicitur avunculus fuisse. Giraldus et alii, in synodo quadam, ex Dubricii destinatione, Cambriæ Archiepiscopum factum esse Davidem scribunt, ipsiusque id tradit Vita Davidis; sed, ut alia omittam, id eo parum digna fide, quod CXVIII interfuisse Episcopos ei synodo tradit.

*2 Landavensis S. Telians,*

6 Ipse tamen S. Telians Archiepiscopus reperitur appellatus: quod haud sane mirum, si, ut habent catalogi quidam, post mortem S. Davidis, aut etiam successoris ejus Kenaci, Menevenses capessivit insulas. Verum ii catalogi, a Godwino recitati, non magnam obtinent auctoritatem: et alter quidem velut diversos recenset Eliud et Telianum, qui unus atque idem fuit. Alii volunt, cum reversus ex Armorica, Hismaelem, sororis suæ filium Meneviæ Episcopum consecravit, sibi Carlegionem retinuisse ac suæ Sedi univisse, assumpto titulo Archiepiscopatus. Alibi fortassis quæremus, an non qui Eliud Menevensis Episcopus, Sampson fuerit, quem aiunt Dolum in Armoricam migrasse, ablato secum Menevia Pallio archiepiscopali. Sane, ut Telians infra in Vita Eliud dicitur nuncupatus, quasi ἥλιος id est, sol; Sampsonis fortasse sic efformatum est nomen, eodem Hebraice vocis significatione. Affectasse enim ejusmodi nomina veteres illos Britannos ac Scotos, argumento sit Hy insula, Jona deinde dicta, quod Hebraice columbam significat, quia S. Columbæ Pictorum Apostoli sedes. De S. Sampsone agemus ad XXVIII Julii.

*Archiepiscopus et ipse appellatus,*

C

ANIMADV. PAP. 52

7 At S. Telianm Archiepiscopum volunt multi fuisse, non tamen Menevensis, aut Legionensis, sed Landavensis Ecclesiæ ejusque posteros a Cantuariensi Metropolita consuevisse initiari, ab omni Menevensium jurisdictione exemptos. Ad eam rem facit illa Urbani Landavensis Episcopi ad Callistum II Papam in concilio Remensi anno CIↃCXIX facta denuntiatio, quam Jacobus Usserius de Britannicarum Eccles. primordiis pag. 85 ex Regesto Landavensi recitat: A tempore antiquorum Patrum (dilectissime Pater et Domine) sicut chirographum sancti Patroni nostri Teiliavi testatur, hæc Ecclesia, prius fundata in honore S. Petri Apostoli, aliarum omnium Ecclesiarum Gualiæ semper magistra exstitit in dignitate, et in omni privilegio *etc.* *Idem paullo post Usserius privilegium quoddam refert a Mourico Glamorganiæ Rege, S. Theodorici filio S. Oudoceo Teliai successori datum, in quo mentio fit* familiæ SS. Dubricii et Teliavi Ecclesiæ Landavensis; *ac demum ista habentur*: Sicut Romana Ecclesia excedit dignitatem omnium Ecclesiarum Catholicæ fidei, ita Ecclesia illa Landavia excedit omnes Ecclesias totius dextralis Britanniæ in dignitate, et in privilegio et in excellentia. *Sed ea postmodum excellentia non Landavensi solum sed et Menevensi Ecclesiis abrogata est.*

*etiam titulo Landavensis Ecclesiæ,*

D

*quæ aliquando princeps et magistra Wallicarum:*

8 *Nunc de ætate* S. Teliai *breviter dicemus.* S. Dubricium *quidam aiunt anno Æræ vulgaris* DXII *esse mortuum: alii probabilius*, DXXII. *Usserius in Indice Chronologico* S. Paternum *an.* DXVI *ex Armorica Britannia in Cambriam venisse conjectat: eum deinde et SS. Davidem ac Telianm an.* DXVIII *Hierusolymam profectos, ibique Episcopos ordinatos: anno* DXXII *obiisse Dubricium; Sedem Landavensem Teliao collatam, Legionensem Davidi, qui eam transtulit Meneviam, aut hanc illi prælabuit, retento archiepiscopali titulo: deinde an.* DXLIV *decessisse; cui tamen alii longiorem vitam tribuunt* S. Paternum *an.* DXLI *Venetensibus in Armorica infulis admotum,* DLVII, *obiisse, idem annotat Usserius: nos de Paterno plenius ad* XVI *Aprilis.*

*ordinatus an. 518*

E

*Sedem adeptus 522,*

9 *Telianm idem Usserius an.* DLXXXVIII, *grassante in Cambria morbo epidemico, cum multis Clericis concessisse in Armoricam scribit: anno* DXCVI *inde reversum, comitante Oudoceo Budici Regis filio: anno* DXCVII, *mortuo Kenoco, sive Cenauco, S. Davidis successore, Legionensem sibi Ecclesiam sumpsisse, Menevensi Antistitem ordinasse Hismaelem: anno demum* DCIV *obiisse. Verum cur ita longævus dicatur fuisse, caussam non videmus; cum nec ab antiquis id scriptoribus tradatur, qui de quibusdam aliis diserte illud exprimunt; et Budicum Regem multo antiquiorem fuisse Armorici scriptores referant, quam ut ejus filius Oudoceus post annum demum* DC *in Cambria Episcopus factus credatur.*

*non videtur ad an. 604 vixisse,*

10 *Henricus Spelmannus in Conciliis Britannicis* ex veterrimo *(ut ait)* MS. Landavensis Ecclesiæ, *habitam Landaviæ circiter annum Domini* DLX *synodum memorat, in qua Oudoceus Episcopus* excommunicavit Regem Mouricum propter homicidium ab eo perpetratum, et propter pactum factum præsentia sua, et super altare Petri Apostoli et SS. Dubricii et Teliavi, transgressum. *Si habita eo tempore illa synodus est, jamque altaria erant* S. Teliai *honoribus dicata; non igitur* XL *post annis adhuc fuit in vivis.*

*cum multo ante inter SS. habitus putetur:*

F

11 *Quæ præcipue nonnullos ratio movet, ut serius decessisse* Telianm *putent, ea est, quod qui illi successit, filius sororis ejus, Budico Regi Armoricæ nuptæ, Oudoceus, initiatus dicatur ab Archiepiscopo Doroberniæ, qui non alius excogitari potest, quam S. Augustinus: hic autem anno primum* DXCVI *in Angliam venit. Verum id ex sui ævi more scriptor, quisquis ille demum fuit, tradidit litteris: quia enim Menevensis Archiepiscopi nullam in se auctoritatem agnoscebat Landavensis, ideoque ab Archiepiscopo Cantuariensi, sive Dorobernensi, inaugurari se poscebat: existimavit, ut illud, ita et hoc, a S. Oudoceo facto manasse. Sed qui adire Cantuariensem per medios hostes Oudoceus potuisset? qui id tulissent ejus populares internecino odio ab Anglis dissidentes? Prius in Armoricam reor, quam in Cantium, ordinationis caussa iturum fuisse. Videtur ergo, quod* IX *Februarii ad Vitam S. Liephardi indicavimus, in Cambria fuisse aliquos qui se Dorovernensem Episcopum ferret, alius qui Londoniensem, qui Eboracensem, etsi ob tyrannidem Anglorum, neque ipsi, neque ipsorum*

*nec ejus successor a S. Augustino Dorobernensi ordinatus*

A *ipsorum grex (saltem universus) avitas sedes incolerent, quia spem tamen fovebant ad eas revertendi. Inauguratus igitur fortassis ab ejusmodi extorri Antistite, titulum sibi tamen Doroverneusis Episcopatus vindicante.*

*mortuus videtur S. Teliaus circa an. 560.*

12 *Probabilius igitur censemus,* S. Teliaum *paullo ante annum Christi* DLX *mortuum esse : idque ex iis, quæ deinceps dicentur de Maglocuni ætate, aliorumque, dilucidius patebit. Harpsfeldius circa annum* DXL *floruisse scribit : Hieronymus Porterus obiisse an.* DLXIII.

## § II. *S. Teliai Vita : res gestæ ante episcopatum.*

*Vita ejus ex Capgravio :*

*alia a Galfrido ante 500 annos scripta.*

E*xtat* S. Teliai *Vita in Joannis Capgravii Legendo, ab imperito scriptore composita : quam tamen hic dare cogimur, quia, accuratius scripta non suppetit. Aliam citat Usserius pag.* 83 *his verbis :* Extat Vita illius a Galfrido, Urbani Landavensis Episcopi fratre, circa annum Domini CIↃCXX conscripta, et Ecclesiæ illius Regesto, (quod ab hoc Præside, sicut et ipsa Sedes Landavensis, TEILO appellatur) tacito scriptoris nomine, inserta : ubi Dubricio in Landavensi archiepiscopatu successise : defuncto Davide, Ismaelem, Dubricii discipulum, illius loco Menevensem Episcopum consecrasse, ac principatum super omnes Ecclesias B totius dextralis Britanniæ tenuisse traditur. *Ita ille, promitque ex eodem Regesto multa quæ de S. Teliao aliisque Sanctis memorat, uti et Goduinus, prætermissa, aut negligentius conscripta, apud Capgravium. Visum hic obiter ea annotare.*

*Illustri genere ortus.*

14 Teliaus, *inquit Goduinus,* nobilissima prosapia ortus dicitur in loco Eccluis Gunnian antiquitus nuncupato. *Soror ejus* Anaumeda *Budico Britonum Armoricorum Regi nupta, mater SS. Oudocei, Ismaelis, Tysei. Anaumedæ autem parentes (idemque, aut alter saltem, Teliai) fuerunt* Ensic et Guenhaf filia Linonvi, *ut infra dicetur. Usserius pag.* 76, *nullo tamen citato auctore,* Teliaum *ait S. Davidis Menevensis sorore natum.*

*sacras litteras docetur a S. Dubricio,*

15 *Ut primum per ætatem altiorum disciplinarum capax fuit Teliaus, S. Dubricio traditus est, iis imbuendus, sed potissimum pietate. Ita S. Dubricii Vita apud Usserium pag.* 445. Crevit illius fama cum utriusque Legis novæ et veteris peritia per totam Britanniam, ita quod ex omni parte totius Britanniæ scholares veniebant. Non tantum rudes, sed etiam viri sapientes et doctores ad eum studendi caussa confluebant ; in primis S. Theliaus, Sampson.... Et cum his mille Clericos per septem annos continuos in C podio Hentlan super ripam Guy, in studio litterarum Divinæ sapientiæ et humanæ retinuit, exemplum eis præbens in semetipso religiosæ vitæ et caritatis perfectæ. *Illud porro animadvertendum, recenseri primo loco* inter sapientes et doctores *Theliaum, quasi is ætate ceteris, etiam forte Sampsoni, anteierit, vel prior in Dubricii disciplinam se dediderit. Quam non igitur congruunt quæ idem Usserius scribit anno* CCCCLXIX *in gymnasio illo Hentlaniano ad* Guy, *sive* Wye, *aut* Vagam *flumen, navasse operam studiis Teliaum, eumdemque anno* DCIII *obiisse ?*

*et ipse alios eas docet*

16 *Litterarum sacrarum scientia excultus Teliaus, easdem tum populis e suggesto, tum in schola discipulis videtur tradidisse. Studium certe quidem religionis amplificandæ inde patet, quod sororem ad regnum, e quo pulsus maritus fuerat, abeuntem permovit, ut quam gestabat utero prolem, si mascula esset, Divino cultui addiceret, uti jam duos filios addixerat, et fortassis ejusdem fratris sui disciplinæ commendarat. Descripsit hoc ex eodem Regesto Usserius pag.* 561. Fuit vir Budic, filius Cybsdan, natus de Cornugallia ; qui in Demeticam regionem, tempore Aircol Lauhir Regis ejusdem regni, venit cum sua classe, expulsus patria sua. Cui cum moraretur in patria, accepit sibi uxorem, Anaumed nomine, filiam Ensic, (mater autem



illius Guenhaf, filia Linonvi :) de qua Anaumed nati sunt sibi Ismael et Tyfei Martyr jacens in Pennalun. Qui cum moraretur in patria, missis legatis ad eum de nativa sua regione Cornugallia, ut sine mora, cum tota sua familia et auxilio Britannorum ad recipiendum regnum Armoricæ gentis veniret : defuncto Rege eorum illum volebant recipere, natum de regali progenie, facto ab illis consilio uno ore. Audita legatione et accepta, affectuose accepit uxorem suam prægnantem cum tota familia sua, et classe appulit in patria ; et regnavit per totam Armoricam terram. Et uxor ejus peperit filium, nomine Oudoceum : quem post tempus maturitatis misit ad studium litterarum ; sicut promiserat S. Teliavo antea in Britannia, quod si filium haberet, illum Deo commendaret, sicut commendaverat ambos fratres suos, quos prædiximus. Et S. Oudoceus ab infantia cœpit ditari scientia et eloquentia intantum quod suos contemporaneos et simul consocios excellebat moribus et sanctitate. *Hæc ex dicto Regesto Usserius.*

D AUCTORE J. B.

*et ad regnum Armoricæ cum marito euntem*

*hortatur ut filium Divino obsequio addicat, uti et duos alios ante.*

17 *Diu commoratum in Wallia Budicum oportet, cum interea filios duos illic susceperit, iique adoleverint, et Divino se cultui manciparint, priusquam ad regnum Armoricæ pater revocaretur. Quod autem de* Cornugallia *venisse dicitur, non ea accipienda, quam Damnonii olim tenuerunt in insula Britannia ; sed Armorica, quæ ut Britannia a confluentibus eamque colentibus Britannis est dicta, ita pars ejus* Cornuwallia, *quæ Cornuwallensium Damnoniorum uti etiamnum lingua dicitur.* Demetica *autem, ubi Budicus exularit, veterum* Demetarum, *sive* Dimetarum, *regio est, nunc* Westwales, *sive occidentalis Wallia, continetque Maridunensem, Penbrokiensem et Ceretucum Comitatus. Bertrandus Argentræus lib.* 1 *histor. Britannicæ cap.* 25 *Budicum Auldrano Rege natum scribit, obiisse anno Christi* CCCCLXXXVII, *cum annos* XLIX *regnasset. At si, ut jam ex Usserio retulimus, ad* Areol Lauhir *Demeticæ Regem venit, non videtur in Armoricam ad regnum capessendum revertisse, nisi post annum* DX, *aut etiam* DXX. *Nam multis annis in Cambria moratus est ; cum ibidem uxorem duxerit, liberos genuerit, iique adoleverint, ac Dei servitio dein addicti sint.* Aircol *autem Rex, Teliao Landavensem Ecclesiam gubernante, quod non ante* DXXII *Christi annum diximus contigisse, multa illi Ecclesiæ donarit, uti inferius narrabitur.*

E

*diu enim in Westwallia exularat Budicus*

*apud Regem Aircol.*

## § III *S. Teliai episcopatus. Privilegia a Regibus impetrata.*

F*ueritne jam tum Episcopus Teliaus, quando in Armoricam cum marito Anaumeda discessit, non traditur. Episcopus est Hierosolymis consecratus, cum SS. Davide et Paterno, ut infra non sine aliqua amplificatione narratur, inque Davidis et Paterni Vita. Percontari quis possit ; qui licuerit Hierosolymitano Archiepiscopo Britannos consecrare, et quidem (ut videtur) ad incertam Sedem. Verum innuitur, Angelica revelatione id factum : deinde consenserit Dubricius Archiepiscopus, cujus injussu eos credibile non est longinquam illam peregrinationem suscepisse : fors et suam cuique Sedem idem jam destinarat, Landavensem Teliao, Davidi Menevensem, Paterno Cereticam. Quid si Archiepiscopo Hierosolymitano (erat is Joannes ejus nominis tertius) vel per Angelum, uti in S. Davidis Vita dicitur, vel per aliquem sanctorum anachoretarum, quibus erat familiarissimus, revelatum est, ita Deum velle ? Quid si arcano instinctu Divini Spiritus, ut eos inauguraret, impulsus est, simul illi ut obtemperarent.*

F

*S. Teliaus ordinatur Episcopus Hierosolymis*

*quo id jure ?*

19 *Episcopatum jam adeptus, quantum Ecclesiæ Landavensi emolumenti attulerit Teliaus, ita ex ejus alia Vita narrat idem pag.* 360 *Usserius :* In cujus vita crevit Ecclesiæ Landaviæ pro sanctitate sua tam moribus quam doctrina, in ecclesiis et territo-

*a variis Regibus obtinet possessiones,*

39 riis

A riis sibi datis, cum omni libertate sua, dignitate et privilegio, a Regibus contemporaneis suis, Theudric filio Teithpall, Idon filio Inir Guent, Gurcant Maur, Mailcun, Aircol Lauhir, Catgucaun Tredicil, Rein, et a multis aliis Regibus et Principibus dextralis Britanniæ : et ita ecclesiis nominandis cum suis terris et dotibus, cum finibus subscriptis, et testantibus legitimis viris.

*AUCTORE J. B.*

*ac privilegia suæ Ecclesiæ, et immunitates ;*

20 Privilegium S. Teliavi est, et Ecclesiæ suæ Landaviæ, datum sibi et omnibus successoribus suis in perpetuo a Regibus istis et Principibus Britanniæ, confirmatum Apostolica auctoritate, cum omnibus legibus suis in se plenariis sibi et terris suis libera ab omni regali servitio, sine Consule, sine Proconsule, sine conventu, intus nec extra, sine expeditione, sine vigilanda regione, et cum omni justitia sua, de fure et furto, de rapina, de homicidio, de arsione, de rixa, de sanguine, de refugio violato ubique in terra Sancti, de assaltu viarum et extra vias, de faciendo judicio et patiendo de omni populo S. Teliavi in curia Landaviæ, de communione aquæ et herbæ, campi et silvæ, populo S. Teliavi, cum mercato et moneta in Landavia, cum applicatione navium ubique per terras S. Teliavi libera pro Regibus et omnibus, B nisi Ecclesiæ Landaviæ et Episcopis ejus : de opprobrio et omni injuria, quod Rex Morcanhuc et sui homines fecerint Episcopo S. Teliavi et suis hominibus, idem Rex Morcanhuc et sui homines rectum faciant Episcopo et suis hominibus, et judicium patiantur in Curia Landaviæ.

21 *Notat Usserius* Morganuc *esse* Glamorganiam. *Nomen id scribit Camdenus a* Morgano *Principe, aut* Morgan *cœnobio ductum existimari, aut fortassis a mari, cum regio tota maritima sit. Inter Reges, qui Ecclesiam Landavensem tempore S. Teliai privilegiis ac possessionibus locupletarunt, recensetur* Idon, *filius Iniri, Rex Guentiæ, quæ nunc Monumuthia :* Rein *autem videtur Rex Brechiniæ fuisse. At celeberrimus est* Mailcun, *sive* Mailgo, *aut* Maglocunus, *quem S. Gildas in Epistola de excidio Britanniæ postremo loco objurgat. Quare cum* XXIX *Januarii ostenderimus eam epistolam anno* DXLIII *videri scriptam, ad istum* Maglocunum *habemus : quem Gildas idem*, multorum tyrannorum depulsorem, majorem multis potentia, simulque malitia, largiorem in dando, profusiorem in peccato, robustum armis, sed animæ fortiorem excidiis,.... cunctis pene Britanniæ Ducibus tam regno, quam status lineamento editiorem, *queritur* in vetusto scelerum

*nominatim a Maglocuno,*

*acriter in Gildæ epistola objurgato,*

C atramento stolide volutari. *Deinde narrat, cum* in primis adolescentiæ *suæ* annis avunculum Regem... oppressisset, *eique ex voto violenti* phantasia cessisset, cupiditate injectum ad viam revertendi rectam, diebusque ac noctibus, id temporis (conscientia forte peccaminum remordente) de deifico tenore monachorumque decretis sub dente primum multa ruminantem, deinde popularis auræ cognitioni proferentem, monachum sine ullo infidelitatis, ut aiebat, respectu coram omnipotente Deo, Angelicis vultibus humanisque..... perpetuo vovisse et sese... ad Sanctorum sibi magnopere illas speluncas refrigeriaque salubriter rapuisse, ex corvo columbam : *dein ad vomitum rediisse, et scelera sceleribus cumulasse. Eo, opinor, tempore Teliao quæ retulimus donavit, quo ad studium virtutis adjecerat animum. Fuit autem* Guenethiæ, *sive* Venedotiæ, *aut Borealis Walliæ Rex.*

*vitam religiosam aliquando amplexo,*

*sed inconstanter.*

## § IV. *S. Teliai in Britannia Armorica septennalis commoratio.*

Sub Mailgone, *sive* Maglocuno, *jam memorato Venedotiæ Rege, grassari cœpit lues illa, cujus in S. Teliai Vita inferius mentio fit. De qua Usserius pag.* 559 *ex Regesto Landavensi :* Traxit enim Mailconum Regem Guenedotiæ, delevit et patriam suam : et intantum incubuit dicta clades, et per totam illam gentem, quod patriam pene reddidit desertam. Surrexit D igitur S. Teliaus adducens secum quosdam suffraganeos Episcopos suos et ceterorum ordinum viros, cum utriusque sexus hominibus, viris et mulieribus. Et devenit primitus ad Cornubiensem regionem : et bene susceptus a Gerennio Rege illius patriæ, et tractavit illum et suum populum cum omni honore. *Quem in sua invectiva acriter Gildas castigarat,* Constantinum *Cornubiæ Regem, scribit Monumethensis lib.* 11 *cap. 4 triennio post a Conano interfectum; scriptor Vitæ S. Davidis, et alii, monachum factum, vel in ipsius cœnobio Davidis, vel in Hibernia, ac tandem martyrio coronatum in Scotia, uti ad* XI *Martii indicabimus. Ei successisse* Gerennius *videtur.*

*tempore sævæ pestilentiæ*

*cum Clero suo et populo fugit,*

*ventique ad Gerennium Cornubiæ Regem,*

23 *Usserius ad annum Christi* DLXXXVIII *Constantini illius Damnonii, sive Cornubiensis, conversionem, Maglocuni mortem, fugam S. Teliai signat. At credibilius est, ea multo ante contigisse, paucis post scriptam a Gilda epistolam annis, fortasse circiter* DXLVII. *Et erat alioquin sat grandis natu* Maglocunus, *de quo ista habentur in Vita S. Paterni, priusquam hic Hierosolymam cum SS. Davide et Teliao proficisceretur, quod an.* DXVIII *Usserius, ut ante relatum est, censet contigisse :* Interea (*sub annum videlicet* DXVII) Mailgunus E Rex Borealium Britonum ad debellandos et deprædandos Australes Britones cum suo exercitu venit, et quoniam semper tentator erat Sanctorum etc. *Quibus verbis innui videtur, non tunc primum regni gubernacula occupasse, sed aliquanto ante. Jam si ad annum* DLXXXVIII *supervixit, oportet centenario majorem decessisse, cum viri sanguinum et dolosi, qualem fuisse eum constat, non soleant, ut pronuntiat Propheta, dies dimidiare.*

*circa annum 547*

*cum ultra 30 annos regnasset in Venedotia Maglocunus.*

Psal. 54 24

24 *Non diu apud Gerennium Regem substitit Teliaus, seu ne oneri esset, ingentem hominum multitudinem secum trahens, aut ab ea potius tractus avulsusque e patria, seu quod illic quoque vulgari contagio cœperat.* Inde *ergo, ut habet alia ejus Vita e Regesto Landavensi apud Usserium pag.* 559, perrexit Sanctus cum suis comitibus ad Armoricas gentes, et bene continuo susceptus est ab eis. Ibi ipse et S. Sampson plantaverunt magnum nemus arboreti fructiferi, quasi ad tria milliaria, id est, a Dol usque ad Cai ; et decorantur ipsa nemora eorum nomine usque in hodiernum diem. vocantur enim Arboreta Teliavi et Sampsonis. Et ex illo tempore et deinceps Episcopatus Dolensis decoratur et celebratur sub testimonio omnium Armoricorum Britonum, ob conversationem et reverentiam S. Teliai. F

*appellit in Armoricam,*

*ubi arboretum plantat cum S. Sampsone,*

25 *Idem ex citato Regesto Usserius pag.* 76 Audiente Sampsone Dolensis Ecclesiæ Archiepiscopo adventum confratris sui in patriam, occurrit ei cum gaudio. Nam de una regione procreati fuerant, et unius linguæ viri, et simul sub B. Dubricio Archipræsule edocti, ex cujus manus impositione S. Sampson consecratus est in Episcopum, ut Vita sua testatur. Rogavitque S. Teliaum, ut cum illo habitaret : et acquievit ei, et cum eo commoratus est multo tempore. *Fuit S. Sampson in insula Britanniæ natus, S. Iltuti (de quo* VI *Novembris agemus) a prima pueritia discipulus, auditor tamen aliquo tempore, ut supra dictum est, S. Dubricii, ab eoque sacris initiatus. Nulla tamen S. Teliai mentio fit in ejus Vita, quam* XXVIII *Julii dabimus, neque in S. Maglorii consobrini ejus ac successoris* XXIV *Octobris.*

*gentili sui et condiscipulo.*

26 *Galfridus Monumethensis lib. 9. cap.* 15 *Teliaum Dolensem Episcopum facit, aliosque admiscet errores ita scribens :* Beatus igitur Dubricius, in eremiticam vitam anhelans, sese ab archiepiscopali Sede deposuit : in cujus loco sacratur David avunculus Regis, cujus vita exemplum totius bonitatis erat his quos doctrina

*non tamen ei successit :*

A doctrina imbuerat. In loco vero S. Sampsonis, Dolensis Archipræsulis, destinatur Theliaus, illustris Presbyter Landaviæ, annuente Hoelo Rege Armoricanorum Britonum. *Ita MS. noster codex. In editione Heidelbergensi vocatur* Cheliaus. *Episcopus erat Teliaus, priusquam in Armoricam venit: usque decessit Sampson, quo tempore Dubricio suffectus est David, cum concilio in Parisiensi an.* DLVII *una cum* S. Paterno *legatur subscripsisse: si tamen unicus Dolensem Cathedram tenuit Sampson; nam quidam duos tresve statuunt.*

27 *Haud scio an non hallucinetur quoque Giraldus Cambrensis, dum Sampsonem scribit vigesimum quintum a Davide Ecclesiæ Menevensi præfuisse, dein Dolensem administrasse, cum e Cambria ob luem ictericam discessisset: ita enim habet lib.* 2 *cap.* 1. *Itinerarii Cambriæ:* Tempore Sampsonis hujus pallium in hunc modum est translatum. Ingruente per Cambriam, isto præsidente, peste quadam, qua catervatim plebs occubuit, quam flavam pestem vocabant, quam et Physici ictericiam dicunt passionem, Præsul, quamquam sanctus et ad mortem intrepidus, tamen ad suorum instantiam, navem scandens, flante Circio, cum suis indemnem in Armorica Britannia se suscepit: ubi et vacante tunc Sede Dolensi, statim ibi-

*nec is 25 post S. Davidem Meneviæ Episcopus fuerat.*

B dem in Episcopum est assumptus. *Ita ille: quem secutus Spelmannus hunc Sampsonem ad annum* CXI *locat. De seniore nobis Sampsone est sermo, qui primus recensetur in omnibus Dolensium Episcoporum Catalogis. Sive autem Menevensis antea fuerit, sive (ut alii volunt) Eboracensis Archiepiscopus, sive alterius cujuspiam Sedis; saltem S. Germani Parisiensis tempore, Regisque Childeberti, filii Chlodovei Magni, synodo Parisiensi interfuit.*

28 *Etsi porro non est Dolensi Ecclesiæ præfectus* Teliaus; *id tamen ut fieret, Budicus Rex ipseque Sampson allaborarunt. Ita Usserius pag.* 76 *ex Landavensi MS.* Nam Rex et Pontifex cum multitudine populorum obviaverunt ei, ut illum deducerent cum condigno honore ad episcopatum Dolensem, ut sublimarent illum in pontificalem Sedem. *Arctam certe familiaritatem Teliao cum Sampsone intercessisse ostendit Spelmannus ex tertia synodo Landavensi, ubi* Guidnerth, *quod* fratrem suum Merchion caussa contentionis regni occidisset, excommunicatus a B. Oudoceo..... finitis tribus annis requisivit veniam apud B. Oudoceum: et data ei venia, misit eum in peregrinationem usque ad Archiepiscopum Dolensem in Cornugalliam, propter veterrimam amicitiam et cognitionem, quam Sancti Patres habuerunt antecessores sui

*postulatus tamen ad episcopatum in Armorica Teliaus,*

*celebrisque ejus cum S. Sampsone amicitia.*

C inter se, S. Teliaus videlicet et S. Sampson Archiepiscopus primus Dolensis civitatis.

## § V. *S. Teliai reditus in Walliam, obitus publica veneratio, scripta.*

R*estincta tandem, quæ per plures annos sævierat, lue, reversus in Cambriam est S. Teliaus, et perquam opportune appulsus in Cornuwalliam, Gerennio Regi, antiquo hospiti, animam agenti adstitit. Ita Usserius e MS. Landavensi:* Interea dum hæc agerentur et tractarentur, contigit quod Christus per misericordiam suam præciperet, ut illa prædicta lues, quæ flava dicebatur, exiret et evanesceret de Britannica insula tota. Quo audito fidelis ductor Teliaus non modicum exhilaratus, et sancto Spiritu submonitus, missis legatis in Franciam et ultra Alpes in Italiam, et quocumque cognitum sibi erat eos aufugisse, recollegit compatriotas diligenter in unum; ut omnes, extincta pestilentia, cum data pace per omnia redirent ad propria. Demum præparata magna barca (peractisque VII annis ac VII mensibus, quos S. Teliaus duxerat in Armoricorum patriam) intravit in eam cu... multis Doctoribus et quibusdam aliis Episcopis: et applicuerunt in portum vocatum Dingerein D Rege Gerennio in extremis tum posito: qui accepto corpore Domini de manu Teliai, lætus migravit ad Dominum.

*cessante lue post 7 annos, 7 menses,*

*suis convocatis,*

*redit in patriam:*

AUCTORE I. B. *præbet Gerennio Regi moribundo Eucharistiam:*

30 *Deduxit secum in Cambriam Teliaus sororis filium, de quo supra; et Usserius pag.* 562 *ex citato MS. Landavensi:* Et post immensum tempus venit flava pestis per majorem Britanniam. *Ea occasione, ut dictum est,* adiit S. Teliaus, cum suis Clericis et populo, Cornugalliam, quæ postea vocata Cernin-Budic: et ibi invenit nepotem suum Oudoceum, virum præclarum et mansuetum et utriusque legis peritum, ut candelam super candelabrum. Et post tempus suæ conversationis, S. Teliaus Archiepiscopus Landaviæ Ecclesiæ S. Petri Apostoli rediit ad natale solum, cum suo nepote illum comitante: qui tantum crevit in bonitate et scientia, quod sibi, electione Cleri et populi, successit in episcopatu Landavensi Ecclesiæ.

*ducit secum S. Oudoceum sororis filium:*

31 *Quid ad civitatem suam reversus egerit, idem ex citato MS. Usserius pag.* 560 *narrat:* Post hæc sanctus vir repetivit Sedem suam episcopalem, comitante eum Cleri et populi copia: et habitavit ibi usque in consummationem vitæ. Ad quem convenerunt discipuli, qui fuerant B. Dubricii, Lunapeius, Gurmaet, E Cynmur, Toulidauc, Luhil, Fidelis, Hismael, Tyfhei, Oudocens, et multi alii discipuli, ut eum moribus et doctrina imitarentur. Ex quibus Hismaelem consecravit in Episcopum, mittens illum ad consulendam Ecclesiam Minuensem, etiam viduatam Pastore; nam S. David ad Dominum migraverat. Et multos alios ejusdem ordinis veros similiter sublimavit in episcopium, mittens illos per patriam, dividensque parochias sibi ad opportunitatem Cleri et populi. *Atque hinc perspici potest, catalogos Antistitum Menevensium, et quem Giraldus texuit, et quem ex archivo Menevensi deprompsit Godwinus, vitiosos esse, cum* Hismaelem *neuter exhibeat.*

*multos litteris et pietate imbuit:*

*ordinat Episcopos:*

32 *Tandem gravis senio meritisque diem obiit Teliaus, in loco qui ab ipso* Llan-Deilo-vaur, *id est,* ecclesia Teliai magni, *dictus, super ripam Tovu amnis, in Maridunensi agro, ubi* solitariam vitam per tempus aliquod duxerat, *uti pag.* 560 *refert Usserius.*

*moritur*

33 *Quæ de sanctitate ejus esset existimatio, declaravit trium populorum de corpore sibi vindicando contentio. Fuere hi Landavenses; incolæ loci ubi obierat, juxta urbem Maridunum sive* Caer-marden, *aut, ut habet Capgravius,* Caer-merchin; *ac demum habitatores loci* Pennalun, *ubi majores ejus fuerant sepulti. Dirempta lis dicitur, post preces ac jejunia, divinitus exhibitis ternis* F *corporibus, omnino consimilibus, suum ut singulis locis cederet. Godwinus illius miraculi mentionem olim fieri consuevisse scribit in solenni precatione liturgiæ festi ejus insertæ: sed illud addit;* miraculis crebris Landaviæ ad tumulum *ejus editis,* liquido constitisse, verum corpus Landavenses fuisse adeptos, ceteros phantasticis delusos. *Nos ita terminatam litem conjectamus, ut cesserit forte Landavensibus corpus, ceteris aliquod reliquiarum ejus pignus datum sit, conditumque ab his honorifice in capsis, non secus quam si integrum corpus habuissent: hinc confictam a posteris fabulam, existimantibus, singulis in locis integrum corpus existere.*

*orta de ejus corpore lis divinitus dirimitur:*

*clarescit miraculis*

34 *Hieronymus Porterus multa S. Teliao dicata esse templa scribit, in Meridionali præsertim Wallia. Altare in* SS. Petri, Dubricii, Teliai *honorem, superstite adhuc hujus successore S. Oudoceo, superius indicatum § 1 num.* 10 *ex Conciliis Spelmanni: qui et in secunda synodo Landavensi, sub eodem Oudoceo habita, nominatos aliquoties refert* SS. Dubricium et Teliavum. *In tertia quoque synodo dicitur Guidnerth possessiones quasdam donasse* Deo et SS. Dubricio, Teliau et Oudoceo, in manu Berthguini Episcopi.

*templa ei dicata, et altaria haud diu post mortem:*

35 *Inscriptum nomen* S. Teliai *etiam externis Martyrologiis,*

AUCTORE J. B. *elogium ex Martyrol. Wilfordi :*

A *tyrologiis, et Sarisburiensi quidem ab Richardo Witfordo cum hoc elogio :* In Anglia, S. Theliai, qui Elios appellatur, ac vulgo Eliud. Is loco nobili natus, a prima ætate deditus studio virtutis fuit : sacrasque litteras edoctus, cum famam eruditionis S. Paulini in Wallia degentis inaudisset, ad eum se contulit : ubi S. Davidem reperit, cui fraterno deinceps amore conjunctus fuit. Irrupere eo tempore Picti Gentiles in Angliam, magnamque hominum cædem edidere, ac stragem locorum. Eorum Dux in Walliam ingressus ab S. Theliao conversus est. Idem Sanctus cœlesti jussu Hierosolymam profectus est cum SS. Davide et Paterno : intereaque ejus provinciæ aliarumque linguis, quarum antea ignari, more Apostolico, prædicarunt. Cum domum redissent, S. David Walliæ Archiepiscopus, Telianus Episcopus creantur. Super hujus jam demortui corpore orta tres inter populos contentio : qui tandem communi consilio, fusis precibus, Divino arbitrio decidi rem flagitarunt. Postridie tria reperta corpora, adeo similia, nihil ut perspici differentiæ posset. Ii igitur Deum collaudantes, singula sibi asportavere, unum Landaviam, alterum juxta Mardunum, tertium in occiduam Walliam. *Ita ille.*

B 36 *Ejusdem ita meminit Hermannus Greven hoc die :* In Britannia Teylliani Confess. *MS. Florarium :* In Britannia S. Theillani. *Idem habet Canisius, atque ex eo Ferrarius. Joannes Wilsonus in secunda editione Martyrologii Anglicani, pleniore cum elogio ornat hoc die. Ast in prima editione et* Martyrem *fecerat et* XXV *Novembris retulerat. Quem secutus Ferrarius ista eo die habet :* Landavi in Anglia S. Teleani Ep. et Mart. *Idem Ferrarius* XXVI *Decembris denuo eum refert, his verbis :* Landaffæ S. Theliai Ep. *In Notis ait S. Davidis discipulum fuisse, quod et Jo. Pitseus habet; cum condiscipuli fuerint, ambo S. Dubricii auditores.*

*nomen in aliis Martyrologiis, et aliis diebus*

37 *Fefellit fortasse nonnullos varietas nominis, ut eum ad varios traherent dies. Nam, ut ex ante dictis patet, qui vulgo* Telianus, *alias* Teliavus *scribitur,* Thelianus, Teleanus, Thelius, Chelianus, Theillanus, Theyllanus, Theyllianus, Teilau, Teilaw, Teylo, Deilo, Ἥλιος Eliud. *Præter jam citatos, honorifice S. Teliai meminit Nicolaus Harpsfeldius histor. Eccles. Anglic. lib. 1, sive de primis* VI *seculis cap. 27, ubi tamen mendose scriptum,* obiisse Idibus Februarii. *Agit de eo prolixius Hieronymus Porterus in Floribus Vitarum SS. Angliæ.*

*id varie expressum :*

*memoria ejus apud alios scriptores.*

38 *Joannes Baleus centuria 1 Scriptorum Britanniæ num. 58 de S. Teliao ita loquitur :* Contexuisse
C luculenta dictione fertur Conciones ad populum pias. *Quis earum meminit? Nemo ambigit, quin multas ad populum et ad Clerum conciones habuerit : sed non continuo sequitur, scriptas transmisisse ad posteros. Baleum tamen sequitur Pitseus ad annum 563. Mentio fit supra § 1 num. 7* chirographi S. Teliai. *Verum aliud est, rem quampiam in publica acta referre, aut privilegia Ecclesiæ alicui indulta describere ; aliud libros componere ac vulgare.*

*libri an ab eo editi?*

# VITA AUCTORE ANONYMO a

## Ex Legenda SS. Angliæ Joannis Capgravii.

### CAPUT I.

*S. Teliai res gestæ ante Episcopatum.*

Sanctus enim Thelianus ab infantia Dei cultor existens, orationibus et vigiliis Deo militavit, seipsum, ut alios pinguesceret, macerabat : omnia, quæ possidebat, pauperibus erogabat, et aliorum miserebatur, ut misericordiam consequeretur. Ex *b* nobilibus parentibus ortus est, ut carnis nobilitas inter homines honestaret eum, qui jam animi nobilitate apud Deum acceptabilis erat.

*Telianus a pueritia sanctus,*

*b nobilis,*

2 Post incrementum autem ætatis, virtutum et sapientiæ, congrue nomine Helios a sapientibus nuncupatus est : Ἥλιος enim Græce, Latine Sol interpretatur. Fulgebat enim sicut sol doctrina ejus, fidelium illustrando corda. Sed laicis extremum vocabuli corrupte proferentibus, adolevit quod non Helios, sed Eliud appellatur. D

*Eliud dictus,*

3 A Sancto enim *c* Dubricio Episcopo in Scripturis sanctis eruditus fuit, donec eum tantæ indolis puerum perpendit, ut Spiritu sancto cooperante Scripturarum nodos perfecte explicaret. Tunc puer sanctus, audita cujusdam *d* Paulini sapientis viri fama, accessit ad eum, et Scripturarum secreta cum illo conferebat : ubi Sanctum *e* David, perfectæ hominem vitæ sibi associavit; quos tanta conjunxit dilectio et sancti Spiritus gratia, quod idem velle et nolle ambobus esset.

*c a SS. Dubricio et Paulino eruditus,*

*e S. Davidi amicus :*

4 In istorum autem Sanctorum diebus, quidam populi, qui sive a pictis vestibus, sive propter oculorum stigmata, *f* Picti dicebantur, cum innumera classe de *g* Scythia ad Britanniam venerunt, et capti amore terræ possidendæ, magis fraude quam viribus Britannos invaserunt, et in eis ad tempus miram tyrannidem exercuerunt. Quorum Princeps miseros incolas trucidando, ædes et templa comburendo, usque *h* Meneviam procedens, palatium ibi construxit. Et videns Sancti David et Eliud, aliorumque Sanctorum vitæ et morum sanctitatem, non solum illis invidit, sed multa illis opprobria sæpe ingessit : *i* præcepitque uxori suæ, ad Sanctos ancillas suas dirigere, et motibus corporum impudicis et blandimentis Sanctorum mentes a proposito pervertere. Quæ dum dominæ suæ mandata sequentes, quasi insanas se simularent, insanæ factæ sunt. Quo viso persecutor ille et domus sua tota fidem Christi suscipientes baptizati sunt. E

*g Pictorum Principem sibi scandalum ponentem,*

*in suis punitum convertunt :*

5 Cum enim S. Thelianus, qui et Eliud, et *k* Madocus lectionibus vacarent ; supervenit famulus quidam dicens ligna deesse, quibus cœna Fratrum præparari posset. Qui ægre ferentes audita, ad silvam cum festinatione pergebant. Et ecce duo cervi mansueti occurrentes, quasi ad serviendum parati, colla sua jugo submittebant. Cumque Sancti onerato plaustro redirent, viris longe præcedentibus sanctis, nullo urgente, cervi velociter eos secuti sunt : et multo post tempore ligna et alia necessaria monasterio deferebant.

*cervis pro jumentis utitur.*

a *Quæ in Legenda Sanctorum Angliæ a Joanne Capgravio editæ sunt Vitæ, earum fere semper auctorem citat Usserius* Joannem Tinmuthensem, *quasi pleraque ex ejus Legendario Capgravius descripserit. Id quia nobis compertum non est, maluimus ignotum aut innominatum dicere auctorem, quam aliquid minus exploratum definire.* — b *De S. Teliai parentibus egimus* § 2 num 14. — c *De S.* Dubricio *diximus* § 1. *Vitam dabimus* 14 *Novemb.* — d *Joannes Pitseus in Appendice ad Catal. Scriptorum Angliæ centuria 3 num.* 60 Paulinum *S. Iltuti discipulum fuisse scribit, qui alias* Paulus *dicitur, Leonensis in Armorica Britannia Episcopus, cujus Vitam dabimus* 12 *Martii : e qua tamen colligere est,* Paulum *fuisse* Teliai *æqualem condiscipulum SS. Davidis, Gildæ, Samsonis. Videtur* Paulinus *senior fuisse, quem* sapientem virum *Telianus* puer sanctus *adierit. In Vita S. Davidis dicitur* Paulinus *S. Germani discipulus fuisse, et ipse Episcopus, atque* in insula Withlandi gratam Deo egisse vitam. *Falluntur qui in Vecta insula habitasse eum putant, ut suo loco ostendemus. Apud Capgravium in Vita S. Davidis* Pauleus *vocatur.* — e *Non recte in Vita S. Davidis dicitur Telianus ejus discipulus fuisse, qui hic condiscipulus, nisi tamen David, qui 10 annis dicitur Paulinum audisse, quædam eum docuerit : uti videmus subinde philosophicis, Mathematicis, Theologicis disciplinis imbui natu proverctiores a junioribus, vel æqualibus.* — f *Unde* Picti *sint appellati, docet veterum scriptorum testimoniis Camdenus.* — g *E Scythia advenisse Pictos scribit etiam Beda lib. 1 cap. 1 ex vulgari fama,* ut perhibent, *inquit. Alii* Pictos *esse Britannos volunt; idem enim nomen utrumque significare. Qui tamen* Pictos *ab Scythis ortos dicunt, multo ante venisse in Septentrionales Britanniæ plagas statuunt, circiter annum 75 Christi. Consule Camdenum et Usserium. Aliqua forte Pictorum manus tempore S. Teliai in Cambriam irrupit. Hoelus certe S. Gildæ frater sæpius Cambrenses infestasse legitur; sive is Scotorum Princeps fuerit, seu Pictus pictorum.* — h *Firmat hoc conjecturam jam suggestam significari hic Hoeli irruptionem. De eo enim loquens Caradocus Lancarvanensis apud Usserium pag. 678 ita habet :* In persecutione autem hostili et in conventu bellico, in insula Mynau interfecit inimicum prædatorem, *Hoelum scilicet Arturus. Quæ hic insula* Mynau *dicitur,* Mona *esse videtur, vulgo jam* Mania *nuncupata, quibusdam olim* Monabia, *et* Menavia, *Britannis* Menaw. *Auctor* F

*Paulinus Ep. Doctor in Wallia.*

*An S. David Teliai magister?*

*Picti an in Britanniam advenæ?*

Mynaw insula.

Vitæ

A *Vitæ S. Theliai pro* Menew, *S. Davidis urbe accepit. Quamquam alii Boelum in Boreali Walia, sive Venedotia, occisum tradunt, locumque etiamnum monstrant.* — l *Si Boeli fuere expeditiones, quæ hic memorantur, non tamen ei hoc Balaamiticum scelus tribuimus, sed cuipiam illius præfecto, et quidem gentili, qui in Vita S. Davidis a Capgravio edita* Boia *appellatur, diciturque ad vomitum reversus male periisse, uti et uxor ejus.* — k S. Madocus, *sive* Mœdocus, *aut* Aidanus, *Fernensis in Hibernia Episcopus, cujus vitam* 31 *Januarii dedimus, discipulus fuisse dicitur S. Davidis, sed jam Episcopi quippe, qui fere* 90 *annis illi dicatur superfuisse. Tunc fortassis et S. Teliao innotuit, sed jam Episcopo. Quamquam non omnino certum est quamdiu vixerit* S. Madocus, *aut quando* S. David *decesserit.*

*S. Madocus.*

## CAPUT II.

### *S. Teliaus Episcopus inauguratus Hierosolymis.*

*a b S. Teliaus cum SS. Davide et Paterno it Hierosolymam: ægros sanat in via: latrones placat:*

Misit autem Dominus Angelum suum SS. David, Theliao et *a* Paterno, quod *b* Jerusalem peregre proficisci, et donativa ibi recipere eis præcepit. Tunc illi sine pera et baculo, in Domino tantum confidentes, iter arripiunt, et per diversas provincias suæ sanctitatis vestigia relinquentes, occurrentium debilium dolores alleviabant. Cumque in via obsisterent, non tantum spolia illis pacifice concedebant, sed si quid prædæ immemores ipsi relinquerent, prædatoribus hilari vultu porrigebant. Illi autem simplicitatem B Sanctorum considerantes, redditis spoliis veniam de commissis postulabant, et ad tuta loca conducebant.

*c triduo orat*

7 Ingressis autem illis Jerusalem *c* occurrit omnis populus, psallens in canticis et hymnis usque ad templum Domini eos deducens. Continuatis enim triduo ibi precibus, adeo supernorum contemplationi vacabant, quod terrenorum immemores penitus erant. Exspectabat interea totus Clerus, attente considerans, quis Sanctorum quam *d* sedem sibi oratione finita eligeret, ut sicut cœlitus per Angelum docti erant, in sedium electione notarent, quem ceteris illorum Prælatum constituerent. Erant in templo tres cathedræ senioribus ab antiquis temporibus constitutæ, quarum inferiorem et magis humilem Thelians eligens, nobiliores fratribus propter reverentiam dimisit. Quo viso, omnes qui aderant in facies suas proni cadentes coram viro Dei, dixerunt: Salve Sancte Dei Theliae, et ut apud Dominum nobis valeant preces tuæ propitius concede, quia hodie plus ceteris confratribus tuis sublimatus es, residens in sede *e* Domini nostri Jesu Christi, in qua Patribus nostris prædicabat regnum Dei. Hoc audiens vir Dei cum magno stupore surrexit, et se in terram C prostravit, dicens: Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. Et benedictus Salvator, qui sedem sibi fieri elegit de ligno, qui per lignum succurrere voluit pereunti mundo.

*d in infima sede residet,*

*e quæ dicebatur Christi Domini fuisse;*

*concionans sua lingua, a populo intelligitur;*

8 Rogaverunt ergo eum omnes quatenus ad instructionem virtutum parabolam eis de Christo diceret, ut sicut illum imitatus fuerat in cathedra residendo, eum imitaretur verbum Dei prædicando. Qui videns amorem divini verbi flagrare in cordibus eorum, cum linguæ eorum penitus expers fuit, miro modo sollicitudo et angustia premebat eum. Ut tamen populo supplicanti et illorum voto satisfaceret, sacras Scripturas exponere cœpit; et unusquisque adstantium illum *f* sua lingua loquentem audivit. Cumque omnes tanta dulcedine sermonis illius essent affecti, ut quanto eum diutius audirent, magis illum audire desiderarent; ne prædicandi officium videretur præsumere, si solus prædicasset, populo dixit! Audite jam a fratribus meis verba vitæ, qui me perfectiores in vita sunt, et diligentiores in doctrina. Surrexerunt ergo S. David et Paternus, et *g* prædicaverunt populo, omnibusque in sua lingua perfecte intelligentibus eos.

*f*

*uti et socii g*

9 Post hæc vero, admonitione Angelica, a Clero et populo electi, *h* pontificali dignitate sublimati D sunt: et quasi in testimonium gratiæ, quam ibi Domino largiente susceperant, data sunt eis pretiosa *i* tria munera, prout cuique competebat: Paterno baculus et cappa choralis, pretioso serico contexta, eo quod illum cantorem egregium videbant: Sancto autem David altare mirificum, *k* nulli bene notum de qua materia fuerat factum; nam jucundius ceteris celebravit. Beato autem Theliao *l* cymbalum dederunt magis famosum, quam sit magnum; magis pretiosum, quam pulchrum: quia dulci sono organum omne videtur excellere, perjuros damnat, infirmos curat; et singulis horis nullo movente sonabat, donec peccatis hominum exigentibus, qui illud pollutis manibus temere tractabant, a tam dulci obsequio cessaret. Sicut enim cymbalum a torpore somni et inertiæ cunctos ad ecclesiam invitat, ita S. Thelians, Christi præco factus, incessanter prædicando, subjectos ad cœlum verbo et exemplo incitabat.

AUCTORE ANONYMO, EX CAPGRAVIO.

*h consecrantur Episcopi: i sacris donis honorantur k l Teliaus cymbalo miraculoso.*

a *De hoc* S. Paterno *agemus* 16 *Aprilis. Venetensis postea Episcopus in Britannia Armorica fuit, diversus tamen a* S. Paterno *Abrincensi Episcopo, qui eodem die colitur.* — b *Eadem Sanctorum peregrinatio narratur in Lectionibus Breviarii Venetensis, ubi tamen pro Telino* Turianus, *S. Paterni tertius comes appellatur, uti et in Gallica Vita per Albertum Magnum de Morlaix.* — c Nocte enim, *ut habet Vita S. Davidis*, ante eorum adventum Patriarchæ in somnis apparuit Angelus dicens: Tres ab Occidentis finibus Catholici adveniunt viri, quos cum gaudio suscipiens mihi in Episcopatum benedicendo consecrabis. *At nondum eo tempore Archiepiscopus Hierosolymitanus Patriarcha erat.* — d *Ita citata Vita:* Patriarcha vero tres honoratissimas paravit sedes. — e *Nusquam meminit me de hac Salvatoris sede legere. Potuit tamen, ut res aliæ quæ attactu sacratæ, sedes aliqua cum honore asservari, ac dein Hierosolymam deportari, cum urbs est reædificata.* — f *Vita S. Davidis, jam antea in ipso itinere donum linguarum eis impertitum tradit.* Cum autem trans mare Britannicum vecti Gallias adirent, ac alienas diversarum gentium linguas audirent, linguarum gratia, sicut Apostolicus ille cœtus, ditatus est David Pater; ut ne in extraneis degentes gentibus interprete egerent. *Altera Vita omnibus commune id fuisse cum gentium non solius Davidis proprium ait:* dono Spiritus sancti sic genera linguarum diversarum sciverunt, ut non tantum intelligerent, verum etiam sufficienter proferre possent. *Et Vita S. Paterni apud Capgravium:* Per Barbaras enim nationes inter agentes gratiam linguarum a Domino acceperunt; unumquemque hominem propria lingua, in qua natus fuerat, alloquentes. *Breviarium Venetense Lect.* 3: In suscepta peregrinatione benignum adeo Divinæ gratiæ lumen affulsit, ut omnium gentium linguas, quæ iter facturi erant, et intelligerent et sonarent. — g *Prædicasse eos omnes habet S. Davidis et S. Paterni Vita.* — h *Idem habet Breviar. Venet. et S. Paterni Vita, atque una S. Davidis: nam altera a Colgano edita solum Davidem ordinatum narrat.* — i *Tria hæc sub Davidi data memorantur in ejus utraque Vita. At Breviar. Venetense S. Paternum donatum tradit* eburneo baculo, tunicaque inconsutili, in qua ipse rem Divinam facere solitus erat Hierosolymitanus Antistes. *Vita S. Paterni:* Paternus quidem tunica ex auro texta et baculo ditatur. — k *Vita S. Davidis:* quod innumeris virtutibus pollens, nunquam ab hominibus ab hujus Pontificis obitu visum est; sed pelliceis voluminibus tectum absconditum latet. — l *In Vita S. Davidis apud Capgravium, dicitur* ditatus insigni etiam nola sed et ipsa virtutibus claret. *In altera Vita etiam nola dicitur, sed de ea nihil ab eo vocatis miraculis pronuntiatur.* Per quæ dona mirabilia magna in diversis fiebant locis; et hæc quoque munera venerabiliter apud eos servabantur. E F

*Christi sedes*

*SS. Teliaus, David, Paternus donum linguarum cœlitus accipiunt.*

## CAPUT III.

### *S. Teliai iter in Armoricam, mors, sepultura.*

Sancti itaque Dei prospere in regionem suam reversi, propter *a* pestilentiam, quæ totam fere deleverat gentem, diutius in terram morari non poterant. Pestis autem illa *b* flava vocabatur, eo quod flavos et exangues universos, quos invasit, efficiebat. Quæ in columna aquosæ nubis hominibus apparebat, unum caput vertens per terram, aliud sursum trahens per aerem, et per totam regionem discurrens. Quæcumque autem animantia suo pestifero flatu attigit, aut illico moriebantur, aut usque ad mortem ægrotabant. Si quis vero medelam ægrotanti adhibere conaretur, sine medicaminis effectu medicantem cum ægroto atra lues ad interitum trahebat.

*a*

*b grassante in Wallia peste*

*immedicabili,*

11 Sæviente enim in hominibus et jumentis illa peste, S. Theliaus in jejunio et planctu clamavit ad Dominum, dicens: Parce, Domine, parce populo tuo, qui non vis mortem peccatoris, sed vitam, ne des hæreditatem tuam in perditionem. Ira demum Dei, ejus oratione aliorumque Sanctorum, ad tempus sopita,

*pro suis orat;*

AUCTORE ANONYMO, EX CAPGRAVIO.

*cum iis alio concedit :*

*redit domum :*

A sopita, cœlitus admonitus, cum his qui residui fuerant de gente, in longinquas discessit regiones, donec Deus eis reditum in patriam innuere dignaretur. Deus autem, cujus misericordia plena sunt universa, non tantum gentis tandem miseriam, sed Sanctum pro gente exorantem propitius respiciens, concessit eis de exilio reverti, et a periculo penitus liberari. Vir autem Dei, gentis reliquias colligens, natale solum repetiit, et principatum super omnes Ecclesias occidentalis Britanniæ usque ad finem vitæ suæ tenuit.

*moritur.*

*de corpore ejus controversia,*

*post preces et jejunium,*

*dividitur ternatur,*

12 Sanctus demum Theliaus virtutibus et omni sanctitate plenus, in senectute bona, v Idus Februarii, seculum relinquens, migravit ad cœlum. In nocte autem depositionis ejus inter tres Cleros trium Ecclesiarum illius magna oritur dissensio, singulis suas auctoritates de habendo corpore ejus et privilegia prætendentibus. Discretorum tamen habito tandem consilio, orationibus et jejuniis insistere acquiescunt, ut summus arbiter Christus, qui est vera auctoritas et privilegium Sanctorum, ostendere dignaretur, quibus Sancti corpus dignius esset committendum. Mane autem facto, quidam senior ubi corpus Sancti positum erat inspiciendo considerans, voce magna exclamavit, dicens : Exaudita est, fratres mei, a Domino oratio nostra. B Surgite, et quæ facta sunt a Christo Domino ad vestram sedandam discordiam respicite : ut sicut in beati Confessoris D Theliai vita sanctissima, sic et in ejus morte ad honorem et laudem Dei fierent miracula. Et ecce vident ibi corpora tria, quibus par erat quantitas in corpore, idem color in facie, et in nullo discrepantia totius compaginis aut vestium lineamenta possidebat. Sicque sedata lite singuli cum suo corpore cum gaudio reversi, et diversis in locis eum summa reverentia sepelierunt : unum autem corpus in Landavensi ecclesia, aliud non longe ab urbe *c* Caermerchin, *c* tertium in *d* Westwallia in magno honore habetur. *d*

*datis tribus corporibus,*

*quæ tribus locis honorantur.*

a *Videtur hic scriptor innuere, pestilentiam eam grassari cœpisse, cum Sancti in itinere adhuc essent : quod profecto aliter habet. Nam Gildas, qui* XXV *annis post, dum Britannis sua exprobrat scelera, inflictasque divinitus calamitates commemorat, non hanc omisisset. Neque in Vita S. Davidis hujus pestilentiæ mentio fit, ut quæ post ejus obitum primum exarserit. Narratur quidem alia pestis ipsius ope depulsa, sed multo post per ejus reliquias.* —b *Morbum regium, sive* ἴκτερον *plerique interpretantur.* —c Maridunum *est Ptolemæo, Antonino* Muridunum, *Britannis* Caer Firddhin *vulgo* Caer Marden, *a qua Maridunensis in Occidentali Wallia Comitatus, vulgo* Caermardenshire *appellatur : sita est supra Tovium fluvium. Verum qui hic non longe a Caermerden distare dicitur locus est* Llandilouawte, *sive, ut ante dictum,* Llan-Dello-vawr, *id est,* ecclesia Teliai Magni. *Jacet ad eumdem Tovium amnem, paullo longius a Maridano, quam ipsum a mari Maridunum.* —d *Complectitur Westwallia tres Comitatus, Maridunensem, Penbrokiensem, Cereticum. Sed quandoque solus Penbrokiæ Comitatus* West-wales *nominatur. Atque hinc colligere est,* Pennalun, *qui locus cum Landavia, et Lan-deilo-vawr pro corpore S. Teliai contendebat, quod isthic majores ejus essent sepulti, in Penbrokia videri fuisse. Quis tamen is locus fuerit, nos latet, nisi quispiam* Penalye *ex vocis similitudine conjectet fuisse, qui locus non procul* Teuby *Penbrokiæ oppido jacet, ad oram maris.*

Maridunum *urbs.*

Lendilovaur *opp.*

Pennalun *ubi?*

E

ANIMADV PAP 53

# DE S. SABINO

## EPISCOPO CANUSINO IN APULIA,

J. B.

### Commentarius prævius.

#### § I. *S. Sabinus Episc. Canusinus unicus an duo? Ejus natalis.*

CIRCITER AN. DXVI. IX FEBR.

*Canusinus in Apulia Episcopatus,*

*post Archiepiscopatus.*

*is (urbe fortassis eversa)*

*Barensi unitus.*

B*arium Apuliæ Peucetiæ urbs est maritima, caputque regionis, cui inde* Terræ Barianæ *nomen. Sedes isthic Archiepiscopalis, eique Canusina, itidem Archiepiscopalis, ab octingentis fere annis conjuncta. Fuerant Canusii inde a primis Christianæ religionis temporibus Episcopi, e quibus celebris eruditione* Probus *sub annum* CCCCLXVII *ad Leonem Imp. legatus a Simplicio Papa, et, quo de hic acturi sumus,* Sabinus. *Petrus, qui, ut quidam volunt, Ludovici Pii Imp. tempore, aut fortassis toto seculo prius, eam Ecclesiam tenuit,* Archiepiscopus *dicitur appellatus : nec dubium, quin ut legitime fieret, Ponti-* C *fex Romanus id sua auctoritate sanxerit; sive ea autocephala fuerit Sedes; seu quos alios, ex iis qui Barensi nunc subsunt, habuerit subjectos Episcopos. Sed cum paullo post Saraceni Apuliam invasissent, ipsumque Canusium cepissent, et fortassis magna ex parte evertissent;* Angelarium *Canusinum Archiepiscopum factum tradunt, ac deinde simul Barensem. An vero a Barensi Clero ultro sit accersitus, jussusve a Pontifice Romano utramque administrare Ecclesiam ; an ut Maurorum Hispaniensium, Sigenulpho Principi militantium, effugeret furorem, Barium sese cum suis receperit, ubi sub Africanorum Saracenorum præsidio tutis utrumque esse liceret; atque ibi a Barensibus mortuo* Sebastiano *Archiepiscopo, sanctus hospes in vacuum ejus urbis thronum sit adoptatus, in obscuro est. Post eam utraque unita Sedes prius unum permansit. Quæ conjunctio Romani Pontificis vel jussu primum facta, vel confirmata sententia est. Nam Urbanus* II *anno* MLXXXIX *Barium invitatus ad recondendum S. Nicolai Myrensis Episcopi corpus isthuc allatum, Eliam Archiepiscopum, contra morem* Romanæ et Apostolicæ Ecclesiæ, *ut ipse in diplomate, quod ad eumdem annum num. 5 recitat Baronius,* in Sede propria consecravit, B. Nicolai reverentia et *Barensis* populi dilectione *devictus. In illo porro diplomate ita loquitur :* Quia nostris temporibus Ecclesiam, quam Deo auctore regis, Frater carissime, Barensem (quæ et Canusina dicitur) omnipotens Deus beati Confessoris sui Nicolai corpore visitare dignatus est *etc. et infra :* Tuamque, cui Deo auctore præsides, Barensem (quæ et Canusina habetur Ecclesia) exaltare *etc. ac mox :* Confirmamus tibi præsentis paginæ auctoritate integrum Barensem (qui et Canusinus est) Archiepiscopatum. *ac deinde :* Absque præjudicio ergo justitiæ quarumlibet Ecclesiarum, sequentes tenorem, qui nostrorum continetur privilegiis prædecessorum, Barensis sive Canusinæ Ecclesiæ possessiones, sive dioceses, tibi tuisque successoribus perpetuo possidendas regendasque contradimus. F

*Patronus utrobique S. Sabinus,*

*cujus festo Pallio utitur Archiepiscopus.*

2 *Præcipuus ejus urbis Patronus est S. Nicolaus, cujus celeberrimum atque sumptuosissimum isthic visitur templum, teste Leandro, et Miræo in Notitia Episcopatuum. Alter vero tutelaris est* S. Sabinus, *non solum quia isthuc ab Angelario ejus translatum est corpus, sed præcipue quia Canusinæ Ecclesiæ primarius ante Patronus exstiterat. Eam ob caussam idem Pontifex Urbanus in citato diplomate Pallii usum Barensi Archiepiscopo nominatim in* S. Sabini *festo concedit :* Præterea, *inquit,* fraternitati tuæ Pallii usum ex more concedimus, ut eo inter Missarum solennia iis duntaxat festivitatibus utaris, videlicet Nativitate Domini, S. Stephani, Epiphania, Cœna Domini, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, Nativitate S. Joannis Baptistæ, natalitiis Apostolorum, et tribus festivitatibus SS. Nicolai et Sabini, festivitate omnium Sanctorum, in annuo ordinationis tuæ die, in ordinatione Episcoporum, seu ceterorum Clericorum, in consecratione etiam ecclesiarum, in Translatione etiam Domini Confessoris Nicolai.

*Fuere fortassis duo Sabini :*

3 *Dubitari tamen merito potest, fueritne unicus Canusinæ Ecclesiæ Antistes Sabinus, an duo. Duos fuisse censet*

A *censet Silvester Aiossa, S. Leucii in urbe Capuana Parochus, vir doctissimus. Neque facile quadrare in unum omnia possunt, quæ de S. Sabino memorantur. Nam, ut infra referemus ex ejus Vita Italica ab Antonio Beatillo scripta, in urbe Barolitana templum S. Andreæ Apostolo construxit, atque ab ipso S. Gelasio Papa impetravit, ut eam dedicaturus in Apuliam veniret. Obiit Gelasius* XXI *Novembris, anno quinto sui pontificatus, Christi* CCCCXCVI. *Atqui post eum annum administravere, quos antea retulimus, Ecclesiam Canusinam sancti Episcopi Ruffinus ac Memor : et huic qui anno* DXIV *suffectus, Sabinus fuit, diversus igitur a Ruffini decessore. Asserit Beatillus eumdem esse Sabinum, qui anno* DXIV *creatus Episcopus, gessit deinde multa ac præclara, et antea ædem illam suo sumptu ædificarat, priusquam ad illum aut fortassis ullum omnino Ecclesiasticæ dignitatis gradum pertingeret.*

*unus ante SS. Ruffinum et Memorem,*

*alter post eos :*

4 *Ejusdem Gelasii temporibus adfuit S. Sabinus dedicationi altarium cryptæ S. Michaelis in monte Gargano : itidem nondum Episcopus, inquit Beatillus. De ea crypta egimus* VII *Februarii cum de S. Laurentio Episcopo Sipontino, agemusque mox iterum, ex S. Richardi Andriensis Vita. Ast in hac, post memorabile illud tauri e spelunca icti prodigium, sciscitantibus Si-* B *pontinis quid facto opus esset, respondisse Gelasius dicitur*, ut, si sancto Dei Archangelo placeret, ecclesiam fundarent in laudem S. Michaelis, ubi suæ voluntatis esset : idque exequeretur per sanctos Dei Episcopos Laurentium Sipontinum, Sabinum Canusinum, Pelagium Salapitanum, Rogerium Cannensem, et Richardum Andriensem. Cui postquam hæc nuntiata fuerunt, ad tale ministerium exercendum accersitus, pedibus et Canusium et Cannas perrexit, et una cum B. Rogerio Cannensi, et Sabino Canusino Episcopis, uti pedites erant, ita itineri se commiserunt. *Ac post multa*, B. Richardus cum B. Rogerio et B. Sabino ad suas Ecclesias redierunt, hic Canusium, ille Cannas, Beatus vero Richardus Andriam pervenit. *Possetne disertius exprimi, Sabinum tunc Episcopum fuisse et munia propria Ordinis Episcopalis exercuisse? Diversus igitur Sabinus ille ab eo qui demum post* XXI *annos Canusinus Episcopus factus dicitur ; atque is Ruffini, Probi ille successor fuit.*

*prior cum aliis Episcopis ann. 493 dedicationi S. Michaelis in Gargano adfuit :*

5 *Quid quod diversis locis corpus asservatur S. Sabini Episcopi, Atripaldæ et Barii? Si integrum utrobique, ergo non unus. Atqui Atripaldenses totum se habere S. Sabini corpus gloriantur, et ab eo seorsim positum caput. Barii quoque non solum reliquias esse S. Sabini,* C *partemque corporis aliquam, sed simpliciter corpus, graves auctores tradidere. Si quæras utrius sit Atripaldæ corpus, respondet Aiossa, junioris, cujus et apud S. Gregorium mentio est in Dialogis, et in Actis Synodi Constantinopolitanæ sub Menna : inde enim Romam redeuntem, Atripaldæ in itinere mortuum, sepultumque, alterum multo ante Canusii. Verum qui existimari ita potest in via obiisse, cujus aliquot post reditum annis cum Totila Gothorum Rege congressus memoratur? Eum quoque aiunt Barenses, dum Constantinopoli in Italiam navigat, in Lyciam flexisse cursum, ut S. Nicolai Episcopi reliquias Myræ veneraretur : illic vero ei Sanctum apparuisse, atque edixisse, futurum aliquando, ut in una urbe reliquiæ amborum colerentur : quod deinde evenit utriusque corpore Barium delato. Barii igitur quod colitur S. Sabini corpus, junioris illius esse fatendum est ; nisi perperam dedita posteris est illius vaticinationis fama.*

*ejus videtur esse corpus, quod Atripaldæ servatur :*

*junioris quod Barii.*

6 *Quæ ducentis minimum post junioris Sabini obitum annis (si quidem duo fuerunt) conscripta est Vita, utriusque ita res gestas complexa est, ac si unius essent : unde unicum agnovere posteri, et qui nuper de Episcopis Canusinis ac S. Sabini Vita librum edidit Beatillus. Est autem id in Sanctorum Actis frequentissimum, ut qui eodem nomine appellati sunt, eorum temere permiscean-tur ab imperitis aut nimium properantibus scriptoribus* D *gesta, etsi neque eadem ex gente sunt orti neque eodem tempore floruerint. Passim occurrunt exempla.*

*utriusque Acta confusa.*

AUCTORE J. B.

7 *Neque nos hic discernemus, quid ab uno gestum sit Sabino, quidve ab altero ; cum ne quidem dubitantibus, duo necne fuerint, omnem eximere scrupulum possimus. Si alia monumenta eruerit curiosus lector, quibus conficiatur unicum fuisse Canusii Antistitem Sabinum, Atripaldensem dicemus alterius Sedis Episcopum fuisse. Quæ de hujus reliquiis, cultu, miraculis certa sunt, seorsim referemus.*

*qualia etiam hic dabimus,*

8 *Ipsa certe Martyrologia, cum uterque eodem die* IX *Februarii colatur, unicum exhibent, eumque Canusinum. De eo vetus MS. Martyrologium, quod penes nos est, ex Italia allatum, ita habet :* Apud Canusium civitatem Apuliæ, depositio B. Sabini Ep. et Confess. *Iisdem fere verbis Martyrologium Romanum :* Canusii in Apulia S. Sabini Episcopi et Confessoris. *Kalendarium monasterii S. Joannis Capuæ a Michaele Monacho editum, ad eumdem diem :* Depositio erit S. Sabini Canusini Episcopi. *Alterum ejusdem cœnobii :* S. Savini Canusini Episcopi. *Quartum denique (nam tertium principio mutilum) ita habet :* S. Savini Canusini Episcopi et Conf. l. 3. *MS. quidam libellus Carthusiæ Bruxellensis :* In Canosina civitate sanctorum E Episcoporum Sabini et Winandi. *Eodem die illum refert Constantinus Ghinius, in Natalibus SS. Canonicor. Kalendarium a Wolfgango Edero Ingolstadii ex Maceratensi exemplari editum* VIII *Februarii hæc habet :* Sabini Episc. et Confess. *At Florarium SS. eum* XII *Februarii collocat. Plures* XVII *Februarii, Petrum de Natal. lib. 3 cap. 133 secuti. Maurolycus et Felicius :* Item Savini Episcopi Canusini, de quo Gregorius. *Molanus in prima edit. Addition. ad Usuard.* Sabini Episcopi Canusinæ civitatis, de quo refert Gregorius 3 Dialogorum. *In posteriori editione eum omisit. Hermannus Greven in Addit. ad eumdem Usuardum :* Sabini Episcopi civitatis Canisinæ, *(eadem modo habet Canisius in utraque editione)* de quo inter alia refert Gregorius 3 Dial. quod cum procurante ejus Archidiacono, qui episcopatum ambiebat, venenum sibi fuisset propinatum, Spiritu prophetico hoc cognoscens, sine læsione biberit, mandans Archidiacono : Ego venenum bibo, sed tu Episcopus non eris. Eadem igitur hora Archidiaconus defunctus est. *De variis ejus Translationibus, et quibus diebus ex recolantur, infra dicemus : ubi et illud quærere liceat, an non fortassis alter Sabinus* XVII *aut* XII *Februarii decesserit, et sit ad hunc diem temere revocatus, quasi idem esset* F *qui hoc die erat sacris tabulis adscriptus.*

*colitur uterque 9 Febr.*

*fortassis alter olim alio die :*

## § II. *S. Sabini Vita. Quando scripta?*

S. *Sabini res gestæ, sive unius, seu duorum permistæ, tertio post junioris obitum seculo mandatæ litteris sunt. Auctor Petri Episcopi coævus fuit, ipsiusque adeo jussu eam historiam scripsit, atque ex illius relatione multa didicit. Testatur id ipse cap. 5 num. 13.* De virtute et miraculis vitæ prædicti Dei famuli, quantum memoriæ occurrit, diximus : nunc autem cujus sit meriti, vel quantis virtutibus illius ossa clareant, Deo opitulante, loquamur. Hæc autem quæ dicturus sum, audivi a viro venerabili Petro ejusdem Ecclesiæ Episcopo. Hic mihi de prædecessore Sabino, quæque a senibus Sacerdotum diligentius multis inquisitionibus audierat, vel quod ex epigrammate legere poterat, sæpius narrare consuevit ; et hæc ut scriberem præcepit. *Beatillus cap. 15 Vitæ Italicæ S. Sabini, jussisse quidem Petrum ait S. Sabini gesta conscribi sed Leonis* III *Papæ mandato; propterea quod Auctor ita narrationem orditur :* Voluntati tuæ parere, Summe Pontifex, cupio ; sed manus refugit, tantis gravata peccatis, de tanti viri virtute miracula pandere. Verum

*Vita scripta jussu Petri Episcopi,*

*non Leonis 3 Papæ.*

*AUCTORE I. B.*

A *rum nihil necesse est verba illa,* Summe Pontifex *et quæ mox sequuntur,* præceptis obedio pontificalibus, *de Pontifice Romano, sive, ut vult Beatillus, Leone* III, *qui a* XXVI *Decemb. anni* DCCXCV *sedit ad* XII *Junii an.* DCCCVI, *seu quopiam alio, intelligi.*

*post interpolata :*

10 *Petrum ipsum fortassis ita Auctor compellat, cujus imperio coactum se eam historiam scribere, postea diserte testatur; vel alium e successoribus. Non enim eam Vitam Petro superstite absolvit, aut certe postmodum interpolavit. Nam cap. 6 num. 18 ita scribit :* Neque hoc silentio damdum existimo, quod ab ejusdem Ecclesiæ Primicerio sese audisse asseruit, dicens : Venerabilis namque Bursæ tempore, qui in hac Ecclesia, Deo largiente, extitit Pontifex, (cujus etiam Archidiaconus Audoalt fuisse commemoratur, qui tertio in loco a præfato venerabili Episcopo Petro pontificali gloria functus est) supradicti itaque Bursæ tempore *etc. Quibus ex verbis patet, post Petri, ipsiusque adeo Audoaldi, qui tertius ab eo Ecclesiam illam rexit, obitum, hanc scriptam vel denuo adhibito stylo expolitam et amplificatam ab ipso auctore Vitam esse.*

*non vixit Petrus initio 9 seculi,*

11 *De Petri autem ætate hic quærendum. Beatillus scribit Petrum eum ipsum qui S. Sabini jussit Acta conscribi, paullo post annum Christi* DCCC *Canusinis infulis admotum, gente Longobardum, Grimoaldo Salernitano Principi proximo consanguinitate conjunctum, sanctimonia clarum opinione : sed everso a Saracenis* B *Canusio, civibus in varia dilapsis, Salernum se recepisse, ibique anno* DCCCXXXIV, *Rodoaldo illius urbis Episcopo vita functo subrogatum, et decimo post anno decessisse. Eadem tradit Gaspar Musca lib. de Episcopis Salernitanis, qui ei Salerni successisse Ructulum ait, hunc Magnaldum, dein Teupum, Alonem, Landemarium. At Canusinam Ecclesiam vult Beatillus post Petri mortem Barensi unitam, commissamque Angelario Archiepiscopo. Verum si fuit ea ætate Petrus aliquis, a Canusina ad Salernitanam Cathedram erectus, alium eum esse necesse est ab illo, cujus auctoritate Vita est S. Sabini conscripta. Nam hic Canusii successores habuit, et inter hos tertium Audoaldum, olim Archidiaconum sub Bursa Episcopo, cui Bursæ Petrus, et fortassis non immediate, successerat. Quid quod nec illud satis incredibile videtur, Audoaldum prius multo, quam Petrus Episcopus fieret, Archidiaconum fuisse, et cum circiter* XLIV *is sedisset annos, tertio demum loco post eum Episcopum esse factum, ætate jam decrepita, exactis in priori illo, haud sane adolescentibus conferri solito, munere* LX *fere annis? Et quis ille est* Grimoaldus *Sa-* C *lerni Princeps, cujus consanguineum fuisse hunc Petrum statuit Beatillus? Fuit quidem Beneventi Princeps, idemque et Salerni,* Grimoaldus *Archisi filius anno Christi* DCCLXXXVIII, *cui post annos* XVIII *successit alter* Grimoaldus *ipsius Thesaurarius, anno* DCCCXVII *vel* DCCCXVIII *a Sicone interfectus. At primum circiter annum* DCCCL *a Beneventano separatus est Salerni principatus, et Sigenulpho Siconis filio attributus.*

*nec ultimus Canusii Episcopus fuit,*

*nec id continuo tunc excisum.*

12 *Deinde si everso Canusio fugisset Salernum, Petrus quomodo non uspiam Auctor illius meminisset, cum post Petri obitum scriberet? Ac nec secundi quidem Petri tempore, si fuit secundus ille, cum partim a Radelchi Beneventani principatus invasore, partim a Sigenulpho, evocati in Italiam Saraceni, ingentem late stragem ediderunt, vel penitus eversum Canusium, vel desertum a civibus, ut deinceps habitatore omnino caruerit; cum Ludovicus* II *Imperator, Lotharii filius, isthic præsidium, Barenses Saracenos bello aggressurus, locavit, ut testatur Erempertus cap.* 34

*scripta hæc Vita sub Emerith Principe Salentinorum,*

13 *Aliam Auctor ætatis suæ notam Chronologicam prodit his verbis :* Hæc principante viro gloriosissimo Emerith, prole Grimoalt, scripta sunt; cujus temporibus multa Salentinati populo prospera occurrere, præstante et ordinante Domino nostro Jesu Christo, cui honor et gloria in secula seculorum. Amen. *Patet* D *Salentinorum regio a Tarento usque ad promontorium Japygium, quod extremum Italiæ est Græciam versus, diciturque ea omnis regio nunc* Hydruntina, *sive* Terra di Otranto, *ob Hydrunte urbe. Fortassis ab Aufido amne Salentinatis populi initium sumit hic Scriptor. Occupata a Longobardis Italia, mansere longo tempore Salentini et Calabri sub Constantinopolitani Augusti imperio : post ab iis subjugati, dein a Saracenis, tum Francis rursumque Græcis cessere, sæpius alternante fortuna; donec Normanni isthic rerum potiti sunt.*

*filio Grimoaldi,*

14 *At quando ei provinciæ præfuit Emerith, sive (ut habent MSS. Capuana)* Hermarich, *aut* Ermenrich? *Ejus neque in Longobardicis Pauli Warnefridi, neque in Herremperti historia mentio fit, quod quidem meminerim, nisi fortassis duo habuerit nomina, uti Totila Badulla, vel Baduilla dictus.* Grimoaldi proles *appellatur, Beneventani Principis, ut reor. Fuere vero* Grimoaldi, *qui Beneventanam ditionem tenuerunt, omnino quatuor :* I *Gisulfi Forojuliani Ducis filius, qui deinde Longobardorum regnum occupavit sub annum* DCLXII. *Secundus, illius nepos, Romualdi et Theoderadæ filius. Tertius Arechisi filius, de quo supra.* IV *qui tertio successit, a Sicone post interfectus. Cujus potissimum ex hisce quatuor Grimoaldis filius fuit Ermenrich?* Grimoaldus I *ad regnum Longobardorum invadendum, dis-* E *sidentibus inter se Ariperti Regis filiis Godeberto et Bertarido, invitatus, Romualdum filium Beneventanis præfecit, eique Theodoradam Lupi Forojuliensis Ducis filiam postea conjugem dedit circiter annum* DCLXIII *vel* DCLXIV. *ex qua is tres filios suscepit* Grimoaldum, *Gisulphum, Arichisum.* Grimoaldus *patri successit, sed (ut infra cap. 5 num. 16 dicitur) sub matris Theodoradæ tutela, et conjugem duxit Wigilendam Bertaridi Regis filiam, quæ cum matre Rodelinda, et Cuniberto fratre Beneventum videtur a Grimoaldo Rege fuisse antea, viro exulante, relegata. Obiit* Grimoaldus *tertio principatus anno, fratremque Gisulphum nactus est successorem, hic filium suum Romualdum. Fortassis, ergo* Grimoaldo II *natus ex* Wigilinda *filius fuit, sed cum is patre moriente adhuc esset in cunis, aut etiam necdum natus, ad patruum ejus Gisulfum delatum a Longobardis regimen est; qui ei deinde Salentinam ditionem administrandam tradiderit, quam Romoaldus Gisulfi parens, Emerithi avus, Longobardico imperio adjecerat; ut his verbis lib. 6 de gestis Longobard. cap. 1 testatur Paulus Diaconus :* Dum ista apud Longobardos trans Padum geruntur, Romoaldus Beneventanorum Dux congregata exercitus multitudine Tarentum expugnavit et cepit, parique modo Brundusium, et omnem F illam, quæ in circuitu est, latissimam regionem suæ ditioni subjugavit.

*secundi fortassis eo nomine Ducis Beneventani,*

*aut etiam primi, qui et Rex;*

15 *Potuit tamen etiam senioris Grimoaldi filius fuisse Emerith, sub quo S. Sabini scripta est vita : nam Grimoaldus qui prius* de captiva puella, sed tamen nobili, cujus nomen Itta fuit, Romualdum filium et duas filias genuerat, *ut lib. 4 cap. 47 scribit Paulus; idem regnum adeptus, filiam Ariperti Regis uxorem duxit, e qua Garibaldum suscepit, quem deinde Bertaridus avunculus, regno exturbavit. Fuit fortassis* Emerith *hujus Garibaldi germanus, et cum is a regno dejectus est, ad fratrem seniorem Romualdum vel remissus a Bertarido Rege, vel a nutritoribus ultro delatus, ibique educatus, ac tandem vel a Gisulfo vel Romualdo* II *Salentinæ regioni præfectus. Non videtur certe Grimoaldi* III, *qui Arechiso patri anno* DCCLXXXVIII *successit, filius esse potuisse Emerith; cum ille, ut monuit Herempertus, ex* Irriantia *conjuge,* nepte Augusti Argivorum, *prolem non susceperit, imo eam, ut Francos sibi conciliaret, repudiarit. At si* Grimoaldo IV *natus Emerith esset, qui diceret Auctor, ejus* temporibus multa Salentinati populo prospera occurrisse? *Et qui patrem ejus interfecit Sico, cur non ei quoque intulit manus? cur non Ludovicus*

*at non tertii,*

*nec quarti :*

A *vicus Pius in suam eum tutelam suscepit, et paterna clementia principatum ei restituit? At demus e porricidæ elapsum manibus, vel Imperatoris gratia defensum, Salentinis imperitasse; quæ potuerunt tunc illi populo prospera evenire,* impiis Saracenis ac perfidis Christianis loca Sanctorum *late* contaminantibus, *ut tomo* 2 *Scriptorum Francicorum Chesnæi in gestis Ludovici* II *dicitur?*

*unde hic publicata?*

16 *Verisimilius igitur est, et Petrum Episcopum, et anonymum hunc Scriptorem paullo post annum* DCC *sub Gisulfo et Romoaldo* II, *floruisse. Hanc porro Vitam ex vetustis MSS. Ecclesiæ Barensis eruit, et ad nos transmisit Beatillus. Geminum ejusdem exemplar Capua a Silvestro Aiossà accepimus, e vetustis codicibus monasterii S. Joannis ab ejus avunculo Michaele Monacho descripta, a quo et hoc annotatum fuisse scripsit :* Acta S. Sabini, quæ in Ecclesia Canusina MSS. asservabantur, Felix Siliceus Præpositus Canusii (qui deinde fuit Episcopus Trojæ patriæ suæ) typis excudenda curavit Bononiæ, ubi cum Em^mo^. Cardinale Antonio Cajetano Legato degebat anno MDCXXIII. Ea parum aut nihil differunt ab his nostris, sed in illis paucis hæc nostra sinceriora sunt. *Hæc ille. Nos eam editionem necdum vidimus. Aliqui ab ipso Siliceo subinde*
B *inserta, indicat idem Monachus.*

*antea edita, sed paullum interpolata.*

## § III. *Aliæ S. Sabini vitæ.*

*Alia vita S. Sabini scripta a Joanne Archidiacono Barensi.*

D*escripsit quoque S. Sabini Vitam paullo ante an.* MC *versibus elegiacis Joannes Archidiaconus, quam ex MSS. Ecclesiæ Barensis erutam nobis idem Beatillus communicavit. Hic autem est Joannes, qui ejusdem S. Sabini, cui interfuit, Inventionem litteris mandavit, qui se ab Ursone Barensi Archiepiscopo* a primo gradu Ecclesiastico usque ad Leviticum ordinatum *testatur, atque archidiaconatus deinde honore ornatum. Ejus meminit Nicephorus Barensis in historia Translationis S. Nicolai his verbis :* Interea ad Dominum Urscionem Archiepiscopum legatio dirigitur, qui tempore illo apud Canusinam et Tranum civitates morabatur, quarum pontificatu una cum Barensi archiepiscopio fungebatur; inde post biduum Joanne Archidiacono suo se comitante Hierosolymam iturus. Audito itaque tantæ novitatis nuntio, renuntiavit continuo intentioni Hierosolymam progrediendi. *Postea tamen, ut ipse testatur Joannes,* Hierosolymam caussa orationis ad sepulchrum Domini profectus est *Urso Archiepiscopus : an ipse eum sit comitatus, non indicat. Idem Joan-*
C *nes Translationem quoque S. Nicolai descripsit, quæ extat* IX *Maii apud Surium.*

*non Joanne Diacono S. Januarii :*

18 *Alius ab hoc est, ac facile* CLXXX *annis eo antiquior,* Joannes Diaconus, *a quo S. Nicolai scripta est Vita, qui de se in ejus prologo hæc habet :* Quod ego Joannes indignus Diaconus servus S. Januarii multum devitans, tibi me sæpius roganti, Frater Athanasi, rusticitatis obstaculum opponebam. *Vixit is initio decimi seculi, et S. Severini Noricorum Apostoli Translationem, cui interfuit, mandavit litteris, factam anno Leonis Sapientis* XXIV, *Christi* CMIX, *ut ad* VIII *Januarii diximus. Scripsit deinde S. Sosii Translationem, quam sic exorditur :* Post eversionem igitur Lucullani oppidi, sicuti in alio constat libello expressum, cum memoratus Abbas corpus S. Severini meruisset adipisci, cœpit. *Ac paullo inferius :* Talibus confestim eulogiis animatus Abbas ipse accersivit me Joannem S. Januarii Diaconum, et Aligernum Primicerium, et Petrum subdiaconum; et facta nobis præceptione injunxit, ut cum Joanne cognomento Majorino Præposito suo, et Athanasio illustri monacho, Misenum proficiscentes, nostro discerneret arbitrio, si quid acceptabile tanta monachorum insinuasset assertio.

19 *Scripsit denique S. Sabini Vitam multo luculentius; Italico stylo, Antonius Beatillus citatus, variis* D
*Capituli Barensis instrumentis, aliisque veteribus usus monumentis : eamque Neapoli anno* MDCXXIX *typis Ægidii Longi publicavit, dicatam Ascanio Gesualdo Barensi et Canusino Archiepiscopo; qui avunculo suo Decio Caracciolo* XXVII *Maii* MDCXIII *vita functo suffectus, anno insequenti ipso S. Sabini festo die,* IX *Februarii, Barium solenniter ingressus, variis dein pro Apostolica Sede legationibus functus, a Paulo* V *Pontifice Maximo Patriarchæ Constantinopolitani dignitate est ornatus. Illud vero haud paucis mirabile visum est, quod Neapoli evenit, priusquam ea Vita, a Beatillo jam scripta, typis excuderetur. Marcus Antonius Palumbus noster, et ipse commentariis in primam partem S. Thomæ editis clarus, hanc Vitam, ut erat manu Auctoris exarata, sub axilla quopiam deportabat, pallio amictus, more nostro, ibatque per urbem Neapolitanam, eo modo ut nemo oculis perspicere posset, quid gestaret, aut omnino an gestaret aliquid. Hic non longe a S. Sebastiani monasterio energumenæ obviam fit, quæ hoc occursu conterrita, inconditos edere gestus cœpit. Caussam sciscitantibus, respondit commoveri se libello, quem clam Pater ille deferret. Interrogata porro, quid illud esset libri, Vita est, inquit, hostis mei omnium qui unquam vixe-*
E *runt capitalissimi. Tunc librum ille adstantibus ostendit, qui omnes magna alacritate animorum professi sunt sese sanctum illum peculiari deinceps studio veneraturos, cujus vel Vitam horrori esse dæmoni cognoscerent.*

AUCTORE J. B.

*alia Italice ab Antonio Beatillo,*

*eaque horrori est dæmoni :*

20 *Breviter S. Sabini res gestas complexus est Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad hunc diem, et Petrus de Natalib. lib. 3. cap.* 133 *ad* XVII *diem, Februarii; Constantinus Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum. Quia vero nonnulla referuntur a Beatillo, quæ in MS. Vita non habentur, ab eo ex vetusti Ecclesiæ Barensis monumentis eruta, ea nos hic succincte prosequemur. Nec mirum id videri cuiquam debet, Auctorem qui ducentis facile post S. Sabini obitum annis, illius gesta scripsit, non omnia fuisse assecutum; cum Petrus Diaconus lib. 3 Dialogorum S. Gregorii, cap. 5, postquam idem sanctus Pontifex bina S. Sabini miracula retulit, ista subdat :* Mira sunt hæc, et nostris valde stupenda temporibus; sed talis ejusdem viri vita perhibetur, ut qui conversationem ejus agnoverit, virtutem non debeat mirari.

*alibi mentio fit S. Sabini.*

## § IV. *Præclare gesta a S. Sabino ante episcopatum, si unicus fuit; aut a seniore, si duo.*

N*atus creditur Canusii Sabinus opulentis ac nobilibus* F
*parentibus, quo fere tempore Occidentis imperium utcumque retinebat Majorianus Augustus, Orientis Leo Thrax, Ecclesiæ Romanæ Leo* I *præerat, Canusinam Probus, quo de supra egimus, administrabat, claro eruditionis fama. Dein ad omnem pietatem, ejusdem fortassis Probi magisterio, eruditus; ubi adolevit, quas habebat amplissimas facultates, ad basilicas Sanctorum partim ædificandas, partim instaurandas cœpit conferre. Plures in Vita memorantur ab eo vel constructæ primum, vel ampliatæ et ornatæ : celebris ea quam in urbe Barolitana S. Andreæ Apostolo locavit. Est* Barolum (*vulgo* Barletta, *quam* Bardulos *Peutingeri itineraria tabula appellat) Apuliæ urbs nobilis ac frequens et opulenta, inter quatuor nobilissima Italiæ castella, Fabrianum Piceni, Pratum Thusciæ, Cremam Langobardiæ, Leandro teste, numerata. Sed quod idem scribit, a Canusinis, ipsorum eversa urbe, ædificatum Barulum, a Frederico* II *Imperatore auctum, haud satis videtur cum hac S. Sabini Vita congruere. Quis enim credat vicum dumtaxat fuisse Apulo in littore, quem tam splendida æde ornare Sabinus voluerit, ut ad ejus dedicationem ipsum Romanum Pontificem Gelasium invitarit. Nondum tunc Episcopum fuisse Sabinum necessario asserunt, qui unicum admittunt, cum, ut supra diximus,*

*S. Sabini patria, genus, institutio.*

*ecclesia Barolitana,*

*eo procurante;*

AUCTORE J. B.

A *SS. Ruffinus et Memor Canusinæ Ecclesiæ post S. Gelasii mortem præfuerint. Videtur antiquus S. Sabini Vitæ scriptor existimasse, cum Barolitana illa dedicata ecclesia est, jam tunc eum Episcopum fuisse : quod nostræ de duobus Sabinis conjecturæ favet.*

*a S. Gelasio Papa dedicata,*

*cujus injussu fieri id nefas erat :*

22 *Ut vero pro ecclesiæ illius dedicatione Pontificem Maximum interpellaret Sabinus, veterum canonum auctoritas, ipsiusque fortassis Gelasii, effecit. Hic namque epistola 9 data ad Episcopos* per Lucaniam, et Brutios, et Siciliam constitutos, *imo fortassis et per reliquam Italiam, ita se profitetur* canonum paternorum decreta librare, et retro Præsulum decessorumque *suorum* præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperet. *Et tamen § 6 diserte sancit :* Basilicas noviter institutas, non petitis ex more præceptionibus, dedicare non audeant. *Ac deinde* § 27. De locorum consecratione sanctorum, quamvis superioribus strictim fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est, quod absque præcepto Sedis Apostolicæ, nonnulli factas ecclesias vel oratoria sacrare præsumant. *Id veterum illorum observationem Canonum spectare censet Baronius tom. 8 ad an.* B 591 *num. 24, quod S. Gregorius dedicationem diversarum ecclesiarum faciendam mandarit in epistolis isthic citatis, præsertim lib. 7 ep. 15. Quod vero Gelasius ecclesiæ Barolitanæ dedicationem non vicino cuipiam Antistiti demandarit, sed tam longinquum ipsemet iter ejus rei caussa susceperit, ipsius indicat Gelasii demissionem ac pietatem, et quanto apud eum in gratia esset Sabinus, non ob generis duntaxat nobilitatem, sed præcipue ob eximiam pietatem atque eruditionem, ei vel Probi Episcopi relatione cognitum, vel oculis exploratum fortassis in ejusdem Probi comitatu. Multas ab eo extra urbem Romam dedicatas ecclesias recenset Anastasius Bibliothecarius, de quibus ad ejus Vitam* XXI *Novembris. Extare etiamnum Baroli illam S. Andreæ ædificatam a Sabino ecclesiam, tradit Beatillus.*

*ad dedicationem ecclesiæ S. Michaelis in Gargano*

23 *Alia iisdem Gelasii Papæ temporibus facta sacræ ædis dedicatio, uti ante indicatum, cui Sabinus quoque adfuit; ejus nempe quæ in Gargano Apuliæ monte a Sipontinis civibus ædificata tunc fuit : de qua et* XII *Februarii in S. Laurentii Vita egimus, et erit magis proprius agendi locus ad* XXIX *Septembris, quo die hujus dedicationis anniversaria memoria celebratur. Hanc Beatillus factam scribit, cum Constantinopoli revertisset Sabinus, quod (ut infra patebit) vix ante exitum anni* C DXXXVI *potuit evenisse. At vetus dedicationis historia, quæ et manu exarata et cusa typis extat, Gelasii Papæ temporibus accidisse tradit. Sigeberti Gemblacensis Chronicon, ut est a R. Laurentio Barrio editum, ad ann.* CCCCLXXXVIII, *(quem Gelasii secundum statuit) ista habet, quæ absunt a Miræi editione :* Hoc tempore facta est inventio cryptæ S. Michaelis Archangeli in monte Gargano : unde et ejus memoria singulis annis celebri festivitate in Ecclesiis Dei recolitur. *Baronius ad annum* CCCCXCIII, *qui vere Gelasii secundus fuit, cryptæ illius inventionem refert. Subscribit Joannes Paulus Grimaldus noster in Vita S. Rogerii Episcopi Cannensis. Philippus Ferrarius quoque in Catalogo SS. Italiæ ad* XXIX *Septembris, sub Gelasio factam consecrationem testatur,* præsentibus SS. Sabino Episcopo Canusino, Rogerio Episcopo Cannensi, et Richardo Episcopo Andriensi. *Verum, ut sæpe diximus ; nisi duo fuerint Sabini, eo tempore nondum ad episcopatum erectus erat, qui deinceps sub Justino et Justiniano Imperatoribus floruit.*

*anno 493*

*cum aliis Episcopis invitatus S. Sabinus,*

24 *Operæ pretium hic erit, quæ ad eam dedicationem proficiscentibus Episcopis mira evenerunt, commemorare, quia et Sabinus aderat, si non Episcopus, celebri tamen eruditionis et pietatis fama. Italice ea Beatillus ac Grimaldus narrant, uterque ex S. Richardi Episcopi Andriensis Vita, ante annos ducentos a Francisco de Baucio Duce Andriensi Latinis litteris conscripta, quam* IX *Junii integram dabimus; hic ea solum, quæ ad Sabinum quoque pertinent.* D

*in itinere miraculis illustratus.*

25 Cum *Richardus* pluribus annis in tam sanctis operibus perseverasset, placuit B. Michaeli Archangelo, universalis Ecclesiæ Principi, animarumque receptori , oratorium in monte Gargano, quod a suo nomine appellatur, construere; factaque tauri apparitione illa mirabili, ut in sua historia continetur, concessaque victoria ejus rei populo Sipontino, per eorum Episcopum B. Laurentium missum ad Gelasium Pontificem sciscitatum, quid fieri deberet in loco a S. Michaele Archangelo electo, responsum accepit ab eodem Pontifice, ut, si sancto Dei Archangelo placeret, ecclesiam fundarent in laudem S. Michaelis, ubi suæ voluntatis esset : idque exequeretur per sanctos Dei Episcopos, Laurentium Sipontinum, Sabinum Canusinum, Pelagium Salapitanum, Rogerium Cannensem, et Richardum Andriensem. Cui postquam hæc nuntiata fuerunt; ad tale ministerium exercendum accersitus, pedibus et Canusium et Cannas perrexit, et una cum B. Rogerio Cannensi et Sabino Canusino Episcopis, uti pedites erant, ita itineri se commiserunt, ut Sipontum pergerent. Qui quoniam assiduis jejuniis laboribusque E confecti erant, ac solis ardoribus (erat enim September mensis) premerentur; cum iter illud sit (uti est ea regio arboribus denudata) solis ardoribus expositum; summum Deum oraverunt, ut tanto æstu aliquid lenis auræ eos refrigerantis concedere dignaretur. O rem miram et antea inauditam ! O Dei potentiam admirabilem ! Hinc manifeste apparuit, quam sit propitius Deus diligentibus se. Nam non prius finita est servorum Dei oratio, cum subito aquila una immensæ magnitudinis super eorum capita volitans apparuit, et duplex illis sanctis viris obsequium exhibens : namque sub umbra alarum aquilæ ambulantes nihil æstivi illius caloris pristini sentiebant, et eorem fessa corpora lenis aura, quæ ex motu alarum oriebatur, refrigerans propensiores ad iter perficiendum reddebat.

*aquila contra æstum tegente*

26 Quo tandem factum est, ut Sipontum ad B. Laurentium pervenirent. Ubi Divino Officio in vesperis celebrato, quieti reliquo diei et noctis sequentis tempore se dedere. Ea nocte Archangelus Michael B. Laurentio Sipontino per quietem apparuit, dixitque non esse hominis officium, ecclesiam, quam suo nomini ipse dicasset, consecrare. Ipse enim locum illum ad oratorium sibi eligerat, quem suo adventu F sacraverat quod ut esset omnibus notius, ait reliquisse se, ad tantæ rei fidem, super suo venerando altari suorum pedum plantarum vestigia marmoreo lapidi impressa, ac etiam ante oratorii januam imaginem lapideam sculptam, et figuram Archangeli, qua postea pingeretur. Hæc B. Laurentius ut per visum acceperat, ita sanctis Dei Episcopis patefecit. Qui læti tanta talique visione, atque intellectis sancti Archangeli ministeriis, et quantum indulgentiæ a Deo omnipotenti, intercessione beati Archangeli Michaelis illi ecclesiæ concessum est, exhilarati gaudio, gratias Deo immortali et B. Michaeli egerunt, per quem ea susceperant.

*Crypta ab ipso S. Michaele dedicata,*

27 Sed cum præ omnium concursu ecclesiam illam visitantium, unum altare in peragendis Divinis mysteriis non esset sufficiens; tria ibi altaria consacraverunt, primum in honorem beatæ et gloriosæ Mariæ Virginis prope aquam sacram, quæ vocatur stilla; alterum in honorem B. Joannis Baptistæ, tertium vero in honorem beatorum Apostolorum Petri et Pauli. Quibus rebus peractis, omnium rerum illi Ecclesiæ attinentium curam B. Laurentio Episcopo Sipontino demandaverunt, ac etiam totius Cleri ordinationem. Hoc facto B. Richardus, cum B. Rogerio

*alia altaria ab Episcopis.*

A Rogerio et B. Sabino, ad suas Ecclesias redierunt, hic Canusium, ille Cannas, Beatus vero Richardus Andriam pervenit. *Hæc ibi, Eadem de sacratis a BB. Laurentio, Sabino, Rogerio, Richardo, altaribus breviter referuntur in Officio S. Richardi, Romæ excuso an.* 1586. *Lect.* 6. *atque a Philippo Ferrario in Catalogo SS. Italiæ in Vita S. Richardi* IX *Junii, in Annotat. ad Vitam S. Rogerii* XV *Octob. in Annot. ad dedicationem S. Michaelis* XXIX *Septembris.*

*Itineris illius anniversaria memoria Baroli.*

28 *Viget Baroli perennis memoria illius miraculi, quo sanctos Antistites Richardum, ac Rogerium, nec non Sabinum, quemcumque is tunc gradum Ecclesiasticæ dignitatis tenuerit, iter agentes aquila obumbravit. Nam cum habeant Barolitani plurimas illustrium Sanctorum reliquias; quas in variis ejus urbis nobilissimæ basilicis religiose venerantur, ut partem brachii S. Joannis Baptistæ, linguam S. Bartholomæi Apostoli, aliasque id genus; tamen festo die S. Rogerii Episcopi Cannensis, qui præcipuus illis Patronus, publica per vicos urbis supplicatione cum sacro Rogerii capite, solas SS. Sabini et Richardi reliquias circumferunt. Ut qui simul viam mortales confecerunt, eorum immortali jam vita fruentium exuvias simul per vias gestari venerabunda,* B *cernat posteritas.*

## § V. S. Sabini episcopatus. Calumnia superata. Familiaritas cum variis Sanctis.

*Tempus adepti episcopatus*

*Tandem jure meritoque, hisce religionis operibus pie laudabiliterque perfectis, aut sua præsentia cohonestatis, si idem est, dignus certe, si diversus, ad Canusinum episcopatum evectus est Sabinus, anno* DXIV, *cum S. Memor decessisset : Quod ergo Platina in Pelagio* I *Pontifice scribit,* Ornarunt etiam Pelagii tempora sanctitate et doctrina Sabinus Canusinus, Gregorius Lingonensis, Vedastus etc. *Id de Vedasto verum non est, cum anno* DXL *obierit; at de Sabino est verissimum, qui anno demum Christi* DLXVI *post Pelagii obitum* VI, *sui episcopatus* LII *decessisse fertur.*

*et mortis,*

*Magus accusatus, Romamque citatus.*

30 *Quod tempus illi non ita exactum, ut non multis fuerit adversis exercitus, quæ propria fere fortuna Sanctorum est. Nam præterquam quod concussa tunc bellis Gothicis Italia est, ipse a nefariis hominibus, quos illius admonitiones, ac sollicita disciplinæ Ecclesiasticæ custodia irritarat, delatus ad Felicem* IV *Pontificem est sub annum* DXXVIII, *quod et Ordinis Episcopalis munia negligeret, et magicis artibus daret operam. Miratus est Pontifex hoc impingi crimen ei viro, cujus dudum au-* C *dierat sanctitatem celebrari; tamen gnarus mutari facile mentes hominum, flectique in deterius, Romam evocat Sabinum, caussam dicturum. Illico se in viam dedit vir sanctus, paratus quamcumque contumeliam atque opprobrium sustinere, si ita Deo permittere visum esset. At certum vel in ipsa ratione itineris, ab Divino favore præjudicium fuit : unico enim die supra ducenta passuum millia, quantum Romam inter ac Canusium est spatii, confecit. Obstupuit improviso viri adventu Pontifex : nec nihil fortassis ea itineris celeritas valuit ad conceptam, adversariorum fraude, necromantiæ opinionem altius ejus animo imprimendam. Parum ergo benigne ac comiter acceptum, vetat palatio pedem ea nocte efferre, ut primo mane illius agitari negotium possit; honesto tamen illi assignato conclavi. Hic Sabinus sub mediam noctem, more suo, Divinas laudes et psalmos decantare aggreditur. Probata cælesti indicio pietas. Affuere enim Angelorum chori, qui alternis cum eo psallerent. Auditus ille per ædes Pontificias intempesta nocte concentus, domesticos ipsumque adeo excivit Felicem. Conclave reperiunt immensa circumfusum luce. Irrumpit illico Pontifex, seque ad sancti hospitis pedes prosternit, atque austeritatis, quam pridie præ se tulerit, veniam precatur. Illacrymans Sabinus Pontificem supplex ipse obtestatur ut assurgat, humiliter illud in-*

*eo pervenit unico die*

*Angelis nocte cum eo psallentibus,*

*et cubiculo ... illustrato,*

*absolvitur*

*culcans : Non est servus major Domino suo. Postridie* D *commemorat Pontifex, quid noctu viderit, audierit; itaque sententia Sabinum absolvit, ac deinde non sine illustribus benevolentiæ argumentis, ad suam illum Ecclesiam remittit.*

AVCTORE I. B.

*visit S. Benedictum :*

31 *Dum ad suos Roma revertitur Sabinus, haud dubium quin Cassinum ad S. Benedictum Abbatem diverterit, quocum illi singularis erat familiaritas, ut in Vita traditur, et infra gravissimo S. Gregorii Papæ testimonio confirmabimus. Et fere solent qui sanctiores sunt Episcopi, religiosorum pia instituta diligere ac fovere; quæ nemo aversatur aut odit pius, nisi fortassis ad tempus ignorantia veri laboret. Cum sanctis quoque Benedicti discipulis contracta tunc Sabino notitia. In his Placidus erat, qui a sancto Patre in Siciliam, sub annum* DXXX, *aut non longe post, non tamen* DXXXVI, *(ut habet illius Vita, quæ dicitur a Gordiano ejus comite scripta, sed ab imperito quopiam postea interpolata, ut* V *Octob. ostendemus) non, inquam, eo anno, cum ab Italia abfuerit tunc Sabinus, ut mox dicemus. Visit tunc ex itinere Placidus S. Germanum Capuanum Episcopum, Sabino ac Patri suo Benedicto perquam familiarem : deinde Marcianum Episcopum Beneventanum, tum ipsum quoque Sabinum. Quem Sanctorum virorum congressum ita describit Gordianus.* E

*visitatur a S. Placido,*

32 Beatissimus vero Placidus S. Marcianum Episcopum salutans in osculo sancto, post aliquos dies ad Canusium Apuliæ civitatem devenit, in qua cum ingenti gaudio et dilectione ob amorem B. Benedicti, a S. Savino ejusdem civitatis Episcopo susceptus est. Idem S. Savinus Episcopus tam beatissimo Placido, quam et omnibus qui cum eo venerant, omnem humanitatis curam exhibuit. Sanctus autem Savinus per tres dies B. Placidum secum retinens, dulcia invicem perennis vitæ inter se serebant colloquia : et per intervalla horarum interrogabat illum de virtutibus, quas per beatissimum Patrem Benedictum Divina exercuerat Majestas, simul etiam de vita et melliflua ac discretissima doctrina ejus.

*a quo arida ... manus sanatur,*

33 Interea dum ista dicuntur, et illa referuntur, Landulfus quidam nomine, manum aridam et inenervatam habens, ubi comperit illuc advenisse Placidum discipulum B. Benedicti, flens et ejulans venit clamavitque : Placide virorum sanctissime, adjuro te per eum qui cuncta creavit, et per Magistri tui Benedicti sanctum nomen, ut mihi sanitatis beneficium implores a Domino : confido enim, quia per te ostendet in me Dominus misericordiam suam. Hæc cum dixisset cum ingenti luctu aridam manum beatissimo F Placido ostendebat. Idipsum omnes, qui in eodem spectaculo erant, et qui occurrere poterant, una cum S. Sabino Episcopo suppliciter exposcebant, rogantes eum ut pro eo omnipotenti Domino supplicaret. At ipse, ut erat piissimus, ex intimo cordis trahens longa suspiria, cum lacrymis orationem fudit ad Dominum, dicens : Deus omnipotens, cui nihil est impossibile, qui cælum, terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, ex nihilo creasti; qui dedisti huic famulo tuo in baptismate remissionem omnium peccatorum; tu hunc per merita beatissimi Patris nostri Benedicti in pristina incolumitate redintegrare digneris, per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in secula seculorum. Hæc cum dixisset, utraque manu sua manum aridam apprehendens, ait : Sanet te Dominus Jesus Christus, qui dignatus est extendere manum aridam in synagoga. Continuo itaque extensa est illius arida manus et incurvata, et pristinæ sanitati restituta est. Sanctus vero Savinus Episcopus tale miraculum per B. Placidum dum advertisset, glorificabat Dominum dicens : Gratias tibi refero, cunctorum vita salusque, qui beatissimo servo tuo Benedicto talem nutrire concessisti discipulum, per quem tibi signa et prodigia

*plaudente Sabino.*

A gia patrari sit placitum. Sit nomen tuum benedictum ex hoc nunc et usque in seculum. Hi autem qui præsentes erant, hoc videntes glorificabant Deum, Patremque sanctissimum Benedictum summis adoreis extollebant. Sanctus vero Placidus B. Savino Episcopo valefaciens, et inde iter accelerans, post non multos dies devenit Rhegium Calabriæ civitatem.

AUCTORE J. B.

## § VI. *S. Sabini Constantinopolitana legatio.*

*Justiniano Imp. petente mittit ab Agapeto Papa legati Constantinopolim.*

D*einceps majores pro Dei gloria labores suscepit Sabinus, illustri functus Apostolicæ Sedis legatione. Nam cum anno Christi* DXXXV *Pontifex Maximus renuntiatus esset Agapetus, huic eam dignitatem gratulatus est Justinianus Augustus, missa fidei professione: aliis vero litteris petiit, ut qui ab Ariana hæresi converterentur, pristinas retinerent dignitates; atque Episcopus Primæ Justinianæ, ubi ipse natus erat Imperator, pallio insigniretur, et vices gereret Apostolicæ Sedis. Agapetus Epistola 1 fidei professionem, quatenus erat sacris Canonibus consentanea, probavit, non ut Augusto aliquam docendi, aut res Ecclesiasticas tractandi ordinandique potestatem dare videretur.* Tuæ pietatis epistolam, *inquit,* de fidei vestræ expositione, nuper ad beatæ B memoriæ prædecessorem nostrum Joannem Romanæ Sedis Antistitem, per Hypatium atque Demetrium Episcopos destinatam, et a præfato Præsule roboratam, nostra quoque auctoritate firmamus, laudamus, amplectimur, non quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus atque roboramus. *Epistola vero tertia eidem Justiniano gratias agit, quod sibi pontificatum sit gratulatus, ejusque fidem laudat; sed negat per sacros Canones posse lapsos Episcopos cum dignitatibus recipi: atque hanc ad rem Legatos a se, ut Imperator postularat, mitti.* Et ideo, *inquit,* quia Clementia vestra salubriter offerre dignata est, ut a Legatis nostris omne negotium tractaretur, hanc operam his, quos incontinenti dirigimus, Deo auctore, mandamus. *Et deinde:* De quo simul negotio, sed et de Justinianæ civitate, gloriosi natalis vestri conscia, necnon et de nostræ Sedis vicibus injungendis, quid servato B. Petri, quem diligitis, principatu, et vestræ pietatis affectu, plenius deliberari contigerit, per eos quos ad vos dirigimus Legatos, Deo propitio, celeriter intimamus.

*quorum præcipuus Sabinus*

35 *Qui vero illi essent Legati, non expressit ea epistola Agapetus. Extant eorum nomina in singulis Actionibus concilii Constantinopolitani sub Menna anno insequente habiti descripta. Eos enim, qui ibi memorantur, prius ab Agapeto missos fuisse constat ex principio primæ Actionis ejusdem Synodi, ubi hæc leguntur.* Et a dextra quidem parte considentibus ei (*Mennæ*) et condicentibus, juxta jussionem piissimi Christo dilecti et a Deo custoditi Imperatoris nostri Justiniani, sanctissimis ac Deo dilectissimis Episcopis, Sabino Canusino, Epiphanio Esculano, Asterio Salernitano, Rustico Faesulano, Leone Nolano, omnibus ex Italiæ regione prius quidem missis a Sede Apostolica; deinde vero unanimiter consentientibus advenienti huc sanctæ memoriæ Agapeto Papæ antiquæ Romæ etc.

C

*eodem ipse Agapetus a Theodato R. proficisci coactus,*

36 *Nam ipsemet paullo post Constantinopolim proficisci coactus est Agapetus, ubi et decessit an.* DXXXVI *circiter* XXII *Aprilis. Caussa itineris exponitur histor. miscellæ lib.* 16 *cap.* 3 *his verbis:* Interea Athalaricus Rex Gothorum, cum necdum expletis pueritiæ annis regnasset, immatura morte præventus vitæ subtractus est. Cujus mater Amalasuinta post ejus funus Theodatum sibi adscivit in regnum. Sed Theodatus idem collati sibi immemor beneficii, eam post dies aliquot in balneo strangulari præcepit: et quia ipsa, dum adhuc viveret, se suumque filium commendarat Principi; audita Justinianus Augustus ejus morte, gravi mox adversus Theodatum iracundia exarsit. Sentiens se Theodatus infensum habere Principem, beatum Papam Agapitum Constantinopolim misit, quatenus ei apud Justinianum facti impunitatem impetraret. *Erat Amalasuintha Theodorici Amali Gothorum in Italia Regis filia, nupta prius Eutarico, qui ante socerum decessit. Theodatus vero filius Amalafridæ Theodorici sororis. Ideo scribit Jornandes de reb. Goticis cap.* 59 *eum ab Amalasuentha* germanitatis gratia accersitum a Thuscia, ubi privata vita degens, in laboribus propriis erat. *Subdit deinde:* Qui immemor consanguinitatis, post aliquantum tempus a palatio Ravennate abstractam, in insulam laci Bulsiniensis eam exilio relegavit. Ubi paucissimos dies in tristitia degens, ab ejus satellitibus in balneo est strangulata.

D

37 *Contigit Athalarici obitus, cædesque Amalasunthæ anno Christi* DXXXIV, *Justiniano* IV *et Paulino Coss. Anno vero sequenti missus est Constantinopolim Agapetus. At vero* Epiphanius Episcopus regiæ urbis *ut habet Marcellini Chronicon,* ante adventum Romani Præsulis moritur. *Sufficitur in ejus locum, agente Theodora Augusta, Anthimus Trapezuntinus Episcopus Eutychianæ hæreseos propugnator, cui et ipsa addicta erat Theodora. Eum Agapitus ex illa Sede dejecit, ac Mennam substituit, suaque manu consecravit, virum Catholicum, genere Alexandrinum; uti testatur Liberatus in Breviario cap.* 21. *Quæ deinceps egerit Constantinopoli Agapetus, dicemus ad* XX *Septembris, quo die ab Ecclesia colitur. Cum in Italiam reverti pararet, relicto apud Imperatorem Apocrisario Pelagio Romanæ Ecclesiæ Diacono, excessit e vita, cum prius et Mennam Vicarium Apostolicæ Sedis constituisset, et apud eum remanere, eique adesse Sabinum ceterosque Episcopos, antea a se missos, jussisset, ac legatione prius imposita fungi usque ad novi Pontificis electionem.*

E

*Anthimum hæreticum Episcopum deponit, et Mennam substituit;*

*apud quem remanere cum sociis Sabinum moriens jubet:*

38 *Mennas, vere dignus iis encomiis quibus eum prædicat Agapetus in epistola ad Petrum Hierosolymitanum data, quæ et nos ad* XXV *Augusti prosequemur, Agapeto vita functo, mox cum ejus legatis aliisque Episcopis,* VI *Nonas Maii* post consulatum Belisarii, *sive anno Christi* DXXXVI, *concilium celebravit, contra Anthimum, Severum, aliosque hæreticos. In singulis Actionibus quo ordine S. Sabinus et socii consederint memoratur. In quarta vero Actione ita sententiæ Concilii contra Anthimum subscribit:* Ego Sabinus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Canusinæ, diffinitionem sanctæ recordationis Patris nostri Papæ Agapeti, de persona Anthimi, quondam Trapezuntini Episcopi, sequendo, in omnibus subscripsi. *Initio Actionis* V *ita illius mentio fit:* et a dextra quidem parte considentibus illi (*Mennæ*) condicentibus, juxta jussionem piissimi a Christo amati et a Deo custoditi Justiniani Imperatoris, excellentissimis et sanctissimis ac Deo amantissimis Episcopis, Sabino Canusii, Epiphanio Esculanorum, Asterio Salernitanorum, Leone Nolanorum, Rustico Faesulanorum, Theophane Diacono Romano, Pelagio Diacono Romano, omnibus quidem ex Italica regione ab Apostolica Sede nuper missis, postea vero consentientibus Agapeto Papæ antiquæ Romæ huc advenienti. *Tandem sententiæ Mennæ Patriarchæ contra Severum, Petrum, et Zoaram ita subscripsit in eadem quinta Actione Sabinus:* Ego Sabinus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Canusinæ, in Synodo sequens diffinitionem sanctæ recordationis Papæ Hormisdæ, anathematizans atque condemnans Severum et ejus impia scripta, et Petrum quondam Apamearum Episcopum, et complices eorum atque sequaces, necnon et Zoaram, vel communicatores eorum, et in eodem errore permanentes, subscripsi.

F

*in Concilio sub Menna an. 536 interest et subscribit:*

39 *Quam multa perpessus sit aspera, quo tempore Constantinopoli*

A *occupavit, ceterum benigne victoria hac usus, contra quam sex annis ante Belisarius. Inde ad S. Benedictum venit in montem Cassinum, qui novem regnaturum annos prædixit, decimo moriturum, Siciliu prius adita, Romaque occupata; uti refert S. Gregorius lib. 2 Dialog. cap.* 15. *Romam anno belli Gothici* XI, *Christi* DXLV, *obsedit ac cepit, deque ea funditus evertenda deliberavit, ut scribit lib.* 3 *Procopius. Timuere id certe quamplurimi, ipso etiam regni ejus initio, interque eos S. Sabinus, cujus idem S. Benedictus ad meliorem spem animum erexit, ut infra a Vitæ illius scriptore commemoratur. Juvat hic ulipsum S. Gregorii verbis referre. Ita ergo scribit eodem* 15 *cap. lib.* 2 *Dialogorum.*

AUCTORE J. B.

46 Præterea Canusinæ Antistes Ecclesiæ ad eumdem Dei famulum venire consueverat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu Regis Totilæ, et Romanæ urbis perditione, colloquium haberet, dixit: Per hunc Regem civitas ista destruetur, ut jam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: Roma a gentibus non exterminabitur: sed tempestatibus, coruscis turbinibus, ac terræmotu fatigata, in semetipsa marcescet. Cujus prophetiæ mysteria nobis jam facta sunt luce clariora, qui in hac urbe dissoluta B mœnia, eversas domos, destructas ecclesias turbine cernimus; ejusque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus. Quamquam hoc Honoratus ejus discipulus, cujus mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse se perhibet; sed quia hoc dixerit, dictum sibi a Fratribus fuisse testatur.

*prædicit S. Sabino S. Benedictus Romam ob eo non evertendam.*

47 *Ipse quoque Sabinus, cum vel senio vel casu alio cæcus factus esset, clarius videre animo cœpit, Spiritu prophetiæ illustratus. Testatur id ipse quoque S. Gregorius lib.* 3 *Dial. cap.* 5. Quidam enim religiosi viri Apuliæ provinciæ partibus cogniti, hoc, quod apud multorum notitiam longe lateque percrebuit, de Sabino Canusinæ urbis Episcopo testari solent: quia idem vir longo jam senio oculorum lumen amiserat, ita ut omnimodo nil videret. Quem Rex Gothorum Totila prophetiæ habere Spiritum audiens, minime credidit, sed probare studuit, quod audivit. Qui cum in iisdem partibus devenisset, hunc vir Domini ad prandium rogavit. Cumque jam ventum esset ad mensam, Rex discumbere noluit, sed ad Sabini venerabilis viri dexteram sedit. Cum vero eidem Patri puer ex more poculum vini præberet, Rex silenter manum tetendit, calicem abstulit, eumque per se C Episcopo vice pueri præbuit, ut videret an spiritu providente discerneret, quis ei poculum præberet. Tunc vir Dei accipiens calicem, sed tamen ministrum non videns, dixit: Vivat ipsa manus. De quo verbo Rex lætatus, erubuit, quia quamvis ipse deprehensus sit, in viro tamen Dei quod quærebat invenit. *Hoc si primo Totilæ anno accidit, cum capto murisque nudato Benevento, ut supra ex Procopio retulimus, Canusique excisis, ut in S. Laurentii Sipontini Vita* VII *Februarii dicitur, omnem sibi Apuliam, Lucaniam, ac Campaniam subjecit; dicendum est, S. Sabinum post paullo quam erat Constantinopoli reversus cæcum factum, ac* XX *minimum annis ita probatum a Deo, et jam tum cæcum fuisse cum supra memoratam de Urbis eversione prophetiam ex S. Benedicti ore accepit.*

*Ipse quoque Sabinus prophetiæ spiritu donatus,*

*(quod Totila exploratit)*

48 *Aliud profert iisdem S. Gregorius prophetiæ, qua donatus S. Sabinus erat, argumentum, quod et infra a Vitæ scriptore narratur: sed auctoritatem majorem habet, sanctissimi Pontificis verbis relatum. Ita ergo habet:* Hujus autem venerabilis viri, cum ad exemplum vitæ sequentium in longum senium vita traheretur, ejus Archidiaconus, ambitione adipiscendi episcopatus accensus, eum extinguere veneno molitus est. Qui cum vini fusoris animum corrupisset, ut mixtum vino veneni ei poculum præberet, refectionis hora, cum jam vir Dei ad edendum discumberet, ei præmiis corruptus puer, hoc quod ab Archidiacono ejus acceperat, veneni poculum obtulit. Cui statim venerabilis Episcopus dixit: Bibe tu hoc, quod mihi bibendum præbes. Tremefactus puer deprehensum se esse sentiens, maluit moriturus bibere, quam pœnas pro illa tanti homicidii culpa tolerare. Cumque sibi ad os calicem duceret, vir Domini compescuit, dicens: Non bibas; da mihi, ego bibam; sed vade, dic ei qui tibi illud dedit: ego quidem venenum bibo, sed tu Episcopus non eris. Facto igitur signo Crucis, venenum Episcopus bibit securus. Eademque hora in loco alio, in quo erat, Archidiaconus ejus defunctus est, ac si per os Episcopi ad Archidiaconi viscera illa venena transissent. Cui tamen ad inferendam mortem venenum quidem corporale defuit, sed hunc in conspectu æterni Judicis venenum suæ malitiæ occidit. *Hæc S. Gregorius. Eadem de Totila agnito haustoque veneno et Archidiaconi morte refert aliquanto brevius Vincentius Bellovac. lib.* 21 *cap.* 66. D

*venenum sibi, Archidiaconi fraude, propinari intelligit,*

*et bibit innoxius;*

*sed Archidiaconus absens moritur.*

## § IX. *S. Sabini obitus. Longobardorum irruptio.*

Non *in his solum privatis caussis pollere se prophetiæ spiritu S. Sabinus ostendit, sed in publica, quæ imminebat, Italiæ totius vastitate prædicenda. Et contendit is quidem, quoad vixit, fusis assiduæ precibus iratum populo Deum propitiare, eamque depellere calamitatem. Patet id ex inscriptione quæ in ecclesia Canusina extat, teste Beatillo. Nam magno animi fervore Deum deprecanti vox illapsa hujusmodi est, Angeli opera efformata:* Sabine, pete a Domino, et impetrabis. *Respondit Sabinus:* Peto, Domine, ut quiescat ira tua; et esto placabilis super nequitia populi tui, et erue eos de manibus inimicorum. *Sed morti jam proximus, ut cap.* 4 *num.* 10 *dicitur, clarius quæ eventura essent mala denuntiavit.* E

*Italiæ calamitates deprecatur, et prænuntiat S. Sabinus:*

50 *Mortuus est anno aditi episcopatus* LII, *Christi* DLXVI, *uti cap.* 11 *statuit Beatillus, ubi et sepultum ait in S. Petri basilica, quæ et Sabini ipsius ære, et diu post, Cathedralis fuit, ac tumulo conditum, quem ipse sibi vivus locari curarat; sed non longo post tempore a Canusinis Sacerdotibus sublatas ejus reliquias, atque alio loco haud procul ab eo tumulo depositas, absque ulla inscriptione aliove signo, ut Barbarorum sacrilegas manus ea ratione effugerent. Ita ille, ex monumentis fortassis Ecclesiæ Canusinæ aut traditione; quæ cum vita haud satis congruunt, ut infra dicemus. Sed tamen ea* F *S. Sabini vaticinatione ac moniti Canusini videntur consulto ita illius defodisse corpus, ut non facile posset reperiri, atque furori impiorum subduceretur.*

*quando mortuus?*

51 *Nam biennio post Langebardi, effera gens, vel a barbæ prolixitate sic dicta, vel potius a machærarum longitudine, Italiam invasit, quam antea quædam eorum copiæ lustrarant, Narseti auxilio missæ contra Gothos. Hi e Scandinavia egressi, ut scribit Paulus Warnefridus, et ipse Langebardus,* habitaverunt in Pannonia annis XLII; de qua egressi sunt mense Aprili, per Indictionem primam, alio die post sanctum Pascha, cujus festivitas eo anno, juxta calculi rationem, ipsis Kalendis Aprilibus fuit, cum jam a Domini Incarnatione anni DLXVIII essent evoluti. *Ita Paulus de gestis Langebardor. lib.* 2 *cap.* 7. *Erat is annus Joannis III Papæ octavus, Justini junioris Imp. tertius. Longobardorum Rex Alboinus erat, Audoini filius, homo cruentus, qui Cunimundi Gepidarum Regis, a se interfecti, cranium in pateram adaptarat, ex ea bibere solitus: is anno sequenti, Indictione tertia ineunte,* III *Nonas Septembris, Mediolanum ingressus est: dein Ticinum triennio obsessum cepit, regnavitque in Italia annos tres, menses sex: tandemque uxoris suæ Rosemundæ, Cunimundi filiæ, insidiis periit anno* DLXXII.

*Longobardi e Pannonia egressi,*

*Italiam occupant,*

Et

A *Ei suffectus communi Longobardorum consilio Clepho vir nobilissimus ; quo post sesquiannum sublato, Duces* XXX *omnem fere Italiam partiti, per annos decem imperitarunt, omni sævitiæ genere, in sacros præcipue homines, grassati. Id de suis gentilibus ipse Paulus Warnefridus testatur lib.* 2. *cap. ultimo :* Per hos Longobardorum Duces septimo anno ab adventu Alboin et totius gentis, spoliatis ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populisque, qui more segetum excreverant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Alboin ceperat, Italia ex maxima parte capta, et a Longobardis subjugata est. *Duces quinque, a Paulo nominatur,* Zaban *qui Ticinum tenebat,* Waillari *Bergomum,* Alachis *Brixiam,* Eoxin *Tridentum,* Gisulfus *Forum-Julii.* Sed et alii extra hos in suis urbibus triginta Duces fuerunt. *Quibus si ipsum Alboinum Regem Mediolani commorantem adnumeres,* XXXVI *erunt, quot ab aliis recensentur.*

*in eaque dire grassantur.*

52 *Et sane non a Clephonis morte, sed ab Alboini in Liguriam ingressu ducendum principatus horum triginta Ducum exordium est, aut ab eo tempore, quo urbes aut provinciæ quas singuli tenebant, subjugatæ sunt. Et quidem, missis ceteris, qui ad Canusium, Sanctumque Sabinum nihil attinent, Beneventanorum Ducum ita ex* B *Paulo Diacono ordinari Chronologia potest :* Fuit primus Langebardorum Dux in Benevento nomine Zotto, qui in ea principatus est per curricula XX annorum. *lib.* 3 *cap.* 34. *Dein Arichis, Gisulfi Forojuliani Ducis consanguineus,* L *annis. lib.* 4. *cap.* 46. *Aio ejus filius anno uno et* V *mensibus. Rodoaldus Gisulphi Forojuliani filius an* V. *Grimoaldus Rodoaldi frater annis* XXV. *lib.* 4. *cap.* 47. *sed ex his novem in regno, quod filiis Ariperti Bertarido et Godeberto eripuerat, exegit, lib.* 5 *cap.* 33.

*Beneventanor. Ducum chronologia,*

53 *Quo vero tempore regnum occuparit Grimoaldus, colligi manifeste potest ex Præfatione ipsiusmet Grimoaldi ad Leges quas Edicto Rotharis Regis addidit, ut videre est in codice Legum Longobardicarum, quas Basilius Joannes Heroldus edidit. Præfatio ita habet :* Superiore pagina hujus Edicti legitur ita, quod adhuc annuente Domino memorare potueris, de singulis caussis, quæ in præsenti non sunt adfictæ, in hoc Edictum adjungere debeamus, ita ut caussæ quæ judicatæ et finitæ sunt, non revolvantur. Ideo ego vir excellentissimus Grimoald gentis Longobardorum Rex, anno, Deo propitio, VI regni mei, mense Julio, Indictione XI, per suggestionem Judicum, omniumque consensu, ea quæ illis dura et impia in hoc Edicto C visa sunt, ut ad meliorem statum, et clementius remedium corrigere et revocare deberemus, id fecimus, ut legitur. *Colligantur igitur anni Zottonis* XX, *Arichis* L, *Aionis* I *et menses* V. *Rodoaldi* V. *Grimoaldi* XVI, *et addantur* VI *regni ; efficientur anni* XCVIII *et menses* V. *addantur hi ad* DLXVIII *: erunt universim* DCLXVI *et medius. Quærenda igitur proxima Indictio* XI, *qua ex latæ Leges : ea erit anno* DCLXVIII. *Cœpit igitur Grimoaldus regnare sub finem anni* DCLXII, *vel initium* DCLXIII, *ut statuit Baronius ad hunc annum num.* 6. *ubi tamen haud satis video cur Sigonium reprehendat, ponentem exordium regni Grimoaldi anno* DCLXI. *Nam Sigonius Ariperti mortem anno* DCLXI *statuit. Dum filii regnum adeunt, Godebertus Ticini, Bertaridus Mediolani; dum gliscunt inter eos odia ; dum advocatur ab illo Grimoaldus ; dum alter trucidatur ; alter profugus, mox redux, ad necem quæritur ; dum fugitivum ultori Franci vincuntur ; lapsus est annus unus ac menses tres, quod a morte Ariperti, ad regnum a Grimoaldo occupatum statuit Paulus Warnefridus lib.* 5 *cap.* 33 *fluxisse. Si mortuus est adulto jam* DCLXI *Christi anno Aripertus, non nisi sub finem* DCLXII *vel initium* DCLXIII *primari Grimoaldo regnum potuit. Dimiserat hic jam Beneventanum exercitum, cum ineunte vere anni* DCLXIII *Constans Imperator in Italiam venit, ac Beneventi Romualdum obsedit, cui pater Grimoaldus succurrit. Hæc, inquam, verno tempore acta esse constat ex Anastasio Bibliothecario, qui in Vita S. Vitaliani Papæ, quam* XXVII *Januarii dedimus, post multa quæ a Constante ejusque Ducibus gesta refert Paulus Warnefridus lib.* 5 *cap.* 6. 7. 8. 9. 10, *tandem Romam venisse eum scribit* quinto die Julii, feria IV, Indict. VI, *eodem scilicet anno* DCLXIII. D

*præsertim Grimoaldi Regis*



54 *Hoc posito, ut ad priores Duces revertamur, si ab anno* DCLXVIII, *qui erat Grimoaldi sextus,* XCVIII *et medius detrahantur, residui erunt* DLXIX *et medius. Atque hoc ipsum est tempus, quo Alboinus Liguriam ingressus Ticinum obsedit, missis in varia Ducibus, qui reliquam Italiam subjugarent. Ab eo igitur anno aut sequenti ducendum Beneventani principatus exordium. Primo porro septennio maxime grassati Longobardi sunt. Ita qui tunc vivebat S. Gregorius Turonensis lib.* 4 *cap.* 35. Quam regionem (*Italiam*) ingressi maxime per septem annos pervagantes, spoliatis ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, in suam redigunt potestatem. *Erant Longobardi partim gentiles, partim Ariani, ut ad an.* 573 *ostendit Baronius ; ubi deinceps quas ii cædes Sanctorum perpetrarint, quæ sacrilegia aliaque scelera admiserint, describit, præcipue ex S. Gregorio Papa, qui iis malis interfuit : nam Paulus Warnefridus qui* CC *post annis vixit, plurima vel ignoravit, vel gentis suæ studio dissimulavit : non tamen omnia ; nam lib.* 4 *cap.* 30 *de S. Gregorio loquens, citata ejus ep.* 1 *lib.* 7 *ad Salanianum Subdiaconum, ita scribit :* Ecce quantæ innocentiæ, qui nec in morte Longobardorum, qui utique et increduli erant, et omnia devastabant, sese voluit admiscere. *Et cap.* 18 *ejusdem libri :* Circa hæc tempora cœnobium B. Benedicti Patris, quod in castro Cassino situm est, a Longobardis noctu invaditur : qui universa diripientes, nec unum quidem de monachis tenere potuerunt, ut prophetia venerabilis Benedicti Patris, quam longe ante præviderat, compleretur, qua dixit : Vix apud Deum obtinere potui, ut ex hoc loco mihi animæ concederentur. *Refert eam prophetiam S. Gregorius lib.* 2 *Dial. cap.* 17 *atque ex eo Baronius ad an.* 573 *num.* 24. *Petrus Diaconus Cassinensis, et M. Antonius Scipio accidisse volunt eam Cassinensis cœnobii direptionem anno* DLXXXIX. *Leo Ostiensis an.* DXC, *qui Zottonis Principis ultimus fuit. Suspicor id prius aliquanto factum.* E

*sub Zottone Duce Benevent. sæviunt Longobardi in sacros homines,*

*et templa ac cœnobia,*

55 *Nec ipsis Sanctorum tumulis et corporibus rapaces manus abstinebant Longobardi. Testatur id, Paulo Warnefrido aliquanto prior, S. Paulus Papa in epist. ad* Joannem Abbatem de ecclesia ac monasteriis a se F erectis in paternis ædibus, sub titulo SS. Stephani Papæ Martyris et Silvestri Papæ et Confessoris, *ita scribens .* Igitur cum per evoluta annorum spatia, diversa sanctorum Christi Martyrum atque Confessorum ejus foras muros hujus Romanæ urbis sita antiquitus cœmeteria neglecta satis manerent diruta ; contigit postmodum ab impia Longobardorum gentium impugnatione funditus esse demolita. Qui etiam et aliquanta ipsorum effodientes Martyrum sepulchra, et impie devastantes ; quorumdam Sanctorum deprædati, auferentes secum deportaverunt corpora. Ex eo tempore omnino desidiose atque negligenter eis debitus venerationis exhibebatur honor. Nam et (quod dici nefas est) etiam diversa animalia in aliquantis eisdem Sanctorum cœmeteriis aditum habentia etc. *Data est ea epistola, et ab Episcopis subscripta,* IV Nonas Junii, Constantini Augustini XXI, Indict. XIV, *anno nimirum Christi* DCCLXI, *ipsius Pauli Papæ quarto. Eadem recitat Baronius tom.* 7 *ad an.* 573 *num.* 5, *atque ad advertenda animalia in cœmeteriis stabulantia, complurium aditus clausos, ac periisse deinde memoriam ; sed multa nostra ætate reperta. At nos haud pauca horum cœmeteriorum, nulla ratione ob animalibus inquinata, ne vel Longobardorum, vel etiam*

*sepulchra etiam, et corpora SS*

*antea*

A *antea aliorum sacrilegis manibus violarentur, obstructa fuisse, mansisseque posteris ignota, existimamus.*

AUCTORE J. B.

*Ideo absconsum S. Sabini corpus.*

56 *Porro si hæc in suburbiis Romanis ausi Longobardi, qui tamen urbe ipsa potiti sunt numquam, quid alibi fecisse eos putamus, in iis urbibus quas ceperunt, aut etiam exciderunt? Provide igitur sanctissimi Antistitis sui corpus vel alte terra obruerunt, vel etiam alibi quam prius sepultum fuerat abdiderunt Canusini; simul defossa pecunia, vel ex ipsius Ecclesiæ thesauro, vel ad restituendum olim sacræ et ædis et supellectilis splendorem collata a privatis, vel ut ea ratione tutius suis dominis servaretur. Sed qui conscii erant, omnes extincti prius sunt, quam refodi geminus ille thesaurus tuto posset; qui proinde ultro centum annos sepultos oblivione delituit.*

*Ecclesiæ Canusinæ lugubris tunc status.*

57 *Et fuit Canusina civitas eo tempore miserum in modum exhausta, sive Zottonis Ducis crudelitate, sive fame, et, quæ famem consequuntur, peste aliisque ærumnis. Nam in Vita Benedicti I Papæ, qui sedit a* XVI *Maii* DLXXIII, *usque ad* XXXI *Julii* DLXXVII, *ita scribit Anastasius Bibliothecarius :* Eodem tempore gens Longobardorum invasit omnem Italiam, simulque et fames nimia, ut etiam multitudo castrorum se tradidissent Longobardis, ut temperare possent inopiam famis. *Quis tunc status fuerit urbis Canusinæ patet ex*
B *epistola S. Gregorii Papæ ad Felicem Episcopum Sipontinum data Indictione* IX, *an. Christi* DXCI, *estque libri* I *epist.* 51 *ita ergo habet :* Pervenit ad nos, quod Canusina Ecclesia ita sit sacerdotii officio destituta, ut nec pœnitentia ibidem decedentibus, nec baptisma præstari possit infantibus. Hujus igitur tam piæ rei, tamque necessariæ, inde permoti, jubemus dilectioni tuæ, ut hujus præceptionis auctoritate commonitus, memoratæ Ecclesiæ visitator accedas, et vel duos parochiales Presbyteros debeas ordinare, quos tamen dignos ad tale officium veneratione vitæ et morum gravitate prævideris, et quibus in nullo obvient instituta canonicæ disciplinæ, ut sanctæ cum digna cautela provideatur Ecclesiæ. *Hæc Gregorius quæ plane fuerant a S. Sabino prædicta cap.* 4 *num.* 10.

## § X. *Duces Beneventani. S. Sabini Inventio. Translatio.*

*Dux Benevent. 2 Arichis, mitior,*

Mortuo Zottone Beneventanorum Duce, *circiter annum* DXC, *ut supra ostendimus,* Arigis in loco ipsius, *ut lib.* 4 *cap.* 19 *scribit Paulus Warnefridus,* a Rege Agilulfo missus successit, qui ortus in Forojulii fuerat, et Gisulfi Forojuliani Ducis filios educarat, eidemque Gisulfo consanguineus erat. *Verisimile est,*
C *mitius actum deinceps cum Canusinis ceterisque Apulis, sub diuturno, et, quod consequens est, moderato, Arigisi, sive Arichisi, dominatu; quem Catholicum fuisse ex epistola a S. Gregorio Papa ad eum data colligere est. Ita enim orditur :* Gregorius Arigiso Duci. Quia

*quia Catholicus*

sic de gloria vestra, sicut revera de filio nostro confidimus, petere a vobis aliqua fiducialiter provocamur; arbitrantes quod minime nos patiamini contristari, maxime in tali re, unde vestra anima multum poterit adjuvari. *Ac deinde re, quam ab eo petebat, proposita :* Nos enim promittimus, quia dum res perfecta fuerit, dignum vobis xenium, quod non sit injuriosum, transmittemus. Nam scimus nos considerare, et filiis nostris, qui bonam nobis voluntatem exhibent, respondere. Unde iterum petimus, gloriose fili, ut ita facere debeatis, ut et nos possimus vobis esse pro præstito beneficio debitores, et vos mercedem pro Sanctorum ecclesiis habeatis. *Numquam ille hæreticum hominem* filium *appellasset, aut ita fidenter ejus opem ad ecclesiarum promovendum ædificium implorasset, mercedemque illi ex eo opere et animæ adjumentum spopondisset. Eam S. Gregorii epistolam recitat Paulus lib.* 4 *cap.* 20.

59 *Aliud idem Arichis moderati animi illustre argumentum dedit. Nam cum filio ejus Aioni ad Rotharim Regem misso, Ravennæ* Romanorum malitia talis potio data esset, *ut lib.* 4. *cap.* 43 *idem Paulus scribit,* quæ eum mente excedere faceret, atque ex eo tempore numquam pleni sanique sensus fuisset; *pater* ad diem ultimum appropinquans, Rodoaldum et Grimoaldum, jam florem juventutis habentes, quasi proprios filios Longobardis, qui aderant, commendavit, eisque dixit, quod melius eos regere isti, quam Aio filius suus, possent. *Qui tamen Aioni post patris obitum, ut idem narrat,* sicut seniori fratri et domino per omnia paruerunt. *Verum eo post annum et* V *menses a Sclavis interfecto; Rodoaldo vero post quinque annos mortuo, Grimoaldus tandem Dux effectus est,* gubernavitque ducatum Samnitium annis viginti et quinque. *Hujus ingentes vel in ipsa fere pueritia animos egregie idem deprædicat Paulus lib.* 4 *cap.* 38. *Hunc Joannes Antonius Guarnerius libro de SS. Bergom. et Corolus Sigonius lib.* 2 *de reg. Italiæ, a S. Joanne Bergomensi Episcopo, qui* XI *Julii colitur, ab Ariana hæresi conversum scribunt. Catholicum certe fuisse ea ratione apte conficit Erycius Puteanus histor. Insub. lib.* 2. *quod* templum S. Ambrosio, acri Arianorum hosti, ab ipso conditum *testetur Paulus lib.* 5 *cap.* 33.

D

*et moderatus.*

*3 Aio.*

*4 Rodoaldus.*

*5 Grimoaldus et ipse Catholicus,*

E

60 *Hic Beneventanum principatum* XXV *annis tenuit : sed decimo sexto anno et filium suum Romoaldum præfecit, ac regnum ipse Ariperti filiis eripuit, alteri etiam vitam; obiit ipse sub annum* DCLXXI. *Nam cum ipsemet testatur, Indictione* XI *an. Christi* DCLXVIII, *sese annum sextum in regno egisse, regnaveritque universim annis novem, oportet eum ad* DCLXXI *vel initium* DCLXXII *pervenisse. Quod autem anni* XXV *principatus simul regni annos includant, videtur ex iis quæ supra dicta sunt confici. Si enim ante regni occupationem* XXV *annos explesset iique cum* LXXVI *annis præcedentium Ducum colligerentur, essent anni minimum* CI : *his ad annos* DLXVIII *additis, efficerentur anni omnino* DCLXIX : *atque ita sextus regni illius annus esset* DCLXXIV *Christi, Indict.* II, *non, ut ipse habet, Indict.* XI.

*qui et Rex.*

61 *Cum Beneventum, ad opem Romualdo filio ferendam, an.* DCLXIII *tenderet Grimoaldus, ne quid interea apud Insubres turbaretur, Lupum Forojuliensem Ducem regiæ præfecit, qui cum non rediturum ratus, multa insolenter Ticini egit. Verum Grimoaldo revertente,* suæ nequitiæ, *ut Paulus lib.* 5 *cap.* 18 *scribit,* conscius rebellavit. *In eum Grimoaldus Hunnos immisit, atque hos ipsos, Lupo occiso cedere occupata provincia abnuentes, insigni astu conterritos abegit : ac deinde Lupi filiam* Theuderadam filio suo Romoaldo, qui Beneventum regebat, in matrimonium tradidit, ex qua tres filios, hoc est Grimoaldum, Gisulfum, nec non et Arichis genuit. *Ita Paulus lib.* 5 *cap.* 25, *qui idem lib.* 6 *cap.* 2 *Romoaldum scribit* XVI annos ducatum gessisse. *Hi vero anni a morte patris, non a tempore quo is regnum invasit, numerandi videntur. Nam si anno demum* DCLXIV *aut* DCLXV *post Græcos a Beneventi obsidione depulsos, cæsum Hunnorum opera Lupum, hos ipsos Forojulii ejectos, data Romoaldo est conjux, secundum jam aut tertium in principatu annum agenti, qui fiet verisimile, filio qui non nisi triennium patri superstes fuit, junctam matrimonio Wigilindam, filiam Bertaridi, adhuc pene puero. Deinde sequentium Ducum Chronologia optime constabit, si Romoaldi exordium anno* DCLXXI *quo mortuus est pater, vel* DCLXXII *statuamus, alias vacillatura. Successit igitur Grimoaldo vita functo an. Christi* DCLXXI, *imperavitque annis* XVI.

*6 Romualdus;*

F

*ejus uxor Theodorada,*

*tempus regiminis,*

62 *Ei subrogatus an.* DCLXXXVII *Grimoaldus filius adhuc adolescens, sub cura Theodoradæ matris, ut in Vita S. Sabini cap.* 5 *num.* 16 *dicitur : is* Wigilindam *duxit, Bertaridi Regis filiam, obiitque tertio principatus anno. Huic (prætermisso filio, si quem, forte etiam posthumum,*

*7 Grimoaldus.*

A *posthumum, suscepit, ut supra § 2 suspicari nos diximus) Gisulfus, sive Gusulfus, frater successit, ac tempore Joannis Papæ, sexti nimirum illius nominis, (qui sedit a* XXIX *Octob. an.* DCCI *ad* X *Januarii* DCCV) *in Campaniam irrupit: sed repressit ejus conatus Pontifex, missis ad eum* Apostolicis donariis, *ut scribit Anastasius, effecitque ut exercitum domum reduceret. Præfuit Gisulfus provinciæ Beneventanæ annis* XVII, *ut testatur Paulus lib. 6 cap. 2; Romoaldus* II *ejus filius annis* XXVI. *Idem cap. 55. Hujus filium Gisulfum, cum adhuc esset ob ætatem regimini inhabilis, Luitprandus Rex secum in Galliam Cisalpinam abduxit, Beneventanis tantisper præfecto Gregorio nepote suo: cui post septennium mortuo suffectus est Godescalcus anno* DCCXXXVI *vel* DCCXXXVII, *quem cum Trasimundo Spoletino Duce Pontifici adhærentem, bello appetiit Luitprandus,* non alio crimine, *ut in epist. 7 ad Carolum Martellum scribit Gregorius* III, nisi pro eo quod noluerunt præterito anno de suis partibus super nos irruere, et (sicut illi fecerunt) res Sanctorum Apostolorum destruere *etc. Patet autem ex Vita S. Zachariæ Papæ apud Anastasium Indict. 7, id est, anno Christi* DCCXXXIX *esse susceptum adversus duos illos Duces, et Romanos, expeditionem a Luitprando. Occiso a Beneventanis* B *Godescalco Gisulfus* II *in paternam ditionem restitutus est; quo sub annum* DCCLXII *mortuo, Ducatus a Desiderio Rege Aragiso delatus: huic anno* DCCLXXXVIII *Grimoaldus filius successit Caroli Magni auctoritate.*

8 *Gisulfus.*

9 *Romualdus* II.

10 *Gregorius.*

11 *Godescalcus Papæ fœderatus.*

12 *Gisulfus* II.

13 *Arechis* II.

14 *Grimoaldus*

63 *His ad Beneventanæ historiæ claritatem ita deductis, expeditius erit S. Sabini Inventionis et Translationis tempus indicare. Beatillus cap. 13 ait circiter* DCC *annum Christi Gregorium Hispanum divinitus admonitum, ut in Italiam conferret sese, ad S. Sabini tumulum morbo, quo laborabat, remedium inventurus. Anonymus Vitæ scriptor cap. 5 num. 16 id ait contigisse, quo tempore Theoderada, Romoaldi defuncto, Samnitum populum cum parvo filio regebat. Obiit Romoaldus, ut jam statuimus anno* DCLXXXVII, *at filius ejus Grimoaldus anno* DCXC. *Igitur Grimoaldi junioris tempore inventum est S. Sabini sepulchrum, apertumque; et templum super illud erectum, ac varie exornatum. Unde conficias, contra quam referat Beatillus, non in templo S. Petri, sed alibi defossum fuisse illud sepulchrum. Nam si in templo S. Petri id fuisset, quomodo supra id ecclesiam construxit? Interpretatur ipse sacellum fuisse, sive parvam ecclesiam majori basilicæ conjunctam. At cap. 7 dicitur mille passibus a cathedrali abfuisse. Neque sane intra ecclesiam ipsam, quantumvis alte defossum, tutum a Barbaris sancti corpus, et ei addita pecunia, fuisset. An primitus conditum in ipsa ec-* C *clesia fuerit, quod ait Beatillus? Haud ullum est, unde id certo statuamus, argumentum: neque enim vacui sepulchri mentio fit, et diserte asseritur sepulchrum inventum apertumque, ut videatur illud primum fuisse, quo conditus est Sabinus; sed adventantibus Longobardis ita obrutum terra, dejecta, si qua super illud stabat, ædicula, ut nulla iis suspicio latentis thesauri præberetur.*

*S. Sabini corpus sub Grimoaldo* II *et Theodora matre inventum circa annum 688.*

*non in ecclesia S. Petri, quæ erat cathedralis:*

64 *Hanc Inventionis historiam Scriptori Petrus Episcopus narravit, ut cap. 5 num. 13 testatur; eam vero ipse a* senibus Sacerdotum diligentius multis inquisitionibus audierat, *iis, ut opinor, qui præsentes Theoderadæ tempore adfuerant, ut Romoaldi* II *aut Gregorii Ducum temporibus, vel non multo post præfuisse Canusinæ Ecclesiæ Petrum probabile sit. Is deinde, ut cap. 7 refertur, ad ecclesiam cathedralem, ubi majori populi isthuc confluentis pietate honoraretur, ex ea ecclesia quam Theoderada ædificarat, S. Sabini transtulit corpus. Apertum marmoreum conditorium est* XXIX *Junii, unde suavissimus late odor diffusus. Postridie odorato liquore marmorea e tumba emanante, ad cathedralem mille passibus distantem translatum sacrum corpus, et luce cælesti noctu illustratum, Episcopo spec-* D *tante. Hic febri dein correptus, in somnis a S. Sabino, velut e sepulchro sibi loquente, sanitati restitutus, jussusque curare* ut servi alieni, qui ab *ipsius* hominibus male retinebantur, suis dominis citius redderentur. *Hoc ille quamprimum executus, statim Canusium (nam foris erat id gestum) revertit, et S. Sabini corpus sub altari SS. Joannis et Pauli splendide ac pie reposuit Kalendis Augusti.*

*post a Petro Epõ ad eam translatum 30 Junii,*

AUCTORE J. S.

*reconditum in ea 1 Aug.*

65 *Beatillus, præterquam quod in Petri ætate fallitur, ut nobis quidem videtur, totam hanc Translationem aliter narrat. Statuit igitur Sabini sepulchrum, et altare supra illud a Theoderada extructum, in cathedrali ecclesia, S. Petro dicata, extitisse: et cum urbe per Longobardorum incursionem ruinis deformata, longius a civium domiciliis ea distaret, aliam cathedralem a Canusinis Antistitibus ædificatam, in quam Petrus transferre S. Sabini corpus tentarit. Tum quod de servis alienis injuste detentis, ac restitutis dicitur, vult de ossibus sancti Præsulis terræ reddendis, veluti propriis ejus servis, intellectum a Petro, proindeque ad veterem locum reportata. Quæ qui attente caput illud septimum legerit, perspiciet a vetusti scriptoris mente aliena esse.*

*non ad priorem tumulum relatum.*

## § XI. *S. Sabini Reliquiæ Canusio Barium translatæ.*

E

Scribit *idem Beatillus cap. 16 Vitæ S. Sabini, sub annum Christi* DCCCXVIII *improvisa irruptione Saracenorum captum expilatumque Canusium, civibus in varia dilapsis: Petrum Antistitem, jam antea ab Romano Pontifice Archiepiscopi titulo ornatum, Salernum se recepisse, ibique in ædibus Principis, cui erat sanguine junctus, magna sanctitate annis complures vixisse: sed cum anno* DCCCXXIX *altæ Saracenorum copiæ in Italiam appulsæ, Apulia omni vastata, Canusium evertissent; omni jam ipse ad Ecclesiam suam revertendi adempta, anno* DCCCXXXIV *Salernitanum Episcopum, Rodoaldo mortuo, renuntiatum, ac tandem anno* DCCCXLIV *decessisse. Exinde commissam Rattulo Salernitanam sedem, Canusinam Angelario, qui una Barensis Archiepiscopus erat. Ab hoc translatas Barium S. Sabini reliquias. Eadem de Petri exilio, et Cathedra Salernitana memorat Gaspar Musca lib. de Salernitanis Episcopis.*

*Canusium anno 818 captum, 829 eversum*

67 *Priusquam de S. Sabini Translatione agamus, de tempore eversi Canusii quærendum. Post eos Duces, quos § superiori retulimus Beneventanæ ditioni præfuisse ab anno circiter* DLXX *ad* DCCCXVIII, *retro fluere Longobardorum res cœpere; maxime postquam civilibus invicem bellis collisi, in auxilium impiam Saracenorum gentem advocarunt, a qua innumeræ illatæ Italicis pro-* F *vinciis, per annos centum fere et quinquaginta, fuerunt calamitates. Ea quemadmodum se habuerint Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, Herempertus, Cæsar Baronius tom. 9 et 10 Annalium commemorant. Nos ex iis breviter quæ ad rem nostram spectant. Grimoaldus* IV *a Radelchi Compsano Comite occisus est, eique Sico subrogatus, anno* DCCCXVII, *ut Marius de Vipera et alii scribunt; vel potius* DCCCXVIII. *Nam, ut ex Annalibus Francorum Eginhardi nomine editis patet, cum Ludovicus Pius post Pascha anni* DCCCXVIII *Aquis profectus in Britanniam Armoricam, ea pacata Andegavos venisset, ibique uxor ejus Hermengardis* V *Nonas Octobris decessisset,* ipse per Rotomagum et per Ambianos et Cameracum Aquisgrani ad hibernandum reversus, cum Haristallium venisset, obvios habuit Legatos Siconis Ducis Beneventanorum dona deferentes, eumque de nece Grimoaldi Ducis antecessoris sui accusantes. *Legendum excusantes, ut patet ex Vita ejusdem Ludovici a coætanea scripta. Non potuit post* V *Nonas Octobris, curare primum conjugis sepulturam, deinde Andegavis Haristallium (qui locus ad Mosam juxta Leodium in Belgio est) pervenire Ludovicus, ante mensem*

*Beneventanorum Ducum res collapsæ,*

*post necem Grimoaldi* IV *an. 818*

A *Novembrem. Quis vero credat Grimoaldum Ludovici*
AUCTORE P. B. *tributarium tanto ante interfectum fuisse, neque prius voluisse vel mortem ejus ulcisci Augustum, vel successorem hujus sibi gratum demereri?*

68 *Sigoni Sichardus filius successit. Verum in Ca-*
16 *Dux Sico.* *talogo Ducum Beneventanorum Heremperti Epitomæ præfixo mendum inest, dum dicitur Sico imperasse annis* XII, *mensibus* II; *Sicardus annis* VI, *mensibus* X. *Unde*
17 *Sicardus.* *oporteret Sicardum occisum esse anno* DCCCXXXVII. *Leo Ostiensis lib.* 1 *Chronici Cassinensis cap.* 26, *scribit Bassacium Abbatem Cassinensem esse factum anno* DCCCXXXVII, *ejusque anno tertio*, præfato adhuc Principe Sicardo superstite, corpus beati Apostoli Bartholomæi de Liparitana insula Beneventum translatum esse; *quod anno* DCCCXXXIX, XXV *Octobris contigit. Rectius ergo Viperæ anno* DCCCXXXII *vita exemptum Siconem statuit, Sicardum anno* DCCCXXXIX. *Subrogatus*
18 *Radelchis.* *est huic Radelchis, adversus quem Siconolfus, Sicardi frater, Capuanorum opibus subnixus, rebellavit : sed tandem anno* DCCCLI, *Ludovicus Lotharii Imp. filius* totam provinciam Beneventanam *inter eos æquo jure* partitus est, *ut Leo scribit cap.* 31. *Primus igitur Salerni Princeps fuit Siconolfus, qui, Heremberto teste, post hanc divisionem, Lotharii et Ludovici auctoritate*
B *factam*, non diu supervixit, ac filium suum ministerii sui reliquit hæredem. At superstes parum ei extitit Radelchisius : quo migrato, Radelgarius filius ejus in principatum loco ejus electus est. *Radelgario Adelchis frater successit. Ergo in palatio Salernitani Principis, qui a Beneventano diversus non erat, ab anno* DCCCXVIII *Petrus commorari non potuit.*

69 *Nunc ad Saracenos venimus. Scribit Leo Ostiensis cap.* 23 *anno Christi* DCCCXX, *Apollinaris Abbatis Cassinensis tertio, Saracenos* de Africa venientes
*ab hoc Saraceni, antea Siciliam ingressi* Siciliam ingressos, Panormum cepisse. *At Cedrenus, Zonaras, Curopalates Euphemii proditione Siciliæ potitos scribunt, extremis temporibus Michaelis Balbi, anno, ut alibi diximus,* DCCCXXVIII. *Baronius ad annum Christi* DCCCXXVII *refert. Exinde non solum Siciliam, sed et Calabriam, et plures Italiæ provincias infestarunt, ut iidem tradunt auctores. Eorum metu Gregorius* IV *Pontifex ad ostia Tiberina Gregoriopolim condidit, jecitque fundamenta urbis Leoninæ*, dolens crebris Saracenorum incursionibus vexari et vastari suburbium Romanæ urbis circa ecclesiam B. Petri Apostolorum Principis. *Ita Sigebertus ad an.* 830, *et refertur a Baronio ad an.* 829 *num.* 9. *Verum Beneventanam provinciam anno*
C *demum* DCCCXLII *vel* DCCCXLIII *invaserant a Pandone*
*In Apuliam advocati.* *quodam Barensi Præfecto ad Radelchisii auxilium acciti e Sicilia; qui oloram maris juxta Barium collocati, noctu in urbem clandestino aditu penetrarunt, atque ingenti edita cæde, ipsoque Præfecto in mare objecto, eam ad annos fere* XXX *tenuerunt. Radelchis*, quia eos ab urbe evellere nequibat, *inquit Herempertus*, cœpit quasi familiares amicos excolere, et ad suum adjutorium sensim provocare. *Tum vero Siconolfus* contra Agarenos Libycos, *ut ait idem Auctor*, Ismaelitas Hispanos ascivit : iisque invicem intestina et externa alternantibus bella ultramarina loca captivis gentibus diversi sexus et ætatis fulciebantur. *Eripuit Radelchi Siconolfus omnes urbes præter Sipontum et Beneventum. Hoc tamen etiam captum fuisse scribit Ni-*
*(contra Sigenolphum Hispaniensibus Saracenis subnixum,* *thardus lib.* 4. Eodem tempore, *inquit*, Mauri a Sigenulfo fratre Sighardi sibi caussa subsidii inducti Beneventum invadunt. *Ast Herempertus obsessum quidem a Siconolfo Beneventum tradit, non tamen interceptum.*

70 *Eodem anno Bassacii Abbatis septimo, Christi* DCCCXLIII *Siconolfus e Cassinensi cœnobio, mutui nomine,*
*qui in eorum stipendia Cassinensem thesaurum aufert)* *thesaurum omnem, et pretiosa Francorum Regum aliorumque Principum donaria abstulit, ut Saracenis ea largiretur.* Ex quo tempore nulla unquam postea victoria potitus est. *Ita Leo cap.* 28. *Atque ex eo Baronius ad an.* 843 *num.* 30. *Anno sequenti Romam ma-* D
*gno cum exercitu venit ad Ludovicum Lotharii Imp. filium, a quo honorifice susceptus, Pontificis Maximi reverenter osculatus pedes, acceptaque benedictione, in Campaniam revertit.* Anno DCCCXLVI Mauri Romam cum exercitu venientes, cum non possent urbem irrumpere, ecclesiam S. Petri vastaverunt. *Ita Baronius ad eum annum num.* 2 *ex Annalibus a Pithoeo editis : ac deinde quæ alia ab iis illata Latio et Campaniæ damna sint, ex Leone Ostiensi et Anastasio commemorat.*

71 *Anno* DCCCXLVII, *quo terræ motus ingens Italiam concussit Indictione* X, *ut iidem testantur Anastasius in* *dire grassantur :*
*Leone* IV, *Leo Ostiensis cap.* 30 *atque ex iis Baronius num.* 24. *Massar Saracenorum Dux, qui Beneventi degens Radelchi Principi militabat, et Beneventanos ipsos crudelem in modum afflixit, et omnia late vastavit. Verum an.* DCCCXLIX *qui ad littus Romanum ex Africa appulsi erant Mauri, penitus profligati deletique sunt. Anno vero* DCCCLI *Bassacii Cassinensis Abbatis precibus* *cæduntur.*
*inductus Ludovicus Rex, Lotharii Imp. filius Beneventum cum exercitu venit, omnesque Saracenos, qui Beneventi erant, ipsumque adeo Massarem, pridie Pentecostes jussit extra urbem duci ac jugulari : pacemque Radelchim inter et Siconolfum firmavit. Iterum deinde adversus Barenses Saracenos, Beneventanis per Cassi-* E
*nensem et S. Vincentii Abbates opem implorantibus, in Italiam venit : sed Capuanorum fraude nihil gerere me-* 19 *Dux Radelchis.*
*morabile potuit. Id Principe Radelgario superstite evenisse innuit Herempertus.*

72 *Exin Seodan crudelissimus Rex Saracenorum* *Seodan Barii Rex crudelis et impius.*
*Bario egressus, omnem Beneventanam ditionem populatus, Adelchisium Principem Radelgarii fratrem, a quo fuerat evocatus, coegit pacto tributo, datisque obsidibus, pacem redimere. Mox relatu de aliis Principibus nova victoria, (qua insolentissime est usus, plurimis interemptis, captivis incendio necatis)* Beneventum ejusque confinia, *ut scribit Herempertus*, funditus delevit ita ut nullus locus præter urbes præcipuas illius effertatem evaderet. *At Leo Ostiensis cap.* 37 *scribit*, eum cuncta per circuitum castra, præter præcipuas urbes, cepisse penitusque delevisse; *eoque impietatis processisse, ut* biberet in calicibus sacris, aureisque thuribulis offerri sibi thura juberet.

73 *Anno* DCCCLXVI *Ludovicus* II *Imperator opem sub-*
*missisime implorantibus Langobardis, cum valido exer-* *a Ludovico II Imp. victus.*
*citu iterum in Italiam venit : ac primum Capuam, solita fraude sibi illudentem, tribus obsessam mensibus cepit, et maxima ex parte delevit. Adiit inde Salernum,* F
*Amalphim, Beneventum : et juxta Luceriam cum Saracenis contulit signa, primo quidem adversa fortuna, post insignem adeptus victoriam : tandem Barium quatuor annis obsedit. Materam interim munitissimam Saracenorum urbem igni ferroque vastavit : tum Venusium venit, ibique ac Canusii præsidium locavit. Non igitur eversum antea Canusium, nisi id ipse instauravit, quod de Venusia innuit Herempertus his verbis :* Tunc ve- *Bario capto, cæsis ceteris,*
nit Venusiam, castra metatusque in ea cœpit renovare; et Barim hinc et inde expugnans demolitus est; positoque præsidio pugnatorum in Canusia, vicissim eos cerrulos ventilabat *etc. Tandem Bario potitus, Saracenos omnes trucidari jussit; solum Seodam præ-* *male servatos.*
*postera clementia servavit : quod in ipsiusmet fere exitium vertit. Nam cum Tarento frustra obsesso, et rebellibus quibusdam domitis, Beneventum venisset, atque Adalgisi consilio exercitum dimisisset, ab eodem Adalgiso, sive Adelchi, captus, ignominiosa pactione obstrictus, quam et jurejurando coactus firmare : mox tamen ejus jurisjurandi per vim extorti religione solutus a Pontifice est, atque uxorem cum exercitu misit Beneventum. Territus Adalgisus in Corsicam fugit : postea tamen rursus in gratiam receptus.*

74 *Cum Ludovicum e custodia dimisit Adelgisus,* *ab Adelgiso,* 20 *Duce Bener. dimissus iterum sævit.*
*thesaurum ejus omnem, et sceleratissimum Seodan retinuit.*

A *nuit. Qui libertatem nactus, Tarentum abiit, ibique Rex effectus, crudelius quam antea Beneventanos fines Apuliamque infestavit. Neque post mortem Ludovici II gloriosi Imperatoris, qui an.* DCCCLXXV, *decessit, spes erat*

*Græci Barium advocati.*

*ulla impetrandi e Francia auxilii. Barenses ergo, cum Saracenis pares non essent, Hydrunte Gregorium Bajulum, Imperatoris Basilii Præfectum, cum copiis accersivere. Qui tunc Italiæ status fuerit exponit Baronius ad annum* 876 *num.* 31 *ex Joannis* VIII *Papæ epistola ad Carolum Calvum Imp. in qua isthæc inter alia :* Christianorum sanguis effunditur, devotus Deo populus continua strage vastatur. Nam qui evadit ignem vel gladium, præda efficitur, captivus trahitur, et exul

*Misera Italiæ facies.*

perpetuus constituitur. En civitates, castra, villæ destitutæ habitatoribus perierunt : et Episcopi hac illacque dispersi. Sola illis Apostolorum Principis limina derelicta sunt in refugium ; cum episcopia eorum in ferarum sint redacta cubilia ; et ipsis vagis et sine tectis inventis non jam liceat prædicare, sed mendicare. *Quid mirum ea tunc evenisse, cum ipsi Christiani Principes fœdere cum Saracenis inito, nihilo mitius, quam illi, sævirent? Et inter eos Athanasius Episcopus Neapolitanus, qui, ut scribit Ostiensis lib.* 42, firmata cum Saracenis pace, illos juxta Neapo-
B lim collocans, Beneventum, Capuam, Salernum, Romamque acriter depopulari cum eis cœpit : multaque tunc monasteria et ecclesiæ cum villis et urbibus, impiorum incendio conflagrarunt.

75 *Nihil attinet innumera alia mala, quæ citati sæpius commemorant auctores, recensere. Canusium, quod adhuc anno* DCCCLXVI *stetisse diximus, et* DCCCXXIX *everti a Saracenis non potuisse, qui nondum Apuliam invaserant, quando demum eversum sit, hisne Seodani tyranni et Joannis* VIII *Papæ temporibus ; et hostili ferro, an fortuito incendio perierit ; an ipsarum incolarum manibus disjectum sit, ut alibi firmius oppidum ædificaretur, nusquam adhuc legi. Ante Nicephori Phocæ Augusti imperium, quod anno Christi* CMLXIII *capessit, tenuitque annis septem, jam novum conditum*

*Canusium novum ante an. 963 conditum.*

*erat Canusium. Nam Leo Ostiensis cap.* 43 *de eo tempore agens meminit Canusii veteris ; quod ita non appellasset, nisi fuisset aliud, cujus respectu illud vetus diceretur. Sed et hoc inde conficitur, vetus non omnino funditus excisum tunc fuisse ; sed fortassis solum hostili populatione deformatum. Ait enim Leo :* Basilius quoque Protospatharius Imperatoris, cum esset Salerni, adeuntibus illum monachis nostris, chartulam restitutionis et confirmationis fecit, de omnibus monas-
C terii hujus pertinentiis per totam Apuliam, quas eo tempore perditas habebamus ; scilicet ecclesiam S. Benedicti de Lesina .. in Canusio vetere ecclesiam S. Benedicti et molendinum, et curtes.

76 *His de Saracenorum incursione, deque Canusii eversione, ad historiæ perspicuitatem præmissis, ad S.*

*S. Sabini reliquiæ Canusio Barium translatæ an. 851*

*Sabinum redeamus. Ejus corpus, ut testatur Joannes Archidiaconus in historia, quam mox dabimus ; inventum est anno* MXCI, *ducentis quadraginta, postquam istuc ab Angelario Archiepiscopo allatum fuerat, annis. Ergo anno Christi* DCCCLI *translatum fuit ab Angelario, sive antea eversum erat Canusium, vel ab Hispaniensibus Mauris Siconulfo militantibus vel a Massare Radelchianorum Saracenorum Duce ; sive stabat illud quidem adhuc, sed metuebat Angelarius, ne si Ludovicus Barenses, uti postea fecit, bello persequeretur, sibi tutus ad Canusiam Ecclesiam aditus non esset ; et sacras reliquias vel Franci in Galliam, auferrent, vel sacrilegus quispiam dissiparet. Addidit reconditis idoneo loco reliquiis hanc inscriptionem Angelarius, quam cum iis inventam testatur Joannes Archidiaconus :* ANGELARIUS EPISCOPUS ATTULIT CORPUS S. SABINI.

77 *Ista quoque recitat Beatillus e libro MS. Archie-*

*ab Angelario Archiep. Canusino et Barensi.*

*piscopalis Ecclesiæ Barensis, sed non Angelarii ut censet ævo scripta :* Sedit B. Sabinus Episcopus in Canusina Ecclesia annis quinquaginta duobus : cujus corpus D ibi requievit usque ad tempora Petri Archiepiscopi primi ; et Angelarius ejus successor, destructo Canusio, attulit Barium corpus B. Sabini, necnon corpora sanctorum Patrum Memoris et Ruffini Præsulum Sedis Canusinæ. *Ostendimus supra Petro non immediate successisse Angelarium. Hunc porro circiter annum* DCCCXLV *utriusque Ecclesiæ administrationem suscepisse tradit Beatillus, anno* DCCCLXVIII, X *Maii vita functum, tertio fere post mense, quam ex ea urbe ejecti erant Saraceni. Secutus videtur Lupi Protospatæ Chronologiam ita scribentis :* Anno DCCCLXVIII, Indictione I, exierunt Agareni a Baro civitate per Francos tertia die intrante mensis Februarii, eodemque anno comprehensus est prædictus Ludovicus in Benevento. *At Leo Ostiensis Lupi Protospatæ æqualis, scribit cap.* 38 *anno Christi* DCCCLXVI *tertiam Ludovici adversus Saracenos susceptam expeditionem, et post alia occupata loca, Barium quadriennio obsessum ; unde sequitur non nisi* DCCCLXX, *esse captum. Consentiunt Herempertus, Baronius et alii ; imo quidam serius adhuc captum Barium volunt, ut ipse etiam Beatillus lib.* I. *Histor. Baren. fatetur. Ubi ad Angelarium scribit prius Archiepiscopum Canusii fuisse, quæ urbs erat paullo ante magna ex parte eversa a Saracenis ; at Sebastiano Barensi E Archiepiscopo vita functo, ad eam Ecclesiam vocatum ; cumque Canusio discederet, secum reliquias sanctorum Antistitum Rufini, Memoris, Sabini asportasse ; clam tamen, tum ne qui Canusii reliqui erant incolæ, triplicis simul jacturæ sensu exanimarentur, tectorum, pontificiæ dignitatis, tutelarium Divorum ; tum ne Saraceni, qui Barii quidem utcumque libere sacra palam avita colere cives patiebantur, ut opinione clementiæ reliquos Apulos allicerent, quapiam quæsita caussa manus sacrilegas divino huic thesauro injicerent.*

## § XII. *S. Sabini reliquiæ Barii inventæ, ornatæ.*

*Erant varie ducentos per annos, Saracenorum, Græcorum, Hungarorum, Germanorum armis concussa ea Italiæ pars, quæ olim Beneventano principatu continebatur. Tandem Normannorum virtute victi deletique Saraceni, Græci pulsi, novum imperium fundatum, Ducatus Apuliæ titulo. Dux primus Robertus Guiscardus fuit, vir fortissimus. Hic post alias urbes, Barium triennio obsessum occupavit anno Christi* MLXX, XV *Aprilis, ut scribit Galfridus Malaterra lib.* 2 *cap.* 43, *quod Lupus Protospata ad annum* MLXXI *retulit. Longo illo*

*Ubi reliquiæ in oblivionem adductæ,*

*intervallo temporis viguit quidem S. Sabini celebre nomen, et publica veneratio ; sed reliquiarum, quas Ange-* F *larius Præsul attulerat condeque defoderat, omnis oblitterata memoria est : credebanturque adeo in Canusina ecclesia etiamnum asservari, ubi a Marduca et Rainerio aliisque Præpositis (ita qui Clerum Canusinum, translato Barium Episcopatu, rexere, appellati) sæpius frustra quæsitæ.*

79 *Tandem Barii subaltari Confessionis, quæ Angelarii ætate Cathedralis ecclesia fuerat, repertæ sunt,*

*inventæ 1091*

*dum SS. Ruffini et Memoris Canusinorum Præsulum quærentur reliquiæ, quas illuc ab Angelario allatas fama tenebat. Historiam Inventionis accurate descripsit*

*Inventionis historia a quo scripta? unde hic edita?*

*Joannes Barensis Archidiaconus, qui præsens adfuit, ille ipse, de quo supra § 2 egimus. Eam historiam accepimus ab Antonio Beatillo, descriptam ex codice Ecclesiæ Archiepiscopalis Barensis manu exarato ; e quo codice die anniversario hujus Inventionis, id est X Decembris, legitur eadem historia in Choro pro Lectionibus Officii divini. Eamdem historiam recitat Baronius tom.* 11 *ad an.* 1091 *num.* 17 *et seqq. Is, ut testatur Beatillus cum a Clemente* VIII *Præpositura Canusina esset donatus, deberetque Urbani* II *diploma, post Melphitanum Concilium anno* MLXXXIX *Barii datum, Annalibus suis inserere, quæsivit a Barensibus, cur ipsorum Archiepiscopo,*

A *Archiepiscopo, die festo S. Sabini, Pallii usum Pontifex Maximus concessisset. Respondere Barenses, eum suæ urbis esse Patronum ac Protectorem, ejusque corpus in Cathedrali basilica asservari. Id ubi accepit Cardinalis, continuo Canusium scripsit, jussitque maxima diligentia investigari, num in aliqua isthic sacra æde non extarent S. Sabini reliquiæ. Cum nihil uspiam inventum esse didicisset, non modo dictum diploma tom.* 11 *Annalium inseruit ad an.* 1089 *num.* 5*; sed et hanc Inventionis historiam Bario acceptam, ac diligenter discussam, dignamque memoria indicatam; cui hoc subjicit publici tabellionis testimonium :* Fidem facio ego Notarius Joannes Baptista Pirris de Baro, præsentem copiam diligenter extractam esse a libro antiquo Lectionum Sanctorum grandibus syllabis manuscripto in paginis papyreis, existente in archivo regalis Ecclesiæ S. Nicolai Barensis inibi relicto m.º coll. Ideo præsentes feci et signavi requisitus. Laus Deo et Beatæ Mariæ Virgini.

*AUCTORE J. B.*

*Baronio probata :*

80 *Narrat eamdem Inventionem Beatillus cap.* 17 *vitæ S. Sabini, et brevius lib.* 2 *hist. Barensis. Ejus inventionis anniversaria memoria ut Barii celebraretur, decrevit Elias Archiepiscopus, quemadmodum Joannes Archidiaconus scribit, et patet ex ante scriptis. Consignavit eam solemnitatem Ferrarius in generali SS. Catalogo, his verbis :* Canusii in Apulia Inventio S. Sabini Episcopi. *Rectius diceret*, Barii.

*anniversaria memoria.*

B

81 *Cum in marmoreum tumulum Sancti decessoris sui reliquias reposuisset Elias Archiepiscopus, epigraphen insculpi curavit, a Joanne Archidiacono suo compositam, ut ipse num.* 5 *testatur. Ea vero esse videtur, quam recitant Baronius et Beatillus :* Angelarius Archipræsul Canusii attulit huc corpus Sancti Sabini a Canusio, quod fuit occultum in hoc templo usque ad tempus Heliæ Archiepiscopi Barinorum et Canusinorum, a quo fuit inventum et hic honorifice collocatum mense Febr. Ind. XV. *Inventum enim est sacrum illud pignus mense Decembri, an.* MXCI, *Ind.* XIV*; at reconditum Februario sequente Ind.* XV, *quæ more Ecclesiastico a Kalendis Januariis inchoatur. Ex eo vero tempore vetus illa Cathedralis ecclesia Barensis, Eliæ Archiepiscopi decreto, ut auctor est Beatillus,* Confessio S. Sabini *est appellata.*

*Reliquiæ denuo conditæ,*

82 *Quartus ab Elia Archiepiscopus fuit Matthæus, quem ab Honorio* II *anno pontificatus ejus secundo, Christi* MCXXVI, XX *Decembris consecratum, fuisseque antea cœnobii S. Laurentii Aversæ Abbatem, scribit Beatillus. Is veterem illam Archiepiscopalem ecclesiam,*

C *quæ ruinam minabatur, restaurare cogitabat, si vita ei diuturnior contigisset. Sed biennio exacto decessit, eique suffectus Angelus, cui quod Petro Leonis Pseudopapæ adhæreret, Joannem* IV *Innocentius* II *Papa substituit; ast hunc deinde, quod et Angelum schismaticum in partem administrationis recepisset, et ipse quoque flagitiosam vitam duceret, Eugenius* III *mense Februario anni sexti sui pontificatus, Christi* MCLI *amovit, ac Joannem* V *ipsemet* XVII *die Februarii ejusdem anni consecravit. Hic Barium appulsus, Angelum ac Joannem tota Apulia ejecit. Dein Confessionem S. Sabini renovavit, quod Matthæus antea facere constituerat : diruto autem ejusdem Confessionis altari, S. Sabini corpus sub eo ab Elia collocatum, religiose exemit, ac postea, cum die* IX *Februarii an.* MCLVI *eamdem ecclesiam ita instauratam trinque in ea erecta altaria dedicasset, sub medio, quod majus ceteris eleganti structum marmore, S. Mariæ Magdalenæ sacrum est, venerandum illud pignus priori inclusum tumbæ, reposuit. Rei gestæ istud in marmorea tabula, muro inserta, extat monumentum.*

*ecclesia instaurata,*

*an 1156 iterum repositæ a Joanne Archiep.*

Tumba beati membra Sabini continet ista :
Condidit hic Præsul membra Angelarius illa;
Quæ Bari Primus primus patefecit Helias.
Tandem, Sanctorum sublimatore favente,
Urbs et Barensis Patre consolata Joanne;
Qui simplex, justus, prudens, pius, atque pudicus D
Basilicam istam veterem nimis et tenebrosam,
Ut decet et decuit, digno cultu renovavit.
Cum tribus hanc aris postquam de more sacravit,
In media Sancti Sabini membra locavit :
Quæ Magdalenæ sub honore sacra Mariæ,
Membrorum non est primi quoque Martyris expers
V Idus Febr. Ind. IV.

*Haud scio tamen, an, quod vult Beatillus, ipsemet hæc sculpi Joannes curavit, an potius id factum sit post ejus mortem. Nam eodem anno* MCLVI *Wilhelmus Malus Rex Siciliæ sub initium Junii Barium crudeliter subvertit : cives permisit bidui spatio quæ vellent efferre, in varia commigrarere loca; ipse quoque excessit Archiepiscopus. Verum an.* MCLXVI *Malo vita functo Wilhelmus Bonus in regnum successit, qui Barium redire, subversasque domos reædificare profugos cives permisit. Reversus ipse quoque Joannes, ac nonnullas basilicas reparavit, et quo potuit subsidio cives juvit; at vix triennio superstes fuit. Inscriptio igitur jam recitata, dum post reconditas an.* MCLVI *reliquias, diligentius, ut fit, apparatur, secuta mox urbis excidio dilata ad decennium, neque reversis civibus primum fuisse sacrorum operum videtur, sed post Joannis mortem demum perfecta.*

E

83 *Idem porro Joannes cum sub ara S. Magdalenæ, ut dictum est, S. Sabini corpus condidit, brachium unum ab eo avulsum inter alias Ecclesiæ suæ reliquias collocavit, ære inaurato circumdatum. Illud Rogerius Sanseverinus, qui an.* MCCCXXXVII *Archiepiscopus Barensis est factus, et decennio post ad Salernitanam Cathedram translatus, argento affabre cooperiri curavit, ornarique gemmis, et ipso annulo, qui in solenni consecratione fuerat ejus indutus digitis. Ad hoc brachium, eo quem diximus ornatu insigne, venerandum deosculandumque pluribus per annum diebus, festis præsertim S. Sabini, populus frequens concurrit.*

*Brachium separatim positum,*

*varie postea ornatum.*

84 *Antonius Puteus, cedente patruo Jacobo Puteo Cardinali, anno* MDLXII *Archiepiscopus Barensis creatus, altare illud marmoreum a Joanne* V *constructum, sub quo collocatam S. Sabini tumbam diximus, laminis argenteis eleganter ornavit, inque iis præcipua ejusdem Sancti Acta cælari curavit. Exin Julius Cæsar Richardus, Antonii successor, ipsiusque Richardi Bonvisus Cardinalis, idem altare præclaris atque ingentibus ex argento donariis cumularunt. Hæc fere in Vita S. Sabini, et Catologo Archiepiscoporum Barensium Beatillus.*

*uti et altare, sub quo sepulchrum.*

F

# HISTORIA VITÆ

## INVENT. TRANSL. S. SABINI EPISC.

ab anonymo scripta sec. VIII,

*ex tribus MSS. edita.*

### CAPUT I.

*S. Sabini virtutes, episcopatus.*

Voluntati tuæ parere, *b* summo Pontifex, cupio; sed *c* manus refugit, tantis gravata peccatis, de tanti viri virtute miracula pandere. Tamen solet per testeam lucernam clarum lumen effundi, et in vase plumbeo optimum reperiri unguentum. Etenim quia præceptis obedio pontificalibus, credo me illius precibus adjuvari. Ego vero sanctissimi viri miracula in Dialogis B. Gregorii dudum jam reperi, quæ et Sanctitati tuæ puto esse notissima, sed gratiora ex *d* sancto ore, quasi philosophica carmina demulceant aures nostrorum. Prius tamen scribenda existimo, quæ *e* in libris invenimus exarata; deinde quæ nostris temporibus summa veritate possunt cognosci.

a b

c

*Auctor tenuitatem excusat*

*unde acceperit quæ scribit?*

d

Dial. l. 2. c. 15. et lib. 3. c. 5

e

2 *f* Regnante Justiniano Augusto, sancti viri multis in locis, ad Christi gloriam, ipso favente, non parvo

f

*S. Sabinus sub Justiniano Imp.*

A parvo numero claruerunt; ex quibus multa grata et miranda in nostris codicibus inveniuntur. Inter quos beatus ac venerabilis Canusinæ Ecclesiæ Sabinus effulsit Episcopus. Hic ab infantia omnipotenti Deo in omnibus placere cupiens, carnis *g* coercens voluptatem, animum ad cœlestia sublimabat. Tanta etiam in illo gratia erat, ut nullus ambigeret eum assidue cœlestia cogitare. *h* Illius enim opus foris ostendebat, quod intus assidue meditabatur. Erat enim pietatis cultor, justitiæ amator, pauperibus largus, hospitibus gratus, orphanorum levamen, viduarum protectio. Quis ad illum tristis advenit, et non lætus abscessit? Quis in illius oculis ira agitatus, et non est illico sedatus? Quis in fastu superbiæ *i* positus non illius est admonitione humilis factus? Ex illius ore, quasi serotina ac temporanea pluvia, corde audientium irrigabant eloquia. Nemo duræ mentis ad illum venire poterat, qui non ejusdem doctrina delectaretur: audiendo quidem, velut a summo artifice lapis emolliri solet, molliebatur. Hinc multorum corda Italorum ex *k* Gentilium tenebris ad verum lumen fidei perduxit: nec non quosdam Christicolas, qui adhuc gentili laborabant errore, ad Ecclesiasticam normam revocavit.

*g virtutibus floret* · *multos convertit.*

B 3 Et ut super candelabrum lucerna posita, juxta Evangelii vocem, ut omnes qui in domo sunt Dei illuminaret, ad pontificalem est gloriam sublimatus. Sed quantum se in summo culmine esse conspiciebat, tantum se humilitatis gubernaculis continebat, reminiscens illud quod dicitur, Quanto major es, humilia te in omnibus; unde et ab omnibus amabatur. Quis enim scribere poterit, quanta in eo largitas erat Conditoris? qui ita erat immobilis, ut nullis adversis moveretur, nulla lætitia *l* solveretur, nullo unquam munere in partem verteretur. Quod si omnia vitæ illius narrare velimus, ab iis quæ dicenda sunt stylum cessamus. Atque utinam Augustinus aut Doctor aliquis nostris fuisset temporibus, qui tanti viri miracula ac virtutes limpido sermone componeret. Ego vero imbecillus et *m* inertissimus hominum, quandoquidem elegantioribus verbis hujus viri vitam contexere non valeo, miraculis decorabo suis.

*Matth. 5. 15 fit Episcopus, Eccli. 3. 20 humilis et constans*

a *Deest hic Prologus, usque ad illa* Justiniano igitur *etc. in altero codice Capuano.* — b *Beatillus* Leonem III *intelligit, qui a* 26 *Decemb.* 795 *sedit usque ad* 12 *Junii* 816. *Verum supra* § 2 *ostendimus, Auctorem videri multis annis ante illius pontificatum scripsisse, et libellum hunc potius Canusino cuipiam Antistiti, quam Romano Pontifici dedicasse.* — c *MS. Capuan.* mens multis refugit gravata *etc.* — d *MS. Beatilli,* nostro. — e *Idem,* libris extracta. — f Justinianus *imperavit a Kalendis April.* 527 *cum Justino avunculo, a Kalendis Augusti solus usque ad* 13 *Novemb.* 565. — g *Uterque Codex Capuanus:* contrivit voluptatem, et omni nisu ad cœlestia anhelabat. — h *Idem:* et foris ostendebat. — i *MS. Beatilli:* elevatus, et non illius insaniam mentis mitigavit? — k *Idololatriam quibusdam in Italiæ locis ad S. Sabini usque ætatem viguisse supra ostendimus 7 Febr. in Annot. ad Vitam metricam S. Laurentii Sipontini.* — l *MS. Beat.* sublimaretur. — m *MSS. Capu.* inscius litterarum.

C

## CAPUT II.

### *S. Sabini cum Sanctis amicitia. Ædificia.*

Igitur prædicti Christi famuli factem omnes Proceres et præcipui viri Italiæ sæpius videre cupiebant, et cum viro sanctissimo cœlestibus pabulis epulari. Unde et cum *a* Germano Capuanæ Ecclesiæ Pontifice *b* crebris familiaritatibus conveniebat. Sed et cum Benedicto Christi famulo in Cassino castro posito assidua amicitia loquebatur; eumque invisere per singulos annos consueverat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat; ut Gregorius Romulææ urbis narrat Episcopus. Nam quodam tempore dum ad eumdem Dei famulum Benedictum præfatus vir visitandi gratia advenisset, et de Totila Rege Gothorum, ac Romanæ urbis interitu, locutio oriretur, Benedictus ait: Roma a gentibus non dissipabitur, sed suis vetustatibus et terræ motibus fatigata marcescet in semetipsa. Quod ex maxima parte factum cernimus, *c* sicut mihi ii qui illius itinera frequentius ambulant retulerunt. Dicunt enim jam absque habitatoribus ex tanta multitudine remansisse; et *d* quæ gloria florebat doctorum, nunc solœcismis et diversis vitiis abundare. Silentio tamen hoc dicimus, quoniam vigor sanctæ Ecclesiæ, Deo favente, adhuc in illa primatum tenet.

*S. Germano Epis. Capuano familiaris, a b et S. Benedicto* · *ab hoc Romam non evertendam discit*

D *AUCTORE ANONYMO, EX MSS.* *c d*

5 Sed quia a narratione paullulum discessimus, ad sancti viri narranda miracula revertamur. Itaque Dei famulus Sabinus ab omnibus merito venerabatur, intantum etiam, ut Romæ urbis *e* Gelasius Pontifex præ ceteris Episcopis eum socium haberet ac familiarem. Nam cum *f* Barolitanam ecclesiam in honore B. Andreæ Apostoli benedicere voluisset, eumdem Gelasium Papam ad se adventare rogavit, (quod et fecit) eumque supradictam ecclesiam dedicare poposcit, satis de adventu primæ Sedis Episcopi gaudens. Quapropter alacri animo cum ceteris Episcopis, quos ad dedicationem ejusdem ecclesiæ vocaverat, omnipotenti Deo gratias egit, eo quod ad se tantus Pontifex advenisset. Nam et nomina Episcoporum, qui vocati sunt, hic enumeranda existimo: *g* Laurentius Sipontinæ Ecclesiæ Pontifex, Palladius Salpitanæ, Eutychius Tranensis, Joannes *h* Rubisinæ, *i* Austerus Venusinæ.

*e f S. Gelasium invitat ad dedicationem ecclesiæ,* · *g cum aliis Episcopis h i*

E 6 Erat idem venerabilis vir restaurator ecclesiarum, ad gubernandas animas valde præcipuus, et quæ talenta Dominica ad negotiandum acceperat, sollicitus quærebat hæc Domino suo cum lucro reportare: et quoniam quinque et duo talenta in se cognoscebat, cupiebat duplicare, quæ sibi commissa credebat. Idcirco in exterioribus quinque, intus augebat duo activæ contemplativæque vitæ, quibus sancta et immaculata degit Ecclesia. Non intellectus in eo sine opere, sed jugiter cum intellectu concordabat opus, et quod suo gregi prædicabat, abundantius faciebat. Suadebat omnibus mundi hujus prospera esse vanissima, et quasi flumina labentia velocius deperire. Nunquam a doctrina lingua, et a restauratione venerabilium locorum cessabat manus. Quam pulchro siquidem opere in Canusina civitate, in honore beatorum Martyrum Cosmæ et Damiani, basilicam exstruxit, eamdemque diversis columnis ac musivo decoravit. Necnon et B. Joannis Baptistæ ac Præcursoris Domini nostri Jesu Christi, excelso culmine cameram juxta ecclesiam beatissimæ et semper Virginis Dei Genitricis Mariæ condidit. Sed et ante ecclesiam prædicti Præcursoris Domino Salvatori templum magno decore instituit. *k*

*assidue prædicat:* · *ecclesias construit.* · F *k*

a *De S. Germano Ep. Capuano agemus* 30 *Octob. De S.* Benedicto 21 *Martii.* — b *Uterque Capuanus codex,* crebra familiaritate, ob mor. assiduis amicitiis. — c *Romam ergo ipse Auctor non viderat. S. Gregorius § 8 citatus putat ante suam ætatem hanc S. Benedicti vaticinationem completam. Sed si de excidio Urbis, quale minabatur S. Sabinus, (est quale Canusii Totila intulerat, et ceteris urbibus illaturum se minerat, ut 7 Febr. in Vita S. Laurentii Sipontini cap. 4 num. 17 dictum) vaticinatus est sanctus Abbas, id ad extrema potius mundi tempora referri debet.* — d *MSS. Capuana:* que gloria florebat tunc, diversis nunc vitiis abundare. *Sequentes vero usque ad num. 5 desunt in Beatilli MS.* — e *MS. Beat.* comparem. — f *De hac dedicatione supra pluribus actum, ostendimusque* Barolum, *quæ nunc* Barletta, *jam tunc urbem fuisse.* — g *De his Episcopis actum ad Vitam metricam S. Lauren. ii 7 Febr.* — h *Uterque MS. Capuanum, habet* Rubesane, *uti et metrica Vita S. Laurentii, ubi et de* Rubis *urbe ejusdemque episcopali, egimus.* — i *MSS. Capuana:* Asterius. — k *In A ita impressa vita ab Felice Sticeo ex Baronii ad Martyrologium Notis addita monet Michael Monachus.* Fuit quidem non solum vitæ sanctitate spectatissimus, sed in obeundis muneribus Ecclesiasticis vigilantissimus. functus enim est legatione Apostolica Constantinopoli adversus Anthimum hæreticum Patriarcham Constantinopolitanum post consulatum Belisarii anno DXXXVI. ut apparet ex Actione prima quintæ Œcumenicæ Synodi.

*Excidium urbis Romæ a S. Benedicto prædictum, quando futurum?*

## CAPUT III.

### *S. Sabini prophetiæ donum.*

Sanctus itaque vir, cum tam longa senectute fatigaretur, lumen amiserat oculorum, cui utique sancti Spiritu

*S. Sabinus cæcus spiritu prophetiæ donatur:*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A Spiritus lumen oculos illustraverat mentis : et qui multis fuerat specialibus donis ornatus, cœpit et cæcus spiritu prophetiæ videre. Nec diu hoc latuit : tota namque Italia eum habere spiritum prophetiæ audivit, quod et ab omnibus populis fidelibus creditum est, gaudentibus quod talem sibi suis diebus Dominus Jesus instituisset Pontificem. Eo quoque tempore cum Totila, cujus supra meminimus, Gothorum Rex in iisdem partibus moraretur, donum sancti Spiritus, quod vir Dei acceperat, audivit; quod minime credidit, sed, sicut erat durissimæ et perfidæ mentis vir, *a* eum explorare conatus est. Nam cum ab eodem venerabili viro ad prandium fuisset invitatus, Rex ad dextram illius sedit, puerique ejus de manu, hora bibendi, poculum abstulit, idque loco pueri Episcopo præbuit. Quod virum Dei minime latuit : nam cum summa velocitate poculo accepto, Regi ait : Vivat ipsa manus. Ille quidem perfidæ quamvis esset mentis, ad veritatem ductus, lætitia sublimatus, verecundia faciem texit : lætus, quia quod de viro sancto audierat invenit; verecundus, quia tanto viro illudere præsumpsisset : nec in illius corde scrupulus dubitationis remanserat, quoniam qui per lumen oculorum discernere non poterat, tanta celeritate quod ei illudendi arte factum fuerat invenisset. Inde et Rex, et qui cum ipso aderant, inceperunt sanctum Episcopum, ut Prophetam, in summa veneratione habere, intantum ut qui totam Apuliam et Calabriam jam direptionibus devastarat, a sancti Dei famuli diœcesi suos compesceret, ita ut nullus minima et abjecta illius contingere auderet.

*agnoscit Totilam sibi illudere volentem,*

B

*ut cur diœcesi parcat obtinet.*

8 Igitur ut clarius ostendamus eum habuisse spiritum prophetiæ, vel quantæ fuisset virtutis, ad ejus Archidiaconi, Vindemii nomine, manifestandam perniciem, enarrandi gratia, articulus vertamus. Itaque cum idem venerabilis Antistes provectæ esset ætatis, præfatus Archidiaconus maligno instigatus superbiæ spiritu, totum se contra Episcopum ad adipiscendum episcopatum dedit. Puerum itaque, qui refectionis tempore Episcopo poculum tradere solitus erat, accersivit, eumque his verbis allocutus est, diabolico ore sic dicens : Miror quomodo æquo animo diuturna suffers onera senis. Si vita discessisset, profecto honoratior haberetis. O si talem habuisses Episcopum, qui episcopatus sui terminos celeri corpore, opportuno tempore visitare potuisset ! Ad hæc verba puerilia corda cœperunt mollescere, et Archidiaconi maligno consilio obedire, intantum ut venenum a Vindemio sibi traditum vino misceret, et ad bibendum Episcopo præberet. Nam cum reficiendi hora advenisset, puer ex more poculum veneno maculatum Episcopo [illegible] tradere. Cui Episcopus, Bibe, inquit, tu quod mihi porrigis, [illegible] quid in illo latet. Puer mox quod fecerat, in lucem cognoscens deductum, pertimuit, [illegible] vultum ferre non poterat [illegible] ad os, ut biberet, venenum [illegible]. Ad hæc Episcopus, Mihi, ait, præbe, *b* [illegible] Mox, dedit, ut in conspectu [illegible], veneno quo extrema [illegible] ille, qui hoc [illegible] statimque poculum [illegible]. Sed mirum et stupendum [illegible]. Non enim ipse biberet venenum, [illegible] Vindemium, qui in Tertio vico tribus [illegible] distanti erat [illegible] est. [illegible] *d* [illegible] viro necem tradere cupiebat, ipse [illegible] peremptus est, dumque vellet necare veneno, [illegible] veneno necatus est [illegible] et præoccupatus est. O infelix et [illegible] Vindemi, tibi scilicet credita [illegible] Dei præcepta, tibi Evangelium traditum est, ut omnibus evangelizares. Num-

*Archidiaconi fraude*

*corrupto famulo,*

C

*in venenum præbente nil decernens reg[illegible],*

*tamen elabi,*

*Archidiaconi mortem denuntians qua [illegible] tempore contigit*

quid non publica voce canere solebas : Qui parat proximo suo foveam, incidit in eam ? Hoc tibi evenit, infelix, quod aliis cavere prædicabas. Statim id quod gestum fuerat, auribus Dei famuli insonuit; qui de illius nece potius animæ, quam corporis, dolens, eum sanctissima pietate juxta ejus sepulchrum sepeliri præcepit.

D Prov. 26 27

*in mortuum benignus.*

a *Ita S. Benedicto et S. Laurentio Sipontino, ut 7 Febr. relatum illudere voluit hæreticus tentavit, utrobique (ut et hic) delectus.* — b *Abest fidelissime a MSS. Capuanis.* — c *Addunt eadem, securus.* — d *Eadem, sancti viri necem audire.* — e *Desunt in iis hæc verba.*

## CAPUT IV.

### *S. Sabini ultima ad suos monita. Mors.*

Nec diu vir Dei Sabinus in hac vita moratus est : cuncto namque sibi adstante Clero, extremum sui corporis diem prædixit imminere. Nec quod prædixit, diu dilatum est. Languore superveniente mortis appropinquavit hora. In ipso sui obitus articulo positus, in strato, in quo jacebat, residens, ad universos, adstante Clero et turba, quæ ad sanctum virum ob illius exitum animæ confluxerat, clara, prout poterat, voce ait : Dissolutionem mei corporis proxime, Fratres ac filii, videtis imminere : necessarium igitur existimo, ultima mearum prædicationum vobis relinquere mandata. Præcipue pacem strictius cunctos doceo tenere : nequaquam enim ab illa aliquis recedens, boni quid potest operari. Secundum utique est hoc Dei mandatum : duobus namque præceptis, ut sæpius vestræ dilectioni innotui, Christi Ecclesia servatur; primum ut Deus totis viribus diligatur, deinde ut proximus puro corde ametur. Ab his scitote cetera derivari mandata. Nemo vestrum ab unitate fidei tota intelligentia recedat : quia nisi quis in Trinitate oculos mentis fixos tenuat, in vacuum laborat. A crimine omni custodia semper animum refrænate : quo si quis captus fuerit, continuo ad Confessionis devota mente remedia recurrat. Hospitalitate gaudete : pauperum vulnerumque terminos nullus movere conetur. A Missarum solenniis suo tempore numquam animos revocate; reminiscentes quod dicitur, Dum lucem habetis, ambulate : hora futura est, in qua nemo potest operari. Mundi hujus oblectamenta, quæ cernitis, more fluentis aquæ decurrere scitote. Cuncta caduca, velut fumi vaporem credite perire : labentiaque fugite, ne cum labentibus cadatis. Cruenta illa bestia, quæ hominum suis morsibus crudeliter mentes lacerare festinat, et luxis famulorum suis sordibus nimium pectora fuscare, quod promittit, fallit, sibique consentientibus mentitur, invidia ardet, et ubi mendax ille stare non potuit, inde alios repellere molitur. Ad poli potius cardinem oculos mentis dirigite, ut patriam, quam primi parentes obediendo colubro antiquo perdiderunt, recipere mereamini.

E

*Moribundus suos hortatur*

*ad pacem,*

*fidem,*

*animi puritatem,*

*misericordiam Missæ auditionem,*

Joan 12 35

*mundi contemptum, cavendas diaboli fraudes,*

F

10 Inter hæc, illis eventura hoc modo mirabiliter prophetavit : Ego, inquit, jam a corporis ergastulis resolvor. Deo autem gregem, quem mihi ad pascendum tradidit, commendo. Lupororum scio nimium vos post funeris mei tempora graviter dentibus lacerandos. Nam Italia gentium direptione non paucis temporum curriculis premetur; ita ut rura absque agricolis, ob gentium terrorem, relicta videantur. *a* Qua caussa membrorum meorum tumba incognita relinquetur diuturno tempore, et absque *b* adminiculo Pastorum hæc Ecclesia multo cretinebatur. Nullus clangor laudantium sive canentium sonora in ea voce audietur. Relictæ ab hominibus loca hæc tantummodo bestiæ tenebunt. Quod quidem reperimus juxta vaticinium prophetantis. *c* Quis enim ignorat Alboin Longobardorum Regis adventu cunctam Italiam devastatam ?

*prædicit vastationem Italiæ,*

a

b

*suique tumuli [illegible] per [illegible]*

c

11 Hæc et his similia eo dicente, plangentium vox

A vox orta est, nullusque se potuit a lacrymis continere, dolentes quod talia ex ore Pontificis audissent. Cuncta itaque Sacerdotum et reliquæ plebis agmina *d* commotis visceribus inquiunt : Quem nobis, optime Pontifex, Pastorem relinquis? Cur non adhuc, fatiscente licet ætate, tibi commissam gubernas Ecclesiam? Poteras utique, si Christum petere velles, nostra aliquamdiu onera sustinere. Quibus ille : Hoc mihi, cohæredes et in fide Domini nostri Jesu Christi participes, nolite dicere. Nam debitum mortis persolvens, Christum toto desiderio anhelo videre. Nunc ad patriam protoplastis vetitam reducor. Nunc duorum facies, qui cum Domino transfigurato illi in monte loquebantur, aspicio. Nunc agmina Apostolorum Martyrumque fulgentia videns gaudeo : turbam Virginum, nec non Angelorum candidatam aciem cernens delector. Cur igitur iter impedire mihi nitimini? Si me toto affectu amatis, ad me quantocyus venire deinceps festinate, per ipsum qui se petentibus vitam præbet.

*d*

*suos solatur.*

*ad cælum anhelans*

Luc 9. 30

12 Multa alia et his similia populo prædicans, ac prædicens, sanctissimus Episcopus, omni gloria venerandus, dignusque ætheris astris, post quinquaginta et duos annos, quibus sanctam Canusinam gu-B bernavit Ecclesiam, quinto Idus mensis Februarii ab hac luce migravit ad Dominum. Omnis igitur Clerus, universaque turba, quæ ad sanctissimi viri obitum confluxerat, multis coruscans lampadibus, hymnis cœlestibus sanctissimi corporis exequias prosequebatur, quousque sepulturæ traderetur. Cuncti protensis manibus astrorum Tonanti proclamabant, verberabat lumina lumen, corda vox lugentium, auresque decurrebat psalmorum auditus. Virgines sparsis crinibus, oblito faciei pudore, ululatum dabant : sed et senes tremula voce, prout poterant, lacrymas fundebant : *e* infantium stridor cunctis ululantibus sonabat. Ex longinquis etiam locis, non tantum ex vicinis, omnes convenerant, ut in unum confusa voce psallentium simul et lugentium Sabinum honorarent. En patriam *f* æternam ingreditur : en cœlorum hymnis honoratur : en Angelicis manibus suscipitur : en quæ sibi credita fuerant, geminata Domino reportavit. Ergo quid illi Dominus dixerit audiamus : Euge Sabine, in pauca fidelis fuisti, constituam te super multa. Veste candidiore nive statim induitur, gemmisque fulgentibus coronatur. Prophetis gaudentibus, Angelorum choris exultantibus, illico inter Sanctos vir Dei collocatus est.

*moritur 9 Febr.*

*... sepelitur.*

*e*

*f*

C a *Notat Monachus, septem sequentia verba abesse ab excuso exemplari.* — b *MS. Beat.* cerminiculo. — c *De uni hæc in MSS. Capuanis. Testatur Monachus in excuso haberi.* Quis ignoret Annibalis Carthaginensis adventu cunctam Ausoniam devastatam? *Forbassis scholion aliquis ita contextum exornavit.* Quis enim ignorat, ut olim Annibalis Carthaginensis, ita et Alboini Longobardorum Regis adventu *etc. Supra indicavimus anno Christi 568 Alboinum in Italiam venisse, amplius 780 post Annibalis irruptionem.* — d *MS. Beat.* viscere moto. — e *Deest hoc de infantibus in MSS. Capuanis.* — f *MS. Beat.* parentum.

## CAPUT V.

### *S. Sabini sepulchrum ostensum ; miraculo et ecclesia honoratum.*

De virtute et miraculis vitæ prædicti Dei famuli, quantum memoriæ occurrit, diximus : nunc autem cujus sit meriti, vel quantis virtutibus illius ossa floreant, Deo opitulante loquamur. Hæc autem quæ dicturus sum, audivi a viro venerabili Petro ejusdem Ecclesiæ Episcopo. Hic mihi de suo prædecessore Sabino, quæque a senibus Sacerdotum diligentius multis inquisitionibus audierat, vel quod ex *a* epigrammate legere poterat, sæpius narrare consuevit, et hæc ut scriberem præcepit.

*Sed ... unde Auctor acce...*

*a*

14 Quidam Hispanus, nomine Gregorius, gravi sui corporis languore premebatur. Hic cum per loca Sanctorum discurreret, ut sui corporis remedium invenire posset ; quadam nocte, dum se Domino tota D virtute committeret, ejusque misericordiam multis precibus exoraret, ut illi peccata dimitteret, et a periculis sui corporis velocius liberaret ; post orationem statim sopore arreptus est, sibique quemdam dicentem audivit : Surge Gregori, et ad Italiam propera : ibi per Sabinum Episcopum, non solum tui corporis, sed et animæ invenies sanitatem. Mox a somno evigilans, quod ei fuerat imperatum fecit, velocique cursu ad Italiam, ut poterat, venit. In quam ingressus cœpit ab incolis hujus terræ anxius quærere, in quo loco *b* B. Sabini Episcopi corpus jaceret. Ad quem responsum est : Apud Spoletanam urbem quiescit ; in ea enim martyrio coronatus est tempore quo Christi Ecclesia a Gentilibus persecutionem patiebatur. Hæc audiens, iter arripiens continuo cum omni gaudio ambulare cœpit, putans eum Sabinum esse, quem in suo solo positus audiverat. Itinere arrepto, Spoletum venit : ecclesiam beatissimi Dei Martyris citius reperit ; in quam ingressus, diutius oravit, petens ut ei Dominus, quod promiserat, per suum famulum cito largiri dignaretur. Post paucos vero dies beatus Martyr se salutem petenti per visionem ait : Quid me quotidianis lacrymis postulas? Non ad me missus es, sed ad fratrem et coE episcopum meum Sabinum, Domini nostri Jesu Christi servum, quem Dominus Canusinæ urbi Apuliæ Antistitem ac Patrem dedit.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*Hispanus æger, divino monitu*

*in Italia S. Sabini sepulchrum inquirit*

*b*

*Spoleti a S. Sabino M. jubetur Canusium petere*

15 Hoc audito Apuliam petiit, et apud ecclesiam B. Petri Apostoli, ejusdem Sabini episcopatus, Domino se multis precibus stravit, dicens : Domine Jesu Christe Pastor bone, qui mundi hujus facturam tuo sanguine restaurasti, et quæ diabolica fraude decepta fuerat, ad tuam sanctam et veram cognitionem perduxisti, ut omnia in confessione laventur ; peto clementiam tuam, ut mihi peccata dimittas, et ab infirmitate meum corpusculum absolvas. Aspice me peregrinantem, per longa itinera fatigatum, tuæque sanctæ promissioni credentem. Spero habere quod mihi promissum est per te, qui vivis et regnas cum Patre et Spiritu sancto, una substantia, una potestas, perfecta trinitas, in secula seculorum. Amen. Finita vero oratione a Clericis susceptus est, et cur per tanta terrarum spatia ad hæc loca venire voluisset, quæsierunt. At ille suæ profectionis caussam innotuit. Ad hæc hi qui audiebant, Sepulchrum, inquiunt, illius, quod quæris, usque hodie hominibus incognitum manet ; potens est tamen Deus et hoc in præsens ad lucem deducere, et sua promissa F complere. Quibus præfatus Hispanus, Me, ait, precibus, obsecro, adjuvate, dum ejusdem misericordias expecto. Post hæc non diu fatigatus est. Illo namque quiescente post vigilias orationis, beatissimus vir Dei Sabinus apparuit ei dicens : Gregori, corpus tuum pristinæ restitutum est sanitati, nec non et anima saluti. Et subjunxit : Sepulchrum quidem meum, quod per multa tempora latuit, illo in loco cumulus innotesce, et super illud ut ecclesiam construat, *c* Theodoradæ dicito, ut ipsa enim inveniet, unde, quod jubeo, abundantius valeat implere.

*hic fervidus orans*

*S. Sabinus sepulchrum suum ægro ostendit, et sanitatem restituit.*

*c*

*jubetque ecclesiam extrui.*

16 Eodem quoque tempore Longobardorum regni gubernacula sustinebat *d* Grimoalt, qui filium suum Romoalt Beneventi Principem instituit, eique Lupi, *e* qui ex nobili prosapia extiterat, filiam nomine Theodoradam, quam modo memoravimus, in matrimonium dedit. Romoalt defunctus eam ad regendum Samnitum populum cum parvo filio reliquit. Igitur hæc mulier a præfato Hispano mandatum audiens, et implere festinans, ad sepulchrum Dei famuli læta perrexit : idque aperiri, Sacerdotibus omnibus, qui aderant, psallentibus et hymnos Deo referentibus, jussit. Aperuerunt itaque sepulchrum, in quo (mirabile visu) thesaurum mirabilem odore ambrosio redolentem

*d*

*e*

*sepulchrum aperiunt, et corpus odore ...*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

A lentem reconditum invenerunt. Sed et in quadam parte sepulchri non modicum auri pondus repertum est. Quod factum credimus propter Gentilium insanam incursionem, quæ ante hæc tempora, ut vir Dei prædixerat, totam usque ad internecionem Italiam devastavit; fortasse simul ut ad constructionem ecclesiæ servaretur.

17 Theodorada vero oblita mandati aurum abstulit, sepulchrum reliquit, ad suam sedem remeare volens, Beneventum festinat. Sed dum ad *f* pontem, qui a Trojano Augusto constructus super fluenta est Aufidi, venisset, omnipotentis Dei judicio, equus, in quo sedebat, pede lapsus est. Quæ mox in terram corruit, et a terra brachiis famulorum levata est, et quis esset vel cujus meriti Sabinus post casum cognovit, cujus præcepti nescio quo ordine fuerat oblita: se itaque ad Dei viri sepulchrum reduci jussit, et cum omni festinatione, quemadmodum et mandatum fuerat, ecclesiam construens, altare super corpus viri Dei pulchro marmore instituit; ad cujus opus calicem et patenam ex auro, quod abstulerat, fieri præcepit; nec non et altaris tegmina auro gemmisque decoravit. Hispanus vero usque ad exitum suæ animæ in eadem ecclesia Deo servire in timore

*f* — *ex eo ablatis thesauris Theodorada, lapsu admonita,* — *ecclesiam ædificat et ornat.*

B curavit.

a *Verisimile est in templo a Theoderada extructo inscriptionem aliquam positam, ut sit, ad memoriam posterorum.* — b *Multi a Beatillo cap.* 13 *numerantur* Sabini, *quorum variis in urbibus Italiæ diversis diebus anniversaria est veneratio, de singulis proprio loco agemus. Sodetinus hic, qui Episcopus Asisinas fuit et Martyr, colitur 7 et 30 Decembr.* — c *MS. Beatilli hic habet* Theodoratæ, *infra, ut et hic Capuani codices,* Theodoradam *vocat.* — d *De* Grimoaldo *Rege, Gisulphi Forojuliensis Ducis filio, deque Romualdo, Lupo Theodorada, supra actum est.* — e *MSS. Capuana brevius,* cujusdam nobilis. — f *Hunc Antonini Itinerarium et Tabula Peutingeriana* Pontem Aufidi *appellant. Censet Cluverius fuisse, ubi nunc oppidum* Monte verde, *vi passuum millibus distans ab oppido Cerbonaro, quod alios Aquiloniam dictum existimat, vel a Venusia, quantum ab utraque Pons Aufidi distabat.*

*Multi S. Sabini in Italia.* — *Pons Aufidi oppidum.*

## CAPUT VI.

### *Ope S. Sabini sanatus contractus, idemque surdus ac cæcus.*

Neque hoc silentio dandum existimo, quod ab ejusdem Ecclesiæ Primicerio *a* me audisse recordor. Venerabilis, aiebat, Bursæ tempore, qui in hac Ecclesia Deo largiente extitit Pontifex, *b* (cujus etiam Archidiaconus Audealt fuisse commemoratur, qui tertio in loco a præfato venerabili Episcopo Petro, pontificali gloria functus est; supradicti itaque Bursæ tempore) quidam *c* Aquitanus ad Dei viri Sabini *d* fanum cucurrit, qui ita erat sui corporis *e* compagine C solutus, ut numquam posset ad os manum adducere, vel ad ambulandum pedes movere; quod durius, pedes natibus adjuncti tenebantur: numquam illius aures sonum audire poterant, nec ad mortalium lumen lumina patebant, et, ut verius dicam, quasi in quodam vasculo anima manebat. Ut per hunc sui servi omnipotens Deus virtutem innotesceret *f* ad salutem suæ animæ hunc undique, ut existimo, ligavit. Quis etenim dubitet Divino judicio cuncta disposita moveri, cujus oculos omnes filiorum Adæ vias conspicere dictum est? Illi etenim cura est de omnibus. Unde et huic debili in suo adhuc solo remoranti mandatum est, *g* ut quantocyus ad sepulchrum Christi famuli veniret, quatenus sui corporis remedium habere potuisset.

*Contractus, cæcus, surdus* — *Divino monitu ad S. Sabini sepulchrum mittitur:*

19 Venit itaque et dum quadam die apud eamdem ecclesiam secreto Dominum, ut poterat, pro membrorum suorum salute rogaret; contigit, ut Episcopus ex more in B. Petri Apostoli basilica, Missarum solennia populo celebraret; et idem, de quo diximus, ad sepulchrum B. Sabini solus tantummodo jaceret. Mira et nostris laudanda diebus res claruit. Dum enim Missarum solenniis a Diacono thus ex more daretur; in camera, ubi æger solus jacebat, stridor auditus est: sed ad hunc aures virorum, cunctorumque qui aderant, concussæ sunt; et quid hoc factum fuisset ad videndum celeriter cucurrerunt: Sed mox ut cameram ingressi sunt, juxta altare viri Dei hunc, qui infirmus fuerat, sanum repererunt atque cruorem ex *h* junctione membrorum emanantem. Interrogantibus se quatenus hoc factum sit innotescens ait: Quidam me abripiens fortiter tetendit, ita ut omnia membra, ut mihi videbatur, sua virtute separaret, qui se Sabinum nominari *i* fatebatur. De hoc puto patrio in solo positum *k* mandatum me accepisse, cujus adventus oculorum meorum cæcitatem fugavit; sed et mirabiliter auditu aures reformavit. Continuo cunctis mirantibus, ingenito Patri, Genitoque unico, simulque sancto Spiritui perennem gloriam laudemque prædicans, ad populum exivit. Quo viso omnis plebs una cum Episcopo, cunctoque Clero, infinita lætitia Christo gratias reddiderunt, quod per Sabinum suum famulum quotidianis miraculis suam Ecclesiam bearet.

D — *hic orans sanatur,* — *h* — *Sancto sibi apparente:* — *i* — *k*

20 Post sui vero restaurationem corporis præfatus Aquitanus cum animalia cerneret, circumstantibus dicebat: Quæ hæc sunt, obsecro, mihi celerius innotescite. Nihil enim omnino in hac vita viderat, nisi post visitationem, idque non tantum dictis, sed magis opere patefaciebat. Quadam die dum asellus a E quopiam per viam duceretur; Huc, huc, ait, socii venite, et quid per hanc viam ambulet, sollicite probate. Quo audito qui aderant, sese risui pro tali dicto tota virtute protinus dederunt. Quibus ille, Quid obsecro, ait, ridetis? Et mihi potius quid hoc sit innotescere velitis. At illi, relicto risu aiunt: Quod quæris, o frater, asellus nominatur. Ad hæc ille: Ad quale opus, quæso, hic necessarius habetur? Et illi: Ad ferendum onera inter cetera animalia eum Deus omnipotens creavit. Post hæc duobus annis in eadem ecclesia serviens ad solum proprium, cum omni exultatione Tonantem laudando, incolumis remeavit.

*miratur obvia quæque, numquam visa.*

a *MS. Beatilli:* se audisse asserit dicens: Venerabilis namque Bursæ tempore. — b *Quæ hic parenthesi inclusa, aberant ab utroque codice Capuano: habebantur in Beatilli, etc, ut Monachus testatur, in excuso.* — c *Vasconem facit Beatillus.* — d *Sam idem cap.* 14, *S. Sabini reperto corpore multa isthic cœpisse fieri miracula scribit. Et patet infra num.* 19. — e *MSS. Capuana,* omni compage. — f *Sequentia, usque* Unde et huic, *desunt in MSS. Capuanis.* — g *Voce cælesti, inquit Beatillus: interna admonitione, quo enim aliunde audisset surdus?* — h *MS. Beat.* disjunctione. — i *Idem* faciebat. — k *Ita conjicio legendum. Videbatur esse* medicum, *aberat a MSS. Capuanis.*

## CAPUT VII.

### *S. Sabini Translatio, miracula.*

F Optimum puto nunc ea etiam, quæ his diebus per beatissimum Sabinum gesta sunt, posteris mandare. Præfatus venerabilis *a* vir, de cujus ore cuncta quæ narro audivi; cælesti amore agitatus, ad Sedem pontificalem Canusinæ urbis corpus Christi famuli introducere studuit, ubi assiduis laudibus, frequentia populi, et Clericorum psalmodiis honoraretur; quia a Sede, ad quam omnes convenire consueverant, ipse, mille passibus distabat, bene et optime cogitans, ut ad laudem Domini, et ad salutem plebis *b* palam tantus Pontifex jaceret. Hic videlicet in solemniis Apostolorum SS. Petri et Pauli cum omni populo utriusque sexus, ad istud magnum et laudandum spectaculum venerant, omnes cupientes Christi sacrum thesaurum reperire. Iis vero foris stantibus, Episcopus *c* cum choro psallentium, quasi Christum suscepturus, ad sepulchrum ingressus est. Remotis igitur marmoribus ad sanctum ac venerabile corpus pervenerunt, sed tanta fragrantia odoris illico erupit, ut omnium nares, ac si ex diversis *d* virentibus floribus, satiaret. Non tamen eadem hora translatum est, sed in crastinum ferendum servavit, et annulo episcopali signatum reliquit. 22

*a* — *Petrus Episcopus cogitat S. Sabini corpus transferre:* — *b* — *c* — *sepulchro aperto odor erumpit,* — *d*

A 22 Sed dum ad ferendum die altera Episcopus cum frequentia venisset populorum, remoto signo, cum ad venerabile corpus ingrederetur, mirabiliter Deus novum suis et stupendum Sacerdotibus manifestavit miraculum. Ex marmoribus namque, quemadmodum *e* balsami stillare solent guttulæ, inenarrabili odore liquor emanabat. Cuncti qui aderant, Angelica ibi esse obsequia credentes, cum exultatione pavoreque intenti impensius orabant. Quid plura? Tulerunt corpus cum hymnis et cœlestibus canticis, et omni populo exultante, *f* diversisque lampadibus refulgente, ad locum, quem illi ipse paraverat, venerunt. Aliquamdiu tamen in ecclesia positus, *g* altaribus nondum mancipatus, quievit. Inter hæc dum venerabilis Episcopus Petrus, ante tempus orationis, in ipsa intempesta nocte, ut Domino solus psalleret, ecclesiam intraret, super corpus Dei famuli tantum lumen effusum reperit, ut omnia illius ecclesiæ loca, ac si meridiano tempore, lucerent: sed post paullulum tamen, quod viderat, subito extinctum est, ac si in ea tanta claritas minime fuisset.

*stillat odoratus liquor:*

*transfertur sacrum corpus:*

*supra id lux noctu apparet:*

23 Igitur post hæc prædictus Petrus Christi famulus, secundum consuetudinem, diœcesim suam visitare cupiens, languore correptus gravissimo, æstu febris vexabatur. Quem vir Dei Sabinus in ipsis B suis anhelantem angustiis, paullulum sopore gravatum, visitare dignatus est, et ait: Quid agitur Episcope? Ad quem ille: Ut cernis, Domine, nimiis angustiis fatigor. Cui vir Domini Sabinus, Sanitati, inquit, *h* te scito restitutum. Hoc tamen corrige, ut servi alieni, qui a tuis hominibus male retinentur, suis dominis citius reddantur. *i* Hæc quasi de suo sepulchro vir Dei ex forma eadem, ut pictus est, jam sanus experrectus est: et ut sibi dictum fuerat diligentissime quæsivit, et quæsitum invenit, et prout mandatum acceperat, diligentissime implevit. Statim autem ad Sedem propriam reversus est, et virum Dei Sabinum, cum magna lætitia et exsultatione, in camera subtus altare beatissimorum Martyrum Joannis et Pauli, die Kalendarum Augustarum, collocavit: itaque ex argento auroque *k* linitam arcam super ejus corpus imposuit; et diversa ornamenta superinduxit.

*Episcopo a febribus sanato, et monito,*

*reconditur corpus 1 Aug.*

24 Itaque si omnes, quæ ad tumulum sancti viri fiunt, virtutes narrare velimus, protinus et manus scribentis et aures fatigarentur auditoris. Quantos nostris diebus febribus vexatos, diversisque infirmitatibus laborantes, a viro Dei audivimus Sanatos! Quantis miraculis ex ejus ossibus Apulia fulget, quis narrare C poterit? Ex quibus perpauca hæc scriptura continet, ad laudem Dei nostri Jesu Christi, et consolationem nostrorum, ipso tribuente salutem, et perennem lætitiam universis Ecclesiis, cum quibus se usque in finem seculi promisit mansurum. Mihi autem, qui beatissimi Sabini scribendas suscepi virtutes, Dominus Jesus, illius meritis, Divinum in secula seculorum tribuat lumen, et cum ipso in æterna gloria faciat permanere.

*Multa isthic fiunt miracula.*

25 Hæc principante viro gloriosissimo *l* Emerith prole Grimoald scripta sunt, cujus temporibus multa Salentinati populo prospera occurrere, præstante et adjuvante Domino nostro Jesu Christo, cui honor et gloria in secula seculorum. Amen.

*Quando hæc scripta.*

a MSS. *Capuana*, Pontifex. — b *Eccl. m.* in Pontificali ecclesia. — c MS. *Beat.* cum Clero, quasi Christi suscepturos psallentium. — d MSS. *Cap.* manans aromatibus. — e *Ecclesiæ* MSS. balsamum stillare solet guttulæ. — f ... cum cereis et lampadibus, ad locum. — g *Eccles.* altari necdum extructo. — h MS. *Bec.* cito restituam. — i MSS. *Cap.* His dictis visio illa ablata est, sanusque experrectus Episcopus. — k MSS. ... contextam. — l MSS. *Cap.* Hermerich. *Venuch* ... *in* ... *habet*, Ermenlch pro Legrimoalt, *mendose*. *Cujus hic Grimoaldi filius fuisse videatur, supra diximus.*

# ALIA VITA METRICA

## auctore Joanne Archidiac. Baren.

## *ex MSS. Eccl. S. Nicolai Barii.*

ANIMADV. PAR 54

Sume, Pater, modicas, tibi nunc quas fundimus, odas;
O venerande, preces sume Pater modicas.
Te rogat hic populus, qui te reverenter honorat,
Qui tua festa colit, te rogat hic populus;
Ut sibi proficiat reverentia, quam tibi præbet:
Quod tibi plaudit ovans, ut sibi proficiat.
Namque tuis meritis conjunctus es Altitonanti:
Dat Deus omne bonum namque tuis meritis.
Pontificem meritum præfecit plebibus olim;
Te dedit Ecclesiæ Pontificem meritum.
Tu pius Ecclesiæ rector, pastorque benignus,
Tutor præfueras tu pius Ecclesiæ.
Ergo tuis gregibus condigna fluenta dedisti:
Pascua præbueras ergo tuis gregibus.
Aucta talenta Deo tibi credita restituisti,
Reddita fœnoribus aucta talenta Deo.
Dogmata tu fidei tibi commissis dirimebas:
Ore dabas proprio dogmata tu fidei.
Sed prius, Alme Pater, effectibus illa patrasti;
Hæc tibi formasti sed prius, Alme Pater. E
Quod foris edideras, bene pectore conveniebat;
Firmiter intus erat, quod foris edideras.

*S. Sabini virtutes.*

*prædicatio.*

2 Hunc, pia plebs, rogita, venerare, decenter honora:
Audiet ipse preces, hunc pia plebs rogita.
Audiit ipse preces multorum namque precantum:
Ægri Gregorii audiit ipse preces.
Hic etenim fuerat infirmus corpore toto;
Languidus, et mœstus hic etenim fuerat.
Rura sed hic patriæ properans Hispana reliquit;
Deseruit pauper rura sed hic patriæ.
Venit in Italiam Sanctum quærendo Sabinum;
Proque salute sua venit in Italiam.
Venit ad ecclesiam tandem, tumulumque Sabini:
Ut rogitet Sanctum, venit ad Ecclesiam.
Audiit ipse preces se supplice corde rogantis;
Quas dabat assiduas, audiit ipse preces.
Denique restituit primæ Sacer ipse saluti;
Hoc sibi quod petiit denique restituit.
3 Languidus alter homo, templum properavit ad hujus;
Venit, ut hunc rogitet, languidus alter homo.
Hic Aquitanus erat, sine lumine, voce carebat,
Contractus membris hic Aquitanus erat.
Corporis officio, manibus pedibusque carebat, F
Hic sine totus corporis officio.
Pontificis meritis sed redditur iste saluti:
Sanat eum Dominus Pontificis meritis.

*Ejus ope æger sanatus;*

*itemque alius.*

4 O venerande senex, caruisti lumine carnis,
Cordis lumen habens, o venerande senex.
Corpore cæcus eras, sed corde futura videbas;
Mente propheta pia, corpore cæcus eras.
Totila Rex voluit vatem tentare Sabinum;
Scire Dei famulum Totila Rex voluit.
Sed famulum Domini novit fore denique vatem:
Vidit et agnovit sed famulum Domini.
Namque, loco pueri, Sancto dedit ipse lyæum;
Vinifer ipse fuit namque loco pueri.
Providus ipse senex mox vidit lumine cordis;
Vidit, et accepit providus ipse senex.
Totila Rex igitur magis hunc veneranter honorat,
Credidit hunc vatem Totila Rex igitur.

*Totila cæco illudens delectus*

5 Vindemius maculat mentem prius ambitione,
Simplicis et pueri Vindemius maculat.
Qui male decipitur verbis fallacibus insons,
Simplicitate sua qui male decipitur.
Credulus hic nimium confecit vina, veneno
Pocula miscet atro credulus hic nimium.

*et puer venenum porrigens,*

*AUCTORE ANONYMO EX MSS.*

Venerat ecce puer solito de more minister;
Mortis habens potum venerat ecce puer.
Quem tenet ante Patrem, quasi non mala vina videntem
Ut sibi porrigeret, quem tenet ante Patrem.
Sed videt interius, quod non foris ille videbat,
Vas quod habet liquidum, sed videt interius.
Præsul ait puero, qui pocula substinet ante,
Qui male fidus erat, Præsul ait puero:
Hoc bibe, fide puer, tu quod mihi porrigis ipse,
Lethum, quod mihi das, hoc bibe fide puer.
Sed mihi da potius, nolo moriare veneno;
Ut bibat iste senex, sed mihi da potius.
Sumpsit, et inde bibit, fuerat quod vase venenum,
Corpore nec læso sumpsit, et inde bibit.
Vindemius moritur mox ut bibit iste venenum,
Qui procul hinc aberat Vindemius moritur.
Tu, Pater, uranicum scandisti denique regnum,
Latus es ad Dominum tu Pater uranicum.
Quem, Pater alme, roga pro me dictante Joanne,
Proque Dei populo, quem, Pater alme roga.
Doxa sit Ingenito, sit semper doxaque Nato,
Spirituique simul, qui Deus Unus, Amen.

*eo qui suaserat subito extincto.*

# HISTORIA INVENTIONIS II
## S. SABINI EPISC. CANUSINI
*auctore Joanne Archidiac. Barensi,*
ex MSS. Ecclesiæ S. Nicolai Baren.

### CAPUT I.
*Urso Archiepiscopus de Reliquiis inquirit.*

*ANNO MLXI. A DECEMB.*

Temporibus Ursonis Archiepiscopi, (qui prius fuerat apud *a* Rapollam Episcopus, sed postea per potentiam et voluntatem *b* Ducis Roberti a Papa Gregorio, qui et *c* Hildeprandus dictus, ad Ecclesiam Barensem traductus fuerat, Archiepiscopus ordinatus est, qui me a primo gradu Ecclesiastico usque ad Leviticum ordinavit, et Archidiaconatus honorem mihi concessit indigno) sermocinatio inter Clericos veteres Ecclesiæ nostræ, illo præsente, de altari veteri, quod erat in *d* Confessione, multoties orta est. Requirebat enim ipse Archiepiscopus a Sacerdotibus veteranis de eodem altari, et illius consecratione vel reliquiis, vel a quo fuerat olim consecratum: de multis etiam Ecclesiæ nostræ rebus, quemadmodum hominibus consuetudo est, scire volens interrogabat. Illi autem retulerunt ei respondentes eamdem fuisse Archiepiscopatus ecclesiam, quæ modo est Confessio: postea vero desuper incepta est ecclesia ad honorem beatissimæ et semper Virginis Dei genitricis Mariæ a *e* Bisantio Archiepiscopo, et a Nicolao Archiepiscopo ejus successore consummata. Veruntamen de altari prædictæ Confessionis intenti erant, a quo fuerat Pontifice consecratum, vel cujus Sancti reliquiæ suppositæ. A suis autem prædecessoribus relatum memoria retinebant, sanctorum Confessorum *f* Memoris et Rufini, qui olim Ecclesiæ Canusinæ Pontifices fuerant, corpora recondita conservari. Colloquium itaque inter nos cum eodem Ursone Archiepiscopo habebatur de inquirendis sub prædicto altari Sanctorum istorum corporibus, quoniam id quod de eisdem referebatur, mentibus nostris versabatur ambiguum.

*Urso Archiep. Baren. Auctori familiaris, intelligit quæ vetus Cathedralis Barii, a quo nova constructa, quæ eo reliquiæ allatæ.*

2 Verum quia ipse Archipræsul multis et variis impeditus erat negotiis, inquisitio ista protracta est, suoque in tempore dimissa. Erat namque majorum caussarum fere omnium Ducis Roberti et consiliorum intimus et particeps, quia et fidelissimum sibi suis in negotiis jam et probatum habebat aliqua in legatione Apocrisiarium. Nam et frequenter *g* ad prædictum Papam legaverat, et in Hispaniam illum miserat, quando *h* filiam suam Comiti Barzellonensi nuptui dederat. Quem *i* de suæ provinciæ regno pro nuptiis confirmandis usque in terram istam, quæ sub ejus Ducis erat dominio, cum multo comitatu et apparatu sumptuoso conduxerat. Præterea cum eodem Duce quocumque ibat, equitabat, fere totius anni per spatium; quoniam pro his quæ retulimus et aliis prope se illum volebat degere, suisque in negotiis, ut prænotavimus, habere participem. Rarissime igitur suum ad Episcopatum veniebat, aut in Pascha, aut in solennitate natalis Domini, aut in quibusdam paucis anni partibus, non tamen diu morabatur, sed tantum *k* quatuor diebus, aut ad summum per septimanam. Hoc itaque modo transeundo per tempora, fatigatus et inquietus, sicut ipse nobis retulerat, sæpe multis sub laboribus et itineribus et sollicitudinibus, utpote qui tanto Duci servire ac perplacere volebat, vixerat. Tandem autem *l* Hierosolymam, caussa orationis, ad sepulchrum Domini profectus est, et in eodem anno exinde Barum rediit, et aliquanto transacto tempore ivit Canusium, ibique infirmatus obiit, et sepultus est XVI Kalend. Martii. Hic vixit in archiepiscopatu Barensi annis novem, et mensibus octo.

*intimus ipsi Roberto Guiscardo, et semper adest: raro suus: reversus Hierosolymis moritur*

a *Baronius*, Rapullam *Miræus in Catalogo urbium episcopal. Italiæ* Rapollum *et* Rapollam *vocat, atque Melfitanæ unitam Sedem. Sitæ sunt* Rapolla *et* Melphis *sive* Melphia *inter Venusium, et oppidum Montis viridis, sive Pontem-Aufidi, de quo supra ad cap. 4 Vitæ.* — b *Cum obierit* Urso, *ut infra dicitur*, XVI *Kal. Martias, anno Christi* 1089, *cum gessisset episcopatum annis* 9 *mensibus* 8, *sequitur fuisse Rapolla ad Sedem Barensem translatum ann.* 1079 *mense Junio, anno* 7 *B. Gregorii* VII. — c *Baronius et alii vulgo*, Hildebrandus, *colitur* 25 *Maii.* — d *Baronius in Notat. ad Martyrol.* 6 *Julii exponit quid sit* Confessio; *pars videlicet ea ecclesiæ, in qua Reliquiæ asservantur, quæ subinde crypta est, vel sacellum subterraneum sub Choro vel majore altari; alias sacellum aliud, et adyton quodpiam. Latius apud Græcos μαρτυρίου vox patet, significat enim totam ædem sacram. Beatillus de Episcopis Barensibus in Joanne III scribit veterem Cathedralem basilicam nunc appellari* Confessionem S. Sabini; *quæ congruunt cum iis, quæ hic scribit Joannes Archidiaconus.* — e *Lupus protospata ad an.* 1028 *scribit.* Tunc obiit Barensis Ep. Joannes, et factus est Bisantius Archiepiscopus. *Beatillus in Catalogo Epp. scribit* Joannem III *obiisse* 27 *Maii, at lib.* 1 *histor. Barensis ait* 22 *Maii decessisse. Ad ann.* 1035 *ex codice Ducis Adriensis ista in eodem Chronico habentur.* Anno 1035 die Epiphaniæ obiit Constantinopoli Byzantius Episcopus Barensis. Qui sane fuit orphanorum pater, et primariæ ecclesiæ Barensis fundator, custosque civitatis, ejusque egregius propugnator adversus Græcos. Electusque est Episcopus Romoaldus Protospatarius: sed is Aprili mense ab Imperatore Constantinopolim evocatus, exul obiit et in ejus locum electus est Nicolaus. *Beatillus ait, utrumque Antistitem, Bisantium, et Romualdum, sive Romualdum, evocatos Constantinopolim, quod cives suos studiose defenderent contra tyrannidem Catapani sive Præsidis Apuliæ, Nicolaum an.* 1062 *mortuum.* — f *De his egimus supra hoc opusculo.* — g *Baronius tom.* 11 *ad an.* 1074 *num.* 23 *ista recitat ex ipsius Gregorii litteris:* Præterea scitote Robertum Guiscardum sæpe supplices legatos ad nos mittere. *Fuerit inter hosce Legatos Urso fortassis.* — h Mathilda, *sive* Mahalta *appellatur a Martino Carillo in Annalibus: nupta est Raymundo Berengario II, cui cognomen* Caput-Stupa, *a flava densaque cæsarie. Successit is patri Raymundo Berengario Veteri an.* 1076; *occisus a fratre an.* 1082, *cum paullo ante filium ex Mahalta suscepisset. Ita Carillus, Marinæus, Tarapha, etc.* — i *Baronius*, quam. *ut manifestum est ex sequentibus, Comitem venisse in terram dominio Ducis Roberti subjectam.* — k *Baron.* tribus vel quatuor diebus. — l *De eodem Ursone Archiepiscopo idem Archidiaconus in historia Translationis S. Nicolai ita scribit:* Urso enim Barinorum Archiepiscopus, vir religiosus, Deoque dignus, et Dominis Italiæ notissimus et familiaris amicus, erat tum apud Tranum, cum quo et nos illo die eramus. Navis enim illic præparata stabat, quam post diem alteram ingredi statuerat caussa orationis Hierosolymam profecturus. *At Nicephorus Barensis in ejusdem Translationis historia:* Interea ad Dominum Ursonem Archiepiscopum legatio dirigitur, qui tempore illo apud Canusium et Tranum civitates morabatur, quarum pontificatu una cum Barensi archiepiscopio fungebatur; inde post Joannem Archidiacono suo se comitante Hierosolymam iturus. *Hæc S. Nicolai translatio an.* 1087 *contigit: sequenti Hierosolymam profectus est Ursio, sive Urso.*

*Confessio in ecclesia. Bisantius et Romualdus Archiepiscopi Barenses. Guiscardi filia nupta Comiti Barcin.*

### CAPUT II.
*Elias Archiep. S. Sabini Reliquias invenit.*

Hujus autem post obitum successit *a* Elias Archiepiscopus, qui prius Abbas fuerat, et corpus S. Nicolai in sua procuratione atque ordinatione tenebat. Hoc autem electo in Archiepiscopum, voluntate atque consensu Ducis *b* Rogerii, filii Ducis dicti Roberti, Melfiam Papam Urbanum adivimus, qui ibidem *c* Synodum celebrabat mense Septembri. Hunc rogavimus, ut usque Barum descenderet, prædictumque consecraret Eliam in archiepiscopatus honorem, Domino

*Elias successor*

A Domino Boemundo eumdem Papam nobiscum deprecante, qui eo tempore jam Barum tenebat sub dominio. Ipso vero consecrato ab eodem Papa *d* in ecclesia nostri archiepiscopatus, sæpe cum eo loquebamur de prædictis corporibus atque altari. Cœpit ergo sollicitus esse, ut quæreret, quatenus de hoc, quod ambigue dicebatur et habebatur, certus foret, et amplius non dubitaret. Nam de corpore S. Sabini mentio nulla erat, sed de prædictis Confessoribus, neque temporibus prædicti Eliæ Archiepiscopi, neque Archiepiscopi Ursonis: existimabatur enim quod apud Ecclesiam Canusinam illius sanctæ reliquiæ reconditæ fuissent, quod probavit postea rei veritas fuisse mendacium. Multoties enim quæsitum est in eadem ecclesia de Confessoris ejusdem corpore, et a *e* Mordaca nomine Præposito prædictæ Ecclesiæ, atque Raynerio, et aliis, qui præfuerant, sed numquam et nusquam ab illis potuit hactenus inveniri. Quippe quod ibi non erat quomodo invenire valebant?

*ab Urbano II consecratus, d*

*SS. Ruffini et Memoris reliquias inquirens,*

*e S. Sabini plane ignotus,*

4 Hoc autem modo in Ecclesia nostra, voluntate Divina, quod ignotum fuerat per multos annos scriptura nulla significante, repertum est tandem. Nam prædictus Elias Archiepiscopus cœpit *f* statim sollicitus esse de requirendis corporibus Confessorum Memoris et Ruffini in altari jam dicto, ut certus esset de re tota: nec quievit, vel oblivioni tradidit, quemadmodum Urso fecit Archiepiscopus, sed jussit altare destrui; quo diruto apparuerunt ossa in anteriori altaris facie, veluti sub quadam speluncula vel sepultura condita, quodam contecta panniculo. Quo viso statim cœpit idem Archiepiscopus illum auferre caute atque suaviter, verumtamen illum non sequebatur integer totus; particulæ enim illius ab illa, qua prius fuerant, integritate corruptæ et jam putrefactæ cadebant. Multorum quippe annorum jam curricula transierant. ab illo etenim tempore, quo supradicta fuerant ossa usque ad hoc ibi supposita, invenimus *g* ducentos et quasi quadraginta præterisse annos, numerantes diligenter, ut valuimus, Episcoporum annos, qui huic nostræ præfuerunt Ecclesiæ. Prædicto autem panno modo supradicto invento litteræ sunt visæ atque relectæ, quæ dicebant: Angelarius Episcopus attulit corpus S. Sabini. Hujusmodi etiam scriptura inventa est in tabula una marmorea, quæ ibidem tunc reperta est: simul et in uno *h* topho: a quo videlicet tempore hujus Episcopi Angelarii usque ad tempus ejusdem Eliæ Archiepiscopi anni præscripti sunt numerati.

*f B altari diruto, reperit,*

*240 annis ante eo translatus,*

*g*

*cum aliquot inscriptionibus h*

*C eductæ locuti,*

5 Archiepiscopus igitur cum omnibus nobis, qui aderamus, lætissimus effectus, hoc, quod inopinate inventum est, mox cœpit, ut decebat, reverenter extrahere, atque in *i* capsa lignea deinde honorifice collocare. *k* Interea velocibus alis fama subito volavit per urbem, auresque omnium verberans id quod actum est nuntiavit. Concurrit igitur repente uterque sexus, et omnis ætas lætitia et gaudio plena, Dominoque omnipotenti meritas reddidit laudes, qui suo in tempore tantam gratiam sui largitate concessit. Sanctos autem artus ad horam sic collocatos Archipræsul idem non ita in tempus posterum permanere negligenter permisit; sed marmoream sepulturam, ut solet fieri, apte compositam, tabulam quoque marmoream itidem ad tegumentum, litteris [illegible] per sculpturam designatis, inventionem et tempus, nomenque suum, ut est desuper notatum, significantibus, a nobis dictatis, præparari præcepit. His et aliis, quæ necessaria erant, denique consummatis, Episcopos Ecclesiæ nostræ suffraganeos, Clerum quoque ac populum die præordinata, convocavit. Ordinatis ex more deinde ordinibus Ecclesiasticis, ut solet in diebus solennibus fieri, cum luminibus et thymiamatibus, Præsulibus *m* attestantibus easdem reliquias sub eodem loco, ubi inventæ fuerant, honorifice collocavit. His denique *n* solennitatibus ita completis altare desuper construi præcepit, et ut istius festum Inventionis celebraretur x die intrante mense Decembri, qui et dies fuit Inventionis, constituit, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo nonagesimo primo, Indictione *o* quartadecima.

*i k cum populi concursu,*

*in marmoream conditum,*

*l*

*et a[illegible] Episcopis, reliquiæ transfert,*

D AUCTORE JOAN. ARCHID. EX MSS

*m n et anniversariam memoriam sancit.*

*o*

6 Pro munere autem isto nos meritas laudes ac gratias omnipotenti Deo referre debemus, qui nobis suam per gratiam dignatus est concedere, unde lætitiam habemus communem. Merito enim nos collætari debemus, quia si quilibet homo, sicut scriptum est, in agro thesaurum aliquem invenit, vendit universa quæ habet, et gaudens emit agrum illum: quanto magis nos pro isto thesauro, auro et argento multo meliore, gaudere debemus? Quem nos non ita emimus, pro quo nullam commutationem fecimus, sed gratuita largitate, unde *p* nostra est honorata Ecclesia, invenientes accepimus, acceptam autem omni cum reverentia honoremus: quoniam reverentia, quam illi exhibemus, nobis sine dubio proderit. Dominus omnipotens suis retribuit fidelibus, suos qui Sanctos honorant, venerantur, suisque in necessitatibus deprecantur: quoniam qui istos honorat, Deo exhibere honorem dubium non est. Ipse namque dixit: Qui vos honorat, me honorat; qui vos accipit, me accipit. Oportet ergo nos modis omnibus, quibus possumus, illos honorare, nostraque pro salute rogare, quatenus Dominus Deus noster ad gloriam illorum per gratiam suam nobis ire concedat, qui semper vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.

*Agendæ Deo de tanto thesauro gratiæ.*

Matth. 13. 44

*p*

E

Matth. 10. 40

a *Hic in monasterio Cavensi antea monachus fuerat, ut testatur Beatillus; deinde Bari Abbas factus. Ejus honorifica fit mentio in citata historia Translationis S. Nicolai.* — b *Filius hic erat Guiscardi, eoque mortuo, auxilio patrui sui Rogerii Siciliæ Comitis, Dux Apuliæ factus. Quare Boamundus senior frater, qui et Marcus, postpositum se dolens fratri intulit bellum. Erat Boamundus Alberada natus,* natus honesta et præclari generis *femina, ut Gaufredus monachus scribit lib. 1 cap. 30 sed ob consanguinitatem dimissa. Rogerius vero Gaita, sive Sygelgayta Gaymarii Salernitanorum Principis filia. Facta deinde pax inter fratres, Oria, Hydrunte, Tarento, Gallipoli et aliis Boamundo concessis: qui cum aliis Occidentalibus Principibus in Syriam profectus, Antiochenus Princeps est factus, fratremque bellica gloria longe superavit.* — c *Baronius ad an. 1090 num. 2 ex Romualdi Salernitani Chronico tradit hanc synodum Melphitanam an. 1090 Indict. 13 celebratam, ipsumque Binius sequitur tom. 3 Conciliorum. At Lupus Protospata anno 1089 eam habitam scribit:* Anno 1089 facta est synodus omnium Apuliensium, Calabrorum, ac Bruttiorum Episcoporum in civitate Melfiæ, ubi affuit etiam Dux Rogerius cum universis Comitibus Apuliæ ac Calabriæ et aliarum provinciarum in qua statutum est, ut sancta treuga teneretur ab omnibus subjectis. Hoc anno obiit Ursus Barensis Archiepiscopus; et Papa Urbanus nomine venit in civitatem Barum, et consecravit illic Confessionem S. Nicolai et Heliam Archiepiscopum. *Hæc Lupus et recte [illegible] Baronius ipse ad an. 1089 num. 5 et seqq. diploma citat [illegible]* datum apud Barum per manus Joannis Diaconi anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo nono, anno vero Domini Urbani Papæ secundo Indictione decima tertia nono Octobris, *[illegible]* carissimorum filiorum Romanæ Ecclesiæ Rogerii Ducis et fratris ejus Boamundi, atque *ipsius Eliæ deprecationibus* invitatum *Barum venisse, S. Nicolai reliquias condidisse, Eliam consecrasse. Sed fefellit Chronici Beneventani auctorem [illegible] 13 quam a Septembri anni 1089 inchoatam, ad annum 1090 Septembrem retulit.* — d Contra morem, *inquit ipse Urbanus,* nostræ Romanæ et Apostolicæ Ecclesiæ. *Erat præterea Urbano familiaris Elias, ut in Historia Barensi scribit Beatillus; quippe qui una in Cavensi cœnobio monachi fuerant.* — e *Baron.* Mordaco *Præpositus vero Canusinus dicitur, qui post translatum sede S. [illegible] Episcopatum, ejus urbis Clero præerat, uti cap. 17 tradit Beatillus, qui cap. 18 [illegible] Cardinalem Baronium ait [illegible] a Clemente VIII Pont.* — f *Baron. [illegible]* simul ac ut prænotatum est. — g *[illegible] anno 831 [illegible].* — h Tophus *lapis est [illegible] quidem, sed qui facile [illegible] posuit.* — i *Asservatur ea capsa et [illegible] Bari, cum hac inscriptione:* Arca S. Sabini Antistitis. *[illegible] Beatillus.* k *Beatillus ait, [illegible]* — l *[illegible] inscriptio, quam supra ex Baronio et [illegible]* — m *[illegible] erat, scriptumque [illegible]* attestantibus [illegible] sustentibus. *Baronius habet* [illegible] bus easdem reliquias, sub eodem etc. — n *Baronius,* solenniter [illegible] *[illegible]* Unde nostrum est honorare, quod in ecclesiam invenientes

*Rogerius Dux Apuliæ, Guiscardi filius, Boamundi frater*

F *Synodus Melphiana an. 1089*

*Urbanus ii tunc Bari non venit.*

A *sent futuri. Eam si repudiet quis traditionem Barensium; nil equidem video, cur non prior Canusii Sabinus mortuus ac tumulatus existimari possit; Atripaldæ junior, quem Romæ natum quidam volunt, cum alter Canusinus esset. Asseverare autem nil possumus, nisi videri nobis duos extitisse Canusii Episcopos Sabinos: et qui Atripaldæ colitur, cujuscumque demum urbis Episcopus fuerit, diversum esse ab eo cujus Canusio Barium corpus est translatum.*

*certe diversus.*

*7 S. Romulus (cujus nulla in relata superius S. Sabini Vita mentio fit) ejus qui Atripaldæ colitur, fuisse Diaconus fertur; atque Atripaldæ ante specum sanctorum Martyrum assiduis precibus lamentisque egisse, ne privaretur Magistri contubernio. Unde conficitur hunc ipsum ejus magistrum Sabinum vel ibi esse mortuum, vel eo paullo post mortem esse translatum, superstite adhuc ipsius Diacono Romulo. Non ergo suspicari quisquam potest, partem aliquam Atripaldensibus donatam e S. Sabini corpore, quod Canusii sepultum, tantoque post tempore erat inventum, cum ad tumulum ejus et quidem Atripaldæ assiduas sanctasque excubias egisse ipsiusmet Diaconus memoretur. Alioquin qui unicum Canusinum Antistitem Sabinum agnoscebat Antonius Beatillus noster, plane diversum ab eo Atripaldensem*
B *pronuntiabat.*

*ad cujus tumulum Atripaldæ oravit ipsiusmet Diaconus S. Romulus.*

## *§ II. SS. Sabini et Romuli memoria, epitaphium.*

*S. Sabinus sive Canusinus prior Ep. sive alius,*

*Acta S. Sabini Atripaldensis (si non est alter Canusinorum) uti et S. Romuli, nulla extant: vel quia scripta non sint, vel casu aliquo abolita. Si a nostra de duobus Sabinis conjectura refugeris, ipsum Abellinatem Episcopum fuisse suspiceris licebit, atque Atripaldæ apud Sanctorum corpora condi voluisse: aut ex Africa a Wandalis ejectum, hic consedisse: aut aliunde huc religionis caussa profectum, hic decessisse, arbitrium liberum esto. Recenset eum cum Romulo, præter citatum antea Ferrarium, David Romæus in* Indice sanctorum virorum, qui nati vel humati sunt in regno Neapolitano, *his verbis :* Atripaldæ apud fontes Aufidii, Hippolytus Sacerdos et Martyr, Sabinus, Romulus. *Ex iisdem quidem montibus, quibus Sabbatus, Aufidus oritur; multis tamen millibus passuum ab hujus fontibus distat oppidum Atripalda. Paulus Regius Episcopus Vico-Equensis 1 parte, in Vita S. Hypolisti, quem Ippolistrum vocat, cap. 5, ita scribit :* Et quia, ut dictum est, sancti Martyris corpus humo abditum fuerat, isthic religiosi homines secretum et pium oratorium construxerunt, in eoque sacras ejus reliquias intra marmoreum tumulum condiderunt, ara memoriæ Martyris, Catholico ritu, dicata, ubi postmodum duæ utrimque aliæ erectæ aræ sunt, inque iis duorum aliorum Sanctorum Sabini et Romuli locatæ reliquiæ. *Sed neque S. Hypolisti tumulus marmoreus est, neque, quod subdit, ex eo sacer ille liquor distillat, licet ejus die festo, pridieque et postridie, ex marmoreis SS. Sabini et Romuli fluat, ut diximus. Quamquam Auctor Vitæ S. Hypolisti, sed recentior, Regium secutus, hæc scribat :* Quamobrem ibi templum post persecutionem Diocletiani Imp. condiderunt; et corpus secreto oratorio infra templi pavimentum in marmorea urna locaverunt; quæ circa tres dies ejus festivitatis manna exsudat, quod innumeris confert salutem fidelibus. *Verum, ut suo tempore dicemus, lateritius est S. Hypolisti tumulus, marmorei duo SS. Sabini ac Romuli, atque hi soli manna exsudant.*

*apud S. Hypolistum sepultus.*

C

*atque ex ejus et S. Romuli tumulis, non etiam S. Hypolisti manna fluit*
ANIMADV. PAG. 55

9 *Addit idem Vitæ S. Hypolisti anonymus scriptor :* In quo oratorio, sive sacello, progressu postea temporis, corpora SS. Sabini Episcopi et Confessoris, et Romuli ejus Levitæ sepulta sunt. *Horum sepulchris singula insculpta epitaphia: quæ cum Michael Monachus anno MDCXLIII accurate perlustrasset, censuit, egregio vir judicio, ex characterum forma, totiusque structuræ modo, Longobardorum temporibus, ante DCC minimum annos, esse facta. Et constat ab immemorabili tempore illum Mannæ fluxum viguisse. Gemina isthæc epitaphia hic dabimus, præmissis duobus de S. Sabino hymnis, qui fortassis in ejus officio recitari consueverunt. Nunc Officium ac Missa peragitur hoc die Atripaldæ communis de Episcopo et Confessore.*

D

AUCTORE J. B.
*utriusque epitaphia quando sculpta?*
ANIMADV. PAG. 56

### HYMNUS DE S. SABINO EPISC.

10 Mente præcelsa jubilent fideles,
Vocibus laudes resonent perennes,
Atque lætanter celebrent sacrati
Festa Sabini.
Qui sacris vittis redimitus aras
Numinis digne coluit superni,
Corde nec vitam vitiare parum
Integer auxit.
Pabulum Pastor misero, salutem
Sanctus ægroto dedit, ipse mundi
Spretor et rectus vigilans amatum
Rexit ovile.
Supplices et nos veniam precantes,
Præsuli grates referamus almo,
Celsus ut visat patriam, tuendo
Tecta Tripaldi.
Sit Patri, Nato, simul utriusque
Flamini splendor, decus, et potestas,
Cujus æternum chorus Angelorum
Numen adorat, Amen.

*S. Sabini functiones episcopales,*

E

### HYMNUS II.

11 Lucis ut orbem renovat nitore
Solis aspectus, renovemus hymnum,
Præsulis nostri memorando mira
Munera Divi.
Mittit (o mirum!) tumulo repostus
Nectar excelsus nitidum Sabinus,
Effugans morbos, et amata Pastor
Dona ministrat.
Febre quassati valida quiescunt:
Pestis et morbi fugiunt repente:
Culpa quos lædit, precibus juvantur
Præsulis almi.
Unde quod sacrum tenet Atripalda
Corpus illius tumulo reclusum,
Jure lætatur, Dominumque laudat
Omne per ævum.
Sit salus Regi, decus atque virtus,
Qui supra cœli residens cacumen
Totius mundi machinam gubernat
Trinus et unus, Amen.

*miracula,*

F

### EPITAPHIUM S. SABINI.

12 Si nescit mens sancta mori, si pura voluntas
Cum membris numquam præcipitata ruit;
Vivis in hoc mundo meritis post fata Sacerdos,
Atque tuos titulos nulla sepulchra tenent.
Civibus auxilium, solatia semper egenis
Præstabas animis, pectore, mente pius.
Justitiæ sector, sacri servator honesti:
Numquam furta tibi, nec placuere doli.
Tempsisti mundum, semper cœlestia captans;
Quotidiana tibi lucra fuere Deus.
Sacra colens, sacrum numquam corrumpere nosti;
Præmia nec fidei subripuere tuæ.
Communis, carus, humilis, dum summa teneres,
Dives semper erat et tua larga manus,
Testatur Præsul sedes reparata Sabine
Auctoris clara lucida facta sui.

*virtutes.*

### EPITAPHIUM S. ROMULI.

13 Respicis augustum præcisa rupe sepulchrum?
Hospitium

*AUCTORE J. B. S. Romuli mors.*

Hospitium Romuli Levitæ est cœlestia regna tenentis. Quis enim possit siccis oculis ejus enarrare mortem? Paupertatem Christi, et amorem S. Sabini Episcopi sui puro corde secutus est. Quibus ille precibus, quibus lamentis ante specum M. Martyrum, ne privaretur Magistri contubernio, testis est cuncta patria. Fides ejus Christo eum sociat : præsens facilius quod postulat impetravit.

*non vixere tempore Apostolorum*

14 *Quod dicitur ante specum Martyrum, ne privaretur Magistri contubernio, orasse; inde manifestum est, falli quosdam, qui S. Sabinum voluerunt S. Petri Apostoli fuisse discipulum : quomodo enim ejus Diaconus orasset ante specum Martyrum, Hypolisti et sociorum, qui Diocletiani ævo interempti sunt? Sed quod scriptum est ante specum M.* Martyrum, *quid illud M. sibi velit haud assequor : an* mille? *At præter Hypolistum, et Crescentem puerum, fuisse quidem plures alii traduntur, numerus tamen ignotus, ac nomina. An est fortasse* mansit? *Requirit enim sententia verbum* instituit, egit, *vel aliud simile.*

## § III. S. *Sabini Translatio, miraculum.*

*S. Sabini*

*Translationis SS. Hypolisti, Sabini, Romuli, nostra memoria factæ, geminam nactus sum narrationem;* Archipresbyteri, Primicerii, et Canonicorum Atripaldensis Ecclesiæ manibus signatam. *In priori, quæ Italica erat, post epitaphia SS. Sabini et Romuli, quæ dedimus, subjecta hæc erant* : Istud S. Sabini monumentum, temporibus Marini Caraccioli primi Abellinatium Principis, Ducisque Atripaldæ, ne ampliori templi fabricæ inferret impedimentum, Pontifice Romano annuente, e priori loco sublatum, inque majori ara collocatum : at sancti Præsulis corpus post eamdem aram depositum, deinde coram Cleri populique frequenti multitudine reseratum, repertumque aqua crystalli instar limpida circumfusum. Ea lancibus excepta, haud multo post tempore adipis coagulati instar concrevit. Nec miracula defuere. Filium quædam matrona habebat, Sabinum de Divi hujus nomine appellatum, sed altero pede intorto claudicantem, quem ipsa pedem sacro illo liquore perunxit. Visus sibi puer est noctu ipsum ad se venientem Sanctum membrumque invalidum manibus restaurantem ac solidantem sentire et intueri : et postridie integer ac vegetus extitit, vivitque etiamnum, et miraculum testatur.

*corpus liquorem exsudat, quo claudus sanatus.*

*circumlatum, iam recon-ditum*

16 Anno Christi MDCXII, die XVI Septembris, Mucius Cinquinia Episcopus Abellinas, corpus S. Sabini, Magistratuum rogatu, per oppidum solemni supplicatione, Clero ac populo universo prosequente, circumlatum, in antiquum dein monumentum reposuit, capsæ plumbeæ inclusum. Caput vero intra statuam ex ære argentoque fabrefactam, supra idem monumentum asservatur. Estque rei gestæ series in tabulas relata, ac Hypolisti de Matthæis publici tabellionis manu signata. Decreta vero ab Antistite anniversaria illius Translationis celebritas.

*sacellum ampliatum ornatumque.*

17 Erga id sacellum, in quo sacra hæc condita pignora sunt, eximia illustrissimæ Caracciolæ domus adhuc eluxit religio. Nam Camilli secundi Principis Abellini, Ducisque Atripaldæ expensis ampliatum, Dein aliorum eleemosynis, aureis centum a Marino ut Duce, ac ab Archiepiscopo Tarentino collatis, aliisque populi donariis, dilatatum productumque ab uno ad alterum basilicæ parietem, binis adjunctis gradibus : eaque nunc est elegantia operis, ut nihil Salernitanæ S. Matthæi ædi concedere videatur.

*festi celebritas,*

18 Ex hisce duobus sepulchris excipitur cochleari argenteo liquor, qui vulgo MANNA appellatur, fluitque certis per annum temporibus, et postulantibus magna pietate populis dispensatur; præsertim die IX Februarii, qui S. Sabino sacer est. Eo die ab omni Clero ad illius honorem Missæ sacrificium, uti et consequentibus septem diebus, peragitur : instituitur vero per oppidum, capite S. Sabini circumlato, religiosa supplicatio, numerosa concurrente populi multitudine. Quotidie vero in Divino officio, S. Hypolisti, ut titularis, S. Sabini, ut Advocati, fit commemoratio.

*Corpus S. Hypolisti inventum*

19 Cum anno Christi MDCXXIX Bartholomæus Justinianus Abellinas Antistes Atripaldam venisset, diœcesim de more visitaturus, rogatus est ab oppidi primoribus, ut, quia in S. Romuli epitaphio dicitur, ANTE SPECVM M. MARTYRVM, sineret effodi terram, ac pervestigari, num quæ isthic Sanctorum corpora laterent. Id cum, Episcopo annuente, factum esset, inventus est locus pavimento musaico ornatus, quale Romæ in S. Cæciliæ æde visitur. Hic plura reperta corpora; ac præsertim, ubi S. Hypolisti conditum fuisse corpus communis erat hominum, accepta a majoribus, opinio, id ipsum inventum est, cum fune circiter dimidium palmum longo, qui etiamnum tinctus sanguine videbatur, ut eo Sanctus in agone suo vinctus raptatusque fuisse existimetur, congruentibus martyrii Actis. Hanc funis particulam in crystallina theca, eximia pietate asservat Thomas Caracciolus Archiepiscopus Tarentinus. S. Hypolisti festum Kalendis Maii celebratur : quo die illius caput, statuæ inclusum ex ære argentoque affabre factæ, solemni supplicatione circumfertur, innumera affluente turba hominum, prorogaturque ad octo dies celebritas; major quippe basilica illius Divi nomini dedicata est.

*ejus festum 1 Maii.*

## § IV. S. *Sabini Translatio. S. Hypolisti et aliorum Martyrum Inventio.*

*Luculentior est aliquanto, quam Capua a Silvestro Aiossa accepimus, Translationis SS. Sabini et Romuli historia, legitime quoque ab Atripaldensibus Canonicis signata. Etsi porro in ea insint nonnulla quæ ad S. Hypolistum pertinent, visum tamen integram hic dare. Ita ergo habet* : Conduntur in inferiori basilica præcipui templi Atripaldæ, oppidi Hirpinorum, diœcesis Avellini, plura Martyrum corpora, quæ sub ejusdem basilicæ lapideo pavimento, diu lateritiis, hinc inde dispositis, latuerunt sepulchris; inter quæ alterum ex musævo pavimentum, quod et nunc patenter extat, latitudine quinque fere palmorum, longitudine vero quatuordecim, repertum fuit : ad cujus extremum paries aderat, cæmento, calce, coctoque latere fabrefactus; intra quem ad introitum præfatæ basilicæ, quæ tunc ad instar cujusdam cryptæ confecta erat, SPECVS MARTYRVM : prioribus appellata seculis, ossa erant sancti Martyris Hypolisti, et successive (præcipue vero B. Crescentis) aliorum Sanctorum. Super Martyrum sepulchro et pavimento ex musævo ad quatuor vel quinque palmos, aderat prædictum superius ejusdem basilicæ lapide Pario lectoque confectum pavimentum, lævorsumque fidelibus occurrebat ingredientibus, S. Romuli Levitæ marmoreus loculus, et e regione illius constitutus marmoreus etiam S. Sabini Episcopi tumulus, uno et altero tantum Pariis lapidibus extructus, uno scilicet pro ipsius operculo, reliquo autem pro tota inferiori parte sepulchri. Sed hæc ita breviter edicta, per ea quæ paullo productius apponentur, manifestiora manebunt.

*Crypta templi Atripaldensis : in ea specus Martyrum, et SS. Sabini et Romuli sepulchra :*

*S. Sabini corpus inde exemptum an. 1588,*

21 Anno salutis MDLXXXVIII, reædificationis et amplificationis ecclesiæ superioris occasione, S. Sabini monumentum, ne sub columna parastatica perpendiculariter constitutum, columna sine sufficienti sustentaculo remaneret, ad preces Ill.$^{mi}$ et Exc.$^{mi}$ Principis Camilli Caraccioli Ducis Atripaldæ, licentia Summi Pontificis obtenta, de ordine Rev.$^{mi}$ Petri Antonii

A Antonii Vicedomini Avellini Episcopi, per Marcum Antonium de Conditiis ejusdem Vicarium Generalem, fuit a proprio tumulo solenniter abstractum S. Sabini corpus, innumera præter Ecclesiasticas *circumlatum,* personas multitudine civium et exterorum secularium concurrente, deindeque per totam terram processionaliter deportatum, prædicto D. Vicario ceterisque civibus et exteris illud humiliter ac devote comitantibus, et in quadam capsa lignea postmodum repositum, super altare, quod erat ad caput ejusdem *alibi reconditum,* cryptæ, collocatum fuit : proque securiori custodia paries ante capsam, procurante id præfato Principe, sedulo fuit erectus ; ante quem pro altari tumulus ejusdem sancti Præsulis marmoreus appositus usque ad decimam sextam diem Septembris anno salutis MDCXII deservivit.

22 Prædicta die sexta decima Septembris, habito prius oraculo a Sanct.^mo Domino nostro Paulo V Pontifice tunc Maximo per R.^mum D. Mutium Cinquina *dein 1612 16 Sept. in veteri tumulo ;* Episcopum Avellinensem et Frequentensem, fuit idem tumulus ad duos palmos elevatus, ac intra veterem parietem constitutus ; et in ipso tumulo in*caput alibi.*clusa fuit plumbea capsa, in qua tandem corpus repositum fuit sancti Præsulis, absque tamen capite : caB put enim theca fuit argentea conclusum (sicut postea caput etiam sancti Martyris Hypolisti, anno scilicet MDCXXXIV conclusum fuit) perque oppidum processionaliter deportatum : quibusdamque solet in festivitatibus ita deferri per oppidi plateas.

23 Anno MDCXXIX, in generali visitatione Illu.^mi D. Bartholomæi Justiniani Episcopi Avellinatis et Frequentensis, ob firmam civium traditionem, sculptamque in tumulo S. Romuli inscriptionem, qua dicitur ANTE SPECVM MARTYRVM, supplicantibus Magnificis de regimine, ac reverendo Canonicorum collegio, licentiam concessit Ill.^mus idem Justinianus, in prædicta crypta effodiendi, ut ipsa Martyrum corpora inveniri possent ; ipsoque Ill.^mo præsente, aliisque selectis ad hoc personis, inventum fuit ex musævo pavimentum, quod initio memorabatur ; et super eo parvula quædam, quatuor ad palmos elevata muris hinc inde, testudo, sepulchraque, et in *Corpora 8 SS. reperta* sepulchris Martyrum corpora, quæ tunc non apparebant nisi numero quinque, a dextris ejusdem pavimenti composita. Quibus inventis, ultra tunc procedere cives noluerunt : sed eorum Præsule Ill.^mo con*crypta ampliata* sulente ac decernente, amplificare statuerunt cryptam, duas alias illi, quas nuncupant, alas Septem-C trionem versus addendo, præter eam, quæ pietate ac impensis Principis Camilli versus meridiem prius addita fuerat.

24 Anno MDCXXXIII, quinta decima die mensis Martii prædictis additis alis, ipso Ill.^mo Justiniano suoque Generali Vicario Joanne Baptista Gripho (præsente in primis Ill.^mo Archiepiscopo Tarentino D. Thoma Caracciolo, Præsule tunc Cyrenensi) ad cor*alia 8 corpora inventa,* pus S. Hypolisti, quod in loco secundum antiquam firmamque traditionem prius indicato, seu digitis ostenso, ad ingressum sanctæ cryptæ dextera ex parte ingredientibus occurrente inventum fuerat, una cum aliis illis juxta ipsius loculum corporibus Martyrum, quæ cum S. Hypolisti corpore videbantur esse numero quinque, effodere facientibus, alia octo Sanctorum corpora inventa fuerunt. Caputque *et caput S. Hypolisti cum parte funis,* S. Hypolisti, quod suum corpus a quibusdam carere credebatur, ob quosdam referentes illud abscissum tempore sui martyrii dejectum fuisse in flumen Sabbatum, nimia repertum fuit creta gypsoque involutum : nec multo post subtus illud gypso pariter et argilla prorsus involuta, pars ea funis sacro sanguine conspersi, qua e colle Capitolino ad flumen usque præfatum ferocis ad caudam tauri sanctum Dei virum ferociores raptaverant infideles. Modoque pars illa funis in ampulla crystallina, e crystallo ni- D mirum vulgo nuncupata DI ROCCA per Ill.^mum D. Thomam Caracciolum Tarenti Archiepiscopum. Sicut et *AUCTORE I. B. post decenter servata ;* eodem tempore annulus aureus in uno ex duobus Martyrum puerorum tumulo repertus, magna cum devotione servatur : et pro asservando in ea capite sancti Martyris, ut interim theca fieret argentea, conclusum fuit atque statutum.

25 Anno salutis MDCXXXIV die prima mensis Maii, ad primum ingressum, quem fecit possessionis ad oppidum Ill.^mus et Exc.^mus Princeps Franciscus Marinus Caracciolus Atripaldensium Dux ; Ill.^mus et Rev.^mus Episcopus Cyrenes D. Thomas Caracciolus, Archiepiscopus nunc Tarentinus, Atripaldam venit, ac voluntate et expresso consensu Ill.^mi et Rev.^mi *caput argenteæ thecæ inclusum ;* D. Bartholomæi Justiniani, cum sacrum fecisset, caput sancti martyris Hypolisti rite et solenniter in argentea theca reposuit ; illudque asportari processionaliter per oppidum jussit, quod et fuit executioni mandatum.

26 Corpus autem gloriosi Martyris, et alia duodecim corpora Sanctorum juxta ipsius loculum reperta, *reliqua corpora in altari collocata :* Septemtrionem versus ad ultimæ alæ caput asportata fuerunt, et ligneis in capsulis loco depositi collocata super altare, in quo adest nunc icona Sancti E ipsius Hypolisti ac sociorum ; donec Deo dante decentioribus valeant monumentis asservari. Præfata autem die quintadecima mensis Martii salutis anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, reperta etiam fuerunt in posteriori parte monumenti D. Ro*alia 3 cor. inventa, loco moto* muli alia tria Sanctorum corpora ; et præter hæc (licet non ita patenter) alia plura ; inter quæ unum S. Romuli proximum sepulchro, staturæ proceræ, cum suo capite supra pectus locato : sed inde nec asportata nec amota fuere, ne S. Romuli monumentum super eorum sepulchris existens (utpote duabus tantum lapideis compactum tabulis, altera scilicet pro suo frontispicio, reliqua pro ipsius operculo ; ceterum posteriori et infera parte cæmenticiis) ruinam pateretur ; et manna cessaret ex illo manare : imo annulus alter aureus in uno ex iisdem sepulchris repertus, in eodem relictus mansit. Parieti ante dicta Sanctorum corpora constructo istud fuit carmen appositum :

HIC TVMVLAT PARIES MVLTORVM CORPORA DIVVM

27 Anno salutis MDCXXXV, XXVI Decembris, nocte subsequente sanctissimam Redemptoris nostri Nativitatem, cupula, seu tribuna, quam dicunt, cecidit basilicæ superioris, et propter impetum lapidum cæ- F mentorumque ruentium, fracto pavimento, ac tota fere testudine cryptæ sanctorum Martyrum, sepulchroque S. Romuli, omnem pene Martyrum specum *Cupulæ ruina fractum tumuli S. Romuli frontispicium, reparatum* lapidibus ac cæmentis implevit. Mirabile tamen fuit, horarum viginti quatuor tantummodo cursu, propter utriusque sexus et parvulorum concurrentium catervam, quæ ceciderant omnia saldata et asportata fuisse. Nec minus mirabile sancti Levitæ frontispicium tumuli plures in partes, et e quibus aliquæ minusculæ admodum, confractum, fragmentis omnibus inventis, ad pristinam formam, Domino miserante, fuisse redactum. Consolationis autem pariter et admirationis maximæ fuit, quod cum timerent omnes liquorem sacrum cessaturum penitus, accidit contra ; nam sequentis nona die Februarii, qua festum S. Sabini celebratur, copiosius liquor ille ma*copiosius fluit Manna :*navit in S. Romuli monumento, sicut et copiosius etiam tunc S. Sabini tumulus abundavit eodem : qua de re devotius atque gaudentius Archipresbyter illum de more legit, populoque distribuit reverenter.

28 Solet sacer iste liquor non incessanter quolibet anni die, sed certis quibusdam temporibus, et signanter in adventu Domini, in festis Omnium Sanctorum, S. Sabini Episcopi, et S. Catharinæ Martyris,

AUCTORE J. B.

*copia fertilitatis augurium*

A Martyris, emanare : et quidem quando copiose, messiones ac vindemias, reliquorumque, præsertim corylorum, lectiones, lætantius expectant cives : et quando minus abundat liquor ille sacer, majoris abundantiæ spem non retinent. Sed illud silentio non prætereundum, nempe quod frequenter accidit, ante primas antefatarum festivitatum Vesperas nihil in sacris istis monumentis apparere liquoris, incipientibus autem Vesperis, in eis veluti guttulas, instar margaritarum perlarumque, pendere.

29 *Hactenus ea relatio. Quæ alia extra eam hic de SS. Sabino et Romulo tradidimus, ex eodem D. Silvestro Jossa, R. P. Hyacintho Rugerio de Atripalda Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ in regali conventu S. Ludovici Aversæ Professore, et P. Antonio* D *Beatillo Societatis Jesu Sacerdote, pleraque accepimus. Quod corylorum uberem proventum audis prænuntiari, cum largior e Divorum tumulis liquor manarit, inde conficias non solum* Avellam, *seu* Abellam, *inter Nolam et Abellinum sitam urbem, sed et* Abellinum *ipsum corylis abundare. Quin et Plinius corylos ipsas, sive Avellanas nuces,* Abellinas *scribit appellatas. Ita lib.* 15 *cap.* 22. Ceteris quidquid est, solidum est, ut in avellanis ex ipso nucum genere, quas antea Abellinas patrio nomine vocabant. *Dubium est num ab Abella* Abellinas *dictas velit; an (quod censet Leander) ipsam Abellam* Abellinum *vocatam : an denique a non longe dissita Hirpinorum urbe Abellino* Abellinas *appellatas esse nuces illas censuerit, quæ vulgo ab Abella Campaniæ urbe* Abellanæ *vel* Avellanæ *sunt.*

*etiam nucum avellanarum.*

DE SANCTIS EPISCOPIS

# SABINO ET EUNOMIO,

## NEAPOLI, ET LESINÆ IN APULIA,

## Commentarius historicus.

J. B.

IX FEBR.

B Tertium eodem die Sabinum *Episcopum damus : is tamen tertius est, et non alter e prioribus duobus. At non videtur saltem is esse, qui Atripaldæ colitur, cum illius integrum corpus habere se Atripaldenses glorientur, et caput certe habeant : hujus vero integrum caput Neapoli exstet, Lesina allatum. De S. Sabino Canusino magis ambigi potest, an non caput illius et ossa aliqua fuerint Lesinam deportata. Ita sentire Neapolitani videntur : nam in Catalogo Sanctorum aliquot, quos Cardinalis Decius Carafa Archiepiscopus Neapolitanus, in ea urbe et per diœcesim Officio Ecclesiastico deinceps coli anno* MDCXIX *mandavit, ad* IX *diem Februarii ista habentur:* Horum sacræ Reliquiæ translatæ sunt Neapolim ab Ecclesia Lesinensi, permittente Clemente VIII Pont. Max. et in æde sanctissimæ Annuntiatæ digno honore reconditæ. Dies natalis S. Eunomii Episcopi ignoratur : ideo eum junximus cum S. Sabino, cujus dies natalis est IX Februarii, ut habet Martyrologium Romanum. Fuit hic Episcopus Canusinus, vitæ Sanctitate et prophetiæ spiritu celeberrimus ; deque eo agit S. Gregorius Papa lib. 2 Dial. cap. 15 et lib. 3 cap. 5. Claruit S. Agapeto Pont. Max. et Justiniano Imp. *Hæc ibi. Favet ei opinioni reperta in Reliquiarum ejus theca inscriptio,* C *de qua infra in Historia Inventionis num.* 10

*Hic S. Sabinus non est Atripaldensis;*

*dubium an Canusinus;*

2. *Verum Antonius Beatillus noster, qui diligentissime S. Sabini Episcopi Canusini res gestas, miracula, translationes litteris mandavit, nos admonuit, alium omnino a Canusino esse Lesinensem hunc Sabinum. Neque, si caput et alia magnis reliquiarum ejus pars Barii non exstaret, id ipse in libro suo reticuisset ; aut si in Translationibus avulsum quid spectabile ab iisdem reliquiis esset, illius mentionem omisissent, qui eas Translationes adeo accurate supra descripserunt. Et relatæ ab Aurelio Macro inscriptiones videntur eum patria Canusinum facere, Lesinensem Antistitem. Una enim habet,* S. Sabinus Canusinus, *altera* S. Sabinus Canusinus Pontifex L. *quod postremum* L. Lesinensis *exponit Beatillus : nam videntur cetera, quæ in capsarum operculis, ac plumbeis tabulis, reperta sunt, non integre exarata fuisse, sed verba quædam unica vel littera solum, vel syllaba, expressa. Ita tamen eo propendeam, ut Beatillo assentiar, Sabinum hunc Lesinæ Episcopum fuisse ; fateor tamen non omnino liquere.*

*probabiliter diversus,*

*sed patria Canusinus.*

3 *Porro Lesina urbs, cujus fuisse Episcopus S. Sabinus videtur, e cujus saltem Cathedrali S. Primiani ecclesia Reliquiæ ejus sunt Neapolim translatæ, ita describitur a Leandro Alberto :* Quidam urbem hanc Lesinam a piscatoribus Christianis conditam, ob deletum Hyrium, a Ptolemæo nominatum, prodidere. E Sed, ut mea ratio fert, non mediocriter errant : superius enim, ubi quondam Hyrium fuerit, ostendimus. Alii fundatam quidem a piscatoribus vicini stagni, primum tuguriis, progressuque temporum ædificiis commodioribus, et confluente paullatim huc ex aliis locis multitudine, tandem oppidum frequens effectum, altisque fossis et mœnibus complexum : denique postulantibus incolis et Episcopum a Romano Pontifice accepisse tradunt ; incrementaque deinceps habuisse tanta, ut honestissima frequentissimaque civitas evaserit. Enimvero cum Saraceni Apuliam tenuere, hæc etiam ab illis urbs subversa est : quæ postea quidem restituta, sed non qua prius fuerat amplitudine. Nunc iterum deserta propemodum colonis est tota : Sedem tamen Episcopalem perpetuo retinuit. Rassanus Lesinam appellatam a primis conditoribus ait, qui huc ex Illyrici insula Lesina ex adversum huic urbi in ulteriori ora Adriatici sita commigraverant : quod nos quoque credimus. Abest a littore spatio P. M. III. In propinquo ad mille passus lacus est Lesinæ, cognominatus ab ipsa urbe..... continet in ambitu P. M. XL. F Plinius, ni fallor, Pantanum vocavit. Piscium optimorum copia fœcundus est, maximeque præcipuæ magnitudinis anguillarum, quas accolæ Capitones vocant. *Hæc Leander. Hyrium, de quo antea egerat, vulgo nunc* Rodia *dicitur, vel* Rode, *ut idem habet Leander, licet esse nonnullos scribat,* qui Italica lingua Rore potius dici debuisse censeant, quod hic summa roris temperies agros mire fœcundet, ac optimos arborum suavissimosque fructus efficiat.

*Lesina urbs*

*olim frequens,*

*nunc prope deserta,*

l. 3. c. 11

*piscatu celebris,*

4 *Eadem de Lesinæ situ, initiis, ruinis scribit Paulus Merula Cosmographiæ par.* 2 *lib.* 4 *cap.* 30, *et breviter Petrus Avitius tom.* 3 *Descriptionis Europæ, qui Lesinam insulam et urbem Venetorum in mari Hadriatico eam esse ait, quæ Ptolemæo lib.* 2 *cap.* 27 Pharia *dicitur. De Lesina Apula ita scribit Blondus Flavius in Italiæ Descriptione :* A Tiferno autem fluvius nunc Fortorius viginti millia passuum in littore distat. Qui quidem fluvius in mare se exonerat prope lacum Lesinæ appellatum, passuum quadraginta millia in circuitu complexum. Lesinaque oppidum quatuor a mari millibus distans, lacui dat nomen, mille passibus est propinquum.

*a quibus condita?*

*ubi sita?*

5 *Perantiquam eam urbem esse patet ex Leone Ostiensi lib.* 1 *Chronici Cassinen. cap.* 16, *ubi a Grimoaldo Principe*

A *Principe Beneventano, qui anno* DCCLXXXVIII *Arichiso patri successit, inter alia donatam S. Benedicto tradit* totam piscariam de civitate Lesina, una cum ipsa foce sua. *Jacobus Breulius, qui Chronicon illud Leonis edidit*, focem *interpretatur* fossam : *Gerardus Joannes Vossius de vitiis sermonis lib.* 2, *cap.* 7 canalem. *Eadem vox reperitur ejusdem Chronici lib.* 3, *cap.* 58, *quo ex loco patet Lesinam temporibus Roberti Guiscardi Apuliæ Ducis, qui anno* MLXXXV *obiit, Comitem habuisse :* Per hos item dies, *inquit Auctor*, Gualterius Comes Lesinensis reddidit B. Benedicto fluvium Lauri cum tota piscaria sua, et ipsam focem S. Benedicti cum tota piscaria, et calatoribus suis, tam intus quam foris, cum introitu et exitu suo : Ecclesias item S. Focati, et S. Petri, cum pertinentiis, quæ Lesinenses male ac per nefas detinuerant. *Hæc ille, qui* calatores *fortassis servos appellat, illi seu glebæ seu piscoso loco adscriptos. Imo ante Gualterium Petrus Lesinensis Comes fuit, Guiscardo familiaris, ut ex eodem Leone patet lib.* 3 *cap.* 25. *Idem Leo cap.* 63 *ita Lesinæ meminit, sed eversæ tunc fortassis ex parte :* Basilius quoque Protospatarius Imperatoris (*Nicephori Phocæ, qui ab an.* CMLXIII *ad* CMLXIX *imperavit*) cum esset Salerni, adeuntibus illum monachis nos-

*olim Comitem habuit :*

B tris, chartulam restitutionis et confirmationis fecit, de omnibus monasterii hujus pertinentiis per totam Apuliam, quas eo tempore perditas habebamus ; scilicet ecclesiam S. Benedicti de Lesina cum omnibus pertinentiis suis, et casas aliquot intra eamdem civitatem, *etc.*

6 *Lesina deinde Domui Annuntiatæ Neapoli hac ratione donata est. Possidebat eam Margarita Dyrrachina, Caroli* III *Neapolitani Regis vidua, sive a parentibus, Carolo Duce Dyrrachii, et Maria Sicula, sibi relictam, sive a marito in dotem acceptam. Huic filius suus Ladislaus Rex potestatem fecit, eam cui vellet Neapolitanæ urbis Ecclesiæ aut cœnobio donandi, itaque in manus mortuas transscribendi, ab omni homagio, seu clientelæ professione, ac censu Curiæ regiæ pendendo liberam. Gravi postea morbo oppressa Regina, Deiparæ opem summis precibus exposcit, vovetque si per eam sanitati restituatur, se Lesinam cuipiam Ecclesiæ illi dicatæ donaturam. Apparet ei nocte sequenti in somnis Virgo Mater, plenamque sanitatem restituit. Illa voti rea, probante Rege ac Proceribus, Lesinam Domui Sanctæ Mariæ Annuntiatæ tradit. Est ea domus nosocomium amplissimum totoque Europa celeberrimum, sub annum* MCCCIV, *ut scribit Cæsar Eugenius Caracciolus,*

*a Margarita Regina ex voto donata*

*S. Mariæ Annuntiatæ ;*

C *inchoatum, varie deinde amplificatum ac locupletatum, præsertim Margaritæ, ejusque filiæ Joannæ* II *Reginæ, liberalitate; estque nunc ampli oppidi instar structura et magnitudine, et supra duo millia pauperum alit.*

7 *Lesina vero Episcopali Sede fuerit necne ornata tunc, haud scio : fuit certe postea, fortassis et ab antiquo, cum ut num.* 5 *notatum, seculo octavo legatur* Civitas *appellata. In Catalogo Episcopatuum regni Neapolitani Pandulphi Collenutii historiæ præfixo, inter alias Sedes Archiepiscopatui Beneventano subjectas recensetur* Lesinensis; *uti et apud Paulum Merulam Cosmographiæ parte* 2 *lib.* 4 *cap.* 20 *et* 25, *ac* 30, *ubi innuit, ante Saracenorum in Italiam irruptionem, seculo* IX *factam, Episcopum habuisse ; ita enim scribit :* Lesina a piscatoribus vicini stagni primum cœpta ; sed ita progressu temporis ampliata, ut frequens et honestum factum fuerit oppidum, et Episcopum etiam acceperit. Diruta ab Saracenis, restituta est, sed non qua quondam amplitudine. Hodie ab colonis propemodum deserta, Sedem tamen retinet Episcopalem. Nomen urbi ab Lesina, Illyrici insula : unde primi habitatores in adversam hanc continentem migrasse feruntur. *Hæc ille. Petrus Avitius quoque in Descriptione generali Europæ, ubi de Capitanata Neapolitani regni provincia agit,* Lesinam *inter urbes Episcopales*

*Episcopatu ornata.*



*recenset. Ast Aubertus Miræus in notitia Episcopatuum eam omittit. Scribit Cæsar Eugenius Caracciolus in ecclesia Annuntiatæ esse Sacerdotes* LX, *aliorum Ordinum Clericos* XXXV, *iisque Sacristam præesse; quod munus Episcopus Lesinensis administrare consuevit, a Gubernatoribus dictæ Domus nominari solitus : sed hoc privilegium iis, quippe laicis, ademptum Pontificis Maximi auctoritate.* D

AUCTORE J. B.

8 *Ex hac igitur urbe Neapolim translatæ sunt anno* MDXCVIII, SS. Sabini et Eunomii, *Episcoporum*, Alexandri, Firmiani, Primiani, Tellurii *Martyrum*, Paschasii *Abbatis*, Ursulæ *Virginis ac Martyris, Reliquiæ, ad basilicam Annuntiatæ, inque erecto postea sacello, quod* Thesauri *vocant, reconditæ ; cum prius essent ab Alphonso Gesualdo Cardinale et Archiepiscopo Neapolitano legitime approbatæ. Agitur Translationis anniversaria memoria Dominica in Albis, uti auctor est idem Cæsar Eugenius. Singulorum diversis diebus solemnitas celebratur; et* Sabini *quidem atque* Eunomii IX *Februarii, uti antea dictum. Officium est semiduplex, ut habet citatus supra Catalogus, ubi his verbis illud ordinatur :* Omnia de communi plurium Confessorum Pontificum...... Missa de communi, sine Credo. *An S.* Eunomius *Episcopus Lesinensis fuerit, an ex Illyrica Lesina, aut aliunde isthuc ejus advectum* E *corpus, haud scimus. Ceteri, qui simul translati, aliis coluntur diebus officio semiduplici:* S. Paschasius X *Februarii;* SS. Alexander, Firmianus, Primianus, Tellurius *Martyres,* XVIII *Aprilis;* S. Ursula XXI *Octobris.*

*Hinc Neapolim translata corpora SS. Sabini, Eunomii, et aliorum.*

# HISTORIA INVENTIONIS

## SS. SABINI ET EUNOMII EPISCOPOR.

*Italice scripta ab Aurelio Marra.*

### PRÆFATIO AUCTORIS

### Ad Illustrissimum Dominum Joannem della Marra, Baronem urbis Montis-Marani, et Castelli Franci.

Posteaquam sanctorum corporum, quæ nunc in æde sacra Annuntiatæ Neapoli asservantur, inventæ a me reliquiæ sunt ; plurimos e nobilitate ac plebe, tum Religiosos tum seculares, ac Te præsertim, Vir Illustrissime, qui inter præcipuos Sedilis Capuani eamdem ædem singulari patrocinio protegis, animadverti inflammato teneri desiderio cognoscendi, quo pacto, quoniam varie res ea spargitur in vulgus, fuerint a me inventæ. Eorum igitur cupiens et stu- F dio satisfacere, et conceptam animis erga hosce Cælites pietatem accendere, quam potui accuratissime brevem hanc, sed verissimam, relationem concinnavi, ut publico commodo ederetur in lucem. Et quia erga eamdem sacram ædem, tum propria quadam devotione, tum aliis gravibus ex caussis, ita affectus animo sum, ut omne ei me obsequium debere sentiam, lucubrationem hanc meam, adhuc variis impedimentis suppressam, proferre foras constitui, et Tibi, Illustrissime Domine, dedicare, cujus, perspecta omnibus morum elegantia, vitæ integritate, ac meritis, nobilissimæ familiæ Marrarum amplitudo illustratur. Ex qua cum ego quoque prognatus sim, etsi haudquaquam stirpis claritudinem virtutibus et benefactis exæquem, non vereor, ne quis aliud hic mihi propositum fuisse existimet, quam ut, quo tibi obligatus sum multiplice perennis observantiæ nexu, eum arctius astringam, atque animi mei erga te sensum palam tester. Accipe igitur munusculum hoc meum, mole exiguum, materia, quæ in eo tractatur, amplissimum. Deum ac Sanctos, quorum hic Inventio narratur, Te ut tueantur ac perpetua felicitate cumulent, precor. Neapoli Nonis Martii MDIC.

*Caussa scriptionis.*

A

## NARRATIO.

*AUCTORE AURELIO MARRA, INTERPR. J. B.*

*Auctor Neapoli missus,*

2 Lesina Capitanatæ provinciæ in Apulia urbs pervetusta, sed nunc magnam partem prostrata ac diruta, dominio sacræ Domus Annuntiatæ Neapolitanæ regitur. Cum ergo superiore anno ejusdem Domus Moderatoribus relatum esset, binas Lesinæ Ecclesias, Annuntiatæ nimirum ac Cathedralem, ita male materiatas esse ac ruinosas, ut in iis sacra ritibus Ecclesiasticis consentaneo decore, peragi minime possent; ii tantis incommodis omni diligentia adhibere remedium statuerunt. Lectus ego Aurelius Marra ad eam rem, etsi minus, quam alii, idoneus, jussusque Lesinam proficisci, et tum ecclesiarum illarum sarta tecta, qua liceret, præstare, tum aliis urbis necessitudinibus providere. Quoniam autem nihil consuevi negotii suscipere, nisi Patre spirituali ac conscientiæ meæ moderatore consulto, ut ejus secunda apprecatione munitus, libero securoque animo ad res, quæ propositæ sunt, expediendas procedam, R. P. Thomam Gallettum Neapolitanæ Congregationis Oratorii Presbyterum, cui regenda animi mei arcana aperire eram solitus, conveni; atque ab eo sum ad opus sedulo exequendum seria adhor-

*consulto prius Confessario,*

B tatione excitatus.

*Lesinam venit:*

3 Die Novembris XVIII anno MDCXCVII iter ingressus, perquam incommoda tempestate, Lesinam XXII ejusdem mensis, hora XIX perveni. Primum ad Annuntiatæ templum adeo cum civibus nonnullis, idque magnam partem tecto nudatum reperio, vix ut in eo celebrari Missæ sacrificium posset. Inde cum Sacellano et aliis principem basilicam, haud longe distantem, viso. Ea vero ita tecto omni carebat, ut multis retro temporibus caruisse videretur. Muri quidem marmorei, pristinam fabricæ magnificentiam testabantur; ceterum fenestris ac januis revulsis planeque ablatis, reliquum nullum erat ecclesiæ vestigium, præterquam ad illius caput tribuna, ut vocant, sive testudo, ac sub ea altare. Solum omne herbis ac fruticibus horrebat. In una ex antis, sive parastaticis columnis, caprificus excreverat, quam excidi, mole sua indicantem, quanto temporis spatio ea neglecta et deserta ædes esset.

*ecclesiam Cathedralem fœde eversam reperit,*

4 Omnibus diligenter lustratis, animadverti sub ipsa ecclesia cryptam esse, ad quam binæ januæ binique gradus ducerent. Dein cum didicissem S. Primiano sacram eam ædem fuisse, accurate inspexi humi stratum marmoreum epistylium, decem palmos

C longum, altum duos et semis, quod majoris januæ superliminare fuisse aiebant. In eo vix dimidiatim prominentibus anaglyphis variæ sculptæ effigies visebantur: media Christi Salvatoris erat, ad dexteram partem S. Primiani, S. Firmiani, S. Sabini Episcopi, S. Eunomii Episcopi; ad lævam S. Paschasii Abbatis, S. Ursulæ, S. Alexandri, S. Tellurii: quorum nomina ad singularum imaginum latera, contractis in compendium litteris, efformata, sedula adhibita opera perlecta tandem sunt. At circum epistylium antiquissimi Longobardici characteres difficulter legi potuerunt, quod marmor ita humi abjectum, fœde labefactatum, ipsoque situ corrosum erat.

*in eo variorum SS. marmorea signa*

5 His observatis attenteque animo notatis, in spem veni fore ut Divina Majestas desiderio meo pro sua bonitate obsecundaret, meaque opera ad Sanctorum proferendas in lucem reliquias uteretur, neque ultra commerito sepulturæ honore ac publica veneratione carere eos pateretur. Cryptæ ostia convulsa, corruptaque vetustate, eoque perpetuo reclusa, ut ipsis animalibus, ingressus pateret, velut in desertum locum, nulla munitum custodia. Multa isthic terræ ruderumque congeries. Unum ex hisce ostiis ingressus, quod humore aliquo circumfuso madere videbatur, sensi, præter omnem expectationem, quippe e subterraneo loco, suavissimum odorem afflari. Ergo, quod vulgo nemo faciebat, in cryptam descendi: reperi fornicem multis marmoreis columnis, elegantis formæ, atque antiqui operis, sustentari. Ad cryptæ caput quinque erant altaria, et ipsa, ut videbantur, fabrica veteri structa: medio, et quæ ei utrimque proxima, adjunctæ erant fenestellæ. Cum propius accessissem, animadverti nigrum esse fornicem, eque eo uncum ferreum dependere, lampadi sustinendæ: hujus fumo fornicem denigratum.

*in cryptam semper patentem.*

D

*percepto inde suavi odore, ingressus,*

*5 altaria invenit,*

6 Hæc mihi latentium sub iis altaribus sacrorum corporum fidem fecere, eo certiorem, quod singulis capsa lignea erat imposita, cujus ostiolo recluso, intus conspecta effigies lignea, paullum extans, distinctaque coloribus, habitu Benedictino, dextra pastorale pedum gerens, librum sinistra: in ipsis ostiolis aliorum Sanctorum pictæ imagines erant. In capsa ejus altaris quod in medio situm erat, visebatur S. Primiani imago, longa veste amicti, manu palmæ sustinentis ramum: alibi S. Sabini, habitu pontificio, capite mitra operto, læva pedum gestantis, dextra velut ad impertiendam benedictionem composita.

*in iis varia signa latentium Reliquiarum,*

7 Illud præterea sum admiratus, quod, cum nudata tecto ecclesia esset, atque pluviarum incursui

E ac vi exposita, ipsaque urbs ad lacum sita, ut in cryptam insinuare se aqua aliquo meatu debuisse videretur, erat ea tamen omnino sicca, nullo uspiam humoris indicio. Retulere et illud qui mihi aderant, observatum Lesinæ esse, cum plurimum urbs universa immensa culicum copia, ob vicini stagni vapores, vexetur, nullos tamen neque in crypta illa sive Confessione, neque supra eam comparere. In eadem porro Confessione exstat perforata columna, ad quam olim energumeni alligari soliti, atque a teterrimi hostis vexatione liberari. Quæ omnia mihi ad majorem admovendam operam stimulos addidere.

*ipsam plane siccam,*

*numquam culicibus infestatam,*

*solitam miraculis clarescere.*

8 XXIII Novembris die, qui Dominicus erat, in media illius cryptæ ara Missæ sacrificium obtuli, Deumque obsecravi, ut mihi ad suorum Sanctorum invenienda pignora cælestem opem ac lumen impertiret: dein adstantes monui ut mecum funderent ad Deum preces, illatoque de rebus ad animæ salutem spectantibus sermone, hortatus sum, ut eam ædem identidem frequentarent. Quia vero animadverteram, vehementer eos institutionis indigere, deinceps quoad Lesinæ fui, semper de divinis rebus ad eos qui convenerant verba habui. Nemini tamen ex omni eorum numero consilium meum patefeci.

*isthic celebrat,*

*et concionatur*

9 Die Lunæ, XXIV mensis, Missa ibidem peracta, F recitatisque Litaniis et aliis precibus, fodere cœpi, cum Sacellano ac Diacono, et his quid molirer celatis, donec quod quærebam adipiscerer. Erat vero fabrica durissimo marmore coagmentata, saxis adeo vastis, vix ut seni homines singula attollere humo valuissent. Cumque ad palmos quatuor sub altari terram effodissem, incidi in marmoream capsam palmos quatuor longam, latam unum aut aliquanto amplius, operculo marmoreo tectam. In ea ossa complura, supra quæ lamina plumbea tres lata digitos, longa quatuor, in qua erat scriptum, S. PASCHASIUS; in ima vero marmorei operculi parte hæ sculptæ voces. S. PASCHASIUS CONFESSOR. Hoc reperto thesauro illico jussi ærea campana compulsari, et misso per urbis compita præcone populum ad spiritualis lætitiæ communicationem excivi: decantato dein hymno, TE DEUM LAUDAMUS, denuo sacras reliquias operui, ne quis inde quidquam sublegeret: tum lampade ante eas accensa, ostia obserari jussi, quæ antea, ut dixi, absque ulla custodia, perpetuo patebant.

*invenit reliquias S. Paschasii*

*editque publica lætitiæ signa.*

10 XXV Novembris S. Catharinæ festo die, in vicino ad lævam altari sacrum celebravi, ac lectis Litaniis, cœpi eadem qua pridie ratione humum fodere, psalmos interea atque alias precationes una cum

Sacellano

A Sacellano decantans. Cum quatuor circiter palmorum altitudine terram effodissem, multis adstantibus, quadratum marmor reperi, longitudine palmorum sex, quatuor latitudine, unius crassitudine. Quo inde sat levi pro mole et expedita opera, sublato, duæ subtus capsæ inventæ, ipsæ quoque marmoreæ, et eadem qua prior magnitudine. Sublato alterius operculo, insculpta hæc legi: S. Sabinus Canusinus. In ipsa vero capsa tabella erat plumbea, inque ea hæ sculptæ voces, S. Sabinus Canusinus Pontifex Lesinensis; erant in eadem capsa ejusdem Sancti ossa, caputque integrum. In alterius quoque operculo, inclusaque plumbea tabella insculptum: S. Eunomius; inque ipsa capsa ossa nonnulla. Triumphali hymno Te Deum Laudamus decantato, eodem ritu eas obtexi.

*dem S. Sabini Episc.*

*S. Eunomii.*

11 xxvi die denuo fodere humum altius statui, sub eo altari sub quo S. Paschasii reliquiæ erant inventæ: atque in capsam marmoream incidi, cujus operculo avulso, insculptas in inferiore ejus parte has voces intueor: S. Alex. et S. Urs. Virg. et Mart. intus ossa complura, ac supra hæc tabellam plumbeam cum iisdem jam recitatis verbis. Ea pignora rite, ut priora, veneratus, denuo operui.

*SS. Alexandri, et Ursulæ Virg.*

B 12 Die Jovis insequenti xxvii mensis, effossa rursum ibidem sub altari humus, versus cornu dextrum, aliaque reperta capsa, ejusque operculo, veteri charactere, incisum, S. Tellurius. Ut ceteris ante adhibita veneratione, omnia condi denuo jussi qua prius jacuerant ratione. Manifestum esse arbitror, divino me permotum fuisse instinctu, ut cum prius S. Paschasii thecam reperissem, tertio ad effodiendam sub eodem altari humum reverterer, quod in ceteris factum non erat. Ultimo ejusdem mensis die, cœpi medium altare demoliri, cumque ad imum ejus pavimentum pervenissem, quia serum jam erat, supersedi.

*S. Telluris.*

13 Quoniam vero hisce repertis reliquiis, rem omnem, ut erat gesta, Gubernatoribus sacræ Neapolitanæ Domus Annuntiatæ nuntiavi, ac spem mihi esse alias quoque eruendi; sed quod vererer ne quis has mihi surriperet, tantisper a cœpto destitisse; ii veredario ad me misso, consilium meum probarunt, ad alias scrutandas non progrediendi, propterea quod mihi suboluisset, nonnullos in occasionem eas furandi intentos: præsertim quod plures viri nobiles per Sacellanum ac Syndicum mihi millenos aureos pro singulis capsis offerri curassent, si eas ipsis tra-C dere vellem. Quod absit. His cognitis jussi restaurari in priorem formam tria illa altaria, sub quibus inventæ reliquiæ erant, et cryptæ januas refectas diligenter obserari, appositis diu noctuque excubiis; ipsas quoque urbis claves, ne quid interea turbaretur, nocte penes me asservavi. Quia vero Divino D auxilio ad tanti thesauri custodiam mihi opus esse sentiebam, multorum piorum hominum preces per litteras efflagitavi, ut eum mihi liceret salvum Neapolim deportare. Ita demum (quo nomine Deo Opt. Max. et sanctissimæ Annuntiatæ singulares debeo gratias) absque ullo incommodo aut damno, non meo merito, sed ipsorum præsidio Sanctorum, evenit.

*Sedulo cavet ne surripiantur.*

*AUCTORE AURELIO MARRA, INTERPR. J. B.*

14 Die secundo Martii mdxcviii sub horam xvi appulit Lesinam unus e Gubernatoribus dictæ Neapolitanæ domus, cum Nuntii Apostolici, quæ eum meque exequi oporteret, mandatis. Cum ei reliquias supra scriptas, eodem plane, quo inventæ fuerant, modo reconditas, coram multis testibus, atque iis ipsis qui primæ inventioni interfuerant, ostendissem: reliquum medii altaris, uti a me cœptum erat, dirutum: atque effossa ad palmos quatuor humo, inventa capsa marmorea, tres longa palmos, lata duos, diversa a ceteris forma scrinio similis, in qua SS. Primiani et Firmiani ossa inventa, inque ima operculi parte insculpta hæc verba, S. Primianus, S. Firmianus, itemque in plumbea tabella SS. Primianus et Firmianus. Editis religiosæ alacritatis et lætitiæ indiciis, uti ceteræ reliquiæ eadem quoque ex caussa, opertæ etiam hæ sunt, et reconditæ. E

*tum SS. Primiani et Firmiani.*

15 Die iv Martii, exemptæ reliquiæ omnes, relicta tamen in eadem Confessione, seu crypta, parte singularum aliqua, et multis e Capucinorum familia, aliisque concinentibus, cereosque accensos manu gestantibus, quanta eo in loco fieri potuit solemnitate impositæ tribus thecis operculo arcuato insignibus, bysso candida intus munitis, ad eam rem Neapoli allatis; et Neapolim devectæ, in ecclesia Pietatis ad gradus S. Joannis de Carbonaria depositæ sunt, donec majori apparatu supplicatio institueretur, ut ad ecclesiam Annuntiatæ, Romano Pontifice annuente, transferrentur. Sunt quoque, in publicum narratæ jam rei testimonium, Neapolim advectæ ipsæ marmoreæ capsæ, in quibus repertæ Reliquiæ fuerant.

*parte aliqua Lesinæ relicta, transferre eas Neapolim.*

16 Atque hæc sunt, quæ de ea translatione visum fuit tradere litteris, ad Dei gloriam, honoremque Sanctorum ejus, a quibus dignum laboris mei præmium expecto, qui Gubernatorum voluntate tanto temporis spatio Lesinæ sum commoratus. nec metuo, ne quis mihi illud objiciat, accepisti mercedem tuam, qui nihil quidquam ullo in genere, ut humano more loquar, tuli remunerationis. Sanctos igitur precor, ut suo me patrocinio defendant apud tribunal F Divinæ Majestatis, cui semper laus ac gloria tribuatur, in secula sempiterna. Amen.

*quos SS. invocat.*

Orate pro me, quia peccata mea tulerunt Dominum meum, et in Cruce posuerunt eum.

# DE S. CRONANO

ANIMADV. PAP. 67

## EPISCOPO IN HIBERNIA.

G. H.

*SECULO CIRC. V. IX FEBR. S. Cronanus Episc. colitur 9 Feb.*

Sancti hujus Episcopi varie exaratum nomen, nam Cronanus, Chronanus, Carnanus, Cuaranus, Caurnanus, Trovanus et Mochuarocus appellatur a variis. In MS. Florario ejus memoria celebratur ix Februarii his verbis: In Hibernia Chronani Episcopi et Confessoris. Eudem habent Hermannus Greven in Auctario Usuardi, Canisius in Martyrol. German. et Ferrarius in Generali Catalogo, sed Trovanum appellant. Eumdem referri in Martyrologiis Hibernicis, Tamlactensi, Dungallensi, S. Engussii, Maguiri, et Mariani Gormani tradit Joannes Colganus in Actis SS. Hiberniæ: apud quem de eo S. Ængussius hæc prædicat: Machuarocus sapiens, quem facti nunquam pœnituit. Fusius Maguir in Festologio, Machuarocus sapiens in regione Desmeorum quiescit, qui et Cronanus filius Nethsemonis dicitur. Vocatur Machuarocus de Nona, ideo quod sit primus, qui curavit celebrationem Missæ fieri seorsum, quæ cum media Nona apud antiquos celebrabatur. A Gormano dicitur Cuaranus sapiens in Desiis Momoniæ, qui et Cronanus filius Nethsemon. Addit Colganus ex Sanctilogio Genealogico, progenitum ex nobili et antiqua familia Fertlactæ, filii Fergussii, Regis.

*in regione Desiorum,*

*in Momonia.*

2 S. Adamnanus Abbas Huensis in Vita S. Columbæ Abbatis, quam dabimus ad ix Junii hujus peregrinationem describit lib. 1 cap. 42 hoc titulo: De Cronano Episcopo, ac deinde, Alio, inquit, in tempore quidam de

*Auctore I. B. a S. Adamnano aquilus Episcopus.*

de Momonensium provincia Episcopus, nomine Cronanus, proselytus ad Sanctum venit *Columbam*, qui se, in quantum potuit, occultabat humiliter, ut nullus sciret, quod esset Episcopus. Sed tamen Sanctum hoc non poterat latere: nam alia die Dominica a Sancto jussus Christi corpus conficere, Sanctum advocat, ut simul quasi duo Presbyteri Dominicum panem frangerent. Sanctus proinde ad altarium accedens, repente intuitus faciem ejus, sic eum compellat: Benedicat te Christus, Frater, hunc solus Episcopali ritu frange panem. Nunc scimus quod sis Episcopus. Quare huc usque te occultare conatus es, ut tibi a nobis debita non redderetur veneratio? Quo audito Sancti verbo, humilis peregrinus valde suspectus, Christum in Sancto veneratus, et qui inerant præsentes, nimis animati, glorificaverunt Dominum. *Hæc illa. Hinc colligimus sexto cum Christi seculo floruisse, quo et Columba vixit.*

DE SANCTIS MOSOMENSIBUS

# VICTORE MART. ET SUSANNA VIRG.

## Commentarius prævius.

*I. B.*

*IX Febr. Mosomus urbs Galliæ Belgicæ,*

Urbs est Mosomus *exigua, sed valida, archiepiscopii Remensis, ad dexteram Mosæ ripam, Sedanum inter et Satanacum*, Mosomagum *olim dicta, atque ab ipsis Constantini Magni pluribus temporibus munita eoque castellum appellata in S. Maximini a Treverorum celeberrimi Antistitis vita, anno* DCCCXXXIX *scripta, quam* XXIX *Maii dabimus. Ea ita habet*: Cumque Mosomagum castellum pervenissent, paralyticus quidam B. Maximino sanandus offertur. Nec irrita vota fuere fidelium: namque sine dilatione optatæ redditus sanitati, speciosissimum spectaculum intuentibus præbuit. Utque gratiam referre viderentur ejus loci habitatores, ecclesiam sub honore B. Maximini, ubi ejus sacræ fuerant reliquiæ positæ, condiderunt. Evoium vocatur quoddam castellum, ad ditionem jam pertinens Treverorum. Hoc ingressis *etc. Ea Ecclesia nunc* S. Maximini in Ulbo *dicitur; estque vicus ille, vulgo* Ully, *vel* Ovilly, *aut* Evilly *in via quæ Mosomo Ivodium ducit.*

*nota secuto 4.*

2 *Centum circiter ac quinquaginta post annis, S. Remigius, Remorum Episcopus, in epistola quæ extat tom.* 1 *Gallicar. scriptorum Chesnæi, inter epistolas Francicas quarta, de* Falcone, *sive* Fulcone, *Trajectensis Ecclesiæ Episcopo queritur, quod* illicitis ordinationibus suis a se crediderit occupandam loci Mosomagensis Ecclesiam, quam Metropolitani urbis Remorum, sub ope Christi, sua semper ordinatione rexerunt. *De S.* Falcone *infra agemus ad* XX *Februarii.*

*restaurata ab Heriveo Ep. Remen. allatis eo S. Victoris reliquiis,*

3 *Urbem eam atque Ecclesiam, barbarorum (ut conjicere licet) incursionibus vastatam, restauravit Heriveus Remorum Antistes, qui anno* DCCCC *consecratus,* DCCCCXXII *decessit. Ita de eo Frodoardus hist. Ecclesiæ Remen lib.* 4 *cap.* 13. Hic Pontifex castrum Mosomum reparatis munit muris, et ecclesiam inibi dirutam restauravit, atque in honore sanctæ Dei Genitricis, ut olim fuerat, dedicavit; collatis ibi S. Victoris ossibus, quæ procul ab eo fuerant castello reperta. *De ea sanctæ Dei Genitricis ecclesia ita loquitur Adalbero Archiepiscopus Remensis in Concilio* apud Montem S. Mariæ in pago Tardanensi *habito an.* DCCCCXXXIII *tom.* 3 *Concilior. Sirmondi*: Ille Mosomi cœnobialis locus, antiquitatis studio certatim constructus, ab exordio scilicet sanctimonialium vitæ aptatus, postmodum vero Canonicorum ordine ab Heriveo prædecessore nostro melius informatus, atque in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ digne consecratus, sed nefandis usibus utrobique negligenter incultus, rebus quidem partim subtractis, partim vero intercurrentibus malis, sinistræ cessit fortunæ. *Narrat deinde monachos a se illic sub Letaldo Abbate constitutos. Tenent nunc id cœnobium Benedictini reformati. Visitur in templo Annuntiationis antiqua imago, ad quam olim fieri solere miracula dicuntur. Alia eo in oppido est parochialis ecclesia unica, S. Martino sacra.*

*in ædem S. Mariæ, tum Canonicis datam,*

*deinde Benedictinis*

4 *Quando vixerit* S. Victor, *nusquam legimus. Vitæ ejus compendium reperimus in veteri codice Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti: sed pleniorem damus ex* Epitome Chronicon Monasterii B. Mariæ Mosomensis, Ord. S. Benedicti, . . . . collecta ex veteribus membranis et monumentis ejusdem monasterii, opera et industria Nicolai Huberti, ejusdem monasterii Prioris Claustralis *edita Carolopoli an.* MDCXXVIII, *nobiscum communicata a Christophoro Wilthemio nostro: qui et nobis testatus est, spectari in ecclesiæ illius vestibulo affabre sculptam e marmore historiam et martyrium* S. Victoris, *ejusque sororis Virginis beatam mortem.*

*Vita S. Victoris duplex,*

5 *Idem nobis asseruit, ex illius cœnobii Religiosorum relatione, agi Mosomi celebriter* S. Victoris *natalem* IX *Februarii, Translationem* X *Septembris. Nos natalem tenuit ignorari; sed quia (ut Vita dicitur)* VIII *Februarii facta secunda illi translatio sit, ideo statutum, ut postridie solennes ejus haberentur feriæ. Atque in unico MS. Kalendario ejus reperimus ad illum diem annotatum nomen. At pridie Nonas Martii ita habet Hermannus Greven Carthusianus Coloniensis in addit. ad Usuardum;* Victoris Mart. Mosovensis. *Florarium vero SS.* Item SS. Victoris Mozomensis Mart. Fridolini Confess. *etc. In MS. quodam, non admodum antiquo ad* XIII *Februarii adscriptum nomen* S. Victoris; *hujus an alterius, haud indicatur.*

*natalis 9 Februar.*

*nomen in Martyrologiis.*

6 *Prima reliquiarum ejus translatio fuit cum in ecclesiam S. Petri deportatæ sunt, cum prius juxta murum ejusdem ecclesiæ in vulgi cœmeterio conditæ essent. Id sub Hincmaro Remensi contigisse narratur in Vita num.* 4. *Sedit autem Hincmarus ab anno* DCCCXLV *ad* DCCCLXXXII. *Verum ea translatio nihil admodum habuisse celebritatis videtur.*

*1 Translatio in ædem S. Petri,*

7 *Secundam Translationem, cum ex S. Petri ecclesia Fossadensi, ut dicitur, ad Mosomensem S. Mariæ pignus illud sacrum devectum est, Hubertus in Vita vult sub eodem Hincmaro esse factam: Flodoardus (cui potior fides habenda) sub Heriveo. Mansit tamen ecclesiæ S. Petri, etsi illo spoliatæ thesauro, deinceps honos. Etenim an.* DCCCCXLVIII, *ut Flodoardus testatur,* Synodus habita in Ecclesia S. Petri, ante prospectum castri Mosomi. *Et Bertrandum Abbatem scribit Hubertus a Nicolao IV Pontifice Max. sub annum* MCCXCI, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum, de injunctis pœnitentiis obtinuisse, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui Capellam S. Petri *in Ecclesia S. Mariæ Mosomensi*, et extra muros urbis supra montem, visitarent in festivitatibus D. Petri et earum Octavis, itemque dedicationibus earumdem. *Ejus nunc ecclesiæ, idem Wilthemius retulit, nihil extare præter altare lapideum ac vestigia antiqui cœmeterii: eo tamen quotannis in Rogationibus duci supplicationem: situm id esse extra portam Burgundicam in vineis.*

*2 in Mosomensem,*

*S. Petri ædes honorata indulgentiis,*

*jam ad . . . lacata.*

8 *Tertiam S. Victoris Translationem ita memorat Hubertus*: Boso Abbas thecam argenteam fabricari fecit, in quam translatum est corpus B. Victoris ab Ebalo Remorum Archiepiscopo, IV Id. Septembris, anno

*3 Translatio, sive repositio in novam thecam.*

A anno Domini MXXV. *Ea theca XII Apostolorum statuis argenteis eleganter adornata, in altari asservatur, quod post principem aram Deiparæ Virgini sacram, erectum visitur.*

*Reliquiæ sororis ejus, quæ Susanna dicta: Thecæ reliquiarum apertæ.*

9 *Juxta eam thecam alia extat, quadrata, ac duos circiter pedes alta; quæ sacra ossa continent sororis S. Victoris Virginis; quam vulgus, quia nomen ignoratur,* S. Susannam *appellat: quod et nos retinuimus nomen.*

10 *De his aliisque reliquiarum thecis scribit Hubertus:* Thomas de Allicourt *Abbas, an.* MCCCCLVIII, aperuit capsas reliquiarum nostræ ecclesiæ, præsente Decano Mosomensi, celebri totius regionis concursu.

*Civium pietas:*

11 *Sunt porro oppidani Catholicæ religionis per quam tenaces, adeo ut hæreticis militibus, qui aliquando loco tuendo impositi ab Rege Galliæ fuerant, numquam facultatem fecerint intra mœnia habendi conciones, aliave agendi disciplinæ Ecclesiasticæ contraria. Deiparæ Virginis honori comprimis dediti sunt, Sanctique Victoris, quem civem olim suum fuisse. Præter quas dixi binas ecclesias, aliud est Benedictinarum sanctimonialium cœnobium, aliudque in suburbiis, quæ amplissima sunt, Capucinorum.*

B

# VITA

## *ex antiquis MSS. Mosomensibus, ab Nicolao Haberto edita.*

### CAPUT I.

### *S. Victoris cædes. Prima Translatio.*

*S. Victor sororem in studio virginitatis confirmat:*

Victor Mosomi, humili loco, Christianis tamen parentibus natus; sororem habuit specie et forma elegantissimam: quam cum turpiter deperiret Princeps Mosomensis, ad instar B. Joannis Baptistæ, pudicitiæ strenuus propugnator, a profanis nefarii hominis amplexibus eam sibi subtrahendam putavit. Facibus ergo libidinis accensus impurus Princeps, omnem lapidem movet, ut Virginem in suam sententiam pertraheret. Illa autem salutaribus fratris monitis acquiescens, persuaderi numquam potuit, ut in tantum facinus consentiret. Victor vero tum prece, tum pretio sæpe tentatus, a sententia numquam potuit dimoveri.

*ea ideo excæcatur ab impuro Principe:*

2 Tyrannus moræ impatiens, arbitratus se despici, amorem in furorem vertit, inducitque in animum, vi et potentia id assequi, quod verbis et pretio dudum elaborare non potuerat. Cum enim puellam C adeo constantem advertisset, ut flecti non posset; famulis imperat, ut ei oculos effodiant. Ecce autem, qui nuper nuntii voluptatum, crudelissimi mandati subito fiunt ministri: accepto enim domini mandato, dicto citius audientes, Virginem opportune agressi, crudeliter excæcarunt.

*quem reprehendens Victor*

3 Hanc injuriam, cum ulcerata dudum Victoris patientia diutius dissimulare non sineret, ipse Principem aggressus, criminis atrocitatem ei repræsentat, quam ut pœnitentia elueret, hortabatur, si divinum vellet judicium evadere. Ille autem vilis hominis reprehensionem non sustinens, alienum a sua dignitate arbitratur, audax adeo facinus inultum præterire. Innuit itaque iisdem nequitiæ suæ fautoribus, ut homicidium ad tentatum stuprum adjicerent. Nec mora: domestici ad nutum domini animum componentes, non ferendam Victoris libertatem reprimere officiosissime moliuntur: cum enim ecclesiam aliquando ingrederetur, deprehensus ab eis crudelissime trucidatur.

*ex jussu ejus cæditur.*

*Corpus sepultum diu latet.*

4 Cæso Victore, sepelitur ejus corpus juxta murum Ecclesiæ S. Petri, non procul a castro Mosomensi, vico, qui Fessadus olim vocabatur. Recondito autem tanto thesauro in templo Domini, latuit gemma Dei per multa annorum curricula, usque ad Domini Hincmari, Remorum Antistitis præsulatum, et annum circiter Domini octingentesimum octogesimum. Cum vero nomen et meritum Martyris sui Domino placuit revelare, cecidit divino judicio ea pars muri, sub qua inter alios plerosque tumulos corpus jacebat Victoris. Currit ad subitam templi ruinam Waningus, ejus tunc Ecclesiæ parochus, cujus jussu cum lapides inordinati segregarentur, nudato fundamento inventum est pretiosi Martyris sepulchrum. Quod ut deprehenderunt artifices, opinantur solidum ibi ædificium non posse excitari, nisi sepulta cadavera transferrentur. Quorum consilio Presbyter Waningus assentiens, Victoris corpus solemni apparatu ad aliud monumentum in Ecclesiam transfert. D

*EX MSS. MOSOMENSIBUS*

*eisu inventum,*

*alio transfertur:*

5 Eodem fere tempore contigit mulierem quamdam in castro Mosomensi lumen oculorum amittere: quo in dolore plus minus trimestri, ærumnis et tædio confecta tabescebat. Cujus miseriam benignioribus oculis intuitus dives in omnes Dominus, ejus calamitatem Victoris meritis præparabat sublevare. Cum enim ideo Waningus somno sopitus aliquando obdormisset, nuntius ei divinitus affuit monens, ut cæcæ mulieri præsens remedium nuntiaret. Excitatus Presbyter, festinat ad mulierem, hortans, ut officiosissimi Patroni oblatum divinitus præsidium non omitteret. Illa salutis avida, piis Presbyteri monitis acquiescens, deduci poscit ad templum, ubi super Victoris sepulchrum, velum, quod ferri Waningus præceperat, volvens, ut ipsum oculis admovit, protinus vidit. E

*ad id cæca visum recepit,*

*cælesti monitu*

### CAPUT II

### *S. Victoris miracula.*

Miraculum adeo inauditum cum teste probatissimo contigisset, magna deinceps in veneratione Victor est habitus. Itaque crebræ ad ejus sepulchrum vigiliæ a fidelibus fiebant, quas manifestissimis Martyris sui sanctitatis indiciis Dominus illustrabat. Cum enim aliquando Clericus quidam ejusdem ecclesiæ vigilias ad ejus tumulum observaret, obdormiens vidit in somno virum speciosum valde, coram altari ambulantem, codicem, quem præ manibus habebat, ad frontem tumuli legentem. Porro aves binæ, columbas referentes, subito advolarunt: quarum una ab Oriente, altera ab Occidente ad superficiem sepulcri singulæ resederunt. Tum mirabiliter revoluto aggere, quo tumulus tegebatur, visus est gloriosus Martyr erectus, cum eodem miscere sermones. Clericus rei novitate perterritus, expergiscens, socium excitat, hortans, ut revelationis adeo manifestæ testis oculatus adesset. Quod cum advertisset, is qui cum Martyre colloquebatur, lumen quod ibi accensum erat, extinxit: sicque subito visio disparuit. F

*magna inde colitur Sanctus*

*apparet Clerico in somnis,*

7 Non multo post tempore contigit Gandulfum ejusdem Ecclesiæ Presbyterum, de Victoris gloria pluries divinitus admoneri: cum enim aliquando obdormisset, visum est ei in somno ecclesiam ingredi; sanctum vero Victorem in similitudinem viri gloriosissimi ad dextram cornu altaris stare, a quo cum Presbyter percontatus esset, monetur, ut curam monumenti sui habeat, nec deinceps pro vili adeo sepultura sit. Injungit præterea, ut elevatæ ejus Reliquiæ ad dextrum cornu altaris S. Petri, pedibus versus Occidentem dispositis, locarentur: nuntiaretque Rigoboldo Remensi *a* Archiepiscopo, ut pueros duos ad earum custodiam adhiberet.

*dein Presbytero,*

*tollens sepulchrum suum magis honorari.*

*a*

8 Iterum post duodecim dies facta est eidem in somno manifestior adeo atque augustior de Victore revelatio. Visum enim erat illi in æde *b* Divi Martini, in castro Mosomensi esse; beatum vero Martyrem

*b*

A tyrem ad dextrum cornu altaris Divi Georgii stare. Quem alloquens Victor, Vade, inquit, ad templum Divi Petri, et sarcophagum, quo jacere possim, compone et præpara. Videbatur sibi Presbyter ad mandatum Victoris pergere, et omnia, sicut præceperat, exequi. Dum ergo pergere sibi videretur, conversus, visum erat B. Victorem stare, et hortari, ut omnia celeriter expediret. Præparatis autem omnibus, ut jusserat, videbatur Victor expansis manibus ipsum amplexari, eoque osculato, ingredi monumentum. Presbyter tanta fretus familiaritate, Victorem reverenter de vita percontatur: cui ipse: Ego, inquit, intra fines castri Mosomensis semper moratus sum; cum homo ambitiosissimus dominaretur, turpi sororis meæ amore ardens, induxit in animum, ejus amplexibus citra licitum matrimonii usum frui. Dum vero impuri hominis voluptatibus connivere nolo, Virgini jussit oculos effodi; me autem crudelissime præcepit interfici. Videbatur tunc eidem Presbytero beati Martyris corpus vulnerum livore quasi recenter sauciatum aspicere. Deinde commendata iterum monumenti sui cura, visio disparuit.

*ex mss. Mosomensibus iterum idem inculcat,*

*et qui sit indicat*

9 Crebrescente fama Victoris, concurrebat ad ejus tumulum frequens populi multitudo, mirabilem B in Sancto suo Deum glorificans: excitabatur recenti cæcæ mulieris sanatæ miraculo, quod sine impietatis nota præterire leviter non liceret: excitabatur probatissimi Sacerdotis testimonio, cui fidem ipsa experientia faciebat: excitabatur iteratis ad ejus tumulum revelationibus, quas comprobata dudum miracula roboraverant: excitabatur insolitis miraculis et eventis, quæ non sine præsenti numine Divi alicujus fieri firma fides non dubitabat. Itaque cum de ejus sanctitate tot visiones apparuissent, contigit eodem fere tempore puellam quamdam e castro Mosomensi gravi adeo pedum dolore teneri, ut pede utroque orba stare vix posset. Illa memor sanatæ non dudum mulieris, de Sancti virtutibus non diffidens, præsentissimum remedium prætermittere noluit negligenter. Petit ergo ad ecclesiam S. Petri, in qua sanctus Martyr jacebat, deferri: quo cum pervenisset, ad B. Victoris tumulum deducta, sanitati pristinæ restituta, coram omnibus sine duce, sine adjutorio, incolumis remeavit.

*fit ad illum concursus.*

*non sine miraculis:*

*pedum dolor sanatus ejus ope.*

10 Contulit hoc miraculum ad Victoris gloriam plurimum, et ad famam, adeo ut ad eum, quasi ad numen patriæ tutelare cœlitus oblatum, certatim conflueretur, nec frustra dives enim in omnes Dominus, recentiori miraculo Victoris gloriam illus- C travit. Cum enim quædam articulari morbo detenta, manus utriusque dudum officio caruisset; statim ut audivit de virtute Martyris, ad ejus tumulum venit, ubi religiose dispositis muneribus, quæ beato Martyri voverat, recuperata illico sanitate, adstantium animos ad Martyris venerationem accendit.

*item chiragra.*

a S. Hincmarus inter Remenses Archiepiscopos Rigobaldus, verum hic infra cap. 3. num. 15 Chorepiscopus dicitur fuisse.— b Est ea, ut supra monuimus, nunc parochialis in oppido Mosomensi ecclesia.

## CAPUT III

### *S. Victoris tertia Translatio.*

Si cuncta corporis membra verterentur in linguas, necdum etiam sufficerent ad alia, pleraque soli Deo nota, quæ ad Victoris tumulum fiebant, miracula enarranda. Non enim recensitis tantum Martyris sui sanctitatem Dominus demonstravit; verum et in remotissimis regionibus, exteris nationibus ejusdem gloriam revelavit. Quo enim tempore Hincmarus Remensi Ecclesiæ præsidebat; contigit Hademarum quemdam virum integerrimum, familiarem Benigni Hagari, cujusdam Comitis filii, de transferendo gloriosi Martyris corpore divinitus admoneri.

*alia plurima fiunt miracula.*

Cum enim aliquando idem Hademarus in lecto quiesceret, visus est ei in corpore vir venerabilis, in splendore corusci luminis ad eum accedens, dicere: Perge festinus ad locum, qui Fossadus dicitur, ac significa Presbyteris, Clericis, ut ad Divi Petri Ecclesiam conveniant, et reverenter S. Victoris Martyris corpus accipiant, et cum congruo honore ad monasterium B. Mariæ, quod est in castro Mosomensi, deferant et reponant. D

*Hademarus in somnis jubetur curare, ut corpus S. Victoris transferatur Mosomum.*

12 Hademarus autem morosi ingenii homo, arbitratus vanam et somnolentam visionem fuisse, mandatum, etiam quarto injunctum, peragere negligebat. Accedit ad eum iterum idem, qui ante apparuerat, nuntius, eadem in specie, idem repetens mandatum. Hademarus autem importunitate pulsatus, adhuc tamen de visione dubius, vicinos consulit Presbyteros, narrans frequentem, quæ ei contigerat, visionem. Illi autem rei novitate stupefacti, jejuniis et orationibus rem a Domino sciscitandam censuerunt. Interim sæpius et frequentius idem qui supra nuntius Hademaro stomachabundus apparet, monens, ut commissum divinitus negotium peragere non differret.

*is quinto monitus, adhuc negligit.*

13 Hademarus quinta nondum visione confirmatus, promptior aut diligentior nequicquam factus fuerat: cum ecce iterum idem nuntius, vultu iracundo ad eum accedens, exprobrata negligentia, graviter increpat ob contemptam adeo religiosam visionem. Hademarus ergo deprehensus in culpa, præ confusione turbatus, divini Ministri reprehensionem tacitus auscultabat: quem ille corripiens, baculo, quo nitebatur, percussit in vertice, totoque corpore, multis verberibus graviter afflixit. Exceptus ita Hademarus, inter verbera, Dimitte me, Domine, clamabat, ut statim perficiam, quod jussisti. Nuntius interea non tantum legati officio jam fungens, verum persecutoris acerrimi: Ecce, inquit, præcipio, ut absque mora divinæ satisfacias voluntati, ita ut nec die, nec nocte cesses, donec eo pervenias, ubi jacet sanctus Martyr Victor, quemadmodum tibi divinitus nuntiavi. E

*duriter increpatur verbis*

*et verberibus:*

*spondet se pariturum*

14 Hademarus vero post verbera respirans a dolore; Domine, inquit, neque locum, neque regionem scio, neque fidem quisquam hominum verbis meis habebit. Ille autem, Vade, inquit, quantocyus, et inquire castri Mosomensis Presbyterum, nomine Geldingum; eique omnia, sicut sæpius apparuerunt, indica. Iterum flagellato Hademaro, legatus recessit: ille vero in lecto tremebundus præ vulnerum dolore jacebat. Expergefacti itaque vocibus ejus et clamore domestici, præ timore obstupefacti, fugiebant: ad Hademarum autem accedentes, caussam tanti clamoris percontantur: ipse vero excitatus narravit sigillatim speciem, gravitatem, et furorem nuntii, modumque Angelicæ legationis, et severam tarditatis, et negligentiæ suæ ultionem. Hademarus e vulneribus recreatus, iter cum festinatione aggreditur, injunctum totius negotium religiose peracturus. Itaque Mosomum veniens, Presbyterum ex nomine nuntiatum inquirit, cui legationem exponens, narrat ut sæpius de Victoris gloria divinitus monitus fuerat, et diris verberibus coactus venire, ut divinæ satisfaceret voluntati. F

*docetur quem sit aditurus*

*rem gestam domesticis indicat,*

*tum Presbytero Mosomensi.*

15 Geldingus autem Mosomensis Ecclesiæ Presbyter, consultis vicinis Clericis, a Hincmarum Remensem Archiepiscopum de Hademari adventu monet, rogans, ut rei adeo religiosæ sua non deesset auctoritas. Hincmarus Archiepiscopus, omnibus virtutibus instructissimus, quæ in tanto Præsule desiderari possent, ut audivit de Victoris gloria, Rigobaldum, venerabilem b Chorepiscopum, Mosomum mittit, ut in translatione pretiosi Martyris vicem suam suppleret. Itaque congregata sexus utriusque multitudine a b

*auctori ab Hincmari Ep. Remen.*

*a Rigobaldo Episc. transfertur sacrum*

*corpus Mosomum 8 Febr.*

A multitudine numerosa, sexto Idus Februarii, summo totius regionis applausu translatum est corpus sanctissimum Victoris Martyris, e basilica Principis Apostolorum, in monasterium Monialium B. Mariæ, intra muros castri Mosomensis. Recondito autem, cum testimonio, et auctoritate Pontificali, pignore B. Victoris, reversus est Hademarus cum gaudio, Dei magnalia prædicans apud omnes.

*paralytica ad illud sanatur:*

16 Religiosum adeo officium erga Martyrem suum, recentiori miraculo Dominus comprobavit. Non enim multo post, cum idem Rigobaldus, Remensis Chorepiscopus, sacra Missarum solemnia ibidem perageret; mulier quædam e castro Mosomensi, paralysi dudum resoluta, delata in eamdem ecclesiam, implorato gloriosi Martyris auxilio, coram omnibus incolumis apparuit. D

*LX SS. MOSOMENSIBUS Mosomense monasterium reparatur,*

17 Aliquot demum post annis, singulari erga sanctum Martyrem flagrans devotione Heriveus Remensis Archiepiscopus, monasterium tum vetustate, tum bellorum injuria dirutum, restauravit: ibique collegium Canonicorum instituit, quod hodie in familiam monachorum conversum, in Dei laudem, et Martyris gloriam feliciter perseverat.

*et datur monachis.*

a *Translatio hæc secunda non sub Hincmaro contigit, sed sub Herveo, ut supra ex Flodoardo retulimus. Hincmaro Fulco successit, huic sub annum CM Herveus, sive Heriveus. Fuit fortasse sub tribus hisce Archiepiscopis Chorepiscopus Rigobaldus.* — b *Ebo Archiepiscopus in opusculo, quod Flodoardi historiæ subjecerat Sirmondus, Chorepiscopi munus exponit,* omnem Sacerdotalem totius regionis sibi commissæ conversationem corrigere atque dirigere *etc.*

# DE S. ANSBERTO

## ARCHIEPISCOPO ROTOMAGENSI GANDAVI IN FLANDRIA.

### Commentarius prævius.

G. H.

B §1. *S. Ansberti in sacris fastis memoria die ejus natali.*

*ANNO CHR. DCXCV. IX FEBR. S. Ansbertus Rotomagi Archiep.*

Tria sanctiore conversatione S. Ansberti illustrata memorantur loca: Rotomagum, *emporium ad Sequanam orbi notissimum, Normanniæ postea caput, S. Ansbertum Archiepiscopum suum officio duplici colit.* Fontanella, *monasterium ejusdem dioeceseos, Rotomagum inter ac Parisios a fundatore suo S. Wandregisilo vulgo* S. Vandrile *dictum, eumdem S. Ansbertum e regis Cancellario monachum suscepit, dein in Abbatem habuit, ac demum ejus trigesimo a morte die corpus obtinuit, alterumque Patronum post S. Wandregisilum officio duplici cum octava veneratur.*

*ANIMADV. PAP. 58 Fontanellæ Abbas, ibique sepultus,*

*in Alto-monte mortuus,*

*Altus-mons Hannoniæ in Belgio monasterium milliari ab Malbodio oppido distans, eumdem Sanctum exulem fovit, morientem vidit, mortuum sepelivit, ac decimo septimo a morte die elevavit, permisitque Fontanellam transferri. De Alto-monte sæpius egimus, et potissimum* XVI *Januarii ad Vitam S. Marcelli Papæ, cujus istic Reliquiæ honorantur. Accedit et* Blandinium *apud Gandavenses monasterium, quo Reliquiæ S. Ansberti postea translatæ. Colitur a Blandiniensibus officio duplici, tum* IX *Februarii, tum aliis diebus, translatione illustribus.* C

*Gandavum translatus colitur 9 Februarii.*

2 *Celeberrima ejus memoria in sacris Fastis* IX *Februarii; quatuor locorum aliquo, quasi in singulis mortuus esset, adscripto. Martyrol. MS. S. Richarii:* Civitate Rotomago S. Ansberti Episcopi et Confessoris *MS. Societatis* JESU *Antverpiæ, Bedæ præferens nomen:* Fontanellæ monasterio, transitus B. Ansberti Episcopi. *Ejus non meminit Usuardus, cujus tamen duobus exemplaribus MSS. S. Germani Parisiis eadem manu olim adscriptum legitur:* Fontenella S. Ansberti Episcopi et Confessoris. *Quamplurima alia MSS. sub nomine Usuardi ita habent:* Eodem die apud monasterium Fontinellæ Natale S. Ansberti Rotomagensis Episcopi et Confessoris. *Brevius Romanum:* Fontanella, S. Ansberti Rotomagensis Ep. *Similia habent Galesinius, Maurolycus, Florarium MS. in quo additur* annus salutis DCXCV, *de quo infra. Bellinus:* S. Amsubertum Archiepiscopum *appellat, nonnulli* Ausbertum: *inter quas Hermannus Greven, et hæc tradit in Auctario Usuardi:* Monasterio Fontenellæ S. Ausberti Archiepiscopi Rotomagensis: cui cum puella nobilis, nomine Audragisina, desponsata fuisset, et utrique cœlibatus magis placeret; illa oratione impetravit, ut turpissima et leprosa efficeretur; sed post a B. Audoeno Rotomagensi Archiepiscopo Christo consecrata, statim pristinæ pulchritudini est reddita. Ausbertus vero sub S. Wandregisilo Abbate Fontanellæ primum monachus, deinde Abbas factus, postremo B. Audoeno in Episcopatu digne succedens, in pace quievit. E *Eadem habet Canisius in Martyrol. German. additque,* ex falsa suspicione exulem in altum quemdam montem relegatum in pace quievisse: *quæ de monasterio Alto-monte dicto intelligenda. Additur in eodem Martyrologio,* Reliquias ejus Bellovaci quiescere, *quæ in Blandinio Gandavi sunt. At quæ illi sponsa fuerat S.* Angadrisma, *Bellovaci colitur* XIV *Octobris, ubi ejus honori dicata est ecclesia Patrum Capucinorum.*

3 *Martyrologium MS. monasterii S. Laurentii Leodii:* Fontenellæ S. Ansberti Rotomagensis Episcopi, qui sub B. Wandregisilo Abbate regulari ordine a pueritia militaverat; quique post illum tertius illius loci, scilicet Fontenellæ, Rector extiterat, commisso gregi continenter erogans pabula æternæ viriditatis: ibidem ad ultimum sepelitur. Deinde B. Audoeno in Rotomagense Pontificium successit, promovente eum Rege glorioso Theoderico, exclamatione civium Rotomagensium. Qui post sentiens sibi obitum suum imminere, petivit a Rege per legatos, ut sibi liceret in Fontenella tumulari; ubi rudimenta conversationis suæ contigerat eum accepisse: quod Rex libenter annuit. Illuc demigrans, somno ultimo excipitur et sepelitur. Tamen interim dum legati per decem et septem dies ad petendam a Rege licentiam sepeliendi corporis ejus in Fontenellam, eundo et redeundo expectant, apud Rotomagum fuerat sepultus anno sexcentesimo nonagesimo quinto. Accepta vero licentia transferendi corporis ejus, sepulchrum ejus aperitur, et quod putabatur ob tantorum dierum intervallum foetere, suavissimo odore redolere admirantur omnes, qui circa has exequias obsequium suum præstabant. F *Hæc ibi non absque multiplici mendo. Nam primo non a* pueritia *Fontanellæ monachus fuit, sed postquam fuisset in aula regius Secretarius, ac tandem Cancellarius: deinde dissimulat exilium ei a Pipino Principe, Herstallio sive Crassa cognominato, imperatum; et quam S. Ansbertus ex monasterio Alto-monte legationem ad Pipinum adornavit, Rotomago ad Regem factam scribit, qui innuitur Theodericus adhuc fuisse, cum eo mortuo, ut infra dicetur, Rex tunc fuerit ejus filius Chlodoveus* III. *Demum magna injuria dicitur et* Rege annuente Fontanellam demigrasse, somnoque ultimo exceptus, et Rotomagi sepultus, *ibidemque* post decem et septem dies *cum legati rediissent,* elevatus.

*Ejus elogium in MS. Martyrol.*

*correctum*

4 *Illustriora elogia exhibent Molanus in Natalibus SS. Belgii, Saussaius in Martyrol. Gallicano, et Mi-*

*ræus*

A *ræus in Fastis Belgicis : hujus verba appono :* S. Ansbertus successit S. Audoeno in Episcopatu Rotomagensi, et a Pipino Principe in exilium pulsus, demum in Alto-monte, Benedictinorum abbatia ad Sabin fluvium apud Hannones sita, anno DCXCV vivere desiit. Post mortem, uti jusserat, relatus est Fontanellam, quod est monasterium diœcesis Rotomagensis ad Sequanam fluvium, cujus loci Abbas fuerat ante Episcopatum. Unde postea cum corporibus SS. Wandregisili et Vulfranni, ob persecutionem Normannicam, primo Boloniam ad mare, deinde Gandavum ad montem Blandinium anno DCCCCXLIV est devectum. *Hæc ibi. Post quæ tempora ordinata Martyrologia MSS. Trevirense S. Martini et Ultrajectinum S. Mariæ ita habent :* In Blandino, *seu* Blandinio, S. Ansberti Episcopi et Confessoris. *Molanus in Auctario Usuardi :* Gandavi in Blandinio ex Fontanellæ monasterio S. Ansberti sanctæ Galliarum Sedis Archiepiscopi : *quæ verba ex Martyrologio Blandiniensi sumpta. Arnoldus Wion in Martyrol. monastico :* Gandavi in Blandinio ex Fontanella monasterio S. Ansberti Rotomagensis Archiepiscopi, qui zelo Divini amoris succensus, sponsam suam S. Angadrismam relinquens, in cœnobio Fontanellæ, monasticæ B vitæ propositum arripuit, ex quo ad regimen Ecclesiæ translatus, et post invidorum perfidia apud Pipinum Principem delatus, humiliter subiit exilii ærumnam in Altomonte Hannoniæ monasterio, ubi etiam mortis quiete dormiens, transiit ex hoc seculo anno DCXCV. *Similia, sed magis contracta, habent Hugo Menardus, et Benedictus Dorganius. At Sanctis Canonicis eum adscribit Constantinus Ghinius in Natalibus sanctorum Canonicorum cum longo elogio, quod omittimus.*

*AUCTORE G. H. alia accuratiora.*

*in monasticis Martyrol.*

5 *Saussaius iterum in Supplemento de S. Ansberto hæc tradit :* In agro Caturcensi, Moyssiacensi cœnobio ad Tarnum fluvium, festa recordatio S. Ansberti Rotomagensis Episcopi, Fastis Ecclesiæ Catholicæ hac die ob merita patentissima adscripti, qui sub S. Desiderio Episcopo Caturcensi hoc ipsum monasterium sanctissime rexit. Hincque divinis progressibus ad solium Archiepiscopale Rotomagensium evocatus, omnem non modo sibi creditum provinciam, sed Galliam universam suis sanctitatis fulgoribus replevit, exulque tandem moriens, coronam justitiæ consecutus est perennem. *Hæc Saussaius : sed quæ male cohærent. S. Desiderius, Episcopus Cadurcensis, mortuus* C *est anno Christi* DCLX, *Episcopatus* XXIII, *sub Sigeberto Rege Austrasiorum, ergo diu ante monachatum S. Ansberti. A quo an alius sit istic constituendus S. Ansbertus Abbas cum S. Ansberto Episcopo Rotomagensi in unum eumdemque conflatus, merito dubitamus.*

*An alius ab eo S. Ansbertus Abbas Moissiacensis?*

## § II. *Vita S. Ansberti scripta. Mentio ejus apud varios auctores.*

V*itam S. Ansberti damus ex antiquo codice nostro MS, quæ eadem exstat MS in veteribus codicibus Rotomagensi, Fontanellensi, et monasterii S. Catharinæ prope Rotomagum, et in codice Gemblacensi, cujus meminit Molanus* IX *Februarii in Notis ad Usuardum, indicatis primis verbis Prologi, qui deest in Surio, a quo stylus hinc inde parum est emendatus. Auctor est monachus Fontanellensis coævus, Aigradus nomine, Surio et Molano Angradus, Baronio ad Martyrol. Rom. Ansgardus, aliis etiam Ansgradus, et Ansgradus. Abbas vero Hilbertus, cui Vita dicata est, successit in eo regimine S. Ansberto ad Archiepiscopatum Rotomagensem assumpto, eique supervixit, mortuus, ut infra dicemus, circa annum* DCC. *Acta ea (proh gratiam inefficiosam!) a posteris aliquantulum exornata sunt, atque interpolata, ut non commode, quæ propria Aigradi sunt, dijudicari possit. Adjuncta non-* *nulla sunt cap. 3, ubi de viris sanctis agitur, qui sub S.* D *Lamberto Abbate istic cum Ansberto vixerunt, eaque inseruntur, quæ post obitum Hildeberti Abbatis contigerunt. At cap. 6, annus Christi intrusus non absque enormi mendo, cujus apponendi ratio tempore illo, quo Aigradus scripsit, necdum in usu erat. Denique cap. 8 attribuuntur Waradoni et Gislemaro Præfectis Palatii, quæ Berthario contigerunt, ut infra commodius ostendemus. Eodem modo Vitam S. Wandregisili intrusis annis Christi, interpolatam esse eosque in Actis perperam digestos esse, mox ex epocha annorum, quibus hi præfuerunt, hic monasterio, diœcesi ille, clare constabit.*

*Vita ab Aigrado monacho*

*dicata Hilberto Abb. successori S. Ansberti,*

*nonnihil interpolata.*

7 *Edidere præterea S. Ansberti vitam sed ex eadem abbreviatam, Franciscus Haræus Cornelius Grasius Carthusianus, Guilielmus Gazæus, Renatus Benedictus aliique recentiores. De SS. Ansberto et Angadrisma ex illius Actis agunt Bellovacensis lib. 23 cap. 99 et 100 : qui hunc Ausbertum, istam Angadrismam, appellat, Petrus de Natalibus lib. 3 cap. 108, qui in pluribus hallucinatur, filium Sircarii vocat, atque conjugem suam Andragasinam, dispensante S. Audoeno, repudiasse : de voluntate Lotharii Regis monachum factum sub S. Vandegisillo, eidem in regimine successisse, a Pipino Rege relegatum, nunc Bellovaci quiescere ; quæ* E *eadem fere apud Volaterranum Urbanor. commentar. lib. 21 leguntur. Eum Trithemius de Viris illustr. ord. S. Benedicti lib. 3 cap. 95, et lib. 4 cap. 57,* Ausbertum *vocat.*

*Alii rerum ab eo gestarum scriptores :*

8 *De Sanctis variis, qui eo tempore cum S. Ausberto vixerunt, agitur in Vita ejusdem, quam ex horum Actis, potissimum S. Audoeni decessoris, illustramus, et mox tempora ad rectam chronotaxim ordinamus, a temporibus S. Wandregisili ad translationem sub S. Baino Abbate factam, cujus non potuit Aigradus meminisse. Ab eodem prætermissi SS. Sidonius et Leufridus Abbates, quorum ille Rotomagi, alter in monasterio, quod olim* Crux S. Audoeni, *nunc* Crux S. Leufridi *appellatur, in diœcesi Ebroicensi situm. In hujus Vita a Jacobo Breulio edita hæc leguntur cap.* 9. In diebus illis Dominus Ansbertus in Rotomagensi urbe pontificatum gerebat. Hic frequenter egregium virum Sidonium et S. Leufredum ad familiare colloquium invitans, de acquirendis Deo animabus cum eis tractabat. Factum est interea, ut hortatu Præsulis et B. Sidonii ad natale solum vir Domini *Leufredus* reverteretur, ut in patria sua homines in via erroris ambulantes, ad lumen veritatis reduceret ; cujus rei ipse magis quam alius sufficiens esset. *Erat* F *autem* S. Leufredus, *ut cap.* 1 *dicitur,* sanguinis nobilitate conspicuus, in pago Ebroicensi exortus. *Colitur* XXI *Junii, et S. Sidonius* XIV *Novemb. in cujus Vita eadem referuntur.*

*familiares ei fuerunt SS. Sidonius, et Leufredus Abbates.*

9 *Auctor Chronici Fontanellensis in Gestis S. Baini hæc habet, quæ ad Vitam S. Ansberti pertinent :* Sub hujus S. *Baini* tempore Pipinus gloriosissimus Dux, Floriacum cœnobium, quod situm est in pago Velocassino, una cum nobili conjuge sua Plectrude ædificat, ipsumque Bainum Rectorem ibi præfecit, plurimamque turbam monachorum adunavit : ipsum autem monasterium huic cœnobio *Fontanellensi* contradidit. Occasio autem ædificationis præfato cœnobio idcirco fuit ; quoniam isdem Princeps per invidorum consulta admirabilem Ansbertum de Sede Rotomagensis Ecclesiæ expulerat, atque ad exilium direxerat, in quo isdem agonista divinus ad æternam migraverat requiem. Cumque præfatus Princeps multas sanitatum virtutes audiret ab eo fieri, reminiscens culparum suarum, ob ejusdem militis Christi timorem ac reverentiam, simulque ut indulgentiam mereretur accipere, hoc cœnobium ædificavit, unaque cum omnibus rebus suis huic cœnobio Fontinellæ perpetualiter tradidit possidendum. *Hæc ibi. Erat autem ex eodem Veliocassino oriundus S. Ansbertus; in quo*

*Floriacum monasterium a Pipino Princ. extructum,*

*in expiationem exilii S. Ansberti.*

A *quo conditum fuit Floriacum, quod* monasteriolum *ibidem appellatur, distinctum a celebri Floriaco in diœcesi Aurelianensi ad Ligerim fluvium, cujus monachi contendunt se illic habere reliquias S. Benedicti ex monasterio Cassinensi translatas. Meminit dicti monasterii a Pipino fundati Molanus in Natalib. SS. Belgii.*

*S. Vulfrannus ex Arch. Senonensi sub eo monachus.*

10 S. Vulfrannus Archiepiscopus Senonensis, *ut tradit Jonas in præfatione ejus Vitæ ad eumdem S. Bainum*, tempore regiminis S. Ansberti Abbatis Fontanellensis cœnobii, futuri Præsulis Ecclesiæ Rotomagensis, hoc adiens cœnobium, abruptis seculi laqueis, militiam Christi, perseverandi definitione, suscepit, atque ad prædicandum Frisonum genti, eatenus in ignorantiæ cæcitate sedenti, Evangelici ministerii opus assumens, animum convertit. Quod opus annos quinque infatigabiliter peregit, ad Fontanellam monasterium sæpius revertens, ubi et monachicum assumpserat habitum, *qui* antea possessionem suam, quæ vocatur Mauriliacus, quæ sita est in territorio Vastinensi, per testamenti seriem, prædicto loco, et ipsi sancto Patri contradiderat.

B

## § III. *Chronologia fundatæ Fontanellæ, ejusque Abbatum SS. Wandregisili, Lantberti, Ansberti, explanata.*

*Computatio ejus annorum a S. Wandregisilo inchoanda :*

F*undamenta chronologica rerum Francicarum seculi septimi jacta sunt* I *et* VI *Februarii ad Vitas S. Sigeberti Regis Francorum Austrasiorum, et S. Amandi Episcopi Trajectensis : ubi ostendimus solos Regum annos solere ab historicis Francis observari, ac negligi annos Christi, Pontificum, Imperatorum, et indictionum Ecclesiasticarum : qui subsecutis seculis magno errore chronologico intrusi occasionem præbuerunt viris doctis a vero aberrandi. Hoc obiter indicato a S. Wandregisilo incipimus. Extat hujus Vita S. Lantberto Archiepiscopo Lugdunensi, ejus in regimine Fontanellensi successori, inscripta : in qua Auctor tradit, aut a semetipso* visa, *aut* a venerabilibus monachis, qui ei per prolixa adhæserunt tempora, assertione verissima asserta : *ut præfatio in variis codicibus MSS. habet, danda* XXII *Julii.*

*floret hic sub Dagoberto.*

12 *Hic ergo S. Wandregisilus, cum sub Dagoberto Rege (qui Chlothario* II *parenti; anno* DCXXVIII *mortuo, successit) opinione sanctitatis floreret, extruxit monasterium in Elisgaugio territorio, inde in Italiam profectus, Bobiense S. Columbani monasterium lustravit, Romamque adiens, limina Apostolorum veneratus est. In reditu* C *versus Gallias, transcensis Alpibus, in monasterio quodam,* Romanis *dicto, ultra saltum Jurensem sito, obedientiam amplexus, per decem ferme annorum curricula felici devotione, sub institutione regulari, Domino militavit; ut pluribus auctor Vitæ prosequitur. Interea e vivis discesserat Rex* Dagobertus XIV Kalend. Februar. anno regni XIV, *Christi* DCXLIV, *relicto in Neustria successore Chlodoveo* II, *cujus* anno III regni, *Christi* DCXLVI, *consecratus est in Archiepiscopum Rotomagensem S. Ansberti decessor S. Audoenus, et quidem, ut ipse scribit in Vita S. Eligii tunc una in Episcopum Noviomensem consecrati* XIV Maii die Dominica ante Litanias, *sive* Rogationes. *Hujus postea Audoeni sanctitatis fama excitatus S. Wandregisilus ac in viso etiam admonitus, monasterio ad saltum Jurensem relicto, Rotomagum venit et* aliquamdiu *cum S. Audoeno versatus, ordinatur ab eo* Subdiaconus, et processu temporis Diaconus, et non multo post, *ejusdem jussu, a* S. Audomaro Taruanensi Episcopo consecratur Sacerdos.

*et Chlodoveo*

*a S. Audoeno Archiep. Rotomagensi facto an. 646,*

*ad sacros Ordines promotus,*

13 *Erat eo tempore Præfectus palatio Chlodovei* Erchenoaldus, ex materna origine consanguineus S. Wandregisili : *quo fundum Fontanellæ donante, cœpit hic monasterium construere*, sub die Kalend. Martiarum anno præfati Chlodovei Regis undecimo, *et quidem, ut addidit interpolator*, anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo quinto, Indictione tertia, D pontificante Sedem Romanæ Ecclesiæ beatissimo Papa Martino, *addunt MSS.* anno septimo. *Omissus Pontificis annus apud Surium, quasi minus conveniret in annum Christi* DCXLV, *quo etiam anno necdum erat Pontifex Martinus, electus anno* DCXLVII, *adeoque hisce Kalendis Martiis anno Chlodovei* XI, *Christi, secundum nostrum Chronologium,* DCLIV, *septimum agebat, licet exul, Pontificatus sui annum. Præterea dicto anno* DCXLV *S. Audoenus necdum erat Episcopus, sequenti primum anno consecratus : ad quem postea e suo ad saltum Jurensem monasterio venit S. Wandregisilus, et paullatim ad sacerdotium promotus est, ac tandem monasterium Fontanellense extruxit anno, ut diximus, Chlodovei* XI, *Christi* DCLIV : *quam chronologiam sequentia accurata serie confirmant. Ita* anno Chlodovei XV, S. Wandregisili IV, *Betto quidam in hunc injurius, a dæmone arreptus, ejusque precibus sanatus, demonstrat consensum annorum regni Chlodovei, et regiminis S. Wandregisili.*

*extruit Fontanellam monast. anno Chlodovei* XI.

AUCTORE G. H.

*Chr. 654*

14 *Chlodoveo Rege post exactos* XVIII *regni annos mortuo, successit filius Chlotharius* III *anno Ch.* DCLXII, *cujus exordium regni præclare firmant eadem Acta, in quibus sicuti annus primus S. Wandregisili componitur cum anno Chlodovei* XI, *et quartus cum* XV, *qui fuerunt anni Christi* DCLIV, *et* DCLVII; *ita annus ejusdem Wandregisili decimus quintus convenit in annum Chlotharii* VII, *qui est annus Chr.* DCLXVIII, *quo is* Regem adiit, et privilegium regiæ confirmationis super area cœnobii sui liberalissima datione accepit, *adjuvante S. Ansberto, qui in aula Chlotharii præcipua munia obiit, initio* scriba doctus, *tum* conditor Regalium privilegiorum, *tandem* gerulus annuli Regalis, *quo officium Cancellarii, ut posteri vocarunt, indicatur. At palatio egressus, S. Wandregisilum adiit, monachusque sub eo factus, Theoderico Regis fratri regnum prædixit, atque illustri miraculo confirmavit.* Tenuit *autem* Wandregisilus, *ut infra in Actis num.* 13 *dicitur*, in regimine hoc cœnobium a primo ædificationis die per viginti fere annorum spatia. *Quæ exactius in ipsius Wandregisili Vita exprimuntur, nempe* explevisse in sacro regimine decem et novem annos, menses quatuor, dies quoque viginti et unum : *qui menses et dies ab Kalendis Martiis, (quo die monasterium Fontanellense cœptum extrui supra diximus) intercedunt ad* XI Kalend. Augusti, *sive* XXII Julii, *quo obiit. Annus is est Christi* DCLXXIII, *Chlotarii* XII, *quem signat codex MS. monasterii S. Catharinæ prope Rotomagum. Qui Acta nonnullis assutis amplificarunt, S. Wandregisilum censuit requievisse* anno ab Incarnatione Domini DCLXV, Indictione VIII. *Verum secundum hoc auctarium si uterque annus et inchoati monasterii et obitus S. Wandregisili conferantur, rexisse illud Wandregisilus integros viginti annos menses* IV *et dies* XXI : *ut vel inde constet scriptorem illum in annis Christi intrudendis non satis circumspectum fuisse. Imo quia anno Christi* DCLXV *tertius numerabatur Chlotharii Regis, perperam in eisdem Actis componitur annus Wandregisili decimus quintus, cum ejusdem Regis* VII, *quo privilegium supra diximus datum; atque in obitu S. Wandregisili annus hujus vigesimus, cum Chlotharii anno* XII, *aut saltem* XI, *ut excusum est. Indubitatus igitur maneat character obitus S. Wandregisili, quo traditur anno Chlotharii* XII, *Christi* DCLXXIII, *e vivis excessisse; quem annum exigit extructi monasterii Fontanellensis annus recte ordinatus, et comprobant anni consequentium Abbatum.*

*Sub Chlotario* III

E

*adiutus S. Ansbertum, e Cancellario monachum :*

*moritur anno regiminis* 20,

*Chr.* 673,

F

*non an.* 665.

15. *Successisse ei S. Genesium censent Jacobus Severtius, Claudius Robertus, Joannes Chenu de Episcopis Lugdunensibus, Raynaudus in indiculo Sanctorum Lugdunensium, Saussaius in Martyrol. Gall. ad Kalend. Novemb. aliique quos ratio temporis abunde refellit. Nam* S. Annemundo *Archiepiscopo Lugdunensi tempore Chlotharii cum matre S. Bathilde regnanti*

*Non successit ei S. Genesius, dein Archiep. Lugdun.*

AUCTORE G. H.

A *gnantis occiso, successit* Christi famulus, Domnus Genesius, Christo jubente, Lugduno Galliæ ordinatus Episcopus; *ante* in palatio Francorum assiduus, per quem Domna Baltildis una cum Regis Chlodovei imperio, larga procedebat eleemosyna cunctis pauperibus per multa loca: *ut habent Acta S. Bathildis* XXVI *Januarii: quo tempore monasterium Fontanellense aut extruebat S. Wandregisilus, aut exstructum legibus monasticis informabat. Nominatur in eadem Vita S. Genesius* Abbas, *sed cujus monasterii, non exprimitur: forte honoris caussa in palatio ita appellatus, et postea, quod successor ejus S. Lanthertus ex Abbate Fontanellensi factus sit Archiepiscopus Lugdunensis, id illi attributum.*

sed S. Lantbertus.

16 *Mortuo ergo S. Wandregisilo secundus Fontanellensis Abbas electus est S. Lanthertus, ut cum Vita S. Wandregisili testantur Acta S. Ansberti num.* 13. *Sub hujus regimine, Chlothario Regi, cum annos rexisset* XIV, *successit Theodericus anno* DCLXXVI, *eoque pulso Childericus frater, ante Rex Austrasiorum: quo anno regni quarto occiso, Theodericus anno* DCLXXX *regnum recepit. Aigradus infra num.* 16 *ait, se gesta* S. Condedi Presbyteri posteris imitanda olim memoriæ tradidisse, *ex MSS. dandu* XXI *Octobris: in qui-* B *bus dicitur* prædives ac nobilis Schwardus possessiunculas aliquas dono perenni S. Condedo contulisse VI Idus Octobris sub anno III præfati Regis Theoderici, qui erat Lantberti Abbatis annus nonus, *ergo Christi* DCLXXXII, *insigni astutæ a nobis Chronologiæ firmamento. At S. Genesio anno* DCLXXX IV *Kalendis Novembris vita functo, ordinatus est Lugdunensis Archiepiscopus S. Lantbertus, eique in monasterio Fontanellensi suffectus tertius Abbas S. Ansbertus. Quam epocham præclare corroborat idem Aigradus in Vita S. Condedi his verbis:* Præfatus nobilis Schiwardus aliam dedit largitionis auctoritatem de Belcinnacæ insulæ monasterio, et rebus ibidem pertinentibus, quæ celebrata est in cœnobio Fontanella, sub anno septimo Regis Theoderici; gubernante anno secundo S. Ansberto Fontanellense cœnobium, quoniam vir Domini Lantbertus præsulatum jam susceperat Ecclesiæ Lugdunensis. *Annus is erat Christi* DCLXXXVI, *et prædictum calculum confirmat.*

eique anno 684 S. Ansbertus.

17 *Majores-domus fuerunt sub Theoderico Rege Pipinus Herstallus in regno Austrasiorum, Vulfoaldo anno* DCLXXXVII *mortuo, suffectus; et apud Francos occiduos, Ebroino anno* DCLXXXVIII *interfecto, Warado seu Waratto. Hunc proprius filius* Gislemarus *(verba* C *sunt ex Chronico Fredegarii jussu Childebrandi Comitis continuato desumpta)* a suo honore supplantavit: quem S. Audoenus Episcopus sæpius ob hoc increpabat, ut ad pacem vel patris indulgentiam remearet: qui audire renuit, et in duritia cordis permanens, a Deo percussus nequissimum fudit spiritum: et pater ejus Warado honorem pristinum Majoris Domus recepit. *Ita istic cap.* 98, *additurque cap.* 99: Eodem tempore *anno Chr.* DCLXXXIX, B. Audoenus Episcopus plenus virtutibus migravit ad Dominum: *et quidem nonagenarius, ut in ejus Vita legitur, cum rexisset* Ecclesiam Rotomagensem annos quadraginta et tres, menses tres, dies decem: *scilicet a die* XIV *Maii, anni* DCXLVI *ad* XXIV *Augusti anni* DCLXXXIX; *ut nihil accuratius dici posse videatur. Intrusus iterum* annus ab Incarnatione Chr. DCLXXVII, *quo nono* Kalend. Septemb. die Dominica e *vita dicitur decessisse. Verum* σφάλματα *multa in verbis interpositis occurrunt: primo tum* Ecclesiam rexisset Audoenus *solum* annos triginta et unum, *non* quadraginta et tres *clare expressus. Deinde anno* DCLXXVII *intrusa, cyclo solis* XIV, *littera Dominicali* B, *dies* XXIV *Augusti convenit in diem Lunæ, non Dominicam: ut ab homine parum accurato necesse sit ea interpolata esse. Annum decimum Theoderici reponendum esse docuimus ad Vitam S. Si-* D *geberti Regis* § 12 *num.* 96. Res palatii Theoderici administrabat, *ut in eadem Vita S. Audoeni additur,* Waratto Subregulus, *sive Major-domus ab obitu Gislemari hoc eodem anno* DCLXXXIX *restitutus, sub quorum regimine successor S. Audoeno datus est S. Ansbertus: eique apud Fontanellenses subrogatus* IV *Abbas Hilbertus, cui Vitam S. Ansberti ab Aigrado monacho inscriptam esse diximus.* In illo itidem tempore *ut post relatum obitum S. Audoeni traditur in Chronico Fredegarii aucto,* Warado præfatus Major-domus obiit, suscepitque honorem Majoris-domus palatii Bertharius. *Hæc ad annum* DCLXXXIX *referuntur in Annalibus Metensibus, in quibus deinde obitus Theoderici Regis integro anno præveniur, quod forte etiam in hisce factum, annusque* DCXC *morti Waradonis successionique Bertharii dandus.*

mortuo anno 689 S. Audoeno,

ordinatus Archiepiscopus Rotomagensis.

18 *Episcopatum S. Ansberti celebrem facit Synodus Rotomagensis ab eo habita, atque infra cap.* 6 *explicata. De adjuncto anno Theoderici Regis (quem Bellovacensis lib.* 23 *Speculo Historialis cap.* 100, *et Sirmondus tomo* I *Conciliorum Galliæ ex codice MS. S. Michaelis in mari tradunt fuisse regni* XVI, *reliqui Codices cum Actis infra referunt* XIII) *egimus ad Vitam S. Sigeberti* § 12 *num.* 98, *diximusque cum Theodericus non regnarit* XVI *annos, hunc annum* XIII *retinendum, habitamque Synodum esse anno Christi* DCXCIII. *Annus iterum inepte intrusus a* Dominica Incarnatione sexcentesimus octogesimus secundus, *quo adhuc sanctis Archiepiscopis viventibus Genesio Lugdunensi, et Audoeno Rotomagensi, et S. Lantberto Abbate Fontanellensi, privatus in monasterio degebat S. Ansbertus. Qui subscripserunt huic Synodo Episcopi infra in Actis referuntur.*

Synodum celebrat Rotomagi anno 693.

NOT. 15. E

19 *Annus obitus S. Ansberti in fine Vitæ refertur* DCXCV, *quem passim omnes scriptores amplectuntur. Convenit Chronicon Fontanellense, in quo dicitur corpus S. Ansberti de basilica S. Pauli translatum in ecclesiam S. Petri* XXXI *Martii anno* DCCIV, *postquam in priore æde annos novem requievisset.*

moritur an. 695

## § IV. *De variis Translationibus Reliquiarum S. Ansberti.*

E*lapsis ab obitu diebus septemdecim, elevatum fuisse corpus S. Ansberti, ut Fontanellam transferretur, tradunt Acta infra num.* 35. *Diem illum, qui fuit* XXVI F *Februarii aut sequens, seorsim tabulæ Ecclesiasticæ non observarunt. At* X *Martii eam Translationem ita consignat Martyrologium MS. Bruxellense:* Fontanellæ monasterio relatio corporis S. Ansberti, Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopi, qui in monasterio Altimontensi exilio fuerat relegatus. Et cum finem vitæ suæ instare sentiret, corpus suum apud Fontanellam, ubi religionem fuerat professus, petiit sepeliri. *At postridie, sive ad diem* V *Idus Martii, ut Acta testantur sub finem, corpus translatum in sepulchro depositum est, quo die eam refert Florarium MS. his verbis:* Translatio S. Ansberti Rotomagensis Episcopi anno salutis *M.C. imo* DCXCV, *ut supra dictum est. Eum vero diem Paldriaci, sive Pavilliaci, quatuor a Fontanella milliaribus, summa religione mox ab obitu ejus celebratum esse, exstructa in ejus honorem ecclesia, tradunt Acta num.* 42 *et* 43.

Corpus S. Ansberti Fontanellam translatum

11 Martii.

21 *Mortuo deinde Hilberto* IV *Abbate Fontanellensi, cui Vitam S. Ansberti inscripsit Aigradus, et sub quo ejus corpus Fontanellam translatum est, successit S. Bainus ex Episcopo Teruanensi monachus, ac deinde* V *Abbas Fontanellensis, cujus annum primum convenire in annum Ch.* DCC *sequentia persuadent.* Hic namque Bainus Episcopus *(verba sunt Chronici Fontanellensis)* inter innumera bonitatis suæ opera, quæ gessit, et jam corpora SS. Wandregisili, Ansberti atque Vulframni, in ecclesiam Principis Apostolorum Petri,

Corpora SS. Wandregisili, Ansberti et Vulframni translata ad templum S. Petri,

A tri. de basilica S. Pauli Apostoli transtulit, et posuit quidem beati Patris Wandregisili in medium, magni vero Præsulis Ansberti ad lævam, et gloriosi Pontificis Vulfranni ad dexteram partem in absida ejusdem basilicæ ad orientalem plagam. Facta est autem hæc sancta Translatio anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quarto, Indictione secunda, pridie Kalend. Aprilis feria secunda. Nam solennitas sancti Paschæ tertio Kalend. Aprilis tunc extitit, qui erat... Baini Patris prædicti annus quintus, ex quo regiminis assumpserat curam istius cœnobii .. Requievit igitur B. Wandregisilus in eadem S. Pauli basilica annis circiter quadraginta (*imo tantum triginta*) inclytus autem Præsul Ansbertus annis novem: sanctus vero Archiepiscopus Vulfrannus annis undecim. Qui ita inventi sunt vestibus suis a corruptione illæsi, quasi eodem die fuissent sepulturæ traditi. Nam sicuti ministrare sanctis altaribus consueverant, ita etiam tumulati fuerunt.

*anno 704. 31 Martii*

22 *Hæc ibi, et conveniunt characteres chronologici feriæ secundæ Paschatis, et* XXXI *Martii in assignatum annum* DCCIV, *cyclo Lunæ* 2, *Solis* XIII, *littera Dominicali FE. At corrigendum ipsum Chronicon Fontanellense, in quo annus* X *Childeberti legebatur, qui* VII B *erat, et introitus erat, annus Joannis Papæ primus, qui erat tertius. Sedit namque Joannes* V *ab* XXIX *Octob. anni* DCCI, *usque ad* X *Januarii* DCCV. *Ab obitu autem S. Wandregisili, quem supra diximus contigisse* XXII *Julii anno* DCLXXIII, *fluxerant anni triginta, menses septem, dies novem. Dein secundum idem Chronicon Fontanellense ob anno* DCLXV, *quo mors ejus cum Actis interpolatis consignatur, dicuntur anni interfuisse quadraginta, cum solum fuerint anni* XXXVIII, *menses* VII *et dies* IX, *ut auctor non satis sui memor, multa alibi incurriose posito temere attexuisse videatur. Major confusio est in Actis S. Vulfranni, quæ a Jona monacho sunt inscripta S. Baino Abbati, sed a posteris aucta, mendis scatent Chronologicis: cum statuunt* S. Vulfrannum obiisse anno DCCXX, sepultum in Ecclesia B. Pauli Apostoli, *ibique* jacuisse per annos novem, Wandregisilum quadraginta, Ansbertum undecim. *Tum* translatos esse in basilicam S. Apostoli a S. Baino anno regiminis quinto, Christi DCCXXIX. *Quæ ubique menda istorum Actorum ultro apparent, nec indigent confutatione. Præfuisse S. Bainus monasterio Fontanellensi annos novem dicitur in Chronico, ut anno* DCCIX *videatur obiisse. Successor illi a Claudio Roberto assignatur S. Benignus ab anno Christi* DCCVII. *Reliqua* C *menda istorum Actorum corrigemus* XX *Martii ad Vitam S. Vulfranni, et* XX *Junii ad Vitam S. Baini, quo die Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, et Miræus in Fastis Belgicis tradunt hanc Translationem factam illo anno* DCCXXIX, *quod idem Miræus in Chronico Belgico, confirmavit. Petrus de Natalibus lib. 3 cap.* 212 *ait* S. Vulfrannum obiisse anno DCCXL *Et lib. 7 cap.* 127 *addit eum annis novem quievisse, et anno* DCCXXXII, *scilicet* LVIII *annis antequam moreretur, translatum esse Calend. Aprilis. Quæ menda scriptis librarii esse mera potius crediderim, quam ipsius auctoris, etsi alias non valde accurati.*

*menda in Chronico Fontanellensi,*

*in Vita S. Vulfranni,*

*referente eam Translationem ad an. 729*

*et in Petro de Natalibus.*

23 *Molanus in eisdem Natalibus SS. Belgii* IX *Februarii ita scribit:* Præter natalem animæ leguntur in cœnobio Blandiniensi sequentia. Secundo Kalendas Aprilis Elevatio et Translatio SS. Wandregisili Abbatis, et Ansberti, atque Vulfranni Archipræsulum. *Idem Molanus in Additionibus ad Usuardum eadem habet, præposita in posterioribus editionibus hac voce* In Blandinio, *non quod ea elevatio illic contigerit, sed quia celebretur officio duplici, ut ex propriis officiis MSS. de sanctis Blandiniensibus constat. Eadem quæ Molanus, habent Wion, Menardus et Ferrarius. At Galesinius ait,* Rotomagi, Translatio SS. Audoeni, Ansberti, et Vulfranni Episcoporum. *Verum ea nec Rotomagi facta est, neque etiam celebratur.* Pro Audoeno D *hic legi apud Galesinium* Andoenum *indicat Ferrarius in Notis: in cujus locum restituendus* Wandregisilus, *qui tamen Episcopus non fuit. At Saussaius tam Audoenum quam reliquos refert:* Eodem die Rotomagi translatio S. Audoeni Archiepiscopi ejusdem civitatis et Confessoris; cujus depositio sacro anniversario colitur IX Kalendas Septembris. Item in Blandinio elevatio ac repositio corporum SS. Ansberti ejusdem urbis Archipræsulis, Vulfranni Archiepiscopi Senonensis, nec non Wandregisili Abbatis Fontanellæ, præfati S. Audoeni discipuli, quæ a Bolonia, (ubi metu Normannorum primum deposita fuerunt) Gandavum translata anno DCCCCXLIV, III Nonas Septembris, in antedicti monasterii sacrario, summo honore tandem collocata sunt. *Sed an hoc die eam collocationem factam credidit, quam appellat elevationem ac repositionem? Nam etiam ex solo Galesinii testimonio, eoque (ut ostensum) perturbato Translationem S. Audoeni recte apposuerit,* XXIV *Augusti examinabimus. In Martyrol. Germanico additur tres hosce Sanctos pluribus Carnuti miraculis coruscasse: quod ad posteriores Translationes spectat. In Flerario MS. agitur de SS. Wandregisilo et Vulfranno absque ulla mentione S. Ansberti.*

*AUCTORE G. H.*

E

24 *Tertia Translatio facta est anno Chr.* DCCCLVIII, *quo, cyclo Lunæ* IV, *Solis* XXVII, *littera Dominicali B, tertia dies Rogationum sive Vigilia Ascensionis incidebat in* V *Idus Maii, et* VI *dies Novemb. in Dominicam. De ea Translatione agit, qui videtur interfuisse, monachus Fontanellensis, in tractatu de Miraculis S. Wandregisili, edendo* XXII *Julii. Eo igitur anno, inquit,* sanctissima ossa pique cineres egregii Confessoris Christi Wandregisili ac sancti Præsulis Ansberti ob metum et conculcationem nefandorum Gentilium, de Fontanellæ monasterio propriis effossa sepulchris, ad ipsorum Sanctorum prædium, quod dicitur Bladulphi villa, deportata sunt. *Erat is vicus in Pontiva provincia inter Summam et Quantiam fluvios.* Deinde ipsa vigilia Ascensionis V Idus Maii ex ditione eorumdem Sanctorum a monachis cum hymnis et laudibus deportata sunt ad ecclesiam S. Petri, quæ vicina est emporio Quentavico, *cujus tum Præfectus* erat Grippo vir illustris. *Inde venerabilia corpora in* territorium Bononiense ad villam Walbodegem delata sunt, et posita in basilica sancti Martyris Quintini. *Verum anno* DCCCLXXI *relata sunt ad ecclesiam S. Petri juxta Quentovicum, ac deinde rursus in Walbodegem.*

*Inde in corpora translata anno 858*

*ad villam Bladulphi,*

*prope Quentovicum,*

*et in Walbodegem*

F

25 Anno Dominicæ Incarnationis, *inquit scriptor Miraculorum S. Wandregisili,* octingentesimo nonagesimo quinto, sol die XII Kalendarum Decembrium venerunt corpora SS. Wandregisili et Ansberti Confessorum ad Carnotenam urbem, et jubente Domino suscepta a venerabili H[illegible] Episcopo præfatæ urbis, et Domino Haimerico Abbate monasterii S. Carauni (vero Caraunt) Martyris, et collocata in ecclesia, in qua idem Christi Martyr requiescit ... Deinde XIII Kalend. Martii metu Gentilium, et cooperante præfato [illegible] venerabili aliisque Sanctorum veneratoribus, annuente etiam ejusdem urbis venerabili Clero et plebe Deo devota, cum laudibus et honore, prædictorum corpora Sanctorum intra muros præfatæ urbis venerabiliter suscepta sunt, atque in oratorio, quod olim venerandus Præsul [illegible] lebertus construxerat, [illegible] collocata. *Hæc ibi. De S. Carauno, vulgo S. Cheron, agemus* XXVIII *Maii Reliqua illustrabimus ad* XXII *Julii, quamvis miracula istic narrata utrique Sancto sint attribuenda.*

*895 [illegible]*

26 *Carnuto discessere postmodum Fontanellenses cum sanctis suis pignoribus, eaque Bononium detulerunt metu grassantium Normannorum, ut tradit Molanus in*

*inde etiam an. 90[illegible]*

*Indiculo*

AUCTORE G. B. postea Gandavum an. 944

A *Indiculo Sanctorum Belgii, fortasse cum Rollo circa annum* DCCCC *Carnotensis urbis obsidionem moliretur, aut ab ea excussus est. Bononia vero Gandavum sacræ hæ Reliquiæ delatæ sunt, quod in officio proprio MS. monasterii Blandiniensis, lectione quinta ad Matutinum in Septemb. recitari solita, ita narratur :* Anno incarnati Verbi nongentesimo quadragesimo quarto, tertio Nonas Septembris, Arnulphus Magnus Comes et Marchysus Flandriæ, cum venerando Patre Gerardo Blandiniensis monasterii Abbate sanctissimo ac moderatissimo, sed et Clero populoque utriusque sexus non modico, Bononia transtulit corpora prædictorum Sanctorum, cum magna veneratione, concentu et jubilo, piaque cordis intentione, in ecclesiam Apostolorum Petri et Pauli sitam in territorio Gandensi in vertice montis Blandinii. *De S. Gerardo, magno instituti Benedictini in universa Belgica restauratore, agemus in Octobris. Meminit hujus Translationis Molanus in Natalibus SS. Belgii ex Blandiniensi Martyrol.* Tertio Nonas Septembris in monte Blandinio Gandavi territorii, adventus sanctorum corporum Wandregisili Abbatis, Ansberti et Vulfranni Archipræsulum. *Eadem habet idem Molanus in Additionibus ad Usuardum, pariaque Wion, Menardus,*

3 Septemb.

B *Ferrarius, Canisius aliique. In Martyrol. MS. Bruxellensi S. Gudilæ* IX *Feb. hæc leguntur :* Eodem die translatio S. Ansberti Rotomagensis Archiepiscopi et Confessoris, Qui in monasterio Altimontensi fuerat exilio relegatus, et apud Fontanellam sepultus, et inde postea in Blandinium hac die translatus. *Aliam S. Ansberti Translationem assignat Molanus in Natal. SS. Belg. ex Martyrol. Blandiniensi :* Decimo octavo Kalendas Octobris translatio corporis S. Ansberti Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopi. *In Addit. ad Usuardum præponit,* in Blandinio. *Eadem habent Wion, Menardus, Dorganius, Canisius, Ferrarius. Quando autem facta sit hæc translatio, nusquam legimus. Apud Fontanellenses fit* VIII *Novemb. commemoratio Sanctorum istius loci, inter quos in Oratione legitur* S. Ansbertus.

27 *Lectioni octavæ in Officio MS. Blandiniensi hæc adjunguntur :* Quorum, pro dolor, reliquiæ et sacratissimorum corporum sacratissima pignora, quæ Deo favente et propitio, nobis non sine magno ejus beneficio fuerant concessa, eodem non immerito nobis irato, fuere ab hostibus fidei violenter erepta anno MDLXXVIII, persequente Catholicam Ecclesiam in Belgio Principe Auriaco Calviniano, non sine

ab hæreticis erepta an. 1578.

C inæstimabili damno, quod supra septennale exilium passi sumus in hoc nostro monasterio, quod tunc fœdis admodum ruinis horribiliter desolatum fuit. *Est nobis scheda MS. sub hoc titulo :* Qualiter corpora SS. Ansberti et Ebrulfi Reslaco fuerint delata. *Sed num de hoc Ansberto agatur, non constat. Colitur S. Ebrulfus Abbas* XXIX *Decemb. ubi ea scheda examinabitur.*

# VITA

## Auctore Aigrado monacho,

*Ex MSS. et Surio.*

### PROLOGUS AUCTORIS.

Venerando, et omni honore amplectendo, eximio Sacerdoti Christi Hiltberto, et Abbati cœnobii Fontanellensis, minimus famulorum Domini servus Aigradus. Largiente Divina misericordia narrare aggredimur actus eximiæ sanctitatis Ansberti Pontificis Ecclesiæ Rotomagensis, implendo humiliter vestræ sanctæ devotionis jussionem. Sed duas ob caussas in tali præcipuo opere coarctor, hinc me retrahente exiguitate sensus ac utilitate sermonis, hinc provocante vestræ jocundæ paternitatis præcepto, cui inobedientes existere nefas ducimus. Ea D tamen fide, qua ad nos claræ conversationis ejus actus pervenerunt, ipsius intercessionibus adjuvantibus, licet inerudito, fideli tamen promemus eloquio. Etenim ut Angelus inquit Tobiæ, secreta Regis reticere bonum est, opera autem Dei revelare optimum fore constat. Nam gesta electorum Domini silentio tegere, et non ad utilitatem atque ad ædificationem audientium in lucem scriptis propalare, summi torporis et ignaviæ esse creditur. In gestis enim Sanctorum laus illius recolitur, et ædificatio innocentis desiderii in mentibus accenditur fidelium populorum. Sed ne longa prælocutio fastidium legentibus generet, magisque parva audientibus narratio fervorem excitet audiendi, jussis obtemperans vestris, Deo juvante, narrandi carpamus iter. Nam si adesset mihi serenæ mentis facundia, et famulatu idoneo lingua pareret, laus conversationis ejus et sanctitatis eloquiis meis proferri non poterit, quæ in vestræ Religionis memoria manet.

Ex obedientia scribit auctor Vitam.

Tobiæ 12. 7

### CAPUT I

*S. Ansberti ortus, studia, sponsalia, cancellarii officium.*

E

Eo igitur tempore, quo sceptra regni Francorum gubernabat *a* Chlotharius filius Chlodovei Regis et *b* Bathildis Reginæ una cum germanis suis, videlicet Childerico et Theoderico, sanctæ recordationis Ecclesiæ Rotomagensis Antistes Ansbertus, virtutibus clarus, ac sacerdotio dignus, a patre *c* nomine Siuvino, et pago *d* Velocassino patrimonioque, vocabulo *e* Calceio, nobili erat ortus genere. Sed repudiato stemmate patrum, mox, ut valuit, sola Conditoris paternitate elegit censeri. Denique præfatus genitor ipsius sub prædictis Regibus militavit, et vitæ præsentis cunctis mortalibus commune debitum solvit. Sed hanc terrenæ dignitatis originem et patrum gloriam in beato viro non necesse reamur enumerare, cum omnis ei gloria de amore veritatis et contemptu fuerit mundi. Nam nobilitatem sui generis in pueritiæ ævo jam quasi fastidiens, et solius Christi desiderio anhelans, cunctos supervacuos horrebat honores.

a b

S. Ansbertus illustri ortus genere,

c

d

e

3 Traditur deinde a parentibus magistris strenuis, litteris erudiendus. Eruditur sine aliqua suorum instantia : fuerat namque in eo dulcis infantia, modesta pueritia, gravis adolescentia. Cui cum adultus, pubertatis excederet annos, secularis ejus F pater, ut unicum eum diligens, venationibus eum occupari, et dulcedine seculi armari cupiebat. Sed quo oblectabatur grandævus pater, adolescens filius per omnia fastidiebat.

litterarum studiis incumbit

4 His diebus quidam illustris, *f* Robertus nomine, generosa ex stirpe proditus, gerulus fuerat annuli Regis Chlotharii. Cujus filiam *g* religiosissimam ac nobilissimam, *h* Angadrisimam nomine, prædictus illustris Siuvinus a præfato inclyto Roberto expetiit, volens eam suo juveni filio Ansberto sociari. Nec mora præbens assensum ejus petitioni prædictus illustris Robertus, constituto die, casto juveni casta *i* despondetur et puella. Denique ambo integritatem mentis et corporis caste servare cupientes, omnipotentem deprecabantur Dominum, ut voluptatum venena a cordibus eorum dignaretur repellere. Deinde orante B. Angadrisma virgine, ut speciositas illius in deformitatem verteretur, illico Dominus preces ejus exaudivit. Nam facies illius ita exulcerata ac immundissima lepra cooperta mox apparuit, ut a consortio hominum, quicumque eam vidisset, exemplo segregandam decerneret. Medicorum deinde concurrit frequentia jussu genitoris, ut soboli caræ si quivissent opitulari medelis, collatis præmiis, digni

f

g

h

i

ei desponsata S. Angadrisma

impetrat sibi lepram.

A digni remunerarentur. Sed quanto instantius huic operi insistebant, tanto Christi sponsa deformior ulcerosiorque apparebat.

*rescissis sponsalibus,*

5 Tum pater divinitus circa suam sobolem hoc fieri intelligens, inquirebat ab ea, utrum in virginitatis voto vitam elegisset finire. At illa, Opto, inquit, mi genitor, et totis nisibus exoro Altissimi pietatem, ut continentiæ et pudicitiæ, non effrænatæ luxuriæ, effici merear famula. Nam Christus, quem concupivi sponsum, ipse mihi hanc corporis infert molestiam, ut animæ tribuat nitorem. Qui mihi custos erit perpetuus, et in virginitatis proposito concedet perseverare perenniter. Delectat hæc vita præsens, pater pie, sed decipit: quia omne quod in mundo est, vanitas est et concupiscentia oculorum: et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum: sicut et Dominus manet in æternum. Hæc audiens pater, illustrem accersivit Siuvinum, et quæ circa præfatam suam sobolem gesta erant, lucide pandit. Ad hæc Siuvinus respondit: Voluntatem Domini in omnibus sequi oportet, neque ejus nutui ullo modo contraire velle: cujus judicia licet sint occulta, semper tamen justa. Vocatus quoque affuit et B. Ansbertus, ubi B dissociabilem condit libellum, ut sancta virgo Angadrisina, non sua, sed Christi Domini vocaretur sponsa. Hoc facto, ad Rhotomagum urbem sancto k Antistiti dirigitur k Audoeno, ut ejus benedictione percepta, et sacro velamine operta, in virginitatis proposito consecrari mereretur. Quo patrato, pristinæ pulchritudini et speciei eleganti ex templo est reddita, ita ut cuncti auditorum dicerent, quia eam Christus sibi sponsam et famulam elegisset perennem.

*et accepto sacro velamine, sanatur,*

6 Sequenti quoque tempore sancta gubernatrix l efficitur l cœnobii Oratorii, quod est situm in pago Bellovacensi, prope muros urbis Bellovacus. Genitor quoque; hujus sanctæ Virginis, illustris Robert m tus, et frater ejus m Altbertus, avunculi erant sancti n Patris n Lantberti, successoris in ordine regiminis o p B. o Uvandregisili, originem ducentes ex territorio p Taruanensi. Ex quibus præfatus Altbertus sub prædicto Abbate Lantberto sequenti tempore in Fontanella monasterio efficitur.

*fitque Abbatissa.*

7 Posthæc vir Domini Ansbertus q in aulam Re- q gis, licet nolens, a genitore perductus, sicut erat acumine ingenii clarus, cœpit esse aulicus scriba doctus, conditorque regalium privilegiorum, et r ge- C rulus annuli regalis, quo eadem signabantur privilegia. Ubi positus, piæ doctrinæ atque humilitatis exemplis ad Dominum se convertens, seculum relinquere, atque monasteria frequentare curabat. Atque ita in laico adhuc habitu constitutus, prædicatione sancta et sapientiæ doctrina plures exhortando, invitabat ad præmia felicitatis æternæ: ac sic quotidie in Domino proficiens atque succrescens, gratiam sibi a Christo collatam augmentare curabat. Cum vero coram Rege et Principibus consueto more diversa musicæ artis instrumenta chordis et tibiis audiret personantia, aiebat sibi: O bone Conditor, quale erit te diligentibus canticum indeficiens in cœlestibus audire Angelorum, quamque suave ac delectabile Sanctorum choris concinentibus, et laudes tibi Creatori indeficienter personantibus, si tantam mortalibus præbes industriam, ut s peritia artis ac suavitate cantilenæ provocent animos audientium, ut te Deum Creatorem omnium devote collaudent? Addebatque: Laudate Dominum omnes fideles in tympano et choro, laudate eum in chordis et organo, etc. usque ad finem Psalmi.

*S. Ansbertus, Cancellarius regni, o*

*audita musica*

*s rapitur in amorem Dei Psal. 150*

a Successit patri Chlodoveo anno 662 mortuo, *nullo* [illegible] successorem habuit anno 676 Theodericum, eo pulso Childericum, et hoc anno 679 occiso, iterum Theodericum, anno 691 mortuum. In MS. nostro scribitur Lotharius et Ludovicus. — b Vitam S. Bathildis dedimus 26 Januar. Supervixit ultra annum 684, quo obiit 1 Novemb. S. Genesius Archiep. Lugdunensis, quo inter Angelos obtante, anima S. Bathildis in cœlum elevata est. — c In MS. Uhesnari, Siguvino. — d Velocasses Julio Cæsari lib. 2 de bello Gallico, aliis Vellocassi, populi Galliæ inter et Bellovacos, ... nunc distincti dictione Vulcasinam, seu Velcasinam Francicam, et Vulcasinam Normannicam; vulgo Vexin le François, et Vexin le Normand. Chesnæus hic annotat Vileassinum et Vulgassinum. Alii Velocasses [illegible], eorumque metropolim [illegible] Rotomagum. — e Vulgo Chousy. Calceum est prope Eptam amnem, qui utrumque Vulcassinum tunc Sequanæ illabitur prope Vernonem oppidum, inter quod et oppidum S. Clari ad Eptam, medium jacet Calceum in Vulcasino Francico. Sed dicta oppida ad Normanniam spectant. Surius Calcegium scribit. — f In MS. Chesnæi: Rodbertus namque vir clarissimus qui eo tempore summus palatii erat Referendarius. [illegible] et Feronus de Cancellariis Franciæ, Loisel et Louvetus in Bellovacensibus, ille lib. 3 cap. 6 hic cap. 7 Cancellarium Chlotarii [illegible]. In MS. nostro Robertus, Surio Rodbertus. — g Surius marginalis [illegible] generosissimam. — h Surio Angadrisma, Sanssaio 27 Mart. Andragasina, 14 Octob. Angradisma, in Supplemento 17 Martii Angadrisma, aliis apud Louvetum Andragisma, vulgo S. Angadresme. — i Non autem, ut aliqui tradunt, matrimonio junguntur. Haletrancus lib. 3 de Morinis cap. 41, utriusque conjugis vocem [illegible] et [illegible] in orationem traductam tradit, variaque de utriusque familia, eorumque dominiis profert conjecturas, quas in scholiis ad cap. 6 lib. 3 sub finem conatur stabilire; quæ nobis ex antiquis monumentis non satis probantur. — k S. Audoeni Vita datur 24 Augusti. Fuit Episcopus ab anno 646 ad 689. — l Loiselus et Louvetus etiam appellant Oratorium (dicitur tamen Surio) vulgo Orever, Oroer, vel Ouroir, est nunc ecclesia parochialis in Decanatu Monchiacensi, cujus patronatus est penes Capitulum Bellovacense. Ibi obiisse traditur 14 Octob. cujus corpus ob persecutionem Normannicam delatum est Bellovacum ad templum S. Michaelis. — m Autbertus alius et Albertus, quem Fontanus et Rochellus apud Louvetum, et Feronum, volunt etiam Cancellarium fuisse Chlotarii, sed cum Rodberto fratre, aut potius S. Ansberto pronunt confundi. — n Colitur S. Lantbertus 14 Aprilis, in MS. nostro Lambertus. — o S. Wandregisilus 22 Julii. — p Teronna urbs Morinorum ad Legiam fluv. eversa a Carolo V anno 1553. — q Ibi ob copiam fontium in eo loco fluentium, ut traditur in Vita S. Wandregisili fundatoris. — r Hoc munus Cancellarii erat, quod gestum ab eo sub Dagoberto tradit Feronius, ut sub Theoderico Joannes Bodezius, qui ambo hunc referunt. — s Surius, peritia artis et suavitas.

*D AUCTORE ALIQUO MONACHO Velocasses*

*Calceium*

*S. Angadrisma desponsata S. Ansberto,*

*Abbatissa Oratorii.*

E

## CAPUT II.

### *Vita monastica S. Ansberti sub S. Wandregisilo Abbate.*

Denique in aula Regis manens, etiam Evangelii non immemor, ubi ait, Nisi quis reliquerit omnia, non potest meus esse discipulus; Deo providente, et sibi inspirante, elegit militiam relinquere terrenam, et cœlesti Regi militare. Tunc igne divini amoris accensus, ac sancti Spiritus lumine perfusus, a palatio egressus, nullique sodalium ac sibi famulantium confiteri volens suam voluntatem, arripuit iter, quod ad provinciam ducit Rotomagensem, pervenitque ad Fontanellam cœnobium, situm in territorio Rotomagensi, super magnum fluvium Sequanæ, ubi Sacerdos Domini clarus Wandregisilus monasterium construxerat, atque cum a magna monachorum cohorte, sub sanctæ regulæ jugo laudabilem ducebat vitam. Cum vero in eodem monasterio, jubente viro sancto, secundum ordinem monasticum in hospitio fuisset receptus, cœpit a ministro humiliter implorare, quatenus sancti monasterii Patrem mereretur videre. Et cum ministri pio Patri imperata nuntiassent, tandem præfatum elegantem juvenem in præsentiam sui adduci jussit. Tunc humi prostratus, Christum in tanto Patre manentem humiliter adorans, postulabat ab eo monachum se fieri. Nam corpore et mente seculo se renuntiaturum aiebat, comamque sui capitis in Christi amore ut juberet deponi, submisse flagitabat. Audiens autem venerandus Pater sanctam et Deo dignam ejus postulationem, inducias consulendi super hoc dicebat habere se velle, ut, sicut Apostolica et monastica docet regula, sciret ad quod venerat. Quibus expletis, spiritalium Fratrum consulta suscipiens inclytus Pater, pia ejus vota, veluti postulaverat, implevit, clericatusque habitu decoratum reddidit.

*Luc. 14. 33*

*relicta clam aula,*

*a venit Fontanellam Ansbertus:*

F

*a S. Wandregisilo impetrat habitum clericalem:*

9 Sicque ex eo tempore cœpit ipse vir Dei amore sanctarum Scripturarum legendo fervere, assidueque dulcissimos earum fructus intelligendo carpere. Cumque acumen ingenii in præfato juvene beatus Pater Wandregisilus pollere provideret, diversorum voluminum

*incumbit lectioni sacræ*

AUCTORE AIGRADO MONACHO, EX MSS.

A minum copiam ei concite tribui jussit. Quæ cum sedule legendo percurreret, cujusdam sancti Patris sententiam reperit scriptam, continentem hunc modum : Monachus vivat in monasterio sub unius disciplina Patris, consortioque multorum, ut ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam. Hæc et cetera legendo percurrens, oculosque lacrymarum imbre perfundens, tractare attentissime cœpit, qualiter hæc operando valeret implere. Primo quidem custodem omnium virtutum humilitatem in corde suo studuit fundamentum jacere, imitans illum, qui ait : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Et ita jugo Christi suavi et oneri ejus levi devota submittens colla, factus est in cœtu monachorum cunctis humilior, omnibusque obediens, vigiliis frequens, orationibus assiduus, spiritu fervens, spe gaudens, Domino sine intermissione serviens. Cui etiam data erat ex compunctione cordis per infusionem Spiritus sancti effusio lacrymarum.

*Hieron. ep. 4 ad Rusticum cap. 6*

*studet humilitati, aliisque virtutibus*

*Matth. 11, 29*

10 Et cum ante vigiliarum horas consurgens, precibus devotis incumbens lassesceret, signo tacto ad excitandos Fratres, quo laudes Domini decantarent, in conventu orationis prior omnibus se præsentabat : in hoc etiam, sicut et in ceteris actibus, B imitabilem monachis viam demonstrans, ita ut vir Dei, qui regimini præerat loci, multos objurgando corriperet, et eorum pusillanimitatem redargueret, pro eo quod præfatus juvenis nuper conversus, in Dei opere et observatione legis eos præveniret. Et cœpit eum carius diligere, sicut monastica docet norma, nitore religionis devote pollentem, omnimodis diligendum. Quadam namque die in conventu omnium monachorum, præclarum Domini Sacerdotem Wandregisilum humiliter exorabat, ut licitum sibi foret in opere manuum quotidiano cum licentia Patris extra solitum Fratrum opus insistere, ut sua mortificaret membra, quæ erant sibi obstantia super terram. Hæc eo implorante, gratias omnipotenti Deo Fratres agentes admirabantur super ejus Deo digna devotione. Cumque a Patre spiritali, quod petierat, sibi indultum gauderet, cœpit postulata cum magna implere devotione.

*velox in surgendo,*

*exercetur operibus manuum*

11 Quodam enim tempore a climate meridiano, distantem a præfato cœnobio passus fere quingentos, hortatu ejusdem viri Dei, B. Wandregisilus vineam plantare et excolere cœpit. Quo in loco præfatus vir Domini Ansbertus, dum una cum Fratribus operaretur, Theodericus adolescens, futurus Rex, venatibus, ut sibi *b* gentilicium erat, insistens, ad præfatum C Dei hominem accessit, quia noverat eum prudentem doctrina, humilem cultu, sanctissimum imitatione. Nam a sancto Pontifice Audoeno Rotomagensis Ecclesiæ jam fuerat Presbyter consecratus. Quem idem homo Christi, et sancta benedictione munivit, et sacerdotali auctoritate de plurimis sanctæ doctrinæ hortamentis instruxit, insuper et Regem eum futurum esse prædixit. Quo negante id futurum esse, respondit vir Dei : Scias, quia honore regni sublimaberis ; sed noveris te multa adversa in regno perpessurum, sicque laboriosissime triumphum de hostibus tuis adepturum. Quod postea rei probavit eventus. Ad hæc adolescens intulit Theodericus : Si pia omnipotentis Dei ordinatio me in culmine dominantem constituerit regni, opto te dignum Deo fieri Antistitem, ut perpetua sanctaque doctrina crescat Ecclesia fidelium. Cumque Sacerdos Domini indignum se tanto onere ferendo diceret, ipseque ex successione hæreditaria regni fastigia amplius conscendere debere intimaret, et ille adhuc dubitans permaneret, adjecit vir sanctus : In hoc noveris meis fidem accommodandam verbis, si hodie hiemali tempore locus, in quo tabernaculum istud consistit, qui nunc tritus ob vestigia calcantium videtur, viridem produxerit herbam, sicque juxta vestigia ejusdem tentorii, ceteris agri partibus viridior maneat in ævum. Quod ita secundum sermonem hominis Dei evenisse, omnibus illo adventantibus indicium est, ita ut usque ad hanc diem locus ille viridior reliqua agri parte appareat, in modum tentorii ibi quondam fixi, sive hiemali, sive æstivo tempore. O magna et inclyta istius Sancti gloria, cujus laudabile meritum tali voluit omnipotens signo demonstrare : ut qui veluti palma in domo Christi florebat, tali præsagio virtutis manifestaretur populis.

*b*

*circum excolit Sacerdos*

*prædicit Theoderico regnum,*

*id ejusque signum fore*

D

*locum hieme virentem.*

12 Et cum prædictus vir Dei ab opere manuum paullulum vacasset, parvissimo refocillatus somno, rursum meditationi divinæ omni conatu erat insistens. Cumque tantæ humilitatis atque obedientiæ seu devotionis lumine radiaret, veræ caritatis fervor omnium circa illum corda inflammaverat, ut miro a cunctis veneraretur affectu. Ipse vero semper ardens desiderio futuræ gloriæ, indeficiens erat in opere Domini.

*condit laborem meditatione*

*a* Tecentos sub S. Wandregisilo monachos fuisse, legitur in ejus Vita. — *b* Chlotarius, apud Fredegarium cap. 42, venatione ferarum nimium assidue utebatur. Dagobertus etiam teste Aimoinum lib. 4, cap. 17 adolescentiam suam venatibus assuefaciebat, quem morem Francorum Principibus familiarem addit se sæpius dixisse ut lib. 1 cap. 21, lib. 2 cap. 37, et lib. 3 cap. 56 etc. Auctor in Gestis Dagoberti cap. 2 genti Francorum, ait moris fuisse ætatem venatione exercere. E

## CAPUT III.

### *Vita monastica S. Ansberti sub S. Lantberto Abbate.*

Ergo operæ pretium videtur nunc narrare, qualiter vir sanctus in regiminis loco subrogatus et constitutus sit. Denique cum inclytus Domini Sacerdos Wandregisilus per *a* viginti fere annorum spatia hoc cœnobium a primo ædificationis die in regimine tenuisset, jamque foret in *b* decrepita ætate positus, ante transitus sui ex hac vita diem languore correptus, ad extrema pervenit. Interrogatque cum lacrymabili voce universum agmen monachorum, quem ex semetipsis eligerent Rectorem. Quibus fertur tale reddidisse eloquium : *c* Duo sunt in præsentia nostra, carissimi filii mei, hos subrogate Rectores : meumque fragilem recessum precibus vestris protegite, atque mearum admonitionum semper mementote. Christo, summo Pastori, vestri hodie curam committo, qui vos usque in finem perenni tutela conservet. Quo in cœlestis regni societatem ab Angelicis choris suscepto, omnis caterva monachorum, Christi Domini exorat pietatem, triduanum celebrans jejunium. Quo expleto, jubente Deo, eligit famulum Domini Lantbertum, religione præclarum et genere nobilem, ex territorio Taruanensi ortum ; cujus genitor Erlebertus vocabatur : qui plurima prædia prædicto loco Fontanellensi in eadem Taruanensi regione felici munere largiti sunt.

*ex duobus a S. Wandregisilo moribundo*

*a*

*b*

*c*

*dignis judicatis,*

*eligitur S. Lantbertus*

F

14 Erat autem idem venerandus Pater Lantbertus caritate plenus, pudicitia supereminens, fide firmus, consiliis providus, in bonitate laudabilis, in colloquiis affabilis, vultu et statura decorus, venerandus omnibus, et in Christi religione fervens. Et inspirante gratia Divinæ caritatis, beatum Christi famulum Ansbertum idem venerabilis Pater venerabatur ut patrem, diligebat ut filium. Eratque eis in Domino cor unum, et anima una. Is autem, qui regiminis susceperat curam, ad consulta sancti Patris Ansberti, in tractando grege Christi secundum normam sanctorum Patrum, strenue cuncta atque irreprehensibiliter gerebat. Quorum exemplis piæ actionis ac verborum sedulis exhortationibus plurimi exciti, carpebant itinera sanctæ conversationis.

*. . . ilio S. Ansberti sancte regit monasterium.*

15 Huic venerando Patri Lantberto Theodoricus Rex, filius Clodovei Regis et Bathildis Reginæ, largitus

*Donatio in Provincia accepta a Rege.*

A gitus est patrimonium aliquod cujus est vocabulum *d* Dusera, quod situm erat ultra fluvium Rhodanum in regione, quæ proprie vocatur *e* Provincia, eo videlicet modo, ut hoc prædium monachis in cœnobio Fontanellæ morantibus luminaria ministraret ecclesiæ, in oleo et ceteris hujus rei necessariis. In quo loco prædictus Pater egregium condidit cœnobium monachorum, directis ex cœnobio Fontanella monachis, qui illud laudabile opus diligenter executi sunt. Et de prædio parvo magnum hactenus extat monasterium monachorum, et in illa regione ab aliis præcipuum. *f* Quod per multa annorum curricula ditioni præfati monasterii Fontanellensis subjectum erat, donec divisione regni, et discordia Principum, et incursione nefandæ gentis Agarenorum, cum aliis venerabilibus locis aliquanto depopulatum tempore, finem subjectionis fecit.

*ibique monasterium extruit*

16 Sub cujus etiam regimine, *g* B. Hermelandus ex prædicto monasterio Fontanella, rogante venerabili Pontifice *h* Paschario *i* Nannetensis urbis, in eamdem regionem Nannetensem ab ipso Patre Lantberto directus, in quadam insula alvei Ligeris, quæ vocabatur *k* Antrum, juxta nominis ejusdem proprie- B tatem monachorum venerabile ædificavit cœnobium. In cujus largitione prædictus Antistes Pascharius statuit, ut post decessum ejusdem venerandi Patris Hermelandi, ex monasterio Fontanella per cuncta succedentia tempora sibi instituant Rectores, universi præfati loci habitatores, veluti largitiones ejusdem loci, quæ adhuc in præfato monasterio Fontanella servantur, apertissime declarant.

*aliud per S. Hermelandum :*

17 Prædicto etiam Patre Lantberto regimen loci tenente, beatus Christi Pontifex *l* Erembertus Tolosæ urbis, et sanctus Presbyter *m* Condedus et anachoreta, Britannia insula ortus, in prædicto monasterio Fontanella monachicum Deo dignum et nomen assumpserunt et habitum. Plurima enim de tanto Patre, nisi ad alia festinaremus, Deo digna et loco utilia per eum et sub ejus regimine gesta, dici poterant, quæ in ejus gestis olim plenius memoriæ tradidimus, posteris intimanda.

*suscipit SS. Erembertum et Condedum Fontanellæ :*

18 Quo vero ordine in Lugduno, celeberrima urbe Galliæ, Pontifex sit subrogatus, brevi sermone narrabimus. Defuncto igitur *n* S. Genesio, Præsule ejusdem urbis, cujus Deo dignam vitam laudabilia commendant gesta; illico pius Rex Theodericus et inclytus Princeps *o* Pipinus, Ansegisi filius, *p* consobrinus videlicet beati Patris Wandregisili, cum C Proceribus palatii salubre agentes consilium, Divina utique providente jussione, in præfata urbe cum unanimi ejusdem regionis populi voto, ejusdem urbis eum constituerunt Antistitem. Sed cum diu, humilitate nimia renitens, nollet suscipere, regali jussione et sacerdotali electione compulsus, præfatæ metropoleos urbis ordinatur Pontifex. Sicque ad eamdem provinciam cum honore sacerdotii sui condigne directus, humilitatis ac sanctæ prædicationis piæque actionis exemplis, gregem Christi sedulo moderamine irreprehensibiliter rexit. Ibique a Domino vocatus, vinculis terrenæ corruptionis exutus, ad supernæ civitatis gaudia feliciter migravit.

*S. Genesio defuncto fit Episcopus Lugdunensis.*

a *Imo* expletis annis 19, mensibus 4, diebus 21, *ut supra ex Vita ejus diximus.* — b *Circiter* annorum 90, *ut in Vita legitur. Verum quia adolescens aula Dagoberti militavit, suspicamur numerum transpositum, et solum expleviße annos 69. Ita natus foret circa annum 605, et monasterium Fontanellense cœpisset extruere anno 50 ætatis.* — c *In Vita S. Wandregisili hæc ita traduntur:* Duo sunt in præsentia vestra, carissimi mei filii, qui vicissim post meæ fragilitatis decessum in regiminis succedent locum. — d *Dusera in Delphinatu infertur, quam Hesychius noster asserit esse Principatum Episcopi Vivariensis.* — e Provincia Romanorum *Galliam Narbonensem continebat, quam Romanis pacate subjectam reperit Julius Cæsar, et ex eo bellum in reliquam Galliam transtulit. Gregorius Turonensis fere* Provinciam Massiliæ *dicit, Fredegarius* partes Provinciæ, *cap.* 53 *de ea egimus ad Vitam S. Sigeberti* 1 *Febr.*, 3 *num.* 27 *et alibi.* — f *Periodus hæc a posteris intrusa est : nam divisio regni facta est sub Carolo Martello, quando Chilpericus Rex, ante Danielus dictus ejusque Palatii Præfectus Ragnfridus anno* 717 *pulsi, ad Eudonem Aquitaniæ Ducem fugerunt, et Chlotarius substitutus est. Tum Agarenii, sive Saraceni, cum Abdirama Rege in Galliam irruperunt anno* 725, *et Avenionem urbem anno* 730 *ceperunt, ut legitur ad istos annos in Annalibus Fuldensibus, et in Chronico Fredegarii continuato cap.* 106 *et seqq.* — g *Aliis* Ermelandus. *Colitur* 25 *Martii.* — h *Aliis* Pasquarius, Paschasius, et Poscarius, *colitur* 10 *Julii. Hunc recentiores sub Dagoberto statuunt, sed hinc corrigendi.* — i *Ita Surius. MSS* Nemetensis. *Vita S. Hermel. adit* Namnetensis; *ubi hæc pluribus describuntur. Notum est* Namnetense *emporium in superiori Britannia prope Oceanum ad Ligerim fluvium.* — k *Aliis* Antrus, *in longum obtinebat* 24 *stadia, et ejus situs et ubertas, et monasterii constructio describuntur in Vita S. Hermelandi, cui Childebertus Rex, alias Theoderici sanctionem pro eo monasterio dedit.* — l *Colitur S.* Erembertus 30 *Aprilis. Abest in Catalogo Archiepisc. Tolosanorum apud Claudium Robertum, sed ordine mutato, quasi duobus seculis junior foret. Recenset Catellus in historia Occitaniæ lib.* 5 *ubi Vitam ejus olim scriptam profert.* — m *Colitur* S. Condedus 21 *Octobr. ubi dabimus Vitam ab eodem Aigrado scriptam.* — n *Obiit S. Genesius anno* 684, *ut supra probatum.* — o *Hic est* Pipinus Crassus, *sive Heristallus, tum necdum major-domus, magnæ tamen rei apud Reges auctoritatis.* — p S. Arnulphi *filii fuerunt* Ansegisus, Waltchisus et Flodulfus. Waltchisi *filius* S. Wandregisilus, Ansegisi Pipinus et Flodulphi Martinus *cum eo Major-domus : fueruntque hi tres* patrueles *qui hic* consobrini *dicuntur, ut passim eo ævo* avunculus *pro* patruo *sumitur.*

*Anni vitæ S. Wandregisili.*

*Dusera*

*Provincia Rom.*

*Divisio regni Francorum sub Carolo Martello.*

D

*AUCTORE AIGRADO MONACHO EX MS*

*S. Paschasius Ep. Namnetensis*

*Antrum monast.*

*S. Erembertus Archiep. Tolos.*

*Consobrini pro patruelibus.*

## CAPUT IV.

### *Regimen monasterii Fontanellensis S. Ansberto collatum.*

In prædicto vero cœnobio Fontanellensi, post re- E cessum ejusdem sancti Pontificis Lantberti, Divino nutu juvante, unanimes ejusdem congregationis monachi B. Ansbertum sibi elegerunt præesse Rectorem. Ipse autem post susceptam regiminis curam, assidue meditabatur, quale suscepisset onus; videlicet commissi a Domino gregis regere animas, et multorum servire moribus. Et quia erat apprime sanctarum Scripturarum scientia imbutus, commisso sibi gregi indesinenter erogabat pabula æternæ viriditatis, verbis et actibus itinera monstrans sanctæ conversationis. Erat enim sicut ceteris prælatus, ita cunctis humilior. In vestitu vilis, in cibo mediocris. Abstinentiæ jugo deditus, pudicitia ornatissimus, hilaritate cordis et corporis clarus, patientiæ virtute ac caritatis obsequio, eleemosynarumque largitionibus abundantissime cumulatus. His virtutum sanctarum operibus adornatus, in medio fratrum veluti lampas refulgebat accensa. Quadam namque die, cum more solito edicta legis Divinæ in conventu omnium recitaret, ita ex affluentia eloquiorum illius nimio caritatis ardore reddita sunt audientium corda flammivoma, ut plurimi ex illis ad lacrymas compulsi, immensas omnipotenti Deo gratias redderent, dicentes : Benedictus omnipotens Deus, qui talem non nostri merito, sed suæ pietatis intuitu dedit no- F bis Rectorem. Diligebatur enim a cunctis, ut verus pater : et ipsi ab eo, sicuti devoti filii. Ipse autem studebat semper plus amari, quam timeri, et pervigili cura in animabus salvandis animum defigere.

*S. Ansbertus fit Abbas*

*virtute perit subditus*

*amari maluit quam timeri*

20 Cum igitur ejusdem beati viri prærogativa meritorum longius claresceret, confluebant passim ad eum plurimi, salvationis suæ salubria expetentes consilia. Et quoniam sacerdotii dignitate fulgebat, confluentium ad se confessiones suscipiebat, monita eis salutis impartiens, quomodo salvi esse possent, et vias justitiæ sine defectu alicujus tædii immobiliter retinerent. Cujus doctrina et exhortationibus plurimi corroborati muniti que ad conversionis festinantes gratiam, plurima deferebant dona in speciebus diversi pretiosorum metallorum, sed et possessionum prædia nonnulla, in diversis sita territoriis : quæ cuncta curiosus lector, inspectis *a* testamentis seu largitionibus eorumdem fidelium, facile reperiet. Quæ etiam, ut multis liquido patet, multimodam millenarii numeri effecerunt summam. Erat enim secundum Deum religionis sanctitate omnimodis ornatus : in seculari quoque argumentationis astutia prudens; ejusque bonitatis ac religionis opinio longe lateque laudabilis, inimitabilis ubique percurrit.

*externis devotio salutis*

*accipit varia dona :*

21 In

A AUCTORE AIGRADO MONACHO.

21 In præfato namque venerabili Fontanellensi monasterio, inter felicia bonitatis suæ gesta, etiam *b* xenodochium imbecillium ac decrepitorum pauperum, instar duodeni Apostolici numeri, constituit, deputatis eisdem rebus, quæ sufficienter præberent alimoniam. Alias quoque duas constituit in eodem monasterio pauperum Christi debilium mansiones, quas in octonario ex multis sacrato numero, singulatim octonos habitare fecit. Quibus sine indigentia quotidianum largiri victum perenniter censuit. Horum vacatio nulla erat alia, nisi horis constitutis diurnis nocturnisve, in domo Domini residere, orationi ac vacationi divinæ devote insistere, ac tempore sancti sacrificii pro salute et salvatione populi Christiani, Ecclesiæque Catholicæ ubique diffusæ, victimam salutarem offerre. O magna et inclyta istius sancti Patris opera, quæ non tantum verbis volant, quantum virtutibus constant!

*b extruit xenodochium, et 2 domicilia pauperum,*

a *Hinc plurima ad Chronologiam et reliquam antiquitatem spectantia erui possent, si in codicibus MSS. sincere servata ad lucem publicam proferrentur.* b *Videtur illud xenodochium datum S. Audoeno, in cujus Vita hæc leguntur:* Cum sancto super teneretur Audoenus Angelicis fruitur colloquiis, atque eodem in loco, quo quiescebat, basilicam in honore Protomartyris Stephani ut ædificaret perducetur. Accessito deinde Ansberto, qui tunc temporis Fontanellæ cœnobio Abbatis jure præerat, in cujus territorio idem locus esse videtur, hoc negotium patrandum injunxit. Qui votis clarissimi favens Præsulis eamdem sacram ædiculam, licet modicam, ut situs se habet loci, eleganti tamen fabricavit opere. Ibi idem præcipuus Pastor ac gloriosus Pontifex Audoenus xenodochium pauperum ob amorem nominis sui æternum instituit, ac patrimonium quoddam, cujus est vocabulum Ghilstacus, situm in pago Duneuse, eisdem pauperibus ibidem degentibus, gratuita bonitate largitus est: sciens scriptum, quod ea hereditas bene reconditur, quæ Deo custode servatur.

*Extruction templum S. Stephani a S. Audoeno,* B *et xenodochium*

## CAPUT V.

### *S. Ansberti Archiepiscopatus Rotomagensis. Liberalitas erga pauperes.*

Sed his interim omissis, nunc juvante supernæ pietatis gratia, narrare aggredior, qualiter idem vir venerandus pontificatus conscenderit gradum. His enim diebus contigit, ut B. Audoenus, Rotomagensis urbis Pontifex, plenus virtutibus et sanctis actibus a Domino vocatus, *a* migraret e mundo feliciter. In cujus *b* exequiis beatus Pater Ansbertus, una cum aliquibus monachorum suorum, Clericorumque ac Sacerdotum Christi cohorte plurima, affuit. Qui vigilias ejus sacræ depositionis solenniter celebrantes, dignis exequiarum honorarunt debita servitute obsequiis. Post cujus sacrum transitum, ne Ecclesia de Pastore amisso jacturam pateretur, cuncti Rotomagensis urbis cives, missa petitione ad Theodericum gloriosum Regem, cum ejus permissu et auctoritate, B. Ansbertum sibi elegerunt consecrari Antistitem. Quorum electioni congaudens *c* Rex, quoniam in eodem sancto Patre sapientiam affatim redundare et religionem pollere cognoverat, illico eorum annuens petitionis electioni, extemplo Legatos dirigit, qui eumdem Christi famulum regias perducerent ad ædes. Nec mora: Legati ad beatum Patrem Ansbertum pervenientes, mandata Regis pandunt, ad aulam regiam ire compellunt. Morabatur enim præfatus Rex in villa *d* Clypiaco, quæ sita est in Parisiaco territorio, ubi conventum magnum populorum habens, de utilitate ac tutela regni tractabat, ut ad ejus consultum, veluti agere consueverat, (nam Confessor illius erat) de regni negotiis tractaret. Sed cum supradictus vir Dei hoc audisset, illico agnovit, non aliud ista evocatione fieri, nisi electioni civium Rothomagensium in ipso Regem assensum præbere velle. Fertur etiam Legatis Regis respondisse caussa extimæ humilitatis, indignum se fore officio curæ pastoralis. Qui festinanter retulerunt Regi, nuntiando quale responsum acceperant. Secundo quoque ad eum mittens Rex, callide intulit, nullo modo contra suam voluntatem, postquam

*Defuncto S. Audoeno, a b*

C *eligitur Episcopus Rothomagensis, c*

*d*

*Regis Consiliarius*

D una loquerentur, super ordine Pontificatus agere se velle. At ille, ut erat sanctæ simplicitatis sapientia plenus, ad eumdem Regem ire deliberavit. Tunc eligentibus civibus præfatæ urbis metropoleos, cum unanimi voto sanctorum Sacerdotum, Regis et Principum eligitur, trahitur, atque in eodem palatio a S. Lantberto Archiepiscopo Sedis Lugdunensis, aliisque sanctis Præsulibus, qui ad hoc generale placitum convenerant, in Pontificem consecratur Ecclesiæ Rotomagensis. Divina utique providente ordinatione, ut qui in paucis fidelis extiterat, supra multa a Domino constitutus, abundantem daret suæ in tempore familiæ tritici mensuram.

*consecratur,*

23 Deinde in pontificatus honore et onere sublimatus, cœpit opere sanctitatis amplius clarescere, prædicationis lumine ubique radiare, et velut lucerna accensa, non jam sub modio, sed super candelabrum posita, errorum tenebris depulsis, viam veritatis cunctis monstrare, pietatis et misericordiæ operam omnibus dare, pauperum indesinenter curam agere, viduarum et pupillorum caussas defendere, peregrinorum et hospitum susceptionibus magnopere studere, eleemosynarum distributionem largiter et hilariter cunctis administrare. Hæc et his similia exempla subjectæ sibi plebi indesinenter festinavit monstrare. Floruit enim sub ipso Christi Ecclesia, E sicut monasterium ante floruerat. Crevit gratiis, decrevit metallis. Aliquando enim ingrediens locum, ubi Ecclesiæ thesauri reconditi erant, ipsos sibi jussit præsentari et aliqua distribui, plurima reservans, ut eleemosynæ pia largitio e sinu sanctæ matris Ecclesiæ cum pietatis fructu benigne procederet. Nam, quæ otiose diu congesta fuerant, ad reprimendam famis validæ penuriam, quæ tunc populos undique graviter premebat, dignis tandem indigentium usibus deputavit, et dudum defunctis thesauros suos misit. Alieni temporis vota, dispensationem fecit suam. Contigit enim tunc pauperum turbam præ foribus conclamare, eleemosynam petendo. Quibus ille auditis, ac reminiscens Divinæ sententiæ dicentis: Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, Prov. 21. 13 et ipse clamabit, et non exaudietur; largiter eis eleemosynam tribuit, cunctosque gaudentes redire fecit ad propria.

*in afflictos misericors;*

*in eleemosynis dandis liberalis;*

24 Sicque postmodum, cum in Sede urbis suæ Missarum solennia solenniter celebraret, populi diœcesis suæ undique ad eum confluxerunt, virorum ac mulierum multitudo maxima. Lecta autem sancti Evangelii lectione conversus ad populum, multa cœpit eis ventura prædicere, adversa simul et prospera F esse cavenda, et ut nec unum frangeret, nec alterum extolleret, æternæ felicitatis præmia, avida intentione esse quærenda commonuit. Et, cum multa eis præsentia ac futura per illustrationem sancti Spiritus prænuntiaret, ex tam excellenti prædicationis gratia sibi data, omnes compuncti et igne divini amoris succensi, ad pœnitentiam agendam et cetera bonorum operum exercitia paragenda accensi sunt, grates omnimodas agentes summo omnium bonorum Largitori, qui talem eis non sui merito, sed propria pietate concesserat Doctorem, ut eorum temperaret multiformiter mœrorem de eo, quem nuper corporali visu amiserant, Pastore. Et quia cuncta gaudebat Ecclesia super pio Pastore, urbs congratulabatur egregio Prædicatori, et patria omnis exsultabat magnifice in tam sapiento ac prudente Consiliario. Expletis autem Missarum solenniis, cunctos cives, nobiles videlicet, et ignobiles, introduci jussit ad præparata convivia. Ubi cum ordinate, et dispo- 2 Cor. 8. 9 sito fecisset omnes discumbere, ipse ad mensam pauperum resedit, imitans illum, qui cum esset dives, propter nos pauper factus est, qui etiam in retri- Matth. 25. 45 butione justorum dicturum se esse promisit: Quamdiu

*ventura prædicit,*

*in concione fervens*

*in convivio inter pauperes sedet;*

A diu fecistis uni de minimis his meis, mihi fecistis. O quam præclarum Pontificem, qui suæ familiæ duplicem dabat alimoniam quotidie, cum et corpora replebat cibo terreno, animasque reficiebat verbo Divino.

25 Cum vero pro salute animarum attentissime vigilaret, etiam Archidiaconos convocans, de prædicatione populorum et ecclesiarum restauratione et honore, maximam gerere curam sedule commonebat. Census etiam, qui de vicis publicis canonico ordine ad partem Pontificis persolvi consueverant, gratuita benignitate in restaurationibus ecclesiarum benignissime Presbyteris indulsit earumdem Dei ædium. Studebat etiam amore potius regere, quam terrore dominari. Denique ut primum pontificali potitus est gradu, prima ei cura concordiæ fuit, et præcipuus labor fraternam dilectionem inviolabilem custodiri. Jam vero illam suam profluam in omnes caritatem, nulla unquam ad plenum effari valet lingua.

*templa curat restaurari.*

a Anno 689, die 24 Augusti, ut supra probatum. — b Corpus S. Audoeni e villa regia Clypiaco Rotomagum delatum comitantibus ad Pontem Isaræ Rege, Regina aulicis [illegible] conventione facta plurimorum Episcoporum una cum venerabilium Abbatum atque Sacerdotum monachorum Clericorumque multitudine, seu B illustrium virorum et turba plurimorum cum crucibus et lampadibus nec non thymiamate, in Velocassinensium provinciam sunt ingressi summoque honore beatum corpus ad Rotomagum civitatem usque deportabant [illegible] S. Audoeni. — c Elegerat hortatus ante obitum fuerat S. Audoenus, ut Abbatem Ansbertum sibi faceret successorem. Eadem Acta. — d [illegible] S. Audoeni [illegible] mortuo S. Oven jam appellari tradunt nonnulli.

*Corpus S. Audoeni Rotomagum delatum*

## CAPUT VI.

### *Privilegia Fontanellensis cœnobii in Synodo confirmata.*

Interea, dum multimodam ejus in omnes gratiam memoro, etiam super Fontanellensis cœnobii sancta monachorum congregatione quantam sollicitudinem et pervigilem curam indesinenter habuerit, testatur, inter reliqua prærogativæ ejus gesta, etiam privilegii sui auctoritas, quam prædicti cœnobii habitatoribus ob Dei amorem et Sanctorum reverentiam summa devotione edidit. Denique cum sanctorum Sacerdotum et omnium civium Rotomagensium electione, et gloriosi Regis Theoderici consensu, in Pontificem consecratus fuisset, nimio dilectionis fervore, quem erga prædictum venerabile cœnobium semper C habuerat, privilegii sui auctoritatem eidem edidit, ut per succedentia tempora secundum sancti Patris a Benedictini regulam, et, ut præcedentium Regum, Clodovei videlicet et Clotarii, simulque Childerici, nec non et Theoderici privilegiorum auctoritates docent, ex semetipsis sibi perennibus temporibus Abbatem eligerent. In qua etiam justæ alligationis verbo præsentes futurosque, qui ibidem Domino militaturi erant, constringit, ut, sicuti sub ejus regimine, ita et deinceps et ipsi et posteri eorum, secundum regulam sancti Patris Benedicti fideliter Christo deservirent. Quod si aliquando peccatis exigentibus aut negligentia pastorali, a via rectitudinis et observatione regulæ S. Benedicti, in futuro deviare conarentur aut cogerentur, tunc convocatio sanctorum Sacerdotum, reliquorumque militum Christi unanimiter fieret, eorumque per consilium in pristinum reducerentur statum. Si vero hac Pontificali auctoritate postposita, quolibet cavillatione sinistram elegissent vitam ac conversationem tenere, sub vinculo anathematis æternaliter se damnandos scirent.

*Privilegia Fontanellensibus data.*

*a ex suis Abbatem eligendi.*

*servandi regulam S. Benedicti.*

27 Facta est autem hæc privilegii auctoritas sub b anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo octogesimo secundo, Indictione decima, qui erat annus præfati gloriosi Regis Theoderici tertius decimus, et præfati venerandi Præsulis pontificatus quintus, in Synodo generali, Rotomago urbe habita, ubi plurima Deo accepta et sanctæ Ecclesiæ utilitatibus profutura disputata sunt. Affuerunt quoque et sancti Pontifices, aliique venerabiles viri, ab ipso præcipuo Præsule evocati, quorum subter nomina tenentur asscripta: Ansbertus c Archiepiscopus urbis Rotomagensis, huic concilio præfui et subscripsi. d Radbertus Episcopus. e Regulus Episcopus. f Airadus Episcopus Carnotenæ urbis. g Ansoaldus Episcopus Pictavensis urbis. h Aquilinus Episcopus Ebroicinæ urbis. i Cadoenus Episcopus. k Arnonius Episcopus. l Salvius Episcopus. m Desiderius Episcopus. n Fulcrannus Episcopus. o Johannes Episcopus. p Willebertus Episcopus. q Gereboldus Episcopus Baiocassinæ urbis. r Taurinus Episcopus. s Annobertus Episcopus Sagiensis urbis. t Celsus Abba. u Audomarus Abba. x Seladio Abba. Bosochindus Abba. y Genardus Vicedominus gloriosus antefati Pontificis. Ermentrannus, Ferrocinctus, et Fortunus Archidiaconi venerandi. Aderat quoque Presbyterorum residentium et Diaconorum circumadstantium magnus numerus. Ragnomirus Lector hujus sancti Concilii gesta, et hanc privilegii auctoritatem, ipso sancto Pontifice jubente, recognovit E et subscripsit.

*b recensentur in Synodo Rotomagensi*

D AUCTORE AIGRADO MONACHO.

a [illegible] hæc regula [illegible] supra num. 14 normam sanctorum Patrum appellatur. — b [illegible] hic intrusa, et tempore hujus S. [illegible] — c Apud Sirmondum tom. 1 Conc. Gall. Episcopus [illegible] — d [illegible] Rotbertus, Ruotbertus, et Ebartius, Archiepiscopus Turon. [illegible] S. Leodegarii corpus [illegible] anno 688 Pictavium deferre [illegible] — e S. Regulus Archiepisc. Remensis sub [illegible] anno Theoderici 2. de cujus [illegible] § 14 et 15. — f [illegible] Ayrardus, et Haigrandus, Carnotensis Episc. sub Senonensi [illegible] 2 historiæ Carnotensis cap. [illegible] Theoderici [illegible] — g Ansoaldus Ep. Pictaviensis [illegible] Burdegalensi, [illegible] anno 688 [illegible] 2 Febr. — h S. Aquilinus Episcopus [illegible] annos 42; [illegible] 19 Octob. — i Forte Cadocanmus [illegible] in Britannia Armorica Episcopus sub Archiep. Turonensi. — k Est [illegible] Arnulphus Episc. Catalaunensis sub [illegible] Archiep. — l [illegible] S. Salvio Episcopo Ambianensi, cujus Vitam dedimus die 11 Januar. [illegible] — m Videtur hic esse S. Desiderius Episcop. [illegible] sub Archiep. Turon. in Britannia Armorica, cum [illegible] martyrio affectus [illegible] 18 Sept. — n [illegible] Fulsandus, Vulsandus, Vulfradus et Vlufaldus [illegible] Claudium Robertum [illegible] — o Joannes [illegible] Ep. in Normannia sub Archiep. [illegible] — p An S. Hildebertus [illegible] sub Archiep. Senonensi [illegible] 26 Maii. — q S. Gereboldus Ep. Baiocensis [illegible] Normannia colitur 7 Decemb. — r [illegible] Taurinus colitur [illegible] S. [illegible] — s S. Annobertus, [illegible] Annobertus Episc. Sagiensis in Normannia [illegible] — t [illegible] — u [illegible] 4 de Morinis cap. 20 [illegible] S. Audomarum Episc. Tarvanensem, [illegible] Acta ejus 9 Septemb. [illegible] ad Vitam S. Vedasti. — x [illegible] Seeladio. — y Idem Gerardus.

*Radbertus Arch. Turonensis*

*S. Regulus Rem.*

*Airadus Ep. Carnoten.*

*Ansoaldus Pictav.*

*S. Salvius Ambian.*

*S. Desiderius Redonen.*

*S. Audomarus an in scala? Abbas?*

## CAPUT VII.

### *Curata solennis translatio S. Audoeni.*

Confluentibus autem ad se potestatibus, ferventia Christi mandata, devote omnibus servari semper hortabatur idem Præsul venerandus, magnasque Christo gratias semper agendo agendas commonebat, qui morte et resurrectione propria mortem nostram spe resurrectionis animavit, æternam vitam offerens discusso æterno mortis horrore. Sicque vitam suadebat tenendam, ne vitæ extrema timerentur.

*S. Ansbertus monita optima inculcat*

29 Inter reliqua autem bonitatis suæ opera, quæ in Episcopatu gessit, qualiter etiam venerabile sancti Antistitis a Audoeni corpus, Christo propitio, in eminentiorem locum ecclesiæ S. Petri, quæ sita est in suburbano urbis Rotomagensis, transtulerit, narrare aggredimur. Cum itaque de diversis provinciis plures congregasset artifices, condidit super ejus

*transfert corpus S. Audoeni.*

*AUCTORE AIGRADO MONACHO.*

A ejus sepulcrum *b* repam miræ magnitudinis, pretiosis metallis auri argentique decoratam, gemmisque pretiosis adornatam, sicut usque in præsens humano visui apparet. Constituta ergo die, in solennitate *c* Ascensionis Domini Christi, Sacerdotum ac monachorum reliquorumque Clericorum adunata *d* multitudine, ipsum sacrum corpus levari fecit cum reverentia magna et hymnorum laudibus Clero personante, atque in absida præfati S. Petri apostoli ecclesiæ recondidit feliciter cum gaudio et honorificentia magna. *e* Intererat autem in hoc sancto conventu, inter alios viros venerandos, etiam clarissimus Genardus Vicedominus, qui magna præparari fecit convivia, quia plebs innumera ad tam venerandi Præsulis Translationem sanctam undique convenerat. Completis autem Missarum solennis, præfatus Genardus cum viris nobilibus, jussu sancti Pontificis, ad convivandum resedit. Pontifex vero clarus Ansbertus more solito cum peregrinis et pauperibus discumbens, cum ipsis epulari gaudebat. Nam ipsa die ministri officium gerens, pauperibus et egenis obsequium in eorum refectione humiliter exhibebat. Erat enim jocunda facie hilarique vultu, quia minister esse meruerat pauperum: imo Christi B Domini, qui illis, qui pauperibus benigne faciunt, præmia se largiturum promisit æterna.

*nobiles in convivio deserit*

*inservit pauperibus;*

30 Magna illi inter hæc advenarum et hospitum cura. Aderat præterea munifico animo par substantia, pari fide ministrata. Et non solum indigentibus alimoniam tribuebat sufficienter, sed etiam tegumenta corporum et *f* nummismata largiter tribuebat. Hinc jam ex diversis regionibus diversarum personarum frequens ad eum concursus advenerat, quos per se et per probatos viros, et munere exhortationis, et benedictione Pontificali Deo digna ditabat, et subsidia corporeæ necessitatis hilariter et sine defectu tribuebat. Mirabantur enim plurimi, unde tam profluа prodiret pii dispensatoris substantia. Nam etsi aliquando contigisset exhauriri dispensationis substantiam, fides tamen semper mansit solida. In prædicta vero sancti Præsulis Audoeni translatione veneranda, omnes cives propriæ urbis Rotomagensis, necnon et habitatores monasteriorum circumadjacentium, Clerici videlicet ac sanctimoniales, delato ipsius Præsulis venerando corpore, ubertim refici meruerunt. Factaque est deinceps per succedentia tempora in commemoratione beati Pontificis Audoeni illius urbis civibus *g* hæc dies solen- C niter celebris.

*omnibus subvenit:*

31 Ipse autem egregiæ conversationis Pontifex, semper reminiscens plebis sibi a Domino commissæ, frequenter juxta ministerium sibi *h* indictum parochias circumibat proprias, prædicationis sanctæ rorem et piæ conversationis dulcedinem indesinenter eorum delibando mentibus. Qui etiam ad hoc Divini ministerii opus, probatæ conversationis viros semper secum retinebat, quorum juvamine fultus, populum sibi creditum æternæ visionis deduceret ad regnum. Sic unius prædicationis gratia dispensatores multos habebat.

*visitat suam diœcesim.*

a Anno Ch. 693, postquam, ut in e... Actis habetur, requievit beati viri corpus in eodem loco, quo prius conditum fuerat, annis tribus et mensibus septem. Post hæc visum est Antistiti successori suo, ut ipsum sanctissimum corpus transferret in editiorem locum ad orientalem plagam altaris S. Petri Apostoli. — b In eisdem Actis: Fecit super sepulchrum ejus repam mirifici operis, quam argenti maximo talento, auro plurimo, et gemmis optimis decoravit. In MS. S. Maximini et [illegible] MS. Rotomagensi, loco repæ legitur mausoleum. — c Eandem diem Ascensionis Christi referunt Acta [illegible] et MSS. cum Historia Fontanellensi MS. quæ [illegible] anno 693 [illegible] 2 litteris [illegible] Luna 10, celebrato Paschate 30 Martii, [illegible] in 8 Maii postridie Nonas. Cujus loco in Actis S. Audoeni intrusus est dies in Nonas Maii, ut [illegible] non convenit Dies Ascensionis Christi ab anno 628 usque 707. [illegible] Ascensionis Domini [illegible] S. Ansberti [illegible] quod [illegible] — d Acta S. Audoeni hæc ita narrant: Convocato agmine plurimorum monachorum, omnique Clero Ecclesiæ, seu populo ipsius urbis, totiusque Provinciæ totam noctem laudibus et hymnis duxit pervigilem. Finitis vero matutinis laudibus, cum choris modulantium quorum reboabat cantus sonusque mellifluus ipsum sanctum corpus cum magna veneratione, de loco ubi sepultum fuerat, transtulit. — e Addunt eadem Acta, beneficium præstitum S. Ansberto, quo is subito inter Missarum solennia omni febre detersa qua liberabatur, sanitatem pristinam receperit, qui etiam sudarium de capite B. Audoeni pro munere reliquiarum manu sua cum fide sustulit, ex quo et sibi salutem et aliis quam plurimis, Domino largiente, promeruit. — f In eisdem Actis dicitur, innumeram copiam solidorum pauperibus distribuisse. — g In Missali jussu Cardinalis a Borbonio Arch. Rotomagensis edito anno 1583 ea Translatio refertur 5 Maii, uti etiam annotatur in aliquibus Martyrologiis, non tamen antiquis. Ille idem dies celebris est festo Ascensionis Christi in pluribus Martyrologiis, ut vel ideo videatur electus. Omissa ea Translatio in Breviario jussu Francisci de Harlay recognito editoque anno 1627. — h Surius, traditum. — i Idem instillando

*S. Ansbertus anno 693,*

*in extructum sepulchrum*

*die Ascensionis Christi*

*transfert corpus S. Audoeni.*

D

*a febri sanatur.*

## CAPUT VIII.

### *S. Ansberti exilium in Alto-monte. Reditus concessus.*

Sed hostis humani generis, æmulus semper bonorum, cujus invidia mors propinata est homini, callidissima egit arte, ut vir splendidus mundo, splendidior in Christo, propria privaretur Pontificali Sede, essetque detrimentum plebis, ablatio tanti Pastoris. Nam cum inter Principes Francorum sæva esset exorta discordia, ob multiformem *a* regni divisionem, E callidus humani generis hostis malignorum contra Dei famulum sævire fecit invidiam, qui Pipino Principi fraudulenter suggererent, præfatum virum sanctum adversus eum contraria tractasse consilia. Decedente enim de ordine principatus *b* Warratone illustri, et ejus filio ac supplantatore nefando Gislemaro, Pipinus præfectoriam administrationem Domino largiente adeptus est. Quo tempore accusatus apud ipsum Principem præfatus Pontifex sanctus, jussu ejusdem exilio deportatur in *c* Altummontem monasterium, quod est situm in territorio *d* Haonnuo super Sambre fluvium. Cui tempore illo præerat venerabilis *e* Halidulphus Abba. Nullo extante crimine, humiliter exilii subiit ærumnas.

*Defertur apud Pipinum ab æmulis,*

*mittitur in exilium.*

33 Perveniens vero ad præfatum cœnobium, cœpit assuetis sanctæ conversationis ac piæ religionis operibus cunctis ejusdem loci habitatoribus monstrare lucis exempla. Quos quidem in divina religione ferventes invenit, sed infra parvi temporis spatium exemplo et doctrina sua ferventiores reddidit. Etenim jejuniorum instantia ac vigiliarum prolixa pernoctatione indesinenter se affligebat, orationum ac lacrymarum imbre assidue rigabatur. Cui Omnipotens hanc contulit gratiam, ut universi loci habitatores, cernentes ejus in Christo imitabilem devotio- F nem, extemplo eum unico diligerent affectu, nulloque temporis intervallo, opportuno ejus abesse vellent colloquio. Nam et infra ipsius ambitum cœnobii plurima habitantium utilitati dictavit opera, quæ hodieque eorum necessitati manent utilia. Sed versutia hostis antiqui instigante, malignorum adversus eumdem virum Dei accendit invidiam; qui prædicto Principi iterum nitebantur suggerere, ut majora ei inferret exilii detrimenta. Quapropter præfatum venerabilem Patrem Halidulphum accersiens idem præclarus Pastor, ad prædictum excellentissimum Principem una cum aliis viris venerandis direxit, satisfaciens humiliter ejus animi voluntati, adjiciens etiam se non sua sponte Episcopatus suscepisse gradum, sed jussione Principum et electione civium humiliter suscepisse illud ministerium. Quapropter pergens prædictus cœnobii Pater ad eumdem inclytum Principem, superno juvamine fretus, petita concite impetrare meruit. Reminiscens etiam idem Princeps propinqui sui, sancti Patris Wandregisili, sub cujus sancta disciplina præfatus sanctus Pontifex Ansbertus olim regulari ordine alitus fuerat, quæcumque perperam gesta fuerant, clementer indulsit: insuper et ad Sedem propriæ urbis revertendi

*in Altomonte monachis præit exemplo*

*permittitur redire ad Sedem suam.*

A tendi licentiam tribuit. Sed ne hoc fieret Divina vocatione præventus est, ut in sequentibus dicemus.

34 Rediens autem præfatus venerandus Abba Halidulphus, mandata Principis pandit. Ad hæc idem sanctus Pontifex, Gratias, inquit, tibi, bone Jesu, qui dirupisti vincula servi tui, et tribuisti verba placentia in conspectu Principis, et liberasti me de manu insurgentium contra me, et injecisti mihi etiam in hac exilii ærumna vincula amoris tui. Memorans ergo, quod alicubi legerat, quia magni viri multa patiuntur, et ut alios pati doceant, nati sunt in exemplum; semetipsum in spiritu humiliato et animo contrito incessanter affligere non cessabat, offerens altissimo quotidianæ laudis holocausta dignissima. Nam si tempore persecutionis Neronianæ aut Decianæ interfuisset, nulli dubium, quoniam pro confessione Christi Domini nec vim ignium, nec laniatum bestiarum, nec eculei suspendium, postremo nec gladium pertimuisset persecutorum.

*exultat in humilitate,*

a *Hæc divisio regni non inter varios Reges, sed sub eodem Theoderico inter varios palatii Præfectos, seu Majores-domus fuit, cum bellis admodum cruentis.* — b *Hæc bella inter Pipinum et Gislemarum gesta sunt, S. Ansberto adhuc Abbate Fontanellensi existente, ut ea hic a scriptore minus intelligente interposita videantur. Mortuo enim Gislemaro, Warudo parens restitutus est; ac dein S. Audoeno defuncto, electus, ordinatusque S. Ansbertus, aliquot annis pacifice Ecclesiæ præfuit, quando mortuo Waradone, Bertharius factus Major-domus, Francorum amicitiam atque consilia contempsit, a quibus concitatus Pipinus bellum resumpsit, pugnaque apud Vermandenses inita, Theodericum Regem cum Berthario in fugam abegit, ac Berthario dein interfecto Regem accepit cum thesauris et Domum palatii, ut in Chronico Fredegarii cap.* 100 *refertur, subditurque cap.* 101, *mortuum esse Regem Theodericum quod contigit anno* 691 *ut ea accusatio contigerit capta Rege, sub finem anni* 693, *aut initium sequentis.* — c *De Alto-monte monasterio supra egimus.* — d *Surius,* Hannoniensi. *vocabulo recentiore.* — e *MS. nostrum,* Aldulphus.

B *Post cladem Berthariı in exilium missus*

## CAPUT IX.

### *S. Ansberti obitus, sepultura.*

Sentiens vero ex revelatione Divina, diem vocationis suæ imminere (nam et Angelicam super hoc meruit visitationem) misit iterum ad prædictum religiosum Principem Pipinum humilem petitionem, ut lıcitum foret ejus corporis membra ad cœnobium referri Fontanellense, ubi dudum regulari ordine Domino militaverat. Qui ejus annuens petitioni, ut ita libere fieret, extemplo concessit. Et licet pauci cum eo interessent e suis, plurimum tamen confortabantur a Domino: quia valde minus indigebat idem Pater humano solatio, qui fruebatur Angelico obsequio. Dei enim quinto Iduum Februariarum, imminente vocationis suæ hora, convocans Fratrum cohortem, celebrari sibi sacra fecit Missarum solennia. Deinde perceptione Corporis et Sanguinis Domini se muniens, ac sanctæ Crucis vexillo se cunctosque circumadstantes signans, somno ultimo excepto, in mortis quiete dormiens, transiit feliciter e mundo, et ab Angelicis choris anima ejus sancta, generosa, sincera, et ab omni contactu mundi incontaminata, in consortium Sanctorum et felicitatis perpetuæ, in perpetuum collocanda, suscepta est.

*Præscit tempus obitus:*

C *pie moritur 9 Feb.*

36 Cum vero post lavationem corporis ad induendum illud ventum esset, inveniunt in poplitibus genuum et brachiorum cubitis, ob prolixam precum instantiam, obduratam cutem. Sicque quod egerat vivens, mortificans membra sua, caro pandebat defuncta. Itaque sanctum illud corpus magna fidei ambitione vestitum est, ac desuper linteis ceratis obvolutum: quia ipse prædixerat hoc sibi a Domino impetratum fore, ut ossa sua in prædictum Fontanellense cœnobium tumulanda deferrentur. Sicut enim *a* sanctis altaribus Christi assistere consueverat, ita indui eum Fratres curarunt. Sed cum sudarium cera litum, capiti ejus imponere vellent, visus est aperuisse oculos, effigiem præferens viventis, ita ut aliqui dicerent eum esse redivivum. Nam adspectus faciei ejus multum erat roseo perfusus colore. Quidam vero dicebant, pro sudario cera imbuto quasi indignatum esse. Viderunt enim non sine sua gloria, gloriam Dei in Sancto suo triumphantem. Nam et illa exequiarum religio, fidei devotio erat. Et tam lætum erat talem habuisse Patronum, quam grave talem amisisse. Postea sepelierunt eum cum decore et honorificentia summa.

*indutus sacris Missarum vestibus,*

D AUCTORE AIGRADO MONACHO.

*honorifice sepelitur:*

37 Cum vero lampas, liquore olei plena, ante ejus sepulchrum a fidelibus accensa fuisset, et die noctuque indesinenter non solum arderet, sed etiam redundaret, et hoc factum Fratres mirarentur, ac divinæ deputarent gloriæ, posuerunt aliud vas, in quo distillantia ejusdem olei divinitus dati refunderentur. O magna et inclyta, pastor Ansberte clarissime, et felix gloria tua! Non enim indigebat meritum tuum signis probari, quia admirabilis et gloriosa tuæ conversationis operatio, plena virtutibus, perpetuum sanctarum virtutum signum ministravit. Sed quid plura? Multa quidem signorum miracula in eodem loco per eum operari dignatus est Dominus.

*ad sepulchrum lampas indesinenter ardet, et redundat.*

a *Eadem dicuntur in historia Translationis SS. Wandregisili, Ansberti et Vulframni* Sicut ministrare sacris altaribus consueverant, ita etiam tumulari

E

## CAPUT X.

### *Translatio corporis Fontanellam versus. Miracula.*

Cum vero septem decemque dierum orbita finiretur, Legati, qui ad præfatum Principem directi fuerant, reversi sunt, licentia ab eo accepta, ut licitum eis foret eum transferri, quo ipsius decreverat voluntas, nullo ejus sanctæ ordinationi resistente. Cumque sepulchrum illius aperuissent, et putarent venerabile illius corpus ob tam prolixi temporis intervallum jam fœtere, tanta suavissimi fragrantia odoris inde manavit, quasi diversis aromatum floribus ac balsami guttulis omnis repleretur ecclesia. Et cum Fratres, qui ad eum visendum ex propria provincia advenerant cum his, quos secum in exilio habuerat, ablatis ab eo vestibus, cum quibus in sepulchro reconditus fuerat, mutare eas vellent, novis eum indumentis indui cupientes, veluti fecerunt, invenerunt in brachiis ejus signum Dominicæ Crucis, rosei coloris similitudinem gerens, ut patenter cunctis daretur intelligi: quia, cujus arma vivens portaverat in corde, ejus stigmata defuncti monstrarentur in corpore.

*Post 17 dies odorem suavissimum emittit*

*signum Dominicæ Crucis in brachiis habet:*

F

39 Indutum deinde veste Pontificali, positumque in lectica, prælatis ante ipsum aromatibus et incenso, susceperunt illud venerabile corpus cives, qui advenerant, Rotomagenses, monachique cœnobii Fontanellensis, sicque pretiosum gestantes onus, ovantes flentesque arripiunt iter. Comitabatur etiam prædictus venerabilis Halidulphus Abbas, cum plurima suorum frequentia monachorum, ac plebe innumera utriusque sexus, cum sanctæ Crucis vexillis diversis, cereisque ac lampadibus, hymnorum nihilominus canticorumque divinorum carmina in ejus laude dulci modulatione canentes, et in dissonis diversarum linguarum choris, amorem consonum habentes: quia ut valde lætum erat, talem habuisse Pastorem ita suave, talem recepisse Patronum. Et cujus ossa sancta venerabiliter gestabant in terris, in cœlestibus ejus sibi patrocinia confidebant adesse. His fidelium turmis populorum pretiosi Confessoris venerabile corpus stipatum, et canticis honoratum, usque ad Fontanellense perlatum est cœnobium. Halidulphus tamen venerabilis Abbas una cum comitibus sancti itineris, qui sibi famulabantur, usque ad *a* Venttam villam regiam, quæ sita est in pago Bellovacensi

*transfertur solenniter*

*Fontanellam.*

*AUCTORE ANGRADO MONACHO.*

A Bellovacensi secus fluvium Iseram, cum ingenti reverentia prosecutus.

*b* *c* *in itinere* 40 Cum autem iter coeptum carperentes, in villam quæ dicitur *b* Solemnium, quæ est posita super fluvium *c* Save in territorio Hannau, caussa hospitii, ob prolixi itineris fatigationem et refocillationem sui divertissent; ibi accurrit quidam homo, filiam portans propriam, paralytico morbo membris dissolutam, quæ nec pedibus incedere valebat, sed quasi mortua videbatur, clamans, magnisque precibus flendo merita sancti Præsulis implorans Ansberti, *paralytica curatur:* ut unicam ejus sanaret filiam. Cumque a ministris et custodibus sanctissimi corporis secus feretrum ipsius ea permissa fuisset nocte morari, totaque nocte illa vigiliis ac hymnis insisterent divinis, mane facto, invenit eam pater ejus sanam. Atque ita gaudens, gratesque omnimodas Deo ac sancto persolvens Præsuli Ansberto, cum filia propria ovans rediit in sua. Quam mirabilis Deus in Sanctis suis, qui per famuli sui Ansberti gloriosa merita, hujuscemodi fecit miraculum!

*d* *corpus subito immobile,* 41 Cum ergo *d* non haberent loca denominata, ad quæ manendi gratia declinare debuissent, ad quamdam accedentes villam, optabant in ea requies-B cendo venturam transigere noctem. Sed cum ad eam divertere vellent, sanctissimi Præsulis venerabile corpus veluti onus ingens inter manus ferentium im-*mutato itinere movetur:* mobile mansit. Item addentes majora hominum solatia, sed nihilominus, ut prius, immobile erat. Cumque divinitus hoc intellexissent actitari, aliamque itineris se convertissent in partem, illico motu celeri comitante virtute Divina, pervenerunt ad locum aptum, et, ut creditur, Deo sanctoque Antistite dignum ad manendum. Ac sic deinceps per cuncta pii itineris loca tribuit Omnipotens congrua servis suis adminicula, ad famuli sui membra deferenda.

42 Venientes vero ad præfatam villam Venittam, illic affuerunt obviam sancti Præsulis corpori comprovinciales urbis Rotomagensis Episcopi et sancto-*occurrunt Rotomagenses:* rum cœnobiorum Patres cum venerabili Domini clero, propinquique ejusdem sancti Pontificis, ac innumerabile vulgus utriusque sexus cum devotione magna: cœperuntque ante illud ire psallendo. Indeque Halidulfus venerabilis Abbas cum comitibus itineris sui ad proprii revertitur cœnobii habitacula.

*e* 43 Illud quoque miraculum, quod *e* in Fraxonido villa, quæ sita est in pago Bellovacensi, per eumdem C Christi famulum gestum est, placuit conscriptionis stylo tradere. Cumque ad eamdem villam ejus delatum esset sanctum corpus, illuc quædam mulier a propinquis catenata, quæ spiritu vexabatur immundo, perducta est. Clamabatque per obsessam mulierculam spiritus immundus: Cur introduxistis, inquit, in hanc provinciam Ansbertum, servum Jesu *dæmoniaca liberatur* Christi Domini, qui me a propriis expellit sedibus? Cumque appropinquasset eadem mulier, et tetigisset pallium, quo tegebatur gestatorium, clamans voce magna, meritis S. Ansberti Pontificis statim evomuit cum cruore sanguinis inimicum humani generis. Factumque est ibi grande miraculum. At illa gratias agens omnipotenti Deo et S. Ansberto, per quem fuerat a pestifero spiritu curata, reversa est ad sua. Benedictus Christus Dominus, Rex omnium seculorum, creatorque ac conservator omnium Sanctorum, qui ob famuli sui merita, talia dignatus est patrare miracula. In eadem denique villa ecclesia in *ecclesia in ejus honorem construitur.* honorem S. Ansberti Episcopi a fidelibus est ædificata, ejusque grabatum in eadem ecclesia multo tempore mansit, signaque virtutum ob merita ejusdem Sancti ibidem fiunt divina.

a *In oppido S. Lupi, vulgo* S. Leu, *ad Isaram, sive Oesiam fluvium.* — b *Elnonem* Solem *dicitur, ad fines Cameracesii et Hannoniæ.* — c *Alluit Castellum Cameracesium, inde civitas Solem, Sanseriem, Haspram et Noviellam præterlapsus, inter Buchainam* et *Valencenas in Scaldim influit.* Salle *aliis, seu* Selle *dicitur, quod Gallico idiomate* Sauve *est.* — d *Deest Surio vox,* non — e *In MS. nostro,* Fraxinido *vulgo* Fresnoy, *aliis* Fresnetum *dicitur, in Decanatu Pontensi, ubi ecclesiæ Riveariis beneficium confert Abbas S. Wandregisili: ut videre est in Nomenclatura beneficiorum diœcesis Bellovacensis.* D

## CAPUT XI.

### *Alia in itinere miracula. Depositio corporis Fontanellæ.*

Cum vero jam transissent dierum viginti et eo amplius curricula, venerunt in Rotomagense territorium, in locum, qui dicitur Paldriacus. Illicque cunctipotens Dominus, per merita ejusdem sancti Antistitis, simile superiori dignatus est ostendere miraculum. Nam mulier quædam a dæmone arrepta, a parentibus propriis ad Sancti patrocinia quærenda, vinculis constricta, perducta est. Quæ cum pervenisset ad grabatum, ubi Sancti servabatur corpus, *Alia dæmoniaca sanatur:* ac tetigisset linteum, quo operiebatur, magnas dans voces ad sidera, illico gratia Dei ac meritis S. Ansberti, a dæmonio liberata ac sanissima effecta, incolumis proprii juris repedavit ad habitacula. Sit Deo nostro gloria et honor et imperium, qui sic miraculorum signis in sancti Antistitis meritis triumphat.

45 Hic vero locus, in quo Omnipotens istud fe- E cit miraculum, erat patrimonium quorumdam illustrium virorum, Bertholdi scilicet et Radamasti, dis-*corpus iterum hæret immobile:* tans a cœnobio Fontanella milliaribus quatuor. Fertur vero, quia, cum inde elevare corpus sanctissimum conarentur, ita mansit immobile, quasi clavis ac retinaculis ferreis saxo niteretur ingenti. Cumque moveri non posset, talia possessor loci Radamastus intulisse dicitur: Euge, Ansberte, serve Christi fidelis, collocatus inter agmina Christicolarum, memento nostri, quos in vita dilexisti, quosque seculi impugnant gaudia. Hic jam nobis te Christus reducit: idcirco hoc prædium offero omnipotenti Deo, tibique, Præsul sanctissime, cedo per cuncta seculorum curricula. Ipse vero Radamastus, *loci possessores se suaque ei offerunt:* vir honoratus, ejusque frater Bertholdus cuncta, quæ possederant in prædiis ac mancipiis, extemplo deserunt, ac beato Antistiti Ansberto, seque simul cœnobio tradunt Fontanellæ. Sicque jugum libertatis excutiunt, ac jugum Dominicæ servitutis subditis cervicibus illico suscipiunt, monachicum pariter assumentes nomen et habitum.

46 In præfata vero possessione eorumdem virorum, scilicet in via publica ac *a* dilapidata, quæ *a* juxta eam jacet, ac Rotomagensem deducit ad ur- F bem, ubi sanctissimi Pontificis Ansberti venerabile pausaverat corpus, in honore et memoria ipsius a fidelibus crux ponitur lignea, ubi infirmi a diversis languoribus, Domino largiente, meritis S. Ansberti plura frequenter perceperunt sanitatum munera. Ubi circa diem pausationis sive adventus ejus ad eumdem locum, quod est quinto Idus Martii, ad honorem et intercessionem ejus plebes innumeræ pia Domino solenniter persolvunt vota, vigiliarum videlicet ad divinorum hymnorum, donorumque diversorum, cum devotione summa. Atque ibidem per me-*Crux lignea statuitur fiunt miracula.* rita ipsius multa assidue fiunt miraculorum signa, quæ sui *b* enormitate relatoris transcendunt scien-*b* tiam. Ibi enim amissio corporeæ lucis visum, ariditas gressum, ac retinacula linguæ, verborum seriem, officiumque diu negatum aurium, recipit auditum, dæmonumque frequens ab humanis corporibus fit expulsio.

47 Redeunte autem tempore, die sexto Iduum Aprilium in eodem loco, ubi sanctæ Crucis vexillum fuerat erectum, mulier quædam, quæ per multa annorum curricula contracta extiterat, cum fide recta *contracta sanatur:* ad eumdem pergens locum, pristinæ sanitati est reddita: tellusque, quam diu debiles non presserant gressus,

A gressus, est stupefacta, se ab invalidis quondam tam subito contingi vestigiis. Agamus grates Deo nostro innumeras, qui propter jam dicti famuli sui merita, talia dignatur monstrare miracula. Sequenti quoque tempore in præfato loco ecclesia est constructa, in honore S. Ansberti Præsulis, augusto et polito opere, a venerabili Hilberto Abbate, successore ejusdem sancti Patris in ordine regiminis.

*ecclesia extruitur :*

48 Sed his omissis, ordinem translationis præfati famuli Christi, conscriptionis prosequamur stylo. Pervenientes denique cum corpore ejus, qui eum transferebant, ad cœnobium Fontanellam, intulerunt illud in ecclesiam sancti Apostoli Pauli. Flebant nempe senes et juvenes : flebant pueri et infantes, omnisque monachorum chorus. Postea vero accessit venerandus Abbas Hilbertus ad venerabile corpus, assumptis secum probatæ vitæ Fratribus, ac merito sanctitatis ornatis, æstimans illud ob tam prolixi intervallum temporis (nam dies tricesimus instabat) subito fœtere. Cumque sanctum illius caput velamine opertum denudassent, tantæ suavitatis D fragrantia inde manavit, veluti si diversorum aromatum ac thymiamatum odoribus universa compleretur ecclesia. Nam et facies illius ita in ruborem erat versa, quasi in sopore esset, viventis effigiem gerens. Multi quidem sancti Præsules et Patres venerandi, reliquumque vulgus contemplati sunt : quia universis, qui affuerant, fuit permissum hoc cernere stupendi miraculi signum. Deinde cum omni diligentia et timore in sindone munda ac pallio involutum ejus venerabile corpus posuerunt in sepulchro, quod eidem præparaverant in eadem ecclesia S. Pauli Apostoli, cum laudibus, juxta sanctissimi Patris Wandregisili sepulchrum ad ejus lævam, die quinto Iduum Martiarum, sub anno sexcentesimo nonagesimo quinto incarnationis Domini Dei nostri Jesu Christi : cui est honor et potestas, decus et imperium per infinita secula seculorum. Amen.

*Fontanellam fertur corpus,*

AUCTORE AIGRADO MONACHO.

*sepelitur.*

a *Sartos mutata phrasi*, et lapidibus strata — b *Idem*. magnitudine.

B

# DE S. PETRO

E

## ARCHIEPISCOPO CANUSINO IN APULIA.

J. B.

SECULO VIII, IX FEBR.

*Petrus Ep. Canusinus, forte non canonizatus,*

Quoniam in S. Sabini Episcopi Canusini Vita quidquid de Petri ejusdem Sedis primi, ut volunt, Archiepiscopi, Præsulis certe omni virtute clarissimi, rebus gestis uspiam exstat, commemoratum est; visum est illius quoque hoc die Natalem, a nemine expressum, consignare. Non est ille fortassis unquam publica sacrorum cæremonia, Romani Pontificis auctoritate consecratus; ab antiquissima tamen memoria in Divorum numero, sive (quod vix credibile) sola civium suorum Canusinorum pietate, sive Apostolicæ Sedis approbatione, habitus. Nam, ut Antonius Beatillus noster Vitæ S. Sabini cap. 16 testatur, in veteris Canusii basilica quondam Cathedrali, sacellum extat etiamnum sanctis Martyribus Joanni et Paulo dicatum, sub cujus altari conditum a Petro S. Sabini corpus fuit : isthic ejusdem Petri depicta effigies visitur circa sacelli januam, radiato diademate insignis, ut solent Sanctorum, hisce adscriptis verbis : S. Petrus primus Archiepiscopus Canusii. *Neque nuperæ de Sanctorum imaginibus, titulis, veneratione, etsi severissimæ, constitutiones Pontificum, hunc antiquissimum,* C *planeque immemorabilis temporis honorem, abrogarunt: præsertim cum superiorum Pontificum, in eo vel deferendo primum, vel approbando qui a populo erat delatus, accessisse auctoritas videatur. Post priores certe Urbani* VIII *iis de rebus Bullas, Beatilli, qui illum extare epigraphen testatur, editus est liber. Quia igitur in nullis Ecclesiasticis tabulis ac Fastis Petri hujus nomen notatum reperimus (et vero illius Apuliæ tractus Kalendaria, præsertim vetera, vix ulla vidimus) cum S. Sabino, cujus et transtulit corpus, et honorem amplificavit, eum hoc die damus, uti et duos Sabini decessores Memorem ac Ruffinum antea retulimus.*

*ab antiquo tamen Sanctus habitus et appellatus.*

2 *Neque necesse est res ab illo præclare gestas studiosius prosequi, quæ sunt in ejusdem S. Sabini Actis explicatæ. Ætatem illius diximus* § 2 *et* 10, *non recte a Beatillo cap.* 15 *Vitæ S. Sabini, et Gaspare Musca libro de Episcopis Salernitanis, ad nonum Christianum seculum referri; cum anonymus Vitæ S. Sabini scriptor se ea quæ de illius narrat inventione et miraculis, ex ipso Petro didicisse testetur. Petrum vero ea* a senibus Sacerdotum diligentius multis inquisitionibus audisse : *quos senes verisimile sit Inventioni, quæ sub Grimoaldo* II *Beneventano Principe ejusque matre Theoderada, circiter annum Christi* DCLXXXVIII *contigit, interfuisse. Pluribus autem probatum, scriptum esse S. Sabini Vitam, quando et secundissimus erat Salentinæ provinciæ status, et jam tertius tamen Petri successor obierat, ut non potuerit Petrus, quod illi volunt, ad calamitosissima tempora, quibus Apuliam Saraceni vastarunt, pervenisse; nedum Salernum Canusino everso profugisse : cum et steterit post ejus mortem Canusium, et tertio loco Audoaldum habuerit Antistitem. Et sane si excisum sua ætate fuisset, non id scriptor ille satis accuratus dissimulasset. Neque ipse aliter de ejus diligentia sensit Beatillus. Sed ab eo traditum litteris existimavit S. Sabini Vitam sub initium noni seculi, cum Beneventanum principatum Grimoaldus* IV, *Romanam Ecclesiam Leo* III *administraret : Petrum vero triginta adhuc annis postea vixisse. Verum etsi concederemus Emerith Principem, quo Salentinis imperitante scripta dicitur, fuisse Grimoaldi* IV *filium, et fortassis vel ante patrem decessisse, vel una cum eo a Radelchi Compsano et Sicone trucidatum, quod tamen neque auctoris cujusquam vel levissimo testimonio, nec verisimili alio argumento firmari posse existimamus, tamen antea functum vita Petrum Episcopum fateri oporteret, cujus tertius jam successor Audoaldus obierat.*

*non videtur vixisse post an. 800,*

*sed longe ante,*

*nondum vastata a Saracenis Apulia ;*

3 *Gasparem Muscam secutus est Beatillus; nam is* XXXIV *annis priusquam ipse S. Sabini Vitam scriberet, in libro de Episcopis Ecclesiæ Salernitanæ ista de Petro ediderat :* Petrus primus hujusce nominis Episcopus Salerni. Cum esset Episcopus Canusiæ, inde fugiens Salernum, ibidem mortuo Rodoalto, de quo locuti modo sumus, anno DCCCXXXIV, Indict. XII, Sicardo Siconis filio Principe, creatus fuit Episcopus, suoque sumptu ecclesiam juxta prædictam Sedem, in honorem B. Joannis Baptistæ, mira magnitudine construxit, licet ad culmen usque, præveniente morte, non potuerit perducere. Ea est hodie in ædibus Dominorum de Aiello, juxta majorem ecclesiam, et apparent vestigia. Hic vero Petrus fuit Grimoaldo Principi cognatus, annosque decem in Episcopatu vixit. *Hæc Musca, qui et ante in Rodoalto,* Canusiam captam ab Agarenis anno Christi DCCCXVIII Indict. XI, *Siciliamque et mox Apuliam vastatas tradiderat. Verum satis idoneis argumentis antea ostensum a nobis est, neque in Sicilia pedem anno* DCCCXVIII *fixisse Saracenos, neque ante* DCCCXLIII *in Apuliam evocatos, neque continuo eversum ab iis Canusium, et Petro plures in ipsa eadem Sede successisse, quod fieri videtur non potuisse, si anno demum* DCCCXLIV *decessisset, quo fere anno Angelarius Canusii Antistes est factus. Verisimilius igitur est circiter* DCCXX *aut* DCCXXV *Christi annum sanc-*

F

*nec Salernum profugit :*

*tum*

A *tum hunc Præsulem Ecclesiæ Canusinæ præfuisse.*

AUCTORE J. B. *ejus incertum genus :*

4 Grimoaldo Principi cognatum *fuisse Petrum scribit Musca. Cui Grimoaldo?* Salernitano Principi, *inquit Beatillus. Salernitanum principatum a Beneventano, Lotharii Augusti patris sui auctoritate, sejunxit anno* DCCCXLI, *ut supra dictum est, Ludovicus* II *cumque Sigenulpho Sicardi filio tradidit : neque ullus deinde ducentos per annos Salerni Princeps Grimoaldus fuit. Si Grimoaldo Romoaldi filio, Grimoaldi Regis nepoti, Principi Beneventano, cognatum fuisse Petrum voluit; ubi ipsi nullo id teste affirmant, ita nullo id convellere argumento possum aut volo.*

*S. Sabini Vitam scribi curat,*

5 *Quorumque is ortus genere, virtute certe clarissimus fuit, Sanctorumque honoris amplificandi studiosissimus. Ea caussa et S. Sabini scribi Vitam curavit, et miracula Inventionemque diligenter ex senioribus inquisita, scriptori ipse narravit, ut cap.* 5 *num.* 13 *et cap.* 6 *num.* 18 *dicitur. Deinde* cœlesti amore agitatus, ut *habetur cap.* 7 *num.* 21, *ad ecclesiam cathedralem ejusdem Sancti corpus, mille passibus ab ea ante sepultum,*

*corpus transfert,*

*transtulit. Neque miracula defuere, Deo vel Sancti jam cæli recepti gloriam illustrante, vel Episcopi pium studium munerante : nam et suavissimus e tumulo recluso odor exspiravit, et liquor itidem odoratus manavit. Deinde nocturno tempore ante consuetam orationis horam, ut*

*non sine miraculis,*

B

*Deum solus precaretur, templum ingressus, ingentem* D *supra S. Sabini corpus splendorem conspicatus est, quo omne templum late collustrabatur. Aliquanto post febri correpto ipse apparuit Sabinus, ac sanitati eum restituit, prius monitum, ut servos alienos, ab ipsius hominibus male retentos, reddi dominis suis curaret. Canusium ergo reversus, et quod Sanctus jusserat fecit, et corpus illius sub altari sanctorum Martyrum Joannis et Pauli in eadem cathedrali basilica collocavit; ubi adhuc hanc inscriptionem legi testatur Beatillus :* Petrus Archiepiscopus Canusinus posuit hic corpus S. Sabini.

6 *Arbitratur idem Beatillus, fama miraculorum, quæ plurima deinde eo loco contigisse Auctor testatur cap.* 7 *num.* 24, *motum esse Pontificem, ut Petrum Archiepiscopum renuntiaret, vel misso dumtaxat pallio, dignitate ad posteros non transitura, ut factum nonnumquam eo ævo alibi ostendimus; vel aliquot ei subjectis Episcopis, qui nunc Barensi subsunt; vel ea solum collata prærogativa, ut nulli ipse Archiepiscopo subesset; qua ratione apud Græcos plures Sedes Archiepiscopales appellantur, quia autocephalæ. Tandem ipse quoque Petrus in cælum ad sanctorum decessorum suorum contubernium abiit; quo die, anno, ratione, aut ubi ejus conditum sit corpus, incompertum est.*

*ipse Archiepiscopus factus.*

E

# DE S. ALTONE ABBATE

## IN BAVARIA SUPERIORE,

## Commentarius prævius.

J. B.

### § I. *S. Altonis monasterium. Varia ejus fortuna.*

CIRCA AN. DCCLX. IX FEBR.

Cœnobium *est* S. Altonis, *vulgo* Altenmunster, *in superiore Bavaria,* pari fere intervallo *(ut Raderus noster scribit)* Augusta Vindelicorum et Monachio distans, propius tamen Augustæ, et ad sinistram Monachium petenti situm. *De ejus exordiis cœnobii plurimque aliorum universim ita pronuntiat Andreas Brunnerus noster parte* 1 *Annal. Boicorum lib.* 5 *num.* 10. Has tot tantasque, civium Principumque suorum conspirantibus animis, intra annos paucolos, Boica religionis arces accepit, Bonifacii ceterorumque, quos nominavi, illustrium virorum æterna monumenta. Singulis tamen ætatem

*S. Altonis monasterium, ubi situm?*

C suam et annos præfigi posse, etsi cura supersit, spes tamen non est : quod ipsas monasteriorum tabulas, quantamcumque vetustatem redoleant, vacillantes dubiasque fidei deprehenderimus. Illud præstabimus, intra annum quadragesimum et sexagesimum octavi seculi, hæc pietatis domicilia, quotquot numeravimus, surrexisse.

*ædificatum inter annos* 740 *et* 760

2 *Constat quidem,* S. Altonis *habitatione olimque consecratum esse locum, cœnobiumque ipsius vel industria ac labore fundatum, vel demortui veneratione dicatum a populo moto miraculis ad tumulum factis. Qui Vitam ejus scripsit, trecentis post illius obitum annis, tradit ab eo ædificatum oratorium, et apta Divino servitio habitacula, illudque a S. Bonifacio cælitus admonito consecratum, ac magnam silvæ, in qua id situm erat, partem a Pipino Rege Altoni donatam. Eadem narrat ex cœnobii monumentis Raderus : quibus non concordat quod subdit,* Conditorem primum Eticonem ferri, Comitem Licatiorum. *Annis centum Altone posterior hic fuit, Judithæ Ludovici Pii uxoris frater, Welphi filius. Instauravit ac locupletavit illud cœnobium filius Eticonis Henricus : quodque alibi ipse Etico struxerat, illi adjunxit. Ita Brunnerus tom.* 2 *lib.* 7 *num.* 9. Cum ex toto familiarium clientumque grege denos Etico legisset, cum iis in Ambirgoiensem

*ab ipso S. Altone,*

*non Eticone Comite,*

pagum, procul a strepitu hominum demigravit : captusque solitudinis amore, sibi religiosisque viris humilia tecta molitus, in assiduo Dei cultu, cujus unius servitium non dedignabatur, consenuit. Eo vita functo, Henricus filius monachos cum loci horrore et intemperie aeris ægre conflictantes, restituto prius D. Altonis monasterio, quod hominum temporumve injuria conciderat, eo transtulit, et necessario omni apparatu, pro copia, instruxit. *Hujus instaurationis idem meminit Brunnerus tom.* 3 *lib.* 11 *num.* 1. *Et monachus Weingartensis in libello de Guelfis Principibus cap.* 3. Deinde comperta patris morte Heinricus considerans locum, ubi cella incepta fuerat, incommodum et difficilem claustralibus, ad villam quæ dicitur Altenmunster, ubi S. Alto Confessor requiescit, supradictos monachos cum omnibus suis trans- F vexit, et abbatiam ibi satis religiosam et divitem perfecit. *Atque hunc Henricum, Eticonis filium, Welphonis* I *nepotem,* Altonis monasterii fundatorem *appellat Bruschius.*

*a cujus filio Henrico instauratum,*

3 *Henrico filii fuere S.* Conradus *Ep. Constantiensis,* Rudolphus, *atque* Etico II. *Rudolpho genitus est* Guelpho *secundus, qui S. Altonis monasterium, vel* tempore, quod omnia consumit, et Dynastarum rapinis afflictum, ac jam prope perditum, *ut Raderus scribit; vel, ut Aventinus,* ab Ugris excisum, direptum, *instauravit, Benedictinis inductis : quod et Vitæ scriptor commemorat. Quamquam Aventinus Welphonem, a quo refectum illud cœnobium sit, non Rudolphi illius primi filium,* quem scriptores Boariæ, *inquit,* Welphonem primum vocant; *sed Rudolphi secundi, hoc Welphone geniti, filium Welphonem secundum, censet fuisse. Monachus Weingartensis, Bruschius, ac reliqui Welphonem secundum, instauratorem ejus monasterii, Rudolphi filium, Henrici nepotem agnoscunt. Non fuit tamen, ut putarunt Raderus ac Hundius in Metropoli,* Guelpho *ille* Boiorum Princeps : *hanc enim dignitatem primus e Guelphonibus adeptus est hujus nepos* Guelpho, *Azonis Estensis filius.*

*rursumque ab hujus nepote Welphone* II

4 *Translati dein Altorfium ex S. Altonis cœnobio monachi.*

A *monachi. Nam Henricus avus Guelphonis, Etichonis filius, uti ex Weingartensi Monacho scribit lib. 7 Brunnerus,* restituto prius D. Altonis monasterio..... Altorfii etiam fœminis virginitatem professis domicilium amplum exædificavit : quibus paullo post Altonis monasterium incolendum datum est, viris Altorfium commigrantibus. *Id ab ipsomet Guelfone* II *curatum tradunt Bruschius, Martinus Crusius in Annalibus Suevicis, et Scriptor Weingartensis. Refragatur Vita, post Guelfonis mortem, vidua ejus* Irmentrud adhuc in vita, præsenti posita, *scripta. Aventinus Guelfonis viduæ tribuit, quam* Irmangardam *vocat, monachus Weingartensis* Ivitham; *eamque hic* diu superstitem in Altenmunster sepultam *tradit. Bruschius* Immissam *appellat,* Altonis-monasterii ampliatricem. *Hujus deinde filius Guelfo* III *in arce sua, quæ, ut Crusius et Bruschius habent, sub annum* MLIII *conflagrarat, monasterium condidit, quod* Vinearum, *sive* Weingarten *appellavit, inque illud transtulit monachos ex Altorfensi cœnobio, quod in parochialem ecclesiam mutavit.*

*a cujus vidua inductæ monachæ,*

*monachi Altorfium translati,*

*post in Weingarten.*

5 *Demum anno Christi* MCCCCLXXXVII S. Altonis *monasterium,* rursum vetustate collapsum, *ut Raderus scribit,* in pristinum splendorem restituit Georgius

B Princeps Boiorum, *(stirpis Landishutanæ ultimus, ut reor)* et e S. Birgittæ severa disciplina Virgines in eo sacras posuit. *Extat tom. 2 Metropolis Salisburgensis diploma Innocentii* VIII *Pont. Max. pridie Kalend. Martii anni ejusdem datum, in quo dicitur* monasterium *illud,* temporum malitia, et illi pro tempore præsidentium incuria et negligentia, ad tantam ruinam devenisse, quod ejus structuræ et ædificia solo quasi æquata, ejusque bona disperdita, alienata et distracta erant, ipsumque monasterium a monialibus omnino desertum et inhabitatum remanserat, ac inibi nullum Divini cultus exercitium fiebat. *Deinde auditis qui sua rem eam interesse putarent, Frisingensi nimirum Episcopo, cui id erat subjectum, ordinisque Benedictini in eo tractu præsidibus, atque aliis quibus ipse negotium discutiendum commiserat, sancit idem Innocentius, ut* LX *moniales, monachi* XXV, *ex Ordine S. Salvatoris, sive S. Birgittæ, cœnobium a Duce illic reædificandum possideant atque inhabitent, verum altis* et fortibus muris ab invicem separati.

*Altonis monasterium*

*penitus collapsum,*

*an. 1487 restauratum, datum Birgittinis Virginibus,*

6 *Confirmavit dein Julius* II, *diplomate dato* IV Non. Martii MDIV *possessiones dicti* monasterii B. MARIÆ Altomunster, Ordinis S. Birgittæ, S. Salvatoris nuncupati, sub Regula S. Augustini, *ut videre est eodem*

C *tom. 2 Metropol. Salisburg. Testatur Raderus, cum primum tomum Bavariæ sanctæ edidit, an.* MDCXV, *cœnobium id* maxime floruisse. *Deinde in* Animadversionibus ad volumen I *editis an.* MDCXXVII, *post tertium volumen ista scribit :* Hodie, uti nuper *(an.* MDCXXIV) præsens cognovi, non nisi XIII Patres, *et* XXXVI, ut vocant, Sorores locum frequentant, quod pluribus alendis hoc tempore, quo rerum pretium accensum est, non sufficiat. *Ista Raderus. Sed quod* ædem S. Salvatoris nomini initiatam *scribit, vereor ut certum sit, cum Julius* II monasterium S. Mariæ *nuncupet : nisi aliqua facta deinceps mutatio sit. Incolunt etiamnum Altonis monasterium monachi ac monachæ, vastata licet non una hæreticorum incursione provincia.*

*huc usque floruit*

## § II. *S. Altonis patria, ætas, veneratio, Vita.*

*His de S. Altonis monasterio explicatis, quærendum Quis ipse et unde domo fuerit, quave ætate vixerit; quando ejus res gestæ mandatæ litteris. Dicitur in Vita, quam mox dabimus,* nobilissima Scotorum stirpe progenitus : *in vetere Breviario Ecclesiæ Frisingensis,* nobili Scotorum genere progenitus : *apud Raderum,* in Scotia natus ; *apud alios scriptores absolute,* Scotus. *Non ambigit Colganus, quin* Hibernus *fuerit, quia,*

*S. Alto Scotus*
ANIMADV. PAG 59

*inquit,* omnes alii Scoti, qui eo ævo vel superioribus in Boiaria floruerunt, erant ex Hibernia oriundi; *quod longa inductione nititur probare : deinde quia* Alto nomen est apud priscos Hibernos frequens; *quod duobus exemplis probat : denique quia suffragari Brunnerus noster videtur, qui S. Altonem* ex comitatu *scribit fuisse* S. Virgilii, in Hibernia nobili genere nati. *Dempsterus Scotiæ hodiernæ vindicat lib. 1 hist. Eccl. gent. Scotor. num. 2. Favet Raderus in epigrammate S. Altonis imagini subscripto ita eum compellans,* Alto Caledoniæ genus haud ignobile terræ. *Neque enim in Hibernia* Caledonii, *sed inter Pictos fuere. Nos* Scotum *bona utriusque gentis venia, dicemus : nec plus adhuc liquet : ubi protulerint, quæ alterutri regnum certo eum asserant, vetera monumenta, in eorum partes ibimus.*

D

AUCTORE I. B.

8 *Vixit Pipino regnante, Caroli Magni parente; ac S. Bonifacio rem Christianam apud Boios curante, qui Christi an.* DCCLV *martyrio nobili apud Frisones perfunctus. Neque id ulli controversum. Quem ad annum vitam Alto produxerit, nusquam expressum.* Insigni virtute, *ait Brunnerus,* cœlestes post mortem honores meruit. *Ita et Raderus :* Colitur S. Altonis memoria anniversaria publicaque liturgia, v Idus Februarii, quam ex ipso cœnobio... perscriptam et signatam accepi. *In Diœcesi Frisingensi, ut videre est in Propriis officiis an.* MDCXXV *cusis, colitur* IX *Februarii S. Apollonia V. M. cum commemoratione* S. Altonis Ab. *In MS. Martyrologio Carmeli Coloniensis ita consignata est ejus ad eumdem diem memoria :* Eodem die B. Altonis Confess. *Idem habetur in Martyrol. Coloniæ excuso an.* MXII, *et in Hermanni Greven additionibus ad Usuardum, inque Ferrarii Catalogo universali. Idem in MS. Florarii legitur, sed* VI *Februarii. Dempsterus* VII *Februarii coli scribit, et* V *Augusti, utrobique sine auctore. Wilsonus in utraque editione Anglicani Martyrologii ponit* V *Septembris, et post eum David Camerarius, et demum Ferrarius, qui et illic, et hoc die* IX *Februarii, perperam* Salisburgi Abbatem *tradit fuisse : eo comitatus aliquando sit necne S. Virgilium, haud temere possumus definire; illud constat in Boica vixisse, monasterium struxisse (non ipsi S. Bonifacium, ut putat Wilsonus) ibique sepultum esse.*

*vixit circa an. 750.*

*colitur 9 Febr.*

E

*aliis diebus relatus a quibusdam.*

9 *Scripta est ejus Vita vivente adhuc Guelphonis, qui ejus monasterium restauraverat, vidua Irmentrude, tertioque post reparationem in Abbate Henrico. Ita num.* 9. Necnon Henricus Abbas etiam monasterii hujus, cui et adhuc sagaciter præest, præsenti vita potitus. *Et num.* 11. Veneranda matrona Irmendrut dicta... ejusdem scilicet Catuli per annos jam multos vidua, adhuc, disponente Deo, in vita præsenti posita; quam etiam optamus ut perfruatur *etc. Ea postmodum, ut dictum supra est, monachos Altorfium in Sueviam, Altorfio sanctimoniales in Altonis monasterium transtulit; quod alii ab ejus marito factum autumant. De ea monachus Weingartensis, qui* Ivitham *nominat, relata Guelfonis morte ac sepultura, ita scribit :* Uxor vero ejus adhuc diu superstes in Altenmunster sepulta est.

*Vita ejus scripta seculo XI*

F

10 *Dempsterus scripsisse S. Altonem hariolatur* Speculum Caritatis, lib. 1. Hymnos de Sanctis, lib. 1. Ordinationes claustrales, lib. 1. *Quis hæc se vidisse, aut ab aliis citata legisse tradit?*

*libri ei affic ti.*

11 *Præter Wiguleum Hundium in Metrop. Salisburg. Et Christophorum Gewoldum in Notis ad eam et Additionibus, Matthæum Raderum in Bavaria sancta, Andream Brunnerum in Annalib. Boiorum, Joannem Aventinum, Weingartensem anonymum monachum, Thomam Dempsterum, aliosque jam citatos; meminere S. Altonis, Arnoldus Wion tom. 2 Ligni vitæ pag. 903 in Prætermissis, libro 3. Et iisdem verbis Hugo Menardus in Appendice ad Martyrologium Benedictinum. M. Velserus rer. Boicar. lib. 5 ad an.* DCCLV, *ubi ita loquitur*

*Velseri de eo te timonium*

A *loquitur* : Pipinum auctorem Altenmünster laudat. Altoni Scoto, cui cœlitum honorem posteri habent, Pipinus terrarum tractum, silvis vastum et horridum contribuit, Alto succisis extirpatisque arboribus, ad hominum cultum purgavit.

AUCTORE J. B.

## VITA AUCTORE ANONYMO

ante annos DC scripta,

*ex tom.* II *Metropol. Salisb.*

*a*

*Alto, a puero sanctus,*

Beatus igitur Alto nobilissima Scotorum stirpe progenitus, juxta *a* Teutonicam nominis sui etymologiam, ab ipsa puerili ætate seniles maturosque annos agebat; postponens scilicet brevissimam affectuum carnalium voluptatem, et attendens jugiter ad perpetuam spiritualis vitæ jucunditatem. Non illum amplæ possessionis gloria, non parentum vel propinquorum gratia ab intentione retraxerat incœpta; sed in Lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditatus est die ac nocte. Cumque maturitate hac in proposito suo magis proficeret, et Evangelicæ perfectionis ardor in animo fervesceret; admonitus a Domino per visionem, Abrahæ Patriarchæ exem-

*Divino monitu*

B plum secutus, ut relinqueret terram suam et cognationem, transiretque in longinquam Germanorum regionem. Hanc igitur Dominicam admonitionem implere festinans, patriæ terrenæ relinquens habitationem, ut aliquam percipere mereretur cœlestium mansionum, de quibus Dominus noster in Evangelio dixit : In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Joan. 14. 2

Progrediens itaque, ut dictum est, vir Dei ex patria venit in Bavariam infra Australem plagam Germaniæ positam : ubi in silvam quamdam ingressus, cœpit illic fieri colonus, victum sibi inde acquirens, ne quem gravaret, circumquaque discurrens, memor Apostoli dicentis : Non manducavimus panem gratis ab aliquo, ne quem vestrum gravaremus. Et Psalmistæ, qui dicit : Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit.

*venit in Bavariam,*

*et labore victitat :*

2 Thess. 3. 8

Psal. 127. 2.

2 Cum autem ibidem conversatus, multorum aures dulci respergens fama, ad *b* Pipinum etiam Francorum Regem Caroli magni genitorem, qui eo tempore regnans provincias quamplures suo subjugavit regno, deferebatur notitia. Qui quoniam peregrinorum pauperum, eorumque famulantium curam gessit, magnam silvæ illius partem, in qua S. Alto habitavit, sibi potestate habita tradidit. Unde factum est, ut, quem

*b*

*dein silvam a Pipino sibi donatam exstirpat :*

C Rex tanta donatione venerabatur, a plurimis tam longe quam prope positis honoraretur : certarentque fideles et religiosi quilibet de Alemanniæ et Bavariæ partibus, in *c* quarum confinio situs est ipse locus, qualiter ipsum visitarent, eque de substantiis suis ac facultatibus ministrarent. Hujusmodi ergo beneficii maligne suffultus, maximam silvæ traditæ portionem exstirpavit, et in planitiem frugiferaque jugera coæquavit.

*c*

3 Deinde cum post aliquot annos ex manuum suarum labore aliorumque sibi subvenientium supplemento terra exculta, messem copiosam edidisset, pariterque ex oblatione fidelium quotidie ad eum confluentium substantia rerum victualium feliciter excrevisset, cœpit vir Dei sollicito corde tractare, qualiter hæc omnia ad honorem illius, a quo sibi noverat attributa, posset retribuere. Hæc eo tractante, construxit habitacula *d* servitio Divino apta, necnon monasterium Religiosorum, et spiritualis vitæ amatores assumpsit; secumque habitare fecit. Quapropter usque in diem hodiernum locus ipse dicitur Altonis-monasterium.

*monasterium construit,*

*d*

4 Quo constructo sanctus Præsul *e* Bonifacius, qui eo tempore in Germania verbi divini propagator eximius habebatur, visionis Divinæ nutu quodam admonebatur, ut Sancti Altonis monasterium celeriter pergeret consecrandum. Cumque ille adveniens, more solito vellet ita consecrare, ut mulier *f* nulla deberet illud intrare; postulavit B. Alto ne tali pacto suum oratorium consecraret : dixit maxime opus, viris sæpius ad opera varia procul egressis, ut uxores eorum domi remanentes orent pro se suisque viris. Cujus petitioni consentiens mox S. Bonifacius, ecclesiam quidem consecrando tam fœminis quam viris fecit esse communem; sed *g* fontem quemdam in eodem loco juxta ecclesiam positum ea benedixit ratione, ut mulieri nulli liceret ad eum accedere et haurire. Quæ nimirum utraque usque ad nostræ ætatis perseverabant tempora. Sed quomodo sub temporibus nostris horum quædam immutata fuerint, subsequens ratio declarabit.

*e*

D *cujus ecclesiam dedicat S. Bonifacius, Dei monitu,*

*f*

*g*

*et fontem benedicit fœminis inaccessum*

5 Oratorio ergo constructo, ut dictum est, atque consecrato, sub incœpto sanctæ conversationis proposito permansit, et obiit tandem S. Alto multis refulgens virtutibus atque signis : quæ referuntur litteris tradita, sed postmodum (proh dolor!) furtive ablata. Unde et nemo debet mirari, cum paucula virtutum insignia deprehenderit hic enarrari.

*S. Altonis miracula perdita.*

6 Post obitum vero B. Altonis præpotens quidam ex Alemannia, *h* parens videlicet illius Comitis, qui vulgo nomen quoddam est sortitus, quod Latine exprimitur *i* Catulus, nescio qua traditione quave lege vendicantes, sibi ejus monasterium, omniaque quæ ad hoc pertinebant, pro hæreditario jure possidebant. Quare accidit ut cum tanti loci possessores pompæ secularis et curæ familiaris studiosi fuissent magis, quam divinæ servitutis, locum eumdem paterentur annullari nullaque venditione congrua visitari.

*h*

E

*i*

*monasterio culpa secularium collapso,*

7 Hoc igitur modo, hac negligentia S. Altonis monasterium per multa habebatur curricula annorum : donec sub Comitis prædicti Catuli tempore, cuidam venerabili viro per visionem apparuit idem S. Alto dicens ei : Vade, et dic illis senioribus sub quorum corporaliter requiesco potestate : Ego sum Alto; quoniam valde molestum est mihi, quod sub negligentia corporis mei locus jam diu habetur : quodque nulla servitutis Divinæ cura ibi exercetur. Si ergo hæc emendaverint, magnum exinde præmium se percepturos noverint : si autem neglexerint noverint procul dubio quoniam super eos ventura erit magna ultio. Facta igitur visione tali, continuo surgens is cui revelata est, suæ intimat uxori. At illa una de stultis mulieribus, parum curans de cœlestibus præceptis, respondit ei dicens : Non mihi videtur utile, talia tantæ dignitatis hominibus indicare, quoniam nihil aliud quam odium exinde consecuturus eris : cujus obtemperans vir consilio, siluit de injuncto sibi mandato. Post paucos vero dies iterum in visione S. Alto eidem viro dixit : Quare jussionem meam contempsisti? Vade modo, et annuntia quæ tibi præceperam : alioquin aliqua passurus es aspera. Verumtamen, sicut antea, eadem distulit jussa.

*jubet S. Alto eos moneri ut id restaurent, cuidam apparens,*

*qui uxoris consilio hoc id negligit.*

F

8 Tertia autem vice monachus quidam visus est astare eidem homini, dicens illi : Dominus meus misit me ad te, ut interrogarem quare toties ejus spreveris mandata? At ille, Quis est, inquit, Dominus tuus? Respondit monachus dicens : S. Alto Dominus meus est, et ipse me misit ad te. Et ut ita agnoscas esse, flagella quæ tibi ipse minando vicibus duabus prædixit ventura, modo senties illa. Moxque inter hæc increpationis verba ferire incipiens, verberibus nimis afflixit. Deinde ei dixit : Si igitur ideo hactenus distulisti S. Altonis implere mandata, quia non habuisti signa, quibus fides esset adhibenda, fidei jam signa tene, et mandata ejus concitus imple.

*donec in somnis flagellatus est.*

9 Quibus visis evigilans homo, nihilque ultra hæsitans de præcepto, perrexit, et Comiti prædicto hæc omnia sibi indicta denuntiavit. Qui statim credens, et

A et obediens visionis hujus mandato, nisibus totis illud adimplere curavit, adeo ut prædiis nonnullis donatione publica traditis, monachisque etiam congregatis, Abbatem venerandum, nomine Rudolphum, his omnibus regulariter prælatum efficeret. Sed postquam idem Rudolphus, S. Altonis monasterium annis plurimis strenue gubernans, ex hac assumptus est vita; successerunt ei tantummodo duo Abbates, *k* Eberhardus videlicet probitate rara insignitus, nec non Henricus Abbas etiam monasterii hujus, cui et adhuc sagaciter præest, præsenti vita potitus. Horum autem memoriam idcirco hic inserui, ut omnia quæ de S. Altonis revelatione, super monasterii sui renovatione facta retuli, tam præsentium quam futurorum notitiæ pateant, magisque credibilia fiant.

*k constituto Abbate.*

10 Inter hæc etiam pariter commemorandum est quod venerabilis *l* Itha, scilicet mater prænominati, pro institutione tali, devotione tanta apud ipsum intercedendo laboravit, ut pro divini officii augmento suas delicias suamque familiam minui gauderet, et in eodem S. Altonis monasterio sepulturam suam fieri decerneret. Dixisse quoque fertur, quia ideo forsitan genus omne parentum et propinquorum nostrorum B instabile minusque longævum hactenus fuit, quod S. Altonis monasterium sub tanta negligentia relinqueretur. Emendemus ergo in melius, quod ignoranter peccavimus.

*l suadente et juvante Itha matre:*

11 Eadem vero Itha defuncta, ibique quo decreverat sepulta; defuncto quoque viro filioque eorum Catulo prædicto, veneranda matrona, *m* Irmendrut dicta, parentibus nobilissimis orta, ejusdem scilicet Catuli per annos jam multos vidua, adhuc, disponente Deo, in vita præsenti posita, (qua etiam optamus ut perfruatur, mundoque periclitante per eamdem Deus succurrendo misereatur) hæc, inquam, D matrona cum viro filiisque suis defunctis, ad solius hæreditatem atque potentiam omnis eorum possessio devenerit, tali devotione, tantaque humilitate Christo se subjecit, ut non solum ea quæ ab antecessoribus suis ad S. Altonis monasterium donata sunt, non minueret, sed etiam plurimum augeret.

*m quod Irmentrudis ejus vidua locupletat.*

AUCTORE ANONYMO.

a Alt *enim senem, sive antiquum, Teutonice significat.* — b Pipinus *an.* 750, *ut sæpe dictum, Francorum adeptus regnum, id* Carolo *filio moriens reliquit an.* 768, 24 *Septemb.* — c *Ubi situm sit S. Altonis monasterium supra diximus, in occiduo Bavariæ tractu, non procul ab Alemanniæ, quæ nunc Sueviæ pars est, limite.* — d *Breviar. vetus Frising.* servimini. — e *Vitam S.* Bonifacii *Ep. Mart. dabimus 5 Junii.* — f *Arceri olim feminas templis monachorum patebit alibi in Vita S. Rumoldi V. M. etc.* — g *Bavariæ sanctæ Raderi tom. 1 visitur* S. Altonis *imago, pede fontem elicientis, additumque hoc inter alia distichon:*

Cui pulsata pedi silenti præbuit undam
Et fluxit largo flumine dura silex.

*Hic forsitan fons est, aut esse creditur, quem S. Bonifacius benedixit.* — h Rodulphus *nimirum, Henrici F. Eticonis N. de quo supra.* — i Guelfus, *sive* Weltus, *aut* Welpho. *Teutonica vox* Welf, *quam nos Belgæ, aspirata in tenuem mutata,* Welp *aut* Wulp *pronuntiamus, catulum significat. De caussa nominis in nobilissima familia celebrati multæ narrantur fabulæ, ut videre est apud Crusium in Suevicis, Bruschium, Weingartensem aliosque. Stirpis origo, ut eruditi vulgo nunc censent, a Bavariæ Ducibus Regibusque, privatæ possessiones in Suevia Ravenspurgum et Altorfium, haud procul Brigantino lacu. Cognominis rationem explanat Aventinus lib.* 6. Qui primus, *inquit,* Welphonis cognomen tulit, ab auspicio rei militaris, bonoque omine belli traxit. Canis enim, lupus atque vulpes, quorum catulos Welphones Teutones vocant, Germaniæ genti bellicosæ animalia peculiaria, Martique dicata. *Ab Welphonum istorum studio Apostolicæ Sedis tuendæ, nomen sumpsit superioribus seculis* Guelphorum *in Italia factio, ad retundendos Cæsares eorumque clientes Gibellinos, nefarie eam infestantes, conflata.* — k Echardum *vocat Aventinus.* — l *Aventinus scribit* Suevam genere *fuisse*, non longe a lacu Brigantino ortam, filiam Conradi Oëningensis, neptem Ottonis Magni ex filia Richlita. *Weingartensis ejus patrem Cunonem vocat* nobilissimum Comitem, *matrem* Richlint. — m Irmentrud *legendum videtur, quo nomine apud Bruschium appellatur Welphi uxor, Iudithæ Augustæ mater. At Welphonis II conjux de qua agimus,* Juditha *est Weingarteni monacho, Brunnero* Jutha, Irmengarda *Aventino, Bruschio* Immissa.

*Fons S. Altonis.*

*Guelphi unde dicti?*

E

# DE B. MARIANO SCOTO

## ABBATE ORD. S. BENEDICTI,

# ET B. MURCHERATO INCLUSO,

## RATISBONÆ IN BAVARIA,

## Commentarius prævius.

J. D.

### § I. *Scotorum in Germania monasteria.*

C

AN. CHR. MLXXXVIII IX FEBR.

*Qui Germaniam Galliamque a decem jam seculis plurimi e Scotia viri sancti adierunt, vel Christi fidem apud deditas idolorum cultui gentes disseminaturi, vel pietatis studium sermonibus et exemplis propagaturi; ii fere religiosorum hominum illis in locis cœnobia constituerunt, et quandoque singuli plura, uti in SS. Columbani, Galli, Fursei et aliorum Actis licet perspicere. Intelligebant enim viri sapientes, non magis sibi, quo laboribus ærumnisque pro Christi gloria toleratis fessi tantisper sese reciperent, novumque spiritum ex divinarum rerum meditatione haurirent, necessaria illa diversoria esse; quam iis, quos sancti operis adjutores sibi et successores destinabant, instituendis gymnasia. Neque enim absque doctoribus perseverare in populis vel fidei sinceritatem, vel morum integritatem posse; neque doctores ad munus suum rite obeundum formari, nisi essent ejusmodi aliquæ et pietatis et eruditionis veluti scholæ, a quibus et institutionem primum, et, si quid e profanorum hominum convictu adhæresceret contagionis, salubria identidem monita, exemplaque acciperent. Aliam Franciscus Guillimannus in libro de Episcopis Argentinensibus, ejusmodi construendi monachis domicilia caussam indicat, ut essent veluti receptacula et hospitia, quæ gratis* F *et libenter paterent iis, qui ex Scotia ac Britannia aliisque remotissimis provinciis, ad visendam Christianæ religionis arcem Romam, aliaque miraculis ac Divorum Reliquiis celebria loca, peregrinarentur. Marianus Scotus, qui ante DC annos vixit, vetera illa cœnobia non dubitat* Sanctorum Scotorum *appellare. Ita lib.* 3 *ad annum Christi* 937. Monasteria, *inquit,* Sanctorum Scotorum, S. Galli et S. Bonifacii, igne consumuntur. *Fueritne S. Bonifacius, cœnobii Fuldensis auctor, Scotus, alibi inquiremus.*

*Viri sancti e Scotia, in Germania prædicant,*

*monasteria construunt:*

2 *Consecutis deinde ætatibus alia exædificata Scotis cœnobia sunt, non jam Christi fidem prædicantibus, sed pietatis tamen obtentu peregrinationem susceptam, populorum amori gratiæque commendatis. Peregrinandi porro caussæ plures. Alii enim, ut infra in B. Mariani Vita cap.* 3 *num.* 14 *dicitur,* derelictis rebus carisque propinquis, caduca pro æternis hilari mente abjicientes, perque tot maria, perque tot invia regna, Christum sunt secuti: *atque, ut cap.* 6. *num.* 32, dulce solum natalis patriæ, solum omni genere serpentum ac universis vermibus nocivis sequestratum, montes et colles et valles, et saltus venatibus aptos, amœnissima fluminum fluenta, et virides terras, ex puris fontibus amnes, derelinquentes, tanquam filii Abrahæ Patriarchæ, in terram, quam eisdem Deus præmonstravit, se præcipitantes. *Eamdem rationem ex-*

*alii ibidem peregrinantur,*

*studio mortificationis,*

*AUCTORE I. B.*

A *pressit Henricus* IV *Imp. in diplomate dato* Cal. Febr. an. Dominicæ Incarnationis MLXXXIX, Indict. XII. Quidam Scotigenæ, *inquit*, pro cruciando corpore, salvandaque anima, patria sua exulaverant, ac diu orationum loca visitantes *etc. Quibusdam ad expianda peccata etiam non gravissima, a suis moderatoribus peregrinatio ejusmodi imperata, uti ad diem* XXX *Januarii diximus, cum de B. Anmichado ageremus, quem, quia potum hospitibus, Præsidis sui injussu, prompserat, idem propter hanc tantum culpam de Hibernia exire* jussit : quod ille humiliter adimplevit, sicque Fuldam veniens sancte vivendo inclusus obiit. *Alios denique arcanus quidam Dei instinctus ad voluntarium hoc exilium propellebat, aut quandoque manifesta revelatio, uti hoc ipso die de S. Altone diximus*; qui admonitus a Domino per visionem, Abrahæ Patriarchæ exemplum secutus, ut relinqueret terram suam et cognationem, transiretque in longinquam Germanorum regionem.

*mandato Superiorum,*

*Divino monitu.*

3 *Horum perspecta virtute, complures Abbates et Episcopi apud se eos retinere satagebant, quod lib. 1 Antiquit. Fuldens. cap. 20 scribit Christophorus Browerus noster de Richardo Fuldensi Abbate*; qui cum advenas trans mare monachos S. Benedicti nosset, B insigni perfectioris vitæ studio, ac severitate disciplinæ, ex Scotia venisse in Germaniam, dedit operam ut ad excutiendum suorum torporem, et accendendam exemplo virtutem, complures Scoticæ gentis monachos Fuldam accerseret; horumque accuratis vitæ doctrinæque studiis, veterem pietatem ac eruditionem apud suos excitaret. *Ipsæ adeo Abbatissæ, ut infra patebit, Cellas iis et monasteria tradebant, ut eorum doctrina, et exemplis ad pietatem cum suis erudirentur. Multa ac ratione ædificata Scotis per varia loca cœnobia sunt. De Coloniensi testatur Marianus Scotus Chronographus ad an.* 975. Ebergerus Archiepiscopus Coloniensis immolavit Scotis in sempiternum monasterium S. Martini in Colonia, quibus primum primus Abbas præfuit Minborinus Scotus annis XII, *quem Ægidius Gelenius v. cl., lib. 13 de Colon. magnitud. Syntagm. 13 absolute* Beatum *appellat*.

*benigne a variis Præsulibus accepti.*

*hinc condita cœnobia.*

*Coloniæ,*

4 *Anno deinde* MXXXVI, *uti scribit Lambertus Schafnaburgensis*, ædificatum est monasterium Scotorum in Erphordia, per Dominum Waltherum de Glisberg, qui ibidem sepultus est. *Et Historia Erphesfurdensis de Landgraviis Thuringiæ a Pistorio edita, cap.* 11. Tunc temporis nobilis vir Gualterus de C Glyssberg fundavit monasterium Scotorum in Erffordia anno Domini MXXXVI. *Deinceps Ratisponæ geminum ab ipsismet Scotis constructum cœnobium, unum* S. Petri consecrati *appellatum, alterum* S. Jacobi, *de quibus mox agemus, uti et de Herbipolensi S. Jacobi, Nurembergensi S. Ægidii, Eystettensi Dominici sepulchri, Viennensi S. Mariæ et S. Georgii.*

*Erfurti,*

*Ratisponæ, et alibi;*

5 *In his porro cœnobiis* solummodo Scoti inhabitabant, et nulli alii, *uti vel sancit vel testatur Fridericus* II *Imp. in diplomate* an. Dominicæ Incarnationis MCCXII Indict. 1, *dato, quod recitat tom. 2. Metropolis Salisburgensis Wiguleus Hundius, ubi de S. Jacobi Ratisponensi cœnobio agit. At Sigismundus Imp. qui hoc ipsum Friderici diploma suæ sanctioni, data an.* MCCCCXXII *inseruit, ita loquitur* : Sane pro parte religiosorum Abbatis, Prioris et Conventus monasterii Scotorum et Ybernicorum de majori Scotia in Ratisbona, devotorum nostrorum, oblata celsitudini nostræ supplex petitio *etc. Aventinus lib. 6 Annal. Boiorum de his ita scribit*. Hybernia insula est, quæ ultra Britanniam in oceano septentrionali cubat... Ea, de qua dico, Hybernia apud majores nostros fœcunda religiosissimorum doctissimorumque vatum fuit. Inde Columbanus, Chilianus, et plerique alii in Germaniam migrarunt : Scotos nunc nuncupant. Divus hinc Marianus cum sex condiscipulis Reginoburgium D devenit, in templo extra mœnia urbis habitavit. Magnus eo gentilium ejus numerus, beneficentia Boiorum provocati, brevi confluxere. *Matthæus Raderus noster tom.* 2 *Bavariæ sanctæ ista habet* : Muricherodachus domo Hibernus, e veteri Scotia profectus, antevertit Marianum popularem suum, primusque omnium fuit, qui ex ea gente Reginoburgum in Boiariam pervenit... Venit interim ex ejusdem viri divini patria et municipio D. Marianus, *et post alia* : Quæ fama ut in Hiberniam est delata, magnum piorum juvenum virorumque numerum excivit, uti se Mariano in eodem contubernio conjungerent. *Et postea, ubi de B. Mariano agit* : Marianus ergo domo Scotus, sive Hibernus, nam vetus Scotia eadem est cum Hibernia, quod omnes geographi docent, quæ per se insulam efficit; altera autem est Britanniæ insulæ quidam angulus, de qua hic non agimus. Hibernia autem duplex jam olim nomen tulit, ut Hibernia et Scotia diceretur.

*soli Scotis inhabitanda,*

*et Hibernis.*

*qui olim Scoti;*

6 *In eamdem prope sententiam Jacobus Gretserus noster lib.* 1 *Observationum de SS. Eystettensibus cap.* 19. Caussa, *inquit*, cur variis in locis Germaniæ Scotis monasteria extructa sunt, alia non est, quam gratitudo Germanorum erga bene de se meritos. E quia enim ex Hibernia, quæ antiqua Scotia appellabatur, et ex ipsa Britannia, cui Angliæ nomen est, (cujus Aquilonaris pars hodie Scotia dicitur) varios divini verbi concionatores acceperant, æquum censuere, ut iisdem fixa et stabilia domicilia figerent, quo se, si forte necesse foret, reciperent, et unde in agrum Dominicum operarii copiosi emitterentur. *Et post pauca* : Etsi autem dubium non est, talia xenodochia, seu diversoria, seu hospitalia (sic enim nominantur etiam in vetustis monumentis) primitus ædificata fuisse præcipue pro Hibernis, qui veteres Scoti erant, vel potius pro omnibus, qui ex Britannicis insulis in Germaniam fidei propagandæ gratia se contulerant; posteris tamen temporibus soli Scoti juniores, qui veterum Scotorum, hoc est, Hibernorum, coloni sunt, et septentrionalem Albionis (quæ nunc Anglia) partem tenent, jus in Scotica monasteria sibi vendicarunt, et hoc itidem ævo vendicant; neque ullum, nisi fallor, Hibernum aut Anglum suum in congregationem cooptarent.

*a Scotis hodiernis vendicata.*

7 *Verum ipsi quoque Scoti multarum dejecti possessione monasteriorum fuerunt. Aventinus Annal. Boior. lib. 7 ad an.* 1413. Viennæ tum atque Norinbergæ F Scoti exacti, templa indigenis tradita. *De Viennensi Georgius Conæus lib.* 1 *de statu religionis apud Scotos* : Retinet, *inquit*, ad hæc usque tempora nomen a Scotis, licet contra piissimi fundatoris voluntatem Germani illud occupent. *Trithemius in Chronico monasterii S. Jacobi Herbipolensis* : Anno Domini nostri Jesu Christi MCCCCXCVII, Indict. 11, mortuo Philippo hujus monasterii ultimo Abbate de natione Scotorum, locus non solum pastore destitutus, sed etiam ovibus vacuus remansit. Ad tantam siquidem sub regimine Scotorum desolationem præsens monasterium devenerat, ut Abbas sine monachis inane Pastoris nomen portaret. A multis etenim annis male hic rexerunt Abbates, quousque tandem monasterium in ultimam paupertatem devenit. *Deinceps narrat quomodo isthic restituta disciplina sit, aliique introducti monachi, quibus, post Kilianum Crispum de Oxenfurt, ipse Trithemius Abbas præfectus sit. Jacobus Gretserus noster Observat. Eystett. lib.* 1 *cap.* 19 *superius citato*. Pluribus locis cœnobia ista interiere, non solum ubi hæresis rerum moderatur habenas, sed et apud Catholicos, sive id acciderit penuria incolarum, sive neglectu religiosæ disciplinæ, sive alia de caussa. *Modo in multa ejusmodi cœnobia restituti sunt Scoti.*

*nonnulla erepta utrisque,*

*restituta quædam*

§ II.

A

## § II. *B. Mariani monasterium, scripta.*

*Monasterium S. Petri consecrati Ratisponæ, non tempore Caroli Magni ædificatum.*

Quod B. *Marianus ædificarit S. Petri juxta urbem Ratisbonensem monasterium, ut mox dicemus, id quidam multo antiquius esse existimant. Nam quia Carolum Magnum constat vel per se vel per Duces suos, non solum cum Boiariis atque eorum Duce Tassilone, sed cum Slavis quoque, ac pro his ipsis, cum Hunis bella gessisse, et hisce e Norico ac parte Pannoniæ pulsis, curasse Christi fidem longe propagari; inde* monasterium hoc, *inquit Wigulius Hundius, quod vulgo* S. Petri consecrati, *sive* Weyh S. Peter *solet appellari*, dicitur tempore Caroli Magni inceptum, et in colle Victoriæ extra muros positum, ubi corpora interfectorum sepulta; consecratum miraculose per S. Petrum cœlitus, juxta Chronicon illius monasterii apocryphum etc. Sed cum iste locus arctior et angustior esset, quam ut tot Fratres caperet, ædificatum est in agro quodam plano et lato D. Alberti nobilis viri de Midersil in montanis qui residebat in propriis possessionibus apud Phrandenhausen, monasterium Scotorum in honorem D. Jacobi, sub Dominico primo ejus loci Abbate, tempore Erckanfridi Episcopi Ratisbonensis, et Lotharii Imp. circa annum DCCCXLV.

B Ita Chronica Episcoporum Ratisponensium *Hactenus Hundius, qui ea mox refutat. Agit vero alibi de Erckanfrido, traditque anno* DCCCXLII *Episcopum Ratisponensem factum, sedisse annis decem.*

*obtenta miraculo victoria,*

9 *Aventinus Annal. Boior. lib. 4 disertius eam fabulam exponit :* Rector Francorum compositis rebus in Baioria, Limiti præsidiis collocatis, præside Geroldo dato, ad Aquas Graneas in hiberna concedit. Atque Carolum Magnum cum Reginoburgensibus, tum alienis a religione nostra, conflixisse, Superos atque Genios pugnæ interfuisse, cœlitus gladium Carolo demissum esse; ipsum Boios oppugnasse, sub jugum religionis Christianæ misisse, urbem vi cepisse; locum castrorum in templum, quod a Divo Petro consecratum sit, cernentibus noctu in tenebris nescio quibus Scotis, vertisse, falsum esse confidenter existimare debemus. *Pluribus deinde verbis narrationem illam refellit, falsam quidem ac futilem, sed immodeste, ut solet, ne dicam petulanter; ut idem in lib. 5.*

*sed a B. Mariano Scoto,*

10 *Construxit S. Petri monasterium in Orientali civitatis Ratisponensis suburbio, tertio post Carolum seculo,* B. Marianus *Scotus, non is cujus Chronicon extat, licet ambo eadem ætate vixerint; ut unum eum existimarit*

C *Guilielmus Eysengreinius in Catalogo testium veritatis, ubi Mariano Chronographo socios jungit* Joannem, Candidum, Clementem, Isacium, *qui alterius Mariani fuere; additque* Donatum, Magnaldum; *et, qui prius longe, quam Marianus, venerat Ratisponam,* Mucheridachum, *ita enim appellat; Lazius lib. 7 de migrationibus gentium* Muricherodachum, *atque Mariano socium, uti et Clementem ac Donatum. Aventinus lib. 5 Annal. Boior. si non eumdem cum Chronographo existimarit, parem certe illi eruditionis laudem tribuit, splendidius quam verius, ita scribens :* Hac quoque tempestate Divus Marianus Scotus, poeta et Theologus insignis, nullique suo seculo secundus, cum comphilosophis suis Joanne et Candido, Clemente, Donato, Murcheridacho, Magnaldo, atque Isacio qui centum vixit annos, in Germaniam venit. Inde Reginoburgium hi concessere, ab Hemma Virginum Maxima hospitio in superiore monasterio excepti sunt. Willa ejusdem contubernii Antistes templum Divi Petri extra urbem, quod Weichs vocatur, consentiente Ottone Episcopo, ipsis tradidit. Machtylda inferioris monasterii zythum ac cerevisiam tribuit. Ipsi ope bonorum domicilia sibi construunt, in diem vivunt, docendo et interpretando sacras litteras, scribendo, victum et magnam gloriam conquisivere. *Hæc Aventinus.*

*ejusdem temporum,*

D

11 *Certe, ut annotarit Raderus noster tom. 2 Bavariæ sanctæ, proclive hic fuit hallucinari,* quod et eodem seculo iisdemque annis et Cæsaribus uterque vixerit, et uterque scripserit, et uterque sanctitatis fama floruerit; quodque utique eadem patria, idem nomen fuerit. Et quis non unum, rem levius inspiciendo, fuisse jurarit? Cum etiam mors utriusque pæne in eumdem annum concurrerit, quando Chronographus anno CIↃLXXXVI, alter hic noster biennio post alterum sit insecutus. Ceterum duos plane diversos fuisse primum ex Chronographo constat, qui de se ipso anno CIↃLVI tradit, se Calendis Augusti Coloniæ in monachum attonsum fuisse : atqui noster Coloniam numquam vidit, ut ex infrascriptis ejus actis demonstrabitur. Idem Chronographus anno CIↃLVIII, ut ipse de seipso testatur, Fuldam venit, ibique decem annos latebra inclusus posuit : noster hic Marianus ad illas partes numquam aspiravit : Chronographus demum Moguntiam contendit, atque rursus XIX annos ab omnium hominum societate exclusus, solus et clausus usque ad obitum duravit, ut in appendice ad Marianum anno CIↃLXXXVI consignatum est : noster Ratisponæ apud S. Petrum consecratum ad urbem conditus magnis fulsit miraculis. Ille divinæ et naturalis sapientiæ Antistes et interpres, matheseos

*AUCTORE J. B. qui gentilis fuit et æqualis.*

*sed omnino tamen alius,*

E etiam gnarus, et omnis antiquitatis peritus historiographus fuit, multa volumina suopte ingenio composuit ediditque, ex quibus Chronicon opus hodieque in manibus est. Noster homo quam sanctus tam simplex fuit, nihil e suo ingenio deprompsit, nisi quas e sanctis quibusdam Patribus symbolas ad Psalmos collegit; librarius dumtaxat aliena volumina, et sacra potissimum, transscripsit. Plura, si tamen opus pluribus, discrimina in ipsius narrationis decursu apparebunt. *Hactenus Raderus. Sed quod fidenter asserit B. Marianum Coloniam Fuldamque non vidisse, nescio an probare possit. An non isthac potuit iter instituisse, præsertim si et Bambergam venit?*

*bonus librarius,*

12 *De B. Mariani scriptis ista habet Aventinus lib. 5.* Exstant Reginoburgii in inferiore monasterio divini Davidis hymni, cum commentariis in membranis scriptis, opus Mariani. Ejus præfationem, ut fides fiat, subtexo de verbo ad verbum : Anno Dominicæ Incarnationis MLXXIV Hainrico juvene Imp. Machtylda Abbatissa S. Mariæ et S. Herhardi abbatiam regente, decemnovalis Cycli XI anno, Indict. XII, Marianus Scotus septimo peregrinationis suæ anno collegit

*qui et symbolas PP. in Psalmos collegit.*

F modicas istas undas de profundo sanctorum Patrum pelago, scilicet Hieronymi, Augustini, Cassiodori, Arnobii, et de opusculis S. Gregorii : et pro suæ animæ salute, in honorem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et ejus Genitricis semperque Virginis Mariæ, et S. Herhardi Confessoris, scripsit, et in unum librum perstrinxit. Prolixas enim et salubres Catholicorum Patrum expositiones non omnes avido cordis amore petunt. Multi sunt etiam, qui etsi tales legere vel habere vellent, tamen minori * censu vel intellectu, vel aliqua caussa existente occupati, illas invenire aut legere non possunt. Numquam tribuatur ad transscribendum extra monasterium nisi pro eo congruum relinquatur vadimonium. Georgii feriis cœpit, Matthæi et Hemerami finivit.

** an sensu?*

13 *Thomas Dempsterus Historiæ Ecclesiast. gentis Scotorum lib. 12, tradit Marianum scripsisse* Regulam ad Fratres lib. 1 et alia, quæ ibidem loci MSS. asservantur. *Potuit quidem Aventinus, quos retulit, compilatos a Mariano veterum Patrum commentarios inque volumen unum reductos, vidisse : Dempsterum neque vidisse arbitror, neque audisse qui testaretur, tum cum scribebat ipse anno Christi* MDCXXVII, *adhuc in S. Mariani conobio asservata illius scripta fuisse. Nam, ut Raderus triennio ante Dempsterum, scripsit tomo 2 Bavariæ sanctæ an.* MDCXXIV *edito,* ædes illa extra pomœrium,

*an et alia scripsit?*

*non extant saltem (quod tradit Dempsterus) in ejus monasterio,*

A mœrium, quæ ab loco D. Petro Consecrato nomen tulit, hodie nulla est, anno CIↃIↃLII, Antistite Georgio cum aliis nonnullis templis, prætextu belli funditus eversa, et in ossarium hæreticorum demum conversa. Atque ita cum cœnobio simul memoria B. Mariani pæne tota deleta, et abolita est, quam jacturam hæreticis et eorum auctori Acheronti, de more in acceptis referimus. *Quod sub Georgio Episcopo eversum illud monasterium scribit Raderus, non ita accipiendum, quasi id ipse fieri jusserit sciveritque, quo invito plura tunc temere facta ab iis, qui tueri urbem contra factiosos Principes debebant, uti Hundius lib. 1 et 3 Metropolis ostendit.*

*AUCTORE J. P. Pridem everso.*

14 *Non solum Marianum, sed et socios scriptioni librorum vacasse ait Aventinus lib.* 6. Difficilioris, *inquit*, religionis obsequio, castimoniarum abstinentia satis ardua, scribendo, docendo, maximam sibi gloriam conquirunt: spectatum satis magnum exemplum pietatis, non solum Boiis, sed et finitimis erant: omnibus placebant, uno ore omnes omnia bona de ipsis dicebant. *At Vita, quam mox dabimus, solum habet Marianum in scribendo, ceteros in membrana paranda desudasse. Fuit tamen Joannes, Mariani socius, Presbyter, ut in Vita B. Altmanni Passaviensis Episcopi* B *dicitur, magnaque sanctitatis et sapientiæ opinione.*

*an et socii scribæ?*

## § III. *B. Mariani ætas, natalis. Vita B. Murcherati memoria.*

W*olfgangus Lazius lib. 7 de Gentium migrationibus, cum Riettenbergensium Comitum stemma describit, a S. Leopoldi Marchionis Austriæ genero, aut etiam nepote, susceptos Marianum ac socios ait, quando primum Ratisponam venerunt. Ita habet:* Henricus II Burggravius, ex Berchta filia S. Luipoldi, Austriæ Marchionis, reliquit tertium Henricum et Fridericum. Is (*Fridericusne, an parens?*) S. Marianum Scotum cum sociis Isaaco Clemente, Donato, Candido, Joanne, et Muricherodacho, Ratisponam venientes, viros doctos suscepit; et primo Vestalibus commendavit, quæ primum S. Petri sacellum illis extra urbem concesserunt. Deinde, auxilio Pogensium et Comitum de Labar, proprium cœnobium extrui curavit, quod adhuc Ratisponæ est, et Scotense appellatur. *Hæc ille. Uxorem duxit S. Leopoldus anno* MCVI (*ut* XV *Novemb. in ejus Vita dicetur*) *Agnetem Henrici* IV *Imp. filiam, quinti sororem, viduam Frederici Ducis Sueviæ, cui jam pepererat Conradum* III *postea* C *Imperatorem, et Fredericum Frederici Ænobarbi Imperatoris patrem: ea dein Leopoldo octodecim liberos genuit. Ex his* Bertham, *sive* (*ut alii scribunt*) Berctham, filiam primam Leopoldus Heinrico Burggravio Ratisponensi desponsavit; *inquit in Austria sua Cuspinianus. Fuit Henricus Leopoldi gener, Ottonis Rittenburgensis Burggravii Ratisponensis frater, ut inferius in Vita num. 13 dicitur. Otto autem memoratur in Diplomate Henrici* V *dato an.* MCXI. *Unde consequens est, non nisi circiter annum* MC *venisse Ratisponam Marianum, si ab eo primum susceptus est; serius etiam, si a Frederico ejus filio.*

*B. Marianus non est a S. Leopoldi genero aut nepote exceptus,*

16 *Longius aberrat a vero Thomas Dempsterus Historiæ ecclesiasticæ gentis Scotorum lib.* 12 *ita scribens:* S. Marianus, alter a monacho et Historico, Ratisbonam venit cum sex sociis monasticam vitam professis, et a Friderico, nepote S. Leopoldi ex Bertha, benigne exceptus, S. Petri sacellum extra urbem obtinuit: postea, auxilio Pogensium et Comitum de la Bar, monasterium fundavit, quod Scotense illo seculo, sive Scoticum hodie vocatur. . . . Floruit anno MCLXIII, quo obiit. Fundatum cœnobium anno MCLVIII. *Non est operæ pretium ista fusius refellere, cum ipse B. Marianus, ut videmus, annum Christi* MLXXIV *dicat esse suæ peregrinationis septimum: cum Scotigenis,*

*nedum ad an. 1163 vixit,*

*quorum primipilus erat Marianus, possessionem ecclesiæ S. Petri consecrati confirmarit Henricus* IV *anno* D MLXXXIX: *cum ipsa denique Vita, quam dabimus, idem diserte adstruat: cum Vita B. Altmanni* VIII *Aug. Joannem Mariani socium, ab eo tradat in Gotwicensi cœnobio in Austria exceptum, et ipsum B. Altmannum constet anno* MXCI *obiisse. Probabile est, quod Raderus noster scribit, Marianum circiter annum* MLXXXVIII *decessisse; cum septimus ab eo cœnobii S. Petri Abbas Dominus (ut cap. 3 num. 15 dicitur) Henrici* V *tempore vixerit, qui tamen Cæsar anno* MCXXV *mortuus.*

17 *At quo die decesserit B. Marianus non indicat Raderus, quia nimirum, everso S. Petri consecrati cœnobio, simul tota fere illius abolita memoria est. Joannes Colganus in Notis ad Vitam B. Muricherodaci* XVII *Jan. scribit se ad diem* XVII *Aprilis Vitam S. Mariani daturum; cujus scriptoris testimonio eum illi natalem fuisse diem duxerit, non prodit. Atqui in nullo, quod quidem viderimus, Martyrologio ad eum diem Mariani hujus adscriptum est nomen: est alterius Chronographi Mariani in Ferrarii catalogo generali et Anglicano Martyrologio Wilsoni in priori editione, ast in posteriori expunctum. Sed, ut ad* XXX *Januarii diximus, neque quo die is obierit nobis constat, neque an inter sanctos habitus, licet Wion pro more absolute* S. Marianum *appellet* E *lib. 2 Ligni vitæ cap.* 72.

*nec 17 Aprilis obiit,*

18 *David Camerarius lib. 3 de Scotorum pietate hunc nostrum Marianum* IV *Julii consignat his verbis:* S. Marianus Confessor et Abbas in celebri illo Scotorum monasterio Ratisbonæ in Germania. In Caledonia Scotiæ provincia, cujus præcipua civitas Dumcaldonia, monachum prius egit non sine magna opinione virtutis. *Fuere quondam* Caledonii *populi*, saltusque Caledonius *in septemtrionali Britanniæ plaga, quæ nunc Scotia appellatur: et quæ in Perthia provincia ad Taum amnem sita est urbs Episcopalis* Dunkeldes, *vulgo* Dunkell, *eam conjiciunt multi a Caledoniis incolis aut conditoribus nomen sortitam. Georgius Buchananus rer. Scoticar. lib.* 7 Caledoniensem, *in ea nempe urbe, fundatum a Davide Rege Episcopatum, vocat. At quo auctore probat Camerarius isthic monachum fuisse Marianum, quem Vitæ illius Auctor, qui cum ejus discipulis vixit, testatur num.* 7 de Hiberniæ finibus *venisse; et num.* 14 *ex Aquilonaribus partibus Hiberniæ oriundum fuisse? At neque cur eo die illum reponat, rationem testemve affert.*

*aut 4 Julii,*

19 *In MS. codice Carthusiæ Gamnicensis, unde nobis B. Mariani Vitam Joannes Gamansius noster descripsit, additum erat,* V. Idus Februarii; *ut conjicere liceat vel ab Auctore eum indicatum esse ejus natalem, vel a librario, qui eam olim transcripsit. Idem porro* F *Auctor Hibernum se profitetur cap.* 1 *num.* 1, *ita scribens:* Quapropter antecessores nostri, nos quoque Christi pauperes, pro remedio animarum, de finibus Occidentis, nudum Christum nudi sequentes, patriam carosque propinquos, amore ac desiderio vitæ cœlestis derelinquentes, ne videamur Aborigines, sicut vultur et ardea, quorum ortus et exitus soli Deo cognitus est; qualiter de dulcibus Hyberniæ solis, quo doctore, quibus Principibus, urbis inclytæ, piæ matris peregrinorum, præcipueque Scotorum, suburbia Ratisbonæ civitatis, Divina nos ductitante gratia, habitare incepimus *etc.*

*sed 9 Februarii.*

*Vita unde huc edita?*

*ab Hiberno monacho Ratisponensi composita,*

20 *Ætatem suam idem indicat cap.* 2 *num.* 10 prout mihi Pater Isaac, qui centum et viginti annis vixerat, ejus contemporaneus, et qui sub sua directione et obedientia degebat, non sine lacrymis sæpe referebat. *Et cap.* 5 *num.* 25 *de* Declano, *Abbate monasterii S. Ægidii Nurembergæ, loquens, qui Conradi* III *Imp. anno* MCLII *mortui, et Frederici Barbarossæ ejus successoris, Capellanus fuit,* nostro, *inquit,* fuit vir utilis ævo. *Ac demum cap.* 6 *num.* 31 *citat diplomata Adriani* IV *Pontificis, qui an.* MCLIX *decessit, et, qui cum*

*post annum 1160*

A *eum secutus est, Alexandri* III. *Porro vitæ B. Mariani in citato codice hic erat titulus :* Vita S. Mariani monachi et Confessoris Ordinis S. Benedicti Scotorum, conscripta a quodam illius ferme contemporaneo, Ordinis (ut apparet) ejusdem : ubi pariter recensetur fundatio et progressus monasterii S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ, et per accidens memorantur fundationes domorum ejusdem Ordinis Viennæ et Herbipoli, Nurembergæ et in Eystatt, cum aliis quibusdam memorabilibus, maxime Ratisbonensibus. *Partem aliquam Vitæ hujus tom. 2 Bavariæ sanctæ edidit Raderus, nec videtur integram habuisse.*

*B. Murcheratus Inclusus,*

21 *Licet hic* Murcheratum, *cujus alioquin ignoratur natalis, Mariano jungere, quando utriusque res gestæ simul commemorantur. Et vero* B. Muricherodachum clausum *appellat Raderus; itaque ejus elogium orditur :* Muricherodachus domo Hibernus, e veteri Scotia profectus, antevertit Marianum popularem suum, primusque omnium fuit, qui ex ea gente Reginoburgum in Boiariam pervenit, ibidemque apud superius Virginum cœnobium æterno clausus ergastulo, in votis et precibus summaque vitæ severitate ad multam ætatem et extremum usque diem perseveravit. *Ac deinde ita concludit :* Ita D. Muricherodachus tot in Germania cœnobiorum, Scotis seu Hibernis conditorum, quasi primum fundamentum, primusque in omnibus lapis fuit, quamvis ipse e suo spelæo numquam fuerit egressus. Sed virtutis fama, vitæque sanctioris odor, nullis claustrorum repagulis continetur; imo quo arctius custoditur, hoc latius diffunditur.

B

*non Abbas,*

22 *In nullo virorum cœnobio Ratisponæ habitavit, nedum Abbas ad S. Petri consecrati fuit, quod falso, ut multa, scripsit Aventinus lib. 6 Annal. Boior.* Divum Marianum Scotum, *inquit,* conterraneos ejus Isacium, qui centum et viginti vixit annos, Clementem, Muricherodachum, Joannem, Candidum, et Donatum, Imperatore Hainrico quarto imperante, Reginoburgium in Boiariam venisse; juxta templum Divi Petri extra mœnia a Civibus, præcipue Bezelino quodam, eis ædiculas conditas esse, supra in quinto libro retuli. Hac fama moti plures Scoti de Hybernia adventarunt, quibus septem illi præfuere, quorum ultimus Clemens fuit. *At Murcheratus diu ante Marianum Ratisponam venit, et cellæ inclusus juxta superius cœnobium Virginum vitam egit. Joannes in Austriam, Clemens Hierosolymam migravit. Donatus nusquam memoratur.*

*nec ad S. Petri consecrati ædem monachus.*

23 *Andreas Brunnerus noster Annal. Boicor. parte 3 lib.* 11, *Aventinum temere secutus,* Murecheridachum C *cœnobii S. Petri incolam facit :* Ex ultimis usque Scotorum insulis, *inquit,* in desertam stationem æque clara nomina successerunt. Initia progressusque deductæ coloniæ proprio commentario posteri descripsere, non sine portentis fabularum, quas nec referre, nec refellere animus est; sua vanitate corruunt. Ex instrumentis publicis manifestum fit, Ottone Episcopo adhuc superstite, Ratisbonam nonnullos ejus gentis accessisse, procurationeque ædis D. Petri, qui Consecratus vulgo dicitur, accepta, collatitiis Piorum symbolis victitasse : tecta deinde molitos; quorum angustias Otto Riettenburgicus aliique complures, (nomina in membranis supersunt) paullo post dilatarunt. Ex primis incolis Mariani et Murecheridachi illustrior est memoria, quos sua virtus et fama publica Superis exæquavit. *Ita ille. Non videtur autem, quem hic damus de Mariani et sociorum rebus gestis, commentarium vidisse; sed apocrypha solum S. Petri consecrati Chronica, de quibus Hundius tom. 3 et Aventinus. Fortassis tamen non tam cœnobii ad S. Petrum, quam Ratisponæ urbis incolas vocat Brunnerus.*

*Ejus natalis ignotus,*

24 *Joannes Colganus in actis SS. Hiberniæ* B. Marcherati *natalem statuit* XVII *Januarii, ut diximus, nullus tamen scriptoris auctoritate confirmat, res gestas ex Radero et Aventino describit, et* Muricherodachum, D Murcheridachum, Morcheratum, Murcherdachum, Morcherdacum, Murchertachum *appellat. Nos, ut in MS. reperimus,* Murcheratum *nuncupamus : et, quia natalem ejus ignoramus, neque laboramus ut dies singulos nominibus Sanctorum unde conquisitis expleamus, cum Mariano eum relinquimus. Affine huic nomen in eadem Hibernia viguit circa eadem tempora,* Murchardi; *nam* Dermicius Murchardi filius, *vulgo* Dermot Mac-morrog, *Rex Lageniæ fuit; qui, tempore Henrici* II *Regis, Anglos in Hiberniam excivit. Obiisse Murcheratum conjicit Raderus circiter annum* MLXXX.

*AUCTORE J. B. nomen varie expressum,*

*annus mortis.*

# VITA

## *auctore Scoto monacho Ratispon.* ex MS. Carthusiæ Gamnicensis *descripta a Joan. Gamansio Soc. Jesu.*

### CAPUT I.

### *Hiberni ad fidem conversi, eam alibi prædicant.*

Sanctorum Patrum illustriumque quorumlibet virorum gesta, quantum sint insignia, licet venerandæ E antiquitatis fuerint sua auctoritate et pondere fulta; verumtamen nisi fidelibus litteris, diligentique custodia memoriæ commendetur, cadentibus studiis litterarum temporibus modernorum in negligentiam, per tot seculorum spatia in obscurum oblivionis *a* volucrum delabuntur. Idcirco minime est admirandum, si humilium virorum res gestæ historiæque memorabilibus scriptis fidelium subsequentium auribus non fuerint retinendæ, tamquam fumus ab oculis in tenues auras evanescunt. Quapropter antecessores nostri, nos quoque Christi pauperes, pro remedio animarum de finibus Occidentis nudum Christum nudi sequentes, patriam, carosque propinquos amore ac desiderio vitæ cœlestis derelinquentes, ne videamur Aborigines, sicut vultur et ardea, quorum ortus et exitus soli Deo cognitus est; qualiter de dulcibus *b* Hyberniæ solis, quo doctore, quibus Principibus, urbis inclytæ, piæ matris peregrinorum, præcipueque Scotorum, suburbia Ratisbonæ civitatis, Divina nos ductitante gratia, habitare incepimus, pro modulo parvitatis meæ venturis fidelibus utcumque balbutiendo puerili ac simplici stylo commendabo.

*a Cur vitam hanc Auctor scripserit*

*b*

F

*Hiberni peregrinationi dediti*

2 Sed fortuitu aliquis zelo pietatis homo in peregrinos, sive notam inconstantiæ eis intligens, sciscitabitur : Unde est, et unde mos iste inolevit, quod de finibus Hyberniæ præ ceteris gentibus lumina Sanctorum per universum orbem, diris sæpe frigoribus ac æstivis solibus, peregrinantur? Ad hanc quæstiunculam, licet longis ambagibus, unde mos iste inolevit, persolvendo ostendam.

*occasione tributi Romanis prædicati, de Christo inaudiunt*

3 Postquam problemata Patriarcharum, et Prophetarum ænigmata de Christo, obscurata prius Judæa, per voces Apostolorum tamquam Spiritus sancti organum, per Romana mœnia intonuerunt; illuc cœlestis gratia, dominam gentium, Romanam urbem, in prima origine nascentis Ecclesiæ intus et externus illustravit, tantique præclara fama facti usque ad extremos orbis fines, præcipuæ Occidentis celeberrime est celebrata. *c* Temporibus namque Augusti Cæsaris, Tiberiique simili ratione justi sui successoris, vectigalia ac tributa ex diversis orbis climatibus antelatis Patribus senatuique Romano, singulis annis tempore determinato afferebantur. Quorum vectigalium latores quæcumque prædicamenta, quæ digna relatu noranda ubicumque audierant, cum ad propria repedarent, singuli quique eorum

*c*

AUCTORE MONACHO RATISPON. ANONYMO, EX MSS. ANIMADV. PAP. 60

A eorum de vicis, castellis, urbibusque suis publice denuntiabant.

4 Eodem tempore clementissimi Dei viventis prævidentia accidit, ut quidam eximiæ nobilitatis ac præstantis formæ juvenis, ex re nomen habens, nomine *d* Mansuetus, de finibus Hyberniæ, beato Apostolo Petro Romæ erat familiaris, et exceptus. Cujus Patris beatissima doctrina idem juvenis sic erat imbutus, ut accepta potestate atque licencia prædicandi, jussu atque imperio ejusdem Apostoli, diros atque indomitos *e* Lotholingiæ populos in brevi jugo Christo subjugaret. Lotharius Caroli Magni filius quartus existens Lotholingiam (quæ et *f* Germania dicitur) paterna hæreditate obtinuit, eamque nomine suo nominavit. Beatus interea Mansuetus, cui optata omnia successerunt, *g* Cisalpinas regiones secus Rhodanum et usque ad Africum mare, et usque *h* ad Illyricos sinus, prædicando Salvatoris nomen, pertingens, regressus ad præclaram urbem atque populosam *i* Tullensem, post multas victorias, post gloriosa certamina, post miraculorum præclara opera, ibidem in pace quievit. Qui antequam universæ carnis viam ingrederetur, quosdam suos discipulos, viros sapientia et prudentia

B imbutos, per multa tempora ante adventum beatissimi Patris Patricii in Hyberniam direxit; quatenus idem Legati adventum Salvatoris descendentis de cœlo in uterum Virginis, atque fidem rectam, veramque summi Creatoris Adonai cognitionem, per dicta atque facta miracula BB. Petri et Pauli Apostolorum, in urbe Roma apud dominatores totius orbis populumque potentem Romanum esse receptam, prædicando *k* per omnes fines Hiberniæ, sequentibus signis, viva voce enuntiarent. Quorum virorum vita et prædicatio præclara, Dei sic providente clementia, Apostolo præcipue Hiberniæ Patricio benignissimum statuit iter, faciemque accessum in prædicando gentibus licet idolatris, exhibuit.

(*d* a S. Mansueto Hiberno Ep. Tullensi, — *e* — *f* — *g* — *h* — *i* — missi ad eos prædicatores; — *k*)

5 Sed post multa temporum curricula cum felix Patriarcha Patricius, Occidentis Apostolus præcipuus, fines Hyberniæ præfatos intravit, atque ibidem cum multo honore populi et frequentia susceptus est; universitas pene illius gentis eidem Patricio facillimum in credendo præbuerat assensum, atque post paucos annos, præter *l* Regem terræ idololatram, plebs et populus suavi jugo Christi derelictis idolis, humili devotione colla subdiderunt. Proinde sciat Deus, ac vestra, Fratres, sciat benigna sinceritas,

C quod si Tullius Latinæ eloquentiæ maximus auctor, illum ignem caritatis, quem Christus venit mittere in terram, licet totis nisibus facundiæ suæ tentaret, nullatenus (ut reor) verbis æquare digne valeret. Nam quis inde trium philosophorum auctor, quisve tam facundus orator cum coloribus omnibus rhetoricis suis credibiliter enuntiaret, qualiter gens tam barbara, populo tam duræ cervicis, ab initio mundi spurcissimis idolorum ritibus deserviens, prædia sua, possessiones quasque suas, sine philosophia, solo nomine Salvatoris audito, B. Patricio contulerunt?

(*l* cæteri plerique postea a S. Patricio conversi.)

6 Præterea idem Pater Patricius Ecclesias diversis constituens in locis, Episcopos, Presbyteros, tum in Aquilonari tum in Australi parte Hiberniæ, viros omni honore dignos constituit: ex quibus Sanctis multi dulce solum natalis patriæ, carosque propinquos pro Christo, proque æterna vita cambientes, exteris nationibus primæ originis cognitionem, fidem sanctæ Trinitatis, reditum ad patriam, quam Adam perdiderat, corpora sua inedia, siti et algore affligentes, societatem Angelorum ambientes, prædicaverunt. De quorum numero Beatissimus *m* Columbanus Hiberniæ Regis filius præclarus, Spiritu sancto repletus, Britanniam, Scotiam, *n* Horeades

(ex his multi exteris gentibus prædicarunt, — S. Columba, *m* — *n*)

D quoque, atque *o* insulas Gallorum, ad fidem Christi, opitulante Deo convertit. Post hunc Prophetam, vir vitæ venerabilis supervenit de Hibernia, nomine *p* Furseus, genere, moribus et vita præclarissimus; cujus vitam B. Beda in historia Anglorum, coruscantibus signis et miraculis luculentam, describit; qui Aquilonarem Angliæ partem fide Christi cum ditasset, simili caritate et prædicatione Borealem Franciæ partem, quæ *q* Vermandisia dicitur, docens cognitionem sanctæ Trinitatis, ac veri Salvatoris adventum prædicans, ibidem in pace tranquillam vitam finivit. Sed quid dicam de S. Columbano, qui Italiam in lateribus *r* Apennini montis solem justitiæ Christum edocuerat? Quid memorem *s* S. Gallum, qui Sueviam frequentia miraculorum, anachoreticam vitam ducens, illustravit? Quid moror, infinitum volens numerum ad certum ducere terminum? Quidve sidera cœli, stellasque minores, tempus redimens, computare tentaverim? Præterea, ut omnia breviter concludam, postquam ardens flamma Spiritus sancti populos Hiberniæ temporibus primitivæ Ecclesiæ efficaciter perflavit, peregrinationem cambientes pro patria, ita in transmarinas regiones se præcipitaverunt, ut diversas Europæ partes semotas prædicando perlustrarent.

(*o* — *p* S. Furseus, l. 3 cap. 19 — *q* — S. Columbanus, *r* — *s* S. Gallus.)

E

a Eadem voce usus Gregorius Turon. histor. Francor. lib. 3 cap. 15 omnium etiam volucrum cum vestimentis tollentes. — b Quam MS. nunc Hyberniam vocat, nunc Hiberniam, reliquimus uti invenimus. De fecunditate et salubritate Hiberniæ Bedam consule Ecclesiast. histor. gentis Anglorum lib. 1 cap. 1 ubi eam proprie patriam Scottorum esse scribit. — c Videtur innuere hic Auctor, Hiberniam olim Romanis vectigalem fuisse, quod nescio an probabile, præsertim de Augusti ac Tiberii ætate. Non negaverim tamen in Britanniam venire potuisse Hibernos aut Scotos, atque inde in Galliam et Romam quoque. S. Mansuetus Ep. Tullensis in Vita, quam ab Adsone Abbate ante annos fere 700 scriptam dabimus 3 Sept. dicitur transmarinis partibus nobilium quidem Scotorum clara propagine genitus. ac Petri quoque Apostoli discipulus. Franciscus Bosquetus Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ lib. 1 num. 50 ex vetustiorum S. Mansueti gestorum amissione, quam ad nostrum, ortam existimat illius antiquioris Mansueti confusionem cum Mansueto Scoto, qui Concilio Turonensi interfuit. Hic enim et vir ille doctissimus Concilio Turon. celebrato Severino V. C. Cos. an. Christi 461 inter alios subscripsit Mansuetus Episcopus Britannorum. Unde hunc Scotum fuisse didicit Bosquetus? An tamen ille Leucorum Apostolus Mansuetus, S. Petri Auditor fuerit alius erit disputandi locus. — e Lotharingiam vulgo appellant, a Lothario, non Caroli Magni filio, sed Ludovici Pii, ut scribit Otto Frising. lib. 5 cap. 35 aut potius ab hujus Lotharii Augusti filio Lothario Rege. — f Regno quidem Teutonicorum ab Ottone I subjecta Lotharingia est, ut testatur idem Frisingensis lib. 6 cap. 19. Sed Lotharii ævo extra regnum Germaniæ erat: ei tamen ante Ottonem, ex pacto inter Ludovicum II Germaniæ Regem et Ludovicum Balbum, subjecta fuerat. — g Cisalpinas existimo auctorem scripsisse, aut scribere certe voluisse. — h Ita late prædicasse Mansuetum Adso haud meminit. — i Tullum Leucorum in Gallia Belgica ad Mosellam flumen urbs Episcopalis. — k Fuerunt quidem Christiani aliqui in Hibernia ante S. Patricii adventum, sed ita late prædicatam Christi fidem, et tanto ante eum tempore, haud facile credi iterum: qui, et quatenus, ex stratis (?) iter, ad ejus Vitam 17 Martii dicemus. — l Hic Leogarius est filius Neyll, cujus obstinatam animum describit in Vita S. Patricii Jocelinus cap. 40 et 81. — m Quem hic Auctor Columbanum appellat, is vulgo Columba, seu Columbus dicitur. Ejus Vitam dabimus 9 Junii, in qua dicitur nobilibus ortus natalibus genitalibus. Avus ejus Fergus, sive Fergusius, frater dicitur fuisse Conalli: hunc Conallum eumdem fortassis credidit Auctor Leogarii filium, Neylli nepotem. Verum Jocelinus in Vita S. Patricii cap. 89 cum hujus de S. Columba vaticinationem memorat, ita scribit: Princeps quidam, Conillus nomine, petiit etc. ut appareat alium esse a Neylli nepote, de quo prius egerat. Porro tam ex ipsius Columbæ, tum ex S. Patricii Vita manifestum est, ex Hibernia ortum esse, quod et Joannes Major testatur lib. 2 de gestis Scotorum cap. 7. — n Orcades ante S. Columbam conversas tradit S. Servanus, S. Palladii discipulus, de quo 1 Julii agemus. — o Quæ Hebrides antiquis dictæ insulæ, alii Hebudes, alii Hiberniam etc. ex incolis Scotis Inch-Gall, id est, Insulæ Gallorum, aut, ut interpretatur Camdenus, Gallecorum, appellari. An hæ et reliquæ Scotis Occidentales Insulæ? — p Vitam S. Fursei dedimus 16 Januarii, in qua per Britannias venisse in Saxoniam dicitur, atque a Sigeberto Orientalium Saxonum Rege honorifice susceptus: nec est unde conjiciamus Aquilonarem Angliæ partem ab eo fide illustratam. — q MS. habebat Nermandisia mendose. In Veromanduis prædicavit S. Furseus. — r De S. Columbano ejusque cœnobio ita scribit Paulus Diaconus in gestis Longobard. lib. 4 cap. 43: Circa hæc tempora B. Columbanus ex Scotorum genere oriundus, postquam in Gallia, in loco qui Luxovius dicitur, monasterium construxerat, in Italiam veniens, a Langobardorum Rege gratanter exceptus est, cœnobiumque, quod Bobium appellatur, in Alpibus Cottiis ædificavit, quod xl millibus ab urbe distitur Ticinensi. Eo de hallucinatur Leander Albertus in Lombardiæ Cispadanæ descriptione, cum eum de Gothica stirpe natum tradit. Diserte Jonas Abbas in S. Columbani Vita 21 Novemb. Columbanus igitur, qui et Columba, ortus est in Hibernia insula: hanc Scotorum gens incolit. De S. Galli civitate et monasterio agemus ad Vitam 16 Octob.

(Volucrum. — S. Mansuetus Ep. an Scotus? — Lotharingia unde dicta? — F — S. Columba nobilis Hibernus. — Hebrides. — S. Columbanus Scotus, non Gothus.)

## CAPUT II.

A

## CAPUT II.

### *B. Marianus in Germania scriptione et miraculis clarus.*

*Auctore monacho Ratisbon. anonymo, ex MSS.*

a b c Deinde post discessum tantorum virorum, parum ante tempora pii Imperatoris *b* Henrici, de finibus Hiberniæ *c* supradictæ, quidam vir sanctus et simplex, Marianus nomine, decoro vultu, crine nitenti, d et ultra communem *d* valentiam hominum forma erat speciosus, divinis ac humanis litteris et eloquentia præditus, ita ut Spiritum sanctum per inhabitantem gratiam in eo esse, nemo eum videns dubitaret. Duos quoque comites sibi per omnia similes, e viros sanctos, Joannem scilicet et Candidum *e* se- f cum habens, ad Ottonem *f* Bambergensem Episcopum, virum sanctum et celeberrimum, cum suis comitibus pervenit. Qui cum eodem Episcopo anno uno dum permanerent in habitu clericali, summæ abstinentiæ dediti, lacrymis et precibus die noctuque intenti, Deo in seculo deservientes, jura monasticæ vitæ observabant. Unus etiam eorumdem alios antecedens, Marianus videlicet, arctæ vitæ gradibus se extendens extendebat.

*B. Marianus cum Joanne et Candido venit in Germaniam*

B 8 Quod cum vir venerandus Otto Bambergensis, summe ac præcipue monasticæ religionis amator, ut- g pote qui *g* quindecim cœnobia de propriis facultatibus constituit antelatæ religionis, eosdem viros præcepto sanctæ Regulæ, atque cœlestibus mandatis inhiare conspiceret, humilimum expostulatione precum hortatus est, quatenus colla suavi jugo Christi subderent, atque arctioris vitæ viam, pœnitentiæ, ac præcipue religionis monasticum susciperent habitum. Cui consilio facillime assensum præbentes, a sancto h Abbate *h* S. Michaelis præfatum habitum S. Benedicti susceperunt. Cumque idem vir sanctus Otto præfatus Bambergensis Episcopus Fratres, Marianum scilicet, Joannem et Candidum, in prædicto S. Michaelis claustro omnibus studiis fraternæ pacis et caritatis desudare, eosdem Teutonicæ linguæ ignaros et expertes cerneret, eisdem Fratribus cellulam juxta vicini montis radicem, quatenus ibidem Divinæ legis præceptis accuratius ac secretius vacarent, annonam ceteraque necessaria usibus eorum provide constituit.

*hortatu Ottonis Ep.*

*habitum Benedictinum suscipit*

*in cella cum sociis vivit:*

9 Proinde sancto viro Ottone viam universæ carnis ingresso *i*, præfati Fratres haud immemores in- i ceptæ peregrinationis, limina Apostolorum Petri et C Pauli Romæ, gentis suæ more, visere desiderantes, habita benedictione et licencia præfati Abbatis S. Michaelis, Ratisbonam prospero itinere pervenerunt; ibidemque opitulante Dei misericordia, tamquam veri exspectabilesque peregrini, a reverenda k matre peregrinorum, Abbatissa *k* Superioris monasterii, Hemma nomine, filialiter sunt recepti. Sed cum postea ibidem diem judicii exspectare decreverunt, tantam scribendi gratiam B. Mariano Divina providentia contulit, quod multa ac prolixa vo- l lumina, tum in Superiori, tum in *l* Inferiori monasterio, ad honorem ac reverentiam primæ ac summæ Virginis, ac sanctarum ibidem Virginum commorantium rogatu, ac intuitu æternæ retributionis, veloci calamo perscripserit. Nam, ut veraciter dicam sine omni fuco verborum, inter omnia gesta, quæ Divina misericordia per eumdem virum operari dignata est, magis laude et admiratione dignum judico, et admirans admiror, quod idem homo sanctus vetus et novum m Testamentum, cum commentariis *m* expositoriis eorumdem librorum, non semel, nec bis, sed sæpenumero æterna pro mercede, in tenui habitu, n et subtili victu, *n* cum propriis Fratribus suis, tum in Superiori, tum in Inferiori monasterio, qui pergamena parabant, adjutus, propria manu perscripsit.

*benigne excipitur Ratisbonæ a sanctimonialibus*

*multos libros describit,*

D Eodem quoque tempore multos libellos, multaque manualia psalteria viduis indigentibus, ac Clericis pauperibus ejusdem civitatis pro remedio animæ suæ, sine ulla spe terreni quæstus scriptitaverat. *o* o Præterea dum modo fartitante Dei misericordia, multæ congregationes monastici Ordinis, quæ fide et caritate, ac imitatione B. Mariani sunt derivatæ de finibus antelatæ Hiberniæ, *p* Bavariam et Fran- p coniam peregrinando inhabitant, ex majori parte scriptis B. Mariani fulciuntur.

*et gratis donat indigentibus*

10 Aliud in eodem sancto Patre commendans commendo, quod ultra modernorum hominum tempora prout mihi *q* Pater Isaac, qui centum et vi- q ginti annis vixerat, ejus contemporaneus, et qui sub sua directione et obedientia degebat, non sine lacrymis sæpe referebat, quod sicut S. Moyses mitissimus hominum, qui terram inhabitaverant, eidem per omnia simillimus erat S. Marianus. Deinde quid attinet dicere, quot hominum species, quot variis languoribus oppressos, et præcipue febribus, ut audivi a veris relatoribus, propriisque oculis ad sepulchrum ejus sanitati restitutos viderim! Juxta ejus sepulchrum dum quodam die verba jocosa, magis ineptæ lætitiæ attinentia quam religioni inter se Fratres alternarent, odor suavissimus quasi de floribus E Paradisi de sepulchro ejus exhalans, nares et aures loquentium inutilia perflavit. Per quod significatum est, quod solummodo seria ac idonea verba, resonantia Divinas laudes, ibidem iterari deberent.

*vir mansuetissimus,*

*miraculis clarus post mortem,*

*vanos sermones aversatur:*

11 Tunc temporis in Inferiori monasterio ad revelationem et retectionem ejusdem viri felicis quoddam miraculum relatu dignissimum accidit. Nam quadam nocte cum ipse idem vir beatus Marianus quoddam nescio quod divinum volumen in Inferiori monasterio cum luminibus, sicut erat solitus, scriberet, contigit negligente custode ejusdem Ecclesiæ lumina sibi non præberi: ipse tamen sine omni luce materiali scribere non hæsitavit. Quoniam Divina misericordia tres digitos manus suæ sinistræ, ad instar trium lampadarum, splendescere faciebat, ut inceptum opus *r* in tali lumine cœlesti incessanter r peregeret. Cumque ejusdem Ecclesiæ Sacrista ad mentem revocaret, quod luminaria sancto viro de more non detulisset, surgens de lecto, assumptis sibi aliis Virginibus, ad cellam viri Dei pedetentim accedens, et per rimas ostioli cellulæ qua occlusus B. Marianus scribebat, digitos ejusdem ardere, sca- s meriolamque eamdem cœlesti lumine, quasi radiis meridiani solis, lucere conspiciunt. Quo miraculo F Virgines perterritæ, ac tali prodigio tremefactæ, Dominæ Abbatissæ ac ceteris Virginibus sacris rem ordine pandunt. Ac res talis, tam miranda, a Clero et populo Ratisbonensi mirifice prædicatur, ac circumstantibus ejusdem urbis fidelibus præconibus tamquam lætissimus rumor passim enuntiatur.

*noctu scribit, digitis instar candelæ lucentibus.*

a Hoc caput ex chartis Ratisbonensibus edidit Raderus in excerptis quæ de Ottone Episcopo narrantur. — b Quartum intelligit non semper pium, inquit Raderus. Is anno 1056 quinquennis patri successit, ... [illegible] ... quamobrem illi B. Gregorius VII Papa sacrorum communionem interdixit anno 1076, post B. Mariani in Germaniam adventum, ut patet ex iis quæ supra § 2 num. 12 ... [illegible] ... Marianus ... Tandem an. 1106 7 Aug. ... [illegible] ... Henricus. Raderus ... [illegible] ... addit. Majoris quod ... MS. ... [illegible] ... Marianus ... Henricum juvenem appellat, respectu Henrici ... patris ... [illegible] ... Henricus III, qui ... Imperator Pius est cognominatus, ut in Vita B. Altmanni Passaviensis 8 Aug. dicitur. — c Raderus legit, de finibus Hiberniæ fraternitatis dictæ quidam. — d ... [illegible] ... ut lib. de ... cap. 20 quæ circa corpulentiam et valentiam, vel acuunt, vel obtundunt ... [illegible] ... cap. 45. Sic enim et Hieremias commendat: Deus faciens terram in valentia sua. In vulgata Jeremiæ 51 v. 15 habetur: Qui fecit terram in fortitudine sua. Idem paullo post: Vides ergo quemadmodum operatione Dei universa consistant, valentia facientis terram ... sed adhibentis tantos animi sui nisus, sapientiam, valentiam, sensum, sermonem. ... S. Cyprianus lib. 1 Testimoniorum contra Judæos cap. 22 auferet a Juda et ab Hierusalem valentem et validum, valentiam panis et valentiam aquæ. ... pro exercitu valentiam posuit Tertullianus de

*Valentia*

AUCTORE MONACHO RATISPON. ANONYMO, EX MSS.

A *de Resurrect. carnis cap.* 29 et vixerunt, et constituerunt super pedes suos valentia magna satis: *quod in vulgata effertur Ezechielis* 37 *v.* 10 Et vixerunt, steteruntque super pedes suos, exercitus grandis nimis valde. — e *Plures ei comites alii tribuunt, ut supra diximus.* — f *Otto hic, ad quem B. Marianus venit, Episcopus Ratisponensis fuit ex Canonico Bambergensi. Inde scriptori errandi occasio, ut a S. Ottone Bambergensi Episcopo acceptum hospitio Marianum crederet, quia ab Ottone Ratisponensi Episcopo fuerat exceptus. Creatus est hic Otto Antistes Ratisponensis anno* 1060, *extinctus anno* 1089, *ut Raderus tradit. Sed quod idem subdit Marianum anno* 1070 *Ratisponam delatum, vel fateri debet cum alibi in Germania triennio substitisse; vel refellitur ipsius Mariani verbis ab Aventino supra descriptis, quibus diserte asserit annum Christi* 1074 *fuisse suæ peregrinationis septimum. At S. Otto anno* 1102 *Episcopus Bambergensis factus, annis post Marianum obitum quatuordecim. Hæc omnia, quæ de Ottone narrantur, monuit Raderus. Fit Ottonis Ratisponensis mentio in diplomate Henrici IV dato an.* 1089 *quo monasterium Scotorum, dictum in* Wiben S. Petri in mundiburdium defensionis suscepit. *At S. Ottonis Bambergensis mentio fit in diplomate Henrici V anno ... dato, quo majus Scotorum monasterium, in suum* mundiburdium suscepit tutelamque. — g *De monasteriis a S. Ottone ædificatis agit Gaspar Bruschius in Catalogo Episcopor. Bambergensium, et Andreas Abbas S. Michaelis lib.* 1. *Vitæ S. Ottonis in* 3 *edit. Surii* 2 *Julii.* — h Mons monachorum, *amplissima juxta Bambergam Abbatia, a S. Henrico Imp. in honorem S. Michaelis fundata, a S. Ottone auctis ædificiis, possessionibus, et studio pietatis, accitis Hirsaugia doctis aliquot ac religiosis monachis, e quibus Wolframus Abbas creatus. Omnino suspicor B. Marianum primum divertisse Bambergam, atque in illo S. Michaelis cœnobio habitasse: hujus autem Vitæ Scriptorem, cum id sive ex monumentis aliquibus, seu majorum relatione didicisset; audisset etiam ab Ottone Episcopo benigne susceptum, existimasse sub S. Ottone Episcopo, et Wolframo* sancto Abbate *istic commoratum.* — i *Fallitur Auctor toto cœlo: obiit S. Otto an.* 1134 *secundum Raderi calculum, aut potius* 1139, *ut alii volunt, annis videlicet* 51, *post B. Mariani obitum.* — k *Desunt hæc* superioris monasterii *apud Raderum. Alia in diplomate Henrici IV memorantur superioris monasterii Abbatissa,* Willa, *quæ fortassis* Hemmæ *successit, nisi eadem binominis fuerit, et* Hazoga, *quæ in eodem diplomate a Gewoldo edito* Hazega, *ab Aventino* Haziga *appellatur.* — l *Cujus Abbatissa* Mathilda, *ut supra retulimus, servivisset B. Mariano et sociis largiebatur.* — m *Rader.* et expositoriis suis codicibus — n *Raderus sequentia sic expressit:* tum propriis Fratribus cum in superiori, tum in inferiori monasterio, qui pergamenam parabant ad latus, *etc. Nostra lectio magis arridet.* — o *Rader. aliter hæc scripta reperit:* Præterea nullo modo prædatur Dei misericordia, quia nullæ congregationes monasticæ ordinis. — p *Rader.* Wauvarium. — q *Rad.* post — r *Idem* vitali. — s *Idem* candelamque, *ut deerat candela, sed digiti lucentes* camerulam, *sive cellulam, illustrabant.*

Monasterium S. Michaelis Bambergæ

B

## CAPUT III.

### *S. Petri ecclesia Mariano data. Monasterium constructum.*

*a B. Marianus, post jejunium et preces consilio B. Murcherati susceptus,*

Erat eodem tempore vir magnæ virtutis ac testimonii, de finibus ejusdem Hiberniæ, in Superiori monasterio reclusus, Murcheratus nomine, qui per multa tempora ante B. Mariani adventum in eodem claustro arctam viam, qua itur ad astra, sibi asciscens, tamquam verus spiritu pauper regnum Dei ibidem expectabat. Cujus viri venerabilis consilio et frequentia B. Marianus laudem et frequentiam populi devitans, inceptum iter senioris communicavit C consilio; ad quem B. Murcheratus inclusus ingeminerus respondebat: Jejunemus hodie, et rogitemus Spiritum consilii sanctum, ut idem nobis, licet peccatoribus, Excelsi reseret mentem, si sit ejus velle, te hic manere, sive limina Apostolorum in Romana urbe requirere. Deinde eadem nocte dum B. Marianus in lecto suo modicum pausaret, sibi consilii Spiritus sanctus ait: Mane summo eras assumptis tibi comitibus, Joanne scilicet atque Clemente, iter inceptum arripe, et ubicumque, sol oriens mane novo tibi reluceat, ibidem usque in diem judicii ossa tua requiescent. Dumque sequenti luce dilecto Fratri suo Murcherato ceterisque amicis valedicens, sicut voce Divina præinductus, versus Romana mœnia mente hilari viam sibi dilectam initiare cœpit. Sed more suo solito ab oratione iter incipere volens, basilicam B. Petri Apostoli extra muros urbis ejusdem, in qua modo vir sanctus requiescit, cum suis Fratribus intravit: ac ibidem intentis precibus Deum ac B. Petrum Apostolum accurate rogaverunt, quatenus a B. Ratisbonensi Petro ad sanctissimum Romanum Petrum Apostolum prosperum iter haberent. Deinde piis finitis precibus dum limina ecclesiæ ejusdem egrederentur, ecce juxta præfatum nuntii vocem, sol recenter ortus primo mane eisdem ibidem illuxit. Quapropter D meritas gratiarum actiones viventi Deo ac B. Petro, qui eisdem locum quietis et sepulturæ donavit, flexis genibus ibidem persolverunt, dicente Mariano: Hic requies mea in seculum seculi; hic horrendum judicii diem expectabo.

*signo in somnis indicato*

*jubetur subsistere ad S. Petri consecrati ædem;*

13 Haud equidem dubium arbitror *b* esse, indicta gaudia sacris Virginibus urbis, quibus antea B. Marianus præcordialis peregrinus, Clero ac populo Ratisbonensi, cum innotuit Dei amicum eumdem Marianum oraculo Divino sic esse retentum. In eodem caritatis fervore beata mater peregrinorum Hemma de Superiori monasterio Abbatissa, præfatam ecclesiam et locum cellulæ Mariano suisque sequacibus, rogatu ac prece pii Imperatoriis Henrici *c* Majoris, in ævum licenter contradidit. Ideoque concives ejusdem urbis, præcipue beatæ memoriæ Bethselmus urbanus, vir divino amore repletus, claustrum et claustri ædificia, æternæ retributionis intuitu, de suis sumptibus, licet stricta sint, tamen commoda paucis peregrinis, construxerunt.

b *quæ ei donatur,*

c *ædificaturque monasterium.*

14 Sed dum claustrum idem fuerat initiatum, sic fama volans ejusdem loci per ora hinc inde peregrinorum, limina diversissima requirentium, primo ad E Aquilonares partes Hiberniæ, unde vir sanctus oriundus erat, perlata fuisset, multi ex concivibus suis, qui pueritiam juventutemque ejusdem Deo per omnia dicatam noverant, derelictis rebus carisque propinquis, caduca præ æternis hilari mente abjicientes; perque tot maria, perque tot invia regna, Christum virumque Dei Marianum sunt secuti. Dum enim idem vir beatus Marianus, cui omnia optata successerant, ad elementa *d* litteratoriæ artis ac Divinæ legis cognitionem, atque divino servitio a parentibus suis, pro remedio animarum suarum, destinaretur, ait quidam *e* senex sapiens, qui divino Spiritu repletus futura prædicere solebat, ad eumdem Marianum tum puerum: O, inquit, Domino dilecte, multos fideles multosque peregrinos, si tibi vita comes fuerit, Christo copulabis. Quod oraculum viri sancti comprovinciales memori mente tenentes eumdem Marianum a paternis finibus Occidentis, Spiritu sancto eos ductitante et inflammante, secuti sunt.

*Multi eo confluunt Hiberni,*

d

e *antiqua de eo prædictione moti,*

15 Præterea incredibili memoratu in præsentiarum enuntiare vix valeo, quantum Dei amicus post paucos annos, in numero Fratrum, in religione monastica, magnus et celebris factus est. Quoniam F usque ad tempora junioris *f* Henrici Imperatoris, qui patrem suum de regno fugavit, in eodem loco septem Abbates viri venerabiles, ejusdem sancti viri Mariani digni successores, de eadem gente Borealis Hiberniæ finibus surrexerunt. Quorum erat ultimus vir celebris, ac per totam Bavariam religionis ac miræ simplicitatis fama notissimus, *g* Domnus nomine, qui a parte Australis Hiberniæ primus extiterat. Nam Clemens, ardentissimus Christi et peregrinationis amator, tertius de numero sociorum ejusdem viri sancti de patria venientium, cunctis venientibus sepulchrum Christi viventis visere volens, ad salvandam animam Ierosolymam perrexit, ibidemque vitam in pace finivit. Simili quoque ratione ac fervore Joannes internæ caritatis amator, B. Marianum carosque propinquos æternæ vitæ desiderio deserens, *h* Gottovicum intravit in Austria, ac arctioris disciplinæ viam ingrediens, se *i* includi ibidem fecit. Sed dum per aliquod tempus in eodem loco clausus, lacrymis et planctu ac frequenti jejunio studens commoraretur, cumque tam arctæ vitæ fama aures Domini *k* Papæ repleret, eidem Joanni incluso, tamquam speciali peregrino, ligandi atque solvendi per totam Bavariam atque Austriam potentiam contulit.

f *Septimus ibi Abbas Domnus.*

g *Clemens Hierosolymis moritur.*

h

i *Joannes in Austria sancte vivit.*

k

a Desunt

A a *Desunt sequentia Radero, qui tamen de* Murcherato *seorsim agit, ut supra diximus, atque* ex ejusdem viri divini patria et municipio venisse D. Marianum. — b *In MS. erat,* non esse, *expunximus secundam negationem.* — c *Aventino lib.* 6 Bezelinus *dicitur : itemque Radero, qui et* Vezelinum, *ac* Wezelinum *nuncupari indicat.* — d *Ita Tertullianus de Idololatria cap.* 10 : Videamus igitur necessitatem litteratoriæ artis. — e *Passim ejusmodi reperias in Hibernorum Sanctorum gestis ratiocinationes.* — f *Henricus V patrem Pontifici rebellem regno exuit anno* 1105, *anno deinde* 1111 *Imperator coronatus, obiit anno* 1125 *Ultrajecti, paternæ impietatis idem ultor et imitator.* — g *Aventinum hinc refutes, ita scribentem lib.* 6 *Annal. Boior.* Hac fama moti plures Scoti de Hybernia advenarunt, quibus septem illi præfuere, quorum ultimus Clemens fuit. *Septem autem illos supra retulimus* §. 2. *num.* 10 *quos huic cœnobio omnes præfuisse Aventinus hariolatur.* — h *Cuspinianus in Austriæ descriptione* : In monte arduo Gotweich situm, olim Canonicis secularibus ædificatum, sicut sunt Bataviæ apud S. Nicolaum, ab Altmanno Episcopo Pataviensi fundatum : tandem ordinis Benedictini monachis, ut hodie, repletum. *Sed fallitur ; nam Auctor Vitæ S. Altmanni, quam dabimus 8 Augusti, tradit in S. Nicolai cœnobio,* in suburbio Pataviensi, super littus Oeni fluminis, *ab Altmanno ædificato, et pluribus possessionibus ditato,* religiosos clericos et laicos undecumque collectos, communem vitam duxisse sub regula S. Augustini : *in Kotwich vero eumdem Altmannum monasterium ædificasse,* et collectis in unum viris religiosis, et præposito eis viro prudente Outone sub Regula B. Augustini vitam eos ducere jussisse spiritalem : *at post B. Altmanni mortem, sub Chuonrado Præposito,* qui Outoni secundus successerat, *hujus Joannis Scoti consilio, professionem mutatam et habitum. Situm est porro Gottovicum, sive Gotwicense cœnobium in monte juxta Danubium, e* regione Chremisianæ ac Steinensis civitatum Austriæ, amœnissimo loco, *ut habet Hundius, cum de Altmanno agit in Pataviensibus Epp. tom.* 1 *Metropol. Sed quod ait* in Comageno monte *situm, nescio an omnibus probet. Comagenis certe oppidum Norici, quod in Vita S. Severini Presbyteri 8 Janu. cap.* 1 *numer.* 7 *memoratur, alii* Kaumberg, *aut,* B *quod infra Gottovicum Danubio quoque immuret,* Holenburch *nunc dici existimant.* — i *De eo ita Auctor Vitæ S. Altmanni* : Tempore venerandi Antistitis venit in montem Kotwich Presbyter quidam natione Scotus, professione monachus, conversatione religiosus. Congruebat ei nomen quod habebat, dicebatur enim Joannes, quod sonat Gratia Dei. Dilexit hanc gratiam in eo Antistes Altmannus; et, ut liberius ille secum habitaret, quodam arcto habitaculo juxta ecclesiam B. Mariæ pro desiderio et petitione sua eum conclusit. *Plura isthic in ejus laudem narrantur.* — k Urbani II, *opinor, aut* Paschalis II.

*Cotwich monasterium Canonicor. regular. deinde Benedictinorum*

*an olim Comagenis ?*

## CAPUT IV.

### *Monasterium S. Jacobi Scotorum Ratisponæ ædificatum, fundatum.*

*S. Jacobi monasterium Ratisponæ ædificant Scoti.*

Posthæc multiplicatis in Ratisbonensi loco beati Patris Mariani Fratribus, tam arcto atque constricto, utpote angustantibus hinc inde aliarum ecclesiarum agris et urgentibus locum ibidem idoneum cellulæ, spatiosa claustri ædificia in interiora secundum multitudinem se extendere nequibant, consilio amicorum habito, cum licentia Domini Papæ *a* Calixti atque imperatoris *b* Henrici Junioris, a Comite *c* Friderico de Francinhys pro triginta talentis Ratisbonensis monetæ, extra muros urbis Ratisbonensis aream unam ad Occidentem ementes per manum mediatoris *d* Ottonis Præfecti Ratisbonensis, ibidem C in honorem S. Jacobi Apostoli, et S. Gertrudis Virginis, monasterii fundamentum in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis jecerunt, ac Domino cooperante, civibus item ditissimis Ratisbonensibus, copiose Fratribus victualia, præmia lapicidis, de propriis sumptibus suis, intuitu æternæ retributionis, administrantibus, inceptum opus, Dei sic volente clementia, Domnus primus Abbas loci illius, præ nimia festinatione incompositum et fragile, ut cumque ad finem perduxit.

*juvantibus civibus,*

17 Tum quidam de Fratribus loci ejusdem vir industrius, et in rebus agendis eruditissimus, nomine *e* Mauricius, solus cum solo puero comite per devia mundi, Spiritus sancti ductitante eum gratia, ad *f* Regem Russiæ perveniens, ab eodem Rege ac Principibus urbis ditissimæ *g* Chios de fernis *h* pellibus pretiosis valentibus centum marcas recepit, atque easdem vehiculis ferens, cum negotiatoribus Ratisbonam pacifice pervenit; ex quarum pretio claustri ædificia, tectum quoque monasterii factum est.

*eleemosyna a Rege Russiæ obtenta*

18 Posthæc Abbate Domno viam universæ carnis ingrediente, vir generosus, luce eloquentiæ præfulgens, Christianus factus Abbas successit. Sed ne temere aut inconsulte locum mutare, abbatiam de prima institutione transferre videretur; proinde idem Abbas Christianus, cum laude et licentia Ratisbonensis Episcopi *i* Innocentium Papam requirens, D claustrum S. Jacobi Scotorum cum omnibus appendiciis suis in tuitionem et defensionem ejusdem, nec non in patrocinium Romanæ curiæ contradidit : a quo Papa Innocentio in Abbatem idem Christianus reverenter est consecratus. Deinde ut hoc inconvulsum et incommutabile in ævum permaneret, idem Papa Innocentius, pauperum pater clementissimus, præfati claustri curam atque tuitionem, nec non et advocatiam sic commendavit, ut intuitu æternæ retributionis, sine aliquo temporali usu, *k* Henricus Imperator, ac sui sequaces, claustrum utpote ad curiam Romanam et Dominum Imperatorem respiciens, ab omni injuria defenderet.

*Christianus 2 Abbas id Pontifici subjicit,*

*AUCTORE MONACHO RATISPON. ANONYMO, EX MSS.*

*Imperatore in tutorem ad scito :*

19 His itaque rebus gestis, claustroque libero facto ac stabilito, felix Pater Christianus Abbas paternos Hiberniæ fines revisens, ita digno honore apud Reges et Principes terræ ejusdem, et intantum erat acceptus, quod collatis sibi argenti ducentis marcis, lætus ad propria repedarit. Ex quibus talentis Pater idem Christianus, non muros, non ædificia claustri elevavit; verum, quod longe melius fuit, tamquam providens et præscius futurorum, agros et possessiones, in usus tam præsentium quam futurorum Fra- E trum, per manus mediatorum *l* Henrici Ratisbonensis Burchgravii, atque *m* Ottons Landgravii comparavit.

*pecunia in Hibernia collecta fundos emit.*

20 Deinde cum Divina clementia de cœlo viros sanctos ac simplices, adjutrice Spiritus sancti gratia, sic procul a patria dissitos, in muris, in possessionibus, et religione monastica, extendere se in anteriora respexisset, mentibus nobilium virorum in Bavaria, ac urbanorum Ratisbonensium inspiravit, ut sepulturam, agros etiam ac prædia in usum Christi pauperum, Deo ac S. Jacobo cum multa devotione contulissent. Inter quos Nobiles primus ac præcipuus vir ingenuus, nomine *n* Gundaratus, qui se et sua, prædia multa, cum uxore sua, cum multa caritate et amicitia, pro salute animarum suarum, plura pro Christo ibidem contulerunt. Post hos Hermannus Branner ac Englivarus vineta sua, agros etiam prope positos, eadem intentione Deo ac eisdem Fratribus largiti sunt. Deinde Bertha beatissima simplex sine felle columba, rutilans caritatis sidus imperii, beatæ memoriæ Henrici Ratisbonensis Burggravii uxor, sepulturam propriam, vineas duas, ac septem aratra, in Austria Deo ac B. Jacobo, nec non et peregrinis loci illius Fratribus, pie destinavit. Præte- F rea Bertholdus vir nobilissimus *o* de Nigro Castro per manum mediatoris *p* Conradi Imperatoris, dum irent Ierosolymam, tringinta aratra eidem claustro, in villa quæ dicitur Didenburg, cum silvis et omnibus pratis, et appendiciis suis eisdem ardenti desiderio constituit. Proinde *q* Linchardis Ratisbonensis Ecclesiæ Advocatissa, mulier devotissima, quasi virago per multa viduitatis suæ tempora in habitu religionis cum peregrinis Fratribus commorata, seipsam, et commoda multis infirmis Fratribus claustri, ac prædia multa secum Deo conferens, in Capitulo nostro cum Domina Bertha est sepulta. His omnibus finitis, Divina dignatione ductus vir strenuissimus, liber atque ingenuus Dominus Rupertus Lupus, se et multa bona sua Deo ac S. Jacobo, devovit. Multi etiam alii, etsi non æqualiter fuerunt tantæ nobilitatis claritate prædicabiles, aurum atque argentum et cetera Fratribus utilia, cœlum pro terrenis ementes, præfato claustro sacrificaverunt.

*multi nobiles varia bona illi monasterio largiuntur.*

a Callistus II *Gelasio II an.* 1118 4 *Kal. Feb. mortuo suffectus obiit* 14 *Kal. Jun.* 1124. — b *Brevilat hujus diploma Raderus, sed ante Callisti pontificatum, anno scilicet Christi* 1111, *datum.* — c *Hunc solita fide inter fundatores illius cœnobii Aventinus recenset, quia scilicet fundum vendidit cœnobio construendo. Ita scribit* : Ubi angustius habitare cœperant ; Fridericus Phronthusius, Otto Ritoburgensis Præfectus urbis, frater ejus Halnricus, cum uxore

 Bertha,

AUCTORE MONACHO RATISPON. ANONYMO, EX MSS.

A Bertha, quæ filia fuit Divi Leopoldi Austriaci. Liugarda uxor Friderici Comitis de Bogen Curatoris templi Reginoburgensis Gundakerus et Wernherus de Labar, grande monasterium Divo Jacobo et Gertrudi intra mœnia urbis condunt. Comites de Labar et Rietenburg prædia apud Nariscos tribuunt; illorum ibidem monumenta extant. Bertha ibidem sepulta, vineas in Austria donavit. Hartovicus Episcopus Reginoburgensis templum dedicavit, anno ab orbe servato MCXX. Primus Præsul fuit Mauritius: auctores fiunt Calistus Pontifex Maximus, et Imp. Hainricus V, Cæsar Augustus. *Hæc ille. Hundius quoque ab Hartwico, qui an.* 1105 *Episcopus factus,* 3 *Martii* 1126 *decessit, dedicatum S. Jacobi monasterium scribit. In diplomate Henrici V appellatur* Hartovidus. — d *Memoratur hic* Otto Rittenburgensis urbis præfectus Ratisbonæ *in diplomate Henrici V dato anno* III, *dicitur que cum aliis civibus, qui ibidem nominantur,* ecclesiam, *vel potius fortassis ecclesiæ, dein ædificandæ, fundum, ut post indicatur,* emisse ab Adelhaide et filiis ejus Udalrico et Adelbuino. *An hæc sit* Adelada, *quam lib.* 7 *de Migrat. Gent. in* 2 *genealogia Bogensium Comitum ex Aventino, refert Lazius, matrem Aswini et Friderici,* sororem Richardæ matris Ottonis a Witelpach Palatini, *alii disquirant. Utrumque num eadem sit emptio quæ hic ab Auctore, quæque in Henrici V diplomate refertur.* — e *Hunc, ut jam retulimus, primum Abbatem facit Aventinus, pro Domno.* — f *Hic, ut colligere est ex Matthia Michovensi, aliquis filiorum Zaslai, sive Isaslai fuit. Zaslaus Dux Kiovensis, filius Jaroslai, nepos S. Wlodomiri, sive Basilii, obiit an.* 1076, *Swatopolcus ejus filius anno* 1112, *post hunc Uladimirus frater rerum potitus, decessit* 1126, *Mstislaus* 1129, *postremus fratrum imperavit Jaropolcus.* — g Kiovia *vetustissima amplissimaque urbs ad Borysthenem, olim totius Russiæ metropolis, multa ostentat pristinæ magnitudinis argumenta, ut apud Alexandrum Guaguinum tom.* 1 *Polonicar. rerum videre est, atque apud Miechoviensem lib.* 2 *cap.* 18 *et alios. A* Kig *conditore nomen accepit, vulgoque* Kiow *dicitur, quod ut* Kiof *pronuntiatur: recteque Auctorem hic* Chiof, *non Chios, scripsisse. Ita quoque in appendice ad Vitam S. Clementis Papæ, quam dabimus* 23 *Novembris, de Jaroslao S. Uladimiri filio habetur.* Retulit igitur idem Rex

Duces Russorum.

Kiovia urbs Russiæ.

B Georgius Sclavus Episcopo Catalaunensi (*Rogero Legato Henrici Galliæ Regis anno* 1048) quod ipsemet quondam illi perrexit, et inde secum attulit capita SS. Clementis et Phœbi discipuli ejus, et posuit in civitate Chion (*legendum arbitror* Chiou), ubi honorifice venerantur; quæ etiam capita eidem Episcopo ostendit. — k *Præcipue pellium viget apud Russos mercatura, terra fere bellis frequentibus invia, ut Joannes Fabri in corpore rerum Moscoviticarum testatur.* — l *Cum Innocentius II an.* 1130 14 *Feb. electus Pontifex sit, quo eodem anno Chuno Ep. Ratispon. Hartwici successor obiit, verisimile est Henricum Episcopum hic intelligi, qui cum eam Ecclesiam varia fortuna annis* 26 *gubernasset, decessit ann.* 1155. — k *Hic Auctorem fefellit memoria: quintus Lotharii Imp. qui Henrico V, an.* 1125 *mortuo successerat, agebatur annus, cum Papa creatus est Innocentius.* — l *In hoc illustri viro supra egimus.* — m *Legitur hic quoque instrumento donationis cujusdam apud Hundium tom.* 1, *Metropol. subscripsisse. Lazius lib.* 7 *de Migrat. gent.* Ottonis Perfecti Ratisponensis *filium censet, Landgravium a Stevening.* — n *Lazius, cum Aventino, ut illustrior manifestatio sit, hunc ipsum (ni fallor) Comitem facit, et cœnobii Scotorum restauratorem.* Wernerus, *inquit in stemmate Rietenbergico,* et Gundoccarus, Comites a Labar, sub Henrico V Scotense cœnobium Ratisponæ restaurarunt. Quorum alterius uxor Berchta vineas in Austria dedit. *Nescio quas vineas, a qua Bertha præterquam Henrici Burggravii vidua, in Austria donatas Ratisponensibus Scotis legerit.* — o *Memorat hunc nobilissimum virum in stemmate Comitum Schwarzeburgiorum in Auctario operis genealogici Elias Reuberus, traditque anno* 1131 *Gunthero patri successisse, obiisse* 1172. *Hujus præclaræ donationis et heroicæ in Palæstinam susceptæ expeditionis non meminit.* — p Conradus III *Imp. anno* 1147 *in Terram sanctam cum valido exercitu profectus, nihil dignum gessit, Græcorum fraude victus.* — q *Hæc est, quam supra Aventinus appellat* Liugardam uxorem Friderici Comitis de Bogen Curatoris templi Reginoburgensis. *De Friderico a scribit in genealogia Comitum a Bogen ex Aventino Lazius.* Genuit ex Luitgarda Fridericum iii et Hartovicum. *Sed in priori eorundem Comitum stemmate* Luitgardem *Hartowici a conjugem facit. Fortassis etiam* Luithardis, *vel* Liuthardis *scripsit hic Auctor, quod populi cor significat, aut potius* Luitgardis, *ut vulgo, id est* populi hortus. *Verum* Liugarda *a quo etymo deducit Aventinus? At familiare est isti auctori, voces a vulgari, etiam eruditis usurpata, formatione, in aliam quasi lemorem deflectere, cui neque Teutonica etymologia, neque Latina aut Græca, plerumque suffragetur. Satis illi est aliter atque homines solent dixisse, scripsisse.*

Illhic SS. Clementis et Phœbi reliquiæ.

C

Comitum Swartzenburgior. antiquum decus.

## CAPUT V.

### *Monasterium S. Jacobi Scotorum Herbipoli, S. Ægidii Nurenbergæ.*

Tum faciente Dei gratia, crescente Fratrum multiplici numero, fama benignissima claustri ejusdem non tantummodo per fines Bavariæ, verum etiam usque ad Franconiam se late longeque disperserat. Quapropter felix Patriarcha Herbipolensis Ecclesiæ Episcopus *a* Hainricus locum cellæ et agros sufficientes usibus Fratrum in suburbio Herbipolensi, Dei ac *b* S. Kiliani cognatione, hilari devotione, plaudente populo Herbipolensi, Scotis concessit. Ad quem locum regendum cum aliquot Fratribus virum Deo plenum Macarium, in lege divina *c* doctissimum, atque diutinis liberalium artium studiis per totam Hiberniam celeberrimum, Abbas Christianus Ratisbonensium Scotorum, in Abbatem direxit. Qui Macarius arctam viam, quæ ducit ad vitam, sic est

Herbipoli monasterium Scotis fundatum.

a

b

c

ingressus, quod corpus suum Dei servitute intantum redegit, quod asperrimis torquibus ligneis, nullo sciente vel vidente præter seipsum, se circumcinxit, ut profunda vulnera in brachiis et hypochondriis infigerent: et, quod gravius erat, usu lautioris cibi abstinens, ab omni potu, qui mentem exhilaresceret, tamquam a veneno, abstinebat. *d* Unde contigit, quod cum quadam die ipse beatus vir Macarius, quadam causa sic cogente, Patrem beatum Embriconem Episcopum reviseret, idem Antistes solito more honori advenientium propinari præcepit, ac B. Macario jussit prius porrigi vinum. Sed vir sanctus Macarius abstinentiæ virtutem servare volens aiebat: Hodie, Pater mi, non bibo vinum. At contra felix Embrico ait: Præcipio tibi per sanctam obedientiam, ut in reverentiam sancti Martyris Kiliani, teque rogito, ut mecum de hoc vino summotenus gustes. Sed quid faceret vir sanctus Macarius, qui inter Scyllam et Charybdim, id est, inter virtutem abstinentiæ et obedientiæ præceptum positus fuerat? quam partem infringeret? cui parti obediret? sed Divina inspiratione sibi scyphum sumpsit, vinum modice libavit. Inde ipse Macarius intus et extra spiritu Domini repletus, Episcopo scyphum cum eodem vino offerens, ait: Supplicans tibi, Reverende Pater, simili caritate, licet audacter, deprecor, ut modo rursus de eodem scypho bibere digneris. Cumque Pater Antistes de eodem vino gustasset, haud modice admirans, et pincernam vocans, Serve, inquit nequam, qui est quod facere præsumpsisti? Ut quid magis puram lympham mihi et Abbati Macario, et non de locuplete penu S. Kiliani propinare præsumpsisti? At pincerna cœlum et terram contestans, quod de meliori vino totius cellarii propria manu propinasset. Tunc Episcopus jurantis dictis fidem adhibens propria manu sancta omnibus in conclavi sedentibus aquam de vino factam ut gustarent apportavit. Tunc clerus admiratur, tunc populus concurrit, tunc campanæ præ magnitudine facti pulsantur, tunc ipse Antistes cum viris summatibus totius urbis felicis Abbatis Macarii in aures populi præclara merita publice prædicans, ipsum cum pompa et gloria ad claustrum suum reduxit.

D

1 Abbas B. Macarius vita austerus,

d

vini abstemius,

E

quod ei in aquam versum

Episcopo miraculum solenniter publicante.

22 Proinde his cœlestibus signis per totum hinc inde Episcopatum Herbipolensem mirifice enuntiatis, prodigium ante ecclesiam B. Jacobi, in qua modo B. Macarius requiescit, prodigialiter accidit. Nam ante portam ejusdem monasterii ad Austrum nocte quadam serena lucente luna, dum matutinæ cantabantur, ecce ignea turris a terra usque ad cœlum attingens, urbem totamque regionem tamquam sol meridianus æstivo tempore, universo populo spectante, illuminavit. Sequenti vero die Clerus et populus locum videntes, unde flamma turris egrediatur, argenti multum B. Macario cum Fratribus suis, ex compunctione cœlestis flammæ sacrificaverunt, dicentes ex eis quamdam præfiguratam esse animam ardentem fraterna caritate de vicino claustro evidenter cœlum ascendere. Quæ verba præsaga miraculorum obitum B. Macarii prope venturum præfigurabant. Nam post quatuordecim dies juxta conjecturam eorumdem virorum, viri sancti anima de ergastulo carnis egressa ad gaudia Angelorum pennis virtutum evolavit.

Macarii obitus cœlesti portento prænuntiatus.

F

23 Tum virum sanctum Spiritus sancti gratia repletum *e* Gregorium nomine, de claustro Ratisbonensium Scotorum, in Abbatem elegerunt dignissimum, qui ex re nomen habens, super commissum sibi gregem evigilans, erga pauperes, et præcipue peregrinos, intantum studebat, ut quicquid manus ejus poterat attingere, publice privateque indigentibus largiretur. Qui in tali studio post paucos annos hilari mente ad Christum transiit. Cumque eodem anno

e

Abbas 2 Gregorius,

vir sanctus

A anno quidam arreptitius ab amicis ligatus ad ecclesiam eamdem, ut ibidem Fratres pro eo Excelsi rogitarent clementiam, duceretur, fusis precibus pro eo eumdem infirmum super sepulchralem *f* cippum ejusdem Abbatis, ut erat catenatus, imposuerunt, statimque dæmoniacus carbones nigerrimos innumerabiles, meritis Patris egregii adjutus, evomuit.

*g 3 Carus Capellanus Imp.*

24 His Patribus defunctis, virum plenum gratia et veritate, eorumdem Ratisbonensium Priorem, nomine *g* Carum, in Abbatem elegerunt, qui vineta ac virgulta plurima in eodem loco utiliter plantavit, ædificia claustri prudentissime ac competenter erexit. Quem post paucos annos Rex Conradus ac Regina Gertrudis beatissimæ memoriæ in Capellanum sumentes, Ecclesiam B. Ægidii Nuremburgensem eidem ac sequacibus ejus in ævum, intuitu æternæ retributionis, quatenus ibidem gens Scotorum, pro statu Imperii ac pro incolumitate Regum, Excelsi rogitarent clementiam, contulerunt; in qua idem ipse Carus, Deo et Angelis carissimus, diem judicii securus expectat.

*cui pro Scotis data ecclesia S. Ægidii Nuremburgæ;*

25 Quam Ecclesiam regendam post ipsum Carum Pater Declanus ejusdem *h* Conradi ac Reginæ Gertrudis, atque *i* Friderici Imperatoris Capellanus existens, vir providus ac in rebus agendis consultissimus, qui a fundamentis ecclesiam spatiosam quadris ac naturaliter rubricatis lapidibus, misericordia Dei favente, in qua ipse nunc tamquam Christi miles emeritus requiescit, licet multis sibi invidentibus et contra dicentibus, construxit: qui Pater humanissimus, Dei fretus auxilio, in eadem ecclesia monachorum religiosorum honestum colligens conventum congregans congregavit, atque ad subsidia ejusdem congregationis sexaginta aratra vel paullo plus a fidelibus circumstantibus, obstante ac renitente Bambergensium *k* Episcopo, fervente caritate, non sine magna hominum admiratione, collegit. Qui Declanus licet præfatis Patribus impar extitit, nostro tamen fuit vir utilis ævo.

B

*ubi Declanus successor cœnobium construit.*

a Huic Bruschius in catalogo Epp. Herbipolen[illegible] Hezelinum appellat, atque 15 mensi. [illegible] obiisse [illegible] an. 1131, et confirmationem ex Romana Curia non consecutum, nec consecratum, [illegible] Et si [illegible] Epp. [illegible] historia [illegible] videtur, qui ab Hainrico erant Scotis de [illegible] Igitur cum Magontiam Herbipolensis existens Episcopus aliquando contigit me, ex improviso quidam monachus, nomine Christianus, genere Scotus occurrit, qui me coram multis obnixis pulsavit precibus, quatenus ego Herbipoli peregrinis Scotis hospitale fieri vellem. Concilio itaque sociorum meorum, Gebhardi scilicet Langi, Burchardi, Reginhardi ac ceterorum præfatum monachum Herbipolim transmisi, ubi omnibus annuentibus tam populo quam Clero in suburbio nostro, loco qui Girbern habetur, locum Divino servitio inhabitandum assignavimus. Data [illegible] an. 1140, Indict. 3 regnante Conrado anno secundo regni sui. [illegible] 1131 [illegible] 1147 mortuum. [illegible] Aventinus qui [illegible] Embriconem [illegible], Emericum [illegible] Emericus quoque, inquit, Wirtzeburgensis Episcopus Macarium, apprime doctum abstemiumque e Hibernia accersit, eidem atque compluribus aliis templum in urbe condit. [illegible] S. [illegible] S. Stephani [illegible] Hainricum [illegible], [illegible] Emericum [illegible] b [illegible] apud [illegible] tum Dei intuitu tum pro reverentia pretiosi Martyris Kiliani Scotos collegisse. In [illegible] S. Kilian[illegible], [illegible] S. Juli[illegible] dicitur Scotorum genere nobilibus ortus parentibus, [illegible] ex Scotia, quæ et Hibernia dicitur [illegible] de laude Martyrum elegans volumen [illegible] Addit [illegible] de Scotorum in Germania monasteriis lib. 1 [illegible] Epistolarum ad Eugenium [illegible] Papam librum unum. — d Trithemius [illegible] hoc miraculum narrat [illegible] anno 1139 circa festum S. Michaelis, cum a Peregrino Abbate S. Burchardi [illegible] et Macario. De eo plenius [illegible] ad 19 Decemb. qui B. Macario [illegible] Ob cujus præclarissimi signi meritum, inquit Embricho, nos communi consilio Fratribus Scotis, eorumque successoribus in Christo peregrinantibus, integram in majori Ecclesia Canonicam constituimus inviolabiliter possidendam etc. — e Trithemius ait B. Macario an. 1153 mortuo successisse monachum quemdam, nomine Christianum, qui caussam institutionis hujus cœnobii dederat, et præfuisse annis 26. At primus fundationis hujus cœnobii auctor, Ratisponensis Abbas fuerat, in Hibernia deinde mortuus. Aventinus hunc Gregorium eumdem esse putavit, qui Ratisponæ S. Jacobi tertius Abbas fuit. Hunc vero, non solum Macarium, ante annum 1152 decessisse mox patebit. — f Ita legendum videtur. In MS. erat typus. — g Hanc quoque Ratisponensem Abbatem facit Aventinus lib. 6. Gregorius, inquit, et Carus primarius D. Petri Reginoburgensis Antistes, Conrado Cæsari, Gertrudi uxori ejus, a sacris fuere, ab hisque Norciobergæ templum D. Ægidii accepere. Ubi post eos Declanus, sacrificulus Imperatoris Friderici I, a fundamentis Scotis popularibus suis monasterium extruxit. Verum quo auctore didicit, ipsum quoque Gregorium Augustis a sacris fuisse? Quem D. Petri Reginoburgensis primarium Antistitem vocat? Priorem ne, an S. Jacobi Abbatem? Fuit is quidem Ratisponæ Prior, sed an ad S. Petri, an, quod potius reor, ad S. Jacobi, non constat. — h Cum anno 1152 mortuus sit Conradus Imp. cujus, post Cari mortem, Declanus Capellanus fuit, consequens est tres primos Herbipolenses Abbates ante eum annum obiisse, omninoque labare fidem ejus catalogi Abbatum, quem contexuit Trithemius. — i Successit Conrado fratris ejus filius Fredericus, cognomento Barbarossa, sive Ahenobardus, coronatus a Pontifice an. 1155 mortuus in Armenia an. 1190. — k Eberhardus is videtur fuisse, quem Bruschius scribit eam Ecclesiam gubernasse ab an. 1146 ad 1172.

*Origo monasterii S. Jacobi Herbip.*

C

*[illegible] per [illegible] Aventinum [illegible]*

*S. Kilianus Scotus.*

D

AUCTORE MONACHO RATISPON. ANONYMO, EX MSS

*Trithemius correctus.*

## CAPUT VI.

### *Monasteria Scotorum Viennæ et Eistadii. Ratisponæ restauratum.*

His Patribus verendis viam universæ carnis ingredientibus, Abbate etiam Christiano in Hibernia in dimidio dierum suorum moriente, conventus Ratisbonensium Scotorum Priorem suum, in cujus fide et more Abbas Christianus Abbatiam intus et exterius crediderat, Gregorium nomine, virum vigilantem et mansuetum, atque in rebus agendis provisorem providum, innuente Deo, concordi pace, in Abbatem elegerunt. Qui etiam adjutrice Dei gratia fretus, vetus monasterium utpote diruptum atque confractum: quod antiqui Patres, ut superius enucleavi, cum summa festinatione parum provide construxerant, licet audacter, præter turres confregit, ac Christo opitulante ex integro a fundamento usque ad summum quadris et politis lapidibus construens, idem monasterium plumbo contexit, pavimento quadris etiam lapidibus superficietenus lævigatis ornato, nec minus claustro capitellis sculptis ac basibus, insuper aquæductu intus eamdem ecclesiam decoravit, agris etiam exterius plurimum coemptis, ac vineis utiliter insitis, eamdem evidenter intus et exterius ditavit.

*Ratisponense S. Jacobi cœnobium restauratum a Gregorio 3 Abb.*

E

27 Eodem tempore vir magnificus, decus Imperii, rutilans sidus, ardens caritate ad Christi pauperes Dux Austriæ *a* Hainricus, *b* Henrici majoris ac junioris dignissimus hæres nepos que, gentem Scotorum universis Christi pauperibus præferens, eidem Abbati, *c* claustrum, quod ipse de propriis sumptibus instituerat, magnifice contradidit. Ad quam regendam Ecclesiam virum plenum gratia et veritate, ex re nomen habentem Sanctinum, cum viginti quatuor Fratribus Abbas præfatus direxit. Cujus Abbatis Sanctini laus atque memoria per totam Austriam sequacibus suis benignum stravit iter. Qui Sanctinus dum vitæ suæ clauderet diem, quidam ex Fratribus eum requisivit, quid vidisset. Respondit: Video ultra communem modum frondosam arborem, a terra usque ad cælum attingentem, avesque nivi candoris in modum columbarum, a summo cælo per ramos ejusdem arboris ad ima descendentes, perque eosdem ramos eadem volatilia ad cælum advolare conspicio. Quam visionem mystico Fratres intellectu interpretantes, eamdem arborem scalam Jacob, id est, dilectionem Dei et proximi, per quam Angeli ascendunt atque descendunt, divina et humana negotia ordinare, autumati sunt.

*a b Viennæ cœnobium Scotis datum, c*

F

*ubi Abbas Sanctinus, cœlesti visione sub mortem recreatur.*

28 Interea prosperante Deo, cum Ecclesia S. Jacobi intus et exterius se in anteriora extenderet, id est, cum numero Fratrum multiplicato, dum ædificia consurgerent, dum prædia contraherentur, ecce vir devotus, vir magnus et dives, Eistetensis Ecclesiæ Præpositus, nomine Walbrunus, terrena pro cælestibus feliciter commutans, ecclesiam, quam ipse de propriis facultatibus suis in suburbio Eistetensi construxerat, cum septemdecim aratris, Abbati præfato S. Jacobi Gregorio, atque genti Scotorum, per manum mediatoris *d* Comitis Gerhardi more Bavarico,

*datum etiam Eistadii.*

*d*

AUCTORE MONACHO RATISPON ANONYMO, EX MSS.

A rico, æternæ quietis tactus amore, contradidit.

29 Sed quamvis in his talibus diutius possem commorari, melius tamen ad finem operis, ne auribus auditorum tædii ingratitudinem generaverim, tendere videtur. Verum inter cetera magis dignum admiratione judico, quod sic procul a patria, solius Dei juvamine, sine alicujus terreni Principis, sive alicujus Antistitis adjutorio; viri sancti et simplices peregrini, de finibus Hiberniæ, de suburbio Ratisbonensi, ad honorem *e* Deo Jacob provide et prudenter ecclesiam constituerunt, atque adjutorio Dei viventis, consilio et auxilio Calixti Papæ, ac pii Imperatoris Henrici Majoris, ita liberam fecerunt, quod neque Imperator, neque Ratisbonensis Episcopus, neque Dux Bavariæ, nec urbis ejusdem Præfectus, nec unquam aliquis hominum, præter Scotos veraciter dicere possit: Hæc est mea plantatio, hæc est mea institutio, jure hæreditario hanc domum Dei, hoc sanctuarium possum possidere.

*Ratisponensi nulli obnoxium*

*et subjectum ei unitum etiam S. Petri.*

30 Proinde, ut superius enuntiavi, pauca bona quæ S. Petro extra muros erant collata, ad ecclesiam B. Jacobi sic sunt translata, ut unus atque idem esset Abbas, unusque conventus utriusque loci, in unitate pacis et obedientiæ: Prior electus B voluntate et ordinatione Abbatis S. Jacobi, et conventus ad regendum locum S. Petri extra muros esset tali conditione, ut obediens Abbati S. Jacobi esset atque subjectus. Ad sustentationem quoque eorumdem Fratrum ad S. Petrum manentium, quinque aratra et tria vineta, communi consilio Abbatis et conventus, sunt ordinata. Deinde si viri Fratres de S. Petro omni die ad refectionem venire vel indigeant, vel quando velint venire ad nos, talis præbenda eis apponitur, ut cuilibet Fratrum majoris congregationis.

*probante Papa.*

31 Cum itaque hæc translatio consilio et licentia S. Papæ Calixti atque Henrici majoris, cumque laude et licentia Ratisbonensis Episcopi, cumque consilio et auxilio Burggravii Ratisbonensis Ottonis, Henrici fratris ejus facta est, et ut ratum et inconvulsum sit in ævum hoc negotium, privilegiis quinque Apostolicorum, *f* Calixti videlicet, Innocentii, Eugenii, Adriani et Alexandri confirmatum est. Proinde haud equidem, viri Fratres, hoc ambigo, quin Divino nutu, et ab ævo in Dei providentia est prævisum, duas congregationes de occidui orbis finibus, in exitibus urbis Ratisbonensis esse constitutas, unam ob oriente, alteram ab occidente, quatenus ibidem procul a patria, pro statu urbis, pro pace C et salute Cleri et populi ejusdem urbis, nec non pro imperio et Prælatis, tamquam vivorum vigiles, Excelsi die noctuque clementiam exorarent.

*Laus Hiberniæ.*

32 Sed forsan me, Fratres, certam volens facere peregrinorum retributionem quis requiret, quid erit D præmii B. Mariano, ac pie devoteque ejus vestigia exequi desiderantibus, qui dulce solum natalis patriæ, solum dico omni genere serpentum, ac universis vermibus nocivis sequestratum, montes et colles et valles, et saltus venatibus aptos, amœnissima fluminum fluenta, et virides terras, ex puris fontibus amnes derelinquentes, tamquam filii Abrahæ Patriarchæ, in terram, quam eisdem Deus præmonstravit, se præcipitantes? En respondeo, quid erit pretii. In Domo æterni Dei in secula seculorum, cum Angelis et Archangelis habitantes, ascensiones in corde suo disponent: ibunt de virtute in virtutem: videbunt in Sion Deum deorum, cui est honor et gloria in secula seculorum.

*Austriæ Dux 1.*

a Henricus *S. Leopoldi filius, Leopoldo fratri juniori postpositus a patre, eo post sexennium vita functo an.* 1142 *Marchio Austriæ factus, eam diu feliciterque gubernavit, Ducis titulo a Frederico Imp. ornatus, cum ejus jussu Bavariam, a Conrado Imp. Henrico Superbo ob rebellionem ademptam, ac Leopoldo fratri, dein sibi collatam, Henrico Superbi filio restituisset, districtu, qui supra* Onasum *dicitur, ad sumptuum compensationem retento, uti Cuspinianus tradit, et Andreas Brunnerus noster Annal. Boicor. lib.* 12. — b Agnes *Henrici IV filia, quinti soror, desponsata primum Friderico Baroni, ac deinde eidem jam Sueviæ Duci, nupta, ei Conradum III Imp. et Fredericum Ducem Sueviæ patrem Frederici Ahenobarbi, peperit, ut supra diximus: eo mortuo, S. Leopoldo Marchioni Austriæ octodecim liberos genuit, quorum, undecim justam asserunt ætatem ac Principum dignitates, secundo genitus hic Henricus fuit.* — c *Aventinus lib.* 6. Famaque ac impulsus Henricus Dux Boiorum Favium veterem Romanorum coloniam, quam nunc Viennam vocant instaurat, Scotis templum dicat, Sanctinum cum quatuor et viginti sociis Reginoburgio Viennam emigrare jubet. *Viennam veteribus* Favianis *aut* castra Fabiana, *seu* Favianam *appellatam diximus* 8 *Janu. ad Vitam S. Severini Noricorum Apostoli cap.* 1, *num.* 9. *Lubuit Aventino novum pro more nomen cudere* Favium. *De hoc cœnobio Cuspinianus in Austria sua agens de Henrico Duce scribit:* Ut memoriam quoque suam piis factis extenderet, cœnobium Scotorum Viennæ B. Mariæ et S. Gregorio dicavit, fundavitque, et censibus locupletavit: quod Scotis, qui tum habebantur religiosiores, ut sub Benedicti normam viverent, adimplevit, in quo post multas exantlatas ærumnas sepultus jacet. *Fuit autem tunc in suburbio extructum, ut idem alibi scribit, quia minus late tunc Vienna urbs patebat. Ejusdem monasterii ab hoc Duce conditi meminit Georgius Conæus lib.* 1 *de duplici statu religionis apud Scotos, et Brunnerus noster Annal. Boicor. tom.* 3 *lib.* 12, *ubi ait hanc Scotorum coloniam deductam post decimum quintum Herbipolitanæ annum. Verum a quo hujus ducat exordium, non indicat: si a tempore Hezelini, non est probabile, quia sub ipsum plane Syriacæ expeditionis tempus deberet accidisse* 1146 *vel* 1147 *Christi anno: fortassis calculo Trithemii insistit, qui an.* 1139 *Macarium ordinatum Abbatem scribit, et post annos fere septem Romam profectum.* — d *Aventinus hunc novi monasterii moderatorem facit.* Waldoleunus de Ruuchshoven Aichstadii suburbanum templum rotundumque extruit. Gerardo cum condiscipulis Reginoburgio evocato tradit. *Idem Brunnerus noster tradit. De eo monasterio Gretserus lib.* 1 *Observat. de Divis Eystettensibus cap.* 19 *ita scribit:* In Gallus suburbii orientalis fuit olim monasterium Scotorum, cum templo formæ cyclicæ et rotundæ, quod a Dominico sepulchro nomen habebat. Monasterium interiit: templum stetit, usque ad illustrissimi Joannis Conradi Episcopi Eystettensis præsulatum; cujus tempore, cum ruinam minaretur, eversum est, sed ea lege, ut eadem forma et magnitudine repareretur et reædificaretur! Quod magnanimus ille Princeps morte abreptus, cum non perfecerit, F successoribus perficiendum reliquit. *Obiit hic Joannes Conradus* VII *Id. Novembris, an. Christi* MDCXII, *cum vixisset annos* LI. *Ecclesiam gubernavit* XIX. — e *In Divi Jacobi.* — f *Sederunt hi Pontifices,* Callistus II *a* 20 *Jan.* 1118 *ad* 19 *Dec.* 1124. Innocentius II *a* 14 *Febr.* 1130 *ad* 24 *Sept.* 1143. Eugenius III *ab an.* 1145 *ad* 8 *Julii* 1153. Adrianus IV *a* 3 *Dec.* 1154 *ad* 1 *Sept.* 1159. Alexander III, *ejus successor, ad* 27 *Aug.* 1181.

*Agnetis Marchionissæ proles multiplex*

E

*Vienna urbs Austriæ*

*isthic monasterium Scotorum,*

*olim in suburbio*

*quando conditum?*

*Templum Scotorum Eustadii rotundum*

# DE S. RAYNALDO

## EPISCOPO NUCERINO IN UMBRIA.

G. H.

### Commentarius prævius.

*ANNI MCCXXV IX FEBR. Nuceriæ in Umbria*

Nuceria perantiqua urbs *Umbriæ via Flaminia, in montibus Apennini prope Tiniam flumen, tempore Apostolorum ad Evangelii lumen oculos aperuit, et primo Neronis persecutione SS.* Felicem *Presbyterum et* Constantiam *matronam cives suos, martyrii palma illustres, cælo transscripsit: quorum memoria ad diem* XIX *Septembris sacris Fastis est inscripta. Hujus Nuceriæ diœcesis protulit fines ex ruinis circum jacentium civitatum Tadini, Rossellæ, Luceolii, Pistii et Usentii, quibus Langobardorum ac Saracenorum furore eversis, omnium Sedes Nuceriæ, quæ præ ceteris vigebat, constituta est. Splendida illic visitur Cathedralis ecclesia* S. Raynaldo *Episcopo Nucerino, de quo hoc die agimus, sacra. Clerum decem Canonici cum Præposito, ac triginta aliis Sacerdotibus, et variis sacrorum ministris, qui die noctuque divinum cultum perurgent, dicuntur complere, ut lector ex tomo primo Italiæ sacræ Ferdinandi Ughelli uberius poterit haurire.*

*ecclesia Cathedralis dicata S. Raynaldo Ep.*

2 *Fuit Nucerinus* XIX *Episcopus* S. Raynaldus, *qui anno* MCCXXV, *die* IX *Februarii in cælum migravit, cujus ita ad eum diem meminit Ferrarius in generali Catalogo:* Nuceriæ in Umbria S. Raynaldi Episcopi. *de quo illustre encomium texuit idem Ferrarius in Catalogo*

*hujus nomen in sacris Fastis.*

A *talogo SS. Italiæ, quod integrum, nulla ejus facta mentione, descripsit Bzovius in Annalibus ad an.* 1225 *num.* 13. *Aliud virtutum illius elogium edidit Ughellus, apud quem legitur, sed forte typographico mendo,* XIX *Februarii obiisse. Ejus Acta copiosius collegit Italice Ludovicus Jacobillus, atque inter Sanctos Umbriæ ad* IX *Februarii edidit ex diversis a se citatis monumentis: qualia dicit esse,* Vitas S. Raynaldi antiquas MSS. in ecclesia Nucerina, Vitam *ejusdem*, ab ejus discipulo scriptam, et MS. Nuceriæ adservatam. Codicem antiquum MS. in sacrario Cathedrali Nuceriæ, scriptum a Silvestro Ser-Angeli. Codicem antiquum MS. apud Plebanum S. Facundini. Lectiones antiquas MSS. in conventu S. Francisci Gualdi. Chronicon Gualdense MS. in *eodem* conventu, et apud Capitaneum Angelum Moronum, *tum duplicem* S. Raynaldi Vitam *excusam unam* Assisii anno CIƆIƆCXVII auctore Joanne Bapt. Theodoro Nucerino, alteram Perusiæ anno hujus seculi XXVII, ab Celso Placido scriptam : *a quo Vitas omnium Sanctorum Nucerinorum editas tradit Ughellus, et opus de Episcopis Nucerinis adornari.*

*varia Acta,*

3 *Hinc desiderium nobis excitatum impetrandi antiqua illa monumenta, e quibus Henricus Lindanus noster, dum Romæ degeret, adhibita solerti indagatione,* B *assecutus est, et secum detulit in Belgium hanc quam edimus Vitam, sed Italice scriptam; cum hoc titulo :* Famulus quidam B. Raynaldi, ut antiqua fert traditio, reliquit hujus Vitam a se Latino sermone scriptam. Extabat ea in vetusto codice membranaceo aliis Actis Sanctorum, qui per totum annum coluntur, adjuncta : adservaturque in archivo Cathedralis ecclesiæ Nucerinæ, quæ Italice versa est ejusmodi. *Hinc nobis necessitas imposita est denuo Latino sermoni eamdem restituendi. Famulus seu discipulus S. Raynaldi potuit ea scripsisse, quæ capite priore ad ejus usque sepulturam referuntur, quæ alius dein auxit : aut certe ex ejus aliorumque monumentis postea collegit quispiam, qui dum asserit num.* 13 præterea de illo legi, *innuit se longe juniorem esse. At quæ contigerunt anno* CIƆCCCCXV *et sequenti miracula, scripsit Silvester Ser-Angeli auctor coævus. Horum omnium præclarum compendium est, quod Ferrarius edidit,* ex monumentis, *ut addit,* Ecclesiæ Nucerinæ et Vita MS. *Reliqua in Notis explanamus.*

*hic edita quæ ex Latino ante Italice versa,*

*quando scripta?*

4 *Missi una ad nos fuere duo hymni, a Domino Anselmo Corradino Nucerino ad laudem beatissimi Confessoris* Raynaldi *compositi, quorum alter ad Vesperas et Matutinum, alter ad Laudes in Officio Ecclesiastico* C *recitandus est. Utrumque omittimus, tum quod ea solum contineant, quæ in actis narrantur, tum quod quo tempore dictus Corradinus vixerit, nos lateat, utque videtur supervacanea moles operis.*

*Duo hymni.*

ANIMADV PAP. 61

# VITA

## *ab auctore antiquo Latine scripta,* hic ex Italico restituta.

### CAPUT I.

### *Rerum a S. Raynaldo gestarum epitome : obitus; veneratio.*

Post maximas barbarorum incursiones pace a Deo Imperio occidentali reddita, Imperatores e Germania in Italiam profecti, incultas regiones Comites inter aliosque viros nobiles, qui eos sequebantur, distribuerunt. In his Comitibus eminebant tres fratres, *a* Lupus, Viccus, Eufredus, ex ipsorum stirpe Imperatorum prognati : quibus amplæ ditiones obtigerunt, Lupo circa Camerinum, a quo nobiles Alviani, Viscoli et Baroli suam originem habent; Eufredo circa Fulginium et supra Becanam, et hunc multi suæ familiæ auctorem agnoscunt. At montes vallesque inter Nuceriam et Forum-Flaminii obtinuit D Viccus, et cujus posteri plurimi numerantur Episcopi atque Abbates, inter quos fuit B. Raynaldus, *b* filius Neapoleonis, religiosus Sacerdos, verus altissimi Dei et servus et amicus, ac tandem Episcopus Nucerinus.

*Ex Comitibus Germanis e familia Imperatorum oriundus*

*a*

EX MS ITALICO. INTERPR. G. H.

*prognatus S. Raynaldus*

*b*

2 Hic ergo vir sanctus, quamvis summa filiorum Vicci familia, et nobilissima Comitum Germaniæ stirpe natus splenderet; majorem tamen e vera sanctitate, ac perfectione vitæ nobilitatem adeptus, a prima infantia sanctis moribus imbutus, crescebat Deo gratus et hominibus. Humanis dein ac sacris litteris eruditus, cum aliorum nobilium more, ob varias agrorum aliarumque rerum possessiones, divitiis honoribusque frui posset; divino Spiritu actus, *c* calcato mundi fastu, ac divitiis fallacibus spretis, sese in venerabile *d* monasterium Eremi sanctæ Crucis Fontis Avellanæ abdidit, uni Deo serviturus, cui, jejuniis, orationibus, piisque meditationibus exercitus, adhærere constanter ac sincere cupiebat.

*ab infantia virtuti deditus,*

*præclare doctus,*

*c*

*d*

*pius monachus,*

3 Mortuo dein *e* Ugone Episcopo Nucerino, non absque singulari Dei providentia atque inspiratione substitutus est vir sanctus Raynaldus : qui eamdem morum gravitatem ac modestiam, quam ante inter monachos servaverat, in ea dignitate retinuit : E benignus erga viduas, pupillos atque orphanos, ac summa caritate peregrinos pauperesque complexus. Abstinuit ab splendidis ædificiis, et pecuniarum coacervatione : verum quidquid honestæ educationi, ac vestitui tum suo tum Clericorum ac reliquæ familiæ supererat, jubebat in pauperes erogari. Pauperculus quidam infans, utroque orbus parente, erat Nuceriæ omnium subsidio destitutus, ac magna oppressus necessitate. Quo intellecto, vir Dei Raynaldus jussit illum ad se afferri, atque in ædibus suis affectu paterno educari. Eumdem ætate aliquanto majorem voluit peram de collo gestare, ac quotidie ad suam mensam accedere, docuitque eum tum a se tum ab aliis convivis, Clericis ac laicis, stipem emendicare, his verbis : Date mihi pauperi eleemosynam ob amorem Dei et Virginis Deiparæ. Hoc Sanctus faciebat, ut perpetuo Christi memoria innovaretur.

*e*

*creatur Episcopus Nucerinus,*

*orphanum in ædibus suis educat*

4 Severus in seipsum Raynaldus lectum sibi a famulis stratum non admittebat, sed totis fermo noctibus orationi intentus vigilabat, aut si somno opprimeretur, humi cubabat, vel supra mensam : atque ita lectus, qua pridie fuerat arte compositus, proxima luce reperiebatur intactus. Imitabatur hac in re B. *f* Facundinum decessorem suum, magna virum sanctitate ac perfecta virtute eximium, solitum F et lecti mollitiem declinare, ut nocturnis orationibus intenderet, et asperam in solitudine vitam ducere, ubi libertate majori precibus vacaret.

*in seipsum severus, humi cubat*

*f*

5 Effervescebat Raynaldus ardore Divinæ justitiæ adversus homines in peccatis obduratos. Nam cum benigno animo ac misericordi susciperet, quos peccatorum tæderet, contritos atque humiles effectos, ita jus cuique suum distribuens, severe castigabat, quos animadvertebat e vitiorum cœno nolle emergere. Dum diœcesim, invisurus subditos, obiret, emendationi morum ac correctioni Clericorum serio incumbebat, et populos sibi commissos summa cum fide gubernabat. Nefarii aliquot homines ædem S. Petro sacram in territorio Gualdensi sacris libris atque ornamentis spoliarant, ac domos vicinas incenderant, cum vir Dei versus parochiam S. Felicitatis iter faceret : qui mox convocato Clero populoque, impios illos ac sceleratos anathematis vinculo obstrinxit. A bonis piisque hominibus, qui eum ut virum sanctum suspiciebant, unice amabatur, ab impiis vero et sceleratis, quia morum noverant severum correctorem, plurimum metuebatur.

*rigidus adversus obduratos in peccato,*

*prædones excommunicat*

6 Episcopatum gessit ea tempestate, qua *g* S. Franciscus

*g*

*EX MS. ITALICO. INTERPR. G. H.*

*excitatur exemplo S. Francisci tum viventis :*

A Franciscus verus Christi imitator, et legis Evangelicæ professor, dum pœnitentiam et viam æternæ salutis instituto vitæ suæ annuntiaret, multos ad suave Christi jugum amplectendum adducebat : stellæque instar relucens, Christianos quoscumque, religiosos æque ac laicos, verbo atque exemplo collustrabat ; cui etiam tum *h* Seraphinus apparens sacra stigmata impressit. B. Raynaldus vita mortali in Dei obsequio feliciter peracta, fractus senio, vigiliis atque orationibus, ad vitam immortalem in pace migravit, quem omnipotens Deus signis mirabilibus Sanctum esse declaravit. Sacrum ejus corpus balsamo conditum, loculoque inclusum, Canonici ac Clerici, cum magno populi Nucerini accursu, in æde Cathedrali sepeliverunt. *i* Triennium in Episcopatu exegit. Decessor illius Ugo anno CIↃCCXXII adhuc superfuit : Pelagius in ejusdem Beati locum subrogatus est anno CIↃCCXXV.

*sancte moritur*

7 Temporibus subsecutis, cum *k* Fredericus Imperator loca munitiora circa Nuceriam occupasset, ac cives Nucerini mallent ad Pontificis Romani obedientiam redire; Germani ac Fulginates illis infensi, e castellis munitioribus, urbem Nuceriam invasere, eamque civibus depulsis *l* anno CIↃCCXLIX destruxere,

*Nuceria an. 1249 destructa,*

B servata sibi arce altissima, quam turribus mœnibusque fortissimis cinxerant. Fuerunt tunc, quotquot Ecclesiæ fidi erant, Canonici, monachi, Sacerdotes, Clerici, multis undique injuriis agitati, dum tandem desertis ecclesiis fuga sibi salutem quærerent. Tunc Cathedralis Nucerina expilata, et Germanorum milituum prædonumque spelunca, et bestiarum stabulum facta est ; in qua absque ulla corporis B. Raynaldi aliorumque Episcoporum, quorum illic sepulchra visebantur, reverentia excubiæ militares exercebantur, impudici homines pro suis uxoribus et concubinis cubicula lectosque collocarant. Demum quæcumque fuerant ecclesiæ sacra vasa atque ornamenta, cum libris direpta sunt atque ablata, quorum omnium erit coram Dei tribunali cognitio.

*arcem detinent milites Frederici Imper. atque impudice vivunt in æde Cathedrali.*

8 Mortuo Friderico *m* anno CIↃCCL, ejusque postea filio *n* Conrado Rege, et occisis in bello *o* Manfredo et *p* Conradino, pax a Deo sanctæ Ecclesiæ reddita est : quando Nucerini reversi, mœnia turresque arcis destruxerunt, ac civitatem instaurarunt : cui inclusa est Cathedralis ecclesia, in qua corpus S. Raynaldi eadem, qua olim fuerat, in veneratione deinceps habitum. *q*

*Restituitur Nuceria et cultus S. Raynaldi.*

C a *Jacobillus* Vicco Lupi [illegible] et Offredum [illegible], qui [illegible] Bufredus [illegible] appellat. [illegible] — h Apud [illegible] Comitis Antignani Neapoleonis Raynaldi [illegible] cum [illegible] Comitis possedisse Galloanum, et Postignanum in territorio Nucerino. — c *Jacobillus addit*, [illegible] — d [illegible] S. Benedi[illegible] Crucis de Avellana an. 1107, [illegible] *Ughellus* [illegible] S. Raynaldum [illegible] *Jacobillus.* — f Colitur S. [illegible] 28 [illegible] templum [illegible] dicatum est prope Gualdum oppidum. [illegible] Nucer[illegible] — g A S. Raynaldo Fratres Minores S. Francisci [illegible] Gualdo oppido vicinum, qui [illegible] S. Francisci [illegible] 1210 *tradit Jacobillus.* [illegible] Episcopos, qui indulgentiam S. Mariæ de Portiuncula [illegible] divulgarunt, [illegible] eumdem S. Raynaldum, refert Ughellus. Agit de ea indulgentia Waddingus tomo I. Annal. Minor. ad an. 1223 num. 1 [illegible] Honorium ad illam S. Mariæ [illegible] ad Kalendas Augusti concessisse Episcopos Assisiensem, Perusinum, Tudertinum, Spoletanum, Fulginatensem, Nucerinum et Eugubinum. — h Anno 1224, [illegible] S. Francisci. Consule Vitam per S. Bonaventuram et Waddingum num. 37 et seqq. dicti anni 1224. — i Forte septennio Episcopus fuit, mortuo scilicet Ugone decessore an. 1218, quo hujus electionem ratam habuisse Honorium [illegible] Ughellus, qui tamen [illegible] Jacobillus scribunt obiisse an. 1222, quem annis sequentibus [illegible] — k Est hic Fredericus II an. 1220 [illegible] S. Cæciliæ ab Honorio Papa coronatus Imperator. De ejus in Italia bellis agimus [illegible] Febru. in Vita B. Arnaldi Catanei Abbatis. — l De rebus gestis Frederici hoc anno quædam refert Odoricus Raynaldus num. 12, 13, et 14 [illegible] Matthæo Parisiensi, [illegible] Legato Apulos ad defectionem sollicitatos in Fredericum consurrexisse. Extat etiam apud Parisiensem invectiva epistola Reinerii Cardinalis in eumdem Imperatorem. — m Obiit in Apulia 13 Decembris. — n an. 1254 mense Maio. — o Manfredus Frederici filius spurius, anno 1266 in pugna contra Carolum, fratrem S. Ludovici Regis Francorum occubuit. — p Conradinus Conradi filius an. 1268 captus, jussu Caroli Regis capite mulctatus. — q Aliqua apponebantur de antiquis barbarorum, Gothorum, Saracenorum et aliorum incursionibus, et variis diœcesibus adjunctis, quorum aliqua supra attigimus, reliqua ut supervacanea omisimus.

D

## CAPUT II.

### *Virtutes S. Raynaldi illustribus factis et miraculis in vita probatæ.*

Quam eximia excelluerit humilitate B. Raynaldus, ostendit illustri facto, quando leprosum sibi obvium, qui maximo omnibus horrori erat, osculatus est, atque impertita benedictione sanitatem contulit. Post suum ex eremo Fontis-Avellanæ reditum, numquam sede usus est, ne quidem in templo, sed exiguo scamno quopiam, quod vulgo tripodem appellabant.

*S. Raynaldus osculo leprosum sanat.*

10 Elucebat magna in eo majestas, qua Apostolis par habebatur, enata ex singulari sancti Spiritus gratia, quæ sub specie ignis in ipsum, dum sacrificium Missæ offerret, visa est descendisse. Et illud legitur, quomodo, dum B. Raynaldus quadam vice solus in cubiculo esset, duo familiares ejus amici, qui illum foris expectabant, plures cum eo intra cubiculum colloquentes, subito neque absque horrore ingenti audiverunt. Interrogatus ab iis, veritatem indicto silentio fassus est ; ad se venisse Deiparam Mariam, cum SS. Agnete et Thecla ; nec solum illo die, sed frequentius earum se visitantium alloquio fruitum esse. Asseruit præterea sanctos Apostolos *a* Petrum et Paulum a se sæpius fuisse visos.

*sub specie ignis Spiritum sanctum accipit*

E

*invisitur a SS. Maria, Agnete, Thecla, Petro et Paulo :*

11 Vir fuit æquus et justitiæ tenax, qui ad prandium ab *b* Frederico Imperatore invitatus, oblatum sibi primo loco vitrum ad bibendum, quod omnes ab eo porrigendum Imperatori expectabant, Presbytero suo tradidit, ratus non alium, qui post se deberet bibere, magis dignum mensæ assidere, nec debere Presbytero Regem aut certe alios Regi vicinos anteponi.

*præfert in mensa Presbyterum Imperatori*

12 Tanta fuit morum mansuetudine ac facilitate, ut, quamvis ipse summus in Ecclesia sua Sacerdos, sæpius a suis Clericis offenderetur, nullos tamen officio moverit, neque illatam injuriam unquam ultus sit. Nemo eum vidit aut mœstitia dejectum aut risu elatum. Nihil præter pacem, pietatem et gaudium, cordi infixum detinebat.

*mansuetus erga delinquentes Clericos*

13 Idem quadam vice, uti præterea legitur, veste pilosa ac nigro pallio indutus, asino insidens, iter agebat : cui aliquot equi occurrentes, ac terrore quodam perculsi, præcipites excusserunt *c* equites. Hi graviter infensi, virum Dei dejecerunt in terram, ac prostratum plagis verberibusque male exceperunt. Contenuit vir Dei, humerosque illis obvertit. Verum illi se illusos rati, quasi hic doloris se expertem, nec verbera sentire fingeret, in majorem agebantur rabiem. Cum postea cœptum iter vellent persequi, subito eorum equi instar saxorum redditi sunt immoti, neque ullis potuerunt stimulis ac flagris ad incessum incitari ; donec equites ad B. Raynaldum reversi, supplicesque peccata confessi, veniam impetrarunt : quibus benigno vultu ab eo dimissis, mox equi valde feliciter progressi sunt.

F

*ab equitibus verberatus,*

*ast eorum equis immotis redditis, veniam petentibus indulget.*

14 Adeo orationi erat addictus, ut ne hora unquam vel momentum elaberetur, quod non conseretur orationi aut meditationi impendi. In omnibus namque operibus mentem servabat orationi intentam, non aliter atque faber, quamvis ob virium debilitatem nonnunquam a tundendo ferro cesset, non illud tamen ab incude removet.

*assidue orat :*

15 Severum atque asperum vitæ genus amabat, solitus aut humi cubare, aut cilicio indutus lecto incumbere. Cum quodam tempore adverteret a clerico suo

*humi cubans*

A suo lectum multo stramine esse commodius compositum, tam insolita lecti mollitie perterrefactus, has delicias non admisit: surgensque stramen omne sustulit, ac se in nudam humum projecit. Sub mediam dein noctem stramen illud, injecto fraude dæmonis igne, incensum est: excitatusque B. Raynaldus, fuga se eripere, aliquamdiu, sed frustra conatus est: oppressus undique flammis, ac vestibus adustis, ad solitum orationis perfugium advolavit, signoque Crucis sese muniens, inter flammas permansit illæsus; imo eas non sensit, orationi intentus: accenderat namque cor ejus major ignis, adeo ut cum regio Psalte posset dicere: Et in meditatione mea exardescit ignis. Clerici flammarum strepitu excitati accurrunt, ereptumque e medio incendio Beatum, inveniunt illæsum, quem exustum verebantur.

*manet in incendio illæsus:* Psal. 38. 4

16 Ob benignum erga peccatores affectum, quos scelerum pœnitebat, in sinum pietatis excipiebat omnes. Admonitus aliquando, quod eos, qui in peccata sua sæpius essent relapsi, reciperet foveretque, respondit: Si tu, o miser desineres homines persequi, ac peccatorum propriorum dolore cruciareris; ego de bonitate Domini mei Jesu Christi confidens, ejus tibi misericordiam addicerem.

*benignus erga peccatores pœnitentes:*

B 17 Non minus comis erat et facilis erga pauperes. Hinc cum quadam die templum adiens, pauperem nudum sequentem conspexisset; ut illi vestis daretur, mandavit Archidiacono: quo moram nectente, ingressus sanctus Episcopus sacrarium, vestem suam pauperi donavit, una præcipiens, ut quam primum inde discederet. Admonitus dein ab Archidiacono Beatus, ut ad statum sacrificium peragendum pergeret, respondit de se loquens: Nequit pauper progredi, donec vestem acceperit. Cum Archidiaconus, sensu horum verborum non intellecto, quod pallio suo adhuc Beatus tegeretur, neque interior nuditas appareret, occasionem huic moræ dedisse pauperem ignoraret; iterum ei dixit Episcopus: Afferatur mihi vestis: neque, quo operiatur, pauperi deerit. Coactus itaque Archidiaconus forum adire, argenteis nummis quinque penulam, seu vestem brevem vilemque emit, allatamque indignabundus ad sancti Pastoris pedes abjecit. Hac ille secreto indutus, quamvis ad genua solum pertingeret ejusque manicæ cubitum vix tegerent, ad rem divinam faciendam perrexit: supra cujus celebrantis caput apparuit globus, et ne brachia in Eucharistiæ elevatione conspicerentur nuda, gracilia ac macilenta, ab Angelis aurea C argenteaque veste contegi visa sunt, non linei indusii manicis, quibus antea solum tegebantur: auditaque de cœlo vox est, dicens; Hic implevit præceptum Evangelicum, qui habens duas tunicas, unam dedit illi, qui non habebat: Sic debetis et vos facere.

*pauperi vestem suam donat:* *in penula sacrum facturus,* *accipit manicas aureas argenteasque ab Angelis:* Luc 3. 11

18 Magna ejus virtus fuit in pellendis dæmoniis e corporibus tam bestiarum quam hominum. Vacca quædam a dæmone insessa, huc illuc discurrendo, multos feriebat: imo tota in rabiem acta, in beatum Episcopum ejusque comitatum incurrit. Sublata is manu, ut ipsa in loco subsisteret, vaccæ imperavit: qua mox plane immota consistente, dæmonem, qui ejus dorso insidebat, objurgavit, clamans: Discede hinc hac bestia, et desine innocens animal vexare. Abacto his verbis dæmone, vacca ad sancti Patris pedes se abjecit plane mansuefacta, ejusque imperio ad stabulum reversa est.

*depellit e vacca dæmonem:*

19 Subtile planeque divinum menti ejus acumen inerat, potissimum in dignoscendis dæmonibus, sub quacumque etiam specie latentibus. Assumebant namque imaginem vultumque *d* subinde Jovis aut Veneris, crebrius Mercurii; asserebantque se Jovem esse vel Bacchum, aut Heben Deam juventutis. Cum quadam vice dæmon purpura ac diademate ornatus, D calceis aureis indutus, blando ore, vultuque hilari instar Regis sese ostentasset B. Raynaldo, post mutuum utriusque silentium aliquamdiu servatum, tandem dixit: Reynalde, ego sum Christus tuus, quem prolapsus in terram adoras: ante omnes me volui tibi revelare. Consternato hisce Raynaldo, ac vocem premente, denuo dixit dæmon: Quare dubitas credere, Raynalde, cum me videas Christum esse? Tum B. Raynaldus a Spiritu sancto edoctus hæc opposuit: Dominus meus Jesus Christus non prædixit se venturum purpura et diademate coruscante vestitum. Nisi Christum videro ea veste ac specie, qua passus est, et nisi plagas ac vulnera, quæ in cruce sustinuit, mihi ostenderit, non credam. Ad quæ verba dæmon disparuit, totumque templum teterrimo odore implevit.

*d vexatur a dæmone in specie Jovis aliorumque deorum, ac Regis fingentis se Christum esse,*

EX MS. ITALICO INTERPR. G. H

a *Joannes Bapt. Theodorus Nucerinus in Vita S. Raynaldi a Jacobillo citatus refert eum aliquod monasteriolum Fossati in territorio Nucerino extruxisse, adjuncta ecclesia, SS. Petro et Paulo, quos sibi Patronos elegerat, dicata, atque etiamnum appellari parochiam S. Petri Apostoli.* — b *Jacobillus* Principem magnum *fuisse ait. Idem a S. Martino Episcopo Turonensi factum est.* — c Milites Frederici II, *qui* hostili rabie grassabantur in Umbria, *tradit Jacobillus.* — d *Ita sub specie variorum deorum apparuisse diabolum S. Martino tradit in ejus Vita Severus Sulpitius.*

## MIRACULA SECULO XV FACTA E
### a Silvestro Ser-Angeli descripta.

Anno decimo quarto supra millesimum et quadringentesimum, mense Augusto, ipsoque Divæ Virginis assumptæ festo, Laurentius Marcutius ex Bagnaia obtulit beato Patri Raynaldo, erga quem eximie pius erat, cereum septem librarum, narrans ab eo sibi beneficia collata eo anno, quo incolis planitiei Nucerinæ *a* Cecholinus hostis crudele intulit bellum. Tunc enim suscepto voto se B. Raynaldo obligarat, ut cum sua familia ab hoc belli periculo eximeretur. Et quod Dei benignitati ac B. Raynaldi intercessioni attribuit, ab illius belli incommodis immunis fuit, nihil detrimenti nec ipse, nec quisquam ex ejus familia passus: imo quamvis durante eo bello sæpius se Laurentius hostibus undique cinctum viderit, absque ullo tamen damno semper liber expeditusque evasit.

*B. Raynaldi intercessione evitatur belli rabies* a

2 Anno decimo quinto ejusdem seculi, XXIII Junii, Claritia uxor Petri de Nolphio, ex colle Manzio, narravit, se tempore postremæ contagionis, cum gravissimo morbo ex lue inguinaria opprimeretur, votum hoc nuncupasse, ut, si morbus ille evinceretur, religione obstricta, templum B. Raynaldi adiret. F Postero mox die auxilium Dei et B. Raynaldi experta, sublato luis inguinariæ dolore, liberam se sanamque reperit.

*pelluntur lues inguinaria,*

3 Eodem die, cum mulier quæpiam Assisiensis, morbi gravissimi doloribus opprimeretur, ac mortis vicino periculo exposita videretur; alia fœmina, singulari amicitia illi conjuncta, Checia nomine, ex *b* Postiniana oriunda, B. Raynaldo, ex cujus erat familia prognata, sponte sua votum pro illa fecit: cui B. Raynaldus apparens, se ipsius sociæ jam opem ferre addixit. Cujus patrocinio, Divina opitulante gratia, intra triduum pristinam altera recuperavit sanitatem.

*et morbus letalis* b

4 Die sexto Julii ejusdem anni Angelellus, qui et Mancinus de Aviano dictus, cum jam sedecim menses in arce Nuceriensi detentus in vinculis esset, et numquam inde egressurum, sed vitam illic finiturum, omnes passim Nucerini conquererentur; ipse supplex opem B. Raynaldi imploravit, votivo munere ex cera oblato, triginta solidis æstimato. Nec frustra. Nam beneficio Dei ac B. Raynaldi fuit libertati restitutus.

*liberatur captivus:*

5 Eodem die Illuminata, vidua Nicolai ex præfectura Christana, pro quadam sua nepte, quæ struma

A ma a prima nativitate laborabat, et pro alio puerulo, cujus morbus ope humana immedicabilis habebatur, vovit Deo et B. Raynaldo, se ad æquale infirmorum pondus panes oblaturam : et per gratiam Dei et B. Raynaldi utrique sanitatem impetravit.

EX MS. ITALICO. INTERPR. G. H.

*curantur struma, et alius morbus :*

C

6 c Bartholomæus filius Matthæi de Cecco, ex territorio Straviniano Comitatus Nucerini, coram Dominis Matthæo Marcio, Francisco de Antonio, Paulo Vanno et Vitale de Francisco Nucerinis affirmavit, se anno millesimo quadringentesimo decimo quarto, cum pestis in urbe et Comitatu Nucerino per quinque menses gravissime grassaretur, vovisse B. Raynaldo cereum octo Anconitanorum, si contagio illa ejus ædes non penetraret, et tam ipse quam ejus familia ab ejus periculo servarentur illæsi. E voto res successit, omnibus ab eo malo liberatis.

*pestis arcetur.*

a Cecholinus, *seu* Ceccolinus Michelottus Perusinus, *quem ejusque* fratrem Biordum, interfecto Pandulpho Baleono nobilitate principe, popularium statum induxisse apud Perusinos *tradit Paulus Jovius cap. 39 Vitæ Magni Sforitæ, qui illic tunc stipendia meruit. Nam, ut Pius II lib. 2 Comment. scribit,* duæ erant apud Perusinos partes, quæ se invicem persequebantur, Nobiles ac Raspantes ... Inter Raspantes, cum civitatis regimine potirentur, quatuor fratres fuere, quorum matrem prudentissimam fœminam sæpe dixisse traditum est, sibi quatuor filios esse, Biordum, qui et dicendo et faciendo excelleret, Ceccolinum, qui facere quidem egregie nosset, eloqui nesciret, Antonium cui dicendi copia cum esset, faciendi non esset, et Eganum, qui et facere et dicere ignoraret. *Hic ergo Cecholinus dicitur præfuisse exercitui Galeatii Ducis Mediolanensis, militia functus sub Ludovico Neapolitano Rege, Summis Pontificibus, et Rep. Florentina, ac potissimum Raspantium Perusinorum factioni summo cum imperio præfectus fuisse quem tandem* virtuti atque amplitudini Sfortiæ cum aliis invidentem, Beneventi comprehensum, uti inimicum, et adversarum partium acerrimum ducem in carcere necatum esse *scribit Jovius cap. 45.* — b *In Postiniano oppido sive arce natum esse S. Raynaldum anno* 1157 *scribit Jacobillus.* — c *Italice,* Meo de Matteo di Cecco. D

*Cecholinus Perusinus.*

X FEBRUARII.

# X FEBRUARII.

## SANCTI QUI IV ID. FEBRUAR. COLUNTUR.

Sanctus Andreas, S. Aponius, sive Aporius — Martyres, Bethlehem in Judæa.
S. Zoticus,
S. Irenæus,
S. Hyacinthus,
S. Amantius — Martyres, Romæ.
Sancti x Milites Martyres, Romæ.
S. Apollo,
S. Protheus,
S. Orion,
S. Plausus,
et multi alii — Martyres, Alexandriæ in Ægypto.
S. Charamlampius Presbyter,
S. Porphyrius, S. Baptus — Milites,
Sanctæ III mulieres — Martyres, Magnesiæ et Antiochiæ Pisidiæ.
S. Soteris, Virgo Martyr, Romæ.
S. Peregrinus Confessor, Placentiæ in Italia.
S. Zeno monachus, juxta Antiochiam
S. Silvanus, Ep. Conf. Tarracinæ in Italia.
S. Scholastica, Virgo, in monte Casino in Italia.
S. Protadius, Ep. Vesontinus.
S. Trumwinus, sive Tumma, Ep. Pictorum in Britannia.
S. Austreberta, Virgo, in Belgio.
S. Baldegundis, Abbatissa.
S. Sigo Ep. Claromont. in Gallia.
S. Sura, sive Soteris, aut Zuwarda, Virgo Mart. Dordraci in Hollandia.
S. Guilielmus Eremita, apud Stabulum Rodis in Etruria.
S. S. Paschasius Abbas, Lesinæ et Neapoli.
B. Guilielmus, Presbyter, Eremita, Fundator cœnobii Olivæ in Belgio.
B. Arnaldus Cataneus, Abbas Patavii in Italia.
B. Guilielmus Zucchius, Alexandriæ in Italia.

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Sanctus Seustius Tuderti in Umbria *nobile martyrium fecit, x Februarii, ut innuere videntur Ferrarius in generali Catalogo SS. et Joannes Baptista Possevinus in historia SS. Tudertinorum. Fatetur tamen ille, ac Ludovicus Jacobillus, coli, quo et nos de eo egimus* XXIX Januarii.

S. Erlulphus Ferdensis Episcopus et Martyr, *hoc die memoratur a Davide Camerario lib. 3 de Scotorum pietate. Colitur cum Sanctis Ebbekesdorpiensibus, uti § 4 retulimus* II Februarii.

S. Apollonia Virgo Martyr *in quibusdam MSS. Martyrologiis hoc die consignatur : in Romano ac veteris* IX Februarii.

Appion, *sive* Appius, Sextus, Arabianus, *alias* Brabianus *dictus*, — scriptores Ecclesiastici, *temporibus Severi Imp. clari extitere ; laudati ab Eusebio lib. 5 hist. Eccl.*
C *cap. 26, et S. Hieronymo lib. de scriptor. cap.* 49 50 51 ; *a Petro de Natalibus Catalogo SS. inserti lib.* 11 *cap.* 20 21 22 *ac* Sancti *appellati : ex eoque ad hunc diem Martyrologio Sarisburiensi inscripti a Richardo Witfordo.*

S. Cronanus Abbas *quidam memoratur a Jo. Colgano tom. 2 de Actis SS. Hiberniæ*, seculo Christi septimo a Nortmannis *occisus ; alio nomine, ut ait,* Mochua de Miline *nuncupatus ; inque Vita S. Carthagi, cujus traditur discipulus fuisse,* Mochua filius Mellani. *Citat Colganus Hibernensia Martyrologia, nobis ignota. De S. Carthago* XIV *Maii agemus.*

Simeonem Episcopum Meldensem *refert hoc die in generali Catalogo SS. Ferrarius; qui tamen fatetur nullum inter Meldenses Episcopos* Simeonem *reperiri : Molanum citat, quem dein aut errorem correxisse. Nos in pluribus Molani editionibus nusquam* Simeonis *hujus legimus nomen.*

Anastasius Archiepiscopus Constantinopoleos *celebratur a Græcis in Menæis, titulo attributo* Sancti Patris nostri, *et distichi unius elogio ; refertur et a Maximo Cytheræo. Unicum in vulgatis Catalogis legimus ejus Sedis Archiepiscopum* Anastasium, *tempore Constantini Copronymi, eumque hæreticum.*

Adelheidis, mater Conradi Salici Imp. *vocatur a* • *Februarii T. II.* *Joanne Cuspiniano, lib. de Cæsaribus et Imperatoribus Romanis,* mulier admodum religiosa ; quæ duo in oppido Franconiæ Spalt collegia fundavit, S. Emmerani et S. Nicolai, ac beatæ Virginis, quod Novum-collegium appellatur : in Oringau monasterio a se constructo sepulta, et in numerum Divorum relata. *Visitur in templi Oringani Choro lapis, in Annalibus Suevicis Martini Crusii par. 2 lib. 6 cap. 8 delineatus, cum hac circum marginem insculpta epigraphe :* Recondita sunt hic ossa Dominæ nostræ Adilheidis. Hujus fundatrix templi jacet hic tumulata, Conradi Regis genitrix, Adilheida vocata. Anno MCCXLI IV Idus Februarii. *In superiori parte lapidis hæc leguntur verba :* Jacet hic proles genitoris. *In medio vero :* Hic jacent ossa olim suffossa hujus in ecclesiæ locis, ut Reliquiæ. *Sub finem vero :* Hic genitor prolis. *Est autem* Oringa *oppidum Comitatus Hohenloheensis, in* F
*Franconiæ ac Wirtenbergiæ confinibus ab Ora amne sortita nomen, caput Oringanæ ditionis, debetque suam originem huic Adelheidi, monasterii isthic fundatrici: cujus dotationis diploma recitat Martinus Magerus a Schonberg libro de Advocatia armata cap. 5 num.* 392, datum Wirtzburck XVI Kal. Septemb. anno MXXXVII ; *ducentis ante annis quam prædicta inscriptio posita fuerit, ut proinde dies IV Idus Februarii, fortassis lavati isthic illius monumenti sit, ut est et annus, non obitus Adelheidæ. Quod si hæc autem, cujus in nullis Fastis nomen extat, idem a Cuspiniano credita in Divorum esse numero, quia extiterat non multo ante alia S. Adelheida Augusta, Ottonis I conjux, cujus Vitam a S. Odilone Abbate Cluniacensi conscriptam, XVI Decemb. dabimus.*

Æthelstanus Herefordensis Episcopus, magnæ vir sanctitatis, IV Idus Februarii, anno MLVI, in episcopali villa, quæ vocatur Bosanburg, decessit, cujus corpus Herefordiam delatum, in ecclesia, quam ipse a fundamentis construxerat, est tumulatum. *Ita Florentius Wigorniensis, Simeon Dunelmensis in historia Reg. Angliæ et Rogerius Hovedenus parte priore Annalium.* Fuerat *autem, ut ait Hovedenus,* per annos XIII oculorum lumine privatus.

A vatus. *Cujus* Vicarius multo tempore extitit religiosus vir Tremerinus Walonicus Antistes. *Sitne in Divos relatus* Æthelstanus, *nusquam legimus.*

Jarento Abbas monasterii S. Benigni Divione, *hoc die, anno* CIↃCV *traditur decessisse :* Beatus *appellatur a Ferrario in generali Catalogo SS. a Saussaio in Supplemento Martyrol. Gallicani* beatæ memoriæ. *Claudius Robertus in sua Divione honorifice illius meminit*, Beatum *tamen non nominat.*

Paganus, monachus Ordinis S. Benedicti Cataniæ, *refertur hoc die, et* Beatus *appellatur ab Octavio Cajetano nostro in Idea operis de SS. Siciliæ, et post eum ab Hugone Menardo et Ferrario. Nos neque Acta ejus vidimus, neque comperimus, an sit a Sede Apostolica* Beatus *pronuntiatus.*

Guilielmus Pius, I Dux Aquitaniæ, fundator monasterii Cluniacensis, *a nonnullis habitus fundator Ordinis Guilielmitarum, ab horum parente* S. Guilielmo *non distinctus, ut infra ad hujus Vitam dicetur.*

Guilielmus, Ferrei-brachii cognominatus, IV Dux Aquitaniæ et Comes Pictavorum, pater Agnetis Augustæ uxoris Henrici II Imp. et III Regis Germaniæ, *ab Alberto Krantzio* S. Guilielmus, parens Guilielmitarum, *existimatus, ut infra referetur.*

B Guilielmus, *antea* Wido Gaufredus dictus, VII Dux Aquitaniæ et Comes Pictavorum, *frater jam memoratæ Agnetis Augustæ, habitus itidem* fundator Ordinis Guilielmitarum, *ut ad* S. Guilielmi *Vitam, in ejus genealogia, et ex Petro Silvio infra referetur.*

Guilielmus VIII Dux Aquitaniæ et Comes Pictavorum, *obiit* X *Februarii, ideoque* S. Guilielmus, *cui eadem sacra dies est, habitus.*

Guilielmus IX, sive ultimus, Dux Aquitaniæ et Comes Pictavorum, *a schismate Anacleti Antipapæ ad unitatem Ecclesiæ a S. Bernardo revocatus, passim* Sanctus *habetur ab recentioribus scriptoribus, et Theobaldo, scriptore, vel potius exornatore, Vitæ S. Guilielmi, infra dandæ. Saussaius quoque ejus seorsim Conversionem consignat in Gallicano Martyrologio hoc die, Depositionem* III *Julii. Verum cum alius sit a S. Guilielmo Magno et eremita; nec reperiatur a quoquam, qui ab hoc illum distinxerit, Sanctis adscriptus, eum omittimus. Si tamen illi seorsim uspiam cælestes honores habeantur, ad* IX *Aprilis debet referri, quo Compostellæ in Gallicia mortuus est.*

Albertus, unicus S. Guilielmi in Stabulo Rodis, ultimo vitæ ejus anno, discipulus, et multorum Pater

C postea eremitarum, *quos juxta normam vivendi et institutionem* S. Guilielmi *rexit;* Beatus *in hujus Vita a Theobaldo appellatur: idemque pro* S. Alberto *Camaldulensi, cujus Vitam dedimus* VII *Januarii, a Silvano Razzio sumptus, ut dicemus* § 9 *ante Vitam* S. Guilielmi. *De eo tam in Vita quam in commentario de Ordine Guilielmitarum sæpius agitur. Haud adhuc exploratum est nobis, an uspiam colatur, et quo die.*

Petrus Florentinus, *post adeptam ope* S. Guilielmi *sanitatem, factus monachus, effulsit miraculis. Infra par.* 2 *Vitæ* S. Guilielmi, *num.* 35.

Godvinus *quidam* Anglus, *memoratur ab Harpsfeldio hist. Eccles. Anglicanæ sec.* 12 *cap.* 45. *qui* Dunelmi aliquando inter monachos versatus, *dein eremiticam vitam amplexus est, ac* valde ætate provectus, *S. Godrico, solitudinem primum ingresso, vitæ sanctioris magister per biennium fuit ; eoque præsente mortuus,* sepultus est vir sanctus in cimiterio Dunelmensi, *ut in Vita S. Godrici apud Capgravium dicitur. Obiit autem Godricus anno* CIↃCLXX, XXI *Maii. Chrysostomus Henriquez in Menologio* Godvinum *hunc* Beatum *indigitat, atque* diu inter Cistercienses vitam cœnobiticam sanctissimis operibus illustrasse. *Verum hoc quo auctore didicerit, quave ratione conjectarit Henriquez,* D *haud sane videmus. Erant ea ætate Dunelmenses monachi Benedictini, nec nisi anno* CIↃCXXXII *in Angliam venerunt Cistercienses, uti B. Aelredus illius instituti Abbas Rievallensis testatur lib. de bello Standardi. Atqui dudum antea obierat, aut saltem e cœnobio in eremum migrarat Godvinus. Quamquam qui Harpsfeldio* Godvinus *est*, Ailricus *appellatur in Vita S. Godrici. Nihil tamen nobis de ejus veneratione constat, aut obitus die.*

Hugo, primus S. Norberti discipulus, ab eoque constitutus Abbas Præmonstratensis, magnus Ordinis per varias mundi plagas propagator, X *Februarii, miraculis (ut multi tradunt) et sanctitate clarus, e vita migravit anno* CIↃCLXIV. *Ex ejus sepulchro, quando ossa cum aliis Præmonstrati sepultorum corporibus ad novam ecclesiam anno* CIↃCCLXXIX *delata sunt, tantum aiunt expiratum odoris suavitatem, ut omnium aromatum fragrantiam superaret. Ante altare majus tumulato hoc positum epitaphium est :* Hic jacet Dominus Hugo, qui fuit primus Abbas hujus Ecclesiæ, et rexit Ecclesiam istam, cum universo Ordine Præmonstratensi XXXV annis feliciter et quiete. Obiit anno Domini CIↃCLXIV. Cujus anima cum Beatis requiescat in pace, Amen. E *Prolixe res ab eo gestas narrat Joannes Pagius lib.* 2 *Bibliothecæ Præmonstratensis, quem et hoc die refert, ac* Beatum *prædicat, Chrysostomus Vander Sterre in Natalibus SS. ejusdem Ordinis, et in Auctario ad Natales SS. Belgii Arnoldus Raissius; uti et Petrus Wagenarius in S. Norberto, qui primo loco inter viros sanctitate illustres ex hoc ordine eum collocat. Saussaius solum Pius adscribit. Abstinent* Sancti *ac* Beati *vocabulo Dionysius Mudsart in historia Ecclesiast. Belgica ad annum* CIↃCXVIII, *Mauritius du Pre in Annalibus Brevibus Ordinis, Aubertus Miræus in Chronico Præmonstrat. ad annum* CIↃCXXIX.

Guilielmus, primus auctor instituti Vallis scholarium, natione Anglus seu Britannus, *floruit sub initium seculi Christiani* XIII, *atque inter Sanctos Augustinianos recensetur a Sabellico. Ejus elogium confusum est cum Actis* S. Guilielmi Magni Eremitæ *in Martyrologio Galesinii, Appendice Petri Equilini, et antiquis Lectionibus de* S. Guilielmo *atque aliis auctoribus infra citandis* § 7 8 9 *de ordine Eremitarum S. Guilielmi. Eum alioqui* Beatum *etiam appellat Barbosa in Decisionibus Apostolicis collect.* 377. F

Godefridus de Corteleke *eximiis laudibus celebratur in libro de viris illustribus monasterii Villariensis, instituti Cisterciensis, in Brabantia, cap.* 20. *Refertur ab Arnoldo Raissio hoc die, a Chrysostomo Henriquez* XXXI *Julii. At non recensetur inter eos, quorum elevata solenniter corpora sunt. Fuerat prius Affligemii monachus Benedictinus, deinde Villarium ad Cistercienses migravit.*

Wilhelmus Episc. Lausanensis *refertur ab Henrico Murero in Helvetia sancta cum titulo Beati, dicturque vixisse anno* CIↃCCXXII, *atque e loco vicino venenatos serpentes expulisse. Quod autem ejus obitus dies ignoretur, appositus margini* X *Februarii, ob Magni Guilielmi celebritatem.*

Stephanus Abbas monasterii S. Justinæ Patavii, *Fratrum cœtu relicto, vitam solitariam duxit, atque in pace quievit, ut infra traditur in Vita B. Arnaldi successoris.* Beatus *appellatur a Scardeonio, Wione, Menardo, interque eos Cælites annumeratur, quorum ignoratur natalis. Posset hic Arnaldo conjungi, si constaret aliquam ei decretam Ecclesiasticam venerationem.*

Ludovicus Fulginas, *in Ordinem Minorum a* S. Francisco *cooptatus, traditur vitæ sanctitate et miraculis clarus*

A clarus obiisse Piperni in diœcesi Tarracinensi, anno CIↃCCXC die X Februarii. Quo die de illo agunt Ludovicus Jacobillus lib. de SS. Fulginatibus et tom. 1 de SS. Umbriæ; Arturus in Martyrologio Franciscano, ac Beatum appellant: uti et Franciscus Gonzaga par. 1. Originis Seraphicæ religionis; ac Petrus Rodulphius lib. 1 Seraphicæ religionis, qui et testatur ossa condita esse sub ara et ab accolis haberi in reverentia. Quæ ab Rodulphio describit Wadingus tom. 2 Annal. Minorum ad annum 1290, tribuitque illi et ipse Beati titulum, Jacobillus addit, in petra juxta sepulchrum exsculpta isthæc legi: Corpus B. Leonardi de Fulgineo, socius S. Francisci sub hoc altare requiescit. Bartholomæus Pisanus, lib. 1 Conformitatum fructu 8 par. 2 pag. 76 ita scribit: In loco de Piperno jacet sanctus Frater Leonardus de Fulgineo, qui cuidam claudo signum Crucis cum fecisset ad parentum petitionem, ipsis videntibus sanitati est restitutus. Alteri ex natura cæco et privato omni lumine per annos octo, ad se perducto, et Crucis signo facto, lumen restituit. Quæ etiam referunt Wadingus tom. 1 ad an. 1211 num. 27, Marcus Ulyssipponensis par. 2 Chronici Minorum lib. 5 cap. 19, et solum sanctum Fratrem appellant.

B Eusebius ex Legato Hispaniarum Regis ad Remp. Venetam monachus Camaldulensis, Murani, pago Venetiis vicino, obiit X Februarii CIↃIↃI, magna opinione sanctitatis; refertturque hoc die a Wione, Dorganio, Menardo, Ferrario, Tamayo Salazario: sed quem ei tribuunt, uti et Thomas de Minis ac Silvanus Razius, Beati titulum, haud scimus an Romanæ Ecclesiæ auctoritate adhuc sancitus sit.

Guilielmus Olis, alias Bolst, Ordinis Minorum Sacerdos, genere nobilis, inter Brugas et Gandavum ab hæreticis grassatoribus anno CIↃIↃLXXV crudeliter interfectus memoratur apud Franciscum Gonzagam par. 3 in provinc. Flandriæ cap. ultimo, refertturque et ab Arnoldo Raissio in Auctario ad Molani Natales hoc die, qui Thomam Boucherium citat.

Guilielmus Stravus Sacerdos, | ejusdem Ordinis Reli-
Christianus Suis, | giosi, anno CIↃIↃLXXIX

Treviros petentes, ab hæretico latrone occisi sunt, ut scribit eodem capite Gonzaga, et hoc die in Auctario Raissius.

Wilhelmus Rotensis in Suevia Canonicus Ordinis Præmonstratensis refertur hoc die a Chrysostomo Vander Sterre in Natalibus SS. ejusdem Ordinis, qui et Vitam ejus a Martino Merzio CIↃIↃCXVI conscriptam, excudi curavit typis Plantinianis an. CIↃIↃCXXVII, in qua traditur lib. 3 cap. 3, obiisse V Ka- C lend. Aprilis an. CIↃIↃLXXXVIII, ad quem diem elogium suum Chrysostomus recudit cum longis annotationibus; et quem ante Beatum, jam solum sanctæ memoriæ appellat. D

S. Cedmonus monachus Streneshalensis in Anglia hoc die refertur ab Hugone Menardo et aliis. Dabimus ejus Vitam XI Febr.

S. Solutoris, | | Inventio recolebatur
S. Adventoris, | Martyrum | olim hoc die Tau-
S. Octavii, | | rini in monasterio
S. Goslini Abbatis,
S. Julianæ matronæ, S. Solutoris. Sed cum id seculo superiori esset destructum, sacra hæc pignora translata sunt ad ecclesiam Societatis Jesu, in qua celebratur hoc die Officio Ecclesiastico trium illorum Martyrum Inventio, quorum alioquin præcipuum festum est XX Novembr.

Colitur vero S. Goslinus XII | Februar.
S. Juliana XIII |

S. Gertrudis Virg. Elevatio et Translatio celebratur hoc die in veteri Breviario Bruxellensi, refertturque in Florario, Wionis Ligno vitæ, atque a Menardo, Dorganio, Saussaio, Laherio, et variis MSS. De ea agemus XVII Martii.

S. Wilfridi II Eboracensis Ep. Translatio consignata est hoc die in Martyrologio Anglicano Jo. Wilsoni. De eo agemus XXIV Aprilis. E

B. Guilielmus de Dongelbiert monachus Villariensis refertur hoc die ab Arnoldo Raissio: a Chrysostomo Henriquez (ubi et nos fortassis de eo agemus) XXIV Maii.

S. Guilielmus, primum Dux Aquitaniæ sub Carolo Magno, dein monachus cœnobii Gellonensis, sive de desertis, a se extructi, in diœcesi Luteuensi in Gallia; creditus a quibusdam Fundator Ordinis Eremitarum S. Guilielmi, ut infra dicetur ad hujus Vitam hoc die. Ille autem colitur XXVIII Maii.

S. Ennatha, | VV. | Martyres in Palæstina cele-
S. Valentina, | | brantur hoc die a Græcis in
S. Paulus, | Menæis, et a Francisco

Laherio nostro in Menologio Virginum. De iis agemus cum Martyrol. Romano XXV Julii.

S. Elisabeth mater S. Joannis Baptistæ colitur hoc die in Kalendario Coptico: in Romano Martyrol. V Novemb.

S. Trojanus Episc. Santonensis refertur hoc die in Martyrologiis Bedæ, Rabani, Notkeri, Galesinii, Saussaii, aliisque in pluribus XXX Novemb.

S. Thomæ Apostoli repositio per S. Helenam Reginam consignata hoc die in MS. Florario. Plenius de ipso sancto Apostolo agemus XXI Decemb. F

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# ANDREA ET APONIO, sive APORIO,

## BETHLEHEMI IN JUDÆA.

G. H.

AN. CHR. XLI X FEBR.

Diem decimum Februarii auspicatur nobile par Martyrum pro Christi fide eo in loco occisorum, ubi Christus genus humanum redempturus, e sanctissima Virgine Maria nasci voluit. Hos Martyres referunt multa Martyrologia MSS. antiqua, inter quæ eminet Romanum, quod sub nomine S. Hieronymi sæpius proferimus, in quo hujus tamen deest nomen. Ita autem habet: In civitate Bethlehem Judæ passio Sanctorum Andreæ.... defectum supplet Rabanus, dum iisdem verbis addit, et Apponii. Tempus suggerit MS. Martyrologium Tornacense S. Martini: In civitate Bethlehem Judæ sub Herode Rege passio SS. Andreæ et Aporii. Eadem habent Notkerus, et Beda MS. Monasteriorum Subensis et Rubenbergensis in Bavaria; cujus ultimum exemplar secium Apponium appellat; e quibus corrigendus Beda excusus, in quo sic legitur: In Bethleem civitate Judææ sub Herode Rege passio Sancti Andreæ Apostoli, restituendum, Sanctorum Andreæ et Aporii. Alioquin nomen Apostolorum attributum esse primis Christi discipulis aliisque cœteris sæpius diximus. Ex his Titum, Timotheum, Parmenam, Ananiam cognominatos Apostolos indicavimus in Januario.

SS. Andreas, Aponius, vel Aporius,

passi sunt Bethleem

2 Persecutio, in qua hi Martyres interfecti sunt, videtur illa esse, in qua, ut Actorum cap. IX legitur, S. Jacobus Apostolus occisus est, et S. Petrus in carcerem conjectus, quando Herodes Agrippa anno Imperii Claudii I, Christi XLI totius Judææ Rex constitutus ad demerendos

sub Herode Agrippa an. 41

AUCTORE G. H.

A *demerendos sibi Judæos grassari in Ecclesiam cœpit. Extat* VII *Februarii in vetusto Martyrologio Richenoviensi* S. Andreas, *idem forte qui hoc die ab aliis refertur : nisi* S. Andreas *Apostolus intelligatur, cujus ordinatio in Episcopum ab aliis consignatur* V *Februarii.* D

## DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

# ZOTICO, IRENÆO, HYACINTHO, AMANTIO.

J. B.

X FEBR.

*Horum SS. natalis*

N*atalis quatuor horum Martyrum in omnibus fere Martyrologiis, Romano, Usuardi, Rabani, Adonis, Notkeri, Bellini, Maurolyci, et variarum Ecclesiarum MSS* IV *Id. Februarii consignatur his verbis :* Romæ sanctorum Martyrum Zotici, Irenæi, Hyacinthi, et Amantii. *Consentit vetus Romanum a Rosweydo editum. In quibusdam MSS. omittitur* Amantii *nomen : in aliis solus memoratur cum* Zotico *: in Wandelberto solus* Irenæus :

Soter, Hyrenæus, et Scholastica Virgo quaternis,
Egregia pariter meritorum laude coruscant.

*In vulgato Bedæ Martyrologio ista habentur* VI *Febr.* Romæ Zotici, Irenæi, Iacincti, et Amantii. *Sed MSS. ejusdem Bedæ nomine insignita,* X *Febr. eos referunt.* XI *Februarii quidam his cognomines celebran-* B *tur ; anne iidem?*

*commemoratio in sacris ;*

2 *Celebris eorum quondam apud Belgicas Ecclesias memoria fuit, extatque in vetusto Missali Tornacensi anno* MDVIII *Parisiis excuso precatio de iis sacrum. In Breviariis autem antiquis, Bruxellensi, Antverpiensi, Cameracensi, MS. Mechliniensi, et non Herbipolensi isthæc de iis habetur oratio :* Domine Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam ; et quorum celebramus gloriosa certamina, tribue subsequi in sancta professione victoriam Per Dominum. *In veteri Breviario Ecclesiæ Leodiensis (nam in novo omnino omissa est eorum commemoratio) ita eadem expressa oratio erat :* Domine Deus noster multiplica super nos gratiam tuam, et qui sanctorum Martyrum tuorum Zotici, Herenei, et Iacincti celebramus gloriosa certamina, tribue subsequi in sancta professione lætitiam. Per Dominum.

*martyrii tempus.*

3 *Tempus martyrii indicat Petrus Galesinius, sed nullo prolato auctore :* Romæ, *inquit,* sanctorum Martyrum Irenæi, Zotici, Hyacinthi et Amantii, qui in Deciana persecutione pro Christo Domino necati obierunt. *Galesinium sequitur Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Dissentit Baronius in Notis ad Martyrol. et sub Adriano coronatos contendit, Actorum MSS. fide nisus, de quibus mox.*

*locus,*

C 4 *Locus certaminis expressus in Martyrologio S. Hieronymi his verbis :* IV Id. Feb. Romæ natalis Soteris. Et via Lavicana Zotici et Amantii. Alexandriæ passio Apollonis, Protei, Orionis, Plausi, et aliorum XX. Hireneæ. In Tarracina natalis Silvani Episcopi et Confessoris. *Ita* Hyacinthum *omittit ; et* Irenæum, *quem* Ireneam *vocat, a reliquis sejungit. De loco idem tradit Baronius, via Lavicana passos esse, decimo ab Urbe lapide, in fundo Capreoli, citatque Acta pervetusta, quæ ex ejus MSS. nacti sumus. Verum sunt alterius,* Zotici, *qui et* Getulius *appellatur, coliturque* X *Junii, cum SS. Amantio et Primitivo, qui in fundo* Capreolis via Lavicana occisi *scribuntur,* jussu Hadriani : *ac deinde a Symphorosa Getulii uxore,* in prætorio suo Saviniensium, in loco nuncupato Capris, in oppido supradicto transfluvium superiorem, in arenario prædii ejus cum gloria et honore sepulti. *Ambigere quis possit, an illud de loco martyrii non sit ex illius Zotici, sive Getulii Actis ad hunc trans-* E *latum, præsertim cum utrique* Amantius *socius victoriæ fuerit. Qui porro sequuntur* decem milites *ibidem martyrii palmam adepti, horum an socii fuerint incertum.*

*Acta, an non cum S. Getulii confusa?*

*monumentum Romæ.*

5 *Baronius monumentum quoddam S. Zotici Romæ extare tradit his verbis :* In Aventino, in vinea Capranicorum, e regione hortorum Farnesiorum, superest adhuc ædes in memoriam S. Zotici erecta ; in cujus parietibus, more majorum, ejus martyrii historia depicta cernitur : adest et Confessio, ubi aliquando sancti Martyris corpus asservatum fuisse conjici potest. *Hæc ille : non tamen probat, hujus potius Zotici, quam alterius, illud esse monumentum. De eorum reliquiis meminit, obiter nec satis perspicue, Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis almæ Urbis reg.* 2 *eccl.* 42.

*S. Amantii reliquiæ Ulyssiponem delata 1642.*

6 *Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitanico testatur, extremis Urbani* VIII *Papæ temporibus, corpus* S. Amantii *Roma Ulyssipponem esse translatum, ab Doctore Pantaleone Roderico Paceco, regni Lusitaniæ Inquisitore Apostolico, electoque Elicensi Episcopo ; atque in Capella regia collocatum : Indulgentias quoque ab eodem Pontifice concessas omnibus qui sanctum Martyrem veneraturi* X *Februarii dictam Capellam visi-* F *rent ; easque ad septennium vim habituras : datum autem de iis Breve Apostolicum, ut vocant,* 11 *Decembris* CIƆIƆCXLII.

# DE SANCTIS X MILITIBUS MARTYRIB.

## ROMÆ, VIA LAVICANA.

J. B.

X FEBR.

*Horum SS natalis*

S*uspicari haud immerito liceat, gloriosos hosce milites cum quatuor jam memoratis, non eodem solum die mensis, sed eadem persecutione, atque eodem loco, triumphum adeptos, quod in plerisque Martyrologiis junctim referuntur. Et quidem MS Treverense antiquum, ita eos conjungit :* Romæ sanctorum Martyrum Zotici, Hyrenei, Iacincti, et Amantii et aliorum Militum decem. *Idem habet MS Carmeli Coloniensis, et MS. S. Cyriaci Romæ, infra citandum. Illud solum de iis habent Beda, Usuardus, Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolycus, atque alii :* Romæ via Lavicana militum decem. *Nec plura Romanum vetus ac modernum. Galesinius sub Decio, ut priores, coronatos scribit, non probat :* Romæ item, *inquit,* sanctorum decem militum Martyrum ejusdem persecutionis cruciamentis, quæ fortiter pertulerunt, illustrium. *Eum sequitur Ferrarius in Catalogo SS Italiæ.* In eadem, *inquit,* Decii persecutione decem milites propter Christum comprehensi, via Lavicana martyrium consummarunt IV Id. Februarii, cum constanter tormenta pertulissent. *Verum unde didicit tormentis antea tentatos? Cur non potuerunt, cum abnuerent thura Diis offerre, aliudve edere profanæ superstitionis argumentum, illico ad supplicium duci?*

*martyrii tempus*

*locus ex ra portam Esquilinam, ubi supplicium licuit.*

2 *Via Lavicana, sic dicta quod* Lavicos, *sive* Labicos, *aut* Lavicum, *vetus oppidum,* XV *ab Urbe millibus passuum distans, ducebat, illud tamen ad dextram relinquens, incipiebat a porta Esquilina, extra quam supplicia de reis sumi solita animadvertere complures viri eruditi ad illud Taciti* 2 *Annal.* In P. Marcium

Consules

A Consules extra portam Exquilinam, cum classicum canere jussissent, more prisco advertere. *Erant ibidem in campo Esquilino Puticuli, in quos damnatorum viliumve hominum projiciebantur cadavera. Erat is campus inter Prænestinam viam et Lavicanam, ut ex Strabone patet, qui lib.* 5 *de Lavicana ita scribit :* Ἀρχομένη μὲν ἀπὸ τῆς Ἐσκυλίνης πύλης, ἀφ' ἧς καὶ ἡ Πραινεστίνη, ἐν ἀριστερᾷ δ' ἀφεῖσα καὶ ταύτην, καὶ τὸ πεδίον τὸ Ἐσκυλῖνον. Incipiens a porta Esquilina, a qua et Prænestina, ad sinistram relinquens et hanc viam et campum Esquilinum *etc. De eo Campo, aut isthic fixo patibulo, intelligunt multi locum qui est apud Ciceronem* 2 *de Oratore* § 68. Ego vero a porta Esquilina video villam tuam. *Plura de hac vid. Campoque, Baronius in Notat. ad Martyrol. hoc die ; Justus Lipsius et Ludovicus Dorleans ad citatum Taciti locum ; Lævinus Torrentius in illud Suetonii in Claudio cap.* 25. Civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit. *An tamen in eo campo occisi sint hi Martyres, an longius ab Urbe, ut plurimi alii Martyres, extra alias etiam portas, incertum est.* D AUCTORE J. B.

3 *MS. Martyrologium monasterii S. Cyriaci Romæ, sæpe a Baronio citatum, et hos Zotico sociat, et numerum auget, ita enim habet :* Romæ Zodici, Herenei, Iacincti et Amantii, et aliorum nonaginta. an non plures?

DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

# APOLLONE, PROTHEO, ORIONE,

## PLAUSO, ET SOCIIS MULTIS.

G. H.

X FEBR.

**I**llustris Ægypti urbs Alexandria hos pro fide Christi occisos x Februarii celebrat Martyres : ex quibus tres priores profert vetus Martyrologium
B MS. Richenoviense sive Augiæ divitis : Et in Alexandria passio Apollonis, Prothei, Orionis. *Plenius antiquum Martyrologium Romanum, quod S. Hieronymo attribuitur :* Alexandriæ passio Apollonis, Prothei, Orionis, Plausi et aliorum viginti. *In minore Martyrologio MS. antiquo S. Maximini prope Treviros referuntur* ix *Februarii* Orion et alii mille sexcenti : *quos istic omissos ad hunc diem rejecimus, quo Orion cum aliis colitur. Inter Martyres Ægyptios* XXXVII, *quos* XVIII *die Januarii retulimus, et ex quibus diximus forte aliquos* IX *Februarii celebrari, reperiun-* E *tur* Orion, Protea, *et* Plesius, *qui ab his tribus num alii sint statuendi, dubitari etiam potest. Deest istic* Apollo, *desunt socii sive* XX *sive* MDC : *ut vel ideo eorum memoria hic videatur repetenda. In minore Martyrologio MS. S. Maximini jam citato, primo loco celebratur* passio S. Apollonis, *absque ullo socio.* NOT 10

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# CHARALAMPIO PRESBYT., PORPHYRIO ET BAPTO, MILITIBUS,

## ET TRIBUS MULIERIBUS, MAGNESIÆ ET ANTIOCHIÆ PISIDIÆ,

ANIMADV. PAP 02

### Annotatio prævia.

J. B.

AN. CHR. CCII X FEBR. Antiochiæ Pisidiæ martyrium subiit S. Charalampius,

**P**isidiæ (*quæ cis Ciliciam jacet regio*) *metropolis* Antiochia *fuit, Magnetum opus, a Regibus liberata per Romanos, horumque aucta colonia, ut Strabo scribit lib.* 12. *illustrius tamen multo decus adepta, quod Pauli ac Barnabæ Apostolorum præ-*
C *dicatione accepit Christi Legem, et multorum postea triumphos Martyrum spectavit. In his S.* Charalampius *fuit : ita in MSS. Actis appellatur,* χαραλάμπης *in Menæis ; quæ et nominis etymon explanant, quod* χαρᾶς καὶ πλήρης θείας λαμπρότητος, gaudii divinique splendoris plenus *esset. At non inde ortus, sed adductus* Magnesia : *utra tamen, Acta non indicant ; an Æolica nimirum, sive ad Mæandrum sita, unde ipsius, ut diximus, Antiochiæ origo; an ea quæ sub Sipylo monte jacet, et ipsa* a Romanis libera judicata, *ut idem lib.* 13 *Strabo scribit.* Magnesia adductus

2 *Utralibet ea fuerit, illic Charalampius strenue Evangelium prædicarat, et primam sustinuerat pro fide quæstionem ; cum Antiochiam abductus est, mandato Severi Imperatoris. Faverat hic antea quidem Christianis : quod, et nulli eorum* Albiniani, *nec* Nigriani, *vel* Cassiani *inventi unquam, ut gloriatur Tertullianus ad Scapulam cap.* 2, *id est, neque hostibus ipsius Clodio Albino, et Pescennio Nigro, neque antea Avidio Cassio adversus M. Aurelium adhæserant ; et ipse a Proculo Christiano* per oleum *curatus fuerat, ut ibidem cap.* 4 *idem Tertullianus scribit, qui et addit :* Sed et clarissimas fœminas et clarissimos viros sciens hujus sectæ esse, non modo non læsit, verum et testimonio exornavit ; et populo furenti in nos palam restitit. *Postea tamen mota ab eo persecutio est, ita Eusebius in Chronico ad* Fabiani et Muciani *consulatum, qui in annum incidit Æræ vulgaris* CCII, *Severi* IX. jussu Severi Imp. qui antea faverat Christianis,

1. ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων διωγμὸς ἐγένετο τῶν χριστιανῶν, καὶ πολλοὶ ἐμαρτύρησαν. Sub his Coss. facta est persecutio Christianorum, et multi martyrium subierunt. *Erat tunc in Oriente* Severus, *ubi anno sequenti, cum* Antiochiam *transisset* (*Syriæ nimirum*) data virili toga filio majori, secum eum Consulem designavit, et statim in Syria consulatum inierunt, *ut Ælius Spartianus scribit. Is tertius Severi consulatus fuit, anno Christi* CCIII; *fortassis post Februarium, Sanctique Charalampii cædem, initus. Subdit Spartianus :* In itinere, (*Ægyptum versus*) Palæstinis plurima jura fundavit. Judæos fieri sub gravi pœna vetuit. Idem etiam de Christianis sanxit. *Eo igitur anno conjectare licet triumphum sancti Martyris contigisse, cum a Parthico bello rediisset Severus, labente anno imperii ejus nono.* ut an. 201 mota persecutione, F erat tum in Oriente

3 *Acta porro S. Charalampii Græca nacti sumus e bibliotheca Christianissimi Regis, perantiqua, at hactenus numquam vulgata. Ea Latine vertit insigni indole atque eruditione adolescens Joannes David Henxtenius, Joannis Fortunati Henxtenii, medici clarissimi nobisque amicissimi, filius, qui, ut* v *Februarii diximus, etiam S. Agathæ V. M. Acta a Metaphraste conscripta interpretatus, ac Lovanii in Augustinianorum periit. Nos Acta hæc et recensuimus accurate, et Notationes addidimus.* S. Charalampii Acta hic primum edita,

4 Celebratur autem (*ut num.* 33 *dicitur*) memoria

sancti

A sancti Martyris Charalampii mense Februario, secundum calculum regionis die decimo : *qui nempe secundum calculum Romanum est* IV Id. *Molanus in addit. ad Usuardum* : Die decima, sancti Martyris Charalampi. *Socios addit Galesinius* : Eodem die SS. Charalampi, Porphyrii, et sociorum Martyrum. *deinde Actorum compendium exhibet, quod nos ex Menæis accuratius repræsentabimus. Meminit et sociorum Ferrarius his verbis* : Magnesiæ in Asia sanctorum Martyrum Charalampis, Porphyrii, Bapti et trium mulierum sub Severo.

*AUCTORE J. B. Natalis 10 Febr.*

*Actorum epitome ex Menæis,*

5 *Gesta S. Charalampii ita breviter perstringunt Menæa* : Vix S. Charalampes Severi Imperatoris temporibus, Luciano Magnesiæ urbis præfecto. Erat autem ipse Christianorum Sacerdos, docens viam veritatis. Veste sacra exutus est, omnisque illi abrasa pellis corporis. Ut vero ejus in perferendis cruciatibus constantiam vidit Præfectus, ira inflammatus, propriis eum manibus cœpit lacerare. Sed extemplo excidere illi manus, inque Martyris corpore hæserunt. Precatus Deum Sanctus, ipsum curavit. Id cum vidissent Porphyrius et Baptus tortores, idola ejurarunt, et Christo crediderunt. Quod et ex adstantibus tres feminæ fecerunt. Atque eos

B omnes Præfectus comprehensos, et immaniter cruciatos, plecti capite jussit. Nam quamvis curatus esset, tamen in incredulitate permansit. *Eadem habet Anthologium, Clementis* VIII *auctoritate excusum : eadem Maximus Episcopus Cytheræus* ἐν βίῳ Ἁγίων. *Mentio etiam fit* S. Charalampæ *in Horologio, parroque Menologio Græcorum.*

*socii 2 lictores,*

6 *De sociis S. Charalampii, qui tamen aliquot ante eum mensibus Magnesiæ lauream martyrii retulerunt, ita seorsim hic agunt Menæa* : Eodem die sancti Martyres Baptus et Porphyrius, qui S. Charalampen torserant, decollati sunt.

Porphyrius et Baptus eodem gladio
Eamdem martyrii purpuram tinxerunt.

*Allusio est ad eorum nomina : nam* πορφύριος *idem est quod* Purpurio, *Romanis quoque usurpatum nomen ;* βάπτειν tingere *significat. Tum de mulieribus* : Tres sanctæ mulieres credentes, gladio cæsæ sunt.

*et 3 mulieres*

Has tres mulieres virili specie præditas ostendunt
Viriles, ac perfectus numerus Trium, et gladius.

*Recenset hos etiam quinque Martyres Cythæræus. Menæa variis odariis et antiphonis* S. Charalampii *certamen concelebrant : unde quædam ad Notationes libabimus.*

C 7 *Memorantur* XVII *Septembris in Menæis et Cytheræi* βίῳ Ἁγίων Charalampes, *ac* Pantaleon *cum sociis, his verbis* : Eodem die sanctorum Martyrum Charalampis et Pantoleontis, cum sociis. Peragitur eorum solemnitas in ipsorum templo in regione secunda, sive in loco qui Secundus dicitur, ἐν τῷ δευτέρῳ. *Omnino idem esse videtur Charalampes, qui hic colitur, atque* XXVII *Julii Pantaleon. Sed eorum tunc fortassis allatæ Constantinopolim Reliquiæ, aut alia caussa instituta commemoratio. Tamen Menologium ab Henrico Canisio editum videtur dissentire, ita enim habet* : Eodem die Natalis sanctorum Martyrum Charalampi, Pantoleontis et sociorum. *At vox* Natalis *intrusa fortassis ab interprete, pro* τελετὴ, συνάξις.

*commemoratio 17 Septemb.*

ANIMADV. PAP. 63

## a ACTA AUCTORE ANONYMO,

### *ex MS. Græco Regis Galliæ,*

### interprete Jo. DAVIDE HENNTONIO.

a
ANIMADV. PAP. 64

### CAPUT I.

*S. Charalampii prædicatio, miracula, tolerata Magnesiæ tormenta.*

Regnante Domino nostro Jesu Christo, dæmonum cultui finis impositus est, omnisque simulachrorum tyrannis pessumdata. Atque adeo Severi impiissimi Imperatoris temporibus, Sacerdos quidam, cui nomen Charalampius, salutis viam docebat, dicens : Imperator meus Christus Jesus misit Prophetas et Apostolos per Spiritum sanctum, ut omnes sancta eorum prædicatione erudirentur, inque prosequenda via justitiæ essent constantes. Severus autem Imperator terrena, crudelia, suo arbitratu excogitata decernit, ut idolis vita carentibus sacrificia offerantur, dedanturque animæ in mortem. At Jesus Christus, meus ille Imperator, per Prophetas et Apostolos, verba nobis vitæ cœlestis transmisit : per quæ verba hostis fugatur, draco proteritur, domatur perfidia et ad fidei partes traducitur; imaginatio denique cæco impetu ruens, vim exercere ullam nequit. Potius igitur fides adhibenda iis sermonibus est, qui æternæ vitæ viam commonstrant, quam, quæ ad afferendum exitium instituta sunt, operibus.

D
*S. Charalampius Presbyter,*
*contemptis Severi edictis,*
*Christo obtemperandum docet :*

2 Lucianus Præses dixit : Ebullientia e corde, ore præcipiti temere effutis verba, nullo mali bonive delectu. At ne existimes, bone senex, propter ea verba quibus tibi ipse mirifice videris placere, evasurum te supplicium. Quare nostro usus consilio, dignos ætate ista tua mores indue, et saniori judicio ut diis sacrifices accede; ne, quæ hactenus tibi incognita fuere, proferamus tormenta. Charalampius dixit : Invisibilia eaque jam propinqua bona contemnere non possumus. Commoti *b* Judices furorem concipiunt, atque acerba præparant tormenta, et ei dicunt : Sacrifica diis, malignum caput. Charalampius dixit : Filioli, non sacrifico dæmonibus. Scitote autem, dæmones, quos colitis, ad signum Crucis contremiscere, quemadmodum scriptum est : Dæmones horrent ac tremunt, virtutem scilicet Crucis. Irritati Judices tam appositis Justi responsis, jubent auferri *c* sanctam ejus vestem, quodque a collo pendebat insigne. Cumque ita sacram religiosissimi atque Angelici viri personam nudassent, sententiam tulerunt.

*minas Præsidis et Judicum ridet :*
E
b
Jac. 2. 19
c
*nudatur ad pœnam*

3 At vir sanctus excelso animo, fide eximia, et caritate repletus, quemadmodum arundo omni vento circumfertur, omnes cruciatuum procellas pertulit. Flagellatio autem fuit ejusmodi. Carnifices *d* uncinis armati a pelle capitis ad ipsos usque ungues pedum plagis eum conciderunt. Tum Beatus ille, ita toto corpore dilaceratus dixit : Gratias vobis ago, fratres, quia corpus meum innovatum est mentem etiam meam ad æterna innovastis, ac de cetero paratam reddidistis. Seminator enim est Christus, semen Divina oracula. Hæc cum ille dixisset, perculsi *e* lictores dicunt Judicibus : Ignominia vestra in honorem viro huic cedit, tormenta in refectionem. An non forsan hic est Christus, et viri senis formam assumpsit, venitque exploratum Asiam, ut incolas ejus convertat ? Invadimus uncinis nostris ferro duriorem carnem ejus ; et illi quidem recurvantur, hæc autem integra et illæsa permanet.

*uncinis laniatur;*
d
*gratias agens tortoribus,*
F
e
*qui perculsi, ejus caussam agunt :*

4 Hæc cum illi dixissent, fremens Præses ait : O improbi satellites, ac præposteri mandatorum administri ! iis neglectis quæ vobis imperata sunt, hujus defensionem suscepistis. Cessantibus adhuc ministris, iratus *f* Dux, Præsidi ait : Si lictores magicis suis præstigiis perstrinxit, at non brachium meum flectet. Et statim manus admovens, aggressus est corpus Martyris, et cum vi multa ageret, diminutæ sunt manus ejus a cubitis, et ad corpus Martyris adhæserunt. Corruit ergo orbus manibus Dux, atque insigni hac pœna notatus, ait : Veneficus est vir iste : opem fer Præses. Accurrens ergo Præses, cernensque Ducis manus e Martyris corpore suspensas, exspuit in faciem Martyris : et confestim caput ejus retortum est, facie retrorsum aversa.

f
*verberatur a Duce,*
*cui manus excidunt,*
*Præsidi in eum spuenti, caput detorquetur :*

5 Magnesiani

A *orantibus pro utroque Magnesianis.* Rom 12. 17.

5 Magnesiani ingenti metu exterriti, ita Justum obsecrabant: Pone iras, ac Divinam ultionem averte. Imperatum enim est tibi, ne malis mala rependas. Charalampius dixit: Vivit Dominus Deus; non est lingua mea dolus. Illud autem scitote, Christum, qui improborum antesignanos castigavit, vitam nobis æternam largiturum. Tunc exclamarunt, dicentes: Nequaquam, Domine nequaquam nos quotquot peccavimus deleas. Parce o Deus. Nunc enim, Domine, Præfectos punisti, ut nos ad lumen perduceres, atque æterna vita dignos redderes. Cumque multitudo magna credidisset, Lucius Dux dixit: Homo Dei, Angele Domini, adjuva me ingenti affectum cruciatu. Ecce enim manus meæ oneri tibi sunt. Nunc igitur et tu molestiam tuam discute, mihique eas in locum suum repone; ut et molestia tu leveris, et ego dolore. Quod si fiat, ego quoque in Deum tuum credam.

*et Duce spondente se Christo crediturum,*

*pro iis orat,*

6 Tunc exoratus vir beatus fudit ad Deum preces, dicens: Baruch Manuel, maranatha, Raboni, id est *g* Magister bone, benedicimus te Christe. Respice ad humilitatem compeditorum, et solve vinculis Judices, et salva testem tuum flagris cæsum. Et ecce vox e nube et turbine audita: Charalampi, *h* qui terræ lampas es, in cœlis resplendens, Angelorum sodalis, contubernalis Prophetarum, Apostolorum congerro, commilito Martyrum, meoque alloquio dignus; audivi quæ precatus es, suscepi oris tui verba: *i* Sit sermo tuus medicina ægrotantibus. Et continuo sanati sunt Lucius et Lucianus.

*g et voce cœlo missa exauditus,* *h*

B *eos sanat:* *i*

*Duce baptizato.*

7 Et Lucius quidem apprehensis genibus Martyris dicebat: O Dei paradise, certum divinitatis argumentum, sancti Spiritus amice, ora pro me, ut in me conservetur salutare fidei baptisma. Et fidem professus Dux baptismate lustratus est. Cum autem is esset Christo adjunctus, Præses quoque persecutionem intermisit; Donec, inquit, ad Imperatorem retulero. Tunc quotquot in Asia erant certatim confluebant ad Martyrem, credentes et confitentes peccata sua, ut sibi ea dimitterentur. Et multos quidem *k* mortuos vitæ, infirmos vero promiscue *l* omnes sanitati restituit B. Charalampius.

*Præside quæstionem dimittente,*

*multos convertit, factis miraculis:* *k l*

a *Titulus in Græco erat* [illegible] Certamen sancti et gloriosi Martyris Christi Charalampii. *In Menæis, ubi nunc* [illegible] *est, per 2 contractarum declinationem nunc in titulo* [illegible] *in vocativo aliquot* [illegible] *habent,* [illegible] *declinatur, melius per primam, quam tertiam* [illegible] Charalampes, Charalampe [illegible] *per tertiam efferunt,* Charalampes Charalampis. — b *Græce* [illegible] *infra num. 5 pro Lucio Duce et Luciano Præside ponitur,* [illegible] Præfectos punisti. — c *Omnino de sacra aliqua veste est sermo, quæ* [illegible] *in Menæis* [illegible] sacrata, *aut* sacerdotalis vestis *dicitur.* [illegible] *Videtur linteum, sive* [illegible] *quo forte induebatur more Ecclesiæ* [illegible] *superinjecta stola, quæ et hic per insigne a collo dependens significatur. Quamquam et cetera quoque ex libris spoliatus est.* — d *Menæa in* [illegible] In altum levantes manus principes tenebrarum latera tua ungulibus radebant, o gloriose. [illegible] Ungulibus laniatus, mortalitatis abjecta veste, sanguineo amictu te ipsum ornasti, o victorifer. — e *Hi fuere* SS. Bapus *et* Porphyrius, [illegible] *ex Menæis.* — f *Græce* ὁ Δούξ. *Lucius hic* [illegible], *alius a Luciano Præside, qui* [illegible] *semper appellatur.* — g *Non redditur hic* [illegible] Hebraicorum *ac Syriacorum interpretatio, quæ est* Benedictus nobiscum Deus, Dominus noster venit, Magister meus. [illegible] *est apud S. Hieronymum* [illegible] — h [illegible] *honoratur in Menæis.* Gaudium splendidissimum, honorificentissimam gloriam sortitus es tuo certamine, et perennem exultationem, Sacerdos sancte, athleta honorande, miles generosissime etc. — i *Hoc respondent* [illegible] *ex Menæis* [illegible] Divina gratia donatus es, perficiendi curationes, et admiranda operandi. — k *Eadem Menæa.* Mortuos vere suscitasti. [illegible] Mortuos suscitasti. *Ipsa quoque* [illegible] *Imperatoris* [illegible] *infra cap. 2 num. 13.* — l *Inde Menæa.* Non facile est numerum inire miraculorum, quæ patrasti, et in vita et postquam ad Deum migrasti, victoriose et admirabilis martyr.

C

## CAPUT II.

*Tormenta S. Charalampio inflicta jussu Severi Imp. facta coram eo Antiochiæ Pisidiæ miracula.*

Præses autem Imperatori omnia, quæ jam narrata sunt, renuntiavit; Ad te, inquiens, recurro, o Imperator: quid enim dicere, quid eloqui, quidve omnino cogitare debeam, ignoro. Comparuit homo quidam e grege Galilæorum, qui omnes a diis avertit, et in speciem precatus, nobis sanitatem restituit. Et Lucius quidem post illam, quæ facta videbatur, curationem, Christo credidit: atque omnis Magnesia populum suum illi jam tradidit religioni. Ego ut convalui, hunc veni ut ista nuntiarem. Auditis hisce sermonibus Imperator sollicitudine atque ira commotus, ait: O æterni dii, despectui habiti, cur ita impiorum nugatoria loquacitas in terra invalescit! Ac statim trecentos milites misit, omni inhumanitate ac feritate imbutos, omnisque, etiam erga fratres, caritatis expertes, electos diaboli satellites, ad conscisceendam perniciem factos; jussitque tergum omne Martyris proscindi, ac sic eum Magnesia Antiochiam Pisidiæ pertrahi.

D EX MS GR INTERPR I DAVIDE HENATOVIO *Severi Imp jussu,*

*ducitur Antiochiam Pisidiæ,*

9 Cum igitur Imperatoris atrocissimi satellites in *a* Asiam venissent, comprehendunt Christi athletam, atque ita *b* clavos per universum corpus illius infigentes, barbæ, quæ prolixius excreverat, vincula innectunt, atque ita protrahunt Martyrem Christi Progressis jam iis ad stadia xv, conversus qui in dextro latere ibat equus, locutus est plana minimeque ambigua voce hæc verba: O vos trecenti milites, et ter-execrandi ministri diaboli, non videtis cum hoc homine Deum, Christumque, et in eo Spiritum sanctum adesse? Cur igitur hæc agitis pervicaces? Solvite quem ligare non potestis, ut ipsi vinculis solvamini. Correpti hac equi voce satellites, ingenti quidem sunt metu perculsi, tamen ut Imperator mandarat, Martyrem ita raptantes perduxerunt Antiochiam.

*a* *b* *clavis toti corpori infixis, barba vinctus,*

E *feros lictores arguente equo voce humana*

10 Diabolus vero, forma viri senis assumpta, Imperatori se stitit, dicens. Hei mihi Imperator! Rex ego sum Scytharum. Venit autem in meam ditionem homo quidam, nomine Charalampius, insignis magus, et omnem a me exercitum meum avertit, populusque universus ei adhæsit. Ego autem ab omnibus relictus, veni ut id tibi indicarem, ne et tibi simile quid eveniat. Imperator manus complodens, ut audiit vinctum adesse Charalampium eo a suis pertractum, ante omnem interrogationem, diabolico actus consilio, videns Martyrem ex barba alligatum et ante se positum, jubet *c* veruculum trium circiter cubitorum per pectus illius adigi. cumque infixum jam veruculum videret, ait lictoribus: Comportate ligna, et lento eum igne comburite, ut per partes ustulatus, citius infernum occupet, ne me quoque, ut Regem Scytharum, omni militum præsidio nudet.

*Severo diabolica fraude decepto,*

*c* *veruculo configitur, ab ejus pellice, cinere injecto, ridetur*

F

11 Cumque ministri ligna et ignem confestim attulissent, mulier quædam cupiens et Imperatori gratificari, et Martyri cruciatum augere, cinerem theristro, sive pallio, haustum effudit in caput, faciem, barbamque Martyris, dicens. Morere senex, morere. Satius enim est, ut tu moriaris, quam ut nos technis tuis circumvenias. Erat autem illa pellex Imperatoris. At soror ejusdem mulieris ita eam compellat. Nec tu, misera, Deum times? Severi voluntatem facis, et Deum offendis. Christo tibi irato, nil te Severus juvabit. Et ad Martyrem conversa, Homo Dei, inquit, venerabilis est senectus tua; Deus super te est. Novi quod creditura sim, et a peccatis meis liberanda.

*quæ ab sorore reprehensa,*

12 Post hæc verba cum igneo jam ligna e arsissent, vegetior evasit vir beatus: ignis vero extinctus est, ipsique defecere lictores. Dixit Imperator: Solvatur homo iste, ac mihi respondeat. Cum vero propius adstitisset sanctus Martyr, Imperator dixit: Homo, primo mane collocutus cum Scytharum Rege, iniquiorem in te animum indui, impulsus ut et infamiam tibi irrogarem. Nunc, cum illam quæstionem decurreris,

*illæsus ab igne exit*

*EX MS. GR. INTERPR. I. DAVIDE BENSTOVIO.*

*interrogatur ab Imp. de ætate, religione,*

A decurreris, honori id ducas, et ad interrogata responde : Quot tibi anni vitæ sunt? Charalampius dixit : Annos multos transegi inanem vitam ducendo. Si tamen exacte nosse vis, cxm annos vixi. Severus Imperator dixit : Si tot annos vixisti ? quomodo non in id intendisti intelligentiam, ut deos immortales agnosceres ? Charalampius dixit. Cum vixerim annis multis, o Imperator, multamque mihi compararim intelligentiam agnovi Christum, et in eum credidi. Imperator dixit : Uxorem duxisti, an non ? Charalampius respondit : Cœlestem mihi sponsam copulavi, regnum videlicet Christi, in terra autem uxorem non novi.

*conjugio,*

*miraculis*

13 Severus Imperator dixit : Diceris mortuos suscitare. Charalampius respondit : Non est in hominum potestate tantum benefactum, sed Christi. Imperator dixit : Experire coram me. Ac ministris innuens, adduci hominem jussit, quem jam annos quinque et triginta malus dæmon insederat, ac sæpe in paludes, sæpe e præruptis locis præcipitarat, perdere eum volens. Cum prope abesset vir ille, odoratus dæmon viri justi fragrantiam, exclamavit : Te deprecor, serve Dei, ne me ante tempus profliges, sed verbo impera, et egrediar ; aut si jubes narrabo qua ratione

*energumenum liberat*

B hunc hominem invaserim. Respondit Sanctus , narra. Dæmon vero, Statuerat hic, inquit, proximi sui facultates diripere, sed prius ita cœpit apud se recogitare : Nisi antea hæredem interfecero, non potero bona ejus occupare, occisoque eo, ivit ut facultates ejus raperet. Ego hæc in re occupatum deprehendens, ei annis xxxv convixi. Tunc S. Charalampius dæmoni edixit : Egredere ab hoc homine, neque ei quidquam noxæ inferas.

*aperire jusso dæmone, cur in eum intrarit :*

14 Cumque vir ille mentis sanitati esset restitutus, miratus Imperator ait : Vere magnus est Deus Christianorum. Intra tres autem dies, cum obiisset juvenis quidam, jussit Imperator sisti lecticam, in qua mortuus jacebat, et dixit : Hunc servavi, ut Deum tuum ores, et iste reviviscat. Tunc Martyr fusa ad Deum prece mortuum suscitavit.

*mortuum precibus suscitat :*

a [illegible] Imperatorem [illegible] Armeniam [illegible] Maria [illegible] abduxerunt, unde [illegible] Hunc [illegible] clavis confixum, patientissimum et inexpugnabile [illegible] Pateris, o gloriose, infixos tuo corpori clavos constantissime [illegible] Obeliscis, sive veruculis perforatus, vulnerasti cor valide terrigenarum impugnatoris lancea tuæ fortitudinis et constantiæ.

C

## CAPUT III.

*Nova in S. Charalampium quæstio. Blasphemi divinitus puniti. B. Galenæ visio.*

Cum his permota miraculis magna populi multitudo credidisset, et ipse miraretur Imperator, dixit huic Crispus Præfectus, Tolle hunc hominem , magus est enim, et incantamentis ista operatur. Mutato igitur animo dixit Martyri Imperator : Sacrifica diis, Charalampi, ut evadas internecina tormenta. Charalampius respondit : Magis me adjuvant tormenta, quanto enim amplius per ea dilaniatur corpus, tanto magis anima exultat. Iratus Imperator, lapidibus maxillas ejus tundi jubet. Dicebant autem ei lictores : Acquiesce exhortationi Imperatoris, et noli sic gratis perire. Edicit denuo lictoribus Imperator : Sumite faces, atque ejus barbæ admovete, ut faciem totam flamma circumfusa collustret. Illi ignem barbæ totique faciei admovere. At flamma dissiliens adussit circiter LXX satellites.

*Præfecti impulsu,*

*in collo et lapidibus verberantur flamma barbæ ejus admota, adurit milites.*

16 Iratus Imperator ait . Probe me monuit Rex Scytharum, magum hunc esse, atque a me meos abducturum milites. Deinde Magnatibus ait . Non indicatis mihi, quis demum ille sit Christus. Respondit Crispus Præfectus : Filius Mariæ, ex fornicatione natus. *a* Aristarchus quidam ait: Noli ita inepte loqui. Unde enim ea nosti mysteria ? unde scis, quæ fuerit Maria, aut quis Christus ? Crispus Præfectus ait : Diabole, tune prudentior quam ego ? Aristarchus dixit : Ego ori meo fiduciam addo, præ te quippe sapio. Severus Imperator dixit? O malignum caput, contra me loqueris? Aristarchus dixit : Nequaquam Domine Imperator, neque contra te, neque contra quemquam, sed pro Christo loquor.

D

*a Præfectum blasphemum arguit quidam.*

17 Tunc Imperator Iræ æstuans jungi currum imperat ; eoque conscenso, missilibus oppugnare cœlum aggreditur : sagittam enim in altum jaculatus, ait: Huc ades Christe, si superne consides, in terra fige tentoria : contra te enim bellum paro. Satis mihi virium est, tibi ut resistam. Descende huc, et in propinquo adsta. Aut destruam cœlum, ac solem extinguam, te ut comprehendam. Movit ad has voces terra, ingensque omnes formido invasit. Irato quippe in cœlis Deo, tellus folii instar agitari, audiri e turbine ac nubibus Angelorum voces, succuti identidem solum, micare fulgura, tonitrua mugire, obrigescere metu mortales cœpere. Pendulus in aere hæsit Imperator, cumque eo Crispus Præfectus ; et exclamans Imperator ait . Domine mi Charalampi, evenit hoc peccatis meis ; juste punior. At tu verbum loquere Deo tuo, ut ab hoc supplicio liberer ; et per totam civitatem scribam Dei tui nomen ac tuum ; ingens enim mihi a Christo tuo incussa est formido.

*Sanctus Severum blasphemantem,*

*et terræmotu,*

*in aere suspensum cum Præfecto,*

E

*opem implorantem,*

18 Tunc adstitit *b* Galena filia Imperatoris coram patre suo, et ait : Mi pater, Deo repugnare nemo potest : ipse spes est Christianorum, exterminator Gentilium. Crede Deo, et liberabit te ; quique vincula inexuit, solvet. Qui te detinet, Christus est, Deus æternus et incomprehensibilis. Et procedens B. Galena coram Martyre ait : Obsecro te, serve Dei, supplica Christo, et patrem meum solve : si crediderit, recte ac sapienter egerit; sin minus, perfectiorem te reddiderit. Cumque vir beatus orasset, omnis illa Dei indignatio cessavit, reductusque est cum Præfecto Imperator, ac dixit : Cœli Domine ac terræ conditor, miserere mei, qui in cœlis habitas, terras respice. Et reversus in palatium cum Præfecto ceteroque comitatu Imperator, istic triduo mansit, timorem Dei recogitans.

*b*

*deprecante pro eo filia Galena Christiana,*

*precibus solvit.*

19 Cum autem visum objectum esset filiæ Imperatoris, venit illa, et mysterium retulit dicens : Videbar mihi ante copiosas aquas adstare, et subito septum conspicor, in quo omnis generis arbores odoriferæ. Ecce autem in medio paradisi illius vinea erat, inque ea cedrus procera, et ad cedri radices fons. Loci autem custos strenuus, neminem ingredi sinebat. Verum ecce spiritus meus applicuit ad patrem meum et Crispum Præfectum in eodem septo. Custos vero stipitem ignitum misit, ut Præfectum patremque perderet. Ego autem magno timore detinebar, expetii tamen ut in eo septo commorari mihi liceret. Et dixit mihi custos : Veni huc, meis humeris insidentem te cum honore introducam. Ingressa sum in medium vineæ, quæ in illo septo erat, subter cedrum, ad ipsam fontis scaturiginem, ubi vocem audio dicentem : Tibi data est hæc habitatio tuique similibus. Ista sunt quæ vidi. Te rogo, ut quid ea sibi velint exponas.

F

*Galenæ visum de suo ad gloriam electione, patris reprobatione,*

20 S. Charalampius ait. Somnii explanatio hæc est. Multitudo aquarum est donum Spiritus sancti : septum, introitus Justorum, qui tibi obtigit : vinea Justorum radix : cedrus procera, Angelorum supereminens gloria : fons, laudis scientia : odoriferæ arbores, chori sunt Angelorum : qui te in humeros sustulit, idemque loci custos, Christus Dominus est, qui nonaginta novem oves in montibus relinquens , ad

*explicat S. Charalampius*

AUCTORE J. B.

A *tur se* stylum nonnumquam modice elimasse, *tempus ita expressit :* Diocletiani IX et Maximiani VIII. *sed mox subjicit :* incertum utrum imperii anno, vel consulatu. *Fuere autem Consules Diocletianus* IX, *Maximianus* VIII *anno* CCCIV. *Atque ita legit vel correxit Baronius. MS. Florarium*, XII *Maii cum statuisset anno* CCCV *martyrium contigisse S. Pancratii, subdit :* Sed et tunc temporis passa est Virgo sanctissima, Sotheris nomine, nobilis genere, sub Aureliano Augusto, anno salutis CCLXXXVII. *Quæ inter se manifeste pugnant. Non dissimulandum tamen, illa in quibusdam S. Pancratii Acta non haberi : et in horum, quotquot vidimus exemplaribus, dici Pancratium a S. Cornelio Papa baptizatum, occisumque anno ætatis* XIV *aut* XV, *sub Valeriano et Gallieno ut habent quidam codices, alii sub Diocletiano, inextricabili metachronismo. Ea Acta* XII *Maii expendemus. Surius Papæ nomen omisit.*

*inscripta martyrologiis, 6 Feb.*

9 *De die quoque martyrii S. Soteris controversia est. Nam* VI *Februarii eam referunt non solum recentiores, Molanus, Canisius, paulloque antiquiores Belinus de Padua editionis Parisiensis, ac Hermannus Greven; sed et Notkerus, Rabanus, Beda vulgatus, et MSS. antiqua S. Maximini Treviris, Aquisgranense, Richenoviense sive Augiæ divitis, ac vetustissimum Romanum* B *quod S. Hieronymi nomine prætitulatum; Romanum item monasterii S. Cyriaci, atque alia. At citatorum auctorum quidam illam denuo habent* X *Februarii, Canisius, Belinus in utraque editione, Notkerus, MSS. Richenoviense, S. Hieronymi, itemque vetus aliud Romanum a Rosweydo editum, prætereaque Usuardus, Ado, Maurolycus, Galesinius, Felicius, Ferrarius, Petrus de Natalibus, ac recens Romanum. Horum auctorum nonnulli diversam fortasse existimarunt.*

*et 10.*

*dicitur in Oriente passa :*

10 *Major est de loco martyrii difficultas; dum alii Romæ, alii in Oriente passam scribant, quidam etiam in Hispania. Usuardus ita scribit* X *Februarii :* In Oriente S. Soteris Virginis, quæ graviter et diutissime alapis cæsa, cum cetera quoque pœnarum genera vicisset, gladio martyrium consummavit. *Ita habent omnia exemplaria MSS. et typis cusa. Ado quoque, Notkerus, Belinus, Petrus de Natal. MS. Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis, MS. majus S. Maximini Treviris, quod illud fere cum Rabano consentit, MS. collegii Societ. Jesu Lovanii, itemque MS. Domus professæ Antverpiæ, quod Bedæ præfert nomen, MS. Carmeli Coloniensis; item Doctrinale Clericorum et Martyrol. Coloniense ante citata : denique, licet aliis verbis, Maurolycus, Galesinius, Felicius, Canisius, MS. Flo-* C *rarium, MSS. Leodiense S. Lamberti et Centulense, utrumque Bedæ nomine insignitum. At* VI *Februarii ita habet Maurolycus :* Item in Oriente Sotheræ Virg. *Galesinius eo die nullum adscribit locum, textique longum verbis S. Ambrosii elogium, sed decimo die ostendit quid sentiat, ita scribens :* In Oriente, S. Soteris Virg. et Mart. de qua VIII Id. Febr. *Locum non exprimunt, decimo Febr. vetus Roman. a Rosweydo editum, et MS. Lætiense : sexto Belinus edit. Parisien. MSS. Aquisgranense et Carmeli Coloniensis. Beda vulgatus* VI *Februarii duas videtur Soteres agnoscere, scribit enim :* Romæ via Appia in cœmeterio ejusdem passio S. Soteris Virginis. *Ac deinde multis interjectis :* In Oriente S. Soteris Virginis, quæ graviter et diutissime alapis cæsa, cum centum quoque pœnarum genera vicisset, gladio martyrium consummavit. *Sed MS. monasterii Richelbergensis in Bavaria, quorum quod Bedæ nomine vulgatum est, contulerat Rosweydus, secundum hanc Soterem decimo refert cum elogio eodem, ex Usuardo descripto, in quo non centum* pœnarum genera *vicisse, sed* cetera *dicitur.*

*ab aliis Romæ, via Appia, 6 Febr.*

11 *At vetustiora sunt MSS. quæ eam Romæ defunctam martyrio tradunt, quibus et gravissimi adstipulantur auctores.* VI *Februarii ita habet MS. Richenoviense :* Romæ Sotheris Virg. *MS. Treverense S. Maximini minus :* Romæ depositio S. Soteris Virg. *MS. Tornacense S. Martini, quod* Eusebii, Hieronymi, et Bedæ Presbyteri *inscribitur :* Romæ passio sanctarum Virginum Dorotheæ et Sotheris. *Canisius :* Item Romæ passio S. Sotheris Virg. *Vetustissimum MS. Martyrol. Romanum, quod sæpe sub nomine S. Hieronymi citamus, uti inscriptum est :* Romæ via Appia nat. Soteretis. *MS. Romanum monasterii S. Cyriaci :* Romæ via Appia passio Soteris Virg. *Idem habet Molanus. At Beda vulgatus :* Romæ via Appia in cœmeterio ejusdem passio S. Sotheris Virg. *eademque habent Rabanus, et Notkerus.* D

*ob alias ibidem sed 10 Feb.*

12 *Decimo autem die Februarii ita habet MS. Richenoviense, et Treverense minus :* Romæ Soteris. *Hieronymi :* Romæ nat. Soteris. *Insigne, quod penes nos est, MS. Martyrol. ex Italia, ut videtur, allatum, a* D *aut* DC *annis exaratum :* Item Romæ S. Sotheris Virg. *MS. monasterii S. Martini Treviris :* Romæ Soteris Virg. quæ graviter alapis cæsa, gladio martyrium consummavit. *Assentitur, teste Baronio, Martyrologium Cassinense, et alia. Demum Martyrol. Romanum a Baronio auctum :* Item Romæ via Appia S. Soteris Virg. et Mart. quæ (ut scribit Ambrosius) nobili genere nata, parentum E consulatus et præfecturas ob Christum contempsit, jussaque immolare, non acquiescens, graviter et diutissime alapis cæsa est : et cum cetera quoque pœnarum genera vicisset, percussa gladio, læta migravit ad sponsum.

*ab aliis in Hispania,*

13 *Chronicon Hispaniense, Dextri nomine editum, ad annum* 300 *commentar.* 2 *num.* 21 *ista habet :* In orientali Hispaniæ parte urbe, Palentia, S. Sotera Virgo et Martyr; quæ more servorum acceptis in facie alapis, illustre martyrium in Domino complevit. Quam ad exemplum pudicitiæ adducebat S. Monica digna Augustino parens. Hæc venit in Hispaniam, persecutionis caussa, anno CCCIV. *Avide isthæc amplectuntur Rodericus Carus et Franciscus Bivarius in commentariis ad illud Chronicon, et Joannes Tamayus in Not. ad Martyrol. Hispan. ac Franciscus Laberius in magno Menologio Virginum. Queritur Bivarius,* sine sufficienti auctoritate ac consideratione mutatum Romani Martyrologii textum, *ex duarum MSS. fide, cum omnes in contrarium sint Martyrologiorum auctores, qui in* Oriente *interfectam tradunt; id est, in orientali, non Asiæ provincia, sed Hispaniæ oppido Palentia,* quo nimirum Virgo sancta, *inquit,* persecutionem fugiens pervenerat, cum ad supplicium rapta est. Forsan parentes ejus prædia in Hispania habebant, et illuc ipsa proficiscebatur. *Acerbioribus verbis Baronium incessit Tamayus;* infirma esse Purpurati scriptoris fundamina. Cardinalis S. Nerei correctionem retexendam, cum potius destructio dicenda sit, quæ falso nititur impulsore etc. F

*parum probabiliter*

14 *Quam parvo hæc partim solida sit censura, patet ex verbis martyrologiorum jam allatis. Neque ipsi facile cuiquam non Hispano probabunt, Dextrum sub parentis sui S. Paciani* (castigatæ eloquentiæ viri, et tam vita quam sermone clari) *disciplina institutum, hoc tam impeditum et agreste opus fudisse. Tu hoc est, omnimodam historiam texere, quod de illo prædicat S. Hieronymus, claros aliqua laude homines undique velut obtorto collo in Hispaniam pertrahere? Habet hæc decora infinita, vera et magnifica, ut ornari hisce commentitiis non debeat. Sed de hoc Chronico viderint alii. Quæro ego, quis ita locutus sit unquam, ut in Oriente diceret, pro ora Hispaniæ in ortum vergente? Vix id tolerari posset, si quis in Lusitania, Bætica aut Castella scribens, ea phrasi uteretur : quid ergo cum Usuardus et Ado in Gallia, in Germania Notkerus, in Italia alii scriberent, cur non potius in Occidente dixerunt?*

15 *Urgebis, cur in* Oriente *passam iidem scribant,*

*si*

A *si in Italia? Plane suspicor errorem esse. N. Guerrisius existimat, sciolum aliquem, quod Græcum esset nomen,* in Oriente *occisam scripsisse. Fortassis librarius quispiam incurius ea verba aliunde infarsit: alii temere secuti sunt. Quid si, qui antiquissimus est eorum qui ita scripserunt, Usuardus veteri codice usus,* ubi in Oriente *scriptum erat, sed quia quæ subjungi debebant nomina Sanctorum, ea vel extrita, vel avulsa, vel omissa erant,* Soterem *immediate annexuit? Beda, Rabanus, Notkerus aliique a nobis stant. Cur ad duos dies inscriptum illius nomen Martyrologio sit, nos quoque ratio fugit. Uno forsan interfecta, altero tumulata est.*

*unde illud irrepserit,* in Oriente? — *cur 2 diebus relata?*

## § III. S. *Soteris cœmeterium, sepultura, Translatio.*

16 F*uit inter cetera loca, in quibus Christiani olim Romæ mortuorum corpora sepeliebant, (quæ loca vulgo* Cœmetaria, *quasi* Dormitoria *dicas, interdum* Areæ, Tumbæ, Catatumbæ *vel* Catacumbæ, Arenaria, Cryptæ *appellabantur) fuit, inquam, etiam* S. Soteris *cœmeterium: de quo pleniùs agunt Antonius Bosius et Paulus Arengus in Roma subterranea lib. 3, hic 19, ille 20* B *capite. Id probabile est ab ipsa in suo aliquo prædio ad sanctorum Martyrum sepulturam fuisse exædificatum, uti alia legimus in aliarum matronarum, aut nobilium Virginum possessionibus, earum sumptu aut studio constructa. Erat vero hoc Sanctæ Soteris, ut supra ex Bedæ, Rabani, Notkeri Martyrologiis retulimus, via Appia situm: atque, ut Bosius et Arengus observant, haud longe a Callisti cœmeterio distabat, et fortassis ei conjunctum, ac pars ejus. Non fuit autem, quod quidam putaverunt, a S. Sotere Papa, sed a S. Sotere Virgine ædificatum. Patet id ex Anastasio Bibliothecario, qui de Stephano* III *Papa ita scribit:* Restauravit et tegumen cimiterii Sanctæ Soteris, quod ceciderat. *Ita enim distinctis peculiariter characteribus scriptam* Sanctæ *voculam legi in duobus optimæ notæ codicibus, Vaticano et Cavensi, testatur Arengus. Sedit autem Stephanus* III *(qui vulgo* II *dicitur) a fine Martii an.* DCCLII, *ad* XXVI *Aprilis* DCCLVII.

*Cœmeterium S. Soteris* — *via Appia,* — *juxta Callisti,* — *restauratum sec. 8*

17 *Sepulta est igitur S. Soteris in hoc suo cœmeterio. Qui in Hispania occisam arbitrantur, ad hoc tamen cœmeterium postea relatum ejus corpus fatentur, Bivarius et Jo. Tamayus. Inde in Urbem translatæ ejus Reliquiæ sunt, ad ædem SS. Silvestri et Martini, in regione secunda,* Montium *dicta, juxta Thermas Trajanas* C *in Esquiliis sitam. Eam ædem Symmachus Papa ædificavit, ubi jam olim antiquus* Equitii Titulus, *sive ecclesia, erat. Scribit in Symmachi Vita Anastasius:* Intra civitatem Romanam basilicam SS. Silvestri et Martini a fundamento construxit juxta Thermas Trajanas. *Sedit autem Symmachus a* XXII *Novembris* CCCCXCVIII *ad* XIX *Julii* DXIV. *Restauravit hanc basilicam, et multis isthuc translatis Sanctorum corporibus, interque ea Sanctæ Soteris Virginis, egregie ornavit Sergius* II, *qui a* X *Februarii an.* DCCCXLIV *ad* XII *Aprilis* DCCCXLVII *Ecclesiam rexit. Testatur illud in ejus Vita idem Bibliothecarius:* Igitur summopere consummatus ipse a Deo protectus et beatissimus Papa, pia devotione sollicitus, pro desiderabili dilectione SS. Silvestri et Martini, ecclesiam, quæ sancto eorum D fuerat nomini consecrata; quam ab initio sacerdotii sui, usque quo ad pontificatus culmen deductus est, strenue gubernavit; et per olitana tempora defecta vetustate marcuerat, ruinisque confracta diu antiquitus lacerata manebat; Dei annuente clementia, in meliorem pulchrioremque statum a fundamentis perfecit. Absidam quoque ipsius aureis musivo perfuso coloribus ingenti amore depinxit. Et ad honorem omnipotentis Dei, ejusdem beatissimi Silvestri Præsulis corpus, cum beatissimo Fabiano atque Stephano et Sotere Martyribus ac Pontificibus, simulque Asterio Martyre cum sacratissima filia ejus, Sanctoque Cyriaco et Mauro, Largo et Smaragdo, atque Anastasio, et Innocentio Pontificibus, una cum S. Quirino ac Leone Episcopis, pariter Artemio, Nicandro, Crescentiano Martyribus: cum quibus, Beata Sotere atque Paulina, nec non Memmia, Juliana et Quirilla, Thesepiste, Sophia Virginibus atque Martyribus, et B. Quiriaca vidua, cum aliis multis, quorum nomina Deo soli sunt cognita, utrosque sub sacro altari dedicans collocavit. *Hæc Anastasius.*

*ipsa in eo sepulta,* — *postea in Urbem, ad ædem S. Silvestri,* — *a Symmacho Papa constructam,* — *restauratam a Sergio II* — AUCTORE J. B. — *et varie ornatam,* — *cum aliis SS.* — *translata,*

18 *Recitat ea ex illa Baronius tom. 10 an. 847 num. 3, monetque a Sergio inchoatum id opus, a suc-* E *cessore Leone* IV *perfectum, quod et Anastasius in Leonis Vita scripsit. Testatur idem Baronius eadem fere de translatis Sanctorum corporibus in illa basilica legi marmoreæ tabulæ eo ipso tempore inscripta, atque illa addita:* Hæc Sanctorum corpora translata sunt de cœmeterio Priscillæ via Salaria. Statuens omni anno in festivitatibus eorum Indulgentiam trium annorum et trium quadragenarum, omnibus ad ea devote venientibus. *At non omnia illa corpora ex S. Priscillæ cœmeterio translata sunt, sed quædam ex aliis.*

ANIMADV. CAP. 57 — *a eodem Sergio, vel Leone* IV — *datis indulgentiis.*

19 *N. Guerrisius in historia Sanctorum Trecensium ante citata testatur, in Bruolensi sanctimonialium Benedictinarum monasterio, quod non ita pridem in Secani oppidi suburbia translatum, S. Mariæ de Silva appellatur, S. Soteris Virginis ac Martyris reliquias thecis inclusas pie asservari. Os unum illius in Societatis Jesu templo Luxemburgi religiose asservatur, eo annis superioribus Roma allatum, una cum* S. Tertullini *Martyris corpore, de quo plenius infra agetur* XXIV *Februarii, quo ea facta Translatio est.*

*Reliquiæ in Gallia,* — *et Luxemburgi,*

20 *Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, ad hunc diem in Notat. scribit hujus Sanctæ Soteris corpus* Dordraci in Hollandia summo honore haberi; *ac Molanum citat, qui dicatur Batavicam agit* Sotere, sive Sara, *de* F *qua et nos infra. Idem tamen Ferrarius in generali Catalogo SS. postquam idem repetiit, cunctur addubitari, an eadem sit Sara Dordracena, et Soteris Romana, cultque ex utriusque Actis id definiri.*

*non Dordraci in Hollandia*

21 *Scribit Jo. Tamayus,* alterius S. *Soteris* Virginis Romanæ et Martyris lipsana honorifice asservari in celebri sanctimonialium Cisterciensium cœnobio Madriteuii, quod Sanctissimo Sacramento dicatum. *Quando hæc colatur, nondum comperimus.*

*alterius corpus Madriti*

22 *Solet porro die* X *Februarii* Sanctæ Soteris *fieri in plurimis Ecclesiis commemoratio; ut patet ex Breviariis, Herbipolensi, veteri Bruxellensi, et aliis.*

*Commemoratio S. Soteris*

# DE S. PEREGRINO CONFESSORE

## PLACENTIÆ IN ITALIA.

J. B.

C*olitur Placentiæ in Gallia Cisalpina* IV *Id. Februarii* S. Peregrinus *Confessor, Officio semiduplici. Ejus meminit ad hunc diem Philip. Ferrarius in generali Catalogo SS. atque Catalogo SS. Italiæ ex Officiis Ecclesiæ Placentinæ. Ipsa Officia typis Jo. Antonii Ardizzonii an.* MDCXXXV *Placentiæ excusa, ita habent.*

CIRCA AN. CCCC. X FEBR. — *S. Peregrini natalis,*

2 Peregrinus antiquis illis temporibus præclarus, ex eorum numero fuit, qui Placentiæ in prædicando Jesu Christi Evangelio plurimum elaborarunt, nec

*labores Apostolici,*

ipse

A positum, et aliquam quamdam stoream supra lapides stratam, ut qui ibi sederent nihil incommodi paterentur. Post multos autem de philosophia inter nos habitos sermones (ego enim percontabar, et ille quæsita explanabat) cum redire jam domum oporteret, orabam ut benedictionis viaticum daret. Ille vero repugnabat, æquum esse dicens, ut nos preces perageremus: idiotam se nominans, id est, privatum aut imperitum, nos Milites appellans. Nam tunc sacros libros Divino populo prælegebam. Cumque adolescentiam ostenderemus et immaturam ætatem, ut quibus vix *f* prima lanugo succresceret, ac nos denuo minime venturos juraremus, si hoc nunc facere cogeremur; ægre tandem precibus inflexus, Deo quidem precationem obtulit, sed longam de ipsa precatione excusationem protulit, dicens se caritatis et obedientiæ caussa fecisse: propius enim accedentes precantem audiebamus.

*post humilem excusationem et benedicit:*

*f*

4 Quod autem ad tantum philosophiæ culmen evectus, tantam animi moderationem retinuerit vir grandævus, qui annos XL continenter in monastica exercitatione posuerat, quis satis admirari, aut pares magnitudini afferre laudes quis possit? Et tamen tantas adeptus opes virtutis, tamquam extremæ laborans inopia, diebus Dominicis ad divinam ecclesiam cum populo veniebat, et Divinos sermones audiebat, atque aures præbebat doctoribus, et mysticæ mensæ particeps factus, redibat ad novum illud hospitium, non clavem habens, non seram, nec custodem ullum relinquens: erat enim undequaque inaccessum, atque a direptione omnino tutum, ut quod præter stoream illam nihil haberet. Unum librum a sodalibus accipiens, totum perlegebat, et hoc prius reddito alterum accipiebat.

*40 annis monachus,*

*sacra et concionem Dominicis cum populo frequentat.*

B

5 Verum sera licet non haberet, vectibusque non uteretur, a superna gratia custodiebatur: quod quidem experientia ipsa liquido perspeximus. Nam quo tempore ab *g* Isaurorum caterva direpta *h* arx capta est, atque deinde ad eum montis progressi, plurimos tum viros tum feminas vitam agentes monasticam atrociter confoderant, vir hic divinus aliorum cædes intuens, illorum oculos prece sua tenebris offudit, ita ut *i* januam prætereuntes, ingressum minime cernerent. Id autem referebat, testem appellans veritatem, tres etiam adolescentes perspicue vidit, qui totum illud agmen profligabant, Deo peculiarem suam gratiam aperte demonstrante.

*g h*

*ab Isauro-... defenditur,*

*...*

*i*

*et ab Aug... ...*

C

6 Qualem igitur vitam sanctus ille vir duxerit, qualique divinitus gratia frueretur, abunde docere ista possunt: tamen et hoc iis addendum videtur. Valde enim angebat ac discruciabat, quod integræ manerent ipsius facultates, et non juxta Legem Evangelicam venditæ ac distributæ fuissent. Caussa autem ejus rei fuerat *k* fratrum ætas immatura. Nam communes cum essent possessiones et pecuniæ nec in patriam ipse divisionis gratia proficisci volebat, et alteri partem facultatum vendere verebatur, ne si avarius ab emptoribus fratres tractarentur, in ipsum calumniæ redundarent. Hæc apud se animo versans, diu venditionem distulit. Postea cum uni ex notis omnia vendidisset, magnam partem ipse distribuit, sed morbo interveniente deliberare de ceteris coactus est. Accito igitur civitatis Antistite (is autem erat magnus Alexander, splendor religionis, exemplar virtutis, exacta imago philosophiæ) Ades dum, inquit, o venerandum mihi caput, esto quoque pecuniarum istarum optimus dispensator, eas juxta Dei voluntatem distribuens, tamquam illi Judici rationem redditurus. Alias enim ego mea manu, quam optime visum est, dispensavi, et reliquas similiter dispensare cupiebam. Sed quia abire ex hac vita jubeor, harum te dispensatorem constituo, qui et Pontifex es, et pontificatu dignam vitam agis. Pecunias ergo velut Divino Quæstori tradidit, ipse vero non multo post tempore *l* superstes, tamquam Olympionices quispiam e stadio decessit; non ab hominibus solum, sed ab Angelis quoque laudes referens.

*AUCTORE THEODORETO EP.*

*k facultatum in pauperes distributione ex caussa differt*

*cum dein per se curat,*

*et per Episcopum Antiochenum*

*beate moritur*

*l*

E

Ego autem hunc etiam mihi apud Deum intercessorem deposcens, ad alteram narrationem deinceps me convertam.

*a Theodoreto ... ...*

[illegible]

Polyandrum

morte.

F

# DE S. SILVANO EPISC. ET CONFESS.

## TARRACINÆ IN ITALIA.

G H

Anxur olim fuit apud Volscos, quæ deinde Latii, ut ... lib. 5 hist. Rom. testatur, Tarracinæ, urbs prona in paludes Pomptinas, a Fabio tum expugnata v. c. anno CCCXLIX. Sequentibus seculis cum reliquo Latio Campaniæ adscripta. Ita Paulus Diaconus lib. 2 de gestis Langobardorum cap. 17 scribit, provinciam Campaniam ab urbe Roma usque ad Siler Lucaniæ fluvium perduci. Sic Carolus a S. Paulo in Geographia sacra omnes Episcopatus Latii attribuit Campaniæ, et recte. Nam in Actis synodicis Romani Concilii sub Agathone Papa, quæ extant in Actione quarta Concilii sexti œcumenici, reperitur subscriptus Placentinus Episcopus Veliternus provinciæ Campaniæ. Sunt autem Velitræ oppidum antiquum Latii, qua Terracina Romam est iter, et ab hac quidem minus remotum. Ita etiam Servius in commentariis ad lib. 7 Æneidos, ubi versu 799 dicitur circa Circæum jugum arvis præsidere Jupiter Anxurus, vocat hunc tractum Campaniæ, nunc Campania Romana dicitur.

*ANXUR.*

*Terracina in Latio*

*post Campaniæ adscripta,*

2 Qui hoc die celebratur S. Silvanus Episcopus, in plerisque Martyrologiis Campaniæ adscribitur, nulla urbe expressa, quæ indicatur in MS. Martyrologio Romano a mille amplius annis exarato, quod S. Hieronymi nomine insignitum. Ita in eo habetur: In Terracina natale S. Silvani Episcopi et Confessoris. At Beda excusus

*Episcopus S. Silvanus colitur 10 Febr.*

A *males de SS. secundus est* in Natali S. Scholasticæ, *cujus exordium est,* Lectio sancti evangelii, Fratres etc. *carmenque, additum in ejusdem Virginis laudem : quæ Baronius non Bedæ, sed S. Berthari Abbatis et Martyris esse censet, ut mox dicemus.*

Paulus Diaconus;

5 *Verum carmen illud, cujus exordium est,* O benedicta soror, *non Berthari, sed Pauli Diaconi esse asserit Wion. Fuit Paulus, ut Leo Ostiensis lib. 1 Chronici Casin. cap. 17 scribit, Desiderii Regis Longobardorum Notarius, atque Arechiso Principe Beneventano, Desiderii genero, mortuo (sub annum Christi* DCCLXXXVIII *Casini monachus factus,* plures postea vixit annos, et nonnulla scripta, eleganti stylo conscripsit : atque inter alia versus quoque reciprocos, et hymnos de singulis B. Benedicti miraculis, diserto sermone conscripsit. *Hanc S. Benedicti Vitam, Sanctorumque Mauri et Scholasticæ, eodem genere carminis a Paulo compositam, testatur Wion se anno* MDXC *Romæ edi curasse in tertio volumine poematum Prosperi Martinengii. Vulimus hujus Auctoris priora duo volumina annis aliquot prius edita, at non tertium. Verum quisquis encomium illud S. Scholasticæ panxit, (quod lib. 3 Ligni vitæ ad* X *Februarii recitat Wion, ratus non alibi extare, cum, ut diximus,* XXXII *annis ante tomo 7 Operum Bedæ*
B *esset excusum, aliquanto correctius et distichis octo auctius) sed quisquis hujus encomii auctor est, sive Paulus Diaconus, ut censet Wion, seu S. Bertharius, ut Baronius, idem de eadem sancta Virgine heroicum carmen scripsisse se testatur, his verbis :*

Versibus heroicis alias castissima laudes
Scripsimus ecce tibi, versibus heroicis.

*Est ea lucubratio diversa ab illa, quam cum Martinengii poematis edidisse se Wion scribit, versibus reciprocis constantem, ut prius hexametri hemistichium sit extremum pentametri.*

S. Bertharius,

6 *Quinquaginta minimum annis post Pauli obitum factus est Abbas cœnobii Cassinensis S. Bertharius, rexitque, id* XXVII *annis, mensibus* VII, *ut tradit Leo Ostiensis lib. 1 cap. 35 ac tandem martyrio coronatus est anno* DCCCLXXXIV, XXII *Octobris. Marcus Antonius Scipio in Elogiis Abbatum Cassinensium de S. Berthario eruditione et lucubrationibus agit, uti et Joannes Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui* Berthorinum *appellat. Recenset plura ejus opera Possevinus noster in Apparatu, et inter illa homiliam de decem Virginibus in die S. Scholasticæ, eam ipsam utinerum quæ 7 tomo operum Bedæ extat : de qua Baronius in Notat. ad Martyrol. ita scribit :* Exstat apud Bedam
C tom. 7 sermo de S. Scholastica, carmenque additum in laudem ejus : quæ quidem alterius esse auctoris reperimus in nostra bibliotheca in antiquis MSS. nimirum Bertharii Abbatis Cassinensis. Confirmat hoc ipsum Petrus Diaconus Bibliothecarius Cassinensis in lib. de viris illust. monasterii Cassinensis cap. 12 ubi agens de S. Berthario, scripsisse eum dicit homiliam de S. Scholastica. *Habemus hujus Petri librum, qui inscribitur* Ortu et Vita Justorum sacri cœnobii Cassinensis, *ubi pauca habet de S. Berthario, sed illius se* Vitam *ait diffuse exaraturum. Fecit id fortassis in libro de viris illustribus cœnobii Cassin. qui ab illo diversus est, ut patet ex lib. 4 Chronici Cassinensis cap. 68. Wion citat Bedæ homiliam; dein, velut diversam, S. Berthari Ab. et Mart cujus hoc ait esse initium :* Lectio sancti Evangelii, Fratres, *aliam item ejusdem auctoris hoc exordio,* Virginis Domini Vitam. *Citat Antonius Yepes centuria 1 Chronic. Benedictinor. ad an. 480 cap. 3 sermonem S. Berthari de S. Scholastica : verum, ut conferenti patet, hausta sunt, quæ profert, ex homilia apud Bedam edita, sed paraphrastικῶς, quod interpreti licuit. Hispanica Yepesii Latine reddidit Henricus Zypæus in libello de monachatu S. Scholasticæ. Benedictus Haeftenus Præpositus Affligemensis in Commentario ad cap. 33 vitæ*



D *S. Benedicti, quam suis Disquisitionibus monasticis egregie illustratam præfixit, profert nonnulla ex Bedæ homilia : deinde ex Yepes sermonem S. Berthari velut diversum citat. Est igitur S. Berthari homilia, quæ Bedæ tribuitur : quam hic non damus, quia in manibus est, neque ullas Scholasticæ res gestas narrat, nisi quæ a S. Gregorio sunt descriptæ, cujus verba commentatione morali illustrat. Alteram, qui a Wione citatur, ejus sermonem non vidimus. Carmen, quod in Beda et Wione extat, ejusne sit an Pauli Diaconi, nobis necdum liquet.*

AUCTORE I. B.

Albericus Diaconus,

7 *Albericus deinde Diaconus, ac monachus Casinensis,* vir disertissimus et eruditissimus, *ut scribit Leo Ostiensis lib. 3 Chronici Casin. cap. 33,* composuit Vitam sanctæ Virginis Christi Scholasticæ, et de ea homiliam, fecit et versus in Vitam S. Scholasticæ. *Hunc Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuisse scribit Onuphrius Panvinius lib. 2 de Pontif. et Cardinalium creatione, Scipio Mazella in descriptione regni Neapolitani, Wion lib. 2 Ligni vitæ cap. 9. Gerardus Joannes Vossius lib. 2 de Histor. Latin. cap. 46. Possevinus in Apparatu; Alphonsus Ciacconius. Nihil de ejus Cardinalitia dignitate tradit Leo citatus, nihil Platina, qui in Nicolao II eum laudat; nihil Baronius cum de eo agit tom. 11 ad an. 1059 num. 18. Neque tamen hi id*
E *inficiantur. Panvinius in una editione creatum scribit a Stephano* IX, *qui videlicet Abbas Casinensis fuerat, Desiderii decessor, obiitque* XXVIII *April. an.* MLVIII, *octavo aditi pontificatus mense ; in altera editione creatum Cardinalem ait ab Alexandro II, qui ab anno* MLXI *ad* XXII *April.* MLXXIII *Ecclesiam administravit. Memoria lapsus est Gerardus Joannes Vossius, vir cetera accuratus, dum eumdem esse putavit Albericum, de quo agit Petrus Diaconus lib. 4 Chronici Casinensis cap. 68. Nam prior ille jam* Diaconus, vir disertissimus et eruditissimus, *tempore Desiderii Abbatis,* ad hunc locum, *inquit Leo,* habitaturus advenit ; *diciturque ad Synodum Romanam anno* MLIX *vocatus contra Berengarium verbo scriptoque disputasse. Alter vero pene puer, admirabili visione, decimo ætatis anno permotus,* relictis seculi pompis Casinense cœnobium petiit, atque a Girardo, *qui post S. Brunonem Signiensem Episcopum, de quo mox, sub annum* MCXI *Abbas creatus est,* gratissimo affectu susceptus, accepto sanctæ conversationis habitu Christo Regi militiam professus est; *et adhuc vivebat, cum Chronici Casinensis librum quartum scriberet Petrus Diaconus, qui se fatetur quinquennem B. Benedicto a parentibus oblatum anno*
F *Christi* MCXV; *vel* MCXV, *ut Matthæi Laureti editio habet. Porro senioris illius Alberici de S. Scholastica sermonem testatur Wion in Casinensibus MSS. extare, hoc exordio :* Audistis Fratres carissimi. *Nos neque illum, neque Vitam ab eodem scriptam vidimus.*

S. Bruno Ep. Signien.

8 *S. Bruno Signiensis in Latio Episcopus, qui anno Christi* MCXXV, *episcopatus sui* XLIV, *mortuus traditur, ut ad* XVIII *Julii vel Augusti* XXXI *dicemus. Is dum suo tantisper episcopatu in Casinensi cœnobio privatus vixit, atque ab anno* MCVII *ad* MCXI *Abbas fuit, sed postea a Paschale II ad Ecclesiam suam redire coactus. Scripsit autem tum alia, de quibus Marcus Antonius Scipio in Elogiis Abbatum, Possevinus in Apparatu, Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica, tum de S. Scholastica sermonem, ut ex Petro Diacono tradit Baronius in Notat. ad* X *Februarii, quem se Wion habere manu exaratum fatetur. Ipse quoque jam sæpius citatus Petrus Diaconus Casinensis, in libro de Ortu et vita Justorum sacri cœnobii Casinensis, primo loco Vitas S. Benedicti, S. Mauri, S. Scholasticæ brevi compendio complexus est. Sed qui, quod habemus illius libri exemplar ex ipsius Petri autographo, difficillimis characteribus Longobardicis in membrana exarato, descripsit, tres illas Vitas omisit. Citat Wion homiliam ab anonymo monacho conscriptam, cujus exordium est;* Ab antiquis et majoribus.

Petrus Diaconus,

30 *Vitam*

*Auctore F. B. anonymus Benedictinus.*

A 9 *Vitam S. Scholasticæ composuit, vel potius ex S. Gregorio descriptam amplificavit, anonymus quidam monachus Benedictinus, ut qui itidem S. Benedictum Sanctum* Patrem nostrum *appellat. Hanc Vitam, etsi non admodum accuratam, dabimus ex MS. codice cænobii Bodecensis, Ordinis Canonicorum regularium, diœcesis Paderbornensis in Westphalia, a Joanne Gamansio nostro descriptam. Ejusdem Vitam breviter, ac fere ex S. Gregorio, narrat Petrus de Natalibus lib. 3 cap.* 110. *Aliquanto fusius, ipsiusque adeo Gregorii verbis, Hilarion monachus Veronensis in Vitis ad Historiam Lombardicam Jacobi de Voragine additis, editisque Mediolani anno* MCCCCXCIV, *ut scribit Vossius; ac deinde Argentinæ, ut habet nostrum exemplar, an.* MCCCCXCVI. *Ex Gregorio quoque sumpta est, quæ a Bonino Mombritio Patricio Mediolanensi tom. 2 de Vita SS. vulgata.*

*Petrus de Natal. Hilarion Veronensis.*

*Mombritius.*

10 *Prolixum S. Scholasticæ encomium scripsit Hieronymus Dungersheim de Ochsenfurt, Theologiæ Professor, et collegii majoris Studii Lipsiensis collega, ad Henricum Abbatem cœnobii S. Petri juxta Mersseburgum Misniæ urbem. Hoc cœnobium in monte urbi vicino condidit* Wernerus, *sive* Werinherus *Episcopus Merseburgensis creatus an.* MLXXIII, *uti Gregorius Fabricius rer. memorab. Saxoniæ universæ lib. 2. et Ernestus Brotuffus Chronic. Merseburg. lib. 2 cap. 14 et 17 testantur; ille videlicet est Werinherus strenuus Ecclesiasticæ libertatis defensor, cui Bruno monachus historiam belli Saxonici dicavit. Fuerunt autem, ut idem recenset Brotuffus, illius cœnobii Abbates tres nomine Henrici* XXVIII *ac* XXX *ambo cognomento* Honbergii, *ac* XXXIII, *Gotha apud Turingos oriundi. Huic postremo sub initium seculi a Christo nato sextidecimi hoc S. Scholasticæ Encomium ab Hieronymo Dungershemio dicatum conjicimus, Excusum id Lipsiæ fuit an.* MDXV. *Quod etsi de ipsa sancta Virgine haud multo plura refert, quam quæ sunt a S. Gregorio narrata, tamen quia fortasse nec multis visum, et nonnulla commemorat de aliis Sanctis non injucunda, hic quoque dandum censuimus, sed ad levandum legentium tædium, distributum in capita.*

*Hieron. Dungersheimius.*

B

11 *Plures alii auctores, præsertim recentiores, S. Scholasticam suis scriptis celebrarunt; Joannes Trithemius de illustribus viris Ord. S. Benedicti lib. 3 cap. 4 Antonius Yepes tom. 1 Chronicorum Ord. S. Benedicti; Silvanus Razzius Abbas Ord. Camaldulensis tom. 1 de feminis sanctitate illustribus; Prosper Martinengius tom. 3 ut testis est Wion; Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ; Franciscus Haræus in Vitis SS. Gulielmus Gazæus, Jacobus Dubletius, Heribertus Rosweydus noster, Jacobus Ferragius, denique fere innumerabiles alii.*

*alii que.*

C

## § III. S. Scholastica Religiosa fuerit, an Devota?

ANIMADV. PAP. [illegible]

Numquam mihi dubitare venit in mentem, utrum S. Scholastica monachico habitu, in aliarum convictu sanctimonialium, certis adstricta legibus egerit vitam; an potius privata in domo, modesta quidem, sed communis formæ amictu, instituto quod vel ipsa sibi dictasset, vel vir alii sapiens quispiam animi ejus moderator tulisset; donec qui id velut certis argumentis probaret, omnemque omnibus eximeret scrupulum, Brugis in Flandria editus est liber. Adeo consultum non est, quæ sita ipsa ac male soluta parent, velle excutiendo firmare. Sæpe quod saxis cæmentoque valde compactum credebatur, si firmitatem ejus nimium curiose voles extentare, palea fartum expersque roboris reperies. Quæ passim sanctissimæ illius Virginis extant imagines, ac præcipue piorum omnium atque eruditorum unicum congruens sensus, et fortassis arcanus quispiam instinctus, ita alte eam opinionem in animo meo defixerant, ut tametsi unus aliquis contrarium adstruere voluisset, non facile præceptam excuti D sententiam passus essem. Verum ubi librum vidi de hoc ipsa quæstione conscriptum, quo scilicet ea plane ac firmiter stabiliretur opinio, perlegere eum sedulo aggressus, tum demum nutare, ac hærere cœpi: non ita quidem ut priorem omnino abjecerim sententiam, sed ut proprio quodam motu inclinationeque judicii potius quam ullis rationum momentis coactus, eam vere ac proprie Religiosam fuisse modo existimem.

*Videtur Religiosa fuisse.*

13 *Speraverat fortassis ille scriptor effecturum se, ut nemini circa eam rem deinceps scrupulus aut dubitatio ulla nasceretur. Atque ut illam exornare præclare Spartam posset, arripuit ex nescio cujus incelebris Ecclesiastici dicto stringendi calami occasionem. Nam cum ille de superiori loco, pietati quidem deditas, sed non inclusas religionum claustris, Virgines alloqueretur, (quas vulgus alibi* Spirituales filias, *alibi* Devotas, *hic scriptor, ut minus Latine, ita magis ridicule* Devotarias *appellat) S. Scholasticæ iis imitandas virtutes proposuit; ratus enim Devotam quoque fuisse. Atrox enimvero ea criminatio, et ad quam refellendam, prodire e tesquis suis Paulus Antoniusve oporteat. Mille conviciis Ecclesiam, ac florentes in ea religiosorum hominum familias, et præcipue sacrosanctam Romani Pontificis majestatem, ipsamque adeo Dei Matrem ac cœli Reginam, Divosque ceteros, appetunt hoc tempore scelerati homines; dissimulandum. In Ecclesiæ Sacramenta, relicta nobis a Christo æternæ salutis certissima præsidia, e suggestu, impurissimo ore declamant turpissimi ganeones: tanti ea res non est, ut necesse sit vel verbo eos lacessere. Libellis infamibus, omnique sordidissimorum probrorum genere aspersis, Ecclesiæ Catholicæ ordines omnes proscindunt, Calvini Lutherique de grege scurræ: contemnendum. At si unus aliquis Catholicus orator ad infrequentem concionem, cum virtutum imitanda proponit exempla, dixit fortassis, aut dixisse visus est dormitanti cuipiam, S. Scholasticam Religiosam non fuisse, illico poscuntur tabulæ, arripitur calamus, liber integer conscribitur, invocatis prius solenni forma ad spectaculum tam legitimi congressus,* religiosorum ordinum sanctis Patriarchis Augustino, Benedicto, Dominico, Francisco et Ignatio. *Et hunc quidem, ut certius fiat, duplicem scriptor inconstantiæ et plagii notam incurrit, cum ipsum ait in* monasterio Montis Serrati aliquamdiu habitu laicorum vestitum fuisse, ut eremiticam illic vitam ageret; *sed ab ea* postmodum descivisse, a Patre suo spirituali, vel alio quopiam viro persuasum, qui advertebat illum ad grandiora natum, a Deo paullatim ad digniora trahi: *unde tamen* magnam partem spiritualium suorum exercitiorum et pleraque alia hausisse. *Deflectum reor scriptorem hunc imperitiam suam, si elegantissimas nostrorum aliquot contra hanc fabellam lucubrationes legit. At cum hoc de S. Ignatio ita temere asserat, nonne ansam præbet suspicandi, ne istud quidem de S. Scholastica ab Ecclesiaste illo dictum esse, aut non ita expresse ac diserte dictum?*

*scripto libro id probavit quidam,*

*futili occasione,*

E

*falsa et inepta admiscens,*

F

14 *Verum id illi magis videtur fuisse propositum, ut Deo devotas Virgines, sive, ut maluit dicere,* Devotarias, *perstringeret, quas ideo* Volunteras *appellat, aliisque ineptis modis describit; quam ut S. Scholasticæ honorem defenderet: ideoque vix quinta libri parte hoc prosequitur argumentum; fuse deinde Devotas nunc reprehendit, nunc ridet, nunc instruere videtur velle, ut scilicet discentium ardorem magistri excitet sinceritas; nonnulla tamen vera congerit religiosæ vitæ præconia, quæ alibi, ac præsertim apud Hieronymum Platum nostrum, elegantius multo distinctiusque exposita reperias. Sed hanc de Devotis quæstionem missam nunc facio, quia ad institutum meum non pertinet, pluribus de ea disserere. Solum cujusmodi in Belgio nostro feminæ Devotæ appellentur, verbo indicabo. Plurimæ sunt in cunctis urbibus honestæ Virgines ac viduæ,*

*invehitur in Virgines Devotas*

A *duæ, quæ omni ornatu seculi abdicato, vitam insigni pietate, castitate, abstinentia, humilitate, aliisque virtutibus conspicuam agunt, vel in ædibus parentum, ad eorum solatium, totiusque familiæ exemplum, vel alibi, singulæ binæve, aut ternæ; ne vero ullum pudori creare periculum queat, opera exercent isti sexui consentanea, ut vel sese sustentent, vel habeant quod in inopes effundant, vel ut exornent templa, sacrorumque apparatum instruant: nonnullæ, quod maximas affert utilitates, teneriores adolescentulas litteris ac pietate imbuunt, atque arte aliqua ipsarum conditioni accommodata: ita denique vitam instituunt, ut quibus Virgines laudibus ornat S. Cyprianus aliique Patres, in eas quadrent universæ:* Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.

*laudabiliter viventes,*

S. Cypria. de hab. Virg. cap. 2

15 *Nemo tamen est Catholicorum, qui non longe hisce præferat illarum conditionem, quæ cœnobiis inclusæ sunt, si quidem in iis caritas ac primigenius spiritus ac disciplina vigeat. Earum est enim et status sublimior, et rerum omnium abdicatio suique velut exinanitio perfectior, et obedientia plenior, et securior castitas atque ab omni* B *periculo remotior. Verum innumeræ sunt, quibus etsi constitutum sit immaculatum Deo corpus animumque consecrare, aditus tamen est ad Religionem interclusus; quia facultates desunt, ut dotem aut certam pecuniæ summam, quæ exigitur, conferant: aliis haud satis firma est valetudo: quasdam a se avelli parentes sui non sinunt, negantes posse senectutem suam earum vel auxilio vel solatio carere: nonnullis etsi castitas arrideat, non tamen ea animi est magnitudo, ut omnibus se rebus commodisque velint spoliatas: est quibusdam fortassis et indoles, quæ minus ad plurium convictum ac disciplinam idonea judicetur. Cum interim plena ubique cœnobia sint, ut pluribus annis, multis precibus ambire admissionem necesse sit: multæ vel dum aperiuntur Religionis ineundæ opportunitatem, vel ejus capessendæ spe ac cogitatione penitus omissa, in seculo vacant sanctimoniæ, et vel religiosorum virorum consiliis vitam instituunt, vel Parochorum suorum gubernantur auctoritate. Neque potest quisquam, nisi Joviniani Vigilantiive aut Calvini gregalis, ejusmodi vitæ institutum damnare. Ut eo magis mirer virum gravem et pium videri voluisse similem vitæ agendæ rationem sugillare, risuique exponere. Probavit eam libroque edito celebravit vir eruditissimus ac sanctissimus Leonardus Lessius noster; ac laudabilem esse* C *et meritoriam ostendit sacrarum Scripturarum auctoritate, sanctorum Patrum testimoniis, variis rationum momentis, commodis quæ ille status affert, multisque ejus meritis; vere enim Statum dici oportere, si sit voto firmatus: demum nonnulla præscripsit istiusmodi Virginibus observanda circa habitum, victum, precationes, sacram lectionem, opus manuum, usum divitiarum, conversationem, aliaque exercitia: votum vero obedientiæ ut Confessario fiat, quoniam nihil de eo sit a sanctis Patribus traditum, et multa afferre incommoda potest, omnino non probat. Scripsit de eodem argumento tractatum lingua Belgica Heribertus Rosweydus, et ipse vir solidæ eruditionis ac pietatis. Scripsit eadem lingua Valentius Bischopius,* Instructionem Virginum Deo dicatarum ad vitam cum pietate instituendam. *Scripsere et alii simili argumento libros plures.*

*quarum status inferior Religioso,*

*tamen a viris sapientibus commendatus,*

16 *Sed hæc de* Devotis *quæ appellantur, hactenus dicta sufficiant. In harum classe quamobrem non fuerit Scholastica, multas Scriptor ille rationes congerit: quas brevius ex eo collegit et modestius proposuit Benedictus Haeftenus ad cap. 33 Vitæ S. Benedicti; nos præcipuas strictim attingemus. Prima est, constans totius Ordinis traditio, quam summa cum reverentia suscipimus et amplectimur. Accedit multorum Scriptorum quos Haeftenus enumerat, auctoritas: quamquam in iis est* D *nemo, qui ante ducentos annos vixerit; sed est fortassis aliquanto antiquior qui Vitam, quam ex codice Bodecensi dabimus, concinnavit. Mirum sane videri potest, id a Leone Ostiensi, ac Petro Diacono diserte nusquam traditum, qui alia monasterii sui ordinisque decora satis accurate commemorant. Tertia est, non videri vel Benedictum, qui quos poterat, omnes ad religiosam vitam pertrahebat, non eam persuasurum sorori; vel hanc fraternis consiliis non obtemperaturam; cum præsertim S. Gregorius testetur* unam semper in Deo mentem eorum fuisse. *At non esset fortassis difficile, exempla proferre amicorum ac fratrum, qui in diversissimo vitæ instituto, summa invicem devincti fuere caritate.*

*id autem confirmat, Traditione*

*2 auctoritate.*

AUCTORE J. B.

*3 consensu cum fratre:*

17 *Quarta ratio est, quod omnipotenti* Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata *fuerit, ut idem S. Gregorius auctor est. Haeftenus ita expressit:* Quia ab infantia certis cæremoniis, ut fieri solet, et ex Regulæ cap. 59 constat, in monasterio Deo dicata fuit. . . . monasterium autem illud traditur fuisse S. Mariæ de Plumbariola. *Ergo, si quod ipsi volunt Scholastica Benedicto ætate suppar fuit, aut uno etiam partu ambo editi, longe id cœnobium Casinensi antiquius fuit, cum in eo ab infantia dicata Deo sit Scholastica. Si alibi id factum in cœnobio Episcopi cujuspiam Abbatisve jurisdictioni subjecto, (quale eodem tempore a* E *S. Cæsario erectum ordinatumque ad S. Cæsariæ Vitam* XII *Januarii ostendimus, aliud sub S. Equitio regimine fuisse S. Gregorius lib. 1 Dial. cap. 4 et Baronius ad an. 504 num. 12 testantur) qui potuit illa alio migrare susceptamque regulam deserere? Si quis certis cæremoniis consecratam fuisse Scholasticam neget, at solo animi proposito, ac fortassis veste modesta ac sanctimoniæ subserviente assumpta, seipsam Divino cultui mancipasse, in suis aut parentum ædibus contendat, quonam pacto revincetur? Fatetur enim alter ille auctor, dici posse dedicationem illam tantum inchoatam in infantia, perfectam deinde benedictione Sacerdotis cum ipsa jam quindecim esset annorum. At non satis probat, publicam illam adhibitam dedicationem fuisse; aut ut publica fuisset, etiam recisa coma, ac velo imposito, continuo monacham esse factam. Monacha non erat nobilissima illa Victoria, de qua* XI *Februarii in SS. Saturnini, Dativi, et sociorum Actis dicetur, et tamen in ecclesia consecrati* Deo dicatique capitis in perpetuam virginitatem, sacratissimum crinem inconcusso pudore servavit.

*4 dedicatione ab infantia,*

*at non necessario in claustro:*

18 *Quinta ratio est, quod S. Gregorius* sanctimonialem feminam *appellet, quæ vox præcipue pro monacha, sive religiosa usurpatur. Confirmat id multis auctoritatibus: recte. Nam, ut vox* Religiosi *eum significat, recepto nunc usu loquendi, qui asceticam vitam in aliquo piorum hominum cœtu, votis nuncupatis, profitetur;* F *ita* sanctimoniales *usitatius appellantur, quæ in religiosis domibus, votis adstrictæ, peculiari studio sanctimoniæ student: licet, ut* religiosus vir, religiosa femina, religiosi conjuges *dicuntur, qui vitæ integritate eximii sunt, etsi in mediis seculi turbis vitam agant; ita* sanctimoniales feminæ *aut Virgines dici possint, quæ sanctimoniæ singularem dant operam, præsertim si id extrinsecus aliquo indicio profiteantur, etsi nullis illigatæ monasterii vinculis sint. Ita in citatis jam Actis* XI *Februarii* Apprehenduntur Saturninus Presbyter, cum filiis quatuor, id est, Saturnino juniore et Felice Lectoribus, Maria sanctimoniali, Hilarione infante. *Nisi quis forte jam tunc fuisse in Africa Virginum monasteria velit, cum adhuc multo post tempore notum in Occidente non fuerit monachi nomen. Verum nimium rursus in hoc argumento Auctor triumphat, dum non contentus latina voce, et quæ per ἀφαίρεσιν inde efformatur monialis; Græcam S. Zachariæ Pontificis interpretationem, parum sibi patrocinantem, adsciscit. Nam licet quod S. Gregorius habet lib. 1 Dial. cap. 4* sanctimonialis illa, *vertat Zacharias ἡ θεία μονάστρια, ubi clarum est de Virgine intra monasterium degente*

*5 quia sanctimonialis appellata,*

*uti etiam non Religiosæ*

A *gente esse sermonem; Scholasticam tamen, quam itidem* sanctimonialem fœminam *Gregorius, ipse* ἱερωτάτην καὶ τιμίαν παρθένον, sacratissimam et venerabilem Virginem *vocat; at mox* ἁγιωτάτην παρθένον, sanctissimam Virginem; *deinde* ἁγιωτάτην θήλειαν sanctissimam fœminam. *An propterea* μοναστρίας monachæ *vocabulo non est hic, aut alibi, usus, quod monasticam duxisse vitam sciret?*

AUCTORE J. B.

19 *Sexta ratio vim habet apud me aliquanto majorem, quod Scholastica dicatur postridie* ad cellam propriam recessisse. *Nam in eodem libro S. Gregorius aliquoties* cellam *pro monasterio ponit. Certum tamen est alia significatione usurpatum sæpenumero etiam ab Ethnicis, pro ædicula, secretove habitaculo. De monachorum cellis erudite disserit Alardus Gazæus in commentar. ad Cassiani lib. de Institutis cœnobiorum cap. 37. Qui Scholasticam diceret cellam aliquam ecclesiæ vicinam, ut fere quæ sunt, postmodum* Inclusæ *appellatæ, aut aliquam vel in paterna possessione, vel alio quopiam amœno loco, domunculam cum ancillula fortassis, incoluisse, is ut neque antiqui scriptoris testimonio tueri assertionem suam posset, ita neque S. Gregorii verbis confutari. D. Silvanus Razzius Camaldulensis tom. 1 de Vitis fœminarum sanctitate illustrium scribit Scholasticam ab* B *illo cum fratre congressu domum esse reversam.*

6 quia in cella habitavit,

20 *Aliud argumentum promit Auctor in Præfatione ad lectorem velut in antecessum, quamobrem, non oporteat quemquam ex Ordinibus mendicantibus inficiari S. Scholasticam fuisse instituti Benedictini, quoniam ab hac familia plurima in singulos illos ordines profecta beneficia sint. Agnoscimus vero et prædicamus, Societatem nostram a multis sanctissimi ordinis vestri Archimandritis et in ipso suo ortu paterna benevolentia adjutam, ac plurimis deinceps maximisque beneficiis cumulatam, et cumulari in dies. At nemo, opinor, illorum eas a nobis exigit vices, ut si quid existimemus falsum esse, id tamen in honorem ordinis affirmemus ac defendamus. Illustrior est ordo, quam ut fictis ullis egeat laudibus; sincerior, quam ut genus ullum ornamenti præferat veritati. Sanctissimos viros Romanum et Lupicinum alibi ostendemus Benedictinos non fuisse: neque ideo nobis quisquam succensebit, si doceamus longe Benedicto fuisse antiquiores. Brigidam celeberrimam Virginem 1 Februarii temere Benedictinis adscribi a quibusdam ostendimus, cum mortua sit eo tempore, quo necdum in Galliam, nedum ad ultimos hominum Scotos ea institutio penetrasset. Nemo ideo nobis merito irascetur. Secus de Scholastica sentimus, at non omnino istius Auctoris convicti rationi*C*bus. Ex fraterna Regula sive cum paucis in cella, sive cum pluribus in ampliore conventu vitam instituisse arbitramur: nam antequam frater præficeretur virorum cœnobiis ac Regulam conderet, ipsa privatim, ea ratione quam nunc Devotæ, vixerit, an in alterius instituti cœnobio, non liquet. Neque alius e nostris, quem quidem legerim, aliter scripsit. Ecclesiasten illum, de quo supra, arbitror vel nunquam pronuntiasse contrarium, vel non ita ut tueri id obstinate voluerit. Præter Stephanum Ranctium, et Hieronymum Platum, quos supra Haeftenus retulit, alii de nostris idem tradidere: nuper quidem Franciscus Lahier, in Magno Menologio Virginum, quod Gallice edidit: et multo ante sanctissimus vir Petrus Canisius, qui in priore Martyrologii Germanici editione ita scripsit:* In Castro Cassino sanctæ Virginis Scholasticæ, sororis S. Benedicti Abbatis, quæ Deo a prima ætate in monasterio, magna sanctitate servivit. Ejus animam columbæ specie in cœlum euntem vidit ipsius frater Benedictus, ut S. Gregorius scribit. *In altera vero editione ita ejus natalem celebravit:* In castro Cassino S. Scholasticæ Virginis, sororis S. Benedicti Abbatis, quæ Deo a prima ætate famulata est, in terrenorum contemptu voluptatum, vigiliis, jejuniis, orationibus monasticum suum statum, magna vitæ sanctimonia, condecorabat. Animam illius columbæ specie, in cœlum evolantem vi- D dit S. Benedictus ipsius frater, ut scribit S. Gregorius. *Præter antea citatos, Jacobus Ferragius, Theologiæ Doctor, ac Reginæ Christianissimæ Ecclesiastes secularis, in Gallica S. Scholasticæ Vita docte et modeste probat eam vere religiosam fuisse et Abbatissam, ac sub sanctissimi sui fratris Regula.*

contrarium (etsi citra offensam Benedictinorum tenuisset)

nemo e Soc. Jesu scripsit.

## § IV. *An S. Scholasticæ juxta Casinum habitarit?*

21 *His de vitæ genere quod Scholastica secuta sit, ita constitutis, nunc ubi illius domicilium (sive cellam aut monasterium malis appellare) situm fuerit, quærendum. Auctor ille libelli supra citati nihil dubitat, prope a S. Benedicti cœnobio abfuisse, Wionis, Yepesii, aliorumque recentiorum auctoritatem secutus:* situm illud ex parte meridiana monasterii Casinensis, nonnihil versus Occidentem, et fuisse vitæ valde austeræ et plenum odore sanctitatis, *dictum* S. Mariæ de Plumbariola. *Ita scribit cap. 3. at cap. 4 ait, ad finem propositum* (ut *nimirum inter Virgines novus ordo propagaretur*) necesse fuisse, ut hæc cum illis minime remote a fratre suo habitaret. Quomodo enim nova vivendi disciplina, et regulæ observantia, in longe E dissitum monasterium recte diffundi potuisset, cum ad novam institutionem formandam sit opus frequenti præsentia magistri, et cohortationibus ad animos audientium in inchoato studio confirmandos? *Itaque quod monacha fuerit Scholastica, inde consequi putat, fraterno cœnobio vicinam illius habitationem fuisse. At quinto capite conversa argumentatione, cum prope monasterium fratris habitarit, colligit ejus quoque sectatam institutum fuisse; quasi non potuerit vel longo inde intervallo semota, illius tamen Regulam una cum aliis Virginibus observare, vel in propinquo aliquo vico, cellave, ex ejusdem præscripto vitam instituere, nullis adstricta monasticis votis. Sanctane Florentina juxta fratrem suum Leandrum, a quo Regulam acceperat, vixit? An sua apud S. Antonium germana? An quæ in castro Lætiensi a sanctissimi fratris sui Ludovici pendens institutione habitavit Francisca Blosia, ea ideo Religiosa fuit, et non potius devota, si sic lubet appellare? Non igitur Religiosa non fuit Scholastica, etsi longius a Casino habitarit.*

juxta Casinum habitasse quidam aiunt,

1 institutionis gratia,

22 *Propinquam habitationem alio confirmat argumento; exemplo nimirum S. Pachomii: sed qui probat hujus potius placuisse Benedicto exemplum, quam tot aliorum qui germanas suas sanctimoniæ studiosas, non* F *induxerunt tamen ut in propinquo loco degerent? Ipsum denique Scholasticæ cœnobium a S. Gregorio quasi intento digito demonstrari lib. 2 Dial. cap. 19 existimat, ubi ita scribit:* Non longe autem a monasterio vicus erat, in quo minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu Benedicti fuerat exhortatione conversa. Ibi quoque quædam sanctimoniales fœminæ inerant, et crebro illuc pro exhortandis animabus Fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam vero die misit ex more: sed is qui missus fuerat monachus, post admonitionem factam, a sanctimonialibus fœminis rogatus, mappulas accepit. *Isthic de vero agi monasterio nec ipse dubitat auctor, nec ipsum secutus Haftenus. Et favet Zachariæ Papæ interpretatio, quæ ita habet:* Περὶ τοῦ λαβόντος παρὰ μοναστρίας ἐγχείρια, καὶ ὑπὸ τοῦ ἁγίου ἐλεγχθέντος. De eo qui accepit a monacha mappulas, et a Sancto reprehensus est. *Et post:* ἐν αὐτῷ τοίνυν τῷ ἐμπορίῳ ἀσκητήριον ἐτύγχανεν εὐλαβῶν τε καὶ σεμνῶν παρθένων. In ipso vero emporio asceterium erat piarum et venerabilium Virginum. *Censet autem vixisse omnino in hoc cœnobio Scholasticam: cum enim ante S. Benedicti in eas oras adventum isthic vigeret idolorum cultus, non est verisimile isthic Virginum cœnobium fuisse: si a S. Benedicto*

2 exemplo sororis S. Pachomii 1,

3 quia fuit isthic Virginum cœnobium,

A *dicto ædificatum, ipso re permittente, cui jam montis illius possessionem donaverat Tertullus; ergo id Scholasticæ potius quam alteri cuiquam incolendum dedit. Ait autem cap. 7 et alibi, illud Scholasticæ cœnobium in ipso Casino monte fuisse. Verum neque in Casino monte arbitror vicum illum asceteriumque fuisse, neque in hoc satis probari Scholasticam habitasse.*

*post reædificatum,*

23 *Sicut autem S. Benedicti, quod Longobardi sub Zottone Principe everterant, reedificatum longo post tempore cœnobium est,* tandem etiam, *inquit,* monasterium S. Scholasticæ restauratum fuit. *Nam cum Rachis Rex, Zachariæ Papæ adhortatione conversus, nuntium seculo remisisset, unaque uxor et filia; missus ille est ad monasterium Casinense, illæ vero restauraverunt monasterium Plumbariolæ. Ita scribit cap. 3. uti et Haeftenus. Demum propinquam fuisse Scholasticæ habitationem colligit, quia Benedictus* ejus obitum Fratribus denuntiavit, quos etiam protinus misit ut ejus corpus ad monasterium deferrent. *Vult enim toti Conventui indicatam mortem, eumdemque totum Conventum missum ut ejus corpus ad Casinense Cœnobium deferret, non curru aut navi impositum inquit,* sed processionaliter incedendo, ut solent defunctorum corpora ad sepulchrum, Clero comitante et aliis, deferri. *Unde clare deduci*

*Plumbariola dictum.*

*4 quia corpus ejus delatum Casinum,*

B *existimat, plane vicinam habitasse. Sed de totius conventus missione, modoque devectionis, non satis probat.*

24 *Et vero si tam propinquo in loco domicilium Scholastica habebat, quid ita solenniter ad fratrem quotannis veniebat, ea solum caussa ut de rebus Divinis colloquerentur, medio inter utrumque cœnobium intervallo? Præsertim si ad illud sororis monasterium non solum Discipulos suos mittebat ex more, sed ipsemet, ut ait idem Auctor cap. 5, isthuc itabat, et sanctimonialibus* consilia ac cetera salutis adjumenta subministrabat? *Quis cum audit Virginem* semel per annum venire *ad fratrem consuevisse, non tamen ad ipsam usque cœnobii januam, sed in villa aliqua excipi, non continuo eam a* x *aut* xii *leucis, aut sex octove minimum, advenisse suspicatur? Neque illud Plumbariolæ monasterium, a Thesia Rachisii conjuge restauratum, sed extructum, scribit Leo Ostiensis lib.* 1 *Chron. Casin. cap.* 8. His quoque diebus, *inquit,* Rachis Longobardorum Rex ad obsidendam Perusinam urbem magno cum exercitu profectus est. Quam cum expugnaret undique, idem Papa Zacharias illum adiit, precibusque ac monitis et donis plurimis ut ad sua rediret persuasit. Ejus Rex ille monita retinens, non multo post Divino afflatus Spiritu, cum jam annos quinque et menses

*At semel solum quotannis fratrem visebat,*

*ergo e longinquo:*

*Plumbariola ædificata a Thesia Regina,*

C sex regnasset, Romam cum conjuge ac filia, ab B. Petri Apostolorum Principis limina, devotus accessit. Ubi relicta dignitate regia, ab ipso Sedis Apostolicæ Præsule sancto Zacharia, attonsa coma, Clericus factus, monastico etiam habitu, una cum uxore ac filia indutus est: moxque ad hoc S. Benedicti monasterium, eodem Apostolico jubente, perveniens, ac sub regulari magisterio se instituendum tradens, post aliquot in sancto religionis proposito, ac Deo placita conversatione, peractos annos, Deo spiritum reddidit. Extatque hodie prope monasterium vinea, quæ Rachisi appellatur, quod ipsam Rachis ipse et plantasse et coluisse putetur. Ejus vero uxor Thesia, et filia Rattruda, permittente et adjuvante ipso Abbate, monasterium puellarum, haud longe a Casino, in loco qui Plumbariola dicitur, propriis sumptibus CONSTRUXERUNT; multisque ditantes opibus, ibi sub magna cautela ac districtione regulari vitam ducentes, in sancto proposito vitam finierunt. *Narrat hæc Baronius ex Anastasio et Leone ad an.* 750. *Antoninus Yepes tom.* 1 *Chron. Benedict. ad an.* 532 *cap.* 4 *scribit inter cœnobium illud et Casinense intervallum fuisse quatuor millium passuum. Silvanus Razzius loco nomen fuisse ait* Pumaruola, *ibique adhuc eversæ ecclesiæ cerni vestigia. Ferrario* Pumarola *est. Marcus Ant.*

*quam reædificatam aiunt recentiores quidam,*

*Scipio in Præfat. ad Elogia Casinensium Abbatum cap.* D 3 *Thesiam et Rathrudam scribit* separatim proximo monti cœnobio inter sanctimoniales degisse. *Et postea de Petronace Casinensis cœnobii restauratore loquens, ista habet:* Nam Thesiam ejusdem Rachisii uxorem, et Ratrudam filiam, ad montis radices cum aliis sanctimonialibus peculiari cœnobio inclusas, ad pietatem instituens, earum profectum et constantiam similibus religiosæ humilitatis ac patientiæ tentamentis exploravit. *Annotat vero ista in libri margine:* Ad Plumbariolam oppidum, ubi olim S. Scholastica vitam egit monasticam, atque obiit.

AUCTORE J. B.

25 *Horum Scriptorum testimonio patet, eam nunc quidem vigere apud Casinates famam: quam tamen ex vero ortam haud facile inducimur ut credamus, tum ob rationes in contrarium allatas, tum quia Leo Ostiensis, qui diligentissime Casinensis cœnobii antiquitates collegit, ejus tamen non meminit cum de Plumbariolæ fundatione agit; neque Petrus Diaconus in libro de ortu et vita Justorum sacri cœnobii Casinensis, ubi Rachisii conversionem ita narrat num.* 23. Rachis Rex Longobardorum cum uxore et filia Casinum adveniens, deposito diademate et purpura, una cum filiis suis monachus factus est. Extat usque in hodiernum diem vinea satis monasterio vicina, quam idem Rex plan-

*at non veteres,*

E tavit, quæ usque nunc ex nomine ejus appellatur. Uxor vero ejus et filia de propriis sumptibus monasterium in Plumbariola CONSTRUENTES, et sub stricta satis vita ibidem diem clauserunt extremum. *An si suo tempore Casini fama viguisset, fuisse eodem loco quondam S. Scholasticæ cœnobium, id dissimulasset Petrus? Certe lib.* 4 *Chron. Casin. cap.* 101 (*aut, ut habet editio Matthæi Laureti,* 100, *non, ut noster Auctor et Haftenus,* 10) *loci, ubi cum S. Benedicto colloqui olim S. Scholastica solebat, sic meminit:* At Fratres, qui missi fuerant ad Cancellarium, cum ad eum locum pervenisset, ubi Pater Benedictus semel per annum cum sorore sua loqui consueverat *etc. An illud, quod majoris erat momenti siluisset Petrus, si Plumbariolæ prius monasterium extitisse, quam ea Thesia Regina strueret, idque a Scholastica inhabitatum, fama tenuisset? In illo porro piorum colloquiorum loco, ut ex Simone Milletio Auctor tradit, visitur nunc sacellum, quod eleganti opere a Chrysostomo Abbate* xcviii *ante annos* c *fuisse inchoatum, at non absolutum, Silvanus Razzius testatur.*

*qui locum colloquii signarunt.*

26 *Quærenda, igitur alibi nobis S. Scholasticæ habitatio, longius a Casino. Commonstrat eam, certius fortassis, Thomas Stapletonus Promptuar. moralis part.*

F *hiem. in Dominicam Paschæ textu* 1 S. Benedictus S. Scholasticam sororem habuit, non secus multarum Virginum Matrem, quam ille monachorum Pater fuit; hodieque ejus amplissimum monasterium extat, non longe ab illa spelunca, in qua per triennium S. Benedictus latuit, sicuti oculis nostris olim perspeximus. *Specum illam S. Benedicti pulcherrime ex relatione oculatorum testium describit Benedictus Haeftenus comment. in cap.* 1 *Vitæ S. Benedicti. Certe ut in illo tractu Sublacensi duodecim monasteria instituisse S. Benedictus antequam Casinum veniret, inque singulis duodenos collocasse monachos traditur; ita verisimile videri potest Scholasticam quoque, si monasticam vitam fraterno exemplo complexa est, circa ea loca monasterium vel sibi condidisse, vel ab eo aliove erectum incoluisse: neque perinde ut Benedicto, alio migrandi ei objici necessitas videtur potuisse. Inde ergo Casinum quotannis venerit, conveniendi fratris gratia.*

*Videtur potius circa Sublacum habitasse:*

27 *Hæc pluribus fortasse verbis quam necesse fuit, disputata a nobis, non tam ut receptam convellamus opinionem, si idonea probetur antiqui scriptoris testimonio, quam ut quæ Auctor ille in suo illo scripto, velut certissima profert argumenta, ostendamus parum firma esse ac solida, ut de ceteris, quæ in Devotas congerit, fieri*

*an in aliarum convictu, incertum.*

*judicium*

A *ipse Paulus Diaconus, capitalis Gallorum hostis, ac deinde monachus Casinensis circa an.* DCCLXXXVIII *factus, ita subscribit lib. 6 de gestis Longobardorum cap. 2* Circa hæc tempora (*Romoaldi Beneventani Principis, filii Grimoaldi Regis*) cum in castro Cassino, ubi beatissimi Benedicti sacrum corpus requiescebat, aliquantis jam elapsis annis vasta solitudo existeret, venientes de Cenomannicorum vel Aurelianensium regione Franci, dum apud venerabile corpus pernoctare se simulassent, ejusdem venerabilis Patris, pariterque ejus germanæ venerandæ Scholasticæ ossa auferentes, in suam patriam asportaverunt. Ubi singulatim duo monasteria in utriusque honorem, B. Benedicti et S. Scholasticæ constructa sunt. Sed certum est nobis, os illud venerabile, et omni nectare suavius, et oculos semper cœlestia contuentes, cetera quoque membra, quamvis in cinerem defluxa, remansisse. Solum etenim singulariter Dominicum corpus non vidit corruptionem. Ceterum omnium Sanctorum corpora, in æternam postea gloriam reparanda, corruptioni subjecta sunt; his exceptis, quæ ob Divina miracula sine labe servantur. *Hactenus Paulus, qui ejusdem libri cap. 40 illas S. Benedicti exuvias, quæ in Casino remanserant, non dubi-* B *tat corpus B. Benedicti appellare.* Circa hæc tempora, *inquit*, Petronax civis Brixianæ urbis, Divino amore compunctus, Romam venit, hortatuque tunc Gregorii Apostolicæ Sedis Papæ Cassinum castrum petiit, atque ad sacrum corpus beati Patris Benedicti perveniens, ibi cum aliquibus simplicibus viris, jam ante residentibus, habitare cœpit.

*eamdem olim asserere, Paulus Diac. fassus cineres mansisse;*

*Regino*

34 *Eamdem Translationem astruit Regino Prumiensis in Belgio monachus, qui anno* CMVI *vivebat, lib. 1 Chronic. ita scribens :* Circa hæc tempora (*Childerici II*) cum in castro Cassino vasta solitudo existeret, venientes de Cenomanicorum vel Aurelianensium regione Franci, venerabilis Patris Benedicti, ejusque germanæ Scholasticæ corpora auferunt, in suam patriam asportant. Corpus S. Benedicti in territorio Aurelianensium, in monasterio quod vocatur Floriacus, sepultum est. Porro S. Scholasticæ in partibus Cenomanensium, Religiosorum devotione, conditum. *Medius inter Pauli Warnefridi ac Regmonis ætatem vixit in eodem, quo hic, Prumiensi monasterio, scripsitque circiter annum Christi* DCCCXLII *metricum Martyrologium Wandelbertus, in quo ad V Id. Julias ista habet :*

*Wandelbertus,*

Martyrio quintum sancit Januarius, atque
C Consimili decorat Pelagia sancta nitore.
Tum Beneventanis translata a montibus almi
Busta Patris Benedicti nunc Liger altus honorat.

*Usuardus,*

*Suppar Wandelberto fuit Usuardus monachus, qui in suo Martyrologio ad eumdem diem ita scribit :* Translatio S. Benedicti Abbatis.

*S. Ado,*

35 *Verum ea solum delibemus e Martyrologiis, quæ S. Scholasticæ propria sunt. Eodem fere tempore, quo Usuardus ac Wandelbertus, vixit S. Ado Viennensis in Gallia Episcopus : is in suo Martyrologio ad V Id. Julii ista habet :* Translatio S. Benedicti Abbatis. Postquam enim (sicut ipse vivens prædixerat) monasterium ejus a gentibus est vastatum, Domino revelante inventum est corpus ejus, et in Gallias translatum, atque in territorio Aurelianensi, monasterio quod vocatur Floriacum, condigne sepultum. Translatum est pariter etiam corpus B. Scholasticæ Virginis sororis ejus, atque in partibus Cenomanensium, Religiosorum devotione, conditum. *Eadem fere habet Beda vulgatus, et prima editio Molani. Addit Ado per Rosweydum editus, et MS. S. Lamberti Leodii, Bedæ præferens nomen :* Cujus animam idem vir Dei e corpore egressam vidit in columbæ specie cœli secreta penetrare, corpusque ejus secum in uno jussit poni sepulchro, ut quorum mens una sem- per in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepul- D tura separaret. *Eadem fere habet B. Notkerus, qui traditur anno* DCCCCXII *obiisse, atque ista subjungit :* Sed væ miserorum meritis, per quos separationem passa sunt, quæ dispositione sancti spiritus conjungi meruerunt. Sed non diu locus ille Sanctorum reliquiis honorabilis, a fidelium conventu mansit immunis: nam Fratres, qui hostium manus evadere potuerunt, iterato in unum conglobati, et aliis ad vicem dispersorum adhibitis multiplicati, sacros cineres, seipsos jam cautius agentes, satis religiose curarunt : donec nuper infestatione Saracenorum in omnem ventum dispersi sunt. *Ita ille. Facta illa monachorum secunda dispersio anno* DCCCLXXXIV, *quando S. Bertharius Abbas martyrio coronatus est.*

*B. V. Beda,*

*et Notkerus.*

36 *Eamdem Translationem confirmat auctor anonymus Vitæ S. Deicoli* XVIII *Januarii, qui Othonum temporibus, eodem decimo Christiano seculo, vixit. Is cap. 1. num. 3 ita scribit :* Enimvero Dominicæ Crucis speciale Capitolium, Aurelianis civitas Augustalis, de pignorum custodia beatorum Patrum Aniani atque Evurtii lepidum caput supra vicinas urbes extollere visitur. Nunc lætius omnibus memoriæ occurrit, quod in parœchia supradictæ urbis locus nobilissimus Floriacus, et situ ipso æque vene- E randus, in ipso modo mundi vespere, est mira Omnipotentis dignatione inæstimabiliter fultus. Nuper namque jussu Divino, atque ammonitu Angelico, felix cœlestem promeruit thesaurum, id est, beatissimum Patrem atque monarcham Benedictum, qui benedictus sit in cœlo et in terra, simulque sororem ejus sanctam Scholasticam.

*Auctor Vitæ S. Deicoli,*

37 *Sed ad Martyrologia redeamus. Vida SS. et multa MSS. Usuardi nomine insignita :* Translatio S. Benedicti Abbatis, et S. Scholasticæ sororis ejus. *Bellinus de Padua edit. Parisien.* Item Translatio S. Scholasticæ Virg. *MS monasterii Centulensis perantiquum sub Bedæ nomine :* In Galliis cœnobio Floriaco adventus et translatio sanctissimi Patris nostri Benedicti Abbatis, simulque B. Scholasticæ Virginis sororis ejus. *Martyrol. Coloniæ editum an.* MCCCCXC. In Floriaco monasterio territorii Aurelianensis, translatio sanctorum corporum Benedicti Abbatis, et sororis ejus Scholasticæ Virginis de Italia ad Galliam. *Eamdem denique S. Scholasticæ translationem consignant Hermannus Greven in auctario ad Usuard. Maurolycus, Canisius qui addit, ubi et Menardus, Divina revelatione repertum in Casino monte corpus utriusque; Andreas Saussaius* X *Febr. et* XI *Ju-* F *lii, MS. S. Gudilæ Bruxellis* X *Februarii. MS. Florarium ita habet :* Translatio B. Benedicti Abbatis, Confessoris. Item et S. Scholasticæ sororis ejus an. salutis DCCLV. Nam cum apud montem Casinum, ubi sacrum corpus Benedicti jacebat et requiescebat, vasta solitudo esset; quidam e Gallia venientes, ejus et Scholasticæ germanæ suæ corpora in Galliam secrete detulerunt : et corpus B. Benedicti ad Floriacense cœnobium, in Aurelianensi diœcesi et territorio situm, posuerunt, corpus vero sororis ejus Scholasticæ Cenomannis. Hoc Galli dicunt, sed Italici contra dicunt, quod adhuc sit in Casino monte. Maneat pietas, et revelabitur veritas. *Wion scribit partem tantum corporis Sancti utriusque translatam, uti nimirum supra Paulus Diaconus. Petrus de Natalib. lib. 6 cap. 81 Translationis historiam fuse narrat.*

*plurima Martyrologia.*

## § VI. *An relatum in Italiam corpus S. Scholasticæ?*

*Cum de ipsa Translatione nefas nobis esse existimemus certi quidquam in alterutram partem pronuntiare, uti sa qu*ıque *faciemus miracula, quæ vel ad utrumque simul adhuc conditum corpus patrata narrantur, vel seorsim ad*

*AUCTORE J. B.*

*Ad S. Scholasticæ corpus mortua suscitata in Gallia.*

A *ad S. Scholasticæ, cujus attactu exanimem puellam revixisse testatur Adrevaldus Floriacensis in histor. Transl. cap. 8. Ubi Cenomanos deinde solenni pompa deportata esse sacra pignora commemorat. Quod ita refertur quoque in vita S. Berarii Episcopi Cenomanensis, quam* XVII *Octob. dabimus :* Remota igitur omni dubitatione cui pro sanctis discernendis corporibus animus eorum diu inhaeserat; plebs Cenomanica corpus S. Scholasticæ venerabiliter levatum, scapulis propriis imposuit, et cum ingenti gaudio ad Dominum Berarium, suæ civitatis Episcopum, iter vertit; ducem hujus negotii habentes quemdam Dei famulum, qui, alio sibi adjuncto venerabili socio, Romam atque Beneventum, ad hoc opus explendum, a prædicto Domino Berario directus fuerat; sed altero in itinere defuncto, superstes Domino miserante hoc negotium perfecturus existens, opus cœptum devotissime procurabat.

*devectum ad Cenomanos.*

39 Tandem igitur, Domini misericordia præeunte ac sequente ac concomitante, ad Cenomanicam urbem, fama eorum adventus jam per totam eamdem provinciam divulgata, gradatim propinquavere. Quibus Dominus Berarius venerabilis Pontifex, una cum revestitis Sacerdotibus, et omnium graduum Clericis B cum crucibus ac thuribulis atque candelabris, cum omnibus Ecclesiasticis vexillis, nec non cum innumera utriusque sexus et ætatum multitudine, personans celebrem concentum, devotissime occurrit, et sacratissimum S. Scholasticæ pignus venerabiliter suscepit. Qui civitatem ingrediens, ad monasterium, quod ad hoc (ut diximus) opus, inter murum civitatis et fluvium Sarthæ nobiliter atque decenter ab imis fundaverat, cum Litaniis, hymnis et psalmis, diversisque Divinis concentibus, cum summa veneratione devexit : itaque in ecclesiam, quam in honore S. Petri jam dedicaverat, decenter et solenniter post altare collocavit, ordinatisque quæ erant necessaria fœminis Deo sacratis vitamque regularem ducentibus, infra breve spatium temporis, plurimas nobilium non minus quam et fœminarum, in eodem monasterio Domino famulatui ac militiæ regulari aggregavit, quæ se, relicto seculo, Domini jugo, ejusque magisterio, humiliter manciparunt. Sed ipsum monasterium de rebus sui episcopatus, et de suis propriis, sive de aliis, quascumque attrahere vel acquirere manus ejus potuit, nobiliter ditavit : ipsumque cum omnibus ad se pertinentibus suæ Sedi et Matri Ecclesiæ, cui præsidebat, subjectum in perpetuum C fore censuit, et suis successoribus, vel Matris Ecclesiæ Sacerdotibus, atque reliquis Canonicis, perpetualiter possidendum reliquit. Quod hactenus meriti beatissimæ Scholasticæ promerentibus, innumeris miraculorum virtutibus declaratur, præstante sancta et individua Trinitate, cui sit semper honor et gloria nunc et semper, et per infinita secula seculorum, Amen. *Eadem aliquanto brevius commemorat Matthæus Westmonasteriensis ad annum* 681.

*a S. Berario Ep. exceptum,*

*in monasterio ad hoc ædificato depositum.*

*An pars reportata Casinum?*

*Reportationis memoria consignata a Wion 4 Dec.*

40 *An quando Carolomannus Pipini Regis frater, et cum eo antea Dux Francorum, tunc monachus Casinensis, narratur in Galliam venisse repetitum S. Benedicti corpus, et non illud quidem, sed aliquas tamen ejus reliquias obtinuisse a Floriacensibus, etiam S. Scholasticæ a Cenomanis pignus aliquod impetrarit, haud memini a vetere auctore traditum legere. Arnoldus Wion cum legisset* IV *die Decembris celebrari festum* Relationis, *sive* Reditus S. Benedicti, *scripsit eo die corpus ejus ac sororis Casinum e Gallia reportatum.* In monte Cassino, *inquit,* Relatio S. P. N. Benedicti et S. Scholasticæ Virginis sororis ejus, ex cœnobio Floriacensi in Gallis, ad suum monasterium. *Citat Maurolycum et Molanum. Hic ita habet :* Apud Floriacum monasterium Translatio S. Benedicti Abbatis. *Maurolycus :* Item Translatio S. Benedicti Abbatis. *At nihil de relatione ad montem Casinum. Sed notari* D *eam ait* in Calendariis monasterii S. Georgii majoris Venetiarum, his verbis : Translatio corporum S. P. N. Benedicti et sororis ejus Scholasticæ ex Gallia ad montem Casinum. *Quam antiqua sint hæc Kalendaria, a quo concinnata, quantam obtineant auctoritatem, nescio.*

*propter Illationem et Relationem aliam S. Benedicti eo die celebrem.*

41 *Illud scio celebrari eo die geminam S. Benedicti Translationem, priorem e templo Floriacensi S. Petri ad B. Mariæ ædem; alteram ex urbe Aurelianensi ad Floriacensem eamdem basilicam. Nam qui allatum esse Floriacum e Casino sacrum corpus narrant, iidem tradunt a SS. Mummolo et Aigulpho in S. Petri basilica* XI *Julii depositum, donec certius cœlesti aliquo instinctu edocerentur, istic ne id relinqui, an alibi collocari oporteret : cum vero Mummolus luce velut e cœlo delapsa frontem basilicæ B. Mariæ Floriacensis, densissima nocte, collustrari vidisset, mox in eam basilicam apte exornatam illud honorifice intulit pridie Nonas Decembris. Cum deinde ducentis post hæc annis, Normannorum metu, devectus esset Aurelianum cœlestis ille thesaurus, postea non sine ingentibus miraculis Floriacum reportatus est, ipsoque die anniversario primæ Translationis, pridie Nonas Decembris in basilicam S. Mariæ illatus : statutumque, teste Carolo Saussejo Annal. Ecclesiæ Aurelian. lib. 4* E ut quoniam et Relatio et Illatio eodem die annis revolutis factæ fuerunt, anniversaria die deinceps per totam Galliam celebrarentur. *Addit idem paullo inferius :* Hanc Translationem in Ecclesia Aurelianensi celebramus insigniori officio, quam festum S. Benedicti mense Martio, aut Translationis mense Julio. *Consignatur eadem* Translatio, Advectio, Illatio, Reditus, *in plurimis Martyrologiis, quæ alibi referemus : in nullo mentio fit eo die S. Scholasticæ.*

*Anastasii, qui testis ocularis fingitur,*

*falsa narratio,*

42 *Citat Wion alios auctores, qui nimirum translatas in Galliam reliquias testantur, relatas Casinum ne verbo quidem innuunt; præter unum, quem ait* totius rei oculatum testem *fuisse,* Anastasium Bibliothecarium monachum Casinensem, *cujus narrationem se manu exaratam habuisse testatur,* simplici et veraci stylo *scriptam,* in qua tamen multa essent castigatione digna. *At cujusmodi illa fuerit, vellem integram edidisset. Ex paucis quæ delibat, conjicere est, auctorem illum, omnibus antehac ignotum, altero Anastasio S. R. E. Bibliothecario, nobili historico, facile centum annis antiquiorem, numquam extitisse; et fœtu ejus nomine recentioris cujuspiam convestitam lucubrationem esse, minime sinceram ac solidam. Quod ex iis quæ Wion recitat ad* IV *Decembris facile statuere quivis po-* F *test. Nam, ut omittam, quod S. Remigium Archiepiscopum Rotomagensem Ægidium vocet eumque dicat* sanctas reliquias propter lucra sua tollere voluisse; *et Carolomannum inducat de eodem Remigio fratre suo ita Pipino loquentem :* Quia, ut video, Ægidius Archiepiscopus, avaritiæ face succensus, ad lucra sua, non ad proficuum Casinensis Ecclesiæ laborat, et ut sua sint concupiscit efficere; *ut hæc, inquam, non persequar, quando tandem illud est factum? Anno* X *Constantini Imperatoris, inquit Hugo Floriacensis ab ipso Wione citatus, ergo anno Christi* DCCL *vel ineunte* DCCLI. *Quomodo igitur Pipinus dicitur* jurejurando beatissimo Stephano Papæ et Carlomanno fratri suo de sanctis reliquiis promisisse? *quomodo* Ægidius Rotomagensis Archiepiscopus vices Stephani sanctissimi Papæ secundi ibi functus; *cum Stephanus non nisi an.* DCCLII *sit ad pontificatum evectus? Quando tandem* Stephanus Papa cum eodem Rege *Pipino* et Carlomanno, ad Casinense cœnobium venit? *ut hujus narrationis falsitas pateat, quæ certa sunt, ex indubitatæ fidei scriptoribus præmittenda.*

*quia injuriosa in S. Remigium Rotom.*

*et decertans chronologiæ.*

43 *Eginhardi Annales ista habent :* An. DCCXLVI Karolomannus Romam profectus, dimissa seculari gloria habitum mutavit, et in monte Soracte monasterium

A terium in honorem S. Silvestri ædificavit... Ibique aliquamdiu commoratus, meliori consilio, hoc loco dimisso, ad monasterium S. Benedicti in Samnio provincia juxta Casinam arcem constitutum, Deo serviturus, venit, ibique monachicum habitum suscepit. *Alii Annales Francorum referunt Carolomanni e Gallia discessum ad an.* DCCXLVII, *qua nos ad* XVII *Augusti in Vita ejusdem Carolomanni accuratius disquiremus. Idem Eginhardi Annales, ceteris consentientibus, ad an.* DCCLIII *ita habent:* Eodem anno Stephanus Papa venit ad Pipinum Regem in villa quæ vocatur Carisiacus, suggerens ei ut se et Romanam Ecclesiam ab infestationibus Langobardorum defenderet. Venit et Karolomannus frater Regis, jam monachus factus, jussu Abbatis sui, ut apud fratrem precibus Romani Pontificis obsisteret. Invitus tamen hoc fecisse putatur, quia nec ille Abbatis sui jussa contemnere, nec Abbas illius præceptis Regis Langobardorum, qui ei hoc imperaverat, audebat resistere. AN. DCCLIV Stephanus Papa, postquam a Rege Pipino Ecclesiæ Romanæ defensionis firmitatem accepit, ipsum sacra unctione ad regiæ dignitatis honorem consecravit, et cum eo duos filios ejus Karolum et Karolomannum; mansitque hiberno tempore in Francia.... AN. DCCLV. Pipinus Rex invitante atque suggerente prædicto Romano Pontifice, propter erepta Romanæ Ecclesiæ per Regem Langobardorum dominia, Italiam manu valida ingreditur. Resistentibus Langobardis, et claustra Italiæ tuentibus, ad ipsas montium angustias, quas Clusas vocant, acerrime pugnatum est: cedentibusque Langobardis, omnes copiæ Francorum viam quamvis difficilem non magno labore superarunt. Haistolfus vero Rex Langobardorum manum conserere non ausus, in civitate Papia a Rege Pipino obsessus est: qui ante obsidionem non solvit, quam firmitatis caussa pro restituendis quæ Romanæ Ecclesiæ ablata fuerant, obsides XL recepisset. Datis vero XL obsidibus, promissisque jurejurando firmatis, ipse quidem in regnum suum regressus est: et Stephanum Papam cum Folrado Presbytero Capellano, et non minima Francorum manu, Romam remisit. Karolomannus monachus frater Regis, qui cum Bertrada Regina in Vienna civitate remansit, priusquam Rex de Italia reverteretur, febre correptus diem obiit. Cujus corpus jussu Regis ad monasterium S. Benedicti, in quo monachicum habitum susceperat, relatum est.

*nam Carolomannus an. 746 vel 747 monachus factus,*

*753 rediit in Galliam,*

*754 ibi mansit,*

B

*et obiit 755*

C 44 *His ita positis, quæro quando profectus sit in Galliam, a Stephano missus Carolomannus, ita ut comitatus cum sit ad Casinum usque Pipinus? Non post annum* DCCLV, *quia eo obiit Carolomannus. Non etiam* DCCLIII *aut* DCCLIV, *quia priore quidem in Galliam venit sed non est inde reversus; ipseque ibidem tunc substitit Stephanus. An ergo* DCCLII*? Sub finem Martii ejus anni ad pontificatum erectus idem Stephanus, illico persecutionem ab Aistulfo Rege passus est, adeo ut missis tertio mense suæ ordinationis ad eum Legatis cum muneribus, dein aliis; frustra etiam implorato Constantini Imp. auxilio, coactus tandem sit anno insequenti in Galliam ad Pipinum proficisci. Non ergo in Italiam illo eodem primo Stephani anno venit Pipinus: qui cum venisset? cum exercitu? Cur ergo Aistulfum tunc non repressit? Cur necesse fuit ad eum in Galliam proficisci Stephanum? Sine copiis objicere se crudeli et perfido Longobardo non poterat. Non igitur cum fratre Carolomanno Romam venit Pipinus, sedente Ecclesiam Stephano II aut III, nedum Casinum. Imo et illud sequitur, non esse missum a Stephano Carolomannum ad repetendas reliquias. Potuit, quod Adrenaldus et alii narrant, a Zacharia Papa circiter annum* DCCL *missus, quas impetrarat reliquias, eodem vivente Zacharia, Casinum deportasse.*

*non ergo cum Stephano Papa et Pipino R. Casinum rediit, nedum 752, quo primum electus Stephanus*

*Februarii T. II.*

45 *Quale deinde illud est quod scribit idem ille Auctor?* Cumque ecclesiam hi omnes cum exercitu Francorum, Lotharingorum, Alemannorum, Suevorum, ac Burgundiorum ingressi fuissent *etc. Unde* Lotharingorum *illi notum nomen, quod non nisi centum post hæc annis a Lothario Lotharii Imperatoris filio factum? Plura reprehendi merito in eo libro possent, vel ipso Wione judice. Nihil igitur ejus auctoritate probari potest. Et vero quod hujus unius fide tradit Wion, ut Casinensibus non probabit, qui unquam abfuisse a monte Casino S. Benedicti reliquias negant: minus etiam Gallis, qui fatentur partem aliquam reliquiarum redditam Carolomanno, sed antea, et præcipuam partem apud se relictam. Sed de S. Benedicto alibi.*

D

*AUCTORE J. B. Lotharingorum nunc ignotum nomen, quod usurpat.*

46 Denique, *ait Carolus Sausseyus in Annalibus antea citatis*, historia Ecclesiæ S. Petri Cenoman. apud quam reconditum manet corpus B. Scholasticæ illuc ex Italia allatum simul cum corpore S. Benedicti. Nam et ab eo tempore fit solemnis celebratio utriusque festi S. Scholasticæ X Feb. et XI Julii, illa Transitus, hæc Translationis ejus et adventus in Gallias: ita ut solenne sit die Translationis, quo sacrum ipsius corpus per urbem circumducitur, aulæis et tapetibus parietes vicorum adornare, et utroque festo ab operibus abstinere. Nec vero allatum est S. Scholasticæ corpus sine B. Benedicti corpore, et adhuc servatur in ecclesia S. Petri retro altare; quod nos ipsi ibidem venerati sumus, illuc devotionis caussa ad civitatem Cenomanensem euntes anno MDCIII. *Idem paullo superius monasterium illud, quod a S. Beraria sanctimonialibus ædificatum retulimus, in collegium Canonicorum secularium conversum tradit, sacramque adhuc S. Petro ecclesiam, atque* illic sanctæ Virginis corpus in argentea capsa studiose conservari.

*Cenomani S. Scholasticæ corpus habere se asserunt, et honorant.*

E

47 *Nonnullas res usu attactuque sanctissimæ Virginis consecratas alibi existere, quidam scribunt. Matthæus Lauretus ante citatus ait, occupato a Longobardis Casinensi cœnobio, fugientes Romam monachos cum aliis rebus* vestimenta quoque et calceamenta *SS. Benedicti ac Scholasticæ secum detulisse; citat Paulum Diaconum lib. 4 cap. 18. Hujus isthic verba sunt:* Fugientes quoque ex eodem loco monachi Romam petierunt, secum codicem sanctæ Regulæ, quam præfatus Pater composuerat, et quædam alia scripta, nec non pondus panis, et mensuram vini, et quidquid ex supellectili subripere poterant deferentes. *Nulla hic Sancti utriusque vestimentorum calceamentorumve mentio, sed domesticæ sacræve, ut interpretor, supellectilis.*

*Romæ an ejus vestimenta,*

F

48 *Octavius Pancirolus in Thesauris absconsis almæ Urbis, in Indice Reliquiarum testatur, in basilica S. Mariæ Majoris in Esquiliis asservari S. Scholasticæ velum ac funiculum. Idem cum regionis decimæ tertiæ, quæ* S. Eustachii *appellatur, ædes sacras enumerat, cap. 13 ecclesiam scribit et xenodochium a Nursinis exædificatum esse ad sanctorum civium suorum Benedicti et Scholasticæ honorem, jamque ad id ante annos complures emptum esse fundum; institutamque piorum hominum societatem, quæ utriusque Divi solemnitatem insigni pietate celebrat, privilegiis etiam a Paulo V Pont. Max. honorata.*

*ut velum?*

49 *Benedictus Haftenus Commentar. in cap. 33 Vitæ S. Gregorii anno 3 refert ex Florentio Boulenger Ord. Minor. Recollector. servari in monasterio Jovenyii in Lotharingia S. Scholasticæ manicam aut certe majorem ejus partem, cum ejusdem cingulo; esse porro hanc manicam coloris nigri naturalis, sive non tincti quem fuscum sive brunum appellant. Sed quod inde certo sequi existimat monacham fuisse, vereor ut probare possit. Non enim alio fere colore habitus, quam illo nigro aut fusco, composito maxime ad modestiam, utuntur quæcumque sanctimoniæ studium*

*ut et manica et cingulum*

51 *profitentur;*

AUCTORE J. B.

A *profitentur; etiamsi in seculo maneant, Virgines aut viduæ. Nescio an hæ sint Reliquiæ, quas Ferragius cap.* 32 *scribit obtinuisse Richildem Reginam, conjugis sui Caroli Calvi auctoritate, a Roberto Cenomanensi Episcopo, et in avitum suum fundum* Waberiacum *transferri curasse, ibique monasterium fundasse sanctimonialium Benedictinarum* Juviniacum *dictum, sive* Juvigny. *Sed* magnam et notabilem *fuisse eam reliquiarum partem idem ille auctor scribit, agique* VIII *Junii anniversariam earum illuc apportatarum memoriam.*

*atque aliæ reliquiæ.*

30 *Antonius Corvaserius* V. CL. *in Historia Episcoporum Cenomanensium testatur, Tutelarem esse Cenomanorum S. Scholasticam; et si quæ desæviat, immineatve calamitas, proferri thecam, cui ejus inclusæ Reliquiæ sunt, concipi publicas preces, nuncupari vota, iratum placari ejus patrocinio numen.*

*Ipsa Cenomanorum Tutelaris:*

31 *Idem alibi narrat, exustum ab Normannis sub finem* IX *seculi monasterium, in quo S. Scholasticæ collocatum a S. Berario erat corpus, trucidatos Sacerdotes, sanctimonialibus vim illatam: sed sanctæ Virginis subductas barbarorum furori Reliquias, quarumdam incolarum industria. Eas postea in S. Petri ecclesiam, quæ jam collegiata est, Hugonis Comitis studio translatas, initio* X *seculi,* IV *die Novembris, in egregia capsa conditas.* B *Agit quoque de S. Scholasticæ allatis Cenomanos reliquiis Joannes Bondonnetus, vir insignis doctrina ac religione, in Vitis eorumdem Cenomanensium Episcoporum.*

*illic ejus reliquiæ monasterio exusto servatæ,*

*relatæ 4 Nov.*

32 *Anno* CIↃIↃLXII, *die* III *Aprilis, Merlini cujusdam impurissimi nebulonis, et, quos concionibus suis dementaverat, virorum quorumdam proditione, manu se in urbem Cenomanensem Calvinianorum copiæ, in cædes Sacerdotum, Virginum, præsertim religiosarum, stupra, sacrorum direptione, templorum expilationem incendiaque, tanta crudelitate debacchatæ sunt, ut qui eumdem Bondonnetum et Antonium Corvaserium, quamvis succincte funestam narrationem percurrentes, legerit, vix tenere lacrymas possit. Plurimis aureis argenteisque Divorum statuis ac lipsanothecis diffractis, exustisque reliquiis; unica quæ* S. Scholasticæ *exuvias continebat, capsa argentea sceleratorum illorum hominum subtracta furori est. Quo id modo contigerit, nec illi memorant, nec Joannes Ferragius in* S. Scholasticæ *Vita. Non reticent tamen, cum toto trimestri omni turpitudinis ac sævitiæ grassati in urbe essent, pridie solemnitatis* S. Scholasticæ, *decimo nimirum Julii die, subita formidine perterritos, ingenti tumultu sese inde proripuisse homines facile octingentos, tanta trepidatione aut potius furore, ut e mœnibus quidam desilirent, alii invicem in* C *portis opprimerent, ac per totam noctem insequentem, nemine usquam urgente, continuarent fugam; quidam in remotas Galliæ plagas, nonnulli usque in Angliam abscurrerent. Tribuere Catholici panicum hunc impiorum trepidationem ac fugam,* S. Scholasticæ *patrocinio, suorum clientum saluti consulentis; fuitque deinceps solemnior dies sequentis, qui Translationi ejus dicitur, religio ac pompa supplicationum.*

*furori Calvinistarum an.* 1562 *subtractæ,*

*ipsique panico metu fugati.*

33 *Alibi nonnullæ extant* S. Scholasticæ *reliquiæ: Antverpiæ in Domo professa Societatis Jesu* Dens *servatur illius sanctæ Virginis, qui ante* XL *annos in Carthusia juxta Ultrajectum in honore habitus; inde huc translatus.* Dens *item extat, Rosweydo teste, Andagini, sive in S. Huberti celebri in Arduenna monasterio Ordinis Benedictini. In Monasteriensi ejusdem ordinis cœnobio in urbe Luxemburgensi portiuncula est digiti unius.*

*Reliquiæ ejus aliquæ in Belgio,*

34 *Coloniæ in Carthusia maximum illius os visitur, uti Gelenius lib.* 3 *de Colonia Agrippinen. magnitudine lib.* 3 *Syntagm.* 40 § 2 *scribit.* Reliquiæ *item aliquæ in Ecclesia collegiata S. Mariæ ad Gradus, ut idem ait lib.* 3 *syntagm.* 7 § 4, *hierotheca* 22. *Inque parochiali S. Lupi synt.* 23 § 2, *hieroth.* 3. *De ejus capillis in monasterio S. Pantaleonis synt.* 12 § 3, *hieroth.* 13.

*et Coloniæ:*

D

# VITA

## Auctore S. Gregorio lib. 2 Dial. c. 33 et 34

Quisnam erit [a], Petre, in hac vita Paulo sublimior, qui de carnis suæ stimulo ter Dominum rogavit, et tamen quod voluit obtinere non valuit? Ex qua re necesse est, ut tibi de venerabili Patre Benedicto narrem, quia fuit quiddam quod voluit, sed non valuit implere. Soror namque ejus, Scholastica nomine, omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semel per annum venire consueverat. Ad quam vir Dei non longe extra januam, in possessione monasterii, descendebat.

*S. Scholastica fratrem quotannis visit.*

2 Quadam vero die venit ex more; atque ad eam cum discipulis venerabilis ejus descendit frater, qui totum diem in Dei laudibus, sacrisque colloquiis ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mensam sederent, et inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis fœmina soror ejus eum rogavit, dicens: Quæso te, ut ista nocte non me deseras, ut usque mane de cœlestis vitæ gaudiis loquamur. Cui ille respondit: Quid est quod loqueris, soror? Manere extra cellam nullatenus possum. E Tanta vero erat cœli serenitas, ut nulla in aere nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina cum verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, et caput in manibus, omnipotentem Dominum rogatura, declinavit. Cumque de mensa levaret caput, tanta coruscationis et tonitrui virtus, tantaque inundatio pluviæ erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque Fratres qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem movere potuissent. Sanctimonialis quippe fœmina caput in manibus declinans, lacrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem aeris ad pluviam traxit. Nec paullo tardius post orationem inundatio illa secuta est, sed tanta fuit convenientia orationis et inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret, quatenus unum idemque esset momentum et levare caput et pluviam deponere. Tunc vir Dei inter [b] coruscos, et [c] tonitruos, atque ingentis pluviæ inundationem videns se ad monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus, dicens: Parcat tibi omnipotens Deus, soror; quid est quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogavi, et audire me noluisti: rogavi Dominum meum, et audivit me. Modo ergo, si potes, egredere, et me dimissa, ad monasterium recede. F Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit, in loco mansit invitus. Sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent. Qua de re dixi, eum voluisse aliquid, sed minime potuisse; quia si venerabilis viri mentem aspicimus, dubium non est quin eamdem serenitatem voluerit, in qua descenderat, permanere; sed contra hoc quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex fœminæ pectore miraculum invenit. Nec mirum, quod plus illa fœmina, quæ fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit: quia enim, juxta Joannis vocem, Deus caritas est, justo valde judicio illa plus potuit, quæ plus amavit.

*volentem abire,*

*impetrata precibus pluvia retinet,*

b c

*et tota nocte de divinis loquuntur.*

1 Joan. 4. 8

3 Cumque die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. Cum ecce post triduum in cella consistens, elevatis in aera oculis vidit ejusdem sororis suæ animam de ejus corpore egressam, in columbæ specie cœli secreta penetrare. Qui tantæ ejus gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis et laudibus gratias reddidit, ejusque obitum Fratribus denuntiavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad monasterium

*mortua [illegible] visa in [illegible] ire.*

*sepelitur*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A cumque levaret caput a mensa, tanta coruscationis et tonitrui virtus, tantaque inundatio pluviæ erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque Fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem movere potuissent. Sanctimonialis quippe fœmina caput de manibus declinans lacrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem aeris ad pluviam traxerat. Nec paullo tardius post orationem inundatio illa secuta est; sed tanta fuit conventio orationis et inundationis, ut de mensa jam caput cum tonitruo levaret; quatenus unum idemque esset momentum, et levare caput et pluviam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos et tonitruosos pluviæ nimbos, atque ingentes imbrium inundationes, videns se ad monasterium non posse remeare, cœpit contristatus conqueri, dicens: Parcat tibi omnipotens Deus, soror. Qui est, quod fecisti? Cui illa respondit: Ego te rogavi, et audire me noluisti: rogavi Dominum meum Jesum Christum, et exaudivit me. Modo ergo, si potes, egredere, et me dimissa ad monasterium recede. Ipse vero exire extra tectum non valens, qui manere sponte in loco noluit, mansit invitus. Sicque factum est ut totam noctem pervigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent. Qua de re dixi, eum voluisse ad monasterium exire, sed contra Dei voluntatem orante germana sorore non potuisse; quia justo Dei judicio illa plus potuit quæ plus amavit.

*retinet invitum;*

*cum eo tota nocte colloquitur de Divinis:*

B

7 Cumque die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam reversa fuisset, vir Domini Sanctus Benedictus etiam ipse ad suum monasterium rediit. Qui cum post triduum in cella consisteret, elevatis in aera oculis vidit ejusdem sororis suæ, sacratissimæ videlicet Scholasticæ, animam de corpore egressam in columbæ specie cæli secreta penetrare. Quod cum vidisset Pater sanctissimus ac omni memoria ac laude dignissimus, prostravit se in terram et ad Dominum cum lacrymis oravit, ut illam dilectissimæ sororis suæ animam dextera sua protegeret; quatenus sine tremore et horrore malignorum spirituum catervas pertransire potuisset. Exaudita ergo est vox atque petitio sanctissimi Patris nostri Benedicti pro requie et pace dilectissimæ suæ germanæ sororis Dominum deprecantis. Qui statim a Domino multum consolatus est, surgens ab oratione tantæ ejus gloriæ non modice congaudebat, ac immensas omnipotenti Deo in hymnis et laudibus gratias referebat, et illius sacratissimæ germanæ suæ dulcissimum obitum Fratribus denuntiabat. Quos etiam protinus, ut ejus corpus conditum aromatibus ad suum monasterium deferrent, atque in sepulchro, quod sibi ipse paraverat, sepelirent, misit; ut quorum mens una semper in Domino fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

*specie columbæ cernitur in cælum evolare:*

C

8 Igitur sorores sanctimoniales, quæ devota mente interfuerant exequiis beatissimæ Matris suæ Scholasticæ, videntes gloriam circa eam, ceciderunt in facies suas, et largissimos lacrymarum fontes emiserunt, dicentes: Ora pro nobis Domina Mater ad sponsum tuum Dominum nostrum Jesum Christum, ut iter quod, præcessisti, te sequi mereamur. Peracto vero planctu colligentes corpus venerandæ Matris, condientesque linteis mundis et aromatibus pretiosis, collocaverunt in feretro, atque cum hymnis et psalmodiis, vigiliarum exequias celebrantes, trium noctium excubias cum lacrymis et singultibus peragebant. Fratres etiam de monasterio S. Benedicti catervatim venientes, cum fletu et ejulatu transitum beatissimæ Virginis Scholasticæ deplorabant, et clamorem una cum sororibus levarunt in cœlum, dicentes: Heu! heu! Mater, et Domina ac Magistra carissima, quomodo sic inopinate recessisti a nobis? Cui nos relinquis? Intercede pro nobis sacratissima ac dulcissima anima ad Dominum Jesum Christum, ad quem pergis. Dulcis vita tua, dulcis commeatus, dulcis transitus tuus, dulce corpus tuum, dulcis animus, dulcis somnus, dulcis incessus, dulcia omnia, quæ in te et circa te gesta sunt. Completo autem planctu, celebrarunt Missas devotissime commendantes Deo animam illius. Peractis vero omnibus, quæ circa exequias tantæ Matris agenda et celebranda erant, tulerunt corpus ejus et portaverunt in oratorium S. Joannis Baptistæ, et, sicut S. Benedictus Pater præceperat, sepelierunt illud in sepulchro, quod ipse sibi ipsi præparari quondam jusserat: luxeruntque eam tam sanctimoniales quam Fratres monasterii multis diebus. Quos omnes benigne consolabatur S. Benedictus, et dixit ad eos: Nolite lugere Fratres et Sorores, quia certe eam Dominus noster Jesus Christus ideo præmisit, ut sit nobis in auxilium et defensionem contra omnia tentamenta diaboli, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. D

*celebrantur exequiæ,*

*sepelitur in sepulchro S. Benedicti.*

9 Felix Nursia, felix patria, felix tellus, quæ genuit tam præclara et magna luminaria, quod in utroque sexu illuminati homines, ad sui radii splendorem sese applicantes, ut luce sui ducatus possint pervenire ad patriam claritatis æternæ. Felix mons Cassinus, qui meruisti suscipere glebam Virginis hujus, quæ duxit in terris vitam Angelicam, dum in carne super carnem vixit, et filias adoptionis ad cœlestis regni adipiscenda præmia suæ vitæ exemplo, et orationum suffragio, perduxit. Oramus te, sanctissima Mater, omnium virtutum doctrix et magistra, ut tuis precibus impetrare nobis veniam digneris; quatenus tua vestigia sequentes, et spiritualis vitæ disciplinam imitari et ad cœlestis regni gaudia pervenire mereamur, præstante, Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

*Auctor ei applaudit,*

E

*eamque invocat*

a Ita [illegible] ut omnia habent Martyrologia. — b Non in Campania, sed in Sabinis ad Umbriæ [illegible] fines sita Nursia est.
c Refertur hoc in [illegible] cap. 1 Vitæ S. Benedicti. Est capisterium vas [illegible] frumento [illegible] vel [illegible] inde caput [illegible] Zacharias Papa. — d Apud S. Gregorium cap. 8 lib. 2 [illegible] Martis [illegible], sed solius Appollinis. — e [illegible] In ipso templo Appollinis [illegible], oraculum [illegible] ubi vero ara ejusdem Apollinis fuit, oraculum S. Joannis construxit. [illegible] 18 [illegible] sub quo [illegible] est sepulchrum S. Benedicti, et S. Scholasticæ [illegible] extra septa monasterii [illegible] — f [illegible] ex toto ampliorem fecit, [illegible] anno 884 occupatum, destructum, incensumque esset, [illegible] cap. 46 [illegible] 1066 [illegible] Benedicti ecclesiam tam parvam tum informem, et tanto thesauro tantaque [illegible] multitudini minus idoneam, evertit a fundamentis [illegible] cujus dedicationi an. 1071 [illegible] Alexander II Papa cum 10 Archiepiscopis, Episcopis 43, [illegible] Principibus, [illegible] lib. 3 cap. 23. — g [illegible] 7 [illegible] Quam sanctus [illegible] quam pudicus, quam discretus accessus! [illegible] fragilis sexus non [illegible] [illegible] frangeret mentis devotionem. An [illegible] ut tanti limen cœnobii calcari fœmineo pede debuisset? An forsitan secularium latratus vitabat, qui bonos monachorum mores canino more devastant, et hoc credunt in illis, quod ipsi malis actibus agere non recusant? [illegible] de tanto Patre sperare [illegible] esset [illegible] inflato gutture crepuerint cachinnos. [illegible] S. Benedictus, [illegible] 7 [illegible] 23 [illegible] a monastico claustro mulierum consortia segregavit [illegible] Alia exempla [illegible] lib. 1 cap. 8. Ita in Vita S. [illegible] 10 Julii [illegible] S. Gudila [illegible] et pulsassent ad ostium cœnobii, ut intromitti debuissent, ab ejusdem cœnobii monachis, foribus clausis responsum est eis, domum illam, ex quo fundata fuerat, mulierem non intrasse. Hoc audito S. Gudila recessit. S. [illegible] triduum

*Capisterium*

F

*Templum Casinense sæpius instauratum*

*Cur in cœnobium Casinense non admissa Scholastica?*

*[illegible] exclusæ*

A *triduum Divina virtute patefactis templi foribus, ingressa est.— b Fuit in montis supercilio, non S. Scholasticæ cella, ut asserit hic auctor; sed templum a S. Benedicto extructum extra majus monasterium, quod imo in latere montis extructum. At qui S. Scholasticæ cellam asserunt monasterio S. Benedicti vicinam fuisse, aiunt in loco qui* Plumbariola *dicitur, distatque, ut auctor est Yepes tom. 1. ad an 532 cap. 3 quatuor millibus passuum a Casino habuisse. — i Id nusquam legi. Plurima ac verissimo hujus Regulæ encomia videre est apud Haeftenum in Disquisitionibus monasticis — k Ubi illa? Recentiora sunt, si quæ, præter Regulam viris communem, præscripta fœminis in Ordine Benedictino decreta sunt, ut liquet ex ejusdem Haefteni lib. 1. tr. 1 Disqu. 5.*

# DE LAUDIBUS S. SCOLASTICÆ

*auctore Hieronymo Dungersheimio.*

## PROLOGUS.

Ad Reverendum in Christo Patrem, Dominum Henricum, cœnobii S. Petri prope civitatem Mersseburgensem siti Abbatem, Hieronymus Dungersheym de Ochsenfurth, Artium et Sacræ Theologiæ Professor, collegii majoris studii Lipsensis collega.

*Auctor, Henrici Abb. rogatu, a S. Gregorio breviter tradita, illustrat.*

Petisti, Abba Reverende, de Virgine Christi Scholastica, cui pro eximia ipsius sanctitate speciali devotione B affectus es, aliquid tibi scriberem, religiosis Fratribus tuis, in ejusdem sacræ Virginis festivitate *a* refectionis hora, ut aiebas, legendum; pie *b* querulatus, sanctum Papam Gregorium de tanta Virgine in dialogo suo strictiorem, quam velis fecisse mentionem. Nec aliud de vita ac obitu ejus te usquam invenisse. Etsi autem minus idoneum ad hujusmodi me sentiam scribenda, quanto tamen grata illa humilitas tua, et in me dilectio non vulgaris, id jure deposcit, pro Dei omnipotentis gloria, et Virginis illius præconio, libenter, quod hortatus es feci; quoad exiguitas mea, et occupationes variæ fieri sinebant. Invocato proinde sponso venerandæ Virginis Domino Salvatore, id quod brevi quidem sermone, sed prægnanti, dulcissimus sancti Spiritus organum Gregorius de ea scriptum reliquit, fideliter intuitus; reliquum, quod inde satis elici posse arbitratus sum in parte et sub compendio, ipse quoque pia interim fide subnexui. Neque vero Gregorius de ea, sed Patre Benedicto (cujus hanc occasione interserit) texere historiam volebat: sed nec ego, nisi, ut præfatus sum, quod per modum laudis inde sequi visum est, scribere intendi, oratione veluti usus in genere demonstrativo.

*Querelari, et querelari,*

C a Mensis cum Fratrum edentium lectio deesse non debet, *ut cap. 38 Regulæ præscribit S. Benedictus, ac ... [illegible] ... lib.* 10 *tr.* 2 *Julius Nigronius in ... [illegible] ... —* b *[illegible]*, querelari *[illegible] Arnobius ... in Psal.* 70 *sub initium* De malis præsentibus querelatur. *[illegible] ... lib.* 4 *de vitis ... cap.* 18. *[illegible] ... lib.* 4 *... ep.* 15 Cum Judex solum hoc querulabitur ipse futurus *[illegible]* querelabitur *[illegible] Sed quod ... et Trithem... [illegible]* quinquaginta post Hattonem annis scripsisse, *scribere ipse voluit [illegible]*, quingentis *cum obierit Hatto an.* 970. *Trithemius* 1510.

## CAPUT I.

### *S. Scholasticæ ortus. Innocentia.*

*S. Scholastica nobili genere nata*

Igitur Scholastica Virgo Dei, sanctimonialium Ecclesiæ Latinæ, ut cernere datur, Mater et Patrona præcipua, ex magnorum secundum seculi dignitatem prosapia, in Nursiæ partibus orta, earumdem partium *a* Comitis filia fuisse perhibetur, qui usque ad *b* Justiniani Imperatoris sanguinem lineam deducere *c* famatur avitam, ut puta almifici monachorum Occidentalium institutoris Benedicti soror germana, cujus illa dicitur fuisse origo. Hæc autem parum censenda forent, ad carnis videlicet propaginem spectantia, nisi quia tanta secularis nobilitatis, opum, et potentiæ, atque per hæc omnis illecebræ materia copiosa, ad tantam spiritualis vitæ excellentiam, D duce gratia, conscendit. Nempe etsi prædicta veluti organa quædam esse debeant exercendæ virtutis, multis tamen exitio ea magis esse cernimus per abusum. At non ita Scholasticæ: hinc et probitatis ipsius insignia non parum his aucta videri debent. Maxime vero cum Divina providentia (quæ in sui dispositione non fallitur) tantæ religionis ordinata est primiceria; sanctimonialium scilicet, sub regula illa sacra, a germano suo præfato, Spiritu sancto suggerente, edita, toto orbe Christiano longe lateque degentium. Neque enim dubitare fas est, eos qui Dei provisione aliis præfecti sunt, primos præsertim ordinum sacrorum Patres, sive Matres, gratiarum atque virtutum prærogativis plurimum claruisse; quos videlicet universi eorumdem ordinum professores, simul cum aliis, qui ex eis usque ad seculi consummationem in Christo ædificandi sunt, in via morum fidentius totaque alacritate imitarentur. Hi enim esse videntur quasi fertilissimæ quædam arbores, a quibus tam innumera ramorum multitudo fructuosa processit, atque procedere non cessat. Etsi autem aliqui inter hos aridi sint et infecundi, gehennæ scilicet ignibus tradendi, bonis tamen atque salutem suam ad Dei omnipotentis gloriam sollicite operan- E tibus, pro exercitio virtutis amplioris, etiam illos inscrutabilis ordinat Dei sapientia: ideoque nec hoc arboris bonitati præjudicare potest, nec sanctitati derogare patrum. Hoc etenim ex liberi abusu provenit arbitrii, quod in malum sensualitatis corruptione proclinatum, perfectionis hostem, quam Patrum exempla sanctorum, sui ipsius detrimento maximo, sequi maluit. Sed hæc alias fortasse dicenda latius: ad intentionem nostram nunc tacta sunt, quo Virginis illius præclaræ sanctitas in ipso locationis lumine facilius eluceat.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*magnis ornata virtutibus, quia Religiosarum primiceria,*

3 Est nempe Scholastica inter prudentiores computanda Virgines, atque excepto quod in pace spiritum Creatori reddidit, primis Reginæ Virginum pedissequis indubitanter annumeranda. Nam quot post eam Regi gloriæ atque Reginæ Matri Virgines adductæ sunt, adducenturque, quis dinumeret? Hinc eam de proximis ejus esse, quis dubitet? Quod quidem et vitæ ipsius exordium atque terminus, ponderatis etiam juxta Gregorii relationem iis, quæ per eam gesta sunt, luculenter ostendunt. Narrationem ergo ille suam ab eo quod ab infantia Deo dedicata est orditur, ac in specie columbæ animam ejus cœlum intrasse penetrasse. Quæ quidem quid aliud, quam F perfectionem ipsius sacræ Virginis mirabilem declarare putabimus? Nam exitus acta probat: et a mysterio vacare non posse apertum est, quod germano illi suo, viro auditori sermonum Dei, qui visiones Omnipotentis intuitus est, cui scilicet revelari consueverant secreta cœlestia, hoc ordine super astra conscendisse demonstrata est præmianda. Sapientia etenim per nationes in animas sanctas se transferens, amicos Dei et Prophetas constituit, conscensque facit per talia, non tam eorum quæ futura sunt aut præsentia, verum et præteritorum eis ostendit magnitudinem atque valorem. Nam et Moysen veteris legis promulgatorem de præterito prophetasse in Geneseos descriptione non ambigitur. Neque vero Deum qui in delatores eos fines universa perducit, frustra operatum esse credendum est, in ejuscemodi supernaturali et miraculosa ostensione.

*exordio et fine vitæ illustris,*

4 Jam itaque cum in declinatione a malo (quod imprimis per innocentiam fieri definitum est) atque item in boni operatione justitiæ consummetur perfectio, totumque in iis consistet præsentis vitæ meritum; has utrasque partes eminenter assecutam Scholasticam, ex tanti Autoris testimonio demonstremus. Porro innocentia est perfectionis pars Deo acceptissima,

*In qua innocentia prædita.*

AUCTORE HIER. DUNGERSHEIM.

A sima, Angelis grata, hominibus exemplaris, habenti valde fructuosa. Est nempe fons impermixtus, limpidus et purus, atque per hoc in omnibus gratiosior. Hinc Propheta regius, quis in montem Domini ascensurus sit interrogans, a Deo inspiratus respondet : innocens manibus et mundo corde. Ubi nimirum mentis ac operis immunitatem conditori placere plurimum, nec in opere esse innocentiam, nisi mens ipsa prior innocens sit, significat. Quæ et dum sic instituta est, nulla operis cum ea stare potest perversitas. Nam si oculus, mentalis scilicet, simplex fuerit, totum conversationis corpus lucidum erit. Neque enim a fonte puro nisi purus potest rivulus manare. Addit autem et Propheta : Qui nec juravit in dolo proximo suo ; innocentiam verbo etiam inesse debere designans, et sic tandem animam suam non in vano innocentem accepisse. Revera non accepit Virgo beata in vano animam suam, quæ ob hujus vitæ merita tam gloriose a Deo assumpta est, ut in specie columbæ, innocentiæ præferentis simplicitatem, cœlos penetraverit. O felix innocentia, quæ ubique secura es, ubique illæsa, ubique vincis, et de humani generis hoste nequissimo tam potenter triumphas, ut sine obstaculo cœlos ipsos, recta ascendens

Psal. 23. 4

B via, possis transvolare. In humanis hæc Virgo posita dicere poterat quod scriptum est : Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Audierat enim loquentem Dominum. Innocentes et recti adhæserunt mihi. Proinde et in ea comprobatum est promissum : Non privabit, inquit, bonis eos qui ambulant in innocentia ; bonis scilicet illis, de quibus Propheta confidenter ait : Replebimur in bonis domus tuæ ; in qua, dicente Domino mansiones multæ sunt præmiorum. Felices ob id quæ in tantæ Virginis contubernio versatæ sunt, felices quas instituit, felices etiam quæ beata ipsius vestigia diligentius imitantur. Per hanc enim innocentiæ puritatem, veluti stella clarissima rutilans, omnes illustrat. Innocentem etenim cum innocente, ac cum sancto sanctum, Scriptura fieri denuntiat.

Job 27. 5

Psal. 24. 21. 83. 13.

64. 5.

Joan. 14. 2

Psal. 17. 26.

5 Etsi autem quis gravibus irretitus delictis, gratia Dei (qua quidem indignum se reddidit) ab ipsis inferorum abstrahatur faucibus, munus maximum et inappretiabile acquirat, ita ut vel amodo innocens et ipse vivat, et quod amisit recuperet, majus tamen est absolute, quod habet donum innocens : maxime si insuper ad eminentem proficiat cumulum meritorum. Quod in hac carissima Deo Virgine non abs

ubique in ætate semper profecerit,

C re, pia æstimo veneratione recolendum ; ut in parte sequenti declarabimus. Nam quantum in virtute *d* dietim profecerit, hinc patet, quod in via Dei non procedere, retrocedere est, sicque ab innocentia tandem decidere : quod absit, de electa Dei famula illa suspicemur. Erat namque adeo in amore fervens, ut nec die neque noctu divinis saturari posse videretur colloquiis. Pro quo et verbi Dei præconem Benedictum ad hæc super mel sibi dulcia continuanda tam sollicite rogavit. Ubi autem tanta verbi Dei aviditas, quomodo non crederet ei ferventis magnitudo amoris ? Qui enim ex Deo est, verba Dei audit. Denique et amor operatur non ubi si est, quod si operari renuit, amor non est. Siquidem operis exhibitio, dilectionis inexistentis est probatio, Domino protestante : Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Diligens ergo Dominum vehementer Scholastica, quod in amore ejus potuit, instanter operabatur. Neque enim absque operibus summo et magnitudine præcipuis, tantum promeruisse gloriam credi potest, ut in specie columbæ (quæ avis est, sicut non prædabilis sed innocens, sic et præ cæteris multis prolificans) cœlorum penetraret secreta. Prompta namque spiritus, meritoria est operatio. At meritis præmium respondet. Apertius autem caritatis ipsius magnitudinem

*d*

præ... amore ...

Joan. 8. 47. Joan. 14. 23.

Gregorius testatur, quando quod voluit, tam facile a Deo impetravit. Sed de hoc posterius. D

a S. Gregorius in proœmio lib. 2 Dialog. scribit S. Benedictum, S. Scholasticæ germanum liberiori genere ex provincia Nursiæ exortum. Mirabilem ejus genealogiam Arnoldus Wion contexit, quam discutiemus, si tanti videbitur, ad 21 Martii. — b Quidam nec iis quibus nixi auctoritatibus et testimoniis commentitiis, Justinianum Imperatorem tradunt S. Benedicti avum fuisse, cum fuerit eo junior. Alii patrueles faciunt. Sed, quibus id astruere conantur, Justiniani litteras, cum Chronico Casinensi editas, merito explodit Baronius ad an. 542 num. 28. — c Similem locutionem ex Chronico magno Belgico habet Vossius lib. 4 de vitiis linguæ cap. 8. — d Ita Joannes Major, hujus auctoris fere æqualis, de gestis Scotor. lib. 3 cap. 8 trecentos inopes dietim alebant. Pro eo diatim scribit S. Gerardus Ab. Silvæ majoris in Vita S. Adelardi 2 Junii, cap. 9 num. 83.

Dietim.

## CAPUT II.

### *Institutio ac Regula a S. Benedicto accepta.*

Nunc vero in operum executione alteram justitiæ partem dictam esse meminerimus. Scholastica vero germanum, lucernam ardentem lucentemque, virum perfectissimum, nihil dubium imitata est. Hujus autem Ducis opera quam ingentia fuerint, idem Papa, quamvis tractatu prolixiore, non tamen plene, nec omnia, se scribere insinuat ; de reliquo ad sanctæ regulæ suæ præcepta lectorem remittens, quod, ut veraciter ait vir ille, aliter quam docuit, vivere non potuit. Scholastica quoque, ut frater docuit atque vixit, vivere et ipsa conata est : faciente hoc nimirum amoris magnitudine, ac perfectionis, quo amplius semper anhelabat, desiderio ; concurrente nihilominus germanitatis spiritali affectione. Quod quo ordine venerit hoc modo conjici datur. Ea equidem mature Deo dicata, fratre autem tunc puero, conversionis gratiam inchoante a perfectione non modica, miraculo etiam capisterii reparati divinitus declarata ; dum relicta nutrice ad eremum specus puer ipse secederet ; temporumque curriculo mirabiliter exacto, quando jam præclara ipsius conversatio, voce cœlitus lapsa innotuisset, explosis simulatæ vitæ Fratribus, a quibus Abbas invitus, ac ob vitæ disparitatem renitens, ascitus fuerat ; Regula illa discretione, ut præfatum est, præcipua, ex qua et ob doctrinæ utilitatem plurima in sacris canonibus excerpta inveniuntur, ab ipso edita ; multisque ad eum cœlestis vitæ desiderio convenientibus, et dulci jugo Christi colla submittentibus ; Romana quoque nobilitate pubem suam eidem pro veræ sanctitatis non falsa opinione credente ; dum interim et ipsa carne quidem, magis autem spiritu germana, adolevit et, sub fraternis militare legibus amplexa credi potest. Hæc enim Regula fœmineo sexui aptata probatur. F

Fratrem imitata.

Gregor. 2 Dial. cap. 31. E

a pueritia sanctitate et miraculis clarum,

ejus Regulam suscepit,

7 Quisquis autem virtutum germina, quæ idem Dominici agri fidelissimus cultor in illo suo voluptatis internæ paradiso, eleganti ac florido stemmate plantavit, diligentius intueri voluerit, non immerito spiritum amplexabitur in eo loquentem. Neque enim putandum est humano id actum esse ingenio, absque Spiritus sancti afflatu speciali, tantæ scilicet discretionis et auctoritatis eum instituta condidisse. Hæc verba gratia aliqua de his vel breviter recensebimus. Docet namque in primis obedientiam promptam, qua superiori sine mora subditus obaudiat et obsequatur, qua videlicet, insignis victoriæ triumpho, seipsum homo mortali carne circumdatus vincit, et intuitu Dei alterius se subjicit imperio, Domino Salvatori, qui ob salutem omnium Patri usque ad amarissimæ crucis tormentum obedisse probatur, se conformans, et ob id nihil dubium ei conregnaturus. Stabile autem spiritualis structuræ, hoc est operationis bonæ, sapiens architectus fundamentum ponit humilitatem, longa hanc inculcatione prosecutus, quod quanto quis profundius *a* jactus fuerit, tanto sublimius apud Deum juxta cœlestis

qua egregiæ virtutes præscribuntur,

obedientia, cap. 5.

humilitas, cap. 7.

*a*

A siderio abundanter fundere in promptu habuit. Neque enim hoc sic facile in publico posset, nisi ejus rei, ex intima devotione procedentis, consuetudinariam haberet exercitationem. Habitus namque etiam gratiosus, actus inde procedentis confert facilitatem. Ex hoc autem Divinarum laudum instantiam accipiamus infatigabilem. Nam ab his cessare durum, in longum autem eas continuare dulcissimum ei fuisse, illæ suæ tam instantes lacrymæ præferunt, atque petitio supplex. Cum enim totam in Dei laudibus et sacris colloquiis, dicente Gregorio, consummassent diem, nec etiam in serotina illa cœnula ab iis vacare potuissent, tandem nihilominus ait fratri : Quæso te, ut ista nocte non me deseras, ut usque mane de cœlestis vitæ gaudiis loquamur, rogatura, non dubium ulterius, dum apud eum id se consecuturam confideret. O pectus sacratum! Revera ex abundantia tui os loquebatur.

*AUCTORE HIER. DUNGERSHEIM*

*gratiosa in verbis;*

12 Quanta etiam consolationum gratia in labiis ejus diffusa sit, magis autem animæ ipsius infusa, numquid non recte per imbrium inundationem mirificam accipiemus? Sicut per tonitruum, verbi Dei ab ore ipsius procedentis efficaciam, qua nedum alumnas lætificari sufficeret, verum et fratrem, cui Deus B Sanctorum dederat scientiam, vicaria afficere posset relatione. Boanerges etenim Christus Jacobum et Joannem germanos, ob vocem Patris auditam, appellaverat, qui bajuli verbi Dei, quod perceperant, per mundum erant futuri. At et hic germani duo, qui vocem Domini vocantis audierant, et quæ audierant per Spiritum, loquebantur. Deinde per coruscationem, vitæ ipsius pateat exemplaritas. Lampadi namque suæ adhibuerat oleum et lucem. Neque inter hæc miracula defuisse credenda sunt, cum ab omnipotenti Domino, etiam contra Benedictum, in eis patrandis admirabilem, subito obtinuerit. Habuit ipsa caput suum in omnibus suis, hoc est voluntatem ad opera, nedum mandatorum, verum et consiliorum, promptissimam : unde et Dominum Jesum, caput Ecclesiæ, ad omnia habuit paratum. Nihil ergo, quod ab eo desideranter petisset, impetrare non potuisse vel posse credatur. Inseruerat etenim digitis manus, omnibus operibus suis piam connectens intentionem.

*fratrem etiam superans caritate,*

*1. Joan. 4. 3*

13 Magna autem veneratione dignum, quod Gregorius testis locuples et veridicus, in caritatis sublimitate Patri Benedicto, qui tanto illius ferebatur fervore, etsi jamjam evocandam, vel in hoc facto C prælocare eam non dubitavit, de nubrium miraculo fletibus per eam impetrato ita inquiens : Quia enim, juxta Joannis vocem, Deus caritas est, justo valde judicio illa plus potuit, quæ plus amavit, ipso videlicet germano. Constat autem Apostolum hanc universis præponere virtutibus, donisque aliis, etiam desuper collatis, disserens de illa subdit : Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, quam si quis possideat, reliquas similiter habeat omnes, et absque ea nullam talem veraciter habere possit. Hæc enim mater est et forma virtutum, hæc radix et finis earum. In hac etenim et juxta veritatis sententiam tota lex pendet et Prophetæ, in qua et reliquæ tales universæ connectuntur atque cohærent : sine qua nec quicquam quantumvis videatur operosum, Deo gratum, aut vitæ futuræ meritorium esse valet, etiamsi quis linguis hominum loquatur et Angelorum, omniaque sua dispergat in pauperes, ac mortem ipsam veluti pro Deo sustineat. Hæc Altissimum attingit ceteris familiarius, quem sub responsione summi boni objective respicit, in ipso valde amabili et totis medullis desiderabili, gratuito sistens; omnia in ipsum referens, in omnibus omnino ejus fieri desiderans beneplacitum et honorem. Major ergo aliarum caritas, quam et almus Pater Benedictus secundum

*Cor. 12. 31.*

*virtutum omnium reginæ,*

Scripturas tantopere præcipit. Hanc quanto altiori D gradu quis assequatur, tanto necesse est et in cunctis aliis eum præeminere; ea namque crescente et ceteræ proportione quadam similiter crescunt et intenduntur.

14 Illam igitur cum, ut præfatum est, tantam Scholastica habuerit, quantam in aliis eam fulsisse putabimus? Hac enim tali ac tanta dirigente, valde patientem eam fuisse certo sequitur in malis tolerandis, atque in operandis erga proximum bonis beneficam, et magna præditam benignitate, qua veluti bono igne succensa sic anima ipsius liquifieret atque fervesceret, ut dona sibi collata aliis non impertiri non posset. Per hanc omnia credenda firmiter credidit, atque promissa fidenter speravit. Ea etiam constantem animum ejus atque in bono perseverantem effecit : in sodalium profectu gratiose modesteque jocundam reddidit, ut nec, nisi quando quicquam delicti aliquam præoccupasset, tristaretur. Quod quidem dum eveniret, in spiritus lenitate corripiens, inultum non sineret. Nam hac faciente æmulari non aliter quam in bono quemquam poterat; neque perperam quicquam agere, nec inflari; humillima vero potius esse pro caritatis magnitudine; ambitionem autem ut pestem quamdam fugere, atque ob id nec E irritari; et in omnibus iis Dei honorem quærere et proximi profectum. Inter superbos enim jurgia semper esse Scriptura testatur, caritas autem non quæ sua sunt quærit, sed quæ Jesu Christi. Has tuba Dei Apostolus caritatis conditiones esse proclamat, qui insuper plenitudinem legis eam definit ac finem præcepti. Ex his gratissimam cohabitantibus conversationem ejus fuisse quis dubitet? Nam et de hac virtutum regina ait quidam Sanctorum : O bona mater caritas, quæ sive foveat infirmos, sive exerceat perfectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos. Cum te arguit mitis est, cum tibi blanditur, simplex est : pie solet sævire, sine dolore mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari. Eo etiam processu tam facilem Scholasticam fuisse, spiritualium daporum vicaria appositione fratrem a quo colabatur reficere. Divinarum enim Scripturarum multiplicem abundantiam, latissimamque doctrinam, ut alter quidam Sanctorum ait, sine ullo errore comprehendit, et sine ullo labore custodit, cujus cor plenum est caritate. Hinc quando in caritate tantum profecerat, non tam pro instructione jam ut olim cum fratre convenisse eam crediderim, quam pro igniti animi salvifico caritatis calore, quem cohibere non poterat. Quod igitur in operis rigoris executione, ob sexus conditionem, F minus fortasse fecit, caritatis supplevit magnitudine. Nam et secundum hanc virtutem devotæ mentis intentionem et opera Deus pensat ac remuneratur.

*cujus omnes conditiones et effecta egregie expressit.*

*Prov. 13. 10*

a [illegible] velle docere, non qui [illegible]. Nam quod minus [illegible] ut sponsæ Christi [illegible] — b [illegible], ostendit vel quid [illegible] — c [illegible] apud Vossium lib. 4 de [illegible] 30. — d [illegible] erat, servulorum esset legendum, an serviendum

## CAPUT IV.

### *S. Scholasticæ virtutes columbæ moribus expressæ.*

Præter id autem, quod columbina illa ad cœlestia profectio, religiosi animi puritatem innocentiamque, qua prædita erat, significare dictum est; septiformem quoque sancti Spiritus donorum gratiam eam possedisse, ex hac ipsa, qua supra, ostendendum restat radice. Virtutibus enim bene mobilis fit mens humana per rationem, donis autem per Spiritum sanctum; quamquam a Deo largitore munifico utriusque generis habitus proficiscantur. Est itaque columba volucris

*Columbæ specie visa in cœlum ascendere,*

A cris simplex et sine felle, ad cujus proprietatis imitationem Christus discipulos hortatus est : ut scilicet per hanc nedum nemini injuriose obsint, nec dolos machinentur, gradiantur vero in omnibus simpliciter et sine fictione. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et a superveniente corripietur iniquitate; qui et munerum dator et munus, in specie columbæ super Domino baptizato apparuit, quo qui gratiam possideat, his etiam virtutibus atque donis ornatum esse oportere doceremur. Consequuntur hæc se mutuo, ut nec simplex fictionis duplicitate laborare, nec hypocrita simplex esse possit : sed et fellis carentia iræ præcipitis amaritudinem excessivam atque rancorem adversus proximum excludit.

*Matth. 10. 17.* *quia simplex ut columba,* *Sap. 1. 5.*

16 Adjunxit autem Dominus prudentiam serpentinam, qua ut non volumus aliis per injuriam adversari, nec eos decipere, sic et insidias prudenter declinemus inimicorum, horum maxime qui in criminum sordes trahere nitantur, et animabus obesse. Unde et columba sub diluvio emissa, cum fœda et lutosa omnia videret, nec inveniret ubi requiesceret pes ejus periculum declinans ad arcam rediit, instinctu designans cœlesti tentationibus electos exer-
B citari quidem, sed tamen eo proficere amplius; nec cœno peccati detineri sic posse, quin ex omnibus major eis salutis materia paretur, quod quia in his qui fortasse graviter lapsi sunt, verum est, fortius in retinentibus innocentiam. Hinc et posthac columbam virentis olivæ ramum attulisse redeuntem Geneseos scriptura commemorat.

*prudens tamen;* *Genes. 8. 11.*

17 Ut autem apertius ostendatur, quod cœptum est, in columbæ specie gloriosam sanctissimæ Virginis illius animam in ascensu suo apparuisse, septemplici sancti Spiritus gratia, qui in eadem, ut præfatum est, specie apparuit mentem ipsius copiose imbutam fuisse nimirum declarat. Nam et hoc ex hujus volucris conditionibus pervestigatur mystico intellectu. Hæc enim circa aquas residere assueta, rostro quod edit non lacerat, pullos fovere solet alienos, in foraminibus petræ nidificat, grana eligit meliora; estque animal immolatitium, gemitum pro cantu observans. Resedit columba illa nostra circa sapientiæ aquas potandas avidius, pro quo et pincernam Domini Benedictum opportune conveniebat, ut per ejus ministerium, quasi canali quodam, ab immenso divinitatis pelago, in ipsam quantumvis largiter inspiratam, copiosius sapientiæ flumen derivaretur. Neque vero satiari poterat in verbis gratiæ de
C ore ejus procedentibus, ac nocturna etiam collocutione, nedum ullo affici tædio, sed et tota alacritate plus plusque sitiebat. Scriptum enim noverat : Audi sapiens, et sapientior eris. Vere in ea completum est, quod de seipsa profert Sapienti dicens : Qui edunt me, adhuc esurient, et qui me bibunt, adhuc sitient. Bibunt autem auditores, non quidem omnes, sed tales, qualis ipsa fuit, fideles. Verum et ipsa secundum propriæ abundantiæ copiam Magistrum vicaria (juxta Gregorium) potavit relatione. Applaudit procul dubio frater sapiens sorori sapienti, ac communicatione mutua sese succendebant. O quam suave sapientiæ contubernium, cujus nec convictus tædium, nec amaritudinem habet conversatio : omnium enim bonorum mater est, quæ et omnia pariter possessuri cum ea proveniunt. Voluisset (nihil hæsito) pro hac causa frater diutius et ipse eidem commorari, nisi religiosis obstaret exemplum, timeretque vel posteris, vel tunc præsentibus, [illegible] querelæ occasionem ex hoc proventuram. Nam et remanentiam extra cellam non convenire sibi opposuit. Hinc [illegible] tamvis ex convictu illo sapientior [illegible] perspicacissimo melior [illegible] fieret, providere tamen volebat non tantum [illegible] aut sibi aut sorori, verum et aliis

*donis Spiritus ornata,* *residens ad aquas sapientiæ,* *inexplebili studio;* *Prov. 1. 5.* *Eccli 24. 29.*



expedirent : donec, Deo mirabiliter providente, per D sobitam pluviarum inundationem aliud melius fore innotesceret.

*AUCTORE HIER. DUNGERSHEIM*

18 Ex his autem patere potest, et intellectus donο eam fulsisse, quando perseverantius verbi Dei colloquio vicissitudine infatigabili inhiabat. Non enim rostro schismatico doctrinæ sacræ laceravit sententias, nec (quod hæreticorum est) epulas verbi bonas pervertendo infecit, aut dissensionis pertinacia fœdavit, sed Ecclesiasticæ sacræ doctrinæ firmiter cohærebat. Quam fructuose vero etiam usque hodie sub fraternæ religionis titulo pullos undecunque collectos, sanctitatis post se diffusæ sapidissima nutriat alimonia, in tot millium omnis ætatis et conditionis Virginum et Viduarum, ferventi studio ipsam æmulantium, propagatione apparet. Neque enim tantam etiam a germano nanciscendæ sapientiæ operam eam dare voluisse putandum est, absque ejusdem communicatione alumnis facienda, cum unicuique manifestationem spiritus ad utilitatem datam esse non ignoraret. Hoc autem ad donum consilii pro se et aliis dirigendis pertinere dignoscitur.

*doctrinæ grana non lacerans aut pervertens;* *alumnas fovens,*

19 At quam suaviter in foraminibus petræ illius, quæ refugium est columbarum simplicium, commorata sit, felix ipsius edocet perseverantia. Nihil E enim a caritate Dei, quæ est in Christo, eam potuit separare. Hoc autem factum est dono fortitudinis, quo stabilita sunt bona ipsius in Domino, cujus et perseverantia pars est non postrema. Hanc in foraminibus vulnerum Domini Jesu collegerat, qui juxta Apostolum petra est, durissima quidem per constantiam, largiflua autem per gratiarum partitionem. Hæc ergo compassive recolere ac gratissimis internorum labiorum osculis basiare, spiritum ejus in Deo sic firmabat, ut nec labor, nec instantia quævis a sanctitatis proposito eam posset avocare, quasi eam de cruce Dominus inclamaret : Veni columba mea; commorare scilicet in foraminibus petræ, in caverna maceriæ : ubi sublimiter instrui poteris, fortitudinis ac totius perfectionis exempla in me crucifixo, perforato, ac quasi maceria dilacerato, perdiscens. Sed et solerti circumspectione grana pastus meliora hæc prudentissima Virgo elegit, magnoque scientiæ dono resplenduit. Noverat enim sagaciter inter bonum et malum discernere, quicquid agendum omittendumve foret, per Spiritum, quem a primæva ætate imbiberat, discutere, idque exequendi operam non segnem adhibere. Nam de hujusmodi dulce sibi fuit tractare, ut ex præfatis facile advertit fidelis interpres. F

*in foraminibus petræ habitans,* *id est, vulneribus Christi.* *1 Cor. 10, 4* *eoque fortis* *illa meliora pollens,*

20 Dehinc animal immolatitium columba dicta est, ac felle carere. Per quod utique pietatis notatur donum, quo speciosa hæc columba Scholastica divinis ab infantia se dedicavit. Ad proximum quoque benigne conversata, non movebatur amaritudinis ac iracundiæ felle, potius autem, si quid molestiæ occurrisset, patienter ferens, ad benignissimum animæ suæ sponsum, mœrentium consolatorem, tota animi mansuetudine fidenter recurrit. Unde nec contra fratrem, etiam suppliciter rogatum, exaudire vero nolentem, moveri [illegible] potuit, sed a Domino exaudita [illegible] tantum [illegible] egerit, ostendit, pietatem Domini intentioni fratris rationabili præferens pietate : quod utique lenissimi animi præfert insigne. Hæc, Fratres, in Deum semper [illegible], in homines semper est benigna; [illegible] habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.

*[illegible], et sine felle,*

21 Donum Spiritus sancti [illegible] [illegible] [illegible] dare [illegible]. Certe quæ [illegible] tripudi[illegible], ut [illegible] frater ejus [illegible] jam aliud quoda[illegible] videretur, gavisus est et ipse congratulatus, [illegible] præ-

*[illegible] gemitu*



cedenter

A cedenter singultuose clarius probatur. Beati enim qui lugent, inquit Dominus, quoniam ipsi consolabuntur. Necesse est ut suspiriis multis hanc esurierit quam tandem adepta est saturitatem. Necesse est, inquam, in timore Domini casto atque filiali eam vixisse, quam cœlesti hæreditate tam excellenter donandam Pater ille familias, qui cuique juxta propriam dat virtutem, dignum duxit. Nidificat ergo nunc quasi columba in summo ore foraminis, unde nullus eam detrahere possit: quæ in hoc tempore rugiebat a gemitu cordis sui; dolens quidem de incolatus sui prolongatione, proximorum quoque erroribus, pro filiali in Deum reverentia, condolens plus angebatur. Hæc autem ex amoris qua præcelluit magnitudine indubitanter procedebant. Nam qui alterum diligit, in injuriis ipsius, quo erga eum amplius amore fervet, quomodo non eo amplius contristabitur? sicut et in erroribus eorum, quos propter eum diligit, non potest non infirmari.

AUCTORE HIER. DUNGERSHEIM.

Matth. 5, 5

22 Quando igitur tantum caritatis fervorem, carnis ejus imbecillitas jam ultra ferre non facile posset, paullo post discessum a fratre morata est, quo evolaret columba nivei candoris ad Dominum suum. Unde jam de vitæ ipsius termino breviter videamus. B Scholasticam ergo tantis spiritalium divitiarum dotatam thesauris, Christus animæ suæ sponsus amantissimus, non ut olim ad compassionis afflictionem, sed regni potentissimi participium ineffabili gaudio et gloria vocavit, quasi diceret: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni, amica mea per caritatis excellentiam, columba per simplicis animi rectissimam intentionem et innocentiam, formosa per virtutum et charismatum abundantiam. Jam enim hiems difficultatum transiit, imber lacrymarum abiit et recessit: flores pulchritudinis meritorum apparuerunt in terra nostra: tempus sectionis præmiorum advenit. At illa: Ecce ego Domine. Vidit nempe Benedictus post triduum animam ejus beatissimam in specie columbæ cœlos glorioso penetrare. O diem semper desideratam, quia ea ipsius anima magnificata est præ omnibus diebus suis. Mox etenim immarcescibili æternitatis corona dotata est, beatitudinis perennitate sublimata, Deiformi claritate tota illustris facta, Regi gloriæ indefectibili sponsalitio juncta. Ubi ad eam magnifice exaltatam pro patrocinio nobis fidenter confugiendum est; nec hæsitandum pro invocantibus rogantem exaudiri, quæ, ut præfatum est, in humanis C adhuc posita tam facile est exaudita.

evocata a Christo,

evolavit ut columba,

23 Cum autem juxta Scripturas ad loca ruentium spirituum ex quibuslibet cœlestium hierarchiarum ordinibus, homines electi transferendi sint; ad ordinem Seraphin exaltatam eam, non difficile crediderim pro eo quod tam ardenti amore Deum in terris posita dilexerit. Seraphin enim incendium interpretantur, et in amore excellentes, Sancti astruunt illic assumendos: maxime cum juxta caritatis magnitudinem, meriti quoque et præmii magnitudo accipienda superius dicta est. Deinde quod tantæ illius religionis suæ primiceria constituta fuerit. Nam si ordinum tantorum primi Patres ac matres pro singulari sui sanctitate illic non assumantur, quis post primos Sanctos hoc dignus erit honore? Quamvis ergo spirituum ponderator Deus est, pia tamen fide ita credi potest pro B. Gregorii testimonio de amoris ipsius magnitudine. Qui et refert Patrem Benedictum tantæ sororis gloriæ congaudentem, virginei corporis ipsius reliquias allatas, in proprio condidisse sepulchro, ut quibus in Domino spiritus unus in præsenti semper fuerat, unus esset quietis locus, et Deo volente debita reverentia

inter Seraphinos ob amorem collocata.

D

## CAPUT V.

### *Illustres S. Scholasticæ imitatrices.*

A seculo autem tam feliciter migrans, quod Christi gratia cœperat inter homines conversata, multo amplius ipsi conregnans effecit. Quanti enim sanctarum Virginum, castarumque mentium greges usque ad præsens eam sunt comitati, quis dinumeret? de quibus aliquæ magis nobis notæ in vicinioribus scilicet locis olim conversatæ, brevius tamen justo secundum promissionem superius factam sunt commemorandæ. Ubi primo occurrit gloriosa Domina Kunegundis, ex Augustorum sanguine progenita, filia *a* Palatini Rhenensis, *b* S. Heinrico Romani Imperii moderatori matrimonio quidem juncta, sed simul cum ipso, Deo teste, semper Virgo permanens. Erat enim inter eos castum virgineumque conjugium, et thorus immaculatus, adinstar jugalis fœderis inclyti Joseph et Virginis Virginum Matris Dei. Hæc est, cui integritate ipsius et innocentia faciente, nec candentes quidem vomeres nudis plantis super eos incedenti, diabolo quoque stridente, nocere poterant. Hæc post præfati memorabilis conjugis discessum, qui eam moriens amicis Virginem, ut acceperat, resignavit, spreto terreno regni solio, sicut semper, sic tunc maxime, ad cœlestis regni apicem summopere aspiravit. Hinc sanctimonialis animum atque virtutem, quam sub auratis pro dignitate vestibus et imperiali diademate gesserat, habitu induta fusciore, et velo virginali per Episcopos imposito, aptius exhibuit, et ad Confugiense, quod ipsamet magnifice struxerat, atque abundanter dotaverat, monasterium, sub alis cœlestis sponsi Domini Jesu confugit, atque omnium rerum suarum, sicut semper in pauperes largissima fuerat, Christum in pauperibus suis fecit hæredem. At pro humilitate nimia Abbatissæ officium per se quidem administrare nolens, curavit nihilominus ut omnia religiosius agerentur, dedita ipsa divinorum contemplationi. Cujus et quanta merita fuerint, miracula vel in vita vel morte ipsius exhibita ostendunt. Quæ et ab Ecclesia canonice Sancta declarata, et in Cathedrali Babenbergensi, quam cum præfato conjuge Imperatore sancto fundaverat et consummaverat, ubi et in *c* fascis constituta demorata fuerat, cum eodem, quem semper in Christo caste diligebat, quiescit.

Multæ eam secutæ Sanctæ; *a b*

S. Kunegundis Augusta 3 Mart.

E

*c*

25 Post hanc Beatam occurrit Radegundis *d* Berecharii Regis Thuringorum filia, quæ cum a Lothario Rege Francorum, ipso patre suo devicto, eidem in prædam et uxorem cessisset, tandem Deo disponente, ei religiosius, ut optaverat, servire permissa est. Fuit hæc in pauperes multum misericors, captivos precibus obtinens relaxari, cilicio etiam ad carnem in regno perusa: post Pictavis in monasterio sibi constructo magnam puellarum multitudinem collegit, quam Abbatissa sanctissime rexit. Ubi et maximis virtutibus et prodigiis fulgens, inter alia mortuam unam ex Sororibus vitæ restituit, ac morientis ipsiusmet gloria, longe posito Tribuno cuidam revelata fuit.

*d*

S. Radegundis Regina Galliæ 13 Aug.

F

26 Dehinc memorabilis Virginis *e* Gertrudis excellentia se offert, quæ, ut probatissimis proditum est historiis, filia fuit Pipini alterius Regis Francorum: quæ cum virum accipere urgeretur, nec vellet, ad partes Franciæ Orientalis, in locum qui dicitur Karelspurck, a civitate Herbipolensi tribus distantem milliaribus, religiosæ matris auxilio fugiens pervenit, adducens inter alios Attalongum honestissimæ conversationis magnæque opinionis Presbyterum, structaque ibidem basilica in honorem Virginis Matris, divina sibi per eumdem fieri fecit. Cui etiam Presbytero post revelata sunt mirabiliter corpora sanctorum

*e*

S. Gertrudis 17 Mart.

A sanctorum Martyrum *f* Kiliani Pontificis, et sociorum ejus Colonati Sacerdotis, et Levitæ Totnani, tempore *g* S. Bonifacii Archipræsulis Moguntini: qui et ob id levatis decentissime Martyrum præfatorum reliquiis, miraculis plurimis coruscantibus, præfatæ civitati Herbipolensi, ubi conditæ sunt, B. Burchardum authoritate Apostolica instituit Episcopum. Gertrudis autem, post multorum procorum instantiam atque repudium, Abbatissa constituta est cœnobii Nivicellensis, ubi cum maxima cumulasset merita, Deus sibi obitum suum revelans, festive ad cœlestia eam vocavit, cujus et longe lateque per Germaniam celebris est memoria.

*f g*

*h S. Adaloga 2 Febr.*

27 Hujus sanctæ Virginis ex fratre germano neptis fuit beata Virgo *h* Adaloia, Abbatissa prima monasterii Kitzingensis in Francia Orientali, similiter in diœcesi Herbipolensi cis Moganum siti; qui locus per eam in prædiis et personis brevi adeo auctus est, ut inter prima Germaniæ monasteria haberetur. Erat autem, ut de ea scriptum est, valde speciosa et virtuosa nimis, Deo et hominibus multum amabilis: ac posthabitis Regibus ac Regum filiis, ex Britannia, Pannonia, Græciaque pro ea instantibus, Christo se totam devoverat; patre ipsius B Carolo Rege Francorum, quamvis primo plurimum indignante, post tamen per visionem commonito, eidem satis cooperante: magnam nedum Virginum ut factum est, verum et Clericorum divina ipsis facientium, multitudinem in monasterio præfato instituit. Fuit hæc in pauperes largissima, et multum compassiva, tanta per se eisdem ministrans pietate, ut mater pauperum diceretur. Hæc etiam præter ceteras virtutum dotes, miraculis clara, de grege suo, quem (ut ipsius asserit historia) religioni Sanctæ Scholasticæ dedicaverat, atque verbo doctrinæ et perfectæ virtutis exemplo paverat, maximam in vita et morte habuit sollicitudinem; adeo ut et erranti fere cuidam Sorori in somnis apparuerit eamque in cœlibis commonitione sacra reformaverit. Tandem post multos in via Dei sudores, sancto fine transitura, ejusmodi fidenter ad sponsum suum fecit orationem: Domine Jesu Christe, cujus amore terrenas nuptias contempsi, multosque labores et passiones sustinui; concede, ut cum migravero, in choro Virginum a te recipi merear. Quod et ita factum esse signa mox ea decedente patrata certum reddiderunt. Doluit autem pro tanta Matre vehementer pauperum, quam paverat, multitudo: totaque regio C illa ad eam, ut patronam, per orationes devotas confugit.

*clara miraculis;*

*S. Hedwigis, i k l m S. Elisabeth, S. Walburgis n*

28 In eodem etiam monasterio Kitzingensi post lapso tempore, litteras docta est *i* B. Hedwigis et *k* S. Elisabeth relicta *l* B. Ludovici Comitis provincialis Thuringorum, cum *m* matertera sua ibidem Abbatissa ad tempus est conversata, prout in Sanctarum illarum historiis est expressum, *n* Walpurgis etiam Virgo sancta, natione Britannica, sed in diœcesi Eystetensi conversata, Mater fuit Virginum monasterii Heidenhimensis, soror S. Wilewaldi dicti Episcopatus Pontificis. Hæc inter alia multa illustris viri filiam jamjam morituram, precibus ad Dominum fusis, incolumem restituit, et sororibus clarissimæ lucis in opacæ noctis tempore splendorem mirificum a Christo obtinuit. Quanto autem, ut de ea scribitur, perpendit Dei clementiam magis per eam mirabilia operari, tanto ad arctioris vitæ excellentiam semetipsam de die in diem coaptavit, ac omnia quæ mundi sunt penitus abdicans, Dei Virginibus imitabilis religionis maximum reliquit exemplum, tandem in Domino obdormiens in dicta diœcesi quiescit.

*o S. Hildegardis,*

29 Fuit et *o* Hildegardis Virgo beata de familia Scholasticæ sanctissimæ Matris, Abbatissa scilicet cœnobii S. Ruperti in diœcesi Moguntina siti. Hujus D odor sanctitatum et revelationum lux adeo (Deo favente) innotuit, ut nedum Imperator *p* Conradus, et Principes seculares multi, atque Ecclesiarum multarum Pontifices, ejus in arduis rebus, quasi a Propheta Dei, preces postularent atque consilia; verum et Summi Pontifices per Apostolicas eam litteras visitarent, ac Ecclesiam ei commendarent Romanam. Erat autem B. Bernardo contemporanea et familiariter nota. Ejus quoque revelationes, quas in multis scripsit voluminibus, Papa *q* Eugenius tertius, adstante prædicto Patre sancto Bernardo approbavit; vitamque ipsius celeberrimam plurima commendarunt miracula. Erat etiam iisdem temporibus *r* Virgo sacra Elisabeth Abbatissa Sororum monasterii Schonaugiensis, quod in Hercinia silva situatur, quæ et ipsa multas a Deo habuit revelationes; inter quas de Reginæ cœli Virginis Mariæ veneranda Assumptione, ipsamet Dei matre sibi apparente, legitur edocta. Præfuit autem Virginibus multis ibidem, quas verbo doctrinæ et sanctitatis exemplo, sponso cœlesti fideliter conservavit. Hæc præter alias revelationes multas, librum viarum Dei utiliter scripsit: fuitque per litteras cognita et familiaris prædictæ sacræ Virgini Hildegardi, cum qua, sicut unus erat habitus, sic et unum in Domino cor possidebat, E eamdem quoque divinarum revelationum gratiam assecuta.

*AUCTORE HIER. DUNGERSHEIM. p q r S. Elisabeth Schonaugien.*

a Sigefridus pater S. Cunegundis fuit Comes Luxemburgensis, ut videre est apud Chesnæum in historia domus Luxemburgensis: an etiam Palatinus Rheni fuerit, ut hic auctor et alii recentiores volunt, haud ita certum. Obitum ejus ait idem Chesnæus in Gorziensi Martyrol. referri 28 Novembris. Verum in Anniversariis monasterii S. Maximini, ubi sepultus, ad 15 Augusti ista habentur: Sigefridus Comes, qui contulit nobis Mersch. Giselbertus Comes qui dedit nobis Sueplinge et Lerenich Karit. Uterque hic Comes commemoratur etiam in Necrologio ejusdem monasterii. — b Vitam S. Henrici Imp. dabimus 14 Julii. Obiit an. 1024. Cunegundis anno vertente convocatis Episcopis ad dedicationem ecclesiæ Confugiensis, purpura deposita religiosum habitum suscepit, et quindecim in sancto proposito supervixit annos, uti illius Vitæ scriptor testatur. — c Opinor scribere voluisse Auctorem in fascibus, sive imperatoria dignitate. — d Alias Bertharius appellatur. Is ab Hermenefrido fratre occisus, qui deinde etiam Badericum alterum fratrem ope Theoderici, filii Clodovei Regis Francorum, regno et vita exuit: sed postea ab ipso Theoderico, cui promissa non servaverat, et Clotario fratre ejus, victus ac peremptus, uti lib. 3 histor. Franc. narrat S. Gregorius Turon. Obiit Theodericus an. 534, Clotarius 561. Ipsa vero Radegundis superstite adhuc marito religiosam vitam complexa, decessit 13 Aug. feria 4 an. 587. Vitam ejus tum a Fortunato Episcopo, tum a Baudonivia sanctimoniali conscriptam dabimus 13 Aug. — e Auctor geminam Gertrudem confundit, quarum una B. Pipini Landensis filia fuit, altera Pipini Heristalli. Prior natum erat 14 annorum, cum pater ejus decessit anno Clotarii 3, Christi 640. Et antea fuisse in Franconiam, adhuc idolorum cultu hæream, non videntur potuisse, licet aliqui recentiores id velint. Sed qui potuit Attolongus Presbyter ejus comes ad tempora S. Bonifacii pervenisse? Sed de hac re pluribus ad ejus Vitam 17 Martii. Recte notat hic auctor Pipini alterius, sive secundi filiam fuisse, quem ideo Regem appellat, quia, ut ejus filius Carolus Martellus gloriari solebat, Regibus ipsis imperabat, totumque regnum pro libitu administrabat. Verum senior illa Gertrudis, Pipini I filia, Nivellensem fundavit ecclesiam in Brabantia. Secunda illa an colatur, adhuc disquiremus. — f De hoc S. Kiliani et sociorum inventione agemus 8 Julii et ad Vitam S. Burchardi 14 Octobris. — g S. Bonifacii Vitam dabimus 5 Junii. — h De S. Adaloga, sive ut hic appellatur, Adaloja Caroli Martelli filia, opera egimus 2 Februarii. — i S. Hedwigem major Vita, quam 15 Octob. dabimus, in claustro Lutingo sacras litteras didicisse ait, Surius in Lutzingensi. Nominat nos Andreas Stredovius noster Legendum in Kitzingensi, vel Kotzingensi. — k Vitam S. Elisabeth Landgraviæ Thuringiæ dabimus 19 Novemb. — l Joannes Thurocius in Chronico Hungar. par. 2 cap. 73 scribit ejus festum Hierosolymis devote celebrari. Obiit colitur 11 Septemb. — m Hanc ... Mechtildim Ducissam Meraniæ appellat. Fuit enim S. Hedwigis filia Ducis Meraniæ, habuitque sorores tres, quarum una mater S. Elisabethæ, altera Philippo Regi Galliæ nupta, tertia Abbatissa fuit in Kitzingen. — n De S. Walburga agemus infra 25 Febru. de fratre ejus S. Willibaldo Episcopo, qui hic Wilewaldus appellatur, 7 Julii. — o Vitam B. Hildegardis dabimus 17 Septemb. Natam scribit Nicolaus Serarius noster rer. Moguntin. lib. 2 cap. 37 an. 1098, mortuam 1180, recenset Pontifices, Imperatores, Episcopos, quorum extant ad eam epistolæ. — p Electus est Conradus in an. 1138, mortuus 15 Febr. 1152. — q Creatus est Eugenius III Pontifex an. 1145, obiit 8 Jul. 1153. — r Obiit S. Elisabeth Schonaugiensis an. 1165, ut 18 Junii dicemus. Fuit Schonaugia monasterium ord. Benedictini in diœcesi Trevirensi trans Rhenum sub ditione Principum Nassoviensium, ut testatur Gaspar Jongelinus in Notitia Abbatiar. Ord. Cistercien. cum de Schonaugia sui Ordinis in diœcesi Wormatiensi sita agit: ipse et ibidem Chrysostomum Henriquez refutat, qui in Menologio Cisterciensi, itemque in præfixo Libris Cistercii Kalendario S. Elisabetham Cisterciensem facit.

*Sigefridus pater S. Cunegundis*

*S. Radegundis parens, mirifice*

*S. Gertrudis Pipini Heristalli filia.* F

*B. Ludovicus Landgravius.*

*S. Elisabeth Schonaugiensis Benedictina.*

## CAPUT VI.

A

*AUCTORE HIER. DUNGERSHEIM.*

## CAPUT VI.

### *S. Scholasticæ exemplum plures imitatæ. In his S. Theodica.*

At ne sim proxilior, ex reliquis quæ plurimæ sunt, etiam sanctarum Virginum Catalogo asscriptæ, aliquas, sicut jam recollectas reperi, sic vel nominatim subdam. Fuit inter eas *a* S. Aldegundis Abbatissa monasterii Malbodiensis, cujus festum agitur III Kal. Februarii. S. Amelberga sanctimonialis et Virgo VI. Idus Julii. S. Anastasia Abbatissa in Horreo Treviris V Idus Decembris. S. Angadrisina Abbatissa apud Belluacum *b* VI Kalen. Aprilis. S. Aurea Abbatissa Parisius, quæ sedit in Cathedra clavis ferreis plena, IV Nonas Octobris. S. *c* Athgitta sanctimonialis Bertzingensis in Anglia XVI Kal. Octobris. S. Basilissa Abbatissa in Horreo Treveris *d* XIV Kal. Julii. S. Bathildis Regina Franciæ et sanctimonialis monasterii Kalensis VII Kal. Februarii. S. Benedicta, Abbatissa in Swestris XVI Kal. Decembris. S. Bilihildis Comitissa, et post Abbatissa, quinto Kalen. Dec. S. Cæcilia Abbatissa in Swestris XVI Kalen. Decembris. S. Edelberg Abbatissa monas-

B terii Brigensis VII Idus Julii. S. *e* Elfleda. S. *f* Erkantrudis. S. Edeltrudis Anglorum Regina et Abbatissa Elgensis IX Kal. Julii. S. Edelburgis Abbatissa Beringensis in Anglia V Idus Octobris. S. Fara Abbatissa monasterii Evoriacas III Nonas Aprilis. S. *g* Gladesuidis sanctimonialis Metensis VIII Kalen. Augusti. S. Hilda Abbatissa monasterii Streuneszhalcensis in Anglia *h* IV Kalen. Octobris. S. Irmina prima Abbatissa in Horreo Treveris, filia Dagoberti Regis, X Kal. Januarii. S. Lyoba Abbatissa in Bischoffesheym, quæ Fuldæ requiescit, IV Kal. Octobris. S. Luttrudis sanctimonialis Corbeyæ monasterii X Kalen. Octobris. S. Landrada sanctimonialis in diœcesi Leodiensi VIII Idus Julii. S. *i* Maria monialis in Nivigellensi monasterio IX Kal. Julii. S. Modesta Abbatissa in Horreo Treviris secunda, pridie Nonas Octobris. S. Notburgis sanctimonialis B. Mariæ Coloniæ pridie Kalen. Novembris. S. Richardis Imperatoris Caroli Grossi olim uxor, et Abbatissa, *k* XIV Kal. Septembris. S. Regentlendis monialis monasterii *l* Divinensis, VIII Idus Octobris. S. Salaberga Abbatissa in suburbio Lingonensi X Kal. Octobris. S. Severa Abbatissa monasterii S. Symphoriani Treviris, XIII Kal. Augusti. S. Thobredia, cujus gesta habentur in Vita S. *m* Adelphii. S. Waldetrudis Abbatissa *n* Castrilocensis monasterii IV

C Idus Aprilis *etc.*

*Aliæ plurimæ Virgines ac viduæ S. Scholasticam imitatæ:*

31 Sunt autem et aliæ apud Deum magni meriti, et memoriæ sacræ apud homines, quanquam ab Ecclesia, ut dicitur, non canonizatæ. Neque vero canonizatio aliquid sanctitatis canonizato adjicit; sed eam habitam auctoritate Ecclesiastica, posteris ad virtutis incitamentum declarat, ut in Sanctis suis Deus devotius collaudetur. Neque tamen ambigitur quin probatæ et excellentioris vitæ defunctorum, etiam non canonizatorum, patrocinia privatim invocari possint. Nempe et ut in fine Letaniarum omnes Sancti cum Christo scilicet regnantes orare pro versantibus adhuc in hujus mundi exilio invocentur, habet mos Ecclesiasticus. Fuerunt præter præfatas et inter eas multæ, supra vitæ rectitudinem litteris apprime instructæ. Inter quas *o* Rosvidam Gandeshemensis cœnobii professam, Teutonicam quidem natione, sed Latino eloquio pro suo tempore et sexu clarissimam, imprimis censeo habendam, prout plurima quæ carmine et prosa perscripsit, attestantur.

*aliæ multæ non canonizatæ.*

*quædam doctrina claræ*

32 Innumerabiles autem sunt, quæ vestigia beatissimæ matris Scholasticæ secutæ, mundo quidem ignotæ, cum sponso autem suo feliciter regnant,

*multæ mundo ignotæ:*

D præter eas quæ in humanis adhuc conversantes Domino Salvatori, unico animarum suarum dilectissimo et optimo pastori, spirituale præstant obsequium, vota sua eidem fideliter reddentes; quæ et perseverantes, exuto corpore, quocumque ierit perenniter et beatifice eum, nec dubium est, sequuntur. Quarum et multæ soluta pensione laudum divinarum et devotione peculiari, labore manuum non omisso, litteris operam dant diligenter atque proficiunt pro cultu Dei propensiore. Sunt autem eæ Dei gratia, in numero ampliore; ita ut octoginta, plures etiam in iis oris monasteriatim habeantur. Quibus et a vita laxiori æternæ damnationis discrimine plena, regulari suffragante reformatione, aliæ multæ Dei gratia adduntur, addendæque cooperante Spiritu Sancto sperantur: donec earum plenitudo vias Domini ingressa fuerit, obsequentibus in hoc manum appositione, utriusque status, ut justum est, Prælatis atque Principibus. Quarum omnium sub uno Patriarcha Benedicto, Scholastica gloriosa mater est et specialis Patrona.

*multæ adhuc viventes.*

33 Beata vero *p* Theodica, etsi de habitu, seu professione, earum non fuerit, spiritu tamen eis semper jungebatur. Erat enim venerabilis cœnobii, cui tu

*ANIMADV. PAP 70 p*

E Pater Domino volente præsides, alumna; intra ipsius septa, sanctitatis privilegio, religiose degens, tanta arctissimæ vitæ excellentia a Deo donata, ac inauditarum passionum tolerantia diutine probata, atque in cœlestis civitatis muri lapidem pretiosum sic conquadrata, ut incredibile pene videri possit indevotis, devotas quoque convertere in stuporem. At e regione, quantas a Deo et Sanctis suis inter hæc consolationes frequenter acceperit, jucundum est audire; quantumque auxilii ad eam pro gloria Dei recurrentibus obtinuerit, saluberrimum experiri. Multis enim et magnis vivens et defuncta claruit prodigiis, ac demum ad cœlestia sanctissime atque festive migrans, martyriique palmam non abs re credita consecuta, corporis sacri reliquias in oratorio deposuit vestro. Quod ob id multo beatius revera dixerim, quod tantum Deus ei thesaurum tradere voluit. Apud castrum namque regale Bomneburgk diœcesis Moguntinæ in Hassiæ partibus, a parentibus nobilibus et devotis edita, illuc usque Dei mirabili pervenit dispositione. Sunt hæc et alia plurima multum prolixe satisque luculento tractatu de ea apud vos et alibi scripta servantur: e quibus ob id præfata, quia vobis notissima, non retulissem, nisi forsan et alii hæc quandoque lecturi essent.

*S. Theodica V.*

F 34 Jam ad te, Deo gratissima Virgo Scholastica, nostra convertatur oratio. Memento nostri, obsecramus, dum bene tibi est; dum quæ hic seminasti, copiose metis; dum sub umbra dilecti quiescis; et quæ tam potens apud Dominum universorum sponsum tuum fuisti inter mortales adhuc conversata, eidem jam beneficio juncta incomparabiliter es potentior; omnipotens enim tuæ comprobaris voluntatis, adeo ut nihil ab eo fieri desiderans, non obtineas. Tu, inquam, cum sacris sodalitii tui consortibus nobis in corpore hoc fragili positis sic vivere impetres precamur, ut in illo beatitudinis regno, quo columbino volatu gloriose pervenisti, hæreditariam et nos assequi mereamur portionem: ubi vitæ creatrix increata essentia, ubi salus indeficiens et jucundissima, ubi sapientia, quæ ex nihilo condidit omnia, ubi sole clarior formositas, ubi totius desiderii plena satietas, atque omnimoda saturitas, ubi omnia bona in uno bono, eo videlicet qui est omnia in omnibus benedictus Deus, cui est omnis honor et gloria in secula seculorum, Amen.

*Auctor S. Scholasticam invocat.*

a *Multorum e sequentibus natalem ipse indicat Auctor, quarum nos Vitas suis locis dabimus.* — b *Colitur quidem* [illegible] Angradisina *sive* Andagrisina *vel* Andragasina, 27 *Martii,* [illegible] *plerisque* 14 *Octobris.* — c *Videtur S. Edith* [illegible] *Regis*

A *gis filiam, quæ eo die colitur, et fuit Berkingensi cœnobio præfecta; Wiltoniæ tamen in cœnobio, in quo sub matris suæ Wulfridæ, sive Wulfrudis cura adoleverat, anno 23 ætatis decessit. At S. Ethelburga, quæ infra Edelburgis appellatur, in Barcengensi cœnobio, a fratre suo S. Erkenwaldo Londinensi Episcopo exædificato, habitavit.* — d *Plerique eam 20 Maii referunt.* — e *Duæ memorantur* Elfledæ, *una 8 Febru. altera 13 Aprilis.* — f *An* Erentrudis, *de qua 30 Junii?* — g *Vulgo* Glodesindis *scribitur.* — h *Imo a plerisque 17 Novemb. refertur; ab aliis 15 Decemb.* — i *Hæc est* Maria Oigniacensis, *celeberrimæ illa quidem sanctitatis, sed necdum in album cœlitum relata, neque in Nivigellensi, sive Nivellensi monasterio vixit; sed in eo oppido nata, primum in vicino loco, deinde Oigniaci sanctissimam vitam duxit.* — k *Videtur XIV Kal. Octob. scribere voluisse, quo die a plerisque refertur.* — l Dononium *appellatur cœnobium, in quo vixit S. Hogentrudis cum novem sanctis sororibus, Gallice* Denain, *situm apud Valentianas Belgii urbem.* — m *Hanc dabimus 29 Aug. in qua* Thebredia *hæc,* Terra *appellatur.* — n *Est id in urbe Montensi in Belgio illustrium nunc Canonicarum collegium.* — o Rosvida, *quæ et* Rosvita, *eruditione celebris historiam Othonis I carmine heroico cecinit, et alia complura; vixit tempore Othonis II.* — p *Hæc nobis adhuc ignota.* D

AUCTORE BIFA DUNGERSHEIM.

# DE S. PROTADIO

## EPISCOPO VESONTINO.

J. B.

AN CHR. DCXXVI X FEBR. *S. Protadii ætas;*

Dedimus VIII *Februarii Vitam* S. Nicetii *Vesontionensis Episcopi, qui S. Gregorii I Papæ temporibus floruisse traditur, ac S. Columbano familiaris extitisse. Ei suffectus est, Clotario II regnante,* S. Protadius. *Chilperico patri successit Clotarius an.* DLXXXIV, *monarchiam totius Galliæ post Theodorici II obitum adeptus an.* DCXIII *regni paterni* XXX, *ut I Febr. ad S. Sigeberti Vitam ostensum. Nec* B *ante eum annum admotus infulis* Protadius, *forte etiam aliquanto serius. Obiisse eum existimat Joan. Jac. Chiffletius Vesontionis par. 2 cap.* 23, die X Februarii anni DCXXVI.

*Vita,* 2 *Ibidem Vitam illius exhibet ex* tabulis Ecclesiæ Bisontinæ. *Pleniorem ab ejus fratre Petro Francisco accepimus. Epitome illius aliqua extat in tribus Lectionibus Breviarii Vesontini.* Sacra *Protadio* est dies Februarii decima, qua ad cœlos evolavit, *eodem teste Chiffletio, atque Auberto Miræo in Fastis Belgicis ac Burgundicis. Eodem die ista habet Molanus in Addit. ad Usuard.* *festum,* Bisontii, depositio Prothadii Ep. et Conf. tempore Clotarii Regis. *Ferrarius quoque in generali Catal. SS.* In Burgundia S. Prothasii Ep. Vesuntini. *Citat Molanum, sed in eo* Protasium *non legit: nonnum aut fuisse illius* Sedis Episcopum, *et sub* Clotario Rege claruisse circa *an.* III. *At nullus tunc Clotarius Rex fuit, sed primus ejus nominis octo post annis tetrarcha factus patre mortuo Cloduveo, illius nepos Clotarius II fuit, cui S. Protadius æqualis, ut ante dictum, atque etiam familiaris fuit; sed* XXIII, *non* IX *ejus loci Antistes. Refert eum Saussaius quoque hoc die cum insigni elogio.*

*patrocinium pro pluvia et serenitate,* 3 Præsentissimam B. Protadii opem, *inquit loco citato Chiffletius,* Bisontini experiuntur, tum in aliis C multis, tum maxime in imbribus vel laxandis, prout opus est, vel continendis. Quare, cum ejus corpus pridem in capsa lignea, alioqui non inelegant, asservaretur; nuper Capellani S. Petri sacro ejus con- *Reliquiæ.* cludendo cranio argenteum caput, reliquis ossibus capsam argenteam cives conflari curaverunt: in quam, nobis præsentibus, translata sunt IX Februarii, anni MDCXIV, per manus R. D. Philiberti Pourtier Canonici Bisontini et Vicarii generalis. *Eam Reliquiarum in aliam capsam transpositionem inscripsit Martyrologio Gallicano Saussaius* IX *Febr. his verbis:* Vesontione in basilica S. Petri repositio sacri corporis B. Protadii Præsulis, cujus gloriosus transitus celebratur die sequenti.

### VITA AUCTORE ANONYMO

ex codicibus Eccl. et diœcesi Bisontinæ,

*descripta a Pet. Franc. Chiffletio S. J.*

*a* Naturalis memoria, quæ generis humani insita est animis, non uno modo elucescit, in omnibus. Viget namque in uno quam in altero magis et lucidius: unde alios aliis præcellere memoria nimirum cernimus. Sed quoniam humanum genus ad hoc nascitur, ut quandoque ad interitum reducatur, non parvæ industriæ et sagacitatis extitit, qui primum ad hoc litteras reperire studuit, ut quæ facta egregie ad sui Conditoris laudem cognosceret, per has ipsas litteras posterorum memoriæ infigeret. Cum enim sanctorum Patrum vitam legendo recolimus, aut imitari eos nos posse ardenter cupimus, et aliquid simile fieri in nobis optamus, aut nos eorum meritis commendamus attentius. *Utiliter scribuntur Vitæ SS.* Quapropter de simili colligentes exemplum, Vitam B. Protadii *b* Chrysopolitani Archiepiscopi litteris nos sequentium notitiæ commendamus et hoc tanto devotius, quanto certius; qui quem Angelorum cœtibus aggregatum esse credimus, in ejus laudem, Angelorum adesse nobis præsidia non diffidimus. *b ut et hic S. Protadii* E

2 Tempore igitur Clotharii Francorum Regis inclyti Beatissimus Protadius, vir apostolicæ auctoritatis, Bisuntiæ civitatis adeptus Cathedram, rexit episcopium non tam dono quam merito, quia nulla ambitione terrena suscepit honorem, in quem sancti Spiritus gratia perpetuam sibi sacraverat mansionem. *is sub Clothario II B. Episcopus factus,* Nam summo labore animum ad virtutem a pueritia confirmavit: et, ut erat nobilissimus genere, moribus nobilitatem non obfuscavit, quæ bonorum actuum splendore in eo multis cumulis coruscavit. *nobilis,* Reges ac Principes maxime eum metuebant, item plurimum diligebant. Cujus quippe fidei constantia dubios confirmabat, temerarios gravitas temperabat, severitas eorum lasciviam corrigebat. *carus Principibus, omnibus reverendus,*

3 Emicuit quidem in eo cœlestis conversationis gloria, cui jugis inerat in cibis abstinentia, (edebat autem solummodo ut viveret, non autem vivebat ut ederet) in potu sobrietas, in vigiliis assiduitas, in oratione pura erat sedulitas: vitam Angelicam bonus pastor agebat, ab ore cujus laus Domini non recedebat. *virtute clarus,* F Laudem etiam propheticam semper habuit, cujus in conspectu Domini non solum mors, verum pretiosa et vita extitit. Quid igitur lucidius hoc Sacerdote? quid clarius hoc sancto Pontifice? in quo non solum continentiæ ratio in escarum parcitate, et castigatione corporis erat, verum amplioris illius virtutis bona, quæ ad animi pertinet castitatem, habebat; quæ non concupiscentiæ duntaxat carnis refrenat, sed etiam mundanæ sapientiæ vanitatem conculcat. *et doctrina,* Nullus enim ipsum per philosophiam, et inanem fallaciam decipere poterat, qui sanctarum scientia Scripturarum adsumme eruditus, et sancti erat Spiritus doctrina invisibili adsumme repletus.

4 Diebus enim suis veritatis inimici, sicut adhuc sunt non deerant, qui infra sanctam Ecclesiam bella civilia commovebant: quorum versutiam spiritualis Pastor, fidei armatus galea inexpugnabili, caritatis lorica circumdatus invincibili, veritatis quoque insecabili scuto munitus, Dominicæ Crucis vexillo percutiens, non solum confutavit, verum etiam quam plurimos ejus serpentinæ veneno astutiæ imbutos, ad sanctæ Matris Ecclesiæ gremium perfecte sanatos reduxit. *hæreticis infestus,* Quanta denique virtute, quantaque Dei potentia vir noster apostolicus hæresim, quæ eo

tempore

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A tempore *c* Simoniaca Gallicanas multum fœdaverat Ecclesias, extirpaverit, si quis diligenter ac curiose requirit, in Registro B. *d* Gregorii Papæ reperiet, qui super hoc laudes Deo et gratiarum actiones, Francorum *e* Reges salutando, rependit. Industria namque ejus cunctis in hac parte resistebat erroribus: fidem autem Catholicam a cunctis muniebat impugnationibus.

*præsertim Simoniacis;*

5 Specialis quoque pauperum cura in eo maxime prævalebat, circa quos vestimentorum ac ciborum distributor egregius secrete manebat: quia se Christum sub forma pauperis vestire ac pascere cognoscebat. Domesticorum vitam tam exemplis, quam eruditione, ad portum dirigebat beatitudinis; non sibi vivens, sed illis. At qui egregius paterfamilias de thesauro suo nova et vetera populis proferebat, qui utriusque Testamenti unum atque idem sacrosanctum *f* mysterium edocebat, gregemque Dominicum fideli prædicatione augebat, cui etiam Episcopalis definitio convenienter aptata in nullo dissonabat, quoniam modis omnibus irreprehensibilis erat.

*largus in pauperes,*

*curam gerens domesticorum,*

6 *g* Ad laudem igitur hujus sancti apostolici viri in vita nostra materia non deerit, cujus virtutibus tota patria enitescit. Sed quis unquam digne laudare B poterit, quem conversatio in terris jam cœlestem supernis civibus sociavit? Fidelis namque servus et prudens, in patrisfamilias domo constitutus, mensuram tritici in tempore conservis sagaciter erogavit, ut singulis quibusque quota portio congrueret, ad bene vivendum sufficeret, et de toto in horreo Domini sui nihil decideret: qui non solum animas civium beatitudinis pabulis satiabat, verum victualia corporum suggerebat, quos ab incursu cunctorum hostium precibus protegebat. O beatum virum, et per omnia laudabilem, cujus meritis Ecclesia sancta roboratur, civitas in suæ dignitatis statum provehitur, populus generaliter gubernatur!

*juste et provide omnia dispensans,*

7 Inter cetera quidem hujus beatissimi viri adscribatur laudibus, quod dubitantibus Clericis inter se de diversis Ecclesiarum usibus, rogante bonæ memoriæ Stephano *h* sanctæ matris Ecclesiæ B. Joannis Evangelistæ, et Hymino S. Stephani ejusdem civitatis Decano, *i* libellum ediderit, in quo ad separandum omne ambiguum hæc scripta reliquerit: Quid in Conventu Fratrum agi conveniat, quid tenere Ecclesiam, quidve vitare oporteat; quot sacri Ordinis ministros festivi dies habeant; quo, et quando processiones fiant; quo tempore totius urbis congregationes ad matrem Ecclesiam conveniant, quidetiam agendum sit per anni circulum in Ecclesia, D sancta ejus edocuit posteros industria.

*de ordine Ecclesiastico librum scribit.*

8 Clotharius denique Rex tantæ dilectioni, sive timori eum habebat, quod absque ejus nutu, sive consilio, nihil in regno agere præsumebat: quem adeo miro affectu colebat, ut in omni scripto (sicut adhuc *k* memorialia ejus testantur) Patrem, et Dominum appellaret, et se Rex magnificus servum ac filium subjiceret. Nec mirum, si Rex terrenus ac mortalis eum metuebat, in quo Rex cœlestis et immortalis perenniter habitabat.

*consulitur et honoratur a Chlotario II.* *k*

9 Hic autem felici migratione exutus homine, quarto Idus Februarii, ingressus est cœlum, ubi locatus angelicis spiritibus et conjunctus intercedit pro populo ad Dominum. Corpus vero ejus sanctissimum delatum est ad B. Petri Apostoli *l* monasterium, et ad aram in sanctuario collocatum. Ubi si devota mente suffragium quæritur, cito divina largitas adesse cognoscitur; præstante unigenito Dei filio, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

*moritur 30 Febr.*

*l sepelitur in ecclesia S. Petri.*

a *Deest hic prologus in Vesontione Jo. Jac. Chiffletii.* — b *Cur Vesontio et a quibus* Chrysopolis *appellata, eumdem consule par.* 1 *cap.* 2. — c *Ea quoque a S. Nicetio impugnata, ut ad ejus Vitam diximus; et ab aliis postea.* — d *Obierat nimirum* x *annis ante S. Gregorius, quam Episcopus fieret Protadius. Sed hunc verisimile est cum S. Nicetio Antistite suo, aliud acerrimum in illa Ecclesia munus, in illius pestis exterminationem incubuisse, hortante Gregorio.* E e *Multa de Simonia abolenda scripsit S. Gregorius in Galliam, ad Episcopos varios, ac Brunechildem Reginam ejusque filium Childebertum, cujus et laudat studium Catholicæ fidei ep.* 7 *apud Sirmondum tom.* 1 *Concilior. Gall. Amplius quod de hac hæresi per Gallias disseminata commemorat Breviarium Vesontinum Lect.* 2. *huc refer:* Fuit enim in Gallia falsus quidam propheta, Simonis illius antiqui præstigiatoris hæresim secutus, et turbas maximas in populo exsuscitabat. Pellibus indutus quasi religiosus orabat, et divinandi vim sibi tribuebat. Huic S. Protadius restitit viriliter, unde et laudem maximam meruit in Ecclesia Catholica. *Sitne id ex certis monumentis, an sola Ecclesiæ Vesontinæ traditione accepta, haud dicimus.* — f *Jo. Jac. Chiffletius,* martyrium. — g *Desunt, quæ hoc numero continentur, apud eumdem Chiffletium.* — h *Agit variis locis de antiquissima hac basilica, et* Matris Ecclesiæ *appellatione, Chiffletius, atque ejus ac S. Stephani Capitulo, auctoritate Hugonis de S. Caro Cardinalis, unita sunt.* — i Liber (de ritibus *ait Chiffletius*) a S. Protadio conscriptus extat hodieque in ecclesia S. Joannis, sed interpolatus a recentioribus, qui nova officia novosque ritus variis ex eo tempore occasionibus inductos, ad usus Clericorum inseruerunt: adeo ut quid a S. Protadio prisca illa ætate institutum, quid a posteris adjectum fuerit, plane dubium reliquerint. *Hujus libri a S. Protadio conscripti meminit et Vesontino Breviario Lect.* 3. — k *Idem,* memoralia. *De hac Chlotarii erga sanctum Antistitem observantia agitur in eodem Breviario Lect.* 1. — l *Ea parochialis est ecclesia, nec ad monachos pertinuit, teste Chiffletio: sed frequens in antiquorum scriptis* monasterii *nomen pro ecclesia; et Galli adhuc quamcumque basilicam* Moustier *solent appellare. Imo in Bisontinis ritualibus, inquit idem scriptor,* Ecclesiarum omnium Clericos seu Canonicos, dictos persæpe invenimus FRATRES: quod nomen ideo illis attributum puto, quod in prima sua institutione, regulares fuerint et vitæ communi addicti.

*S. Protadii scripta.*

ANIMADV. PAP. 71

*Monasterium pro quavis ecclesia,*

C F

# DE S. TRUMWINO, SIVE TUMMA,

## PICTORUM AUSTRALIUM EPISC. STRENEASHALÆ IN ANGLIA,

### Commentarius historicus.

J. B.

§ I. *S. Trumwinus Abbas, Pictorum Episcopus ordinatus.*

SEC. VII.

Quæ jugum Romanum pugnacissime aversatæ sunt in Britannia gentes, Pictorum postea nomine celebratæ, ne perpetuis incursionibus latrociniisque provincias fatigarent, muro seclusæ per transversam insulam ducto, utrumque ad finem oceani, uti Aurelius Victor scribit. *Eo præsidio publicam securitatem Adrianus primum, dein Septimius Severus, firmarere. Pertingebat hic murus a* Tinæ *ostio ad Ortum, usque* Itunæ *æstuarium occasum versus. Carausium aiunt quidam, Diocletiani Maximianique temporibus, ultra hunc Severi murum alium excitasse, septemque munisse castellis, inter duo freta, Dunbritannicum et Edenburgicum;* domumque rotundam politis lapidibus (*ita apud Usserium scriptor quidam pag.* 586) super ripam fluminis Carun, quod a suo nomine nomen accepit, fornice triumphali in victoriæ memoriam erecto, construxisse. *Et certe, orto in Belgica Imperatori, quippe Menapiæ cui,* et rei militaris peritissimo, (*ut ait lib.* 9 *Eutropius*) remissum *est ab Augustis, eodem teste Aurelio Victore,* insulæ imperium, postquam jussis ac munimento incolarum contra gentes bellicosas opportunior habitus. *Sive autem munimentum illud murus fuerit ac castella, sive Ducis peritia, roburque militum; illud constat ex Bedæ historia lib.* 1 *cap.* 12, *pulsis ultra eum locum ab Romana legione hostibus, Scotis ac Pictis, centum post Carausium annis, initio videlicet quinti a Christi ortu seculi, Romanorum Ducum consilio, constructum a Britannis murum,* inter duo freta, vel sinus (de quibus diximus)

*Picti a Britannis submoti muro ad Tinam fl.*

*dein alio, inter sinum Edenburgensem et Dunbritannicum,*

*seculo 5.*

A diximus) maris, per millia passuum plurima : ut ubi aquarum munitio deerat, ibi præsidio valli fines suos ab hostium irruptione defenderent.... Incipit autem duorum fere millium spatio a monasterio Abercurnig ad Occidentem, in loco qui sermone Pictorum Peanuabel, lingua autem Anglorum Penneltun appellatur, et tendens contra Occidentem terminatur juxta urbem Alcluith. *Hæc Beda loco citato.*

*hunc transgressi,*

2 *At parum hic profuit murus solutis inertia Britannis.* Invecti navibus inimici irrumpunt terminos, *inquit idem Beda....* omnem Aquilonarem extremamque insulæ partem pro indigenis ad murum usque capessunt. *Et hunc ipsum murum sæpius transgressi, citeriores etiam provincias populabantur. Britannia dein a Saxonibus occupata,* Otha et Ebusa acris et probatæ experientiæ viri, *ut lib. 1 de gestis Reg. Angl. cap. 3 scribit Malmesburiensis, filius hic, ille frater Hengisti,* ad occupandas Aquilonares Britanniæ partes *ab eo missi*, ac sæpenumero cum provincialibus congressi, profligatisque qui resistendum putaverant, reliquos in fidem acceptos placidæ quietis gratia mulcebant. *Demum Oswius Northanhymbrorum Rex*, Pictorum quoque (*ut ait Beda lib. 2 cap.* 5) atque Scotorum gentes; quæ Septentrionales Britan-

*post domiti ab Anglis,*

B niæ fines tenent, maxima ex parte perdomuit ac tributarias fecit. *Oswio autem anno* DCLXX *defuncto*, Picti, *ut scribit Malmesburiensis lib. 3 de gestis Pontif. Anglorum*, parvifacientes teneram infantiam Reguli, *Egfridi ejus filii*, proruunt ultro et conspirant in Northanimbros. Quibus cum Subregulo Bernego regius juvenis occurrens, ita paucis suis militibus innumerabilem Pictorum delevit exercitum, ut campi cadaveribus constrati planitiem amitterent, flumina cursu intercepto subsisterent.

*præsertim Oswio R.*

*rebellantes cæsi ad Egfrido R.*

3 *Tum vero ut et dominatum suum stabiliret, et saluti subditorum consuleret Egfridus, Pictis proprium dari Episcopum curavit. Erant enim Australes hi Picti ab annis* CC, *et quod excurrit, per S. Ninianum Episcopum, S. Martini Turonensis contuneum, Christiana sacra edocti : Boreales multo serius per S. Columbam Abbatem, sub seculi sexti exitum. Datus igitur Australibus Episcopus anno Christi* DCLXXXI. *Ita Beda lib.* 4 *cap.* 12. Post annos tres abscessionis Wilfridi (*qui Sede Eboracensi pulsus est anno Egfridi* VIII, *Christi* DCLXXVIII) *Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus quinque ordinavit Antistites, interque eos* Trumvinum ad provinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio subjecta. *Illius ordinationis me-*

*datusque iis Episcopus Trumwinus,*

*anno 681,*

C *minere ad eumdem annum Wigorniensis, qui* Trunwinum *appellat : Radulphus de Diceto in Abbreviationibus Chronicorum, qui* Trumwine, *uti et Joannes Brompton in Chronico, ac Gervasius in Vita S. Theodori, aliique historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum scriptores.*

4 *Sedes ei videtur fuisse in ipso monasterio* Abercurnig. *Isthic certe Abbas fuit. Ita Huntindoniensis lib.* 4. Vir autem Domini Trumwine Abbas Ebercurni, positi quidem in regione Anglorum, sed juxta fretum, quod Anglorum terras Pictorumque disterminat. *Joannes Major lib. 2 de gestis Scotorum cap.* 1. Abercorvic *appellat. De eo Cambdenus :* Interius *Forthæ* æstuario adsidet Abercorn, Bedæ ætate celebre monasterium, quod Jacobi VI gratia Comitis honorem Jacobo Hamiltonio præbuit. *Situm id ad* Carronis *fluvii ostium, ut ipsum indicat nomen : Aber enim fluvii ostium Britannis significabat, uti alibi idem Cambdenus observat. An porro monasterium illud, adepto episcopatu, instituerit Trumwinus, unde populi magisteria peterent pietatis; an antea id exerit, non proditur. Nobis hoc verosimilius videtur, quod ad illud ædificiis, ac disciplina stabiliendum, et congregandos, qui id colerent, monachos, haud satis spatii ab anno* DCLXXXI *ad* DCLXXXV, *quo dissolutum est, fuisse videatur.*

*qui simul Abercorni Abbas juxta remotissimum hunc murum,*

*etiam ante Episcopatum :*

5 *An S. Benedicti Secutus Regulam, magis dubium est. Pleraque eo tractu monasteria Scotorum institutis regebantur, primusque S. Benedicti Regulam introduxit S. Wilfridus : a quo cum aliena fuerit S. Hilda, S. Aidani præceptionibus erudita, et aliquamdiu S. Elfleda: insinuavimus* VIII *Februarii ad hujus Vitam § 4 num. 23 Streneshalense monasterium iis viventibus non videri Benedictinam adscivisse disciplinam. Unde merito concludere liceat, S. Trumwinum, qui exul eo secessit, ibique vitæ reliquum exegit, Benedictinum non fuisse. Qui id tamen asserunt Benedictini scriptores, possunt argumentum hoc verbis Bedæ refutare, quæ ibidem citavimus. Non enim solus S. Aidanus, sed quotquot Hildam* noverant Religiosi, pro insita ei sapientia et amore Divini famulatus, sedulo ea visitare, obnixe amare, diligenter erudire solebant : *multoque etiam magis Elfledam. Ut mirum videri non queat, si ad eam exul diverterit Abbas Benedictinus et Episcopus, illic susceptum retentumque esse.* D

*AUCTORE J. B. an Benedictinus?*

## § II. *Gesta a S. Trumwino in Episcopatu.*

Anno DCLXXXIV *habita est in ea regni Northumbrici provincia, quæ nunc proprie Northumbriæ Comitatu continetur, Synodus, ad* Alaunum *flumen, vulgo* Alne *dictum, in loco* Twifford, *uti* VIII *Februarii in Vita S. Elfledæ dictum § 5 num.* 41. *Adfuit inter primarios* Trumwinus. *Ita Beda lib. 4 cap.* 28. Contigit, ut congregata Synodo non parva, sub præsentia Regis Egfridi, juxta fluvium Alnæ, in loco qui dicitur Ad Twiforda, quod significat Ad duplex vadum; cui beatæ memoriæ Theodorus Archiepiscopus præsidebat; unanimo omnium consensu ad Episcopatum Ecclesiæ Lindisfarnensis eligeretur *Cutbertus.* Qui cum multis legatariis ac litteris ad se præmissis, nequaquam suo monasterio posset erui; tandem rex ipse præfatus, una cum sanctissimo Antistite Trumwino, necnon et aliis religiosis ac potentibus viris in insulam navigavit. Conveniunt et de ipsa insula Lindisfarnensi in hoc ipsum multi de Fratribus, genuflectunt omnes, adjurant per Dominum, lacrymas fundunt, obsecrant, donec ipsum quoque lacrymis plenum dulcibus extrahunt e latebris, atque in Synodum pertrahunt. Quo dum perveniret, quamvis multum renitens, unanimi cunctorum voluntate superatur, atque ad suscipiendum Episcopatus officium collum submittere compellitur. E

*Synodo Twifordensi interest an. 684*

*et cum Rege ad eum deducit S. Cutbertum,*

*qui ibi electus Episcopus,*

7 *Ac paullo post scribit*, peracta hyeme, quæ imminebat, in ipsa solemnitate Paschali completam esse Eboraci ordinationem, sub præsentia præfati Regis Egfridi, convenientibus ad consecrationem ejus septem Episcopis, in quibus beatæ memoriæ Theodorus primatum tenebat : *et haud dubie unus e sex reliquis erat* Trumwinus. *Idem Beda in S. Cutberti Vita totidem fere verbis illam ejus electionem describit.* F

*anno sequenti consecratus est.*

8 Tumman *eum appellare videtur monachus Lindisfarnensis, qui S. Cutberti Vitam libris* IV *conscripsit, Rege Northumbriæ Alfrido, qui anno* DCCV *decessit, adhuc superstite, quippe qui libro* III *ista habet :* Cito rememoravit de Alfrido, qui nunc regnat pacifice. *Is igitur de Cutberto ad Episcopatum erecto ita scribit :* Postquam igitur ab Egfrido Rege et Episcopis Saxonum, omnique senatu deposcenti, ad Episcopatum nostræ Ecclesiæ Lindisfarnensium electus est. Tunc enim supradicto Rege, et Episcopo sanctæ memoriæ Tumma, et de familia nostra electissimis viris venientibus ad eum, intus clauso, cum consilio senatus, provolutis genibus adjurantibusque eum per Dominum nostrum Jesum Christum, invitus, coacte, lacrymans et flens, abstractus est, expectante etiam senatu cum Archiepiscopo Theodoro.

*qui etiam Tumma dictus.*

9 Idem

*Auctore i. e. Cutberto familiaris, et secretorum conscius.*

A 9 *Idem Auctor Cutberto antea familiarem fuisse indicat lib. 1 his verbis :* Primum quidem ponimus, quod in prima ætate accidisse relatu multorum didicimus, ex quibus est sanctæ memoriæ Episcopus Tumma, qui spiritalem Dei electionem prædestinatam a S. Cuthberto audiens didicit; et Presbyter nostræ Ecclesiæ Elias, dicentes : Dum ergo puer esset annorum octo *etc.*

*Regem ad pias donationes inducit,*

10 *Extat post Simeonis monachi Dunelmensis historiam Donatio quædam Egfridi Regis hoc titulo :* Villæ datæ per Ecfridum Regem Northanimbrorum, S. Cuthberto et successoribus ejus. *Narrata S. Cuthberti ex insula sua evocatione per ipsum Egfridum et Antistitem* Trumwine, *iisdem fere verbis quæ ex Bæda retulimus, ista subduntur :* Cui et omnibus successoribus ejus, consilio Theodori Archiepiscopi et Trumwini, et totius concilii pro salute animæ meæ et successorum meorum donavi villam quæ vocatur Creic, et tria milliara in circuitum ipsius villæ. Donavi etiam civitatem quæ vocatur Lugubalia, et in circuitu ejus xv milliaria : ut hæc tam ipse quam quam successores ejus ad Dei servitium in perpetuum habeant, ita sicut ego habui, libera et quieta, et secundum voluntatem suam disponenda. Ego
B Theodorus Archiepiscopus Dorvernensis subscripsi... Ego Trumwine Pictorum Episcopus subscripsi. *Meminit ejusdem donationis Cambdenus in Cumbriæ descriptione pag.* 641. *ubi tamen corrigendum, quod factam dicit* Anno Christi DCXIX : *restituendum enim, ut observavit Usserius,* DCLXXXIV.

*Itsque subscribit.*

11 *An illud tamen donationis exemplum authenticum sit, licebat ad S. Cutberti Vitam* XX *Martii disquirere. Haud equidem nobis illa videntur invicem congruere, quod initio dicitur,* Anno Dominicæ Incarnationis DCLXXXV congregata Synodo juxta fluvium Alne, in loco qui dicitur Etetniford *etc. quodque in fine,* Hæc donatio firmata est tempore Agathonis Papæ, anno ætatis Regis Egfridi XL, regni ejus autem XV. *Habita est illa Synodus, uti ante diximus, imminente hyeme : ergo anno* DCLXXXIV. *Nam sequenti anno* DCLXXXV, *die Paschatis ordinatus est Cutbertus. Cum autem Oswius anno* DCLXX, XV *Februarii obierit, extremum, anni* DCLXXXIV *ad* XV *Egfridi pertinebat. Quamquam Wigorniensis supra ad Vitam S. Elfledæ* § 6 *num.* 12 *citatus, et Beda lib.* 4 *cap.* 26 *Egfridum scribant occubuisse anno regni sui* XV, *cum jam is trimestris esset* XVI *inchoatus : sed videntur integrum annum* DCLXX *tribuere regno Oswii, qui ejus initio*
C *decessit. Neque usque ad annum* DCLXXXIV *vixit S. Agatho Papa, ut ad ejus Vitam* X *Januarii ostendimus. Sed ista ad Vitam S. Cutberti, ubi et de* Lugubalia.

*an quod affertur eorum instrumentum authenticum?*

12 Scripsisse *S. Trumwinum asserit Thomas Dempsterus in Historia Ecclesiastica gentis Scotorum lib.* 18 Decreta Synodi, *cui præfuit* S. Theodorus. *Auctorem, qui illa Decreta a S. Trumwino conscripta tradat, citat neminem. Sed solenne est Dempstero, nullum fere Sanctorum veterum, qui quoquo modo ad Scotiam pertineant, non etiam scriptorum librorum gloria extollere.*

*scripta Trumwini.*

## § III. *S. Trumwini ab Episcopatu pulsi vita monastica, obitus, elevatio, natalis.*

*Egfrido R. a Pictis cæso,*

Anno DCLXXXV, *uti Beda lib.* 4 *cap.* 26 *tradit;* cum *Egfridus* Rex temere exercitum ad vastandam Pictorum provinciam duxisset, multum prohibentibus amicis, et maxime beatæ memoriæ Cudberto, qui nuper fuerat ordinatus Episcopus : introductus est (simulantibus fugam hostibus) in angustias inaccessorum montium, et cum maxima parte copiarum, quas secum adduxerat, extinctus, anno ætatis suæ quadragesimo, regni autem sui quintodecimo, die tertiodecimo Kalendarum Juniarum... Ex quo tem- D pore res cœpit et virtus regni Anglorum fluere ac retro sublapsa referri. Nam et Picti terram possessionis suæ, quam tenuerunt Angli, et Scoti, qui erant in Britannia, et Britonum quoque pars nonnulla, libertatem receperunt : quam et hactenus habent per annos circiter XLVI.

*multi jugum Anglorum excutiunt :*

14 Ubi inter plurimos gentis Anglorum, vel interemptos gladio, vel servitio addictos, vel de terra Pictorum fuga lapsos, etiam reverendissimus vir Domini Trumwine, qui in eos Episcopatum acceperat, recessit cum suis qui erant in monasterio Abercurnig, posito quidem in regione Anglorum, sed in vicinia freti, quod Anglorum terras Pictorumque disterminat. Eosque, ubicumque poterat, amicis per monasteria commendans, ipse in sæpedicto famulorum famularumque Dei monasterio, quod vocant Streaneshalch, locum mansionis elegit : ibique cum paucis suorum in monachica districtione, vitam, non sibi solummodo sed et multis utilem, plurimo annorum tempore duxit. Ubi etiam defunctus in ecclesia B. Petri Apostoli, juxta honorem et vita et gradu ejus condignum, conditus est. Præerat quidem tunc eidem monasterio regia Virgo Ælfled, una cum matre Eanflede, quarum supra fecimus mentionem. Sed adveniente illuc Episcopo, maximum E regendi auxilium, simul et vitæ suæ solatium, devota Deo doctrix invenit. *Eadem ex Beda aliquanto brevius memorat Wigorniensis.*

*fugit cum suis monachis Trumwinus :*

*Streneshalæ sancte vivit,*

*estque S. Elfledæ Abbatissæ solatio :*

15 *De eo ita scribit Trithemius lib.* 4 *cap.* 167. Trumwinus monachus Streneshalensis, et Episcopus Pictorum, vir doctrina et sanctitate multum venerabilis; post multos labores Episcopatum deserens, ad dilectam sibi vitam monasticam est reversus *etc. Videtur autem innuere, prius Streneshalensem monachum fuisse, quam ad Episcopatum promoveretur : quod Bedæ verba non indicant.*

*an illic antea monachus?*

16 *Idem habet Wion lib.* 2. *Ligni vitæ cap.* 39. D. Trumvinus, *inquit,* sive Trumvinus, Anglus, monachus Streneshalensis, a Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi, anno DCLXXVIII, creatus et consecratus est Episcopus Pictorum, sive Candidæ Casæ, in civitate Witerna : qui cum aliquot annis, exemplo prius, verbo deinde, viam salutis suis ovibus demonstrasset, amore solitudinis prælaturam relinquens, ad monasterium suum reversus est, in quo, non sine opinione sanctitatis, migravit ad Dominum.

17 *At non* Candidæ Casæ, *sive* Witernæ, *Episcopus fuit, sed* Abercorniensis *ad fretum Edenburgense, uti supra diximus.* Candida Casa *autem, quæ Anglis Scotisque* Whit-herne *eadem notione dicitur, in Gallovidia sita, Occidua Scotiæ provincia, Anglis propinqua, uti* XVI *Septembris dicemus ad vitam* S. Niniæ, *sive* Ninani, *primi ejus loci Antistitis, quem Scoti* Ringen *appellant, uti scribit Usserius pag.* 661. *Ejus* F autem Sedem Episcopatus, *ut inquit Beda lib.* 3 *cap.* 4. S. Martini Episcopi nomine et ecclesia insignem (ubi ipse etiam corpore una cum pluribus Sanctis requiescit) jam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad provinciam Berniciorum pertinens, vulgo vocatur ad Candidam Casam, eo quod ibi ecclesiam de lapide, insolito Brittonibus more, fecerit. *At non obtinebat gens Anglorum, cum historiam scriberet Beda, S. Trumwini Episcopatus Sedem : non igitur hæc* Candida Casa *erat. Præterea anno* DCLXXXI, *uti antea diximus, non* DCLXXVIII, *ut vult Wion, consecratus est S. Trumwinus : neque amore solitudinis ad Streneshalense monasterium se recepit, sed ab hostibus Episcopatu pulsus.*

*non fuit Episcopus* Candidæ Casæ,

*quæ nunc in Scotia,*

*tunc sub Anglis.*

*at S. Trumwini sedes sub Pictis*

18 *Mortuus est autem* S. Trumwinus *circa annum fortassis* DCC. *Nam S. Cuthberti brevior Vita, quæ, vivente Alfredo Rege ante annum* DCCV *scripta est,* Beatæ

*is circa an. 700 mortuus*

A Beatæ memoriæ *cum appellat, ut jam* § 2 *num.* 8 *retulimus, quod non nisi de vita functis dici solet. De monasterii Streneshalensis situ, fundatione, variaque fortuna egimus* VIII *Februarii ad S. Elfledæ Vitam,* deque SS. Trumwini, *Elfledæ et aliorum inventis translatisque corporibus seculo Christi* XII. *quo vixit Gulielmus Malmesburiensis, qui lib.* 3 *de gestis Pontif. Angl. pag.* 272 inventa noviter et in eminentiam elata *scribit.*

*seculo 12 cum aliis SS. elevatus,*

19 *Nomen* Trumwini *inscriptum est Martyrologio* D *Benedictino ab Hugone Menardo ad diem* IX *Februarii; ad quem diem illius Vitæ epitomen exhibet Eduardus Maihew in Tropæis Anglicanis.* X *Februarii natalem ejus consignant Hieronymus Porter in Floribus SS. Angliæ, et Joannes Wilsonus in altera editione Martyrologii Anglicani. Sanctum ab antiquo habitum esse constat ex Malmesburiensi, qui inter Sanctos, quorum inventa* corpora *testatur, primum enumerat* Trumwinum.

*AUCTORE J. B. inscriptus Martyrologiis.*

# DE S. AUSTREBERTA VIRGINE

## IN BELGIO ET NORMANNIA,

### Commentarius prævius.

J. B.

### § I. *S. Austrebertæ genus, ætas, vitæ historia.*

*AN. CHR. DCCIV. X FEBR.*

Taruana Morinorum *in Belgica* urbs *fuit, ante centum annos excisa. In ejus territorio, illustribus regia ab stirpe parentibus, Æræ Christianæ septimo seculo exorta est* S. Austreberta *Virgo, Portensis primum cœnobii juxta Somonam amnem Præposita, dein Pauliacensis in Nor-* D *mannia Abbatissa: quæ ab aliis* Austraberta, Austroberta, Austredeberta, Austroverta, Eustreberga, Eustreberta, *appellatur. Ea ab S. Audomaro, Tarnanensi Episcopo, sacrum velum accepit, Clodoveo* II *regnante. Nam, ut alibi diximus, dicemusque rursum ad ejus Vitam* IX *Septembris, administravit eam Ecclesiam Audomarus annis* XXX, *regnantibus Dagoberto, Clodovæo* II, *Clotario* III; *interfuitque anno* DCLXVII *translationi S. Vedasti, ut in hujus Vita* VI *Februarii dictum. Multis annis ante eam translationem, velatam fuisse Austrebertam colligitur ex Vita S. Philiberti* XX *Augusti, ubi ista habentur:* Cum virorum increvisset in monasterio (*Gemmetico*) multitudo, aliud construxit cœnobium, nomine Pauliacum, decem millibus a Gemmetico sequestratum; ubi sanctarum congregavit multitudinem fœminarum: quas sub religionis norma, pro viri Dei obedientia, gubernabat Mater prudentissima, orta nobili parentela, vocabulo Austreberta. *Dein alia perplura memorantur ab eo præclare gesta, priusquam in exilium ab Ebroino pelleretur, quod anno* DCLXXXI *contigit, ut* I *Februarii ad S. Sigeberti Vitam* § 12 *num.* 93 *dictum est.*

*S. Austreberta nata in Morinis,*

*a S. Audomaro velata,*

*forte 656.*

2 *Fuit igitur Austreberta forsitan circa annum* DCLXX C *evocata Pauliacum, cum in Portensi cœnobio per annos* XIV *commorata esset, anno* DCLVI *vel præcedenti velata. Jacobus Malbrancus tom.* I *de Morinis, anno* DCXLVIII *velatam scribit. Sed in S. Audomari ætate hallucinatur, dum anno* DCXXIV *factum Episcopum scribit, decessisse* DCXCV, *postquam sedisset annos* LXXI. *At quæ apud Surium extat Vita, stylo licet paullum ejus industria mutato, multa tamen accuratiora ea quæ passim in MSS. codicibus occurrit, cap.* 21 *ita habet:* Postquam autem Morinensis, sive Taruanensis, Cathedra XXX annorum spatio citata decessit potita Præsule, columna illa Dei corporeis destituta viribus..... demum V Idus Septembris rumpit vincula corporis, cum Christo victura in secula seculorum. *Fuerat is Dagoberti voluntate ad eam Cathedram evectus, non ergo serius quam initio anni* DCXLIV, *quo eodem anno, die* XIX *Januarii ipsemet obiit Dagobertus; neque etiam prius anno* DCXXXVII, *cum anno* DCXXVII *adhuc super les fuerit.*

*(sedit enim is a temporibus Dagoberti*

*circiter per 30 annos)*

3 *Idem Malbrancus tum alia memorat de S. Austrebertæ majoribus, locum nativitatis, parentum possessionibus, quæ neque nobis omnia probantur, neque qualenus credibilia censeri queant possumus definire, cum quæ extat sanctimonialium Austrebertinarum in oppido Monstrolio, ad Quantiam flumen sito, commorantium monumenta non viderimus, neque cujusmodi sint aliunde cognoverimus. Illud tenemus falsum esse, quod asserit e Portensi cœnobio primum ad Hunulficurtem accersitam, ibique cœnobio quod* Amalfridus *condiderat, præesse jussam: sed cum rebelles monachæ, jugo religiosæ disciplinæ excusso, in ejus necem conspirassent, ipsumque adversus eam Amalfridum concitassent, adeo ut et ensem in illam stringeret; inde abscessisse, Portumque reversam: unde eam deinde S. Philibertus ad Pauliacense cœno-* E *bium, ab eodem Amalfrido erectum, deduxerit. Eumdem enim esse censet* Amalfridum *et* Amalbertum, *fortassis quod uni Aurea filia fuerit, alteri* Auriana, *quam ipse etiam* Auream *vocat. At si anno* DCLVIII *velata, atque exeterum Portense ingressa est Austreberta; inde ergo anno* DCLXII *vel* DCLXIII *educta. Atqui tunc Hunulficurtense cœnobium adhuc fundatum non erat: quippe quod* S. Vindicianus, *S. Auberti, anno* DCLXXV *mortui, in Sede Cameracensi successor, ad laudem* Dei et venerationem S. Petri consecravit, ibique Clericos et sanctimoniales constituit; accersitis secum non paucis Coepiscopis, unaque etiam B. Lamberto Leodicense Martyre pretiosissimo; *ut scribit Baldricus lib.* 1 *Chron. cap.* 26. *At neque ipse quoque S. Lambertus anno* DCLXIII *Episcopus erat. De Hunulficurte, sive Hunnonicurtis, actum fuse* IV *Februarii ad Vitam S. Lietphardi* § 1. *De quo loco ita rursum scribit Baldricus lib.* 2 *cap.* 10 Hoc *monasterium* illustris vir, Amalfridus nomine, cum uxore Childebertana fundavit, deputatisque sanctimonialibus filiam suam Aurianam præfecit. *Nec ipse hanc Auream vocat, nec vitæ S. Austrebertæ scriptor Amelberti filiam* Aurianam.

*non fuit præfecta cœnobio Hunulficurtano,*

*quod post annum 675 fundatum*

4 *Verum qua auctore probat Malbrancus* Amalfridum F *eumdem esse qui alibi* Amalbertus *dicitur? Cur Baldricus* Aurianam *cœnobio illi præfectam scribit, et non* Austrebertam, *cujus longe celebrius nomen? Qui persuaderi sibi possit hæc est, ut postea Pauliacense monasterium regendum susciperet, ab eodem fundatum Amalfrido, cujus alibi tam impotentem esset iracundiam experta? Si parvula erat Aurea, cum in Austrebertæ disciplinam tradita est a patre, tantumne adoleverat anno unico, ut ei deinde succederet, et quidem S. Vindiciani auctoritate? Longe verisimilius censemus, diversum ab Amalfrido Amelbertum extitisse, et* Auream, *ab* Auriana. *Et si quis Auream Aurianamque eamdem et unicam fuisse probaret, Amelberto, qui et Amalfridus, genitam; cum potius dicimus in Pauliacensi cœnobio, sub Austreberta tirocinium vitæ monasticæ posuisse, inde eductam a patre, novo monasterio ad Hunnonicurtiam præfectam. Atqui in Austrebertæ Pauliaci, non in Hunulficurte, negotium adversus rebelles monachas atque fundatorem fuisse, manifestum est ex Vita cap.* 2 *num.* 12, *ubi ait,* operatione diabolica, ne illudem sancta ejus doctrina convalesceret. *Egerat autem antea immediate de Pauliaco. Et mox narrato quod contra eam egerat Amelbertus, subdit:* Rexit autem S. Austreberta idem cœnobium per plura curricula annorum.

*cujus Abbatissa incertum an alia ejus discipula*

A annorum. *Non Hunulficurtense, ut ipse fatetur Malbrancus, non ergo id illic acciderat.*

*AUCTORE J. B.*

*Vita accurate scripta a coætaneo*

5 *Et vero cui credibile videatur, auctorem Vitæ perquam accuratum, qui quot annis in Portus cœnobio vixerit, quo die migrarit e vita, annotavit, non etiam Hunulficurtensis præfecturæ mentionem facturum fuisse, si eam Austreberta gessisset? Præsertim cum eadem vixerit ætate, ut cap. 1 num. 10 testatur, de adolescentula loquens,* quæ apud eam fuerat educata, *spectatrique æstuantem clibanum ingressam,* et hoc miraculum, *inquit,* narrare consuevit, quæ huc usque vivit in corpore. *Et in Prologo num. 1.* Ne splendidam nostro seculo lucernam imperito viderer obfuscare eloquio, *Hanc Vitam damnose Surio, qui graviter* et religiose conscriptam *pronuntiat ab Sanctæ* fere æquali. *Cujus partem edidit Andreas Chesnæus tom. 1 Francicor. Scriptor. pag. 651. Prologum Surius omiserat: quem ex MS. codice Ecclesiæ S. Audoeni Rotomagi nobis communicavit Fedricus Floetius noster: contulimus cum alio exemplari, quod ex codice Longipontis descripserat Nicolaus Belfortius, monasterii S. Joannis de Vineis juxta Suessionem Canonicus regularis: sed hoc minus plenum perfectumque. Quod autem in eo Prologo scribit Auctor,* Ergo gloriosæ hujus

*prologus primum hic editus.*

B Patronæ animatus merito, *ita exprimitur in Longipontico illo codice,* hujus Patronæ nostræ. *Unde fas est conjicere, vel monachum Gemmeticensem fuisse, vel forte Clericum Pauliacensem.*

*aut qui de ea scripsere.*

6 *Scripsere e recentioribus complures de S. Austreberta: Clemens Marchantius apud Renatum Benedictum, Heribertus Rosweydus noster, Franciscus Haræus, Silvanus Ra[illegible]us, Cornelius Grasius, Guilielmus Gazæus, Antonius Yepes Chron. Benedictini tom. 2 cent. 3 cap. 5 ad an. 684, Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad an. 680, Jacobus Meierus in Annalib. Flandr. lib. 1 ad an. 668. Claudius Robertus in Gallia Christiana, Simon Martinus ex ordine Minimorum in Floribus solitudinis lib. 4. ubi ait esse quosdam, qui parentem ejus* Badefridum *eumdem esse scribant, qui alias* Wlphoaldus *dicitur, ac Major-domus Theoderici in regno Austrasiorum fuit ante Pipinum Herstallium, ut ad vitam S. Sigeberti 1 Februarii, § 12 num. 95 dictum. Verum ut omittam Taruanense territorium jubiter licet scribat Malbrancus ad Neustriam pertinuisse, non ad Austrasiam: qui id omisisset accuratus Vitæ scriptor, qui solum ait* Badefridum officio Comitem Palatinum *fuisse, et quidem, ut fertur! Majoris-domus qui ignorare dignitatem potuit,*

C *si eam ille gesserat? Meminit et Baronius Austrebertæ tom. 8 ad an. 695 num. 8. Et Florentius Wigorniensis ad an. 555, ubi tamen perperam affirmat in cœnobio* Portus transisse ad Dominum, *quod Pauliaci contigit.*

7 *Falluntur quoque Maurolycus, Galesinius, Hugo, Felicius, qui Austrebertam S. Ausberti* (Ausbertum *ipsi vocant) sororem aiunt fuisse. Nam fuit hic, non in territorio Taruanensi, sed in pago* Velocassino, patrimonioque Calcegio *natus,* patre Siwino, *non Rade-frido, et IX Februarii [illegible] Petrus de Natalib. [illegible] 112 [illegible]* asserit, voto virginitatis emisso, ab eo cum fratre [illegible] in cœnobio Virginum apud [illegible] Ro[illegible] *inclinam [illegible] Martyrologio. Molanus [illegible] Ma[illegible] S. Austr[illegible] ... [illegible] S. Audo[illegible] Po[illegible] in [illegible] scribunt. [illegible] Austrebertæ [illegible] Rotomagensis [illegible] Audoenus. [illegible] Pauliacum [illegible],* non amplius Benedictinarum cœnobium, *ut putavit Claudius Robertus, sed, [illegible] in Fastis Belgicis [illegible] Miræus,* Prioratus Benedictinorum, quarto milliari a Rotomago Normanniæ metropoli, olim Virginum monasterium.

*[illegible] S. A[illegible] Molanus, Pa[illegible]*

*[illegible]*

8 *Mortem S. Austrebertæ ita Vitæ scriptor consignat:* Transivit autem gloriosa Virgo, IV Iduum Februariarum, die Dominica, aurora incipiente. D *Quidam id anno* DCLXVIII *volunt contigisse, quod ex jam dictis ultro corruit. Gulielmus Gazæus* DCLXXX*, alii* DCLXXXIV, *Franciscus Haræus* DCXC. *Verum his annis non incidit dies X Februarii in Dominicam, sed* DCLXXX *in feriam* VI, DCLXXXIV *in* IV, DCXC *et* DCLXVIII *in* V. *In Dominicam vero incidit* DCLXXXI, DCLXXXVII, DCXCVIII, DCCIV. *Atque hoc ejus obitum statuit Malbrancus, consentientibus monumentis Austrebertinarum Monstroliensium, quæ, ut ipse citat, Patronæ suæ obitum ponunt* DCCIII. *Nam juxta Gallicum morem, quo tempore ea conscripta sunt, initium anni a Paschate ducebatur.*

*obiit 10 Febr. die Dominica,*

*verisimiliter an. 704.*

## § II. *S. Austrebertæ natalis. Translatio. Miracula. Reliquiæ.*

P*eragitur anniversaria S. Austrebertæ solemnitas X Februarii, quo die plerisque Martyrologiis, illius ætate posterioribus, inscriptum ejus est nomen. Usuardi exemplaria omnia MSS. et excuso unico nostro excepto, quod olim Augustini Hunnæi fuit, et videtur quam cetera omnia antiquius, sincerius certe, minusque interpolatum ut reliqua, uti et Centulense, sive S. Richarii, Bedæ nomine insignitum, multaque alia, ab Usuardo alioquin variis in rebus discrepantia, ita habent.* In Pago Rotomagensi S. Austrebertæ Virginis. *addit Romanum*, miraculis celebris. *Vetus aliud MS. nostrum, Bedæ præferens nomen:* ipso die depositio S. Austrebertæ Virginis, in loco qui dicitur Pauliacus. *Meminerant illius, præter jam citatos in superiore §, Menardus, Dorganius, Belinus, Molanus in Natalib. SS. Belgii, Saussaius, Balduinus Willotius, atque alii.* E

*Ejus natalis 10 Febr.*

10 *Habuit olim S. Austreberta in Ecclesia Rotomagensi* festum Domineale, *uti dicitur in Missali an.* MDXXXV, *et Breviario* MDLXXXVII *excusis; atque hæc utrobique de ea extat Oratio:* Deus, qui invisibili rore cœlesti, ad B. Austrebertæ Virginis obedientiam, ardentem clibanum extinxisti; præsta, quæsumus, ut ejus meritis gloriosis, vitiorum incendia non dominentur in nobis. Per Dominum. *Sunt in Breviario novem de ejus vita Lectiones. In novo Breviario festum est* Semiduplex, *Lectiones propriæ tres,* *Oratio* Exaudi nos Deus. *In Cathedrali S. Audomari Ecclesia festo duplici celebratur, extantque in veteri Breviario Hymnus de ea proprius, Lectiones* IX, *et Oratio jam posita,* Deus qui invisibili. *In Officiis propriis anno* MDCX *excusis, omnia sunt de communi Virginis. Nihil de ea habetur in Breviario Taruanensi, ac ne nomen quidem in ejus Ecclesiæ Martyrologio extat.*

*semiduplex Rotomagi*

*duplex Audomari.* F

11 *In Audomarensi vero Ecclesia celebratur X Octobris* Inventio S. Austrebertæ *festo duplici, ut in citato Breviario vetere ac novo videre est, et in veteri quorum in eo quæ antea Oratio ac hymnus recitantur, horumque Lectiones, [illegible] ejus miraculis. Eodem die ita habet MS. Mar. [illegible] S. Gudilæ Bruxellis* Item Invent[illegible] S. Austreberte. *In hoc eodem alia [illegible] Translatio XX Octob. [illegible]* [illegible] Item S. Austrebertæ Virg. *At Saussaius [illegible] Martyrolog. Gallicano [illegible]* [illegible] 2 num. 8 [illegible] tra[illegible] tum illud [illegible] prius fuerat [illegible] Sa[illegible] [illegible] ut inde [illegible] quo[illegible] [illegible] et [illegible] de [illegible] *[illegible] S[illegible] [illegible] translat[illegible]* inquit,

*Inventio 10 Octobr.*

*et 21*

*[illegible]*

A *inquit*, jam sepulchri moles vetustate solvebatur. *Melius Jacobus Malbrancus tom. 2 lib. 3 cap. 2.* Exterius quidem marmor nonnihil e pavimento assurgens, augusta sui specie sat oculis arridebat; sed cum media sui parte intra uda terræ viscera delitesceret, factum est, ut ipsa basis immoque marmor sacra ossa excipiens aquis intingeretur. *Addit uterque, monito prius et annuente Archiepiscopo Rotomagensi S. Hugone, eam elevationem esse factam. Agemus de S. Hugone* IX *Aprilis.*

*Miracula unde hic edita?*

12 *Miracula porro S. Austrebertæ e quatuor MSS. codicibus damus: Audomarensi Ecclesiæ Cathedralis, unde nos ea descripsimus; Capuana monasterii sanctimonialium S. Joannis Baptistæ, e quo ea nobis Silvester Aiossa, Pastor S. Leucii humanissimus doctissimusque transmisit; Rotomagensi Ecclesiæ S. Audoeni, e quo et Prologum Vitæ damus; monasterii Longi-pontis in Veromanduis, unde Nicolaus Belfortius descripserat. Quis porro ea conscripserit, et an unus omnia, incertum est: præsertim cum non omnia in singulis MSS. habeantur, nec eodem ordine. Non est improbabile, priora usque ad cap. 4 num. 26 ab eodem auctore esse tradita litteris, a quo Vita: aut*

*a quo scripta?*

B *saltem pleraque: ac minimum usque ad cap. 3. At cetera post Normannorum tempora conscripta sunt, uti ex num. 27 multisque aliis locis colligere est. Auctor videtur monachus Gemmeticensis aut Pauliacensis fuisse. Nam de urceis Ecclesiæ S. Austrebertæ a Gosselino viro illustri donatis loquens, ita ait:* Quæ Fratres quidam nostri monasterii, illuc pro quibusdam utilitatibus directi, gratanter susceperunt *etc.*

*Reliquiæ Monstrolii,*

13 *In Belgium sunt pleræque postea S. Austrebertæ reliquiæ translatæ: fortassis temporibus Normannorum, ut in munita aliqua arce tutius servarentur. Guilielmus Gazæus in historia Ecclesiastica Belgii, Simon Martinus in Floribus solitudinis, Balduinus Willotius in Martyrol. Belgico, scribunt partem Reliquiarum S. Austrebertæ servari in cœnobio Monstroliensi, partem in S. Audomari Cathedrali basilica. Imo Arnoldus Raissius in Hierogazophylacio Belgico scribit, esse in S. Audomari ecclesia Corpus S.* Austrebertæ, salvo capite. *Malbrancus lib. 3 cap. 33 ait Monstrolii, præter alia,* adservari Reliquiarum sanctarum loco, illa brachiorum integumenta, *quibus Sancta clibanum mundasse traditur. Porro quæ Audomaropoli sunt reliquiæ, eæ supra summum altare custodiri feruntur.*

*et Audomari:*

C

*ubi et fons ejus;*

14 *Ibidem ad lævam Chori fons esse dicitur, quem elicitum a S. Audomaro fama est in S. Austrebertæ favorem, quo tempore apud eum illa velo accepto morabatur, parentibus necdum placatis. Alius in Pauliacensi ecclesia* sub sacro altari *fons est,* illius insignitus nomine, *ut in Miraculis cap. 3 num. 20 dicitur ubi quædam illius fontis latice ter lotis oculis visum recuperarit. Et cap. 6 num. 44 de eodem* fonte multi sanari *dicuntur.*

*alius Pauliaci,*

*ubi et alter ejus Reliquiæ, uti et in Priorata Sanctæ Trinitatis,*

15 *Aliquæ etiam iis in partibus illius Reliquiæ videntur, etiam post Normannorum vastationem, remansisse. Nam cap. 5 Miraculorum, num. 34 mentio fit* ecclesiæ beatæ Trinitatis, quæ in vicino monte sita est, *juxta Rotomagum videlicet, in monte S. Catharinæ, ut ibi adnotavimus: ibidemque* pretiosa ejus contineri ossa *dicuntur. Item num. 42 (nisi id ante illatam Neustriæ per Normannos vastitatem contigerit, quod nobis non videtur)* beatæ Virginis corpus, in basilica S. Austrebertæ Virginis, *dicitur* ad frangendam cujusdam contumaciam, ante ipsum delatum. *Quod interpretamur de parte aliqua corporis intra capsam condita.*

## PROLOGUS AUCTORIS.

### *ex MSS. Rotomag. et Longi-ponti.*

D

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*Auctorem ut Vitam S. Austrebertæ scribat, hortatur Julia Abbatissa:*

Jam dudum me, venerabilis Mater, Christique discipula Julia, importunis precibus obnixe petebas, ut Vitam beatissimæ Virginis Austrebertæ meo studerem stylo digerere, tantæ claritatis gemmam ad multorum notitiam latius propalare. Hoc me sæpius admonebas, admonendo pulsabas, meque torporis et ignaviæ arguebas; illius in Evangelio servi ingerens socordiam, qui non distrahendo ad lucrum, sed humo abscondendo domini sui pecuniam, Divinæ animadversionis atrocem meruit sententiam. Ad hæc ego meæ conscius imperitiæ, et inertis ingenii, qui nunc *a* apicum primordia vix addidici, tantæ rei negotium aggredi recusabam, et impar viribus meis pondus subire devitabam; et ne splendidam nostro seculo lucernam imperito videret obfuscare eloquio, admodum formidabam. Quis enim rhetorica licet fretus acumine, et verborum facundia præditus, de ea ut dignum est loqui sufficiat? aut innumera virtutum ejus præconia ubertim prosequi valeat, quæ ad instar sanctissimi vatis Jeremiæ, priusquam in utero formaretur, Angelico testante oraculo, Deo omnipotenti cognita, et antequam exiret de vulva cœlitus sanctificata, angelicam quodammodo studuit ducere vitam, et post Angelorum indicibilem promeruit gloriam? Unde non immerito tantæ materiæ modem arripere trepido: cui nimirum, ut opinor, ipse Homerus, si ab inferis emergeret, seu miræ eloquentiæ Tullius, tanta virtutum copia devictus succumberet. Vereor enim, ne mihi contingat, quod cuidam contigisse audivi, qui rogatus a quibusdam, viri reverentissimi Philiberti, monasterii Gemmeticensis quondam Abbatis, vitam atque conversationem stylo diligentius exarare, illico scribere conatus est. Cumque ad manus cujusdam legendi gratia pervenisset, despexit et irrisit, et longe aliter textum et ordinem multo melius dissimiliter immutavit. Unde hactenus distuli Vestræ parere Devotioni: ne forsitan ab his qui philosophiæ sibi applaudunt peritiam, et simplicem nostram corrodant scientiam, promptulæ arguar præsumptionis; quod beatæ Virginis eximios actus imperitis videar explicare verbis.

*Matth. 25. 26*

*a*

*is suæ imperitiæ conscius,*

*Jerem. 1. 5*

E

*et materiæ mole territus,*

*ne a peritioribus rideatur,*

*diu differt:*

2 Verum quia sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum, omissa omni excusationis nota, ad multorum profectum, et ejus memoriale perpetuum, conemur fideli et veraci stylo depromere, quæ de ea multorum veridica fidelium comperimus relatione. Ergo gloriosæ hujus Patronæ *b* animatus merito, quæ cœlestis Imperatoris felici gaudet connubio, vestræ insuper piæ devotionis parens imperio; tandem animum appuli ad scribendum, sanctissimum ejus ortum, conversationem et obitum, et quæ per illam Dominus gessit insignia miraculorum. Operæ pretium est enim tam pretiosæ Virginis gesta, inculto licet calamo, nec urbanitatis lepore conspicuo, summatim perstringenda exequi, ac Divina magnalia saltem balbutiendo effari. Dabit pro certo de se *c* scribendi fiduciam, quæ ipsam Dei Patris mirando contemplatur sapientiam, a fine usque ad finem attingentem, et omnia in numero et pondere suaviter disponentem. In laudibus itaque Redemptoris aggrediamur exordium ejus vitæ et conversationis, ut in ejus glorificetur virtutum insigniis, qui mirabilis est et gloriosus in Sanctis suis.

F

*tandem scribit ex certa relatione,*

*b*

*c*

*sperans se a Sancta juvandum,*

a *Ita MS. Longipontanum. Rotomagense habebat,* a principiis primordia addidici. — b *Addit MS. Longipontanum,* nostræ. *Unde conjiciat quis, Auctorem Pauliaci habitasse, sive Gemmeticensis monachus fuerit, qui sanctimonialibus sacra curaret, seu Clericus quispiam aliusque earum obsequio addictus.* — c *MS. Longip.* scribendi.

VITA

A

*Animadv. ejus.72*

*AUCTORE ANONYMO, EX SURIO.*

# VITA EX SURIO.

## CAPUT I.

### *S. Austrebertæ ortus, et monastica vita in Portensi cœnobio.*

Postquam universalis Dominus, humanæ salutis auctor pariter ac redemptor, Gallorum feralia suæ ditioni subjugavit colla, *a* quartus a Clodoveo, qui primus Christianæ religionis normam, B. *b* Remigio tradente, suscepit, Dagobertus gloriosus Princeps, nobilitate clarus, potentia præpotens, armis strenuus, Regi Regum Christo satis devotus, *c* regni Francorum, Deo sibi suffragante, suscepit habenas. *Sub Dagoberto Rege,* Cujus tempore velut palma in Galliis sancta Mater refloruit Ecclesia, diversis sanctorum Sacerdotum monachorumque virtutibus adornata, ac Deo dicatarum Virginum: ut juxta veridicam Pauli Apostoli sententiam, ubi hactenus abundaverat delictum, superabundaret gratia. (Rom. 5. 20) Inter quos, velut sidus ceteris micantius, vir Domini *d* Philibertus, monachorum egregius Pastor, cœnobiorum nobilis fundator, in saltu Gemmeticensi, *fundatum cœnobium Gemmeticense,* ex prædicti Regis Dagoberti largitione, *e* monasterium a primo lapide fundavit, construxit, ac Deo famulantium monachorum nobili congregatione ornavit.

B

Qua etiam tempestate, ejus bonitatis fama succrescente largitione cujusdam illustris viri, nomine Amalberti, in fundo, qui *f* Pauliacus nuncupatur, aliud cœnobium struxit, *postea Pauliacense:* distans a præfato Gemmeticensi millibus ferme decem, ubi ancillarum Dei haud parvam congregationem adunavit.

4 Erat eodem tempore in palatio sæpedicti Principis Dagoberti vir honestate vitæ valde venerabilis, *S. Austreberta sanctis parentibus nata,* moribus honestus, sapientia clarus, consilio providus, priorum Regum ex prosapia oriundus, officio etiam, ut fertur, Comes Palatinus, nomine Badefridus. Hic accepit uxorem Alemannorum Regis ex prosapia, nomine Framechildem. Erat vero elegans et ipsa facie, sed nimirum elegantior sanctitate. Horum autem conversatio qualis quantave in terris extiterit, *g* miraculorum gloria hodieque populis declaratur. Erant enim, ut diximus, in culmine seculi honoribus valde sublimes, sed animi probitate sanctiores, fide firmi, caritate præcipui, justitia insignes, spe longanimes, eleemosynis deditti, pauperum in susceptione valde solliciti. His igitur talibusque virtutum floribus ornati, Spiritus sancti templa meruerunt effici, ut post manifestissimis claruit indiciis. Nam quemadmodum, sicut in Evangeliis invenitur paginis, (Luc. 1) Elisabeth illa

C

nova Domini præcursoris mater, Spiritu sancto repleta, concessum sibi divinitus natum ante sentire meruit, quam videre; sic et hæc Deo acceptabilis mulier B. Framechildis, eodem illustrata spiritu, longe ante prolem suo sexui consimilem nascituram prævidit, quæ in domo Domini et mater efficeretur, et columna Christiani populi.

5 Denique adveniente tempore, quo ex hujus mundi umbrosa caligine ex uterinis tenebris illa clara lucerna deberet prorumpere, *antea revelata matri per Angelum nomine et sanctitate,* supradicta genitrix Angelica super hoc meruit honorari visione, cujus ex alloquio et nomen nasciture Virginis, cujusve apud Deum meriti futura esset, addidicit. Igitur Taruanensi territorio exorta illa puellarum gloria, a parentibus, ut sibi revelatum fuerat, vocitatur Austrebertha, prius a Deo præelecta, quam in matris alvo concepta: prius Angelorum cœtibus cognita, quam mundo nata. Needum ejus videbantur membra, et jam in populis ejus præconabantur gesta. Diligenti denium cura genitorum alitur, ac magistris strenuis imbuenda traditur. Puerilibus vero annis simpliciter domi transactis, talis tantusque in ea fervor excrevit sanctitatis, ut nulli foret dubium, quin ante ortum nativitatis eam sibi Dominus in ancillam elegerit.

D

*sancta ab ipsa infantia,*

Cœpit nempe toto nisu mundum postponere, voluptatum oblectamenta viriliter calcare, et cœlestia totis cordis medullis desiderare. Nam cum esset infra decennium, ita eam Spiritus sanctus repleverat, ut mens ejus aut circa ecclesias aut monasteria anhelaret. Meditabatur jam tunc in ætate rudis infantiæ, quod postea devota complevit.

6 Quadam vero die, cum vultum speciei suæ more infantium in aquis contemplaretur, ecce repente *h* apparuit ei quoddam velamen capiti ejus impositum. *h conspicata in aquis velum sibi impositum, i* Quod signum apud eam intantum valuit, ut ex illo jam die hoc *i* æstuaret desiderio. Et quamquam parentes ejus mortali viro eam tradere vellent, illa immortali jam cupiens adhærere, sibimetipsi tantum licet conscia, cum lacrymis semper in oratione deposcebat, ut quod ei Dominus in umbra fuerat dignatus ostendere, in veritate compleret. Nec enim ab eo tempore se passa est ab hac intentione quiescere, donec quod oculis perspexerat, mente conciperet, gratiaque opitulante divina, opere adimpleret. Accensa siquidem illo igne Evangelico, quem Salvator (Luc. 12.) noster Jesus Christus, ad separandum filium a patre, *inardescit vitæ monasticæ desiderio:* filiamque a matre sua, mittere veniens, ardere voluit super terram, ita in secreto pectoris sui latens, inextinguibili duravit ardore, ut non diebus neque noc-

E

tibus a colloquiis divinis vel oratione cessaret, quousque tempus aptum et congruum inveniret, ut habitum sanctimonialis desideratum consecratumque perciperet. Et forte jam legerat, aut lectum audierat, ad quorumdam exprobrationem Apostoli Jacobi (Jacob. 1, 23) dictum: Si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Discant igitur, qui nesciunt, hujus beatæ Dei famulæ exemplo, hanc sanctæ Scripturæ imitari sententiam, ut non comparentur viro obliviosio; et non solum auditores verbi, sed etiam factores existant. Comparentur, si placet, potius huic Dei famulæ, quæ quidem in speculo consideravit vultum nativitatis suæ, sed non est oblita quid viderit. Qui ergo illam imitari voluerit, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, erit beatus, si in facto suo permanserit.

7 Procedente igitur tempore, cum parentes ejus, qui felicibus actibus ejus parum favebant, arrhabone *ne nuptui tradatur fugit,* pro amore seculi recepto, tempus præfinitum et diem statuissent nuptiarum; illa in angustiis posita, cogitare cœpit quid ageret. Mœsta vero iter furtim arripuit, germano secum fratre, licet parvulo, assumpto. Cumque pergerent simul, interrogata ab eo quo ten-

F

deret, respondit se ad villam, quæ proxima erat, ituram. Veniens igitur ad flumen, quod dicitur *k* Quantia, ubi pons erat, ita flumine *l* exuberante, aquarum abundantia totum repleverat, ut superiorem pontem illic absconditum sub se unda teneret, et facultatem eundi omnibus itinerantibus penitus denegaret. Tunc demum confessa est fratri, quo ire cupiens festinabat. Erat his temporibus vir sanctus, magni apud Deum meriti Audomarus nomine, Taruanensis urbis Pontifex, in cujus diœcesi puella nobilis originem traxerat. Ad hunc ipsa tunc properabat, sacro velamine consecranda. Habebat etiam *super aquas ambulat cum comitibus, signo Crucis facto* secum multos sui itineris comites. Qui ut viderant transeundi difficultatem, omnes pavore conterriti, non ausi sunt ingredi: sed habito consilio, ut redirent itinere quo venerant, cœperunt a loco abscedere. Non enim ibi vel modicum quidem navigium poterat transire. Sancta igitur Dei famula, Christo devota, sancti Spiritus gratia illustrata, oratione facta, signum salutis præmittens, pontem undis submersum ingreditur, hortaturque ceteros, ut se sequerentur. Jam enim natura elementorum quodammodo

inter

A inter se commutata, facta est eis aqua sub pedibus instar ligni solida : porro lignum velut aqua liquidum. Transivit igitur Dei famula cum universis comitibus illæsa, quasi sicco calle in undis nihil mali perpessa. Amne vero transmisso, quantocyus properantes, perveniunt ad hominem Dei, provolutaque puella ad pedes ejus, quod desiderabat obtinuit. Consecrata namque est Christo, et accepto velamine, adhæsit anima ejus post ipsum, ipsamque suscepit dextera Christi. In vanum ergo deinceps quæsita est copulari viro terreno, quæ juncta erat Christo in cœlo.

*a S. Audomaro consecratur et velatur :*

8 Vir autem Dei cum cognovisset parentes ejus hac re esse perturbatos, assumpta secum Dei famula consolandi gratia eos visitare studuit, eorumque commotos animos verbis pacificis delinivit, eosdemque mansuetos et mites redditos, ad caritatem pristinam revocavit. Pater filiam, fratres amplectuntur sororem, deosculanturque eam singuli, Deum in commune glorificantes. Divina quippe dispensatione actum est, ut qui prius illudentes eam despexerant, summa post devotione venerarentur. Aliquamdiu ergo cum in domo parentum commorata fuisset, cœpit implorare matrem et fratres, ut votum ipsius B non amplius impedirent, sed potius adjuvarent eam, ut monasterium posset ingredi, sanctis sociari Virginibus, sub potestate scilicet alterius victura. Quod illi benigne assentientes, non solum abeundi liberam ei tribuunt potestatem, verum etiam eum ea pergentes ad monasterium usque perducunt.

*parentibus ab eo placatis,*

9 Est autem ipsum monasterium super fluvium, qui dicitur *m* Somma, constructum : nominatur autem *n* Portus. Ibique præerat spiritualis Mater, nomine Burgofledis. Cui cum indicassent omnia, quæ gesta erant, gavisa valde, suscepit eam in filiam, ceterisque Sororibus aggregavit. Beata quoque Dei famula ovile Christi ingressa, ovibus sanctis adjuncta, sancta est ovis effecta. Primam quidem virtutum humilitatem, ita in suo corde pro fundamento inseruit, ut non solum spirituali Matri, sed etiam cunctis Sororibus quasi ancilla serviret, omnibusque se subdens, obsequium cunctis reddebat ut debitum famulatum : inferiorem se proclamans, viliorem se judicans, deteriorem se ceteris fatebatur : se peccatricem, se infelicem esse pronuntians, quæ jam tam prolixum tempus expenderit, seculo serviens, non Deo. Illas potius dicebat esse beatas, quæ infatigabili intentione disciplinis regularibus militantes, C Christo Regi placere studerent : hoc nutrimento educatas fuisse, ut etiam certamine incentivæ carnis devicto, jam contra spirituales nequitias, Deo auxiliante, sufficerent pugnare. Sed quia semper humiles ditat gratia sua cunctipotens Deus, factum est, ut quanto illa vilior atque despectior in oculis suis fieret, eo gloriosior apud Deum, apud homines vero honorabilior appareret. Nam eligentibus cunctis, consentiente Matre, licet invita, Præposita constituitur. Quo ex facto cœpit magis humiliari, magisque de virtute in virtutem proficere, patientiam contra immites opponere, pusillanimis longanimitatem ostendere, nimis cautis gravitatem, indoctis ut doceri queant demonstrare, somnolentis, non verbis, sed factis, vigilias prædicare, signum qualecumque insonuisset, prima adesse.

*fit monacha in Portensi cœnobio :*

*miro se humiliat,*

*facta Præposita, munus suum recte gerit*

10 At vero circa obedientiæ virtutem qualis fuerit, monstrabitur sequenti exemplo. In eodem namque monasterio erat consuetudo, ut vicissim a Sororibus coquerentur panes : sed dum hæc Christi famula die quadam in ordine vicis suæ hoc in opere laboraret, habebat secum unam tantum adolescentulam, quæ apud eam fuerat educata, et hoc miraculum narrare consuevit, quæ *o* hucusque vivit in corpore. Cumque clibanus fuisset incensus, et panes in promptu ad coquendum parati, igneque extracto, deinde a favillis vel prunis, quæ remanserant, debuisset mundari, fasciculus, qui erat in summitate ligni colligatus, casu igne adustus est totus. Quod ubi Dei famula advertit, collidens inter se manus; altiusque ingemiscens, ait : Væ nobis, quid acturæ sumus? Panes peribunt. Opus enim hoc modo reparari non potest. Et currens festina, obseravit ostium domus. Deinde signo Crucis munita, medium inter ignium vapores clibanum sola ingreditur, arreptisque manicis, quibus in brachiis utebatur, clibanum omnem mundavit. Egressa demum, officium diligenter complevit, et nec unum quidem capillum capitis, nec denique fimbriam vestimenti ejus est ausus ignis attingere. Tunc præcepit puellæ, ut pateفaceret ostium domus, multisque contestata est eam sermonibus, ne cuiquam, quod viderat, indicaret. Quo facto miraculo, ne forte præsumptionis incurreret vitium, cuidam servo Dei quod fecerat indicavit. Vir autem ille altioris ingenii, intellexit gratiam Dei, et cujus simplicitatis esset hæc, cui virtutem tantam Dominus præstitisset, dissimulare volens, quasi increpando respondit, dicens : Noli filia, noli hoc iterare, aut aliquando repetere, ne forte tenteris a Satana. Sed quia, ut scriptum est, non potest civitas abscondi supra montem posita, E ipso viro Dei referente, Sorores hoc postea didicerunt. Voluntatis autem Dei minime fuit, ut cursum vitæ suæ in hoc monasterio ipsa Dei famula consummaret. Plures tamen, per annos quatuordecim ibi degens, suo salvavit exemplo.

*pinsit panes*

D *AUCTORE ANONYMO, EX SURIO.*

*ardentem clibanum illæsa ingreditur :*

*reprehenditur a Patre spirituali :*

Matth. 5. 14

a Clodoveo an. 509 27 Nov. mortuo successit cum fratribus Clotarius, huic an. 561 Chilpericus cum tribus itidem fratribus, Chilperico an. 584 Clotarius II, Dagoberti pater. Con. ubi dicta 3 Febr. ad Vitam S. Sigeberti Regis filii Dagoberti. — b Vitam S. Remigii dabimus 1 Oct. De conversione et baptismo Clodovei egimus 6 Feb. ad Vitam S. Vedasti. — c Dagobertus an. 622 Rex Austrasiorum constitutus a patre et an. 628 in Neustria successit mortuo Chariberto an. 630 monarchia totius Galliæ adeptus decessit 19 Januar. 644. — d S. Philiberti Vitam dabimus 20 Aug. — e Est in diœcesi Rotomagensi situm, Gemmeticum Gallice Gemieges et Jumieges appellatum. — f Id Wiluodus Paullien Gallice vertit, Marinus et Labbeus Pavilley, Catalogus Benedictinorum Galliæ et Simon Martinus Pavilly. — g Maltrancus absolute SS. Botefridum et Framehildem appellat. Verum an canonizatione et quo die, aut ubi, non comperimus. — h Amplificat Maltrancus, cum in pellucido fonte vultus sui imaginem contemplaretur, eamque ibidem angusti speculi oculis, unde prodiisse velum quale sanctimonialium esse solet, Angelicis delatum manibus, et suo vertici aptari conspexisse. — i Id ita Maltrancus exponit : Velum somniat, quotidie velum comparari sibi a parentibus contendit. — k Qui modo Cauchois, inquit Maltrancus. Cange vulgo, ut habet S. Simon Mar[illegible] nomen habuit nobile et in [illegible] Kentavicum, vel Quentavicum, ad cujus ostium, fere ubi nunc Stapulæ. — l Scilicet accessus marinus assurgentes utrimque ripas latius inundabat, ut ait Maltrancus. At sedem ponte [illegible] marinæ [illegible] recedunt, ita construit, ut æstu altiores sunt. Si [illegible] necesse fuit vel fluvii comites [illegible] aperiri, dum paullo post [illegible] Verisimilius est [illegible] tum [illegible] — m Somona, Sumina, inferius Summa olim Sumina [illegible] fluvius, a quo Ambianorum urbs olim Samarobriva vel Samarobriga appellata, quasi Teutonico sermone Somerbrugghe, vel Samerbrugghe dicas, id est Somonæ pontem. — n Id [illegible] Maltrancus, Wimarensis [illegible] [illegible] diœcesim, et [illegible] , atque Portus. — o Hinc colligitur ætas scriptoris.

## CAPUT II.

*Pauliacensis cœnobii præfectura S. Austrebertæ commissa.*

Erat [illegible] temporibus vir vitæ valde venerabilis, Philibertus nomine, cujus supra meminimus. Qui rogatus a quodam viro potentissimo, nomine Amelberto, eo quod illo in tempore ejus opera atque doctrina in fide et religione erant spectata, et singularis ab omnibus habebatur, monasterium, quod in fundo proprio, qui Pauliacus dicebatur, idem Amelbertus construxerat, filiamque suam parvulam, quæ Aurea dicebatur, cum aliis Deo sacratis Christo nobis servire devoverat, ad regendum suscepit. Et licet vir Dei lectione frequenti easdem Dei ancillas instrueret, prædicatione sancta doceret, tamen quia necessitas exposcebat, ut talibus rudimentis ab eodem sexu regularis disciplinæ norma inhæreret, præ-

*ad Pauliacense cœnobium regendum adducitur a S. Philiberto,*

F

dictus

AUCTORE ANONYMO, EX SURIO.

A dictus Dei famulus, audita jam fama famulæ Christi Austrebertæ, nuntios ad eam mittere studuit, duos videlicet ex monachis suis, ut ad hunc locum venire deberet. Dei autem famula, licet jam multo tempore exæstuans, desideraret ejusdem sancti viri institui disciplinis, tamen ut columna immobilis et firma, S. Pauli recordans sententiæ, dicentis : Non cito moveamini, neque per sermonem, neque per epistolam; ignorans an forte Deo placeret, ire ad modicum recusavit. Reversis autem nuntiis, *a* vir Dei per semetipsum ire compulsus ad Dei famulam festinavit. Ibi vero tunc orta est sancta contentio. Nam omnes illæ famulæ Dei flentes et ejulantes, levaverunt in sublime voces, dicentes : Cur hodie nos sancte Pater decipis? Cur nostro lumine ablato, in tenebris nos derelinquis? Ad hæc ille respondens dicebat : Nolite filiæ, nolite ita dicere. Vos enim in tenebris nullatenus remanetis, quia vos ipsæ luminaria mundi estis. Nolite ergo prohibere, ex vestro lumine alios participare : sed potius præstolantibus caritatem impendite. Multa ergo et alia his similia cum Dei famulabus prædixisset, tandem altercatione submota, paceque reddita, vicit Spiritus sanctus per os viri Dei : et sic acquieverunt omnes, deosculanturque eam singulæ, B omnes Dominum benedicentes. Duabus itaque Sororibus ex ipsis secum adhibitis, perrexit cum homine Dei : a quo regiminis curam in eodem loco illico suscepit.

2 Thess. 2. 2

12 Jam vero adversus ejus sanctam doctrinam, ne illadem convalesceret, quanta calliditate diabolus fuerit operatus, adjuvante Domino disseramus. Illa namque rigorem propositi sui fortiter tenens, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinabat : et quod ore ceteris prædicabat, ipsa prius illis videntibus faciebat. Illæ autem velut equus indomitus, necdum loro tractus, si quid caussa salutis famula Dei faciebat, omnino vitabant contingere. Intantum enim prævaluerat antiqui hostis versutia, ut magno eam odio habentes, etiam interficere molirentur. Sed cum, Domino prohibente, hoc facere nequivissent; superveniente prædicto magno seculi, non Dei, viro Amelberto, structo mendacio, gravissime eam accusaverunt. Ille autem, ut erat mente crudelis, vultu terribilis, credens mendaciis, adductam ad se Dei famulam, verbis durissimis cœpit increpare, repletusque furore, arrepto gladio, quo erat accinctus, impetum fecit in eam. Illa existimans congruum tempus esse martyrii, nequaquam cor femineum, sed virile se habere ostendens in pectore, subtilissi- C mum illud velamen, quo in capite utebatur, collo circumdans strictius, manum tetendit, inclinatoque vultu cervicem præbuit percussori. Attonitus ille, ut nimit, diu stetit immobilis, admirans constantiam feminæ, quam in nullo viro umquam vidisset; pavensque multum, recondidit gladium in locum suum. Qua ex re colligi potest, si hæc illis temporibus extitisset, cum a sordibus idolorum terra Martyrum sanguine lavaretur, non expectatis ministris carnificum, uti invita traheretur ad victimam, sed ultro se truncandam ingerens, prima omnium victimarum, palmam sanguinis occupasset. Certe nec illud Babylonicum supplicium pertimescens, septempliciter caminum accensum pro cœlorum regno ingredi dubitasset, quæ pro paucis panibus, ne damnum monasterio inferret, ardentem ignem ingressa est. His autem indiciis probavit Christus Dominus, famulam suam non formidasse martyrium. Nam non illa martyrio, sed ei martyrium defuisse probatur.

*monachas refractarias patitur*

*gladio se strictio offert cervices.*

Dan. 3. 19

13 Rexit autem B. Austrebertha idem cœnobium per plura curricula annorum, quod ut ante diximus, antiquo vocabulo nominatur Pauliacus : quod quidem tunc temporis paucum fuit et modicum, sed post paullulum factum est magnum. Non enim minor numerus, quam viginti quinque ancillarum Dei

*diu et feliciter id cœnobium regit,*

erat cum ea : quæ ei ita mente et corpore adhæse- D runt, ut usque in diem vocationis earum, nec una quidem ex eis ab ea quiverit separari. In quo videlicet loco præfatus Dei famulus miro modo monasterium ædificavit, quod in honore vel nomine Dei Genitricis Mariæ dedicavit. Sed et alias ibi basilicas S. Petri, et S. Martini, aliorumque Sanctorum construxit : domos quoque ad habitandum, sicut decet Sanctos, omnemque opportunitatem velociter præparavit. Quo viso, sancta ac beatissima Austrebertha bonitatem Dei in se recognoscens, vel qualiter erepta esset, sicut passer de laqueo venantium, vel quomodo ei locus subito præparatus esset ad habitandum, multarum animarum cura suscepta qualem quantamque se præstiterit, proloqui lingua nec ulla valebit. Quanta eam caritas adornaverit, bonitas ei successerit, puritas mentis et simplicitas cordis in ea refulserit, longanimitas circa omnes flagraverit, frugalitas creverit, non est nostræ facultatis evolvere. Erat enim frequens in lectione, pernox in vigiliis et oratione, jejuniis prompta, vestimentis vilissima, in tribulatione constantissima, in tentationibus fidentissima.

*omnibus virtutibus conspicua,*

14 Omnibus Quadragesimis, præter dies Dominicos, non nisi ter intra hebdomadam comedebat. Castigabat enim corpus suum et servituti subigebat, abne- E gans semetipsam, crucem suam ferebat, Dominumque sequebatur. Amabat cunctos, et diligebatur ab omnibus. In cunctis modesta, omnibus jucunda ac hilaris apparebat. Si forte, ut assolet, rixa orta fuisset, paucis sermonibus cunctorum animos mitigabat. Parcitatem ciborum ultra humanum modum sectabatur, sobrietas illi numquam deerat. Casta, canta, mansueta, quieta satis in omnibus erat. In collocutione commoda, in conferendo gratissima. Si quis certe ad eam casu se junxisset, numquam nisi compunctus corde ab ea recedebat. Nam omnes per circuitum habitantes, ejus exemplum et doctrinam sequentes, non solum filios aut filias offerre Deo statuerunt, verum etiam multi ex eis conjuges proprias relinquentes, monasteria expetierunt, sponsi sponsas abjecerunt, sponsæque eos, a quibus caussa sanctitatis contemptæ sunt, contempserunt.

*jejuniis dedita,*

*pacifica :*

*multos a seculo convertit :*

15 Humilitatem vero, quam semel beata Virgo assumpserat, nullatenus deseruit. Nam cum ei moris esset, ut sicut bonus pastor super gregem Domini vigilaret, et die noctuque circumiens, ne quid cuiquam forte accidisset, inspiceret, die quadam Matutinis expletis, cum Sorores fessis corporibus post laborem se in lectulis collocassent, in ipso lucis F crepusculo cum aurora terram perfunderet, et ipsa volens cognoscere, an cunctæ quiescerent, pergrediebatur leniter per dormitorium, inspiciens lectulos singularum. Evigilansque Præposita, nesciens esse Dei famulam, valde eam increpavit, dicens : Cur ita agis, Soror? Quare inquietas quiescentes? Vade, inquit, ad *b* Crucem. Illa autem gavisa, cucurrit quantocyus, stetitque immobilis, psallens donec hora competenti, signo tacto, consurgerent omnes. Præposita vero cum cognovisset, quod fecerat, cadens ad pedes ejus, veniam precabatur.

*subditæ in re difficili obedit :*

*a Guil. Gazeus, non recte, ab eo Amelberto evocatam Pauliacum Austrebertam scribit. b Idem vult stetisse expansis ad Crucem brachiis, fuisseque usitatam eam apud Belgas monachos pœnitentiam probat ex Vita S. Lamberti, ideoque* ire ad crucem *vertit* ire se crucifixum. *Non diffitemur usitatam valde fuisse eam pœnitentiam : putamus tamen, non extendisse ad Crucem brachia, sed ad eam constitisse aut genua flexisse. Cui enim aliqui verisimile videatur, tam inhumanum fuisse Stabulensis monasterii sanctum Abbatem, ut juberet ad plures horas quempiam id tormentum subire, quod nemo facile ultra horæ quadrantem ferre possit?*

## CAPUT III.

### *S. Austrebertæ miracula, mors.*

Alio quoque tempore dolor gravissimus cuidam Sorori

A

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

## CAPUT III.

*S. Austrebertæ potestas adversus dæmones. Defensa castitas. Obsequiorum remuneratio. Aliæ curationes.*

a

*Ad Sanctæ sepulchrum liberatur energumenus,*

*ipsa ei in somnis apparente.*

In pago Rotomagensi, quidam presbyterii functus ordine, occulto Dei examine, ab immundo spiritu vexabatur, et die noctuque irremediabiliter cruciabatur. Hic per diversa Sanctorum loca a parentibus deductus, tandem Pauliacum ad B. Austrebertæ ecclesiam adducitur, et ibi relinquitur. Cui subsequenti nocte Virgo Christi mirabili decore perspicua apparuit, et ut amodo requiesceret imperavit. Ad hanc vocem illico antiquus hostis aufugiens, Dei plasma deseruit: factoque mane incolumem illum et gratias agentem convenientes populi repererunt.

*item alius,*

19 Alius quidam miser dæmonum obsessus legione, quot intrinsecus malignis spiritibus torquebatur, tot externis motibus et diris furoribus agitabatur. Dumque tantæ esset insaniæ, ut catenas et alia quæque vincula dirumperet, hunc parentes apprehensum, et in ligneo scamno constrictum, ad beatæ Virginis oratorium detulerunt, ibique solum relin-B quentes abierunt. Populus vero deinceps ad ecclesiam veniens (mirabile dictu) quem paullo ante ligno inclusum dimiserant, vident coram altari in modum crucis solo prostratum, benedicentem et laudantem Deum; omnia etiam ejus ligamina aræ superposita. Qui vehementer attoniti, caussam percontantur prodigii. Ille cum lacrymis, Beata, inquit, Austreberta paullo ante hic veniens ab omni me molestia curavit, meaque solvens vincula, ut ea altari pro munere imponerem præcepit.

*ab ea vinculis solutus*

20 In pago Rotomagensi, villa quæ ab incolis Clavilla nuncupatur, quædam mulier paupercula cum viro suo habitabat. Hæc quadam die absente marito, cum incumbentibus noctis tenebris ex more ad ignem resideret; subito antiquus hostis in similitudine Æthiopis fuligine nigrioris ante eam adstitit; et minusculum ejus filium ad ubera pendulum, impetu in eam facto, rapere voluit. At illa pallens et tremens, quod primum memoriæ occurrit, S. Austrebertam invocavit. Ad quam vocem, velut repentino concussus tonitruo improbus et insatiabilis prædo terribiliter fœminam comminando, cur illam terribilem nominaverit, licet invitus aufugit, nec ultra comparuit. Qui quidem ad sanctæ Virginis invoca-C tionem territus abscedens, parvulum nequaquam contingere præsumpsit; sed tamen non sine cæcitatis, sed Divino potius imperio, matrem cæcitate percussit: et non solum lumine, sed et ipsis oculorum pupillis penitus privavit. Cumque per unum annum taliter visu destituta, pauperi marito oneri magis quam solatio foret; quadam nocte in somnis est admonita, ut B. Austrebertæ ecclesiam illis in partibus sitam expeteret, et ex fonte, illius insignito nomine, suos oculos ablueret. Mane itaque facto quæ audierat viro suo narrat, b et ut imperata celerius perficiantur exorat. At ille rustica mente ejus verba vilipendens, et phantasticæ allusioni attribuens; Desipis, inquit, nec fas est, credo, ulterius tibi restitui visum, cui nullum pene vestigium remansit oculorum. Verum precibus ejus et importunitate victus, tandem assensit, et eam ad oratorium sanctæ Virginis, ut optabat, perduxit: ubi solotenus prostrata postquam devote oravit, candelam ex more obtulit, et ex fontis sub sacro altari latice manu propria hauriens, cum fide tertio oculos sibi lavit. Illico (mirabile dictu) quasi duæ fulgentes stellæ e cœlo prolapsæ, oculi ejus propriis sedibus sunt restituti; veluti quondam ad natatoriam Siloe cæci nati. Quæ clare videns monasterium et amœnitatis locum, in quo, ut fertur,

*ea invocata fugatur dæmon, ne puerum rapiat:*

*mater excæcata,*

b

*Sanctæ monitu*

*ex ejus fonte oculos lavans*

*et mirabiliter visum recipit.*

B. Austreberta aliquantulum temporis cœlibem conversationem agens, supernorum meditabatur contemplationem, gratias reddidit omnipotenti Deo. D

21 Alia mulier, civis Rotomagensis, tanto pedis ac totius cruris dolore torquebatur, ut penitus incedendi officium amitteret et die noctuque graviter laboraret. Hæc igitur asello imposita, ad beatæ Virginis ecclesiam a parentibus est perducta: quæ continuo perfectæ incolumitati est reddita. c Sed cum de sua pristina valetudine et recenti curatione cuidam loqueretur mulierculæ, Ego, inquit illa, novi herbam tantæ virtutis, ut quamdiu pedi alligata fuerit, nullo modo ad eum aliquod infirmitatis genus accedere possit. d Mox illa persuasioni illius consensit; et post cœlestis gratiæ antidotum, incolumi membro lethalem succum apposuit: et statim Divina ultione multo deterior quam ante pedem ejus cum tibia dolor invasit. Tunc pœnitens facti sui miserabilis, ad piam rursus miseratricem jumento invecta recurrere festinavit: quæ coram altari exposita, non quidem, ut prius, celeris consequi meruit opem medicinæ, sed octo dierum exacta ibidem pœnitudine, perfectæ sospitati est reddita.

*cruris dolore per eam liberata,*

c

*medicamentis dein usa, gravius torquetur:*

d

*iterum sanatur*

22 Cuidam honestæ mulieri circa Sequanam habitanti aliquis impudicus vi pudorem eripere voluit: sed illa recusavit stuprum, domo concite egressa E fugit, e et sanctarum Virginum Christi ac præcipue B. Austrebertæ inclamans auxilium, ad fluvium rapido cursu usque pervenit: et insequentem a tergo hostem respiciens, quia quo fugeret, quo se verteret, non invenit; tantum magis eligens mori quam illicite violari, saltu se fluvio præcipitem dedit. Res mira, ac digna præconio, in liquido apparuit elemento. f Divino enim nutu lenis unda ac mobilis pudicæ mulieri pro navicula fuit, et ad alteram fluminis ripam sine læsione in siccum exposuit.

e

*eam invocans, ut pudorem servet, supra aquas ambulans servatur.*

f

23 g Quædam a prima indole Virgo rebus pauper, non merito, beatæ Virgini Austrebertæ deservire consueverat. Hæc, quamdiu vitali viguit spiramine, moris fuit ejusdem ecclesiæ pavimentum omni sabbato scopis verrere, ac diligenter mundare: deinde tempore veris et æstatis, sive autumni, diversis floribus et herbarum odoramentis sacri sepulchri beatæ Virginis humum circumquaque respergere. Denique præsentis vitæ urgente curriculo, et suæ vocationis instante articulo; haud immemor ejus famulatus beata Virgo, decenti specie et admirabili, lectulo decubanti eidem per visum apparuit, et materna ad eam dulcedine, Noli, inquit, Soror turbari et pavere: F venturi sabbati die a labore ad requiem transies perennis vitæ. Cumque ad eam ex more visitandi gratia aliqui venissent fidelium, retulit eis et discessionis suæ terminum, et supernæ revelationis oraculum. Advenientе itaque die et hora, in qua Christi vernacula sacri oratorii solum purgare, et virginei corporis bustum circumfulcire floribus erat solita, post perceptionem viatici, spiritum commendans Creatori, de domo lutea migravit in tabernaculum sanctum Domini, ubi procul dubio B. Austrebertæ suffragante merito, cujus fideliter inhæsit patrocinio, pro temporali egestatis inopia, immortalium divitiarum satiatur copia.

g

*Virgo templum ejus verrere et tumulum ornare solita*

*ab ea de die mortis monetur,*

*et sumpto viatico pie moritur:*

24 h Interea Dominus noster famulæ suæ Austrebertæ merita longe lateque declarans, ubicumque ad ejus titulum basilicæ dicantur, seu oratoria, virtutum non desinit exhibere suffragia. In pago Cenomanensi a fidelibus constat constructa ecclesiola, schemate quidem exigua, sed signorum decore perspicua. Tres namque in vicino commanentes fœminæ diverso laborabant incommodo: nam una earum cæcitate multata, altera pedibus contracta, tertia vero erat diuturno languore confecta. Quæ pariter B. Austrebertæ votum facientes, ad ejus quam diximus ædiculam

h

*cæca, contracta, ægra,*

*candelis oblatis sanantur.*

A lam candelas miserunt : statimque solita Dei clementia integram sospitatem receperunt. Deinde pari devotione Pauliacum properantes, ad ejus tumulum gratiarum ac laudis vota omnipotenti Domino solverunt.

*Item mutus dæmoniacus.*

25 Quidam dæmoniacus et mutus, uti ille Evangelicus, Pauliacum ad beatæ Virginis Austrebertæ ecclesiam est adductus : qui infra paucos dies expulso dæmone curatus est, et lingua officio beatæ Virginis merito restitutus.

a *Sequentia omnia desunt MS. Capuano et Audomarensi, ac prima duo miracula aberant quoque a MS. Rotomag.* — b *Sequentia in MS. Rotomag. brevius ita efferuntur* : qui cum ad oratorium sanctæ Virginis perduxit, ubi postquam devote oravit, et ex fonte suos oculos lavit, illico (mirabile dictu) ac si duæ fulgentes stellæ cœlo prolapsæ, oculi ejus propriis sedibus sunt restituti, ac sic lumine recuperato, Deo et beatæ Virgini gratias reddidit. — c *Addit MS. Longipont.* ita ut animal, quo advecta fuerat, ad proprium minando reduceret. Verum quia infirmæ mentes ac nimis cupidæ, dum inconcessa appetunt, etiam et concessa merito perdunt, eadem fœmina cum de sua *etc.* — d *Idem MS.* O cæca animi præsumptio! o temeraria fidei transgressio! Mox serpentinæ persuasioni seducta ut Eva consentiens, post cœlestis *etc.* — e *Addit idem MS.* Fortasse enim audierat, aut a Spiritu sancto didicerat Apostolicam vocem : Fugite fornicationem. — f *Idem MS. Longipont.* Nam quæ sub vestigiis Apostoli Petri induruit levis unda ac mobilis, pudicæ mulieri pro navicula fuit, eamque placido dorso excipiens, ad alteram subito ripam transportavit. O Deo amabilis, et inter ceteras virtutum infulas laudabilis virtus castitatis, quæ terrenum non timet periculum, gehennæ non formidat supplicium, cui et unda præbet obsequium! — g *Hoc in MS. Longipont. inter posteriora Miracula habetur.* — h *Hoc miraculum in eodem MS. post num. 31 refertur.*

1. Cor. 6, 18

B

# ALIA MIRACULA

## auctore monacho anonymo.

a

### CAPUT IV.

*Post vastationem Normannicam restitutus S. Austrebertæ cultus. Monachi Pauliaci collocati.*

Miles quidam visis inenarrabilium virtutum ejus miraculis, auditis a fidelibus nonnullis miraculorum prodigiis, nihilominus spiritu contumaciæ repletus, sine Deo diligentibus cœpit detrahere, illinc venerationi ejus invidere. Tandem etiam, quod malo conceperat corde, blasphemiæ faenus in venerandam Virginem, plurimis audientibus, aggressus est evomere. Cui misero vix maledicto evacuato gutture, fauces mox et guttur acri dolore cœperunt intumescere. Talique octo diebus fatigatus incommodo, cum jam sibi videret vitæ imminere periculum, quidnam agere incertus, quod non meruerat, ad beatæ Virginis Austrebertæ se contulit auxilium : pœnituit, oravit, guttur languidum marmore sepulturæ ejus tetigit, moxque sanus effectus, cum gratiarum actione hoc maximum inter cetera gloriosæ Virginis beneficia, quod tam celeri misericordia suis etiam inimicis sinum pandat pietatis, omnibus clara voce prædicavit.

*Ejus miraculis detrahens, eamque blasphemans, angina percutitur,*

C

*sanatur*

b

27 Cum per immanissimam b barbaricæ crudelitatis feritatem, regnum Galliæ atque Germaniæ olim circumquaque miseranda vastaretur depopulatione; occidentalis pars Franciæ, acrioris vim furoris, continua frequentatione, præ ceteris regionibus pertulit. Adeo, inquam, Gentilium in populo prævaluit perversitas, ut penitus peremptis effugatisque cohabitantium turmis, dirutis solotenus cœnobiorum ædificiis, gloriosorum Sanctorum pignoribus, alio velut in exilium lugenda nimis translatione ablatis, etiam cum illorum absentia funditus nobis videretur deleri memoria.

*Neustria a barbaris vastata,*

*cœnobiis eversis,*

*translatis reliquiis*

28 Multo post tempore, tantæ grassationis diluvio aliquantulum retracto, placuit Divinæ propitiationi iterum occiduæ regioni redivivo jubare Catholicæ religionis lumen oriri, ut ubi hactenus noscebantur esse ferarum pascua, Christicolarum jam viderentur ædificari habitacula. Quamvis enim adhuc esset exiguus regressorum numerus, tamen sicubi ab eis templorum invenirentur vestigia, illico pro posse sui reædificabatur ecclesia. Contigit ergo iisdem temporibus ab incolis fidelibus in Pauliaco, quod, ruina teste, ante patriæ eversionem famosissimum cœnobium noscebatur, conditam fore ecclesiolam in loco quo gloriosa Austreberta carneis membris soluta est, sed jugi provinciæ excidio radicitus evulsum undique Deo famulantium videbatur obsequium, et ne cujuslibet solennitatis celebraretur memoria, gentilis concursionis abstulerat instantia.

*pace reddita,*

D

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

*structa Pauliaci ædicula,*

*ubi nullæ tunc monachæ :*

29 At ubi humanum ad tempus defuit obsequium, gratiori frequentatione imminebat Divinum. Nocte igitur quadam in loco supradicto, viro cuidam fidelissimo, necnon et duabus probatissimæ vitæ mulieribus, quarum una sanctimonialis fuerat, licet diversis habitassent mansiunculis, vox una tamen omnibus facta est communis : Quid somno depressi jacetis? Nonne venerandæ vestræ Patronæ Austrebertæ Virginis festivitatem adesse cognoscitis? Surgite et ad ecclesiam festinate. Tanti illi ignari negotii celeriter surgunt, ad ecclesiam concurrunt, magna cum devotione matutinis laudibus adstantium voces intus audiunt, simulque Angelica conclamatione nocte eadem festivitatem supradictæ Virginis in cœlis coli intelligunt. Fit mox communis exultatio, et pia intrandi æmulatio. Sed cum perventum foret ad templi ingressum, nullum prorsus audivere sonum; inæstimabilem tamen suavitatis sensere fragrantiam. Qua in re claro monstratur indicio, hanc eamdem beatæ Virginis solemnitatem Angelico obsequio honorari in terris, cui supernorum civium multitudo congratulatur in cœlis.

*quidam in somnis moniti,*

*eo conveniunt ad Sanctæ festum,*

E

*audiuntque cantum Angelorum suavi odore perfusi :*

30 In urbe Rotomagensi quidam juvenis ab officialibus Præsidis comprehensus, et ferro vinctus, carcerali custodiæ mancipatur. Hic autem illius ruris erat indigena, in quo B. Austrebertæ habetur ecclesia, signorum magis fulgore, quam lapidum schemate perspicua. Cum intempesta nocte anxius vehementer trepidaret, et mortis imminentis periculum formidaret, memor suæ venerabilis Patronæ, cœpit eam implorare. Cumque ejus nomen sæpius iteraret, repente beata Virgo ei adstitit, blandoque eum instruens alloquio, dixit : Noli timere, Dei miseratione liber egredere, et hæc vincula, quibus detineris, ad nostram defer ecclesiam, cœlestis Imperatoris laudans clementiam. Hæc dicens disparuit, antrumque illud squalidum et horrendum miræ suavitatis nectare replevit. Ille extemplo solutus a vinculis, custodibus somno depressis, de carcere exiit, et quod fieri imperatum fuerat, sine mora complevit.

*captivus eam invocans,*

*ipsa apparente liber dimittitur,*

*diffuso per carcerem suavi odore.*

F

31 In territorio Pauliacensi quædam mulier unicum habebat filium, qui dum quadam die, puerili more præpeti cursu equum ad aquas duceret, repente antiqui hostis impulsu in terram corruit, et ab eo percussus paralysis morbum incurrit. Mater complosis manibus, accurrens, et vehementissime dolens super eum incubuit, et quam in adversis familiariter orare consueverat, ab imo pectore vocem trahens et suspirans, taliter invocavit, vovens insuper ex proprii sumptu laboris tantum frumenti, quantum pondus æstimaretur illius. Nec mora : unicum suum incolumem recepit; quem, ut votum perficeret, in statera celeriter appendit, et triticum ad B. Austrebertæ ecclesiam detulit, ex quo c Fratres in ejus præclara festivitate panes habuerunt, et advenientibus cum gaudio obtulerunt.

*paralyticus sanatur,*

*voto frumenti offerendi, quantum ejus esset pondus :*

c

a *In ed. Longipont. MS. habentur sequentia Miracula, sub uno eodemque cum præcedentibus contextu, imo mutato etiam quandoque ... indicatum ordine. Nec certum est ... latione ... contigisse ... probabile est.* — b *Hic ... Normannorum ... sæculo ...* — c *Hinc patet, jam tunc illic collocatos fuisse monachos, cum hoc evenit.*

### CAPUT V.

A sæpius vociferando repeteret, commota familia accurrit, adest monachus, interrogatque, si paci consentiat. Etiam, inquit, quia incredibilibus pœnis me perimere sancta Virgo minatur. Veniat quæso, inimicus, et cum pace recedat. Vocatus illico venit et reconciliatus in pace recessit. Mirum dictu! mox æger perfecte convaluit, ita perfecte, ut meritis Sanctæ sanior atque valentior solito, cum ferramentis in crastino rediret ad opus.

*reconciliatus illico convalescit :*

43 Quidam vir illustris, Gosselinus nomine, transmarinis degens in partibus, B. Austrebertæ sui ruris decimam dedit, atque in signum donationis duos ex ære urceos, quos vulgo Bachinos vocamus, ejus Ecclesiæ ministris transmisit. Quæ Fratres quidam *b* nostri monasterii, illuc pro quibusdam utilitatibus directi, gratanter susceperunt, expletisque pro quibus ierant, ad propria reverti cupientes, cum suis ad mare properarunt, Deoque favente, prospero navigii cursu ad portum *c* Dieppe applicuerunt. Egressi autem ad terram, cuncta quæ secum detulerant, integra reperiunt, præter illa, quæ diximus, vascula a nautis furtim subrepta. Cum ergo ea minime reperirent, tristes admodum, S. Austreberta, inquiunt, de oblatione sua inique distracta celerem expetat ultio-

*nautæ sacrilegi puniti,*

B

nem. Quod et factum est. Altera namque die cum D prædicti nautæ multis cum navibus, quæ in portu erant, ad propria reverti conarentur, aliis prospere navigantibus, illa quæ furti erat conscia navis, repentino turbine repulsa ad littus revocatur; et per aliquot dies, egredi nullo modo valens, invita retinetur. Tandem cur hoc fieret advertentes, et sui sceleris pœnitentes, cuidam monacho sanctæ Trinitatis, qui in vicino erat, vascula humiliter reddunt; moxque cum gaudio prospere ad propria revertuntur.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS*

*donec sublata restituerent :*

44 Quidam adolescens gravissimo corporis incommodo detentus, ex beatissimæ Austrebertæ Virginis fonte (de quo multi sanantur) dari sibi cum fide petiit. Cui cum de alio, sub ejus nomine, præbuissent, protinus animadvertit, sprevit, et, nisi quod petierat consequeretur, se minime sanandum dixit. Tandem illius improbitate victi, ad fontem, licet itinere diei unius sepositum, mittunt, et inde quod cupierat ægro afferunt. Quo hausto, extemplo convaluit, surrexit, Deo sanctæque Virgini grates reddidit.

*aqua fontis ejus multi sanati.*

a De Summa, vel Somona a l cap. 1 Vit. S. d. ... — b Hinc patet, auctorem monachum fuisse, sed Gemmeticensem, seu potius Pauliacensem. c Dieppe celebre Normanniæ oppidum, cum portu.

E

# DE S. BALDEGUNDE ABBATISSA.

J. B.

*X FEBR. S. Baldegundis Abbatissa ;*

Nomen S. Baldegundis *ita vulgato sub Bedæ nomine Martyrologio inscriptum est :* Et Baldegundis Abbatissæ. *Totidem verbis illam hoc die referunt Rabanus, Notkerus, Molanus in Addit. ad Usuard. Canisius, Wion, Hugo Menardus, Benedictus Dorganius, Philippus Ferrarius. Nemo de ea aliud memorat : nisi quod Franciscus Laherius noster in magno Menologio Virginum ita illius memoriam consignet :* In Francia S. Baldegundis Virginis et Abbatissæ Benedictinæ. *Sunt illa quidem credibilia, si vetusti scriptoris testimonio firmarentur.*

*an Virgo, non constat.*

# DE S. SIGONE
## EPISCOPO CLAROMONTANO IN GALLIA.

J. B.

*CIRCITER AN CHR. DCCCLXXIII. X FEBR.*

*S. Sigo quando et quamdiu sederit ?*

Arvernicæ urbis, quæ nunc Clarus-mons dicitur, XL. *Episcopus memoratur a Joanne Savarone, Claudio Roberto, Joanne Chenu,* S. Sigo, *qui Philippo Ferrario Sigenius est. Ætas illius inde colligi potest, quod S. Stabilis ejus decessor, de quo egimus 1 Januarii, Concilio apud* Tusiacum Tullensis territorii VI Iun. *habito,* XI Kal. Novembr. Indict. IX, anno Christi DCCCLX, *interfuit: successor vero ejusdem Sigonis Agismarus Concilio Pontigonensi subscripsit,* mense Junio anni DCCCLXXVI, Indict. IX. *Ipse autem Sigo Suessionensi III,* anno C Christi DCCCLXVI, Ind. XIV, die XV Kalen. Septembris.

2 *Acta ejus an sint tradita litteris, haud scimus : ea certe necdum nacti sumus. Sede sua dejectus fuit ab Stephano Arvernorum Comite, atque eam Ado quidam intrusus. Amovere hunc, illum restitui jussit* Nicolaus I *Papa epistola* 33, *ad eumdem Stephanum data, anno, ut Sirmondus putat,* DCCCLXIII, *qui erat Nicolai sextus. In ea isthæc de Sigone :* Ceterum quia, quod his nequius extat, contra omne quod Christianæ religioni convenit, dejecto sanctissimo Sigone Arvernensi Episcopo, in locum ejus pervasorem Adonem Clericum substituisti, præcipimus auctoritate Dei omnipotentis, beatorumque Apostolorum principum Petri ac Pauli, ut nullam passus moram, sanctissimum Sigonem Episcopum, dejecto pervasore, Ecclesiæ suæ restituas, et in omni sacerdotii dignitate eum manere omodo dimittas. *Et post pauca :* Pervasor vero sanctæ Arvernensis Ecclesiæ, si post hanc nostram definitionem illic retinerí tentaverit, et aliquod impedimentum sanctissimo Sigoni Episcopo facere quacumque argumentatione præsumpserit, sciat se pati modo non tantum a vini et carnium,

*Sede dejectus,*

*Papæ jussu restituitur,*

*sepre...o invasore.*

verum et a Corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participatione penitus esse sejunctum, quamdiu nostris jussionibus obstinate in præsentiam Apostolicam venire distulerit.

3 Sigonis *temporibus, magna Arvernicæ ditioni, atque adeo universæ Galliæ, illata ab Normannis est clades, de qua tum alii scriptores, tum præsertim Adrevaldus, qui tum vivebat, lib.* 1 *Miraculorum S. Benedicti inter alia sic loquitur :* Ab ipso quippe, ut ita loquar, F Oceani littore, Orientem versus, Arvernum usque, clarissimam veteri tempestate Aquitaniæ urbem, nulla libertatem retinere valuit regio; non oppidum, aut vicus, non denique civitas, qui non strage ferali concideret Paganorum. Testatur hoc Pictavis fecundissima quondam urbs Aquitaniæ, hoc Sanctonum, hoc Engolisma, hoc Petrogorium, hoc Lemovica : hoc certe Arvernus, terminus tunc usque barbariei gladii, ipsi reque Avaricum caput regni Aquitanici proclamant, nulli scilicet bellica obviante manu, hostium gravter sese concidisse incursu. *Eadem habet Willelmus Gemmeticensis histor. Norman. lib.* 1 *cap.* 8

*Normannorum in Arvernos usque irruptione,*

4 *Magna S. Sigoni tunc oblata patientiæ materia est, et caritatis afflictis hominibus impendendæ, magnificentiæ quoque in restaurandis sacris ædificiis, quæ a Barbaris erant eversa. In his templum fuit S. Mariæ principalis, ... de Portu, de quo Savaro ad cap.* 2 *lib. de Ecclesiis Claromontanis, ex veteri MS.*

*eversum templum B. V. reficit.*

Hoc templum Sanctus primo fundavit Avitus,
  Inclitus Antistes, nobilis et genere.
Hoc Normannorum flammis gens ussit acerba,
  Bacchans et strages heu miseras faciens.
Sed Sigo hanc Præsul prisco decoravit honore

5 *Pus*

A 5 *Piis ejusmodi operibus immortuus est optimus Præsul die* x *Februarii: quo anno, non diserte exprimitur; ante saltem* DCCLXXVI, *ut supra indicatum. De die Savaro loco citato:* Ejus festum celebratur IV Id. Febr. Breviar. Martyrol. Ordo Claromon. et Kalendaria MSS. *Quæ eadem monumenta citat in Originib. Claromont. Eodem die Molanus in Addit. ad Usuard.* Arvernis depositio S. Sigonis, ejusdem civitatis præclaræ sanctitatis Episcopi et Confess. *Meminit ejus et Ferrarius in generali SS. Catalogo, et cum prolixo elogio Saussaius in Martyrol. Gallic. Postridie eum refert Constantinus Ghinius in Natal. SS. Canonicorum. Ferrarius* XVIII *Februarii denuo ista habet.* Arvernis S. Sigonii Ep. *At Saussaius in Supplemento Martyrol.* Arvernis tumulatio S. Sigonis Ep. qui ad Christum glorificandus transivit die x hujus mensis. D

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS*

*inscriptus Martyrologiis 10 Febr. et 11 ac 18*

6 *De ejus Reliquiis Savaro loco cit.* Ejusdem cineres capsa conclusi in capite Portuensis Ecclesiæ superstant. *Idemque narrat in Originibus. Et Saussaius* x *Febr.* cujus pignora sanctissima in eadem basilica S. Mariæ de Portu religiose asservata, ibidem percolenda hodie ostenduntur.

*ejus Reliquiæ Claromonte.*

### DE SANCTA VIRGINE ET MARTYRE

# SURA, sive SOTERIDE, AUT ZUWARDA,

## DORDRACI IN HOLLANDIA,

## Commentarius historicus.

J. B.

§ I. *Dordraci urbis origo: templum ibi a S. Sura ædificatum: ejus martyrium, veneratio, fons miraculosus.*

B

Dordracum, sive Dordrechtum, *urbs est Hollandiæ antiqua ac locuples, de cujus nomine, origine, ornamentis curiose et docte scribit Marcus Zuerius Boxhornius in Theatro Hollandiæ. Inter cetera illud profert ex schedis ineditis Joannis Gerbrandi a Leydis:* Porro in eodem oppido dicitur succes[s]u temporis jugulata quædam Virgo, Soteris nomine, vel Zuwaerdt in Teutonico. Hæc Virgo fertur ædificasse ecclesiam Dordracensem, tribus denariis emens necessaria, et semper eos reinveniens in bursa. Quam cum jugulassent tres operarii spe pecuniæ, qua putabant Virginem abundare, et invenissent tantum tres denarios; ecce fons de terra prosilivit, valens contra infirmitates variosque morbos. Hujus Virginis tempus ignoratur a populo, sed fons patet in Dordraco.

*S. Sura Dordraci occisa, templum ædificans, (ubi fons ejus miraculosus)*

2 *Quam ea ædificarit ecclesiam, vulgo majorem oppidi basilicam, Deiparæ Virgini dicatam, fuisse aiunt, de qua infra. Facilius crediderim, minorem aliquam eidem ab ea constructam: urbe deinde numero habitatorum atque opibus aucta, majorem illam splendido opere fundatam. Ita Mechliniæ ac Liræ atque alibi videmus magnifica constructa esse templa, diversa ab iis quæ SS. Rumoldus, Gummarus, atque alii olim ædificarunt.* C *An non videri potest* capella noviter constructa de Dordrecht, *cujus apud eumdem mentio fit in diplomate Henrici Imp. anno* MLXIV *dato, illa esse quam S. Sura ædificarit? Quamquam eodem anno præclaram ædem constructam Dordrechti esse idem ex vetusto indiculo testatur.*

*. . . rte seculo . . .*

3 *Licet porro, quo Sura vixerit tempore, ignorari fateatur Gerbrandus, non ante tamen Æræ Christianæ nonum seculum vixisse ostendit, cum Dorotheum a quo* Dordraci exordium et vocabulum *deducit, anno* DCCCV *velit vixisse: postea autem, successu temporis, ut ait, sanctam hanc Virginem. Ac fortassis* X *seculo aut etiam* XI *ea extitit, si (ut retulimus) anno* VIII *Henrici III Imp. Christi* MLXIV, Capella de Dordrecht noviter constructa erat. *Miræus tamen in Fastis Belgicis claruisse eam scribit* anno circiter MCCC. *Laherius in Menol. Virginum ait, anno* MCCCXX *occisam.*

*aut 10, non ante 9.*

4 *Molanus in Natalibus SS. Belgii* ex informatione quam Dordraci accepit, *ita S. Suræ historiam narrat:* Hæc urbs est in diœcesi Trajectensi, metropolis civitatum Hollandiæ, in qua sancta Virgo honestissimis parentibus orta, majoris Ecclesiæ fundatrix celebratur. Fertur enim singulari affectu venerata esse imaginem Deiparæ Virginis ad arborem super rivum Dordrecht pendentem, et quidquid lucrabatur, id pauperibus erogasse. Cum autem optaret ecclesiam ædificare, ab Angelo didicit magnitudinem et tribus operariis totidem denariis, dictis Copkens, parvæ quantitatis, sed magni valoris, satisfecit. Ex quo quod pecuniosa putaretur, vitæ præsentis auram per latrones amisit, cui in loco ubi hodie amœnissimus fons, febricitantibus medicina, emanat. *Eadem Molani verbis refert Antonius Ballinghem in Kalendario Mariano.* E

*pia erga D. V. misericors, ideam templi cælitus adepta, et sumptum*

5 *Quem Molanus* rivum Dordrecht, Dortham flumen *vocat Boxhornius ex Rutgersii eleganti conjectura. Nam et urbs ipsa* Dort *vernacula voce appellatur, et vicinus pagus* Dorsmonde, *quasi* Dortæ ostium, *uti alibi* Dendermond, Rupelmond, Roermond *etc. Teneræ, Rupelæ, Roræ fluviorum ostiis apposita oppositave oppida aut castra. Addit Scriverii conjecturam, qui locum hunc ipsum fuisse censet, in quem se recepit Reginarius Hannoensis Comes a Zuentiboldo Rege honoribus exutus, ac regno Lothariensi excesse jussus an.* DCCCXCVIII. *Nam, ut habent Annales Metenses, consentiente Reginone et aliis,* in quemdam tutissimum locum, qui Durfos dicitur, intravit, ibique se communivit, adjuncto sibi Odacro Comite, et quibusdam aliis, cum mulieribus et parvulis et omni supellectili. Quod cum Rex cognovisset, coadunato exercitu, castrum expugnare conatus est, sed minime prævaluit propter paludes et multiplices refusiones, quas in prædicto loco Mosa fluvius facit. *Quæ in Dordraci situm quadrare nemo facile inficiabitur. Accedit, quod Zuendeboldus loco frustra oppugnato, cum interea Carolus Simplex, Galliæ Rex, ejus regnum ingressus, Aquis usque Noviomagum venisset, ipse ad Franconem Episcopum Leodiensem, per hodiernam scilicet Brabantiam, se recepit, novisque auctus viribus Mosam transiit, et adversus Carolum, qui Noviomago Prumiam venerat, copias eduxit. At Scriverius pro* Durfos, *legendum ait* Durtus, *vel* Durtasus. *Nemo sane hactenus mihi sæpe de Durfos quærenti ostendere aliud potuit. Viderint quibus singula licet inspicere eorum loca.* F

*ut ad flumen Dordrecht gestum sive Dortam, ad quem munitio Reginarii Com. Hannoniæ contra Zuentiboldum, vulgo Durfos dicta*

6 *Ad S. Suram revertor. Pergit de ea Molanus;* Capti latrones, ad Judicis Prætorium ducti sunt: sed Martyr cum cicatrice recenti in collo apparens, (erat enim guttur cultello transfossum) pœnitentibus veniam impetravit. Visa est a me imago ejus in via publica et in altaribus duabus collegiatæ ecclesiæ habere jugulum cruentatum, et in manu cultellum piscarium, quantum recordor.

*S. Sura homicidas a morte liberat: quomodo occisa;*

7 *Si percunctetur quispiam, quo jure Martyr nuncupetur, quæ neque pro fide neque alterius virtutis defensione mortem oppetiit? Consulat, qui id quærit, (neque enim omnia ubique repetenda) quæ* VIII *Februarii*

*quo titulo Martyr;*

ad

A *ad Vitam S. Mengoldi* § 1 *dicta sunt. Fuit sane piæ huic Virgini Divinus favor cædis caussa, qui occasionem sceleratis hominibus præbuit existimandi eam pecuniis affluere. Quod et S. Rumoldo Mechliniæ ecclesiam ædificanti contigit.*

*historia explosa ejus fontem naturalem astruunt hæretici.*

8 *Quæ de S. Suræ fonte traduntur, Boxhornius ad nescio quas calidas vel tepentes aquas refert, quales plurimas olim in Hollandia fuisse asserit, neque annalium, quos citat, loca aut verba profert.* Cum viderent, ait, nonnulli aquas illas plurimis ad sanitatem conferre, et aucta, ut fieri solet, fama, hominum undique adfluentium frequentia celebrari, facile historiolam hanc, pro illorum temporum pietate, sunt commenti, de facilitate credentium securi. *Ita ille, etsi natura minime malus, a Catholicæ tamen Ecclesiæ ritibus cultuque Cælitum alienus, et eo scribens loco ac tempore, quo si majorum pietatem probasset, aut etiam non verbo uno perstrinxisset, quorumdam hominum munere sibi odia sentiebat, quibus ut placeret adnitendum sibi esse ducebat. Idem de Diræ hujus nomine ita censet,* Zuwardam *vel* Zuram *dictum esse a* zuveren, *quod* mundare, purgare *nobis designat.*

*Lindanus Ep. miraculo sum.*

9 *Pluris est nobis Wilhelmi Lindani Dordraceni, Ruremundensi Episcopi, viri sanctissimi doctissimique,*
B *auctoritas, qui de S. Suræ gentilis suæ fonte ita scribit parte 2 Apologetici ad Germanos cap. 50.* Sicuti quotidiana discimus experientia, fontes quosdam sive puteos præsentaneam habere vim et usum medicum adversus morbos aut febres, ut Dordraci S. Suræ fons semper vivus, saltuque assiduo agitatus: cujus potu me puero memini N. sanatum; cum amicus domi paternæ exceptus, quemdam ejus hauriendæ caussa forte ablegasset. Sic et S. Genovefæ Parisiis, et S. Veronæ apud Lovanium. *Nihil ille hic de tepentibus aquis. Erat porro hic S. Suræ fons, sive puteus, in Ecclesiæ majoris cœmeterio, copertus; atque inde quamplurimi quotidie aquam hauriebant ad morborum, ac præsertim febrium, remedia: nunc ab hæreticis obstructus est.*

*Et probat.*

*S. Suræ nomen in Martyrologiis,*

10 *Inscriptum est Belgicis Martyrologiis recentioribus* S. Suræ *nomen. Andreas Boejas noster ita habet:* Dordraci commemoratio S. Suræ V. et M. *Additur in Martyrologio Gallice edito Leodii an.* MDCXXIV, miraculis celeberrimæ. *Balduinus Willotius noster:* Dordraci fiebat olim commemoratio S. Suræ, sive Soteridis, Virginis et Martyris *etc. Molanus in Addit. ad Usuard.* Dordraci S. Suræ Virginis et Martyris commemoratio, sub nomine Soteris, quod
C Latine interpretatur Salvatrix. *Meminit ejus quoque ad hunc diem Miræus in Fastis. Et cum insigni elogio Saussaius in Martyrol. Gallicano: sed nescio unde acceperit, quod ait,* mundi illecebris et vanitatibus ab infantia valedixisse. *Quod et Simon Martinus lib. 4 Flor. solitudinis ab eo accepit.*

*Et cultus sub nomine Soteris:*

11 *Molanus de ea commemoratione in Indiculo SS. Belgii, et in Natalib. sic scribit:* Ecclesia jam dicta *(Dordracena)* Soterem eam nominat, et, per Collectam, memoriam ejus celebrat in die Scholasticæ Virginis, x Februarii. Sed adhuc ignoro, a quo tempore, et cujus Sedis auctoritate, hæc commemoratio fiat, et applicatio Collectæ de Sotere Virgine Orientis, in Soterem Dordracensem. Quam sic transnominatam opinor, ob salutem præstitam miraculis. *Gulielmus Gazæus in histor. Eccles. Belgii, ubi fuse de ea agit,* Soteridem *dictam putat, quod ipsosmet latrones, a quibus jugulata erat, salvarit.*

*perperam eadem quæ Romana Soteris credita*

12 *Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, Annot. ad elogium S. Soteris Romanæ ita scribit:* Corpus hujus Virginis, auctore Joanne Molano, Dordraci in Holandia summo honore habetur, licet Sura ibi passim nominetur. *Diserte* Soterem *illam a* Sura, *sive* Soteride *Dordracena distinguit Molanus. Eadem repetit Ferrarius in generali Catalogo SS. ubi tamen illa demum subdit:* Acta tollent ambiguitatem, an eadem sit cum Romana. D

AUCTORE J. B.

*ejus Reliquiæ.*

13 *Reliquiarum S.* Suræ *nusquam mentionem reperi in Belgicis scriptoribus. Saussaius Suessionem translatas scribit. Ita enim habet* XI *Februarii:* Suessione susceptio reliquiarum S. Suræ, alias Soteris, Virginis et Martyris in Hollandia coronatæ.

## § II. *Quæ Dordraci, cum vigeret Orthodoxa religio, templa, monasteria, sacella, loca sacra.*

*Templa Urbis Dordracenæ, et alia loca pia:*

**L***ubet hic ad sanctæ Martyris honorem, gloriamque nobilissimæ urbis, quibus olim, dum vigeret Catholica religio, decorata fuit, templa ac monasteria recensere; epistolam nactus, quam ante annos complures de iis Teutonico sermone scripsit ad Heribertum Rosweydum nostrum Theodorus Cornelii Ultrajectinus Pastor Dordracenus.*

*1 D. V. collegiatum,*

15 I *Ecclesia major, Mariæ Deiparæ sacra, in occidua urbis regione, ad ipsa prope mœnia sita; ornata Sacerdotum collegio, quod Albertus Bavarus, Comes Hollandiæ, ann.* MCCLXVI *fundavit, confirmavit Joannes Verneburgius Episcopus Ultrajectinus. Constabat illud Decano,* XII *Canonicis,* IX *Chori sociis, aliquot Vicariis. Turris anno* MCCCXXXIX *fundata,* MCCCLVII *(non* MCCCCI, *ut habet Boxhornius) deflagravit. Ita lapidi sub ipsa turri incisum:* E

Fundata sum anno Hiesu 1339, Junii 16.
Incensa cum aliis 1457, Junii 28.

*a S. Sura ædificatum, vel aliud eo loco*

*Atque hæc est ecclesia, quam ædificasse S.* Sura *existimatur aut minorem certe aliam eo loco. Ad hujus arctoum latus sacellum erat perelegans Virginis Deiparæ; inque eo sodalitas, aut Confraternitas, ut vocabant, ex primariis constata civibus, ejusdem honori Virginis amplificando devotis.*

*ubi pars sanctæ Crucis,*

16 *In eadem ecclesia altaria sacellorve, minora alia, quædam majora, omnino* XLVII, *non autem solum* XLII, *uti Boxhornius scribit. Unum ex hisce altaribus sanctæ Cruci dicatum erat. Pars enim prægrandis e ligno Crucis Christi hic erat, eleganti inserta Cruci, gemmis pretiosis adornatæ. Id lignum isti quodam Sultano Babylonis surripuit anno* MCCCXXX *Nicolaus Schoutetus Dordracenus, dum ejus reparat sceptrum, cui erat inclusum, in patriamque retulit, et huic basilicæ donavit. Suerus Episcopus Ultrajectinus anno* MCCCXXXI, *coram multis testibus in ignem illud conjecit, probare cupiens verene Dominicæ Crucis lignum esset, planeque integrum atque intaminatum mansit. Anno quoque* MCCCLVII, *cum pars magna urbis ipsaque basilica absumpta incendio esset, sacrum illud lignum omnino illæsum repertum est a Joanne Alberti Decano ac duobus Ædilibus. Dominica post SS. Petri et Pauli festum splendida ac religiosa supplicatione circumferebatur, eaque solemnitas Circuitus minor vocabatur. Periit sacrum hoc pignus primis Geusiorum tumultibus.* F

*miraculis probata:*

*2 Novum S. Nicolai*

17 II *Ecclesia, quæ Nova dicitur, S. Nicolai honori dicata,* XX *habebat altaria, Choros tres, medium S. Nicolai, australem Sanctæ Crucis, borealem Deiparæ Virginis. Pastoratus a Capitulo Ecclesiæ majoris conferebatur. Ea ædes anno* MDLXVIII, *festo S. Vincentii, ipso meridie conflagravit: reædificata, minor tamen, ab Wilhelmo Lindano Episcopo consecrata est.*

*3 Augustinianorum*

18 III *Augustinianorum Eremitarum insigne cœnobium, ab Wilhelmo Bono, Hollandiæ Comite, circiter annum* MCCXXX *fundatum, fortuito incendio periit anno* MDXII, *sed postea reædificatum.*

*4 Minorum*

IV *Fratrum Minorum monasterium ante annum* MCCCXI *constructum est, ut ex quadam censuali syngrapha patet: tria habebat altaria, cancellis præsepta. Eversum est ab hæreticis anno* MDLXXVIII, *strata per hortum via, ædibus circum ædificatis.*

19 V *Nonnarum veterum cœnobium, S. Agnetis sacrum*

A crum, incolebant sanctimoniales Regulares, instituti Augustiniani, Capitulo Windeshemensi subjectæ: iis a confessionibus et sacris erat Sacerdos e Rubea valle, aut Viridi valle, utroque in Sonia silva haud longe Bruxella sito monasterio. Stat etiamnum templum, anno MCCCCXCIV constructum. Habuit tria olim altaria, cum Choro, quem inferne paries lapideus, superne cancelli præcludebant. Ad meridionale chori latus, extrinsecus apposita ædicula erat, in qua parvula lapidea statua B. Mariæ Virginis servabatur, in templi fundamentis, dum ea foderentur, reperta: per quam multa divinitus facta miracula sunt: Indulgentiæ quoque ædiculam religiose visentibus concessæ ab XI Martii per VIII continuos dies. Amplos id gynecæum proventus habebat, donatos præcipue a Gerardo Hemskerckio Equite, qui anno MCCCCXVII vivebat.

*auctoris. 5 Nonnarum Veterum,*

*Ubi B. V. miraculosa:*

6 Marienborn: 20 VI Cœnobium Marienborn dictum, id est, Mariæ fontem, incolebant Sanctimoniales tertiæ Regulæ S. Francisci, quibus secularis Sacerdos sacramenta administrabat. Illic nunc habitatio est tenuium orphanorum, qui cœnobii proventibus aluntur.

*7 Grysiarum Sororum:* VII Grysiarum Sororum (ut a leucophæa veste appellant Regulam S. Francisci professas) stetit via Nova monasterium. Tria hic altaria, Chorus unus præclusus. B Eas instruebat Sacerdos e Minorum Ordine. Juxta id cœnobium ædicula erat Deiparæ sacra.

*8 Alexianorum* VIII Cœtus Alexianorum Fratrum VIII, anno MDLXV institutus, unam in templo aram habebat, domuique adjunctum maniœtrophium.

9 Broot Susters, 21 IX Panariæ Sorores, Broot-Susters, Ordinis S. Augustini, infirmis ministrabant, atque aliquamdiu mendicarant, unde et nomen iis impositum videtur. Earum ordo a Florentio Episcopo Ultrajectensi, auctoritate Gregorii XI Papæ Avenione degentis, approbatus, edito diplomate. Eæ primum in vulgari domo habitarunt, quæ in monasterium conversa anno MCCCLXVI, VIII Junii, ab Episcopo Davide.

*10 Hospitium Prædicatorum* X Ultrajectini Prædicatores Terminarium e suis Dordraci habebant, in privata domo habitantem, ad ipsorum cœnobium pertinente. Is in majore ecclesia conciones habebat festis Deiparæ, et circa Pascha de Christi cruciatibus: sacra in S. Jacobi xenodochio peragebat, inque majori nosocomio confessiones excipiebat. Socius ejus, et ipse Sacerdos, in S. Adriani æde extra Sordidam portam, ut vocant, Capellanus erat.

*11 Beginagium* XI Curia Beginarum anno MCCCIII erecta, tres in templo aras habebat, quarum secunda Deiparæ, tertia S. C Agathæ dicata. Penitus eversa nunc omnia.

*12 S. Adriani:* 22 XII Extra Sordidam portam ecclesiola erat S. Adriani, cum unico altari, eaque parochia erat extra urbem habitantium, quibus et in ejus cœmeterio sepultura. Cuncta nunc funditus subruta.

*13 Sacellum Aridæ Arboris,* XIII Extra eamdem portam, ad extremum aggeris, juxta prata ad domum sancti Spiritus attinentia, sacellum erat, cui Arida arbor nomen, sacrum Deiparæ. Multi hic febribus remedium divinitus impetrabant, fasciasque in sanitatis obtentæ testimonium illic relinquebant, quarum multæ an. MDLXXII adhuc pendebant. Et ipsum destructum est.

*miraculis clarum*

*14 Leprosorum:* XIV Extra portam eamdem, Leprosorum domus stetit prægrandis, juxtaque eam sacellum cum altari. Ambo eversa.

*15 Nosocomium,* 23 XV Nosocomium Venerabilis Sacramenti dictum, visitur etiamnum in foro [illegible]; dotatum præcipue liberalitate Ratinquorum et Hemskerckiorum, atque utriusque familiæ, sive [illegible], [illegible] in fenestris insignia. Chorus æreis cancellis seclusus, extra quem duo alia erant altaria, unum S. Rocho sacrum, alterum S. Michaeli, et hoc ædi quoque Choro clausum. Aliud quoque juxta januam altare erat in aula, ubi alioqui externos fas domesticis erat. Fiebat in dies hora sexta matutina sacrum ad summum aram, sextaque vespertina Laudes canebantur de Sanctissimo Sacramento. Hoc nosocomium cum maxima parte urbis anno D MCCCCLVII conflagravit. Pistor quidam dulciorius dum e flammis eripere Sacramenti hierothecam conatur, fumo suffocatus est. Theca ipsa penitus denigrata fumo reperta est, hostiæ una cum sacra mappa illæsæ. In portenti hujus memoriam instituta solennis supplicatio, quæ Circuitus major dicta, Dominica post diem S. Magdalenæ, qua etiamnum Encænia urbis celebrantur. Multa deinceps illic evenere miracula, unde et nosocomio nomen factum a sanctissimo Sacramento. Juxta cœmeterium erat tumulandis iis, qui in nosocomio moriebantur, Locus sanctus appellatum. Pauperum cadavera triduo computrescebant absque fœtore. Qui ditiores fuerant, ideoque publico nosocomio minime excipiendis, ab eorum corporibus sæpe tantus absistebat fœtor, ut alio essent avehenda.

*Sancti Sacramenti dictum ob miracula,*

*Ubi et mirabile cœmeterium:*

*16 Xenodochium S. Jacobi.* 24 XVI Xenodochium S. Jacobi, pauperibus peregrinis excipiendis fundatum, administratumque a Decanis sodalitii S. Jacobi, sive eorum qui aliquando Compostellam erant ad sancti Apostoli veneranda lipsana peregrinati. Illuc frequenter divertebat Carmelita Terminarius, ut vocabant, e Schonhoviensi cœnobio missus. Id nunc in profanam domum commutatum, proventus orphanotrophio attributi.

*17 Cæcorum Domus:* XVII Via Frisiaca Typhlocomium erat, in quo inopes cæci claudique alebantur. Tria in sacello altaria, cancellis præsepta. Extant Senatus Dordraceni patentes litteræ, an. MCCCCXLIV datæ, in quibus mentio fit divinorum officiorum, quæ peragi in hoc sacello solerent. E

*18 S. Joannis xenodochium:* XVIII S. Joannis xenodochium juxta Pontem Vinarium, de Wynbrug, in sacello altare unum habebat, cancellis seclusum. Retro domus ingens erat, in qua pauperibus peregrinis præbebatur hospitium. Regebatur id xenodochium a Sutorum Gilda, sive sodalitio, qui Domini S. Joannis dicebantur. Versum est in profanam domum, quæ ad eamdem Gildam pertinet.

*19 Nosocomium Spuye* XIX Nosocomium Cataractæ, sive Spuyæ, aram unam habebat, Choro clausam, consecratam una cum sacello, a Nicolao de Nova terra, Suffraganeo Ultrajectino anno MDXLIII die II Novembris. Regebatur a Decanis Gildæ sacrigerorum.

*20 Sacellum Œnopolarum,* 25 XX Œnopolarum sacellum, via Vinaria, ab ipsismet administratum, sacellum habebat, intraque seclusum Chorum aram, ad quam quotidie Sacerdos e Minorum cœnobio Divinis operabatur. Illic nunc Libra ferraria est.

*21 Nautarum,* XXI Quæ nunc Nautarum Domus, eorum sacellum fuit, cum altari clathris præmunito.

*22 aliud eorumdem,* XXII Ad Aggerem arundineum, den Rietdyck, sacellum fuit, a Decanis minoris Gildæ nautarum administratum: in eo ara, Choro inclusa. Vulgaris illic nunc domus. F

*23 Laniorum,* XXIII Laniorum sacellum, sanctæ Crucis dictum, itidem aram intra Chorum clausam habebat. Hic quoque inopibus aliquot peregrinis ad noctem unam alteramve hospitium erat.

*24 Latomorum,* XXIV E regione Novi pontis, Latomorum sacellum fuit, inque eo altare.

*25 Ad Cursum cubitum* XXV Ad Cursum cubitum capella Deiparæ Virgini dicata stetit, cum altari.

*26 a plaga dictum.* XXVI Via Frisiaca sacellum erat, cui a plaga aut morbo nomen, de plagh-capel. Altare Deiparæ Virgini dicatum. In eo sacello curabantur pueri a morbo quem S. Machuti appellant. Vicini curam ejus gerebant. Venditum est, inque vulgare domicilium conversum.

*27 Sancti Spiritus* XXVII Ad finem Viæ Frisiacæ domicilium erat sancti Spiritus dictum, in quo pueri inopes alebantur, qui nunc in Marienbornæ cœnobio sunt, hic vero Leprosi.

QUÆ HACTENUS [illegible] inclytæ urbis ornamenta, atque ad Calvinianam dementiam opum præsidia. Quæ omnia Calviniani furor possumdedit. Et hæc occasione ecclesiæ ab S. Sura Dordraci ædificatæ antiquæ pietatis perennem memoriam, dicta sunto.

DE

# DE S. GUILIELMO MAGNO,

## EREMITA IN STABULO-RODIS, IN ETRURIA,

### Commentarius prævius.

G. H.

§ I. *Antiquiores Duces Aquitaniæ. Ex his S. Guilielmus sub Carolo Magno constitutus ante annum* DCCC, *dein monachus Gellonensis, qui et S. Guilielmus Magnus et eremita illo,* CCCL *annis junior, pro uno eodemque a variis habiti.*

ANNO CHR. MCLVII X FEBR.

*Gesta S. Guilielmi erroribus farta.*

Sanctum Guilielmum *damus, cumque a variis ejusdem nominis Sanctis distinguri, cum aliis* Magnum *appellamus, virum miraculis et sanctitate eximium, atque Ordinis Guilielmitarum parentem : sed, quod in re sacra valde dolendum est, multis intricatum erroribus fabulisque : a quibus dum enitimur liberare, noster ut conatus eo, quo scribimus, accipiatur animo, rogamus omnes, maxime illos, qui* B *eum aut patriæ suæ aut Ordini forsan suspicarentur non æquo jure ereptum. Veritati Ecclesiasticæ studemus, quam si edocti fuerimus nos minus assecutos esse, mox libenti gratoque animo monstratam viam certiorem arripiemus. Ab Aquitania, cujus* S. Guilielmum Ducem *faciunt plerique, sed posteriorum seculorum, scriptores, controversiam exordimur.*

*In Aquitania fuerunt olim Duces,*

2 *Est autem Aquitania præclara Galliæ pars, antiquis æque ac posterioribus auctoribus nota, ab Imperio Romano ad Regum Visigothorum, ab his ad Francorum dominium translata, proprios subinde habuit Reges, sæpe Duces, a variis etiam Comitibus gubernata. Inter antiquiores Duces sub Chlodoveo* I *ejusque posteris vixerunt* Bassolus, Willecarius, Chramnus, Ragnovaldus, Ennodius, Sadregesilus, Bertrandus, Boggis, *ex veteribus monumentis a Joanne Beslio parte* 2 *Historiæ Comitum Pictavorum et Ducum Aquitaniæ educti. De Bertrando, patre S. Huberti Episcopi Trajectensis et Leodiensis, agemus ad hujus Vitam in Novembris, de Bogge marito S. Odæ* XXIV *Octobris, de aliis alibi. Præterea sub ejusdem Chlodovei* I *liberis floruit* S. Calminius Dux Aquitaniæ *a Beslio omissus, qui monasterio Mauzacensi apud Arvernos exstructo, sanctitate clarus obiit, coliturque* XIV *Calendas Septembris.* Cha- C riberti Regis Aquitaniæ *meminimus* I *Februarii ad Vitam S. Sigeberti Regis Austrasiorum, quem ille, patruus ejus, de sacro fonte suscepit. Eisdem Aquitanis a Carolo Magno Rex datus est filius* Ludovicus Pius, *ab hoc substitutus* Pippinus *etiam filius, cui alter* Pippinus *itidem filius successit : quo capto, Aquitaniæ præfuerunt Reges* Carolus Calvus, *ejusque filii* Carolus *et* Ludovicus, *uti postea* Carolus Crassus *et* Carolomannus. *At Carolus Magnus, quod regnum Ludovico filio infantulo conferret,* per totam Aquitaniam ex gente Francorum *Comites*, quos Wassos vulgo vocabant, ordinavit : et Bituricæ civitati primo Humbertum, paullo post Sturbium præfecit, Pictavis autem Albonem, Petragoricis Widbodum, Arvernis Iterium, Wallagiæ, *id est, Velaunis,* Bullum, Tolosæ Chorsonem, Burdegalis Siguinum, Albigensibus Aimonem et Lemovicis Rotgarium : *uti in Vita Ludovici Pii auctore anonymo, sed antiquo, referuntur ad annum* 778. *Consentiunt Acta miraculorum S. Genulphi Episcopi,* XVII *Januarii cap.* 2 *num.* 6, *ubi* Carolus Magnus ex Hispania rediens, *traditur* ad Galliæ suæ custodiam urbibus Aquitaniæ Comites præfecisse, et per alia Hispaniæ loca adversus Saracenorum incursus præsidia disposuisse militaria, et Lemovicæ urbi Comitem constituisse Rotherium, *qui supra* Rotgarius *appellatur.*

*Reges,*

*Et Varii Comites.*

3 Chorsone porro a Ducatu Tolosano submoto, *secundum eamdem Ludovici Pii Vitam,* Willelmus pro eo subrogatus est. *Hic est Guilielmus* I, *Comes Tolosanus, quem Guilielmus Catellius lib.* 1 *Historiæ Comitum Tolosanorum cap.* 6 *eumdem censet, quem alii tradunt Aquitanis a Carolo Magno Ducem datum, ac postea in monasterio Gellonensi, apud Narbonenses, in diœcesi Lutevensi a se extructo, monachum factum, sancte obiisse colique* XXVIII *Maii : quo die varia illius Acta daturi sumus; quorum aliqua cum Vita S. Guilielmi Abbatis Hirsaugiensis extant, a Carolo Stengelio typis Augustanis edita. Præclarum compendium reperitur in* Vita *S. Benedicti Abbatis Anianæ et Indæ* XII *Februar. cap.* VI *auctore S. Ardone hujus discipulo, qui ait num.* 28 *se sæpe* S. Guilielmum vidisse. *Cum rebus gestis hujus S. Guilielmi, e Duce Aquitaniæ mo-* E *nachi Gellonensis, prima et antiquissima facta est confusio, qua S. Guilielmus Magnus, de quo hoc* X *Februarii agimus, creditus est relicto Ducatu Aquitaniæ eremiticam vitam in Etruria duxisse, Ordinique Guilielmitarum initium dedisse. Id primo colligimus ex Cosmodromio Gobelini Personæ, qui ætate 6 cap.* 39 *et* 40 *hæc scribit :* Anno Domini DCCC incepit Ordo Willhelmitarum sub Wilhelmo Duce. Carolus Magnus anno Domini DCCCI in ipso die Nativitatis Dominicæ a Leone Papa tertio in Imperatorem Romanorum coronatus est anno regni sui XXXIII. *Hæc Gobelinus, qui sub initium seculi Christi* XV *floruit, atque illud opus sub Bonifacio Papa* IX *(qui sedit ab an.* CIↃCCCLXXXIX *ad annum* CIↃCCCCIV*) inchoatum, post diuturnum studium sexagenarius anno* CIↃCCCCXVIII *sub Martino Papa* V *absolvit, ut sub calcem operis ipsemet testatur. Et quamvis hic auctor subinde impingat, illa tamen ejus in concinnando hoc opere apparet diligentia, ut, quis tum temporis fuerit virorum eruditorum sensus, videatur expressisse. Italiam pene totam lustrarat, Summis Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, aliisque Ecclesiæ Proceribus, monasteriorumque Antistitibus familiaris : in Westphaliam patriam suam reversus, ac variis muniis Ecclesiasticis apud Paderbornenses per-* F *functus, Bilueldiæ in Comitatu Ravensburgico potitus est Decanatu : at tandem, ut vitæ sanctiori ac litterarum studiis melius vacaret, in monasterium Bodecense secessit. Hic ergo Gobelinus scribit, sub* Wilhelmo Duce anno DCCC Ordinem Wilhelmitarum incepisse. *Quo tempore S. Guilielmus Dux Aquitaniæ, et Saracenorum domitor, monasterium Gellonense extruebat, factus dein monachus anno* DCCCVI.

*Ex his S. Guilielmus creatus a Carolo Magno Dux Aquitaniæ,*

*per errorem creditus Fundator Ordinis Guilielmitarum,*

4 *Eumdem S. Guilielmum Gellonensem, e Duce Aquitaniæ monachum recenset, et quasi ceteris Guilielmis præfert, alter Germaniæ scriptor, Petrus Merssæus Cratepolius, libro de Sanctis Germaniæ in B. Godefrido, qui ab eo dicitur e* Comite Cappenbergensi et viro militia claro habitum monasticum sub S. Norberto assumpsisse, factus velut alter Wilhelmus, ille Aquitanus Dux sub Carolo magno. *De B. Godefrido egimus* XIII *Januarii. Ad eumdem S. Guilielmum Gellonensem initium Ordinis sui olim retulisse religiosos Guilielmitas colligimus ex Catalogo monasteriorum Ordinis, quem ex antiquo codice MS. a Petro Silvio editum infra damus; in quo inter monasteria provinciæ Tusciæ hæc leguntur :* item Abbatia S. Antonii juxta Castellum novum quæ vocatur Castrum Abbatis. Hanc Abbatiam extruxit et dotavit Carolus Magnus, *sub quo vixit S. Guilielmus Gellonensis, trecentis et*

*habitus illustrior ceteris Guilielmis,*

*quam Guilielmitis fundata Abbatia a Carolo Magno,*

AUCTORE G. H.

A *amplius annis ante S. Guilielmum Magnum dictorum Guilielmitarum parentem. Sed hæc ex sequentibus certiora reddentur.*

*Idem habitus qui S. Guilielmus Magnus et eremita,*

5 *Celebris est in Ordine Eremitarum S. Augustini, hoc* x *Februarii, cultus S. Guilielmi Magni, quem confirmant antiqua ejus Ordinis Breviaria, sive Officia Ecclesiastica propria, non tamen absque pluribus mendis, dum huic Guilielmo assignant monasterium in valle Gellonis extructum, donaria a Carolo Magno accepta, parentes et sorores S. Guilielmi Gellonensis, hujus etiam Ducatum Aquitaniæ, nec non et bella præclare ab hoc gesta, victoriasque in Galliis de Saracenis reportatas. Thomas de Herrera, Eremita Augustinianus, olim Prior Salmanticensis, et Provinciæ Castellæ Rector Provincialis, et in sacra supremæ Inquisitionis Hispaniarum senatu Consultor Qualificator, vir de Ordine suo ob singularem in rebus historicis doctrinam præclare meritus, in Alphabeto Augustiniano Madriti anno* 1647 *edito, littera* I, *inter monasteria virorum statuit* Lugdunum prope, cœnobium S. Salvatoris a B. Guilielmo circa annum CIↃCLVI in valle Gelonis, ut ferunt, erectum. *Id legi* in antiquis officiis Ordinis Eremitarum S. Augustini, absque typographi, urbis aut anni nota impressis, editis tamen post annum

*cui adscribuntur monasterium ab Gellonensi extructum,*

B CIↃCCCCXCII, in bibliotheca reverendi mei Fortunati Scachi Apostolici Sacristæ, in Lectione VII officii S. Guilielmi. *Sunt eadem Officia deinde cum Breviario Romano et Officiis propriis Ordinis S. Francisci Venetiis anno* CIↃIↃ *recusa, in quibus Lectio* VII *de S. Guilielmo recitari solebat hoc exordio :* Cujus fama in brevi promulgata est, et non modo in Italia, sed et in territorio Lugdunensi novum monasterium condidit, in valle videlicet Gelonis, quod et uberius dotavit, et in nomine Salvatoris intitulavit, ac ibidem eremitas et virgines ancillas Christi reclusit : ubi et duas sorores suas virginitatem professas collocavit, et miles Christi etiam effectus ; et hoc fuit in festo Apostolorum. Cui Rex Carolus lignum Dominicæ Crucis quod de Jerusalem attulerat, liberaliter pro munere concessit. *Hæc ibi, sed ex Actis S. Guilielmi Gellonensis, quæ mox referemus, cum novis mendis huc translata. Est illud monasterium non in territorio Lugdunensi, sed Lutevensi apud Narbonenses extructum, dein lignum Dominicæ Crucis non attulit Carolus Magnus Hierosolyma, sed ei illud Patriarcha Hierosolymitanus transmisit. Quam procul hæc tempora inter se distant ! Herrera, ut suo Ordini monasterium illud retineat, conjicit* forte fundatum a B. Alberto Gallo, C S. Guilielmi protodiscipulo. *Sed quis tunc illic Carolus regnabat? Melius totam lectionem rejecisset, quam* merito antiquatam *ait, in qua* tot simul congesta difficilia, imo potius aperta mendacia.

*particula Crucis Christi a Carolo Magno accepta,*

6 *Aliqua hic repeto ex Lectione prima, cujus pars deinde in officiis innovatis retenta est. Ita autem incipit :* Beatus Confessor Guilielmus olim Aquitaniæ Dux et Pictaviensis Comes, comitili, ut fertur, genere oriundus Pictaviensi Provincia fuit ac bellator acerrimus, patre Theoderico Consule, matre Aldaeva, inclytam prosapiam ducens, sub Rege Carolo Magno strenue militavit, ejusque regni principatum tenuit sanctitate præclarus. Cum autem Saraceni partes Aquitaniæ invasissent, a Carolo cum exercitu missus, eos viriliter debellavit, magnaque illis inflicta strage, eosdem a Septimaniæ invasione potenter dejecit. *Hactenus fere de S. Guilielmo Gellonensi, et initiis Caroli Magni ; at quæ sequuntur, si vera sunt, trecentis et quinquaginta annis elapsis contigisse necesse est, et ita ne vel verbo interposito in eadem Lectione connectuntur.* Qui tempore, quo Eugenius Papa tertius, ob Romanorum adversus se malitiam machinantem, in inferiorem secessit Galliam, tyrannus adhuc impius, ut ipsemet confessus est, a præfato Apostolico accepit sententiam, quomodo ferocitatis suæ pertinacia usque ad Romam eum sequen- D tem recipere distulit ad pœnitentiam : per hæc quoque tempora a principio suæ juventutis a B. Bernardo Abbate sufficienter edoctus, dum cunctis celsior haberetur. *En in eadem Lectione,* sanctitate præclarus, tyrannus impius, *atque ob institutionem S. Bernardi* cunctis celsior *habetur. Neque immerito monet ideo Herrera,* Lectiones sacrorum Officiorum rigoroso sane examine indigere, ne veris falsa permixta totam narrationem inficiant : *quod hic modesta admonitione conabimur præstare. His ergo Lectionibus merito e sententia Herreræ antiquatis, alia edita sunt* Officia Fratrum Eremitarum S. Augustini, secundum regulas Breviarii Romani ex decreto sacrosancti Concilii Tridentini sub Pio V Pont. Max. restituti : quæ isdem S. D. N. Pius V, Pontificatus sui anno V, vivæ vocis oraculo, concessit et confirmavit : ut sic ordinata anno Domini CIↃIↃLXX jussu Reverendissimi Patris Thadæi Perusini, dicti Ordinis Prioris Generalis, a Fratribus ejusdem Ordinis dicerentur. *In eis Officiis sæpius sub dicto titulo editis Lectiones propriæ de S. Guilielmo ad diem* x *Februarii ita incipiunt :* Beatus Confessor Guilielmus, olim Aquitaniæ Dux et Pictaviensis Comes, comitili, ut fertur, genere oriundus Pictaviensi provincia, patre Theodosio E Consule, matre Aldatia genitus fuit : sub Ludovico juniore Gallorum Rege strenue militavit, ejusque regni principatum tenuit, sanctitate præclarus. Cum autem Saraceni partes Aquitaniæ invasissent, ab eodem Rege cum exercitu missus, eos mirifice debellavit, magnaque inflicta strage potenter eos fudit. *Quæ hoc tempore in eodem Ordine Lectiones ad Matutinum recitantur per integram Octavam extensæ, auctoritate Andreæ Fivizani Prioris Generalis editæ sunt cum ejusdem epistola anno* CIↃIↃCXVI *data. In his idem exordium est de genere S. Guilielmi, idem parentes* Theodosius Consul *et* Aldatia *assignantur.*

*illius Ducatus Aquitaniæ,*

*parentes,*

*militia,*

7 *Necesse est his opponere, quæ de S. Guilielmo Gellonensi certissima sunt, e quibus constabit utrumque Guilielmum non satis ab invicem distingui, neque etiam ab aliis Guilielmis, de quibus infra agetur. Ordericus Vitalis monachus Uticensis apud Normannos, quem anno CIↃC et sequentibus doctrina et virtute conspicuum floruisse infra dicemus, lib. 6 Historiæ Ecclesiasticæ a Chesnæo inter Normannicos scriptores editæ, de S. Guilielmo Gellonensi, e majoribus Actis a se in compendium contractis, hæc tradit :* Tempore Pippini Regis Francorum, Guillelmus ex patre Theoderico Consule et matre Aldana natus est. In infantia litteris imbutus F est, et sub Carolo Magno militiæ mancipatus. Nomen Consulis et Consulatus, et in rebus bellicis primæ cohortis sortitur principatum. Deinde a Carolo Dux Aquitaniæ constituitur : eique legatio contra Theodebaldum Regem et Hispanos et Agarenos injungitur. Acriter Septimaniam ingressus, Rhodanum transivit, Arausicam urbem obsedit, et fugatis invasoribus eripuit. Deinde cum barbaris transmarinis et vicinis Agarenis multos conflictus egit, in gladio suo populum Dei ope Divina salvavit, imperiumque Christianum dilatavit, et Saracenos perdomuit. In territorio Lutevensi, in valle Gellonis, inter innumeros scopulos, in honorem Salvatoris et XII Apostolorum monasterium construxit, monachosque religiosos cum Abbate ibidem constituit. Duæ vero sorores ejus Albana (*alias Aldana*) et Bertana factæ sunt ibi sanctimoniales, et in Dei cultu bene perseverarunt... A Carolo phylacterium [illegible] ... ldam, sanctæ Crucis lignum continens, requisivit et obtinuit. Illud nempe, dum Carolus Rex primo anno imperii sui Romæ moraretur, Hierosolymitanus Patriarcha per Zachariam magni testimonii Sacerdotem transmiserat... Anno ab Incarnatione Domini DCCCVI Imperii Caroli VI, in natale Apostolorum Petri et Pauli Guilielmus

*S. Guilielmus senior natus Theodorico Comite et Aldana,*

*Saracenos domuit,*

[illegible]

A Guillielmus Comes monachus factus... de Consule coquus, de Duce magno inquilinus, ligna collo deferens, amphoram aquæ bajulans... Tandem omnibus rite consummatis migravit B. Guillelmus v Kalendas Junii, Angelis gaudentibus *etc. Hæc Ordericus, eumdem modo Consulem, modo Comitem, (nam voces illæ pro eadem dignitate sumuntur) modo ducem appellans. Orderico consentiunt reliqua Acta excuso et manu exarata, quæ etiam referunt eum parentibus* Theodorico Consule *et* Aldana *natum, ac plurima contra Saracenos bella gessisse : addunt Arnoldus Raissius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii, et nonnulla MSS ante* Comitem Hannoniæ *in Belgio fuisse, quem ab aliis coli* x Februarii, *haberique* Comitem Pictaviensem *adscripserat Rosweydus. Qui hic ab Orderico aliisque dicuntur* Theodoricus Consul *et* Aldana *parentes S. Guilielmi Gellonensis, ab aliis etiam scribuntur, sed vitio amanuensium,* Theodosius *et* Aldatia, *dicunturque parentes S. Guilielmi eremitæ, in cujus Vita a Guilielmo Cavalcantino Italice edita (quam solum Gallico sermone a Rogerio Gyrardo Parisiensi Ordinis Eremitarum S. Augustini versam vidimus) utroque nomine* Theodosius *vel* Theodericus, *et* Aldana *sive* Aldatia *ejus parentes appellantur, indicatis etiam lectionibus,*

*sancte obiit 28 Maii.*

*Ea non conveniunt aliis Ducibus Aquitaniæ*

B *quæ ad Matutinum apud Patres Augustinianos recitantur. Fuisse* Aldanam filiam Caroli Martelli *tradit ex Martyrologio Gellonensi ad* v *Kalend. Junii, Blondellus in Genealogicis Francicis. Sed neque posteriores Duces Aquitaniæ, quorum quam plurimis Guilielmi nomen inditum, simili vocabulo parentes habuere : et ultimus Dux Aquitaniæ ac Comes Pictavorum Guilielmus, a S. Bernardo e schismate ad unitatem Ecclesiæ reductus (quem et S. Guilielmum magnum plures pro uno eodemque habent) parentes habuit Guilielmum etiam Ducem Aquitaniæ et Comitem, sive, ut sæpe vocatur, Consulem Pictavorum, et Mathildam-Philippam, filiam Guilielmi Comitis Tolosani, ut plenius infra demonstrabitur.*

8 *Quo loco* Caroli Magni *substitutus est* Ludovicus junior Rex Francorum, *sub quo* S. Guilielmus militarit, *ac* Saracenos Aquitaniæ partes invadentes debellarit, *necessario est* Ludovicus Pius *tum junior, sive adolescens, qui in regendo a patre suo* Carolo Magno *dependebat : a quibus* S. Guilhelmus Gellonensis, *Dux Aquitaniæ creatus, illa bella perfecit : quæ mirabili temporum confusione Josephus Pamphilus Episcopus Signinus in Chronico Ordinis Eremitarum S. Augustini, typis Romanis anno* 1581 *edito, ad S. Ludovicum*

*male translata ad tempora S. Ludovici Regis Francorum*

C *vicum et Carolum fratrem ejus transfert his verbis :* Qui *S. Guilhelmus* cum sub S. Ludovico Galliæ Rege strenue militasset, Saracenosque Aquitaniam invadentes Caroli ejusdem Ludovici fratris exercitu debellasset... Hierosolymam et limina B. Jacobi magno devotionis ardore visitavit. *Hæc illa, rerum quæ quadringentis et amplius annis distant, perperam connexa. Præterea S. Ludovicus Guilielmo ultimo Duci Aquitaniæ, quem Pamphilus S. Guilielmum statuit, junior est centum amplius annis, Rex factus anno ætatis* XII, *Christi* MCCXXVI, *mortuus anno* MCCLXX, *in expeditione in Africam et Palæstinam contra Saracenos religionibus clarus : cujus frater Carolus e Comite Andegavorum etc. Rex Siciliæ factus. At quonam illis temporibus Aquitaniam invadebant Saraceni, quos procul a regno suo ad internecionem quærebat S. Ludovicus? Verum hæc menda eluenda, qua gesta S. Guilielmi Gellonensis, primo hujus nominis Ducis Aquitaniæ, ultimo Duci Guilielmo attribuuntur, plures eosque [illegible] ex [illegible] necesse fuit.*

*[illegible]*

9 *Aliqua errorum excusationem ratio obtendi hæc potest, a Joanne Bucheto in Annalibus Aquitaniæ, aliisque cum sectis [illegible], quos infra exposuimus, hunc S. Guilielmum Gellonensem non recenseri, imo, quod magis mirum est, ejus non meminisse Joan-*

*[illegible]*

*nem Bestium, a quo etiam neglectum diximus Calminium Sanctum alterum et Ducem Aquitaniæ. Cum nos aliquando horum quoque auctorum oscitantia decepti, non assequeremur, quem S. Guilielmum, sive Guillermum, patrem assignaremus Jocelino, a quo diximus* XVII *Januarii reliquias S. Antonii Magni Constantinopoli in Gallias translatas, ultimam decisionem rejecimus in hunc* X *Februarii, ubi essemus de variis Guilielmis acturi. Historia Translationis ex antiquo MS. Ultrajectino illic edita, num.* 4 *hæc habet :* Comes Guillermus, qui unus de pugnatoribus esse creditur, qui pro bonæ vitæ suæ merito, quam in monasterio suo diu duxisse fertur, Sanctus Guillermus appellatur, filium quemdam, Jacelinum nomine, probitatis suæ non degenerem habuit. *Hic probabilius* S. Guilielmus Gellonensis *est, qui apud Catellium in diplomate fundationis hujus monasterii, dato an.* XXIX *regni et* IV *Imperii Caroli Magni, inter proprios liberos numerat* Gotselinum, *quem Acta ejusdem MSS.* Gaucelinum *et* Gausselinum *vocant, qui idem videtur alias dictus* Jacelinus *et* Jocelinus, *creditus Baronio, ut isthic diximus,* ex stirpe Comitum Pictaviensium oriundus, *ad quam hic S. Guilielmus non spectat, ea multo antiquior : cujus tum plus reliquias S. Antonii seculo Christi nono credi potest in Gallias attulisse.*

D



*reliquias S. Antonii Constantinopoli in Gallias defert.*

E

## § II *Sex Guilielmi Duces Aquitaniæ : ab anno* DCCCLX *ad annum* MXLX *: nonnullorum et S. Guilielmi eremitæ res gestæ confusæ.*

Sanctus *Hieronymus lib.* 3 *Commentariorum in Matthæum cap.* 16, *miratur* interpretes caussas errorum inquirere, et disputationem longissimam texere, quare Dominum nostrum Jesum Christum alii Joannem putaverint, alii Eliam, alii Jeremiam aut unum ex Prophetis; cum sic potuerint errare in Elia aut Jeremia, quo modo Herodes erravit in Joanne, dicens : Quem ego decollavi Joannem, ipse surrexit a mortuis, et virtutes operatur in eo. *Quidni et hic longiorem disputationem liceret simili modo resecare, caussa prima reliquorum errorum ostensa, quia S. Guilielmus Magnus et eremita, Dux Aquitaniæ est creditus, quod alter itidem Sanctus, Guilielmus Gellonensis, Aquitaniæ Dux fuisset? A quo tamen, quod ætate junior trecentis et amplius distaret annis, eadem confusio ad posteriores Duces Aquitaniæ Guilielmos translata est. Id clare conabimur proponere, ut rebus ipsis, non verbis, fides adhibeatur.*

*An caussa omnium errorum sint indaganda? Marci 6, 16*

F

11 *Qui olim sub prioribus Francorum Regibus præerant Duces et Comites, poterant ad nutum illorum amoveri. At postea Duces et Comites commissas præfecturas sibi vindicavere, easque ad suos hæredes transmisere. Inter hos fuerunt in Aquitania ii Comites Pictavorum, quibus postmodum accessit Ducatus Aquitaniæ, potissimum ex Burdegalensi Comitatu erectus, ubi Aquitania deinceps statuta est, et nomine detorto, Guienna hucusque appellata. Non defuerunt etiam Duces Aquitaniæ, cujus metropolim incolunt Bituriges. Inter hos reliquis antiquior est Guilielmus, parentibus Bernardo Comite Arvernico et Bituricensi ac Hermengarde natus, et secundum Acta MSS. S. Hugonis Abbatis S. Martini Æduensis, dandis* XX *Aprilis, cognomento* Pius, Arvernorum Comes et Dux Aquitanorum primorum Celticæ provinciæ, *a quo monasterium Cluniacense in Burgundia anno* DCCCCX *fundatum esse, diximus* XIII *Januarii ad Vitam B. Bernonis primi Abbatis* § 4 *et* 5, *ubi in diplomate fundationis uxor ejus Ingelberga appellatur, quæ creditur nullos ei liberos genuisse. Hunc Guilielmum Pium a S. Guilielmo Gellonensi non distinguit Petrus Ricordatus Burgonius apud Arnoldum Wionem in Notis ad Martyrologium monasticum* XXVIII *Maii, et Ranuccium Picum annotatione* 3 *ad*

*Comites et Duces hæreditarii*

*in Aquitania,*

*Guilielmus Pius*

*in Aquitania 1*

*seculo Chr. 9,*

*habitus pro S. Guilielmo Gellonensi,*

Vitam

A Vitam S. Guilielmi Magni una cum Vita Constantini Magni Parmæ anno 1623 Italice editam, forte in errorem abductus a Trithemio, qui lib. 3 de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 278, refert S. Guilielmum Gellonensem circa annum DCCCC floruisse. Hunc etiam Guilielmum Pium ab aliis haberi fundatorem Ordinis Guilielmitarum, tradit Sampson Hayus Parisiensis Guilielmita in præfatione libri de Veritate Vitæ et Ordinis S. Guilielmi.

AUCTORE G. H.

et Fundatore Guilielmitarum

avunculus alterius Guilielmi Ducis Aquitaniæ,

12 Ejusdem Guilielmi Pii ex sorore Adalvide nepotes, Acfredus et Guilielmus, etiam Duces Aquitaniæ habentur, nati Acfredo patre, ex quo Comites Arvernorum, apud Christophorum Justellum longo ordine recensentur, interque eos quamplurimi Guilielmi. Cum hunc Aquitaniæ primæ Guilielmus Pius Dux præesset, Aquitaniam secundam Dux regebat Ranulfus, Comes Pictavorum, ejus consanguineus, qui, hausto veneno in aula Odonis Regis præparato, moribundus circa annum DCCCXC filium suum Ebolum fidei S. Geraldi Comitis Aurilincensis commisit: a quo clam subductus, Ducique Guilielmo Pio propinquo suo traditus est, atque sub ejus tutela enutritus; Comite interim Pictavorum Ademaro quodam, jussu Odonis Regis, constituto. Quia vero Ebolum Guilielmus Pius ad paternum Comitatum

Ranulfi II Ducis Aquitaniæ filium Ebolum educat,

B Pictavorum, et Ducatum Aquitaniæ secundæ promovit, in eisque regendis plurimum adjuvit, inter hosce Aquitanos Duces apud Beslium, omisso S. Guillielmo Gellonensi, altereque ejus nepote jam indicato, Guilielmus ejus nominis primus Dux habetur, quem modum loquendi servamus. Colitur S. Geraldus Comes XIII Octobris.

nominatur Guilielmus I Dux.

13 Ab hoc Duce Ebolo per varios Guilielmos deducimus Duces Aquitaniæ et Comites Pictavorum, ad ultimum usque Ducem Guilielmum, qui a S. Bernardo ad obtemperandum Pontifici Maximo inductus est, cujus Ebolus tritavus habetur. Est autem illi circa an. Chr. DCCCCXXXV vita functo substitutus filius, Guilielmus Caput-stupæ cognominatus, ultimi Ducis Guilielmi atavus, matre Adela, Edouardi senioris Anglorum Regis filia, prognatus. Hic proprie est Guilielmus primus ejus nominis Comes Pictavorum et Dux Aquitaniæ secundæ, aut certe, si dicti jam Guilielmi cujuscumque Aquitaniæ Duces numerentur, Guilielmus IV Dux Aquitaniæ foret. Philippus Labbeus in Tabulis genealogicis domus Regiæ Francorum et sex Parium laicorum, hunc Guilielmum Caput Stupæ, III ejus nominis Ducem facit, Beslius II, quem sequi statuimus ob rationes de Guilielmo Pio allatas. Hic Guilielmus II sub finem vitæ cre-

ANIMADV. PAG. 73 Guilielmus II: Caput Stupæ dictus,

C ditur vestem monachicam in monasterio S. Cypriani suscepisse, sed quod illi minus cum Abbate conveniret, ad monasterium S. Maxentii migrasse, in eoque circa annum DCCCCLXIII mortuus esse, relicto, ex Adela Normanna, hærede Guilielmo III, abavo ultimi Ducis Guilielmi. Extat ad caput XX Historiæ Beslianæ diploma, sive privilegium, monasterio Angeriacensi in diœcesi Santonensi ab hoc Guilielmo III concessum, in quo hæc de sua familia testatur: Quamobrem ego in Dei nomine Vuilielmus Dux Aquitanorum.... pro remedio animæ meæ, ac pro progenitoribus meis Ebulo Comite, ac Guilielmo patre meo, et matre mea Adela, et uxore mea Emma, et filio meo Guillelmo, ac filiis ac filiabus ex nobis procreatis, ad monasterium S. Joannis Baptistæ Angeriacensis dare deberem etc. Hic Guilielmus III in variis diplomatibus se Divina clementia Aquitanorum Ducem, atque pretiosissimi Confessoris Christi Hilarii Abbatem scribit, quem aliqui tradunt exemplo patris monachum S. Maxentii factum, sub finem seculi decimi e vita decessisse; qui monachatus forte alterutri tantum attribuendus est. Superstes cum filio uxor fuit, Emma sive Emelina, Theobaldi Campaniæ Comitis filia.

mortuus circa an. 963.

Guilielmus III

Abbas S. Hilarii,

mortuus ante an. 1000.

14 Successit patri Guilielmus IV, ultimi Guilielmi proavus, (ob pugnacem animum, quo, ut habet historia

Guilielmus IV

D MS. Ademari Cabanensis, multoties omnes Aquitanicos primores, qui ei rebellare conati sunt, vel edomuit vel prostravit) vulgo Pugnax vel Ferrei Brachii, aut barbare Fera-Brachia, vel Fierabras cognominatus: quem titulum Labbeus patri ejus Guilielmo attribuit, et hunc Magnum appellat. Buchetus part. 3 Annal. Aquitaniæ, eumque secuti Joannes de la Haye cap. 19 Originum Pictav. (de quorum auctoritate infra plenius agemus) Claudius Paradinus in Genealogia Ducum Aquitaniæ, Cavalcantinus cap. 1 Vitæ S. Guilielmi, aliique perperam Caput-Stupæ appellant, atque omisso patre Guilielmo III, ab avo non satis distinguunt, hujusque vitam monasticam in monasterio S. Cypriani actam illi adscribunt, tamquam ibi inter sancta et pia exercitia mortuo: quem ideo Wion in Notis ad XXVIII Maii addit sanctitate ac miraculorum gloria claruisse, ac videri pro S. Guilielmo Gellonensi, qui eo die colitur, ab aliis accipi: ut proinde potuerint gesta horum S. Guilielmo Magno facilius imputari. Certe Guilielmus IV, Ferrei-Brachii dictus, vel eo nomine celebrior est, quod generum habuerit Henricum II Imperatorem, seu III Regem Germaniæ, data huic in uxorem filia sua Agnete; quem Wilhelmum Ducem Aquita-

Magnus Pugnax et Ferrei-brachii dictus:

ab avo Guilielmo II non satis distinctus.

neque a S. Guil. Gellonensi,

E niæ scribit Albertus Krantzius sub initium libri V Saxoniæ, Ordinem post se reliquisse Wilhelmitarum. En tertius Aquitaniæ Dux pro S. Guilielmo Magno et eremita habitus et cum illo creditus pugnax et vir ferrei-brachii.

habitus etiam Fundator Ord. Guilielmitarum:

15 Fuerunt huic Guilielmo tres legitimæ uxores; prima Adalmodis, ante Marchiæ Comiti (quem aliqui Adelbertum, plures Bosonem appellant) nupta: quæ oppido Rupe-Medelde expugnato capta, mortuoque dein marito uxor illi facta, genuit Guilielmum V ejus nominis Ducem. Defuncta Adalmode, alteram ei nuptam esse, Brisiam nomine, Sancii Ducis Guasconiæ sororem, quæ duos illi filios genuit, Odonem postea Consulem et Ducem Guasconiæ, et Tetbaudum in pueritia mortuum, tradit auctor Chronici monasterii Malleacensis, quod anno MX, id est ante hasce secundas nuptias hic Dux Guilielmus extruxit. Mortua anno MXXIII hac secunda uxore, tertia illi nupsit, nomine Agnes, mater Agnetis Imperatricis, Petri cognomine Acerrimi, et Gaufredi Widonis, qui ambo, assumpto patris nomine, etiam Guilielmi appellati sunt, ejus nominis VI et VII Duces Aquitaniæ, ut mox dicetur. Buchetus ejusque assertatores duas huic Guilielmo solum assignant uxores, primam Agnetem, quæ tertia est, et secundam Adalmaldem, seu potius Adalmodem, quæ prima fuit: ex

duxit tres uxores,

male a Bucheto ordinatas

F quo inverso ordine potuit prima et legitima uxor credi depulsa, et altera cum fœdo adulterio inducta uxor Comitis quasi adhuc superstitis. Quæ crimina S. Guilielmo magno afficta postmodum referemus. Anno post ultimas nuptias sequente, id est, Christi MXXIV, in cælum abiit S. Henricus Imperator, cujus morte audita, Longobardi jugum Imperatorium excutere volentes, Guilielmum Ducem Aquitanorum Regem constituere cupiebant. Qui cum Wilelmo Comite Engolismae Longobardorum fines penetravit: ubi diu placitum tenens cum Ducibus Italiae, nec fidem in eis inveniens, laudem et honorem eorum pro nihilo duxit. Ita auctor coævus claudit Chronicon a Beslio ex bibliotheca MS. Petavii Senatoris Parisiensis his verbis in probationibus ad caput XX prolatum. Hæc ea tempora sunt, quibus Buchetus cum suis asseclis scribit hunc Guilielmum duobus tribusve annis monachum in cœnobio S. Cypriani vixisse, ibidemque anno MXXXV e vivis decessisse: unde arrepta videtur occasio asserendi S. Guilielmum post vitam solitariam in Palæstina per novem annos peractam, rediisse in Italiam, atque a Ducibus invitatum ad castri cujusdam expugnationem, vestem militarem resumpsisse, sed cæcitate a Deo inflicta prohibitum, recessisse. Constat autem contra Buchetum aliosque Ducem Guilielmum in sua dignitate ac regimine

regnum Longobardiæ oblatum renuit,

A regimine usque ad annum CIƆXXIX *permansisse, ac tum, ut habet Chronicon Malliacense*, post multa et laudabilia facta ipse Dux monachus factus apud Malliacum, plenus dierum obiit in pace II Kalendas Februarias, *anno* CIƆXXX.

*mortuus an. 1030, 31 Januar.*

16 *Guilielmo* IV *successit filius natu major, ab Adalmode prima uxore genitus, Guilielmus* V, *Pinguis et Crassus cognominatus. Hic anno aditi principatus quarto, a Gaufredo Martello Comite Andegavensi captus in prælio est, ferreisque vinculis tamdiu innodatus, dum tertio tandem anno, admissa ignobili pactione, e carcere exiit, sed in reditu mortuus, atque in Malliacensi sepultura patri junctus anno* CIƆXXXVI. *Uxor illi fuit Eustachia, Pictavis apud S. Mariam sepulta. Ignotus hic Dux est Bucheto, Hato, aliisque, quem agnoscunt auctor Chronici Malliacensis, Glaber Radulphus lib. 4 Histor. Franc. cap. 9, Malmesburiensis lib. 3 de Regibus Anglorum in Willelmo* I, *et auctor Annalium Remensium apud Vignerium par. 2 Bibliothecæ historicæ ad an.* 970. *Forte et hujus pinguedo, crassitiesque S. Guilielmo est imputata.*

*Guilielmus* V *Pinguis et Crassus dictus,*

*mortuus an. 1036:*

17 *Mortuo Guilielmo* V, *evocatus est ab Gosconia Odo Comes, ex secunda uxore Brisca genitus: quo ipso etiam vita functo, Petrus, cognomento Acerrimus, ex* B *tertia uxore Agnete natus, Dux Aquitaniæ constitutus est: qui assumpto patris nomine, Guilielmus* VI *dictus, ac post ductam anno* CIƆLI *Ermenseldem uxorem, vixit ad annum* CIƆLVIII: *cui tum successit frater germanus Gaufredus, seu Godefridus, cognomento Wido, seu Guido, qui etiam e patris nomine Guilielmus est, ordine jam cœpto septimus: quem Buchetus aliique tribus fratribus omissis, patri Guilielmo* IV *substituunt, aut circa annum* CIƆXXI, *quo illum monachis S. Cypriani adjunctum scribunt, aut certe anno* CIƆXXV, *quo tradunt e vivis abiisse. Verum ne ultimo quidem anno assignato natus erat Gaufredus ex tertio thoro secunda proles mascula, cujus mater Agnes, altera uxore anno* CIƆXXIII *mortua, Guilielmo* IV *nupsit.*

*Guilielmus* VI *Acerrimus cognomine*

*mortuus an. 1058*

## § III. *Alii duo Guilielmi Duces Aquitaniæ ab anno* CIƆLVIII *ad annum* CIƆCXXVI, *pro eodem S. Guilielmo perperam sumpti, neque ab invicem satis distincti.*

Conrado *Salico Imperatore anno* CIƆXXXVII *mortuo, subrogatus est filius Henricus, Imperatorum eo nomine* II, *Regum* III. *Hic anno* CIƆXLIII *uxorem duxit Agnetem sororem dictorum Ducum Aquitaniæ Guilielmi* VI, *et Gaufredi Guilielmi* VII, *natam patre Guilielmo* IV, *et eadem, qua ipsi, matre Agnete, tertia hujus uxore.* C In *hoc* Henrico dignitas Imperialis, quæ per longum tempus a semine Caroli magni exulaverat, ad generosum et antiquum germen Caroli redacta *traditur in Chronico MS. Alberici, consentiuntque Otho Frisingensis, Conradus Urspergensis, et Wippo in Vita Conradi Salici. Habuit Henricus abavum maternum Ludovicum Transmarinum Regem Francorum, at nepotem Caroli Magni: at Ludovici filia Mathildis, Regina Burgundiæ, genuit Gerbergam Ducissam Alamanniæ: a qua progenita est Gisela, conjux Conradi Salici, mater Henrici Imperatoris. Quæ huic nupta est Agnes, ex eadem Caroli Magni stirpe oriunda, totidem cum marito gradibus a Ludovico Transmarino distat. Nam* Alberada *altera Ludovici filia, infra in Actis S. Guilielmi* Alfrada *dicta, genuit Ermentrudem, quæ nupta Othoni Guilielmo, Duci et Comiti Burgundiæ, genuit Agnetem tertiam uxorem Guilielmi* IV *Ducis Aquitaniæ, Ferrei-brachii dicti: quorum filia est Agnes uxor Henrici Imperatoris.*

*Henrico Imperatore ex Caroli Magni stirpe oriundo,*

*nubit Agnes filia Guilielmi* IV, *ex eadem Caroli stirpe progenita.*

19 *Quæ passim extat Vita S. Guilielmi Magni auctore Theobaldo, uberior ex Codicibus MSS. infra datur, aucta miraculis, et genealogia S. Guilielmi: quorum omnium fidem scriptorisque auctoritatem infra* § 6 *et 7 examinamus. In hac genealogia Theobaldus, aut* D *quisquis ejus auctor est, Agnetem Imperatricem, sororem facit S. Guilielmi. Titulus præfigitur hujusmodi:* Incipit genealogia S. Guilielmi Confessoris mirandi, *et finitur his verbis:* Ermentrudis genuit Agnetem, quæ peperit nobilissimum Ducem Aquitaniæ ac Comitem Pictaviæ, videlicet B. Guilielmum, et Agnetem sororem ejus Imperatricem Romanorum. *Petrus Silvius sub initium Vitæ S. Guilielmi edidit eamdem genealogiam, sed omissa matre Agnete, novo errore statuit* S. Guilielmum et Agnetem Imperatricem natos esse matre Ermentrude: *censetque eam genealogiam esse veram*, si Chronicis adhibenda fides. *En quanta rerum confusio, ex qua mirum non est quam plurimos pullulare errores. Statuunt tam Theobaldus quam Silvius, S. Guilielmum fuisse Ducem Aquitaniæ Comitemque Pictavorum, sed pio S. Bernardi studio a schismate Anacleti Antipapæ, ad veri Pontificis obedientiam revocatum, qui est Guilielmus* IX *et ultimus, cujus avus Guilielmus* VII, *ante Gaufredus Wido appellatus, frater Imperatricis Agnetis, in hac genealogia pro illo suo nepote Guilielmo* IX *et S. Guilielmo parente Guilielmitarum accipitur. Ceterumqui S. Guilielmo ab his auctoribus affingitur animus indomitus, affectu pugnæ ferox, atque in omnem libidinem effusus; suum potuit fundamentum aliquod in Guilielmo* VII *accepisse.* E *Plurima hic bella gessit in Gallia et Hispania, varias urbes obsedit, expugnavit, vastavit, sæpius acie dimicavit, ac victor evasit. Idem plures uxores habuit; ac primam duxit Audeberti Comitis Marchiæ filiam, qua ob* parentelam *anno* CIƆLVIII *relicta, aliam sibi adjunxit, Mateodam, sive Mathildam, vocatam; ea quoque dimissa Aldeardim, aliis Hildegardim dictam, Rotberti Ducis Burgundiæ filiam, circa annum* CIƆLXVIII *duxit, teste Chronico Malleacensi auctoris coævi. Superfuit marito suo Hildeardis, in cujus matrimonium etiam suborta fuerat difficultas. Nam Gregorius Papa* VII *pro reverentia Christianæ religionis voluit ob propinquitatem consanguinitatis eos separari: extatque lib. 2 registri epistola tertia, qua ob sequentem eorum animum collaudat.*

*pro S. Guilielmo Magno habitus,*

*ante Gaufredus Wido appellatus;*

*vir bellicosus,*

*plures uxores habuit*

20 *Novam et multum intricatam hic ingerit rerum perturbationem Buchetus, dum omissis Guilielmo* V *et Guilielmo* VI *Ducibus, hunc, de quo agimus, Gaufredum Widonem, postea Guilielmum* VII, *in duas partitur viros, quorum alterum Widonem, seu Guidonem, patrem constituit Gaufredi Guilielmi, assignata illi conjuge Aldearde ultima istius uxore, quem Gaufredum ipsa maritum suum in Novo-monasterio, ab eum suburbio Pictavensi fundato, sepultum esse agnoscit in diplomate donationis, ob obitum illius a se factæ huic Novo-monasterio, quod secundum Chronicon Malliacense anno* CIƆXIX *ab eo extrui cœptum. At duas Buchetus assignat Gaufredo uxores, Gilbergam, sororem Guilielmi Longæ-Spatæ Ducis Normanniæ, dein filiam Raimundi* II *Comitis Tolosani, cujus nomen silet. At Dux Longa-Spata, interfectus est anno* CMXLIII. F *Eadem fere leguntur apud Claudium Paradinum in genealogia Ducum Aquitaniæ et Joannem Hatum cap. 21 Originum Pictavensium, hic tamen uxoris Guidonis reticet, et secundam Gaufredi conjugem Joannam appellat, at filiam Guilielmi Ducis Normanniæ Gilbergam. Præterea omisso Guilielmo* VIII, *de quo mox agemus Buchetus Gaufredum Guilielmum statuit patrem ultimi Ducis Guilielmi, quem S. Guilielmum Magnum et eremitam censet, natum matre Gilberga priore conjuge. Buchetum describunt Paradinus et Joannes Hatus, qui Joannam alteram uxorem statuit matrem S. Guilielmi. Hunc sequuntur Aubertus Miræus lib. 2 Originum Ordinis S. Benedicti cap. 16, Guilielmus Nævius in Eremo Augustiniana cap. 2 Vitæ S. Guilielmi, Ranuccius Pic.s in ejusdem Vita: quam etiam opinionem magis communem censet Cavalcantinus in Vita cap. 4. Alii, omissa matre, Gaufredum, seu Godefridum, patrem S. Guilielmi*

*perperam fingitur filius Guidonis,*

*et pater Guilielmi ultimi Ducis, quem S. Guilielmum alii credunt.*

A *Guilielmi appellant. Ita Saussaius in Martyrologio Gallicano ad* III *Julii, quo hujus natalem celebrat*, Ipso die, *inquit*, depositio S. Guilielmi eremitæ et Confessoris. Hic, quintus Aquitaniæ Dux et Comes Pictaviæ, Godefridi Ducis itidem et Comitis filius. *Simplicianus a S. Martino in Historia Augustiniana Gallice edita, cap.* 1 *Vitæ S. Guilielmi, patrem ejus scribit fuisse* Ducem Aquitaniæ Guilielmum, cognomento Gaufredum, fundatorem Monasterii-novi. *Omittimus plures congerere tædii evitandi caussa, et ad filium ab his neglectum properamus.*

*Guilielmus* VIII *natus an.* 1071

21 Anno CIↃLXXI, *ut legitur in Chronico Malleacensi*, ortus est Gosfredo Duci XI Kalendas Novembris, Guillelmus filius, qui consobrinus germanus est Ainrici Imperatoris, et secundus Francorum Regis ex supra dicta conjuge, *scilicet Aldearde Burgunda, et deinde* Anno CIↃLXXXVI obiit Guido, qui et Gosfredus, Comes Pictavorum, cui successit Guillelmus filius ejus, XV annorum existens. *Diem obitus ac sepulturam indicant monumenta antiqua Novi-monasterii his verbis*: Nobilissimus Guilielmus, qui et Gaufredus, fundator Monasterii-novi nostri obiit XXIV die mensis Septembris, et tumulatur honorifice ante Crucifixum parochiæ in medio navis ecclesiæ.

*succedit patri an.* 1086,

*24 Septemb. moritur,*

B *Ab eo tempore præfuit Guilielmus* VIII, *ab ultimo Guilielmo filio et S. Guilielmo non satis distinctus, sub quo vixit auctor Chronici Malleacensis, atque inter milites, qui anno* CIↃ.XXXVII *in Hispaniam ad Ildefonsum Regem mittebantur*, vidit *quemdam* Normannum *corpore ceteris majorem, et ipsum nomine* Guillelmum, *quem appellat Beslius cap. 28, ob militaria contra infideles patrata facinora, Carpentarium cognominatum, et in comitatu Godefridi Ducis Bullonii anno* CIↃXCVI *in Terram sanctam profectum. Potuit ob hunc Guilielmum proceritas corporis S. Guilielmo postea a quapiam affingi. Secundum hunc ergo auctorem Chronici Malleacensis, testem oculatum*, Dux Guilielmus, *ejus nominis* VIII, duxit anno CIↃXCIV uxorem, Philippam nomine, filiam Willelmi Comitis Tolosani, *cui* Guilielmo anno CIↃXCIX natus est filius, æquivoce Guilielmus vocatus ex supra dicta conjuge, *quæ Philippa est, sed necessario binominis, atque altero nomine (forte in matrimonio assumpto) Mathildis appellata. Nam tabulis donationum, anno* CIↃXCVI *monasteriis sanctæ Crucis et Vindocino sanctissimæ Trinitatis factarum, subscribit* Mathildis uxor Domini Guilielmi Ducis Aquitaniæ et Comitis Guasconiæ. *Utramque ex-plonam edidit Beslius, prius etiam Sirmondus noster in*

*ducit uxorem Philippam Mathildem an.* 1094,

*cui nascitur Guilielmus* IX *an.* 1099

C *Notis ad epistolam 22 libri 3 Goffridi Abbatis Vindocinensis, hanc Mathildi Scriptam, cum Dux in expeditione Hierosolymitana abesset. Prædictam autem uxorem Guilielmi ultimi asserit Gabriel Flamma in Vita S. Guilielmi, cum aliis Sanctorum Vitis Italice edita, convenire in Pontificatum Paschalis* II, *qui universam Ecclesiam rexit a* XII *Augusti anni* CIↃXCIX *ad* XXII *Januarii anni* CIↃCXVIII. *Unde Herrera in Alphabeto, Coralcantinus cap.* 11 *Vitæ, Rauccius Picus, aliique unam eamdemque faciunt, et uxorem adscribunt dicto Guilielmo ultimo ortam.*

*Gesta pro S. ...*

22 *His positis Ducem Guilielmum* VIII *ob varias laudes pro S. Guilielmo Magno eremita certum est. Ac primo Saussaius ad* III *Julii ait*, S. Guilielmum suscepto post patris obitum principatu, cum bellica virtute præstaret, pietate nihilominus insignem, Deique cultus extiti se amplificandi et Ecclesiarum provehendi decoris plurimum studiosum. Quo ex religioso affectu Monasterium novum absolvisse, et dotavisse, a patre inchoatum in honorem Apostolorum Joannis et Andreæ. *Quæ ultimo etiam Duci Guilielmo adscribit Buchetus, addens se vidisse authenticum Ducis diploma coram fratre ejus Hugone aliisque pluribus anno* CIↃ.XXXVII *confectum. Exstat illud a Beslio editum, sed valde oscitanter a Bucheto perlectum. Ita ipse* Guilielmus Dux Aquitanorum, statuit conservare et posse augmentare monasterium, quod bonæ memoriæ pater *ejus* Willelmus, qui et Gaufredus, in suburbio Pictavæ civitatis a fundamentis ædificavit in honore beatæ genitricis Mariæ, et sanctorum Apostolorum Joannis et Andreæ, ubi ipse tumulatus jacet. *Dein* concedit ea quæ Aldearda mater sua dedit eidem monasterio. *Quam Aldeardam Buchetus conficto Guidoni affinxit uxorem, ac hujus Guilielmi matrem adornavit quamdam Gilbonnam. Sed pergit Guilielmus*, et concedente uxore sua et filio suo Willelmo, concedit et confirmat cuncta munimenta, quæ pater suus eidem monasterio dedit. *En ultimus Guilielmus Guilielmi* VIII *filius, Guilielmi Gaufredi nepos, quem Buchetus ejusque asseclæ sustulerunt, quasi numquam inter mortales extitisset. Corrigendus demum annus Dominicæ Incarnationis, qui a Bucheto notatus est, eodemque errore a Beslio editus, ut supra millesimum non fuerit octogesimus septimus, sed centesimus septimus aut aliquis huic vicinus, postquam Guilielmus ultimus, cujus mentio fit, jam erat natus.*

*... IX ...*

D



23 *Guilielmus Coralcantinus, Rauccius Picus, Joannes Nævius, Simplicianus a S. Martino, similesque hujus temporis scriptores Vitæ S. Guilielmi, tradunt hunc* duxisse uxorem, Hermengardem nomine, filiam Fulconis Comitis Turonensis, sororem Fulconis Regis Hierosolymorum, *quæ fuit noverca ejus, conjux Guilielmi* VIII. *Willelmus Tyrius, qui eodem adhuc seculo* XII *floruit, scribit lib.* 14. *cap.* 1, *hanc* uxorem Hermengardem *fuisse natam* patre Fulcone, qui cognominatur Rechin, Comite Turonensium et Andegavensium, matre Bertelea, sorore Domini Amalrici de Monfort, *eamque habuisse* fratres Fulconem Regem Hierusalem et Gaufredum Martel: quæ a Comite Guilielmo Pictaviensium spreta, et contra matrimonii leges abjecta, ad Comitem Britanniæ se contulit: ex quibus natus est Conanus ejusdem Britanniæ Comes, qui cognominatus est Grossus. *Ordericus Vitalis, qui tum monachus in Normannia degebat, uxorem etiam repudiatam testatur, lib.* 12 *Histor. Eccles. sed* Hildegardem *vocat, quæ aut eadem est, aut, si alia, etiam rejecta.* Anno CIↃCXIX, *inquit*, in Octobris medio, Callixtus Papa cum Romano Senatu Remis venit, ibique XV diebus demoratus, Concilium tenuit... Interea Hildegardis Comitissa Pictavorum cum suis pedissequis processit, et alta claraque voce querimoniam suam eloquenter enodavit, quam omne Concilium diligenter auscultavit. Se siquidem dixit a marito suo esse derelictam, sibique Malbergionem, Vicecomitis de Castello Airaldi conjugem, in thoro subrogatam... Papa certum terminum constituit, quo Consul ad placitum in curiam Papæ veniret, ac ut legitimam uxorem reciperet, aut pro illicito repudio sententiam anathematis subiret. *Hæc Ordericus, cui coævus Willelmus Malmesburiensis assentitur, lib.* 5 *de Gestis Regum Angliæ in Henrico* I, *narrans* Willelmum Comitem Pictavorum fatuum et lubricum, legitima uxore depulsa, Vicecomitis cujusdam conjugem surripuisse, quam adeo ardebat, ut clypeo suo simulacrum mulierculæ insereret; perinde dictitans se illam velle ferre in prælio, sicut illa portabat eum in triclinio, unde increpitus et excommunicatus a Girardo Engolismorum Episcopo, jussusque illicitam venerem abjicere. *Erat Episcopus ille Geroldus Ecclesiæ Romanæ Legatus. Baronius anno* 1130, *num.* 66 *loco Malmesburiensis indicato, eadem transfert ad Guilielmum, ultimum, quæ fœdiore mendo afficta sunt S. Guilielmo infra apud Theobaldum in vita par.* 1 *num.* 6 *his verbis*: Denique proprii germani uxore Herodiana rabie debacchatus, adinstar Herodis, contra jus et fas, incestu impudentissimo fertur per triennium et amplius tenuisse violenter. *Illa, quæ Vicecomitis uxor erat*, proprii germani *fingitur*.

*ducit uxorem Hermengardam,*

E

*dein repudiatam,*

*an eadem Hildegardis, etiam rejecta,*

F

*assumpta adultera,*

*Guilielmus excommunicatur,*

*(quæ Guilielmo filio et S. Guilielmo affinguntur,*

24 *Præterea*

A 24 *Præterea Baronius loco citato expeditionem in Terram sanctam susceptam a Guilielmo* VIII, *in ejus filium Guilielmum ultimum transfert; quasi* IX, *cum duos necdum explesset annos, bella gerere didicisset. Convenit ea expeditio in annum* CIↃCI, *quando, ut ad eum annum refert Ordericus lib.* 10, *Hist. Eccles.* vexillum Guilielmi Ducis feruntur secuta trecenta armatorum millia. *Verum* devicti, Christiano nomini nihil contulerunt, *ut docent Chronica Malliacense, et aliud Gaufredi de Vosios. Nolumus hic reliqua ejus bella attingere, in Chronico Malleacensi et apud coævos auctores enumerata, e quibus arditus pugnandi, apud Theobaldum relata, potuit S. Guilielmo adscribi. Urbanus Papa* II *in epistola eidem Guilielmo* VIII *anno* CIↃXCVII *scripta, miratur eum* a patris sui probitate degenerare, Ecclesiarum jura perturbare, easque expoliare. *Idem traditur in Chronico Malleacensi anno* CIↃCXIV *excommunicatus a Petro Episcopo Pictavorum, anno sequente* XXIII *Februarii vita functo: quam excommunicationem Baronius ad an.* 1130 *num.* 66 *perperam attribuit Guilielmo ultimo hujus filio. Demum circa annum* CIↃCXXIV *ante decessum Calixti Papæ, eo anno* XIII *Decembris mortui, Henricus* V *Imperator, teste Sugerio in Vita Ludovici Grossi Regis Francorum,*
B *Remos obsedit, sed occursu Francorum pedem retulit: tunc* Dux Aquitaniæ Guillelmus *aliique* summe æmulabantur, eo quod vires exaggerare et Francorum injuriam gravissime punire, et viæ prolixitas et temporis brevitas prohiberet... Ea etiam tempestatis temperie Alvernorum Pontifex Claromontensis Alvernorum superbia pulsus est: *quibus contra Ludovicum Regem opem laturus* Dux Aquitaniæ Guillelmus, exercitu Aquitanorum fretus advenit: *sed exercitus regii magnitudine perterritus, pacem petiit atque impetravit. Quæ a Guilielmo* VIII *gesta esse temporis ratio exigit, neque ætas ejus grandior aut ingravescens, utpote annos prope* LIX *nati, urget eas expeditiones a parente in filium transferri, quod ab aliis factum est.*

ubi expeditio in Terram sanctam an. 1101.

altera excommunicatio facta an. 1114.

et bellicæ excursiones an. 1124

## § IV. *Guilielmus ultimus Dux Aquitaniæ et S. Guilielmus Magnus pro uno eodemque passim habiti: illius apud Compostellam obitus anno* CIↃCXXXVII, *hujus in Stabulo-Rodis anno* MCLVII.

*Ultimus hic Aquitaniæ Dux, Guilielmus nonus! a quam plurimis habetur auctor Ordinis Guilielmitarum, neque a S. Guilielmo Magno et eremita alius*
C *censetur. Natus is est anno Chr.* CIↃXCIX, *patre Guilielmo* VIII, *Duce Aquitaniæ et Comite seu Consule Pictavorum, ac matre Tolosana (ut ipse in diplomate donationis monasterio Angeriacensi factæ testatur) Philippa Mathilde appellata.* Habuit *idem Guilielmus* VIII *parens ejus, secundum Chronicon Malliacense,* quinque quoque filias, quarum unam desponsavit Vicecomiti Toarcensi. Novissime *circa annum* CIↃCXV genuit apud Tolosam uterinum, videlicet Raimundum, qui postea regnavit in Antiochia. *Mater hujus videtur fuisse Hermengardis, sive Hildegardis, altera illius conjux, ipseque Raimundus respectu patris per quamdam catachresin uterinus appellatur, scilicet ab illo cum ultimo Guilielmo et quinque sororibus genitus. E[illegible] natus est hic Raimundus ap[illegible] ad Henricum Regem Anglorum, a quo et militaria arma accepit, in Syriam deinde a Fulcone Rege Hierosolymorum arcessitus, Hermengardis fratre, adolescens [illegible] primo longum [illegible] malos: circa annum* CIↃCXXXVI *duxit uxorem Constantiam, Boamundi junioris filiam, principatus Antiochenum [illegible] prælio* XXVII *Junii anno* CIↃCXLIX, *princeps dux* XIII, *ut tradit Guilielmus Tyrius lib.* 14 *Historiæ sacræ cap.* 21 *et lib.* 17 *cap.* 9. *Idem lib.* 14 *cap.* 20 *meminit alterius fratris Henrici, [illegible] monasterii Cluniacensis Prioris, cujus in Chronico Mal-*

Guilielmus IX natus an. 1099

habuit 5 sorores,

fratres Raimundum

[illegible] Principem Antiochenum

et Henricum [illegible]

*liacensi nulla mentio fit: forte qui prognatus est ex adultera Malbergione, quod crimen hinc constat a Guilielmo* VIII *parente perperam ad filium Guilielmum* IX *translatum.* D

AUCTORE G. H.

26 *Tandem* anno Dominicæ Incarnationis CIↃCXXVI, *teste Orderico Vitale lib.* 12 *Historiæ Eccl. quam tum scribebat,* mortuus est Guilielmus Pictavensis Comes, *Dux Aquitaniæ, ejus nominis* VIII, *anno ætatis* LV, *et successit filius ejus Guilielmus* IX, *quem a nullo prorsus scriptore, qui genealogiam Ducum Aquitaniæ vel obiter attigerit, legimus pro S. Guilielmo Magno et eremita sumptum; quin simul ab eodem habitus sit Guilielmi* VII, *Gaufredi Widonis, avi sui, filius, et cum patre Guilielmo* VIII *in unum eumdemque virum conflatus. Quibus auctoribus, dum dies obitus patris filio adscribitur, occasio ulterius errandi data est, credendique eumdem esse S. Guilielmum Magnum et eremitam. Mortuum autem esse infra probamus S. Guilielmum* IV *Idus Februarii, qui est ejus mensis dies* X, *quo eodem die* IV Idus Februarii obiisse Willelmum Ducem Aquitanorum, in Pictavi civitate apud Novum-monasterium sepultum, et successisse in Principatu filium ejus Guilielmum, IX *scilicet et ultimum, refertur in Chronico Malliacensi, quod illis verbis finitur. Eumdem obitus diem confirmat Codex MS. dicti Novi-monasterii* E
*his verbis:* X die Februarii celebratur obitus pro illio nobilis Comitis Fundatoris nostri, cujus corpus sepelitur in Capitulo *et Kalendarium ejusdem monasterii:* IV Idus Februarii, depositio Domni Guillermi Ducis Aquitanorum, qui jacet in Capitulo. *et Kalendarium S. Hilarii de Cella:* IV Idus Februarii obiit Guillelmus Comes et Dux Aquitanorum, amicus et defensor Ecclesiæ nostræ. *Hæc illa, quorum plurima S. Guilielmo, eodem* X *Februarii anno* CIↃCLVII *in Stabulo-Rodis defuncto, adscribuntur a Hucheto, Pradino, Joanne Hano, Miræo, Saussaio, aliisque Vitæ ejus scriptoribus supra relatis; qui eum Guilielmi Gaufredi filium crediderunt, quorum nomine hæc et verba possent applicari:* IV *Idus Februarii celebratur obitus S. Guilielmi Magni et eremitæ, filii, ut illi aiunt, Guilielmi Gaufredi Ducis Aquitaniæ et Fundatoris Novi monasterii,* pro quo, *ut in eodem Codice MS. hujus monasterii legitur,* sonantur omnia tympana trin, paratur sepulchrum honorifice cum quatuor cereis ardentibus, cum duobus lampadibus, quæ debent accendi seu ardere cum duobus cereis usque post Missam, quæ debet celebrari solemniter, duobus Fratribus indutis in cappis, et duobus pueris revestitis pro responso etc.
*Quæ a Guilielmo* VIII *ad filium, atque ita ad S. Guilielmum, quasi de Sancto aliquo ageretur, potuerunt transferri: cum de sacro mortuali pro illius animæ salute celebrando ageretur.* F

27 *Hæc accurate fuerunt deducenda, ut constaret de Guilielmo* IX *et ultimo Duce Aquitaniæ hæc sola hactenus explorata fuisse; annum nativitatis et in principatu successionis, parentes, aliosque majores indicatos, quorum improbo facinora quam plurimam amplificata, atque in deteriorem partem immutata, eidem affixa sunt. Duas duxit legitimas uxores, primo Ahenordem, sive Agnordem, quæ [illegible] Ahenordem, sive Alienoram, circa annum* CIↃCXXIII *genuit, quam subinde in potentis fuisse tredecim annorum legitur in MS. Chronico Lemovicensi Domini Riber, ubi et illa uxor dicitur soror Vicecomitis de Castro [illegible] forsan illius Vicecomitis de Castello Airaldi, cujus uxorem Malbergionem a Guilielmo* VIII *hujus parente nefanda libidine [illegible]. Prima uxore mortua, alteram duxit, de qua hæc traduntur in alio MS. Chronico Lemovicensi:* W[illegible]elmus, Dux ultimus Aquitanorum, [illegible] et [illegible] dedit. Cum [illegible] unicam filiam de uxore [illegible] mortua, duxit [illegible] filiam Aimerici Vicecomitis Lemovicensis, quæ vocabatur [illegible], *ut refertur in Chronico MS. Gaufridi*

habitus idem qui pater Guilielmus VIII mortuus an. 1126.

10 Febr.

et S. Guilielmus mortuus etiam 10 Febr. an. 1157

Duas uxores [illegible]

deinde [illegible]

AUCTORE G. H.

A *fridi de Vosias, vidua erat, ante* Bardoni de Coniaco *nupta.* Hanc postmodum rapuit consilio Lemovicensium Guillelmus Sector-ferri, Vulgrini Comitis Engolismensis filius : unde maximum Lemovicensibus, qui timebant jugum Pictavorum, provenisset exitium, nisi Dux in brevi apud S. Jacobum obiisset, *ut infra probabitur.*

*anno 1130 agnoscit Innocentium II Papam:*

28 *Anno Ch.* CIƆCXXX, *Honorio* II *Pontifice Romano* XIV *Februarii mortuo, schisma exortum est. Num ut ex Chronico Beneventano tunc scripto refert Baronius num.* 1, die ipso, quo Honorius defunctus, Dominus Innocentius est electus, post quem die ipso ad horam tertiam Petrus Portuensis Episcopus Petrum filium Petri Leonis elegit, *Anacletum dictum. Agnitum admissumque mox in Aquitania legitimum Pontificem Innocentium indicat diploma Guilielmi Ducis, quo donationes Canonicis S. Radegundis factæ confirmantur : cui addita est hæc subscriptio :* Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini CIƆCXXIX (*qui more Gallico tunc usitato usque ad Pascha continuabatur*) Innocentio Papa Romanam Ecclesiam gubernante, Ludovico Rege Francorum regnante, Guillelmo Adelelmi Episcopo, et Guillelmo Comite fautore hujus chartulæ.

*seductus ab aliis adhæret an. 1131 AnacletoAntipapæ:*

B *Verum Dux Guilielmus deinde a Gerardo Episcopo Engolismensi, et Ægidio, sive Gilone, Tusculano Episcopo Cardinale inductus, muneribusque corruptus, adhæsit Anacleto pseudopontifici. Ejus rei testis est inscriptio diplomatis monasterio Angeliacensi : ubi ista leguntur :* Acta est hæc charta anno ab Incarnatione Domini CIƆCXXXI, sedente in Sede Apostolica Anacleto PP. II, Giraldo Engolismensi Episcopo et sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legato, Guilielmo Gardradi Santonensi Episcopo, regnante in Francia Rege Ludovico cum filio suo Philippo, *qui mense Octobri ejusdem anni* CIƆCXXXI *defunctus est.*

*ob molestiam ac vim monachis latam,*

*publice pœnitentiam agit :*

29 *Lubet ex ea charta aliqua proferre, ex quibus animus affectusque Ducis Guilielmi agnoscitur :* Hoc donum, *inquit*, feci pro invasione, quam feceram in ipsa ecclesia, in die quo Nativitas B. Joannis Baptistæ celebratur : quia invaseram monachos celebrantes diem festum in ipsa ecclesia, et oblationes ipsius ecclesiæ in proprios usus redegeram, unde culpabilem et reum in ipso Capitulo, ubi hoc donum feci, me coram omnibus monachis assidentibus reddidi. Et egrediens a Capitulo coram ipsis et Baronibus meis, nudis pedibus satisfaciens, et virgas in manibus tenens usque ante altare, super quo caput

C Præcursoris erat, humiliter deveni. Et ibi ante Christi Præcursoris caput humi projectus, pro his facinoribus culpabilem et reum me recognovi, et per hoc pergamentum hoc donum, sicut supra dictum est, supra altare B. Joannis posui : et, ut in perpetuum firmiter et integre ecclesia S. Joannis hæc omnia supradicta possideat, manu propria inferius signo Crucis firmavi, etc. *Eamdem donationis chartam confirmavit Rex Ludovicus* VII *in castris apud Dompetram prope Rupellam anno* CIƆCCXXIV, *regni* I, *cujus diploma habet Philippus Labbeus noster in Miscellaneis curiosis cap.* 20 § 8.

30 *Venerat in Gallias anno* CIƆCXXX *Innocentius Papa, benigne a Rege Ludovico ejusque subditis exceptus, mox et a Rege Anglorum Henrico agnitus, honoratusque. Is anno* CIƆCXXXI *Leodium profectus, Lotharium electum Imperatorem, in Regem Alamanniæ in Quadragesima coronavit, et in Concilio Remensi* XIII *Archiepiscoporum et* CCLXIII *Episcoporum aliorumque magna multitudine Abbatum et Clericorum Ludovicum juniorem* VIII *Kalend. Novemb. consecravit, anno deinde* CIƆCXXXII *in Italiam regressus.* Ab Innocentio Papa, *ut legitur lib.* 2 *Vitæ S. Bernardi cap.* 6, adhuc in Galliis demorante, missi sunt Abbas Claravallensis *S. Bernardus*, et Joslenus venerabilis Episcopus Suessionensis, ut tam Gerardum (qui assensu Comi-

*frustra a S. Bernardo et Josleno Episc. Suessionensi admonetur eodem an. 1131,*

tis Burdegalensem Archiepiscopatum occupaverat, B et simul Burdegalensem et Engolismensem detinebat Ecclesiam) quam prædictum Principem convenirent. *Quod factum est, sed irrito conatu. Nam*, quicumque Anacleto non obediebant, erroneos et acephalos ille nominabat. *Refert ea Manrique in Annal. Cisterc. ad annum* CIƆCXXX, *quæ anno sequente arbitramur contigisse, quando cœpit* primum audiri, quid adversus Ecclesiam Dei Gerardus ille machinaretur : *ut additur ibidem in Vita S. Bernardi. Scripsit dein hic sanctus Abbas illustrem ad Episcopos Aquitaniæ de illo schismate epistolam, quæ inter reliquas habetur* CXXVI, *ac sequentem postea misit ad Guilielmum Ducem Aquitaniæ ex persona Hugonis Ducis Burgundiæ, in cujus clausula dum asserit* nuper Christianissimum Lotharium falsos calumniatores in suo mendacio esse deprehensos, *satis innuit, eam epistolam scriptam, postquam Lotharius anno* CIƆCXXXIII *ab Innocentio in Urbem a se reducto, in Romanum Imperatorem coronatus est. Interfuit S. Bernardus anno sequenti* CIƆCXXXIV *Concilio ab Innocentio Pisis habito, eique Mediolanenses conciliavit. In Gallias regressus, atque a Gaufredo Episcopo Carnotensi, Sedis Apostolicæ Legato, invitatus, meliore effectu instituit anno* CIƆCXXXV *cum Guilielmo Duce congressum, in quo is, et ad obedientiam Innocentii Papæ reductus est, et Guilielmum Episcopum Pictavensem antea ejectum, in propriam Sedem restituit. S. Bernardus epistola* 128 *eidem Duci scripta, agnoscit*, miram mutationem dexteræ Excelsi, *sed miratur*, quo cujusve consilio tam subito in deterius sit mutatus, ut rursum ad injuriam Ecclesiæ Clericos S. Hilarii de civitate expelleret, et iram Dei in se gravius, quam primum, excitaret. *Hæc S. Bernardus, in cujus neque operibus, neque Vita, ulla extat memoria rerum a Guilielmo Duce deinceps gestarum.*

*et missa epistola circa an. 1133 :*

*an 1135 a S. Bernardo ad obedientiam reducitur :* E

*dein Clericos S. Hilarii expellit*

31 *Eodem anno* CIƆCXXXV, *Henrico Angliæ Rege Kalend. Decemb. mortuo, Stephanus ejus nepos* XVIII *Kalend. Januarii in Regem coronatus est. Tunc Joffredus Comes Andegavensis dominium Normanniæ sibi vindicans post varias incursiones, tandem, inquit Ordericus*, anno CIƆCXXXVI, XI Kalend. Octobris Sartam fluvium pertransivit, et cum ingenti multitudine armatorum Normanniam invasit. Habebat enim secum Guilielmum Pictavensium Ducem, et Joffredum Vindocinensem, Guillelmum quoque juvenem Guillelmi Nivernensis Comitis filium, et Guilielmum Pontivi Comitem, cognomento Talavacium. Hi nimirum aliique plures Tribuni ac Centuriones cum viribus suis Andegavensibus associati sunt, et in Normannos per omne nefas, seu pro favore Principis, sive pro cupiditate prædæ, irruerunt... Andegavenses in Normannia XIII diebus demorati sunt, odiumque perenne, non dominatum Normannorum, immanitate sua meruerunt... Quia inconditis post contaminationem sacrorum edulis intemperanter usi sunt, justo Dei judicio pene omnes ventris fluxu ægrotaverunt, fluentique diarrhia satis anxii fœda vestigia obiter reliquerunt, suosque reposcere lares plerique vix potuerunt... Anno MCXXXVII tertia septimana Martii Stephanus Rex in Normanniam venit... Eodem tempore Guillelmus Pictavensium Dux, memor malorum, quæ nuper in Normannia operatus est, pœnitentia motus, ad S. Jacobum peregre profectus est. Deinde feria VI parasceve, V Idus Aprilis sacra communione munitus est, et ante aram beati Apostoli venerabiliter defunctus est. Filiam vero suam Ludovico juveni Francorum Regi in conjugem dari præcepit, ipsumque Regem totius juris sui hæredem constituit. Quod ita postea factum est. *Hactenus Ordericus Vitalis lib.* 13 *Historiæ Ecclesiasticæ, quam absolvit anno quarto ab obitu Guilielmi, Æræ Christianæ* CIƆCXLI, *quando apud Normannos in cœnobio Uticensi* LXI *annos vixerat, fac-*

*an 1136 cum Comite Andegavensi Normanniam bello vastat,* F

*multis diarrhœa punitis,*

*ipse ad S. Jacobum an. 1136 peregrinatus, obiit 9 Aprilis*

*ita Ordericus scriptor coævus.*

*tus*

A *tus monachus anno* CIOLXXXV, *id est, annis* XIV *antequam Dux Guilhelmus nasceretur.*

*et in diplomatibus datis eodem an. 1137*

32 *Uterque Ludovicus Francorum Rex, in duplici diplomate, quo antiqua Ecclesiis Aquitaniæ concessa privilegia stabiliunt, Guilielmi Ducis obitum eodem, quo contigerat, anno* CIOCXXXVII *confirmant. Philippus Labbeus in Miscellaneis curiosis cap. 12 § 10, edidit hoc Ludovici* VI, *sive senioris, diploma, quod hic integrum damus.* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Tibi, dilecte in Domino Gauffride, Burdegalensis Archiepiscope, cum Suffraganeis Episcopis, Raymundo Agennensi, Roberto Engolismensi, Guillermo Xantonensi, Guillermo Pictavensi, Guillermo Petragoricensi, necnon cum Abbatibus Burdegalensis provinciæ, vestrisque successoribus in perpetuum. Regiæ majestatis est Ecclesiarum quieti pia sollicitudine providere, et ex officio susceptæ a Domino potestatis, earum libertates tueri, et ab hostium seu malignantium incursibus defensare. Sic nimirum Regalis apicem dignitatis nos a Domino, a quo omnis potestas est, consecutos esse constabit, si juxta

*Reges Francorum Ludovici* VI *Crassus dictus,*

B Evangelicam institutionem et Apostolicæ doctrinæ traditionem, in sanctæ* Dei ministerium accincti, pro ejusdem continenda libertate, qua Christus eam liberaverit, et pacis quiete operam demus. Quapropter petitionibus vestris, communicato prius Episcoporum, Abbatum, et Procerum nostrorum consilio, assentiente Ludovico filio nostro jam in Regem sublimato, annuendum, et in Sede Burdegalensi, et in prænominatis Episcopalibus Sedibus et Abbatiis ejusdem provinciæ, quæ defuncto illustri Aquitanorum Duce ac Comite Pictavis Guillermo, per filiam ipsius Alienordam jam dicto filio nostro Ludovico sorte matrimonii cedit, in Episcoporum et Abbatum suorum electionibus canonicam omnino concedimus libertatem, absque hominis, juramenti, seu fidei per manum datæ obligatione. Porro decedentis Archiepiscopi et Suffraganeorum ipsius Episcoporum, seu Abbatum decedentium res universas successorum usibus, Regia auctoritate servari volumus, et concedendo præcipimus illæsas : hoc quoque adjicientes, ut omnes Ecclesiæ infra denominatam provinciam constitutæ, prædia, possessiones, et universa ad ipsos jure pertinentia, secundum privilegia et justitias, et bonas consuetudines suas habeant, et possi-

** supple Ecclesiæ*

*asserens defunctum esse,*

C deant illibata. Quod ut perpetuæ stabilitatis obtineat munimentum, scripto commendari, et sigilli nostri auctoritate, et nominis nostri charactere corroborari præcipimus. Actum Parisius in Parlamento nostro publice, anno Incarnati Verbi MCXXXVII, regni nostri XXXIX, Ludovico nostro in Regem sublimato anno IV, in præsentia Gaufridi venerabilis Carnotensis Episcopi, et Apostolicæ Sedis Legati, Stephani Parisius Episcopi, Sugerii Abbatis B. Dionysii, Girardi Abbatis Josaphatis, Algrini a secretis nostris : adstantibus in palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt et signa, S. Radulfi Viromanduorum Comitis et Dapiferi nostri, Willermi Buticularii, Hugonis Camerarii, Hugonis Constabularii. Data per manum Stephani Cancellarii.

*subscribentibus Principibus regni.*

33 *Hactenus diploma Ludovici* VI, *Crassi dicti, cui simile concessit filius ejus Ludovicus* VII, *quod habet, sed nonnihil abbreviatum, Renatus Choppinus lib. 1 sacræ Politiæ tit. 7 num. 3 hoc exordio :* Ego Ludovicus junior, magni Ludovici filius, D. G. Rex Francorum et Dux Aquitanorum. Tibi Gaufride Burdegalensis Archiepiscope cum Suffraganeis.... ducimus annuendum, et in Sede Burdegalensi, et in prænominatis Episcopalibus Sedibus, Abbatiis ejusdem provinciæ, quæ, defuncto Aquitanorum Duce et Comite Pictavis Guillelmo, per filiam ipsius Alienoram nobis sorte matrimonii cedit *etc. At subscriptiones, a Choppino omissæ, ita referuntur a Labbeo :* Actum Burdegalensi in Palatio nostro publice, anno Incarnati Verbi MCXXXVII, regni nostri IV, in præsentia Gaufredi venerabilis Carnotensis Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati, Alberici Bituricensis Archiepiscopi, Hugonis Turonensis Archiepiscopi, Gaufridi Burdegalensis Archiepiscopi, Raimundi Agenensis Episcopi, Lamberti Engolismensis, et Guillermi Xantonensis Episcoporum, Sugerii Abbatis S. Dionisii : adstantibus in palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt et signa. S. Radulfi Viromanduorum Comitis et Dapiferi nostri. S. Guillermi Buticularii. S. Hugonis Camerarii. S. Hugonis Constabularii. Data per manum Algrini Cancellarii. *Joannes Buchetus par. 3 Annalium Aquitaniæ cap. 3 testatur has Ludovici Junioris litteras se vidisse in antiquo pergameno scriptas, Regioque munitas sigillo, in cujus altera parte conspiciebatur Rex in throno sedens, in altera vero Princeps armatus in equo, manu gladium gestans. Summus horum Regiorum privilegiorum consensus, ab illustrioribus regni Proceribus, atque Ecclesiarum Gallicanarum Antistitibus attestatione suæ præsentiæ, aut subscriptione approbatus, abunde confirmat, obitum Guilielmi Ducis omnibus ubique innotuisse. Claudius Robertus in Gallia Christiana agens de Archiepiscopatu Burdegalensi ejusque Suffraganeis Episcopatibus Guilielmo Duci ante cum Aquitania II subjectis, meminit etiam hujus diplomatis regii istis Episcopis directi cum magno historiæ Ecclesiasticæ assensu.*

*e Ludovicus* VII *Junior dictus*

*indicans etiam defunctum esse*

*Februarii. T. II.*

D

*AUCTORE G. H.*

*attestantibus proceribus regni, et Episcopis variis.*

34 *Hugo Fravillencensis mox proferendus hanc Aquitaniam ex aevi illius consuetudine omnem Aquitaniam appellat, additque præterea ad Guilielmum Ducem pertinuisse* Guasconiam, Basclonam, et Navarram usque ad Pyrenæos. *Fuit hæc olim Aquitania* III *seu Novempopulania dicta, posteris Vasconia, quam in Gasconiam et Basconiam circa annum Christi* CIOCXXI *distinctam diximus* II *Februarii ad Vitam S. Adalbaldi Ducis § 4 continerique in ea Basconia, alias Cantabria, Navarram inferiorem sive Gallicam. Hujus Aquitaniæ* III *seu Vasconiæ metropolis est civitas Ausciorum sive Auscitana, cui subest Convenarum diœcesis, quam teste Choppino loco supra indicato,* propter hanc Regaliorum immunitatem, quæ Aquitanis Ecclesiis data est, Senatus anno CIOCXLII decrevit, Regalibus vacuam exemptamque esse; *dictis Regum diplomatibus ad omnes ante Guilielmo Duci subditas ditiones extensis. Bernardus Abbas Bonævallis lib. 2 Vitæ S. Bernardi cap. 6 scribit* potentatui Ducis Guilielmi subditas fuisse provincias Burdegalensem, Auxiensem (*scilicet in Aquitania* II *et* III *ut diximus*) et Turonicam, et quidquid a collibus Iberorum usque ad Ligerim complectitur et claudit Oceanus, paruisse ejus imperio. *Verum Turonica provincia ultra dexteram Ligeris ripam late distenta continet Britanniam Armoricam et novem in ea Episcopatus, cui tum Britanniæ præerat Comes Conanus filius Alani Fergenti, et Hermengardis, quam ante a Guilielmo* VIII *Duce Aquitaniæ repudiatam diximus. Erat autem Hermengardis filia Fulconis Rechini Turonensium et Andegavensium Comitis, et soror Fulconis postea Hierosolymitani Regis, qui ducta uxore Sibilla Heliæ Cenomanensium Comitis filia unica et hærede, genuit Gaufredum Plantagenest tam patris quam avi materni legitimum successorem, a quo rogatus Guilhelmus* IX, *ultimo vitæ anno armatus Normanniam invasit. Hujus Gaufredi filius, Henricus* II *Rex Anglorum, Alienoram filiam Guilielmi duxit, ante repudiatam a Rege Francorum Ludovico. Erant autem Andegavenses et Cenomanenses in Provincia Turonensi, sed, ut hinc patet, Ducibus Aquitaniæ non subjecta. Extra ejusdem imperium fuit quoque Aquitaniæ* I. *Hinc consilio Lemovicensium, ne jugo ejus, quod timebant, subderentur, erepta illi secunda uxor Emma ejus ditionis hæres. Nec Comes Arvernorum fuit, uti tradunt Carol-*

*Dominato Guilielmo Ducis subjectæ fuerunt Aquitania* II *et* III,

E

F

*non Turonensis Provincia,*

*neque Aquitania* I.

AUCTORE G. H.

A *cantinus cap. 5 Vitæ S. Guilielmi aliique. Præerat tum Arvernis Comes Robertus* IV, *inter quem et Ecclesiam Brivatensem concordia ann.* CIↃCXXXVI *facta, refertur ex chartulario Brivatensi a Christophoro Justello in Historia Genealogica Comitum Arvernensium, quos alios a Ducibus Aquitaniæ longo ordine deducit.*

## § V. *Consensus Historicorum seculo Christi* XII, XIII, *et* XIV *de eadem Ducis Guilielmi apud Compostellam morte.*

*Obitum ejusdem apud Compostellam referunt.*

Guilielmum IX *et ultimum Ducem Aquitaniæ et Comitem Pictavorum, in suo ad S. Jacobum in Hispaniis itinere Compostellæ mortuum esse et terræ mandatum satis constat ex dictis § præcedenti. Addimus hic Historicos, qui eodem seculo* XII *et duobus sequentibus vixerunt, ut postea evidentius demonstratur, alias non nisi seculo* XV *irrepsisse opiniones. Theobaldum Vitæ S. Guilielmi scriptorem excipio, de quo infra agetur. Ac primum locum jure occupat Sugerius, creatus Abbas S. Dionysii anno* CIↃCXXII, *vita functus ann.* CIↃCLII : *qui in Vita Ludovici* VI *Regis Francorum, dum iter ejus ægri, cui socius aderat, versus Parisios ac suum monasterium describit, hæc refert :* Cum *Miliduno* castrum Bestisiacum

*Sugerius Abbas an. 1152 defunctus,*

B pervenisset, celeriter subsecuti sunt eum nuntii Guillelmi Ducis Aquitaniæ, denuntiantes eumdem Ducem ad S. Jacobum peregre profectum, in via demigrasse : sed antequam iter aggrederetur, et etiam in itinere moriens, filiam nobilissimam puellam, nomine Alienor desponsandam, totamque terram suam eidem retinendam et deliberasse et dimisisse. Qui communicato cum familiaribus consilio, solita magnanimitate grataner oblata suscipiens, carissimo filio Ludovico eam copulari promittit, nec non et deinceps nobilem apparatum ad destinandum illuc componit, nobilissimorum virorum exercitum, quingentorum et eo amplius militum, de melioribus regni colligit : cui etiam Palatinum Comite Theobaldum, et egregium Viromandensem Comitem, et consanguineum Radulfum præesse constituit. Nos autem familiares ejus, et quoscumque sanioris consilii reperire potuit, ei concopulavit.... Qui cum per Limovicensium partes ad Burdegalensium fines pervenissemus, ante civitatem, interposito magno fluvio Garona, tentoria defiximus, ibidem præstolantes, et navali subsidio ad urbem transeuntes, donec die Dominica collectis Gasconiæ, Sanctoniæ, Pictaviæ Optimatibus, præfatam puellam cum eo diademate

C regni coronatam sibi conjugio copulavit. *Interea iis absentibus obiit Ludovicus* Kalendis Augusti, *cujus præcipuus Consiliarius fuerat dictus Sugerius, ac deinde pro Ludovico* VII *ejus filio cum Regina filia Guilielmi Ducis in Terram sanctam profecto, gravioribus regni negotiis præfectus : ut omnia ubique gesta optime potuerit scire.*

36 *Alius coævus auctor est Teulfus, monachus monasterii Mauriniacensis in diœcesi Senonensi : qui lib. 3 Chronici Mauriniacensis usque ad annum* CIↃCXLVII, *quo Rex Ludovicus* VII *in Terram sanctam profectus est, deducti,* Eo igitur tempore, *inquit,* quo Innocentius Honorio decedente, ad agendas vices Apostolicas recenter promotus, post solemnem Concilii celebrationem a Francia repedavit, Guillelmum Pictavorum comitem, ad S. Jacobum peregre profectionem aggressum, aspera infirmitate detineri, et usque ad mortis difficultatem contigit perduci. Hic itaque cum a Deo provisa fatalis tibiocatio propinquasset, et inevitabilem spiritus exhalationem sibi imminere conspiceret, terræ suæ Proceres et Optimates accersiens, eos coactitio jurisjurandi vinculo constrinxit, ut filiam suam Ludovico Regis Ludovici filio copularent, et terram suam secundum consuetudinem connubii mancipparent. Ipse vero Guilielmus rebus humanis exemptus

*Teulfus monachus coævus,*

in eadem ecclesia B. Jacobi est tumulatus.... Igitur D imminente destinatæ virginis ductione, pater Ludovicus itineri necessaria præparat, et ut tanta res cito effectui mancipetur elaborat. Imperialis itaque edicti taxatione ubique publicata, militum agmina non parva properanter conveniunt, et ad ampliationem regii comitatus urbes et oppida suorum multitudinem habitatorum emittunt. Inter quos erant præcipui et famosissimi Optimates Theobaudus Comes Blesensis, Radulfus Veruendensis, Guillelmus Nivernensis, Rotrodus Perticensis.... Igitur universis Aquitaniæ Pontificibus cum Archiepiscopo suo Gaufrido adstantibus, Ludovicus est puellæ, nomine Ænorde, legali vinculo sociatus : ibique uterque est impositione aureorum diadematum insignitus. Ibi etiam Ludovicus fidelitatum et homagiorum pacta accepit, et in proprio habere cœpit. Sed quia diem nox premit, et crebro mutantur vices humanæ felicitatis,.... omnibus adhuc illius deliciosæ epulationis plenitudine et lætitia dissolutis, ecce legatus pernici cursu delatus advolat, et Ludovicum Regem, qui diu gravi diarrhia laboraverat, vitam Parisius finisse denuntiat. Hujus Regis vita vel probitas ideo a nobis non exprimitur, quia adhuc in mentibus hominum per memoriam scripta esse videtur. *Floruit tum etiam* E *Otto, Episcopus Frisingensis apud Bavaros anno* CIↃCXXXVIII *creatus, qui lib. 7 Chronici, relato cap. 20 Lotharii obitu, addit cap. 21.* Circa illa tempora multi ex claris Optimatibus mortem sui Principis præcesserunt et secuti sunt.... Rex etiam Francorum Ludovicus, et Anglorum Henricus, et Remorum Archiepiscopus Reginaldus, Comesque Pictaviensis Gaufridus *(lege* Guilielmus) eodem tempore obierunt. *Supervixit Otto scriptor ad an.* CIↃCLVIII.

*Otto Ep. Frisingensis mortuus an. 1158,*

37 *Succedat, qui gesta Regis Ludovici* VII *conscripsit, secutus vestigia Sugerii Abbatis, cujus, ut mox constabit, meminit, et ipse, quantum colligimus, monasterii S. Dionysii alumnus iisdem temporibus coævus : cujus hæc sunt verba cap. 2 :* His diebus Guilielmus Dux Aquitaniæ apud S. Jacobum iter arripuit, qui volente Deo, antequam ad terminum, ad quem suæ peregrinationis accederet, peracta parte itineris, expiravit, nullum virilis sexus in Ducatu Aquitaniæ relinquens hæredem. Verumtamen duas filias habuit, quarum una major natu Alienordis, et alia Alaydis vocabantur. Et quoniam terra sine virili hærede remanserat, Rex Ducatum in manu sua tenuit, et primogenitam sororem Alienordam sibi matrimoniali lege desponsavit, sicut superius est expressum F in historia patris sui, de qua filiam genuit Mariam nomine, quæ fuit Comitissa Campaniæ, et secundam Alaydam nomine, Radulpho Viromandensi Comiti cognato suo matrimonio copulavit. *Extat et alia historia Ludovici* VII *subjuncta Vitæ Ludovici* VI, *a Sugerio compositæ, et cum aliis a Chesnio edita : in qua eadem fere repetuntur his verbis :* Ea tempestate Willelmus Dux Aquitaniæ ad S. Jacobum peregre profectus, molestia corporis ibi correptus, viam universæ carnis ingressus est. Ipse duas filias tantum habebat : quarum altera vocata fuit Alienoris, altera Aaliz. Terra autem Aquitaniæ Domino suo destituta, absque hærede mare remansit. Idcirco Rex Ludovicus totam Aquitaniam in manu sua tenuit, alteramque de duabus prædictis sororibus, scilicet Alienoridem natu majorem, matrimonio sibi sociavit : alteram vero Aaliz juniorem, Radulfo Comiti Viromandensi in uxorem donavit.

*Auctores Gestorum Ludovici Junioris etiam coævi,*

38 *Idem sensus fuit historicis seculo sequenti, inter quos Robertus, Montis S. Michaelis ad Oceanum apud Nordmannos in diœcesi Abrincensi, Abbas, in supplemento Chronici Sigeberti, de rebus sui temporis usque ad annum* CIↃCCX *gestis, ita scribit :* Anno CIↃCXXXVII Comes Pictaviensis Wilhelmus ad S. Jacobum in Gallicia orationis

*... Robertus de Monte,*

A orationis caussa proficiscitur, et in sexta feria Parasceve in ecclesia B. Jacobi moritur, et ante altare sepelitur. Qui moriturus Proceres suos, quos secum habebat, contestatur, ut filia sua major Alienordis Ludovico juniori Francorum Regi cum Aquitaniæ Ducatu uxor traderetur. quam prædictus Ludovicus apud Burdegalam Optimatibus regni præsentibus jungit sibi nuptiis quam solennibus: cujus pater Ludovicus intra eumdem fere mensem apud Parisios defunctus, in ecclesia S. Dionysii ante corpus ipsius est sepultus Kalendis Augusti, xxviii anno regni sui. *Hæc ille. Ast in alio Auctario Gemblacensi a Miræo edito ita refertur ex MS. Orteliano:* Guilielmus Dux Aquitaniæ et Pictavensis filiam, quam hæredem habebat, Ludovico filio Regis Francorum, moriens sponsam dereliquit. Ad quam ducendam filius Regis profectus, interim patre Rege defuncto in regno stabilitur, et regnum Franciæ et Ducatus Aquitaniæ copulantur.

*Vincentius Bellovacensis,*

39 *Vincentius Burgundus ex Ordine Prædicatorum cognomento Bellovacensis, in Speculo historiali ad annum* CIↃCCXLIV, *quo tempore floruit, deducto, hæc refert lib.* 27 *cap.* 13: Guilielmus Comes Pictavensis ad S. Jacobum proficiscitur, et in sexta feria Parascevæ in ecclesia B. Jacobi moritur et ante altare sepeli-B tur. *Eadem repetit cap.* 14 *citato utrobique Chronographo nempe Roberto de monte. cujus etiam verba reperiuntur apud Bernardum Guidonis, ex eodem Ordine Prædicatorum Episcopum Lodovensem in Gallia Narbonensi in Chronico Joanni Papæ* XXII *anno* CIↃCCCXX *dicato: in quo hæc leguntur: anno* CIↃCXXXVII Guillelmus Comes Pictavensis et Dux Aquitaniæ ad S. Jacobum proficiscens, in Parasceve moritur v Idus Aprilis in ecclesia S. Jacobi, et ante altare honorifice sepelitur. *Pascha eo anno cyclo Lunæ* XVII, *Solis* XXVI, *littera Dominicali* c, *celebratum est* III *Idus sive* XI *Aprilis, Indictione* XV, *quam cum anno* CIↃCXXXVII *observat Ordericus Vitalis supra relatus: quem hic auctor fere describit.*

*et seculo* 14 *Bernardus Guidonis*

*alii antiqui auctores in Chronicis MSS.*

40 *Sed alia referuntur in variis antiquis Chronicis, quorum auctores latent anonymi: horum aliqua MSS. continentur in Miscellaneis curiosis Philippi Labbei nostri, ubi cap.* 12 § 17 *hæc leguntur ex Chronico MS. Canonici Turonensis excerpta:* Anno CIↃCXXXVI Guilielmus Comes Pictavensis ad S. Jacobum peregre proficiscens, in die Parasceve moritur, et ante altare B. Jacobi sepelitur: relinquens duas filias Alienordim primogenitam, et Petronillam, quam Radulfus Comes Viromandensis duxit postea uxorem. *Ex* C *Chronico MS. Gaufredi Prioris Vosiensis apud Lemovicenses hæc adduntur* § 18: Guillelmus Dux VIII de filia *Guillelmi Ducis Tolosani*, fratris Raimundi de S. Ægidio, qui in bello Hierosolymitano memoratur, genuit Guillelmum Comitem, qui obiit apud S. Jacobum et Raymundum, qui fuit Antiochiæ Princeps. *Et iterum:* Boamundi *Principis Antiochiæ* filiam duxit uxorem Raymundus, qui fuit frater Guillermi Ducis Aquitanorum qui apud S. Jacobum obiit. *Ex eodem Chronico supra retulimus, eumdem* Ducem apud S. Jacobum obiisse. *Nonnulla apud Beslium traduntur ex utroque Chronico Lemoviceensi supra indicato, atque e priore quidem ista leguntur:* Anno CIↃCXXXVII, v Idus Aprilis, quod tunc fuit in Parasceva, obiit Guillelmus Palatinus, Comes Pictavorum, ultimus Dux Aquitaniæ apud S. Jacobum. *In altero Chronico Lemovicensi dicitur* Willelmus Dux ultimus Aquitanorum Lemovicinos subvertere dictans, apud S. Jacobum peregrinus abiens, tumulatus. *Denique ex tabulario Angeriacensi sequentia adduntur:* Ludovicus Rex minor, filius Ludovici Magni Regis Francorum, mortuo Guilielmo Pictavorum Comite apud S. Jacobum, filiam ipsius, consilio et voluntate patris, cum consulatu Pictaviensi et Aquitanorum Ducatu sibi conjugio copulavit.

*AUCTORE G. H. stabiliunt alii eorum suo silentio,*

41 *Eamdem opinionem obitus Guilielmi Ducis con-* D *firmant suo silentio. Auctores coævi, dum vitæ ejus eremiticæ, ac novi virorum religiosorum ordinis instituti non meminerunt, et quidem dum ejus, aut filiæ, aut Ducatus Aquitaniæ in Regem Ludovicum, aut ab eo in Anglos translati mentionem faciunt. Inter hos primi censendi S. Bernardus et hujus vitæ Scriptores, tum Malmesburiensis, qui lib.* 1 *Novellæ tradit*, Ludovicum Aquitaniam per uxoris dotale fœdus acquisivisse. *Henricus Huntindoniensis, qui sub Stephano Rege Anglorum floruit, lib.* 8 *Histor. refert* Ludovicum Regem Francorum a sponsa sua, filia Consulis Pictavensis, per cognationis jusjurandum divisum: eamque Henricum novum Ducem Normannorum duxisse, et per eam Consulatum Pictavensem summis honoribus ampliatum possedisse. *Inter domesticos hujus Henrici, dein Regis Anglorum fuit Rogerus Hovedenus, qui sub finem partis prioris Annalium narrat* divortium inter Ludovicum Regem Francorum et uxorem Alienor, filiam Ducis Aquitaniæ, factum, eamque in uxorem duxisse Henricum Regem Angliæ. *Vixit apud Pictavenses anno* CIↃCLX *Hugo monachus Vizeliacensis, qui in Chronico MS apud Beslium hæc refert:* Hic est Rex Ludovicus, cujus pater Ludovicus usquequaque dilatavit regnum suum, et conjun-E xit ei in matrimonium filiam Guilielmi Ducis Aquitanorum et Comitis Pictavorum, propter quam acquisivit omnem Aquitaniam, Guasconiam, Basclomiam et Navarram usque ad montes Pyrneneos et usque ad Crucem Karoli. *Guilielmus Neubrigensis natus anno* CIↃCXXXV, *biennio ante Ducis Guilielmi obitum, lib.* 1 *cap.* 31, *describit* Alienoram reginam Ducis Aquitanici soladem unicam Ludovico Regi nuptam, amplissimum Ducatum Aquitaniæ regno Franciæ junxisse. *It* per Ecclesiasticæ legis vigorem solutam nupsisse Duci Normanniæ. Mox Ducatum Aquitaniæ, qui a finibus Andegavensium et Britonum ad Pyrenæos usque montes extenditur, ratione conjugis in Ducis Normannici potestatem transivisse, Francis invidia tabescentibus, sed impedire non valentibus ejusdem Ducis provectum.

*S. Bernardus, Malmesburiensis, Huntindoniensis, Hovedenus, Hugo Vizeliacensis, Neubrigensis,*

*Hagulstadensis,*

42 *Richardus Hagulstadensis, qui circa an.* CIↃCLXXX *scribebat, tradit in Chronico*, Henricum Ducem Normanniæ circa Pentecosten anno eodem duxisse Alienor Comitissam Pictavis, quam paullo ante Rex Ludovicus propter consanguinitatem dimiserat. *Andreas Silvius, sub finem ejusdem seculi Archiprior monasterii Marchianensis in Belgio, lib.* 2 *de Regibus Francorum cap.* 6 *hæc habet:* Ludovicus junior duxit Amordem F filiam Willelmi Ducis Aquitaniæ, de qua genuit duas filias, quarum prior nupsit Henrico Comiti Trecensi, posterior Theobaldo Carnotensi Comiti. . . . Anno regni XVI uxorem repudiavit, quæ postea ad thorum transiit Henrici Regis Anglorum et Ducis Normannorum, filii Goffridi Comitis Andegavorum. Ex illa igitur hos genuit filios, Henricum Regem Angliæ, qui vivente patre obiit, Ricardum Ducem Aquitaniæ, qui nunc regnat in Anglia, Gosfridum ducem Aquitaniæ et Joannem, qui dicitur Sine terra, et filias tres, quarum unam duxit Rex Toletanus in Hispania, alteram Willelmus Rex Siciliæ, tertiam Henricus dux Saxoniæ. *Hæc ille. Coronatus est Richardus in Regem* III *Septembr. anni* CIↃCLXXXIX, *mortuus* XXVI *Martii anno* CIↃCXCIX *cui tunc frater Joannes successit. At vixit Aleonordes Regina, filia Guilielmi Ducis ad annum* CIↃCCIII, *quo obiit* XXXI *Martii. Similia refert Gervasius, monachus Dorovernensis, qui circa annum* CIↃCC *florebat*, Divortio, *inquit*, inter Regem Ludovicum et Reginam suam Alianor labore multo et artificioso juramento in facie Ecclesiæ solenniter celebrato, Gallicos amplexus jam sibi decrepitos fastidiens, fines quoque Galliæ egressa, in terram suam Pictaviam se recepit. Degebat his diebus Dux Henricus in Normannia

*Andr. Marchianensis,*

*Gervasius Dorovernensis,*

A manniæ finibus, et erat in omnium oculis gratiosus. Alianor autem jam repudiata, et propriæ libertati reddita, terram suam, Aquitaniam scilicet et Pictaviam aliasque terras suas, quæ eam jure contingebant hæreditario, ut domina possidebat. Quæ missis clanculo ad Ducem nuntiis, liberam et absolutam se nuntiat esse, et ad matrimonium contrahendum Ducis animum stimulat. . . . Audiens Rex Ludovicus Reginam repudiatam, Duci Henrico lege maritali conjunctam, innumerum fecit convocare exercitum, ut Reginam olim suam, imo magis Aquitaniam, si fieri posset, revocaret. At Dux convocatis militum et peditum copiis Regem constanter repulit *etc. Similia habent coævi scriptores, Joannes Bromton in Chronico, et Radulfus de Diceto in Imaginibus historiarum: Matthæus Parisiensis et Matthæus Westmonasteriensis, quorum ille seculo XIII, iste XIV floruit, Thomas Walsinghamus aliique.*

*AUCTORE G. H.* — *aliique.*

## § VI. *Vita S. Guilielmi a Theobaldo exornata. Quis hic auctor: quæ Provincia Franciæ, cui inscripta.*

*Fabulæ de S. Guilielmo e temporum ratione noscuntur.*

B Sampson *Haius in præfatione libri de veritate vitæ et Ordinis S. Guilielmi, scribit se* non sine stomacho legisse, a quibusdam tot et tam absurdas fabulas cum purissima veritate pugnantes de sanctissimo Confessore et ejus ordine recitari. *Ad quas fabulas evitandas res Ducum Aquitaniæ, immistas actis S. Guilielmi Eremitæ, operæ pretium duximus accurate per sua tempora digerere, ac potissimum obitum ultimi Ducis Guilielmi stabilire consensu omnium scriptorum, qui eodem cum illo seculo ac duobus sequentibus vixerunt: nec hactenus, excepto forsan Theobaldo, de quo jam agimus, ullum auctorem de cujus ætate aliquid certi constat, reperire contigit, qui intra trecentos circiter ab obitu illius annos imbecillem aliquam aut dubiam objecerit opinionem, e qua colligi posset, unum eumdemque virum esse et Guilielmum ultimum Ducem Aquitaniæ a S. Bernardo conversum, et S. Guilielmum Ordinis Guilielmitarum parentem, qui post eremiticam vitam in Stabulo-Rodis apud Rossellanos in Etruria sancte actam, hoc X Februarii defunctus, sacro in Ecclesia cultu honoratur.*

44 *His non obstantibus opposita opinio, qua illi duo unus idemque censentur adeo vulgo invaluit, ut videantur aliter sentientes, temere atque injuriose de Sanctis loqui: quod de iis potius, qui contra faciunt, dici haud* C *immerito posset. Quare necesse est hic rationes investigare, quibus adducti, fortiter magis quam prudenter hanc suam opinionem tuentur. Ac primo adferuntur Acta S. Guilielmi, a Laurentio Surio ad X Februarii ex MSS. edita, sed mutila, omissis ab illo pluribus miraculis: quæ omnia tamen integra extant apud Carthusianos Colonienses, et nos hic damus ex codicibus MSS. Ultrajectino S. Salvatoris, Rubeæ-Vallis prope Bruxellam, et altero, quem penes nos habemus, contulimusque cum Vita ex MSS. nuper edita a Petro Silvio Priore Guilielmitarum monasterii Alostani. Alia passim extant apud ipsos Guilielmitas, et tria quidem MSS. vidit Sampson Haius Parisiensis, quorum unum ait esse bibliothecæ Victorinæ. Eorumdem Actorum compendia extant MSS. in monasterio Rubeæ-Vallis, in collegio Societatis Jesu Lovanii, et in domo Ultrajectina domus S. Hieronymi; aliud sub nomine Alberti citat Sampson Haius pagina 49 et 50. Post Surium eadem Acta, aut integra, aut in varia compendia contracta, passim ediderunt, quotquot Vitas Sanctorum publicarunt, aut in alias variarum nationum linguas transtulerunt: denique ex eisdem Actis Lectiones in officio Ecclesiastico ad Matutinum recitantur apud Guilielmitas, et hoc tempore nonnullis additis apud Eremitas Augustinianos.*

*Vita S. Guilielmi a Surio edita mutila,* — *hic integra datur:*

45 *Nomen suum Auctor prodit in præfatione, ubi se* peccatorem Theobaldum *appellat, ac seipsum aliquo* D *modo depingit.* De omissis, *inquit,* solum narrationem texerem, nisi a capite resumere tu juberes, Prior venerabilis Provincialis Franciæ, et tecum Ordinis tui Fratres, omnisque vestra, nostrisque domestica Ecclesia Sanctorum. Erant quidem in multis cœnobiorum vestrorum collegiis, qui digna satis, imo digniori, vestirent narratione materiam: sed hoc est de vestræ religionis xeniis, ut de vobis parva, de alienis majora præsumatis. *Ac sub finem miraculorum part. 2 num. 58 ait se,* ex quo primo viri Dei, Fratribus ejusdem Ordinis referentibus, notitiam habuit, multa ægritudinis et doloris incommoda sustinuisse, *adeoque inter illa Vitam hanc conscripsisse, excepto unico inserendo capitulo, quando morbo ingravescente, per merita S. Guilielmi a mortis periculo ereptus, sanitatique restitutus, illud perfecit.* Et quomodo, *inquit,* a laude ejus tacere valeam? Ipse me turgidum ad vitam mirabiliter revocavit, et ad extremum Prior Provincialis Franciæ una cum Fratribus suis, quorum votis non erat fas resistere, id mihi humiliter supplicavit. *Hæc Actis de se ipsemet inseruit Theobaldus: neque tituli in ullis MSS. quorum notitiam potuimus habere, ejus mentionem faciunt. Molanus in* E *Additionibus ad Usuardum tamquam virum incognitum habet, ac* Theobaldum quemdam *appellat.*

*ejus auctor Theobaldus qualis?*

46 *In compendio vitæ e codice MS. Lovaniensi sub finem, dum sanitas illi restituta memoratur, dicitur* Theobaldus Episcopus Legendam sancti Patris ob instantiam Prioris Provincialis Franciæ compilasse, et compilando perfecisse, *imo potius, ut ipsemet ait,* materiam digna narratione vestivisse, *ab aliis subministratam.* Episcopus *etiam appellatur in MS. Martyrologio Guilielmitarum Brugensium. Et Surius MS. codici Carthusiæ Coloniensis adscripsit:* Auctore Theobaldo Episcopo: *adjunxitque Vitæ a se editæ:* Sanctitate et doctrina conspicuo. *Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum eumdem* Episcopum *statuit. Secuti deinde reliqui ferme scriptores, et varium ei Episcopatum assignarunt. Nonnulli apud Sampsonem Haium, quos id rejicit, volunt* Archiepiscopum fuisse Cantuariensem in Anglia. *Apud Patres Augustinianos ab anno* MDLXXXVI *recitantur in festo S. Guilielmi et per Octavam in Officio Ecclesiastico* Lectiones de Vita ejus, auctore D. Theobaldo Episcopo Cantuariensi ejus coætaneo. *Est is consecratus Archiepiscopus* VI *Idus Januarii anno* MCXXXIX, *(postquam biennio Guilielmus ultimus Dux Aquitaniæ in Parasceve Domini* F *in Hispaniis apud S. Jacobum mortuus esset) ac deinde Stephano Rege Anglorum vita functo, Regem Henricum* II, *ejusque uxorem Alienoram filiam dicti Guilielmi a Rege Francorum Ludovico ante repudiatam, coronavit* XVI *Kalendas Januarii Dominica ante Nativitatem Domini anno* MCLIV: *ac demum cum sedisset annos* XXII, *obiit* XIV *Kalend. Maii anno* MCLXI: *uti docent scriptores Anglici ac potissimum Gervasius Dorobernensis in Chronicis Regum Angliæ, et Actis Pontificum Cantuariensium seculo Christi* XII *compositis: apud quos altum de ejus scriptum est silentium. At quod non exigui ponderis est, nullus tunc erat ordo S. Guilielmi dilatatus, nullum in Francia monasterium collegiumve illius Ordinis, nullus itidem Prior Provincialis constitutus. Imo qui memoratur, par. 2 cap. 9 Martinus Episcopus, floruit apud Grossetanos post obitum dicti Theobaldi Cantuariensis, circa an.* MCCLXXIV *et sequentes, ut infra ad illud caput observamus. Denique quæ mox proferemus enormia sibique contradicentia menda, chronologiam aliamque antiquam historiam evertentia, clare convincunt, Cantuariensem Theobaldum non fuisse Vitæ illius auctorem, qui etiam non siluisset filiam ejusdem Guilielmi fuisse Reginam Alienordem ac Regem Henricum II generum.*

*An Episcopus?* — *non saltem Cantuariensis in Anglia:* — *mortuus an. 1161*

47 *Sampson*

A 47 *Sampson Haius pag. 34 censet* Theobaldum verosimilius fuisse Grossetanensem Episcopum. *Idem ex Haio scribunt Miræus lib. 2 Originum monasticarum cap. 16 et Ranuccius Picus in Vita; sed fallaci conjectura ob vicinitatem locorum, Grosseti et Stabuli-Rodis. Addit Haius p. 50 :* Certe Albertum S. Guilielmi discipulum Theobaldus noverat, qui cum eodem tempore vivebat. *Verum vivebat tum memoratus Martinus Episcopus Grossetanus, cujus successorem Gualfredum anno* CIↃCCLXXXVII *subscripsisse instrumento abbatiæ S. Laurentii de Ardinghesca, tradit Ferdinandus Ughellus Florentinus tomo 3 Italiæ sacræ, ubi reliquos ad hæc tempora adjungit Episcopos Grossetanos : inter quos nullus est Theobaldus. Præterea dum asserit auctor, se eam Vitam scribere* jussu Prioris Provincialis Franciæ, *cujus* Fratribus referentibus viri Dei notitiam habuit; *innuit se in Italia non vixisse, ubi et primaria Ordinis provincia, Thusciæ cognominata, vigebat, et Stabulo-Rodis præerat Ordinis universi Prior Generalis. Extat eadem Vita S. Guilielmi Gallice a Claudio Marchantio translata, et cum reliquis Sanctorum Vitis hoc et præcedenti seculo a Renato Benedicto aliisque sæpius in lucem data : ubi in titulo auctor dicitur* Episcopus Theobaldus Pictavorum. *Verum ex accurato* B *catalogo Episcoporum hujus urbis a Joanne Beslio, Claudio Roberto aliisque edito constat, nullum istic sedisse Episcopum Theobaldum, omnibus temporibus a S. Guilielmo ad nostram ætatem collatis : ut sileamus nullam hujus Ordinis domum in Aquitania extitisse.*

*nec Grossetanus aliquis in Etruria,*

*neque Pictavensis in Aquitania.*

48 *Renatus Choppinus lib. 1 Monasticon tit. 1 num. 6.* In nostra, *inquit,* Gallia duo tantum habentur sacra B. Wilhelmo cœnobia, alterum Lutetiæ, Remis confine alterum in agro Campano. Sed in Belgis structa plusculа visuntur. Lutetianum illud Bonifacio VIII Papæ accepto fertur, qui postulante Renerio totius Ordinis Antistite, monasticam ædem Servorum D. Mariæ Wilhelmitis munifice largitus est, vetustis possessoribus ad institutum Wilhelmitarum adactis anno CIↃCCXCIX, *sive, ut alii tradunt* anno CIↃCCXCVII. *Nam Renerius Prior Generalis, cum Ordinis monasteria lustraret, in Monte Rubeo juxta Parisios, ubi ante aliquamdiu habitarant, traditur ex epitaphio istic olim appenso, obiisse anno* CIↃCCXCVIII. *Ordo iste Servorum B. Mariæ est exabrogatis in Synodo Lugdunensi sub Gregorio X Pontifice : quodque hi Servitæ albis penulis induerentur, nomen Alborum mantellorum huic monasterio hactenus, monachisque Guilielmitis in Francia adhæsit. Dicta autem provincia Franciæ, quam* C *nunc Belgii et Franciæ, seu Galliæ Belgicæ appellant, continet varias domos seu monasteria, de quibus infra agemus. Horum prima cœpta sunt extrui anno Christi* CIↃCCXLV *et sequentibus, quibus accessit Domus Montis-Rubei extra Parisios circa annum* CIↃCCLV, *quando provincia videtur constituta, aut saltem nomen Franciæ adepta : cujus Franciæ mentionem fieri in constitutionibus alicujus capituli in Hohenhowise in Alamannia anno* CIↃCCLVII *habiti, indicavit nobis R. P. Hermannus Pruvost, Prior Brugensis et hoc tempore per Provinciam Belgii ac Franciæ ejusdem Ordinis S. Guilielmi Provincialis. Alexander Papa IV anno Christi* CIↃCCLX *Fratribus Rubei-Montis dedit privilegium accipiendi certas eleemosynas, uti infra in Commentario de Ordine S. Guilielmi § 4 dicemus. Eo ergo tempore Ordo Guilielmitarum florebat admodum in tres divisus provincias,* Tusciam, Franciam, Alamanniam, *uti ex nuncupantur in Prologo Constitutionum Ordinis, in quo iis provinciis dicitur præfuisse anno* CIↃCCLXIX *Lombertus Generalis, uti anno* CIↃCCLXXXVI *Marcus, et sub finem ultimi seculi supradictus Renerius in Monte-Rubeo sepultus. Ex primis provinciæ Franciæ monasteriis fuit Domus de Wastina, juxta Broditum Flandriæ oppidum, anno* CIↃCCXLIX *incepta : cujus Domus primus traditur fuisse Prior Hugo de Antverpia, a quo officium S. Guilielmi*

*Monasterium Parisiense Guilielmitarum*

*ab an. 1297*

*a 1. in Monte-Rubeo extra Parisios circa an. 1257*

*et provincia Franciæ fuit an. 1257*

D *descriptum haberi Brugis (quo illa Domus de* Wastina *an.* CIↃCCCCXXX *migravit) asserit ante memoratus Hermannus Pruvost, additque* Officium illud convenire de verbo ad verbum cum officio, *quo hoc tempore utuntur, nuper Antverpiæ recuso : in quo lectiones ad Matutinum recitantur e Theobaldo desumptæ. Quamdiu ille vixerit Prior Hugo de Antverpia, non constat. Hinc tamen colligimus, si Hæc de ætate Hugonis de Antverpia, et Officio ab eo scripto indubitata sint, eodem seculo* XIII *Theobaldum vixisse : qui maluisset ab ipsis Guilielmitis Vitam parentis describi, fuisseque inter illos præfatur,* qui digna satis, *imo* digniore vestirent narratione materiam, *jam tum sibi subministratum ab aliis, qui* curaverunt *eam* magis sparsam colligere, ne periret, quam depingere, ut in audientiam deveniret. *Videntur hi collectores materiæ vixisse in Belgio, ubi et plura monasteria provinciæ Franciæ erant, et historia Ducum Aquitaniæ minus nota.*

AUCTORE G. H.

## § VII. *Vita S. Guilielmi a Theobaldo exornata, ad seculum pene* XVI *incognita. Varia ejus menda notata.*

*Unum id summopere miramur, Vitam S. Guilielmi, quam seculo* XIII *a Theobaldo volunt exornatam, apud* E *omnes passim scriptores incognitam fuisse : ut etiam qui sequentibus seculis S. Guilielmum agnoverunt Ducem Aquitaniæ, in alias prorsus sententias deflexerint. Id manifestum reddunt primo quæ supra diximus de variis Guilielmis Ducibus Aquitaniæ, quorum plures habiti sunt fundatores sive parentes Ordinis Guilielmitarum, et maxime S. Guilielmus, qui tempore Caroli Magni e duce Aquitaniæ factus est monachus Gellonensis : quod seculo* XV *et scripsisse Gobelinum Personam, et Breviario Ordinis Eremitarum S. Augustini insertum fuisse supra ostendimus. Eodem seculo* XV *aut certe* XVI *auctor Florarii MS. Sanctorum ad Diem* X *Februarii aliquem ex his Guilielmis assignat his verbis :* Eodem die natale S. Guilielmi eremitæ de stirpe Karolidarum. Hic primo Dux Aquitanicus et Comes Pictaviensis, postea factus est abstinentissimus solitarius, denique spiritu prophetiæ floruit, et miraculis effulsit anno salutis CIↃCL. *Hæc ibi. Ob hanc a Carolo Magno genealogiam S. Guilielmum pro Duce Guilielmo Gaufredo avo ultimi Ducis Guilielmi, etiam a Theobaldo habitum esse supra diximus.*

*Vita a Theobaldo scripta, incognita fuit*

*Gobelino,*

*auctore Florarii MS.*

50 *Eodem seculo* XV *ad finem inclinante varii S. Guilielmum dixerunt Ducem Aquitaniæ, sed qui plurimum etiam a relatione Theobaldi dissident. Ita apud* F *Jacobum Philippum Bergomatem in Supplemento Chronicarum anno 1485 Brixiæ excuso,* Guilielmus olim Aquitaniæ Dux et Pictaviensium Comes, a primævo juventutis suæ a B. Bernardo Abbate sufficienter edoctus, in vastam eremum secessit. *Bergomatem describunt Hartmannus Scedel in libro Chronicarum Norimbergæ anno 1493 edito, folio 203, et Joannes Nauclerus in Chronico quod sub initium seculi* XV *scripsit, volum. 3 generat. 41. At quem Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus collegit Catalogum Sanctorum, habemus Vicentiæ anno 1493 excusum, ad cujus calcem aliquot Sanctorum gesta subnectuntur, ad illius imitationem* ex eorum historiis compendiose decerpta, *uti his fere verbis auctor supplementi præfatur. Inter ceteros S. Guilielmi,* qui dicitur in pueritia a S. Bernardo Abbate institutus, *Aquitaniæ* Dux, et Pictaviensium Comes, bellator evasisse acerrimus : qui tempore Papæ Eugenii in Romam accessit, unde fervore deposita et humiliter accepta pœnitentia, lorica indutus pro interula, quatuor cinctus catenis, Hierosolymam perrexit, et rediens B. Jacobi limina visitavit. Hic post innumerabilia sanctitatis opera remeavit in patriam, et ibidem anima m feliciter exhalavit. *Hæc ibi, quibus similia referuntur tum in memoratis*

*Phil. Bergomate,*

*Scedello Nauclero,*

*auctore appendicis ad Petrum de Natalibus,*

AUCTORE G. Volaterrano,

*moratis Lectionibus olim apud Patres Augustinianos ad Matutinum officii Ecclesiastici recitatis, tum lib. 21 Anthropologiæ Raphaelis Maffæi Volaterrani, qui in ea componenda distinebatur anno* CIↃIↃV. *secundum quem* S. Guilielmus Aquitaniæ Dux, sub Eugenio III Divi Bernardi præceptis eruditus, relictis omnibus, Romam venit: et loricam cum triplici indutus catena, Hierosolymam petiit, deinde S. Jacobi oraculum in Hispania, rursusque inde Hierosolymam: ubi a Saracenis captus paulloque post dimissus, ac revertens in insulam Etruriæ proximam applicuit, apud quam in loco deserto aliquamdiu substitit, Eremitarum modo in saltibus proximis durissime victitando. Post hæc Romam repetiit, inde Centumcellas venit, inde Ariminum, postremo in patriam revertens, multis ordinatis simul et constructis Eremitarum cœnobiis, extinctus est in magna populorum veneratione. *Hæc Volaterranus, qui longe a Theobaldo discrepat.*

In Martyrologio Coloniensi,

51 *Non adeo abscedit auctor antiqui Martyrologii Coloniæ anno* 1490 *excusi, in quo hæc leguntur:* Eodem die S. Guilhelmi Confessoris. Hic prius Dux fuit Aquitanorum, et ultra modum flagitiosus: sed postea Divino nutu compunctus, abrenuntiavit seculo, monachalem habitum assumens, factus est servus servorum Dei. Hic centies per noctem et diem genua flectebat. Transiens de activa ad contemplativam vitam, etiam ad tantam perfectionem pervenit, quod spiritu prophetiæ fulgeret: qui postmodum firmatus corpore, et sanguine Christi participatus, migravit ad Dominum. *Hæc ibi, ut non fit apud Theobaldum mentio consuetudinis flectendi toties genua. Dein seculo Christi* XVI *hæc a Theobaldo scripta S. Guilielmi Vita plurimis innotuit. Tum ex illa confectum Officium Ecclesiasticum, et sub finem Breviarii Cisterciensis anno* 1508 *Parisiis excusi editum est: in quo S. Guilielmus traditur* conversus a S. Bernardo *tenente* corpus Christi sanctissimum patenæ superpositum, *idque ad coronam* Agni providi. *Ad eremitam missus, indutus lorica denis nexa catenis.* Ab Eugenio Papa Hierosolymam mittitur. A Patriarcha specui inclusus novem annos peragit. Ad Lucensem urbem pugnaturus cæcitate percutitur, *et pœnitens* visum recipit. *Eidem modo* vita ejus eremitica, obitus, et miracula *interseruntur. Hermannus Greven Carthusianus in Auctario Usuardi an.* 1515 *et* 1521 *edito, meminit schismatis Anacleti Antipapæ his verbis:* Guilhelmi Comitis Pictaviensis et Confessoris, qui cum se flagitiis totum primo dedisset, et schismati Petri Leonis faveret, a B. Bernardo terrifice correptus, tandem ad cor rediit, ferreamque loricam ad carnem induens, austeram vitam duxit, ac sui nominis ordinem initians, quievit in pace. *Secuti deinceps plurimi, potissimum post Vitam a Surio anno* 1570 *editam, cujus majorem partem Patres Augustiniani ab anno* CIↃIↃXCVI *pro officio Ecclesiastico per integram octavam cœperunt recitare.*

Breviario Cisterciensi.

Auctario Hermanni Greven.

In Vita plurima menda sunt ob confusionem rerum a Ducibus Aquitaniæ gestarum

52 *At his omissis Vitam ipsam S. Guilielmi a Theobaldo editam inspiciamus; quam, si qui ante Surium scriptores noverunt, dignam tamen, ex qua sua describerent, non indicarunt. Ac primum ejus mendum potest censeri, quod in Genealogia post Præfationem edita Guilielmum* VII *Gaufredum dictum, ultimi Ducis Guilielmi a S. Bernardo conversi avum, pro S. Guilielmo eremita sumat, ut supra diximus, et iterum ad Vitam refutamus. Capite primo plurima congerit enormia crimina S. Guilielmo afficta: quæ supra ostendimus a variis Ducibus Aquitaniæ aliisque Guilielmis, non ab ultimo præcipue perpetrata: dein Guilielmum* VIII *et* IX*, patrem et filium, pro uno eodemque viro habet, illusque adulterium hunc adscribit. Capite* II *et* III *proponit schisma Ecclesiæ, in quo partes Anacleti Antipapæ aliquamdiu propugnavit ultimus Dux Aquitaniæ Guilielmus, a S. Bernardo post secundum congressum ad concordiam Ecclesiæ reductus: quæ omnia e Vita S. Bernardi desumpta, verbis suis ampliora reddit. At res dein maxime dubia, imo manifeste falsa, affertur capite* IV *et* V*: ubi Ducis Guilielmi, eremitis duobus consultis, arcta pœnitentia describitur, quasi idem Dux in gratiam cum Ecclesia reconciliatus, ad regimen suarum provinciarum non rediisset: neque deinde, quod S. Bernardus scripsit, Clericos S. Hilarii expulisset: non anno sequenti* CIↃCXXXVI *cum Comite Andegavensi Normanniam bello vastasset, quod, qui tunc apud Normannos vivebat, testatur vir religiosissimus Ordericus Vitalis: non denique anno* CIↃCXXXVII *ad S. Jacobum in Hispanias profectus,* IX *Aprilis in Parasceve Domini vita functus esset, cujus tamen obitum omnes coævi Scriptores uno veluti calamo referunt, a nobis longo ordine recensiti. Quæ de fabro, circulis, catenisque ferreis adduntur, plurimum ex Actis S. Guilielmi Vercellensis, Abbatis Montis-Virginis, amplificata sunt: verba inde descripta in Notis apponimus.*

et inter se pugnantia,

quasi conversus esset Dux sub Eugenio Papa,

53 *Et hactenus Theobaldo cum aliis doctissimis viris caussa controversa erat; sed in sequentibus secum ipse pugnat, congressum narrans Guilielmi Ducis cum Eugenio Papa, quasi is eodem tempore, quo Dux a S. Bernardo anno* CIↃCXXXV *conversus fuerat, concilium Remis in Francia celebrasset, quod* XIII *annis post factum tempore Quadragesimæ anno* CIↃCXLVIII*, Pontificatus Eugenii quarto, utpote qui successerit Lucio* II*,* XXV *Februarii anno* CIↃCXLV *mortuo. Hic dubii hærent auctores, qui alioquin in reliquis suffragantur Theobaldo. Angelus Manrique ad annum* 1130 *Annal. Cisterc. cap.* 3 *num.* 6 *dixerat cum Surio, eum* sanctitate et doctrina conspicuum Pontificem: *ad annum vero* 1148 *cap.* 4 *num.* 4*, hæc* apocrypha *censet,* nec verosimilia et Annalibus suis indigna. *Sampson Hayus scripta Theobaldi in hoc loco indocti hominis manu postea vitiata fuisse suspicatur; censetque Innocentio Papæ potius, quam Eugenio ista tribuenda. Verum obstant omnia MSS. quibus aut Surius, aut Silvius, aut nos usi sumus, usque asserit Sampson* concordare codicem MS. Victorinæ bibliothecæ, *imo et reliqua MSS.* saltem in capitulis præpositis *seu titulis capitum cum eodem errore præferre Eugenium Papam. Atque eam quoque lectionem approbant continuato usu Officia Ecclesiastica Patrum Augustinianorum et Guilielmitarum. Iis denique consentiunt eadem Acta in multiplices contracta epitomas, quarum una nomine Alberti allegata ab Sampsone Hayo, ita habet:* Qui tempore, quo Eugenius Papa III ob Romanorum adversum se malitiam machinantem in superiorem secessit Galliam, tyrannus adhuc impius a præfato Apostolico excommunicationis accepit sententiam. *Addit Sampson pag.* 53*,* Remis non adfuit anno CIↃCXLVIII, cum fama mortis ejus simulatæ *(de qua mox agemus)* tamquam rei certissimæ, non modo Galliam, sed pene Christianum orbem replesset. *Quid ergo? proponit Concilium Remis ab Innocentio Papa habitum anno* CIↃCXXXI*, quo defecerat ab Innocentio ad partes Anacleti Antipapæ Dux Guilielmus. Mallet deinde Sampson idem potius Pisanum Concilium substitui anno* CIↃCXXXIV *habitum; sed tum needum legitimo Pontifici se subdiderat; anno sequenti a S. Bernardo conversus. Joannes Nævius cap.* 7 *et* 8 *Vitæ S. Guilielmi, veritus ne quid offenderet, rem totam ita enarrat, ut nomen Pontificis silentio premat. Guilielmus Cavalcantinus cap.* 20 *Vitæ, Simplicianus a S. Martino cap.* 19 *Vitæ, Miræus lib.* 2 *Originum Monast. cap.* 16*, aliique cum præfato Sampsone Innocentium substituunt, expuncto Eugenio. Ad quem accessisse S. Guilielmum epitome Vitæ mox referenda etiam tradit. Ex Actis tamen S. Guilielmi, Roschildensis in Dania Episcopi, qui antea monachus S. Genovefæ Parisiis, jussus est Senonas pro innocentiæ suæ defensione ad Eugenium Papam venire, aliqua videntur huc tributa Guilielmo eaque exaggerata.* Animadv. cap. 74

54 *Præterea*

A 54 *Præterea* Patriarcha Hierosolymitanus, *apud quem Dux Guilielmus, ut traditur cap. 7 et 9, arctissimæ specui novem annos, dein duos, inclusus vixit,* confessus *dicitur*, se fuisse filium cujusdam de servientibus Guilielmo, eumque sibi fidelissime famulanti multa bona fecisse, ac immensa donaria munificum contulisse. *Est autem hic necessario Fulcherius natione Aquitanus, patria Engolismensis, Abbas Cellæ Canonicorum Regularium, qui a Gerardo Engolismensi, quod partes Innocentii Papæ contra Anacletum Antipapam propugnaret, illatam molestiam evitaturus, in Terram sanctam abiit : ac primo Archiepiscopus Tyrensis, dein Patriarcha Hierosolymitanus creatus est anno* MCXLVI. *Pontificatus Eugenii Papæ* II, *in eaque dignitate vixit ad annum* MCLIX, *quo aut sequenti secundum statutum annorum computum, hoc vivendi genus Dux Guilielmus inclusus Hierosolymis absolvisse dicendus est. Unde post vitam instar anachoretarum aliquamdiu in solitudine peractam, traditur transfretasse in Hispaniam, et limina B. Jacobi Apostoli apud Compostellanos visitasse, ubi eum ante* XXIV *annos diem extremum obiisse supra demonstravimus. Hactenus nullus a Theobaldo observatus est annus Christi, qui deinde par. 2 cap. 3 indicatur* MCLV, *quo in Stabulum Rodis* B *venit S. Guilielmus mense Septembri, ac sequenti festo Epiphaniæ anno* MCLVI *accepit discipulum Albertum, vitaque cum illo eremitica ultra annum peracta, ibidem sancte mortuus est* X *Februarii, anno* MCLVII, *licet præcedens annus cap. 6 referatur a Theobaldo, annos a Paschate inchoante. Omitto plura hic congerere inter se pugnantia : hæc satis probant Acta illa viderí ab imperitis historiarum collecta esse, atque a Theobaldo* digniore narratione (*ut ipse loquitur*) vestita. *Quænam vero ab Alberto S. Guilielmi discipulo fuerint conscripta, infra inquiremus, postquam alia de Duce Aquitaniæ Guilielmo excogitata rejecerimus.*

*et Hierosolymæ vixisset sub Fulcherio Patriarcha,*

*usque ad an. 1159,*

*et diu postea superstes,*

*obiisset tamen an. 1157.*

## § VIII. *Figmentum Bucheti aliorumque explosum de simulata morte Guilielmi Ducis.*

Q*uod Vita S. Guilielmi a Theobaldo edita, omni antiquitati contradiceret, novam conciliandi auctores rationem excogitavit seculo* XVI *Joannes Buchetus, pluribus tam soluto quam adstricto sermone editis idiomate Gallico libris notus, inter quos sunt Annales Aquitaniæ, quos ab origine gentis libris quatuor deduxit primum ad an. Ch.* MDXIX, *dein ad an.* MDXLV. *Hic lib. 3 cap. 1 describit antiquos Duces Aquitaniæ supra a nobis memoratos, et quem ibidem diximus Ebalum ultimi Guilielmi* C *tritavum fuisse, sublatis duabus generationibus solum avorum facit. Hoc Ebalo natum diximus Guilielmum* II *Caput-Stupæ dictum : ast apud Buchetum eidem Ebalo subrogatur Guilielmus, Hugo cognominatus: huic, amisso Guilielmo* III, *Guilielmus* IV, *pater Agnetis Imperatricis, quem ille Caput-Stupæ vocat, alii Ferrei-brachii. Deinde rejectis Guilielmo* V, *Pingui ac Crasso, et Guilielmo* VI *Acerrimo appellatis, substituitur Guilielmus* VII, *Wido Gaufredus antea dictus : ac tandem sublato Guilielmo* VIII, *ultimus assignatur Guilielmus, aliis ejus nominis nonus, Bucheto quintus. In posteriore editione, qui unus idemque est Wido Gaufredus, in duos distinguitur, altera inducta generatione, sed Wido dicitur brevi tempore præfuisse, mox post patrem defunctus, et solum ob monasterium aliquod a se conditum notus. Buchetum describit Cavalcantinus cap. 1 Vitæ S. Guilielmi. Ceterum longævi adeo reliqui in regimine constituuntur, ut ab Ebalo Duce anno* MCCCCXXXV *defuncto, quatuor solum statuantur Aquitaniam rexisse per duo integra secula ad annum usque* MCXXXVII, *quo Guilielmus ultimus si non vitam, saltem Ducatum creditur reliquisse. Hic item Guilielmus traditur patri anno* MCLXXXVI *successisse, quem supra ostendimus anno* MXCIX *natum esse.*

*Joannes Buchetus,*

*genealogiam Ducum Aquitaniæ male ordinat,*

56 *Hic ergo Buchetus lib. 3 cap. 2 Acta Guilielmi hujus ultimi Ducis refert, eumque facit post vitam eremiticam peractam, fundatorem Ordinis Guilielmitarum :* D *ac primo fatetur,* omnes rerum Gallicarum scriptores tradere hunc Ducem Guilielmum an. MCXXXVII in Gallicia apud S. Jacobum vita functum esse : *contra quos omnes insurgit, ac primus asserit, eum in illa ad S. Jacobum peregrinatione, morbum mortemque simulantem, nocte media ac veste dissimulata, a suis se subduxisse ac fugisse, fidelissimis ministris tribus tantummodo consciis : inter quos et Ducem ipsum longum habitum colloquium inani sonitu verborum complet, dum illi Domini sui voluntati acquiescerent, unusque eorum, Albertus nomine, in fugæ socium se adsciscì permitteret. Hæc a Bucheto excogitata sententia plurimos novitate sua attraxit hujus inventi approbatores, inter quos existere miramur etiam Sampsonem Haium, qui dum Episcopum Signinum Josephum Pamphilum exagitat his cum ratiocinationibus argute stringit pag. 56, quærens* unde scire potuerit a S. Guilielmo Ordinem Augustinianum restitutum, amplissimis monasteriis ornatum. *Ast unde procurator rerum civilium Buchetus post quadringentos annos id potuerit scire, etiam non immerito indagare deberet. Opponit perperam Buche-* E *tus, per Vitam S. Guilielmi, quæ Parisiis extat apud Guilielmitas, constare, eum post deliberationem cum quodam eremita initam, lorica galeaque ferrea supra nudum corpus vestitum, accessisse ad Summum Pontificem, ab eoque Hierosolymam ablegatum, novem ibidem annos specui a Patriarcha inclusum vixisse, tum in Italiam regressum, militiam apud Lucenses resumpsisse : at mox pœnitentem mutato consilio reversum Hierosolymam, alios duos annos in priori cellula peregisse, atque inde Galliciam ad S. Jacobum pietatis caussa peregrinatum esse ; denique reliqua vita in Etruria exacta in Stabulo-Rodis mortem oppetiisse. Hæc pluribus Buchetus, sed sibi contrarius. Nam hæc in Vita S. Guilielmi a Theobaldo scripta leguntur, in qua sola posterior illa ad S. Jacobum peregrinatio habetur, neque aliam in suo monasterio Vitam reperit Sampson Haius Guilielmita Parisiensis. Unde ergo, quod jure hic repeto, Buchetus post quadringentos ab obitu S. Guilielmi annos didicit, morbum eum mortemque apud S. Jacobum simulasse, cum ea illius Acta sub initium conversionis, susceptæ in Galliciam peregrinationis non meminerint? Unde didicit Albertum per viginti circiter annos individuum lateri S. Guilielmi adhæsisse socium, quem eadem Acta ex ipsius Alberti verbis tradunt par. 2 num. 12* bonæ indolis adolescentem, *solum* XIII *illi adfuisse menses, a festo scilicet Epiphaniæ anni* MCLVI F *ad* X *Februarii anni sequentis* MCLVII, *quo ex vita Guilielmus migravit? Unde didicit Innocentium Papam silentium, quo simulatam ejus mortem non esset revelaturus, S. Guilielmo addixisse? Acta nullum indicant cum Innocentio Papa illius congressum, sed, ut supra diximus, Eugenium Pontificem constanti ubique lectione referunt, cujus tamen loco, sed ab homine sui immemore, intrusum in aliquo codice Innocentium tenuit Sampson Haius, forte post excogitatam hanc Bucheti correctionem.*

*AUCTORE G. H.*

*primus excogitat Guilielmum Ducem mortem apud S. Jacobum simulasse,*

*perperam confugit ad Vitam a Theobaldo scriptam.*

57 *Bucheti menda, quibus aut S. Guilielmi aut aliorum Aquitaniæ Ducum infuscatur nomen, descripserunt deinde plures historici, inter quos Claudius Paradinus in Tabulis genealogicis familiarum Regum et Principum Galliæ eosdem solum Duces Aquitaniæ, eademque matrimonia recenset, et Sampson Haius, expuncto etiam patre ultimi Guilielmi, ad hunc sexagesimum ætatis annum inter summos honores, frequentissimam famil[illegible], et amplissimas divitias, vix[illegible], quem supra demonstravimus, solum ad annum æta[illegible] XXXVIII pervenisse. At præ reliquis scriptoribus inventa a Bucheto fabula maxime adornatur in Commentariis Historicis sub nomine Joannis Hari, Baronis Cutalensis,*

*Bucheti assectæ varii,*

*auctor libri sub nomine Joannis Hari,*

A *Catalensis, editis anno* 1571, *et nuper cum Bucheto in eodem volumine recusis. Idem ex Bucheto profertur Ducum Aquitaniæ catalogus, eadem simulatæ ultimi Guilielmi mortis affingitur imago: tres adduntur reliquæ vitæ et peregrinationis adsciti comites, quos hujus figmenti conscios quidem admittit Buchetus, sed unum Albertum pœnitentiæ et austeritatis socium electum tradit. Adjunguntur præterea in iisdem commentariis Joannis Haii plurima Ducum diplomata ac variis occasionibus concessa privilegia: de quibus severe, sed incorrupte indicat in antiquitate Gallicana eruditissimus Andreas Chesnæus in bibliotheca historiæ Francorum an.* 1618 *edita, et post diligentem recognitionem recusa an.* 1627, *dum cap.* 21 *in priore editione, et in posteriore cap.* 23 *ista pronuntiat:* Hic liber ubique plenus est diplomatibus adulterinis, et cum quadam deceptione editus sub nomine Domini Haii, qui nequaquam auctor illius est. *Hæc Chesnæus: cui consentit Joannes Beslius in memorata sæpius historia Comitum Pictaviensium et Ducum Aquitaniæ, qui par.* 2 *integrum tractatum habet de mendaciis, falsitatibus, et anachronismis operi Joannis Haii inspersis, et par.* 1 *cap.* 37 *asserit* testamentum *ultimi* Ducis Guilielmi in eisdem Haii commentariis *cap* 24 editum, esse falsum et confictum, uti reliqua ejusdem libri: quod autem ab

*AUCTORE G. H.*

*profert adulterina diplomata,*

*et confictum Guilielmi Ducis testamentum,*

B eo tum conditum est testamentum, asservari in Novo-monasterio ab avo apud Pictaves extructo. *Verum rogatu Guilielmi Aygnotii Collegii Societatis nostræ apud Pictavos Rectoris, quem id per litteras rogaram, accurate excussum est archivum Novi-monasterii, neque tamen testamentum Ducis Guilielmi, quod Beslius indicat, potuit reperire.*

58 *Interea confictum hoc testamentum extollunt posteriores: et quasi simulatæ Ducis Guilielmi mors certo probari inde posset, id ediderunt Joannes Marquez cap.* 13 *Originum ordinis Fratrum Eremitarum lingua Hispanica editarum* § 6, *Nicolaus Crusenius par.* 2 *Monachismi S. Augustini cap.* 21, *Rainerius Picus annotatione* 10 *ad Vitam S. Guilielmi, Simplicianus a S. Martino. Cap.* 16 *Vitæ S. Guilielmi, Angelus Manrique in Annal. Cisterc. ad an.* 1136 *cap.* 1 *num.* 3 *aliisque. Edidit idem Guilielmi Ducis scriptum, ultimum suæ, ut credidit, voluntatis elogium, Baronius tomo* 12 *Annal. Eccles. ad an.* 1136 *num.* 23, *quo anno recte eum mortuum fuisse censebat. Idem hic quinquedamus, ut est in tertia editione Surii excusum:* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, quæ est una Deitas. Hoc est testamentum, quod ego Guillelmus Dei gratia cum Domino Guillelmo

*ab aliis inconsiderate probatum,*

*estque tale,*

C Episcopo facio in honorem Salvatoris mundi, et beatorum Martyrum et omnium Confessorum et Virginum, et maxime Virginis Mariæ, cogitans de meis innumerabilibus peccatis, quæ suadente diabolo temere perpetravi, et timens judicii tremendi diem, videns bona, quæ videmur tenere, sicut fumum in aere inter manus nostras evanescere, nosmet etiam in hac peregrinatione sine peccato una hora non posse vivere, et satis parvo tempore manere, et omnia quæ putamus possidere caduca, et suis possessoribus gravamen afferre, commendo me Deo, quem relictis omnibus sequi volo. Filias meas Regis Domini mei protectioni relinquo. Eleonoram collocandam cum D. Ludovico Regis filio, si Baronibus meis placuerit, cui Aquitaniam et Pictaviam relinquo. Petronillæ vero filiæ meæ possessiones meas, et castella, quæ in Burgundia, ut proles Gerardi Ducis Burgundiæ, possideo. Et ne videar degenerare, sed imitari sancta vestigia parentum meorum in bono opere, commendans me Deo et Sanctis ejus, et in bonis operibus societatem servorum Dei, volens benedictionem accipere de omnibus monasteriis dominationis meæ, mille libras terræ distribuendas, prout Baronibus meis placuerit. Et quicumque hoc nostrum testamentum disrumpere tentaverit, excommunicatus a Deo et hominibus existat, qui vero in hoc adjutor fuerit, D sit omnibus particeps. Signum Guillelmi. Signum Eleonoræ. Signum Comitis Arvernensis. Signum Domini de Thoarcio. Signum Richeldi Baronis. Signum Brocardi Comitis. Signum Pontii.

59 *Hactenus testamentum Guilielmi Ducis, quo relato, Baronius, quamvis id fuisse confictum nesciret, motus tamen auctoritate Abbatum Sugerii et Roberti de Monte ac silentio reliquorum scriptorum, indicat Ducem Guilielmum in sua ad S. Jacobum peregrinatione defunctum esse, ac plures Guilielmos a recentioribus per errorem in unum conflatos. Non defuerunt etiam hoc et præcedenti seculo illustres scriptores, quibus idem de Guilielmo Duce sensus. Robertus Gaguinus bibliothecæ regiæ a Ludovico* XII *præfectus lib.* 6 *Histor. Franc. cap.* 2 *hæc scribit:* Cum morbo paullulum levatus Ludovicus esset, ad S. Dionysii cœnobium orationis causa venit: inde abeunti nuntii ex Aquitania detulere, Guillermum eorum Principem Compostellam proficiscentem defunctum esse, atque ex testamento hæredem instituisse unicam, quam filiam habebat. Ea re cognita Rex testamentum laudat, moxque filium Ludovicum..... in Aquitaniam mittit. Burdegalæ conventus Procerum habitus est, atque ibi omnium consensu Ludovicus Alienoram Aquitaniæ E hæredem uxorem duxit. *Paulus Æmilius Veronensis sub eodem Ludovico* XII *et Francisco* I *apud Parisios in æde Deiparæ Canonicus lib.* 5 *de Rebus gestis Francorum in Ludovico* VII *eadem ita exponit:* Guilielmus Dux Aquitaniæ religionis caussa in Hispaniam ad D. Jacobi profectus, in itinere morbo correptus, obtestatus est Proceres comitatus sui, secundum obitum suum summa ope contenderent, uti Leonora filia Ludovico Regi, Crassi Regis filio, nuberet. Mortuo fidem officiumque Proceres præstiterunt. Illis evocantibus Burdegalam a patre missus juvenis Rex, sibi matrimonio puellam junxit, maximo utriusque gentis gaudio. *Similia habet Joannes Tilletus Episcopus primum Briocensis, dein Meldensis, in historia Regum Franciæ ad tempora Henrici Regis* II *digesta editaque anno* 1553.

*mortuum Guilielmum apud S. Jacobum tradunt Baronius,*

*Gaguinus,*

*Paulus Æmilius;*

*Tilletus,*

60 *Et hi quidem ante Baronium et Joannem Haium floruerunt. At hoc seculo Dionysius Petavius par.* 1. *Rationarii temporum lib.* 8 *cap.* 22 *hæc scribit:* Ludovicus VII cognomine Junior, Francorum sceptra suscepit anno MCXXXVII, qui Alienoram Willelmi Ducis Aquitaniæ filiam, ex ejus suprema voluntate in conjugem accepit, cum eaque dotalem illius ditionem. Hic ille est Willelmus Pictavorum Comes et Aquita- F niæ Dux, quem Anacleti partes contra Innocentium pertinacius tuentem S. Bernardus anno MCXXXV meliorem ad mentem reduxit. Quem quidem brevi postea, hoc est, sub exitum Crassi et Ludovici Junioris initium, in Hispania mortuum esse; quo S. Jacobum veneraturus adierat, testis est Sugerius, qui ætate illa vixit; nec non Robertus de Monte, qui anno MCXXXVII obiisse confirmat in VI feria Parasceve in æde S. Jacobi, ibique ante altare sepultum. Ex quo Theobaldus scriptor ejus vitæ redarguitur, qui in annum MCLVI mortem illius rejicit. *Similia scribunt Philippus Labbeus in Elogiis Historicis anno* 36, *Joannes Mariana lib.* 9 *Rerum Hispanicarum, Bernardus Girardus du Hallain lib.* 8 *Histor. Franc in Ludovico* VII, *aliique quos in classe* non videntium, *aut* minus accurate videntium *constituunt supra velut Crusenius, Manrique, aliique, quod ob confictum testamentum non subscribunt asserentibus Ducem Guilielmum mortem simulasse. Sed ex iis rectores judicarentur supra memorati auctores censeri, et cum iis potissimum Episcopi Proceresque Aquitaniæ, imo et Franciæ, cum suis Regibus Ludovico* VI *et* VII, *qui ob testamentum illud de tota hæreditate Ducis non mortui minus æque statuissent. Sed hæc de Guilielmis Ducibus Aquitaniæ dicta sufficiant:*

*Petavius,*

*Labbeus, Mariana Hallain,*

*nequam ab aliis passi censuram.*

A ciant: nunc quid de S. Guilielmo Magno eremita, ejusque Vita ac cultu sacro sentiendum sit, exponamus.

## § IX. *S. Guilielmi Magni et Eremitæ veneratio antiqua. Vita ab Alberto discipulo scripta.*

*In stabulo Rodis, ditionis Senensis,*

*Tabulæ Martyrologii Romani cultum S. Guilielmi decernunt X Februarii his verbis:* In Stabulo Rodis in territorio Senensi S. Guilielmi eremitæ. *In hac ditione Senensi maritima fuerunt olim Russellani inter duodecim Etruriæ populos numerati, quorum gentis caput fuerunt Russellæ, apud Livium, Plinium, Ptolemæum aliosque antiquos memoratæ: vestigium extat in vico Rosella. Urbe destructa, ubi diu viguerat dignitas Episcopalis, Grossetum vicinum oppidum Sedes translata.*

*et Grossetanæ diœcesis,*

*Est uterque ille locus inter dexteram Umbronis fluvii ripam et lacum Prilem, seu Prelium, hodie a vicino oppido Castellione lacum Castellionensem appellatum. Tribus ab illa Castellione, Piscaliæ cognominata, milliaribus abest monasterium Stabulum-Rodis, jam Malavallis dictum, eremitico vito, ac dein sepultura miraculisque S. Guilielmi honoratum.*

*obiit S. Guilielmus.*

*Locus hic infra in Actis par. 2 num. 11 accurate describitur, ubi et castrum Burianense indicatur, quod sæpius in iisdem*

B *Actis Castellio Burianensis cognominatur: at vicinior illi est Castellio Piscaliæ jam dicta.*

*Vitam scripsit Albertus discipulus,*

62 *Vitam S. Guilielmi primus scripsit Albertus ejus discipulus, de quo ita Theobaldus in Præfatione:* Vitam ejus ante me curaverunt meliores me, magis sparsam colligere, ne periret, quam depingere, ut in audientiam deveniret. Inter quos præcipuus S. Albertus viri Dei proto-discipulus, et primitiæ frugum ejus, aliqua ex parte digessit, bene quidem et luculento satis stylo, utpote quantum licuit pictori quidem optimo, sed alias occupato.

*in priore parte apud Theobaldum suspectam*

*At deinde priore parte secundum nostram divisionem, alios secutus Theobaldus, aut solum Guilielmum Ducem Aquitaniæ describit, aut utriusque Acta inextricabili mistura confundit, aut opiniones inserit emendicatas; quam Vitæ priorem partem ipsemet num. 31 perstringit, ubi ita scribit:* Multa quidem et alia laude digna servo Dei contigisse præsumimus, sed inde conjecturas sequi non audemus, qui certitudinem non habemus. Nam ante nos nullus unquam in Vita ejus hoc digessit, ipse etiam Pater sanctus non edidit, discipulorum nullus interrogavit. Perstringentes ergo stylum, ad certiora veniamus. *Certiora porro esse, quæ in secunda parte habentur, persuadet mentio rerum eo tempore in*

C *Etruria gestarum, locorumque, atque hominum tunc illic viventium. Ibi miraculum Deiparæ Virginis apparentis dicitur num. 7* ipso postea referente, cognitum. *Itemque num. 9* vox ad eum de cælo sonuit, sicut ipse postea referre consueverat. *Verum postquam S. Guilielmus mense Septembri anni* MCLV *in Stabulum-Rodis migrarat, accessit, ut num. 12 dicitur,* S. Albertus bonæ indolis adolescens, viri Dei minister, et ejus disciplina peritus, ambulans cum eo, intrans et exiens, et familiariter conversans, die sancto Epiphaniæ, *anni* MCLVI, in discipulum et fratrem receptus, *cum illo* Domino militaturus, vir spiritus et virtutis futurus, *qui* libellum de Vita Patris visu et auditu percepta compendio depinxit. Ipso referente, *scilicet in suo libello*, de Vita et miraculis Patris Wilhelmi, *addit Theobaldus* multa cognovimus, quæ præsenti opusculo inserere dignum duximus. Quæ tanto a nobis certiori fide indubitata tenentur sunt, quanto ab eo, qui vidit et audivit diligentius sunt relata in suum libellum. *Descripta cap. 3 varia virtutum S. Guilielmi exercitatione, ita num. 15 subditur:* Hæc prædicta Albertus referre consueverat, et vidisse magis eum opere facientem, quam ore suadentem.

*at posteriore magis sinceram*

63 *Adfuit dein ægrotanti* Albertus, *cuique num. 21* famulabatur ut minister. *cap. 6* Castellionem pro Sa-

D cerdote directus est: *quocum ultimas preces moribundo exhibuit, ac mortuum in hortulo sepelivit anno* MCLVII. *Accessit mox post obitum S. Guilielmi socius Alberto Rainaldus, et in morbo a sancto Patre promissus: ac qui unicus S. Guilielmi morientis discipulus erat Albertus,* postmodum multorum Pater factus est filiorum, *in illo Stabulo Rodis, ut dicemus infra, ubi de Ordine S. Guilielmi agemus. Ab eo miracula descripta fuisse credidit Theobaldus his verbis num. 27:* E quibus aliqua, etsi non omnia, sequentes Albertum relatorem fidelissimum in hoc opusculo recitamus. *At num. 58 ista scribit:* Hæc de sancti ac venerabilis Confessoris Wilhelmi miraculis alio revelante cognovimus: *qui forte Alberti libellum compleverit. Quot annis post obitum S. Guilielmi vixerit, incertum. Solum* XIV *menses concedunt Cavalcantinus cap. 10 Vitæ, Simplicianus cap. 16, et Herrera in Alphabeto Augustiniano, quibus neutiquam assentimur: neque enim aut hic tum* adolescens, *olim* Ducis Aquitaniæ secretarius *fuerat, aut* propria genitrix S. Alberti in Stabulum Rodis post ejus obitum venit, *ut priores duo tradunt, sed ut Acta infra habent num. 27,* post transitum B. Guilielmi. *Idem Albertus a Silvano Razzo lib. 2 de Sanctis Etruscis accipitur pro S. Alberto Ordinis Camaldulensis, cujus Vitam ex illo Latine redditam vulgavimus* VII *Januarii, ubi num. 3 hæc leguntur:* Haud multo post Divino instinctu, in disciplinam se tradit S. Guilielmi, qui Pictavensi Comitatu, ac Ducatu Aquitaniæ abdicato, monasticæ vitæ exemplis florebat sub annum MCLV, ac modo eximia veneratione celebratur, præsertim Castilione Piscaliæ, ubi ejus adservatur corpus. *Hæc ille.*

*Auctore 6. n. S. Guilielmo an. 1157 morienti adfuit*

*scripsit etiam miracula ab obitu patrata,*

*ab alio aucta,*

*pro S. Alberto Camaldulensi habitus.*

E

64 *Alius ante Albertum fuerat discipulus S. Guilielmi in monte Prano degentis,* Petrus *nomine, cui soli num. 7* pandere voluit arcanum dulcissimæ visionis *ab apparente Deipara Virgine ostensæ. Hic deinde Prior factus dicitur. Et num. 12 tam* Petrus quam Albertus ejus discipuli retulerunt, qui oculis suis gesta ejus viderunt et auribus sermones audierunt. *An tamen Vitam Petrus etiam scripserit, incertum. Suspicamur ejus auctoritatem ab Alberto allegari, utpote qui memoratam visionem solus cognoverit, et variam virtutum ejus exercitationem confirmarit, ex qua institutiones S. Guilielmi, ut bullæ Apostolicæ appellant, postea formarint. Perperam hunc inferri a Joanne Marquez cap. 13 § 10 aliisque Theobaldum his coævum esse, satis probatum antea est.*

*inter Petrus alter discipulus.*

F

65 *Ex hac posteriore et certiore Vitæ parte colligimus num. 18, S.* Guilielmum de longinquo in *Etruriam venisse, fuisseque,* ante divitem et nobilem, potentem et rigidum in prosperis, et Dei gratia de profundo vitiorum liberatum. *Eadem affirmat Franciscus Petrarcha ex vicino agro Florentino oriundus, qui* MCCCXL *et sequentibus* XXX *annis claruit. Hic lib. 2 de Vita solitaria tract. 3 cap. 13 ita scribit:* Quid loquar Guilielmum virum fortem, et veteri prosapia, qui ætatis florem ipsum cum terrenæ militiæ dedicasset, in deserto senescere maluit, et mori ultimis vitæ fructibus cælo tributis ac consecratis? *Quod olim recitabatur apud Augustinianos Officium Ecclesiasticum de S. Guilielmo Venetiis anno* MCCCC *excusum, duabus constat partibus quam maxime contrariis. Harum alteram constituunt Lectiones ad Matutinum, partim, ut § 1 diximus, excerptæ e Vita alterius S. Guilielmi, qui tempore Caroli Magni Imperatoris e Duce Aquitaniæ monachus Gellonensis fuit, partim aliunde amplificatæ, continentque consimilia iis, quæ de S. Guilielmo narrant Philippus Bergomas, auctor appendicis ad Petrum de Natalibus, Raphael Volaterranus, Wernerus Rolewinck Carthusianus, qui Lectione IX ejusdem Officii citatur* Carthaginensis Frater in Fasciculo temporum. *Unde liquet post annum 1481, quo is*

*S. Guilielmus de longinquo in Etruriam venit,*

*antea dives e veteri prosapia,*

A ergo piissime tuis precibus adjuvari poscimus, ut nos solvat a peccatis, quem imitari meruisti. O Christi miles atque discipule, beatissime Guilielme, meritis venerande: qui seculi blandimenta devincendo, cœleste meruisti regnum, in quo nunc gloriose coronatus exultas, nostros reatus pia prece relaxa: ut tuis adjuti patrociniis ad gaudia æterna pervenire mereamur. Ora pro tuis famulis S. Guilielme, ut tuis precibus a malis omnibus liberati, regni cœlestis participes simus.

Oratio. 7 Deus qui B. Guilielmum inter Confessores tuos connumerasti, et multis miraculis decoratum virtute constantiæ contra fluctus seculi corroborasti: tribue, quæsumus, nobis famulis tuis, et apud te intercessionibus gloriari, et ab omni hostium impugnatione defendi. Per Dominum etc.

a Hæc verba alii scripturi scriptores. In antiquis Lectionibus: Comitili ut fertur genere oriundus Pictaviensi provincia fuit, ac bellator acerrimus. Theobaldus: ex Comitili prosapia ex Pictaviensium provincia oriundus. — b Hinc forte noluit Petrarcha designare antiquam prosapiam aut patriam ex qua venerat: quod facit in adjuncta Guilielmo, quem ex Domino Montis-Pessulani factum scribit Grandis silvæ monachum eisdem verbis relatis, quæ lib. 3 Vitæ S. Bernardi cap. 3 habentur. De hoc Guilielmo agunt ad 9 Aprilis Saussaius et Chrysostomus Henriquez. Locum Petrarchæ de S. Guilielmo eremita dedimus § 9. — c Forte propter quam aut qua legendum. — d In Vita par. 2 num. 16 dicitur ciliciis supra loricam vestibus usus, et num. 35 particula loricæ suspensa

B ad collum ægri, sanitatem contulit. — e Eugenius 3 præfuit ab anno 1145 ad 1153. Hinc constat de tempore conversionis S. Guilielmi. — f Idem legitur par. 2 num. 9 additurque: sicut ipse postea referre consueverat. — g Castilione tribus milliaribus distat Stabulum Rodis. — h Hinc auctorem vixisse in Stabulo-Rodis colligimus.

## HYMNUS AD VESPERAS.

Eremitarum cunei
Ad laudes Christi currite,
Et oculis jam fidei
Guilielmum lætum cernite:
Lætatur in collegio
Sanctorum sine termino;
Qui manens in exilio,
Pauper servivit Domino.
Mundum misit ad fortia
Fortis athleta Domini:
Carnem trivit media,
Studens virtutum culmini.
Post transitum ad gaudia,
Hic fulget in miraculis:
Stans in cœlesti curia
Orat pro suis servulis.
Da nobis sancta Trinitas,
Quo te cernamus pariter,
C Ut tibi laudes debitas
Persolvamus alacriter. Amen.

## HYMNUS AD MATUTINUM.

Jesu cordis jucunditas,
Qui peccatores visitas,
Sancti Guilielmi precibus,
Adesto nobis omnibus.
a Quem dum privasti a lumine
Corporis, sancto Flamine
Lustrasti, unde gaudia
Mundi contempsit omnia.
Mox vitam eremiticam
Amplectitur, ut cœlicam
Contempletur Hierarchiam,
Viam canendo regiam.
Tanti Patris vestigia,
Spernendo transitoria,
Sequamur omnes filii,
Consortes tandem gaudii.
Præsta Pater, per Filium,
Nobis æternum gaudium,
Una cum sancto Flamine,
Post hanc vitam in lumine. Amen.

a Hinc ante videtur cæcus factus, quam conversus fuerit: et tum calculus annorum cum Eugenii Pontificatu convenit, si deinde Hierosolymam primum abierit, et duos ibi solum annos peregerit. D

AUCTORE G. M.

# VITA

## A Theobaldo exornata,

*ex Surio, Silvio, ac variis MSS.*

## PROLOGUS AUCTORIS.

Paulus servus Jesu Christi et Apostolus, Prædicator veritatis et Doctor gentium, olim scribens ad Hebræos, inter cetera dicebat ad eos: Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. (Heb. 13 14) Si non habemus hic manentem civitatem, quid hinc exire formidamus? Si futuram inquirimus, quid hic residere curamus? Si igitur hic non habemus civitatem manentem, futuram ardenter inquiramus Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas, et cujus participatio ejus in idipsum, quam numerus cohabitantium non angustat. (*Inquirentes æternam salutem,*) Sed ad quærendum diligenter, et inveniendum efficaciter quis tam idoneus? Multi enim quærunt, et non inveniunt, eo quod male quærunt. Vox male quærentis: In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi, et non inveni illum. (Cant. 3 1) E Vox non inventi: In gregibus suis et in armentis vadent ad quærendum me, et non invenient me: ablatus enim sum ab eis. (Osee 5. 6) Vox quæsiti, sed non inventi: Quid est, quod me quærebatis? (loquitur ad requirentes eum in comitatu pompæ secularis) Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? (Luc. 2. 49) Propter hæc hujusmodi clamat Esaias, et hortans dicit: Quærite in Dominum, dum inveniri potest; et iterum: Si quæritis, quærite. (Isa. 55. 6 et 21. 12.) Omnis enim qui quærit, invenit. Si ergo, Fratres carissimi, futuram civitatem inquirere debemus, qui manentem hic non habemus, ad quærendum diligentissime, et inveniendum ardentissime, duobus quasi stimulis indigemus, verbis videlicet et exemplis. (*incitando verbis et exemplis:*) Verba enim sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi. At quoniam multi multa loquuntur, qui tamen exiliter operantur, hodie verificatur, quod stultus verbis non corripitur: quia, teste B. Gregorio, plus movent exempla, quam verba. Sermo quidem vivus et efficax, exemplum est operis: sed ubi inter mortales exemplar cœlestis beneficii a mortalibus poterit inveniri, cum non sit, qui faciat bonum, non sit usque ad unum? Ego dixi in excessu meo, ait quidam: Omnis homo mendax. F (Psal. 115. 8) Attendi et auscultavi, ait Jeremias: nemo quod bonum est loquitur. (Jerem. 8. 6) Et Osee dicit: Non est veritas, et non est scientia Dei in terra. Maledictum et mendacium, homicidium et furtum inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. (Osee 4. 1 et 2) Et quoniam sic abundavit iniquitas, refrigescit caritas multorum. Et Paulus scribens Timotheo, magister discipulo, Apostolus Episcopo, quodam in loco dicebat: Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. (1 Tim. 6. 8) Ubi forma hæc? In Biblia Theologorum, non in conscientia multorum; in libris, non in viris, in membrana, non in anima; in codice, non in corde. At de viro justo scriptum reperis, quoniam lex Dei ejus in corde ipsius, non in codice. (Psal. 36. 3) Quærebamus virum zelatorem Dei, et curatorem a proximi, et non negligentem sui: malorum extirpatorem, bonorum plantatorem, mœrentium consolatorem, errantium eruditorem, patriæ salvatorem, delinquentium correctorem, qui Moysen se exhiberet Ægyptiis, Eliam idolatris, Eliseum avaris, Phinees fornicantibus, Joannem Regibus, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, Christum b negantibus: et ecce in inveniendo deficimus. Vix enim invenitur, qui seipsum salvum facere possit, ut taceam de salute aliorum. Optimus est hodie, qui non est nimis malus. Jam

A inspiraveris, Domine Deus, qui das cunctis affluenter, et ubi vis, spiras; imprimis admonitos esse cupio cunctos, qui lecturi sunt vel etiam audituri, ne eos scandalizent tironis primordia, quæ revera per se sumpta ducere sufficerent in abominationem horroris, si non sequerentur conversionis præconia, quæ omnibus nobis proponuntur ad imitationem vitæ melioris.

*Non initium sed finis vitæ laudandus.*

Non enim est insultandum Wilhelmo avertenti ex propriis, sed potius exultandum Christo, ex Basan convertenti. (Psal. 67. 23) Etsi utique jubeatur in hostia cauda cum capite offerri, (Levi. 3. 9) tolerabilius tamen est in oculis divinæ majestatis, acephalum quam excaudatum animal immolari: hoc est dicere. Utile est ad salutem viro justo innocenter inchoare, fideliter consummare. Quod si utrumque non valemus, melius est, ut bene finiendi, quam bene incipiendi gratiam consequamur. Nusquam enim, qui tantum bene cœperit, salvandus legitur, sicut qui perseveraverit usque in finem. (Matt. 10. 22) Denique ficus præcoquas desiderat anima Domini, qui tamen cor contritum et humiliatum non despicit, et reliquiæ cogitationis diem festum agent ei, qui in nostro genere fragmenta juventutis non abjicit. Scriptum quippe est: (Ezec. 18 juxta LXX.) Quacunque hora ingemuerit peccator, cunctarum iniquitatum B ejus amplius non recordabor. Hæc idcirco prælibata sunt et præscripta, ut non abominetur militis sævitia, sed Regis commendetur clementia. Fuit siquidem præfatus miles natione Pictavus, ex *a* Comitili prosapia ex Pictaviensium provincia oriundus.

*a S. Guilielmus creditus ex Comitum prosapia.*

Ibi conceptus et natus, ibi et alitus est secundum parentum magnalia, qui præclari genere et opibus, præclarum filium, secundum seculi dignitatem non infimam, præclarissime educare curaverunt. Qui seculi gloria atque pompa arridente et irridente, in corde tenaciter illectus, meditabatur a puero, et, ut ita dicam, a cunabulis, militia suppedente ætatem, quod postea effectui manciparet. Natus illustris ex illustribus natalibus, et educatus secundum morem Magnorum, qui sunt in terris, reprimebatur a concepto facinore, cum parentum et custodum timore, tum ætatis imbecillioris infirmitate. Et quidem Wilhelmi infantia parum cognita nobis est, excepto quod ex sequentibus *b* præsumimus, crescente ætate crevisse simul et malitia, apud Deum et homines. Quando enim plenitudo temporis venit, incipit apparere quid esset in juvene, et factus vir, evacuavit quæ erant parvuli.

5 Denique sacrum militiæ professus et adeptus non sacer cingulum, ab omnibus Baronibus terræ C unanimiter susceptus est ad Pictaviæ Comitatum, Aquitaniæque Ducatum, quorum uterque sibi debebatur jure et titulo *c* hæreditariæ successionis.

*habitus Dux Aquitaniæ, et Comes Pictavorum.*

Factus ergo miles, fretusque Comitis fastigio, factus est eo insolentior, quo nobilior, quo locupletior, quo fortior, quo honoratior, quo formosior, universisque famosior. Denique ex parentela generosus, ex fortuna pecuniosus, ex natura virtuosus, ex fama gloriosus, ex opifice speciosus, insolentissimus omnium extitit, dyscolus atque fastuosus. Genus clarum, corpus aptum, forma elegans, juventutis decor, prædia, palatia, immensa supellex et infulæ dignitatum, carni in eo, non spiritui, militabant. *d* Proceritas corporis tanta erat, quod magis videbatur gigantea quam humana.

*conspicuus statura ingente, et immensa voracitate.*

Vix ei in uno prandio sufficiebant cibaria, quanta aliis octo juvenibus fortissimis erant alimenta. Nusquam se per totam illam provinciam absentavit a prælio, quamdiu in armis fuit: sed affectu pugnæ solitarius, armigerorum destitutus subsidio, armatus multoties incedebat. Et cum nollent dimicare, trahebat vel invitos ad certamen. Diceres redivivum Belis idolum in comedendo (Dan. 14. 2) et bibendo: crederes ipsum Nemrod potentem et (Gen. 10. 9) robustum venatorem coram Domino in prædando. (Matt. 14. 3) Extraneis malus, suis pejor, pessimus sibi.

6 Denique *e* proprii germani uxorem, Herodiana D rabie debacchatus, ad instar Herodis contra jus et fas incestu impudentissimo fertur per triennium et amplius tenuisse violenter.

AUCTORE THEOBALDO.

*e et abusus uxore fratris.*

Si quis incestuoso se tamquam Joannes exhibiturus, de tota vicinia divertisset ad eum, conviciis lacessitus, inanis et vacuus recedebat. Confidebat in viribus propriis: verum non est, quod fortis glorietur in multitudine virtutis suæ. Confidebat in mirabili et optimo mucrone: sed decantet justus: Et gladius meus non (Psal. 47. 7 et 4) salvabit me. Et iterum: Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos. Confidebat in equo fortissimo: sed fallax equus ad salutem. Erat autem ad succedendum flammeus, ad consedandum saxeus. Diceres ignem urentem in irascendo: diceres securim vel asciam in dejiciendo. Ecce hæc sunt instrumenta artis diabolicæ, quibus onustus Comes, currebat adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armabatur. Quæ tanto diligentius sunt nobis enumerata, quanto Divinæ clementiæ in revocatione peccatoris mirabiliter placuit operari. Quis inter hæc animadverteret profanum mutandum in sanctum, Saulum in Paulum, Saul in Prophetam, lupum in E agnum? Hæc sane mutatio dexteræ Excelsi. Qui produxit mel de petra, oleumque de saxo durissimo, ipse fecit hoc. Non fecisti Domine taliter omni nationi, et judicia tua non manifestasti eis. Si quis ex mortuis ierit ad eos, ait quidam, pœnitentiam agent. Omnes ergo pœnitentiam agere in favilla et cinere (Luc. 16. 30) debent, quandoquidem Dominus patiens et multum misericors misit ad eos tyrannum, quadruplici morte compeditum, et mirabiliter ad odorem ignis Spiritus sancti solutum et abire permissum, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. Jam impletum cernimus Esaiæ vaticinium, dicentis: Babylon di- (Isa. 21. 4) lecta mea, posita est mihi in miraculum. Id autem de reliquo prosequamur.

7 Eo *f* tempore fundatum est monasterium Claravallis, et ibi una cum venerabilibus Fratribus suis familiari Spiritus sancti consilio ad regimen domus Abbas est *g* Bernardus ordinatus, qui in tantum vita, virtutibus et doctrina clarus effulsit, ut nullus ei in orbe secundus existeret ingenio, moribus, ore, stylo et virtutibus: quinimo Sanctorum catalogo *h* annumeratur, et apud Superos præsentialiter honoratur.

*f Guilielmum S. Bernardus cupit convertere.*

Hic est, qui in diebus suis hæreses extirpavit, hæreticos confundebat, schismaticos revocabat, erroneos instruebat, discordes concordabat, bonos pro- F movebat, malos increpabat, et Principes arguebat. Hic igitur in spiritu vehementi audiens famam sæpe dicti Wilhelmi Comitis, velut aquila perspicax, ubi fuerit cadaver, statim adesse desiderans, superni flaminis instinctu præmonitus cogitabat cum muliere Evangelica, drachmam perditam reperire, et ovem (Luc. 15. 8) erroneam ad pascua deserti revocare. Ponensque animam suam in manibus suis, deliberavit se vel ad tyrannum profecturum, vel ad se per nuncium gratia *i* dialogationis Comitem vocaturum. Sed quid ageret? Si vocaret eum dilectus Domini in dilectam Claravallem, ut illum introduceret in cubiculum genitricis suæ, præsumebat probabiliter dyscolum Ducem non venire. Si ad eum pergeret, jam propositum suum frangeret, de quo se noverat ad Petrum Diaconum Cardinalem sic scripsisse. Salva vestra omniumque bonorum reverentia, mihi propositum est, nequaquam egredi de monasterio, nisi certis ex caussis. Ad tempus ergo sedit solitarius, tacens et quietus, necdum committens supernæ dispositioni. O virtutem viri! O animi puritatem! nec affectantis publicum, nec formidantis tyrannum præ ejus salute. Si fugiebat publicum quomodo affectasset cathedræ fastigium? Deus meus, quot et quantæ

*occasionem convertendi quærit.*

Ecclesiæ

A Ecclesiæ Cathedrales, propriis orbatæ pastoribus, eum in Pontificem elegerunt? Sed non plus delectabat eum mitra et annulus, quam rastrum et sarculus. Fugibundus itaque publici, negotium committebat, ut dictum est, supernæ dispositioni. Cum autem placuit ei, qui segregavit Wilhelmum a seculo, et vocavit per gratiam suam, ut multos filiorum Dei aversos, exemplo suo converteret ad Dominum Deum ipsorum, concurrere fecit caussas ordo ille Divinæ sapientiæ, cuncta complectens, ut Bernardo Wilhelmus occurreret, quem volebat, et quærebat. Occurrit autem hac occasione.

*AUCTORE THEOBALDO.*

a *Parentes non assignantur ob genealogiam præfixam. De iis aliisque majoribus supra egimus. Hæc verba de* Comitis prosapia et provincia Pictavensium *ex antiqua Vita descripta sunt.* — b *Non recte præsumit, supra docuimus.* — c *Anno* 1126 *patre Guilhelmo VIII defuncto* 10 *Februar. quem diem obitus præbuisse caussam fabulis filio affingendis supra diximus num.* 23. — d *Guilhelmum quemdam militem tempore patris fuisse proceræ supra alios magnitudinis diximus supra num.* 21. — e *Hæc ob adulteria patris translata esse ostendimus num.* 23. — f *Anno* 1115 *mense Junio, ut in Annalibus Cisterciensibus deduxit Angelus Manrique.* — g *Colitur* 20 *Augusti, ex cujus Vita multa hic referuntur.* — h *Inscriptus ab Alexandro Papa III an.* 1155 *altero post mortem anno.* — i *Ita MSS. at Surius,* mutuæ collocutionis.

## CAPUT II.

*Schisma Ecclesiæ. Anacleto Antipapæ adhæ-* B *ret Dux Guilielmus. Primus S. Bernardi cum eo congressus.*

*In schismate propugnat Innocentium Papam S. Bernardus,*

Circa idem a tempus Dominus Papa Honorius ingressus est viam universæ carnis. Nec mora, convenientibus electoribus et dissidentibus Cardinalibus, facta est divisio in Ecclesia Dei, aliis eligentibus Innocentium, aliis Petrum Leonis, quem vocarunt Anacletum. Sed pars Innocentii consilio sanior, zelo ferventior, merito probabilior, numero copiosior; pars autem Anacleti infirmior, audacior, violentior, non ratione virtuosior. Ipse etiam Innocentius fama, scientia et vita summo Pontifice dignus habebatur. Petrus vero Leonis a longinquis adspirationibus et machinationibus fraudulentis ad hunc apicem conscendere nitebatur. Pars autem Catholica, omnibus circa electum suum rite peractis, circa Lateranense palatium non tuta morabatur, sed acerrime a Petri satellitibus infestabatur. Et quia vi humana tueri se non poterant, cedere salubriter elegerunt. Præmissi in Gallias fuerunt nuntii, qui Gallicanæ Ecclesiæ intimarent negotii veritatem, et hortarentur Episcopos, ut accingerentur ad ultionem, partem schismaticam damnantes, et unitati Catholicæ subscribentes. Conveniunt *b* Stampis omnes Pontifices, Barones et C Abbates, vocato ex nomine a Rege et pluribus Episcopis sancto Abbate Claravallis. Fuitque unicum omnium consilium et sententia, ut negotium Ecclesiæ Dei Abbati sancto imponeretur, et ex ejus ore tota caussa penderetur. Qui diligenter prosecutus electorum merita, electi utriusque vitam et famam, electionisque ordinem, aperuit os suum, et Spiritus Patris sui implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus Innocentium nominavit, et ratum esse omnis pariter Ecclesia congregata clamavit.

*Anacletum Pseudo-Papam Guilielmus Dux,*

9 Laborabat eo tempore schismaticorum oppressione tota Burdegalensium provincia, et non erat in tota Aquitania, qui Wilhelmo principi posset resistere: intantum animum ejus induraverat Deus. Persuadente siquidem *c* Gerardo Engolismensi Episcopo, et instillante in cor ejus dissensionis semina, factus erat schismaticis auctor et defensor. Quemcumque enim susceptioni Petri Leonis non subscribebat, persecutionibus exponebatur, ita ut exulare cogeretur. Sibilabat enim in auribus Wilhelmi Ducis crebris suggestionibus Gerardus prædictus, tanquam vulpes astutissima et serpens antiquus atque tortuosus. Fuerat siquidem diutius in partibus illis

*incitatus a Gerardo Episc. Engolismensi,*

Apostolicæ Sedis Legatus, non solum per totam D Burdegalensem ac Turonicam provinciam, sed quidquid a collibus Iberorum usque Ligerim complectitur ac claudit Oceanus, ejus paruerat imperio. A quo tanto *d* magistratu, tunc non modicum se dolebat dejectum. Ad Petrum ergo Leonis misit pro restituenda legatione, dejectionem suam ferre non valens: et ipse ei fide jurata devotus obediret, Principemque terræ et quoscumque posset, ad ejus imperium inclinaret. Gavisus homo perditionis, celeriter annuit et libenter. *e* Gilone Tusculano Episcopo Cardinale, qui *f* solus ei de Romanis adhæserat, ad hoc misso specialiter, aggreditur illico Wilhelmum Comitem marsupiis pecuniosis, pulsat animum ejus suggestionibus venenosis, et hominem arundineæ levitatis seducit et corrumpit. Inprimis Episcopus Pictaviensis *g* Wilhelmus, Catholicus et honestus, de Sede sua violenter expellitur, et quia Petrum Leonis abdicabat, condemnatur, aliis existentibus caussis *h* familiaribus, ob quas ei Comes infensus, libenter eum persequitur. Obsecro igitur, ut nulli sit onerosum vel grave, si quiddam animo incidens obiter attigero, vel si prius gesta, breviter repetiero.

*et Gilone Cardinale: expellit Guilhelmum Pictavorum Episcopum.*

10 Ante hos dies, apud multos, fama ubique E perstrepente, cœperat audiri, quod seductor ille machinabatur adversus Ecclesiam Dei. Et missi sunt a latere Innocentii Papæ, tunc agentis in Galliis, B. Bernardus atque venerabilis *i* Joslinus Suessionensis Episcopus, ut tam ipsum, quam Principem Wilhelmum super his constanter convenirent. Qui Pictavium usque pervenientes, prædicto invasori salutaribus monitis suaserunt, sed non persuaserunt. Quomodo enim persuaderent ei, qui jam eodem Principe persuaso, impudenter in Ecclesiam Catholicam convicia despumabat, Innocentium vituperabat, Anacletum suum præconizabat, non obedientes ei, erroneos et acephalos affirmabat? Unde factum est, ut animati et armati in insaniam schismatici, ex eo die publice persecutionem Catholicis intentarent. Interea dum hæc agerentur, Abbas sanctus in quodam monasterio ordinis sui, constructo de novo in Pictavia, morabatur. Qui de Domini misericordia confisus, nuncium ad Comitem direxerat intrepidus, supplicans, ut ad se necessariæ collocutionis gratia, dignaretur properare. Quem mox Comes ut audivit, deposita quodammodo ferocitate leonina, et assumpta mansuetudine columbina vel ovina, ad auditum auris obedivit. Venit filius prodigus ad patrem, etsi nondum reversus ad se. Venit Saulus ad Ananiam, etsi F adhuc cæcus perversusque, cum omni gaudio susceptus est ab Anania: tanquam Saul, quæritans asinas, a Samuele propheta.

*Ad S. Bernardum in Aquitaniam profectum,*

*venit evocatus,*

Act. 9
1. Reg. 9

11 Mox qui in spiritu et virtute Eliæ venerat, accensus est quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat, cupiens in spiritu vehementi conterere navem Tharsis. Inclusumque septem diebus continuis in quodam *k* loco secretiori Comitem, de morte et vita, de pœnis malorum et præmiis bonorum, de vita et exemplis Beatorum, suo illo modo ignito ardenter tepidum instruebat. O si calidum audisses ad frigidum sua verba proferentem, diceres ignem succendentem vepres criminum, diceres gladium carnes devorantem, crederes malleum petras conterentem. At quoniam nondum suscitaverat eum Deus, in malevolam ejus animam non intravit sapientia pro tempore illo, sed cor ejus indurabatur quasi lapis, et quasi malleatorum incus stringebatur. Audiebat peccator et irascebatur, dentibus suis fremebat et obfirmabatur, nec adhuc de peccatore justi desiderium complebatur. Audiebat de conversione morum admonentem, sed non exaudiebat. Audiebat ab inferis excitantem, et dissimulabat. Audiebat a schismaticorum

*7 diebus inclusus,*

*non emendatur*

A 15 Tunc vir Dei propius accedens, Surge, inquit, et sta supra pedes tuos, et Divinam ausculta sententiam. Præsens est Episcopus Pictaviensis, quem ab Ecclesia sua violenter expulisti : vade jam, reconciliare Patri, et in osculo sancto pacis cum eo jungito fœdera. Innocentio subdere, et electo a Deo tanto Pontifici pare sicut ei obedit omnis Ecclesia Sanctorum. Auditis his tyrannus, Sacramentorum præsentia superatus, et auctoritate Spiritus sancti victus, nec audebat respondere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur, nec poterat reddere unum pro mille evangelizanti verbum virtute multa : sed statim occurrens, recepit Episcopum pacis ad oscula, injiciens manus in Abbatis vincula : et quod amplius est, eadem manu, qua prius eum abjuravit cum totius exultatione civitatis ad Sedem propriam reduxit. Jam fortis impegit in fortem, et fortior superveniens, fortem superavit. Jam deinceps Abbas cum Comite familiarius loquens et suavius, ne ad impios ausus et tam temerarios deinceps exurgeret, ne Dei patientiam in tantis flagitiis irritaret, ne pacem reformatam in aliquo violaret, paterne commonuit. Tanto ergo malo obruto, et Gerardi schismate in cineres redacto, Bernardus cum gaudio Claravallem regressus est. g Wilhelmus vero audito eo, B multa interim faciens, deinceps minus crudelis extitit. Multa mala fecisti, o tyranne, jam aliquando compescere : jam mutatus in vas electionis a vaso contumeliæ, convertere. Tempus est ut revertaris ad eum, qui te fecit, ut te videntes et ex bonis operibus considerantes, glorificemus Deum in die repentinæ tuæ visitationis. Nam oportet te in habitu vili Apostolico conspectui præsentari, et plenum virtutibus in vasta solitudine Stabuli Rodis sepeliri. Dicamus ergo, quando et qualiter.

*Auctore Theobaldo Episcopum Pictaviensem restituit,*

*a schismate avertitur*

16 Post recessum viri Dei, potens Dominus de lapidibus filios Abrahæ suscitare, cœpit mentem Comitis ad compunctionem et veram pœnitentiam mirabiliter excitare, et Oriens ex alto sedentem in tenebris et umbra mortis misericorditer visitare. Prædicti siquidem Patris admonitio crebrius in mentem ipsi veniebat, et memoria priorum gestorum et dictorum animo non excidebat : sed ut animal mundissimum ad præsepe positum, plenissime, quæ audierat et viderat, ruminabat. Resolvebatur in calescentis affectionis incendium, et in meditatione ejus exardescebat ignis, quem Dominus venit mittere in mundum. Formabat ante mentis oculos Bernardi constantiam, fortitudinis audaciam, virtutis eminen- C tiam, prudentiæ solertiam, temperantiæ parcimoniam, justitiæ sanctimonium et imaginabatur bestiam, sua verba tam efficaciter resonantem. Nec mirum, si in ipso vincebatur Amalech, id est, si caro spiritui subdebatur : quando redivivus Moyses levans in oratione puras manus, pro Wilhelmo assiduo precabatur. Deus meus, quoties homo tuus totas noctes pervigiles in oratione duxit et insomnes, fletus largiter et effundens sicut aquam cor suum ante conspectum tuum, pro quo et de quo loquebatur tibi bona ? Certe non poterat tantarum perire filius lacrymarum. Ducebat enim sibi ipsi adspiciens in visu noctis et rigans lacrymis stratum suum. Heu me, quid animi habebam, quando illum contemnebam? Clamabat ad me, et non exaudiebam : stabat, et non respiciebam. Mutabar ei in crudelem, et in duritia manus meæ adversabar illi. Væ mihi, quia peccavi in Sanctum Dei, dum deprecaretur me, et non audivi. Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo ad eum, et cum ipso de cetero requiescam ? Veruntamen si iniquitates meas observaveris Pater, ante faciem ejus toties ad iracundiam provocatam, non sustinebo. Nonne cor meum ardens erat in meipso dum loqueretur mihi utilia, et aperiret suum os me docendo ? Beati sunt, qui eum D audierunt, et in amicitia ejus decorati sunt. Numquam sic locutus est homo, sicut ipse loquebatur, et in labiis ejus gratia diffundebatur. Talia dicebat intra semetipsum, et hujusmodi cogitationes ascendebant in cor suum. Ecce Benjamin lupus rapax, qui mane comederat prædam, jam vesperi dividit spolia. Jam de comedente exit cibus, et de forti egreditur dulcedo. Non longe est a cibo spirituali, qui paratus est dare pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam.

*animo compungitur,*

Exo 17.

*vitam male actam deplorat.*

a Desumpta hæc quoque ex Vita S. Bernardi. — b Gaufridus successor Ivonis ab anno 1116 ad an. 1138, quo obiit 25 Januarii : creatus Legatus Apostolicus in Concilio Pisano an. 1134. — c Alias Patriniacum, et Partheniacum oppidum ad fluv. Toarum, a quo non procul abest supra memoratum cœnobium Castellare. — d Vita S. Bernardi, quæ infra Alpes in sola Aquitania consederat. Petrus Venerabilis, Abbas Cluniac. lib. 2 de Miraculis, cap. 16 ait Innocentio unitam totam (excepta parte Aquitaniæ) Galliam, Hispaniam, Angliam, Germaniam. — e Ita MSS. et Silvius : at Surius, foris manentem. — f Ita eadem MSS. et Silvius, Vita S. Bernardi, solo provolvitur. Surius, prosternitur. — g Huc usque desumpta ex Vita S. Bernardi, in quo altum de iis quæ subduntur silentium.

## CAPUT IV.

### *Duplex consultatio Duci Guilielmo cum duobus eremitis afficta.*

Cum ergo fortia atque præclara arma pœnitentiæ E sub jugo Christi decrevisset assumere, ad quem pro imponenda sibi pœnitentia pergeret, cœpit hæsitare, sciens, quicquid per se sine Confessore voluntarie assumeret, vanæ gloriæ et præsumptioni, non mercedi, militare : et solum, si ceciderit, sublevantem non habere, et qui sibi se magistrum constituerit, stulto se discipulo subjugare. Sæpissime subiit animum ejus, venerabilem a Bernardum a præ omnibus eligere, sed propter injurias illi illatas, occlusum sibi reditum prospiciens, ad eumdem verebatur adventare.

*deliberat de duce spirituali eligendo,*

18 Erant tunc temporis in diversis mundi climatibus viri religiosi, potentes virtute, et fortes robore, qui Deum præ oculis habentes, cœlum appetentes, infernum metuentes, ad extremum judicium contremiscentes, a communi vita aliorum segregabant semetipsos : nec contenti strata publica præceptorum, ingrediebantur voluntarie mundissimam, rectissimam ac strictissimam semitam consiliorum. Nec sufficiebat circa communia languere viris perfectionis, sed adspirabant ad cacumina supererogationis. E quibus alii regularem, alii monasticam, alii anachoreticam, alii eremiticam ducentes vitam, uni Domino serviebant, uni Regi militabant. Sed F et in regione eadem, quæ talem nobis protulit civem Sanctorum et domesticum Dei, non defuere viri spirituales, habentes spiritum prophetiæ, propositum spirituale : qui, ne cum salutis periculo viverent in seculo, vivebant in eremo : et oculis desiderantibus Christum, nil aliud dignabantur adspicere. Hi tales et si pauci numero, de malitia tamen patriæ et furia Pictavicæ traxerunt nihil, non magis, quam de sale marino pisces maris. Non longe erat a loco, in quo Wilhelmus talia meditabatur ut columba, quidam de numero talium vitam eremiticam ducens, et miræ admodum simplicitatis homo. Sola enim, quæ Dei sunt, cogitans, et mundum ab immundo discernere nesciens, sanctæ rusticitatis, quæ solum sibi prodest, sanctimonia rutilabat. Ad hunc solitarium mox solivagus b in les ire cœpit, et b eum diligenter quæsivit, donec inveniret. Cogitabat intra semetipsum, qualis esset ista devotio, quam ad eum ferebat, et quid de ipso ageret Omnipotens, non plene ipsemet cognoscebat. Replebatur stupore et ecstasi in eo, quod contigerat illi, pene somnium suspicatus. Quid plura ? Venit ad pastorem agnus factus de lupo, sed eum verebatur adunare pastor

*eremitam miræ simplicitatis, convenit :*

A pastor trepidus ovili Dominico. Requirebat instanter portum naufragus, medicum sauciatus, Ananiam Saulus in Paulum prostratus. Sed quid ageret Ananias? Audierat a multis de hoc viro, quanta mala fecisset Ecclesiis et Ecclesiasticis personis, et nesciebat futurum vas electionis, ut nomen Christi portet coram Gentibus et Regibus et filiis Israel. Abscondebat se ergo columba tremens ab accipitre et niso, fugiebat ovis tremebunda veniente lupo.
*Psalm. 49. 18.* Metuebat enim sibi improperari a Domino : Si videbas furem, currebas cum eo. Quia tamen perseverabat pulsans, propter improbitatem surrexit et exivit, intuitusque in eum torvo lumine, haesitando admi-
*dure accipitur ab eo* rans, ait : impie, crudelis, et dire tyranne, cur Christi servos conaris infestare? Numquid tibi parum est hactenus ceteros impugnasse, nisi etiam præsumas Christi servos molestare? Recede, recede : jam ab stultitia quiesce, desine tu juvenis senem lacessere. Qui hactenus orbem terrarum habuisti infestum, quid tibi ad eremum? Nihil tibi et loco illi : nec est societas alteri ad alterum, non plusquam luci ad tenebras.

19 Cui timidus heros respondit : Non malevolus te deposco, sed cor pœnitens gero, et delictum
B meum maximum emundari cupiens, iniquitatem meam coram te recognosco. Pro excessibus igitur præteritis corrigendis et pravis actibus abjiciendis, acturus pœnitentiam, adproperavi. Considero quæ
*c* feci, et *c* volo quæ facturus sum, moderari. Quot in me habui vitiorum oblectamenta, tot offerre Deo paratus sum ad tuæ voluntatis arbitrium de memetipso cordis et corporis holocausta. Quapropter noli prohibere per Christum te obsecrantem, et ad tuam
*offert satisfactionem :* jussionem satisfacere cupientem. Gustem per tuum ministerium, gustem, inquam, quam dulce sit vitiis non servire, qui in meipso didici, quam amarum sit vel expertum esse vitia, vel velle vitium experiri. Sed ille timens voluisse eum sibi illudere, et fuisse immundum sciens, et jam purificatum nesciens, fertur respondisse : Non ego te ligo vel solvo, neque falcem in messem alienam mitto. Sum homo solis latebris dignus, soli mihi judex, soli arbiter et accusator constitutus, quatenus monstret actio, quod habet professio, et monachi nomen solitaria mihi conversatio interpretetur : quod tam securus fateor, quam certus experior. Verumtamen si vera
*ad alium eremitam mittitur* sunt quæ exponis, et non ex corde fictitio hæc componis, ad quemdam alium singularis sanctitatis ho-
C minem festinare te consulo, qui longa experientia temporum jam suffultus, et in discretione spirituum jam excultus, ante me cognoscitur renuntiasse seculo. Ivit, et in audito auris obedivit sed ille nihil-
*d* ominus, ob auditam ejus crudelitatem, *d* præsen-
*e* tiam Wilhelmi verebatur. Fuit tamen, *e* qui consi-
*f* lium daret avide quærenti, *f* et cupide recipienti. Quidni reciperet, qui toties ignem denegatum quasi digito mendicans quæritabat?

*hunc adit,* 20 Erat eodem loco et tempore alius solitarius vir, valde discretus et sanctitate conspicuus. Hic sicut scientiæ scintillabat perspicacitate, ita quoque vitæ rutilabat sanctitate. Unde factum est, ut ex
*g* utriusque concursu luminis, Deo clarus in *g* conscientia, et populo celebris ex fama redderetur. Ad hunc solitarium secundus solitarius militem mox solivagum destinavit, quem tamen dilationis affectum tædio, nihil in itinere retardavit. Quid mirum? Diligebat ardenter, currebat velociter, et ideo pervenichat celeriter. Omnia licet cum *h* suavitate,
*nullos recusat labores,* secundum antiquum proverbium, interim omnia
*h i* facilia et prope nulla faciebat amor. *i* Amanti enim nihil est difficile, testante illa, quæ canit in sancta-
*Cant. 1. 12.* rum nuptiarum epithalamio dulci : Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commora-



bitur. Venit ergo ad hominem Dei, quem amoris D pennulæ supportabant. Revelaverat autem Dominus *AUCTORE THEOBALDO.* auriculas solitarii, antequam veniret B. Wilhelmus. Ubi vero Dei hominem novit in spiritu propinquare, causam advenientis memoriter tenens, magis ac magis Omnipotentis clementiam cœpit lacrymabiliter implorare, quatenus impium ab iniquitate dignaretur, sicut promisit, revocare. Postquam igitur adventasse Comitem vir sanctus accepit, cum gaudio Spiritus sancti eum in pace suscepit, causamque itineris indagare solerter cœpit. Cui ille penetralia cordis aperiens, totum propositum conver- *totum pectus ei aperit* tendi cœpit fiducialiter enucleare, nec fuit verbum in cordis cubiculo, quod ei voluerit occultare. Diceres redivivum hominem, qui inciderat in latrones, sauciatum et spoliatum, quem pertransierant Sacerdos et Levita, Samaritani misericordiam præstolari. *Luc. 10.* Sed quid egit Samaritanus? Viso eo, non præterivit, *Eccl. 38.* sed misericordia motus est, et curam illius egit. *Luc. 15.* Nam appropinquans, alligavit vulnera ejus vinculis alligaturæ salutaris, infundens oleum consolationis cum vino mordaci *k* epithematis. Doctus erat cum *k* unguentario Salomonico facere pigmenta suavitatis, et unctiones conficere sanitatis. Mox mirum in modum, proposito Comitis diligenter intellecto, sicut E gaudium est Angelis Dei in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente et converso; sic et isti gaudium cumulatum est super pœnitenti Comite et peccatore tam perverso.

21 Post aliquantulum ergo temporis et monita vitæ ac salutis, jam securus lætus est senior, *jussus arma militaria assumere, et equo solus redire,* dicens : Revertere in domum tuam, unde existi, et nemini dixeris quod concepisti. Volo enim te esse cautum, et declinare inanem gloriam, quæ est virus virtutum et dæmonum meridianum. Postea indutus cunctis armis militaribus, quibus antea malefacere præsumpsisti, ascensoque meliori equo, cui hactenus insidere consuevisti, ad me clanculum solus festinabis in habitu tali. Et post hæc salutare consilium, cooperante Domino, tibi impendam pro meo posse. Talia dicebat medicus infirmum curaturus, nec amplius exprimebat, quia sciebat, quid ipse esset facturus. O Medici prudentiam! O viri sapientiam! O spiritum, qui loquebatur! Statim enim ut ad eum introivit Wilhelmus, non dixit : O inique, o immunde, o adulter, o schismatice, o incestuose. Portabat gladium ut secaret vulnus, sed ægrotanti non ostendebat, ne medicinam repentinam neophytus abhorreret. Abscondebat intus ferrum divisionis, non sub F vestimento tegminis, sed sub velamento narrationis. His Auditis, B. Wilhelmus, cui omnis mora erat longa nimis, gratias agens Deo, domum regressus est. Sed et monitorum salutarium præceptoris sui non surdus aut obliviosus factus auditor, gloriosæ sollicitudinis suæ nulli extraneorum aut propinquorum voluit esse relator. Didicerat enim scriptum *Luc.* esse : Nesciat sinistra, quid faciat dextera tua. Do- *Matt. 6. 3.* mestici tamen ejus rem penitus ignorantes, ut eum viderunt cum rebus indutis ad eumdem redire præceptorem, felicibus ejus actibus inscii execrabiliter maledicentes, æstimabant eum progressurum ad consueta nequitiæ scelera et furorem.

*a S. Bernardus Epist. 128 eidem Guillelmo Duci scripta, mirantur [illegible] mutatum, Clericos S. Hilarii de [illegible] expulisse, ut supra dictum num. 30. — b Hæc conferantur cum bello illato Normannis an. 1136, quo proximus fuit ob ejus conversione. Verius haec differtur a num. 11. 7 post iter Compostellanum in quo [illegible] 6 et 5. — d [illegible], pœnitentiam e MS. nostrum, Quid consuli daretur? — f MS. Rub. vel medicina quæritabat. MS. alias, medicinam. — g Surius, scientia. h MS. Rub. [illegible] suavitate. — i Sur. omnia. — k Epithema, fomentum, quod panniculo aut linteolo illitum, parti affectæ exterius apponitur.*

A

AUCTORE THEOBALDO.

## CAPUT V.

### *Lorica et galea ferrea assumpta. Possessiones abdicatæ.*

*Reversus reperit fabrum cum lorica ferrea.*

Interea dum hæc agerentur a Comite, vir Dei quemdam *a* fabrum doctum tractare fabrilia, cum instrumentis fabrilibus ad se de vico proximo clam accersivit. Sicque provisum est, ut *b* modo injuncto Wilhelmus ad virum Dei rediens, fabrum cum circulis catenisque et vinculis ferreis, vincire paratum, quem nesciebat, reperiret. Ingressus ergo Wilhelmus ad solitarium, nec tantum solitarium, sed cum fabro reperiens, obstupuit intantum, ut diceret posset : Ecce faber et vincula : ubi est victima vincienda? Sed (Gen. 22 8) respondetur ei cum Abraham, quod Dominus sibi provideret holocausti victimam. Holocausti dixerim, an holovincti? Utrumque si dixerim, non me pœnitebit. Veritatem enim dicam. An non holocaustum, in quo ardor caritatis consumebat rubiginem vitiorum? An non holovinctum, quod decem ligamentis constringitur circulorum ferreorum? Mox ut intravit, audivit Patrem spiritualem dicentem sibi : Fili Wilhelme, auctoritate sacrorum canonum salu- B briter admonemur, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipientes, in infernum pertrahi patiamur.

*instruitur*

Veritas est irrefragabilis, et negare non possumus, quod nullum malum impunitum manet, sicut nullum bonum irremuneratum. Aut enim Deus punit, aut homo. Modus autem puniendi, secundum modum *c* delectationis præteritæ debet extendi. Dicit enim (Deut. 25 2.) veridica Scriptura : Juxta mensuram delicti erit et (Apoc 18. 7) plagarum modus. Et iterum : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et (Matt. 3. 8) luctum. In hujus signum præco Judicis hortabatur agere fructus pœnitentiæ, non quoscumque, sed dignos fructus pœnitentiæ. Melius est ad momentum temporaliter cruciari, quam suppliciis *d* æternaliter deputari : Si ergo vere pœnites, et omnino ad remissionem peccati præteriti, ad evasionem futuri judicii, et ad adeptionem cœlestis fastigii suspiras, talem pœnitentiæ districtionem, tamen citra condignum, tibi impono. In primis, quia jejunium domat pestes carnis, oratio pestes mentis, eleemosyna vero ad omnia valet, promissionem habens vitæ, quæ nunc est et futuræ, per hæc tria emplastra pretiosissima tibi indico posse redire ad patriam charitatis æternæ. More ergo perfecti, ibis et C vendes omnia, quæ habes, et dabis pauperibus ut exoneratus et nudus, sequi possis non habentem ubi caput suum reclinaret, qui exultavit ut gigas ad currendam viam. Deinde, quia omnia ista extra se sunt, propriam loricam ferream ad carnem super nudam præcipio te portare omnibus diebus vitæ tuæ. Post hæc, quia in factis tuis offendisti plurimos, maxime tempore schismatis sub Petro Leonis, et non sufficit bona conscientia quoad Deum, sed requiritur etiam bona fama quoad proximum; nudis pedibus Apostolico conspectui te præsentabis, ut secundum ejus arbitrium satisfacias Domino, a quo pro tuis sceleribus longe lateque anathematis es opprobrio condemnatus. De orationum vero pondere et mensura nihil impono, confidens in Domino, quod processu temporis, cum dilatato pede amoris viam mandatorum Dei currere cœperis, ab oratione non cessabis. Unctio ejus docebit te non solum de orationibus, sed etiam de omnibus. Et quoniam frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma est, ut alter alterius onera portemus; deinceps pro invicem, ut salvemur, Dominum supplices exoremus.

*jubetur eleemosynas facere,*

*loricam portare,*

*adire Papam*

23 His dictis ab homine, Comes accepit verbum salutis, non jam ut ab homine, sed magis ab Angelica lingua, imo ut a divino Flamine seu mystico spiramine. Revera non alius fuerat, qui talia de- D prompserat, quam Spiritus Patris ejus, qui os ejus impleverat, et talia pronuntianda dictaverat. Mox mirum in modum totus in Dei amorem succenditur, et sine dilationis procrastinatione inter manus fabri et solitarii vetus Comes exuitur, ut novus miles Christum, qui nova facit omnia, noviter induatur. Nudatus propriis vestibus, sine confusione et reverentia, in medio duorum in nomine Jesu congregatorum constituitur, et lorica propria fortiter ad carnem connexa supervestitur, firmiterque per totum corpus decem catenis seu vinculis artificis magisterio subtiliter constringitur, ne processu temporis facile dissolvatur. Post hoc asperrimo cilicio desuper contegitur, ferrumque galeatum subtiliter, ut solvi non valeat, capiti militis imponitur : sicque spiritualibus armis onustus, a suo præceptore dimittitur, et abire permittitur. Jam depositis armis carnalibus, et assumptis spiritualibus telis, dicere poterat his cum Apostolicis viris : Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo. (2 Cor 10 4)

*Exutus suis vestibus,*

*induitur lorica,*

*cilicio et galea,*

24 Longam enim homine novus homo moram non traxit, sed pectore sitibundo velociter in propria rediens, dispendii impatiens, et velocitati operis inhians, omnia bona terrena ante possessa sibi de- E traxit. Res, quas in sua potestate habuit, vendidit et pauperibus erogavit : quas vero ad manum non habuit, ex corde projecit et contempsit. Dispersit ergo et dedit pauperibus paupertatis amator, in brevi futurus pauperum non solum amicus, verum etiam et imitator. Hærentis in salo naviculæ funem potius studebat præcidere, quam solvere. Adspiciebat enim in remunerationem, paupertatis cupiens assequi præmium, quod est regnum cœlorum. Nihil ex omnibus ille quondam opulentus sibi retinere voluit, distribuens singula, ne cordi vel manibus adhæreret macula. Sicque factum est, ut omnibus suis simul et semel pro Domino spretis, pauperibus terram, sibi cœlum divideret. Narrat textus Evangelicus et cum magnæ exultationis tripudio recitat, Petrum piscatorem Christo dixisse : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Bene Petre, et non ad insipientiam tibi. Non enim sequi poteras oneratus eum, qui exultavit ut gigas ad currendam viam. Sed scire velim, quæ sint omnia, quæ te jactas reliquisse. Piscator eras, victum manu et arte quærebas, dives non fueras, navem et retia tantum disrupta possederas. Quid ergo te jactas tam confidenter omnia reliquisse? An omnia reliquisti, qui affectum possi- F dendi deposuisti? Certe Wilhelmus noster nonne eodem tecum spiritu dereliquit omnia, qui voluntatem habendi deseruit? Nihil minus in hac parte fecit a magnis Apostolis, qui non navem, sed orbem; non retia, sed palatia, non pauperiem, sed gloriam, velut stercora arbitratus est, ut Christum lucrifaceret.

*omnes res suas relinquit,*

(Matth. 19 27)

*exemplo Apostolorum*

a S. *Guilielmus Vercellensis, Abbas Montis Virginis, in prima sua conversione, ut scribit Joannes de Nusco ejus discipulus cap* 2 *Vitæ profecturus ad S. Jacobum, divertit ad quemdam fabrum ferrarium, qui ejus rogatu* fecit illi duos circulos ferreos ad hunc modum, ut eorum unus ventrem, pectus alter circumdet: a quorum superiori brachia duo ferrea porriguntur, unum a dextero latere, alterum a sinistro, quæ per humeros ad alteram inferioris circuli partem pervenientia utrumque prædictis circulis fortiter clavis colligetur. *Quæ illi* sibi continuo cum maximo gaudio ad mortificationem carnis aptavit, et valefaciens ab eo discessit. *An hinc occasio sumpta hic amplificandi nomen alia? nam loricam cum gestasse supra diximus.* — b *Surius*, interimo. — c *Idem*, præteriti delicti. — d *Idem*, addit sempiternis.

*S. Guilielmus Abbas Montis-Virginis*

## CAPUT VI.

### *Congressus Guilielmi Ducis cum Eugenio Papa.*

Omnibus ergo pro Christo percalcatis, *a* nudis plantis, illo suo vestitu ferreo atque asperrimo circumdatus, rutilans in luto margarita, Dominum Papam visitavit. Quidni visitaret bonos in mundo, quem

*a adit Romanum Pontificem, Eugenium III.*

A

AUCTORE THEOBALDO.

## CAPUT VII.

### *Vita Hierosolymis novem annis in specu peracta.*

a In diebus illis sancta terra *a* Hierosolymitana in manibus erat Christianorum, et peregrinis omnibus liber patebat ingressus. Wilhelmus igitur ingressus in sanctam civitatem, postquam sepulchrum Christi gloriosum cum puritate et devotione visitasset, requirere cœpit a civibus venerabilem urbis *b* Primatem. Factum est autem per Divinam voluntatem, ut et ipse esset Hierosolymis his diebus. Ad quem cum introductus esset Wilhelmus, se et caussam itineris, totumque negotium seriatim ac per ordinem eidem patefecit. Patriarcha autem viso Wilhelmo, gavisus est valde, erat enim ex multis temporibus cupiens eum videre. Audierat siquidem, famæ clamoribus ubique perstrepentibus, multa mala de ipso : et videns, quoniam magnificasset Dominus misericordiam suam cum ipso, congratulans et exultans, Dominum benedicebat in ipso. Fuit et alia familiaris caussa, quare Wilhelmum venerabilis Primas tenacius sibi copulabat et dulcius adstringebat ac ampliori reverebatur honore. Nam confessus est, et non negavit, se fuisse *c* filium cujusdam de servientibus Wilhelmo, cui fidelissime famulanti multa bona Wilhelmus fecisset, ac immensa donaria munificus contulisset. Ob hanc caussam beneficii accepti a patre non immemor filius, præparabat se libenti animo ad rependendum vicem *d* vicariæ talionis. Nec se capiens præ gaudio super inopinata conversione Ducis et eventu insperatæ salutis, quibus poterat abundantiam lætitiæ propalabat gemitibus et suspiriis. Conversusque ad Dominum, procidit in faciem suam, et adoravit, dicens : Benedictus es Domine, qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim : qui vivificas mortuos, et vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Scio, Domine, et vere scio, et idipsum bonitati tuæ confiteor, quod vere potes de lapidibus filios tibi suscitare, qui post tempestatem tranquillum nosti facere. O quam novissimus heri, o quam primus hodie! O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ tuæ! O mirificata et confortata scientia tua ex me! O flatus spiritus tui, ut fluant aquæ! Si quis potest abyssum imperscrutabilem penetrare, poterit et judicia tua viasque investigabiles comprehendere. Judicia quidem tua abyssus multa. Nunc ergo, Domine, benigne fac in bona voluntate tua cum eo, et quod dignatus es incipere, fac cum eo signum in bono. Fiat per gratiam tuam cor ejus immaculatum, ut, quod cœpit mirabiliter, felici perseverantia studeat complere, et ad observantiam boni sanctique propositi de bono in melius certatim fervere. Doceas eum per spiritus tui unctionem cœlestia diligere, et supra sidera conversari, cui jam inspirasti terrena despicere, paupertatisque stigmata ferventius æmulari. Quod eidem præstare digneris tu, qui es Deus deorum, et Dominus dominorum, regnans et imperans in secula seculorum.

*Aperit omnia Patriarchæ Hierosolymitano :* *benigne suscipitur,* *cum gratiarum actione*

B C

29 His dictis, Wilhelmum cum ingenti suscepit gaudio, et eum satisfactionis salutaris salutaribus vinculis alligavit. Cumque niteretur eum cohabitatorem retinere secum, vir Dei jam fugitandus publicum, nullatenus acquievit, sed magis solitariam vitam ducere præelegit. Quod et factum est. Non infra breve tempus intra ambitum atrii domus suæ arctissimam speluncam desuper coopertam fecit fabricari, schemate quidem vili, instar umbraculi in vineis et tugurii leprosorum. In qua ædificatione sic constructa, præsente Primate, Wilhelmus lætissime et glorianter quasi in carcere se retrusit, et *e* novem annis continuis cum nimia ciborum parcimonia se reclusit. Intus ergo sedebat solitarius et tacebat, quia levaverat se super se. Intus dixerim, quia cunctis, qui foris sunt, dicetur : Væ, væ. Sedebat in angulo domatis non diligens pedes suos movere. An non tibi videtur Wilhelmus fuisse de numero eorum, quibus dictum est, Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto? E contra de reprobo dicitur : Non quievit, et Domino non placuit. Sedebat etiam solitarius, et sedendo tacebat, nolens sedere cum concilio vanitatis. Sedebat ergo solitarius, et sedendo tacebat, sciens cultum justitiæ esse silentium. In silentio enim et spe erit fortitudo sua, et ideo obmutescens, silebat etiam a re bona. Quamplures viderat in peccatum incidisse loquendo, vix quempiam tacendo. Et quia juge silentium cogit cœlestia meditari, recte super se poterat elevari. Ab omni strepitu secularium quies perpetua, ad illos excessus Pauli perducit, de quibus dicit : Sive sobrii sumus, vobis : sive mente excedimus, Deo. Domine Deus ipsius, qui ostendere consuevisti populo tuo dura, quanta illic demonstrasti famulo tuo mira, et ostendens ei tribulationes multas et malas, reserasti visiones consolatorias et bonas? Quæ abscondebas a sapientibus et prudentibus, parvulo reserasti, et prætermissis immundis peccatoribus, mundicordem crebro visitasti.

D *In specu degit annis novem in mirabili abstinentia :* Luc 24. 49 Jerem. 14 10 2 Cor 5 13 *videt visiones.* E

30 Beatus itaque Wilhelmus in illo humili tugurio constitutus, Deo et hominibus gratus efficiebatur et dilectus, gratumque se hospitem exhibebat apud Patriarcham, ita ut diceret ei Patriarcha : Experimento didici, quod omnibus bonis spiritualibus repleti sumus ad introitum tuum, et ob gratiam tui benedixit nobis Omnipotens, sicut benedixit domui Ægyptii propter Joseph. Ipse autem verus Joseph nihil noverat domi, nisi tugurium suum, in quo claudebatur, et tegumentum, quo operiebatur, et panem arctum aquamque brevem, quibus reficiebatur. Domus erat, cella : potus, aqua : cibus, panis nigerrimus : habitus, terreus et asperrimus : lectus, antrum : culcitra, solum : capitale, saxum : coopertorium, tectum. Taliter se habuit per novennium continuum, cui vivere Christus erat, et mori lucrum. Vitam istam ducebat in patientia, sed futuram cum desiderio expectabat. Degebat pauper in cella, dives in conscientia, thesaurizans in cœlo, et nihil habens in mundo. Securior dormiebat pauper in terra, quam dives in auro et purpura. Sæpe noctes pervigiles in oratione ducebat, et cum tandem aliquando ad necessitatem naturæ tenuissimo somno opus esset, lacrymis statum suum primitus irrigabat. Levabat puras manus in oratione, flectebat genua roborata in supplicatione, plorabat coram Domino in peccatorum amarissima recordatione, per singulas noctes lacrymis cor lavabat, cinerem tanquam panem manducabat, omnes dies suos in amaritudine animæ recogitabat. Exercebatur in Divinis, quotidie meditari in lege Domini, reficí parcius, orare frequentius. Quando meditabatur, cordis suspirio rapiebatur in patriam : si quando loquebatur, os ejus levabatur supra sidera. Eloquia ejus eloquia casta, ignita et igne examinata, nec crederes humanam linguam, sed Angelicam propter sapientiam et Spiritum qui loquebatur. Si quis religiosus aut literatus ad eum aliquando divertisset, monita salutis erogaturus, aut de Scripturis locuturus, non solum, ut assolet, inde calefaciebat affectum, sed et illuminabat intellectum pardicentium : intentum audita eloquia Divina memoriæ commendabat. Unde factum est, ut sic Scripturas audiret ardenter, sic digereret ferventer, quasi esset in crastino moriturus. Manibus pectus, genibus pavimentum tundebat, votis et devotis precibus cœlos cumulabat, lacrymis genas rigabat, gemitibus et suspiriis tugurium mugiebat.

Gen 39. *vitam durissimam agit :* F *exercitiis piis incumbit.*

31 His

AUCTORE THEOBALDO.

A proceritatis ejus longitudine, magnarumque extremitatum fortitudine, cognoverunt eum virum bellicosum et in bello doctissimum. Suasum est illi a civibus atque persuasum, intantum ut pœnitentiæ oblitus, expugnationis triumphum eis in crastinum promitteret affuturum : et sic suggestione diabolica ad damnosam militiam sponte respiciens, corde cum filiis Israel in Ægyptum revertebatur. Cumque se militares induisset habitus, sequenti nocte transacta, summo mane omnino se *d* lumine privatum reperit oculorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur Scriptura : Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. Vere ne Wilhelmus esset exceptus a numero filiorum, adnumatus est numero flagellatorum. Nolebat pius Dominus servum suum tantis præteritorum laborum fructibus spoliari, et fecit, ut vexatio daret intellectum auditui. Qui supponit manum suam ne cum ceciderit collidatur justus, ipse fecit hoc.

*percutitur cæcitate,*
*d*
Prov. 3 12

35 Videns igitur redivivus Saulus plaga cæcitatis se esse percussum, pudibundus et valde confusus, luce clarius perpendit, ab Angelo Satanæ sibi fuisse illusum. Et compunctus corde intrinsecus, quod semel manum mittens ad aratrum, respexisset retro, B definivit ad Dominicam militiam se protinus rediturum, et nunquam in perpetuum ab ea recessurum. Et recogitans quanta quotidie beneficia præstat invitis Pater misericordiarum, ex totis præcordiis se totum contulit ad rogandum Dominum, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Domine Deus meus, inquit, qui es lumen indeficiens, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, per te, quæso, tenebræ cordis mei illuminentur, et oculi corporis mei misericorditer aperiantur. Aperi Domine oculos tuos, et vide desolationem meam. Aperi oculos meos, ut videam consolationem tuam. Oculos, quos culpa clausit, pœnitentia aperiat : et qui propria miseria præsumpsit, ex tuæ largifluæ bonitatis misericordia videant. Non enim ad consumptionem peccantium emitti manum tuam : sed si corruerint, ipse salvas. Vix sermonem B. Wilhelmus finierat, et ecce protinus sensit super se Dominicam visitationem. Mox enim per Spiritus sancti gratiam, quæ tarda molimina nescit, ex insperato lumen amissum recepit. Sicque ad Dei militiam regressus est coactus, a qua stulte digressus fuerat spontaneus. Non mirum, si famulo Christus corporis et animæ lumen restituit, C qui tot cæcorum multitudini post modum restitutionem visus obtinuit. Gratiam, quam aliis erat impetraturus, in seipso primitus est expertus. Postquam autem facto die Lucensium multitudo ad eum secundum condictum et placitum convenit, ea, qua potuit, dissimulatione pertransiit. Intimavit eis, se esse pœnitentem et servum Dei, et dedicat ad serviendum Deo viventi, militare de cetero non licere. Et in hunc modum valefaciens Lucensibus, et transiens per medium illorum ibat. Postea suam perscrutans tepiditatem, et imminentem suspectam habens imbecillitatem, revisere proposuit Hierosolymorum sanctam civitatem.

*dolet ob temeritatem,*

*petit a Deo illuminari,*

*recipit visum :*

*... Hierosolymam.*

*a* Plures continua errores succrescunt. Raimundus frater Guilelmi Ducis factus Princeps Antiochiæ an. 1136, occisus in prælio 27 Junii 1148, cum tempore Quadragesimæ habitus antea esset Concilium Remense. Ludovicus Rex Franciæ una cum Alienora uxore, filia Guilhelmi profectus est in Terram sanctam cum exercitu an. 1147, reversus an. 1149. — *b* Videtur alludere ad solitudinem abitus postquam filia ejus Alienora relicta a Ludovico Rege Franciæ, nupsit Henrico, dein Regi Anglorum. — *c* Ptolemæus Lucensis Annalibus ab an. 1060 ad 1303 deductis, nihil Lucensium bello interserit addique an. 1152 castrum de Monte Crucis Varnensis per Comitem Guidonem Lucensibus restitutum. Tradit etiam Helienoram filiam Ducis Aquitaniæ nuptam Ludovico Regi Francorum, ac postea repudiatam nupsisse Henrico deinde Regi Angliæ, nulla parentis tum viventis addita mentione. — *d* Cæcitatis inflictæ mentio fit in Homilia supra data, sed quæ videtur causa prima conversionis fuisse.

*b In Lucenses.*

D

## CAPUT IX.

### *Vita solitaria iterum Hierosolymis acta.*

Vir ergo Dei Wilhelmus, resumptis spiritualibus viribus, dimissis Lucensibus, tendere cœpit ad priorem locum, et ad dominum Patriarchæ reverti, unde prius exierat. Contigit autem, ut, cum iter faceret secus littus maris, caperetur a prædonibus Saracenis et piratis. Et videntes eum hominem imbellem et nudum, agnoverunt ex circumstantiis, Christi famulatui deputatum. Cumque undique perscrutantes, invenissent loricatum, festinarunt exuere et spoliatum dimittere. Sed ubi loricam circulis, ut prædictum est, alligatam et in carne subintratam distrahere nullatenus valuerunt, valedicentes ei more barbarico, illæsum libere dimiserunt. Qui prospere veniens Hierosolymam, in priori quidem tugurio se recepit, et sicut prius per *a* biennium continuum se reclusit, excepto, quod districtiori vita solito arctius se afflixit. Ex præteritis discens præsentia pensare, cœpit amplius propriæ fragilitatis ruinam formidare. Sed nec muscæ morientes, quæ perdunt suavitatem unguenti, defuerunt ibidem. Viro posteriorum oblito, et se in anteriora extendere cupienti, affuit, sicut E ante, notorum et propinquorum multitudo tumultuosa, et rebellis infestatio non quievit opponentium se spirituali viri proposito lingua venenosa. Quid hic agis, inquiunt, insane? quid consilium amicorum irritum reputas et inane? Ad hoc Christi famulus, diligentior effectus solito, sepiebat aures suas spinis, et nec benedictionibus, nec maledictionibus motus, neque seducebatur blandimentis, neque concutiebatur minis. Audiebat serpentes sibilantes, et non exaudiebat : percipiebat canes latrantes, et dissimulabat : perpendebat ranas coaxantes, et vocibus incantantium cor claudebat. Ecce patet, post peccatum quam carnosus Wilhelmus fuerit contra recidivum. In hoc opere fortior, meo judicio, et præclarior invenitur, quam qui omni tempore servata innocentia, delectationes noxias numquam experitur. Credo autem, quod in hac parte judicium Dei mecum faciat. Nam si rerum pretium ex raritate pensamus, facilius invenies, qui innocentiam servaverunt, quam qui peccati sui condignam pœnitentiam egerunt. Habet quidem Christus multos milites, qui fortissime cœperunt, steterunt, vicerunt. Paucos autem, qui de fuga conversi, rursus se periculo ingesserunt, quod evaserunt, rursus adversarios fugarunt, quos F paullo ante fugerant. Sed quanto pauciores, tanto (cum omne rarum sit pretiosum) qui hujusmodi sunt, æstimantur præclariores. Unus e numero talium idem ille strenuissimus et sanctus vir fuit Deo plenus, qui a principio cum non saperet, sapuit, et postea cum saperet, apostatando desipuit : sed postremo cum desipuisset, resipiscere festinavit.

*Capitur a Saracenis,*

*regressus in specum suam.*
*a*

*iterum illicitur ob amicis,*

*constanter resistit :*

37 Videns igitur vir Deo plenus eorum, quorum sepulchrum patens est guttur, eorum se morsibus et dentibus patere, ob nimiam eorum infestationem cogitavit occulte discedere, et in solitudine quadam propinqua ad vitam solitariam agendam se Domino consecrare. Et factum est ita. Nam ecce elongavit fugiens, et mansit in solitudine. In qua procul amotus ab hominibus, more anachoretarum solitarie aliquamdiu habitavit. Et sicut ab hominibus se elongaverat cohabitatione corporali, ita etiam secessit conversatione spirituali. Accendebatur spiritualiter in meditatione, elevabatur intellectualiter in oratione, domabatur inexorabiliter in carnis afflictione, scrutabatur cœlestem Jerusalem sublimiter in contemplatione, circumibat per plateas cœlestes vir angelicæ puritatis, et ejus sublimitas in excelsis habitabat, Angelos considerabat, Apostolos salutabat, Martyres

*degit in vitam anachoretarum in solitudine.*

A Martyres exorabat, Confessores visitabat, Virgines serta gestantes in excessu mentis honorabat. Si quando ad actiones temporalium et administrationes necessitatum suarum corporalium descendebat, interpolatis morulis et vicibus raptim et velut jaculatim quoddam suspirium emittebat. Cumque reddidisset, ut brevius poterat, Marthæ vel Liæ quod debebat, jam tunc diffusius et securius inter Mariæ et Rachelis amplexus castissimos stringendum se recipiebat. Si loquebatur ei dilectus, ad vocem amici ejus anima liquefiebat. Si loquebatur dilecto, tenebat eum, nec abire permittebat. Si dilectis sodalibus loqui decernebat, per eos amore auxiliante et præeminente se languere dilecto nuntiabat. Hæc fuerunt B. Wilhelmo pascua spiritualis alimoniæ in illa interiori solitudine deserti, postquam a priori apostasia cœpisset ad Christi servitium converti.

*cœlestia contemplatur.*

a *Hoc biennio forte solum fuit in Terra sancta circa annos* 1152 *et* 1153 *non usque ad an.* 1159, *quo Fulcherius Patriarcha obiit, aut etiam sequentem, ut ex calculo Theobaldi inferimus.*

## PARS II.

### Certa magis et sincera.

### CAPUT I.

B

### *Peregrinatio ad S. Jacobum. Recessus in Etruriam.*

Post hæc vir Domini in omnibus pavidus, et propriam fragilitatem semper habens suspectam, recordatus est scriptum esse, sicut a quodam probo viro
Eccl. 4. 9. et 10 in loco prioris tugurii fuerat eruditus: Melius est duos simul esse, quam unum. Et, Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem. Et revera hoc cogitando vir Dei non erravit: quia malum, quod nemo videt, nemo arguit. Ubi enim non timetur reprehensor, tentator accedit securius, et iniquitas perpetratur licentius. Volens ergo se in laboribus corporis exercere, quatenus diabolus eum inveniret occupatum, deliberavit B. Jacobi Apostoli limina visitare. Et invento navigio per Dei misericordiam, qui in oculis nautarum sine naulo contulit ei gratiam, transfretavit et venit in Hispaniam, et ingressus Compostellanensium civitatem, cum omni devotione tanti Apostoli visitavit ecclesiam, et effudit sicut aquam cor suum ante conspectum Apostoli, cujus suffragantibus meritis et intercessionibus petebat deduci et adduci in montem sanctum æterni tabernaculi.

*Abit Compostellam,*

*visitat S. Jacobum.*

C 2 Ubi cum aliquamdiu apud quasdam personas religiosas, cum caritative detinentes, fuisset demoratus, in *a* Tusciam revertitur, Pisanorum partes ingreditur. Et *b* in silva, quæ *c* Lavallin nuncupatur, speluncam horribilem reperit. In hanc descendens Domino famulaturus recipitur, sed in brevi tempore sociorum sibi religiosorum numerus copulatur: cum quibus illo in loco aliquanto tempore religiose viventibus conversabatur, hospitaleque construitur ad Dei venerationem et pauperum Christi refectionem. Sed non post multum temporis fervor eorum cœpit paulatim tepescere, et qui spiritu cœperunt, in carne probati sunt consummari: et tanto in religionis culmine positi deficiendo facti sunt deteriores, quanto ibidem proficiendo facti fuissent meliores. Compellebantur a viro Dei Wilhelmo renuntiare illicitis, valefacere moribus assuetis. Non videbant oculi eorum, nisi manna dulcedinis in sermonibus Patris, sed nauseabat anima eorum super cibo levissimo assiduæ cohortationis. Et facti fastidiosi super præceptorum salutarium admonitione, vilipendebant imbui tanti Patris informatione. Cumque ille non posset, quæ audierat et viderat, non eloqui, conviciis cœperunt eum unanimiter aggredi: et qui mores et vitam longe dissimilem atque dissolutam ad ejus regulam

*a*

*b c*

*incolit Silvam Lavallinam in Etruria,*

*accipit socios,*

*ab iis spretus discedit*

et exemplar debebant moderari, conati sunt molestiis, conviciis et injuriis Patrem imitabilem detestari. Inter dyscolos Deicola non proficiebat, intantum ejus rectitudinem illorum *d* fortitudo contemnebat. Sed quid ageret norma vitæ, virtutis insigne, alumnus disciplinæ, professionis forma? Hospitale cuidam viro religioso, Petro nomine, qui actibus malorum non consenserat, commendavit, et sic de illo loco ad alium prudentissime discessit. Revera spiritualis medicus merito eos despexit ægrotantes, quos de medicamento suo fieri vidit deteriores. Quidni despiceret persequentium insaniam, qui mandatum acceperat, sæviente persecutione in una civitate, fugere ad aliam? Quid restabat, nisi domum exasperantem deserere, cum propter eam soleat prædicatorum lingua palato adhærere?

D *AUCTORE THEOBALDO.*

*d*

3 Recessit igitur prudenter doctissimus de concilio malignantium, excusso pulvere pedum illis in testimonium, veniensque ad *e* montem, qui de Pruno nuncupatur, in silva opacissima, sub quodam modico tugurio solitarius Domino famulatur. Ibidem arctissima vita voluntarie assumitur, contemplationi simul et actioni insistitur, et unius manus ponitur in ambobus. Ibi cellula construitur, hortulus concluditur, areola dividitur, humus oleribus seritur, et arborum diversa species inseritur, vinea etiam propagranda plantatur. Sed a viro Dei terror et horror serpentum venenosorum cellam inquietantium procul repellitur, omnisque infestatio immundorum spirituum potenter abjicitur. Nec minus in expugnatione pravorum hominum viralis extitit, quam dæmonum. Opinionis siquidem ejus fama undique crebrescente, sociorum multitudo, Deo famulatura, illi copulatur, et a falsis Fratribus, invidiæ facibus accensis, venenum invidiæ multiplicis toleratur. Unum tamen de insultibus dæmonum ibi toleratum, distincte et seriatim exponimus, arbitrati stylo potius exprimendum, quam silentio supprimendum.

*e*

*venit ad montem de Pruno,*

E

*cellam extruit*

a *Hæc probabile est intelligi de S. Guilielmo eremita* — b MS. *Rub. Val. et Appendix ad Petrum de Natalibus, insula* — c *Nunc* Lupocavio *appellari tradit Cavalcantius in cap.* 27 *Vitæ, de quo infra.* — d *Sacrius, pravitas detestabatur* — e *Mons de Pruno prope oppidum Burianum, de quo mox, colloca Cavalcantius cap.* 29 *Vitæ.*

### CAPUT II.

### *Tentationes dæmonum superatæ. Consolationes datæ a Deipara Virgine apparente.*

Quadam igitur nocte, cum solus in cella sua ille solito et ignito modo meditationibus invigilaret, et orationibus intentus pernoctaret, contigit ut ei Satanas invideret. Invidit et adiit, nec satellitum immundorum fraudulenta multitudo defuit. Et quem a rigore sancti propositi per se alias non valuerat emollire, cogitabat innumerabili dæmonum multitudine circumdatus, tentando convenire. Convenerunt igitur in unum adversus Domini famulum, ut multitudine vincerent, quem vincere fortitudine non poterant. Prima igitur vigilia noctis, cum surrexisset in principio vigiliarum suarum, et effudisset sicut aquam cor suum ante Dominum, audivit subito exercitum advenientium dæmonum, qui quasi totam vallem occupantes, cum phaleris equorum et sonitibus *a* nolarum audiebantur resonantes. Nunc animalia crederes vociferantia, nunc volatilia cantibus variis audires garrientia: nunc sibilabant ut serpentes: nunc barriebant ut elephantes: modo rugiebant ut leones: jam ululatibus pugnantium tota silva resultabat: jam strepitibus militantium vallis omnis resonabat: modo clamoribus aucupum et venantium totum nemus tinniebat. Accedentes autem propius, cellam ejus circumdederunt, et in modum coronæ redivivum David Satanas et ejus satellites cinxerunt.
Mox

F *a dæmonibus infestatur,*

*a*

A dem, instigante diabolo, non minus eum persecuti sunt, imo plus etiam, quam ante, et cœperunt ei conviciis illudere, et eum opprobriis saturare. Improperia improperantium Eliseo, ceciderunt super eum, quia multum dissimilis erat vita ejus operibus illorum.

9 Cum ergo mortiferum virus invidiæ cogitaret humiliter declinare, cœpit infirmus et debilis corpore quo tenderet æstuare. Et ecce subito, sicut ipse postea referre consueverat, vox ad eum de cœlo sonuit, quæ in montem Petritium juxta *a* Castellionem Burianensem, eum ire præcepit. Nec mora: ad obsecundandum mandantis imperio, licet infirmus artubus et corpore debilissimus, statim accingitur, et tandem paullatim ad nominatum locum pervenit. Cumque ibi per aliquot dies resedisset quietus et solitarius, supervenerunt pastores plurimi, qui de tota vicinia illic statutis diebus conveniebant frequentius. Quorum frequentiam et inquietudinem vir solitarius ferre non sustinens, egressus inde, lustrato undique loco, tandem Castellionem devenit, ubi amore et intuitu Jesu Christi, a quodam viro mansueto, qui erat accola loci illius, honestissime susceptus est, et in domo ejus resedit multis diebus hospitatus. Erat vir ille honestus, habens uxorem et familiam, et de B bonis temporalibus, possidebat *b* mediocrem sufficientiam. Erant ambo justi in conspectu Domini, ut legitur de parentibus Præcursoris, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. Apud hos Wilhelmus per longum tempus hospitatus resedit, caritative bonis eorum sustentatus.

*inde in montem Petritium,* *a*
*et Castellionem,*
*b*
Luc. 1. 6

10 Factum est autem vindemiali tempore, ut infirmus et jejunus circa horam diei nonam diceret hospitæ suæ: Ecce, inquit, longo corporis dolore, temporis calore ac jejuniorum continuorum pondere confectus tabesco, et ne per meam incuriam deficiam, pertimesco. Tibi ergo humiliter supplico ad refectionem vespertinam mihi aliquid curato præparare. Cui illa respondit: Vivit Dominus et vivit anima tua, quia hodie tibi ministrare non possum, incommodo febris gravissime prosternata. Velle quidem adjacet mihi, perficere autem non invenio. Mox ille passionibus hospitæ vehementer compassus, invocavit super eam nomen Christi, et sub omni celeritate febris a femina pellitur, sanitasque pristina restituitur. Nec mora: ad viri Dei surgit imperium, et quod jussa fuerat, sedule, fideliter et devote parat edulium: nec solum die illo, sed prout potest, eidem ministrat deinceps omnibus diebus vitæ suæ. Hoc ipsamet, C Dominum in servo suo glorificans, aliis consuevit *c* enarrare non ingrata, etiam a nomine interrogata.

*hospitam febri precibus liberat,*
*c*

11 Post hæc vir vere humilis volens vilis reputari, nec mirabilis præconizari, laudationemque sui ferre non valens, apud quos hujusmodi fecerat signum, non acquievit alterius immorari. Et recedens clanculo, ad ecclesiam S. Nicolai perrexit, et ibi modico tempore cum venerabili viro Guidone Presbytero permansit. Nec multo post ejus beneficio et auxilio fretus, in vallem, quæ dicitur Stabulum Rodis, ad habitandum est introductus. Erat autem Stabulum Rodis, solitudo quædam penitus inculta et horribilis valde. Ibi recepit semetipsum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis anno Dominicæ incarnationis *d* millesimo centesimo quinquagesimo quinto mense Septembri, mediante adjutorio virorum nobilium castri Burianensis Dominorum et dicti Domini Guidonis Sacerdotis, erectum est viro Dei, prout ipse voluit et optavit, mapale modicum et tugurium vile in loco, qui dicitur Stabulum Rodis. Ibidem per annum ferme et dimidium supervixit, et pauperrime degens, vitam asperrimam duxit. Hæc fuit ultima mansio et statio viri Dei. Ibi corpus terræ, spiritum vero tradidit æternæ requiei. Ibidem poterat Domino decantare, justus cum justo,

*venit in Stabulum Rodis,*
*d*
*tugurium erigit,*

D Comes cum Rege: Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. Ibi in tanta innocentia ingressus est, in tanta simplicitate conversatus est, in tanta puritate animi demoratus, ut inter feras bestias, serpentes et dracones degeret securus, illæsus, et intactus. Volucres cœli cum illo vescebantur, bestiæ ferocissimæ, deposita quodammodo rabie naturali, mansuetæ reddebantur, nihilque ei nocentes, quasi ratione utentes, eum reverebantur: animalia quantumcumque silvestria, sacra ejus vestigia humi prostrata deosculabantur, et omnia reptilia, ad jussum ejus obedientia, ibant et revertebantur. Diceres Eliam inter corvos, ovem Christi inter lupos, Lazarum inter canes, Danielem inter leones, Moysen inter serpentes, Davidem inter ursos, Joseph inter Ægyptios, Benedictum inter volucres. Non immerito cum omnibus Sanctis convenientiam quamdam habuit, qui omnium justorum spiritu plenus fuit. Etiam spiritu prophetiæ iludem cœpit rutilare, sicut sequentia docebunt.

*FACTORE THEOBALDO.*
*degit cum feris belluis et brutis animantibus,*

12 Erat iisdem temporibus S. Albertus, cujus in Prologo fecimus mentionem, bonæ indolis *e* adolescens, viri Dei minister, et ejus disciplina perfusus, ambulans cum eo, intrans et exiens, et convescens familiariter. Hunc ergo prævidens in spiritu, virum spiritus et virtutis futurum, die sancto Epiphaniæ in discipulum et fratrem recepit, secum Domino militaturum. Unde in *f* libello, quem idem Dominus Albertus de Vita Patris visa et audita percepta compendio depinxit, inter cetera sic ait: Post hoc, Epiphaniarum tempore ego inutilis et indignus Albertus vitiorum multorum labe prægravatus, a sua sanctitate sum receptus. Nec fraudatus est a desiderio suo vir desideriorum, proficiente in hoc ejus discipulo, ut postmodum multorum Pater fieret filiorum. Intantum siquidem magistri discipulus factus est in melius æmulator, ut signorum et prodigiorum fuerit operator mirabilis. Ipso *g* referente, de Vita et miraculis Patris Wilhelmi multa cognovimus, quæ præsenti opusculo inserere dignum duximus. Quæ tanto a nobis certius fide indubitata tenenda sunt, quanto ab eo, qui vidit et audivit, diligentius sunt relata. Et sicut diximus a principio, ardebat in verbis, lucebat in exemplis, micabat in miraculis. Et quoniam plus movere solent exempla factorum, quam dicta verborum; incipiamus a verbis, mediemus in factis, et terminemus in signis. Verba igitur B. Wilhelmi hujusmodi fuerunt, sicut prædicti retulerunt ejus discipuli, B. Albertus et Prior montis de Pruno venerabilis *h* Petrus, qui oculis suis gesta ejus viderunt, et auribus sermones audierunt.

*e*
*accipit Albertum discipulum et Vitæ scriptorem,*
*f*
E
*g*
*h*
F

*a* Castellio Burianensis hodie Buriano, ubi Castello Piccolo sit ut in territorio Senensi prope mare et dominium Populoniense. — *b* Ita MSS. et S. tem. A. Suetus, sufficientem mediocritatem. — *c* Hoc secundum testimonium proferitur circa gestorum. — *d* Quam hic annum cum præcedentibus male congruit. In MS. Rub. Vat. annus 1150 notatur majori mendo. — *e* Frustra ab aliis confusus S. Albertus olim Guilielmi Ducis Aquitaniæ, qui uno anno adfuit S. Guilielmo, etiam pro S. Alberto Camaldulensi habitus, ut supra diximus num. 63. — *f* Utinam hic libellus exstaret! Hinc quæ ultimo anno gesta sunt, nobis certiora haberentur. Ex illo libello videntur Antiphonæ et Responsoria composita esse, ex quibus supra cepit mea Vita dedimus. — *g* In libello scilicet, de Vita ultima et miraculis. — *h* Videtur esse Petrus, cui supra hospitale in Lizzalia commendavit, qui etiam videtur ab Alberto in Vita hujus testis productus.

## CAPUT IV.

### *Variæ virtutum a exercitatio.*

In primis ergo more Religiosorum ad omnia se inutilem et inique[m] B. Wilhelmus assidue fatebatur, quia in conspectu Domini nec cœli mundi sunt, quemadmodum in Job legimus. Nec solum servum inutilem se esse, cui tortura opus est, exteriori pronuntiabat effatu, sed etiam intimo cordis sentiebat affectu. Jam Evangelii surdus non erat auditor, in quo discipulis præcepit Salvator: Cum feceritis

*a*
*modeste de se sentit,*
Job. 15. 15
Luc. 17. 10

*AUCTORE THEOBALDO*

A omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus. Nec mirum, si seipsum reprehendebat coram Domino, quia quanto quis altiori mentis acumine Deum contemplatur limpidius, tanto parvitatis notitiam perscrutatur intimius. Unde Abraham post Divinæ familiaritatis fastigium se pulverem confabulabatur. Moyses post rubi miraculum, impeditioris linguæ se protestabatur. Esaias post concentus Seraphici auditum tripudium, pollutum se labiis afferebat. Job etiam post auditum Divinum judicium, in favilla et cinere sese reprehendit. Ad extremum Virgo Maria post electionis in Matrem Dei privilegium, se ancillam humilem profitebatur. Ex quibus omnibus statuitur, quæ dicta est, irrefragabilis veritas, videlicet quod ubi major Dei familiaritas et notitiæ Divinæ acutior perspicacitas, ibi clarior et profundior propriæ parvitatis cognitio et humilitas.

Gen 18. 27
Exod 4 10
Esa. 6 5
Job. 42 6
Luc. 1. 38

*præscribit modum in victu,*

14 Asserebat etiam servum Dei aquam in mensura bibere debere, nec licere etiam in minimis voluntatem corporis adimplere. Cibum et potum ad solam necessitatem restringebat, superfluitates etiam in rebus vilibus condemnabat. Producebat exemplum in medium, et confirmabat testimoniis Scripturarum. Sub Adam, inquit, per pomum, non per B rhombum, universale factum est excidium. Esau reprobatus est, appetendo lentis, non carnis, edulium. Sub Moyse populus in deserto prostratus est propter aquæ, non vini, desiderium. Denique et de utraque vita ad utriusque hominis condimentum breve longumque pariter documentum assumebat, breve in syllabis, longum in sententiis. Dicebat ergo in doctrina sua, sibi cœlitus infusa, Servum Dei aut orare, aut laborare, aut semper debere cœlestia cogitare. Si ad superficiem verborum respicias, valde sunt simplicia : si te ad medullam intus convertas, multiplex spiritualis latet intelligentia. Non immerito orationem præmisit, quia oportet semper orare, et non deficere, secundum quod veritas in Evangelio dicit. Congrue autem laborem subjunxit, quia otiositas inimica est animæ, et quia qui non laborat, secundum Apostolum, non manducabit. Jam vero in meditatione cœlestium recte conclusit, quia in meditatione justi, ignis caritatis exardescit. Ideo decantabat vir justus Domino : Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Parum dixi, et pro sublimitate sermonis, omnis expositio inferior est.

*in oratione cum labore externo jungenda,*

Luc 18. 1
2 Thess. 3. 10
Psal 18 15

C 15 Post hæc, non regnaturum peccatum in nostro mortali corpore suadebat : et væ illis, qui concupiscentiis suis obediunt prædicabat. Otiositatem arguebat, avaritiam reprehendebat, inanem gloriam vilipendebat, et lasciviam condemnabat, invidiam detestabatur, detractionem relegabat, murmurationem execrabatur : superbiam suffocandam, iracundiam reprimendam, factis et dictis suadebat. Divitiarum jactantiam fugiendam, paupertatem voluntariam appetendam, suo illo fervore spiritus dogmatizabat. Dicebat insuper, servum Dei omni hora, cogitata, dicta, gesta debere circumspicere, ne in ipsis contingeret oculos Creatoris offendere. Docebat etiam viros spiritales fugere somnolentiam, stratum eorum durum, rigidum et breve esse debere, ne se, quo velint, libere possint extendere. Addebat nihilominus, omnibus superfluis resecatis, indulgendum esse corpori in solis necessariis, salva regula voluntariæ paupertatis. Quanti Fratres, inquit, in Ægypto, quam multis annis Domino sine piscibus servierunt ? Quantis tyrannis in inferno positis, abunde sufficeret extra infernum saccus Hieronymi, tunica Benedicti, mattula Eulalii, lacrymæ Arsenii, nuditas Apostoli, olla Elisæi ? Sed væ nobis miseris, inquit, qui fortitudine mentis enervati, et fragilitate corporis prægravati, superfluitatem convertimus in necessitatem. Jam non est, quo se immisceat caritas, ubi totum occupavit vanitas. Monebat quoque de nulla necessitate, tribulatione aut injuria conquerendum fore; seu murmurationis notam aliquatenus incurrere : sed quicquid acciderit, ferendum æquanimiter, et in omnibus Divinæ largitati, cujus hæc xenia sunt, gratias agere. Sacerdotes Dei vice Christi suadebat honorare, præceptis eorum in omnibus obedire, mandata eorum non discutere, de factis eorum non b judicare, voluntati eorum propriam nequaquam anteponere, aut in aliquo præjudicare. Sacerdotibus tamen proprium Prælatum suadebat superponere, obedientiam Patri spirituali usque ad mortem impendere, nisi, quod absit, contra Deum aliquid præcipere videretur. Nullius quippe jussio potest obviare a Deo prohibitis, nullius prohibitio præjudicare præceptis. Ecce hæc sunt verba oris ejus : quæ licet nuda, catholica tamen et utilissima suis auditoribus de plenissimo fonte pectoris propinabat. Hæc prædicta Albertus referre consueverat se vidisse magis eum opere facientem, quam ore suadentem. Et de ejus quidem factis et operibus ipse prosequitur sequentia.

*adhortatur ad fugam vitiorum,*

D

*et honorem Sacerdotum,*

b

16 Imprimis B. Wilhelmus pro commissis criminibus assidue precabatur, et pro ipsis diluendis plerumque lacrymabatur. Et sicut peccando membra sua servire iniquitati ad iniquitatem exhibuerat, ita pœnitendo eadem servire cogebat justitiæ in sanctificationem. Et sicut filia Babylonis misera, caro videlicet, ei retribuerat ; sic ei retributionem suam pœnitendo retribuere satagebat. Et quia læta carne sese in culpas merserat, ipsa nunc afflicta ad veniam redibat : intantum carnem fame, corpus inedia excruciabat. Quantum glorificaverat se et in deliciis fuerat, tantum sibi tormentum et luctum dabat. Quotidie, etiam diebus festivis, jejunabat, et post protracta jejunia, modico et simplici cibo debilia membra refocillabat. Ternis diebus in hebdomada exiguo pulmento et vino modico, juxta doctrinam Apostoli se reficiebat, sed adeo lymphato, quod sapore penitus exsufflato, colorem vini tantummodo retineret. Ceteris diebus aqua et pane vivebat, iis ad condimentum crudas herbas superaddens. Pro mensura cibi quamdam paropsidem, et pro quantitate potus scyphum ligneum habebat : intantum cibum et potum mensurate ac moderate sumebat. Ultra indicti moderaminis quantitatem nunquam excedebat : sed de ea potius mensura sæpe aliquid voluntarie sibi subtrahebat : adeo corporalia subtrahendo, magis ac F magis appetebat spiritalia. Beati namque, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sic enim primogenita Israelis vivificantur, Ægypti primogenita ab exterminatore suffocantur. Hoc districtionis moderamine vir Dei usus est assidue usque ad finem vitæ suæ. Tantæ abstinentiæ virum, ministris ejus narrantibus, vix quispiam potuit invenire, etsi studeret orbis climata circuire. Ciliciis super loricam vestibus diebus et noctibus utebatur, in quibus, præter asperitatem et frigus, tanto laniatu afficiebatur, ut horroris abominatio quibuslibet cernentibus incuteretur. Nuda humo cubabat, ligno capiti supposito vetus Christicola quiescebat.

*carnem domat jejunio,*

E

1 Tim. 5 23

*cilicio, humi cubatione*

17 Mira illi erga universos lenitas, mira caritas, patientia atque humilitas supra modum humanum. Ira ejus in manu ejus, vocata veniebat, exiens, non erumpens : nutu, non impetu, ferebatur : jussa, non excussa, progrediebatur : utebatur illa, non urebatur : movebatur ea, non turbabatur. Interioribus animi motibus præsidebat ut dominus, nulli subjacebat ut mancipium. Unde solitus erat de ipso referre B. Albertus : Tantæ patientiæ, tantæ humilitatis simul et parcimoniæ neminem vidi unquam. Denique exteriorem hominem ad regulam interioris componebat,

*iram frangit,*

A nebat, omnia secundum exemplar, quod ipsi in monte monstratum erat, faciens. Ab occursu faciei cognoscebatur sensatus : intantum sapientia relucebat in vultu illius. Vultum ejus uniformem nec mœror fuscabat, neque vicissitudo in diversa mutabat. Si amictus corporis et risus dentium et incessus hominis enuntiant de eo, vere per omnia Wilhelmus nuntiari poterat esse sensatus homo. E contra de quibusdam irrationabiliter viventibus dicitur in Psalmo : Sciant gentes, quoniam homines sunt. Homo sanctus erit, qui in sapientia manet ut sol, cum stultus ut luna mutetur. Sicut sæpe docuerat, hunc morem sibi statuerat, ut semper aut laboraret, aut meditaretur, aut oraret. Neque enim credibile est, ut vir sanctus aliter viveret, quam doceret. In ipsa ægritudine ultima, qua et mortuus est, laborabat : in extremis positus, lecto doloris decumbebat : et tamen stans aut sedens, orabat assiduus, et voce interclusa, labia motibus agitabat : adeo ad superna animo indefesso suspirabat. Sed jam nunc post viri sancti dicta et gesta, stylum convertamus ad miracula, tam quæ obitum præcesserunt, quam quæ sunt subsecuta.

*eodem semper est vultu :*

Psal. 9 21

a *Quæ a Gregorio IX infra dicuntur* Institutiones S. Guilielmi,
B *forte hic describuntur.* — b *Scilicet*, nec ea discutere, defectus eorum non judicare.

## CAPUT V.

### *Miracula in vita. Prophetia.*

Primum ergo miraculum, quod per servum suum Dominus fecit, ipse fuit. Si enim mirabile est, sanitati restituere corpora vel membra corporis quandoque moritura, quanto magis mirabilius est sanare animas sine fine victuras? Et si miraculosa est justificatio impii alterius, quanto magis sui ipsius? Scriptum quippe est : Miserere animæ tuæ placens Deo. Si plus est facere ex impio pium, quam creare cœlum et terram, an non miraculum facit magnum, qui se Dei gratia de profundo liberat vitiorum, et quæ retro sunt obliviscens, in anteriora se extendit? Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, dicit Jacobus Apostolus, et operit multitudinem peccatorum. Magnum igitur miraculum facit, qui se vel alium de peccato convertit. Et tanto, me judice, operatur mirabilius, quanto in regionem dissimilitudinis abierat remotius. Qui sarcina paupertatis et inediæ premitur, qui in vilitate humilitatis, et adversitate calamitatis consC tituitur, non longe a Deo ponitur : quia mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Sed dives et nobilis, potens et rigidus in prosperis, tanto longius a salute collocatur, quanto talium reditus ad conversionem et lamentum probatur rarior. Talis fuit Wilhelmi conversio, cujus de *a* longinquo facta est revocatio. Dominus enim per Esaiam dicit : Vocans ab Oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ. Sed quia hoc miraculum satis claret ex præcedentibus, jam ad sequentia festinemus.

Eccli. 30 24

Jac. 5 20

*semel a peccatis convertit*

*a*

Esa 46, 11

19 In diebus illis Pater sanctus, vir Domini Wilhelmus cum suo discipulo Alberto solitarius et quietus in suo residebat eremitorio : et quidam vir, Michius nomine, victum ei de Castellione, caritatis intuitu semel vel bis in hebdomada deportabat. Hujus viri puella laborabat febribus, quæ pro caritate panem a viro Dei benedici, et sibi afferri rogabat. Cujus cum desiderium prædictus Michius viro Dei cum intercessione supplicationis aperuisset, mox vir Dei præsumptionem fugitans, mittere quod rogabat, recusavit : adeo se peccatorem et omnium virtutum expertem reputavit. Sed ne *b* communis bajulus turbaretur, qui signum aliquod desiderabat videre, S. Albertus partes suas studuit interponere. Dicebat ergo periculum esse negare, quod pro caritate expetebatur, nec aliud id esse, quam de misericordia D cunctipotentis hæsitare. Cum audisset hos sermones vir beatus, qui semper erat pavidus, perterritus expavit, et madentibus genis erumpens in gemitum, panem oblatum signavit, sicque particulam in nomine Domini puellæ febricitanti destinavit. Qui degustatus, in Trinitatis nomine tribus puellis febricitantibus beneficium sanitatis est operatus.

*tres puellas febricitantes sanat pane benedicto*

*b*

AUCTORE THEOBALDO.

20 Alio tempore, cum nocte quadam more solito vocasset Albertum ad orationem, parva et tenuissima lampas juxta tectum evecta, casu contingente super pavimentum corruit, commota propter murium corrosionem. Et ecce oleum perditum est et effusum, sed mira Dei voluntate, vasculum integrum et illæsum permansit. Quod natura habuit, olei monstravit effusio : sed quod Creator potuit, lampadis fragilis patefecit illæsio. Qui statim surgens, discipuli somnolentiam ferventer increpavit, et Christi nomen benedictum in secula cum hymnis et laudibus exaltavit.

*lampadem corruentem servat illæsam.*

21 Nec prætereundum est, quod cum ad sanctissimum sui corporis festinaret obitum, accepit prophetiæ spiritum. Erant ambo solitarii habitantes unius moris in tugurio, discipulus et magister. Wilhelmus ægrotabat ad mortem, et Albertus famulabatur ut minister. Et cognoscens discipulus, quia ma- E gister moreretur, ut ad terram viventium raperetur, lacrymabiliter talia ad eum loquebatur : Heu, heu, qualiter unicum deseris filium Pater? Numquid post te superstes potero vivere? Numquid solivagus in hac obscura solitudine potero remanere? Si contingat recedere, quo accedam? Si contingat residere, quid agam? Quo me vertam? Penitus ignoro, quid sim facturus, quo iturus, vel quos comites habiturus. Consule tu o Pater tuæ oviculæ, quam usque modo servasti tam sedule. Si desolatam non formidas deserere, putasne poterit luporum evadere morsus? Si pastor recedit et vadit, lupus insidians accedit et invadit : et mirabile est, si ovicula solitaria secura incedit et evadit. Pater amantissime, ne me solum deseras, ne me desolatum derelinquas. Pro tuo solius consortio parentes et omnia terrena reliqueram, et in corde meo præponderabat tua sola grata præsentia omnibus, quæ deserueram. Quid ergo erit, si te miserabilis amitto, pro quo solo cuncta dimisi? Ad has voces Wilhelmus, super filium pia gestans viscera, blande consolatus est eum, dicens inter cetera : Sustine, fili mi, paullisper, sustine, et noli ingemiscere, quoniam antequam spiritus meus egrediatur de corpore, meliorem me socium tibi Dominus transmittere providebit. Hæc dixit, et post hoc quiescens, aliquanto tempore supervixit. F

*Moribundus Albertum discipulum tristem solatur,*

22 Post paullulum respiciens discipulus secundum arbitrium suum mortem magistri imminere, exclamando cœpit iterum dicere : En Pater, moreris, et promissum tuum erga me irritum facere non vereris. Cur quæ processerunt de labiis tuis, sic facis irrita, relinquendo me solitarium et superstitem in hac vita? Ecce jam egrederis extra præsens seculum, et solitarium deseris me famulum tuum. Cui rursus magister fiducialiter dixit : Esto constans : dixi tibi, sustine paullisper, ne ægre feras : ipse veniet quem desideras. Vix B. Wilelmus sermonem compleverat, et egresso de tugurio discipulo, vir illustris et prudens Reinaldus, medicinæ peritissimus, secularibusque affluens deliciis advenit, qui Alberti socius olim in scholis fuerat. Quo viso, Albertus occurrit in amplexus ejus alacriter, et salutaverunt se mutuo verbis pacificis familiariter. Tunc *c* Reinaldus secreto dixit Alberto : Doleo, mi Frater, super tam proximo transitu magistri tui. Didicerat siquidem mortem ejus jam ex ore ministri. Adjecitque : Cupiebam omnino mundo valefacere, et omnia mundana propter Christum relinquere, et vobiscum vitam solitariam ducere.

*prædicit socium adfuturum.*

*c*

AUCTORE THEOBALDO.

A ducere. Ad hanc vocem Albertus præ jubilo et exultatione cordis in terram procidens, genu flexit, et sublevatis in cœlum oculis ac manibus, cum fletibus dixit : Gratias tibi ago Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui meæ incredulitati subvenisti, et promissum Patris mei dignanter adimplere voluisti. Et conversus ad Reinaldum, Noli, inquit, Frater formidare. Ego in omnibus paratus sum tibi obedire, et Dominus reget nos, qui omnibus confidentibus in se paratus est subvenire. Vade ergo festinus, et ne cuncteris, et teipsum manibus trade Domini mei, antequam a nobis transeat ad gaudia æterna. Quo peracto Domini providentia, vir Dei prophetice dixit Reinaldo vera quidem verba, sed brevia : Vade, inquit, ne tardes redire, fili, et confortare, et noli diffidere : quia spiritus mammonæ totis viribus a sancto proposito te studebit retrorsum abducere. His dictis, egressus est Reinaldus, et postmodum reversus.

a *Hæc verosimiliora judicamus : atque ex iis arrepta occasio videtur priora affingendi.* b *Surius, pia oratio nonnil.* —c *Hic Reinaldus fingitur ab aliis medicus Ducis Aquitaniæ fuisse, et ita semper adfuisse S. Guilielmo.*

## CAPUT VI.

### *Obitus S. Guilielmi : sepultura.*

*Curat adduci Sacerdotem,*

B Post hæc sciens B. Wilhelmus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset pœnitentiam quod vixerat, in finem dilexit eam. Solvit ergo animum ejus, ut Albertum diluculo Castellionem pro Sacerdote cito dirigeret, qui ipsi pœnitentiam imponeret in extremis. Jussione ergo facta discipulo, tantus eum invasit horror et pavor frigoris, quod vix explicare valet sermo doctoris. Frigus enim prævalidum, flante Borea, solito asperius inhorruerat, gelu nimium iter scopulosum constrinxerat, et densa nix omnia cooperuerat, atque viam dealbaverat. Sed confortatus a magistro discipulus, relictis calceis, nudis ac teneris plantis cœpit ire : diffidens tamen, licet de jussione sollicitus, trepidabat obedire. Sed o miram fidem magistri, quæ negantem discipuli diffidentiam superaret ! Nulla vis algoris vel nivis eum omnino aut læsit, aut contristavit, aut quidquam molestiæ intulit. Dereliquerat autem ignoranter, priusquam ad Sacerdotem pergeret, supra magistri caput pauxillum candelæ ardentis, quam cum Sacerdote rediens ardentem, ut prius, reperit, et in nullo minoratam solo omnipotentis Dei miraculo. Mox Wilhelmus de manu Sacerdotis om-

*Ecclesiæ Sacramentis munitur*

C nia Sacramenta Christi rite suscepit, ea quidem reverentia et devotione, qua spiritualiter a spiritu Domini accepit.

24 Postea propinquante hora exitus sui, subito, licet incredibile videatur, primus pallor, qui ex cilicio, ferro, squalore ac inedia corpori ejus obrepserat, totus abscessit, vultuque clarificato ac lætis oculis, invisus antea color accessit. Jam deinceps operabatur in eo, cujus Pater usque modo operatur, et ipse operatur assidue, Dominus noster Jesus Christus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Defunctus vivere, et vivens mortuus videbatur, cui vivere Christus fuerat, et mori lucrum computabatur. Postea sciens Albertus, quia jam omnia consummata sunt, et quia ea, quæ de magistro suo sunt, finem sortiuntur, incœpit dicere antiphonam, quæ in egressu decedentium dicitur : Subvenite Sancti Dei etc. Psallebat etiam cum eo venerabilis Sacerdos, quem pro imponenda pœnitentia de Castellione vocaverat : qui, ut videret finem, cum solitariis duobus remanserat. Ipse vero transiens ad Patrem, in medio illorum jacebat, et irreverberatis oculis ac manibus sursum intendebat, evictumque in oratione spiritum, gemitibus ac suspiriis inenarrabilibus suspendebat. Interim Albertus præparans funeris exequias, cantando

D plorabat, et plorando cantabat, quia pium et salubre orare pro defunctis, et super mortuos producere lacrymas non ignorabat. Cum venisset ad locum illum, Occurrite Angeli Domini, exivit spiritus ejus, et reversus est ad Dominum, qui dedit illum, et a carne soluta sancta ejus anima, appositus est ad Patres suos, ambulans cum Deo, et obdormiens in Domino. Sic moriens in pace quietissimum sustinuit obitum, ut nullis notari posset indiciis instans vel momentum in quo emisit spiritum. In ortu moriendi magis videbatur dormiens, quam moriens : post actum magis soporatus quam exanimatus. Non enim, ut assolet, accedit ei *a* horripilatio, non frontis rugatio, non oculorum suffossio, non narium contractio, non nasi exinanitio, non hiatus apertio, non dentium commotio. Extenti pedes ejus et combinati, demissi lacerti ejus, et cruce signati, erecti sensus omnes, et quasi in aera sublevati. Nitorem coloris in facie, sicut in diebus juventutis, receperat, et omnis decoloratio solis et tribulationis abierat. A sole justitiæ Christo Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris.

*feliciter obdormit in Domino.*

Gen 50, 1

E 25 Cernens Albertus cum Joseph verum Israel obiisse, ruit in faciem animo consternatus, et tenens pedes veri Jacob, amplexando ejus sacra vestigia, reverenter osculabatur. Rursus autem refricatus est dolor de solitaria desertione : Rursus interpellatus est Pater de promissi tardatione. At ille introierat in potentias Domini, et jam potentior factus erat ad impetrandum. Non ergo passus est diutius discipulum sua expectatione fraudari. Nam Reinaldus, cunctis facultatibus suis in pauperes distributis, assidue quod a viro Dei audierat et viderat, animo æstuante revolvit, et cito post ejus obitum ad Albertum rediens, quod Deo promiserat, exolvit. Veruntamen gravissimæ dæmonum persecutiones, juxta præsagium S. Wilelmi, in conversionis primordiis non defuerunt ei : quibus ingruentibus, mox fugitabat ad tumulum viri Dei. Et quamdiu ibi erat, sicut postea referebat, nullas hostium molestias metuebat, sed in tanto præsidio securior, quam inter amicorum catervas permanebat.

*Reinaldus insignis medicus, fit S. Guilielmi sectator.*

26 Post hæc corpus B. Wilhelmi a discipulo et Presbytero more Christianorum ad sepulturam præparatur, et in hortulo, quem ipse, dum viveret, propriis manibus mundaverat, gleba illa sanctissima, super aurum pretiosissima, terræ commendatur. In quo loco postea humili schemate constructum est Orato-

F rium, ubi semper infirmantibus et variis languoribus depressis multiplex a Domino præstatur beneficium, et prope est Dominus petitionibus omnibus pie B. Wilhelmum invocantium. Ibidem cæcis restituitur visus, surdis auditus, claudis incessus, leprosis munditia, languidis convalescentia, mutis loquela : ibi furiosis dementia tollitur, et restituitur sanitas. Et generaliter de quacumque tribulatione clamantes, in quacumque necessitate ad locum illum properantes, S. Wilhelmi patrocinium sibi sentiunt adfuisse. Igitur anno Verbi Incarnati millesimo centesimo quinquagesimo *b* sexto, quarto Idus Februarii mortuus est, et sepultus in Stabulo Rodis vir Dei Wilhelmus, Dux et Comes illustris et magnificus, Domino coronante in cœlis spiritum, et ornante in terris corporis sepulchrum frequentibus signis. *c*

*Quando obierit.*

a *Ita MSS. et Surius.* At *Surius,* oris appellatio. *Est autem horripilare, horrentes pilos erigere. Ita lib. 3 Apuleii,* aures immodicis horripilant auctibus. —b *Quo anno mortuum fuisse S. Guilielmum intelligatur a Paschate inceptus, commentarius sequentem.* —c *Hic desinunt Acta a Surio edita : reliqua e MSS. supplemus.*

RELIQUA

A

# RELIQUA EX MSS.

## CAPUT VII.

### *Gloria S. Guilielmi ostensa. Ægri et energumeni sanati.*

E quibus aliqua, etsi non omnia sequentes Albertum relatorem fidelissimum, ad divinæ laudis cumulationem, Sancti sui commendationem et lectoris excitandam devotionem, in hoc opusculo recitamus, ut ex paucis multa, ex similibus similia, et ex minimis majora cognoscere solerter incipiamus. Post transitum B. Guilhelmi, propria genitrix Alberti, dolens amisisse filium, quem arctius diligebat, ubicumque terram poterat, absentem diligentius requirebat, et affectu naturali ducta, qui non assuescit in contrarium, cum luctu unigeniti et planctu amaro circuibat mare et aridam quæsitando, licet jam delapsa in senium: perlustratisque longis terrarum spatiis, tandem casu evenit ad S. Wilhelmi oratorium, ubi comperto filio fessa ex itinere, aliquandiu recreationis gratia resedit, et sæpe pernoctans solitaria, ad tumulum viri Dei sese in orationem dedit. Et confessa est, se vidisse B. Wilhelmum, in humano habitu, choris circumseptum cœlestibus, ibidem noctu psallentem dulcisonis vocibus, tantoque fulgore cum illis Angelicis spiritibus et sempiternis ardoribus radiabat, quo mulieris sensum excellentia luminis reverberabat. Vix oculorum contuitum usque ad psallentes devota mulier dirigere valuit: intantum fulgor ille ministrorum flammeorum disgregativus apparuit. Neque enim fas est eos in tenebris collocari, quos constat a tenebrarum operibus elongari, et per os Psalmistæ igni urenti comparari. Et quidam eorum, cum magnum Patriarcham Moysen niteretur præficere populo, in rubo accenso et non consumpto voluit apparere. Quid mirum de Angelis, si, ubicumque descendant, circumfulsiva claritate locum accendant, cum scriptum sit de hominibus, quod, ubicumque Israel erat, lux erat? Nulli ergo sit incredibile, in accessu civium supernæ civitatis, sacri viri sepulchrum irradiatum fuisse splendore coruscæ claritatis. Et quod amplius est, prædicta mulier, quæ igne penitus indigebat, ad prædicti fulgoris radios lucernam suam accendit, et quamdiu ibidem permansit ipsius ignis solatio usa est. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

*mater Alberti*

*vidit S. Guilhelmum inter Angelos psallentem illustratum cœlesti lumine.*

*Psal. 103, 4*

*Exod. 10, 23*

B

C

28 Audivimus in rei veritate, quod vallis, in qua jacet S. Wilhelmi corpus, ante ipsius adventum ita erat inculta, tenebrosa, necnon et terribilis, quod tam venatoribus, quam etiam pastoribus, nec cuilibet illic prohiberetur accessus. Et singulis annis putrida nebula cum tempestate maxima totam planitiem de Castellione operiebat, et segetes ac vineas consitas devastans, ita ut sterilis putaretur, de valle ipsa egrediebatur. Sed postquam prædictam vallem per servum suum Dominus visitare placuit, nullo modo ipsa nebula seu sterilitas, sed potius maxima fertilitas exinde apparuit.

*Vallis Stabulirodis e sterili fit fertilis.*

29 In castello Vico proximo quædam mulier gravi morbo, qui gutta caduca dicitur, [illegible] laborabat: sed ad sepulchrum viri Dei ducta, sub omni celeritate per Dei gratiam extitit liberata.

*ope S. Guilielmi sanatur laborans gutta caduca,*

30 Altera quoque de eodem Vico femina a phrenesi, vel ut magis creditur, a dæmonio dira vexabatur, et cum ingenti devotione ab eadem propria patria ad sacrum tumulum [illegible] reperitur.

*alia phrenetica,*

31 Apud vicum, qui a Alba dicitur, mulier nobilissima de castro b Vig[illegible] oriunda morabatur, sed graviter a dæmonio vexabatur. Nam arrepta a dæmone nunc sese in mare præcipitabat, nunc, qualiter igne, vel gladio, vel morte qualibet necaretur, apud se cogitabat, sicut ipsa postea domesticis referebat. Ducta igitur ad sepulchrum viri Dei, et tantæ præsentata sanctitati, incontinenti est restituta mentis serenitati.

*dæmoniaca.*

*a*

*b*

D

*AUCTORE THEOBALDO.*

32 Mulier quædam lumine privata et grandæva, a Tusciæ finibus egrediebatur, et peregrinationis gratia ab oratione B. Petri Apostolorum verticis revertebatur. Contigit autem, his diebus, ut in somnis visionem acciperet, quatenus ad eremitorium S. Wilhelmi, quod inter montes juxta Castellionem Burianensem situm est, properare deberet, ut ibidem lumen oculorum reciperet. Quo cum pervenisset, de ipsa aqua benedicta oculos suos abluit, et mox ante sacrum sepulchrum virtus ei Divina visum restituit, ita quod cum cæco Evangelico dicere potuit: Abii, et lavi, et vidi. Et iterum: Unum scio, quia cum essem cæca, modo video.

*cæca,*

*Joan. 9. 11. et 25.*

33 In castro c Campatnarico per annos plurimos unicum filium pauper vidua sic contractum custodiebat, quod se in latere revolvere, vel cibum propria manu sumere non valebat. Quæ ubi famæ clamoribus excitata de miraculis B. Wilhelmi rumores agnovit, mox filium contractum in omnibus membris inutilem, Deo ac Sancto ejus Wilhelmo devote devovit. Quid plura? Mox in domo propria ab infirmitate sua ex toto convaluit: haud dubium, quin absenti filio et remoto, fides genitricis istud promeruit.

*c*

*contracta,*

E

34 d Pecorarius quidam, nomine Dominicus, contractus per totum, deportari se fecit ad viri Dei sepulchrum: ubi, cum juxta desiderium cordis ejus fuisset delatus, mirificante Domino protinus est sanatus: qui caritatis succensus zelo, et tam miro propriæ incolumitatis excitatus beneficio, religionis suscepit habitum cum Fratribus in eodem domicilio.

*d*

*alius contractus,*

*qui fit monachus:*

35 Nec prætereundum est, quod Florentinus quidam, nomine Petrus, sic a gutta caduca percutiebatur, quod post percussionem octo diebus vel amplius, sensu et voce privabatur: qui particulam loricæ B. Guilhelmi suspendens ad collum devotissime, liberatum se sensit instantissime. Mox mirum in modum tantæ concaluit devotione caritatis, quod, venditis omnibus, quæ in mundo possidebat, et egenis erogatis, secutus est Dominum per semitam paupertatis, et adjecit semetipsum in tantum profectum religionis extendere, quod patentibus signis meruit effulgere.

*alius a gutta caduca sanatus,*

*dein monachus clarus miraculis*

36 Puellam quamdam e Grossetanam male dæmonium flagellabat. At illa per diversas Ecclesias fugitans, salutis suffragium devote postulabat. Sed Dominus sæpe non exaudiens ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem, protelabat sibi medelam expetitam. Denique civitatis ejusdem Episcopum, tædio jam affecta, consuluit, qui ad S. Wilhelmi eremitorium proficisci efficaciter monuit. Ivit, et ad tumulum S. Wilhelmi devota resedit, fusisque supplicationibus sese dilutius in lamentum dedit. Et ecce subito duo dæmones, aspectu terribiles, per os lamentantes exierunt: et omnes qui aderant laudes exultationis Deo ac servo ejus cantaverunt.

*e*

F

*energumena,*

37 Infelix altera puella a septennio peccatorum suorum nexibus exigentibus tradita dæmonio immundo fuerat: quæ audiens B. Wilhelmi proferri miracula, quæ ex longinquis partibus non tam advenerat quam accurrerat: et sperans de salute fiducialiter, coram sacro tumulo sese contulit precaciter. Sed revera cum malignus spiritus compede cujusdam incestuosi criminis illaqueaverat, et simul cum eo vasculum illud introierat, ideo absque collegio nequaquam exire decreverat. Ceterum miserabilis utriusque hospita peccatum suum confessori suo pandere non proposuerat: nam ad hoc forte dæmon ipsius laborabat. Sed Dei virtus, qui salvat sperantes in se, illum coegit, ita quod audientibus universis, dixit: Sumat de suo delicto pœnitentiam et ego

A ego sine mora recedam. Quo audito, universi, qui aderant; ex Dei misericordia dictum esse cognoverunt: et ad pœnitentiam accipiendam de suis mulierem criminibus vix tandem aliquanto efficaciter induxerunt. Et o mira confessionis virtus! o mira confitentis salus! Nam subito per sanguinis vomitum cum fœtore intolerabili et clamore horribili immundum emisit spiritum. Audiebant autem eam circumstantes singuli infrementem terribiliter et ululantem lacrymabiliter super amissione sui habitaculi. Obviaverunt etiam eidem quidam peregrini accedentes ad Sancti eremitorium, quem cum interrogassent, quisnam esset, nihil dicens, et dolens cœpit fugere per devium.

*AUCTORE THEOBALDO, EX MSS.*
*facta peccatorum confessione liberatur:*

38 Contigit autem paullo post eadem puella procedente extra loci circuitum, ut quidam de Fratribus in specie deterrimi vulturis videret eumdem vel alium immundum spiritum, qui mox in obscurissimum conversus fumum, per nares miseræ mulieris, et pejora prioribus patientis, domum unde exierat intravit, et illa voce miserabili in signum doloris exclamavit. Cujus audito clamore, qui intra ecclesiam stabant, ad eam exierunt, et ante sancti viri sepulchrum celeriter adduxerunt. Mox omnes præsentes B laici et Clerici simul in unum convenerunt, et cum letaniis supplices manus flebilesque voces pro ejus ereptione ad Dominum levaverunt. Qui exaudivit eos, juxta quod impossibile est, preces multorum non exaudiri, et expulit dæmonem virtute propria superatum præsentia sepulchri sancti viri. Egrediebatur foras ab obsesso corpore, et loquebatur in idipsum murmurans cum rancore: Accipite, inquit, illam quia exire compellor. Væ mihi, quia sic a Wilhelmo conculcor. Revera hic non est derelictus in die certaminis iniqui, et ipse conculcavit caput serpentis antiqui. His visis, universi, qui interfuerunt, Deo omnipotenti in Sancto ejus immensas gratias egerunt.

*et iterum possessa,*
*aliis pro ea orantibus*
*liberatur*

39 Fuit etiam quidam homo non videns, qui forte non pro suis vel parentum suorum peccatis, ut de cæco spato Christi illito legitur, fuerat excæcatus; sed ut in illo Dei potentia glorificaretur, et Wilhelmi virtus manifestaretur, longo tempore lumine oculorum erat privatus. Hic excitatus ex novellis Wilhelmi miraculis ob famæ relatum, devenit ad locum sepulturæ per alterius ductum, et effusis precum suspiriis ante sacrum altare, ex totis præcordiis suis in hunc modum cœpit orare: Domine Jesu Christe, qui pro universorum redemptione in hunc mundum C descendisti, qui servum tuum in hunc locum pro multorum curatione transmisisti, per ipsum deprecor te, piissime, ut lumen dare digneris peccatori isti, quo recepto, glorificem nomen tuum assidue, et Sancti tui quem benedixisti. His dictis continuo ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ piscium, et coram sepulchro visum recepit, procul dubio per Wilhelmi præconium.

*cæcus*
*Joan. 9. 3.*
*dictis precibus*
*illuminatur*

40 Alius vir, licet egenus, cum suo munusculo devotus ad servi Dei oratorium de longe venerat, qui per octo annos sic se contractum fuisse omnibus membris confessus est, quod ad aliquam partem vix inclinare se poterat: sed et loquelam per quinquennium ita, ut mutus putaretur, amiserat. Hic auxilia medicorum frequenter expetierat, et sua in salariis eorum prodigaliter effuderat: sed sanitatem minime receperat, intantum nihil profecerat. Mox pius Dominus, qui post tempestatem tranquillum facit, et post longas ægritudines salutem tribuit, ad servi sui gloriam sic ante sacrum corpus ejus eum perfectæ incolumitati restituit, quod præcedentis incommodi solam vix memoriam retinuit.

*contractus et mutus,*
*sanatur*

a Loudeor in diœc. [illegible] — Thiecem mart. mo, e regione insulæ [illegible] — [illegible] — b MS. Ultraject. Jugiali, forte Orgiali, ut est in eodem fine. — c Vulgo Campagnatico ad Umbronem flum. Cavalcantinus Campagnatico scribit. — d MS. Ultraject. Prætoriarius. — e Grossetum urbs Episcopalis, sub qua est Stabulum-Rhodis, ut supra dictum. D

## CAPUT VIII.

### *Miracula in incendio, tempestatibus, rebus amissis, captivis, et ægris facta.*

Contigit alio tempore, ut nemus, quo sancti viri oratorium circumcingitur, igne devorante vehementem combustionem pateretur, ita ut tam ecclesiam quam cellulas Fratrum undique complecteretur. Tunc benedictus viri Dei minister et famulus, ceterique Fratres, grave periculum videntes, et de loci liberatione desperantes, contremiscebant, et quidnam consilii caperent, omnino nesciebant. In articulo diei illius consilium non tam repererunt, quam cœlitus missum receperunt: videlicet ut reliquias S. Wilhelmi cum aqua benedicta sumerent, et cum letaniis et Hymnis Christi misericordiam implorantes, igni pariter obviarent: quod et factum est. Nam ejus reliquiis contra instantem ignem appositis, sine mora retrorsum conversum est incendium et sic ab imminenti periculo illæsum permansit domicilium, sicque, quod extincta sunt incendia, non imbris, sed Confessoris Christi fuit præsentia. E

*incendium vicinum*
*allatis reliquiis S. Guilielmi*
*repellitur:*

42 Duo homines de monte *a* Ambiaci circa idem tempus ægritudinem paralysis patiebantur intantum, ut frequenter ora ad cervices retorqueri videbantur. Hi plurimorum medicorum solertiam exquisierant, multarum herbarum potiones amarissimas ad redemptionem corporis ebiberant: sed in talibus vitam spiritus sui non invenerant. Nam revera neque herba neque malagma sanavit eos, qui ut miraculorum novitatem et Wilhelmi potestatem apud Deum famæ clamoribus audierunt, Deo et Sancto ejus semetipsos humillime devoverunt, et sic ambo pristinam sanitatem acceperunt.

*a*
*duo paralytici sanantur:*

43 Vir quidam de *b* Monte-Paschali aliquando a suis inimicis captus, in obscurissimo carcere fuerat collocatus, manibus insuper et pedibus catenatus. Hic signorum S. Wilhelmi plenam acceperat notitiam, antequam retruderetur in hanc tenebrarum exteriorum miseriam. Cumque ibidem diutius resedisset, auxilio se omnino videns destitutum humano, prudenter cœpit cogitare intra se de Divino: et S. Wilhelmi flebiliter expostulans suffragium, votum sibi vovit, quod, si eum eripere de captivitate hostium, statim absque mora ad ejus accederet oratorium, F Deo ac sibi gratias acturus super tale beneficium. Oratum est usque ad noctis medium, et ecce corruentibus undique compedibus, solvitur corpus et utrumque brachium, exit absolutus, quia, Wilhelmo aperiente, nullum clausum ostium reperit. Sed quid ageret humani generis inimicus? Ipso suggerente, post tantum beneficium, rupto jugo, votum irritavit et fregit, atque ad domum propriam reverti mox elegit. Sed tantum flagitium non impune tulit. Quinimo post modicum tempus juxta atrium domus suæ captus, et denuo incarceratus, pejora prioribus pertulit, eo quod votum semel egressum de labiis adimplere distulit. Audiant hoc et paveant, qui justa vota sua semel emissa non verentur irritare, qui Dominum arbitrantur non curare. Curat profecto, etiam non curantes non amat, qui per Prophetam clamat: Vovete et reddite. Vovere enim voluntarium est, sed reddere necessarium.

*b*
*captivus*
*facto voto S. Guilielmo*
*divinitus liberatur,*
*voto non impleto, iterum capitur:*
*Psal. 25. 12*

44 Mulier quædam *c* Scarlinensis, omnibus membris arida et contracta sic erat, quod nullatenus nisi per alterius adjutorium moveri poterat. Hæc postquam in medicos facultates frustra consumpsit, ad S. Wilhelmi oratorium ob reparationis adjutorium iter assumpsit, nec eam Dominus a spe sua diutius defraudavit,

*c*
*contracta et arida membris sanatur:*

A defraudavit, sed mox sanitate pristina restituta, incolumis ad propria remeavit.

*alius e periculo submersionis eripitur :*

45 Contigit alio tempore quemdam virum in diluvio aquarum multarum velle fluvium unum transvadare natando, quem cum intrasset, violentia et impetu superatus aquarum, cœpit trahi longius naufragando : cumque jam semivivus deberet quasi spiritum exhalare, cœpit Wilhelmi Patroni auxilium in mentem revocare, et ejus patrocinium ex medullis cordis anxius implorare. Et ecce, quasi foret per ulnas elevatus, factus est denuo fortificatus, et sic ab imminenti periculo liberatus est.

*claves amissæ*

46 Aliud quoque referimus mirabile prodigium, quod Dominus per servum suum operari dignatus est, ad utilitatem omnium legentium. Mulier quædam pauperrima quadam die pro colligendis lignis necessariis ad silvam perrexerat; sed claves, domus suæ perdidit, quas incaute detulerat. Cumque domum regressa minime ad latus conspexisset pendere claves, in lamenta se protinus amarissima dedit et planctus graves. Inter plorandum vero Wilhelmi præconia occurrerunt ejus memoriæ, ad quem conversa, ut sibi claves redderet, supplicavit anxie. Et exaudivit eam Dominus, qui est mœstorum solatium, et præcipue B in simplicitate cordis ad eum clamantium. Res mira et nostris temporibus inaudita. Nam subito muliere lacrymante et præsidium invocante, latrabile animal Creatori et Sancto ejus deserviens, ore suo bajulans mulieri claves restituit, quas ante perdiderat. Quo viso mulier exilarata, Dominum benedixit, et Sancto ejus immensas gratias egit.

*a cane referuntur :*

47 Alia mulier nobilissima secreta quadam gravabatur ægritudine pessima, cui crebris balneationibus aut unctionibus nulla poterat a medicis exhiberi medicina. Contigit autem, nutu Divino concurrere causas faciente, unum de Fratribus S. Wilhelmi per locum transire vel ad locum devenire. Agnoscitur transiens et advocatur, consilium de mulieris ægritudine postulatur. Et ille : Consilium meum est Dei, et Sancti ejus, protectoris nostri, Wilhelmi subsidium implorare, et promittere se, si convaluerit, mox ejus sepulchrum nudis plantis et cilicio visitare : factumque est ita. Nam vovit et evasit, et post modicum quod promiserat, consolvit.

*mulieris secreta ægritudo sanatur :*

*alius contractus :*

48 Erat in Castellione mulier Deo ac Sancto ejus fidelis et devota, cujus unigenitus filius contractionem sustinebat per membra tota : qui cum ad locum sepulchri S. Wilhelmi, procurante matre, fuisset C delatus, et coram eo diu est lacrymatus, et post hæc ab incommodo perfectissime liberatus.

*tempestas maris,*

49 Quadam die quidam nautæ descenderant in navibus mare tranquillum, et jam recesserant a terra non pusillum. Et ecce subita tempestate motus magnus factus est in mari, et intantum mirabiles erant elationes maris, ut omnes crederent periclitari. Intumescentibus igitur vehementius fluctibus maris, ad Dominum omnes clamabant, et de sua jam salute desperantes, circumquaque per navem sese velut mortuos jactitabant. Et exaudivit eos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ et in mari longe : Nam Paracleti unctio uni eorum devotionem fidei inspirando cumulavit, qui ad S. Wilhelmi invocationem ceterorum corda excitavit. Mox omnes sublevatis ad cœlum manibus et vocibus gemebant, et cum spiritu devotionis ad malum navis crumenas appendebant. Inerat omnibus ardor ingentissimus cordium, erat una vox mœrentium in hunc modum clamantium : Sancte Dei Wilhelme, si vera sunt quæ de te audivimus, nunc in summo periculo sentiamus, quatenus de sævientibus fluctibus eruti, Deo et tibi gratias referamus. Mox illis clamantibus omnis pelagi fragor conquievit, et tempestate sedata mare conticuit. Tunc jubilus lætantium, tunc unus clamor omnium laudes Deo canentium et gratias agentium. Pacata igitur sulcantes æquora, quantocyus adepti sunt securitatis littora. Et egressi de navibus, sciscitabantur quomodo vel quemadmodum sepulchrum S. Wilhelmi decorare possent votorum suorum muneribus. Factum est autem, dum hæc volverent, ut duo ex Fratribus per locum illum Dei nutu transitum facerent. Et illi mox sine indice, cognoverunt Fratres, quos numquam antea viderunt, qui ad terram prostrati pedes Fratrum devotissime tenebant, Deo ac ejus Confessori gratias in omnibus agebant, et qualiter de mortis confinio, S. Wilhelmi præsidio fuerint erepti, palam omnibus referebant. Tunc Fratres his auditis manus ad cœlum levaverunt, et laudes Deo canentes, gratias egerunt, et accepta liberatorum oblatione, super tumulum liberantis detulerunt cum gratiarum actione.

*invocato S. Guilielmo,*

*sedatur.*

D

*AUCTORE THEOBALDO EX MSS*

*iterum aliis,*

50 Idem accidit aliis hominibus de Castellione, qui super mare in securitate navigantes, viderunt a longe mare vehemens et exitium veniens in perturbatione, et secundum causas inferiores erat in januis et navem periclitari, et navigantes naufragari. In turbine illo perculsi nimio terrore, recordati S. Wilhelmi domestici eorum miranda præconia, cui plura E jam alia exhibuerant servitia : et conversi ex animo ad Patrem alumni, pro præsidio clamavere familiariter, qui omnibus subvenire non cessat ipsum invocantibus fideliter. Continuo advocantes virtutem advocati senserunt; et placabile tempus receperunt, et ad portum salutis applicuerunt. Quis ergo tacere queat tanti Patris præconia, cujus nautæ præsidia senserunt in angustia, et rediit lætitia?

*ac tertio.*

51 In tempore illo quidam trapezetæ Senenses cum promisso munere ad sancti viri oratorium devenerunt, cujus auxilio de pelagi periculo se mirabiliter ereptos asseruerunt. Ex his et talibus et his similibus clarere potest, qualis et quantus sit apud Deum iste servus Dei, quia mare et venti tam celeriter obediunt ei. Per omnia benedictus Deus libere agens Deus ultionum, qui talem nobis donare dignatus est Patrem et Patronum.

a *Cavalcantius* de Monte Ablato *est et locus* de Monte Antico *prope Umbronem flumen* — b Modico ob ripæ spatio, *inquit Leander*, in colle Mons Piscalus apparet, unde Castillo Piscalio cognomen traxit. — c Scarlinum *vicinum oppidum in colle, Populoniensis ditionis, cujus ager fertilis vini, olei et ceterarum frugum.*

## CAPUT IX.

### *Energumeni liberati. Auctor Vitæ scriptæ aliique ægri sanati.*

*a*

F

*a dæmone possessus,*

Alio tempore juvenis quidam de *a* Orbitello a ferocissimo dæmone taliter arreptus erat, quod non solum omnes artus ejus deorsum incurvaverat, sed et loquelam atque somnum ab eo penitus abdicaverat: et, quod amplius admirandum est, proprio gladio perimere sese compellebat. Sed, qui vult conversionem peccatoris et vitam, Dei misericordis clementia non permittebat. Attamen carnis superficiem sæpius incidebat. Qui cum annis duobus et septem mensibus permansisset ita laceratus graviter, ut etiam mundum totum alteratum, atque quasi redactum in nihilum, seque immortalem putaret veraciter; ipsum audire de Wilhelmi præconiis a referentibus accidit casualiter. Qui mox navem ingressus, comitumque frequentia circumseptus, portum Castellionis feliciter est adeptus, ubi reperit hominem avarissimum cum unico asino, super quem ut ad eremitorium S. Wilhelmi deportaretur, a mercatore pessimo vix tandem obtinuit pretio gemino. Videbat etenim aliud animal ad manum pro vehiculo non adesse, et ideo caristiam animalis augmentabat ei, quem sciebat equitaturam habere necesse. At cupiditatis lubrico ultio Divina non defuit : nam asino in domum domini

*delatus ad S. Guilielmi corpus,*

*(asino ob veceturæ pretium geminatum extincto;*

A domini sui in vespera redeunte, continuo mortuus corruit. Super quo exhilarata tota confinitas, de condigna vindicta Divinæ justitiæ laudes et gratias egit infinitas. Ægrotus autem coram sepulchro est allatus Confessoris, ubi tam diu fusis precibus accubuit prostratus, quousque non longe post assurrexit incolumis et sanatus. Qui benedicens Deum in Sancto ejus super collata sibi gratia, lætabundus remeavit ad propria.

*AUCTORE THEOBALDO liberatur.*

*e lapsu graviter læsus,* b

53 Fuit quidam Sacerdos de *b* Monte-Ursario, qui super asellum incaute insidens, prolapsus est in medio, ita ut non solum sequeretur artuum comminutio, sed et humerus avelleretur a junctura sive a loco proprio. Mox ad domum propriam semivivus bajulatur, a quo vicissitudo revolutionis de latere in latus nullatenus toleratur. Videns ergo humano penitus auxilio se privari, cœpit mirabilium beneficiorum S. Wilhelmi recordari. Mox eo jubente textus Evangelicus apportabatur, super quem jurejurando pactum ab infirmo firmatur, quod, si eum Dominus per Sanctum suum liberaret, ipse festum ejus annuatim celebraret. O mira voventis necessitas! o mira voti efficacitas! o mira remedii celeritas! Nocte proxima Sanctus optatus adfuit, et cum duabus candelis irradiantibus illi apparuit, qui dorsum et B humerum linendo linire studuit, et omni remoto dolore, sub omni celeritate sibi sanitatem restituit. At ille in mane die Dominica secundum possibilitatem humanæ fragilitatis ad laudes Redemptoris ejusque Confessoris surrexit, et quantas potuit exultationis voces, una cum commissa sibi plebe, Deo ac Sancto ejus Wilhelmo porrexit.

*facto voto celebrandi ejus festum*

*sanatur a S. Guilielmo apparente:*

*corpore conquassata* c

54 Erat mulier quædam *c* Campiliensis, nobilis genere, sed nobilior fide, toto corpore confracta et conquassata, quæ ad sancti Patris oratorium a parentibus est delata. Sed cum ei Dominus salutem, non sine caussa, tamen occulta, protelaret, contigit, ut quasi diffisa domum propriam remearet. At Dominus nolens eam tanto calore fidei frustrare, ad equitantis valetudinem servum suum Wilhelmum dignatus est delegare. Qui eam per ulnas extollens honorifice, mox confractam redintegravit mirifice. At illa gaudiis exultans ineffabilibus, mox ait parentibus: S. Wilhelmus ex integro me liberavit propitius: deponite me cursuram quantocyus. Quod ubi *d* Martinus Episcopus et multi alii, qui eis obviam occurrerant, audierant, præ gaudio lacrymantes liberatoris oratorium reverterunt, et mirabilem Deum in C Sanctis suis glorificantes, quæ viderant retulerunt.

*apparente S. Guilielmo sanatur:*

d

*liberatur a 17 dæmonibus,*

e

55 Vir quidam illustris in civitate *e* Castrensi morabatur, qui a decem et septem immundis spiritibus intolerabiliter vexabatur, sed semper ad suffragia Wilhelmi se recessuros fatebantur. Unde factum est, ut quidam de sibi servientibus eum ad Sancti oratorium ducere niterentur. Quibus ob locum venientibus, dæmones adeo sæviebant, quod hominem quasi volucrem, per cellas volitare, et, quasi cervum per silvas cursitare cogebant. Profundis igitur suspiriis flebant et in hunc modum plangendo dicebant:

*in oratorio S. Guilielmi plangentibus,*

Cur miseris inimicus eris, Wilhelme beate?
Ex propriis, heu! heu! spoliis expellimur a te.
Arida sobrietas jejunii nos male lædit
 Vultus, cui cedit impia calliditas.
Prædas nostrorum rapuisti jam sociorum
 His vel debilibus parcito supplicibus.
Urimur ecce satis ex igne tuæ bonitatis.
 Confusis liceat omnis ut ire queat.

His dictis egressi sunt de ejus corpore quindecim spiritus teterrimi; duo vero residui nondiscesserunt, videntibus qui astabant universis, in nocte solemnitatis Confessoris beatissimi. Post recessum tamen quindecim, a duobus superstitibus iterum est vexatus et miserabiliter flagellatus. Nam ad domum propriam recesserat et credens se omnino liberatum, D oratorio S. Wilhelmi valefecerat. Mox sub omni celeritate ad viri Dei oratorium revocatur, et Wilhelmi meritis rursum a duobus potenter liberatur: cujux mox servitio famulus perpetuus mancipatur, ac sancto liberatori ejus, gratiarum atque laudum præconia modulatur.

*liberatur duabus vicibus.*

56 *f* Ecce hæc sunt quæ de sancti ac venerabilis Confessoris Wilhelmi miraculis, alio revelante, cognovimus: jam nunc liceat stylum convertere ad ea, quæ oculis nostris conspeximus, vel in nobismetipsis comperimus. En ego ipse, qui hæc scribo, ex quo primo viri Dei, Fratribus ejusdem Ordinis referentibus, notitiam habui, multa ægritudinis et doloris incommoda sustinui. Nam a Nativitate ferme Mariæ Virginis gloriosæ usque ad Octavas Epiphaniæ impuritate renum, splenis et hepatis ac totius corporis continuo laboravi, et pluries (confiteor) posse me evadere mortem desperavi. In Octavis vero Epiphaniæ de media nocte natura recalcitrans, omnem intraneam et venenosam impuritatem projecit ad exteriora, et intumescente facie immutata sunt ægrotantis ora. Quid plura? Occupante inflatura vultum et guttura, factus sum ex toto nihil videns per triduum, et ingerebant nares meæ astantibus fœtorem intolerabilem atque continuum. Si tentabam E quid cibi aut potus, vel exiguum sorbere, ducebar ad martyrium, et quasi exanimis effectus vix profundum emittebam suspirium. Vocatus est medicus in articulo horæ illius, et affuit, et quasi de me ipso desperans, tandem aliquando phlebotomiam in utroque brachio fieri commonuit. Audiebam interim Fratres sub sibilo auræ tenuis susurrantes, et mortem mihi in januis imminentem sibi invicem flebiliter intimantes. Facta igitur diligentius quam potui omnium meorum confessione peccaminum, ex totis præcordiis meis converti me ad deprecandum Dominum. Domine Deus meus, inquio, meritis et intercessione Wilhelmi Confessoris tui gloriosissimi, miserere hujus inflati desperatissimi. *g* Sanctissime Wilhelme, adhuc in vita tua consummanda restat inserendum unicum capitulum: benignus respice, quousque perficere valeat laudes tuas quas incœpit, super hunc ægrotantem servulum. His dictis ultra vanam spem multorum ab illa hora paullatim convalui, et in crastino cum admiratione cunctorum oculos aperui, et *h* vitam liberatoris, quam morbus interruperat, post dies paucos perficere potui. Et quomodo ego silere queam? quomodo a laude ejus tacere valeam? Denique ipse me turgidum ad vitam mirabiliter revocavit, et ad extremum Prior Provincialis F Franciæ una cum Fratribus suis, quorum votis non erat fas resistere, id mihi humiliter supplicavit. In his omnibus munitionibus hauria protectionis præsidium, quoties audio contra me linguas criminantium, et innocentem de præsumptione lapidantium. His igitur sit finis de vita et miraculis Wilhelmi Comitis ac Ducis mirabilis. Per omnia gratias agamus Domino Deo, qui non amovit gratiam et misericordiam suam ab eo. Ipse igitur Dei filius, qui B. Wilhelmum de profundo interiore liberavit, et attraxit ad superna polorum, meritis ejus et precibus misereatur nostri servulorum suorum, qui est Deus Deorum vivens et regnans in secula seculorum Amen.

f

*Auctor Vitæ*

*partibus interioribus male affectis.*

*triduo cæcus,*

*jamque moribundus,*

g

*eo invocato, sanatur.*

h

a Orbitellum oppidum sua munitione celebre, ad lacum cognominem [illegible] maritima [illegible]. — b Vulgo Monte-Orsaio, ultra Montem-Pesc[illegible]. — c Vulgo Campiglia inter Montaltum [illegible] Senense versus Orientem. — d Hic Martinus, [illegible] Italiæ sacræ, Episcopus Grossetanus fuit anno 1174, et interfuit Lateranensi Concilio sub Alexandro III Papa anno 1179, cujus successor Gualfredus an. 1187 [illegible] S. Laurentii de Ardinghesca. — e Castrum [illegible], Ducatus caput inter Senensem ditionem et [illegible], ubi Patrimonio S. Petri adjungitur ad [illegible] ad familiam Farnesiam [illegible]. — f Petrus Silvius historia miraculorum huc usque enarrata, subdit: Quidam Sacerdos Canonicus Norbertinus monasterii

*Martinus Ep. Grossetanus.*

AUCTORE G. H.

A *castitatis factum credi potest. At fuisse in Europa diu ante varios ubique eremitas secundum Regulam S. Augustini degentes clarum est, attestante etiam Innocentio III, dum lib. 2 regest. 14, epist. 87 et 88 Confirmat abbati et conventui Majoris-Monasterii Turonensis monasterium Fontis-Giardi, ius diu ante ab Episcopo Cenomanensi donatum, quod* Fratres Eremitæ, ab institutione loci secundum B. Augustini Regulam conversantes, vitæ ac conversationis extitissent dissolutæ et inhonestæ. *Pari ratione arbitramur ab eodem Innocentio privilegia fuisse concessa particularibus domibus Eremitarum S. Augustini, quale datum est eremitorio S. Antonii, in Ardigneta ditione Senensi maritima sito, cujus* privilegii formam se vidisse *testatur Jordanus loco supra indicato, additque post hunc Innocentium sedisse* Honorium Papam III, qui Ordines Prædicatorum et Minorum confirmavit, (*unde et Fratribus Eremitis de Monte Fabali concessit Regulam S. Guilielmi, ut supra diximus) eumque* aliqua loca Eremitarum S. Augustini sub protectione Sedis Apostolicæ suscepisse. *Sed nullam hujus Bullam reperit Empoli.*

*privilegia particularibus domibus data.*

5 *Successit Honorio Gregorius* IX, *creatus* XX *Martii* B *anni* CIƆCCXXVII, *qui magno animi ardore procuravit, ut, quotquot vitam monasticam aut eremiticam, profiterentur, aliquam ex probatis regulis assumerent. Ita apud Cherubinum Laertium tomo* 1 *Bullarii Ordini Fratrum B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum indulsit hanc Bullam, quæ istic num.* 9 *habetur :* Devotionis vestræ precibus inclinati, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut, cum nondum aliqua sit a vobis ex Religionibus approbatis assumpta, B. Augustini possitis Ordinem profiteri. Datum Perusii XVI Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno VIII, *Chr.* CIƆCCXXXV. *Ordinem vero Fratrum Eremitarum* de Brictinis, *quem supra diximus inter quinque classes Eremitarum numerari, postquam idem Gregorius* IX *Bulla Laterani data anno* I *Pontificatus* VI *Kalendas Decembris, hoc exordio,* Sacrosancta Romana Ecclesia, *in protectionem Sedis Apostolicæ susceperat ; anno sequente eidem concessit Regulam S. Augustini. Ab utraque hac Bulla Pontificatum ejus exorditur Laurentius Empoli in Bullario Augustiniano, ex quo secundum in Alphabeto Augustiniano, edidit Herrera his verbis :* Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, Fratribus eremi de Brictinis Fanensis diœcesis, et aliis Fratribus eremi ipsis sub-C jectis, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum olim, sicut intelleximus, motu proprio quemdam novum Ordinem inveneritis, et ad ipsius observantiam vos duxeritis astringendos, quia tandem illo relicto, cum non esset de Ordinibus approbatis, B. Augustini Regulam recepistis, eamque cupitis in perpetuum irrefragabiliter observare; Nos vestris supplicationibus inclinati, vos ab observantia prædicti Ordinis absolventes, a vobis perpetuis temporibus inviolabiliter observari concedimus Regulam memoratam. Nulli ergo etc. Datum Perusii VI Idus Decemb. Pontificatus nostri anno II, *Chr.* CIƆCCXXVIII. *Idem Gregorius* IX *aliam eisdem Fratribus eremi de Brictinis concessit Bullam,* Perusii III Idus Martii anno Pontificatus VIII, *hoc exordio :* Quia omnium Conditoris honorem. *Ea confirmat eorumdem Fratrum Constitutiones, quibus præscribitur forma vestimentorum, ciborum qualitas, modus Capitulum celebrandi.*

*Gregorius IX regulam S. Augustini concedit, Ordini B. Mariæ de Mercede,*

*Fratribus eremi de Brictinis,*

an. 1228.

6 *Eosdem Eremitas de Brictinis benevolo favore prosecutus est Innocentius* IV, *in multis variis Bullis ab Laurentio Empoli Bullario Augustiniano insertis : in horum aliqua indulgentiæ conceduntur iis, qui eleemosynis juvant hos Fratres de Brictinis. Idemque alia Bulla commendantur Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ecclesiæ Antistitibus; ut illis horum eleemosynarum acquirendarum facultas non impediatur. Alia denuo appro-*

*his varia privilegia concedunt Innocentius IV*

*bantur eorum constitutiones, cum facultate eligendi De-* D *finitores secundum Regulam S. Augustini : alia mutare locum prohibet. Alia quædam data est secundum hæc verba exordii,* in caussa, quæ inter Priorem et Fratres Eremitarum de Brictinis in Marchia Anconitana ex parte, et dilectos filios Fratres Minores ejusdem Marchiæ ex altera *etc. Aliæ duæ missæ sunt Octaviano Ubaldino S. Mariæ in Via-lata Diacono Cardinali, quibus præcipitur monasterium Vallis-Petræ S. Mariæ Magdalenæ in diœcesi Bononiensi, Ordinis S. Benedicti, transferri ad Congregationem Eremitarum de Brictinis. An res hæc ad effectum perducta fuerit, certo affirmare non audet Herrera in Alphabeto Augustiniano, ubi allegat tertiam Bullam ideo datam, assignatis in judices Archiepiscopo Ravennate, et Episcopo Mutinensi. Denique Alexander Papa* IV *Bulla data Neapoli* IV *Idus Aprilis, anno Pontificatus* I, *qui fuit* CIƆCCLV, *varia iisdem privilegia, immunitates et gratias aut ante acceptas confirmat, aut de novo concedit : uti inter alia facultatem, mortuo Priore Generali, novum eligendi secundum Regulam S. Augustini. Est similis Bulla, ut mox dicetur, pluribus Eremitis data sub hoc exordio :* Religiosam vitam eligentibus. *Suos igitur* E *Priores Generales huic Congregationi Eremitarum de Brictinis proprios fuisse constat; ex quibus Andream quemdam fuisse tempore Gregorii* IX *testatur Alexander* IV *in Bulla priore (nam duas sub eodem exordio,* Recordamur liquido, *edidit) Laterani* VIII *Kalendas Martii anno Pontificatus* II *data, in qua hæc leguntur :* Intelligentes Frater Andreas tunc Generalis Prior de Brictinis, et alii Fratres sui, quod ad prædicta servanda, sicut et ceteri, cogerentur, ad ejusdem prædecessoris (Gregorii IX) præsentiam accesserunt *etc. De aliis Generalibus infra agemus. Extat prædicta Bulla apud Waddingum in Apologetico Franciscano, mox citando, cum tribus aliis hujus Gregorii* IX, *in quibus ejusdem Andreæ Generalis meminit.*

*et Alexander IV*

*fuerunt sub proprio Generali,*

*Andrea,*

*aliisque.*

## § II. *Congregationes Eremitarum B. Joannis Boni et S. Guilielmi apud scriptores confusæ : illis data Regula S. Augustini, his S. Benedicti.*

A*lia ex supradictis Eremitarum Congregationibus est anno* CIƆCCIX *in eremo Cæsenate instituta a B. Joanne Bono, Mantuæ anno* CIƆCCXLIX *die* XXIII *Octobris vita functo, quem Sixtus Papa* IV *anno* CIƆCCCCLXXXIII, *Pon-* F *tificatus sui* XII, *Beatum declaravit, ut ex MSS. Miscellaneis Francisci Zarzeræ ad Beatificationem pertinentibus, Romæ in Archivo novæ ecclesiæ Patrum Congregationis Oratorii servatis, tradit Empoli in Summario Apostolicarum Constitutionum ad Calcem Bullarii Augustiniani. De B. Joanne sæpe agit Lucas Waddingus in Apologetico de prætenso monachatu Augustiniano S. Francisci, et in hujus Apologetici defensione tertiæ editioni adjuncta, ubi sect. 5 ejus annos accurate digerit, assignato anno* CIƆCCXXXIII, *quo illi ejusque sodalibus concessit Regulam S. Augustini idem* Gregorius IX. *Hanc B. Joannis Boni congregationem non distinguunt ab Ordine Eremitarum S. Guilielmi, plures magno cum errore crediderunt, ex his Genebrardus lib. 4 Chronographiæ ad an.* 1171, *quo B. Joannes quartum ætatis agebat annum, hæc scribit :* Ordo Wilhelmitarum, sive Gulielmitarum, quos vocant Eremitas, sumpsit initium a Joanne Bono Mantuano, nomen autem a Gulielmo Aquitaniæ Duce et Pictaviensium Comite : qui eam familiam condidit, ut sectarentur collectam ex D. Augustini operibus Regulam. *Utrumque etiam conjungit Josephus Pamphilus infra proferendus, et Joannem Bonum, quasi Gulielmo seniorem, priore loco collocat. Jacobus Gualterius in Tabulis Chronologicis, describit Genebrardum, sed ad annum* 1159, *allegato Onuphrio, qui ad*

*Congregatio Eremitarum a B. Joanne Bono cœpta an. 1209.*

*apud nonnullos ab Ordine S. Guilielmi non distincta :*

A *ad annum* 1160 *de S. Guilielmo solum agit his verbis :* Ordo Fratrum Eremitarum S. Guilielmi sub Regula S. Augustini a Guilielmo Aquitaniæ Duce factus.

8 *Utriusque ergo familiam distincturi, exordium Congregationis B. Joannis Boni repetimus ex Bulla Innocentii* IV, *quæ incipit :* Admonet nos cura, *relata in Bullario Augustiniano num.* 14, *in Originibus Eremitarum S. Augustini a Joanne Marquez editis, cap.* 13 § 17, *et in Monastico Augustiniano Crusenii par.* 2 *cap.* 28 : *in qua Bulla res gestæ a Guilielmo S. Eustachii Cardinale ita narrantur :* Ad audientiam Domini Papæ pervenit, quod bonæ memoriæ Frater Joannes Bonus, primus in Ordine vestro, primam apud Budriolum Cæsenatensis diœcesis, de concessione Diœcesani loci ejusdem, domum incepit : et dum fama conversationis ejus per loca vicina crebresceret, et plurimi converterentur ad eum, ecclesiam in honorem B. Mariæ Virginis construxit ibidem : crescente autem numero et merito ejusmodi conversorum, religio vestra per eos in diversis partibus in quibus mansiones construxerunt, extitit propagata. Cum iidem Religiosi aliquam de approbatis Regulam non haberent, quidam ex eis accedentes ad Sedem Apostolicam, obtinuerunt ab ea B.

*propagata sub proprio instituto,*

B Augustini regulam sibi dari, et sic ex tunc cœperunt in regularibus observantiis instrui, et regulariter se habere. *Assumpto deinde, ut mox additur,* habitu nigro, vocabantur Fratres Eremitæ Joannis Boni Ordinis S. Augustini. *Quod autem ex his nonnulli nigrum habitum non admitterent, idem Pontifex Gregorius* IX *ad Episcopos Marchiæ Anconitanæ misit aliam Bullam, qua mandaret illos ad obediendum compelli. Ea data est anno Pontificatus ejus* XIV, *Christi* MCCXXXIX, *relata in Bullario Augustiniano num.* 5, *in Apolog tico H'adingi* § 4 *num.* 3 *et a Joanne Marquez cap.* 3 *sub initium, cujus est hoc exordium :* Dudum apparuit in partibus Lombardiæ religio, cujus professores vocati Eremitæ Fratris Joannis Boni, Ordinis S. Augustini, nunc succincti tunicas cum corrigiis, baculos gestantes in manibus, nunc vero dimissis baculis incedebant, pecuniam pro eleemosinis aliisque subsidiis deposcentes.

*accepit a Gregorio* IX *regulam S. Augustini cum nigro habitu :*

9 *Verum, ut pergit in dicta Innocentii* IV *Bulla Guilielmus Cardinalis,* cum Joannes Bonus, qui per plures annos Fratribus præfuerat, et Fratres ipsi eidem tanquam Institutori Ordinis ipsorum, reverenter intenderant, curæ ipsorum cedere aspiraret, Fratrem Matthæum in Priorem dictæ domus, et per

*gubernata a Generalibus, B. Joanne Bono, Matthæo,*

C hoc in Generalem Ordinis, præsentatum, Episcopus Cæsenatensis confirmavit. Denique Frater Matthæus, quod ad eamdem curam a quibusdam Fratribus non sufficiens videretur, in generali Capitulo apud Ferrariam congregato, cessit administrationi generali, quam exercuerat, sicque quidam Hugonem Mantuanum in Generalem Priorem totius Ordinis elegerunt. Fratres vero de Cæsena, et quidam alii de Romaniola eisdem adhærentes, apud Cæsenam convenientes Fratrem Marcum Cæsenatensem in Priorem dictæ domus, et per hoc in Generalem Priorem totius Ordinis, elegerunt... Cum autem Ordo in duas partes divisus, inter multiplices contentiones et discordias in ipso exortas, fere per triennium fluctuaret, prædictus Hugo et Marcus, qui pro Generalibus Prioribus se gerebant, et alii Fratres, de communi volentes consensu, generale Capitulum apud Bononiam celebrarunt, in quo Fratre Marco et Fratre Hugone administrationi et officio suo cedentibus, Fratrem Lanfrancum Mediolanensem, tunc Priorem domus Bononiensis, in Priorem Generalem unanimiter et concorditer elegerunt. Cujus electionem nos de speciali mandato et auctoritate Domini Papæ canonice celebratam invenimus, ac ipsum Fratrem Lanfrancum in

*Hugone et Marco simul,*

*La[illegible]*

Priorem vestri Ordinis confirmatus *etc.* Datum Perusii VI Kalend. Januar. anno Domini MCCLII, Pontificatus Domini Innocentii Papæ IV anno X Indict. XI. *At Bullam, cui hæc Guilielmi Cardinalis inserta est, dedit Innocentius* Perusii XVII Kalend. Maii, Pontificatus anno XI. *De variis Ordinibus sub eodem Lanfranco unitis mox agemus.* D



10 *Hæc de Prioribus Generalibus propriis Fratrum Eremitarum Joannis Boni, quibus ostendimus præscriptam Regulam S. Augustini a Gregorio* IX, *qui etiam Bulla Laterani data III Nonas Januarii, anno Pontificatus sui* IV, *Christi* MCCXXXI, *commisit Episcopo Senensi, ut Fratribus Eremitis Montis-Speculi et Silvæ-Lacus unam de Regulis approbatis assignaret. Laurentius Empoli eam Bullam profert in Bullario Augustiniano num.* 4, *quasi tum S. Augustini Regulam professi essent. Sed prudentius dubitat Herrera, num illam saltem amplexi non fuerint cum conjunctio facta Eremitarum Etruriæ, quam ab Innocentio* IV *decretam stabilitamque mox dicemus.*

*Gregorius* IX *Eremitis mandat assignari Regulam approbatam ;*

11 *Idem Herrera inter monasteria virorum refert sub littera A monasterium S. Antonii de Silva, sive de Nemore, et Bosco, alias de Petrudo, et supra balneum Petrudi, Olim Eremitarum S. Guilielmi, attestans de eo servari in archivo cœnobii Illicetani Bullam Gregorii* IX, *quæ sic incipit :* Gregorius Episcopus... dilectis filiis Priori et Fratribus Eremitis S. Antonii de Silva juncta Ordinis S. Wylielmi, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est *etc.* Datum Perusii V Kalendas Februarii Pontificatus anno III, *Christi* MCCXXX. *Hic idem Pontifex Gregorius* IX, *qui tot monachorum eremitarumque Ordinibus aliquam de approbatis Regulis, quod nullam ante haberent, præscripsit, non censendus est neglexisse hos Eremitas S. Guilielmi, quibus, ut supra ex Sampsone Haio diximus,* in loco, ubi Sanctus felicem animam cœlo refuderat, ædem ejus nomini sacram et monasterium amplissimum extruxit, opibusque largissimis ornavit. Nec hoc, *addit idem scriptor,* satis liberalissimo Pontifici et Ordinis nostri finibus propagandis nato. Cum enim ad illud usque tempus Patres, qui a S. Guilielmo religionis normam acceperant, et successoribus suis tanquam per manus tradiderant, nudis pedibus domi, foris vero calceati incederent, et multa alia austeritatis exempla ex vita ejus, ut ex absoluto omnium virtutum archetypo, assumpta, religiose observarent, quæ plurimos ab eodem instituto deterrebant, voluit ipse auctoritate post cœli tantum rigorem benigne temperare, quo facilior ad illud infirmioribus pateret accessus, et Ordo Guilielmitanus monachorum et cœnobiorum numero magis ac magis augeretur. Indulsit itaque Guilielmitis calceorum et tibialium usum, tum publice tum privatim, ac deinceps illis professionem Regulæ Benedictinæ indulsit. *Quæ et idem Haius carmine expressit, in quo*

*Eremitis S. Guilielmi Bulla data an* 1230

E

*monasterium in Stabulo-Rodis condit*

Gregorius Nonus plantas velare cothurnis
Mandat eremicolis, permultaque prædia donat :
Imperat et Sancti Benedicti vivere norma.

F

*rigorem instituti mitigat,*

*et Regulam S. Benedicti indulget.*

*Confirmat autem hanc sententiam idem Haius antiquorum Patrum præfatione in librum Ordinis, qui in Bullis Pontificiis semper Ordo S. Guilielmi, nusquam S. Benedicti appellatur; multo minus Cisterciensium, quibus alii hunc Ordinem subjiciunt, moti ea communi opinione, qua creditur S. Guilielmus ille Dux Aquitaniæ, qui a S. Bernardo a schismate ad submissionem Ecclesiæ debitam reductus est.*

12 Innocentius Papa IV, *teste eodem Haio,* Ordinem Guilielmitarum multis privilegiis et Pontificiis diplomatibus ornavit, quorum unum propter ejus amplitudinem, et quod multa capita tanquam naves diversis mercibus onustas contineat, Mare magnum vocatum est. *Illud ipse exhibet, et ex eo Petrus Silvius*

*Innocentius* IV *ei varia privilegia concedit,*

A tatam, et quantum in nobis est, universos et singulos in proposito confirmare: ne si favore fuerint Apostolico destituti, non proficiant in incepto, sed deficiant potius vel tepescant. Cum enim per dilectos suos Fratres Stephanum et Hugonem Eremitas propositum vestrum fuerit nobis expositum diligenter; nos, nolentes vos sine pastore sicut oves errantes post gregum vestigia evagari, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in unum vos regulare propositum conformantes, regulam B. Augustini et ordinem assumatis, ac secundum eum profiteamini de cetero vos victuros, salvis observantiis seu constitutionibus faciendis a vobis, dummodo ejusdem Ordinis non obvient institutis, provisuri vobis nihilominus de Priore idoneo per electionem canonicam, cui præstetis obedientiam ac reverentiam debitam impendatis. Si vero super præmissis aliquid difficultatis emerserit, ad dilectum filium nostrum Ricardum S. Angeli Diaconum Cardinalem, quem vobis Correctorem ac Provisorem deputamus, recurratis. Datum Laterani XVII Januarii Pontificatus nostri anno primo, *id est Christi* CIƆCCXLV.

16 *Hæc Innocentius* IV, *cujus Bullam etiam refert*
B *Gabriel Pennottus lib.* 1 *Historiæ tripartitæ Clericorum Canonicorum cap.* 15; *annotatque* usque ad tempora Innocentii IV nullos Eremitas in Tuscia fuisse, qui sub Regula B. Augustini viverent, et Eremitæ S. Augustini vocarentur, exceptis forsan Eremitis S. Guilielmi: *num hi scilicet ante Regulam S. Augustini fuissent professi, addubitans ex vulgi errore infra explicando, quem etiam Chronologiæ suæ inseruit Cardinalis Bellarminus his verbis*: Ordo Eremitarum S. Augustini ab Innocentio IV hoc nomen accepit, cum antea Guilielmitæ dicerentur. *Quæ in antiquato Officio Ecclesiastico de S. Guilielmo lect.* 8 *recitari solebant. Melius exceptionem dictæ Bullæ intellexerunt Herrera in Alphabeto Augustiniano in Illicitano monasterio, Tamburinus num.* 38, *Waddingus in Apologetico Franciscano* § 5, *his verbis* (exceptis Fratribus S. Guilielmi) *adjungens*, sub regula S. Benedicti degentibus, quos noluit Pontifex ad illam unionem reducere, *additque* in Regesto ejusdem Pontificis num. 333 aperte asseri eos Tusciæ Eremitas usque ad illud tempus Regulam observasse S. Benedicti: *ut etiam ex his Bullis, duobus post priorem Bullam mensibus datis, demonstratur. Earum prior isti relata inscribitur* Priori et Fratribus Eremitis in Tuscia Or-
C dinis S. Augustini, *cum hoc exordio*: Cum a nobis petitur quod justum est: *in qua hæc leguntur*: Cum Regulam B. Augustini vobis concedendam duxerimus, ut a vobis et successoribus vestris perpetuis futuris temporibus observetur, ac per dilectum filium nostrum Ricardum S. Angeli Diaconum Cardinalem a professione, quam de observando ordine S. Benedicti, vel quocumque alio, feceratis, de speciali mandato nostro sitis penitus absoluti: Nos absolutionem ipsam ratam et gratam habentes auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.* Datum Laterani V Kalendas Aprilis anno Pontificatus primo. *Biduo ante data erat sequens Bulla* Priori et Fratribus S. Mariæ de Morceto Ordinis S. Augustini Pisanæ diœceseos *his verbis*: Cum vos et alii Fratres per Tusciam constituti, de mandato nostro semper Ordinem et regulam B. Augustini duxeritis assumendam, ea perpetuis temporibus servaturi, ab observatione Regulæ S. Benedicti, quam in eremo vestra fuisse vos professos asseritis, denuntiamus vos auctoritate præsentium penitus liberari. Datum Laterani VII Kalendas Aprilis anno Pontificatus primo. *Hæ itaque Bullæ, in quarum priori cum Eremitæ ab quocumque Ordine observando absolvantur, non adstruitur omnes ante observasse Regulam S. Benedicti: aliquos*

*neque hi Eremitæ S. Augustini ante fuerant Guilielmitæ,*

*sed regulam aut S. Benedicti professi,*

*aut alterius Ordinis,*

*etiam arbitramur ibidem Eremitas S. Augustini sub* D
*hujus Regula vixisse, memores nos supra retulisse, illis eremitorium in Ardigneta ditionis Senensis sub Innocentio* III *fuisse. Denique non assentimur Pennotto asserenti* multos in Tuscia Eremitas incerti habitus et sedium sine regula, titulo et habitu extitisse. *Nam omnibus Gregorius* IX *aliquam ex approbatis regulis injunxit.*

17 *Quam serio idem Papa Innocentius et Alexander* IV *huic Congregationi a se institutæ intenderint, colligimus ex variis Bullis, quas exhibet Empoli in Bullario Augustiniano, in favorem Eremitarum S. Augustini per Tusciam concessas. Ac primo Innocentius pridie Kalendas Aprilis confirmat Regulam S. Augustini assumptam, et* VI *Kalend. Maii concedit varia privilegia, immunitates et gratias, etiam obeunte Priore Generali eligendi novum, secundum Regulam S. Augustini: quam Bullam paucis immutatis cum aliis communem esse ante monuimus: incipit,* Religiosam vitam eligentibus. *Deinde* X *Idus Maii Antistitibus Ecclesiæ commendat, ut privilegia observentur hisce Eremitis concessa. Postmodum anno Pontificatus sexto, concedit Priori Generali et Fratribus Eremitis S. Augustini in*
*Tuscia facultatem ex Breviariis correctis juxta statutum* E
*Regulæ et morem Ecclesiæ Romanæ recitandi divinum officium. Anno sequente, qui erat Pontificatus ejus* VII, *confirmavit Priori Generali, ceterisque Prioribus, et Fratribus Eremitis Ordinis S. Guilielmi Regulam S. Benedicti, ejusque liberam proprii Generalis electionem, aliasque immunitates, gratias et privilegia concessit, secundum Bullam pluribus, ut supra diximus, Congregationibus applicatam; quam etiam cum solita immutatione anno Pontificatus* X, *dedit Priori et Fratribus Eremitis in partibus Ultramontanis degentibus, deinceps Cismontanis Generalibus, ut ex infra dicendis liquet, seu propria electione, seu Pontificio mandato subjectis. Denique anno Pontificatus* XI *constitutiones de consilio Ricardi Cardinalis, et Abbatum de Falleria et Fossæ novæ Cisterciensis Ordinis, sed maxime auctoritate mandati sui factas, Apostolico munimine roboravit. Quam constitutionem Alexander* IV *Bullæ a se Idibus Julii anno Pontificatus primo, Christi* CIƆCCLV *eisdem Fratribus Eremitis de Tuscia Ordinis S. Augustini concessæ inseruit, cum plures ante eisdem dedisset, quibus aut a solutione collectarum liberati sunt, aut facultates tum ingredientes Ordinem a censuris Ecclesiasticis absolvendi, tum continuandi usum Breviarii*
*concessi impetrarunt, aut denique Archiepiscopis, Episcopis aliisque Ecclesiæ Optimatibus mandatum est, ut* F
*ab Ordine fugitivos ad eum compellerent redire, neve aliis oneribus Fratres hujus Ordinis gravarent, neque sententias a Priore Generali in suos subditos latas immutarent: utque Generalis novo indulto posset exercere officium nondum confirmatus a Papa aut Ricardo Cardinale, cui etiam Cardinali mandatum est, ut egressus expulsosve compellat habitum Ordinis dimittere, cujus formam ab eo determinatam præscribit. Ac tandem III Kalendas Augusti eidem confirmat generalia privilegia per sæpius indicatam Bullam variis Congregationibus concessam, quæ incipit*: Religiosam vitam eligentibus.

18 *Josephus Pamphilus Episcopus Signinus in Chronico Augustiniano fol.* 25 *ita primos Ordinis Generales enumerat*: Joanni Boni successit in Tuscia et Piceno Joannes de Spelunca, post quem Joannes de Cella... deinde Adjutus Fanensis, post Philippus Parmensis. In diis vero Italiæ regionibus successit eidem Matthæus cognomento Sanctus, hoc Hugo Mantuanus, deinde Lanfrancus Mediolanensis. *Ultimos hosce fuisse successores B. Joannis Boni in propria Congregatione supra demonstravimus: priores vero arbitramur hic Congregationi Eremitarum S. Augustini in Tuscia præfectos. Certe Alexander* IV *in Bulla, quæ incipit*:
Ex

*AUCTORE Ordinis S. Augustini*

*variis gaudent privilegiis datis ab Innocentio* 4,

*et Alexandro* 4

*eorum Generales,*

A Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, *memoratum* Adjutum *appellat* Visitatorem Generalem Fratrum Eremitarum in Tuscia, constitutum a Ricardo Cardinale. *Sed an sub altero Priore Generale, (sive is Joannes de Spelunca, sive Joannes de Cella fuerit) dubium est: num potius Generalis horum Fratrum, modo* Visitator, *modo* Prior *appellatur. Ita Bulla (quæ incipit:* Pia desideria devotorum eo debemus benigno favore prosequi, *cum litteris Cardinalis Ricardi inclusis) eodem data est ab Innocentio* IV *apud Waddingum § 4 Apologetici Franciscani, et ab Alexandro* IV *apud Empoli num. 14 Bullarii Augustiniani: at prior inscripta est* Visitatori Generali, *posterior* Priori Generali et universis Prioribus et Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini. *Nonnulli scriptores cum B. Joanne Bono hos Generales tradunt seculo præcedenti floruisse, quod supra in B. Joanne refutatum. Forte aliqui ex his Generalibus præfuerunt post Andream Congregationi de Brictinis.*

*AUCTORE G. H. An etiam Visitatores dicti?*

## § IV. *Guilielmitæ sub Alexandro IV Augustinianis adjuncti; ab ea obedientia absoluti, Regula S. Benedicti iis confirmata.*

*Alexander 4*

**A***lexander Papa* IV, *ante Raynaldus dictus, a patruo* B *suo Gregorio* IX, *Diaconus S. Eustachii Cardinalis factus, postea Episcopus Ostiensis et Velliternus, in Bulla utraque anno Pontificatus* II *data, quæ incipit,* Recordamur liquido, *testatur per se olim in minori officio constitutum, et* bonæ memoriæ Thomam tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, in partibus Lombardiæ legatione fungentes, ad fel. recor. Gregorii Papæ audientiam pervenisse *statum Eremitarum* Ordinis S. Augustini, *cujus identitas* vestium in Ordinibus ipsis confusionem pareret, ne inde scandala graviora consurgerent *inter hos et Fratres Minores S. Francisci, ac postea forte inter varias Congregationes Eremitarum a nobis relatas: quas anno Pontificatus* II, *Christi* MCCLVI, *in unam Ordinis Observantiam sub eodem Generali redegit. Obierat illo eodem anno* MCCLVI, *et Guilielmus Cardinalis, Protector ac reformator Eremitarum B. Joannis Boni, et Octavianus Ubaldinus, qui Legatus per Lombardiam præfuerat Eremitis de Brictinis, ac dein indignationem Innocentii* IV *incurrerat. At Ricardus S. Angeli Diaconus Cardinalis, Eremitis S. Augustini per Tusciam ab Innocentio datus Protector, supererat, cujus diligentiam plurimum laudat Alexander Bulla anno Pontificatus* III *data, quæ incipit,* Inter alias sollicitudines, C *ubi ait:* Nos itaque considerantes, quod iidem Fratres ab olim te in Patrem benevolum habuerant, tuque ipsos amplexatus fuisti sincera in Domino caritate, quodque Fratres et Ordo prædicti sub tua protectione poterunt, Deo propitio, salutaria suscipere incrementa. *Hoc ergo Cardinale cooperante, aut etiam mediante, in unum religionis corpus coaluere passæ sunt quinque Eremitarum classes, hactenus distinctæ, quarum tres erant Ordinis S. Augustini, duæ S. Guilielmi. Quæ omnia in Bulla, cujus initium est,* Licet Ecclesiæ Catholicæ integritatem, *ita explicat Pontifex.*

*olim Gregorio 9 statum Eremitarum indicarat,*

*eo anno 1256,*

*cooperante Ricardo Cardinale,*

20 Dudum a nobis mandatum Apostolicum emanavit, ut de singulis domibus vestris, quarum quædam S. Guilielmi, quædam S. Augustini Ordinum, nonnullæ autem Fratris Joannis Boni, aliquæ vero de Fabali, aliæ vero de Brictinis censebantur, et apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant, duo Fratres cum pleno mandato ad nostram mitterentur præsentiam, quod nostra circa vos salubriter ordinaret dispositio, recepturi. Cumque Fratres hujusmodi ad Sedem Apostolicam accessissent, coram dilecto filio nostro Ricardo S. Angeli Diacono Cardinale, quem negotio unionis vestræ perficiendo deputavimus, vice nostra, sufficientia ad D id exhibuere mandata, et in Generali Capitulo vestro in Urbe celebriter congregato, nomine omnium, a quibus fuerant destinati, et de communi Capituli ejusdem assensu, vos et domos vestras in unam Ordinis observantiam et vivendi formulam uniformem redigi, unumque ex eis ovile fieri, Generalis Prioris præsidentia Gubernandum, unanimiter consenserunt.... Porro idem Cardinalis universas domos et Congregationes in unam ordinis Eremitarum S. Augustini professionem et regularem observantiam perpetuo counivit sub Generalis cura Prioris canonice instituendi pro tempore, præ aliis Provincialibus, nec non et Conventualibus singularum domorum, a Prioribus regulariter gubernandas. Et ut novam ovilis Dominici unionem, universalis capitis unitas consummaret, te, dilecte fili Lanfrance, in Generalem Ordinis ejusdem Priorem et Patrem, Spiritus sancti gratia invocata præfecit, ac etiam, prout a nobis specialiter in mandatis acceperat, confirmavit.... Datum Lateran. IV Nonas Maii anno Pontificatus II, *ut dies annotatur in Bullario Pontificio Laertii Cherubini, cap. 6: ast* V Idus Aprilis *legitur in Bullario Augustiniano excusa ex Bulla Originali cum sigillo plumbeo Romæ in archivo Ordinis asservata. Inscribitur autem,* Lanfranco Generali, Provincialibus et Conventualibus Prioribus, ac universis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini. *Erat ante Lanfrancus quartus Generalis in ea Congregatione, quam supra a B. Joanne Bono diximus institutam.* E

*quinque Congregationibus*

*in unum Ordinem redigit,*

*sub Lanfranco Generali,*

*ex ordine B. Joannis Boni*

21 *Ut autem eidem Generali obedirent Provinciales et Conventuales Priores ac reliqui Fratres, mandavit altera eodem* V Idus Aprilis *edita Bulla, cujus hoc est exordium:* Apostolicæ Sedis provisio nuper universas domos et Congregationes vestras in unam Eremitarum Ordinis S. Augustini professionem et regularem observantiam perpetuo counivit sub Generalis cura Prioris, *etc. Eadem de harum Congregationum conjunctione referuntur in altera Bullarum, quæ incipiunt,* Recordamur et liquido memoria retinemus, *data* XX, *vel secundum alios,* VIII Kalendas Julii *eodem anno Pontificatus* II. *Iterumque alteri Bullæ inserta, cujus est hoc exordium:* Litteras nostras vobis direxisse meminimus, *data* Idibus Octobris ad Archiepiscopos et Episcopos per Lombardiam, Tusciam et Romaniolam, ac Tervisinam et Anconitanam Marchias, Ducatum Spoletanum, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Campaniam maritimam, ac regnum Siciliæ constitutos: *in quibus scilicet ditionibus Cisalpinis harum Congregationum domicilia erant. Similia repe-* F *tuntur in Bulla Ricardo Cardinali* IV Kalendas Aprilis anno Pontificatus III, *Christi* MCCLVII *missa hoc exordio, ante memorato,* Inter alias sollicitudines, quibus assidue premimur: *ubi quinque iterum Congregationes referuntur in unam Ordinis reformationem redactæ, quarum scilicet* quædam domus S. Guilielmi, quædam S. Augustini Ordinum, nonnullæ autem Fratris Joannis Boni, aliquæ vero de Fabali, aliæ vero de Brictinis censebantur. *Quarum etiam Congregationum, hoc sub eodem Generali conjunctarum, meminit Clemens* IV *in Bulla quæ incipit,* Ea quæ judicio vel concordia terminantur. *Sed de hac infra. Quæ alia eodem anno* III *Pontificatus concessit Alexander Papa privilegia et immunitates, variæ Bullæ tunc datæ, apud Laurentium Empoli enarrant.*

*ei obedire jubet Eremitas omnes,*

*per Italiam et Siciliam dispersos;*

*confirmat privilegia.*

22 *Displicuit Fratribus Eremitis S. Guilielmi hæc Pontificia Constitutio, qua ab institutione parentis sui S. Guilielmi, et a regula S. Benedicti a Gregorio* IX *concessa, atque ab Innocentio* IV *confirmata, transferebantur ad Regulam S. Augustini, jussi, relicto proprio Generali, subesse cum aliis supra memorato Lanfranco. Quare auxilio Protectorum et Patronorum, multum institerunt apud Pontificem, ut, quemadmodum decessor ejus*

*FF. Eremitis S. Guilielmi permittit pristinum statum.*

A *ejus Innocentius* IV, *ipsos in priore conjunctione Eremitarum Tusciæ, inter quos degebant, exemerat; ita jam ejus consensu impetrato, permitterentur ab hac consociatione universali liberi, sub proprio Generali secundum suas institutiones in solito habitu remanere. Annuit postulationi eorum Pontifex Alexander data sequente Bulla, quam post Sampsonem Hanum referunt Chrysostomus Henriquez inter privilegia Guilielmitarum num.* 3. *Joannas Marquez cap.* 13 *Originum Augustiniarum* § 14, *Gabriel Pennotus lib.* I. *Historiæ tripartitæ Clericorum Canonicorum cap.* 46, *Ascanius Tamburinus tomo* 2 *de Jure Abbatum disp.* 24 *quæst.* 4 *numer.* 37 *et Aubertus Miræus lib.* 2 *Originum Monasticarum cap.* 15 *atque ita habet:* Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, Generali et aliis Prioribus ac Fratribus Ordinis S. Guilielmi, salutem et Apostolicam benedictionem. Licet olim, pro unione facienda inter vos et alios Eremitas tunc Ordinum diversorum, fueritis ad præsentiam nostram citati; quieti tamen et saluti vestræ paterno providentes affectu, præsentium vobis tenore concedimus, ut sub Regula S. Benedicti secundum institutiones S. Guilielmi remanere in solito habitu libere valeatis, nullis obstantibus litteris, gratiis vel privi-

*et Regulam S. Benedicti,*

B legiis a Sede Apostolica in contrarium impetratis, vel impetrandis imposterum. Nulli ergo *etc.* Datum Anagniæ XI Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno II, *forte* III *aut* IV, *tum propter Bullam tertiam de generali unione Ricardo Cardinali anno* III *Pontificatus,* IV *Kalendas Aprilis, missam, tum propter monasteria, quæ ob mandatum Pontificium in Germania, Bohemia atque Hungaria, ab ordine S. Guilielmi ad Augustinianos transierant, ut infra dicetur ex Bulla Clementis* IV *supra indicata: in qua pars hujus Bullæ inseritur his verbis:* Postmodum *Alexander* IV vestræ volens providere quieti, vobis Apostolica auctoritate concessit, ut sub Regula B. Benedicti secundum institutionem B. Guilielmi possetis in habitu solito licite remanere, non obstantibus *etc. quæ deinde in eadem Bulla a Stephano Cardinale repetuntur.*

*verbis Bullæ a Clemente IV repetitis,*

23 *Idem Alexander* IV *anno* V *Pontificatus Ordines S. Augustini et S. Guilielmi ut diversos nominat in Bulla* Generali et Provincialibus Ministris et Fratribus Minoribus *data, in Bullario Augustiniano num.* 29 *eademque num.* 33 *repetitur* Ordini Prædicatorum *concessa, incipitque,* Quanto praeclara Ordinis vestri religio: *in qua hæc scribit:* Sane dudum vestris supplicationibus inclinati, universis Prioribus et Fra-

*eosdem ut diversos ab Augustinianis agnoscit,*

C tribus Eremitis Ordinis S. Augustini et S. Guilielmi auctoritate litterarum nostrarum inhibuisse meminimus, ne aliquos Ordinis vestri Fratres professos in Ordine suo recipere vel retinere præsumant. *Deinde quia aliquot monasteria Guilielmitarum ob consociationem priorem se Ordini Augustiniano subjecerant, idem Alexander* IV *absque Capituli generalis assensu id imposterum fieri prohibuit, ut liquet ex Bulla inter Privilegia Eremitarum S. Guilielmi a Chrysostomo Henriquez num.* 5 *relata, quæ ita habet:* Alexander Episcopus... dilectis filiis Generali et aliis Prioribus et Fratribus Eremitis Ordinis S. Guilielmi.... Quanto contemplationi divinæ vacatis, devote Domino famulando, tanto quieti vestræ paterna volentes imposterum sollicitudine providere, auctoritate præsentium districte inhibemus, ne aliqui Fratres vestri Ordinis aliquas domos ipsius alteri Ordini præsumant submittere, absque consensu Capituli vestri generalis. Nulli ergo *etc.* Datum Anagniæ, XI Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno VI, *Christi* CIↃCCLX. *Eodem anno,* III Nonas Julii, *Idem* Alexander IV dilectis filiis Priori et Fratribus Eremitis eremi Rubei-montis, Ordinis S. Guilielmi, Parisiensis diœcesis, *dedit privilegium accipiendi eleemosynas, tum ex bonis male et injuste acquisitis, dummodo ii, quibus*

*prohibet monasteria alteri Ordini subdi*

*alia privilegia eis concedit*

*restitutio fieri debet, non reperiantur, tum etiam ex* D *redemptionibus votorum, Jerosolymitano excepto: quam bullam idem Henriquez edidit num.* 4. *Migrasse postea Guilielmitas ex eremo Rubei-montis in urbem Parisiensem supra diximus.*

AUCTORE G. H.

24 *Altera erat congregatio Ordinis S. Guilielmi sub proprio ante Generali constituta, de Monte-Fabali dicta, atque in prædicta conjunctione comprehensa: sed quid ea in hac immutatione præstiterit, nusquam legimus. Herrera in Alphabeto Augustiniano suspicatur eam* aliis Guilielmitarum domibus ab unione resiliisse, *quos sub iisdem Generalibus, qui in Stabulo-Rodis ad S. Guilielmum residebant, deinceps vixisse arbitramur. Fuerant autem Generales Guilielmus anno* LX, *Lambertus anno* LXIX, *Marcus anno* LXXVI *ejusdem seculi* XIII, *sub cujus finem obiit Reynerus Generalis. Horum forte exemplo Fratres eremi de Brictinis, qui alteram ex dictis Congregationibus faciebant, conati sunt ab ea obedientia recedere, jam pridem sub propria Generali secundum Regulam S. Augustini viventes, quos idem* Alexander Papa Nonis Julii, anno Pontificatus VI, *Christi* CIↃCCLX, *et* Urbanus IV Nonis Maii, anno Pontificatus I, *Christi* CIↃCCLXII, *ad alium Ordinem recedere prohibuerunt, eisdem verbis Bullarum, quæ incipiunt.* Solet annuere Sedes Apostolica. *Quæ alia-* E *que Bullæ in favorem reliquarum Congregationum sub eodem Generali persistentium ab Alexandro datæ referuntur in Bullario Augustiniano, ubi et num.* 29 *conventus S. Bartholomæi de Gestinga in diœcesi Grossetana, ab Ordine S. Benedicti transfertur ad Eremitas Augustinianos, executione commissa Ricardo Cardinali, cui Bulla ea inscribitur, data* IV Idus Aprilis *anno Pontificatus* IV, *Chr.* MCCLVIII, *hoc exordio.* Sic Ordo Fratrum Eremitarum S. Augustini a suis primordiis *etc. Josephus Pamphilus in Chronico Ordinis Augustiniani plures ad eam consociationem compulsas ab Alexandro* IV *Congregationes enumerat, ut* Eremitarum Vallis-Hirsutæ, de Pœnitentia Jesu Christi, Turris-palmarum S. Augustini, Centumcellis sanctæ Trinitatis in Tuscia, S. Mariæ de Lupocavo Lucensis diœcesis, S. Mariæ de Murceto Pisanæ diœcesis, et S. Jacobi de Monilio Lucensis diœcesis. *Pamphilum describunt Maurolycus, Tamburinus, aliique. Jordanus de Saxonia* Fratres de Pœnitentia Jesu Christi, Saccitas dictos *solum adjungit loco supra indicato. Sed nec illud Bullæ Pontificiæ congruit. Aliquot loca Tusciæ antea sub Regula S. Augustini ab Innocentio* IV *fuerant confirmata, ut supra de monasterio S. Mariæ de Murceto ex ejusdem Pontificis Bulla probatum est,* F *et infra dicetur de monasterio S. Mariæ de Lupocavo. At Fratres de Saccis alios fuisse a Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini discimus ex testamento S. Ludovici Regis Francorum facto anno* CIↃCCLXIX.

*An fratres de Monte-Fabali recesserint ab ea consociatione?*

*prohibiti FF. de Brictinis ab ea recedere;*

*jussi eam admittere Benedictini de Gestinga*

*An alii a Pamphilo enumerati in illa consociatione comprehensi?*

## § V. *Privilegia Guilielmitis ab Urbano* IV *et Clemente* IV *concessa. Controversia hos inter et Augustinianos soluta.*

U*rbanus* IV *post obitum Alexandri* IV *Pontifex creatus* XIX *Augusti, anno* CIↃCCLXI, *utrique Ordini Eremitarum et S. Augustini et S. Guilielmi varia privilegia concessit. De iis Bullas novem suo Ordini datas profert Laurentius Empoli in Bullario Augustiniano, et quidem primo anno Pontificatus ejus impetratas, excepta forte ultima, cui tempus, quo data est, non apponitur. In hac privilegia generalia cum suis immunitatibus et gratiis indulgentur Fratribus Eremitis in regno Hungariæ degentibus, verbis Bullæ sæpius indicatis, cujus exordium est,* Religiosam vitam eligentibus *etc. quasi hi ab aliis sejuncti proprium haberent Generalem, quo obeunte possint novum juxta Regulam S. Augustini eligere. Verum, ut mox constabit, Lanfranci successor Guido tempore Clementis* IV *præfuit atque Eremitis in*

*Urbanus & Augustinianis privilegia confirmat,*

*Hungaria*

AUCTORE G. H.

A *Hungaria et reliquis Ultramontanis partibus in Alemannia degentibus, quam Cisalpinis Italis et Siculis. Inter alia privilegia facultas Augustinianis confirmatur contra desertores et apostatas Ordinis: utque contra eos necessarium auxilium conferatur, Archiepiscopis, Episcopis aliisque viris ecclesiasticis in dignitate constitutis Pontificium mandatum imponitur: dum scilicet Congregationes Eremitarum de Brictinis, et B. Joannis Boni cum reliquis Eremitis Ordinis S. Augustini in unum religionis corpus sub eodem Generali conjuncti, longiore usu mutua consuetudine assuescerent.*

*etiam contra apostatas:*

26 *Idem Urbanus Papa, quod intelligeret post decretum Alexandri IV, reddita Eremitis S. Guilielmi priore libertate secundum institutionem S. Guilielmi et regulam S. Benedicti vivendi, quosdam tamen Guilielmitas ad Ordinem Augustinianum transiisse, et quædam monasteria Guilielmitarum ab ipsis Augustinianis occupata fuisse, in favorem Ordinis Guilielmitarum concessit sequentem Bullam, relatam a Sampsone Haio, Chrysostomo Henriquez inter Privilegia horum Eremitarum num. 6 et in Apologetico cap. 9 et cap. 7 Vitæ, uti et Miræo lib. 2 Originum Monasticarum cap. 15.* Urbanus Episcopus... Generali ceterisque Prioribus et Fratribus Ordinis S. Guilielmi salutem... Præclara Ordinis vestri expetunt merita, ut in his, quæ animarum fructum pariunt et eumdem Ordinem ab infa- B miæ macula reddunt tutum, Apostolicam Sedem vobis inveniatis propitiam et benignam. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod, licet vos Ordinis S. Benedicti regulari observantiæ adstricti sitis, nonnulli tamen ex vobis, assumpta audacia, quod sub leviori pugna de antiqui hostis versutiis facilius triumphabant, humanæ fragilitatis seducti consilio, ad arctioris observantiam Ordinis aspirantes, ad Ordinem Fratrum eremitarum Ordinis S. Augustini proprio motu se transferre præsumpserunt, in vestrum et Ordinis vestri dispendium, animarum suarum periculum, et scandalum plurimorum. Quare super hoc præfatæ Sedis providentiam suppliciter implorastis. Nos igitur piis vestris supplicationibus annuentes, ne quis postquam in Ordine vestro votum professionis emiserit, ad præfatum Ordinem eremitarum absque prædictæ Sedis licentia speciali se transferre valeat, auctoritate præsentium inhibemus; decernentes irritum et inane quidquid contra tenorem præsentium ab aliquo contigerit attentari. Datum apud Urbem-veterem, X Kalend. Febr. Pontificatus nostri anno II, *Christi* MCCLXIII.

*prohibet ne Guilielmitæ transeant ad Augustinianos:*

27 *Ob hæc decreta Pontificia augere scrupulisque,* C *torquebantur conscientiæ multorum, qui cum integris monasteriis nuper ab institutione S. Guilielmi ad regulam S. Augustini transierant. Aliquorum animis quietem allaturus Leo Episcopus Ratisponensis vulgatum a Marquez cap. 13 § 15, Crusenio par. 3 cap. 2, et Herrera in Alphabeto August. pag. 342, edidit diploma his verbis:* Universitatem vestram volumus non latere, quod in nostra præsentia constitutis Fratribus, videlicet Guidone Priore Provinciale S. Augustini ex una parte, ac Fratribus S. Guilielmi de Semanshausen et de Schontall nostræ diœcesis ex altera, dum inter ipsos de unione olim celebrata, per venerabilem D. Ricardum S. Angeli Diaconum Cardinalem, quem tali negotio fel. rec. Alexander Papa præfecerat, vitæ suæ quæstio verteretur. Nos visis utriusque partis litteris cum diligenti examinatione adjudicavimus Fratrum S. Augustini authentica litteris partis contrariæ prævalere, ipsis Fratribus S. Guilielmi nostræ diœcesis dando consilium et favorem, ut se submitterent unioni, et quod hoc facere valent salvis conscientiis, nostro judicio præsentibus Fratribus Prædicatoribus et Minoribus, super hac quæstione vocatis, sumus publice protestati. Nos igitur prædicti Fratres S. Guilielmi talem unionem subiisse animi levitate, possent ab aliqui- D bus imposterum indicari, sed quodammodo inviti et coacti, ad petitionem utriusque partis præsens scriptum sigilli nostri munimine roboratum ipsis in testimonium duximus concedendum. Dat. Ratisbonæ anno Domini MCCLXIII, indict. VI, VII Idus Februarii.

*pro 2 monasteriis ad Augustinianos translatis judicat Leo Ep. Ratisponensis:*

28 *At reclamatum est a Generale, Prioribus, aliisque Ordinis S. Guilielmi Eremitis, atque implorata sententia Summi Pontificis, qui, quid faciendum in hac lite esset, pronuntiaret. Conquerebantur autem sibi a Generale, Prioribus et Fratribus Eremitis S. Augustini ablatas* domos de Porta S. Mariæ de Hiseborne Maguntinensis diœcesis, de Corona S. Mariæ de Fuvisene Constantiensis diœcesis; de Semninkuse, de Valle-speciosa *(quæ supra in diplomate Leonis Episcopi Ratisponensis* de Semanshausen et de Schontall *appellantur)* Ratisponensis diœcesis; de Mindellian Augustensis diœc. vallis S. Joannis de Pinonia, de insula S. Mariæ Pragensis diœc. de Lixtin Caminensis diœc. et quasdam alias domos Ordinis S. Guilielmi cum Fratribus domorum ipsarum Alamanniæ et Ungariæ regnorum, *ut traditur in narratione inserta Bullæ Clementis IV Papæ, cujus exordium est,* Ea quæ judicio vel concordia terminantur, *relatæ ab Ascanio Tamburino tomo 2 de jure Abbatum* E *disp. 24 quæst. 5 num. 34, Joanne Marquez cap. 13 § 14, et Chrysostomo Henriquez inter Privilegia num. 7 et cap. 18 Apologetici, ac 7 Vitæ. Hic autem Clemens IV Ecclesiam regebat, in locum defuncti Urbani IV, creatus V Februarii anno MCCLXV. Quo eodem anno traditur Lanfranco vita functo successisse apud Eremitas Augustinianos Guido in Generalis: sub quo et Guilielmo Generale Ordinis Guilielmitarum lis illa sopita est, primum coram Jacobo Sabello S. Mariæ in Cosmedin Diacono Cardinale diu multumque discussa, et postea de voluntate Ricardi S. Angeli Diaconi Cardinalis, cui Ordinis Eremitarum S. Augustini protectio commissa erat, definita a Stephano Hungaro Episcopo Cardinale Prænestino, Protectore Ordinis S. Guilielmi: cujus sententia in memorata bulla Clementis IV refertur his verbis.*

*de iis aliisque monasteriis ab Ordine S. Guilielmi evulsis:*

*jussu Clementis 4.*

29 Nos itaque a partibus accepto hujusmodi compromisso, et a sanctissimo Patre, Domino nostro, Clemente Papa IV, obtento vivæ vocis oraculo, consensu et licentia ordinandi, statuendi, definiendi super his prout nobis expeditius videretur, ac etiam arbitraria potestate nobis a partibus ipsis concessa, ordinamus, dicimus, statuimus, et providemus et arbitramur quod prædictæ domus de porta S. Mariæ F de Hasleborne, et de Corona S. Mariæ, nec non et si quæ aliæ sunt in regionibus diversis (exceptis prædictis regnis Alamanniæ et Ungariæ) cum ipsorum Fratribus, eorumdemque possessionibus et juribus ad dictum Ordinem S. Guilielmi totaliter redeant, et sub regula S. Benedicti, secundum institutionem B. Guilielmi remaneant in habitu solito, antequam transirent ad S. Augustini Ordinem supradictum. Quas domos cum juribus et pertinentiis suis, eidem Priori Generali Ordinis S. Guilielmi submittimus, easque ad Ordinem S. Guilielmi supradictum sententialiter laudamus et decernimus omni tempore pertinere. Reliquæ vero domus prædictæ, et omnes aliæ domus, quæ de prædicto Ordine S. Guilielmi ad prædictorum Eremitarum Ordinem S. Augustini in prædictis regnis Alamanniæ et Ungariæ transierunt, cum ipsorum Fratribus et juribus, bonis mobilibus et immobilibus, et pertinentiis universis permaneant in prædicto Ordine S. Augustini pacifice et quiete, et eas decernimus et arbitramur ad eumdem Ordinem S. Augustini omni tempore pertinere, supra dictis Generali aliisque Prioribus et Fratribus S. Guilielmi Ordinis perpetuum silentium imponendo...

*a Stephano Ep. Prænestino,*

*lis decisa.*

Pronuntiatum

A Pronuntiatum anno nativitatis Domini CIↃCCLXVI Indict. VIII, die ultima mensis Julii, Pontificatus Domini Clementis Papæ IV anno II, *quo eodem anno bulla Clementis Papæ, cui ea sententia includitur, data est* IV Kalend. Septemb.

*an. 1266.*

30 *Hæc pauca sufficiant excerpta ex longissima Bulla pacificationis inter utrumque Ordinem Eremitarum SS. Augustini et Guilhelmi: quam mirum est in Bullario Augustiniano non extare, cum ad Ordinis notitiam non minus necessaria sit, quam quæ ab eodem Clemente* IV *impetratæ referuntur, quibus immunitates et privilegia ab decessoribus Pontificibus concessa, fere eadem repetuntur. At Bullam eam cum Joanne Marquez agnovit Herrera in Alphabeto Augustiniano, ubi monasteria Guilhelmitarum ad Augustinianos translata, atque in hac Ordinum concordia illis permissa refert: ex quibus est Insula B. Mariæ in Bohemia, postea a S. Benigna cognominata, ob sacrum hujus Sanctæ corpus huic monasterio anno Chr.* CIↃCCCXXVII *donatum. Quod autem Georgius Bartholomæus Pontanus lib.* 1 *Bohemiæ sacræ tradat monasterium illud ab Ulrico a Waldeck anno* CIↃCCLXII *extructum esse Eremitis Ordinis S. Augustini, recte corrigit Herrera, illud vi* Unionis Alexandri IV *ex domibus Guilhelmitarum Ordinis S. Au-* B *gustini accessisse; quod indicato anno potuit contigisse, quem annum Pontanus annumque extructi monasterii confudit. Aliud est Pinonicense monasterium, sive Vallis S. Joannis de Pinonia, alius Binonia, et Pironia: quod item Pontanus lib. 2 Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini erectum tradit a Bretislao Bohemorum Duce, et ab Episcopo Severo Bohemorum Apostolo consecratum circa annum* CIↃXL, *quæ magis intricata sunt. An perperam iis et personis et temporibus, attributa sunt, quæ post ducentos circiter annos cum Guilhelmitæ in eis regionibus florerent, potius videntur peracta esse? Tertium est monasterium Mindelhamense in Suevia septem Suevicis milliaribus Augusta distans: quod eodem errore Martinus Crusius in Annalibus Suevicis par 3. lib. 2, cap. 12 et ex MSS. tractatibus Bruschii scribit fundatum esse Ordini Guilhelmitarum anno* CIↃCCLX, *quo ab illis ad Augustinianos est translatum; qui dolent illud hoc tempore ab hæreticis possideri. Alterius de Lixtin memoria hoc tempore desiit, et diœcesis Caminensis, in qua illud situm fuisse dicitur, est forte Caminensis in Pomerania, regione Germaniæ ad mare Balthicum, jugo hæreticorum jam pridem oppressa, aut potius Canadiensis in Hungaria Transdanubiana, cujus Sedis Episcopus et Martyr S. Gerardus* C *colitur* XXIV *Septembris. ubi Turcicus domi natus cum religione Christiana sustulit memoriam monasteriorum antiquorum. Alia duo monasteria tum a Guilhelmitis ad Augustinianos translata in horum potestate permanserunt, indicantibus et volentibus Leone Episcopo Ratisponensi, in cujus diœcesi sunt, et Stephano Cardinale Prænestino. Horum alterum est Semanshusium in inferiore Bavaria, cujus erectionis litteras* XII *Kalendas Maias anno* CIↃCCLV *scriptas, quibus donatur congregationi Eremitarum S. Guilhelmi se in eo conventu vidisse testis est Milensius apud Herreram; ubi pro Guilhelmitis substituit Augustinianos Joannes Aventinus lib. 7 Annalium Boiorum, quasi ipsis primo fuisset constructum. Alterum est monasterium Vallis-Speciosæ, vulgo Schontall, in Palatinatu Bavariæ versus Bohemiam situm, ad quem conventum aliosque Alamanniæ, Boemiæ, ac vicinarum ditionum Divum Guilhelmum pervenisse tradunt supra memorata Ordinis S. Augustini antiqua Officia lect. 7, de quibus recte pronuntiat Herrera, quæ nulli* fundamento innixa, omittenda esse. *De monasteriis Ordinis Guilhelmitarum restitutis mox agemus.*

*tunc Augustiniani obtinuerunt hæc monasteria, in Bohemia Insulam B. Mariæ,*

*et Vallem S. Joannis de Pinonia,*

*in Suevia Medelhamense,*

*de Lixtin*

*forte in Hungaria,*

*apud Bavaros Semanshusium,*

*et Vallem-Speciosam,*

## § VI. *Privilegia Guilielmitarum in Synodo Basileensi confirmata. Domus et monasteria Ordinis.*

D

AUCTORE G. H.

*Non defuerunt subsecutis temporibus Pontifices atque Imperatores, aliique Reges et Principes, qui Ordinem Eremitarum S. Guilhelmi suo favore ac patrocinio protegerent, illique, immunitates, gratias, aliaque privilegia concederent, ac varias elargirentur possessiones quæ omnia patres Synodi Basileensis anno* CIↃCCCCXXXV *ad horum Guilielmitarum petitionem confirmarunt, hac Bulla edita a Sampsone Haio et Chrysostomo Henriquez inter privilegia ordinis num. 8.* Sacrosancta generalis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, scilicet universalem Ecclesiam repræsentans, dilectis Ecclesiæ filiis, Generali, Provincialibus, Prioribus et Fratribus ac Conventibus monasteriorum Ordinis S. Guilielmi per Alamanniam, Franciam et Italiam, ac alias ubilibet constitutis, Salutem et Omnipotentis Dei benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea- E propter dilecti Ecclesiæ filii vestris justis supplicationibus grato occurrentes assensu, decimas, redditus, census, terras, villas, possessiones, prata, et alia bona ad dicta monasteria vestra spectantia, omnesque libertates et immunitates a Romanis Pontificibus et Imperatoribus, vel privilegia sive indulgentias vobis et dictis monasteriis vestris indultas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a Regibus et Principibus vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis et monasteriis vestris concessas, sicut ea omnia juste et pacifice obtinetis, vobis et per vos eisdem monasteriis auctoritate nostra confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. Datum Basileæ IV Nonas Septemb. anno a Nativitate Domini CIↃCCCCXXXV.

*Privilegia Guilielmitis concessa*

*confirmat Synodus Basileensis.*

*anno 1435*

32 *Quæ vero in memoratis in ea provinciis illo Christi seculo extiterunt Ordinis Eremitarum S. Guilhelmi monasteria, hic subjungimus, ex codice MS monasterii Alostani a Petro Silvio Priore Guilielmitarum nuper cum Vita S. Guilhelmi excusa. Est autem prima provincia* TUSCIÆ, *ubi hic ordo exortus est, in qua sequentes domus seu monasteria numerantur.*

*Domus et monasteria Ordinis*

Stabulum-Rodis juxta Castellionem Piscariæ prima domus, *vulgo tunc ad* S. Guilielmum *dicta, et sedes* Generalium. *De ejus situ supra egimus, infra de varia ejus destructione et restauratione acturi.*

*in provincia Etruriæ,*

F

Monasterium S. Quirici de Pombolonia.

Monasterium de Phango prope Castellionem.

Monasterium de Athorona juxta S. Cassianum.

Monasterium S. Leonardi.

Monasterium S. Francisci de Campania.

Abbatia S. Antonii juxta Castellum novum, quæ ngnominatur Castrum Abbatis. Hanc Abbatiam extruxit et dotavit Carolus Magnus. *Huic videtur Bulla a Gregorio IX anno* CIↃCCXXX *data, de qua supra num 11 egimus. Quod autem a Carolo Magno extructa et dotata dicitur, supra* § 1 *ante Acta refutavimus.*

Monasterium de Aquæ-ortu.

Monasterium de Cylo.

Monasterium S. Leonardi in Aquæ dente, quod appellatur Mancipalus.

Monasterium S. Juvenalis de Urbe-veteri.

Monasterium S. Joannis de Argentola.

Monasterium S. Salvatoris de S. Balbina Romæ.

Monasterium S. Pauli de Albano ultra Romam, et est in Comendis.

Monasterium S. Amati.

Monasterium S. Petri de Palubrio ultra Romam.

*Fuerunt in eadem Provincia sequentes Præposituræ*

A Præpositura de Castellione Piscaliæ cum cura.

AUCTORE G. H. *cum variis præposituris,* Præpositura de Castello plano sine cura.

Præpositura de Grosseto sine cura.

Præpositura de Campania sine cura.

Præpositura de Buriano cum cura.

Præpositura de Bolseno sine cura.

Præpositura de Plumbino cum cura.

Præpositura de Ruchastrata cum cura.

Præpositura Montis-latronum sine cura.

Præpositura Montis Veneris sine cura.

Præpositura Archidociæ cum cura.

Præpositura S. Angeli juxta Campagnaticum cum cura.

Præpositura Montis-Piscalis cum cura.

*in provincia Alamanniæ,* 33 *Secunda Provincia est* ALAMANNIÆ, *in qua hæc monasteria et domus recensentur.*

Domus Vallis-Comitis, dicta Stella-Mariæ, juxta villagium de Obereeth ultra Friborch.

Domus de Friborch, dicta Cella Mariæ.

Domus de Porta Mariæ juxta Cruishonte, citra Hagenobiam, *supra in Bulla Clementis* IV *dicta* de Ibiseborne, Maguntinensis diœcesis, *cum sequenti ab Augustinianis reddita anno* CIↃCCLXVI.

Domus de Corona Mariæ *in eadem Bulla dicta* de

B Fuvisene, Constantiensis diœcesis.

Domus de Mylenbach.

Domus de Clyngenobia.

Domus de Mentenborne.

Domus de Hagenobia.

Domus Vallis Mariæ extra Hagenobiam.

Domus de Meveghem in Suevia.

Domus de Maguntia.

Domus de Argentina.

Domus Vallis Principum Wynsbach juxta Buchraeum.

Domus de Wormacia in vico Judæorum.

Domus de Witsenborna.

Domus de Spira extra portam S. Marci.

Monasterium monialium Vallis Virginum prope Lymborch.

Grangiæ Agla et Fons Mariæ, annexæ domui de Argentina.

*Franciæ et Belgicæ,* 34 *Tertia Provincia est* FRANCIÆ, *quæ aliis Franciæ et Belgicæ, Miræo etiam Galliæ Belgicæ est, qui catalogum monasteriorum ejus ex codice Bereensi edidit lib. 2 Originum Monasticarum cap. 17, atque ex eo recudit Chrysostomus Henriquez in fasciculo Sanctorum Cisterciensium sub finem Vitæ S. Guilielmi. Floret*

C *autem Ordo vel maxime in hac Provincia, in qua hæc numerantur monasteria.*

Domus dicta Porta-cœli extra Buscumducis incepta anno CIↃCCX, *aut rectius secundum codicem Berensem anno* CIↃCCXLV. *Hujus monachi a prædio suburbano Haseldunum dicti, ob bellum Gelricum temporibus Caroli V migrarunt in urbem, ex qua eos cum religione orthodoxa anno* CIↃIↃCXXIX *Mars Batavus expulit. Portæ-cœli mentio fit lectione 7 antiquati Officii et statuitur in* Alamannia, id est Saxonia, in nemore *quam vaniss;e dicitur S. Guilielmus. Verum sive de hac sive alia Domo mentio fiat, fabulosam eam narrationem supra rejecimus.*

Domus de Wastum juxta Berulnet, incepta anno CIↃCCXLIX, quæ locis illis anno CIↃCCCLXXVII submersis, Brugas translata est anno CIↃIↃXXX, et vocatur Vallis S. Antonii.

Domus de Barnaphay in Arduenna silva, incepta anno CIↃCCXLIX.

Domus Pratum Mariæ dicta, inchoata etiam anno CIↃCCXLIX.

Domus Paradisi juxta Duram, incepta anno CIↃCCLV *alias anno* CIↃCCLII. *In hujus ecclesia diu servatum fuit sacrum caput S. Guilielmi, ut infra dicetur, ubi de ejus corpore agemus.*

Domus de Walincuria, inchoata anno CIↃCCLV *in* D *Comitatu Namurcensi.*

Domus de Nova-terra, incepta anno CIↃCCLVI, post bellis destructa, translata est in Oudezeele anno CIↃCCCCLVIII, deinde in Peene anno CIↃCCCCLXVIII, et intitulatur Nazareth. *Sunt ea loca in agro Casletano apud Flandros Occidentales.*

Domus Montis-rubei extra Parisios, fundata anno CIↃCCLXVI, (*imo potius circa* annum CIↃCCLVI) translata Parisios CIↃCCXCVII in locum Alborum Mantellorum. *De ea Domo egimus supra* § 6 *ante Vitam.*

Domus S. Ursmari extra Alostum, incepta anno CIↃCCLXVIII, postea per bella destructa, intra oppidum translata est anno CIↃCCCLXXX.

Domus S. Catharinæ extra Nivellam, incepta anno CIↃCCLXX.

Domus de Hubergis, *qua Antverpia Bergas ad Zomam itur,* incepta anno CIↃCCLXXVIII.

Domus de Motta extra Leodium, inchoata anno CIↃCCLXXXI.

Domus Paludis Comitis, *vulgo Grevenbruck in Ducatu Juliacensi,* inchoata anno CIↃCCLXXXI.

Domus sanctæ Trinitatis in Bevere inchoata anno CIↃCCCCLIX, *duobus milliaribus Belgicis Antverpia in Wasiana ditione trans Scaldim.* E

## § VII. *Cultus S. Guilielmi apud Augustinianos.*

ANIMADV PAP. 75 *S. Guilielmus colitur ab Augustinianis,* *Antiquum viguisse apud Patres Augustinianos cultum ac venerationem S. Guilielmi indicant Breviaria manu exarata, quorum unum ante annum Christi* CIↃCCCXLVI *scriptum esse tradit Herrera in S. Guilielmo. Hunc cultum deinceps ad nostra tempora continuatum esse confirmant sæpius excusa atque immutata Officia propria Ordinis eorumdem Eremitarum S. Augustini,*

*sed pro S. Guilielmo Gellonensi sumptus,* *in quorum Lectionibus propriis pro S. Guilielmo parente Guilielmitarum sumi S. Guilielmum, qui e Duce Aquitaniæ sub Carolo Magno in valle Gellonensi monachus vixit, supra retulimus ac refutavimus ipso præeunte Herrera Augustiniano, ac monente has lectiones sacrorum* Officiorum rigoroso indigere examine. *Pari examini etiam subjiciendi sunt aliqui scriptores, qui minima arrepta occasione ex rebus adeo confusis quælibet in favorem suum deducunt. Ita ipse Herrera ex dictis Lectionibus refert* Lugdunum prope cœnobium S. Salvatoris a D. Guilielmo circa annum CIↃCCLVI in valle

*non extruxit is monasterium prope Lugdunum.* Gelonis, ut ferunt, erectum : *quod S. Guilielmus senior sub initium Imperii Caroli Magni extruxerat. Quod vero dicto anno* CIↃCCLVI *tradatur S. Guilielmus apud Stabulum-Rodis obiisse, conjecit idem Herrera* forte F fundatum ab Alberto Gallo S. Guilielmi protodiscipulo, *sed numquam probabit Albertum natione Gallum fuisse, aut in Gallia fuisse. Ægidius a Præsentatione in Primatu Augustiniano lib. 5 cap. 4 cum Hieronymo Romano scribit* anno millesimo constructum esse

*neque Lugduni restauravit ·* monasterium Ordinis Eremitarum in Gallia, in civitate Lugdunensi, quod elacis temporis diuturnitate labans, ruinamque minitans instauravit B. Guilielmus, ut constare potest ex scriptis authenticis illius monasterii. *Herrera asserit memoriam ejus extare in Registris ad annum* CIↃCCCXIII. *Sed ab illis monasterium urbi adscribitur, quod Lectiones extructum tradunt in territorio Lugdunensi, pro quo Luteverse apud Narbonenses legendum ostendimus a S. Guilielmo Gellonensi fundatum.*

*non etiam Petræ-Firmæ in Lusitania,* 36 *Aliud est monasterium Petræ-Firmæ provinciæ Lusitaniæ ad littus maris Oceani, quod, ut ait Herrera,* extructum nonnulli arbitrantur a B. Guilielmo circa an. CIↃCXL ; postquam Compostellanæ Ecclesiæ limina et sacra B. Jacobi pignora cum summa devotione visitasset, *ubi citatus* Antonius a Purificatione in Theatro triumphali a S. Ancirado Martyre conditum et a B. Guillelmo sub Alfonso I Lusitaniæ Rege

reparatum

*non restauravit Ordinem per varias regiones :*

A reparatum existimat. *Sed* neque id satis certum *autumat Herrera, cujus censura magis placet, dum ex antiquis Ordinis Lectionibus Ecclesiasticis retulit* S. Guilielmum ad conventum Vallis-speciosæ inter Bavaros pervenisse, *addens* quæ nullo fundamenta innixa facile evanescunt, omittenda esse. *Præterea omnia de S. Ancirudo Martyre dubia sunt et suspecta, idemque eum* IV *Februarii inter Omissos retulimus, et in Chronico Luitprandi traditur vixisse ad an.* DCCCL, *quando in acerbissima istic Maurorum persecutione non licuisset monasteria condere. Similia sunt, quæ Josephus Pamphilus Episcopus Signinus scribit in Chronico Augustiniano :* S. Guilielmum monasteria temporis injuria vel diuturnitate labefactata cœpisse instaurare, nec destitisse, donec universum Ordinem per Hispaniam, Galliam, Angliam, Germaniam et Illyricum restituit, multisque monasteriis ornavit. *Quæ eadem in antiquis Lectionibus Ecclesiasticis memorantur. Interim scribit idem Pamphilus,* a dispersione Fratrum Eremitarum ex Africa post obitum S. Augustini, usque ad tempora prædicti Papæ Innocentii III, *sive annum Chr.* CICCC, se in scripto authentico non invenisse, qualiter Fratres sui Ordinis in illo intervallo tanti temporis vixerint, quidve egerint, unde de hoc aliquid
B scribere se non curasse. *Quod sui immemor, etiam non invento authentico scripto infeliciter præstitit in S. Guilielmo, quem difficulter probabit eremitam in Hispania, Gallia, Anglia, Germania aut Illyrico fuisse.*

*non suscepit habitum Augustinianum in silva Livallia,*

37 *Herrera in elogio S. Guilielmi ait eum* Ducem Aquitaniæ et Pictaviæ Comitem a schismate ad bonam mentem a S. Bernardo reductum fuisse, *quæ supra rejecimus : deinde* post Hierosolymitanam et Compostellanam urbes devote visitatas, ad sacras Tusciæ eremos confugisse, et ibi ad silvam Livalliam habitu Augustiniano suscepto, et non multo post condito monasterio Stabuli-Rodis in territorio Senensi, anno CICCLIV, aut CICCLV, novam Guillelmitarum Congregationem sub Augustini regula et propriis quibusdam constitutionibus inchoavisse. *Verum, ut supra censuit,* quæ nullo fundamento innixa sunt, facile evanescunt. *Secundum Acta par.* 2 *cap.* 1, reperit in silva Livallia speluncam horribilem, sociorum numerus copulatur, hospitale extruitur, *sed fervore eorum tepescente,* molestiis, conviciis et injuriis appetitus decessit, *unico deinceps socio contentus. Unde plura scire potuit Herrera? Addit ad Litteram* L, antiquum eremitorium, in quo magno cum fundamento creditur B. Guilielmus circa annum CICCLII eremiticum

*in monasterio de Lupocavo.*

C D. Augustini institutum suscepisse, Lupocavi esse ; fuisseque anno CICCCLVI caput peculiaris Congregationis Eremitarum S. Mariæ de Lupocavo Lucensis diœcesis, quam eo anno in unione generali, in unum cum aliis Congregationibus corpus coaluisse expressit Pamphilus fol. 30 suæ Chronicæ Augustinianæ. *Verum, ut figmenta, supra rejecimus tot exaggeratas apud Pamphilum Congregationes, cum Alexandri* IV *Bulla quinque solum Eremitarum Congregationes in unum religionis corpus coaluisse tradat. Ex hisce, Congregationes Fratrum eremi de Brictinis, et Fratrum B. Joannis Boni, cum ante ex propriarum quarumdam constitutionum norma viverent, acceperunt quidem regulam S. Augustini sub Gregorio* IX, *sed septuaginta post obitum S. Guilielmi annis creato Pontifice : quam regulam ad memoratum annum* CICCCLVI *non habuerant Eremitæ S. Guilielmi, aliique de Monte Fabali, et mox, ne eam admittere cogerentur, impetrarunt. Quinta vero, quæ superest Congregatio S. Augustini, jam ante sub Innocentio* IV *in Tuscia coaluerat, ex variis eremitis, quorum plerosque regulam S. Benedicti ante amplexos fuisse ostendunt Bullæ Innocentii supra datæ : ex ea congregatione fuisse monasterium de Lupocavo docet idem Herrera.*

38 *Successit Innocentio* IV *Alexander* IV, *creatus*

*AUCTORE G. H.*

*Gesta Innocentii* IV *et Alexandri* IV, *ad Anastasium* IV *et Adrianum* IV *perperam translata*

D *Pontifex mense Decembri anni* CIↃCCLIV. *Utriusque gesta alii, centum annis prius ad tempora S. Guilielmi statuunt, tribuuntque Anastasio* IV *et Adriano* IV, *qui huic successit mense Decembri anni* CIↃCLIV. *Horum mentio fit in antiquo Officio lect.* 9. *Et Laurentius Empoli in Summario Apostolicarum Constitutionum, quas non vidit ;* Anastasius IV, *inquit, num.* 24, D. Guilielmo facultatem dedit ad restaurationem Ordinis, quam in Gallia prosecutus mirifice fuit usque ad ejus mortem, quæ quoquomodo contigerit in Stabulo-Rodis in Tuscia apud historicos invenies. *Et num.* 25, Hadrianus IV restaurationem nondum a S. Guilielmo absolutam, ad perfectionem reducere curavit, privilegiis et gratiis Ordini plurimis concessis. Fecit facultatem Eremitis Ordinis ab eremis ad locorum frequentia se transferendi etc. Romanus centur. 8 ad an. 1154, qui testatur Bullas de translatione retineri in Archivo Parisiensi S. Augustini, et Seripandus ad an. 1151, *et quos hi secuti sunt, Bergomensis, Schedelius, Nauclerus, aliique. Quæ melius Jordanus de Saxonia transtulit ad tempora Innocentii* IV *et Alexandri* IV, *asserens lib.* 1 *de Vitis Fratrum cap.* 14, Innocentium intendisse Eremitis S. Augustini de statu uberiori paternaliter providere : sed
E præventum morte, ea, quæ proposuit non perfecisse. Alexandrum IV unionem per prædecessorem inchoatam consummasse, *uti supra ostendimus : ubi etiam diximus secundum eumdem Jordanum, primum ordini datum privilegium, quod inscriptum indagare potuit, attribui Innocentio* III, *ante quem post memoratos supra Anastasium* IV *et Hadrianum* IV *sex alii Summi Pontifices Ecclesiæ per annos quadraginta præfuerunt.*

*Monasterium Vallis S. Guilielmi, Ord. S. Augustini,*

39 *Aliud argumentum a Patribus Augustinianis S. Guilielmum suo Ordini adscribentibus sumitur ob monasterium sui Ordinis, quod Vallis S. Guilielmi dictum, in Lingonensi diœcesi apud Gallos extabat anno* CIↃCCLII, *quando Innocentius Papa* IV *anno Pontificatus* IX, *Fratribus illius monasterii dedit privilegium cum hoc exordio :* Innocentius Episcopus... dilectis filiis Priori et Fratribus Eremitarum Vallis S. Guilielmi Ordinis S. Augustini, Lingonensis diœcesis, salutem... Devotionis vestræ precibus benignum impertientes assensum. *Editum reperimus hanc Bullam a Joanne Marquez cap.* 13 § 16, *Crusenio par.* 2 *cap.* 22, *Henriquez cap.* 8 *Apologetici, et cap.* 7 *Vitæ, Herrera, aliisque, asserentibus eam ex archivo conventus Parisiensis editam esse a Jacobo Brulio in Antiquitatibus Parisiensibus : sed quod indicatur folium* 895, *agit de conventu Guilielmitarum Parisiensi Alborum mantellorum*

*cur et a quo S. Guilielmo appelletur ?*

F *appellato. Verum, sicuti alia ejusdem S. Augustini monasteria apud Herreram aliosque cognominantur a variis Sanctis* Valles *sive* Montes SS. Antonii, Nicolai, Martini, Christophori, Sabini, Donati, Mariæ Magdalenæ, Luciæ, Catharinæ, *atque aliorum qui neque illius ordinis fuerunt, neque peculiarem in eo obtinent venerationem ; ita vallis illa S. Guilielmi nomen adepta, sive ab hoc S. Guilielmo qui in Stabulo-Rodis decessit, seu potius ab eo qui in deserto Gellonensi vixit. Hujus certe Guilielmi Gellonensis veneratio ad alterum S. Guilielmum translata videtur, ut ideo in hujus Officio apud Patres Augustinianos hactenus ejus parentes, et bella contra Sarracenos in Galliis sub Carolo Magno gesta, junioni adscribantur. Sed hæc dicta sunto pro iis, qui censent hoc monasterium fuisse ordinis Eremitarum S. Augustini, ex quorum registris nulla hujus memoria, uti aliorum, profertur : neque in catalogis monasteriorum hujus temporis S. Guilielmi Vallis continetur. Hinc aliqua nobis suspicio est, hanc Vallem S. Guilielmi eamdem esse, quæ vulgo Vallis scholarium dicitur in memorata diœcesi Lingonensi sita, atque a quodam Guilielmo, de quo mox plura dicemus, ejusque sociis secundum regulam S. Augustini instituta. In antiquitatis Lectionibus Officii de S. Guilielmo hæc sub finem narrantur :*

*an eadem Vallis scholarium ?*

*AUCTORE G. H.*

A rantur : Cum quadam die panes coquere deberet, et hora tardior esset, timens ne Fratres scandalizarentur ex mora, furnum purgare cupiens; et scopam ad purgandum paratam non habens, repente incensum clibanum intravit, quem suo scapulari purgavit, cineresque manibus expulit et tam corpore quam vestibus omnino inustus exivit, coctos panes sine mora Fratribus apportavit. Aqua frigida et solo pane etiam in hyeme multo tempore usus est. Obitus sui præscius diem dormitionis ejus Priori et Fratribus prædixit, et Regi Karolo per litteras scripsit. *Hæc ibi ex actis S. Guilielmi Gellonensis, qui has litteras de obitu suo scripsit Imperatori Carolo Magno amitino suo; et tamen additur in his lectionibus eum migrasse an.* CIƆCLVI.

## § VIII. *Ulterior inquisitio cultus S. Guilielmi. An Guilielmus fundator vallis scholarium pro S. Guilielmo habeatur?*

*Josephus Pamphilus Episcopus Signinus in præfatione Chronici Augustiniani asserit in Ordine suo post* auctorem S. Augustinum innumerabiles extitisse, omni virtutis genere ornatissimos, et cum quibuscum-

B que aliorum Ordinum viris clarissimis comparandos.

*Alius Guilielmus cum B. Joanne Bono vixit (qui et S. Guilielmus pro uno eodemque habiti)*

Non defuerunt, *addit*, Elisæi, Pauli, Antonii, Hilariones, Macarii, Serapiones : videlicet Joannes Bonus, Guilhelmus Confessor, Guilhelmus Sengham, Guilhelmus Flete, Guilhelmus reclusus, Augustinus Novellus. *Hæc ibi : tamquam* Guilhelmus Confessor *post B. Joannem Bonum, aut saltem cum eo vixisset. Idem Pamphilus folio* XXV, *et iterum folio* XXX *scribit* Ordinem Eremitarum S. Augustini ab ipso Augustino inceptum, collabentem a S. Guilhelmo trans Alpes, in Italia a B. Joanne Bono non multo post instauratum esse. *Incepit B. Joannes suam Congregationem anno* CIↃCCIX, *vita functus anno* CIↃCCXLIX, *elapsis duobus et nonaginta annis ab obitu S. Guilielmi, quem supra diximus post vitam ereminticam assumptam, non videri extra Etruriam abiisse. Quare alium extitisse oportet Guilielmum, qui ætate junior trans Alpes vixerit. Ita hos duos ante Pamphilum distinxit Wernerus Rolewinck Carthusianus in Fasciculo temporum anno* 1481 *excuso ; apud quem circa annum* CIↃCCLIV Ordo Guilhelmitarum a S. Guilhelmo eremita, olim Duce Aquilegiensi, nomen et originem traxit. *Deinde vero circa annum* CIↃCC Wilhelmus Parisiensis incepit Ordinem Augustinensium, qui etiam dicuntur Mendicantes,

*is trans Alpes.*

*seculo 13*

*Parisiensis cognominatus.*

C *scilicet ut religiosi Ordinum Prædicatorum et Minorum, de quibus ante egerat. Hoc* Fasciculo temporum Fratris Carthusiensis *in testimonium adducto, Jacobus Philippus Bergomas in Chronicorum supplemento, Brixiæ anno* 1485 *impresso, tradit* S. Guilielmum, *non Parisiensem, sed* apud Parisium eremitis primum monasterium sub mendicitatis, (*alias* mendicationis) titulo extruxisse. *Bergomatem describunt auctores illi ævi, Hartmannus Schedel in libro Chronicarum* 6 *ætate fol.* 203, *Joannes Nauclerus volum* 3 *Chronici generat.* 41 *ad annum Chr.* 1215 *aliique posteriores. De monasterio Eremitarum S. Augustini circa annum* CIↃCCI *Parisiis extructo, mox agemus : ubi ante, quis hic Guilielmus Parisiensis sit, dixerimus.*

41 *Gabriel Pennotus* 1 *par. Historiæ tripartitæ cap.* 16, *citatis præter Fasciculum temporum, Bernardo Vargas, Augustino Ticinensi, et quibusdam aliis, tradit ex horum opinione intelligi* Guilielmum, qui scholaris Parisiensis cum esset, divino numine afflatus, spretis mundi illecebris, ut peccata per pœnitentiam redimeret, vitam eremiticam magno animi fervore complexus, et præclara sanctitatis exempla diffundens, plures traxit, cum quibus in partibus Galliarum Ordinis fundamenta jecit. *De hoc Ordine*

*fundator Ordinis Vallis scholarium*

D *agit sæpius Renatus Choppinus, et quidem lib.* 1 *Monasticon titulo* 1 *num.* 13 *hæc habet :* Isti Vallisscholarium sodalitio, quod Augustiniana norma regitur, initium dedere Lutetiani quatuor Theosophiæ professores, Wilhelmus, Richardus, Everardus et Manasses ann. CIↃCCI, cœlitus inspirato eorum discessu abditam in vallem Campaniæ Belgicæ Lingonas versus. Queis socium pariter se Fridericus Catalaunensis Episcopus adjunxit. Nec longe post Ordinem probarunt diœcesanus Lingonum Præsul anno CIↃCCIII, et Honorius III Rom. Pont. Nonis Martiis an. CIↃCCXVIII. Ast mutatis dehinc a religiosa familia sedibus, translatisque propinquam in vallem salubriorem ad Chaumontium Campaniæ oppidum, nomen huic inditum est Vallisscholarium anno CIↃCCXXXIV. *Hæc Choppinus citatis ibidem Bullis Pontificum Honorii* IV, *Joannis* XXII, *Pii* II, *Pauli* II *et Pauli* III. *Idem titulo* 2 *num.* 13 *recenset pleraque monasteria aliaque membra ab Abbatia et Ordine Vallisscholarium dependentia. Martinus Polonus lib.* 4 *Chronici in Honorio* III *hæc scribit :* Hic Papa anno tertio Ordinem Vallium scholarium confirmavit, quem Guilielmus quidam Anglicus incepit, qui Parisiis scholaris fuerat, et postmodum in Burgundia rexerat, et tandem cum scholaribus suis ad eremum convolavit, et formam E vivendi ex diversis religionibus suis et sibi elegit. *Hunc M. Antonius Sabellicus enneade* 7 *Rhapsodiæ historicæ lib.* 9 *Ordini Eremitarum S. Augustini adscribit, Sanctisque illius Ordinis annumerat : ubi enim retulit viros libris scriptis variaque eruditione claros, addit :* Sanctorum catalogo adscribuntur Divus Augustinus, Nicolaus Tolentinas, Simplicianus et Guilielmus Britannicus. *Alii hunc Guilielmum civem Parisiensem faciunt, forte ibidem etiam cœlo renatum, atque in ecclesia S. Catharinæ sepultum : quam Choppinus loco supra indicato tradit* Ordini Vallisscholarium a D. Ludovico conditam fuisse anno CIↃCCXXIX, ceu monumentum ære perennius victoriæ avi Regis Philippi II, quam ad Bovinas Flandriæ pagum de Ottone Cæsare et Ferdinando Flandrorum Comite reportarat anno CIↃCCXIV.

*cum tribus sociis,*

*an. 1201 :*

*ortu Anglus,*

*Sanctis Augustinianis adscriptus,*

42 *Huic Guilielmo plurima conveniunt, quæ Petrus Galesinius in suo Martyrologio, non absque rerum temporumque perturbatione, attribuit S. Guilielmo Magno et eremitæ ad diem* X *Februarii?* Hoc ipso die, *inquit*, S. Guilielmi Confessoris. Is civis Parisiensis, in S. Christianæ pietatis studio atque exercitationibus a Bernardo eruditus, abjectione et despectione rerum humanarum insignis, Romam venit : unde triplicem F loricam ob cruciatus tolerantiam indutus, Hierosolymam peregrinatus est : post in Hispaniam ad sacras B. Jacobi Apostoli reliquias venerandas profectus, iterum Hierosolymam rediit : ubi a Sarracenis captus, et religionis caussa injuriosius tractatus, demum Divina ope dimissus, in insulam Hetruriæ proximam appulit, ubi diu duriter victitavit : post Romam reversus, hinc Centumcellas, inde postremo Parisios venit, multisque exædificatis monasteriis, et rebus sancte gestis, quievit in Domino. *Hæc ibi, quorum ultima in Appendice ad Catalogum Sanctorum Petri de Natalibus ita referuntur :* Locellis per totam Etruriam devote visitatis, Centumcellas appulit.... Romam, et inde Ariminum ad S. Mariam de Platano ejusdem Ordinis locellum pervenit.... Post innumerabilia sanctitatis opera remeavit in patriam, et ibidem animam feliciter exhalavit miraculis undique pullulantibus. Ejus dies IV Idus Februarii celebratur. *Ad quem diem in Lectionibus ad Matutinum, quæ in Officio proprio Ordinis Eremitarum S. Augustini ab anno* CIƆIƆLXX *recitabantur, obitus S. Guilielmi ita effertur :* Ad propria tandem rediens, ab eo ædificato Parisiensi monasterio sub mendicantium titulo, multis rebus mirifice gestis, divinisque

*elogio ejus ac S. Guilielmi confuso :*

*creditus Parisiis obiisse.*

Sacramentis

A Sacramentis munitus, feliciter migravit in Domino.

*neuter ac sub S. Ludovico militavit,*

43 *En quanta rerum temporumque perturbatio, quam adauget etiam Pamphilus Episcopus, dum, ut supra monuimus,* S. Guilielmum scribit sub S. Ludovico Rege Galliæ strenue militasse; Sarracenosque Aquitaniam invadentes Caroli ejusdem Ludovici fratris exercitu debellasse: *Quæ sub Carolo Magno et Ludovico filio ejus a S. Guilielmo Gellonensi facta fuisse demonstravimus, et hic transferuntur ad S. Ludovicum, sub quo Guilielmus, præcipuus fundator Ordinis Vallis scholarium, vixit. Ejusdem generis est, quod Ægidius a Præsentatione lib. 8 Primatus Augustiniani ad an. 1140 ex memorata Appendice (quam perperam a Petro Equilino autumat scriptam) infert,* iisdem temporibus monasterium Ariminense S. Mariæ de Platano Ordinis Eremitarum constitutum fuisse, *quod Herrera in Alphabeto Augustiniano inceptum scribit anno* CIↃCCLVI *die* V *Decembris, cujus donationis instrumentum asserit in archivo illius monasterii adhuc custodiri. Denique similia sunt, quæ occasione Guilielmi Parisiensis scholaris scribunt Bergomas Schedelius, Naucleras supra memorati,* S.

*aut Arimini Augustinianos visit,*

*aut his monasterium Parisiis exstruxit,*

Guilielmum primum monasterium apud Parisium sub mendicitatis titulo extulisse. *Eadem intrusa sunt in antiquas lectiones Officii Ecclesiastici de S. Guilielmo*

B *lect. 9. Addit Ægidius a Præsentatione ad an.* 1156 post mortem B. Guilielmi Albertum Gallum virum et vitæ sanctitate, et litterarum doctrina egregium, sanctique Guilielmi in instauratione Ordinis adjutorem, curam suscepisse conventus Parisiensis. *Sed, ut cum Herrera loquamur, quæ nullo innixa sunt fundamento, facile corruunt. Prima Ordinis Augustiniani initia apud Parisios referuntur a Claudio Roberto in Gallia Christiana ad annum circiter* CIↃCCL, *sedente Episcopo* LXXVI *Gualthero de Castro-Theoderici. Roberto consentit Jacobus Breulius lib. 2 Antiquitatum Parisiensium, ubi plura de loco primi domicilii refert. Quod huc potissimum spectat, præclare S. Ludovicus in suo testamento, quod in Terram sanctam secundo profecturus, anno* CIↃCCLXIX *condidit, Guilielmitas ab his Augustinianis distinguit, ita illis quædam testamento relinquens:* Fratribus Eremitis de Ordine S. Guilielmi juxta Parisios, *scilicet in Monte-rubeo,* XX libras. Fratribus eremitis S. Augustini Parisiis XV libras.

*quod conditum an. 1250,*

*distinctum a monasterio Guilielmitarum.*

*Hæc ibi nulla facta mentione aliorum monasteriorum horum Eremitarum, uti aliorum Ordinum fecit, ex quibus unicum referimus exemplum.* Item, *inquit,* legamus domui Vallis scholarium Parisiis XL libras et aliis domibus ejusdem Ordinis centum libras, distri-

*et Vallis scholarium.*

C buendas similiter secundum discretionem et ordinationem executorum nostrorum. *Hinc judices ordinem Vallis scholarium eo tempore in Francia Guilielmitis et Augustinianis celebriorem, eisque in testamento S. Ludovici præpositum. At de hoc adnotat Choppinus lib. 2 Monasticon titulo 1 num. 20 pauca priscos historicos narrare, ut vel ideo pro Guilielmo conditore hujus Ordinis potuerit facilius S. Guilielmus assumi. Quia vero Regulam S. Augustini profitebantur, plures inde errores succreverunt.*

44 *Ex his erroribus ille etiam est, quo Eremitæ S. Augustini subinde Guilielmitæ dicuntur appellati, quod Bergomas usque ad tempora Innocentii IV in Galliis factum scribit, nullo id antiquo testimonio probaturus. Bergomatem absque ulteriori examine reliqui descripserunt. Verum et ea ipsa in Bergomate, diligentia eruditorum quorumdam multis mendis ac superfluis quibusdam rebus diligentissime repurgato, deinceps omissa sunt. Potuit interim nomen Guilielmitarum Augustinianis aliquibus in locis adhæsisse, ob monasteria S. Guilielmi, ut supra scriptum, Augustinianorum Ordini adjuncta, ea scilicet ratione, qua Guilielmitæ Parisiis atque in Francia Alborum mantellorum monachi appellantur ob occupatum Parisiis monasterium Servitarum, qui albis penulis indui soliti, eo istic nomine ante oc-*

*Augustiniani non fuerunt Guilielmitæ dicti ante tempora Innocentii IV ob monasteria ad Augustinianos translata, creditur permansisse nomen, et cultus S. Guilielmi,*

*cupabantur. Potuit in eisdem monasteriis antiquus primi Patroni S. Guilielmi cultus, etiam assumpto Ordine Eremitarum S. Augustini, perseverasse, qui paullatim ad universum Ordinem transierit, postmodum sancte conservatus. Bellinus de Padua eremita Augustinianus in suo Martyrologio, ita scribit* X *Februarii:* Natale S. Guilielmi Confessoris, Ordinis Eremitarum S. Augustini. *Quæ etiam refert Molanus in auctario ad Usuardum, et nonnullis additis Maurolycus. In Martyrologio Romano solum* S. Guilielmus eremita *nominatur: rejectis illis verbis:* Ordinis S. Augustini: *quæ tamen in eodem Martyrologio Romano ad* X *Septembris de S. Nicolao de Tolentino leguntur. Varii tamen Pontifices ejus apud Augustinianos venerationem approbarunt. Gregorius Papa* XIII *permisit eum honorari inter Professos Ordinis Eremitarum S. Augustini, concessis Indulgentiis sub hac formula:* Universis et singulis utriusque sexus fidelibus, qui futuris temporibus domos et ecclesias prædictas Fratrum Eremitarum S. Augustini dicti Ordinis Fundatoris, et S. Monicæ matris ejus, ac S. Nicolai et S. Guilielmi dicti Ordinis Professorum diebus pro tempore visitaverint: *uti post Marquez, Crusenium, aliosque refert Chrysostomus Henriquez cap. 13 Apologetici de S.*

D

*AUCTORE G. H.*

*qui postea inter Professos Ordinis habitus.*

E *Guilielmo, additque* in ejusmodi Apostolicarum litterarum expeditione fieri brevia, nihil deminuendo, secundum verborum tenorem in libello supplici positorum. *Antiquiores Pontifices varias dederunt Eremitis Augustinianis indulgentias, præcipuis anni festis, etiam S. Augustini, nulla facta S. Guilielmi mentione: ita Innocentius* IV *Bulla data* VI *Kalendas Maii anno Pontificatus* I, *Christi* CIↃCCXLIV, *Nicolaus* IV *Bulla data* VIII *Idus Februarii, anno Pontificatus* I, *Chr.* CIↃCCLXXXIX, *aliique fecerunt, quorum tempore hic cultus ab Ordine universo needum videtur assumptus fuisse.*

## § IX. *Cultus S. Guilielmi apud Benedictinos et Cistercienses. Ejus origo male attributa Conversioni Ducis Aquitaniæ per S. Bernardum.*

*Colitur S. Guilielmus apud Benedictinos,*

O*rdini Benedictino adscribitur S. Guilielmus in Martyrologio monastico Menardi* X *Februarii his verbis:* In Stabulo-Rodis S. Guilielmi eremitæ. *Additur lib. 2 Observationum,* fuisse Ducem Aquitaniæ, conversum a S. Bernardo, congregatis quibusdam discipulis, vitam sub regula S. Benedicti duxisse eremiticam. *Ob hanc Ducis Guilielmi conversionem a S. Bernardo*

F *factam, quod is a plerisque S. Guilielmus habeatur, suo Ordini eum adscribunt Cistercienses. Ita antiquum Ordinis Cisterciensis Breviarium Parisiis anno 1508 excusum sub finem libri exhibet officium et Missam de S. Guilielmo, et varia continet de ejus per S. Bernardum conversione. Quod officium nobis integrum descripsit D. Joannes Polck Pastor Nitterheimensis in Archidiœcesi Coloniensi, ex Breviario monasterii Grevenbruchani in Ducatu Juliacensi. Idem attestatur Calendarium eorum Divione anno 1617 excusum* X *Februarii:* S. Guilielmus eremita, et eremitarum S. Augustini præcipuus reformator, per S. Bernardum convertitur. *Ex Calendario, alteroque Salmanticensi, quod non vidimus, in Notis allegato, inscribitur Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez his verbis:* Conversio S. Guilielmi Aquitanorum et Pictonum Principis, quem S. Bernardus ex schismatico et pertinacissimo peccatore potenter convertit, et sanctissimis moribus informavit. *Idem Henriquez Vitam S. Guilielmi conscripsit, edidique lib. 2 Fasciculi SS. Ord. Cisterc. dist. 12, ad quam præfatur* Ordinem Guilielmitarum sub regula monachorum S. Benedicti et Cisterciensium consuetudinibus militare: *eaque de causa, quascumque reperit Bullas Apostolicas huic Ordini concessas, inseruit libro regulæ constitutionum et privilegiorum*

*et Cisterciensibus;*

*Ordinis*

A *scilicet* anno CIↃIↃCXIII, absolvendi a censuris, si aliquando Religiosi existentes in S. Guilielmo incurrissent in eas : *et* anno CIↃIↃCXVII dandi apud S. Guilielmum caputium F. Fulgentio Viterbiensi, et post annum probationis admittendi professionem. Anno CIↃIↃCXIX responsum datum *ei* permanenti in eremo S. Guilielmi apud Stabulum-Rodis, *quo* non solum litteræ parentes prædecessoris confirmantur, sed si opus est ampliantur. *etc. Idem Herrera inter monasteria quæ littera C inchoantur, ad annum* CIↃIↃCXXXIII *hæc scribit :* Castilionis de Piscaria in Etruria, S. Guilielmi a priscis temporibus ab Ordine possessum, et a Castilione tribus millibus dissitum. *Crusenius par. 2. Monachismi Augustiniani cap. 22 scribit,* Malamvallem, Montem-Prunum et Stabulum-Rodis, ubi S. Guilielmus usque ad vitæ suæ terminum permansit, loca semper fuisse et adhuc esse Ordinis S. Augustini absque ulla possessionis interruptione. *Ceterum idem Crusenius in Indice monasteriorum in provincia Senensi solum recenset conventum S. Guilielmi, qui est in Stabulo-Rodis, sive Malavalle, nulla facta mentione Montis-Pruni, qui omissus quoque in accurato Alphabeto Herreræ.*

*eremitorio constructo circa an. 1600.*

3 *Hæc de varia Stabuli-Rodis fortuna : ubi S. Guilielmi sacrum corpus initio sepultum, plurimis claruit miraculis. Unde caput in Alamanniam, alteram Ordinis Guilielmitarum provinciam delatum fuisse infra dicemus. At reliqua ossa corporis (solum caput excipit Cavalcantinus) deportata intra oppidum Castilionem Piscariæ, magna cum reverentia in ecclesia parochiali S. Joannis Baptistæ asservantur. De hac ecclesia in registris Ordinis Patrum Augustinianorum memoria apud Herreram pag. 180 perseverat. Data dicitur* XXIX Martii anno CIↃIↃXCI Fr. Christophoro Bembo Scarlinensi; ob egregiam et singularem, (qua S. Guilielmum, Ducem olim Aquitaniæ et eremitam prosequebatur,) reverentiam et pietatem : sperabant enim Castilionenses fore, ut virum se probum, pium et a bonis omnibus imitandum esset præbiturus. Quare auctoritate officii sui per suas litteras ei facultatem dabant, ut Ecclesiæ et præpositturæ S. Joannis Castelionis Piscariæ, ubi sancti ipsius Guillelmi sacra ossa conduntur, inservire libere ac licite posset. *etc.*

B *Reliquiæ S. Guilielmi absque capite delatæ Castilionem Piscariæ*

4 *Hæc Herrera. Addit Cavalcantinus sacras eas reliquias bis quotannis cum magna populorum celebritate atque concursu spectandas proponi : præterea ipsis Kalendis Maii, (in quem diem supra diximus auctoritate Sedis Apostolicæ præcipuam solemnitatem fuisse translatam) cives Castilionenses cujuscumque sexus et ætatis cum publica supplicatione deferre S. Guilielmi reliquias e templo suo parochiali ad Stabuli-Rodis abbatiam jam instauratam : ubi per triduum magna cum religione asservantur, populo accurrenti offeruntur, non spectandæ solum, sed attingendæ quoque et piis osculis honorandæ. Eo triduo illuc undique accurrentium religioni impenso, (nec paucioribus diebus tantæ tot hominum celebritati satisfieri posset) iidem Castilionenses religiose ut allatæ fuerant, eas ad suam ædem reportant. Ipse etiam scriptor Vitæ Cavalcantinus, pio erga S. Guilielmum affectu incitatus, Castilionem venit, et impetrata facultate sacras reliquias expositas coram lustravit ac pie veneratus est. Quo tempore aderat et Guilielmus Delbava Volaterranus Ordinis S. Augustini vir eximius ac sacræ Theologiæ Doctor, cujus post Cavalcantinum, Crusenium et Herreram meminit Elssius in Encomiastico Augustiniano.*

C *1 Maii in supplicatione deferuntur Stabulum-Rodis.*

5 *Hæc de sacris ossibus S. Guilielmi, Castilionem asportatis : quod quo tempore contigerit, hactenus nusquam legimus. Caput pridem ante in Germaniam erat avectum, ubi alteram extitisse Ordinis provinciam, Alamanniam dictam, ejusque ibidem monasteria seculo XIII extructa supra indicavimus, retulimusque in Annalibus Dominicanorum Colmariensium annotari,* S. Wilhelmum anno CIↃCCXXXII miraculis claruisse, *quod occasione monasteriorum Guilielmitis in Alsatia extructorum, a propinquis Colmariensibus observatum. Quo autem tempore, quaque occasione, sacrum S. Guilielmi caput in Germaniam allatum et Francofurti in æde Prædicatorum depositum sit, nusquam legimus. Extructum ipsis ea in urbe est monasterium sub initium Ordinis; in quo B. Jordanus, II Generalis novitium febri laborantem imposita manu sanavit, uti XIII Februarii ad ejus Vitam exponemus. Ipsi Prædicatores, uti infra exponetur, se id a majoribus ex antiquissima memoria asservatum accepisse, semperque veneratos esse testati sunt anno* CIↃCCCCLXXIX : *ut vel hac manifesta testataque antiquitate superentur Castilionenses, apud quos de tempore, quo reliquum corpus adepti sunt, nihil constat. Est autem anno assignato* CIↃCCCCLXXIX *sacrum illud caput a Prædicatoribus Francofurtensibus donatum Guilielmitis monasterii Paradisi, quod in Juliacensi provincia oppidi Marcoduri suburbio possidebant. Ex horum libro MS. authenticum hujus donationis testimonium descripsit Reverendus Pater Jacobus Polius Marcoduri olim Guardianus Ordinis Minorum S. Francisci, nunc ejusdem apud Colonienses historiographus : qui in Exegetico historico S. Annæ typis Coloniensibus anno* 1640 *edito, refert cap.* 38, Patres Prædicatores Francofurtenses olim ad preces Patricii ac Scabini Marcodurani, Marcodurum Monasterio Patrum Eremitarum Ordinis S. Guilielmi dono transmisisse caput S. Guilielmi Ordinis Patroni, teste diplomate, quod superest. *et tomo II libri MS. Copiarum ejusdem Polii continetur pag. 2 sub hoc titulo:* De capite S. Wilhelmi Francofurto a Prædicatoribus misso Marcodurum.

*Caput S. Guilielmi olim in Germaniam translatum :*

D AUCTORE G. H.

*diu apud Dominicanos Francofurtenses asservatum.*

E

6 Honesto ac devoto viro, Gerardo de Thorn, civi oppidi Durensis, sub dominio situati illustris Ducis Juliacensis, ego F. Joannes Wilvarii Prior conventus Francofortiensis Ordinis Prædicatorum cum Patribus infrascriptis salutem in Domino, cum Divinæ laudis augmento perpetuo. Cum vestra sincera devotio instantia quamplurima ante aliquot menses nostro in conventu Francofortiensi me et Patres meos laudabili vestra coram nobis ac beneplacita tunc proposita intentione suppliciter rogaverit, caput videlicet S. Wilhelmi vobis dari, imo et præter hæc postmodum continuis piis et humilibus nos vestris nec destiteritis propulsare litteris, ego una cum Patribus meis F. Wenselao sacræ Theologiæ Professore, ac sacræ Paginæ Lectore, F. Hermanno de Sittert Subpriore, F. Joanne Loch, F. Wernero Nepotis de Confluentia, simul cum F. Joanne Botburg Procuratore, super vestra pia instantia bene deliberati, quamvis difficiles, vestris piis et devotis decrevimus annuere precibus, dantes propter Deum Caput S. Wilhelmi, hac fidei certitudine ac opinione famosa et probabili, qua nos hoc ipsum a nostris prædecessoribus Patribus jugiter apud nos Francoforti sub devota celebratione, annuo quoque festo cum suæ Legendæ studiosa conscriptione hactenus habuimus pariter et venerati sumus, nihilominus et in futurum, uti consuevimus, præfati Sancti venerationem exhibebimus : pro cujus idcirco perpetua memoria particulam sui sacri vobis jam oblati capitis nobiscum retinere dignum duximus. Quamquam præterea nonnullis S. Wilhelmi Ordinis Fratribus ante tempora, notabili pecuniarum oblata summa, caput hoc sacrum suppliciter petentibus, noveritis denegatum ; attamen vestro pio ac instanti pensato desiderio, quo præfati Sancti caput ad aliquod S. Wilhelmi monasterium, in quo alicubi vita luceat regularis et honesta, conferre pollicemur, ut ampliori simul et celebriori, quam apud nos, veneretur honore ; ego F. Joannes Wilvarii prænominati conventus ac Ordinis Prior, cum Patribus memoratis

*ab iis donatum Guilielmitis Marcoduranis*

F

*(aliqua tamen particula servata,*

A tis ejusdem, ad honorem omnipotentis Dei, nec non in sui Sancti Wilhelmi majoris venerationis præconium, ac ut Fratrum dicti Ordinis plus accendatur devotio, ac ipsorum apud hunc Sanctum nos adjuvet, simulque commendet devota jugis oratio, motu proprio, sacrum Wilhelmi caput vobis mittentes offerimus. In quorum dictorum ac dationis præ testimonium mei Prioratus officii sigillum duxi præsentibus appendendum. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, altera die S. Antonii Confessoris et Abbatis. *Hæc ibi, ad quorum finem manu P. Polii adscriptum erat :* Extraximus Juliaci ex vetusto libro copiarum monasterii Paradisi in quarto, apud D. Decanum Veldensem reperto, partim 11 Octobris MDCXXXIV, partim x Aprilis MDCXXXV. F. Jacobus Polius Marcoduri Guardianus. F. Valentinus Nicolai Clericus. *Hic lector observet, eumdem S. Guilielmum nusquam in dicto testimonio appellari Ducem Aquitaniæ, aut ex illis Ducibus oriundum, quæ postea invaluit opinio.*

*AUCTORE G. H.*

*an. 1479.*

## § II. *Caput S. Guilielmi diu honoratum apud Guilielmitas Marcoduranos : monasterio destructo apud varios asservatum.*

B **I**dem *Jacobus Polius ex antiquis monumentis hæc scribit de ejus monasterii origine et cultu S. Guilielmi :* Anno Domini MCCLII D. Anselmus, Dominus et hæres in Drove, ac perpetuus Advocatus oppidi Durensis, habitationem suam propriam, quam jure hæreditario possidebat, Deo omnipotenti ac gloriosæ Virgini Mariæ matri suæ, nec non et B. Wilhelmo Confessori ob remedium animæ suæ, et in remissionem suorum peccaminum, dedit et in eleemosynam obtulit, ac monasterium in eo loco construi et ædificari decrevit, quod Paradisum ab omnibus appellari voluit, ut post hanc mutabilem vitam in cœlesti Paradiso in æternum viveret. Locus hic aliis eminentior fuit hac prærogativa, quod caput S. Wilhelmi Ordinis fundatoris possederit. Duces quoque Juliacenses antiquitus diu sæpius annuis serenandis ac confirmandis per Sacramenta animabus hic vacare solent, ac ad triduum in vicina curia Veldenstein residere. Sigilla duo monasterii produnt litteræ reversales in S. Andreæ pervigilio, anno MCCXLVIII a Priore et Fratribus conventualibus obsignatæ, quorum majus Prælati localis exhibet in schemate tres Reges coram B. Virgine et Puero, secundum minus Conventua-

*Monasterium Paradisus pro Guilielmitis extructum an. 1252,*

C lium ostentat Nativitatem Christi cum Epigraphe : Sigillum Conventus in Paradiso Ordinis S. Guilielmi. Magna hujus sacri loci reverentia et dignitas fuit, tum vel maxime ex thesauro sacri capitis Ordinis Patroni B. Guilielmi, quod in festo S. Annæ post ejusdem caput solenniter circumferri consueverat. Post translatum caput ad Patres Societatis Antverpiam, sculpta effigies capitis et pectorale deaurata intus vacua defluxerunt ad Patres Observantes in Bethania, qui ob gratam antiquitatis memoriam, effigiem eamdem in festis exponunt diebus, aliis sacris reliquiis fultam.

*celebre ob caput S. Guilielmi*

8 *Hæc Polius. Infra quoque in testimonio Prætoris et Scabinorum Dynastiæ Francenæ confirmatur supplicatio annua, in qua caput S. Guilielmi festo S. Annæ magna cum solennitate et populi devotione solebat circumferri, ad annum scilicet CIↃIↃXLII, quo Guilielmus Cliviæ ac Juliaci Dux Geldriam, Zutphaniamque contra Carolum v Imperatorem sibi armis vindicaturus, in ditiones ejus Belgicas exercitum sub Duce Martino Rossemio immisit, sed Cæsarei vices rependentes, Juliacensem regionem populabundi invaserunt, belloque latissime circumferentes Marcodurum, Juliacum, Sittardium, Hinsbergum, pluraque alia oppida et arces subegerunt, impositoque præsidio muniverunt. At super-*

*tempore belli Ducis Juliacensis cum Carolo v gesti,*

*veniente Principis Juliacensis exercitu retrocedere coacti,* D *ipsum etiam Marcodurum extremo Decembri reddiderunt. Quam ob incursionem militarem tum mense Octobri monasterium Paradisus destructum est. Guilielmitis cum S. Guilielmi capite aliisque Reliquiis intra mœnia Durana migrantibus. Verum anno sequente* CIↃIↃXLIII *Imperator Carolus* v *iterum exercitu ad oppidum Marcodurum admoto, vi mœnia occupavit, non absque magna oppidanorum cæde, bonorum direptione, atque ædium vastatione : quibus postridie tantum incendium accessit, ut quamvis pius Imperator ad illud restinguendum milites immiserit, non potuerint tamen nisi paucæ ædes servari, cum Franciscanorum cœnobio, ad quod cum magna celebritate curavit Imperator Carolus ab Hispanis inferri caput S. Annæ, quod etiamnum asservatur in primario templo, olim S. Martino, nunc eidem S. Annæ dicato. Quæ pluribus traduntur a Surio in Commentario rerum in orbe gestarum ad dictos annos, Ponto Heutero libro* 11 *Rerum Belgicarum in Carolo* v, *et aliis.*

*destructum an. 1542,*

*et Marcodurum incensum an. 1543.*

9 *Post pacem a Guilielmo Duce, ipso anno* CIↃIↃXLIII, *quo Marcodurum conflagrarat, apud Carolum* v *Imperatorem impetratam, Guilielmitæ monasterii Paradisi destructi, in urbe Marcodurana usque ad annum* CIↃIↃLXX *cum sacro capite S. Guilielmi habitarunt :* E *quorum nomen ædi parochiali, in qua tribus Divinis vacabant, etiamnum adhæret. Interea Dux idem Guilielmus Juliacum, a quo integra ditio nomen sortitur, novis ædificiis et propugnaculis, ac potissimum arce admodum munita instauravit, nec defuit in splendore templi antiqui innovando. Fuerat olim collegium Canonicorum in pago Stommelio, a Guilielmo primo Juliæ Duce, auctoritate fratris Walrami Archiepiscopi Coloniensis anno* CIↃCCCXLII *Nideccam, antiquam Principum sedem, translatum, tunc anno* CIↃIↃLXIX *Juliacum deductum, una cum corpore S. Christinæ Stommeliensis, ante Nideccam, tum Juliacum etiam adportato : hujus Vitam dabimus* VI *Novemb. quo colitur. De illis collegii Canonicorum mutationibus agunt Petrus Strethagen in Syntagmate urbium Juliacarum, Wernerus Teschenmacherus in Julia-Montio-Ravensburgia, aliique. Ut autem idem Dux Guilielmus illud Juliacense Canonicorum collegium nova dote augeret, bona monasterii Paradisi stabilia curavit eidem collegio anno* CIↃIↃLXX *attribui, uti constat ex adjuncto diplomate, ex idiomate Juliacensi Latine reddito, olim scripto in testimonium capitis S. Guilielmi Arnoldo Cools, oppidi Alostani apud Flandros Carmelitæ, donati.*

*Guilielmitæ Paradisi deserunt Marcodurum :*

*eorum bona donantur Canonicis Juliacensibus,*

*an. 1570.*

10 Nos prætor et Scabini dynastiæ Francenæ in F Ducatu Juliacensi, magna leuca Marcoduro distantis, hac epistola sigillo munita, omnibus eam visuris, aut audituris prælegi, declaramus et attestamur, nobis constare, quo pacto ante aliquot annos proxime urbem Marcoduranam, monasterium extiterit ordinis S. Guilielmi, Paradisus appellatum, in quo inter aliorum Sanctorum et Sanctarum reliquias, fuit sacrum caput amici Dei S. Guilielmi : cujus caussa solebat olim ad Dei honorem multæ peregrinationes magna cum devotione peragi, adeo ut idem S. Guilielmi caput quotannis in festo S. Annæ soleret etiam cum magna solennitate et pietate intra urbem Marcoduranam circumferri. Eodem modo nobis quoque constat, idem monasterium anno CIↃIↃXLII mense Octobri ob bellicas incursiones destructum esse, ac tum diplomata fundationis monasterii, et translationis ad illud capitis S. Guilielmi attinentia, simul incendio periisse. Quare Fratres Guilielmitæ coacti ad ea quæ intra urbem habebant domicilia migrare, annos aliquot in ejusdem urbis templis munia sacra obiverunt, donec benignissimus Princeps noster ac Dominus Dux Juliacensis, anno CIↃIↃLXX collegium Canonicorum, Nidecca ad urbem suam Juliacensem translatum, omnibus possessionibus, quæ ad prædictum

*Caput S. Guilielmi ubi in summa veneratione habitum,*

amanuensibus rerum secretarum curiæ Antverpiensis, ad petitionem prædicti Vincentii e Societate Jesu, ideo tanquam testibus postulatis, huc evocatis. *Subsignatum erat :* Nicolaus Cleys, alias van Loemele, Notarius admissus subscripsi Adamus vander Soppen Notarius, Joannes Dries Notarius admissus subscripsi tanquam testis. Joannes Waerbeke Notarius tamquam testis. *In Margine adscriptum erat ;* Ita est. Vincentius de Zeelander.

## § IV. *Solennis capitis S. Guilielmi apud Antverpienses veneratio, a Sede etiam Apostolica approbata.*

*Approbat eas reliquias Torrentius Episc. Antverpiensis.*

*Præerat illis temporibus Ecclesiæ Antverpiensi Episcopus Livinus Torrentius, qui anno* CIƆIƆXCV *decessit. Ab eo has S. Guilielmi reliquias fuisse approbatas docet ejus apud nos relictum diploma ; cujus meminit Clemens Papa* VIII *in Brevi Apostolico hac super re dato. Hoc ex autographo vulgamus, illo, ne prolixiores simus, prætermisso.*

### CLEMENS PAPA VIII.

*Clemens Papa VIII*

Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem in his auctoritatem suam interponere, per quæ sacrarum sanctarum Reliquiarum venerationi opportune consulitur. Sane, sicut accepimus, cum ante annos quadraginta Marcodura oppidum in Juliacensi Ducatu situm a Cæsaris exercitu per obsidionem captum et dirutum esset, insimul monasterium quoddam Ordinis Guilielmitarum in eodem oppido, vel prope illud existens, incendio vastatum fuit : a quo quidem incendio quidam vir pius caput S. Guilielmi Ducis Aquitaniæ liberavit. Cum autem sacra hujusmodi reliquia plures annos penes seculares personas in diversis locis, et præsertim in civitate Antverpiensi, latuerit, demumque apud quemdam civem Antverpiensem reperta, de consensu Ordinarii Antverpiensis, Ecclesiæ Presbyterorum Societatis Jesu prædictæ civitatis ab eodem cive donata fuerit ; nuncque in ipsa ecclesia religiose custodiatur ; Nos, ne ex præmissis dubium aliquod oriri pro tempore possit, providere volentes, donationemque præfatam approbantes et confirmantes, motu proprio et ex certa scientia nostra, caput S. Guilielmi præfati eidem Ecclesiæ Societatis Jesu Antverpiensis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo concedimus et elargimur, et in eadem Ecclesia perpetuo conservari et custodiri, nec inde a quoquam quovis prætextu extrahi aut asportari, præterquam in publicis processionibus, posse aut debere, volumus, decernimus et mandamus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac statutis et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, approbatis et innovatis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII Martii, MDXCIV, Pontificatus nostri III. *Subsignatum erat* M. Vestrius Barbianus. *Et munitum erat sigillo ex cera rubra.*

*possessionem confirmat,*

19 *Meminerunt hujus diplomatis Pontificii memoratæ Litteræ annuæ Societatis Jesu ad hunc annum sequentibus verbis :* Urbe a Catholicis recepta et religione revocata sacrum illud pignus nostro collegio oblatum, ibique depositum tantisper, dum hoc anno Pontificis Maximi decreto nobis perpetuo jure concessum est, addita etiam Pontificis indulgentia plenaria iis, qui Dominica die ipsius S. Guilielmi festum sequente precabundi nostram ædem inviserint. *Imo secundum verba Bullæ* XII *Februarii anni* CIƆIƆXCIV *datæ, cujus authenticum instrumentum habemus, illa* plenaria indulgentia *concessa est* iis, qui vere pœnitentes, confessi ac sacra communione refecti, ecclesiam collegii Societatis Jesu Antverpiensis, in qua magna cum veneratione custoditur caput S. Guilielmi, in secunda Dominica Februarii singulis annis devote visitaverint *etc. Quæ Dominica necessario convenit aut in* X *Februarii cultu S. Guilielmi celebrem, aut duos antecedentes, aut quatuor festum illius dies sequentes. At postmodum omnis illa solennitas ipso die natali S. Guilielmi* X *Februarii celebrata est, in eum finem Indulgentia plenaria a Paulo* V *concessa* XIX *Januarii anni* MDCXII, *atque iterum* XXVIII *Aprilis* MDCXX, *uti etiam ab Urbano* VIII *die* XV *Septemb.* MDCXXVII, XXI *Martii* MDCXXXIII *et* V *Decemb.* MDCXLI *; quorum omnium authentica testimonia apud nos conservantur.*

*indulgentias concedit plenarias,*

*AUCTORE G. H.*

*uti alii Pontifices.*

20 *Unicum erat Societatis nostræ domicilium Antverpiæ usque ad annum* CIƆIƆCVII, *quando aliud accessit deinceps futurum sub nomine Collegii, politioris litteraturæ gymnasium, et Theologiæ moralis aliorumque scientiarum palæstra. At vetus domicilium, separato Collegio, anno ejusdem seculi* XVI *in Domum Professorum mutatum est, cum duobus ante annis jacta essent fundamenta templi, quod anno primo et vigesimo e marmore perfectum Joannes Malderus Antverpiensium Episcopus die* XII *Septemb. Dominica prima post festum Nativitatis B. Mariæ consecravit cum quinque tunc in eo extructis altaribus, quorum illud, quod in superiori portico dextri lateris conspicitur,* ad nomen et memoriam S. Guilielmi Confessoris et B. Aloysii Gonzagæ *dedicatum esse testatur Episcopus in suo diplomate ea de re* XXVI *Octobris ejusdem anni dato. Occasione capitis S. Guilielmi in hac æde Domus Professorum servati, cum fastis Belgicis et Burgundicis inscripsit Aubertus Miræus, ubi inter alia ita habet :* S. Guilielmi ossa, argenteo simulacro affabre elaborato inclusa, adservantur Antverpiæ in augustissima Societatis Jesu basilica ex candido marmore, quod procurante R. P. Carolo Scribanio ex Liguria per fretum Herculeum in Belgicam est advectum. *Miræum descripsit Joannes Tamayo Salazar in Martyrologio Hispanico ad hunc* X *Februarii.*

*In templo e marmore extructo altare S. Guilielmo dicatum an. 1621*

*Natalis fastis Belgicis inscriptus.*

21 *Argenteam autem S. Guilielmi statuam, cui caput ejus inclusum asservatur, curavit idem Carolus Scribanius concinne eleganterque elaborari, cum Rector præesset collegio Antverpiensi, dum auctor curatorque ut illud in domum Professorum erigeretur, novo domicilio in usum collegii a civitate impetrato. Est autem ea statua instar hermarum ad cingulum usque efformata, cujus caput cingitur galea, pectus infra monasticum scapulare tegitur lorica, ut solet S. Guilielmus depingi. Imponitur quadratæ basi ex ebeno confectæ, cui laminæ plures argenteæ affixæ illustriora ejusdem Sancti gesta, opere anaglypho expressa, repræsentant. Inclusum huic statuæ sacri capitis cranium, excepta inferiore maxilla, integrum fere est, aliquam præferens cavitatem circa verticem et alteram [illegible], particula inde decerpta, quæ forsan Francofurti in monasterio ordinis Prædicatorum, cum inde anno* CIƆCCCCLXXIX *Marcoduram transferretur, ad perpetuum ejusdem Sancti cultum reservata est ; quam doleat Patres illi aut periisse, aut alias reliquias immutatam, quorum nomina subinde apposita, etiam cum plurimis antiquis monumentis interierunt, monasterio ab hæreticis aliquando spoliato, uti ejusdem monasterii Prior, R. P. Guilielmus Puylbard, litteris* III *Octobris anno* CIƆIƆCIII *exaratis, nobis indicavit, monuitque P. Wenceslai sacræ Theologiæ Professoris (cujus supra in diplomate donationis hujus capitis præcipua mentio est) nomen et sepulturam, functionesque quas in Ordine [illegible], optime notas esse.*

*Statuæ argenteæ S. Guilielmi caput inclusum,*

22 *Aliam particulam reliquiarum, S. Guilielmi inter flosculos in parva capsa collocatam esse, dentem vero donatum fuisse Duci Mantuano legimus in monumentis archivii nostri, subsignante Joanne Melandro asserenteque has reliquias cum variis aliis a memorato supra Joanne*

*dens donatus Duci Mantuano.*

A *Joanne Kiebomio acceptas, una cum capite S. Guilielmi ante asservatas fuisse. Viget etiamnum memoria hujus Melandri Societatis Jesu Sacerdotis, præcipuis annumerati operariis, qui in vinea Ecclesiæ Antverpiensis a labe luxuriaque hæreseos expurganda strenue laborarunt.*

AUCTORE G. H.

## § V. *Variæ S. Guilielmi reliquiæ. Quid de nova capitis inventione censendum.*

*Educente energumena.*

D*um hæc capitis S. Guilielmi Antverpiam transferendi veneratio adornabatur, veræ pietatis hostis diabolus studuit cultum illum evertere, proclamans ex corpore energumenæ in Stabulo Rodis, caput defossum latere. Ordinem rei gestæ describit Cavalcantinus cap. 40 Vitæ in hanc sententiam:* Duas feminas ex monasterio oppidi Aquapendentis quodam vice venisse ad abbatiam S. Guilielmi, ut ab afflictione sua tormentisque maligni hostis diaboli liberarentur: harum alteram, dum sacris exorcismis a viro religioso Ordinis S. Augustini ambæ expiarentur, iteratis vicibus affirmasse, caput S. Guilielmi in medio templi delitescere, sub altari posito eo loci erecto, ubi Sanctus ante fuerat terræ mandatus. Quibus verbis sæpius repetitis monachum illum animo commotum, curasse altare illud dejici, et thesaurum tanti pretii diligenter inquiri, reperisseque poculum luteum nigro coopertum lapide, cui hæc erant insculpta verba: Hoc est caput S. Guilielmi, atque illud in eo repertum esse magna tum præsentium tum vicinorum Castilionensium lætitia, ac solemni veneratione cum campanarum sonitu exceptum, licentiaque impetrata ab Episcopo Grossetano, qui ad sanctas illas reliquias honorandas Vicarium eo ablegarat, instituta sacra processione cum magna reverentia in oppidum Castilionense deportatum fuisse, ac reliquis sacris ossibus appositum. Verum quod pauci energumenorum, qui salutem suam in Abbatia S. Guilielmi supplices expeterent, a malignis spiritibus liberarentur, e sententia Primatum caput illud in eam, tota plurimorum hominum repetita per processione fuisse relatum, eidemque altari, in quo ante fuerat repertum, deinceps inclusum hactenus adservari. *Hæc Cavalcantinus, qui se eo profectum addit, sed non potuisse caput coram adspicere, quasi id nulli prorsus hominum licitum esset videre: ea tamen, quæ scribit, a viris honestis ac fide dignis se accepisse, cumque scriberet, ab ea repositione capitis quinque ac triginta annos elapsos fuisse.*

*novæ reliquiæ S. Guilielmi inventæ in Italia,*

B

*Caput ejus creditæ,*

*altari incluse,*

*nemini ostenduntur,*

C

24 *Eu fundamentum hujus historiæ, quod credulus Cavalcantinus facile arripuit, diligentior in rebus circumeundis conquerendis, quam in discernendis a falsis veris sagacior. Certe ex toto libro, quem uno et quadraginta capitibus distinctum de Vita et miraculis S. Guilielmi conscripsit, illa eadem viginti sex capitibus comprehendit, quæ supra eliminanda censuimus. Sed nec ea inter se cohærent, aut Duci Aquitaniæ Guilielmo a S. Bernardo converso attribui omnia possunt. Quæ ad majores ejusdem spectant, describuntur hic ex Bucheti annalibus Aquitanicis, qui eisdem errorbus exposti Parentes hi proferuntur, sive secundum lectiones ad Matutinum in officio Ecclesiastico a Patribus Augustinianis recitari solitas, illi sunt Theodoricus aut Theodosius, et Ildaria aut Aldana, a quibus, S. Guilielmum Gellonensem trecentis et quinquaginta annis ante genitum demonstravimus, sive potius pater huic Guilielmo fuerit Dux Guilielmus Gaufredus, quem avum ejus fuisse ac tredecim annis ante mortuum diximus, quam hic nasceretur: ac matrem (de cuius probatur patre) variis aliquam assignat, Gilbonam, Gerlonam, Gerlettam, Ignatiam, aut potius Joannam, cum ea fuerit Mathildis, aut forte binominis Philippa Mathildis. Eidem suo Guilielmo conjugem tribuit Harmengardem, quæ parentis altera uxor fuit, et una quæ a Malmesburiensi aliisque enormia stu-*

*Quæ auctoritas sit Cavalcantino,*

*confundenti Acta Guilielmi Ducis Aquitaniæ,*

*pra parenti adscribuntur, in filium transfert, eo minus excusandus, quod anno cum millesimo centesimo natum scribat, ut proximis annis ad ea crimina patranda, quando facta traduntur, prorsus fuerit ineptus. Iter Compostellanum attingit, et figmentum Bucheti de morte simulata arripit, defenditque longo introducto colloquio inter Ducem Guilielmum et Albertum quemdam, quem tunc illi existimat fuisse a secretis: idem tamen in Stabulo-Rodis anno ante obitum S. Guilielmi factus illius discipulus, e sene scilicet bonæ indolis adolescens, ut alibi appellatur, tum forte necdum, cum ea mors apud Compostellanos simulata traditur, in lucem editus. Conferantur quæ in Vita par. 2 num. 12 dicuntur, ipsius etiam Alberti libello de vita S. Guilielmi in testimonium veritatis citato.* D

*et Alberti secretarii:*

25 *Hic est ille Albertus, qui postmodum multorum Pater factus filiorum, ordinem eremitarum S. Guilielmi eduxit, diu post hunc superstes, apud quem, ut dicitur num. 27, mater propria in S. Guilielmi oratorio compertum aliquandiu resedit. Quæ Cavalcantinus omnia evertit affirmans cap. 40 Albertum decimo quarto post S. Guilielmum mense vita functum, matrem ex Aquitania post obitum filii in Stabulum-Rodis advenisse, caput ejus in patriam retulisse, summa id ab Aquitanis veneratione acceptum adservatumque, infinitis postea clarum miraculis, utroque creditum caput S. Guilielmi fuisse, quod tot seculis aberat a reliquis ossibus, dein Castilionem Piscaliæ delatis. At quæ ecclesia in Aquitania Albertum coluit? Quis translationem illam capitis ad Aquitanos tradidit? Quis infinita miracula aut aliquod ex iis conscripsit? Nihil scimus S. Guilielmo aut Alberto cum Aquitanis commune fuisse: nullum istic Guilielmitæ monasterium habuerunt. Alemannia secunda Guilielmitarum provincia fuit: eo delatum est caput S. Guilielmi, et Francofurti in magna veneratione diutissime habitum: inde Marcodurum ad Guilielmitas anno MDCCLXXIX translatum, nunc Antverpiæ, cum Summorum Pontificum auctoritate, cum debito cultu adservatur. Jacobus Polius olim Marcoduri Guardianus Franciscanorum, ut supra diximus, tradit sculptam effigiem capitis S. Guilielmi et pectorale deaurata, in quibus sacrum cranium olim inclusum fuerat, dein vacua devenisse ad suum monasterium, ibique festis diebus exponi ob gratam antiquitatis memoriam, sed aliis sacris fulta reliquiis. Quidni et poculum luteum, incitante per energumenam diabolo, in Stabulo-Rodis repertum, simili modo aliis potuit repletum fuisse reliquiis, quas aliquis credulus existimarit S. Guilielmi fuisse ejusque nomen apposuerit? Quæ demum Cavalcantinus narrat cap. 34 de Dracone per S. Guilielmum occiso, et cap. 35 de lapide miraculoso, cui insederat, nolumus pluribus persequi, antiquorum testimoniis necdum comprobata.* F

*comminiscenti hujus caput miraculis clarum a matre in Aquitaniam delatum.*

E

26 *Aliæ S. Guilielmi reliquiæ variis in locis adservantur, quæ, ut fieri solet, potius ad hunc Magnum Guilielmum vulgo notiorem quam ad alios ejusdem nominis Cælites, referuntur. Ita inter sacras reliquias palatii Scurialis Regis Catholici apud S. Laurentium visitur corpus S. Guillermi, uti scribit Manrique in Annalibus Cisterciensibus an. 1136 cap. 1 num. 11, addito e tabulario ejusdem monasterii testimonio Gregorii de Hanxi de Provincialis Commendatarii Ordinis Theutonici in Ballivia Westphaliæ, qui corpus Sancti testatur a se traditum. Quia, inquit, etsi* in ecclesia nostra Bracalensi, sub districtu Tremonensi diœcesis Coloniensis, propter miracula et frequentes ibidem stationes et peregrinationes habitas antiquitus celebre fuerat, refrigerato eo loci prisco fervore, nisi quod ex fama solum sancti illius Ducis Aquitaniæ habitum sit, hoc tempore solitarium, et quasi latens stare videbatur. Ne igitur pretiosæ ejusmodi gazæ perirent, sed alibi prout decet venerari, et in augmentum divini cultus prodire possent, hinc e tumba antiquissima levatas per Sacerdotem et Capellanum dono

*Aliæ reliquiæ cujuspiam S. Guilielmi in palatio Scurialis Regis Catholici,*

*e Westphalia acceptæ:*

*Auctore I. B.* *ab Innocentio IV*

A MCCXLV, *Indict.* II, *anno Pontificatus ejus* II *datum, quo cœnobium protegendum sibi assumit, ac variis munit privilegiis. Ejus hoc initium est :* Innocentius Episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, Abbatissæ monasterii de Oliva, ejusque Sororibus, tam præsentibus quam futuris, religiosiorem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus eas a proposito revocet, vel rigor (quod absit) sanctæ religionis enervet. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus ; et monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ de Oliva, Cameracensis diœcesis, in quo Divino estis obsequio mancipatæ, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti Regulam, atque institutionem Cisterciensium Fratrum, a vobis post Concilium generale susceptam, in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

*sub Apostolicam protectionem susceptum,*

3 Præterea quascumque possessiones, quæcumque B bona idem monasterium impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, et eis quæ vobis successerint, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Terras et reditus, quæ Arnulphus, dictus Lapias monasterio vestro intuitu contulit pietatis. Terram de Lestines. Terras, quas habetis in territorio de Beratio ; Terras quas habetis in territoriis de Morlavers et Senenefe, cum omnibus pertinentiis earumdem : necnon terras, vineas, possessiones, reditus et alia bona vestra, cum pascuis, pratis, piscariis, nemoribus, usuagiis, in bosco et plano, in aquis et molendinis et viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

*confirmatis possessionibus.*

4 *Dein aliis multis eidem cœnobio concessis privilegiis, tandem hæ adnectuntur subscriptiones :* Ego Innocentius Catholicæ Sedis Episcopus. Ego P. tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis. Ego Wilelmus basilicæ sanctorum Apostolorum Presbyter Cardinalis. Ego C Frater Christophorus tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardin. Ego Frater Hugo tit. S. Sabinæ Presb. Card. Ego Otto Portuensis tit. S. Rufinæ Episcopus. Ego Petrus Albanensis Episcopus. Ego Willelmus Sabin. Episc. Ego Ægidius SS. Cosmæ et Damiani Diaconus Card. Ego Gofridus S. Adriani Diac. Card. Ego Octavianus S. Mariæ in via lata Diac. Card. Ego Petrus S. Petri ad Velum aureum Diac. Card. Ego Joannes S. Nicolai in carcere Tulliano Diac. Card. Ego Willelmus S. Eustachii Diaconus Card. Datum Lugduni, per manum magistri Marini sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii, x Id. Februarii, Indictione 2. Incarnationis Dominicæ anno MCCXLIV, pontificatus vero Domini Innocentii Papæ IV anno secundo.

*sic scribentibus bullæ multis Cardinalibus*

5 *Iidem Cardinales apud Odericum Raynaldum tom. 13 Annal. Ecclesiast. ad an. 1245 num. 77 subscripsisse leguntur diplomati dato eisdem anno x Kal. Februarias, quo Vicelliacensis cœnobii prærogativas confirmavit Innocentius ; sed deest Ægidius Cardinalis SS. Cosmæ et Damiani, at, qui hic non adfuit, ibi subscripsit Odo Tusculanus Ep. quoque hic est Marinus Vicecancellarius, illic Martinus appellatur Joannes vero Cardinalis S. Laurentii in Lucina, qui hic Christophorus. Quia autem signatus est utrobique annus MCCXLIV* D *juxta morem Curiæ Romanæ, debet* MCCXLV *intelligi, uti et Raynaldus accepit : non enim in Gallias pervenit Innocentius nisi sub finem anni* MCCXLIV, *ut non potuerit Januario ac Februario ejus anni illa diplomata Lugduni dedisse. Et vero plerique eorum qui subscripserunt, primum Decembri mense ejusdem* MCCXLIV *anni sunt in Cardinalium collegium cooptati.*

*an. 1245*

6 *Quod autem ait Pontifex*, institutionem Cisterciensium *ab sanctimonialibus cœnobii de Oliva*, post Concilium generale susceptam, *non de Lugdunensi Concilio accipiendum, quod solum tunc inchoatum erat, sed de Lateranensi* IV, *quod anno* MCCXV, *Innocentii* III *tempore, habitum : in quo statuitur cap.* 13, ut quicumque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat : similiter qui voluerit religiosam domum fundare de novo, regulam et institutionem accipiat de religionibus approbatis. Solent autem moniales Olivetanæ, *inquit Miræus*, Abbati Claravallensi immediate subesse.

*unde instituti Cisterciensis :*

7 *Illud porro monasterium perquam tenui principio institutum, ad sensim ad justam religiosæ familiæ normam provexit, sanctus quidam Eremita*, Guilielmus *nomine, e Brabantia, Belgicarum provinciarum primaria, oriundus : qui cum prius opificio pistor, Galliam peragratus, variis deditus vitiis fuisset ; Divino monitu, moribus in melius mutatis, anachoreticam eo loco vitam agere aggressus, litteras privatim addidicit, Latinas saltem et sacras, ac demum Sacerdos ordinatus est. Fuere nonnulli, qui, ut in Vita ejus cap.* 3 *num.* 16 *dicitur*, ei adhærentes, pie et honeste conversantes, honorum ipsius effici participes decreverunt. *Verum hi, aut non tenuere constantiam, aut certe non conflavere illic religiosam congregationem, forsan decreto, quod jam* E *citavimus, Concilii Lateranensis prohibiti.*

*ædificatum a B. Guilielmo Brabanto Eremita ac Presbytero,*

8 *Cum tamen religiosorum hominum habitationi locum optasset, ambivere eum ascetæ Augustiniani. Ipse cum ad Fontinellense cœnobium Ordinis Cisterciensis recens fundatum divertisset,* Virginum ibidem Deo famulantium pietatem et religionis austeritatem considerans, *ut cap.* 5 *num.* 26 *habes, quasdam inde in constructa a se ædificia deduxit, quæ rerum necessariarum penuria coactæ Fontinellam paullo post redierunt. Fallitur Jacobus Guisius, aut ejus certe interpres, qui tom.* 3 *Annalium Hannoniæ cap.* 139 monachos *Fontinella adductos scribit, easque ibi exacto unde venerant reversos : moniales enim fuerunt. Alias dein septem e Monasteriensi ad Sabim parthenone* virtutum suarum fama allexit *Guilielmus, ut Canonicarum minus arctam disciplinam Cisterciensium instituto* F *mutarent : quas aliæ dein plurimæ secutæ sunt.*

*datum Virginibus Fontenellensibus,*

*dein aliis quæ Canonicæ fuerant*

9 *De ejusdem cœnobii initiis ista recitat Barius ex Jacobo Lessabæo, non indicato ubi ea ille scribat libro, neque sit necne in publicam editus lucem : nos illius solum* Ηεχάδα declamationem, et Carminum tumultuariam farraginem, *Antverpiæ typis Michaelis Hillenii anno* MDXXXIV *cusam vidimus. Ex alio ejus opere ista depromit Barius :* Olivæ cœnobium primo consessui habuit vir incerto nomine, sed tamen genere Teutonus, eremiticæ deditus vitæ : qui populari adjutus liberalitate, ædificia pro modo virium instruxit, Joanne Cameracensi admoto pontificatui, et Joanna Flandriæ et Hannoniæ Comitatui inaugurata. Eum postea locum precibus sanctis Virgines Cistercienses ab memorato Eremita extorserunt, moxque loco antea anonymo Olivæ nomen impositum est, ob novellam Christo Domino plantationem. *Verum nec incerto nomine fuit Olivæ fundator, nec locum ab eo extorserunt Virgines Cistercienses, sed oblatum deservierunt : quæ vero isthuc aliunde convenerant, ejus persuasionibus eruditæ ad perfectionem, instituta Cisterciensium eo auctore amplexæ sunt. Olivæ unde loco nomen, haud certo constat. Quidam ex eo factum autumant, quod olim lampas ante Deiparæ statuam pendentis ulcera*

*unde de Oliva dictum*

*Peregrinorum ac concursus.*

A cujusdam viri nobilis, qui vocabatur Eustachius. Hoc dicto, præco superni Judicis ab ejus conspectu evanuit. Repræsentabat autem B. Joannis Præcursoris Domini effigiem, ut postmodum retulit ipse Guillelmus : qui nimio terrore correptus remansit, admirans et hæsitans simul. Cumque quonam se verteret ignoraret, iterum intrinseca Dei visitatione confortatus, locum sibi divinitus ostensum eligere decrevit, firmam spem in corde suo habens, quod qui incipiebat in eo, ipse perficeret usque in diem Christi Jesu.

*ad idem Divino instinctu incitatur.*

a Joannes de Bethunia *ordinatus est Episcopus Cameracensis an.* 1200, *obiit Tolosæ, in expeditione contra Albigenses hæreticos,* 27 *Julii* 1219. *Plura de eo Duchesnius in historia Domus Bethuniensis lib.* 2 *cap.* 9 *et in Probationibus ejus capitis.* — b Balduinus *Flandriæ Comes, Constantinopoli anno* 1204 *capta a Latinis, communi eorum consilio Imperator factus, anno sequenti victus a Bulgaris* 15 *Aprilis, ac menses* 16 *habitus in vinculis, crudelissime tandem interfectus est.* Joanna *dein ejus filia Flandros et Hannonios rexit, primum Ferrando Lusitano, deinde Thomæ Sabaudo nupta, sed anno* 1244 *decessit, nulla genita prole, principatu utroque sorori relicto* Margaretæ, *quam* Nigram, *vulgo* de Swarte Griet *appellabant.* — c *Raissius ait sub Joanna natum, mendose; quippe eam ipse ætate superabat. Obiit namque anno* 1240 *aut potius sequenti, ætatis suæ* 66. *Natus igitur erat sub annum* 1174; *cum Balduinus Joannæ parens vix tertium vitæ annum expleverit, mense Junio an.* 1171 *natus. Joanna ergo imperante* exordium sumpsit *B. Guilielmus vitæ spiritualis. Nam si natus esset, dum illa gubernacula tenuit, vix, quando obiit,* 36 *fuisset annorum, cum Vitæ scriptor* 66 *illi tribuat, ipse Raissius saltem* 40. d *Male Guilielmus Gazæus* e Flandria in Hannoniam venisse *scribit, innuens in Flandria natum. Raissius Flander patriam dissimulat. Gallicus Gazæi interpres* natum ait in regione quæ vulgo Teutonica dicitur, *non explicans directe, quænam Teutonicarum Belgii provinciarum ei patria fuerit. Perspicue autem Vitæ hujus scriptor, cum pars aliqua Brabantiæ Gallica lingua utatur, e Teutonicis ejus provinciæ partibus ortum tradit.* — e Vervinium *Tiraschiæ oppidum est, pace inter Reges Henricum IV Galliæ et Philippum II Hispaniæ,* 2 *Maii* 1598 *facta celebre, alioque locuples ante ultimum hoc bellum.* — f Tenolium, *vulgo* Tenoille *monasterium Ordinis Præmonstratensis in diœcesi Laudunensi* Thenolias *appellat Mauritius du Pre in Annalibus brevibus primumque isthic anno* 1130 *Abbatem constitutum* Walfridum *scribit.* — g *Gazæus* Morlanwez. *Raissius,* Morlantwes. h *Vinchantius* Champ-de-potier ; *ut habet etiam Gazæi interpres.*

*Joannes de Bethunia Ep. Cameracen. Balduinus Imp. CP.*

*B. Guilielmi ætas.*

*patria* B

Vervinium *opp.*

Tenolium *mon.*

## CAPUT II.

### *B. Guilielmi pœnitentia.*

Successu igitur temporis, variis provinciis et regionibus peragratis, (multum enim distabat a patria sua) cœpit appropinquare illis partibus, in quibus credebat esse locum illum, sibi Divina revelatione designatum. Adveniens itaque circa fines illos cœpit inquirere a cultoribus agrorum, et pastoribus, ubi locus erat qui appellabatur Ager figuli. Qui viam rectiorem quam noverant ad locum nominatum indicarunt, et tandem post multos circuitus pervenit ad optatum locum, gratias agens Deo pro omnibus quæ ei acciderant. O altitudo divitiarum scientiæ et sa- C pientiæ Dei ! Quam incomprehensibilia sunt judicia tua, et investigabiles viæ tuæ ! Ecce jam fere perditum hominem ad vitam revocasti : quoniam non vis mortem peccatorum, sed magis ut convertantur et vivant. Ecce in agrum figuli istum perduxisti ad peragendam pœnitentiam suam, qui pretium pretiosi sanguinis tui, in agrum figuli institui voluisti, recte demonstrans, quod tuæ voluntati beneplacitum foret, si se pretium pro pretio redderet. Bonus es, et in bonitate tua da nobis ipsius sequi vestigia.

*Venit ad locum indicatum*

Matth. 27, 7

9 Exultabat igitur neophytus noster uberius, ex eo quod locum sibi a Domino præparatum invenisset. Nolens autem tranquillitati et paci vel juri alicujus derogare, sed potius cupiens, in pace et caritate primum suum jacere fundamentum, supradictam villam adiit, quærens instanter quis esset loci illius Plebanus, et ubi moraretur. Quod ubi intellexit, accessit eum, obnixe orans, ut et aures pietatis suæ ei concedere vellet. Qui videns eum arma ferentem, ac ferocis animi repræsentantem imaginem, verebatur aliquantulum, eum ad privatum colloquium admittere. Precibus tandem et humilitate Guillelmi devictus sedit, aures præbuit, et rei exitum expectavit. At ille animi ferocitate deposita dimissa facie, (cœlum enim respicere non audebat) cœpit ora rigare

*confitetur Pastori de Morlanwez.*

D lacrymis, anteactæ vitæ peccata confiteri, et tandem revelationem superius descriptam enarrare. Sacerdos autem audiens ipsius intentionem, et revelationem, quam asserebat, Divinam, nolens vel Dei ordinationi, vel pœnitentis piæ intentioni in aliquo obviare, concessit ei, ut in loco jam dicto, qui intra fines suæ ecclesiæ positus erat, suum collocaret domicilium ; habens in mente, quoniam si ex Deo erat duraret, sin autem, in brevi dissolveretur.

AUCTORE ANONYMO EX MS.

*ejus venia in dicto loco degit.*

10 Ille autem obtenta licentia, depositoque peccatorum onere, gaudens et gratias Deo agens, ad locum dictum revertitur, portans secum tres panes, quos in eodem acceperat oppido, protestans in corde suo, et firmum gerens propositum, quod nullos alios panes quæreret illis deficientibus, sed herbis et radicibus utens corpus suæ infirmitatis, quoad viveret, sustentaret. Adveniens itaque ad eremum et in supradicto loco constitutus, cœpit mente cogitare, quem modum pœnitentiæ exercere posset, et quis posset esse utilior. Judicavit igitur conveniens, visumque est bonum in conspectu ejus, quod, quando quidem in seculo bestialiter vixerat, more bestiarum reptans manibus et pedibus incederet. Et quia Dominum in ministerio oculorum offenderat, ipsos defixos in terram haberet ; id semper mente revolvens, E se terram esse, in terram tandem convertendum. Hoc assidua meditatione cogitabat, non audens præ nimia confusione et dolore oculos sursum extollere.

*reptans manibus uti brutum animal :*

11 Panes vero, quos in alveo suo deportaverat ad sui sustentationem, in quadam arbore posuit, mystice demonstrans, quod in arbore Crucis totam vitam suam appendebat. Dum autem inter vepres latitaret, et operam dabat ut quoddam tugurium, in quo se reciperet, faceret, advenientes pastores qui in eisdem silvis suos pascebant greges, et videntes sic incedentem, mirabantur, cogitantes quid hoc esse posset. Videntes etiam panes in stipite, acceperunt eos, et secum deferentes redierunt ad villam, narrantes omnia quæ viderant.

*pastores et animum firmantur.*

12 Homines autem villæ ejusdem, cum audissent a pastoribus ea quæ viderant, certatim exire cœperunt, ut comprobarent, utrum vera essent quæ audierant. Venientes autem ubi homo Dei erat, et videntes eum sic incedentem, stupefacti per diversas opiniones de eo ferebantur : aliis dicentibus quod ex Deo erat, aliis e contra negantibus, eum seductorem, hypocritam seu stultum vocitantibus. Cum vero inter se hujuscemodi protraxissent sermones, et per diversas rationes fluctuando hæsitassent ; tandem ali- F qui viri pii et sanioris mentis, cœperunt ei domunculam ædificare, in qua posset se contra hyemis seu ætatis rigorem defendere. Guillelmus vero manibus et pedibus reptans, exhilarato in Domino animo, portabat in dorso suo onera quæ ei ceteri imponebant, ad construendum ædificium. Recedentibus igitur hominibus esurire cœpit, et, ut corpus reficeret, ad arborem, in qua panes posuerat, accessit : cumque ad locum pervenisset, panes sublatos comperit, et non ideo commotus, magna cum hilaritate famis inediam per triduum sustinuit. Et (quod mirum est) ab eo tempore numquam de cetero esurivit : sed eidem providit, miraculose imposterum, qui filios Israel de Ægyptiaca servitute liberatos, pavit manna in deserto.

*varia hominum de eo judicia*

*et tugurium construitur*

*fame cruciatur,*

*ut deinceps fruatur*

13 Crescente itaque fama sui nominis, et proficiente eodem de virtute in virtutem, ad aures Magistri a Joannis de Nivella Canonici de Ogniaco pervenit, qui et ipse erat vir probatæ vitæ et honestæ conversationis. Hic audiens de beato viro tantam esse pœnitentiæ austeritatem, quod etiam manibus et pedibus reptans incederet, et tanquam brutum animal suos dirigeret gressus, admirans in homine inauditum vitæ genus, decrevit ipsum invisere, ut comprobaret,

*a B. Joanne de Nivella probatur ejus spiritus,*

A *Auctore anonymo, ex MSS.*

esset ne ex Deo spiritus ejus. Veniens igitur ad eremum, reperit Guillielmum gradientem sicut audierat. Qui tamquam vir Dei gratia plenus, eum alloquens, nihil in eo reperit quod sinistrum saperet, sed invenit eum plenum gratia et veritate. Ille autem pio Eremitæ via veritatis ostensa, et eo in spiritu roborato, inhibuit ei ne de cetero sic graderetur; sed tamquam rationale animal rationabiliter incederet, prout ceteri homines. Et finito spirituali colloquio, Guillielmo valedicens recessit. Ille vero orationi et labori insistens, et Magistri Joannis monitis obtemperans, numquam ab ipsius deviavit præceptis.

*sed jubetur rectius incedere.*

*B. Joannes de Nivella.*

a Joannes de Nivella, *Doctor Theologus, Decanus Ecclesiæ S. Lamberti Leodii fuit: verum abdicatis honoribus ac divitiis, in Ogniacensi Canonicorum regularium cœnobio ad Sabim flumen, aliquot supra Namurcum leucis, religiosum habitum suscepit, ibique sancte decessit an.* 1233 16 *Martii, uti in Vitis Sanctorum Ogniacensium an.* 1636 *editis tradit Arnoldus Raissius, qui et illic et in Auctario ad Molanum* Beatum *appellat. Molanus in Natalib. ad* 23 *Junii, ubi de B. Maria Ogniacensi agit,* plurimis virtutibus et miraculis effulsisse *scribit. Laudatur a coætaneis ac sanctimonia illustribus scriptoribus Jacobo de Vitriaco Cardinale, et Thoma Cantipratano. Interpres Guisii cap.* 137 *vocat* M. Joannem Doginet, *facitque* Canonicum Nivellensem, *vitiose utrumque.*

## CAPUT III.

B *B. Guilielmi labores et studia. Terræ illi datæ.*

*a Domina Berta ampliorem locum accipit:*

Domina autem terræ illius, Berta nomine, nobilis genere, et morum honestate præclara, quæ jam viduata erat viro suo Eustachio superius nominato; audiens opinionem viri Dei satis commendabilem omnibus esse, concessit ei, ut in eisdem silvis locum ampliorem eligeret, in quo agriculturam exercere posset, ad sui sustentationem. Qui ad locum quemdam sibi propinquum, latiorem tamen, quem varii rivuli circumquaque rigabant, perveniens, ubi spinæ densiores erant, et fruteta asperiora, operari cœpit, ut quanto durioribus insisteret operibus, tanto sibi ampliorem et jucundiorem coronam acquireret.

*inter labores manuum*

15 Dum autem quotidianis laboribus proprium corpus fatigaret, et animo vigilanti vigiliis et orationibus instaret, abstinentiaque incredibili membra attenuare studeret, nihil ipsi jucundius videbatur, quam *a* litterarum studiis se exercere. Spiritu igitur intellectus inebriatus, sacrarum litterarum magis ac magis cœpit sitire flumina, ut in eo fons aquæ fieret salientis in vitam æternam. Mirandis plus miranda succedunt. Ecce dum homo Dei exterius satagit corporis alimentum proprio sudore acquirere, interius

*a*

*studet sacris litteris,*

C reficitur cœlestibus donis, et invenit scientiæ spiritualis refrigerium. Continuus in laboris certamine holocaustum Domino offerebat, non ex alieno pecore, sed ex proprio corpore, adolebatque adipem cordis, incensum suavissimi odoris Domino, immolans sacrificium laudis, et vota sua persolvens Altissimo. Tanta enim aviditate litterarum instabat studiis, quod nunc una manu sarculum, vel securim, quibus succidebat arbores, nunc alia librum Psalmorum, vel quemcumque alium manu *b* gestiens, a colloquiis Divinis non cessabat. Et dum operibus suis instare volebat utilius, librum ponebat in trunco, vel arbore, ut sic utraque manu citius *c* consumpto opere, liberius posset lectioni vacare. Acquirebat sibi magistros undequaque, nullam inter eos faciens distinctionem, dum tamen suum commodum ex eis facere posset. Tanto enim addiscendi ardebat desiderio, quod jam quodammodo spirituali repletus dulcedine amarum convertebat in dulce, nec enim labor exterius fatigare poterat, prælibato spiritus lectionis inæstimabili dulcore. Gustato enim spiritu, desipit omnis caro.

*simul librum tenens et sarculum,*

*b*

*c*

*satagens a quolibet doceri:*

*habet imitatores*

16 Interea dum vir Dei agonem suum hujusmodi sanctis operibus roboraret, ut magis magisque proficeret; quidam homines ejus sanctam conversationem audientes, et videntes, ejus cœperunt imitari vestigia. Unde quidam ei adhærentes, pie et honeste conversantes, bonorum ipsius effici participes decreverunt. Quidam autem contemplantes illius vitæ austeritatem, insaniam quasi existimabant, et finem ipsius sine honore. Unde in derisum eum habentes, ejus spernebant consortium, mallentes ollas carnium et allia comedere in Ægypto, quam manna spiritualis dulcedinis refici in deserto. E quibus unus, simulata pietate, postquam cum B. Guillelmo aliquamdiu conversatus esset, licet pius Eremita pauperrimus esset, tamen quidquid apostata ille ad manus habere potuit, clam abstulit, et fugit. Multa alia a falsis Fratribus sustinuit incommoda; quæ quidem animo constanti pertulit, credens et in hoc suam augeri posse coronam, si post tot corporis et animi afflictiones, etiam falsorum Fratrum sustineret opprobria. D

*sed et irrisores:*

*rerum suarum rapinam æquo animo fert:*

17 Præfata autem matrona, domina videlicet loci illius, audiens Gillelmum per incrementa virtutum proficere, gaudebat quamplurimum, eo quod Dominus in proprio suo dominio tam gloriosam arborem plantaverat, cujus rami flores suavissimi odoris Christi producerent, fructusque facerent boni operis, et germen aptum proferrent per exemplum honestæ conversationis. Gaudebat et in hoc pia pii Eremitæ consolatrix, quod in Sancto Dei tanta ac talia videret jam florere virtutum insignia, quod nec labor proprii corporis, nec sollicitudo desideratæ lectionis, nec contritio devotæ orationis, animi ejus constantiam flectere poterant: infatigabiliter enim, dum tempus habebat, operabatur bonum, non solum sibi, sed etiam ad domesticos fidei. Consolabatur enim pusillanimes, sustinebat infirmos, patiens erat ad omnes, omnia sustinens, omnia superans. Exemplo itaque viri Dei, et ipsa nobilis Domina eumdem consolabatur, concedens ei de consensu filii sui, qui jam patre orbatus erat, ut in silvis adjacentibus loco suo, quidquid posset excoleret, ad sui sustentationem et successorum suorum. E

*D. Berta ejus spirituali profectu gaudens,*

*largitur ei quidquid in silvis posset excolere,*

18 Operabatur igitur vir Dei instanter, arbores succidebat, spinas eradicabat, evellebat tribulos, et innovabat sibi novale exterius, qui jam Domino creærat interius. Nec hoc solum, quod ei concesserat, bonæ suffecit matronæ, sed ut ibidem Divinus cultus augeretur, *d* basilicam, in qua divina celebrarentur, propriis sumptibus erexit: in qua etiam, dum adhuc esset in corpore, *e* multa vidit Guillelmus, quæ non licet homini loqui. F

*templumque ædificat*

*d*

*e*

a *Raissius ait* litterarum prius ignarum fuisse. *Verisimile est, saltem legendi scribendique non omnino rudem extitisse, fortassis etiam Latinitatis aliquid, sive puerili antea disciplina, sive dum in Theuoltensi cœnobio vixit, degustasse.* — b *Ita MS. legendum* gestans. c *Potius,* consummato. — d *Guisii interpres,* ecclesiolam *et a Berta constructam scribit.* — e *Idem Guisius ait*, se hæc ex multorum relatione didicisse.

## CAPUT IV.

*B. Guilielmi lucta cum dæmonibus, visiones, sacerdotium.*

Contigit frequenter, dum in eodem templo completo suo labore longas orationes protraheret, dæmones, qui ejus bonis actibus invidebant, *a* mulierum pulcherrimarum assumere formas, quæ florum et ramorum virentium serta gestantes in capite, cantilenas more secularium depromebant, extento collo, et nutibus oculorum, compositoque gressu incedentes, choreas modo mirabili deducentes, horas integras detestabili hoc exercitio consumebant. Alloquebantur eum blandis sermonibus, *b* suam formositatem modis omnibus, quibus poterant, decorantes, speciemque suam gestu meretricum colorantes; ut sic sanctum propositum infringere possent. At vir Dei cognoscens in spiritu hæc sibi a Domino reservari, ut per hoc corona immarcescibilis augeretur, ipsarum

*a*

*ipse in eo orans a dæmonibus specie mulierum tentatur*

*b*

*sed oratione et Crucis signo resistit.*

A rum conspectum, ac si fœteret, fugiens, signum salutiferæ Crucis cordi suo imponens, ad orationem celeriter properabat, prostratusque conabatur evincere feroces insidias inimici.

*gelidamaquam hieme intrat,* 20 Sed dum diutius orando dimicaret, multoties accidit, ut non tam facile hostes exuperare posset. Unde ut majori se cruciatu affligeret, et se affligendo impugnantes se facilius expugnaret, alveum cujusdem rivuli ibidem defluentis subintrans, projiciebat se in eumdem, ut ita castigatione carnis assumpta motus illicitos restringere posset, et hujusmodi insultus eliminare. *Oransque et frequenter flectens* Hyemali tempore hoc ipsum pluries fecit, ita ut frigoris asperitate et glaciei pondere pressus, rigidus et frigidus, rediret ad templum: ibique pectoris concussione, et celeri genuflexione, *ita vestes siccat:* corpus suum agitabat usque ad nimium sudorem, et vestium suarum (quod quidem mirum est) desiccationem. Considerans autem illa detestabilis societas, c quod nihil suis machinamentis prodessent, c torvo *verberatur a dæmonibus:* vultu intuebantur eum, quem acribus verberibus et plagis affectum et fere exanimem relinquentes, confusi recedebant. Sed iterum Divina virtute sanitati d pristinæ d restituebatur, et fortior evadebat ad resis- *divinitus sanatur* tendum, et superandum diabolicas fraudes.

B 21 Insignis itaque Eremita debellatis aereis po- *humiliat se:* testatibus, in omni tranquillitate mentis, et humilitate animi immobilis persistebat, non seducens cor suum, sed etiam procellosas interioris hominis sedabat cogitationes, et ne inaniter raperetur extra se, triumphum belli Domino tribuebat; ipse enim novit quid sit in homine. Et ut ejus humilitas illibata con- Eccli 10. 14, et 15 servaretur, illius verbi Ecclesiastici memor erat: Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo; quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus: qui tenuerit eam, replebitur maledictis. Considerabat etiam, quid prodest homini superbia, cum sit terra et cinis, et cum moritur hæreditat vermes, bestias et serpentes. Unde humilitatem sectando subjiciebat se, exterius se laboribus exercendo, spiritui vero deserviens, quandocumque poterat, vacabat lectioni.

*serit secale,* 22 Dum vero agriculturæ suæ quodam tempore exerceret studium, hoc illi accidit insigne miraculum. Ipse enim quoddam novale satis parvum manibus suis præparaverat, ut in eo annonam victui suo necessariam seminare posset. Et dum tempus advenit, quo solent homines exire ad serendum, exiit et ille ut seminaret semen suum, quod semen purum e granum e siliginis fuit. Crevit semen, et usque ad C maturos pervenit successus. Et dum tempus messio- *quod in triticum purum vertitur.* nis advenit, egressus est homo Dei ad metendum, et dum colligeret spicas, reperit in una parte purum granum frumenti, in alia mixtum, et in alia granum ipsius siliginis. Ex quo colligere licet, quam stupendum miraculum clementia Divina fieri voluit ad corroborandam fidem Eremitæ, et ad futurorum ostentationem. Refert enim veridica relatio, quod ubi modo ecclesia posita est, ibi frumentum purum Joan. 12 24 repererunt: ut pateret, quod ibidem illius grani celebrandum erat mysterium, de quo in Evangelio dicitur: Nisi granum frumenti cadens in terram etc. Mixtum autem fuit inventum, ubi postmodum dormitorium fuit constructum: quia licet in eo austeritatis et pœnitentiæ rigor non tepescat, tamen motus sensualitatis ibidem aliquando blandiuntur. Ubi vero nigrum granum siliginis invenerunt, infirmitorium erexerunt, quia ubi caro reficitur, frequenter spiritus nigredine peccatorum inquinatur. Benedicta gloria Domini de loco sancto suo.

23 Inter cetera suæ conversationis insignia accidit beato viro commendabile indicium, quod quidem fidelibus esse potest summæ consolationis fundamentum. Erat enim Guillielmus die quodam, dum adhuc *eum Christo sibi apparente* aliquantulum fervens religionis incrementum, in suo domicilio, in quo exigente necessitate sanguinem si- D bi minuerat, et, ut vires resumeret, aliquantulum *AUTORE ANONYMO, EX MSS.* se dederat quieti: et dum ibidem solus jaceret, homo quidam miræ pulchritudinis, statura procerus, aliquantulum canus, membrorumque dispositione commendabilis, suo se præsentavit conspectui. At ubi tugurium intravit, vir Dei tantæ pulchritudinis admirans excellentiam, extra humanum modum et sensum quodammodo factus, dubitabat quisnam esse posset. Prævia tamen salutatione consedere pariter, et statim in ore ipsorum verbi abbreviati manare cœpit: et sicut fons de loco voluptatis rigabat universam superficiem terræ, sic B. Guillelmi cor divini verbi dulcedine perfundebatur. Gaudebant ambo in mutua visione, et bene homini Dei erat, in collo- *pie colloquitur* cutione tam familiari, nec vix poterat aciem oculorum suorum a consideratione illius hominis amovere. Cumque jam dies declinaret ad vesperam, surgens ille, dicebat se profecturum. Guillelmus autem instantissime orabat, ut cum illo nocte illa moraretur. Quod ille renuens dixit: f Vale Frater, ego te mihi f commendo. Quibus dictis evanuit ab oculis ejus. Quo *magnaque consolatione perfunditur:* viso stupefactus, illud Evangelicum repetere cœpit: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum lo- Lucæ 24, 32 queretur, et aperiret Scripturas? Sic suo ad tempus E frustratus solatio, mansit exultans, magnificans eum, qui magnificus est in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia.

24 Die quadam, dum adhuc Guillelmus diaconatus fungeretur officio, cœpit intra se cogitare, utrum *divinitus admonitus,* dignitatem sacerdotalem auderet assumere; se ignorantem, se peccatorem considerans. Et ecce apparuit ei quidam vir pulcherrimus, candido indutus habitu, baculum instar Crucis in manibus gestans, et sic eum alloquitur: Amantissime Frater, cur te sic hæsitando vexas? Baculum istum tibi in signum sacerdotii confero, sciens, quod quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, et his dictis disparuit. Et Guillelmus in suo proposito confirmatus, gaudens et exultans in pace remansit. Divina igitur revelatione præmonitus, gradum sacerdotii per manum Joannis de Bethunia Episcopi Camera- *Sacerdotio initiatur:* censis obtinuit. Completo itaque desiderio suo, tanto vigilantius Domino inserviebat, quanto se strictius conspiciebat funiculis caritatis alligatum: proficiebatque scientia litterarum, ita ut etiam inter doctos concionatores reputaretur.

25 Cogitavit insuper templum lapideum erigere, F ut sic locus Deo oblatus, non tam facile in alios usus *templum lapideum construit:* converteretur: quod piis fidelium eleemosynis inchoavit, et ad finem usque perduxit. Dum autem vir Dei die quadam prope lapicidas staret, eos ad laborandum hortans, et tempus Tertias canendi instaret; paullulum ab eisdem digressus, Officium divinum persolvere cœpit. Et ecce subito lux de cœlo in mo- *orans cœlesti luce circumfunditur,* dum ignis circumcinxit eum, dinque involvit, ita ut a circumstantibus minime videretur. Imo cœlestis splendor ab ejus ore exire et in illud iterum intrare videbatur. Et adstantes stupefacti, hoc postmodum publice retulerunt. Beatus vero Guillelmus per octo integros dies incredibili dulcedine repletus, quasi *magno suo solatio:* extra se factus, musto madere reputari posset, quem Spiritus sanctus inebriaverat.

a *Guisius scribit, dæmones Angelorum specie, et luminarium, dein mulierum, illudere ei conatos.* — b *Idem Guisii interpres:* ejus pulchritudinem laudantes. — c *Idem pro torvo videtur* corvino *legisse, ut eum* specie corvorum *cum tutatos dæmones esse.* — d *Idem addit,* in crastinum. — e *Ex adjunctis patet* siliginis *nomen pro* secali *hic sumi, ut vulgo a medii ævi scriptoribus; et Guisii interpres* seigle *Gallice vertit.* — f *Idem interpres satis frigide:* Deus te salvet, Frater, ego te illi commendo.

## CAPUT V.

A

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

## CAPUT V.

### *Cœnobium B. Mariæ de Oliva a B. Guilielmo fundatum. Ejus obitus.*

Desiderabat vir Dei in loco illo conventum religiosum collocare, ut cultus Divinus in perpetuum ibidem stabiliretur, personas pias introducendo, quarum conversatio coram hominibus luceret, et glorificarent Patrem suum qui in cœlis est. Unde quidam in Ordine B. Augustini locum eumdem intrare ac possidere cupientes, modicam in viro Dei reperere gratiam, ita ut quasi confusi recedentes, nusquam super hoc ipsius consensum requirere voluerunt. Ipse enim decreverat ibidem sacrum Ordinem Cisterciensem instituere. Quod quidem postmodum, modo tamen mirabili, fuit adimpletum. Perveniens enim ad monasterium *a* de Fontinella Ordinis Cisterciensis, et Virginum ibidem Deo famulantium pietatem et religionis austeritatem considerans, annuente *b* Abbatissa, conventum Religiosarum ex eodem loco secum deduxit: quæ in eremo beati viri summa cum paupertate et pietate vixerunt: sed tandem nimia necessitate et penuria oppressæ, ad proprium monasterium redierunt. *c*

*cœnobium instituit,*

*introductis Virginibus ex Fontinella:*

*quibus ob penuriam abeuntibus,*

B

27 Quare summo affectus dolore beatus Eremita, alias Virgines ex aliquo ejusdem instituti cœnobio vocare cogitavit, cujus pio desiderio providentia non defuit Divina. In Episcopatu Leodiensi *d* monasterium quoddam supra Sabim situm est nobilium Virginum, ex quibus *e* Domicellas septem virtutum suarum fama ad locum suum allexit. Hæ igitur mundi hujus inquinamenta cupientes evitare, et seculi divitias contemnentes, strictam Ordinis Cisterciensis paupertatem amplexæ sunt, et nudæ Crucis Dominicæ sequentes vestigia, crucem ejusdem instituti nudo corde subeuntes, pauperrimum locum viri Dei intraverunt.

*aliunde adducit;*

28 In hac igitur solitudine soli Deo corda sua et omnes actiones consecrantes, tot et tanta perpessæ sunt paupertatis discrimina, ut vix viri fortissimi tot potuissent labores sustinere, nisi ex integro se mundo crucifixissent. Serviebant enim Deo die noctuque persistentes in oratione et vigiliis, qui eis gratiam apud homines conferebat, ita ut multæ nobiles Virgines, quæ multis affluebant divitiis, contemnentes terrenas nuptias, sponso cœlesti, harum religiosarum exemplo commotæ, adhæserunt. Et sic indies numerus sacrarum Virginum augebatur, quibus secundum Ordinis instituta, Abbatissa præficitur, et monasterium Deiparæ sacratur, sub titulo Beatæ Mariæ de Oliva. Interea vir Dei filiarum suarum profectibus congaudens, unice diligebat eas: et tamquam pius pater, omnibus indigentiis ipsarum largitor subveniebat.

*quibus austere et sancte viventibus*

*multæ se jungunt:*

C

*Ipse iis necessaria curat.*

29 Strictissimo etiam caritatis vinculo B. *f* Mariæ Ogniacensis adstrictus erat: quæ tandem cum extrema ægritudine laboraret, cognovit tempus adesse resolutionis suæ. Nolens autem pia matrona corpus hujus mortalitatis deserere insalutato speciali dilecto suo, apparuit ei in spiritu candidissimo habitu decorata: quæ quidem vestis in parte anteriori et posteriori aureis flosculis erat conspersa. Ex qua visione manifeste cognovit Guilielmus finem beatæ fœminæ instare. Qui surgens celeriter ad locum, in quo jacebat, pervenit: sed ipsi aditus negabatur. Maria vero sentiens interius illum advenisse, dixit circumstantibus: Eremita sanctus præ foribus est. Et mirantibus omnibus introducitur; consedentes vero colloquebantur soli de cœlesti patria, de futura gloria, et præsentis vitæ miseria, inhiantes pariter ore cordis ad superna fluenta fontis vitæ. Et finito spirituali colloquio, exultantes in Domino, et sibi invicem valedicentes, Guilielmus remeavit ad propria, et Maria spiritum non multo post Domino reddidit.

*B. Mariæ Ogniacensi familiaris.*

D

*in visione instantem ejus obitum cognoscit:*

*et valedicit.*

30 Cum die quadam penuria et inedia pressus, auxilium a Deo postularet, homo quidam ei apparuit, panem in manu portans; qui eum advocans nomine proprio, panem dedit ei, dicens: Scias pro certo, quod nullus de cetero, qui in loco isto, quem Deo dicasti, ei servire voluerit, panis temporalis defectum sustinebit et hoc dicto disparuit.

*cœlitus intelligit, non defore cœnobio victum:*

31 Dum semel tremendo altaris sacrificio *g* interesset, in spiritu raptus, puerum Jesum vidit, parem ab altari susceptam per universam ecclesiam distribuere; pluribus tamen prætermissis, qui puritate conscientiæ contempta, peccatorum labe erant inquinati.

*videt Jesum in Missa parem circumferentem*

E

32 Senio tandem et laboribus confectus variis cœpit infirmitatibus laborare: unde tuguriolum de novo, in quo se reciperet, construxit: quod quidem arbori cuidam innixum erat; et cum tempus hiemis adesset, quando reliquæ arbores foliis nudantur, illa, de qua loquimur, non solum frondes retinuit, sed et flores protulit, magna omnium intuentium admiratione.

*ægrotat,*

*proxima arbore florente:*

33 Completo tandem feliciter suo agone, instaurato etiam loco, quem Deo in sudore vultus sui, et labore corporis dedicaverat, dissolutionem suam imminere sensit, et gravissima infirmitate correptus cœpit viribus corporeis destitui. Convocatisque monialibus suis, eis pietatem, puritatem et humilitatem commendans, et eas ad mundi inquinamenta vitanda exhortans, ex hac vita migravit, et ad meliorem transivit anno Domini *h* MCCXL, ætatis vero suæ sexagesimo sexto. *i*

*suis valedicit.*

*moritur*

F

a Fuit hoc monasterium, ut scribunt Gazæus et Miræus, circa annum 1212 a duabus nobilibus sororibus Joanna et Agnete, juxta Valentianas urbem Hannoniæ, fundatum. — b Haydem primam Abbatissam fuisse ait Gazæus, et adhuc anno 1228 vixisse, ideoque tunc instituta Cisterciensium suscepisse. — c Post annum, inquit Gussi interpres, qui tamen monachos non monachas ait fuisse, ut ante monuimus. — d Est Monasterium, Gallice Moustier, nobilium Virginum Canonicarum cœnobium ad Sabim, inter Namurcum urbem et Igniacum, de quo antea egimus, situm. De eo 6 Febr. ad Vitam S. Amandi Ep. § 8 numer. 63 dictum. Illud ipsum est, ad quod Durino, propinquo urbi Antverpiensi oppido, translatæ reliquiæ sunt S. Fredegandi, quem Gallice S. Frego appellant. — e Gussius sanctimoniales Monasterienses scribit vixisse Domicellarum more, pane, carne, vino vescentes; et quasdam antiquas traditiones observantes. — f Obiit B. Maria Ogniacensis anno 1213 die Dominica, pridie Natal. S. Joannis. Hinc autem patet, B. Guilielmum ante eum annum sanctitatis fama celebrem fuisse. Sed vehementer hic hallucinatur Gussius, ejusve interpres, dum ait Mariam hanc unam fuisse e sanctimonialibus monasterii Olivæ, paulloque post eam mortuum esse Guilielmum, qui utique adhuc eo tempore monasterium instituerat, et 27 annis supervixit. — g In oppido quodam vicino, in die dedicationis ecclesiæ ejusdem oppidi, inquit idem Gussius. — h Imo 1241. Nam cum scripta est Vita, priores menses usque ad Pascha ad annum præcedentem referebantur, Francorum calculo. — i Addit idem, tempore Girardi Episcopi Cameracensis. Legendum videtur Guardi, ut eum appellat Cantipratanus lib. 1 Apum cap. 4 § 4 et cap. 19 § 8. Alii Viardum, Wiardum, Cujardum, Godefridum, Guidonem, Gilonem nuncupant. Obiisse traditur anno 1247.

Fontinella mon.

Monasterium mon.

B. Maria Ogniacensis.

Guiardus Ep. Camerac:

ANIMADV. PAP. 77.

# DE B. ARNALDO CATANEO ABB.

## PATAVII IN ITALIA,

### Commentarius prævius.

G. H.

ANNO MCCLV. X FEBR.

*Intestinis odiis ac bellis sub Frederico II Imperatore, Italia seculo Christi XIII in duas divisa est factiones: unam, quæ Pontificibus Romanis studebat, Guelforum dein nomen indutam; Gibellinorum alteri, quæ Imperatori adhærebat. Hujus partis in Transpadanis regionibus Dux præcipuus Ecelinus fuit, tyrannicis ac prope belluinis moribus homo, cujus jussu, pædore*

*B. Arnaldi Vita*

A *pœdore carceris extinctus est* x *Februarii* B. Arnaldus, Abbas Patavinus monasterii S. Justinæ. *Hujus Vitam damus collectam e Chronico anonymi, sed coævi, monachi Paduani sub ipsius Arnaldi disciplina educati: qui hæc de se testatur in Prologo:* Historiographorum, *inquit*, vestigia pro nostro modulo imitantes, quædam, quæ nostris temporibus facta sunt in partibus Marchiæ, vel Lombardiæ, seu etiam extra fines Italiæ, in præsenti opusculo decrevimus sub compendio litteris declarare. *Et infra dum* dormitorium nostrum ab Arnaldo factum *dicit, se ejus monasterii monachum ostendit. Cujus in carcere obitum narrat*, sicut, *inquit*, Fratres Minores viri devotissimi nobis fideliter retulerunt. *Laurentius de Monacis Veneto Senatui a secretis ac Cretensis regni magnus Cancellarius, lib.* 13 *Historiæ, quam anno Chr.* MCDXIV *scribebat, enumeret scelera Ecelini, quem Ezerinum vocat, verbis Monachi Paduani, ita præfatus :* De dicto Ezerino quidam fide dignus historiographus dicti temporis scribit. *Ea infra num.* 6 *et* 7 *damus, sed ex pluribus pauca ; ut de iis, quorum plurimi propter observantiam erga Sedem Apostolicam occubuerunt, aliqua lectori proponantur, et ferox Ecelini tyrannis intelligatur.*

*auctore Monacho Paduano ejus discipulo*

*historico fide digno.*

2 *Pluribus utrumque executus Rolandinus, et ipse*
B *Patavinus, res sui temporis libris duodecim describens, scilicet ab anno* MCC, *quo natus est, ad sexagesimum sequentem, quo se hæc scribere præfatur. Hic lib.* 4 *cap.* 9 *asserit* Arnaldum Abbatem, S. Justinæ de Padua *fuisse* virum natione nobilem, de progenie Cataniorum, de Limena Paduani districtus. *Hinc Bernardinus Scardeonius, qui ante annos centum Canonicus Patavinus fuit, lib.* 2 *Antiquitatis urbis Patavii classe* 6 *tradit* B. Arnaldum ex nobili familia Catanea, et regia stirpe Comitum Liminæ clarum esse. *Est autem* Patavio a Septentrione, *inquit idem lib.* 1 *classe* 1, Limina proximis annis arce, flumine, muris, fossis, aggeribus altissimis et crassis munita, nunc diruta, præter lapideum pontem, quem pro publico commodo transeuntium Senatus Venetus prohibuit demoliri.

*genus e familia Catanea*

*e Comitibus Liminæ*

3 Arnaldum *infra Auctor* Martyrem et Virginem *prædicat*, animam ejus sanctam et Deo dilectam, corpus beati viri *incorruptum :* et *ob* hoc miraculum Deum in Sanctis suis gloriosum *laudat. Laurentius de Monacis* virum justum, honestum, et attestatione Cleri et populi reverendum *appellat, priorem auctorem secutus. Ejusdem* Arnaldi vitam sanctissimam largius exaravit Jacobus Cavaccius, *Patavinus, qui*
C *historiam monasterii S. Justinæ libris sex descripsit, quem citant Lucas Wadingus tom.* 2 *Annalium Minorum an.* 1255 *num.* 19, *et Angelus Portenarius Patavinus, lib.* 9 *Felicitatis Patavinæ cap.* 14 *atque ille* Arnaldum miraculis et vitæ sanctitate clarum *describit, ob* venerabilis sancti viri *apud suos Minores* depositas exuvias. *Scardeonius classi Sanctorum ac Beatorum adscribit, hoc illi præfixo titulo :* De B. Arnoldo Cataneo Abbate. *Odoricus Raynaldus in Annalibus ad eumdem annum* 1155 *num.* 13 virum sanctissimum, et Abbatem sanctissimum *pronuntiat. Abrahamus Bzovius etiam num.* 13 B. Arnaldum *scribit.*

*morum sanctitas ;*

4 *Benedictus Dorganius in Kalendario Benedictino* x *Februarii ita eum memorat :* S. Arnaldi Abbatis. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum :* Patavii S. Arnaldi Abbatis et Martyris. *Pluribus Arnoldus Wion et Hugo Menardus in Martyrologiis monasticis :* Patavii S. Arnaldi Abbatis S. Justinæ et Martyris *etc. reliquo elogio ex Actis mox dandis deprompto : quod etiam ab aliis ante memoratis auctoribus est factum.*

*nomen in Martyrologiis.*

5 *Addit Wion in Notationibus, Corpus deinde delatum esse Patavium* ad suum S. Justinæ cœnobium. *Anno autem* MDXLII, *die* XIV *Martii, in solenni Sanctorum illius monasterii translatione, in altari ejus nomini dicato, ad sinistram partem Chori reconditum esse.*

*altare erectum.*

# VITA

## ex Chronico Monachi Paduani.

### CAPUT I.

*Monasterium a B. Arnaldo administratum. Dona Imperatori oblata. Exilium. Carcer.*

D

Anno Domini MCCIX. Circa hæc tempora Otto Dux Saxoniæ in Regem Alamanniæ electus, descendit de Alamannia, et venit in Lombardiam cum exercitu copioso.... Utebatur consilio Ecelini et Salinguerræ... Perrexit Romam et apud S. Petrum est a Papa Innocentio coronatus. Quo facto exaltatum est cor ejus, et Summi Pontificis admonitionem sprevit pariter et mandatum. Papa vero Innocentius statim eum publice anathematis vinculo innodavit.... Eodem anno Dominus *a* Stephanus Abbas S. Justinæ in mense Madio, desiderio arctioris vitæ, resignavit Abbatiæ, et in *b* Venda vitam eremiticam duxit, ibique in pace *c* quievit. Cui successit Abbas Arnaldus, *d* religione laudabilis, et discretione compunctus, et in universa morum honestate laudabilis. a b c d

*An. 1209 Ottone Imper. ac Ecelino ejus consiliario, et Innocentio III Papa.*

*B. Arnaldus creatur Abbas S. Justinæ ;*

Anno Domini MCCX reversus est Otto Imperator in Alamanniam, excommunicationis vinculo innodatus... E

2 Anno Domini MCCXI. Istis temporibus Fredericus adolescens Rex Siciliæ, filius quondam Henrici Imperatoris et Reginæ Constantiæ, quæ fuit filia Rogerii Regis Siciliæ, de Mandato magnifici Papæ Innocentii per Lombardiam cum auxilio Marchionis Estensis ascendit in Alamanniam confidenter : quem ita gratissime Prælati et Principes Alamanniæ susceperunt, quod pauci remanserunt de Principibus cum Ottone. Tandem ipsum in Regem Alamanniæ et in futurum Imperatorem concorditer elegerunt...

*Frederico 2 constituto Rege Alamanniæ, et Imperatore,*

Anno Domini MCCXX Federicus II Rex Siciliæ et Apuliæ, et Dux Sueviæ, descendens de Alamannia ivit Romam, et ibi accepit coronam Imperii a Papa Honorio in die B. Cæciliæ...

Anno Domini MCCXXVIII Venerabilis Abbas Arnaldus fecit fieri *e* fossatum et induxit aquas fluvii, qui est S. Justinæ, ibique fecit fieri optima *f* molendina. Hoc fuit opus egregium et a Fratribus monasterii diligenter memoriæ commendandum.... e f

*B. Arnaldus monasterium restaurat novis ædificiis.*

Anno Domini MCCXXXVI honorabilis Abbas Arnaldus fecit fieri dormitorium nostrum, cum capitulo et cameris infra positis et adjacentibus, simulque cameras palatii cum aula fecit optime restaurari... F

3 Anno Domini MCCXXXVII cum civitas Paduana pacifico statu gauderet, et copia populi et militia strenui, divitiis etiam et gloria esset plurimum decorata ; pater proditionum et scelerum, humani scilicet generis inimicus, misit in corda quorumdam magistratuum, ut traderent eam Nuntiis Imperatoris et Ecelino de *g* Romano, quem Paduani solebant detestari, et persequi velut lupum. Malum igitur, quod corde conceperant, opere perpetrarunt, de lupo pastorem ovium subito facientes, in suam et patriæ suæ perniciem et gravamen. Nam Ecelinum Paduæ inimicum, mense Februario venire fecerunt, et civitatem et populum in ejus manibus crudelissimis *h* tradiderunt.... Postquam autem Ecelinus sub occasione Imperii obtinuit Paduæ dominatum, *i* statim Optimates civitatis cum filiis suis in exilium destinavit : quos omnes postea tradidit nequissimo Principi Federico, qui mittens eos in Apuliam, fecit eos in duris carceribus et caveis subterraneis custodiri, ubi ex magna parte miserabiliter perierunt. Dominum etiam *k* Jordanum, quem Paduani quasi Patrem patriæ appellabant, perfidus Ecelinus in carcere alligavit. Eodem etiam tempore Tyrannus videns g h i k

*Patavio ab Ecelino occupato, et optimatibus exilio, carceribusque vexatis,*

*AUCTORE MONACHO PATAVINO. B. Arnaldus effugit:*

A dens Abbatem S. Justinæ, tam nobilitate originis, quam potentia benignitatis suffultum, scientia et moribus decoratum, Deo et hominibus gratiosum, conatus est de ipsius captione tractare. Quæ præcognoscens Abbas, Ferrariam primo fugit, postmodum in *l* Montem-Silicem, latuit usque ad adventum Augusti. In mense itaque Septembri Imperator Federicus cum exercitu de Alamannia in Lombardiam descendit, cui occurrit venerabilis Abbas apud Veronam, et ab ipso vultu alacri est receptus, et duobus mensibus cum decenti societate castra Cæsaris est secutus....

*cum Frederico Imperatore agit:*

*recipit monasterium ab Ecelino occupatum:*

4 Anno Domini MCCXXXVIII Comes Geveardus de Saxonia, Nuntius Imperatoris, venit Paduam, et pietate commotus super justis querelis Abbatis S. Justinæ, suum monasterium Abbati restituit, removens inde custodes et procuratores, quos ibi posuerat Ecelinus....

Anno Domini MCCXXXIX circa Conversionem S. Pauli venit Paduam imperator, fecitque residentiam in monasterio S. Justinæ duobus mensibus, a Dominica Quinquagesimæ usque ad quindecim dies post Pascha.... Interea dum Imperator in prædicto monasterio resideret, et imperatrix filia Regis Angliæ

*in eo Imperatorem suscipit*

B Noentæ mansionem haberet; memoratus Abbas curialitatis et largitatis amator Augustum donis gratissimis honoravit. Obtulit namque ei duo tapetia pretiosa, et solium cum suo apparatu et scabello suppedaneo artificiosissime insignito; duo plaustra ita pretiosissimi vini, ac si esset de vineis Engaddi; triginta modios hordei et viginti quatuor plaustra fœni; sturiones etiam maximos ei dedit, quos sibi fecit de partibus Ferrariæ apportari. His et aliis donis et exeniis tam Augustum, quam Curiales frequentissime honoravit...

*multa ei dona largitur:*

5 Anno Domini MCCXLII Innocentius Papa Quartus quæsivit fere duobus annis habere pacem cum Imperatore, volens finem imponere tantis malis. Sed cum Imperator fere totam Italiam possedisset, in superbiam elevatus, verba quidem blanda dicebat; sed Romanam Ecclesiam deprimere modis omnibus satagebat....

*Frederico in Concilio Lugdunensi deposito,*

Anno Domini MCCXLV circa festum S. Joannis Baptistæ factum est Concilium maximum Lugduni, ad quod citatus Imperator personaliter ire contempsit. Unde propter contumaciam ejus et innumerabilia mala, quæ fecerat contra Ecclesiam, Innocentius Papa residens in Concilio, de assensu et consilio

C Prælatorum et totius Concilii, protulit contra Federicum depositionis sententiam juste pariter et constanter.... Direxit in Alamanniam nuntios, ad admonendum Principes, ut eligerent aliquem strenuum virum ad Imperium gubernandum. Tunc illi convenientes, elegerunt virum Catholicum, strenuum, nobilem, sapientem, benignum et constantem, Lantgravium de Thuringia, Deo et hominibus gratiosum ...

*et Henrico Thuringo electo,*

Anno Domini MCCXLVI... factum accidit lacrymosum, plenum compassione pariter et dolore. Nam Ecelinus Satanæ minister, diaboli carnifex, potator humani sanguinis, sitibundus inimicus Ecclesiæ, hæreticorum refugium, malitiæ sedulus adinventor, manum misit ad desiderabile membrum Ecclesiæ, id est, Abbatem S. Justinæ de Padua, capiendum; virum utique justum, honestum, bonis moribus informatum, et Clero et populo attestante, plurimum reverendum. In die S. Briccii eum cum fratre carnali capi præcepit, ipsumque inclusit in carcere tenebroso, faciens eum velut proditorem Imperii cum diligentia custodiri...

*ab Ecelino captivus abripitur,*

*m*

Anno Domini MCCXLVII... Hoc tempore Lantgravius Rex Alamanniæ diem clausit extremum: de cujus morte Ecclesia est turbata; Federicus vero plurimum est erectus...

*et tenebroso carceri includitur.*

Anno Domini MCCXLVIII... circa hæc tempora Principes elegerunt Gulielmum Comitem de Hollandia in Regem et futurum Imperatorem, virum utique probum et exercitu et militibus decoratum... D

Anno Domini MCCL... potentissimus Federicus in die S. Luciæ vitam amisit in Apulia, nihil secum deferens, nisi sacculum peccatorum...

a Scardronius lib. 2 classe 6 Beatum appellat in titulo, et inter Beatos innumerandum arbitratur. — b Seu Monte Veneris, ubi et in æde S. Joannis Baptistæ sepultus, inquit Scardeonius. — c Annus mendo typographico dicitur a Scardeonio 1205, uti a Wione et Menardo, qui etiam Beatum appellant, ac referunt inter eos Sanctos, quorum dies natalis incognitus est. — d Vir omnium horarum, et tam in privatis quam in publicis rebus æque strenuus. Ita Scardeonius. — e Scardeon. fossam juxta monasterium, impetrata a Rep. Patavina licentia, illum describit Portenarius lib. 9 cap. 14. — f Scardeon. moletrina admirabili artificio concinnata. — g Rolandinus lib. 1 Chronici cap. 1 refert in Marchia Tarvisina suo tempore fuisse quatuor illustriores familias, Estensem, de Camino, de Romano, et de Campo S. Petri: et quidem hic Ecelinus III est, natus avo Ecelino I de Honaria, et patre Ecelino II, Balbo dicto, quorum singulorum gesta describit. Non ergo Teutonicæ stirpis Tyrannus censeatur, ut nonnulli recentiores scribunt. — h Rolandinus oculatus testis pluribus ea describit lib. 3 capitibus ultimis, qui tum habebat sigilli communis officium. — i Præcipuas nominat Rolandinus lib. 4 cap. 3. — k Fuit B. Jordanus Prior monasterii S. Benedicti Novelli, colitur 7 Augusti, teste Scardeonio lib. 2 classe 6. — l Ibi arcem olim munitissimam fuisse, nunc dirutam, tradit Scardeonius: distat Patavio x millibus passuum prope Ateste, quo Arnaldum primo, dein Ravennam fugisse ait: sed hinc refellitur. Aufugisse Arnaldum Montem-Silicem confirmat Rolandinus lib. 4 cap. 8 et 9. — m 13 Novemb. quo colitur S. Brictius Episcopus Turonensis, a quo die ad 10 Februarii infra numerat tres menses. E

*B. Stephanus Ab.*

*Ecelini familia.*

*B. Jordanus.*

## CAPUT II.

### *Obitus B. Arnaldi in carcere. Crudelitas et obitus Ecelini.*

Anno Domini MCCLII in mense Madio filii et nepotes nobilis Gulielmi de Carturio, post multa genera tormentorum, jussu Ecelini sunt Paduæ interfecti. In hoc anno circa finem Augusti *a* Ecelinus humani generis inimicus, suggestione dæmonum et hominum malignorum... extraxit mortiferum gladium irrevocabiliter de vagina, incipiensque a Carnarolo Milite Veronensi, quem conjurationis contra se principem asserebat, tam in Verona, quam in Padua, Vicentia et in tota Marchia inauditam stragem et *b* occisionem hominum perpetravit... Catervatim milites et majores natu, in foro gladiis necabantur, membra frustatim præcidebantur, et rursum collecta et imposita rogis, igne supposito cremabantur. Frater fratrem, consobrinus consobrinum, amicus amicum tradebat ad mortem, et propriis manibus trucidabat. His sceleribus credebat quilibet se obsequium præstare Tyranno. Et tamen isti, qui hoc faciebant, post F paucos dies in similem mortis gladium seu laqueum incidebant. Filii nobilium et aliorum civium oculis privabantur, et eorum genitalibus amputatis, includebantur in carceribus tenebrosis, ubi moriebantur famis horribili cruciatu. Matronæ nobiles et delicatæ et Virgines speciosæ fame, peste, injuriis et afflictionibus inauditis in custodiis tabescebant... Non remansit progenies aliqua generosa, vel etiam popularis, quæ ab ipso, vel ex toto, vel ex parte maxima non sit crudeliter lacerata. Milites fere omnes sunt gladio et aliis suppliciis interfecti: studiosi mercatores, Judices sapientes, Prælati reverendi, claustrales devoti, Canonici honorati, speciosi juvenes et strenui, radicitus sunt deleti, substantiis eorum ablatis, et dispositis secundum tyrannicam jussionem.... Ipse bona Episcopatuum, Abbatiarum, Canonicatuum, et fere omnium Ecclesiarum in suis sceleratis operibus consumebat. In diebus ejus cessavit prædicatio, obmutuit confessio peccatorum, et devotio fidei est extincta.

*Ecelini jussu interimuntur plurimi,*

*passi crudelia tormenta,*

*etiam matronæ,*

*Judices, Sacerdotes etc.*

7 Anno Domini MCCLIII Ecelinus nullas nisi sanguine fuso gaudens habere vias, tam in Verona, quam in Marchia universa vehementer iterum manum ad incarcerandum et occidendum extendit, implevitque civitates

*moriuntur fame et squalore carcerum:*

A civitates et castra multitudine captivorum, quos fame horribili affligebat. Præ famis autem et sitis angustia (pro dolor!) quælibet immunda miseri comederunt, ac urinam cum aviditate inopinabili bibere cogebantur. Et eorum parvum impendere beneficium putabatur, qui urinæ suæ potum dignabatur sociis impartiri. Fœtor etiam intolerabilis, et aer corruptus, calorque nimius, et tenebræ ita horribiles erant in carceribus Ecelini, quod captivi vix poterant respirare: multique his de caussis spiritum exhalabant. Præterea tanta erat in his hominum miserabilium multitudo, quod ita unus alium comprimebat, quod nec jacere poterat aliquis, nec sedere: corporis vero debilitas nullo modo super pedes consistere permittebat. Clamor autem lugentium et dicentium, Væ, Væ, ac percussiones manuum ita horridæ personabant, quod non carceres manufacti, sed ergastula infernalia, et pœnæ inflictæ a dæmonibus merito putabantur: quia ubi nulla requies, nulla consolatio, nulla species redemptionis a malis illatis et imminentibus habebatur. Mors ibi summo desiderio quærebatur, ut finem imponeret tantis malis. Moriens enim in tali statu, vivente felicior credebatur. In mortis vero articulo constituti, confiteri cum Sacer-
B dotibus, et rerum suarum disponendarum licentiam nullo modo poterant obtinere...

*c* *ultetiam B. Arnaldus an. 1255, 10 Febr.*

8 Anno Domini MCCLV, X Februarii cum vir devotissimus Abbas Arnaldus, honestatis forma, religionis monasticæ speculum et exemplar, octo annos et tres menses in carcere tenebroso et in vinculis consummasset, circa septuagesimum vitæ suæ annum, die decimo intrantis Februarii, qui tunc fuit *d* primus dies Quadragesimæ, apud *e* Aslum feliciter migravit ad Dominum. Imminente vero hora migrationis ejus, quæ fuit circa diluculum (sicut Fratres Minores viri devotissimi nobis fideliter retulerunt) multi in castris imminentibus constituti, viderunt manifeste ignea signa ab æthere descendisse, ad instar duarum ardentium facularum; quæ super carcerem ejus tamdiu steterunt, donec illa sancta et Deo dilecta anima carnis vinculo est soluta: significativa sane, sicut firmiter arbitramur, illa duo signa fuerunt duplicis *f* aureolæ, qua vir beatus est a Domino in cœlesti curia inter Martyres et Virgines coronatus. Corpore siquidem et animo fuit Virgo, sicut Sacerdotes, quibus confitebatur, liquido profitentur. Nam neque verbo, neque facto unquam dehonestavit in vitio lasciviæ sui animi puritatem.
C Martyr vero merito dici potest, quod patienter et innocenter sustinuit longam carceris passionem. In ipsa autem carceris angustia constitutus, tam custodum quam se visitantium affectum ita quadam lenitate mansuetudinis attrahebat, ut ab omnibus merito amaretur. Nam cum in eodem anno, quo de hac vita erat exiturus, nullum proprium habuerit servientem (ab omnibus enim fuerat derelictus propter immanem rabiem sævientis Tyranni, qui præceperat, ne aliquis ei ad manducandum aliquid exhiberet, nisi panem atrum et aquam brevem) nihilominus tandem custodes carceris, pietate commoti, omnia ei occulte humanitatis obsequia exhibebant.

*d*

*e*

*carcere facibus igneis illustrato:* *f*

9 Ad tanti autem viri venerabiles exequias celebrandas in die obitus convenit utriusque sexus non minima multitudo hominum, et cum reverentia et honore corpus ejus sanctissimum ad *g* Fratrum Minorum ecclesiam deferentes, sepulturæ devotissime tradiderunt. Multi vero tam viri quam mulieres pias lacrymas effundebant, reminiscentes viri Dei compassionem et dulcedinem et animi lenitatem: multique dicebant, ipsi esse potius congaudendum, quod esset a tantis angustiis liberatus, et Paradisi gaudiis frueretur. Post quinquaginta vero dies ab ejus obitu, visum fuit Fratribus Minoribus, quod ejus corpusculum in sepulchrum paratum decentius deberet D transferri. Procuraverunt autem noctis silentio homines conductitios adhibere ad hoc negotium peragendum, existimantes corpus putridum et penitus tabefactum, odorem intolerabilem exhalare. Aperientes itaque loculum, quo pia membra tenebantur inclusa, et nulla putredinis et corruptionis videntes vestigia, præter quamdam albedinem ad modum lanuginis circa palpebras oculorum, admirationem maximam habuerunt, et cunctos de domo ad hoc miraculum convocantes, unanimiter Deum laudaverunt, qui in Sanctis suis est mirabiliter gloriosus. Post hoc in sepulchro condigno parato beati viri corpus reverendissime condiderunt...

*sepelitur apud Fr. Minores;* *g*

AUCTORE MONACHO PADUANO

*post 50 dies incorruptus.*

*transfertur ad honestiorem locum.*

10 Anno Domini MCCLVI. Philippus Archiepiscopus Ravennas Legatus, septiformis Spiritus gratia illustratus... habito consilio sapientum, disposuit usque Paduam cum exercitu properare. Summo igitur diluculo, die Lunæ duodecimo exeuntis *h* Januarii, clangore tubarum exercitu excitato, armisque viriliter ab omnibus apprehensis, Legatus ante se deferre fecit almæ Crucis vexillum; quod omnes secuti sunt.... Tunc Legatus festinanter die Martis circa horam nonam fecit Gattum versus portam impelli et ignem ad comburendum ipsam citissime mi- E nistrari. Interiores itaque combustione portæ non modicum sunt perterriti; exteriores vero audaciores effecti, scalas muris undique apponentes circa horam vespertinam super civitatis muros viriliter ascenderunt. Tunc capta civitate... aperti sunt carceres tenebrosi, rupta sunt vincula et catenæ: hinc egrediuntur turbæ hominum moribundæ, inde procedunt matronæ nobiles, trepidæque puellæ, squalore macieque confectæ. Exeunt postremo nobiles pueri excæcati pariter et castrati, quorum miserandus aspectus ad piarum lacrymarum effusionem oculos intuentium provocabat. Nullus itaque viribus hominum attribuat victoriam tam fortissimæ civitatis, sed soli Deo, qui est in suis perfectis operibus gloriosus, cujus mediante virtute famelici saturatos, inermes armatos viriliter devicerunt. Veronæ auditis his rumoribus, Paduani cœperunt inconsolabiliter lamentari, tum pro uxoribus, et filiis et filiabus et substantiis, de quorum statu in discrimine tanto erant incerti; tum quia videbant se in manibus Tyranni crudelissimi constitutos. Tunc insatiabilis homicida, et draco venenosus, addens afflictionem afflictis, præter aliquos sceleratos, præcepit capi omnes penitus Paduanos, quorum numerus ad XII millia hominum pertin- F gebat, ipsosque compedibus alligatos includi fecit in carceribus tenebrosis, quos omnes fame et aliis suppliciis miserabiliter interfecit...

*h*

*Anno sequenti Patavium Ecelino eripitur:*

*liberantur captivi.*

*Patavini Veronæ reperti ad 12000 ab Ecelino occisi.*

11 Anno Domini MCCLIX, cognoscentes Cremonenses et Mantuani et eorum socii notissimum volatum temerarii Ecelini, unanimiter moventes castra... ipsum viriliter invaserunt, ejusque aciem fortissimam irrumpentes, terribilem leonem cum magno impetu rapuerunt... Cum Ecelinus in manus incidisset, et esset in prælio graviter vulneratus, *h* Soncinum a Cremonensibus est deductus, ibique post paucos dies, cum fere septuaginta esset annorum, nullamque prolem haberet, deficiens mortuus est in pessima senectute. Et hac animadversione adeo est digne punitus, ut in morte oblivisceretur sui, Sacramenta Ecclesiastica detestando, qui, dum viveret, immemor fuit Dei... Istæ fuerunt civitates, super quas exercuit tyrannidem inauditam, Verona, Vicentia, Padua, Tarvisium, Feltrum, Tridentum et Brixia... Per triginta quatuor fere annorum curriculum Veronam obtinuit violenter... Ipsius maligna instigatione Imperator potentissimus Federicus, cui præbuit iste Tyrannus introitum in Italiam per Veronam, violenter, concussis viribus totius Imperii, Lombardiam

*ipse in prælio saucius captus,* *h*

*detestatus Sacramenta, moritur,*

*origo malorum omnium Ecclesiæ tunc illatorum.*

AUCTORE MONACHO PADUANO.

A Lombardiam voluit obtinere. Cujus rei caussa inter Romanam Ecclesiam et Imperium inexorabilis discordia est exorta : propter quam multa millia hominum in diversis mundi partibus perierunt. Horum malorum caput, medium et finis exstitit perfidus Ecelinus.

a *Eadem hinc descripta refert Laurentius de Monacis ad num.* 8 — b *Hanc carnificinam accurate describit Rolandinus lib.* 6 *a cap.* 15 *et toto libro* 7. — c *Sequentia habentur lib.* 2 *Chronici.* — d *Cyclo Solis* 4, *littera Dominicali* C, *et Cyclo Lunæ* 2, *quo Pascha fuit* 28 *Martii.* — e *Scardeonius* Asilum, quod est oppidum Tarvisinum *de quo Leander Albertus in marchia Tarvisina, et* Asulum *vocat, vulgo* Asolo de Treviglio *ad fluvium Mussonum. Wion* Astum, *Bzovius* Estem *vocant, forte cum* Aleste *confundentes.* — f *Al.* Laureolæ — g *Hac de causa in Annalibus Minorum obitum ejus refert Lucas Waddingus* — h *Imo* Junii, *ut sæpius habet Rolandinus, qui lib.* 8 *hæc pluribus describit : tum* 12 exeuntis Junii, *qui est* 19 *Junii, fuit dies Lunæ. Nam cyclus Solis, et litteræ Dominicales* B A *erant eo anno bissexto. Quæ non conveniunt Januario.* — i *Rolandinus lib.* 9 *cap.* 8 xi millia personarum. — k Soncinum *habet Rolandinus lib.* 12 *cap* 9, *quod oppidum est in agro Cremonensi, et sub Marchionatus titulo nunc possidetur a Stampis Mediolanensibus* D

# DE B. GUILIELMO ZUCCHIO

## ALEXANDRIÆ IN ITALIA.

G. H.

*CIRCA AN. MCCCLXXVII X FEBR. B. Guilielmus*

Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum x *Februarii hæc habet :* Alexandriæ Statiellorum B. Guilielmi Confessoris : *annotatque se ea scribere* ex monumentis Ecclesiæ Alexandrinæ, *ubi Acta ejus extant MSS quæ ita excusa sunt, aut certe eorum compendium ex urbis Alexandrinæ Annalibus.*

*ex Zucca familia,* 2 Gulielmus Alexandriæ in Liguria, honestis parentibus ex Zucca familia ortus, cum primum ei per ætatem licuit, mundi hujus illecebris et terrenarum rerum cura spretis, sese pietatis operibus totum addixit. *fabricæ templi præfectus,* Fabricæ majoris templi, quoad vixit, absque ulla temporali mercede præfecturam gessit. B Reliquum, quod supererat, temporis in sacra lectione (erat enim non vulgaris litteraturæ) et in procuranda proximorum salute insumebat, *addictus eleemosynis,* egenorum præsertim ac miserorum sublevationi studens : quorum eos, qui mendicare erubescerent, clam suis sustentabat facultatibus. De quo illud memoriæ proditum est, loculos, quos secum, ut pauperibus eleemosynam erogaret, quotidie deferebat, numquam semel ab eo pecunia refertos, exinanitos fuisse, quamvis extractam copiosius illam in dies distribueret. Quapropter proverbio, quod adhuc perseverat, res cessit. Nam, cum ab aliquo, qui pluries illam erogarit, rursus pecunia postulatur, ab eo responderi solet : Mene B. Gulielmi crumenam, quæ non exhauriatur, putas habere?

3 Defunctus quoque miraculis claruit. Nam quibus, variis, diuturnis, difficilibusque morbis oppressis, *claret ab obitu miraculis :* spes nulla salutis erat, ad Gulielmi patrocinium confugientes, illico divinitus sanabantur. Quod et calamitosis contigit, qui post illius imploratam opem ad melioris fortunæ statum rediere. Vixit circa annum salutis nostræ MCCCLXXVII. Corpus in æde S. Marci, quæ est Fratrum Prædicatorum, C conditum est, quod cum in opportuniorem locum transferretur, ex eo mirus et suavissimus odor exhalavit. *Hactenus Vita; cui additur hæc annotatio:*

4 Ejus imago, quæ habitum illius monastico similem indicat, *ejus imago in Ecclesia Cathedrali* cum crumena et inopum circumstantium turba, multis in locis, præsertim in basilica cathedrali anno Domini MCCCLXXXVIII depicta cum hujusmodi inscriptione conspicitur : B. GVLIELMVS ZVCCVS, CIVIS ALEX. MASSARIVS HVJVS ECCLESIÆ. Cum dies obitus ignoretur, pro libitu ad diem x Februarii, quo S. Gulielmus eremita colitur, adnotatus est. *Hæc illa. Est autem* massarius *custos suppellectilis, seu rerum mobilium : Italis enim a dictione Latina* massa *formatur* massaio *custos*, masseria *supellex.*

5 *Quam addimus Vitam Alexandria acceptam, inter* *vita scripta,* *reliquas suas lucubrationes edidit Dominus Bartholomæus Zucchius Modoetiensis, ex eadem, ut præfatur, qua B. Gulielmus, familia oriundus.*

### VITA

auctore Bartholomæo Zucchio.

Nec vulganda passim vitia mortuorum, nec silendæ sunt laudes, cum alterum inhumanitatis sit, alterum livoris. Ergo uti scelestorum tumulanda sunt vitia, ita Sanctorum laudes a tumulo, et interitu revocandæ; nam mali cum toti pereant, ne illorum quidem vitia fas est vivere; justi vero cum toti vivant, ne illorum quidem laudes fas est interire. Hæc eo loco refero, ne quis laborem hunc ambitiosum *Prologus auctoris.* magis esse judicet, quam pium, quod BEATI GUILIELMI ZUCCHII commemorare laudes aggrediar. Nam cum ab eadem stirpe ac familia tum in plurimas Italiæ provincias, tum ad me gentile ZUCCHIORUM nomen pervenerit, erit qui existimet non sine aliquo vestigio ambitionis, majorum laudes a nepotibus, quorum E fere sunt communes, posse tractari.

2 Egregius, inquam, vir omnino B. Gulielmus fuit, idque singula trajectæ vitæ momenta repetenti *In pueritia studium litterarum et pietas :* apprime liquet. Principio enim magnopere interest videre, quæ fundamenta magnæ molis ætate prima collocarit, cum, ut Philo ait, instar ceræ sit puerorum animus, qui, quamcumque iusseris notam, quam facile arripit, tanta constantia conservat. Igitur hic ea ætate, cum teneris cervicibus litterarum et pietatis lora injicere durum est, peracre ingeniolum litterario labore et animum candidissimum pietatis legibus conformavit. Solet enim pietas ingenium ferox litterario subigere sudori, et sapientiæ stamen pietatis igniculos eventilare. Docebatur a majoribus litteraturam puer : docebat ille æquales pietatem, ut amplius deliberandum videatur plusne disceret, quam doceret. Quin etiam, ne molestos domi forique interpellatores studiorum domesticasque sirenulas audire cogeretur, in penetrali domicilii paterni latebra, vel in templi adytis a frequentia et arbitrio secretis, per sese commentando, salebrosarum artium rudimenta colligebat. Mirum est, quantos, quamque exiguo tempore proventus egerit. Replevit F se uno haustu divinitate ac litteris, qui de sinu divinitatis instillatos litterarum rivos inhauserat. Itaque vix dici potest, quanta celeritate ab venustioribus Musis eruditionem, a severioribus sapientiam delibarit. Solidam porro illam sapientiam prætulit, cui templum academia, liber cœlum, præceptor Deus, studium oratio fuit. Præter enim, quam sibi legem dixerat, ut ad signata quæque horarum intervalla posito genu se pietati devoveret, tum frequenter nudo solio cunctatus, non se corripiebat, donec se sol aperiret, ac conderet ; nec petebat somnum, nisi diem solidam supplicationibus æquavisset. Hæc liquida jam tum puero nobili voluptas, in hoc ea mens acquiescebat, unice si Deo feriatus, sibi caneret ac cœlo, quæ didicerat. Itaque quod Plinius ille Consularis affirmabat, nullum tam beatum esse hominum ingenium, ut erumpat se, nisi fautor illi commendatorque contingat; huic duntaxat uni cessit, qui suorum nullos studiorum testes, fautores nullos, admiratores nullos ambiens, solo Deo, et Magistro, ut theatro utebatur.

3 Nunc adolescentiam quo pacto transegerit videamus. Periculosum enim quiddam est ea ætas, qua potissimum insidias dæmon locat, et illecebrarum

A rum mite malum propinat: præceps præterea et incerta, ut ejus tramitem secare ne Salomon quidem posse fateatur, denique instabilis, et jacta huc et illuc, quærit alta, in ima labitur; fertur studiis, recedit metu, fluit, refluit, ardet, alget, eadem semper, numquam eadem, in una porro inconstantia constantissima. Atqui hoc mirandum est, quod in hac ipsa ætate, nulla specie vitiorum delinitus, ea segete virtutum exultavit Gulielmus, quæ jam a teneris radices agens, virore quodam festinatæ messis pullularat. Nam cum virtute omnes, in ætate qualibet gratæ esse solent, tum præsertim corporis neglectus, et candor animi, duæ quasi gemmæ sunt adolescentiæ tum illustres, tum raræ. Fuit autem in Gulielmo rarum hoc, et illustre. Non ille ardere purpura, ac gemmis, non crinem stibio componere, non corpus syrmate ac lemniscis colere, non rotatam pandere deliciarum pompam, non famulares undas protrahere, tametsi gentili, ac patritio fortunæ beneficio uteretur, gliscebat: imo attrita quadam penula contectus, qua vix ægro corpori vim acerbæ hyemis defenderet, quin etiam aperta imbribus, ossa et membra circumferens, haberi ludibrio, projectari probis, peti salibus optabat: nihilque magis corpus

*in adolescentia neglectus corporis et candor animi:*

B curare suum, quam si nihil minus extitisset. Hinc illud est effectum alterum, ut neglecto corpore, modisque miseris victitante atque afflicto, animi candorem in his sordibus ac pulvere intaminatum illibatumque conservarit. Hinc ille optimus color, quem sicubi subobscœna vulgo dicta audivisset, ducebat toto vultu. Hinc denique illa confidentia, qua se attollebat contra vitia, et sæva cupiditate vincula contendens, suorum sensuum plebeculæ dominabatur.

4 Jam vero ætate in meridie sistente, qua in negotia fundi et honores aucupari solent homines, quam Deo vacavit? quantos honores fugit? Primo enim ut nodosioribus sese habens Christo Jesu devinciret, sacro munere initiatus, ac votus, cum illud ab Augustino dictum circumsonaret ejus aures, Accipe quotidie quod quotidie prosit, nullam diem a sacra facienda victima, nisi nimia vi morbi penitissime succumberet, excepit. Inter litandum vero, vix dici potest quantas libaret lacrymas: scatebant lustrales rivi duo ab ejus oculis, ut sacrificium illud, quod sine sanguine conficitur, numquam sine lacrymis conficeretur. Hæ viri deliciæ: hoc piaculare munus: hæc tota in maximo gemitu voluptas, Deum manibus tenere, aut mente contem-

*in ætate constanti humilitas et secessus:*

C plari. Itaque quibus annis intenti omnes studio gloriæ, deferri sermone populari, agere nomen, clientum lineam ducere, fovere famam, implere curules, designari digito, præcipere, imperare, dominari ardent homines; latebat noster interim, et honores omnes tam fugiebat quam merebatur, cum numquam eos melius mereretur, quam cum fugeret. Quamobrem cum singulari etiam amicorum artificio, ad insignia dignitatum præcipua prodi sese animadverteret, tum suam secum egestatem, quasi comitem itinerum, solam avehens, aliam subinde, atque aliam solitudinem molitus, abstrusos nemorum recessus et latibula ferarum, transfuga magnanimus celebravit. Longe hæc sane a communi hominum consuetudine remota fuga, quorum alii (quemadmodum magnus ille Hugo loquitur) ut honores acquirant fatigantur, et anhelant, quidam etiam honores fugiunt, ut honoribus obvient, subesse fingunt, ut præesse possint; sæpe enim gloria, ut acquirant, contemnitur, et mundus, ut obtineant, relinquitur.

5 Quid modo de illa dicendum ætate sit, quæ jam in occasum vergit, non est difficile conjicere. Tametsi quid difficilius est, quam in senectute liberalitas et labor, quæ sola omnium ætatum et auri est et quietis amica. Hic vero cum aliis potius quam sibi

*in senectute liberalitas et labor:*



D vixerit, pecuniam et vires alieno maluit, quam suo beneficio comparare. Concesserat Gulielmo fortuna census maximos, quid enim illi fortuna denegaret, cui Deus, et natura negarant nihil? Hic, ut cupidas miserorum spes foveret, arcem domesticam palantibus præpandens, indulgebat suos omnibus penates, ac pecuniam omnem de suis agris vectigalibus redactam spargebat in vulgum. Hinc prodigiosum quiddam, ac singulare celebratum est multorum litteris atque linguis, ut familiare marsupiolum, quod miseris juvandis ad manum semper habuit, ingesta semel pecuniola, eaque identidem erogata, divina semper sponte redundaret, ut ad hæc usque tempora si qui pecuniam iterato importune flagitantur, Beati se Gulielmi crumenam haudquaquam possidere respondeant. Neque secus in animorum, quam corporum salute procuranda incubuit, ubi vis illa solliciti amoris ætate perfrigida incaluerat. Ferebat sese turbæ interjectus, et rudes quosque divinis imbuebat: segniores, adactis cohortationum stimulis, fatigabat: furentes dictis mollibus animos frangebat, si quos hauserat dolor latis ulnis occurrens, auxilium aut solatium offerebat. Quod si quosdam improbos, aut urgere præcogitatum nefas, aut aspersos omni labe, virtute dexteræ divinæ pessum abituros E providisset, nihil tamen moliebatur aliud, quam ut mala toxica venenatæ mentis excuteret e pectore, ac de recti calle devios a justitiæ divinæ foro, ad misericordiæ aram avocaret. Neque vero quod se inter homines ad agendum contulit, meditationis compendio fraudatus est unquam: nam, ut egregie a S. Prospero pronuntiatum est, si qui Sacerdotes consolentur afflictos, si pascant egenos, si vestiant nudos, si redimant captos, si peregrinos excipiant, si desperatis spem veniæ consequendæ promittant, et quidquid ad officium suum pertinet, constanter exerceant, quis ita erit alienus a fide, ut dubitet hos homines contemplativæ vitæ participes esse futuros?

AUCTORE BARTHOLOMÆO ZUCCHIO.

lib. 1 de vita contemplativa.

6 Itaque hic vir tam insignis ac singularis, ætatem omnem sanctissime emeritus, ac jam bene faciendo consumptus, cum vires habuisset nec animo nec laboribus rebelles, anno millesimo trecentesimo septuagesimo septimo vivaci adhuc mente ac Deo plena, mœstissimos asseclas sereno placentique vultu consalutans, sublatis defixisque in cœlum oculis, cum summa quiete, ac voluptate, Christo sese atque Mariæ Matri consignare identidem auditus, oculis quasi in dulcissimum somnum succumbentibus, et exhausta sensim corporis virtute, suavissime expirans, ac potius respirans, animum cœlo, patriæ corpus restituit. Vir plane per cuncta laudabilis, cujus F vita sanctissima, mors extitit pretiosissima; nam ut vivus multis jucundus, ita mortuus omnibus utilis fuit. Trahebant ad sacros ejus cineres sepultos semivivum et enerve corpus alii, alii solutis ossium compagibus fractum, alii furiis et intemperiis instinctum, notatum alii animum vitio aliquo insigni, multi denique contaminatam sceleribus confectamque mentem offerebant, quorum illi sana menti corpora, isti sanam corpori mentem repente restitutam mirabantur. Conditum est tum primum Alexandriæ patria in æde Divi Marci apud Prædicatorum Ordinem sacrum ejus corpus, quod cum in accommodatiorem locum transferretur, suavissimum ex se, ac divinum quemdam circumquaque odorem fudit. Spectatur ejus viri affabre picta imago frequentissimis in locis, in Cathedrali præsertim templo cum crumena, et circumstantium egenorum turba, monachorum fere insignibus ornata, quod indumenti genus per ea tempora passim a quocumque sacris initiato usurpabatur, quod vel Francisci Petrarchæ Patavinæ Ecclesiæ Archidiaconi picta simulacra indicabunt. Colitur B. Gulielmo consecrata dies decima Februarii.

*mors et miracula.*



XI FEBRUARII.

# XI FEBRUARII.

## SANCTI QUI III ID. FEBRUAR. COLUNTUR.

Sanctus Calocerus, Ep. Ravennas in Italia.

S. Felix,
S. Victor,
S. Januarius,
S. Vitalis,
S. Herenæus, — Martyres in Africa.

S. Zoticus,
S. Cyriacus,
S. Ammonius,
S. Occominius,
S. Peleonicus, — Martyres.

S. Basilius, in Armenia.

S. Basilianus,
S. Amantius,
S. Tulicus, — Martyres in Campania.

S. Paenes, seu Pœon,
S. Euphraxius, — Martyres Apameæ.

S. Simplides Ep. Viennen. in Gallia.
S. Tigrinus Martyr Romanus, Taurini.
Sancti Martyres in Numidia.
S. Saturninus Presbyter.

S. Saturninus,
S. Felix, — Lectores, ejus liberi.
S. Maria,
S. Hilarion, — ejus liberi.

S. Dativus, Lector,
S. Felix,
S. Felix alius,
S. Emeritus,
S. Ampelius,
NOT 18. S. Rogatianus,
S. Rogatus,
S. Januarius,
S. Cassianus,
S. Victorianus,
S. Vincentius,
S. Cæcilianus,
S. Restituta,
S. Primæva,
S. Rogatianus,
S. Givalius,
S. Rogatus,
S. Pomponia,
S. Secunda,
S. Januaria,
S. Saturnina,
S. Martinus,
S. Dantus,
S. Felix,
S. Margarita,
S. Major,
S. Honorata,
S. Regula,
S. Victorinus,
S. Pelusius,
S. Faustus,
S. Dacianus,
S. Matrona,
S. Cæcilia,
S. Victoria,
S. Beredina,
S. Secunda,
S. Matrona,
S. Januaria — Martyres Carthagine.

S. Lucius Episc. et socii — Martyres Hadrianop.

S. Jonas, monachus in Ægypto.
S. Lazarus Ep. Mediolan.
S. Castrensis Ep. in Campania.
S. Secundinus Ep. Trojæ in Apulia.
S. Euphrosina, Virgo Alexandrina.
S. Severinus Abb. Agaunensis, Castro-Nantonis in Gallia.
S. Ecianus, sive Echenus, Ep. Cluainfodiensis in Hibernia.
S. Desideratus Episcop. Arvernen. in Gallia.
S. Cedmonus, monachus et Cantor, in Anglia.
S. Gaudinus Ep. Suessionensis Martyr.
S. Theodora Imperatrix, Constantinopoli.
S. Eboarnus, Eremita Martyr in Britannia Armorica.
S. Martinus Presbyter, Legione in Hispania.
S. Adolphus, Episc. Osnabrugensis in Westphalia. ANIMADV. PAP. 78

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Sancti Euberti Episc. *reliquiæ hoc die anno* CIƆCCXXIX *Insulis visitatæ a Waltero Episcopo Tornacensi, uti ad ejus Vitam num.* 10 *diximus.* I Feb.

S. Blasius Ep. et Martyr *colitur hoc die apud Græcos, ut ex eorum Menæis et Menologio patet. De eo fuse egimus* III Februarii.

S. Sotaredis, Romæ, *scriptum in veteri Martyrologio Romano, sive S. Hieronymi : in MS. Rhinoviensi* Soroteris. *An* Soteris *sit Virgo Romana; an alius aliave Martyr,* Sotaredes, *aut* Sorotes, *haud scimus. De* S. Soteride, *seu* Sotere *Virgine, egimus* X Febr.

S. Scholastica Virgo *inscripta hoc die Martyrologio MS. S. Mariæ ad Gradus Coloniæ. Colitur alibi* X Febr.

S. Sigo Episc. Arvernensis *refertur hoc die in Natalibus Sanctorum Canonicorum Constantini Ghini : alibi* X Februarii.

S. Suræ, *sive* Soteridis, *aut* Zuwarlæ, *Virginis Hollandicæ ac Martyris, translatas Suessionem reliquias indicat hoc die in Martyrol. Gallicano Andreas Saussaius. Agitur ejus memoria* X Febr.

S. Restuta Martyr Calaritana *memoratur a Dionysio Bonfant in Triumpho Sanctorum Sardiniæ lib.* 7 *cap.* 3, *diciturque passa sub L. Commodo Imp. Inventionem ejus describit Seraphinus Esquirrus Sanctuarii Calarit. lib.* 2 *cap.* 23 *et Franciscus de Esquivel Archiep. Calarit. Verum de hac aliisque quorum in Sardinia inventa nuper corpora sunt, quod Sedis Apostolicæ futurum judicium sit, opperimur. Franciscus Laherius noster in Menologio suo eam in Virginum

A *ginum choro locat, et* Restitutam *appellat; cum citati auctores solum* Restutam Martyrem *vocent.*

S. Alexandria Martyr Calaritana *hoc die martyrio coronata creditur, teste Dionysio Bonfant lib.* 3 *Triumphi SS. Sardiniæ cap.* 28 *et* 29, *qui corpus ejus inventum scribit* II *Decembris* CIↃIↃCXXXIII, *cum hoc inscriptione :* Hic jacet B. M. Alexandria, quæ vixit annis pl. m., XXXIII, mn. I. quievit in pace III Id. Febr. *An illud B. M. semper significet* Beatam Martyrem, *uti quandoque plene scriptum reperitur, an solum* bonæ memoriæ *ambigi potest, donec aliquid Sedis Apostolicæ judicio decernatur.*

S. Basilianus Martyr Apameensis *ab Hermanno Greven memoratur, alterque in Compania Martyrii lauream adeptus* Basilianus, *de quo infra hoc ipso die agemus, uti et de* S. Basilio Martyre in Armenia. *Imposuit consimilium nominum similitudo Scriptori illi, ut pro hoc* Basilio, *aut* Euphraxio, Pœnæ *socio,* Basilianum Apameæ tribueret.

S. Mina monachus *inscriptus hoc Die Kalendario Coptico. Fors* Menas, Mennasve *quispiam : quo nomine nonnulli in Vitis Patrum referuntur.*

Jarlathus *Benigno in archiepiscopatum Armacanum in Hibernia successit anno* CCCCLXV, *uti ex Annali-*
B *bus Ultoniensibus narrat Usserius de primordiis Ecclesiarum Britannicarum pag.* 874. *Hunc Colganus in Actis SS. Hiberniæ* Jarlatheum et Hierlatium *vocat. Quia autem in quibusdam Martyrologiis Hibernicis* XI *Februarii* Hierlatium *quempiam inscriptum legit, Archiepiscopum illum hic locat, præsertim quod in Vita S. Benigni, quam non vidimus, Sanctus appelletur.*

S. Dubanus, frater S. Canoci, *ab eodem Colgano memoratur hoc die, cum tamen fateatur in* Festilogiis Hibernicis, *ut vocat,* IV *Id. Februarii poni, sive decimo die. Majorem lucem dabunt, quæ idem promittit, Hiberniensia monumenta. Idem Notat.* 165 *ab lib.* 2 *Vitæ tripartitæ S. Patricii alium* Dubanum *scribit* XI *Novembris coli.*

S. Gobnata, Virgo et Abbatissa Bornicensis *apud Momonienses in Hibernia, refertur hoc die a Colgano; qui tamen ait natalem ejus celebrari* IV Id. Februarii in Ecclesiis de Burneack, Ervidhe Moinmor. *Nihil aliunde nobis exploratum.*

Betta Presbyter, *unus e quatuor primis Merciorum in Angliа Apostolis, (de quibus Beda lib.* 3 *cap.* 21 *et nos* VII *Januarii in Vita S. Ceddæ) refertur hoc die,* et Sanctus *appellatur a Davide Camerario, qui addit*
C *coli ab aliis alio die. Sed nec qui illi alii sint, aut quo die colant, nec cur ab iis dissentiat, scribit. Vehementer autem fallitur, dum Scotis eum annumerat, cum Beda loco citato diserte tradat, Ceddam, Addam, Bettii, Anglos fuisse; Diumam autem Scotum, qui aliis Duina dictus, primus Merciorum sive Lichfeldensis Episcopus fuit. Dempsterus lib.* 2 *historiæ Eccles. gentis Scotor. cap.* 150 Bettam Scotum *facit, et Sanctum, licet ejus natalem non exprimat, et libros ait scripsisse. Needum ejus nomen in Martyrologiis reperimus.*

S. Ardagius Abbas *in recenti MS. quodam ita hoc die refertur :* Item in Treacensi civitate S. Ardagii Abbatis. *Ignotus nobis est.*

S. Bosanhamus Eremita *Scotus memoratur a Ferrario in generali Catal. SS. Citat in Notis* Martyrol. Scoticum apud Dempsterum. *Ipse Dempsterus in Menologio Scotico Ferrarium citat, cum tamen Menologium illud editum sit an.* CIↃIↃCXXII, *Ferrarii autem Catalogus an.* CIↃIↃCXXV. *Videntur invicem scripta communicasse, priusquam ea vulgarent. Ita autem habet Dempsterus :* Bosanhami Diculli eremitæ fundatoris. Ferr. *At non meminit illius in ipsa Historia Ecclesiastica gentis Scotorum.*

Thomæ Hierosolymitani Episc. depositio, cujus tempore tunica Domini inconsutilis fuit inventa, *con-* D
*signata est totidem verbis in MS SS. Florario. Meminit illius Theodericus Pauli Gorcomiensis in Chronico universali iisdem verbis, sed* Sanctum *non indigetat, minime alias parcus ejusmodi titulorum.*

S. Guayferius monachus Casinensis *in Wionis et Menardi Appendice ad Martyrol. monasticum, recensetur inter eos Sanctos, quorum ignotus est natalis. Quædam de eo infra ex Leone Ostiensi et Petro Diacono Casinensi narrabimus ad Vitam S. Secundini, cujus ipse Inventionis historiam scripsit.*

Diemo, cœnobii Hirsaugiensis monachus, et quondam Prior, *obiit anno* CIↃCXL, vir devotissimus, qui Spiritu prophetiæ repletus credebatur. Multa enim prædixisse fertur, quorum veritatem certus probavit eventus : nam Divinis revelationibus et consolationibus crebro recreari consuevit. Sepultus est in capella B. Mariæ semper Virginis, non sine opinione magnæ sanctitatis. *Ita Thrithemius in illius cœnobii Chronico ad eum annum. Hugo Menardus ita hoc die ejus consecrat memoriam :* In cœnobio Hirsaugiensi B. Diemonis Confess. *Qui indicem Thrithemii concinnavit,* S. Diemonem monachum *appellat. Nihil nobis de publica aliqua ei impensa veneratione constat.* E

Henricus primus cœnobiarcha in Vitæ-Schola in Dania, *cui S. Bernardus fertur prædixisse, per eum ad ultimas regiones institutum Cisterciense propagandum, obiit hoc die, et* Beatus *appellatur in Menol. Cister. Chrysostomi Henriquez. Solum inter Pios reponitur in Martyrol. Gallicano Saussaii.*

Guilhelmus Archiepiscopus Tyrius *refertur hoc die in Martyrologio Anglicano Joannis Wilsoni. Nusquam arbitror publicam obtinere venerationem.*

Hieronymus de Stufa Florentinus Ordinis Minorum, *inscriptus ad hunc diem Martyrologio Franciscano Arturi a Monasterio,* Beati *addito titulo. Gonzaga testatur miraculis coruscasse. Silvanus Razzius Vitam ejus exhibet tom.* 1 *de SS. et BB. Etruriæ. Haud tamen adhuc comperimus, num annuente Apostolica Sede is illi titulus tribuatur.*

Petrus Paschalis de Salente, Catellanus Fabri } Ordinis Minorum, *dum Pontificis Maximi jussu in Gallia de hæreticis quæstiones habent, ab iis crudeliter anno* CIↃCCCXXI *in castello Montefilii trucidati sunt. Corpora Valentiam deportata, ibique Minorum æde tumulata.* Beatos *appellant Gonzaga par.* 1 *Seraph. relig. et Arturus in Martyrologio ad hunc diem. Abstinent eo titulo Pisanus lib.* 1 *Conform. fru.* 8 *et* 11 *par.* 2, *Marcus Ulyssipponensis par.* 1 *Chronici Min. lib.* 7 *cap.* 43, *Waddingus tom.* 3. *Annal. ad annum* 1321. *Ubi tamen Joannis* XXII *litteras recitat, quibus et severe animadverti in sceleris auctores jussit, et Valentino Episcopo caussæ totius examen commisit, ut dein publica Ecclesiæ auctoritate in Martyrum tabulas possent referri. Turbatum dein* F
*nescio quid in Ordine, nihil ut motum ultra sit de gloria illa sacræ apotheoseos fortissimis viris impertienda.*

S. Benedictus Abbas Anianæ in Gallia Narbonensi, cœnobii Indensis, sive S. Cornelii juxta Aquisgranum fundator, *obiit hoc die : colitur postridie* XII Februarii.

S. Antonius Patriarcha Constantinopolitanus *hoc die memoratur in Cathalogo generali Ferrarii : in Martyrol. Romano et Menæis* XII Februarii.

S. Gregorius II Papa *hoc die obiit, ut patet ex libro de Romanis Pontificibus : colitur* XIII Febr.

S. Euphrosina, patre Antigono, Senatore Constantinopolitano, matre Euphraxia nata, quæ in Thebaide vitam monasticam inter sanctimoniales duxit *refertur hoc die in Martyrologio Canisii; propter* Euphrosynam *Alexandrinam, quæ in virorum monasterio*

A nasterio vixit, diciturque a nonnullis Euphrasia et Euphrosia : unde error; nam illa Byzantina, Eupraxia est, sive Euphrasia, quæ colitur xiii Martii

S. Leonides Martyr, pater Origenis, inscriptus hoc die Martyrologio Sarisburiensi ab Richardo Withfordo, qui et Mammæam Alexandri Imp. matrem jungit, quam ejusdem Origenis eruditione oblectari solitam scribunt. De S. Leonide agemus xxii Aprilis.

S. Hypolistus Presbyter et Martyr, Patronus Atripaldæ oppidi Hirpinorum, refertur hoc die a Ferrario, et Hippolytus appellatur : colitur i Maii.

S. Desideratus Ep. Bituricen. a Constantino Ghinio in Natalibus SS. Canonicorum hoc die relatus, colitur viii Maii.

S. Parthenius, S. Calocerus, Martyres Romani, inscripti hic martyrologiis Bedæ, Rabani, Notkeri, Wandelberti, Galesinii etc. De iis agemus cum Martyrol. Romano xix Maii. Not. 19

S. Desiderius Ep. Viennensis in Gallia, x Kalendas Junii interfectus est, sed hoc die Viennam translatus, ut patet ex Adone et Notkero : quo etiam die eum referunt Martyrol. Romanum, Usuardus, Wandelbertus, Bellinus, Maurolycus aliique. Joannes Lieuræus in Antiquitatibus Viennensibus cap. 22 testa-

B tur publice eum Viennæ coli xxiii Maii.

Venerabilis Hugonis de S. Victore Canonici Regularis depositio inscripta MS. Florario SS. At Maurolycus, Ghinius, Ferrarius eum ponunt v Julii.

S. Magnericus, S. Paulus, Episcopi Trevirenses, in libello manu sat recenti exarato consignati sunt hoc die. Ignotus Trevirensibus Paulus, nisi Paulinus sit. Colitur S. Magnericus xxv Julii.

S. Paulinus xxxi Augusti.

Guilielmus Ep. Trecorensis in Britannia Armorica refertur hoc die a Ferrario, et Sanctus appellatur : qui quod eum dicat anno CIↃCCLXXV obiisse, ostendit se de Guilielmo ii agere. Ejusdem meminerunt Augustinus du Paz in Historia Britanniæ, Claudius Robertus in Gallia Christiana, Joannes Chenu de Epp. Galliæ, Albertus Magnus de Morlaix, traduntque anno CIↃCCLXXIV decessisse : at neque eum, neque primum ejus nominis Trecorensem Episcopum Guilielmum Sanctum appellat, Martyrologium Anglicanum, quod Ferrarius citat, hujus Guilielmi non meminit, sed Tyrii. Saussaius tamen in Supplemento D Martyrologii Gallicani illum Guilielmum ii Trecorensem Sanctum indigetat. Dubitare incidit, an non pro secundo Briocensi in eadem Armorica Episcopo Guilielmo hunc sumpserit. Is enim Officio Ecclesiastico colitur, sed xxix Julii.

S. Rufinus Marsorum in Italia Episcopus hoc die a Ferrario in Catalogo SS. Italiæ et generali memoratur. Plexus capite est Reate, ut ex Martyrol. Romano, et Baronio liquet xi August.

S. Radegundis Reginæ Translatio aliqua in MS. SS. Florario consignata hoc die. De ea agemus xiii Augusti.

Humbertus i Abbas Igniacensis memoratur in Catalogo SS. et BB. Ordinis Cisterc. excuso. Vir fuit laudatissimus : necdum tamen an Beati titulo celebretur comperimus. Eum illi tribuit Chrysostomus Henriquez ad vii Septemb.

S. Solinia Virgo refertur ab Hermanno Greven in addit. ad Usuardum, præposita voce ibidem ; cum ante de S. Eciano in Hibernia egisset. Colganus Grevenum quoque pro Eciano citat, Soliniam reticet. Colitur apud Carnutes in Gallia S. Solina V. et M. vii Octob.

S. Zachariæ, patris S. Joannis Baptistæ, reliquiarum E Inventio celebratur hoc die in Menæis. De eo agemus v Novemb.

S. Tryphon Martyr inscriptus hodie SS. Florario ; colitur x Novemb.

S. Eugenii Ep. Toletani Translatio aliqua hoc die facta indicatur in recenti MS. Agemus plenius de S. Eugenio xv Novembris.

S. Canocus Confess. in Brechinia regione Walliæ refertur hoc die a Jo. Wilsono in 1 edit. Martyrologii Anglicani, Ferrario et Colgano : hic tamen coli in Hibernia scribit xviii Novemb.

Wilsonus in 2 edit. Martyrol. xiii Martii.

S. Hierlatii Episc. Tuamensis (cui basilica Cathedralis ejus urbis est dicata) narrat hoc die Acta Colganus, quod in Martyrologiis Hibernicis alicujus Jarlathei legisset fieri mentionem; quem tamen existimat potius esse Armacanum, ut ante diximus. Hujus Tuamensis ait natalem agi xxvi Decemb. Translationem vi Junii.

# DE S. CALOCERO

## EPISCOPO RAVENNATE IN ITALIA,

J. B.

### Commentarius historicus.

§ I Caloceri Episcopatus, cultus sacer, Reliquiarum translatio.

Sub Hadriano Imp. xi Febr. Colitur S. Calocerus xi Febr.

1 Calocerum Episcopum Ravennatem publice veneratur Ecclesia xi Februarii, de quo in Martyrologio Romano hæc traduntur : Ravennæ S. Caloceri Episcopi et Confessoris. Agunt de eodem, uti in Notis Baronius testatur, et tabulæ Ravennates, et Hieronymus Rubeus lib. 1 Historiæ Ravennatis, atque ex hoc Surius. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad eumdem xi Februarii aliquod Vitæ compendium concinnavit ex eodem Rubeo, et antiquis Ecclesiæ Ravennatis lectionibus. Simile elogium habemus inter Vitas Sanctorum quas ex codicibus MSS. Patrum Oratorii Romæ accepimus. Ferdinandus Ughellus quoque tomo II Italiæ sacræ inter Archiepiscopos Ravennates quintum censet S. Calocerum, ejusque Acta paucis comprehendit. In Florario Sanctorum MS. ad xvi Januarii ista prædicantur : Apud Ravennam S. Calocheri Episcopi, discipuli S. Apollinaris primi ejusdem urbis Episcopi. Colitur hic xxiii Julii: 16 Januar cujus illic Vitam ex Mombritio et Laurentio Barreo ac variis MSS. dabimus, a Surio etiam, sed stylo expolito, editam. In hac antiquissima certissimoque S. Caloceri memoria extat, ab aliis inde fere excerpta atque adornata.

2 Natione Græcum fuisse scribunt Rubeus et Ughellus, quod forte e nomine colligunt, quo Græcis Καλόκερος a pulchris cornibus appellatur. Eumdem Ughellus alumnum S. Apollinaris, Ferrarius discipulum facit; sed quo tempore ab eo fuerit assumptus, non indicatur. Fuit S. Apollinaris, ut Acta ejus tradunt, a sancto Apostolo Petro Ravennam missus, nulla facta discipulorum aliorumve comitantium mentione. In primo ad urbem Ravennam accessu, hospitem cujusdam militis filium excæcatum illuminavit : dein in ipsa urbe uxorem Tribuni a diuturno morbo liberavit. Quo facto, Tribunus cum uxore et filiis et familia sua credentes in Jesum baptizati sunt. Sed et multi alii ex Paganis, qui interfuerunt, receperunt fidem Jesu Christi. Habitavit interea in domo Tribuni B. Apollinaris, et quotidie ad eum veniebant multi ex populo, et docebat

An natione Græcus? Discipulus S. Apollinaris, an Ravennæ conversus?

A docebat eos secrete, dicens : Credite in Jesum, quoniam ipse est Deus cœli et terræ. Et credentes baptizabantur. Multi vero nobiles dabant filios suos B. Apollinari, ut ab eodem sacris litteris erudirentur. His vero, qui jam credebant, Missas et baptismata in domo Tribuni B. Apollinaris agebat cum discipulis suis. *Hæc Acta. Sed an hi discipuli, filii nobilium Ravennatium ab eo sacris litteris eruditi? Ex ibi conversis videtur fuisse S. Calocerus. Nam, ut additur,* intra duodecim annos, *quibus istic docuit,* duos Presbyteros Adheretum et Calocerum ordinavit : Marcianum vero nobilissimum virum, et Eleuchadium philosophum Diaconos fecit. Sex etiam Clericos statuit, cum quibus die noctuque Psalmos Domino canebat. *S. Petrus Damianus S. Eleuchadium Ravennæ conversum scribit, ut dicetur* XIV *Februarii num.* 6. *Abductus postea* S. Apollinaris a Duce Saturno ad Pontifices idolorum, *a quibus, cum templi Jovis ornatum irrisisset,* nimia cæde mactatus est, atque ad mare ejectus, ac semivivus relictus. Quem colligentes discipuli ejus, absconderunt in domo cujusdam mulieris viduæ Christianæ, adhibentes ei curam : *inter quos arbitramur* S. Calocerum *fuisse.*

*consecratur Sacerdos :*

3. Post plurimos autem annos, *ut in eisdem Actis* B *legitur,* beatissimus Apollinaris ad Æmiliam perrexit, docendo secrete populos, quos poterat trahere verbo. Interea Calocerus Presbyter gubernabat Ecclesiam, quæ erat Ravennæ latenter, faciens multas virtutes in nomine Jesu Christi. Non post multum tempus regressus ab Æmilia beatissimus Apollinaris, a Christianis cum omni gaudio susceptus est. *Hinc* Calocerus præfuisse Ecclesiæ Ravennati Vicarius S. Apollinaris *dicitur in codice MS. Fatrum Oratorii, et in epitome Ferrarii, atque in Rubei Historia Ravennate.*

*vicarius S. Apollinaris, miraculis claret :*

4 *Cum deinde* filia Rufi Patricii a S. Apollinare, invocato Christo, a morte resuscitata, *fuisset* baptizata cum matre et familia ad trecentos viginti quatuor promiscui sexus; sed et multi alii ex Paganis credidissent Christo ; *imperio Cæsaris captus est* S. Apollinaris, cæsus, in eculeo suspensus, *ac postea* in exilium directus. Secuti vero sunt eum tres viri de Clero, qui ei administrabant. Interea Ecclesiam, quæ erat Ravennæ, gubernabant Presbyteri, *Adheretus scilicet et Calocerus,* et Diaconi. Crescebat vero numerus Christianorum. *Reversus S. Apollinaris,* post tertium annum Ravennam civitatem ingreditur: quem suscipientes Christiani gavisi sunt gaudio C magno, glorificantes Deum, qui eis suum Patrem et Doctorem revocavit. *Rursus eumdem arbitramur Calocerum Ecclesiæ Ravennatis curam assumpsisse, cum* Taurus Præses *S. Apollinarem detineret, et ob visum filio cæco redditum,* secrete eruisset de populo, et misisset nocte in præsidio suo quasi custodiendum : ubi mansit annos quatuor ab urbe milliario sexto. *Namque interrogarat eum ante Taurus Præses, Num illi* aliqui essent adjutores, et ubi forent? *Cui responderat,* etiam plurimos esse et in Ravenna urbe consistere : *inter quos merito arbitramur S. Calocerum extitisse, et vel præfuisse, vel certe ex præcipuis adjutoribus fuisse.*

*eo exule, cum aliis Ecclesiam Ravenn. gubernat*

*tribus annis :*

*iterumque 4 annis :*

5 *Demum* S. Apollinaris *cum* Ecclesiam suam annos viginti novem gubernasset, martyrizatus est sub Vespasiano Augusto : *cui successerunt supra memorati S. Caloceri condiscipuli, primo* S. Adheretus, *sive* Aderitus, *cum eo a S. Apollinare Sacerdos consecratus, quem celebrat Martyrologium Romanum* XXVII *Septembris; tum duo eodem tempore Diaconi ordinati,* S. Eleuchadius, *eoque defuncto* S. Marcianus, *cui* XXII *Maii sacer est. Quid tempore horum Episcoporum egerit* S. Calocerus, *non constat. Diligentem eum ac sæpe vicariam operam illis impendisse ex reliquis actis colligimus. Ordinem hujus successionis describit S. Petrus Damianus sermone de S. Eleuchadio infra* D XIV *Febr. num.* 6. In Marciani locum, *inquit Rubeus,* Calocerus suffectus est, eadem ratione, *uti ille,* a Deo dimissa columba electus. Qui cum rerum omnium sub Hadriano *Imperatore* quietem nactus fuisset, assiduo hortatu, Deo verbis efficaciam ac robur tribuente, omnes ferme Ravennates, relictis falsis diis, religioni sanctæ adhærere sic persuasit, ut admodum pauci fuerint, qui non acceperint cultum et cognitionem veri Dei. *Imperavit Hadrianus ab anno Christi* CXVII *ad annum usque* CXXXVIII : *sub quo* Calocerus, cum annum ætatis centesimum viridi senecta superasset, mortem cum vita commutavit III Idus Februarii, sepultus haud procul ab Adecito, *scilicet* in oppido Classense eo loco, quo deinde non multo post a Divo Probo templum est exædificatum haud procul a mari. *Hæc Rubeus. Successit S. Calocero Proclus, huic S. Probus : a quo tradit Ferrarius ad* X *Novembris, qui dies illi natalis, in hoc templo a se constructo* corpora SS. Aderiti et Caloceri esse collocata. *Jornandes de Rebus Gothicis cap.* 29 *ait* urbem Ravennam trino vocabulo gloriari, trigeminaque positione exultare, *cujus prima pars est* Ravenna, ultima Classis, media Cæsarea inter urbem et mare. *Sidonius Apollinaris Jornande antiquior lib.* 1 *epist.* 5 *has tres partes appellat* Civitatem veterem, Portum novum, et Viam Cæsaris : quo loci, *inquit,* Veterem E civitatem, Novumque portum media Via Cæsaris, ambigas, utrum connectat an separet. *Distat hoc tempore ab urbe Ravenna Classis, sive Portus novus, tribus millibus passuum versus Ariminum, monasterio et templo S. Apollinaris illustris.*

*dein S. Calocerus,*

*qui Ravennates convertit,*

*obitque centenarius :*

*sepelitur :*

*transfertur a S. Probo.*

6 *Reliquias S. Caloceri aliorumque Episcoporum e templo Classensi transtulit Petrus Archiepiscopus Ravennatium, eo nomine Quintus, vulgo Quartus habitus,* 10 *ordinatus anno Christi* DCCCCXXIII, *qui teste S. Petro Damiano in epistola ad Nicolaum II Pontificem Maximum, sua sponte se dignitate munereque Episcopali abdicavit. Ei successit Honestus Classensis cœnobii Abbas, quod factum esse anno* CMLXXI *refert lib.* 5 *Rubeus, qui lib.* 1 *dictam Translationem ita narrat.* Cum Agareni universa Adriatici maris littora deprædarentur, Divique Apollinaris templi ornamenta omnia, quæ summa et maxima erant, suffurati essent, et plerique præterea sanctissima hæc cadavera suffurari tentassent; Petrus Bononiensis, Ravennatum Archiepiscopus, ne quid accideret mali, timens, sanctissimo consilio optimum fore judicavit in urbem illa comportari. Ceterum cum incertum esset, ubi reconde- F rentur, et pridie Calendas Februarii ad Divi Apollinaris primo, mox ad divi Jacobi Deum suppliciter esset precatus, ut sibi, quo essent loco sanctissima illa cadavera commonstraret; ab eo defodi cœptum, tametsi suspenso atque incerto animo, quo conjectura eos maxime deduxit. Reliqui omnes Sacerdotes summa veneratione fodientes, Archiepiscopi inceptum persequuntur : nec multum foderunt, cum Sacerdos ligone lateritium lapidem percutiens, arcæ latentis aditum sub ara patefecit. Quapropter sublata mensa ex marmore, quæ aram conflabat, detectoque ob id sepulchro, vas ligneum carie ob vetustatem corrosum, inventum est, in quo loculi sejuncti visebantur. In altero bina erant cadavera, in altero unum, nullo scripto, quod nomina significaret. Veniunt tamen in conjecturam, gemina cadavera illa esse Aderiti et Caloceri, tertium Probi. Nonnihil itaque Reliquiarum ob Divorum memoriam ibi relicto, cadaveribus in Antistitis sede positis, continuo, cum magno imbri fœdum esset cœlum, inclaruit, et serenum est factum. Moyses præterea quidam ex monachis Classensibus Divi Apollinaris, cum febri multos jam dies laboraret, tacta sede, restitutus est sanitati. Itaque delata primum summa omnium veneratione

*dein sepulto*

*ob Saracenorum depopulationem, a Petro 4 Archiep. Raven.*

*una cum Reliquiis SS. Aderiti et Probi,*

*elevatur,*

*et factis miraculis*

*Auctore G. H. transfertur in ædem Ursianam: eisque ara dicatur,*

A tione, nec sine lacrymis, sancta cadavera ad Divi Apollinaris, mox ad Divi Severi, cujus postridie dies festus erat: tandem hymnis et lacrymis ingentique gaudio in Ursianam ædem transferuntur. Ubi miraculis compluribus Deus eorum sanctitatis testis esse voluit, tertioque Nonas Martias Petrus Archiepiscopus eis aram dicavit. *Hactenus Rubeus. Quæ paucis attinguntur in codice MS. Patrum Oratorii:* Cujus Caloceri corpus a Petro Ravennatum Archiepiscopo in Ursianam ædem translatum est. *Eadem fere habet Ferrarius. Est autem ecclesia Ursiana a conditore S. Urso Episcopo cognominata, qui ei nomen ἀναστάσεως indidit in memoriam Christi resurgentis, atque ipso Paschatis die Idibus Aprilis anno CCCLXXXIII dedicavit. Colitur S. Ursus XIII Aprilis. de S. Severo Episcopo Ravennate egimus I Februarii, ubi diximus templum illi dicatum cum monasterio esse inter Classem oppidum et urbem Ravennam, sed illi propinquius.*

## § II. *An S. Calocerus discipulus S. Jacobi fuerit in Hispania?*

Joannes Tamayo Salazar eumdem S. Calocerum inscripsit *Martyrologio Hispanico his verbis:* Ravennæ

*S. Calocerus inscriptus est Martyrol. Hispanico Salazarii,*

B in Italia S. Caloceri ipsius urbis Episcopi, qui, cum primo B. Jacobi Apostoli discipulatus per Hispanias munera peregisset, Italiam pergens, et B. Apollinari adhærens, Ravennates ad cultum Dei, depositis idolorum figmentis pertraxit. Post illius Sedis Pontifex creatus sic vitam texuit, ut centenario major, plurium virtutum sarcina cumulatus et miraculorum honore insigni feliciter in Domino quiesceret. *Idem Salazar ejusdem S. Caloceri Acta prolixe componit, atque ita primos ejus annos tradit exortos:* Calocerus Græcus origine, adhuc adolescentulus Hierosolymam perrexit, ubi cum Christi Apostolorum prodigia cognovisset, et doctrinæ lucem ad vitam consequendam audivisset æternam; radiis sancti Spiritu illuminatus, zelo est fidem amplexatus ardenti. Illius ab exordio extitit magister Jacobus Apostolus cui adhærens, et ab eo quotidie disciplinam veritatis ebibens, ad Lectoratus ordinis gradum, propria virtute pervenit. At Jacobo ad Hispanias transfretante magistro, illum deserere nolens, ipsius pedissequus in Occidentem, ex duodecim discipulorum numero, æstuanti propensione devenit. Sancti Apostoli ergo per Hispanias vestigia sectans, fere omnes regionis urbes lustravit. Sed cum e beatæ Virginis Mariæ

*quasi Hierosolymis a S. Jacobo in discipulum assumptus,*

*et Lector creatus,*

*in Hispaniam cum eo profectus,*

C præcepto Jacobus Hierosolymam reverti properasset, Calocerum, ut Carpetanos reviseret, prædicaretque, magistern delegatione dimisit. Qui Apostolico suffultus mandato discedens, omnem illam perlustravit regionem, Dei verbum disseminans, et collecto animarum credentium non sterili fructu, ad ejus pervenit auditum, quo modo sanctum Magistrum apud Hierosolyma occisum et martyrio fuisse coronatum, ejusque corpus a condiscipulis extractum in navigio positum ad Iriæ Flaviæ civitatis in Gallæcia portum adventasse. Hac siquidem cognita fama, illico ad Iriam perrexit, adque illorum consortium condiscipulorum cœtum se jungens, cum illis itidem tumulum, quo corpus humaretur, erexit, sacravit, et mi-

*Carpetanis prædicavit,*

*Condito corpori S. Jacobi adfuerit*

D nister sui Ordinis sacrum confecit. Quo expleto, cum ceteri diversa peterent climata Calocerus ad Italiam se contulit ad S. Appollinarem *etc.*

8 *Hæc ibi, quæ non lubet singula excutere. De S. Jacobo agemus XXV Julii. Momenta probabilitatis ex veterum testimonio desumenda sunt. Ac primo Sampirus Episcopus Astoricensis (qui a Rege Alphonso III, Magno dicto, suam historiam deducit usque ad Veremundum II Podagricum, sive ad annum Ch. CMLXXXII) e discipulis S. Jacobi censet Calocerum, dum Æra Hisp. CMXXVII refert,* altare super corpus B. Jacobi Apostoli consecratum fuisse a septem discipulis ejus, quorum nomina sunt hæc: Calocerus, Basilius, Pius, Grisogonus, Theodorus, Athanasius, Maximinus. *Hæc Sampirus, cujus historiam continuavit Pelagius Episcopus Ovetensis a dicto Veremundo usque ad obitum Ferdinandi Sancti, sive annum Ch. MLXV. Mariana noster lib. 4 Rerum Hispanicarum cap. 2 hunc Pelagio tribuit quæ modo ex Sampiro retulimus:* Qui historiam, *inquit,* ante quingentos ferme annos scripsit, Pelagius Ovetensis Episcopus, Jacobi discipulos facit, Calocerum, Basilium, Pium, Grisogonum, Theodorum, Athanasium, et Maximum. *Dein hoc suum apponit judicium Mariana:* Nos quoniam rerum an-

*Sampirus quemdam Calocerum discipulum S. Jacobi memorat,*

E tiquitas certam scriptioni derogat fidem, neque quid certi de Jacobi Apostoli discipulis afferri potest, liberum lectori judicium relinquamus. *Alii septem fuerunt Romæ ob Apostolis Episcopi ordinati, atque in Hispanias missi, scilicet* Torquatus, Ctesiphon, Secundus, Indaletius, Cæcilius, Hesychius et Euphrasius, *quorum omnium celebritas secundum Martyrologium Romanum, Usuardum, aliosque, agitur Idibus Maii uti dictum est Kalendis Februarii, ubi seorsum de S. Cæcilio egimus.*

*dubia fide:*

9 *Qui Chronicon Hispaniense undecumque collectum sub nomine Fl. Dextri antiqui auctoris vulgavit, ex utroque classe memorata hæc ita conjunxit:* Anno XXXVII. Multos etiam discipulos *S. Jacobus,* præcipuos autem numero duodecim, more Apostolico, in Hispaniam secum portat: scilicet Episcopos, Basilium, Pium, Athanasium, Maximum, Grysogonum Presbyteros; Theodorum, Cæcilium, Thesiphontem, Iscium, Calocerum Lectores; Torquatum Exorcistam, et Secundum, Indalecium, Euphrasium Ostiarios.. Postea Calocerus profectus in Italiam, adhæsit Apollinari Ravennatum Episcopo, et ab illo factus Presbyter successit Marciano, et factus est Episcopus centenario major, vigens tamen. Septem alii a B. Petro creati Episcopi ad Hispanias remit-

*eumdem dein Ravennatum Episcopum statuit Dextri Chronicon.*

F tuntur. *Deinde* anno XLIV *hæc leguntur*. Calocerus discipulus S. Jacobi per Carpetaniam prædicat, *sive, ut Maurus Castella Ferrera exponit lib. 2 Historiæ S. Jacobi cap.* 19, per regna Toletanum et Murcianum aliasque ditiones. *Denique obitus ejusdem describitur ad* annum CXXX. S. Calocerus S. Jacobi discipulus et Episcopus Ravennas, major centenario, miraculorum gloria clarus, ad cœlum migrat. *Hæc ille: quibus iter Hierosolymitanum adjunxit Sampyrus. Verum cum certa scriptioni haud asseratur fides ab antiquis et probatis auctoribus, omnem hanc narrationem suspectam relinquimus.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# FELICE, VICTORE, JANUARIO, VITALE, HERENEO, IN AFRICA.

G. H.

*Circa an. CCL XI Febr.*

Duo ex his Martyribus referuntur in antiquo MS Martyrologio Richenoviensi, sive Augiæ divitis prope Constantiam in Suevia: In Africa Felicis, Victoris. *Martyrologium antiquum Romanum MS quod sub nomine S. Hieronymi sæpe a nobis citatum, quatuor habet:* In Africa Felicis, Victoris, Januarii, Vitalis. *Omittit* Hereneum, *refertque* XXV *Februarii, quo die de aliis Martyribus tunc in Africa*

*Memoria horum Mart. in MSS.*

A *Africa passis agitur. Galesinius ex MS. Martyrologio, omisso* S. Felice, *et* Zotico *addito, ita alios recenset :* In Africa item SS. Victoris, Januarii, Zotici, Herenei Martyrum. *Jacobus Pamelius in Annotationibus ad epistolam Luciani, quæ est* XXII *apud D. Cyprianum ex Martyrologio MS. Guilielmitarum Brugensium, et Hermannus Greven in Auctario Usuardi, omisso* Vitale, *reliquos ita celebrant :* In Africa Victoris, Felicis, Januarii, Zotici, Herenei. *Addit Pamelius de his Martyribus intelligi sequentia Luciani verba ad Celerinum, in eadem epistola :* Et ideo, carissime frater, saluta Numeriam et Candidam, quæ secundum Pauli præceptum et ceterorum Martyrum, quorum nomina subjicio, Bassi in pejerario, Mappalici, in quæstione, Fortunionis in carcere, Paulia quæstione, Fortunæ, Victoris, Herenei, Credulæ, Herenæ, Donati, Firmi, Venti, Fructi, Juliæ, Martialis, Aristonis, qui, Deo volente, in carcere fame necati sunt. *Restituit Pamelius ex dicto Guilielmitarum Martyrologio nomen* Herenei, *cum ante legeretur apud Morellium* Herennius. *Pamelio consentit Rigaltius. De aliis enumeratis a Luciano Martyribus agemus* XXII *et* XXV *Februarii, et* XVII *Aprilis : quibus locis cum plurimi etiam nominentur socii, quorum non meminit Lucianus, signum est eos fuisse potissimum indicatos, qui vel fuerant ex familia Celerini, Numeriæ aut Candidæ, vel eis erant specialius noti. Egimus etiam* X *hujus de* SS. Zotico et Irenæo, *sed Romæ passis : de Zotico infra iterum agemus, uti et sequenti* XII *die, et quidem ex Martyrologio S. Hieronymi : in quo inter hos Africanos non refertur, ut possit apud alios intrusus videri : ideoque eum hic prætermittimus.* D

*et in operibus S. Cypriani.*

AUCTORE G. H. *an fame extincti?*

*quare S. Zoticus hic omissus.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# ZOTICO, CYRIACO, AMMONIO, OCCOMINIO, PELEONICO.

G. H.

XI FEBR. *Martyrum nomina in Martyrol.*

B *Martyrologium parvum MS. monasterii S. Maximini Treviris horum Martyrum ita meminit :* Victoris, Zotici, Cyriaci, Ammoni, Basilli. *De Victore jam supra egimus; cum quo inter Africanos etiam a quibusdam Zoticus reponitur. MS. Richenoviense :* Et alibi Amanti, Tulici, Zotici, Cyriaci. *De duobus prioribus mox agemus. In Martyrologio MS. Romano, quod S. Hieronymo attribuitur, post Martyres Africanos, de quibus actum, subditur :* Et alibi Zotici, Cyriaci, Ammoni, Occomini, Peleonici, Basilii. *Alii ab his distincti referuntur sequenti die in eodem Martyrologio : inter quos sunt* Ammon, Zoticus et Cyriacus. *De* Basilio in Armenia, *et* Basiliano *in Campania passis mox agemus : ut vel ideo hæreamus dubii an non idem* Basilius *bis repetatur in Martyrologio S. Hieronymi. Iterum alius Basilius monachus refertur* XII *Februarii in antiquis Martyrologiis MSS. ut vel ideo unicum hoc die solum ponendum censuerimus.* E

*an iis adjungendus S. Basilius?*

# DE S. BASILIO
## IN ARMENIA.

G. H.

XI FEBR.

*Locum et diem natalem insigni consensu statuunt duo antiquiora Martyrologia MSS. quorum alterum sub nomine S. Hieronymi Romanum est, alterum Richenoviense; in quibus ita legitur :* In Armenia Basilii. *Acta, ut plurium aliorum, latent. Armeniæ minori a plerisque attribuitur Sebaste sive Sebastia, urbs quam plurimorum Martyrum certamine sub Diocletiano potissimum ac Licinio nobilitata, quam Ptolemæus et Plinius Cappadociæ attribuunt, uti monuimus* III *Februarii ad Vitam* S. Blasii *Episcopi Sebasteni et Martyris* § 1. *Hermannus Greven in Addit. ad Usuardum, præter* Basilianum *in Campania passum, refert alium* Basilianum, *et male adjungit* S. Pœni *Martyri Apamensi : eumdem hunc Basilium esse in Armenia passum arbitramur. De* S. Basilio *monacho agemus* XII *Februarii; ubi et alium scrupulum movebimus, num ab hoc iste vere alius haberi debeat.*

*S. Basilius in Armenia*

*an alius a S. Basilio 12 Febr. referendo?*

C F

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# BASILIANO. AMANTIO. TULICO
## IN CAMPANIA ET ALIBI.

G. H.

XI FEBR.

*Martyrologia MSS antiqua, Lætiense in Hannonia, et Tornacense cœnobii S. Martini, uti et Hermannus Greven in Addit. ad Usuardum,* XI *Februarii ista habent :* In Campania Basiliani et Amantii. *Martyrologium MS. Romanum sub nomine S. Hieronymi :* In Campania Basiliani, et alibi Amantii, Tulici. *MS. Richenoviense, omisso* Basiliano, *hæc habet :* Et alibi Amantii, Tulici, Zotici, Cyriaci. *De duobus ultimis jam ante egimus. Ceterum Campania Italiæ regio juxta Latium satis nota est, cujus quam plurimi Sancti in hoc opere referuntur, inter quos hoc die colitur S.* Castrensis *Episcopus. De alio* Amantio, *sed Martyre Romano, egimus* X *Februarii.*

NOT 20.

DE SANCTIS MARTYRIBUS APAMEENSIBUS

# POENA sive POEONE, ET EUPHRAXIO sive EUPRAXIO.

G. H.

XI FEBR.

*Plures exque illustres urbes* Apameæ *sive* Apamiæ *appellantur : ex his* Apamea *Syriæ* II *metropolis ad Orontem fluvium, cujus Episcopus* Domnus *subscripsit Concilio Chalcedonensi. Alia est* Apamea *in Bithynia* II, *cujus Episcopus* Callonicus *interfuit eidem Concilio. Tertia est* Apamea *Pisidiæ, cujus Episcopus* Tarsitius *subscripsit Nicæno* I. *Quarta*

*denique*

A AUCTORE J. B. *denique est* Apamea *in regno Galliæ in Comitatu Fuxensi, cujus Episcopus nuper fuit* Henricus Spondanus, *optime de historia Ecclesiastica meritus. At quo loco Sancti hi floruerint non liquet. Agit de iis Martyrologium antiquum MS. Richenoviense :* III Idus Februarii in Apamia Pœnæ et Eufraxi. *Notkerus :* In Apamia Pœonis et Eufraxii. *Hermannus Greven in auctario Usuardi, omisso* Eufraxio, *ita habet :* In Apamia Basiliani, Penis. *De S. Basiliano Martyre in Campania jam cum eodem Greven egimus, et S. Basilio in Armenia, quem cum Basiliano hic confundi supra innuimus. Ita loco Apamiæ Campania perperam substituta est in Martyrologio MS. S. Hieronymi :* III Idus Februarii in Campania Pœnis et Eupraxii. D

# DE S. SIMPLIDE
## EPISCOPO VIENNENSI IN GALLIA.

J. B.

SUB FINEM III SECULI. XI FEBR. *S. Simplidæ Ep. Vien.*

Undecimus *Viennensis in Gallia Ecclesiæ Antistes memoratur* S. Simplides, *in Antiquitatibus Viennensibus editis a Joanne Boscio, atque apud Joannem Lieuræum, et Joannem Chenu in priore catalogo Epp. Vien. Nam in posteriore, quem a Petro Villario Archiep. accepisse se fatetur,* Desiderium *omittit, et* S. Simplidem *decimum statuit, uti et Demochares et Claudius Robertus.*

*natalis,* 2 *Ejus natalem ita consignat* III *Id. Febr. Ado* B *ejusdem Sedis Archiepiscopus, et Beda vulgatus :* Apud Viennam S. Simplidis Ep. et Confess. *Consentiunt alia MSS. et excusa Martyrologia : sed in quibusdam* Simplicides *appellatur, apud Galesinium et Ferrarium* Simplidius, *apud alios* Simplidas. *In MS Florario* IX *Febr. refertur* S. Simplicides *Episc. Lugdunensis : at nemo ejus nominis Cathedram illam tenuit; ut nostrum* NOT 21 *hunc esse arbitremur.*

3 *Acta videntur etiam Adonis ævo ignorata. Demochares solum ait* temporibus Cari *floruisse. Plus ali-* *ætas* *quanto habet Saussaius :* Item Viennæ Allobrogum, S. Simplidæ Ep. qui Taciti, Probi et Cari Imperatorum temporibus sedens, motus atrocissimos sævientis in Christi caulas impietatis, sustinuit ac repressit, victorque cum corona de stadio martyrii egrediens, immortale purpuratæ sanctitatis decus abhinc consecutus est. *Lieuræus quoque, Canonicus* *aureola* E *Viennensis,* Martyrem *facit, traditque ejus ab Ecclesia Viennensi fieri hac die commemorationem. Ado solum* Confessorem *agnovit.*

*opera.* 4 *Addit Lieuræus, ab eo perfectam basilicam S. Petri, quam* S. Lupicinus *ejus decessor inchoarat, uti nunc spectatur, etsi sæpius labefactata ac deinde instaurata.*

# DE S. TIGRINO
## MARTYRE ROMANO, TAURINI IN PEDEMONTIO.

G. H.

XI FEBR. *Apud Taurinos*

Taurini *ad radicem Alpium in Transpadana regione sedes habuere : quos Strabo lib. 4 et Plinius lib. 3 cap. 17* gentem Ligusticam *vocant; ast inter* Gallos *censent Appianus in Hannibalicis aliique.* *urbs Taurasia, Augusta Taurinorum, et Taurinum, dicta,* *Urbs eorum primaria* Taurasia *olim dicta fuit. Ea postquam una cum gente ipsa in Romanorum pervenit potestatem, deducta eo colonia,* Augusta Taurinorum *caput appellari : at posteri brevitatis caussa* Taurinum *nuncupant, Itali* Turino. *vario splendore et Sindone Christi clara* *Urbs modo est admodum pulchra atque amœna, quæque adhuc, quod Serenissimi Principes Sabaudiæ istic commorentur, in* C *dies magnificentior evadit : arcem habet munitissimam, academiam celebrem, templa eximie ornata : atque inter sacras Reliquias magna cum religione adservat ostenditque sindonem, sive sudarium, quo Dei filius post absolutum redemptionis nostræ opus, a cruce depositus, involutus fuit.*

*ibidem in templo Societatis Jesu 6 corpora Sanctorum adservantur. e quibus colitur S. Tigrinus Martyr 11 Febr.* 2 *In eadem urbe præclarum extat templum Societatis Jesu, sanctis ejusdem urbis Patronis, Solutori, Adventori atque Octavio, e legione Thebæa Martyribus, dicatum : quorum istic corpora cum honore adservantur, uti dicetur* XX *Novemb. die eorum cultui sacro. In eodem templo aliorum trium Sanctorum honorantur sacra pignora, quorum venerationi consequenter tres Februarii dies dicati :* XI *colitur* S. Tigrinus *Martyr Romanus,* XII S. Goslinus *Abbas,* XIII S. Juliana *Matrona. De singulis ad suum diem seorsim agimus. Atque hoc quidem die, celebratur festum S. Tigrini, Officio Ecclesiastico ex Communi unius Martyris non Pontificis desumpto.*

*Corpus Roma delatum,* 3 *Corpus ejus a Claudio Aquaviva Societatis Jesu Præposito Generali Romæ missum est* IV *Septembris anni* CIↃIↃCXI, *creditumque Antonio Marchesio Provinciali Mediolanensi, ut Taurinum deferret. Detulit, tradiditque Serenissimo Principi Mauritio a Sabaudia,* *ad Cardin. Mauritium a Sabaudia, inde ad Collegium* *tunc S. R. E. Cardinali : qui statim Collegio Societatis Jesu dono dedit, mox ab eodem Marchesio Provinciali eo delatum, nullo donationis addito instrumento, qualia duo extant in archivio ejusdem Collegii Taurinensis,* *Societ. cujus rei 2 instrumenta hic eduntur :* *alterum Generalis, alterum ipsius Marchesii Provincialis : quæ hic damus communicata a Reverendo Patre Francisco Vasco ejusdem collegii anno* CIↃIↃCLIII *Rectore, et transmissa a Reverendo Patre Joanne Jacobo Turinetto, qui diu illi in eodem munere suffectus, cujus benevola diligentia plurima monumenta assecuti sumus, quæ cultum Sanctorum istius regionis promoveant. Est autem primum exemplar hujusmodi.*

*alterum Claudii Aquavivæ Generalis Societatis Jesu,* 4 Claudius Aquaviva Societatis Jesu Præpositus Generalis. Omnibus in quorum manus hæ litteræ venerint, salutem in eo qui est vera salus. Sane sacræ Sanctorum Reliquiæ omni per se honore et reverentia dignæ sunt, quippe quibus, ut ait S. Augustinus, tamquam vasis et organis ad omnia opera bona sanctus usus est Spiritus; tum vero ob ingentes utilitates, quæ ex iis in hominum genus proveniunt, ut non immerito dixerit Damascenus, ejusmodi Reliquias, veluti salutiferos fontes, a Christo Domino institutas esse, ex quibus non minima ad nos beneficia promanant, suavissimumque unguentum profluit, quippe cum ab iis dæmones expellantur, morbi profligentur, ægroti sanentur, cæci lumen recipiant, tentationes ac mœrores discutiantur, ac denique dona plurima a Patre luminum earum opera ad illos, qui fide non dubia postulant, descendant. Cum igitur carissimo in Christo Fratri Antonio Marchesio Provinciali Mediolanensi Corpus S. Tigrini Martyris ex cœmeterio Priscillæ via Salaria cum facultate Sanctissimi Domini Pauli V extractum, in civitate Taurinensi collocandum dederimus; ut omnibus id constaret, ne sacræ hujusmodi Reliquiæ debito honore fraudarentur, fidem de præmissis omnibus, his litteris manu nostra subscriptis, et sigillo nostro munitis, facere voluimus. Romæ die IV mensis Septembris, anno ab orbe redempto CIↃIↃCXI.

Claudius Aquaviva. — Bernardus de Angelis Secr.

5 *Alterum*

A

*alterum Antonii Marchesii Provincialis Mediolanensis.*

3 *Alterum autem exemplar ita habet :* Antonius Marchesius Præpositus Provincialis Provinciæ Mediolanensis Societatis Jesu, omnibus, in quorum manus hæ litteræ venerint, salutem in eo, qui est vera salus. Cum ad aures Serenissimi Cardinalis Mauritii a Sabaudia pervenisset, annis proxime elapsis nonnulla Sanctorum Corpora Romæ e cœmeterio Priscillæ via Salaria cum facultate Sanctissimi Domini nostri Pauli v a multum Reverendo Patre Claudio Aquaviva Præposito Generali Societatis Jesu fuisse extracta ; eidemque Celsitudo Sua per litteras significasset, optare se sacrarum Reliquiarum fieri eo consilio participem, ut urbs Taurinensis satis ex se ad pietatem propensa, novo ditata munere, ad debitum honorem cultumque sacris ossibus exhibendum vehementius accenderetur; idem multum Reverendus Pater Claudius Aquaviva piissimo Principi satisfaciendi cupidissimus, licet sero ejus accepto

D

AUCTORE G. H.

desiderio, reliquum adhuc sibi S. Tigrini Martyris Corpus inde extractum, quamvis in cineres præ antiquitate subterraneique loci humiditate dilapsum, nobis Antonio Marchesio Provinciali Romæ dedit in capsula inclusum, suo sigillo consignatum, fideque publica munitum, quo illud Taurinum transferremus, eidemque Serenissimo Cardinali ejus nomine præsentaremus. Nos igitur Antonius Marchesius Provincialis, ejusdem Claudii Aquavivæ mandatum exequentes, eosdem sacros cineres Taurinum fideliter transtulimus, et sigillo nostro debite obsignatum capsulam cum eodem ipso corpore recognovimus et consignavimus. Et ut omnibus de præmissis constaret, his litteris manu nostra subscriptis, et sigillo nostro munitis fidem facere voluimus. Taurini die xxv Augusti anni cIↃIↃcII.

Antonius Marchesius.

# DE PLURIMIS MARTYRIBUS IN NUMIDIA PASSIS
## SUB DIOCLETIANO ET MAXIMIANO.

B

G. H.

E

CIRCA AN. CCC. XI FEBR.

*Recusantes sacras Scripturas tradere,*

Cum, *teste Eusebio lib. 8 histor Eccl. cap.* 3, omnibus in locis per Imperatoris litteras palam indictum fuisset, ut scripturæ Christianorum absumerentur igni, *invigilarunt in provinciis Præsides, et in singulis civitatibus, oppidis atque vicis Officia, ut sacri libri ad incendium traderentur. Porro qui metu pœnisve fracti, eos tradiderunt,* Traditores, *in Africa potissimum, vocabantur. Quo tamen tempore quam plurimi reperti sunt, qui maluerunt mortem pro Christo oppetere, quam sacros codices comburendos proferre. Quorumdam ex iis facta mentio est* II *Januarii, qui potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt. Alios hoc die celebramus, qui*

*Martyrio affecti in Numidia*

*convenientes ad Dominicum celebrandum comprehensi, sub Anulino Proconsule Carthagine passi sunt anno Chr.* CCCIII. *Iis adjunxit Baronius Numidas hosce Martyres, anno margini adscripto circiter trecentesimo. De quibus hæc verba in tabulis Martyrologii Romani leguntur :* In Numidia commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui in eadem persecutione comprehensi, cum juxta Imperatoris edictum divinas Scripturas tradere noluissent, gravissimis excruciati suppliciis, occisi sunt.

*indicati a S. Augustino.*

2 *Hos ipsos Martyres, teste Baronio, absque dubio signare S. Augustinus videtur in Gestis cum Donatistis in Breviculo collationum diei tertii cap.* 13, *cum ait :* Recitarunt etiam rescripta Secundi Tigisitani *Episcopi, et Episcoporum Numidiæ Primatis,* ad Mensurium *Episcopum Carthaginensem* pacifice data, ubi et ipse narravit, in Numidia persecutores, quæ egerint. Et qui comprehensi, et Scripturas sanctas tradere nolentes, et multa mala passi, et gravissimis suppliciis excruciati et occisi sunt : eosque honorandos pro martyrii sui merito commendavit. *Hæc S. Augustinus, et ex eo ad hunc diem Baronius. De Secundo et Mensurio ad sequentia Acta dicemus.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

C

# SATURNINO PRESBYTERO, SATURNINO ET FELICE LECTORIBUS, MARIA ET HILARIONE, EJUS LIBERIS; DATIVO LECTORE, FELICE, ALIO FELICE, EMERITO, AMPELIO, ROGATIANO, QUINTO, MAXIMIANO, THELICA, ROGATIANO, ROGATO, JANUARIO, CASSIANO, VICTORIANO, VINCENTIO, CÆCILIANO, RESTITUTA, PRIMEVA, ROGATIANO, GIVALIO, ROGATO, POMPONIA, SECUNDA, JANUARIA, SATURNINA, MARTINO, DANTO, FELICE, MARGARITA, MAJORE, HONORATA, REGULA, VICTORINO, PELUSIO, FAUSTO, DACIANO, MATRONA, CÆCILIA, VICTORIA, BEREDINA, SECUNDA, MATRONA, JANUARIA, CARTHAGINE IN AFRICA,

F

### Commentarius prævius.

G. H.

AN CH. CCCIII. XI FEBR.

*Acta horum Martyrum sincera,*

Horum omnium Martyrum Acta, prout excepta sunt a notariis, et relata in Proconsularia gesta, integra haberi *observat Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ad hunc* XI *Februarii, et in Annal. Eccles. ad an.* 303 *num.* 58 *tradit* illorum integram et sinceram fidem esse. *Certe monet Auctor num.* 1 Acta Martyrum in archivo Memoriæ conscripta *legi, seque ea* ex Actis publicis scribere , *qui tamen ad concinnandam historiam, ubi id necessarium fuit, sæpe interloquitur.* Sed nescire *se addit Baronius dicto num.* 58, qua occasione multorum ibi nominatorum Martyrum acerbissimæ coram eodem Proconsule, instar aliorum, habitæ quæstiones desiderentur. *Verum non videtur de unoquoque singularis quæstio instituta. Nam* defatigata tortorum rabies (*num.* 21) languebat : *et* adversarius

*ex gestis Proconsularibus, an integra.*

A rius tot Martyrum præliis victus, cum singulis congredi non valebat : *at* totius exercitus Domini animis *eadem* interrogatione *tentatis*, uno omnes ore *fidem Christi professi*, *simul* in carcerem trusi *sunt*, martyrioque destinati. *Et num.* 22. omnes fœminæ in S. Victoria congressæ sunt et coronatæ. *Et num.* 24 S. Hilarianus adhuc supererat, *quasi ob* ætatem suam parvulam *expugnandus*.

*allegata in Collatione Carthaginensi,*

2 *Acta hæc in Collatione Carthaginensi, jussu Honorii Imperatoris Catholicos inter et Donatistas anno* CDXI *habita a Catholicis allegata sunt, ad probandum, Christianos, tempore persecutionis, sub Diocletiano et Maximiano motæ, ad Collectam et Dominicum celebrandum convenire consuevisse. Atque inde inferebatur, eodem fere tempore Cirtæ in Numidia (quod ob persecutionem Donatistæ negabant fieri potuisse) Concilium habitum fuisse : in quo, auctore Secundo, Tigisitano Episcopo et Numidarum Episcoporum Primate, varii Episcopi, qui ex Imperatorum edicto codices sacros resve alias sacras comburendos tradiderant, en fine convenerant, ut in locum Cirtensis Episcopi alium sufficerent et subrogarent. Ordinarunt autem Episcopum Cirtensem, quemdam Paulum, qui eodem anno a magistratibus conventus, libros et Ecclesiæ suppellectilia tradidit, sicut* D *et Silvanus ejusdem Subdiaconus, postea vero et ipse Cirtensis Episcopus. Quorum nefariæ traditionis Acta proconsularia recitat S. Augustinus lib.* 3 *contra Cresconium cap.* 27 *et* 29 *: qui in Breviculo Collationum cum Donatistis, collatione diei tertii cap.* 17 *agit tum de Concilio Cirtensi, tum de hisce ipsis Actis Martyrum, quæ hic recitamus, in quibus et dies et Consules desiderantur; apud S. Augustinum, cujus verba addimus, adjuncti.*

*citata a S. Augustino.*

3 Jussit Cognitor, *inquit*, computare Officium, et renuntiare. Consideratis utriusque Consulibus et diebus, et qui de Concilio Cirtensi et qui de Gestis Martyrum legebantur, quia dictum fuerat a Catholicis post illorum Martyrum passionem, unde persecutionis tempus probabatur, prope annum consecutum fuisse usque ad Consulem et diem Concilii Cirtensis. Responsio autem computantis Officii, mensem interfuisse suggesserat. Voluerunt ergo Catholici de tabulis tolli, quod dixerant. Sed Donatistæ, quod a Catholicis dictum erat, noluerunt de tabulis tolli : unde Catholici non contenderunt, ut eorum in hoc calumniosus animus appareret. Porro autem illud erat verius, quod Catholici dixerant. Officium autem in computando errans, falsum renuntiaverat, quod C postea conscripta et diligentius considerata Gesta docuerunt : sicut potest probare, quem libuerit legere et non piguerit computare. Nam Gesta Martyrum, quibus ostendebatur tempus persecutionis, Consulibus facta sunt Diocletiano novies et Maximiano octies, pridie Idus Februarii. Gesta autem Episcopalia decreti Cirtensis post eorumdem Consulatum tertio Nonas Martii, ac per hoc tredecim menses interesse inveniuntur, plures utique quam undecim, quos prius Catholici minus diligenter computando responderant. Sed Officium ut falleretur, et mensem interesse responderet, eumdem Consulatum putavit. Post Consulatum autem non advertit, ubi annus jam alius agebatur. Proinde Catholici tamquam ex vera Officii responsione cogebantur ostendere, tempore persecutionis illos undecim vel duodecim Episcopos in domum privatam convenire potuisse. Donatistis instantibus, ut hoc ex aliis Conciliis ostenderent, si aliquo tempore persecutionis facta Episcoporum Concilia reperire potuissent, quod Catholici quoniam tum inquirere, et ad horum veteres chartas in archivis Ecclesiasticis discutere non poterant, respondebant multo facilius duodecim homines in domum convenire potuisse eo tempore, quo etiam congregationes plebium fieri solebant,

*Num acta hæc sint Diocletiano IX et Maximiano VIII Coss.*

quamvis persecutione fervente, sicut ipsis Gestis D Martyrum monstrabatur, qui confitebantur in Passionibus suis se collectam et Dominicum egisse.

*an potius Diocletiano VIII et Maximiano VII Coss.*

4 *Hæc S. Augustinus, sed cum duorum annorum intervallo ab ipsis Actis Cirtensibus, quorum fragmentum idem S. Augustinus lib.* 3 *contra Cresconium cap.* 26 *sub finem et cap.* 27 *ita refert :* De vestris autem majoribus extat Secundi Tigisitani Concilium, cum paucissimis quidem factum apud Cirtam post persecutionem codicum tradendorum, ut illic in locum defuncti ordinaretur Episcopus. Ibi quæ gesta sunt accipe. Nam quæ necessaria fuerunt, infra scribere curavit. Diocletiano octies et Maximiano septies Consulibus quarto Nonas Martii. Cirtæ cum Secundus Episcopus Tigisitanus primæ cathedræ consedisset in domo Urbani Donati, idem dixit : Probemus nos primo et sic poterimus hic ordinare Episcopum. *Eadem Acta summatim complexus est Optatus Milevitanus lib.* 1 *de schismate Donatistarum adversus Parmenianum :* Hi et ceteri, *inquit*, quos principes tuos fuisse paullo post docebimus, post persecutionem apud Cirtam civitatem in domum Urbani Carisi consederunt die III Iduum Maiarum. *quo forte die ultima sessione habita Concilium illud finitum est.* E *Annum in Actis Cirtensibus notatum confirmant Acta proconsularia sub Munatio Felice, ex bibliotheca Pithœi a Baronio edita ad an.* 303 *: ubi num.* 12 *hæc leguntur :* Diocletiano VIII et Maximiano VII Consulibus, XIV Kalendas Junias ex Actis Munatii Felicis F. P. P. Curatoris Coloniæ Cirtensium. Cum ventum esset ad domum, in qua Christiani conveniebant, Felix F. P. P. Curator Paulo Episcopo dixit. Proferte Scripturas legis, et si quid aliud hic habetis, ut præceptum est, ut jussioni parere possitis. Paulus Episcopus dixit : Scripturas Lectores habent : sed nos, quod hic habemus, damus. *En eadem Acta conventus Cirtensis (quæ apud S. Augustinum in Breviculo Collationum traduntur contigisse* post Consulatum Diocletiani novies et Maximiani *octies, sive anno Christi* CCCV) *testimoniis geminis, iisque antiquioribus consignata* Consulibus Diocletiano octies et Maximiano septies, *sive anno Christi* CCCIII. *qui nobis annus magis probatur, tum ob Acta Cirtensia a S. Augustino in sua contra Cresconium disputatione citata, tum ob Gesta proconsularia rerum Cirtæ, quæ de Paulo in priori conventu Episcopo eodem adhuc anno ordinato agunt. Est autem* Concilium Cirtense, *teste S. Augustino* post persecutionem codicum tradendorum, *et dictorum* Martyrum passionem *habitum, ut hi necessario eidem anno* CCCIII, *quo maxime atrox illa persecutio sæviebat, dicendi sint occubuisse.*

*sive an. Ch. 303*

5 *Hæc ergo Acta Martyrum olim a Catholicis cognita et accepta, a Donatistis disquisita, a Judice Cognitore inspecta atque examinata, damus ex pervetusto Codice MS. Monasterii S. Maximini Treviris, collata eum Suriana editione, et altero MS. Bodecensi in Westphalia, in quo tamen contracta passim erant. Omittimus autem appendicem sub finem tum in codicibus manu exaratis repertam, quam in priore editione Suriana additam, dolo Donatistarum depravatam, enormia mendacia affingentium Mensurio laudatissimo Episcopo Carthaginensi, ejusque tum Diacono ac postea successori Cæciliano. Fragmentum illud edidit etiam Gabriel Albaspinæus Aurelianensis Episcopus post opera S. Optati Milevitani a se illustrata, ubi et Gesta purgationis Cæciliani et Felicis, a quo ille fuerat ordinatus, profert, una cum epistola Constantini Imperatoris et Concilio Episcoporum ob hanc caussam Arelate celebrato. Sed et in observationibus præviis ante S. Optatum, errores et crimina Donatistarum egregie depingit, eorumque inveteratum odium in Mensurium, Cæcilianum et Felicem. Ita in Gestis Collationis III Carthaginensis, cum cap.* 33 *Alypius Episcopus Catholicus dixisset Donatistis :*

*Acta ex MSS edita.*

*absque appendice a Donatistis depravata*

A *natistis :* Damnent nomen Donati, et deinceps non appellabimus illos Donatistas; *Opposuit Petilianus Episcopus Donatistarum :* Damna nomen Mensurii et Cæciliani, et non diceris Cæcilianista. *Deest præcipua pars hujus in Collationis Carthaginensis, a capite* CCLXXIII *ad caput* DLXXXVI, *uti præfixa breviaria indicant, in quibus frequenter Gesta Martyrum memorantur, se persecutionis tempore in Collectis fuisse fatentium.*

*Cultus eorum sacer 11 Febr.*

6 *Est horum Martyrum memoria* XI *Februarii inscripta Martyrologio Romano his verbis :* In Africa natalis sanctorum Martyrum Saturnini Presbyteri, Dativi, Felicis, Ampelii et sociorum, qui convenientes ad Dominicum ex more celebrandum, in persecutione Diocletiani a militibus comprehensi, sub Anolino Proconsule passi sunt. *Ad quæ annotat Baronius,* de his agere hoc die non tantum vetus Rom. Martyrol. sed et alia pleraque manuscripta. *Sed quod illud vetus Romanum? an quod sub finem seculi* XV *a Bellino editum* secundum morem, *ut præfatur,* Romanæ curiæ? *A Maurolyco* Claudius *dicitur, qui* Dativus *est. Referunt illos eodem die nonnulla MSS. neque admodum antiquo, in quorum plerisque dicuntur* passi sub Juliano Imperatore, Anolino Proconsule. B *Galesinius vero scribit* Anolini Proconsulis jussu, varie cruciatos, Nerone Imperatore, præclari martyrii coronam accepisse : *atque interim Surii tomum* 1 *de Sanctis in Notis allegat, qui Acta refert ad* XI *Februarii, in quibus* tempora Diocletiani et Maximiani *exprimuntur. Petrus de Natalibus lib.* 3 *Catalogi cap.* 14 *eosdem refert* tertio Idus Februarii triumphasse. *Agit de SS. Victoria et Maria Virginibus et Martyribus hoc die Franciscus Lahierius in Menologio Virginum.*

*et 12 Febr.*

7 *At sequenti die, sive pridie Idus Februarii, illata hisce Martyribus tormenta scribit supra relatus S. Augustinus: quo etiam die de illis agi in Ecclesia Africana tradit Baronius ad Martyrolog. Rom. Quem diem servarunt Usuardus aliique antiqui in Martyrologiis MSS. his fere verbis :* In Africa sanctorum Martyrum Saturnini Presbyteri, Dativi, Felicis, Apelii et sociorum ejus, qui passi sunt pro Christo sub Anolino Proconsule. *In Usuardo MS. nostro, qui fuit olim Hunnæi,* passi *dicuntur* sub Juliano Proconsule. *At Martyrol. MS. Bruxellense utrumque junxit,* Julianum *quem et* Imperatorem *dixit, et* Anolinum Proconsulem. *Quem Usuardus* Apelium *vocat, in nonnullis MSS.* Apuleius *dicitur, supra* Ampelius.

C *An fame interierint?*

8 *Quis vitæ finis hisce Martyribus fuerit, non indicatur, nisi in fragmento a Donatistis depravato : in quo sub finem hæc leguntur :* Beati Martyres isti, corporeis alimentis destituti, paullatim et per intervalla dierum naturali conditioni, famis atrocitate cogente, cesserunt, et ad siderea regna cum palma martyrii migraverunt, præstante Domino nostro Jesu, qui cum Patre regnat in secula seculorum Amen.

# ACTA MARTYRII

## Ex MS. Trevirensi S. Maximini et Surio.

### PROLOGUS.

Qui *a* religione sacra præditus, exultat et gloriatur in Christo, quique Dominica veritate gaudet errore damnato, Ecclesiam Catholicam teneat, sanctam quoque communionem a profana discernat, Acta Martyrum legat, quæ necessario in archivo *b* Memoriæ conscripta sunt, ne seculis transeuntibus *c* obsolesceret gloria Martyrum, et damnatio Traditorum. Aggredior itaque cœlestes pugnas novaque certamina, gesta per fortissimos milites Christi, bellatores invictos, Martyres gloriosos. Aggredior, inquam, ex Actis publicis scribere,

*Acta Martyrum ad imitandum proponenda.*

D AUCTORE G. S. non tam ingenio præditus, quam civico illis amore conjunctus. Consulto quidem hoc faciens, duplici scilicet modo, ut et imitationibus eorum ad martyrium animos præparemus, et quos vivere in perpetuum, atque cum Domino Christo gaudere et regnare confidimus, etiam confessiones ipsorum, pugnas atque victorias, cum in litteras digerimus, æternæ memoriæ conferamus. Sed non invenio, fratres dilectissimi, quibus utar exordiis, quove principio laudis aggrediar sanctissimorum Martyrum felicissimam confessionem. Magnis enim rebus magnisque virtutibus rapior, et quidquid est quod in ipsis adspicio, id totum divinum atque cœleste admiror : in devotione fidem, in vita sanctitatem, in confessione constantiam, in passione victoriam. Quæ res quanto solæ in suis virtutibus fulgent, tanto sunt omnes in singulis Martyribus clariores. Placet igitur in principio caussam ipsius belli tractare, totiusque mundi discrimen necessario breviter omni celeritate discurrere, ut agnita veritate, et præmia Martyrum, et pœnas quis noverit Traditorum.

a *Surius,* religionis sanctissimæ fide. — b Memoriam *dici locum, ubi Acta Proconsularia asservabantur, observat Baronius ad hæc Acta infra num.* 16, *ubi iterum* Memoriæ *mentio fit.* — c *MS. Trevir* abolesceret.

E

## CAPUT I.

### *Martyres Abitinæ comprehensi ; Carthaginem abducti.*

*Christiani tradere sacras Scripturas recusantes :*

Temporibus namque Diocletiani et Maximiani, bellum diabolus Christianis indixit isto modo, ut sacrosancta Domini testamenta Scripturasque divinas ad exurendum peteret, basilicas Dominicas subverteret, et ritus sacros cœtusque sanctissimos celebrari Domino prohiberet. Sed non tulit exercitus Domini tam immane præceptum, sacrilegamque jussionem perhorruit : et mox fidei arma arripuit, descendit in prælium, non tam contra homines, quam contra diabolum pugnaturus. Et quamvis tradendo Gentilibus Scripturas Dominicas, atque testamenta Divina, profanis ignibus comburenda, a fidei cardine cecidere nonnulli; conservando tamen eas, et pro ipsis libenter suum sanguinem effundendo, fortiter fecere quamplurimi. Quique pleni Deo, devicto atque prostrato diabolo, victoriæ palmam in passione gestantes, sententiam in Traditores et eorum consortes ferentes, qua illos ab Ecclesiæ communione rejecerant, cuncti Martyres proprio sanguine consignabant. Fas enim non fuerat, ut in Ecclesia Dei simul essent Martyres, et Traditores. F

3 Advolabant igitur undique versum ad certaminis campum immensa agmina Confessorum, et, ubi quisque hostem repererat, castra illic Dominica collocabat. Namque in civitate *a* Abitinensi in domo *b* Occani, Felicis bellica cum caneret tuba, Dominica signa gloriosi Martyres erexerunt : ibique celebrantes ex more *c* Dominicum, a coloniæ magistratibus atque ab ipso stationario milite apprehenduntur, Saturninus Presbyter cum filiis quatuor, id est, Saturnino juniore et Felice lectoribus, Maria sanctimoniali, Hilariano *d* infante. Itemque Dativus, qui et Senator, Felix, alius Felix, Emeritus, Ampelius, Rogatianus, Quintus, Maximianus, Thelica, *e* Rogatianus, Rogatus, Januarius, Cassianus, Victorianus, Vincentius, Cæcilianus, Restituta, *f* Primæva, Rogatianus, *g* Givalius, Rogatus, Pomponia, Secunda, Januaria, Saturnina, Martinus, *h* Dantus, Felix, Margarita, *i* Major, Honorata, *k* Regula, Victorinus, Pelusius, Faustus, Dacianus, Matrona, Cæcilia, Victoria, *l* Heredina, Secunda item, Matrona, Januaria.

*conveniunt magno numero :*

4 Qui apprehensi, producebantur alacres ad forum. Ad hoc in primum certaminis campum prior Dativus ibat, quem sancti parentes candidum Senatorem

*comprehenduntur :*

*EX MSS ET SURIO*

A rem cœlesti curiæ genuerunt. Ibat etiam Saturninus Presbyter numerosa vallatus propagine liberorum. Cujus partus partem sibi sociam martyrio destinavit, partem sui nominis pignus Ecclesiæ relinquebat. Hos agmen Dominicum sequebatur, in quo fulgebat cœlestium splendor armorum, scutum fidei, lorica justitiæ, salvationis galea, et gladius *m* vibrans sermo Dei : quorum præsidio fulti, spem victoriæ fratribus promittebant. Sed jam ad supradictæ civitatis pervenerunt forum. Ibi primum aggressi confessionis palmam magistratus elogio sustulerunt. In isto namque foro jam pro Dominicis Scripturis dimicaverat cœlum, cum Fundanus ipsius civitatis quondam Episcopus Scripturas Dominicas traderet exurendas. Quibus cum magistratus sacrilegos ignes apponerent, subito imber sereno cœlo diffunditur, ignis Scripturis sanctis admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnisque ipsa regio, pro Scripturis Dominicis, elementis furentibus, devastatur.

*m constantiores sacris libris in igne illæsis.*

5 De hac igitur civitate Martyres Christi exoptata prima vincula susceperunt ; directique ad Carthaginem alacres ac læti, per totum iter hymnos Domino canticaque psallebant. Qui cum ad Officium Anulini tunc Proconsulis pervenirent, starentque in acie constanter, fortiter sævientes impetus diaboli Dominica constantia retundebant. Sed cum non contra omnes simul milites Christi diabolica rabies prævaleret, singulos in certamina postulavit. Quorum certaminum pugnas non tam meis exequar, quam Martyrum dictis : ut et sævientis hostis audacia in tormentis atque in ipsa sacrilega invectione noscatur, et Christi Domini præpotentis virtus in tolerantia Martyrum atque in ipsa confessione laudetur.

*ducuntur Carthaginem.*

B

a *Surius, et ex eo Baronius,* Abitinensi, *quæ civitas Africæ ignota est. MSS. Trevir. et Bodecense,* Abitinensi, *quæ etiam conjectura margini apud Surium adscripta est. Est autem* Abitina *urbs Episcopalis provinciæ Proconsularis Africæ. S. Augustinus lib. 7 contra Donatistas cap.* 28 *meminit* Saturnini ab Abitinis *et* Maximus Episc. Abitinensis *fuit in Collatione Carthaginensi an.* 411. — b *MS. Trevir.* Octavi. — c *Surius,* Dominica Sacramenta, *id est sacrificium Missæ. S. Cyprianus Episc. Carthagin. epistola* 63 : Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus? ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? — d *Infra num.* 24 puer *appellatur, ubi virili animo fidem confitetur, et tormenta spernit.* — e *MS. Trevir.* Rogatinus. — f *Surius,* Primi, Fus. — g *Idem,* Guinalius. — h *MS. Trevir.* Clautus. — i *Num* Major *sit proprium viri nomen, incertum. Distinctio interposita est in MS. Trevirensi, et unica est* Margarita, *cui alius apponeretur.* — k *Surius,* Regiola. — l *Idem,* Heretrina. — m *Surius,* bifrons.

## CAPUT II.

### *Quæstio in SS. Thelicam et Dativum.*

C Cum igitur ab Officio Proconsuli offeruntur, suggeriturque, quod a magistratibus Abitinensium transmissi essent Christiani, qui contra interdictum Imperatorum et Cæsarum, Collectam sive Dominicum celebrassent; primum Proconsul Dativum interrogat, cujus esset conditionis, et utrum collectas fecisset. Qui cum se Christianum, et in collecta fuisse profiteretur, auctor ab ipso collectionis sanctissimæ postulatur. Statimque jubetur Officium eumdem in eculeum sublevare, extensumque ungulis præparare. Sed cum carnifices jussa crudelia atroci velocitate complerent, starentque sævientes *b* in dictis, et denudatis ad vulnera Martyris lateribus, erectis ungulis imminerent, subito sese per medium Thelica fortissimus Martyr tormentis objecit et clamavit : Christiani sumus nos. Nos, inquit, collegimus. Statimque Proconsulis furor exarsit, et ingemiscens, spiritali gladio graviter vulneratus, Martyrem Christi gravissimis ictibus tutudit, in eculeum suspensum extendit, unguibus perstridentibus laniavit. At contra gloriosissimus Thelica Martyr media de ipsa carnificum rabie hujusmodi preces Domino cum gratiarum actione effundebat : Deo gratias. In nomine tuo, Christe Dei fili, libera servos tuos.

*S. Dativus suspenditur in eculeo*

*b*

*ut et S. Thelica, ultro prodiens*

D 7 Talia precanti Proconsul, Quis est, inquit, auctor tecum congregationis vestræ? Qui crudelius sæviente carnifice clara voce respondit : Saturninus Presbyter et omnes. O Martyrem, primatum omnibus dantem ! Non enim Presbyterum Fratribus prætulit, sed Presbytero Fratres confessionis consortio copulavit. Quærente igitur Proconsule Saturninum, ostendit : non quod illum prodidit, quem secum adversus diabolum pariter dimicare cernebat : sed ut illi panderet, integre se celebrasse collectas, quando cum ipsis etiam Presbyter fuerat. Manabat igitur cum voce sanguis Dominum deprecantis : et præceptorum Evangelii memor, inimicis suis veniam Martyr inter ipsa corporis sui laniamenta poscebat. Inter ipsos namque vulnerum gravissimos cruciatus, tortores pariter et Proconsulem his vocibus exprobrabat : Injuste facitis infelices : contra Deum facitis. Deus altissime, noli illis consentire ad hæc peccata. Peccatis infelices, adversus Deum facitis. Custodite præcepta Dei altissimi. Injuste agitis infelices : innocentes laniatis. Non sumus homicidæ : non fraudem fecimus. Deus miserere. Gratias ago tibi : Domine pro nomine tuo da mihi sufferentiam. Libera servos tuos de captivitate hujus seculi. Gratias tibi ago, nec sufficio tibi gratias agere.

*qui indicat S. Saturninum Presbyterum, præesse :*

*Matth. 5*
*orat pro torquentibus,*

*eosque admonet :*

E

8 Et cum ictibus ungularum concussa fortius latera sulcarentur, profluensque sanguinis unda violentis tractibus emanaret, Proconsulem sibi dicentem audivit : Incipies sentire, quæ vos pati oporteat. Et adjecit : Ad gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum, regnum incorruptum. Domine Jesu Christe, Christiani sumus : tibi servimus. Tu es spes nostra. Tu es spes Christianorum. Deus sanctissime, Deus altissime, Deus omnipotens. Tibi laudes pro nomine tuo reddimus Domine Deus omnipotens. Cui talia oranti cum a diabolo per Judicem diceretur : Custodire te oportuit jussionem Imperatorum et Cæsarum; defatigato jam corpore, forti atque constanti sermone victrix anima proclamavit : Non curo, nisi legem Dei, quam didici : ipsam custodio, pro ipsa morior, in ipsa consummor lege Dei, præter quam non est alia. Talibus itaque dictis gloriosissimus Martyr in suis tormentis magis ipse Anulinum torquebat. Cujus tandem rabies ferocitate saginata, Parce, inquit, reclusumque in carcerem, passioni condignæ Martyrem destinavit.

*inter tormenta constans,*

*Deum invocat :*

*includitur carceri*

9 Post hunc Dativus a Domino in certamine erigitur, qui Thelicæ fortissimum prælium, de proximo cominus cum penderet eculeo spectaverat expensus, idemque cum se voce sæpius repetita Christianum esse, et collectam fecisse fortiter proclamaret, emersit *c* Fortunatianus sanctissimæ Victoriæ Martyris frater, vir sane togatus, sed a religionis Christianæ sanctissimo cultu ipsis temporibus alienus : qui suspensum in eculeo Martyrem, profanis vocibus hactenus arguebat. Hic est, ait, Domine, qui per absentiam patris nostri, nobis hic studentibus, sororem nostram Victoriam seducens, hinc de splendidissima Carthaginis civitate una cum Secunda, et Restituta, ad Abitinensem coloniam secum usque perduxit. Quique numquam domum nostram ingressus est, nisi tunc, quando quibusdam persuasionibus puellares animos illiciebat. Sed enim non tulit Victoria, clarissima Martyr Domini, collegam et commartyrem suum falso appeti Senatorem. Statimque Christiana libertate prorumpens, Nullius, inquit, persuasione profecta sum, nec cum ipso ad Abitinas veni. Hoc possum per cives probare. Omnia mea sponte atque voluntate perfeci. Nam et in collecta fui, et Dominicum cum Fratribus celebravi, quia Christiana sum. Tunc impudens advocatus maledicta exaggerabat in Martyrem. Et contra Martyr gloriosus de eculeo, cuncta vera responsione solvebat.

F

*c*

*S. Dativus in eculeo suspensus,*

*accusatur a Fortunatiano*

*defenditur a S. Victoria hujus sorore*

10 Inter

*durissime torquetur :*

10 Inter hæc Anulinus ardescens, premi ungulas in Martyrem jubet. Statim carnifices in nuda præparataque ictibus latera cruentis vulneribus venerunt. Advolabant truces manus jussis velocibus leviores secretaque pectoris, disruptis cutibus visceribusque divulsis, nefandis adspectibus profanorum adnexa crudelitate pandebant. Inter hæc Martyris mens immobilis perstat ; et licet membra rumpantur, divellantur viscera, latera dissipentur, animus tamen Martyris integer, inconcussusque perdurat. Denique dignitatis suæ memor Dativus, qui et Senator, tali voce preces Domino sub carnifice rabiente fundebat : O Christe Domine, non confundar. His dictis beatissimus Martyr actibus, quod a Domino poposcerat, tam facile meruit, quam breviter postulavit.

*fortiter tolerat :*

11 Denique mox Proconsulis, mente concussa, lingua, Parce, prosilivit. Cessavere carnifices : fas enim non erat, Martyrem Christi in commartyris suæ Victoriæ caussa torqueri. Namque cum contra eum Pompeianus suspicionis indignæ sævus accusator accederet, calumniosamque conjungeret actionem, despectus a Martyre est et d retusus : Quid agis hoc in loco diabole? Quid contra Martyres Christi adhuc usque conaris? a Senatore Domini ac Martyre, et potestas simul et forensis rabies superata est. Sed quoniam debuerat clarissimus Martyr etiam pro Christo torqueri, cum interrogatus, utrum in Collecta fuisset, profiteretur constanter et diceret, ad Collectas se supervenisse, et Dominicum cum Fratribus congrua religionis devotione celebrasse, auctoremque ejusdem collectionis sanctissimæ non unum fuisse, in sese Proconsulem rursus acrius excitavit. Cujus recrudescente sævitia, geminata Martyris dignitas iterato ungulis sulcantibus exaratur. At Martyr inter vulnerum cruciatus gravissimos pristinam suam repetens orationem, Rogo, ait, Christe, non confundar. Quid feci? Saturninus est Presbyter noster.

*calumniatorem despicit, confessus se adfuisse sacrificio. iterum torquetur.*

12 Ejus cum latera dura carnifices, magistra crudelitate monstrante, aduncis ungulis raderent, Saturninus Presbyter ad prælium postulatur. Quique cœlestis regni contemplatione considerans parva admodum ac levia suos Commartyres sustinere, congredi etiam ipse taliter cœpit. Nam dicente Proconsule : Tu contra jussionem Imperatorum et Cæsarum fecisti, ut hos omnes colligeres? respondit Presbyter Saturninus : Domini Spiritu suggerente, securi Dominicum celebravimus. Proconsul ait : Quare? Respondit : Quia non potest intermitti Dominicum. Qui mox, ut hæc dixit, contra Dativum statim jubetur aptari.

*S. Saturninus Presbyter profitetur sacra sua opera.*

13 Spectabat interea Dativus lanienam corporis sui potius quam dolebat : et cujus ad Dominum mens animusque pendebat, nihil dolorem corporis æstimabat : sed tantum ad Dominum precabatur dicens : Subveni rogo, Christe : habe pietatem, serva animam meam, custodi spiritum meum, ut non confundar : rogo Christe, da sufferentiam. Cui cum a Proconsule diceretur : Ex hac splendidissima civitate magis debueras alios ad bonam mentem vocare, et non contra præceptum Imperatorum et Cæsarum facere ; fortius atque constantius exclamat : Christianus sum. Qua voce diabolus superatus, Parce, inquit. Similque illum in carcerem tradens, passioni condignæ Martyrem reservavit.

*S. Dativus Deum invocat : constans in fide, carceri includitur.*

*Collecta*

a Collecta, *sive* collectio, *est congregatio et conventus Christianorum ad orandum ; et sumitur pro sacrificio Missæ coram populo oblato, ut Missæ solitariæ sive privatæ opponitur secundum Odonem Episc. Cameracensem in expositione Canonis Missæ. De collecta egimus cum S. Hieronymo ad Vitam S. Paulæ vidua* 26 *Janu. cap.* 8 *num.* 32. — b *Baronius*, invictis — c *MS.* Fortunacius. — d *Sur.* percussus. — e *Deest Surio et Baronio vox*, non.

## CAPUT III.

### *Quæstio in SS. Saturninum Presbyterum, Emeritum et socios : obitus duorum Felicium inter tormenta.*

At vero Presbyter Saturninus, recenti Martyrum sanguine delibutus, cum penderet in eculeo, admonebatur in eorum fide persistere, in quorum cruore perstabat. Hic cum interrogaretur, utrum auctor ipse esset, et omnes ipse adunasset, et diceret : Ego præsens in Collecta fui : Emeritus Lector ad certamen exiliens, congrediente Presbytero, Ego sum auctor, inquit, in cujus domo Collectæ factæ sunt. At Proconsul, qui jam toties victus fuerat, impetus Emeriti perhorrebat : et tamen in Presbyterum versus. Quare contra præceptum faciebas, inquit, secundum quod profiteris, Saturnine? Cui Saturninus : Intermitti Dominicum non potest, ait. Lex sic jubet. Tunc Proconsul : Non tamen debuisti prohibita contemnere, sed observare potius, et non facere contra præceptum Imperatorum. Et meditata jamdiu in Martyribus voce, a tortorem sævire commonuit : cui non pigro paretur obsequio. Nam carnifices in senile corpus Presbyteri ruunt, et grassante rabie, rupta nervorum connexione, discerpunt illud ingemiscenda supplicia et novi generis in Sacerdotem Dei exquisita tormenta. Videres quasi in pabulum vulnerum fame rabida sævire carnifices, apertisque visceribus, ad horrorem videntium inter ruborem sanguinis, ossa nudata pallere, et, ne inter moras torquentium, exclusa anima corpus supplicio pendente desereret, tali voce Dominum Presbyter precabatur : Rogo Christe, exaudi me. Gratias tibi ago Deus, jube me decollari. Rogo, Christe, miserere : Dei fili subveni. Cui Proconsul : Quare contra præceptum faciebas? et Presbyter : Lex sic jubet ; lex sic docet, inquit. O admiranda satis ac prædicandi Presbyteri Doctoris Divina responsio! Legem sanctissimam etiam in tormentis Presbyter prædicat, pro qua libenter supplicia sustinebat. Legis denique voce deterritus Anulinus : Parce, inquit : eumque in custodiam carceris redigens, exoptato supplicio destinavit.

*S. Saturninus pendens in eculeo. a profitetur legem Christi, atrociter cruciatur : includitur carceri.*

15 At vero Emerito applicito, In tua, inquit Proconsul, domo Collectæ factæ sunt contra præcepta Imperatorum? Emeritus sancto spiritu inundatus, In domo mea, inquit, egimus Dominicum. At ille : Quare permittebas, ait, illos ingredi? Respondit : Quoniam fratres mei sunt, et non poteram illos prohibere. Prohibere, inquit, illos debuisti. At ille : Non poteram, quoniam sine Dominico non possumus. Statim etiam ipse in eculeo jubetur extendi, extensusque vexari. Qui cum validos ictus innovato carnifice pateretur, Rogo, ait, Christe subveni mihi. Contra Dei præceptum facitis, o infelices. Et interloquendo Proconsul, Non opportuerat te, inquit, eos suscipere ; respondit : Non poteram, nisi susciperem fratres meos. At Proconsul sacrilegus, Sed prior, inquit, erat jussio Imperatorum et Cæsarum. Contra religiosissimus Martyr : Deus, inquit, major est, non Imperatores. Rogo Christe : tibi laudes refero, da sufferentiam.

*S. Emeritus constantissime respondet. in eculeo extenditur*

16 Cui talia precanti, hæc Proconsul injecit : Habes ergo scripturas aliquas in domo tua? Et respondit : Habeo, sed in corde meo. Et Proconsul : In domo tua, inquit, habes, an non? Emeritus Martyr ait : In corde meo illas habeo. Rogo Christe : tibi laudes effero : libera me Christe ; patior in nomine tuo. Breviter patior, libenter patior. Christe Domine, non confundar. O Martyrem Apostoli memorem, qui legem Domini conscriptam habuit non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in

*2 Cor. 3. Scripturam sacram habet cordi inscriptam.*

*Ex MSS. et Surio.*

*traditoribus adjungi horret.*

A in tabulis cordis carnalibus. O Martyrem legis sacræ idoneum diligentissimumque custodem, qui Traditorum facinus perhorrescens, Scripturas Dominicas ne perderet, intra secreta sui pectoris collocavit! Quo cognito, Proconsul, Parce, inquit : ejusque professionem in Memoriam una cum ceterorum confessionibus redigens, Pro meritis vestris omnes, inquit, secundum confessionem vestram pœnas meritas persolvetis.

*S. Felix cum aliis fidem profitetur*

17 Sed jam ferina rabies, ore cruento tormentis Martyrum saginata, languebat. Sed cum Felix nomine et passione, processisset in prælium, aciesque Domini omnis incorrupta invictaque perstaret, tyrannus mente prostratus, voce dimissa, anima et corpore dissolutus, Spero vos, inquit, hanc partem potius eligere, qua possitis vivere, ut jussiones conservetis. Contra quæ Confessores Domini, invicti Martyres Christi, tamquam ex uno ore dixerunt : Christiani sumus : non possumus Domini legem sanctam nisi usque ad effusionem sanguinis custodire. Qua voce percussus inimicus, Felici dicebat : Non quæro, utrum Christianus sis, sed an Collectas fatearis, vel Scripturas aliquas habeas. O stulta Judicis, et ridenda interrogatio! Christianus, inquit, B utrum sis tace. Et addidit : Si in Collecta fuisti, responde. Quasi Christianus, sine Dominico esse possit, aut Dominicum sine Christiano celebrari. An nescis satanas, in Dominico Christianum, et in Christiano Dominicum constitutum, nec alterum sine altero valere aut esse? Cum nomen audieris, frequentiam Domini disce : et cum Collectas audieris, nomen agnosce. Denique cognosceris a Martyre et rideris : et tali responsione confunderis : Collectam, inquit, gloriosissimam celebravimus, ad Scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper. Qua professione concussus graviter Anulinus, fustibus cæsum exanimem, cœlesti consilio Martyrem *b* prope ante ipsa tribunalia, expleta passione, consociat.

*fustibus occiditur :*

*b*

18 Sed Felicem alius sequitur Felix, nomine pariter et confessione atque ipsa passione consimilis. Pari etenim virtute congressus, etiam ipse fustium illusione quassatus, animam in tormenta carceris ponens, superioris Felicis est martyrio copulatus.

*uti alter S. Felix*

19 Post hos suscepit certamen Ampelius custos legis, Scripturarumque divinarum fidelissimus conservator. Hic quærenti Proconsuli, an in Collecta fuisset, hilaris atque securus alacri voce respondit : C Cum fratribus feci Collectam, Dominicum celebravi, et Scripturas Dominicas habeo mecum, sed in corde meo conscriptas. Christe, tibi laudes refero : exaudi Christe. Cui cum hæc dixisset, *c* cervicibus contusus, quasi lumen Dominici tabernaculi, lætus in carcerem cum fratribus relegatur. Hunc sequitur Rogatianus, qui confessus Domini nomen, supradictis fratribus jungebatur illæsus. Quintus vero applicitus, nomen Domini egregie magnificeque confessus, cæsus fustibus in carcerem traditur, condigno martyrio reservatus. Hunc sequebatur Maximus, in confessione par, in congressione similis, in victoriæ triumphis æqualis. Post quem junior Felix, spem salutemque Christianorum Dominicum esse proclamans. Cum similiter etiam ipse fustibus cæderetur, Ego, inquit, devota mente celebravi Dominicum, Collectam cum fratribus feci, quia Christianus sum. Qua Confessione supradictis fratribus meruit etiam ipse sociari.

*carceri includuntur SS. Ampelius, c Rogatianus, Quintus, Maximianus, Felix junior.*

a *Surius*, terrorem suæ iræ commovit. — b *Idem*, properantem ad siderea tribunalia. — c *MS. Trec.* cervicatus contusus. *S. Augustinus in Psalm.* 128 superbos *appellat* cervicatos.

## CAPUT IV.

### *Quæstio in SS. Saturninum juniorem, Victoriam Virginem et Hilarionem puerum.*

*S. Saturninus junior in confessione constans.*

At junior Saturninus, Martyris Saturnini Presbyteri sancta progenies, in certamen optatum festinus accessit, properans patris virtutibus gloriosissimis adæquari. Cui cum Proconsul furibundus, diabolo suggerente, dixisset, Et tu Saturnine interfuisti? respondit Saturninus : Christianus sum. Non a te quæro hoc, ait, sed utrum egeris Dominicum. Cui respondit Saturninus : Egi Dominicum, quia Salvator est Christus. Quo nomine Salvatoris audito, Anulinus exarsit, et in filium, patrium instaurat eculeum. Extensoque Saturnino, Quid, inquit, Saturnine profiteris? Vides ubi positus sis? Habes Scripturas aliquas? Respondit : Christianus sum. Proconsul vero ait : Ego quæro, an conveneris, et an Scripturas habeas? Respondit? Christianus sum, aliud non est nomen, quod post Christum, oportet nos sanctum observare. Qua confessione diabolus inflammatus, Quoniam permanes, inquit, in obstinatione tua, etiam tormentis oportet te fateri, an aliquas Scripturas habeas. Et ad Officium dixit : E Vexa illum. Ibant in adolescentis latera paternis vulneribus lassati tortores, et adhuc humentem in ungulis patrium sanguinem, cognato filii cruori miscebant. Videres per hiantium vulnerum sulcos de lateribus nati, genitoris sanguinem fluentem, et cruorem filii paterno permixtum ungulis rotantibus emanare. At juvenis gemini sanguinis admixtione recreatus, medelam potius, quam tormenta sentiebat : et *a* recepta in tormentis fortitudine, fortissimis vocibus exclamabat : Scripturas Dominicas habeo, sed in corde meo. Rogo Christe, da sufferentiam. Spes est vitæ. Anulinus inquit : Quare contra præceptum faciebas? Respondit : Quia Christianus sum. Quo audito, Parce, inquit. Et statim cessante tormento, in patrium consortium relegatur.

*torquetur eculeo :*

*a atque invictus carceri includitur.*

21 Interea mergebatur in noctem horis labentibus dies, et consumptis cum sole tormentis, defatigata tortorum rabies, cum sui Judicis crudelitate languebat. Sed legiones Dominicæ, in quibus Christus, perpetuum lumen, armorum cœlestium corusco splendore fulgebat, fortius atque constantius in certamina prosiliebant. Cum vero adversarius Domini tot Martyrum præliis gloriosissimis victus, tantisque ac talibus congressionibus superatus, desertus a die, F comprehensus a nocte, deficiente jam carnificum rabie profligatus, cum singulis congredi ulterius non valeret; totius exercitus Domini animos percontatur, devotasque Confessorum mentes tali interrogatione propulsat : Audistis, inquit, eos, qui perseveraverunt, quid sustinuerunt, vel quid in sua confessione perstantes, adhuc habeant sustinere. Et ideo qui vult vestrum ad indulgentiam pervenire, ut salvus esse possit, profiteatur. Ad hæc Confessores Domini, gloriosi Martyres Christi, læti ac triumphantes simul, non ex Proconsulis dictis, sed ex victoria passionis Spiritu sancto ferventes, fortius clariusque, tamquam uno ex ore, dixerunt : Christiani sumus. Qua voce prostratus est diabolus, et concidit Anulinus, confususque omnes in carcerem trudens, Sanctos illos martyrio destinavit.

*Omnes ad certamina anhelant :*

*constanter fidem profitentur.*

22 Et ne devotissimus fœminarum sexus, florentissimusque sacrarum Virginum chorus certaminis tanti gloria privaretur, omnes fœminæ, Christo Domino auxiliante, in Victoria congressæ sunt et coronatæ. Etenim Victoria sanctissima fœminarum, flos Virginum, decus et dignitas Confessorum, honesta natalibus, religione sanctissima, moribus temperata (in qua naturæ bonum candida pudicitia relucebat, respondebatque

*S. Victoria illustris puella.*

A respondebatque pulchritudini corporis fides pulchrior mentis, et integritas sanctitatis) ad secundam palmam restitutam se in Domini martyrio lætabatur. *nuptias fugit:* Huic namque ab infantia jam clara pudicitiæ signa fulgebant, et in rudibus jam annis, apparebat rigor castissimus mentis, et quædam dignitas futuræ passionis. Denique postquam plena virginitas adultum ætatis tempus explevit, cum puella nolens et reluctans in nuptias a parentibus cogeretur *b* invitæque sibi traderent sponsum parentes, ut prædonem fugeret, clam sese per præceps puella demittit, aurisque famulantibus supportata, incolumis gremio terræ suscipitur. Neque fuerat postmodum etiam pro Christo Domino passura, si pro sola tunc pudicitia moreretur. *inter Virgines consecratur:* Liberata igitur nuptialibus tedis, illusoque simul cum parentibus sponso, media pene de ipsa nuptiarum frequentia prosiliens, ad ædem pudicitiæ portumque pudoris Ecclesiam intacta virgo confugit: ibique consecrati Deo dicatique capitis in perpetua virginitate sacratissimum crinem inconcusso pudore servavit.

23 Hæc ergo ad martyrium properans, florentem pudicitiæ palmam triumphali dextera præferebat. *constanter fidem Christi profitetur,* Namque interroganti Proconsuli, quid profiteretur, clara voce respondit: Christiana sum. Et cum a B Fortunatiano fratre togato ejusque defensore, variis argumentationibus mente capta esse diceretur, Victoria respondit: Mens mea est, numquam mutata sum. *immota inter blanditias fratris, et Proconsulis.* Ad hæc Proconsul: Vis ire, inquit, cum Fortunatiano fratre tuo? Respondit: Nolo, quia Christiana sum: et illi sunt fratres mei, qui Dei præcepta custodiunt. O puellam Divinæ legis auctoritate fundatam! O Virginem gloriosam, æterno Regi merito consecratam! O beatissimam Martyrem, Evangelica professione clarissimam, quæ Dominica voce *Matt. 12.* respondit: Hi sunt fratres mei, qui Dei præcepta custodiunt. Quibus auditis, Anulinus deposita judicis auctoritate ad puellæ persuasionem descendit. Consule tibi, inquit. Vides enim fratrem tuum providere cupientem saluti tuæ. Cui Martyr Christi: Mens mea est, inquit: numquam mutata sum. Nam D et in Collecta fui, et Dominicum cum Fratribus celebravi: quia Christiana sum. Mox cum hæc Anulinus audisset, furiis agitatus exarsit, et puellam, sacratissimam Martyrem Christi, in carcerem una cum ceteris relegans, passioni omnes dominicæ reservavit.

24 Sed Hilarianus adhuc supererat, unus de natis Presbyteri Martyris Saturnini, qui ætatem suam *S. Hilarianus puer* parvulam ingenti devotione vincebat. Hic patris fratrumque triumphis approperans jungi, diras tyranni minas non tam exhorruit, quam in nihilum duxit. Huic cum diceretur, Patrem tuum aut fratres tuos *virili animo Christum confitetur:* secutus es? subito brevi de corpore vox juvenilis auditur, et angustum pueri pectus ad confessionem Domini totum aperitur in voce respondentis: Christianus sum, et mea sponte atque voluntate cum patre meo et cum fratribus feci Collectam. Audiebas patris Saturnini Martyris vocem per dulcis filii meatus exire, et confitentem Christum Dominum linguam, de fratris exemplo *c* securam. Sed Proconsul C stultus, non intelligens contra se, non homines, sed Deum in Martyribus dimicare, nec quia in puerilibus annis ingentes animos sentiebat, putabat puerum tormentis infantiæ posse terreri: denique, Amputabo, inquit, et collum tibi, et nasum, et auriculas, E et sic te dimitto. Ad hæc Hilarianus puer, patris fratrumque virtutibus gloriosus, qui jam didicerat a majoribus suis tormenta contemnere, clara voce respondit: Quicquid facere volueris, fac, quia Christianus sum. Mox in carcerem recipi etiam ipse jubetur, ingentique cum gaudio vox Hilariani auditur, *tormenta spernit.* dicentis: Deo gratias. Hic certaminis magni pugna perficitur. Hic diabolus superatur et vincitur. Hic Martyres Christi de passionibus futuræ gloriæ æterna congratulatione lætantur. *d*

a *MS. Trevir* decepto in tormentis tortori. — b *Surius*, invitamque tradere sponso prædo suggereret. — c *Idem*, secuturam. — d *Reliqua desunt, aut a Donatistis corrupta.*

### DE SANCTIS MARTYRIBUS

# LUCIO EPISCOPO, ET SOCIIS

## HADRIANOPOLI IN THRACIA.

G. H.

AN. CHR. CCCXLVIII, XI FEBR.

*Cum Ariana perfidia, auctoritate primum Constantini Magni aliquantulum repressa, imperante Constantio ejus filio, caput erexisset; graves et continui tumultus Ecclesiam infestam habuerunt. Tunc, (ut ea, quæ huc spectant, solum referamus), anno* CCCXLI, *a morte Constantini quinto, Marcellino et Probino Coss. Indict.* XIV, *præsente Constantio Imperatore conciliabulum Antiochiæ, cum nova basilica dedicaretur, celebratum est; in quo Gregorius Cappadox in Alexandrinam Sedem intrusus est, et civitatem illam ingenti cæde replevit anno sequente* CCCXLII. *At S. Athanasius clam dilapsus Romam confugit: uti ipse testatur in epistola ad Orthodoxos, referuntque Socrates lib. 2 cap. 5 et 8, et Sozomenus lib. 3 cap. 5 et 7, ubi hæc habet:*

*Perfidia Arianorum cum aliis Catholicis Episcopis,*

*Sede sua pulsus, S. Lucius Romæ degit:* Athanasius autem fugiens Alexandria, Romam adventavit. Eodem tempore Paulum etiam Constantinopolitanum Episcopum contigit eo venire.... Itemque Lucius Episcopus Hadrianopolitanus, ab aliis accusatus, ac sua, quam regebat, Ecclesia spoliatus, Romæ degebat. *Est autem Hadrianopolis illustris Thraciæ in Hæmimontis provincia metropolis.*

2 *S. Athanasius triennio post, quam Romam advenerat, accitus a Constante Imp. fratre Constantii, Mediolanum venit: actumque de convocando concilio, ac tandem consentientibus Constante et Constantio indicta est Sardicensis Synodus, habitaque anno* CCCXLVII, *cui interfuerunt Episcopi* CCCLXX, *plerique Catholici, Ariani nonnulli: sed his se subducentibus, restituti sunt cum S. Athanasio plerique Episcopi, ac forte inter illos S. Lucius, nisi id citius factum. Fuit autem Sardica in Illyrico, ad ipsa fere Orientalis et Occidentalis Imperii confinia: montis interstitio, cui nomen* Tituris, *separata a Philippis Thraciæ urbe, ad quam Ariani dilapsi conciliabulum eodem tempore celebrarunt. In eo hi statuerunt, uti* Consubstantialis *vox de Christo a nullo deinceps usurparetur. At contra apud Sardicenses Nicæna fides, damnatis iterum hæreticis, approbata est. Quæ pluribus prosequuntur Socrates, Sozomenus aliique istorum temporum scriptores, et ipse etiam S. Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes, ubi* S. Lucii *aliorumque Hadrianopolitanorum Martyrium subjungit, his verbis:*

*restituitur forte in Sardicensi Synodo.*

3 Synodus porro ad istum modum soluta est. Qui autem exauctorati erant, cum æquum esset, ut vel sic acquiescerent una cum iis, qui tam fœda fuga recesserant, ea perpetrarunt, ut priora eorum facinora pro minimis sint æstimanda. Cum enim eorum communionem, ut fugientium a Synodo et noxiorum, Hadrianopolitani aversarentur, rem detulerunt ad Imperatorem Constantium, effeceruntque, ut illi e loco,

*Hadrianopolitani renuentes recipere Arianos,*

A loco, Fabrica cognomine, more laicorum capitibus truncarentur, administro in istis rebus Phylagrio, iterum Comite Constituto. Hujus rei monumenta ante urbem consistunt, quæ nos prætereuntes vidimus : idque ideo fecerunt, quod eo modo, ne sycophantæ haberentur, se posse fugam suam corrigere existimarent. Imperator vero hæc ita fieri jusserat... Lucii porro Adrianopoleos Episcopi, quod is plurima adversus illos audacia uteretur, eorumque impietatem redargueret, manus cervicemque iterum, ut prius, ferro vinxerunt, vinctumque in exilium deportarunt : ibique, quod illos minime latet, extinctus est. *Hæc S. Athanasius, qui iterum in Apologia ad Constantium Imperatorem sævitiam Arianorum inculcans, ita scribit :* Quem, quæso, in persequendo assecuti, non omnibus, quibus libuit, contumeliis vexarunt? Cui non in ipsorum manus delapso, eam vim adhibuerunt, ut vel misere periret, vel undecumque mutilaretur? Quis locus non ipsorum sævitiæ monumenta possidet? Quæ Ecclesia non luget eorum insidias? nonne in mœrore est... Hadrianopolis, ob Eutropium Christo addictissimum, deinde ob Lucium, qui ipsorum opera sæpe et catenas gestavit, et in catenis mortem oppetiit? *Hæc ibi S. Athanasius, et ex eo Theodoretus lib. 2 Hist. Eccl. cap.* 15. D

*AUCTORE G. H. capite plectuntur :*

*S. Lucius Ep. exul moritur,*

*sæpius ante pro Christo incarceratus.*

4 *Baronius relato ad an.* 348 *priore S. Athanasii loco, addit num.* 3 *:* Porro cum Lucii, tum reliquorum Hadrianopolitanorum Martyrum tunc passorum natalis dies anniversaria commemoratione tertio Idus Februarii in Ecclesia Catholica celebratur. *Quo die ita habet Martyrologium Romanum :* Hadrianopoli sanctorum Martyrum Lucii Episcopi, et sociorum ejus; qui sub Constantio ab Arianis multa perpessus, in vinculis martyrium consummavit : ceteri vero nobiliores civium, eum Arianos in Sardicensi concilio tunc damnatos recipere noluissent, a Philagrio Comite capitalem sententiam exceperunt. *Quorum Martyrum tanta constantia, ut annotat Baronius, merito a tanto auctore S. Athanasio* meruit monumentis perpetuis commendari.

*Ejus ac ceterorum cultus sacer.*

# DE S. JONA MONACHO

## HORTULANO CŒNOBII MUCHONSE IN ÆGYPTO.

G. H.

*SECULO CIRC. IV XI FEBR.*

*S. Jonæ natalis,*

*Acta ex Vita S. Pachomii.*

A*dscriptus est Fastis Romanis Jonas monachus* XI *Februarii, his verbis :* In Ægypto S. Jonæ monachi, virtutibus clari. *Ubi annotat Baronius ab hoc diversum esse* Jonam, *quem Græci colunt* XXI *Septembris : quod is vitam monasticam exercuerit in Palæstina in monasterio S. Sabæ ; hic autem, de quo jam agimus, in Ægypto vixerit, sub disciplina S. Pachomii, saltem sub finem. Acta hujus damus ex Vita ejusdem S. Pachomii decerpta, quæ extant apud Lipomanum tomo* 6 *et Surium* 14, *Maii opera Gentiani Herveti e Græco Latine reddita, singula suo loco accurate discutientur.*

## VITA

*Subduntur S. Pachomio plura monasteria :*

*etiam Muchonse :*

*in hoc degit S. Jonas,*

Senex aliquis, nomine Eponychus, præfectus monasterii antiquissimorum Fratrum et perfectorum, magnum rogabat Pachomium, ut ipsum assumeret et sibi conjungeret, et ejus monasterium, quod dicebatur Chenoboscia, ipsius quoque Fratres acciperet, et suo conjungeret monasterio. Ille vero ei C acquiescens, illuc quoque Fratres adduxit ex proprio monasterio. Cumque Deum pro eis orasset, et præcepisset Fratribus, qui prius illic erant, ut hi suas omnino regulas sequerentur ; et eis quoque formas pro more præbuisset, et eis constituisset, ut viverent convenienter regulis primi monasterii; ipse Domino agebat gratias propter salutem Fratrum. Eodem modo rursus rogatus a Fratribus, qui degebant in monasterio Muchonse, ut eorum curam post Deum susciperet, cessit Pater : et cum eis quoque fecisset easdem constitutiones, et eos coaptasset inter proprios Fratres ; ipsos etiam commendavit Domino, qui facit mirabilia, et eos, qui volunt salvi fieri, tradit et committit suis Sanctis.

2 In hoc monasterio erat quidam antiquus et valde sanctus, diligens Dominum, nomine Jonas, exercitator perfectissimus, cujus etiam vivendi rationem ad multorum utilitatem, Deo adjuvante, narrabo. Nam cum magnus Pachomius studiose ac diligenter in unoquoque monasterio constituisset Fratres potentes spiritu ad reliquos gubernandos, ipseque certis interjectis intervallis visitaret monasteria et illuc quoque venisset ; dum ipse ingrederetur in monasterium, stabat ficus alta admodum, in qua solebant quidam pueri clam adscendentes, ex ea sumere fructus et comedere. Cum hoc autem vidisset ille Magnus, et ei appropinquasset, videt spiritum quemdam immundum, qui sedebat super ipsam. Cum vero cognovisset hunc esse dæmonem gulæ, et exploratum habuisset hunc esse, qui maxime decipiebat juvenes, vocat prædictum Fratrem, qui erat hortulanus monasterii, et dicit ei : Excinde Frater hanc ficum. Est enim indecorum eam stare in medio monasterii, propterea quod ea afferat offensionem iis, qui cognitione nequaquam sunt stabiliti. Is autem cum hoc audiisset, magno dolore est affectus, et dicit illi Magno : Nequaquam, o Pater : magnum enim fructum solemus ex ea percipere. Cum eum autem vidisset affectum molestia, sciretque ejus vitam admirabilem et utilem, noluit quidem eum amplius cogere, ne afficeretur majori tristitia. Sequenti vero die visa est arbor adeo sicca, ut nec folium viride, neque fructus in ea omnino inveniretur. Cum ergo vidisset B. Jonas (ita enim vocabatur senex) id, quod factum fuerat, majorem accepit dolorem ex inobedientia, quod, cum dixisset Sanctus, non eam statim omni studio et alacritate animi excidisset.

*hortulanus,*

*miraculo promptam obedientiam edoctus :*

3 Is cum octoginta quinque annos egisset in mo- F nasterio, et vitam exercuisset admodum honestam et venerandam, solusque horti curam gereret, et frugiferas ipse plantasset arbores, nullum unquam omnino fructum gustavit usque ad mortem, omnibus Fratribus, hospitibus, et iis, qui circumcirca incolebant, vescentibus fructibus usque ad satietatem.

*85 annos fructus non gustavit*

4 Indumentum autem ejus erat hujusmodi : Cum tres solas ovis pelles conjunxisset, iis solis fuit contentus ad omnem amictum corporis, nihil aliud induens, nec hyeme, nec æstate. Habebat vero unum lebitonem, quo induebatur tempore divinorum et intemeratorum Sacramentorum corporis Domini nostri Jesu Christi : et cum primum communicasset, eum rursus exuebat et reponebat, mundum servans octoginta quinque annos. Quid sit autem corporis quies, nesciebat quidem, quod ipse lubenter semper operabatur, et cum magno studio et animi alacritate. Sed neque cocti aliquid unquam sumpsit : sed toto tempore vitæ suæ cruda olera comminuta comedebat cum aceto. Asserebant autem quidam ex Fratribus, quod nec poterat quidem domum nosse nosocomii.

*ejus vestis,*

*cibus,*

5 Accedit his omnibus, quod numquam recubuit supra dorsum usque ad mortem : sed interdiu quidem hortum operabatur : circa occasum autem Solis, cum

*somnus,*

A cum cibum sumpsisset, ingrediebatur in suam cellam, et sellæ insidens, in medio cellæ funes contexebat usque ad conventum nocturnum: et sic contingebat ei somnum parumper videre propter naturalem necessitatem corporis, sedenti et in manibus habenti juncos, qui ab eo texebantur. Hoc vero faciebat non ad lucernam, aut ad ignem aliquem, sed in obscuris sedens tenebris, et Scripturas memoriter recitans. Alia quoque plurima laude digna faciebat beatus senex Jonas, quæ scribere non est præsentis temporis: ne, si in infinitam longitudinem produxerimus orationem, negligentioribus auditoribus tædium afferamus. Hunc novo quodam modo fama est obdormiisse. Sellæ enim suæ insidens, et juncos texens, ut solebat, sic requievit, ut ipso mortuo, invenirentur junci in ejus manibus. Narrant autem Fratres de ejus sepultura rem vere admirabilem, et dignam quæ mandetur scriptis. Nam cum ejus pedes non potuissent extendi, propterea quod instar ligni obduruissent in ea, in qua decesserat, figura: neque ejus manus possent contrahi, aut appropinquare reliquo corpori: neque rursus concederet, ut tunica exueretur pellicea, eum involventes perinde, ac lignorum sarcinam, sic coacti sunt eum mandare sepulturæ. D

*cui immortuus,*

EX VITIS PP.

*in vestibus sepelitur.*

# DE S. LAZARO EPISC. MEDIOLANENSI,

## Commentarius historicus.

G. H.

### § I. *Tempus Sedis S. Lazari. Gothorum infestatio. Epigramma S. Ennodii.*

CIRCA ANNUM CDXLIX. XI FEBR.

*S. Lazarus a S. Ennodio inter Sanctos habitus,*

De S. Lazaro, *quem aliqui* Lazarium *appellant, nihil admodum ab antiquis exstat litteris traditum, præter aliquot disticha S. Ennodii* B *Episcopi Ticinensis, qui sub initium seculi* VI *inter alia poemata, laudes duodecim Antistitum Mediolanensium totidem epigrammatibus celebravit, et eo quidem ordine, quo Sedem eam tenuerunt ab S. Ambrosio ad Theodorum. Lubet titulos singulorum proponere, e quibus gloria S. Lazaro accedit. Sunt autem ejusmodi:* De vita et actibus S. Ambrosii Episcopi. De S. Simpliciano Episcopo successore ejus. De B. Venerio sequente. De venerabilis Maroli successione. De cultore Dei Martiniano Episcopo. De Venerabili Glycerio Episcopo. De S. Lazaro Antistite. De amico Dei Eusebio Episcopo. De Gerontio Episc. De Venerabili Benigno Episc. De beatissimo viro Senatore Episc. De Domno Theodoro virtutum omnium Episcopo. *Hæc ibi. Et quamvis hi omnes ea vitæ sanctimonia conspicui fuerint, ut, ultimo Theodoro excepto, reliqui non solum apud suos Mediolanenses anniversaria solemnitate celebrentur, sed tabulis etiam Martyrologii Romani sint adscripti; ille tamen* Sancti *titulus apud Ennodium tantum attribuitur Ambrosio, Simpliciano, et Lazaro: ut videantur hi præ ceteris sanctitatis opinione excelluisse. De* S. Lazaro *autem ita canit S. Ennodius epigrammate* 83.

*Epigrammate honoratus:*

Lazarus ut diri premeret pede culmina mundi,
C Vocibus acritus, trux venit in medium.
Quem frons læta parum, vitiis depinxerat hostem,
Mulcantem culpas luminibus tacitis.
Respiciens lapsus, detersit nubila vitæ:
Curam sæpe dedit vulneris obsequio.
Non latuit, tectis facinus qui gessit in antris:
Absens criminibus tortor ubique fuit.
Innocuis placida vernabat luce serenus,
Ceu speculum noxis injiciens faciem.

*præfuit Ecclesiæ Mediolanensi 11 annos:*

2 Annos undecim Ecclesiæ Mediolanensi præfuisse *scribunt fere omnes, quotquot de ejus agunt Ecclesiæ Antistitibus, Donatus Bossius in Chronico Mediolanensi anno* MCDXCII *Mediolani excuso; Joannes de Deis de successoribus S. Barnabæ in ecclesia Mediolanensi ex MSS. Vaticano et Sirletiano; Petrus Galesinius in Tabula Archiepiscoporum Mediolanensium, dein Actis Synodalibus S. Caroli Borromæi inserta, Franciscus Besutius in Historia Pontificali Mediolanensi, Lectiones propriæ Breviarii Ambrosiani jussu S. Caroli anno* MDLXXXII *editi et sæpius recusi, uti eædem Lectiones in Officiis propriis ad usum illorum, qui in illa diœcesi Breviario Romano utuntur; Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ* XI *Februarii; Onuphrius Panvinius in Chronico Ecclesiastico; Josephus Ripamontius lib. 6 Historiarum Ecclesiæ Mediolanensis, cujus hæc sunt verba.* Idibus Aprilis orbam suo decessu Mediolanensem Ecclesiam reliquit, anno quem vitæ sexagesimum, pastoralis vigiliæ undecimum agebat. Variant hos numeros alii, vitæ quidem spatia longius producentes, contrahentes vero Pontificatus ævum. Sed mihi scriptorum vetustissimis, Datii super ea re testimonium afferentibus, temere E non fuit abroganda fides. *Hæc Ripamontius. De S. Datio egimus* XIV *Januarii, diximusque præfuisse ab anno circiter* DXXX *usque ad annum* DLII, *ac tradi scripsisse Historiam sui temporis et vitas prædecessorum suorum Episcoporum Mediolanensium. Claudius Robertus de Archiepiscopis Mediolanensibus in appendice ad Galliam Christianam annos Sedi S. Lazari attribuit* XV, *citatis Actis Ecclesiæ Mediolanensis: verum quod in hisce tantum* XI *anni referantur, mendum istic typographicum irrepsisse arbitramur.*

3 *At majus discrimen inter auctores est, hos undecim Episcopatus illius annos Æræ Christi applicantes. Bossius asserit* anno Domini quadringentesimo quadragesimo nono Episcopum effectum esse, *eique successisse* B. Eusebium an. CDLXI. *Favent huic Bossii sententiæ, quæ de* S. Lazaro *in Breviario Mediolanensi referuntur his verbis:* Vastabat sævissime Italiam Attila Rex Gothorum, cum Lazarus civis Mediolanensis ex Primicerio Ecclesiæ hujus Episcopus creatus est. Undecim annos id pastorale munus tenuit, quo tempore omnia barbariciæ violentiæ exempla pertulit: nec tamen unquam ab ulla pastorali cura remisit animum, Divinæ majestatis opem assidue implorans, ut sibi populoque suo subveniret. *Hæc* F *ibi. Verum Attila non fuit Gothorum, sed Hunnorum Rex, qui præter spem e prælio apud Gallos in campis Catalaunicis anno* CDLI *commisso ereptus, in Italiam infudit exercitum, et capta soloque æquata Aquileia, Mediolanum, Ticinum, aliaque oppida vastavit: at Romam petens, S. Leonis Papæ legatione commotus, an.* CDLII *ex Italia in Pannoniam abscessit. Quo tempore* præsulatum urbis Mediolanensis gessisse B. Eugenium, *imo* Eusebium, *S. Lazari successorem, scribit Leander Albertus in descriptione Italiæ in Lombardia Transpadana: quod ex epistolis S. Leonis, Papæ et S. Eusebii certius constat. Misit Leo Constantinopolim* Coepiscopos Abundium et Asterium, et Presbyteros Basilium et Senatorem, per quos, quæ *suæ* forma sit fidei, posset dignanter agnoscere *Theodosius Imperator, ut indicat epistola* XXXIII *ad hunc* data XVII Kalendas Augusti, Valentiniano VII et Abieno Coss. *id est, anno* CDL: *quo anno menseque vita functus est Imperator Theodosius* IV *Kalendas Augusti: imperiumque suscepit Marcianus, ita volente S. Pulcheria Augusta, cui etiam scripserat Leo Papa, missosque Legatos commendarat. Reversis anno* CDLI *Constantinopoli Romam Legatis, S. Leo Papa Imperatori gratias egit de impensis ab ipso pro fide Catholica diligenter officiis,*

*non est ordinatus an. 449.*

*neque eo Episcopo Attila vastavit Mediolanum,*

*sed sub ejus successore S. Eusebio,*

*qui e Synodo an. 451 habita scripsit ad S. Leonem Papam.*

A *ficiis*, epistola data, VII (*aliis*, V) Idus Junii, Adelfio Consule, *in qua reversionis Legatorum meminit. Erat ex his* S. Abundius Episcopus Comensis, *de quo agit Martyrologium Romanum* II *Aprilis, qui cum* Senatore Presbytero *mox missus est ad* S. Eusebium Episcopum Mediolanensem *cum litteris ejusdem S. Leonis: cujus jussu convocavit ille subjectos Mediolanensi Ecclesiæ Episcopos, ac Synodum provincialem coegit, et per remissam ad S. Leonem epistolam fidei ejus, quam ad Orientem direxerat, assertioni cum aliis Episcopis consensit atque subscripsit: cujus epistolæ hoc est exordium:* Domino sancto et beatissimo Patri Leoni, Eusebius Mediolanensis Episcopus. Reversis, Domino annuente, fratribus nostris, quos ad Orientem fidei caussa sollicite provida beatitudo vestra direxerat, decursisque litteris, quas per eos tua sanctitas destinavit, omni exultatione in Christo relevatus sum... recensens epistolam beatitudinis vestræ in Sacerdotum Domini concilio, quam sanctus frater et Coepiscopus noster Abundantius et Compresbyter meus Senator detulerant. *Quæ plenius dicentur ad vitam S. Eusebii* XII *Augusti, et S. Abundii* II *Aprilis, ubi notat Baronius* errore librarii *in hac epistola* Abundantium pro Abundio scriptum esse. *Sedit S. Leo Papa a* XVII B *Maii anni* CDXL, *ad annum* CDLXI, *coliturque* III *Aprilis.*

*AUCTORE G. H.*

4 *Secundum relationem ex MSS. a Joanne de Deis editam, ante tempora S. Leonis Papæ creatus est Lazarus Episcopus: quod ita, sed non sine mendis, narratur:* Lazarus Lazaris civis, (*lege* Lazari filius, Mediolanensis civis) Ecclesiæ Mediolanensi a Xysto III præfectus est eo tempore, quo Attila Gothorum Rex Italiam invasit: ab ipsis Gothis multis molestiis affectus est... Undecim annis Ecclesiæ illi cum præfuisset, vitæ sanctissime actæ laude illustris, Leone I Pontifice obdormivit in Domino. *Præfuit Ecclesiæ S. Sixtus, sive Xystus* III, *ab an.* CDXXXII *ad* XXVIII *Martii anni* CDXL: *a cujus obitu usque ad tempora Italiæ ab Attila vastatæ prope labuntur anni duodecim intermedii. Hinc melius nomen Attilæ sublatum est in tabula Archiepiscoporum inter Acta synodalia relata, ubi ista leguntur:* S. Lazarus, Lazari filius, Boccardius, a Glycerio Ecclesiæ Mediolanensis Primicerius creatus, post ejus obitum Archiepiscopus, in summa Gothorum barbarie. Clerum populumque commissum pie gubernavit... Pridie Idus Martias quievit in Domino Leone I Pontifice: sedit annos XI. *Hæc Gothorum barbaries invaluit an. Chr.* CDX, *quando Romana* C *urbs turbinis instar oppressa est ab Athaulpho Gothorum Rege, qui ab Honorio Imperatore, ut ab Italia recederet cum Gothis suis, accepit anno* CDXII *sedes in Gallia Narbonensi. Ejus successori Vualliæ data Aquitania* II, *ac Tolosa anno* CDXIX, *constituta est regni Gothici sedes. Vualliæ successor Theodericus regno Aquitanico non contentus, primo Arelatum, deinde Narbonem oppugnare aggressus, ab illa obsidione per Aetium, ab hac per Litorium Comitem repulsus est. At Litorius, dum Aetii gloriam superare nititur, inconsulte cum Theoderico dimicans, magna clade accepta, captus et occisus est,* Theodosio XVII et Festo Coss. *uti in Chronico auctor est Prosper, id est anno* CDXXXIX. *Theodericus tandem pace cum Romanis facta, contra Attilam pugnans cecidit in campis Catalaunicis. Quis illis temporibus urbis Mediolanensis status fuerit, ita depingit Ripamontius:* Jam barbarorum reliquiæ aliquem respirandi locum Italiæ rebus dabant, amisso Duce, dein mutato, accisis viribus, et latronum potius more grassantes, quam justi more belli. Manebat tamen illa per urbes feritas atque barbaria, quam ferocissima gens commercio et consuetudine tot annorum inferre potuisset. In ea rerum perturbatione et colluvie populo Mediolanensi Lazarus indigena Pastor est datus. Id munus semper fere alias a magnis viris ob rerum et Ecclesiæ magnitudinem D appeti solitum, nunc prudentissimus quisque defugiebat: quia nullus actioni locus, et efferati civium mores omnem gubernandi rationem eximebant. Neque Lazaro tardior quam ceteris animus ad negotia ponderanda suis momentis: sed in communi metu sollicitudo major, et quamvis aut inter turbas et dissidia languescendum foret, aut dissidiis atque turbis oppetendum, civium cura tamen et salus erat in oculis. Itaque vocatus capessivit Ecclesiam alacriter, eventu meliore quam speraverat. *Hæc Ripamontius absque ulla certi temporis designatione.*

*S. Lazarus est ordinatus ante an. 440, seu Pontificatum S. Leonis,*

*vixit in barbarie Gothorum,*

*an sub Theoderico Rege Wisegothorum?*

*gnavus et sollicitus pro salute suorum:*

5 *Onuphrius Panvinius in Chronico Ecclesiastico ad annum* CDXXVI, Lazarus, *inquit*, civis et XIX Episcopus Mediolanensis annos XI. *Dein ad annum* CDXXXVII *hæc refert:* Eusebius civis et XX Episcopus Mediolanensis annos XXVII. *Hos annos ab Onufrio mutuatus Besutius, ex Breviario Mediolanensi et relatione Joannis de Deis,* Regem Gothorum Attilam *apponit cum* Pontificatu S. Leonis primi, *sub quo obiisse tradit: quasi ea omnia intra annos vigesimum sextum et trigesimum septimum supra quadringentesimum concluderentur, quæ ex supra dictis satis evertuntur. Ferrarius in Catalogo SS. Ital. scribit,* S. Lazarum Ecclesiam Mediolanensem in maxima Gothorum barbarie sanctissime gubernasse, multis afflictum calamitatibus, et, cum annos XI sedisset, pridie Idus Martii Leone primo Pontifice, circa annum salutis 449 (*qui inverso numero 494 perperam excusus est*) obdormivisse in E Domino. *Hæc Ferrarius: quæ nobis non improbantur. Certe hic illius obitus annus est, quem Donatus Bossius ordinationi ejus per errorem attribuit. At circa annum* CDXXXVII *aut sequentem electus videtur Episcopus, quo tempore Onuphrius et Besutius statuunt e vita migrasse. Decessores ejus fuere SS. Martinianus et Glycerius: illum nos celebravimus* II *Januarii, et diximus non improbabiliter mortuum esse circa annum* CDXXXI: *at de altero agemus* XX *Septembris. Cum autem Theodericus Rex anno* CDXXXIX *de Litorio et exercitu Romano victoriam reportarit, S. Lazarus sub initium potissimum sui Episcopatus, credi potest rabiem Gothorum expertus sub dicto Theoderico Wisegotho: quem posteri eumdem videntur credidisse cum celeberrimo Theoderico Ostrogothorum Rege, qui occiso Rege Odoacre, ab anno* CDXCIII *regnavit in Italia, et provinciam Massiliensem Alpesque maritimas, post victum a Clodoveo Alaricum Wisegothorum Regem occupavit. Quod dein adverterent hunc Theodericum diu post S. Lazarum vixisse, expuncto nomine Theoderici, adscripsere Attilam, a quo* F *fuerat ante Mediolanum vastatum, confusis Hunnis cum Gothis, quasi unus idemque populus foret. Hac igitur ratione S. Lazarus a S. Sixto* III *Papa Ecclesiæ Mediolanensi præfectus, a Gothis eorumque Rege Theoderico multis affectus molestiis, et sub S. Leone* I *Papa obdormivit in pace, circa annum Christi* CDXLIX.

*non constitutus an. 426:*

*neque mortuus an. 437*

*sed potius an. 449.*

## § II *Litaniæ triduanæ a S. Lazaro institutæ. Monasterium extructum. Ejus cultus.*

Primum novi Pontificatus opus, *inquit de S. Lazaro Ripamontius*, fuere supplicationes, quæ quotannis ad præcipua urbis templa per triduum habentur. Ejus cærimoniæ primordia, totamque descriptionem et apparatum operæ pretium est cognoscere. *Ac mox describit Viennam urbem Germaniæ ad Danubium, Imperatorum nunc sedem, quasi ibi S. Mamertus vixerit, qui Viennensium in Gallia fuit Episcopus et S. Lazaro aliquanto junior circa annum* CDLX *et* CDLXX *floruit, uti diximus* V *Februarii ad Vitam S. Aviti, etiam Episcopi Viennensis* § 1: *et plenius probabimus* XI *Maii die S. Mamerti natali. Interim, secundum Ripamontium exemplum S. Mamerti secutus* S. Lazarus, cum civitatem universam vitiorum monstris,

*Litanias triduanas instituit,*

*ante S. Mamertum Ep. Viennensem.*

A stris, omnique fœditate ac turbulentia similem esse dæmonum cœtui, et insessos prope furiis ac diris mortalium animos vidisset, in re dissimili pari consilio est usus, et hanc propitiandi Dei formulam præscripsit, quam Græco nomine Litaniam appellamus. Scilicet posse paucorum precibus imploratum Numen movere vim suam ad sanandas omnium mentes, ac Divinæ benignitatis misericordia et occulto instinctu redigi Mediolanensem populum in antiqua instituta disciplinamque. Clerici circa ædes iere, manetque salutaris ritus in hunc diem. *Hæc Ripamontius, qui eam orandi rationem, prout ab ipso Lazaro descriptam asserit, aliquot paginis deducit, et deinde hæc addit :* Has preces et hæc templa positionesque Lazarus in hunc modum descripsit Clero populoque Mediolanensi, et formulam universam in multa transcriptam exemplaria, uti quamplurimis in promptu esset, per collegia et ordines, vicatim quoque et regionatim dividendam curavit. Postea Stephanus Nardinus Archiepiscopus (*qui circa annum* MCDXX *floruit*), impressum typis codicem, cum jam prope litterarum formæ cederent vetustati, atque rarus admodum extaret, redonavit pietati et ævo, qualem nunc habemus. *Hæc ille, qui, postquam earumdem supplicationum consuetudinem a S. Carolo Borromæo innovatam et confirmatam retulit, ista subnectit :* Supplicationum originem a Mamerco Viennensi inchoatam, ab Mediolanensi Lazaro receptam, ab Nardino et Borromæo nobilitatam et restitutam in hunc modum retuli. Ceterum haud sum nescius, dissentire quosdam, et initia consuetudinis hujus in ipsum Lazarum referre. *Et merito, cum ante S. Lazarus e vita decesserit, quam S. Mamertus Viennensium sit ordinatus Episcopus : neque famam eam cum Ripamontio sequimur, quam plures amplectuntur, sed quam re accurate examinata ratio cogit amplecti. Earumdem supplicationum meminerunt alii scriptores, de quibus hæc referuntur in Breviario Mediolanensi :* Instituit triduanas Litanias, quæ inter hujus Ecclesiæ ritus quotannis celebrantur. Quæ cum ad barbarorum impetum repellendum præcipue institutæ essent, ideo crebro ibi mentio est custodiæ mœnium et portarum urbis adversus impetus hostiles.

*formam supplicationum præscripsit,*

*postea ab Stephano Nardino*

B

*et S. Carolo Borromæo innovatam :*

7 S. Lazarum omnium Archiepiscoporum primum discipulis B. Augustini monasterium Mediolani in urbe assignasse *tradit ex MSS. Joannes de Deis. Quæ ita apud Ripamontium narrantur :* Fuit Lazarus non modo cæremoniarum instaurator, sed magister quoque severioris disciplinæ et Ordinis Augustiniani conditor prope alter. Cœperat is ordo labare, paullatimque remittere sanctissima Patris instituta : et proprius erat, ut Fratres quotidie aliquid traherent ex populari luxu, quam ut ipsi popularibus quidquam salutare aut frugiferum impertirent. Igitur nascenti malo obviam ivit, ac primum quidem ædem illis attribuit, quam psalmodia ceteroque cultu frequentarent, deinde domicilium constituit, ut non dispersi et vagi, sed in unam congregati sedem agerent, *ubi* nunc Virginis coronatæ vetustissima stat ædes. *Agit de eodem ordine reformato Besutius, ejusque originem apud Mediolanenses refert ad S. Simplicianum, S. Augustini familiarem, de quo agemus* XVI *Augusti. Gabriel Pennotus in Historia Ordinis Canonicorum par.* 2 *cap.* 26 *varia cœnobia etiam secundum normam S. Augustini Mediolani extructa recenset. Thomas Herrera in Alphabeto Augustiniano pag.* 103 *asserit* non constare, utrum Augustinianum institutum, *qualecumque id fuerit,* in eo cœnobio usque ad recentia tempora perennarit ; an potius, quod credibilius est, labente tempore evanuerit, et relabente alio ævo sub ejusdem religionis Fratribus refloruerit. Quidquid tamen fuerit, de monasterio Incoronatæ infra nobis agendum. *Ubi pag.* 126 *ait* monasterium Mediolanense Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini anno CIƆCCCCXLVIII extra portam Cumanam, apud S. Mariam Incoronatam, cum ecclesia D. Nicolao de Tolentino dicata a fundamentis ædificatum fuisse.

C

*monasterium construit discipulis S. Augustini.*

D

AUCTORE G. H.

8 *S. Lazarum e vivis abiisse ad præmia laborum* Idibus Aprilis *tradit Ripamontius, quod apud alios non legimus, qui referunt* pridie Idus Martias obdormivisse in Domino. *Ita Galesinius in Tabula Archiepiscoporum dein Actis Synodalibus inserta, et in suo Martyrologio ad eum diem,* Mediolani *inquit,* S. Lazari Episcopi et Confessoris, qui undecim annis Ecclesiæ Mediolanensi præfuit, vitæ sanctissime actæ laude illustris. *Quo etiam* XIV *Martii refertur a Ferrario in Catalogo generali Sanctorum, et Catalogo Sanctorum Italiæ. Joannes de Deis asserit* ejus festum ab Ecclesia Mediolanensi recoli pridie Idus Martii, *in lectione forte Martyrologii, non autem officio Ecclesiastico, quod nulla Sanctorum festa in Ecclesia Mediolanensi celebrantur in Quadragesima. Hinc dies festus S. Lazari cum cultu solenni peragitur in illa Ecclesia* XI *Februarii, sumpto officio ex Communi Confessorum Pontificum cum lectione propria ex ejus gestis. Quo eodem* XI *Februarii inscriptus est Martyrologio Romano his verbis :* Mediolani S. Lazari Episcopi. *Prolixiori eum elogio celebrat Ferrarius, in quo tamen nihil præter hactenus dicta continetur.*

E

*moritur non 13 Aprilis, sed 14 Martii*

*colitur 11 Februarii,*

9 Corpus S. Lazari honorifice sepultum esse in basilica Apostolorum *tradunt gesta ejus in Breviario Mediolanensi, uti et Galesinius in tabula Archiepiscoporum. Eam autem* Apostolorum basilicam postea dicatam *fuisse* S. Nazario *addit Besutius : et ita Bossius recte intelligitur referens* corpus ejus jacere ad S. Nazarium. *Joannes de Deis,* appositum *scribit* ad Patres suos, scilicet Martinianum et Glycerium pariter Archiepiscopos, *ex quibus tamen* S. Martinianus *traditur sepultus in basilica S. Stephani Protomartyris : at* S. Glycerius *in æde sanctorum Apostolorum sepultus est.*

F

*sepultus in æde Apostolorum, jam S. Nazarii.*

# DE S. CASTRENSE

## EPISCOPO AFRO CONFESSORE, VULTURNI IN CAMPANIA,

### Commentarius prævius.

G. H.

§ I. *Tempus persecutionis Wandalicæ. S. Castrensis publica veneratio.*

CIRCA AN. CDLXI FEBR.

*In persecutione Wandalica,*

Gens Wandalorum, *teste Prospero in Chronico,* ab Hispania in Africam transiit Hierio et Ardabure Coss. *id est, anno* CDXXVII. *Rex illis fuit Gensericus per annos* XXXVII, *qui paullatim omnem Africam subjugavit ; et quidem* Theodosio XVII et Festo Coss. *id est anno* CDXXXIX, Carthaginem dolo pacis invasit, *ut idem Prosper et Marcellinus in Chronicis tradunt. Quam ibi persecutionem intulerit Episcopis, Clericis, aliisque Catholicis barbara natio, ex iis, quæ refert tribus libris Victor Uticensis, cognosci potest.* Tunc, *inquit inter alia Rex* Episcopum Carthaginis, nomine Quodvultdeus, et maximam turbam Clericorum navibus fractis impositam, nudos atque expoliatos expelli præcepit. Quos Dominus, miseratione bonitatis suæ, prospera navigatione

*navibus fractis impositi sunt Quodvultdeus Episc. Carthaginensis cum Clero :*

AUCTORE G. H.

A vigatione Campaniæ perducere dignatus est civitatem. *Qua de re pluribus dicetur* XXVI *Octobris : nam eo die sanctus hic Episcopus cum suo Clero inscriptus est Martyrologio Romano. At Kalendis Septembris ista in eodem Martyrologio leguntur :* Capuæ item alterius Prisci Episcopi qui unus fuit ex illis Sacerdotibus, qui in persecutione Wandalorum ob fidem Catholicam varie afflicti, et vetustæ navi impositi, ex Africa ad Campaniæ littora pervenerunt, et Christianam religionem in iis locis dispersi, diversisque Ecclesiis præfecti, mirifice propagarunt. Fuerunt autem ejus socii Castrensis, Tammarus, Rosius, Heraclius, Secundinus, Adjutor, Marcus, Augustus, Elpidius, Canion et Vindonius. *Quæ fere eadem habent Ghinius in Natalibus sanctorum Canonicorum, et Paulus Regius de SS. Neapolitanis parte* 2 *in Vita S. Candidæ Neapolitanæ cap.* 4.

*item S. Priscus, S. Castrensis, et X socii :*

2 *Antonius Caracciolus in Neapoli sacra cap.* 26 *tradit hosce omnes simul cum S. Quodvultdeo navi vetustæ impositos, Neapolim appulsos fuisse, ac dein per Campaniæ loca dispersos munientibus Neapoli, ac domicilium figentibus SS. Quodvultdeo et Gaudioso. Opinatur præterea omnes supra nominatos non fuisse Episcopos, sed ex turba Clericorum Carthaginensium cum*

*an omnes hi Episcopi fuerint ?*

B *suo Episcopo in exilium missorum. Ex his infra in Vita num.* 3 *ex* summi sacerdotii honore præditis, *dicuntur* Rossius, Priscus, Tammarus, et Castrensis præcipue rutilare; *plures enim* Episcopi intererant, qui gratantes cum commissis gregibus gradiebantur. *Hinc reliquos octo ante indicatos eadem dignitate præfulsisse contendit Michael Monachus ad Vitam S. Castrensis in Sanctuario Capuano a se editam, additque idem inibi num* 6, *ubi* S. Castrensis *dicitur* conversus ad Confratres et Coepiscopos. *Et mox* singuli sigillatim oraverunt. *Dein num.* 7 *vocantur eodem vocabulo* hujus sectæ auctores. *Et num.* 8 cum honore digni evocantur. *Num.* 9 *alii petunt* sequi vestigia sanctorum Patrum. *Et hæc universim de omnibus. Seorsim num.* 8 Heraclius *dicitur* jura Christi in populis audacter consparsisse. *Et supra, dum in Martyrologio Romano* S. Priscus et Episcopus *appellatur et* unus ex illis Sacerdotibus *duodecim, qui postea ejus socii dicuntur, innuitur ejusdem omnes Ordinis fuisse, quod ad Kalend. Septemb. denuo poterit examinari.*

3 *Quod hujus est loci, seorsim hos non in consortio S. Quodvultdei expulsos arbitramur, quorum omnium S. Castrensis num.* 8 signifer et præceptor *habetur :*

C *neque usquam urbis Carthaginis aut S. Quodvultdei habetur mentio. Imo non improbabile videtur hos ante ejectos fuisse, quam Carthago fuerit a Wandalis occupata. Certe Prospero teste* data est Wandalis portio Africæ ad inhabitandum Theodosio XV et Valentiniano IV Coss. *id est, anno* CDXXXV : *ut vel ab eo tempore censeri possit cœpta persecutio. Et biennio post, ut idem habet Prosper,* Aetio II et Sigisvulto Coss. in Africa Gensericus Rex intra habitationis suæ limites volens Catholicam fidem Ariana impietate subvertere, quosdam Episcopos (quorum Possidius et Novatus ac Severianus clariores erant) eatenus persecutus est, ut eos privatos jure basilicarum suarum, etiam civitatibus pelleret, cum ipsorum constantia nullis superbissimi Regis terroribus cederet. *Infra num.* 2 *prima exagitatione Catholicorum narrata, additur :* Hoc factum est usque ad quartum annum : *an post datam portionem ad inhabitandum? Quo certe calculo posito duodecim hi athletæ ejecti fuissent anno* CDXXXVIII *aut sequente, et appulsi ad littora Campaniæ, ut dicitur num.* 10, cum mensis Maius dies decem compleret a Kalendis : *quo eodem anno* XIV *Kalend. Novemb. capta est Carthago, ac deinde eodem modo S. Quodvultdeus cum suo Clero navi fractæ impositus. Michael Monachus* annum expulsionis

*seorsim expulsi absque S. Quodvultdeo*

*et forte ante captam Carthaginem,*

*assignat* CDXL, *cumque quartum persecutionis nominat,* D *cujus initium statuit ad an.* CDXXXVII.

4 *Quamdiu postea S. Castrensis in Campania supervixerit, non constat : migrasse autem e vita* XI *die Februarii legitur in Actis num.* 18. *Quo die antiquum Calendarium ante annum* DCCXLI *exaratum et Martyrologium MS. S. Martini Treviris refert* S. Castrensem Martyrem. *Michael Monachus in Sanctuario Capuano edidit quinque antiqua Kalendaria, ex vetustis codicibus MSS. in quorum priore nulla fit mentio S. Castrensis, de quo quatuor alia hæc habent :* III Idus Februarii S. Castrensis Episcopi et Confessosoris : *in quarto additur fieri officium* trium lectionum. *Est nomen* Martyris, *quo alii etiam utuntur, pro* Confessore *accipiendum, sive eo qui fidei caussa tormenta passus, iis tamen minime immortuus est. Martyrologia MSS. monasterii S. Joannis et Cassinense in Notis apud Michaelem Monachum ita habent :* Campaniæ S. Castrensis Episcopi et Martyris. *S. Petri Beneventi :* In Campania S. Castrensis *etc. nullo assignato loco particulari, qui indicatur in antiquiss.mo Martyrologio Romano MS. quod sub nomine S. Hieronymi citari a nobis solet, sed ut hunc etiam paret, postmodum aucto : in quo ita legitur :* In Vul- E turno Castrensis. *Est autem ibidem in Campania* Vulturnus *fluvius, ad cujus ostium fuisse olim oppidum Vulturnum, ex Livio, Varrone, Strabone, Mela, Plinio, Ptolemæo, Frontino, Festo ac Tabula itineraria docet Cluverius lib.* 4 *antiquæ Italiæ cap.* 2. *Is locus omnium sententia jam appellatur* Castellum ad mare de Vulturno, *sive simpliciter* Castellum de Vulturno, *lævæ amnis ripæ adpositum, cujus ecclesia parochialis etiamnum dicata est* S. Castrensi, *et diœcesi Capuanæ inclusa : quem primo suo ad littora Campaniæ accessu appulisse aut ad has Vulturni fauces, aut prope Gariliani fluminis, tradit idem Monachus, ejusque memoriam in his locis hodieque celebrari. Est autem* Garilianus, *olim Liris dictus, de quo et vicinis locis ita Ptolemæus lib.* 3 *Geogr. cap.* 1. Καμπάνων παρὰ τὸ τυῤῥηνικὸν πέλαγος Λείριος ποτ. ἐκβολαὶ Σόεσσα, Οὐόλτουρνον. Campanorum juxta Tyrrhenum mare Liris flu. ostia, Soessa. Vulturnum. *At quæ istic* Soessa *dicitur, infra num.* 11 Suessana urbs *appellatur : Livio aliisque antiquis Sinuessa, alia a Suessa mediterranea Campaniæ civitate, quæ a Ptolemæo deinde* Σούεσσα *ab aliis* Suessa Aurunca, *sive* Auruncorum, *nunc vulgo* Sessa *appellatur. In illius Sinuessæ, sive Soessæ, suburbanis, seu vicinia, accepit e voto suo S. Castrensis* pauperculam cellulam in Campano littore, *ubi in* F *ecclesia oræ illius maritimæ sepultus est : sive illa Vulturni fuerit, sive ad illam primo sacrum ejus corpus sit translatum.*

*Colitur S. Castrensis XI Febr*

*in Campania.*

*Vulturni.*

*ubi et Soessa sive Sinuessa civitas.*

*prope quam vixit.*

5 *Testatur Michael Monachus in Annotationibus earumque Recognitione,* extitisse ecclesias S. Castrensis varias : aliam anno MCXXIII in partibus trans flumen Vulturni *in loco* Alla Fontanella, prope rivum de Calvo : *aliam* anno MDLXXIII in partibus Cancielli : et aliam inter Marcianisum et Magdalunum. *Præterea* in territorio Suessano esse pagum cum ecclesia sub invocatione S. Castrensis. In diœcesi *item* Neapolitana esse pagum, vulgo Marano nuncupatum, ubi visitur ecclesia parochialis sub invocatione S. Castrensis, quæ temporum injuria collapsa, nunc reædificata ab incolis illius loci in magna veneratione habetur : aspiciuntur enim ante valvas illius ecclesiæ tantum duæ parvæ columnæ illius antiqui templi, quas fideles, antequam ecclesiam ingrediuntur, exosculantur, ubi etiam venerantur partem brachii sancti Episcopi Castrensis e Monte-Regali illuc translatam non multis abhinc annis. Hæc se vidisse testatur Domnus Silvester Ayossa V. I. D. carus ex Cara sorore nepos, dum Maranum petiit devotionis ergo. *Ita Monachus.*

*Varia templa ejus honori dicata.*

§ II.

A

## § II. *Corpus S. Castrensis Capuam et Montem-Regalem translatum. Acta conscripta.*

*Colitur et Capuæ,*

In *tabulis Martyrologii Romani* XI *Februarii hæc leguntur :* Capuæ S. Castrensis Episcopi. *Quarum occasione verborum inquirit Monachus, num Capuæ consederit S. Castrensis, ac Capuanus Episcopus fuerit : et utrumque mox negat. Quod autem Capuæ attribuatur, varias adducit rationes :* Quia, *inquit,* ipse S. Castrensis intra fines Capuanæ provinciæ eo etiam tempore satis amplos habitavit. *Adde* Vulturnum, *cui in codice ante mille fere annos exarato adscribitur, etiamnum esse in diœcesi Capuana.* Accedit ad hæc, *inquit Monachus,* quod jure optimo Capuanorum cultus erga S. Castrensem augeri potuit, quia fuit ille S. Prisci, *eorum Episcopi,* præcipuus comes et commilito. *Cardinalis Bellarminus, et ipse Archiepiscopus Capuanus, catalogum Episcoporum Capuanorum confecit, secundum quem* Radalpertus fuit anno DCCCXXX, prædecessor S. Paulini, ut in veteri Breviario Capuano legitur : *Hujus Radalperti epitaphium quoddam exhibet Monachus ad Vitam S. Paulini, in quo hæc leguntur :*

Reddidit et pulchram templis ac mœnibus arcem,
B Quæ sita Vulturni amnis ad ora manet.
Templi hujus pariter sacro sub culmine, sancti
Castrensis studuit condere membra sacra.

*potissimum ob corpus eo translatum,*

In culmine ecclesiæ, id est, *uti explicat Monachus,* in aliqua parva capella supra tribunam, corpus S. Castrensis locavit. Eidem *etiam* S. Castrensi consecravit altare, prope quod suum sepulchrum collocari voluit. *Et hæc præcipua ratio est, quod Capuæ attribuatur, quia corpus ejus Capuam translatum est ex Castello ad mare Vulturni, cujus dominium pertinuisse ad Ecclesiam Capuanam pluribus ostendit Monachus : additque in Recognitione,* caput S. Castrensis *ibidem* relictum *esse.*

*et caput relictum*
ANIMADV. PAP. 79

*reliquum corpus seculo 12 Montem-Regalem delatum est,*

7 *At reliquum corpus transtulit in Siciliam Rex Guilielmus* II, *cognomento Bonus, ad Ecclesiam Montis-Regalis, quam ædificavit : eoque e Cavensi monasterio monachos evocavit. Regnum administravit Guilielmus ab anno* CIↃCLXVI *usque ad* CIↃCLXXXIX. *Huic Regi ex Anglia, quam duceret uxorem, filiam Henrici Regis adduxit Neapolim cum* XXIV *triremibus Alphanus Archiepiscopus Capuanus, ut ex Chronico MS. Romualdi Salernitani tradit Bellarminus in Catalogo Archiepiscoporum Capuanorum apud Monachum. Extant propria Sanctorum officia Ecclesiæ metropolitanæ Montis-Re-* C *galis ejusque diœceseos, Romæ* MDCV *excusa, in quibus triplex cultus S. Castrensis observatur : nam primo Natalis sub ritu duplici celebratur in civitate, in tota vero diœcesi sub semiduplici : quando primo loco hæc in Martyrologio recitantur :* III Idus Februarii, Capuæ S. Castrensis Episcopi et Confessoris. *Secundo Translatio ejusdem celebratur Dominica* II *Maii, cum hoc in Martyrologio præconio :* Translatio S. Castrensis Episcopi et Confessoris in hanc Metropolitanam, *estque festum duplex in civitate. Tertio pro secunda Translatione fit commemoratio in civitate* XXIX *Decemb. cum hac mentione in Martyrologio :* Secunda translatio S. Castrensis Episcopi et Confessoris in cappellam, ad ejusdem Sancti memoriam magnifice constructam : *quod factum est a Ludovico Torres* II *Archiepiscopo Montis-Regalis et Cardinale, qui illi Ecclesiæ præfuit ab anno* MDLXXXVIII *ad annum* MDCIX, *de quo agit Rocchus Pirrus in Notitia 3 Ecclesiarum Siciliensium : ubi etiam advertit ab eodem* S. Placidi Martyris, et D. Castrensis Episcopi sacella esse extructa. *Octavius Cajetanus noster in Idea operis de SS. Siculis consignat memoriam ejusdem* XI *Februarii his verbis :* In Monte-Regali S. Castrensis Episcopi et Confessoris, cujus corpus in ea basilica servatur. *Idem* XXIX *Decembris :* In Monte-Regali translatio secunda S. Castrensis D Episcopi et Confessoris. *Quo die eumdem inscripsit Catalogo generali Sanctorum Ferrarius. Officium Ecclesiasticum fit de Communi Confessoris Pontificis, exceptis Lectionibus secundi Nocturni ex ejusdem Vita decerptis : quarum ultima ita concluditur :* Ejusdem sacrum corpus in Montem-Regalem translatum, in Metropolitana sub altare cappellæ magnifici operis ad illius memoriam constructæ, summa veneratione colitur. *Inde partem brachii ad ecclesiam S. Castrensis in pago Marano diœceseos Neapolitanæ delatam fuisse supra diximus.*

*dicata Translationi 2 Dominica Maii,*

*et 29 Decemb. in novum sacellum illatum*

AUCTORE G. H.

*pars brachii Marani adservatur.*

*Vita e quibus MSS. hic edatur?*

8 *Extat Vita S. Castrensis MS, in codice Montis-Regalis in Sicilia, et in MS. Longobardico sanctimonialium S. Joannis Capuæ, ex quibus eam typis vulgavit Michael Monachus in Sanctuario Capuano, ac Notis illustravit. Eamdem Vitam, aliquanto etiam uberiorem, cum nonnullis aliorum Sanctorum Vitis ex MSS. Reverendorum Patrum Oratorii Romæ describi nobis curavit Laurentius Kaler noster, obtenta per Eminentissimum Cardinalem Petrum Aloysium Carafam facultate. Deest huic narrationi, quod alibi extat, insulsum exordium, quod et a Monacho omissum et in Lectionibus, quæ in Ecclesia Montis-regali, leguntur. Ea autem Acta secundum Baronium ad Kalend. Septemb. ita incipiunt :* Textus sacræ historiæ edocet *etc.* E *E quibus desumptas scribit Monachus tres brevissimas Lectiones in Breviario antiquo Capuano, quarum prima incipit :* Temporibus Valentiniani et Valentini comprehensi sunt multi Christiani in Libya. *Ex quo Breviario et veteri MS. ita inchoat encomium S. Castrensis hoc* XI *Februarii Ferrarius :* Castrensis Episcopus Africanus, unus ex in exilium missis in persecutione adversus Catholicos sub Valente et Valentiniano Imp. excitata, diu carceratione et verberibus afflictus fuit. *etc. Caracciolus cap. 26 Neapolis sacræ sect. 3 mendum illud non* auctori Vitæ hujus *attribuit,* sed alteri cuipiam sciolo, caput equinum humano corpori inepte jungenti. *Administravit Imperium Occidentis Valentinianus tertius, anno* CDXXV *Imperator factus : quem post varias cum Wandalis dimicationes et pugnas cum iis pacem fecisse anno* CDXXXV, *supra diximus, et post acrius bellum resumptum, iterum* Dioscoro et Eudoxio Coss. *anno* CDXLII, cum Genserico ab Augusto Valentiniano pacem confirmatam, et certis spatiis Africam inter utrumque divisam fuisse *tradit Prosper in Chronica. Quorum occasione auctor Vitæ, videtur hujus Valentiniani fecisse mentionem, quæ alius ad Valentinianum* I, *ejusque fratrem Valentem inepte transtulit, persecutione Wandalica Genserici Regis illis attributa.* F *Ceterum auctor Vitæ suam ætatem indicat num.* 16, *dum ait* audivisse se relatu quorumdam Sacerdotum, qui digni revelationi, *sive visioni in obitu ejus factæ,* interfuisse creduntur. *Quocirca, uti etiam advertit Caracciolus, non videtur scriptor adeo antiquus in consignandis sui pene temporis Imperatoribus tam crasse hallucinatus, ut pro Regibus Wandalorum Valentinianum et Valentem Imperatores obtruderet, qui jam sexaginta et amplius annis ante Wandalorum in Africam incursionem obierant.*

*et adjutum exordium de Valentiniano et Valente;*

*qua occasione?*

*quando auctor vixerit?*

9 *Baronius in Notis ad* XI *Februarii refert ex Petro Diacono libro de Viris illustribus monasterii Cassinensis,* Laurentium monachum Cassinensem scripsisse versibus Vitam S. Castrensis Episcopi, *quam* Joannes Alamanniæ Calaber, *ut scribit Caracciolus,* ex antiquissimis membranis edidit, quamquam mendose ob codicum inopiam, malens utcumque illam sciri, quam penitus ignorari. Multa ille præfatus est ad Ludovicum de Torres Montis-Regalis Archiepiscopum, postea S. R. E. Cardinalem, eo tempore, quo sacellum magnifici operis exornaverat, in quo corpus illius honorifice condiderat, ecclesiasticaque supellectile instruxerat, atque indulgentias Apostolica auctoritate concedi curaverat. *Hæc ille. Duos hos versus ibidem*

*Alia Acta carmine descripta*

A *ibidem prope ejusdem Sancti reliquias adscriptos esse tradunt Baronius et Monachus :* *AUCTORE ANONYMO.*

Conservat nautas, et dæmonis eripit iræ,
Quem prius obsesso de corpore fecit abire.

*Quæ pluribus in Vita num.* 13 *referuntur.*

# VITA

Ex MSS. Romano, Capuano et Siculo.

## CAPUT I.

*S. Castrensis et sociorum in Wandalica persecutione captivitas, tolerata verbera. Consolatio Angeli apparentis.*

a Persecutione Wandalica perdurante, erant eo tempore in *b* Africæ partibus viri pœnitentes moribus, *In persecutione Wandalica* præfulgentesque nobilitatis decore, qui ut Christi præcepta devote perficerent, relictis temporalibus, cupiebant adipisci cœlestia. Quibus invidens antiquus hostis, hujuscemodi versutias adversus eos inferre conatus est; ut scilicet hoc in zelo excitaret animos tyrannorum, ut quosque Christianorum, alias *Catholici* Catholicorum, præciperent arma bellica sumere, et B militiis secularibus interesse. Sed postquam unanimiter ab omnibus Christicolis abnegatum est hujuscemodi obtemperare præceptioni, ad alias insidias suorum exarsit diabolus satellitum corda; ut, quos minis ac regalibus jussionibus inflectere non potuissent, cædibus eos diversis interimerent. Quod ubi in aures fidelium evenit, elegerunt potius mori in corpore, quam cœlestis Regis jussa contemnere. Infanda etenim *c* Arianorum jussa, dum omnimodo evacuata a Christi fidelibus essent, nihilque proficerent, *ab Arianis tortis,* furorem terroremque his, a quibus injuncta fuerant, inferunt; sed, postquam contemptos esse omnimodo conspexerunt, infandi *d* Principes, hoc modo conati sunt gloriosos agonothetas Christi a cultu Divinæ legis evertere, ut prius blande ac decipienter promissis muneribus demulcerent animos fidelium ad *e* regalia jussa, deinde vero, si quos sibi obsistere ac renuere conspexissent, diversis pœnis ac cruciatibus eos interficerent. Hoc factum est, ut nefandum scelus utique divulgaretur. Cumque ad aures Christi fidelium pervenisset, quibus vivere Christus fuit, et mori lucrum; unanimiter reliquentes omnia, cursum properabant, ac clamantes in præceptores tam sævæ C sectæ, cur talia Dei famulis injungerent præcepta? *interimuntur :* Quod ubi ab iniquis et sceleratis ministris, crudelissimis *f* tyrannis nuntiatum fuisset, hoc decreverunt; ut, quoscumque hujus sectæ, vel viros ac mulieres, juvenes vel pueros invenire potuissent, diversis flagris ac pœnis interimerentur. Ad hanc nefandissimam adimplendam præceptionem mirareris, quo ordine præcurrerent illa sancta agmina; dum pueri præirent senes, mulieres viros, ad certaminis coronam mixtim undique advenientes, non clam, sed patulo tyrannorum jussa contemnentes.

2 Sed cum diu multumque cædes Catholicorum increvisset, hoc adinvenerunt sceleratissimi tyrannorum satellites, quotquot junioris ætatis comperiri *alii ne quidem in simulatam communionem attrahi valent :* potuissent, flagris ac diversis pœnarum generibus eos cæderent : ut metu eorum etiam majores natu corriperentur. Quod cum nihil proficere conspexissent, aliud excogitaverunt deceptionis genus : quo pacto mentes fidelium a tramite sanctæ fidei *g* decorporare valuissent; simulantes *h* quoscumque religiosos in gremio sanctæ Matris Ecclesiæ viros invenissent, suis amicitiis copulare utpote hi, qui simpliciores in Ecclesia essent, eos, qui præesse ceteris videbantur, communicare eorum amicitiis intelligerent, et ipsi nihilominus præcipites eorum immanibus obtemperarent præceptis. *i* Hoc factum est usque ad quartum annum. Sed pius ille Sator, qui non dormitat, neque prorsus dormiet unquam, quod olim promiserat suo gregi, dicens : Noli timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum; D *Luc. 12. 32* ipse solerti, ac vigilanti studio, et mentes Præpositorum, et subjecti gregis sic solerter invigilare dignatus est; quod nec illos amicitiis, nec istos falsa calliditate decipi quoquo pacto sivit : sed ubi sævissimus tyrannus, qui jam credebat totius provinciæ populum in sui dogmatis errore lapsum, sua spe se deceptum sensisset, in patulo, quos sibi amicos finxerat habere, cœpit compellere iterum, ut eorum nefandæ sectæ consentirent. Quod ubi semel eorum sanctis auribus intonuit, omni cum annisu clamabant unanimiter, dicentes, Malle se magis corporeis vinculis absolvi quam huic inopinatæ rei consensum præbere. Sed infandi illi virus, quod se clam in corda simplicium infundere putarant, conspicientes nil pestis inferre, movent arma sævitiæ suæ manifeste, mixtim in his quos se decepisse rati erant, et in his cum quibus falso amicitiam conjunxerant.

3 Unde factum est, ut catervatim ex unaquaque provincia Sanctos Dei vinctos adduci præciperent. Sed cum ingenti multitudine etiam et sancti viri moribus et vitæ honestate præfulgentes, etiamque E summi sacerdotii honore præditi, intererant, qui gratantes cum commissis gregibus gradiebantur, putantes se cum martyrii triumpho vitam consequi sempiternam. Ex quibus præcipue rutilabant meritis et moribus et sensus decore Rossius, Priscus, *k* Tammarus et ab *l* indole Sanctus enitens Castrensis. Sed ubi *m* sceleratus Tyrannus tam ingentem multitudinem conspexit, sævissimis ministris eos custodiendos tradidit; donec tractaret, quid de tam præclaro cœtu perageret. *ex his cum SS. Rossio, Prisco et Tammaro S. Castrensis in vincula conjicitur :* Quos dum sævi, ac nefandissimi satellites in arcta custodia retrusissent, separatimque ab alterutro alterum separassent; evenit, ut sanctos athletas Dei, præcipue sanctitatis ac *n* austeritatis nitore præfulgentes, Priscum et Castrensem clam ex ergastulo educerent, talibusque eos colloquiis decipere conarentur : Cum vos, et decor et forma corporis, et generositatis nobilitas, necnon et *o* Regis amicitia, et philosophiæ decus ceteris præponat, cur nosmetipsos ad hujusce ignaviæ dedecus trahitis, ut inter hos deputemini, quorum genus, ac patriam ignorari omnino certum est? Ad hæc constanter Sancti dixerunt : Quid iniqui satanæ ministri nobis talia ausi estis conferre, ut vestris sævissimis suasionibus nostra corda conemini inflectere, quæ F *constanter rejicit blanditias ministrorum,* Divina gratia ita ad copiam Divinæ celsitudinis direxit, et ita potenter ab istius seculi voluptatibus abstraxit, ut non solum Dei filios, sed etiam fore Deos testetur per Prophetam dicens : Ego dixi Dii estis, et filii Excelsi omnes ; *Psal. 81. 6* et alius item Vates : Quam speciosi pedes evangelisantium pacem. *Rom. 10. 15* Tunc isti nimio furore accensi, cursim regalia tecta subeunt, clamantes : *p* Piissime ac humanissime Rex, ecce virus, quod infundebatur clam per singulorum corda, ne tuis quispiam piis obediret præceptis, nunc in patulo per superbos ac contemptores *q* Regni tui infunditur : in tantumque eorum exarsit protervia, ut etiam te ipsum sævum ac crudelem nomineut Tyrannum.

4 Quod audiens scelestus Rex, movet cæsariem concusso capite, et per se suique regni magnitudinem terque quaterque jurat, hos non sinere viros absque vindictæ pœna abire. *Jussu furibundi Regis* Tunc torvis luminibus ad suos intendens satellites ait : Ite propere et quidquid parricidis inferendum fore dignum creditis, his sceleratis dupliciter inferte, ut per vos dedecus nostræ celsitudinis auferatur. Hoc audientes crudelissimi satellites, agminatim pergentes, Sanctos in unum congregari fecerunt locum, *Sancti variis pœnis affliguntur :* et alios virgis, alios alapis,

A pis, alios cum lapidibus cædebant. Sed Sancti Dei alacri mente in superni Regis amore permanentes, nec suspirium quidem emittere videbantur. Cumque brachia cædentium omnino deficerent, et Sancti mente ac corpore stabiles permanerent, stupefacti separaverunt se ab invicem, mussitantes in semetipsis, quo genere mortis Sanctos Dei perderent: nec multo post in uno congregati agmine, cœperunt alterutrum inter se suas cogitationes edicere. Sed, cum nihil ex his, quæ loquebantur, eis congruum videretur, unusquisque remeavit ad propria, altero die reversuri ad perficiendum scelus: Sanctos vero Dei in ima carceris retrudi fecerunt.

*in carcere noctu ab Angelo apparente excitantur,*

5 Eadem vero nocte apparuit illis Angelus Domini, et splendor mirabilis circumfulsit omnes, qui erant in cubiculo carceris, dixitque illis: Ecce Dominus noster Jesus Christus misit me ad vos, ut meis alloquiis corroborentur corda et corpora vestra, et antequam vos sævissimi persequutores in vasti æquoris profundum demergere tentent, omnes sciatis, quia Rex æternus unicuique vestrum præparatum habet locum, in quo, et vos ipsi in Christo quiescatis, et multitudinem in illis partibus commorantium populorum ab omni errore absolvatis. Ad hæc Sancti unaB nimiter dixerunt: Sit laus in altissimis Deo, suamque in nobis superna pietas adimpleat voluntatem. Hoc tantum nobis conferat Divina majestas, ut quos ab uno solo pro nominis sui gloria transferre dignatur, infra unius patriæ terminos sua pietate concedat, ut nostra corpora sepeliantur. Quibus Angelus placido ore respondit: Pro certo scire vos volo, quia, quidquid postulabitis, secundum vestrum votum adimplebitur. Quo dicto Angelus ab eorum oculis abscessit, lux vero per totam noctem exuberavit in carcere, et Sancti per totam noctem hymnis, et laudibus exultaverunt.

*luce post discessum relicta.*

a *Michael Monachus, ut monet, initio textus omisso, et nomine Imperatorum in persecutorum commutato Acta sic exorditur:* In partibus Africæ excitata persecutione Wandalica cum infanda jussa persecutorum omnino evacuata a Christi fidelibus essent *etc. Consentiunt Lectiones Ecclesiæ Montis-Regalis.* — b *MS Romanum,* Libyæ. — c *Michael* persecutorum, *pro nominibus Imperatorum.* — d *Est ἀγωνοθέτης qui præmium certantibus proponit; hic sumitur pro ipsis certantibus.* — e *Michael,* sua jussa. — f *Idem,* Ducibus. — g *Idem,* detorquere. — h *MS. Romanum,* quod quosque *et deinde* copulandus. — i *Desunt hæc verba de tempore, in MS Romano. In 4 anno supra egimus.* — k *MS Rom.* Zamarus. — l *Idem,* insula. — m *Monachus,* scelerati Tyranni conspexerunt *et ita consequenter in numero plurali.* — n *Idem,* abstenuitatis. — o *Idem,* Ducum. — p *Idem* Ecce, o Domini, virus. — q *Idem,* Vestri imperii. — r *Idem,* vos sævos ac crudeles nominent Tyrannos. Quod audientes scelesti Duces movent cæsariem, concussis capitibus, per quæ terque quaterque jurant *etc.*

C

## CAPUT II.

### *Verberans S. Castrensem punitus, et sanatus. Martyres navi putridæ impositi, in Campaniam appulsi.*

*satellitis S. Castrensem stola trahentis brachia arescunt:*

Altera vero die infanda caterva iniquorum cum pugionibus et virgis super Sanctos irruentes, putabant se eos suo terrore inflectere. Sed Sancti Dei fidenter expectantes promissionem Angelicam, pro nihilo minas eorum ducebant. Tunc S. Castrensis circuminduit se stola sua: quod ut vidit ex circumstantibus *a* ministris unus, qui ceteris erat audacior, cœpit illum trahere per eam, ac si per vilem funem. Quem divina pietas illico percussit, ut non solum manus, qua stolam sancti viri apprehenderat, verum etiam utraque brachia ei arescerent. Qui mox corruens ad pedes sanctissimi Castrensis, ejulando cœpit clamare, et dicere: Miserere, miserere sancte Sacerdos Dei, miserere mei, et erue me ab hac, quæ mihi meis pro delictis evenit, ariditate. Ad hanc vocem S. Castrensis misericordia motus, conversus ad Confratres et Coepiscopos, ita eos alloquutus est: Fratres mei et Domini, memores esse debemus dicti Domini et Salvatoris nostri, dicentis: Orate pro per- sequentibus et calumniantibus vos. Unde, Fratres, D omnes unanimiter rogemus Dominum, quo hæc retrograda brachia et has aridas manus sua pietate ad pristinam sanitatem reintegrare dignetur. Eadem hora oraverunt singuli sigillatim in corde suo, et quasi ex uno ore omnes pariter responderunt, Amen. Ad hanc vocem ille *b* angarizator iterum exclamat: Pontifex Dei miserere mei. Cumque jussu Dei famuli a terra sese erigeret, confestim brachia manusque ejus pristinæ sanitati sunt reddita. Quo viso, *c* ministri impii quidam, nescio, quo spiritu pleni, magnis cum vocibus cœperunt magnificare Deum, cujus in nomine S. Castrensis oratio tam cito infirmum pristinæ sanitati restituit.

*quo cum aliis orante,*

Luc 6, 28

*auctore anonymo. sanitati restituitur.*

7 Sed cum a supervenientibus Christianis redarguerentur ex peractis in Sanctos Dei sceleribus; iterum rediviva eorum vesania in iram exarsit: cœperuntque compellere Sanctos Dei, ut *d* regalibus obedirent præceptis. Sed quia superna clementia vigili cura custodiebat Sanctos suos, multo cœperunt deridere amplius vesaniam eorum. Tunc unus, in quem corporaliter habitare sathanam creditum est, nomine *e* Aristodemus, hujusmodi voces contra Sanctos Dei cœpit emittere. Hos si ignis cremaverit, pulvis, E qui ex eis remanserit, iterum maculat; sin vero extinxerit, cruor eorum, in quocumque rure ceciderit, inficiet. Nunc ergo acquiescite consiliis meis, et hujus sectæ hos, qui tantum existunt auctores, ut etiam Regis animum ad iracundiam provocent, ita funditus perdere studeamus, ut nec vestigium eorum in terra inveniatur. Sint in pastum marinis belluis, et tumulus eorum imputetur profundum abyssi. Feratur vetustissima navis, quæ non solum aliquam navigantibus utilitatem non habeat, verum etiam, nec exiguam partem, ex quo compactæ detinentur tabulæ, bitumen retineat: in qua nec aliqua pars solaminis inveniatur, abjectis tropis et antennis, omni solatio viduata clavorum, vix per pauciora spatia æquoris ambulantes a pelagi absorbeantur faucibus.

*ex consilio Aristodemi fertur sententia in Martyres:*

8 Talibus alloquiis ut est affatus sævæ catervæ multitudinem ille iniquus pestifer, passim hinc illincque confestim segregati cœperunt discurrere, atque cum erectis brachiis vetustarum navium cœperunt lora concutere; ne quid in eorum viribus sancti habere valuissent solatii. Cumque multarum abjecissent navium copiam, indicio visa est una vetustior, quæ per multorum annorum curricula solummodo ab avium stercoribus putrefacta marcuerat. Hanc unanimiter complexantes cum læto animo F ad oras maris perducere festinant, perclamantes: Hæc navis Christicolas transportabit ad alias oras. Cumque eam in æquore projecissent, simulantes se nomina Sanctorum segregatim cum honore digno vocare, ita exorsi sunt: Ingrediatur prius huc reverenda canitie et sanctitate præditus Rossius, post hunc fœcundæ sobolis proles Secundinus. Tertius qui jura Christi in populis audacter consparsit Heraclius, juxta eum fas est ut *f* Benignus et Priscus resideant, Elpidius nec non lateris ultimam sedeat partem. Ad intra dehinc alterius partis detineat locum Marcus, et Augustinus, Canion, et Vindonius pariter cum eis recumbent. Signifer præceptor Castrensis puppis possideat arcem, ab indole qui flatibus imperavit iniquis, Tammarum fas est proram gubernare benigne.

*in putrefactam navim immittuntur 12,*

*nominatim evocati:*

*eorum signifer habitus S. Castrensis.*

9 Talia dum sævi disponunt ministri, repente supervenit innumera multitudo Christicolarum, permixtim viri ac mulieres, seu adolescentes, et parvuli, omnes pariter clamantes; Miseremini, miseremini concives, et, ne vestram manus polluantur nostro sanguine, sinite nos sequi vestigia sanctorum Patrum. Hanc acclamationem indigne ferentes, et in

*his innumera multitudo ultro adjungitur*

AUCTORE ANONYMO.

A in derisionem vertentes, cœperunt festinanter cogere eos ascendere navim, atque deridentes dicere: Dignum est, ut simul cum his, quos imitati estis, efficiamini in pastum marinis belluis. Multitudinem vero Sanctorum Sanctarumque idcirco minime præsumpsimus nominatim nominare; quia nullus sub cœlo invenitur, qui dicere audeat, se cognovisse nomina singulorum, nisi solus ille qui æqualiter per suæ magnitudinis gloriam semper ubique est, et cui omnia præsentia sunt. *g* Hæc vero quæ nostris sensibus pietas perennis Dei per sanctorum Patrum dicta tradidit, idcirco annotare studuimus, ut, dum aliquis fidelium alicujus Sancti solennitatem celebrat, pariter de cunctorum triumpho lætetur: quo ab æterno Rege immortalitatis præmia, his omnibus intercedentibus, adipisci digne valeat. Hi enim sunt, qui relinquentes prædia et divitias, semetipsosque abnegantes, secuti sunt Redemptoris vestigia. Sed commodum duximus, ut præcurrente stylo breviter annotemus, qualiter immensus Rex noster Christus sæva ridiculaque nefandorum Tyrannorum ad laudem sui nominis convertere dignatus est. Cumque sæva concio militum unanimiter viros ac mulieres, adolescentes et parvulos, agminatim conspicerent B navim velle conscendere, metuentes, ne vetusta navis in littore mergeretur, statuerunt, ut hi demum, qui se eorum consortio copulare voluissent, usque ad eos navigio firmioris ratis deducerentur.

*firmioribus navibus in mare avecta,*

10 At omnipotens Deus, cui est in mari via et semitæ in aquis multis, mutato ordine, eorum versutiam in Sanctorum gloriam mutavit mirabiliter. Nam, cum multitudo navium vix usque ad pelagum Sanctorum deduxissent exercitum, permixtimque in vetustam navem certarent ejicere, ut pariter interitus Catholicorum veniret, demerso vetusto navigio; tunc virtus superni Regis hoc suæ præbuit virtutis judicium, ut ii, qui Sanctos Dei devinctos ad pelagum usque deduxerant, nequaquam suarum navium mutarent remigia, donec ipsi cum suis viderent luminibus, qualiter Christus Deus noster suis in mari præberet vias, et in aquis semitas. Sicque gaudentes, et exultantes, atque Christo Regi seculorum grates referentes, pervenerunt in *h* Campano littore cum mensis Maius *i* dies decem compleret a Kalendis. Hinc cum placidas arenas maris propriis calcarent pedibus, Pater sanctus Castrensis e vetusto navigio, Christo Deo juvante, *k* confracta solidat, ad C locum, ex quo est projectus, redire sategit: quod, aura leni flante, per vastum æquor iter arripuit: qualiterque transmeavit, sequens sermo edocet.

*spectantibus aliis nautis,*

*incolumes perveniunt in littus Campanum.*

a *Michael Monachus*, Paganus unus. — b *Idem*, agonizator. — c *Idem*, Paganus. — d *Ita et Monachus, qui hactenus pro* regalibus *supponebat* Ducum aut Tyrannorum *nomen.* — e *MS Romanum*, Aristodenus. *Infra num.* 12 *dicitur* Adamas *vel* Adamantius, *unde apparet Monachum prius nomen corrupte posuisse, verum.* — f *In Martyrol. Rom. hujus loco* Adjutor *legitur; binominem credit Monachus.* — g *Desunt apud Monachum sequentia usque ad hæc verba:* Cumque sæva concio. — h *Prope Vulturni aut Garriliani fauces, ut supra ex Monacho dictum.* — i *Monachus*, diem compleret. — k *MS Romanum addebat*, qui.

## CAPUT III.

### *S. Castrensis in Campania labores, miracula, obitus.*

Exinde Angelo ducente perrexerunt ad loca propria, quæ illis Christus sancivit pro salute credentium. Tunc Pater Castrensis mœnia Suessanæ urbis adiit, quem, ut loci percontati sunt incolæ, unde genus duxisset, vel quo illuc pervenisset temere; ille pius, ut erat, Pater cuncta refert clementius, qualiter sæva Regum jura contempsisset cum sociis, qualiaque Christus Deus eis impartisset suæ pietatis munera. Quod cum populus audisset ejus ab ore placido, unanimiter extollunt voces ad sidera, Christo Deo grates referentes regnanti per secula, qui pro D salute plebis suæ eduxit ab orbis finibus Antistitem benignum, ac Patrem eximium, suæ quidem vitæ ut custos esset, ac ductor alterius. Sic fertur pia mente sprevisse laudes et contempsisse præmia, quo nec copias rerum, nec fastus perciperet, sed pro magno sibi foret, breve habitaculum si in suburbanis ejusdem urbis ei donaretur a Domino. Quod ubi omni cum annisu adimplevit gaudens populus, cultor *a* Trinitatis; magis cellulæ pauperculæ anxie est amplexus hospitium, quam terrenas divitias, ac favores populi.

*S. Castrensis venit Suessam,*

*in suburbanis hospitiolum elegit:* a

*b* 12 Sed Deus, qui nec urbem super montem, nec lumen sub modio permittit condi, funditus ab illis finibus, a quibus projecti fuerant, ejus nomen prædicari digne constituit. Ex quo enim prætumens spiritu superbiæ vir sævus et crudelis, *c* Adamas nomine, qui nefando ore dederat consilium, ut sancti clauderentur in vetusto navigio, quo mergerentur in profundum, continuo oppressus ac contractus ex tunc semper extitit, uti gibbosus, ac terram semper *d* concernens: illius atque conjux, Beatrix nomine, gravi prægravata extitit continuo morbo, quem hæmorrhoidem vocant physici. Quas infirmitates tamdiu perpessi sunt, quamdiu, Angelo monente, Adamas transmarinis in finibus Campano in littore Castrensem invenit benignum Antistitem, cujus accepta benedictione ab humo sanus erigitur, ejus et absens conjux pariter incolumis efficitur. *e* Sed qui eum cum suis deduxerant vehiculis acervum fœni Patris cum jumentis devorant, quæ statim corruunt mortua. At ut se miserandos Patri proclamarunt, veniamque sibi concedi petiverunt, die sequenti propriis cum straminibus invenerunt jumenta læta in pascuis. Hoc revertente viro, etiam navis, quæ ad dedecus Sanctorum marinis in fluctibus jactata fuerat, auxiliante Deo, in littore, ex quo ejecta fuerat, reperta est. E

b

c *auctorem exilii sui ejusque uxorem multis morbis punitos sanat:* d

13 Non multo post ex eisdem finibus, in quibus B. Castrensis habitabat, quemdam malignus hostis arripuit hominem, qui dum ex præcepto viri Dei compelleretur, ut exiret, protinus exclamavit: Præceptis tuis contraire nequeo: sed jube, quo eam. Et Sanctus: Non sit tibi aditus, nisi in profundum abyssi. Tunc tremebundus dæmon compulsus exiit. *f* sed dum profundum maris expeteret, ecce navis ferens diversa commercia veniebat: quam dæmon conabatur evertere. Tunc nautæ voces simul dederunt ad Dominum, statimque B. Castrensis visus est increpare dæmoni, et dicere: Miser et crudelissime, quantum fas tibi est, ut in Dei servos talia peragas? Et dæmon: Jussu tuo profundum expetivi abyssi. E contra Sanctus: Non sic, sed inferioris inferni tibi aditus tributus est. Tunc misero cum clamore miserabilis proclamare cœpit dæmon: Ecce nec conspectum mei valeo adire Principis, nec proprios socios conspicere, quia undique me miserabilem reddis. Atque his cum clamoribus obscura petit ima profundi. Divino siquidem nutu festine navis littus attigit: atque ut B. Castrensis cognoverunt vultum perspicuum, sponte devoverunt, quo statuto tempore dona ejus deferrent ecclesiæ. Quorum exemplo omnis nauta ad id littus perveniens, pio cum amore gratanter eorum promissa implere desiderat. F

*obsessum a dæmone liberat:*

f

*et nautas ab insultis dæmonis;*

14 Sed, ne in longum sermo deductus fastidium generet audientibus, omittamus ea, quæ eo vivente gesta sunt miracula: quæ his, qui humanis utuntur sensibus, cognita esse quis dubitet. Nunc vero ejus præclarum transitum brevi sermone percurramus. Cum se sanctissimus Pater ab ergastulo carnis solvendum cognosceret, convocans diversos Fratres, dixit: Tempus est, ut pius Rex nobis conferat hoc, quod Psalmographus cecinit, ut cum gaudio excipiamus

*cognoscit se morti proximum*

Psal. 125. 6

A mus fructus quos cum mœrore seminavimus. His prolatis verbis, cœpit eos commonere de spe futuræ beatitudinis, et ut caritatem inter se mutuam detinerent, sine qua nemo digne potest Deo placere. Cumque quidam ex circumstantibus, Benignus nomine et opere, eum humili cum devotione rogaret, ut ei manifestius ediceret, quid sermo in se *g* prolixior contineret, respondit : Ab ergastulo carnis egressurus, hanc hæreditariam pacem prædicare studui : sed tu ipse ad hoc te præpara, quia non multum post meum discessum ejus comes mei itineris.

*caritatem commendat :* *g*

15 Hoc expleto sermone, osculum pacis omnibus circumstantibus contulit, annuntians eis : quia per tres dies hæreditatis perenne gaudium a Christo esset percepturus. Hinc concrepuit pariter vox et gemitus cunctorum. Aiebant enim : Cur non clemens Deus orbatæ condoles plebi? At cur non simul cum Pastore orbatus grex ad percipienda perpetuæ vitæ præmia, te miserante, perducitur? Cumque cum magno strepitu eorum vox vicina quæque compleret, mitissimus Pater Castrensis ita eos alloquutus est : Nolite, filii mei, ad hoc mentes vestras tristando deducere, ut vos viduatos post meum discessum ab æterno Domino credatis. Ego enim securus de Dei B misericordia, hoc vobis solatium spondeo ; quia numquam absens ero spiritu ab hujus loci defensione, ita ut, quemadmodum vivens in corpore studui vos a diversis erroribus tollere, sic quoque ipso meo Domino annuente ab omnibus adversitatibus vos spiritu tueri satagam. His et aliis alloquutionibus per tres dies, quibus supervixit, sanctam Dei plebem alloquutus est : ita enim se lætum ac jucundum in conspectu omnium exhibuit, ac si epulaturus ad convivium profecturus esset.

*suos tristes consolatur*

16 Sed cum jam dies tertius illuxisset, convocatis omnibus lætus et gaudens divina mysteria celebravit. In qua oblatione dum secrete inchoaret principia, divinitus tanto lumine ejus facies ac corpus irradiatum est, ut nullus esset ex circumstantibus, vel etiam e multitudine, qui in ecclesia convenerant, qui eum perspicue conspicere valeret. Qui splendor non recessit, donec astantibus cunctis post expletam Missam sese in sepulchro ipse collocavit, atque sanctum Deo reddidit spiritum. Audivimus etiam relatu quorumdam Sacerdotum, qui digni huic revelationi interfuisse creduntur, quod quasi ignis ab D altari progrediens inter ipsa sacrificia ad cœlum usque tetendit. Cumque eum omnis multitudo ut dormientem inspiceret, beatæ memoriæ Orosius Presbyter, sub ejus capite leniter manum submisit, existimans eum adhuc vivere; sed cum eum jam exanimem respexisset, gravi cum mœrore astantibus ejus sacrum exitum denuntiavit.

*peracto sacrificio Missæ,* *ingressus sepulchrum moritur.* *AUCTORE ANONYMO.*

17 Tunc mœror et dolor omnium mentes concussit, quod tam jucundanter ab hoc seculo egressus esset, ut nullus ex circumstantibus ejus obitum percipere potuisset. Cœpere singuli cum magnis vocibus ac cum cordis gemitu lacrymas fundere, dicentes : Quis unquam tam præclarum visurus est Antistitem? Quis unquam valuerit nos miserrimos a morsibus antiqui hostis eripere? hic enim piis locutionibus, et superbos mitigavit, et confortavit humiles. Heu miserrima plebs a tanto viduata Antistite ! Condoleat cœlum, tellus et ipsa ploret! Talia dum omnis cœtus acclamaret fidelium, necnon orphani et viduæ deflerent pii Patris exitum, repente supervenerunt vicinarum urbium Sacerdotes et populi tam graviter flentes, ac si de natorum funere, et ut ita dicam, hic luctus præcessit omnes mœrores et gemitus. Quod Divina actum pietate non dubito, ut E comprobaret omnipotens Dominus, qualiter suos electos hoc in seculo remuneret. Hic enim piissimus Pater pro amore individuæ Trinitatis, et pro amore Catholicæ fidei a propriis finibus expulsus nil curavit, ac cum rebus proprias renuntiavit voluntates. Unde non dubium est, quod Divina majestas ad laudem sui nominis undique turbas fidelium aggregare dignata est in exitu sui famuli.

*deploratur a suis,* *et vicinis populis :*

18 Et dum omnis multitudo in ejus exequiis pernoctat, sequenti die cum omni diligentia clauserunt ejus venerabile sepulchrum. Migravit autem beatissimus Castrensis ex hoc seculo, undecimo die Februarii, plenus virtutibus bonorum operum et confertus. Amen.

*sepulchrum clauditur.*

a *Michael Monachus* ecclesiam, quæ ibi modo est sub invocatione sanctissimæ Trinitatis, *arbitratur hanc fuisse, aut aliquod oratorium.* — b *In MS. R. nonnullis quibusdam omissis sic habetur.* Interea vir sævus *etc* — c *Monachus* Adamantius, *supra* Aristodemus — d *MS Roman.* cereolus. — e *Reliqua hujus numeri desunt in MS. Romano.* f *Hæc quia etiam hujus numeri desunt in eodem MS* g *Monachus*, implexior.

# DE S. SECUNDINO

## EPISCOPO TROJÆ IN APULIA,

### Commentarius prævius.

G. H.

C §I. *Troja Apula extructa. Historia Duplex Inventionis corporis S. Secundini.*

*CIRCA AN. + DL. XI FEBR.* *Troja in Apulia*

Troja Apuliæ opulentissima civitas, fœcundi agri, Comitatus gentis Sangræ nobilissimæ, et Episcopatus titulo clara. *Ita Ferdinandus Ughellus tomo* 1 *Italiæ sacræ, ubi hujus Ecclesiæ, Sedi Romanæ immediate subjectæ, Episcopos recenset. Debet Troja, suam originem cuidam* Baiano, *aliis* Boiano, Bolano, Bohano, Bagano, Bugiano *et* Bubagono *dicto, qui a* Basilio II, Romani junioris filio, Imperatore Constantinopolitano, *in Italiam anno* CMXVIII *missus* Capitaneus, *seu* Catapanus, *id est, militiæ præfectus,* Trojam *hanc, teste Leone Ostiensi lib* 2 *Chronici Casinensis cap.* 51, in capite Apuliæ construxit. Draconariam quoque et Florentinum, *aliis Farentinum*, et municipia reliqua, quæ Capitanata (*et quidem ab hoc Baiano*) vulgo appellantur, ædificavit : et ex circumpositis locis incolas evocans, deinceps habitari constituit. *Addit Blondus* Flavius *decade* 2 *Historiarum lib.* 3, *præ reliquis* F Trojam, Apuliæ Calabriæque in fide continendis, et Romanorum finibus infestandis, maxime opportunam fuisse visam. *Verum evocatus in Italiam* S. Henricus Imperator, mense Martio anno CMXXII Beneventum venit, et Trojam in Capitana obsedit : *ut tradunt Lupus Protospatha, et ipse Apulus, in brevi Chronico : Leo Ostiensis lib.* 2 *cap.* 40 *et* 41, *Glaber Rodolphus lib.* 3 *Historiarum cap.* 1, *qui addit* tertio obsidionis mense exacto *interceptam, permissumque* murum civitatis, *ejus jussu subversum,* ab eisdem reædificari *civibus.*

*ab Græcis condita,* *a S. Henrico Imp. intercepta.*

2 *Circa hæc tempora inter ruinas prioris urbis, dum hæc ad novam urbem perficiendam eruuntur, sacrum corpus* S. Secundi *Episcopi, de quo hic agimus, est repertum. Hujus Inventionis historiam damus duplicem, priorem auctoris anonymi, sed coævi ; posteriorem Guaiferii monachi Casinensis, qui aliam historiam censuit cognitione rerum scientiave minus ornatam, atque imperfectam, cui desunt miracula ab illo cap.* 3 *narrata.*

*et hujus ruina corpus S. Secundini repertum,*



*Extat*

auctore G. II. cujus historiam duplicem damus ex MSS.

A *Extat prior historia in codice MS. qui in thesauro Cathedralis ecclesiæ Trojanæ conservatur: cujus aliud exemplar MS. et sub finem magis amplum, submisit nobis Neapoli Antonius Beatillus noster. Alteram Inventionis historiam Romæ accepimus e codice MS. Patrum Oratorii, quem Cardinalis Baronius habuit a Constantino Cajetano: e qua suum elogium confecit Ferrarius, quod edidit hoc XI Februarii in Catalogo SS. Italiæ; qui etiam ad Catalogum generalem annotat, se Romæ in Bibliotheca Baroniana hanc historiam legisse.*

alterius auctor Guaiferius monachus Casinus,

3 *De Guaiferio auctore hæc scribit Leo Ostiensis lib. 3 cap. 61:* His quoque diebus Guaiferius vir sapientissimus ac facundissimus Salernitanus, huc *(id est, Casinum)* adveniens, a Desiderio *Abbate* susceptus ac monachus effectus est. In hoc itaque cœnobio positus, scripsit Vitam S. Secundini, versus in laudem Psaltimi, de miraculo ejus, qui seipsum occiderat, et per B. Jacobum vitæ redditus est; Homeliam de Adventu, in Nativitate Domini, de Epiphania, et alia plurima. *Hæc ibi. Est autem Desiderius, cujus hortatu se hanc Historiam Inventionis S. Secundini scribere præfatur Guaiferius, in Abbatem electus an. Chr.* CIↃLVII, *circa Natalitia Christi, qui*

sub Desiderio Abbate,

B *tamen cœpit præesse tantum a Paschate anni sequentis usque ad annum* CIↃLXXXVII, *quando* XII *Kalend. Aprilis die Dominica in Ramis Palmarum consecratus est Pontifex Romanus, nomen* Victoris III *sortitus. De eodem Guaiferio Petrus Diaconus Casinensis libro de Ortu et Vita Justorum cœnobii Casinensis cap. 47 hæc narrat:* Guaiferius in Casino admirabilis vitæ monachus dictus est, qui amore cœlestis regni civitatem Salernitanam, e qua ortus erat, relinquens, Casinum advenit; atque sub sanctæ religionis regulam omnipotenti Deo strenuissime deservire studuit. Cumque jam remunerationem laborum, perennemque coronam æternus dare ei Arbiter decrevisset, languore deprimitur. Qui in lectulo jacens, extremum vitæ spiritum jam jam ad Dominum recessurum trahebat: nonnulli vero e Fratribus circa lectum ipsius excubantes, obitum ejus orationum precibus munire cœperunt. Cumque in hujus mysterio ii diei maximam partem pertraxissent; surgens in medium Albericus Diaconus, per Jesum Christum Dominum nostrum obtestari eumdem Guaiferium cœpit, ut post suum e mundo recessum, qualiter susceptus, quove in loco deportatus esset, eidem apparens revelare curaret. Quo dicto, prædictus Frater e mundo discessit. Post non multos autem dies idem Guaiferius

Sanctus habitus.

eidem Alberico per visionem apparens dixit ad eum: C In veritate, in veritate, in veritate scias ad vitam transisse æternam. *Hæc ibi; quo loco citato, Wion et Menardus inscripserunt eum Appendici Martyrologii monastici inter Sanctos, quorum dies natalis ignoratur, ubi hæc habent:* S. Guaiferius monachus Casinas, omnibus religiosis actibus deditus, in pietate vitam finivit.

## § II. *Locus et tempus Episcopatus S. Secundini.*

Troja

S*ilet utraque Inventionis historia, quo loco olim S. Secundinus fuerit Episcopus: alii vero scriptores passim arbitrantur ibidem in propria ecclesia, sed jam pridem destructa, fuisse sepultum: sed neque horum consensus est in ea civitate denominanda. Glaber Rodulphus veterem* Troadem civitatem *scribit*, festinanter muris cinctam, et copiose viris mulieribusque fuisse repletam. *At Marinus Freccia apud Ughellum censet prius dictam* Costam Annibalis. *Blondus Flavius secutus Guidonem Ravennatem Presbyterum, Pandulphus Collenutius lib. 3 Historiæ Neapolitanæ aliique*, antiquitus

an olim etiam Troja dicta?

an Costa Annibalis

D Castra Hannibalis *tradunt appellatam. Guaiferius infra num. 4 antiquissimam fuisse civitatem probat, atque* Ecanam dictam: *sive, ut in priore Vita scribitur,* Æcanam, *aut etiam* Hecanam, *sive* Ecanamum: *quod nomen etiam ei indit Leander Albertus in Apulia Daunia ob auctoritatem Consentini, et Chronici antiqui Bononiensis; et sequuntur passim recentiores. Hanc Ferrarius in Catalogo generali SS.* XI *Februarii ita scribit:* Æcanæ in Apulia S. Secundini Episcopi: *additque in Notis* Escas, *sive* Æcas *dici in antiquo Itinerario Antonini et Tabulis Peutingerianis, ubi iter Benevento per hunc locum* Escas, *sive* Æcas, *usque Canusium describitur. Sed iste* Accadiam *vicum prope oppidum S. Agathæ intelligi: arbitratur Cluverius lib. 4 Italiæ antiquæ cap. 8. Quos autem Plinius lib. 3 cap. 11 Æcanos nominat, esse hujus loci oppidanos, deque eisdem legi in antiqua inscriptione hæc verba:* CVR. REIP. ÆCANORVM. *Verum cum urbs Troja a vico Accadia circiter* XII *millia passuum tantum distet, potest Accadia una cum Troja eosdem Æcanos constituisse: neque ob anfractus Apennini montis rectissimus viarum ductus semper retinetur.*

sive Castra Hannibalis? num potius Æcana?

E 5 *Inter socios S. Castrensis Episcopi, de quo jam egimus, reperitur quidam* Secundinus, *ut dudem diximus: cujus aliorumque ita mentio fit in Martyrologio Romano, ipsis Kalendis Septembris:* Capuæ item alterius Prisci Episcopi, qui unus fuit ex illis Sacerdotibus, qui in persecutione Wandalorum ob fidem Catholicam varie afflicti, et vetustæ navi impositi, ex Africa ad Campaniæ littora pervenerunt, et Christianam religionem in iis locis dispersi, diversisque Ecclesiis præfecti, mirifice propagarunt. Fuerunt autem ejus socii Castrensis, Tammarus, Rosius, Heraclius, Secundinus, Adjutor, Marcus, Augustus, Elpidius, Canion et Vindonius. *Michael Monachus in Sanctuario Capuano agens de hoc S. Prisco, inquirit Ecclesias, quibus alii præfuerint, et hæc subdit.* Creditur Secundinus præfuisse Trojæ, quæ dicebatur Ecana, Marcus Bovini, Adjutor Cavæ, Tammarus Beneventi, Canio Acherontiæ, Elpidius Atellis: de Augusto, Vindonio, Rosio, Heraclio lux nulla. *Et nonnullis interpositis,* Horum festa, *inquit*, notantur: Secundinus Episcopus Trojæ die XI Februarii; in quodam MS. Kalendario Thesauri nostri XXVII Maii, at in Ecclesiis nostræ diœcesis agitur VIII Decembris. Marcus Bovini die XIV Junii, *et sic de aliis. Distat Bovinum* VII *circiter millia passuum Troja. Secundum hanc autem opinionem, quæ sua probabilitate non caret,* S. Secundino *communia sunt pleraque, quæ jam ad Vitam S. Castrensis diximus, uti etiam cap. 1 et 2 ejusdem Vitæ: in quo num. 8 refertur secundo loco in navim putrefactam immissus, cum hoc titulo honoris ante exoratus:* Ingrediatur fœcundæ sobolis proles Secundinus.

In S. Secundinus in persecutione Wandalica ex Africa venerit?

colitur etiam 17 Maii et 8 Decemb.

F

6 *Adservantur Reliquiæ* S. Secundini *in ecclesia Cathedrali, una cum Reliquiis S. Pontiani Papæ et Martyris, S. Eleutherii Episcopi et Martyris, et S. Anastasii Confessoris. Sunt autem singulæ statuis ligneis deauratis inclusæ, quarum tamen capita et manus sunt argenteæ. Deferuntur per civitatem in solemni processione quotannis* XIX *Julii, die prædictorum trium Sanctorum Translationis, quæ contigit anno* CIↃCV, *ut plenius dicetur* XVIII *Aprilis ad Vitam S. Eleutherii*, qui tempore Adriani Imperatoris Episcopus civitatis Ecanæ in Apulia *fuisse traditur in antiquis Actis eo die dandis: unde Cathedræ hujus Episcopalis antiquitas constat, et mendum agnoscitur in Martyrologiis, in quibus loco* Ecanæ *minus note* Messana, *sed Siciliæ, non Apuliæ, urbs legitur. Colitur* S. Pontianus *Papa et Martyr* XIX *Novembris, et* S. Anastasius *Confessor* XII *Septembris.*

Reliquiæ in statuis

deferuntur in processione 19 Julii

HISTORIA

A

## HISTORIA INVENTIONIS
# CORPORIS S. SECUNDINI
### auctore coævo anonymo,
*Ex MSS. Trojano et Neapolitano.*

Cum nuper in finibus Apuliæ reædificata esset civitas, quæ vocatur Troja, quæ quondam *a* famosissima atque opulentissima ita extitit, ut nunc usque monumenta vel tumuli materiarum pretiosarum ornamentis, seu nitore sic fulgeant marmorum, ut omnibus palam detur intelligi, nobilium et magnorum fuisse accolarum. Sed eorum exigentibus meritis ita destructa fuerat, ut vix de ejus mœnibus vel parvus valeret videri lapillus. Nunc vero nutu omnipotentis Dei constructa et restaurata est, Christicolarum in ea plurimis habitantibus catervis, qui ita student religiose servire Domino Deo, ceu fuissent cœlitus destinati in eadem civitate. Cum autem sollicite jam scrutari hi cœpissent huc atque illuc, ut cœmenta petrasque congruas reperire possent ad utilitatem fabricæ novarum ecclesiarum; casu accidit providentia Dei, ut hi, qui ecclesiam in honorem sanctæ vivificæque Crucis ædificare voluissent, dum anxie per antiqua petras quærerent mausolea, tandem juxta ecclesiam B. Marci, quæ ibi sita est, non pauca invenirent sepulchra: juxta quæ erat monumentum constructum, mirifica arte compositum, nec non specioso adopertum marmore. Quod marmor cum cœpissent e vestigio sustollere, quoniam erat bitumine circumlinitum, conspexerunt illud studiose, et invenerunt exaratum in eo ita: Hic requiescit Sanctus ac Venerabilis Secundinus Episcopus, qui Sanctorum fabricas renovavit, raptus in requiem tertio Idus Februarii, et cetera quæ ibi scripta *b* videntur. Quæ scripta cum fuissent perlecta, omnes procul dubio crediderunt magnum thesaurum latere sub illo marmore. Quo ablato ingens marmorea apparuit urna, in qua beatissimi Confessoris et almifici Præsulis quieverit corpus sanctissimum. Tunc omnis illa Sacerdotum concio repleta magno tripudio glorificaverunt altissimum cœlestemque Regem, qui sua non denegat beneficia usque in hodiernum diem bene quærentibus illa.

*a Post restauratam Trojam*

*inter ruinas*

B

*in sepulchro marmoreo*

*inventur corpus S. Secundini Episcopi.*

*b*

2 Dehinc præfati Sacerdotes et universi populi magna reverentia et summo honore involutis sanctis illis reliquiis in Sindone munda, tulerunt illas ad prædictam civitatem. Certe ita integrum totum erat corpus, ut saltem nec unum os minus fuisset, præter caput, quod cur deerat, apud nos incognitum usque hodie manet, licet occulta cognoscenti sit manifestum, sicut suus Propheta David dicit: Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto. Cives quoque præfatæ urbis ad tale gloriosum spectaculum cum gaudio currebant, deosculari cupientes illas sacratissimas Reliquias cum magna devotione.

*defertur in civitatem,*

C

Psal. 138. 15

*magno gaudio.*

3 Sed ut est humana fragilitas, quæ non facillime consensum præbet incertis caussis, adeo cœpit mens ejus titubare, qui tunc præerat civitati *c* Episcopus, ut etiam ad illusionum prorumperet verba. Sed prædicti viri certatim incboatum perficere satagentes opus, surda aure neglexerunt omnium invidorum atque perfidorum malitiam: quamquam illis ædificantibus detrahebat prædictus Episcopus, irridens etiam illos. Cumque sic indesinenter faceret, evenit Altithroni dispositione, ut tactus longa molestia dolorum laterum, ita vexaretur jacens in strato suo, ut vitæ hujus nihilominus exitum præstolaretur.

*Episcopus dubitans*

*c*

*et obloquens,*

*punitur dolore laterum:*

4 Interea hi qui adstabant Sacerdotes, et ejus ministri, condolentes dolorum ejus *d* magnitudini, eo quod pene jam exanimis videbatur, recordati sunt injuriæ derogationisve, quas ipse illis sine aliquo pudore patraverat, qui sanctum corpus B. Secundini repererant; et dixerunt ei: Fortassis, egregie Pastor, doloribus, quibus afficeris, mederi valebis, si quem verbis dehonestasti, operibus honoraveris. Quibus ille, licet tenui voce, sic respondit: Cognosco, fratres, quod auxilio Sancti evadere possim ab hujus ergastulo mortis, si quivero culpam meæ deflere incredulitatis. Tunc sponteæ devota mente promisit, se reptando manibus ire ad ecclesiam vivificæ sanctæ Crucis, ubi sanctæ positæ erant Reliquiæ; si Dominus ei per famulum suum Secundinum sanitatem donare dignatus fuisset: atque subjunxit, dicens: Oro te, Pater almifice Præsul, si vera sunt, quæ de te audio, incessanter pro me interveni apud Conditorem cunctarum creaturarum, ut mihi misero sanitatem conferat; et ultra de te incredulus non ero; sed potius, ut expedit, tuis sacris Reliquiis reverentiam exhibebo absque omni dubitatione. Vix igitur orationis verba compleverat, et ecce, qui nec loqui præ dolore potuerat, magnis cœpit vocibus gratias agere Deo et S. Secundino Confessori suo *e* eo quod sic Dominus abstulerit ab eo doloris flagellum per meritum præfati S. Secundini, ut nec memoria pristinæ infirmitatis in eo remanserit.

*d*

D

AUCTORE COÆVO EX MSS.

*confessus culpam, et voto facto*

*precibusque fusis,*

*subito sanatur:*

*e*

5 Mane autem ad ecclesiam novæ sanctæ Crucis ipse perrexit, stipatus Sacerdotum, Clericorum et populi utriusque sexus copiosa multitudine: et sicut ipse vovit, cœpit ambulare. Cum autem introisset ecclesiam non segniter, sed magno opere scrutans, ubi erant sanctæ Reliquiæ positæ, deosculari cupiebat illas cum magna devotione. At illius fratres ecclesiæ obtulerunt coram eo sanctissimi corporis Reliquias. quibus visis prostratus toto corpore in terram, lacrymis primum irrigavit illas, et sic osculatus est eas, magnificans Deum, qui est benedictus in secula, et gloriosus in Sanctis suis, deinde vero astantes affatus est, quatenus ibi altare in ipsius Sancti honorem ædificare studeret.

E

*votum pie persolvit.*

6 Illi autem fratres ex animis volentes omnium expellere dubitationem, Domine, inquiunt, Pater, jube afferri ignem, ut, quemadmodum cognovit tua et credidit Paternitas, ita omnes credant circumstantes, et glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est. Annuit ergo Episcopus precibus illorum, et jussit sibi afferri thuribulum plenum prunis: moxque cunctis aspicientibus qui illic aderant, et præ nimia admiratione lugentibus, propriis manibus os unum prædicti Sancti cœpit, idque divisit, et alteram partem manu tenens, alteram in thuribulum ignitorum carbonum injecit; statimque adfuit divina virtus. Nam sic dissiluit ista pars foras ac si manu hominis esset ejecta; et sic conjuncta est alteri parti, quam Episcopus manu tenebat, ac si nunquam divisa fuisset.

*Particula reliquiarum nequit comburi,*

F

*ultroque unitur alteri parti.*

7 Tunc Episcopus et omnes circumstantes nihil deinceps hæsitantes omnia, quæ de Sancto acciderant, perfectissime crediderunt: atque eadem hora comprobavit prædictus Episcopus se cognovisse perfectam veritatem absque omni scrupulo. Omnes vero stupentes, et præ nimio gaudio, ut sæpe evenire solet, lacrymantes, glorificaverunt omnipotentem cœlestemque Regem in cœlis sedentem, et electos suos nunquam deserentem. Sacræ autem Reliquiæ translatæ sunt cum magna pompa in ecclesiam Cathedralem, ubi usque nunc asservantur.

*Corpus defertur in ecclesiam Cathedralem.*

a *In MS. Neapolitano P. Beatilli adscriptum erat,* quondam fuit Æcana et famosissima, *forte ex Guaiferio.* — b *Sed* excisis partibus, *ut infra idem Guaiferius.* — c *Ughellus primum Episcopum reperit* Angelum *anno* 1028 *consecratum, qui in diplomate adjuncto anno Ch.* 1037. *consecrationis sive Præsulatus agnoscit nonum. Huic ergo, aut, qui ignotus est, ejus decessori hæc contigerunt.* — d *MS. Trojanum,* multitudini. — e *Reliqua desunt in Trojano MS. et sic breviter concluditur historia.* Mane ad ecclesiam novam sanctæ Crucis perrexit magna civitatis multitudo, Religiosorum, et populi utriusque sexus: quo ubi pervenit, osculatus est magna devotione, et multis lacrymis sanctas Reliquias, ostenditque eas populo, et prædicavit de misericordia Dei, et de mirabilibus

*Auctore Guaiferio ex MSS.*

A mirabilibus in Sanctis suis. Utque corda omnium confirmaret, os unum prædicti Sancti cepit, idque divisit et alteram partem manu tenens, alteram in thuribulum ignitorum carbonum injecit, quæ statim (mirabilis Deus in Sanctis suis!) conjuncta est parti, quam Episcopus manu tenebat, ita ut numquam divisa fuisset. Tunc Episcopus cantavit TE DEUM LAUDAMUS, et dederunt gratias Deo et S. Secundino.

*Animadv. pap. 80*

ALIA HISTORIA INVENTIONIS

# CORPORIS S. SECUNDINI

## auctore Guaiferio monacho Casinate,

*Ex MS. Cardin. Baronii.*

### PROLOGUS AD EPISC. TROJANUM.

De bono dilectionis et obedientiæ, Frater, et a Coepiscope sancte, cum ex illa opaca, et condensa lapidearum descriptione tabularum, tum Evangelii sermone perlucido et patulo, regula nobis, norma et disciplina porrigitur. Placuit enim summo Opifici et incomprehensibili Deo, qui omnem mundum regit, prius instrumenta hujusmodi sub Moysi velata facie quodam sacramento signare, quibus in se Gentibus credituris post Incarnati videlicet mysterium evidentissimæ pietatis patrocinio potissimum patrocinaretur. *(Ex caritate et obedientia)* Nihil est autem quod in terris ei fiat acceptius, quam cœtus hominum, unda sacri baptismatis mystica quidem Spirituque sociati, his rebus operam, his laborem, his denique diligentiam suam locantes. B Noverat enim et hoc columna nubis et ignis illa Israelitica secta. Jubemur ex toto corde Deum diligere, jubemur proximos: admonemur etiam parentes obedientiæ: magisteria sunt ista divina, et quædam propria in utrisque tabulis Dei digito designata. Sunt et hæc fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis. Ex hujusmodi nempe origine torrente Prophetarum et legis emanante, procedit et ille sermo brevissimus irrigans omnia, rivulos fidei quæ per dilectionem operatur. Sed cur ista præmiserim scias licet. Quæsisti a me per Casinensem Abbatem, quem ego caussa honoris Desiderium nomino, virum inter bonorum Antistites operum et religione laudatum, et meritis comprobatum; ut, si quid mihi otii tui posset amicitia suadere, ad scribendum potissimum historiam Confessoris Secundini conferrem. *(scribit auctor hanc historiam)* Faciam rem mihi difficilem, et caussam felicem agam; neque illi hortanti deero, nec tibi roganti, cum et illi obedientiam, et tibi debeam caritatem. Aggrediar ergo annuæ tuæ diu desideratum opus; nec formidabit dura et difficilia, quæ sustinet omnia, caritas. C Erit profecto tantæ rei maximum emolumentum: Casini etiam secreta secessus facies, ubi pro venerabili fundatore quietis diuturnitas pacis sacrum otium confirmavit. *(in monte Casino,)* Antiquitas etiam refert et illum Varronem tot seculis celebratum hujus ædis auctorem fuisse, qui M. Tullio judice, Romanorum alios religione, alios rerum gestarum memoria, omnes autem litterarum scientia vicerit. Id mea quoque intererit.

2 Veniam et ad b Trojam, cujus nomine gloriaris, istam ad undam frigidi Simoentis perlustrabo oculis famosissimam. Tenedo ascendam ad illas omnium doctrinarum directrices Athenas, in quibus summa c in divinis et inventa est, et perfecta: quæram ostiatam platanum quæ ad opacandum patulis est diffusa ramusculis, cujus umbram secutus est Socrates: mutuabor ab illo rationem dicendi, constructionem verborum, leporem, dulcedinem, venustatem; *(eleganti compto stylo,)* ut et ego ab urbanitate non excidam, et rerum cognitione florescat historia, et redundet omnino. Est enim historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis: quæ pro levibus titulis Oratoris voce commendatur. *(Cicero 2 de Oratore 36)* Contra plerique probabilissimis eloquentiæ propositis laudibus ad gloriam adipiscendam nudi veniunt et inermes, nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati: D ut is, qui hanc eamdem, quæ in manus hominum, historiam postquam attigit, incommodavit, penitusque et turbavit. *(ex priore simpliciter narrata,)* Mihi vero, dum scribens aliquid ista recogito, magis venit in mentem vituperationis quam laudis. Constat enim quia si eleganti eloquentiæ gloria, ineptæ potius ignominia debeatur. Tu ergo, Frater mihi in Christo carissime, locantem felici vineæ operam orationibus juva, utque hanc Secundinus sacer pro voto tuo, meoque secundet intercessionibus, obtine. Oportet autem expeditis his, quæ apud nos de eo sunt pauciora, miraculis (habetis enim et alia quæ in his exemplaribus non habentur) *(et imperfecte.)* ad ea, unde ad hæc tuo amore descendimus studia, animum revocem. In quibus petimus et rogamus, ut manu misericordiæ tuæ nobis ad rationem bene vivendi patrocinium conferat, et possessionem felicitatis æternæ, quæ a digno hærede precario, et pro indiviso suscipitur, pro mercedis pretio tuis promerentibus meritis acquirat.

a Forte fuit Stephanus Episcopus Trojanus, qui interfuit consecrationi ecclesiæ Casinensis an. 1071. et deinceps sub Gregorio VII Papa vixit. — b Agit de celebri et antiqua Troja Asiatica, ubi sunt Simois et Xanthus flumen et vicina Tenedos insula. — c An forte ad ἄρειον πάγον alludit, in quo judicia fiebant. E

## CAPUT I.

*Inventio corporis S. Secundini inter Trojæ ruinas.*

Troja quondam ducibus, divitiis et bellica laude insignis, cujus diuturna incommoda, et diversa excidia iisdem regionibus nota sunt, quibus et solis cursus in a Peloponesi regione, serenissima loci facie, tellure fertili, agro aquis et omni viriditate jucundo prope Pontum et insulam Tenedos sita fuit. *(Post Trojam in Asia semel)* Unde domo plerique Duces fortissimi in priori discrimine, in tempestate horribili, cum tantæ urbis commercium totum jactura fieret, evaserunt. Ex quibus Anchisiades vir acer et strenuissimus fuit, quem Quirites orbis terrarum Principes, qui Trojanorum quoque hostes talione ulciscerentur, nobile generis et laudis habuere principium. Tacuit hæc diutum temporis intervallo, omnibus destituta solatiis; nullæ opes, nullus decorum, nulla denique religio: semiruti tantum et exesi ignibus extabant muri. Xanthus, Simois, et insula Tenedos Trojam ibi fuisse signabant. F Hæc vero excitatur tandem, et colligit se memor pristinæ virtutis et gloriæ, reducit longam ex pronepotum generatione progeniem, reficit lares, studet illi suo mirabili et singulari militiæ sacramento, ut b Syllæ Dictatori favens a Fimbria Marianarum partium obsidione vastetur, ut tormentis quassetur, ut mater iterum concidat gladiis etiam filiorum. *(iterumque excisam,)* Ex illa igitur tempestate usque ad hoc fere tempus vixit tantum sine corpore nomen, absque Latio quidem cunctis æque gentibus execrabile ob Romanorum monarchiam, cujus ipsa et caussa extitit, et proprium dignitatis.

4 Fuit etiam in Apuliæ solo civitas quædam, quantum ad frumentariæ rei copiam, nulli solo inferior: ubi et multa gustu suavia, quæ natura desiderat, ex terra arboribusque gignuntur, cum copia facili, tum suavitate, præstantia vites. *(alia extructa in Apulia Troja)* Et ibi arbores humiles sunt, neque se tollere a terra altius possunt: ex his tamen aliæ semper virent, aliæ hieme nudatæ, verno tempore tepefactæ frondescunt, et fundunt odoriferos flores, et germinant uberrimas fruges. Hæc vero civitas si nominis significationem advertimus (Ecana enim dicta est) antiquissima fuit, cum monumentorum marmoratio, scenarum columnatio, eminentia culminum id designent. *(ubi olim Ecana fuit:)* Huic serio in reconciliatione Troja nomen imponitur, ut egregius titulus

A tulus nominis auctoramentum faciat novitati. Putamus ista fidem posse quærentibus facere, quos sub Trojæ nomine appellatio moverit urbis Ecanæ. Nunc ad propositum historiæ veniamus.

5 Cum igitur pro diligentia Principum in fabricandis ecclesiis, in mœnibus constituendis, quibus salvis, ipsis salvis esse liceret, magna popularibus cura insisteret: dum pars marmoribus tabulandis, pars lapidibus poliendis, fodiendis lateribus alii, alii diversis laboribus, quorum quisque admonebatur, intenduntur ab his, quorum voti erat templum perficere ad salutiferæ Crucis honorem in cœmiterio beati Evangelistæ Marci (erat enim ibi ejus structura basilicæ) monumentum pretioso tabulatum marmore reperitur: quod dum curiosis oculis collustraretur propter magnam quæ circum erat frequentiam sepulcrorum, advertunt cœlatum epigramma exesis jam inferioribus partibus, sed quod legi poterat hæc ferebat: HIC REQVIESCIT SANCTVS AC VENERABILIS SECVNDINVS EPISCOPVS, QVI SANCTORVM FABRICAS RENOVAVIT, RAPTVS IN REQVIEM TERTIO IDVS FEBRVARII. Immissi ergo cum ligonibus multi purgant, et aperiunt locum: qui cum patefactus esset, tumulus in labro mirifico interiori, quod monumentum forinsecus ab injuria

*inter cujus ruinas*

*in sepulchro marmoreo*

*repertum est corpus S. Secundini Episc*

B tuebatur, pretiosissimum margaritum inventum est. Circumfunditur extemplo civitas ad Thesaurum inventi corporis: putant fas esse, quod pium est, osculari Reliquias, invitare votis, efferre præconiis, intercessionibus poscere, lacrymis invocare nocentibus veniam, innocentibus præsidia, subsidia indigentibus, de civitatis statu, de salute communi, de spe bonorum omnium in commune precatur. Non in cute solum hujusmodi potes fuisse lætitiam, pectus, et viscera ipsa commovit: desideriis omnium satisfactum est, in remedium omnium oblectamenta omnia concurrerunt. Effertur venerabile corpus manibus Sacerdotum, ubi novæ urbis fundamenta jaciunt, ubi nomen novum extincto priori, vel in accessionem validioris conversio exoritur, ac in salutiferæ Crucis sacrario tantam dignitatem, et ornamenta reponunt.

*magno civitatis gaudio,*

*et in templo S. Crucis depositum.*

a *An Chersonesum Trojæ oppositam voluit dicere? Certe P lo-ponesum procul inde extitisse quis ignorat?* — b *Hic ne erravit lib. 83 et 84* [illegible] Fimbria urbem Ilion, quæ se potestati Syllæ servabat, expugnasse ac delevisse

CAPUT II.

*Sanctitas Secundini probata Episcopo dubitante, Reliquiis in ignem injectis.*

Cumque felices Reliquiæ signis, virtutibus ad amorem suum civium in dies accenderent animos,

C et erumpentia in maturos beatitudinis botros religionis germina propagarent; ab Episcopo tamen urbis nihil factis hujusmodi adhibebatur fides. Impingit contra salutem patriæ crimen civibus; plebem stultitiæ arguit, accusat Principes temeritatis, Ecclesiam contumaciæ criminatur. Nulla est improperii, nulla insaniæ, nulla derisionis, quæ eum præteriret, contumelia. Degenerare quippe ab optimis institutis multiformi malo civitas poterat, ni felix hanc Secundinus, quantum valeret, manu misericordiæ tenuisset pene jam cadentem, jam pessumeuntem. Quid agis o Episcope? Putas illi injuriæ eum esse obnoxium, qui se in æthereum verticem, unde nemo dejicitur, collocavit? Quid tua refert cum multa in illum maledictionis tela conjeceris? Est autem ejus impenetrabilis ab omni immissione lorica. Nescis duritiem lapidum, quibus civitas summi Regis extruitur, contumeliæ ferro inexpugnabilem? Cædis cœlestem adamantem, et deteris petulantibus verbis, qui incurrentia cuncta retundit. Respice ad obryzi rigorem, cujus habitum nulla circumfusa flamma contaminat; multa, et id genus sunt, quæ consumi igne non possunt. Respice sco-

*Episcopus obloquens sanctitati ejus,*

D pulos in altum projectos, qui mare quidem frangunt, sed verberati per multa millia temporum, vestigia sævitiæ nullius ostendunt. Tutus est ab omni injuria Secundinus, abductus est majore intervallo a jactu telorum tuorum: quidquid autem in illum protervia petulanter superbe miseris, frustra tentabis: cœlestia humanas manus effugiunt, nulla eidem missilia prorsus incurrunt. Erit, erit pro certo, qui illum vendicet; erit, qui et in te spicula doloris intendat, quæ non illo nervo quatiunt, ut frustra et citra te concidant; sed latus, sed viscera, sed cor ipsum tormentis expressa configant. Feritur interea ex improviso Episcopus telo lateris, quocumque miserabile corpus inclinat, incumbit doloribus, suspenduntur in longam vigiliam oculi, fiunt refrigeria cruciatus remedium pestilentia, medicina venenum, vita interitus. Mœret domus, turbatur civitas, impendendi remedii medici laborantes nihil proficiunt. In contrarium enim vertitur, quidquid tutelæ corporis invenitur: aspernatur remedium: validiora tormenta, et insanabiles morbi fugiunt medicinam.

*AUCTORE ODALFERIO EX MSS.*

*punitur dolore laterum,*

7 Fuere plerique, qui illum prope funeratum facti improperii memorarent, dum pœnitentiæ locus esset, mutaret propositum, rediret in viam, errorem sperneret, de Secundini virtutibus non desperaret. Intendit in monitores suos Episcopus, et summisse quidem, non enim aliter poterat, facturum se, cujus erat admonitus, pollicetur: sperans, si modo pœnitenti spatium intercesserit, salutem veniamque Secundini meritis promereri; quem nominans sic appellabat: O felix Secundine, quem DEUS rerum omnium parens, parentem Trojanæ providit patriæ, in cujus commodum impendendi beneficii, constituendæ salutis, conservandæ libertatis totus incumbis; adsis mihi tuæ bonæ voluntatis indigno, nec patiaris partem a toto divelli, cujus potestatis est omnium in integrum misereri. Me miserum delicti criminis sum an peccati? equidem utriusque, non enim te quod debui solemniter colui; sed in, quod non debui, oblitum ire populum concitavi: solve tamen peccati jugum, assere doloris irremediabilis servum, confer quemvis alium pœnitentiæ cruciatum. Injuria quippe est aliquem criminaliter plecti, qui in Principem potentissimum non odii, sed fatuitatis insania insanivit. Inde vertitur ad circumstantes. Reminiscimini, inquit, o filii, reminiscimini Patris, reminiscimini amoris, reminiscimini clementiæ, reminiscimini dignitatis. Scitis quid amor, quid virtus, quid gravitas, quid denique diligentia mea vobis contulerit.

*admonitus culpam fatetur,*

E

*invocatque opem S. Secundini,*

*et preces impetrat suorum;*

F Juvate me precibus, servate patrem, servate vobis, servate liberis vestris: placeat vobis salutem poscere, a quo constat equidem multa nos beneficia suscepisse. Igitur ad hæc Episcopi verba funditur omnis domus in lacrymas mixtas orationis gemitibus: pro conferendis suffragiis Dei Genitricem et Confessorem ejus postulant Secundinum. Vides pro salute Pontificis diebus tuis multa cives profundere, vota numerosa promittere, Dei omnipotentiam modis omnibus supplicare.

8 Dum hujusmodi rebus insistitur, sentit Episcopus orationum suffragia, penitus discessisse dolorem clamat, liberum se multiformi malo pronuntiat. Quanta ad hæc Trojani populi gratulatio, quanta lætitia oborta fuit, cum ea, quæ pro salute Pastoris communi suffragio, una mente atque virtute gesserant, quippe evenisse arbitrabantur! Igitur Episcopum beneficiis eximia Secundini liberalitate conquisitis nullum tempus, nulla vis, nulla occasio tenuit: sed confestim utens pro pedum officio manibus, ubi reconditæ erant Secundini Reliquiæ, pergit ire: quem Sacerdotes cum aromatibus, cum candelabris, populus cum hostiis subsequuntur. Ubi ad Crucis vivificæ

*sanatur*

*veneratur Reliquias S. Secundini,*

*AUCTORE GUIFERIO EX MSS.*

A vivificæ templum ventum est, se toto in terram prostravit Episcopus, illum poscens peccatorum suorum veniam, qui verberato doloribus corpori jam contulerat medicinam. S. Secundino quoque Antistiti maximas egit et habuit grates, quod voti compos factus esset, quod in ejus, quem offenderat, gratiam devenisset, per quem posse pedem ponere in vitæ æternæ possessionem speraret.

*eique gratias agit*

9 Fuere, qui Episcopum de industria suaderent (putabant autem eum dubitare) ut, qui debebat subjectis consulere, constituendæ credulitati laborare, cujusque juris esset, quibus parerent, quæque sequi deberent ostendere, Reliquiarum partem in ignem probatum mitteret, ut et ex multorum pectoribus dubietatis vulnus omne recideret. Probata tamen Reliquiarum virtus quod suadebatur, dissuadebat Episcopo: sed quod animadvertebat posse ad compendium populi legaliter fieri, fidem suadentibus commodavit. Jaciuntur in prunas Reliquiæ, instant undique flatibus, fit in illis color rubicundus; saltum tandem ex igne faciunt, nulla in illis combustionis nota invenitur, sicut hi qui præsto erant, retulerunt. Gaudent populi mirabile factum, sumunt alacres animos secundis rebus. Episcopus autem magna expectatione in concionem venit, concionatus est, et gratias egit, quod sic de sua ut de communi omnium salute lætarentur: concionatus est ut a construendæ

*Reliquias in ignem conjicit illæsas:*

*ecclesiam petit S. Secundino extrui.*

*a*

B Ecclesiæ operam darent, eamque demum perficerent, quæ Secundino venerabili digna esset: unde idem posset semper advertere, semper habere Trojam in vultu, Trojam in oculis, Trojam in ore. Sed hæc hactenus nunc ad reliqua veniamus.

a *Ferrarius ait* templum augustum Secundino, *in quo* sacræ ejus Reliquiæ reconditæ sunt, ædificatum esse: *forte Cathedrale intelligit, in quo Reliquias depositas esse dictum est.*

## CAPUT III.

### *Miracula S. Secundini, morbo insanabili curato, et palla ab incendio servata.*

Vir quidam Cleuro nomine, genere Aquitanus, orationis studio, quod præcipue gentis illius moris est, ad Apostolorum Principem Romam venit, annitente quoque matre, quæ amoris affectu se ipsam filio comitem itineris præbuit. Ubi per Sanctorum locorum circuitus solemnibus officiis pro tempore datis (citabat enim eum ad alia loca venerabilia transitus) domum beatissimi Archangeli Michaelis, quæ sita est supra Gargani montis altissimum verticem, adiit, in qua nimirum, et quia dives erat, et quia orationi vacare decreverat, dum stationem suam in diutinum tempus extenderet, mater, quæ

*Cleuro Aquitanus peregrinatus Romam*

*et ad montem Garganum,*

C illum fuerat secuta, detinguitur: qui eum jam fere cunctis destitutus vitæ solatiis, tunsionibus, lacrymis, et ejulationibus incubuisset (fit enim sæpe ut majores tristitiæ majorem pariant valitudinem) insanabili, ut videbatur, pestilentiæ morbo percussus est, ita quidem, ut pars membrorum suorum eo invito moveretur, alia quoque sic essent arida, ut ex illis nullum quod sentire posset, haberet: vix oculi, vix manus in suo erant officio, crura quoque, et pedes natibus adhærentes, gressus ademerant, lingua tamen ne satius quidem naturæ beneficium turbatur. Quod ageret procul a parentibus, procul a domo, et, quod verius dico, procul a seipso? Miserebantur ejus prætereuntes inopiæ, cujus valetudini non poterant subvenire. Intimabatur illi de Secundini virtutibus, sed si vellet ire non poterat, si portari ab aliis, unde conduceret, nihil penes habebat. Ab his tamen, qui ejus quotidie afficiebantur miseriis, de itinere agi cœptum est, qui domo dimissi cum illo Trojam cursu citissimo contenderunt. Festinabant autem quia Confessoris Secundini collocandis Reliquiis solemnis

*percutitur insanabili morbo.*

*delatus Trojam*

D instabat dies. Postquam vero ad urbem veniunt, et debilitatum membris omnibus hominem ante Secundini Confessionem deponunt. Quantum nobis, inquiunt, attinebat, fecisse satis voto tuo videmus; de cetero age, ut libet: consulimus tamen sibi in tanta præsenti celebritate diei orationi vacare; putamus enim et credimus, id tibi valde fore profuturum, ad quod pro salute tua ipsi etiam summa ope nitemur.

*ad Reliquias S. Secundini,*

11 Factum est: et jam tempus aderat, ut ad officium ingrederetur Episcopus: populi vero, omnibus studiose ad honorem diei compositis, intus et præ foribus ecclesiæ assistebant. Multi quoque ad hæc solemnia vicis, agris propinquis hostibus, multi denique qui procul degebant, domibus abducuntur. Intrat Episcopus cunctis Ecclesiæ stipatus choris, incipit agere pontificalibus institutis. Dum hæc aguntur, ad Deum languidus toto corde conversus, trahit ab imo pectore alta suspiria, implet lacrymis et luctibus omnia, facit verba quæ Dei possent inclinare clementiam, erigit se totum mente quasi in Secundini visibiles oculos precatus, obtestatus, vovet se numquam ab illo recessurum ire, si pristinam sibi redderet sanitatem. Cumque in ejus affectu reliqua, ut linguam, membra nescius movet, recurrit ad animum:

*Episcopo solenne officium celebrante,*

*et facto voto manendi ibi,*

E tentat revera movere manus, movet; extendere pedes, extendit; surgere, surgit; incedere, incedit. Exclamat quo altius valet, sanum se esse: pedes et omnia membra officium suum habere. Hæc igitur vox magno audita desiderio, aliquantulum sustulit ab ædificationis ordine Sacerdotem. Tantus enim fuit in laudando splendor, tanta in populis jubilatio, tanta denique lætitia in Clero, ut præ nimia exultatione universitas illa gestiret. Videres incolumem operam suam Medico affectuosissime polliceri, stabilitum ire se illi, ut convenerat, mancipio dare: illum corporis sui auctorem, illum custodem animæ, illum sui largitorem beneficii gloriabatur.

*subito sanatur,*

*magno omnium gaudio:*

12 Mansit in hoc proposito dies admodum paucos. Ratus enim pro se esse patriam petere, amicos visere, fregit quod in Dei facie stabilierat pactum, mutavit præcipitene consilium, negavit nulla necessitate promissum: et quia timori erat solum et incomitatum tam longinquam aggredi viam, ad inveniendum itineris socios Romam concessit. Ubi autem repertis sociis pergit ire, valetudo pristina adimit gressus, parat redire, gressus resumit officium: parat redire iter pedibus et manibus, et toto ei corpore intenditur. Accedente igitur malo perterritus,

*contra votum repetens patriam,*

*fit æger,*

F quod viderit in se mala jam oblitterata recurrere, ne tantæ calamitati ullatenus inserviret, gressus unde tulerat retulit: ibi autem quoad vixit in Confessoris Secundini obsequiis devotissimus perduravit.

*redit Trojam,*

*remanet sanus.*

13 Præterea cum Trojanus populus tantam auctoritatem, tantamque Confessoris Christi virtutem potissimum emitere in dies singulos cerneret; ad illustrandam omnibus ornamentis, in qua reconditus erat, ecclesiam, consensione quadam unanimis intendebat. Quippe ex illo spes, ex illo fiducia, ex illo eorum maxime cura pendebat, de quo urbis Præsule, de quo custode, de quo denique Principe quotidie apud eos agitabatur. Videres singulum quemque ejus domui ut suæ, ut liberis providere; in privatis rebus minimo et tenuissimo cultu contentos vivere, at in ejus publico apparatu ad dignitatem, ad gloriam, ad splendorem omnia parare. Fiebat autem ei assidua non solum de patrimoniis, verum tabulis emptionis, codicillis etiam omnium bonorum delegatio. Fumabant aromata, candelabra radiabant, omne illud domicilium cereis, lampadibus nocte, et interdiu coruscabat.

*Crescit devotio Trojanorum erga P. Secundinum,*

14 Nocte vero quadam cum pro devotione populi, ut hodieque moris est, magna cereorum multitudo aræ

A aræ jungeretur, a deferentibus, ut custodes diu eos accensos sinerent, oratum est. Accensis *ergo* dimissis luminaribus, cum ad alia custodes animum verterent, dilata extinctio memoria excidit. Inter cereos autem et aram ex anteriori parte illud erat spatii, quod gradus, cui cerei capitibus accensis adhærebant, latitudo faciebat, ex aliis vero partibus sola interstitium palla erat. Arsit ergo ignis continue, nullusque illi ardendi finis nisi cum materiæ fine fuit. Hæc item sollicitudo hymnorum matutinalium somnum custodibus adimit: unusquisque se ad sua ministeria levat; alius aperire fores, pulsare cymbalum, alius libros extrahere, thura intendere. ut autem cum turibulo ad aram ventum est, ex illa cereorum multitudine nullus superesse videtur, vertit se per circuitus aræ custos, inspicit lineatim jacere cineres, sicut illorum fuerat ordinata compages. Excepit igitur admiratio admodum magna custodem, quod erant pallæ fimbriæ cineribus involutæ, sed integræ. D Cumque ad illas manus admovisset, reperit, ut viderat, ab omni læsione ignis alienas. Hæc denique ut potissimum faceret videntibus fidem, putavit fore opportunum, ita ut repererat reservari. Peractis igitur psalmis matutinalibus, cum Clero populus ad tam grande spectaculum invitatur. Tollunt ad hanc visionem manus omnes ad sidera, multiplices referunt gratias Conditori, qui facturam non despicit, qui miraculis hominibus innotescit, qui Secundinum de virtute in virtutem sic enitescere frequentissime facit; confestim deinde civitatem omnem accersere, dona decentia ministrare, vicinis quoque tantam gloriam intimare dignatus est. Hæc vero beati viri virtus maximam dignitatem civibus, maximum vicinis gaudium, longinquis etiam urbibus commodum maximum comparavit.

*inter cereos accensos*

*palla a scintillis et cineribus illæsa manet.*

AUCTORE GUIFREDO, EX MSS

*magna omnium admiratione.*

# DE S. EUPHROSYNA
## VIRGINE ALEXANDRINA,
### Commentarius prævius.

E

G. H.

B

§ I *Cultus sacer S. Euphrosinæ apud Latinos et Græcos.*

CIRCA AN. CDLXX. XI FEBR.

*S. Euphrosyna colitur apud Latinos I Januarii,*

C*elebrant* S. Euphrosynam Virginem *variis diebus Fasti Ecclesiastici: ac primo Kalendis Januarii Usuardus, Beda, cum variis antiquis Martyrologiis MSS. et hisce fere verbis:* Alexandriæ S. Euphrosinæ Virginis, *in Romano Martyrologio additur,* quæ in monasterio virtute abstinentiæ ac miraculis claruit. *Eadem die Wandelbertus hæc canit:*

Euphrosyna simul nitet, Almachiusque Beatus.

*Martyrologium MS. Leodiense S. Lamberti sub nomine Bedæ ita habet:* Apud Alexandriam S. Euphrosynæ Virginis: quæ orationibus patris sui Paphnutii de sterili matre progenita, in puerili ætate constituta, clam se tonderi fecit, et monasticam vitam expetiit, Smaragdi sibi nomen imponens. *Quæ eadem habent MS. Martyrologium Domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ, sub Bedæ etiam nomine, Notkerus, Ado; adduntque:* Post etiam in conclusione viginti octo annis in omni sanctitate perdurans, tacta ægrotationis incommodo, et mortem sibi adesse cognoscens, manifestavit se religioso, et lacrymis multotiens quærenti se patri. Cumque, *uti finitur in MSS.* quievisset, sepulta est in ecclesia a Fratribus. *At Notkerus* C *ita concludit:* Cujus nomen et conversatio sub interpretatione Castissimæ apud Romanos celebris habetur. *Eadem habet Canisius in Martyrologio Germanico, sed tribus erroribus emendatis.* Anno *enim* ætatis decimo octavo *asserit* vitam monasticam expetiisse, *in* eaque triginta octo perdurasse, *ac sese ante* mortem patri suo manifestasse: *ex quo post ejus obitum primo Agapitus, dein alii sciverunt. Similia elogia habent Galesinius, Maurolycus, Felicius, auctor Florarii MS. aliique. Ipsa etiam Acta Latina referunt cum* Kalendis Januarii tradidisse spiritum.

*quibusdam* Castissima *dicta,*

2 *Alii memoriam* S. Euphrosinæ, *quam nonnulli* Euphrosiam, *et* Euphrasiam *appellant, celebrant* XI *Februarii, quo die in antiquo Martyrologio Romano a Rosweydo edito, in MSS. Centulensi, Leodiensi S. Lamberti, Aquisgranensi aliisque hæc habentur:* Alexandriæ S. Euphrasiæ Virginis. *At Beda excusus:* Alexandriæ depositio S. Euphrosynæ Virginis, quæ in monasterio mira virtute abstinentiæ et miraculis claruit. *Quo eodem Encomio S. Euphrosyna ornatur in Martyrologio Romano Kalendis Januarii, ut diximus; et hoc* XI *Februarii in Usuardo a Molano edito, unoque MS. quod penes nos est: in Martyrologiis item Bellini, Notkeri, aliorumque: in præcipuis tamen Usuardi et Adonis exemplaribus* Euphrasiæ *nomen substitutum est. Maurolycus hoc cum elogio exornat:* Alexandriæ depositio S. Euphrosynæ Virginis, quæ sub virili cultu in monasterio per annos triginta octo mira abstinentiæ virtute et miraculis claruisse fertur: Pamucii (*ima* Paphnutii) filia, cui tandem moriens se manifestavit, qui cum in ejus cella decem annos sanctissime supervixisset, juxta eam sepultus est. *Galesinius et Felicius addunt* sacram *ejus* memoriam etiam Kalendis Januarii peragi.

*et 11 Februarii.*

3 *Petrus de Natalibus cum lib. 3 Catalogi SS. egisset de SS. Scholastica, Sotere, et Austreberta, quarum Acta dedimus* X *Februarii, subjungit cap.* 113 *prolixum elogium S. Euphrosynæ Virginis, quam scribit* in Christo quievisse tertio Idus Februarii, *ac mox subjungit Martyres Africanos Saturninum sociosque, de quibus hoc die egimus. Eadem* XI *Februarii celebratur Eboræ in Lusitania officio Ecclesiastico, novem (ut vocant) Lectionum, iis omnibus ex Vita priore desumptis, quas exhibet ejus Ecclesiæ Breviarium Ulyssipone anno* 1548 *excusum. Eamdem hoc die sub ritu festi duplicis* F *colit universus Ordo Carmelitarum cum lectionibus propriis secundi Nocturni itidem ex Vita acceptis: quæ nobis caussa fuit, ut a Kalendis Januarii, ad hanc* XI *diem Februarii eam remitteremus. Ab hac* Euphrosyna *aliis* Euphrosia *dicta, et* Euphrasia Alexandrina, *diversa est* S. Euphrasia, *sive* Euphraxia, *aut* Eupraxia Virgo Constantinopolitana, *quæ in Thebaide inter sanctimoniales sub Theodosio seniore vixit: quam hoc* XI *Februarii refert Canisius in Martyrologio Germanico, et* Euphrosynam *appellat; de qua* S. Euphrasia *cum Martyrologio Romano agemus* XIII *Martii, ex cujus Actis ut legitime scriptis S. Joannes Damascenus petit auctoritatem oratione* 3 *de Imaginibus: quem locum Galesinius in Notationibus ad Kalendas Januarii non recte S. Euphrosynæ Alexandrinæ applicat. Hanc gestorum utriusque confusione ab aliquibus factam indicant Baronius in Notis ad Kalendas Januarii, et Rosweydus in Notationibus ad Vitam S. Euphrosynæ.*

*etiam officio Ecclesiastico:*

*ab aliis pro S. Euphraxia habita*

4 *Græci diem* XXV *Septembris venerationi* S. Euphrosynæ, *solenni admodum ritu, dicarunt: ac tum inscripta legitur Kalendario Græcorum a Genebrardo edito, uti et Menologio Canisii his verbis:* Natalis sanctæ Matris nostræ Euphrosynæ, B. Paphnutii Ægyptii filiæ. *Ita et Maximus Cytheræus cum Menæis Græcorum*

*a Græcis celebratur XXV Septembris,*

A *Græcorum :* Τῆς ὁσίας Μητρὸς ἡμῶν Εὐφροσύνης, θυγατρὸς Παφνουτίου τοῦ Αἰγυπτίου. *At patre omisso,* τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ *legitur in Anthologio Græcorum ab Arcudio edito. Diserti admodum atque eloquentes sunt Græci in suis hymnis et odis, summa ubique elegantia ad illustriora S. Euphrosynæ facinora alludentes : de qua sic exordiuntur :* Μῆτερ ὁσία, Εὐφροσύνη ἀξιάγαστε, τὴν ὄντως εὐφροσύνην ἐπιποθήσασα *etc.* Mater sancta, admirabilis Euphrosyna, lætitiam, quæ vera est, desiderasti, eam viam, qua illa conciliatur, ingressa : divitias enim in paupertatem magnam commutasti, pro sponso carnali eum qui æternum vivit, elegisti *etc. Dein* ἀπολυτίκιον *quo officium terminatur, profertur ejusmodi :* In te, o Mater accurate servata est Christi regula : quia sustulisti crucem, Christum secuta, et ipso facto docuisti, despectu carnis et diligenti animæ cura opus peragi immortale, atque ideo spiritus tuus, o sancta Euphrosyna, cum Angelis exultat. *Omitto cetera, fere paria.*

AC TVRR G H

*illustribus odis,*

5 *Ipsum dein* κοντάκιον *quo laudes Sanctorum ex Actis ipsorum paucis comprehenduntur, versibus Iambicis fere quadraginta, quod raro alibi sit, Vitam S. Euphrosynæ complectitur, ab illustri scriptore, cujus nomen dolemus non indicari, olim conscriptum, quod Latine Translatum est hujusmodi :*

B

*et hoc Vitæ epitome*

Sexum celas Euphrosyna viriliter,
Et abscondita videntem vides Dominum.

Euphrosyna mortem obiit vicesimo quinto Septembris ; suum sexum solvit et debitas vitæ, nomine Smaragdus, mente Euphrosyna : reliquit omnia vitæ phantasmata, et quasi regiarum cohortium eunuchus, monachorum complexa est vitam virorum ; in virili habitu prorsus incognita, monasteriumque ingressa, voluntarie cum crinibus exuit, et clam patre studuit latere. Voto potita, quantis laboribus, sudoribus precibusque assidue tenerum fortiter edomuerit corpusculum, quantaque vitæ duritia omnes in stuporem rapuerit, voce nulla explicari potest. Quomodo patrem latuerit, res prorsus rara. Conversans inter monachos pulchra puella, velut lapis smaragdus, reperta est. Multa enim per domesticos inquisitione facta, pater dolore cordis tactus, per annos, eheu, triginta et octo diutinam a se Euphrosynæ peregrinationem ægre fert, per montes, valles, locaque deserta circumcursitat, atque ex imo pectore suspirat. Sed ipse Smaragdus, sum Euphrosina, inquit, o pater, æternum vale. Et quasi accepto diuturni laboris et negotiationis pretio, terras cælo cum gaudio commutat. Pater vero (eheu!) perturbatione animi perculsus in terram corruit, quasi exanimis mortuusque. Audivit enim rem insolitam et hactenus inauditam. Quid potuit revera aliud fuisse, si affectum

C

spectes? Ceterum quoque et vitam præteritam et patriam relinquens, laudata filiæ exercitia æmulari intra seipsum concepit, forisque flammam desiderii ostendit : sicque tantæ filiæ imitator factus pater, ad cælestes migravit mansiones. *Hactenus Menæa, quorum pleraque leguntur apud Maximum Cytheræum, quæ in novo Anthologio omittuntur sunt multumque contracta. Græcos imitatus Ferrarius* sanctam Virginem Euphrosynam *refert in Catalogo generali dicto* XXV *Septembris. Eadem quoque refertur in Carthusiæ Bruxellensis libello, sive notis MSS. ad Usuardum* XII *Septembris. Baronius transit ad Kalendas Januarii de ea etiam agere illa die Græcorum menologia, quæ necdum vidimus.*

## § II. *Acta S. Euphrosinæ scripta. Ætas. Reliquiæ.*

Vita S. Euphrosynæ *graviter et fideliter scripta, reperitur inter Vitas Patrum et manu exaratas, et typis vulgatas, et quidem Rosweydus noster prolegomeno* XXIV *ante Vitas Patrum recitat catalogum codicum MSS. quibus ad illius editionem adornandam est usus, ex quibus colligimus inter sanctas fœminas,* Euphrosynam *primo loco recenseri in MSS. Affligemiensi, Aquicinctino, Lætiensi, Cameracensi, sancti sepulchri, Bruxellensi Carthusianorum ; imo in MS. Rebdorffensi Acta* S. Euphrosynæ *post Vitas virorum sola referri. Ipse Rosweydus lib. 1 hoc ordine Vitas mulierum edidit, SS. Eugeniæ, Euphrasiæ et Euphrosynæ Virginum, SS. Mariæ neptis S. Abrahæ, Thaisis, Pelagiæ et Mariæ Ægyptiacæ meretricum, S. Marinæ Virginis, B. Fabiolæ, et sanctarum viduarum Paulæ Romanæ et Marcellæ. Auctores harum Vitarum aliqui sunt noti, ut SS. Ephræm et Hieronymus, Sophronius Episcopus Hierosolymitanus et Jacobus Diaconus ; uti etiam ex interpretibus Eustochius, et Paulus Diaconus Neapoleos. At Vitæ S. Euphrosynæ incertus est auctor, ejusque interpres : nam post obitum Vitam ejus Græce scriptam fuisse non dubitamus, quæ olim Latine reddita, cum celeberrimo ejus cultu, quem ante ex antiquis Martyrologiis Latinis ostendimus, in ecclesia Occidentali fuit vulgata. Hanc Vitam iterum collatam cum antiquis editionibus et MSS. Audomarensi, Trevirensi S. Maximini, et Antverpiensi Societatis Jesu, hic more nostro distinctam damus.*

D

*Vita S. Euphrosynæ inserta Vitis Patrum,*

*auctore et interprete anonymo,*

*cum MSS. collata :*

ANIMADV PAG. 81

E

7 *Eadem Vita Carmine Heroico olim composita, extat in antiquo codice MS. Monasterii S. Maximini Treviris, in quo præmittebatur Arator poeta eodem scriptus charactere, cui eadem etiam manu additum,* Iste anno Domini millesimo ducenti... *Sequebatur dein Vita metrica S. Eugeniæ, tum hæc S. Euphrosynæ, continens ultra octingentos versus, quos e codice illo descriptos prælo paraveramus. Sed veriti molem operis, omisimus, solo hic posito exordio :*

*eadem olim carmine scripta*

Euphrosyna tuam fer opem mihi, qua tua Gesta
Nondum nota satis, per me fiant manifesta :
Ut, dum factorum recolo memoranda tuorum,
Participem facias, quibus es donata, honorum.
Civis Alexandrinæ Paphnutius fuit urbis,
Dives opum, generosi sanguinis ortu.
Uxor ei formosa, decenti corpore casta.
Crebro dedecorat luxus, quos forma decorat :
Formosam castam vix invenies : tamen hæc, qui
Formosas subigit, luxum formosa subegit.
Cultibus ambo dati Divinis, ambo fideles.

8 *Aliam nacti sumus Vitam MS. Græcam ex bibliotheca Medicæa Regis Francorum, quam eamdem interprete Gentiano Herveto edidit Lipomanus tomo 6 Vitarum priscorum Patrum ad* XXV *Septembris, et ex eo Surius ad Kalendas Januarias. Auctor est Simeon Metaphrastes, qui antiquam Vitam more suo expolivit, adjunctis temporibus et locis. Eam cum MS. Græco collatam damus.*

*alia auctore Metaphraste.*

F

9 *Obiisse S. Euphrosynam anno salutis* CCCXCIV *traditur in MS. Florario SS. ad Kalendas Januarias ; sed pro una eademque habitæ SS. Euphrosyna et Euphrasia, quæ creditur pertinere ad tempora Theodosii senioris Imperatoris. Juniorem illa hunc esse statuit Metaphrastes ita exorsus suam narrationem :* Ἄρτι τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα Θεοδοσίου τοῦ παιδὸς Ἀρκαδίου εὐσεβῶς διϊθύνοντος, ἀνήρ τις, Παφνούτιος τοὔνομα, κατὰ τὴν Ἀλεξανδρέων μεγαλόπολιν ἐγνωρίζετο. Cum Romanorum sceptra Theodosius Arcadii filius pie regeret, vir quidam, nomine Paphnutius, in magna civitate Alexandrina celebris erat. *Et quidem necdum nata S. Euphrosyna, quæ sanctis parentum operibus, et piis monachorum precibus impetrata, vixit in ædibus parentum annos* XVIII, *in monasterio* XXXVIII, *universim annos* LVI. *At defuncto Arcadio an. Chr.* CDVIII *imperavit Theodosius filius usque ad annum* CDL, *adeoque secundum Metaphrasten vixit S. Euphrosyna seculo illo quinto, forte circa annum* CDLXX *aut etiam serius mortua. Marcus Antonius Alegrans in Paradisi Carmelitici decoris*

*Vixit S. Euphrosyna seculo 5.*

*circa an. 470 mortua :*

A *decoris status 2 ætate 6 cap.* 133 *refert* obitum *ejus* ad annum Christi CD, *additque* Acta *ejus* se dare ex Metaphraste, Surio, Lipomano, Heriberto et aliis fideliter educta, *in quibus hæc scribit ab Actis indicatis prorsus discrepantia :* In conventum Carmelitarum prope Alexandriam trans Nilum ad Abbatem se contulit Theodosium, ad cujus Virgo humilis pedes provoluta, habitum indui beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo postulavit. *Nomen Abbatis alibi non exprimitur. At secundum Acta antiqua* famulum misit S. Euphrosyna ad monasterium Theodosii, *quod ex* monasteriis Scetis *appellat Metaphrastes, certe aliud ab eo, in quo ipsa vitam monasticam egit, etiam agnoscit Didacus Coria lib. 8 Chronici Carmelitani cap. 27, ubi eam etiam Carmelitico Ordini adscribit, uti et plerosque omnes monasticam vitam olim professos.*

*an Carmelitici ordinis?*

10 *Ex sacris S. Euphrosynæ Reliquiis aliquas adservari Bononiæ in ecclesia S. Stephani, eamque istic* XI *Februarii honorari tradit Masinus in Bononia perlustrata. Est Rutilensis Carthusia, S. Sixti appellata, prope oppidum Siricum, ad ripam Mosellæ, de qua* VIII *Februarii ad Vitam S. Mengoldi egimus : in ejus ecclesia pie honorari aliquas reliquias S. Euphrosynæ Virginis tradit Raissius in Hierogazophylacio Belgico. At præcipua ossa corporis cum capite sunt in Picardia in regio monasterio fœminarum S. Joannis de Reaulieu prope Compendium Ordinis S. Benedicti : quæ, uti ex traditione majorum asserunt sanctimoniales, aliquis e* B *Regibus Francorum obtinuit, atque ex pio voto voluit transferri Remos ad aliquam istic ecclesiam. Verum cum per silvam Cuisiam juxta monasterium S. Joannis deportarentur, illi divino miraculo attributa sunt, dum et campanæ nemine pulsante sonuerunt, et lipsanotheca subito novo pondere adeo aggravata fuit, ut loco nulla virtute potuerit moveri. Accurrerunt undique vicini, et post alios cum solemni processione advenerunt Abbatissa et sanctimoniales, ac tum juniores duæ puellæ, hujus instituti novitiæ, eamdem lipsanothecam facillime elevarunt, ac cum summa solemnitate in ecclesiam monasterii detulerunt. Hinc opinio est antiquam consuetudinem exortam esse, qua privilegium est duabus novitiis indultum, in solemnibus supplicationibus easdem Reliquias circumferendi. Ut autem loco prioris, ubi immobiles constiterant aliquamdiu sacræ Reliquiæ, apud posteros memoria extaret; magna olim istic Crux cum altari lapideo erecta fuit, quæ etiamnum Crux S. Euphrosynæ appellatur.*

*Reliquiæ aliquæ S. Euphrosynæ Bononiæ, et Rutilæ,*

*præcipuæ cum capite in Picardia, in monasterio S. Joannis de Reaulieu,*

*miro prodigio obtenta :*

11 *Dicta autem lipsanotheca cupro inaurato circumquaque contecta est, eoque artificio elaborata, ut magnam* C *præseferat antiquitatem. Sunt in ea recondita quam plurima ac præcipua corporis ossa, cum lignea Cruce satis exigua, qua ferunt S. Euphrosynam in vita solitaria usam fuisse, in ejusque amplexu emortuam. Præterea pretiosum sanctæ Virginis caput seorsum adservatur, globo cupreo itidem inaurato, inimitabili nunc arte olim elaborato, inclusum : solet autem capitibus apponi ægrorum, undique isthuc ad opem S. Euphrosynæ implorandam adventantium, potissimum qui dementia similive animi perturbatione laborant. Et certe si majoribus curæ fuisset conquirere testimonia eorum, quibus Dei beneficio sanitas est collata, volumen bene magnum confici potuisset. Visitur etiamnum supra crates chori magna tabula ex pluribus partibus conserta, in quarum singulis præcipua Gesta sanctæ Virginis Euphrosynæ eleganter depicta sunt. Μνημόσυνον est sanitatis viro nobili collatæ : cujus genua flectentis effigies ab altero tabulæ latere appicta est, ab altero Abbatissæ, quæ tum monasterio præfuit, ex cujus habitu suspicantur vix centum esse annorum.*

*sanitatem conferunt dementibus.*

12 *Sacrum harum Reliquiarum S. Euphrosynæ cultum confirmarunt olim et Suessionenses Episcopi, in quorum diœcesi monasterium est, et Pontifices Romani, qui horum intuitu Reliquiarum, sæpius festis S. Euphrosynæ indulgentias concesserunt, et Brevibus Apostolicis* D *ante centum et amplius annos stabiliverunt Confraternitatem, sub invocatione ac patrocinio S. Euphrosynæ in eadem ecclesia erectam : cujus præcipua solemnitas variis indulgentiis honorata, celebratur Dominica secunda post Pascha : quo die ad eam ecclesiam duo triave millia hominum accurrunt, quamvis et toto anni decursu frequentes sint ad has Reliquias peregrinationes, ne quidem belli tempore late vagantibus militibus impeditæ : quum tamen ob eam sanctimoniales ex nemore interiore migrarunt anno* CIↃIↃCXXXV *ad locum, S. Joannis de Reaulieu dictum, eoque cum auctoritate Episcopi Suessionensis transtulerunt Reliquias S. Euphrosynæ : ac secuta eo quoque peregrinantium frequentia, imo etiam aucta, cum utroque in loco ejusdem sanctæ Virginis cultus perseveret. Factum tamen bellicis motibus, ut authentica instrumenta ac testimonia donationis Reliquiarum, ipsæque Bullæ Pontificiæ interierint. Quæ omnia una cum Vita S. Euphrosynæ Gallico idiomate a quodam Religioso Benedictino typis anno 1649 edita Parisiis sunt, ac devota hujus monasterii Abbatissæ, Gabrielæ Albaspineæ, cujus epistolis cuncta ea se edoctum auctor testatur, asseritque adhuc seniores quasdam sanctimoniales in vivis esse, quæ Bullas Pontificias ante centum annos concessas viderint.*

*approbatæ ab Episcop. Suessionensibus, et Rom. Pontificibus,*

*Ex vitis Patrum et MSS. Confraternitate*

*et accursu populi honoratæ.*

13 *Sub finem libri additur hymnus de S. Euphrosyna, compositus in gratiarum actionem post collatam an.* CIↃIↃCXXV *ejus intercessione sanitatem Annæ Carpenteriæ uxori Domini Caillerii Procuratoris castri Parisini : in quo hymno hæc stropha canitur :* E

Virginis sanctum caput hac in æde
Virgines servant Domino sacratæ :
Corpus hinc sanum peregrinæ, mentem
hinc pete sanam.

*Hymnus de S. Euphrosyna.*

14 *Matthæus Raderus noster in suis ad Menæa annotationibus needum editis suspicatur ab hac S. Euphrosyna mulieres quamplurimas in Germania appellari Rosinas, priore parte nominis absorpta, quod passim in aliis nominibus fieri solet.*

*Mulieres Rosinæ ab ea dictæ.*

ANIMADV. PAP. 82 NOT. 22.

# VITA

## auctore incerto

## *ex MSS. et vitis Patrum.*

### CAPUT I

### *S. Euphrosynæ ortus, desponsatio, desiderium vitæ monasticæ.*

F Fuit vir in Alexandria nomine *a* Paphnutius, honorabilis omnibus, et custodiens mandata Dei. Hic accepit conjugem dignam generis sui, et ipsam honestis moribus plenam, sed sterilis non pariebat. Vir autem ejus erat nimis fluctuans et dolens, eo quod non haberet cui omnes facultates suas dimitteret, ut post obitum suum bene et congruenter suam substantiam gubernaret *b*, indigentibus non cessabat ministrare nocte et die, ecclesiis Dei adhærens, jejuniis et orationibus vacans, orans et petens a Deo dari sibi filium. *c* Similiter et uxor ejus doloribus afficiebatur maxime, videns virum suum fluctuantem nimium : multam et ipsa etiam pecuniam erogans pauperibus et in oratoriis, poscens adimplere desiderium suum. Similiter autem et vir ejus circuiens quærebat invenire aliquem hominem dignum Deo, qui posset precibus suis *d* effectum desiderii ejus perficere. Et ita perambulavit in monasterio, in quo ejusdem monasterii Patrem magnum esse dicebant apud Deum. Illicque ingressus, et multam pecuniam offerens, multam etiam fiduciam ab Abbate et universis Fratribus consecutus est.

*S. Euphrosyna habuit parentes pios,*

*et sollicitos de prole suscipienda.*

2 Post multum vero temporis indicavit Abbati caussam desiderii sui : qui compatiens illi, postulavit

*Ex Vitis Patrum et MSS implorata Abbatis precibus, nascitur :*

A vit a Domino dari illi fructum ventris : et amborum orationes exaudiens Deus, largitus est illi unicam filiam. Videns autem Paphnutius Abbatis conversationem, nunquam a monasterio recedebat. Unde et conjugem suam introduxit, ut benediceretur ab Abbate et a Fratribus. Tollens autem infantulam a lacte, et facta annorum septem baptisata est, imposueruntque illi nomen Euphrosynam. Gaudebant autem super illam parentes ejus, quia erat accepta Deo, et pulchra facie.

*septenis baptizatur*

3 Facta autem annorum duodecim, mater ejus migravit de hoc seculo. Remansit autem pater ejus, erudiens eam litteris et lectionibus, ceteraque hujus mundi sapientia. Puella vero tantam excipiebat disciplinam, ut miraretur pater illius prudentiam. Opinio autem ejus peragravit totam civitatem, et de sapientia ejus et de doctrina, et quia erat pulchra nimis, et composita vultu et animo. Multos autem excitavit ad accipiendum eam filiis suis, et multis decertantibus cum patre ejus, pervenire ad finem non poterant, sed tamen ipse dicebat : Domini voluntas fiat. Unus autem exuperans omnes in honore et divitiis, accersivit patrem illius, et postulabat ab eo, ut daret filiam ejus filio suo in matrimonio, et concessit : *e* fiuntque consuetæ desponsalium arrhæ.

*instruitur*

*cuidam despondetur :*

4 Post multum vero temporis accipiens eam Paphnutius, cum esset annorum octodecim, abiit ad monasterium cum ea, in quo consueverat venire : multamque iterum pecuniam largitus est ad necessaria Fratrum, dixitque Abbati : Fructum orationum tuarum adduxi tibi, ut ores pro ea, quia jam ad nuptias eam tradere volo. Jussit autem Abbas eam introduci in zenodochia monasterii, locutusque est cum ea, et benedicens exhortatus est eam de castitate, et humilitate, et patientia timoris Domini. Faciens autem ibi tres dies, aurem ponebat quotidie ad psalmos, et videns singulorum conversationem et spirituale propositum, mirabatur eorum vitam, dicens : Beati sunt viri isti, qui et in hoc seculo similes sunt Angelis, et post hæc vitam æternam consequuntur. Et cœpit cor ejus esse sollicitum in zelo timoris Dei. Post tres autem dies dixit Paphnutius ad Abbatem : Veni Pater, ut salutet te ancilla tua, et ora pro ea, quia ambulare volumus in civitatem. Cum autem venisset Abbas, projecit se puella ad pedes ejus, dicens : Obsecro te Pater, ora pro me, ut lucretur Deus animam meam. Extendensque manum suam benedixit eam, dicens : Deus, qui cognoscis hominem antequam nascatur, tu hujus ancillæ tuæ curam habere digneris, ut mereatur portionem et consortium habere in regno cœlorum. Et commendantes se seni, abierunt in civitatem : pater vero illius si aliquando inveniebat monachum, hunc adducebat ad domum suam, rogans ut oraret pro ea.

*B orationibus Abbatis commendatur*

*considerat actiones monachorum :*

*ab Abbate benedicitur*

C

5 Una autem die anniversaria, quando ordinatus est Abbas monasterii, de quo supra diximus, misit Abbas unum e Fratribus ad Paphnutium, ut invitaret eum ad solemnitatem Abbatis : qui abiens in domum ejus, requisivit eum. Pueri autem dixerunt ei : Processit. Audiens vero Euphrosyna, et advocans illum Fratrem, cœpit eum interrogare. Dic mihi pro caritate, domine mi Frater, quanti Fratres estis in monasterio. At ille dixit : Trecenti quinquaginta duo : Dixit ei puella : Qui voluerit venire illic ad conversionem, suscepit illum Abbas vester? Respondit ei : Etiam cum multo gaudio suscipit illum, maxime propter vocem Domini, qui dixit : Qui venit ad me, non ejiciam foras. Dicit ei Euphrosyna : Omnes in ecclesia vestra psallitis, et æqualiter jejunatis? Dicit ei monachus ille : Communiter quidem psallimus, jejunia vero unusquisque quomodo vult, aut quantum valet, ut non fiat contumax voluntatis

*a monacho ad invitandum patrem missa,*

*intelligit 352 in eo monasterio esse monachos. Joan. 6. 37*

*investigat eorum mores :*

D conversatio, sed proprii arbitrii et spontanea voluntate.

6 Omnem ergo perscrutans monachorum conversationem, dixit ad monachum : Volebam abire, et pervenire ad *f* hujusmodi inenarrabilem vitam : sed timeo inobediens esse patri meo, quia pro vana et caduca hujus seculi substantia cupit me tradere viro. Dicit ei monachus : Soror, non permittas ut polluat homo corpus tuum, et tradas talem pulchritudinem pati opprobrium, sed desponsa te Christo, qui tibi potest pro ipsis omnibus transeuntibus dare regnum cœlorum, et consortium Angelorum. Occulte autem exiens, vade ad monasterium : mutato habitu seculari, induta veste monachili, ut possis evadere. Quæ cum hæc audisset, placuit illi, et dixit ad eum : Et quis me habet tondere? Nolebat a laico tonderi, qui non servat fidem. Dixit ei monachus ille : Ecce pater tuus veniet mecum ad monasterium, et faciet ibi tres dies vel quatuor. Tu autem adduc unum de monachis, et quomodo voles, occurret tibi cum magno gaudio.

*f indicat desiderium vitæ monasticæ :*

*docetur medium evadendi.*

a Fit commemoratio S. Paphnutii a Græcis in Menæis et Menologio 25 Septemb., quo S. Euphrosyna ab iis colitur. — b Antiquæ editiones annorum 1502 et 1509, Conjunx vero. MS. Trevir. Uxor vero ejus. Rosweydus ea verba omisit, et S. Paphnutio adscripsit. — c Desunt hæc in MS. Trevir. et antiquis editionibus, usque videns ubi MS. Trevir. quia videbat MS. Antverp. et illa maxime videns. — d MS. Trevir. desiderium ejus ad effectum perducere. — e Hæc desunt in editis, at cum MSS. conveniunt Poeta, qui ita habet

Fœdera condicunt, tractant sponsalia, dotem
Taxant, inscribunt arrhas, testes adhibentur

f MS. Trevir. hujus propositi. Antiquæ edit. hujus inenarrabilis vitæ normitatem. MS. Antverp. ad hujus religionis inenarrabilem vitam.

E

## CAPUT II.

### *Habitus monasticus a S. Euphrosina assumptus. Ejus fuga, et vita monastica inter viros.*

Hæc et his similia illo dicente ad Euphrosynam, venit Paphnutius, et videns monachum, interrogavit eum, dicens : Quid ad nos fastidium sumpsisti, domine? Et dixit ad eum : Anniversaria dies est monasterii, misit me Abbas, ut venias et accipias benedictionem. Gavisus est autem Paphnutius, ingressusque cum eo in naviculam, abierunt in monasterium. Cum autem esset ibi, mittens Euphrosyna unum famulum fidelissimum, dixit : Vade in monasterium Theodosii, ingressusque ecclesiam, monachum, quem ibi inveneris, adduc tecum huc. Misericordia autem Dei ecce quidam monachus veniebat de monasterio, vendens quæ secum habebat. Et videns eum puer, rogavit eum ut veniret ad Euphrosynam. Qui cum venisset, videns eum puella, surgens salutavit eum, dicens : Ora pro me Pater; et orans benedixit eam, et sedit. Dixit autem ei Euphrosyna : Domine mi, ego habeo patrem Christianum et servum Dei possessorem substantiæ nimis : habuitque uxorem quæ me genuit, quæ jam transivit de hac vita. Vult autem pater meus pro omnibus rebus suis tradere me seculo huic iniquo, et ego nolo inquinari in eo, sed timeo inobediens esse patri meo, et quid faciam nescio. Totam enim noctem absque somno transivi, postulans Deum ut ostenderet animæ meæ misericordiam suam : et mane facto, placuit mihi mittere in ecclesiam, et adducere unum Fratrem, ut audirem ab ipso verbum salutis, et quid facere debeam. Postulo autem te Pater, pro mercede animæ tuæ, scio quia a Deo missus es, doce me quæ Dei sunt.

*Patre abeunte ad festivitatem Abbatis,*

*accersiri curat monachum ex monasterio Theodosii*

F

*explicat mentem,*

8 Dicit ei senior : Dominus dicit, Si quis non abrenuntiaverit patrem, et matrem, et fratres, et filios, insuper et propriam animam, non potest meus esse discipulus. Ego tibi plus dicere nescio. Tamen si potes ferre tentamenta carnis, relinque omnia, et fuge. Facultates enim patris tui multos invenient hæredes. Ecce *a* orphanoptochia, gerocomia, xenodochia, monasteria, viduæ, pupilli, peregrini, infirmi,

*Lucæ 14. 26*

*instruitur*

*a*

A mi, captivi : ubi voluerit et placuerit patri tuo, relinquet ; tu sola ne perdas animam tuam. Dicit ei puella : Confido in Deum et orationibus tuis, quia laborare habeo pro anima mea, Deo auxiliante. Dicit ei senior : Talia desideria a firmitate non decidant : modo enim est tempus pœnitentiæ. Dicit ei Euphrosyna : Et ideo te fatigavi, ut impleas desiderium meum : et facta oratione benedicas me, et abscidas comam capitis mei. Et exurgens senior, facta oratione abscidit comam capitis ejus, induitque eam tunicam *b* schematis, et orans pro ea dixit : Deus qui liberavit omnes Sanctos suos, ipse custodiat te ab omni malo. Et hæc dicens senex, discessit ab ea, et ambulabat in via sua gaudens.

*tondetur et schemate monachico induitur b*

9 Euphrosyna vero cogitans in semetipsa dixit : Si ambulavero in monasterio puellarum, pater meus requirens inveniet me, et violenter trahet me inde propter sponsum meum : proinde pergam ad monasterium virorum, ubi nullus suspicetur me esse. Et hæc dicens projecit vestem muliebrem, induitque se virilem, et sero facto exivit de domo sua, accipiens secum quingentos solidos, et abscondit se in aliquo loco per totam noctem. Mane autem facto, venit pater ejus in civitatem : volente autem Deo, statim in ecclesiam ambulavit. Euphrosyna igitur pervenit ad monasterium illud, ubi et pater ejus erat notissimus, et nuntiavit per ostiarium Abbati dicens : Eunuchus quidam de palatio veniens, ante ostium stat, cupiens loqui tecum. Egresso autem Abbate, projecit se Euphrosyna in terram, et facta oratione sederunt. Dicit ei senex : Quid est quod huc venisti, fili? Dicit ei Euphrosyna : Ego quidem de palatio fui eunuchus, et desiderium habui semper conversationem monachorum, et civitas nostra *c* non valde habet hoc studium conversationis. Notum autem factum est mihi de bona vestra conversatione, et cupio habitare vobiscum, si vobis placuerit. Habeo enim et possessiones multas, et si Dominus dederit mihi requiem, adduco eas huc.

*fugit veste virili ad monasterium,*

B

*simulat se eunuchum.*

10 Dicit ei senex : Bene venisti, fili ; ecce monasterium, si placet, habita nobiscum. Et dicit ei senex ille : Quod est nomen tuum? Dicit ei : Smaragdus. Dicit ei Abbas : Juvenis es, non potes solus sedere, opus est tibi habere magistrum, ut discas regulam et conversationem monachorum. Qui dixit Abbati : Sicut jubes, Domine mi, sic facio. Et protulit quingentos solidos in manu Abbatis, dicens : Accipe interim istos, et si videro quia possim sufferre hic, venient et illa reliqua. Vocavit Abbas unum Fratrem, nomine Agapetum, virum sanctum et impassibilem, tradidit in manus ejus Smaragdum, dicens : Amodo hic erit filius tuus et discipulus : talem enim consigno, ut exuperet magistrum. Et flexis genibus, facta oratione, consignavit eum. Et respondentibus omnibus, Amen, suscepit eum Agapitus in cellam suam.

*admittitur a Patre monasterii ·*

*Smaragdum se nominat.*

C

*Agapito erudiendo traditur ·*

*consignatur in monachum :*

11 Et qui habebat vultum decorum Smaragdus, dum veniebat in ecclesiam ad deprecandum Deum, multos diabolus incitabat adversus decorem vultus illius per malas cogitationes, ita ut omnes molesti essent Abbati, qui talem pulchritudinem introduxisset in monasterium. Abbas autem hæc audiens, vocavit Smaragdum, et dixit ei : *d* Pulchra est facies tua, fili, timeo ne sit ruina infirmis Fratribus ; volo autem, ut sedeas solus in cella tua, et ibi psallas, et ibi manduces, non tamen egressurum te inde alicubi. Et præcepit Agapito, ut præpararet cellam solitariam, et in ea degeret Smaragdus. Fecit autem Agapitus omnia, quæ sibi a Patre monasterii fuerant imperata, et introduxit Smaragdum in cellam solitariam, et erat ibi orationibus vacans, jejuniisque et vigiliis nocte ac die operam dabat, serviens Domino in simplicitate cordis, ita ut miraretur prædictus Frater, qui eum susceperat, et omnibus Fratribus retulit ejus constantiam, et omnes collaudabant Deum, qui in infirmitate talia operatur.

*ob decorem vultus*

*d*

*solitarius in cella manet :*

D

*EX VITIS PATRUM ET MSS.*
*sancte vivit.*

a In MS. Trevir. hæc explicationis causa inserta sunt : Ecce pupillorum susceptio, orphanoptochia, senum susceptio, peregrinorum susceptio : unde emendavimus ita legendum : Ecce orphanoptochia, gerucomia, xenodochia. In antiqua editione erat : Ecce tapetia et lerochomia seu jerochomia. Rosweydus reperit in MSS. Topechia, unde ptochia reponit, et Hierocomia, quod relinquit, quasi istic curentur, qui sacro morbo ἱερᾷ νόσῳ laborant. At γηροκομεῖον et γηροτροφεῖον, Græcis usitatum est. In MS. Antverp. Hierochomia. — b In altera Vita Græca : τοῦ τῶν μοναχῶν ἀξιωθῆναι σχήματος ἐπιζητεῖ. Petit Euphrosyna ut monasticum consequatur habitum. Et mox : τὸ τῶν μοναχῶν αὐτῇ περιβάλλει σχῆμα. Monastico eam induit habitu, ut Bollandus vertit. At vox schematis usurpatur etiam a auctore alio in expressis Vitæ S. Euphrasiæ 13 Martii, ubi Abbatissa huic dicit : Si nos diligis, esto nobiscum in nostro schemate ; et mater ejus : Filia mea, amas hoc schemate vestiri? ubi respondet : Hoc schema pro arrhis præbet diligentibus se Dominus Jesus Christus. Singulos etiam ordines Religiosorum a se vestitu et institutis discretos prodit etiam dictio σχῆμα : ita enim loqui solent τοῦ Βασιλείου τὸ σχῆμα, τοῦ Ἀντωνίου τὸ σχῆμα : S. Basilii ordo, S. Antonii ordo et religio, etc., ut præclare observat Jacobus Goar in Euchologio, ubi de officio habitus monastici agit ejusque distinctione. — c Ita antiquæ editiones. Hoc vero dicitur nunc MS. Antverp. non amat : reliqua MSS. non sic valde habet. — d MS. Antverp. Frater, pulcher es, et facies tua ruina infirmis Fratribus. Rosweydus : Pulchra est facies tua, fili, infirmis Fratribus.

*Schema monasticum.*

## CAPUT III.

*Paphnutii patris tristitia, inquisitio filiæ, et cum ea incognita colloquium.*

12 Paphnutius autem pater illius, cum reversus esset domum, festinus ingressus est cubiculum, in quo filia ejus manere solita erat : et non inventa, tristis mœrensque effectus, cœpit perquirere anxius servos et ancillas, quid de Euphrosyna actum esset. Pueris autem dicentibus, Quia nocte vidimus eam, mane autem non comparuit : et putavimus, quod pater illius *a* qui eam desponsaverat, venerit et tulerit eam. Et misit servos suos ad domum illius, et non invenerunt eam. Audiens sponsus illius et pater ejus contristati sunt valde, et venientes ad Paphnutium, invenerunt eum vehementer afflictum, jacentem in terra, et dixerunt ei : Forsitan aliquis seduxit eam, et fugit cum illa. Statimque servi illius cum equis per totam Alexandriam missi sunt. Erant autem ibi et naves intrantesque in eas requirebant per vim. Et scrutantes monasteria puellarum, eremos, et speluncas, per domos amicorum et vicinorum, et nusquam invenientes, tanquam mortuam lugebant eam, socer nurum, sponsus sponsam flebat, pater filiam lugens, dicebat : Heu, heu filia dulcissima! *b* heu lumen oculorum meorum, consolatio vitæ meæ! Quis meam invasit facultatem? quis meam possessionem sparsit? quis vineam meam siccavit? quis meam lucernam extinxit? quis spem meam fraudavit? quis pulchritudinem filiæ meæ violavit? quis putas lupus agnam meam dissipavit? qualis locus talem vultum *c* tegit? quale pelagus captivam ducit illam imperialem faciem? Illa generositatis constitutio, illa malorum consolatrix, illa laborantium requies, gementium portus erat. Terra, terra non celes sanguinem meum, donec videam quid Euphrosynæ filiæ meæ contigerit. Hæc et his similia Paphnutio prosequente, elevaverunt omnes qui aderant voces, et flebant, ita ut omnis civitas lamentaretur eam.

E

*Pater anxius Euphrosynam curat inquiri :*

*a*

*eaque non inventa lamentatur :*

*b*

F

*c*

13 Non sufferens autem Paphnutius, nec inveniens consolationem, perrexit ad memoratum senem, de quo supra diximus, ac procidens ad pedes ejus, dixit : Peto, ne cesses orare, ut inveniatur labor orationum tuarum : nescio enim quid acciderit filiæ meæ. Audiens autem venerabilis senex, constristatus est valde, et jussit adesse omnes Fratres, et dixit eis : Ostendite caritatem, Fratres ; postulemus a Domino, ut dignetur nobis ostendere, quid factum sit de filia amici nostri Paphnutii. Et jejunantes omnes, et orantes, et tota hebdomada nihil eis revelatum est de Euphrosyna, sicut solebat, quando aliunde rogabant

*currit ad Abbatem*

*oratione a monachis et S. Euphrosyna facta,*

*Ex vitis patrum et MSS.*

A rogabant Deum. Oratio enim Euphrosynæ erat ad Deum die noctuque, ne manifestam eam faceret in vita sua Deus. Cum autem nec seni neque alicui Fratri revelatum esset, cœpit *d* consolari eum Abbas: Noli deficere, fili, a disciplina Domini, quia quem diligit dominus corripit. Et hoc scias, quia sine voluntate Dei nec unus passer cadet in terra, quanto magis filiæ tuæ absque nutu illius nihil provenit? Scio enim, quia bonam partem sibi elegit, propterea de ea nihil nobis revelatum est. Si enim, quod absit, in malis operibus incidisset, numquam Deus despexisset tantum laborem Fratrum. Habeo fiduciam in Domino, quia in hac vita ostendet eam tibi Deus. Audiens hæc Paphnutius, recepit consolationem, gratias agens Deo, et orans quotidie, bonis operibus et eleemosynis intentus erat.

*d Prov. 3. consolatione recepta. Lucæ 12*

*sanctis operibus vacat.*

14 Post aliquantos vero dies visitabat monasterium, commendans se orationibus Fratrum. Una autem die veniens ad Abbatem, projecit se ad pedes ejus, dicens: Ora pro me Pater, quia non possum sufferre dolorem de filia mea, sed magis ac magis de die in diem renovatur et crescit vulnus meum, et tribulatur anima mea. Videns autem eum senex nimis afflictum, dicit ei: Vis colloquium habere cum uno Fratre spirituali, qui venit de palatio Theodosii?
B Ignorabat enim quod ipsa esset filia ejus. Dixit ei Paphnutius: Volo. Et vocavit Abbas Agapitum, dixitque ei: Tolle Paphnutium et introduc eum in cellam Smaragdi. Et introduxit eum in cellam Smaragdi, nihil ei antea innotescens. Cum autem vidisset subito patrem suum, cognoscens eum, tota lacrymis repleta est. Paphnutius autem sperabat esse compunctionem: non enim cognovit eam, quia species vultus emarcuit præ nimia abstinentia, vigiliis, et lacrymis. De cuculla autem operuit faciem suam, ne aliquo modo agnosceret eam. Facta autem oratione sederunt.

*redit ad monasterium,*

*ad S. Euphrosynam filiam nescius admittitur:*

15 Cœpit autem ei loqui de futuri regni beatitudine et gloria sempiterna, quomodo per humilitatem et castitatem, atque sanctam conversationem, per eleemosynam et caritatem, ad eam quis possit pertingere. Et de contemptu seculi, nec diligendos esse filios plus quam Deum, qui omnium extitit factor. Apostolicam quoque Scripturam interpretans, quomodo tribulatio patientiam operatur, patientia probationem. Videns vero patrem suum in gravi mœrore, compatiebatur illi. Sed timens ne agnosceretur, et impedimentum ei faceret: volens autem eum consolari dixit ei: Crede mihi, quod non despiciet te Deus. Et si in perditione animæ suæ esset filia tua,
C manifestaret eam tibi Deus, ut nec illa a diabolo retenta inferret tibi et sibi luctum perpetuum. Sed credo in Deum, quia bonum consilium elegit sibi, sicut jam dixi, secundum vocem Evangelii, qua dicitur: Qui diligit patrem aut matrem super me, non est me dignus. Et si quis non abrenuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Potens est autem Deus, et in hoc seculo manifestare eam tibi. Sine jam, sine: quid temetipsum interficis contristando? Sed age gratias Deo, nihil desperans. Nam Agapitus magister meus, multoties nimis tristis dicebat mihi. Quia venit quidam nomine Paphnutius operibus bonis intentus, qui filiam suam tamquam mortuam luget, nesciens quid ei acciderit, et nimia lamentatione affligitur: maxime quia unica erat illi, et cum lacrymis projecit se ad pedes Abbatis, ut per ejus orationes et omnium Fratrum *e* posset invenire eam. Et compatiens dicebat mihi: Quomodo omnes Fratres, ita et tu roga Deum pro ea. Et ego, quamvis indignus et malorum meorum conscius, sæpius deprecatus sum Dominum, ut dignetur dare tibi sufferentiam et longanimitatem, et quod expedit adimpleat tam de te, quam de filia tua.

*cum filia religiosis sermonibus instruit. Rom. 5*

*Matth. 10. 17. Lucæ 14. 33.*

*Mœrentem solatur:*

Propter hoc et frequenter te videre volui, et colloqui D tecum, ut aliquam consolationem per me humilem forsitan invenires.

16 Ut autem non agnosceretur per multa colloquia, dixit ad Paphnutium: Vade, domine mi. Et dum recedere vellet Paphnutius, anima illius compatiebatur illi: facies enim ejus pallebat, et replebatur lacrymis. Præ nimio autem jejunio, et diuturna inedia sanguinem vomebat. Multum igitur confortatus Paphnutius in admonitione ejus, discessit ab ea. Et veniens ad Abbatem, dixit: Ædificata est anima mea de illo Fratre, et ita sum lætus effectus in gratia Dei et consolatione ejus, tamquam invenissem filiam meam. Commendans se orationibus Abbatis et omnium Fratrum, reversus est in domum suam, magnificans Deum.

*Ieiuniis debilita.*

a *Ita antiquæ editiones et MS. Trevir. at MS. Antver. et Bosweydu apponunt*, infantuli. — b *Bosweydus*, heu me, oculorum meorum consolatio mea. — c *Idem*, tetigit. — d *MS. Trevir.* compati ei. — e *Bosweydus*, Deus patefaceret. Ita et tu roga propter eum.

## CAPUT IV.

### *Morbus S. Euphrosynæ, quæ se tum revelat patri. Utriusque obitus: miracula.*

Complens autem Smaragdus in cella solitaria triginta et octo annos, incidit in infirmitatem, qua et mortuus est. Quadam vero die secundum consuetudinem venit Paphnutius invisere monasterium et post orationem et salutationem Fratrum dixit seni: Si jubes pater, permitte me Smaragdum videre, quia valde desiderat eum anima mea. Vocatoque Agapito præcepit ei ducere Paphnutium ad visitandum Smaragdum. Introiens autem Paphnutius in cellam, ubi æger jacebat, cœpit eum osculari lacrymans, et dicens: Heu me, ubi sunt promissiones tuæ, ubi verba dulcia, quod mihi futuram videndam oculis meis promittebas filiam meam? Ecce non solum illam non videbo, sed tu, in quo consolationem modicam habebam, derelinques nos. Heu me! quis jam consolabitur senectutem meam? Ad quem ibo, quis mei adjutor erit? Duplex malum est modo, quod lugeo: triginta et octo anni sunt, quod perdidi filiam meam, nihil mihi de ea revelatum est, quod die nocteque orabam pro ea: et non similem illius inveni. Detinet me incomparabilis dolor. Quid sperem amodo? ubi consolationem inveniam? jam descendam lugens in infernum. Videns autem eum Smaragdus vehementer plorantem, et nullam consolationem recipientem, ait F ad eum: Quid turbaris et temetipsum interficis? Numquid invalida est manus Domini, aut quidquam est Deo difficile? Jam pone finem tristitiæ. Recordare quomodo Patriarchæ Jacob manifestaverit Deus Joseph, quem quasi mortuum lugebat. Sed obsecro te, ut per tres dies me non deseras neque derelinquas.

*E Triginta octo annis in cella solitaria vixit*

*ægra patrem mœrentem solatur*

*Gen. 46.*

18 Hæsitans autem Paphnutius intra semetipsum per triduum, dixit: Forsitan aliquid ei Deus revelaverit de me. Tertio autem die dixit ad Smaragdum: Exspectavi sicut rogasti, domine mi Frater, et non discessi alicubi per tres continuos dies. Cognoscens autem Smaragdus, qui et Euphrosina, quia instabat dies dormitionis ejus, vocavit Paphnutium, et dixit ad eum: Quia omnipotens Deus bene disposuit meam miseriam, et adimplevit desiderium meum, quod ad finem usque viriliter certando perduxi, non mea virtute, sed ejus adjutorio, qui me custodivit ab insidiis inimici. Peracto cursu, superest mihi corona justitiæ. Nolo autem te jam esse sollicitum pro filia tua Euphrosina, ego enim sum illa misera, et tu es pater meus Paphnutius. Ecce jam vidisti, et satisfactum est tibi, sed nemo hoc sciat, et non permittas ab alio corpus meum nudari et lavari, sed a temetipso hoc facias

*post moram tridui*

*revelat se patri*

A facias. Et quia promisi Abbati habere multas possessiones, et si potuissem sustinere et perdurare in loco isto, adducerem eas hic. Imple ergo quod promisi, quia venerabilis est locus iste, et ora pro me. Hæc dicens tradidit spiritum Kalendis Januarii.

*moritur.*

19 Dum audisset talia verba Paphnutius, et vidisset quia obdormivit, commota sunt viscera ejus, ceciditque in terram, et factus est velut mortuus. Accurrens autem Agapitus, videns quoque quia defunctus esset Smaragdus, et Paphnutium jacentem in terra semivivum, jactavit aquam super faciem ejus et elevavit eum, dicens: Quid habes, domine mi Paphnuti? Ait autem Paphnutius. Dimitte me ut hic moriar, vidi enim mirabilia hodie. Surgens autem irruit in faciem ejus, multitudinem lacrymarum infundens, clamabat dicens: Heu me, filia mea dulcissima, quare ante non manifestasti mihi, ut ego quoque tecum *a* morerer spontanea voluntate? Væ mihi, quomodo latuisti? quomodo pertransisti insidias adversariorum, et nequitias spirituales tenebrarum vitæ hujus, et introisti in vitam æternam?

*Consternatur Pater in morte et agnitione filiæ.*

20 Hæc Agapitus audiens, et cognoscens tam mirabilem caussam, stupefactus est, et currens nuntiavit omnia Abbati. Veniens autem Abbas cecidit super eam, et ejulans dicebat: Euphrosyna sponsa Christi, et filia Sanctorum, ne obliviscaris conservorum tuorum, qui hujus monasterii sunt, sed ora B pro nobis ad Dominum Jesum Christum, ut faciat nos viriliter certando pervenire ad portum salutis, et portionem habere secum et cum Sanctis suis. Et jussit ut congregarentur omnes Fratres, ut cum honore debito sanctum corpus illius sepulturæ traderetur. Dum autem congregati adessent, et vidissent tam stupendum miraculum, glorificabant Deum, qui etiam in fœmineo sexu fragili tanta miracula operatur.

*S. Euphrosinæ jam cælo gaudentis orationes petit Abbas:*

21 Quidam autem Frater *b* unum habens oculum, osculatus est vultum ejus cum lacrymis, statimque ut eam tetigit, *c* oculus ei restitutus est. Et videntes omnes Fratres, qui aderant, hoc quod factum est, benedixerunt Deum, gratias agentes ei, cujus sunt omnia quæ bona sunt. Multumque confortati et ædificati, sepelierunt eam in monumento Patrum.

*b* *Osculo vultus unoculo oculus restituitur* *c*

22 Pater vero ejus omnia quæ habuit, in ecclesias et xenodochia et monasteria offerens, conversus est in eodem monasterio, et plurimam partem substantiæ suæ ibidem offerens in eadem cella ibidem demoratus est, in eodem *d* psiathio dormiens in quo Euphrosyna. Vixit autem Paphnutius in sancto proposito annos decem, et emigravit ad Dominum, ac C juxta filiam suam sepultus est. Abbas autem glorificavit Dominum cum omni congregatione: et dies migrationis eorum ad Dominum *e* celebrant ibi in eodem monasterio usque in præsentem diem, glorificantes Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

*Paphnutius bona sua monasterio offert.* *d*

*moritur post decem annos in sancto proposito*

a MS. Antverp. commorerer. MS. Trevir. commorarer. — b MS. Trevir. cæcus — c Idem, illuminatus est. — d Id est matula. MS. Antverp. psyatio in antiqua editione, stratu. — e MS. Trevir. celebrantur. Rosweydus, celebratur.

## ALIA VITA

auctore Simeone Metaphraste,

*interprete Gentiano Herveto,*

collata cum MS. Græco.

### CAPUT I.

### *S. Euphrosynæ ortus, desponsatio, desiderium vitæ monasticæ.*

*a* Cum Romanorum sceptra *a* Theodosius Arcadii filius pie regeret, vir quidam, nomine Paphnutius, cognoscebatur in magna civitate Alexandrina, divitiis quidem locuples, sed multo magis virtutis divitiis et animi nobilitate splendidus ac præclarus. Is D matrimonio erat conjunctus mulieri virtutis studiosæ, et quæ magna erat in Deum pietate, adeo ut esset hoc revera minime fallax conjugium, et quod benevolentia utrimque tenebatur. Hanc filios non habentem cum videret maritus, angebatur animo. Quidni enim? Nam quicumque junctus est matrimonio, hoc principaliter cupit, se filiorum esse patrem. Quærebat ergo invenire rationem, qua ab hac liberaretur molestia: et cum rem vitæ suæ sociæ recte communicasset, consulebat ut confugeret ad eum, qui potest omnia. Quocirca illa quidem vacans jejuniis et precibus, Annam imitabatur, et ea, quæ illa, loquebatur: Adonai, dicens, Domine Eloi Sabaoth, si adspiciens adspexeris super ancillam tuam, et dederis mihi filium ex utero meo, offeram tibi Deo, qui dederis. Ille autem sacra obibat monasteria, eos, qui in ipsis exercebantur, provocans ad Deo supplicandum.

AUCTORE METAPHRASTE

*S. Euphrosyna parentum sedulitate jejuniis et precibus expetitur a Deo,*

1 Reg. 1 11

2 Porro autem cum audiisset in quodam sacro monasterio esse *b* senem, cui magna vitæ puritas conciliabat apud Deum fiduciam, eum adiens Paphnutius, cum, quæ conveniebat, esset collocutus, deinde eum rogavit de iis, quæ erant proposita: Adspice, dicens, ad me, Pater, et vide meam humilitatem, et luce tuarum orationum discute nubem mœroris, quæ me premit. Est enim jam longum tempus, ex quo versans cum uxore, quæ est æque, atque ego, juvenis, et molestiarum matrimonii particeps, iis quæ sunt ex eo bonis, si matrimonii bonum est liberorum susceptio, sum privatus miserabiliter: et propterea quod caream liberis, totius premor animi ægritudine, si nihil aliud, probra non ferens vicinorum, qui me irridentes, tamquam sterilem et infertilem conviciis appetunt. Hæc ille quidem dicebat cum lacrymis, prehensans pedes sacrosancti illius senis. Ille autem (sunt enim misericordes, qui virtuti et Deo dant operam) verbis flectitur Paphnutii, et se totum confert ad orationem. Justi itaque oratio, operante apud Deum vi eorum, quæ ipsum ad hoc provocabant, jejuniis et precibus, et communicatione ac benignitate in pauperes, fuit exaudita ab eo, qui audit preces eorum, qui ipsum invocant in veritate.

*b*

E

*c implorata sancti monachi oratione impetratur:*

3 Et Paphnutio nascitur filiola, quæ ab infantia præ se ferebat eximiam corporis pulchritudinem: quæ etiam utique subindicabat elegantem et scitum, qui in ea postea fuit, animum: et protinus quidem solvit matris filiorum egestatem, solvit autem patris quoque tristitiam. Ut ergo ei etiam esset nomen conveniens illi rei, quam erant assecuti, eam protinus nominant Euphrosynen, hoc est, lætitiam. Hanc ergo Paphnutius, cum esset fidei fructus, alebat potius virtute, quam iis, quæ carnem pinguefaciunt: et iis, quæ stant ac manent, magis quam iis, quæ efflorescunt, persuadet animum adhibere, et animæ curam gerere, rei immortalis, magis quam ejus, quod cito marcescit, docebat corporis. Ipsaque adspiciens ad virtutem parentum, et ab illorum probitate animum non habens discrepantem, crescebat, ut corpore, ita etiam animæ pulchritudine.

*nata, ob lætitiam parentum Euphrosyna appellatur* F

*sancte educatur:*

4 Erat ei jam annus duodecimus, et mater e vita præsenti excesserat. Filia autem sic formata, et ei ætate procedente virtutem magis habens accedentem, desiderabat verum sponsum, et, quam ille diligit, curam gerebat animæ pulchritudinis. Qui autem attendebant res solas corporeas, et spectabant illius formam corporis, et recte sciebant, quam esset nobili loco nata, octavumdecimum jam annum agentem, patrem convenientes, petebant in matrimonium. Is autem, cum non posset eorum postulata repellere, uni, qui omnibus præstabat opibus, gloria et

*sollicitatur ad nuptias:*

A *AUCTORE METAPHRASTE.*

*despondetur:*

et virtute, despondet puellam, consilium capiens ejus virtute longe indignissimum, ut qui non adspexerit ad filiæ suæ statum, et illius in Deum pietatem, nec quod tota evasisset Deo familiaris, eique soli placere, et ejus esse sponsa perpetuo esset meditata. Horum ergo ille nihil reputans, parabat nuptias filiæ minime convenientes. Sed zelans zelavit Dominus, ejus verus sponsus, et abripit quidem a matrimonio, et iis, quæ consequuntur matrimonium, ut procedens ostendet oratio; eam autem ad vitam compellit præstantiorem, quæ eam ipsi conjungebat per multam puritatem.

*invisit senem monachum*

5 Nam cum pater quidem hoc cepisset consilium, non esset autem illa tuta, si non senis prius precum particeps, quarum ipsa erat fructus, sic veniret ad nuptias, benedictionis gratia ad magnum illum senem venit cum parente. Deinde cum illius audiisset sermones, et monachorum tunc primum vidisset statum, sæpe dixit: Beati, qui hoc vitæ genus propter Christum suscipiunt. Ille autem cum animi perspicacibus oculis, quid puella vellet, esset contemplatus, preces quoque fudit ejus desiderio convenientes: Deus, o filia, dicens, faciat quod sit tuæ animæ futurum conducibile, et in ejus timore confirmet, et dignam censeat bonis paratis iis, qui ipsi placuerunt. Cum hæc dixisset, et sic ei esset precatus, illius animæ duplicem immittit erga Deum amorem, et vehementius accendit eam, quæ inerat, pietatem.

B *laudat vitam monasticam:*

Domum ergo revertens, rursus dicebat: Beati, qui suscipiunt vitæ genus monasticum, quoniam et hic sic vivunt, ut parum aut nihil ab Angelis differant, et postquam hinc excesserint, vita fruuntur æterna.

*abjicit ornatum corporis,*

*induitur cilicio*

6 Cum domum autem venisset, negligebat quidem cultum corporis, adeo ut nec aqua quidem frigida faciem lavaret, lacrymis autem et jejuniis animæ lætificabat speciem. Torques autem, inaures, et monilia, et aurum, quod manus exornabat, traducebatur ad ornatum animæ, suppeditatum pauperibus. Non erat ei curæ mollis vestis, sed illius loco ei curæ erat induere cilicium. Ex æqualibus non iis omnino delectabatur, quæ loquebantur ad voluptatem: sed cum iis, quæ sibi similem habebant in Deum amorem, semper libenter versabatur. Aniles autem nugas, et vanos mulierum sermones, ne summas quidem suas aures sinebat tangere. Erat vero hoc quoque ei studio, cum iis qui illic versabantur monachis, quique pia aliqua de caussa ad patrem accedebant disserere, et ab illis divina discere.

*cælestia quærit.*

a Imperavit ab obitu Arcadii patris Theodosius ab an. 408 ad 450. — b In alia Vita Pater monasterii et Abbas, cum eodem senex, qui ad obitum ejus supervixerit: nisi non attribuuntur, quæ sub pluribus contigerunt.

C

## CAPUT II.

### *Habitus monasticus a S. Euphrosyna assumptus. Fuga. Vita in monasterio virorum.*

Non multum intercessit temporis, et pater accersitus venit in monasterium, ubi erat ille magnus, simul cum monachis peracturus memoriam illius, qui extruxerat monasterium. Cum illic ergo tres totos dies mansisset in monasterio pater ejus secundum carnem, Euphrosyne accepta occasione, et accersito quodam monacho ex monasteriis a Scetis, qui tunc divina providentia venerat Alexandriam, (erat autem is magnus virtute) ei suum communicat consilium. Ille autem: Audisti, inquit, ipsa quoque, cum sis pia in Deum, quantum possum videre, et versata in doctrina divina, quænam Salvator dicit in Evangeliis, quod, qui patrem aut matrem honorat plusquam ipsum, ipso indignus efficitur. Hac utens doctrina, et hac sententia tuum erigens animum, quod statuisti, cito velis effectum reddere: et ignem in corde suscipiens Christi, qui eum misit in terram, vide ne socordia et mora eum extinguas: sed quamprimum ad finem deducas id, quod animo agitas. Nemo enim mittens manum ad aratrum (ut divina dicit Scriptura) et retro conversus, est aptus regno cælorum.

*accersito monacho ex monasterio Scetis,*

Matth. 10, 37

*instruitur:*

D

Lucæ 9, 62

*induitur habitu monastico:*

8 Hæc cum audivisset a sene, ejus verbis paret protinus, et ab eo petit, ut monasticum consequatur habitum. Ille autem prompto et alacri animo implevit, quod petebatur. Et cum statim preces consuetas, et quidquid erat in more positum, implevisset, monastico eam induit habitu. Et cum precatus esset ei finem scopo convenientem, in suum revertitur monasterium. Postquam autem pius ille senex recessisset, considerabat apud se Euphrosyne, quomodo et ubi sibi datum ad mercaturam exerceret talentum, maxime cum sciret patrem sibi fore impedimento ad id, quod desiderabat. Cum ergo quæsivisset modum, per quem posset omnino latere, et benevolentiam patris, et sponsi amorem, statuit quidem vestem exuere muliebrem, virilem autem induere. Et quoniam sciebat eos, qui ipsam erant persecuturi tamquam fœminam, esse scrutaturos in monasteriis mulierum, statuit seipsam collocare in numero monachorum. Hoc autem consilium capiens, nocte quadam exuit quidem suam vestem, et simul cum tunica etiam muliebrem exuit imbecillitatem, induit autem vestem salutarem, et quamprimum transmutatur in virilem habitum.

*accipit vestem virilem*

E

*fugit ad monasterium virorum*

9 Deinde cum latuisset ancillarum multitudinem, et ipsos parentis oculos, et ædes despexisset præclaras ac magnificas; Christi crucem tollens, protinus abiit, volens se dignam reddere eo, quod desiderabat. Et venit ad illud monasterium, cui præerat senex, cujus precum fuerat fructus. Et his ita ordinatis, cum venisset in conspectum Præfecti monasterii, interrogata fuit, quisnam esset, et unde, et quanam de caussa ad eum accessisset. Illa autem dixit, se vocari quidem Smaragdum, esse autem ex aula Imperatoris (sic enim dicebat volens latere) reliquisse vero omnia, ut infida et inutilia, ac desiderasse vitam monachorum: et ex urbe quidem fugisse regia, et quæ esset plena tumultibus, et quod amicorum et familiarium nollet vexari congressione, et ab eis interrumpi suum quietis desiderium: cum autem de istorum sanctitate monachorum multa audivisset, eo venisse, si quo pacto digna haberetur referri in eorum numerum.

*se Smaragdum nominat,*

*et simulat ex aula regia venire:*

*admittitur:*

F

10 Lætatus est vir ille, et verbis et morum modestia admirandus, et Ecce monasterium, inquit, fili, si tibi placet referri in numerum Fratrum, nemo est prohibiturus. Sed quoniam es ætate adhuc juvenis, et status monastici nondum perfectam cepisti experientiam, oportet te esse sub magistro, et ab eo discere vitæ perfectionem. Illa autem: Hoc quoque mihi est cordi, et volo non unum solum, si videtur, sed multos etiam habere, qui ad virtutem me sint instituturi. Sic eo, cum tamquam solidum et validum fundamentum, seni prius jecisset obedientiam, traditur Agapio monacho, qui et in rebus divinis erat eruditus, et processerat ad summam impatibilitatem: et ab eo, ut dicam, sicut divinus David, diurno fingitur figmento, et componitur ad vitam piam ac religiosam.

*Agapio erudienda traditur:*

11 Verumenimvero, qui nobis invidit ab initio, et gloriatur se totum orbem terræ, tamquam nidum, comprehensurum, non ferebat, videns mulierem callidos suos laqueos supervolantem, et tamquam columbam spiritu ferri sublimem. Sed angebatur videns tam prudens consilium, et quod ita se ad latendum instruxerat: et ægre ferebat videre suas artes eludi a juvenili corpore, eoque muliebri. Aliquando quidem certe ejus in Deum curam ac meditationem studebat avellere, parentum accendens desiderium; aliquando

*variis tentationibus vexatur:*

A aliquando autem divitiarum gloriæque et sponsi memoria conabatur ejus emollire spiritus. Præterea ei in memoriam revocabat consuetudinem familiarium et æqualium. Sed cum omni ex parte eam aggrederetur, et ei immitteret tentationem, repellebatur. Quid ergo facit? Se aliorum oculis dispertiit, et eos sauciavit telis ejus pulchritudinis. Illi autem cum non possent continere vehementem cupiditatem; scirent autem non esse tutum celare morbum, rem Præfecto aperiunt: et triumphant de bello, quod illatum fuerat a maligno. Et hoc fit eis quidem mali remissio, illi autem majus incrementum ad perfectionem virtutis. Monasterii enim Præfectus eis convenientia dat morbi medicamenta; illi vero nihil scienti eorum, quæ facta fuerant, Volo te, inquit, o fili, seorsum degere in cella aliqua, in qua traditam tibi servans regulam, neque ullos illic admittes neque omnino egredieris, neque te ullis præbebis ad colloquendum. Solus autem, quæ tibi erunt usui, subministrabit Agapius. Dixit, et statim præcipit Agapio, ut Smaragdi, quam oportet, curam gerat, non solum in spiritalibus, sed etiam in iis, quæ ad corpus pertinent, quoad ejus fieri poterit, ut nulla re necessaria indigeat. Itaque Beata illa, ut ei erat gratum, liberata a molestiis, in Christum magis B auxit amorem, laboribus quidem addens labores, jejuniis autem jejunium, et prioribus vigiliis adjungens majorem adversus somnum decertationem, adeo ut et ipse videns miraretur Agapius, et hæc aliis manifesta redderet. Sed hæc quidem postea.

*ob decorem vultus ne aliis scandalo sit.*

*cellæ includitur:*

*sancte vivit.*

a *De monasterio* Scetis *egimus* § 1 *ante Vitam S. Antonii* 17 *Januar. et passim alibi. In altera Vita dicitur e monasterio* Theodosii *venisse.*

## CAPUT III.

### *Paphnutii patris dolor, inquisitio, alloquium.*

Quæ autem prætermisimus dicere, nunc recenseamus. Cum ejus pater domum e monasterio redivisset, et carissimam filiam non invenisset, primum quidem adductis famulis et ancillis, rogabat quid hoc esset, et sciscitabatur, ad quemnam ex cognatis aut familiaribus profecta esset filia. Cum autem ii quidem dixissent, eam vespere, postquam, ut consueverat, ostium clausisset cubiculi, in lecto dormiisse, mane autem, ea non procedente, eos esse ingressos, et invenisse vacuum ejus lectum et domum; arbitrabatur eam abiisse ad sponsum: et ad eum mittens rogavit, an ad ipsum venisset Euphrosyne. Postquam autem ipse quoque sponsus, qui nihil acceperat eorum quæ acciderant, repentino nuntio perturC batus, ad eum accessit, invenit Paphnutium victum a paternis visceribus, barbamque vellentem, et genas lacerantem unguibus, et miserabiliter dicentem: Quo profecta es filia? Cur me tuum parentem lugentem et tristem reliquisti? Non te ad hanc spem alebam, sed ut haberem baculum senectutis et solatium imbecillitatis. Hei mihi, filia, quomodo feram tui orbitatem? Quomodo patiar solitudinem, cum in te sola spem defixissem? Non est mihi amplius ullus filius, ut ad eum adspiciam, et quem propter te capio, doloris ex eo inveniam solatium. Nihilominus dolebat, quam pater, sponsus, et contendebat cum illius lamentationibus, præter spem tali bono frustratus. Consulebat tamen, ut viriliorem susciperent cogitationem, et missis lamentationibus, surgerent ad eam quærendam. Mittunt ergo quamprimum in omnem partem, qui illam scrutarentur: et proficiscuntur equites in a Libyam, et Ægyptum, et ipsam Palæstinam. Portæ præoccupantur civitatum, occupantur portus, viæ, trivia, monasteria, et si quid erat, quod latebat, et poterat celare. Sed Dei agna, quæ ab ipso celabatur, non poterat capi ab iis, qui eam cupiebant capere. Quomodo enim, cum ille nollet?

*Pater non reperta S. Euphrosyna filia lamentatur.*

*curat inquiri:*

*a*

D 13 Omni ergo ex parte dubius erat et perplexus Paphnutius, non habens, qui eum consolaretur. Nam et domus lamentationibus plena erat et fletibus, et quidquid ei occurrebat spectandum, ducebat ad majorem mali reminiscentiam. Sive enim vestis ejus, seu ornamentum aliquod, aut aliquid aliud forte videretur præsens, id erat occasio fletuum, et illud imponens oculis, et cum maximo versans desiderio, humectabat lacrymis. Mœrore ergo omni ex parte appetitus, et non valens medicamentum invenire ad solatium, statuit rursus venire ad magnum illum senem, per quem dignus erat habitus vocari ejus pater, et narrare quod evenerat. Sic enim statuebat, quod, qui eam quæ non erat potuerat suis præbere precibus, is eam latentem poterit reddere manifestam. Venit itaque ad eum, et ad illius pedes procidens: Hei mihi, O pater, clamavit. Perdidi fructum tuarum orationum, et sum orbus liberis, qui per te pulchram habebam prolem. Invidia alicujus dæmonis factus sum. Abiit Euphrosyne, domus meæ lætitia: periit præter spem, nullo sciente ex domesticis, ubi sit, vel quonam sit profecta. Te ergo mihi paullulum concede, et eos, qui E sunt tecum: et huic rei vacans aliquantulum, pete ab eo qui a piis exoritur, ut mihi significet, ubinam sit lux meorum oculorum. Flexus itaque senex, et animo perturbatus, cum Paphnutii lacrymis esset illacrymatus, accersit omnem fraternitatem, et eorum, quæ Paphnutio acciderant, proponit narrationem: jubetque, ut totam hebdomadam se jejunio dedant et orationi, si forte alicui apparuerit, ubinam terrarum lateat Euphrosyne.

*AUCTORE VETI-PHRASTE.*

*mœrore repletus,*

*ad monasterium venit:*

*omnium preces expetit.*

14 Hoc tamen facto, ad nihilum redibant eorum preces. Resistebant enim illius orationes, petentis ut ignoraretur. Statuebat namque Deus sinere illum potius parum lugere, quam ipsum liberans a dolore, dolore magis afficere animam, quæ et naturæ, et paternæ benevolentiæ propter ipsum nullam duxit rationem; ne aliquid retardaret et impediret virtutem, qua nihil est præstantius. Cum hæc ita contigissent, dicit senex Paphnutio: Ne sis tristis, fili Paphnuti, neque ut quispiam ex infidelibus, et qui hac vita omnia metiuntur, nihil autem possunt amplius cogitare, pusillo et abjecto animo defleas recessum tuæ filiæ. Crede autem mihi seni, hanc pio et religioso scopo esse progressam: alias enim nos non celasset, quod F factum est, Dominus. Age ergo ipsi gratias, et venerare dispensationem, quæ fit, ut ei videtur: et videbis quidem ipsam paullo post etiam in hac vita, si hoc conducit utrisque: sin minus, postquam quidem certe ex hac vita excesseritis, divina tabernacula ambos omnino excipient. Hoc enim mihi dat cogitandum tanta illius pietas et amor in Deum. Sic Paphnutius cum multum remisisset de sua animi ægritudine, domum redit, et rebus suis bene ordinatis, revertitur in monasterium.

*consolatione accepta,*

*abit domum;*

15 Cum autem sic assidue ventitaret in monasterium, virtutis studiosiores requirens monachos, ut qui lubenter eorum frueretur consuetudine, (vide ineffabiles rationes providentiæ) audit ex Fratribus monasterii, quod sit apud eos quidam Frater, qui non longo quidem tempore se exercuit, ad summam autem brevi pervenit virtutem: eique nomen Smaragdus, illustri quidem loco natus, et qui divitiis abundabat, et pecuniis: his vero omnibus contemptis, vitam elegit monasticam, tantumque profecit in virtute, ut nemo fere sit ex omnibus aliis, qui possit cum eo contendere. Eum trahit auditio, ut veniat in ejus conspectum. Per Agapium itaque convenit illum virum virtute suspiciendum. Illa autem cum patris faciem adspexisset, et cognovisset quidem, non

*redit ad monasterium*

AUCTORE METAPHRASTE.

*S. Euphrosynam filiam non agnoscens, invisit*

A non esset autem cognita (mutata enim erat propter nimiam asperitatem et inediam, et habebat non aperta vultus lineamenta) vincitur a natura, et sensim fontes emittit lacrymarum. Pater autem ejus existimabat hoc evenire ex compunctione, non valens conjicere, se esse lacrymarum occasionem, ut qui eam paterno sauciasset spectaculo. Deinde cum cessasset flere, nihil quidem fatetur eorum, quæ pertinebant ad cognitionem, veluti contendens vincere naturam, quæ jam eam vicerat, et effecerat, ut ei orirentur lacrymæ. Tanta autem eum implet utilitate, et ex morum moderatione, et ex doctrina sermonum, ut plenus admiratione accesserit ad senem, et dixerit se multum ei debere, quod dignus sit habitus, qui talem virum videret et conveniret.

*lætus ab ea recedit.*

a Sic etiam Liby r adscribi eumm 17 Januar. est ultimus.

## CAPUT VI.

*Revelatio S. Euphrosynæ patri facta. Utriusque obitus et sepultura.*

Cum triginta itaque et octo annos talem vitam Euphrosyne egisset in monasterio, et quænam esset, nulli fuisset omnino cognita; quando oportebat eam ex hac vita excedere, patrem, qui omnino Divina quadam providentia tunc erat in monasterio propter B usum aliquem, accersit illa beata, et rogat, ut tres dies maneat in monasterio, dicens non inutilem eam moram sibi fore. Sed cui summæ erat curæ de carissima aliquid scire filia, pater lubens obedit. Cum autem jam adesset tertius et ultimus, eum prope se advocat, et dicit: Quoniam Deus res meas, ut voluit, administravit, et ut in proposito ab initio suscepto usque ad finem permanerem, mihi vires tribuit, volo te hodie liberare multis sollicitudinibus, et de filia tua, quod scio, dicere, quam scio te sitire, et ejus ardere desiderio. Scias ergo, inquit, o pater, me esse tuam filiam, vultum ostendens quam fieri potuit evidentissime. Ut laterem autem, me in hunc transmutasse habitum, ex quo mihi omnino Dei benignitate evenit, ut licet te viderim per totam vitam, nullum tamen a te mihi allatum sit impedimentum in suscipiendo certamine exercitationis. Et tu nunc adsis, ut tuis manibus sepulturæ meæ mandentur reliquiæ. Sic dixit, et Domino statim tradidit animam.

*S. Euphrosyna ægra patrem advocari curat.*

*se filiam ejus esse revelat:*

*moritur*

17 Ille autem re inopinata stupefactus, non respirans, humi cecidit, tamquam mortuus, adeo ut aqua ejus faciem adsperserit Agapius, et cum eum ad se revocasset, rogaret quid factum sit, quod ei defecerit animus. Ille autem dixit se vidisse res adeo C admirabiles, ut cuperet etiam mox vitam cum morte commutare. Deinde cum surrexisset, et circumfusus sanctis illis esset Reliquiis, et eas irrigaret lacrymis, et commixtos gaudio fletus emitteret, et clamaret: Hei mihi, filia dulcissima, cur non te mihi diu D ante aperuisti? Cur non me una tecum assumpsisti socium in opere tui propositi? Heu me miserum, quid mihi accidit? Quomodo fuit tanta mea ignorantia? Quomodo nesciebam me in manibus habere, quod quærebatur? Quid agam? Festumne celebrabo, hanc videns quæ processit ex meis lumbis, an lugebo virtus paternus visceribus? Sed non est honestum eos lugere, qui postquam hinc excesserint, vadunt ad vitam meliorem, a etiamsi natura juri suo inhærens, me cogat hoc facere. Verumenimvero lugentem me excipit gaudium, fontes reprimens lacrymarum, et persuadet, ut postulem quamprimum hinc excedere. Scio enim fore, ut eam videam, et ab ea videar, hoc concedente Dei benignitate, et simul vivam in secula cum ea, quæ a me quidem est genita, ei autem vixit, et beatam illi tradidit animam.

*consternatur pater vario animi motu*

18 His verbis cum totum actum intellexisset Agapius, id annunciat cum clamore et admiratione Præfecto et Fratribus. Illi autem contendebant alius alium prævenire, obstupefacti nova et aliena auditione: et studebat unusquisque primus venerandas amplecti Reliquias. Cum autem accessisset quidam ex Fratribus altero oculo orbatus, ipse quoque amplexurus, lucem est assecutus ab ea, quæ Divina luce digna erat habita, et duos habuit illæsos oculos, E certum effectus testimonium illius fidei et beatitudinis, quam illa fuerat assecuta. Non amplius ergo sepulturæ meminerant, qui aderant: sed ejus obliti, glorificatione et admiratione divisi erant cum lætitia. Cum autem vix tandem reputassent, etiam post sepulturam eumdem esse thesaurum, illam deponunt in monumentis Patrum, luce divina in facie illustratam.

*accurrunt monachi:*

*et lusco visu reddito, læti, eam sepeliunt,*

19 Ejus autem pater ne cogitavit quidem discedere a monasterio. Cum autem solum tantum recessisset, quantum satis esset ad suas facultates dividendas pauperibus et ecclesiis, et iis qui alioqui pie vivunt, et non habent ea quæ sunt necessaria, et ut etiam aliqua consecraret cœnobio, se deinceps refert in numerum Fratrum, et illic reliquum vitæ tempus transigit in storea et cella Euphrosynes recumbens, et id esse magnum ducens ad lætitiam. Cum ergo ipse quoque decem annos transegisset in monasterio, et vitam peregisset accuratam et perfectam, migravit ad Dominum, cum jussisset suum corpus deponi prope filiam, hoc etiam post mortem ducens esse satis solatii, surdo pulveri corporis largiri propinquitatem ejus quod desiderat, ad perpetuam memoriam, et gloriam Dei, qui hæc sic dispensavit, quem decet omnis gloria, honor et adoratio nunc et in secula seculorum, Amen. F

*Paphnutius vivit in filiæ cella,*

*sancte moritur.*

a Græce, ἐὰν ἡ φύσις τὰ οἰκεῖα ἀσπαζομένη τοῦτό με καταναγκάζει ποιεῖν. Hervetus, etiamsi natura domesticos complectens, me cogat hoc facere.

# DE S. SEVERINO ABB. AGAUNENSI,

## CASTRO-NANTONIS IN GALLIA,

ANIMADV. PAP. 83

J. B.

## Commentarius prævius.

*§ I. S. Severini monasterium Agauni quale? novum postea a S. Sigismundo Rege ædificatum.*

AN. DVI XI FEBR.

*Agaunum locus Vallesiæ, celebris cæde Thebæorum:*

Agaunum *ad inferiorem Vallesiæ limitem jacet, ubi Rhodanus omnem eam regionem, intra altas rupes ac prærupta constrictam, pervagatus, angusto alveo effluit, Lemanum inde lacum petiturus. Qui locus in S. Mauritii historia, istic cum Thebæa legione interfecti, ita describitur: Legio* præteriens Octodorense oppidum, ad locum, cui Agauno nomen est, celeriter properavit: ut XII millium spatio ab Octodoro separata, necessitatem committendi sacrilegii præteriret. Agaunum accolæ, interpretatione Gallici sermonis, saxum dicunt. Quo in loco ita vastis rupibus fluminis cursus arctatur, ut commeandi facultate subtracta, constratis pontibus viam fieri itineris necessitas imperaret. Undique tamen imminentibus saxis, parvus quidem, sed amœnus irriguis fontibus, campus includitur. *Consentanea his sunt, quæ alii tradunt scriptores, novi veteresque.*

2 *In*

A *ubi vicus Tarnadæ,*

2 *In parvo illo et amœno campo, ubi sacra legio consederat, vicus postea conditus, quem Itinerarium Antonini* Tarnadas, *Tabula Peutingeri segm.* 2 Tarnaias *appellat, utrumque enim illud scriptum sub finem quarti seculi vel compositum est, vel certe interpolatum: quidam* Taruedam *vocant. Gervasius Tislrberiensis in libro* de otiis imperialibus *ante annos* CCCCL *scripto, ut est apud Chesnæum tom.* 1 *Francicor. ita habet*: Legio in Agaunensibus angustiis substiterat, quas vulgus S. Mauricium de Chablais nominat. *Quia nimirum* Caballiaca, *sive* Chablasia *ditio,* Agaunum *usque protenditur, quod simpliciter nunc* S. Mauricium *vocant.*

*jam vulgo S. Mauricius*

*et vetus monasterium:*

3 *Stabilita Christianæ religionis libertate ædificatum hic templum est, atque etiam monasterium. Nam in S. Maturini Presbyteri Vita ista leguntur*: Beatus vir Polycarpus *(Senonensis Episcopus)* gaudens discessit ab eo, Romam profecturus ad urbem. In quo itinere apud sanctorum Martyrum Mauritii et sociorum ejus cœnobium, abavorum *(sors* laborum*?)* suorum præmia sortiturus, feliciter migravit ad Christum. *Quod tamen cœnobium illud, vel quod non certa regula atque institutis temperatum erat, sed promiscuæ multitudinis, sexus utriusque concursu sejunctis tamen domiciliis, diversa pertractantis munia, sub Pastoris,* B *sive Abbatis, regimine, coalitum; vel quod sensim soluta disciplina erat; vel quia sub hæreticis Burgundionum Regibus, secularium isthic hominum invaluerat licentia; novum ab S. Sigismundo Rege erectum est. De quo Marius, Aventicensis in eadem Helvetia Episcopus, ad consulatum* Florentii et Anthemii, *sive annum Christi* IↃXV *ita scribit*: His Coss. monasterium Acauno a Rege Sigismundo constructum est. *Anno sequenti,* Petro Cos. *consignat Gondobadi patris ejus mortem. At S. Gregorius Turonensis lib. 3 histor. Francor. cap.* 5 *scribit*: Mortuo Gundobado, regnum ejus Sigismundus filius ejus obtinuit, monasteriumque Agaunense solerti cura cum domibus basilicisque ædificavit.

*dein novum a S. Sigismundo R. fundatum,*

*an 515*

*vel 516*

4 *Auspicatus est fortassis monasterii fabricam patre adhuc superstite, eoque jam extructo perfecit. Ipsius S. Sigismundi Vita, suffectum patri dein opus illud aggressum memorat*: Defuncto, *inquit,* genitore suo Gundebado, licet incredula circa fidem Christi omnis gens Burgundionum, una cum paucis Romanis, qui cum ipsis Gallis, eorum morsibus laniati, durabant contempti, excellentissimum virum Sigismundum sibi Regem elegerunt. *Et nonnullis interjectis*: Dum multa loca Sanctorum perlustrans pervenisset in eum locum, quod Agaunum vocatur, ubi S. Mauritius C cum suis commilitonibus pro amore Domini nostri Jesu Christi martyrii palmam accipere meruit; tam de itinere quam et de jejuniis fessus, petiit qualiter ipsis pretiosis Sanctis deservire deberet, pro quo se eorum agminibus potuisset sociare. Tunc non aliter, nisi Dei nutu, ut credimus, Angelo nuntiante ipsi nuntiatum fuisset, ut ad instar cœlestis militiæ psallendi chorus instituere deberet. Quo divinitus accepto consilio, sanctos atque apostolicos viros Episcopos consuluit, utrum salubriter an non cogitaret. Qua interrogatione sancti Antistites inter se ventilata, licet inusitatum opus videretur, tamen Domino annuente unanimiter consenserunt.

*ex sincera pietate,*

5 *In historia Abbatum Agaunensium, ab S. Achivi tertii Abbatis discipulo conscripta, quid potissimum a sancto Rege institutum, et cujus consilio, narratur in hunc modum*: Cum Sigismundus Gundebadi Regis filius, jam honore patriciatus accinctus, Arrianæ pravitatis abjecisset perfidiam, et fidem Catholici dogmatis consecutus, animum suum erga religionis studia intentissime commendabat. Eo tempore Maximus Genavensis urbis Antistes, omni sanctitate et puritate conspicuus, cunctæque industriæ strenuitate egregius, apud quem prædicatio Divini sermonis D vehementer pollebat, ad hanc devotionem Sigismundi præcordia incitavit ut de loco illo, quem pretiosa morte Thebæi Martyres, et effusione sanguinis inclyti felicibus maculis, rosea varietate ornaverant promiscui vulgi commixta habitatio tolleretur; et illi cui splendor vitæ per passionis atrocitatem fuerat adquisitus, nitor habitantium remearet: exclusisque actionibus tenebrarum, dies perpetuus haberetur: ita fore, ut hisdem patrocinantibus, et regno et regni integritate tutissime potiretur....... Igitur habito consilio, quod universitati, Dei instinctu, complacuit, visum est ut omnes mulieres de loco eodem tollerentur; et remotis familiis secularibus, Dei inibi, hoc est monachorum, familia locaretur, qui die noctuque cœlestia imitantes, cantionibus Divinis insisterent pertractandis.

*consilio S. Maximi Ep. Genevensis,*

AUCTORE G. H.

*exclusis inde secularibus, præsertim fœminis.*

6 *Fredegarius in historia epitomata cap.* 34 *ita de Sigismundo scribit*: Filium suum Sighiricum novercæ insidiis jussit interfici. Unde postea fortem pœnitentiam agens, monasterium Sanctorum Agaunensium miri operis construxit, et alia plura monasteria ædificavit. *At Christi anno* IↃXV *et sequenti illud condidit; filium vero, ut idem Marius Fredegario centum annis antiquior, scribit,* Symmacho et Boetio *Coss. sive* IↃXXII *occidit. Perfecit tamen fortassis post filii cædem, quod Agaunensi cœnobio deerat ad ornatum, ac* E *disciplinam quoque. Ita Gregorius Turon. lib.* 3 *cap.* 5. Ad Sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu et jejuniis durans, veniam precabatur, psallentium ibi assiduum instituens. *Neque enim solum* domus et basilicæ *Agauni* ædificatæ *a Sigismundo, sed et* promiscui vulgi commixta habitatio sublata, et omnes mulieres, et familiæ seculares, de loco eodem remotæ: *ac deinde* psallentium chori instituti. *Ut non facile sit statuere, quale antea illic monasterium fuerit; si* mulieres ac seculares familiæ, vulgusque promiscuum commixtam habitationem *cum Sacerdotibus sacrique loci custodibus habebant. Fas sit fortasse suspicari, monasterium non ita stricte sumi pro domicilio monachalis vitæ exercitatoribus destinato, sed, ut alibi sæpe, pro templo Deoque aut Sanctorum cultui dicato loco: Abbatem vocari* Severinum, *qui locum illum rexerit, ac plures etiam forsan Sacerdotes ac Clericos sibi subjectos habuerit: nisi hic existimetur alio ex monasterio illuc cum paucis monachis venisse, atque cum secularibus degentes, promovisse quidem sanctorum Martyrum venerationem et convenarum pietatem; numquam tamen ad perfecti cœnobii normam perducere rem valuisse. Certe qui duo eum ad Castrum Nantonis secuti sunt,* F *eorum alterum* monachum nostrum *appellant. Nisi illud evenerit Agaunensibus, ut post decessum S. Severini, inde ceteri monachi defluxerint, omnisque conciderit pristinæ disciplinæ tenor, nemine vel ipsa sarta tecta cœnobii curante, sub hæretico Rege Gondebaldo.*

*an in expiationem necis filii?*

*Quale prius S. Severini monasterium?*

*an vere a monachis habitatum?*

7 *Utcumque se res habuerit, certum est errare Trithemium, qui inter viros illustres Ordinis Benedictini Severinum recenset lib. 3 cap.* 257, *hoc eum ornans elogio*: Severinus monachus et Abbas Agaunensis, vir sanctus et infinitis miraculis clarus, sicut in gestis ejus diffuse scriptis invenitur, magnum fructum in monasticis disciplinis exhibuit. *At Faustum Presbyterum Severinus ipse sibi serviisse asserit, Agauni, ut reor, per annos* XXX. *Cœperat igitur ante ei famulari, quam nasceretur S. Benedictus. Trithemium secuti Wion et Dorganius in Kalendario. Errorem perspexit et vitavit Menardus.*

*saltem non Benedictinis:*

8 *Quid, quod ne ii quidem monachi, quos Agauni constituit Sigismundus, instituta Benedictina capessivere?* S. Hymnemodus *primus illic Abbas fuit, ex Grevencensi cœnobio evocatus, ac* S. Achivum cum aliquantis Fratribus *secum inde duxit. Illud autem forsan videatur cœnobium esse quod* 1 *Januarii in Vita S. Clari* cap.

*ne secundum quidem:*

*AC T. BL. G. H.*

A *cap. 2 num.* 3 Grinianense, *sive* Grinincense, et Griniacense *appellatur. Porro de Agaunensis monasterii institutis librum scripsit Vitæ S. Eugendi auctor anonymus, monachus Agaunensis. Ita enim habet cap.* 15 *num.* 27, 1 *Januarii :* His interim fidei fervorisque vestri sitim, o sanctissimi, exatiatis tantisper desideriis, reficite Fratres. At si animos vestros, spreta dudum philosophia, rusticana quoque garrulitas exatiare non quiverit ; instituta quoque quæ de formatione monasterii nostri Augaunensis cœnobii, S. Marino Presbytero, insulæ Lirinensis Abbate, compellente, digessimus, desideria vestra tam pro institutionis insignibus, quam pro jubentis auctoritate, Christo opitulante, luculenter explebunt. *Quem librum, ipsummet arbitror esse primorum Agaunensis cœnobii Abbatum historiam.*

*de cujus institutione liber*

9 *Ætatem suam indicat hujus historiæ scriptor, dum voluisse, ait S.* Hymnemodum, *quando Agaunum evocabatur, ut S.* Achivus *in Grerenceusis monasterii regimen sibi succederet : quod cum ille recusaret, annuisse ut secum Agaunum veniret. Hymnemodo autem ait successisse S.* Ambrosium, *qui prius Abbas Insulæ-barbaræ apud Lugdunum extiterat; additque :* Omnia bona temporibus ejus et monasterio Agaunensi et regno et regioni largitio Divina concessit. *Unde conjicere est, ante S. Sigismundi eadem obiisse. Ei demum suf-* B *fectus est* Achivus ; *de quo seque ipso ita idem loquitur auctor :* Cujus vitam sanctissimam commemorare lacrymis pene piis impedior : sed inter caros gemitus quantum valeo explicare curabo. *Unde ut videatur ille sub filiis Clodovæi scripsisse.*

*ob illius ætatis auctore scriptus.*

10 *Qui porro canon ejus cœnobii fuerit, et a quibus constitutus, idem ita explicat :* Psallendi interim vel subsistendi Regula instituta S. Hymnemodo a cœtu Episcoporum, qui illic ad constituendum monasterium venerant, traditur. Nec multum post ad Christum de hac luce migravit. *Non ergo S. Benedicti sancita illic Regula est, quæ fortassis scripta necdum erat. Ita autem Agaunensium viguit disciplina, ac præsertim psalmodia, ut aliis monasteriis in exemplum proponeretur. Auctor gestorum Dagoberti apud Chesnæum tom.* 1 *Francicor. de monachis S. Dionysii juxta Lutetiam, qui nunc sunt Benedictini, sic loquitur : Rex* eos turmatim ad instar monasterii Agaunensium, sive S. Martini Turonis, psallere instituit. *Quod tamen institutum mox Dionysiani omisere, ut Fredegarius in Chronico cap.* 79 *testatur :* Psallentium ibidem, *inquit,* ad instar monasterii Sanctorum Agaunensium instituere jusserat *Dagobertus* ; sed facilitas Abbatis Aigulphi eamdem institutionem noscitur refragasse.

*Regula ibi ab Episcopis præscripta :*

*aliis ad imitandum proposita.*

C
## § II. *S. Severini ætas, vitæ historia, memoria in Martyrologiis.*

11 Hæc de Agauno *dicta, ubi vitam sanctissimam egit* Severinus *ab ante annum, ut videtur,* CCCCLXXVI *ad exitum* IↃX, *sive monachis ibi præfectus, sive cum Sacerdotibus aliis, promiscuæ multitudini isthic degenti, et aliis undique ad veneranda Martyrum Thebæorum lipsana adventantibus, sacra mysteria ac salubria monita impertiens. Hinc Parisios a Clodovæo evocatus, peregre obiit. Qua in re cavere voluisse Numen videtur, ne vel penitus in oblivionem ejus jam mortui decora ultimis Gundebaldi hæretici Regis temporibus devenirent, vel saltem Thebæorum claritas ejus virtutum et miraculorum splendori quoquo modo officeret : uti sanctorum Abbatum Hymnemodi, Ambrosii, Achivi et aliorum obscurata memoria est.*

*S. Severinus peregre obiit,*

12 *Dum ergo Parisiis, curato precibus Clodovæo, revertitur,* pervenit ad montem quem Castrum Nantonis vocant, *uti cap. 3 num.* 15 *dicitur ; sive, ut suis cap.* 1 *numer.* 8 *prædixerat,* in locum in eadem Burgundia, montis vertice sublimatum, in quo situm fuerat quondam oppidum, quod Castrum Nantonis D dicebatur. *Reædificatum postea oppidum est in eodem monte, Gallice* Chasteau-Landon *nunc dictum, in Vastinensi ditione, vulgo* Gastinois. *Vetus oppidum latius videtur patuisse ; nam extra mœnia in latere montis versus Austrum vergente, fundamenta antiquorum ædificiorum aliaque monumenta eruuntur, et vineæ illic per semitas vel plateas discretæ sunt, vetustis etiamnum insignitas nominibus. Imam oppidi pars* Fucini *aquis, exigui amnis, alluitur. An S. Severini ævo is locus ad Burgundiæ regnum pertinuerit, uti in citatis antea verbis asseritur ; an Vitæ interpolator aliam Galliæ divisionem, posterius factam, secutus, id de suo adjecerit, haud temere definierim.*

*in Castro Nantonis,*

*(ubi olim urbs fuerat, et nunc est)*

13 *Eo igitur in loco obiit* S. Severinus *anno* XXVII *Clodovæi ; Christi* IↃVI *ineunte. Capessivit enim regnum Clodovæus, ut alibi ostendimus, sub exitum anni* CCCCLXXIX, *ut primus ejus annus censeatur Christi* CCCCLXXX. *Ergo* XXV *quo dicitur correptus febri, quæ ad biennium tenuit, erat Christi* IↃVI. *Ad eum curandum accersitus S. Severinus sub finem anni* IↃV, *initio* IↃVI, III *Id. Februarii decessit. Degebant tunc in eo monte* Paschasius et Ursicinus *Presbyteri : quos Guilielmus Morinus historiæ Gastinensis lib. 2 cap. 2 scribit Ferrariensis cœnobii monachos fuisse, atque illic ita anachoreticam vitam coluisse, ut interea Curionum vice accolis administrarent Sacramenta.*

*11 Febr. 506.*

E 14 *Citat Morinus S. Severini Vitam, quæ in Ferrariensi tabulario extat. Nam quæ in manibus est, id non memorat. Scripsit* de Severini vita et actibus libellum Faustus Presbyter, *ejus* discipulus. *Anonymus quidam,* Magno *jubente, sive* Magnone, *Antistite Senonensi,* ejusdem historiæ textum aliquanto clariore, *ut ipse ait,* propagavit sermone, *seculi 9 principio. Tunc enim vixisse* Magnum *patet ex tomo 2 Conciliorum Galliæ, ubi* Formatæ litteræ *extant* Ebroini *Archiepiscopi Bituricensis ad eum datæ,* anno X imperii Caroli, XLIII regni, Indict. IV, *qui erat annus Christi* IↃCCCX. *Extant et Ludovici Pii Imp. ad eumdem* Magnum *litteræ post Synodum Aquisgranensem anno* IↃCCCXVI *datæ. Eam Vitam Surius edidit, sed* in compendium redactam. *Nos primigeniam exhibemus ex MS. duplici, altero Andreæ Chesnæi optimi et doctissimi viri, nostro altero : sed in hoc deerat prologus, in illo epilogus.*

*Vita ejus tum scripta,*

*seculo 9 interpolata :*

*unde hic edita?*

15 *Sepultus* S. Severinus *in ligneo oratorio, quod in monte Castri-Nantonis habebant dicti Presbyteri, plurimis cœpit fulgere miraculis : quare et ejus nomen, ut Vitæ scriptor ait,* debitis frequentatum est laudibus. *Inscriptum est et Martyrologiis pene omnibus. Usuardus ita habet :* Eodem die castro Nantonensi, F S. Severini Abbatis monasterii Agaunensis : cujus precibus cultor Dei Rex Clodovæus a diutina infirmitate sua liberatus est. *Ita et Roman. Martyrol. Bellinus de Padua, Maurolycus, ac MSS. plurimi : at mutata phrasi Galesinius aliique. In quibusdam exemplaribus pro* Castro Nantonensi *est* Nantonense, Nathoniense, Nadonense, Navoniense, Naconis, Nannetense : *pro* Agaunensi *monasterio,* Acaunense, Aganense, Athamense, Auganense. *MS. Centulense Bedæ nomine insignitum, ita habet :* In pago Vastinensi, castro Mandonis, S. Severini Abbatis monasterii Agaunensis ; cujus precibus *etc. Antiquum Martyrologium monasterii S. Laurentii Bituricensis, a Philippo Labbeo nostro editum, brevissime ita Severini meminit :* Eodem die Castro Nantonense S. Severini Abbatis. *MS. Carmeli Coloniensis :* Castro Nantonense, Dompni Serennii Abbatis monasterii Agaunensis. *MS. Floriarum :* Eodem die, Castro Nanthoniensi, S. Severini Abbatis monasterii Agannonensis. Obiit anno salutis IↃXV. *MS. Kalendarium SS. Ordinis S. Benedicti in monasterio S. Salvatoris Ord. Cisterciensis Antverpiæ :* Eodem die S. Severini Abbatis Augiensis.

*nomen inscriptum Martyrologiis,*

*locorum vocabulis varie et vitiose expressis.*

A sis. *Ejusdem meminit Canisius in Martyrol. Germanico, in Gallicano Saussaius.*

*ejus apud scriptores mentio:*

16 *Extat Vita S. Severini, sed breviata, in secunda parte Legendæ excusa Lovanii anno* CIƆCCCCLXXXV. *De eodem scripsere, Bellovacensis lib.* 21 *cap.* 21, *Petrus Equilinus lib.* 3 *c.* 115, *S. Antoninus par.* 2 *tit.* 11 *cap.* 19 § 4, *atque in Vitis SS. Cornelius Grusius, Franciscus Haræus, Heribertus Rosweydus, Guilielmus Gazeus, Renatus Benedictus, Jacobus Doubletius, Henricus Murerus in Helvetia sancta. Meminit ejus et Demochares de sacrificio Missæ tom.* 2 *cap.* 19 *in Nivernensium Epp. catalogo. Baronius tom.* 6 *Annal. ad an.* 508 *num.* 35 *et* 36. *Claudius Robertus in Gallia Christiana, Franciscus Guillimannus de reb. Helvet. lib.* 1 *cap.* 15. *Aimoinus historiæ Francor. lib.* 4 *cap.* 24.

*commemoratio 17 Feb.*

17 XVII *Februarii* S. Severinum in Gallia Abbatem *commemorat Galesinius, ex eoque Arnoldus Wion et Benedictus Dorganius : nec indicant, qui sit, quidve egerit; ut suspicemur hunc ipsum esse.*

## § III. *Ad S. Severini tumulum monasterium Canonicorum Regularium. Ejus Reliquiæ ornatæ, variis casibus Servatæ.*

B *supra est S. Severini sepulchrum condita ecclesia*

C*rebrescentibus ad* S. Severini *tumulum miraculis, pro ligneo oratorio ampla ædificata basilica est, Childeberti Regis auctoritate ac sumptu. Ita in nostro MS ad calcem Vitæ S. Severini, quod in Chesnæi codice deerat, num.* 18 *narratur : uti et apud Surium, sed alia phrasi. Si, quod in Vita dicitur, in regno Burgundiæ erat Castrum Nantonis, non videtur hanc basilicam extrui curasse Childebertus ante annum* IƆXXXIV. *Nam eo primum anno,* Paulino juniore Coss. Indict. XII, *ut habet in Chronico Marius Ep.* Reges Francorum Childebertus, Chlotarius et Theudebertus Burgundiam obtinuerunt, et fugato Godomaro Rege, regnum ipsius diviserunt.

*non a Sigisberto Austrasio :*

19 *Suppostitium enim esse convincitur, quod Morinus ex tabulario monasterii sui Ferrariensis citat diploma* Sigisberti Regis Metensis, filii Chlodovæi, anno IƆXLV datum ; *a quo Rege tunc constructum ædem S. Severino dotatumque reditibus scribit. At nullus Clodovæi filius fuit nomine Sigisbertus : qui tunc Metis regni sedem habebat, Theudebertus erat, Theodorici filius, Clodovæi nepos; nec ad ejus videtur regnum pertinuisse ditio Vastinensis, ubi Castrum-Nantonis est, sed (saltem post Clodomiri Regis Aurelianensis mortem) ad Childebertum Regem Parisiorum.*

20 *Circum eam ædem, Divique mausoleum, frequens adeo coaluit oppidum, ut in quatuor distribui parœcias debuerit. Harum primaria in ipsa S. Severini*

C *abbatia basilicam habet, quam diximus, vetusti operis, in summo monte sitam, loco salubri et commodo. Illic a*

*administratam a Canonicis,*

*principio Sacerdotes habitasse, sive Canonicos seculares, tradit Morinus, usque Decanum aut Abbatem præfuisse : qualem fere conjectavimus supra Aganum fuisse, S. Severini ætate. Demum anno* CIƆCL *tradit idem scriptor*

*qui an.* 1150 *Regulares facti, Papa probante :*

*Garnerium Abbatem coram Senonensi Archiepiscopo solenniter professum, se cum suis juxta apostolica instituta victurum, perfecteque Regulam Apostolorum et S. Augustini observaturum : ac deinde ab Adriano* IV *(qui a fine anni* CIƆCLIV *ad Kal. Septemb. anni* CIƆCLIX, *sedit) confirmationem impetrasse et disciplinæ, quam diximus, introductæ, et donationis ei factæ ab Ludovico* VII *Rege Ecclesiarum S. Ugnali et aliarum. Ecclesiam S. Severini ait idem scriptor (sive tunc veteri*

*ecclesia denuo consecrata a S. Thoma Cantuar. destructa a Saxonibus,*

*collapsa nova erat reædificata, sive ita restaurata ampliataque ut consecratione nova egeret) a S. Thoma Cantuariensi dedicatam. Id fortassis anno* CIƆCLXV *contigit, quando is Senones venit.*

21 *Bis deinde destructam eam esse ædem scribit; primum per Saxones : sed qui illi fuerint, quo duce, quave occasione ac tempore eo penetrarint, non indicat.*

D *auctore J. B. deleta ab Anglis :*

*Per Anglos deinde seculo* XV *captum incensumque oppidum tradit, et, quod illi ne fieret caverant, absumptum eodem incendio fuisse monasterium ac templum. Utrumque Jacobus d'Aubusson Abbas refecit,* vita nobilis ac genere, *ut in ejus epitaphio dicitur : et majus aliud addidit decus.*

*reædificata : addita Windesemensis reformatio per Mauburnum.*

*Nam præclaram disciplinæ religiosæ formam induxit, accersitis e Windesemensi in Gueldria cœnobio ex probatæ vitæ religiosis; quorum præcipuus erat Joannes Mauburnus, sive Momburnus Bruxellensis, eruditione ac sanctimonia clarus, ut ex* Roseto et Venatorio *ab eo editis perspicere est : is primus illic Prior fuit, dein Liviacensis Abbas. Qui e veteribus Canonicis strictiorem illam aspernati disciplinam, singulis certi census anno* CIƆCCCCLXXXI, *quoad viverent, attributi. Sed ad Severinum revertamur.*

*capsa reliquiis S. Severini fabricata a S. Eligio,*

22 *Ejus corpus argenteæ thecæ a S. Eligio affabre elaboratæ inclusum fuit. Ita S. Audoenus in Vita S. Eligii lib.* 1 *cap.* 32. Hic idem vir beatus inter cetera bonorum operum insignia, multa Sanctorum auro argentoque et gemmis fabricavit sepulchra, id est, Germani Parisiensis Episcopi, Severini Abbatis Agaunensis, Piatonis Presbyteri et Martyris *etc. Eam Morinus ait a Saxonibus, occupato, ut dictum est, oppido, direptam; sed sacras exuvias provide antea exemptas, servatas esse.*

*direpta :*

*alia,*

23 *Nova deinde facta est capsa. Nam quo tempore Angli oppidum incendere, templo ardente, religiosus quidam forti animo in medias flammas irrupit, apprehensamque capsam S. Severini ad summum muri cujusdam portavit, ac sociis eam inde demisit; ipse mox igne fu-*

E *servata in 2 direptione, portento prænuntiata,*

*moque suffocatus interiit. Portenderat eam monasterii oppidique cladem Crucifixus, paullo ante per dies plures Lacrymatus; uti traditum litteris post* XL *annos ab religioso Windesemensi, isthuc, ut ante scriptum, adducto, qui se asserit ab oculatis testibus accepisse. Visitavit eas S. Severini Reliquias Tristandus Senonensis Archiepiscopus anno* CIƆIƆV, *quique eas religiose venerarentur sacris S. Severino diebus, et ut Indulgentias quasdam participarent, sanxit.*

24 *Quo tempore illius cœnobii Abbas Commendatarius, ut vocant,* Joannes a Monasterio *erat, profanus homo ac hæreticus; Principis Condæi milites anno* CIƆIƆLXVIII *Castrum Nantonis occuparunt, duosque religiosos, ceteris fuga tempestive dilapsis, atrocibus tormentis interemerunt, ac supellectilem omnem sacram, decem millibus aureorum æstimatam, avexerunt. S. Severini theca ac reliquiæ abditæ erant. Quid iis alioquin fuerint facturi, argumenta sunt* S. Ugnali *lipsana ab iis summo furore concremata, osse excepto, quod civis quidam subduxit.*

*capta a Condæanis oppido, servata, aliis SS reliquiis crematis :*

25 *Ægre tulerunt scelerati homines, capsam S. Severini rapinæ suæ subtractam. Nocturno igitur latrocinio prædones quidam, quorum principali erant Eques Boulayus, ac Tonellus, tres religiosos ceperunt, Stampasque abductos, quæstioni subjecerunt. Quos socii miserati, lytro* CIƆC *librarum redemerunt; coacti in eam rem argentum, quo operta capsa erat, distrahere.*

F *ejus argentum necessitate distractum*

26 *Priusquam Condæanus exercitus cœnobium expilaret, iidem prædones templum intrarunt, et, quia detecti fuere, non nisi brachium S. Severini, thecæ argenteæ inclusum, celeriter auferre potuerunt. Cum in saltum Bierrensem venissent, argento contenti, reliquias cum epigraphe excusserunt. Conspicati id eminus opiliones ac subulci, reverenter accessere. Sed quia magnum a sacro brachio lumen absistebat, ad propinqui pagi Pastorem adeunt. Is cognito ex epigraphe, illud os esse S. Severini, magna Catholicæ plebis multitudine excita, id Castrum-Nantonis reportavit. Obviam processere cives Nemursiani, et sacrum pignus ad suam usque basilicam comitati sunt, die* XVI *Octobris* CIƆIƆLXI. *Ista ex Actis publicis deprompta a Morino sunt, qui de oppido ipso plura memorat.*

*antea sublatum brachium, abjectum,*

*lumine et epigraphe agnitum, pie Castrum Landonis relatum.*

VITA

AUCTORE ANONYMO, EX MSS ANIMADV. PAP. 84

# VITA AUCTORE ANONYMO

## ex duobus veteribus MSS.

### PROLOGUS.

*Scripta a Fausto,* *fideliter hic expolita,*

A a Sacram sane libelli seriem, quam Faustus Presbyter discipulus S. Severini Abbatis de ejus vita vel actibus post ipsius ediderat obitum, transcribentes, jubente etiam venerabili viro *b* Magno meritis et nomine urbis Senonicæ Antistite, vitia scriptoris corrigere curantes, commodum duximus, secundum ingenioli nostri capacitatem, ejusdem historiæ textum aliquanto clariore propagare sermone; et licet verba non ipsa, sensum tamen et ordinem ejusdem lectionis funditus exequendo, nec etiam diversum aliquid huic textui inserendo, nisi quod a præfato, Presbytero eidem agnovimus historiæ insertum, quod etiam facile lectoris poterit comperire solertia. Siquidem hujus sanctissimi viri gesta non parvi nobis pendenda, nec improbanda, sed omni sunt mentis dulcedine complectenda: cujus sanctitas claris huic vitæ præsenti radiavit virtutibus; cujus etiam anima modo cum Christo regnat sociata Sanctorum agminibus. Nam fuit vir iste jugiter humilis habitu, affabilis alloquio, venerabilis moribus, sedulus in orationibus, pius affectu, bonitate laudabilis, pietate B amabilis. Adhuc terris degens, Deo per omnia spirituali amore conjunctus, multos ad eum piæ conversationis provocavit exemplo: gaudens utique se lucratorem fore animarum, ut cum extremus hujus orbis occurrerit terminus, votis compos cum ipsis lætetur in cœlesti beatitudine, et in æterna Sanctorum gloria: in qua nos, intervenientibus meritis, utinam participes quantulæcumque portionis esse mereamur, cum corpore simul et anima, quando justi in terra sua duplicia possidebunt in die adventus Domini nostri Jesu Christi, cum venerit in majestate sua, et gloria sanctorum Angelorum judicare seculum per ignem, ut reddat unicuique secundum opera ejus, justis videlicet gloriam et honorem, et lætitiam sempiternam, impiis vero et sceleratis contumeliam et terrorem et debita pœnarum supplicia recompensans justus judex, id est, Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus immensus et æternus ante omnia et in cuncta et per infinita secula seculorum, Amen.

*Vita S. Severini viri sanctissimi, et zelosi*

*a Deerat hic in nostro codice: in Chesnei extabat. — b Vixit hic sub Carolo Magno et Ludovico Pio, ut § 2 dictum.*

## CAPUT I.

### *S. Severini ex Agaun. cœnobio in Franc. iter.*

*S. Severinus fit Abbas Agaunensis, ex merito:*

C Sanctus itaque Severinus, religiosus Dei cultor, clara de stirpe progenitus, nobiliter in sacra Scriptura piæ Matris Ecclesiæ nutriebatur a juventute sua: donec crescentibus annis ad hoc usque perductus est, ut in sacro sancto *a* Agaunensium monasterio, ubi *b* S. Mauritius, præclarus Christi Martyr, corpore quiescit, Abbas dignis favoribus eligeretur. Nec immerito quidem nobilissimo gregi tam aptissimus ordinandus erat Pater, qui videlicet illic bonis plures irradiaret exemplis. Iste namque vir Domini recte vivendo, pietate insignis omnibus habebatur, et eum cuncti qui agnoverunt dignis laudabiliter frequentabant rumoribus. *c*

*innotescit Clodoveo:*

3 Denique factum est, ut, dum hujus sancti Patris fama longe lateque per universam spargeretur provinciam, pervenit velocius ad Regem Clodoveum in Parisius civitate, qui tunc temporis gravi febrium languore tenebatur astrictus. Ei quoque protinus a domesticis persuasum est, ut hunc Dei Sacerdotem ad se venire cum omni humilitate deposceret, quatenus per ejus orationes sanari a Domino mereretur. Quod et factum esse, sicut legentibus sequens lectionis ordo demonstrat, manifestum est. D Cum igitur Rex Francorum Clodoveus apicem regni sui jam per annos *d* viginti quinque Parisius urbe nobiliter gubernaret, subito dolore febrium, sicut superius intimavimus, correptus, graviter desudare cœpit. Typo videlicet frigoris duobus annis *e* imminente continuis cruciatibus affligebatur: ita prorsus, ut a nullo provinciæ illius medicorum, corporis adipisci valeret sanitatem. Nam et a ministris propter metum populorum cubiculo reclusus custodiebatur: Divina procul dubio hoc totum dispensatione agente, ut dum pro illius incolumitate restauranda vir Domini Severinus de loco quietis suæ promoveri cogeretur, multis insuper illas deveniens in partes, proficeret ad salutem, sicut in sequentibus demonstratur.

*a quo jam 2 annos ægrotante,*

*consilio Tranquillini medici,*

4 Interea medicus quidam, nomine Tranquillinus, de domo ejusdem Regis, vir quidem *f* industrius et artis medicæ officio peritus, Regem adiens, ita ei locutus est: Domine mi Rex, vides quia infirmitas tua hæc quotidie magis ac magis perdurat; et quia nullus nostrum in aliquo nostræ artis medicamento tibi prodesse ullo modo potest. Prudenti ergo secundum prudentiam tuam utere consilio: grandis enim instat necessitas. Est sane in sacrosancto Agaunensium monasterio, ubi pretiosus Christi Martyr Mauritius requiescit, Abbas et Sacerdos, vir quidam moribus et vita laudabilis, Severinus nomine, qui ab E ejus loci incolis multis signorum titulis insignis habetur. Multi revera ibidem male habentes veniunt, et variis languoribus oppressi, etiam et a dæmonio vexati, ejusdem sancti viri Severini precibus sæpius *g* ad pristinam redintegrantur sospitatem: est profecto magna loci illius tutela. Porro si hunc ad te venire rogaveris, forsitan clemens Deus per ipsius administrationem tuæ subveniet infirmitati.

*per Transvarium Cubicularium, viatico et munitis instructum,*

5 Tunc Rex hujusmodi consilio assensum præbens, cubicularium suum, nomine Transvarium, festinanter pecuniam de thesauro suo, et sumptus itineris *h* necessarios accipere jubet, et cum summa festinatione ad locum præfati monasterii accedere, cui in illis diebus Severinus, sicut jam supra dictum est, Abbas præerat. Et cum accesseris, inquit, ad locum, ad pedes Sancti provolutus humili devotione persiste, donec legationem, quam perferre debes, notam illi facias; eum scilicet obnixe deprecans, ut ad nos usque festinanter venire non incommodum ducat, quia valde infirmatus ejus peto auxilium, scilicet per eum sanitati me pristinæ reddendum arbitrans. At ipse Transvarius hac legatione accepta, cum omni celeritate iter suum agere satagebat, cupiens nimirum Domini sui præceptum animo perficere libenti. F Cum itaque ad locum supra nominatum absque ulla venisset dilatione, monasterium monachorum ingressus, Abbatem eorum, et ejus habitationis secretum, a ministris sciscitabatur, quoadusque ad pedes ejus humiliter se prostravit, dicens: Ave Domine Pater. At ille subjungens; Et tu, inquit, vale, fili. Moxque puer Transvarius Regis petitionem hoc modo edicere cœpit: Dominus meus, tuæque æternæ prosperitatis devotus amator Clodoveus Rex, salutat te verbis pacificis, tuam diligentius postulans almitatem, ut ad eum visitandi gratia venias. Et hoc tibi onerosum ne forte videatur, scias eum continua corporis ægritudine dissolutum, duobus annis lecto decumbere, qui etiam a nullo penitus medicorum remedium inveniens, omnino tuum sibi adventum ad salutem fore credit proficuum, confidens se absque dubio tuis sanctis orationibus cito posse sanari.

*rogatur ut ad se curandum veniat:*

*quod spondet, ab Angelo præmonitus:*

6 Tunc beatus Pater Severinus, deprecationem Regis per hunc puerum sibi oblatam patienter auscultans, promisit se ad eum velocius venturum: memor

A mor utique visionis, quæ sibi a Domino per Angelum prius ostensa cœlitus fuerat, qua præsciebat se inde ad locum alium migraturum, illicque moriturum atque sepeliendum. Convocatis igitur cunctis Fratribus, qui erant in cœnobio B. Mauricii Martyris sub ejus regimine constituti, omnibus *i* uno tenore audientibus, paterno, ac clementissimo compunctus amore, petitionem Regis indicans, ita lacrymabili voce alloquebatur: Modo enim, Fratres mei dilectissimi, a vobis corporali præsentia discessurus, munimen et gratiam benedictionis vestræ deposco, commendans me tutis orationum vestrarum subsidiis: et vos deprecor coram Deo et Sancto Patrono nostro beato Martyre Mauricio, ut fides, spesque et caritas, sicut hactenus, firmæ et inviolatæ manserunt apud vos, sic permaneant in visceribus vestris. Confidete in Deum, et protectione S. Mauricii roborati, viriliter agite, et confortamini in gratia Dei, quæ est in Christo Jesu salvatore nostro.

*i* — *suis se commendat,*

7 Hic et aliis verbis hujusmodi Salutaribus eos monens, addidit etiam, Scitote, inquiens, viri Patres, et Fratres, quia me jam amodo amplius viventem non videbitis in carne, donec veniat dies judicii magnus valde et metuendus, cum ante tribunal Christi omnes aggregemur. Nam et mihi hoc demonstratum in visu noctis per Angelum Domini, et jam omnis B proventus rei futuræ patefactus est. Siquidem, sicut in ipsa didici visione, est in hac Burgundia locus, montis vertice sublimatus, in quo situm fuerat quondam oppidum, quod *k* Castrum Nantonis dicebatur, ubi me non post multum temporis oportet novissimum hujus lucis concludere finem, ibidemque corpusculum meum a duobus Presbyteris Paschasio videlicet et Ursicino sepelietur. Modo denique Angelico taliter monitus præsagio, scio me hanc Regis petitionem nullatenus refutare posse, nisi ut vadam sicut poscit. Profecto etenim liquet, quia in proximo extremus vitæ meæ dies instat. Sufficit etiam mihi, si ad locum usque citius pervenire potero, qui est corpusculi mei sepulturæ prædestinatus.

*prædicitque ex Angelica revelatione, se non rediturum,*

*k* — *sed in Castro-Nantonis moriturum, et brevi quidem:*

8 Quo audito, omnes Fratres stupore magno deprehensi flere amarissime cœperunt, dicentes: Abba Pater, ne derelinquas nos vivens, neque deseras gregem tibi a Domino commissum. Ne patiaris, inquiunt, a te separari oviculas, quas paterno fovisti nunc usque devotus affectu. *l* Audi, quæsumus, preces nostras, et ne recedas a nobis. O quantus eorum erga ejus præsentiam accensus erat amor, et quam immensus in excessu ejusdem Patris dolor eis inerat! Tam eorum perturbabat affectum nimius C mœror, dolebant quippe nimium, suum jam ad eos ultra non reversurum Pastorem. Tunc beatus Pater Severinus, cum videret eos flentes, dixit: Nolite, Fratres mei, nolite in hoc contristari: omnia enim quæcumque vult Dominus facit in cœlo et in terra. Et hoc dicto necessaria itineris sui præparare jubet, ac deinde eos blandis consolabatur verbis. Paterna quoque illis valedicens benedictione, exivit ab eis graviter lugentibus.

*mœstos solatur,*

*l*

*iisque benedicit.*

D

AUCTORE ANONYMO, EX MSS

## CAPUT II.

### *S. Severini miracula Niverni et Parisiis.*

Protinus de loco secedens carpebat cœptum itineris callem: cumque jam spatio itineris majori ex parte lustrato *a* Nivernum civitatem pervenisset, vir sanctus orandi gratia ecclesiam Dei divertens intravit: et ibi cum orasset, custodes ecclesiæ, velut ignarus, statim interrogat, Ubi est, inquiens, Pontifex vester, Fratres? Custodes vero respondentes dixerunt: Pontifex vel Episcopus noster *b* Eulalius jam ab anno priore peste percussus gravissima, est mutus et surdus, grabatoque pene ad mortem jacet *c* fessus: et secundus jam inceptus annus est, ex quo nec altario sacrificavit, nec populum ex more benedixit, nec prorsus, quod gravius est, de stratu suo surgere valuit, sed sæpissime a ministris magis mortuus æstimatur quam vivens. Quibus ipse vir Domini pio compassus affectu, dicebat: Num intrare ad eum visitandi caussa potero, ut saltem illi verba salutis referam pauca? At illi continuo, Veni, inquiunt, Domine Pater, et ad eum statim, ut velis, ingredere. Itaque reverentissimus Dei servus Severinus cubiculum Pontificis ingressus, pervenit festinus in quo jacebat Episcopus Eulalius, anno integro linguæ et aurium E privatus officio. Cumque in eum esset intuitus, cœpit ejus condolere ægritudini, ac se protinus in orationem dans, Deum studiose deprecabatur pro ejus restauranda incolumitate. Et cum diutissime in terram prostratus orasset, surrexit concitus, conversusque se ad Eulalium, dixit ei: Loquere, quæso, Dei Pontifex mecum. Cui Eulalius Præsul, eatenus mutus et surdus, illico respondens, benedic, inquit, me vir Dei sanctissime, qui ad salutem meam missus a Domino Jesu Christo venisti, ut curares me ab infirmitate mea. Sit etiam nomen Domini in cunctis seculis benedictum, qui per te mei misereri dignatus est.

*a* — *Nivernum divertit:*

*b*

*c*

*invisit Eulalium Ep. surdum et mutum,*

*eumque precibus curat,*

10 Devotus denique famulus Dei Severinus porrigens illi manum allevavit eum, et dixit: Surge, serve Dei, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et te vestimentis tuis indue, gratias agens et congratulans flagellis ejus, qui te ad hoc castigavit ut salvaret, ad hoc flagellavit ut coronaret. Hodie siquidem altario Dei mecum vota ex more persolvens, plebem tibi subjectam benedices. Adhuc autem eo loquente confestim Eulalius Episcopus erigens se a lecto, gratias Deo reddebat, qui per famulum suum Severinum tantam super eum manifestaverat virtutem, ut ab F imminenti mortis periculo ejus precibus eriperetur. Eadem itaque die sanitati redditus, Missas quoque continuo celebrans, populum benedixit. Admirantur universi, qui illic aderant, eum tam subito de infirmitatis convaluisse molestia, grates Deo reddentes debitas pro redintegratione Pastoris eorum. O quam mira Dei clementia, et quam ineffabile ejus pietatis donum! Siquidem iste Præsul verbo debilis et auditu, ita unius horæ articulo integritati restituitur pristinæ, ut nulla penitus in eo languoris fuisse putaretur calamitas.

*ita ut eodem die Missam celebrarit:*

11 Et quidem die illa B. Severinus apud eum moratus est, dignisque Deo pariter laudibus vacabant. In crastinum vero inde proficiscens una cum ministris et Transvario Regis puero, dispositi itineris callem concitus carpebat. Cogebatur quippe caritatis perfusus instinctu ad Regem citius properare. Iter ergo peragentes jam ad urbem Parisius pariter propinquabant. Et cum ingrederentur portam civitatis, viderunt illic sedentem quemdam leprosum misellum valde et desolatum, qui ab introeuntibus pariter et exeuntibus alimoniam petere usus erat. Ad quem mox

*iter accelerat*

a *De Agauno fuse actum* § 1. — b *Colitur* S. Mauritius *cum sociis* 22 *Septemb.* — c *Hæc in Surio ita amplificantur* Fervebat namque in illo Dei amor, animi invicta cerpetiatur patientia, edomandæ carnis ingens studium, et multa cibi potusque parsimonia. Insistebat acriter et strenuo sanctis precibus, sciens scriptum esse, Petite et accipietis. Magna illi aderat animi compunctio qua fiebat, ut esset semper ad cœlestia suspensus, uberrimque lacrymans vota sua Domino ardenter offerret, cum Apostolo cupiens dissolvi, et ruptis corporis vinculis, ad illam beatam patriam proficisci, et esse præsens ad Dominum; id enim multo melius. Sed inter hæc omnibus se præbebat affabilem qui consilii aut solatii capiendi caussa ad ipsum accessissent. Infirmis quoque Fratribus adhibebat paternæ adhortationis fomenta; ita quidem sibi et Deo intentus, ut tamen aliorum salutem nulla ratione negligeret. *Congruunt his quæ infra num.* 18 *ex nostro codice habemus.* — d *Supra ostendimus anno* 504 *ægrotare cœpisse.* — e *MS. Chesnæi habebat*, in mente. — f *MS. nostrum*, illustris. — g *Idem*, reintegrantur sospitati. — h *Deest* necessarios *in nostro codice.* — i *Idem*, unanimiter. — k Chasteau Landon *nunc Gallice appellari supra diximus, esseque in ditione Vastinensi, sive* Gastinois. *Bondonetus vocat* Chasteau-Nanteuil, *non recte.* — l *Deerant hæc, usque* dolebant, *in MS. Chesnæi.*

*S. Severini virtutes in munere Abbatis.*
Joan. 16. 24
Philip. 1. 23

AUCTORE ANONYMO EX MSS.

*Parisiis leprosum sputo illiniens sanat:* d

*tandem fugit:* e

A mox beatus Pater Severinus respiciens, misericordia motus substitit, et ad se eum vocavit, clamans, Quid vis, inquit, tibi dari, fili mi? Et hæc dicens osculatus est eum. Ac deinde *d* sputo manibus suis eum liniens, sub invocatione divinæ majestatis continuo lepra discessit ab eo. Cunctique videntes quod factum fuerat, gloriam Deo dabant, qui ita magnificabatur in Sancto suo. Inde itaque vir Domini Severinus profectus celeriter, humanum vitans favorem, ecclesiam pergit, *e* orationum petens munimina.

*Clodoveum precibus et casula imposita, a febri liberat:* f

12 Cum autem surrexisset ab oratione, aulam Regiam penetrans, locum secretioris cubiculi subiit, et ante lectum Regis, super quam accumbebat ægrotus, protinus substitit, dicens: Vive valens, Rex venerande. A quo humiliter resalutatus, statim coram ejus lectulo se in orationem pectore prostravit compuncto. Oratione vero expleta surrexit, ac se *f* casula exuens super Regem eam imposuit, confestimque dimisit eum febris, et sanus mirifice est effectus, et eadem surgens hora, gratias agebat Deo immensas: et genua flectens venerabatur digne satis Dei virum pium ac religiosum, per cujus adventum sanari, et miram ac tantam Dei clementiam consequi meruerat.

*multos in aula et urbe a variis morbis sanat:*

13 Confortatus est itaque Rex Clodoveus convalescens de ægritudine, et magnificatur in solio regni B sui sicut prius. Porro per aliquod temporis spatium beatus Pater Severinus cum illo manens, multos de domo ejus simul et de Parisiaca plebe, diversis calamitatibus oppressos, ad sanitatem sacris orationibus reformabat: claudis videlicet restituens gressum, mutis loquelam, cæcis lumen, surdis recreabat auditum; immundos quoque spiritus de corporibus pellens obsessis, præclaris virtutum divulgabatur titulis. Rex denique Clodoveus benigno eum poscebat affatu, Obsecro, inquiens, Abba Pater, accipe pecuniam de thesauro nostro quantumcumque volueris, et eam prout libet pauperibus eroga. Rei etiam quicumque in regno meo carcere reclusi pro sua detinentur nequitia, tua indulgentia cuncti relaxentur. *g* Jubente itaque Rege cuncti regno suo panduntur carceres, et innumera eorum multitudo, qui diversis erant cruciatibus afficiendi, et morte debita puniendi, B. Severini adventu lætabundi egredientes, solvuntur ab omni tormentorum genere. O quam amabilis vita, et quam copiosa beati viri merita, ob cujus reverentiam multi eorum liberantur ab horrendo necis tormento! Quam delectabilis ejus et desiderabilis erat adventus! qui revera ad Regem dum properaret, Præsulem Ecclesiæ Nivernensis, deinde Regem eumdem, multorum postea infirmantium agmina in virtute divinæ majestatis ad statum revocabat priorem! C

*in ejus gratiam vincti omnes dimittuntur.*

*S. Eulalius Episc. Nivern.*

a Est Nivernum, sive Neverinum, *urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Senonensi, sed S. Severini ævo Burgundiæ subjecta, ut patet ex Concilio Epaonensi, cui* Tauricianus *Episcopus Nivernensium subscripsit anno* DXVII *sub S. Sigismundo Rege.* — b Eulalium, Tauriciani *jam nominati decessorem, in Supplemento Martyrologii Gallicani ad 26 Septembris, Sanctis adscribit Saussaius, et obitus ejus meminit. Ad eum scriptæ videntur quædam B. Ennodii Ticinensis epistolæ.* — c MS. *Chesnet*, deductus. — d *Idem*, Sputum, manibus suis eum liniens, imposuit. — e *Nostrum MS* oratione petens munimen sibi. — f *MS. Chesnet*, Casulam. *Exponit in Vegdas, vestem superiorem.* — g *Explicat Surius:* Tum præterea e carceribus abeundi copiam fecit omnibus, quos vir Dei censuisset dimittendos *esse. Idem habent plerique alii auctores et Surius. Canisius potius e sui et impetrasse, ut omnes e carceribus dimitterentur. Saussaius vero habet:* Captivos e custodia nonnullos, benigna apud Regem intercessione liberavit.

## CAPUT III.

### *S. Severini mors, sepultura, miracula.*

*d sedit Parisiis.*

Denique cum jam tempus suæ transmigrationis propinquum esse prænosceret, sicut ostensum sibi ab Angelo fuerat; Regi valedicens, et plebi civitatis, celerius se ab urbe Parisius promovit, et viam gradiens pervenit ad montem, quem castrum Nantonis vocant, in cujus vertice oratorium quoddam ex lignis

D erat constructum. Ibidemque tunc temporis duo Presbyteri *a* Paschasius et Ursicinus Deo serviebant: ad quos ita inclytus Christi famulus Severinus, oratorium cum intrasset, blando sermone locutus est, dicens: Servi Dei, Fratres carissimi, scio quia vos corpusculum meum ultimo obsequio sepulturæ tradere oportet, sicut a Domino mihi revelatum est. Nam et angelico edoctus oraculo ad locum hunc idcirco accessi præsentem, in quo hujus terrenæ habitationis extremus mihi debetur terminus, ut a vobis, sicut prædixi, secundum Dei dispensationem sepeliar, quorum etiam nomina prius per visum divinitus agnoveram. Unde et depositionis meæ diem, quia in proximo, Fratres mei, adesse non dubito, omni mentis devotione vestram deprecans caritatem, commendo vobis Faustum vestrum compresbyterum, videlicet necessitatis meæ ministrum, qui mihi per triginta annos assidue servivit. Monachum etiam nostrum Vitalem vestræ relinquo fraternitati, diligenter rogans, ut vestra erga eos benevolentia vinculo dilectionis adstricta servetur. En quam dulcissimus pietatis miræ in hujus visceribus ardebat affectus! Patriam petiturus supernam, superstites sibi discipulos in hac lacrymarum valle relinquens, eorumque providus futurum post ejus abscessum sollicitus tractabat dolorem. E

*venit ad Castrum Nantonis:* a

*indicat Presbyteris, se illic moriturum,*

*et comites suos commendat:*

15 A præfatis igitur Sacerdotibus ejusdem Castri-Nantonis incolis honorifice excipitur: ibidemque ultimum vitæ præsentis, et imminentem sui obitus cum expectaret diem, assiduis lacrymarum fletibus, nec non et orationum sanctarum studiis felicem divinæ misericordiæ animam commendabat. Jam ergo expleto hujus mundanæ peregrinationis curriculo; cum æternæ percepturus remunerationis vocaretur ad palmam, corporeis exutus nexibus, inter sacra verborum colloquia spiritum exhalavit, mortis videlicet debitum tertio Idus Februarii feliciter consummans, ab hac lacrymarum plena miseriis doloribusque convalle ereptus, ad vitam migravit perpetuam. Moxque ejus beata anima Angelicis circumsepta agminibus, ac Superos petens, inter felices exercituum beatorum, cœlesti benedictione fruentium, sedes collocari in perpetuum lætabunda promeruit. Denique et hora ejus obitus, sicut protestati sunt qui ultimo flentes aderant obsequio, instar stellæ totus lumine circumfusus est locus, spiritus nimirum multo majore luminis gratia illustrandus, dum veram immortalitatis stolam adeptus, nulla jam diræ mortis ultra timeret discrimina.

*pie moritur 11 Febr.*

*loco divinitus illustrato:*

16 Porro Sacerdotes supra commemorati corpus Sancti jam exanime lotum ex more, vestibusque indutum, cum summo honoris obsequio sepulturæ tradentes, in prædicto montis oratorio condiderunt: ubi usque hodie eumdem sanctum Confessorem suum Severinum, summus Sanctorum Rex Deus et Dominus noster, præclaris virtutum clarificat miraculis. Ad cujus sepulchrum oculi cæcorum lumen, claudi gressum, et infirmi quique, quando ibidem vota persolvunt, priorem recipiunt integritatem: ab immundis etiam vexati spiritibus, in ejus sæpe festivitate perfecte mundantur. Nec immerito quidem, cujus vita in terris venerabilis procul dubio et religiosa apud Deum et homines extitit, ejus etiam nomen bonum, quod est omni auro et argento multisque divitiis pretiosius, post ipsius obitum debitis frequentatur laudibus. *b*

F *sepelitur.*

*multa fiunt ad sepulchrum miracula.*

b

17 Fuit siquidem vir iste carnis origine nobilis, sed multo culmine mentis nobilior. Fuit quippe ante omnia Divinæ caritatis fervidus igne, patientiæ virtute modestus, orationum devotioni solertissime intentus, affabilis omnibus, qui ad se consolationis loco ducebantur; infirmis Fratribus opem suæ exhortationis tribuens: sciens quia qui dixit, Diliges Dominum

*Virtute ejus:*

Matth 22, 37 et 39.

A minum Deum tuum, dixit etiam, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Fuit abstinentiæ castigatione insignis: fuit gratia conpunctionis semper ad cœlestia suspensus, qui revera profusis ex imo pectore lacrymis, Domino sua vota sedulo commendabat, cupiens nimirum ad illam supernæ felicitatis civitatem liberius pervenire: in qua nunc serena renitens luce cum Christo pariter lætatur, exultat et gaudet. Cujus mores utique nobilissimi, cujusque conversatio utinam nobis aliquam veræ compunctionis in animo diffundat dulcedinem!

*templum a Childeberto Rege ibi extructum,*

18 Qualiter autem super sanctissimi illius viri sanctissimum corpus, Christo donante, post decessum ejus fabricata sit ecclesia in signum perpetuæ memoriæ, stylo describere præsenti, et futuræ generationi commodum arbitramur. Et ideo ad laudem Dei et B. Severini Confessoris sui gloriam et honorem, notum facimus semota omni dubietate; quia defuncto Chlodoveo Rege, cum filius ejus Childebertus regni gubernacula suscepisset, reminiscens, quanta virtutum constantia in diebus genitoris sui vir Domini Severinus effulgebat, et quam celeri velocitate parentis imbecillitas per eum fuisset curata, D dignum duxit, ut super ejusdem Sancti sepulchrum ædificaretur domus sublimioris ampliorisque magnitudinis. Quod cum factum secundum ejus præcepti imperium fuisset, solers ibidem suo in tempore vota reddens, muneribus eamdem honorifice sublimavit ecclesiam. Patrocinium siquidem pii Patris necessarium sibi fore confidens, nullatenus se exuendum benedictione suarum intercessionum fieri voluit. Denique et Clericis eidem sancto deservientibus loco de quadam villa sua amminiculum subministravit, ad consolationem videlicet et honorem Dei ecclesiæ, quæ, illic supra tumulum sæpe dicti Patris fundata erat, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, gloria et imperium, scilicet cum Deo Patre et Spiritu Paraclito per infinita seculorum secula. Amen.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS*

*ab ipso frequentatum, ornatum,*

*dotatum.*

a *Guilielmus Hortinus* Paschalem *vocat.* — b *Addebatur in MS. Ultraject.* præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen. *Reliqua deerant, quæ ex nostro adjecimus, etsi quæ n. 18 continentur, parum apte connexa, ac pene superflua videantur.*

# DE S. ECIANO, sive ECHENO,

## EPISCOPO CLUAINFODIENSI IN HIBERNIA,

B E

### Commentarius historicus.

G. H.

CIRCA AN. DLXXVII. XI FEBR.

*S. Ecianus colitur 11 Februarii.*

*Cluainfodiæ in regione de Fera-bile, ut vocant, Mediæ Australis apud Hibernos Sedes Episcopalis traditur olim fuisse, eique seculo Christi sexto præfuisse* S. Ecianus, *aliis* Echenus, Etchenus, Etchænus, *dictus. Quem in Catalogo præcipuorum Sanctorum Hiberniæ refert ad hunc* XI *Februarii Henricus Fit.-Simon noster, et in Auctario Usuardi Hermannus Greven his verbis* : In Hibernia Eciani Episcopi et Confessoris. *MS. Florarium Sanctorum* : S. Eciani Episcopi et Confessoris. *Eumdem celebrant varii Martyrologi Hiberni, relati a Colgano in Actis Sanctorum Hiberniæ ad hunc diem.*

*genitus patrocinio S. Brigidæ,*

2 *In Vita priore S. Brigidæ, quam* I *Februarii ex MSS. Audomarensi, aliisque edidimus, de ortu S. Echeni ista narrantur cap.* 16 *num.* 103 : Quadam vero nocte fuit quidam vir cum sua uxore in hospitio cum S. Brigida, et ille rogavit eam, ut signaret vulvam uxoris, ut filium haberet : et ita fecit. Et statim uxor ejus dormiente illo cum ea concepit : et inde natus est Echenus, præcipuus Sanctus : *Quæ eadem leguntur in* IV *Vita S. Brigidæ, ex MS. Hugonis Wardæi edita, lib.* 2 *cap.* 10 *num.* 65. *De parentibus, fratribus, ac stirpe regia S. Echeni multa congerit Colganus, quæ nobis minus comperta sunt. Quale*

C

*alius ab Episcopo Eth, medicinæ perito :*

*etiam illud est, quod arbitretur hunc esse Episcopum illum medicinæ peritum, ad quem* Episcopus Mel duxit S. Brigidam dolore oculorum cruciatam, *ut legitur in priore Vita cap.* 4 *num.* 25, *quem medicum Laurentius Dunelmensis in* V *Vita S. Brigidæ* Episcopum nomine Eth *appellat. Colganus, licet hanc Vitam edat ex nostro codice,* Echenum *vocat, et hoc dici,* Echeum. *At quomodo ad hunc, jam eruditione clarum et Episcopum, a S. Melo Episcopo duci potuit S. Brigida, cum S. Mel dicatur, etiam a Colgano, anno* CDLXXXVII *aut sequente mortuus; Echenus postea sub finem istius seculi genitus?*

3 *Magnus Odonellus Tirconelliæ Princeps scripsit Hibernico sermone sub annum* MDXX, *tripartito volumine, Vitam S. Columbæ Abbatis, quam Colganus a se contractam, atque in Latinum versam quinto loco edidit; in qua hæc de S. Echeno traduntur* ; Vir denique *Columba* Deo plenus, virtutibus et miraculis clarus, ab omnibus Episcopali infula dignus judicatus, communi Præsulum patriæ consilio missus est ad S. Etchenum Episcopum Cluainfodensem Episcopus ordinandus. Sed secretioribus Divinæ providentiæ consiliis, quæ tantum virum monastico instituto restauratorem et Patriarcham reservare maluit, factum est, ut secus quam intendebatur, non in Episcopum, sed in Presbyterum et Abbatem S. Columba ab eo ordinaretur, eamque ordinationem nonnulla præcederent miracula : quæ S. Etcheni eximiam in tanta dignitate humilitatem, in tanta humilitate meritum, ac in patrandis Dei virtute miraculis præcipuam gratiam abunde testantur et commendant. Cum enim S. Columba communi decreto sic ad eum missus, Episcopus ordinandus, prope ecclesiam ejus pervenisset, ibique sub umbra cujusdam arboris aliquantisper moram contraheret; percunctatus est ex quodam sibi obviam facto, ubinam esset S. Etchenus. Cui ille respondens, Ecce, inquit, quem in isto campo vides ad aratrum laborantem, est quem quæris. Sanctus autem Columba cum admiratione subintulit: Ergone ab apponente manum aratro, manus impositionem expectare debemus?

*virtutibus et miraculis clarus,*

*terram arat,*

4 Jubet subinde comitantes se Clericos experimento probare, num vera essent, quæ de S. Etcheno F magnalia ferebantur. Quo audito unus e Clericis ad Præsulum sanctum accedens, rogat probandæ virtutis ejus caussa, vomeris, quocum arabat, sibi copiam fieri. Quod vir Deo plenus, mox concessit; statimque stupenda fiducia cogitatum suum in Divinæ clementiæ jaciens adjutorium, cum bobus aratrum trahentibus in suscepto aratri opere absque hæsitatione progreditur; miraque Dei indulgentia terram sine vomere cum summa videntium admiratione in sulcos, ut ante, diffindit. Cumque ea res præ sua stupenda novitate delata esset ad S. Columbam; jussit hic probatissimum virum amplius adhuc probari. Quare secundo rogatur sanctus Antistes, quatenus bovem, qui trahebat aratrum, hospitibus Clericis largiatur. Nec id ille recusat : sed mox ad notam probeque jam probatam Divinæ bonitatis, secum quasi colludentis, assistentiam recurrens, cum e vicina silva cervum conspiceret exilientem, ei imperat, ut collum jugo imponat, et aratrum trahat. Ille mox imperata exequitur, et ad sancti viri imperium, velut bos mansuetus, jugum ducit. His visis S. Columba

*etiam sine vomere,*

*ac loco bovis cervo e silva evocato jugum imponit,*

A S. Columba ejusque socii in Dei laudes resolvuntur, ejusque in fideles servos suos miram indulgentiam extollunt. Postea vir sanctus intelligens S. Columbam advenisse, ad eum accurrit, et in osculo pacis ac caritatis excepit, et caussam sui itineris exponentem humaniter audivit: ac deinde, ut dictum est, Sacerdotali, non Episcopali, ordine initiavit. *Hactenus Odonellus. Quæ brevius referuntur in Notis Colgani ex Glossematibus Scholiastæ S. Ængussii aut Festilogium, atque ex Martyrologio Dungallensi: sed desunt in aliis Actis S. Columbæ ab Adamnano aliisque auctoribus conscriptis.*

AUCTORE ANONY. O. EX MSS.

*consecrat Sacerdotem S. Columbam:*

5 S. Coemginus et S. Berachius venerunt ad S. Etchinum Episcopum, et ab eo S. Berachius confraternitatis et spiritualis amicitiæ fœdus inierunt. D *Ita in Actis S. Berachii legi* xv *Februarii cap.* 18 *testatur hic Colganus, additque* S. Berachium a S. Etcheno in Presbyterum ordinatum esse. *Quæ in ejus Vita* xv *Februarii non reperiuntur. Colitur S. Coemgenus* III *Junii.*

*an etiam S. Berachium?*

6 Post hæc (*concludit Colganus*) et alia multa præclare gesta vir sanctissimus, dierum et meritorum plenus, hanc vitam cum cœlesti, anno salutis quingentesimo septuagesimo septimo, tertio Idus Februarii, quo ejus natalis Cluainfodiæ in Australi Media consuevit solenniter celebrari. *In Notis annum obitus ex Annalibus Dungallensibus firmat.*

*moritur an 577.*

# DE S. DESIDERATO

## EPISCOPO ARVERNENSI IN GALLIA.

J. B.

CIRCA AN. DC, XI FEBR.

*S. Desiderati Ep. Ecclesia,*

Sanctus Desideratus XIX *Arvernorum in Gallia Episcopus fuit; non* XXX, *ut scribit Constantinus Ghinius, Democharem secutus. Ecclesiam habuit suo nomini dicatam, cujus meminit liber* 1 *de SS. Eccles. monast. Claromontanis cap.* 18. *At quod caput ista annotat Joannes Savaro:* Cui (*S. Desiderato*) decessit S. Avitus hujus nominis primus. Historia S. Aviti sub finem. Cives itaque civitatis Arvernæ, sanctissimæ vitæ virum, nomine Desideratum, pontificali Cathedræ illico substituerunt etc. Divis adscribitur. Martyrol. Clarom. MS. III Id. Februarii: Apud urbem Arvernam depositio B. Desiderati Ep. et Confessoris. Molanus in additionibus ad Usuardum: Arvernis S. Desiderati Episc. et Conf. Præter Breviarium et Missale, Ordo eadem die: Desiderati Episc. et Conf. eadem per omnia quæ supra in festo B. Sigonis etc. *Ita Savaro, qui et in Originibus Claromont. in Catalogo Episcoporum, ejus meminit.*

*electio,* D

*cultus,*

*festum,*

2 Ecclesia hacce diruta, *ut idem indicat, translatum est* S. Desiderati *corpus ad* S. Illidii *basilicam, de qua idem liber de SS. et Eccles. cap.* XI. In Ecclesia S. Illidii altare S. Clementis, altare S. Mariæ, ubi S. Illidius, et. S. Desideratus *etc. Citat Savaro tabulam Illidianam, quæ ita habet:* S. Desideratus Ep. Martyr. *At* Confessorem *appellant Fasti antea citati; prætereaque Golesinius, Ferrarius, Ghinius, Saussaius hoc die. Ejus meminerunt Claudius Robertus et Joannes Chenu in Catalogis Episcoporum Claromontanorum. Acta fatetur Savaro ignorari. Cum ejus decessor* S. Avitus *æqualis fuerit S. Gregorii Turonensis, consequens est, eum circa annum* DC *vixisse.*

*Reliquiæ in ecclesia S. Illidii.*

E

*ætas.*

# DE S. CEDMONO MONACHO

## CANTORE THEODIDACTO STRENESHALÆ IN ANGLIA

J. B.

CIRCA AN. DCLXXX XI FEBR.

*Streneshale monachæ, et monachi:*

Streneshale *sanctimonialium Virginum cœnobium fuit, postea* Whitby *appellatum, in Comitatus Eboracensis Borealis districtu ad littus Orientale, ab S. Hilda, sub annum Christi* DCLVIII, *sumptu præcipue Oswii Regis, fundatum, uti* VIII *Februarii diximus ad* S. Elfledæ *Virginis Vitam, quæ secunda ejus loci post Hildam Abbatissa fuit. deque eadem mentio facta* X *Februarii, cum de S. Trumwino Episcopo erat sermo, qui episcopatu Pictorum, belli calamitate, ejectus, illic ætatis reliquum in monasticæ vitæ professione exegit. Erant enim eo tempore monasteriis fœminarum,* C *amplis præsertim ac numerosis, conjuncta virorum, qui iis sacra administrarent, et familiam reliquam erudirent: eidem tamen Abbatissæ omnes obtemperabant.*

*inter hos S. Cedmonus cantor:*

2 *Inter hos sub S. Hilda (quæ anno demum* DCLXXX XVII *Novembris mortua est) monachus vixit,* Cedmonus *nomine, eximia præditus pietate, haustaque divinitus canendi peritia; qui* Cedmon *quibusdam, aliis* Ceadman *dictus. Ejus Vitam Beda describit lib.* 4 *cap.* 24, *atque ab eo Capgravius in S. Hildæ Vita, Eduardus Mahew in Trophæis Anglicanis, Hieronymus Porterus in Floribus et alii. Obiisse circa annum* DCLXX *plerique conjiciunt, aut paullo serius.*

*ejus Translatio,*

3 *De ejus Sanctorumque aliorum Reliquiis agit Malmesburiensis lib.* 3 *de gestis Pontif. Angl. quem et supra* VIII *Februarii citavimus ad Vitam S. Elfledæ:* Inventa sunt noviter (*inquit, scribebat autem initio seculi* XII) et in eminentiam elata Sanctorum corpora; Trumwini Episcopi, Oswii Regis, et Elfledæ filiæ ejus, quæ eidem monasterio post Hildam præfuit: necnon et illius monachi, quem Divino munere scientiam cantus accepisse Beda refert. Cujus non fuisse apud Deum populare meritum, miracula modo multa (ut ferunt) superne demissa prætendunt indicium. *Meminit hujus inventionis elevationisque Reliquiarum S. Cedmoni Harpsfeldius seculo 7 cap. 36 et Hieronymus Porterus.*

*miracula,*

4 *Consignatus est hujus Sancti natalis in Martyrologio Anglicano Joannis Wilsoni die* XI *Februarii, uti et in Indice Hieronymi Porteri, licet postea (incuria fortassis typographi) margini dies* X *adscriptus sit. Hugo Menardus et Eduardus Mahew die* X *Februarii retulerunt.*

*natalis*

5 *Recensent eum Joannes Balæus centuria* 1 *et Joannes Pitsæus ætate* 7, *inter illustres Angliæ scriptores: sed in hoc ambo hallucinantur, quod* dormiendo divina pronuntiasse carmina *tradant*, quæ vigilantes quidam ex ejus ore scriptitabant. *Id enimvero Beda non scribit. Arnoldus Wion lib.* 2 *Ligni vitæ cap.* 64 *cantus non meminit, sed scriptorum ab eo* sacrorum poematum. *Scripseritne ea ipsemet an dictarit, incertum: uti et Benedictinus fuerit, quod iidem Wion, Menardus, Mahew, Porterus asserunt, an alterius Scoticani instituti, uti de SS. Trumwino, Hilda, Elfleda alibi diximus.* Simplicis *cognomentum illi Balæus, Pitsæus, Wion affingunt; cujus ansam nullam reperio, nisi quod Beda eum* simplici *et* pura mente Deo servisse *scribat. Neque omnino constat, quod Balæus scribit,* primo bubulcum *fuisse. Id solum ait Beda, ea nocte, qua illi cantus scientia infusa est,* jumentorum ei custodiam fuisse delegatam.

*an omnia dormiens cecinerit?*

*an poemata scripserit?*

*Benedictinus fuerit?*

*Simplex dictus?*

*bubulcus?*

### VITA AUCTORE S. BEDA.

In *Monasterio a* S. Hildæ Abbatissæ, fuit Frater quidam, Divina gratia specialiter insignis, qui carmina religioni ac pietati apta facere solebat; ita ut quidquid ex Divinis litteris per *b* interpretes disceret,

*Cedmonus poeta Anglicus excellens.*

*a*

A ceret, hoc ipse post pusillum verbis poeticis maxima suavitate et compunctione compositis, in sua, id est, Anglorum, lingua proferret. Cujus carminibus multorum sæpe animi ad contemptum seculi, et ad appetitum sint vitæ cœlestis accensi. Et quidem et alii post illum in gente Anglorum religiosa poemata facere tentabant; sed nullus ei æquiparari potuit. Namque ipse non ab hominibus, neque per hominem institutus, canendi artem didicit; sed divinitus adjutus, gratis canendi donum accepit. Unde nihil unquam frivoli et supervacui poematis facere potuit: sed ea tantummodo quæ ad religionem pertinent, religiosam ejus linguam decebant.

*ad pietatem movens,*

*c divinitus edoctus,*

*nil profanum valens canere.*

2 Siquidem in habitu seculari usque ad tempora provectioris ætatis constitutus, nil carminum aliquando didicerat. Unde nonnunquam in convivio cum esset lætitiæ caussa decretum, ut omnes per ordinem cantare deberent; ille ubi appropinquare sibi citharam cernebat, surgebat a media cœna, et egressus ad suam domum repedabat. Quod dum tempore quodam faceret, et relicta domo convivii egressus esset ad stabula jumentorum, quorum ei custodia nocte illa erat delegata; ibique hora jam competenti membra dedisset sopori, adstitit ei quidam per somnium, eumque salutans ac suo appellans nomine, B Cedmon, inquit, canta mihi aliquid. At ille respondit, Nescio, inquit, cantare: nam et ideo de convivio egressus, huc secessi, quia cantare non poteram. Rursum ille, qui cum eo loquebatur, Attamen, ait, cantare mihi habes. Quid, inquit, debeo cantare? At ille, Canta, inquit, principium creaturarum. Quo accepto responso, statim ipse cœpit cantare, in laudem Dei conditoris versus, quos numquam audierat, quorum iste est sensus: Nunc laudare debemus auctorem regni cœlestis, potentiam Creatoris, et consilium illius, facta Patris gloriæ. Quomodo ille, cum sit æternus Deus, omnium miraculorum auctor extitit: qui primo filiis hominum cœlum pro culmine tecti, dehinc terram custos humani generis omnipotens creavit. Hic est sensus, non autem ordo ipse verborum, quæ dormiens ille canebat. Neque enim possunt carmina, quamvis optime composita, ex alia in aliam linguam ad verbum, sine detrimento sui decoris ac dignitatis, transferri.

*antea rudis canendi,*

*ideoque a convivio canentium secedens,*

*in somnis jussus canere,*

*sacra canit carmina,*

3 Exurgens autem a somno, cuncta, quæ dormiens cantaverat, memoriter retinuit: et his mox plura in eumdem modum verba Deo digni carminis adjunxit. Veniensque mane ad villicum qui sibi præerat, quid doni percepisset, indicavit. Atque ad Abbatissam perductus, jussus est multis doctioribus viris præsentibus, indicare somnium et dicere carmen, ut C universorum judicio, quid vel unde esset quod referebat, probaretur. Visumque est omnibus cœlestem ei a Domino concessam esse gratiam. Exponebantque illi quemdam sacræ historiæ sive doctrinæ sermonem; præcipientes ei, si posset, hunc in modulationem carminis transferre. At ille suscepto negotio abiit, et mane rediens optimo carmine, quod jubebatur, compositum reddidit. Unde mox Abbatissa amplexata gratiam Dei in viro; secularem illum habitum relinquere, et monachicum suscipere propositum docuit: susceptumque in monasterium cum omnibus suis, Fratrum cohorti associavit; jussitque illum seriem sacræ historiæ doceri.

*eaque vigil retinet.*

*doctis probatur,*

*ac plura pangit:*

*fit monachus:*

4 At ille cuncta quæ audiendo discere poterat, rememorando secum, et quasi mundum animal ruminando, in carmen dulcissimum convertebat: suaviusque resonando, doctores suos vicissim auditores faciebat suos. Canebat autem de creatione mundi, et origine humani generis, et tota Genesis historia, D de egressu Israel ex Ægypto, et ingressu in terram repromissionis; de aliis plurimis sacræ Scripturæ historiis; de Incarnatione Dominica, ac passione et resurrectione et ascensione in cœlum; de adventu Spiritus sancti et Apostolorum doctrina: item de terrore futuri judicii et horrore pœnæ gehennalis et dulcedine regni cœlestis multa carmina faciebat; sed et alia perplura de beneficiis et judiciis Divinis: in quibus cunctos homines ab amore scelerum abstrahere, ad dilectionem vero et solertiam bonæ actionis excitare curabat.

*quæ præcipue canerit?*

*AUCTORE G. H.*

5 Erat enim vir multum religiosus et regularibus disciplinis humiliter subditus: adversum vero illos qui aliter facere volebant, zelo magni fervoris accensus. Unde et pulchro vitam suam fine conclusit. Nam propinquante hora sui discessus, quatuordecim diebus præveniente corporea infirmitate pressus est: adeo tamen moderate, ut et loqui toto eo tempore posset et ingredi. Erat autem in proximo casa, in qua infirmiores, et qui prope morituri esse videbantur, induci solebant. Rogavit ergo ministrum suum vespere, incumbente nocte, qua de seculo erat exiturus, ut in ea sibi locum quiescendi præpararet. Qui miratus cur hoc rogaret, qui nequaquam adhuc moriturus esse videbatur, fecit tamen quod dixerat.

*indisciplinatos arguit:*

*præscit mortem:*

*ultro in valetudinarium moribundorum concedit:*

6 Cumque ibidem positi, vicissim aliqua, gaudente animo, una cum eis qui ibidem antea inerant, lo- E querentur ac jocarentur, et jam mediæ noctis tempus esset transscensum; interrogavit omnes, si Eucharistiam intus haberent. Respondebant: Quid opus est Eucharistia? Neque enim mori adhuc habes, qui tam hilariter nobiscum velut sospes loqueris. Rursus ille, Et tamen, ait, afferte mihi Eucharistiam. Qua accepta *d* in manu, interrogavit, si omnes placidum ergo se animum et sine querela controversiæ ac rancoris haberent? Respondebant omnes, placidissimam se mentem ad illum et ab omni ira remotam habere. Eumque vicissim rogabant, an placidam erga ipsos mentem haberet? Qui confestim respondit: Placidam ego mentem, filioli, erga omnes famulos Dei gero. Sicque se cœlesti muniens viatico, vitæ alterius ingressui paravit.

*poscit Eucharistiam,*

*d eaque accurate sumpta.*

7 Et interrogavit, quam prope esset hora; qua Fratres addicendas Domino laudes nocturnas excitari deberent? Respondebant: Non longe est. At ille: Bene ergo, expectemus horam illam. Et signans se signo sanctæ Crucis, reclinavit caput ad cervical, modicumque obdormiens, ita cum silentio vitam finivit. Sicque factum est, ut quomodo simplici ac pura mente, tranquillaque devotione, Domino servierat; F ita et jam tranquilla morte mundum relinquens, ad ejus visionem veniret: illaque lingua, quæ tot salutaria verba in laudem Conditoris composuerat, ultima quoque verba, in laudem ipsius signando sese, et spiritum suum in manus ejus commendando, clauderet: qui etiam præscius sui obitus extitisse, ex his quæ narravimus, videtur.

*Cruce se signans moritur:*

a *Ejus Vitam capite præcedenti retulerat Beda.* — b *Non enim vernacula lingua Biblia libri extabant. Primus circa annum* 1382 *(ut in Chronicis scribit Henricus Knighton)* Joannes Wyclif, *aliis* Wiclef, *qui semper nitebatur* ab aliorum opinionibus variare, Evangelium, quod Christus contulit Clericis et Ecclesiæ Doctoribus, ut ipsi laicis et infirmioribus personis, secundum temporis exigentiam, et personarum indigentiam, cum mentis eorum esurie dulciter ministrarent, transtulit de Latino in Anglicam linguam, non angelicam. Unde per ipsum fit vulgare et magis apertum laicis et mulieribus legere scientibus, quam solet esse Clericis admodum litteratis, et bene intelligentibus: et sic Evangelica margarita spargitur et a porcis conculcatur: et sic quod solet esse carum Clericis et laicis, jam redditur quasi jocositas communis utriusque, et gemma Clericorum vertitur in ludum laicorum etc. *Ita ille. Si ad nostra tempora vixisset, quid diceret?* — c *Id* cum æquiparare. — d *De hoc ritu Eucharistiæ accipiendæ, manu a viris, linteamine mundo a feminis, agit Baronius in Annot. ad Martyrol.* 15 *Augusti lit.* c, *ostenditque in Occidente æque ac Oriente olim in usu fuisse, etiam vigente persecutione.*

*Wiclef hæreticus Scripturam Anglice vertit.*

# DE S. GAUDINO,
## EPISCOPO SUESSIONENSI MART.

*Circa an. DCCXX. XI Febr.*

*Suessionum Augusta in Belgica II ad sinistram Axonæ fluvii ripam sita, sedes aliquando fuit Regum Francorum Merovingorum in tetrarchica regni divisione, nunc Comitatus titulo insignis est. Nec minus antiqua Sedes istic Episcopalis fuit sub metropoli Remensi, cui, ut auctor est Claudius Robertus in Gallia Christiana, præfuit* XXVI *Episcopus* S. Gaudinus, *qui, ut ait,* fertur impie in puteum a lanionibus dejectus : cujus commemoratio agitur tanquam Martyris VIII Februarii. *Natalem ejus signat Saussaius in Martyrologio Gallicano* XI *Februarii his verbis :* Suessione S. Gaudini Episcopi ejusdem civitatis et Martyris, qui cum aliquot cives de usuris publice redargueret; in odium Evangelicæ, quam prædicabat, veritatis, ab ipsis clanculum interceptus, atque ad vicum Herlinum raptatus, ibidemque in patentem puteum præceps dejectus et suffocatus, egregio agone palmam victoriæ immarcescibilem, et æternæ percepit vitæ laureolam.

*S. Gaudini Ep. Suessionensis, commemoratio 8 Febr.*

*Natalis 11 Feb.*

2 *De ejusdem, aliorumque Sanctorum elevatione hæc scribit Molanus in additionibus ad Usuardum Kalendis Junii :* Suessionis elevatio sanctorum Episcoporum Principii et Lupi Confessorum, Gaudini Martyris, et Agricolæ Presbyteri Confessoris. *Galesinius secutus Molanum, et post utrumque Ferrarius, eadem referunt, non tamen* elevationem, *sed* translationem *appellant. At Saussaius ita scribit :* Item Suessione elevatio S. Gaudini Episcopi et Martyris, nec non beatorum Pontificum Principii et Lupi, agricolæque Presbyteri, confessorum. *Natalis* S. Principii *est* XXV *Septembris.*

*elevatio, seu translatio 1 Junii.*

3 *Tempus Sedis S. Gaudini ita colligimus.* S. Drausius, *seu* Drauscio *Episcopus Suessionensis (de quo ad* V *Martii) subscripsit privilegio libertatis monasterio Corbeiensi a Bertefrido Episcopo Ambianensi concesso, anno* VII *Chlotharii* III *Regis, Christi* DCLXVIII. *Huic Drausio successerunt Authertus, Walumbertus, et Adalbertus; dein S Gaudinus, ut circa annum* DCCXX *conjectemus eum floruisse.* Gaudino, *post septem alios, quorum nuda nomina extant, successit* VIII, *Rothardus, inter quem et Wendilmarum Episcopum Noviomensem controversia de limitibus diœceseon exorta in Concilio Noviomensi anno* DCCCXIV *definita est apud Flodoardum lib. 2 Historiæ Remensis cap. 18.*

*floruit circa an. 720*

# DE S. THEODORA IMPERATRICE
## CONSTANTINOPOLI.

### Commentarius historicus.

*An. Chr. DCCCLXVII. XI Febr.*

### § I. *S. Theodoræ patria, parentela, matrimonium.*

*Theodoram Augustam, Theophili Imperatoris conjugem, Michaelis III matrem,* decus illud *(ut eam Baronius Annal. tom. 10 ad annum 866 num. 14 appellat)* et ornamentum sanctarum fœminarum, in fornace tribulationis diu excoctam atque probatam, aurum purissimum redditam, ab Imperio a filio pulsam, detrusam in monasterium, de sancta fide Catholica optime meritam, unicum in Oriente exemplum egregiæ sanctitatis, *Cultum honoribus colunt hac die Græci, ut infra dicemus. Res ab ea fortiter ac pie gestas summatim excerpemus ex Georgii Cedreni et Joannis Scylitzæ Curopalatæ Compendio historiarum, Annalibusque Joannis Zonaræ, Michaelis Glycæ, Constantini Manassis, Vitaque Basilii Macedonis per Constantinum illius nepotem, et S. Ignatii Patriarchæ per Nicetam, sanctique Joannicii.*

*S. Theodoræ publica veneratio,*

*gesta,*

2 Theodoræ *igitur* patria fuit Paphlagonia, parentes Marinus et Theoctista, *cognomento* Florina, ambo præclaris in ea provincia orti natalibus, pii ambo et sacrarum imaginum venerationi dediti. *Ita Zonaras ac Cedrenus. Fratres habuit* Petronam, *virtute bellica clarum, ideoque* Legionum Domesticum *creatum, et* Bardam *Cæsarem, in rerum quidem civilium administratione egregium industriumque, ut in S. Ignatii Vita dicitur,* sed sævum admodum et crudelem, *præterea incestu cum nuru sua, sororis innocentissimæ expulsione, Ignatii eique adhærentium piorum hominum vexatione, Ecclesiæ demum perturbatione infamem.* Habuit *præterea* Theodora, *inquit Cedrenus,* sorores tres, Sophiam, Mariam et Irenam. Ex his Sophia nupsit Constantino Babutzico, qui Magistri honorem adeptus est. Irena uxor Sergii Patricii fuit, fratris Photii, ejus qui postmodum Patriarcha est factus. Mariam duxit Arzaber Magister, vir præclarus, eoque tempore illustris. Omnes fuere forma eleganti, et summa virtute præditæ. *Qui Scylitzæ Curopalatæ historiam vertit Joannes Baptista Gabius, atque ex eo Baronius ad annum 855 num. 52, has Theodoræ filias statuunt, non sorores. Filias quinque mox recensebimus. Errandi fortassis occasionem dedere, quæ immediate subdit Cedrenus :* Καὶ ἡ μὲν Θεοδώρα ζῶσα τοιαύτην ἀπολέλοιπε τὴν γενεάν, *vertit Xilander :* Sublata Theodora, iis quos diximus, fratribus et sororibus superstitibus. *Gabius :* Theodora vita functa hujusmodi prolem reliquit. *Significat quidem vox* γενεὰ *etiam prolem aut liberos; sed hic pro familia, agnatione, parentela sumi debet. Liquet ex iis quæ in Cedreno præcedunt :* ἀδελφοὶ δύο, ἀδελφαὶ δὲ τρεῖς, Σοφία, Μαρία καὶ Εἰρήνη. Fratres duo, sorores vero tres, Sophia, Maria et Irene.

*patria, parentes, fratres, sorores egregiæ.*

*perperam filiæ creditæ quibusdam.*

3 *Qua ratione nupta Imperatori sit Theodora, breviter ita memorat Glycas parte 4 Annalium :* Post Michaelem II (*Balbum dictum*) Theophilus filius ejus annos XII, menses III imperavit. Mox ab initio imperio delectum puellarum haberi jussit. Inter quas etiam Cassia comparuit. Eam propter responsum prudentiæ plenum, missam fecit ac repudiavit. Nam cum ei malum tradidisset, uti qui propter insignem ipsius pulchritudinem amore correptus esset, simulque dixisset : A muliere mala promanarunt; vicissim illa respondit : A muliere bona quoque provenerunt. Itaque mutata sententia, Theodoram Paphlagoniam matrimonio sibi junxit.

*Ea Theophilo Imp. nubit.*

4 *Plenius rem eam commemorat Zonaras :* Uxorem ducturus, *inquit,* multas formosas puellas undecumque accersivit : inter quas et Icasia Virgo fuit, quæ et forma præstabat ceteris, et eruditione prædita erat, ac genere illustri nata. Dum igitur eas spectans circuit, aureum pomum manu tenens, quod ei, quæ placuisset, velut arrham conjugii daret; cum ad Icasiam venisset, pulchritudinem ejus admiratus, A muliere, inquit, emanarunt mala. Cui illa placide et cum honesto rubore solerter respondit : Sed et res meliores e muliere exuberant. At ille Virginis oratione velut attonitus, ea præterita, malum aureum Theodoræ Paphlagoniæ dedit. Icasia

*Icasiæ nobilis et sapiens Virgini,*

vero

A vero cum regno excidisset, monasterium condidit, quod ab ejus nomine appellatum est : inque eo ipsa monacha facta Deo vixit, studiis litterarum minime neglectis. Unde et scripta ejus reperiuntur, in quibus neque doctrinam neque gratiam desideres. Et sic illa res suas administravit, ac mortali Rege frustrata, Regi omnium sese despondit, proque terreno imperio cœleste sortita est. Imperator vero Theodoram simul et nuptiali corona et regio diademate ornat, nuptiasque celebrat.

*(quæ rejecta, Deo devovit virginitatem)*

5 *Quid enim in hujus præclarissimæ Virginis Icasiæ responso displicuit Imperatori, ut ejus conjugium aversaretur? An ex responsionis promptitudine garrulam, aut etiam procacem fore conjectavit? Ea enim vitia quam familiaria generi muliebri, tam viris, præsertim in illustri dignitate constitutis, odiosa sunt. At eam verecundia, quam Zonaras laudat, excusare videbatur. An suspecta illi Virginis sapientia fuit, cui imparem se videri turpe duceret? An ab Joanne præceptore suo, divinationibus dedito magicisque auguriis, præmonitus, arcanum aliud quidpiam in Icasiæ verbis, ac respondendi modo observavit? Egit nimirum Divina providentia, ut ad purpuram Theodora eveheretur, quæ posset et mariti sævitiæ paullum sua prudentia moderari, eoque mortuo Catholicam pietatem restituere ac stabilire:* B *et ipsa interim Icasia Christo virginitatem suam consecraret.*

*Divino nutu præhabita :*

6 *Exaggerat fortunatum hoc Theophili ac Theodoræ conjugium Constantinus Manasses, cum insigni Theodoræ commendatione, in hunc modum :* Michaelus excessurus e vita, Theophilo filio suo imperium tradidit : qui cetera per omnem vitam infelix, unum bonum nactus est, Theodoram conjugem, fœminam plane divinam, venerabilem inter mulieres alias, unioni et carbunculo similem. Huic ille matrimonio junctus, non solum liberum pater ex fœcunda conjuge factus est ; verum etiam felicitate principem illum hominem Adam superavit. Nam Adamum orta de costa, materque princeps hominum Eva, voluptate, quam ex arboribus Edenis percipiebat, privavit : hæc maritum vitæque socium ad dexteram partem eorum traduxit, qui salutem consequuntur. Et quidem hic tantum suavis illa cithara Davidis, ipsa quoque saxa demulcens, quiddam absonum cecinit, cum ait, Deum unius et ejusdem indolis atque morum homines in unum domicilium collocare. Nam hic stercus et unguentum fragrans, rosa rubens et horrida spina, tincturabilis et purpuræ convenerunt. Theodora lucus erat cunctis virtutibus ornatus, consitus gratiis hortus, arbor omnis elegantiæ modestiæque. Theophilus e diverso ager erat meræ impietatis tribulis refertus, rubus asper, lædens viscera rhamnus. *Pergit idem* C *auctor pluribus Theophili vitia, ac præcipue impietatem exaggerare.*

*viro, cetera infelici,*

*caussa salutis æternæ, ut creditur,*

Psal. 67. 7.

*ejus moribus longe dissimilis.*

## § II. *S. Theodora magnificentiam a marito, justo sed severo, edocta.*

Coronata Theodora, mater quoque ejus Theoctista, Zostæ et Patriciæ dignitate ornata est. *Ita Cedrenus. Etiam in fratres ejus, ac sororum maritos, amplissima collata officia sunt. Horum duos jam ante retulimus Magistrorum munus gessisse, tertium Patricium fuisse. De Barda inferius agetur, cui sua ambitio (non solum sorori) exitium attulit. Petronas a Theophilo Biglæ Drungarius, sive supremus Vigiliarum Præfectus, renuntiatus est : ac mox tamen insigni affectus infamia, non sine ipsius sensu Augustæ. Quod ita accidit.*

*Ejus consanguinei honorati.*

8 Theophilus (*ut habet Cedrenus*) justitiam colens, et, ut putabat, erga Christum, ejusque Matrem, fidem ac pietatem, singulis septimanis per viam publicam satellitibus stipatus ad Blachernensem Deiparæ basilicam equitabat ; inter eundum autem omnibus ad se aditum præbebat, præsertim injuria affectis, ut hi suas querelas exponerent, neque a quopiam eorum, qui injuste illos opprimebant, impedirentur, pœnæ metu ab ipso mox Imperatore infligendæ. D Simul per forum incedens inspiciebat res venales, ac de earum pretio interrogabat : neque obiter hoc, aut de una tantum specie, sed et de poculentis atque esculentis, vestibusque fovendo corpori aptis, et universim de omnibus quæ in foro prostabant. *Addit Zonaras :* Si quæ æquo pluris venirent, de iis ex Præfecto sciscitabatur, illique vel magistratum, si peccasset, abrogabat, vel certe objurgato, quid agendum esset, prescribebat.

*Theophilus egregie jus dicit,*

AUCTORE J. B.

*pretiis rerum venalium moderatur ;*

9 Sic igitur aliquando prætereuntem mulier quædam accessit, quæ sibi injuriam fieri a Drungario Biglæ questa est, (is autem erat Augustæ frater, nomine Petronas) qui cum in vicinia habitaret, ædibus in altum educendis, suis luminibus obstrueret. Ita illa Petronam accusavit. Is vero ab Imperatore accersitus, et quid mulier diceret interrogatus, nugas eam agere dixit. Tum Imperator, Cave, inquit, ne denuo ea de re me appellet ; id enim tibi non bene cedet. Dein mulierem adire ad Petronam jubet, et nisi ille damnum sarserit, ad se redire. Convenit illa Petronam, neque ullam damni compensationem obtinet. Re ergo desperata rursus Imperatorem interpellat. Hic statim Senatoribus quibusdam mandat, eant et E inspiciant, illatumne mulieri sit damnum. Abiere illi, damnumque cognitum renuntiavere Imperatori : qui in forum progressus, atque ibi stans, nudari Petronam jubet, ac diverberari illi tergum et pectus, et quæ in damnum mulieris ædificarat destrui, ac huic materiam omnem locumque attribui. Atque hoc specimen esto, quantam justitiæ Theophilus curam gesserit. *Hactenus Zonaras. Idem breviter perstringit Glycas. At nonne hæreticus hic Imperator surget in judicio, et multos condemnabit Reges ac Principes, etiam orthodoxos, nimium ad suorum Procerum ac Præfectorum, ne dicam satellitum militumque, rapinas aliaque scelera conniventes?*

*privatis sarciri a Proceribus damna imperat :*

*non parentes caussa cognita*

*severe multate*

10 *Quod hic Petronæ, id si nostra ætate viro nobili eveniret, is in perpetuum ab Aula ac publicis dignitatibus longissime absisteret : at non par fortassis apud Græcos summæ infamiæ sensus. Nam postea et exercitum duxit Petronas, et alia gessit in Rep. amplissima munera. Minime tamen dubium, quin Theodoram irrogatum fratri, merenti licet, supplicium acriter pupugerit. At plura illi præferenda a marito fuere. Quale illud quod de navi ejus, jussu mariti, cum mercibus incensa, ita narrat Cedrenus :* Aliquando animi caussa prospiciens de muro palatii, qui est versus mare, navim onerariam vidit plenis velis ac secundo vento appellare, quæ pulcritudine ac mole parem nullam habebat. Eam cum admiratione contemplatus, cujusnam esset, et quid mercium adveheret, percunctatur. Cum Augus- F tæ esse didicisset, dissimulavit tunc quidem, ac diem, quo sacram ædem sitam in Blachernis aditurus de more esset, expectavit. Ut vero tum quoque adfuit Augusta, ipse interea in qua statione navis esset edoctus, quaque ad eam duceret via, ad eam adiit, propiusque accedens, ad puppim stetit, et adstantes interrogavit aliquoties : An eget quisquam vestrum, frumento, vino, aliisve rebus necessariis? Sæpius interrogati vix tandem responderunt, se nulla re egere, quibus abunde sub ejus imperio et dominatu provideretur. At ille, An nescitis, inquit, quod me Imperatorem constitutum a Deo, Augusta uxor mea navicularium reddidit? Dein ista cum quadam acerbitate adjecit : Quis unquam Imperatorem Romanum institorem vidit, aut ejus uxorem institricem? Atque ista elocutus, confestim homines navi egredi jubet ; nulla re exportata, navim vero illam comburi ipsis cum velis et mercibus omnibus. Ipsam dein Augustam acriter objurgavit, minatus se ei vitam adempturum, si

*navim Imperatricis incendi jubet,*

*(ipsa severe objurgata)*

A si quid simile egisse deinceps deprehenderetur.

*Auctore J. B.*

11 *Paullo aliter id narrat Zonaras :* Sed et aliud referatur, *inquit*, quo et ejus observantia æqui, et sollicitudo de subditis declaretur. Appulit aliquando in portum, qui ad regiam est, navis oneraria pondere sarcinarum gravis, eoque ad extremum usque vinculum demersa. Imperator superne prospectans, navemque admiratus, per unum ex asseclis, cujus ea sit percunctatur. Ut Augustæ esse cognovit recens a mercatura reductam, quam ab Imperatrice missi in Syriæ partibus fecissent; si quid sarcinarum in navi haberent, id statim efferre jussit, ut nihil quod ad Augustam pertineret attingere. Quo facto, pulsis inde nautis, Græco igni injecto, navim cum ipsis sarcinis cremavit. Imperatricem maledictis insectatus. Nam cum me Deus, inquit, Imperatorem designarit, tu me nauclerum facere contendis. Scito autem mercaturam privatis hominibus esse attributam, ut ea tolerandæ vitæ occasionem habeant. Quod si nos præter Imperii opes, etiam mercaturæ emolumenta interceperimus, undenam fortunæ tenuioris homines victum comparabunt? *Idem apud Glycam monitum Imperatrici inculcatum.*

*cum mercibus e Syria advectis ;*

12 *Discrepat nonnihil ab utraque narratione Manasses :* Forte stabat, *inquit*, Imperator sublimi loco in B regia, ubi nivei coloris marmor ingeniose sculptum, vaccam ingentium laterum repræsentat, et leonem in vaccam insilientem, eamque cupide necantem : ex qua sculptura nomen loco datum est. Hic ergo stans Imperator et oculos in mare dirigens, quod cœlum sudum esset, ipseque maris intuitu sese recreare vellet; navim mercibus oneratam appellere videt, molli vento australi flante, ac navigium plenis velis tranquillum in portum deferente. Poterat autem aliquis etiam longo ex intervallo existimare navim appellentem ingens onus vehere. Nam mercium pondus ita navim deprimebat, ut e mari tertium modo cingulum extaret. Hac Imperator navi conspecta, quænam et cujus esset interrogat. Ubi tam navim quam merces Imperatricis esse cognovit, animi dolore compresso, et accersita conjuge, Eheu mea, inquit, Imperatrix, quo res meæ redactæ sunt! Eheu, qualem fortunam cum opulentissima commutavi! Nimirum jam Romanorum Imperator merces venales habeo, et ipsemet (eheu) institor factus sum, negotiatoribus etiam inferior. His dictis, navim una cum mercibus, quarum immensa erat copia, concremari jussit.

*navim appellentem conspicatus e Bucoleonte,*

13 *Peccavitne Theodora, et quatenus, institorio illo quæstu, adversus regalem magnificentiam, non disputo. Unum opto ut ad Theophili factum monitumque attendant ii Principes, qui subditis omnem emolumenti lucri-* C *que occasionem præripiunt, ac sibi jus vendicant vendendi res eas quæ sunt vel ad vitam sustinendam necessariæ, vel ad commoda utiles, a privatis licet exquisitæ. Quas deinde res vel redemptoribus locant crudeli monopolio distrahendas, vel per suos præfectos dispertiuntur eo pretio modoque, ut nemini sua prodesse vel industria vel parcimonia possit. Quanto ad gloriam illustrius, accommodatius ad benevolentiam popularium, ad publicas etiam utilitates quæstuosius esset, si opificum acueretur industria, securitati mercatorum consuleretur !*

*professus se privatorum commodis ita consulere :*

14 *Qui tamen quæstus cupiditatem ita damnarat in Augusta Theophilus, ipse se fœdiori avaritiæ scelere adstrinxit, immiti novorum tributorum exactione. Nisi quia plebeium, ideo flagitiosum est, merces aliunde advehendas curare, ut utaris, aut pretio, quibus uti nolis, distrahas : splendidum vero et magnificum, opes privatorum tributis exhaurire, quia regium. De Theophilo in S. Joannicii Vita IV Novembris ista habentur :* Ille congerendo auro totus inhiabat, et ab eo vitio plane superabatur. *ac deinde :* Scribis et exactoribus omnem simul vicum occupat, duas simul res exequi cupiens, ambas pessimas; ut nempe divitiarum appe- D tenti ejus animæ satisfieret exactionibus tributorum, et manifestus ei fieret quicumque Catholicam doctrinam sequeretur *etc.*

*ipse tamen avarus et tributorum immodicus,*

15 *Nec mirum proinde videri debet, quod is tantos in ærario thesauros, quantos infra dicemus, moriens reliquerit ; pluraque splendida opera fecerit. Nam* palatia filiabus suis (*quinque eæ erant*) condidit, ea regione quæ Cariani dicitur. Quorum subrutorum, nostra etiamnum ætate (*inquit Cedrenus*) extant reliquiæ. Muros quoque urbis summo studio refecit, humilioribusque dejectis, altiores extruxit, qui ab hostibus conscendi non possent ; qui etiamnum stant, nomine ejus inscripto, *inquit idem auctor : qui et alia ejus ædificia recenset, itaque concludit :* Et his quidem in rebus magnificus atque admirabilis habitus est Theophilus.

*in ædificiis magnificus :*

## § III. *S. Theodoræ liberi. Mariti castitas.*

16 *Ita magnificentiam a marito edocta Imperatrix, eum ipsa a turpi retraxit libidine.* Fertur sane *Theophilus*, *inquit Cedrenus*, dissolutius tum vivens ancillæ pulchritudine, quæ Imperatricis erat pedissequa, illectus, cum ea peccasse : sed agnito mox delicto, cum didicisset Theodoram ob id in summo esse mœrore, culpam confessus, manibus ad Deum sublatis jurasse, non nisi hac vice lapsum se esse, veniamque ejus ab uxore petiisse.

*castitatem doctus ab uxore,* E

17 Quin et meretrices, *ait idem Cedrenus*, quibusdam cellulis exturbavit, totamque domum expurgans, Xenonem (*hoc est ædes peregrinis excipiendis destinatas*) fecit, a se denominatum, insigni amplitudine atque elegantia : nunc fœminarum monasterium est. Ita alienus a fœda libidine fuit. *Eadem commemorat Zonaras.*

*meretrices pellit*

18 *Filias ipsi Theodora peperit quinque*, Theclam, Annam, Anastasiam, Pulcheriam, *et* Mariam; *ac demum filium unicum* Michaelem. *Priusquam hic nasceretur, Theophilus* filiarum natu minimam Mariam, præ ceteris sibi dilectam, statuit nuptui tradere. Maritum ei delegit Alexium, cognomento Moselem (Μωσῆλ) natione Armenium, ex Crenitarum familia, forma elegantem, ac florentem ætate. Huic Patricii, deinde Proconsulis honorem contulit; deinde Magistrum, ac tandem Cæsarem fecit : exercituque idoneo instructum in Longobardiam misit, rebus ita poscentibus. Eo profectus Alexius rem præclare gessit, et ex sententia soceri. Quo factum est, ut crescente ejus desiderio simul invidia quoque augesceret : criminabanturque eum nonnulli, ut Imperium ambientem; addebantque fore aliquando ut A in Θ dominatum obtineret. Cæsar ut voces æmulorum cognovit, multis ab Imperatore precibus contendit, ut sibi permitteret ad vitam monasticam transire. Verum id Imperator passus non est, ne filiam marito orbaret. Proinde Alexius suum statum tenuit, ac securus Remp. gessit.

*Maria ejus filia desponsa Alexio Moseli, qui Cæsar factus*

*invidiam patitur,* F

19 Ut vero Imperatori filius natus est Michael, et Cæsaris uxor diem suum obiit; Theophilus filiæ defunctæ tantum honoris detulit, ut cadaver in arca auro obducta reposuerit, et cujuscumque flagitii reis asylum ad ejus sepulchrum concesserit. Alexium vero clam digressum, habituque monachico indutum, cum revocare ab instituto nullis suasionibus posset, ægre missum fecit, deditque ei quod juxta Chrysopolim est regium monasterium, et Btysei, quodque ad Elæam. Cum vero aliquando deambulandi gratia ad locum venisset qui Anthemii dicitur, obtento Imperatoris mandato, eum emit; in eoque insigne construxit monasterium : in quo et post mortem sepultus est, et cum ipso frater ejus Theodosius, qui patriciam dignitatem consecutus, multa optimæ vitæ

*sponsaque mortua*

*ultro fit monachus,*

suæ

A snæ documenta eo in monasterio reliquit. *Eadem aliquanto brevius narrat Zonaras.*

20 *Reliquiæ filiæ videntur cœlibes vixisse : nusquam enim conjugii earum mentio fit. Non tamen habitum sanctimonialium sumpsere, nisi coactæ atque e regia pulsæ, ut mox dicemus. Sed matri Imperium, post patris obitum, pro filio admodum adolescente gubernanti adstiterunt. Ita enim Michaelem Bardas, in Vita S. Ignatii per Nicetam, alloquitur :* ἵνα τί ἔλεγεν, ὦ δέσποτα, παραχωρεῖς τὴν βασιλείαν τῇ μητρὶ καὶ ταῖς ἀδελφαῖς; Cur, inquit, o Domine, permittis Imperium matri et sororibus? *Ipseque ibidem Ignatius* Βασιλίδας Reginas *eas appellat :* Et nunc, *inquit*, quod Reginarum est facinus! *Michaeli ergo cum matre, ut Theodosio Juniori Pulcheria cum suis sororibus, opera consilioque adstiterunt. Exhibet Baronius tom.* 10 *ad an.* 866 *num.* 14 *Theclæ natu maximæ, unaque matris ac fratris imaginem in aureo expressum numismate. Theodora orbem dextra sustinet duplici cruce superposita, læva sceptrum; circumque adscriptum* ΘΕΟΔΩΡΑ ΔΕΣΠΟΙΝΑ *id est*, Theodora Domina. *In aversa parte puerili imago est, dextra orbem tenentis cum unica superne cruce; ad lævam ejus stat soror eodem quo mater cultu, sed absque sceptro et orbe, adscriptum supra*, ΜΙΧΑΗΛ. ΘΕΚΛΑ. *At Maria, licet Alexio Cæsari desponsa,*
B *Virgo decessisse videtur : quippe ante patrem, qui* XII *annis, mensibus* III *imperavit; uxorem autem duxit Imperio jam adepto, e qua illi quinta ordine nata est Maria, ut proinde non videatur hæc, cum decessit, plusquam* VIII *aut summum* IX *fuisse annorum.*

*aliæ filiæ cœlibes,*

*Reginæ appellatæ,*

*reip. consulunt cum matre.*

*Theclæ senioris imago in nummo.*

21 *Ut superstitum aliqua Ludovico* II *Imperatori, filio Lotharii, connubio jungeretur, postea actum videtur. Nam in Bertinianis Francorum Annalibus apud Chesnæum tom.* 3 *ista ad annum* DCCCLIII *habentur :* Græci contra Ludowicum filium Lotharii, Regem Italiæ, concitantur, propter filiam Imperatoris Constantinopolitani ab eo desponsatam, sed ad ejus nuptias venire differentem. *Neque enim præter has quatuor, Imperatoris filiæ erant. Bardæ quidem filia erat, Symbatio nupta; sed nec Cæsar tunc erat Bardas, ut imperitia Latinis scriptoris appellatus Imperator possit existimari. Ab eo autem consilio locandæ Ludovico filiæ Imperatricis, sumpta Theoctisti criminandi occasio, ut infra dicetur.*

*aliqua earum Ludovico II Imp. desponsa,*

*non nupta.*

22 *Sex solos, quos diximus, habuit liberos Theodora. Fuit tamen Gebo quidam, sive* Γήβων stolidus maleque sanus homo, *ut in S. Ignatii Patriarchæ Vita dicitur*, qui Dyrrachio *Constantinopolim, ante annum* DCCCLV, venit, veste tamen Ecclesiastica indutus,
C seque Theodoræ Augustæ filium ex alio viro inepte jactavit. Cui non pauci ex plebe veluti imperaturo adhærebant : *idemque in* Oxiam insulam *relegatus*, subque arcta custodia habitus, *ac postea interemptus. Hinc Bardæ Cæsaris convicium in S. Ignatium*, Γηβωβασιλευτὸν *eum appellantis, sive* Gebonis Pseudoimperatoris studiosum. *Verum ad anteriora, Theophilo imperante gesta, revertamur.*

*Gebo Theodoræ filius falso creditus.*

## *§ IV. Theophilo sacras imagines persequente, S. Theodora clam eas veneratur cum matre.*

E*rat Theophilus Imperator (ut tradit ejusdem Vitæ S. Ignatii scriptor Nicetas)* cetera non malus, et justitiæ propugnator; sed in sacrarum imaginum abrogatione, atque Orthodoxorum insectatione, nullo superiorum persecutorum inferior : *credebatur* id Joannis, quem Antonio Patriarcham suffecerat, impulsu facere. *Joannem illum*, Jannem vocabant, *inquit Zonaras*, tum propter hæresin, tum propter præstigias : *repetita nempe appellatione ab antiquo illo* Janne *mago Pharaonis, cujus S. Paulus* 2 *ad Timotheum* 3 *meminit. De Janne pseudopatriarcha Cedrenus :* Jannes pædagogus Theophili succedit, sacerdotium istud impietatis suæ atque perfidiæ præmium adeptus. *Ac post multa :* Is per omnem vitam impiæ Iconomachorum hæresi impense deditus fuit, præstigiarum quoque et divinationum per pelvim toto vitæ tempore studiosus; patri vero Theophili Michaeli Balbo carissimus, sive ob hæresis societatem, sive ob doctrinæ opinionem, et præceptor Theophilo ejus filio datus. Theophilus Imperio potitus, primum ei dignitatem Syncelli contulit; deinde Patriarcham Constantinopoleos creavit. Solitus is fuit illi pelvis vaticinatione et præstigiis futura prædicere. D

*Theophilus præceptore usus Joanne,*

AUCTORE J. B.

*Iconomacho et mago,*

24 *Non mirum, si tali usus magistro ac consiliario Theophilus (quod de eo Cedrenus idem scribit)* omnes, qui ante ipsum fuere, tyrannos vincere conatus est crudelitate. Fuerunt ii Leo, Constantinus Copronymus, ipsiusque pater Michael Balbus. Et hic quidem edixerat, ne ulli pictæ imagini, ubicumque ea picta esset, vox SANCTUS apponeretur, quod ea nulli rei nisi soli Deo conveniat; imperite sane ratiocinans. Nam cum nomen ipsum DEUS hominibus a Deo tribuatur, augustius longe quam sit SANCTUS, cur hoc, quod multo humilius est, iis denegetur? Ante eum quidem Leo, ejusque filius Constantinus, omni imaginum adoratione prorsus interdixerant. Theophilus autem ne pingi quidem eas coloribus concessit, abjecti esse animi dicens, talium rerum capi admiratione; solam spectandam esse veritatem. Itaquæ divinæ imagines omnibus in templis dejiciebantur; earumque loco belluarum aviumque figuræ affigebantur, belluinam ac servilem ejus arguentes E insaniam. Tunc impuris manibus sacrosancta cimelia in foro jactabantur, atque ignominiose tractabantur. *Deinceps ea narrat quæ adversus cultores, pictores, defensores sacrarum imaginum, præsertim monachos, designavit impius Princeps.*

*sacras imaginis pingi vetat,*

*easque confringit :*

25 *Quo hic dolore discruciatum fuisse Augustæ animum existimamus, dum ista cerneret audiretque agi a marito, neque intercedere posset? Quid, quod ipsa quandoque non abfuit longe a periculo? Fidem facit quod a Cedreno narratur :* Alebatur, *inquit*, in Aula homuncio quidam delirus, et Homerico illi Thersitæ persimilis, impeditæ linguæ, ac ridiculus, solumque joci gratia in palatium admissus, Denderis nomine. Is aliquando in Augustæ conclave ingressus, deprehendit eam sacras amplectentem imagines : easque videns fatuus ille, quid eæ sibi velint sciscitatur, ac propius accedit. Augusta subrustica formula respondit, bellas suas pupas esse, sibi valde caras. Erat tunc in convivio Imperator, ac turpem illum Denderim ad se inde venientem interrogat, ubi fuerit. Respondit is apud Manam (ita Dominam Theodoram appellans) fuisse, vidisseque perbellas F e pulvinari pupas depromentem.

*quasdam clam veneratur Theodora :*

*a morione deprehensa, pupas esse ait*

*ab eo delata,*

26 Rem assecutus Imperator, iræ plenus surgit a mensa, ac statim ad uxorem adit, et tum alia ingerit convicia, tum idololatrim eam effræni lingua appellitat, simulque, quid insanus ille retulerit declarat. Illa, ut mariti animum in præsentia placaret, Male, inquit, suspicaris, o Imperator. Aliter se res habet ac putas. In speculo me cum ancillis contuebar : Denderis conspicatus in eo relucentes formas, stulte indicium, quod ais, fecit. His illa verbis Imperatoris iracundiam mitigavit : Denderim vero digna pœna multavit, docuitque ne cui deinceps de pupis loqueretur. Ideoque surgente aliquando Imperatrice, Denterim interrogat Theophilus, rursumne bellas illas pupas Mana amplexetur? Ille dextera labiis apposita, Tace, tace, inquit, o Imperator, de pupis. *Idem narrant Glycas ac Zonaras, et quam Cedrenus ac Scylitzes* Manam, *ipsi* Mannam *a morione appellatam Theodoram scribunt. Addit Zonaras, eam* sacras imagines clam marito supra modum honorasse. *Quod autem de imaginibus respondisse eam Denderi tradunt*

*ingeniose id eludit,*

*ac deinde morionem castigat.*

*Zonaras*

A *Zonaras ac Cedrenus*, τὰ καλά μου νίνια, *Scaliger* νίννια bellas meas pupas; *Gabius vertit*, calami imagunculas; *nam καλάμου videtur legisse pro καλά μου*.

AUCTORE J. B.

*Mater ejus neptes bonis monitis instruit*

27 *Confirmabat Augustam in hoc studio venerandi imagines Mater sua Theoctiste, et ad eamdem pietatem ejus filias, neptes suas, erudiebat, atque Imperatorem generum suum intrepide monebat.* Ea ad domum suam Gastriis proximam, *ut scribit Cedrenus*, invitans Theodoræ filias (quinque erant, Thecla, Anna, Anastasia, Pulcheria, Maria) tum aliis donis, quibus allici is sexus solet, sibi conciliabat, tum seorsim abductas obsecrabat, ne molles essent ac ignavæ, neque (quod erant) fœminæ permanerent, sed viros sese præstarent, ac decentes maternaque dignas educatione capesserent cogitationes paternamque hæresim detestatæ, sacras imagines amplecterentur: simul ipsa eas in manus sumens imagines (in arca autem servabat) ipsarum faciei labiisque admovebat, et ad earum amorem provocabat.

*colere imagines docet;*

28 Hoc cum illa identidem ageret, atque in neptibus desiderium sacrarum imaginum accenderet, Theophilum haudquaquam fefellit. Sciscitante enim eo aliquando quid ipsis ab avia donatum esset, quidve apud eam gratiose actum; cœteræ interrogationem ejus velut captionem, prudenti usæ consilio, declinarant; at Pulcheria tenellæ ætatis simplicitate B ducta, blanditias recensuit, et copiam fructuum, indicavit etiam venerandarum imaginum adorationem, ita pueriliter sentiens ac loquens, habere aviam multas in cista pupas, quas ipsarum capitibus ac vultibus, post oscula, imposuerit. Percitus furore Imperator, nihil tamen in socrum durius statuere ausus est, tum verecundia et reverentia erga mulierem, tum potissimum libertate, qua illa utebatur, repressus. Eum enim ipsa aperte arguebat, et quotidianas Confessorum persecutiones, ac manifestam hæresim, exprobrabat; et fere sola, universorum in ipsum odia illi patefaciebat. Prohibuit ergo solum ne deinceps aviam filiæ adirent. *Eadem brevius refert Zonaras, atque nulla a Theophilo molestia affectam Theoctisten*, quod eam revereretur et ob affinitatem, et magis etiam ob virtutem, cum quidem sæpe ab ea reprehenderetur, et quod Orthodoxos persequebatur, et sacris imaginibus injuriam irrogabat, iisque rebus omnium subditorum in se odia provocabat.

*Imperatorem arguit,*

29 *Non ita Theophilum arguere audebat imperatrix: minime tamen dubium est, quin eum sæpe ad clementiam sit hortata. S. Lazarum Monachum, quo de infra ad XXIII Februarii agemus scribit Cedrenus, cum immanibus tormentis esset, ejusdem jussu Imperatoris, excruciatus, dimissum tandem e carcere*, ἐξαιτήσεως τῆς δεσποίνης καὶ τινων ἄλλων χρησίμων χρηματισάντων αὐτῷ deprecationibus Augustæ, atque hujus intimorum.

*Theodora S. Lazaro Confessori libertatem impetrat.*

C

## § V. *Imperium S. Theodoræ una cum Michaele delatum, præclare gestum.*

Porro Theophilo Imperatori, *ut scribit Cedrenus*, curiose inquirenti, qui post se essent imperaturi muliercula quædam superioribus bellis capta de Saracenis, quæ feliciter solebat futura prædicere, adducta est. Sciscitatus ex ea est Imperator quæ voluit, ac præcipue quinam post se essent Imperio potituri. Illa vero, seu Divino instinctu, seu diabolica concitatione, Tibi, inquit, Imperator, filius succedet, matre Imperii socia. Post eum vero Martinaciorum genus diu Imperium tenebit. Vix id illa dixerat, cum illico Theophilus Martinacem, quamvis sibi apprime carum, attonderi in monachum jubet, domumque ejus in cœnobium redigi. *Non ita tamen vaticinationis successum elusit: nam et S. Theophano Thaumaturga Imperatrix, Leonis Sapientis uxor, erat, ut habent Menæa*, ἐξ αἵματος βασιλικοῦ γέννη-

*Theophilus ex vaticinio quadam intelligit filium cum matre post se regnaturum,*

σιν ἔχουσα, ἐκ τῶν περιβλέπτων Μαρτινακίων, θυγάτηρ D Κωνσταντίνου, τὴν ἀξίαν Ἰλλουστρίου, καὶ μητρὸς Ἄννης. regio sanguine orta, ex clarissimis Martinaciis, patre Constantino Illustris honorem adepto, matre Anna. *Integram ejus Vitam dabimus* XVI *Decembris. Et Theophanonis socrus Eudocia, Leonis mater, Ingeris Martinacii, viri nobilissimi filia fuit.*

31 *Pergit Cedrenus*: Neque id solum mulier illa, sed et alia multa de rebus futuris prædixit: nimirum Jannem ex patriarchali solio deturbandum, restituendum sacris imaginibus consentaneum honorem ac venerationem. Quamobrem magno correptus dolore Theophilus, sæpenumero Augustam et Theoctistum Dromi Logothetam hortatus est, ac religiosissimo jurejurando obtrinxit, ne se mortuo aut Jannem Patriarchatu dimoverent, aut idolorum (ita sacras appellitabat imagines) paterentur cultum reduci. Neque sola illa muliercula istud est vaticinata, sed et Jannes divinatione per pelvim usus perspicue successorem demonstravit. Nec soli Imperatori mulier illa, sed et aliis ad interrogata respondit.

*restitutum iri imagines:*

*hoc ne patiatur, Theodoram adjurat.*

32 *Lethali correptus dysenteria Theophilus, eaque in dies ingravescente, ut idem scribit Cedrenus*, lectica se ad Magnauram deportari jubet, eoque senatum convocat, ac ceteros, qui in urbe erant, viros illustres. Coram his rerum suarum miseram conditionem E tragice deplorat, eosque omnes obtestatur, ut quam ipsi fidem benevolentiamque antehac testati sint, eam porro uxori filioque servent, iisque Imperium ab insidiis tutum præstent. Miserabili Imperatoris oratione commotis adstantium animis, ejulatum universi sustulerunt, a Deoque omnes salutem ac vitam Imperatori flagitarunt: simul polliciti, si quid ei humanitus accideret (quod ipsi quidem ne fieret orabant) se tunc pro uxore ejus, Domina sua, et liberis, ipsam quoque, si ita res ferat, vitam impensuros, iisque Imperium incolume conservaturos. Secundum hæc Theophilus morbo plane consumptus, paullo post debitum naturæ persolvit, cum Imperium annos XII, menses III gessisset. *Ita Cedrenus, et paullo brevius Zonaras. Capessiverat Imperium, ut idem scribit*, mense Octobri, Indictionis VIII; *anno videlicet Æræ vulgaris Latinorum* DCCCXXIX. *Obiit ergo sub exitum anni* DCCCXLI, *vel sequentis initio.* Moriturus, *autem ut scribit Glycas*, petebat, ut imagines sacræ rursus ne erigerentur, neque Joannes Patriarcha, præstigiator insignis, loco moveretur. *Id autem unice* tunc rogavit Augustam, et Theoctistum Canicli Præfectum, qui secundam ab ea potestatem obtinebat, *uti Zonaras tradit.*

*Ægrr eam ac filium Senatui commendat.*

33 Mortuo Theophilo, *inquit Cedrenus*, filius ejus Michael sceptrum capessit, cum matre Theodora. Habuit autem tutores atque moderatores, quos ei F pater testamento præfecerat, Manuelem Magistrum ac Scholarum Domesticum, et Theoctistum Patricium Dromique Logothetam. Hi, statim ut decesserat Theophilus, in Hippodromum progressi, vocato isthuc ad concionem populo, verba recens mortui imperatoris commemorarunt, ejusque benevolentiæ commonefecerunt, ac multis blandis et ad animos conciliandos accommodatis verbis, civium favorem novo Imperatori paraverunt: qui polliciti sunt se vel sanguinem suum pro ejus salute profusuros, et dicta sua jurejurando firmarunt.

*eo mortuo,*

*industria tutorum*

*concitato populi favore,*

34 *De hisce Imperii Theodoræ auspiciis ita loquitur Nicetas in S. Ignatii Vita*: Theophilus decedit, totumque Imperium in Theodoram, matronarum religiosissimam præstantissimamque, et Christianissimam Imperatricem, Michaele filio admodum adhuc tenero, devolvitur. *Constantinus Manasses*: Cum trajecturus esset Theophilus amnem essentiæ interitui obnoxiæ, quem omnes crasso corpore circumdatos

*Theodora cum filio egregie imperat.*

A datos permeare necesse est (ita nimirum jubente natura, quæ velox est trajectrix, et abs quovis debitum exigit) annum jam duodecimum imperans, Michaelem filium, admodum adhuc puerum, imperiali corona redimit. Quia vero non abs re tenera isthæc ætas patri suspecta erat, matrem imperii consortem facit, ut quæ filio curatricis loco futura esset. *Ac post pauca:* Ceterum quamdiu puer erat Imperator, matrem Theodoram secum habebat, quæ omnia dextre gerebat, Imperiumque præclare administrabat.

### § VI. *S. Methodius Confessor, Janne impostore ejecto, Patriarcha a S. Theodora constitutus. Imagines restitutæ.*

Theodora itaque cum filio summa rerum potita, *inquit Cedrenus,* Imperio confirmato, statim ab initio, quod pii homines hortabantur, deliberavit de abolenda Iconomachorum hæresi, quæ ab Imperio Leonis Armeni ad mortem usque Theophili per Romanam se propagaverat ditionem. Ad eam extirpandam Theoctistus quoque se socium præbuit: Manuele tantisper adhuc nutante. Neque vero aperte quisquam de ea re sermonem facere audebat, cum maxima pars Senatus et Concilii, atque ipse etiam B Patriarcha, hæresi ei dediti essent. Solus id deinde ausus est Manuel, Divina excitatus virtute. Prius enim, ut diximus, de sacrarum imaginum adoratione anceps hæsitabat: tandem ad eam animum serio adjecit, hanc ob caussam. Inciderat in gravissimum morbum, ut omni medicorum arte fatigata, jam de vita ejus desperaretur. Ad eum adiere pii quidam monachi ex Studii cœnobio, quibus relatum erat eum jam obiisse. Cumque ad lectum propius accessissent, et adhuc vivere eum ac spirare sensissent, victurum porro, et vires sanitatemque pristinam recuperaturum denuntiant. Dictis ille primum fidem minime habuit, tamen instantibus iis ne de Dei dono et gloria ipsis patefacta dubitaret, paullulum se ex morbo colligens, tenui atque imbecillo spiritu ait: Quomodo, divini Patres, istud mihi eveniet? Defecerunt animæ facultates, corpus omnino confectum exaruit, jaceo totus exsiccatus, solisque ossibus constans, eoque solum a mortuis differo, quod spiritum duco. Quæ igitur spes, quæ ratio mihi persuadeat fore, ut vires recuperem, ac pristinæ restituar valetudini? Respondent viri sancti: Deus omnia potest, nihil illi impossibile. Si igitur sanitate recepta daturus operam es, ut excitatum ab Iconomachis incendium restinguatur, et sacræ imagines secundum vetera Patrum decreta restituantur, tibi certo vitam promittimus. Atque ista C fati abiere. Statim vero et morbus remisit, et naturales facultates omni impedimento liberatæ sunt, brevique temporis spatio ægritudine omni solutus est Manuel.

*Restitutioni imaginum favente Theoctisto,*

*Manuel alter tutor Michaelis tergiversatur:*

*hinc moribundo promissa si faceret*

*subito convalescit,*

36 Sic ergo allevato corpore, statim equo conscenso ad palatium tendit, ingressusque ad Imperatricem, summopere eam ad reponendas sacras imagines exhortatur. Ea vero jampridem occasionem hujus rei agendæ quærebat, subinde instigata a matre sua et fratribus Patriciis. Nihilominus tamen Manuelis verbis tum sese opposuit, sive juramenti marito præstiti religione, sive multitudinem hæresi adhærentium, uti diximus, reformidans. Cum urgeret Manuel, O Magister, inquit Theodora, marito meo, et Imperatori accuratio cumprimis cordi erat, nihilque egit unquam inconsiderate. Et dogma illud de colendis imaginibus, nisi legibus divinisque Scripturis esset damnatum, numquam ab Ecclesia proscripsisset. Hæc elocutæ, Manuel comminatus est, fore ut cito et Imperio excideret et vita privaretur, unaque ejus filius, nisi divinum illum ornatum sacrarum imaginum restitueret Ecclesiis.

*ad id ultro Imperatricem stimulat,*

*cum minis:*

D *AUCTORE J. B.*

37 Quibus verbis seu perterrita, seu certe (ut diximus) oblectata Theodora, ad opus se accinxit. Confestim ergo in tabernacula Theoctisti convenire omnes jubet, qui de Senatu et Concilio sapientia et eruditione præstabant, deque recta religione in medium consulere. Ibi omnibus (uti censeri merito poterant) congregatis, varii habiti sunt sermones, non pauca sacræ Scripturæ testimonia producta, ac tandem piæ partis sententia obtinuit, factumque decretum de sacris imaginibus quamprimum reponendis, Episcopis et monachis, ac senatorii ordinis viris, quotquot prius majoris partis morbo detinebantur, nunc meliora edoctis, et veritatem amplectentibus.

*illa in Concilium Proceres vocat:*

38 Spoliatus quoque dignitate est impius Jannes, et throno patriarchali dejectus, missis ad eum præstantibus viris, custodiæ palatii præfectis. Quibus ille primum parere recusavit, affirmans se omnino ab ea Ecclesia non recessurum. Verum ut ad Augustam, quæ eos miserat, reversi sunt, illique ejus contumaciam retulerunt; statim Bardas Patricius ad eum ablegatur, percunctaturus an orthodoxæ fidei cedere patriarchium nollet. Jannes autem homo versutus, et fraudis calumniæque struendæ, si quisquam, gnarus, plumbo sibi ventrem ac dorsum, natesque E compungit, ut flagris a quopiam cæsus videretur; atque ab iis qui missi fuerant ista se perpessum exclamans, tantum sibi temporis concedi flagitat, donec vibices eluerentur. *Curopalates hæc ultima ita refert, Gabio interprete:* sed præcipue a Constantino Viglæ Drungario supplicabat, tantisper sibi veniam dari, quoad vibices evanescerent. *Pergit Cedrenus:* Bardas autem Viglæ Drungarius, a quo se ita cæsum Jannes dicebat, impostura detecta, ira commotus, etiam renitentem patriarchio ejicit.

*Jannem Pseudopatriarcham,*

*cedere recusantem,*

*atque impostura moras [illegible]*

*ejici jubet*

39 *Ac post pauca, quis cujusque fuerit Joannes ille, sive* Jannes, *ita commemorat:* Tulit Jannem istum magna hæc urbs, cunctarumque princeps urbium, Morocharzariorum stirpe editum. At jam in senium vergentem monasterium gloriosorum Martyrum Sergii et Bacchi, eum præsidem accepit, velut draconem in ecclesia ceu caverna delitescentem. Dein paullatim ad altiora progressus est, Iconomachorum impiæ hæresi per omnem vitam impense deditus, præstigiarum quoque et divinationum per pelvim studiosus: carusque ideo Michaeli Balbo, *ac dein Theophilo, uti ante dictum, § 4 num.* 23, cui pelvis vaticinatione magicisque præstigiis futura solebat prædicere.

*qui is fuerit*

40 *Quos Cedrenus scribit, ante Manuelem Magistrum, Theodoræ una cum matre auctores fuisse restituendarum imaginum* τοὺς μητραδέλφους τοὺς πατρικίους avunculos Patricios; *eos Zonaras* τοὺς συγγόνους τοὺς πατρικίους *appellat,* fratres Patricios *(quomodo et nos vertimus) Bardam videlicet et Petronam. Addit, primo omnium revocatos ab ea, quos in exilium miserat Theophilus; quos in carcerem hic incluserat, dimissos; quosque aliis ærumnis afflixerat solutos: ac priusquam de hæresi quæreretur, exturbatum e solio Jannem. Duplex habitum videtur fuisse Concilium; primum Procerum, præside Augusta, allectis etiam quibusdam e Sacerdotum cœtu: atque in hoc decretum, ut restituerentur imagines, pelleretur solio patriarchali impostor. Alterum Episcoporum, cui Methodius præfuit. De priore illo conventu jam dictum e Cedreno; de secundo ita Zonaras:* Augusta ante inquisitionem, Patriarchæ nomine indignum, magnum illum Joannem pontificia detrahit Sede, quam per sex annos nefarie tenuerat: in ejus vero locum introducit sacrum illum ac divinum Methodium, quo populum orthodoxum gubernante, inquisitio facta est, et sacræ imagines palam restitutæ et adoratæ. *Quod paullo ante, superstite Theophilo, Methodii opera perfectum in S. Eustratio monasterio*

F *Confessore revocato:*

*Concilium aliud habetur de imaginibus,*

*præside S. Methodio,*

*AUCTORE J. B.*

A *monasterii Agaurorum Abbati, de quo IX Januarii egimus, S. Joannicius prædixerat, ut in hujus Vita traditur IV Novembris, dicemusque et ad S. Methodii Vitam XIV Junii, et quos hic olim labores debuerit, ut eam rem ad optatum exitum perduceret, et alias in Ecclesia subortas dissensiones sopiret.*

*ut divinitus prædictum:*

41 Hunc beatissimum virum *antea, ut scribit Zonaras*, nolentem perversæ suæ suffragari opinioni, post multos cruciatus, malarumque contusionem, et dentium excussionem, in insulam Panormum, quæ nunc Antigoni appellatur, impius relegarat Theophilus, et intra monumentum cum duobus incluserat latronibus: quorum altero mortuo, quantam violentiam ac molestiam vir sanctus ex teterrimo cadaveris fœtore tolerarit, nulla quisquam oratione consequi potest. *Eadem memorat Glycas, Manasses, Cedrenus, sed hic cadaveris non meminit.*

*is incredibilia passus sub Theophilo.*

42 Cum autem septimum, *inquit Zonaras*, annum vir sanctus in sepulchro exegisset, inde ejectus, atque in regia conclusus est, nemine eum vidente præter ministrum ejus et Imperatorem. Nam cum hic multa studiose legeret, de dubiis B. Methodium consulebat, eaque de caussa etiam cum peregre proficiscebatur, secum eum habebat. *Qua autem ratione fuerit ab exilio revocatus, exponit Constantinus Manasses*; Ad extremum, *inquiens*, inde prodiit, ortus diurni solis instar; volente scilicet (ut credi par B est) Deo, qui abyssos perspicit, et Cherubinis ac Seraphinis insidet, insignem hunc virum ceu munitam urbem in monte sublimi collocare; ne tanta virtus, veluti lucerna sub modio, tristi caliginosoque specu abdita lateret. Accidit enim ut Theophilus Imp. lectitandis libris semper occupatus, unde alveolos scientiæ fingebat, quemadmodum apis sedula de pratorum floribus in griphos et labyrinthis consimilia quædam incideret, ita ut dura isthic quasi decorticare, ac obscura illustrare nemo recte posset, tametsi vel sexcenti apud ipsum essent doctrinæ fama celebres. Cum igitur Imperatori permolesta hæc res accideret, et animum ejus angeret; quidam ex Proceribus et Cubiculariis accedens, Methodium prædicat, indicatis ejus dotibus, doctrinæ magnitudine, scientiæ copia expedita et abundanti, prudentia sapientiaque vertice suo cælum ipsum attingente; sive divinitus ut hoc faceret commotus, sive clandestinum amorem alens erga virum mente cælestem et numine divino plenum. Hæc Imperator audiens, Methodium de specu eductum, (ceu unionem e concha, sidus e nube) virum clarissimis radiis refulgentem, et tenebras atque caliginem ignorantiæ discutientem, ad sese revocat et invitat. Cumque gustum linguæ Methodii percepisset, homini præclaro C in regia domicilium adsignat; tamquam magni rem pretii, gemmamque splendidam rutilantem, lucidam, in thesauris inviolabilibus et inaccessis collocans: atque hic frequenter adsidens Nilo illi aurifluo, de dulcissimis aquis largiter hauriebat. *Idem aliquanto brevius memorat Glycas.*

*ab eodem in aulam advocatus*

*ad dubia ei solvenda,*

*suggerente quopiam aulico;*

*sæpe ab Imperatore consulitur,*

43 *Cur eum secum, etiam ad expeditiones bellicas, Theophilus duceret, caussam fuisse ait Cedrenus*, sive quo eximia ejus sapientia in multis obscuris atque intricatis rebus explicandis uteretur; sive id cavens, ne quam ille rebellionem concitaret, propter sacrarum ac venerabilium imaginum abolitionem: nam qui primarii in urbe erant, maximeque pietati dediti, magno in honore Methodium habebant: itaque eum post se relinquere, minime consultum Imperatori videbatur.

*ducitur etiam ad bellum,*

*carus populi primoribus:*

44 *Hunc igitur Methodium, Jannæ submoto, in patriarchale solium evexit Augusta*, divinum plane virum, *ut ait Cedrenus*, et adhuc confessionis suæ, toleratorumque propter eam cruciatuum notas in corpore suo gestantem; piis omnibus, Sacerdotibus juxta ac laicis, et monachis, etiam qui in montibus D religiosam vitam agebant, summo gaudio ejus promotionem approbantibus, et confestim ad Imperatricem confluentibus, atque uno ore hæresim Iconomachorum æterno anathemate damnantibus. Hæc ipso initio Imperii a venerabili Theodora ejusque filio præclare gesta sunt. *Quas ille confessionis suæ notas in corpore gestaret, explanat Glycas his verbis*: Quia Methodii malæ propter sacrarum imaginum propugnationem contundendo læsæ solutæque fuerant a Theophilo, post VII Synodum imaginum eversionem renovante; necesse habebat, ut eas tenui quadam fascia linea obligaret. Unde (mea quidem sententia) mos inolevit, ut Pontifices ab interiori parte lineas fascias alligatas habeant.

*fit patriarcha, piis Augustæ,*

*piis probantibus,*

*fascia malas ante contusas subligans.*

45 *Studium, quod ad restituendam pietatem tunc contulit Augusta, eleganter amplificat Constantinus Manasses*: Ea superiori tempore, *inquit*, tamquam nocturna discipula, Nicodemo illi timido similis, sacras imagines occulte venerabatur. Nunc autem alta voce ac libere profitebatur id quod sentiebat: eratque tuba clara: vel potius ut avicula canora, pullorum altrix, implumes ex locis omnibus volucres cogebat, quotquot abdiderant sese, donec anceps præteriret. Et quamvis semina præstantissima sub corde tegeret, ut agellus ferax, ut pinguis sulcus; hieme tamen sæviente germen nullum protruserat. E Nunc autem elapso longe acerbissimo illo hiberno tempore, ac vere suaviter ridente, pristinamque tristitiam dissipante, multipliciter pullulabat, et segetem copiosam ferebat; velut ager excitatus a Favoniis, et ejus Spiritus gratia qui omnia perficit. Quamobrem coactis hominibus acceptis Deo, quos non inepte dixeris industrios soli fossores, spinas oppugnationis imaginum prorsus evulsit. *Hactenus Manasses.*

*Theodora hæresin Iconomachorum eradicat.*

## § VII. *S. Theodoræ contra impios zelus, de anima mariti sollicitudo, erga Confessores reverentia.*

Impius Jannes, *ut scribit Cedrenus*, monasterio inclusus eidem, certo ejus loco affixam imaginem Christi Dei, Deiparæ et Archangelorum, conspicatus, Diaconum suum jubet eo ascendere, et venerabilium imaginum eruere oculos, dicens eas videndi facultate non esse præditas. Hoc ut rescivit religiosa Imperatrix, sancto zelo inflammata, effodi ipsi oculos mandat. Verum quorumdam intercessione procuratum, ne id fieret. Missis tamen satellitibus, ducentis eum multari flagrorum ictibus præcepit.

*Jannem sacrilegum*

*multat:*

47 *Dein quibusdam interjectis de nefaria hominis magia ac libidine, subdit idem Cedrenus*. Ceterum Jannes, quo dixi pacto, ejusque socii eadem ratione dejecti, non se tamen continuerunt, quin et contra sacras imagines aliquid adhuc molirentur, et piis insidias struerent. Fraude enim adversus magnum Methodium concinnata, calumniari virum integerrimum, atque ita populo orthodoxo dolorem afferre conati sunt. Mulierem quamdam (mater ea erat Metrophanis, qui deinde Smyrnæ Præsul fuit) multo auro promissisque corruptam subornant, ut Imperatrici ac tutoribus Imperatoris dicat, sibi Methodium vim attulisse. Instituitur continuo plenum horroris judicium, adlectis ad id ex sacro laicoque ordine Judicibus. Adstabant orthodoxi, mœstitia ac dolore oppressi: nec aberant impii, rati insigne dedecus ea actione inustum iri Orthodoxorum Ecclesiæ. Prodeunt calumniatores animis inflati, quod accusatio promptam haberet probationem: adducta in medium mulier, quæ docta fuerat, triumphabunde enarrat. Indignantur Judices, ac præcipue Manuel tutor Imperatoris, quod unius hominis culpa Orthodoxorum

*qui cum suis adulteria calumniam intentat S. Methodio,*

*producta muliere, sibi vim illatam fatente:*

A doxorum multitudo periclitaretur, ne ludibrio esset adversariis.

48 Ea perspiciens Methodius, ut spes impiorum eluderet, et pios animi molestia, qua tenebantur, liberaret, neque Ecclesiæ lapis offensionis existeret; nihil multitudinem reveritus, ipse omni reverentia et honore dignissimus, rejecta veste, in omnium, qui aderant, conspectu, pudenda nudat: quæ omnes viderunt morbo quopiam ita emarcuisse, ut naturali vi penitus essent destituta. Factum hoc calumniatores et reliquos improbos pudore opplevit, pios gaudio magnaque alacritate, qui ad eum ingenti cum jucunditate accedentes, salutabant, et complectebantur, neque satis, qua diffluebant, explicare voluptatem animi poterant.

*Methodius mirabili modo calumniam elidit,*

*magno piorum gaudio;*

49 *Ac post pauca subdit idem auctor:* Manuel minime ferendam hanc fraudem judicans, statuit mulierem tormentis interrogandam, ut quæ fuisset doli machinandi ratio intelligeret. Statim igitur ensis stringitur, virgæ aculeatæ afferuntur, adstant parati lictores. Quibus infelix illa conterrita, rei veritatem palam fatetur, quo pacto structæ insidiæ, atque ipsa decepta sit auri largitione multisque promissis; tum eos nominat qui hæc adornarint; denique totam fabulam detegit: addit demum, si quis domum suam B abeat, eum aurum in marsupio reperturum in quadam cista frumento plena. Confestim igitur eo missus unus e satellibus, aurum attulit, totaque patuit machinatio.

*muliere sycophantiam aperiente, ejusque auctores,*

50 Dedissent autem dignas sui facinoris pœnas calumniatores, nisi Patriarcha, qua erat patientia, se unam hanc ultionem ac pœnam de iis sumere velle dixisset, ut quotannis publica Orthodoxiæ celebritate, ipse, prælucentibus facibus, a sanctissimo Deiparæ templo, quod in Blachernis situm est, ad sanctæ Sophiæ basilicam procederet, et in ipsorum aures anathema obnuntiaret. Quod et per omnem eorum vitam factitatum est. *Eadem succincte memorant Zonaras et Glycas. De anniversario festo* Orthodoxiæ, *prima Dominica Quadragesimæ peragi solito, quo recolebatur cum ingenti gratiarum actione restitutus in Oriente sacer imaginum cultus, agit Baronius tom. 9 ad an. 842 num. 27 et seqq. Et nos alibi.*

*eos pœna eximit Methodius,*

*instituto festo anniversario Orthodoxiæ*

51 *De judicii, quod retulimus, eventu, quanto quam Manuel ceterique orthodoxi sollicitior fuerat Theodora, tanto deinde luculentiore uberiorque lætitia perfusa est. Secundum est indicium, aut etiam prius, simul atque Patriarcha lectus erat Methodius, id evenisse videtur, quod Zonaras narrat:* Tum aiunt, *inquit*, Imperatricem instantissime a Patriarcha ceterisque Episcopis et monachis efflagitasse, ut communibus precibus Imperatoris et conjugis sui salutem a Deo exorarent. C Quod cum illi ferventibus animis fecissent, Deum preces servorum suorum non esse aspernatum, sed ignovisse Imperatori Theophilo. Celebrantur hæc, et ab iis qui Dei intuentur humanitatem, recipiuntur et creduntur. Neque vero quisquam iis fidem abrogarit, nisi qui parum posse deprecationes Sanctorum apud Deum senserit, et Dei bonitatem cum humanis erratis componere nescierit. *Idem quoque tradit Glycas:* Ceterum, *inquit*, ut omnium prima mulier Adamum e Paradiso eduxit, ita Domina Theodora conjugem suum in Paradisum introduxit. Ea de re cum certior facta fuisset, benigne sanctos hosce Patres excepit, qui etiam pro Theophilo Deum precati sunt. *Refert et Constantinus Manasses, eam divinos homines ardenter obsecrasse, ut preces ad Deum pro marito defuncto funderent; idque iis persuasisse, et plane certiorem factam,* Theophilum alterius vitæ suppliciis liberatum esse. *Quid factum fuerit, cum in hæresi obstinatus obiisse Theophilus videatur, disputent alii. Non erit hoc incredibile iis, qui etiam animam Trajani tanto post tempore ex Inferorum cruciatibus* D *ereptam existimant. Erit fortassis qui Theophilum errore utcumque excusabili peccasse arbitretur, aut sub extremum vitæ tempus (quæ Matthæi Raderi nostri in MSS. ad Menæa Notationibus conjectura) divino instinctu totius vitæ crimina detestatum, pœnas tamen a morte in expiatoriis flammis pendere debuisse; quarum a Deo veniam, sanctorum Confessorum deprecatione, postmodum impetrarit.*

*is cum aliis Confessoribus, petente Augusta, ejus marito æternam salutem impetrasse dicitur:*

AUCTORE I. B.

ANIMADV. PAP. 85

52 *Ut ea res evenerit* ταύτην τῆς Ὀρθοδοξίας τὴν ἑορτὴν ἄγουσά ποτε ἡ μακαρίτις βασίλισσα Θεοδώρα, *inquit Cedrenus*, illam Orthodoxiæ celebritatem agens aliquando beatæ memoriæ Imperatrix Theodora, *(quam celebritatem antea retulimus S. Methodio postulante institutam)* cœtum Ecclesiasticum in palatio, quod est in regione Carianí, convivio excepit. Erat inter convivas Theophanes, ejusque frater Theodorus, qui a notis faciei impressis Grapti appellabantur. Vergente autem jam ad finem convivio, cum placentæ aliaque bellaria apponerentur, Augusta assidue in horum Patrum vultus intuens, et quæ eorum frontibus incisa erant legens, ingemiscebat ac lacrymabatur. Quod alter dictorum Patrum animadvertens, caussam tam crebri obtutus ab ea quæsivit. Miror, inquit illa, patientiam vestram, quod tam multas insculpi frontibus vestris litteras sustinuistis, mirorque ejus qui ista in vos designavit, odium. Respondens B. Theophanes, Hujus, ait, scripturæ caussam, Domina, in incorrupto Dei judicio adversus Imperatorem maritum tuum disceptabimus. Pupugit hic E sermo Augustæ animum; et cum lacrymis Sancto ait: Hæc ergo vestra promissio est, et conscripta obligatio, ut non modo non ignoscatis, sed in jus etiam vocare velitis? Eam Patriarcha ac reliquus Pontificum cœtus ut consolarentur, et gravi mœrore levarent, statim surgentes dixerunt: Promissa nostra ac pacta, o Imperatrix, firma atque immota manent: at dissimulanda hujus licentia est. Atque ita Imperatricis lenitus est dolor. *Idem narrant Michael Glycas, et Constantinus Manasses, qui Theophanem jam tunc Nicænum Episcopum innuit fuisse.*

*eos festo Orthodoxiæ ipsa convivio excipit,*

*ubi S. Theophanis austero responso consternatam,*

*solatur cum aliis Methodius:*

53 *Eo pertinet illud etiam, quod de S. Lazaro monacho scribit idem Cedrenus, et nos* XXIII *Februarii referemus:* Rogatus est, *inquit*, B. Lazarus ab admirabili Theodora Augusta, ut viro suo ignosceret, veniamque ei a Deo impetraret. At ille, Non est, ait, o Augusta, injustus Deus, ut nostræ dilectionis et ipsius caussa toleratarum ærumnarum obliviscatur, odium vero illius et immodicum furorem iis anteponat.

*ipsa a S. Lazaro veniam marito precatur.*

54 *Lubet hic* ἐπιφωνηματικῶς *adjicere, quæ in Vita S. Nicolai Studitæ* IV *Februarii cap. 7 num. 36 habentur de restituta, ut jam diximus, pietate:* Ubi porro Theophilus, *(inquit scriptor coætaneus)* jam diem obiisset, unoque misere tumulo hæresis pariter merito, quod existimo, circumscripta esset; ac Christianæus F uxor ejus Theodora cum filio Michaele admodum juvene Romani Imperii arcem suscepisset, impiusque Jannes, ceu præludio quodam æternæ ultionis, hic quoque abdicationem a divinis sortitus esset; magnusque Methodius Ecclesiæ gubernacula Pontifex obtineret; a Deo afflatis Patribus in unum coeuntibus, initium habuit Orthodoxiæ celebritas; cum orbis jam finesserenitas haberet, Christique Confessores velut stellæ quædam, universum Ecclesiæ firmamentum illustrius ornarent. Tunc plane etiam communis Pater noster ac Christi famulus Naucratius ab exilio rediens, venit Byzantium, proque certaminum merito, multo cum honore ab Imperatrice ipsoque Patriarcha susceptus vir inclytus, eorum rogatu sacræ Fratrum sodalitatis in unum tunc congregatæ in venerabilissimo Studii monasterio præfecturam suscepit.

*Naucratium Confessorem Studitis præficit.*

AUCTORE J. B.

A § VIII. *S. Nicephori Patriarchæ et Theodori Studitæ Confessorum corpora Constantinopolim relata, opera S. Theodoræ.*

*Quæ sanctos Confessores tum benigne ab exilio reduxit Theodora; in eo, priusquam restincta persecutio esset, mortuos honorifice reportari Constantinopolim curavit. Præcipui fuere* S. Theodorus Studita, *et* S. Nicephorus *Patriarcha. De illo ista habet citatus auctor Vitæ S. Nicolai Studitæ cap. 7 num.* 37. Per id tempus illustris quoque ac lætitiæ plena Translatio contigit Confessoris ac Sancti Patris nostri Theodori ab insula Principe ad nostrum hoc monasterium, providente piissima Augusta ac magno Pontifice, universoque Ecclesiæ cœtu concurrente: fuitque gloriose depositus vicesimo sexto Januarii, juxta inclytum ac afflatum a Deo ejus avunculum Platonem, una cum fratre ac Episcopo Joseph, a dextris ad Orientalem partem delubri Sancti Præcursoris.

*curat corpus S. Theodori Studitæ,*

56 *Id Michael Studita apud Baronium tom.* 10 *ad an.* 844 § *ultimo ita narrat:* Quoniam sacrum ipsum sanctumque corpus præcipuo quodam honore affici par erat; post annos decem et octo, cessante jam adversus Ecclesiam bello, quod postremum Theophilus excitarat, in regiam urbem clara et celebri pompa devehitur; illustri Methodio, piaque Theodora illud B ab insula exportantibus, atque in Studii monasterio collocantibus, in quo et magni Platonis et Beati quoque Joseph dives arca pariter asservatur. Quod cum inferretur, divinus ipse Patriarcha Clerusque universus, cum ingenti monachorum ac populi multitudine, cum facibus varioque suffitu, extra urbem obviam effusi, supinis manibus illud excipientes, salvum, integrum, sanumque, ac miro fragrans odore repererunt, laudemque Deo omnium Regi referentes, in Patrum tholum intulerunt. *S. Plato, cujus hic mentio fit, colitur* IV *Aprilis. S. Josephus Archiepiscopus Thessalonicensis* XIV *Julii. Obiit autem S. Theodorus* XI Novembris (*licet* XII *peragatur ejus memoria*) die Dominica, *anno Æræ Latinorum* DCCCXXVI. *Quod ergo hic auctor ait* post annos decem et octo *translatum ejus esse corpus, si completos annos sumat, anno* DCCCXLV *dicendum est accidisse; si incompletos, præcedenti, uti et Baronius posuit.*

*in exilio mortuum, magnifice in urbem revehi.*

*an 845 vel 844 21 Janu.*

57 *Magnificentior multo* S. Nicephori *Patriarchæ Translatio fuit, uti perspicere est in oratione Theophanis Presbyteri, quam dabimus* XIII *Martii; nam eo die solemnis exstat in Fastis Latinis S. Nicephori memoria, cujus eodem die Translationem recolunt Græci, II Junii natalem. Ea ex oratione quædam hic decerpemus, ex quibus illius Translationis pompa, et Theodoræ eximia* C *laus agnoscatur.* Postea quam, *inquit*, defuncto Theophilo, Imperium ad ejus uxorem Theodoram, et filium eorum Michaelem admodum adolescentem delatum est; in pietatis studium curamque maxime incubuit fœmina vere Dei munere (ut nomen ejus indicat) data, ex omnibus præclaris et magnis facinoribus, quibus Principes probari solent, nullum præstantius existimans, quo tutius sibi imperium confirmaret, aut virilem in fœminea persona fortitudinem exerceret, quam si pietatis et religionis cultu Deum sibi propitium redderet. Id autem nullo pacto facilius aut commodius posse contingere, quam si perturbationem in Ecclesia jam diu excitatam sedaret, et partem illo morbo laborantem reduceret ad sanitatem: ut qui inter se animis essent abalienati conciliarentur atque idem omnino sentirent. Sic enim fore, ut cum una esset omnium sententia, atque idem sensus, Vera sinceraque Fides, Apostolorum Patrumque institutis, tanquam solidis fundamentis, inhærens, firma atque immobilis conservaretur: et sibi deinceps Imperii gubernatio facilis ac tolerabilis permaneret.

*piissima cum esset,*

*laborat pro concordia Ecclesiæ,*

58 Hæc igitur cum illa vere animo excellens, ac D mente fortis Regina ingenio suo excogitasset, et prudentia considerasset; re cum illis, qui erant in magistratu et dignitate constituti, communicata, accersit cum ipsis eos qui inter monachos præstabant, et de imaginum instauratione quæstionem proponit. Cumque idem omnes sentientes comperisset, diuturnoque ejus rei desiderio, atque animo excruciari propter religionis in ea re mutationem; postulavit, ut se Patrum etiam auctoritatibus ad veritatem confirmarent, quas variis in libris invenissent: mandavitque quo in loco palatii præfinito cœtus Ecclesiasticus universus cogeretur, et ad populum ea de re quam apertissime verba faceret. Tanta autem multitudo confluxit, ut numero comprehendi non posset. Convenerunt enim non solum illi, qui mentem sanam impietatis temporibus conservarant: verum etiam complures ex iis, qui cum pietatis hostibus consenserant, quique sacerdotiis et Ecclesiis regendis ab ipsis electi fuerant; e vestigioque mutata sententia, eos qui sanctas imagines oppugnarant, anathemati subjecerunt.

*concilio indicto pro restitutione imaginum,*

*ubi omnibus consentientibus,*

59 Qua quidem celeri et insperata rerum commutatione, Joannes, qui tunc impie munus pontificium administrabat, stupore et mentis caligine captus, parum abfuit quin sibi ipse manus afferret, mortemque consciscere. Hic enim sceleris caput et summa fuerat: qui cum impie sentiret, et apud Imperatorem auctoritate posset antea plurimum, eos mendaciis et dolis, imprudenter inconsiderateque confictis, E in impietatis barathrum impellebat. Eo igitur propter flagitia, quæ in Deum admiserat, uno omnium consensu, et cunctis tum magnorum Imperatorum, tum universi cœtus Ecclesiastici suffragiis, a sacra Sede cum ignominia ejecto; Methodius, vir et vita et doctrina valde probatus, et qui pro veritate et religione permulta certamina et longum exilium pertulerat, atque inde plagis et carcere diu cruciatus redierat, omnibus in dignitate constitutis approbantibus, electus est, qui sacram reginæ urbium civitatis Sedem obtineret.

*Janne pseudopatriarcha frendente,*

*ac mox ejecto,*

*S. Methodium substituit:*

60 *Post pauca de restituto sacrarum imaginum cultu, ista subdit idem Theophanes:* Quadriennio post sacratissimus Methodius, divino plane Spiritu impulsus, opportune sapienterque divinam Imperatricem admonuit, non esse ex Imperii et Reip. dignitate, quod venerandus et inter Patriarchas illustris Nicephorus, qui pro gloriosæ sincereque fidei defensione a sacra Sede depulsus, in longissimo exilio defunctus erat, negligeretur, sed omni studio curandum esse, ut divinum corpus ipsius in civitatem reportaretur. *Subjicit rationes alias a S. Methodio allatas, ac tandem ait:* His precibus et cohortationibus celerrime ac libentissime inclyta annuit Imperatrix. Perspicuum F est enim, inquit, hoc apud omnes posteros et mihi et liberis meis honori futurum.

*hoc suggerente,*

*jubet et S. Nicephori corpus referri*

61 *Dein cum Clero universo et magna populi multitudine profectus ad S. Nicephori tumulum Methodius, cum precatur, ut redire ad suos velit, illud inter cetera effatus:* Hodie Imperatores, Deo propter morum pietatem carissimi, mortuo Ecclesiam reddunt; quam, uti filii per Evangelium effecti, mecum constituunt non habentem maculam neque rugam, qualem tuis ornatam et confirmatam institutis reliquisti... *Tandem* præclarum e tumulo corpus retexit, quod undeviginti annorum spatio integrum omnino purumque manserat, et in arca ab ipso compositum, et Sacerdotum manibus sublatum, cum luminibus et frequenti psalmorum cantu in navim ad hoc paratam illatum est. Sed cum fretum trajecisset, et ad urbis littus appropinquasset, Dei cura Michael Imperator juvenis, et amplissimis dignitatibus præstantes viri, et Patricii, et reliqui cives læti, facesque manibus tenentes obviam processerunt. *Delatum est primo ad magnam*

*quod e tumulo exemplum*

*plane integrum,*

*navi advectum,*

A *magnam ecclesiam, sive sanctæ Sophiæ, dein ad sanctorum Apostolorum, eo populorum concursu*, ut quamvis multæ propter Imperatores et Sacerdotes variis temporibus celebritates extiterint, nulla tamen cum hac conferri queat. *Demum* sanctum eximii Patriarchæ corpus in celeberrimo Apostolorum templo, sacris mysteriis Deo peractis, in sepulchro recens constructo, manibus ipsius Methodii compositum est in Id. Martii, quo quidem die in exilium etiam ejectus fuerat, ut utraque re sit memorabilis. *Hactenus Theophanes : e quo quæ hic retulimus, fere eadem habent Menæa ad eum diem. Creatus est Patriarcha Nicephorus anno* IV *Nicephori Imp. Christi* DCCCVI, *sedit annos* IX, *a Leone Armeno relegatus vixit in exilio annos* XIII, *obiit septuagenarius* II *Junii* DCCCXXVIII, *jacuit in primo sepulchro annos* XIX, *uti Theophanes et Menæa diserte tradunt; translatus ergo Constantinopolim anno* DCCCLVII, *die* XIII *Martii.*

*magnificentissime exceptum,*

*deponitur in templo Apostolorum 13 Martii.*

847.

## § IX. *Bulgari conversi, adnitente S. Theodora eorum Rex Bogoris monachus. Manichæorum defectio. S. Ignatius Patriarcha.*

Inter hos triumphos pietatis, novus belli metus incubuit, sed prudentia Theodoræ, ac Cælitum (quorum ea imagines honoremque restauraverat) favore, discussus est. B *Ita rem memorat Cedrenus* : Bogoris Bulgarorum Dux, mulierem audiens cum parvulo filio Romanorum Imperium tenere, sumpta audacia, Legatis ad Imperatricem missis se pacta rescissurum, bellumque illaturum Romanis minatur. Illa minime muliebri aut abjecto animo, Et me, inquit, reperies, acie tibi resistere paratam; victoria etiam, numine propitio, potituram : sin tu (quod Deus omen avertat) superior extiteris, vel sic tamen mea erit victoria : quippe qui mulierem, non virum, bello superaris. Hoc responso perturbatus barbarus, quietem prætulit bello, pristinaque fœdera renovavit.

*Bogori Bulgariæ Regi bellum minanti egregie respondet Theodora.*

63 Missi dein utrimque rursum Legati, Augusta Theodorum, cui cognomen Cupharas, repetente, virum præclarum ac Reip. utilem, tunc in Bulgaria captivum; Bogori autem sororem suam, pridem quadam excursione captam, inque Aula Imperatricis detentam. Hæc ibi et Christianorum religione initiata, et litterarum doctrina imbuta, postquam domum est remissa, non cessabat fratri Christianorum mysteria prædicare, et Fidei semina in animo ejus jacere, cum ei jam ante a Cuphara Divina mysteria exposita essent. Permutatione tamen illa facta, et fratri suo restituta fœmina, Augustæ Cuphara, etsi sacra doctrina institutus esset Princeps, et Divinis initiatus; adhuc tamen infidelitate retinebat, gentilitiis C superstitionibus addictus. Sed cum dira Bulgariam fames invasisset, neque ullum ei depellendæ in promptu auxilium esset, tandem Deum Christianorum, cujus sacra a Cuphara et sorore sua edoctus erat, opem flagitat, ac genti universæ idem ut faciant imperat. Malo sublevati, veram religionem amplexi sunt, ac lavacro regenerationis potiti. Qui ad eos missus est Antistes, ac Principi baptismum impertiit, is illum Michaelem de nomine Imperatoris appellavit. *Quæ occupasse fines Bulgaricos fames dicitur, ut recte Gabius reddidit, Græce enim est* λιμὸς ; *Xylander* pestem ac luem *vertit, ut* λοιμὸς *legisse videatur.*

*is a captivo et sorore fidem doctus,*

*tandem famis levamine cælitus impetrato*

*baptizatur,*

64 Aliud quoque evenit, *inquit Cedrenus*, quod eum ad pietatem deduxit, in eaque confirmavit. Mirifice erat venationi deditus : qua sese cupiens oblectare non solum cum ad feras insectandas egrederetur, sed etiam in otio, pictas ferarum figuras contemplando; eam ad rem domum novam ædificat, ac monachum quemdam, Methodium, gente Romanum, artificio pictorem, jubet picturis eam domum exornare. Sed veluti Divina quadam providentia ductus, non præscripsit definite, quæ et qualia is animalia pingeret : solum mandavit, ut suo arbitratu pingeret D quæ vellet, modo terribilia ea essent, quæque horrorem ac metum incuterent spectantibus. Ille cum nihil nosset terribilius secundo Christi adventu, eum illi pinxit. Princeps ab hac parte expressum justorum cœtum intuens, ab altera impiorum supplicia perpetientium, edoctusque a pictore quid sibi ista vellent, illico avitam superstitionem ejuravit; institutusque, ut diximus, a sancto Episcopo divinis arcanis, intempesta nocte sacrum suscepit baptisma. Cum autem Proceribus ac plebi innotuisset, Principem religionis cultum mutasse, concitata seditione, tollere eum de medio moliuntur. Quos ille exigua suorum manu, prælato Crucis signo, aggressus profligavit, reque inopinata perculsos, Christianos effecit.

*motus valde pictura extremi judicii :*

AUCTORE G. H.

*rebelles vincit Cruce prælata :*

65 Gente autem tota ad verum Dei cultum traducta, Augustam per litteras orat, ut suis nimis anguste habitantibus, aliquid terræ largiatur; populos se juncturum promittens, pacemque æternam facturum et immutabilem. Augusta benigne admodum et hilariter postulata admisit, deditque Bulgaris quidquid a Sidera, quam vocant, sive Ferrea regione, usque ad Debeltum soli jacet, quod desertum tunc erat, Romanique Imperii ac ditionis Bulgaricæ limes : eam regionem Bulgari Zagoram appellarunt. Atque in hunc modum universa Bulgaria ad verum Dei cultum traducta est, et in Occidente tranquillissima pax fuit. E

*suis terras impetrat a Theodora :*

66 *Eadem aliquanto brevius narrat Zonaras, atque expressius, quo Theodora adversus Bogorum usa est, dilemma exponit in hunc modum :* Resistam ego tibi omnino, et si Deo annuente victoriam reportem, tu a muliere victus, quantum ignominiæ relaturus sis, cogita; sin vincas tu fortassis, parum is tibi honestus successus fuerit, muliere superata. *Bulgari porro eo modo fidem Christianam edocti, haud satis fortasse Græcis fidentes, præsertim reducta paullo post in ordinem Theodora Augusta, Sanctoque Ignatio, de quo mox, Cathedra Patriarchali dejecto, Pontificem Romanum Nicolaum* I *consuluere, cujus extant* Responsa ad consulta Bulgarorum. *Qui deinceps apud eos fuerit status religionis, tradit in annalibus Baronius ex antiquis scriptoribus.*

*Nicolaum Papam consulit,*

67 *Sed hujus, quem diximus, primi eorum Christiani Regis*, Bogoris Michaelis, *præclarum facinus a coætaneo scriptore Annalium Metensium narratur ad annum* DCCCLXVIII. His temporibus, *inquit*, gens Bulgarorum ferocissima ac bellicosa, relictis idolis, in Christum ex permaxima parte credidit, et abluta salutari baptismatis unda, in religionem Christianam F transiit. Directi sunt autem a Sede Apostolica ad eamdem gentem Sacerdotes ac viri religiosi, qui populum adhuc rudem Divinis informarent præceptis, et incultam barbariem sacris dogmatibus excolentes, Christo gratum præpararent habitaculum. Ut hujus vero sanctæ devotionis opus prosperum obtineret effectum, Ludovicus Christianissimus Rex, qui super Germanos regnabat, non mediocre præbuit adjumentum. Ferunt autem de hujus gentis Rege, quod a tanta perfectione post perceptam baptismi gratiam cœperit, ut diebus ornamentis regiis indutus coram populo procederet, noctibus vero sacco vestitus, latenter ecclesiam intrans, super pavimentum ipsius basilicæ, substrato tantum sibi cilicio, prostratus in oratione jaceret.

*a quo sacerdotes et religiosos accipit,*

*juvante Ludovico Germaniæ Rege :*

*piissimus effectus,*

68 Non post multum tempus Divina inspiratione commonitus, regnum terrenum dimisit, ut in cœlis æternaliter regnaret cum Christo : et ordinato in loco suo in Regem majori filio suo, comam capitis deposuit, habituque sanctæ conversationis suscepto monachus effectus est; eleemosynis, vigiliis et orationibus die noctuque intentus. Interea filius ejus, quem Regem constituerat, longe a paterna intentione

*regno relicto fit monachus :*

*AUCTORE J. B.*

A tione et operatione recedens, prædas cœpit agere, ebrietatibus, comessationibus et libidinibus vacare, et omni conamine ad gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare. Quod cum pater audisset, nimio zelo accensus, sacrum habitum deposuit, et militiæ cingulum resumpsit, et cultu regio indutus, adsociatis sibi Deum timentibus, filium persecutus est. Quem mox absque difficultate cepit, oculosque ejus effodit, et in carcerem misit. Deinde convocato omni regno suo, filium juniorem Regem constituit, interminatus coram omnibus similia fore passurum, si in aliquo a recta Christianitate deviaret. His ita gestis, deposito cingulo, et resumpto sanctæ religionis habitu, ad monasterium regressus, in sancta conversatione reliquum vitæ præsentis tempus duxit.

*id resumit, et filium apostatam excæcat,*

*et juniori regnum tradit.*

69 *Eadem ad annum* DCCCLXV *refert Sigebertus Gemblacensis : sed nec ipse Regis nomen edit. Dionysius Petavius noster par.* I *Rationarii temporum lib.* 8 *cap.* 12 *diserte* Bogorim *ait fuisse : quod et temporis ratio persuadet. M. Antonius Coccius Sabellicus Enneade* 8 *lib.* 6 *hoc facinus* Trebellio *(qui Græcis scriptoribus* βετέλις *est) attribuit, quem fatetur temporibus Constantini Pogonati vixisse, ducentis fere ante Bogorim annis. Verum indicat ipse eodem loco errorem suum, dum ait illo ipso tempore* Cyrillum prædicatione et miraculis eam *(Bulgarorum)* gentem traxisse ad
B Christianæ fidei cultum. *Atqui vixit* S. Cyrillus *Bulgarorum Moravorumque Apostolus S. Theodoræ et Michaelis Imp. tempore, et Romam ad Nicolaum* I *Papam venit cum* S. Methodio *fratre, ut* IX *Martii, quo ambo coluntur, dicemus. Atque idem Sabellicus Enneade* 9 *lib.* 1 *ita scribit :* Bulgariæ Rex per id tempus cum toto regno, Nicolai Pontificis hortatu, Christi fidem complexus est, Photino hæretico suis finibus exclusо. In hunc Regem insigne illud pietatis exemplum conferunt quidam, quod religionis studio adductus, regnum filio reliquit, ea lege ut in suscepta pietate perstaret *etc. Dein* Albertum *ejusdem Regis filium natu minorem fuisse scribit. Plura de piissimo Rege Michaele, deque legationibus ejus ad Nicolaum, et ab hoc missis in regnum ejus Episcopis et Presbyteris, habet in ejusdem Nicolai Vita Anastasius Bibliothecarius. Sed de Bulgaris satis, ad Theodoram revertamur.*

*Id quidam Trebellio tribuerunt multo antiquiori.*

70 *Læta successu Imperatrix, ad aliarum conversionem gentium animum adjecit, haud pari successu. Quod ita breviter narrat Zonaras :* Magna erat in Oriente Manichæorum multitudo, qui et Pauliciani vulgo imperitius nuncupantur, vocabulo sumpto a Joanne et Paulo ; qui duo viri etsi apud illos celebres, hæresiarchæ tamen et perversæ opinionis auctores
C non fuerunt, sed ejus sectatores et studiosi supra modum et præcones. Eos Imperatrix cum in animo haberet ab errore ad veram religionem retrahere, viros illustres ad eos mittit. Qui cum negotium nulla dexteritate nulloque ingenio administrassent, non modo inutilem operam posuerunt, sed ad defectionem populum omnem, cujus multa millia numerabantur, impulerunt : ut cum Ismaelitis conjuncti, cum iis adversus Romanos pugnarent, multasque iis clades inferrent. *Eadem memorat exaggeratque Cedrenus, urbesque ab iis exædificatas recenset. Domiti ii non una clade a Basilio Macedone, captis etiam eorum urbibus, ut in illius Vita legitur.*

*Theodora Manichæos nititur convertere,*

*infeliciter, culpa ministrorum :*

71 *Mortuus est interea, dum hæc aguntur, S. Methodius Patriarcha anno* DCCCXLVII. *Cui suffectus, vir itidem sanctissimus, Ignatius, Michaelis* I *Imperatoris filius, qui quantumvis refugiens, ut in ejus Vita scribit Nicetas,* vi tamen sancti Spiritus, et Antistitum auctoritate ac sententia, honore sacro dignissimus judicatus, in imperantis urbis sacra Sede collocatur, lucernaque candelabro imponitur : cum ante omnium Episcoporum et populi sententias Imperatrix, ad Joannicium anachoretam, consultum misisset,
D ecquemnam hoc Patriarchatus honore dignum per Dominum cognosceret. Ignatium eximius ille Joannicius divinitus pronuntiavit. *De eadem S. Ignatii electione Michael in ejus Vita sic scribit :* Beatissimo Methodio solium vitamque relinquente, Theodora Augusta, sanctorum Patrum indicto conventu, Senatusque et totius Cleri auctoritate, Ignatium Patriarcham dicit. *Videtur Metaphrastes in S. Joannicii Vita,* IV *Novembris, asserere S. Joannicium mensibus octo ante S. Methodium obiisse, ut de Ignatii electione consuli non potuerit. De eo Zonaras :* Quem Theodora Augusta, Imperium administrans, in pontificium Constantinopoleos thronum evexit.

*S. Methodio mortuo S. Ignatium Patriarcham designat, consulto ante S. Joannicio,*

## § X *Michaelis III mores dissoluti. S. Theodora mater ab eo contumeliose irrisa.*

Interea Michaelem *(inquit Cedrenus)* jam ex ephebis egressum, et ad virilem ætatem accedentem, cupiditas incessit rerum sua ipsius industria gerendarum ; maxime ad hoc instigante Barda avunculo ipsius et curatore. Is enim imperandi amore flagrans, in eam solam rem omne studium collocabat. *De eo Nicetas in S. Ignatii Vita :* Patricius tum erat Bardas et Scholarum Domesticus, sibique totam Imperii administrationem, utpote avunculus Michaelis, vendicabat. Hic aggressus olim adolescentem, verbisque insidiosis captans, Quid, inquit, Domine, Imperium matri et sororibus permittis ? Atqui non es amplius infans ævique immaturus; imo et jam uxore
E ducta virum agis : debes ergo in posterum virilem animum gerere. Itaque a Patriarcha accersito matrem et sorores tonderi velarique jube. Ut enim inposterum solus cum procreandis a te liberis imperes, et numini cœlesti placet, et nobis æquissimum videtur. *Summoveri primum homo vafer tutores alios Manuelem et Theoctistum curavit, ut mox dicemus, dein matrem in monasterium detrudi, ipsumque ejici Patriarcham Ignatium, quem capitali odio propterea persequebatur, quia ipsi ob incestam cum propria nuru consuetudinem publice infami, post crebras monitiones, sacra Communione interdixerat Ignatius.*

*Michael instigatur a Barda avunculo,*

*ut per se regat,*

*et matrem velari jubeat :*

73 *Prius quæ Michaelis vitæ ratio fuerit dicemus, ubi is Bardæ obaudire, matris aspernari consilia cœpit, prius etiam quam illam e palatio ejiceret : quamquam majori tunc licentia, monitrice submota, iis sese flagitiis dedidit. Recensent ea omnes Græcorum historiæ. Nos de iis paucula depromemus ex Vita Basilii Macedonis per Constantinum Imp. ejus nepotem, nuper a Leone Allatio V. CL. Latine reddita ac typis vulgata.* Sed enim, *inquit,* cum hucusque oratio processerit, operæ pretium esse existimo, de Imperatore Basilio historiam paullulum interrumpi, et re altius repetita,
F paucis (ut fieri poterit) narrare, quæ vita Michaelis Imperatoris fuerit, quibus ille rebus delectabatur, et in quibus tempus studiumque omne publicosque insumebat thesauros; ut inde argumentans quisque deprehendat, Basilium Divino calculo manifeste ad Imperium vocatum fuisse, (fieri namque haud poterat, ut res eo modo, quo se habebant, diutius perdurarent) et Michaelem posthac in se ipsum enses acuisse, et eorum qui ipsum occiderunt, dexteras infestas obvertisse, et in necem propriam incitasse. Tantum ipse se ab humano officio exterminaverat, tantum in actionibus pravis et impiis indecore debacchatus est, tantum in res Divinas desæviit, et Reip. naturæque una leges omnes injuria pessumdedit. Nam cum circa semetipsum hominum impudicorum, impurorum ac perversissimorum cœtum impium consociasset, et Imperatoriæ majestatis dignitatem indignis modis dehonestasset, circa comos, ebrietates, amores impudicos, obscœnas narrationes, tum etiam circa aurigas, equos, currus, et, quæ inde exoritur, insaniam et mentis excidium, totos dies miser

*dissolutissime vivit*

A miser insumebat, atque in similis sortis homines pecunias publicas exhauriebat: et, quod omnium miserrimum est, ipsa nostræ Fidei symbola irridens, et convicio prosequens sacros Sacerdotes, ex sui comitatus mimis scurrisque compares alios promovens, deludificabatur omniumque irrisioni exponebat. Pauca ex illis afferam, ut ex paucis reliqua cognoscatis.

*aurigam agit:*

74 Eum itaque aurigam egisse, et cursus agitasse equorum, currui insidentem, aurigæ amictu, et in cursibus reciprocis cum æmulis decertantem, tum intra urbem regiam et aulam, tum extra in imperatoriis, quæ apud Mamantem Martyrem sunt, habitationibus; et immensam pecuniæ vim in hisce consumpsisse, bellicos sumptus in spectaculorum et ludorum usum convertentem, inque thymelica tripudia et nugas Romanorum divitias effudisse, et in impuras exlegesque bacchationes, sordidosque amores, prodige affluenterque Imperatorum thesauros exportasse; tamquam omnibus notum ac patens, silentio involvendum mihi esse duco.

*opes in nugas prodigit:*

75 Res autem Divinas ludos sibi fecisse, atque ex obscœnis et effœminatis execrandisque hominibus, qui illi aderant, Patriarcham unum creasse, constituisseque alios Metropolitas ex iisdem undecim, quasi in hac promotione duodenarium ipse numerum C compleret, hoc vero narrare aggrediar. Nam impium et summopere execrandum Grullum Patriarchæ nomine inclamans, et archieratica auroque interstincta ac præfulgenti veste amiciens, et homophorio involvens; et in ordine Metropolitarum alios xi, ut diximus, ex eodem sibi adhærentium collegio creans, et duodecimum semetipsum, Coloniæ Archiepiscopum vocitans; exhibensque singulis citharam, quam sub sacerdotali amictu deferrent, et præcipiens eas ita tectas pulsare. Sic cum ipsis sacra scilicet irridens, et spectatores oblectans, mystagogiam et liturgiam faciebat, cum scelestis scelestissimus, cum profanis impius. Cum secreto precatio recitabatur, sensim citharis strepere debebant; cum vero Sacerdotem vocem elevare, vel populum respondere, tempus poscebat, tum plectro graviter pulsatis illis intonare, melodiaque aures spectantium circumsonare. Postmodum in vasa sacra, pretiosis lapidibus et margaritarum fulgore intermicantia, ex argento auroque facta, quæ sæpenumero Divinæ mystagogiæ inservierant; sinapi acetumque immittentes, sui similibus, maximo cum risu gestibusque aversabilibus execrandisque propinabant. Sinamus hæc.

*Gryllum mimicum Patriarcham statuit, et xi socios Metropolitas,*

*cum quibus Divina mysteria irridet,*

*etiam sacrosanctum sacrificium, abominanda imitatione:*

76 Cum aliquando sanctissimus Patriarcha Ignatius, suo cœtu ordineque Ecclesiastico stipatus, sup- D plices ad Deum preces ante ipsam urbem funderet; progredereturque ad quoddam divinum templum cum consueta sacra melodia et compositione; eo ipso tempore impius profanusque Imperatoris Patriarcha Grullus, sacerdotali indumento amictus, asinoque insidens, cum magis impiis Metropolitis et reliqua sua scena, et satyrico tripudio, et ordine, suis obsecundantes actibus, thymelicorum in morem voce tinnientes canentesque, adversis frontibus concurrunt. Cum prope adventassent, super humeros penulis elevatis, percussisque magis sonore citharis, verba et cantiones meretricias ad modulum sacræ cantionis canentes, saltantesque veluti Panes et Satyri, et cymbalis perstrepentes, veluti artis æmulos Sacerdotes et divinum Præsulem naso suspendentes, diabolicam choream gressumque continuarunt. Quærens autem Dei Præsul, addiscensque, quinam hi fuerint, a quo et qua de caussa missi, ab imo pectore ducto suspirio, deploransque Principem harum rerum auctorem et caussam, demum effusis lacrymis Deum precatus, ut similem contumeliam injuriamque sisteret, impiosque in infernum deturbaret, ne sancta profanarentur, et mystica veneranD daque ludibrio essent, institutum sibi iter hymnodiamque prosequitur.

*S. Ignatio in publica supplicatione occurrunt,*

*et infamiter obstrepunt.*

*quibus ille maledicit.*

AUCTORE J. B

77 Alia item vice in contemptum celebris hujus Patriarchæ, irrisionemque propriæ matris, amens menteque captus Imperator tale quid excogitavit. Apud præfulgens Chrysotriclinium in sede Imperatoria considens, impurissimo Grullo archieraticis vestibus induto, loco veri Patriarchæ penes seipsum quam proxime sedere jusso, et debitum Dei Præsuli honorem exhibens, et tegumento capitis prolixam barbam tegere præcipiens scelestum; matri per Cubicularium eunuchum significat, sanctissimum Patriarcham Ignatium una secum assidere, et si optet bona sibi implorari, accedat cum semetipso precationis particeps futura. Illa, uti religiosissima Deique amans, alias etiam sanctissimum Ignatium amore ingenti et ardenti fide complectens, statim atque audiit, sollicite egreditur, nec oculos elevare propter verecundiam sustinens, imo sine malitia ulla nihil improbum suspicata, concidit ad pedes, ut sibi videbatur, sancti Præsulis, supplicabatque ut pro se Deum precaretur propitium. At scelestissimus ille paullulum e sella erectus, et ab ea aversus, asininum strepitum ab execrandis visceribus explodens, ita eam allocutus est: Ne in posterum Domina dicaris, te hoc quoque indignam declaravimus.

*Michael matrem evocat, ut benedictionem petat ab Ignatio:*

*Gryllus reverenter flectenti scurriliter illudit:*

78 His imperatore cachinnum sustollente, et exe- D crando etiam illo, elato strepitu, in risum effuso; plurimaque blaterantibus, vel potius male sano sincipite stultissime recitantibus, agnoscens figmentum fraudemque Imperatrix, multumque de rebus ingemiscens, et multa infausta filio precata, tandem ita eum alloquitur: En, fili improbe, Deus manum suam abstulit a te, et datus est tibi improbus sensus, ut agas quæ non oportet. Hæc dicens et cum ejulatu et lacrymis proprios evellens capillos, secessit. Hæc sunt generosi Imperatoris strenua facinora. Hæc illius erga res Divinas, sacrosque Sacerdotes reverentia et cultus.

*illa filio maledicit,*

*ac mæret,*

79 *Hactenus Constantinus. Narrant eadem Cedrenus et Curopalates, qui* Τρύλλον *vocant, quem ille* Γρούλλον. *Agit et Zonaras de impia illa Michaelis scurrilitate, sed breviter, hac usus prætermissione:* Enimvero istius collegii, cujus et ipse Imperator sodalis erat, omnem licentiam recensere, ineptum fuerit ac molestum. *Eorumdem Michaelis studiorum meminerunt Glycas et Constantinus Manasses; et hic de Theodora illud subdit:* Ita viventem Michaelem mater videns, et Imperatorem Romanum factum esse ludicrum, totis visceri- F bus et animo commovebatur, eumque verbis castigabat, corrigebat, exhortabatur. Sed (quod proverbio dicitur) cum mortuo colloquebatur, et admonitiones apud surdum cantillabat.

*sæpeque illum monet:*

## § XI. *S. Theodoræ præsagium de Basilio Macedone. Thesauri relicti, obitus e regia.*

**D***issimulabant ea flagitia Imperatoris* Bardas et Theoctistus, *uti scribit Cedrenus*, eique indulgebant, cum essent ejus tutores, neque a pravis eum studiis revocabant. *Ejus ergo culpæ et ipsi pœnas præmaturo interitu dedere: deia et Michael hac ipsa morum levitate sibi exitium accersivit. Nam cum, Barda occiso, Basilius Macedo primum Magistri dignitate ornatus, mox et diademate*, *Michaelem* ab odiosis illis et nefandis operibus avocare niteretur, gravi illum in se inflammavit odio, *inquit Cedrenus:* Michael enim reprehensiones non ferens, de eo interficiendo consilia iniit, ut suas cupiditates impediente. *Ea ubi erupere consilia, ac sæpius Basilii prudentia discussa sunt, tandem tamen faciendum hic duxit, ut assidue sibi exitium machinantem præveniret. Speciose ea ac prolixe commemorat Constantinus Imp. in Basilii Vita.*

*Principis vitia dissimulantes tutores puniti,*

*ipseque ob ea postmodum occisus a Basilio;*

A

*auctore J. B.*

81 *Verum ea post S. Theodoræ mortem evenerunt: ab ipsa tamen multo ante prævisa. Quod Cedrenus, Zonaras, Manasses commemorunt, et ante eos Constantinus Imp. in avi sui (ut diximus) Vita in hunc modum:* Imperator *Michael*, venandi studiosus cum esset, aliquando venationis gratia moderatæque obambulationis ad Armamenteam (ita nuncupant locum) processit: postmodum Dulichio apparato, et Imperatore cum Theodora matre aliisque consanguineis et familiarioribus ex Senatu mensæ accumbentibus, mandato Imperatoris Protostrator (*Basilius Macedo*) advocatus est. Ut is discubuit, Theodora Imperatrix cœpit assidue oculos in eum defigere, contemplari hominem, et exquisitius examinare; denum agnitis quibusdam in eo notis, sensim animo linqui; ut vix tandem, etiam effusa super eam aqua et roseis stillis, animum revocaverit, quod præsentes intuiti, loco cessere. Recepto animo recreataque, a filio Imperatore interrogatur, Quid id esset, et qua de caussa tam repente extra se facta fuisset. Illa ægre a mentis turbis sese recolligens, dixit: Quem a patre tuo, Domine et fili mi, audieram genus nostrum ad internecionem deleturum, hic est, quem tu Basilium appellas. Signa etenim nostri omnium hæredis hic vir præsefert. Hinc factum totum mente complexa, et veluti oculis excidium nostrum usurpans, turbata animo defeci.

*quod olim S. Theodoro prævideral,*

*adeo exanimata,*

B

82 Imperator matris timorem refutans, et ad animi æquitatem eam revocans ac consolans, Male, ait, suspicaris, mater: namque hic homo idiota est, et admodum simplex, robore tantum præstans, quemadmodum antiquus Sampson, nec alia præterea re excellit; sed veluti Enacus quidam et Nembrodus nostro hoc ævo apparuit. Metum ergo, et, quæ te angit, sinistram de eo suspicionem depone. Et sic tum obortam tempestatem, a Deo custoditus Basilius evasit. *Cedrenus et Curopalates scribunt*, exanimatam Theodoram in terram corruisse. *Responsum vero Michaelis, matrem consolantis hoc fuisse:* Scias, o Domina et mater mea, hunc virum generosum esse et robore invictum, animique nobilitate præstantem, rebusque nostris fidelem, et cumprimis benevolum esse, neque in re ulla male nobis volentem. *Zonaras veluti numine afflatam illa de Basilio prædixisse Imperatricem scribit: Michaelem vero pro nugis ea habuisse, tantumque a benevolentia erga Basilium non fuisse abstractum, ut etiam Cubicularium eum fecerit. Manasses breviter ac simpliciter ita rem totam perstringit:* Memoriæ proditum est Imperatricem Theodoram, vere animo judicioque regiam fœminam, cum intuita Basilium aliquando esset, hujusmodi verbis Michaelem filium compellasse: Videsne virum hunc, Imperator et fili, præclarum atque robustum, quem honore tu afficis, et qui perpetuo tecum est? Hic familiam (heu) nostram draconis in morem absorpturus est, vastaturus, interfecturus, omnino extirpaturus, tamquam implumes infelicis gallinæ pullos.

*filio timorem ejus eludente.*

C

83 *Jam ad Theoctisti cædem veniamus. Erat is cum Manuele, ut diximus, tutor Imperatoris. Quibus aliquando inter se acris disceptatio, Bardæ instigatu, cum incidisset; Manuel, invidiæ declinandæ caussa, statuit palatio relicto, assiduis abstinere congressibus ac rerum administratione: quare ad proprias ædes demigrat, ad Asparis cisternam sitas, quas postea in religiosam domum convertit, in eaque ipse sepultus est. Huc ergo, cum res postulabat, ad negotia tractanda ibat. Ea res Bardæ singularem attulit voluptatem: quique Manuelem non per se, sed Theotisti opera sic amovisset, statuit et ipsum submovere Theoctistum; quod cum Imperium occupare cogitaret, metuebat ne ab eo impediretur; maxime autem, quod cum nuru propria incestam consuetudinem sibi identidem exprobrabat.*

*Bardas per Theoctistum ab aula Manuelem tutorem amovet,*

*deinde ipsum ... incestum sibi exprobrantem,*

84 *Hanc autem perdendi hominis occasionem arripuit. Erat imperatori pædagogus homuncio quidam vilis, similque intractabilis et improbus, sed ita juveni Principi carus, ut summis in Aula honoribus et dignitatibus ornare eum vellet, idque a matre peteret. Verum Theoctistus (cui et mater assentiebatur) negabat pædagogo tribuendam dignitatem, quæ illius conditionem superaret; ne ita dignitates indignitate afficerentur. Ergo pædagogum hunc suæ nequitiæ instrumentum nactus Bardas, non destitit in Imperatoris animum pravas de Theoctisto inserere opiniones: modo significans Remp. non recte administrari; modo hunc velle matrem aut unam sororum Imperatoris nuptum dare, et Imperatorem aculis imperioque spoliare. Celeri ergo callidoque consilio opus esse. Neque aliud suppetere, quam ut e medio tolleretur; ab Imperatrice alioquin defensum iri.* Decreta viri cæde, *inquit Zonaras*, observatur ejus e thalamo Imperatricis egressus. Nam ad eam et quid actum, et quid agendum esset, referebat. Egredienti ergo percussor immittitur.... Barda interim strictum ensem vibrante, et necem ei minitante, qui morienti illi opem ferret. *Cedrenus* paullum in custodia habitum *scribit*, dum et ipso ferretur sententia. Tandem cum minime sibi utile esse indicarent, ut is diutius viveret, ne quid interim Augusta moliretur, missum esse qui eum obtruncaret.

D

*nec sinentem, una cum Theodora, magistratus dari indignis,*

*variis criminibus accusari curat,*

*ac demum occidi,*

E

85 Theoctisto ad hunc modum sublato, *ait Zonaras*, Imperatrix facinore cognito, ejulans thalamo exilit, conviciis filium et fratrem insectans, et utrique similem interitum imprecans. Qui cum ejus, *inquit Cedrenus*, non ferrent convicia, Barda interim suum institutum urgente, de ea quoque submovenda cogitarunt, ut deinde libere ac nemine obstante sua omnia agere pro libitu possent. Quod cum deprehendisset Theodora, (ut erat prudens ac sagax mulier) minime resistendum rata, ne cædes fierent, sanguinisque effusio, solum thesauros in regia congestos aperire Senatui decrevit, ut et immoderatas filii sibi largitiones impediret, et suam manifestam faceret œconomiam. Convocato ergo Senatu, stans unde facile ab omnibus exaudiri posset, in hunc modum locuta est: Auri, P. C. centenaria ciɔ ac xc, argenti ad ter mille, in ærario Regio reposita sunt, partim a marito meo, partim post ejus obitum a me congesta. Aliæ præterea multæ et variæ opes. Id coram vobis in præsentia denuntio, ne post meum e regia discessum, filius meus, Imperator vester, dicere possit, me regiam inopem reliquisse. Simul et Quæstores ærarii adesse jussit, qui verba ipsius vera esse testati sunt. Deinde salutato Senatu, omni se functione et administratione abdicavit, et palatio excessit. *Eas vero pecunias ita profudit Michael, ut Basilius imperium adeptus non nisi auri centenaria tria; et milliarisiorum sacculos novem in ærario repererit, ut idem Cedrenus, Constantinus Imp. et alii tradunt.*

*et Theodoram, ut improbantem, submovendam suadet*

*quo illa cognito ingentes ærarii thesauros indicat Senatui,*

*ultroque aula cedit,*

F

86 *Non ultro excessisse aula Theodoram, sed ejectam, Constantinus Manasses et alii scribunt. Et Glycas quidem ista habet:* Theodora Michaelem crebris admonitionibus castigans et erudiens, e regia tandem expellitur. Etenim Michaelis avunculus, cui Bardæ nomen erat, nulla non machinatione usus, et omnibus hominem modis aggressus, ut Imperatrix quidem longe a regia summoveretur, effecit; ipse vero Cæsar ab Imperatore designaretur.

*aut pellitur*

## § XII. *S. Theodoræ velum sanctimoniale invitæ impositum. Ejus et S. Ignatii relegatio. Epistola ad eam Nicolai Papæ. Obitus. Veneratio.*

S*eu sponte sua regiam deseruit Theodora, quamque illi filius ac frater machinabantur ignominiam prævertit; seu vi coacta, iis jubentibus, excessit; ei deinquietæ esse, etiam privata in domo, non diu licuit. Ita Zonaras:* Matrem suam Michael, regia digressam, quiescere

A quiescere non est passus : sed Bardæ instinctu, et ipsam et sorores suas, attonsa cæsarie, in ædes Cariani retrusit, rebus omnibus, quas habuerant, ademptis. *Mandatum S. Ignatio Patriarchæ, ut eas attonderet in monachas : quod is, ut debuit, deprecatus est. Nicetas in ejus Vita:* Accersit illico *Michael, Barda instigante,* venerandum Patriarcham; et, Matrem, inquit, meam sororesque e vestigio, uti par est, arreptas attonde, et religiosa velatas veste, vitæ religiosæ addicito. At libere Patriarcha, Hoc, inquit, a me fieri nefas : nam Ecclesiæ gubernacula Sedemque sacram cum susciperem, fidem jurejurando meam per scriptum adstrinxi, numquam me Imperio vestro insidias positurum, vel consilium ejusmodi agitaturum. Et vero nunc quod Reginarum est facinus, quæve in illis caussa, ut Majestas et Potentia vestra adversus eas talia machinetur? *Et post pauca :* Michael vero extemplo Matrem cum sororibus in Cariani ædes detrusam relegari tonderique imperat. *Ipse quoque Ignatius, vel ejus nomine Theognostus Archimandrita, in libello ad Nicolaum Papam,* Postquam, *inquit,* impulsus a Barda, statuit Matrem cum sororibus a palatio submovere, præcepit mihi, ut illas attonderem : quas ego invitas tondendas non existimavi.

*attondere ac velare eam et filias jubetur S. Ignatius,*

*quod recusans,*

88 Has ob caussas, *ait idem ipse,* a throno deturB batus sum, et pulsatus atque eliminatus. *Et Nicetas:* Nec multo post ipsum quoque Patriarcham Ignatium fugat, atque in insulam Terebenthum ejicit *Michael. Ejectus autem est Ignatius mense Novembri, anno* IↃCCCLVIII, cum XI ipsos annos Sedem Constantinopolitanam tenuisset, *ut habet Nicetas : erat autem ad eam evectus, uti antea ostendimus, anno* IↃCCCXLVII, *mortuo postridie Idus Junii S. Methodio. Restitutus est a Basilio Macedone, mox ut solus post Michaelis necem imperare cœpit, anno* IↃCCCLXVII. *Idem Nicetas :* Dies erat Dominica, tertia et vicesima Novembris: quo etiam anni tempore prius in exilium pulsus erat : qui Dei præsidio et clementia fretus, novennalem ac perfectam ex virtutis certamine lauream indeptus, Ecclesiæ suæ throno restituitur.

*pellitur in exilium an. 858 mense Novemb.*

89 *Cum ex dictis constet, non multo prius velo monastico amictam Theodoram, quam et ipse relegaretur Ignatius; consequens est, non fuisse hunc sollicitatum, illi ut velum imponeret, cum ipsa adhuc in regia degeret. Michael namque, ut Cedrenus et alii tradunt,* imperavit cum matre Theodora annis XIV, solus XI. *Capessivit autem Imperium sub finem. Januarii anni* IↃCCCXLII, *gessitque ad* XX *Septembris* IↃCCCLXVII; *cum matre ergo ad annum* IↃCCCLVI, *cujus initio annus quartusdecimus terminabatur. Tunc igitur ea e regia* C *excessit, administratione abdicata : substitit in urbe tamen, eo splendore, qui matrem Imperatoris deceret, ad mensem Octobrem anni* IↃCCCLVIII, *quo monasterio, vel palatio cuipiam inclusa. Et quia medio eo spatio temporis fortassis et filium subinde conveniebat, et Imperatrix appellabatur, ideo Nicetas in Ignatii Vita ait* regnasse Michaelem cum Matre annos XV, menses VIII, (*nimirum a fine Januarii* IↃCCCXLII, *ad Octobrem anni* IↃCCCLVIII *quo attonsa est mater*) solum novem prope annos : periit *enim, ut idem ait,* initio Indictionis I, XII Kalend. Octobris, *anno* IↃCCCLXVII.

*S. Theodora e regia pulsa an. 856.*

*Constantinopoli tamen splendide vivit ad Octobrem an. 858*

90 *Quomodo, recusante Ignatio invitam habitu monachili amicire, id per alios effectum sit, narrat Cedrenus, atque ex eo Curopalates, in hunc modum :* Consueverat Theodora ad sacram ædem Deiparæ, quæ est in Blachernis, cum filiabus se conferre, tum orationis, tum balnei gratia. Cum igitur die quodam illuc eam abiisse Imperator ejusque avunculus Bardas didicissent, Petronam, quem ipsum quoque fratrem fuisse Theodoræ supra ostendimus, allegant, qui eam cum filiabus in monacham attondeat. Ita illæ in palatium, quod est juxta Cariani, relegatæ, omnibusque, D quas possidebant, opibus spoliatæ, non regio, sed privatorum more vivere coactæ sunt. *Ubi illud situm fuerit* τὸ κατὰ Καριανοῦ ἀνάκτορον, palatium juxta Cariani, *in quave regione urbis, illic non indicatur.* Longe a regia summotam *scribit Glycas. Zonaras,* ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Καριανοῦ περιορισθεῖσαν, in domo Cariani inclusam. *Superius* § 2 *num.* 15 *retulimus Theophilum filiabus suis singula palatia ædificasse in ea regione quæ Cariani dicebatur. In hæc ipsa, aut unum aliquod eorum retrusæ videntur.*

*AUCTORE G. H. Inde attonsa cum filiabus includitur*

91 *Cedrenus et Curopalates aiunt, non multo post quam in eam exturbata locum erat, mortuam esse. Zonaras scribit,* cum earum rerum sensu sauciatus ejus animus esset, eam in monasterium, quod ibi erat, commigrasse, neque diu tantæ calamitati superstitem fuisse : filias autem ejus, Imperatoris sorores, mala, in quæ conjectæ erant, tolerasse. *Ad annum usque* IↃCCCLXVI *in vivis fuisse probat Baronius ex Nicolai Papæ ad eam epistola data Idibus Novembris, Indict.* XV *a Septembri mense inchoata. Ex qua epistola, si* XI *Februarii decessit Theodora, quo die illius apud Græcos recolitur memoria, confici videtur non ante annum* IↃCCCLXVII *obiisse. Qui enim probabile sit, totis* IX *mensibus ejus obitus nuntium non fuisse Romam perlatum ad Papam, de rebus Constantinopolitanis impense sollicitum? Eam epistolam,* velut nobile epitaphium tantæ mulieris digna memoria consecratum describere *se in Annalibus Baronius profitetur. Et nos hic describemus. Est autem* XIV *inter Nicolai Epistolas tom.* 3 *Conciliorum, atque ita habet :*

*non statim post mortua,*

*ut patet ex ep. Nicolai Papæ 13 Nov. 866 ad eam data,*

92 Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei, di- E lectissimæ filiæ Theodoræ, Imperatori quondam terreno, nunc autem spiritualiter cœlesti conjunctæ. Virtutes vestras, quibus præditæ antecedentium vos Augustarum nulli diebus istis apparuistis secundæ, quibus etiam, et præcipue in caussa pietatis, earum nemini estis inferiores inventæ, subtiliter atque sollicite recolentes; Deo cunctipotenti, cujus munere has percepistis, grates immensas referre, et ejus sancto nomini benedicere non cessamus, atque piorum studiorum vestrorum præconia, pro imitatione audientium, inter Fidelium colloquia jugiter enarramus. Tu quippe etiam Principe marito tuo, contra leges Ecclesiæ sentiente, superstite, sana sapere et recta defendere non formidasti. Tu, inquam, in orthodoxa religione perseverans, unicum filium non terreni patris, sed supercœlestis iter aggredi docuisti. Quis autem morum insignia, quis correctionum tuarum facta fortia narrare sufficiat? Cum enim sola principabaris, Domino cooperante, non solum ab hoste visibili, verum etiam, nullo mare infirmior, Ecclesiam Domini ab hoste invisibili, hoc est ab errore, texisti; et perversorum dogmatum nebulam tanquam solis radiis ab Ecclesiæ facie pepulisti. SenF serunt in te hæretici virile pectus, et mirantes insuperabile robur, quod femina fueris, ambiguum habuerunt. Cur hoc, nisi quia Sedis Apostolicæ dogmata sequebaris, et Constantinopolitani monita Pontificis, cui Romana Ecclesia communicabat, amplectebaris? Sic enim devoti filii paternum venerantur affectum; et in nullo prorsus ingrati circa parentes suos consentiunt inveniri.

*qua eam laudat,*

*ut sæpe solebat,*

*a pietate,*

*prudentia,*

*zelo Fidei,*

*reverentia erga R. Ecclesiam :*

93 Sed inimici quid agunt? apprehendunt, ejiciunt. Et quid plura? Omni dehonestati subjiciunt. Sed exempla patientiæ, quibus ista contemnere, et illa quæ sunt æterni Imperii docearis appetere, o Christianissima filia, satis abundant. Nam legifer Moyses et Aaron Sanctus Domini murmur et duras contumelias atque seditionem patiuntur ab iis, quos velut filios Moyses in sinu portabat, et adeo diligebat, ut Domino volenti eos perdere, et facere eum in gentem magnam, diceret : Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti. Sic B. Samuel ab

*ejecta proponit exempla patientiæ,*

*Moysem,*

Exod 32

*Samuelem,*

A ab his, quibus multa præstiterat beneficia, de principatu propellitur. Sic Propheta Zacharias ab eo cui pater suus regnum vendicaverat, et ipse viam salutis ostendebat, lapidibus impetitur. Sed quid per hominum genus diutius immoremur, quando ipse mediator Dei et hominum Dominus noster Jesus Christus ab his, quibus cæcos illuminavit, languidos plurimos pristinæ sanitati restituit, mortuos excitavit, probra, sputa, flagella, et mortem Crucis sustinuit?

*AUCTORE I. B. Zachariam,*

*Christum;*

94 Devenimus quippe (heu) in ea, quæ beatus Apostolus prædixit, periculosa tempora, cum scriberet: Et in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi, ubi et interposuit parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione. Imo devenimus in eos lugendos et deplorandos dies, in quibus, (proh dolor) juxta quod et Dominus in Evangelio dicit, tradet frater fratrem in mortem, et insurgent filii in parentes. Sed hæc facientes et sævientes hostes quid agunt? Dum cupiunt obesse, prosunt; et cum lædere moliuntur, plurimum præstant: privant tyrannice regno temporali, sed donant, licet nolendo, imperium sempiternum: auferunt terrenam gloriam, sed conferunt cœlestem beatitudinem. Commutatur enim eorum argumentum iniquitatis in artificium æquitatis, et arma perniciei seu tyrannidis versa sunt in instrumenta salutis et pietatis. Quoniam quantumlibet sæ-B viant æmuli, quantumlibet hostes insaniant; diligentibus tamen Deum omnia cooperantur in bonum; nimirum quia non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Dominum.

*2 Tim. 3*

*quæ patiatur, olim prædicta, Marc. 13*

*materiam esse meritorum:*

95 Ergo, carissima filia, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus: et in adversitatibus unicum Domini solum adite refugium; statuentes etiam pedes vestros in petra, super quam Dominus principaliter suam construere delegit Ecclesiam; et ab ejus communionis soliditate, sicut nec hactenus, ita quoque usque in finem, nullis procellæ alienamini flatibus. Nos vero qui ejusdem immeriti sumus vicarii, tam circa statum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quam circa recuperationem Fratris et Coepiscopi nostri Ignatii, juxta ministerium nobis creditum, segnes inveniri vel desides nullo pacto confidite. Quomodo autem erga vos vel erga dilectas filias vestras agatur, vel si forte quid cordi est, per præsentes Missos nostros, quibus suffragari vos in opportunitatibus petimus, fida mente nobis, et indubitabili conscientia, quæsumus, intimate. Dat. Idib. Novemb Indict. decimaquinta.

*hortatur ad constantiam:*

*Addicit S. Ignatio operam,*

*ipsi solatium.*

96 *Signata est eadem die, Idibus videlicet Novembris, ejusdem Nicolai Papæ ad Bardam Cæsarem epistola, ex qua conjicit Baronius errare Curopalaten; qui* C Indictione XIV, die 1 Aprilis *occisum esse Bardam scribit. Et recte quidem probat non videri die primo Aprilis occisum, qui incidit eo anno in feriam secundam sanctioris hebdomadæ; cum tradat Nicetas,* ipso solennis jejunii exordio.... adeo arcte custoditum, *Bardæ jussu,* Ignatium, ut neque sacris quidem operari posset; neque cuiquam copia fieret illius conveniendi, nec illi exeundi: cumque ad tertium mensem ita circumclusus mansisset, *interemptum esse Bardam. Atqui dies Cinerum eo anno fuit* XXI *Februarii, a quo ad* 1 *Aprilis vix sex, hebdomadæ sunt. Quod ergo de die habet Cedrenus*, πρώτην ἦγε τηνικαῦτα μὴν ὁ Ἀπρίλλιος τῆς ιδ' ἐπινεμήσεως. Primus erat tunc mensis Aprilis, XIV Indictionis; *ita corrigendum:* εἰκοστὴν πρώτην ἦγε. vigesimus primus erat: *velut habet Constantinus Imperator in Vita Basilii:* πρώτην εἶχε μετ' εἰκάδα ὁ μὴν Ἀπρίλλιος τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης ἐπινεμήσεως. *Vertit Allatius,* XI Kal. Maias. XIIII Indictione. *ad verbum,* vicesimus primus erat Aprilis, decimæ quartæ Indictionis. *Atque illud μετ' εἰκάδα mutatum videtur apud Cedrenum in τηνικαῦτα.*

*Bardas Cæsar occisus*

*non 1 Apr.*

*sed 21,*

97 *Quod autem in numero Indictionum errorem esse* D *Baronius suspicatur, primum ex scriptorum consensu refellitur. Dedimus Constantini verba, ac Cedreni, quem sequitur Curopalates. Et postremi hi duo adhuc certiorem produnt notam temporis: Michael* Basilio coronam imponit, ipsa sanctæ Pentecostes die, quæ erat vigesima sexta Maii, Indictione decimaquarta. *Atqui anno* IↃCCCLXVII, *Indictione* XV, *Pascha fuit* XXX *Martii, littera Dominicali E, Pentecoste* XVIII *Maii. Præcedente autem anno Pascha fuit* VII *Aprilis, Pentecoste* XXVI *Maii, littera Dominicali F. Neque id nescivit Baronius diserte scribi a Curopalate; sed* diem Pentecostes *prætermisit, Indictionem correxit,* XXVI *diem Maii retinuit. Hæc autem ita gesta facile potuit Nicolaus ignorare post quinque etiam menses, cum istas ad Bardam litteras dedit, nullas ad Basilium. Si quæras, cum a* XXVI *Maii anni* IↃCCCLXVI *ad* XX *Septembris anni* IↃCCCLXVII, *fere per* XVI *menses, cum Michaele imperarit Basilius, cur non igitur illius Matrem, (si superstes per octo saltem menses fuit) restitui in pristinum dignitatem, aut saltem ad aulam revocari curarit? Nempe quia res suas firmandas prius duxit, quam quidquam novaret: norat levem et inconstantem Michaelis indolem, validam Photii factionem: neutrum irritari sine summo suo discrimine posse. Quid, quod ipsam Theodoram suis honoribus antea obstitisse meminerat, cum præsagiret summam potestatem consecuturum! Quid si igitur, ubi cum filio illam reduxisset in gratiam, filium ipsa ab eo alienaret?* E *Denique non defuerunt ei caussæ, ob quas non illico subveniret innocentibus injuste oppressis: Subvenit quamprimum plenam et absolutam adeptus est potestatem, ut ad S. Ignatii Vitam* XXIII *Octobris dicemus: sed tum defuncta erat Theodora.*

*anni 866*

*quo Pentecoste erat 26 Maii.*

*Cur non tunc restituta Theodora per Basilium collegam Michaelis Imp.*

*mortua ipsa 11 Febr. 867*

98 *Mortua ergo hæc videtur* XI *Februarii. Indict.* XV *an.* IↃCCCLXVII, *post Bardæ fratris necem mensibus fere* IX. *Septem post ejus obitum mensibus, diebus* X, *peremptus est et filius ejus Michael* XII *Kal. Octobris, Indict.* 1. *At Nicolaus Papa Idib. Novemb. decessit: quique ad eum ab Ignatio Patriarcha et Basilio Imperatore missi erant Legati, Adrianum* II *illi subrogatum invenerunt.* Imperio porro potitus Basilius, *ut scribunt Cedrenus et Curopalates,* Theodoræ cadaver, ac filias ejus ad aviæ monasterium, quod Gastria dicitur, transtulit. *Joannes Baptista Gabius, illud* πρὸς τῆς μάμμης μοναστήριον *vertit,* ad Mammæ monasterium. *Zonaras quoque,* a Basilio Macedone Imperium adepto, in monasterium aviæ maternæ, Gastria dictum, deductas *Michaelis sorores scribit. De avia Theoctista Florina antea actum.*

*translata a Basilio Imp.*

99 Theodoram autem, *ait Baronius ad an.* IↃCCCLXVI *num.* 18, post obitum relatam inter Sanctos, Græcum Menologium Basilii Imperatoris ostendit, ubi undecima Februarii ejus dies natalis celebratur hoc elogio: Theodoræ Imperatricis, quæ rectam fidem reddidit, memoria. B. Theodora Imperatrix Theophili fuit Iconomachi conjux, ipsa autem Catholica. Ille quidem S. Methodium Patriarcham relegavit, et pro illo creavit Joannem hæreticum, qui sanctas combussit imagines. Illi autem tunc non licebat eas publice adorare; sed in cubiculo habens eas occultas, nocte surgebat et adorabat, petens a Deo ut Orthodoxis misericordiam exhiberet. Filium vero genuit Michaelem, quem rectam Fidem docuit. Post viri transitum, statim S. Methodium revocavit, et sacram Synodum congregandam curavit, in qua sunt sacræ imagines restitutæ. Deinde ab Imperio ejecta, in monasterio una cum filialibus posita, ibi in Domino quievit. *Ista apud Baronium, ex quibus conjicimus, Menologium illud non esse Basilii Macedonis ævo conscriptum, cum recens esset Theodoræ Methodiique memoria, ut nemo doctus scribere tunc potuerit, hunc per illum revocatum ab exilio, aut eo multatum a Theophilo jam Patriarcham.*

*inter sanctos relata.*

*Ut patet ex Menologio Gr.*

*quod Basilii Imp. dicitur,*

100 *Eadem*

A

*et Menæis*

100 *Eodem habentur in Menæis, sed cum hoc titulo :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη Θεοδώρας τῆς βασιλίσσης τῆς ποιησάσης τὴν Ὀρθοδοξίαν.

Τὴν Θεοδώραν Αὐγοῦσταν τιμῶ χαίρων,
Τὴν τιμήσασαν χριστοῦ μου τὴν εἰκόνα.

D

AUCTORE J. B.

*ac Maximo Ep. Cytheræo.*

Eodem die memoria Theodoræ Augustæ quæ Orthodoxiæ festum instituit.

Theodoram Augustam lætus honoro,
Quæ Christi mei honoravit imaginem.

*Cetera fere cum Menologio conveniunt, habenturque et in Maximi Cytheræi* βίῳ Ἁγίων.

# DE S. EHOARNO

## EREMITA ET MART. IN BRITANNIA ARMORICA.

G. H.
ANIMADV. PAP. 86

CIRCA AN. CIƆXX.
XI FEB.

*In monasterio S. Gildæ*

*Inter Nannetes et Curiosolites, populos Britanniæ Armoricæ sunt Veneti : apud quos ad lævam Blaveti fluminis ripam S. Gildæ monasterium est, quod vulgo* S. Gildas de Ruys *nuncupatur; aliis* Rivense, Ripense, Ruyense, Ruitiense Reum-visii, *uti diximus* XXIX *Januarii ad Vitam S. Gildæ Sapientis, Abbatis et fundatoris hujus monasterii, seculo Christi sexto extructi; sed tempore Ducis Alani* I, *qui ab anno* IƆCCCXCIV *ad* IƆCCCCVII *rexit, a Normannis eversi. Auctor Vitæ S. Gildæ narrat cap.* 6 *numer.* 35 *Felicem monachum a Gosleno Abbate Floriacensi anno* CIƆVIII *missum esse ad Gaufredum Comitem, ad restauranda Britanniæ monasteria. Deinde numer.* 38 *scribit, sedecim annis post, nimirum* CIƆXXIV, *ad Floriacense monasterium esse reversum; sed rursus remissum, cœpisse demum monasterium S. Gildæ restaurare. Quo tempore ibidem S. Ehoarnum occisum esse ita narrat cap.* 7 *num.* 40 :

*circa an. 1024 restaurato,*

B

*occisus est S. Ehoarnus a latrone,*

*mox a dæmone obsesso, et insano facto.*

2 Erat in eodem loco ipso tempore quidam Dei servus, solitariam vitam ducens, nomine Ehoarn, super quem nocte irruentes latrunculi, eum ex adhærenti ecclesiæ domo extraxerunt. Quidam vero ex ipsis, Leopardus cognomine, arripiens securim, super limen ecclesiæ cerebrum illius excussit. Qui mox correptus a dæmonio, in terram corruit, atque cum surrexisset, cultellum arripiens, seipsum in pectore vulneravit : et nisi cito a sociis suis fuisset defensus, semetipsum interfecisset. Ligatus igitur ab ipsis, domum reversus est, sed numquam postea sensum recepit. Vidimus namque eum per viginti annos nullo tegi indumento, non tunica, non camisia, non calceamento, sed miro modo æstate et hieme nudum incedere. Huic si quis pro misericordia aliquod indumentum porrexisset, ille si forte sub arbore sedisset, vel in quolibet loco, non discedebat, donec ipsum indumentum omnino discidisset. Et si quidem laneum vel lineum fuisset, in ipso loco diffilabat eum; si vero pelliceum, et ipsum ad nihilum redigebat. Itaque et æstatis immensos calores, atque intolerabilia hiemis frigora, sicut diximus, per multos annos nudus incedens, domi forisque pertulit.

*Et 20 annos nudo oberrante:*

3 *Hæc auctor Vitæ S. Gildæ, qui se pœnæ latroni illi inflictæ oculatum testem facit. Hunc autem* Ehoarnum *Saussaius Martyrologio Gallicano ad* XI *Februarii inscripsit his verbis :* In agro Veneteusi, cœnobio S. Gildasii, natalis S. Ehoarni eremitæ et Martyris, illic a latronibus trucidati. *Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino hæc habet eodem die :* In cœnobio S. Gildæ diœcesis Venetensis, B. Ehoarni eremitæ et Martyris. *In diœcesi Constantiensi apud Suevos in Germania, officio Ecclesiastico, quale de uno Martyre fieri consuevit, colitur* XXI *Januarii* S. Meinradus eremita a latronibus cæsus : *uti his verbis eum celebrant tabulæ Martyrologii Romani : quo die ejus Vitam dedimus : et de Translatione reliquiarum et canonizatione a Benedicto* IX *Pontifice Maximo facta egimus.*

*colitur* XI *Februarii.*

E

*Et Martyr habetur.*

*uti S. Meinradus, pari modo cæsus.*

# DE B. MARTINO

## CANONICO REGULARI, PRESBYTERO,

### LEGIONE IN HISPANIA.

J. B.

AN. CIƆ CXXI
XI FEBR.

*Legio urbs est Hispaniæ, regni cognominis caput, vulgo* Leon. *Hic insignis est Canonicorum regularium abbatia,* S. Isidori *nuncupata, quod ad eam S. Isidori Episcopi Hispalensis translatæ reliquiæ sint. Asservantur illic reliquiæ quoque* B. Martini *Presbyteri, qui in eodem cœnobio Canonicus Regularis fuit. De eo Lucas Tudensis, auctor coævus, in præfatione ad Chronicon mundi ita meminit :* Quid de venerabili Martino Legionensi Presbytero sentiendum? Qui tantam a Domino precibus in Divinis Scripturis prærogativam obtinuit, ut in expositione Scripturarum sanctissimis primis Doctoribus merito valeat adæquari. *Meminit et Joannes Mariana lib.* 11 *cap.* 16. *ubi de rebus sub annum* CIƆCLXXXVIII *gestis agit :* Martinus Presbyter, *inquit,* per hæc tempora litteris et vita clarus, Legione multis libris conscribendis operam dabat; ex rudi atque illitterato repente factus doctissimus, ab Isidoro, cujus in monasterio vivebat, oblato in somnis libro quem comederet. Eorum librorum pars nulla ad nostras manus venit : Canonici ejus templi magna religione servant, rei gestæ monumentum posteritati præclarum.

C

*B. Martinus Canon. regul. Presbyter*

*precibus scientiam obtinet*

*ope S. Isidori,*

*antea stupidus,*

2 *Ambrosius Morales Chronic. general. Hispan. libr.* 12 *cap.* 21, *vidisse se libros illos testatur, et publicos Martino honores exhiberi, ita ergo scribit :* Ante annos CCC vixit in S. Isidori monasterio Canonicus, Martinus nomine, rudi admodum ingenio, sed magna vitæ sanctitate, et ob hanc in summa apud populum veneratione. Discruciabat ejus animum, quod, quantumvis magno labore, nullam assequi litterarum scientiam posset. Nocte quadam in somnis ei S. Isidorus apparuit, librumque præbuit, et ut comederet mandavit. Simul scientia illi perampla infusa est. Plura exinde opera Latine scripsit, verbis styloque sat culto. Extant ea penes Canonicos, et quædam ego ex iis legi. In urbe totaque provincia Sanctus habetur : et quamquam nondum solenni apotheosi decreti ei sint cœlestes ab Ecclesia honores, erectum tamen in eo monasterio sacellum est, apposito titulo S. MARTINI, atque in ara locatum ejus sacrum corpus, thecæ affabre cælatæ atque inauratæ inclusum : in tabula altaris depicta sunt ejusdem Beati miracula. In claustro cœnobii S. Mariæ de la Vega Salmanticæ visitur in quodam altari idem depictum in tabula miraculum, tanto artificio, ut haud facile elegantior tota Hispania pictura reperiatur. *Ita Morales.*

F

*ac libros scribit elegantes.*

*ut sanctus honoratur*

*sacello,*

*corporis elevatione,*

*picturis :*

3 *Athanasius de Lobera Ordinis Cisterciensis monachus parte* 2 *Historiæ Legionensis, sive de magnitudine civitatis et Ecclesiæ Legionen. cap.* 32, *Martinum vocat* Speculum virtutis, splendorem virginitatis, exemplum obedientiæ, thesaurum sapientiæ, regulam religionis

*Ex Hispanico Loberæ.*

*Vita ejus a Luca Ep. Tudensi scripta:*

ligionis, propugnaculum fidei, fragrantiam sanctitatis, honorem bonorum morum. *Addit* Vitam ejus scriptam a Luca Tudensi Episcopo, in insigni monasterio S. Isidori Legione Canonico, ubi et ipse S. Martinus Canonicus fuit: exstare eam in libro, quem idem auctor edidit de S. Isidori translatione, eumque librum, typis procusum, esse in manibus. *Quia eum nos non vidimus, quam idem Lobera S. Martini Vitam itidem Hispanico sermone edidit, Latine vertimus; pressius aliquanto, ut nobis videtur, quam in Martyrologio Hispanico Joannes Tamayus Salazar.*

*Hispanice a Lobera, hæc a nobis versa:*

4 *Brevius aliquanto Vitam eamdem Latine edidit Thomas de Trugillo tom. 2 Thesauri concionatorum parte 2. ubi ista habet:* Celebratur autem festum ejus in civitate Legionensi, et in Lectionibus, quæ ibi leguntur in ejus Officio, Vita narratur, sicut hic a nobis descripta fuit, quæ habetur in Breviario antiquo illius Ecclesiæ. *Extat quoque Vita ejus Hispanice scripta a Joanne Marieta lib. 6 de SS. Hispaniæ cap. 5: ubi eadem de cultu et Officio, de sacello tituloque, de reliquiis et piis miraculis tradit. Hispanice quoque eamdem Vitam scripsit Alphonsus Villegas tom. 1 Floris SS. fol. 406. Honorifice ejus meminit Alphonsus Venerus in Enchiridio temporum.*

*alia de ejus publico cultu testimonia:*

5 *Refert eum in Natalib. SS. Canonicorum Constantinus Ghinius* XI *Februarii his verbis:* Legione in Hispania... Natale S. Martini Canonici regularis et Presbyteri. *Philippus Ferrarius eodem die:* Legione in Hispania S. Martini Presbyteri. *Eadem ante quoque* VIII *Februarii habet. Fatetur tamen in Notis consignari ab aliis ejus Natalem* XI *Februarii. Lobera, ut infra patebit, errore (ut opinor) librarii ait* XI Januarii *coli, Villegas* XII Februarii: *ceteri* XI. *Gabriel Pennottus lib. 2 Historiæ Canonicor. regularium, cap. 31 num. 5 ait Abbatem fuisse monasterii S. Isidori, quod ii, quos jam citavimus, non tradunt.*

*natalis 11 Feb.*

# VITA

*Animadv. pag. 87*

## *Hispanice scripta ab Athanasio Lobera, Interprete J. B.*

*B. Martini parentes*

Parentes Martino Joannes et Eugenia fuere, *a* clari ambo sanguine ac spiritu, qui multis decus utrumque benefactis ornavere. *b* Datus iis a Deo hic filius est, qui familiæ patriæque honorem virtutis splendore augeret. Et quia in parentum moribus religio, misericordia, Numinis reverentia et amor apprime elucescebant, easdem filius una cum lacte imbibit virtutes. Cumque ii haud multo post humanis rebus abdicatis, Eugenia monacharum ingressa cœnobium esset, ubi annis aliquot insigni sanctimoniæ exemplo transactis excessit e vita; Joannes institutum Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini in Legionensi S. Martialis æde complexus; Martinus licet admodum adolescens patrem comitatus est, tutius illic ad pietatem informandus, et, si non aliud posset, sacrificantibus saltem ministraturus. Hic ille in eo primordio ætatis velut flores emisit virtutum, unde uberes postea fructus extiterunt.

*fiunt religiosi: ipse in cœnobio educatur:*

2 Cum ad Subdiaconatus gradum, succrescente ætate, pertigisset, mortuus illi est pater. Tum ipse opes sibi relictas, haud sane tenues, in pauperes erogavit. Incessit ei ipso tempore cupido Sanctorum reliquias venerandi, et celebria religione loca visendi. Ovetum ergo se confert, inde Compostellam, tum Romam, ubi *c* Urbano III Pontifici Maximo pedes deosculatus, obtentaque ab eo benedictione in Palæstinam navigavit, ac duos annos in Hierosolymitano xenodochio pauperibus famulatus est. Inde revertens, Constantinopoli casulam emit, in patriam allaturus. At cacodæmon qui acre sibi jam ab eo fieri bellum sentiebat, majus etiam parari, cum Centumcellas *d* Etruriæ urbem devenisset, ut ei manus injicerentur, velut casulam eam uspiam furato, procuravit. Sed quia Deo ita curæ est suorum famulorum salus, ut qui vel vestem eorum tangat, eum sibi pupillam oculi tetigisse censeat, illico adfuit e cœlo Angelus, atque intentatum insonti crimen *e* refellit. Omnem deinde Galliam percurrit Martinus, quæcumque Divorum exuviis celebria essent loca perlustrans: quin et ipsam penetravit Angliam, unde tandem in Hispaniam revertit. Magnos ille tam diuturna peregrinatione labores sustinuit, multa adiit pericula, injurias ærumnasque multas pertulit, et magnam sæpe rerum omnium inopiam; pedibus tam longinqua ac difficilia conficiens itinera, ternos in hebdomadam dies pane solo et aqua victitans. Quid infesti dæmonis odium ac multiplices laqueos atque offendicula illi posita referam?

*peregrinatur ad SS. loca: in Italia ut fur captus liberatur ab Angelo: multa incommoda patitur:*

3 Legionem reversus, Diaconus primum, dein Sacerdos ordinatus est. At non ignarus ad hoc munus rite obeundum, magna vitæ perfectione opus esse, religiosum institutum, quippe et sublimius, ne dicam divinius, ac multo fructuosius alia quavis conditione, capessendum sibi constituit. In cœnobio ergo S. Martialis, ubi et pater vixerat, et ipse erat educatus, Canonicis regularibus adscriptus est. Ita serio, ambabus (quod aiunt) ulnis, amplexus continuo est obedientiam, submissionem animi, ceteraque exercitia virtutum, quibus veluti fundamentis nititur vita religiosa, ut brevi etiam veteranos longe anteiret. Emicabat in ejus moribus, quasique vultu ipso, mundi contemptus, paupertas spiritus, viva erga Deum caritas, rara profundaque sui demissio.

*fit Sacerdos, dein Canonicus regularis: sancte vivit.*

4 Exorta dein, ut Lucas Tudensis memorat, inter Manricum Legionensem Episcopum, ac monasterium S. Martialis simultas est, tantisque studiis agitata, ut tandem Canonicos monasterio Præsul exturbarit, ac Sacerdotes seculares in eo collocarit. Inde ergo expulsus cum ceteris Martinus, in S. Isidori cœnobium, quod itidem Canonici regulares Ordinis S. Augustini incolebant, concessit. Illic ita macerabat pœnitentiis corpus, ut Canonicorum quorumdam invidiam incurrerit, hypocrisi ac singularitati tribuentium id, quod erat eximiæ virtutis. Eo enim nomine sugillant segnes inertesque abstinentiam, disciplinæ studium, collectionem animi, silentium, et alias res quæ a trito ipsis calle recedunt. Quamquam in piorum hominum contubernio, non semper sanctum est, quod extrinsecus ejusmodi videtur; nec quæ singularia sunt, et a communi usu aliena, temere admittenda, nisi judicio longoque experimento probatum sit, solida ea esse, et a Dei Spiritu profecta; qualia hujus sancti viri facta erant. Qua ceteri cum laude ierunt, progredi tutum est: singularem incedere, periculo, et plerumque non levi, obnoxium. Ut sensit Martinus molestum se et invisum sociis esse, abscessit, et ad S. Martialis ædem, ubi erat educatus, sese recepit *f*.

*migrat ad S. Isidori cœnobium singularitatis nota injuste perstrictus. inde abit:*

5 Vix pauculi abierant dies, cum Canonicis quibusdam dicati suo nomini cœnobii apparuit S. Isidorus, itaque eos compellavit: Cur a vobis Dei servum Martinum expulistis? Revocate eum ad vestrum contubernium, neque ansam offensionis captate, sed gaudii sanctæque voluptatis occasionem, quod cernere vobis inter vos virum liceat, qui semitam perfectionis insistat. Abbas ac Prior aliique ad S. Martialis ecclesiam adiere, obtestatique sunt, *g* ut ad ipsorum cœtum reverteretur. Abnuere visus primum, dein tamen assensit. Exin adeo duram asperamque tenuit vitæ rationem, ut quidquid antea egerat ludus quidam fuisse videretur.

*S. Isidoro jubente revocatur.*

6 Litterarum peritia, præsertim sacrarum, carebat: magno tamen ejus sibi comparandæ per omnem vitam desiderio flagrarat. Eam ut sibi impertiretur, magno

A magno ardore animi Deum precabatur. Advocatum adhibebat gloriosum Doctorem, patronum monasterii illius suumque, Isidorum. Ad hasce preces, patrociniique et Divini favoris invocationem, operam laboremque adjungebat. Verum magister illi atque ingenium deerant, quibus duabus eniti potissimum aliis ad eum assequendum scopum oportet. Non sivit Deus inania servi sui vota esse. Dum ergo natu jam grandis, noctu orationi de more intentus, eam sibi gratiam donari, obnixe Deum flagitat Martinus, spectabilis ante eum adstitit S. Isidorus, librum manu tenens, et, Cape, inquit, Martine librum, et comede, simul scientiam sacrarum Scripturarum hausturus; Deo largiente. Negat Martinus fas sibi esse librum eum comedere, jejunii lege obstricto. Secure comede, ait sanctus Doctor, neque enim propterea jejunii præmio privaberis. Isidorus sum, hujus monasterii Patronus, a Deo missus, ut hoc te beem munere. Cum ad hæc attonitus hæreret, propius ad eum Sanctus accedit, mentoque illius prehenso, vi ut librum deglutiat cogit, subitoque ex oculis ejus abscedit. O conscientiam innocenter pavidam, sanctam simplicitatem, absolutam obedientiam, sapientem ignorantiam, cui tanti erat lex jejunii, nulla ut ἐπιεικεία ab ejus observatione, etiam sancto Doctore B suggerente, abstrahi sese pateretur!

*scientiam litterarum, præsertim sacrarum,*

*apparente S. Isidoro, et librum comedendum ingerente,*

7 Visum hoc, escaque cœlestis, mirifice ejus et intelligentiam collustravere, et accendere voluntatem, velut sacro quodam liquore genuini intellectus Scripturarum percepto. Ita cujus prima ætas mediaque, stellæ instar micuerat humilitatis, obedientiæ, mortificationis exercitatione; extrema velut aurum encausto ornatum sapientiæ resplenduit, aut ut niveus alabastrites auro divinæ scientiæ illitus. Qui prius quernus stipes videbatur, in terebinthum cœlesti auro illigatam mutatus est. Nox in lucem versa; nubilum in serenitatem, hiems in æstatem, in ver autumnus. Denique velut publicus quidam sol prodiit, animos illuminans disputationibus, concionibus, libris, revelationibus, prophetiis, et præclaris inusitatisque miraculis. Agnoscebat ille quidem has in se dotes, sed ut illi gratis donatæ erant, modisque supernaturalibus impetratæ, non ad inanis alicujus gloriolæ sensum, honoremve mundanum, nullam in ejus moribus et conversatione mutationem attulere. Eadem qua antea compositione totius hominis effulsit, eadem demissione, patientia, mortificatione, æquanimitate. Major inde scientiæ ejus splendor extitit, uberior ac pretiosior fructus. Adeoque cum doctrina ejus ac sermones factis insolitis ac miraculis confirmarentur, miraculum ipse toti Hispaniæ fuit, neque alius quisquam majori quam ipse florebat existimatione, reverentiaque populorum.

*divinitus consequitur:*

*inclarescit doctrinæ fama,*

*miraculis,*

*sanctitate:*

C

D *EX HISPANICO LOBERÆ.*

8 Multis disputationibus hæreticos varios convicit, quippe cum afflatu Spiritus sancti doctrinam omnem suam hausisset, inerat ejus argumentis ac responsis acumen quoddam visque divina, præ quam proferri e scholasticis certaminibus solet. Multos cœlesti virtute ægros sanabat, prædicebat multis futura. Varia composuit opera, ac duo præsertim volumina, quorum uni titulus est Concordia, *h* quia veteris novique Testamenti consensionem commonstrat: in altero sententiæ sunt Sanctorum Patrum in unum collectæ. Cum præ senio attollere ad scribendum brachia non posset, fuerunt ad ejus cellæ trabem varii appensi funiculi, qui dein nodis implexi, suppositique humeris ac brachiis, ea sustinebant. Septem ei operam navabant scribæ, quos sola quæ illi præbebatur in dies, annona alebat, Crucis signo, quod super illam efformabat, vim eam aut copiam adjiciente, ut octonis ea satiatis, pars semper aliqua redundaret, largienda pauperibus.

*disputat cum hæreticis:*

*libros scribit,* *h*

*extremo senio:*

*amanuenses miraculose alit:*

9 Multis patratis miraculis, vehemente correptus febri, affixus est lecto, atque e vita hac tandem ad meliorem migravit, ipso, quem prædixerat, die *i* XII Januarii, anno Christi CIↃCCXXI. In urbe Legionensi totaque provincia, honores ei ut Sancto, et quidem eximio, habentur. Licet autem nondum in Cœlitum tabulas Pontificis Maximi auctoritate relatus sit, sacellum est tamen in ante dicto S. Isidori cœnobio, peculiariter ejus nomini dicatum. Corpus illius supra aram locatum est, capsæ auratæ inclusum. In tabula altaris ejus picta sculptaque historia est ac miracula. Colit eum Ecclesia Legionensis Officio Ecclesiastico die XI *k* Januarii.

*moritur:* *i*

E *colitur:* *k*

10 Anno CIↃIↃXIII, die XIII Martii in editiorem ac honorificentiorem locum ab Roderico Fortio Episcopo *l* Matronensi repositæ sunt Sancti hujus exuviæ: is corpus omne resolutum invenit, præter dextram manum, quæ ita integra erat ac recens, velut si eo anno illic deposita esset: itaque in hunc diem perseverat.

*transfertur,* *l*

*dextra adhuc integra.*

a *Thomas de Trugillo*, ex illustri familia originem duxisse *scribit*. — b *Notat Tamayus in margine*: Precibus parentum nascitur; *quod non dicit Lobera*. — c *Sedit* Urbanus 3 *a* 25 *Novemb.* 1185 *ad* 20 *Octobr.* 1187. — d *Lobera habet*, Civita vieja. *Itali* Civita vecchia *appellant*, *sive* Civitatem veterem, *nobili portu celebrem, ubi olim* Centum-cellæ *urbs*, *et* Portus Trajani, *ut consentiunt eruditi plerique*. *Tamayus vertit* Cyrcæum promontorium. *Est* Circeium promontorium, *in eoque* Circeii *oppidum*, *in Latio*. — e *Tamayus ita explicat*: Factum est, ut Angeli auspicio, ut olim Petrus, Martinus liber et incolumis evaderet. — f *Addit Tamayus*: Clericis efflagitantibus secularibus. — g Ad beati viri pedes provoluti, *inquit idem Tamayus*. — h *Hanc scribit Tamayus* duobus tomis distinctam. — i *Ceteri, ut ante diximus*, XI *aut* XII Februarii *habent*. — k *Imo* Februarii. — l *Ita Lobera*: Obispo de Matroni. *Qui is sit Episcopatus, haud occurrit.*

# DE S. ADOLPHO

## EPISC. OSNABRUGENSI IN WESTPHALIA,

### Commentarius historicus.

*AN. CIↃCCXXII XI FEBR.*

Cœnobium Veteris-Campi, *vulgo* Camp *dictum*, *Ordinis Cisterciensis, fama et religione celeberrimum, situm in diœcesi Coloniensi in confiniis Cliviæ et Geldriæ non procul a Rhenoberca, fundatum a Frederico Archiepiscopo Coloniensi, dato diplomate anno Christi* CIↃCXXII, *quod recitat Gaspar Jongelinus lib.* 2 *Notitiæ Ordinis Cisterciensium, asseritque* hoc primum esse Ordinis monasterium in Alemannia, et centum plus minus aliorum extitisse fœcundissimam matrem. *Abbates primi fuerunt*, Henricus, *ab Arnulpho Morimundensi Abbate eo missus*; Theodoricus, *S. Bernardo familiaris*; Ebrardus, *cui anno* CIↃCLXXXIV *mortuo successit* Gerardus: *sub quo Abbate, inquit idem Jongelinus*, nobilissimus in deliciis enutritus adolescens, cui nomen Adolphus, Metropolitanæ Ecclesiæ S. Petro dicatæ apud Agrippinam Canonicus, honesta Campensium vita et laudabili conversatione motus, habitum a Patribus Cistercensibus præscriptum ad innocentiæ et humilitatis indicium suscepit, et monachus effectus, paucis diebus adeo profecit, ut mox in Osnaburgensem sublimaretur Episcopum. *Hæc ibi. Quam conversionem Cæsarius Heisterbacensis lib.* 1 *Historiarum memorabilium sui temporis cap.* 22, *vivente adhuc S. Adolpho, ita describit:*

*In Veteri-Campo*

*a Abbate IV*

*S. Adolphus e Canonico Coloniensi monachus Cisterciensis,*

2 Nobilis adolescens, Dominus Adolphus, nunc Episcopus Osnaburgensis, Canonicus fuerat majoris Ecclesiæ in Colonia: hic cum tempore quodam ad Campum, domum Ordinis nostri, venisset, et post Missam ad orationem in oratorio staret; vidit, quomodo

*AUCTORE I. B. conversus visa pœnitentia monachorum :*

A modo monachi, tam senes quam juvenes, ad universa currentes altaria, ad disciplinas faciendas nudabant dorsa sua, humiliter confitentes peccata sua. Quæ visio, sicut mihi quidam ejus familiaris narravit, tantum boni operata est in corde adolescentis, ut abire non posset : sed seculi pompam contemnens, et totum se ad Deum convertens, ibidem manens, sacrum religionis habitum susciperet : in quo tantum profecit, ut non multo tempore post, tum propter nobilitatem, tum propter religiositatem, in prædicta Ecclesia apicem conscenderet Episcopalem. *Hæc Cæsarius : quæ ex illo refert Angelus Manrique tomo* 3 *Annal. Cisterciensi. ad an.* 1204 *cap.* 5 *num.* 10, *additque eam* cæremoniam, *qua hic* compunctus est, hactenus alibi expressam se non vidisse, *et* hactenus ignotum esse quo tempore assumptus sit in Episcopum, *cum ante assignasset, secutus Chronicon Miræi an* CIↃCXC, *ut ibidem habet cap.* 7 *num.* 2. *Ceterum* adolescentia *apud Cæsarium dicitur respectu maturioris ætatis, in qua alii ad Episcopatum assumuntur.*

*Osnabrugi in Wesphalia Episcopus.*

3 *Est autem* Osnabrugum, *sive* Osnaburgum, *antiqua urbs in media Westphalia, sive antiquæ Saxoniæ Occidentali plaga, a Carolo Magno Sede Episcopali exornata, ecclesia istic in honorem D. Petri et SS. Crispini et Crispiniani extructa : cujus Sedis Episco-* B *pus* XXVIII *fuit* S. Adolphus, *de quo ita scribit Petrus Merssæus Cratepolius in Catalogo Episcoporum Osnaburgensium :* XXVIII. S. Adolphus, inde priore ad aliam vitam translato, ad Ecclesiæ clavum assumitur. Fuit hic Adolphus valde religiosus, et Ecclesiam suam optime vivendo, docendo plurimum ornavit. Fuit in pauperes, in leprosos valde liberalis. Ecclesiæ bona temporalia non neglexit. Cum præfuisset annis viginti et uno, sancte obiit, et Deus declaravit sanctitatem ejus. *Fuit decessor ejus* Gerardus de Lippia, *cui non ad aliam vitam, ut vult Cratepolius, sed ad Metropolim Bremensem translato successisse Adolphum auctor est Albertus Kranzius in Metropoli, qui lib.* 7 *cap.* 19 *hæc de Adolpho tradit :*

*bonum ecclesiæ promovet.*

4 Osnaburgensi Ecclesiæ, post translatum in Ecclesiam Bremensem Gerardum, vigesimo octavo loco præfuit Adolphus, vir singularis industriæ et devotionis non vulgaris : qui officium Cantoris auxit; sed oneravit vicissim, ut cultum religionis amplificaret : multa per industriam et sollicitudinem adjunxit Ecclesiæ, simul insistens et spiritualibus et corporalibus incrementis. Ad declarandam sanctitatem viri hoc referunt memorabile, quod, cum iter faceret in Varstenow, itinere medio casellam habuit vir leprosus, quem miseratus Episcopus, quoties pertransiret, curavit invisere, et allocutione fraterna invita- C vit ad patientiam, proposita ei in exemplum Christi Passione : et nihilominus eleemosynam reliquit indigenti. Pertæsum erat ministerialibus moræ, quam ibi faciebat præteriens Episcopus : et tamen cum illi nemo opponere auderet fastidium, effecere, ut transituro per viam Episcopo, subduceretur, per ordinationem illorum. Intravit de more casellam Episcopus, et cum illi dudum transtulisse videbantur, ne ibi tempus perderet Episcopus, videt ille ante se in loco sedere consueto. Cui cum solita monita repetisset Adolphus, in gratias solvitur leprosus, dicens se doctrinis ejus plurimum profecisse : et videntibus cunctis, qui aderant, spiritum efflavit : dabatque signa sanctitatis cunctis admirantibus, et de sua fraude, quam commiserant, dolentibus. Adeo fuit opinatæ sanctitatis moriens Episcopus, ut qui lapidem sepulturæ ejus transiens, inhonoro pede tangeret, eo die singularem ignominiam incurrebat. Præ- D fuit autem Ecclesiæ suæ viginti uno annis cum plurima sui laude et suorum profectu.

*leprosum invisens animat, ac miraculose ad cellam, unde amotus erat, relato, adest sancte morienti : ipse a morte miraculis illustratus.*

5 *Dies natalis S. Adolphi celebratur in Martyrologio Osnabrugensi* XI *Februarii hoc præconio :* Osnabrugi in veteri Saxonia, S. Adolphi ejusdem civitatis *colitur* 11 *Febr.* Episcopi et Confessoris, qui, cum Religiosus esset Ordinis Cisterciensis in monasterio Veteris-Campi, ob vitæ sanctitatem ad Cathedram Osnabrugensem evocatus, et ibidem sepultus est. *Eodem die refertur in Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez, et in Fastis Agrippinensibus Ægidii Gelenii, officium Ecclesiasticum de eo fit in Ecclesia et diœcesi Osnabrugensi ritu duplici, et quidem omnia dicuntur de Communi Confessoris Pontificis, præter Lectiones* IV *et* V *secundi Nocturni : in quarum ultima ista habentur :* In quo munere, *scilicet Episcopalis,* divinis et humanis actibus mire claruit, Thesaurariam Ecclesiæ valde auxit, Cantoriam fundavit, ac festum S. Catharinæ per diœcesin suam in foro celebrandam instituit : in omnes Ecclesias, præsertim in Capitulum et ministros ecclesiæ, munificus, in pauperes, præsertim leprosos, valde liberalis : et postquam Ecclesiæ per viginti annos optime præfuisset, sancte in Domino quievit anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo secundo. Post mortem etiam in tanta semper a Christi fidelibus habitus fuit reverentia, ut nullus ip- E sius sepulchrum, sicut aliorum defunctorum, transiret aut pedibus calcaret. Quare Franciscus Guilielmus Episcopus Osnabrugensis, pietate in sanctum prædecessorem motus, quarto Nonas Decembris, anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, ipsius sepulcrum, præsente suo Capitulo et multis Christi fidelibus, aperiri, et sacra ipsius ossa inventa elevari, et in sacrarium cum debito honore reponi fecit. *Hæc ibi. Sunt autem Officia propria Osnabrugensia auctoritate et jussu dicti Episcopi anno* MDCLII *typis excusa.*

*etiam officio Ecclesiastico. mortuus an. 1222, honoratus ab obitu, elevatus an. 1651*

6 *Agitur de S. Adolpho in Ordine Episcoporum Osnabrugensium, Synodo majori istic anno* MDCXXVIII *celebrata, et Athenæo Christiano urbis Osnabrugensis, hypotyposi* 3, *schemate* 12, *ubi B. Adolphus Antistes inducitur Aaronis novæ legis potestatem admirans ac laudans carmine Sapphico : et schemate* 19 *describitur quintum templi Societatis Jesu altare, dicatum SS. Carolis Magno ac Borromeo, S. Wihoni primo Osnabrugensium Episcopo ac B. Adolpho, et de hoc ejusmodi encomium additur :* Hic divinarum Scripturarum contemplator assiduus, susque deque vana mundi popismata tulit, modestiam Christianam ardentissime complexus est, spretos et inopia pressos mortales largissimis beneficentiæ imbribus recreavit, lepra etiam infectos, indignantibus frustra et nonnunquam fren- F dentibus aulæ suæ Principibus, visitavit, pecunia et bonis monitionibus subsidio fuit, cœlo etiam non sine miraculo gloriose intulit. *Colitur* S. Wiho XX *Aprilis. S. Carolus Borromæus* IV *Novemb. De S. Carolo Magno agimus* XXVIII *Januarii.*

*altare ei dicatur in templo Societatis Jesu*

7 *Eodem carmine elegiaco expressa dein subjungitur, ubi et* Patronus altaris *salutatur in titulo :* Idem Conradus III Comes Ritbergensis Episcopus Osnabrugensis B. Adolpho Episcopo Osnabrug. XXVIII, Patrono hujus altaris quarto applaudit :

Magna superbifici linquens pallatia mundi,
  Cur humiles lustras, Præsul Adolphe casas?
Horrida squamosæ quid adire mapalia lepræ,
  Quid tot aves miseris gaudia ferre Codris?
Sordibus in tantis quid quæris, maxime Præsul?
  Nescio : ni gemmas quæris, amando animas.

# XII FEBRUARII.

## SANCTI QUI PRIDIE ID. FEBRU. COLUNTUR.

SANCTUS Valerianus,
S. Valentinus,
S. Saprutius
} Martyres, Brixiæ in Italia.

S. Eulalia Virgo Mart. Barcinone in Hispania.

S. Modestus,
S. Posinnus vel Posinna
} Martyres, Carthagine.

S. Julianus,
S. Victor,
S. Felix,
S. Severianus,
S. Carpophorus,
S. Germanus,
S. Cyriacus,
S. Ammonius,
S. Euninius,
S. Pamphilus,
et alii
} Martyres, Alexandriæ.

S. Modestus,
S. Ammonius
} infantes,
S. Zoticus,
S. Cyriacus,
S. Simplicius
} Martyres, Alexandriæ.

S. Damianus miles, Martyr in Africa.

S. Damianus, Martyr Romanus, Salmanticæ in Hispania.

S. Donatus,
S. Heradius, vel Heraclius,
S. Vincentius,
S. Susanna,
S. Orbana,
S. Donata
} Martyres in Italia.

S. Macarius,
S. Rufinus,
S. Justus
} Martyres, Hispali in Hispania.

S. Hippolytus, Martyr Romanus, Cameraci in Belgio.

S. Saturninus,
S. Plutinus
} Martyres.

S. Florus, Martyr Romanus, Antverpiæ in Belgio. NOT. 23

S. Meletius Magnus, Episc. Antiochenus Confessor.

S. Gaudentius Episcopus Veronensis in Italia.

S. Simplicius Episc. et Confessor.

S. Riocus, monachus in Britannia Armorica.

S. Basilius, monachus Ratensis in Gallia.

S. Constantius Conf. apud Brixiam in Italia.

S. Etelwoldus, Episc. Lindisfarnensis in Anglia.

S. Benedictus, Abbas Indensis in Belgio.

S. Antonius Cauleas, Patriarcha Constantinopolitanus.

S. Benedictus, Episc. Albingaunensis in Liguria.

S. Goslinus, Abbas, Taurini in Italia.

S. Ludanus, peregrinus, in diœcesi Argentinensi.

S. Alexius, Metropolita Kioviensis in Russia.

---

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Lucianus Confessor *memoratur hoc die in Martyrologio Francisci Maurolyci, Constantii Felicii, et MS. Carmeli Coloniensis. Multi sunt* Luciani *Martyres : Confessores rari, ac pene nulli. Dubitare propemodum incidisset, an* Ludanus *esset, (qui hoc ipso die colitur) et minus vulgo notum pervertisset nomen librarius,* d *in* ci *mutato. Verum unde is Maurolyco Sanctus innotuerit? Geminos Leontinæ Ecclesiæ in Sicilia Antistites* Lucianos *recenset Roccus Pirrus tom.* 1 *Notitiæ Siciliensium Ecclesiarum pag.* 446. *Eorum primum tertio Christi seculo ostendit floruisse; alterum esse illum vult, qui Concilio Lateranensi sub S. Martino Papa legitur interfuisse, et hujus cultui diem tertium Januarii dedicatum affirmat. Octavius Cajetanus noster in Idea operis de Sanctis Siciliæ, unicum habet* Lucianum Episcopum Leontinum Confessorem, *qui vixerit circa tempora Constantini, coliturque ut suo loco monuimus,* III Januarii.

B. Godefridi Cappenbergensis reliquiarum susceptio *inscripta est Natalibus SS. Ord. Præmonstrat. ab Chrysostomo vander Sterre. Ea narratur in ejus Vita cap.* 12 *num.* 58 XIII Januar.

S. Julianus Hospitator *ad hunc diem Catalogo Sanctorum inscriptus a Petro de Natalib. Maurolyco, Felicio, Ferrario. Vitam ab S. Antonino descriptam edidimus* XXIX Januar.

S. Dorothea V.
S. Theophilus
} Martyres, *consignati ad hunc diem in MS. S. Hieronymi et quibusdam Kalendariis. Actum de iis* VI Februarii.

S. Vedastus,
S. Amandus
} Epicopi, *in quibusdam Kalendariis, ob alia fortassis festa, in hunc diem rejecti. De utroque fuse actum* VI Febr.

S. Sabinus Episcopus *in MS. Florario SS. inscriptus hoc die. Ex iis Sabinis esse unus videtur, de quibus fuse actum* IX Februarii.

S. Guilhelmus Dux Aquitaniæ et Eremita *colitur hoc die in Breviario Parisiensi anno* CIↃIↃCXXXVI *excuso, cum hac in lectionibus clausula :* Quorum *(sacrorum artuum ejus)* pars Lutetiam deinde Parisiorum allata, in sui nominis et ordinis cœnobitica æde religiose collocata est. *Egimus de S. Guilhelmo, ejusque Ordine,* X Februarii.

S. Saturninus Presbyter,
S. Dativus,
S. Felix,
S. Ampelius, et socii
} Martyres in Africa, *ab Usuardo aliisque adscripti ad hunc diem; a nobis supra* XI Februarii.

Caldonius in Africa Episcopus, *vir præclarus, S. Cypriani æqualis : is data ad eumdem Cyprianum epistola, quæ* XIX *est inter hujus epistolas, ostendit, quam pensiculate et graviter discutere Episcopi lapsorum caussas soleant, priusquam eos cœtui piorum restituant, etiam afferentes a Confessoribus e carcere libellos. Ejusdem potissimum usus opera Cyprianus,* ad

*ad comprimendum, quod Felicissimus suscitarat, schisma, ut ipse testatur epistola* XXXVIII *Cyprianus: qui et Romam illum ad Cornelium Papam legavit, cum adversus hunc Novatus et Novatianus dirum schisma conflassent: qua de legatione agit ep.* 45. Caldonium *hunc sua dimissa Ecclesia in Hispaniam migrasse, et Bracarensi illic præfectum, scriptores quidam Hispani tradidere. Nam* Caledonium *aliquem Bracaræ Episcopum fuisse testatur in epistola ad Mauritium Archiepiscopum Bracarensem Hugo Episcopus Portugallensis, anno* CIϽCVIII *ordinatus, ut auctor est Rudericus da Cunha. Edita est ea epistola a Franc. Bivario inter Fl. Dextri elogia. Ipse ita* Caledonii *meminit Dexter ad annum* CCLXVIII: Calydonio Bracarensi, ad quem scribit S. Cyprianus, succedit Narcissus. *Adnotat Bivarius alibi* Caledonium et Caldonium *appellari. Idem de eo Dexter ad annum* CCCCXXX *num.* 10. Per Hispanias celebris erat memoria Pomponii Paulati, Calidonii Bracarensis, Luciani Cæsaraugustani Episcopi: qui præterquam fuerunt scriptores egregii, Concilio cuidam Carthaginensi cum aliis Africanis interfuerunt et subscripserunt. *Hunc ergo Caldonium,* B. Calydonium *vocat, atque in Hagiologio Lusitano hoc die statuit Georgius Cardosus. Nobis videtur neutrum liquere; neque an idem ille sit qui apud Cyprianum laudatus, neque an in Sanctorum Catalogo reponendus.*

S. Juvenalis Martyr Caralitanus *memoratur a Dionysio Bonfant lib.* 4 *Triumphi SS. Sardiniæ cap.* 14 *et* 15. *Illius ac* S. Quadragesimæ V. M. et S. Restitutæ M. *inventa corpora* XIV *Februarii* CIϽIϽCXXVI. *Et* Juvenali *quidem addita erat hæc epigraphe:* HIC JACET B. M. JUVENALIS, QVI BIX ANNIS PL. M. LX. REQUIEBIT IN P. S. D. PRID. ID. FEB. *Præstolabimur Sanctæ Sedis Apostolicæ de his omnibus nuper repertis in Sardinia Reliquiis sententiam.*

C. Cælius Sedulius, *qui, ut in Scholiis ad cap.* 7 *libelli S. Isidori de scriptoribus Ecclesiasticis notat Aubertus Miræus,* soluta et vincta oratione excellens, discendi caussa Britanniam, Galliam, Italiam, aliasque provincias lustravit, Theodosio juniore et Valentiniano imperantibus; *hoc die a Joanne Colgano refertur in Actis SS. Hiberniæ, at solum titulo* Venerabilis *honoratur.* Sanctus *appellatur a Dempstero lib.* 3 *hist. Eccles. Scot. atque a Davide Camerario lib.* 3 *de Scotor. pietate, ad* XX *Februarii, ubi tamen fatetur,* diem ejus festum ab aliis poni XIII Junii. *Negat Colganus* alterutro die coli. *Neque nos in ullis Fastis illius adhuc reperimus nomen. Agunt de eo S. Isidorus Hispalen. loco citato, Honorius Augustodunensis, Trithemius, aliique. Scotus an Hibernus fuerit, Presbyter an Episcopus, et quos conscripserit libros, quove tempore vixerit, pluribus disputat Colganus.*

S. Rioni caput *adservatur in monasterio Bello-portu Ord. Præmonstrat. in Britannia Armorica. Idemne qui* S. Riocus, *infra ad hujus Vitam disquiremus.*

S. Aulus filius Feradachi Confessor *traditur a Colgano ad* 31 *Januarii in Appendice ad Vitam S. Maiduci cap.* 1, *celebrari in pluribus Hibernicis Martyrologiis* XII *Februarii: ubi ipsemet ejus non meminit.*

S. Maneteus Abbas *scribitur ab Davide Camerario,* claruisse sanctitate et miraculis, *qua S. Columba vixit tempore, et* celebris haberi in Hebridibus insulis, præcipue in Iona insula. *Additurque mentionem ejus fieri in S. Columbæ Vita. Plures Columbæ Vitas edidit Colganus cum variis et copiosis indicibus, in quibus nusquam* Manetei *nomen: quem proinde ut ignotum prætermimus.*

Sedulium Dubliniensem in Hibernia Episcopum, *anno* DCCCLXXXV *vita functum, tradit Colganus Sanctis annumerari in Hiberniensibus Martyrologiis: quæ vel propterea optamus in lucem edi, quod fatentur ipse hunc* Sedulium *in annalibus* Abbatem *dici: et Jacobus Waræus primum Dubliniensem Episcopum statuat* Donatum, *qui undecimo Æræ Christianæ seculo floruerit.*

Stephanus Catalaunensis, *primum Cistercii monachus, inde in purpuratorum Patrum collegium ab Innocentio II adlectus, ac Prænestinæ Ecclesiæ præpositus,* Sanctus *appellatur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi, atque a Saussaio in Martyrologio Gallicano. At Ferdinandus Ughellus, Abbas monasterii SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias, quod est ejusdem Ordinis Cisterciensis, tom.* 1 *Italiæ sacræ, licet* Stephanum *scribat* in album Beatorum Ordinis, *citato Chrysostomi Menologio,* relatum; *ipse tamen ei neque Sancti neque Beati titulum præfigit: quem tutius est ut sequamur, donec alia certiora nanciscamur documenta. Ait vero idem Ughellus* XIII *Febr. obiisse.*

Eppo Abbas *monasterii cujuspiam in diœcesi Salisburgensi, seculo Christi* XII, *schisma prædixit adversus Alexandrum* III *Papam suscitandum, ac defendendam Ecclesiam a S. Eberardo Episcopo Salisburgensi, ut in hujus Vita,* XXII *Junii edenda, narratur. Hugo Menardus hunc* Epponem *Martyrologio Benedictino ad hunc diem inscripsit,* Beati *titulo ornatum. Verum quo auctore didicit, aut in tabulas Beatorum relatum, aut ad hunc diem pertinere? Certiora ad S. Eberardi Vitam conabimur explorare.*

Nicolaus de Gemblaco, *prius Ordinis S. Benedicti monachus Gemblaci, dein Villarii institutum Cisterciense complexus, (est utrumque in Brabantia monasterium) hoc die in Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez* Beatus *indigitatur. Laudatur in præfatione libri de viris illustribus monasterii Villariensis. Inter* Pios *eum ponit Saussaius.* Ulpho, Nericiæ Princeps, in Suecia maritus S. Birgittæ, monachus Cisterciensis in cœnobio Alvastrensi, *recensetur hoc die a Philippo Ferrario in generali Catalogo SS. et* Beatus *appellatur: uti et a Chysostomo Henriquez* XXVI *Julii. Numquam ei delatos esse publicos Divorum honores existimo; etsi vir fuerit alioquin oppido religiosus.*

Quinque ex ordine Minorum, Bidinii ad Danubium in Bulgaria, ab hæreticis Græcis pro confessione Orthodoxæ fidei in frusta discerpti *traduntur hoc die palmam obtinuisse martyrii. Agunt de his Pisanus lib.* 1 *Conformit. fructu* 8, *par.* 2. *Gonzaga par.* 1 *Orig. Seraph. relig. Tossinianus lib.* 1 *hist. Seraph. Marcus Ulyssipp. par.* 2 *Chronici Minorum. Wadingus tom.* 4 *ad ann.* 1369 § 11. *Arturus in Martyrol.* XII *Februarii. Sed horum diversa a variis traduntur nomina; neque constat, Ecclesiæ adhuc judicio vindicatos.*

Christophorus Crivellus, Ordinis Minorum laicus, Beatus *appellatur, referturque hoc die in Martyrol. Franciscano Arturi a Monasterio. Gonzaga par.* 2 *in Conventu S. Cerbonii juxta Lucam,* 21 *provinciæ Tusciæ, testatur corpus ejus juxta valvas ecclesiæ humatum, post annos plures aquarum stillicidiis patefacto sepulchro effossum,* imputre, integrum, incorruptum, ac suavissime redolens apparuisse.

Laurentius a Bagnacavallo *Ord. Minorum, ut* Beatus *ab eodem Arturo inscriptus Martyrol. Franciscano. Gonzaga* 2 *par. agens de Conventu S. Mariæ de Pace, qui provinciæ Mediolan. secundus est, testatur corpus ejus in illius cœnobii ecclesia* honestissime sepultum. *Arturus ait,* ut Sanctum venerari; *ita enim scribit. Nondum id nobis certo compertum.*

S. Stephanus Ep. Lugdunensis *in quibusdam excusis ac manu exaratis codicibus hoc die refertur, in Martyrogio Romano et aliis* XIII Februarii.

S. Livious

A S. Livinus Ep. Confess. in MS. *Florario, Hermanni Greven auctario ad Usuardum, aliisque Martyrol. Coloniæ excuso an.* 1490 *memoratur hoc die.* S. Livinus Episcopus *Martyr fuit, coliturque* XII *Novembris. Sed hic videtur de* S. Licinio Ep. Andegavensi *agi, quem Maurolycus quoque hoc die locat, sed* Martyrem *appellat, qui Confessor fuit. Ferrarius hoc die canonizationem ejus statuit. Vitam ejus dabimus* XIII Februarii.

S. Ermenilda Virgo *huic diei adscripta in Florario SS. colitur* XIII Februarii.

S. Gregorius II Papa, *a Notkero, Maurolyco, multisque tum Bedæ tum Usuardi nomine insignitis MSS. hoc die collocatur: in Romano Martyrol. aliisque* XIII Februarii.

S. Desiderius, Viennensis in Gallia Episcopus, *juxta Lugdunum hoc die interfectus traditur in Constantini Ghini Natalibus Canonicorum. Translatio ejus celebratur* XI *Februarii. Plenius de eo agemus* XXIII Maii.

S. Rufinus, S. Valerius et socii } Martyres apud Suessiones, *ex quodam MS. ad hunc diem relati a Galesinio: coluntur* XIV Junii.

Carileffus, Wolfilachus, Baurus } *in exemplari Hermanni Greven in Carthusia Bruxellensi, adscripti ad marginem appellatique* Episcopi Trevi-

B renses et Confessores. *Nullum ejusmodi nomen in Catalogis Epp. Trevir. De* S. Carileso *confessore, sed non Episcopo, agemus* I Julii.

Wolfilachus *videtur Eremita* Wulfilaicus *esse, qui colitur* VII Julii.
*ab aliis* XXI Octobris.

S. Maria, sive Marina (*quæ inter viros virili habitu sanctissime vixit*, Marinus *dicta*) *hoc die inscripta Menæis Græcorum, et Menologio Virginum Labicevi. Vita apud Surium extat* VIII *Februarii. Agemus de ea cum Martyrologio Romano* XVII Julii.

S. Cucufates, S. Felix } Martyres *inscripti ad hunc diem Martyrologio monasterii S. Maximini Treviris, occasione* S. Eulaliæ, *cujus* S. Felix *sepulturæ adfuit; uterque sub eodem Præside Daciano occisus,* Cucuphates *Barcinone* XXV Julii.
Felix *Gerundæ* I Augusti.

S. Ebrulphi Confessoris *Vitam recitat Benedictus* D *Gononus lib. 4 de Vitis PP. Occidentis, ex Breviario Bellovacensi, annotata die* XII *Februarii. In Martyrol. Gallicano et aliis statuitur* XXV Julii.

S. Modestus Levita et Martyr *inscriptus hoc die Martyrologio Romano, et Catalogo SS. Italiæ a Ferrario: qui tamen ait non natalem ejus hoc die agi, sed inventionem aut Translationem, natalem vero ab Ecclesia Beneventana.* VI *Nonas Octobris celebrari. Marius Vipera in Catalogo SS. Ecclesiæ Beneventanæ, eum coli Officio duplice scribit* II Octobris.

S. Quintiliani Abbatis *nomen hoc die consignatum in MS. Kalendario SS. Ord. S. Benedicti his verbis:* S. Quinctiliani Abbatis in Francia, sed requiescit Parisius. *Suspicamur esse* Quintinianum, *de quo agemus, cum Vita ignota sit, quo die ejus celebratur Inventio* VI Octob.

S. Geresina, matertera S. Ursulæ, *cujus corpus Treviris in cœnobio S. Matthiæ quiescit, hoc die a Ferrario inscripta generali Catalogo SS. Supplemento Martyrologii Gallicani a Saussaio, a Gelenio Fastis Coloniensibus. De ea agemus, cum de* S. Ursula, XXI Octob.

S. Eugenii Episcopi Toletani Martyris prima brachii translatio *consignata hoc die ab Joanne Tamayo Salazario, Marietta, Ferrario. Colitur* S. Eugenius XV Novemb. E

S. Barbaræ V. M. tertia Translatio, *Roma scilicet Placentiam, hoc die facta traditur, inscriptaque auctario ad Usuardum ab Hermanno Greven, Martyrologio Germanico a Canisio, et Florario SS. Eam narrabimus una cum Vita et Miraculis ejusdem Sanctæ,* IV Decemb.

S. Dionysia et socii Martyres Alexandriæ, *a Galesinio et Canisio huc referuntur: a Martyrol. Romano.* XII Dec.

S Susanna, matrona Hebræa Babylone, *cujus gloriosa castimonia laudatur Danielis* 13, *hoc die inscripta Martyrologio Germanico a Canisio, ob alteram fortassis Susannam Italicam Martyrem. Græci illius ac plurium aliorum e veteri Testamento memoriam celebrant.* XIX Decemb.

## DE SANCTIS MARTYRIB. BRIXIANIS

# VALERIANO, VALENTINO, SAPRUTIO.

J. B.

SUB ADRIANO. XII FEBR. *Horum MM. ætas,*

IGnotus *natalis horum Martyrum videtur, nisi quod Ferrarius in generali Catalogo SS. ita scribat in Notis:* Passi feruntur paullo ante SS. C Faustinum et Jovitam. *Galesinius* XII *Februarii celebrari eorum Inventionem testatur his verbis:* Brixiæ, Inventio sanctorum Martyrum Valeriani, Valentini et Saprutii: qui una cum BB. Jovita et Faustino Martyribus, pro Christi fide pugnantes, coronati sunt. *Citat in Notis, uti et Ferrarius,* annales Brixiæ. *Etiam Caprriolum habemus Italice versum, in quo de iis nihil reperi. Ascanius Martinengus in historia Sanctorum Brixianorum* Valerium *habet pro* Valentino, *pro* Saprutio Seprutium: *testaturque, uti et* F *Ferrarius, recoli hoc die eorum Inventionem in Martyrologio Ecclesiæ Brixianæ. Addit Martinengus, reliquias eorum in æde* SS. Faustini et Jovitæ ad sanguinem, *sive* S. Afræ, *adservari: in occulto esse Acta.*

*Inventio hoc die,*

*reliquiæ*

# DE S. EULALIA VIRG. MART.

## BARCINONE IN HISPANIA,

### Commentarius prævius.

J. B.

AN. CHR. CCCIII. XII FEBR. *Duæ SS. Eulaliæ Emeritensis et Barcinonensis,*

DUæ *nobili martyrio perfunctæ apud Hispanos eodem tempore Virgines, quarum utrique* Eulalia *nomen fuit: altera Emeritæ, veteris Lusitaniæ urbe, altera Barcinone in Tarraconensi Hispania; hæc* XII *die Februarii, quatuordecim nata annos; illa duodecim, tredecimve,* X *Decembris. Utrique nonnulla omnino consimilia admota tormenta; utrique par cœlitus inditum animi robur ad Judicem ultro arguendum: utriusque evolasse columbæ specie anima memoratur.*

2 *Quæ caussa variis auctoribus fuit, arbitrandi scribendique unicam extitisse* Eulaliam, *quæ Barcinone nata, Emeritæ fecerit martyrium. Ita L. Marinæus Siculus lib. 5 de reb. Hispaniæ:* Eulalia Virgo ac Martyr sanctissima, natione Barcinonensis, in Emerita Augusta, civitate olim florentissima, pro Christi fide

*In unam conflatæ a quibusdam scriptoribus;*

*AUCTORE J. B.*

A fide et confessione, Deciani provinciæ Præsidis jussu, primo eculeo suspensa et exungulata, demum cum ardentes ad utrumque latus laminæ admotæ fuissent, igne hausto, IV id. Decembris, Deo spiritum reddidit. *At Maurolycus, et in Martyrol. Germanico Canisius, Emeritensem Barcinone occisam habent hoc die; licet neuter die* X *Decembris (ubi eamdem denuo recensent) urbis Barcinonis meminerit. Petrus de Natalib. lib.* 1 *cap.* 54 *Barcinonensi tribuit, quæcumque de Emeritensi narrantur, et Barcinone* IV Id. Decemb. *sepultam scribit. Eodem tamen libro cap.* 48 *agens de S. Leocadia, Eulaliæ meminit in Emeritensi urbe interemptæ. Vincentius Bellovacensis lib.* 12 *cap.* 123, *commemoratis breviter Emeritensis Eulaliæ Actis, subdit :* Hujus Virginis festum in Martyrologio videtur esse bis annotatum, scilicet pridie Id. Februarii, et IV Id. Decembris : nisi forte duæ fuerint ejusdem nominis in eadem provincia passæ, et in eadem persecutione.

*ab aliis unius acta alteri attributa,*

3 *Majorem aliis dubitandi ansam præbuisse videtur Prudentius, qui cum in libro περὶ στεφάνων Hymnum tertium cecinerit in* S. Eulaliæ Lusitanæ *laudem, prolixeque ejus certamen descripserit, nusquam de Barcinonensi agit, licet Barcinonis alioquin meminerit. Sed nec omnes ille Sanctos memorat, omniumve decora urbium. Et fuit Lusitana illa Eulalia cruciatuum multi-*

B *plicitate aliquanto celebrior : sed quæ soli illi irrogata leguntur tormenta, ea etiam Barcinonensi quidam tribuerunt. De hac enim scribit inter alia Thomas Trugillus par.* 2 *tom.* 2. *Thesauri Concionatorum :* Eam in vivam calcem conjecerunt, oleum desuper projecerunt et bulliens plumbum : tum sinapio cum aceto ejus nares et vulnera universa confricuerunt, testis etiam acutis plagas omnes laniarunt, oculos ardentibus candelis combusserunt. *Et paucis interjectis :* Cum ergo jam Dacianus fatigatus esset in tam varia cruciatuum inventione, videretque se ea ratione non posse immobilem Virginis animum a fidei firmitate deflectere, cum tamen tenerrima esset, et exiguæ ætatis; voluit ignominiæ tormentum in eam exercere, atque ita jussit nudam et tantis vulneribus sauciatam duci sanctam Virginem per universam civitatem, ad majorem ejus ignominiam, et Christianorum omnium terrorem; deinceps vero in campo quodam decollari. *Eadem narrant Ribadeneira et Villegas in Flore SS. Joannes Marietta histor. Eccles. Hisp. lib.* 4 *cap.* 1 *Ambrosius Morales lib.* 10, *cap.* 3, *et alii. At fuerunt illa soli Eulaliæ Emeritensi irrogata supplicia.*

*et quæ utriusque paria, uni aut alteri temere detracta.*

4 *Pari errore quidam Barcinonensi huic Eulaliæ doctorem martyriique hortatorem* Donatum *finxere, qui Emeritensi adfuit. Id et nos in variis MSS. animadvertimus, et notavit Barnabas Moreno de Vargas*

D *lib.* 2 *historiæ Emerit. cap.* 8. *Cui tamen minime assentimur, dum Barcinonensem negat vere habitantem, in urbem ultro adisse ad Judicem. Refellit eum S. Eulogius lib.* 1 *Memorialis SS. ita scribens :* Sic Justus et Pastor, sic Eulalia Virgo Barchinonensis, sic Babylas Pontifex, multique alii sponte se obtulerunt et coronati sunt. *In contrarium currens Morales scholio* 18 *in illum S. Eulogii librum, ita scribit :* Jam hinc facile intelligas, Emeritensem Eulaliam non sponte sua ad confessionem fidei Christianæ processisse, sed Judicis imperio fuisse adductam. Alioquin et ejus exemplum Eulogius protulisset. *Potuit Eulogio non succurrere illud exemplum. Atque ut diserte de Emeritensi id negaret, præ illo Prudentii nobis auctoritas est, ita scribentis :*

Illa perosa quietis opem
Degeneri tolerare mora,
Nocte fores sine teste movet,
Septaque claustra fugax aperit,
Inde per invia carpit iter. *Et post* XVIII *versus :*

D Mane superba tribunal adit,
Fascibus adstat et in mediis, *etc.*

*Clarius id pandent Acta, quæ* X *Decembris edentur.*

*Barcinonensis acta hic edita e MSS.*

5 *S. Eulaliæ Barcinonensis Acta hic damus e MS. monasterii S. Maximini juxta Treviros, eque MS. monasterii S. Cucuphatis de Valle in Gothalania; olim a Joanne Baptista de Castelarnau, ejusdem monasterii religiosissimo asceta submissa. Eadem e codice Toletano in Martyrologio Hispanico vulgavit Joannes Tamayus Salazar. Ternis hisce Actis congruunt quæ ex vetusto codice Ecclesiæ Barcinonensis Hispanice narrat Franciscus Diagus lib.* 1 *de Comitibus Barcinonensibus cap.* 8, *et quæ Franciscus Padilla histor. Eccles. Hispan. centur.* 4, *cap.* 3. *ex MS. Ecclesiæ Calagurritanæ.*

*alia quædam scripta de ejus institutione,*

6 *Antonius Vincentius Domeneccus in historia Sanctorum Gothalaniæ, ex variis auctoribus gesta S. Eulaliæ collegit, interque alia, in Actis Latinis et jam citatis monumentis prætermissa, isthæc narrat :* Mater Eulaliæ Virginis Christiana et perquam religiosa fuit : quæ ut filiæ animum ab ipsa pueritia rerum Divinarum studio amoreque occuparet, acu eam pingere docuit, Sanctorumque figuras efformare : ac præsertim Virginis Deiparæ vitam effingendam ei proposuit, ut quam arte, studiosius etiam moribus exprimere niteretur. Verum sanctissima Virgo cum magna ferebatur erga Dei Matrem religione, tum multo (ut par erat) in Christum majori : ideoque principio cujuslibet operis figuram sanctæ Crucis pingebat,

*amore erga Christum et B. V.*

E inde Virginis Matris effigiem. Res Divinas aliquando meditanti visibilis adstitit Angelus, retulitque sponsam eam a Christo delectam, ac dotalem illi Crucis triumphum promisit. Quo illa ostento et pollicitatione animata, gratiis sponso cœlesti actis, illico Barcinonem contendit. *Hæc si vera sunt, falsum igitur quod Trugillus scribit*, ex claris et nobilibus parentibus originem duxisse, de quibus non dicitur utrum essent Christiani. *Quod et Morales scribit. Verum ut de illa Domenecci narratione nihil statuamus, nobis Acta ipsa videntur satis perspicue indicare, parentes quoque Christianos fuisse, qui eam* propter humilitatem et tantam sapientiam amabant, *sinebantque* in sequestrata cellula cum sociabus in laude hymnorum Domino deservire *etc.*

*ejus parentes Christiani :*

7 *Quæ antea citati auctores tormenta Eulaliæ illata scripserunt, in ipsius Actis omissa, eadem Domeneccus quoque recenset, etiam nuditatis ignominiam : ac decollatam negat, sed in crucem actam; idque testari Ecclesiæ Barcinonensis traditionem, Lectiones officii, Collectas quasdam, ac Martyrologia. Acta habent :* Dacianus jussit corpus in cruce esse. *MS. Barcinonense, ut id citat Diagus, habet :* in cruce dimitti. *Exponit ipse,* in equuleo : *nam equuleum formam quamdam Crucis habuisse. Sane quidem in Actis S. Dorotheæ die* VI *Februarii, cap.* 3, *num.* 17, *de S. Theophilo Scholastico ista habentur :* At ubi in equuleo suspensus est, dixit : Ecce modo factus sum Christianus, quia in Cruce suspensus sum. Equulei enim factura Crucis similitudinem gerit.

*ipsa in Cruce, id est, eculeo, mortua.*

8 *Depositam de equuleo ac deinde cruci affixam existimavit, qui Martyrologii Romani tabulas interpolavit, quæ ita nunc habent :* Barcinonæ in Hispania S. Eulaliæ Virginis, quæ tempore Diocletiani Imp. equuleum, ungulas, flammasque perpessa, demum cruci affixa, gloriosam martyrii coronam accepit. *Usuardus, et in* Martyrologio *secundum morem Romanæ curiæ Bellinus de Padua, ista solum habent :* In Hispaniis natalis S. Eulaliæ Virginis, quam constat tempore Diocletiani Imp. gloriosam Martyrii accepisse coronam, civitate Barcinona. *Neque clarius tormenta expressere Beda, Ado, Notkerus, Galesinius. Nomen solum vetustissimo Romano Martyrologio inscriptum. Wandelbertus ita habet :*

*inscripta Martyrologiis*

Eulaliæ festum pridie sanguisque coruscat,

Urbs

A Urbs Barcinon eximia qua Virgine gaudet.

9 *Anno Christi* CCCIII *martyrio coronatam Eulaliam ita fere conficit Diagus : Etsi ab exordio imperii sævierat in Christianos Diocletianus, multo tamen acrius ejus exarsit rabies* XIX *ejus anno, qui Christi* CCCII *erat, circa Pascha; et tunc verisimile est missum in Hispaniam Dacianum, et alios in provincias quos truculentiores erat expertus. Ergo Februario sequenti illa ultro ad certamen procurrit, ante S. Cucuphatem ac S. Felicem.*

*anno 303 occisa :*

10 *Augustinus Barbosa in Collectaneis Bullarii tradit, a Sacra Rituum Congregatione sancitum* VI *Decembris an.* CIƆIƆCVIII, *ut festum S. Eulaliæ, etiamsi inciderit in Quadragesimam, possit tamen cum Octava, ut dicitur, celebrari, in Ecclesia Barcinonensi, secundum antiquam consuetudinem.*

*festum ejus cum Octava, etiam in Quadragesima.*

## ACTA EX MSS.

In diebus illis Eulalia sancta Barcinonensium civis et incola, nobilis genere, a teneræ ætatis suæ tempore Dominum Jesum Christum ex toto corde suo amabat. Morabatur autem cum parentibus suis in prædiolo proprio, quod erat situm paulo longius a civitate : quia propter humilitatem et tantam sapientiam, quæ ultra ætatem illius erat in ea, parentes ejus plus quam indulgentissime amabant eam. Et in uno B proposito persistens, nihil aliud agebat, nisi cottidianis diebus in sequestrata cellula cum sociabus, quas secum adunaverat, in laude hymnorum Domino deservire.

*Eulalia a prima ætate piissima,*

*cum parentibus, assidue Dei laudes canit :*

2 Hæc faciendo, cum pervenisset ad pubescentes annos, cœpit insanientium Principum sævire persequutio adversus Christianos; ut si quis sacrificare noluisset, diversis pœnarum cruciatibus morte afficeretur. Dacianus Præses adveniens in civitatem Barcinonensium sacrificavit diis, et jussit perquiri Christianos ut thurificarent. De qua re mox flagravit opinio, per impiissimum judicem civitatem esse turbatam. Quod audiens S. Eulalia, hilaris effecta est, et magno gaudio repleta lætabatur, dicens : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe; et gloria nomini tuo sancto, quia video quod cupiebam; et sic credo in te, ut de hoc opere, te adjuvante, impleatur mihi voluntas.

*audita fama persecutionis,*

*exultat;*

3 Quod audientes sui mirabantur, hæsitantes quid tam optabile et mirabile vidisset, quod nollet prodere eis solito more; quia quæcumque per gratiam Dei sciebat, omnia eis patefaciebat, secundum vigilantiam circumspectionis suæ fidei, in qua eos allocutione sua suavissime ædificabat. Sancta vero Eulalia quid corde volveret nulli dicere voluit, neque parentibus, qui eam tam insatiabiliter diligebant, neque alicui C de sociabus aut familiaribus suis, qui eam omnes super salutem animæ suæ habebant. Sed silenti hora, primo gallorum cantu, quiescentibus illis, profecta est ad civitatem, et omni animositate totum iter pedibus delicata puella infatigabilis confecit.

*nec suis causam aperit*

*sed clam iis nocte it in urbem*

4 Quæ cum ingrederetur portam civitatis, audivit *a* præconiam vocem sonantem, et perrexit ad forum. Videns autem Dacianum pro tribunali sedentem, irrumpens inter populi turmas cum Officio permixtas, direxit se *b* ante tribunal, et voce magna dixit ad eum : Judex iniquitatis, sic in altum sedes, ut Dominum altissimum non timeas, qui est super omnes Principes tuos et super te, ut omnes, quos ipse Dominus magnus et verus ad imaginem et similitudinem suam fecit, ut ipsi soli serviant, tu propter opera Sathanæ per afflictionem pœnarum morte afficias? Dacianus autem cum stupore animi intuens eam, dixit : Quæ es tu, quæ tam temere non solum ad tribunal Judicis non jussa accedere præsumpsisti, insuper elata in superbiæ causam furis res inauditas et contrarias Imperatoribus in vultum Judicis dicere? At illa cum majori constantia animi et strepitu D vocis respondit : Ego sum Eulalia, ancilla Domini Jesu Christi, qui est Rex Regum et Dominus dominantium : et ideo confidens in eum, nihil verita sum, ad redarguendum te voluntarie ac festinanter venisse; quare tam insipienter agas, ut postponas Deum verum, cujus sunt omnia, cœlum, terra, mare et omnia inferiora terræ, et quæ sunt in eis; et diabolum colas; et adhuc homines, qui Deo vero deserviunt, ut mereantur vitam æternam consequi, tu eos cogis per diversa tormentorum genera sacrificare diis, qui non sunt, sed diabolus est cum angelis suis : cum quibus vos omnes, qui eos colitis, in ignem æternum consumendi eritis.

*a b*

*Ultro Dacianum adit, et publice arguit ejus crudelitatem,*

*ex mss.*

5 Præses hæc audiens iratus jussit eam sisti, et *c* a tergo fortiter cædi. Quæ dum cæderetur, Dacianus dixit : O misera puella, ubi est Deus tuus? Quare te non liberat a pœna ista? Quare tanta dementia arrepta es, ut rem tam illicitam ageres? Sed dicito ignoranter te incurrisse, quod nescires quæ esset potestas Judicis, et accipies veniam; quia et ego doleo super te, quod nobilissima persona tam fortiter et gravissime flagellaris, cum sis nobilis nata. Eulalia sancta respondit : Te *d* irrideo, quod suades mihi mentiri, ut dicam me nescire quanta sit potestas tua. Quis hominum ignorat omnem potestatem cujuslibet, E hominis esse temporalem, sicut et ipse homo hodie est, et crastino moritur? Nam potestas Domini mei Jesu Christi finem non habet, sicut et ipse æternus est. Ideo falsum dicere non possum, quia timeo Dominum meum, qui mendaces et sacrilegos in gehennam ignis cum omnibus iniqua agentibus comburi jubet. Nam ego modo dum cædor propter Dominum meum, plus quam satis nobilitata sum. Tuas quidem plagas non sentio, protegente me ipso Domino meo Jesu Christo, qui te secundum actum tuum, in die judicii sui æternis jubet pœnis affligi.

*c flagellatur.*

*d intereaque Daciani dicta explodit.*

*negans se plagas sentire :*

6 At Præses majori ira repletus, jussit eculeum afferri, et suspendi eam, et torqueri quamdiu *e* exungularetur Sancta vero Eulalia hilari vultu collaudabat Dominum, dicens : Domine Jesu Christe, exaudi me ancillam tuam inutilem, quia tibi soli peccavi. Indulge factis meis malis, et confirma me ad sufferenda tormenta, quæ pro nomine tuo sancto mihi adjiciuntur, ut confundatur diabolus cum ministris suis. Præses dixit ad eam : Ubi est quem clamas? me audi, infelix et stulta puella, et sacrifica Diis, ut vivere possis : quia ecce jam imminet tibi mors, et non est qui te liberet. Sancta Eulalia læta effecta dixit : Numquam tibi bene sit, sacrilege, dæmoniose, periture, ut a fide Domini mei discedam. Dominus meus, quem clamo, hic mecum est, quem tu propter immundissimam mentem tuam et insanam F animam tuam videre non mereris. Ipse me confirmat, ut quamcumque mihi pœnam rabidus inferre volueris, pro nihilo ducam.

*e equuleo torquetur,*

*ac Præsidi insultat :*

7 Præses autem fremens, cum ira jussit militibus faculas ardentes lateribus ejus applicare, et pendere tamdiu S. Eulaliam, quamdiu flammarum facibus exureretur. Tunc illa læta, cum exultatione, magna voce psalmum Domino dicebat : Ecce Deus adjuvat Psal. 53. 6
me, et Dominus susceptor est animæ meæ. Redde 7
mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos. 8
Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, 9
Domine, quoniam bonum est; quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus. Et cœpit flamma in ministros converti. Quod videns S. Eulalia, respiciens in cœlum, clariori voce oravit, dicens : Domine Jesu Christe exaudi deprecationem meam, et perfice misericordiam tuam in me, et jube me jam suscipi inter electos tuos in requiem vitæ æternæ, faciens mecum signum in bono; ut credentes in te videant, et collaudent

*facultis ei latera uruntur ;*

*quibus extinctis, aut in lictores aversis,*

A collaudent potentiam tuam. Completa vero oratione sua, mox *f* extinctæ sunt faculæ illæ ardentes, quæ infusæ oleo nimis glomerabant flammas. Ministri autem qui admovebant eas erant, ipsi exurebantur, et tremefacti ceciderunt in facies suas: et S. Eulalia emisit spiritum: columba ab ore ejus exiens evolavit ad cœlum. Quod videntes populi mirati sunt: inter quos Christiani lætabantur, civem in cœlestibus meruisse habere patronam.

*Ex MSS. f ipsa spiritum emittit, specie columbæ evolantem:*

8 Dacianus autem videns post tantum certamen pœnarum nihil se profecisse, gemens cum ira, descendensque *g* a tribunali jussit corpus in cruce esse, positis custodibus, et comminans dixit: Pendeat in cruce, quousque devoretur ab avibus cœli cum ossibus. Et ecce, subito *h* nix de cœlo descendit, et cooperuit eam. Quod videntes custodes, timore perterriti amoverunt se a corpore, sed stantes a longe custodiebant secundum præceptum judicis. Quod ut diffamatum est per territorium in circuitu civitatis, multi advenerunt videre mirabilia Dei: sed et parentes et *i* sociæ ejus cum gaudio magno cucurrerunt: qui flentes nimis tribulabantur, quia quod evenerat nesciebant. Post diem autem tertium viri religiosi nocte abstulerunt corpus illius, non sentientibus custodibus; quod cum linteis et aromatibus involverunt. *k* Sanctus vero Felix, qui in confessione unanimis ejus fuerat, cum magna exultatione animi dixit
C ad eam: Domina, tu prior palmam meruisti. Cui S. Eulalia subrisit. Ceteri quoque cœperunt lætantes hymnum canere Deo: Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Et ad voces psallentium multi de populo convenerunt, et mox cum lætitia sepelierunt eam, benedicentes Dominum Patrem et Jesum Christum filium ejus, et Spiritum Sanctum, cujus regnum permanet in secula seculorum, Amen.

*g in cruce pendens*
*h nive operitur:*
*i multi eo concurrunt, etiam ejus parentes:*
*k sepelitur,*
Psal 33. 18
*magna Christianorum lætitia.*

a Ita MS. S. Cucuphatis. Al. S. Maximini, præconia vocum sonantium, *Tamayus Salazar*, præconum vocem sonantem. — b *Alii*, ad — c *Egregie hoc supplicium in Actis S. Eulaliæ Emeritensis, quæ idem perpessa, describitur.* Tunc Calpurnianus turbido furore repletus, putans pudicitiam Virginis more infantiæ a tergo corporis emendari, jubet per Officium Curatoris eam catomari. Cumque catomaretur corpus ejus delicatum ac sanctum etc. *Modum vero exponit Baronius in Notis ad Martyrol. XV Junii* [illegible], idem esse, catomis aliquem cædere quod solent ludimagistri ad humeros alicujus appensis pueris in eorum nates infligere verbera. *Atque ita refert in Saturnini Act.* [illegible] *quosdam*, quod pueri essent, puerorum more jussos esse virgis verberari. *Quandoque tamen*, majoris ignominiæ irrogandæ caussa, *etiam senes, et Episcopos*, catomis cæsos. *De pueris habes* [illegible] *Januarii in Actis S.* [illegible] *Ep. cap.* 2 *num.* 6. Iratus vero Numerianus Rex jussit tres infantes levari in catomo, et priori dari duodecim plagas, secundo autem novem, tertio vero septem. [illegible] catomi *quod qui eo plectitur κατ᾽ ὤμους, in humeros sublatus, vel ab humeris pendens, verberetur. Ut* [illegible] *Judices pudicis Virginibus hoc etiam irrogarent supplicium, ita indicatur in Emeritensis Eulaliæ Actis.* Præses autem amarissimus credebat se eam evincere posse, si pudicam Virginem fœdius verberasset. *Quod et ipsa ei exprobrat.* Quid prodest tibi miser, quod honestatem meam insona tentasti ordinati denudare? — d *Tamayus Salazar* [illegible] MS. S. *Cucuph.* [illegible] — e *Tragillis exponit*, ferreis pectinibus [illegible], sive ungulis, ut vocabant. — f MS. S. *Cucuph.* extinctæ sunt flammæ, et faculæ illæ ardentes, quæ infusæ oleo nimis glomerabant flammas in ministris, qui admoventes eas erant. — g *Alii*, discedensque ad tribunal. — h *Fuldilla* nubes. — i *Tamayus*, socii. — k S. Felix *ex Scylitana civitate in Africa oriundus, in Hispaniam venit cum S. Cucuphate, et Gerundæ sub Augusti tubule martyrium fecit, post S. Eulaliam, ideoque in quibusdam Martyrologiis cum ea hoc die refertur.*

*Catomari, catomis cædi, levari in catomo, puerile supplicium, ideoque ignominiosum.*
C

## DE INVENTIONE ET TRANSLATIONE I

# S. EULALIÆ VIRG. MART.

*J. B.*

*An. Chr. DCCCLXXVIII XXIII Octob. S. Eulaliæ corpus sepultum extra urbem,*

Religiose sepultum S. Eulaliæ *corpus fuit, non in ecclesia aliqua (nam omnes solo prostratæ Imperatorum jussu erant) sed in privato Christiani cujuspiam domicilio aut prædio, ut recte arbitratur Franciscus Diagus lib.* 1 *de Comitibus Barcinonensibus cap.* 9. *Postquam residit persecutio, tumulatum est in æde haud magna extra urbem ad oram maris extructa, dicataque Virgini Deiparæ, atque inde* S. Mariæ de Arenis *olim appellata: nunc alia illic extat, magna et præclara*, S. Mariæ de Mari.

D 2 *Censet Alphonsus Villegas, cum Hispanias anno Christi* DCCXIV *Mauri occupassent, veritos Barcinonenses, ne in nationis impiæ ac barbaræ manus sacratissimum Eulaliæ, civis suæ, corpus deveniret, tutis latebris illud in eadem æde commisisse. Inde paullatim sacri thesauri, extinctis (ut pauci erant) latebrarum consciis, omnino oblitteratam esse memoriam. Alii ubi postea inventum est, ab initio conditum esse putant.*

*an. 714 altius abditum, in oblivionem venit;*

3 *Hoc autem fere modo inventum narrant. Sub annum Christi* DCCCLXXVIII *Sigebodus Narbonensis Archiepiscopus, cum ædificare S. Eulaliæ templum vellet, aliquas ejusdem sanctæ Virginis reliquias poposcit ab Frodoino Barcinonensi Episcopo, quocum Concilio Tricassino II interfuerat eo ipso anno, præsidente eidem Joanne VIII Papa, ut videre est tom.* 3 *Conciliorum Galliæ. Illinc eum fortasse domum hujus rei gratia comitatus, Barcinonem certe venisse traditur. Hic quæsitum sollicite, quo loco conditum cæleste id pignus esset. Multa nuncupata Superis vota. In Cathedrali templo, quod Sanctæ Cruci sacrum, Missas Deo sancti Antistites obtulere, ut aliquod latentis thesauri indicium divinitus eliceret. Preces exaudiit Numen; cujus instinctu ex veteri Hymno, in Virginis Eulaliæ laudem olim composito, intellectum, in S. Mariæ, quam diximus, æde defossas beatas illas exuvias esse. Igitur maxima animi pietate*
E *iterato fusis ad Deum precibus, supplicabundi illuc a basilica Cathedrali, cum omni Clero et frequentissimo populo cujusvis ætatis ac gradus venere ambo Episcopi. Tum Frodoinus amoveri quidquid obstare opus illud molientibus poterat, jussit, dein alte pluribus locis effodi solum. Tres ipsos dies omni studio atque opera allaboratum est: neque ullum aut corporis sacri, aut loci, quo conditum esset, erui vestigium potuit. Spe igitur illius inveniendi abjecta, Narbonem rediit Sigebodus.*

*an. 878 post preces intellectum, ubi lateret:*
*quæsitum triduo.*
*frustra:*

4 *At Frodoinus, oraculi Evangelici memor, quo monemur, in precationibus esse perseverandum; Deoque gratissimum esse, a obstinata quadam contentione ab ejus liberali manu beneficia postulemus; non existimavit a cœpta sacri thesauri pervestigatione cessandum. Ergo assiduis jejuniis ac precibus insigni ardore pietatis Deum obsecrat. Utque junctis plurium votis facilius quod optabat consequeretur, publicum indicit tridui jejunium ac preces omni ordini, ætati, sexui. Quo tempore, numquam non frequentes e populo, sacerdotes præsertim, ac sanctimoniales fœminæ, in dicta æde, die noctuque ad concinendas Deo laudes, atque auxilium in rem eam quæ petebatur implorandum incubuere. Non caruit successu comprecatio. Die tertio Præsul, sacris in Cathedrali peractis, spei plenus ad S. Mariæ ædem adit: accurrit et populi vis ingens: concipiuntur iterato ad Deum et Sanctam preces: crescit omnibus ardor sacri corporis pervestigandi, nullo penitus prætermisso templi angulo. Præsul ipse dum ad dextram altaris effossum antea locum diligenter oculis lustrat, exiguum quoddam juxta parietem foramen conspicatus, ut pedo inserto pertentat,* F *et cavum quid intus esse deprehendit. Jubet ergo humum altius refodi a suis ac submoveri. Illic marmoreum Divæ sepulchrum inventum: cujus revulso operculo, continuo mira quædam odoris suavitas ab sanctis reliquiis exspirat, atque etiam remotos afflat: diceres pretiosis unguentis plenum esse tumulum. Ea res eximiæ sensum pietatis in omnium animis excitavit, atque uberes ab oculis lacrymas elicuit. Villegas erupisse a sanctis reliquiis fragrantium illam ait, cum linteum, quo fuerant involutæ, sustulit Frodoinus.*

*post tridnum jejunium et preces*
*inventum sepulchrum,*
*eque eo odor suavissimus diffusus:*
ANIMADV. PAP. 88

5 *Actis primum Deo gratiis, sanctissima ossa e tumulo exempta munda et eleganti sindone involvit Præsul, dum interea Clerus sacros hymnos atque Eulaliæ encomia concinit. Feretro dein imposita, ut ad Cathedralem sanctæ Crucis basilicam deportarentur. Confestim splendida adornatur supplicatio: honoratissimi e Clero supponunt feretro humeros, ceteri faces manibus præferunt. Ad portam urbis, quæ S. Eulaliæ appellatur, horæ*

*Reliquiæ exemptæ honorifice in urbem devehuntur:*
*ad referem por am*

A *horæ dimidiæ spatio substitere, ingenti animorum voluptate Deum laudantes. Villegas, quo loco supplicantium turba constiterat, ubi antiquitus urbs præcincta mœnibus, ipseque aditus portæ erat, Forum frumentarium nunc esse scribit.*

*fiunt immobiles :*

*post preces moventur,*

*deferuntur ad Cathedralem ædem :*

*octiduo donis et precibus honorantur :*

6 *Cum progredi inde intra urbem vellent, feretrum attollere nulla vi potuerunt. Perculit prodigium cunctos. Quidam argumento id esse aiebant, minime probari Deo ac Cœlitibus, ut a loco suo abstractæ sacrosanctæ exuviæ intra urbem deferrentur. Dum ea gliscerct animorum perturbatio, edicit Episcopus, uti omnes positis humi poplitibus; placare Divinam clementiam contendant. Precibus accurate peractis, ab humo assurgit, admovet feretro manus et una Sacerdotes aliquot, idque facillime attollunt, et insigni, ut cœperant, pompa ad majorem basilicam deportant, inque ara collocant : tum denuo in solum prostrati, Deo gratias laudesque cecinerunt. Certatim totam eam hebdomadam ad venerandas reliquias concurrere cives et accolæ, manibus candelas gestantes, offerentes donaria, jejuniis, vigiliis, precibus Deum sanctamque Martyrem propitiantes.*

*reponendæ in tumulo,*

*rursus fiunt immobiles ;*

*donec quidam præcisum digitum retulit.*

*qui itigne illæsus.*

7 *Octavo die arcam marmoream, in qua multis seculis conditum S. Eulaliæ corpus fuerat, attolli e terra, inque Cathedrali ecclesia locari curavit, in ea cupiens ossa sanctæ Virginis includere. Verum nec ipse, nec qui aderant Sacerdotes, movere hæc ullo pacto potuerunt.*
B *Rursum humi se populus universus prosternit, cœlestemque opem implorat, ad celebritatem, ut adhuc peracta erat, feliciter finiendam. Omnibus ita precantibus, post horæ unius spatium prodit in medium Sacerdos, pavore ac tremore perculsus, seque ad Episcopi pedes abjicit, ac facinus suum confitetur, præcidisse nempe digitum unum a sacratissima Virginis Eulaliæ corpore; ac domi arculæ inclusum asservare. Mandat Episcopus ut eum confestim afferat; ac deinde veritus fortassis ne quid subesset fraudis, aut divino instinctu motus, et cavere cupiens, ne quis nimis credulæ ejus facilitati aliquando illuderet, allatum eum, sibique traditum, palam in prunas ardentes abjicit. Mirabilis Deus in Sanctis suis. Non ex quo temporis spatio in igne jacuit, integer plane ac illæsus, ut aurum, quod ut probetur, in ignem conjicitur. Effusis omnibus in laudationem Divinæ bonitatis, eximit eum digitum Episcopus e foco, ceterisque reliquiis adjungit : ac tunc demum hasce nullo negotio sublatas intra tumulum condit. Hæc fere Diagus ex antiquo Flore Sanctorum Ecclesiæ Barcinonensis in membrana exarato. Fatetur ab aliis narrari id miraculum factum ad ingressum urbis, quod ii auctores non legissent iterato immobiles redditas esse reliquias. Censet ipse eum digitum avulsum fuisse, vel cum in æde S. Mariæ exemptæ e tumulo sunt, vel potius*
C *dum in Cathedrali per octiduum altari impositæ manserunt, ut noctu potuerit sacrum id sublegi pignus.*

*Publicum ejus miraculi monumentum :*

*anniversaria Translationis 23 Octob.*

8 *Scribit Villegas, ejus rei monumentum extare, Virginis statuam egregie sculptam, supraque portam illam urbis collocatam, et fori medio erectum lapidem ad perennem tanti prodigii memoriam. Meminere hujus Translationis Domeneccus, Trugillus, Ribadeneira, Morales, Marietta, Hieronymus Paulus in Catalogo Epp. Barcinonensium. Quia vero tantis illustrata miraculis ea Translatio fuerit, peragitur anniversaria ejus memoria, non in Cathedrali solum basilica, sed in tota civitate ac diœcesi, die* XXIII *Octobris : at dedicati eidem Divæ altaris* XXX *ejusdem mensis, uti idem Diagus testatur. Adscripsit illius Translationis memoriam ad* XXVII *Octobris Ferrarius. In Lectionibus secundi Nocturni in Barcinonensi Breviario ad dictum diem* XXIII *Octobris narratur ea Translatio, omisso secundo eo miraculo, quo iterum immobiles redditæ Virginis reliquiæ memorantur. Episcopus in iisdem Lectionibus semper* Frondoinus *appellatur : diciturque ea Translatio facta* Guiffre Piloso Barcinonensium Comite; Carolo Calvo Galliæ Rege. *Verum jam obierat Calvus anno præcedente, die* VI *Octobris.*

D

AUCTORE J. B.

## TRANSLATIO II
### S. EULALIÆ VIRG. MART.

*AN CHR. CIↃCCCXXXIX X JULII.*

*S. Eulaliæ reliquiæ circa an. 1334 depositæ in sacrario,*

Mansit S. Eulaliæ *corpus quo jam dictum est loco, ad annum circiter* CIↃCCCXXXIV, *quo Ferrarius Abella ex Ordine Prædicatorum, Neapatrensis Archiepiscopus, ad Barcinonensem Cathedram evectus est. Nam cum eo tempore novis substructionibus instauraretur ampliareturque princeps basilica, Sanctæ tumulus in sacrarium sive thesaurophylacium deportatus est. Sacellum vero, et thesauro deinceps servando, elegans sub majori ara constructum est, eoque apparatu ornatum, qui et magnæ Martyris reliquias deceat, et populi excitet pietatem.*

*an. 1339 splendidissime circumlatæ,*

*in novo sacello intra insignem tumbam conditæ*

*addita inscriptione.*

2 *Magnifica exinde supplicatio instituta, cui Reges ac Reginæ aliquot, regiæque stirpis Proceres, Episcopi, Abbates, virorum nobilium copiosa caterva, populi denique multitudo innumerabilis, interfuere. Circumlatæ per urbem Reliquiæ : adita S. Mariæ de mari ædes; peracta hic sacra, habitaque concio ab Archiepiscopo Tarraconensi; in cœmeterio locis duobus aræ erectæ, sacrificium oblatum, habita item gemina ibidem concio, quia tantæ multitudinis capax templum non erat. Relatæ inde ad Pontificiam basilicam reliquiæ in sacellum elegantissime fabricatum, dicatumque Deiparæ Virgini ac S. Eulaliæ, atque in ara collocatæ : tum ab eodem*
E *Tarraconensi Archiepiscopo explicatæ, dein ab eodem, et Bernardo Cardinale Legato, Episcopo Barcinonensi, aliisque Præsulibus impositæ in exiguum marmoreum vasculum, hocque ipsum reconditum intra ingentem marmoream tumbam, quam octo sustinebant itidem marmoreæ columnæ. Tumbæ illi majori insculpta extrinsecus erant acta, inventio, translatioque S. Eulaliæ. Minoris illius, qua conditæ reliquiæ erant, marmoreæ arcæ operculo incisa hæc erat epigraphe :* Hic requiescit corpus B. Eulaliæ Barchinonensis Virginis et Martyris Christi, quod in vasculo isto fuit positum anno Incarnationis Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono, sexto Idus Julii. *Dein major illa tumba operta vasta marmorea tabula est, superque hanc grandes e marmore statuæ collocatæ, S. Mariæ Deiparæ, et quatuor Angelorum ad singulos tumbæ angulos, manibus candelabra tenentium.*

*Cereorum tum vis ingens,*

*cœlestis odor a reliquiis.*

3 *Præter illustrium hominum, qui interfuere, dignitatem, ordinemque splendidissimum supplicationis, apparatus memoratur permagnificus fuisse. Arsere in æde Cathedrali octonum librarum cerei octingenti, præter alios minores innumeros. Nec defuere miracula. Nam cum et super aras, uti dictum est, quiescebant sacræ reliquiæ, et cum per compita gestabantur, et cum jam inclusæ tumulo essent, suavissimum, planeque admirabilem expirarunt odorem, qui omnia pervadebat loca.*

*Translationis acta,*

*anniversaria memoria.*

4 *Quæcumque in ea solennitate gesta fuere, in acta retulit Marcus Mainlus publicus tabellio : quæ acta in archivo Ecclesiæ Barcinonensis asservantur, eaque Diagus lib. 3 de Comitibus Barcinon. cap. 18 Hispanice expressit. Nobis (nisi exemplum autographi nanciscamur) ea Latine ex Hispanico dare propterea visum non est, ne quid in omnibus quampluribus hominum locorumque interpretandis peccemus. Peragitur anniversaria hujus Translationis memoria Dominica secunda Julii. Narrant eamdem Translationem alii rerum Hispanicarum scriptores, sed plerique in tempore discrepant, Regumque qui adfuerant recensendis nominibus.*

*Reliquiæ an. 1451 ostensæ.*

5 *Aperta iterum* CXII *annis post tumba est die* XIX *Julii anno* CIↃCCCCLI, *et Reliquiæ* IX *Augusti Mariæ Reginæ Aragoniæ, uxori Alfonsi* V *ostensæ. Ita loco citato memorat Diagus ex MS. codice Sodalitii S. Eulaliæ, qui extat in archivo Capituli Barcinonensis.*

*S. Eulalia patrona navigantium :*

6 *Scribit Domeneccus, præcipue Advocatam navigantium haberi colique S. Eulaliam : ideoque priusquam*

mari

A *mari se committant, ad ejus sepulchrum itare, patrocinium ejus votis nuncupatis implorare; neque fere fiduciam successu destitui.* AUCTORE J. B.

7 *Coli præterea ait ut siccitatem sterilitatemque avertat: constare enim ex certis monumentis, antiquitus ad eliciendos cælo imbres, supplicationem institui solere ad ejus ædem, quæ in Sarriano sita, medio milliari ab urbe Barcinonensi, et continuo consequi optata. Id præcipue anno* CIƆIƆLXIV *evenisse, quo horrenda funestaque exciterat siccitas: institutam ad S. Eulaliam in Sarriano supplicationem; eique Guilielmum Episcopum, cum omnibus religiosorum hominum familiis interfuisse: postridie mane copiosos e cælo imbres decidisse.*

Invocatur pro pluvia.

8 *Philippus Ferrarius in gener. Catal. SS. tradit,* Uxenti in Salentinis, *circa extremam Italiæ oram,* XII *Januarii coli* S. Eulaliam Virg. et Mart. *Quam in Notis sibi eam videri ait, quæ Barcinone coronam adepta. An ejus aliquæ isthuc asportatæ reliquiæ: an mendose scriptum* XII *Januarii pro* Februarii, *ab eo qui id Ferrario indicavit, haud divinamus.* D

Alibi S. Eulaliæ memoria,

ANIMADV. PAG. 89

J. B.

## DE SANCTIS MARTYRIBUS CARTHAGINEN.

# MODESTO, ET POSINNO sive POSINNA.

XII FEBR.

M*artyrum horum, ac sequentium aliquot, sola nobis comperta nomina: quorumdam locus etiam martyrii; non tamen semper dilucide expressus, adjunctis subinde, qui alio pertinent, sociis, nulla posita nota qua sejungantur. Ita MS. Martyrolog. monasterii S. Cyriaci Romæ,* Carthagine, *ait,* Modesti, Juliani: *quasi eodem loco palmam obtinuerint. Eosdem Baronius Romano Martyrologio, ex illo MS. ut fatetur, ita inseruit.* Carthagine sanctorum Martyrum Modesti et Juliani. *In Chronico, quod Dextri appellatur, et vel ideo ab recentiore consarcinatum auctore censeri potest, ad annum 160 ita iidem relati:* B Carthagine Hispaniæ, Modestus et Julianus florent. *Avide verba Chronici arripiunt quidam scriptores Hispani. Jo. Tamayus Salazar in Martyrol. Hisp. etiam Acta eorum componit,* pia relatione, *ut ait. Quorum ea relatio; aut ubi extat?* S. Julianus, *ut mox dicemus, Alexandriæ martyrium cum pluribus sociis fecit. Vetustissimum Martyrol. Romanum, quod S. Hieronymi alibi nuncupamus, ita habet:* Kartagine, Posinni, Modesti. *MS. Richenoviense, omisso hoc Modesto, et pro Alexandrino infante Modesto,* Modesta *posita,* Posinnam *quoque vocat, qui in altero MS. est* Posinnus: Carthagine Posinnæ, *inquit.* E

S. Julianus perperam S. Modesto junctus.

## DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

# JULIANO, VICTORE, FELICE, SECUNDO, SEVERIANO, CARPOPHORO, GERMANO sive GERMINIO, CYRIACO, AMMONIO, EUMINIO, PAMPHILO, ET ALIIS.

J. B.

XII FEB.

M*artyrologium S. Hieronymi, seu vetus Romanum, ita hosce Martyres recenset:* In Alex. Juliani, Victoris, Felicis, Secundi, Severiani, Carpofori, Germini, Cyriaci, Ammoni, Eumini, Pampili. *Baronius, ut ante diximus, ex unius MS. Martyrologii fide* Julianum *Carthagine occisum scribit una cum Modesto. Dexter Carthagini Spartariæ utrumque tribuit. Non solum autem illud Hieronymi MS. repugnat; sed et Divitis Augiæ MS. ita habet:* Alexandria, Juliani, Victoris, Secundi, Germani. *MSS. Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti, et monasterii S. Martini Treviris:* In Alexandria, Juliani Martyris, et aliorum XVIII. *Martyrol. Aquisgranense solum habet,* Juliani Martyris, *absque loco et sociis. In quibusdam MSS. rursus die* XIII *Februarii memorantur* Julianus, Ammonius, Cyriacus, *Alexandriæ passi: iidem an diversi, haud satis liquet.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

# MODESTO ET AMMONIO

## INFANTIBUS,

C

# ZOTICO, CYRIACO, SIMPLICIO.

F

J. B.

XIII FEB. Modestus et Ammonius MM.

A*pud Alexandriam Modesti et Ammonii infantum martyrium pridie Id. Februarii contigisse annotant Usuardus, Beda vulgatus, Rabanus, Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, ac Romanum Martyrologium, et alia. In quibusdam* Ammon *est pro* Ammonio: *in Richenoviensi* Modesta, *pro* Modesto.

2 *Martyrologium S. Hieronymi, seu vetus Romanum,* Zoticum *et* Cyriacum *addit. Potest tamen mendæ suspicio esse, quod iidem proximis diebus, sed aliis locis passi, occurrunt; hoc ipso, etiam Alexandriæ cum Juliano ac Zoticum memorat Rabanus.* Quiriacum *et* Simplicium *martyrio apud Alexandriam perfunctos exhibent hoc die MS. S. Mariæ Ultrajecti, MS. S. Martini Treviris, et Hermannus Greven in additionibus ad Usuardum; sed non diserte infantibus illis socios jungunt. Num quis eorum ad alium diem spectet, definire non potuimus: maluimusque vel secundo consignare, quam omnino præterire, præsertim a tam multis relatos.*

Zoticus et Cyriacus

seu Quiriacus Simplicius

DE

A D

# DE S. DAMIANO
## MILITE ET MARTYRE IN AFRICA.

J. B.

XII FEBR.

*Alexandriæ an in Africa passus, dubium.*

Damianum militem *Laurea martyrii in Africa potitum celebrant Beda vulgatus, Ado, Notkerus, Maurolycus, Galesinius, ac Romanum Martyrologium : at non Usuardus, ut eum citat Baronius, sed quædam ejus exemplaria interpolata. Martyrologium autem S. Hieronymi ita habet :* In Alex. nat. Damiani militis, et infantum Modesti, Ammonis, Zotici et Cyriaci. *MS. Richenoviense :* In Alexandria Damiani Martyris, Modesti et Ammonis. *Contra vero Rabani Martyrologium (quin, ut reor, librarius locum omisit, aut non apte dispunxit,) videtur etiam Infantes in Africa locare :* In Africa, *inquit,* passio Damiani militis, infantum Modesti et Ammonis. *Canisius in Martyrol. Germanico* Daminianum *vocat; MS Martyrol. Carmeli Colon.* Domitianum.

*an in Callisti cœmeterio sepultus ?*

2 Damianum *hunc Joannes Tamayus Salazar esse eumdem arbitratur, cujus corpus e Callisti cœmeterio refossum, Salmanticam nuper translatum est; nullo allato argumento, quo probari, etiam per levissimam conjecturam, possit, corpus Sancti illius Damiani esse ex Africa vel Alexandria Romam devectum, inque Callisti cœmeterio conditum. Diversum ergo ab hoc illum censemus, deque eo seorsim hoc die agemus. Neutrius tamen vel tempus vel modus martyrii exploratus.*

# DE S. DAMIANO MART. ROMANO
## SALMANTICÆ IN HISPANIA.

J. B.

XII FEBR.

B

*Ex S. Callisti cœmeterio*

Antiquum *et nobile extat via Appia cœmeterium, Callisti Appellatum, quod a S. Callisto Papa, qui tertio ob Incarnatione Christi seculo sedit, restauratum; a S. Lucina, Apostolorum discipula, primitus (ut creditur) constructum. Ex eo nostra memoria complura veterum Martyrum effossa, et variis donata Ecclesiis, etiam extra Italiam, corpora sunt.*

*refossum S. Damiani corpus,*

2 *Inter hæc* S. Damiani *Martyris corpus fuit, quod ex dicto cœmeterio, Urbani* VIII *Pontif. Max. auctoritate extractum,* Joannes Baptista de Alteriis, Episcopus Camerinensis, atque Eminentissimi Urbis Romæ Vicarii vices gerens, *die* IX *Januarii* CIↃIↃCXL *donavit* R. P. F. Joanni de Annuntiatione, FF. Discalceatorum Ordinis sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis captivorum, in Romana Curia Procuratori Generali, *cum aliis Sanctorum reliquiis;* concessa facultate, eas ab Urbe transmittendi, seu transportandi, aliis donandi, ac in Ecclesiis exponendi, ut a piis Fidelibus devote venerari possint. *Recitat Joannes Tamayus Salazar in Martyrol. Hispan. publicas tabulas donationis.*

E

*missumque Salmanticam.*

3 *Illud* S. Damiani *corpus ab eodem Generali Procuratore in Hispanias missum, inque Salmanticensi* collegio Fratrum Ordinis *ejusdem depositum : ut idem testatur Tamayus : qui eum esse* Damianum militem *putat, quem antea recensuimus in Africa martyrio coronatum.*

*at non Afri militis Damiani.*

*Sunt quidem multorum Sanctorum olim deportatæ Romam exuviæ; id tamen* Damiano *contigisse, haud satis solide probari ex nominis similitudine, absque ullo testimonio cujusquam scriptoris, videtur. Diversos igitur statuimus, donec aliunde in contrarium certi quid constet.*

### DE SANCTIS MARTYRIBUS ITALIS
# DONATO, HERADIO vel HERACLIO, VINCENTIO, SUSANNA, ORBANA, DONATA.

J. B.

I FEBR.

*Hi in Italia passi,*

Hos *unsquam simul omnes reperimus, præterquam in veteri Romano, seu S. Hieronymi Martyrologio; ubi ita recensentur :* Et in Italia, Donati, Heradi, Vincentii, Susannæ, Orbanæ, Donatæ. *MS. Martyrol. monasterii S. Maximini Treviris :* Item apud Italiam Susannæ. *Minus aliud ex eodem monasterio Martyrol.* Passio Damiani, Modesti, Susannæ, Eulaliæ. *Plures in sacris Fastis memorantur* Susannæ : *percelebris illa, quæ* XI *Augusti colitur, Virgo Romana, Hebræa Susanna, cujus celebratur innocentia ab Daniele Propheta defensa Babylone, hoc ipso die refertur in Germanico Martyrol. Canisii, alibi ab aliis. Quæ hic* Orbana *appellatur, forsan* Urbana est.

C

*aut quidam forte in Africa*

F

2 Donatum *et* Heraclium *in, addit. ad Usuardum memorat Hermannus Greven, sed in Africa ponit, et cum aliis sociis, ita habet :* In Africa, Damiani militis et Mar. Item ibidem Juliani, Donati, Eraclii, Zotici. *Difficile est, ut cum nuda nomina referuntur Martyrum, aut uni alicui et non omnibus martyrii locus adscribitur, non facile susdeque omnia mutentur incuria librariorum.*

### DE SANCTIS MARTYRIBUS
# MACARIO, RUFINO, JUSTO
## HISPALI IN HISPANIA,

Commentarius historicus.

G. H.

XII FEBR.

*Hispalenses Martyres*

Hispalis *celeberrimum totius Hispaniæ hac tempestate emporium, antiquo splendore rerum Ecclesiasticarum etiam nunc claret. Ejus Archiepiscopos exhibet Ægidius Gonzalez Davila tom. 2 Theatri Ecclesiast. Hispaniarum. Sanctos vero tam civitatis quam diœceseos Hispalensis opere particulari descripsit Antonius de Quintanadueñas noster, ac de hisce sanctis Martyribus agens, tradit notat.* 2 in historia, quæ manu exarata reperitur in archivo Archiepiscopali, ab Hieronymo Briosio *hæc cap.* 16 *referri :* Per quæ tempora ipsam urbem Hispalim glorioso sanguine crediderim perfusam, Macharii nempe, Rufini, Justi, et Petri, fortissimorum Martyrum, quos sicut ex vetustis martyrologiis constat in ea pro Christi Domini fide occisos, ita eorumdem dignissima certamina adhuc ipsa desiderat. *Hæc ibi Briosius, sed quo is tempore vixerit, non additur.*

*Macarius, Rufinus, Justus, Petrus.*

2 *Franciscus Maurolycus Abbas Messanensis in suo Martyrologio*

*Au. tore G. R. colitur Petrus 8 Octob.*

A *Martyrologio, ex variis auctoribus et Martyrologiis, potissimum MSS. Siculis, ante annos circiter centum adornato, hos etiam quatuor Martyres Hispalensibus attribuit, ac S. Petrum cum Usuardo, Bellino, aliisque, celebrat* VIII *Octobris, quo die cum Martyrologio etiam Romano de eo agemus. Alios refert idem Maurolycus hoc* XII *Februarii his verbis :* Item Macarii, Rufini et Justi apud Hispalim. *Iidem recensentur in variis Martyrologiis MSS. hoc die, sed omissa martyrii loco, scilicet in antiquo Treviren si, in sex diversis MSS. exemplaribus sub Usuardi nomine ad usum variarum Ecclesiarum auctis, in MS. Florario SS. in Martyrol. Romano Bellini, Germanico Canisii, auctario Usuardi per Hermannum Greven et Molanum : in editione denique Lubecensi ejusdem Usuardi : quorum alia sic habent :* SS. Macarii, Rufini, Justi Martyrum. *Alia hoc modo :* Natale S. Macharii, et S. Rufini, et S. Justi.

*reliqui 12 Febr.*

3 *In Martyrol. MS. Carmeli Coloniensis de duobus hæc traduntur :* Passio S. Macarii et B. Rufini. *At S. Macario omisso, Primus Episcopus Cabilunensis in Topographia SS. verbo* Hispalis *ita alios profert apud Quintanaduenas :* Hispali Justus et Rufinus Martyres. *Maurolycus sub calcem Martyrologii, eamdem Primi topographiam anno* CIƆCCCCL *olim compositam, a se recognitam edidit, in qua sub voce Hispalis ita scribit :* Hic Leander Episcopus. Hic Justus et Ruffinus arte figuli, sub Diocletiano Martyres. Hic Herminigildus *etc. Eosdem duos* ex libro et tabulis Nicolai monachi (*et hic nobis ignotus est*) VI *Kalend. Augusti hoc præconio exornat idem Quintanaduenas :* In Hispania sanctorum Martyrum Justi et Rufini, qui in eadem Maximiani persecutione ob Christi fidem capti, post diversas in tormentis quæstiones, quibus religionem præclare testati sunt, ingenti admiratione cursum confecerunt martyrii. *Egerat ante de S. Pantaleone in illa persecutione occiso.*

*an arte figuli,*

*et passi sub Diocletiano*

B

*et Maximiano?*

4 *Et hæc ex auctoribus, quorum opera aut sunt manu exarata, aut typis ante vulgata, quam Chronicon sub Flavii Lucii Dextri nomine in lucem prodiret : in quo ad an. Chr.* 115 *num.* 1 *hæc leguntur.* Hispali in Hispania Bætica Macarius, Justus et Rufinus Martyres, in eadem persecutione passi. *Agitur autem ibi de persecutione a Trajano Imp. mota ab anno Chr.* CVII. *Franciscus Bivarius in commentariis ad Dextrum, quod ignoraret hos tres Martyres hoc die coli, confugit ad* XXVIII *Februarii; quo die referuntur* SS. Macarius, Rufinus, Justus et Theophilus Martyres : *quos omnes, etiam* Theophilum, *Hispalensibus vindicat; arguitque Baronium, quod in Martyrologio Romano* addiderit Romæ, sed de suo et sine auctore; cum, si apponenda esset urbs, non Romæ, sed Hispali in Hispania, dici oporteret. *Reprehendit etiam Galesinium, quod* sub Maximiano passos reputet : *unde illius encomium, omisso Imperatoris nomine, describit. Qua mox occasione arrepta, Quintanaduenas interponit hæc verba,* scilicet Trajani; *non vero* Diocletiani, *quod nomen in citata ab eo Topographia Sanctorum Primi legitur, uti etiam* arte *eos* figulos *fuisse, quod idem quoque siluit.*

*num sub Trajano?*

D

*alii ab his coluntur 28 Febr.*

5 *Hos interim quatuor Martyres, etiam, Theophilum cum Bivario reponit* XXVIII *Februarii. Eum secutus est Tamayo-Salazar in Martyrologio Hispanico, hoc concinnato elogio :* Hispali in Bætica passio SS. Macharii, Justi, Rufini et Theophili Martyrum, qui imperante Trajano, excitata adversus Christi asseclas persecutione, pro fide comprehensi et ad ergastulum inducti, post varia agonum certamina in satellitum manibus sacrata capita discissis jugulis obtulerunt. *Postea in Actis, ex Quintanaduenas Latine translatis, ait* cives Hispalenses *fuisse, sed* prosapiam, parentes, statum, et educationem a prolixa temporum strue occultatam. *Demum conantur ambo probare, Hispalim olim dictam* Romulam *sive* Coloniam Romulensem, *ut vel sic facilius illos martyres, Romæ adscriptos, Hispalensibus vindicent : in quo pluribus etiam insudat Rodericus Carus ad idem Dextri Chronicon, cui assentitur Paulus de Spinosa lib. 2 antiquitatum Hispalensium cap. 6. Verum de hisce quatuor Sanctis, quos a tribus Hispalensibus alios arbitramur, agemus* XXVIII *Febr. in SS. Macario et Rufino et sanctis Martyribus Alexandrinis : nam et hi tres habentur iidem in Vita Sanctorum, et antiquo Martyrol. Coloniensi, dicunturque* Alexandriæ *passi.*

*neque cum illis passus Theophilus.*

E

*diversi a Martyribus Alexandrinis.*

# DE S. HIPPOLYTO

## MARTYRE ROMANO, CAMERACI.

*J. B.*

*XII FEBR.*

C

Cameraci, *urbe archiepiscopali Belgicæ secundæ, monasterium est* sancti Sepulchri, *ordinis Benedictini, quod B. Lietbertus Antistes (uti in Chronico Cameracensi lib. 3 cap. 77 Baldericus Noviomensis Ep. narrat.)* ab ipso fundo ædificavit, et posuit inibi Abbatem cum monachis.... ac possessionibus et commodis rebus decenter.... ditavit. *Dedicatum id scribit Georgius Colvenerius, in Notis ad Baldericum anno* CIƆLXIV, *die* XXVIII *Octobris,* præsentibus XXII Sanctorum corporibus : *ut mirum videri minime debeat, si religiosissimis ejusdem cœnobii ascetis eximia inest etiamnum erga Sanctorum reliquias pietas, aut Sancti ipsi suas ad eos transferri reliquias, tacito quodam instinctu Divinitatis, procurent.*

*Cameracum, ad monasterium sancti sepulchri,*

2 *Anno certe* CIƆIƆCL *corpus est* S. Hippolyti *Martyris Roma illuc allatum, viro venerabili* Philippo Surhonio *Abbati a* R. P. Florentio Montmorencio *Societatis* Jesu *Vicario Generali missum. Primores Canonicorum, ad quos id, Sede tunc Vacante, pertinebat, testimonia actaque Romæ legitime confecta mature expenderunt, atque populorum venerationi exponi posse sacrum illud pignus censuerunt.*

*allatum an. 1650 corpus S. Hippolyti & approbatum a Vicariatu*

3 *Conditum hoc igitur in pretiosa lipsanotheca, perquam affabre facta. Quæ in Cathedrali basilica die* XI *Februarii an.* CIƆIƆCLI *deposita; luce insequenti (Dominica erat Sexagesimæ) delata ad ædem est sancti Sepulchri solenni supplicatione. Juventus numerosa, quæ scholas frequentabat Societatis* Jesu, *quæque doctrina catechetica variis in templis ac sacellis, instituebantur pueri ac puellæ, insigni omnes splendore, alioque ad pietatem apparatu, variorum cælitum sustinentes personas, alii curribus magnifice adornatis vehebantur, alii equis insidebant, incedebant alii pedibus : vexilla quidam, atque alia sive instrumenta martyrii, seu victoriæ symbola præferebant, alii vinctos tyrannos trahebant in triumphum, alii certis locorum intervallis aptos ad pietatem modos concinebant. Hos sequebantur varia piorum hominum sodalitia, tum aliquot religiosarum familiæ, dein ex ipso sancti Sepulchri cœnobio monachi splendidis ac pretiosis pluvialibus induti, faces manu tenebant : in horum medio feretrum ab Sacerdotibus, insigni quoque apparatu indutis, gestabatur, in quo* S. Hippolyti *corpus, capsæ, ut diximus, perelegant inclusum. Post hos canonici Ecclesiæ Cathedralis S. Mariæ, itemque S. Gaugerici, et sanctæ Crucis, ac demum Regulares Canonici S. Auberti. Tum urbis Magistratus universi, viri nobiles quamplurimi, Præfectique militum, civium denique multitudo maxima omnis sexus, ætatis, conditionis. Omitto explosiones tormentorum, majorum minorumque certis locis ac temporibus, ad sacri triumphi augendam celebritatem.*

*translatum 12 Febr. 1651 cum insigni supplicatione,*

F

*comitantibus Religiosis.*

*Canonicis,*

*Magistratibus,*

4 *Neque die unico circumscripta solennitas : ad dies octo*

A octo convenit ad eam continuandam, sacraque peragenda, variarum urbis Ecclesiarum Clerus, ac cœtus Religiosorum. Quinto post Die exhibita in gymnasio Societatis Jesu docta tragœdia, Abbati sancti Sepulchri dicata, de S. Georgio Martyre, quia Sancti hujus Hippolyti ignota sunt acta. Qui enim tres Romano Martyrologio adscripti Hippolyti, eorum alibi corpora asservantur. Et fuerunt præter eos alii ejusdem nominis Marty- res complures, Romæ et alibi, de quibus nos suis locis. D

*continuata ad 8 dies solennitate:*

5 Peragitur deinceps anniversaria hujus Hippolyti celebritas, in monasterio sancti Sepulchri, eodem XII die Februarii. Estque ut nobis Cameraco scriptum, ad inflammandam religiosorum ac populi pietatem, indulgentia plenaria, ut vocant, ab Innocentio X Pontifice Maximo in eam diem concessa, non eo solum anno, sed ævo perpetuo valitura.

AUCTORE J. B.

*recolitur ea deinceps 12 Feb. cum indulgentia perpetua.*

NOT. 24.

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# SATURNINO ET PLUTINO.

G. H.

XII FEBR.

Quamplurimi in fastis sacris leguntur Sancti, nomine Saturnini, ex quibus XIII dedimus mense Januario, et hic, de quo agimus, est inter Sanctos Februarii, ordine dierum octavus: atque alii adhuc subsequentur. Quos dedimus XI Februarii Saturninum Presbyterum, et Saturninum cum aliis quamplurimis Carthagine in Africa passos; ad hunc XII referunt alii Martyrologi, uti istic diximus. Hinc aliqua suspicio oriri posset, an non hic sit alteruter eorum. Verum cum inter Carthaginenses Martyres, in Actis antiquis, proprio omnes nomine expressos, nullus fuerit Plutinus, hoc ideo par Martyrum ab eis sejungimus.

Exhibent illos magna Græcorum Menæa, et Vita SS. Maximi Cytheræi his verbis: Eodem die SS. Saturninus et Plutinus gladio vitam finiunt. Addunt Menæa hoc distichon.

Τὰ Συνσιμαῖα ταῦτα τῶν τετμημένων
Σατουρνίνου πέφυκε καὶ τοῦ Πλουτίνου,
Cadavera hæc occisorum Martyrum
Sunt Saturnini et Plutini.

Innuuntur sacra corpora Constantinopoli aut certo alio in loco asservata, quorum locus et tempus martyrii latent.

B

# DE S. FLORO

## MARTYRE ROMANO ANTVERPIÆ.

E

J. B.

*XII FEBR. S. Flori corpus e S Agnetis cœmeterio refossum,*

Celebris est via Nomentana, haud multo longius mille passibus ab urbe Roma, S. Agnetis V. M. basilica: ad quam et Cœmeterium olim exædificatum, S. Agnetis itidem dictum. Hujus plures nostra memoria patefacti aditus, dum summoveretur quæ altius circum eam basilicam aggesta erat terra, uti testatur in Roma subterranea lib. 3 cap. 48 Antonius Bosius; exhibetque varias effossorum inde marmoreorum sepulchrorum formas, ac multas inscriptiones. Non pauca postea prolata inde sunt corpora Sanctorum: duo Antverpiam allata, in magnifica æde Domus professorum Societatis Jesu collocanda, quæ jam ante (ut III Februarii dictum, cum de S. Fortunato ageremus) ejusmodi cœlestibus thesauris haud parce erat locupletata. Ea porro corpora fuere SS. Flori et Palladii: quæ ab Illustrissimo Antistite nostro Gaspare Nemio legitime approbata, solenniter exposita publicæ venerationi; S. Flori quidem pridie Id. Februarii, S. Palladii ipsis Idibus: agiturque iis diebus anniversaria eorum celebritas. A quo, cui, qua auctoritate, quando donata ea corpora sint, exponit idem illustrissimus Antistes publico super iis confecto instrumento, quod hic damus.

*allatumque Antverpiam, una cum S. Palladii;*

*ut patet ex Episcopis Antverpien. diplomate.*

C

2 Gaspar nemius, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Antuerpiensis, confirmatus Archiepiscopus et Dux Cameracensis, S. R. Imperii Princeps, Comes Cameracesii etc. omnibus has visuris salutem in Domino.

Quæ propitii Numinis benignitas sæpius nostris temporibus cœleste huic civitati nostræ, adversus multiplicia eaque gravissima pericula, circumstrepentibus armis Hæreticorum, præsidium attulit; eadem nunc quoque calamitatum quarumcumque et vitiorum remedium, ac publicæ pietatis incentivum præbere non desinit, allatis Roma atque aliunde sacrosanctis Divorum Reliquiis.

*SS. Reliquiæ ad varia utiles.*

3 Nuper sane Nobis significavit R. P. Franciscus Geubels, domus professorum Societatis Jesu in hac urbe Præpositus, pridem ad decessorem suum R. P. Franciscum ab Hees missa esse Roma sanctorum Martyrum Flori et Palladii corpora, in ecclesia ejusdem Societatis ad populi venerationem collocanda, ubi quidem nostra essent auctoritate approbata; quod ut facere dignaremur, Nobis humiliter supplicabat. Nos vero favorem nostrum rebus ejusmodi libentissime impendentes, venimus feria quinta post Dominicam Sexagesimæ, die VIII Februarii, an. MDCLII, ad dictam Domum professorum: ubi duæ nobis exhibitæ sunt cistulæ ligneæ inauratæ, linteo byssino rubeo circumligatæ, ac locis duabus signatæ eminentissimi Cardinalis Ginetti sigillo. In priori cistula, cui extrinsecus inscriptus hic erat titulus, S. Palladius Martyr; inventa sunt fragmenta ampullæ sanguine Martyris tincta, in ejus sepulchro reperta: fragmenta item cranii, et totius (quantum conjicere licebat) corporis ossa. In altera, cui itidem titulus, S Florus Martyr, ossa erant totius corporis, sed eorum plurima partim vetustate resoluta, partim fortassis concussione comminuta.

*SS Flori et Palladii Romæ Antverpiam missæ,*

*hic visitatæ et approbatæ ab Episcopo,*

4 In hac eadem secunda capsa erat publicum instrumentum in membrana descriptum, Romæ anno a Nativitate D. N. Jesu Christi MDCXLIX, indictione II, die XXV mensis Maii, pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris ac D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ decimi anno quinto, a Leonardo de Leonardis cive Romano, Curiæ Caussarum Eminentissimi et Reverendissimi D. Almæ Urbis Cardinalis Sanctissimi D. N. Papæ Vicarii Generalis, Notario publico, F confectum, subscriptum ac publicatum. In eo fidem faciebat, Baldassarem Ballonum Societatis Jesu Religiosum, sibi probe notum, dicto die, jurejurando testatum, se, quod varios labores per plures annos suscepisset, inveniendo et extrahendo e Catacumbis ac cœmiteriis diversis Urbis, Sanctorum Martyrum sacra corpora, pro servitio Eminentissimi et Reverendissimi D. Cardinalis Ginetti Sanctissimi D. N. Papæ Vicarii, ab eodem Eminentissimo D. Cardinale inter ceteras sacras Reliquias et sancta corpora, dono recepisse infrascripta corpora, videlicet SS. Palladii et Flori Martyrum, ex cœmiterio S. Agnetis, de mandato Sanctissimi D. N. Papæ, extracta; cum facultate et auctoritate, sibi (ut affirmabat) oretenus data, illa penes se retinendi, aliis personis donandi, extra Urbem transmittendi, ac in ecclesiis piorum Christi fidelium publice exponendi et collocandi.

*reperto authentico testimonio;*

*effossæ e cœmeterio S Agnetis,*

5 Idcirco

A AUCTORE J. B.

5 Idcirco volentem eumdem Baldassarem antedicta facultate uti, et ad infrascriptam donationem devenire, publicumque instrumentum conficere; sponte, omni meliori modo, in primis asseruisse, repetito jurejurando, supradicta corpora SS. Palladii et Flori MM. esse eademmet, sibi, ut supra, donata: illa igitur ad majorem omnipotentis Dei et Sanctorum suorum gloriam et honorem, fideliumque devotionis augmentum, donasse, concessisse, et largitum fuisse venerabili Domui professæ Societatis Jesu Antverpiensi, et pro ea Jacobo Hannot dictæ Societatis Religioso præsenti, ad effectum illa publice exponendi et collocandi in ecclesia dictæ Domus professæ. Ea vero sacra corpora reposita et collocata seorsim singula in duabus capsulis ligneis cupressinis, funiculo alligatis et duobus in locis sigillo Eminentissimi D. Cardinalis Vicarii ab eodem Notario signatis, dictum Jacobum omni qua potuit majori devotione et reverentia, nomine quo supra, accepisse et gratias immortales retulisse. Acta hæc erant die et anno suprascriptis, R. P. Hieronymo Boschetto et Ignatio Rochetto, ambobus dictæ Societatis Jesu, testibus ad prædicta omnia et singula vocatis, habitis, atque rogatis. *Additum infra erat:* Nos Martius tit. B S. Petri ad Vincula S. R. E. Presbyter Cardinalis Ginettus Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius generalis, universis etc. fidem facimus et attestamur, supradictum D. Leonardum de Leonardis de prædictis rogatum fuisse, et esse Curiæ nostræ Notarium publicum, qualem se facit, suisque scripturis publicis et similibus in judicio et extra adhiberi plenam fidem. In quorum etc. Datum Romæ ex ædibus Nostris hac die XXVI Maii MDCXLIX. Appensum erat ejusdem Cardinalis Vicarii sigillum.

*donatæ Domui professæ Soc. Jesu Antverpiæ,*

6 Nos hisce omnibus inspectis, perlectis ac diligenter examinatis, dicta SS. Flori et Palladii MM. corpora, ut veras Reliquias ac legitime acquisitas ac huc perlatas, approbavimus et approbamus, atque publice in ecclesia exponi et honorari possint sancimus: ita nimirum (quod nos idem R. P. Præpositus rogavit) ut S. Florus die XII Februarii, postridie S. Palladius, Officio ecclesiastico de Martyre non Pontifice, ritu duplici, juxta ritum S. R. Ecclesiæ quotannis celebrentur. Eas deinde Reliquias in capsis affabre ad eam rem paratis includi curavimus, atque in singulis os unum insignius, adscripto nomine, sigillo nostro munivimus. D

*assignati dies, quibus Officio Ecclesiast. colantur*

7 Actum Antverpiæ dicto die VIII Februarii MDCLII, præsentibus RR. DD. Francisco Hillewerven Cathedralis Ecclesiæ Antverpiæ Canonico, Joanne Sporckmans et Clemente Nepveu, Presbyteris, I. V. Licentiatis, Nostris Domesticis, nobisque respective a sacris et secretis; itemque RR. PP. Societatis Jesu Presbyteris professis Francisco Geubels Præposito, Francisco ab Hees, Joanne Bollando.

*Acta hæc 1652 8 Febr.*

8 *Hactenus acta approbationis. Incidit porro eo anno dies XII Februarii in feriam secundam post Dominicam Quinquagesimæ: et quoniam per antecinerales eas ferias institui in nostris templis preces XL horarum, una cum Pontificia indulgentia consueverunt; valuit gemina Martyrum Translatio ad pompam religionemque eorum dierum augendam. Dominica igitur post vespertinum concionem, e Domo in templum Nostris omnibus longa serie, ritu supplicantium, cereos ac faces manu gestantibus, allatum est* S. Flori *corpus, quaternis Sacerdotibus succollantibus, vestitu Diaconorum pretioso indutis, aliaque comitatu atque apparatu ad pietatem splendido. Theca ipsa, cui inclusæ sacræ reliquiæ erant, affabre facta erat, ac sumptuose exornata. Tum primum solenniter invocatus* S. Florus, *ac decantatus hymnus* Te Deum laudamus. *Postridie ad ejus honorem solenniter oblatum Deo Missæ sacrificium est. Sub noctem eadem ratione modoque S. Palladii translatum corpus.* E

*in templum allatæ S. Flori reliquiæ 11 Febr.*

*solenni pompa:*

*colitur 12 Feb.*

9 *Acta horum Martyrum penitus nobis ignota sunt, atque ipsa etiam ante hæc nomina. Duos quidem legimus Romanos Martyres* Floros, *via Salaria alterum* XIII *Januarii cum pluribus sociis interfectum, alterum Ostiæ* XXII *Decembris, cum* Demetrio *et* Honorato. *Alterius deportatum ad S. Agnetis cœmeterium corpus, non est unde affirmemus: etsi non longe a Salaria via aberat Nomentana (ad quam templum situm S. Agnetis) inque Salariam incidebat ad Eretum; ut facile potuerit, qui via Salaria erat interfectus, ad Nomentanam sepeliri. Videntur SS. Florus ac Palladius vel extremis Diocletiani temporibus, vel sub Maxentio aut Juliano interfecti, cum probabile sit S. Agnetis cœmeterium non nisi circa mortis ejus tempus fabricatum: nisi quis duorum illorum Sanctorum corpora velit aliunde ad illud cœmeterium fuisse translata, ut pluribus Sanctis factum.*

*Acta ejus ignota.*

*quando cæsus videatur?*

# DE S. MELETIO MAGNO

## EPSC. ANTIOCHENO CONFESSORE,

C

## Commentarius historicus.

F

G. H.

### § I. S. *Meletii Episcopatus Sebastenus, dein Antiochenus.*

AN. CH. CCCLXXXI. XII FEBR.

*S. Meletius a S. Epiphanio laudatus*

Celeberrimus *eruditione, et defensione Catholicæ fidei, exilioque ac multarum ærumnarum perpessione,* Meletius *Antistes fuit, a Græcis juxta ac Latinis Sanctorum tabulis adscriptus. De eo adhuc superstite S. Epiphanius adversus hæreses lib. 3 tom. 1 hæresi 73 ista prædicat:* Magni a nobis vir ille fit, propter famam quæ de eo late increbuit. Est enim vita ejus alioquin gravis et honesta, mores egregii; ipse denique populo cum primis amabilis, ob vitæ integritatem, quam divinis omnes laudibus ubique efferunt.

2 *Dubiam tamen famam initia ejus habuerunt.* Nam, *ut scribit Nicephorus Callistus lib. 9 cap. 48,* Arianorum suffragiis Sebastiæ Episcopus creatus, atque inde rursus per eosdem Berœam Syriæ translatus fuerat; et Seleuciæ in concilio propositæ ab Acacio fidei formulæ subscripserat. In Constantinopolitana prætera synodo affuerat, et cum illis quæ eis placita erant, egerat et sanxerat: atque ab eisdem ad Antiochenam Sedem evectus fuerat. *Erat* Acacius, *cujus hic, ac postea rursus, mentio fit, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, Eusebii Pamphili discipulus ac successor, ita Arianismo obsessus, ut Filium Patri sola voluntate, ac nullo modo substantia similem diceret, nedum Consubstantialem, quod orthodoxæ fidei canon tenet. Habitæ autem sunt quæ hic memorantur synodi, Seleuciensis* Eusebio et Hypatio Coss. *anno Christi* CCCLIX, *mense Septembri; Constantinopolitana sub exitum ejusdem anni et initium sequentis. Quæ porro hic Nicephorus tradit, sumpta sunt ex Socrate lib. 2 cap. 34, ubi de Meletio ita habet:* Hic namque Eustathio abdicato, ut paullo ante dixi, Sebastiæ in Armenia Episcopus est ordinatus; dein Sebastia Berœam Syriæ translatus. Cumque concilio Seleuciensi interfuisset, et fidei formulæ a factione Acaciana propositæ subscripsisset, quamprimum Berœam revertit. Mox concilio Constantinopoli convocato, Antiocheni, cum certo intellexissent, Eudoxium ipsorum Ecclesiam

*Arianis familiaris:*

*ab iis Episcopus Sebastiæ factus;*

*dein Berœæ,*

A Ecclesiam contempsisse, et Constantinopolim divitiarum caussa se contulisse, Meletium Berœa accersitum, in Sede Episcopali Ecclesiæ Antiochenæ collocant.

3 *Censet Baronius ad an.* 360 *num.* 48, *potius Berœa Sebastiam translatum, quam Sebastia Berœam. Quod omnino fatendum, si quidem, unquam Berœæ Episcopus fuit, et vera sunt quæ Socrates tradit, Seleucia Berœam esse reversum: nam tempore Seleuciensis Concilii tenebat adhuc Sebastenam Cathedram Eustathius; ea dejectus postea in Concilio Constantinopolitano; subrogatusque illi tum demum Meletius: atque hoc postremum ipse Socrates refert lib.* 2 *cap.* 33 *et Nicephorus lib.* 9 *cap.* 46. *Sozomenus lib.* 4 *cap.* 27 Sebastia Antiochiam translatum *asserit. S. Hieronymus quoque in Chronico non meminit Berœæ, ita scribens:* Meletius Sebastiæ Armeniorum Episcopus, ab Acacio et Georgio Episcopis Arianis Antiochiam transfertur. *Dissimulat ipse, quippe Paulino addictus adversario Meletii, hunc ab orthodoxis quoque electum aut expetitum, ut infra dicetur, quamvis primarias partes egerint Acacius, ipseque Acacius: qui ejus promotione visus Orthodoxis gratificari, sperans eum ita ad suas partes attrahendum. Ita S. Epiphanius hæresi* 73 *sectione* 28. Etenim Meletius, *inquit*, ab Acacio Antiochiæ ordinatus Episcopus. Deinceps enim hoc Acacius propositum habuit, paullulum ut ab illorum (*Arianorum*) B nefario dogmate deflecteret, et unum se ex Orthodoxis faceret, hoc ipso, quod Meletium in illa ordinatione confirmaret. Quippe Meletius hic ab Acacianis partibus constitutus, suæ ab ipsis opinionis esse credebatur. Verum alius est repertus, ut de eo plerique narrant. *Videtur ergo Meletius ad id tempus suam de divinitate sententiam dissimulasse, aut ambique ita disputasse, ut quia Acacio adhærebat, eadem sentire crederetur. Et certe Epiphanius ipse sect.* 27 *tres præcipuas recensens Arianorum factiones, in tertia, quæ Acacii erat, locat Meletium. At sect.* 26 *enumerans eos qui concilio Seleuciensi subscripserunt, Meletii nomen non habet: unde Nicephorus, qui id ante asseruit, refellitur. Quid si vero ne Episcopus quidem tunc erat Meletius? Tum scilicet minor illi palam manifestandæ sententiæ suæ necessitas erat. Deceptum tamen eum aliquando ab hæreticis ostendit S. Gregorius Theologus in carmine de vita sua, ubi Meletium laudans, hoc tamen fatetur,* Εἰ καὶ ξένη τι μικρὸν ἐκλάπη χερί. Etsi paullum aliena manu furtim seductus aliquando fuerit: *sive intra solam cum hæreticis communionem culpa steterit: seu fraudulentis illorum argumentis captus, falsa dogmata pro veris amplexus fuerit. Resipuit tamen mox, saniora edoctus, ab ipso fortassis S. Eu-* C *sebio Samosateno, qui propterea cum aliis orthodoxis, in ejus electionem consensit, qui et ipse in cœtibus hetherodoxorum aderat, ut quos posset, præsertim errore, non malitia prolapsos, erigeret.*

*erit hic prius,*

*imo forte hic numquam,*

*Sebastia certe Antiochiam translatus,*

*agentibus iisdem Arianis,*

*sibi eum consentire putantibus,*

*(cum sensum suum non plane aperiret, deceptus tamen aliquantum ab iis)*

4 *Firmat hanc conjecturam, modumque electionis explanat Theodoretus lib.* 2 *cap.* 31. Per id tempus, *inquit*, Constantius Antiochiæ commorabatur; *eo post conciliabulum Constantinopolitanum, occasione belli Persici profectus.* Cum vero, *ait idem auctor*, induciæ essent, ac belli Persici cessatio aliqua, rursus Episcopos convocavit, ut omnes cogeret voces Ὁμοούσιον et Ἑτεροούσιον *id est Consubstantiale, et diversæ substantiæ*, abjurare. Tunc autem Antiochena Ecclesia Pastore erat orbata: cum Eudoxius, qui mortuo Leontio eam Cathedram invaserat, inde expulsus, variis habitis conciliis, tandem Constantinopolitanam contra leges fasque obtinuisset. Quare Episcopi in unum coacti (multi autem erant, undique collecti) dixerunt, primum gregi pastorem assignandum, ac deinde communiter cum eo de Fidei dogmatibus consultandum. Erat eo tempore urbis cujusdam in Armenia Episcopus Meletius, vir divinus: sed cum D subditorum præfractos mores ferre non posset, ad alium locum secesserat, vitam quietam acturus. *Hæc ita reddit Cassiodorus in Tripartita lib.* 5 *cap.* 47. Illo tempore sanctissimus Melitius civitatem quamdam Armeniæ regens, et barbaros edocens, quietem habere videbatur. *Pergit Theodoretus:* Eum Ariani suorum consortem dogmatum rati, Constantium rogant, ut ei Ecclesiæ Antiochenæ gubernacula tradantur..... Qui autem Apostolica dogmata conservabant, quoniam Magni Meletii sanam doctrinam, et præstabilem vitæ rationem, ac virtutis denique divitias probe cognoverant, ei quoque suffragabantur: et decretum de ea re faciendum, atque ab omnibus subscribendum, quam maximo poterant studio contendebant. Hoc autem decretum, velut commune quoddam pactum, Eusebio Episcopo Samosateno asservandum tradiderunt, viro egregio, ac strenuo defensori veritatis.

*et Imperatori commendantibus;*

AUCTORE J. B.

*consentientibus Catholicis, communi facto decreto:*

5 *Sozomenus lib.* 4 *cap.* 27 *et labem, quam antea utcumque abstersimus, Meletio aspergit, quasi certo antea eadem quæ Ariani de fide senserit, neque Catholicorum suffragii meminit, sed alia quædam amplificat, in hunc modum:* Eo tempore Eudoxio Ecclesiam Constantinopolitanam gubernante, multi Cathedram Antiochenam magno studio ambiebant: et, ut fieri in ejusmodi rebus solet, factiones variæ seditionesque in Clero ac populo ortæ sunt, singulis quem secum fide consensurum putabant, admoveri ad Ecclesiæ regimen cupientibus. Necdum enim desierant de fidei doctrina dissidere: neque in psalmodia E invicem consentiebant, sed singuli, quod canebatur, ad propriam opinionem, uti antea diximus, accommodabant. Cum igitur hic esset Antiochenæ status Ecclesiæ, opportunum visum est Eudoxianis, Meletium Sebastia Antiochiam transferre, virum ad dicendum ac persuadendum maxime idoneum, atque ipsa vitæ ratione spectatum, quique prius eadem quæ ipsi de divinitate sensisset. Credebant enim fama et existimatione ejus pellici posse ad ipsorum hæresin non solum Antiochenos, sed et propinquas urbes, et maxime qui Eustathiani dicebantur, qui traditam a Nicæna synodo fidem constanter tuebantur. *Ita ille. Factum Eustathianis nomen a S. Eustathio Episcopo Antiocheno, qui* XVI *Julii colitur: Paulliniani postea, ut infra ostendetur, a Paullino sunt appellati.*

*multis alioquin Episcopatum illum ambientibus,*

*magna de eo sperantibus Arianis:*

6 *Evocatus est continuo Antiochiam Meletius, et quidem publicis jumentis. Is nempe Constantio mos erat, ut Episcopos ad Aulam aut synodos publicis vehiculis jumentisque adduci curaret. Ita Ammianus Marcellinus de eo sub finem libri* 21 *scribit:* Christianam religionem, absolutam et simplicem, anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit dissidia plurima, F quæ progressa fusius aluit concertatione verborum: ut catervis Antistitum jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehiculariæ succideret nervos.

*venit ipse Antiochiam:*

7 *Qua pompa fuerit Meletius Antiochiam introductus, exponit Theodoretus lib.* 2 *cap.* 31. Cum, *inquit*, evocatus ab Imperatore, Antiochiam magnus Meletius adventaret; obviam processere quotquot aderant sacerdotio insignes, aliique Ecclesiæ ministri, atque universa civium multitudo. Aderant Judæi quoque et Gentiles, celeberrimum Meletium videndi studio. *Nicephorus addit*, non solum Arianorum, sed et eorum quoque qui Paulinum sequebantur, multos accessise, partim viri celebritate excitos, (mirifica enim de eo jam ante increbuerat fama) partim cupiditate ductos, quam ad partem esset accessurus, explorandi. Vulgatum enim rumoribus erat, magni ab eo fieri scita synodi Nicenæ. *Eadem fere habet Sozome-*

*occurrit Clerus,*

*et cives, cujuscumque sectæ.*

*nus Latine redditus a Christophorsono; nam in Græco nulla Paulinianorum mentio est.*

AUCTORE J. B.

8 *Innuere videntur Socrates, Sozomenus, Nicephorus, electum abdicatumque Meletium priusquam Antiochiam veniret Constantius. Ac Theodoretum ait Baronius* confundere videri depositionem et exilium Meletii cum ingressu ejus in Sedem Antiochenam. *S. Chrysostomus, qui aderat, licet adhuc puer, trigesimo post die, quam eam adierat Sedem, ejectum esse Meletium scribit; illudque exaggerat, tantillo spatio temporis ita ab eo confirmatos in fide animos civium, ut nullis deinceps Arianorum machinationibus convelli eorum constantia potuerit. Si ergo cum Antiochiæ fuit Constantius, ejectus Meletius est, nihil vetat etiam eo præsente electum credere, anno CCCLX jam in hiemem vergente: patet enim ex Ammiano non nisi adulto autumno Antiochiam venisse Constantium, non, ut Sozomenus innuit, ad bellum contra Persas tendentem, sed a bello redeuntem. Quæ autem Meletio facta eo anno, vix patiuntur ut ante initium hiemis possit Antiochiam videri translatus. Nam sub exordium ejus anni habitum concilium Constantinopolitanum, priore inchoatum, in quo depositus Eustathius Sebastenus; eique Meletius suffectus, Februario fortassis aut Martio mense ad Sedem suam profectus est. Dedicatio enim templi sanctæ Sophiæ, quæ XV Februarii contigit, ut habent Socrates et Idatius, facta videtur antequam Episcopi ad sua dimitterentur, quo celebrior esset. Abiit ergo Sebastiam Meletius: tempus ibi aliquod exegit: deinde suorum civium duram indolem gravatus, alium locum ad quietem secessit. Quis non videt totam fere hisce rebus gerendis exhaustam æstatem? Neque exiguo spatio duravit Antiochenorum contentio de substituendo in locum Eudoxii Episcopo. De quo fortassis ad Constantium, qui Constantinopoli in Mesopotamiam moverat, perscriptum: ut is propterea Antiochiam Episcopos evocarit, ubi ipse exigere hiemem, Persis paullum repressis, cogitabat.*

*Constantio Imp. præsente id videri factum.*

*initio hiemis an. 360*

*a bello reverso,*

## § II. *Meletii professio Fidei pro concione. Exilium.*

*At quocumque ea Meletii electio acciderit pacto, sive, ut habet Theodoretus rerum Antiochensium cum primis gnarus, Imperatoris mandato accitus, sive ante illius adventum ab Episcopis in ea Cathedra locatus sit; cum omnium in id intenti animi essent, ut cujus partis opiniones sequeretur, declararet: ipse omissa de controversis dogmatibus disputatione, ea cœpit pertractare quæ ad rectam morum informationem spectant: uti Socrates ac Sozomenus scribunt. Ita namque auditores se habiturum benevolentiores sentiebat, et ad sanam doctrinam excipiendam paratiores, si prius eorum animos pia quadam eloquentia delinisset, et avocatos a vitiis ad divinarum rerum studium excitasset.* Progrediens deinde, *ait Socrates*, fidem synodi Nicænæ illis explanavit, ac Verbum Patri Consubstantiale professus est.

*S. Meletius concionatur primum de moribus:*

*dein de fide:*

10 *Recitat S. Epiphanius primum, quem is Antiochiæ habuit sermonem;* quem quidem sermonem, *inquit*, plerique cum recta fide consentaneum esse confirmant. *In eo hortatur primum ad pacem, atque erga Deum caritatem. Dein Filium Patri quidem* ὅμοιον similem *appellat, sed negat creatum esse, verum ineffabili modo ante omnia secula* genitum a Patre, Deum de Deo *etc.*

*extat sermo apud S. Epiphanium,*

11 *Theodoretus lib. 2 cap. 31 ita de Meletii sermone, sive primo illo, seu quodlio postea habito, scribit:* Imperator eum atque alios dicendi laude præstantes pro concione ista explicare verba jussit: Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua. Constituit autem exceptores ad celeriter scribendum exercitatos, qui uniuscujusque dicta exararent; nam ea ratione accuratiorem eorum doctrinam fore. Ac primus quidem Georgius Laodiceæ Episcopus hæreticum fœtorem evomuit. Post eum Acacius Cæsareensis mediam quamdam protulit doctrinam, longe quidem ab eorum blasphemia distantem, minime tamen puræ et integræ Apostolicæ formæ consentientem. Tertius surrexit Magnus ille Meletius, et quæ recta esset Theologicæ prædicationis regula ostendit: nam ad veritatem velut ad amussim omnia dirigens, facile et quod deficiens, et quod nimium esset, vitavit. Quare prorumpente in ejus laudationem multitudine, et, ut ipsis brevem promptamque de fide doctrinam traderet, flagitante, primum tres ostentans digitos, deinde duobus compressis, unumque extentum tenens, insignem hanc protulit vocem: Tria sunt quæ intelliguntur, sed velut de uno loquimur.

*ab Exceptoribus descriptus jussu Imp.*

*post 2 hæreticos Epp.*

*Fidem rectam profitetur*

*verbis et gestis,*

12 *Aliter paullo rem hanc narrat Sozomenus:* Cum adhuc, *inquit*, ille concionaretur, (*et Filium Patri consubstantialem prædicaret, ut immediate ante habet*) dicitur Archidiaconus illius Cleri ad eum accurrisse, et manu admota os ipsi obturasse. Ille autem manu multo evidentius, quam voce, sententiam suam indicavit. Nam primum tres tantum digitos palam extendens, dein iis contractis unum solum porrigens, ea manus figura velut in effigie quadam populo declaravit, quæ sentiret, ac dicere instituisset. Cum autem Archidiaconum ille fefellisset conatus, atque ore dimisso manum Meletii prehendisset, hic linguam iterum liberam nactus, magna voce, planius quam ante sententiam suam exposuit, atque auditores hortatus est ut synodi Nicænæ decretis starent, testatus a veritate penitus aberrare qui secus sentiant. Cum non desisteret eadem vel gestu manus declarare, vel profiteri verbis, quoad alternis positum ab Archidiacono obicem eluctabatur, utroque modo, velut pancratio, egregie decertans; interea Eustathiani exclamabant, gestiebant, et præ gaudio tripudiabant. Ariani autem animos demittebant.

*alternis os ac manum impediente Archidiacono:*

13 *Eadem quæ Sozomenus recitat Nicephorus, illudque addit:* Ob hoc stomachantes Eudoxiani, ab ecclesia Meletium expulerunt; deinde tamen revocarunt, sententiæ ipsorum suffragaturum, ut existimabant, et dicta correcturum. *Sozomenus ita habet:* Ea re audita Eudoxiani graviter succensentes, sedulo dabant operam, ut Meletius urbe pelleretur, at rursus eum accersiverunt, quo pœnitentia ductus, dicta corrigeret, doceretque contraria.

*deponitur,*

*ac mox restituitur.*

14 *Quis demum rei hujus exitus fuerit, idem significat Sozomenus:* Cum a recta sententia, *inquit*, deduci non posset, exturbari eum ex Ecclesia, et in exilium relegari jussit Imperator. *Idem habent Socrates et Nicephorus. Theodoretus autem ita scribit:* Adversus hanc doctrinam, qui tabe Ariana infectos gerebant animos, cœperunt linguas movere, et calumniam contexere, divinum Meletium Sabellianum esse dictitantes et proinde suadent Imperatori, qui non secus atque Euripus quidam facile huc illucque ferebatur, ut eum in patriam suam deportari exulem jubeat. Ad ejus autem locum capessendum, Euzoium eligunt, egregium Arii dogmatum defensorem: quippe quem Diaconatus tunc honore ornatum, una cum ipso Ario, magnus ille Alexander abdicaverat.

*relegatur in Armeniam:*

15 *Noctu Antiochia abductum Meletium testatur S. Epiphanius hæresi 73 sect. 34.* Imperatorem, *inquit*, delatione sua in hominem commovent, quod profiteri nollet Filium esse perfectam creaturam, ac tandem e sua Sede exturbant. Itaque noctu in exilium deportatus, ad hæc usque tempora in patria sua degit, singulari honore ac benevolentia prosequendus, cum ob alia, tum maxime ob ea, quæ nunc præclare ab eo gesta didicimus, et quod Antiocheni, quorum ipse Antistes, sinceram fidem hoc tempore profitentur: qui

*noctu educitur;*

*perstantibus in fide Antiochenis,*

A qui nullam amplius, ne leviter quidem, creaturæ appellationem admittunt: sed Patrem et Filium et Spiritum sanctum consubstantialem confitentur; tres hypostases, unam essentiam, unam Divinitatem: quod quidem et vera fides affirmat.

16 *Cum autem Ariani, quod antea fecerant de Meletii electione decretum, et S. Eusebio Samosateno servandum crediderant, vellent rescindere, etiam illo conatu egregie frustrati sunt. Nam, ut scribit cap. 32 lib. 2 Theodoretus*, Eusebius ille admirabilis, cujus ante facta mentio, cui commune de Meletio decretum commissum fuerat, cum pacta videret infringi, ad urbem sibi concreditam abiit. Ariani autem veriti ne decreti illius conscripti testimonio coarguerentur, Constantio persuadent, ut mittat qui decretum referat. Ille aliquem ablegat, solitum equis in itinere mutatis celerrime proficisci et responsa perferre. Cum is Eusebium assecutus, Imperatoris mandata exposuisset; Non possum, inquit vir ille admirabilis, commune decretum tradere, nisi universi qui illud mihi commiserunt, simul in unum conveniant. Quod responsum nuntius ad Imperatorem refert. Ille ardens iracundia rursus ad eum mittit postulatum decretum, additque in litteris, ni id reddat, se mandasse ut ei manus dextera præcidatur: quod quidem solum ad terrorem illi incutiendum adscripserat. B Vetuerat enim ei qui epistolam perferebat, ne quod minabatur perficeret. At postquam divinus ille vir litteris resignatis, quid sibi supplicii Imperator minitaretur, legit, non dextram solum, sed et sinistram protendit, hortaturque ut utramque amputet. Nam decretum, inquit, non reddam, quod Arianorum improbitatem manifeste redarguit. Imperator tantam viri constantiam et tunc valde est admiratus et postea prædicare non destitit. Mirantur enim etiam, inimici adversariorum suorum præclara facinora, ipsa rerum magnitudine coacti. *Hæc Theodoretus.*

*S. Eusebio recusante reddere decretum electionis,*

*et generose minas Constantii contemnente.*

17 *Hæc cum ita se habuerint, mirari merito quispiam queat, S. Hieronymum in Chronico ita scribere:* Meletius Sebastiæ Armeniorum Episcopus, ab Acacio et Georgio Episcopis Arianis Antiochiam transfertur, et post non grande temporis intervallum, cum Presbyteros, qui ab Eudoxio antecessore suo depositi fuerant, suscepisset, exilii justissimam caussam subita fidei mutatione delusit. *Cur Acacio et Georgio non addidit Eusebium aliosque Orthodoxos, qui electioni suffragati? Cum autem Eudoxius Arianus egregia impostura Sedem Antiochenam occupasset, quid mirum si aliqua ejus acta successor rescidit? Aut quos ille Presbyteros credetur deposuisse, nisi forsan sanæ doctrinæ, quam ille labefactatum ibat, assertores? Amarulentius* C *adhuc est, quod Chronicon Alexandrinum in Meletium jacit*, Ind. v, Juliani I, Mamertino et Nebetta Coss. Ita ergo Meletius, *inquit*, ob impietatem et alia flagitia damnatus, Antiochiam reversus, Sedem priorem invasit.

*S. Hieronymus dat aliam caussam ejectionis,*

18 *Hæc utraque in Meletium conficta ab Arianis, et forsan etiam ab orthodoxis Paulinianis, (a quibus ea S. Hieronymus hauserit, a Paulino Presbyter ordinatus) colligere ex S. Epiphanio licet hæresi 73 sect. 35 ita scribente:* Sed nonnulli tamen, haud scio an odio in eum commoti, an invidia perciti, an denique sua ut in majus extollant, quædam de illo parum secunda fama vulgavere. Nimirum non ob Catholicam fidem has in illum turbas esse conflatas; sed ob Ecclesiastica quædam negotia, ac jurgia quæ inter eum ac Clerum ejus intercesserunt: tum quod nonnullos suscepisset, quos olim rejecerat et anathemate damnaverat. Verum his non omnino assentimur, præsertim quia in cœtu eorum qui illi adhærent, deinceps semper, ut ante dictum, professio rectæ fidei viguit. *Hæc Epiphanius. Sed qui potuit intra dies XXX dici olim a communione arcuisse quosdam, ac deinde susce-*

*conficta ab adversariis, ut innuit S. Epiphanius.*

*pisse? Illud enim πάλαι olim, pridem, videtur majus spatium temporis requirere. Quamquam quid in eo esset peccatum, si quos ipsemet ita summovisset a sacrorum participatione, deinde accepta satisfactione restituisset?* D

AUCTORE J. B.

## § III. S. *Meletii reditus ab exilio. Discidium Antiochiæ inter Catholicos.*

Relegato, *ut narratum est, Meletio*, qui ei favebant, *inquit lib. 2 cap. 34 Socrates*, derelicta penitus Ariana factione, cœperunt seorsim conventus suos habere; nolentibus iis, qui ab initio Filium Patri consubstantialem professi fuerant, cum illis communicare, propterea quod et Meletius Arianorum suffragiis ad Episcopatum electus esset, et ejus sectatores ab iisdem Arianis baptismum suscepissent. Atque ita in Ecclesia Antiochena etiam ii qui in fidei doctrina consentiebant, in duas divisi sunt factiones. *Eadem habet Sozomenus lib. 2 cap. 27. Nicephorus Callistus lib. 9 cap. 48, Theodoretus lib. 2 cap. 31 qui Meletianos ait convenisse ad ecclesiam Apostolicam*, positam in regione quæ Παλαιὰ *sive* Antiqua *dicebatur*, extra mœnia urbis.

*Meletiani et Eustathiani dissident, utrique licet Catholici.*

20 *Anno CCCLXI a Persica expeditione sub autumnum rursus Antiochiam venit Constantius, parte copiarum præmissa adversus Julianum, qui militum favore nixus imperium in Europa occuparat.* Constantius *autem, ut lib. 2 cap. 37 scribit Socrates*, baptismo demum ab Euzoio, *Ariano ejus urbis Episcopo*, lustratus, ad bellum contra eumdem Julianum proficiscitur. E Cum autem ad Mopsi fluvii fontes, qui sunt inter Ciliciam ac Cappadociam, pervenisset, præ nimia sollicitudine in apoplexiam delapsus, mortem oppetiit, Tauro et Florentio Coss. III Nonas Novembris. *Theodoretus lib. 2 cap. 32* graviter et acerbe lamentatum *scribit*, quod fidem mutasset, et paternæ pietatis hæreditatem integram non conservasset. *Ammianus Marcellinus lib. 21 cap. 29 scribit*, cum Tarsum venisset, leviore febri contactum.... petiisse per vias difficiles Mopsucrenas, Ciliciæ ultimam huc pergentibus stationem, sub Tauri montis radicibus positam..... *ibique* abiisse e vita tertio Nonarum Octobrium. *Idatius ceterique habent* III Non. Novembris *obiisse. Et secum ipse pugnare videtur Ammianus, dum ait* Autumno jam senescente profectum *Antiochia: nisi fors velit ante Octobrem senescere autumnum in ipso sui principio.*

*Constantio Imp. mortuo an. 361 3 Nov.*

*non 3 Octob.*

21 *Constantio mortuo* Julianus Augustus III Id. Decembris Constantinopolim introivit, *ut notat Idatius et Ammianus lib. 22 cap. 2. Is* quo omnium sibi benevolentiam conciliaret, *ut lib. 3 cap. 4 Theodoretus scribit*, F Episcopos a Constantio suis Ecclesiis ejectos, et in ultimas terrarum oras deportatos, ad suas Ecclesias reverti jussit. *Quo id sceleratus Apostata consilio statuerit, ejus laudator Ammianus lib. 22 cap 7 declarat his verbis:* Ubi, abolitis quæ verebatur, adesse sibi liberum tempus faciundi quæ vellet advertit, sui pectoris patefecit arcana: et planis absolutisque decretis aperiri templa; arisque hostias admoveri, et reparari deorum statuit cultum. Utque dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum Antistites, cum plebe discissa, in palatium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante religioni suæ serviret intrepidus. Quod agebat ideo obstinate, ut dissensiones augente licentia, non timeret unanimantem postea plebem: nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus. *Ita impius scriptor de impiissimo Tyranno. Verum spem utriusque Divina elusit providentia. Et licet sub Juliano, ut in Chronico scribit S. Hieronymus*, blanda persecutio fuerit, illiciens magis quam impellens ad sacrificandum,

*Julianus Episcopos exules restituit.*

*ut dissensiones alat,*

A sacrificandum, in qua multi ex nostris voluntate propria corruerunt : *non tamen diuturna illa aut constans fuit lenitas, quam simulabat. Nam multi vario obtentu spoliati bonis, vexati, tormentis cruciati, ac trucidati sunt, ut videre est apud Theodoretum et Socratem. Sozomenus revocatos Episcopos scribit, tum ut mutuis dissensionibus convelleretur Ecclesia, uti et Ammianus censuit, tum ut Constantii existimatio, actis ejus rescissis, labefactaretur.*

*AUCTORE J. P. ac persecutionem blandam movet.*

22 Illo ergo Juliani edicto promulgato, Antiochiam divinus revertit Meletius, *ut scribit lib. 3 cap. 4 Theodoretus. Sed prius quam illic ipse adesset, longi inter ipsos Orthodoxos dissidii fomes in ea Ecclesia accensus. Rem gestam ita narrat idem Theodoretus :* Revocati quoque sunt Eusebius et Hilarius Episcopi Italiæ, et Lucifer Sardiniæ insulæ Pastor, qui in Thebaide, Ægypto finitima regione, degebant, eo a Constantio relegati. *Hilarius Galliarum, non Italiæ, Episcopus, non in Thebaide, sed in Phrygia exularat atque ab ipso Constantio, biennio ante, Eusebia et Hypatio Coss. ad suam Ecclesiam erat remissus. Alius Lucifero adhæsit Hilarius Romanæ Ecclesiæ Diaconus, cum eo a Liberio Papa ad Constantium missus, qui post tolerata pro Catholica fide verbera, vincula, carceres, exilium, fortassis gloria confessionis elatus, spernens eos qui ceciderant, in schisma ac deinde hæresim incidit :* B *uti ex S. Hieronymo habes apud Baronium ad an* 362 *num.* 224 *Sed de Lucifero et Eusebio pergit Theodoretus :* Hi cum aliis ejusdem doctrinæ assertoribus, una convenientes, censuerunt adnitendum ut ad concordiam Ecclesiæ revocarentur; quas constabat non solum ab adversariæ doctrinæ patronis oppugnari, sed ipsas inter se mutua dissensione distrahi. Etenim Antiochiæ corpus Ecclesiæ, quod sanam sectabatur doctrinam, in duas partes diremptum fuit : quandoquidem et qui ab initio Eustathium Præsulem celeberrimum secuti, sese ab aliis sejunxerant, seorsim conventus agebant; et qui Meletio admirabili viro adhærentes, ab Ariana factione erant segregati, in Palæa (sic enim locus dicebatur) divinas liturgias peragebant. Et tamen utrorumque una et eadem erat fidei confessio. Uterque enim cœtus editam in Nicæno concilio doctrinam propugnabat. Sola eos æmulatio disjungebat, atque erga suos Præsides studium. Neque alterius mors sopire discordiam potuit. Si quidem cum et ante Meletii electionem mortuus esset Eustathius, et pietatis cultores post ejusdem Meletii proscriptionem, Euzoiique ordinationem, sese ab impiorum communione separassent, ac seorsim conventus haberent, nullo modo induci potuere qui Eustathiani dicebantur, ut illos secum coire in unum C cœtum paterentur.

*Redeunt ab exilio S. Eusebius Vercell. et Lucifer Calarit.*

*hic Antiochiæ Eustathianis, Meletianos, licet Catholicos, repellentibus,*

23 Eusebius tamen ac Lucifer, quique cum iis erant, viam sedulo perquirebant, qua eos ad concordiam adducerent. Ac Luciferum quidem orabat Eusebius, ut secum Alexandriam peteret, et cum magno Athanasio conferrent super hoc negotio consilia, qui vellet ad eam compositionem collaborare. At Lucifer non est Alexandriam profectus, sed recta contendit Antiochiam. Ac multis verbis, tum apud hos tum apud illos, de concordia habitis, cum cœtum Eusthathianum, cui Paulinus Presbyter præerat, obsistere animadverteret, eumdem Paulinum iis Episcopum consecravit, haud sane considerate. Nam ea res dissensionem multo diuturniorem fecit : quippe quæ ad quinque et octoginta annos durarit, usque ad præsulatum Alexandri, omnibus præconiis merito celebrandi : qui Ecclesiæ illius clavum obtinens, omnes indagare vias, atque omne studium et industriam adhibere non destitit, quo concordiam sanciret; ac membrum separatum reliquo Ecclesiæ corpori uniret. Lucifer ergo diu Antiochiæ commoratus, discordiam auxit.

*c. 5*

*dat Episcopum Paulinum*

24 Eusebius autem cum venisset Antiochiam, ubi D morbum, ob malam adhibitam curationem, immedicabilem factum conspexit, in Italiam navigavit. At Lucifer Sardiniam repetiit, et alia quædam dogmata doctrinæ Ecclesiasticæ adjecit. Quæ qui amplexi sunt, de ejus nomine nomen traxerunt, Luciferiani ad longum temporis spatium appellati. Verum extincta tandem est ea doctrina et oblivioni tradita. *Quod hic tradit Theodoretus Luciferum* dogmata quædam doctrinæ Ecclesiasticæ adjecisse, *refellitur ex Socrate lib. 3 cap. 7, ubi ista de eo habet :* τὰ τῆς ἐκκλησίας φρονῶν, Ecclesiæ consentiens, in Sardiniam ad suam Sedem revertit. Quibus autem, uti et ipsi, exacerbati animi erant, ii etiamnum ab Ecclesia segregati manent. *Sozomenus quoque lib. 5 cap. 12, ait illum,* offenso licet animo, tamen cum per Diaconum una cum Eusebio missum professus esset se probaturum, quæ Synodus Alexandrina scivisset, Ecclesiæ Catholicæ consentientem, in Sardiniam rediisse.

*non probante id Eusebio*

*Caralim redit iratus.*

*sed semper Catholicus :*

25 *Sozomenum, ut plerumque, sequitur Nicephorus Callistus lib. 10 cap. 17 et* Luciferum *ait* Ecclesiæ sententiam retinuisse, ac remisisse simultatem, et ad Sedem suam in Sardiniam reversum. At qui una cum eo fuerant offensi, in Oriente relictos, propriam sibi constituisse hæresim, et longo tempore Ecclesiam oppugnasse. *Non igitur Calari, aut alioquin in Sardinia, ea viguit hæresis, aut schisma, ut videtur* E *S. Augustinus appellare malle tom. 6 lib. de hæresibus cap* 81. *Hunc autem perperam citat Gabriel Prateolus lib.* 10 *Elenchi hæresum cap.* 9, *in hæc verba.* Luciferiani a Lucifero quodam Caracalitano in Sardinia Episcopo nominati sunt, qui teste Augustino lib. de hæresib. cap. 81 sola ambitione motus, suam hæresim populo obtrusit. *Non sunt hæc isto modo scripta ab Augustino, ut videre apud eum licet. Quod autem in Oriente relictos Luciferianos diximus, ita Nicephorum vertit Joannes Langus, probante Frontone Ducæo. Græce solum habetur* περιλειφθέντες, relicti. *Sed cum immediate ante memoretur Lucifer ad Sedem suam reversus ex Oriente, hic illi relicti indicantur. De Luciferianis et Lucifero plura ex aliorum Patrum scriptis habet Baronius tom. 4 ad an.* 362 *num.* 220 *et seqq. Sed quæ de hujus infelici exitu tradit, minus nobis probantur, cum ab omni retro memoria dicatur publica populi Calaritani religione celebrari, uti ad diem* xx *Maii ostendemus. De* S. Eusebio *Vercellensi agemus* 1 *Augusti. Sed ad Meletium revertamur.*

*ab eo dicti Luciferiani hæretici in Oriente.*

26 *Tradit Sozomenus lib. 5 cap.* 11, *cum Paulinus a Lucifero consecratus est Episcopus, nondum tunc ab exilio reversum fuisse Meletium. At cap.* 12 *ita scribit : Alexandrina* Synodo dimissa, Eusebius profectus Antiochiam, populum dissensione distractum reperit : nam qui Meletio favebant, in unum convenire F cum Paulino nolebant, sed separatim agebant conventus. Et tulit ægre ille quidem, Paulinum, contra quam oportebat, non cum omnium consensu, esse Episcopum ordinatum : nequaquam tamen aperte quod factum erat reprehendit, ne quid Luciferi honori detraxisse videretur. Sed ab utriusque partis communione abstinens, promisit se quidquid utrinque incommodi esset coacto concilio correcturum. Ac dum ille populum ad concordiam adducere studeret; reversus ab exilio Meletius, cum sibi adhærentes reperisset ab aliis segregatos, seorsim cum iis extra urbem conventus habere instituit. Paulinus autem cum suis intra urbem sacra obibat : nam eum, utpote mansuetum et senio vitæque instituto venerabilem, Euzoius Arianæ sectæ Antistes reveritus, minime urbe excluserat, sed unam ei ecclesiam attribuerat.

*Eusebio adhuc Antiochiæ agente,*

*redit eo Meletius.*

27 *Baronius ad an.* 302 *num.* 218 *existimat Meletium* nonnisi Valentis imperii exordio Antiochiam remeasse : *propterea quod S. Chrysostomus in Meletii*

*encomio*

A *encomio* testetur post reditum ab exilio non licuisse ipsi amplius xxx diebus agere Antiochiæ; sed impellentibus Valentem Imp. hæreticis, iterum solum vertere coactum esse. *At S. Chrysostomus manifeste affirmare videtur, eum post primum adventum ad capessendam Cathedram Antiochenam, non nisi* xxx *dies isthic moratum: mox enim Constantii jussu, Arianorum fraudibus in exilium esse ejectum. Ideoque miratur, tantillo tempore traditam ab eo institutionem, tantum in civium animis valuisse*, ut postea irruentibus spiritibus innumerabilibus, *(impetu nimirum persecutionis Constantii, Juliani, Valentis, furentiumque et Arianorum et Gentilium)* illabefacta et inconcussa manserit illa doctrina. *Ipse quoque postea Baronius fatetur tempore Juliani Antiochiæ fuisse Meletium.*

*an. 362, Juliani 1*

## § IV. *S. Basilius non est a S. Meletio Diaconus ordinatus.*

*Non recte dicitur S. Basilius,*

Q*uæ passim in manibus est S. Basilii Magni Vita, diciturque ab S. Amphilochio illius æquali conscripta; eam complures viri eruditi vel supposititiam vel certe a quopiam interpolatam censent: quod sint in ea quædam, cum veterum Patrum scriptis, ac nominatim Gregorii Theologi, Basilio conjunctissimi, haud satis congruentia. Ejusmodi est quod in editione Rosweydi nostri lib.* 1 *de* B *Vitis PP. cap. 4 narratur, initiatum Basilium diaconatu a S. Meletio esse. Ita enim habetur:* Cumque Jerosolymam pervenissent *Basilius et Eubulus*, et omnem locum sacrosanctum fide et amore perlustrassent, et in eis Deum, qui super omnia est, adorassent, manifesti facti sunt Episcopo civitatis, nomine Maximino. Et huic procidentes, postulaverunt adipisci Divinam regenerationem in Jordane flumine. Quos intuens sanctus hic vir, Dei gratia plenus, adimplevit petitionem ipsorum..... Anniversario vero tempore illic demorantes, communi consilio venerunt Antiochiam: et Basilius a Meletio ejusdem urbis Episcopo ad diaconii ordinem promotus, et Proverbiorum sermonem interpretatus, multa est admiratione provectus. Post non multo tempore transacto, properavit una cum Eubulo ad Cappadocensium regionem: et cum jam jamque ingressuri essent Cæsariensium civitatem, in visione noctis revelatus est tum Episcopo ipsius urbis, Eusebio nomine, horum adventus, et quod Basilius ejus esset futurus successor. *Dein ubi honorifice a Clero, Eusebii jussu, exceptos narravit, subdit eadem Vita:* Episcopus autem advocato Basilio una cum Eubulo, cœpit scrutari cum eis sacras Scripturas: et admirans pelagus sapientiæ, quæ inerat illis, et habitis eis C idoneis assistoribus, non post multum temporis obiit. Convenientes ergo Episcopi ad Synodum, cum operatione Spiritus sancti eligunt Basilium ad thronum episcopalem. *Hæc ibi: quæ sigillatim examinanda.*

*a S. Maximo Episc. Hierosol. baptizatus,*

*anno post Diaconus creatus a Meletio.*

*Cæsareæ ab Eusebio Ep. benigne exceptus*

29 *Qui hic* Maximinus *appellatur Hierosolymorum Episcopus*, Maximus *est, S. Macarii, qui Concilio Nicæno interfuit, successor, decessor S. Cyrilli. At mortuus est* Maximus, *non quidem (ut in Chronico S. Hieronymi perperam scriptum)* anno xii Constantii, *qui erat Christi* cccxlviii, *verum* cccli *Christi anno, ut Baronius probat ex synodo Hierosolymitana, præsente S. Athanasio, ab eo habita post cædem Constantis Imp. quæ Coss. Sergio et Nigriniano, anno Ch.* cccl *contigit. Meletius autem, ut supra probatum, sub exitum anni* ccclx *Sebastia est Antiochiam translatus. Qui ergo potuit S. Basilius a Maximo baptizatus, anno sequenti a Meletio Diaconus ordinari, qui necdum Episcopus erat? Quod tamen si contigisset, non esset ad prima illa Meletii tempora referendum, quando is non nisi* xxx *dies in urbe est commoratus: non enim tunc voluisset Basilius ab eo initiari, cujus apud multos nondum satis probata fides erat. Ante autem quam ab exi-* D *lio is rediret, erat Basilius Cæsareæ magna doctrinæ ac pietatis existimatione clarus, ipsoque primo anno Juliani Apostatæ, ad illius urbis Episcopatum postulatus. Quod onus cum secessu latebrisque effugisset, electus est Eusebius, et eo ipso anno generose restitit Imperatori, qui priusquam Antiochiam veniret, Cæsaream divertit, eumque graviter afflixit ac nomen illi Cæsareæ ademit, eque numero civitatum expunxit, uti lib. 5 cap. 4 a Sozomeno narratur, atque Eusebii electionem rescindere frustra conatus est, uti* 1 *Januarii in parentis sui Gregorii Episcopi Nazianzeni funebri laudatione testatur Gregorius Theologus num.* 33.

*cum S. Maximus obierit an. 351.*

*S. Meletius factus Episcopus an. 360.*

*nec nisi 362 potuerit eum ordinare;*

AUCTORE I. B.

*quo anno Basilius ad episcopatum postulatus*

*cum Eusebio,*

30 *Neque vero ita amice exceptus est Basilius ab Eusebio, ut in citata illius Vita asseritur. Testis Gregorius orat.* 20 *quæ est Basilii funebris laudatio:* Cum Basilio, *inquit*, simultatem quamdam, qui ante eum Ecclesiæ præfuit, exercebat (quibus autem de caussis, aut quo modo, silentio dissimulare satius est, ceterum exercebat) vir cetera quidem fortis ac mirabili pietate præditus, ut illius temporis persecutio, et acris adversus eum suscepta contentio perspicue declaravit; sed tamen in Basilio aliquid humani passus. *Ea caussa in Pontum secessit Basilius: sed cum mota deinde nova esset adversus Ecclesiam a Valente persecutio, Cæsaream reversus est, rediitque cum Eusebio in gratiam, ac fideli opera eum juvit, rerum sacrarum non usquequoque peritissimum. Confirmat hæc Gregorius Presbyter in Gregorii Theologi Vita, hunc* E *in modum scribens:* Gregorius haud multo post tempore, hæreticorum agmine Cæsaream populante, Eusebio adhuc Metropolis clavum gubernante, sancto quidem viro, sed cum magno Basilio, qui Presbyter erat, atque in Ponto philosophabatur, inimicitias gerente, hæreticorum conjurata arma impetumque reformidans, quod Antistes aciem contra educere non posset (quamquam enim ille vitæ integritate præstabat, Theologiæ tamen rudis erat et imperitus) ad Basilium, illustre (inquam) illud sidus, scribit, eumque obtestatur, ne habeat inimicitiarum rationem, sed animarum periculum mente perpendens, Metropolitanæ Ecclesiæ sine ulla mora suppetias ferat: seque una adfuturum, bellique societatem cum eo coiturum profitetur. Qua oratione eximium Ducem ad bellum suscipiendum impellit.

*postea huic exosus,*

*dein reconciliatus*

*ob fidei periculum.*

31 *Nicephorus Callistus lib.* 11 *cap.* 18 *de eadem agit Eusebii Basiliique discordia, sed hunc vult eo tempore solum Diaconum fuisse: ita enim scribit:* Eusebio, qui ante Basilium Ecclesiæ Cæsareensis gubernacula tenuit, dissidium quoddam cum eodem Basilio adhuc Diacono intercessit. *Sozomenus lib.* 5 *cap.* 15 *eadem memorat, sed Sacerdos an Diaconus fuerit tunc Basilius, non edisserit. Satis tamen perspicuum est, Basilium a Meletio, (non statim Antiochiam reverso, ut latum de* F *ea re est edictum a Juliano initio anni* ccclxii, *sed cum jam Lucifer, et ipse ab satis longinquo redux exilio, Antiochiæ Paulinum ordinasset Episcopum) non potuisse Diaconum consecrari, proficisci Cæsaream, ita innotescere civibus ut infulis ornare eum niterentur, ideoque in Pontum profugere, priusquam Cæsaream veniret Julianus, qui inde sub finem æstatis per Ciliciam pertigit Antiochiam. Illud itidem manifestum est, ab Eusebio nihil exhibitum Basilio honoris ac benevolentiæ, cum primum ad eum, Antiochiæ Diaconus factus, venit, etsi daremus illic eo ordine initiatum; quando ei adhuc Diacono infestus fuisse Eusebius dicitur.*

*ante annum 362 Diaconus,*

32 *Sed Gregorio Presbytero malumus quam Nicephoro multo juniori assentiri: præsertim cum ipsemet Theologus videatur citata oratione* 20 *affirmare, Basilium, antequam pontificio muneri destinaretur, sacerdotio fuisse initiatum, dum ita scribit:* Hunc vero multiplex Dei benignitas, atque erga genus nostrum curatio et dispensatio, in multis ante muneribus exploratum, ac quotidie illustriorem compertum, in sacris

*imo Sacerdos,*

AUCTORE J. B.

A sacris presbyterii subselliis locat, ac splendidam et celebrem Ecclesiæ facem proponit, perque unam Cæsariensium civitatem universo terrarum orbi velut e specula ignem prætendit. Quonam autem id modo? Sic nempe, ut eum non subito ad hunc gradum subveheret, nec simul eum et ablueret, et sapientia instrueret; quemadmodum multos eorum qui nunc infulas ambiunt; verum ordine ac spiritualis progressionis lege, hac eum dignitate ornaret. *Atque ut ne quæram, quo jure initiari a Meletio Antiocheno Episcopo ipse Neocæsariensis potuerit; qua ratione post baptismum factus Diaconus memoratur, nulla facta inferiorum ordinum mentione, qui tamen* ordine, ac spiritualis progressionis lege *ad pontificatus dignitatem promotus? Idem Gregorius Theologus Lectoris prius obiisse munus, dein Diaconi, tum Sacerdotem ordinatum testatur: atque Ecclesiæ Cæsariensi, cui videtur adscriptus fuisse. Ita enim loquitur:* Cum prius sacros libros populo lectitasset, dein eas exposuisset, nec hunc Sacerdotii gradum se indignum duxisset, ita demum in Presbyterorum, ac deinde Episcoporum cathedra Dominum laudat.

*per omnes gradus ordinum antea promotus,*

33 *A quo Antistite sit Basilius Sacerdos consecratus, nihil hic attinet quærere. Baronius ad an.* 362 *num.* 56 *scribit ab* Hermogene, *Eusebii decessore, factum Presbyterum. Neutrum nobis probatur, vel Hermogeni immediate successisse Eusebium, vel ab illo consecratum Basilium. Episcopus factus Eusebius anno* CCCLXII, *ut jam ostendimus. Hermogenes minimum* XXII *annis prius decesserat. Patet id ex S. Basilii 74 epistola ad occidentales Episcopos, ubi ita loquitur:* Est itaque unus ex illis qui plurimum excitant turbarum, Eustathius ex Sebastia minoris Armeniæ. Hic olim ab Ario eruditus, cum is Alexandriæ florens, impias adversus Unigenitum Dei blasphemias componeret, sectator ejus, et inter selectissimos ejus discipulos connumeratus fuit. Posteaquam vero in patriam reversus est, Beatissimo Hermogeni Cæsareæ Episcopo, volenti eum ob impiam opinionem condemnare, obtulit sanæ fidei confessionem, atque ita manus impositionem ab eo obtinuit. Ubi vero dormitionem accepit Hermogenes, statim ad Eusebium Constantinopolitanum se contulit, qui non minus atque ipse Arii dogma prædicabat. *Hic Basilius, rerum Cæsariensium scientissimus clare ait Hermogenem vivente adhuc Eusebio Constantinopolitano decessisse. Atqui Eusebius obiit, ut testatur Socrates lib.* 2 *cap.* 9, *paullo post pseudosynodum Antiochenam, habitam in dedicatione* Dominici Aurei, *uti S. Hieronymus in Chronico vocat ecclesiam, quæ a Constantino Magno inchoata, absoluta ac dedicata est* decimo post anno, Constantii quinto, *Christi* CCCXLI, Probino ac Marcellino Coss. *ut ibidem cap.* 5 *habet Socrates. Initio ergo anni sequentis mortuus est Eusebius Constantinopolitanus, antea Nicomediensis Episcopus, ad quem se Eusthatius mortuo Hermogene Cæsareensi contulerat. Decesserat igitur ipse aliquanto ante Hermogenes. Quis dein ejus Cathedram tenuerit usque ad* CCCLXII *Christi annum, Juliani primum, unusne an plures, haud scio. Eo demum anno Eusebius ad eam est evectus, ut antea diximus. Non ergo a S. Meletio Diaconus ordinatus est Basilius, et si illi postea singulari amicitia junctus sit. Sed id existimatum ideo est a quibusdam, quia Basilius, S. Chrysostomi sodalis a Meletio Diaconus fuit ordinatus; quem Socrates lib.* 6 *cap.* 3 *putavit Basilium Magnum Cæsareæ Episcopum fuisse: cum tamen eodem fere tempore Basilius Magnus decesserit, quo alter ille adhuc juvenis in Syria uspiam Episcopus est factus.*

*B non tamen ab Hermogene Sacerdos consecratus,*

*mortuo ante an. 341.*

*C Alius Basilius a S. Meletio factus Diaconus.*

D

## § V. *S. Meletii secundum exilium sub Juliano. Concilium Antiochenum sub Joviano Imp. S. Meletii apud hunc gratia.*

Q*uæ eodem anno Christi* CCCLXII *gesta sunt Antiochiæ, cum eo venisset Julianus, narrat Theodoretus hist. Eccles. lib.* 3 *cap.* 9 *et sequentibus: unde nos aliqua delibavimus* XXIV *Januarii, cum de S. Babylæ reliquiis ageremus. Ad S. Meletium spectat, quod cap.* 13 *idem commemorat his verbis:* Per idem tempus adolescens quidam, sacrificuli filius, in impia educatus superstitione, numero piorum adjunctus est. Fœmina erat, pietate illustris, ac Diaconæ dignitatem adepta, matri adolescentis hujus familiaris. Ea adhuc puerulum una cum matre ad se ventitantem, benigne excipiebat, et ad veram religionem complectendam hortabatur. Etiam matre mortua ille ad eamdem fœminam veniebat, et consuetam hauriebat institutionem: ac firmiter in animo defigens magistræ consilia, eam tandem percunctatur, qua via possit superstitionem patris effugere, et veritatis, quam ipsa prædicaret, particeps fieri. Cui illa, Oportet, inquit, ut patrem deseras, et eum, qui tibi atque illi vitæ auctor fuit, ipsi præponas, ac in aliam quampiam urbem concedas, ubi latere tantisper possis, et impii manus Imperatoris effugere: spondebatque se ei rei prospecturam. Tum adolescens, Postea, inquit, ad te veniam, ac tibi animam meam committam.

*Adolescens sacrificuli Gentilis filius*

*in fide instruitur a quadam Diaconissa:*

E

35 Paucis interpositis diebus, Julianus ad Daphnæi Apollinis templum contendit, publicum epulum celebraturus: abiit eo quoque pater hujus adolescentis, quippe Sacerdos, et solitus Imperatorem comitari. Aderat patri adolescens una cum fratre: nam hi æedituorum munere fungebantur, cibos Imperatoris aqua lustrali expiantes. Septem autem dies durare illud in Daphne festum solet. Primo igitur die cum thoro Imperatoris adstitisset, et opsonia de more aspersisset, eaque sacrifico scelere implesset; celeriter recurrit Antiochiam, atque ad eximiam, quam dixi, fœminam venit, et, Adsum, inquit, ut promisi. Tu salutem meam cura corporis animæque, et quod pollicita es exequere. Illa continuo surgens, adolescentem ad virum Dei Meletium deducit. Hic eum in superiore ædium, quas incolebat, parte commorari tantisper jussit.

*relictis Juliani sacris,*

*ad eam venit*

*ducitur ad S. Meletium,*

36 Pater eum quærens, totam Daphnen perlustrat, atque in urbem reversus, vias omnes et angiportus obit, undique circumferens oculos, eumque diligenter vestigans. Cum vero in eam urbis regionem venisset, ubi ædes erant divini Meletii, suspiciens e tabulato prospectantem eum vidit: ad quem occurrens, eum abstraxit, ac domum secum deduxit, ubi primum multis eum flagris cecidit, deinde verucula ignita manibus, pedibus, ac dorso impegit; demum cubiculo inclusit, sera extrinsecus apposita; ac sic Daphnen revertit. Ea ego ipsummet filium, jam senem, narrantem audivi; qui et addebat, se instinctu quodam afflatum, repletumque Divina gratia, omnia patris idola contrivisse, atque eorum imbecillitatem irrisisse. Postea autem cum animo suo reputantem quid egisset, patris adventum extimuisse, ac Christo Domino supplicasse, ut se juvaret, seras patris diffringeret, ac fores recluderet: Tua enim caussa, inquiebat, et ista passus sum, et hæc feci. Quæ cum dixissem, inquiebat, exciderunt seræ patefactaque janua est. Ego vero rursus ad magistram recurri: quæ me veste muliebri induit, et secum in camerato vehiculo considere jussit, duxitque denuo ad divinum Meletium. Hic me Episcopo Hierosolymorum commisit: (erat is Cyrillus) atque ita noctu in Palæstinam iter arripuimus. Post mortem autem Juliani, etiam patrem suum hic adolescens ad veram

*a patre inventus, ac male mulctatus,*

F

*includitur:*

*ejus idola confringit:*

*divinitus inde educitur;*

*a S. Meletio S. Cyrillo Hierosol. commendatur patrem postea convertit,*

A veram traduxit religionem. Nam hoc ipse nobis et alia retulit. Atque hoc modo illi ad Dei cognitionem pervenere, ac salutem consecuti sunt.

*hæc Theodoreto narrat.*

37 *Eadem ex Theodoreto narrat Baronius ad ann.* 362 *num.* 124 *et* 125. *At postea num.* 218 *iterum affirmat Meletium* nonnisi Valentis Imperii exordio Antiochiam remeasse : *ac Theodoretum in ea narratione* falli. *Quis vero id credat, cum hic Antiochiæ diutissime versatus, se ex viro ipso testetur quæ scribit accepisse? Imo propter hujus adolescentis fugam, Daphnæi templi deflagrationem Christianis falso imputatam, plura alia quæ tunc vel falso conjecta in Julianum opprobria, vel divinitus immissa portenta, cum incredibili odio in varios sævientem, Meletio pœnam exilii irrogasse credibile est. Atque ipse Baronius ad an.* 370 *num.* 64 *immemor antea dictorum, ita de Meletio scribit :* Haud pridem pulsus a Juliano, post longas peregrinationes ob Orientales Ecclesias insumptas, Antiochiam reversus erat. Tertio namque ipsum exulasse cum Gregorius Nyssenus affirmet, cum primo sub Constantio, secundo sub Juliano, tertio vero sub Valente eadem exilii sententia condemnatum fuisse, dicere opus esse videtur.

*Meletius ob hæc aliaque proscriptus,*

38 *Verba Nysseni in orat.* de Magno Meletio *sunt :* Meministis omnino, quemadmodum vobis ante hanc
B nostram habita oratio labores atque certamina viri exposuit, quod cum per omnia sanctam Trinitatem honoraret, etiam in numero certaminum honorem conservaverit, ut qui in tribus tentationum incursionibus decertaverit. Audistis continuationem, contextum et seriem laborum, qualis in primis, qualis in postremis fuerit. *At post pauca :* Rursus reditus, rursus exilium : idque tertium accidit ; donec hæretica caligine discussa, et radio pacis emisso, Dominus spem aliquam fecit fore ut a diuturnis laboribus quiescere valeremus. *Ita ille.*

*ter exulavit.*

39 *Periit deinde in conflictu cum Persis Julianus die* XXVI *Junii, an.* CCCLXIII. *Postridie militari suffragio Jovianus Imperator acclamatus, vir præstans, etiam recta fide et pietate erga Deum. Is rebus prudenter compositis, e Perside Antiochiam revertit, professus se ei religioni quæ Filium Patri consubstantialem profitetur, perpetuo adhæsurum, et contentiones omnes aversari; ac complura ad restituendam fidem orthodoxam sanxit, fanaque idolorum claudi mandavit, et sacrificia fieri vetuit.*

*sub Joviano pio Imperatore,*

40 *Tunc Ariani quidam Episcopi, metuentes, ne, ut ipsi antea Catholicos Ecclesiis suis expulerant idem ab illis paterentur sese ad sensum moresque Imperatoris conformare cœperunt, et concilio Antiochiæ habito fidem Nicænam professi sunt. Eorum antesignanus erat Acacius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, de quo supra. De eo Concilio ita scribit Socrates lib.* 3 *cap.* 21. Præterea eodem tempore Acacianorum ambitiosa indoles est patefacta, quamque ii se ad Imperatorum voluntatem aptarent, perspicue est intellectum. Nam Antiochiam Syriæ venientes, sermones conferunt cum Meletio, qui paullo ante ab eorum se communione segregarat, Fidem quæ Consubstantiale Verbum agnoscit professus. Hoc autem propterea ab iis factum, quia Meletium animadverterant magno in honore haberi ab Imperatore tunc illic præsente. Communi igitur consensu libellum componunt, in quo ὁμοούσιον sive Consubstantiale confitentur, ac Fidem Nicænam ratam esse decernunt : eumque libellum Imperatori offerunt. *Recitat ipsum libellum ibidem Socrates, Sozomenus lib.* 6 *cap.* 4. *Baronius ad an.* 363 *num.* 141. *Binius tom.* 1 *Concilior. Nicephorus Callistus lib.* 10 *cap.* 40. *qui scribit,* cum viderent Acaciani Meletium Antiochenum Antistitem magno honore affici ab Imperatore, qui illic tunc erat ; cum eo collocutos effecisse ut Synodus Antiochiæ haberetur. *Subscripsere libello primi duo orthodoxa fide celebres*

*habet Antiochiæ Synodum,* C

*apud ipsum gratiosus.*

*Episcopi :* Meletius Episcopus Antiochiæ approbo D
quæ suprascripta sunt. Eusebius Samosatorum Episcopus *etc.*

AUCTORE J. B.

41 *Quæ de hac Synodo in S. Hieronymi Chronico leguntur, ea ipse vel non scripsit, vel a Paulini sectatoribus accepit, ac nimis facile credidit. Ita ergo habet Chronicon :* Synodus Antiochiæ a Meletio et suis facta : in qua homousio anomœoque rejecto, medium inter hæc homoiousion Macedonianum dogma vindicaverunt. *Baronius ad an.* 363 *numer.* 144 *depravatum esse Chronici textum ait, eumque ita restituit :* Synodus Antiochiæ a Meletio et suis facta, in qua Homiusio et Homeusio rejecto, medium inter hæc Homousium receperunt, et Macedonianum dogma rejecerunt. *At quid interest inter* Homiusium *et* Homeusium, *vel potius* Homœusium. Ὁμοιούσιον *utrumque illa voce Latine redditum, significat* essentia simile. *Quomodo inter illa quæ idem sunt, medium censeri* Ὁμοούσιον *vel* Ὁμούσιον Consubstantiale, *potest? Excusetur tamen, qua licet, S. Hieronymus, si Chronici est auctor.*

*De ea Synodo perperam scripta in Chronico S. Hieronymi.*

42 *Cum scribant Socrates ac Nicephorus in honore habitum ab Joviano Meletium, nulla facta Paulini mentione; illius sectatoribus, non hujus, novam eum dedisse ecclesiam certum videtur. Erat ea, ut arbitror, ecclesia, quam antea* Dominicum aureum *appellatam ab S. Hieronymo diximus.* E *Theodoretus lib.* 3 *hist. Eccles. cap.* 11 *de Juliano agens ita scribit :* Tyrannus sacra vasa in Ærarium Regium inferri jussit ; valvasque magnæ ecclesiæ, quam Constantius ædificarat, obserari, ne aditus in illam pateret iis, qui isthic conventus agere consueverant. Occupabant autem eam tunc Ariani. *At lib.* 4 *cap.* 22 *ita loquitur idem Theodoretus :* Τοῖς τὴν ἀποστολικὴν διδασκαλίαν πρεσβεύουσι Ἰοβιανὸς ὁ πανεύφημος ἐδεδώκει καὶ τὴν νεόδμητον ἐκκλησίαν. Apostolicæ doctrinæ assertoribus donaverat Jovianus numquam satis laudatus novam ecclesiam. *Quinam ii fuerint, ibidem exponit, dum ex ea ecclesia postea ejectos a Valente, ait ad montis radicem convenisse, deinde ad ripas fluminis, Flaviano et Diodoro ductoribus, cum proscriptus esset Meletius, cui illos adhæsisse constat; cum alioquin Paulinum Episcopum idem Valens nullo affecerit incommodo, ut lib.* 4 *cap.* 2 *Socrates testatur, ac Sozomenus.*

*Nova ecclesia Meletio data ab Imp.*

## § VI. *Valentis Imp. persecutio. Multi a Meletio pietatem docti, præsertim Chrysostomus.*

V*ix octo menses administrato Imperio decessit* Christianissimus Jovianus Augustus, *ut in Fastis habet Idatius,* die XI Kalend. Martii *an.* CCCLXIV, *ad Dadastanam,* qui locus, *teste Ammiano lib.* 25 *cap.* 34, Bithyniam distinguit et Galatas. *Dein, ut Idatius prosequitur,* levatus est Valentinianus Augustus apud Nicæam die V Kal. Martii. Ipso anno levatus est Valens Augustus Constantinopoli in milliario VII in tribunali a fratre suo Valentiniano die IV Kal. April. *Quod ait* in milliario VII, *rectius alii, in suburbio quod* Hebdomum, *sive Septimum dicitur. Erat uterque hic Imperator clarus bellica virtute atque Orthodoxa religione. Nam, ut lib.* 4 *cap.* 1 *scribit Socrates,* dum sub Juliano militarent, Valentinianus quidem Tribunus militum, Valens autem Domesticus Imperatoris, quam ardenti religionis studio imflammati essent declararunt. Cum enim ad sacrificandum impellerentur, baltheos militares deponere maluerunt, quam Christum deserere.

*Joviano an. 364 mortuo,* F

*imperant Valentinianus et Valens,*

*fidem strenue professi,*

44 *Extat utriusque Imperatoris nomine epistola* ad Episcopos diœceseos Asianæ, Phrygiæ *etc. de actis et sententia Concilii in Illyrica habiti, qua manifeste confitebantur, ut lib.* 4 *cap.* 7 *scribit Theodoretus,* τὴν τριάδα ὁμοούσιον πατέρος καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. Trinitatem consubstantialem Patris et Filii et sancti Spiritus

*pro qua edictum tulerunt, promulgatis Illyriciani Concilii decretis Catholicis.*

AUCTORE I. B.

A Spiritus. *De ea epistola idem Theodoretus sub finem cap. 6 hæc ait :* Recitabo quoque legem, quæ et pietatem perspicue ostendit Valentiniani, et sanam eo tempore Valentis de Divina religione doctrinam. *Baronius ad an. 365 num. 25 eam epistolam potius Valentis esse, quam Valentiniani censet, cum hic procul abesset in Gallia ; ad Valentem autem pertineret Illyricum, ideoque, Valentis præponi nomen in tomis Conciliorum. Cedrenus ad Valentiniani decimum Imperii annum rejicit, ubi ita scribit :* Cum autem totus Occidens Trinitatem consubstantialem profiteretur, rogatus Valentinianus concilium in Illyrico coegit, inque eo fidem Nicænam confirmavit. Edictum quoque misit ad Asiæ, Phrygiæ, omnesque Orientis Episcopos, quo mandabat ut starent concilii decretis : socios sibi in eo edicto adscribens Valentem fratrem et Gratianum filium suum. *Ita quidem habetur apud Theodoretum :* Imperatores Maximi, Semper-Augusti, Victores, Augusti, Valentinianus et Valens ac Gratianus. *At diserte, cum id habitum concilium est, orthodoxum fuisse Valentem, ut jam ostendimus, sensit Theodoretus. Fortassis Acta concilii priusquam in Asiam destinaret, ad fratrem in Galliam miserat Valens; aut cum ejus haberet perspectam sententiam, honoris caussa nomen ejus suo edicto præfixit, filiique ejus Gratiani.*

B 45 *Qua deinde ratione Valens ab eo studio orthodoxæ religionis desciverit, idem cap. 11 exponit Theodoretus :* Valens, *inquit*, Imperium adeptus, principio Apostolicæ doctrinæ insignitus ornamentis fuit. Cum deinde Gothi Istrum trajecissent, perque Thraciam latrocinia agerent ; constituit adversus eos copias cogere, bellumque iis inferre. Non putavit autem consultum, ut nudus Divina gratia expeditionem susciperet ; sed debere se sacrosancti Baptismatis armatura muniri : idque præclare, sane et sapienter admodum. Dein tamen timiam animi mollitiem ostendit, ac veritatem prodere cœpit : idemque misero accidit, quod primo parenti Adamo. Nam conjugis sermonibus delinitus, in servitutem redactus est ; factus non captivus solum, sed muliebrium verborum fallaciis obsequens. Siquidem illa erroribus Ariani laqueis ante irretita, maritum iisdem implicuit, secumque in blasphemiæ barathrum dejecit. Ambos autem non modo induxit in errorem, sed ei veluti devovit Eudoxius, qui adhuc Ecclesiæ Constantinopolitanæ clavum tenebat, non ut recte eam gubernaret, sed tamquam navem undis obrueret. *Anastasius quoque ex Theophane ita scribit :* Quidam sane aiunt, quod Dominica uxor Valentis persuaserit ei tam valenter Arii sensum sectari. *Chronicum Alexandrinum* C Δομνίκαν *vocat, Raderus* Domninam *vertit.*

*Valens contra Gothos moliturus baptizatur ab hæretico Episcopo, illecebris uxoris seductus,*

46 *Pergit cap. 12 Theodoretus :* Eodem igitur tempore quo baptismo initiatus est Valens, obstrictus est miser jurejurando ab eodem Eudoxio, ut et in impio illo dogmate perseveraret, et omnes contraria sentientes ubique Ecclesiis pelleret. Ita ille relicta Apostolica doctrina, ad partes adversariorum accessit, et non longo interjecto spatio temporis, cetera quæ juraverat executus est. Nam Antiochia Magnum ejecit Meletium, Samosatis divinum Eusebium : Laodiceam autem admirabili pastore Pelagio orbavit. *De S. Pelagio agemus* XXV *Martii*, XXI *Junii de* S. Eusebio. *Meletius Antiochia abiisse non videtur, donec ipse eo Valens venit. Ita innuit Sozomenus lib. 6 cap. 7, licet in tempore fallatur.* Valens, *ait*, fratrem qui Romam veterem proficiscebatur, aliquousque comitatus... in Syriam contendit : verebatur enim ne Persæ inducias in XXX annos cum Joviano pactas infringerent. Ceterum cum ii nihil novarum rerum molirentur, Antiochiæ substitit. Quo tempore Meletium Episcopum exilio addixit... Euzoii communionem repudiantes exturbari Ecclesiis, pecuniis multari, cædi verberibus et aliis modis affligi mandavit.

*juratque se Episcopos Catholicos ejecturum, inter quos Meletius,*

D *Eadem fere habet Socrates lib. 4 cap. 2, Nicephorus lib. 11 cap. 13 atque alii.*

47 *At neque initio Imperii Antiochiam Valens pervenit; neque persecutus orthodoxos, nisi postquam ab Eudoxio baptismum suscepit, cum in procinctu esset ad bellum Gothicum, quod nequaquam exordio Imperii gestum. Patet ex Ammiano Marcellino, qui lib. 26 cap. 11 ita scribit :* Agentes igitur in memoratis urbibus Principes, *Mediolani Valentinianus, Valens Constantinopoli*, sumpserunt primitus trabeas consulares; *anno nimirum* CCCLXV. *Dein cap.* 16 Consumpta hyeme, festinans ad Syriam Valens, jamque fines Bithynorum ingressus, docetur relationibus Ducum, gentem Gothorum ea tempestate intactam, ideoque sævissimam, conspirantem in unum ad pervadenda parari collimitia Thraciarum : hocque cognito, ut impræpedito ipse pergeret quo tendebat, sufficiens equitum adjumentum et peditum mitti jussit ad loca, in quibus Barbarici timebantur excursus. *Narrat exinde Procopii rebellionem, quam breviter Idatius in Fastis ita perstringit :* Ipso anno latro nocturnus hostisque publicus intra urbem Constantinopolim apparuit die IV Kal. Octob. *Ut ea nuntiata sit Valenti refert Ammianus cap.* 18. Sophronius, *inquit*, vivacissimo cursu prægressus, tunc notarius, Præfectus postea Constantinopoleos, Valentem a Cæsarea Cappadocum jam profecturum, ut, vaporatis æstibus E Ciliciæ jam lenitis, ad Antiochiæ percurreret Sedes, textu narrato gestorum, spe dubia, ut in talibus, perciturn et stupentem avertit Galatiam, res adhuc trepidas arrepturum. *Ipsum quoque Valentinianum motus ille Procopii perculit, cum ei* prope Kalendas Novembris venturo Parisios *esset* nuntiatus, *ut idem habet Auctor libro eodem cap.* 11.

*an. 365 dispositis contra Gothos præsidiis, iturus Cæsarea Antiochiam intelligit Procopii rebellionem :*

48 Translato vero, *inquit idem cap.* 26 in Gratianum adhuc privatum *(id est, nondum Imperatorem)* et Dagalaiphum amplissimo magistratu *anno* CCCLXVI, aperto jam vere suscitatis viribus, *movit in Procopium Valens, eumque oppressit. Diem locumque indicat Idatius :* Ipso anno idem hostis publicus et prædo intra Phrygiam salutarem, et in Nacoliensium campis ab Augusto Valente oppressus atque extinctus est die VI Kalend. Junias. *Missum ad Valentinianum caput, allatumque Parisios, quo tempore illuc revertit Germanis devictis Jovinus, estque in annum sequentem Consul designatus. Ammian. lib. 27 cap. 3. At cap. 10 de bello Gothico ita scribit :* Procopio superato in Phrygia, internarumque dissensionum materia consopita, Victor Magister equitum ad Gothos est missus, cogniturus aperte, quam ob caussam gens amica Romanis, fœderibusque ingenuæ pacis obstricta, F armorum dederat adminicula bellum Principibus legitimis inferenti... Valens parvipendens excusationem vanissimam, in eos signa commovit, motus adventantis jam præscios : et pubescente vere, quæsito in unum exercitu, prope Daphnem nomine, munimentum, est castrametatus : ponteque contabulato supra navium foros flumen transgressus est Istrum, resistentibus nullis.

*eum opprimit 27 Maii 366, ad Gothos qui hostem juverant mittit, ipse an. 367 contra eos movet :*

49 *Baptizatus igitur est Valens ab Eudoxio Arriano ante hanc expeditionem*, Lupicino et Jovino Coss. *anno Christi* CCCLXVII, *imperii sui* IV, *susceptum S. Hieronymus in Chronico ad annum tertium Valentiniani et Valentis ita scribit :* Valens ab Eudoxio Arianorum Episcopo baptizatus, nostros persequitur. *Factum id videtur sub exitum anni* CCCLXVI *aut initium sequentis, cum nondum expletus esset tertius annus imperii Valentis. Quamquam numeri annorum in eo Chronico accurate notati non sunt, cum ibidem iis quæ jam retulimus ista immediate eodem anno subnectat :* Gratianus Valentiniani filius Ambianis Imperator factus. *At sequenti anno ita scribit :* Tanta Constantinopoli est orta tempestas, ut miræ magnitudinis decidens grando nonnullos

*ergo baptizatus sub finem anni 366 vel initium 367*

A nonnullos hominum interfecerit. *Utrumque* Lupicino et Jovino Coss. *sive an.* CCCLXVII *refert Idatius, et quidem hoc illo prius gestum :* His Coss, *inquit*, in civitate Constantinopoli, Deus grandinem pluit in modum petrarum die IV Nonas Julias. Et ipso anno levatus est Gratianus Augustus in Galliis apud Ambianos in tribunali a patre suo Augusto Valentiniano die IX Kal. Septemb.

50 Anno secuto, *inquit Ammianus lib.* 27 *cap.* 11, *nimirum* CCCLXVIII, *Valens* ingredi terras hostiles pari alacritate conatus, fusius Danubii gurgitibus vagatis impeditus mansit immobilis prope Carporum vicum, stativis castris usque ad autumnum locatis emensum. Unde quia nihil agi potuit, dirimente magnitudine fluentorum, Martianopolim ad hiberna discessit. Simili pertinacia tertio quoque anno, CCCLXIX *Christi*, per Noviodunum navibus ad transmittendum amnem connexis perrupto Barbarico.... Ipseque cum omnibus suis Martianopolim redivit ad hiemem agendam, ut in illis tractibus habilem. Aderant post diversos triennii casus finiendi belli materiæ tempestivæ.... et acceptis obsididibus Valens Constantinopolim rediit. *Demum Antiochiam anno* CCCLXX *profectus est. Anno sequenti illuc venisse Cedrenus scribit his verbis :* Anno Valentiniani octavo, Valens Antiochiam Syriæ veniens, Orthodoxis atrocia maleficia intulit *etc.*

*an. 368 bellum gerit,*

*et 369*

*dein pacem facit :*

*an 370 it Antiochiam, aut 371.*

C

51 *Ad id usque tempus conjicimus ea in urbe mansisse Meletium, licet triennio ante latum esset de ejus aliorumque Orthodoxorum Antistitum exilio edictum. Sozomenum antea citavimus ista referentem :* Οὐάλης ἐν Ἀντιοχείᾳ διέτριβεν, ἡνίκα Μελετίου τοῦ Ἐπισκόπου ὑπερορίαν φυγὴν κατεδίκασε. Antiochiæ commoratus est Valens, EOQUE TEMPORE Meletium Episcopum longinquo exilio damnavit. *Antiochiæ quoque fuisse Valentem cum ista decrevit, tradit Socrates lib.* 4 *cap.* 2, *Nicephorus Callistus lib.* 11 *cap.* 20. *Quamvis et hi initio imperii id factum scribant, ac tunc Antiochiam pervenisse Valentem.*

*ac tunc primum videtur S. Meletium expulisse,*

52 *Magnas et præclaras res gessisse Antiochiæ Meletium ab initio Imperii Joviani ad annum* CCCLXX, *ex ejus singulari eruditione studioque propugnandæ veritatis colligi potest. Hinc partim sub ejus disciplina formati, partim consiliis instituti præstantes viri quidam memorantur. Nam ut* Theodorum Mopsuestenum *ac* Vitalem *omittam, qui in hæreses deinde prolapsi, famam pietatis ac doctrinæ antea collectam obscurarunt;* Acacius Berœensis *postea Episcopus*, Diodorus Tarsensis, Flavianus *Antiochenus, ac plures sancti anachoretæ, ei familiariter adhæsere.* Elpidius *S. Pelagii in Laodicensi Cathedra successor*, Magni Meletii domesticus fuerat, *ut lib.* 5 *cap.* 27 *scribit Theodoretus*, ejusque vitæ rationem exactius repræsentavit, quam cera formas annulis in ea impressas solet. *Sed omnium ejus discipulorum clarissimus* Joannes Chrysostomus, *et Chrysostomi scriptis celebratur* Basilius, *non Cæsareensis ille Gregorii Theologi amicus, ut Socrates aliique censuerunt, sed alius multo junior, Antiochiæ natus, tenui fortuna, ut ex Chrysostomo ostendit Baronius; cum alter ille Basilius Neocæsareensis esset, ex prædivite domo, matura ætate tractus ad Episcopatum. Fuit tamen Syrus ille Basilius (ut idem animadvertit Baronius ad annum* 382 *num.* 67*)* doctrina et moribus valde conspicuus, nec adeo Chrysostomo impar; cum utrique vix egresssi limen adolescentiæ quæsiti fuerunt ad Episcopatum, tentusque ille, cum Chrysostomus fugam arripiens in sui excusationem commentarium illum tam celebrem de Sacerdotio elaboravit. *Ubi tamen Basilius hic Chrysostomi collega, ac Meletii discipulus, Episcopus sit factus, nondum legimus.*

*qui multos præstantes viros Antiochiæ ad pietatem instituit,*

C

*in his Chrysostomum cum juniore Basilio,*

53 *Nunc Chrysostomus quid a Meletio hauserit institutionis videamus. Palladius in Dialogo de vita Chrysostomi ita scribit :* Inde cum octavum decimum ageret ætatis annum, oratoriæ operam dans, adolescentiæ lubricum perpetua exercitatione declinavit. Ubi vero virilem induerat sensum, sanctarum litterarum amore correptus est. Regebat autem per id tempus Antiochenam Ecclesiam vir totius sanctitatis Meletius Confessor, Armenius genere. Is cum adolescentis indolem solers explorator intenderet, ad se ascitum secum jugiter esse permisit, sibique familiariter adhærere. Amabat enim cordis illius pulchritudinem, propheticis oculis prævidens, quorsum indoles tanta esset evasura. Cum vero assidentem sibi fide sacrisque dogmatibus diligenter instrueret, post triennium ferme lavacri regeneratione mundatum, Lectorem ordinavit.

D

AUCTORE J. B.

*sibi conciliavit et instruxit,*

54 *De Chrysostomi baptismo ita scribit in ejus Vita Georgius Alexandrinus :* Porro a suis parentibus quam humanissime educabatur, ut spectabilis honestas ac decor suæ nobilitatis exigebat. Erant autem omnes Græci. Meletius autem Confessor, qui tum Sedem Antiochenæ Ecclesiæ obtinebat, B. Joannem primum baptismo admovit; denique et ejus parentes regeneravit fonte baptismatis. Non enim permittebat Deus, splendidi istius luminaris ac Doctoris Ecclesiæ parentes expertes esse erga se fidei et cognitionis, idque per gratiam baptismatis. *De eadem re Metaphrastes in ejus Vita :* Deinde Divinum assequitur baptismum, corpore adhuc valde tenero et molli. Oportebat enim eum, cujus vita ad Christum inclinabat, non manere amplius Christi signaculo non signatum. Qui eum autem baptismo tinxit, fuit Meletius, qui optime administravit Sedem Antiochenam, sede virtutis longe altior. Postea autem ejus quoque parentes Divino tradit lavacro. Neque enim par erat, ut, cum ad lucem gratiæ accessisset filius, qui ei caussæ fuerant, ut in lucem ederetur, non ejusdem, cujus filius, essent splendoris participes.

*eumdem Chrysostomum baptizavit,*

E

*et matrem Anthusam,*

55 *Sed hæc de baptismo parentis utriusque post filium, haud satis congruunt cum iis quæ ipsemet Chrysostomus scribit ad juniorem viduam epistola priore :* Nam et ego aliquando, *inquit*, cum essem junior, doctori meo (erat autem ille omnium hominum maxime superstitiosus) animadverti matrem meam præ multis magnam excitasse admirationem. Cum enim eos qui sibi assidebant interrogasset, ut solebat, quis ego essem; ac responsum esset a quopiam, me viduæ mulieris esse filium; de me quæsivit ætatem matris, et tempus viduitatis. Ut vero ei dixi, eam quadraginta natam esse annos, viginti eorum præteriisse ex quo patrem meum amiserit; obstupuit, et ad eos qui aderant conversus clara voce exclamavit : En quales mulieres apud Christianos sunt! Tanta non modo apud nos sed et apud Gentiles viduitatis laus est atque admiratio. *Doctor ille ipsius, Quem Græce* τὸν σοφιστὴν τὸν ἐμὸν, πάντων δὲ ἀνδρῶν δεισιδαιμονέστερον *vocat, Libanius fuit. Hoc autem ex loco confici videtur, Secundum Chrysostomi patrem a Meletio Confessore nequaquam esse baptizatum. Nam licet mox a suscepto baptismo mortuum esse fateremur; tamen, si Anthusa* XX *annis vidua permansisse dicatur, quod filius asserit, statuendum erit anno* CCCLXXXII *illud contigisse Libanii de ea judicium, quando neque in vivis erat Libanius, neque sane junior censeri poterat Chrysostomus. Imo ne quidem* XXX *illis diebus, quibus Cathedram illam primum tenuit Meletius, priusquam a Constantio relegaretur, ille dici potest Secundi contigisse baptismus : nisi velimus Anthusam ad annum* CCCLXXX *vixisse, ac tunc adhuc sophistæ Libanio operam dedisse filium agentem annum ætatis* XXVI *aut* XXVII. *Si ergo baptismo initiatus fuit Secundus, ab alio quopiam eum suscepit, et circa annum* CCCLVI *e vita migravit.*

*laudatam a Libanio ob 20 annorum viduitatem.*

F

*Chrysostomi patrem non baptizavit Meletius,*

*sed forte alius:*



56 *Aliud*

A 56 *Aliud præter baptismum insigne in Joannem beneficium contulit Meletius, quod eum a profana schola ad ecclesiam, a Libanio ad se audiendum, a secularibus caussis ad Ecclesiasticas declamationes traduxit.* Nam adolescentem hunc, *inquit Georgius*, cum perspexisset insigni ac peracri præditum ingenio, illi demandat, se ut adeat frequens et ecclesiam, ut qui cordis ejus pulchritudinem deamaret: imaginem enim istius Beati intime expressam oculo prophetico velut per speculum perspicue lustrarat. Ut autem continenti studio vacaret Ecclesiæ, in sententiam suam adducit Theodorum et Maximum, qui ei apud Libanium Sophistam fuerant condiscipuli, ut relicto vivendi genere quæstuario vitam aggrederentur frugalem ac simplicem. *Videtur tamen non nisi cum jam in exilium pulsus a Valente Meletius esset, Libanium penitus deseruisse Chrysostomus, ob ea quæ ex ejus epistola ad viduam jam relata sunt. Georgius ait* cum octavum ac decimum annum ageret ætatis, cœpisse a se habenas excutere, et detrectare durum sophistæ imperium ob dictiunculas. *Non omnino tamen id abrupit, antequam mater vigesimum viduitatis annum attigisset.*

*AUCTORE J. B.*

*eumdem Chrysostomum Meletius ad sacra transtulit a profano studio,*

*recensinique a schola Libanii,*

57 *Quanti eum alioquin Libanius fecerit, conjicere est ex iis quæ lib. 8 cap. 2 scribit Sozomenus:* Erat, *inquit*, Antiochiæ, quæ ad Orontem sita est, Presbyter, cui nomen Joannes, genere patricius, vita inte- B ger, ad dicendum ac persuadendum potens et inter sui temporis oratores excellens; sicut et Libanius Syrus sophista testatus est: qui cum moriturus esset, rogantibus amicis quemnam sibi vellet esse successorem; Joannem dixisse fertur, nisi eum sacrilegio Christiani surripuissent. *Quam sibi ereptam vanissimus Sophista prædam queritur, eam Meletii nostri industriæ referre acceptam debet Ecclesia.*

*qui optum censebat ut sibi succederet.*

## § VII. *S. Meletii tertium exilium. Valentis Imp. interitus. Episcopi per Gratianum revocati, restitutæ Catholicis ecclesiæ.*

*In hoc porro tertia S. Meletii proscriptione illud accidisse crediderim, quod S. Chrysostomus infra memorat in ejus laudatione num. 5, ut consulentem secum in curru Præfectum urbis, a quo avehebatur in exilium, vestis suæ obtentu a lapidatione texerit. Sub Constantio quidem certe, cum primum relegatus est, vix XXX dies in urbe commoratus, id factum non est: noctu enim tunc est ex urbe eductus, non abnuerim tamen, sub Juliano potuisse contingere: sed videtur Chrysostomus ad Valentis potius tempora respexisse, ista addens:* Cum secum universam accepisset civitatem, in Armeniam profectus est. *Ita namque Theodoretus lib. 4 cap. 4* C *Pelagium Laodicensem in Arabiam relegatum a Valente tradit, Eusebium Samosatenum in Thraciam,* in Armeniam divinum Meletium. *Cum illic exularet S. Meletius, S. Basilius Magnus negotiorum caussa in Armeniam profectus,* venit Getasa, in agrum Deo dilectissimi Episcopi Meletii; *ubi et cum eo se collocutum ostendit ep. 187 ad Terentium Comitem.*

*S. Meletius Præsidem a lapidatione defendit:*

*relegatur in Armeniam.*

59 *Quæ alia Antiochenis eo tempore mala intulerit Valens idem commemorat Theodoretus cap. 22* Valens, *ait*, longissimo temporis spatio Antiochiæ vitam degens, omnibus libertatem concessit. Gentilibus, Judæis, atque aliis qui Christiano assumpto nomine doctrinam Evangelio repugnantem prædicabant. Nam qui idolomania tenebantur, mysteria gentilitia peregerant: et quæ post Juliani mortem a Joviano extincta erat superstitio, eam ille denuo reflorescere permisit. Atque Dialia, Dionysia, ac Cereris orgia, non in occulto fiebant, ut sub piis Imperatoribus; sed per medium forum bacchantes cursitabant. Iis solis se Valens hostem profitebatur, qui Apostolicam doctrinam tuebantur. *Is nempe mos etiam hoc* D *ævo hæreticorum est, ut exerceri ab ceteris cujusvis sectæ hominibus, Judæis etiam ac Mahometanis, superstitiones quantumvis impuras patiantur, solis Catholicis omnem sacrorum libertatem adimant. Sed ad Valentem revertamur.* Hic orthodoxos, *inquit idem auctor*, primum sacris ædibus exturbat. Jovianus enim numquam satis laudatus Imperator iis novam ecclesiam donarat. Ii nunc ad montis radicem in unum coeuntes, hymnis Dominum celebrare, Divinisque frui eloquiis cœperunt; omnia aeris incommoda perpetientes, interdum pluvia, nive, gelu, alias vehementissimo ardore afflicti. Verum ille ne hac quidem commoditate, tam laboriosa, frui passus est; sed missis ad eam rem militibus illos dispersit.

*omnibus sectis data libertas,*

*solis Catholicis ademptu:*

*horum turbati conventus, etiam foris.*

60 *Prosequitur cap. 23 Theodoretus alia quæ ad piorum disturbandos cœtus egerit Valens; utque præter* Flavianum *et* Diodorum, *sancti anachoretæ, divino Spiritu afflati, Antiochiam venerint, ejusque conatibus obstiterint, et Catholicos confirmarint. Horum præcipui fuere* S. Aphraates, *qui VII Aprilis colitur, et* S. Julianus *cognomento* Sabas, *sive* Πρεσβύτης, *id est* Senex, *qui XVIII Octobris. In hujus Vita, de illa Valentis persecutione ita scribit idem Theodoretus cap. 2 Philothei, sive libri 8 de Vitis PP.* Cum autem Valens... relicta veritate Evangelicorum dogmatum, erroris Arii accepisset imposturam, tunc exorta est major procella adversus Ecclesiam: cum gubernatores quidem undique expellerentur, prædones autem qui- E dam et hostes in eorum locum sufficerentur. Ne autem totam illam in præsentia recenseam tragœdiam, alia nunc prætermittam, unius autem solummodo faciam mentionem, quod aperte ostendit divini Spiritus gratiam in hoc sene florentem. Ab Antiochena quidem Ecclesia ejectus erat Magnus Meletius, quæ a Deo universorum pascenda ei credita fuerat: a divinis autem templis ejecti fuerant, cum populo qui erat ejusdem cum eis sententiæ, quicumque in clerum cooptati, Trinitatis divinæ unam colebant essentiam. Et nunc quidem in aliquem specum montis venientes, sacros illic cœtus celebrabant; nunc autem ripam fluminis faciebant oratorium; aliquando autem bellicum gymnasium, quod situm est ante portam Septemtrionalem: non permittebant enim qui bellum gerebant, in uno loco pios consistere, *Similia narrat cap. 8 in vita S. Aphraatis, ubi ista diserte de Orthodoxis a Valente vexatis:* Ea de caussa eos non solum expulit ab omni ecclesia, sed etiam ex latere montis, et ex ripa fluvii, et ex bellico gymnasio. Hæc enim loca perpetuo mutabant, ut in quos obiter sæviret armata manus. *Fit quoque proscriptionis B. Meletii mentio in Menæis* XVIII *Octobris, ubi de S. Juliano agitur.*

*his solatium afferunt sancti Eremitæ.*

61 *Effrænatam demum Valentis crudelitatem stitit numen, immissis in Thraciam Gothis, qui late eam populati sunt. Igitur anno Christi* CCCLXXVIII, Valente VI et Valentiniano *juniore* II Coss. *ut habet Idatius*, in- F gressus est Valens Augustus ab Oriente Constantinopolim die III Kal. Jun. Et ipso anno profectus est Valens Aug. ex urbe ad fossatum die III Id. Junias: et pugna magna fuit cum Romanis et Gothis milliario XII ab Hadrianopoli, die V Id. Aug. ex ea die Valens Aug. nusquam apparuit. Et toto anno per diœcesim Thraciarum et Scythiæ et Mœsiæ, Gothi habitaverunt simul, et eas prædaverunt: deindeusque ad portas urbis Constantinopolitanæ venerunt. *Mortem Valentis ita describit S. Hieronymus in Chronico.* Lacrymabile bellum in Thracia, in quo, deserente equitum præsidio, Romanæ legiones a Gothis cinctæ usque ad internecionem cæsæ sunt: ipse Imperator Valens cum sagitta saucius fugeret, et ob dolorem nimium sæpe equo laberetur, ad cujusdam villulæ casam deportatus est: quo persequentibus Barbaris, et incensa domo, sepultura quoque caruit. *Paria fere memorant*

*Gothis an. 378 Thraciam vastantibus, contra eos tendit Valens,*

*ubique caret- ... cedit, crit.*

A *memorant ceteri auctores, præsertim Ammianus Marcellinus lib.* 31.

62 *Quod immediate ante citata verba idem Chronicon habet, haud satis cum aliis scriptoribus congruit :* Valens, *inquit*, de Antiochia exire compulsus, sera pœnitentia nostros de exiliis revocat. *Videtur quidem urgente S. Isacio monacho, et victoriam promittente si id faceret, de aperiendis orthodoxorum templis deliberasse cum Constantinopoli ad bellum proficisceretur; mox tamen abstinuisse contra animum. Ita Metaphrastes* XXVII *Martii in Isacii Vita. Idem brevius aliquanto narrat Theodoretus lib.* 4 *cap.* 30, *ubi non tam eum poposcisse ab Imperatore scribit, ut ecclesias orthodoxorum aperiret, quam* ut gregibus optimos pastores redderet. *Nicephorus Callistus lib.* 11 *cap.* 50 *hæc dixisse Isacium ait :* Redde recte sentientibus, et fidei definitionem Nicææ declaratam sincere servantibus, quas ademisti, ecclesias, et nullo labore victoriam reportabis. *Varias deinde scriptorum de Valentis interitu sententias refert. Sed quia de eo sæpius in aliis Sanctorum actis agendum erit, ista nunc hic sufficiunt.*

*in hæresi obstinatus.*

63 *Valente mortuo, Gratianus Valentiniani filius, qui pridem Occidentem feliciter administrabat, Orientis quoque regimen capessivit :* statimque, *ut lib.* 5 *cap.* 2 *scribit Theodoretus*, quam colebat pietatem, illustriorem
B reddidit, atque Imperii primitias omnium Imperatori obtulit. Nam legem conscripsit, qua relegatos Antistites reverti suisque restitui gregibus jussit, et sanctas ecclesias tradi iis qui Damasi communionem amplecterentur. Hic Damasus Episcopus Romanus fuit, qui post Liberium illius Ecclesiæ administrationem susceperat, vir sane propter vitæ spectabilis ornamenta insignis, qui cuncta agere ac dicere satagebat secundum Apostolicam doctrinam. Misit quoque cum ea lege Saporem Ducem, virum ea tempestate celeberrimum, cui mandavit Arianæ blasphemiæ præcones, velut belluas quasdam, ab ovilibus expelleret, et optimos pastores divinis gregibus restitueret. *Breviter de ea re Anastasius ex Theophane :* Porro Gratianus et Valentinianus (*junior nempe*) lege lata Episcopos exilio revocaverunt, Arrianos autem persecuti sunt, Damaso cooperante Papa Romano.

*Gratianus Imp. Episcopos exules restituit,*

*ademitque hæreticis ecclesias.*

64 *Quod Socrates lib.* 5 *cap.* 2 *et Sozomenus lib.* 7 *cap.* 1 *scribunt*, lege sanxisse Gratianum cum fratre, ut quælibet secta libere absque ullo discrimine in ecclesiis conventus ageret; solis Eunomianis, Photinianis et Manichæis exceptis: *illud esse videtur rescriptum, de quo Codicis Theodosiani lib.* 16 *tit.* 5 *de hæreticis L.* 5 *lata* Ausonio et Olybrio Coss. *anno*
C *scilicet* CCCLXXIX, *mentio fit, his verbis :* Denique antiquato rescripto, quod apud Sirmium nuper emersit, ea tantum super Catholica observatione permaneant, quæ perennis recordationis pater noster, et nos ipsi, victura in æternum æque numerosa jussione mandavimus. *Extant in eodem libro sub variis titulis edicta plurima contra hæreticorum conventicula ab eo et Theodosio lata. Quale illud eodem titulo L.* 6 *data* Eucherio Cos. *an.* CCCLXXXI. Arceantur cunctorum hæreticorum ab inlicitis congregationibus turbæ : unius et summi Dei nomen ubique celebretur. Nicænæ fidei dudum a majoribus traditæ, et Divinæ religionis testimonio atque adsertione firmatæ, observantia semper mansura teneatur. Fotinianæ labis contaminatio, Arriani sacrilegii venenum, Eunomianæ perfidiæ crimen, et nefanda monstruosis nominibus prodigia sectarum ab ipso etiam aboleantur aditu. *Et L.* XI *data* Merobaude II et Saturnino *Coss. an.* CCCLXXXIII. Omnes omnino, quoscumque diversarum hæresium error exagitat, id est, Eunomiani, Arriani, Macedoniani..... nullis circulis coeant, nullam colligant multitudinem, nullum ad se populum trahant, nec ad imaginem ecclesiarum pariter privatos
D ostendant *etc.*

*et quamvis visus initio paullum connivere,*

*omnes eorum conventus prohibet.*

AUCTORE J. B.

## § VIII. *Discordia Antiochenorum sopita. S. Meletii post reditum res præclare gestæ.*

*Qui ceteris urbibus salutem attulit orthodoxorum Episcoporum reditus, Antiochiæ turbas ac prope seditionem concitavit. Divulsa erat in duas factiones, ut antea diximus, plebs Catholica : una Meletium sequebatur, ab Arianis quidem simul et Catholicis electum Episcopis atque ordinatum, sed Catholicæ fidei caussa jam tertio proscriptum, et singulari præditum industria ad conciliandos Ecclesiæ, qui hæreticis irretiti fraudibus, aut adhuc gentilitiis cæcati erant erroribus. Altera factio, itidem Catholica, Paulino adhærebat, quem Lucifer Calaritanus olim ordinarat: Meletium vel legitime, ab Arianis licet, depositum, vel fortassis ipsummet hæreticum ratus, ut ejus adversarii etiam S. Hieronymo persuasisse videntur. Et Meletii quidem communionem amplecti in Oriente Orthodoxi omnes, S. Athanasius, S. Eusebius Samosatenus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Nyssenus, S. Basilius Magnus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Pelagius Laodicensis, S. Amphilochius Iconiensis, atque alii : qui tamen Paulinum, quem orthodoxum et pium norant, damnare non audebant, cum scirent ab Apostolicæ Sedis ordinatum Legato, quamvis ad non vacantem Cathedram. Paulino*
E *favebat Damasus Papa.* Sed sciendum est, *inquit Baronius in Not. ad Martyrol.* constare S. Basilii testimonio, S. Damasum (ut accidere solet) falsis quibusdam relationibus fuisse deceptum *etc.*

*Discordia Antiochiæ ob duos Episcopos Catholicos,*

*multis utrique faventibus :*

66 *Optarat pridem Meletius illam sopiri contentionem, inque eam rem ipsius Romani Pontificis et Occidentalium Episcoporum opem implorarat, misso ad eos cum litteris Legato. Præ ceteris omni studio adnixus est S. Basilius Magnus, ut partes invicem reconciliarentur : ad idque ut collaboraret, Magnum Athanasium sæpius rogavit. Non est hoc loco animus nobis, omnem eam controversiam evolvere. Consuli Cardinalis Baronius potest, qui prolixe quæstionem hanc pertractat, præsertim ad annum* 370 *num.* 85 *et sequentib. ad* 371 *num.* 7 *ac deinceps, ad* 372 *num.* 11, 50 *etc. in Paulinum tamen quam Meletium pronior. At S. Basilius totus pro Meletio est, quantique eum faceret in suis ad ipsum atque alios litteris ostendit.*

*pro concordia laborant Meletius et Basilius Magnus :*

67 *Ceterum quod diu frustra efficere conatus erat, dum viveret, Basilius, in cælis a Deo obtinuit, ut tandem conciliarentur invicem Catholici Antiocheni. Nam cum is Kalendis Januarii an.* CCCLXXIX *decessisset, quinto mense post necem Valentis; insequente Septembri, aut Octobris initio, habitum Antiochiæ Episcoporum Concilium est, ad eam (ut quidem Baronius, Binius, aliique censent) decidendam litem. Meminit hujus Concilii Gregorius Nyssenus in Vita Macrinæ sororis apud*
F *Surium* XIX *Julii cap.* 12. Erat, *inquit*, post hanc jacturam, *Basilii nempe obitum*, nonus mensis aut paullo amplius, cum Episcoporum Concilium indictum est Antiochiæ, cui nos interfuimus. *Quidam ad annum præcedentem id Concilium referunt, atque Basilii decessum; ut hic obiisse dicatur vivo adhuc Valente, eo videlicet sextum et Valentiniano juniore secundum Coss. atque post cædem Valentis non integro lapsu bimestri, convenerint ad hoc concilium Episcopi. Sed et S. Basilium diserte scribit S. Hieronymus lib. de Scriptorib. Ecclesiast. cap.* 116 imperante Gratiano, *post mortem nimirum patrui, nondum in collegam cooptato Theodosio, decessisse : neque Episcopi pauculis hebdomadis post tyranni interitum, augustali edicto e remotis locis revocati, suas recepisse Ecclesias, iisque ordinatis venisse Antiochiam existimari possunt. Certe Socrates lib.* 5 *histor. Eccles. priusquam sive ille, sive alius ad finiendam controversiam conventus fieret, Theodosium*

*ea stabilita an. 379*

*mortuo antea Basilio.*

AUCTORE J. B.

A *dosium Imperatorem a Gratiano renuntiatum ostendit, ita cap.* 2 *scribens : Theodosium* igitur Sirmii, quæ civitas est Illyrici, declarat Imperatorem, Ausonio et Olybrio Coss. die XVI Januarii, *sive, ut vertit Christophorsonus*, XVII Calend. Februarii. *Idatius* XIV Kal. Februar. *id factum scribit.*

68 *De controversia Antiochena cap.* 3 *ista habet idem Socrates :* Antiochena Ecclesia trifariam erat divisa: quasdam enim Ecclesias Dorotheus Arianus post Euzoium regebat: reliquas partim Paulinus, partim Meletius ab exilio revocatus gubernabant. *Fallitur auctor hic dum cap.* 4 *scribit Macedonianos* συναχθέντας ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας, Antiochiæ, quæ in Syria est, in unum coactos. *Sozomenus lib.* 7 *cap.* 2 *habet,* συνελθόντας ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Καρίας, convenientes Antiochiam Cariæ. *At Socratem porro audiamus quæ ad Meletium spectant persequentem. Capite* 5 *ita scribit :* Apud Antiochiam Syriæ propter Meletium contentio extitit ejusmodi : Paulinus Antiochiæ Episcopus, uti antea diximus, propter eximiam pietatem, in exilium pulsus neutiquam fuerat. Meletius vero sub Juliano revocatus, ac denuo a Valente ejectus, iterumque a Gratiano reductus, ut Antiochiam rediit, Paulinum invenit senio jam prope confectum. Confestim igitur omnes qui ei favebant, operam dederunt, ut cum Paulino throni Episcopa-

*Meletium throni consortem nolebat Paulinus :*

B lis particeps fieret. Cum autem diceret Paulinus, contra Ecclesiæ canones esse, ut quisquam ab Arianis consecratus in Cathedræ Episcopalis consortium admittatur ; populus id vi extorquere nititur. Ergo in ecclesia quadam in suburbiis sita solium illi Episcopale statuitur : quo facto ingens excitata contentio est.

69 Postea vero populus ad concordiam his conditionibus reductus est. Congregantes enim, qui præcipue ut ad Episcopatum aspirarent idonei videbantur (sex omnino reperti sunt, inter quos et Flavianus) jurejurando eos adstringunt, ut nemo Episcopatum capesseret, cum alteruter eorum, qui jam Episcopi erant, migraret e vita; sed ei qui superesset, demortui thronum obtinendi faceret potestatem. Pactis hunc in modum jurejurando firmatis, populus invicem conciliatus, omnisque depulsa simultas est. At Luciferiani propterea secessionem fecerunt, quod Meletius ab Arianis initiatus, ad Episcopatum esset evectus. *Eadem habet Sozomenus lib.* 7 *cap.* 3, *ubi tamen postrema mendose expressit interpres ;* Universa ferme plebs ad concordiam rediit, paucis aliquot, inter quos Lucifer erat, adhuc obluctantibus, ob id quod Meletius a diversæ sectæ fautoribus ordinatus esset. *Græca sic habent :* Σχεδὸν τὸ πᾶν ὡμονόει πλῆθος, ὀλίγοι δὲ τῶν Λουκίφερος ἔτι διεφέροντο *etc. Qui*

*jurare coacti præcipue Clero, alterutro superstite neminem Episcopatum admissurum,*

C *hic* ὀλίγοι τῶν Λουκίφερος, pauci Luciferianorum, *apud Socratem* οἱ δὲ Λουκίφερος, Luciferiani : *apud Nicephorum lib.* 12 *cap.* 3 βραχεῖς λίαν οἱ ἀπὸ Λουκίφερος, valde pauci Luciferiani. *Nam sectam hanc in Oriente fuisse supra diximus. Videntur autem ii fuisse ex maxime rigidis ac severis Paulini sectatoribus*

*refragantibus Luciferianis, qui ante a Paulino stabant.*

70 *Ab ipso Meletio viam concordiæ primo demonstratam tradit Theodoretus. Nam cum Antiochiam Sapor Dux venisset, de quo § superiore num.* 63 *egimus, coram eo Apollinarem primum, falso gloriantem sibi cum Damaso Papa communionem intercedere, confutavit Flavianus Presbyter : dein Paulinum quoque Sabellianismi ignominia notavit; quam ille calumniam sibi a Vitale Apollinarista impactam, jam antea refellerat apud S. Epiphanium, uti hic hæresi* 77 *testatur : quod an nescierit, an alia caussa dissimularit Theodoretus, haud quæro. Interea* Meletius omnium mortalium mansuetissimus, comiter admodum ei benigne Paulinum compellat his verbis : Quandoquidem et mihi ovium istarum procurationem Dominus earum commisit, et tu aliarum curam suscepisti ; ipsæque inter

*Meletius, vir mansuetissimus, eam conditionem ultro proposuerat :*

se oves pietatis communione consentiunt, conjungamus greges, o amice, et contentionem de primatu dirimamus : et cum oves communiter pascamus, communem illis rite moderandis curam adhibeamus. Quod si thronus in medio positus simultatem parit, ego hanc quoque submovere conabor. Ponam enim in eo divinum Evangelium, et ut nos utrimque consideamus auctor ero. Si deinde prior ego vitæ finem attigero, tu solus, amice, gregem moderaberis : sin autem illud tibi contigerit, ego pro virili curam ovium geram. His a divino Meletio benigne ac leniter propositis, minime acquievit Paulinus. Dux igitur, eorum, quæ utrimque dicta, judex constitutus, Magno Meletio Ecclesias tradidit : Paulinus autem ovium, quas ab initio segregaverat a ceteris, pastor permansit. D

*respuente eam Paulino, Ecclesiæ Meletio traditæ*

71 *Non arbitror Saporem hanc decidisse litem, nisi re prius ad Gratianum, forsan et Theodosium, relata. Idem Theodoretus lib.* 5 *cap.* 23 *Paulino volenti post Meletii obitum totius Ecclesiæ administrationem occupare, obstitisse Sacerdotes scribit*, propterea quod suggestum a Meletio consilium ipse repudiasset. *Theodoretum sugillat Baronius, ut nimium Flaviano addictum, ideoque dissimulare concilium, cujus meminit Nyssenus, et Sapori omnia tribuere. Verum non omnino constat (licet non inficiemur verisimile videri posse)* E *Concilium illud ea caussa fuisse indictum. Neque id Nyssenus indicat, nec qui adactos jurejurando primarios sex e Clero memorant Socrates et Sozomenus, id in conventu Episcoporum, et Ponti quidem, factum tradunt : neque Flaviano exprobratum, quod pacta Meletium inter et Paulinum inita violasset, sed quod suo ipse jurejurando non stetisset. Nicephorus Callistus lib.* 12 *cap.* 4 *eadem, quæ Theodoretus, tradit, a Meletio proposita, repudiata a Paulino, a Sapore confirmata. Dein illa subdit .* Postea vero, uti supra diximus, jusjurandum a designatis Episcopatus competitoribus acceptum, et plebs ad concordiam reducta est. *De jurejurando egit cap.* 3, *ubi ait* admirabile id fuisse inventum, quo ad concordiam res pactis ejusmodi reducta est..... Paucos tamen Luciferianos dissensionem fovisse. *At* 4 *cap. ita de Meletio, ejusque consilio scribit :* Multi alii Episcopi ab exilio, quo sub Valentis imperio multati fuerant, reversi, sententiam Meletii sunt secuti : nihil de prærogativa et præeminentia Sedis Episcopalis contendentes, sed multitudinis concordiam quam maxime procurantes.

*Meletium in concordia restituenda alii secuti*

72 *Hactenus de ea controversia. De S. Meletio ista ex Theodoreto idem tradit cap.* 5 *Nicephorus :* Divinus Meletius multitudinis concordia conciliata, Diodorum illum, de quo paullo ante diximus, qui persona et habitu alio, una cum Flaviano, Ecclesiæ scapham F in sæva illa tempestate præclare gubernarat, Pastorem Tarsi constituit, et Cilicum gentem ei committit : Episcopatum autem Apameæ Joanni tradit : qui vir cum generis nobilitate clarus, tum multis splendidisque ornamentis spectatus fuit : præterea vitæ sanctitas et doctrina in eo conjunctæ, clariorem eum reddiderunt. Qui et ipse, itidem ut Flavianus et Diodorus, sævæ procellæ tempore, sententiæ suæ populos in officio retinens, doctrina confirmavit. Habebat autem adjutorem celebrem illum Stephanum ; quem itidem Meletius ad certamen nihilominus transmisit : nam hunc Germaniciæ civitati, quæ Eudoxii morbo perquam periculose laborabat, optimum medicum dedit. Omni enim liberali doctrinæ in sacris simul ac profanis disciplinis operam navaverat. Neque conceptam de se spem fefellit : spirituali namque fistula usus, ipsos etiam lupos in oves convertit. Ad eumdem modum, quo Meletius, præclarus quoque Eusebius egit, ubi ab exilio Samosata reversus est.

*ipse variis locis Episcopos constituit :*

73 *Hoc tempore et illud gestum a Meletio scribit Baronius ad an.* 378 *num.* 55. Cum visitaret, *inquit,* diœcesim

A diœcesim, Ecclesias erigens, et Syriæ quoque monachos inviseret sibi subditos, invenit Simeonem Stylitam habitationem sibi supra columnam statuisse, inauditumque hactenus vitæ institutum arripuisse : quem cum vinctum quoque ferro spectasset, jussit acciri fabrum qui solveret ferri vincula, illud addens, Amanti Deum homini satis pro vinculo esse mentem : in ceteris eum ab instituto minime dimovere voluit. *Alibi quoque id meminit Baronius, indeque concludit Simeonem, quando anno* IV *Leonis Imp. Christi* CCCCLX *decessit, centenario majorem fuisse. Metaphrastes quoque in Vita S. Simeonis (quam tamen non viderat Baronius, nos enim primi edidimus* V *Januarii) Meletium illum, qui Simeonem solvi catena ferrea jussit, hunc ipsum fuisse, de quo agimus, censet*, qui, *inquit*, Patriarchalis Antiochiæ throni gubernacula tenebat. *τὸν ἀρχιερατικὸν θρόνον τοῦ Ἀντιόχου διέπων. Verum nos in prævio ad eam Vitam commentario mendum illud aliaque confutavimus* § 3 *ex antiquioribus scriptoribus. Theodoretus certe; quem Baronius citat, et a quo Metaphrastes priora Simeonis gesta, sed μεταφραστικῶς descripsit, cap.* 26 *Philothei in Simeonis Vita, sic habet* : Μελέτιος ὁ θαυμάσιος ἐπισκοπεῖν τηνικαῦτα τῆς Ἀντιόχου πόλεως τεταγμένος τὴν χώραν, ἀνὴρ φρονήσει καὶ συνέσει λάμπων καὶ ἀγχινοίᾳ κεκοσμημένος, Admirandus ille Meletius, qui Antio-

*non ipse, sed alius Meletius Chorepiscopus Simeonem Stylitam adiit.*

B chenæ regionis tunc Episcopatum regebat, vir prudentia et intelligentia clarus, ingeniique solertia ornatus. *Quibus ex verbis illud confici manifeste videtur, non Patriarcham, sed Chorepiscopum fuisse Meletium illum. Qua de re loco citato fusius actum. Et sane, multos nomine Meletii insignitos fuisse a parentibus, ex pietate erga Magnum Meletium, testatur S. Chrysostomus; quorum unus iste fuit fortassis Chorepiscopus.*

## § IX. *S. Meletius Constantinopolim ad Concilium evocatus a Theodosio. Episcopatus S. Gregorio Theologo confirmatus.*

**D***um quæ jam commemorata sunt, aguntur Antiochiæ, mirabili quadam ratione Theodosio Magno manifestata virtus Meletii est. Nam* cum animadvertisset *Gratianus, ut est in Aurelii Victoris epitome,* Thraciam Daciamque tamquam genitales terras possidentibus Gothis, Taifalis, atque omni pernicie atrocioribus Hunnis et Alanis, extremum periculum instare nomini Romano ; *Theodosium, nobilitate generis ac fortitudine clarissimum, accersivit, ac Magistrum militum creavit, misitque cum exercitu adversus Barbaros ; quos ille feliciter profligavit, atque ingenti edita cæde ad Istrum eos ultraque compulit, et distributis in vicinos urbes copiis, ad Gratianum celerrime, suæ ipse victoriæ nun-*

*Theodosius Dux exercitus factus Gothos vincit,*

C *tius, contendit. Res incredibilis visa Imperatori : ausi quidam injicere suspicionem, quasi exercitu amisso capessivisset fugam. Postulat Theodosius ab iis qui contradicebant, uti mittant nuntios, et quanta Barbarorum interfecta multitudo sit cognoscant. Assensus ejus orationi Imperator, misit qui rem gestam explorarent, sibique referrent. Ita fere Theodoretus lib.* 5 *cap.* 5, *Nicephorus lib.* 12 *cap.* 1, *Paulus Diaconus in Miscella lib.* 12 *cap.* 20.

*incredibili celeritate*

75 Eidem autem optimo Duci, *inquit cap.* 6 *Theodoretus*, apud Gratianum commoranti, divina quædam visio ab ipso rectore omnium Deo objecta est. Videbatur sibi videre divinum Meletium Ecclesiæ Antiochenæ Præsulem, chlamyde imperatoria ipsum induentem, et convenientem illi honori coronam capiti imponentem. Quæ cum noctu secundum quietem vidisset, prima luce cuidam ex familiaribus indicavit. Ille perspicuum esse somnium dixit, nihilque obscurum aut ambiguum complecti. *Contigit hoc mense Januario anni* CCCLXXIX. *quo fere tempore de finienda inter Orthodoxos controversia Antiochiæ Sapor agebat, ut*

*in somnis videt se coronari a S. Meletio :*

*conjicere ex dictis licet, aut jam forte ad Imperatorem perscripserat, quomodo animatam utramque partem reperisset. Ceterum* perpauci *post illud somnium* aberant dies, *ut idem inquit Theodoretus,* cum redierunt qui ad explorandas res a Theodosio gestas missi erant, retuleruntque permulta Barbarorum interfecta millia esse. Itaque Imperator jam pro certo persuasum habens, se magno Reip. commodo eum Ducem delegisse, Imperatorem quoque designat, et illis Imperii partibus quas Valens rexerat, ei commissis, ipse in Italiam tendit. *Factum id Sirmii, die* XVI *Januarii, ut antea dictum ex Socrate, vel* XV, *ut habet Miscella; Idatius et Marcellinus* XIX. D

AUCTORE J. B.

*paucis diebus post fit Imperator ;*

76 *Baronius ad an.* 379 *num.* 4 *falli ait Theodoretum, quod post adeptam de Gothis victoriam Theodosium creatum esse Imperatorem scribit : nam ex Marcellino constare multis præliis victos fuisse a Theodosio Gothos, postquam Imperator erat creatus. Neque id negat Theodoretus, sed antea coercitam asserit prælio uno hostium insolentiam, qui alioquin universam Thraciam populati ipsi etiam urbi regiæ terrorem incusserant, ac tum se recipere ad vicina Danubio loca coactos. Et vero ni id evenisset, an secure in Italiam rediisset Gratianus,* E *Theodosio cum non maximis copiis ad tantam belli molem relicto, qui antea ad juvandum Valentem, multo majoribus submixum viribus, ex Occidente cum exercitu venerat! Ast ubi semel victi hostes fuere, minus iis virium minusque animorum etsi rebellarent, fore, ac tuto iis opponi Theodosium posse credidit. Et rebellarunt quidem hostes, accitis aliarum Scythicarum gentium auxiliis : nam et anno eodem* CCCLXXIX, *et sequenti multæ* victoriæ nuntiatæ, *ut habet Idatius. Ideo Nicephorus Callistus lib.* 12 *cap.* 6, *narrata Gratiani, in Occidentem reversi, victoria de Alamannis ista subnectit :* Theodosius autem rursus cum Barbaris, qui ad Istrum erant, congressus, prælio eos superavit : qui vero ex eo conflictu superfuere, socios se deinceps Romanis fore precibus interpositis polliciti, conditionibus pacis acceptis, datisque obsidibus in Theodosii potestatem venere. His ille rebus præclare gestis, Constantinopolim iturus, Thessalonicam venit, *ubi difficili implicitus morbo, satis diu commoratus videtur, qui anno demum* CCCLXXX XVIII *Kal. Decemb. ingressus Constantinopolim est, Idatio teste; aut* VIII *Kal. ut quidam alii habent.*

*iterum ac sæpius Gothos vincit*

*et ad deditionem cogit :*

*ægrotat Thessalonicæ*

77 *Nunc qua occasione Meletium postea Constantinopolim Theodosius evocarit, altius aliquanto repetendum. Erat Constantinopolis valde hæresi Ariana* XL *per annos infecta, jamque ut in carmine de vita sua loquitur S. Gregorius Nazianzenus,* miserabili infidelitatis divisione mortua : quamvis adhuc vitalis flatus semen aliquod haberet, mentes videlicet fide integras, exiguum quidem populum, magnum tamen Deo, (qui non multitudinem, sed corda numerat) plantas fideles reliquias honorabiles. *Ad hos se* divini Spiritus gratia missum, eos ut juvaret, proque fide arma ferret, *idem Gregorius scribit,* multis vocantibus Pastoribus, multisque e plebe ; neque omnino sponte sua profectum, sed vi coactum. *Baronius auctoritate Synodi Antiochenæ, anno, ut diximus,* CCCLXXIX, *Septembri exeunte habitæ, eo missum existimat. Gregorius Presbyter in ejus Vita ait,* divino Spiritu ad eam expeditionem impulsum fuisse, ut illic pro ipso Spiritu depugnaret : statim autem Magnum Basilium hortatorem accessisse, quasique ad spiritualia certamina eum inunxisse, ac complures Episcopos et regiæ urbis cives obnixe id ab eo poposcisse. *Hoc si verum est; contigit igitur diu ante Antiochenam illam Synodum nono demum mense post Basilii decessum habitam.* F

*Constantinopolim, valde infectam hæresi, petit S. Gregorius Nazianzenus*

*multis invitantibus,*

*probante S. Basilio :*

78 *Quid Constantinopoli egerit luculenter, et ipse in eodem carmine, et in Vita ejus Gregorius Presbyter tradunt. Lapidatus a plebe, ut sicarius ad Præsidis tribunal raptus; tandem patientiæ suæ divinæque eloquentiæ*

*multa primum passus,*

A *tiæ fructus eos tulit, ut ingentem populi multitudinem ad rectam fidem reduxerit.* Qua re factum est, *inquit Vitæ scriptor*, ut Petrus magnæ urbis Alexandrinæ Episcopus, eximii illius Athanasii in pastorali munere successor, miserit qui ei Constantinopolitanum Episcopatum confirmaret. *Ipse Gregorius de Petro ita scribit :* Petrus ille, Pastorum arbiter, primum nos litteris clarissimis, fucoque omni carentibus, ut ipsæ fidem litteræ facient, perspicue ad thronum evehit, ipsaque honorat Sedis tessera. σύμβολος τῆς ἱδρύσεως, *interpres vertit*, nomine Antistitis.

*plurimos convertit,*

*ideoque Episcopus designatur a Petro Alexandrino.*

79 *Idem mox Petrus, sive invidia motus, seu falsa quapiam relatione, seu potius auro corruptus, mittit Constantinopolim certos homines, qui Maximum, nuper e philosopho Cynico Christianum factum Episcopum ordinent. Iis rem aggressis plebs clerusque obstitit. Quare in choraulæ cujusdam domum intrantes, illic ordinationem peragunt. Inde* Maximus *inquit Vitæ scriptor*, Ægyptiorum Præsulum, a quibus ordinatus fuerat, secum agmen ducens, Thessalonicam ad Imperatorem profectus, augustæ urbis Episcopatum ab eo petit . . Verum inde ejiciuntur, Imperatore eos ira minisque insectante... *Tum* Maximus Alexandriam navi petit, cumque iisdem usus technis quosdam Petri familiares auro pellexisset, ipsum quoque pari improbitate aggreditur : nam, Mihi, inquit, regiæ urbis Episcopatum assere, aut a tuo non abstinebo. B Et quidem in perspicuum malum audax hominis facinus desiisset, nisi Alexandriæ Præfectus, seditionis et cædium metu, Maximum urbe exturbasset. *Eadem ipsemet narrat Nazianzenus.*

*a quo mox ei opponitur Maximus Cynicus,*

*postab Imperatore rejectus,*

*pulsus Alexandria*

80 Cum in eo statu res essent, *inquit idem*, sublato Imperator ex Macedonia, victis barbaris, Constantinopolim venit, *et, ut Vitæ scriptor*, Gregorium Pontificem pro eo ac laboribus illius dignum erat, honorifice accepit, prolixiorique alloquio suam erga eum benevolentiam declarat, atque demum : O Pater; Deus tibi tuisque sudoribus per me Ecclesiam committit. En sacram ædem et thronum tibi trado. *Conatus idem Imperator Demophilo Ariano Episcopo persuadere, ut fidem Nicænam amplecteretur, et suos ad concordiam reduceret, cum is minime acquiesceret, ex urbe eum pellit die* XXVI *Novembris, ut Socrates scribit lib. 5 cap. 7. Dein Gregorium ad templum magnifice deducit, et, invitum licet, ut ipse coram eo dein professus, in throno locat, non sine plebis Catholicæ plausu.* Ad extremum usque, *inquit Gregorius Presbyter*, obsistere non potuit, quo minus in throno collocaretur. Pontificum enim multitudo eum, quamvis nolentem vehementerque recusantem, in archiepiscopali Sede constituit. Sed hæc aliquanto posterius.

*Theodosius venit Constantinopolim an. 380,*

*benigne Gregorium excipit.*

*hæreticum Episcopum urbe ejicit.*

81 *Nam cum cuperet Imperator pacem firmam inter* C *Ecclesias stabiliri, ut non modo hæreses exterminarentur, sed ipsi Orthodoxi Antistites ac populi invicem concordiam colerent, veritus ne, quod jam per Ægyptios tentarat Maximus, id in novum aliquando incendium erumperet; plurium Antistitum judicio voluit exquirere. Et movebat eum fortassis illud præcipue, quod ab adversariis objici audiebat, per Ecclesiasticorum Canonum decreta transferri ab Sasimensi ad Byzantinam Sedem eum non potuisse. Ad Synodum igitur evocat totius Imperii sui Episcopos; at non Ægyptios, ne quid ab iis turbaretur, qui tamen postea ad res fidei tractandas advocati.* Sub id tempus, *inquit Gregorius Presbyter*, ex omni Romanorum Imperio, præter quam ex Ægypto et Occiduis partibus, sancta Episcoporum centum et quinquaginta Synodus coacta est, ut pium Præsulem augustæ civitati præficerent, tum ut hæreses, quæ interim dum Ariani rerum potirentur, subortæ fuerant, generalis Concilii decreto ab Ecclesia extruderentur.

*convocat Episcopos ad Concilium*

82 *De eo Concilio ita ipse in citato sæpius carmine Gregorius* : Quidquid erat Antistitum ad Ortum, extra Ægyptum, ad usque novam Romam, ex intimis D terræ marisque recessibus, nescio quo divinitatis motu impulsi, conveniunt, mihi ut thronum confirment. *Horum vero omnium antesignanus Meletius erat, de quo ipse :* Horum unus, *inquit*, erat religiosissimus Præsul, simplex, apertis moribus, Deo plenus, vultu placidus, fortis, at verecundus intuentibus quamdam Spiritus segetem objiciens. Quis vero ignorat, quem nostra designat oratio, Antiochenæ Ecclesiæ Præsidem? in quo nomini res congruebat, ac nomen rei; nam nomen illi melleum et mores erant. *Græce est*, μέλιτος γὰρ καὶ τρόπος καὶ τοὔνομα.

*per quos Meletium,*

*virum egregium,*

83 *Videntur Socrates et Sozomenus innuere jam antea Constantinopoli fuisse Meletium. Nam Socrates quidem ait, pulso Demophilo nihil cunctatum Imperatorem Synodum convocasse Episcoporum, qui eadem quæ ipse de fide sentirent, ut et Nicæni Concilii dogmata confirmarent, et Constantinopolitanum Episcopum consecrarent. Sozomenus lib. 7 cap. 7 easdem ob caussas concitam Synodum scribit*, ἐν τάχει, quamprimum. *Dein idem subdit, Meletium jam ante Constantinopolim venisse ad Gregorii consecrationem. Idem lib. 5 cap. 5 habet Socrates. Prius quidem quam Ægyptii, advenit Meletius, sed cum plurimis tamen Asiæ Syriæque Episcopi.*

*nec enim antea illic erat :*

84 *Tum illud accidit, quod narrat lib. 5 cap. 7 Theodoretus.* Cum, *inquit*, advenissent Constantinopolim Episcopi, vetuit Imperator, ne quis sibi indicaret quis Magnus Meletius esset. Volebat enim ex visione sibi alias in somnis objecta illum agnoscere. Ubi ergo in palatium totus ille Episcoporum cœtus ingressus est, ceteris omnibus relictis accurrit ad Magnum Meletium; ac veluti amantissimus filius, paterno aspectu post longum intervallum potitus, eum amplexatur, atque oculos, labra, pectus, caput, et, quæ ipsi coronam imposuerat, dexteram exosculatur : dein et visum olim sibi dormienti oblatum exposuit. Ceteros postea, omnes benigne excipit, ac velut Patres rogat, ut de rebus propositis consilium ineant.

*is a Theodosio agnitus ex visione,*

*humanissime præ ceteris accipitur :*

85 Sancta autem Synodus, *inquit Gregorius Presbyter, Gregorium* in Episcopali solio collocavit, sententiæ suæ ducem et antesignanum habens magnum illum Antiochenorum Pastorem Meletium, virum pietate ac fide clarum, quique, dum Ariani rerum potirentur, Ecclesia sua ejectus, ac multa aspera perpessus, diuturno exilio multatus fuerat. Quibus autem ille præditus moribus fuerit, quid attinet dicere? Erat enim mansuetus et ad res gerendas idoneus, temperans, justus, fortis, sapiens, atque ad omne virtutis decus perpolitus. Hujus consilio atque hortatu, Gregorio augustæ urbis Episcopatus Concilii decreto confirmatus est. *Soli Meletio id tribuere videtur Theodoretus lib. 5. cap. 8.* Gregorium, *inquit*, cum vidisset divinus Meletius, et considerasset propositum eorum qui Canonem conscripserunt, vetuisse nimirum eos ne quis ab uno ad alium Episcopatum transferretur, quo ambitionis occasiones præciderent, confirmavit divinissimo viro Constantinopolitanæ urbis præsulatum. *Nicephorus Callistus lib.* 12 *cap.* 10 *objectum hunc a quibusdam Canonem scribit, at S. Meletium, quem* θεόληπτον, afflatum numine, *appellat, censuisse*, si ambitio absit, nihil omnino obstare, quominus ita transferri ad aliam Ecclesiam possit, qui vita simul doctrinaque, aut horum decorum alterutro, præter ceteris, aut si magna inde in publicum redundatura utilitas existimetur. Ipse autem Gregorius, *ut in ejus Vita dicitur*, etsi alienum ab Episcopatu animum haberet, gregis tamen amore, et quia futurum existimabat, ut si augustam urbem teneret, contentiones per orbem terrarum oborientes, velut e specula quadam prospectans, extingueret, atque ambabus manibus dissidentes Ecclesias ad concordiam

*ab eo ceterisque confirmatur Gregorio Episcopatus :*

*nec enim obstare Canones.*

A diam adduceret, accipere Episcopatum non recusavit. *At de Gregorio plura ad ejus Vitam IX Maii.*

## § X. S. *Meletii obitus, exequiæ, translatio, anniversaria celebritas.*

*Confirmata Gregorio Theologo Cathedra*, exiguo post tempore, *inquit Theodoretus*, divinus Meletius ad vitam doloris expertem migravit. *De ejus obitu ita loquitur in carmine de vita sua Gregorius :* Antiochenæ civitatis Antistes, quem antea laudavi, plenus annis, tum qui definiuntur tempore, tum qui mensuram omnem excedunt, multis (ut audio) suos ad concordiam hortatus, uti frequenter antea solebat, hinc ad Angelorum raptus est cœtus, pompaque magna, et urbis concursu, graviter eum casum, ut fama est, ferentis, et ad suam revectus Ecclesiam est, ingens thesaurus, id bonum agnoscentibus. *De ejus funere Gregorius Presbyter in Theologi Vita*. S. Meletius Constantinopoli mortuus, adeo celebri et honorifico funere effertur, ut urbs universa sese ad illud effunderet magnamque emitteret vim lacrymarum, ac tum in primis perspicere licuit, quanta in urbe esset multitudo.

*S. Meletius moritur*

*honorifice sepelitur,*

87 Eum omnes, *inquit Theodoretus*, qui dicendo aliquid poterant, funebribus orationibus laudarunt. *Unica extat S. Gregorii Nysseni, hoc exordio :* Auxit
B nobis numerum Apostolorum novus Apostolus, qui cooptatus est in ordinem Apostolorum. Traxerunt enim Sancti ad se moribus consimilem, athletam athletæ, coronatum coronati, castum animo puri corde, verbi præconem, ministri verbi. Verum Pater quidem noster Apostolici contubernii et ad Christum resolutionis nomine beatus habendus est ; nos vero miserabiles. Neque enim sinit nos præmatura orbitas Patris felicitatem prædicare. Illi quidem melius erat per resolutionem esse cum Christo, at nobis grave ac molestum est paterno præsidio privari. Ecce enim tempus consilii, et consilium dare solitus tacet. Bellum nos circumstat, bellum hæreticum, et qui ducem se præbeat non est. Laborat infirmitatibus commune corpus Ecclesiæ, et medicum non invenimus. Videte quo res nostræ sint loco.

*laudatur oratione funebri a S. Gregorio Nysseno,*

88 *Alia id genus in eum encomia ibidem congerit Nyssenus. Imo et ante ipsum alius ex Patribus* (fortasse Amphilochius disertissimus vir, *inquit Baronius*) *pro concione laudes ejus est prosecutus. Id ipse testatur Nyssenus his verbis :* Meministis omnino, quemadmodum vobis ante hanc nostram habita oratio certamina viri exposuit : quod cum per omnia sanctam Trinitatem honoraret, etiam in numero certaminum honorem conservarit, ut qui in tribus tentationum
C incursionibus decertarit. Supervacuam duco repetitionem bene dictorum. Illud fortassis dicere non intempestivum fuerit. Cum primum bene morata ac modesta Ecclesia virum hunc vidit, faciem vidit ad imaginem Dei vere efformatam : vidit caritatem in modum fontis scaturientem : vidit gratiam labiis circumfusam : animi demissionis summum gradum, post quem amplius quidquam cogitari non potest : vidit mansuetudinem, qualis in Salomone, intelligentiam atque prudentiam ; qualis in Moyse, bonitatem ; qualis in Samuele, perfectionem ; qualis in Josepho, pudicitiam : qualis in Daniele, sapientiam ; quemadmodum Magnus Elias, zelo fidei præditum ; sicut sublimis Joannes, integritate corporis ornatum ; sicuti Paulus, inexsuperabili præditum dilectione. Vidit tot bonorum in unam animam concursum. Amore beato vulnerata est, casto bonoque amore sponsum suum dilexit. Sed priusquam cupiditatem expleret, adhuc vi amoris æstuans, sola relicta est, tentationibus athletam ad certamina vocantibus. Et ille quidem in certaminibus pro pietate susceptis desudabat, hæc vero durabat in castitate illi fidem servans. Jam multum
D temporis effluxerat, cum quidam adulterium meditans, thorum conjugalem aggreditur : sed sponsa non poterat corrumpi. Ac denuo reditus, denuo exilium. *Addit alia, quæ supra § 5 num. 38 relata.* Sed posteaquam se invicem rursus viderunt, et castus amor spiritualesque animi oblectationes renovatæ sunt, rursumque accensum desiderium est; statim fruitionem ultima hæc peregrinatio interrupit. Venit ut nos velut sponsam ornaret : nec id frustra suscepit. Præclaro conjugio benedictionis coronas imposuit : imitatus est Dominum : ut in Cana Galilææ Dominus, ita et hic imitator Christi. Judaicas enim hydrias hæretica aqua repletas, plenas incorrupti vini fecit, virtute fidei naturam immutans. Sæpe in vobis sobrium statuit craterem, dulci sua voce largiter effundens gratiam : sæpe vobis omnis generis rationalium ciborum epulum præbuit. *Ista pluraque iis similia in S. Meletii laudem Nyssenus.*

*et alio ante ;*

*maximis clarissimisque virtutibus præditus,*

*ideo constanter dilectus ab Ecclesia Antiochena.*

AUCTORE J. B.

89 *Mortuus autem est S. Meletius anno* CCCLXXXI, XII *Februarii aut non multo post. Nam post ejus decessum ac translationem, de successore actum, fortissime adnitente Gregorio Theologo, ut Paulinus solus Ecclesiæ Antiochenæ præesset ; id enim pertinere ad pacem Ecclesiæ, et concordiam cum Occidentalibus Episcopis, Romano præsertim Pontifice sanciendam. Narrat id ipsemet in celebri suo carmine, et quæ ad eam rem attulerat argumenta. Nihil tamen assecutus est, plurimis in Flavianum electionem consentientibus. Cumque ipse Gregorius de suo abdicando Episcopatu agere cœpisset,* brevi, *inquit*, Deus exitum dedit. Veniunt enim, veniunt repente, qui advocati erant ut concordiæ sanciendæ adessent, Ægyptii Episcopi, cum *Timotheo Alexandrino; qui præcipue effecere, ut ipse Gregorius de suo abdicando Episcopatu cederet, seu volens seu coactus. Cum ergo, Socrate teste lib.* 5 *cap.* 8, Eucharide et Evagrio Coss. (*sive Syagrio et Eucherio*) *anno* CCCLXXXI, *mense Maio convenerint Episcopi, interque eos Ægyptii, qui post Meletii obitum advenerant, et contentiones de successore ; manifestum est, hunc aliquanto ante decessisse.*

*mortuus 12 Febr. an. 381.*

E
*antequam ad concilium venirent Episcopi Ægyptii :*

90 *Unde refellas quod Marcellinus Comes in Chronico scribit,* Constantinopoli per Timotheum Alexandrinum, perque Meletium Antiochenum, et Cyrillum Hierosolymitanum Episcopos, Nectarium ex pagano protinus baptizatum, et in præfata synodo Pontificem ordinatum. *Quomodo enim Gregorius Episcopus de Meletii jam demortui successore agere in conventu Antistitum potuit, eaque re aliorum in se odia concitare, si postquam ipse se tiara abdicarat, adhuc in vivis fuit Meletius, ejusque successorem initiavit ! Sozomenus quidem lib.* 7 *cap.* 8 *tradit, cum Theodosius mandasset, ut Episcopi singuli nomina eorum, quos censerent ad Episcopatum regiæ urbis idoneos, in charta describerent, sibique traderent,* Antiochenæ Ecclesiæ Præsulem, *cum alios proposuisset, ultimo loco Nectarium adjecisse, sibi a Diodoro Tarsensi commendatum : quo suffragio motus Imperator eum Episcopum delegerit. At quem* Ἀντιοχείας Ἐπίσκοπον, *deinde* τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας ἡγούμενον *appellat, nusquam Meletium fuisse ait ; cum hujus antea toties meminerit : ut et Nicephorus Callistus lib.* 12 *cap.* 12 τὸν τῆς Ἀντιόχου Ἐπίσκοπον, *postea* τῆς Ἀντιόχου προέδρου *Flavianus is fuit, ut etiam Baronius censet ad an.* 381 *num.* 70.

*non elegit Nectarium Episcopum CP.*

*sed Flavianus*

91 *Pompam exequiarum Meletii, quam antea ex Gregorio Presbytero diximus frequentem et magnificam fuisse, ita describit S. Gregorius Nyssenus sub finem orationis funebris, eos alloquens qui corpus erant Antiochiam deportaturi :* Hanc cum habeatis, Fratres, consolationem, vos qui ossa Josephi transportatis ad terram benedictionis, audite Pauli verba præcipientis : Ne contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent. Dicite populo qui illic est, exponite bonas

*1 Thess. 4, 12*
*S. Meletii funus frequentissimum.*

A nas narrationes. Dicite miraculum, prope incredibile; quomodo maris in modum condensati innumerorum hominum populus unum continuum corpus universi erant, tamquam aqua quædam circa tabernaculi pompam æstuantes. Quomodo præclarus David multifariam multisque modis in innumeros ordines se distribuens, inter diversæ simul et ejusdem linguæ homines circum tabernaculum tripudiabat. Quomodo utrimque ignei amnes continua facum serie, tractu perpetuo fluentes, quoad oculi longissime prospicere poterant, porrigebantur. Exponite studium populi totius, Apostolorum sodalitium. Quomodo sudaria faciei ejus ad præsidium atque custodiam fidelium discerpebantur. Adjiciatur narrationi Imperator mœrens ob calamitatem, atque e solio exsurgens; totaque civitas cum pompa Sancti simul pertransiens.

*AUCTORE J. B.*

*cum innumeris facibus,*

*multis reliquias poscentibus, mœrente Imperatore.*

92 *Translationem S. Meletii ita breviter lib.* 5 *cap.* 9 *attingit Socrates* : Corpus Meletii Antiochiam necessarii ejus transportarunt. *plenius Sozomenus lib.* 7 *cap.* 10. Circa idem tempus reliquiæ Meletii translatæ sunt Antiochiam, juxtaque S. Babylæ tumulum conditæ. Dicuntur vero per omnem regiam viam Imperatoris mandato intra mœnia in civitates introductæ, præter consuetudinem Romanis usitatam; et alternatis psalmorum cantibus unoquoque in loco B honoratæ, donec Antiochiam usque deferrentur. *Idem habet Nicephorus Callistus lib.* 12 *cap.* 14, *additque* : Tantum autem viri desiderium animis hominum erat impressum, ut illius effigiem in parietibus et tabulis et annulis efformari curarent.

*Reliquiæ honorifice translatæ Antiochiam,*

93 *Hæc postrema ex oratione S. Joannis Chrysostomi hausta sunt, quam ille Antiochiæ quinquennio post Meletii obitum habuit. Eam infra dabimus, jam olim a Lipomano et Surio vulgatam; sed ad editionem Frontonis Ducæi nostri; qui eam cum duobus MSS. Græcis contulerat, subinde emendatam. Ex ea oratione in Synodo* II *Nicæna, sive* VII *œcumenica, pro cultu sacrarum imaginum recitatum Act.* 4 *testimonium est a* Demetrio Diacono et Armamentario sanctæ Ecclesiæ magnæ Constantinopoleos. *Idem antea citarat S. Joannes Damascenus orat.* 2 *de Imaginibus sub finem, in hunc modum* : Idem Joannes Chrysostomus in oratione, qua Meletium Episcopum Antiochiæ et Martyrem, eorumque qui convenerant studium collaudavit, cujus initium est : In omnes sacri hujusce gregis partes oculos conjiciens *etc. Vocat* Martyrem, *quia, licet occisus non sit, passus tamen plurima ab Arianis, multa quoque a Macedonianis divinitatem Spiritus sancti impugnantibus. Ita de eo innuit Gregorius Theologus* :

*S. Chrysostomi 5 annis post habita oratio*

*S. Meletius a S. Jo. Damasceno* Martyr *appellatus,*

Ὃς πόλλ' ἀνέτλη Πνεύματος θείου χάριν.
C Qui multa passus est Spiritus divini gratia.

94 *Nacti eramus Græcam Vitam S. Meletii e bibliotheca Christianissimi Regis, hoc exordio :* Βίος ἐν συντόμῳ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Μελετίου ἀρχιεπισκόπου Ἀντιοχείας. Compendium Vitæ S. P. N. Meletii Archiepiscopi Antiocheni. *Verum quia excerpta erat ex historia Theodoreti, ipsismet ejus verbis, non duximus seorsim dandam, cum non ex uno illo scriptore, sed et aliis antiquioribus acta ejus colligere satius videretur.*

*ejus Vita Græca ex Theodoreto.*

95 *Extat hoc S. Meletii elogium in Menæis Græcorum ad diem* XII *Februarii* : Hic propter eximiam virtutem, ac puram erga Christum caritatem, tantum sibi multorum amorem conciliarat, ut ipso etiam initio, cum primum in urbem venit, et quando consecrationi ejus præstituta Dominica dies aderat, certatim quisque studio illius ductus in ædes eum suas advocaret, eas illius ingressu sanctificandas rati. Triginta, eosque non totos, Antiochiæ dies fuerat, cum ab hostibus veritatis ejicitur, Imperatore perversis eorum cedente consiliis, Deoque id permittente. Ubi vero illa resedit nefaria persecutio, reversus, plusquam duos annos Constantinopoli exegit. Rursum D deinde eum Imperatoris litteræ in Thraciam evocarunt, quemadmodum et alii Episcopi ex variis provinciis eo confluebant, et ipsi augustalibus accersiti edictis; ut Ecclesiæ post diuturnam tempestatem respirantes, principium tandem pacis et tranquillitatis nanciscerentur. Tunc igitur Magnus hic cum apud omnes in summa esset admiratione, animam Deo reddidit, quievitque in pace in extera regione. Beatum hunc venerabilis Chrysostomus et Gregorius Nyssæ Episcopus encomiis celebrarunt. *Eadem habentur in Anthologio Græco Antonii Arcudii, et* Βίος Ἁγίων *Maximi Cytheræi. Sed quod plusquam duos annos exegisse Constantinopoli dicitur, haud dubium mendum est. Nam cum non nisi mortuo Valente reversus sit Antiochiam, sub autumnum fortassis anni* CCCLXXVIII, *cumque ab eo tempore ad Februarium anni* CCCLXXXI *non nisi duo anni et menses aliquot intercesserint; quid temporis superfuerit ad eos controversias, quas diximus Antiochiæ agitatas ac decisas, et ad alia quæ egisse memoratur? Quid autem tamdiu egit Constantinopoli? Cur non eum illic invenit mense Novembri anni* CCCLXXX *Theodosius? Aut cur ille tum Constantinopoli discessit, cum adventaret orthodoxus Imperator, apud quem religioni plurimum posset patrocinari? Videtur ergo potius post reditum ab exilio commoratus Antiochiæ annos duos paulloque amplius : inde profectus Constantinopolim, post non integrum bimestre e vita migrasse.* E

*Elogium ex Menæis Græcorum :*

*correctum :*

96 *Eodem, quo in Menæis, die celebris illius in Martyrologio Romano memoria, atque apud Galesinium, Molanum, Canisium. Quamquam Molanus in* 1 *edit. eum* XIV *Februarii posuerat, uti et Ferrarius. MS. Florarium* X *Junii ista de eo habet* : Apud Antiochiam Meletii Ep. et Confessoris. Claruit an. Salutis CCCLXXXI. *At Maurolycus* IV *Decembris, ubi S. Meletium Ponti Episcopum retulit, ista subdit* : Item alterius Meletii Ep. Antiochiæ, qui de Sebasta Armeniæ, non solum eruditione illustris, sed etiam vitæ sinceritate magnus extitit.

*nomen in Martyrologiis*
*12 Febr.*
*14 Febr.*
*10 Junii,*
*4 Decembr.*

ORATIO S. JOAN. CHRYSOSTOMI

# IN LAUDEM S. MELETII.

## CAPUT I.

### *Antiochenorum erga Meletium studium.*

Per venerandum et sacrum hunc gregem oculos ubique circumferens, et universam civitatem adspiciens hic præsentem, nescio quem prius beatum pronuntiem; Sanctumne Meletium, quod vel post mortem tanto honore fruitur; an vestram caritatem, F quod tantam in vestros Pastores benevolentiam etiam post decessum ostenditis. Beatus enim ille, quod tantum amorem vobis omnibus potuerit immittere : beati vos quoque, quod cum caritatis depositum acceperitis, eam ei, qui deposuit, integram hucusque perpetuo conservaveritis. Quintus enim annus jam præterit, ex quo ille migravit ad Jesum, quem desiderabat, et perinde ac si heri et nudiustertius eum vidissetis, tam ferventi amore ad eum hodie accessistis. Propterea beatus ille est hodie judicandus, quod tales genuerit filios. Beati autem estis vos quoque judicandi, quod vobis obtigerit, ut talem patrem haberetis. Egregia est radix et admirabilis : sed fructus quoque non sunt indigni hac radice. Etenim quomodo radix quæpiam admirabilis, quæ latet in sinu terræ, ipsa quidem non apparet, per fructus autem ostendit vires suæ virtutis; ita etiam B. Meletius in hac capsa conditus, ipse quidem non cernitur a nobis oculis corporis; per vos vero, qui estis fructus, suæ gratiæ vires ostendit. Et licet nos quidem sileamus, sufficit dies festus et fervor vestri studii, ad tumbam clarius proclamandum S. Meletii in vos amorem, tamquam in filios. Sic enim vestras mentes accendit

*Antiocheni erga S. Meletium pii;*

A accendit ad sui amorem, ut vel ad solum nomen incalescatis, et excitemini ad ipsam appellationem.

2 Propterea ego quoque nunc non temere, sed studio et dedita opera, id in meis verbis annecto assidue, et perinde ac quispiam qui coronam texit auream, margaritas deinde inserens, gemmarum frequentia præclarius efficit diadema; ita ego quoque beato ejus capiti coronam texens encomiorum, veluti margaritarum quarumdam frequentiam, orationi adtexo continuationem ejus appellationis, sperans fore, ut sic eam jucundiorem reddam et splendidiorem. Solent enim amantes eorum, quos amant, vel nuda complecti nomina, et incalescere ad ipsas appellationes. Quod vobis quoque in hoc Beato usuvenit. Nam cum eum a principio in civitatem ingressum excepissetis, unusquisque filium suum appellabat ab illius appellatione: per appellationem existimans unusquisque in domum suam Sanctum illum introducere, patresque, avos et proavos, matres prætereuntes B. Meletii nomen imponebant liberis, quos peperant. Naturam enim vincebat amor pietatis: et deinceps qui nascebantur, non ex naturali solum benevolentia, sed etiam ex affectione ad illam appellationem, erant cari parentibus. Ipsum enim nomen et ornamentum cognationis, et ædium tutelam, et ita vocatis salutem, et amoris solatium esse existimant: et perinde

*etiam viventis, nomen liberis passim imponebant.*

B ac si quidam, qui sedebant in tenebris, cum una lampas accensa fuerit, multas accedentes lucernas, unusquisque infert in domum suam; ita etiam cum illa appellatio, tamquam lumen incidisset in civitatem, unusquisque tamquam lucernam accedens, introduxit in domum suam Beati tunc illius nomen, veluti quemdam thesaurum bonorum innumerabilium, per illius afferens appellationem: eratque id, quod fiebat, doctrina magnæ caritatis et pietatis. Nam cum assidue cogerentur meminisse illius appellationis, et illum Sanctum complecti animo, habebant hoc nomen tamquam arma quædam, quibus fugabatur quævis a ratione aliena affectio et cogitatio: fuitque id adeo frequens, ut ubique in biviis, in foro, in agris et in viis hoc nomen undique circumsonaret.

3 Non ad nomen autem solum adeo fuistis affecti, sed ad ipsam etiam figuram corporis. Quomodo enim fecistis in nominibus, hoc etiam fecistis in illius imagine. Etenim in palis annulorum, et in poculis, et in phialis, et in thalamorum parietibus, et ubique sacram illam multi expresserunt imaginem: ut non solum audirent sanctam illam appellationem, sed etiam ubique viderent figuram corporis, et ejus peregrinationis duplicem haberent consolationem.

*ejusque imaginem certatim exprimebant.*

C

## CAPUT II.

### *S. Meletii exilium, reditus.*

Etenim cum primum fuit ingressus, fuit expulsus e civitate, inimicis veritatis eum expellentibus. Deus vero id concessit, simul et illius virtutem et vestram fortitudinem volens ostendere. Cum enim ingressus, sicut Moyses in Ægyptum, liberasset civitatem ab errore hæresis, putridisque membris et immedicabilibus a reliquo corpore amputatis integram restituisset sanitatem Ecclesiæ multitudini; inimici veritatis non ferentes correctionem, cum movissent eum, qui tunc imperabat, expulerunt eum ex hac civitate, expectantes fore, ut veritate essent superiores, et everterent correctionem eorum, quæ facta fuerant. Evenit autem contra quam expectabant, magisque fuit evidens vester zelus, et resplenduit demonstratio illius scientiæ, ad docendum accommodatæ: illius quidem, quod triginta diebus, nec iis quidem integris, tantum potuit, ut postea irruentibus spiritibus innumerabilibus, illabefacta et inconcussa manserit

*civium fide confirmata,*

*ab hæreticis post 30 dies ejicitur.*

D illa doctrina: fervor autem vester se aperte ostendit, quod triginta et nec iis quidem integris diebus, tam accurate suscepistis, quæ dejecta fuerant ab illo, semina, ut ad profundum mentis radices transmiseritis, et nulli deinceps illatæ de cetero cesseritis tentationi.

AUCTORE J. B.

5 Operæ pretium est autem, ne illud quidem prætermittere, quod accidit in ejus persecutione. Nam cum Præses civitatis curru vectus exiret per medium forum, et prope fecisset sedere illum Sanctum, lapides nive crebriores undique in caput Præsidis ferebantur, civitate nequaquam ferente separationem, sed potius volente privari vita præsenti, quam videre Sanctum illum avelli. Quid ergo tunc fecit ille Beatus? Cum vidisset jactus lapidum, complexus suis vestibus contexit caput Præsidis: simul et inimicos pudore afficiens ob insignem mansuetudinem, et suos docens discipulos, quantam ostendere oporteat patientiam in eos, qui injuria afficiunt; et quod non solum nihil oporteat eis mali facere, sed etiam si ab aliis eis immineat periculum, id quoque omni studio propulsare. Quis tunc non fuit obstupefactus, videns et insanum amorem civitatis, et summam philosophiam, lenitatemque et mansuetudinem Meletii? Erant enim admirabilia ea, quæ tunc acciderunt.

*Præsidem a lapidatione defendit:*

E Pastor abigebatur, et oves non dispergebantur. Gubernator expellebatur, et scapha non mergebatur. Agricola fugabatur, et vitis plus fructus ferebat. Quoniam enim vinculo caritatis eratis inter vos invicem colligati, non illatæ tentationes, non impendentia pericula, non viæ longitudo, non diuturnitas temporis, neque quidquam aliud potuit vos disjungere a beati pastoris Meletii consuetudine.

6 Sed expellebatur quidem, ut esset procul a filiis: contigit autem contrarium. Magis enim vobis constringebatur vinculis caritatis: et cum secum universam accepisset civitatem, in Armeniam profectus est. Et erat quidem corpus positum in patria, mens vero et cogitatio, veluti a quibusdam pennis in altum elata a gratia Spiritus et apud vos perpetuo degens, universum hunc populum circumferebat in illius visceribus. Quod ipsum quoque vobis usuveniebat. Nam cum hic sederetis, et urbe circumscriberemini, spiritu caritatis in Armeniam quotidie evolantes, sanctum vultum intuentes, et jucundissimam beatamque vocem exaudientes, sic revertebamini. Et propter hanc caussam concessit Deus eum statim expelli e

*mittitur exul in Armeniam, patriam suam:*

F civitate, ut, sicut dixi, ostenderet Deus vestram fidei firmitatem inimicis, qui vos bello oppugnabant, et illius in docendo peritiam. Illud autem hinc est apertum.

7 Nam post primam reversus persecutionem, non triginta solum dies, sed etiam menses, et annum unum et duos et plures hic est versatus. Nam cum satis magnum dedissetis argumentum vestræ circa fidem firmitatis, dedit vobis potestatem jucunde et et secure fruendi Patre: erat enim maxima voluptas, frui illo sancto vultu. Non enim solum docens nec loquens, sed etiamsi solum videretur, satis erat ad introducendam omnem virtutis doctrinam in eorum, qui videbant animam. Quando enim ad vos veniebat, et universa civitas ei obviam processerat, alii quidem prope accedebant, et pedes prehensabant, et manus osculabantur, et vocem audiebant: alii autem prohibiti a multitudine, ipsum solum videntes, tamquam qui sufficientem benedictionem ex adspectu accepissent, et non minus habuissent quam qui prope fuissent, contenti recedebant: et quod fiebat in Apostolis, hoc in eo quoque contingebat. Quomodo enim in Apostolis, qui progredi et propius accedere non poterant, cum umbra eorum extenderetur, et tangeret eos qui procul erant, eamdem attrahebant gratiam, et sani similiter recedebant; ita nunc quoque, qui non poterant accedere, tam-

*reversus summo populi studio recipitur:*

Actor. 5. 15.

A quam aliquam spiritalem gloriam a sancto illo capite emissam, et ad eos qui longissime aberant pervadentem sentientes, etiam ab eo omni benedictione ex solo adspectu repleti omnes discedebant.

AUCTORE S. IO. CHRYSOSTOMO.

### CAPUT III.

### *S. Meletii mors, translatio.*

Cum autem visum esset communi Deo universorum, eum vocare ex vita præsenti, et eum referre in chorum Angelorum, nec hoc quidem factum est temere. Sed ipsum quidem vocant litteræ Imperatoris, cum Deus movisset Imperatorem: vocant vero ipsum non in propinquum locum, sed in ipsam Thraciam. Quamobrem? Ut et Galatæ et Bithyni et Cilices et Cappadoces, et omnes qui Traciæ vicinas regiones habitant, nostra bona cognoscerent: ut qui erant ubique terrarum Episcopi, tamquam in archetypum exempla, in illius sanctitatem intuentes, et apertum exemplum ab illo accipientes, sui in hoc munere officii certissimam et clarissimam haberent regulam, quemadmodum oporteat administrare et regere Ecclesias. Nam propter urbis magnitudinem, et quod illic resideret Imperator, multi ex multis locis orbis terræ illuc tunc confluebant. Episcopi autem Ecclesiarum, propterea quod Ecclesiæ a longo bello et tempestate respirantes, acciperent principium pacis B et tranquillitatis, litteris Imperatoris omnes illuc vocabantur. Tunc ergo hic quoque Sanctus illuc accedit. Quomodo enim in tribus pueris accedit, quando erant publico præconio renuntiandi et coronandi, extincta vi ignis, fastu tyranni conculcato, confutato omni genere impietatis, ex universo orbe terræ erant eis congregati spectatores. Nam qui ubique terrarum erant Satrapæ, Consules et Toparchæ, vocati quidem erant propter aliam causam, illos autem spectaverunt athletas: etiam tunc accidit: ut præclarum fieret B. Meletio theatrum. Propter aliam caussam vocati Episcopi, qui ubique terrarum administrabant Ecclesias, accesserunt, et Sanctum illum sunt contemplati.

*a Theodosio Constantinopolim evocatur.*

*ad concilium œcumenicum.*

Daniel. 3.

9 Postquam autem eum adspexissent, et accurate ejus didicissent pietatem, sapientiam, atque zelum fidei, ut qui perfectam et absolutam in se haberet omnem virtutem, quæ decet Sacerdotem, tunc eum ad se vocavit Dominus. Factum est vero id quoque, ut levius ferret nostra civitas. Nam si hic emisisset animam, futurum erat intolerabile pondus calamitatis. Quis enim sustinuisset videre Beatum illum extremum emittentem spiritum? Quis sustinuisset videre illa cilia oculorum deprimi, osque claudi et C mandata edere novissima? Quis hæc adspiciens non a se discessisset magnitudine calamitatis? Ne hoc ergo accideret, providit Deus, ut in aliena regione animam exhalaret: ut tempore, quod intercessit, hanc maximam præmeditati calamitatem, cum videremus ingredi corpus, ne animo consternaremur, cum mens jam esset assuefacta luctui. Quod etiam factum est. Cum enim venerandum illud corpus excepit civitas, luxit quidem et valde ejulavit; sed luctum cito repressit, tam propter caussam quam diximus, quam propter eam quæ est dicenda. D

*moritur*

*corpus Antiochiæ reportatur.*

10 Benignus enim et clemens Deus misertus nostri doloris, alium cito nobis dedit Pastorem, qui pulchre exprimebat et conservabat formam omnis illius virtutis. Qui cum Sedem ascendisset, humili et lugubri veste nos statim exuit, et dolorem extinxit: Beati autem Meletii magis memoriam renovavit. Et dolor quidem flaccescebat, amor vero accendebatur vehementius, et omnino sublata fuit animi ægritudo. Quamquam in amissione eorum, qui sunt carissimi, non ita solet evenire. Sed quando quis filium carissimum, vel etiam reverendum maritum amiserit mulier, quamdiu quidem ejus ferventem conservat memoriam, vehementior luctus alitur in animo: quando vero succedens tempus luctum emollierit, simul cum vehementia doloris extincta est etiam, quæ vigebat, memoria. In hoc autem Beato Meletio accidit contrarium. Nam animi quidem ægritudo fuit omnino et ejecta, recordatio vero non simul abiit cum dolore, sed aucta est vehementius.

*Flavianus ei succedit, populo gratus*

E

11 Testes autem estis vos, qui post tantum tempus, non secus ac apes favum, circumvolatis corpus B. Meletii. Caussa vero erat, non a natura ortus in illum amor, sed discretionis rectæ ratiocinatio. Propterea non fuit morte extincta S. Meletii memoria, tempore non emarcuit: sed augetur et majus accipit incrementum, non eorum solum qui viderunt, sed etiam eorum qui non viderunt. Est enim hoc quoque admirabile quod qui fuerunt illius vitæ tempore juniores, ii quoque accenduntur ad idem desiderium. Atque vos quidem senes in hoc solo superatis eos qui non viderunt, quod cum eo versati estis, et fructum percepistis sanctæ ejus consuetudinis. Qui autem non viderunt, vos superant, quod cum virum non adspexerint, in ipsum non minus desiderium ostendunt.

*Sepulchrum a populo pie frequentatum.*

12 Oremus itaque omnes, tam magistratus, quam privati; tam mulieres, quam viri; tam senes, quam juvenes; tam servi, quam liberi; B. Meletium harum precum socium accipientes (est enim ei nunc major fiducia, et amor in vos ferventior) ut hæc nobis augeatur caritas, et nos omnes obtineamus, quomodo hic sumus prope arcam istam, ita illic quoque posse esse prope beatum et æternum ejus tabernaculum, et consequi bona æterna, quæ sunt reposita. Quæ F detur nobis omnibus consequi, gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi: cui gloria et potentia simul cum sancto et vivifico Spiritu, nunc et semper et in secula seculorum, Amen.

J. B.

# DE S. GAUDENTIO

## EPISCOPO VERONENSI IN ITALIA.

XII FEBR.

*S. Gaudentii elogium,*

*Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, ac dein S. R. E. Cardinalis, in libro de Sanctis Episcopis Veronensibus* S. Gaudentium *hoc encomio condecorat*: Gaudentius, Episcopus Veronæ, verbo et exemplo animas sibi a Domino creditas pascebat. Mirabiliter cum vitæ sanctitate ejus consentiebant sermones: in quibus cum ingens ardor caritatis appareret, magna etiam ad persuadendum inerat efficacia. Innumerabiles animas lucratus est Christo: obiit pridie Id. Februarii: ejus corpus conditum est in ecclesia S. Stephani. *Eadem fere habet Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, et Ferdinandus Ughellus tom. 5 Italiæ sacræ.*

2 *Ejus reliquias tradit idem Valerius intra arcam marmoream antiquam in æde S. Stephani, cum aliorum quatuor Episcoporum exuviis, asservari; idque ex gemina inscriptione constare. Agit autem de iisdem reliquiis alibi quoque in libro citato. Nomen* S. Gaudentii *hoc die Martyrologio Romano inscriptum, extat et apud Galesinium. Est autem* basilica S. Stephani Veronæ, *ut scribit Onuphrius Panvinius Antiquit. Veronensium lib. 4 cap. 4,* inter vetustissimas ejus civitatis ecclesias, primis Christianorum temporibus, paullo extra urbis portam, loco qui dicebatur ad Fonticulos, via Tridentina, ædificata, quæ aliquando Cathedralis fuisse traditur. *Subdit deinde,* in ea esse condita corpora

*reliquiæ*

*in ecclesia S. Stephani antiquissima*

A pora multorum sanctorum Veronensium Episcoporum... S. Gaudentii, et quatuor aliorum, in arca marmorea pone ipsam aram quiescere.

ætas incerta.

3 Idem Panvinius cap. 7 libri citati, recensitis XI Episcopis Veronensibus antiquis, addit alios complures ex Calendario, incerti temporis et ordinis : et in his septimus est S. Gaudentius. Baptista Perettus in Catalogo Episcoporum Veronensium, S. Gaudentium XXXIX loco statuit, post Poternum, qui circa annum CCCCXX vixisse traditur. Ughellus multo ante ponit, nimirum ordine XV, licet XIV scribat. D

AUCTORE J. B.

# DE S. SIMPLICIO
## EPISCOPO ET CONFESSORE.

J. B.

XII FEB. S. Simplicii Ep. Conf. natalis:

Sanctorum Tabulis inscriptum olim, ad XII Februarii, S. Simplicii Episcopi Confessoris nomen. Quinam tamen is fuerit, non liquet. De eo Beda et Rabanus : Depositio Simplicii Ep. et Conf. Vetustissimum MS. Martyrol. Romanum, quod S. Hieronymo tribuitur, et MS. Ecclesiæ S. Lamberti Leodii : Depositio Simplicii Ep. Duo item pervetusta MSS. Martyrologia monasteriorum Lætiensis et S. Martini Tornaci : In Italia depositio S. Simplicii Episcopi. Nullum in Italia Simplicium Ep. Confess. reperio, præter Veronensem, cujus ætas incerta; nomen ad XX Novembris inscriptum Martyrologio Romano a Baronio et Galesinio, Sanctorumque Italorum Catalogo a Ferrario. Ast hi omnes ab Augustino Valerio Episc. B Veronensi et Cardinale acceperunt, qui in libro de SS. Veronensibus ejus meminit, traditque eo die agi illius memoriam. Dubitare quis possit, an non hic idem sit Simplicius Episcopus in Italia in multo antiquioribus Fastis huic diei adscriptus, cujus sint die XX Novembris vel reliquiæ translatæ, vel alia caussa decreta veneratio.

Simplicius Ep. Bituricen. an Sanctus?

2 MS. Florarium SS. ita habet : Depositio S. Simplicii Bituricensis Ep. Appellatur hic quidem Sanctus a Claudio Roberto in Gallia Christiana et Joanne Chenu Biturige, in Catalogis Episcoporum Bituricensium. At neque in Hagiologio Francogalliæ Francisci Labbei nostri, neque in copiosissimo Martyrologio Gallico Andreæ Saussaii, extat illius nomen. Præstantem alioqui virum fuisse, constat ex Sidonii Apollinaris ep. 8 lib. 7, et concione quam in ecclesia Bituricensi habuit, cum Simplicium suo electum arbitrio Episcopum renuntiaret : quam deinde orationem misit S. Perpetuo Turonensi Episcopo, qui eum petierat, ut patet ex ejusdem lib. 7 ep. 9. Verum quia nobis non satis constat, an is sit publice inter Cælites relatus, nedum an ille idem sit, qui hoc die recensetur in Martyrologiis, ista ejus encomia non persequimur. Florarium enim illud, quia antiquum non est, certam apud nos auctoritatem haud obtinet, etsi diligenter alioqui contextum. E

NOT. 26

# DE S. RIOCO MONACHO
## LANDEVENECI IN BRITANNIA ARMORICA,

G. H.

### Commentarius historicus.

SECULO V XII FEBR. Landevenecii in Britannia Armorica,

Landevenecum in inferiore Britannia Armorica visitur antiquum monasterium, in interiore portu Brestio, ubi fluvius Aufena ad latus sinistrum influit, versus Corisopitum, in cujus diœcesi illud continetur. Bertrandus Argentreus in Historia Britanniæ lib. 1 cap. 23 fundatorem hujus monasterii facit Gradlonem Regem secundum Britanniæ; alii Gradlonum appellant Regem Cornubiæ, cujus ditionis metropolis est Corisopitum, seu civitas Curiosolitanorum, vulgo Quinper-corentin, a S. Corentino ita dictum, quem rogante eodem Rege creditur S. Martinus Episcopus Turonensis istic ordinasse primum Episcopum. Colitur S. Corentinus Ecclesiæ Cathedralis atque urbis Patronus XII Decembris : quo die traditur vita functus C sub initium seculi quinti. Ab hoc Episcopo consecratus fertur S. Winwaloeus primus Landevenecii monasterii Abbas, sub quo vixit in eodem monasterio S. Riocus.

sub S. Winwaloeo vixit S. Riocus

hujus Vita ex quibus monumentis sit concinnata,

2 Albertus Magnus de Morlaix in Vitis Sanctorum Britanniæ ad XII Februarii profert Acta S. Rioci, Gallice concinnata ex antiquis codicibus monasteriorum Landevenecii et Douglassi, ex antiquo item libro, qui ad usum chori in ecclesia parochiali Plouneventrensi Leonensis diœcesis adservatur, usus etiam antiquo Chronico Britanniæ auctoris anonymi, adjunctis denique collectaneis Ivonis Magni, Canonici S. Pauli Leonensis, et Conciliarii Francisci II Ducis circa an. CIƆCCCCLXXII. Quæ omnia innuunt diligentiam auctoris : dolendum singula haud satis examinata, sed multa veris falsa immixta. Sola lucem aliquam S. Winwaloei Acta ostendunt. Ea nobis ex MS. Britannico a Jacobo Bernardo Societatis Jesu Sacerdote submissa, in duos libros et appendicem Miscellaneorum distincta. Libro autem 2, cap. 12. cui hic titulus De resuscitatione matris S. Rioci ista habentur :

nec satis solida; secundum Acta S. Winwaloei

3 Nuntiatum est S. Rioco S. Guingaloei discipulo matrem suam ægrotare : quod ut scivit ipse, eam invisere cupivit. Cujus rei accepta a Patre licentia (qui tamen, Deo revelante, noverat ipsam esse demortuam) perrexit ille tamen, aqua benedicta a Sancto accepta, et ad matrem accedens, putansque vivere eam, aspersit aqua illa, et dixit : Dominus Jesus Christus, in cujus nomine magister meus multas fecit virtutes, te sanare dignetur. Deridebant autem eum omnes, scientes quod mortua esset. At illa surrexit quasi de somno gravi tergens sudorem, superque lecto residens. Ad hæc, qui Sanctum deriserant, prostrati in terram dixerunt : Vere proximus Deo est ille, per cujus invocationem discipulus ejus, licet absentis, fecit hanc virtutem. Hæc ibi, quæ in alia Vita ex codice MS. monasterii Marchianensis ita leguntur : Quædam matrona, unius ex discipulis ejus nomine Hrioci mater, fuerat infirmata. Ut hoc audivit filius, matrem suam visitare voluit, portansque secum aquam a Magistro benedictam, jam biduo defunctam invenit. Mox ergo ut a filio suo ex aqua benedicta fuit aspersa, invocato S. Winwaloei nomine, resuscitata est. Tertia nobis Vita est S. Winwaloei ex codice MS. Ultrajectino S. Salvatoris, in quo, non indicato S. Rioci nomine, eadem ex prima Vita, sed paullo contractius, referuntur : adduntque, Cum ad locum, ubi mortua jacebat, venisset, omnes, qui circa eum erant, ejecisse foras.

matrem a morte suscitavit, F

aspergens aqua a magistro benedicta,

4 Quartam denique Vitam MS. habemus, in qua, omisso etiam nomine S. Rioci, paullo aliter ea narrantur hisce verbis : Erat materfamilias in vicinia gravi languore ad mortem usque fatigata : cujus filius in monasterio, ipsius viri Dei instituebatur magisterio : qui materna compulsus pietate, sua eam relevare studuit visitatione. Iturus autem benedictam a Magistro aquam accepit, et fiducialiter quasi ad ægrotam

A tam accessit : sed ipsa jam mortua ad loca pœnarum est deducta, sicut viro sancto orationibus intento Divina innotuit revelatio. Circumstetere autem cadaver exanime amici flentes, et exequias funereas præparantes. Puer autem veniens, et jam defunctam adhuc sperans viventem, aqua eam sanctificata aspersit, et clara voce dixit : Sanet te noster Dominus Jesus Christus, in cujus nomine Magister meus tot sanitatum remedia operatur circa languentes. Ad hanc vocem quasi de somno excitata surrexit, et tamquam de labore regressa, maximo sudore perfusa in lectulo resedit. Mox omnes, qui aderant proni in faciem corruerunt, et Deum tanto miraculo Sanctum suum mirificantem magnifice laudaverunt. *Hæc ibi, quæ eadem apud Surium sed stylo mutato, narrantur. Nos* III *Martii Acta integra dabimus.*

AUCTORE G. H.

*quam adhuc vivere putabat,*

5 *Albertus Magnus de Morlaix in Vita S. Winwaloei hunc a S. Rioco, de quo* XII *Februarii egerat, alium ratus, Sanctum haud nuncupat, uti iteratis vicibus appellatur in antiquo MS. codice Britannico. Addit præterea matris cadaver jam sarcophago inclusum fuisse, hunc filii jussu apertum, ac dein matrem suscitatam. Verum quomodo, ut Acta habent,* putasset S. Riocus matrem vivere, *aut* sperasset adhuc viventem? *Quomodo dixisset,* Sanet te, *aut* sanare dignetur Christus, *et non,* Resuscitet te Christus! *Jacuit ergo instar*

*non sarcophago inclusam,*

*sed in lecto jacentem :*

B *dormientis in lecto, et* surrexit *a morte* quasi de somno, *et* super lecto resedit *Idem Morlaix in Actis S. Rioci hujus matrem asserit pissime vita functam, a filio annos* XV *aut* XVI *nato sepultam esse : qua sane ætate fuisse Riocus videtur, cum mater jam sepulturæ mandanda, suscitata est.* Instituebatur *namque* magisterio viri Dei, *quod tironum est : imo et* puer *appellatur.*

6 *Fuit autem hæc matrona suscitata seculo Chr. quinto, cum post persecutionem Diocletiani et Maximiani successorumque ac pacem a Constantino Magno Ecclesiæ datam, centum aut amplius elapsi essent anni : sub quo tamen Constantino dicitur in illis Actis natus S. Riocus, atque ab immani dracone devorandus, nisi Neventerius et Derienus, ex insula Britannia primæ nobilitatis viri, a peregrinatione Hierosolymitana, ubi a S. Helena Constantini matre hospitio fuerant excepti, reduces eo venissent, belluamque formato Crucis signo captam S. Rioco infanti ducendam tradidissent, jussissentque tandem præcipitem in mare ruere, metum illius eximi regioni. Pater ejus, nomine Elornus, dicitur ob draconis terrorem semet in flumen præcipitasse, ideo ab ejus nomine Elornum dictum, ad cujus ripam castri Rochæ dominus vixerit, et quidem contra fidem Neventerio et Derieno datam, in idolorum cultu obfirmatus,*

*an sub Constantino Magno natus S. Riocus infans draconem immanem duxerit?*

*an a patre expulsus cum matre ob fidem Catholicam?*

C *uxorem et filium Riocum in fide institutos, et sacro baptismo ablutos, domo expulerit, mandaritque, ne unquam in suum conspectum redire auderent. Hæc ibi de patre S. Rioci. At nobiles illos Britannos in indice sub calcem libri inter Sanctos suæ Britanniæ numerat Morlaix, et* S. Deriano *apponit* VII Februarii, *quasi is dies ejus cultui sacer esset. Quo ista fundamento nitantur assequi nequimus.* D

7 *Optima ergo mulier cum se absque ulla reconciliationis spe ædibus suis ejectam cerneret, dicitur cum S. Rioco filio se recepisse in prædium quoddam suum, nomine Arx-forestum, atque illic in sacello erecto reliquos vitæ dies in omni sanctitate peregisse. A cujus obitu S. Riocus, divenditis bonis suis, et pecunia in pauperes erogata, traditur ad sinum alvei Brestensis secessisse, sibique ad Cornubiæ oram locum desertum, ac mari undique fere cinctum delegisse, et quadraginta et unum annos anachoreticam vitam in magna austeritate duxisse, herbis solum et parvis pisciculis contentus, simplici tunica, quam ex musco silvestri confecerat, frigus depellens. Hunc tandem senem S. Winwaloeus dicitur invisisse, atque ex illo deserto loco in suum monasterium Landevenecum adduxisse, habituque monastico Ordinis sui donasse : ubi post aliquot annos cum magna sanctitatis opinione vitam finierit, miraculis etiam post mortem clarus, quem S. Budocus Episcopus Dolensis, legitimo examine instituto, inter Sanctos recenseri comprobavit circa annum* DCXXXVII. *Narrantur ista prolixius ab Alberto.*

*an 41 annis deserto anachoreta vixerit*

*et postea Landevenecum venerit?*

8 *Ut autem hæc aliaque ante ex Actis S. Winwaloci relata uni eidemque possint convenire, tempora, quibus scribuntur contigisse, non permittunt. Quid si juvenis sub S. Winwaloeo, ut quadruplicia hujus Acta volunt, Landevenecí vixisse dicatur? ac deinde provectiori ætate, ut plurimi illis temporibus, amore arctioris disciplinæ in solitudinem secesserit, ubi ad decrepitam ætatem permanserit, dein morbis ac senio fractus, ante obitum ad monasterium redierit? Quæ scriptor non satis perspicax temporibus confusis, inverterit, auidem fabulam secutus, qui, sicut Icarum mari Ionio, sic Elorno amni patrem S. Rioci fecisse nomen existimavit, cum ante Durdunus diceretur. Damus* XIII *Februarii Acta S. Ermenildæ Reginæ, cujus maritus* Wulfherus *Rex Merciorum, eximius fidei Christianæ propagator, fingitur a plurimis scriptoribus* Wulfhadum *et Ruffinum habuisse filios, eosque in odium religionis Catholicæ barbara immanitate trucidasse : quorum passionis historiam fabulosam etiam MS. habemus, et ad illum diem refutamus. An simili etiam modo S. Riocus ejusque mater, quod se fidei Christianæ addixissent, ab Elorno parum credibiliter, dicantur in exilium acti, non liquet : numque ad tragœdiam complendam immanis draco fuerit adjunctus. Certiora ab ipsis Britanniæ Armoricæ incolis, accuratoribusque veritatis indagatoribus, erui forsan queunt.*

E

*num potius e monasterio ad eremum secesserit?*

*Quid de origine nominis Elorni flu.*

*exilio S. Rioci et matris,*

*ac dracone sentiendam*

F

9 *Quod ad Oceanum Britannicum in diœcesi Briocensi extat illustre Belli-portus monasterium Ordinis Præmonstratensis, adservat inter alias Reliquias caput* S. Rioni, *ut tradit idem Morlaix in ultimo Indice, eorum scilicet Sanctorum, quorum Acta non potuit nancisci. An idem hic* Rionus *qui* Riocus? *Deest nomen utrumque in Martyrologio Gallicano Saussaii.*

*Caput S. Rioni apud Bellum portum.*

# DE S. BASILIO

## MONACHO RATENSI IN GALLIA.

G. H.

XII FEB.

Andreas *Saussaius in Appendice Martyrologii Gallicani pagina* 1247 *profert* nomina aliquorum, *ut præfatur,* ad Gallias spectantium, non ita cognitorum, ex vetustissimo monasterii PP. Benedictinorum S. Sabini, seu Savini, de Levitania, in Montibus Pyrenæis in agro Tarbiensi, Martyrologio MS. abhinc circiter quingentis annis in pergameno exarato : *in quo hæc* XII *Februarii habentur :* In insula Ratensi S. Basilii monachi. *Quo eodem die Martyrologium MS. Lætiense in Hannonia :* Et in insula Ratensi Basilii monachi. *Et Martyrol. Tornacense S. Martini :* In insula Ratensi natalis S. Basilii monachi.

*In insula Ratensi S. Basilius Monachus,*

2 *Verum ubi insula Ratensis in Galliis sit, necdum reperimus. In Aquitania III seu Novempopulonia, ubi Tarba urbs Episcopalis est, et dictum S. Sabini monasterium, ibidem et fluvius Ratus alluit oppidum Malvesinum, caput Vicecomitatus Feusensaguell in Comitatu Arminiaco. An istic ab Rato fluvio amnica quæpiam insula cognominata sit Ratensis, in qua S. Basilius vixerit, præter conjecturam assequi nihil possumus.*

KOT 17

*an in Novempopulonia?*

3 *Martyrologium MS. Romanum sub nomine S. Hieronymi*

*An idem qui S. Basilius 11. Feb. relatus?*

A *Hieronymi duos* XI *Februarii habet* Basilios, *unumque* Basilianum, *et hunc quidem Campaniæ, alterum* Basilium *Armeniæ adscribit, loco tertii non indicato. An iste huic Ratensi insulæ adscribendus? An potius alter* Basilius, *qui etiam in MS. Richenoviensi attribuitur* D *Armeniæ, hic monachus censendus, qui apud Armeniacos ad Rotum fluvium vixerit? In medio res esto: decidatur ab eo qui plura legerit, audieritve.*

AUCTORE G. H. ANIMADV. PAP. 90

J. B.

# DE S. CONSTANTIO

## APUD BRIXIAM IN ITALIA.

*XII FEBR.*

*S. Constantii natalis.*

C*onchis in territorio Brixiensi* S. Constantii *Confessoris agi hoc die natalem testatur Philippus Ferrarius in generali Catalogo SS. atque in Catal. SS. Italiæ, ubi ex Breviario antiquo Humiliatorum, ac monumentis Ecclesiæ Brixiensis, de eo hæc tradit:*

*conversio audito Evangelio,*

2 Constantius Comes, militiæ primum operam dedit: cum autem divitiis afflueret, ac ea Redemptoris verba, Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes et da pauperibus, audiens perpenderet, tamquam sibi dicta fuissent, spiritualibus divitiis animum cœpit intendere: atque in loco qui Conchis dicitur, a Brixiensi civitate ad x millia passuum apud Triumpilinos, (quæ vallis est) distante, ecclesiam Dei Genitricis, una cum cœnobio Virginum in monte ædificavit. In qua ædificatione illud memorabile contigit, quod, dum carpentarii ligna B cæderent et lævigarent, columba minutissimas lignorum assulas rostro acceptas, iis locis, ubi futuræ ecclesiæ jacienda erant fundamenta, deponebat. Ecclesias præterea alias ad XXIV variis in locis extruxit. Iis aliisque operibus clarus tandem sancto fine quievit. Cujus corpus ibidem sepultum, postea Brixiam translatum, in æde S. Catherinæ conditum est.

*ecclesia extructa in Conchis*

*divina designatione,*

*aliæ alibi.*

*ætas ejus incerta.*

3 *Hæc Ferrarius: qui dein annotat, ex Breviario citato, non constare quo tempore vixerit* S. Constantius; *ast Eliam Capreolum in annalibus urbis Brixiensis scribere,* illum circa annum salutis CIϽCL, quo tempore S. Honorius Ep. Ecclesiæ Brixiensi præerat, vixisse. *Id ego reperire in Capreolo non potui. Neque congruunt invicem S. Honorii ætas, annusque* CIϽCL *Æræ Christianæ: nam Capreolus lib.* 3, S. Honorium *Episcopum Brixianum filium ait fuisse Constantis Imperatoris, Constantini Magni nepotem, eique Ecclesiæ præfuisse Valentiniani et Gratiani temporibus. Quod quidem Murtinengus pag.* 228, *merito refellit, multoque post vixisse Constantium ostendit. Ughellus tom.* 4, *Italiæ sacræ tradit anno* IϽLXXVI *S. Herculano subrogatum, nec ullum tamen profert chronologicum characterem. De eo plenius agemus* XXIV *Aprilis.*

4 *Arnoldus Wion, ex eoque Hugo Menardus,* S. Constantium *aiunt ex ordine Humiliatorum ad insulas Brixienses adscitum, ita enim scribunt:* Brixiæ S. Constantii Brixiensis Episcopi, ordinis Humiliatorum, admirabilis sanctitate viri. *Citat Wion in Notis Catalogum SS. illius ordinis, ad se Brixia missum. Silvester Maurolycus in Oceano Religionum lib.* 3, *pag.* 182, *ita illius meminit, enumerans Sanctos illius Ordinis:* S. Constantinus Episcopus Brixianus, colitur XII Februarii. *At nullus in amplissimo Brixianorum Antistitum Catalogo apud Ughellum* Constantius *aut* Constantinus: *nedum post annum Christi* CIϽCLII, *quo Fredericus Ænobarbus Imperium capessivit; cujus temporibus cœpisse ordinem Humiliatorum scribit idem Maurolycus.* E

*an Ordinis Humiliatorum, et Episcopus Brixien. fuerit?*

5 *Corpus* S. Constantii *scribit Elias Capreolus lib.* 12, *sub annum* CIϽCCCCLXXXIII *Conchis Brixiam translatum, intraque pretiosam capsam reconditum in S. Catharinæ æde. Idem narrat ex Capreolo Ferrarius. Igitur sub Paulo Zane Episcopo id factum, ante tamen ejus inaugurationem: a quo alia quædam præclara opera extructa narrat Ughellus.*

*Reliquiæ an. 1483 translatæ.*

J. B.

# DE S. ETHELWOLDO

## EPISCOPO LINDISFARNENSI IN ANGLIA.

*AN. CHR. IϽCCXL. XII FEB. S. Ethelwoldus,*

L*indisfarne insula est, Northumbriæ littori objecta; exigua illa quidem, quippe quæ (ut Simeon Dunelmensis scribit) solum* octo milliariis se extendit per ambitum, *magni tamen in sacris annalibus nominis, quia complurium sanctorum* C *Episcoporum ac monachorum sedes. Præcipua illi ab* S. Cuthberto *gloria, cujus ad* XX *Martii dabimus Vitam. Quartus ab eo* S. Ethelwoldus *fuit, qui* Æthelwaldus *Florentio Wigorniensi ac Matthæo Westmonariensi, aliis* Edilwaldus *dicitur. Primum S. Cuthberti Episcopi is minister, dein Præpositus Melrosensis in Scotia cœnobii, cujus ad* XXIII *Januarii, in S. Boisili Vita, descripsimus situm; postea ibidem Abbas fuit.*

*S. Cuthberti Ep. Lindisfarn. minister,*

2 *Quo tempore ab anonymo Lindisfarnensi monacho scripta est S. Cuthberti Vita, quæ S. Eadfrido Episcopo dicata, Præpositus erat Ethelwoldus. Ita enim lib. 4 cap.* 4. Presbyter Ædelwald, qui nunc est Præpositus cœnobii quod dicitur Mailros, se præsente alterum infirmitatis languorem sanare, relatu ejus agnovi. Nam, etenim dixit, quadam die cum Episcopo sancto venimus ad vicum, ubi Bedesfeld dicitur. Ibi autem quædam puella, cognata mea et propinqua, infirmabatur. Jam enim dolorem capitis et totius alterius lateris pene per totum anni spatium patiebatur, quod nullus medicus malagma corporali potuit sanare. Noster itaque Episcopus audiens infirmitatem, qua premebatur puella, rogantibus nobis, misertus est ei, ungens eam chrisma benedictione sua consecrata: quæ ab illa hora cito virtute proficiens, dolorem de die in diem deserens, sanitati pristinæ reddita est.

*dein Præpositus Mailrosensis.*

3 *At cum ejusdem S. Cuthberti Vitam venerabilis Beda scripsit, eidemque dicavit Eadfrido, abbas jam erat Ethelwoldus, ita enim scribit:* Neque huic dissi- F mile sanitatis miraculum a venerabili Antistite Cuthberto factum, multi, qui præsentes fuere, testati sunt: e quibus est religiosus Presbyter Edilwaldus, tunc minister viri Dei, nunc autem Abbas cœnobii Mailrosensis. Dum enim more suo pertransiret universa docendo, devenit in vicum quemdam, in quo erant feminæ sanctimoniales non multæ: quibus timore barbarici exercitus a monasterio suo profugis, ibidem manendi sedem vir Domini paullo ante donaverat. Quarum una, quæ erat cognata præfati Sacerdotis Edilwaldi, gravissimo tenebatur dolore depressa *etc.*

*postea ibidem Abbas,*

4 *Factus deinde est Episcopus Lindisfarnensis. Ita Simeon Dunelmensis lib.* 1 *historiæ Dunelmensis cap.* 12. Defuncto Eadfrido Episcopo, religiosæ ac modestæ vitæ Abbas et Presbyter monasterii Mailrosensis Ethelwoldus successit in Episcopatum, prædecessorum suorum Cathedram per XVI annos et ipse condignis honore actibus servans. Hic plane antequam monasterium præfatum jure Abbatis regeret, beati Patris

*demum Episc. Lindisfarnen.*

A Patris Cuthberti (ut in ejus Vita legitur) dignus minister extiterat.

AUCTORE J. B.

*insignem Crucem erigit:*

5 Fecerat iste de lapide Crucem artifici opere expoliri, et in sui memoriam suum in eo nomen exarari. Cujus summitatem multo post tempore, dum ipsam ecclesiam Lindisfarnensem pagani devastarent, fregerunt: sed post artificis ingenio reliquæ parti, infuso plumbo, ipsa fractura est adjuncta: semperque deinceps cum corpore S. Cuthberti Crux ipsa circumferri solebat, et a populo Northanimbrorum propter utrumque Sanctum in honore haberi: quæ etiam usque hodie in hujus, id est Dunelmensis, Ecclesiæ cœmeterio stans sublimis, utrorumque Pontificum intuentibus exhibet monumentum.

*postea translata Dunelmum:*

6 *Aliud S. Ethelwoldi monumentum idem memorat Simeon lib. 2 histor. Dunelmensis cap. 12, ornatum videlicet auro gemmisque librum Evangeliorum. De qua illud sane mirandum recenset. Anno* DCCCLXXV, *metu Danorum Northumbriam crudeliter populantium, Lindisfarnen reliquere Eardulfus Episcopus, Eadredus Abbas, et alii nonnulli, asportato secum S. Cuthberti corpore, ac reliquiis ipsius S. Ethelwoldi atque aliorum Sanctorum, intra eamdem conditis capsam, uti infra dicemus. Qui totam fere provinciam, non sine maximis ærumnis ac laboribus peragrati, statuerunt tandem Hiberniam petere, quietas ibi sedes, ut sperabant, inventuri.* B *Verum horribili tempestate ab eo itinere retracti sunt.* Qua tempestate, *inquit lib. 2 cap. 11 idem Simeon,* dum navis verteretur in latera, cadens ex ea textus Evangeliorum, auro gemmisque perornatus, in maris ferebatur profunda. *At cap. 12 post alia sic scribit:* Cuidam illorum, videlicet Hunredo per visum apparens *S. Cuthbertus,* jussit ut æstu maris recedente, codicem, qui de navi... medias ceciderat in undas, quærerent; fortassis enim contra hoc quod ipsi sperare possent, Deo miserante invenirent. Nam et de illius libri amissione maxima illorum mentes perturbaverat mœstitia.... Igitur pergentes ad mare, multo quam consueverat longius recessisse conspiciunt: et tribus vel eo amplius milliariis gradientes, ipsum sanctum Evangeliorum codicem reperiunt, qui ita forinsecus gemmis et auro sui decorem, ita intrinsecus litteris et foliis priorem præferebat pulchritudinem, ac si ab aqua minime tactus fuisset. Quæ res animos eorum anxios non parum gaudio replevit....

*librum Evangeliorum*

*qui in mare lapsus,*

*postea illæsus repertus est)*

7 Porro liber memoratus, in hac ecclesia, quæ corpus ipsius sancti Patris habere meruit, usque hodie servatur: in quo nullum omnino, ut diximus, per aquam læsionis signum monstratur. Quod plane et ipsius S. Cuthberti, et ipsorum quoque meritis, qui ipsius libri auctores extiterant, gestum creditur, C Eadfridi videlicet venerandæ memoriæ Episcopi, qui hunc in honorem B. Cuthberti manu propria scripserat: successoris quoque ejusdem venerabilis Ethelwoldi, qui auro gemmisque perornari jusserat. Sancti etiam Bilfridi anachoritæ, qui vota jubentis manu artifici prosecutus, egregium opus composuerat: erat autem aurificii arte præcipuus. Hi pariter amore dilecti Deo Confessoris et Pontificis ferventes, suam erga ipsum devotionem posteris omnibus innotescendam hoc opere reliquerunt.

*a S. Eadfrido scriptum,*

*ornari auro et gemmis curat per S. Bilfridum*

8 *Mortuum scribit Malmesburiensis S. Ethelwoldum anno Christi* DCCXXXVIII, *Florentius Wigorniensis* DCCXXXIX, *Simeon Dunelmensis* DCCXL. *Fatetur Wigorniensis, eodem anno* Æthelwaldum Lindisfarnensem, et Accam Hagulstadensem Præsules morti debita persolvisse, et Æthelwoldo Kineulfum, Accæ vero Frithebertum successisse. *Malmesburiensis autem anno quo obiit* Æthelwoldus, *eique successu* Renulfus *(ita enim excusum pro* Kenulfo, *aut, ut postea scribit,* Kinewlfo) Frethebertum ordinatum esse Hagulstadensem Antistitem; *post mortem scilicet S. Accæ. Atqui Simeon aliud quidpiam narrans, characterem posuit qui annum* DCCXL *signet: ait enim* ipso D anno quo S. Acca Episcopus ad cœlestia migravit, occisum *quemdam* die x Kal. Januarii feria VI. *Excusum tamen* feria VII, *quæ nota esset anni sequentis, quando littera Dominicalis fuit A, dies autem* XXIII *Decembris, sive* X *Kal. Januarii in Sabbathum incidit. Sed patescit mox error, cum anno sequenti* DCCXLI *ita scribit:* Monasterium in Eboraca civitate succensum est IX Kal. Maii, feria I, *sive* XXIII *Aprilis, quæ eo anno dominica erat littera A signata. Confirmantur ista ex Rogerio Hovedena, qui parte priore Annalium ita scribit:* Anno DCCXL Ethelwad Lindisfarnensis Ecclesiæ Antistes migravit ad Dominum, et Kinewlfe in episcopatum subrogatus est. Eodem vero anno reverendæ memoriæ Acca Episcopus sublevatus est in regionem viventium..... Ipso autem anno..... Arwine filius Eadulfi occisus est die non. Kal. Januarii, feria sexta, *aut potius* septima, *ut in margine adnotatum.*

*moritur an. 740.*

9 *Sepultus est S. Ethelwoldus in æde Lindisfarnensi. Post annos vero* CXXXV *asportatæ inde sunt ejus exuviæ, uti et S. Cuthberti aliorumque Sanctorum, ne Gentilium Danorum furori exponerentur, uti antea indicavimus. Ita Simeon historiæ Dunelm. lib. 2 cap. 6 de Eardulfo Episcopo ac sociis loquens:* Tollentes ergo E sacrum illud et incorruptum Patris corpus, et una cum eo in ejusdem thecæ loculo (ut in veteribus libris invenerunt) collocatas Sanctorum reliquias, videlicet caput Deo dilecti Regis ac Martyris Oswaldi, antea in ejusdem ecclesiæ cœmiterio sepultum: partem quoque ossium S. Aidani; nam, ut supra dictum est, alteram partem Colmannus ad Scotiam rediens secum tulerat: præterea etiam successorum ejusdem Patris Cuthberti venerabilium Sacerdotum ossa veneranda, scilicet Eadberti, Eadfridi, Ethelwoldi, quorum supra mentionem fecimus. Hæc ergo tollentes, illam nobilem et primam in gente Berniciorum ecclesiam, in qua plurimorum fuerat conversatio Sanctorum, illam, inquam, Barbaros fugiendo, relinquunt, anno scilicet ab incarnatione Domini DCCCLXXV..... Cum ergo Episcopus una cum venerandis reliquiis fugiens, insulam præfatam et ecclesiam deseruisset; mox et ipsius loci, et totius Northanimbrorum provinciæ sæva depopulatio est secuta; exercitu Danorum, ductu Haldene Regis, crudeliter ubique debacchante: qui etiam monasteria passim et ecclesias ignibus contradidit, servos ancillasque Dei ludibriis affectos interfecit, et (ut breviter dicam) ab orientali mare usque ad occidentale, cædem et incendium continuavit. Unde Antistes et qui cum illo sancti Patris corpus comitabantur, nusquam locum requiescendi habere poterant, sed de loco ad locum euntes et redeuntes, ante crudelium Barbarorum F faciem discurrebant.

*sepelitur Lindisfarne:*

*reliquiæ ejus et aliorum SS. an. 875 asportatæ*

*metu hostium:*

10 *Ita* per VII annos de loco ad locum cum illo sacro thesauro discurrerunt, *inquit Ricardus Hagulstadensis lib. 2 cap. 1.* Deinde in villam nomine Crecam venientes, ibi IV menses resederunt. Tandem vero redeuntes ad villam Kunkæcestram, ac nunc Cestram vocatam, deveniunt, ibique cum reliquiis quieverunt. *Jacet Cestra haud longe a læva Vedræ ripa, media fere intervallo inter Dunelmum urbem et ejusdem fluvii ostium, ut videre est apud Cambdenum, qui* Conderum *Romanorum temporibus appellatam conjectat, (ubi Notitia provinciarum tradit stationem habuisse* Præfectum alæ primæ Asturum) *nunc* Chester upon te street *dici, id est* castrum, *vel* urbeculam, ad viam publicam. *Ab anno* DCCCLXXXIII *illic asservatæ reliquiæ sunt usque ad* DCCCCXCV. *Tum vero divino monitu ad Ripum monasterium translatæ, ac post* III *aut* IV *menses ad locum ubi nunc Dunelmum civitas est. Ita narrat lib. 2 c. 2 Ricardus, et Simeon histor. Dunelm. lib. 3 c. 1.*

*an. 883 Cestram delatæ,*

*an. 995 Dunelmum:*

11 *Anno tandem* CIƆCIV *exploratum Abbates complures*

A *res ac monachi, an adhuc integrum et incorruptum esset S. Cuthberti corpus, thecam reserant, illudque (ut in historia Inventionis ejus dicitur)* reperiunt, quod in dextro latere jacens tota sui integritate, artuumque flexibilitate dormientem magis repræsentabat quam mortuum.... tot Sanctorum reliquias ibidem conspiciunt, ut eas illius loculi angustia capere non potuisset, nisi sanctum Patris corpus in latus, ut dictum est, decumbens, largius eis secum quiescendi spatium hinc et inde permitteret. Quas profecto reliquias constat esse Caput gloriosi Regis ac Martyris Oswaldi; Ossa quoque venerabilium Confessorum Christi ac Sacerdotum, Aidani videlicet, et successorum reverendi Patris Cuthberti, Eadberti, Eadfridi, et Ethelwoldi..... Aliorum quoque Sanctorum plurimæ ibidem sunt repertæ reliquiæ.

*an. 1104 cum corpore incorrupto S. Cutberti repertæ in eadem theca,*

*et aliæ aliorum SS*

12 Voluerunt ergo corpus sanctum Patris resupinare, quod erat ex latere versum: sed quia hoc propter circumpositarum multitudinem reliquiarum commode non poterant, placuit ut amoto inde paullulum sancto corpore, Sanctorum reliquias pariter congregarent; eisque seorsim repositis, suam deinceps quietis sedem singulariter corpus incorruptum servaret.... Interea reliquiis Sanctorum ablatis, suam in thecam Patris corpus reposuerunt...... Porro ex omnibus reliquiis, quæ ibi repertæ fuerant, solum B caput beati Regis Oswaldi juxta corpus gloriosi Pontificis, sicut et ante fuerat, locaverunt. Nam ceteræ reliquiæ, sicut jam dictum est, inde elatæ, aliter solenniter compositæ, in loco ecclesiæ celebri reservantur. *Sed hujus S. Cuthberti Inventionis ac Translationis historiam integram dabimus* XX *Martii, descriptam, nisi fallimur, ab eodem Simeone Dunelmensi: qui propterea in historia Regum Anglorum ad annum* CIↃCIV *obiter illius Translationis meminit, cum alibi quæ* D *ad S. Cuthbertum spectant prolixe enarret. Apud eumdem Simeonem post historiam Ecclesiæ Dunelmensis, ante ejus Epistolam de Archiepiscopis Eboraci, est inscriptio quædam Anglosaxonica, fortassis in tabula quapiam exarata, inque ea ecclesia suspensa, hoc titulo:* De situ Dunelmi, et de Sanctorum reliquiis quæ ibidem continentur, carmen compositum. *Inter varia autem Sanctorum nomina, istud legitur:* and Thelwold Biscop. *et Thelwoldi Episcopi.*

*extra eam capsam, alibi decore positæ*

AUCTORE I. B.

*in ecclesia Dunelmensi:*

13 *Ex iis, quæ hactenus narrata sunt, liquet, S. Ethelwoldum ab antiquo inter Sanctos numeratum, ejusque reliquias honorifice habitas. Quis ejus honori peculiariter dicatus fuerit dies, haud traditur. Joannes Wilsonus in Martyrologio Anglicano, ac Ferrarius in generali Catalogo SS. ad* XII *Februarii ejus signavere natalem. Quos sequimur, dum aliud constet.*

*cur hoc die colatur?*

NOT. 28.

14 *Thomas Dempsterus in historia Ecclesiast. gentis Scotorum num.* 469 *eum* Edilwaldum *nominat, et scripsisse ait* de Actis S. Cuthberti lib. 1, De successione Abbatum in Mailros lib. 1. *Ubi ea scripta viderit, aut a quo citata, non indicat. Pari fide* imperitos *ac* malignos *vocat, qui Mailrosense cœnobium, quod nunc in Scotia est, ea tempestate in Anglorum fuisse ditione scribunt. Meminit et Trithemius lib. 4 de viris illustrib. Ord. S. Benedicti cap.* 169 S. Edilwaldi; *et* virum doctum in divinis Scripturis *fuisse ait*, et egregium prædicatorem, *quique* non modicum in Ecclesia Dei E fructum legatur attulisse. *Cur non indicat, ubi id legatur? Minime tamen quin id verum sit dubitamus: fuit enim doctorum ac divini honoris perquam studiosorum Antistitum, discipulus ac successor, nec eorum meritis impar, uti diximus.*

*an scripserit?*

*alioqui doctus et zelosus.*

# DE S. BENEDICTO

## ABBATE ANIANÆ ET INDÆ IN GALLIA NARBONENSI ET BELGICA,

G. H.

### Commentarius prævius.

#### § I. *Aniana et Inda monasteria a S. Benedicto extructa.*

AN. CHR. DCCCXXI, XII FEB.

*In Magalonensi diœcesi et Comitatu*

*Magalona, sive Magdalona, insula et urbs Galliæ ad Mediterranei maris littus, in provincia prima Narbonensi est, Sede olim Episcopali et Comitatus titulo clara. Mentio ejus fit in notitia antiqua civitatum Galliæ. Sedes Episcopalis in Montem-Pessulanum, a quo quinque passuum millibus distat, sub Francisco* I *Francorum Rege, auctoritate Pauli* III *Pontificis Maximi, anno Christi* CIↃIↃXXXVI *translata. In hoc Comitatu Magdalonensi, extra insulam late cum diœcesi extenso, qua e Monte-Pessulano Biterras et Narbonam est iter, celebrior interjacet fluvius* Auraris, *vulgo* Erraud; *qui ab Gabalis ortus, rigatis Alesiæ, Luteviæ, Piscenarum atque Agathæ territoriis, in mare Mediterraneum evolvitur; receptis ante variis amnibus ac rivulis: inter quos num.* 10 *infra in vita censetur Aniana, sive Ananus. Ad hunc S. Benedictus in sua patrisque possessione (tenuit hic, quoad vixit, Comitatum Magdalonensem) initio cellam, dein monasterium extruxit: a quo non procul rivus Aniana in sinistram ripam Auraris egreditur; ac suum jam olim monasterio nomen communicavit, quod hactenus celebre perseverat,* Aniana *sive* Ananium *dictum.*

*prope Auraricum fluv:*

*ad Anianum rivum,*

*extruit S. Benedictus monasterium Anianum,*

2 *Claudius Robertus in Gallia Christiana de Episcopis Magalonensibus, et in Nomenclatura Abbatiarum, appellat* monasterium S. Aniani, *quasi non a rivo, ut jam diximus, sed a S. Aniano cognominaretur, Aurelianensi forsan Episc. qui* XVII *Nov. colitur, aut alio quopiam. Verum nulla illic S. Aniani celebritas memoriave, nullum altare in tribus ecclesiis ei dicatum. Præcipua ad honorem Christi Salvatoris extructa est: unde etiam* monasterium S. Salvatoris de Aniana *appellatur. In Vita et Actibus Ludovici Pii auctore anonymo, sed coævo, inter monasteria, quæ sub eo Aquitaniæ Rege nedum Imperatore, in ipsius ditione aut sunt reparata aut a fundamentis extructa, numeratur* monasterium Anianæ: *uti etiam in continuatione Aimoini lib.* 5, *cap.* 8. *In constituto autem, anno* DCCCXVIII *ab eodem Ludovico tum Imperatore de monasteriis* F *regni Francorum facto,* Ananum in Septimania *inter illa censetur, quæ nec dona nec militiam dare debebant, sed solas orationes pro salute Imperatoris ac stabilitate Imperii. Est autem* Septimania *post adventum Gothorum dicta, quæ ante* Narbonensis prima *fere erat, et deinde* Gothia, Languedocia *sive* Occitania *appelata. Ab hoc monasterio passim S. Benedictus nominatur Abbas Anianæ, quod eidem a se condito diutius præfuerit; licet a Ludovico Pio Imperatore ad alia monasteria evocatus, tandem Indæ diem extremum obierit, cum prius Georgio monasterii Anianæ Abbati epistolam infra recitandam scripsisset.*

*sive S. Salvatoris de Aniana,*

*sub Ludovico Pio Rege Aquitaniæ*

*et Septimania.*

*eidem præest Abbas:*

3 *Est autem Inda celeberrimum monasterium in valle a palatio Aquisgranensi, ut, infra num.* 34 *dicitur, sex passuum millibus distante, constructum, atque ita mutuato de rivulo ejusdem vallis nomine appellatum: perlapsus is partem agri Juliacensis in Rurum fluvium supra Juliacum regionis metropolim illabitur. Joannes Noppius lib.* 1 *Chronici Aquisgranensis cap.* 40 *tradit* monasterium

*uti postea Indæ monasterio,*

*non a Carolo Magno*

*sed Ludovico Pio extructo, et dotato:*

ACTORE G. H.

A *monasterium hoc jussu Caroli Magni inchoatum esse, ac post ejusdem obitum, sub filio ejus Ludovico Pio, perfectum: quod huic soli infra in Vita attribuitur et a S. Ardone num.* 34 *et ab monachis Indensibus num.* 46, *diciturque ab eodem Imperatore de suis fiscis copiosissime ditatum.*

4 *Inter alia autem bona se Indensibus monachis contulisse monasterium Rotnacense, a Carolo Magno Ecclesiæ Hamburgensi assignatum, testatur Ludovicus Pius in diplomate, quo Archiepiscopatum Hamburgensem confirmat S. Anschario collatum.* Delegavit etiam, *inquit de Carolo Magno parente,* Presbytero Heridago quamdam cellam, Hrodnace vocatam, quatenus eidem loco periculis undique circumdato fieret supplementum. Sed quia consecrationem jam dicti viri *in Episcopum* velox ex hac vita transitus pii genitoris nostri in diebus ejus fieri prohibuit; ego autem, quem Divina clementia in sedem regni ejus adsciverat, cum in multis regni disponendis negotiis insisterem, hoc quoque prædicti patris mei studium, regni in finibus peractum, minus caute attenderem, suadentibus quibusdam, jam dictam cellam ad Indam monasterium contuli *etc. Integrum diploma dedimus* III *Februarii ad Vitam S. Anscharii* § 16. *Meminit ejusdem donationis Petrus a Beeck in Aquisgrano a se illustrato cap.* 11 : *quam Antonius Sanderus in Flandria illustrata tomo* 2 *pag.* 536 *Ludovico* II *Imperatori Lotharii filio, alterius Ludovici nepoti perperam attribuit.* B *Est autem* Rotnacum, *sive* Rotornacum, *vulgo* Ronse, *Flandriæ hodiernæ in antiquo Brachbanto prope Scaldim fluvium oppidum, Aldenardam inter et Tornacum : ubi monasterium olim extruxerat S. Amandus Episcopus Trajectensis, uti ad hujus Vitam diximus* VI *Februarii* § 6. *Cum teste Sigeberto in Chronico,* anno IↃCCCLI Reliquiæ S. Hermetis Martyris, per Lotharium Imperatorem in Gallias missæ essent, et apud Indam monasterium honorifice conditæ; *illas easdem, ut scribit Jacobus Meierus lib.* 1 *Annalium Flandriæ,* anno IↃCCCLX ex cœnobio Indensi Ludovicus Lotharii Cæsaris filius Rothornacum transtulit pridie Nonas Julias. *Idem* Ludovicus II Imperator, *sicuti observat Aubertus Miræus in Fastis Belgicis ad* XXVIII *Augusti,* Reliquias SS. Cornelii Papæ, Cypriani Episcopi Carthaginensis, et S. Cælestini apud Rotnacenses deposuit, ampla dote addita : adeo ut alter post S. Amandum ecclesiæ Rothacensis fundator a Rotnacensibus habeatur. *Quæ ex antiquis monumentis cuperemus magis confirmari.*

*attributo monasterio Rotnaco,*

*in antiquo Brachbanto a S. Amando condito :*

*et a Ludovico Imp. dotato.*

5 *Bonorum Rotnacensium dominium mansit penes S. Benedicti successores, Abbates Indenses, usque ad annum* CIↃCCLXXX, *quando, ut refert Meierus,* mense Decembri Guido *Dampetra, Comes Flandriæ,* de Raynardo Abba monasterii D. Cornelii Indensis, Ordinis Benedictini, diœcesis Coloniensis, emit Roturnacum, Horenbecam D. Cornelii, Brachantum, hoc est, Brakelam, Atriniacum, Vondelbecam, et Elcie- C lam in terra Alustana diœcesis Cameracensis. *Sanderus in Flandria illustrata eadem scribit, sed variatis aliquantulum vicorum nominibus, appellat* Bracleam, Acriniam, Woudecam, *et* Elzelam. *Miræus cum in Donationibus Belgicis cap.* 120 *libri* 1 *retulisset privilegium a Joanne* I, *Brabantiæ et Limburgi Duce, Indensibus et Rotnacensibus concessum, loco a Guidone Comite empta ex litteris publicis Galliæ editis, quas se vidisse testatur, ita enumerat :* Rotnacum Flandriæ municipium cum villis et pagis adjunctis, Lescle, Weudeke, Akerne, Horebeca S. Cornelii, Russegnies, Amorigies, Middelbeke, Kaim, Escornai et Tichoue Guido Flandriæ et Namurci Comes a Reinardo monasterii S. Cornelii Indensis prope Aquasgrani Abbate anno CIↃCCLXXX emit, et Guidoni filio suo tertio genito dedit anno CIↃCCLXXXIX. *Interim collegium Canonicorum Rotnacense, in quod monasterium monachorum conversum est, assignata sibi bona etiamnum pleno jure* possidet : *quidni et S. Benedictum, olim ditionis suæ* D *dominum, pio cultu veneretur, una ab aliis etiam Flandriæ Hagiologia adscribatur?*

*cujus bona a a Raynardo Abbate Indensi vendita sunt Guidoni Comiti Flandriæ an.* 1280,

*aliqua Canonicis assignata.*

6 *Sed ad Indam monasterium revertamur, quod jam passim cognominatur a S. Cornelio Papa et Martyre, cujus sacrum istic caput et dexterum brachium servatur, et miraculis claret, uti dicetur* XIV *septemb. De aliis ejusdem loci reliquiis agit ante memoratus Nappius. Duplicem Abbatum hujus monasterii catalogum accepimus, sed neutrum satis accuratum. Eminet inter Abbates B. Egilhardus a Normannis prope oppidum Berchem* VIII *Kalendas Julii occisus; a cujus nomine sacellum ibidem in silva prope Bullendorf Sunt-Eulard appellari volunt, quo die, ac* XIV *Septembris, rursus de monasterio Indensi ejusque Abbatibus erit agendi locus. Auctor catalogi Abbatum MS. ob Sanctitatem B. Benedicti ejusque beneficia in Ordinem universum præstita monet,* merito per Galliam Germaniamque Ordinis caput censeri posse, non secus atque Casinum per universum orbem; cum inde Benedictinæ ac monasticæ vitæ norma in Galliam Germaniamque ac reliquum orbem etiam propagata provenerit. *De exacta in eo loco observatione Regularum agitur infra in Vita num.* 37.

*Inda quare monasterium S. Cornelii dictum?*

*an Ordinis caput per Germaniam et Galliam habendum?*

## § II. *Gesta varia S. Benedicti ad seriem ætatis ejus digesta.*

Obiit S. Benedictus, *ut infra num.* 50 *dicitur,* septuagenarius *ideoque circa annum Christi* IↃCCL *aut sequentem* exortus, sub Pippino Rege Francorum *ut infra dicitur num.* 46, *Adolescens* in aula Pipini *adscriptus militiæ fuit : quam et deinceps, Pipino an.* IↃCCLXVIII *mortuo, sub Carolo Magno filio, secutus est ad annum usque* IↃCCLXXIV, *quo* Italia Caroli Regis ditioni subjecta, *ac fratre fluctibus Ticini amnis submerso,* e voto deinceps seculo non militandi, monasterium S. Sequani *in diœcesi Lingonensi ingressus, in vita monastica ad mortem usque, sed variis in locis perseveravit.* E

*S. Benedictus nascitur circa an.* 750, *relicta militia an* 774 *fit monachus apud S. Sequanum :*

8 Decurso *apud Lingonenses* quinquennii et octo mensium spatio, *recessit circa annum* IↃCCLXXX *ad rivulum Ananam, et initio* cellam *tum post* nonnullos annos, *collectis monachis,* monasterium Anianam *construxit, ædificiis* stramine vilique materia *coopertis, ecclesiaque Deiparæ Virgini dicata : quæ infra cap.* 3 *referuntur, adduntur que cap.* 4 *eleemosynæ* orta gravissima fame *in pauperes erogatæ. Ea fames describitur apud Henricum Canisium tom.* III *Antiquarum lectionum in Fragmento Annalium rerum Francicarum ex Bavarico MS. ubi ad annum* IↃCCXCIII, *quo desinit fragmentum, hæc leguntur :* Rex Carolus hieme apud Reganespurg conventum fecit.... Et facta est fames validissima super populum ; sed et in Burgundia et Francia pervalida fuit. *Quæ fere eadem habentur in vetere Chronico monasterii Moissiacensis in diœcesi Cadurcensi, adduntque* in Gothia et in Provincia famem adeo validam fuisse, ut ex ipsa morerentur : *in qua* F *summa erga egenos caritas S. Benedicti eluxit.*

*anno* 780 *venit ad fl. Ananiam : extruit prius monasterium :*

*in fame an.* 793 *egenis subvenit :*

9 *Quæ huic fami num.* 15 *adjungitur hæresis Felicis Episcopi Urgellitani, Christum adoptivum filium Dei asserentis, atque a S. Benedicto refutata, eadem tempora confirmat. Fuit namque primo in concilio Ratisponensi anno* IↃCCXCII, *tum in Francofurtensi anno* IↃCCXCIV *condemnata, atque ab Alcuino libris septem oppugnata. Hic labores a S. Benedicto susceptos deprædicat in epistola libellis duobus contra epistolam Elipandi Episcopi Toletani scriptis præfixa, cujus hæc est inscriptio :* Dominis in Christi caritate venerabilibus atque dilectissimis Laidrado Episcopo Lugdunensi, et Nefridio Episcopo Narbonensi, et Benedicto Abbati simulque sanctissimis, nobisque valde honorabilibus, Gothiæ provinciæ partibus Episcopis, Abbatibus, et Fratribus, humillimus sanctæ Ecclesiæ filius Albinus salutem. *In ipsa dein epistola ita scribit de*

*hæresim Felicianam oppugnat,*

*Hispania*

A *Hispania* : At nunc multo pejus sacratissimas Christiani imperii aures quibusdam schismaticæ perversitatis novitatibus fatigare aggreditur, veluti vestra inviolabilis fides et celeberrima sanctitas optime novit, qui per Divinæ suffragia pietatis hanc nebulosam impietatis sectam clara virtutis luce pridem discutere studuistis, etiam et Deo Christo donante, cœptum prædicationis opus, mandante glorioso Principe et devotissimo in omni bonitate Carolo Rege, vos iterum ituros esse audivimus. Quapropter paucorum arripui laborem dierum in solatium sanctissimi itineris vestri, quatenus haberetis in manibus cujusdam Epistolæ, meo nomini directæ ab Elipanto Toletano Episcopo, pias et pernecessarias Responsiones, ne forte aliquorum ex ejusdem Epistolæ lectione mentes maculentur : quia easdem audivimus litteras in aliorum prius pervenire manus, quam nobis, cui missæ sunt, redditæ essent. *Hæc Alcuinus ex quibus conjici potest S. Benedictum ad eam hæresim profligandam sæpius in Hispaniam profectum esse.*

*ea de caussa in Hispaniam profectus :*

10 *Magnam fuisse inter S. Benedictum et Alcuinum familiaritatem indicat auctor coævus in hujus Vita, ante ejusdem opera a Chesneo edita* : Vir quoque Domini, *inquit*, Benedictus ei præ omnibus monachis familiaritate junctus, ad eum, gratia consilii salutis suæ et suorum accipiendi, sæpius Gothiæ de B partibus properabat. Quadam vero vice voluit aliter venire, nemo ut hoc agnosceret Turonis, quousque ad ostium adsisteret domus Albini. Cumque adhuc prope esset, vocans Albinus unum suorum, ait : Festina occurrere Benedicto Abbati in loco tali, et dic ei, velociter ad me perveniat. Fecit missus Patris Albini, ut sibi præceptum fuerat, pervenitque post triduum, ubi ei dixerat, et Benedictum reperit, eique quod sibi jussum fuerat nuntiavit. Stupens autem suum deprehensum conatum, cum velocitate pervenit Turonis ad eum. Cumque se alterutrum tripudiantes deoscularentur, infit Benedictus Pater, reverendus suppliciter : Domine Pater quis meum vobis prædixit adventum? Respondit ei. Nullus homo verbis mihi innotuit. Cui isdem : Quis tunc, Domine? forsitan litteris cujusquam audistis? At ille, Vere, inquit, nullis. Ad quem vir isdem rursum : Si neque ab homine ullo dicente, neque litteris cujusquam præscistis, precor, mi Pater, quonam modo illud noveritis, edicite. Cui Albinus : Noli amplius hoc me interrogare.

*invisit B. Alcuinum,*

*de ejus adventu per revelationem monitum :*

11 Cum vero venerabilis vir Benedictus jam reverti vellet, petiit eum, ut, quemadmodum speciali oratione pro se orabat, ei panderet. At ipse ait : Hoc namque Christum rogo : Domine, da mihi intelligere peccata mea, et veram confessionem facere, C et dignam pœnitentiam agere, et da mihi remissionem peccatorum meorum. Cui vir Deo dignus Benedictus ait . Addamus, mi Pater, huic orationi unum sermonem : et post remissionem salva me. Et Albinus gaudens dixit Fiat, reverentissime fili, fiat. Iterum autem vir idem flagitabat, ut sibi diceret, quando Crucem videns se contra eam inclinabat, quæ verba labris silenter depromeret. Ille vero hoc inquit : Tuam crucem adoramus, Domine, tuam gloriosam recolimus passionem : miserere nostri, qui passus es pro nobis. Post hæc deducens eum aliquantulum, remisit gaudentem Albinus ad sua suosque. *Hæc ibi de pio utriusque colloquio. Alcuino anno* DCCCIV *ipso die Pentecostes mortuo, ultra sedecim annos vixit Benedictus, quo adhuc superstite videtur Vita Alcuini scripta, a nobis* XIX *Maii illustranda.*

*modum ejus orandi inquirit*

12 *Interea S. Benedictus miraculis (quæ eodem cap. 4 referuntur) clarus, quaquaversum magis innotescebat. Quare ex præcepto Caroli Magni novo opere monasterium ædificavit, domibus non jam stramine sed tegulis coopertis, claustro marmoreis columnis suffulto, ecclesiaque prægrandi in honorem Salvatoris nostri extructa : quæ cap. 5 referuntur : ubi tamen numeri annorum Christi et Caroli Magni admodum corrupti reperiuntur, et quæ arbitramur facta sub finem sæculi octavi aut initium sequentis, referuntur ad annum Christi* DCCLXXII *Caroli Regis* XIIII, *quæ nec inter se cohærent : propterea quod annus ille Caroli Regis quartus dumtaxat fuerit.* D

*AUCTORE J. B. monasterium Anianæ novum extruit :*

13 *Sequentibus annis una cum hoc Anianο monasterio varia alia S. Benedictus rexit in Aquitania et provincia Narbonensi, de quibus infra cap. 6 et 7 agitur. Interea Ludovicus Pius Aquitaniæ Rex, apud quem is gratiosus in primis erat, in consortem Imperii a Carolo Magno parente, anno* DCCCXIII *assumptus, eidem* XXVIII *Januarii anni* DCCCXIV *mortuo successit. Ab eo mox in Franciam evocatus Benedictus, ac primo monasterio Mauri in Alsatia præfectus est, dum prope Aquisgranum monasterium Inda extrueretur.*

*varia monasteria regit :*

*Indam condit*

14 *Tum, inquit auctor Vitæ Ludovici Pii*, constituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem, et cum eo monachos strenuæ vitæ, qui per omnia monasteria monachorum euntes redeuntesque, uniformem traderent cunctis monasteriis tam viris quam sanctimonialibus fœminis vivendi secundum Regulam S. Benedicti incommutabilem morem. *Quapropter eodem Benedicto præside, conventus Abbatum Franciæ cum suis monachis pro reformatione monasteriorum habitus est anno Chr.* DCCCXVII, VI *Idus Julias* E *in domo Aquisgrani palatii, quæ Lateranis dicebatur, ut traditur in Præfatione ad Capitula octoginta istic constituta, et cum Conciliis Ecclesiæ passim edita. Tantum sexaginta duo, alia scilicet distinctione facta, enumerat Leo Ostiensis lib.* I *Chronici Casinensis cap.* 18, *ubi ita scribit* : Ultimo hujus Abbatis *Theodemari* anno Ludovicus Imperator, qui cognominatus est Almus vel Sanctus, hujus Caroli filius, quarto Imperii anno Aquisgrani in palatio cum pluribus totius Franciæ Abbatibus religiosisque monachis Concilia faciens, utilissima Ordinis nostri observationi LXII generalia capitula constituit, quæ omnia apud nos perinde fere ac Regula S. Benedicti observantur. *Poeta coævus de Origine gentis Francorum, a Thoma Aquinate Carmelita excalceato editus, de Ludovico Imp. agens, ad hæc statuta alludit versu* 116 *et seqq.*

Hic decreta Patris Benedicti lege tenenda
Sancit, et antiquæ renovat legalia normæ,
Cujus erat fautor devota mente fideque.

*reformationi monasteriorum studet.*

*in Concilio Abbatum an. 817 cum aliis capitula 80 sancit,*

*Ludovico Pio fautore*

15 *Scripsit etiam S. Benedictus Concordiam Regularum nuper ab Hugone Menardo editum, doctisque notis atque observationibus illustratum ; præposita de viginti sex hujus Concordiæ Regulis, earumque auctoribus diatriba valde utili. Videntur autem in id tempus variæ ex his Regulis in diversis monasteriis observatæ ; quibus abolitis tunc unica in toto Francico Imperio monachis omnibus præscripta est S. Benedicti Casinensis Regula : ad quam amplectendam ut animi omnium magis benevoli* F *redderentur, scripsit S. Benedictus Indensis hanc Concordiam, in cujus præfatione asserit* ceteras cum S. Benedicti Regula nosci concordare, *cum etiam* in quibusdam locis verba sint eadem, in quibusdam idem sensus : *et suam B.* Benedictus assumpserit Regulam a ceteris, *qui scilicet ante eum vixerunt, ut sunt SS. Pachomius, Basilius, Cassianus aliique. Nam citantur in eadem Concordia Regulæ quorumdam Patrum qui S. Benedicto sunt ætate posteriores, inter quos sunt SS. Isidorus, Columbanus, Fructuosus uterque, et nonnulli alii, de quibus ibidem agit Menardus. Unde hæc infert auctor Catalogi Abbatum Indensium* . Sicut S. Benedictus Casinensis totius Ordinis et monasticæ religionis est Protopatriarcha per universum orbem, ita hic Benedictus Indensis ejusdem est par ac Magister Generalis per Franciam ac Germaniam.

*Concordiam Regularum scribit.*

*habitus quasi Magister Generalis per Franciam :*

16 *Non omnibus tamen ubique monasteriis data hoc*

*AUCTORE G. H.*

*pacto quies est. Constat ex diplomate Ludovici, dato anno Imperii* XIX *Christi* DCCCXXXII, *in quo dicitur ordo monasticus in monasterio S. Dyonisii prope Parisios perturbatus, facta multorum monachorum secessione.* Quorum semotio, *inquit Imperator,* ob id acciderat, quoniam mox ut Divina dignatio nos paterna sede suscepta, imperialibus sceptris inniti voluit, piæ intentionis nostræ sollicitudo exequi procuravit, ut religio, decor, et omnis honestas a Domino et genitore nostro divæ memoriæ Karolo cœpta et instituta, liquido et veraciter, remota omni simulatione, in propriis quibusque maneret et vigeret ordinibus. Unde ad monasticæ institutionis normam corrigendam, duo religiosos et venerabilis vitæ viros, Benedictum et Arnulfum Abbates constituimus, qui per nostrum a Deo gubernandum et conservandum Imperium sedulo huic negotio studiose insisterent. Iidem vero boni et devoti, sed simplicissimi Patres, supradictorum Fratrum calliditate et duritia, suaque simplicitate abducti, non studio, sed minus subtili et necessaria investigatione seu providentia fallentes, eos qui in soliditate suæ professæ salvationis perduraverunt, a monasterio removerunt, atque in memorata cella collocaverunt, et illos qui propriæ voluntatis libitus non virtute sed versutia quæsierunt, ac collo de sub jugo regulæ excusso, loro disligatioris vitæ soluti, ampliori itinere cœlestem patriam petere sunt conati, in domiciliis reverendi habitus et vitæ monasticæ reliquerunt. *Verum ubi Episcoporum auctoritate reformata iis in cœnobiis, adstrictaque disciplina est, addit:* Ipsi de cetero Fratres respectu divino processu temporis corda illorum tangente, propositi sui strenui, et præteritarum negligentiarum pœnitentiæ devoti executores facti, consensu salubri atque prudenti tres chartulas conscripserunt.... in quibus se a beato Patre Benedicto, Spiritu sancto docente, descriptam Regulam sunt servare velle professi. *De aliis ab S. Benedicto Indensi libris scriptis agitur infra in Vita.*

*deluditur a monachis S. Dionysii.*

*dein Regulam S. Benedicti professis.*

## § III. *Annus obitus S. Benedicti. Memoria sacra. Vita scripta.*

*Obiit non an. 832*

*Annus obitus S. Benedicti in utroque catalogo MS. Abbatum Indensium assignatur* octingentesimus trigesimus secundus, *errore undecim annorum, et forsan, arrepto ex diplomate Ludovici Pii, quo eo anno diximus confirmatum esse ordinem monasticum in S. Dionysii monasterio, per Episcopos auctoritate Imperatoris stabilitum, in quo diplomate mentio fit ejusdem S. Benedicti, sed tum pridem mortui. Annum infra num.* 50 *accurate indicant monachi Indenses fuisse* octingentesimum vigesimum primum, Indictione decima quarta, Concurrente I Epacta decima quarta, *quæ singula in eum annum conveniunt, Cyclo Lunæ* V, *Solis* XVIII, *littera Dominicali F. Addunt monachi Indenses num.* 48 *eum* feria quinta *cœpisse ægrotare, quem diem ipse S. Benedictus in epistola ad Georgium Anianæ Abbatem significat fuisse* VII *idus* Februarii : *quæ eidem anno congruunt : atque ita* feria sexta, VIII *Februarii, delatus est ad proprium monasterium atque ab aulicis fere omnibus visitatus : sequenti die, qui Sabbatum erat, monita dedit Fratribus, scripsit Imperatori aliisque. Verum quæ inscripta est Georgio Abbati Anianæ, eam* IV Idus Februarii *dictavit, quæ fuit Dominica : ac tandem* III Idus Februarii *feria II obiit. Quæ omnia accurate observamus contra eos, qui annum tunc a Paschate cœptum volunt, quo alias etiam rejecimus.*

*sed 821,*

*11 Febr.*

18 *Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani* XI *Februarii hæc de eo refert :* In monasterio Indæ prope Aquisgranum, transitus S. Benedicti Abbatis, fundatoris monasterii S. Salvatoris de Aniana in Septimania diœcesis Magalonensis sive Montispessulanæ, ubi die sequenti ejus memoria colitur, sicut expressum est in præsenti Martyrologio. Cui solum addendum, sanctum hunc Abbatem etiam auctorem fuisse Concordiæ, quam scripsit, Regularum, jamque ad senium vergentem Carolo Magno et successive Ludovico Pio carum, versus Aquisgranum evocatum, Indæ monasterium rexisse, ubi sanctis laboribus fessus, et refertus cumulis justitiæ, Deo dignam animam exhalavit. Hujus beatus transitus Stœbelo Magalonensi Episcopo divinitus revelatus est, qui et piæ vitæ ejus ingentia decora a se perspecta plerisque notificavit. *Hæc ibi Saussaius, qui longiore eum præconio celebrat* XII *Februarii, quo memoriam ejus coli Anianæ dicit, eique loco istic, nulla Indæ facta mentione, ita adhæret, quasi Anianæ diem extremum obiisset :* In Septimania, inquit, monasterio Anianæ S. Benedicti Abbatis et Confessoris *etc. Quæ eadem fere habet Menardus in Martyrologio Benedictino :* Pridie Idus Februarii in Septimania S. Benedicti Abbatis Anianæ. *Eodem die illum Fastis Coloniensibus adscripsit Gelenius his verbis :* In monasterio ad Indam S. Cornelii, diœcesis Coloniensis, commemoratio B. Benedicti Abbatis, qui temporibus et auctoritate Caroli Magni et Ludovici Pii septennio Indensibus præfuit, et refertus cumulis justitiæ, Deo dignam animam exhalavit, cujus beatus transitus Stœbelo Magalonensi in Gallia Episcopo revelatus est. Alii ejus obitum referunt ad diem præcedentem. *Sed ejus depositio forte facta est hoc* XII *Februarii : unde et memoria ejus tum celebrior permansit. In titulo Vitæ MS. olim præfixo dicitur etiam* Beatus. *At* Sanctum *appellant etiam Guilielmus Catellus lib. 5 Languedociæ in Nibridio Archiepiscopo Narbonensi, et Benedictus Haftenus lib. 7 Disquisitionum monasticarum tract. 5 disquis. 1, et in Appendice, ubi Ordinem Conversationis monasticæ hactenus sub nomine S. Benedicti Casinensis editum, eidem S. Benedicto Indensi attribuit* § 3.

*colitur eodem 11 Febr.*

*et præcipue 12 Febr.*

19 *Vitam S. Benedicti scripsit ejus discipulus S. Ardo, Presbyter et monachus monasterii Anianæ, qui annos duos et viginti post obitum Abbatis olim sui et Magistri S. Benedicti vixit. Nam, ut tradit ex Breviario cœnobii Anianæ Menardus lib. 1 Observationum ad suum Martyrologium,* obiit sexagenarius anno Chr. DCCCXLIII *Nonis Martii, quo die de eo pluribus agemus. Fuit hic* Ardo *cognominatus* Smaragdus, *si titulo MS. Vitæ S. Benedicti in Notis apud Menardum fidendum : ubi ita legitur :* Sequitur Vita B. P. N. Benedicti Abbatis fundatoris monasterii S. Salvatoris Anianæ, scripta per beatum Patrem Ardonem Smaragdum ejusdem monasterii monachum Presbyterum. *Addit Menardus hinc videri adscribendos esse commentarios in Regulam S. Benedicti, quæ passim Smaragdo Abbati S. Michaelis attribuuntur. De utroque disputat Haftenus lib. 2 Disquis. Monast. tract. 5 Disquis. 4. Ceterum* Ardo *solum a monachis Indensibus infra num. 50 appellatur, uti et seipsum in titulo præfationis nominat, nulla Smaragdi facta mentione.*

*Vitam ejus scribit S. Ardo,*

*ab aliquibus Smaragdus cognominatus,*

20 *Rogatus S. Ardo a monachis Indensibus in adjuncta epistola,* ut de Vita Patris Benedicti libellum componeret, *anno integro, ut præfatur, siluit : sed iteratis precibus adductus, secundo, aut tertio post obitum S. Benedicti anno conscripsit, quæ aut* suis temporibus viderat, *aut ab iis,* qui initia ejus conversationis noverant, audierat, *ut num. 2 et 3 testatur. Et se in antiquo et veteri monasterio vixisse indicat num.* 21. Nec silentio, *inquit,* illud prætereundum, quod ipse aspexi, *antequam novum monasterium cum ecclesia S. Salvatoris extrueretur. Et num. 28 de S. Guilelmo Gellonensi, qui anno* DCCCVI *vitam monasticam auspicatus est, agens,* Vidimus, *inquit,* sæpe eum sedentem asinum

*2 aut 3 post obitum anno,*

*testis oculatus :*

num suum. *etc. Quæ auctor Vitæ S. Guilielmi a Carolo Stengelio editæ ob S. Ardonis testis oculati auctoritatem ita profert :* Visus est sæpissime pro sua humilitate asellum humilem vilemque sedere *etc. Præterea num.* 30 Ipsis Fratribus, *inquit S. Ardo,* hæc, qui viderunt, referentibus comperi, qui usque nunc testes horum existunt. *In fine a capite* 10 *attexitur epistola monachorum Indensium, qua hi paucis vitam ejus, pluribus obitum describunt* qui, *ut num.* 45 *testatur Ardo,* eo tempore præsentes adfuerunt. *Id ipsimet illi monachi num.* 48 *testantur.* Nobis, qui eum *ægrum* ibi custodiebamus, vix ad eum accedere facultas esset, ad monasterium deduximus *etc. et num.* 49 in ejus tabulis post ejus decessum reperimus.

*inserit epistolam Indensium de morte ejus.*

21 *Vita hæc extat MS. in veteribus membranis monasterii Anianæ, quam inde ab Anselmo Rolle Benedictino congregationis S. Mauri in Gallia, et rerum antiquarum indagatore studiosissimo erutam accepit Hugo Menardus, et lib. 2 observationum ad Benedictinum Martyrologium stylo suo, et quidem contractam edidit, et, uti speravit, sine historiæ detrimento : eamdem deinde servata primogenia phrasi integrum vulgavit ante Concordiam Regularum ejusdem S. Benedicti, ac notis observationibusque illustravit ; in quibus se duo alia exemplaria MSS. Epistolæ monachorum Indensium habuisse indicat. Andreas Chesnæus tomo 3 Scriptorum historiæ Francorum eamdem Epistolam integram cum Vitæ fragmentis, quæ suo instituto indicabat utilia, ex hac Menardi editione recudit. Nos eam capitibus more nostro distinguimus, et notationibus illustramus ac duas subjungimus epistolas, a S. Benedicto in ultimo morbo scriptas : de quarum priore ad Abbatem et monachos monasterii Anianæ agitur in Vita num. 45; alterius meminit Catellius lib. 5 in Nibridio Archiepiscopo Narbonensi, cui scripta est additque se eam manu exaratam haberet*

*Unde hæc ea Vita edatur, cum 2 epistolis S. Benedicti.*

# VITA

## auctore S. Ardone discipulo,

## *ex MS. Anianensi edita a Menardo.*

### PROLOGUS AUCTORIS.

Dominis merito venerabilibus Patribus Fratribusque in Inda monasterio Domino Jesu famulantibus, Ardo servorum Christi famulus salutem dicit.

Jampridem, dilectissimi Fratres, vestræ ad me delatæ fuerunt *a* litteræ, amore piæ recordationis Patris nostri Benedicti Abbatis stipatæ, exitumque ad migrationem ejus ad Christum breviter, sed amabiliter, continentes : in quibus exiguitatem meam commonere estis dignati, ut latius initium conversationis ejus audire cupientibus scriberem : sed hactenus, virium mearum cernens pondus excedere, distuli. Siquidem sagaci industria scribentibus præcedentium Vitam, meritis venerabilem, virtutibus celebrem, curandum est ; ne aut negligentia torpentes omittant utilia, aut inducti gratia addant supervacua : sed diligentissime exquisita, nec non evidentium relatione testium roborata, currente calamo scribant : non rusticitatis vitium redolentes, peritorum aggravent aures ; sed urbanitatis sale *b* condita proferant verba, politisque sermonibus, ut ita dixerim, derogantium demulceant aures. Meæ vero ipse imperitiæ expers, vestris quandoque pariturus præceptis, longo silui tempore, et ut ab eruditioribus explicaretur sustinui : iniquum nempe decernens, si tanti patroni Vitam imperitis attingerem verbis, peritioribusque debitum aufferrem laborem, qui queunt, copia verborum affluentes, pompatice, quæque volunt, enucleare, et inter Syrtes nihil paventes regere cymbam, solœcismorumque vitare fœtorem, facundiaque eloquentiæ possunt ex abundanti eis copia fandi derogantium comprimere nugas. Pavebam, ne hi, dum vitiose composita corrigere vellent, a male contextis exacerbati, adjudicarent negligenda : præsertim cum noverim vos sacræ aulæ palatii adsistere foribus, nec turbulenti rivuli sitire potum, quin potius ab indeficienti vena purissimi fontis sedulo sapientiæ haurire fluenta. Hæc me ratio annali continuit spatio.

*Regulus ut Vitam scriberet S. Benedicti. — Auctore G. H. cur distulerit, integro anno,*

2 Interea cœperunt me mordacissimis verbis ab inerti studio expergescere Fratres, quos ipse pio conamine genuerat Christo, et, ut eis illum gestis vitæ religiosæ resuscitarem, compellere : a quo absentes esse solo constat consortio corporis, non plenitudine caritatis. Sic tandem aggredior explicare opus. Dedit ausum, ac consilium veniale etiam locus, qui ab eo primitus constat esse constructus, Fratresque, qui ejus noverant conversationis initia. Nam quod aliis contigit vix non audiri, ab his potuit vix non videri. Igitur pro captu rebus ex parte collectis, impensas operi accuratius explicaturis paramus et quasi quoddam seminarium latius promulgaturis nimium arctamus. Hoc humili prece poscentes, ut, si quis hoc despexerit opus, linquat, aut corrigat ; sin alios legere, scireque volentibus sinat, seque ad præcedentium Patrum Vitam legendam convertat, et, si hanc ab eorum tramite juxta vires non aberrasse repererit, gratuletur : sin autem, non temere judicando refutet, sed lacrymabiliter in tremendo die æquissimum judicem pacatissimum reddat.

*et dein resumpserit :*

3 Vestris quia parui jussis, o sanctissimi Fratres, precor, ut me orando adjuvetis ad Dominum, quatenus orantibus vobis, et meorum mihi detur venia delictorum, et posteris proficiat in augmentum. Rursusque obnixe postulo, ut hanc pervigili studio relegatis : et, quæque vitiose contexta fore probaveritis, elimando corrigite : si qua vero utilia, in arcano pectoris vestri excolenda servate. Siquidem imperio vestro, silentii vi subtracta, affectum præbuimus, non effectum : loqui nostrum vobis imputabitis, qui non tacere nos imperasse recolitis. Et, quoniam ei unicæ dilectionis affectu migranti de seculo *c* Helisacar hæsit Abbas, sicut ipsius auro pretiosior nobis directa testatur epistola, post vestram examinationem illi singulariter censeo præsentari ; esto, occulendam esse decreverit, veniam de meo posco errore : sin vero utilem, qui libenter paruerint, intenti imitari satagant vitam absentis. Perantiquam fore consuetudinem, hactenus Regibus usitatam, quæque geruntur acciduntve, annalibus tradi, posteris cognoscenda, nemo, ut reor, ambigit doctus ; et, quoniam mens diversis rebus partita, oblivione cæcatur, divinitus credimus esse consultum, ut, quem oblivione prolixa percurrente tempore poterant aboleri, litteris mandarentur servanda, quarum lectione jucundantur, hilarescunt, totosque se ad gratiam inflectunt hi, qui talia concupiscunt legere, nec ab his temerarius judicatur auctor scripturæ ; etiamsi contingat minus politis perstrepere verbis, ad quam avide cognoscendam desudant. Concedant igitur nobis, et præcedentium legere Vitam, et posteris mandare, quæ ipsi nostris temporibus vidimus vel audivimus ad augmentum animarum profutura. Nec condemnemur de imperitis sermonibus, et rusticitatis vitium redolentibus : quoniam ratum duximus normam salutiferam licet rudibus depromere verbis, et in abjectis virgulis pulcherrimum pandere favum. Suo quisque sumat arbitrio, quæ animo comperit placitura.

*offert eam censuræ aliorum, scribit a se visa, aut ab oculatis testibus audita.*

a *Ex referuntur cap.* 10 — b *Expunximus verbum* facientis, *quod aliunde intrusum redundabat.* — c *Aliis* Elisacharus *et* Helizachar

*AUCTORE S. ARDONE DISCIPULO.* *Hessachar Canonicus, Abbas,*

A *lisachar, Presbyter et Canonicus, Abbas datus monasteriis S. Richarii in agro Pontivo diœceseos Ambianensis, Gemmeticensi in peninsula Sequanæ diœcesis Rothomagensis, et S. Maximini prope Treviros. In catalogo Abbatum Gemmeticensium refertur octavus, Centulensium nonus, dicitorque, pro Sancto haberi, uti in Gallia Christiana ex Catalogo Sirmondi tradit Claudius Robertus. In MS. Catalogo Abbatum S. Maximini habetur vicesimus secundus, dicitorque fuisse anno 815 summus Cancellarius Ludovici Pii, ac Paullo post Abbas S. Maximini, et adhuc an. 836 vixisse. Interfuit anno 822 Concilio Attiniacensi. In conventu Neomagensi cum Lamberto Comite justitias fecit anno 825, ad motus Hispanicæ Marcæ componendos missus cum aliis Comitibus anno 827, quæ leguntur in Vita Ludovici Pii, Annalibus Eginhardi et Bertinianis, aliisque. Eidem tomum priorem Chronici inscripsit Freculphus Episcopus Lexoviensis. De monasteriis eo ævo tradi solitis Canonicis aliisque secularibus infra agitur.*

*Cancellarius Ludovici Pii.*

## CAPUT I.

### *Ortus, militia, vita monastica S. Benedicti.*

*S. Benedictus ortu nobilis,* a b

Igitur vir venerabilis, nomine et merito Benedictus Abbas, ex *a* Getarum genere, partibus *b* Gotiæ oriundus fuit, nobilibus natalibus ortus, sed eum superna pietas potiori virtutum claritate nobilitavit. Pater siquidem ejus Comitatum *c* Magdanolensem, quoadusque vixit, tenuit: et Francorum genti fidelissimus totis viribus extitit, fortis et ingeniosus: hostibus enim valde erat infestus. Hic nempe magna prostravit strage *d* Wascones, qui vastandi gratia fines regni Francorum fuerant ingressi, e quibus nullus evasit, nisi quem pernix fuga salvavit. B Hic pueriles gerentem annos præfatum filium suum, in aula gloriosi Pipini Regis Reginæ tradidit inter *e* scholares nutriendum, qui mentis indolem gerens supra ætatem, diligebatur a commilitonibus: erat quippe velox, et ad omnia utilis. Post hæc vero pincernæ sortitur officium. Militavit autem temporibus præfati Regis: post cujus excessum, *f* cum regni gubernacula Carolus gloriosissimus Rex potiretur ei adhæsit serviturus.

*c educatur in aula Regis* — *d* — *fit miles* — *e* — *f*

5 Interea illustrante Divina gratia, superno cœpit flagrare amore, et, ut seculum linqueret, totis æstuare nisibus, periturumque fastidire honorem, ad quem cum labore attingere se posse cernebat, sed adeptum cito amittere. Per triennium autem hoc corde tegens, soli Deo secretum tenuit, corpore non mente se seculi actibus inserens. Tentabat igitur infra hoc spatium, si continentiæ culmen arripere posset, subtrahere corpori somnum, reprimere linguam, abstinere a cibo, parcius sumere vinum, et veluti peritus athleta ad futurum se componere bellum. Præmeditabat siquidem in seculari adhuc habitu sistens, quæ postea devotus implevit: sed quamquam se a seculi actibus exuere vellet, hæsitabat tamen, quibus hoc modis faciendum esset: utrum peregrini assumeret habitum, an forte se alicui C conjungeret, et hominum oves aut armenta gratis pasceret; an etiam in civitate sutoris exerceret artem, et, quæ habere posset, pauperibus erogaret. Sub tali quippe certamine fluctuante animo, ad amorem se vitæ regularis convertit. Eo itaque anno, *g* quo Italia gloriosi Caroli Regis ditioni subjecta est, cum Frater ejus incaute fluvium quemdam transfretare vellet, a tumentibus raperetur undis; hic equo sedens periculum conspiciens fratris, sese inter undas præcipitem dedit, ut pereuntem a periculo redderet extorrem, atque natante equo fratris attigit manum, quem cum tenuit, tentus est, vixque, qui eripere morientem voluit, mortis evasit periculum. Tunc se voto Deo constrinxit seculo deinceps non militaturum.

*relicto seculo.* — *cogitat Deo servire,* — *deliberat de modo* — *g* — *vovet in periculo submersionis.*

6 Patriam petit, sed hoc patri non patefecit. Quidam autem erat Religiosus, Widmarus nomine, corporea luce carens, sed cordis luce resplendens, cui velle suum ostendit: isque secretum tenuit, et consilium salubre præbuit. Præparatis itaque omnibus iter quasi *h* Aquis iturus arripuit, sed ubi *i* S. Sequani ingressus est *k* domum, redire suos ad patriam jubet, seque in eodem cœnobio Christo Deo servire velle indicavit. Postulat ingrediendi licentiam, qua adepta, mox capitis comam deposuit, et veri monachi habitum sumpsit.

h i k — D *ingreditur monasterium S. Sequani.*

a *Getæ, quas auctor a Gothis non distinguit, ab origine ad Danubium juxta Daciam sedes habuerunt, in hanc Gothi, Septentrionis populi sub M. Aurelio irruperunt, et pro eodem populo ab imperitis habiti. Oriundus autem S. Benedictus ex Gothis istis, qui an. 412. Gallias ingressi Tolosam sibi sedem elegerunt, et a mari Tyrrheno, fluvioque Rhodano per Ligerim ibidem flumina usque Oceanum sub Vallia tertio Rege possederunt, ut ex Idatio aliisque scriptoribus docet Catellus lib. 3 rer. Languedoriæ in Rege Vallia.* — b *Gotia sive Gothia dici cœpit fere Narbonensis prima, postquam Gothi Rege eorum Alarico cæso, a Chlodoveo I Francorum Rege anno 507 victi, eam provinciam fere solam detinuerunt, reliquis provinciis a Francis victoribus occupatis. Ea deinde Languedocia dicta est.* — c *Aliis* Magalonensem, *de qua supra actum est.* — d *Vascones sive Wascones in Aquitania in sive Novempopulania vixisse, Francis rebelles, et sæpe domitos fuisse diximus 2 Febr. ad Vitam S. Adalbaldi Ducis § 4. Antiqui Annales Francorum ab an. 708 ad 800 deducti, e Codicibus MSS. Tilii et Petavii a Chesneo tomo 2 histor. Franc. editi, tradunt ad an. 760, 761, 762, 766 et 767,* Pippinum in Wasconiam contra Waifarium Ducem abivisse: *at posteriores Scriptores, resumpto antiquo nomine, ejus loco* Aquitaniam *reponunt. Hunc Waifarium septima expeditione devicit Pippinus an. 768.* — e *Per* Scholares *intelligi ephebos et militiæ tirones indicant verba in epistola Iudensium cap. 10, ubi ab infantiæ tempore usque in adolescentiam militasse dicitur. Ita* S. Martinus *apud Sulpitium Severum lib. 1 cap. 1* armatam militiam in adolescentia secutus, inter Scholares alas sub Rege Constantio, deinde sub Juliano Cæsare, militavit. Σχολάριοι *Græcis, dicti, qui tamquam custodes Regis assidue in aula versabantur, de quibus egimus 7 Febr. ad Acta Martyrum Nicomediensium.* — f *Anno 768.* — g *Anno 774, quo statim post Pascha expugnata est Papia seu Ticinum, et capto Rege desiderio Italia subacta; uti ad eum annum ex Anastasio Baronius refert.* — h *Id est Aquisgranum, ubi Caroli Regis aula et Sedes erat.* — i *Colitur* S. Sequanus *19 Septemb. De eo agitur in Vita S. Joannis Reomaensis 28 Januar. num. 9.* — k *Id est monasterium, quinque circiter leucis Divione, nec procul a fonte Sequanæ situm, Saustér olim nuncupatum in pago Magnamontensi. De Theudolino, qui illi Abbas seculo 7 præfuit, actum est 8 Januar. in Vita S. Frodoberti Abbatis Trecensis numer. 7.*

*Getæ cum Gothis confusi.* — *Gothia in Gallus* — *Vascones a Pippino debellati.* — *Scholares in militia.* — *S. Sequani monasterium.* E

## CAPUT II.

### *S. Benedicti mortificatio. Cellarii officium.*

*S. Benedictus inedia se macerat*

Factus vero monachus incredibili inedia per biennium, et sex mentium spatium corpus suum affligere cœpit: sic quippe carni suæ, ac si cruentæ bestiæ, erat infestus, cibum permodicum sumens, pane videlicet et aqua corpus sustentans, mortem potius quam famem arcens, vinum siquidem seu pestiferum virus devitans, somnum si quando devictus animus sumere vellet, vili se strato paululum quieturus collocans, aliquando nudo humo prostratus, nimium defessus quievit, ipsa sua se plus requie lassaturus. Sæpe etiam pervigil in oratione pernoctans, nudis plantis in pavimento glaciali rigore perfusus persistens, in divinis nempe meditationibus ita totum se contulit, ut quamplures continuaret dies, sacris Psalmodiis deditus, silentii legem non interrumpens.

*dure cubat* — *pernoctat in oratione;*

8 Quiescentibus cunctis hic eorum calceamenta aquis mundans tergebat, eaque locis congruis lota restituebat. Heu, pro dolor, quidam, veluti illudentes insano, prorsus procul posito caligas jactabant, quorum vesanam insipidem hic altiori consilio bene tranquillus ferebat. In vestitu namque suo tanta se vilitate dejecit, ut vix persuaderi nescientibus verisimile forte possit. Erat itaque ei vilis et pervetusta tunica, quam non nisi post plures exactos mutabat dies, quapropter copia pediculorum in squalenti surgebat cute, a quibus jejuniis attenuata depascebantur membra. Cucullæ illi nimia erant vetustate consumptæ, et, si quando veterascentia rumperentur fila, ex dissimili colore foramen patens pannum *a* repertum sarciebat. Quæ res eum satis reddebat deformem: quamobrem a compluribus deridebatur, impellebatur, conspuebaturque: sed cœlo animus fixus viliora appetens, cum in festis diebus, cultioribus se reliqui componerent vestibus, hic sine reverentia coram obtutibus omnium utebatur. *b* Balneorum usus per idem tempus suo corpori numquam indulsit: munditias autem monasterii, quoties opportunitas expetiit, exercuit. Compunctionis gratia ope Divina concedente tanta ei largita est, ut, quoties vellet, fleret. Quotidie

F *contemnitur.* — *vestibus vilioribus induitur;* — a — b

A

*alitur lacrymis et pœnitentiis.* Psal. 101. 10.

die lacrymis, quotidie gemitu ob gehennæ metum alebatur, illud Davidicum amabiliter canens : Cinerem sicut panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam. Pallebant ora jejuniis, et macie exhausta carne, pellis ossibus inhærebat, ac in modum *c* paleariæ boum rugata pendebat. Hoc modo tenerum, quasi indomitum animal, non tam mansuefaciens, quam, ut ita dicam, mortificans corpus, cum cogeretur ab Abbate parcius erga semetipsum exercere rigorem, assensum minime præbuit. Regulam quoque B. Benedicti tironibus seu infirmis positam fore contestans, ad B. Basilii dicta, necnon ad S. Pachomii Regulam scandere nitens, quamvis exigue possibilia gereret, jugiter impossibiliora rimabat. His se pœnitentiæ lamentis probans, qui inimitabilis erat, vel nullis vel paucis, cooperante gratia Divina ut multorum fieret documentum salutis, in amorem præfati viri Benedicti Regulæ accenditur, et veluti de singulari certamine novus athleta ad campum publice pugnaturus accessit. Interea cœpit aliorum corrigere mores, negligentes arguere, exhortari tirones: ut proficerent admonere probos, ut corrigerentur increpare improbos.

*Abbate inhibente.*

*aversus ante afficitur regulæ S. Benedicti*

9 Injungitur ei post hæc custodiendum *d* cellarium, quemadmodum Regula præfati Patris commendavit : et juxta præceptum illius totis viribus se componere, ac licita petentibus sine mora studebat largiri, male petentibus denegare, impossibilia exquirentibus blande excusare. Et quoniam pro libita voluntate eis pocula non præbebat, æquis obtutibus a compluribus non intuebatur. Hospitum, infantum, pauperumque omni sagacitate curam gerebat. Abbas quoque eum summo colebat affectu, eo quod esset in omnibus utilis, et suæ vitæ cautus, et de aliorum salute sollicitus, et circa ministerium frequens, in loquendo rarus, ad obediendum promptissimus, in monendo affabilis. Contulerat siquidem illi Divina pietas inter alias quamplures virtutes etiam intelligentiæ donum, eloquentiæ spiritalis copiam.

*fit cellarius*

B

*amatur ab Abbate.*

a Pannum *in neutro genere alibi non legimus.* — b *Adde* vilioribus, *aut simile quid.* — c Palearia, *quasi* pelleria, *pelles ex gutture boum dependentes apud Virgilium et Columellam in neutro plurali, a singulari* palear, *quo usus Seneca. Hinc auctor fœmininum singulare formavit.* — d *De officio Cellarii, sive Cellerarii agit Haftenus lib. 3 tract. 7 Disquis. 4, et S. Benedictus cap. 4? Concordiæ.*

*Palearia.*

## CAPUT III.

### *Fuga S. Benedicti in patriam. Vita solitaria. Monasterium Aniana extructum.*

Decurso quinquennii et octo mensium in salutiferis rebus spatio, Abbas præfati monasterii migravit e seculo : tunc omnes uno animo parique consensu Benedictum sibi præferri optant. At ille suis illorumque non convenire moribus cernens, ad patrium concitus solum contulit pedem, ibique in patris suamque possessionem super rivulum, cui nomen est *a* Aniana nec non prope fluvium *b* Araurim, cum præfato viro Widmaro paucisve aliis, juxta B. *c* Saturnini permodicam ecclesiam, cellam exiguam ad habitandum construxit : quo in loco nonnullos annos magna cum penuria vexit, noctibus diebusque cum gemitu et lacrymis clementiam implorans Divinam, ut velle suum effectum proveheret efficacissimum. Erant autem per idem tempus in provincia illa quidam summæ sanctitatis strenui viri, Atilio scilicet et *d* Nibridius, necnon et Anianus, religiose degentes, sed regularem ignorantes custodiam : a quibus compertus non modice diligebatur. Siquidem, dum eum aliqua adversa impulsio paullulum superare tentaret, mox strato asello ad Atilionem, qui ei vicinior erat, propere festinabat. Primo siquidem tempore ardenti animo perplures, seculo relicto, cum eo religiose vivere tentabant; sed fracti animo, novum formidantes ge-

C

*Abbas eligendus,*

*fugit*

a

b

c

*solitarius degit*

d

*deficientibus sociis*

D

*AUCTORE S. ARDONE DISCIPULO*

nus vitæ, dum inauditam cogebantur arripere abstinentiæ viam, ut panem in pondere, vinumque in mensura perciperent, mox, ut sus ad cœnum, canisque ad vomitum, in calles salutis positum retrahebant pedem. Quorum instabilem vir Dei intuens fidem, turbatus, ad proprium voluit redire cœnobium. Qua de caussa ad consulendum præfatum adiit virum; cui cum velle suum narrasset, increpavit eum ille, dicens, sibi esse ostensum cœlitus, lucernam illum datum hominibus : quapropter cœptum constanter oportere implere bonum : fraude hoc antiqui fieri hostis, qui semper invidens, bonis infestus est actibus, cui assensus præbendus est numquam. Sicque ejus consilio adminiculatus, intrepide aggressus est, quod ardenti perficere optabat animo; non super alienum fundamentum ædificans, sed novo opere construere domos cœpit, ignotamque salutis pandere curabat viam.

*perseverat*

11 Igitur venerabilis vir Benedictus cum paucis sibi aggregatis Fratribus, qui, ejus comperta opinione ad eum confluxerant, (ut jam memoratus locus cœpit florere in religione pia,) et cœleste iter volens pandere gratis, properat laborare manibus : et, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniretur, quæ facienda monebat, per se implere curabat : non enim perterritus inopia, cœptum deseruit opus, sed, ut ait Apostolus, in fame et siti, in frigore et nuditate positus, hortabatur inconcusso subjectos persistere corde, docens arctam et angustam viam esse, quæ ducit ad vitam, et non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelanda est Sanctis. Quo documento roborati, majoribus se atteri optabant laboribus. Nulla eis tunc erat possessio, non vineæ, non pecora, non equi : unus tantum erat asellus, cujus solamine, cum alicubi pergendum esset, vicissim Fratrum arcebatur defectus : vinum tantum diebus Dominicis solennibusque percipiebant. Pellebatur aliquoties eorum esuries lacte delato ab aliquibus mulieribus : quoniam ariditate tabuerant corpora eorum, solo viventes pane et aqua. Quapropter, ut impigrum depellerent frigus, *e* lectariis utebantur, cum in vigiliis divinis assisterent. Erant quippe pauperes rebus, prædivites meritis, et quo eorum atterebantur inopia corpora, eo magis saginabantur virtutibus animæ : æstuabant siquidem amore cœlesti, solæque lacrymæ illis in angustia ferebant solamen.

*collectis monachis*

2 Corint 11 27

E

*in summa degit inopia*

e

12 Quorum invictam fraternam unitatem hostis cernens antiquus, hac eam scindere arte molitur. Unum eis erat circa *f* molinum, in quo quæ habere poterant molebant cibaria : instigatus autem maligni cogitationibus quidam eis nocte hospes advenit, quem juxta posse refectum in strato aselli collocant : at ille male vigil quiescentibus illis surrexit, et *g* sagum in quo jacuerat perferens, situlamque de qua hauserat aquam, sed et ferramenta molini non oblitus, abcessit, pro bonis mala rependens. In crastinum vero damnum compertum magistro discipuli narrant, quos benevole ferre illatas contumelias docuit, damnaque lucra putare, illumque potius dolendum asseverans, qui dum nisus est acquirere lucrum, perdidit fidem.

f

*patienter fert furta :*

F

13 Cœpit interea paullatim turba discipulorum crescere, et fama piæ religionis sensim per circa habitantium ora volitare, seseque extendens ad longe posita decurrere loca. Et, quoniam vallis, in qua primum insederat, perangusta erat; paullulum extra confinia ejus monasterium novo opere construere cœpit : laborantibusque Fratribus, ipse aliquando etiam eorum ad vescendum decoquere victum, librumque etiam pariter circa coquinam occupatus scribere satagebat. Ligna vero sæpe propter penuriam boum humeris propriis cum discipulis deferebat :

*monasterium Anianam extruit*

A bat : domus enim in eo erat loco, quo fundare moliebantur monasterium, quam auctam in honorem sanctæ Dei genitricis consecrarunt Mariæ. Concurrentibus undique et illius se certatim subjicere magisterio postulantibus, et fabrica monasterii cito perficitur, et in rebus locus ditatus augmentatur, dantibus singulis quæ habere poterant. Non enim ornatis parietibus, tegulisque rubentibus, vel pictis laquearibus, sed stramine viliqne materia cooperire, vel facere domos decreverat. Licet enim multiplex numerus Fratrum augeretur, ille semper viliora, et humiliora appetebat. Quapropter si quis de possessionibus suis aliquid conferre monasterio vellet, suscipiebat; si vero servos ancillasque copulari niteretur, refugiebat : nec passus est quemquam per idem tempus per chartam monasterio tradi; sed ut fierent liberi, imperabat. Vasa autem ad Christi conficiendum corpus nolebat sibi esse argentea : siquidem primum ei fuerunt *h* lignea, deinceps vitrea, sic tandem concendit ad stannea. Planetam vero refutabat habere sericeam, et si aliquis illi dedisset, mox aliis ad utendum præstabat.

*Auctore S. Ardone discipulo.* — *supellectilem pretiosam respuit.* — *h*

a *Infra cap.* 10 Anianus, *de eo supra actum.* — b *Lege* Aurarim : *in Itinerario Antonini dicitur* Aurara, *Melæ* Araurarís, *Ptolemæo* Ἀραυρίς, *Straboni* Ῥαυραρις. *Gallis vocatur* Eraud. *De situ ante actum.* — c *Est hic* S. Saturninus *primus Tolosanum Episcopus, qui colitur* 29 *Novemb.* — d *Ita* Nibridius *anachoreta alius videtur*
B *esse a Nibridio ex Abbate monasterii Grassæ facto Archiepiscopo Narbonensi, licet eumdem suspicetur Menardus. De illo pluribus agit Catellus lib.* 5. — e *Id est,* culcitris, *ut observat Menardus.* — f *Ita in Lege Salica titulo* 24 *est* de furtis in molino. — g *Ita correximus, legebatur* secum. *Regula S. Benedicti* 62. Stramenta lectorum sufficiant, matta, sagum, lena, et capitale. *De quibus videndus Haeftenus lib.* 12 *tract.* 1 *Disquis.* 5 *et* 6. *Papias*. Sagum, stragulum vel coopertorium. — h *Horum usus abrogatus est in Concilio Triburiensi Moguntiam inter et Oppenheimium ad Rhenum an.* 895 *habito, cujus caput* 18 *juris communis factum, refertur in Decreto Gratiani I. om.* Vasa *et Can.* Ut calix *de Consecratione d.* 1. *De usu antiquo calicis lignei et vitrei disputant Baronius lib.* 1 *de Ritibus Eccle. cap.* 7. *Sfortia lib.* 2 *de Sacrificio Missæ cap.* 14 *aliique.* — i Planetæ *Isidoro lib.* 19 *Originum cap.* 24 *dicuntur vestes pretiosæ, quia oris* errantibus evagantur. *Idem docet Papias. Regula S. Isidori cap.* 62 *Concordiæ* § 10. Orarium, birros, planetas non est fas indui. *Cassianus lib.* 1 *de habitu monachi cap.* 7 *planeticas vocat.*

*Nibridius.* — *Sagum.* — *Calices lignei et vitrei.* — *Planetæ, vestes.*

## CAPUT IV.

### *Inopia aliena a S. Benedicto sublevata. Miracula patrata.*

Præterea surrexerunt in regione eadem vel circumquaque nonnulli viri religiosi, ædificantes *a* monasteria, aggregantes monachos, seseque ad exemplum beati viri exercitantes, ex ejus magisterio imbuti : vitam pristinam priscosque amputantes errores, quibus ipse, ut poterat, subsidium opemque ferebat, non spiritualium solummodo rerum, verum
C et corporalium : quos sæpe visitans hortabatur, coeptum non deserere opus, nec egestate perculsos, terroribusque dejectos retro respicere eminus : sicque documento salubri fulta numerosa adsunt cœnobia, et maxima monachorum extat multitudo. Orta autem *b* fame gravissima per idem tempus, cœpit multitudo pauperum, viduarum, et pupillorum ad eum confluere, ac portas monasterii viasque stipare : quos ille intuens media tabidos, imo ipsa jam pene morte glutitos, angebatur; quoniam unde tantam pasceret multitudinem, ignorabat. Sed, quia nihil deest timentibus Deum, quousque fruges attingerent novas, quæ Fratribus sufficere possent, seorsim jussit reponi; cetera per constitutos Fratres per singulos dies præcipit largiri : carnes etiam armentorum oviumque dabantur per singulos dies, lac etiam vervecum præbebat auxilium. Siquidem fecerant sibi tuguria congruis locis, in quibus usque ad novas habitarunt fruges. Deficiente cibario, rursus ea, quæ in Fratrum reponi jusserat usus, mensurare præcepit, quod factum est ter. In Fratrum vero animis tantus inerat affectus misericordiæ, ut libenter etiam impenderent, si fas esset, cuncta. Nam, quæ

*a* *Subvenit vicinis monasteriis,* — *b* *et in fama publica pauperibus :*

D sibi subtrahere poterat quisque, clam deferebat inedia consumptis : sicque vix erepti a famis fuere periculo : aliquoties enim in ore panem habens mortuus reperiebatur.

15 Nec illud silendum puto, quia cum pene provinciam illam eodem tempore perversum *c* Feliciani dogma invaserit, hic ab omni pestifero perfidiæ errore illæsus, ope Divina intus evasit, multosque non solum inferiorum, verum etiam Præsules Ecclesiæ suo eripuit studio, et adversus nefandum dogma veris disputationum jaculis armatus sæpe *d* congressus est.

*c* *Felicianam hæresim refutat.* — *d*

16 Erat enim eo tempore, et numerosa jam turba Fratrum, et in fervore perpetuæ vitæ succensa. Certabant siquidem, quis eorum esset humilior, quisve in obedientia promptior, in abstinentia ardentior, in vigiliis anterior, in loquendo posterior, in vestitu vilior, in caritate ferventior. Quibusdam etiam revelationes fiebant. Quidam namque erat Frater, qui juxta humanam honestatem minus erat compositus : quem negligenter incedentem dum Pater perspiceret, in animo eamdem rusticitatem judicare cœpit. Hic autem in extasi ductus, gregem columbarum aggregatum cernens, quædam miræ candoris fulgentes, quædam vero erant mira varietate distinctæ, quædam autem solo capite tetrum colorem gestabant. Qui cum sciscitasset, quid hoc esset, dicta sunt nomina singulorum, quorum aut negligentia fecerat nigros, aut studium splendore nitentes. Is E rediens ad se, Patri quæ viderat retulit, eumque, ne se despiceret, admonuit. At ille singulorum acta discutiens, mentes Fratrum, de quibus a Fratre dixerat, turbatas reperiens, et benignum *e* malagma castigationis impositum, ad congruam formam instituit.

*monachos fervientes* — *visione* — *turbatos instruit :*

17 Sed antiquus hostis ægre ferens unitatem et augmentum boni gregis, nisus est quorumdam concutere corda, ut bonum institutorem a proprio ovili redderet extorrem. Plures quidem sua arte a monasterio pepulit, pluresque turbavit : sed paratam tribulationibus non valuit concutere mentem, confractas rursum recuperat perituras vires. Sibi subjectos instigat, inferre damna imperat, equos bovesque furtim patenterque auferri jubet : sed, qui Deum cunctis præposuerat rebus, sine dolore amittit, quæ sine amore possidebat. Certe pro nulla amissa re unquam eum quisquam vidit commotum : perditam numquam repetiit, furatam numquam quæsivit : furanti, si captus est beneficium præstitit, latentem, ne caperetur, dimisit. Quidam enim cum equos monasterii furtim auferret, a vicinis non sine vulnere captus, et Patri est præsentatus : cui ille impensas F præbuit, medicum instituit, sanatum incolumem direxit. Contigit autem vice alia, cum venerabilis Pater iter conficeret, alio secum comitante Fratre, quemdam equum a monasterio sublatum sedentem obviare. Frater vero curiosis luminibus intuens, eum qui furatus fuerat esse cognovit : mox voce prorupit, monasterii esse equum. At ille silere eum jubet : Sæpe similare equus equum solet, ait. Seorsum autem increpavit Fratrem dicens, Et ego agnovi; sed melius silendum censeo, quam verecundiam inferamus.

*furibus benefacit :*

18 Et quoniam omnipotens Deus, qui cuncta creavit, mira etiam congruis temporibus per servos agit suos; quæ per hunc gesserit, pauca relatione perstringam. Ignis quodam tempore domum juxta B. Mariæ Virginis basilicam sitam invasit : sed, cum vorax flamma stipulam lamberet siccam; concurrerunt dolentes Fratres, domum, quam non sine magno labore construxerant, a rapidis flammis videntes consumi; summoque studio satagunt, ne ignis vicinam succenderet ecclesiam : illo enim omnis impetus ignis

*orationem incendium avertit,*

A ignis ferebatur. Ad quod spectaculum etiam Benedictus Pater accessit : cui protinus Fratres, ut orationibus eos adjuvaret, imperant. At ille festinus obtemperans jussis Fratrum, sese cum lacrymis ante beatæ Virginis et Dei genitricis Mariæ altare prostravit. Illo autem orante, mox Divina opitulante misericordia, in contrarium impetus ignis convertit.

19 Locustarum etiam tanta eodem tempore adfuit multitudo, ut sua densitate radios absconderent solis, quæ conglobato impetu in vineam, quæ monasterio vicina est, vastaturæ resident, ex qua quammaxime pocula Fratres percipere soliti erant. Vir vero venerabilis beatæ Dei Genitricis adiit basilicam, et flebili voce perfusus lacrymis Divinum implorat auxilium; sed post paullulum male quiescentes abscedunt locustæ. *locustas abigit,*

20 Rursus vice alia montem vicinum ignis invasit, et arentem stipulam frondesque, ac solis ardore perustam cœpit lambere terram, suoque impetu ruinam vineæ ac monasterio minitans ibat : ad quem exstinguendum omnis turba Fratrum cucurrit, cum quibus et venerabilis Benedictus Pater adiit : sed ignis cœptum mox deseruit iter, dextra lævaque extinguendus properans. Non enim nisi oratione ejus credendum puto, tantum incendium superatum fore. *incendium sistit :*

B

21 Cuidam etiam Fratri custodia boum erat injuncta. Is cum a monasterio ad suum vellet ire officium, Patri benedictionem petiit : cui protinus ille signum Crucis dedit, dicens : Dominus te custodiat. At cum Frater in diversorium venisset, duobus latronibus occurrit : a quibus, dum incaute accessisset, tentus est per habenam equi, quem sedebat . se vero diutius aspicientes, nihil loquentes, dimiserunt eum. At ille cito discessit, et postquam Patri retulit, ait : Benedictio te Dei servavit illæsum. *Cruce ab eo signatus a latronibus illæsus :*

21 Nec silentio illud prætereundum est, quod ipse aspexi. Frater enim quidam *f* Præpositus est constitutus; sed in superbiam lapsus, ab ordine Præposituræ deponitur : ad tantam demum malitiam ruit, ut a monasterio clam educeret equum. Quem tentum, junctis pedibus subter equum, ad monasterium deduci jubet, vociferantem et jurantem, numquam se illo abiturum : ob cujus insipitudinem virgis eum lævigare jussit, sicque deinceps juste pieque vivens in cœnobio quievit, ac si ipse in eo hostis malignus cæsus fuisset. *f* *superbus virgis emendatur.*

a *Varia cap. 7 et 10 enumerantur monasteria, quorum regimini intendit.* — b *Anno* 793, *ut supra dictum.* — c *Imo* Felicianum dogma *a Felice Urgelitano, de quo supra etiam actum.* — d *Etiam in Hispaniam ideo profectus.* — e Μάλαγμα *medicamentum emolliens* μαλάσσειν emollire. — f *De Præpositis, eorumque ordine et officio agitur in Regula S. Benedicti cap.* 27, *et pluribus ab Haefteno lib* 3 *tract* 6 *disquis.* 1, 2 *et* 3.

C

## CAPUT V.

### *Templum Anianæ a S. Benedicto ædificatum : monasterium stabilitum.*

Hactenus de Vita tanti Patris, qualiter Divina illustrante clementia seculum reliquerit, qualiterque in Gottis partibus transmigraverit, ac de novo opere monasterium construxerit, dicta sufficiant : nunc opitulante Christo, ex præcepto Caroli quibus modis aliud in eodem loco cœnobium ædificaverit, evidenti ratione pandamus. Anno igitur *a* DCCLXXII, Caroli vero Magni Regis XIV, adjuvantibus eum Ducibus, et Comitibus, aliam rursus in honorem Domini et Salvatoris nostri ecclesiam prægrandem construere cœpit : sed et *b* claustra novo opere alia, cum columnis marmoreis quamplurimis, quæ sitæ sunt in porticibus : non jam stramine domos, sed tegulis cooperuit. Tanta autem sanctitate idem locus est præditus, ut, quisquis fideliter petiturus advenerit, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, statim, quod poposcerit, impetrare licebit. Quia ergo mira religiositate præfulget, ratum duximus, si de dispositione ejusdem loci aliquid post futuris pandamus. *Templum Salvatoris extruit a*

D *AUCTORE S. ARDONE DISCIPULO.*

23 Siquidem venerabilis Pater Benedictus pia consideratione præventus, non in alicujus Sanctorum prætitulatione, sed in Deificæ Trinitatis (uti jam diximus) nomine præfatam ecclesiam *c* consecrare disposuit. Quod dico, ut luce clarius agnoscatur, in altari, quod potissimum præ ceteris videtur, tres aras censuit subponi : ut in tribus aris individua Trinitas, et in uno altari essentialiter firma demonstretur Deitas. Altare vero illud forinsecus est solidum, abintus autem cavum : illud videlicet præfigurans, quod Moyses condidit in eremo, retrorsum habens ostiolum, quo privatis diebus inclusæ tenentur capsæ cum diversis reliquiis Patrum. Hæc de altari dicta sufficiant. Ad instrumentum domus, quo ordine vel numerositate compositum, succincte pergimus. Cuncta siquidem utensilia, quæ in eadem domo habentur, in septenario numero consecrata noscuntur : septem scilicet candelabra fabrili arte mirabiliter producta, de quorum stipite procedunt hastilia, sphærulæque, ac lilia, calami ac scyphi, in nucis modum, ad instar videlicet illius facta, quod Beseleel miro composuit studio. Ante altare etiam septem dependent lampades, miræ atque pulcherrimæ, inæstimabili fusæ labore, quæ a peritis, qui eas visere exoptant, Salomoniace dicuntur conflatæ. Aliæ tantumdem in choro dependent lampades argenteæ, in modum coronæ, quæ in se insertis circulis cyathos recipiunt per gyrum, morisque est præcipuis in festivitatibus oleo repletos accendi, quibus accensis veluti in die, ita in nocte tota refulget ecclesia. *in eo constituit altare SS. Trinitatis, c* *candelabra 7.* *7 lampades æneas,* E *7 argenteas :*

24 Tria denique altaria in eadem sunt dicata ecclesia, vel basilica, unum videlicet in honorem S. Michaelis Archangeli, aliud in venerationem beatorum Apostolorum Petri et Pauli, tertium in honorem almi Protomartyris Stephani. In ecclesia vero beatæ Dei genitricis Mariæ, qui primitus est fundata, S. Martini, necnon et B. Benedicti haberi videntur altaria. Illa vero, quæ in cœmeterio fundata consistit, in honorem S. Joannis Baptistæ consecrata dignoscitur, quo inter natos mulierum majorem neminem surrexisse Divina attestarunt oracula. Considerare libet quanta humilitate, ac reverentia isdem metuendus sit locus, qui tot Principibus videtur esse munitus. Siquidem Dominus Christus Princeps est omnium Principum, Rex Regum, et Dominus dominantium : Beata vero ejusdem Dei genitrix Maria cunctarum Virginum creditur esse Regina : Michael cunctis præfertur Angelorum : Petrus et Paulus capita sunt Apostolorum : Stephanus Protomartyr principatum tenet in choro testium : Martinus vero gemma refulget Præsulum : Benedictus cunctorum est Pater monachorum. In septem item altariis, in septem candelabris, et in septem lampadibus septiformis gratia Spiritus sancti intelligitur. *alia altaria,* Matth. 11. 11 *mystice explicata.* F

25 Cognoscat quisquis ille est, qui hanc cupit legere, vel audire Vitam, cunctorum hoc caput esse cœnobiorum, non solum quæ Gottiæ in partibus constructa esse videntur; verum etiam illorum, quæ aliis in regionibus ea tempestate, et deinceps post hujus exempla ædificata, atque de thesauris illius ditata, sicut in antea narrativa est schedula. Dedit autem cor suum, ad investigandam B. Benedicti regulam, eamque ut intelligere posset satagens, circumivit monasteria, peritos quosque interrogans quæ ignorabat, et omnium Sanctorum quascumque invenire potuit regulas congregavit, normamque utilem, et monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit monachis observandas. Instituit cantores, docuit lectores, habuit grammaticos, et scientia Scripturarum peritos, de quibus etiam quidam post fuerunt Episcopi, aggregavit, librorum multitudinem *Regulas monasticas colligit :* *monasterio suo providet,*

AUCTORE S. ARDONE DISCIPULO.

A multitudinem congregavit, pretiosa vestimenta ecclesiastica, calices argenteos pergrandes, d offertoria argentea, et quidquid operi Dei necessarium esse conspexit, summo cum studio acquisivit. Notus itaque factus est omnibus, et fama sanctitatis ejus e Regias Imperialesque penetravit aures. Adiit deinde ad gloriosissimum Imperatorem f Carolum ad utilitatem monasterii, illique cœnobium pia consideratione præsentans, ne incommoda a g parentibus suis paterentur post ejus discessum superstites, per chartam tradidit possidendum, a quo mox immunitatem percepit.

*et immunitatem impetrat.* ANIMADV. PAP. 91

a *Hos numeros plane corruptos esse diximus supra, ac legi fere debere anno* DCCXCVII, *et Caroli Magni Regis* XXXII. — b *Haeftenus lib. 3 tract. 3 disq. 1 varias claustri significationes profert, ubi et Menardus ad cap. 55 Concordiæ § 1. In Vita S. Guilielmi Gellonensis, de quo cap. sequenti, claustrum etiam a reliquis ædificiis extruendis distinguitur his verbis:* Quam primum condecens metitur oratorium, metitur etiam totius claustri spatium, domum etiam infirmorum, et domum refectionis atque dormitorium, cellam novitiorum, aulam hospitum *etc.* — c *Catellus lib. 5 in Nibridio Archiep. Narbonensi ait se vidisse diploma de consecratione altaris S. Salvatoris, in monasterio Aniano factum an. 804, cui subscripsisse traduntur Episcopi amplius* 300, *interque eos Nibridius.* — d *Antiquus Ordo Romanus:* Levat calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi, et ponit eum super altare juxta oblationes Pontificis a dextris involutis ansis cum offertorio suo, quod etiam ponit in dextro cornu altaris. — e *Regias scilicet Ludovici Pii regnantis in Aquitania et Gothia, et Imperiales Caroli Magni, qui suprema insuper auctoritate præerat, etiam necdum Imperator. Hinc in diplomate Ludovici Regis Aquitanorum Pictavensibus dato subscribitur annus Caroli Regis regnantis, ut videre est apud Besluum par. 2 Historiæ Comitum Pictaviensium et Ducum Aquitaniæ.* — f *S. Benedictum Carolo Magno familiarem fuisse tradit catalogus Abbatum Indensium, sed qui perperam sub ipso addit cœptum extra monasterium Indense, quod de Aniano dicendum.* — g *Id est, consanguineis, etiam posteris.* ANIMADV. PAP. 92

B

## CAPUT VI.

*Monasterium Gellonis extructum a S. Guilielmo Duce Aquitaniæ. Hujus Vita.*

Guilielmus quoque b Comes, qui in aula Imperatoris præ c cunctis erat clarior, tanto dilectionis affectu B. Benedicto deinceps adhæsit, ut seculi dignitatibus despectis, hunc ducem viæ salutaris eligeret, qua pertingere posset ad Christum; acceptaque tandem convertendi licentia, magnis cum muneribus auri, argentique, ac pretiosarum vestium speciebus subsequitur venerabilem virum. Nec moram in deponendo comam fieri passus est, quin potius d die Natalis Apostolorum Petri et Pauli auro textis depositis vestibus, Christicolarum induit habitum, seseque Cœnobitarum adsciscit numero congaudet. e Vallis vero a beati viri Benedicti monasterio ferme quatuor distat millibus, cui nomen est f Gellonis, in qua construere præfatus Comes in dignitate adhuc seculi positus cellam jusserat, illic se vitæ suæ tempore Christo tradidit serviturum. Et, quoniam g nobilibus natalibus ortus, nobiliorem se fieri Christi amplectendo pauperiem studuit, et summum, quem jam antea perceperat, pro Christo abjecit honorem.

*S. Guilielmus a S. Benedicto conversus, ex Comite monachus,*

C

27 Ratum puto, si de piis conversationis ejus actibus vel nescientibus pandam. Etenim in cellam præfatam venerabilis Pater Benedictus suos jam posuerat monachos, quorum exemplo imbutus, infra paucos dies, re a quibus edoctus est, virtutibus antecellit. Adjuvantibus quoque eum h filiis, quos suis Comitatibus præfecerat, Comitibusque vicinis, ad perficiendam fabricam monasterii, quam cœperat, cito deduxit. Qui locus ita secretus est, ut solitudinem non desideret habitator. Cingitur denique nubiferis undique montibus, neque cuiquam illic accessus est, nisi quem ultroneus orandi caussa deduxerit animus. Tanta vero amœnitate est perfusus, ut si Deo servire decreverit, alia non desideret loca; siquidem adsunt vineæ, quas præfatus vir plantare præcepit, hortorum quoque copia variis stipata diversorum generibus arborum; possessiones acquisivit plurimas. Petenti siquidem eo serenissimus Rex Ludovicus spatioso hoc dilatavit termino, de fiscis suis ad laborandum concedens locum. Vestes sacras perplurimas dedit, calices argenteos et offertoria præparavit, libros secum perplures attulit, altaria auro argentoque vestivit; in hanc nempe ingressus cellam totum se dedicavit Christo, nihil mundanæ pompæ relinquens vestigii.

*h monasterium Gellonis extruit, et locupletat*

D

28 Tantæ autem deinceps humilitatis fuit, ut rarus aut nullus ex monachis ita flecti posset, dum obviare contingeret, ut ab eo humilitate non vinceretur. Vidimus sæpe eum sedentem asinum suum, i flasconem vini in k stratorio deferre, eumque super insedentem, calicem in terga humeris vehentem, nostri monasterii Fratribus tempore messis ad refocillandam sitim eorum occurrere. In vigiliis quoque ita pervigil erat, ut vinceret cunctos. In pistrino, nisi occupatio aliqua præpediret, aut ægritudo tardaret, propriis operabatur manibus. l Coquinam vice sua complebat, in habitu summæ humilitatis assumpserat formam. Jejunii amator extitit, orationibus instans, compunctioni continuus; vixque corpus Christi poterat percipere, priusquam lacrymarum ejus in terram decurrerent guttæ. Lectuli quoque duritiem avide expetebat, sed propter ejus invaletudinem Benedictus Pater culcitram, eo nolente licet, substerni fecit. Aiunt nonnulli, se quia sæpe pro Christi amore flagellis cædi, nullo alio præter eum qui aderat conscio, jussit. Mediis fere noctibus glacialibus prorsus rigoribus, uno perraro tectus tegmine, sæpe in oratorio, quod in honorem S. Michaelis construxerat, soli Deo notus, vacans orationibus stabat. His aliisque virtutum fructibus intra exiguos stipatus annos, innuere sibi diem mortis cognoscens, cunctis monasteriis in regno Domini Caroli pene sitis, per scripturam notum fieri jussit, se ab hoc jam seculo migrasse, sicque deinceps copiam virtutum reportans, Christo vocante migravit.

*vir summæ humilitatis caritatis, devotionis, mortificationis.* E *obit*

a *Colitur hic S. Guilielmus 28 Maii, cujus varia Acta dabimus illo die. Extant aliqua a Carolo Stengelio typis Augustanis edita, una cum Vita S. Wilhelmi Hirsaugiensis. Illustre Vitæ compendium edidit Ordericus Vitalis lib. 6 Historiæ Eccl. a Chesnario inter Normannicos scriptores edita. Nonnulla de eo dedimus 10 Februarii § 1 ad Vitam S. Guilielmi eremitæ parentis Guilielmitarum, quorum res gestas nonnulli confuderunt.* — b *Catellus lib.* 1 *Historiæ Comitum Tolosanorum cap. 6 hunc probat fuisse secundum Comitem Tolosanum.* — c A Carolo Dux Aquitaniæ constitutus *dicitur apud Ordericum in Vita apud Stengelium,* secundus a Rege, inter Principes primus Comitis et Ducis gloria sublimatus, et conclamante exercitu totius Aquitaniæ investitus Ducatu. — d *Anno* 806. *Est autem monasterium dicatum Salvatori et 12 Apostolis.* — e *Sita ultra alteram ripam Arauris in diœcesi Lodovensi; eam interluit rivulus amœnus Odorulho, qui per monasterii hortum in Araurim defluit.* — f Dictus quasi agellus, qui inter immensos scopulos et colles horridos in ipsa solitudine deserti remanserit, *ita Vita. Hinc monasterium vulgo dicitur* S. Guilielmi in deserto, *ipse autem* S. Guilielmus Gellonensis. — g *Patre Theoderico Consule, sive Comite, et matre Aldana natus.* — h *Varios filios enumerat Catellus. De Jocelino, sive Gausselino egimus 10 Februarii. Alius Bernardus dicitur Comes fuisse Tolosanus, et Barcinonensis et Dux Septimaniæ.* — i Flasco, *a voce Teutonica,* flesche *aut* flasch *significat lagenam, eas figulinam aut vitream vino conservando idoneam. Ea voce utuntur Alcuinus in Vita S. Willibrordi, Hincmarus in Vita S. Remigii, Walafridus in Vita S. Othmari, qui auctores nono seculo etiam vixerunt.* — k *Id est,* stratis, *seu* instratis, *quibus asinus tegebatur, et super quæ sedebat. In Vita a Stengelio edita hæc ita leguntur:* Visus est asellum humilem videmque sedere messis tempore, et flascones vini Fratribus ad reficiendum deferre, *quæ hic non videntur de capite deprompta.* — l De Consule coquus, de Duce magnus inquilinus, ligna collo deferens, amphoram aquæ bajulans *etc. Ita Ordericus.*

*S. Guilielmus Comes Tolosanus, Dux Aquitaniæ: fundator monasterii Gellonensis.* F *Flasco pro lagena. Stratorium.*

## CAPUT VII.

*Varia S. Benedicto subjecta monasteria.*

Enimvero hæc scire cupientibus dixisse sufficiant, ad cœptum rursus redeamus opus. Piissimus quoque Ludovicus Rex, quo ab insanis magis magisque deridebatur Benedictus venerabilis Abbas, eo sibi eum in dilectionis sociabat multocius amore: sciens malorum esse consuetudinem, profectibus obesse justorum. a Regina quoque pio affectu colebat eum, et quia justum noverat, libenter auscultabat: et quoniam turba discipulorum ejus succreverat, et locus, in quo ipse degebat, infœcundus, humusque sterilis pene

*a Donatur illi a Ludovico Pio monasterium Menatum in Arvernis:*

A pene et ardore solis superustus est, dedit illi monasterium, quod est in Arverniæ territorio situm, quod S. *b* Meneleus regio de semine ortus fundavit, in quo et jacet in corpore, ubi duodecim direxit monachos, constituens eis Abbatem summæ reverentiæ virum, nomine Andoarum, qui a primævo tempore conversionis suæ ei adhæserat, virum probatum et multis laboribus attritum: quibus laborantibus pioque studio decertantibus, ferme septuaginta, vel eo amplius, illis monasticam vitam pro posse servantes adhæserunt.

*b*

30 Ad quod monasterium dum quadam vice egregius Abbas visendi gratia Fratres adiret, ex alia parte ejus adventum dum quidam Abbas cum Fratribus suis expeteret, contigit eum ipsius monasterii cellam, ubi ecclesia in honorem Dei et Salvatoris nostri sita est, adveuire: siquidem ibi primum habitare Fratres cœperant; et, qui angustus erat locus, ad jam præfatum monasterium serenissimus Rex eos transtulerat. Fratres autem, qui ad providendam cellam remanserant, videntes Abbatem una cum suis gavisi sunt. Et quia erat eis ingens paupertas, tristabantur: sed quoniam, ubi caritas est, etiam exigua sufficiunt, jubet, qui præerat Fratribus juveni vinum afferre. Cui mox ille, Nihil, inquit, est in vasculo vini. Duo siquidem illis vascula euntes permodica reliquerant Fratres, in quibus modicum erat vini, ex quo vel Missas canerent, vel Dominicis diebus singulas potiones perciperent. Audito autem Magister cellæ illius non esse vinum in vasculo, doluit, et confidens ait: Perge, et affer nobis, quia pro amore Patris nostri bibent hi, qui in Deum sperant, et non deficiet vinum. Perrexit Frater et abstracto vase egreditur vinum. Jam quidem prius voluerat accipere, sed nequaquam invento recesserat. Nuntiat quod acciderat: glorificant Deum, qui aderant, et meritis Domini Benedicti fieri profitentur. Biberunt ergo pro velle, et secum benedictionis caussa tulerunt. Domnus quoque Benedictus cum suis adveniens, juxta quod opus fuit accepit, secumque ex eo in via tulit: sicque post hæc cessavit vas fundere vinum. Ipsis nempe Fratribus, hæc qui viderunt, referentibus comperi; qui usque nunc testes horum existunt.

*ubi vinum in vase augetur divinitus.*

B

31 Alia rursus vice in eodem monasterio venit: post longum vero prædicationis sermonem, piumque confabulationis colloquium discessurus, pacis osculum Fratribus præbet: Quidam autem osculaturus accessit, quo perspecto vir Dei protinus substitit, pacisque osculum paululum negavit: post increpationem vero congruam nobis mirantibus Fratrem deosculatus est. Post hunc quoque inter alios alter adfuit Frater, cui similiter fecit. Tum demum ultimum vale dicens Fratribus abiit. Illo autem abeunte, in crastino compertum est, quoniam Fratres illi fugam arripere disposuerant. Intelleximus tunc, quoniam ob hanc caussam eos, revelante sibi sancto Spiritu, venerabilis Abbas osculari tardabat, quorum perversam voluntatem etsi non patenter ostendit, turbatas tamen conscientias salubriter increpavit.

*discoli corriguntur dilato osculo*

C

32 Aliud demum illi monasterium gloriosissimus Rex dedit, ubi, ut reor, viginti monachos misit, Abbatemque illis constituit. Situm vero est monasterium illud in territorio Pictavensi, et dedicatum in honorem S. *c* Savini, in quo positi Fratres, dum in piis studiis vigilant desudantque, turba monachorum non parva eis adjungitur. Rursus ei aliud contulit *d* monasterium, quod in territorio Bituricensi situm est, illique quadraginta ferme posuit monachos, constituitque Abbatem: et quoniam locus ille novo opere erat fundandus, adjutorium præstitit, libros vestesque sacras dedit. At illi in sanctæ religionis habitu florentes, sanctæque conversationis normam pandentes, unitatem quoque spiritus servantes in vinculo pacis, per maximum intra Christi ovile gregem monachorum aggregarunt.

*c donantur item monasteria S. Savini, d Masciacum,*

D

*AUCTORES ARDONE DISCIPULO.*

33 Ulfarius etiam quidam nomine nullum habens consanguineum, vir illuster et nobilis, per chartam ei ad ædificandum monasterium, *e* locum tradidit in Albiensi confinio, ubi etiam monachos, ordinato illis Abbate, fere duodecim misit. Et his etiam, quoniam novo opere fabricam monasterii cœptam perficere satagebant, libros plurimos contulit, vestes sacras præbuit, calicem argenteum, ac offertoria, Crucemque et omnia, quæ illis necessaria fore prospexit, administravit. Ipsi vero tam in ædificiis rerum corporearum, quam etiam in ædificatione animarum, sanctæque regulæ institutis decertantes, magnam Christo Deo famulantium congregationem religiosorum Fratrum acquisierunt.

*e Casa nova,*

34 Post *f* obitum quoque serenissimi Imperatoris Caroli cum filius ejus Ludovicus Rex Aquitanorum, Imperii curam suscepisset, Franciæ eum partibus ire jussit, eique in Alsat *g* Maurum monasterium designavit, ubi plures suæ vitæ sequaces ex Anianæ monasterio collocavit. Et quoniam magnum a palatio distat spatium locus præfatus, nec congruo occurrere tempore, cum vocaretur, poterat: et quia Imperatori multis pro caussis erat necessarius, placuit Imperatori, ut non longe a palatio provideret locum aptum sibi, in quo cum paucis quiescere posset, sicque præfecto *h* Abbate Fratribus Mauro degentibus, ipse cum nonnullis Imperatoris voluntati obtemperaturus accessit. Vallis autem erat vicina, quæ a palatio, ut reor, sex non amplius millibus distat, quæ viri Dei placuit oculis: ibique Imperator jussit construere miro opere monasterium, quod vocatur Inda, mutuato de rivulo ejusdem vallis nomine. In dedicatione vero ecclesiæ adfuit Imperator, eamque de suis copiosissime dotavit fiscis, immunitatemque jussit; atque per scripturam, ut triginta ibidem Deo Fratres Christo famulantes persisterent monachi, statuit; qua de re, ut numerus impleretur, venerabilis Abbas de notis monasteriis lectos jubet venire Fratres, quos suo instrueret exemplo, essentque aliis documentum salutis, quousque instinctu Divinæ gratiæ, seculari pompa relicta, æterno Regi militare desiderantes ex eadem provincia, in eorum subrogarentur ordinem.

*f*

*g Maurum*

E

*h Inda:*

35 Cœpit autem post hæc vir Dei palatinas terere fores, olimque dimissum ob multorum utilitatem ferre tumultum. Omnes siquidem, qui aliorum passi incommoda, imperialia petebant suffragia, cum ad eum accederent, alacriter susceptos osculabatur, eorumque querimonias in schedulis impressas tempore opportuno offerebat Imperatori. Ex quibus assuetus aliquoties Serenissimus Imperator, *i* mappulam manicasque ejus palpans reperiebat, repertasque legebat, atque ut utilius noverat decernebat: propter oblivionem quippe talibus in locis eas ferre solitus erat. Libenter etiam hujuscemodi querimonias audiebat Imperator, et ob id quam maxime sedulo illum in palatio fore jubebat. Etenim, qui eum ex regni moderamine, ex dispositione provinciarum, et ex suis consulerent utilitatibus, erant perplures, nullus prorsus afflictorum miseriis ita compatiebatur, nullusque monachorum inopiam ita Regi, ut ipse, pandebat. Erat quippe miserorum advocatus, sed monachorum pater: pauperum consolator, sed monachorum eruditor; divitibus pabulum vitæ præbebat, sed monachorum mentibus regulæ disciplinam inculcabat; omnium licet utilitatibus consuleret, monachorum tamen necessitatibus sedulo intendebat.

*omnibus patrocinatur apud Imperatorem,*

F

*i*

*maxime monachis.*

a *Hermengarda, sive Irmingarda, filia Ingramni Comitis* — b *Colitur* S. Meneleus 22 *Julii. Conditum ab eo monasterium in diœcesi Claromontensi* Menatum *in Constit. Ludovici Pii* Menadivii, *et solas orationes debebat.* — c Monasterium S. Savini *etiam solas preces debebat, situm ad Vartempam, sive Garempam flu. a*

*Menatum.*

*Monast. S. Savini.*

AUCTORE S. ARDONE DISCIPULO.

A *metropoli Pictonum 9 circiter leucis, versus Ducatum Bituricensem. Colitur S. Savinus xi Julii.* — d *Est illud* Maciacum, Mossiacum, *seu* Masciacum, *vulgo* Massii, *vel* Massai, *de quo agimus 13 Januar. in Vita B. Bernonis Abbatis num.* 29. — e Casa nova *infra dicitur cap.* 10. *Ulfarium S. Benedicti consanguineum fuisse ex altera Vita tradit Menardus.* — f *Anno* 814. — g *Coluntur SS. Leobardus et Maurus 25 Februar. quorum ille id primum condidit, alter postea instauravit: ab illo tum dicebatur Cella Leobardi, ab hoc Maurum vel Mauri monasterium, situm prope Tabernas oppidum Alsatiæ.* — h Celsus Abbas *memoratur a Bruschio in monasteriis Germaniæ et Coccio in Dagoberto cap.* 6, *et gratissimus traditur Ludovico Imp. fuisse, sed an tum a S. Benedicto constitutus fuerit, non legimus.* — i *Inter necessaria ab Abbate danda, est* mappula *cap.* 42 *Regulæ S. Benedicti quæ, inquit Alcuinus de Officiis divinis cap.* 17 in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum et narium detergimus: *de qua pluribus disputat Hæftenus lib.* 5 *tract.* 4 *disquis.* 3. *Hic pro sacculo videtur sumi, cui prior mappula seu sudarium poterat imponi, uti et libelli supplices, quos inde Imperator accipiebat.*

*Massiacum. Casa nova. Maurum. Mappula.*

## CAPUT VIII.

### *Inducta a S. Benedicto Regulæ accurata observatio: scripta ejusdem Concordia.*

Præfecit eum quoque Imperator cunctis in regno suo cœnobiis, ut sicut Aquitaniam Gotiamque norma salutis instruxerat, ita etiam Francos salutifero imbueret exemplo. Multa denique monasteria erant, quæ quondam regulariter fuerant instituta, sed paullatim tepescente rigore regularis pene deperierat ordo. Ut autem, sicut una omnium erat professio, fieret quoque omnium monasteriorum salubris una B consuetudo, jubente Imperatore aggregatis cœnobiorum Patribus una cum quampluribus monachis perplures *a* resedit dies. Omnibus ergo simul positis regulam ab integro discutiens, cunctis obscura dilucidans, dubia patefecit: priscos errores abstulit, utiles consuetudines affectusque confirmavit. Judicia igitur regulæ, cunctaque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minus regula pandit consuetudines, assentientibus cunctis protulit; de quibus etiam Capitulare Institutum *b* Imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in regno suo positis monasteriis observare præciperet, ad quem librum scire cupientem dirigimus: cui protenus Imperator assensum præbuit, inspectoresque per singula posuit monasteria, qui, utrum ea quæ visa fuerant sic observarentur, inspicerent; quique etiam formam salubrem ignorantibus traderent. Perfectum itaque propagatumque est opus Divina opitulante misericordia, et una cunctis generaliter posita observatur Regula, cunctaque monasteria ita ad formam unitatis redacta sunt, ac si ab uno Magistro, et in uno imbuerentur loco. Uniformis mensura in potu, in cibo, in vigiliis, in modulationibus cunctis observanda est tradita. Et, quoniam alia per monasteria, ut observaretur Regula, instituit, suos in Inda degentes ita omni C intentione instruxit, ut ex diversis regionibus adventantes monachi non (ut ita dixerim) perstrepentibus, ut imbuerentur, indigerent verbis; quia in singulorum moribus, in incessu, habituque formam disciplinamque regularem pictam cernerent.

*a In Aquisgranensi conventu statuta præscribit, b omnibus monasteriis tradita: in Inda accurate observata:*

37 Propter plurimorum quoque indiscretum fervorem et quorumdam ineptum teporem minusque capacem sensum, optimum constituit terminum, *c* ordinemque observandum cunctis tradidit: illos retrahens, ne superflua peterent; his imperans, ut torporem excuterent: alios nihilominus admonens, ut saltem jussa implere expeterent. Denique multa Regula implere jubet, sed permulta sunt quæ usus explere quotidianus expetit, ipsa tamen reticet. ex quibus omnibus habitus monachi veluti gemmi ornatur, et sine quibus dissolutus ac fluxus incompositusque esse probatur. Nonnulla autem præcepit, quæ aut propter concordiam unitatis, aut certe propter observantiam honestatis, seu propter considerationem fragilitatis commutantur. Quapropter piæ recordationis venerabilis Abbas, quæque observanda comperit, absque ulla cunctatione vel excusationis D fuco implere decrevit. Ea vero, quæ certis pro caussis aut dimittenda cognovit, aut commutanda inspexit, nihilominus prout rectius, et secundum posse, locique positionem decere cognovit, suis observanda discipulis tradidit: si qua nempe minus lucide pagina Regulæ pandit, aut omnino silet; rationabiliter apteque instituit atque supplevit, de quibus ope Divina adjutus, pauca relatu perstringam.

*scribit Ordinem monasticum c magna discretione singulis accommodatum*

38 Primitus *d* siquidem quam signum horis nocturnis pulsetur, in Fratrum dormitorio *e* squillam tangere jussit, ut prius monachorum congregatio orationibus fulti propria residerent per loca, tunc demum ecclesiæ ostiis patefactis hospitibus pateret ingressus. Surgentes vero concite, juxta quod regula præcipit, Fratres aquis se sanctificatis perfundant, et cuncta altaria humiliter et cum reverentia percurrant; sic demum ad propria loca accedant, sintque parati, ut cum tertium pulsaverit signum, absque mora surgentes, attonitis auribus Sacerdotem expectent; qui officium incipiendi sortitus est: nec cuiquam liceat per hoc spatium per angulos ecclesiæ sistere, eorum scilicet quibus ingredi jussum est: sed in choro sedentes institutos secrete concinant psalmos. Psalmos autem cantare *f* jussit quinque pro omnibus fidelibus in toto terrarum orbe vivis: quinque etiam pro omnibus fidelibus defunctis: pro E eis quoque qui nuper defuncti sunt, qui ad notitiam singulariter nostram *g* causa pervenit, ut jugiter canerentur instituit nihilominus quinque. Decursis vero psalmis quinque, pronus orationi incumbat, eos pro quibus cecinit Deo commendans: et tunc demum pro aliis rogaturus initium sonat. Nec pigritandum est pro certis defixisque psalmodiis æterno Regi, demerso in terram corpore, supplicare, cum Potentibus ad singula verba non revereatur quis inflectere caput; maximeque quia hoc modo gratia provocetur Divina, et compunctionis suscitetur fervor.

*d e ex eo excerpta circa Officia divina. nocturnum f g*

39 Tempore siquidem æstatis post *h* expletum Matutinorum officium, mox egredi ab ecclesia propter somnolentiam jussit: seseque calceantes, lotis faciebus, denuo ad ecclesiam concite redeant, et juxta præfatum ordinem altaria cum reverentia circumeant, sanctisque se aquis perfundant: et sic deinceps ad loca sibi constituta accedant, diurnum expleturi recitare honeste officium. Quæ officia juxta Romanum..... sintque parati, ut pulsato signo Horæ Primæ, mox ad chorum occurrant; signum autem ita prolixe tangere jussit, ut omnes illo sonante occurrant, illo cessante Sacerdos incipiat Horam. Expleta Prima *i* in unum aggregati solvant Capitulum, quo expleto, cum silentio aut psalmos decan- F tando, exeant *k* ad opus sibi injunctum. In monasterio quoque remanentes, non fabulis occupentur otiosis, sed bini et bini, aut certe singuli in coquina, in pistrino, in scellario psalmos canant. Post *l* Completorium vero instituit, ut non pro libita quis voluntate aut egrediatur, aut moretur in oratorio, sed hyemis tempore decem prius canant psalmos, æstate vero quinque; sicque pulsato signo omnes pariter juxta præfatum modum altaria cuncta circumeant, et sic ad lecta sua singuli pausaturi accedant. In his tribus per diem vicibus circumire cuncta præcepit altaria, et ad primum ex eis Orationem Dominicam dicant, et Symbolum, ceteris Orationem Dominicam, vel sua confiteantur delicta. Diurnis autem orationum Horis ad suum quisque accedat oraturus locum, si autem peculiariter sibi vult orare, quibuscumque vacat horis, licenter peragat. Has igitur tres ideo constituit orationis vices, ut hi, qui torpore pigrescunt, et orare fastidiunt, saltem compulsi agant, quæ libenter nolunt, et constitutas non præsumant relinquere horas; hi vero, qui nimio succenduntur

*h diurnum. i k l vespertinum*

A duntur amore, ne cetera indiscrete petant, retrahantur. Sic enim accidere solet, ut nimiis vigiliis atterantur unius noctis indiscretione, horis autem, quibus divinis psalmodiis esse intentum oportet, præoccupati somno, non valeant divinum exsolvere pensum.

*cunctis eumdem vestitum omnibus præscribit.*

40 In habitu quoque dissimiles fecerat multorum consuetudo: siquidem nonnullis usque ad talos cucullæ pendebant. Quamobrem vir Dei uniformem cunctis tenendum monachis instituit modum, ut non amplius a duobus cubitis excederet mensura, vel usque ad genua pertingere possent. Concessit etiam necessitatis caussa, præterquam Regula jubet, duas scilicet *n* stamineas et *o* femoralia, pelliceas quoque: et *p* tegumenta eorum cappas duas, et quæcumque necessaria prospexit, ut omnem amputaret occasionis ambagem, tribuit et concessit. Ostendit quoque per scripturam Imperatori rationem de his, quæ jubet Regula; sed certis ex caussis intacta remanent: et de his quæ illa prorsus reticent; sed utiliter suppleantur. Omne quippe desiderium suum in observationem Regulæ converterat, summumque hoc permaxime erat studium, ut nihil intellectui ejus excederet: quam ob caussam, quos peritos esse compererat, attente sciscitabatur circa longeque positos, eos B etiam qui istis in partibus ad montem Casinum accederent, veluti qui non audita solummodo, sed visa perciperent: ob quam dilectionem intelligentiæ, cum quislibet ei aliquid novi panderet, mox humiliter suscipiens summa reverentia aiebat, necdum posse occultos sensus Regulæ nosse. Et cum cunctis non dicam tironibus, sed ipsis sapientibus ipse eam elucidaverit, nova et inaudita se non tantum a peritis, verum etiam a simplicioribus recepisse fatebatur.

*Regulæ interpretationem inquirit*

41 Fecit denique *q* librum ex Regulis diversorum Patrum collectum, ita ut prior B. Benedicti Regula cunctis esset, quem omni tempore ad Collectam matutinam legere jussit. Ex quo rursus ut ostenderet contentiosis *r* nulla frivola cassaque a Benedicto edita fore, sed suam ex aliorum fultam esse Regulam, alium collectis Regularum sententiis composuit librum, cui nomen *s* Concordia Regularum dedit: ita dumtaxat ut B. Benedicti præcederet sententia, ei vero rationabiliter convenientes jungerentur deinceps. Alium nihilominus ex sanctorum Doctorum homiliis, quæ in *t* exhortationem monachorum sunt prælatæ, connexit librum, eumque omni tempore in vespertinis Collectis legere jussit.

*edit libros, r s concordiam Regularum, t exhortationes.*

a *Præses Conventus Abbatum Aquisgranensis an.* 817 *habiti, de quo supra actum.* — b *Lambertus Schafnaburgensis in Chronico ad an.* 817: Ludovicus Imperator Aquisgrani habuit synodum, ibique ordinavit vitam monasticam. — c Ordo conversationis monasticæ *editus est attributus S. Benedicto Casinensi, potius ab hoc S. Benedicto censetur conscriptus. Eum cum notis edidit Haeftenus.* — d *Incipit etiam Ordo is editus a nocturnis vigiliis: licet non eadem sint, ut forte ordo editus possit etiam aliud excerptum videri.* — e Squilla, *alias* skilla, *aut* skella, *tintinnabulum, an a Teutonica voce* Schelle? *Ita* cloca, *aut* clocca, *pro campana, eisdem* clock *est. Durandus lib.* 1 *de Divinis Officiis cap.* 4 § 11, Squilla *inquit*, pulsatur in triclinio, cymbalum in claustro, nola in choro *etc. Verum ubi hic squillæ usus in dormitorio præscribitur, etiam choro innuitur a Lanfranco cap.* 1 *Constit.* Pulsetur a secretario modice signum minimum, quam skillam vocant. *Equis appendi legitur in Lege Salica* 29 § 3: Si quis skellam de caballis furaverit. — f *Observat Menardus morem canendi* 15 *Psalmos ab hoc S. Benedicto invectum.* — g *Corrupta lectio forte sic emendanda*: jam pervenerunt, *scilicet quorum nomina mittuntur, ut pro eis oretur.* — h *De iis agitur cap.* 2 *in ordine monastico excuso.* — i *Hæc accurate ibidem explicantur cap.* 3. *De Capitulo et in eo tunc agendis fuse Haeftenus lib.* 8 *tract.* 1 *et* 2. — k *Ordo monasticus cap.* 4 *et seqq. quorum pleraque hic omittuntur.* — l *Ibidem cap.* 12 *et ultimo.* — m *Cuculla est amictus, caput et humeros circumambiens et protegens, inquit Haeftenus lib.* 5. *tr.* 5 *disq.* 1 *ubi pluribus de ea agit.* — n *Id est, laneæ interulæ, quas cilicio ante usitato successisse tradit Haeftenus lib.* 5 *tract.* 3 *disq.* 5 Camisæ *dicuntur in conventu Aquisgranensi cap.* 22, *ubi de vestibus concedendis agitur, unde hic locus potissimum desumptus est. S. Fructuosus cap.* 4 *et in Concordia S. Benedicti cap.* 62 § 17: Stamineis duabus, *inquit*, cujusque necessitatis querimonia sufficienda est. — o *In eodem Aquisgranensi conventu conceduntur* femoralia 2 paria, et pellicia usque ad talos duo: *ubi alii cum S. Ardone legunt* pelliceæ: *a quo tempore harum usum introductum tradit Haeftenus lib.* 5 *tract.* 3 *disq.* 9. — p *Idem conventus præscribit* tunicas duas, *quæ hic* tegumenta, cappas duas et cucullas duas, *de quibus accurate agunt Haeftenus aliique.* — q *In testamento S. Gennadii Episcopi Asturicensis, qui circa an.* 900 *floruit, inter libros, ab eo monasterio S. Petri de Montibus donatos, recensetur* liber Regularum virorum illustrium, *de quo dubitat Menardus, an idem sit, qui hic a S. Benedicto refertur editus. Colitur S. Gennadius* 25 *Maii.* — r *Eadem suggerit S. Benedictus in præfatione Concordiæ.* — s *Hinc clare refelluntur Trithemius, Wion, Possevinus, Clemens Reynerus, Yepez, Baleus, Pitseus aliique dum* Concordiam Regularum *attribuunt S. Benedicto Biscopio Anglo, cujus Vitam dedimus* 12 *Januarii.* — t *Extat hic liber in MS. Floriacensi ad calcem Concordiæ sed aliquot in fine foliis avulsis mutilus. In eo agitur de virtutibus et vitiis monachorum, cui lucem optamus ab aliquo illustri scriptore Benedictino, qualem Concordiæ dedit Menardus. Eumdem alii etiam attribuunt S. Benedicto Biscopio.*

C *Ordo conversationis monasticæ.* *Squilla, skella.* *Cuculla,* *Stamineæ.* *Pelliceæ*

D *AUCTORE S. ARDONE DISCIPULO. Liber Regularum Patrum. Concordia Regularum. Exhortationes.*

## CAPUT IX.

### *Beneficia a S. Benedicto variis collata. Ejus morbus, obitus.*

Cernens quoque *a* nonnullos totis nisibus anhelare in acquirenda monachorum cœnobia, eaque non tantum ut precibus obtineant; verum etiam decertare muneribus, suisque usibus stipendia monachorum expendi, ac per hoc diruta nonnulla; alia vero fugatis monachis a secularibus obtineri Clericis; adiit hac de caussa piissimum Imperatorem, precibusque pulsat, ut ab hujuscemodi contentionibus Clericos, monachos vero ab hoc redderet periculo extorres. Assensum præbet gloriosissimus Imperator, et monasteria in regno suo cuncta prænotata, in quibus E ex his Regulares Abbates esse queant, decernit; ac per scripturam, ut inconcussa omni maneant tempore, firmare præcepit, suoque annulo signavit; sicque multorum cupiditatem, monachorum nihilominus pavorem extersit. Erant etiam quædam ex eis monasteria multa, in quibus deessent monachi, quæ considerans, suggerente præfato viro, pissimus Rex juxta posse servire præcepit, ita ut nihil Deo famulantibus deesset, ac per hoc alacrem pro eo ejusque prole, totiusque regni statu piissimum precarentur Dominum. His vero monasteriis, quæ sub *b* Canonicorum relicta sunt potestate, constituit eis segregatim, unde vivere regulariter possent; cetera Abbati concessit.

*Monasteriis Abbates regulares præfici curat.* b

43 Quæ autem, cum ad *c* generale placitum jubente Imperatore pergeret, nutu Dei acciderint, non silendum puto. Ibat nempe ægra valetudine, nimisque caloribus fessus, jussis obtemperaturus Regiis; sed caritatis armis stipatus multorum explere utilitatem paratus; sed is qui piis semper invidet actibus inimicus, ut piorum detrimentum ferret saluti, hunc a tramite cœpto tali arte retardare molitur. Equos siquidem, quibus invehendus erat, per vasta silvarum deturbavit, custodibus fere ignota; sed vir Dei nullo dolore de amissis equis perculsus, alacer regias prope pervenerat fores. Expletis siquidem monasteriorum monachorumque, de quibus illi ingens et jugis piaque erat sollicitudo, utilitatibus, numerus equorum minutus a Rege fulcitur; sed et post unius mensis spatium amissi reducuntur equi: sicque divinitus actum est, ut, quia de amissis non doluit, duplicatum susciperet lucrum.

c *Equos amissos patienter ferens* F *recipit:*

44 Cœpit post hæc diversis variisque atteri ægritudinibus, et multos per annos continuis vigiliis, assiduis lacrymis, acerrimisque jejuniis atque laboribus meditationibusque attritum corpusculum novo certamini præparare: ut, qui subactis vitiis virtutum obtinuerat arcem, nobiliter infirmitatibus patientiæ armis accinctus decertans geminatam a Rege suo superatis hostibus victricem perciperet palmam. Quo enim validius pulsabatur ægritudine, eo intentius magis magisque aut orationibus aut lectionibus persistebat. Nullus otiosum reperit, nullus omnino in opere Dei pigrum, nullus vanis frivolisque fabulis occupatum invenit: aut enim ipse per se lectioni instabat, aut legentem studiose audiebat. Quis unquam solum nisi flentem reperit? quis ad eum subito ingrediens

*in morbis et laboribus vexatus,*

AUCTORE S. ARDONE DISCIPULO.

A ingrediens siccas ejus reperit genas? et non prorsus aut humi prostratum, aut cœlo erectis manibus stantem, aut, ne sacri voluminis nimiis humectarentur fletibus paginæ, pugnis recipientem lacrymas invenit? Carnis deficiebant vires, sed animi adamante durior persistebat intentio, rigor semel cœptus pene ipse perdurans. Carnium quadrupedum esus non suscepit a die conversionis suæ: balneis, tum etiam in ultimo suo tempore languoribus attritus, vix unquam indulsit: vestimentum post quadraginta vel eo amplius dies mutare solitus est: legere siquidem coram se sanctorum Patrum vitam, obitusque jubebat, qua lectione recuperatus animus fortior perdurabat. O bone Jesu, quibus suspiriis fletibusque perfusus æstuabat animus cupiens dissolvi, et esse cum Christo; non tamen, si necessarius Fratribus foret, laborem ferre recusans!

45 Invalescente autem ægritudine, Imperatorem familiariter alloquutus, in monasterio deducitur, Fratribusque valefaciens, tota nocte orationibus psalmodiisque pernoctans, ipsius diei regulare officium peregit. At cum alterius diei regulare expleret officium, et cursum persolvere vellet, ventum est ad clausulam: Justus es Domine, quem versiculum decantans ait; Deficio, et adjecit: Fac cum servo tuo Domine secundum misericordiam tuam: sicque inter verba orationis virtutibus decoratum emisit spiritum. *Pie obit.* B Adsunt autem ejus omnibus divitiis dulciores Epistolæ, quas pridie, quam migraret a seculo, Fratribus Anianæ positis proprio dictavit ore, in quibus testatur faciem suam amplius non visuros. Aiunt etiam quidam quoniam hora, qua migravit ad Christum, Episcopo *d* Stabulo Magalonensi obitus ejus revelatus est: a somno siquidem surgens, mox suis quod acciderat retulit. Obitum autem ejus et cursim attigimus, quoniam Fratres, qui eo tempore præsentes adfuerunt latius explicati sunt, quod sequens demonstrat pagina.

a *Circa tempora Caroli Martelli abusus ille cœpit, quo laici aliique Clerici obtinuerunt dignitates Abbatum, et Abbates Commendatarii sunt appellati, quod monasteria in commendam, ut loquuntur, haberent, eaque regerent cum facultate disponendi de fructibus, sicut veri beneficiarii. Præclara est admonitio Hincmari Archiepiscopi Remensis et aliorum Episcoporum ad Ludovicum Regem Germaniæ tomo* 2 *operum Hincmari tract.* 4 *cap.* 6 *et in Capitulari Caroli Calvi cap.* 23, *ubi petunt monasteria a Carolo Calvo laicis concessa, religiosis restitui. De Abbatibus Commendatariis agunt Tamburinus tom.* 1 *de Jure Abbatum disp.* 4 *et alii quam plurimi ab eo aliisque citati.* — b *Ex his erant* Helisachar, *infra in epistola a S. Benedicto dictus* amicus fidelissimus Canonicorum, et Alcuinus Levita *seu* Diaconus *Abbas Majoris monasterii Turonensis et aliorum,* cujus vita monasticæ non inferior fuit, *ut in ejus Vita legitur. Imo et hujus discipulus* Sigulfus Abbas Ferrariensis monasterii ad senium usque canonico habitu laudabiliter vixit, *ut testatur ejus successor Lupus Ferrariensis epist.* 29. *Hugo etiam frater Ludovici Pii multorum monasteriorum Abbas fuit.* — c *Generale placitum, seu conventus ad lites dirimendas, quater in anno haberi solitum dicitur lib.* 4 *Capitul. Caroli et Ludovici Imper. tit.* 57. *apud Hincmarum tom.* 2 *tract.* 14 *cap.* 29. — d Stoebulis, Stabelos, et Stabulis: *etiam adfuisse dicitur inter* 300 *Episcopos consecrationi altaris S. Salvatoris an.* 804.

*Abbates Commendatarii* — *ex Canonicis, et Clericis.* — C *Placitum generale.*

## CAPUT X.

### *Epistola monachorum Indæ de vita et obitu S. Benedicti.*

Ex iii MSS.

a Benedictus igitur Abbas in provincia Gotiæ *a* exortus sub Pipino Rege Francorum, et post ejus decessum sub Carolo filio ejus, ab infantiæ tempore usque in adolescentiam militavit. Post hæc autem relicto palatio in monasterio S. Sequani in provincia Burgundiorum habitum veri monachi suscepit: ibique duobus ac semis annis consistens, Deo jugiter militavit. *Ex milite monachus.* Sed, quia ibi regularem usum minime reperit, in Gotiæ partibus migravit, itaque super fluvium Anianum manu propria cellam primitus, postmodum vero cum ipsis Fratribus, qui ob amorem Christi sub ejus regimine venerant, monasterium ex novo opere construxit: *monasteria extruit duo,* in quo non longo post tempore trecentos sub suo regimine monachos habuit. D Defunctoque Carolo Imperatore Ludovicus filius Imperium suscipiens, Benedictum venerabilem virum una cum suis quibusdam discipulis in Franciam venire fecit, ac primitus in pago Alsacense monasterium ei Maurum dedit: postmodum vero pro ejus amore juxta Aquis palatium super fluvium Indam ex novo opere ei monasterium ædificavit. Hic est Benedictus, per quem Dominus Christus in omni regno Francorum regulam S. Benedicti restauravit: hic habuit sub regimine suo monasteria duodecim: *regit duodecim,* id est, Anianam, Gellonem, Casam novam, *b* Insulam Barbaram, Menatem, S. Savinum, *c* S. Maximinum, Massiacum, *d* Cromatiacum, Cellam novam in Tolosano, monasterium Maurum in Alsatz, Indam ex jussu Imperatoris ob illius ac discipulorum ejus usum ædificatum, et de fiscis regalibus ditatum. In his omnibus ex doctrina sua monachos et Rectores misit. Curam autem maximam habuit de omni ordine Ecclesiastico, *Imperatori gratus,* videlicet monachorum, Canonicorum, atque laicorum maxime autem monachorum.

47 Imperator autem omne ejus consilium libenter audivit, et fecit: unde et a quibusdam monachus vocitatur, videlicet quod monachos pro ejus amore semper suos proprios appellavit. Et post ejus decessum hactenus Abbatem se monasterii illius palam esse profitetur. Sanctus igitur vir usque ad obitum suum in palatio Regis pro augmento fidelium, non E pro terrenis rebus perseveravit: quia juxta erat monasterium in quo degebat.

48 Ante quartum vero exitus sui diem adhuc sanus omnia Imperatori, quæ ei solitus erat dicere, *febri corripitur,* replicavit. Et in ipsa die febre correptus, ad mansionem suam usque pervenit. Altera vero die audientes hoc omnes Magnates Imperatoris ad eum visitandum venerunt. Tanta autem ibi fuit multitudo Episcoporum, Abbatum, ac monachorum, ut nobis, qui eum ibi custodiebamus, vix ad eum accedere facultas esset. Helisacar autem Abbas primus ad eum venit, et cum eo usque ad obitum perseveravit. *e* Quinta siquidem feria ægrotavit, in sexta autem feria nocte misit Imperator *f* Tanculfum Camerarium jubens, ut eum in ipsa nocte ad monasterium ferremus, *e f deferitur ad monasterium,* quem levantes ante gallorum cantum una cum Helisacar, et suis ac nostris hominibus prima hora diei ad monasterium deduximus: cumque esset tertia diei hora, omnes a se exire præcepit, et usque ad sextam horam solus permansit.

49 Post hæc ingressus supraditus Abbas cum Præposito nostro, percunctati sunt, quomodo ageret, F quibus ipse respondit, numquam se tam bene fuisse, adjunxitque: Usque modo inter choros Sanctorum coram Domino adstiti. In *g* crastina autem Fratribus ad se vocatis, eis monita salutis dedit, et tunc professus est, quia *h* quadraginta anni essent, ex quo monachus fuerat, in quibus annis nullo die antea panem comedit, donec coram Deo lacrymas funderet. *g h 40 annis non comedit nisi fusis lacrymis.* In ipsa die brevem admonitionem Imperatori misit, et alia per diversa monasteria *i* direxit. *k* Isdem vero venerabilis vir omne officium suum de quinque annis et duobus mensibus ante obitum suum, sicut in ejus tabulis post ejus decessum reperimus, et ipse vivens quibusdam dixit *l*, Cantatum per semetipsum reliquit. *i k l*

50 Obiit autem septuagenarius, tertio Idus Februarii, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo vigesimo primo, *m* Indictione decima quarta, Concurrente 1, Epacta decima quarta anno *n* nono Imperii Ludovici piissimi Imperatoris. *obiit n Februarii an. Chr. 821 m n* Post tertium vero diem sepulchrum ejus aperuimus, et eum in vas lapideum, quod Imperator paraverat, mutavimus: discooperientes autem faciem ejus, vidimus in fronte.

A te, et circa oculos, ac labia ejus tantum ruborem, quantum nec vivus habuerat. His ita exceptis, et ita se habentibus nos famuli ex monasterio Inda videlicet Deidonus, Levigildus, Bertadus, et Desiderius tibi Ardoni, Magistro nostro, salutem in Domino optamus, petimusque caritati tuæ, ut secundum tuam sapientiam de vita patris nostri Benedicti libellum componas, et eum nobis dirigas. Salutant vos omnes Fratres nostri, et vos salutate omnes Fratres nostros. Amen.

a *An. 750 Pippinus est Rex constitutus, quo aut sequenti natus est S. Benedictus qui* septuagenarius, *ut infra dicitur, obiit.* — b *Leidradus Archiepiscopus in epistola ad Carolum Magnum, quæ extat inter opera Agobardi ita, de Insula Barbara sub S. Benedicto constituta scribit:* Monasterium regale Insulæ-Barbaræ situm in medio Araris fluvii, quod antiquitus est dedicatum in honorem S. Andreæ Apostoli et omnium Apostolorum, nunc autem in honorem S. Martini recens videtur esse fundatum jussu Domini Caroli Imperatoris qui ibidem præfecit Dominum Benedictum Abbatem, cum quo simul direxit ibi suos codices, ita restauravi, ut tecta de novo fuerint, et aliqua de maceriis a fundamentis erecta, ubi nunc monachi secundum regularem disciplinam numero triginta habitare videntur. *Hæc ille, ubi forte aliqua ex secunda persona in tertiam a posteris derivata sunt ut fuerit* jussu tuo, Domine Carole Imperator præfecisti, direxisti tuos codices. *Colitur ejus loci multo ante Abbas S. Ambrosius* 2 *Novemb. ad quem diem lib.* 1 *Observationum, tradit Menardus in eo nunc Canonicos degere.* — c *Est* Miciacense *in Aurelianensi diœcesi a Chlodoveo I extructum* SS. Euspicio et Maximino, *et ab hoc vulgo dicitur* S. Mesmin de Micii, *ut diximus* 25 *Januar. ad Vitam S. Linenti Colitur S. Euspicius* 14 *Junii, S. Maximinus* 15 *Decemb.* — d *Cormericum aliis et Cormaricum in diœcesi Turonensi ad Angerim fluv. de quo agit Chopinus lib.* 1 *Politiæ sacræ tit.* 5 *sect.* 14. *In Vita B. Alcuini hæc leguntur:* Patribus Cormaricensibus jusserat centum modia vini dari, cumque ad monasterium ducerentur, mandavit per Sigulfum Benedicti Abbatis monachum provisoribus monasterii, in alia vasa mutari *etc. De aliis monasteriis ante actum est.* — e VII *Idus Februarii, seu 7 Febr. ut infra in epistola S. Benedicti.* — f Tanculfus *dicitur in Vita Ludovici Pii ad an.* 826 sacrorum scriniorum Præfectus. — g *Sabbato, 9 Februar.* — h *In duobus MSS.* quadraginta octo anni, *sed hi incompleti numerandi ab anno* 774, *quo ingressus est monasterium S. Sequani, at* quadraginta *conficiuntur ab an.* 780, *quo cellam Anianam construxit.* — i *Infra epistolam scripsit* IV *Idus Februar. die Dominico.* — k *Hæc periodus deest in 2 MSS.* — l *Menardus corrigit* notatum. — m *Desunt* Indictio Concurrens, et Epacta *in 2. MSS. quæ in annum* 821 *convenire supra diximus.* — n *Tum* annus 8 *cœperat tantum* 28 *Januarii, si a morte Caroli parentis numeratur, ut solet: quia tamen anno* 813, *in consortem imperii assumptus est, si is annus imperfectus hisce scriptoribus visus fuerit primus, secundus cœptus numerari cum an.* 814 *aut morte parentis, tum* nonus annus *censeri potest.*

*Insula Barbara.*

*Miciacense monast. S. Maximini.*

*Cormeriacum.*

B

## EPISTOLA I

### B. BENEDICTI ABBATIS ANIANÆ.

Summæ in Christo beatitudinis ac felicitatis Georgio, monasterii Anianæ Abbati, ac cunctis filiis ac Fratribus bene ac vigilanter sub norma Patris degentibus Benedicti, ultimus omnium Abbatum Benedictus, optat jam in extremis positus salutem.

C Super omnibus, quæ meum exurunt animum, hoc est, quod de vestro sollicitor vitæ regularis ordine. Nequaquam enim ignoro vos nobiliter desudare, ac nostri fidelissime fore memores, neque ullo indignos exhortationis verbo. Verumtamen in ultimis constitutus ignoro, utrum jam vos videre queam. Nostis qualiter totis, quantum valui, nisibus, quamdiu potui vitæ exhortationis exempla monstravi sollicitus vestrum. Nunc ergo Filium Dei precor, et per ipsum testor, ut unanimes in caritatis nexu illos, quos vel mecum adduxi, vel alicubi propter aliquod exemplum, aut pro re aliqua misi, non habeatis quasi extraneos. Sed quicumque ad vos ex illis iterum redire voluerint, et regulariter vobiscum versari, pie benigneque velut Fratres recipite, ut decet. Deo D enim gratias, non deerit vobis corporale subsidium. Omnibus autem generaliter, maxime vero illis, quos nobis in amicitia junctos nostris, diligentissimum semper appendite affectum; et ut potestis, aliis pauperibus, quæ supersunt necessaria, ministrate. Abbati quoque Modario *a* S. Tiberii auxilium, in quibus indiguerit ferte. Et de iis, et aliis *b* veluti in vita nostra, magis autem post mortem agite meam. Sicut ergo monasteria dudum vitiata jam aliquid emendationis a nobis accepisse videntur, largiente Domino: ita maxime nunc cavete, ne (quod absit, te posco, misericors Deus) sinistram viam ullo tempore tendant. Monasterio vero Indæ tanquam Fratribus estote juncti unice. Helizachar quoque, qui præ omnibus supra terram omni tempore nobis extitit amicus fidelissimus Canonicorum, et Fratris ipsius in meo habetote semper loco, et ad eum semper sit refugium vestrum. Sed vobis ita nunc suggero, quia ignoro utrum in præsenti vos videam seculo. Nam septimo Idus Februarii acerbissimo, donante *c* misericordia, tactus verbere nihil aliud, quam ultimum expecto diem vocationis.

*AUCTORE J. B.*

Jussit hæc domnus Benedictus adhuc vivens quarto Idus Februarii scribere, et obiit tertio Idus ejusdem mensis.

a *Coluntur* 10 *Novemb. SS. Tiberius, Modestus et Florentia, sub Diocletiano martyrio coronati in territorio Agathensi, Ubi non procul ab Arauris fluvio extructum monasterium S. Tiberii, vulgo* S. Uberii et S. Tiberi *dictum.* — b *Videtur deesse,* curam. — c *Addendum forte,* Divina *aut* Dei

E

## EPISTOLA II

Venerabili in Christo Patri, *a* Nibridio Archiepiscopo, Benedictus, ultimus omnium Abbatum Abbas, sempiternæ felicitatis salutem opto.

Eia vir Dei, parcat modo caritas ac dilectio seu benevolentia, qua semper modo, in quantum potes, sive per temetipsum, seu familiares et amicos, nec non per omnia monasteria, quocumque potueris, transmittere, ut orationes tam in psalmis quam in Missis pro me ad Dominum fundere non cessent: quia modo valde mihi necessarium est. Scito, Pater dilecte, quia jam in extremis pugno, ad finem curro, jam anima a corpore separatur, et in hac luce oculis corporeis te minime videre spero. Ille, qui potest facere de immundo mundum, de peccatore justum, de impio castum, faciat nos pariter regno perfrui sempiterno, ibique cum omnibus Sanctis cantare canticum novum. Supplico, carissime Pater, ut, sicut F mercedem habuisti semper de Fratribus, qui degunt in monasterio Aniano; ita semper, dum anima a corpore egredietur, melius ac melius habeatis in vestra sancta dilectione. Omnes illius in partibus amicos, familiares et propinquos commendo. In monasterio quoque nostro totis nisibus, sic credo, facietis arguendo, obsecrando, increpando, ut libera voce cum Psalmista aliquando dicere valeatis: Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi. Jam omnia in caritate et discretione agite: vosque Trinitas sancta custodiat, et præmia largiatur æterna. Amen.

a *De* Nibridio, *aliis* Nitridio, *Archiepiscopo Narbonensi agit Catellus lib.* 5 *rer. Occitaniæ. Alia nos supra attigimus.*

DE

A — D

# DE S. ANTONIO CAULEA

## PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO,

J. B.

### Commentarius prævius.

*AN. CHR. IↃCCCLXXXXV XII FEBR.*

Relatus in Cælitum tabulas est apud Latinos æque ac Græcos Antonius, *cognomento* Cauleas, *qui sub exitum noni a Christi Incarnatione seculi Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsedit. De eo Martyrol. Romanum :* Constantinopoli S. Antonii Ep. tempore Leonis VI Imp. *ejus nempe, qui Basilio Macedone genitus,* Sapiens, *seu* Philosophus, *est appellatus. Antonii ejusdem memoriam ita in Addit. ad Usuardum annotavit Molanus :* Item Constantinopoli S. Antonii, magni inter Dei Pontifices, et admirabilis inter Patriarchas. *Præivere Menæa his verbis :* Eodem die (XII *Februarii*) memoria S. P. N. Antonii Archiepiscopi Constantinopoleos. *adnectunt elogium, de quo infra.*

*S. Antonius colitur 12 Febr.*

2 *Philippus Ferrarius, in generali Catalogo Sanctorum, qui desunt Martyrologio Romano, ad* XI *Februarii* S. Antonium *inscripsit,* ex Menologio Græcorum, *ut in Notationibus profitetur. Sed quo? Non eo certe quod Henr. Canisius edidit : non Græco quod Venetiis excusum : non quod Basilii Macedonis jussu concinnatum asservari Romæ ferunt, cum ad plures annos superstes Macedoni Antonius fuerit. Alia peccat in iisdem Notationibus Ferrarius, dum eum ait* Photio schismatico et hæretico subrogatum sub Leone IV Imp. *Copronymi filius fuit Leo* IV, *atque annis centum prior Antonio, qui Leone* VI *imperante, non Photio (quem mendose* Plotinum *vocat) sed Stephano, Leonis Imperatoris fratri suffectus.*

*non 11*

B

*ut mendo se quidam scripsit.*

3 *Anno Leonis tertio, qui erat Æræ, quam nunc Latina Ecclesia usurpat,* IↃCCCLXXXVIII, *ad Patriarchatum erectus Antonius est. Ita Cedrenus in Compendio historiarum :* Anno insequenti *(antea retulerat res gestas* τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς βασιλείας Λέοντος, anno secundo imperii Leonis) insequenti *igitur, sive tertio imperii ejus* anno, Stephanus Imperatoris frater ac Patriarcha excessit e vita. In ejus locum ordinatus est Patriarcha Antonius, cognomento Cauleas. *Mendose ista in Curopalate vertit Gabius his verbis :* Insequenti anno Stephanus Imperatoris frater, et Patriarcha excesserunt e vita : in cujus locum suffectus est Antonius, cognomento Cauleus. *Græce et hic* Καυλέας *appellatur a Cedreno ac Zonara et in Serie Episcoporum Byzantii lib. 4 Juris Græcorum, et Stephanus frater Imperatoris, idem et Patriarcha erat, uti ipse quoque Curopalates paullo ante retulerat et apud Cedrenum est* ἀπέλιπε τὴν ζωήν, excessit e vita ; *non autem* excesserunt. *Mortuus videtur Stephanus* die* XVII *Maii, quo a Græcis coli scribit Baronius tom.* 10 *Annal. ad an.* 888 *num.* 8.

*factus Patriarcha an. 888*

*post S. Stephanum,*

C

4 *Non satis perspicue traditur quo anno decesserit* S. Antonius, *aut quanto tempore Ecclesiam illam administrarit. Baronius in Annot. ad Martyrol. et Vossius, lib.* 2 *de Historicis Græcis cap.* 26 *scribunt anno* IↃCCCCI *obiisse. Videntur eam opinionem hausisse ex Curopalate, qui postquam scripsit* vita functo Patriarcha Antonio, declaratum Nicolaum Mysticum; *in eadem pagina (uti et Cedrenus, quem perpetuo sequitur) narrat; Imperatorem Leonem, die Pentecostes in templo S. Mocii, fuste ab homine vefano fuisse vulneratum, atque et a Mario monacho prædictum, decem adhuc annos victurum. Ita enim videtur quis ratiocinari posse : Obiit Leo anno* IↃCCCCXI, *decem post illud acceptum vulnus annis, ergo id illi inflictum erat an.* IↃCCCCI, XXXI *Maii : in eum enim diem Pentecoste illo anno incidit : non multo igitur ante Antonio, pridie Id. Februarii extincto, successerat Nicolaus. Verum etsi paucis verbis perstricta sunt: quæ illi scriptores interjiciunt, pluribus tamen gesta sunt annis; quo nimirum pacto post S. Theophanonis primæ uxoris obitum, secundam dein et tertiam duxerit Leo, atque Imperatorio diademate insignierit.*

*mortuus, non an. 701*

*ut sat proclivi errore quidam statuerunt.*

5 *Retractarit quod ad Martyrologium annotarat Baronius tom.* 10 *Annal. ubi ad annum* 890 *num.* 13 *ita scripsit :* Hoc anno moritur Antonius Patriarcha Constantinopolitanus, ubi tantum annos duos sedisset. Ita in Serie Patriarcharum Constantinopolitanorum in corpore Juris intexta. *At quæ in ea Serie traduntur de annis Patriarcharum, qui tempore Leonis eam rexerint Ecclesiam, haud satis apte invicem congruunt. Dicitur enim* Stephanus *sedisse annos* III, Antonius II, Nicolaus Mysticus XI; *eo ejecto* Euthymius *annos* V, *menses* VI; *tandemque mortuo Leone, pulso Euthymio, restitutus* Nicolaus. *Anno* I *Leonis, Christi* IↃCCCLXXXVI *in solium Patriarchale evectus est* Stephanus, *exturbato, qui numquam id legitime obtinuerat, Photio: decessit Stephanus tertio post anno,* IↃCCCLXXXVIII. *Antonius, si duos dumtaxat sedit annos, obiisse dicendus est* IↃCCCXC, *uti Baronius statuit : ergo* IↃCCCCI *ejectus Nicolaus, cum sedisset annos* XI. *Sequetur, Euthymium, cui* V *Sedis anni, menses* VI *tribuuntur, anno* CMVI *pulsum esse, quod demum* CMXI *accidit, cum Leone mortuo, Imperium capessivit Alexander. Desunt igitur, numero annorum Antonii anni quinque et menses aliquot : neque enim usquam interregni mentio fit, quin semper uno mortuo aut pulso alter creatus sit Patriarcha.*

*nec an. 890;*

*ut patet ex tempore successorum,*

E

6 *Aliter patescit error, si ita argumenteris : Pulsus est Euthymius anno* CMXI *mense Junio, mortuo Leone. Sederat autem annos* V, *menses* VI *ab initio nempe anni* CMVI. *Ergo tunc primum ejectus erat Nicolaus, postquam annos* XI *Ecclesiæ præfuisset, ab anni* IↃCCCLXXXXV *Februario, cujus die* XII *obierat decessor ejus Antonius. Denique cum an.* CMXII *extinctus est Alexander, Constantinus Leonis filius septimum jam annum ætatis explebat, uti Zonaras et Cedrenus scribunt : quem proinde æstate anni* IↃCCCCV *natum fuisse oportet. Atqui cum, teste Cedreno, baptizavit in sanctæ Sophiæ templo Nicolaus. Dein idem Imperatori, quia Zoen, quæ ei nec necdum thoro juncta filium illum pepererat, sibi quartam jam conjugem copulasset, atque Augustam coronasset, sacris interdixit Nicolaus; cumque exorari se, ut eum in ecclesiam admitteret, nullis precibus pateretur, ipse e Cathedra submotus initio anni* IↃCCCCVI, *cum sedisset annos* XI, *ab anno nempe* IↃCCCXCV *quo obiisse Antonium oportet, postquam Ecclesiam gubernasset annos* VII, *qui anno, ut diximus,* IↃCCCLXXXVIII *Stephano fuerat suffectus.*

*præcipue pulsi Euthymii an. 911,*

*et nati Constantini Porphyrogeniti an. 905)*

F

*sed 895.*

7 *Cedrenus et Curopalates solum narrant, Antonio mortuo designatum Patriarcham Nicolaum Mysticum, quot ille sederit annis non exprimunt. Expressisse id Zonaras videtur, sed incuria librarii, vel codicis antiqui vitio, id in editis exemplaribus omissum. Græce ita habetur :* τοῦ γὰρ Ἀντωνίου τῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπιζήσαντος ἔτη..... καὶ μεταθεμένου τὴν ζωήν, ὁ Μυστικὸς Νικόλαος πατριάρχης ἐκεχειροτόνητο. *Wolfius vertit :* Nam cum Antonius Sede Constantinopolitana annis.... gubernata decessisset, Mysticus Nicolaus Patriarcha est designatus. *Quod autem in citata Serie Patriarcharum contendimus inesse mendum, ita contigisse videtur quod pro* ζ *sit* β' *positum; vel pro* III *solum* II. *Cum alioquin auctor forsitan recte scripserit :* Ἀντώνιος ὁ Καυλέας, ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ Λέοντος, ἔτη ζ, *vel* ἔτη

*Sedis tempus omissum, vel expressum vitiose a scriptoribus,*

A ἔτη ιη. Antonius Cauleas, eodem Leone imperante, annos VII.

8 *Edita est a Lipomano tom 5 de Vitis SS. ac dein a Surio*, Nicephori, beatissimi Philosophi et oratoris oratio funebris, seu Vita encomio contexta, magni inter Dei Pontifices et admirabilis inter Patriarchas Antonii. *Quam et nos inde hic damus. Quis ille Nicephorus fuerit, et num alia ediderit opera, nusquam legimus. Vixisse sub Leone Sapiente Imp. sub quo et Antonius, ex ipsa constat oratione.*

*Vita a Nicephoro scripta*

9 *Vitæ S. Antonii compendium, ex eadem concinnatum oratione, extat in Menæis, in quo fuisse ejus nomine monasterium aliquod indicatur, ab eo fortassis conditum, aut in quo ipse monachicum habitum olim susceperat. Ita habent Menæa :* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις, ἐν τῇ αὐτοῦ μονῇ. Agitur ejus commemoratio in ipsius monasterio.

*elogium in Menæis : monasterium ejus.*

ANIMADV. PAP. 93

IN S. ANTONIUM CAULEAM

## NICEPHORI PHILOSOPHI

# ORATIO,

edita a Lipomano et Surio.

### EXORDIUM AC PROPOSITIO.

B Fieri ergo non poterat, ut eorum qui in fide prius præclari extiterunt, non rursus tempus, etiamsi videretur consenuisse, fœtus similes afferret; et per extremum partum, rebus ipsis et factis, præcedentium fructuum comprobaret admirabilitatem. Cum enim fictor ab initio humanam fabricatus esset naturam, et bonorum seminum ei indidisset materiam, non sivit ut ea cum tempore consenesceret, sed ut indies repubesceret, et ferret fœtus germanos præcedentibus, supernæ cognationis minime adulteratam nobilitatem in se ferentes. Virtus enim non accipit dimensionem ex eo, quod est tempore posterius aut prius; sed ex pura et incorrupta mente eorum, qui se recte gerunt : quomodo is, qui nunc oratione laudandus est propositus, qui quotidianis accessionibus ascendit totas scalas virtutum, et pervenit ad summum.

*Non desinunt boni homines.*

2 Sed oportet, huic, qui per totam vitam in virtute se exercuit, eos qui per totam vitam in dicendi facultate studium posuerunt, contexere coronam, qui quidem sunt lingua boni et potentes; et admirari res præclare et recte ab eo gestas; me autem silentio longo os meum comprimere, et linguam vinculo continere : et dum alii oratoris officio funguntur, me in numerum referri auditorum; et eorum quidem C revolvere memoriam, quorum inspectio et experientia, *a* non longo abhinc tempore poterat esse magistra, ut veritati possem verum et firmum ferre testimonium; eorum vero quæ ignorantur narratione per orationem percipere cognitionem : non autem lingua inerudita, et ægritudinis animi nube confusa mente, aggredi tantæ rei magnitudinem, timentem periculum, quod imminet iis, qui suscipiunt ea quæ sunt supra vires. Natura enim ita est comparatum, ut verba res non possint assequi. Hic autem nunc, ubi et longissimum tempus dimensum est virtutem, et floridissimum pratum imitantur recte facta, cum omnia tractare nulla possint ratione, merito refugiunt. Neque enim suum ingenium, nec rerum ignorantes magnitudinem, sperantes tamen se potius aliquid accepturos, quam daturos, existimant se virtutum magnitudine esse suam celaturos imbecillitatem : neminem enim judicare orationes, stupefactum rerum admiratione. Quamobrem sperant fore, ut simul et lateant, et prædicentur, dum propter horum connexionem habentur in admiratione. Sed quoniam mentis, quæ inter omnes principatum obtinet, vincit sententia,

*Auctor excusat suam tenuitatem rebus imparem ;*

*statuit tamen Patri justa solvere,*

quæ post exequias censet justa Patri esse tribuenda, D ejus in dicendo gratiæ universum permittentes, (quæ, etsi necesse sit ad non assequi, omnino quod deficit adjiciet, vel potius orationi integram præbebit correctionem) accedimus ad narrationem, veluti quoddam fundamentum patriam primo loco ponentes.

AUCTORE NICEPHORO.

a *Hinc patet, quo tempore scripserit hanc orationem Nicephorus, cum nempe haud pridem vivere Antonius desiisset.*

## CAPUT I.

### *S. Antonii ortus, institutio, vita monachica.*

Sed patriæ et majorum nollem facere mentionem : quoniam nec aliquid eorum, quæ ad carnem pertinent, cœlesti illi et carnis propemodum experti, et qui solam noverat patriam supernam civitatem, in quam cives adsciscuntur, qui sunt virtutis operatores, scimus fuisse proprium. Sed quoniam enim, qui propter nos massæ nostræ assumptione factus est sicut nos universi opificem videmus et Dominum, admisisse patriam et majores, et humilis Bethleem magnitudinem omni lingua prædicari; nec in sancto quoque Pontifice fas esse statui prætermittere : sed in eo potius jucunde immorari, reddendo quodammodo gratiam alimentorum. Sed in aliis quidem fortasse patria et genus proposita, laudem ex arte afferunt; in eo autem, de quo in præsentia agimus, partus potius iis, ex quibus ortus est, donat gloriam E immortalem, inferne remittens splendorem similiter solarium radiorum reverberationibus. Patria ergo, quæ sit una, non potest inveniri. Nam Asia quidem et Europa gloriam inter se partitur : hæc quidem propter Thraciam, illa vero propter Phrygiam, ejus ortum sibi vendicantes. Cum res autem sit inter eos controversa, apparet alia tertia patria, nempe regina urbium, quæ etiam eum aluit, ulnis suis amplectens, ex quo fere a puerilibus fasciis eum evolvi contigit, ut qui ei postea futurus esset decus et ornamentum. Et hæc quidem, utpote caput, ei facile et prompto animo redit, sperans fore, ut fruatur gloria. Asia vero ægre fert quidem, sed non usque ad immoderatam fertur contentionem : se reginæ autem submittens, et majorum ejus contenta gloria, a quibus sunt hinc fontes generationis : quos genus ducentes ex Phrygia, propter munera Imperatoria, quæ obierunt in exercitu Imperatoris, habuit regina urbium habitatores, animo quidem fortes, fortes autem corpore, et ejus, qui ex ipsis erat gignendus, prius in se describentes fortitudinem contra vitia et constantiam.

*Antonius majoribus alius ex Phrygia ortis, alius ex Thracia, utrique illius tribui,*

4 A quibus ortus hujus pater ab ipsis parentibus ab ineunte ætate, tamquam Samuel, et habitu Dei F forti dedicatur et re ipsa : et ad generis successionem lege matrimonii conjungitur mulieri, honestæ quidem animo, honestæ vero omnibus moribus, et corporis specie non afferente dedecus nobilitati animæ : et quæ, ut semel dicam, animi et corporis dotibus, marito, qui erat in utrisque insignis nulla in re erat inferior ; sed erat biga insignis, biga veneranda, biga quæ beata censebatur : conjugium, quod multorum oculos convertebat ad admirationem ; parum quidem carni, plurimum autem Deo vivens, et iis quæ vere ad Deum ferunt, factis et rectis actionibus : pro quibus et per quæ, tamquam aliquod præmium virtutis, dignati sunt sacrum fructum producere. Qui in materna quadam possessione, quæ non multum aberat a civitate, in qua habitabant, urbanos tumultus, et *a* Iconomachorum, quæ tunc vigebat, rabiem declinantes, in lucem editus, magis pietate alebatur, quam lacte. Cum autem jam incepisset balbutire, parentibus jucundam exhibuit admirationem. Balbutienti enim linguæ nihil fere aliud præbebat loquendum, nisi quæcumque erant mystici nostri

*parentibus piis nascitur juxta Constantinopolim :*

*a*

*ab incunte sacra verba balbutit ;*

*AUCTORE NICEPHORO.*

A nostri cultus, quantum a molli et tenera pueri natura potest exprimi et e labris progredi : et hoc paullatim crescens cum augmento corporis, simul etiam crescentem habebat admirationem : et quicumque id videbat, erat propheta futuri.

*divinitus litteras doctus,*

5 Cum ad quintum autem annum pervenisset, litterarum figuras doctus sancto Spiritu, (neque enim venire ad ludi magistrum, puerorum irrisiones et alias puerilеs ineptias declinans, in animum induxit) omnes sacras orationes, maxime quæ non mysticæ ac secreto prolatæ, Sacrifici voce perveniunt ad aures eorum, qui initiantur, ingeniose memoriter pronuntians; de cetero etiam res ipsas imitabatur ac repræsentabat, panem proponens, et manu tenens thuribulum : perinde ac si non sustineret sacra anima, quominus etiam in imperfecta ætate operaretur res divinas, et ante tempus perfectionis ea quæ ad perfectionem pertinent inchoaret : et sacrosancto puero pro quovis ludo erat opus et studium, parum quidem matrem comitanti, magna autem ex parte in his seorsum occupato. Postquam vero illa ad beatam, et quæ numquam senescit, migravit hæreditatem, cum patre versabatur tunc, se exercens in sacris discendis psalmis. Ingenii autem felicitate, intelligentiam quidem quam pro ætate majorem, maturiorem autem quam pro tempore ætatis dabat spectandam staturam corporis, B mentem vero ejus, quod est bonum et honestum, capaciorem quam quantum consentaneum esset utrumque admittere dimensionem temporis.

*sacra imitatur quinquennis :*

*matre mortua celeriter adolescit :*

6 Hinc cum ad annum pervenisset duodecimum, ad res diligentius considerandas se applicans, (o mentem stabilem! o bonum propositum!) genus vitæ discrevit et elegit : aliisque rejectis, ad monasticam intuens, flagrabat cupiditate. Rerum enim principia a fine dijudicata præbent tutam electionem ejus quod est melius. Non enim quod proportione ætati responderet, procedens habuit judicium : sed in juvenili corpore canam ostendebat intelligentiam, per ea quæ operabatur suam cum eo, quod est bonum et honestum, indicans conjunctionem : et iis, ad quæ se extendebat, significabat incorruptæ mentis stabilitatem : et gloriam quidem despiciens, respuens autem quicquid non fert ad Deum, elegit eam, quæ fert ad ipsum, asperam quidem, sed quæstuosam viam, et quæ sola potest bonos mercatores transmittere ad illam vere pretiosam margaritam. Sciebat enim divino amore prius capta anima, ad id solum, quod desideratur, omnino contendere, et omnia nihil ducere, quæ nihil faciunt ad id quod quæritur. Quod enim toto animo electum est ad acquisitionem, est firmum ac stabile : quod autem est firmiter acquisi- C tum, promptum est ad conservandum. Qui enim semel fuerat incitatus ad id quod est honestum, tamquam ab aliquo carcere a virtute parentum, perpetuo ferebatur impetu, Deum quærens, et ad ipsum contendens.

*duodennis vult fieri monachus :*

7 Dehinc deducitur ad virum sanctum, qui præerat sacro monasterio, et erat insignis virtute : cui magnam acquirebat gloriam actio et contemplatio, quæ corporis et animæ motus despertiebant. Qui cum eum statim sibi conjunxisset, et, ut quæ esse potest in juvene, virtutem prævideret; eum traduxit ad suum habitum et amictum : tamquam quamdam tabulam ei suis propositis virtutibus, eumque suo exemplo informans, facto potius quam sermone fuit ei doctor bonarum disciplinarum. A quo exercitatus in orbe disciplinarum, attraxit dulce fluentum divinarum scripturarum, externæ ebrietatis crapulam repellens illo institutore : et de cetero numquam conversus, admovet manum aratro exercitationis, profundos proscindens sulcos virtutis, et ad fructus ferendos recte præparans. Et noctes quidem habebant linguam precibus et hymnis vacantem, et Divinarum

*admissus in monasterium.*

*Abbatem imitans nocte orat, interdiu aliis ministrat,*

rerum meditationi; dies autem manus vehementer inservientes iis qui simul cum eo exercebantur. Aperte D enim sciebat, quod alii labores magnum quidem, (quidni enim?) sed non tantum lucrum præbent; qui autem conferuntur ad proximo deserviendum, multiplicem fructum ferentes, quod a Deo datum est unicuique talentum, multiplicant, cujus summa est caritas, quæ est fons bonorum : a quo qui sordes abstergit rivus profluens, splendidos splendide Deo sistit, id quod est ad ejus imaginem, divina imitatione per commiserationem describens indelebile. Optime enim apud se et sapientissime dividens, hanc caritatem per totam vitam adhibuit sociam, per quam anima a sensibilibus evolans, revertitur ad primam dignitatem.

8 Hanc firmam posuit basim. Super eam domus virtutis stabile et firmum jecit fundamentum. Per eam neque vanæ gloriæ admisit vestigium. Sui enim ipsius amorem solet hoc vitium consequi. Nam quod tenetur sui ipsius amore, omnino etiam tenetur gloriæ cupiditate : sui autem amore non tenetur, qui fratres diligit. Est ergo vitio superius, quod servit per caritatem, et in servitutem redigit feras, quæ intus sunt, bestias, animi, inquam, perturbationum furiosos impetus : neque ulli iræ dedit aditum, ut qui tamquam fræno aliquo eam repelleret, et pulchre veheretur et ferretur ad virtutem. Neque omnino aliquid indulsit cupiditati, a proximi et rei creatæ E caritate traducens ad Effectorem, quod quidem est ultimum expetendorum, et primum desiderandorum. Per hanc minime adulteratam conservabat liberalitatem, ab ineunte ætate repellens contrariam ejus affectionem : et cum ab ea conciliatam secum habitantem acquisisset commiserationem, Dei omnino factus est. Sic ergo se recte gerens ab ineunte ætate, erat in ore omnium, et convertebat ad se omnium oculos.

*alienus a vana gloria, ira, cupiditate,*

9 Jam autem in genis florente lanugine et coronante vultum plenum gratia, quæ in agendo versatur, philosophiæ pratum in eo simul pulchre florebat, et in corde disponens ascensiones, perfectiore consilio perfectiora aggrediebatur opera. Consultabat vero, non divina Musa, non Demosthenis utens vehementia; sed divina quadam prudentia et hominem superabat, et ubique inveniebat magnam possessionem, rem, inquam, divinam, nempe quæ deos facit caritatem, vel potius quam habebat proferens, ad scopum ferebatur, negotiali *b* Hermogenis arte nihil indigens. Per hanc ei aderat morum lenitas et moderatio, gravitas, mansuetudo, simplicitas, suavitas, serpentis prudentia contemperata columbæ F sinceritate. Hinc etiam fiebat, ut sciret mensuram sermonis et silentii, et motum manus, et gressum pedis, et gustus canum, et terminum visus, et amussim odoratus, et cautionem auditus : ut in pura et secundum naturam specula maneret anima : et non mors, nempe is qui suo utitur arbitrio, per fenestras ad ipsam latenter ascenderet; ut est in proverbio. Jerem. 9 21 Et de cetero unum erat ei studium, ut carnem efficeret servire spiritui, et venari feras cogitationum, et antra repurgare investigantibus mentis notionibus, sobriis et vigilantibus veluti canibus, mentis celeribus ad meliora motionibus.

*cum caritate ceteris ornatus virtutibus,*

*b*

*sensus refrenans,*

10 Quamobrem nihil magnum existimabat eorum, quæ annuunt ad interitum, et quibus innatum est, ut tempore diffluant; non gloriam, non divitias, non ipsam, quæ est in dicendo, sapientiam, sed unicas habebat divitias, nempe virtutem et veram cognitionem, quam re ipsa conciliare solum scit philosophia. Sciebat enim, quod etiamsi philosophia sit eorum quæ sunt cognitio, actio tamen est ascensus veræ contemplationis. Ex contemplatione autem eorum quæ sunt, exquisita consideratio. Actione ergo videtur

*humana contemnit, etiam scientiam,*

A tur veram acquirere philosophiam. Talis erat quidem novus Joseph, regula temperantiæ: qui adversus vitia et dæmones clara erexit tropæa: et fuit quidem ipse præclarus, multos autem præclariores reddidit suo exemplo. Quid mihi Socraticæ ad hæc admonitiones, aut leges Platonicæ, aut universa virtus Gentilium, quæ ficta specie exercetur? Quis Solon legum decretis, ut hic monitis activæ philosophiæ, quæ re ipsa et factis loquuntur, deduxit homines ad meliora studia? Quis Epimenides in rebus divinis adeo sapiens, vitæ divinæ multis fuit occasio? Per quem fuerunt quidem morte affecta vitia, purgata autem fuit anima et corpus, resplenduitque; vita quieta et remota a negotiis: in quo et iræ fabricabatur camus, et frænum linguæ, et partium animæ exercebatur concentus. Ex quibus, et per quæ, pulchre efficiebatur unum genus; quod antiquæ pulchritudinis divinos emittebat splendores.

*multos tamen ad virtutem trahit.*

a *Iconomachorum rabies primum a Leone Isaurico Imp. an. Christi* 726, *imperii sui* 9 *suscitata; an.* 784 *sub Constantino et Irene, annitente S. Tarasio Patriarcha, repressa; demum an.* 813 *imperante Leone Armeno recrudiut, sævitque sub Michaele Balbo, et hujus filio Theophilo; penitus restincta Michaele* III. *et S. Theodora matre imperantibus, qui Remp. an.* 841 *capessiverunt, uti* XI *Febr. ad S. Theodoræ Vitam diximus. Cum autem factus sit Patriarcha Antonius an.* 888, *senili jam (ut Menæa habent) ætate, sexagenarius fortassis, sequitur circa initia Theophili Imp. natum fuisse, anno* 828 *aut sequenti.* — b *Hermogenes Tharsensis clari nominis rhetor fuit, cujus variæ extant oratoriæ institu-* B *tiones, de Partitione, de Inventione, Formis dicendi, Gravitate etc.*

## CAPUT II.

### *S. Antonii sacerdotium: præfectura monasterii: præclaræ in hoc munere virtutes: patris monachismus.*

Cum autem procedente tempore ad virilem pervenisset ætatem, et virilius activam exerceret philosophiam, lætus ejus præceptor propter incorpoream vitam in viri corpore, et tamquam propria glorians, eum ducit ad illum, qui tunc tenebat clavum a Pontificalem civitatis regiæ, ut initiaretur chrismate Presbyterii. Qui non solum per gradus intermedios eum deduxit ad indumentum Sacerdotii, sed illius testimonio eum etiam ordinavit, ut præesset monasterio: et de cetero novo Mosi traditur populi rectio, ut qui parva philosophia collegerit multam pulchre pascendi peritiam. Virtutis enim statuebat perfectionem non solum in eo esse sitam, ut ipse se recte gereret; sed ut etiam ex quadam redundantia esset omnibus regula. Non sunt enim tam sonoræ tubæ eo tempore quo stat instructa acies, ad milites ad pugnam excitandos, ut virtutis sudores eos qui sunt subjecti excitant ad aciem decernendum adversus ini- C micos, qui percipiuntur intelligentia. Et quomodo dux exercitus adversus hostes omnem movet aciem, quando ipse pugnam inceperit, factis suos excitans ad virtutem; ita etiam qui sunt exercitus duces adversus vitia, cum fuerint redimiti præclaris coronis victoriæ, efficiuntur omnibus efficax admonitio.

*fit Sacerdos*

*creatur Abbas.* a

*suis exemplo prælucet.*

12 Hinc erat ei perpetua propemodum inedia, et vigilia, et quæ numquam intermittebatur precatio: ex quibus et per quæ erat corporis maceratio, et in carne vita carnis expers, et tranquillitas cogitationum. Hinc eorum, quæ oportebat, erat sincera disceptatio et judicium, et omnium simul voluptatum contemptio, et hyemis ac æstatis tempore corpus suum una amicire tunica, humique cubatio, et mensa nullo apparatu instructa, ut quæ pane et oleribus exciperet exercitatorem: non, ut multis, ad aliquot annos, sed a teneris unguiculis, a prima ineunte ætate perducta usque ad ultimam et senilem. Hinc erat austeritas temperata suavitate, et lenitate asperitas; ut neque reprehensio esset inutilis propter austeritatem, neque disciplinæ non pateret aditus propter asperitatem: adeo ut esset quidam per omnia bonorum concentus admirabilis. Licebatque videre (illic D enim mea versatur cogitatio) tempore divini mysterii stantem Sacerdotem ante ordinem monasticum, non secus atque Samuelem illum scribit oratio, totumque Deo affixum et tribunali, et cum Deo versantem immaculatis mentis applicationibus, et divinis contemplationibus effectum totum divinum, et pulchra mutatum alteratione. Mihi vero videntur divinæ quoque virtutes eum circumsistere, et ei ministrare. O divinum sacrificium! o perfectum efficiens mysterium! o vita, quæ ab eo degebatur, qui in corpore erat tamquam incorporeus.

*excellit abstinentia,*

*vitæ asperitate,*

*suavitate,*

*contemplatione.*

AUCTORE NICEPHORO.

Eccli. 4. 6.

13 Hæc videns ejus pater secundum carnem, desideravit mutare vitæ habitum, et indumentum induere monasticum. Nam quod ad virtutis rationem attinet, ei fere nihil deerat, ut cujus a meliori institutione tota vita penderet. Idque non per aliam manum, sed per illam sacram manum, cujus ipse fuerat agricola, hanc quoque gratiam cupiebat accipere. Pro omnibus alimentis postulabat, ut filii manu initiaretur, et suam vivendi formam mutaret. Regenerat ergo eum, qui genuerat: et ei, qui ortus corporis fontem præbuerat, animæ filius puram efficit regenerationem. Et cum aliquot annos fortiter jugum traxisset monasticum, plenum dierum, plenum virtutum, plenum gratiarum, tamquam maturum aliquem fructum, in cœlestia horrea, cum advenisset E tempus, cum bona spe transmittit, laborum dignas coronas accepturum. Atque sic quidem admirabiliter res ejus se habebant. Neque enim fieri potest, ut omnia describat oratio.

*patrem suum in monachum attondet,*

*pie deinde mortuum:*

14 Oblatum autem tempus tamquam lucrum accipiens, misericordis animi, quod jam diu ante conceperat, fontes aperuit, et rivos emisit misericordiæ, solventes squallorem pauperum: expromens quidem, si quid redundabat, ad illorum usum, expromens autem multa quoque ex necessariis. Non enim in iis, quæ redundant, impertiendis, sed in iis etiam quæ desunt, ille veram statuebat misericordiam. Et communis simul proposita erat utilitas divitibus et pauperibus: his quidem solvens inopiam; illos autem eripiens ab invidia, quæ est reposita iis qui nulla moventur misericordia: communis benefactor, communis curator, magistratibus et privatis, omnium mentes suo exemplo transformans et componens ad meliora; parum quidem verbis, factis vero plurimum provocans ad virtutem. Unde etiam erat reverendus magistratibus, reverendus iis qui erant in dignitatibus, atque ipsis adeo Imperatoribus: recteque ei procedebat universum opus administrationis, nemine repugnante. Ex his autem non erat incredibile, quod Deus ad communem utilitatem multa quoque per ipsum fecit admirabilia, etiamsi quantum per virtutem erat potens facere miracula, tantum ut ea celaret et F tegeret, nonnumquam cum fecisset, ænigmatibus et umbris assequeretur. Sed quod ad multorum venit cognitionem, et factum esse creditur, persequi tentabit oratio.

*ipse liberalis in pauperes,*

*humilis in occultandis miraculis,*

15 Nolebat una civitate, etsi sit tam magna, suam circumscribi commiserationem: sed ad quantam Sol adspicit, eam contendebat extendere. Hinc manus scatentis misericordiæ participes erant Scythæ et Thraces, et cum aliis Mysi quoque qui sunt in Asia. Quinetiam cum ad eos, qui exercebantur in Olympo, quibus studium erat se fortiter gerere adversus vitia et dæmones, aliquando transiisset, et quidquid auri habebat in manibus, in usus eorum consumpsisset; reversus est ad civitatem, apud se agitans et undique considerans, undenam rursus vectigal compararet pauperibus. Sed non sivit eum Deus diu esse anxio animo. Rem autem facit, ut solet, admirabilem, et eum liberat a sollicitudine. Quidam enim ignotus, simul atque ingressus est civitatem, sive homo, sive

*beneficus etiam in remotos,*

*divinitus submissam pecuniam accipit:*

 Angelus

*AUCTORE NICEPHORO.*

Angelus qui formam hominis susceperat, transeunti per porticum ex quodam angiportu accedens, ei tradit auri manipulum : et cum dixisset, Accipe, quod insumas in usus eorum quorum curam geris, dicto citius evolavit et recessit, et manus quidem habebat aurum, oculi autem non poterant assequi eum qui præbuerat. Hoc est non leve signum illius cum Deo conjunctionis : hoc est, non leve judicium magni et excelsi animi : hoc Abrahæ benedictionis habuit multiplicationem, quod fuit hospitali dexteræ velut quædam sementis. Propter hæc bona magnus recte se gessit Antonius. Hæc manui pauperum amanti, ne supperditans egeret, fuit occasio. Cum qua re Crœsi quidem illius Lydi felicitas, et aurei lateres, neque fabula Midæ potest conferri.

a *Is videtur* S. Ignatius *fuisse, aut ejus fortassis decessor* S. Methodius, *si senior quam conjecimus fuit Antonius. Tradunt autem Menæa invitum fuisse sacerdotio initiatum.*

## CAPUT III.

### *S. Antonii patriarchatus, in eo labores. Leo Imp. laudatus.*

*fama virtutum ubique celebris.*

Eum autem, cum in his esset, adspiciebat civitas, et virtutum non celabat magnitudinem; neque egregia facta terræ mandabat; fama vero excipiebat : et licet non adesset, eum omnibus ipsis factis ostendebat, et propemodum responsa ab ore omnium excidentia, futurum tanquam præsens prædicabant. Hæc canebantur in multis civitatibus, canebantur in agris, dicebantur in montibus, in muris, in gentibus. Per omnes enim pervadebat miraculum, et erat communis orbis terræ narratio. Hæc Ecclesiæ Christi sponsæ movebant amorem, ardebatque sitiens eum, quem diligebat, et quærebat tempus conjunctionis, et prævidens tempus desponsionis, spe dulci jucunde ducebatur. *omnium votis fit Patriarcha,* Sciebat enim fore, ut præcedentis sponsi dignitate minime viduetur : sed cum transmiserit sacrosanctum virum, qui ab infantia ad Deum vocabatur, eum, inquam, qui ex corona nominatus fuit *a* Stephanus, ei qui ex fasciis est sacrosanctus, sacrosancte conjungatur, qui ex illius privatione ab ea acceptum mœrorem solvet. Cum itaque advenisset tempus, quo hæc fieri oportebat, suffragia universi cœtus Pontificum et Sacerdotum, et eorum qui vitam agebant monasticam, et ipsius quoque Senatus, ad dignum sponsæ Christi Ecclesiæ sponsum ferebantur. *Leone VI Imp. probante,* Hoc quoque magnus videns Imperator, in omnem partem circumferens oculos cogitationis, semper curam gerens ejus, quod urgebat, ut qui pulchre sciret metiri præteritum, et id quod adest, considerare, et per utrumque de futuro certam facere conjecturam, confirmavit electionem ; vel potius Deus per ipsum obsignavit universum, et tanquam quempiam victoriam consecutum athletam transmittens ad Olympiam, evehit ad sedem Pontificalem, majora habiturum certamina, et coronas præclariores.

17 *recte munus suum obit,* Et deinceps habebat sponsa Christi eum, qui recte tenebat leges sacerdotii, et vivebat spei indigentium, et abunde effundebat misericordiam, et erat manibus pauperum propositus : qui in rebus divinis initiabat, et iis, qui initiabantur, exemplar virtutis, imaginem fortitudinis, simulacrum temperantiæ et justitiæ ostendebat regulam : qui vitam magis, quam linguam proferebat magistram. Sed non fuit contentus iis, quæ præcesserunt, non ad relaxationes adspexit, ut aliquis alius ; neque pepercit senectuti : sed sudores succedebant sudoribus, et labores laboribus, et sanctis curis curæ magis sanctæ : et perinde ac alatus quispiam, virtute sancti Spiritus, in *b* senili corpore assumit vigentem animi alacritatem, et omnes Christi Ecclesias, tum precibus Deum placans, tum eas, quæ tempore laboraverant, et male erant affectæ, pro viribus recreans : *c* iisque qui e suggestu in inopiam deciderant, copiosis succurrens suppeditationibus, et quotidianis proventibus distribuens eleemosynam innumerabilibus pauperibus. *c Ecclesias sublevat :* Quamobrem et qui laborabat inopia, lætum diem agebat, et hospes obliviscebatur patriæ, et orphanus non lacrymabatur, et viduitatis ferream fornacem extinguebat vidua. Quis tantam curam gessit justitiæ? Quis injuria affectis magis fuit salutaris? Quis eorum, qui injuriam faciebant, sic propulsavit impetus? Quis lites composuit? Quis nimis erectum detraxit supercilium? Quis superbum et arrogantem animum traduxit ad moderationem? *omnibus afflictis subvenit* Omnia et per omnia ipse suo exemplo complanabat, salutare medicamentum effectus morbis animæ. Sed quis ex pauperibus, cum adspersisset lacrymis forum judiciale, ut jus suum obtineret, cum paupertate abiit, deflens quod jus suum non posset assequi? Quænam autem vidua, quis orphanus si venisset in ipsius conspectum, aut ipsam postea deflevit orbitatem, aut non levatus fuit calamitate? Omnibus aderat sua providentia, malum, quod unicuique afferebat molestiam, suis auferens beneficiis, verbis consolans, auro opem ferens, tegens vestibus. Videbant etiam quædam supra rationem ipso convenire, quæ secundum naturam non conveniunt; austeritatem et suavitatem, humilitatem et gravitatem, severitatem et lenitatem. Quorum alia quidem applicabat iis, quibus vis afferebatur; alia autem iis, qui vim afferebant : et alia quidem erant medicamenta, quæ superbiam et fastum detrahebant eorum, qui adversus proximum attollebant supercilium; alia autem recreabant id, quod erat afflictum.

18 His ecclesiæ cœtus traducebatur ad meliora, Deusque propitius, et magnus Imperator gaudens delectabatur. *cum Imperatore conspirat ad pacem Ecclesiæ :* Incorrupti vero animi videns in suffragio judicium, quod in rebus ipsi falli non posset, cum per ipsum statuisset vetus Ecclesiæ ulcus, seu *d* schisma, ad cicatricem deducere, in unum cogit Orientalia et *e* Occidentalia : et cum philosophiæ florem arte dicendi temperasset, linguam profert salutarem, et justa persuasione, læto vultu et ridentibus oculis solvit offensiones, et re ipsa ostendit, quantum intersit inter Regem in doctrina educatum, et potestatem quæ ejus non est particeps ; tunc maxime temperans viventem Ecclesiæ craterem in Pontifice, qui mensam proposuit activæ philosophiæ bonis lautam et refertam, decebatque et Imperatoris Philosophi et Pontificis in agendo industrii illud magnum et admirabile opus esse et studium, per quæ est incorruptum judicium, et tribunal muneribus impollutum, et continuorum judiciorum sapiens excogitatio : *ambo remp. in meliorem statum restituunt,* per quæ et libere loquitur et sic gerit justitia, et locum non invenit adversaria : per quæ et reprimi poterant orphanorum lacrymæ, gemitusque viduarum, omnisque malignæ et dolosæ machinationis nodi dissolvi, et dux exercitus imperium accipere, præmium virtutis; et e turpi lucro manum præbere mundam communia et publica; et dives non sustinere bonorum publicationem, et pauper nulla affici contumelia; et agricola sulcos jucunde proscindere, non timens vectigalium exolutionem agri, cujus fructus non percepit. Horum manus in cœlum extensæ, et rivi lacrymarum emissi ex oculis, Deum jam olim placaverunt, et quam, qui eis erant subjecti, justam iram in se suis peccatis provocaverant, eam lacrymarum fluentis (o benignam et clementem mentem!) sedatam immutarunt, et lacrymas omnium represserunt, fusis misericordiæ lacrymis, et sua in eos, qui erant ejusdem generis, misericordia, e superis divinam attraxerunt misericordiam, et terræ faciem, quæ squallore et siccitate interibat, divinas miserationes coegerunt renovare.

19 Hæc sunt philosophicæ mentis facta præclara, quæ

A quæ sunt germana factis Mosis et Aaronis, conferenda cum factis Eliæ et Elisæi, similia factis Davidis et Samuelis. Magnum illius virtutis indicium, quod tunc curam sustineret Pontificalem, quando Imperator a pueris laute nutritus justitiæ, non se dans voluptatibus, non recusans labores, quorum fructus sinceram afferunt voluptatem; sed se doctrinæ dedicans et eloquentiæ, philosophiam magis, quam alia bona, ut quæ propter ipsam conferantur, eligendam esse ducens, concionantem movebat linguam, quæ profundebat verba melle suaviora, similia verbis Salomonis, conferenda cum Davidis. Quo tempore magis apponebat mensam verborum quam ciborum, et dogmatum tamquam ex fonte aliquo fluentum copiose emittebat, et scripturæ profunditatis citra offensionem latens sensus ab eo investigabatur, et universus bonorum chorus poterat loqui libere.

*ambo merito laudati.*

20 Cum in his esset homo Dei, et florentem doctrinam videret cum virtutibus in Imperatoris anima, quæ juvenili utebatur corpore, et vestigia antiquæ felicitatis, et universum alium consequentem statum tam civilem, quam œconomicum, et quæcumque de judicio rerum habita oratio, morum tribuit disciplinæ, gaudio totus diffundebatur, et Deum laudabat, rem eam ducens esse occasionem gratiarum actionis, et dicens se ab Imperatore lubenter superari;
B qui etsi mundanis obruatur sollicitudinibus, accuratius tamen res assequitur, quam ii qui in spiritalibus rebus consenuerunt, tum ingenii felicitate, tum dicendi facultate: et cum aliis ea quoque apprime sciat quæ pertinent ad animam, tamquam qui non solum corporibus, sed etiam animis imperet solertia ingenii et mentis acumine.

*gaudet de tali Imperatore Patriarcha,*

21 Unde etiam tamquam sui pudore affectus vir ille admirabilis, omnem sui curam despiciebat in ætate illa senili, corpus omnino negligens, et ea quibus sciebat id recreari, et quæ ad opem ferendam animæ in certaminibus virtutis, corpus minime læderent. Quamobrem in longa inedia, et vincendo dolores corporis, suscipiebat labores, qui vires corporis superabant; quod quidem est naturæ inimicum, et quod aversatur ars medicinæ. Etsi esset ejus corpus calidius temperatione, et significaret, non esse ei aptum quod deficit; ne videretur tamen esse remotus a natura hominum; quid fit? Anima nonnumquam veluti in se contracta, et ad Deum excedens, vi naturæ, veluti consulto procurans corpori relaxationem, parum remittebat laborum tenorem perpetuum. Hoc autem iis quidem, qui recte nolebant intueri, esse visum est ostentatio; iis vero, qui erant recti corde, et non tardi ad aspiciendum vetera Pa-
C trum exempla, virtus et summum virtutum, et re vera ad Deum excessus et emigratio. Talis cursus, talis vita, talia ejus recte facta. In necessitatibus tolerantia, in fortunæ casibus magnus et excelsus animus, in laboribus perpetua constantia, in ærumnis fortitudo, in laboribus pro virtute, animi alacritas, in imbecillitatibus robur, in morbis, minime omnino cedere et consumi.

*ejus exemplo se animat ad constantiam in laboribus, patitur raptus:*

a *Hic est, de quo ante dictum, S. Stephanus Patriarcha, Basilii Macedonis Imp. filius, Leonis frater, qui colitur 17 Maii, quo mortuus, tertio anno Leonis, Christi* 888 — b *Hinc patet, quod antea diximus, sexagenarium, aut non multo minorem fuisse.* — c *Menæa ita habent*: Καὶ τοῖς ἀπορίᾳ συνεχομένοις τῶν κληρικῶν, καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐνδεῶς ἔχουσιν, ἀφθόνῳ τῶν χρημάτων χορηγίᾳ, τὴν παροῦσαν ἀπορίαν διέλυε. Inopiam quoque Clericorum, qui necessariis quoque rebus destituebantur, liberali pecuniarum erogatione sublevabat — d *Schisma a Photio invectum intelligit. Nil mirum desiderari hujus concilii Acta, a Græcis, recrudescente post longum tempus schismate, penitus excisa. Minime dubium est, in hoc concilio damnata, vel emendata, quæ in Constantinopolitano pseudoconcilio, post mortem S. Ignatii habito, gesta ac statuta erant.* — e *Non arbitror Latinos Episcopos eo evocatos, nisi si qui Constantinopolitano Imperatori subjecti erant. Adfuerunt tamen fortassis aliqui a Pontifice Legati, quando quidem antea ab eo petiisset Leo, ut qui a Photio Pseudopatriarcha sacris initiati ordinibus erant, uterque eos Stephanus frater suus, munere fungi suo possent. Qui hic Occidentales dicuntur, sunt qui Europam incolebant.*

*Concil. Constantinop. sub Leone VI.*

D *AUCTORE NICEPHORO*

## CAPUT IV.

### *S. Antonii obitus, sepultura, miracula.*

Sed venit morbus ultimus, et aderat excessus, et quæ ad excessum pertinent: et humana arguebatur imbecillitas, intima penetrante febre, et depascente humorem naturalem, et dissolvente vires illas adamantinas. Ille autem benigno adspectu, omnes prosequens benedictionibus, ultimam dedit salutem: et cum lingua esset impotens, sacra manus obsignavit eas, quæ dici non poterant, benedictiones. Deusque eum vocabat ad supernum tabernaculum, et chorus Angelorum eum quærebat, qui ipsum in terra recte est imitatus: a venerandoque et sacro corpore divina separata anima vespere, cum accenduntur lucernæ, cum lampade virginitatis plena oleo sublatus fuit ad magnam lucem.

*ægrotat:* *moritur.*

23 Nox deinde est consecuta, et fit miraculum, quod potest conferri cum iis, quæ unquam fuerunt, miraculis, quod publicabat illius germanam ad Deum fiduciam, et aperte describens magnitudinem virtutis. Nam cum consuetum signum ex alto Patriarchæ decessum, circa magnum templum civitati significasset, mulier paupercula, quæ per manum beneficio afficientem sibi quotidianum parabat alimentum, cum
E ex vehementi lapsu crus haberet fractum, in tugurio facto ex fœno et palea jacens immobilis, audita caussa ejus, quod significabatur, tristi nuntio repente voce privata, ad apoplexiam tendebat et paralysim. Cum autem parum respirasset, et ad se rediisset, flevit et ejulavit miserabiliter, et lamentari incipiens, tragice deplorabat calamitatem, appellans benefactorem, servatorem, nutrimentum esurientium, nudorum tegumentum, opes indigentium, dicens: O duram et immanem hanc noctem, in qua extincta fuit benigna lux pauperum! O tristem noctem, quæ obscuras offudit tenebras oculis pauperum! O Eva prima parens, et inobedientia, et invidia, et serpens, et mors, humanæ naturæ pœnæ inevitabiles! O simul mecum nutrita paupertas, quæ perpetuo assides, et acerbe invadis, non habes ergo amplius venerandam et sacram manum, quæ tuam a nobis expellat deformem feritatem! Secure deinceps invade, insulta jacentibus: cum corporis confractione spes quoque est confracta vitæ, periit pauperum viaticum. O quænam Erinnys meas pedum plantas mutilavit, ut nec funus quidem, quod effertur, possim consequi ejus, qui multos extraxit a sepulcro molestiarum? Cum hæc et plura alia, ut est verisimile, deflendo diceret muliercula, et acerbis perfunderetur lacrymis, molestiaque
F et doloribus ei vires defecissent, somno opprimitur, et dulci somnio videt accedentem Patriarcham, manu signum Crucis in ejus fractura effingentem, et dicentem: Jam es curata, et citra impedimentum tibi licet ingredi; et evanuisse protinus ab oculis. Somnium autem fuit res ipsa, et quæ fuit in somnis visio, est veritas. Nam cum a somno esset experrecta, etsi dolores ei amplius nullam afferrent molestiam, rei tam admirabili, et tam præter opinionem non poterat credere mulier, sed putabat se adhuc ali somnio. Sed cum perfectius excitata sustulisset dubitationem læta exiluit, gratias agentibus vocibus narrans miraculum, et salutem sibi datam publice celebrans.

*pauperculæ ejus obitu afflictæ.*

*in somnis apparet, et crus fractum sanat:*

24 Alia quoque mulier, quæ laborabat diuturna plaga occulti morbi, non secus atque illa quæ laborabat profluvio sanguinis, tactu loculi sufiuratur salutem, et liberationem a longo tormento invenit brevi momento temporis. Quis Æsculapius, quis Chiron tale temperavit medicamentum? Quanam medendi disciplina potest inveniri hujusmodi genus curationis?

Matth. 9. *aliam tactu feretri,* *sanat:*

25 Sed venerandum quidem et sacrum corpus, cum

AUCTORE NICEPHORO

A cum multorum manus vix tandem effugisset, alias aliunde partem aliquam festinantes accipere; (confluebat enim undique multitudo, omne genus, omnis ætas, utpote quod cum appropinquarent exequiæ, imbecilli plurimi violento impetu studerent rapere aliquam partem, et salutis animæ sibi aliquod auferre viaticum) robore tamen et studio eorum, quibus sapienti consilio impositum fuerat, ut hæc reprimerent, postquam mandatum est sepulcro, et natura terræ solvit debitum, et lutum datum est pulveri; ne sic quidem sivit figulus lutum inhonoratum, sed etiam conditum sepulchro, honorat miraculo.

*sepelitur, multis reliquias rapere volentibus :*

26 Quidam enim ex iis, qui præerant texendæ lanæ Sericæ Imperatoris, correptus morbo lateris, cum vidisset præcisam sibi omnem spem salutis et medicum dies numerantem, et horas observantem, et tempus curiose inquirentem, et his tempus terentem; uxorem autem et liberos eum ultimis aspergentes lacrymis, et dolorem graviorem efficientes ejulatibus; cum ergo hæc vidisset, et omni humana ope morbum potentiorem, confugit ad divinum ejus servum Antonium: et cum se unxisset oleo, quod lumen alebat in loculo, (nam cum esset fidelis, habebat modicum, quod acceperat) morbum statim fugat, et fruitur curatione, et præter omnem spem accedit ad loculum, confitens, et beneficium clara voce prædicans. B

*pleuritis oleo ejus tumuli pulsa :*

27 Cum vero capsa Pontificis octavo die post justa facta, quoniam non recte se habere videbatur, mutaretur in meliorem, novus quidam et insignis odor unguenti sacratissimi, implevit sensum eorum, qui aderant, tacite honorans eum qui jacebat, et describens eam, quæ ei intercedebat cum Deo, conjunctionem et familiaritatem. Nam qui hac caruncula, in quam cadit interitus, Christum magnificaverat, et mysticus quidam bonus odor ei fuerat ostensus, ut prius describitur Apostolicis eloquiis; merito etiam dignatur gratia, quæ spirat unguentum, virtute immortalem prædicante operationem.

*suavis odor ab reliquiis*

2 Cor. 2. 15

28 Nonus autem magnificentius præbuit miraculum, ad beneficium pauperum, qui ab ipso de more alebantur, vel potius a Deo per ipsum, qui etiam per Mosem in deserto alimentum pluit admirabile: et viduæ Sarepthanæ, adventu Prophetæ, parvum, multiplicavit viaticum: quinque vero panibus, quinque millia; et rursus septem, aluit quatuor millia, et certos testes, quæ satietati reliquiarum superfuerunt, sportas præbuit. Miraculum autem erat hic quoque additamentum ciborum, qui distribuuntur pauperibus. Id vero erat panis et frumentum coctum, non numero quidem indefinito, sed quantum definita mensura distributum, solebat C sufficere mille animulos. Quinetiam erant omnes eadem mensuræ, quæ solebant, iidem cophini qui acceperunt, eædem manus eorum qui ministrabant. Et numerus quidem fuit consumptus eorum, qui tesseras ferebant manibus, (iis enim prius distributis, numerabatur mille hominum multitudo) remanserunt autem tres cophini, qui suffecerunt pauperibus, qui venerunt absque tesseris.

Exod. 16

3. Reg. 17.

Matth. 15.

*multiplicata annona, ab eo dari solita pauperibus.*

29 Cujusmodi autem fuit id miraculum, quod factum est in Leonem Patricium, qui præerat militaribus numeris, dicatur a nobis. Vir ille laborabat difficultate anhelitus, quod caussis, quæ affluxerunt, obstructa essent instrumenta, et anhelitus liberum non haberet meatum. Quibus cum adeo graviter obsideretur, tenuemque et imbecillam vocem ederet; aderant quidem qui ad eum genere attinebant, maxime ejulantes; (eos enim, qui sunt gloria insignes, mors magis exagitat) ei autem nusquam erat morbi solutio, nisi a solo divino Pastore. Accedit enim, ad eum dormientem, et cum eum e lecto excitasset, rogavit, quemadmodum morbus se haberet. Qui tangens caput et membrum, quod dolebat, non Pæanicum remedium, neque medicamenta Chironis suis applicat manibus, (nam neque aliis est ex his rebus curatio) sed cum adhibuisset preces morbo convenientes, et incomparabilem malorum nostrorum curatorem Christum invocasset, ille quidem liberatur a gravi morbo; verus autem fuit precum eventus: protinus enim convaluit, absque impedimento miraculum aperiens, et in tota domo suam salutem celebrans. Hæc sunt facta Pontificis in ejus dormitionem. Quæ autem in oratione a me sunt prætermissa, in juvenili ejus ætate facta miracula, ea narrabo repetens. D

*asthmatico apparens eum sanat :*

30 Cum olim esset ætate juvenis, et Davidicam pulsaret citharam in templo Divi Theodori Martyris quod erat situm super quoddam cœmeterium, in quod projiciebantur cadavera condemnatorum, vidit quosdam duos adspectu deformes, (solent enim plurimum tales, quales sunt, apparere) apud se iracunde dicentes: Abeamus hinc. Præsente enim adolescente, non sustinebimus hic manere. Qui quidem repente aufugientes, simul cum hoc verbo evanuerunt. Hoc ostendit potestatem, quæ prius Sancto in eos data fuerat.

*dæmones sola præsentia fugat :*

31 Hoc quoque secundum conscribatur, quod præcedenti fuit æquale tempore. Mulier illustris, in equo transiens per monasterium cum mundo muliebri, E prope fracta delapsa est in terram. Nam cum divinus Antonius tunc esset inter adolescentes, et improviso esset e porta egressus, contigit currum repente conturbari, quod eam ex alto deorsum deturbasset, nisi eam servassent, qui cum ipsa ambulabant. Illa autem conturbata eo quod acciderat, venerandum ludificabatur habitum, ut in rebus hujusmodi solent, qui sunt pusilli et abjecti animi. Cui dixit is qui erat perfectus in juventute: Mulier, noli eum incessere maledictis: meis enim manibus venies ad hunc habitum. Hæc dixit Sanctus; et cum multi anni præteriissent, ad effectum pervenit prædictio, cum ipse quidem Beatus horum esset oblitus, mulier vero ei revocasset in memoriam, et aperuisset eum esse, qui hæc tunc ei denuntiasset.

*prædicit mulieri multis annis ante religiosam futuram*

## CAPUT V.

### *S. Antonius cum veteribus SS. comparatus, invocatus ab Auctore.*

Hæc Sanctorum Deus, qui omnia facit et transformat, qui dat alimentum omni carni, qui aperit manum, et implet omne animal benedictione; qui glorificat eos, qui ipsum glorificant, et est mirabilis in Sanctis suis. Sed quoniam brevi calice orationis tamquam magno mari, admirabilis Antonii, et magni inter Patriarchas, parvam vitam hausimus, age F ex Doctorum comparatione discamus discipulum. Adam habetur in admiratione, ut principium et radix generis. Sed hic quoque fuit princeps et auctor multorum, qui non sunt nati ex conjunctione corporum, sed sunt multiplicati spiritali conjunctione: quibus non obtigerunt pœnæ paternæ damnationis; sed donorum potius hæreditatem nempe vitam æternam, non mortem, sibi conciliarunt: per quam exprimitur vera et germana paterna cognatio. Et illi quidem cessit ferarum natura; sed non eorum, qui intus erant, et cohabitabant. Hinc serpens et invidia et dolus mortem sunt fabricati. Hic autem imperio rationis cum quidquid est ferum et agreste reddidisset obediens, nullum inimico ad fraudem aptum reliquit instrumentum. Abel fuit primus operator Deo acceptorum sacrificiorum; sed cruentorum, et partis quæ caret ratione. Hic autem sacrificus incruenti sacrificii, cujus illa erant typus et umbra ratione sacrificans et spiritu, et quotidie seipsum immolans, a ratione alienarum animi perturbationum

*comparatur cum antiquis Patriarchis,*

*Adamo,*

*Abele,*

A bationum mortificatione, erat invidia superior et ejus fortibus, dolo et cæde, et universa denique simili catena. Magnus fuit Seth; sed habuit nepotes ex conjunctione cognationis, quæ fratrem occiderat, qui magnitudine corporum describebat delicti magnitudinem. Hic vero illius quidem virtutem superavit; iis autem qui ex ipso nati erant spiritaliter, nullum fere dedit aditum per bona sua præcepta et monita, ut essent vitii participes. Enoch et Noe ille quidem beatus dicitur propter translationem; hic autem, quod omne genus animantium conservarit in diluvio. Noster vero hic quoque exemplis non inferior, est moribus superior: et translatio non habet lætitiam, quæ spe mortis interrumpatur, sed vitæ æternæ successio puram percipit voluptatem: et servat arcam, non plenam animantibus rationis expertibus; sed Ecclesiam, cujus illa sunt imagines, omni genere et ætate rationis participum refertam.

*Seth,* *Enoch,* *Noe,*

33 Cum Abraham vocationi ejus qui ipsum vocavit e paterna domo, emigrando peregrinus effectus paruit usque ad mortem. Sed ille quidem fugiens errorem cultus dæmonum, quem fugere vel ipsa docet natura et mens, quæ dominatu deterioris non omnino perdidit vim judicandi, tenebras et mortem luce commutavit, et pietate impietatem, quæ sunt res per se expetendæ universæ naturæ, quæ est particeps rationis. Hic autem a pueris lacte pietatis B enutritus, et vivens in iis, quæ erant expetenda, (nullius enim rei fugiendæ ne vestigium quidem ullum umquam admiserat) perfectiori judicio quærebat magis pium statum et magis eligendum; vita vitam, et luce lucem, et eligendis, ut semel dicam, permutans magis eligenda. Quantum vero interest inter eligenda, et ea quæ sunt magis eligenda: tantum etiam omnino interest inter eos qui eligunt. Sed Abraham quidem eos hospitio accipiens, qui transibant per Mambre, semel imprudens hospitio accepit Angelos. Hic vero totius orbis terræ pauperes perpetuo excipiens, Christum hospitio per totam vitam excipiebat, qui ineffabili benignitate ea, quæ sunt illorum, sibi attribuit: per quæ non in specie Angelorum, sed in rei veritate, omnium effectricem Trinitatem in animam admittens, non habuit promissionem unius filii qui carnali præter spem erat nasciturus conjunctione; sed ut multorum potius filiorum, activæ philosophiæ conjugio, in spiritu vocaretur pater, habuit promissionem, et præter spem vidit multiplicationem dignam promissione, ut qui non trecentorum vernarum irruptione, multorum Regum represserit impetum; sed virili impetu tripartitæ animæ, universam everterit aciem eorum qui invadebant, et tyrannice id, quod est cognatum, per vo- C luptatem redigebant in captivitatem, sub ficta regni specie.

*Abraham,*

34 Cum Isaac ascendit, cœlestem patrem sequens jubentem, non in tumulum aliquem, sed in montem virtutum, onustus lignis continentiæ. Per quæ in ara cordis desiderii ad Deum ignem accendens, se hostiam præbuit acceptam. Invenio autem eum valde esse Jacob imitatum, non solum in eo, quod non fictis moribus varie vitam suam instituerit, sed etiam in eo, quod recessit a patria, et in aliena regione degere statuerit: sed non propter cohabitationem mu- D lierum sororum, sed propter virtutum sororum desiderium, contemplationis, inquam, et actionis; ut actione particeps esset contemplationis, et quæ quidem ad unum fontem, nempe ad primum bonum, referuntur et erigunt; per quas multiplicatione insignium, non a ratione alienarum pecudum, sed ratione præditarum, evasit insignis inter Patriarchas.

*Isaac,* *Jacob,* AUCTORE NICEPHORO.

35 Aaron fuit primus Pontifex, sed typici et umbratilis tabernaculi. Hic autem veri, et cujus illud erat figura. Cum Mose fuit Dux novi Israelis. Cum Samuele fuit sacer ab infantia, et ad senectutem usque Deo serviens. Imitatus est Davidis mansuetudinem, et, si vis, etiam fortitudinem: ut qui non adversus Goliath, hominem quemdam magnitudine corporis gloriantem, se recte gesserit; sed adversus Goliath qui percipitur intelligentia, malignum, inquam, et carnis expertem dæmonem, cum virga continentiæ egressus est et virga fidei, et præclarum erexit tropæum. Elias effugit insidias Jezabelis. Hic autem insidias impudentis peccati. Habuit cum Elisæo duplicem Spiritus gratiam, ut qui monasticis et Sacerdotalibus donis esset ornatus. Et ut eos, qui intercedunt, omittamus propter multitudinem, Joannis, vitam non agens solitariam, in media civitate imitatus est philosophiam. Hic quoque, quod ad se attinebat, habebat mensam absque ullo apparatu, et hic ex pilis contexta veste corpus tegebat, et veluti quadam pellicea zona, nempe perturbationum animi E mortificatione, lumbos suos constringebat, et ad eum confluebat non una civitas, neque una gens, sed turbæ plurimæ populo frequentis civitatis, collectæ ex omne genus gentibus et civitatibus, tam Orientales, quam Occidentales; non aqua tingendæ, sed spiritali purificandæ mysterio, quod peragebatur divinis instrumentis illius manus et linguæ, et initiabat eos, qui dignabantur communione deificæ participationis.

*Aaron, Moyse, Samuele,* *Davide,* *Elia,* *Elisæo,* *Joanne,*

36 Apostolorum autem sequens doctrinas et traditiones, et eis suam vitam semper componens, factis germanum confirmavit martyrium, in eo quod Martyrum zelum haberet pro pietate, et quotidie sua moreretur conscientia, monasticorum laborum diuturna et acerba perpessione: quod martyrica virtute nulla in re est abjectius. Omnium ergo Sanctorum et Justorum, illorum quidem mores, horum vero cursum, aliorum autem actionem, simul vero omnium ad primum bonum, vehementissimum et constantissimum imitatus est desiderium. Quo nunc aperte fruens, protegas et defendas, o divinum et sacrum caput, sacrum gregem, et tuis precibus corrobora sceptra pietatis, et manum præbeas piæ potentiæ, mundi curas cum eo participans: et intercedas apud Deum assistens sine intermissione, pro F eo, quod orasti, cum esses cum ipso, et ejus vitæ interesses: et mundanam ei conserves navem in tuto portu divinæ tranquillitatis, omnes sedans turbines et tempestates improborum, et obruens insultus inimicorum, tam eorum, qui sub oculos cadunt, quam qui non cadunt, in Christo Jesu Domino nostro, Cui gloria et potentia nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

*Apostolis et aliis SS.* *invocatur ut Imperatori et Ecclesiæ adsit.*

# DE S. BENEDICTO

## EPISC. ALBINGAUNENSI IN LIGURIA.

J. B.

AN. CIR. DCCCC. XII FEBR. *S. Benedicti natalis,*

*Albingauni in Liguria* XII *Februarii natalem celebrari* S. Benedicti *ejusdem urbis Episcopi, ac* V *Decembris Translationem, testatur Ferrarius in generali Catal. SS. et in Catal. SS. Italiæ; atque inscriptionem recitat, quæ in æde S. Mariæ de Fontibus legitur, ubi ejus asservantur reliquiæ. Ea ex inscriptione constat anno* DCCCC *obiisse, translatum in sacellum ei illa in æde dicatum* CIↃCCCCIX. *Tradit idem Ferrarius in Annotatione, quasdam imperite, eumdem illum esse Benedictum arbitrari, qui Mediolanensis Archiepiscopus fuit, circiter annum* DCCXXXV *defunctus, coliturque* XI *Martii. Meminit Albingaunensis*

*ætas, translatio,*

A *binganuensis* Benedicti *Ferdinandus Ughellus tom. 4 Italiæ sacræ in catalogo Episcoporum illius urbis. Vitam ejus ex variis monumentis concinnavit D. Philippus Malabayla Ordinis Cisterciensis, Visitator congregationis S. Bernardi, vulgo Foliensis, et ad nos Roma misit anno* CIↃIↃCXLIX.

*Auctore Philippo Malabayla Vita.*

# VITA

## AUCTORE D. PHILIPPO MALABAYLA Congregationis Foliensis Visitatore.

*S. Benedicti Ep. Albingaunen.*

Albiganum (Ingaunorum Ligurum antiqua Metropolis, propter Ligusticum mare, in læta uberique sita planitie,) inter innumera Divinæ largitatis beneficia, istud commemorat, quod scilicet ei S. Benedictum, primo quidem in Pastorem sollicitum, et deinde in assiduum Protectorem, singulari pietate concesserit. Cujus quidem acta et merita cum excidia et incendia, quæ non semel ipsam urbem in cineres redegerunt, ut a nobis referantur non permittant, ea dumtaxat de ipso tradimus, quæ vel constans concorsque fert traditio, vel pervetustæ docent picturæ, vel sepulchri antiqua suggerit inscriptio.

*Vita unde hausta?*

B 2 Ortum igitur Sanctum hunc Benedictum in Liguria, qua ad occidentem vergit, ex honesta Revellorum familia; parentibus Christiana pietate conspicuis, inter Ingaunos Ligures convenit. Quonam vero ex loco originem duxerit, non eadem est sententia. *b* Tabienses namque illum sibi his argumentis asserunt: Quod scilicet præ ceteris diœcesani, secundum Albingaunenses cives, illum semper in præcipua veneratione habuerint: Quod a nonnullis jam seculis, in sua collegiata Ecclesia tamquam suo contribuli, sacellum eidem dicarint, adpicta in hujus parietibus ipsius Sancti vita; additaque hac inscriptione: Hoc opus fecerunt fieri Emanuel de Germanis olim Præpositus Tabiæ, et Nicolaus nunc Præpositus, ad honorem Dei, et matris Mariæ, ac S. Benedicti Episcopi Albigaunen. anno Domini MCCCCXIII, die XXV Augusti. Quod denique extra ipsius Tabiæ mœnia, in via, qua ad Badalucum iter est, extat ædificium, S. Benedicti domus appellatum, quia in eo editus creditur idem Sanctus.

*genus,*

*b*

*patria an Tabiæ opp.*

3 Econtra vero incolæ Tabularum (pagus is est a Tabia circiter quatuor distans milliaribus) ut eum inde oriundum probent, ostentant domum progenitorum hujus Sancti, in ipsis Tabulis mediis sitam, ruinis, ac cariæ vetustatem suam testantem: ipsiusque ortum, ex traditione a majoribus velut per manus accepta, ita se habuisse narrant. Quo tempore C hujus Sancti mater in utero eum gestabat, in ipsa regione orta lues plurimos mortalium, in locis præcipue, ad quæ liber aditus patebat, pergebat absumere. Ea re permoti S. Benedicti parentes, ex ipsis Tabulis omnino patentibus, proindeque, contagioni obnoxiis, Tabiam muro cinctam, ac bene custoditam, se recipere cogitarunt. At Tabienses, ne si quam luem antea contraxissent, in oppidum admissi eam vulgarent, locum extra muros illis assignarunt, in quo pro more quadraginta consisterent dies. Igitur eo ipso tempore, quo inibi hi moram trahebant, Benedicti mater illum in lucem edidit, in ea ipsa domo, quam natale solum hujus Sancti Tabienses fuisse affirmant. Huicque traditioni argumento esse Tabulenses subdunt, quod apud Tabienses aliquando Revellorum familiam extitisse, nullum probet monumentum, cum apud Tabulenses ea valde numerosa sit, et inde ad alia loca dimanarit. Unde in vetusto altaris pallio, sub ipsius Sancti assuta imagine, leguntur hæc verba: S. Benedictus de Revellis, de Tabulis, Episcopus Albigaunensis. Et Augustinus Schiaffinus in suis Annalibus in lucem mox proditturis, de eodem Sancto hæc habet. Oriundum hunc D Sanctum vulgo creditur ex Tabiensi oppido, e villa quæ dicitur Tabulæ.

*an Tabular pagus?*

4 Hac itaque in regione editus in lucem Benedictus, quemnam in pueritia, quem in juventute, quemve denique ubi in virum evasit, se præstiterit, memoriæ quidem traditum non legitur. Veruntamen ipsum pro ratione cujusque ætatis, pari studio et pietate, et litteris et virtutibus adipiscendis incubuisse, electio de eo facta in Episcopum, et gratiæ, quibus hanc dignitatem venerandam sanctamque exhibuit, præter statum, e quo ad Episcopatum fuit assumptus, satis indicarunt. Ordinem quippe S. Benedicti, monachorum Patriarchæ, S. Benedictum nostrum fuisse professum, traditio ipsa fert: et significant picturæ, quæ visuntur in ecclesia, *c* apud quam ipsius corpus, divino sane decreto, ut infra dicetur, conditum fuit, et olim ejusdem instituti monachi, quemadmodum vetera monumenta demonstrant, residebant. In ea siquidem ecclesia picti cernuntur monachi, nigro amicti habitu, ipsius S. Benedicti corpus, cum in illam inferebatur, excipientes, et lætas exequias concelebrantes.

*monachus Benedictinus fuit,*

*c*

E 5 Fama præterea fertur, ipsum aliquando, non quidem fervore novitio, sed hujus monasterii probatione diuturna, contra vitia carnis et diaboli insidias pugnare jam edoctum, uti monet idem sanctissimus Legislator, ad singularem eremi pugnam se contulisse, in insulam *d* Gallinariam, haud multum ab Albigaunensi urbe distantem. Ibi namque plures ejusdem sancti propositi residebant monachi, qui ad sacram synaxim, eremicolarum more, conveniebant in ecclesiam Beatissimæ Virgini, et S. Martino (qui in ipsa insula aliquamdiu exul egit) dicatam: quæ etiamnum in amœno colle sita cernitur, ab Abbate Alexandro Costa nuper instaurata.

Cap. 1. R. 29.

*d*

*eremita in Gallinaria,*

6 Ex hoc, inquam, statu ad Episcopalem dignitatem evectus S. Benedictus, memor illius Apostolici moniti. Qui præest in sollicitudine, ita in priori cura circa seipsum perseveravit, ut nulli labori, nulli studio pepercerit, quo commissum sibi gregem sectatorem bonorum operum, ac per hoc acceptabilem redderet Deo. Qui hoc ipsum sui Sancti studium, tum aliis argumentis, tum dono curationum comprobavit. Plurimis namque infirmis, variisque morbis affectis, salutem et incolumitatem eum contulisse, perseveranti ad hanc diem fama acceptum.

Rom. 12.

*dein Episcopus,*

*dono curationum clarus.*

7 Cum igitur, partes omnes optimi Pastoris multis annis obiisset, et (incertum qua de caussa) a sua abesset diœcesi; terrestri peregrinatione consummata, ad æternæ patriæ firmam mansionem pervenit. F Quod quidem vel in Genuensi civitate, vel certe remotiori ab ea parte loco accidisse, monstrant quæ de ipsomet eventu habentur picturæ. In iis siquidem picta cernitur navicula, sancti Episcopi deferens cadaver, versus occiduum solem velis remisque tendens: Et e Genuensi portu hanc toto conatu insequens remigio apte instructa triremis. Ex quibus intelligi datur, Januenses, quibus perspecta esse debuerat hujus beati viri sanctimonia, ipsius reliquias vel apud se retinere, si inibi obierat, vel certe acquirere, si illac transvehebantur, fuisse conatos, haud dubios nimirum, juxta Magni Basilii sententiam, locis, in quibus asservantur Sanctorum corpora, pieque coluntur, instar fortissimarum turrium, inexpugnabiliumque arcium esse solere. Verum Deus, qui S. Benedictum Albigaunensibus viventem in Pastorem, et defunctum in præsidium destinaverat, uno eodemque momento, persequentem triremem, adverso immisso vento, reflectere iter coegit; et naviculam prospero ad Albigaunensem oram feliciter perduxit.

*peregre mortuus,*

*revehitur domum, non sine miraculo:*

8 Posteaquam igitur ad litus e regione Albigauni

navicula

A navicula appulsa fuit; et quidnam in ea veheretur apparuit; tota ad hoc spectaculum effunditur civitas: et post ingentes gratias Deo pro tanto munere redditas, de ipso sacro corpore in ecclesiam Cathedralem deferendo, a Magistratu cum præcipuis et Clero consilium initur. Solenni itaque supplicatione indicta, capsaque, in qua conditum illud erat imposita, currui decenter ornato, ad ipsammet Cathedralem ecclesiam, cum hymnis et canticis, festivoque campanarum tinnitu, proceditur. Huic tamen voto non annuit Deus: qui, ubi Sanctus Benedictus spirituali militiæ nomen dederat, et commilitonum ejus quiescebant corpora, ibi ipsius etiam ut quiesceret corpus, decreverat. Siquidem ubi ante ecclesiam, in qua supra diximus olim habitasse monachos Benedictini instituti, pervenerunt duo juvenci currum trahentes, ad eam conversi, in genua prociderunt, submissisque capitibus venerabundi substiterunt. Tum mirari, qui propiores circumstabant: ceteri quidnam moraretur agmen sciscitari. Postquam vero juvencos, quantumvis aculeis percitos, assurgere non posse viderunt; in illa eadem ecclesia venerabile pignus deponendum esse omnes intellexerunt. Elatum igitur e curru in eam huc importat. Et monachi obviam facti, illud excipientes, hymnis, et psalmis, pronaeniis, pia exultatione decantatis, loco ad id accommodato condunt atque reponunt.

*deponitur in suo monasterio.*

*nutu Divino.*

B

9 Quæ quidem contigisse anno nongentesimo humanæ salutis, indicat mox subjiciendum epigramma. Ex quo præterea apparet, usque ad annum nonum decimiquinti seculi, præcipua tum civitatis, tum circumstantis regionis, et Tabiensium, ac Tabulensium in primis, veneratione, eodemmet loco humatum illud quievisse.

*an 1409 5 Dec in novum sacellum defertur,*

10 Etenim cum in eadem ecclesia Romeus Cazzulinus, Albigaunensis Patricius, sacellum, sub ejusdem S. Benedicti invocatione, construendum curasset, anno cIↃcccciX, e die v Decembris, idem sacrum corpus, inclusum capsa ex candidissimo marmore, super ipsius sacelli altare locatum fuit: ubi et ipsius Sancti pro icone insculpta marmori effigies; additumque Cazzulinæ familiæ gentilitium scutum, cum hæc omnia attestante isto qualicumque epigrammate:

*e*

*intra capsam marmoream*

f Marmoris in tumulo requiescunt hic Benedicti
Ossa Beati: cujus solvit tempora carnis
Mors, annisque novemcentum. Urbs hæc nostra beata.
Et merito, quoniam sibi Pastor pontificalis
Electus fuit, et ægris quascumque salutes
Concedebat enim, munitus amore superno.
Inter millenos, quatricentenos atque novennos,
C Facta fuit translatio, quinta luce Decembris,
Corporis ejus, qui nos protegat, atque gubernet.

*f*

*cum hac inscriptione*

11 Cum vero eadem ecclesia ob vetustatem jam ruinam minaretur, nec satis ampla videretur; id eoque ampliori, ac magis apposita ad usum forma, instauranda esset, S. Benedicti corpus, cum aliorum Sanctorum ibidem conditis sacris lipsanis, in sacrarium deportatum, usque ad ipsas Kalendas Martias anno cIↃIↃcXIV ibidem quievit. Ea namque die, idem corpus conditum arca lignea, purpureo holoserico introrsum vestita, in eodem sacello innovato, ac elegantius ornato, reportatur, ac in loculamento inter altare, et iconem concinne apteque disposito collocatur: ubi impræsentiarum piorum venerationi expositum perseverat: custodiam clavium prædictæ arcæ sibi vendicantibus Languelliæ Comitibus, quibus jura Cazzolinæ familiæ obvenere. D

*AUCTORE PHILIPPO MALABAYLA.*

*an 1614 1 Martii iterum transfertur*

12 Eadem porro Ecclesia Beatissimæ Virgini Assumptæ, uti præfati sumus, sacra, nomem traxit a fontibus: qui ex ea iis temporibus salubres, et omnium generum morbis curandis aptas emanabant aquas. Quæ quidem aquæ, si vulgatæ famæ adhibeatur fides, fluere cessarant, cum mulier quædam catelli sordes abstersura, hunc in illis mersisset. Verum Divina nuper largitate, a prænarrata scilicet postrema Translatione duodecimo die, ex ejusdem ecclesiæ imis fundamentis, in priorem vicem, novæ aquæ scaturire occeperunt. Quæ cum fide et pietate passim haustæ, antiquas gratias, in curandis potissimum febricitantibus, renovare probantur.

*est in æde S. Mariæ.*

*ubi fontes salutares, dein cœlitus siccati,*

*nunc unus fluit.*

E

13 Festum denique hujus S. Benedicti celebratur pridie Idus Februarii: incertum tamen num obitus, vel depositionis ea dies fuerit. In illa quotannis sacrum ipsius corpus, itemque brachium argentea theca inclusum, sub umbella a civitatis Magistratu delata, in solemni Cleri ac populi supplicatione, per urbem defertur: quod ipsum Sanctum, cum g S. Michaele Archangelo, Sanctoque h Calocero Martyre, et S. i Veranio Episcopo, in peculiarem suum Protectorem Albigaunensis civitas asciverit.

*colitur 12 Febr. solenniter.*

*g h i*

a *Alii* Albingaunum *malunt vocare, atque veteres quidam* Albium Ingaunum, *vulgo nunc* Albenga. In Alpibus maritimis positum est, *ut Vopiscus in Proculo scribit, habetque ab Alpibus, quæ* Albii montes *dicti olim, et Ingaunis incolis nomen.* — b Tabia castellum est Liguriæ, *teste Leandro, inter* Rutubam amnem et Mauricii portum, duobus millibus passuum a mari distans, vino apiano inclytum. — c *Ea imperat.* S. Mariæ de Fontibus *appellatur, cujus et Ughellus meminit tom. 4 col. 1263 b.* — d *De* Gallinaria insula *vulgo* Isola d'Albenga, *sive* d'Arbenga *egimus satis fuse 13 Januarii ad cap. 2 Vitæ S. Hilarii Ep. Pictav. per Fortunatum Notat. f pag. 792 et pag. 800 et 801 in sermone S. Petri Damiani de ejusdem S. Hilarii Translatione num. 5 Notat. h.* — e *Consignat* S. Benedicti *Translationem eo die Ferrarius in Catal. SS. Italiæ et in generali Catal. Fallitur tamen, ut hinc patet, translatum tunc ejus corpus scribit in ædem S. Mariæ de Fontibus, in qua ab initio conditum fuit.* — f *Recitant hanc inscriptionem idem Ferrarius et Gallus.* — g *Est Cathedralis basilica Albingauni* S. Michaeli *dicata, ut testatur Ughellus.* — h S. Calocerus *Brixiensis, inter Martyres relatus apud Albingaunum, colitur 18 Aprilis, ut testatur Ferrarius aliique.* — i S. Veranus *Ep. Cabellicensis in Gallia colitur 11 Novembris, Albingauni, Ferrario teste, 14 Novemb. estque urbis Patronus. Vixit seculo 6.*

F

# DE S. GOSLINO ABBATE

## TAURINI IN PEDEMONTIO,

G. H.

### Commentarius prævius.

*CIRCA AN. CIↃLXI XII FLOR.*

*In Pedemontana ditione,*

*Q*uod apud Subalpinos Italos, sive in Pedemontana regione, extra mœnia nobilissimæ urbis Taurinensis ad australem plagam multis seculis extitit illustre S. Solutoris monasterium ordinis S. Benedicti, originem aliquam trahit a S. Juliana matrona, cujus Acta illustrabimus ad XIII Februarii. Hæc enim tempore Diocletiani et Maximiani corpora SS. Solutoris, Adventoris et Octavii e Thebæa legione Martyrum (quibus XX dies Novembris sacer est) eo transtulit, cellulam desuper ob eorum memoriam construxit, oratoriumque adjunxit, S. Victor I Episcopus Taurinensis, quem fervat anno CCCX sedisse, ædiculam illam adauxit, censibusque annuis dotavit. Geza, alias Gezonus, qui tempore S. Henrici Imperatoris Episcopus Taurinensium fuit, memoratum S. Solutoris monasterium fundavit, quod Olricus Manfredus et Berta ejus conjux Marchiones Secusini muneribus et amplissimis privilegiis anno CIↃXXXI cohonestarunt, atque in suam

*prope Taurinum, monasterium S. Solutoris*

AUCTORE G. H.

A *suam ipsi tutelam et protectionem susceperunt. Ita Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Chronologia Pedemontana cap. 5 et 23. Illud* S. Solutoris *monasterium ob magnos redditus ac jurisdictionem, inter præcipuas Abbatias, quæ erant in Pedemontio, habitum censet Bernardus Rosignolius lib. 2 Historiæ Thebeæ sub nomine Guilielmi Baldesani Italice editæ.*

*vixit S. Goslinus Abbas seculo* XI.

2 *Præfuit huic monasterio Abbas primus, Romanus nomine, anno eodem* CIↃXXXI, *cui successit* S. Goslinus, *alias* Goselinus, *et* Guslinus, *ibidem circa anno* CIↃLXI *sancte mortuus : cujus sacrum corpus* CCCCXI *ab obitu annis inventum esse infra refertur. Huic inventioni dicatus fuit* X *Februarii teste Ferrario in generali SS. Catalogo, ubi hæc habet :* Taurinis Inventio SS. Goselini Abbatis et Julianæ matronæ. *Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani :* Augustæ Taurinorum Inventio SS. Goselini Abbatis et Julianæ matronæ in ecclesia S. Solutoris Martyris et Thebæorum legione celebrium, *scilicet Adventoris et Octavii : de quorum omnium Inventione olim istic eo die solennis memoria habebatur. At modo, quum horum omnium Sanctorum corpora ad templum collegii Taurinensis Societatis Jesu translata sunt, officium Ecclesiasticum cum sacrificio Missæ celebratur eo die de Inventione solum trium sanctorum Martyrum; die* XII *Februarii venerationi S. Goslini, et* XIII *cultui S. Julianæ assignato.*

*Inventio ejus olim celebrata 10 Febr.*

*solemnitas nunc est 12 Febr.*

B *Nam qui proximus interponitur* XI *dies, sacer est S. Tigrino Martyri Romano : cujus in eadem ecclesia corpus adservari illo die diximus.*

3 *Historia Inventionis et miraculorum, quæ anno* CIↃCCCCLXXII, *mensibus Junio, Julio, Augusto, Septembri ultra centum contigerant, ab auctore coævo et teste plurimorum oculato descripta, servatur in collegio Societatis Jesu ibidem in antiquo codice MS. quam nobiscum R. P. Joannes Jacobus Turinettus, ejusdem collegii deinde Rector, anno* CIↃIↃCLIII *communicavit. Horum miraculorum pars magna, quæ scilicet mense Junio patrata sunt, a Joanne de Compesio Taurinensi Episcopo approbata est, cujus rei infra testimonium datur.*

*Historia Inventionis et miraculorum an 1472 factorum editur ex MS. Taurinensi.*

4 *Cum anno* CIↃIↃXXXVI *destruendum esset S. Solutoris monasterium, fuerunt sacra corpora SS. Goslini, Julianæ et trium Martyrum in civitatem Taurinensem ad Prioratum S. Andreæ delata, inque sacello Deiparæ Virginis, cui a Consolatione nomen est, ad annum usque* CIↃIↃLXXV *deposita. Tunc namque fuerunt inde solenni pompa ad oratorium Societatis Jesu, cui donata erant translata : et hactenus apud ejusdem Societatis Patres in templo SS. Solutori, Adventori et Octavio dicato summa veneratione adservantur. Ex horum Martyrum Actis,* XX *Novembris dandis, proferuntur excerpta nonnulla* XIII *Februarii ad Vitam S. Julianæ,*

*Reliquiæ S. Goslini et aliorum translata ad templum collegii Taurinensis Societatis Jesu.*

C *quæ illorum corpora primum collegit, sepelivit, ac venerata est : recitaturque etiam diploma Gregorii* XIII *Pontificis Maximi, quo eam donationem ratam habet, conceditque indulgentias omnibus, qui ea caussa instituendæ supplicationis interessent. Meminit Pontifex in hoc suo Apostolico indulto* corporis Goslini Abbatis, *quem* Sanctum *appellat. Erat illud inclusum arcæ ligneæ, ex qua Hieronymus de Ruvere Archiepiscopus Taurinensis ac S. R. E. Cardinalis in aliam arcam nuceam, ære intus contectam transposuit* XIX *Januarii ipso die Translationis; cujus tamen postridie, id est,* XX *Januarii celebritas præcipua habita est, quando idem Cardinalis solenne sacrum fecit, habuitque de Sanctis hisce concionem historicam a Rosignolio cum Historia Thebæa editam, in qua asserit S. Goslinum vivum ac mortuum multis miraculis inclaruisse.*

5 *Officium Ecclesiasticum cum sacrificio Missæ ad honorem S. Goslini celebratur quotannis* XII *Februarii de Communi Abbatum, sive Confessorum non Pontificum. Corpus Sancti adservatur in urna affabre facta, depositum in majori altari ad latus dexterum, in quo Evangelium recitari solet.*

*officium Eccles. de eo.*

## HISTORIA INVENTIONIS CORPORIS D

### ET MIRACULORUM S. GOSLINI,

### *auctore coævo anonymo,*

ex MS. Taurinensi.

## PARS I

### *S. Goslini vita, occasio inventionis corporis, et miraculorum descriptorum.*

Clementissimus Deus, qui in omni opere bono recta fide invocandus est, cuncta ab initio seculi fecit, et usque ad præsens agit, et movet; ut nos sua ineffabili misericordia salvet, dicente Propheta : Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Participes autem, et custodes mandatorum suorum quam plurimos esse voluit, ut regni sui fierent cohæredes. De quibus Hieronymus dulciter scribens ait : Nos ad cœlestem patriam festinantes, mortiferos syrenarum cantus surda debemus aure pertransire. Et cum iter æternæ vitæ aggredimur, eumque ad civitatem supernam, in qua cives conscripti sumus, reverti paramus, januas illius gloriosæ civitatis aperiet spes, fides, et caritas, latissimumque præbebunt ingressum. Ideo prudentiores viri, qui vitam mutarunt in melius, splendorem veræ gloriæ apud Deum consecuti sunt. Inter quos merito numerandus est humilis Goslinus, S. Solutoris inclyti monasterii olim Abbas, qui longissimo veluti dormiens excitatus a somno, Taurini civitatem mira devotione suis decoravit Reliquiis. Nec incredibili memorato est, quam breviter religionis spiritum miracula illius suscitaverint. Nam qui bonitate vitæ floruit, cœlestibus donis declaratur, gaudioque sempiterno.

Psal. 33. 16

*Inter cœlestes cives*

*degit S. Goslinus,*

E

2 Hic autem clarissima Avarorum familia natus, auro possessionibusque seculi spretis, contemptaque omni elationis et jactantiæ pompa se primæva ætate ad litterarum studia convertit : summoque Deo immortali pro tutissimo duce omni cura et studio servire statuit. Humilem itaque vitam gerens, habitum beatæ paupertatis S. Benedicti adolescentulus jucunde suscepit : et ibi per virtutum continentiam exercitatus, supra quam ætas pateretur, non solum sanctissimorum virorum disciplinam assumpsit, verum etiam multo præclarius antecessit.

*ex familia Avarorum prognatus,*

*olim monachus Benedictinus,*

3 Post hæc in dies magis magisque animus ad virtutum gratiam augebatur : nec illi quidquam arduum fuit, quod salutis faceret incrementum. Vigiliæ crebræ, jejunia, orationes, labores insoliti, divinaque officia semper grata fuerunt. Lætabantur igitur omnes, et Deum summis vocibus extollebant, qui de tantis mundi periculis virum sanctum, ad clariorem statum tam brevi erexisset. Mirum enim pluribus videbatur, quod obedientiæ, castitatis, pœnitentiæ, honestatisque consortium, tam repente pro incorruptibili thesauro, in sinum suum convertisset. Tanta profecto mansuetudine atque humilitate exemploque melioris vitæ inter monachos claruit; ut Abbas Pastorque sanctissimi gregis eligeretur. Didicit ergo salvatorem sequi dicentem : Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quis ergo fidelium viros religiosissimos, qui in magna austeritate vitæ et sincero corde ceterisque virtutibus ætatem duxerunt, beatos sanctosque fore dubitat, dicente Domino Jesu : Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt? Vidit ergo et gavisus est.

*et excellens in omni virtute,*

F

*Abbas creatus.*

Joan. 8. 12

Matth. 5. 8.

4 Ex sacri monasterii codicibus satis aperte reperitur, hunc piissimum Pastorem quadringentis et undecim annis fideliter dormisse, sopitamque Taurinensium devotionem illico excitasse : et nomen pene extinctum iterum erexisse. Ideo cum Propheta merito cantatur : Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine,

a

*Corpus post annos 411 repertum,*

Psal. 118. 65.

A Domine, secundum verbum tuum. Si quis ergo tanti Patris devotione accensus scire cupiat, quomodo inventus nuper veneratur, hæc seriatim documenta denuntiant. Primo quidem summo inspirante Factore, dum reverendus in Christo Pater, *b* Dominus Georgius de Lucerna, prædicti monasterii Abbas, ecclesiæ suæ ædificia devotus repararet; illius sanctissimi viri tumulum, in quo jacet, occurrit. Conspicit itaque justi et piissimi Patris epitaphium, corpusque pallio, corona, quam mitram dicimus, et baculo, more majorum decenter contectum. Dumque diligentius singula pertractaret, duo corpora inventa sunt *(ex epitaphio cognitum :)* Goslini videlicet, et *c* Anastasii. Goslini vero corpus superius; Anastasii autem paululum depressius jacebant.

5 Sed ne posteros lateat, miranda res cunctis adstantibus inspicitur: Goslini ossa, pallio connexa, ab omni sorde candidissima manent, nullinsque maculæ signo notantur; quod vitam significat fuisse puriorem. *(ossa candidissima in tumba deposita,)* Manent itaque venerandi Patris ossa in tumba; caput vero eminentius clauditur in speculo. *(caput speculo inclusum :)* Ecce qui Salvator noster, cui nihil opertum creditur, fidelium corda perlustrat, ut Goslinum pium Abbatem sincero corde visitent, tumque, quantum ecclesia jubet, prædicent, Deumque in Sanctis suis incessanter laudent et adorent, pia veneratione et precibus pulsent, ut salubriter gratiam inveniant, et consequantur: quod divinitus oblatum est. *(clarescunt miraculis.)* B Cæci namque, surdi, aut claudi, languentiumque corpora illius precibus et meritis curantur.

6 Nos ergo, qui litteris divinis eruditi sumus, et qui similia exempla præcessisse non ignoramus; qui fidelium opera præclara singulis diebus amplectimur, et in sententiis rebusque gestis majora contineri didicimus; Beatos summique Dei filios vocabimus, qui ob integritatem vitæ, Deo jubente paradisum obtinent. *(ergo et ipse in vita divinis virtutibus splenduit,)* Hunc ergo Goslinum Pastorem sanctissimum, cujus vitam claris divinisque virtutibus fuisse credimus decoratam, quem etiam miranda cœlestiaque opera nostris diebus mirabilius cognita declarant, servum filiumque omnipotentis Dei prædicabimus. De ipso enim in libro Sapientiæ merito
Eccli. 31, 8 decantatur: Beatus vir, qui inventus est sine macula, et post aurum non abiit, nec speravit in pecu-
9 niæ thesauris. Quis est hic et laudabimus eum? fecit
10 enim mirabilia in vita sua, qui probatus in illo et perfectus inventus est, erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. *(justus et sanctus est ;)* C Cum justis enim inscribendus est, qui justitiæ opera facit. Justus et pius legitur in tumulo, ergo cum justis cœlestem consecutus est portionem juxta dictum: Justi autem in perpetuum vivunt, et
Sap. 5, 16 apud Dominum est merces eorum. Mirabilis igitur Deus in Sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Non enim sunt consilia Dei, sicut consilia hominum, nec viæ ejus, sicut viæ nostræ. Sed quantum distat cœlum a terra, tantum distant cogitationes Domini a cogitationibus hominum: verba enim Altissimi in æternum manebunt.

7 Et si magna in transcribendis virtutibus atque miraculis se offerat difficultas, singulorumque votis satisfacere perarduum sit, quod facta dictis exæquanda sunt; tamen, ne tanti Patris splendor occultetur, quæ magis digna memoratu, et nota reperientur, hoc exiguo memoriali transferuntur. *(Describuntur miracula,)* Igitur fiducialiter cum omni matura correctione de coruscantibus miraculis, et gratiis ipsius B. Goslini plano et humili stylo quam verius scribendum restat. Sed nec hoc absurdum vel a fide Catholica alienum videretur, reverendus in Christo Pater, Dominus *d* Joannes de Compesio, Taurinensis Episcopus, sacrorum virorum Collegio comitatus, prædictum tumulum D maturius visitavit: ibique diligenti apud religiosos examinatione de B. Goslino facta, statuit; ut in crastinum quamplures, qui illius precibus gratiam consecuti sunt, sibi pro vero testimonio præsentarentur. Cui obsequentes monachi, exhortationis vota compleverunt. *(AUCTORE ANONYMO EX MSS. jussu Episcopi Taurinensis, legitimis testibus comprobata :)*

8 Discusso itaque erga singulos examinis ordine, orationem religioni utilem pro Dei cultu hujusmodi habuit. *(suntque instar seminis)* Omnis qui agit aliquid, nisi prius persuasum habeat, quid ei prosit, illud, quod agit, non prompte faciet, non competenter. Nam qui seminare vult fruges, considerat, an certus sit, per futuros imbres terram germinare, fructusque gratos colligere, uberem quoque messem in horreum festivus convertere. Nemo enim in vanum laborem sumit: nemo denique operam quærit, in qua nihil lucri sperat. Si ergo hic Goslinus vester, qui tempore sanctorum Patrum integritate vitæ et morum sanctitate floruit, in lacrymis et in compunctione cordis apud Creatorem nostrum seminavit, modo in exultatione et gaudio metet in Sanctorum consortio. *(sancte olim peractæ vitæ fructus.)* Unde merito vox exultationis et salutis audita est in tabernaculis justorum. Cuique autem de meritis compensatio fiet a Domino, qui in omnibus justus habetur.

D

a Ab anno scilicet 1061 ad 1472. — b *Franciscus ab Ecclesia tradit* Georgium ex Dominis Lucernæ ab anno 1459 ad an. 1480 Abbatiam illam rexisse. — c *Idem ait* sedente Joanne Compesio corpora SS. Gozelini et Anastasii Taurini anno 1472 inventa esse. — d *Creatus Episcopus* an. 1469, *ejus Breve infra habetur. Factus dein Archiepiscopus Tarentasiensis consecravit anno* 1485 *ecclesiam Minorum apud Clusas diœcesis Gebennensis, cui etiam præfuisse eum tradit Franc. ab Ecclesia.*

## PARS II
### *Miracula S. Goslini Abbatis facta anno* CIƆCCCCLXXII.

### CAPUT I.
### *Miracula facta mense Junio.*

Dum hæc ita geruntur, eximius medicinæ Doctor, Dominus Michael de Berutis, Ducalis Sabaudiæ physicus, qui septem et amplius annis acerbissimo et venenoso bolo vexabatur in stomacho, Deo inspirante, ad monasterium, ubi jacet Goslinus servus Dei, perambulat, apudque illius tumulum aliquantisper commoratus, mentis oculos erigit, et per imagines cereas, cœlestes gratias judicat fuisse condonatas. *(Medicus Doctor ab inveterato morbo stomachi,)* Cumque similia meditatur, monachos interrogat, quid ibi venerandum jacet? Cui monachi: Goslinus pius Abbas, cujus precibus jam alias plurimi cives gratiam consecuti sunt. Audiens autem hæc medicus, magnam spem consequendæ valetudinis colligit. E Flexis ergo genibus ad pium Patrem devolvitur, precesque humiles porrigit, dicens: Serve bone et fidelis, quem constituit Dominus super familiam suam, ut majora talenta reportares: respice, quæso, afflictionem meam, et tuis orationibus hunc truculentum bolum evome: non enim medicorum præsidio, aut humana arte curari potuit. Hanc profecto si liberalitatem consecutus fuero, tuisque precibus emundatus, cera, multoque auro tumulum tuum noveni diebus et ultra pronus visitabo. *(ad tumulum voto facto,)* Quibus demum ita peractis, liberum naturæ cursum adeptus est: et omne supervacuum pleno de pectore manat. Currit igitur medicus humanus ad cœlestis medici suffragia, et sanatur servi Dei precibus, cui mille non valuerunt medicinæ. *(sanatur,)* At illius liberatione adepta, maximus Taurinensium concursus ad Patris basilicam confluit, et veluti Angelus Dei rem gestam aperit: canit quasi tuba vox salutifera, quæ Goslinum Dei servum enuntiat: unde mirum imagines, luminaria, donaque quamplurima pro votis persolvendis undique deferuntur. *(idque juratus testatur :)* Quo fit, ut cum hæc audiret reverendus Dominus Joannes de Compesio, Taurinensis

A *AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

Taurinensis Antistes, medicum hunc, nobilem testem, solemniter cum multis aliis cum juramento examinavit : qui omnem virtutem omnemque gratiam sacro collegio præsente laudavit.

*pelluntur phtisis et evomitio sanguinis,*

2 Post hunc accessit nobilis Georgius de Bialecis, Taurinensis civis egregius, quem phthisis gravissima invaserat. Hic enim sanguinem jam pluribus annis, diebus et mensibus evomuerat : nec spes vitæ de ipso apud medicos erat. Derelictus itaque medicorum juvamine, magno cum fervore se famulo Dei Goslino commendavit : ut ejus precibus animæ et corporis salute frueretur. Consequitur Georgius donum Dei, ingentique gratia recreatur : ad cujus liberationem omnis populus stupet, et Altissimo pro tanto munere gratias agit immortales : et ne ingratitudinis vitio notetur, singulis diebus Dominicis tumulum venerandi Patris humili devotione visitat, votaque persolvit honesta. Hujus etiam dictum Reverendus Dominus Episcopus non *a* prætermisit examinandum.

*a*

*fluxus sanguinis,*

3 Joanneta uxor Joannis Arduini, proba mulier, et Deo fidelis, longo tempore matricis fluxum passa, ad pii Patris orationes repente liberata est. Cujus vox ita inter alias mulieres intonuit, ut plusquam mille matronæ tumulum ipsius cera præcingerent.

*b* *inflatio ex veneno,*

4 Joannes Benna de *b* Cherio, nescio quo veneno percussus, veluti uter, tumefactus, non minore devotione Goslinum pulsat, ut sibi misero pie succurrat : qui divinitus ad pristinam valetudinem restitutus est. Qui etiam examinatus, probus inventus habetur.

B

*desperatus morbus,*

5 Leonardus deinde Demadis civis egregius filium habebat, gravi valetudine jacentem : in quo jam vitæ spes non erat. Hunc ut fidelis genitor pio Patri commendat, et pro filio se vota persolvere promittit : liberatur puer, et gaudia patri pro sanitate recepta præbet. Quod satis mirandum, quia pro semivivo, mater deplorabat. Istud jam dicto examine comprobatur.

*c* *dolor capitis acerbissimus.*

6 Columbinus Fea de *c* Secusia, habitator Taurini, acerbissimo capitis dolore captus, se cum magna spe ad tumulum beati Abbatis transfert : ibique cum diu perorasset, liberum caput efficitur. Ideo gaudens pro ejus filia, ut oculorum reciperet sanitatem, ferventius oravit : quibus sanitatis gratia restituta est.

*d* *iterum,*

7 Simili adversitate filius Joannis Barberii de *d* Probis liberatus, gratias agit Deo perimmensas.

*e* *dolor tollit loquelam,*

8 Francisca uxor Joannis Ponzardi de *e* Pinarolio, mira ægritudine pluribus diebus jacebat, et dum cibos non sumeret, attenuata doloribus, veluti elinguis remansit. Vir autem, cujus curam solerti studio agebat, venerandum deposcit Abbatem, ut ejus miserandæ uxori suis precibus occurrat : cui, libertate adepta, pro conjuge cara, vota digna persolvit.

C

*febris gravissima*

9 Bertinus de Crema filiam gravissimis febribus laborantem habebat, cui non nisi precibus beati Patris succurrere potuit; medicina enim cœlestis de sanctissimo thesauro procedens, cunctorum fidelium pectora sanat, neminemque gratiæ suæ relinquit expertem.

*f* *lepra,*

10 Joannes Thomas, de *f* Moreta oppido celeberrimo, vir probus, fastidioso lepræ morbo percussus, audiens de meritis hujus beatissimi Abbatis, se ad civitatem transfert, puraque devotione in manibus venerandi Patris ardenter commendavit. Qui cum vota persolveret, sese ab omni læsione comperit solidatum. Sed cum res tanta non facile crederetur, jussit Antistes, ut publico examini præsentaretur; cui cum assisteret, amotis vestimentis, sacro collegio solidas monstravit cicatrices. Et cum diligentius inspiceretur, de pluribus articulis examinatur. At ille reverenter respondens, fidelis inventus est, et... aut amplius annis eo morbo laborasse.

D *cæcitas,*

11 Lazarus Vegla, vir temporaneus de Taurino, annis duobus cæcus inventus est, ita ut nihil visu discerneret. Audiebat tantum singulis diebus insolitam frequentari ecclesiam, (cui vicinus esse dicitur) campanasque ad modum solemnitatum plus solito amœne sonantes; cujus rei caussam inquirit. Uxor autem et familia rem omnem aperiunt, et eum ad singularem devotionem cum fletibus provocant. Unde flexis genibus in terram prostratus vovit, piumque Goslinum humiliter invocat, ut suis precibus videndi gratiam consequatur. Videt igitur, et singulis diebus tumulum beati Patris visitat. Hic etiam examine, quo supra, probatur, an modo videat resque singulas discernat. Aperti sunt ergo oculi istius, et mirandum opus habetur.

*pedum languor,*

12 Petrus Mellini, vir bonæ discretionis, XVI annis æger pedibus, non modicam pecuniam pro valetudine adipiscenda exposuit : hic precibus devotissimi Pastoris a carceribus liberatus est, ambulat sine baculo rectus, et illæsum se ubique præsentat.

*diuturna ægritudo,*

13 Nobilis Bartholomæus Corthesii, vir longævus, pluribus annis gravissima ægritudine jacuit : quem filii ejus dulci studio ad vovendum incitarunt : quorum persuasionibus permotus, sese beato Abbati commendavit, et veluti de peccatis attritus, magno fletu devotum suum invocavit. Mira res est, ut illico perambularet illæsus.

E *languor lethalis,*

14 Odinus de Ponte adolescens, cum pro fructibus colligendis arborem satis ab humo elevatam ascendisset, indiscrete ad terram delapsus est : collum vero ex vehementi ictu fere contrivit, ibique semivivus, et elinguis relinquitur. Plorant socii, cum jam quatuor horis rigidus existat, spumans veluti in agonia positus. At Deus, qui neminem vult perire, hos evigilat pueros, ut Goslinum devotum invocent, huicque misero faveat. At oratione facta, surgit puer, veluti ludens de somno excitatus, et quid illa puerorum turba significaret, stupet. Cui, aperto casu, gratias simul agunt plorantes. Hic enim puer devotissime tumulum visitavit, et de facultatibus suis munera obtulit.

*g* *ignis sacer.*

15 Sebastianus Selerii de *g* monte Calerio acerbo igne in dextro succensus, omnem spem liberationis in beato Goslino reposuit : qui graviter languens, ejus precibus mox liberatus est. Ardebat enim, et magno fœtore horrendum videbatur.

a *Ita correximus, in autographo erat* permisit. — b Castrum Cherium *in Cispadana ditione, bellicis expeditionibus valde attritum, Italis* Chieri, *Gallis* Quiers *dictum.* — c Secusia *sive* Segusium, *vulgo* Susa, *ad Duriam minorem, juxta radices montis Cenisii.* — d Plobes *vicus, qua iter est Taurino Villam Francam, æque ab utraque urbe distans.* — e Pinarolium *ad Chisonium flu. munitissimum oppidum.* — f Morella *infra Villam Francam inter Padum et Varætam fluvios.* — g Mons Carlerius, oppidum pernobile ac beatum, *inquit Leander Albertus in Lombardia Cispadana; est oppidum illud satis magnum, ac distat Taurino tribus milliaribus.*

F

## CAPUT II.

*Alia miracula S. Goslini facta eodem Junio.*

*Curatur nervorum rigiditas,*

Uxor Francisci Carthe, mulier devota, quadam longa nervorum rigiditate fatigabatur, et cum nisi præsidio humano moveretur, sibi molestam vitam existimabat : mentem ad cœlum levat, et cum lacrymis preces effundit, pietatemque divi Pastoris exorat, ut cum filio suo languente convalescat. Liberantur ambo, et caritatis dono fruuntur.

*stimulus arenæ.*

17 Oldradus de Baratonia durissimo arenæ stimulo fatigatus, XI annis molestatur, qui medicorum arte numquam adjutus est. Patrem itaque devotum implorat, ut aliquam recreationis gratiam consequatur. Ille vero ita se liberum comperit, ut mira res videatur : et qui gratiam comperit, vota digna persolvit.

18 Domina Alissia, uxor eximii juris utriusque Doctoris

A Doctoris, Domini Joannis de Paniciis, mulier veneranda, ac multum religiosa, armenti gregem infectum morbo possidebat : quæ, cum morientes vaccas conspiceret, nec convalescentiæ remedium haberet, se humiliter B. Goslino commendavit, ut ejus armenta servaret, in quibus pietatis officia secundum morem suum singulis diebus expleret : quæ cum vota peregisset, nullum deinceps jumentum periit. *pestis pecorum,*

19 Bartholomæus Vinardi filiam gravi infirmitate jacentem habebat; cui cum succurrere medicaminibus non posset, pio Abbati liberandam commisit. At illa precibus beati Patris gratiam consecuta est. *infirmitas gravis,*

20 N. Aymonetus de Opecis de *a* Vigono acerbissimis febribus tenebatur, ita ut ustione consumi videretur : qui cum se beati Patris tumulo præsentasset, liberam consequitur portionem. *a febris,*

21 Mauritius Galli *b* de sancto Mauritio fluxum diu passus est, et veluti semimortuus effectus : non enim medicinis humanis, sed intercessione B. Goslini liberatus, more Catholici viri gratias egit, ecclesiamque, ubi tumba est, supplex visitavit, et a nimia stomachi perturbatione convaluit. *b fluxus incurabilis,*

22 Antonius Zacherii de valle Cicida, dum se circa molendinum pro farina exerceret, vehementi nescio quodam impetu mola illius tibiam confregit : et præ nimio dolore in terram prostratus clamat, atque dentibus quasi moriens stridet. Cui opem tulit *c* barberius arte peritus : sed cum pluribus diebus jaceret, nullum medicaminis sentit exordium. Unde multum afflictus, sperans velocius Divino medicamine juvari, viva voce pium Abbatem Goslinum invocat, ut ejus orationibus suam levet acerbitatem : cujus paupertati liberalis Pater succurrit. *tibia confracta, c* B

23 Henrietus Cortesii, civis Taurini, vir probus, non paucis diebus renum ægritudine jacebat, gravem molestamque sibi vitam putabat, cum ita dire torqueretur : et, cum illi pigmenta non succurrerent, ad servum Dei pura mente confugit, apud quem præsto ambulandi gratiam obtinuit. *renum ægritudo,*

24 Maria uxor Joannis Amberti civis Taurinensis, diu passa in oculo, cum summa devotione tumulum beati Patris visitat, secumque filiam gravi capitis dolore laborantem adducit : quibus pius Abbas pro munere terreno cœlestem obtinet retributionem. *dolor oculi et capitis,*

25 Joannes Amadeus, filius Joannonis Ubertarii, civis Taurinensis, veluti quadrupes diu pergebat, cujus rei signum non modicam matri inferebat molestiam : pro cujus salute mater pio commendavit Abbati, qui mox erectus, more libero graditur. *gradiendi difficultas,*

26 Dominicus filius Joannis Drueti gravissima nervorum ægritudine dejectus, multis diebus jacuit, et adeo attenuatus erat, ut fere mortuus haberetur : pro quo pater magno fletu pium deposcit Abbatem, ut illum suis precibus servet : ad quem cum rediisset, gaudens inventus est. *nervorum contractio,* C

27 Nobilis Gaspardus Viviani, caussidicus evigilantissimus, sex diebus et amplius vehementi dolore torquebatur in pede : ad cujus liberationem medici atque barberii concurrunt, quorum medicaminibus non juvatur. Tunc de salute sua desperans, timet in veneficas incidisse; quod sibi molestius est. Angitur igitur atque torquetur, et se ad Beatum vertit Goslinum : cui precibus effusis, paulisper dormivit : et expergefactus, se illæsum comperit. Festinus in crastinum beati Medici tumulum visitavit, laudesque persolvit dignas. *dolor pedum,*

28 Petrus Rivorie de *d* Laynico acriter sinistrum pedem læsum habebat, quem secum facile trahere non poterat : nec alium sibi propitium arbitratur medicum, nisi benignum Abbatem, ad quem multitudo concurrit populi : quo pronus invocato, lætus vota persolvit. *læsio pedis,*

29 Michael Sellarius civis, diu ob podagræ onus medicorum ope usus est : quem cum nec curare, nec recreare potuissent, ægritudinem suam divo Medico curandam relinquunt. At illorum manu destitutus, se B. Goslino offert curandum : quem ita cœlesti medicamine perunxit, ut nec vulnus, nec impedimentum in eo videatur. D AUCTORE ANONYMO EX MS *podagra,*

30 Filia Jacobi Rosarie, civis Taurinensis, continuis febribus languens, hujus beatissimi Patris orationibus sospitatem validam recuperavit. *febris continua,*

31 Stephanus Ruate, civis Taurinensis, vir probus, multis annis in tibia passus est : varioque medicamine usus, nullo dolore privatur. Ideo currit et ipse ad fontem pietatis, ut prece Goslini liber incedat. Cujus vota pius Pater adimplevit. *dolor tibiæ,*

32 Joannes Gullinus, filius Gabrielis Canevesii, civis Taurinensis, infantulus fascia cinctus, gravi languore detinebatur : modicaque spes vitæ in eo habebatur; cui pia mater succurrere nescit, nisi Divina caritate juvetur. Nudis illa pedibus ad servi Dei tumulum properat, votaque flexis genibus persolvit : domum vero rediens, lætabundum conspicit puerum, quem die postera divo Abbati in Missa præsentavit. *languor desperatus infantis,*

33 Antonina, uxor Bartholomæi Annæ, magnis doloribus urgebatur in oculo, caputque diuturna vexatione confractum medicaminibus frequentatur. Dedit prona B. Goslino vota, cujus suffragio sospitatem consecuta est. *dolor oculi et capitis,* E

34 Antonius Luparie de *e* Ripolis longo tempore vulnus in tibia, quam fistulam vocant, passus est : cui non unguenta, vel lavatoria, sed piissimi Abbatis præsidia profuerunt. Hic, dum pro votis solvendis se tumulo præsentasset, audita Missa, illæsus perrexit ad oppidum. *e vulnus tibiæ,*

35 Antonius Perole civis fastidioso fluxu devictus, se ad Ecclesiam, ubi B. Abbas quiescit, mente devota contulit, ibique meritis ipsius gratiam reportavit. *fluxus,*

36 Perinus Barberii, chirurgus expertissimus, horribili vomitu diu fatigatus est. Illud autem non solum sibi, verum etiam ceteris magnum inferebat fastidium : hic enim, dum prompte medelam recepisset corporis, deinde orationibus beati Pastoris solamen consecutus, cœleste donum summo cum honore cognovit. *vomitus horribilis,*

37 Margarita, uxor Ludovici Ranoti, civis Taurini, gravem caliginosumque veluti nebulam in oculis gerebat, qua plurimum timuit, ne cæca fieret : præcipuas tamen medicinas solerti cura adhibuit. Cui dum nihil proficerent, se totam vertit ad Goslinum medicum salutiferum : cujus patrocinio adjuta, liberam videndi gratiam adepta fuit. *caligo oculorum,*

38 Julianus de Rubianeta, cujus vita in construendis ædificiis agitur, diro capitis dolore pluribus diebus vexatus, opem salutarem, precibus pii Abbatis consecutus est. In cujus honore ceram obtulit memorandam, et suam operam pollicitus, abiit gratulanter. *dolor capitis,* F

39 Joannes Capellerii de Pinarolio veluti quadrupes monstruose terram verrens, se B. Goslino devote præsentavit, ut suis precibus, recto gressu more hominum pergeret; cujus præsidio ipsius tibiæ erectæ sunt. *deformis claudicatio,*

40 Guilielmus Vaudagna, civis Taurinensis, longo tempore in costis vehementi dolore angebatur : in tibiis vero ita oppressus, veluti saxa traheret ad humeros. Illud enim sibi non parum salubre fuit, cum B. Goslini orationibus emundatus evasit. *costarum et tibiarum dolor,*

41 Sebastianus Selerii de *f* Monte Calerio acerbissimo veluti igne accensus in brachio, fœtore doloreque maximo stimulabatur, et quibus juvaretur unguentis ignorat : ecce mentem aperit, et pium Goslinum invocat, ut medelæ gratiam consequatur : statim *f ignis sacer,*

A statim ille liber factus est, cui pronus vota persolvit.

*AUCTORE ANONYMO EX MS.*

42 Petrus Rabagli de *g* Burgaro fœtidissimo fluxu sex mensibus et amplius passus, beati Abbatis tumulum summa cum devotione visitavit : ad cujus preces statim mundatus est. Quod signum pluribus fidem auxit, et spem devotionis stabilivit.

*g fluxus,*

43 Catharina, uxor Jacobi Selerii, civis Taurinensis, viginti duobus annis turbine magno in auribus concussa est, nec medicorum arte curari potuit. Quæ de meritis B. Goslini audiens, se fide conspicua eidem commisit ; cujus oratione mox omnis turbatio remota est, et illa pro tam singulari beneficio munera obtulit gratuita.

*turbo aurium.*

44 Michael Cambiani, alias de Aglo, civis Taurinensis, cursu naturæ privatus, longo tempore veluti corpus aridum duxit; qui cum ad cœlestis Medici tumulum venisset oraturus, sospitatis gratiam secum reportavit.

*obstructio naturæ,*

45 Matthæus Caponi, civis Taurinensis, apostemate, quod diu in capite gessit, precibus B. Abbatis liberatus est : pro cujus memoria, ceram sacrificiaque sancta offerri fecit, ne ex tam mirabili dono ingratus notaretur.

*apostema capitis,*

46 Alesina, filia Georgii de Cruce, civis Taurinensis, in oculo percussa, *h* fioretam quam aliqui vocant, gravem gerebat. Timens ergo pater, ne oculum perderet, illam B. Goslino commendavit, ut ejus oratione tam enormem maculam ab oculo puellæ amoveret.

*h oculi macula,* B

47 Augustinus Boreti de Vigono acerbo dolore in tibia percussus, laboriosum incessum nimis trahebat : cui, cum herbarum medicamina non proficerent, a B. Goslino sospitatis juvamen accepit.

*tibiæ dolor.*

48 Joannes de Canibus, civis Taurinensis, mercator commendabilis, dum quadam die tempore messis possessiones pro *i* bladis colligendis visitaret, in serpentis venenum incidit : quo subito tumefactus, vultu difformis efficitur. Hic in visu deficit, et quasi turbatus viam deserit ; quid agat, quove medicamine juvetur in campis, ignorat. Ecce veluti anxius deficere pertimescit : tunc flexis genibus B. Goslinum invocat, ut basiliscum venenosum perdat, suisque meritis hunc suum timorem vertat in gaudium : cui mox gratia ministratur ; et se ad beati Patris tumulum præsentavit.

*i Abactus serpens venenesus.*

*Barberius.*

a Vigonum *vicus prope Clusonium fluv. inter Villam Francam cui vicinior, et Pinarolium.* — b S. Mauritii *vicus prope Clarum fluv. sex circiter millibus passuum Taurino.* — c Barberius *hic Barberius pro chirurgo sumitur, quod barbas et capillos chirurgi radant et tondeant : pro quo Petrus Blesensis epist.* 14 barbatorem *dixit, et* barbitonsorem *Petrus Servius de unguento armario aliisque passim, ut hic auctor n.* 73. — d Laynicum, *Italice Laynæ.* — e *Vulgo* Rivoli, *oppidum non procul a dextero latere Doriæ fl. seu Doriæ minoris, distat Taurino quinque fere milliaribus.* — f *Hoc miraculum videtur supra cap.* 1 *num.* 15 *narratum, aut non valde dissimile.* — g Burgaro *vicus non procul Taurino ultra Clarum fl.* — h Fiorello *Italis* Flosculus *est, unde illud nomen videtur sumi.* — i Bladus *vel* Bladum *pro frumento accipi sæpius diximus.* C

## CAPUT III.

### *Miracula S. Goslini mense Julio facta.*

Catharina relicta Magistri Stephani de Bugella, duobus annis et amplius acerbis doloribus torquebatur : et veluti lignum aridum effecta, spem medicaminis amisit. Hæc enim, cum nec herbarum, nec medicorum virtute juvaretur, sese B. Goslino humiliter commendavit : ut pro sua miserabili intercederet inopia, curvumque corpus suum dirigeret, sospitatemque obtineret et gratiam ambulandi. Quæ cum ita devoto pectore spiraret, mirum est, quam cito illius precibus convaluerit.

*Curantur longus ac molestus dolor,*

50 Jacobina la Bidalla filiam suam cum haberet gravissimis febribus laborantem, ne extingueretur, sane pertimuit; et illa pia mater ope humana diutius succurrit : quæ cum illi parum prodesset, se festinanter ad pium Abbatem convertit, suumque magnis lacrymis rigat tumulum, orans, ut suis meritis filia convalescat. At, cum illa pietatis officium explevisset, domum rediens, filiam jucundam invenit : cui, Salve, inquit, filia, quomodo vales? Me cœlestis medicus, ait, dextra sua modo sanavit.

D *febris periculosa,*

51 Petrinus de Viconovo in ilibus graviter duobus annis et ultra passus est; et cum quotidiano dolore turbaretur, credidit in se medicamina numquam experiri posse : et secum cum ita mente agitaret, pio Abbati se devotus commendavit. Cujus precibus valetudinem consecutus est.

*dolor ilium,*

52 Alafina filia Antonii Bone de Taurino, e tecto domus in terram cecidit : cujus membra non parum concussa sunt. Hæc enim pro mortua habetur, juvarique non arbitratur, nisi ut illi fossa paretur. Pater enim cum circa illam pietatem exercuisset, Gosline pie Pastor, ait, sicuti monachos tuos pro salute curasti, ita nunc pro filia mea preces porrige, ne hac improvisa morte pereat. Illa vero sanitati restituitur.

*periculum mortis ex gravi lapsu,*

53 Jacobina uxor Augustini de Bona, XVI annis et ultra horrendo vulnere in tibia urgebatur; quæ, cum, nisi divinitus esset soliditatem receptura, pio Dei servo erga tumulum lacrymas fudit. Cujus oratione liberatur.

*tibiæ vulnus*

54 Maria uxor Michaelis de Girardino, infantulam suam, nescio quo morbo languentem, pio Patri devote commendavit : cujus beneficio statim adjuvatur.

*morbus infantis,* E

55 Catharina uxor Joannis Barutelli diu in plantis incredibili dolore fatigata est, et, ne vehementius excerperetur, se fide devota beato Abbati convertit; a quo levamen consequitur.

*pedum dolor,*

56 Isabeta uxor Joannis de Collis de Taurino, longo tempore inhonesto matricis fluxu affligebatur: quæ veluti mulierum consortio spreta, atque conjugii favore privata, se numquam liberari speravit. Sed cum audiret, multos beati Abbatis precibus liberatos, variaque ægritudine et molesto dolore consolidatos, se ad B. Goslinum convertit : cujus orationibus se restitutam comperit.

*fluxus matricis,*

57 Jacobus textor *a* Yporiensis, habitator Taurini, qui pluribus diebus horrendo vomitu angebatur, precibus divi Pastoris mox liberatur.

*a vomitus horrendus,*

58 Catharina de Altesano filia Peronini, etiam simili stomachi fastidio tristabatur, aliquandoque semimortua visa est, nec vinolenta unquam. Et quia illi nubere nullus optabat, beati Patris tumulum supplex visitavit ; cujus precatu ejus stomachus pacificatur.

*stomachi fastidium,*

59 Jacobinus filius Antonii Mozati de *b* Gruglascho, lapidis seu arenæ acerbis doloribus anxiabatur: qui ad preces devotissimi Abbatis liberatus est.

*b calculi dolor,* F

60 Ambrosius filius Stephani Fornaserii de *c* Grassis, gravi ægritudine diu laboravit : qui ad pium Abbatem confugiens, illico medicinam assequitur cœlestem.

*c ægritudo gravis,*

61 Secum autem Joannes Antonius Fornaserii non minore devotione accessit, ut illius orationibus, quotidianis febribus liberaretur : quibus orantibus mirabilis valetudo restuitur.

*febris,*

62 Joanina Longa XVIII annis brachio quasi arido cum torqueretur, se pronam ad B. Goslinum convertit : cujus auxilio mirabilem brachii ejus consequitur gratiam.

*brachium 18 annis aridum,*

63 Bartholomæus Lepra, civis Taurinensis, diu podagram atque fistulam, vulnus insanabile, secum tulit : qui facta ejus devotione apud pii Abbatis tumulum, totius fastidii medelam gaudens reportavit.

*podagra,*

64 Margarot uxor Lucæ Panaterii, longis temporibus quamdam duram passionem in tibia, quam S. Manzi ægritudinem vocant, passa est. Hæc enim, dum aliquando plurimum turbaretur, ad pium Abbatem

A tem confugiens, petitionis suæ obtinuit effectum.

*gravis morbus*

65 Dominicus Balthazar de *e* Clavasio, quadam gravi ægritudine devictus, nihil cibi aut potus sumebat: pro quo pater B. Goslinum implorat, ut suis precibus vivat.

*dolores acerbi,*

66 Turinus de Ponte acerbissimis doloribus attritus, medicinæ præsidia per annum frequentavit: cui cum parum prodessent; se tumulo beati Abbatis cum sospitate præsentavit.

*f capitis morbus 24 annorum,*

67 Bartholomæa uxor Joannis de Nepotibus de Taurino, viginti quatuor annis et ultra quasi *f* migrana in capite concutiebatur. Quam cum medicamina non curarant, cœlestibus Goslinus medicinis sanavit.

*febris periculosa duorum.*

68 Alaxina uxor Joannis Tapini de Taurino, duos febricitantes pueros habebat: quibus fluxus cum vomitu accessit; spes autem vitæ in illis nulla videbatur. At muliercula pia mater supplex in terram beati Abbatis tumulum amplectitur, ut filii ambo sanitati restituantur.

*febris quartana 10 mensium,*

69 Franciscus Rubei de *g* Casellis, quartanis febribus decem mensibus agitabatur; qui B. Goslini intercessione liberatus est.

*infantis languor desperatus,*

70 Uxor Magistri Georgii de Pisa, infantem deplorabat languentem; hic enim nec mamillas sumere, nec vagitum dare poterat: vita nulla dabatur. Flens ergo mater nudis pedibus infantulum ad Ecclesiam B beati Patris cum cera detulit; quo præsentato, mox liberum reportavit, cui pater blandiens, gratiam illico recognovit.

*fluxus et vomitus 6 annorum,*

71 Alasina uxor Joannis Cappellerii de Taurino, sex annis et ultra menstruosum fluxum, et pudibundum vomitum passa est: aliquando enim velut mortua jacebat, medicorum juvamen deposcens: cui cum nihil afferrent præsidii, sese prona lacrymans B. Goslino commendavit: cujus suffragio libere gloriatur.

*veneno infecta natura,*

72 Jacobus Costa de Collegio, nescio quo veneno totus tumefactus, veluti uter, ambulare nequibat, loqui vero parum. Hic cum gratia confitendi more fidelium Sacerdotem conspiceret, annuit mortem imminere. Cui Sacerdos: Confide fili, et te B. Goslino commenda, et vives. Ad cujus persuasionem equum ascendens, tumulum beati Abbatis humiliter visitavit, et sospitatem mirabiliter consecutus est.

*vulnus a canum morsu,*

73 Cujotus barbitonsor probus, dum suas possessiones visitaret, tribus voracissimis canibus aggressus est, qui eum delaniantes in terram prosternunt. Et cum se dente canino moriturum formidaret, Goslinum Dei servum clamat: cujus ope liberatus, statim ipsius Ecclesiam visitavit.

*epidimia,*

74 Jacobus Bastardi de Collereto in epidimiæ morbum inciderat: qui, ne proscriberetur, timens, secreto pio Abbati se commendat: cujus intercessione D illæsus permansit.

*apostema pectoris 6 ann.*

75 Joanina, uxor Guilielmi Ceruti de Taurino, cujusdam apostematis morbo sex annis laborans, sæpius in pectore frangebatur: et cum vitam duceret molestam, ad beati Pastoris tumulum se convertit: cujus oratione se liberam monstravit.

a Eporedia *secundum Leandrum in Lombardia 4 Transpadana, in libro fisci Romani* Hipporedia, *hic* Ypoiria, *unde vulgo* Yurea *dicitur, urbs ad Dorium Baltheam seu majorem.* — b Grugiasco *vicinus pagus ab eodem latere Doriæ minoris.* — c *Taurinatibus satis vicinus juxta Padum pagus* Gasso. — d *An a* Mancio *Martyre Lusitano, qui colitur* xv *Maii, an ab Amantio aliquo, alioque Sancto nomen ductum, necdum assecuti sumus.* — e Clavasium *oppidum ad Padum, a quo Orcus non procul in illum influit.* — f *Italis* migrania, *Gallis* migraine et demigraine. *Græcis ἡμικρανία* hemicrania, *a quo deflectitur, significat dolorem alteram capitis seu cerebri partem occupantem.* — g Casella *vicus ultra Carum fl. juxta dictum supra Burgarum.* — h Colloretum *est in ditione Eporediæ.*

*Migrana.*

## CAPUT IV.

### *Miracula S. Goslini mense Augusto facta.*

*Depelluntur dolor ilium.*

Dominicus Cordoani de Taurino, multis diebus dolore immenso torquebatur in ilibus: qui optimi medicaminis suffragia per B. Goslinum reportavit. D

*AUCTORE ANONYMO EX MSS.*

*a febris;*

77 Ardizonus Fiaschi de *a* S. Benigno a duris febribus, meritis beati Abbatis convaluisse attestatus est.

*b ischias annorum,*

78 Antonietus Ganterii de *b* Gruglasco, decem annis et ultra quibusdam guttis, sive sciaticis, fatigabatur in femoribus: qui divi Abbatis intercessione illico meruit liberari.

*calculus 8 annorum:*

79 Joanina uxor Georgii Borgeti de Taurino, octo annis cum miserabili ardore lapidis, seu arenæ, querulam semper vitam duxit: quæ cum ad B. Goslinum confugisset, libera permansit.

*juvatur puerpera,*

80 Salina uxor Antonii Girardi, magno quodam languore atterebatur, et gravida erat, proximaque partui: hæc enim timens abortivum, precibus beati Abbatis liberum partum cum sospitate obtinuit.

*c curatur dolor membrorum,*

81 Antonia filia Joannis Messani de *c* Planetia, ingenti dolore in singulis membris torquebatur: cui, cum herbarum vires non prodessent, B. Goslinus sanitatis viam orationibus aperuit.

*redditur incessus,*

82 Laurentia de Hosta gravi et molesto gressu incedebat, nec longo tempore medicaminis auxilium, nisi in B. Goslino devoto suo, adinvenit.

*et visus,*

83 Michaella uxor Antonieti Moglaci, cæcum oculum diu gessit: quem videntem suffragio beati Abbatis recuperavit. E

*sanatur brachium aridum,*

84 Catharina uxor Jacobini Vitoneti, brachium veluti aridum cum magna anxietate octo annis et amplius tulit: cui plures non valuerunt medicinæ; sed divi Patris auxilio mirabiliter adjuvatur.

*et fluxu laborans.*

85 Guilielmus Prugnus de Valle-Cicida beati Abbatis precibus a fluxu gravi liberatus est: qui, cum tantam fuisset gratiam consecutus, mox illius tumulum cum cera, et laudibus supplex visitavit.

a *Abbatia* S. Benigni *Fructuariensis cum exiguo oppido est inter flumina Orci et Amolem in Eporediensi ditione extructa circa an.* 1010 *a Guilielmo xum Abbate S. Benigni Divionensis in Burgundia. Colitur S. Benignus* 1 *Novemb. Asservantur in illa Abbatia corpora SS. Tiburtii, Primi et Feliciani Martyrum: Legendus Franciscus ab Ecclesia cap.* 27, *et Claudius Robertus in Divione pag.* 77. — b *Guilascum oppidum perexiguum distat Taurino* 3 *milliaribus.* — c Planetiæ *vulgo* Pianezza *ad sinistrum latus Doriettæ flu*

## CAPUT V.

### *Miracula S. Goslini mense Septembri facta.*

*Curantur tibia et pes,*

Brunus de la Cruce civis, vir laudabilis, ægram trahebat tibiam pedemque tumerosum, qui meritis beati Abbatis ambulandi liberam recuperavit facultatem.

*a ulia tibia,*

87 Valerianus Galiana de *a* Choacis, morbido igne in tibia cum molestaretur, ad beati Patris tumulum festinavit: cujus oraculis pristinam recuperavit sanitatem. F

*b febris periculosa.*

88 Joannes Ludovicus de *b* Verolengo acerbissimis febribus cum jaceret prostratus, modicamque convalescentiæ spem haberet, se B. Goslino commendans, bonam valetudinem adeptus est.

*fluxus vehemens,*

89 Gaudia uxor Martini Barberii, valido fluxu longo tempore cum deprimeretur, dono beati Abbatis statim liberatur.

*dolor pedis intolerabilis,*

90 Guilielmina de Jabenno intolerabili quodam dolore angebatur in pede: cui requiem cum non inveniret, se humiliter B. Goslino commendavit, ut tantam molestiam suis precibus levaret: quæ cum supplex vovisset, suavem consequitur gratiam.

*c morbus miraculosus,*

91 Bernardus Borgarelli de *c* Cambiano, duce B. Goslino, de gravissima ægritudine liberatus est: cui mors imminebat.

*fluxus,*

92 Lancelotus de Strata longævo fluxu attritus, ad preces beati Abbatis lætus efficitur.

*corpus conquassatum,*

93 Margarita de Valle Cicida, quæ totum corpus veluti conquassatum videbatur habere, illico meritis beati Patris liberatur.

*d*

94 Catharina Sapientis de *d* Carignano graviter in

A in oculo patiens, per beatum Abbatem meruit liberari.

*AUCTORE ANONYMO EX MSS. oculus male affectus, dolor renum,*

95 Antonia uxor Joannis Cubani de Planetia, in renibus gravissimo dolore molestabatur, quæ, dum supplex B. Goslini tumulum visitasset, sospes domum revertitur.

*fluxus,*

96 Jacobus Caneverii de Gruglasco, fluxum cum pateretur, pii Abbatis suffragio cœlesti medicamine sanatur.

*ægritudo ad mortem,*

97 Michael Piama de Clavasio, qui propter acerbissimam ægritudinem pro mortuo relictus est, divo et pio Abbate suffragante, bonam valetudinem statim recuperavit.

*e podagra 8 annorum,*

98 Joannes Barda de *e* Leburuo octo annis et amplius podagras traxit molestas, qui dum pronus pium Abbatem orasset, mox liberum recuperavit ingressum, et pro tam mirabili dono ceram obtulit et munuscula.

*febris,*

99 Michaella uxor Perini Ceruti de Planetia, diurnis febribus cum acriter torqueretur, non nisi in B. Goslino juvamen invenit.

*f difficultas pariendi,*

100 Margarita uxor Joannis Troya de *f* Baratonia, dum in partu vehementi dolore arctaretur, et veluti in agonia laboraret, mente supplici pium Abbatem invocat, ut partui sibique dextram porrigat: libero itaque aditu parit.

B *malum gutturis et dentium,*

101 Catharina uxor Petri Maneschalchi, oratione pii Abbatis, gutturis et dentium vexatione mirabiliter curatur.

*g gravis morbus,*

102 Joannes Violani de *g* Camburzano adversa valetudine premebatur, in lecto; cujus vita cum morti proxima videretur, sineque spe sospitatis relicta, invocato beati Patris suffragio, mox incolumis redditur, tumulumque ejus diligenti cura visitavit.

*h itum bovis,*

103 Bartholomæus Pistoni de *h* Alpignano, morbidum bovem ad preces divi Patris quasi morientem recuperavit illæsum.

*lethale vulnus,*

104 Ambertus Portavini, cum inclamantes apud fores noctu audiret, postulantesque lumen, more boni viri accurrit, ut aliquid afferret præsidii postulantibus; cumque insons egrederetur, magno baculo in caput percutitur, semivivus relictus. Sed prece beati Patris mox lethale vulnus consolidatur.

*febris cum fluxu,*

105 Joanneta filia Guilielmi Pellicerii, fluxu et gravissimis febribus attrita, ex semiviva ad preces beati Patris valentior redditur.

106 Joanna relicta Petri Ranaudi, suffragio B. Goslini, tibiam fractam illico consolidam quam pulchre recuperavit. D *tibia fracta.*

a Chiaci *vulgo* Coazza *in finibus Lanceri.* — b Verolongo *non procul a Pado versus Duriam majorem.* — c Cambianum *prope Castrum Cherium.* — d Carintanum. *Italis* Carignano, *Gallis* Carignam, *ob Principis titulum nobile: adjacet Pado aliquot supra Taurinum milliaribus.* — e Leburnum *Italis Livorno, oppidum ultra Doriam majorem versus Versellas.* f — Barotonia *Taurino parum distat, oppidum perexiguum.* — g Camburzanum *oppidum exiguum, distat Bugellis aliquot milliaribus.* h — Alpignanum, *vulgo* Albugnano, *Taurinatibus ultra Padum versus Montemferratum.*

## CAPUT VI.

### *Miraculorum S. Goslini legitima approbatio.*

*Miracula approbat Episcopus Taurinensis.*

Anno Domini ᴍᴄᴄᴄᴄᴄxxii die vero secunda Julii, Reverendus in Christo Pater Dominus Joannes de Compesio Taurinensis Episcopus, cum venerando Domino Guilielmo Cacie Archidiacono, ejusque Vicario et Juris utriusque Doctore existente, ad perpetuam rei memoriam plures in Episcopali palatio publice et solenniter examinavit, qui consecuti sunt gratias precibus et meritis B. Goslini, olim Abbatis inclyti monasterii S. Solutoris extra muros civitatis Taurini: de quibus omnibus plenior fit mentio in *a* quinterneto miraculorum ipsius B. Goslini. Et E hæc acta fuerunt præsentibus reverendo Domino Joanneto ex Comitibus *b* Valpergæ Priore S. Andreæ de Taurino, et Sedis Apostolicæ Protonotario, Magistro Michaele de Laynico sacræ Theologiæ Doctore Ordinis Prædicatorum, et Magistro Bartholomæo Casali Ordinis Minorum, Magnifico Juris utriusque Doctore Domino Antonio de Plozascho, Ducali Præsidente Audientiarum, venerandis Dominis Joanne Placentia, et Hieronymo de Bussis Canonicis Ecclesiæ Taurinensis, nec non et Pluribus aliis præclaris Doctoribus et civibus dictæ civitatis Taurini videntibus audientibus in testimonium præmissorum. De quibus omnibus egregius Damianus Barbarini prælibati reverendi Domini Episcopi Secretarius debuit solennem et publicam notam recepisse. Anno, die, quo supra, in Episcopali palatio.

*Quinternetum,*

a Quinternetum, quinternium et quinternio, *libellus quinque foliorum. Ita in Concilio Pisano* 2 Joannes Burchardus tenens in manibus duos quinterniones, dixit. *Ita B. Ordericus* 15 *Januar. in sua Peregrinatione cap.* 4 *num.* 17 *ait*: Si quis velit hujus civitatis magna et mirabilia quæ in ea sunt scribere, vix unus quaternio possit omnia continere. *Hubertus in Vita S. Gudilæ* 8 *Januar. num.* 1, quaternum *appellat.* — b *Est Valperga civitas versus Orcum flu. Comitatus caput, et Gibellinorum acerrima fautrix.*

C

# DE S. LUDANO PEREGRINO

F

## IN DIŒCESI ARGENTINENSI.

*J. B.*

*AN. MCCII. S. Ludani natalis,*

Nusquam adhuc, quod quidem meminerim, S. Ludani inscriptum Martyrologiis nomen legi, præterquam in Hermanni Greven auctario ad Usuardum ante CXL annos edito; in quo pridie Id. Februarii ista habentur. Ludani Confessoris. *In exemplari Carthusiæ Bruxellensis adscriptum in margine*: alibi ponitur Episcopus. *Perbrevem illius Vitam ex insigni codice Bodecensis cœnobii Canonicorum regular. Ord. S. Augustini in diœcesi Paderbornensi, nobis exhibuit Joannes Gamansius noster.*

*Vita,*

*cultus,*

2 *Asservatæ hactenus, consuetisque Cœlitum honoribus, atque officio etiam Ecclesiastico cultæ* S. Ludani *reliquiæ, in Alsatia Argentoratum inter ac Benfeldiam.* Northus *illic est pagus, cujus in S. Ludani Vita mentio fit, qui hodie* Northeim, *et in Tabulis quibusdam* Nort *appellatur, ad* Illum, *sive* Ellum, *aut, ut in eadem Vita dicitur,* Ylsam *flumen, situs. Huic proximus alter pagus* Hipsh *sive* Hipsheim, *infra quem in* Illum Schera *amnis illabitur. Distat paullum a pago ipso ecclesia ejus parochialis, dicta hodie* S. Luden; *et fortassis, antequam S. Ludani patrocinio celebraretur locus,* Scherkirch, *id est, ecclesia ad Scheram, uti est prope Argentoratum* Ilkirch, *ad Illum ecclesia.*

*templum,*

*sepulcrum,*

3 *Fuit vero illic S. Ludani sepulchrum celeberrimum et concursu populi et curationum frequentia. Ast ubi Suevi superioribus annis Benfeldia potiti sunt, desertum id sepulchrum, templumque combustum est, et fossæ aggeresque ad munitionem circumducti, quia illic, quippe ad viam publicam, exigi vectigal solet. Hæc idem ad nos a pluribus annis Badena scripsit Gamansius. Quid interea S. Ludani reliquiis factum, nam restitutus facta pace cultus illius sit, nondum comperimus.*

*miracula.*

### VITA AUCTORE ANONYMO
### *ex MS. Bodecensi Can. Regular.*
### eruta a Jo. Gamansio Soc. Jesu.

Sanctam atque gloriosam et omni veneratione colendam beatissimi Patris et Confessoris Ludani nobis hodie, dilectissimi Fratres, festivitatem Divina pietas renovare dignata est, quam non minus in cœlestibus credimus prædicari, dum a nobis etiam peccatoribus

A catoribus devote veneratur in terris. Nam licet omni solemnitate Sanctorum, omnium Christianorum sit animus particeps, nobis tamen proprius et peculiarius in Ducis et Patris nostri Ludani festivitate lætandum est, ut ubi præcipui Confessoris glorificatur exitus, ibi in die ejus depositionis sit lætitiæ principatus. Quidquid tamen ejus impenditur servituti, ad laudem sui ac nostri referatur auctoris: sicut enim ipsa vestra pia testatur frequentia, intelligitis diei hujus recursum ad omnem pertingere laudem, dum honorem celebraturi concurritis ad annua festa tanti Patris. Abundantiori namque nos credimus per præsentis Patroni preces a Divina præsentia gratia visitari, dum solerti studio ad ejus sanctas vigilias convenitis, neque enim ille nostram devotionem deserit, cujus nos reverentia congregavit. Nostis enim, Fratres, ut pius congaudet sanctis obsequiis, et in suorum exultat numero filiorum computari. O vere veneranda nobis festivitas sancti Patris nostri Ludani! O vere beata et magnis laudibus præferenda solemnitas, de qua Angeli Dominum collaudant in astris, Sacerdotum et Martyrum cœtus magno resultat honore! Cujus certe, ut credo, diei festivitatem multo ante Domini prospexerat Propheta, cum dicebat: Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ. Et beatissimi Patris nostri Ludani condigne sacrum transitum prædicans, Dominum collaudans, aiebat: Beatus, quem in cœlestibus assumpsisti, etenim habitabit in atriis tuis.

*S. Ludani solemnitas utiliter celebratur.*

Ps. 25, 8.

B

2 Sanctus igitur Ludanus, Dei Confessor, non Sacerdos, nobili ex progenie ortus, qui Schotorum Ducis filius fuit, nomine Hilteboldus; et sicut nobilitas in eo fuit secundum generationem carnalem, sic etiam in virtutibus et morum conversationibus. Igitur post omnium parentum suorum obitum, cum tota illa terra in sua manu et potestate consisteret, quod prius semper corde gerebat adimplere incipiebat, et hospitale magnum et spatiosum construxerat, in quo plurima beneficia fundaverat omnibus peregrinis et infirmis variis languoribus, cæcis et claudis, in omnibus necessariis providens omni conamine: quod tam diu exercuerat quousque regnum suum totamque substantiam ejus exposuit.

*is Scotorum Ducis filius,*

*hospitale struit*

3 In quo, judicio suo, non satis serviens Deo, iter peregrinationis incipiens, transivit de virtute in virtutem, sacrum sepulchrum Domini, limina quoque sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, aliosque plures Sanctos visitans, juxta dictum Apostoli, Qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi.

*peregrinatur:*

Act. 10 35

C

4 Tandem autem ad quamdam ulmum, seu arborem, pervenit in diœcesi Argentinensium, in banno villæ Northus, secus fluvium, qui de superioribus partibus currens nominatur Ylsa, a quo nuncupatur tota Alsatia. Sub cujus arboris umbra extra villam quiescere desiderabat: et in somnis divinitas sibi revelabat, quod finis vitæ suæ instaret. Evigilans autem rogabat Deum omnipotentem, quod prius non discederet, quam corpus Christi sumeret. Veniens autem Angelus ipsum communicavit. Quo facto dixit: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, et expiravit.

ANIMADV. PAP. 91

*in somnis de morte præmonitus,*

D

AUCTORE ANONYMO.

5 Deus autem noster nullum sibi servientem irremuneratum dimittit: nam sanctam ejus animam in cœlestibus collocavit, et omnes campanæ in villis circumjacentibus sine adjutorio humano compulsatæ sunt usque ad ejus sepulturam. Accidit autem quod juvenis quidam audacior corde ceteris, ejus peram aperuit, in qua schedulam hanc scripturam continentem invenit. Vocor Ludanus, nobilis Hiltebold Scotorum Ducis filius, natus sum Christianus, et pro Dei nomine et amore peregrinus factus. Moto autem ejus corpore odor suavissimus omnes perfudit.

*ab Angelo Eucharistia accepta, moritur: ultro sonant campanæ.*

*agnoscitur qui sit:*

*suavis odor a corpore:*

6 Cum autem duæ Ecclesiæ Parochiales in dicta villa Northus fore dignoscantur, cujuslibet Ecclesiæ Plebanus cum suis subditis corpus viri sancti ad suam ecclesiam deferri et sepeliri desiderabat, ex quo discordia magna orta est. Deus autem amator pacis hanc discordiam ab eorum cordibus volens removere, accidit quod quidam Abbas veniens et equitans per viam versus Northus tendentem, audiens eorum discordiam, ait: Quid deficit vobis? At illi responderunt, edisserentes sibi mirabile factum: Obiit vir sanctus, ut ex ejus signis consideramus, et unusquisque nostrum cupiens in suam ecclesiam sepelire, nequimus concordare. Abbas voluntate Dei disponente consilium dedit, quod duobus Plebanis et eorum subditis summe placuit, et consentiebant; et ait: Accipite equum indomitum et infrænatum, qui numquam ad aliquam carrucam, seu bigam, seu currum applicatus fuit, et introducite ad bigam, ita tamen quod non habeat ductorem; et corpus sancti viri desuper ponite, et vertatur ad viam versus Northus tendentem, et crucibus et vexillis a longe sequimini, et ad quam ecclesiam perduxerit, in eadem recipiat sepulturam Ecclesiasticam.

*litigantibus de corpore 2 Parochis,*

E

*consilio Abbatis,*

*vehendum imponitur equo indomito,*

7 Equus autem libere et sponte vertens se ad viam quæ tendit ad ecclesiam in Scherkirche, in qua S. Georgius est patronus, quo transiens ut agnus mansuetus, et veniens prædictam ad ecclesiam, scilicet Scherkirche, nominata ab aqua juxta talem Ecclesiam, ulterius progredi noluit, consideransque quod nullus eum deonerare voluit, cum anterioribus pedibus recalcitravit in signum mansionis. Adhuc autem non volentes eum sepelire, equus iste ad genua cum anterioribus pedibus cecidit, quasi diceret: Non vultis me deonerare et ipsum sepelire: ego personaliter adimplebo.

*equo is mirabiliter vexit,*

F

8 Et sic tandem honorifice circa ecclesiam S. Georgii sepultus est, et juxta ripam Schere in ejus honore ædificata est ecclesia et beneficium fundatum: et Dei nutu magna prodigia et signa, nec non miracula, Deo præstante per ipsum fiunt ut experientia docet, usque in hodiernum diem. Obiit autem vir sanctus sub anno Domini millesimo ducentesimo secundo, pridie Idus Februarii; cujus anima requiescit in pace, regnante Domino nostro Jesu Christo in secula seculorum.

*ibi sepelitur,*

*et miraculis illustratur.*

# DE S. ALEXIO

## METROPOLITA KIJOVIENSI IN RUSSIA,

### Commentarius historicus.

G. H.

CIRCA AN. MCCCLXIV, XII FEBR.

*Kiovia inter alios Principes habuit S. Wlodomirum,*

*Kiovia ad Borysthenem fluvium amplissima civitas, olim totius Russiæ metropolis: cujus Principi fere suberat, quidquid etiam modo Moschorum appellatione continetur. Religionem Christianam suscepit sub S. Wlodomiro Kiovio Principe atque universæ Russiæ Monarcha. Baptizatus hic est a Michaele Metropolita Russiæ, natione Græco, religione Catholico: qui cum Nicolao Chrysoberge Patriarcha Constantinopolitano, a quo in Russiam missus fuerat, Ecclesiæ Romanæ adhærebat. Præfuit Nicolaus Ecclesiæ Constantinopolitanæ ab anno* DCCCCLXXXI *ad annum* DCCCCXCV. *Quo tempore Imperatores Orientis erant*

*AUCTORE G. H.* *et SS. Glebum et Borysum Martyres :*

A *erant Basilius et Constantinus, Romani junioris filii, qui, data S. Wlodimiro Kioviensium Duci in uxorem sorore Anna, pacem hac affinitate stabilivere. Wlodimiro e duodecim filiis successerunt in Principatu Kioviensi Hlebus et Borysius, in sacro baptismate David et Romanus appellati. Hi insidiis fratris Svantopelci oppressi atque occisi, inter Martyres habentur : sub quorum nomine frequentia illic erecta visuntur templa. Colitur S. Romanus* XXIV *Julii, S. David* V *Septembris. Horum sororem Mariam duxit uxorem Casimirus ad regnum Poloniæ e monasterio Cluniacensi evocatus : at neptis e fratre Jaroslao, Anna appellata, nupta est Henrico* I *Francorum Regi, Hugonis Capeti nepoti. S. Hyacinthus Ordinis Prædicatorum cœnobium erexit Kioviæ anno* CIƆCCXXVI *aut proxime sequenti, uti dicemus* XVI *Augusti ad ejus Vitam, qui pluribus annis Kioviæ habitavit.*

*uti inter Metropolitanos orthodoxos, S. Petrum,*

2 *Albertus Wiiuk Koialovicius e Societate nostra vir eruditus, ac sacræ Theologiæ Vilnæ Professor, in Miscellaneis Lituaniæ, titulo de Schismate Græco-Russo, hos refert antiquiores Metropolitas Kiovienses, vere orthodoxos, et cum Ecclesia Romana consentientes; Michaelem jam memoratum, Theopemptum, Hilarionem, Ephremum, Clementem, duos aut tres Cyrillos, Maximum et Petrum. Est hic in orthodoxa Romanæ* B *Ecclesiæ fide sub initium seculi* XIV *mortuus, ac in Menologiis Russorum ad* XXI *Decemb. inter Sanctos recensetur : quo tempore S. Alexius adolescebat, aut etiam monasticam vitam auspicatus jam erat : Interea circa annum* CIƆCCCXX *subsecuta est monarchiæ Russorum immutatio, dum Gedimínus Lithuaniæ Dux Jagellonis avus, homo Ethnicus, Kiovia atque Volynia universa occupata, exactisque Russi nominis Ducibus, ipse Dux supremus Russiæ a victis Russis Victoribusque Lituanis proclamatus est, qui tunc Russiæ Gubernatorem præfecit, religione Christianum, Mindoplum Ducem Holsanum. Gedimino successit Olgerdus filius circa annum* CIƆCCCXXX, *sub quo S. Alexius creatus est Metropolita Kioviensis : contra quem est a Patriarcha Constantinopolitano missus Dionysius Græcus schismaticus, sed a Wolodimiro Olgerdi filio, qui Principatum Kioviensem administrabat, in carcerem conjectus. Cœperat jam tum ritus Græcus introduci in ipsam etiam Lituaniam ob conjugem Olgerdi Russam.*

*et S. Alexium*

3 *Circa annum* CIƆCCCCVII *Phoeiy quidam, natione Græcus, est in Sedem Kioviensem intrusus : sed, quod omni studio conaretur Græcorum schisma in Russiam introducere, in Concilio Metropolitano Novogrodeci in Lituania, jussu Alexandri Vitoldi pro Rege Jagellone Lituaniæ Ducis anno* CIƆCCCCXV *habito, ab Episcopatu* C *depositus est; suffectusque in ejus locum Gregorius Cemiudacus Bulgarus, vir eruditionis opinione commendatus, qui Concilio generali Constantiensi interfuit. Huic successit Isidorus Bulgarus, qui in Concilio Florentino Græcorum schisma acriter oppugnavit. Præfuerunt dein Ecclesiæ Kioviensi Metropolitæ orthodoxi, atque a dicto schismate Græcorum alieni, Gregorius Abbas, Misael, Jonas Hlesna, Macarius Abbas, Josephus Sultan ad annum usque* CIƆIƆXX : *quando Jonas, natione Moschus, creatus Metropolita, schisma in istis partibus pene confectum erexit : post quem aliquot homines schismati addicti Sedem illam Kioviensem consequenter detinuerunt ad tempora usque Sigismundi* III, *sub quo Michael Rahoza anno* CIƆIƆXCVI *cum variis Episcopis fidei orthodoxæ subscripsit, atque in eos, qui pertinaciter schismati inhærerent, solitam Ecclesiæ excommunicationem promulgavit : Huic Michaeli substitutus Hypatius, eumdem religionis Romanæ ritum promovit : cui multas schismatici idcirco molestias intulerunt. Majores etiam successor illius Josephus Velaminus Rutski passus est. Huic in sanctis hisce fidei Catholicæ laboribus socius fuit indefessus Josaphatus Kuncewicz Archiepiscopus Polocensis, anno* CIƆIƆCXXII *a schismaticis in odium veræ religionis trucidatus : quem Beatis Martyribus* D *adscripsit Urbanus* VIII *Pontifex Maximus, ut ad* XII *Novembris dicetur : Fuit et sua laude dignus Josephus Metropolita, ab eodem Pontifice in litteris ad Sigismundum* III, Atlas unionis, Columna Ecclesiæ, Athanasius Russiæ, *appellatus. Hæc de religione Russorum et Kioviensi Ecclesia, quam S. Alexius rexit difficilioribus temporibus Olgerdi Ducis Ethnici, cujus uxor schismati Græcorum favebat : quæ pluribus Koialovicius prosequitur. Extat apud nos S. Alexii imago in tabellis æneis cum aliis Russiæ et Lituaniæ Sanctis expressa.*

*Vita S. Alexii e MS. Lituanico,*

4 *Vitas variorum Sanctorum Livoniæ et Lituaniæ MSS submisit nobis Matthias Casimirus Sarbievius noster, Vilnæ olim Philosophiæ ac Theologiæ professor, dein Vladislao* IV *Poloniæ Regi a concionibus, ob elegantes Lyricos versus sæpius recusos orbi universo notus.* Vitas *has* ex archiviis fide dignis et manu scriptis antiquissimis fideliter transcriptas, *apposito sigillo, approbavit*, et typo ac cognitione dignas typis excudi permisit Georgius Tyskevicius, *ex pervetusta Modvidorum familia, quæ Serenissimam Jagellonicam per Russiæ Duces attingit. Episcopus eis tunc erat Methonensis ac Suffraganeus atque Administrator Eustachii Vollovicii Episcopi Vilnensis, dein ad Episcopatum Samogitiæ, ac tandem ad Vilnensem promotus ; cui Koialovicius Miscellanea Lituaniæ inscripsit. In hoc de Vitis Sanctorum thesauro, est etiam Vita S. Alexii, quasi ad usum officii Ecclesiastici contracta : uti elogia Sanctorum fere leguntur in Menæis Græcorum, aut Breviariis Latinorum. Aliud ejusdem Sancti encomium edidit Koialovicius in dictis Miscellaneis, ubi inter proprios Patronos magni Ducatus Lituaniæ cum recenset, et hæc tradit.* E

*probata a Tyskevicio Episcopo,*

*ejus compendium editum a Koialovicio.*

5 S. Alexius Confessor, Metropolitanus Kioviensis, natus sub Principe Russiæ Joanne Danielis, in sacro fonte dictus Eleutherius, decimo quinto ætatis anno, cum aucupio et oblectaretur multum et occuparetur, noctu audita per somnum voce, Eleutheri, quid frustra laboras? Ecce faciam te homines capientem ; religiosæ vitæ se dedit, et nomen in ingressu Alexii accepit. Post magnam virtutis opinionem, integritate singulari comparatam, Metropolitanus Kioviæ creatus est. In hoc officio multa Reipublicæ ac Dei caussa egit passusque est. A Berdebereio Scytharum Regulo pacem Russiæ impetravit : cultum Divinum ecclesiarum numero et ornatu auxit. Ad Amurathem Turcarum Imperatorem sub Demetrio Kioviæ Principe evocatus, filiæ ejus cæcæ visum restituit : sepulchrum sibi propriis manibus Kioviæ in ecclesia S. Michaelis exædificavit. Demum cum præscivisset tempus mortis, peracto F Missæ sacrificio, post benedictionem populo ac Principi datam, mortuus est. Administravit Sedem Metropolitanam Kioviensem circa annum millesimum trecentesimum sexagesimum quartum, cum jam Kiovia Lituanis subesset : Festum ejus colitur XII Februarii.

*examinatur, et cum Actis confertur,*

6 *Hæc Koialovicius ex Actis sequentibus : quæ explicat emendatque : ac primo, qui infra* Amurathes *dicitur, censet esse* Turcarum Imperatorem, *ejus scilicet nominis primum, Urchani filium, Othomani nepotem, qui imperium Turcicum in Thracia firmavit, et Hadrianopoli, Hegyra Mahometana* DCCLXII, *anno Christi* CIƆCCCLXI *a se capta, sedem fixit, ut legere est apud Leunclavium lib. 5 Historiæ Musulmanicæ Turcorum. Secundo asserit hujus* filiæ cæcæ visum restitutum *esse, quæ infra dicitur ejus* uxor *ac* Regina, *et dicitur* S. Alexius magnifice exceptus *et cum* muneribus dimissus *a* Bertdebero, *qui idem videtur ante* Berdebereus *appellatus, et* Rex Scytharum : *quæ haud satis perspicua apparent. An vitio amanuensium pro* Amurate *irrepsit nomen* Berdeberi? *Novam difficultatem*

A *difficultatem adferunt Principes Kiiovienses in Actis nominati, quorum primus est* Daniel, *a Koialovicio par. 1 Historiæ Lituanæ lib. 4* Romanovicius *cognominatus, quem fuisse* Romani Ducis filium *tradunt Martinus Cromerus lib. 9 rerum Polonicarum, et Mathias Michoviensis lib. 3 rerum etiam Polonicarum cap. 44; qui cap. 56 scribit hunc* Regem Russiæ Danielem schismaticum et Ecclesiæ Romanæ apostatam anno CIↃCCLXVI vitam finivisse, duobus filiis Leone et Romano relictis: *de quorum principatu agit Koialovicius lib. 4 jam indicato: ex quorum alterutro prognatus videtur Princeps Russiæ* Joannes, Danielis *stirpe oriundus, ab eoque cognominatus, quem Acta* filium *asserunt, qui nepos aut pronepos fuit. Ejus forte filius fuit ultimus e Russico sanguine Princeps Kiioviensis* Stanislaus: *cui imperium abstulit Gedyminus Lituanus, ut refert Koialovicius lib. 7, Hist. Lituanæ, qui in Miscellaneis § de schismate Græco-Russo* Demetrium Koributum *scribit* fratrem Jagellonis, *in Actis* Joannis filium habitum. *Hinc liquet ac auctore haud satis perito, neque coævo, Acta illa esse conscripta, quæ prævia hac admonitione damus intacta, ut alius detur occasio ea examinandi, et conferendi si quas nacti fuerint Russicæ gentis fide dignas historias.*

## VITA

### ex MS. Lituanico.

B Sanctus Pater noster Alexius oriundus est in Russia Christianis et Catholicis natalibus, Principatum magno Principe Joanne Danielis filio tenente, patre Theodoro, matre autem Maria, cui nomen in sacro baptismate S. Eleutherii inditum fuit: nactusque competentes annos, litteris instruendus traditus est. Cumque duodecim esset annorum, in more habebat silvas frequentare, cassesque volucrum exponere. Deinde dormienti venit vox dicens: Eleutheri, quid in cassum labores auges? Ecce faciam te homines aucupari. Expergefactus itaque neminem vidit, miratusque est vocem.

*Eleutherius in baptismate dictus, studet litteris, venationi deditus vocatur a Deo,*

2 Ex eo ergo tempore sollicite investigabat, quisnam eventus visionis futurus esset. Quintum autem supra decimum agens annum, ad monasterium se recepit, accepitque nomen in religione Alexius, quod antea cœlitus pronuntiatum fuit: vitamque egit in jejuniis, vigiliis et continuis orationibus ad Deum: quocirca admirandus omnibus fuit. Fama autem de eo omnem terram pervolabat, et usque ad magni Principis Joannis aures pervenit. Electione itaque facta a Synodo, creatur Metropolita Kiioviæ et totius Russiæ. Sanctus autem Alexius majoribus se accingens laboribus, lumen et exemplar omnibus erat.

*fit monachus et appellatur Alexius,*

D

AUCTORE ANONYMO EX MS

*creatur Metropolita Kiioviæ,*

3 Eo vero tempore regnabat in Scythia perfidus Rex Berdeberus, qui internecione deletis duodecim fratribus suis, Christianos crudeli manu invadens, in animum acceperat..... Joannes ergo Princeps S. Alexium ad eum, pacem rogatum, direxit: qui ut venit ad Berdebereum, iram ejus sopivit, et pacem conciliavit. Iterumque ad propriam sedem revectus, plurimis in locis ecclesias erexit, splendidisque locupletavit apparatibus.

*missus ad Regem Scythiæ, pacem conciliat: ecclesias condit ornatque*

4 Quare dein fama de eo, non modo apud fideles, sed et Gentiles major indies fiebat: quæ cum etiam ad Amurathem pervenisset, cujus uxori internæ cæcitati addita etiam externa fuit; statim legatos ad magnum Principem Demetrium Joannis filium expedivit rogatum, ut Alexium ad se mitteret: alioquin ferro igneque terram populaturum promittens. Hæc cum audisset Alexius, supra vires et merita sua dixit esse. Tum rogatus cum Clericis profectus est. Antequam autem itineri se accinxisset, ecclesiam intravit, ubi eo orante candela vi sua accensa, arsit ad sepulchrum S. Petri Metropolitæ. Cum autem prope esset a civitate, in qua Regina degebat; illa ipsa in visione vidit Sanctum sacerdotalibus indutum. Quare etiam omnem habitum Episcopo et Sacerdotibus ejusmodi, qualem vidit, parare jussit. Venit deinde ad civitatem, magnificeque a Berdebero exceptus, cæcitate liberavit Reginam. Quæ videns Berdeberus miratus est, Sanctumque cum muneribus et gratiarum actionibus dimisit.

*Mittendus ad Amurathem*

*in templo orat candela ultro accensa,*

E

*in visione Reginæ apparet, a cæcitate liberat:*

5 Qui cum venit Kiioviam, fundamenta propriis manibus, S. Michaelis in ecclesia a se erecta, sui sepulchri posuit. Sed et alia plurima fecit, quæ enumerando dies deficeret. Præsciens autem suum in cœlis discessum, sacram celebravit Liturgiam, et Corporis Sanguinisque Christi particeps factus est, benedicensque Principi et populo ex hac vita decessit: cujus sacrum corpus sepultum in ecclesia ab ipso erecta, in qua plurimis miraculis clarus quiescit in Domino; cui honor et gloria in secula seculorum. Amen.

*sepulchrum effodit,*

*moritur,*

*claret miraculis.*

ANIMADV. PAP. 95

# XIII FEBRUARII.

## SANCTI QUI IDIBUS FEBRUARII COLUNTUR.

SANCTUS Agabus Propheta, Antiochiæ in Syria.
S. Policetus Diaconus Martyr, Caravis in Hispania.
S. Fusca Virgo, S. Maura — Martyres, Ravennæ in Italia.
Sancti duo Crucifixi, pater et filius.
S. Polyeuctus Martyr, Melitenæ in Armenia.
S. Julianus Martyr.
S. Tullianus, S. Antius, S. Cyriacus, S. Ammonius — Martyres, Alexandriæ in Ægypto.
S. Benignus, Presbyter Martyr, Tuderti in Umbria.
S. Palladius, Martyr Romanus, Antverpiæ in Belgio.
S. Juliana matrona, Taurini in Pedemontio.
NOT. 29 S. Domninus, Episcopus Diniensis in Gallia.
S. Castor Presbyter, Confluentiæ in Germania.
S. Martinianus Eremita in Palæstina.
S. Guimerra, Episcopus Carcassonensis in Gallia Narbonensi.
S. Stephanus, Episcopus Lugdunensis in Gallia.
S. Modomnocus, sive Dominicus, Episc. Ossoriensis in Hibernia.
S. Stephanus Abbas, Reate in Italia.
S. Licinius, sive Lucinius, Episc. Andegavensis in Gallia.
S. Ermenilda, Regina Merciorum in Anglia.
S. Gregorius II Papa, Romæ.
S. Haymo, S. Veremundus — Confessores Medæ in agro Mediolanensi.
S. Fulcranus, Episcopus Lodevensis in Gallia.
S. Gilbertus, Episcopus Meldensis in Gallia.
S. Petrus, Episcopus Vercellensis in Italia.
B. Jordanus, II Generalis Ord. Prædicatorum.

---

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sanctus Julianus Martyr, S. Basilissæ sponsus, *memoratur hoc die a Wandelberto, uti infra dicetur, cum de S. Juliano Martyre, seu Lugdunensi, seu Nicomediensi, agemus. Illius dedimus Acta* IX Januar.

S. Poliantus, S. Filoron, S. Candidus — *in MS. Martyrol. S. Hieronymi hic adscripti, videri possunt* Polyeuctus, Candidianus, Philoromus *esse, de quibus, alia Martyrologia secuti, egimus* XI Januar.

S. Enogatus, Episcopus Macloviensis in Britannia Armorica, *refertur hic a Ferrario (sed* Evigoti *nomine) et Saussaio in Supplemento Martyrol. Gall. qui una mentionem facit decessorum* Colaphini *et* Armagili, *et successorum* Malmonis *et* Gofridi. *Hos Saussaius, Albertus Magnus de Morlaix, Claudius Robertus, Joannes Chenu,* Sanctos *appellant : quorum tamen in Officiis propriis Ecclesiæ Macloviensis excusis nulla uspiam veneratio indicatur. De* S. Enogato, *cum ejusdem Ecclesiæ Officiis, egimus* XIII Januarii.

S. Stephanus Archiepiscopus Bituricensis *inscriptus est Natalibus Sanct. Canonic. a Constantino Ghinio ad hunc diem : ab aliis, quos secuti sumus, ad* XIII Januarii.

S. Julianus Hospitator *coli uspiam hodie solet, ac* Martyris *quidem titulo, ut infra dicemus ad alterum* Julianum *Martyrem. Hospitatoris Vitam dedimus.* XXIX Januarii.

S. Stephanus Fundator Ordinis Grandimontensis in Gallia *refertur a multis hoc die, uti diximus ad ejus Vitam* VIII Februarii.

Victoris Martyris *nomen inscriptum hoc die Kalendario cuidam. Videtur Mosomensis* Victor *esse, de quo egimus* IX Februarii.

S. Eulalia Barcinonensis Virgo ac Martyr *Kalendariis quarumdam Ecclesiarum hoc die inscripta est, quo etiam solebat in Ecclesia Ultrajectina coli. Acta dedimus* XII Februarii.

S. Bonifacius Martyr Caralitanus *memoratur a Dionysio Bonfant lib. 7 Triumphi SS. Sardiniæ cap.* 11 *et* 13. *qui testatur ejus corpus anno* CIƆIƆCXXVII, XXVII *Januarii inventum cum hac inscriptione :* Hic jacet B. M. Bonifatius, qui bisxit annos plus minus quinquaginta, requiebit in pace. S. DS. IDS. Februarias. *Translatæ reliquiæ ad novum sacrarium : sed, quod de iis aliisque reliquiis ibidem inventis, sanctæ Sedis judicium sit, necdum comperimus.*

Bastæmon et Eudæmon *referuntur hic in Calendario Coptico. Agimus infra de patre et filio cruci affixis, quorum nomina latent, eosdem tamen illos esse non audemus* divinare. Bastami, Bastammonii *aliorumque in Ægypto Martyrum dedimus* XVIII *Januarii nomina, sed nullus adjungitur* Eudæmon.

Photina puella formosissima *narratur inferius in Vita S. Martiniani anachoretæ ab eo e naufragio erepta, et, quam ipse incoluerat, in rupe plures annos continentissime vixisse, ac demum sancte mortua, et Cæsareæ Palæstinæ honorifice sepulta. Eam Benedictus Gononus in Indice ad* Vitas *insignium Eremitarum Orientis* S. Photinam *indigitat. Metaphrastes* τὴν μακαρίαν, Beatam *vocat, atque exanime ejus corpus* αὐτῆς τὸ τίμιον λείψανον, venerandas ejus reliquias. *Franciscus Lahierius ad hunc diem Menologio Virginum inscripsit, et* S. Lucinam Virginem *interpretatus est. Nobis neque an in Sanctorum tabulas relata sit, nec quo die, liquet.*

Zoe meretrix, *quæ eumdem S. Martinianum conata fuerat ad peccatum pellicere, visa ejus pœnitentia, emendata, vitam in monasterio Bethlehemitico sancte peregit, miraculis clara. Ita infra in Vita S. Martiniani. Auctor antiquus neque* Zoes, *neque* Photinæ *nomen expressit.*

S. Stephanus Rate prope Bracharam Augustam *his ipsis verbis in Chronica M. Maximi ad an.* 598 *memoratur. Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitanico, atque alii eum esse censent, qui Reate in Italia vixit, coliturque hoc die. Joannes Tamayus Salazarius in Martyrol. Hispan. diversum statuit ; qui nobis ingnotus, nec Acta proferuntur.*

Amulrici Episcopi Monasteriensis *nomen inscriptum hoc die Florario MS. et Ferrarii catalogo cum* Sancti *titulo,*

titulo, quem et Wernerus Rolevinck de moribus Westphalorum lib. 3 cap. 8 illi tribuit, Hermannus Greven in auctario ad Usuardum et Canisius in Martyrol. Germanico solum beatæ memoriæ appellant. Molanus omni titulo abstinet, monetque nondum esse canonizatum. Abest ab Alberti Krantzii et Cratepolii Catalogis Epp. Monasteriensium.

Vulfridus Anglus, monachus Cisterciensis in Strataflorida Spiritu prophetico et revelationibus clarus, inscriptus est Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez et Beatus indigetatur.

Angelus Tancredi, Reatinus, e milite socius S. Francisci, Beatus appellatur a Tossiniano, Gonzaga, aliisque quos sequitur Arturus in Martyrol. Franciscano ad hunc diem, et Ludovicus Jacobillus tom. 1 de SS. Umbriæ. Conditus est Assisii in ecclesia S. Francisci, non longe ab hujus tumulo. Non asserunt quidquam publica Ecclesiæ auctoritate de eo factum.

Aleydis Pœnitens in Langwade monasterio juxta Novesium, Ordini Cisterciensi adscribitur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterc. ad hunc diem, et Beata appellatur: quam, ut et ipsum monasterium Ordinis Præmonstratensis fuisse docet Ægidius Gelenius in Fastis Agrippinensibus, et venerabilem indigetat.

Beatæ memoriæ Beatrix Virgo Ordinis Carthusiensis, quæ tam ardenti amore ad Christi vulnera ferebatur, quod non nisi vulnera cogitare, nihil nisi vulnera posset appetere. Ita Hermannus Greven Carthusianus in auctario ad Usuardum, et ex eo Canisius in Martyrolog. German. Eamdem Saussaius in Martyrol. Gallic. Piis annumerat, atque in diœcesi Lugdunensi floruisse. Lahierius in Menologio Virginum venerabilem appellat.

Stephanus e monacho Cisterciensi Cardinalis Episcopus Prænestinus refertur in Calendario Cisterciensi Divione excuso ad hunc XIII Februarii diem, quo eum obiisse asserit Ughellus. Eumdem præcedenti die aliorum Fastis inscriptum diximus, ibi inter Prætermissos de eo scripsimus, quæ hic nil attinet repetere.

Henricus Prior Prædicatorum monasterii Coloniensis memoratur hoc die, ab Gelenio in Fastis Coloniensibus, una cum B. Jordano II Generali ejusdem Ordinis. Fuerunt ambo a Reginaldo Parisiis admissi ad Ordinem, eumque post hujus obitum ingressi anno CIƆCCXX Feria quarta Cinerum, ut dicitur infra ad Vitam B. Jordani § 1 num. 3. de Henrici laudibus mira B. Jordanus scripsisse traditur. Multa de eodem collegit Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad ann. 1220 et cum Gelenio Beatum appellat. In Vitis Fratrum Ord. Prædicat. lib. 4 cap. 14 sanctæ memoriæ Frater Henricus, primus Coloniensis Prior nuncupatur, ubi ejus ad Ordinem vocatio cœlesti visioni attribuitur. Meminit ejusdem Cæsarius lib. 6 Dial. cap. 37.

Joannes Danus XIX Archiepiscopus Upsalensis in Suecia, quod cum Erico Pomerano Danorum Rege contra nobilitatem Suecicam conspirasse diceretur, Archiepiscopali Sede dejectus est, atque in Islandiam relegatus: ubi priora delicta pœnitentia expiasse, demumque ab impiis occisum anno CIƆCCCCXXXII, et miraculorum gloria illustratum, auctor est Joannes Magnus in Metropoli Upsalensi lib. 4. Joannes quoque Vastovius in Vite Aquilonia, Sanctis magnæ Scandinaviæ eum annumerat, et in Indice ad hunc diem refert ejus Natalem. Certiora desideramus.

ANIMADV PAP.96 Eustochia Virgo, quæ ex monachæ sacrilego partu, ut rosa ex spinis, effloruit, et a pessimo dæmonio usque ad extremum vitæ fatigata, invicta animi pœnitentia omnia superavit. Ita Molanus in Auctorio Usuardi ad hunc diem, quo obiit anno CIƆCCCCLXIX. Molanum secuti Wion, Menardus, Dorganius, Canisius, Ferrarius, beatæ memoriæ, beatam Virginem, aut Beatam simpliciter appellant. Lahierius in Menologio Virginum Sanctam vocat. In monasterio S. Prosdocimi apud Patavinos, ubi vixit et sepulta est, extat teste Scardeonio lib. 2 Antiquitatis Patavinæ classe 2 pag. 123, liber innumerabilium pene miraculorum, quem hic asserit se cum maxima admiratione et animi lætitia perlegisse. Scripsisse addit multa de eadem Latino vulgarique sermone Hieronymum Saligerium, tunc illius monasterii confessionarium Sacerdotem, virum pium: extare etiam libellum de ejus vita et laudibus a Petro Baroccio Episcopo Patavino scriptum. Translatus e Sede Bellunensi Baroccius est ad Patavinam anno CIƆCCCCLXXXVIII, mortuus anno CIƆIƆVII. Vitam illam Italice transtulit Daniel Villa Patavinus, editque Silvanus Razzius inter Vitas feminarum sanctitate illustrium ad XIII Februarii: citat sub finem doctam de eadem Eustochia Orationem, a Joanne Maria Patavino Congregationis Montis Oliveti scriptam. Illustre rerum ejus gestarum compendium habet memoratus Scardeonius. Aliquam a Sede Apostolica illi hactenus decretam venerationem esse, necdum intelleximus.

S. Valentini Presbyteri post multas virtutes sub Claudio Cæsare decollati memoria habetur in MS. Trevirensi Martyrol. de eo ac sociis ad XIV Febr.

S. Faustus monachus, discipulus S. Benedicti et socius S. Mauri. Ita Kalendarium MS. Ordinis S. Benedicti hoc die. Alii XV Febr.

S. Juliana Virgo Nicomediæ passa, ponitur hoc die in Martyrol. S. Hieronymi; pro ea in aliis Martyrol. Julianus legitur. Colitur S. Juliana XVI Febr.

S. Tanco Episcopus Verdæ, inscriptus est Menologio Scotico Dempsteri, quo etiam obiisse ait lib. 18 hist. Eccl. gentis Scotorum. Agunt de eo plerique XVI Febr.

S. Eduardi Regis Angliæ et Martyris translatio annotatur in Martyrol. MS. Bruxellensi, et MS. Florario: colitur XVIII Martii.

S. Rufini, S. Valerii } sacrorum corporum elevatio Suessione facta recolitur hic a Saussaio. Dies natalis est XIV Junii.

S. Potamiena Virgo in Asia, vel sanctæ actæ vitæ, vel martyrii gloria illustris, consignata est ad hunc in Menologio Virginum Lahierii. Eam suspicamur esse, cujus martyrium narrat Palladius cap. 3 Hist. Lausiacæ, sed Alexandriæ passam ait. Hujus, alteriusque senioris Potamienæ, itidem Alexandrinæ Virginis et Martyris, res gestas nonnulli confundunt. De utraque agemus XXVIII Junii.

S. Tranquillinus prædicatione S. Sebastiani ad Christum conversus, a Polycarpo Presbytero baptizatus, a Caio Papa ordinatus Presbyter, atque a Paganis, cum Confessionem S. Pauli orationis caussa accessisset, lapidatus, memoratur iisdem hisce verbis in Martyrologiis Bellini, Maurolyci, Galesinii, Canisii. Ponitur in Martyrol. Romano et aliis VI Julii.

S. Aquila, S. Priscilla } conjuges, de quibus in Actibus Apostolorum agitur, coluntur hoc die a Græcis, ut in eorum Menæis, Cytbæræo ac Galesinio videre est. Latini cum Martyrol. Romano eos colunt VIII Julii.

S. Chilianus Episcopus Herbipolensis et Martyr inscriptus est Martyrologio Galesinii cum longo e Vita encomio, Menologio Scotico Dempsteri, Martyrologio monastico Wionis. Hic conjicit, quia non est Natalis, celebrari Translationem corporis: quam conjecturam secutus Wilsonus Martyrologio Anglicano inseruit. Nulla in Breviariis Herbipolensibus, quæ varia habemus, hoc die memoria est S. Chiliani, qui colitur VIII Julii.

S. Eulogius Episcopus Alexandriæ colitur hoc die a Græcis

A *Græcis, de quo horum Menæa et Cytheræus. Latini eum cum Martyrol. Rom. celebrant,* xiii Septemb.

not. 30. S. Dicentii *nomen exhibent MSS. Martyrologia S. Hieronymi et monasterii S. Cyriaci Romæ. Ignotus aliis Fastis, nisi S.* Decentius *Episcopus sit, qui cum fratre S. Germano Diacono coronatus martyrio, colitur Pisauri* xxviii Octobris.

S. Livini Episcopi et Martyris Translatio in Gandavo *adnotatur hoc die in quibusdam annotatiunculis, quæ recenti manu exaratæ extant in Carthusia Bruxellensi. Vitam dabimus* xii Novemb.

S. Hermaculi depositio *adnotatur in citatis annotationibus MSS. Carthusiæ Bruxellensis, qui ignotus est nobis. Forsan* Hermolaus Presbyter *est, qui SS. Fuscam et Mauram baptizavit, et infra in harum prioribus Actis* Sanctus *appellatur, ubi plura de eo habentur. Forsan etiam* Hermacharus, *sive* Hermacarus *intelligitur, sextus Episcopus Ultrajectinus, qui etsi vir religiosus traditur fuisse, non tamen videtur ut* D *Sanctus coli. Beka ait eum obiisse* xxviii Augusti, *ast Heda* xxviii Octob.

S. Columbani Abbatis Sutrii, cognomento Reclusi, *nomen inscriptum est Menologio Scotico Dempsteri. Magna in paucis verbis confusio. Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani ad* xiii *Septemb. hæc habet :* In minori Britannia S. Columbini Abbatis Sutrensis, discipulique et successoris S. Deicolæ. *Fuit S. Deicolus, sive Deicola, Abbas Lutrensis in Burgundia, quem etiam* Abbatem Sutrensem *appellat Wion ad* xviii *Januarii, quo die Acta ejus dedimus, in quibus frequens mentio est* S. Columbani, *seu* Columbini. *Sed alius ab eo est Columbanus Reclusus, qui hoc die refertur in Calendario Sanctorum Hiberniæ, quemque innuit Dempsterus, dum Molanum citat. Refert hic ejus apud Gandenses Inclusionem* ii *Februarii, asseritque* xv *ejusdem mensis obiisse. At* S. Columbanum *juniorem sive Columbinum Lutrensem referunt alii* xxi *aut* xxii Novemb.

# DE S. AGABO PROPHETA

## ANTIOCHIÆ IN SYRIA,

### Commentarius historicus.

G. H. B E

SECULO CHR. I XIII FEBR.

Colitur S. Agabus a Latinis 13 Febr.

Cum plerisque Latinorum Martyrologiis diem xiii Februarii auspicamur a S. Agabo, de quo hæc leguntur in Martyrologio antiquo Romano a Rosweydo edito : Idibus Februarii Agapi Prophetæ in novo Testamento apud Antiochiam. *Addunt nonnulla MSS.* sub gratia. *Usuardus, Beda, Bellinus, et pleraque MSS. hæc ita referunt :* Idibus Februarii Natalis S. Agabi Prophetæ apud Antiochiam, de quo B. Lucas in Actibus Apostolicis scribit. *Eadem fere leguntur in tabulis Ecclesiasticis, quibus jam utitur Ecclesia Romana :* Antiochiæ natalis S. Agabi *etc. Eumdem* Antiochiæ quiescere *tradit auctor Florarii MS. At Petrus de Natalibus lib. 3 cap.* 118, *eumque secutus Canisius in Martyrologio Germanico, scribunt* Agabum Antiochiæ *et* natum fuisse, *et* tandem in pace quievisse. *Ado, quæ de eo in Actibus Apostolorum leguntur, adjungit.*

a Græcis 8 Martii : 2 *Græci* S. Agabum *aliis discipulis jungunt ad* viii *Martii, quo die ita legitur in Menologio, quod Henricus Canisius vulgavit :* SS. Herodionis, Agabi, Rufi, Asyncriti, Phlegontis et Hermes. *In Menæis hæc referuntur :* Τῶν ἁγίων Ἀποστόλων ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα Ἡρωδίωνος, Ἀγάβου, Ῥούφου, Φλέγοντος, Συγκρίτου καὶ Ἑρμοῦ. *Ita nomen* Apostolorum *primis*

Apostolus appellatur, C *Christi discipulis, aliisque coævis attributum sæpius diximus : e quibus* Titum Apostolum, Parmenam Apostolum, Timotheum Apostolum, Ananiam Apostolum *celebravimus* iv, xxiii, xxiv *et* xxv *Januarii.* S. Agabum e septuaginta Christi discipulis *fuisse legitur etiam in Catalogo Petri de Natalibus et Martyrologio Germanico : quod e Synopsi Dorothei sumptum est. Quos Græci huic socios junxerunt, referunt Latini ad varios dies et quidem eodem* viii *Martii* Herodionem, Asyncritum *et* Phlegontem, Hermam *autem* ix *Maii,* Rufum xxi *Novembris : ad quos dies et nos de iis agemus. De S. Agabo hoc additur distichon :*

Ψυχὴν Ἀγάβου τοῦ Προφητ-αποστόλου,
Ὁ ψυχοσώστης ἤρατο δεσπότης.
Animam Agabi Prophetæ Apostolici.
Animarum Salvator sustulit Dominus.

*Dicitur dein in eisdem Menæis* Agabus postea profectus in regionem, quæ ei sorte contigerat, ibique

et Martyr creditur obiisse : not. 31 Evangelium prædicasse : *ac tandem de manibus hæc additur conclusio :* Uno ergo die hi ab Judæis et Paganis variis tormentis excruciati, in Domino vivere desierunt.

3 *S. Lucas in Actibus Apostolorum cap.* xi *a versu* 20 *narrat incrementum fidei, præsertim Antiochiæ, quocirca ibidem primo discipuli cognominati sunt Christiani : ac dein a versu* 27 *hæc habet :* In his autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam : et surgens unus ex eis, nomine Agabus significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus, quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli. *Hæc S. Lucas.* Prophetia prædixit famem quæ an. 42 evenit, *Factus autem Claudius Imperator Caio Caligula* ix *Kalend. Februar. anno Imperii* iv, *Christi* xli *occiso : cujus anno* ii, *Christi* xlii *ipso* Claudio Imperatore et Licinio Largo Coss. *fames prædicta grassata est. Tunc inquit Dio Cassius lib.* 60 *Rom. historiarum,* λιμοῦ τε ἰσχυροῦ γενομένου, οὐ μόνον τῆς ἐν τῷ τότε παρόντι ἀφθονίας τῶν τροφῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς εἰς πάντα τὸν μετὰ ταῦτα αἰῶνα πρόνοιαν ἐποιήσατο. Fame ingenti exorta, *Claudius Imperator* non modo ad præsens tempus copiæ alimentorum, verum in perpetuum etiam prospexit. *Suetonius quoque in Claudio cap.* 18 *hæc scribit :* Arctiore annona ob assiduas sterilitates detentus quondam medio foro a turba, conviciisque ac simul fragminibus panis ita instratus, ut ægre, nec nisi postico, evadere in palatium valuerit. F *Hæc de prædicta a S. Agabo fame, ejusque anno.*

4 *Idem S. Lucas cap.* 21 *navigasse narrat S. Paulum, cui socius aderat, Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream : ubi, inquit a versu* 10, cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a Judæa Propheta, nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli : et alligans sibi pedes et manus, dixit : Hæc dicit Spiritus sanctus : Virum, et captivitatem S. Pauli cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, et tradent in manus Gentium. Quod cum audissemus, rogabamus nos, et qui loci illius erant, ne adscenderet Hierosolymam. Tunc respondit Paulus, et dixit : Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. Et cum ei suadere non possemus, quievimus, dicentes : Domini voluntas fiat. Post dies autem istos præparati, ascendebamus in Jerusalem, *ubi a Judæis captus Paulus et pene occisus est ; sed eripuit eum Tribunus, jubens alligari catenis duabus, et detecta conjuratione Judæorum, misit Cæsaream ad Felicem Præsidem*

A *sidem ut cap. 23 refertur. At Felix provinciam tradens Festo, eidem Paulum vinctum assignavit, ut cap. 24 dicitur. Quæ anno Christi* LV *Neronis Imperatoris* III *contigerunt. Romam anno sequente perductus est Paulus, biennioque sub custodia habitus.*

*an. 55.*

5 *Quæ præterea illustria patrarit facinora S. Agabus, litteris minime mandatum videtur. Cornelius a Lapide in Commentariis in caput* XI *Actorum Apostolorum varias interpretationes nominis S. Agabi ex lingua Hebraica adducit, quas lector istic reperiet.* D

AUCTORE G. H. *Nominum etymologia,*

# DE S. POLICETO DIACONO

## MARTYRE CARAVIS IN HISPANIA.

G. H.

ANIMADV PAP 97

SUB NERONE XIII FEBR. *Caravis urbe prope Cæsaraugustam jam diruta,*

*Caravi pervetusta Hispaniæ citerioris urbs fuit, a barbaris olim, seu Gothis, Alanis, Wandalis, seu Saracenis diruta. Ejus situm prope Cæsaraugustam Aragoniæ metropolim fuisse persuadet Itinerarium Antonini Augusti : in quo dum iter ab Asturica, per Cantabriam, Cæsaraugustam dirigitur, hæc loca ordine isto annotantur,* Numantia, Augustobriga, Turiaso, Caravi, Cæsaraugusta. *Andreas de Poza in Chorographia antiquarum urbium Hispaniæ,* Caravim *circa limites Aragoniæ et Navarræ collocat.*

*S. Policetus Martyr occubuit.*

2 *Caravis passus est* S. Policetus, *seu* Polycœtus, *Levita, cujus memoria cum ipsa urbe ferme deleta est. Illius Acta continentur in antiquo hymno, quem ex Breviario cœnobii S. Naboris in Lotharingia ab eruditissimo P. D. Froalino monacho sibi missum, edidit* B *Joannes Tamayo Salazar in Martyrologio Hispan. ad* XIII *Februarii : sed hoc a se conscriptum elogium præmittit.* Caravi prope Cæsaraugustam Hispaniæ in Sedetanis S. Policeti, qui tempore Neronis Imperatoris, cum Christi coleret fidem, et unus Athanasii Cæsaraugustani Præsulis, Levitæ fungeretur honore, ab Ethnicis tentus, carceratus, in ergastuloque fame correptus, tandem ad martyrii gloriam intrepidus agonista mucrone cædente pervenit. *Eumdem celebrat Ferrarius in Catalogo generali SS. his verbis :* Cæsaraugustæ in territorio S. Policeti Martyris, *idque ut annotat,* ex Kalend. et Tab. Ecclesiæ Cæsaraugustanæ. *De Athanasio primo Episcopo Cæsaraugustano, quem S. Jacobi discipulum ferunt fuisse, post alios auctores Hispanos agit Ludovicus Lopez par. 1 Antiquitatum Cæsaraugustæ lib. 2 cap. 7, asseritque coli Kalendis Novemb.*

### HYMNUS.

*S. Policetus,*

Audi, mi Deus, hominum catervas,
Quas Sanctus Polycetus unit, ornat :
Ut magno tibi dono vocibusque
Grati conspicui re, corde et ore
Persolvamus, fidem fidelis Almi
Læti Martyris insequamur atque.
Istum Gallia magno progenitrix
Civem testificum dedit amore :
Quem Hispania post honorabunda
Vidit sanguine tum cruento passum.
Ergo jam fide fusus, inque Iberos
Degens, protinus arma legis ægris
Monstrat civibus ore, signis : unde
Totum post regionis in Deum ardet
Ferocis populi genusque plebsque :
Isthæc scilicet en per heroicum
Jacobum fidei vias edocta,
Athanasio juncta Presbytero,
Qui post Cæsaris-urbe Præsul almus
Augustæ Sedis inque factus ultro.
Prælato Polycœtus hæret isti :
Cujus spiritus hauriens amanter,
Se totum dedit illius saluti,
Omnes postea gressus ac Magistri
Libens insequitur fidelis heros.
At mirabiles almus hujus ergo
Virtutes Pater eminusque noscens,
Hunc Levitico imbuit sacrato
Sanctos ordine ritus arte servans.
Tanto munere Sanctus hoc donatus
Christum prædicat ore, voce, corde.
Donec Caravis urbe tentus ultro,
Factus Martyr ovans fidem reservat.
Isthæc hoc modo evenere. Namque
Furor tempore hoc Neronianus
Hispanos fere devorans severe
Omnes Christicolas resumit acri
Mucronis fero verbere et fatali.
Hoc ergo Polycœtus impiger ferali,
Pugil verbere tunc sacer resectus
Mortem per medium placens recepit :
Quo post incola cœli fit. Amen.

*in Gallia natus,* *in Hispaniam venit,* *ad Athanasium Epis. Cæsaraugustanum,* E *ordinatur Levita,* *Caravis in persecutione Neronis* *occisus,* *vivit in cœlo.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# FUSCA VIRGINE, ET MAURA EJUS NUTRICE, RAVENNÆ ET TORCELLI IN ITALIA,

G. H.

### Commentarius prævius.

SECULO CHR. III. XIII FEBR.

*SS. Fusca et Maura coluntur Ravennæ, ubi occisæ,*

*Tria potissimum loca per has sanctas Martyres nobilitata sunt :* Ravenna *urbs Senonum apud Italos antiqua, Flaminiæ seu Romandiolæ metropolis, in qua* S. Fusca *primum nata est, atque a* S. Maura, *enutrita : ac postea ambæ illustri martyrio decoratæ et cœlo adscriptæ. Huic loco attribuuntur in Martyrologio Romano* XIII *Februarii his verbis :* Ravennæ SS. Fuscæ Virginis, et Mauræ nutricis ejus, quæ, Decio imperante, multa sub Quintiano Præside perpessæ, demum gladio transfixæ, martyrium consummarunt. *Constantius Felicius in suo Calendario :* Fuscæ Virginis et Martyris, quæ cum nutrice sua Maura Ravennæ propter Christum sub Bassiano Caracalla multa tormenta a Quintiano Præside perpessa, demum cultro transfixa, in cœlum gloriosa evolavit. *Christophorus Phreislebius in Memoria Sanctorum :* S. Fuscæ Virginis, quæ Ravennæ cum Maura nutrice sua, cujus opera baptizata est, a parente proprio in carcere, ut propositum commutarent, retentæ. Sed cum in fide immobiles perseverarent, Præsidis jussu a spiculatore transverberatæ sunt. *Hæc ibi. Fuit socia in baptismo* S. Maura, *sed a* S. Fusca *incitata, ut infra patebit.*

*Sabratæ in Africa,*

2 *Altera urbs Africæ est* Sabrata, *seu* Sabratha, *Ptolemæo lib. 4 Geographiæ cap.* 3 Sabathra, *provinciæ Tripolitanæ : cujus urbis Episcopus* Nados *anno* CCCCXI *interfuit collationi Carthaginensi, et* Leo *refertur inter Episcopos Catholicos, qui præcepto Regis Wandalorum Hunerici anno regni ejus* VI, *Christi* CCCCLXXXII, *pro fidei reddenda ratione Carthaginem venerunt. Ad hanc urbem corpora sanctarum Martyrum statim a nece devecta sunt a Christianis nautis, ibidemque sepulta, ut*

*ubi sepultæ,*

*infra*

A *infra in Actis dicitur, et ex eis ita Galesinius ad hunc* XIII *Februarii:* Ravennæ, S. Fuscæ Virginis et Mauræ nutricis Martyrum. Illa Syro patre nata, viro nobili, quintum et decimum annum agens, Christianæ religionis amore inflammata, cum Maura ab Hermolao Sacerdote baptismum suscepit. Id ubi pater rescivit, nihil non egit, ut a fide filia deficeret : quæ in proposito constantissima, primum Quintiani Præfecti jussu, Decio Imperatore, verberibus affecta, tum in teterrimum conjecta carcerem, demum gladio in latus infixo confossa, ad æternum præmium migravit in cœlum. Maura item et cruciamentis et carceris squalore pene confecta, Virginis illius corpori mortuo, quod assidue amplexabatur, illacrymans, rogata carnificem, ut se eadem ratione gladio confoderet, eam insecuta est. Earum corpora a Christianis nautis noctu ad Sabratam, Tripolitanæ provinciæ urbem, asportata, nobili sepulchro condita sunt. Multis deinde post annis ad eam urbem, divino afflatus Spiritu, Vitalis civis Venetus navigans, ad Torcellum Venetiarum insulam ea invexit : ubi religiose pieque coluntur.

*ex MSS.*

*Torcelli prope Venetias,*

3 *Est autem Torcellum urbs Episcopalis in una earum insularum, quæ circa Venetias sunt, ad Septentrionem in confinus agri Tarvisini sita, incolis hoc tempore infrequens ob cœli gravitatem. Huc ergo ex Africa* B *delata sunt sacra pignora sanctarum Martyrum Fuscæ et Mauræ, ubi in ecclesia cathedrali illis dicata etiamnum debito cum honore adservantur. Bellinus in Martyrologio secundum morem Romanæ curiæ, anno* CIↃCCCCXCVIII *excuso, et ex eo Molanus in auctario Usuardi, hæc ita referunt :* Apud Torcellum S. Fuscæ Virginis et Martyris. *Maurolycus :* Apud Torcellum S. Fuscæ Virginis, quæ cum Maura nutrice passa est Ravennæ sub Quintiano Præside. *Plura ex Actis Canisius in Martyrologio Germanico : cui mendum inest, quod* duodecim annos natam *scribit martyrium passam, cui reliqui cum Actis* quindecim *tribuunt.*

*ubi Corpora in æde illis extructa adservantur*

4 *Hermannus Greven in additionibus ad Usuardum etiam* Fuscam Martyrem *refert absque socia, et nullo indicato loco. Celebrant festum ejusdem S. Fuscæ Canonici Regulares S. Salvatoris Officio, ut vocant, novem Lectionum de Virgine et Martyre, quod parochialis ecclesia extet quæpiam illius Ordinis in ejus honorem consecrata. Præscribitur enim cap.* 1 *Constitutionum* § 10 *de Officio Ecclesiæ,* ut ubique locorum per universam Congregationem fiat Officium omnium eorum Sanctorum, sub quorum nomine consecratas monasteriorum ecclesias habent, eo ipso die quo festa eorum inciderint, verbi gratia, S. Danielis, S. Fuscæ, *etc. Quæ confirmantur in Calendario SS. qui in particularibus Genuæ Ecclesiis celebrantur cum Officiis propriis* C *Genuensibus excuso. Bononiæ in æde S. Stephani aliquas S. Fuscæ Reliquias haberi, tradit Masinus in Bononia perlustrata.*

*alind S. Fuscæ templum,*

*et Bononiæ aliquæ Reliquiæ*

5 *Acta horum Martyrum varia nacti sumus, quæ omnia ex antiquioribus forte sunt contracta. Priora sunt ex MS. codice Budecensis cœnobii Canonicorum Regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis in Westphalia, eaque, ut fusiora sunt, ita et exactiora videntur esse. Alia ex codice MS. Carthusiæ Coloniensis damus, cum præcedentibus a Joanne Gamansio nostro procurata. In his nonnulla a præcedentibus diversa sunt, ut quæ num. 7 coram Præside Quintiano referuntur dicta : et hæc hactenus inedita sunt. Extant alia in Petri Equilini Catal. SS. lib. 4 cap.* 119, *sed e prioribus illis contracta, uti ex his ipsis alia, quæ in Codice PP. Oratorii Romæ extant.*

*Acta duplicia ex MSS. dantur*

*alia a Petro de Natalibus edita,*

*et alibi MSS.*

6 *Eorumdem Actorum epitomen inseruit libro primo historiarum Ravennatium Hieronymus Rubeus, quod ex eo excerptum a Joanne Mosandro extat in Appendice ad Vitas SS. a Laur. Surio collectas, in prima et secunda editione ; in tertia vero ad hunc* XIII *Februarii* D *inter reliquas Vitas vulgatum. Aliud compendium in Catal. SS. Italiæ ex monumentis Ecclesiæ Ravennatis publicavit Philippus Ferrarius, ubi* S. Fuscam, *a* patre idolorum sacerdote natam, et Tabratam Africæ urbem *appellat quæ* Sabrata *est. Agunt de eisdem Ludovicus Zucconius in Compendio Vitarum SS. Italice scripto, Silvanus Razzius tom.* 1 *de Vitis sanctorum fœminarum, Gallice Gulielmus Gazetus : et quidem ab his duobus citato Surio; sed Mosander est, ut melius advertit Franciscus Lahierius in Menologio Virginum, ubi ex eo, Petro de Natalib. et Ferrario alium Vitam Gallico sermone vertit, ipsamque* Fuscam *appellat* S. Brunettam, *quod minus placet.*

*Compendia edita a Rubeo,*

*Ferrario, aliisque*

7 *Quo tempore vixerint hæ Martyres, aut sub quo Imperatore a nece victrices palmam adeptæ sint, silent Acta antiqua, et cum iis Petrus de Natalibus. Constantius Felicius supra relatus* sub Bassiano Caracalla *id factum scribit. Est hic* Bassianus Antonius *cognominatus, qui Severo patri pridie Nonas Februarii anno* CCXI *Eboraci mortuo successit, et anno sequente Getam fratrem suum* V *Kalendas Martii in matris gremio interfecit. Cœperat sub Severo anno* CCII *nova contra Christianos persecutio, numero quinta habita, in qua passi sunt. S. Irenæus Lugduni, Leonides pater Origenis in Ægypto, alii alibi : quæ persecutio a Præsidibus provinciarum continuata est sub Caracalla, Imperatore alioquin suapte indole crudeli, qui non facile Christianis* E *quidquam favoris indulserit. Verum unde Felicius habet* Fuscam et Mauram *tunc martyrium fuisse passas?*

*An interemptæ sint sub Caracalla?*

8 *Hieronymus Rubeus ad* Decii Imperatoris *persecutionem refert horum Martyrum necem, asseritque sub eodem* Quintiano Præside S. Agatham in Sicilia trucidatam. *Quod idem scribit Bivarius ad Dextri Chronicon Comment.* 2 *ad an. Chr.* 300 *num.* 13, *ubi dicitur* S. Centolla sub Diocletiano passa, filia Consulis Lucii Ragonis Quintiani, *sub cujus* patre passa sit Catanæ S. Agatha ; *ut ad hujus Acta Latina quæst.* 1 *litt. e diximus : ubi* Quintianus *dicitur* Consularis provinciæ Siciliæ. *Erat et* Flaminia Consularis provincia, *sed quomodo utrique probatur præfuisse idem* Quintianus *tantillo tempore, quo Decius imperavit? Deberet Ravenna in Siciliam, ubi extinctus est, translatus fuisse. Sub Decio dicuntur martyrium passæ in Martyrologio Romano. Subscribunt Galesinius, et Baronius in Annal. an.* 254 *num.* 29. *Sed ante eum annum extinctus fuit Decius, qui Imperium invasit anno* CCXLIX, *et triginta solum mensibus tenuit.*

*num potius sub Decio?*

## ACTA AUCTORE ANONYMO,

ex MS. Budecensi.

### CAPUT I.

*Fuscæ et Mauræ baptismus. Illius varie tentata a parentibus constantia.* F

Cum in temporibus Christianæ persecutionis magna Martyrum victoria, Divina virtute peracta, ubique terrarum celebraretur, audiens Beatissima Fusca, (quæ erat a parentibus nobilioribus, sed paganissimis exorta) fidem Domini nostri Jesu Christi, desiderantissimo et alacri animo perfecte cœpit esse Christiana. Erat enim annorum quindecim, cum Spiritus sanctus inflammavit cor illius. Quæ advocans ad se nutricem suam, nomine Mauram, dixit ei. Si mihi consenseris, et arcanum pectoris mei consilium non prodideris, manifestabo tibi consilium meum : acquiesce igitur sermonibus meis, ut perfecto corde credamus Dominum Jesum Chistum (cujus virtute Martyrum victoria per orbem celebratur) verum Deum ac filium Dei esse, sine initio et sine fine permanentem una cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Quod si non ficte sed perfecte crediderimus

*S. Fusca affectum erga fidem Christianam indicat S. Mauræ nutrici*

A derimus, erimus vasa sancta et immaculata Domini Dei Creatoris et Redemptoris nostri, ita ut nullis tentationibus ab ejus misericordia separemur in hoc seculo, insuper et regnabimus æternaliter cum eo in futuro.

*cum ea adit S. Hermolaum :*

2 Hoc audiens Maura famula ejus, compuncta est corde : et, sicut bona terra suscipiens semen, reddit fructum temporibus suis : ita suscipiens verba vitæ, statim credidit, et perfecta mansit in fide et timore nec non et amore Domini nostri Jesu Christi, dixitque ad B. Fuscam dominam suam : Si dignatur in me Dominus Jesus Christus facere misericordiam suam, ut merear sequi vestigia ejus, libentissime credo in nomine ejus; sciens profecto, quia, si digna fuero pro nomine ejus aliquid pati, percipiam ab eo coronam sine fine manentem. Dicit ei Fusca : Audi me, nutrix carissima, et eamus per noctem nullo sciente ad S. Hermolaum Presbyterum, qui nos instruat et doceat viam veritatis, baptizetque nos in nomine sanctæ Trinitatis. Surgentes igitur, eadem nocte venerunt ad S. Hermolaum Presbyterum, rogantes ut eas in sanctæ fidei perfectione firmaret. Qui statim instruxit eas per omnem fidei regulam, et perfusas sacro baptismate et corpore Christi confirmatas permisit abire.

*baptizatur.*

*parentes conturbatos solatur :*

3 Cumque cognovissent parentes B. Fuscæ, quod B baptizata, perfecte Christo credidisset, turbati sunt valde, et cogitabant quomodo eam ab hac intentione revocarent. Timebant enim, ne forte a Judicibus ad martyrium traheretur; luxeruntque eam, quia unica erat eis. Quorum luctum consolabatur Beatissima Fusca, dicens : Nolite lugere, parentes mei, sed potius gaudete, quia vero Deo credidi, nam dii vestri idola manu facta sunt, qui credentes in se perdere possunt, salvare non possunt. Hæc verba cum audisset Syroy pater ejus, iratus valde jussit B. Fuscam una cum nutrice ejus in carcerem mitti; putans pœnis posse terreri, quas blandimentis superare non poterat : et per tres dies nullum eis cibum aut potum dari permisit. Post hæc misit ad eas matronas ac nobiles puellas, quæ eas suis persuasionibus a Christi fide revocarent : sed minime fidelia corda seducere valuerunt, quia super firmam petram solidata erant. Unde parentes B. Fuscæ nimis contristati, cœperunt eam per se ipsos alloqui, et dicere : Filia carissima, audi nos, et recede ab hac insania adorans patrios Deos, ne forte male moriaris. Nam si Præses Quintianus te Christianam esse audierit, diversis te tormentis excruciabit : et tunc cum dolore amittemus te, quam unicam omni affectu studiose educavimus. Ut quid credis in Christum, quem Judæi crucifixerunt, et morte turpissima peremerunt. C

*tentatur carcere, jejunio, alloquio matronarum, et parentum,*

*minis mortis,*

*objecta nece Christi :*

*constanter respondet :*

5 Quibus S. Fusca respondit : Nequaquam ego recedam a fide, quam suscepi et in baptismo Deo devovi. Non enim timeo minas vestras vel Præsidis pœnas. Nam Christus Deus meus mortem et passionem sponte pro nobis in cruce sustinuit, ut nos ab æternæ mortis damnatione liberaret : qui mortuus tertia die resurrexit, ut nos sibi credentes ad æternæ resurrectionis gaudia perduceret. Hic etiam post resurrectionis gloriam hominem, quem pro nobis suscepit, in cœlo ad Patris dexteram cum tropæo victoriæ collocavit, dans nobis spem veram, ut devictis pœnis temporalibus, regnemus cum ipso sine fine. Vestri autem dii, quos colitis, dæmones sunt, qui habitant in idolis : qui omnes cultores suos ad æternum incendium ducent.

*iteratis minis et ira patris non movetur :*

6 Tunc iratus Syroy pater ejus, dixit ad eam; Per Deos magnos juro, quia, si non audis consilium parentum tuorum, ut quantocyus sacrifices nobiscum, antequam Judex Quintianus veniat; nos ipsi te crudelissimis tormentis afficiemus cum illa, quæ tibi male sociatur, Maura tua nutrice. Sancta Fusca dixit patri suo : Audi me, Pater, et recedens ab idolorum cultura, crede Domino nostro Jesu Christo, qui fecit D cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt; ut salveris ab igne, qui finem non habet. Syroy vero obfuscatus a Diabolo, induravit cor suum, nolens credere verbis filiæ suæ, sed adhuc perstabat in dissuasione, dicens : Fusca filia, non audisti quantos viros ac mulieres Quintianus crudelissima morte peremit, qui hujus religionis sunt ? S. Fusca respondens, dixit patri suo : Stultus timor est, ut plus timeatur humana potestas quam Divina. Dico tibi, pater, sicut sæpe jam dixi, quia semel recessi ab idolis, et numquam amplius coinquinabor cum illis. Dominum vero meum Jesum Christum semper adorabo et colam : pro cujus amore me ipsam in mortem tradam, qui post mortem corporis animam meam ad requiem æternam perducet.

*Ex mss.*

*etiam occidenda a patre, constans.*

7 Audiens hæc pater illius, furore commotus, arripuit gladium, volens eam interficere. Surrexit autem mater ejus cum magno clamore, ceciditque super eam, et dixit ad Syroy maritum suum : Non effundes sanguinem ejus; sed exspectemus adhuc aliquos dies, si forte reminiscatur maternæ pietatis, et convertatur ad cultum deorum nostrorum. Sanctissima vero Fusca cum nutrice sua Maura permanserunt intrepide, confidentes in Domino Jesu Christo, cupientes mori feliciter, quam infeliciter vivere : timentes tamen magis de perditione parentum suorum, quam de sua corporali pœna; scientes pro E certo, quod citissime liberarentur a Deo. Tunc Syroy pater beatissimæ puellæ, frequenter immolabat diis suis in aspectu filiæ suæ, ut eam etiam ad immolandum provocaret : sed nihil in hoc proficiebat, quia Dominus mentes in se credentium in fide confortabat.

## CAPUT II.

### *S. Fuscæ inflicta tormenta. Cædes utriusque. Translatio.*

*In persecutione,*

His ita gestis, Quintianus Præfectus, impiissimus persecutor Christianorum, ingressus est civitatem Ravennam, ut Christianos quos ibi invenisset puniret : ad cujus adventum omnes Christiani ejusdem civitatis magno tremore commoti sunt. At beatissima Fusca cum famula sua Maura preces in conspectum Domini fudit, et in jejuniis et orationibus perseverantes, uno ore Christi clementiam suppliciter imploraverunt, dicentes : Domine Jesu Christe, qui sanctis Apostolis et Martyribus tuis virtutem fidei et patientiæ tribuisti, conforta nos in timore et amore tuo, ne nos diabolica rabies a via veritatis emolliat; sed præsta, ut per constantiam patientiæ nostræ fragiles in fide solidentur, et inimicorum tuorum corda perturbentur. F

*ferventius orat cum S. Maura :*

*a satellitibus Quintiani reperitur cum Angelo :*

9 Sedente autem impiissimo Quintiano pro tribunali, accesserunt ad eum quidam inflammati a diabolo, et dixerunt . Ecce filia Syroy Christiana effecta est. Hæc audiens Præses, ira magna commotus, præcepit ministris suis, S. Fuscam una cum parentibus suis et Maura famula vinctos ad eum perducerent. Venientes ergo ministri, missi a Præside tyranno, invenerunt S. Fuscam orantem, Angelumque Domini juxta eam stantem, et timuerunt valde, ac reversi sunt ad Præsidem, dicentes : Vidimus oculis nostris Angelum eam juxta stantem, cujus aspectum ferre non potuimus. Tunc iratus Præses jussit eos in carcerem mitti.

*ultro accedit Præsidem :*

10 Dum ista dicuntur, et alia referuntur, ecce S. Fusca, cujus jam spiritus erat in corona, sponte sua una cum parentibus et Maura nutrice ad forum pervenerunt, et introierunt, ubi iniquissimus Quintianus pro tribunali sedebat. Quibus conspectis, Præses ad patrem puellæ dixit : Ut quid filiam tuam Christianis

A Christianis legibus tradidisti? Syrov respondit: Per salutem tuam, multis jam diebus laboravi: at numquam potui eam ab hac stultitia revocare. Conversus itaque Præses ad B. Fuscam, dixit: Quæ vocaris? At illa respondit, nomine carnali Fusca, nomine autem spirituali Christiana. Præses dixit: Quem Deum colis? S. Fusca respondit: Dominum meum Jesum Christum, quia Christiana sum. Præses dixit: Tu illum Christum dicis, quem Judæi crucifixerunt? Per Deum *a* Acherum et Jovem, si non recesseris ab hac dementia, et sacrificaveris diis immortalibus, morte morieris. S. Fusca respondit: Ego parata sum pro Domino meo Jesu Christo mortem subire, et numquam vanis idolis sacrificare. Scriptum est enim: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis. Præses dixit: Per deos omnes, nisi jam obaudieris jussionibus meis, dabo carnes tuas canibus et volatilibus cœli. S. Fusca respondit: Terrores tuos et minas pro nihilo duco: melius est mihi magis mori, quam dæmones adorare.

*... xus. — constanter fidem Christianam propugnat: — a — Psal. 96. 7*

11 Iratus autem Quintianus jussit eam flagellari, et flagellatam una cum nutrice sua in carcerem mitti. Cumque per dies aliquot in custodia detentæ B fuissent, et nulla ratione a proposito suo flecti potuissent, jussit eas impius Præses de carcere ejici, et extra urbem gladio verberari. Tunc S. Fusca cum jam duceretur ad mortem, orabat dicens: Tu scis, Domine, cur pro amore tuo mundum omnem cum deliciis suis respui, et patrem matremque meam abnegavi: jube ergo in pace suscipi spiritum meum. Et facta est vox de cœlo, dicens: Noli timere, Fusca, fidem servasti, cursum consummasti: jam nunc veni secura, et intra in gaudium Domini tui. Gavisa plurimum de hac voce Martyr Christi Fusca, dixit ad spiculatorem: Fac quod tibi imperatum est. At ille statim latus ejus transfixit, et tali martyrio consummata, dormivit in pace. Sancta vero Maura tenens corpus Dominæ suæ, rogavit spiculatorem, ut eam quantocyus occideret, cujus petitio continuo adimpleta est.

*flagellatur: — morti adjudicatur — voce cœlesti confirmatur — occiditur — cum S. Maura.*

12 Eadem igitur nocte Christiani quidam nautæ rapuerunt corpora Martyrum, et perduxerunt ea in provinciam Tripolitanam, in civitatem quæ vocatur Sabratha, et condiderunt in abditis locis cryptarum. Transactis deinde multorum annorum curriculis, occupata est regio illa a Paganis perfidis, et prænominata civitas Sabratha redacta in desolationem C usque in hodiernum diem. Videns ergo Deus sanctarum Martyrum Reliquias in desolato loco quiescere, inspiravit cordi servi sui Vitalis, ut utrasque tolleret inde. Qui veniens cum his quos habere poterat in Sabratha, tulit ostensa sibi divinitus Corpora, et perduxit ea in provinciam Venetiarum, in locum qui dicitur Torcellus. Ubi cum magna veneratione suscipientes Christiani sacratissimas Reliquias, fabricaverunt ecclesiam in honorem earumdem Martyrum: in qua et sepelierunt Corpora earum, laudantes Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui tantam gloriam præstat servis suis per omnia secula seculorum. Amen.

*Corpora in Africam deferuntur, — inde in insulam Torcellum: — ibi ecclesia illis extruitur.*

*Acheron*

a Acheron, *in Creta Cerere matre natus, non ausus lucem adspicere defluxit ad inferos, itaque, fluvius infernalis effectus est. De eo agit Boccacius lib. 3 Genealogiæ deorum cap. 4. Est autem putamentum per cælos et inferos.*

*ANIMADV. pag. 98*

## ALIA ACTA

### *ex MS. Carthusiæ Colonien.*

Temporibus illis cum magnæ Martyrum virtutes per universum mundum refulgerent, Fusca beatissima a parentibus Paganis nata, audiens fidem Domini nostri Jesu Christi, animo facta est Christiana. D Erat enim annorum quindecim, cum Spiritus sanctus flavit in cor ejus. Et vocavit ad se nutricem suam Mauram, dixitque ei: Si mihi assenseris, ut credamus Christo Filio Dei, erimus vasa sancta, et in illa vita cum illo regnabimus, et ab invicem non separabimur. Eamus pariter nocte ad S. Hermolaum, ut me baptizet; et nemini hoc dixeris. S. Maura respondit: Si merear et ego famula tua credere in Christo, in quem tu credidisti. Nocte autem eadem surgentes, venerunt ad Dei Sacerdotem Hermolaum: et baptizavit eas, et crediderunt in Christum filium Dei.

*S. Fusca Virgo et S. Maura ejus nutrix credunt in Christum: — baptizantur ab Hermolao Presbytero,*

2 Post hæc cognovit pater et mater, quia dereliquerant idola, et Christianas se esse constituerant, et turbati sunt parentes ejus, et fuit luctus immoderatus. Dolebant enim multum, quia unica erat patri. Venientes autem parentes ejus, volebant eam ab intentione religionis Christianæ avocare. S. Fusca dixit eis: Verus est Deus Christianorum, et dii vestri idola muta, ab homine facta, credentes in se perdere possunt, salvare minime possunt. Seroi vero pater ejus valde est iratus, et misit eas in carcerem, putans pœna terreri, quas blandimentis superare non poterat: et per tres dies cibum eis non dare præcepit. Post hæc dolens filiam suam, misit ad eas matronas et alias coætaneas puellas, quæ eas a fide Christi cessare facerent; sed minime eas seducere E poterant, quia Dominus Deus confortabat eas credentes.

*parentes sibi obsistentes redarguit Fusca: — carceri inclusa triduo jejunat:*

3 Videntes vero parentes quia eas decipere non poterant, venerunt ad filiam suam et dixerunt ei: Filia nostra Fusca, audi nos et recede ab hac stultitia, et revoca mentem tuam ad deos patriæ tuæ, et non derelinquas tuos, quia unica nobis es. Ecce nos celabimus malum, quod fecisti. Sed Quintianus Præses si audierit, quod in hac fide persistas, morte morieris: quia credis in Christum, qui in terra passionem sustinuit, et quem Judæi in cruce damnaverunt. S. Fusca respondit: Christus pro nobis passus est, ut nos a passionibus inferni liberaret, et mortem sponte pro nobis suscepit, ut nos a morte secunda liberaret; sed victor tertia die a mortuis resurrexit: hominem vero, quem pro nobis suscepit, in cœlum post mundi victoriam reportavit. Et exspectamus eum in fine mundi Judicem vivorum et mortuorum, reddere unicuique juxta opera sua. Nam dii vestri, quos colitis, dæmones esse comprobantur, et idola surda et muta, ex quolibet metallo manu hominis fabricata.

*constantes parentibus blandientibus et minantibus respondet:*

4 Audiens hæc Seroi pater ejus, iratus est valde, et dixit ad eam: Per deos magnos, quia, si non audieris parentes tuos, et si non sacrificaveris diis, F antequam Quintianus veniat, male te finiam cum ea, quæ tibi socia esse dinoscitur. S. Fusca respondit: Audi me, Pater, et recede a cultura deorum, et crede in Dominum Jesum Christum, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Seroi pater ejus dixit: Filia Fusca, non audisti quantos viros et mulieres Quintianus interfecit, qui hujus religionis sunt? S. Fusca respondit: Stultus timor est, ut plus timeatur humana potestas quam Divina. Dii vestri sunt, ut dixi, et dico, marmorea sculptilia et cerea: omnis qui credit in eis, non habebit remissionem peccatorum suorum, sed cum eis erit cruciandus in æterno igne. Audiens autem hæc pater ejus, furore commotus, arripuit gladium, et voluit eam interficere. Surgens autem mater ejus, jactavit se super eam, dicens: Non effundas sanguinem ejus; sed exspecta adhuc aliquot dies, si forte reminiscatur et convertat se ad deos suos. Sancta vero Fusca una cum nutrice sua Maura gaudens desiderabat pro Domino Jesu Christo vitam finire. Dominus autem confortabat mentes in se credentium. Seroi vero pater ejus egressus, immolabat victimas idolo Acceron, ut a fide filiam suam averteret.

*intrepida in periculis mortis. — arrepto a patre gladio:*

Alio

A 5 Alio vero die Quintianus persecutor Christianorum Ravennam urbem ingressus est. Audiens vero beatissima Fusca una cum nutrice sua Maura, talem precem in conspectu Domini fuderunt, jejuniis et orationibus vacantes die ac nocte : Tu Domine Jesu Christe, qui sanctis tuis Apostolis et Martyribus virtutem fidei dedisti, conforta famulas tuas in timore tuo, ut non valeat insatiabilis diabolus famulas tuas a via veritatis avertere. Sedente autem Quintiano pro tribunali accesserunt quidam, et dixerunt ei : Ecce Domine Præses, filia Seroi in hac civitate Christiana est, et dixit deos nostros dæmonia esse. Audiens Præses, ira commotus ministris jussit, ut S. Fuscam et parentes ejus vinctos ad eum perducerent. Venientes vero ministri, invenerunt S. Fuscam orantem, sanctum vero Angelum juxta eam stantem, cujus aspectum ferre non potuerunt. Iratus autem Præses jussit eos in carcerem mitti.

*a satellitibus Quintiani*

*reperitur cum Angelo :*

6 Dum ista dicuntur et alia referuntur, ecce S. Fusca, cujus jam Spiritus sponte erat coronatus, una cum parentibus et Maura famula sua ad forum pervenit. Præses vero ad Seroi dixit : Ut quid filiam tuam Christianis legibus subdidisti? Seroi respondit : Per salutem tuam, jam multos dies laboravi, et non potui eam ab hac stultitia revocare. Cognoscas eam a Christianis esse deceptam, qui dicunt deos nostros B lapides et ligna esse. Conversus Præses ad B. Fuscam dixit : Quid vocaris? S. Fusca respondit : Fusca. Præses dixit : Quem Deum colis? Fusca respondit : Christum Deum. Præses dixit : Tu illum Deum dicis Christum, quem Judæi crucifixerunt? Per magnos deos Accaron et Jovem, si non recedis ab hac amentia, et non sacrificas diis, morte morieris et non vives. Fusca respondit : Ego parata sum pro Domino meo Jesu Christo magis mori, quam vanis idolis tuis sacrificare ; scriptum est enim : Confundantur omnes qui adorant sculptilia et qui gloriantur in simulachris suis. Præses dixit : Recede ab hac stultitia, et sacrifica diis : quod si nolueris, male te finiam. At illa respondit : Jam tibi dixi, melius est mihi mori, quam dæmones adorare. Præses dixit : Fusca filia Seroi, quare non comples jussionem meam? Per deos magnos morte morieris tu, et nutrix tua Maura, quia Christiana est sicut et tu. Denega Christum et adora deos patriæ tuæ, quod si nolueris verba hæc audire, dabo carnes vestras canibus et volatilibus cœli. At illa Spiritu sancto repleta dixit : Terrores tui et minæ tuæ nullæ sunt ; quia sponsa Christi sum, et pro ipso mori desidero, qui me illuminavit, ut appropiem ei casto corde, qui juvat propinquare ad aliud, quod

*cum ultro accedit.*

*fidem Christi constanter propugnat ;*

Psal. 96. 7

nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus his, qui eum toto corde diligunt. D

*Ex MS.*

7 Audiens Quintianus verba hæc, jussit eas flagellari. Cumque flagellarentur, voluit eam gladio ferire. Videns autem pater ejus Seroi, procidit ad pedes ejus, dicens : Domine Præses, jube per duos dies nobis dari inducias, si forte convertat se ad deos, quia unica est matri suæ. Præses dixit : Et ego desiderabam ut non periret; sed superbia ejus, et vanitas nescio cujus Jesu Christi, vivere eam non permittit. At illa respondit : Vanitatem vos adoratis, qui verum Deum derelinquitis, et effigiebus, quæ sunt sine voce et sine auditu, dicitis : Deus meus es tu. Et ligno dicitis, Adjuva me. Præses dixit : Multum me commoves : sed adhuc tuæ misereor infantiæ. At illa dixit : Misereatur mei Dominus. Nam qualis est misericordia tua maledicte? Iratus Quintianus jussit eam mitti in carcerem, dicens : Per deos magnos, ambas cras gladio ferire præcipiam. At illa respondit : Deo gratias : et hoc semper optabam. Et venientes ministri mittentes catenas in colla earum, miserunt eas in carcerem.

*flagellatur :*

*pergit idola contemnere*

*carceri includitur :*

8 Alio die Præses sedens pro tribunali, vocavit spiculatorem, et dixit ei : Educ superbas illas e carcere, et a diis nostris alienas ; et extra civitatem sententiam accipiant capitalem. Et veniens spiculator eduxit eas de carcere, trahens ante urbem. Cum autem duceret eas ad mortem, plorabat omnis multitudo mulierum. At illa orabat Dominum, dicens : Domine Jesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum. Et facta est vox ad eam, dicens : Noli timere, Fusca, fidem servasti, cursum consummasti, veni ad requiem, suscipient te Angeli. Tunc S. Fusca dixit ad spiculatorem : Veni, fili, fac quod tibi imperatum est. Et spiculator statim lancea latus ejus perforavit : et tali martyrio dormivit in pace. Sancta vero Maura nutrix ejus tenens corpus ejus, rogavit spiculatorem, ut eam interficeret : quod et completum est, et eis sicuti fuit una vita, et in morte una concessa est gloria.

*morti adjudicatur :* E

*cælesti voce corroborata,*

*occiditur cum S. Maura.*

9 Corpora vero earum projecerunt in mare, et perducta sunt in Tripolitanam provinciam, in civitatem, quæ dicitur Sabrata, et condita dignissime in crypta. Transactis autem multorum curriculis annorum, occupata est regio illa a Paganis, et ipsa civitas Sabrata redacta est in solitudinem usque in hodiernum diem. Passa est autem beata Virgo Fusca, et nutrix ejus Maura, Idibus Februarii civitate supradicta.

*corpora delata sunt in Africam.*

C

# DE DUOBUS CRUCIFIXIS

F

## PATRE ET FILIO MARTYRIBUS.

G. H.

XIII FEBR.

*Varios Fasti sacri exhibent Martyres, quorum nomina latent. Longa ejusmodi serie in Indice Martyrologii Romani sub nomine Martyrum recensentur : plures in opere nostro accedunt. Hi duo suam apud Græcos venerationem hoc die habent tam in Menæis, quam Vitis Sanctorum Maximi Cytheræi ; his paucis utrobique verbis :* Eodem die pater et filius cruci adfixi vitam finiverunt. *In Menæis additur hoc distichon.*

Πατὴρ σὺν υἱῷ σταυρικὸν πάσχει πάθος
Ὑπὲρ πατρὸς τοῦ δόντος υἱὸν εἰς πάθος.
Pater cum filio crucis patitur pœnam,
Pro Patre qui Filium dedit ad Passionem.

*Reliqua, quæ tempus, locum, crucisque obtentæ occasionem suggererent, cum ipsis eorum nominibus ignota manent. In Calendario Coptico duo indicantur hoc die Martyres,* Bastæmon *et* Eudæmon, *sed alia desunt argumenta, et quibus conjiciamus, eos patrem esse et filium, et crucis martyrium subiisse.*

A D

# DE S. POLYEUCTO MARTYRE,

## MELITENÆ IN ARMENIA,

G. H.

### Commentarius prævius.

#### § I. *Cultus sacer S. Polyeucti : templa illi dicata.*

*XIII FEB. CIRCA AN. CCLIX XIII FEBR In urbe Armeniæ Melitene*

Melitenen, *sive* Melitinen, *urbem esse Armeniæ minoris, caput cognominis regionis, haud procul a dextera ripa Euphratis, eamque primum Romani præsidii stationem fuisse, inde Trajani Imperatoris nutu urbem factam, exiguam quidem sed validam, ac sensim mirifice amplificatam, templis, foro, porticibus, balneis, theatris, extra muros constructis, ac novis a Justiniano mœnibus circumdatam, diximus* x *Januarii ad Vitam S. Domitiani : qui sub finem seculi sexti floruit Melitenæ Episcopus.*

*passus est S. Polyeuctus :*

2 *In hac urbe* S. Polyeuctum, *de quo hic agimus, omnium primum Martyrii coronam adeptum, solenni cultu jam olim venerati sunt cives Melitenæi, templo ejus nomini dicato, ut ex Vita* S. Euthymii Magni xx *Januarii constat. Hujus namque parentes* Paulus et

B

*fusis illic in templo ipsi dicato precibus,*

Dionysia, genere et virtute clari habitabant Melitenæ. Cumque illa esset sterilis, et careret liberis, multumque tali premeretur calamitate, ad propinquum ambo divini Polyeucti Martyris templum venerunt, in eo perseverarunt multis diebus in oratione. Petebant autem, ut sibi solverentur vincula sterilitatis, et rogabant, ut fructum ex se natum viderent. Noctu autem eis aliquando seorsum orantibus, divina quædam apparet visio, dicens : Estote bono animo. Dat enim vobis Deus filium, qui a bono et tranquillo animo, nempe εὐθυμία nomen accipiet, et eo dignos mores est habiturus. In illius autem ortu animi quoque tranquillitatem dat Deus suis Ecclesiis. *Hactenus gesta istic in templo* S. Polyeucti, *quæ in Vita S. Euthymii Cyrillus monachus, discipulus S. Sabbæ Abbatis, diligens auctor scripsit cap.* 1. *Est autem* natus S. Euthymius, *ut istic additur,* quarto Consulatu Gratiani, *anno Christi* CCCLXXVII : post cujus ortum, cum nondum quintus advenisset mensis, Valens Imperator Arianus a Barbaris turpiter captus est, et una cum vico combustus : *et* a difficili tempestate respirarunt Ecclesiæ. Tertio post anno *offertur* Euthymius Otreio, qui Melitinensi præerat Ecclesiæ. *Hic Synodo Constantinopolitanæ Œcumenicæ interfuit anno* CCCLXXXI, *et Macedonianam hæresim cum aliis Episcopis condemnavit.* Cum autem S. Euthymius, *ut traditur cap.* 2, sic fuisset educatus et institutus, Sacerdos ordinatur,

*ex sterilibus parentibus natus S. Euthymius,*

*apud Otreium Ep. educatus,*

C

*solitus sæpe in illo templo orare*

ejusque fidei committitur cura monasteriorum et asceteriorum, quæ erant in civitate. Sed quoniam quietis et silentii eum ab ineunte ætate magnum tenebat desiderium, veniebat assidue ad divini Martyris Polyeucti ædem, atque ad Triginta trium sanctorum Martyrum, et longissimo tempore in iis versabatur. *Coluntur hi Martyres* VII *Novembris.*

*Aliud templum Constantinopoli.*

3 *Venerationem hanc S. Polyeucti ex Armenia in Græciam, Melitene Constantinopolim delatam olim fuisse, ibique propriam ad ejus honorem extructam ecclesiam, mox ex Menæis dicemus.* Hujus cameram a Juliana quadam urbis illius matrona, *tempore Justiniani Imperatoris,* auro purissimo tectam fuisse, *infra ex Gregorio Turonensi lib.* 1 *Miraculorum referemus. Ubi addit hunc* Martyrem contra perjuros præsentem ultorem existere. *Quo nomine antiquis Francis notus fuit, et sanciendis pactionibus servandisque judex arbiterque invocatus. Ita apud eumdem Gregorium Turonensem lib.* 7 *Histor. Franc. cap.* 6 *S. Gunthramnus Rex Burgundiæ, post obitum fratris Chariberti Regis Parisiorum, inter alia sic locutus est :* Ecce pactiones, quæ inter nos facta sunt, ut, quisquis sine fratris voluntate Parisius urbem ingrederetur, amitteret partem suam, essetque Polyoctus Martyr cum Hilario et Martino Confessoribus judex ac retributor ejus. Post hæc ingressus est in eam germanus meus Sigebertus, qui judicio Dei interiens amisit partem suam. Similiter et Chilpericus gessit. Per has ergo transgressiones amiserunt partes suas. Ideoque quia illi juxta Dei judicium et maledictiones pactionum defecerunt, omne regnum Chariberti cum thesauris ejus meis ditionibus, lege opitulante, subjiciam, nec exinde alicui quidquam nisi spontanea voluntate indulgeam.

*Per S. Polyeuctum in pactis sanciendis juratur,*

4 *Hæc de antiqua veneratione S. Polyeucti apud Armenos, Græcos, Latinos : cujus dies natalis varius a variis statuitur. Antiquiora Martyrologia MSS. aliquot referunt* VII *Januarii. Ita vetus Romanum, quod sub nomine S. Hieronymi citamus :* In Melitena civitate Polieucti. *MS. monasterii S. Cyriaci, quo multum usus est Baronius :* In Militana civitate natale Poliocti. *Eumdem referunt eodem die MS. Rhinowicense et Richenaviense, ac* Poliotum *nominant, ubi S. Polyeuctum ubique intelligi sequentia confirmant.*

*colitur 7 Januarii.*

E

5 *Græci admodum solenni ritu eum celebrant* IX *Januarii, quo die in Menologio a Canisio edito hæc traduntur ;* Sancti Martyris Polyeucti, qui Decio et Valeriano Imperatoribus, cum in Melitina Armeniæ primum militasset, ac postea ad Christum conversus, neglectoque de fide ipsa abjuranda edicto, Gentilium simulacra confregisset, nullis cognatorum precibus aut blanditiis persuasus, ac ne ipsius quidem uxoris gemitibus, et fœmineis ululatibus commotus esset, stabili confessione securi percussus, martyrii palmam consecutus est. *In Menæis Græci variis eumdem hymnis, odis et canticis exornant, et hanc recitant Vitæ epitomen :* Memoria S. Polyeucti Martyris. Hic Decio et Valeriano Imperatoribus Melitinæ in Armenia miles fuit, et primus in ea provincia pro Christo Martyr occubuit. Erat namque impium edictum promulgatum, quo præcipiebatur ut aut Christum ejurarent, aut non obedientes morte punirentur. Hic nihil territus Christum libere professus est, et ingenti fiducia simulacra, quæ ab infidelibus colebantur,

*9 Januarii,*

F

confregit. Quo circa, cum neque soceri adhortationibus ac blandimentis flecteretur, neque uxoris lacrymis lamentisque commoveretur, sed in fœdere cum Nearcho Martyre, amico suo verente, ne ipse a fide Christi desisceret, firmato, constans in confessione perseveraret, gladio vitam finivit : cujus celebritas in ipsius Martyris templo sanctissimo peragitur. *Eadem fere in Anthologia Arcudii et Menologio Cytheræi leguntur. Colitur* XXII *Aprilis* S. Nearchus Martyr, *qui forte est hic S. Polyeucti Martyris socius.*

6 *Nonnulli Latinorum eumdem referunt* x *Januarii, quo die in MS. Florario SS. hæc leguntur :* Ipso die Polyeucti Martyris anno salutis CCLIX, anno octavæ persecutionis primo, sub Valeriano et Galieno Imperatoribus. *In Martyrologio lingua Gallica Leodii excuso hæc referuntur :* Melitinæ urbe Armeniæ S. Polyeucti Martyris, qui multa passus in persecutione Decii, tandem martyrium subiit. *Meminit quoque* Polyeucti Martyris *Hermannus Greven absque alio elogio. Differentia illa dierum assignandorum videtur exorta ex*

*10 Januarii.*

ipsis

A *ipsis Actis Græcis, sive eorum Appendice, ubi dies martyrii exprimitur* προτεσσάρων Ἰδῶν Ἰανουαρίων *quo Latini indicari censuerunt* diem IV Idus Januarii, *qui decimus est, uti etiam Hervetus vertit. At Græci præcedentem, seu nonum Januarii, sumpserunt, ut sit* dies ante IV Idus Januarii.

*13 Februarii,*

7 *Celeberrima apud Latinos veneratio* S. Polyeucti *incidit in ipsas Idus Februarii : quo die ita legitur in antiquo Martyrologio Romano a Rosweido edito :* In Militana Armeniæ, S. Polyeucti Martyris. *Beda vulgatus et in multis MSS. et Usuardus in antiquissimis MSS.* In Militana civitate Armeniæ S. Polyocti Martyris, qui Latine interpretatur Multum-orans. *Imo aliquibus* Polioctus, Polyotus et Poliotus *dicitur : Bellino anno* CIƆCCCCXCVIII *edito* Policrates, *ubi etiam pro* Melitene *ponitur* Mauritania. *Similia leguntur in codicibus MSS. Adonis Lobiensi et Mormensi : in Leodiensi S. Laurentii* Polictus *dicitur. Verum Ado a Rosweido excusus ita habet :* Item in Melitena civitate Armeniæ Natalis S. Polyeucti Martyris, qui Latine interpretatur Multum-orans. *Quæ etiam exstant apud Notkerum, et Usuardum a Molano recensitum. Galesinius :* Melitenæ in Armenia S. Polyeucti Martyris. Is in Deciana persecutione, datis pro Christo cervicibus, coronatur. *Quæ eadem sed aliis verbis ita referuntur* B *in Martyrologio Romano :* Melitinæ in Armenia S. Polyeucti Martyris, qui in persecutione ejusdem Decii multa passus, martyrii palmam adeptus est.

*Et 14 Febr.*

8 *Denique* XIV *Februarii hæc leguntur in antiquo MS. Martyrologio S. Hieronymi supra indicato :* In Militena civitate natale S. Policti. *At MS. S. Maximini prope Treviros :* In Militana civitate Armeniæ Natale S. Poliocti Martyris.

## § II. *Acta duplicia S. Polyeucti. Tempus martyrii.*

*Acta Latina,*

*alia Græca,*

*an a Metaphraste exornata?*

Acta *S. Polyeucti olim tam Latinis quam Græcis, fuisse notissima ex jam dictis satis constat. Unicum hactenus exemplar Latinum nacti sumus ex MS. Ultrajectino, et forte contractum, ut plurima Acta ejusdem Codicis sunt. Alia addimus ex Græco MS. Vaticano reddita Latine, et collata cum translatione Herveti, vulgata a Lipomano et Surio ad* IX *Januarii. Hæc Acta distinximus in tria capita, et Appendicem, quam suspicamur postea additam, saltem tempore Metaphrastæ, quando videntur oratoria amplificatione magis exornata : uti collatis utrisque Actis apparet.*

*Miles fuit S. Polyeuctus sub Decio et Valeriano,*

10 *De tempore, quo vixerit S. Polyeuctus, et pro Christo interemptus fuerit, controversia est, quod Decius et Valerianus Imperatores ubique conjunguntur. Ita Latina Acta exordiuntur :* Dum Decii et Valeriani Imperatorum persecutione, Christiani... premeren- C tur, erant duo viri inter se amicissimi, Polyeuctus et Nearchus... Sed cum Decius et Valerianus cædibus Sanctorum saturari non possent, statuerunt edictum *etc. Acta Græca sic habent num.* 2 : Κατὰ τοὺς Δεκίου καὶ Οὐαλεριανοῦ χρόνους τῶν βασιλέων, ἦν τις Νέαρχος καὶ Πολύευκτος, στρατιῶται μὲν τὸ ἐπιτήδευμα, Temporibus Decii et Valeriani Imperatorum vivebant Nearchus et Polyeuctus, instituto vitæ milites. *ac dein num.* 3 : Ἐπεὶ δὲ Δέκιος ἐκεῖνος καὶ Οὐαλεριανὸς οὐ καλῶς τῇ βασιλείᾳ χρησάμενοι οὐδὲ τὸν δεδωκότα ταύτην ἐπιγνῶναι καὶ λατρεῦσαι θελήσαντες..... πᾶν τὸ ὑπήκοον ἐγγράφοις ἐπιτάγμασιν εἰς τοῦτο παρακαλοῦντες, Quoniam autem Decius ille et Valerianus, non recte utebantur Imperio, neque illius datorem agnoscere et colere volebant.... dum omnes sibi subjectos scripto propositis edictis ad idem præstandum incitabant *etc. In Menæis Græcorum hæc ita exprimuntur :* Οὗτος ἦν ἐπὶ Δεκίου καὶ Βαλλεριανοῦ τῶν βασιλέων ἐν Μελιτίνῃ τῆς Ἀρμενίας στρατευόμενος, *etc.* Hic Decio et Valeriano Imperatoribus Meletinæ in Armemenia miles fuit *etc. Eadem leguntur in Anthologio* D *Græcorum auctoritate Clementis* VIII *approbato, et phrasi Græca paullulum immutata in Menologio Maximi Cyteræi :* Οὗτος ἦτον εἰς τὸν καιρὸν Δεκίου καὶ Βαλλεριανοῦ τῶν βασιλέων παγενάμενος στρατιώτης εἰς τὴν Μελετινὴν τῆς Ἀρμενίας.

AUCTORE G. S.

11 *Cœpit Decius imperare anno Chr.* CCXLIX, *et mox in Christianos persecutionem movit, quæ ordine septima habetur : in qua inter alios passi sunt S. Fabianus Papa et S. Agatha Virgo. De illo egimus* XX *Januarii, de hac* V *Februarii, ubi* § 1 *annos Imperii et Consulatus Decii ordinavimus. Decio cum filio extincto successit Gallus Hostilius, qui Volusianum filium consortem adscivit, et inchoatam a Decio persecutionem promovit. Sed illis interemptis, atque Æmiliano, qui militaribus suffragiis Imperium adeptus erat, tertio post mense sublato, rerum potitus est anno Christi* CCLIV *Valerianus cum Gallieno filio, atque atroci in Christianos persecutione, quæ octava habetur, sævit : in qua anno* CCLIX sub Valeriano et Gallieno Imperatoribus *passus dicitur S. Polyeuctus in MS. Florario, atque ita a Decii temporibus potuit cum Nearcho miles fuisse, ac dein sub Valeriano et Gallieno Martyr occubuisse : eo fortassis tempore quo adversus Persas movebat Valerianus, a quibus anno* CCLX *victus, ac postea barbare trucidatus est. De eadem persecutione egimus* IX *Februarii ad Acta S. Nicephori sub eisdem Imperatoribus Decio et Valeriano Antiochiæ* E *in Syria passi. Potuerunt etiam hi Imperatores edictum Decii contra Christianos olim latum additis atrocioribus minis innovasse, ut vel hac ratione persecutio Decii habita fuerit, ad ea usque tempora non intermissa. Baronius martyrium ejus refert ad annum Decii* II, *Christi* CCLIV, *quem ejus computum sæpius correximus.*

*passus videtur sub Valeriano et Gallieno.*

# ACTA S. POLYEUCTI

ANIMADV. PAP. 9

auctore anonymo Latino,

*ex MS Uultrajectino.*

*S. Polyeuctus Gentilis, amicus Nearchi Christiani,*

Dum Decii et Valeriani Imperatorum persecutione Christiani, maxime in orientalibus partibus, premerentur; erant duo viri inter se amicissimi, Polyeuctus scilicet et Nearchus. Sed Nearchus Christianissimus erat, Polyeuctus vero Paganus. Sed cum Decius et Valerianus, cædibus Sanctorum saturari non possent, statuerunt edictum, ut, qui vellent Christiani diis immolare, erga eos majestas Imperii benigne ageret; qui vero nollent, atrociter punirentur. Quibus auditis, Nearchus, qui cupiebat dissolvi, et esse cum Christo, dolebat, quod socium, quem ut alterum se diligebat, in periculo damnationis æternæ derelinqueret. Accedens itaque ad socium suum Polyeuctum, amicitiam eorum in crastinum finituram fore nuntiavit. Cumque ille hoc non posse fieri, nisi morte, responderet; ait illi Nearchus : Verum, inquit, dicis, F quia morte separabimur. Et indicavit ei Imperatorum edicta de Christianis. Et, quia ille Paganus et ipse Christianus, amicitiam eorum ipsius Nearchi morte finiri.

*intelligit edictum contra Christianos :*

*viso Christo animatur.*

2 Tunc Polyeuctus narravit B. Nearcho, quod Christus sibi per visionem apparuerat, et sordidam sedem quamdam ab eo sustulerat cum chlamyde militari, qua ipse Polyeuctus indutus erat : circumdans eum chlamyde pretiosa holoserica nimisque splendida, annectens insuper humero ejus fibulam auream, et dans sibi stolam cum equo pennato. Audiens autem Nearchus, lætus efficitur : et exposita visione, de fide Polyeuctum plenius informans, reddidit perfecte credentem, et jam martyrium sitientem.

* *forte* stolam

*fit Christianus: expetit martyrium :*

3 Cum ergo Polyeuctus publice se Christianum esse diceret, et idololatras reprehenderet, a persecutoribus tentus, diutissime tortus est. Et cum diutissime virgis cæsus fuisset, fatigati tortores cum blandis

*captus,*

*virgis cæditur.*

A dis sermonibus et promissis ad cultum deorum reverti suadebant. Sed illo in confessione Domini immobiliter permanente, et eos irridente, in eum acrius sæviebant verberibus.

*ex mss latinis.*

4 Tandem supervenit uxor cum unico filio ejus, quæ clamoribus locum replens, et filium ostendens, fœdusque matrimoniale allegans, nunc lacrymis, nunc gemitibus, nunc filii sui ac divitiarum suarum et amicorum consideratione, a martyrio revocare Sanctum studebat. Sed ille divinitus inspiratus, a Christo nullis poterat tentationibus separari; sed sed magis uxorem, ut relictis idolis in Christum crederet hortabatur.

*uxoris clamoribus et lacrymis non movetur :*

5 Cum ergo Præsides cernerent, constantiam Martyris nulla posse ratione moveri, dederunt in eum sententiam capitalem. Quod audiens Martyr, gratias egit, et laudans Deum, ad locum destinatum ultro properabat, confirmans suis sanctis monitis fideles adeo, ut infidelium non parvus numerus crederet. Conversus tamdem ad B. Nearchum, ut ex condicto se sequeretur, monebat : et illi valefaciens gloriosa morte consummatus est.

*sententiam mortis lætus excipit :*

*occiditur.*

## ALIA ACTA

### auctore Græco anonymo,

B *exornata a Simeone Metaphraste,*

Ex Græco MS. Vaticano,

*collata cum versione Gentiani.*

### CAPUT I.

*S. Polyeucti et Nearchi amicitia : metus dissolutionis ob edita in Christianos.*

Pulcherrima hæc est, si quæ alia fuit, de S. Polyeucto Martyre narratio : quæ cum utilitate magnam habet conjunctam jucunditatem : atque hujus rei non falsam testem potest adducere experientiam. Dicenda ergo est atque in medium proferenda vobis, Deum amantibus auditoribus, et pro viribus, quæ vestra sunt, adferentibus; dum et aures orationi adhibetis attentas, et prompto excitatoque animo excipitis narrationem.

*Exordium.*

2 Temporibus Decii et Valeriani Imperatorum vivebant Nearchus et Polyeuctus, instituto vitæ milites, at majori amicitiæ vinculo inter se constricti, quam si sanguinis et cognationis intercessisset necessitudo. Tanto enim sui invicem desiderio tamque insigni consentione erant eorum animi conjuncti, ut uterque in alterius corpore se et vivere et respirare putaret. Erat autem Nearchus Christianus, in fide ac vera pietate excellens : egregius vero Polyeuctus religione Gentilis, et nondum veritatis splendore C collustratus : ceterum animum intus Christianum accurate servans, omni se virtute exornabat, factus olea frugifera, cui hoc solum deerat, quod necdum in domo Dei esset.

*S. Polyeuctus et Nearchus summe amici,*

*hic Christianus, ille Ethnicus, sed virtuti deditus :*

3 Quoniam autem Decius ille et Valerianus non recte utebantur Imperio, neque illius Datorem agnoscere et colere volebant, in quem impiam potius ac sceleratam manum erexerant; dum illum non solum ipsimet negabant abjiciebantque, sed omnes, quoque sibi subjectos, scripto propositis edictis, ad idem præstandum incitabant, omnibusque modis a Dei cognitione arcebant : in ejus veri Dei locum substituentes deos, pro dolor, falsos et vanos, illisque licet minus sensuum habeant quam statuæ et lapides, cultum adorationemque impendi cogentes. His rebus ita constitutis, ex improviso proposita sunt supplicia et præmia; his quidem qui parebant, honores, dona et pecuniæ; illis autem, qui non obediebant, minæ, pœnæ, et ultimum malum mors. Tunc amico timuit Nearchus, hoc ratus esse tempus, quo ob dissensionem in religione contingeret amicitiæ D dissolutionem apparari. Hæc animo inclusa versans, non poterat non foris manifestare, se vehementer cruciari, magnisque intus fluctibus agitari, atque occulte amicum deflere.

*ob edicta Imperatorum in Christianos sævientium,*

*Nearchus timet amicitiæ dissolutionem*

4 Cum Nearchum ita affectum, pungique aculeis doloris atque inexplicabilibus obrui gemitibus, videret præstantissimus Polyeuctus; ad eum conantem magna se animi consternatione levare, attamen vestigia lacrymarum prodentem oculis, amice accedens, interrogabat, et qua de caussa ita affireretur, cupiebat scire. Nam et ipse nihilominus dolebat, cum eum, quem ejusdem secum animi sciebat, videret sic affici. Ille autem dicere quidem volebat, neque quod amicum posset celare, subesse significabat : esse tamen caussam aliquam, propter quam, etiamsi dicere velit, necessario debeat tacere, et quam posset amici habere consolationem, hac in re minime frui. Cum autem Divus Polyeuctus multum urgeret, peteretque sibi secretum revelari, imo exprobraret ei, et amorem nihili fieri, et affectionem quæ erga eum soleret esse, immutatam videri; Numquid, dicens, in aliquo offendimus? Quanam molestia affecimus? Quæve res adeo atrox evenit, quæ Polyeucto tuo omnem veniam intercludat? Quæ cum ille diceret, animoque angeretur, non potuit Nearchus perferre, E lacrymis oppletus, et profundo suspirio internam cordis flammam portendens, O amicissime inquit, quia futuram nostræ consensionis et dilectionis separationem mecum cogito, animum cogor quoque nunc abrumpere.

*S. Polyeucto renuit indicare caussam tristitiæ :*

*multum urgenti indicat metum dissolvendæ amicitiæ.*

5 Hoc ubi ille audiit, corde gravissime perculsus, Quomodo hæc, inquit, Nearche, quomodo et cur hæc inexpectata verba? Et undenam hæc nobis erit separatio, quam ne quidem a morte inferendam inter nos statuimus? Tum Nearchus, Hoc enim est, inquit, o carissime, quod me propemodum suffocat, ipsumque comprimit spiritum atque animam : quoniam hæc separatio, quam dixi, humana morte difficilior nobis et magis molesta accidit. Quoniam vero quorsum hæc dicerentur, nondum posset capere Polyeuctus, subito surgens, amplectitur amicum, atque eum ita detinens ardentissimo complexu, Sed dic mihi, inquit, Nearche, loquere clare, et explica, quomodo hæc futura sit separatio : neque enim amplius fero hoc minime amicum silentium. Sin minus, videbis nunc me, tuum Polyeuctum, jacentem in terra mortuum atque exanimem. Nearchus quoque videbatur velle loqui, sed animo concitatus, linguam nequibat movere : et (quod solum apparebat, triste et perturbatum) fixis oculis adspiciebat amicum et mœrorem animi indicabat admodum vehementem. Postquam autem vidit Polyeuctum affligi, animo dejici, atque in terram procidere, esseque a dolore jam prorsus superatum, cogitur in hanc vocem erumpere. Hoc edictum Imperatoris, inquit, o amantissime Polyeucte, nobis separationem et disjunctionem adferet. Quæ ubi audivit sapientissimus Polyeuctus, quid sibi ea verba Nearchi vellent, statim conjecit. Cogitabat enim quod amborum in religione dissentio jam examinanda, et severitas Principum cogeret eos a se invicem disjungi.

*iterum instanti*

*et nimium afflicto indicat edicta Imperatorum*

F

### CAPUT II.

*S. Polyeucti ad fidem conversio ; revelatio illi facta. Edictum Imperatorum et idola confracta.*

At divinior quædam eum erexit cogitatio. Revolvens enim animo quam viderat visionem, eamque huic tempori judicans convenientem, cœpit gaudio ac voluptate repleri : et qualis hæc fuerit visio, communicavit amico, dicens : Est aliquid, Nearche, quod hanc

*S. Polyeuctus confirmatus revelatione Christi, donatus veste pretiosam,*

A hanc fieri separationem nobis brevi prohibebit. Vidi enim ego Christum, quem tu adoras, ad me accedentem, qui hac me sordida, qua sum indutus, veste exuit, aliqua valde pretiosa (o quis ejus pulchritudinem ac splendorem enarrabit?) induit, fibula aurea circa humeros constricta : deinde equum mihi alatum quoque tradidit. Atqui talis fuit visio, quam vidit Divus Polyeuctus : nequaquam autem vanus auctor hæc dicebat, sed quod futurum erat, accurate exprimebat. Mutata namque illa pulcherrima vestis est, e deteriore in meliorem facta mutatione, dum a terrena militia ad cœlestium et divinorum militum assumitur numerum, per quem Martyr in choro Martyrum erat collocandus. Alatus autem ille equus quid aliud poterat significare, quam illius celerem a terra in cœlos ascensum?

*ei equum alatum;*

7 Hæc postquam audivit Nearchus, gavisus est, ac multa lætitia repletus, dixit : Christum nosti? Christum, Polyeucte, qui vere Deus est? Ad quæ ille respondit : Quando eum ignoravi? Nonne, quando de eo loquebaris, animum meum subibat tremor? Nonne te legente ejus sermones, in admirationem rapiebar? Solum mihi deerat nomen, cum alioquin affectu essem Christianus, ac Domini Christi mancipari servitio properarem; multum valere jubens falsam Deorum idololatriam. Quid ergo facimus, o Nearche, B cur non aperte declaramus nostram in Christum confessionem? Et Nearchus hæc libenter accepit, ac veluti seipsum denudans et revelans, dixit : Sed neque mihi, Polyeucte, divitiæ, neque gloria, neque militaris ulla dignitas, neque res aliqua hujus mundi præferenda est vitæ, quæ est in Christo. Hanc solam desidero : reliqua autem parvi et nullius pretii æstimo. Deinde rursus divinus Polyeuctus, quasi ejus sententiam exploraturus, inquit : Quid vero, nonne concupiscis hanc, qua jam frueris, dignitatem? Nearchus quoque hæc ex animo, et non tentandi gratia, existimans provenisse, Videris mihi, inquit, Polyeucte, ignorare et veram in Christo dignitatem, et eam, quæ apud ipsum est, gloriam et beatitudinem nullo unquam tempore finiendam. Sic igitur inter se colloquentes, sibi invicem mentem interiorem aperiebant.

*fidem Christianam amplectitur :*

*de ejus dignitate loquitur cum Nearcho.*

8 At bonus Polyeuctus volens aliquid et jucunde et lepide dicere amico, Tu suspicatus es, inquit, me ignorare eam, quæ in Christo est, gloriam, quæque apud illum est, beatitudinem. Ego vero videor, et te, Nearche, prœcessisse, et regiam cœlestemque, ut nosti, chlamydem per revelationem accepisse. Attamen cupio te de spirituali aliquo capite interrogare. Vereor enim, ut, si absque expiatione et Sacramen- C tis accesserim ad Servatorem, coram eo gratus appaream, et dignus qui valeam ejus militibus annumerari. Quibus auditis, statim surgit Nearchus animoque ferventiore incipit amicum recreare, promptioremque reddere ad fidem Christi, dicens : Nulla sit tibi, o carissime hac super re dubitatio. Scriptum est enim, posse Deum etiam ex his lapidibus filios Abrahæ suscitare. Hoc quid est aliud, quam posse etiam Gentiles ex insperato salvos fieri, et milites Christi constitui? Quoniam omnibus omnino cœlorum aperta est porta, et nulli ex omnibus occlusus est salutis aditus. Unde etiam is, qui credit, magnam mercedem parvæ illius mercedis recipiet : propterea enim iis, qui prima, tertia, sexta et nona hora in vineam iverunt, æqualis etiam decernitur merces, adeo ut, quamvis sero ipse accesseris, eisdem tamen, quibus primi, dignus habendus sis præmiis. Ad hæc Divus Polyeuctus, tamquam ejus mentem subiisset recordatio, Per veritatem, inquit, audivi aliquando te, o carissime Nearche, ex divina Scriptura ejusmodi aliquid latenter legere; quomodo Christus in conferenda mercede eos, qui una operati hora fuerant, eadem honoraverit portione, qua eos qui totum D diei æstum sustinuerant. At Nearchus, Si miranda velis, inquit, et alia multa ejusmodi reperies exempla. Latro enim, qui cum Christo cruci affixus fuit, quamvis multorum reus esset criminum, pro modico tamen et brevi verbo magnam confestim invenit meriti compensationem : ita qui multis emitur sudoribus ad Paradisum introitus, admodum facile ab eo comparatur : quoniam parva etiam fides magnos potest montes transferre.

*cupit instrui*

*Matt. 3. 9*

*docetur quomodo sero vocati, copiosam mercedem accipiant*

*EX MS GRÆCO, INTERPR. G. H.*

9 Quibus auditis, Divus Polyeuctus animo statim erigitur, et quasi corporeorum ac terrenorum omnium plane jam oblitus, dicit Nearcho : Prolixe paciscamur, nos quibuscumque mandatis constantius obtemperaturos esse : ego enim rebus humanis de cetero renuntiavi. a Hoc autem, aliquem nostrum debere pro Christo martyrium subire, manifestum nunc reddidit : ea quæ etiam, de illo inquam, præscivit Divina Domini clementia. Ecce enim, quæ in cœlis pulchra sunt, tamquam mihi præsentia, repræsentat cogitatio : Christum ante oculos video, et splendore visionis illius vultus meus illuminatur. Cæterum tempus jam est, ut impium Imperatorum edictum legamus, et quidnam nos facere velit, accurate sciamus.

*terrena spernit :*

*a*

*cœlorum pulchritudine recreatur ;*

10 Sic dixit, et irruens accepit, inter legendum conspuit, atque in particulas confractum abjecit vento dispergendas. Deinde sic conversus videt idola deportari, atque ut ab insipientibus adorentur, ad E aras deferri. Ea cum jucundo admodum et calido risu perfundisset, primo simulat se æquo ad illa animo accedere, tum singula illorum accipit, protinus humi allidens simul omnia contrivit, et in subtilem pulverem redegit.

*frangit edictum Imperatorum.*

*Et idola.*

a *Græce*, τὸ δὲ, τινα ἡμῶν ἐν Χριστῷ μαρτυρῆσαι δεῖ, δῆλον ἤδη πεποίηκεν, ἣ καὶ προέγνωκα, φημὶ περὶ τούτου, θεία τοῦ δεσπότου φιλανθρωπία (*hæc Gentianus sic vertit* : Quodnam autem de Christo nos oporteat ferre testimonium, planum fecit, quæ id præscivit Divina Domini clementia. *At noster sensus clarior est, maxime si loco vocis* δεῖ, δεῖναι *legatur.*

## CAPUT III.

### *S. Polyeucti invictus animus inter lamenta soceri et uxoris. Verbera, mors, sepultura.*

His ita factis, a Felix ejus socer accessit : erat enim persecutor ab Imperatoribus constitutus : is intuitus quæ Polyeuctus fecerat, ægre admodum tulit. Heu, inquiebat, absque liberis constituitur Felix, et qui ob eos prius eram conspicuus, repente eorum orbitate infelix reddor. Nullus deorum aut hominum potest misereri Polyeucti, qui talia est ausus, ac deos nostros contrivit. Ad hæc Divus Polyeuctus, veluti magis hoc facto gloriabundus (tantum enim aberat, ut reformidaret aliquid et extimesceret) Nunc ego, F inquit, quia eos contempsi, reipsa quam sint imbecilles, deprehendi. Quod si alios Deos habeas, etiam hi in medium proferantur : hinc etenim cognosces, quomodo nos Christi servos conspuere illa idola oporteat. Tum Felix humana quadam et miserabili affectione de Sancto cogitans, ita eum alloquitur : Quin velis aliquantisper vivere, Polyeucte, donec uxorem tuam adspicias. At quomodo, inquit Sanctus, uxoris ac filiorum adhuc sollicitus sim, qui nullam omnino rerum humanarum curam sustineo, sed cœlestibus solum et incorruptibilibus bonis mentem occupo? At tua filia, si me sequatur, vel hac cogitatione atque intentione erit beata; sin minus cum diis tuis mala male peribit.

*a non movetur minis soceri Felicis,*

*non objecta uxoris et filiorum memoria,*

12 Ob hæc lacrymis perfusus Felix, spem ejus omnem amisit : ideo dupliciter cæcutiens, tum quod illa animi defectione obrueretur, tum etiam quod erga idola insaniret, hæc verba tantis tenebris tantaque dementia digna locutus : Hei mihi, te quoque, Polyeucte, artes Christi magicæ in errorem abduxerunt

*non artibus magicis conversione ejus adscripta*

A runt. Cui Martyr valde prudenter ac generose respondit : Non per sacra Martyrum certamina, non, inquam, nego ad veritatis cognitionem ab illo me vocatum esse. Ipse enim est, qui sua benigna gratia animam meam demulsit, atque a tenebris ad lucem et ab errore ad veritatem deduxit, dignumque fecit, qui ejus miles et essem et nominarer.

*Ex MS. GRÆCO. INTERPR. G. H.*

*capitur :*

13 Cum hæc dicerentur, accesserunt, qui Sanctos persequebantur, et comprehendentes Martyrem, sacrum os ejus percutiebant. Oderant in veritate ab eo in foribus redargui, nec poterant malis auribus vim veritatis ferre. At generosus Polyeuctus plagas illas neutiquam curabat. *b* Nam Christum, qui pro se passus fuerat, prope se videbat adstare : quo sibi posito refugio, contempsit quodcumque ad se accederet malum, ne quidem flagellum, quod appropinquaret tabernaculo suo.

*percutitur :*

*b*
*a Christo adstante confirmatur :*

14 Has ergo plagas, uti dictum est, parum curabat Polyeuctus : luctabatur autem adversus aliam maligni diaboli artem. Nam adductis ad eum socero et uxore lacrymantibus, ac vario affectu commotis, conabatur animum ejus istis præstigiis decipere, et quantum fieri posset, vires ejus et robur dissolvere. Hic vero insidiarum diabolicarum non ignarus, seipsum valde utiliter commovit, animæque fortitudinem, B atque iram aliquatenus excitatam, effœminatæ mollitiei ex lacrymis progenitæ, opposuit, graviter admodum et fortiter *c* socerum allocutus : O sceleste, inquit, et profanorum mystagoge idolorum, cur me insidiosis tuis et uxoris lacrymis studes a confessione in Christum abducere? Et quorsum defles Polyeuctum? Deberes multo magis teipsum deflere ac lamentari, quod, postquam ad tempus servitium Principibus brevi perituris impenderis, æterno igni sis tradendus. Et hæc quidem dixit Felici socero. Intuitus dein uxorem Paulinam, miserabiliter lacrymantem, et dicentem : Quid tibi, Polyeucte, accidit? Qua fraude inductus es, ut duodecim deos nostros confringeres? Suaviter admodum irrisit Sanctus, dicens : Si ego solus duodecim deos vici et contrivi, ecce deorum omnino facta es egena. Age ego, o Paulina, docebo te notitiam veri Dei, quem festina adorare, et hanc brevem vitam æterna commutare.

*adducta coram uxore immobilis,*

*c*
*adhortatur socerum,*

*dein uxorem :*

15 Interea dum hæc dicerentur, et multi Gentiles per ipsum ad fidem Christianam converterentur; persecutores simul omnes congregabantur, et partim promissis, partim minis contrarium conabantur Sancto persuadere. Quoniam vero illud factu difficile atque perarduum erat, neque ulla ad illud peragendum spes affulgebat; ut ense statim mortem subeat, sententia contra eum fertur. Hæc res dum indicata fuisset Polyeucto, ecce nihil apparebat in eo mœstum, C nihil subtriste, nihil eum omnino effœminatum, et ignobile loqui, aut videri pati. Ecquis alius tum non succubuisset, jucundæ huic luci vitæque indulgens? Verum hic, quasi ex tenebris et afflictione ad gloriam deliciasque transiret, magnam ostendebat lætitiam animique alacritatem; utpote qui jam ea, quæ istic est, inciperet beatitudine frui. Nam et iis, qui aderant affirmando dicebat : Vidi quemdam ad me accedentem juvenem, et alloquentem, et omnibus modis inducentem, ut terrenorum omnium immemor fierem.

*audita mortis sententia exsultat,*

*cœlitus corroboratus*

16 Sed quis tui, Dive Polyeucte, vel hoc solum laudandum assumens, dignam te possit laudem contexere? Nam jam eras moriturus, et divinum baptismum atque in Christo signaculum per sacrum tuum sanguinem accepturus (O generosam animam! O mentem stabilem et minime fallacem!) et necdum amicitiæ Nearchi oblitus es, sed eum intuitus, Vale, Nearche, inquis, et fœderis recordare. Hac voce, instar ultimi doni, amico generose relicta, ad ensem procedebas, et per eum alacri animo mortem subibas.

*alloquitur Nearchum*

*gladio cæditur.*

17 Cum igitur hoc modo vitam finiisset Divus Polyeuctus, qui erant inter fratres diligentiores, sacrum ejus corpus Melitenæ, urbe Armeniæ, deponunt, æternamque sibi hæreditatem acquirunt. *d* Quatriduum autem fuit, quod vidit utique et finem Polyeucti et corporis depositionem. Inserviit istic quoque Nearchus, accepitque Martyris amici sanguinem, nitidoque impositum linteo, portavit in civitatem *e* Cananeotarum, conferens illis arma salutis, et hereditatem revera beatam. D

*sepelitur.*

*d*

a *Græce* φίλε. — b *Gentianus* : Videbant enim Christum, qui pro eo erat passus, prope ipsum assistere. *Quæ melius in singulari de S. Polyeucto Græce ita leguntur* : Ἑώρα γὰρ τὸν ὑπὲρ αὐτοῦ παθόντα Χριστὸν πλησίον αὐτοῦ παριστάμενον. — c *Græce* πρὸς μὲν τὸν κηδεστὴν *Quæ verba defuerunt exemplari Lipomani* — d *Græce* τετρὰς δὲ τῶν ἡμερῶν ἦν quaternio dierum *seu* quatriduum. *Gentianus* : Fuit autem dies quartus, qui vidit *etc. scilicet ab ejus ad Christum conversione* — e *Græce* εἰς τὴν Κανανεωτῶν πόλιν : *at quænam ea urbs fuerit, nos latet.*

## APPENDIX *a*

### *De Fulminatrice legione.*

Hæc facta sunt tempore *b* Decii et Valeriani in prima Orientis persecutione. Nam primo Martyr effectus est Hierosolymis sacratissimus Stephanus, secundo *c* Philoromus Alexandriæ in Ægypto, et tertio Divus Polyeuctus Melitenæ in Armenia ante diem quartum Idus Januarii. Hujus extant magna et frequentia, non leviter sed evidenter Christianis etiam post mortem exhibita patrocinia. Et quidni essent? Cum ipse talis foret, et genus illinc duceret, ejusdemque esset sodalitatis, illustrium, inquam, et omnibus fide in Christum conspicuorum : qui sequebantur Marcum Imperatorem, adversus barbaros bellum gerentem. Laborabat aquæ penuria exercitus Romanorum, atque anxius admodum erat Imperator, quod et hostes valde prævalerent, et nostros inter cetera sitis affligeret. Tum Christi milites, et hi conserendæ pugnæ pares, qui eamdem legionem, in qua et hic venerandus *e* Martyr, complebant, separati, et procul ab exercitu remoti, manus sanctas ad Deum tollunt, piamque fidem, quam colebant, ferventissime proponunt. Implorant autem Dei clementiam, ut benignis eos oculis adspiceret, et hac necessitate, quæ opprimebat multitudinem liberaret : qui ita precati, suis votis non sunt fraudati. Nondum enim precibus finem imposuerant, quando et densa nubes cœlum subiens, aerem implevit tonitru, et fulgura elisa micabant, et magna erupit pluvia, adeo ut dum sic ferrentur fulmina et imbres, recreati quidem sint Christiani, at plurimi barbari interierint : et legio nomine conveniente sit nuncupata Κεραυνοβόλος, id est Fulminis jaculatrix, huc usque ex hac tanti miraculi efficientia cognita ad gloriam Patris et Filii et Spiritus sancti, unius et consubstantialis Divinitatis : cui convenit omnis gloria, honor, adoratio, nunc et in secula seculorum, Amen. E

*b*

*d*

E

a *Hæc sejungimus postea ab homine imperito adjuncta, quorum in Menæis, aut Latinis Actis vestigium nullum est.* — b *De his Imperatoribus supra actum ac sub Decio septimam, sub Valeriano, quando et passus est, octavam fuisse persecutionem constat.* — c *Dedimus 4 Februarii Acta SS. Phileæ Episcopi, et Philoromi Tribuni militum, qui Alexandriæ passi sunt, sed anno Ch. 304, ante quos istic quam plurimi Martyres fuerunt.* — d *De hac pluvia precibus Christianorum militum exercitui M. Aurelii Antonini impetrata agunt S. Justinus Martyr Apologia 2 pro Christianis, Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 4, et in Apologetico adversus Gentes c. 5, Eusebius lib. 5 hist. Eccl. c. 5 Orosius lib. 7 cap. 15, Nicephorus lib. 4 cap. 12. Baronius an. Ch. 176, et passim alii. Contigit autem an. 174.* — e *Non tunc fuit in fulminatrice legione Polyeuctus integro fere seculo junior, postea in eam legionem, quæ nomen retinebat, cooptatus, ut hic quidem dicitur, si fidem hæc appendix mereatur.*

DE

A

DE TEMPLO CONSTANTINOPOLITANO

## S. POLYEUCTY,

*ex S. Gregorio Turon. lib. 1 Miraculorum cap. 103.*

*In templo S. Polyeucti Constantinopoli perjuri divinitus puniti.*

Apud Constantinopolim vero magno cultu Polyoctus Martyr colitur, pro eo præcipue, quod cum magnis virtutibus polleat, in perjuris tamen præsens ultor existit. Nam quicumque ut assolet occultum scelus admiserit, et data suspicione ad hoc perductus fuerit templum, aut hoc, quod admisit, virtute Martyris perterritus, confitetur, aut si perjuraverit, protinus ultione divina percellitur.

*Dives matrona, auro a Justiniano Imperatore expetito.*

2 Hujus basilicæ cameram Juliana quædam urbis illius matrona, auro purissimo texit, hoc modo. Cum ad Imperatorem Justinianum fama facultatis ejus multis narrantibus pervenisset, ad occursum illius properare celerius non tardavit, dicens: Latere te non puto, o venerabilis mater qualiter a specie auri thesauri publici sint exhausti, dum vos quietos esse volumus, dum patrias defensare studemus, dum gentes nobis placamus, dum solatia diversorum dando conquirimus. Ergo quia tibi potentia majestatis Divinæ multum contulit auri, quæso ut nobis manum porrigas, atque aliquid pecuniæ commodes, ut, cum B tributorum publicorum fuerit summa delata, illico tibi, quæ commodaveris, reformentur, ac in posteros laudis tuæ titulo præcurrente, canatur, urbem Constantinopolitanam a Juliana matrona fuisse pecuniis sublevatam. At illa intelligens Imperatoris ingenium, sapienter obtegit, quæ Deo dovoverat, dicens: Parvitas redituum meorum tam de tributis, quam quod de fructibus speratur per ipsas adhuc residet domos: si ergo gloria vestra recipiendi spatium tribuit cum collectum fuerit, conspectui vestro repræsentabitur. Cumque oculis propriis cuncta contemplati eritis, quæ placuerint, et relinquetis et auferetis; erit mihi ratum, quod voluntas cordis vestri censuerit. His ita delusus Imperator verbis, ad palatium gaudens rediit, putans se hanc pecuniam jam in thesauris publicis retinere. At illa vocatis artificibus, quantum reperire auri in promptuariis potuit, tradidit occulte, dicens: Ite et factis juxta mensuram tignorum tabulis, Beati ex hoc Polyocti Martyris cameram exornate, ne hæc avari Imperatoris manus adtingat. Illi vero perfecta omnia, quæ matrona præceperat, cameræ affixerunt, texeruntque ex auro mundissimo. D

*fornicem templi tegit:*

*Ex S. Gregor. Turon.*

*invitat Imperatorem:*

3 Quo opere explicito, vocat mulier Imperatorem, dicens: Parvitas pecuniolæ, quam conjungere potui, adest: veni ad contemplandum eam, et quod libuerit, facito. Surrexit gavisus Imperator de solio, nihil percepturus ex auro: pergit ad domum mulieris, putans se copiosos thesauros palatio deportare. Cui cum mulier occursum humiliter reddidisset, invitat in templum Martyris ad orationem: erat enim proximum domui ejus, et hæc quæ habere poterat, loco illi delegaverat sancto. Adprehensa autem Imperator manu mulieris, eo quod esset senex, ingreditur ædem: prosternitur ad orationem, qua expleta, ait mulier: Suscipe, quæso, cameram hujus ædis gloriosissime Auguste, et scito, quia paupertas mea in hoc opere continetur. Tu vero quod volueris, exinde facito, non adversor. Ille vero suspiciens atque admirans, erubuit: et, ne pudor ejus manifestaretur, conlaudans opus, et gratias agens, abscedere cœpit. Sed ne rediret vacuus a munere, extractum mulier annulum a digito, cujus gemmam vola concluserat, qui non amplius auri pondus quam unius semunciæ continebat, obtulit, dicens: Accipe, Imperator sacratissime, hoc munusculum de manu mea, E quod supra pretium hujus auri valere censetur. Erat enim in eo a lapis Neronianus, miræ viriditatis ac splendoris: qui cum fuisset ostensus, omne aurum quasi in viriditatem visus est convertisse. At ille accipiens, et iterum atque iterum gratias agens, et collaudans matronam, in palatium est regressus. Unde non est dubium, etiam in hac re Martyris hujus intercessisse virtutem, ne opes locis sanctis et pauperibus delegatæ, in illius transferrentur dominationem, cujus non fuerant studio congregatæ.

*ostendit aurum impensum:*

*donat ei pretiosum annulum.*

a *Id est Smaragdus gemma. Nam, ut S. Epiphanius lib.* 12 *de gemmis cap.* 3, smaragdus Neronianus est parva forma valde viridis, pellucidus et splendens: *additque ita appellatum ferri, quod* Nero oleum in multa vasa infuderit, et intervallo temporis oleum viridem colorem contraxerit, hocque oleo lapis copiosius rigatus, floridioris coloris evaserit. *Ast alios ait dicere,* Neronem quemdam antiquum artificem, gemmarum scalptorem, smaragdi præcipuum usum invenisse, et gemmam istam ab illo Neronianam dictam. *Hæc Epiphanius, at teste Plinio lib.* 37 *cap.* 5 Princeps Nero gladiatorum pugnas smaragdo spectabat.

# DE S. JULIANO MARTYRE.

J. B.

*XIII Febr.*

*S. Julianus Martyr colitur 13 Febr.*

*an Lugduni passus?*

Julianum *Martyrem urbi Lugdunensi (haud sane exiguum decus, si verum) primus attribuisse videtur Petrus de Natalibus lib.* 11 *cap.* 130 *num.* 63, C *ita scribens:* Stephanus Episcopus et Julianus Martyres eodem die Lugduni passi sunt *Galesinius eum secutus ex parte est; nam de* Stephano *isto habet:* Lugduni item S. Stephani Ep. et Confess. *Atque antea:* Lugduni S. Juliani Martyris, cujus fortiter et religiose facta, Ecclesiasticis annalibus consignata sunt. *Citat in Notis codicem MS. et monumenta Ecclesiæ Lugdunensis: quæ monumenta ignorata sane Theophilo Rainaudo fuere, dum Indiculum conscriberet Sanctorum Lugdunensium, ut ne quidem explorare potuerit, quo tempore is mortem obierit. Neque amplius assecutus Saussaius: divinat tamen, non ab hæreticis, aut alioquin Christianorum tempore ab sceleratis hominibus trucidatum, sed cum idolorum cultus vigeret; atque ista de eo prædicat:* Lugduni S. Juliani Martyris, qui dire exagitatus, ut a Christi cultu ad idolorum impietatem traduceretur; cum fortiorem in fidei assertione se præberet, æternum erexit moriens suæ pietatis et patientiæ monumentum. *Verum hæc de quolibet ab Ethnicis interfecto dici possunt. Romano quoque Martyrologio ita inscriptum a Baronio* Juliani *nomen:* Lugduni S. Juliani Martyris.

*an Nicomediæ?*

2 *Antiquiora Martyrologia, præsertim MSS. vel nullum locum, in quo ille certamen exegerit, designant,* F *vel saltem diversum a Lugduno. Ita MS Ecclesiæ S. Lamberti Leodii.* Ipso die passio S. Juliani. *Usuardi Martyrol. Lubecæ an* CIↃCCCCLXXV *excusum:* Lugduno natale S. Stephani. Et S. Juliani. *Ex simili codice manasse error videtur, ut, extrita interpunctione, uterque Lugduno assignaretur. Maurolycus ita eos mutuo sejungit:* Lugduni S. Stephani Episcopi, et Juliani apud Nicomediam, Martyrum. *MSS. pervetusta monasteriorum S. Cyriaci Romæ, S. Martini Tornaci, ac Lætiensis:* In Nicomedia passio S. Juliani Martyris. *Idem habent Hermannus Greven, MS. Martyrol. Eccl. Aquisgranen. MS. Florarium, Martyrol. Coloniæ excusum anno* CIↃCCCCXC, *plurima Belgicarum Ecclesiarum MSS. Martyrologia, Usuardi nomine insignita.*

*an Iuliana Virgo?*

3 *MS. S. Hieronymi, sive vetustissimum Romanum, Nicomediensem hic memorat, non* Julianum, *sed* Julianam; *ita enim habet:* Nicomediæ passio S. Julianæ Virg. *At* XVI *Februarii, quo ea Fastis Romanis inscripta,*

A *scripta, idem MS* In Campania Cumbis nat. Julianæ. *Quasi vel diversa fuerit, vel, si una, ea Idibus passa,* XVI *Cumas postea translata sit. Divitis-Augiæ, sive Richenoviensis cœnobii per antiquum MS. hic* Julianum *statuit, quem alii* Tullianum *vocant, aut qui* Julianum, *saltem pridie passum Alexandriæ; nam ita habet :* In Alexandria Juliani, Cyriaci et Ammonii. *At Wandelbertus* Julianum *S. Basilissæ Virginis sponsum ante tot jam secula hoc die coli censuit, his verbis :*

AUCTORE G. H.

Idibus æthereum Julianus scandit honorem,
Sponsa Beata animum cœlo cui junxit ovantem.

*an Julianus qui 9 Januarii?*

*Horum Acta dedimus* IX *Januarii. Hinc saltem liquet, ante nonum a Christi ortu seculum, quo vixit Wandelbertus Prumiensis in diœcesi Trevirensi monachus, aliquem hoc die, quicumque is demum sit, celebre in Ecclesiæ Fastis nomen obtinuisse* Julianum. D

4 *In veteri Missali Tornacensi, et Breviario antiquo Bruxellensi celebratur hoc die S. Julianus Martyr Missa propria atque Officio* III *Lectionum : uti et in Breviario Ecclesiæ Antverpiensis antiquo : Sed in hoc videtur agi de* S. Juliano Hospitatore; *qui tamen cur* Martyr *vocetur, nos latet. Ita habet Collecta :* Deus, qui B. Julianum, pium Martyrem tuum hospitalitatis gratia insignem reddidisti, præsta, quæsumus, ut ejus meritis et intercessione ad hospitium congruum et divinæ Majestati acceptum nos tuos famulos perducere digneris. Per Dominum. *De* S. Juliano Hospitatore *egimus* XXIX *Januarii : quem et quidam* XII *Februarii, alii* XXXI *Augusti venerantur.*

*an Hospitator, qui 29 Januarii?*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

# TULLIANO, ANTIO, CYRIACO, AMMONIO.

G. H.

XIII FEBR.

S*anctos hos Alexandrinos Martyres exhibent plura MSS. Martyrologia. Tornacense S. Martini :* In Alexandria natale SS. Tulliani et Ammonii. *Lætiense :* In Alexandria SS. Tullii et Ammonii. *S. Maximini :* Passio Juliani et Ammonii. *Richenoviense :* In Alexandria Juliani, Cyriaci et Ammonii. *MS. Aquisgranense hosce Martyres hic recenset :* In Nicomedia passio S. Juliani. In Alexandria Tul-B liani, Anciriaci, Ammonis. Lucdivio, *(imo Lugduni,)* Stephani Episcopi. Cyriaci Castoris Presbyteri. *De S. Stephano et S. Custore hoc die seorsum agimus.* Cyriacum *Martyribus Alexandrinis jungimus. Hermannus Greven in additionibus ad Usuardum duos etiam ordines constituit his verbis :* Cyriaci. In Alexandria Tulliani, Anchiriani, Ammonis. *Martyrologium MS. Romanum, quod S. Hieronymo attribuitur, ab his Martyribus ita hunc diem auspicatur :* Idibus Februarii in Alexandria Nat. Tulliani, Autii, Cyriaci, Ammonii. *Hæc ibi, ex* Autio et Cyriaco *videtur in Aquisgranensi unicum nomen conflatum* Anciriacus, *et corrupte magis apud Hermannum Greven* Anchirianus : *ac dein alius statuitur* Cyriacus. XIV *Februarii alius* Ammonius *Alexandriæ passus colitur, sed* S. Dionysii *socius.* E XII *Februarii cum pluribus sociis veluti in Fastos* Julianus, Cyriacus, Ammonius, *et quidem Alexandriæ coronam promeriti. Itemque* XI *Februarii,* Cyriacus, Ammonius, *sed cum aliis : ut non sit certa ulla nota, ex qua statuere possimus eosdem esse secundo aut tertio recensitos.*

# DE S. BENIGNO

## PRESBYTERO MARTYRE TUDERTI IN UMBRIA,

### Commentarius historicus.

G. H.

SUB DIOCLETIANO. XIII FEBR.

T*udertum urbs antiqua Umbriæ, media inter Narniam et Perusiam, ab utraque ad* XX *circiter millia passuum distat, haud procul Tiberis ripa, olim* Tuder *dicta : scilicet quando, ut canit Silius lib.* 6 :

*Tuderti urbe antiqua,*

Cosleis Umbros atque arva petebat
Hannibal, excelso summum qua vertice montis
Devexum lateri pendet Tuder.

*Ita et Strabo lib.* 5 : Τοῦδερ ἐρυμνὴ πόλις, splendida urbs Tuder. *At Plutarchus in Crasso:* πόλιν Ὀμβρικὴν C Τουδερτίαν Tudertiam urbem Umbricam *appellat. Eadem urbs a temporibus Apostolorum fidem Christianam suscepisse traditur, quamvis Episcoporum, qui tribus prioribus seculis istic sederint, duorum tantum nomina reperiantur. Horum alter* S. Terentianus, Tudertium Patronus, *creditur circa annum* CXXXVIII *Martyr in cælos migrasse Kalendis Septembris. Alter est* S. Pontianus, *persecutione Diocletiani et Maximiani martyrio perfunctus, coliturque* IX *Julii.*

*fuere Episcopi Martyres,*

2 *Sub hoc Pontiano vixit* S. Benignus Presbyter, *eadem persecutione palmam assecutus : cujus hoc die ita meminit Martyrologium Romanum :* Tuderti S. Benigni Martyris. *Joannes Baptista Posserinus libro de Vitis Sanctorum Tudertinorum anno* CIↃ.IↃCXVII *edito, etiam* XIII *Februarii adscribit* S. Benignum Presbyterum et Martyrem Tudertinum, *de quo asserit nihil aliud compertum, nisi* Martyrem persecutione Diocletiani et Maximiani occubuisse, ejusque corpus cum magna veneratione adservari in monasterio Tudertino Ordinis S. Benedicti, Militiarum appellato, *sive* de Militiis, *ut vocat Baronius in Notis ad Martyrologium, ubi et addit, esse* monasterium monialium, *et de* S. Benigno se vidisse vetera monumenta Ecclesiæ Tudertinæ, impartita ab Angelo Cæsio ejus civitatis Episcopo : *qui illi Ecclesiæ per quadraginta annos præfuit ab anno* CIↃIↃLXVI *usque ad* CIↃIↃCVI, *et* vetustas Ecclesiæ constitutiones et novas synodales additas imprimi fecit, una cum Officio Sanctorum Tudertinorum, Apostolica auctoritate approbato : *uti ex Catalogo MS. Præsulum Tudertinorum bibliothecæ Barberinæ refert Ughellus tom.* 1 *Italiæ sacræ in Episcopis Tudertinis. Ludovicus Jacobillus in libro de SS. Umbriæ, ad* XIII *Februarii agit de* S. Benigno, *et vetera a Baronio indicata* monumenta, *appellat* Lectiones antiquas MSS. *additque eum* celebrari per totam diœcesim Officio Ecclesiastico sub ritu duplici: *Ex his officiis Ecclesiæ Tudertinæ approbatis, hanc vitæ epitomen edidit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ,* XIII *Februarii.*

*et S. Benignus Presbyter :*

*de eo extant vetera monumenta,*

F

*et officium ecclesiasticum :*

3 Benignus Tuderti natus, a prima ætate in Christiana religione eruditus, ita in ea profecit, ut sacris ordinibus insigniri mereretur, ac tandem ad sacerdotii dignitatem perveniret : quo tempore Diocletianus et Maximianus Imperatores in Christianos persecutionem commoverant. Cum autem Benignus divinæ pietatis ardore incensus, nullo terrore perculsus, fidem verbo et exemplo promulgare non desisteret ; ab idolorum cultoribus captus, variis afficitur suppliciis, ac demum munus sacerdotale martyrii gloria cumulavit. Corpus eo loco sepultum est, in quo basilica cum sacrarum mulierum cœnobio ejus nomini ædificata fuit : cujus vestigia ad hæc usque tempora, ecclesia ipsa solo æquata, cernuntur ; unde

*Vitæ compendium ex Ferrario*

celebri

A celebri pompa ad ecclesiam monialium S. Benedicti translatum est.

*Furaturus quidam ejus caput, divinitus impeditur.*

4 Contigit autem miraculum hujusmodi : quod, cum monachus quidam conversus, ut vocant, sacrum Benigni caput, quod in argentea theca inclusum asservatur, furaturus, in ecclesia se abdidisset, ac theca lapide confracta, abstulisset ; numquam loco D egredi potuit : circumiens enim numquam ecclesiæ ostium, Divina operante virtute, reperire potuit. Quare caput referre, in eadamque theca recludere coactus est.

AUCTORE G. H.

# DE S. PALLADIO
## MARTYRE ROMANO ANTVERPIÆ.

J. B.

XIII FEBR. *S. Palladii Translatio an. 1652*

R*efossa Romæ e S. Agnetis cœmeterio* SS. Flori *et* Palladii *Martyrum corpora, Antverpiamque allata, hujusque Antistite urbis approbante, publicæ venerationi exposita anno* CIƆIƆCLII, *diximus* XII *Februarii, cum de* S. Floro *ageremus : nam is dies illius celebritati dicatus, sequens* S. Palladii. *Ac de hoc, præter quæ illic de utroque communiter dicta, nihil suppetit : nisi quod ut illud Dominica Quinquagesimæ illatum solenniter in ecclesiam Domus professæ Societatis* Jesu, *ita hoc feria secunda post vespertinam itidem concionem : at feria tertia splendido sacrorum apparatu honoratum.* Palladium *Romanum Martyrem nusquam alium legimus.* VIII *Januarii* Palladius *memoratur quidam, uti et* VII *mensis ejusdem* Palladas, *uterque cum pluribus sociis, quos vetera nonnulla Martyrologia in Græcia martyrii confecisse cursum tradunt: quare hunc ab utroque illo diversum suspicamur.*

23 *Febr.*

NOT. 32.

# DE S. JULIANA MATRONA
## TAURINI IN PEDEMONTIO,

B

Commentarius historicus.

G. H.

### § I. S. *Julianæ Vita, obitus, cultus sacer.*

SECULO IV

XIII FEBR. *Taurini in templo Societatis Jesu, inter alias Reliquias,*

D*uobus proxime perlustratis diebus egimus de S.* Tigrino *Martyre, et S.* Goslino *Abbate, quorum sacræ Reliquiæ adservantur Augustæ Taurinorum in templo Societatis Jesu, quod urbis istius Patronis, SS. Solutori, Adventori, Octavio, e legione Thæbæa Martyribus, dicatum est. Horum trium pugilum sacra corpora olim collegit, et simul in oratorio a se condito sepelivit S. Juliana matrona : eisque a morte adjuncta est, in eodem, quo ipsi sepulta oratorio, uti ejusdem est in cœlis gloriæ consors. Obtinuit quoque eadem Societas Jesu Taurinensis sacra pignora et horum trium Martyrum, et sanctæ hujus matronæ : illosque præcipuo cultu veneratur* XX *Novembris, hanc* XIII *Februarii. Eo die officium Ecclesiasticum ex communi non Virginum sumitur, quod vidua credatur obiisse.*

*est corpus S. Julianæ,*

*quæ colitur* 13 *Febr.*

*Agitur de illa in Actis SS. Solutoris, Adventoris Octavii,*

2 *Eximias S. Julianæ virtutes, cum Vita illius seorsim scripta non reperiatur, excerpimus ex dictorum trium Martyrum Actis, quæ integra* XX *Novembris daturi sumus ex MSS. codicibus collegii Taurinensis Societatis Jesu, a R. P. Joanne Jacobo Turinetto, ejusdem collegii Rectore ad nos transmissis. Antiquiora horum acta auctore anonymo sic incipiunt :* Multa et magna sunt, quæ de beatissimorum Martyrum Adventoris, Octavii atque Solutoris certaminibus, Christianorum mentibus debeant imitanda proponi. *Sunt illa distributa in lectiones, eo die in officio Ecclesiastico ad Matutinum recitari solitas; atque etiam a Bonino Mombritio tom. 1 Sanctuarii in lucem edita, insertaque lib. 1 Historiæ Thebææ Italice scriptæ a Bernardino Rosignolio Societatis Jesu ; viro docto et sancto, qui postquam scientias naturales ac divinas Mediolani* XI *circiter annos professus fuerat, præfuit collegiis Taurinensi, Romano aliisque, ac provinciis, Romanæ, Venetæ, Mediolanensi, sub quarum ultima continetur Taurinum cum ditione Pedemontana. Edita hæc est historia anno* CIƆIƆLXXXIX, *atque iterum auctior anno* CIƆIƆCIV *sub nomine Gulielmi Baldesani; quod etiam in bibliotheca Societatis Jesu observat Philippus Alegambe, additque eumdem Rosignolium Taurini magna sanctitatis opinione obiisse anno* CIƆIƆCXIII.

C

*tum antiquioribus,*

*etiam Historiæ Thebeæ insertis,*

3 *Alia quædam de eisdem Sanctis extant monumenta, in antiquis libris monasterii S. Solutoris, (de quo egimus ad Vitam S. Goslini ejusdem loci Abbatis) reperta, atque ab eodem Turinetto nobiscum communicata.*

*tum aliis*

E

*Prior præfatio pro solennitate festi SS. Solutoris, Adventoris et Octavii ita incipit :* Videntes, fratres carissimi, hujus fidelis populi multitudinem sanctam. *Alter eidem historiæ prologus præponitur hoc initio :* Omnis Catholica religio, et omnis salutifero delinitus lavacro, corde credit, ore perhibet. *Ipsius vero historiæ est exordium ejusmodi :* Cum per partes totius mundi nomen Christi suscepta Apostolorum doctrina et crucis triumpho, parato flammeo semine cresceret, gens Thebæa veloci auditu ad fidem Catholicam evolavit *etc. Auctor habetur Guilielmus Episcopus Taurinensis, diciturque in citata Historia Thebæa, et floruisse circa annum* IƆCCCC, *et de horum Martyrum gestis scripsisse librum, qui in eodem S. Solutoris cœnobio extiterit : ex quo eadem, quæ in hisce Actis leguntur, ibidem proferuntur.* Guilielmum *hunc* gesta D. Solutoris et aliorum Thebæorum Martyrum edidisse *asserit etiam Franciscus Augustinus ab Ecclesia, in Chronologia Pedemontana cap.* 5.

*a Gulielmo Episc. Taurinensi circa an* 900 *scriptis.*

*Februarii T. II.*

4 *Eporedia antiqua Romanorum colonia est, Mario* VI *Valerioque Flacco, teste Paterculo lib.* 1, *Consulibus, id est, integro ante Christum natum seculo, condita apud Salassos ad ripam Doriæ majoris, qui hodie Doria Baltia et Bautia dicitur, uti urbs ea Yurea et Inurea. In hac urbe ferunt S. Julianam ex divite nobilique familia prognatam, et Christiana religione sanctisque moribus imbutam, temporibus Diocletiani et Maximiani vixisse : quando S. Solutor, ut Acta antiquiora habent, e persecutorum manibus elapsus, e Taurinensi ditione ad Eporediense oppidum profugit, atque a puero proditus comprehensusque, juxta amnem Doriam, quod Christianum se plena voce confiteretur, decollatus est; et quidem spectante S. Juliana, ut sequentia ex eisdem Actis prolata innuunt.*

*S. Juliana Eporediæ vixit :*

F

*vidit S. Solutorem capite plecti :*

5 Cum B. Solutor ictu gladii fuisset interfectus, quædam venerabilis et Christianissima fœmina, Juliana nomine, operiens pretiosi Martyris sacratissimum corpusculum, simulans sibi placere, quod factum fuerat, persecutores illos domi recepit, et humanitatis gratia cibum potumque apposuit, atque ab ipsis sciscitans, didicit S. Adventorem Octaviumque in Taurinensi territorio fuisse interfectos. Quibus illa venerabilis fœmina tamdiu vini poculum ministravit, donec nimie inebriati, et soluti a vino, graviter obdormirent. Tunc beatissima Christi famula Juliana S. Solutorem in quadrigæ suæ levans vehicu-

*carnificibus lante exceptis,*

 lum

*AUCTORE G. H. corpus ejus aufert: fugit fluviis ultro siccatis:*

A lum, ad Taurinensem pergens civitatem, nocturnis horis properare disposuit. Sic Christi majestas gloriam sui Martyris illico manifestans, memorati fluminis impetu dexteræ suæ virtute diviso, per siccum eam cum vehiculo gradi concessit: sicque omnium fluminum cursus, qui interjectis spatiis utrarumque civitatum decurrere noscuntur, virtutis suæ potentia dividens, eam absque ullo obstaculo hilari profectione ad beatissimorum Martyrum Adventoris et Octavii corpora deduxit. Quorum sanctissima membra cum omni veneratione suo pari conjungens, superna sibi imperante Majestate, in alteram partem transtulit civitatis, et illic Dei nutu sepelivit, atque in eorum honorem ibidem cellulam construxit oratoriam, sibi in proximo memoriam sepulturæ conjungens, quam oratoriam cellulam gloriosissimus S. Victor, Taurinatis Ecclesiæ Antistes, ampliori spatio, miro opere miraque celebritate dignam decoramque basilicam cum atrio ædificavit.

*adjungit corpora SS. Adventoris et Octavii:*

*eaque sepelit Taurini, et oratorium extruit:*

6 *Hactenus antiqua Martyrum illorum Acta. Qui in iis innuuntur fluvii exsiccati, quinque enumerantur lib. 1 Historiæ Thebææ* Doria major *prope Eporediam,* Orgus, Malo, Stura, *et* Doria minor, *vulgo* Dorietta *prope Taurinum. At S.* Juliana *ob singularem pietatem ac religionem, qua ergo Martyrum sanctas Reli-*B *quias ferebatur, non quadriga, cui impositæ erant, vehebatur; sed pedes et fluvios pertransiit, et reliquum iter confecit. Cum autem super lapidem marmoreum, qui in fundo Doriæ majoris jacens, viam transeunti planiorem reddebat, S. Juliana graderetur, pedum illi vestigia impressit, ubique inter se æqualia: e quibus colligunt, ætate eam tunc grandem fuisse. Servatur enim etiamnum lapis ille, cum reliquo corpore ad templum Societatis Jesu delatus, ubi visitur e parte sinistra majoris altaris; et vestigia pedum in magna sunt veneratione, ut ea certatim osculis homines terant. Unde etiam minus nobis probantur, quæ in posterioribus Actis dictorum Martyrum refert Guilielmus Episcopus, scilicet* duodecim annorum numero versatam fuisse in corpore, ætate parvissimam, *at* sensu grandæviorem, *dum* S. Solutoris *corpus translaturo,* acceptis ministris per opacæ noctis silentia, omissis calceamentis gradiens, vestigia pedum impressit durissimo saxo, quod in plaustro componens, statuit in memoriam futurorum: *uti servatum fuisse suo tempore testatur idem Episcopus.*

*vestigia pedum imprimit marmori,*

*hactenus cum veneratione servato:*

7 *De aliorum duorum Martyrum corporibus inventis, et sepultis ita scribit idem auctor.* Orto quippe Phœbo, venerandorum Martyrum corpora Adventoris et Octavii invenit sancto ostendente Spiritu, quæ fusis lacrymis prona in terra, ad pedes Sanctorum C jacens, sic humilibus exoravit eloquiis. Bonorum omnium Deus dispositor, qui hos viros triumphali corona decorare voluisti: ut polorum bonis ditarentur in tuis habitaculis; sit nomen tuum gloriosum atque laudabile per seculorum spatia. Nunc ergo eorum meritis et me et omnem Christianum populum ab omnibus libera maculis et tecum transferre digneris, Amen. Expleta oratione cœpit cogitare, ubi et qualiter sancta membra dignæ sepulturæ traderet, quæ, donante Divina clementia, cogitatu advenit celeri, ut ad alteram partem urbis, quasi ad axem australem dignis venerationibus transferret. Quod cum fecisset, in quodam labello cum prona reverentia Beatorum corporum condivit. Ibi etiam cellulam desuper ob eorum memoriam construxit modo mirifico: nam et oratorium in proximo tempore condidit, ut ibi eorum suffragia, se invocantibus, misertus sit Rex æthereus. *Hæc Guilielmus Episcopus.*

*prævia precatione,*

*transferi corpora Martyrum*

8 *Quid deinde egerit S. Juliana, quamdiu vixerit, quo anno, mense, die ve obierit, nusquam legimus. Baronius dictos Martyres censet palmam gloriosi certaminis obtinuisse anno* CCXCVII, *ut ex Annalibus ejus constat, ubi num.* 1 *et sequentibus agit de S. Mauritio et* D *legione Thebæa, et num.* 16 *de tribus hisce Martyribus. Discutientur ea* XXII *Septemb. quo coluntur S. Mauritius ceterique Agaunenses Martyres, et* XX *Novemb. quo Taurinensibus his peculiaris habetur veneratio. Omnes sub Maximiano occisos esse Acta et Martyrologia testantur. Addit in Historia Thebæa Rosignolius, S. Julianam, cum perfecto rerum terrenarum despectu, se omnibus Christianæ pietatis exercitiis dedidisse, in eisque ad finem vitæ perseverasse. Unde etiam colligimus, cum sacrificium Missæ, ac reliquum officium Ecclesiasticum, ex antiqua traditione ad ejus honorem de communi non Virginum, sive viduarum peragatur, eam antea conjugio, adstrictam fuisse, at prius quam dicti Martyres certamine perfungerentur, viduatam marito sanctis actionibus insudasse.*

*pie reliquum vitæ transigit*

9 *Qui supra memoratur S. Victor Episcopus Taurinensis primus illius nominis est, diciturque vixisse an.* CCCX. *At Victor* II *datus est, a Rege Ostrogothorum Theoderico petenti S. Epiphanio Episcopo Ticinensi comes itineris ad Reges Burgundionum Gundebadum et Godegisilum, ut dictum est in S. Epiphanii Vita* 21 *Januar. cap.* 11 *et* 12: *contigit ea legatio anno* CCCCXCIV. *De primo Victore ita scribit dictus Guilielmus Episcopus:* Cellulam oratorii, *a S. Juliana constructam,* Victor Antistes Taurinatis Ecclesiæ sanc- E tissimus, opere mirifico, ac dilatato spatio, dignam basilicam cum decoratis porticibus atque additus composuit dotibus: in qua universæ provinciæ populi, et monachorum ordo atque Clericorum, nec non et viduarum tumultus, honoris cultu natalem eorum exultationis jubilo annue concelebrant. *Ea in solennitate inter alia cantica recitatur ad Missam Sequentia, ut vocant, in qua hæc de S. Juliana:*

*S. Victor Episcop. Martyribus basilicam condit, ubi ipsa antea oratorium:*

Laudent sancti Julianam,
Taurinenses Christianam,
Cujus ductu fruimur.

10 *De monasterio S. Solutoris ibidem extructo jam egimus ad Vitam S. Goslini, qui Abbas illius secundus obiit anno* CIↃLXI. *Antiquitus celebrabatur in illo monasterio* X *Februarii festum commune S. Goslino Abbati, S. Julianæ, sanctisque Martyribus Solutori, Adventori et Octavio; sub titulo Inventionis. Goslini dumtaxat ac Julianæ Inventionem prædicant Saussaius in Supplemento Martyrol. Gallicani et Ferrarius in generali SS. Catalogo. Jam vero die* X *Februarii officium fit solum de Inventione SS. Solutoris, Adventoris et Octavii, solennitate S. Julianæ in* XIII *Februarii rejecta.*

*festum inventionis Reliquiarum celebratur 10 Feb.*

## § II. *Reliquiæ S. Julianæ et aliorum Sanctorum deportatæ ad ecclesiam Societatis Jesu.*

F

*Franciscus* I *Francorum Rex bella præcipuas Ducis Sabaudiæ ditiones armis subegit, ac misso in Pedemontanam regionem exercitu, summa celeritate Taurinum anno* CIↃIↃXXXVI *intercepit, quod filius ejus Henricus* II *ad annum* CIↃIↃLIX *tenuit. Franci ergo urbe Taurinensi potiti mox quatuor suburbia cum monasterio S. Solutoris aliisque ædibus sacris subverterunt. Quieverant ad illud usque tempus in ecclesia inferiori hujus monasterii SS. Solutoris, Adventoris et Octavii Martyrum corpora, nec non SS. Julianæ matronæ et Goslini Abbatis, infra altare deposita in tumulo marmoreo, ac lapide magno cooperta. Extabat autem in posteriore parte altaris tumba muri instar ad longitudinem tumuli erecta, quam alter lapis marmoreus claudebat. Præsentibus igitur Benedicto de S. Sebastiano, dicti monasterii Priore, atque aliis monachis, et Clero plurimisque viris religiosis ex eadem urbe, destructum est altare, sacrumque monumentum apertum. Dein facibus accensis, Prior ac monachi Sanctorum corpora, reverenter e tumulo exempta, ac magnæ thecæ imposita, cum frequenti præcipuorum urbis religiosorum*

*Destructo an. 1536 monasterio S. Solutoris,*

*Reliquiæ elevantur,*

*et ad sacellum S. Mariæ de Consolatione transferuntur,*

A *grosorum comitatu, solenni supplicatione in urbem transtulerunt, inque S. Andreæ Prioratu in sacello Deiparæ, cui a Consolatione nomen est, tantisper deposuerunt anno* CIↃIↃXXXVI, *die* XXV *Aprilis, ut ipsa authentica instrumenta Taurino nobis submissa fidem faciunt.*

*Collegio Societatis Jesu Taurini an. 1567 erecto*

12 *Advocata dein Societas Jesu Taurinum, collegium ibidem erigere cœpit anno* CIↃIↃLXVII, *cujus exordia describit Franciscus Sacchinus tomo 3 Historiæ ejusdem Societatis lib. 3 num* 113 *et seqq. Ac num.* 118 *asserit* præcipuum firmamentum collegio fuisse tum Alerami hæreditatem, tum Vincentii Parpaliæ liberale ac religiosum donum. *Erat hic Vincentius perpetuus Abbatiæ S. Solutoris Commendatarius, qui, impetrata anno* CIↃIↃLXVIII *Idibus Julii a Pio* V *Pontifice Maximo facultate, varia hujus monasterii bona contulit Societati, ea conditione, ut templum extrueret sub titulo SS. Solutoris, Adventoris et Octavii, ad quod postmodum dicta corpora Sanctorum transferrentur. Erectum interea sacellum, in quo sua ministeria Societas obiret, dum illustrius templum conderetur? Accessit Pontificis Maximi auctoritas, qua ratam hanc esse translationem decrevit. Est autem illius diploma ejusmodi.*

*varia bona hujus monasterii donantur,*

13 Gregorius Papa XIII universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Tunc animarum fidelium saluti opportune consuli non ambigimus, cum earumdem benedictionem ad pia opera exercenda, ad Sanctorum Dei Corpora et Reliquias venerandas, qui certissimum testimonium Christo Domino proprio effuso sanguine reddiderunt, indulgentiis et peccatorum remissionibus propositis excitamus. Itaque per nos accepto, corpora sanctorum Martyrum Solutoris, Adventoris et Octavii ex legione Thebæa, ac S. Julianæ et S. Guslini Abbatis, olim ex ecclesia monasterii tunc sub invocatione eorumdem Sanctorum prope et extra muros Taurinenses, dum bella eis in locis proximis temporibus vigebant et exarserant, diruta et demolita, ad ecclesiam prioratus S. Andreæ, seu S. Mariæ de Consolatione nuncupatæ, Taurinensem, translata fuisse, ad effectum ut in ecclesia, sub eorumdem Sanctorum invocationibus intra eamdem civitatem postmodum erigenda, decentius, quomodolibet fieri posset, collocari valerent; eamque ob caussam dilectum filium Vincentium Parpaleam, ejusdem monasterii tunc commendatarium, antequam commendam ejusdem monasterii in felicis recordationis Pii Papæ V prædecessoris nostri manibus sponte et libere cessisset; idemque prædecessor cessionem hujusmodi admisisset, ac dictum monasterium dilecto filio Cathelano etiam Parpaleæ Clerico commendavisset, nonnullorum bonorum stabilium et annuorum redituum ad dicti monasterii mensam spectantium, separationi et dimembrationi, illorumque dilectis filiis Rectori et religiosis Societatis Jesu civitatis Taurinensis concessioni et applicationi, ita tamen ut ipsi Rector et religiosi novam ecclesiam intra mœnia ejusdem civitatis sub dictorum Sanctorum invocationibus construere tenerentur, expresse consensisse.

*et ex auctoritate Gregorii XIII,*

B

*corpora S. Julianæ et aliorum addicuntur,*

*in novam ecclesiam Societatis transferenda:*

C

14 Nunc vero per ejusdem collegii Rectorem et religiosos capella erecta et constructa fuerit, in qua ob eximiam devotionem, quam erga eosdem Sanctos non solum iidem Vincentius et Cathelanus, verum etiam dilectus filius Nobilis vir Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux, et universus civitatis prædictæ Taurinensis populus gerunt devotionis affectum, eadem Sanctorum corpora eadem in capella recondi summopere cupiant. Propterea eorumdem nobis porrectis supplicationibus inclinati, venerando fratri Archiepiscopo Taurinensi, ceterisque, ad quos spectat transferendi prædicta corpora Sanctorum licentiam concedentes, omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, quo possimus affectu, hortamur in Domino, ut processioni indicendæ, caussa et occasione transferendi Sanctorum corpora hujusmodi ad dictam capellam nuper constructam, frequentes pro eorum pietate interesse velint. Et ut ipsi Christi fideles eam ob caussam libentius conveniant, quo spiritualibus muneribus uberius se refici noverint, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, et confessis, qui dicta corpora Sanctorum, dum ad capellam prædictam transferentur, processionaliter, ut moris est, concomitati fuerint, et pias ad Deum preces pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione, ac hæresium extirpatione, et infidelium conversione ac pace inter Christianos Principes conservanda et augenda, fuderint, decem annos et totidem quadragenas de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus post dictam processionem celebrandam minime valituris. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII Decembris CIↃIↃLXXIV, Pontificatus nostri anno III.

*imo ob pietatem Ducis Sabaudiæ et aliorum permittuntur transferri ad sacellum Societatis*

D

AUCTORE G. H.

*danturque indulgentiæ,*

*solenni processioni interfuturis.*

Cæ. Glorierius.

15 *Præerat tunc collegio Taurinensi Rector Achilles Gagliardus, cujus eximiam doctrinam virtutemque deprædicat Philippus Alegambe in Bibliotheca scriptorum Societatis. Huic Rectori in prædicta ecclesia S. Andreæ, seu S. Mariæ de Consolatione, coram Eminentissimo Cardinali Hieronymo de Ruvere Archiepiscopo Taurinensi, ante memoratus Dominus Cathelanus Parpalea monasterii S. Solutoris Abbas Commendatarius, anno* CIↃIↃLXXXV, *die* XIX *Januarii, tradidit sacras Reliquias quinque corporum, diversis inclusas thecis, quarum et claves obtulit. Erant autem in arca nucea ossa sanctorum Martyrum Solutoris, Adventoris, Octavii reposita; in duabus aliis ossa S. Julianæ et S. Goslini. Allatæ autem fuerant jussu Gagliardi Rectoris aliæ arcæ, in quas Archiepiscopus Taurinensis eadem sacra pignora transposuit, videlicet ossa præcipua atque integra sanctorum Martyrum in primariam ex ære insigni artificio fabrefactam, atque inauratam: cui et imagines Martyrum Sanctæque Julianæ insculptæ, cum eorum nominibus. Cranium S. Julianæ intra pyramidem positum, cujus in fastigio sculpta Christi resurgentis effigies. Tres aliæ aderant nuceæ, ære intus opertæ, thecæ. Earum uni imposita ossa reliqua S. Julianæ, alteri corpus S. Goslini, tertiæ cineres et fragmenta Martyrum.*

*Rectori collegii Societatis Jesu donantur sacra corpora, tribus arcis inclusa;*

*deponuntur in aliis quatuor,*

16 *Quatuor hæ arcæ, uti jus fasque erat, obseratæ, deportatæ dein sunt in Chorum ejusdem ecclesiæ, ac post Vesperas ibidem decantatas, ad ædem Societatis Jesu, instituta solenni supplicatione, cui interfuerunt Dux Sabaudiæ Emanuel Philibertus cum Principe filio et nobilitate aulica, Archiepiscopi Viennensis et Tarantasiensis, Episcopi Ventiensis et Gebennensis, aliique ex omni ordine illustres viri, ac potissimum Cardinalis de Ruvere Archiepiscopus Taurinensis, qui totam hanc solennitatem adornarit: ac postridie* XX *Januarii Missæ sacrificio ad Sanctorum honorem peracto, de eorum laudibus ad nobilissimum conventum peroravit. Extat ea oratio in Historia Thebæa excusa. Interfuerunt denuo Serenissimi Principes, Archiepiscopi, Episcopi, Nuntius Apostolicus, diversorum Principum et Rerum-publicarum Legati, Senatorum varii ordines, et Ecclesiastici, aliique viri illustres: quam solennitatem ab Achille Gagliardo Rectore Italice descriptam habemus,* XX *Novembris cum Vita SS. Solutoris, Adventoris et Octavii dandam.*

F

*et solenni supplicatione deferuntur ad ecclesiam Societatis* JESU

17 *Asservatur autem hactenus corpus S. Julianæ in templo Societatis Jesu, postea extructo, ac sanctis Martyribus dicato. Est autem illud in majori ara ad latus sinistrum, sive Epistolæ, in urna affabre elaborata conditum. Conjicere ex ossibus licet, statura proceram fuisse.*

*Baldesanus*

*Corpus S. Julianæ in summo altari adservatur: claret miraculis.*

A Baldesanus, seu potius Rosignolius, in eadem historia Thebæa affirmat, invocatione S. Julianæ multa facta esse miracula, ac morbos incurabiles depulsos : quæ omnia edere statuerat singulari historia, sed morte præventus parare eam haud potuit. Edidit Romæ anno CIↃIↃCXXXVIII Franciscus Saccus Riccobonus martyrium S. Octavii et sociorum Italico sermone, in quo nonnulla de S. Juliana repetit, quæ a nobis aliunde jam sunt prolata. D

AUCTORE G. H.

# DE S. DOMNINO

## PRIMO EPISCOPO DINIENSI IN GALLIA.

J. B.

*SECULO IV. XIII FEBR.*

Provinciæ superioris in Gallia urbs est Episcopalis Dinia olim Sentiorum ut Ptolemæus lib. 2 cap. 10 tab. 3 Europæ tradit ; aut, ut Plinius lib. 3 cap. 4, Ebroduntiorum ; sub Ebredunensi etiamnum Alpium maritimarum metropoli. Primum ea Episcopum habuit S. Domninum. Doninum vocat Papirius Massonus in Notitia Episcopatuum Galliæ, eumque esse censet, qui in Italia celebris est : illum indicat, ut arbitror, a quo Burgum S. Domnini appellatur, agri Parmensis oppidum ; ubi Domninus Martyr colitur IX Octobris. Verum is Maximiani Herculei Cubicularius fuit, non Episcopus.

*S. Domninus I Diniensis Ep.*

2 Diniensis Domninus cum S. Marcellino, sive (ut alii appellant) Marcello, Episcopo Ebredunensi in Galliam venit ex Africa, Evangelium prædicaturus : quoque Marcellinus die colitur, ipse quoque Martyrologiis B adscriptus, XX Aprilis. Ita illic de iis canit Wandelbertus :

*inscriptus Martyrologiis 20 April.*

Marcellinus, Domninus, Vincentius æque
Nomine bissenam radiant festoque fideque.

Vetustum Martyrologium monasterii S. Richarii, Bedæ præferens nomen : In Galliis civitate Ebreduno, S. Marcellini, primi ejusdem civitatis Episcopi et Confessoris, Vincentii et Domnini sociorum ejus : Fusius Usuardus : In Galliis civitate Ebredunensi, S. Marcelli ejusdem urbis Episcopi et Confessoris, qui divino jussu cum sanctis sociis Vincentio et Domnino ex Africa veniens, maximam partem Alpium Maritimarum verbo et signis admirandis, quibus usque hodie refulget, ad fidem Christi convertit. Eadem de iis prædicant, phrasi aliquantum mutata, Maurolycus, Galesinius, aliique. Nonnulli in sequentem diem eos rejiciunt.

3 Ado Viennensis in Martyrologio, ad elogium, quod ex Usuardo dedimus, quædam ex S. Gregorii Turonensis libro de gloria Confessorum cap. 69 de admirabili S. Marcellini baptisterio adnectit, ac primum fuisse illius urbis Episcopum affirmat. Tum illa de sociis subdit : Venerabiles socii ejus apud Diniensium urbem conditi, gloriosis nihilominus miraculis commendantur. Eadem habent Notkerus et MS. Martyrol. monasterii S. Maximini. Postrema sic effert Petrus Equi- C linus lib. 4 Catalogi SS. cap. 69 : Socii vero ejus Confessores Christi in Domino dormierunt apud Clunensium urbem conditi. Hallucinantur et alii in urbis nomine, dum Cliniensium, Dimensium, Dunensium scribunt. Ita S. Aventinum Episcopum Dunensem, sive Carnotenum, qui Concilio I Aurelianensi subscripsit, quidam, fatente in Notis Sirmundo, Diniensem vel Diviensem mendose appellarunt. Massonus certe in Notitia ante citata sic scribit : Diniam fuisse Metropolim ex subscriptionibus primæ Synodi apud Aureliam habitæ, certum et perspicuum est. Ita in editione Conciliorum Sixti V Veneta, inter subscriptos huic Concilio, primo loco est, Aventinus Diniensis metropolis. Adnotatur in margine, Diviensis, Diensis vel Dignensis. In Parisina Sirmundi, ac Regia, ultimus est. Annotat autem ista Sirmundus : Digestæ hactenus fuerant in vulgatis, nescias quo consilio, tum Synodi hujus, tum sequentium suscriptiones in ordinem alphabeticum, quod in nullis exemplaribus antiquis factum meminimus. De illo sancto Dunensi Episcopo egimus IV Februar. Diniensem porro urbem, cujus alibi vitiose expressum nomen, Canisius novo errore Clivensem appellat. Ita enim Germanice habet : inn einer Clevischer statt In aliqua Clivensi urbe. Clivia, ut notum vulgo, Ducatus est peramplus Mosam inter ac Rhenum, ultrumque hunc, ad Batavorum fere confinia.

*Ejus tumulus clarus miraculis.*

*Diniensis urbis nomen alibi mendose expressum.*

4 Postrema Adonis verba ita exponit Saussaius in Martyrologio Gallicano : Quod miraculum Ado Viennensis suo adhuc ævo perseverasse gravi assertione testatus est : subjiciens beatorum cooperariorum S. Marcellini corpora, post inclytum eorum transitum, ad Diniensium oppidum delata, ibidem condigno cultu quiescere, signisque micare gloriosis. Non ait Ado delata Diniam corpora, sed sepulta Diniæ esse, sive, ut habet Equilinus, apud eam urbem in Domino dormierint, sive alibi. Illic certe ambo prædicarunt. Domninus etiam Episcopus fuit. Hoc infra ex Vita a Gassendo scripta perspicuum fiet : illud ex S. Marcellini Vita, quæ ita habet. E

*ad eam delatus,*

*an ibi mortuus?*

5 B. Vincentius, cujus supra fecimus mentionem, tanto collega dignissimus, una cum viro venerabili condiscipulo suo Domnino, quem superius pro quadam * obligatione mentis pene omisimus, Diniensium civitatis eligentes partes, plures suo salvaverunt exemplo. Nam et ipse non immerito Domninus scripturæ commemoratur eloquio, quem parem fecit beata devotio. Denique usque in hodiernum diem ad venerabiles sepulturas eorum et dæmonia ejiciuntur et multi sanantur infirmi. Nec enim fas erat, ut in tribus personis non trina dominaretur potestas, et inseparabilis Trinitas, dum tres in unum connectit affectum, sanctitatis inde efficeret caput.

* al. oblivione,

*eo profectus cum S. Vincentio,*

6 Memoratum quidem Antistitem Ebredunensem relinquentes, sese minoris meriti judicantes, tamen nec posse unum sine alio comitari, nisi forsitan illum, in quo Christi perfecta ad integrum manebat plenitudo. Sed hoc beati viri permisso potius, quam suo visi sunt præsumere ausu. Denique vir beatissimus his eos verbis alloquitur, dicens : Ite, inquit, filii, Domini custodientes præceptum ; quoniam ipse misit discipulos suos binos et binos prædicare pœnitentiam in remissionem peccatorum. Vos uno utimini * comitatu. Ego etsi corpore absens, spiritu F semper usque ad diem resolutionis meæ præsens vobiscum manebo. De cetero Domini, ut confido, nos nullatenus dispensatio separabit. Cumque huic præcepto contradicere omnino non possent, vestigia ejus osculantes, vale dicto profecti sunt. Et cum eos non sine lacrymarum imbre prosecutus fuisset, in civitatem, quam elegerat, regressus est.

*S. Marcellino Ep. Ebredunensi annuente*

*iisque benedicente :*

* al. commeatu.

7 Episcopum deinde urbis Diniensis ab eodem Marcellino consecratum esse Domninum significavit Petrus Gassendus Diniensis Ecclesiæ Præpositus, humanitate editisque in lucem libris clarissimus, qui ad Godefridum Wendelinum, et ipsum eruditissimum, nobisque amicissimum virum, Vitam S. Domnini a se ex monumentis illius Ecclesiæ compositam, inque tres Lectiones ad usum officii Ecclesiastici digestam, anno CIↃIↃCXLIV misit nobiscum communicandam : monuitque Idib. Februarii coli.

*Episcopus fit S. Domninus :*

*colitur 13 Feb. NOT 38*

8 Quo autem vixerit tempore S. Domninus, colligi ex S. Marcellini ætate potest. Hunc Ghinius statuit circa

annum

A annum Domini cccx claruisse. *Gassendus venisse ex Africa Romam tradit tempore S. Eusebii Papæ, circiter annum Christi* cccx, *et ab eo Episcopum creatum Alpium Maritimarum. Ast in Vita apud Boninum Mombritium dicitur S. Eusebius Vercellensis, adscito sibi in socium Æmiliano Valentinæ urbis Episcopo, Marcellinum consecrasse. Quod arbitror contigisse, postquam ab exilio, Juliano imperante, redisset Eusebius: nam et Æmilianus Episc. Concilio Valentino* I *legitur subscripsisse Gratiano Aug.* III *et Equitio Coss. an.* CCCLXXIV. *Eusebius autem qua in Oriente functus erat Apostolici Legati auctoritate, eam deinceps etiam alibi a Pontifice jussus videtur exercere. Itaque non nisi Valentiniani* I *temporibus Episcopatum suscepisse dicendus est S. Marcellinus, S. Domninus aliquanto serius, ut ad Imperium Theodosii potuerit pervenire.*

*quando venerit?*

# VITA

### *in Lectiones 2 Nocturni distributa.* auctore Petro Gassendo.

*S. Domninus ex Africa oriundus,* a

Domninus ex Africa oriundus, cum zelo Christianæ religionis arderet, una cum comite Vincentio secutus est B. Marcellinum Ebredunensium Antistitem, quo tempore ille Romam appulit, ac *a* Eusebium Pontificem, Constantino jam imperante salutavit. B Sed et simul cum Marcellino in Galliam Inalpinam missus, operam assiduam illi præstitit, donec fides Christi in Ebredunensium civitate et circumvicina regione disseminata radices egit. Tum vero a Marcellino dimissus cum Vincentio est, fidem ulterius propagaturus. Constituit autem ad Diniensium civitatem accedere, in qua idolorum cultores et Christiani nominis osores esse fama erat.

*prædicat in Alpibus: tum Diniæ,*

2 Et certe quamprimum os aperuit, adversus idola verba faciens, et Salvatorem Christum prædicans, D repugnantes acriter dissertatores habuit, quousque et ratione persuasionem deorum evertit, et oratione in cœlum fusa fidem in Christum obtinuit, et signis ac virtutibus fidem habitam confirmavit. Siquidem postquam exaggeravit promissa facta credentibus, adduci infirmos undequaque jussit, ac magna illorum multitudine coram universo populo coacta, omnibus in nomine Jesu sanitatem restituit. Quare ingenti applausu facto, cœpit magna pars Deo detestari, et baptismum deposcere: adeo ut parato baptisterio abluerit prima vice animas circiter quingentas.

*AUCTORE G. B. ubi fidei resistentes verbis et miris cultis convertit: 500 prima vice baptizat*

3 Cum postea etiam procurasset construi ecclesiam in honorem Deiparæ Virginis, adfuit Marcellinus eam consecraturus, qui et simul consecravit Domninum in Episcopum. Cœpit interea Ecclesia Dei in Oriente laborare propter Arrianam hæresin, sacraque Synodus Nicæna *b* per ea tempora celebrata est. Domninus autem tenerum gregem indefesso labore pascens, illum in confessione sanctæ ac individuæ Trinitatis perseverantem continuit. Tandem vero cum sese jam prope deficere sentiret, postquam hortatus est Vincentium ut curam gregis susciperet, imperante jam *c* Constantio Eidibus Februarii migravit ad Dominum. Sacrum ejus caput cum altero brachio in Diniensi Ecclesia asservatur hactenus, E venerationique habetur.

*ecclesiam ædificat: fit Episcopus:* b *resistit hæreticis?* c *moritur*

a *Probatus est, serius venisse, cum sit a S. Eusebio Vercellensi et Æmiliano Valentinensi, tempore Valentiniani Imp. Episcopus consecratus, ut ante diximus.* — b *Imo multo ante, ut ostendimus.* — c *Mortuus est Constantius, priusquam ab exilio reverteretur S. Eusebius Vercellensis, qui S. Marcellinum Domnini magistrum, ordinavit.*

# DE S. CASTORE PRESBYTERO

## CONFLUENTIÆ IN GERMANIA,

### Commentarius prævius.

J. B.

*SUB FINEM IV SEC. XIII FEBR.*

Prodiit, *(inquit Christophorus Browerus noster Annal. Treviren. lib. 4)* ex S. Maximini schola Presbyter insigni morum et pietatis laude, Castor: cujus in Caradonum, prænobilem et antiquitate multa visendum populi Ripani vicum, perquam egregia exstant merita. Is gemino Caradonensium et Confluentinorum gaudens patrocinio, utrobique ab honestissimo Canonicorum ordine C Patronus lubens merito colitur. At ejus reliquias in perveteri D. Castoris basilica, pone maximum altare, Confluentes præcipue servant, easque tertiodecimo Februarii, qui Divi recolendæ memoriæ anniversarius, offerunt spectandas.

*S. Castor colitur 13 Febr.*

2 *Ab Rheni Mosellæque concursu nomen* Confluentibus *factum, vulgo* Confluentiæ, *Germanice* Cobelentz, *diœcesis Trevirensis percelebri oppido, medio Moguntiam inter Coloniamque Agrippinam spatio.* Caradonum *lubet ejusdem doctissimi Broweri verba describere:* Ceterum Cardoni, *inquit,* origines evolventi, occurrebat, infero Mosellæ sinu, præcipuum castellum fuisse Romanis limitaneis, custodiendo flumini; quod, licet montibus undique clausum ac munitum, hac tamen per fauces occultas, faciles habet aditus. Stationis Romanæ multiplex olim indicium dedimus; favetque nomen loci, ut quod aliud, usu Romano tritum: nam Carrodonum, ab edito quod imminet jugo; seu Caradonum, pro Castello Romano, diversis locis Ptolemæus numerat. Et Cardonum quoque in pervetusto Hierosolymitano itinerario asscriptum reperio inferiori Pannoniæ; ut locus ipse suo nomine testetur vetustatem. *Hæc Browerus. Rectius, ut opinor,* Carrodunum *scribit Ptolemæus, quod vox* dunum, *ut sæpius indicavimus, addita oppidorum nominibus significet ea in colle aliquo, aut ad collem, sita.* Carrodunum *statuit Ptolemæus lib.* 2 *cap.* 11 *in Germania magna: aliud cap.* 13 *in Vindelicia: tertium cap.* 15 *in Pannonia superiore: quartum lib.* 3 *cap.* 5 *in Sarmatia Europæa. Hujus ad Mosellam siti nec ipse meminit, nec in Mosella Ausonius; licet hic* Alisontiam *fluvium celebret, vulgo* Eltz *dictum, qui haud longe a Caroduno in Mosellam influit. Agit idem Browerus de* Caraduno, *(ita enim ibi appellat) in Proparasceve Annalium cap.* 17. F

*Confluentiæ et Caradoni ad Mosellam,*

3 *Porro in sacras tabulas relatum* XIII *Februarii* S. Castoris *est nomen. Vetus MS. Martyrologium, quo adhuc utitur Ecclesia Aquisgranensis, ita solum habet:* Castoris Presbyteri. *Maurolycus:* Ipso die Castoris Conf. *MS. monasterii S. Maximini.* Et depositio Castoris Presbyteri et Conf. discipuli S. Maximini. *Multarum in Belgio Ecclesiarum MSS. Martyrologia, Usuardi præferentia nomen:* In territorio Trevirensi, S. Castoris Conf. cujus gesta habentur. *Molanus in additis ad Usuardum:* In territorio Treverensi, Confluentiæ castello, S. Castoris Conf. cujus gesta habentur. *Eadem de illo, verbis aliis, prædicat Galesinius. Meminit etiam Ferrarius. Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani ista habet:* Confluentiæ Trevirensium, S. Castoris Conf. oppidi illius Patroni gloriosi. *Martyrologium Coloniæ excusum anno* MXD *hoc illum elogio ornat:* In territorio Trevirensi S. Castoris

*inscriptus Martyrologiis:*

A Castoris Presbyteri, et Conf. cujus gesta habentur: qui tempore juventutis suæ a parentibus suis nobilibus B. Maximino Treverorum Episcopo conjunctus est. Qui cum ordinem sacerdotii ab eodem accepisset, eremum intravit: in qua Deo fideliter servivit, et tandem bono fine quievit. *Eadem habet Doctrinale Clericorum an.* MDIX *Lipsiæ excusum. Eadem, verbis paullum immutatis, Hermanni Greven auctarium ad Usuardum an.* MDXXI *editum, et Canisii Martyrologium. At Viola SS. Hagenoæ an.* MDVIII *excusa:* S. Castoris, qui a nobilibus et religiosis parentibus in omni disciplina nutritus est. Tandem Maximiano Episcopo Treverensi conjunctus est, qui eum Diaconum fecit. Tandem etiam sacerdotio suscepto eremum intravit: et ibidem plures devoti sibi sociati sunt. Qui cum una die a mercatoribus, navem plenam habentibus, modicum salis petivit, quod negatum est ei, ob hoc navis in profundum mersa est. Unde mercatores compuncti de immisericordia sua doluerunt. Sed S. Castore pro eis rogante, navis sursum se levavit.

*auctore anonymo ex MS.*

4 *Vitiose in Bruxellensi S. Gudilæ Martyrologio Episcopus nuncupatur S. Castor his verbis:* Treviris S. Castoris Episcopi, cujus gesta habentur. *Probabilius suspicari forsan liceat Archidiaconum fuisse. Browerus certe lib. 4 Annal. de Carduno loquens,* Eminet hic, *inquit*, B. Castor Archidiaconi quoque titulo, et jurisdictione prisca, famam loci nomenque Sancti B tuetur. *Quamquam non omnino inde conficitur, ipsummet Archidiaconum fuisse, sed in illius honorem Archidiaconatum* S. Castoris *appellatum, cujus jurisdictioni subjectus Caradunensis districtus. Eadem ratione de* S. Lubentio *Presbytero, ejusdem S. Maximini discipulo, qui* XIII *Octobris colitur, idem ista scribit Browerus:* Fidei per Trevirorum Antistites Trans Rhenum propagatæ vestigia tenemus certissima, ex inspectione sacra et jurisdictione, quæ secundum Loganam utrimque latissime patet; cui et Archidiaconus olim impositus, sede ac titulo S. Lubentii, ad hunc usque diem insignis. *Logana, vulgo Germanis* Lhon *dicitur, ad cujus ripam, triginta duo ab Rheno millia passuum, (ut ait Browerus; nam ejus Vita habet* octo circiter milliaria) *versus Orientem in editiore stat rupe Dietkirchen Ecclesia, quæ S. Lubentii corpus asservat illuc adverso amne, vi divina, advectum, cum* Cuberini *obiisset, sive* Coberini, *qui pagus est medio fere inter Confluentiam et Caradunum intervallo, alias* Caverna S. Lubentii *dictus, vulgo* Coberen.

*non fuit episcopus,*

*forte Archidiaconus,*

*ut et S. Lubentius 13 Octob.*

5 *Mendosum est, quod auctor Florarii SS. scribit ad hunc diem:* In territorio Trevirensi, *inquit*, S. Castoris Confess. Translatio a Treviris in Confluentiam civitatem tempore Normannorum anno salutis C DCCCXXXVII. Claruit anno salutis CCLXXIX. Ad ejus preces navis submersa et onusta se levavit, mercatoribus compunctis de immisericordia, quod ipsi petenti modicum salis negaverant. *Si ad numerum in Florario expressum anni centum addantur (qui forsitan oscitanter describente librario omissi) ætas S. Castoris apte constituetur. Videtur enim circiter annum* CCCLXXIX *decessisse, qui discipulus fuerit S. Maximini* II, *quem S. Agricio anno* CCCXXXV *vita functo subrogatum diximus* XIII *Januarii ad Agricii Vitam; Browerus anno* CCCLI *mortuum scribit: Vitam ejus dabimus* XXIX *Maii.*

*vixit seculo 4.*

6 *At S. Castoris natalem* IV *Februarii statuit Florarium, Translationes duas, unam* XIII *Februarii, alteram* XII *Novembris. In nullo præterea Martyrologio nomen ejus ad* IV *Februarii reperimus: alioquin geminæ Translationis sive Inventionis sub Weomado Ep. ac Translationis sub Hetti, mentio est in Vita. Hanc nos Vitam, ante secula aliquot, sed parum accurate exaratam, descripsimus e MS. codice monasterii S. Maximini juxta Treviros. Huic addemus ex Browero hymnos, de quibus ita sentit lib. 4 Annalium:* Invenimus isthic (*Caraduni*) in antiquis membranis rhythmos nonnullos de B. Castoris actis, forte aliorum narrationibus D fideliores, quorum ob Sancti reverentiam hic partem proferre lubet.

*alibi colitur 4 Febr.*

*Vita unde hic edita:*

*de eo hymnus antiquus.*

7 *Inventionem S. Castoris ita lib. 7 narrat Browerus:* Weomadus S. Castorem decentiori tumulo collocavit populo Cleroque Carodonam usque Pontificem comitante, ac tridui abstinentia propitiante Numen. Gesta hæc Martii insigni pietate Sacerdotis ductu et auctoritate: qui a B. Castore inter quietem, constanti viso, ac recurrente tertium, de loco sepulchri admonitus, latentem denique e tenebris eruit, ac favore operaque Weomadi, sanctissimis ad eam rem adhibitis cæremoniis, translatum e Virginis Matris templo, in æde D. Paulini Cardonæ reposuit. *Quo id anno contigerit, non indicat Browerus; sed S. Weomadum tradit* VIII *Novembris, anno* DCCLXXXI, *e vita migrasse.*

*Corpus cœlitus revelatum,*

*a Weomado Ep. elevatum 8 seculo,*

8 *De Translatione, quæ anno Ludovici Pii Imp.* XXIII, *Christi* DCCCXXXVI, *aut, ut Browerus statuit,* DCCCXXXVII, *contigit, ita breviter agunt Gesta Trevirorum MSS. cap.* 13. Post Fortunatum Trebirorum Ecclesiæ Hetti præfuit Abbas Mediolacensis. Hic admonitus in visu a S. Materno in vicesimo tertio anno Ludovici Imp. Asportavit corpus S. Castoris, de loco qui dicitur Caridena, ad Confluentiam, ad monasterium, quod ipse construxerat, et V Id. Decembris consecravit in honorem S. Castoris et omnium Confessorum, et post consecrationem sanctum corpus in ecclesia recondidit: ibique Lodowicus Imp. multa dona præsentavit. *Agunt de eadem Translatione Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad an.* 847, *atque ex eo Wilhelmus Kyriander parte* 2 *Comment. de Augusta Trever.*

*translatum Confluentiam divino jussu,* E

9 *Plenius ac floridius id Browerus describit in hunc modum:* Inter hæc Hetti Trevirorum Archiepiscopus, vir spectata vitæ integritate, magno Ecclesiæ suæ provehendæ studio inflammatus, opus egregium et magnificum regiis impensis inchoavit. Confluentiam antiquorum Franciæ Regum domicilio, et insigni jam tum castro munitam et frequentem, ad hæc duorum fluminum Rheni et Mosellæ coitione, et ceteris omnibus amœnitatibus ad cultum et abundantiam locum peropportunum, ut sensit ab una tamen religionis celebritate curaque prope destitutum, muneris sui esse ratus est, amplissimum ibi D. Castori, Cleroque canonicam vitam sequenti, monasterium et ædem erigere; quo locus is non situ magis ac fluviorum præterlabentium opportunitate, quam usu famaque sanctitatis sese efferret. Atque huic rei ut auspicandæ consilia religio peperit, ita perficiendæ Luduici pietas et munificentia plurimum sane commodavit. Hetti namque a D. Materno per quietem admonitus, ut ossa S. Castoris e Cardona Confluentiam deportaret, re prius cum Luduico communicata, ejus sumptu basilicam extruxit, et sacras reliquias Confluentiam, frequenti pompæ spectaculo translatas, in ædem novam, quam ipse V. Id. Decemb. ejusdem Divi et omnium Confessorum nomini dicaverat, honorifice reposuit: *Hæc ille.*

*in templum ab Hetti Ep. ædificatum Canonicis Regularibus,*

F

10 *Trithemius et Kyriander de ea æde ac monasterio istud addunt:* Canonici S. Castoris ante plures annos regulam abjecerunt. *Inscripta est Martyrologio Coloniæ an.* MDXV *excuso Translationis hujus memoria ad* XII *Novembris his verbis:* Apud Confluentiam, Translatio S. Castoris Presbyteri et Conf. *Et Florario:* Translatio sanctorum Confessorum Martialis Ep. et Castoris Treverensis.

*(qui jam seculares)*

*12 Nov. 837.*

## HYMNUS DE S. CASTORE

*ex MSS. Caraduni editus a Browero.*

Auctum Maximine virum
Fama, virtuteque mirum,
Provehis Ordinibus.

Fit

A

*S. Castor vir apostolicus,*

Fit divinis sociatus,
Præco verbi Dei gratus,
Via luxque tenebris.
Cardonum Virgo pudens
Intrans, eremique prudens
Cultor ovans latebris.

*Inde diversi generis hymno corporis inventi gloria de-[scripta;*

Quod inventum, est translatum
In hoc templum consecratum,
Quondam Paulino dicatum,
Cunctis venerabile.
Genti cujus mens benigna
Offert Deo vota digna :
*miraculis clarus.*
Per diversa patent signa
Dei mirabilia
Nam origo bonitatis
Fons Divinæ majestatis,
Ægris sæpe sospitatis
Hic dat beneficia.
Nave salem deferente,
Et Mosellam ascendente,
Servo Dei sal petente,
Negatur munusculum.

B

*navim signo Crucis eripit naufragio.*

Insurgit tempestas fortis,
Urget omnes metus mortis :
Hic vim diræ fugat sortis
Per Crucis signaculum.
O tam felix eremita,
In valle doloris sita
Ab hac vita nos invita
Ad æterna gaudia.

# VITA AUCTORE ANONYMO,

## ex MS. monasterii S. Maximini.

### CAPUT I.

### *S. Castoris sacerdotium, virtutes, miracula, mors, sepultura.*

Secretum Regis celare bonum est, Dei vero mirabilia prædicare gloriosum est. Ad quam ut posset pertingere gloriam, eorumdem mirabilium prædicator esse Psalmista desiderabat dicens : Confitebor tibi domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Cumque Dei mirabilia in principio noni psalmi se narraturum proposuisset, et eorum plurima narrando prosequutus fuisset; denique quatenus sciremus ubi maxime mirabilis esset Deus, in fine sexagesimi septimi psalmi, qui etiam, sicut et nonus, de mirabilibus Dei contexitur, conclusit dicens : Mirabilis Deus in Sanctis suis. Si autem generaliter in Sanctis suis mirabilis Deus est; ergo et in B. Castore, cujus specialiter hodierna die natalitia celebramus, mirabilis.

*Ps. 9 2 Mirabilis Deus in S. Castore,* C *Ps 67 36*

2 Prævenit namque eum jam ab ineunte pueritia Spiritus sancti gratia, ut non in terra, sed in cœlo toto animo conversaretur : et quod melior esset dies una in atriis Dei super millia, sicut postmodum in libro lectitabat, in corde prius illiteratus adhuc meditaretur. Præclaræ igitur puer indolis gerebat in se quasi quoddam speculum futuræ probitatis : et nonnullos compulit opinari puerulus, qualis postmodum esset futurus. De generis autem prosapia, licet satis fuerit alta, quid tamen attinet dicere, cum apud Deum nullius sit acceptio personæ, sed in omni gente, et in omni populo qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus sit illi? Parentum tamen religio facile apparet in filio. Non enim irreligiosi tam religiosum possent educare; neque mali si fuissent, tantis bonis moribus informare. Traditus itaque a parentibus litterarum studiis, non, ut multi, in seculari et inani desudavit philosophia, sciens per Apostolum sapientiam hujus mundi stultitiam esse apud Deum : sed totus in legis mandatis, totus in evangelicis præceptis, singula singulis conferens. Mox thesauros plenissimæ adeptus est scientiæ : ut cum sponsa in Canticis Canticorum et beatissimus Castor cantans cantaret : Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Erat enim caritas Dei ita ordinata in corde sancti viri, ut prius ordinaliter diligeret Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, deinde proximum sicut se ipsum : ut prius disceret amare cœlestia, deinde comtemnere terrena : ut prius desudaret in vita activa, deinde quiesceret in vita speculativa.

*qui adhuc puer pietati deditus, Ps. 83. 12* *litteris dat operam :* B *AUCTORE ANONYMO, EX MS.* *1 Cor. 3 19 Cant. 2 4* *ordinata caritate præditus :*

3 Cujus caritatis geminis alis sublevatus, tamquam de nido avicula ad volandum provocata, evolavit de patria, *a* quasi cum Abraham Patriarcha voce audisset divina : egredere de terra et de cognatione tua. Christum itaque sequi studens, nudus ardens, seipsum sibi abnegans, Crucem suam bajulans, quasi quodam Divino conductu Sanctum petiit *b* Maximinum : ut juxta Psalmistam cum sancto fieret sanctus, cum innocente innocens, cum electo electus. Intuens autem præfatus Præsul B. Castorem, jam in sui stabilitate propositi sanctum, innocentem a læsione proximorum, quippe quos æque ut se diligebat, ideoque electum, ut ex multis vocatis unus esset electorum; sacris ordinibus paullatim et discrete susceptis, prout speciale Sanctorum est ire de virtute in virtutem, demum ad Diaconatus gradum illum promovit; eo quod ejus caritatem, continentiam, castitatem tam ex gratia, quam ex nomine sibi inditam, ita exigere cognovit.

*relicta patria, adit S. Maximinum Ep.* *a Gen. 12 1* *b Ps 17. 26* E *fit diaconus :*

4 Christi igitur præco, gradu functus Levitico dignissime et cum magna humilitatis reverentia, sanctum exhibuit officium, illud meditans attentius : Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Inter ceteras autem virtutes, tanta mentis et corporis præcellebat munditia, ut Spiritus sanctus per eum, sicut per Esaiam Prophetam exituris de Babilonia clamare videretur ac dicere : Mundamini qui fertis vasa Domini. Propter tales tantasque virtutes, acceptus erat B. Castor præcipue S. Maximino, carus universo Clero, dilectus populo Catholico. Ex ore omnium laus ejus redundabat : de qua quidem fama irrevocabilis veritas ait : non potest civitas abscondi supra montem posita. Dum autem pro summis dignis efferretur laudibus, laudes istas a seipso, ut suo non obessent præmio, quodam repulit odio. Laudes etenim boni operis seculares, si quæruntur, minuunt quidem præmium : si autem non quæruntur, augent illud per exemplum. Inde est quod Dominus in Evangelio dicit : Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Ut ergo meritum suum non minueretur, noluit in laudibus seculi gloriari, sed in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quam veram gloriam posset adipisci, non ignorans quia hujusmodi gloriam signorum vel virtutum Salvator discipulis suis prohibuerit, ut in eo potius gloriarentur quod commune esset omnium Justorum, quam in aliquo speciali dono virtutis vel signorum. Gloriantibus enim eo quod dæmonia sibi subjicerentur, ait : Nolite gloriari quia dæmonia subjiciuntur vobis, verumtamen in eo gloriamini, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.

*castitate, aliisque virtutibus conspicuus, Eccli. 3 20 sancte vivit : Isa. 52. 11* *Matt. 5 14 laudem humanam fugit : Matt. 5. 6* F

5 O virum per omnia beatum, quem nec adversitas fregit, nec prosperitas extulit : qui adeo pestilentem mundani favoris auram declinavit, ut mallet inter bestias silvarum conversari, quam vitam suam inter homines levi saltem famine maculari. Sacerdos itaque a prædicto Episcopo consecratus, devitavit populi conventus, tanto ardore desiderans eremum, quasi

*Sacerdos ordinatur*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS. A quasi lectuli dulce foret somnum. Dum ergo Christi peregrinus diu errabundus, nec tamen errans per loca montuosa, silvestria, inaquosa, bestiis associatus, carne maceratus, in speluncis terræ, et cavernis petrarum conversatus, afflictus, angustiatus admodum et fere supra vires fatigaretur; tandem, Deo duce per omnia, pervenit ad locum a Christo sibi destinatum, tunc quidem desertum, nunc vero ex viri sancti meritis c Karadonum nuncupatum. Contemplatus autem locum vir egregius, totus in illam Apostoli sententiam raptus; fidelis Deus, qui non patietur, vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere: immensoque gaudio repletus, dixit: Hæc requies mea in seculum seculi; hic habitatio, quoniam elegi eam. Proposuit enim vir Deo plenus ibidem permanere solus, ut Dei faciem, quam requirebat, contemplaretur dulcius, eo quod ab hominibus foret semotus, illud Psalmistæ assidue soli Deo susurrans: Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram: ne avertas faciem tuam a me; ne declines in ira a servo tuo. Ecce sane tu pulcher es dilecte mi, et decorus: lectulus noster floridus. Deus autem interiorum cognitor, animorum scrutator, intuens militem fieri jam posse Ducem: noluit eum pro se pugnare solo, sed pluribus fore præsidio, deditque ei contubernales B plurimos: quatenus lucerna non abscondita sub modio, sed posita in candelabro, luceret omnibus qui essent in domo. Vir itaque insignis virtutibus, vita cœlibe splendidus, ad exemplum sanctitatis ut lampas fulsit subditis: quoniam qui illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, multos magis illuminavit per ejus lampadem caritate inextinguibili ardentem.

*Solitudinis amore*

c *Caradoni habitat:* 1 Cor. 10. 13

Ps. 26. 8

Cant. 1. 15

*discipulos congregat:*

6 Nemo propterea dubitet de sancti viri meritis, quod minus claruerit in signorum miraculis, tum quia ejus tempore non erat opus signorum effectibus: quæ ut Paulus ait, data sunt infidelibus, non fidelibus, tum quia si quædam vel plura fecerit, paucis erant cognita, quæ si etiam non fuerint incognita, sunt tamen oblivioni tradita diuturnitate temporis et scriptorum inopia. Fecit tamen Deus duo, ut dicitur, simul, per manum ipsius magna admodum miracula, alterum quidem justitiæ, alterum vero misericordiæ. Ascendente etenim per flumen Mosellæ, in cujus ripa ejus cella erat fundata, navi magna sale aliisque mercimoniis plena, exivit pauper Christi, qui totum reliquerat mundum, paullulum salis rogatum, magis ad necessitatem Fratrum quam ad usum proprium. Cumque inverecunde et pertinaci, ut ita dicam, avaritia, institores navis viro C Dei quæsitum sal denegarent, orta repentina tempestate, navis quidem justo Dei judicio patuit naufragio. Justum quippe erat, ut qui ista minimam partem servo Dei negarent, totum quod ex eo habebant amitterent. Cum vero justum Dei sentirent in suo damno judicium, tum demum, tarda quidem sed salubri pœnitentia ducti, opportunam meruere sentire misericordiam. Facto sane a Dei servo Crucis signaculo, navis, quam modo tempestas d aquis obruit, illacerata et absque omni damno statim ab aquis emersit. O vere Crucis Christi servum, qui per Crucis signaculum, quos terruit naufragio, mox eruit periculo! Quod factum vir sanctus non sibi, sed totum Deo tribuens, obortis præ ingenti lætitia lacrymis, exclamavit dicens: Dextera tua, Domine, fecit virtutem: Dextera tua, Domine, exaltavit me.

1. Cor 14 22,

*ob salem sibi negatum, mersam avari nautæ navim* *signo Crucis ex aquis eruit* d

7 Mansit autem Confessor Christi pretiosus in eodem suæ peregrinationis loco donec ætate perfectus, mundo, cui olim quidem mortuus fuerat, carnaliter moreretur; cœlo vero, in quo jam a puero conversabatur animo, nasceretur. A privilegio ergo dignioris partis sancta consuevit Ecclesia die hodierna, id D est, Idibus Februarii, potius ejus natalem celebrare, quam mortem: eo quod dignior sit anima, quæ hodie nata est cœlis, quam caro quæ mortua est terris. Igitur beati viri anima, corporeis compagibus soluta, tanto liberior penetravit ad æthera, quanto minus dilexisset aliquid eorum quæ essent in terra. Videns autem cuncta quæ crediderat multo majora esse speratis (verius sane creditur de eo quam lingua possit exprimere, verius autem est, quam quisquam possit credere) assumpta Doctoris gentium sententia ait: Vere videbam tunc per speculum in ænigmate, 1. Cor. 13. 12
nunc autem facie ad faciem. O vere Christi adamator, mundi fortis triumphator, morte sacra per eremum scandis regnum, quo coronam gestans vitæ, Regi Regum regnans rite. Nunc pro nobis preces funde, ut qui dona dat abunde Deus et fons pietatis, nos purgatos a peccatis illuc levet hinc ab imis, ubi manes tam sublimis: ut cum illo conregnemus, inde grates sibi demus quod se ad nos inclinarit, et nos ad se sublevarit, Deus natus Dei Patris exuens nos de barathris. Ergo salus ingenito, ejus et Unigenito, sit in sancto Paraclito, qui Castori Confessori inclyto, vitam dedit et spiramen, Deus unus trinus. Amen.

*moritur 13 Febr.*

8 Convenerunt circummanentes undique cum magna alacritate, quasi Divino quodam edicto, Clerus et populus utriusque sexus, ad venerabiles B. Castoris exequias, more Christianorum frequentantes, non quidem nænias, ut vulgo solet fieri, verum, ut E religiosus mos inolevit, hymnos et psalmos cum canticis tali officio congruis, cum oratione et obsecratione. Erat sane in eis pietatis affectus, sancti viri deflere absentiam, cujus tamen corporis gaudebant habere præsentiam. Plangebant igitur in mellіflua allocutione tanti Doctoris, atque solatio desolati; gaudebant autem ut ejus patrocinio et assiduo interventu consolati. Erat igitur et, sicut de Beato legitur Martino, pium Sanctum deflere Castorem, et pium quidem Sancto congaudere Castori. Peractis itaque exequiarum vigiliis, juxta sanctorum Patrum exempla rite protelatis, accesserunt viri timorati, non quidem temere, sed ad id officii providenter deputati: cum ingenti planctu et tremore sustulerunt illud venerabile corpus, in feretro positum, de cella, in qua jacuerat, portantes cum psalmis et canticis in ecclesiam, quam ipse ad honorem Domini nostri Jesu Christi et ejus Genitricis semperque Virginis Mariæ fabricaverat. Dignum namque reputantes, ut corpus Ecclesiastici viri infra ecclesiam pausaret: Missamque solenniter ex more celebrantes, sepelierunt illud in sepulchro novo, in quo nondum quisquam positus fuerat, condientes cum aromatibus, diversisque odorum generibus; per omnia laudantes et glorificantes Christum, qui Confessori suo tantam largiri dignatus est gratiam, ut cujus anima cœ- F lestem possideret patriam, corpus vero præsentem consecraret ecclesiam.

*magno concursu populi*

*pie et honorifice sepelitur.*

a *Cujus fuerit S. Castor, nusquam indicatur: an forte Aquitanus, ut ipse S. Maximinus, Paulinusque ejus successor? an e Belgica, cujus tunc caput Treviri, Cæsarum sedes? At non saltem Trevirensis, si patriam reliquit, ut S. Maximinum adiret.* — b *Hic secundus est ejus nominis* Maximinus *Trevirorum Episcopus, qui 29 Maii colitur. Primus 20 Junii martyrio coronatus, quem multi etiam Tungrorum fuisse Episcopum putant, cum hi tamen suum* Maximinum *Confessorem indigitent, non Martyrem.* — c *De Caradono antea actum. Jacet ad occiduam Mosellæ ripam, cujus situs infra cap.* 2 *num.* 13 *describitur.* — d *Videtur Hymnus Caradonensis innuere, servatam navim ne periret, non, cum periisset, undis ereptam.*

## CAPUT II.

### *S. Castoris reliquiæ inventæ: pars Confluentiam translata.*

Jacuit autem sancti corporis desiderabilis thesaurus multo tempore in terra occultus, ut nemo hominum sciret ubi esset positus; sive quod antiquis morientibus,

A rientibus, novi homines supervenerint, qui sancti-
*Diu ignoratus locus sepulturæ S. Castoris.*
tatem viri ignorarent, ideoque locum, in quo positus erat, magis ac magis negligerent, donec omnino oblivioni traderent; sive quod terra, posteaquam
a
ibi poneretur, penitus fuerit desolata, prius quidem
b c
a *a* Normannis, deinde vero ab Hunis; qui, ut legitur, *b* omnes Galliarum, præter *c* Metensem B. Stephani Protomartyris Christi, diruerunt ecclesias; seu quod Deus qui mirabilis est in Sanctis suis, quem constat, ut superius dictum est, et in isto esse
*Ecclesiæ illi dicatæ,*
mirabilem, ita præordinaverit, ut quo diutius jacuisset in terra, eo demum clariori apud homines fulge-
d
ret in gloria. Unde contigit, ut duo *d* Canonicorum monasteria, præter villanas ecclesias, in honore Sancti hujus Domino consecrarentur: quod nemini Confessorum Christi, in territorio quidem Trevirorum quiescentium, tribuit Deus, quantalibet devotione ab hominibus venerentur. O quam justum Dei judicium,
Matt. 19, 29
ut qui unam Christi ædificavit ecclesiam, plures ipse habeat! o quam verum Filii ejus promissum, ut quod pro nomine ejus erogavit quasi centuplum in hoc mundo accipiat, et vitam æternam possideat!

10 Tempore autem Weomadi, qui a B. Maximino
e
B S. Castoris ordinatore *e* vigesimus nonus Trevirorum extitit Episcopus, placuit Deo in terra absconditam margaritam revelare, et sancti viri reliquias homini-
*Martio Presbytero revelatur ejus tumulus:*
bus diu incognitas, Deo autem pretiosas, sua manifestatione glorificare. Ostendit igitur per visionem cuidam Presbytero, nomine Martio, venerabili quidem et sancto viro, quo in loco thesaurus pretiosus esset absconditus: simulque adjecit, ut Trevericæ urbis Archipræsulem adiret, et præclaram visionem de revelatione sanctarum reliquiarum illi aperiret. Illo autem dissimulante, visionem vanitatem somnii æstimante, seque indignum cui talis fieret revelatio judicante, secundo hæc eadem visio illi apparuit, et ut Episcopo innotesceret admonuit. Tum vero Martius miro modo stupefactus, Deum precabatur obnixius, ut si ex eo esset hæc visio, appareret ei et tertio, voto vovens quod faceret, quodcumque illi præciperet. Tertio igitur ostendit ei manifesta Dei cle-
*in Weomado Archiepiscopo significat;*
mentia, quæ venerabili viro ante fuerant bis ostensa, præcipiens ut præfato Episcopo suggerat quatinus absconditam margaritam in lucem proferat. Weomadus autem Trevericæ urbis Archiepiscopus Marium Presbyterum, cujus adventum per revelationem ante cognoverat, cum ingenti honore suscepit: auditaque itineris caussa, Deo omnipotenti gratias egit, quod suis temporibus dignaretur revelare sanctas beatissimi Castoris reliquias. Accersitis itaque ad Archie-
C piscopum optimatibus suis, Archidiaconis, Clericis, cum Laicis religiosis, mysterium consilii sui eis communicavit, quo modo vel quo tempore ad Karadonum descendere posset, quo comprovinciales et regionis Principes sibi occurrerent: ut communi devotione ad salutem cunctorum sancti viri reliquias de terra levarent. Aptum quippe erat, ut una omnes devotione ejus venerationi assentirent, cujus oratione et patrocinio una omnes sibi subveniri apud Deum desiderarent.

11 Constituto itaque die, indictoque jejunio, præ-
*qui post triduï jejunium,*
fatus Pontifex, una cum venerabili comitatu monachorum atque Clericorum cujusque ordinis, sed et laicorum utriusque sexus, ad Karadonum descendit: ubi et multitudo innumerabilis comprovincialium, sed et aliarum regionum diversæ conditionis, diversæque ætatis, cum mentis alacritate ei, sicut ante indixerat, occurrit. Facto ergo ab omnibus triduano jejunio, preces et obsecrationes fuderunt ad Deum, ut qui reliquias sancti Confessoris sui dignatus esset revelare, illos non reputaret indignos, ea quæ revelata essent de sepulchro levare. Celebratis vero ab Episcopo Missarum solennis, sepulchrum sancti viri cum ingenti timore et tremore adeunt: quo adaper- D
*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*
to, cœlestem thesaurum inveniunt, inventum autem
*corpus ejus elevat,*
cum hymnis et laudibus et canticis spiritalibus in ecclesiam, quæ tunc Domus *f* Paulini dicebatur,
f
transferunt, ubi fiunt orationes et obsecrationes ad
*miraculis dein illustratum:*
Dominum usque in præsentem diem. Dominus autem omnium exauditor, omnium quidem miseretur, et de quacumque tribulatione ad eum clamaverint, vel quidquid in nomine Jesu Christi petierint, consolationes et beneficia consequuntur: præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, cui est cum Patre et Spiritu sancto juge imperium, regnum indeficiens, gloria permanens in secula seculorum, Amen.

12 Post multum temporis, cum Deo placeret am-
*pars postea translata Confluentiam.*
pliorem adhuc honoris gloriam Castori Confessori suo tribuere in terris, quatinus cunctis innotesceret, quantum ejus merita valerent in cœlis; inspiravit *g*
g
Archiepiscopo temporis illius aliisque terrarum Principibus, ut reliquias S. Castoris dividerent, partemque unam apud Karadonum in præfata ecclesia, quæ antiquitus dicebatur Sancti-Paulini-Domus reponerent; aliam vero ad Confluentiam, ubi Mosella fluvius Rheno confluit, unde etiam locus congruum sortitur nomen, transferrent. Ibi sane esset et locus
*ubi ei structa ecclesia,*
latior et copia rerum uberior, et accessus popularis frequentior. Quo in loco fabricata est regalibus im- E
pensis, miri decoris basilica, et omnipotenti Deo ad honorem S. Castoris Confessoris.

13 O quam altum et inscrutabile omnipotentis Dei judicium, quo sancti viri ossa, quæ multis secu-
*Caradoni situs,*
lis clauserat angustia sepulchri, postmodum non retineret arcti quidem et unius angustia loci. Est enim locus, ut pluribus notum est, admodum angustus supra ripam Mosellæ situs, montibus inclusus: unde, sicut in quibusdam scripturis legimus, Carta-domus, quasi Coarta, appellabatur antiquitus. Unde Deus recompensabat hoc sancti viri meritis, inquantum capere potest intellectus humanæ mentis; ut quoniam diu jacuerat in angusto sepulchro, postmodum foret contentus uno et angusto loco. Obtinet igitur primatum utriusque loci: fovet utrumque ac defendit sui protectione patrocinii: habet in utroque loco Clericos Canonicos Christo et sibi nocte dieque famulantes: reddit eos in utroque loco pro sui corporis translatione annua devotione exultantes.

14 Exultat Karadonum, quoniam Patronum suum non amisit: sed aliorum Patronum esse fecit. Exultat Confluentia, quoniam Patronum, quem prius
*Translationis memoria 12 Novemb.*
non habuit, hodierna die recepit. Exultat uterque locus Idibus Februarii, cum sanctissima anima ab Angelis est translata de angustia corporis ad cœles- F
tem patriam. Exultat hodierna die, id est, pridie Iduum Novembrium, cum ossa sacri corporis a Principibus terræ translata sunt, de angustia Karadoni Confluentiam. Illo die cœlestes chori exultabant, quo Christi Confessoris animam in suum consortium susceperunt: isto die Confluentini exultabant, quo tanti Pastoris ossa recipere meruerunt. Exultabant
*dies uterque lætus, et hominibus et ipsis elementis.*
autem in utroque Karadonenses, illo Angelis congaudentes, isto Confluentinis congratulantes. O quam felices illi dies, quos illustrat celebris quies, quæ tot reddit lætabundos, hilares, mente jocundos. In solennitate nostri Patroni, fratres carissimi, non solum rationabilis creatura Angelorum et hominum lætatur; verum etiam irrationabilium mundi elementorum unumquodque pro suo modo jocundatur. Cœlum enim concinentibus Angelis resultat, cum beati viri animam infra ambitum sui palatii collocat. Terra resultat cum ejus corpus sinu suo commendat. Item canentibus, et Deo gratias reagentibus resonuit, cum idem corpus feliciter custoditum aspectibus hominum reddidit. Aer autem resonando exultavit, cum eam odor suavissimus bis perfudit. Perfu-

 sus

A sus est enim inæstimabili suavitatis odore, cum ejus corpusculum sepulturæ traderetur : profusus est item, cum ex sinu terræ elevaretur. Aqua vero miro modo reconsiliendo exultavit, cum partem ejus ossium Confluentiam portavit. O felix vita, cujus mors læta fecit cuncta mundi elementa! O felix vita, quæ post mortem, totiens honoris accepit incrementa! O felix vita, quæ necem temporalem non formidavit, et æternam mortem omnimodo non gustavit! Hæc est vita beatissimi viri, hominibus quidem non multum cognita, quoniam est cum Christo in Deo abscondita : cum autem Christus apparuerit vita vera, tunc et ipse apparebit cum illo in gloria. Tunc enim mortale hoc corpus ejus, quocumque depositum est, induet immortalitem, et corruptibile hoc, velut Prædicator gentium docuit, induet incorruptionem. Tunc et nos quidem, qui vivimus, qui residui sumus, obviam Christo rapiemur in aera, sicque semper cum Domino erimus in gloria. Quod ipse idem Dominus noster D precibus et meritis beatissimi Confessoris sui Castoris præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto a principio vivit et gloriatur, et nunc et in secula seculorum. Amen.

*AUCTORE ANONYMO EX MS.*

*1. Cor. 15. 53*

a *Normanni hic pro Wandalis positi, qui vere Septentrionales viri, quod vox* Nort-man *sonat, fuere. Nam qui Belgium nostrum Galliamque dire populati sunt Normanni, et sedem tandem in Neustria fixere, longe Hunnis posteriores fuere, seculo Christi 9 ac 10, cum Hunni quinto præcipue Gallicanas provincias incurrerint.* — b Multas *voluit auctor scribere ut sanctorum historias legenti patet.* — c *S. Gregorius Turon. lib.* 2 *hist. Franc. cap.* 6 *tradit Metensi urbe tota exusta, populo ac Sacerdotibus trucidatis, solum S. Stephani oratorium flammas evasisse.* — d *Confluentinum et Carodunense, ut antea dictus ex Browero.* — e *In Claudii Roberti catalogo Episcoporum Trevirens. num.* 28 *est* S. Maximinus, S. Weomadus 60 *De hoc agemus* 8 *novemb.* — f S. Paulino, *opinor, S. Maximini successori, qui* 31 *Augusti colitur, ea sacra ædes fuit.* — g Helti, *ut diximus, quem Kyriander* Hecti, Hellonem, Hettingum *vocat. Adfuit is morienti Ludovico Pio, celeberrimi nominis Episcopus.*

# DE S. MARTINIANO

## EREMITA IN PALÆSTINA,

*G. H.*

### Commentarius prævius.

*CIRCA AN. CCCC. XIII FEBR. S. Martiniani Vita Græce scripta, auctore coævo.*

C*elebris est ad diem* XIII *Februarii memoria S. Martini, cujus res gestas Græci in officio Ecclesiastico variis odis, antiphonis, aliisque canticis exornant. Vitam ejus, e qua reliqui sua encomia excerpserunt, scripsit auctor antiquus, et quantum* B *ex ea colligimus, coævus : qui testatur, sibi notum fuisse* S. *Martinianum, cum aliis monachis, sive eremitis in Arcæ-loco degentem.* Ἐν οἷς, *inquit,* ἔγνων καὶ τὸν μακαριώτατον Μαρτινιανὸν οἰκοῦντα. Inter quos novi etiam habitantem beatissimum Martinianum. *Videtur auctor in Palæstina floruisse, ubi, tam in continente quam maris insula, S. Martianus diutissime vixit, nautam primum vitæ in rupe maris exactæ recuperatorem nactus. Ibi etiam in Bethlehemitico monasterio meretrix Zoe ab eo conversa piissime obiit. Hanc Vitam damus Latine redditam ex antiquo codice MS. Medicæo Regis Franciæ. Est illa a Metaphraste varia paraphrasi aucta, atque e versione Gentiani Herveti ab Aloysio Lipomano et Laurentio Surio ad hunc diem* XIII *Februarii vulgata, deinde in varias linguas ab aliis translata. Ejusdem Vitæ epitome continetur in magnis Menæis Græcorum, in Anthologia novo auctoritate Clementis* VIII *ab Antonio Arcudio edita, et in* Βίοις Ἁγίων *a Maximo Episcopo Cytheræo conscriptis. Nos solum antiquiorem Vitam hactenus ineditam damus; servata pluribus locis Herveti versione.*

*Edita ex MS. Regis Franciæ : exornata a Metaphraste : ejus epitome Græca*

2 *In Menologio Græcorum Henrici Canisii hæc le-* C *guntur :* Ejusdem mensis *Februarii* die XIII. Natalis beatissimi Patris nostri Martiniani, qui fuit ex Cæsarea Palæstinæ, vir pietate et monastica exercitatione insignis. *In Menæis hi versus adduntur.*

*S. Martiniani natalis 13 Februarii.*

Μαρτινιανὸς σαρκικὴν σβέσας φλόγα
Φεύγει τελευτῶν, μὴ τελευτῶσαι φλόγα.
Ἐν τριτάτῃ δεκάτῃ δέμας ἔξεδυ Μαρτινιανός.
Martinianus carnalem extinxit ignem,
Fugiens mori, ne in ignem resolvatur.
Decima tertia die corpus exuit Martinianus.

*Molanus etiam eumdem refert in auctario Usuardi, uti et Ferrarius in generali SS. Catalogo, cujus hæc sunt verba :* Athenis S. Martiniani monachi. *In ejus namque urbis ecclesia, præsente Episcopo, ad aliam vitam migravit. At præcipua ejus solemnitas solebat peragi* Constantinopoli in æde Principis Apostolorum Petri, quæ prope sanctissimam magnam ecclesiam erat sita, *uti in eisdem Græcorum Menæis, et apud Maximum Cythæræum legitur.*

*veneratio Constantinopoli.*

3 *Quo floruerit tempore S. Martinianus sic fere videtur colligi posse.* Nulla *tum erat* persecutio : non Imperator, neque Præses persequebatur Christianos, *uti legitur num.* 19. *Pacifica tempora Theodosii Magni, filiorumque Arcadii et Honorii innuuntur, quando vel maxime per Orientem floruerunt monachi atque anachoretæ. Tum exciti non solum viri, sed religiosissimæ etiam feminæ Roma in Orientem perrexerunt. Inter has fuit S. Paula nobilissima matrona, quæ Bethlehemi* E *annos vixit viginti, ab anno* CCCLXXXIV, *ad annum* CCCCIV. *Ad hanc a S. Martiniano missa Zoe meretrix num.* 10, *ubi dicitur illa* ædificasse templum Christi *quod num.* 11 *appellatur* monasterium S. Paulæ, *in quo cum ipsa degebant* Virgines e diversis provinciis congregatæ, nobiles, medii et infimi generis, in tres turmas divisæ. *Situm erat hoc monasterium* a latere ecclesiæ, *quæ ad antrum Nativitatis Christi a Constantino Imperatore et matre ejus Helena erat extructa : ut diximus* XXVI *Januarii* § 2, *ad Vitam ipsius S. Paulæ ab S. Hieronymo scriptam, qui num.* 46 *ait illam* in media ecclesia speluncæ Salvatoris esse sepultam. *Quod autem inter* Virgines *vixerit, aut eis etiam præfuerit, diximus* § 1 *num.* 2 *in variis antiquis Martyrologiis MSS. etiam* Virginem *appellari. Quod etiam auctor Vitæ S. Martiniani secutus, qui ait sub ea meretricem Zoen a S. Martiniano submissam annos decem, aut, ut apud Metaphrasten legitur, annos duodecim vixisse. At S. Martinianus post hanc a se dimissam mulierem, vixit menses septem in solitudine, sex annos in rupe maris, ac biennium in varia peregrinatione, ut etiam ante S. Paulam e vita migrasse dicendus sit.*

*Floruit sub fine seculi quarti,*

*mittit in Bethlehem meretricem Zoe ad S. Paulam, quæ ante S. Paulam mortua, uti et ipse.*

## VITA

### auctore coævo

### *Ex MS. Græco, collata cum Metaphraste.*

ANIMADV. PAP. 101

### CAPUT I.

### *S. Martiniani vita solitaria, miracula, insultus diaboli meretricis opera.*

Mons, Arcæ-locus appellatus, est proxime Cæsaream urbem Palestinæ. In hoc monte est solitudo sita, in qua multi viri, qui monasticam agunt vitam, habitant : inter quos novi etiam habitantem, celebri memoria dignum, et divina virtute præditum, beatissimum Martinianum. Hic namque jam dictus vir in juvenili adhuc ætate (ut qui annos circiter octodecim esset natus, ac corporis pulchritudine excelleret) reliquit a civitatem cum omnibus incolis, eorumque tumultibus : seque quietæ ac solitariæ vitæ tradens, venit ad hanc solitudinem, in eaque annos quinque

*S. Martinianus adolescens petit eremum* a

A quinque ac viginti habitavit, vitam in terra Angelicam agens. Dignus propterea is habitus est, qui a Deo dona curationum acciperet : multosque Dominus per sanctas ejus preces sanavit. Quosdam enim, qui variis detinebantur *b* infirmitatibus, alios vero, qui a dæmonibus vexabantur, cum ad eum venissent, a dæmonum insultu liberavit. Et alia miracula per ejus preces operatus est Dominus. In dies autem singulos in exercitatione sua pulcherrima proficiebat : omnemque in partem, quæ de eo erat, fama bona pervadebat : et omnes ut juvarentur, ad eum veniebant.

*b claret miraculis;*

2 Sed virtuti infestus hostis, virtutem, qua in senectute excellunt alii, ut secure in adolescente splendesceret, non tulit. Ac primum quidem diversas cœpit ei excitare tentationes, ac per visiones terrere hominem visus est. Deinde etiam per antiqua sua arma, per quæ Adam ejecit e paradiso, machinatus est eum quoque a bono proposito avellere. Quodam itaque die psallente Beato mutatus in maximum draconem, ejus cellam subtus subiens, cœpit suffodere fundamenta, tamquam qui vellet eam evertere. Beatus autem Martinianus cum sine ulla perturbatione implesset suas preces, per fenestram adspiciens, dicit ei : Vere te decet serpere supra terram. Quid frustra laboras, o infelix? Me tuæ non B terrent visiones. Habeo enim Christum, qui mihi fert opem, et tuam conculcat potentiam. Diabolus autem cum hæc audiisset, in *c* adolescentem mutatus, dixit . Expecta me, expecta Martiniane, et sic te dejiciam. Inveni enim artem, per quam sum te dejecturus, et tua te spe frustraturus. Nisi enim te humilem et abjectum reddidero, a te recedere haud potero. Tantam enim in te fero iram, ut portare eam nequeas : educam te e tua cella, dejiciamque, non secus ac folium a vento dejicitur : et videbo, quis sit qui tibi opem ferat. Hæc cum dixisset diabolus, evanuit. Vir autem sanctus tam quiete degebat, ac si nullum spectrum vidisset : sed lætabatur in meditatione divinorum eloquiorum.

*a diabolo infestatur :*

*c*

*non terretur :*

3 Accidit vero quodam die, ambulantibus quibusdam in civitate Cæsarea, qui inter se de divina vivendi ratione loquebantur. Quibus adhuc colloquentibus de rebus S. Martiniani et admirantibus ejus constantiam, ecce transiens mulier quædam meretrix, audit quæ dicebant. Quæ a diabolo impulsa, viris appropinquans, dixit : Quis est is, quem inter vos admiramini? aut quæ sunt ejus recte facta, aut quamnam habet is vivendi rationem? Quem ego si C voluero, tamquam folium ab arbore, sic detraham. Quodnam est enim ejus laude dignum studium, quod se tamquam agrestem feram conclusit in solitudine, non valens ferre cupiditates carnis? An adspiciens mulierem, non habet cupiditatem? Scitote autem, si non adsit ignis, fœnum non uri. Sed si igni prope sito manserit incombustum, hoc est admirabile et magni faciendum. Ita etiam de illo dicendum est. Si cum ego ad eum ivero, illeque me adspexerit, neque a proposito suo dimotus, neque in me offensus, neque motus fuerit ejus animus propter meam pulcritudinem, tunc talis erit admirabilis, non solum apud homines, sed etiam apud Angelos Dei. Hæc cum dixisset, pacto cum viris illis into de viri beati animo generoso oppugnando, ivit in domum, detractoque ornatu suo, laceris se pannis involvit, et pannosum velum capiti imposuit, ac se fune cinxit : accepta pera, in eam immisit omnem vestitum ornatus sui : ac cum advesperasceret, profecta e civitate venit in montem vento ingruente et pluvia.

*meretricem fallendi artibus instructam,*

4 Cum autem fuisset prope ejus cellam, cœpit miserabili voce rogare virum sanctum, dicens : Miserere mei, serve Dei, et ne sinas me miseram consumi a bestiis : a via enim aberravi, et incidi in hanc D solitudinem, et nescio quo vadam. Ne me ergo despicias, quæ sum in tali necessitate, neque abomineris me peccatricem. Nam ego quoque creatura sum Dei. Hæc et his plura cum fletibus et ejulatibus illa dicebat, quando Beatus eam in tali habitu videns pannis obsitam et imbre madefactam, motus est animo, et dixit : Væ mihi peccatori : nunc vel a præcepto excidam, vel a proposito. Mulier est in necessitate : si eam despexero, et in cellam non introduxero, devorabitur a bestiis, et maculabit animam meam. Sin vero sit tentatio, et huc ingrediatur, timendum est, ne me pellat a præcepto : neque scio quid agam, et manibus in cœlum sublatis, dixit : In te, Domine, speravi, non confundar in æternum : neque irrideant me inimici mei : neque sinas me hostis dominatu teneri : sed secundum tuam voluntatem serva me in hac hora, et a maligno valida manu tua protege me.

*AUCTORE COÆVO, EX MS. GRÆCO.*

*petentem in cellam admitti ne a bestiis devoretur,*

*fusis precibus:*

5 Hæc cum dixisset, aperuit ostium, et eam introduxit : cumque ignem accendisset, dixit ei : Mulier calesce, et attende tibi ipsi : tecum enim non manebo, et cum attulisset dactylos, quibus ipse reficiebatur, *d* apposuit ei, et dicit : Comede, et cura teipsam, mane hic, et cras vade in pace. Ipse vero ingressus in cellam interiorem, clausit ostium : et cum Psalmos cecinisset tertia hora noctis, et orasset, humi dormiit ut consueverat. Mulier vero noctu surgens, omnia sua ornamenta e pera extracta induit, E seque ornavit ad decipiendum B. Martinianum, laceris pannis in peram injectis. Vir autem sanctus mane surgens, post cantatos Psalmos exivit e cella, ut dimitteret mulierem. Et cum eam vidisset sic ornatam, non agnovit eam : et cum obstupefactus diu obmutuisset, dicit ei : Quænam tu es, et undenam huc es ingressa, et quis hic est diabolicus habitus?

*intromittit :*

*d secedit :*

*orat :*

*a meretrice exornata,*

6 Illa vero respondens, dixit ei : Ego sum, Domine mi. Dixit ei Sanctus : Et quanam de caussa est mutatus tuus habitus, ut, quæ esses vespere miserabilis, et nunc superba? Illa vero dixit ei : Ego sum ex Cæsarea civitate Palæstinæ : et cum audivissem de tua juventute, quod talem habeas corporis pulcritudinem, cor meum valde exarsit propter venustatem tuam et pulcritudinem, et accessi ut te viderem, et explerer tua pulcritudine : non enim temere tantum confeci itineris. Quodnam est autem, Domine mi, hoc vestrum importunum jejunium? Et quanam de caussa talem vestram juventutem et nitidam ætatem maceratis afflictione et intempestiva abstinentia? Quænam scriptura dicit, non esse comedendum, nec bibendum nec legitimum ineundum matrimonium? Non dicit Paulus Apostolus, Honorabile connubium, et thorus immaculatus? Quis ex Prophetis F aut Patriarchis non fuit junctus matrimonio, et factus est hæres regni cœlorum? Nonne Enoch ille magnus et admirabilis, conjunctus matrimonio, non vidit mortem usque in hodiernum diem? Similiter quoque Abraham et Isaac et Jacob vir ille generosus, et Moses legislator, David quoque, et Salomon, et omnes posteriores, numquid conjuncti matrimonio, digni sunt habiti regno cœlorum? Hæc dicens mulier, enervavit ejus bonam cogitationem, et cœpit eum in barathrum peccati deturbare.

*Heb. 13 4*

*illato de matrimonio colloquio,*

7 Et respondens, dicit ei : Si te accepero uxorem, quo te ducam, aut unde alam, cum nihil habeam? Ego enim, ut vides, pauperem vitam vixi. Illa autem dicit ei : Ne sollicitus fueris de tali aliqua re; tu solum mihi assentire, et mecum habita, et fruar tua juventute, neque adligas in hoc cor tuum. Habeo enim et domum, et aurum, et argentum, et præclaras possessiones, servosque et ancillas : et horum omnium ego te dominum constituam : solummodo assentire meo voto. Hæc ea dicente, vel potius diabolo per eam loquente, cœpit vir demoveri a suo proposito

*inducitur ad consensum :*

AUCTORE COÆVO, EX MS. GRÆCO.

A proposito, et inflammari ad carnis cupiditatem: et de cetero de peccato cum ea loquebatur, ut id cum ea faceret. Deinde dicit ei: Mulier, expecta parumper. Quoniam solent aliqui venire, et a me benedici. Dimitte, spectabo vias, ne forte aliqui ad nos veniant, et nos inveniant in hac actione. Et si enim Deo manifesta fuerit actio nostra, inter homines saltem ne incomposite nos geramus, eos offendentes. Hæc cum dixisset, e cella sua egressus est, et stans supra rupem, vias considerabat.

*cavet ne ab hominibus videatur:*

a *Cæsaream Palæstinæ, uti explicant Menæa, et Anthologion Græcorum. Erat hæc Metropolis Palæstinæ primæ; de qua alibi sæpius agimus.* — b *Apud Metaphrasten ordo narrationis immutatur.* Et febres *habet Gentianus, Græce* ἄσθμαις. — c *Gentianus,* turbinem *Græce* κονιορτόν. — d *Addebatur apud Metaphrasten* Stabant enim duæ palmæ extra cellam.

## CAPUT II.

### *Pœnitentia S. Martiniani in ignem se conjicientis. Emendatio meretricis, et vita monastica sancte peracta.*

*a Deo motus resipiscit,*

At benignus et clemens Deus, qui non vult aliquem perire, non despexit ejus laborem a juventute susceptum, et precationem, sed opem ei tulit. Nam cum staret super rupem, et vias consideraret, avertit cor ejus, ut mutaretur a mala hac actione: et descen- B dens ex petra, collegit quam plurima sarmenta arida: ingressusque in cellam, projicit in medium, acceptoque igne accendit sarmenta. Magna autem flamma, accensa, in eam insiliit, et stetit in medio igne, vehementer combustus, et cum ei dolerent valde pedes, egressus est: et veluti secum depugnans, dicebat: Quid est Martiniane? Recte te accepit hic ignis. Sustines hanc castigationem in experimentum, si potes hæc pati, accede ad hanc mulierem. Per hanc enim diabolus ignem æternum tibi præparat. Non enim hæc est caussa, sed is, qui eam movit, ut impediret bonum tuum propositum. Cogita ergo æternum supplicium, o Martiniane: in mentem revoca ignem illum æternum. Hic enim ignis, qui videri potest, ab aqua extinguitur: æternus autem ignis ab aqua non extinguitur, et illis vermes numquam cessant: angeli, qui præsunt suppliciis, sunt immisericordes. Cogita hæc omnia, o Martiniane. Cum autem parum remisisset labores, rursus ingressus est in ignem, et stetit in medio: et valde combustus exivit, ceciditque humi, et ingemiscens, cum lacrymis dixit: O Deus, esto mihi propitius propter consensum meum ad peccatum: tu enim es scrutator cordium et renum, et tu cognoscis cor meum, Do- C mine. Quoniam te dilexi, et te desideravi, et propter te corpus meum igni tradidi. Condona mihi, qui solus benignus et clemens existis. Hæc precatus est humi jacens: non poterat enim stare propter plagas ustionis.

*prosilit in ignem:*

*adustus jacet humi*

*misericordiam Dei implorat:*

9 Hæc cum mulier et vidisset et audivisset, veluti e somno profundissimo surgens, cum apud se considerasset virum, quod propter animæ suæ salutem corpus suum igni tradidisset, et recordata esset suarum improbarum actionum, surgens exuit omnem suum mundum vestimentorum, et omnia conjecit in ignem, et laceros pannos e pera extractos induit: et procidens ad pedes B. Martiniani humi jacentis, cœpit cum lacrymis clamare, dicens: Ignosce mihi, serve Dei. Tu enim, Domine, scis varias artes et fraudes diaboli: sed ora pro me, rogo tuam sanctitatem, ut per tuas preces salva fiat peccatis obnoxia anima mea. Hoc autem aperte scias, me non esse aliquando reversuram in meam civitatem, neque ingressuram domum meam, neque mala esse via ambulaturam: sed serva meam animam. Scias enim, Domine, quod quomodo diabolus contendit, D adversus te militare, ita ego quoque militabo contra ipsum, in nomine Domini nostri Jesu, qui mundavit meretricem, et eum pudore afficiam. Arbitratus est enim fore, ut me contra te sustolleret: sed me contra se ipsum sustulit, et expectans fore, ut te vincerem, a me habendus est ludibrio. Hæc ea dicente, assidue lacrymæ ex ejus oculis manabant.

*meretrix movetur ad pœnitentiam*

*proponit non redire in urbem,*

10 Beatus autem Martinianus respondens, dixit ei: Dominus Deus meus condonabit tibi peccatum; vade in pace, et quomodo dixisti, decerta pro tua salute, milita adversus carnem, et sic poteris malignum pudore afficere. At illa respondens, dicit ei: Rogo te, dirige me ad salutem: dic mihi, quo vadens, potero esse salva? Sanctus autem dicit ei: Vade Hierosolymam: et abi ad sanctam Bethleem, quære illic Virginem, nomine *a* Paulam, quæ ædificavit templum Christi: et ingredere ad ipsam et renuntia ei, quod factum est: et poteris apud eam esse salva. Illa vero surgens, adoravit eum, dicens Ora pro me, Pater. Et ipse cum dolore pedum surgens, dedit ei paucos dactylos ad viæ solatium: et egressus e cella, ostendit ei viam, quæ ducit Hierusalem, et dicit ei: Vade in pace mulier, et servans serva tuam animam, et decerta pro tua salute. Vide ne retro convertaris. Nemo enim, qui manum misit ad aratrum, et conversus est retrorsum, aptus est regno cœlorum. Ne ergo retro convertaris, hoc est, ad hujus vitæ voluptates: sed attende tibi ipsi, ne irri- E dearis: et persevera in pœnitentia. Deus enim est eorum, qui agunt pœnitentiam. Ea autem his auditis, fletum suum plurimum auxit, dicens: Spero in eum, in quem sperarunt gentes, et pudore non sunt affectæ, quod diabolus *b* spem in me non inveniet. Cumque sic precata esset, et adorasset Dei servum Martinianum, abscessit. Beatus autem cum eam signasset signo Crucis, dixit: Dominus Deus meus custodiet animam tuam, et hoc cum dixisset, ingressus est in cellam suam, humique cecidit, et suspirans atque orans. Et illa similiter ibat deflens ac precans, ut Dominus eam deduceret ad salutem. Et illa quidem nocte, cum non potuisset permeare latitudinem solitudinis, mansit in loco, ad quem venit. Mane autem cum surrexisset, ambulabat flens et orans.

*suadente S. Martiniano*

*a Bethleemum abit,*

*ejus monitis corroborata.*

*b*

11 Sub vesperam itaque pervenit Bethleem: et cum venisset in monasterium B. Paulæ Virginis, ingressa ad eam, renuntiavit omnia, quæ contigerant: Illa autem cum audiisset, Deum glorificavit, qui est clemens et misericors, eamque accepit in monasterium, ac per singulas horas instituebat in iis, quæ pertinent ad salutem. Ea vero usque adeo perseverabat in exercitatione, ut Beata sæpe eam admoneret, et diceret: Parce carni tuæ, ut possis usque ad F finem sufficere. Illa vero magis magisque intendebat, nulla in re remittens laborem exercitationis usque ad obitum suum. Benignus ergo Deus beneficia curationum ad certam ejus probationem præstitit per ejus preces. Quodam enim die mulier quædam, cui graviter dolebant oculi, in monasterium venit ut curaretur. Volens ergo B. Paula probare ejus pœnitentiam, dicit ei: Filia ora pro ea, ut per tuam intercessionem ei Dominus præbeat sanitatem. In paucis itaque diebus, cum ea precata esset, sanavit eam Dominus. Quæ etiam seipsam collocavit in eodem monasterio. Hæc autem *c* cum *d* decem annos vixisset in monasterio, fuit in Christo consummata peracto cursu. Toto enim tempore suæ conversionis vinum non bibit, oleum non comedit, nec uvam, nec alium fructum, neque aliud aliquid excepto pane et aqua, eaque non ad satietatem, vespere accipiens, et nonnumquam secundo die. Ea autem humi quoque dormiebat. Hic est finis hujus Beatæ, et hæc sunt ejus certamina.

*in monasterium admissa, austere vivit:*

*claret miraculis*

*c d*

*sancte moritur:*

*Ad*

A a *An ea sit S. Paula vidua, mater S. Eustochii, quæ hic Virgo dicitur, id est sanctimonialis, supra inquisivimus. Gentianus* Paulinam *vertit, ut scripserat fortassis Metaphrastes. In nostro Græco exemplari perpetuo* ἡ Παύλα *appellatur.* — b *Græce* ἐλπίδα. *Gentianus* partem, *Græce.* μερίδα. — c *Additur apud Metaphrasten,* Beata Zoe (hoc enim erat ejus nomen) *quod is aliunde potuit scire* — d *Idem,* duodecim. — e *Hactenus non reperimus eam ulli Martyrologio inscriptam, nisi forte aliud habuerit nomen.*

## CAPUT III.

### *Vita solitaria S. Martiniani sub dio in rupe medio mari.*

Sed necesse est, ut nos revertentes ad vitam B. Martiniani, narremus præclara viri facta ad multorum utilitatem. Post septem ergo menses curatus a plagis ustionis, ratiocinari cœpit apud se dicens : Revera nisi ex hoc loco recessero, et ivero in locum ignotum et occultum, non me sinet malignus requiescere. Deinceps ergo debeo talem locum habitare, ad quem fieri non potest ut muliebre genus ingrediatur. Cumque hæc dixisset, surrexit et oravit, dicens : Domine cœli et terræ, præsto sis ad providendum id, quod est conducibile meæ humilitati : neque sinas animam meam perire in finem, sed fer mihi opem, Domine, et esto mihi medicus et via vitæ, et virga, et pera, et panis. Hæc cum dixisset, seque obsignasset, egressus est. Exclamavit autem dæmon, dicens : Fortitudinem jactent meæ virtutes : et sit nomen meum præclarum, quia contra te prævalui. E cella te tua expuli, et fugitivum te effeci et captivum. Et rursus dicit : Quid Martiniane? quocumque iveris, quocumque discesseris, illic adero : et quomodo te hinc fugavi, ita etiam te fugabo, ubicumque volueris habitare. Beatus vero dicit : Imbecille et miser, existimasti me esse a te expulsum e mea cella, aut angore confectum recedere? Absit : sed ut te magis conculcem. Et rursus dicit : Non tibi suffecit primus et secundus insultus tentationis? aggredere etiam adhuc semel. Officinam, quam adversus me construxeras, eam dissolvi, et Deo meo obtuli. Unde etiam illa te reputavit tamquam *a* folium; et conculcavit tuas vires, et nec ejus quidem umbræ audes appropinquare. Hæc eo dicente, evanuit ab eo diabolus : Beatus autem cœpit hunc Psalmum psallere : Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant a facie ejus, qui oderunt eum, et psallens ibat viam, quæ ducit ad mare.

*S. Martinianus ab ustione curatus:*

*relinquit cellam :*

B

*Diaboli minas ridet :*

*a*

Psal. 67.

13 Cum autem venisset ad portum, invenit nauclerum quemdam timentem Deum : et cum accessisset, dicit ei : Frater, scisne aliquam parvam insulam in medio mari, in qua nemo habitat? Nauclerus autem dicit ei : Quanam de caussa interrogas, et quid vis? Dicit ei : Volo quietem agere ab hoc mundo, et non invenio locum, in quo quiescam, et fugiam maligni offensiones. At ille dicit ei : Est rupes angusta et terribilis, et quæ distat a terra. Si quis enim fuerit proxime illam rupem, terror eum invadit. Dicit Beatus : Tali loco valde delector, ad quem maxime non possit muliebre genus accedere. Dicit ei nauclerus : Undenam es postea habiturus nutrimentum? Dicit ei Beatus : Pactum inter nos inibimus. Tu mihi victum suppeditabis, et ego pro te ad Deum intercedam. Quinetiam operabor sedens super rupem : ad me solum adfer ramos palmarum, et eos contexam meis manibus : quos tu a me tolles et vendes, et ad me adferes alimentum. Porro autem mihi quoque accipies lagenas, in quibus aquam reponamus : et cum panem fregerimus et refrigeraverimus, eum immittemus in lagenas. Venies vero tu in anno bis aut ter, ad me adferens panem et aquam. Hæc cum audiisset nauclerus, et cognovisset eum esse virum spiritalem, alacri animo cum eo convenit, se omnia esse facturum. Et cum parvam accepisset naviculam, et Beatum in ea accepisset, recta contenderunt ad rupem, cum ventus esset secundus, et vespere ad locum pervenerunt. Cum autem locum vidisset aptum, valde lætatus est : et cum Deo egisset gratias, et nauclero benedixisset, ascendit super rupem. Cumque ascendisset, psallebat, dicens : Expectans exspectavi Dominum, et intendit mihi : et exaudiit deprecationem meam, et eduxit me de lacu miseriæ et de luto limi. Et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos. Cumque preces implesset, dicit nauclero : Abi, et adfer ad me lagenas, et panem et aquam. Dicit ei nauclerus : Visne adferam etiam tibi ligna, ut faciamus tibi parvum tabernaculum? Sanctus autem non est passus : sed erat sub dio sedens supra petram : et æstu quidem torrebatur, algore vero nocturno constringebatur. Nauclerus autem adferebat omnia, quæ ei jusserat Beatus : et ad eum *b* quotannis adferebat panem et aquam. Beatus autem Martinianus requievit veluti egressus e mundo, lætabaturque in Scripturarum meditatione.

C

*inquirit insulam maris nulli habitatam :*

*pacto inito cum pio nauta,*

D

AUCTORE COÆVO, EX MS. GRÆCO.

*evehitur ad rupem maris : sub dio degit :*

*b*

14 At malignus ne sic quidem cessavit justum bello lacessere, sed cœpit ei iterum inferre tentationes. Nam cum una nocte mare movisset et fluctus excitasset, ei ostendebat quod fluctus ferebantur supra ejus caput quindecim cubitos, et dæmon clamavit, dicens : Nunc te suffoco in aquis, Martiniane. Beatus vero respondens, dicit citra ullam perturbationem : Imbecille et infelix, cur frustra laboras? Tua enim spectra me non terrent, neque tuæ minæ me timore afficiunt. Spero autem in nomine Domini Jesu Christi, quod te ad finem usque pudore afficiam. Cumque hæc dixisset, cœpit psallere : Salvum me fac Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limum profundi, et non est substantia. Veni in profundum maris, et procella me obruit. Cumque Psalmum implesset, cœpit dicere : Fili unigenite, qui propter nostra peccata in terram descendisti, exaudi. Domine, qui increpasti mare, et continuisti ejus, qui nequit cohiberi, impetum; qui increpasti ventos, et vicisti ea, quæ vinci nequeunt : quoniam tibi omnia cum tremore obediunt, exaudi me in hac hora, et fac cessare eam, quæ adversus me excitata est, tentationem, et pudore affice diabolum, qui adversus me erigitur : quoniam omnia potes, Domine. Et eo hæc dicente, evanuit ab eo diabolus. *c* Sex itaque annos sic degebat Sanctus supra rupem, omnem laborem et perpessionem sustinens pro animæ suæ salute.

*in tempestate a diabolo excitata,*

E

*fortis et invictus, orat*

Psal. 68.

*c*

*sex annos perseverat.*

a *Gentianus,* tanquam limum et lutum. *Græce* ὡς φύλλον.
b *Metaphrastes addit,* ter, *ita convenerant, ut quod annis bis aut ter adferret necessaria.* — *Menæa,* δέκα χρόνους decem annos

F

## CAPUT IV.

### *E naufragio appulsa puella. S. Martiniani fuga ope delphinorum. Peregrinatio. Obitus.*

Sed sic quoque ab eo non quievit malignus, sed ei aliam intulit tentationem. Nam cum observasset dæmon navem venientem, quæ portabat viros et mulieres, vento confregit navem, et allisit ad petram, et suffocavit omnes, qui erant in navi. Una vero puella, potuit apprehendere tabulam, et servari. Et cum appropinquasset rupi, ubi sedebat Beatus, ab ea pependit, et cœpit clamare : Miserere mei, serve Domini, et porrige mihi manum, et serva me ab hac aqua, et ne sinas me perire in profundo. Beatus autem videns eam non aliunde habere salutem, dixit subridens : Hoc quoque est maligni machinatio. Revera non vinces promptum meum animi studium, diabole. Et cogitabat apud se, dicens : Væ mihi peccatori, rursus mihi adest cordis probatio. Quid ergo faciam? Si eam dimisero in aquis, suffocatur, et maculat meam animam. In graviori necessitate hæc est, quam prima. Nam illa quidem cum esset in terra, poterat sæpe servari : hæc vero non potest aliunde

*E naufragio ad rupem appulsam puellam,*

*fusis precibus,*

B aliunde servari, et cum suos oculos in cœlum extendisset, dixit: Domine ne sinas me perire, sed provide id, quod est utile animæ meæ. Cumque hæc dixisset, tradidit ei manum.

*SU TORE CŒNO EX S. GRÆCO. admittit:*

16 Cum autem animadvertisset eam esse speciosam, dicit ei: Igni cum fœno nequaquam bene convenit. Non possum ego et tu hic simul esse: malignus enim in me operatur putrefactionem. Sed tu hic mane, ne quicquam timueris, habes enim panem et aquam, et quomodo comedebam ego, tu quoque comede, ut tibi sufficiat, donec veniat nauclerus, qui adfert ad me panem: adhuc enim restant duo menses, post quos veniet: et cum huc venerit, narra ei quid acciderit. Is vero te hinc educet, et deducet in tuam civitatem. Cumque hæc dixisset, mare obsignavit signo crucis, et dixit: Domine Deus meus, qui increpasti ventos et mare, eaque tibi cum tremore obediunt, me quoque adspice et mei miserere, et ne sinas me perire. Ecce enim, Domine, confidens in sancto tuo nomine me in mare projiciam. Malo enim mori inconsiderate, quam cum corporis perturbatione consuetudinem habere cum muliere. Ad puellam autem conversus, dixit: Esto salva, mulier. Dominus custodiet animam tuam, et te conservabit in finem. Quæ cum dixisset, se statim jecit in mare. Statim autem cum duo delphines exceperunt, et portantes eum extulerunt e mari, et in terra deposuerunt. Puella vero, donec excessit ex oculis ejus, videbat ipsum ferri super aquas, neque sciebat amplius, quid factum esset. Beatus autem Martinianus in terram egressus, oravit dicens: Ago tibi gratias Deus, quod fecisti mihi indigno misericordiam: et usque ad finem ne me relinquas, bone et benigne Domine.

*ex futurus occasionem peccandi,*

*Crucis signo munitus,*

*mittit se in mare*

*delphinorum tergis ad litus evehitur.*

B

17 Hæc cum dixisset, dicit apud se: Quid faciam? In montibus non me sinit satanas, nec in mari, et quid faciam nescio. De cetero bonum est mihi meditari dictum Evangelii et hoc facere. Docet enim sic: Si persequantur vos ex hac civitate, fugite in aliam. Amen enim dico vobis, non finietis civitates Israel. Quæ cum dixisset, cœpit fugere, et dicere: Fuge Martiniane, ne te comprehendat tentatio: fuge monache, sicque fugiens, et seipsum persequens, finiit dies vitæ suæ, numquam ferens *a* neque duas tunicas, neque æs in zona, neque aliquid aliud portans ad usum corporis ex iis, quæ debent inservire homini. Sed ubicumque ingrediebatur in civitatem aut in pagum, quærebat quisnam esset in ea vir pius, et illuc veniebat: et sumens quæ necessaria erant ad alimentum, exibat, et sic fugiens, perfecit dies suos: et ubicumque eum deprehendisset vespera, seu in monte, seu in solitudine, seu in petra, illic manebat. Duos ergo annos currens et se persequens, pulchrum implevit cursum, cum centum, et sexaginta quatuor civitates obiisset.

Matth. 10. 23.

*a* *perpetuam suscepit peregrinationem:*

C

*biennio peracto,*

18 Cum autem esset de cetero moriturus, venit Athenas. Porro beato Episcopo, qui illic erat, revelatum est de decessu Beati. Beatus vero Martinianus ingressus ecclesiam, cum præscivisset horam mortis suæ, cadens supra scamnum, dicit: Vocate ad me cito vestrum Episcopum. Illi autem eum existimaverunt esse stultum. Eo vero adhuc magis rogante, abiverunt annuntiatum Episcopo, dicentes; quia, homo jacet in ecclesia, et situe stultus nescimus. Nobis certe dicit: Vocate ad me Episcopum. Ille autem dicit: Stulti estis vos. Ille enim et me et vobis est altior, et surgens protinus, propere ivit in ecclesiam. Beatus vero cum eum vidisset, non potuit quidem surgere, sed manus suas extendit supra solum, et sic debitum honorem ei reddidit. Episcopus autem abundantiorem ei honorem tribuit, dicens: Jampridem Deus mihi est pollicitus, se suum servum mihi esse ostensurum, et qui est a mendacio alienus, implevit quæ dixerat. Tu autem quando habitabis in regno cœlorum, meæ quoque animæ recordare. Hic vero respondens, dicit ei: Benedic me, Pater, et ora pro me, ut inveniam fiduciam, dum sistar ante tribunal Christi. Hæc cum dixisset, clausit oculos, et dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum: et cum circumquaque se obsignasset, dicit Episcopo: Commenda me Deo, Pater. Quod cum dixisset, subridente vultu, Domino emisit spiritum, cum cursum consummasset, et fidem servasset, propositæ coronæ accepta promissione, dignatus regno cœlorum.

*venit Athenas; moriturus, vocat ad se Episcopum:*

D *accepta Benedictione,*

*sancte moritur,*

19 Quis non miretur hunc sanctum et generosum athletam? Quis non beatum pronuntiet invictum ejus cursum, et vitam plenam fiducia? Quis non narret et stupeat ejus admirabilem, quæ ex virtute agebatur, vivendi rationem? Quomodo ad finem usque decertavit pro anima sua? Et martyrium suæ decertationis ipse sibi construxit. Nam cum non adesset persecutio, neque Imperator, neque Præses persequerentur, ipse sibi extruxit martyrium, qui propriis viribus cum diabolo bellum gessit, et ejus fastum conculcavit. Ipse ergo fuit sui et persecutor, et Rex et carnifex seipsum torquens, et Martyr decertans, et justus renuntiatus. Quid ergo? eum vocabis *b* Martyrem? Certe. Etenim ut fortis athleta ignem contempsit: et quod est admirabile, ipse sibi accendit fornacem, et per hunc ignem conculcavit ignem æternum: et quam adversus ipsum mulierem excitavit diabolus, eam per preces perfectam Dei ancillam fecit.

*Martyris instar habendus.*

*b*

E

a *Addit Metaphrastes*, neque peram, neque virgam. — b *In odis Græcorum dicitur*, Μάρτυς ἐθελούσιος, Martyr voluntarius.

## CAPUT V.

### *Puellæ in rupe maris vita sancte peracta, obitus, sepultura.*

Sed oportet nos de illa quoque puella, quæ fuit super rupem relicta, narrare, quemnam finem acceperit, et quemadmodum finem vitæ suæ citra ullam reprehensionem peregerit. Ipsa enim relicta super rupem, sic comedebat, sicut ei jussit Sanctus. Cum autem veniret nauclerus, qui afferebat panem et aquam, abscessit, et cum appropinquaret petræ, et videret puellam stantem, existimavit esse spectrum: et timore perculsus, cœpit a rupe recedere, remis agens naviculam. Illa autem clamans, dicebat nauclero: Ne timeas, frater: sum enim revera mulier, et sum Christiana, sed veni prope me, et narrabo tibi quid contigerit. Illo autem minus fidente, et magis timente, ipsa jurabat, dicens: Per Regem Christum, sum Christiana. Noli timere: sed accede ad me, et tibi ordine narrabo quid acciderit. Tunc navem suam adduxit nauclerus, et dixit ei: Ubi est, qui hic erat, monachus, aut quid ei factum est, quod recessit? Quis vero te huc adduxit? Hæc autem cum se signasset, quæ ipsis acciderant, cœpit omnia narrare.

*Puella in rupe e præcepto S. Martiniani degit:*

F

21 Nauclerus cum audiisset, dicit ei: Veni huc, ut te hinc educam, et ibis in tuam civitatem. Ast illa respondens, dicit ei: Ne eludas, domine mi, ne me ejicias ex hac rupe: sed fac mecum misericordiam et clementiam, et vadens in tuam civitatem, affer ad me *a* chlamydem et tunicam ex pilis contextam; et panem et aquam, quomodo afferebas ad Beatum, et eamdem mercedem accipies a Domino Christo. Non est enim apud Deum distinctio masculi et fœminæ, sicut dixit Paulus Apostolus: Omnes vos unum estis in Christo Jesu. Ne ergo me abomineris humilem et abjectam, quæ volo salva fieri. Nisi enim Deus me voluisset esse salvam, ego quoque cum omnibus periissem in mari. Volente ergo Deo me servare, tu ne me perdas, quoniam sum fœmina. Memento, quod qui

*a nauta sibi afferri petit vestes viriles:*

*a*

Galat. 3. 28

A qui finxit Adam, is Evam quoque creavit; ambos Deus est fabricatus, et in ultimis diebus per fœminam est manifestatus. Age ergo, rogo te, vade in tuam civitatem, et quomodo prædixi tibi, affer ad me chlamydem et tunicam, et panem, et aquam, et lanam, et adduc huc uxorem tuam, ut cum illa verba faciam de lana, et ut illa me induat virili habitu: et Dominus Deus meus erit tecum et dabit tibi in hac vita misericordiam, in illa autem fiduciam.

22 Hæc cum audiisset nauclerus, et vidisset ejus in Deum desiderium, dicit ei: Ecce ego faciam omnia, quæcumque mihi mandasti: solum esto fortis et strenua, et Dominus implebit desiderium tuum. Quæ cum dixisset, movit suum navigium, ivit in suam civitatem: et *b* post duos menses accipiens uxorem, et quæcumque ei jusserat, accessit ad illam. Et cum mulier ascendisset supra rupem, amplexata eam, lapsaque facie in terram adoravit, omniaque ex navi apportavit. Ista vero rogavit virum, ut parum secederet, dum virili habitu indueretur. Cum is secessisset, exuit vestes muliebres, ac simul deposuit muliebrem imbecillitatem, et virili se accinxit prudentia ac fortitudine: et stans precata est, dicens: Qui exaudisti omnes Sanctos tuos, exaudi me quoque peccatricem, et consumma me in hoc habitu: conserva meam animam Domine, et confirma cor meum: corpus meum corrobora, et deduc meam animam, ut libens conquiescat in tuis mandatis: et iis, qui mihi obedierint, præbe bonam mercedem, quoniam es benedictus in secula seculorum, Amen. Et dicit mulieri: Rogo te, domina, dum panis et aqua ad me affertur, fac ut lanam quoque ad me afferas, et cum paravero, reddam tibi mercedem, ne panem gratis comedam. Has quoque meas vestes tibi habe ad mei monumentum. Hæc cum dixisset, demisit eos in pace.

*b induit eas;*

B

23 Tertio autem mense accedebant ad eam nauclerus et uxor ejus, ei adferentes, quæ necessaria erant ad alimentum. Beata autem exultabat, in bona vitæ ratione. Fundebat vero interdiu quidem duodecim preces, noctu autem viginti quatuor. Alimentum autem ejus erat, in duobus diebus libra panis. Sicque perfecit cursum suum in bona vivendi ratione. Erat autem, cum venit ad rupem, nata annos viginti quinque: in rupe vero vixit sex annos. Duobus autem mensibus, antequam veniret nauclerus et uxor ejus, tradidit Beata *c* Christo spiritum suum, cum peregisset cursum in bona vitæ ratione.

D

*AUCTORE COÆVO, EX MS. GRÆCO*

*orat diu noctuque.*

*sancte moritur;*

24 Postquam autem impletum fuit tempus duorum mensium, accessit nauclerus cum sua uxore, et invenit eam mortuam, et decore honesteque jacentem, et manus habentem in formam Crucis, osque honeste, et oculos diligenter clausos, et, ut semel dicam, eam tam honeste jacentem, ut ipsi putarent eam dormire. Accedentes vero eam invenerunt mortuam, tamquam florem matutinum: et cum adorassent venerandas reliquias, acceperunt in naviculam, et tulerunt Cæsaream civitatem Palæstinæ, et renuntiarunt Episcopo vitam quam ex virtute egerat. Quamobrem jussit Episcopus eam sepeliri in loco honesto et insigni, cum lampadibus et hymnis divinis in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potentia, in secula seculorum, Amen.

*sepelitur Cæsareæ*

E

a *Gentianus,* pileum et virilem tunicam. *Græce* βηριν καὶ στιχάριν τρίχινον. *Et infra magis corrupte* τὸν βῆριν καὶ στιχάριν. *In Vita S. Anastasiæ,* 2 *Martii,* λαβὼν αὐτὸν τὸ στιχάριν καὶ τὸ βίῤῥιν, accepta stichari et birrhi. *Ducangius autem hæc vocis corrupte pro* βήριον *et* στιχάριον. *Artemidorus lib.* 2 *Oneirocrit. cap* 3 χλαμὺς δὲ ἣν ἔνιοι μανδύαν, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βήριον καλοῦσι. *At* στιχάριον, *sive* στοιχάριον *est tunica sacra: unde in Missa S. Chrysostomi* ὁ διάκονος ἐνδύεται τὸ στοιχάριον. *Ac deinde,* ὁ ἱερεὺς λαβὼν τὸ στοιχάριον, ἐνδύεται. *Et* Diaconus et Sacerdos induuntur sacra tunica. *Infra in hac Vita vocantur* τὰ ἀνδρεῖα σχήματα virilis habitus. — b *Metaphrastes seu Gentianus,* secundo die: *at Græce est* μετὰ δύο μῆνας. — c *Apponitur apud Metaphrasten,* Photina, *quod nomen auctor antiquus non expressit. De ea inter* Prætermissos *ad hunc diem egimus.*

βηριν.

στιχάριν.

# DE S. GUIMERRA EPISCOPO

## CARCASSONE IN GALLIA NARBONENSI.

J. B.

Carcasso, Carcassio, *seu* Carcassium, *posterioribus* Carcassona, *urbs Galliæ Narbonensis, ad Atacem flumen in inferiore Occitania seu Languedoria, suos olim Episcopos habuit, quamvis in Notitia antiqua Provinciarum et civitatum Galliæ nulla hujus urbis mentio fiat.* Sergius Episcopus Carcassonensis anno IV Reccaredi Regis Gothorum Æra IↃCXXVII, *id est, anno Christi* IↃLXXXIX, *subscripsit* Concilio III Toletano, die VIII Iduum Maiarum, et Concilio Narbonensi die Kalendarum Novembrium. *Ab hoc Sergio exorditur Claudius Robertus suum de Episcopis Carcassonensibus catalogum. At Guilielmus Catellus lib.* 5 *Commentarii rerum Occitanorum, eorumdem Episcoporum seriem ampliorem edidit, præpositis Sergio tribus, usque Sanctis Episcopis,* Guimerra, Hilario et Valerio, *asseritque duorum posteriorum memoriam inter sacra recoli* III *Junii: at* S. Guimerræ, *quem Gallice* S. Gimier *appellat, diem natalem assignat* XIII *Februarii.*

*Carcassone antiqua Sedes Episcopatus.*

C

*cujus 1 Episcopus S. Guimerra*

NOT. 34

2 *Andreas Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani ex Catellio hæc de eo scribit ad Idus Februarii:* Ipso die S. Guimerræ primi Episcopi Carcassonensis in Gallia Narbonensi, qui populo suo, quem acquisivit Christo, totum decennium mirabili virtutum et divinæ sapientiæ splendore præluxit, bonoque certamine confecto, cursu felicissime consummato, coronam justitiæ adeptus est suis laboribus repositam a Domino. Ejus sacratissimum corpus in summo templo S. Nazarii conditum, emerita potitur veneratione. *Hæc ibi. Quo vixerit* S. Guimerra *tempore, ait Catellius non constare.*

*colitur 13 Febr.*

*quiescit in æde S. Nazarii.*

F

3 *Alius ab eo habetur* Gimara Carcassonensis Episcopus, *cui et Canonicis Ecclesiæ Cathedralis S. Nazarii, nec non Ecclesiæ Abbatiali S. Salvatoris ejusdem urbis ab Eudone factam esse donationem quamdam anno* XXVI *regni Caroli Calvi, id est, Christi* IↃCCCLXV, *tradit ex archivio Carcassonensi idem Catellius. Longo tempore præfuit huic Sedi Gimara, qui anno* Incarnationis IↃCCCXCIV Indict. XII, Nonis Maii in regno Septimaniæ, territorio Magalonensi, loco Juniarias vocato, *cum aliis Episcopis istarum ditionum interfuit Synodo, cujus breve fragmentum ex antiquis schedis vulgavit Sirmondus.*

*alius a Gimara Episc. Carcassonensi sec. 9.*

DE

A

D

# DE S. STEPHANO

## EPISCOPO LUGDUNENSI IN GALLIA.

J. B.

*Circiter an. DXII. XII Febr.*

Sanctus Rusticius *Lugduni* Episcopalem cathedram possidebat, *cum eo sub annum* CCCCXCIV *S. Epiphanius Episc. Ticinensis de redimendis captivis Legatus a Theodorico Ostrogothorum Rege venit, ut in Epiphanii Vita* XXI *Januarii cap.* 12. *num.* 50 *scribit S. Ennodius ejus successor. Rusticio subrogatus* Stephanus *est, sancto sanctus. Familiaris* Stephano *Ennodius fuit, ut ipse lib.* 3 *ep.* 17 *testatur, queri ausus, quod nullus, postquam Episcopus erat renuntiatus, ad se litteras dedisset, cetera humanissimus :* Postquam, *inquit*, meritis vestris dignitas vestra restituta est, et honor, quem exigit vita, collatus, nulla beatitudinis vestræ pro peccatis meis scripta suscepi. Aliena est a proposito, vel a moribus vestris circa supplices, quæ in me servatur, oblivio. *Sub finem deinde epistolæ ita illius preces implorat :* Domine mi, salutationis servitutem tota devotione persolvens, spero principe loco, ut precum vestrarum serenitas meæ quoque mentionem non omittat facere, cum Divinitati supplicat sine intermissione, personæ.

*S. Stephanus S. Rusticii successor, S. Ennodii amicus, humanus, ac pius;*

B

2 *Ea epistola Stephano Ennodius* Benenatum *commendat*, Gallias pro certis negotiis expetentem, *sive, ut in præcedenti epistola, qua eumdem commendat Laconio, idem loquitur Ennodius*, propter fugaces suos venientem, *id est, fugitivos servos persequentem. Atque inde solidam conjecturam ducit Sirmondus*, Stephanum *hunc Episcopum Lugdunensem fuisse, quamvis alioquin solum* Stephano Episcopo *inscripta epistola sit, quia et ipse Lugduni degebat Laconius, ubi regia erat Gundobadi, apud quem quantum gratia valeret, quibus meritis, Laconius, in citata Epiphanii Vita num.* 54 *ostendit idem Ennodius, his verbis :* At ille *(Burgundionum Rex Gundobadus)* vocato Laconio, cui et rerum et verborum fides ab illo semper tuto mandata est, quem et prærogativa natalium, et avorum curules per magistræ probitatis insignia sublimarunt : cum quo confert, quoties et pia et religiosa meditatur : et sicut non est cum vitiis sociata nobilitas, nec adstringitur ad illecebras lux naturæ; si quid ille benigne facere voluerit, duplicari iste hortatur adhibitus. Cui Princeps, Vade, inquit, Laconi, et tota votorum tuorum vela suspende, et Sacerdos a nobis et Beatus Epiphanius libenter auditus est; cujus te precibus fuisse permotum, cum apud nos verba faceret, animorum indices lacrymæ testabantur etc.

*Lugduni Episcopus, ubi et Laconius intimus Gundobadi Regis Consiliarius, vir pius :*

C

3 Hanc igitur gratiam, *inquit Sirmondus*, Ennodio Lugdunenses debent, quod Episcopi sui memoriam, quæ tenuis apud ipsos et obscura restabat, hac epistola conservata vident. *Extat ad eumdem Stephanum S. Aviti Viennensis Episcopi epistola* XXIV, *qua hortatur, ut cupientem a Donatistarum hæresi converti* personam *quamdam, statim Ecclesiæ reconciliet, ne vel nomen ipsum transmarinæ illius hæresis in Gallia audiatur, ubi alioquin* lolium Ariani germinis numerosa *erat, ut ait*, corruptione diffusum.... Quocirca, *inquit*, Donatistarum nomen, ne diu in loco vivere possit alieno, benedictione protinus sepelite vitali. In ipso fomitis sui ortu peregrinantis igniculi frigescat incendium. De quo ne vel famæ fumus narem Galliæ innocentis aspergat, manus impositionem personæ, de qua scribitis, adhibete, interdicta nominis ipsius in posterum, si ex corde convertitur, mentione. *Hinc porro Stephani ipsius perspicitur sollicitudo, quod ad insoliti monstri conspectum veluti conterritus sapientissimum Antistitem Avitum subito consuluit, quid sibi ea in re esset faciendum. Cujus zelum ita solatur et excitat initio epistolæ Avitus :* Quamlibet attentis culturæ Dominicæ famulis, inter assidua plantandi studia, semper etiam quæ succidi expediat oriuntur. Ergo pervigilibus sollicitudinis vestræ studiis opportunissimum his operibus acquirendæ salutis fœnus accrescit.

*S. Stephanus S. Avitum consulit de Donatista converso, sollicitus et zelosus,*

4 *Ad eumdem* Stephanum *(licet* Episcopi *titulus inscriptioni desit) scriptam ab Ruricio Lemovicensi epistolam* 51 *lib.* 2 *conjicit Sirmondus : cujus epistolæ exordium, Stephani comitatem morumque suavitatem indicat :* Ita me, *inquit*, paucissimis diebus ad cultum suum pietas vestræ sanctitatis inlexit, ut cum vos, Deo propitio, corde detineam, et oculis mentis intuear; tamen semper affectu instigante perquiram. *Sub finem, longe sese ab eo semotum esse ostendit, quantum scilicet Lemovices inter Lugdunumque spatium est :* Salutem itaque beatitudini vestræ plurimam dico, et rogo, incessanter communi Domino supplicetis, ut secundum divitias bonitatis suæ atque virtutis, cui omnia possibilia confitemur, ut si in hoc seculo, propter vitæ istius turbedines ac procellas, et regionum intervalla, sæpius videre non possumus, vel ad illam urbem, quæ ædificatur ut civitas, faciat convenire, ad quam nos misericordia Domini poterit perferre, vos merita.

*amicus Ruricio Ep. Lemovicensi :*

E

5 Stephano Veranum *successisse innuit Vita S. Aviti num.* I. Hic, *inquit*, venerabilem Abbatem monachorum Veranum Episcopum Lugdunensibus dedit. Hic etiam S. Viventiolum de grege Presbyterorum Dei electum, eisdem Episcopum designavit. *Haud scio an non* Stephanum *potius legendum, quam* Veranum. *Unum quidem* Veranum *exhibent Episcoporum Lugdunensium Catalogi, sed qui S. Leonis Sanctique Hilarii Papæ temporibus vixerit,* XXX *aut* XL *ante Aviti Episcopatum annis. At* S. Viventiolum *scribit Sirmondus immediate Stephano subrogatum. Cum autem Avitus, ut ejus Vita habet, S. Viventiolum Episcopum Lugdunensibus dederit ac Veranum* II, *(si fuit secundus Veranus) cur non et Stephanum? Pollebat enim jam tum pari ac postea auctoritate Avitus cum adhuc Rusticius viveret. Ita de eo Ennodius in S. Epiphanii* Vita *num.* 55. Dedit etiam præstantissimus inter Gallos Avitus Viennensis Episcopus, in quo se peritia velut in diversorio lucidæ domus inclusit. *Cur non igitur S. Rusticio, circa annum fortassis* D, *exstincto*, Stephanum *sufficit, uti postea Viventiolum? Interfuit Viventiolus concilio Epaonensi anno* DXVII. *Unde colligi potest, aliquot annis ante obiisse Stephanum, circa annum forte* DXII, *aut* DX.

*an a S. Avito ordinatus, ut S. Viventiolus*

F

6 *Adscriptus est Cœlitum Fastis Stephanus. Et in nonnullis quidem MSS. codicibus ad* XII *Februarii; quo die Galesinius, atque ex eo Canisius ita habent :* Lugduni SS. Stephani Episcopi, Damiani, et Juliani. *Hic ille noster est* Stephanus. Julianus, *qui hoc ipso* XIII *die a plerisque memoratur.* Damianus *vero miles in Africa lauream martyrii adeptus, inscriptus et aliis Martyrologiis ad eumdem diem* XII *Februarii.*

*quando mortuus? inscriptus Martyrologiis, 12 Febr.*

7 *Die autem* XIII *ita* Stephani *meminit vetustissimum MS. Martyrologium Romanum, quod S. Hieronymi appellamus; si ab eo scriptum, postea certe auctum, ut vel hinc liquet, cum fuerit* Stephanus *centum annis Hieronymo posterior; ita ergo Stephani meminit:* Lugduno, depositio Stephani Episcopi. *Idem fere habent MSS. Augiæ Divitis, et monasterii S. Cyriaci Romæ; Beda item, Rabanus, Notkerus, Bellini editio Parisien. an.* 1536, *et MSS. quam plurima. Petrus de Natalib.*

*pluribus. 13 Febr.*

*Martyr quibusdam,*

A *talib. lib.* 11 *cap. ult. num.* 63 Martyrem *facit, uti et Maurolycus* : Confessorem *Martyrol. Romanum, MS. Florarium, Ghinius, ac plures alii. Testatur quoque Theophilus Rainaudus noster, in Lugdunensi Breviario Officium de eo annotari ut de* Confessore Pontifice : *eoque titulo donari etiam in syllabo Reliquiarum Ecclesiæ S. Justi, in qua quiescit. Meminit Stephani Jacobus Severtius in Chronologia Episcopor. Lugdunen. Sed fallitur, dum ita scribit* : Seculum ejus non legitur. D *At Saussaius S. Lupicini, de quo in Februarii egimus, decessorem facit, vulgares Catalogos secutus.*

AUCTORE J. B. *tertius Confessor.*

# DE S. MODOMNOCO,

## SIVE DOMINICO OSSORIENSI, IN HIBERNIA.

G. H.

SECULO VI. XIII FEBR. *S. Modomnocus colitur in Ossoria*

*Ossuria, sive Osseria, Hiberniæ in confiniis Momoniæ et Lageniæ regio, Episcopis Ossoriensibus nomen dedit. Sedes horum* Saigeræ, *quam hodie* Seir-keram *appellant, olim fuit : inde, ut nonnullis placet,* Aghavoam *in Ossuria superiori, demum* Kilkenniam, *quæ* Cella S. Canici *dicitur, translata. Jacobus Usserius de Primordiis Britannicarum Ecclesiarum pag.* 958 *tradit ex* Kilkenensi Martyrologio; Idibus Februarii in Hibernia S. Modonoc Confessoris memoriam celebrari. *Eumdem sub nomine* Dominici *celebrari* XIII *Februarii ex Kalendario Casselensi et Festilogio Ængussi tradit Colganus ad eumdem diem, asseritque regia exortum stirpe.*

13 *Febr.*

B

*fuit discipulus S. Davidis Menevensis*

2 *Florebat seculo Christi sexto in Cambria, quam Walliam nunc appellamus, S. David Menevensis Antistes Kalendis Martiis anni* DXLIV *in monasterio suo Menevensi mortuus. In hujus Vita tradit Giraldus Cambrensis,* viros bonos de Hibernia et authenticos in consuetudine habuisse, quod peregre profecti, vel in eundo vel redeundo B. David alloquiis frui (quoniam oleum effusum erat nomen ejus) votivo desiderio affectarent. *Inter discipulos Hibernos, diutius a S. Davide institutos, fuere S. Aidanus, sive Mædocus, deinde Fernensis in Hibernia Episcopus, cujus Vitam dedimus* XXXI *Januarii, et S. Modomnocus, de quo in altera et præcipua S. Davidis Vita, ex MSS. Kilkenensibus, ad Kalendas Martii illustranda, hæc leguntur.*

*cum percutere volentis brachium obriguit :*

3 Quidam de discipulis S. David, Modomnoch nomine, quamdam viam asperam cum ceteris complanabat, ut ad deferenda onera facilior esset transitus. Hic cum segniter quemdam agentem videret, voce increpatoria ad eum ait : Quid tu tam desidiose sic laboras? Is vero, cui verbum dicebatur, furore iræ commotus, ferrum, quod manu tenebat, in altum elevans, eum in vertice nitebatur percutere. Quod S. David in spiritu videns, manum cum signo salutiferæ Crucis elevavit, et brachium ferientis mox aruit.

C

*discedentem in Hiberniam apes sequuntur,* ANIMADV. PAP. 102

4 Cum S. Modomnoch discipulus sancti Patris ad Hiberniam redire conaretur, et navem ad transfretandum adscenderet; ecce omnis multitudo apum terræ illius, unde exierat, consequens eum, in navi cum eo consedit. Ipse enim examinibus apum nutriendis atque servandis diligentem curam de Patris David mandato dabat, ut indigentibus aliqua cibi suavioris oblectamenta ministraret. Discipulus vero nolens tanto beneficio Fratres defraudare, iterum ad Patris David præsentiam rediit, sequente tamen eum turba apum, quæ ad alvearia propria perrexerunt. Cum secundo valefaceret Fratribus, ut viam suam carperet, ecce apes, ut prius, eum insequuntur. Quod cum videret, iterum ad Fratres revertitur, et similiter eum apes omnes concomitantur. Cum tertia vice hoc factum iterassent, et vir Dei nullatenus vellet eas a Fratribus abducere, cum omnium Fratrum benedictione ac Patris David, licentiam transfretandi cum apibus accepit. Apes quoque S. David benedicens ait : Terra, ad quam properatis vestro abundet semine, nec unquam deficiet vestrum inibi semen vel germen : nostra autem civitas a vobis in perpetuum immunis sit, nec ultra semen vestrum in ea excrescat. Quod usque in præsens tempus completum esse cernimus. Nam si aliunde ad illam civitatem deferantur, nequaquam durare possunt. Hibernia autem insula; in qua usque tunc apes vivere nequibant, postea magna mellis et apum fertilitate florebat. *Hæc ibi.*

*iteratis vicibus :*

E

5 *Beda lib.* 1 *cap.* 1 *appellat* Hiberniam, divitem lactis et mellis insulam. *Ex regula S. Ailbei, quam ferunt seculo Christi quinto scriptam, probat Colganus apes in Hibernia ante fuisse. Intelligenda potius aliqua ditio Hiberniæ, in quam S. Modomnocus apes devexit. In Vita S. Molaggæ, quam Colganus ad* XX *Januarii edidit, dicitur* oppidum in Fingallia idcirco Lannbeachaire dictum, quod S. Molagga apes per S. Modomnocum, sive Dominicum, in Hiberniam adductas, illic collocaverit. *Est Fingallia ditio Comitatus Dubliniensis versus Droghedam urbem, seu Pontanum, in qua nobile monasterium, nomine Mellifons, fuit. Giraldus in Vita S. Davidis eamdem transmigrationis apum ex Cambria in Hiberniam historiam habet, sed pro* S. Modomnoco Mondobnaucum *scribit. ut distinct.* 1 *Topographiæ Hibernicæ cap.* 5. *tradit* S. Dominicum Ossoriensem, ut asserunt quidam, apes in Hiberniam detulisse.

*eas collocat in Fingallia :*

6 *Idem Giraldus distinct.* 3 *cap.* 3 *asserit* montem altissimum, qui illi imminet mari, quod Hiberniam interfluit atque Britanniam, *olim* Salangam nominatum; cujus ad radices quia longis post temporibus S. Dominicus nobile monasterium construxerat, montem Dominici jam usitatius nomen habere. *Quæ de eodem S. Dominico Ossoriensi intelligit Usserius pag.* 954. *Colganus contra ait* S. Domangardum, *monasterium illud construxisse, atque ab hoc Sancto adhuc* Sliabh-Domhangaird, *id est, montem Domhangardi nuncupari. Mentio S. Domangarti est* 3. *par. Vitæ tripartitæ S. Patricii, cujus dicitur discipulus : quem Jocelinus* Dovengardum *appellat. Ejus diem natalem refert Colganus ad* XXIV *Martii.*

*an monasterium extruxerit?*

# DE S. STEPHANO ABBATE
## REATE IN ITALIA.

G. H.

## Commentarius historicus.

### § I. *S. Stephani cultus sacer : vita et obitus ex S. Gregorio Magno relata.*

*SECULO CBR VI XIII FEB*

*Reate in Sabinis,*

Reate *antiqua Sabinorum urbs, itinere Hannibalis apud Livium lib.* 25 *clara, Ciceroni in Catilinaria* 3, *et de Natura deorum lib.* 2, *uti et Festo* præfectura *tantum est, in valle sita, per quam Velinus amnis decurrens, urbem dividit, Roma* XL *millibus passuum distat, et cum ea creditur a temporibus Apostolorum religionem Christianam suscepisse, inferente lumen Evangelii S. Prosdocimo Petri Apostolorum Principis discipulo, Patavinis dein dato Episcopo, ut* VII *Novembris, die ejus natali, dicetur.*

*colitur S. Stephanus Abbas 13 Febru.*

2 *Inter Sanctos Reatinos est* Stephanus, *Abbas monasterii juxta urbis mœnia constituti : cujus annua memoria celebratur* XIII *Februarii; quo die hæc Galesinius habet :* Reate S. Stephani Abbatis et Confessoris. *Martyrologium Romanum :* Reate S. Stephani Abbatis, miræ patientiæ viri, in cujus transitu (ut refert B B. Gregorius Papa) sancti Angeli, ceteris etiam videntibus adfuerunt. *Quæ eisdem verbis leguntur in Martyrologio monastico Menardi et Dorganii, at magis contracta apud Wionem; aliquanto fusius deducta in Martyrologio Germanico Canisii. Petrus de Natalibus lib.* 3 *Catalogi Sanctorum, cum cap.* 120 *egisset de S. Stephano Abbate Ordinis Grandimontensis fundatore (cujus Vitam dedimus* VIII *Februarii) adjungit capite sequenti* 121 S. Stephanum *alium Abbatem Reatinum, ejusque gesta ex S. Gregorio Papa narrat. Petrum reliqui Martyrologi sequuntur : quibus accedit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ubi aliud ex S. Gregorio compendium edidit. Eumdem S. Stephanum iterum refert Wion* XXIV *Martii, eumque secuti Dorganius, et auctor Martyrologii Gallici Leodii excusi. Agit autem S. Gregorius de eo homilia* 35 *in Evangelia, et lib.* 4 *Dialog. cap.* 19. *Utrumque locum hic damus : in priore ita habet.*

*a S. Gregorio Magno laudatus*

*et 24 Martii.*

3 Non abs re arbitror, fratres carissimi, si unum vobis exemplum servandæ patientiæ ad ædificationem loquar. Fuit quidam diebus nostris, Stephanus nomine, Pater monasterii juxta Reatinæ urbis mœnia constituti, vir valde sanctus, virtute patientiæ singularis. Et supersunt multi, qui illum noverunt, ejusque vel vitam vel obitum narrant. Erat autem C hujus lingua rustica, sed docta vita. Hic pro amore cœlestis patriæ cuncta despexerat, possidere aliquid in hoc mundo fugiebat. Tumultus devitabat hominum, crebris ac prolixioribus orationibus intentus erat. Virtus tamen patientiæ in eo vehementer excreverat, ita ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos adversarios nihil aliud quam adjutores æstimabat.

*deditus paupertati, orationi, maximæ patientiæ.*

4 Hunc cum dies mortis egredi de corpore urgeret, convenerunt multi, ut tam sanctæ animæ de hoc mundo recedenti suas animas commendarent. Cumque circa lectum illius, hi qui convenerant, omnes assisterent alii corporeis oculis ingredientes Angelos viderunt, sed dicere aliquid nullo modo potuerunt. Alii omnino nihil viderunt, sed omnes, qui aderant, ita vehementissimus timor perculit, ut nullus egrediente illa sancta anima illic stare potuisset. Et hi ergo qui viderant, et hi qui omnino nihil viderant, uno omnes timore perculsi et territi fugerunt : nullusque illic assistere illo moriente potuit.

*in morte ab Angelis invisitur,*

*fugientibus omnibus qui aderant :*

5 Pensate ergo, fratres, omnipotens Deus qualiter terreat, quando districtus Judex venturus est; si sic assistentes terruit, quando gratus et remunerator venit, aut qualiter timeri potest, cum videri poterit, si sic mentes præsentium stravit, et quando videri non potuit. Ecce fratres carissimi, servata illa in Ecclesiastica pace patientia, ad quantum hunc retributionis culmen evexit. Quid huic suus Conditor intus dedit, de quo nobis tantam gloriam in die ejus exitus et foris innotuit? Quibus hunc credamus, nisi sanctis Martyribus sociatum, quem attestantibus corporeis quoque oculis a beatis spiritibus constat esse susceptum? Nullo iste gladio percussus occubuit, et tamen coronam patientiæ, quam in mente tenuit, in egressione percepit. *Hactenus S. Gregorius in Homilia* 35 *in Evangelia : qui libro* 4 *Dialogorum* De transitu Stephani viri Dei *caput* XIX *his verbis explanat.*

*abundanter remuneratur,*

*Martyribus similis :*

6 Prædicto etenim Probo aliisque religiosis narrantibus viris, agnovi ea, quæ indicare audientibus de venerabili Patre Stephano in homiliis Evangelii E curavi. Fuit enim vir, sicut idem Probus et multi alii testantur, nihil in hoc mundo possidens, nihil requirens, solam cum Deo paupertatem diligens, inter adversa semper patientiam amplectens, conventus secularium fugiens, vacare semper orationi concupiscens. De quo unum bonum virtutis refero, ut ex hoc uno valeant multa ejus bona pensari. Is namque cum quadam die messem, quam sua manu secuerat, decisam ad aream deduxisset : nihilque aliud cum discipulis suis ad totius anni stipendium haberet, quidam perversæ voluntatis vir, antiqui hostis stimulis instigatus, eamdem messem igne supposito, ita ut erat in area, incendit. Quod factum dum alter conspiceret, eidem Dei famulo cucurrit et nunciavit. Quod postquam indicavit, adjunxit, dicens : Væ, væ, Pater Stephane, quid tibi contigit? Cui statim vultu ac mente placida ille respondit : Væ, quid illi contigit, qui mihi hoc fecit? nam mihi quid contigit? In quibus ejus verbis ostenditur, in quo virtutis culmine sedebat, qui unum, quod in sumptum mundi habuerat, tam secura perdebat mente : magisque illi condolebat, qui peccatum commiserat, quam sibi, qui peccati illius damna tolerabat : nec pensabat, quid ipse exterius, sed culpæ F reus quantum perdebat intus.

*æquo animo fert messem incensam,*

*magis condolens incensori ob peccatum commissum*

7 Hunc itaque cum dies mortis egredi de corpore urgeret, convenerunt multi : ut tam sanctæ animæ de hoc seculo recedenti suas animas commendarent. Cumque lecto illius hi, qui convenerant, omnes assisterent, alii ingredientes Angelos viderunt, sed dicere aliquid nullo modo potuerunt : alii omnino nihil viderunt. Sed omnes, qui aderant, ita vehementissimus timor perculit, ut nullus egrediente illa sancta anima illic stare potuisset. Et hi ergo qui viderant, et hi qui omnino nihil viderant, uno omnes timore percussi et territi fugerunt, ut palam daretur intelligi, quæ et quanta vis esset, quæ illam egredientem animam susciperet, cujus egressum nemo mortalium fere potuisset.

*Morienti soli Angeli,*

*nulli homines adesse meruerunt*

### § II. *Alius ab eo Stephanus Abbas Ratensis in Lusitania.*

Nova *hic suscitatur difficultas a Lusitanis, quasi hic* Stephanus *non Italiæ sed Lusitaniæ esset tribuendus. Est*

A *Est Braccara Augusta, Regum Suevorum et Gothorum olim sedes, ab antiquis Tarraconensi Hispaniæ inclusa, dein sub regno Portugalliæ comprehensa : cujus Archiepiscopi cum Toletanis de primatu certant. Prope hanc Braccarum antiquissima* Ecclesia Ratensis *est, cum adjuncto monasterio Benedictino, cui temporibus S. Gregorii Magni præfuisse* Abbatem, *nomine* Stephanum, *scribit Maximus Episcopus Cæsaraugustanus in Chronico. Ac primo ad annum Æræ Hispanicæ* DCXXVIII, *Christi* DXC *inter* Abbates, *qui præter* LXXII Episcopos interfuerunt Concilio Toletano, *refertur* Stephanus Abbas Ratensis Ordinis S. Benedicti : *cujus tamen in ipso Concilio Toletano* III, *a Garsia Loaisa e quinque codicibus MSS. edito, nulla fit mentio. Deinde ad annum Æræ Hispanicæ* DCXXXVI, *Christi* DXCVIII *in eodem Maximi Chronico hæc leguntur :* S. Stephanus Rate prope Braccaram Augustam.

*Eodem tempore vixit in Portugallia Stephanus Abbas Ratensis.*

9 *Occasione horum verborum Rodericus de Acunha par. 1 Histor. Braccarensis cap. 79 de illo Stephano ita scribit :* Quatenus ad Vitæ Acta apud nostros altum silentium. Ille luminum Pater, qui videt in abscondito, illius sancti Abbatis merita retribuet. Ipse enim Maximus Sancti mortem ad annum DXCVIII post solutum Concilium Toletanum III anno IX rejicit. B Aliqua nos fervida suspicio capit, quod iste B. Stephanus Abbas est ille, de quo Martyrologium Romanum Idibus Februarii meminit, in cujus gloriosa morte Angelorum turba, quam qui aderant, sentire meruere, ejus spiritum ad cœlos asportavit, ut S. Gregorius refert. Sicque loco Reate, substituendum esse Rate, ut non in Italia, sed in Portugalia evenisse miraculum credatur : cujus odor Romam usque ad tanti Pontificis solium penetraret. *Hæc Acunha citatus a Tamaio-Salazario in Notis ad* XIII *Februarii. Quæ ex ejus* fervida suspicione *fuerunt proposita, ut certa atque indubitata assumuntur a Georgio Cardoso in Agiologio Lusitano, cui* S. Stephanus Abbas *inscriptus est :* in cujus transitu, ut refert B. Gregorius, sancti Angeli, ceteris etiam videntibus, adfuerunt : *contenditque apud S. Gregorium* juxta Ratinæ (*non Reatinæ*) urbis mœnia *legi oportere.* D

*creditus idem, qui a S. Gregorio laudatur,*

AUCTORE G. H.

10 *Verum S. Gregorium de Reatina Sabinorum urbe loqui certum est, ex cap. 12 ejusdem libri 4 Dialogorum, cui hic titulus præfigitur :* De anima Probi Reatinæ urbis Episcopi : *ac deinde ita caput exorditur :* Qua de re neque hoc sileam, quod Probus omnipotentis Dei famulus, qui nunc in hac urbe monasterio præsto est, quod appellatur Reatum, de Probo patruo suo Reatinæ civitatis Episcopo mihi narrare consuevit. *At* prædicto Probo aliisque narrantibus agnovisse *se testatur cap. 19 quæ de* S. Stephano Reatino *narravit. De S. Probo Episcopo Reatino agemus* XV *Martii.*

*sed per errorem :*

11 *Jo. Tamayus Salazarius utrumque* Stephanum *distinguit, et quia Stephanus hic Braccarensis cum S. Stephano Reatino Italo nomine locique vocabulo convenit, et eodem fere tempore vixisse dicitur, et de die obitus nihil constat, eumdem hoc* XIII *Februarii suo Martyrologio inscripsit. Verum quia teste Acunha, altum de illius Vita apud Lusitanos silentium est, uni Maximo non satis fidimus, veriti etiam, ne per errorem ab amanuensibus littera S. adjecta forte sit, cum alia desint, quæ hunc errorem refellere possint, ejusque cultum Ecclesiasticum confirmare.* E

*alter etiam Sanctus habetur, et hoc 13 Feb. refertur.*

ANIMAV. PAP. 103.

# DE S. LICINIO

## EPISCOPO ANDEGAVENSI,

### Commentarius prævius.

J. B.

#### § I. *S. Licinii vita duplex, tempus Episcopatus.*

CIRCA AN. DCXVI XIII FEB.

A*ndegavensis in Gallia Episcopus initio septimi a Christo nato seculi* S. Licinius *fuit, ordine* XVII *secundum Claudii Roberti indices Gallicanorum Antistitum : Joannes Chenu Biturix decimum sextum statuit, quartum decimum Antonius Demochares tom. 2 de Divino sacrificio, cap. 23 atque* C *Andreas Chesnæus in commentario de Galliæ antiquitatibus.* Licinius *plerumque, aut* Lucinius *appellatur,* Lucinus *ab nonnullis, ac* Leocinus *in quodam codice ; in alio* Lupicinus, *mendose ; in pluribus* Lecinius *ac* Lizinius, *et Gallico* S. Lezin.

*S. Licinii Ep. Andegavensis,*

2 *Baronius in Notis ad Martyrol. Roman. hunc esse eum affirmat* Licinium, *qui Clodovei* I *tempore, centum nempe annis prius, Turonensem rexit ecclesiam, patria Andegavensis, cujus non uno loco S. Gregorius Turonensis meminit. Refellit Baronii sententiam, qui* S. Licinii *res gestas scripto mandavit, et prope suppar ætate, et ipse Andegavensis, uti passim indicat, ac diserte cap. 4 num. 25. Nam cum de leproso egisset, quem Licinius aqua Benedicta ablutum sanarat, ac secum retentum litterarum scientia imbuerat, exin Diaconum, demumque Sacerdotem ordinarat, ista subjungit :* Nec prætereundum arbitror, quod prædicti viri meritis actum in prædicta nostra est civitate ; *Andium videlicet metropoli. In Prologo quoque, num. 2* Patronum nostrum Dominum Lucinium *appellat. Ætatem suam auctor, et unde quæ scribit acceperit, ita cap. 1 num. 4 patefacit :* Hujus itaque sancti viri, *inquit,* laudabilia facta quæ gessit, nonnulla ego a familiaribus ejus narrantibus, qui ejus discipulos viderunt, a quibus et hæc quæ mihi tradiderunt, perceperunt; pleraque et per memetipsum, quæ scribenda atque prædicanda sunt, ad ejus tumulum suis fieri meritis cognovi. *Et num. 2 in Prologo :* Qualiter autem idem sanctus Antistes maxima ex parte conversatus sit, vel qualiter cum suis egerit, a Daniele quodam ejus discipulo narrante cognovi. Nonnulla vero et in ejus suorumque discipulorum epistolis et opusculis scripta reperi. *Hujus Vitæ geminum nacti exemplar sumus, ab Andrea Chesnæo Regis Christianissimi Historiographo unum, alterum a Jacobo Sirmondo nostro.*

*non Turonensis,*

*Vitam scripsit quidam Andegavensis,*

*qui ejus acta didicerat ab oculatis testibus :*

3 *Eam Vitam quinto post seculo recensuit styloque exornavit Marbodus Archidiaconus Andegavensis, qui dein Redonensis Episcopus fuit. Hanc ejus lucubrationem e manu exarato codice descripserat Rosweydus, quam nos cum alio veteri, atque optimæ notæ, codice contulimus. Ex utraque, et aliis nonnullis Andagavensis Ecclesiæ monumentis, aliam Gallico sermone concinnavit ediditque Franciscus Grandinus, Pastor in Ecclesia S. Juliani, sive S. Joannis Baptistæ, a S. Licinio juxta urbem Andegavensem exædificata. Meminit et Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus S. Licinii lib. 11 cap. ult. num. 62. Vitæ epitome extat in Lectionibus 2 Nocturni in Breviario Andegavensi.* F

*scripsit et Marbodus Ep.*

4 *Ætas S. Licinii, ac tempus, quo Ecclesiam Andegavensem administravit, colligi ex Vitæ ejus historia potest : at minus forsitan solide ac perspicue. Primum fatentur plerique, Licinium Episcopum, cui, simulque* Menuæ Tolosano, Sereno Massiliensi, Lupo Cabilonensi, Agilo Metensi, Simplicio Parisiensi, Melantio Rotomagensi, *S. Gregorius Magnus, litteris mense Julio Indict.* IV *datis, anno* DCI *Christi, SS. Laurentium ac Mellitum, monachosque, ad S. Augustinum in Angliam missos, commendavit, licet Sedes ejus non exprimatur, hunc nostrum esse. Nullus enim hoc tempore*

*S. Licinio scribit S. Gregorius an. 601.*

A *pore alius Galliarum Episcopus* Licinius *in Conciliis aliisve publicis actis memoratur.*

*AUCTORE J. B.*

5 *Ex Vita priore isthæc habemus de illius ætate.* Cum ad roboratam pervenisset ætatem, protinus pater ejus commendavit eum Chlothario Regi Francorum.... Erat enim memoratus S. Licinius adolescens sapiens.... *ipse sub Clotario militarat,* Cumque prædictus Rex ita eum probatum habuisset dignum, suo in ministerio aptavit, atque Comitem sui stabuli et omnium equorum, custodemque eorum constituit. Nam virtutem belligerandi, seu potentiam illius, Domino adminiculante, *magnis ab eo honoribus ornatus,* qui eum suis in actibus custodiebat, multam habebat. *Marbodus cap.* 1 *ita scribit :* Eum Rex Clotarius... libens suscepit, brevique post tempore cingulo militiæ honoratum, inter amicos habere cœpit, dignum plane cognitum, cum quo de magnis rebus ac regni administratione tractaret. *Ac post pauca :* Unde factum est, ut a Rege flagitantibus cunctis, Tribunus militum crearetur, qui nunc more nostro Comes Stabuli nuncupatur. *Dein* Comes atque Dux Andegavensium factus ; *et, ut prior Vita num.* 9 *habet,* inter primos in palatio jam dicti Regis pollebat. *Sed demum Clericus factus est : cumque in religiosorum hominum congregatione aliquamdiu vixisset,* fama sanctitatis ejus, *ut cap.* 2 *num.* 11 *dicitur* per multa loca *tandem Episcopus factus* vulgata, etiam usque ad palatium regium, Regisque B notitiam pervenit. *Tandemque* intervenientibus annis contigit, ut præfata Andegavensium urbs Præsule indigeret.

6 *Ex his de tempore, quo sit ad Episcopatum erectus, ducenda conjectura est. Clotharius* II, *Chilperici filius, regnum iniit anno* IↃLXXXIV, *menses quatuor natus ; obiit anno* IↃCXXVIII. *Grandinus* Licinium *scribit anno* IↃLXXXVI, *ordinatum. Fatendum quidem, quæ in* *non an. 586* *palatio officia gessit ac dignitates, ea pleraque a Clotarii tutoribus, non ipso infante Rege, esse collata. Qui tamen potuit anno* IↃLXXXVI, *Clotarii tertio, Episcopus fieri? Dictorum enim officiorum fuere gradus quidam, uti et ipsius ætatis. Venit ad Aulam adolescens, annos fortasse natus* XXIV *aut circiter, nam* ad roboratam (*ut dictum*) pervenerat ætatem : *dein militavit, intimis consiliis ab Rege adhibitus, Stabulo regio præfuit, provinciam Andegavensem Comitis ac Ducis potestate rexit : tum his omnibus nuntium remisit, inque sacrorum hominum cœtu aliquamdiu vixit. Quis non videat plures ei in hisce gerendis muneribus annos decurrisse?* *tamen ante 601.* *Ante tamen annum* IↃCI *jam Episcopus erat, habebatque celebre nomen, ut ex citata S. Gregorii epistola patet.*

7 *Quot autem annis Episcopatum gesserit S. Licinius, colligi posset ex S. Magnobodi, successoris ejus Vita, quam* XVI *Octobris dabimus, si ea esset accurate* C *digesta. Natus is dicitur, quando* Lotharius, filius Chilperici, cum consanguineis suis, Theodorico scilicet et Theudeberto, adhuc intra adolescentiæ annos constitutus, exortis undique grandinum simultatibus, litem exercebat. *Sæpius autem Clothario cum duobus illis Regibus bellum fuit : nam primum eos ipse* *S. Magnobodus,* *anno* IↃXCVI *invasit, et gravi clade affecit. Anno vero* IↃC *simul eum adorti, cæso exercitu, ad duras conditiones* *tempore Clotarii II natus,* *adegerunt, notabili suæ ditionis parte erepta. Anno* IↃCIV *ultro rebellantem Theodericus denuo oppressit : paxque Compendii sancita. Natus igitur S. Magnobodus videtur intra illud* IX *annorum spatium.* Cumque infantiæ pueritiæque transcenderet curricula, pubescente jam annorum incremento, a S. Licinio Andegavensium Episcopo, verticis ablata cæsarie, sanctæ Ecclesiæ instituitur officiis, ac graduum honore sublimatus, ordine sacris commendatur oraculis. *Ita memoratur cap.* 1. *num.* 3 *Ac deinde* decrevit eum aliquantulum in superiori gradu constituere, et penes *a S. Licinio in Clericum attonditur,* se retinere, ut adjutor sui in omnibus foret, et exempli ejus ceteri æmulatores fierent. Siquidem Patrem eum præfectum sanctæ congregationi, quæ in cœno- D bio Colonetensi Christo famulabatur *etc. Paullo explicatius Marbodus in ejusdem S. Magnobodi Vita num.* 5. Hæc cum ad beati Episcopi Licinii notitiam pervenissent, cujus mirabilis sanctitas inter Gallicanos Episcopos tunc temporis habebatur ; congratulatus divinorum munerum largitati, vocatum ad se juvenem more Ecclesiastico tonsuravit..... Procedente mox tempore per gradus Ecclesiasticos ad sacerdotium usque provexit ; *Sacerdos ordinatur,* dignum sane judicans, cui sollicitudinis suæ curam deberet partiri, cujusque posset consilio, emergentium difficultatum ambiguitatibus explicari. *Idem deinde Pontifex Licinius, ut prior habet Vita,* recolendæ sanctitatis virum Magnobodum, Ecclesiastici ordinis ministerio promotum, *Romam ad summum Pontificem Legatum misit.* *Romam legatur,*

8 His ita perpetratis, atque evolutis multorum annorum curriculis, cum omnipotens Dominus Præsulem Andecavensem ab hac ærumnosa ac caduca vita vellet absolvere, et B. Magnobodum in Ecclesia sua Pastorem constituere, infirmitate cogente, viribus cœpit destitui propriis. Qui Fratrum ad se convocans examina, viaticum petiit, et percepta sacri corporis Christi Eucharistia, a discipulis summa cum diligentia terræ conditus est, resurrecturus cum gloria. *ci succedit.* E Illo ita assumpto, plebs universa Andecavensium, tam Clericalis quam laicalis, in unum coacervata, parili animo, una cum consensu inclyti Francorum Regis Dagoberti, filii Lotharii, Magnobodum sibi fieri Pastorem adclamare cœpit.... At vero B. Magnobodus, ut assensus populi ferebat, infulam sacerdotalem adeptus, voto omnium favente in cathedra Episcopali sublimatur. *Marbodus non immediate S. Licinio suffectum Magnobodum scribit, sed* ut alius substitueretur obtinuisse. *licet forte non immediate* Verum et illo, *inquit,* post modicum, Dei dispensatione, defuncto ; jam satis clarum erat, istum Divino judicio postulari. Communibus igitur omnium votis, cum assensu Dagoberti Regis, ad quem jam successio regni descenderat, electus est, et, secundum Dei dispositum, Ecclesiæ Andecavensi præsidere compulsus. *Qui inter duos hosce sanctos Antistites interjectus est, eum Demochares et Chenu* Cardulphum *vocant, Claudius Robertus* Cardulphum vel Radulphum.

9 *Quod de Dagoberti Regis assensu hic dicitur, manifestus est error. Nam S. Magnobodus jam Episcopus synodo Remensi sub Sonnatio habitæ interfuit, anno Christi* IↃCXXIV *aut* IↃCXXV, *ut alibi probatum ; saltem regnante adhuc Clotario. Interfuit enim etiam Joannes* *interest an. 624 synodo Remensi :* *Pictavensis Episcopus, cujus successori* Didoni Pictavensis urbis Præsuli a Clotario Rege litterarum F studiis imbuendus S. Leodegarius in primis ætatis initiis traditus est, *ut in ipsius Leodegarii Vita, Ansoaldo Didonis successori dicata, scribit Ursinus. Interfuit eidem Remensi synodo Lingonensis Antistes Modoaldus, cui qui successit Bertoaldus, in diplomate ejusdem Chlotarii* II *pro monasterio S. Benigni dato memoratur, uti tradit in Gallia Christiana Claudius Robertus. Interfuit denique Senocus Episcopus Elosanensis, qui anno* IↃCXXVI *Chlotarii jussu videtur in perpetuum relegatus. Ita quidem scribit cap.* 54 *Fredegarius :* Anno XLIII regni Chlotarii, Palladius ejusque filius Senocus Episcopus Elosanus, incusante Aiglinano Duce, quod rebellionis Wasconorum fuisset, conscii, exilio retruduntur. *Aliæ alibi congestæ, quæ id probent, rationes.*

10 *Licet autem Rex tunc esset Austrasiæ, sed non totius, Dagobertus, nihil tamen ad eum Andegavi spectabant, ut illius esset ad Episcopum iis præficiendum auctoritate opus. Et ante fortassis Magnobodus Episcopus fuit, quam vel illud dimidiatum regnum Dagobertus adipisceretur. Prius certe quidem obiit S. Licinius.* *S. Licinius obiit ante annum 618,*

*Id*

A *Id quod perspicere est ex S. Bertranni, sive Bertigranni, Cenomanensis Episcopi testamento, in quo meminit* sanctæ memoriæ Domni Licinii Episcopi : *quæ verba non nisi de eo, qui vita functus sit, usurpatur. Ita ergo habet :* Vineas vero, quas mihi sanctæ memoriæ Domnus Licinius Episcopus, pro amoris adfectu, secus Cariliacenses suo munere dedit, quas nos antea de Sargite quodam, negotiante parte divina, cum terra comparavimus, et inibi vineas posuimus, et in una clausura cum vineis sanctæ Ecclesiæ, adjunximus, volumus ut pro mercede animæ nostræ hoc Ecclesia sancta Cœnomanica possideat. *Citat hoc ipsum Testamentum Auctor prioris Vitæ S. Licinii cap. 2, num. 16. Extat porro integrum illud testamentum in Antonii Corvaserii V. CL. historia Cenomanensium Antistitum, conscriptumque dicitur* sexto Kalendas Aprilis, anno vigesimo secundo regnantis gloriosissimi Domini Clotarii Regis. *Triplex autem statui potest regni Chlotarii exordium : primum a morte patris Chilperici, quæ contigit anno* DLXXXIV, *secundum a morte Childeberti Regis anno* DCXVII, *quando haud pauca, ut diximus, sibi vindicavit, quæ in consanguineorum Regum fuerant potestate, ac fortassis Cenomanorum quoque civitatem.*

*ut patet ex testamento S. Bertranni Ep.*

B *Tertium denique monarchiæ anno* DCXIII *adeptæ, regnorumve Burgundiæ et Austrasiæ, initium est. Videtur autem annus ejus* vicesimus secundus *in citato testamento, secundo modo accipi debere, ut sit* CIↃXVIII, *ante quem annum obiisse S. Licinium oporteat. Neque enim nobis probatur quod Joannes Bondonnetus, vir cetera eruditus, in Actis Episcoporum Cenomanensium censet, Licinium, qui Bertigranno vineas illas donavit, fuisse Chorepiscopum, sive Coepiscopum, in aliqua intra Cenomanensem diœcesim civitate : nam ut notus passim, ac celebris famæ Episcopus a S. Bertigranno nominatur.*

*eo anno scripto,*

## § II. *S. Licinii sepultura anniversaria, celebritas, Reliquiæ.*

*Circiter itaque annum sexcentesimum decimum sextum*, feliciter Kalendis Novembris migravit ad Dominum *S. Licinius :* sepultusque est cum magnifico honore in ecclesia S. Joannis Baptistæ, quam ipse a novo fundaverat : in qua agmina monachorum congregaverat, et in ea regulariter militare constituerat, *ut in priore Vita cap. 5, num. 29 dicitur. De hoc exædificata ab sancto Pontifice ecclesia monasterioque plenius agitur in S. Magnobodi Vita cap. 1, num. 5 his verbis :* Cum autem ipse prædictus beatus Pontifex Licinius in suburbio jam prælibatæ civitatis Andegavensis basilicam in honore S. Joannis Baptistæ, miro ordine constructam, dedicare vellet, recolendæ sanctitatis virum Magnobodum, Ecclesiastici Ordinis ministerio promotum, accersiens, ad urbem Romam, ubi pignora Apostolorum debita veneratione recoluntur, direxit, ut reliquias a summo Pontifice consequi mereretur, quibus basilicam moderno cultu insertam consecrare posset. *Ac deinde num. 7.* Igitur perceptis, pro quibus ierat, S. Joannis reliquiis, prospero cursu ad venerabilem Licinium Andecavis repedavit pontificem, ferens pignus affabile. Quod ille alacriter acceptum, ut mente conceperat, intra oratorium moderno opere ædificatum recondens, exspectabili functione dedicavit : in quo contuberniale collegium monachorum coacervans, juxta normam sanctæ professionis vivere instituit : ac plurima prædia ad opus Deo ibi militantium delegavit ; atque xenodochia ac brephotrophia, diversasque mansionum habitacula ædificare procuravit. *Idem narrat Marbodus, et* construxisse *S. Licinium ait* a fundamentis ecclesiam sumptuosi operis ac præclari, quæ ex ipsius nomine nunc vocatur. *Andreas Chesneus collegium Canonicorum in ea nunc ecclesia esse scribit et* S. Juliani *appellari. Est tamen in ea*

*mortuus 1 Nov. sepultus est S. Licinius in ecclesia S. Joannis Baptistæ,*

C

*quam ejus reliquiis Roma per Magnobodum acceptis*

*dedicavit,*

*addito locuplete monasterio*

*cellum S. Licinii. At de prima illius ecclesiæ dedicatione ita scribit Marbodus.* Acceptis itaque S. Licinius, quas Magnobodus deferebat, reliquiis, primum Deo bonorum omnium largitori, deinde etiam discipulo, non modicas referens gratias, dedicationis ecclesiæ novæ cum eodem discipulo gaudia, sicut optaverat, celebravit, collocatis ibidem, quo digna erant honore sacro, sanctis Præcursoris Christi pignoribus. D

AUCTORE I. B.

NOT 35.

12 *Etsi autem Kalendis Novembris decesserit S. Licinius, in nullo tamen Martyrologio ad eum diem ejus nomen reperimus adscriptum, præterquam in Ferrarii generali SS. Catalogo, qui in Notis citat Martyrol. monasticum, et Renati Benedicti Vitas SS. At neque in his, neque in illo, mentio eo die S. Licinii est. Credo, quia diei illius solennitas, tunc quidem Romæ ipso vivente Licinio, omnium Sanctorum memoriæ erat a Bonifacio* IV *consecrata, atque altero post seculo eadem a Gregorio* IV *præscripta ceteris per orbem Ecclesiis religio, alium ejus nomine diem festum agitari a posteris cœpisse. Is* XIII *Februarii est quo ab Ecclesia Andegavensi Officio duplici colitur, atque ad eum diem ita illius meminit Usuardus :* Civitate Andegavis S. Licinii Episcopi venerabilis sanctitatis viri. *Consentiunt Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Canisius, Martyrol. Romanum, et plurima MSS. sed quædam addunt :* cujus corpus crebris honoratur miraculis : *multa* Licinium *vocant, non* Lucinium.

*colitur, non eo die,*

*sed 13 Feb.*

E

13 *Benedictus Dorganius in Kalendario Benedictino, et Ferrarius in Notis ad* I *Novembris, censent* XIII *Februarii in Cœlitum tabulas relatum, quod anno* DCLXIV *factum tradit Grandinus, Vitaliani Pontificis Maximi auctoritate. Non agitur saltem* depositio *illius hoc die, ut est tamen in Martyrol. Rom. expressum, et consentire videtur Saussaius in Martyrol. Gallicano eodem die ac rursus* VIII *Junii ubi ita habet :* Ipso die Andegavis ordinatio S. Licini Ep. et Conf. qui aulam cœlestem ingressus recolitur die XIII Februarii. *Ad illum alioquin octavum Junii diem in vetustis Martyrologiis, Adonis, Bedæ, Nothkeri, itemque in MS. Ecclesiæ S. Lamberti Leodii, et in Hermanni Greven auctario ad Usuardum, ita memoria extat* S. Licinii *nullo posito discrimine ordinationis aut alterius celebritatis :* Andegavis S. Licinii Ep. et Conf. *Nominatur et in Martyrol. Coloniæ anno* MXD *excuso, sed* Lucianus, *pro* Lucinio *aut* Licinio.

*quo dicitur canonizatus,*

14 *Pridie Id. Februarii Saussaius in Supplemento Martyrol. Gallicani* canonizationem S. Lucinii, *ratus postridie (ut diximus) excessisse e vita, consignavit his verbis :* Juliomagi Andium, commemoratio canonizationis S. Lucinii Ep. Andegavensis ; quem antiqua fert illius Ecclesiæ traditio a S. Vitaliano Papa (qui anno DCLV sedere cœpit) in Sanctorum album fuisse relatum. *Eodem die in generali Catal. SS. Ferrarius :* Item Canonizatio S. Licinii Ep. Andegaven. *Sed in Notis admonet, apud alios die sequenti statui. In MS. Florario, et Hermanni Greven excuso ad Usuardum auctorio memoratur eodem* XII *die Febr.* Livinus Ep. et Conf. *quem suspicamur* Licinium *esse, cum alioquin Livinum Episcopum non noverimus nisi Martyrem. At Maurolycus, qui cum ceteris S. Licinium Ep. Conf. Idibus adscribit, pridie ista habet :* Item Andegavis, Licinii Ep. et Mart. Luciani Confess.

*vel pridie an. 664*

F

15 *Anno* CIↃCLXIX, *Comitatum Andegavensem obtinente Henrico* II *Angliæ Rege, translatæ, solenni pompa, die* XXI *Junii* S. Licinii *reliquiæ, ab Gaufrido Ep. Andegavensi, Stephano Redonensi, Hamone Leonensi, uti Grandinus tradit, qui et ipso eodem die olim pontificio inauguratum scribit. Translationis hujus meminere in Martyrol. Benedictino ad* XXI *Junii Hugo Menardus et Benedictus Dorganius.*

*Reliquiæ translatæ 21 Junii 1169*

16 *Testatur citatus sæpius Grandinus,* S. Licinii *corpus, ossa, ac cineres, thecis affabre factis inclusa,* religiose

A *religiose asservari in ea ecclesia, quam S. Joannis Baptistæ honori ædificarat; sacras item vestes, quibus amictum ejus cadaver tres et triginta annos in terra jacuit, etiamnum post tot secula, incorruptas integrasque extare. Addit plurimas confluere ad eam ædem prægnantes mulieres, etiam e longinquis regionibus, et sancti Antistitis sese zona reverenter præcingentes, felicem sibi partum precari; plurimasque hinc certam experiri opem.*

*AUCTORE J. B. adhuc extant ossa.*

*Vestes, zona, prægnantibus salutaris.*

17 *Operæ pretium est orationem, quam solennibus S. Licinii feriis recitat Ecclesia Andegavensis, ex ejus Breviario subnectere:* Da nobis, omnipotens Deus, Ducis et Pastoris nostri Licinii digne memoriam venerari; et sicut ille suam precibus, te annuente, tutam ab inimicis et seductoribus protegit urbem; ita animabus nostris atque corporibus, adversus cunctas hostium versutias sit ipse munimen. Per Dominum.

*Oratio de S. Licinio.*

# VITA

## *auctore Andegavensi anonymo,*

## ex duobus veteribus MSS.

### PROLOGUS AUCTORIS.

Sanctorum virorum venerabilia opera commemorantes, Dominum deprecamur, ut aperiat os nostrum, ut condigne aliquid de iis narrare valentes, B posteris admirationem et exemplum tradere, atque memoriæ commendare scriptis valeamus. Dicente quippe Domino, Aperi os tuum, et ego adimplebo illud; hortatu vero amicorum, atque multorum servorum Dei exhortatione, ac præcipue Antistitis *a* nostri, ut hoc opus aggredi auderem sum provocatus. Quorum jussionibus parens, ne inobedientiæ malo damnarer, ac maxime nostri Pontificis, (quia Episcopo neminem inobedientem esse oportet) conatus sum aliquid de bonis S. Licinii Andegavensis Episcopi sciendo commemorare.

*S. Licinii gesta scribit Auctor hortatu Episcopi,*

Ps. 80 11

*a*

2 Qualiter autem idem sanctus Antistes maxima ex parte conversatus sit, vel qualiter cum suis egerit, a Daniele quodam ejus discipulo narrante cognovi. Nonnulla vero et in ejus, suorumque discipulorum *b* epistolis et opusculis scripta reperi. De multis ergo ab eo gestis miraculis pauca, quæ colligere, et huic opusculo inserere dignum judicavi, non uno quolibet auctore, sed fidelium innumerorum testium, qui hæc scire vel meminisse poterant, assertione didici. Precor autem Lectorem, ut quidquid addendum vel corrigendum crediderit, veraciter agere satagat. Apud memoratum autem Patronum nostrum, Dominum videlicet Licinium, et apud omnes legentes C supplex oro, ut fructum piæ intercessionis inveniam. Illud etiam provido decernetis consilio, quia sicut mercedis est, ad erudiendas animas in Catholica religione novum quippiam doctrinæ ac conversationis bonæ fidelibus pandere, ita criminosum esse arbitror illa silentio occultare, quæ audientibus, imitarique Sanctorum exempla volentibus, proficere valent in augmentis.

*quæ ex fide dignis testibus dicit,*

*b*

3 Ceterum Sancte Pater et Pastor, tuis, ut dictum est, jussionibus parens, hoc opus edere non distuli, sed simplicitas cordis mei, et mentis facundia non valet explicare tanti viri laudes virtutum, cui sancta, satque laudanda vita et operatio modernis exorta temporibus quanta bona egerit, nemo novit, nisi ille solus cui intrinsecus protulit. Nam finis operis ejus ostendit extrinsecus, quanto intus latendo fuisset operatus: quippe ubi nec minister aderat qui hoc videret; quoniam ipse in occultis latibulis privata oculorum acie hæc agere solebat, laudem vero vitans humanam Deo soli placere et vacare studebat. Unde constat ampliora et mirabiliora eum gessisse, quam succedentibus videatur temporibus relatio pro D populo transmissa recolere. Id namque humiliter et supplex flagito, ut supplicatio obtineat communis, quatenus veniam consequar devotus, si quid de ejus virtutibus prætermisi, ne innorme volumen legentibus ederem. Hæc tamen sub brevitate scribere rogatus dignum duxi, ut appetant cuncti ejus imitari exempla, qui illius intellexerint miracula audiendo. Si quis ergo prædicti Sancti studiosius gesta perquirat, semper aliquid quod plus miretur inveniet. Quæcumque vero in hoc *c* sancto acerba toleramus, et pro Salvatore nostro bona agimus, scire debemus in illo æternæ gloriæ præmio in melius nobis per Christum Dominum nostrum esse reddenda.

*sed assequi omnia non potuit*

a *Andegavensis ut patet infra, ubi S. Licinium* Patronum nostrum *appellat, et cap.* 4 *num.* 25 *Andegavum* nostram civitatem. — b *Non arbitror has epistolas et opuscula extare.* — c *Forsan* seculo *legendum.*

## CAPUT I.

### *S. Licinii vita aulica, ac religiosa.*

Beatissimus igitur Licinius Episcopus, prosapia Regum genitus Francorum, utilis satis nobilisque, atque ditissimus in rebus seculi fuit, nobilior quoque atque sublimior in disciplina et fide Christi permansit. Crescebat ergo in fide et ætate de die in diem melius atque plenius, et gratia Dei erat repletus. Hujus itaque sancti viri laudabilia facta quæ E gessit, nonnulla ego a familiaribus ejus narrantibus, qui ejus discipulos viderunt, a quibus et hæc quæ mihi tradiderunt perceperunt; pleraque et per memetipsum, quæ scribenda atque prædicanda sunt, ad ejus tumulum suis meritis fieri cognovi.

*S. Licinii gesta ab ejus familiaribus didicit Auctor, miracula pleraque ipse vidit.*

5 Ipse quoque, ut a prædictis sanctis viris didici, erat in pueritia formosus ac nobilis, gente vero electus; et in progenie sua crescebat benignus. Inter famulos vero et *a* cognitos vultu fulgenti in omni *b* aspectu pollebat eminenti ætate. Cumque vidisset *c* pater ejus tantam filii industriam, cunctisque bonis eum cognovisset dilectum, lætabatur animo, et in gaudio exultabat, gratiasque immensas Domino referebat, qui eum consolari de tam decora dignatus est prole. Cumque jam tempus adveniret, ut litterarum studiis imbuendus daretur, mox traditur præceptori, et doctissimis sacrarum litterarum magistris edocendus informatur. Qui inter ceteros contubernales suos sagax ingenio, et memoriæ capax, amabilis refulgebat; eratque Domino instigante cunctis subditus, sed obedientia, fide et caritate celsior omnibus. Cum autem imbutus fuisset a viris prudentissimis, reversus est ad domum patris sui, pueritiæ excedens animum, adolescentiam cum industria gerebat. Spiritu quoque sapientiæ et humilitatis gratia fulgebat suis in actibus nobiliter; et crescebat de virtute in virtutem, quotidieque bonis et sanctis operibus resplendebat.

a b c

*S. Licinius formosus puer,*

*feliciter litteris studet,* F

*pietati in adolescentia deditus:*

6 Cumque jam pleniter edoctus ad roboratam pervenisset ætatem, protinus pater ejus commendavit eum Clothario Regi Francorum, cujus et consanguineus proximus erat. Nam et pater prædicti S. Licinii Satrapa antedicti Clotharii Regis erat, atque inter proximos ejus superiorem locum tenebat. Erat enim memoratus S. Licinius adolescens sapiens, aspectu amabilis, colloquio affabilis, recta conversatione tam cum ipso Rege et sancta fide, quam cum omni domo ejus gradiens, ita ut omnibus bonis fieret conformis, malis vero et indisciplinatis informis. Erat etiam forma præcipuus, fortis et velox, agilis et multum sapiens et dulcis, castitate vero, caritate et humilitate fundatus.

*inter Clotharii aulicos honeste versatur:*

7 Cumque prædictus Rex ita eum probatum habuisset dignum, suo in ministerio aptavit, atque Comitem

*fit Comes Stabuli.*

A mitem sui stabuli et omnium *d* equorum, custodemque eorum constituit. Nam virtutem belligerandi, seu potentiam illius, Domino adminiculante, qui eum suis in actibus custodiebat, multam habebat: præsertim cum suo mucrone multas adversariorum phalangas sæpissime, Domino opem ferente, fugaret. *insignis miles,* Erat enim sedulus in oratione et in jejuniis, sive in misericordia pauperum præcipuus incumbebat: etiam sæpissime lectioni vacabat, et, sicut scriptum est, reddebat quæ Domini sunt Domino, et quæ Cæsaris Cæsari restituebat. *Matth. 22. 21* *interque Proceres eminet.* Intantum vero erat aptissimus omnium seniorum, et coæqualium ac subjectorum, ut eloquentia sua placeret omnibus sibi consequentibus, ita ut mœrentibus lætitiam redderet, sceleratis disciplinam.

8 Interea vero cum tempus adveniret, vix cogentibus amicis atque parentibus ab inclyta et nobilissima gente puellam sibi desponsavit, ut eam tempore congruo duxeret uxorem. Cumque tempus adveniret, et amici atque parentes ejus amplius cogerent, ut sponsam suam duceret uxorem, *coactus ad nuptias,* ne sine prole remaneret, et ejus hæreditas sine hærede subsisteret proprio, quoniam magnam habebat hæreditatem, et ingentia prædia possidebat; B sane cum ipse jam verbis atque exhortationibus amicorum resistere sine magno odio non valeret, contigit ut inito placito diem statueret, qua cum consensu amicorum et propinquorum memoratam sponsam in conjugium duceret. Quam cum suadentibus cunctis jam ducere vellet, *cum sponsa subito leprosa facta esset,* nutu Dei coram omnibus invenit eam lepra percussam, quoniam sic Dominus voluit, ut ipse postmodum ejus fieret Pontifex, et sicut castus erat in animo, ita et castus fieret corpore.

9 Dum hæc itaque agerentur, sicut supra diximus, diversis ipse in palatio honoribus, et in ministerio primus floruit, sed jugis illius meditatio circa monasteria vel loca sancta invigilabat. Sed cum prædicta res ei de jam ducta uxore accederet, rubore confusus statuit in animo ut cunctam seculi militiam dimitteret, et Regi omnium Sanctorum Domino soli militaret. Quod et nutu Dei factum esse haud dubium est. Consilio autem inito secundum Domini præceptum, qui dixit: *Matth. 19. 21* Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me, relictis omnibus, militiæ spirituali et clericali se tradidit, et domino soli vacare studuit. *ipse, jam Comes et Dux Andegavensis,* Nam antea Comes atque Dux Andegavensium erat, et inter primos in Palatio jam dicti Regis pollebat. C Sed demum Clericus effectus, soli Domino et spiritualibus *e* fratribus placere satagebat, pauperem et communem vitam ducere desiderans, pompam seculi spernens, omne desiderium suum in Divina voluntate ejusque servitio constituit. *e fit Clericus:*

10 Dehinc vero jam factus S. Licinius spirituali gratia plenus, fide robustus, regulis sanctarum Scripturarum subditus, divinalitterarum scientia imbutus, omnibusque Christi militibus et spiritualibus fratribus existebat amabilis. *in piorum hominum congregatione,* Erat enim multum facundiæ honestissime deditus, et statura procerus, inter plerosque pulcherrimus, aspectu decorus, eloquio suavis, ingenio acutissimus, prudentia providus, zelo divino et amore fervidus, perpetuæque virginitatis ut erat amantissimus custos, *omni religiosa virtute excellit.* quoniam Dominus Salvator omnium, eum a nuptiis volentem nubere subtraxit, atque Pontificem sibi futurum fieri, in castitate viventem servavit. Erat etiam caritate, et mansuetudine plenus, obedientiæ deditus, districtus parsimoniæ, castigatus jejuniis, prolixis noctium pervigil excubiis, reminiscens scriptum esse quoniam *Luc 12 37* Beati sunt servi illi, quos quum venerit Dominus, invenerit vigilantes.

a *Hu MS Sirmondi Chesuri* cognatos *habebat.* — d *MS Sirm.* affectu. — c *Wion in* Adjunctis *ad lib.* 2 Ligni Vitæ, Warnerium *vocat* Burgundiæ Comitem, *citatque Grandinum, qui solum ait* patrem in palatio secundum a Rege fuisse *At Saussaius,* Garnerium Majorem Palatii Austrasiæ sub Clotario Rege *appellat. Fuit quidem* Warnacharius (*unde* Warnerii, *vel* Garnerii, *deflexum nomen*) *Major Domus in Austrasia, transiitque ad Clotharium Regem anno* DCXIII, *factus postea Major-domus in Burgundia, ac tandem anno* XLIII *regni Clotharii, Christi* DCXXVI *mortuus. Verum S. Licinius pridem ante Episcopus erat: neque a patre ad Aulam Clotharii, deduci adolescens potuit, si parens tunc sub Austrasiæ Regibus merebat. Qua ratione conficitur neque* Warnacharium *alterum Licinii patrem fuisse, quem anno* IV *regni Theuderici Christi* DXC *mortuum tradit Fredegarius, nam is Major-domus Theoderici erat in Burgundia, quæ ad* Clotharium *non pertinebat, neque* Warinarius Francus *quem S. Gregorius Turonensis lib. 4 cap.* 33 *scribit a Sigeberto Rege ad Justinianum Imp. cum* Firmino Arverno *Legatum missum, existimari pater Licinii potest, nisi is ex Austrasia in ditionem Chilperici, sive filii ejus Clotharii postea transierit.* — d *MS. Sirmondi,* ejus rerum. — e *Wion monachum factum scribit,* in monasterio Cincillacensi, sive, *inquit ut* exemplar habet, sed corrupte Colonetensi. *Si exemplar habet* Colonetensi, *unde ipse* Cincillacensi *restituit? aut cur id memoratum monasterium? S. Magnobodus a S Licinio præfectus est monasterio* Colonetensi, *sed nusquam dicitur ipse Licinius in eodem ante habitasse. Dubitat Grandinus an non* Colonetense monasterium *fuerit, ubi nunc Chalonnæ præfectura est, vetusque castellum, ad Ligerim flumen quatuor infra Andegavos leucis, via Nannetensi, ad mensam spectans Episcopi Andegavensis.*

D *AUCTORE COÆTANEO ANONYMO, EX MSS. Quis ejus pater?*

*an Licinius Colonetii monachus?*

*ubi illud?*

## CAPUT II.

### *S. Lucinii Episcopatus, præfectura Palatii.*

Cum autem tempus adveniret ut agricola fructum redderet, et tanti viri bona ad effectum totius populi E pervenirent, jamque fama sanctitatis ejus per multa loca vulgata, etiam usque ad palatium regium, Regisque notitiam pervenit, quoniam non potest abscondi civitas supra montem posita. *Ipse virtutis fama clarus,* Nam non est amplius omnipotens Dominus passus, ut tantus vir sub hujusmodi articulo occultaretur, testante evangelica tuba, *Matth. 5. 15* Nemo enim accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Cumque in his atque reliquis diversorum bonorum operum studiis, tamque potentissimus auriga memoratus S. Licinius invigilaret; intervenientibus annis contigit, ut præfata Andegavensium urbs Præsule indigeret. *expetitur in Episcopum Andegavensem.* Tunc copiosa multitudo virorum, regionem illam habitantes, et cognoscentes præscripti S. Licinii prudentiam, fidem et opera, conversationemque nobilissimam, et vitam clarissimam, consona voce in invicem et in Pontificem sibi fore eligere disponebant.

12 Optimates vero atque viri illustrissimi, qui eo tempore rectores Palatii videbantur, glorioso memorato Clotario Francorum Regi ejus consanguineo *nominatur ad id a Clothario:* famam beati viri innotescunt, et actus ejus non silentes, testimonium perhibent, dignum tantum talemque virum Pontificem eorum fieri, atque summo F fungi sacerdotio eorum electione deberi. Quorum petitio effectum auxiliante Domino obtinuit, libenterque impetraverunt, quod devoti postulaverunt. Tunc omnis plebs in spiritu Sancto simul pariterque accepto consilio, cum regis ejusdem imperio, adminiculante Domino, a quo olim electus erat, subrogatus est ut præesset prædictæ Ecclesiæ Andegavensi. *invitus ordinatur:* Ille autem lacrymans, et compulsus, quia sic Domino placitum erat, jam dictam Ecclesiam ad gubernandum suscipiens, canonice Episcopus ordinantur.

13 In quo gradu verbum divinum in corda credentium seminans, animarum corporumque languores curans, captivosque redimens, viduarum, *subditis benefacit:* inopumque præ omnibus curam gerens, plebem sibi a Domino creditam utiliter gubernabat. Sicque deinceps Episcopales gestans infulas, timore Domini repletus officium suum inopibus bonum multiplicabat quotidie. Et inde factum est, ut etiam domesticam sollicitudinem atque *a* primatum Palatii, ac si nolens, *a præficitur Palatio* Regis cunctorumque Procerum suorum electione teneret. Denique tanta tamque profusa munificentia in eleemosynis pauperum prædictus sanctus vir floruit, ut etiam de longinquis regionibus atque civitatibus, fama percurrente, innumera caterva pauperum

*AUCTORE COÆTANEO ANONYMO EX MSS.*

A pauperum ad S. Licinium Pontificem refocillanda festinaret.

*eleemosynas large tribuit:* *Ps. 24. 15* *populo prædicat*

14 Qualem enim se demum, quantumque exhibuerit, nullus, ut reor, sermo valet explicare. Erat enim in Lege Divina assidue persistens: actus vitæ suæ ad Dominum defixos semper habebat, attendens illud propheticum: Oculi mei semper ad Dominum etc. Pedes ejus directi erant ad evangelizandum pacem: consilium, et opus suum semper ad Dominum convertebat: prædicationi et orationi sine intermissione vacabat: etiam sicut fidelis servus et prudens a Domino constitutus, ut ejus familiæ tribuat cibum in tempore opportuno, sic ille populum sibi commissum omnibus modis festinabat spiritali reficere cibo. Erat enim spiritu fervens, et sollicitudine impiger, operibus bonis ornatus, et oppido clarus, inter divites et pauperes medius, non respiciens personas potentum, sed magis mores elegantium, et Dominum timentium considerans. Clementer docebat, et dulciter omnes imbuebat, atque a consuetudine peccandi cunctos omni virtute retrahere nitebatur. Quantum enim unumquemque justius et sanctius vivere cernebat, tantum eminentius honorabat. Ipse quidem pauperibus cibum ferebat, eisque ministrabat, atque eorum pedes propriis manibus abluebat ac tergebat, nudosque, prout possibilitas ministrabat, vestire satagebat.

*omnes a peccato revocat:* *pedes pauperum lavat:*

*egregie Episcopatum gerit,* *clemens erga delinquentes* *Matth. 5. 7*

15 Quando monasteria aut Ecclesias parochiæ suæ B visitabat, eleemosyna prædicationem comitabatur. Erat itaque in vestimento et omni habitu suo vilis, pontificio dignus, et doctrina munitus: honores seculi recusabat, et spiritales diligebat, fortis in periculo, patiens in adversis, gloriosus in misericordia, strenuus in justitia disciplinæ, ad ignoscendum paratus, ad obediendum pronus, semper mente revolvens illud quod Dominus ait, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Ad synodum quotiescumque convenire solebat, amplius de misericordia quam de judicio tractabat. In degradatione vero Sacerdotum, nec mentem, nec corpus unquam exhibuit. Ad defendendum vero eos, quos reliqui Sacerdotes degradari cupiebant, mente et corpore prudenter se inferebat, et rationabiliter tuebatur.

*in sacras personas liberalis,*

*S. Bertigranno Ep. ad construendum monasterium varia largitur*

16 Erat namque jugiter sollicitus atque intentus in cunctis bonis actibus, præsertim in susceptione monachorum seu peregrinantium devotissimus invigilabat; eosque interrogans, quidquid boni audiebat, memoriæ commendabat. Dedit igitur prædictus sanctus Pontifex *b* Bertigranno Cenomanensium Episcopo quasdam reiculas et vineas in adjutorium ad monasterium *c* Apostolorum construendum, quod C ipse tunc temporis, in honore divino et sanctorum Apostolorum, juxta prædictam Cenomanicam urbem, in territorio suæ Sedis Ecclesiæ construere, et devote tam proprii quam prædictæ suæ Sedis Ecclesiæ dotare atque ditare nitebatur, sicut in testamento, quod de præfato monasterio memoratus Dominus Bertigrannus composuit, et propria manu, una cum aliorum bonorum virorum legali consensu etiam regie atque canonice corroboravit, hactenus habetur insertum.

*quotidie celebrat.*

*frequentem communionem suadet* *Joan. 6. 56*

17 Jam dictus enim S. Licinius quotidie Missam cum ingenti cordis compunctione cantabat, Dominoque diligenter sacrificabat, et Eucharistiam Dominici Corporis et Sanguinis mente devota percipiebat, populoque sibi commisso sumere suadebat. Etiam illud sancti Evangelii testimonium eis prædicabat, ubi Dominus ait: Qui non manducat me, non vivit propter me. Et alias ipsa Veritas inquit: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. Et reliqua talia et his similia.

*diu et arcte jejunat;* *semper cilicium gestat;* *multos a seculo convertit:* *miraculis claret:*

18 Porro abstinentiam et humilitatem, atque sanctitatem, normamque illius nullus nostrum enarrare D valet. Quoniam si omnia illa, quæ a præscriptis viris didicimus, scribere cœperimus, ante deficiet dies quam sermo explicare possit. Nam ut de ceteris sileamus, post triduana seu amplius protracta jejunia pane *d* hordeaceo, sive limphæ poculo sæpissime pro summis deliciis utebatur. Indutus itaque jugiter tunica occulta cilicina, sicque exesis jam membris vigiliis atque jejuniis geminum injiciebat cruciatum: sicque verbis et exemplis Divina sibi suffragante gratia, innumerabiles converti a pompa seculi fecit, et Domino soli inhærere, eique vacare perdocuit. Verbum vero divinum concurrentibus ad eum undique prædicando turbis, multosque in Divino nomine variis liberando languoribus, magnarum sibi signa virtutum gratia concessit Divina. De quibus, inquam, almigeris illius virtutibus subsequens sermo, Christo favente, pauca depromere properat.

a *Etiam Episcopi ea ætate ad Palatii præfecturam adhibiti, ut* S. Leodegarius, *de quo* 2 *Octobr.* — b *De* S. Bertigranno, *sive* Bertranno *agemus* 6 *vel* 30 *Junii, quando hoc die obiisse dicitur, illo coli. Supra diximus de ejus Testamento.* — c *Situm id in suburbiis Cenomanicæ urbis, vulgo* de Cultura, *sive* de la coulture *dictum: cujus mentio fit cap.* Venerabili. 2 de censibus. — d *Grandinus ait, Dominicis et solemnibus diebus, hoc ut cibo potuque pro summis deliciis, consuevisse.*

## CAPUT III.

### *S. Licinii miracula. Solitudo expetita.*

*energumenam liberat:*

Quadam vero die cum sæpedictus sanctus Dei Pontifex Licinius triduanum generaliter celebraret je- E junium, accidit ut quædam fœmina dæmonio plena ante populum debacchando et perstrependo diabolicos ludos agere cœperit. Quam sanctus vir respiciens, populo a strepitu et risu silere monuit: ipsamque coram omnibus signo Crucis injecto, exorcismis et sacris orationibus ipsa hora, suffragante divina gratia, a dæmonio liberavit: quæ in ecclesia cuncto populo septem in se habere dæmonia confessa est.

*cæcum cælesti monitu ad se missum:*

20 Item quadam die Dominica dum memoratus sanctus Dei Pontifex publicum in Ecclesia sua cum religione haberet officium, et verba divina seminaret in populo, quidam vir, nomine *a* Gliso duo capitis luminaria amissus, rogare cœpit Pontificem, ut suis meritis ac precibus lumen sibi restitueret amissum. Quem sanctus vir increpans ait: Quare, frater, turbasti me et populum? Cui idem cæcus respondens dixit: Domine mi, electus a Domino Pontifex, nihil carius *b* inspicit appetitus meus, quam ut lumen tua sancta oratione habere merear: quoniam confido in Domino, quod lumen tuis meritis et precibus consequi debeam. Nam et hac nocte quidam sanctus vir in visione ad me veniens præcepit mihi, ut ad te festinans venirem, quoniam tuis meritis lumen recepturus essem; cujus jussionibus obtemperans huc veni. F Modo quidquid imperas libens sustinebo. Pro quo Sanctus Dei communem Clero et populo jussit facere orationem: et officio peracto, populoque ad propria reverso, sacrati olei unctione eum in secretario suo oculos liniens, divina favente gratia, lumen restituit proprium.

*cum populo precatus, sacro oleo illuminat*

*latet in cella,* *et vel sic precibus ægros sanat:*

21 Quo audito cœperunt multi cæci et debiles debita admiratione de die in diem jugiter ad eum concurrere, et sanitatem restaurationis ab eo expetere. Unde ille admodum turbatus, jactantiæ laqueum fugiens, recessit, et secreto persistens, tantummodo cum uno Clerico et duobus puerulis qui ei ministrarent; remotusque a seculi actibus soli Domino vacare cœpit. Qua de re et multa turba debilium, cæcorum, claudorum et aliarum variarum infirmitatum pressa, excubabat ad ostium cellulæ, in qua Sanctus Dei legens orabat: ex quibus multi, suis precibus et meritis sanati, ad propria incolumes repetebant. Celare se cupiens latebat: fugiendo gloriam, gloriam merebat, quia Dominus sic volebat.

Videns

A 22 Videns autem sanctus vir nec sic se posse remotum esse a turbis concurrentium populorum, cœpit a Rege prædicto, seu a reliquis consacerdotibus et Episcopis licentiam postulare, qualiter ad eremum penetraret, et ibidem soli Domino vacaret. Quibus petitionibus Episcopi, Sacerdotes, Rex, et populus resistentes, cœperunt eum rogare, ut, sicut Divina et canonica auctoritas penes se habet, ageret, et populum sibi a Domino commissum non negligeret, sed sapienter doceret, et prudenter gubernaret, ovesque sibi commissas Domino lucrari decertaret; ut veniens ex eis in conspectu Domini multos manipulos repræsentaret, quatenus a Domino audire mereretur: Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. Quibus exhortationibus sanctus vir parens, quoniam cognovit aliter fieri non posse, sicut in omnibus obediens erat cunctis bonis et modestis, cœpit sapienter prædicare, et prudenter populum sibi commissum regere et gubernare. Unde et gratiam Domini assequi meruit, quoniam in omnibus operibus suis Dominus semper erat, dicente Scriptura: Omni operanti bonum Dominus cooperatur.

*cupit in eremum secedere, sed Regi et Episcopis id vetantibus acquiescit:*

a MS. Chesnii Guiso. Grandinus, Gliso — b MS. Sirm. conspicit.

B

## CAPUT IV.

### *S. Licinii ædificia. Alia miracula.*

His igitur peractis transeamus ad alia. Quadam autem die, peracto officio, Dominus Pontifex dixit discipulo suo *a* Magnobodo: Eamus ad artifices nostros, videre quid operentur: et dum ambularent, invenerunt duodecim viros inter cæcos et claudos, qui inter manus aliorum differebantur, qui statim interpellabant eum dicentes: Domine Licini, porrige nobis aliquid de substantia tua, ut possimus vivere. Et ille nihil respondit eis, quia in oratione intentus erat. Iterum autem clamaverunt eum usque ad tertiam vicem. Ille autem quasi ira commotus, respiciens eos levavit manum suam, et fecit signum sanctæ Crucis contra eos, et confestim viderunt cæci, et claudi steterunt super pedes suos, et sequuti sunt eum. Et respiciens discipulus ejus retro, vidit eos sequentes se, et ait ad S. Licinium: Domine mi, vide mirabilia. At ille cum respexisset eos, interrogavit eum, dicens: Ubi stabam, quando feci signum sanctæ Crucis? Et ille ostendit ei locum. Beatus vero Licinius revertens ad ipsum locum, et stetit ibi, et misit ipsum discipulum ad operarios, qui construebant ecclesiam in honore *b* S. Joannis Baptistæ, mandans illis, ut facerent ecclesiam in honore sanctæ *c* Crucis: quam ipse sanctus Pontifex postea ædificavit.

*a* *22 qua cæcos qua claudos, petentes importune eleemosynam signo Crucis sanat: dein ubi tunc steterat, ecclesiam sanctæ Crucis ædificat:* C *b* *c*

24 Quadam vero die præscriptus S. Licinius, dum circuiens parochiam suam prædicando, confirmando, et cetera bona faciendo *d* perageret, et singulas Ecclesias visitaret; venit quidam vir leprosus ad eum, eleemosynam deprecans, elegans quidem statura, sed misericordia destitutus. Super quo, ut semper erat misericors, misericordia motus, præcepit eum hospitio recipere, eique omnia necessaria diligenter ministrare. Cumque peracto officio et ministerio suo, domi sanctus Pontifex regressus, cibum cum hospitibus et peregrinis sumere cœperat, præcepit ante se memoratum leprosum adducere, et de cibo suo reficere, et post completum Memoratorium eum sibi præsentari. Peracto autem Completorio, tota nocte pro ipso leproso pervigil sanctus vir in oratione persistit: et mane facto, fecit aquam benedictam, qua cum propriis manibus abluens, a lepra sanavit, ac eleganti formæ decoratum, sicut prius fuerat, Divina favente gratia, restituit: ipsumque secum retinens litterarum scientia imbuit; et nonnullis evolutis annis jam benedictum Diaconum ordinavit, et postea, transacto aliquo tempore, probatum moribus et actibus, Sacerdotem sacravit; cujus etiam vita admirabilis, sanctum secuta Patronum, atque laudabilis admodum fertur fuisse.

*visitans diœcesin,* *d* *leprosum hospitio excipit, cibo recreat,* D *AUCTORE ANONYMO, EX MSS. aqua benedicta lotum sanat, dein Sacerdotem consecrat:*

25 Nec prætereundum arbitror, quod prædicti viri meritis actum in prædicta nostra est civitate. Quadam autem die cum sæpedictus S. Licinius ante portam jam dictæ urbis deambularet, rei, qui in carcere servabantur, clamabant ad eum, dicentes: Adjuva nos, Pater et Pastor noster, qualiter de isto ergastulo liberemur, ne hic innocentes periclitemur. Pro quibus deprecaturus Sanctus Dei ad custodem carceris misit, ut cunctos saltem sua deprecatione extraheret, et ipse suis rebus pro eis, quidquid neglexerant, libens emendaret, indicans etiam se ipsa die non ante jam dicta porta vel carcere elongaturum, antequam vincti carcere demitterentur. Cujus preces custos carceris spernens, nihil se inde facturum esse remandavit. Cujus inobedientiam et pertinaciam Sanctus Dei cognoscens, nihilque sua deprecatione apud eum proficere, fisus de Dei misericordia, signaculum Crucis super ostium carceris injecit. Ad cujus vocem etiam ostium carceris, nutu divino, ultro apertum est, et nullo illud tangente, neque seras ferreas, quibus conligatum et munitum erat, reserante aut frangente, vincti de carcere prosiliunt, et honorati a Pontifice, pollicitique ne ultra furtum, rapinam, homicidium, adulterium et reliqua mala facerent, gavisi remeant ad propria, et Pontifex redit ad Sedem.

*pro captivis intercedit: repulsam a custode passus, Cruce carcerem aperit,* E *eos dimittit.*

26 Reliqua autem magnarum virtutum signa et magnalia quæ fecit, prolixitatem vitantes, et brevitati studentes, hic non inseruimus, sed in alia schedula *e* nonnulla eorum descripta, ne prolixitate eorum pigri hanc nolentes legere per omnia Vitam, minus ex ejus bonis inerudití reperirentur. Super ea quoque quæ *f* deseruimus, sunt et alia multa, quæ Dominus per jam dictum S. Lucinium operari dignatus est, nobis quidem incognita, Domino autem nota. Sed quantum ad nostras, narrantibus memoratis fidelibus viris, perlatum est aures. Si cuncta persequi cœperim, ut jam dictum est, dies, ut opinor, antequam sermo, cessabit: siquidem cæcis visum, periclitantibus vitam, paralyticis gressum, leprosis munditiam, surdis auditum, a dæmonibus nempe obsessis restituit sanitatem.

*e* *f* *Alia ejus miracula ab Auctore alibi scripta; longe plura omissa.*

a S. Magnobodus, *vulgo* Mainbeuf, *Episcopus Andegavensis, colitur* 16 *Octob. De eo egimus in commentario prævio.* — b *De ea ecclesia supra dictum, esse nunc in ea Canonicos.* — c *Hanc sanctæ Crucis ecclesiam scribit Grandinus ipsam S.* Magnobodum *curasse ædificari.* — d *Ita MS utrumque. Fors scriptum ab auctore,* iter ageret. — e *Ea schedula an extet, nusquam legimus.* — f *An forte,* disseruimus?

F

## CAPUT V.

### *S. Lucinii ægritudo, mors, sepultura, ad sepulchrum miracula.*

In his igitur atque ceteris innumerabilibus bonis dum Angelicam ageret vitam, jamque omnipotens Dominus athletam suum ad destinatum suum bravium vocare vellet, ultimo urgetur die. Nam mense Augusto fervescentibus æstibus incidit in ardorem febris. Et cum post desperationem, Domini misericordia respirare cœpisset, flens (ut a narrantibus didici) aiebat: Hei mihi! quia peregrinatio mea prolongata est: habitavi cum habitantibus Cedar; multum peregrinata est anima mea. Flens etiam suspensis ad cœlum oculis et manibus, dicere sæpius solebat: Quare miser ego reversus sum a lumine Angelorum, et maligno huic mundo, in tenebris videlicet posito, reservatus? Siquidem non meremur quod

*febri laborat, qua remittente dolet, ad cœlum adspirans,*

A quod amisimus : sed tantum gratias omnipotenti Domino immensas referimus, quod habuimus, imo Domino largiente habebimus. Domino enim vivunt omnia, et quidquid refertur ad Dominum, in numero familiæ computatur : quamque amissio illius cœlestis domus habitatio sit. Unde et alias crebrius ingemiscens aiebat : Advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei. Et iterum : Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Quotiens autem infirmitate corpusculi, quam incredibili abstinentia, et duplicatis contraxerat in jejuniis, vexabatur, hoc in ore volvebat : Subjicio corpus meum, et in servitutem redigo, ne aliis prædicans ipse improbus inveniar. Et, Bonum est vinum non bibere, et carnem non manducare. Et, humiliavi in jejunio animam meam. Et, Totum lectum meum versasti in infirmitate. Et, Versatus sum in miseria dum mihi infigitur spina. Atque inter doloris aculeos, mira patientia sustinebat, quasi apertos sibi cœlos aspiceret, loquebatur : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?

AUCTORE COÆTANEO ANONYMO, EX MSS.

Ps 38. 13
Phil. 1. 23

1. Cor. 9. 27
Rom 14. 21
Ps 34 13
et 40 4
et 31. 4

28 Porro antedictus Dominus Pontifex Licinius ita singulis sibi creditam dividebat pecuniam, prout singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Raro enim quisquam ab eo pauperum vacuus revertebatur : quod obtinebat, non B divitiarum magnitudine, sed prudentia dispensandi; illud semper replicans : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et, Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Et, facite vobis amicos de mammona iniquo, qui vos recipiant in æterna tabernacula. Et, Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Et verba Danielis ad Regem Nabuchodonosor, monentis ut eleemosynis suis redimeret peccata sua : et cetera talia, et his similia, audientibus dicebat.

*impense eleemosynis deditus.*

Mat 5 7
Eccli 3 33
Luc 16 9
et 11 41
Dan 4 24

29 Cum autem eo ægrotante, non tamen ipso graviter laborante, quia Dominus suspendit infirmitates suas, cursu fideliter peracto, repletusque omnium bonorum operum fructu, adveniente obitus sui die, feliciter Kal. Novembris migravit ad Dominum : sepultusque est cum magnifico honore in ecclesia S. Joannis Baptistæ, quam ipse a novo fundaverat : in qua agmina monachorum congregaverat, et in ea regulariter militare constituerat. In qua etiam, ad tumulum videlicet ejus, multa cunctis præstantur beneficia orationibus suis advenientibus, illucque orantibus. Fertur namque tantum odorem ibidem tempore sepulturæ ejus fragrasse, quantum nemo medicorum componere potest : ut omnes odore suavitatis repleti, Dominum ingenti lætitia conlaudarent.

*moritur 1 Novemb. sepelitur in monasterio S. Joannis,*

*suavi cœlitus diffuso odore.*

C 30 Duo itaque cæci eadem die suis meritis sunt illuminati; et alii a diversis languoribus oppressi, curati. Nos vero ad tumulum ejus vidimus innumeros febricitantes sanari, et cæcos diversos illuminari, claudosque, qui etiam non a se, sed ab aliis deferebantur, gressum recipere, et surdis auditum suis meritis restitui, et aliarum magnarum virtutum innumerabilia, et diversorum generum miracula fieri : et, quod majus est, credimus multorum onera peccatorum ibidem assidue, Divina favente gratia, absolvi.

*ipso die facta miracula, et alia postea plurima, ipso auctore spectante*

31 Vidimus etiam et quemdam virum ad prædicti viri sepulchrum diu excubantem, qui numquam oculos habuerat, nec signum aliquod oculorum perceperat. Sed sicut facies, ita et planities in loco oculorum erat. Sed nec fossam, in loco ubi oculi esse debuerant, habebat. Quod monstrum omnibus in nostra provincia notum erat, qui meritis prædicti S. Licinii, ad tumulum videlicet ejus diu excubans, et veraciter serviens, ita lumen ambôrum recepit oculorum, quasi numquam cæcus fuisset

*cæco nato visus, et oculi ipsi creati dati*

32 Hæc nos pauca de plurimis hujus viri miraculis, vel operibus bonis, ut valuimus, scriptis indidimus Ceterum si omnia bona, quæ egit, stylo prosequentes membranis inserere studuissemus, enorme volume et magnum legentibus edidissemus. Sed nos brevitati studentes, cetera diligentioribus atque sapientioribus magistris scribenda servamus. In loco autem venerabili requietionis ipsius multa, ut diximus, ejus meritis, nobis quoque videntibus, fiunt mirabilia, et languores diversi usque in hodiernum diem curantur, in nomine Domini nostri Jesu Christi[a], cui est cum Deo Patre honor, laus et gloria in Spiritu sancto, per omnia secula seculorum, Amen. D

*Plurima hic omissa.*

a MS. Sirm. alius.

## ALIA VITA

### *Auctore Marbodo Archidiac. Andegav. ac postea Redonensi Ep.*

### ex duobus veteribus MSS.

### PROLOGUS AUCTORIS.

Vitam et actus B. Licinii Episcopi et Confessoris explicare cupientes, Dominum Deum, a quo omnis sapientia est, voluimus invocare ; ut eodem Sancto intercedente ostium nobis sermonis aperiat quatenus et vera, et non superflua, et auditoribus profutura dicamus. Quod ita demum fieri posse putamus, si nihil gestorum prætermittentes, sicut ea ex priori a editione collegimus, diversas adjectiones et replicationes, quæ vel prolongationis vel ostentationis notam habent, magisque lectori tædium, quam lectioni ornatum afferunt, ex toto recidamus. Hæc enim vel maxime caussa extitit, quæ Fratres nostros ad injungendum nobis præsens opus impelleret, quoniam in priori opere superfluæ orationis importuna loquacitas minuere videbatur materiæ dignitatem. Significat enim quodammodo dicendorum defectum, frequens circa idem verborum revolutio. Neque vero nos aut animi levitate aut vanitate aliqua ducti sumus, ut quasi alieni operis correctores, studii nostri ostentatione vellemus vulgares rumusculos aucupari, sed æternæ potius mercedis intuitu, probabiliumque personarum precibus victi sumus, ut majorem viribus non recusaremus laborem. Non enim de nobis, sed de auxilio Divino præsumimus. Referemus ergo, quantum poterimus, sub ope Christi, quæ dicenda sunt, salva rerum fide, ad prædicti Sancti laudem, et gloriam Dei; non solum nostram, sed et omnium legentium, utilitatem consequi cupientes. Magnum enim studii sui fructum capit, qui ea scribens, quibus ædificentur legentes, multorum profectibus famulatur. Dabimus, igitur operam, oratione uti mediocri et temperata; quatenus nec gravitas obscuritatem, nec humilitas vilitatem, nec tædium prolixitas operetur. Lectoris autem partes erunt, attente et fideliter hæc accipere : ne sibi, quod ad salutem comparatum est, in perniciem vertat, dum negligit. Sed jam narrationis initium faciamus.

E

*a Marbodus priorem S. Licinii Vitam expolivit, rogatu Canonicor. Andegavensium,*

*ad Dei, et Sancti gloriam.*

F

a Erat inter lineas eadem manu, vel saltem antiqua, adscriptum, vel lectione.

### CAPUT I.

### *S. Licinii studia, officia Palatina, sanctioris vitæ professio.*

Igitur Licinius clarissimo genere ortus (Reges enim Francorum in suis majoribus numeravit) bonis omnibus animæ et corporis a natura ditatus, felicitatem suam virtutis studio cumulavit. Cujus jam inde a pueritia talis extitit conversatio, ut in eo futuræ cujusdam perfectionis et inusitati exempli species præluceret. Nam præter exterioris formæ bonitatem, et vultus

*S. Licinius ex regia stirpe,*

A vultus modestiam, qua spectantium mentes occulto quodam munere permulcebat; illud in puero cernebatur egregium, quod ea vitia, quæ novellæ ætati videntur ingenita, et quasi jure naturæ omnibus dominantur, jam tunc Dei gratia præventus aspernabatur. Neque enim vel ad ludendum nimius, vel ad edendum importunus, vel ad loquendum garrulus erat. Non iram temere colligebat: nec inter coævos superbula violentia grassabatur: non animi levitate, ut est puerilis mobilitas, ad diversa protinus raptabatur, ut cupide quid inceptum, repente contemneret. Prorsus in puero virilis constantiæ plurima videbantur.

*in pueritia moderatus,*

3 Cum ergo post prima elementa, sicut liberi nobilium solent, in disciplinam litterariam datus esset; ibi vero generosæ naturæ benignitas et ingenium capax enituit. Audita a magistris facile capiebat et retinebat memoria. Nec ejus attentionem, sicut plerumque solet, timor verberum extorquebat, sed amor scientiæ accendebat. Doctoribus reverentiam, pædagogis obedientiam, condiscipulis benevolentiam, omnibus humilitatem noverat exhibere. Nec aliena tarditate offensus, nec de suo est acumine gloriatus. Non operum tantum, sed et verborum turpitudinem sic horrebat, ut eam nec in aliis irreprehensam pa-B teretur. Jam plane puer censorius a contubernalibus timebatur, si quid auderent illicitum. Æmulorum inimicitias tolerabat æquanimiter, finiebat velociter. Iram patientia, superbiam humilitate vincebat: detractionibus sociorum nec aurem nec linguam adhibuit: contumelias in se jactatas dissimulavit, in alios mitigavit. Prorsus in professione discipuli, morum magister factus erat.

*in studiis diligens*

*et alienus ab adolescentia vitiis,*

4 Decursis ergo in hoc studio pueritiæ annis, cum sibi ad magistrorum scientiam in sacris et secularibus litteris propria industria non modicum adjecisset, ad imperium patris, qui primum post Regem in Palatio locum tenebat, compulsus est philosophiæ renuntiare, et ab otio ad negotia, a studio ad militiam, a scholasticis ad palatina munera translatus est. Quem Rex Clotarius, cum propter sanguinis propinquitatem, tum propter egregiæ formæ dignitatem, ac morum elegantiam, quæ in adolescente eminebant, libens suscepit: brevique post tempore cingulo militiæ honoratum, inter amicos habere cœpit, dignum plane cognitum, cum quo de magnis rebus et regni administratione tractaret. Non enim illi deerat vel ad consulendum prudentia, vel ad tegendum fides, vel strenuitas ad exequendum. Nec expedita C facundia carebat, nec amore justitiæ: unde et actioni caussarum et juris dictioni perutilis videbatur.

*a patre ad Aulam ducitur:*

*miles creatur a Chlotario II,*

5 Præterea perpetuæ castitatis custos et cultor, de sua familiaritate Regis apud omnes judicium decorabat. Erga commilitones suos ita se gessit, ut singulorum gratiam aliquo studeret obsequio demereri. Omnibus affabilem se præbebat: omnium necessitatibus, si ope non posset, occurrebat consilio: in omnium contristabatur adversis: in suis lucris omnium prospera numerabat. Apud Regem proderat quibus posset, poterat autem omnibus quibus vellet. Sic nullus relinquebatur, ad quem non ejus aliquod beneficium perveniret. Prædicabat facta fortia singulorum, cum de ipsius virtute præter ipsum nullus sileret. Prorsus in Aulæ satellitio Procuratoris partibus fungebatur. Unde factum est, ut a Rege, flagitantibus cunctis, Tribunus Militum crearetur, qui nunc more nostro Comes Stabuli nuncupatur. Quod officium sic transegit, ut ampliori dignissimus haberetur. Animus tamen ejus inter hæc semper vigilabat ad Deum, cui sine intermissione puras fundebat preces, ut se de præsenti seculo nequam incorruptum eriperet. Sacræ lectioni quoties posset operam dabat; cujus assiduitate desiderium suum ad superna D magis accenderet. Juventutis ardorem crebris jejuniis, non tam extinguebat, quam anticipabat, ne per luxum et licentiam humanus animus posset insolescere. In pauperes et afflictos usque adeo misericordiæ visceribus abundabat, ut nullam in his juvandis loci vel temporis prætermitteret occasionem. Plane in milite monachum, in activo contemplativum gerebat: utrumque sic implebat, ut alterum; et a neutro ad alterum tardabatur.

*benignus erga aulicos*

*fit Comes Stabuli:*

AUCTORE MARBODO EP. EX MSS.

*pie in Aula vivit:*

6 Interea succedentibus sibi prosperis, cum et patria bona jam ad eum jure hæreditario devenissent, et ex regali munificentia amplissimis polleret honoribus, (nam et Comes Andecavensium factus erat) cogentibus amicis et ipso Rege, de clarissima familia sibi Virginem desponsavit, contra animi sui votum, quo cœlibem vitam ducere, et abdicatis honoribus jam dudum Deo vacare decreverat. Quam cum traducere jam pararet, (mirum dictu!) in solenni conventu lepra percussam deprehendit. Sic a nuptiarum necessitate, quam sibi amicorum consilia importabant, optato infortunio solutus est.

*fit Comes Andegavensis:*

*cogitur ad matrimonium: sponsa subito leprosa facta.*

7 Neque vero ruborem suum, festinato alio matrimonio studuit abolere: sed potius Dei providentiam votis suis concordare intelligens, vertit casum in occasionem; ne tentare iterum cogeretur, quod prius tentatum secus cessisset. Itaque confirmato E animo ne quod olim volvebat, ultra differret, petita protinus missione, cingulum militiæ deposuit, et caducis renuntiavit honoribus, totumque se in Dei servitium tradens, tonsuram Clericalem cum professione suscepit. O quantum gaudium de se Fratribus dedit! Quibus Dei laudibus ora omnium adimplevit! Quam multorum corda in compunctionem, oculos laxavit in lacrymas, cum viderent illam nobilissimæ stirpis indolem, fascibus et divitiis sublimatam, forma præcipuam, gloria perpollentem, contemptis omnibus, Christi jugo generosas inclinare cervices; et de divite pauperem, de potente infirmum, servum de domino, spontanea commutatione fieri! Rarum hoc quidem et magnis laudibus prosequendum, ea, cum adsint, sine difficultate contemnere, quorum spem solam vix ullus etiam inter adversa dimittit. Sed Dei servus futuram gloriam cogitabat, cujus pulchritudini comparatum terrenum omne sordescit. Bonum ei erat, Deo adhærere, et non in incerto divitiarum, sed in Domino Deo spem suam ponere.

*fit Clericus, et monachus;*

*magno bonorum gaudio:*

8 Jam vero in clericatu quantum promoverit, ex antecedentibus possumus æstimare. Totam industriam, quam seculi functionibus prius impenderat, ad animæ suæ et Fratrum, cum quibus vivebat, utilitatem convertit: et qui ad utrumque divisa intentione suffecerat, collectis viribus maxime suffecit ad alterum. Numquam illum alti sanguinis gloria titillavit, quo minus vilissimorum obsequiis subderetur: F nec ejus eruditio indoctorum aliquando simplicitatem irrisit, jejunans aliorum prandiis non detraxit, dormientes excubans non despexit: dissidentes revocare festinavit ad pacem, indisciplinatos ad ordinem: bona sibi omnium ad imitationem, mala vero proposuit ad cautelam. Et cum ab omnibus amaretur ut pater, omnes venerabatur ut dominos.

*sancte et humiliter in congregatione vivit:*

## CAPUT II.

### *S. Licinii functiones episcopales.*

Secundum Christi præceptum ad Ecclesiæ convivium invitatus, in novissimo loco recubuerat. Cum ergo jam tempus esset, ut ei a Domino diceretur, Amice ascende superius, dictum est et Andecavensis Sedis Episcopo, pulsante corpus ægritudine: Da huic locum. Defuncto igitur *a* Audoino, qui prius Andecavensem Ecclesiam regere videbatur; cum jam sancti viri longe lateque percrebuisset opinio, utriusque

Luc. 14. 10

*a*

*fit Episcopus Andegavensis, invitus:*

A utriusque ordinis acclamatione, cum promptissimo Regis assensu, petitur, rapitur, ordinatur : et qui in domo Dei abjectus esse elegerat, invitus et lacrymans præesse compellitur. Dignissime plane, ut bona quæ diu per otium in se convexerat, tandem per dispensationem in multorum utilitatem refunderet.

*auctore Marbodo ep. ex Mss.*

10 Suscepto ergo regimine, non tam sibi honorem quam onus judicans accrevisse, quasi nihil hactenus promovisset, quod cousummaverat, tunc incepit, et qui sanctitate vitæ jam dudum ceteros cunctos præibat, quod solum restabat, vincere se ipsum instituit. Sed cui nulla probaretur deesse virtutum, quo cresceret non habebat, nisi quod numero non poterat, adderet quantitati. Extendit ergo vigilias, ampliavit orationes, protraxit jejunia, trivit carnem cilicio, corpus frigore cruciavit; et qui de se quod lueret non habebat, exemplo Christi, commissorum sibi peccata in se transtulit et languores. Eleemosynarum largitionem sic profudit, ut de remotis quoque provinciis ad eum fama exciti greges pauperum properarent : quippe qui nullam prætermitteret munificentiæ portionem. Operiebat nudos, famelicos reficiebat, procurabat languidis medicinam, mortuis sepulturam : peregrinis dabat hospitium, mœstis impendebat solatium : captivis redemptionem, pupillis tuitionem, viduis patrocinium exhibebat : abluebat B manibus pauperum pedes, flebat oculis, ore osculabatur, capillis tergebat. Postremo tot exercebat misericordias, quot patitur humana vita miserias. Nec solum in pauperes, sed in omnes quoque ordines, in quosdam etiam Episcopos sese liberalitas ejus extendit.

*majores suscipit pœnitentias,*

*in omne opus misericordiæ effusus,*

11 Nec minus interea suscepto fungebatur officio, singulis quibusque diebus Sacramentorum mysteria celebrans, et publice prædicans verbum Dei, intentans peccantibus terrores pœnarum, proponens gementibus gaudia præmiorum. Misericordiam et judicium cantabat tibi, Domine : judicium in rebelles, in supplices misericordiam. Tanta in labiis ejus gratia diffusa erat, ut quæ dicebat nemini displicerent. Notabat latenter vitia singulorum, culpam corripiens non personam : et cum in ejus dictis se quisque recognosceret, nihil in se injuriose dictum poterat recognoscere. Neque vero aliquando illum in docendo materia destituebat, cum vita sua pro libro uteretur. Quotiens illi quærendum erat quid diceret, in promptu sibi erat meminisse quid faceret.

*quotidie celebrat :*

*prædicat verbum Dei :*

12 Quantum ad districtionem, culpas persequebatur, naturæ parcebat; vitia odiens, homines diligebat. Arguebat in justitia delinquentes, suscipiebat in C mansuetudine pœnitentes : sic zelum indulgentia, et zelo indulgentiam temperabat, ut nec ista corrumperet nec illa vulneraret. In synodali tractatu de misericordia plurimum disputabat, et in reorum defensionem, quantum ratio pateretur, mentem exercebat et linguam : Sacerdotes accusatos maxime tuebatur. In personarum acceptionibus non honores attendebat sed mores, ut tanto cuique plus deferret, quanto plus quemque Deum diligere perspexisset. Circuibat Ecclesias, monasteria visitabat : quocumque se verterat, spiritualis lætitia nascebatur : animas verbo, corpora cibo reficiebat : circumquaque vitiis extirpatis inserebat virtutes, et expulsis languoribus sanitates restituebat. Immoto vultu et eodem animo fortunam utramque spectavit; ut nec prospera extolleretur, nec frangeretur adversa. In habitu et incessu mediocritatem servavit, in famulorum numero necessitatem, in qualitate honestatem quæsivit : prorsus sic publica ministravit, quasi privata contemneret : sic privata curavit, quasi publica non curaret : nec, sicut plerique solent, a fulgore ad fumum recidit; sed a splendore ad splendorem, a minori virtute transiit ad majorem.

*lenis in puniendo.*

*visitat diœcesim,*

*constans,*

*frugalis :*

13 Jam totam Galliam splendor ejus irradiaverat, D et ad solam ejus famam non pauci nobilium, spretis divitiis, Christum pauperes sequebantur. Unde æstimandum est, quantum præsens Domino lucraretur, qui et ubi non erat plurimos convertebat. Jam Regis Francorum et Optimatum spes opesque de ipsius potissimum auctoritate pendebant : jam et ipsis Episcopis magnus quidam et mirabilis habebatur. Omnes ad eum, velut ad fontem sitientes, in suis necessitatibus recurrebant. Omnes ex eo, quod quisque cuperet hauriebant. Jam plane omnibus quidam humanus Angelus, vel potius homo angelicus videbatur. Nam præter incomparabilem sanctitatem, qua mensuram hominis excedebat, tanta miraculorum potentia coruscabat, ut ei Apostolicam inesse gratiam nullus ambigeret. De miraculis aliqua recensebimus, ex quibus cetera fides lectoris poterit æstimare. Nam et ex paucis multa, et majora ex minoribus, et ex manifestis occulta colligi solent.

*multos exemplo convertit*

*consulitur ab omnibus :*

*multa facit miracula :*

a *Grandinus*, Audovyno. *Gazelus*, Andovino. *Saussaius*, *et Chesn. tom.* I *Francic.* Audovino. *Claud. Robertus*, Audoeno *et* Audonino.

## CAPUT III.

### *S. Licinii ædificia, quietis studium, miracula.*

Cum in solenni jejunio frequens populus ad ecclesiam convenisset, quo scilicet secundum Pastoris E sui institutum, devotissime recurrebat; ecce mulier, quæ a dæmonio tenebatur, cum vocibus furibundis et gestu vesano cœtum irrupit, cœpitque per ecclesiam discurrendo mimos theatricos exercere, et verbis erraticis, qualia proferre solent ebrii, risum populi commovere. Intellexit vir sanctus conatum diaboli, cujus studium est semper, quantum potest, Dei servitium impedire. Imperato ergo silentio cum populum de instanti materia pro tempore breviter monuisset, dæmoniacam illam sibi jussit adduci : et fusa super eam oratione, spectante populo et rei exitum suspensis mentibus expectante, virtute Crucis et sacris adjurationibus statim expulit inimicum. Recepta mente fœmina grates egit, et publica oris sui confessione grande apud omnes miraculum ampliavit. Nam se testata est septem prius habuisse dæmonia. Neminem ibi laudes Dei crediderim siluisse, nullum tacuisse putaverim merita Sacerdotis. Vere enim forma capitis relucet in membro, et simul virtutis imagine magistrum discipulus repræsentat. De Maria Christus septem ejecit dæmonia, de hac fœmina totidem, Christo præstante, Licinius. O! quamvis non possit servus Domino comparari, in hoc F tamen miraculo qualitas qualitati, sexus sexui, et numerus numero respondet.

*dæmoniacam, turbantem concionem, precibus et signo Crucis liberat :*

15 Rursum dum inter Missarum solennia die Dominica more suo populum hortaretur; cæcus quidam, Ghiso nomine, in parte consistens, levata voce rupit silentium, implorans Episcopum, ut qui verbo doctrinæ suæ mentium tenebras effugabat, ab ejus oculis, suis sanctis precibus, pelleret cæcitatem. Cui cum respondisset vir sanctus non esse hic locum interpellandi, et ne intempestive obstreperet, quoniam populi turbaretur intentio : Non hoc, inquit, Præsul sanctissime, importunitati ascribas, sed fidei : non enim dubito me lumen protinus tuis meritis recepturum. Nam nocte præterita per visionem mihi revelatum est, hanc tibi gratiam reservari. Unde et ad te properare sum jussus, ut mihi, quod desidero largiaris. Hæc cum audisset Episcopus, et de promissæ virtutis effectu nullatenus dubitaret; malens tamen hoc totius Ecclesiæ precibus, quam suis meritis reputari, communem pro cæco poni jussit orationem : sicque finito Missarum officio populum dimisit, non quod

*cæcum, divinitus monitum se ab eo curandum,*

*indictis populo precibus,*

A quod ei futuri miraculi gratiam invideret; sed ut ipse popularem gloriam declinaret: deinde secreto cæcum assumens, cum ejus oculos sacro oleo circumlivisset, videntem et lætum remisit ad propria.

*sacro oleo illuminat:*

16 Cum ad B. Licinii virtutum famam infirmorum turbæ confluerent, et de vulgari frequentia contemplationi mens dedita molestiam pateretur, timens Dei servus, ne forte de miraculorum magnitudine favor suam apud Deum mercedem minueret, statuit non ultra se turbis præbere concurrentium, sed intra secretam cellullam clausus quietem cœpit Angelicam meditari, uno tantum Clerico contentus et duobus ministris. Sed cum nec sic pulsantium tumultus posset excludere, quippe qui ostio tenebantur vocibus irrumpebant, et improbitate sua plerique desideratum extorquebant suffragium: necessitate coactus locum dimisit, cœpitque ex illo flagitare a Rege et comprovincialibus Episcopis missionem, quatenus in locum suum alio subrogato, ipse ad eremum properaret. Cui petitioni cunctis reclamantibus, (Quis enim dubitaret, destitutum Pastoris absentia Christi gregem, lupis rapacibus prædam futurum?) cum ei plus in hac parte detrimenti, quam in altera lucri fore objicerent; B præterea privatum commodum publicis utilitatibus anteferre, contra legem esse contenderent caritatis, non quærentis quæ sua sunt, sed multorum ut salvi fiant; victus tandem precibus et ratione confratrum, solitudinis intentionem deposuit, totusque quasi de integro ad exequendam sibi creditam dispensationem conversus, familiæ Christi cœpit necessaria providere, intermissæ contemplationis jacturam fructuosæ actionis compendiis supplere festinans. Unde factum est, ut ampliorem a Deo gratiam mereretur, qui totum se utilitatibus devoverat proximorum. Quod ut et mundo evidens esset, miraculis eum Dominus exinde majoribus et frequentioribus decoravit. Ex quibus nonnulla recitanda sunt: quorum tamen paucitas pro sua magnitudine multorum possit numero coæquari.

*cellæ inclusus, contemplationi vacat:*
*nec sic ab affluxu miserorum liber,*
*dimittere vult Episcopatum,*
*nisi Rex et Episcopi obstitissent:*
*majora facit miracula:*

17 Cœperat vir sanctus ædificare monasterium a extra civitatem non longe a muris, quod postmodum rebus et possessionibus copiose dotatum in honorem S. Joannis Baptistæ, sicut optaverat, dedicavit. Ad quod opus visendum aliquando dum pergeret uno tantum familiarissimo sibi discipulo comitatus, obviam habuit pauperum turbam, qui ab eo cœperunt vocibus importunis eleemosynæ subsidia postulare: C inter quos erant duodecim, quos cæcos partim, partim claudos fuisse accepimus; quibus cum nihil responderet Episcopus, quippe cujus mentem assiduæ orationis et jam inter eundum, rapiebat intentio, iteratis eum pulsare clamoribus, et nullam permittere dissimulandi licentiam. Commotus ergo paullisper gradum fixit, et velut ad sui defensionem elevata contra eos dextra, signum Crucis objecit instantibus. Protinus ad Sancti zelum debilitas expavit et cæcitas, et fugata omni ægritudine virtus Crucis intulit sanitatem. Sanati ergo medicum, qui jam discesserat, sequebantur, ut ei grates agerent, quas debebant. Respexit prior, agnovitque miraculum Magnobodus (hoc nomen discipulo) et præeuntem Magistrum territus exclamavit: qui et ipse respiciens vidensque gratiam, quam meruisset ignarus, pro multiplici dono multam dedit gloriam Creatori: statimque accersitis per eumdem discipulum opificibus, quos visebat, locum ex quo signaverat, requisivit, sibique in honorem et memoriam sanctæ Crucis fundari jussit ecclesiam, quæ usque hodie permanens, antiquum credentibus miraculum repræsentat.

*a ædificat monasterium:*
*12 partim cæcos, partim claudos*
*signo Crucis sanat*
*ignarus,*
*ibique ecclesiam sanctæ Crucis ædificat*

a *Hujus meminit idem Marbodus in Vita S. Magnobodi* 16 *octobris*: In suburbio, *inquit*, civitatis suæ cœpit ædificare monasterium, exemplo videlicet beati Magistri et prædecessoris sui Licinii.

## CAPUT IV.

### *Alia S. Licinii miracula, morbus, mors, sepultura.*

D AUCTORE MARBODO EP. EX MSS.

Mos erat, ut dictum est, sancto Pontifici, Episcopatus sui per semetipsum visitare diœceses, et pia sollicitudine singularum non solum regionum verum etiam personarum necessitates inquirere, ne qua forte vel sua vel Sacerdotum negligentia grex sibi commissus periclitaretur. Spargebat ubique semina verbi Dei, et confirmationibus et benedictionibus populum roborabat: super hæc de facultatibus suis indigentium supplebat inopiam, et cum hospitibus habebat omni tempore mensam communem. Contigit ergo, ut inter alios pauperes hospitio leprosum reciperet, cujus statura corporis egregia et membrorum elegans compositio majorem infelici morbo faciebat invidiam. Quem Sanctus cum cibo proprio refecisset, in oratorium se recepit, et noctem, quæ instabat, eodem assistente, duxit insomnem, dum precibus indefessus misericordem Dominum interpellat pro misero. Jam mane facto, exorcizatis aquis lavat infirmum; et ad sacrarum manuum tactum dicto citius lepra disparuit. O virum propheticæ dignitatis! O novum antiquæ virtutis exemplum! Non glorietur in miraculis populus prior, ut Legem veterem novo præferat Testamento. E Unus Dominus utriusque, cujus est æqua in utroque potentia. Habemus aquam, habemus Prophetam, habemus leprosum: præsto sunt et nobis Naaman, Elisæus, Jordanis. Sed in hoc melior noster mundatus, quod ad priorem conversationem non est ultra reversus, nec a suo recedere sustinuit Elisæo, a quo litteris instructus divinis, et Christianæ disciplinæ moribus institutus, mutato habitu comam deposuit, sicque per minores gradus probatus ex tempore, ad dignitatem sacerdotii tandem meruit pervenire: cujus vita laudabilis, et a Magistri vestigiis non recedens, multis postmodum bene vivendi formam præbuit et exemplum.

*visitat diœcesim:*
*pauperibus subvenit:*
*leprosum cibo reficit,*
*et post preces lotum sanat.*
*qui dein Sacerdos fuit, vir sanctus.*

19 Prætereunte Præsule juxta portam civitatis, rei qui portæ juncto carcere tenebantur, cognito quod transiret, lacrymosis eum vocibus inclamabant. Super quorum motus angustia, statuit a loco non recedere, nisi prius miseros liberaret: nimirum in illis se vinctum reputans, quorum in se per compassionem transferebat catenas. Missis ergo nuntiis interpellat custodem, offerens pro captivis redemptionis pecuniam. F Sed cum illius pertinacia nec precibus flecti posset nec pretio, vertit se fides vindicis quo solebat, ut quod ab hominis nequitia non poterat impetrare, ab insensibili materia mirabilius obtineret. Jecit in ostio carceris Crucis signum; et statim (mirum dictu!) ferrea serarum compago dissiluit, nec potuit solitam catenarum natura servare duritiam, ubi fortior incubuit fides. Solutis ergo vinculis, omnes prosiliunt, et a sancto Sacerdote verbis et sumptibus confortati, cum gaudio revertuntur ad sua. Sunt et alia ejus multa non minus digna memoratu, sed propter compendium ista sufficiant. Nam fidelis quidem animus nihil ultra desiderat, infidelis autem nec plura reciperet. Nunc ad ejus transitum properemus.

*Cruce carcerem pandit, et compedes reorum solvit, eosque dimittit*

20 Jam Dei servus bonum certamen certaverat, cursum consummaverat, fidemque servaverat: restabat illi a justo Judice merces, victoriæ corona vel bravium. Debebatur militi jam emerito bonus ager, terra viventium: debebatur operario, qui pondus diei et æstus portaverat, æternæ quietis denarius. Correptus ergo mense Augusto vehementibus acutæ febris ardoribus, in spem adductus quasi jam dissolveretur, exitum suum lætissimus expectabat. Sed cum

*laborat febri,*

*AUCTORE MARBODO EP. EX MSS.*

A cum post tempus refrixisset incendium, intelligens chronicam passionem, dilatum se et velut a vicino jam portu repulsum mœstus ingemuit: quippe qui præsentem vitam naufragium judicans, futuram patriam totis viribus inquirebat. Crevit ex dilatione desiderium, nec quidquam sibi propter recurrentis sæpe febris molestiam de prioris abstinentiæ consuetudine relaxavit. Non idcirco mollioribus stratis incubuit, nec cibi aut potus qualitatem mutavit in melius. Imo vero multo nunc magis sollicitus ad Domini jam pulsantis ingressum, quantum temporis supervixit, mentem semper reduxit a corpore, sola cogitans ad quæ ibat, oblitus omnium quæ linquebat.

*sed nil de pœnitentia ideo remittit:*

21 Aderat mensis jam quartus, et aurum Christi purissimum tribulationis caminus satis probaverat. Dignus ergo per omnia in æternos Domini thesauros reponi, Kalendis Novembris Præsul sanctissimus migravit a corpore, sepultusque est magnifice, cum multa ordinum frequentia, in monasterio S. Joannis Baptistæ, quod ipse a fundamentis construxerat, ibique ad Deo serviendum assidue collegium instituerat monachorum. In cujus exequiis Angelos astitisse, quicumque aderant persenserunt, tam insueta repente perfusi fragrantia, ut ei nullam prorsus terrenam gratiam compararent. Sed et ibidem signorum B ostensa consolatio, cunctorum, qui de Pastoris sui dolebant absentia, tersit mœrorem. Nam sanati sunt ipsa die ad ejus tumulum cæci duo, ægri complures. Nec sequentibus quidem usque ad ætatem nostram temporibus in ipso loco divina munera cessavere, ad animarum et corporum pertinentia sanitatem. Datur hic fideliter petentibus remissio peccatorum, datur languentibus optatum remedium, datur egentibus præsentis vitæ subsidium.

*moritur 1 Novemb.*

*sepelitur diffuso per Angelos suavi odore:*

*multis tunc ac postea miraculis illustratus.*

22 Hic ostensum est per præsentis Patroni merita tam grande miraculum, ut merito plus quam miraculum nominetur. Nam si est miraculum, extinctum lumen oculorum reparari; plus esse patet miraculo, ubi numquam fuerunt, oculos ipsos creari: et si est cæcus, qui habens oculos, caret visu; qui ipsis caret oculis, plus est quam cæcus. Homo igitur plusquam cæcus, sed fide illuminatus præclara, ut D rei exitus approbavit, ad Sancti sepulchrum multo tempore precibus assiduis et devotis supplicationibus incumbebat, in quo tanta naturæ novitas apparebat, ut nec orbes haberet, nec locum, sed quod monstro simile videatur, a superciliis facies plana descenderet. Undique multi ad hoc spectaculum confluebant, ut tanta latius manaret postmodum inauditæ fama virtutis, quanto prius ubique tanti monstri novitas neminem latuisset. Hic ergo dum incessanter precibus pulsat Sanctum ante ipsius corpus repente oculos invenit et visum; et quod illi abstulerat naturæ defectus, Divinæ gratiæ, per Sancti merita, reparavit effectus.

*Quidam plana facie absque oculis,*

*illic oculos obtinet et visum,*

23 Hoc potissimum in fine operis velut Epilogum idcirco posuimus, ut quia ultimum recitatur, primum occurrat memoriæ, cum nulla superjectæ narrationis mole sit obrutum. Ex quo utique vel solo constat id, ad quod scilicet tota hujus laboris nostri spectat intentio, quam bene summo Domino serviatur, et quam nihil sit desperandum fideli, quandoquidem Divinæ gratiæ etiam naturæ impossibilitas non obsistit, per Christum Dominum nostrum; qui cum.

*Hujus scripti finis.*

24 Ego Marbodus indignus Archidiaconus Andegavensis Ecclesiæ, Vitam B. Licinii Episcopi descripsi, et recognovi, rogatu Canonicorum ejusdem Ecclesiæ. Unde mihi illi pro laboris mei mercede pro- E miserunt et dederunt partem et communionem orationum et benefactorum, quæcumque in ipsa ecclesia fient omni tempore, et singulis diebus, dum vixero, unam Collectam in Missa matutinali, Deus qui justificas impium: post obitum vero meum, totum servitium quod fit pro uno Canonicorum in orationibus et Missis, et per singulos annos commemorationem anniversarii mei facere, sicut unius Canonici. Insuper omnibus et singulis diebus, præter festos dies, usque ad finem seculi cantare mihi post Primam, dum vadent in Capitulum, psalmum De profundis cum Capitulo, Requiem æternam, et Collectam Absolve Domine. Hujus conventionis inter me et Canonicos sit Dominus meus S. Licinius mediator et testis, et sponsor. Amen.

*Auctori egregia data pro hoc scripto merces ab Andegavensibus.*

# DE S. ERMENILDA

## REGINA MERCIÆ IN ANGLIA ET ABBATISSA ELIENSI,

### Commentarius historicus.

G. H.

C § I *Progenies S. Ermenildæ et Wulfheri mariti, Regis Merciorum Christiani. Conversio Merciorum.*

*CIRCA AN. DCCXIII FEB.*

*Illustris est Ermenilda, quia sanctissima Regum stirpe oriunda, et piissimo Regi nupta; at multo illustrior ob regiam gloriam spretam, et vitam reliquam inter monasticas exercitationes in omni virtute et sanctitate finitam. Pater illius* Rex Cantiorum Ercombertus, primus, *teste Beda lib.* 3 *Histor. Eccl. gentis Anglorum cap.* 8, præcepit in regno suo et idola destrui, et quadragesimale jejunium observari. *Avus* Eadbaldus *a S. Laurentio Archiepiscopo Cantuariensi institutus*, suscepit fidem Christi, et baptizatus, Ecclesiæ rebus, quantum valuit, in omnibus consulere ac favere curavit: *ut idem tradit Beda lib.* 2 *cap.* 6. *Proavus denique* S. Ethelbertus, *e Regibus Anglo-Saxonibus primus fide Christi et sacro baptismate initiatus est: cujus Vitam damus* XXIV *Februarii. Quæ S. Ethelberto uxor erat, et S. Ermenildæ proavia, e primis Francorum Regibus prognata, nomine Bertha, sive, uti eam S. Gregorius Papa appellat, Aldiberga, filia fuit Regis Parisiorum Chariberti, neptis Chlotharii* I, *filii Chlodovei* I *a S. Remigio Episcopo Remensi baptizati: quos illustres Francorum Reges habuit S. Ermenilda abavum, atavum ac tritavum. Uxor Chlodovei* I, *et S. Ermenildæ tritavia fuit S. Chrotildis Regina, filia Chilperici Burgundionum Regis, de quo infra agemus* XXVIII *Februarii ad Vitam SS. Romani et Lupicini. Colitur S. Chrotildis* III *Junii. De Regibus Francorum egimus* I *Februarii ad Vitam S. Sigeberti. Ex eadem Regum Francorum familia genita est Emma Eadbaldi Regis conjux, et avia S. Ermenildæ.*

*S. Ermenildæ genus regium, pater,*

*avus,*

*proavus, Rex Cantii,*

*proavia, ejusque majores Reges Francorum*

F

*et Burgundionum:*

2 *Regis Ercomberti uxor, ac mater S. Ermenildæ fuit S. Sexburga, a Regibus Anglorum Orientalium oriunda: de qua et aliis utriusque regiæ stirpis fœminis sanctis infra nonnulla dicemus. Avus ergo maternus fuit* Rex Anna, vir bonus, ac bona sancta sobole felix: apud quem Cenwalchus Occidentalium Saxonum Rex triennio exulans, fidem Christi cognovit, ac veritatem suscepit. *Ita Beda lib.* 3 *cap.* 7. *Successit Rex Anna patrueli S. Sigeberto, et cognato Egrico, a Penda Rege Merciorum in prælio occisus. Colitur S. Sigebertus* XXVII *Septembris. Anna etiam Sanctus appellatur in Historia Eliensi MS. His ergo Christianis majoribus prognata Ermenilda, et ut Joannes Bromton*

*mater S. Sexburga, filia Annæ R. Angl. Orientalium.*

*S. Ermenilda pie educata:*

A *ton in Chronico regni Merciorum ait.* Protodoctoris S. Augustini alphabeto a parentibus informata, *nec non in virtutum exercitio a Dorovernensium Archiepiscopis adjuta, plurimum profecit. Præerant illi Sedi post SS. Augustinum, Laurentium, Mellitum et Justum S. Honorius, eique anno* IↃCLV *mortuo substitutus S. Deusdedit : quorum illi dies* XXX *Septembris, huic* XXX *Junii sacer est.*

*Nupta Wulfhero Regi Merciorum Christiano,*

3 *Nuptui dein tradita est Merciorum Regi Wulfhero, viro eximie et constanter Christiano, neque enim Ercombertus Rex; qui omnium in regno Cantiorum idola primus destruxit, filiam Regi idololatræ dedisset, æmulator hac in re virtutum patris sui Eadbaldi, a quo, teste Beda lib. 2 cap. 9 cum* S. Edwinus Northan-Hymbrorum Rex, *necdum Christianus,* S. Edelburgam *illius sororem* missis procis in conjugem peteret, responsum est; non esse licitum Christianam Virginem Pagano in conjugem dari, ne fides et Sacramenta cœlestis Regis consortio profanarentur Regis, qui veri Dei cultus prorsus esset ignarus. *Et hanc de Erconberto ejusque conjuge S. Sexburga sententiam confirmat altera eorum filia S. Earcongota, quæ a Beda lib. 3 cap. 8 appellatur* condigna parentibus soboles, magnarum Virgo virtutum. *Hæc namque ab iis trans Oceanum missa*, Deo dedicata est *apud Francos* in B monasterio S. Faræ, *cujus* sancta anima carnis vinculis absoluta, inter concentus Angelorum psallentium ad æterna patriæ cœlestis gaudia est ducta : *cui tabulæ Ecclesiasticæ diem* VII *Julii sacratum indicant : quo etiam die S. Ethelburga ejus matertera, sub qua illic Abbatissa sanctimonialis vixerat, sacris Fastis inscripta est. Verum his non obstantibus posteriores nonnulli scriptores, nescio qua aniili fabula seducti, ausi sunt scribere Wulfherum longo tempore regnasse a Christiana fide aversissimum, et tyranni in morem violentas filiis propriis manus in odium Christianæ religionis intulisse : a qua calumnia ut pium Regem vindicemus, ejus genus, acta, tempus regni, paucis indicamus.*

*Merciæ Reges Cridda, Wipha, Cherlus,*

4 *Regnum Merciorum traditur circa annum Christi* IↃLXXXII *erexisse Cridda, seu Creoddo, quem et proavum* Wulfheri *auctores faciunt. Successerunt filius ejus Wipha, seu Wibba, dein consanguineus Cherlus, seu Keorlus : quos aliqui solum Regulos appellant, quod paucuias possederint provincias. Regulis hisce successit Penda, Wulfheri pater, Rex factus circa annum* IↃCXXV. *Quem asserit Beda lib. 2 cap. 20* virum *fuisse* strenuissimum de regio genere Merciorum, *sed* cum omni gente Merciorum idolis deditum, et Christiani nominis ignarum : *a quo regnum Merciæ quam amplissime est auctum, SS. Edwino et Oswaldo Regibus Northan-hymbrorum, S. Sigeberto, Edrico et Anna* C *Anglorum Orientalium, in prælio variis occasionibus occisis, et regno expulso Occidentalium Saxonum Rege Cenwalcho : de quibus legendus Beda lib. 2 cap. 20 et lib. 3 cap. 7, 9 et 18.*

*et Penda idololatra,*

*dein Christiani Peada Middelenglis conversis,*

5 *Filius Pendæ senior Peada Middelenglis, sive Mediterraneis Anglis, vivo patre Princeps imperabat. Hos Middelenglos a Merciis distinguunt Wulfherus infra in diplomate, et passim Beda : qui lib. 3 cap. 21 asserit, hos* Middelenglos sub Principe Peada, *fratre Wulfheri,* fidem et Sacramenta veritatis suscepisse : neque *enim* aliter Alhfledam filiam Oswii Regis Northan-hymbrorum, *quam* postulabat sibi conjugem dari, impetrare potuit. Baptizatus est ergo Peada a Finano Episcopo, cum omnibus, qui secum venerant, comitibus ac militibus, eorumque famulis universis. .. Et acceptis quatuor Presbyteris, qui ad docendam baptizandamque gentem illius et eruditione et vita videbantur idonei, multo cum gaudio reversus est. Anno *igitur* IↃCLIII *hos subditos* Peadæ Principis rectam fidem suscepisse, *legitur in Chronologia Anglo-Saxonica.* Nec prohibuit, *inquit Beda,* Penda Rex, quin etiam in sua, hoc est Merciorum natione, verbum, si qui vellent audire, prædicaretur.... Cœpta sunt hæc bienno ante mortem Pendan Regis, *qui* interiit anno IↃCLV *quando et* Mercios factos esse Christianos *addit Chronologus Anglo-Saxo.* Tunc, *inquit Beda,* occiso Rege, Oswius regnum ejus accepit, et ipsam gentem Merciorum finitimarumque provinciarum ad fidei Christianæ gratiam convertit, et a Finano Episcopo ordinatus est Diuma Episcopus Mediterraneorum Anglorum simul et Merciorum. Paucitas enim Sacerdotum cogebat unum Antistitem duobus populis præfici. *At* Diuma defuncto *substitutus est* secundus Episcopus Cellach. Idem autem Rex Oswius post occisionem Regis Pendan tribus annis Merciorum genti, nec non et ceteris Australium provinciarum populis præfuit : qui etiam... donavit Peadan filio Regis Pendan regnum Australium Merciorum, qui sunt fluvio Treanta ab Aquilonaribus Merciis discreti, sed idem Peada proximo vere multum nefarie peremptus est.

AUCTORE G. H. D

*et S. Oswius Merciis fidem amplectentibus,*

6 *Dein* rebellaverunt adversus Regem Oswium Duces gentis Merciorum, levato in Regem Wulfhero filio ejusdem Pendan adolescente, quem occultum servaverant. Sicque Mercii cum suo Rege liberi, Christo vero Regi pro sempiterno in cœlis regno servire gaudebant. Præfuit autem idem Rex genti Merciorum annis decem et septem, habuitque pri- E mum Episcopum Trumherum, secundum Jaruman, tertium Ceaddan, quartum Winfridum. Omnes hi post ordinem sibimet succedentes sub Rege Wulfhero, gentis Merciorum Episcopatu sunt functi. *Hæc Beda lib. 3 cap. 24. Tempus regni in Wulfherum translati indicat Chronologus Anglo-Saxo.* Anno, *inquit,* IↃCLVII obiit Peada, et Wulfherus Pendæ filius Merciorum regnum capessit. *imo triplex regnum : Nam Wulfherus infra in diplomate se* Regem *appellat* Merciorum, Mediterraneorum Anglorum, *et* Australium regnorum. *Hæc regna Beda* Australes provincias *appellat. De singulorum regnorum limitibus alibi dicendi locus erit.*

*et Wulfherus an. 657,*

*constitutis Episcopis.*

## § II. *Acta Wulfheri Regis. Hujus et S. Ermenildæ filia S. Wereburga. An etiam filius Ceonredus Rex?*

*Quæ a Wulfhero in propaganda fide præclare gesta sunt, eximia sua prudentia, pietate ac zelo plurimum promovit* S. Ermenilda. *Nam, ut ait Joannes Bromton in Chronico regni Merciorum*, sua dulcedine, suis blanditiis hortamentis, moribus ac beneficiis indomita pectora mulcebat, et ad suave Christi jugum ac perpetuæ beatitudinis præmia excitabat : perversos vero et nimis rebelles potentia reprimebat. Nec F quievit invicta, donec idola et ritus dæmoniacos extirparet, et regnum Merciorum ecclesiis et Sacerdotibus adimpleret. Rex vero Wolfherus maritus ejus, sanctis uxoris Ermenildæ desideriis, petitionibus ac monitis ultro se inclinans, nefanda simulacra a suis finibus extirpavit. *Hæc ibi, quæ Regis gesta apud antiquos auctores fusius leguntur.*

*S. Ermenildæ opera*

*Wulfherus fidem Christi propugnat :*

8 *Ac primo in antiqua Chronologia Saxonica hæc habentur ad annum* IↃCLXI : Kenwalchius in tempore Paschali apud Possentesburgum pugnavit, et Wulfherus Pendæ filius vastavit usque ad Escesdunam, et Vectam insuper vastavit : nec non Vectæ incolas Ethelwaldo Rege Suthsaxonum donavit : quia illum Wulfherus ad baptismi fontem susceperat. Et Eoppa Presbyter Wulfheri jussu, et ipse Rex Wulfherus baptismum Vectæ incolis primi attulerunt. *Hæc ibi, quæ fere omnia Wigorniensis describit, at paullo uberius explicat Westmonasteriensis :* Anno, *inquit,* gratiæ IↃCLXI Kiniwalcus Rex Westsaxonum contra Wulfherum Regem Merciorum rebellavit. Sed ipse, paterna virtute et fortuna usus, prævaluit : Rege

*per eum ad fidem Vectæ incolæ an. 661 conversi,*

quoque

*AUCTORE G. H.*

*Æthelwaldus Rex baptizatus:*

A quoque Westsaxonum fugato, terram ejus spoliavit. Tandem ad insulam Vectam perveniens, bello eam obtinuit. Hoc etiam tempore Æthelwaldus Rex Australium Saxonum, anno regni sui xiii, a præfato Wulfhero subjugatus, fidem Christi suscepit, et ab eodem Rege de sacro fonte susceptus est. *Regis hujus baptismum ita narrat Beda lib.* 4 *cap.* 13. Erat Rex Ædilwalch non multo ante baptizatus in provincia Merciorum, præsente ac suggerente Rege Wulfhero: a quo etiam egressus de fonte, loco filii susceptus est: in cujus signum adoptionis duas illi provincias donavit, Vectam videlicet insulam, et Meanuarorum provinciam in gente Occidentalium Saxonum. *Quæ Regem Wulfherum an.* ɪↄᴄʟxɪ *fuisse sincere Christianum convincunt.*

*Sigherus Rex cum subditis ab apostasia revocatus an. 664 aut seqq.*

9 *Præter hos Occiduos et Australes Saxones, insuper, teste Beda lib.* 3 *cap.* 30, Regi Merciorum Wulfhero subjecti *erant* Reges Orientalium Saxonum Sighere et Sebbi. Cum *autem* provincia mortalitatis clade premeretur *(quam* anno ɪↄᴄʟxɪv longe lateque desæviisse *cap.* 27 *narraverat)* Sighere cum sua parte populi, relictis Christianæ fidei Sacramentis, ad apostasiam conversus est. Nam et ipse Rex, et plurimi de plebe, sive Optimatibus, cœperunt fana restaurare, et adorare simulacra: quasi per hæc possent a mortalitate defendi. Quod ubi Rex Wulfhere
B comperit, ad corrigendum errorem, revocandamque ad fidem veritatis provinciam, misit Jarumannum Episcopum, qui successor erat Trumheri: qui multa agens solertia, longe lateque omnia pervagatus, et populum et Regem præfatum ad viam justitiæ reduxit; adeo ut relictis sive destructis fanis arisque, quas fecerant, aperirent ecclesias, ac nomen Christi, cui contradixerant, confiteri gauderent; magis cum fide resurrectionis in illo mori, quam in perfidiæ sordibus inter idola vivere cupientes. Quibus ita gestis, et Episcopus, et eorum Doctores domum redierunt. *At* S. Sebbi, cohæres regni, magna fidem perceptam cum suis omnibus devotione servavit et magna vitam fidelem felicitate complevit. Londoniæ in ecclesia S. Pauli sepultus, *quem* xxɪx *Augusti celebrant fasti sacri. Hæc Wulfherum anno* ɪↄᴄʟxɪv *et sequentibus acerrimum Christianæ religionis propugnatorem fuisse ostendunt.*

*S. Wilfridus Ep. Eboracensis ad Mercios juvandos invitatus:*

10 *Eodem tempore ut scribit Ricardus Hagustaldensis de statu et Episcopis Ecclesiæ Hagustaldensis,* S. Wilfridus Episcopus Eboracensis *ordinatus*, Sede a Ceadda præoccupata, in cœnobio suo in Ripum Deo serviebat, nisi quod quandoque a Wlfario, *sive Wulfhero*, Rege Merciorum, et Egberto Rege Cantuariorum, ad Episcopalia officia in eorum regioni-
C bus, quæ tunc Episcopis carebant, exercenda, magnis precibus invitabatur. *Vacavit Sedes Cantuariensis ab Junio mense anni* ɪↄᴄʟxɪv, *quo S. Deusdedit obierat, ad annum* ɪↄᴄʟxvɪɪɪ, *quo S. Theodorus Romæ ordinatus, inde* vɪ *Kalendas Junias in Britanniam missus, Ecclesiam Cantuariensem rexit. Erant et absque ullo Episcopo Mercii, Jarumano aut apud Orientales Saxones, dum Reges ab apostasia ad fidem Christianam reducerentur, impedito, aut postea vita functo. Tunc namque, ut Beda lib.* 4 *cap.* 3, Rex Wulfhere cum sibi suisque a Theodoro Archiepiscopo dari Episcopum peteret, non eis novum voluit ordinare, sed postulavit a Rege Oswio, ut illis Episcopus Ceadda *(qui hactenus Sedem S. Wilfridi Eboracensem administrarat)* tunc quietam vitam in monasterio Læstingeu agens, daretur. Susceptum itaque Episcopatum gentis Merciorum simul et Lindisfarorum Ceadda in magna vitæ perfectione administrare curavit. Cui etiam Vulfherus donavit terram quinquaginta familiarum ad construendum monasterium, in loco qui dicitur Adbearvæ, id est, Ad-nemus, in provincia Lindissi. Habuit autem Sedem Episcopalem in loco, qui dici-

*dati Episcopi Merciis S. Ceadda, an. 669*

tur Liccidfelt, in quo defunctus est vɪ die Nonarum E
Martiarum, *quo ejus Vitam illustrabimus. Annum obitus illius assignat Wigorniensis* ɪↄᴄʟxxɪɪ.

*Winfridus an. 672*

11 In cujus locum (*ita pergit Beda*) ordinavit Theodorus Winfridum, virum bonum et modestum, qui, sicut prædecessores ejus provinciis Merciorum, et Mediterraneorum Anglorum et Lindisfarorum Episcopatus officio præesset. In quibus cunctis Wulfherus sceptrum regni tenebat. *Hic idem, ut tradit Beda cap.* 5 *interfuit* Synodo Heorutfordensi *habitæ* anno ɪↄᴄʟxxɪɪɪ, Indictione ɪ, die xxɪv Septembris. Nec multo *post, ut legitur cap.* 6, Theodorus Archiepiscopus per meritum cujusdam inobedientiæ offensus, Winfridum de Episcopatu deposuit, et in loco ejus ordinavit Episcopum Sexwulfum, qui erat constructor et Abbas monasterii Medeshamstede in regione Girviorum. *Quæ ad annum* ɪↄᴄʟxxɪv *refert Westmonasteriensis.*

*Sexwulfus an. 674.*

12 *Eodem anno* ɪↄᴄʟxxɪv regnum Saxonum Occidentalium capessivit Escwinus, *quem anno sequente* cum Wulfhero in loco Bedanheafde dimicasse *legimus in Chronologia Saxonica et apud Wigorniensem, cum quibus Bedæ epitome obitum Wulferi refert his verbis:* Anno sexcentesimo septuagesimo quinto Wulfhere Rex Merciorum, postquam septemdecim annos regnaverat, defunctus, Ethelredo reliquit imperium. *Wigorniensis:* Eodem anno ipse Wulfherus, qui Re-
E gum Merciorum primus fidem et lavacrum sanctæ regenerationis accepit, et in tota gente sua dæmoniorum culturam destruxit, et penitus eradicavit, Christique nomen ubique locorum regni sui prædicare jussit, et multis in locis ecclesias ædificavit, xvɪɪ anno, ex quo regnavit, ad Uranica regna migravit. Cujus regina S. Eormengilda peperit ei magnarum Virginem virtutum S. Werburgam. *In hujus Vita* ɪɪɪ *Februarii, auctore Gotselino, dicitur* Wulfherus multarum Ecclesiarum ædificator, Christianæ fidei summus amator ac dilatator: qui etiam subjectos Reges, datis in mercedem provinciis, ad Christi cultum attraxerit, et sicut S. Ethelbertus Doroberniæ, ita in Merciis Christianitatem primus dilatarit. *Nam* Peada *frater* Anglis mediterraneis, *et pauco admodum tempore* Australibus *solum* Merciis *imperarat, qui tamen Gotselino, uti et alii duo fratres* Ethelredus et Merpala, *cum* Wulfhero *dicuntur* Christianæ institutionis non solum cultores, verum etiam primi atque intensissimi propagatores. *At* Christianitatem vix in regno suo palpitantem, et per fratrem *Peadam* initiatam, Wulfherum favore suo enixe juvisse *docet Malmesburiensis lib.* 1 *de Regibus Anglorum cap.* 4. *De Merwaldi fratris regno* Weston-hecanorum in Oc-
F cidentali Merciorum plaga *ultra Sabrinam fluvium, ubi dein Episcopali Sedi Herefordensi diœcesis attributa est, et* S. Milburgæ *filiæ ejus* monasterium Wenloch *extructum; dicemus ad hujus Vitam* xxɪɪɪ *Februarii. De altera ejus filia S. Milwida egimus* xvɪɪ *Januarii, de tertia S. Mildreda acturi* xɪɪɪ *Julii. Wigorniensis ad calcem Chronici tractatu de Genealogia Regum Merciæ*, Sanctos *appellat tres* Wulfheri fratres, S. Æthelredum *regni hæredem (cui* ɪv *Maii sacer est)* S. Merevaldum, *de quo egimus, et* S. Mercelmum *Merevaldi successorem: sed horum duorum in fastis sacris nomen necdum legimus. Duæ ejusdem sorores SS. Kinesburga et Kineswitha coluntur* 6 *Martii.*

*Obit Wulpherus anno 675,*

*eximius fidei propagator,*

*cum fratribus etiam Regibus,*

13 *Acta infra* S. Wereburgam unicam prolem S. Ermenildæ *statuunt*. Aliis creditur Keuredus, *seu* Ceonredus, *eorumdem filius, qui* S. Ethelredo *Regi anno Christi* ɪↄᴄᴄɪv *monacho facto successit. Silent genus ejus Beda et auctor Chronologiæ Saxonicæ.* Ethelredum *illi* suo fratrueli regnum dedisse *scribit Wigorniensis: quem* cognatum Ethelredi *nominat Huntindoniensis, lib.* 4, filium Wulfheri *tradunt Ingulfus, Malmesburiensis, Cestrensis, et passim posteriores:*

*Ceonredus Rex an Wulpheri et S. Ermenildæ filius?*

*addit*

A *addit Cestrensis lib.* 5 *Polychron cap.* 19, Conredum filium Wulfheri *ab hujus obitu* præ immatura ætate regnare non potuisse, *ideoque* S. Ethelredum successisse. *Hic autem Ceonredus apud Bedam lib.* 5 *cap.* 20, nobilissime regno Merciorum tempore aliquanto præfuit, *verum* nobilius multo sceptra regni reliquit *anno Christi* DCCIX. Nam venit Romam, ibique attonsus ac monachus factus ad limina Apostolorum, in precibus, jejuniis et eleemosynis usque ad diem permansit ultimum, succedente in regnum Ceolredo filio S. Æthelredi : *in quo Pendæ Regis posteri desierunt. Huic autem Pendæ tres fuerunt fratres in historiis noti : horum primus Eoppa genuit Alweum, patrem Ethelbaldi Regis, qui Ceolredo anno* DCCXVI *vita functo substitutus, ad annum* DCCLV *regnavit, tum a Beornredo tyranno interemptus : quo mox sublato, Offa regnavit, cujus abavus Eawa alter Pendæ frater fuit : quarum genealogiam profert Chronicon Saxonicum. Offa anno* DCCXCIV *mortuo, successit filius Egfredus, immatura morte sublatus. Cujus loco regnum Merciorum nactus est Kenwulfus*, quinto genu, *ut tradit Malmesburiensis lib.* 1. *Regum Angl. cap.* 4 *ex* Kenwalchio, *tertio fratre Pendæ, prognatus. Cum hujus filius S. Kenelmo occiso, et Ceolwulfo, anno* DCCCXXI *expulso, decus omne regni Merciorum potestasque paullatim concidit. Colitur S. Kenelmus* XVII *Julii.*
B

## § III. *Martyrium SS. Wulfhadi et Ruffini affictum Wulfhero. An hujus et S. Hermenildæ ii fuerint filii?*

*Wulfhadus et Ruffinus perperam eorum filii et a Wulphero occisi traduntur a Cambdeno,*

H*æc fusius deducta sunt, si forte inde lux affulgeret martyrio SS. Wulfhadi et Ruffini, qui perperam creduntur Regis Wulfheri et S. Ermenildæ filii, in odium fidei Christianæ a patre Wulfhero occisi. De iis hæc habet Camdenus in Coritanis, agens de initiis, ac fundamentis monasterii Medeshampstedani, seu Petroburgensis, in Northamptonia siti.* Peada, *inquit*, filius Pendæ, qui primus Christianus Merciorum Rex, anno salutis DCLVI ad propagandam Christianam religionem fundamenta monasterii ad Medeshamsted in Girviorum regione jecit, quod malis uxoris artibus sublatus perficere non poterat. Peadæ successit Wolpherus ejus frater, qui cum a Christiana religione aversissimus esset, Wolphaldum et Rufinum filios barbara immanitate trucidavit, eo quod Christo se addixissent. Ipse autem paucis post annis Christianam religionem amplexus, ut hanc suam impietatem pio aliquo opere elueret, monasterio a fratre incepto manum admovit, quod ope Ethelredi fratris, Kineburgæ et Kineswi-
C thæ sororum, perfectum anno DCXXXI *(legendum* DCLXXIII) S. Petro consecravit, (unde locus Petriburgus dici cœpit) amplissimisque proventibus ditavit, Sexwulfumque, virum admodum pium, qui præcipuus operis suasor fuit, primum Abbatem instituit. *Hæc Cambdenus* e Roberto de Swapham, de quo infra. *Eamdem historiam Tragico stylo sub nomine Merciæ in lucem edidit Josephus Simonis Anglus Societatis nostræ Theologicarum æque ac humaniorum scientiarum apprime doctus, citatis post Cambdenum Annalibus Stoi, et Historia Petroburgensi, quam etiam sequitur auctor Martyrologii Anglicani ad Kalendas Junii in priore editione, in posteriore vero* XXIV *Julii, quo in Historia Passionis dicuntur interempti. Ex Codice MS. monasterii Petroburgensis nacti sumus illam Passionis fabulam cum hoc exordio :* Beatos adolescentulos Wlfadum et Ruffinum natura generando germanos edidit; sed eos gratia regenerationis in fide atque sanguinis effusione feliciori germine germaniores reddidit. Dicuntur enim fuisse filii Wlferi Regis Merciorum et sanctæ Reginæ Erminildis.

datus.

15 *En verbo* dicuntur *innuitur ex vulgi fama spargi*

*eorum filios esse. In ea historia* Wulfherus *ante, uti* D
*frater ejus Penda, a S. Finano Episcopo Lindisfarnensi* AUCTORE G. H.
*baptizatus, post ductam conjugem S. Erminildam, incitante Werboldo (qui illi a secretis, filiam utriusque S. Wereburgam sibi conjugem, matre impediente, non impetrarat) apostata fidem Christi abjurasse dicitur : S. Germanus Anglorum Orientalium Episcopus, cum S. Ermenilda Regina in Merciam profectus, ibidem verbum Dei evangelizasse, ex hoc tenuem aliquam fidei nominis Christiani notitiam hausisse eorum filii Wulfhadus et Ruffinus : quorum ille, cum aucupio venatuique indulgeret, cervum persequendo ad cellam S. Ceaddæ Episcopi pervenerit, ab eoque in fide Christi instructus, baptizatus, et sacra Eucharistia munitus, ex silvis redux Ruffinum fratrem ad S. Ceaddam adduxerit : quo baptizato cum ambo cellam S. Ceaddæ, propius ædes regias translatam, sæpius inter venandum inviserent, Wulfherus Rex impii Werboldi furiis instigatus ante altare Wulfhado caput amputarit Ruffinoque fugienti letiferum vulnus inflixerit : corpora S. Ermenilda mater in saxeo sarcophago sepelierit. Deinde Rex Wulfherus ab eodem Ceadda ad Christianam fidem reductus, curarit* sub clavi pœnitentiæ *in toto regno delubra destrui, idololatriam evelli, ecclesias extrui, monasteria fundari, Clerum ordinari : extructumque tum fuisse nobile monasterium in Medeshamstede, postea Petriburgense dictum :* E
*Collegium etiam Canonicorum Regularium in loco sepulturæ SS. Wulfhadi et Ruffini, Stanes dicto, erectum esse,* ubi signis coruscantibus multa beneficia salutem postulantibus, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, meritis Sanctorum præstantur. *Ut his verbis ea historia finitur, relationi superiori Cambdeni plurimum opposita, quod ille velit Wulfherum regnare cœpisse a Christiana religione aversissimum : quam hic auctor tradit ab eo repudiatam, postquam S. Wereburga filia jam adulta, Werboldi conjugium aspernata fuit : quod sub finem vitæ Wulfheri oportuisset factum esse; cum hic adolescens Rex factus,* XVII *solum annos regnarit. Verum quomodo tum Wulfhadus et Ruffinus filii non fuissent baptizati, Christianisque moribus cum S. Wereburga a prima ætate instructi ab iis parentibus, quorum sancta industria et Æthelwaldum Regem, cum suis Australibus Saxonibus, et Vectæ insulæ procul dissitæ incolis, baptismum suscepisse, et Sigherum Regem cum Orientalibus Saxonibus ab apostasia revocatum esse, supra ex Beda retulimus? Præterea S.* Germanus *eo tempore* Anglorum Orientalium Episcopus *alibi ignotus est. Forte* Jarumannus *intelligitur in translatione Saxonica Bedæ lib. 3, cap.* 30 Germanus *dictus. Sed hic ab* Wulfhero *ad* Orientales Saxones *missus, Regem populumque ad fidem Christianam reduxit; quos auctor ab* Anglis Orientalibus *non distinxit. Deinde idem* Jarumannus, *seu* Germanus *ante vita functus est secundum Bedam lib. 4 cap. 3, quam* Ceadda Merciis Episcopus *daretur : qui tamen Wulfhado et Ruffino martyrium passis fingitur superstes fuisse.*

*historia MS. passionis fabulosa,*

*rejicitur.*

16 *Joannes Spedus in Theatro magnæ Britanniæ cap.* 28, *Martyrium ipsius Wulfheri addit :* Saxonum, *inquit*, Regum pius et religiosus, Petriburgum celebriorem reddidit, antea Medeswell dictum : ubi Wolpherus Merciorum Rex amplissimum et magnificentissimum monasterium S. Petro sacrum inchoavit, scilicet ut expiaret cædem duorum filiorum suorum, quos in Christianismi caussa trucidaverat : sed cum ipse eadem de caussa quod Christianam religionem amplecteretur, a matre sua sublatus esset, frater ejus Penda operi incepto manum admovit, quod ope Ethelredi fratris, Kineburgæ itidem et Kineswithæ sororum suarum, perfecit. *Annus cœpti monasterii ibidem margini est adscriptus* DCXLVI *enormi mendo.* Peada *etiam ante* Wulferum *regnavit*, nefarie peremptus, proditione, ut dicunt, conjugis suæ, *teste Beda lib. 3 cap. 24, qui alius Spedi error est.*

*eadem apud Spedum aliter confecta.*

A

AUCTORE G. H.

17 *Ceterum monasterium Medeshamstede, seu Petriburgense, a Peada Rege ante tempora regni Wulfheri cœptum esse docet Robertus Swaffam monachus hujus cœnobii, in Historia fundationis ejusdem MS. quæ ita incipit :* Est nobile monasterium in regione Gyrviorum, quod quondam Medeshamstede, nunc autem consuete Burch vocatur : quod cujus aucteritatis et dignitatis extiterit, vel qui fundatores, et constructores vel restauratores ipsius fuerint dicemus. *ac situ loci descriptoita pergit : Ubi* Mediterranea Anglia fidem Domini suscepit sub Principe et Rege Peada, biennio ante mortem Pendæ, idem strenuissimus, et Deo et hominibus amabilis Rex Peada cœpit dictum monasterium summo studio cum Oswio Rege, et cum devotissima plebe, quæ fidei sacramento erat imbuta, per Sexulphum virum potentissimum a fundamentis construere. *etc..... Ast eo occiso,* ubi frater Wulfherus regnum adeptus est, bonum opus, quod frater ejus inchoaverat, bene ipse diligere, honorare, terris et aliis rebus ditare, ac per ipsum Saxulphum, virum strenuissimum et religiosissimum, et tam mundanis quam Ecclesiasticis rebus doctissimum, cœpit instantissime ædificare, adjuvantibus sibi frater suo Ethelredo, et sacris sororibus Kynelburga et Kyneswitha. Monasterio autem nobilissime condito vel gloriose ædificato, ipsi qui obtinet principatum cunctarum Ecclesiarum, et claves regni cælorum, scilicet B. Petro tamquam Ecclesiæ primitias consecraverunt... Rex vero Wulfherus ipsam cœlestis Clavigeri domum in Medeshamstede authenticam, ac si Romanam coluit ecclesiam : regia largitate, qua finitimas illustraret Ecclesias, provexit : æternam libertatem, ne cui regia sponsa serviret, donavit,... privilegiis et auctoritate propria, sicut et successores sui, corroboravit.

*Monasterium Medeshamstede*

*a Peada et Oswio cœptum extrui.*

*a Wulfhero, S. Ethelredo et sororibus perfectum :*

B

18 *Ipsum etiam Wulfheri diploma huic monasterio datum in Codice MS. exhibetur, hoc exordio :* Wulfere Dei beneficio Rex Merciorum, et Mediterraneorum Anglorum, Australium quoque regionum, præsentibus et posteris omnibus Christum sanctamque ejus Ecclesiam colentibus perpetuam salutem. Benedicat anima mea Dominum Jesum Salvatorem meum.... Quapropter illum divinæ fidei et Ecclesiarum Principem, regnique Dei Clavigerum, per quem admittar in Paradisum Domini, specialius reconciliari mihi gestio, per privilegium domus suæ, quæ Medeshamstede studio venerabilis Abbatis Saxulfi gloriose est condita, et divina Monachorum familia bene disposita. Cui quidquid antecessor germanus meus Peada, vel Oswius Christiana fide confrater et coregnator concessere, non solum mea cupio auctoritate stabilire, verum etiam de meo aliqua addere. Deo et B. Petro et monasterio suo de Medeshamstede et Abbati, et ejusdem loci conventui in puram et perpetuam eleemosynam omnia hæc subscripta tenementa confero et confirmo.... Sancitum hoc privilegium anno Dominicæ Incarnationis IↃCLXIV. Wulfere Regis VII, Deusdedit IX. *Hæc ibi. Congruunt hisce Decretalis epistola Agathonis Papæ, et Synodus Hatfeldensis apud Spelmannum in Conciliis Britannicis pag.* 163 *et sequentibus, ubi S. Ethelredus Rex hæc ait :* Omnia quæ frater meus Peada, et frater meus Fulferus, sorores etiam meæ Kineburh et Kynesuith dederunt et legaverunt S. Petro, et Abbati, huic rata sint volo et immutabilia. Et volo ut in anniversariis suis ea habeant pro anima sua et mea. Ipse etiam hac die do et cedo S. Petro et Ecclesiæ suæ de Medeshamsted terras istas subscriptas cum pertinentibus suis universis. *Quod actum notatur* anno Domini IↃCLXXX, Regis Ædelredi VI. *Utrique diplomati Regiæ, Episcopales, aliæque subscriptiones adduntur. Robertus Swaffam his etiam relatis subdit :* Similiter et succedentes Reges terris et libertate honorare et privilegiis corroborare, et anathemate percutere et terrere, quicumque aliquid fraudare vel auferre tentaret, omnino studuerunt. *Vixit hic scriptor Robertus Swaffam sub Henrico II, qui Anglorum regnum administravit ab anno Christi CIↃCLIV ad CIↃCXC, ejusque historiam majorem allegat Clemens Reynerus in Appendice ad Apostolatum Benedictinorum in Anglia, Scriptura* 64. *Huic suspicamur falso attribui historiam martyrii Wulfhadi et Ruffini supra relatam, quam aliter sub ejus nomine citatam Cambdenus et Speclus descripserunt.*

*ANIMADV. PAR. 101 et confirmatum diplomate Wulfheri,*

C

*anno regni 7 Christi 664,*

*et S. Ethelredi anno 680*

D

19 *Ingulfus, Abbas monasterii Croylandensis vicini, sub initium historiæ suæ dicta confirmat :* Peada, *inquit,* monasterium de Medishamisted fundasse disposuit, sed præmatura morte præventus, fervorem suum fratri suo Wulfero ad regnum succedenti, et Saxulpho viro præpotenti reliquit. Quod monasterium postmodum per eosdem fundatum esse non est dubium in anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi IↃCLXIV. *quo* Wulfherus *suum diploma edidit* anno regni VII, *quod quia* adolescens *aderat, anno Christi* IↃCLVII, *non poterat ante genuisse et Wereburgam pridem nubilem, et Wulfhadum Ruffinumque ab aliquo jam tempore, postquam accrevissent venationibusque atque aucupiis fuissent exercitati, ab eo in odium fidei Christianæ interemptos. Martyrium potius passi aut olim in antiqua sub Romanis mota persecutione, aut certe a seniore Penda Christianorum hoste acerrimo in odium fidei occisi, ejus fuerunt consanguinei ex sanguine regio Merciorum, cum tribus supra memoratis Pendæ fratribus prognati. Ex sola conjectura nihil statuimus asserere. Sufficit apostasiam et parricidium a Wulfhero marito S. Ermenildæ amovisse, et laudem propagatæ fidei, eidem a Beda, aliisque supra memoratis rerum Anglicarum antiquioribus scriptoribus attributam, vindicasse.*

*Ingulfus idem scribit :*

*quid de Martyribus dicendum.*

E

## § IV. *Vita monastica S. Ermenildæ. Veneratio.*

R*eges Anglo-Saxonum vix ulli fidem Christi acceperunt, qui non continuo sua regna extructis monasteriis exornarunt, nec virorum modo, sed etiam fœminarum, in quibus plurimæ Regum filiæ monasticam vitam egerunt, aut subditæ sanctimoniales, aut his præpositæ Abbatissæ. Inter eas primæ censeri possunt SS. Edelburga et Eadburga sorores, filiæ S. Ethelberti Regis Cantiorum, magnæ amitæ S. Ermenildæ, quæ ambæ in monasterio Lymingensi apud Cantios, prope oppidum Elham, paucis a mari et portu Dubrensi millibus passuum, a fratre Eadbalda Rege, avo S. Ermenildæ extructo, floruerunt : ac reliquis S. Edelburga præfuit, ante S. Edwino Regi Northanhymbrorum nupta : colitur* VIII *Septemb. Eadburga refertur* XIII *Decemb. sed quam et juniorem Edburgam abbatissam monasterii S. Mildredæ in insula Taneto pro una eademque a multis haberi alibi docuimus. Alterum in Cantio celebre monasterium fuit ad Ocranum, cui prima Abbatissa præfuit S. Eansuyda, amita S. Ermenildæ, soror Ercomberti Regis, de quo agetur* XII *Septemb. De S. Earcongata, altera filia Ercomberti, et sorore S. Ermenildæ, et utriusque matertera S. Ethelburga, quæ apud Francos in monasterio S. Faræ vixerunt, supra egimus. Altera matertera fuit S. Witeburga, quæ constructo apud Derham in Comitatu Norfolciæ cœnobio, vitam monasticam sancte traduxit, cui dies* VIII *Julii dicatus est. Harum soror fuit celeberrima Virgo S. Edeldreda, tertia Ermenildæ matertera. Hæc bis nupta, primo Tondberto Girviorum Principi, tum Ecgfrido, dein Regi Northan-hymbrorum, virginitatem tamen servavit. Facultate dein a marito impetrata, vitam monasticam exorsa est ad Coludi urbem in finibus hodiernæ Scotiæ; unde post anni unius moram reversa ad Anglos Orientales, Eliense monasterium cœpit ædificare anno* IↃCLXXIII, *et cum pluribus illic Sanctimonialibus præfuisset Abbatissa, obiit anno* IↃCLXXIX *die* XXIII *Junii. Ejus virtutes miraculaque refert*

*Sanctimoniales e familia regia Cantiorum,*

*S. Ermenildæ amitæ magnæ S. Edelburga et Eadburga :*

F

*amita S. Eansuyda :*

*soror S. Earcongota*

*e Regibus Anglorum Orientalium materteræ S. Ethelburga, S. Witeburga, S. Edeldreda,*

A *fert Beda lib. 4 cap.* 19 *et* 20. *Horum trium sanctarum Virginum soror S. Sexburga, mater SS. Earcongotæ et Ermenildæ, in insula Cantii Orientalis Shepeia monasterium sanctimonialium extruxit; a quo vicus etiam nunc Minster appellatur. Eam istic a morte mariti (obierat Ercombertus anno* ꟾↃCLXIV*) a S. Theodoro Archiepiscopo, qui anno* ꟾↃCLXVIII *eam dignitatem susceperat, velamine sanctitatis accepto, aliquamdiu Abbatissam vixisse, in historia Eliensi MS. legitur. Ad S. Edeldredam sororem dein profecta, eidem convixit, ac vita functæ in regimine monasterii successit secunda Abbatissa.*

*mater S. Sexburga :*

21 *At* S. Ermenilda *marito Wulfhero anno* ꟾↃCLXXV *mortuo secundum eamdem historiam Eliensem*, apud Cantiam sub S. Sexburga genitrice sua in monasterio de Shepeia, habitum religionis suscepisse *dicitur*, indeque Sexburga ad monasterium Eliense discedente, *istic relicta* Abbatissa; *quæ ab aliis traditur sub matre S. Sexburga monasterium Eliense ingressa : ubi matri defunctæ tertia* Abbatissa *in eadem historia*, canonica electione substituta, atque a cunctis digne suscepta, Mater omnium est effecta. *Est autem* Elie, *Bedæ lib. 4, cap.* 19 Elige, in provincia Orientalium Saxonum, a copia anguillarum, quæ in *vicinis* paludibus capiuntur, nomen sortita; *in Comitatu Cantabrigensi ad fluvium Grantum, qua hic Cantabrigia relicta versus mare defluit.* B *Quo anno ibidem aut Abbatissa aliis cœperit præesse, aut quo ea dignitate vitaque functa fuerit, in silentio antiquorum non liquet. Wion in Notationibus ad Martyrologium Monasticum hoc* XIII *Februarii, factam fuisse* Abbatissam Eligensem anno ꟾↃCCIII *prodit : quo cum tempore aut etiam citius obiisse diximus* III *Februarii, atque Abbatissam factam non diu post* annum ꟾↃCLXXX. *Obiisse autem* Idibus Februarii *tradunt Vitæ epitome, et historia Eliensis MS.* Quanta vero *(verba hujus historiæ sunt)* sanctitatis et pietatis ipsa extiterit, vita ejus atque ipsius mors pretiosa plenius attestantur. Quiescit in Eliensi cœnobio cum beata genitrice sua et virginali matertera Etheldreda tumulata. *In Vita MS. hujus Etheldrethæ hæc referuntur :* Elge monasterium solatio Matris non diu, auxilio Dei providente, destituitur : etenim voto unanimi, et consensu totius Congregationis, post obitum B. Sexburgæ, loco ejus S. Ermenilda successit; quæ totius dominationis ambitione neglecta, commendatis Christo Virginibus, quibus præfuit, sanctissimam matrem secuta, ad Christi paupertatem, quam optaverat, pauper ipsa devenit : et dum apud homines honorari refugit, apud Deum et apud homines honorem percepit ampliorem, ubi a cunctis digne suscepta totius Mater congregationis effecta est. C Transiit autem plena sanctitate et justitia ad regna cœlestia, et cum matertera sua, Sancta videlicet Ætheldreda, juxta matrem requiescit condita. Testatur mors ejus pretiosa, quantæ sanctitatis et pietatis extiterit, quod liber Vitæ ejus plenius docet. *Hunc librum Vitæ hactenus nancisci nequivimus : quem suspicamur a Gotselino monacho conscriptum, qui Vitam filiæ Wereburgæ, ut* III *Februarii diximus, scripsit. Utriusque Vitæ epitomen tradunt Capgravius in Legenda Sanctorum Angliæ, et Codex MS. monasterii Rubeæ vallis prope Bruxellas, ex quibus eam damus. In Appendice ad Chronicon Petroburgense MS traditur*, in Ely requiescere S. Etheldritham, S. Withurgam, et S. Ermenildam et S. Sexburgam. *et aliquam harum reliquiarum factam esse elevationem* XVII *Octobris prodit Chronicon Eliense.*

*S. Ermenilda ubi facta Sanctimonialis.*

*Abbatissa Eliensis,*

*obit 13 Febr.*

*eloquium ex Vita MS S. Edeldredæ.*

*Liber Vitæ ejus hactenus ignotus*

*ejus epitome.*

ANIMADV. PAP 105

22 *Celebris ejus memoria est in plurimis Martyrologiis hoc* XIII *Februarii : in quorum nonnullis* Virgo *appellatur; id est, teste Molano,* Vidua Sanctimonialis. *Ita Baldericus lib. 2 Chronici Cameracensis cap.* 26 S. Rictrudem, *quatuor sanctorum liberorum parentem*, Virginem Dei gloriosam, *et Walterus Abbas in* D *Vita S. Vindiciani, apud Colvenerium in Notis ad Baldericum*, magnificam virginitate Rictrudem *nuncupat :* quo loco *ait Colvenerius*, Virgo pro sanctimoniali, seu Deo devota appellatur : sic et Mater vocari solet ea, quæ præest sanctimonialibus, etiamsi Virgo sit. *De S. Rictrude, ejusque liberis egimus* II *Februarii ad Vitam S. Adalbaldi mariti; amplius acturi* XII *Maii die ejus natali. MS. Martyrologium Ultrajectinum :* In Britannia S. Ermohildæ Virginis. *Florarium MS.* Ermenhillæ Virginis. *et die præcedenti*, Ermenildæ Virginis. *Richardus Witfordt :* In Britannia festum S. Ermenildæ Virginis e nobili sanguine. *MS. Martyrol. Coloniense Carmelitani monasterii, Doctrinale Clericorum Lubecæ* 1490 *excusum, et antiquum Martyrol. Coloniense :* Eodem die B. Ermenildæ, Virginis. *Maurolycus :* Ormenildæ Virginis. *Carthusiani Colonienses in auctario Usuardi :* In Britannia, cœnobio Eliensi, B. Ermenildæ Reginæ. *Eadem fere habent Ferrarius et Canisius in Martyrologio Germanico. Dorganius in Kalendario Benedictino :* S. Ermenildæ Reginæ sanctimonialis. *Wion :* In Britannia S. Ermenildæ viduæ sanctimonialis, *addit Menardus :* quæ fuit uxor Vulferii Regis Merciorum, et filia Ercomberti Regis Cantiæ. *Agunt de eadem Petrus de Natalibus lib.* II *cap.* 67, *Bellovacensis lib.* 25 *Speculi Historialis cap.* 32, *et* E *passim omnes historici rerum Anglicarum istius seculi. In Breviario MS. Ecclesiæ Sarisburiensis hæc de ea, referuntur : Antiphona.* Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis. *Vers.* Ora pro nobis B. Ermenilda. *Resp.* Ut digni *etc. Oratio.* Concede nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui B. Ermenildæ commemorationem agimus, ipsius apud te intervenientibus meritis ab omnibus mereamur absolvi peccatis. Per Dominum.

*Virgo, id est, Sanctimonialis dicitur.*

AUCTORE G. H.

*nomen in sacris fastis :*

*ad eam antiphona,*

*oratio.*

# VITÆ EPITOME,

## *ex Jo. Capgravio et MS. Rubeæ vallis.*

Sancta enim Ermenilda Ercomberti Regis Cantiæ sanctæque Sexburgæ filia, ad omnem pietatem, compassionem et omnium necessitudinum subventionem materna viscera ante omnia induebat. Eadem in omnibus benignitas, in Christo caritas; eadem jugiter ad cœlestia regna et desideria animositas erat. Tradita est autem a parentibus Wolfero Regi Merciorum in uxorem; et illa mediante regnum Merciorum et Cantuariorum quasi unicum effectum est. Interfecto Penda Rege pagano cum triginta Ducibus suis, a Rege Oswio S. Oswaldi germano, *a* Wlferus ejus filius suscepto baptismate regnare cœ- F pit. Ejus uxor Erminilda a parentibus informata, sua dulcedine, blanditiis hortamentis, moribus ac beneficiis indomita mulcens pectora, ad suave Christi jugum rudes populos et indoctos excitabat; et perversos et rebelles potenter reprimebat. Nec requievit invicta, donec idola et ritus dæmoniacos extirparet, ecclesiis ac Sacerdotibus regnum impleret, populum ad sacra oratoria, ad divina officia, ad omnia pietatis opera assuefaceret. Rex vero sanctis ipsius desideriis ac petitionibus animo volenti obediens, ejus monitis ultro se inclinabat. Non solum enim ipsius vota regia potestate adjuvare studuit, verum etiam ejus provocatus exemplis multa faciebat; nefanda simulacra execrans, a finibus suis exterminavit. Hanc Christi famulam mirabatur venerando, ejusque inter secularia flumina fixam cœlo intentionem æmulabatur. Nata est autem S. Ermenildæ proles unica S. Werburga. Ac post XVII annos regni sui Wlfero Rege mortuo, ipsa cum filia sua Deo dilecta monasterium Eliense sub matre sua Sexburga intravit : ac habitum religionis suscipiens omnem

*Cultum religionis apud Mercios promovet.*

*monasticam vitam agit :*

A omnem spem et amorem, seculi propter Christum reliquit : vigiliis, abstinentiis, precibus et lamentis corpus castigando, omnibus se inferiorem exibuit, et tandem bonis operibus Idibus Februarii vitam finivit.

AUCTORE G. B.

*ferrea catena ad tumulum dissolvitur*

24 Vir quidam Saxonicus ferro vinctus inter Missarum solennia ad ipsius tumulum orabat, et lecto Evangelio ipsum ferrum de brachio tanta vi divinitus excussum est, ut super altare in conspectu omnium eminus evolaret. Cum magister quidam pueros correptos sermonibus, verberibus plectere tantaret, et illi disciplinam vitantes ad sepulchrum Sanctæ Ermenildæ clamantes et pro sua liberatione orantes confugerent : insequutus eos Magister rapit, et usque D ad satietatem animi verberat, cum tali insultatione flentes increpans : An putatis S. Erminildam vestrarum culparum semper habere patronam? Nocte sequenti sancta eidem apparens, pedes et manus fortius quam compedibus strinxit : contractusque est subito, ut nullo modo movere se posset. Mane autem vocatis ad se pueris veniam suppliciter efflagitat, et ut pro se intercedant lacrymabiliter inplorat. Delatus post hæc ad *b* tumulum Sanctæ saluti pristinæ restituitur.

*alter punitus, sanatur.*

*b*

a *Inter Pendam et Wulferum requasse Pendam supra ex Beda probatum.* — b *Capgravius*, tumbam

# DE S. GREGORIO II
## PONTIFICE MAXIMO, ROMÆ.
### Commentarius prævius.

J. B.

### § I. *Gesta ab S. Gregorio II ante Pontificatum. Ad Justinianum Rhinotmetum Imp. iter.*

AN. CHR. DCCXXXI XIII FEB.

B

*S. Gregorius II*

*Celeberrima est in Ecclesiasticis annalibus S. Gregorii II Pontificis Maximi memoria. De quo pronuntiare ad an. 731 num. 1 non veretur Baronius, ejus si* scripta exstarent, resque ab eo gestæ diligentius scriptis mandatæ essent, Gregorio Magno haud minorem existimandum. *Græci quidam scriptores, ut apud eumdem Baronium ad an. 726 observat Fronto Ducæus in notationibus ad Gregorii epistolam, cognomen illi* Dialogi *imposuerunt, quod Magno Gregorio apud alios proprium. Ita Georgius Cedrenus ad annum* x *Leonis Isaurici :* Gregorius, vir apostolicus, in Petri Apostolorum coryphæi considens throno, ὃς διὰ τὰ ἐπ' αὐτοῦ γινόμενα πονήματα Διάλογος ἐκλήθη, qui ob divinas suas lucubrationes Dialogi cognomen obtinuit.

*perperam Dialogus agnominatus a Græcis,*

2 *Romæ is natus est, parentibus Marcello et Honesta, claris atque opulentis, ut duplici ex capite conjici potest : primum est, quod ædes illi propriæ adeo amplæ fuere, ut matre mortua eas in templum monasteriumque converterit, cœnaculis solum de novo exædificatis, prædiis urbanis ac rusticis dotarit. Ita Anastasius in Vita num. 11 et nos v Februarii in commentario de reliquiis atque ecclesiis S. Agathæ, § 2 num. 11 pag. 632. Nam ejus honori fuit templum illud dicatum, in Transtiberina situm regione, ac nostra memoria a Clemente* VIII *donatum Congregationi, quæ* Doctrinæ Christianæ *dicitur. Alterum caput, unde fieri conjectura queat, locuplete eum familia fuisse prognatum, illud est, quod, ut idem Anastasius habet,* a parva ætate in Patriarchio, *sive aula Pontificia,* nutritus sit : *quo ei non sola capax virtutis indoles, sed parentum dignitas videtur aditum patefecisse. Est autem illic sub Sergii sanctissimi Pontificis domestica disciplina ad omnem pietatis et scientiæ splendorem educatus. Sunt tamen qui ita Anastasii verba dispungunt ; ut a parva ætate sub Sergii decessoribus in patriarchio videatur nutritus, sub Sergio vero Subdiaconus atque Sacellarius factus. Ita diserte scribit in Gallicis Pontificum Vitis accuratissimus Andreas Chesnæus. At quam posuimus interpunctionem firmat editio utraque, Moguntina et nupera Parisiensis, duoque codices MSS. ac deinde Abbo Floriacensis ita scribens :* Nutritus in parva ætate in Patriarchio sub sanctæ memoriæ Domno Papa Sergio. Atque Sacellarius factus. *Est autem Sergius creatus Papa initio anni* DCLXXXVIII, *vel fine præcedentis, seditque ad* IX *Septemb.* DCCI. *Demus quo tempore is est ad pontificatum evectus, Gregorium summum* XVIII *natum annos, in illius cooptatum esse famulitium : neque enim multo senior videtur fuisse, cujus mater Honesta sub annum* DCCXVIII *decesserit ; forsan etiam longe junior. Sed illud mihi hic mirum videtur, cur qui sit* a parva ætate in patriarchio nutritus, *eum Trithemius lib. 3 cap. 161, Cucconius, Wion, Menardus* ex monacho *factum Cardinalem scribant.*

*Romæ opulentis parentibus natus,*

C

*in aula Pontificis a puero sancte educatus sub S. Sergio Papa,*

*non monachus,*

3 *Sub eodem fortassis Sergio, aut Joanne sexto, septimove, factus Subdiaconus atque Sacellarius, dein Bibliothecarius, ac tum ad Diaconatus Ordinem provectus est. Erat Græcis* Σακέλη, σακκέλλη, σακέλιον, σακκέλλιον, *Latinis* sacellum, Sacculus, saccus, *ærarium Principis, aut etiam Pontificis, ad eleemosynas. Singularum vocum harum exempla congerit Joannes Meursius in Glossorio : notatque pro carcere Patriarchali etiam accipi. Agit quoque de hac voce Baronius tom. 8 ad an. Chr. 595 num. 17 et alia profert ex Gregorio Magno exempla. Erat ergo* Sacellarius *(seu malit quis* Saccellarium *dicere) Thesaurarius Ecclesiæ. Neque enim probamus quod quidam statuunt inter eas voces discrimen, ut Sacellarius, sit Pontificii Sacelli sive Capellæ, Præfectus : Saccellarius, ærarii.*

E

*dein ad honores promotus, factus Sacellarius, sive Thesaurarius Ecclesiæ,*

4 *His in muneribus probatus Gregorius, Constantinopolim est cum Constantino Papa, imo Nicomediam usque, profectus ad Justinianum Rhinotmetum Imperatorem. Agit de eo Constantini Papæ itinere in ejus Vita Anastasius, nec tamen inter comites ejus* Gregorium *habet, sed* Georgium Diaconum, *qui forsan idem est, ut aut vitiose scriptum ejus nomen videatur, aut mutatum cum Pontificatum init. Neque enim suspicari quis potest, plures adfuisse Pontifici, ac non omnium expressa nomina esse : nam* XIII *nominatim recensitis, Episcopis, Presbyteris, aliaque conspicuis dignitate, subnectit :* et de reliquis gradibus Ecclesiæ pauci Clerici. *Inter quos paucos non erat Gregorius, jam Diaconus : qui Georgio Diacono jungi debuisset, si diversus fuisset, ac non saltem ad inferiorum graduum Clericos ablegari.*

*cum Constantino Papa ad Imp. profectus*

5 Egressus est *autem* a portu Romano *Pontifex, ut in ejus Vita scribit Anastasius,* die quinta mensis Octobris, Indictione IX, *jam scilicet a Septembri inchoata, anno nimirum Christi* DCCX. *Eum summo ubique honore Præsules urbium ac provinciarum excepere : missum quippe erat* sigillum Imperiale, continens ita, ut ubi denominatus contingeret Pontifex, omnes Judices ita eum honorifice susciperent, quasi ipsum præsentialiter Imperatorem viderent... Contingentes in insula, quæ dicitur Cæa, occurrit Theophilus Patricius Exstraticus Caravisianorum, cum summo honore eum suscepit, et amplectens, ut jussio continebat, iter absolvit peragere cœptum. A quo loco navigantes venerunt a septimo milliario Constantinopolim : ubi egressus Tiberius Imperator filius Justiniani Augusti, cum Patriciis et omnibus inclytis, et Cyrus Patriarcha cum Clero et populi multitudine, omnes lætantes et diem festum agentes...

*mense Octob 710 ;*

*ubique honorifice exceptu,*

*veniunt Constantinopolim,*

Domnus

A Domnus autem Justinianus Imperator audiens ejus adventum, magno repletus gaudio, a Nicæa Bithyniæ misit Sacram gratiarum actione plenam : et ut debuisset Pontifex occurrere Nicomediam, et ipse venire a Nicæa : quod et factum est. In die autem qua se invicem viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite sese prostravit, pedes osculans Pontificis. Deinde in amplexum mutuum corruerunt, et facta est lætitia magna in populo, omnibus aspicientibus tantam humilitatem boni Principis. *Egimus de hoc Pontificis et Imperatoris congressu* VIII *Januarii ad Vitam S. Cyri Patriarchæ, cujus monitis videtur ad hanc demissionem inductus Imperator.*

*inde Nicomediam,*

*ubi summo gaudio eos excipit Justinianus Imp.*

6 *Hic illud contigit, quod in Gregorio narrat Anastasius, ut idem Gregorius* a Justiniano Principe inquisitus de quibusdam capitulis, optima responsione unamquamque solveret quæstionem. *Capitula isthæc esse videntur Canones* CIII, *qui a pseudosynodo Constantinopolitana in Trullo, sub nomine quintæ et sextæ synodi Oecumenicæ sanciti, opera præcipue Callinici Patriarchæ hæretici, habenturque tom. 3 Conciliorum. Ea capitula Anastasius in Sergio scribit* quasi synodaliter definita, et in sex tomis descripta, *licet essent* extra ritum Ecclesiasticum annexa, *ob Imperatore*
B *et Episcopis suscripta, rejecta constantissime a Sergio Papa. Hos ipsos Canones συνόδου πενθέκτης (ut eam vocarunt) fusissime doctissimeque confutat Baronius ad annum* 692 *a num.* 1 *ad* 52 *et rursus eorum meminit ad an.* 710.

*cui ad quæsita respondet Gregorius :*

7 *Dum ista Nicomediæ agitarentur, Constantinus Papa* die Dominico Missas Imperatori fecit : et communicans Princeps ab ejus manibus, proque suis delictis ut deprecaretur Pontificem postulans, omnia privilegia Ecclesiæ renovavit, atque sanctissimum Papam ad propria reverti absolvit. Egressus igitur a Nicomedia civitate crebris valetudinibus Pontifex attritus, tandem sospitatem Deo tribuente, incolumis ad portum Caietæ pervenit : ubi Sacerdotes et maximam populi Romani reperit multitudinem, et XXIV die mensis Octobris, Indictione X, Romam ingressus est, et omnis populus exultavit atque lætatus est. *Hæc Anastasius. Ex quibus manifestum est, non in urbe regia Constantinopoli, sed Nicomediæ, suas Imperatori quæstiones persolvisse Gregorium, idque anno Christi* DCCXI.

*redeunt Romam 24 Oct 711*

8 *De cæde Justiniani paullo post subsecuta ista subnectit idem Anastasius :* Post menses autem tres lugubre nuntium personuit, quod Justinianus Christianissimus et orthodoxus Imperator trucidatus est, et Philippicus hæreticus in imperiali promotus est arce :
C cujus et Sacram cum pravi dogmatis exaratione Constantinus suscepit, sed cum Apostolicæ Sedis consilio respuit. *De eodem Philippico Bardane scribit idem Anastasius in historia ex Theophane, cum ei quidam monasterii Callistrati pseudomonachus, hæreticus ac præstigiator, imperium prædixisset, monuisse ut sextam synodum, contra Monothelitas, unius in Christo voluntatis actionisque, ac per consequens naturæ, assertores habitam S. Agathonis Papæ auctoritate, sub Constantino Pogonato Imp. Justiniani Rhinotmeti parente, abjiceret, velut non legitime celebratam.* Cum regnaret *ergo, inquit Anastasius,* fecit pseudosynodum Episcoporum juxta pseudomonachi et inclusi sermonem, et abjecit sanctam et universalem sextam synodum. *Et post pauca :* Erat autem hæreticus et adulter. Porro Cyro Patriarcha pulso, Joannem communicatorem suum atque hæreticum in Patriarcham promovit. *Ac deinde :* Porro non prævaluit sævius moveri contra sanctam et universalem sextam synodum, subvertere studens divina, quæ ab ea roborata sunt, dogmata. Reperit autem sui sensus Joannem, quem Episcopum Constantinopoleos fecit, deposito Cyro Præsule hujus, quem exilio relegavit D in monasterio Choras.

*Justiniano occiso invadit Imperium Philippicus,*

*ubi a pseudomonacho mago prædictum,*

*cujus suasu damnat sextam synodum,*

*et S. Cyro pulso*

*Joannem hæreticum Patriarcham facit.*

AUCTORE I. B.

9 *Quid ad hæc Romani et sanctissimus Pontifex Constantinus? Ad hujus sive opprobrium seu terrorem, caput Justiniani orthodoxi Imperatoris* per Romanum Spatharium ad occidentales partes usque Romam misit Philippicus. *Ita idem ex Theophane Anastasius, et S. Nicephorus in historia. At cum Pontifex Philippici epistolam cum impii dogmatis assertione damnasset,* zelo fidei accensus omnis cœtus Romanæ urbis, imaginem, quam Græci votaream vocant, sex continentem sanctas et universales synodos in ecclesia B. Petri erexerunt. *Ita Anastasius in Constantino, ac deinde :* Cum statuisset populus Romanus nequaquam hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, vel figuram solidi suscipere; unde nec ejus effigies in ecclesiam introducta est, nec suum nomen ad Missarum solennia proferebant, *etc. Atque hæc ad ea illustranda, quæ sub Gregorio gesta sunt, spectant.*

*Philippici literas damnat Papa.*

*nomen et figuram abjicit populus Rom*

10 Non post multos autem dies scripta venerunt, *inquit idem*, a Siciliensi insula, quæ nuntiaverunt Philippicum hæreticum a principali vertice depulsum. *Nam ut omnes historici tradunt, sabbato Pentecostes conjurati quidam oculos ei eruerunt.* Postridie autem, Dominica videlicet Pentecostes, *inquit Cedrenus,* populo in magnum templum collecto, inauguratus est regno Artemius princeps secretariorum, et Anastasii ei nomen inditum, sub Joanne patriarcha hæretico. E *Nicephorus Patriarcha Artemium ait fuisse φιλιππικοῦ γραμματέα, οὓς τῇ Ἰταλῶν φωνῇ καλοῦσιν ἀσηκρῆτις.* Philippici notarium, quem Latini a secretis nominant. *De Anastasio Beda libro de* 6 *mundi ætatibus :* Hic Philippicum captum oculis privavit, nec occidit. *Idem imperasse Philippicum ait* anno uno, mensibus sex. *Quæ cum Anastasio congruunt. Nam is scribit, tertio post mense quam Romam reverterat Constantinus, allatum de cæde Justiniani nuntium : mense igitur Januario, cum sub finem Octobris anni* DCCXI, *ut diximus, Romam Papa rediisset.*

*eo excæcato*

*fit Imperator Artemius, Anastasius dictus*

11 *Quare trucidatus videtur Justinianus initio Decembris anni ejusdem* DCCXI. *Unde si annum unum ac menses sex numeres, pervenies ad Junium anni* DCCXIII, *cujus mensis quartus dies in Pentecosten eo anno incidit. Theophanes, Nicephorus, Cedrenus anno secundo Philippici labente id aiunt contigisse, quod verum est. Falli autem videtur Zonaras qui imperasse scribit annos duos ac menses aliquot. Nam cum dejectus e solio sit pridie Pentecostes, quod post Octobrem anni* DCCXI *invaserat, si solidos duos annos ac menses aliquot in eo exegit, debet ad pervigilium Pentecostes anni* DCCXIV, *qui dies erat* XXVI *Maii, id tenuisse. Quod omnino falsum esse liquet ex Actis de puella a dæmone liberata per reliquias S. Anastasii Martyris Persæ, quæ recitat Baronius tom.* 8 *ad an.* 713 *num.* 5 *et seqq. In iis dicitur* imperante Domino nostro piissimo perpetuo Augusto Anastasio Magno Imp. anno primo, et post consulatum ejusdem serenitatis anno primo, temporibus sanctissimi et beatissimi et Apostolici summique Pontificis Constantini Papæ urbis Romæ... *in puellam dæmon ingressus* die secunda mensis Augusti, Indictione XI... *Item* die Kalendarum Octobris istius duodecimæ Indictionis, tunc sunt reliquiæ venerabilis Martyris Anastasii (id est caput ejus) positæ super altare. *Convenit Indictio undecima mense Augusto, eademque duodecima initio Octobris, in annum Christi* DCCXIII, *quo proinde Imperium adeptus Anastasius. Et num.* 11 *de S. Petro Apostolo ita queritur, qui puellam infestabat dæmon :* Ego feceram ut regnaret Philippicus, quia amicus noster erat : et iste abiit in die Pentecostes, et ordinavit ibi alium. *Hæc mense Octobri anni* DCCXIII *jactabat nequissimus dæmon ; jam ergo Philippicus, ideo dæmonum amicus quia hæreticus, dejectus ab imperio erat.*

*anno 713 4 Junii*

*ut clare probatur*

*a S. Petro ordinatus.*

§ II.

A

AUCTORE J. B.

## § II. *S. Gregorii II Pontificatus. Joannes Patriarcha CP. hæreticus depositus. Anastasii et Theodosii Imperium.*

*Quod de Anastasii regiminis initio diximus, minime ambiguum esse potest apud eos, qui Constantinum Papam statuunt decessisse anno* IↃCCXIV, *inter quos sunt Baronius et Chesnæus. Nam cum ex Anastasio Bibliothecario constet,* IX *Aprilis eum sepultum fuisse, accepisse tamen* Sacram Anastasii Principis, per quam veræ se orthodoxæ fidei prædicatorem, et sancti sexti concilii confessorem esse omnibus declaravit; *consequens est, jam ab anni præcedentis Pentecoste Imperatorem fuisse Anastasium. At Constantinum mense Aprili Indict.* XIII, *sive anni* IↃCCXV *obiisse tradunt Bibliothecarii exemplaria vulgata typis Moguntinis et Parisinis, et MS. unum, nam in altero omissa est Indictio. Baronius Indictionem* XII *posuit, nullo allato codicis cujuspiam testimonio aut ratione. Radulfus de Diceto in Abbreviationibus Chronicorum et Chronologia monasterii Cantuariensis Gregorii pontificatus initium ponunt anno* IↃCCXV.

Constantinus Papa mortuus an. 715 8 au. 9 Apr

13 *Ita colligi, quo Ecclesiæ præfuit, tempus potest. Sisinnius Papa, ejus decessor, obiit* die VII Februarii,

B

Indict. VI, *sive anno Christi* IↃCCVIII. Et cessavit Episcopatus mensem unum, dies XVIII, *ut est in vetustissimo MS. exemplari, quod penes nos est : alterum habet* mensem unum, dies XIX. *Electus igitur successor die* XXV *Martii : seditque hic annos* VII, *dies* XV, *nempe ad diem* IX *Aprilis anni* IↃCCXV. *De anno mox videbimus. Dierum inter Sisinnii et Constantini mortem numerus apte quadrat. Obiit ille* VII *Februarii :* cessavit episcopatus mensem unum *(ad* VII *Martii)* et dies XVIII *usque (quod diximus) diem Martii* XXV. *Sedit Constantinus, ultra* VI *aut* VII *annos, dies* XV. *En diem* IX *Aprilis. Excusa Anastasii exemplaria habent, post Sisinnii obitum vacasse Episcopatum mensem unum, dies* XXIX. *Baronius,* mensem unum, seu dies XXIX. *Neuter computus quadrat. Reponendum ergo pro* XXIX, XIX, XVIII, *ut codices nostri habent.*

electus 25 Martii 708,

14 *De annis Constantini minus liquida ratio. Excusi codices et optimæ notæ MS. habent sedisse* annos VII, dies XV. *alter MS.* annos VII, dies XX, *proclivi errore, ut* X *pro* V *pingeretur. Baronius statuit annos* VI, *dies* XV. *Arbitror correctionem adhibuisse, quia Gregorius sedisse dicitur annos* XVI, *menses* VIII, *dies* XX, *obiisse* XI *Februarii, indict.* XIV, *qui est annus Christi* IↃCCXXXI. *Nam inter eum annum et* IↃCCXV, *non interfluxere* XVI *anni, atque* VIII *menses. MS. codex Cusanus et Abbo Floriacensis habent solum* annos XV menses VIII. *Nam*

sedit annos 7 dies 15.

C

*manifestus error est quod alibi ad annos seu* XVI *seu* XV, *addantur menses* IX, *cum* VIII *tantum fuerint. Similis irrepsisse error potest in numerum annorum. Martyrologia quædam, aliique auctores non pauci, sedisse Gregorium tradunt annos* XVI, *nullis adjectis mensibus : quasi indicent* XV *annos, et sextumdecimum non integrum.*

15 *Post Constantini igitur decessum qui* IX *aut* VIII *Aprilis contigit,* cessavit Episcopatus, *inquit Anastasius,* dies XL. *Ita codices excusi ac MS. unus, cum Abbone. Suffectus est Gregorius* II *die* XX *Maii. Baronius* XXII *Maii creatum scribit. Verum sic vacasset Cathedra dies* XLII, *quot Chesnæus statuit. Codex Cusanus habet cessasse* Episcopatum annum unum et dies XL. *Refellitur a ceteris, ipsaque serie rerum.*

Gregorius 2 electus 20 Maii 715

16 *Ubi auditum Constantinopoli est, Gregorium Constantino subrogatum, Joannes hæreticus Patriarcha, qui, quod Anastasium Imperatorem coronasset, et fortassis improbitatem suam fraude aliqua celaret, hactenus occupatum S. Syri thronum, connivente aut ejus simulatione circumvento Imperatore, pacifice obtinebat, eo venit amentiæ, ut speraret se a novo Pontifice suffurari communionis litteras posse.* Mittit igitur ei synodicam, *inquit Anastasius; forsan sub nomine pseudosynodi Philippico imperante habitæ, in qua sexta generalis synodus, non ut ante sub Callinico assutis canonibus adulterata, sed penitus erat abrogata : aut certe ne qua ob eam synodum ejus nomini macula inhæreret, fidei suæ professionem edere voluit, fraude itidem aliqua velatam. Quid Gregorius?* Ad eum rescriptis usus est, *inquit Anastasius; obscure. Abbo Floriacensis* synodicæ *ait* subscripsisse, *falso. Nam missis Constantinopolim litteris Imperatorem permovit, ut impudentem hæreticum abdicaret, eique Catholicum alium substitueret. Verisimile est S. Cyrum jam antea obiisse : alioquin revocandus is fuisset, inque pristinum gradum restituendus. Baronius ad eam rem missum a Gregorio Apocrisarium Michaelem Presbyterum scribit tom. 9 ad an. 714 num. 3 Antea tamen ad an. 713 num. 4 scripserat, eumdem* Michaelem Presbyterum Cardinalem Apocrisarium *Constantinopolim ad Catholicum Imp. a Constantino Papa missum fuisse. Atque hoc credibilius videtur : eumque de Joannis pseudopatriarchæ moribus ac doctrina Gregorio pro officio scripsisse, et ab eo jussum ad illius depositionem incumbere.*

Joannem invasorem Sedis CP. hæreticum deponi curat

D

per Michaelem Apocrisarium antea missum a Constantino :

17 *Quomodo ea peracta res sit, narrat in historia Anastasius ex Theophane :* Anno imperii Artemii, qui et Anastasius dictus est, secundo..... Germanus Constantinopolitanus habetur Antistes, qui eidem throno quindecim præsedit annis. Eodem quoque anno translatus est a Kyzico urbe metropoli Constantinopolim, in quo et commonitorium translationis, quod subinfertur, pronuntiatum est, continens ita : Electione et approbatione religiosissimorum Presbyterorum et Diaconorum, et totius venerabilis Cleri, sacrique senatus, et amici Christi populi Deo conservandæ hujus regiæ urbis, divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea quæ sunt adimplet, transtulit Germanum sanctissimum Præsulem Cyzicinensium metropoleos, in Episcopum hujus Deo conservandæ ac Imperatoriæ civitatis. Facta autem est præsens translatio in præsentia Michaelis sanctissimi Presbyteri et Apocrisarii Apostolicæ Sedis et reliquorum Sacerdotum et Præsulum, sub Artemio Imperatore.

E

subrogatus S. Germanus,

18 *Georgius Cedrenus, nescio an non Græca fide, nullam facit Apocrisarii Apostolici mentionem, atque ita S. Germani translationem narrat :* Sub hoc *Artemio,* Germanus ex metropoli Cyzico Constantinopolim transfertur : editumque est decretum translationis, cum approbatione et consensu sanctissimorum Præsulum factæ, in hanc sententiam : Divina gratia quæ ubique infirma sanat et mutila integrat, Germanum sanctissimum Præsulem Cyzicenæ metropoleos transfert ad archiepiscopatum hujus a Deo custoditæ regiæ urbis, sub Artemio Imperatore. *Contigit ea Germani translatio anno* IↃCCXV *ut ex Theophane conjicitur, qui eum summo sacerdotio functum scribit annos* XIV, *menses* V, *dies* VII : *a Leone Isaurico depositum mense Januario Indict.* XIII, *anno scilicet Christi* IↃCCXXX. *Nam si hoc ex numero dempseris annos* XIV, *menses* V *etc. habebis mensem Augustum anni* IↃCCXV.

F

initio Aug 715.

19 *Sub ejus anni exitum mota seditio est adversus Anastasium Imp. de qua infra in Gregorii Vita Bibliothecarius, atque a rebellibus Imperium Theodosio publicorum tributorum exceptori delatum, imo invito obtrusum. Fluxerunt tamen, ut ex Theophane patet sex menses, priusquam urbe regia hic potiretur, ac tum demum purpuram posuit Anastasius anno* IↃCCXVI. *Nam eum annos tres imperasse Beda ea ipso tempore scripsit : cui proinde magis adhibenda fides, quam Theophani, in quo multa perturbate posita. Theodosius, ut idem Beda scribit, anno uno Imperium tenuit;* et cum esset Catholicus, mox in regia urbe imaginem illam venerandam, in qua sanctæ sex synodi erant depictæ, et a Philippico

Anastasius imperavit 3 annis

Theodosius uno :

A Philippico fuerat dejecta, pristino in loco erexit. *Quæ totidem fere verbis a Beda descripsit Anastasius. Imperium deinde Leo Isauricus invasit anno eodem* IↃCCXVI. *Infra namque ex Gregorii ad eum epistola constabit, cum Indict.* XIV, *quæ Septembri mense ejus anni expirabat, dedisse ad Gregorium litteras, quibus se orthodoxum profitebatur, arrepto jam in Asia Imperio, cujus annos Theophanes numerat* ab octavo Kal. Aprilarum decimæquintæ Indictionis, *anni videlicet* IↃCCXVII, *cum urbem a Saracenis obsessam ingressus, abdicante se Theodosio, inauguratus videtur. Tenuit autem deinde Imperium* usque ad decimumquartum Kal. Julias nonæ Indictionis, cum regnasset annis XXIV, mensibus II, diebus XXV. *Mortuus igitur est* XVIII *Junii* IↃCCXLI, *de cujus sceleribus infra quædam, plura alibi.*

*Leo Isauricus fit Imperator an. 716, at 25 Martii 717 inauguratus.*

## § III. *S. Gregorii* II *ædificia. Illustres Romam peregrini ejus tempore. Casinum reædificatum.*

Q*uo tempore ita ad Orientem Gregorius per orthodoxos Imperatores, perque suos Legatos, Catholicam restituebat ac stabiliebat fidem; Romæ et per reliquam Italiam ad instaurandum sacrorum locorum ornatum, veræque cultum pietatis, operam pari ardore conferebat:*
B *simul et ipsius almæ Urbis securitati consulebat, et alibi per viros Apostolicos sementem Evangelii faciendam curabat. Nam ipso* exordio Pontificatus sui *ad mœnia Urbis, quæ vetustate atque oppugnationibus labefactata erant, reparanda,* calcarias decoqui jussit: *quod opus ante annos septem aggredi Sisinnius cogitabat, si ei vita diuturnior contigisset. Alexander Donatus noster lib.* 1 *de urbe Roma cap.* 19 *plures recenset Pontifices, qui post S. Gregorium* II *mœnia Urbis refecere. Et quidem* S. Gregorii III, *qui huic immediate successit,* temporibus, *ut Anastasius testatur,* plurima pars murorum civitatis Romæ restaurata est. *Inchoarat autem opus S. Gregorius* II *a porta S. Laurentii, quam viri quidam eruditi autumant olim Esquilinam fuisse. Nomen postea accepit a proxima S. Laurentii Martyris basilica extra muros, quæ a Constantino Magno ædificata supra S. Cyriacæ cœmeterium, via Tiburtina, in agro Verano quo de cœmeterio ac basilica agit Paulus Aringus in Roma subterranea lib.* 4 *cap.* 16. *Nosque* X *Augusti agemus ad S. Laurentii illic sepulti Acta, et ad ipsius S. Cyriacæ* XXI *ejusdem mensis.*

*S. Gregorius* II *Romana mœnia restaurare cœpit,*

*a porta S. Laurentii:*

21 *Interruptum opus* emergentibus incongruis variisque tumultibus. *Ea* incongrua, *quæ ad operis absolutionem impediendam* emerserunt, *censet ad an.* 715 *num.* 2 *Baronius, fuisse castri Cumani interceptionem, et quæ pro eo recuperando suscipi debuere, uti num.* 8 *describit Anastasius. Fortassis quæ ad opus murorum destinata pecunia erat, danda Neapolitanis auxiliaribus fuit: forsan judicatum caveri oportere, ne magis irritarentur Longobardi, Græcique, si hæc contra eos erigi in Urbe castra ac munitiones viderentur. Quod in editis Anastasii exemplaribus habetur* Cumanum castrum, *Baronius ita legit:* Tempore etiam ipso castrum unum a Longobardis *etc. Vetus codex MS.* Cumunam. *alter,* Cumanum. *Quod ait Anastasius* ipso fuisse tempore castrum *illud* pervasum, *argumento est tunc id factum cum ingens illa Tiberis contigit inundatio. Contigit autem hæc* Indict. XV *cum serere oportebat, autumno nimirum anni* IↃCCXVI. *Concordat cum Anastasio Beda, qui anno quo imperavit Theodosius, inundationem hanc statuit, atque* agentibus crebras letanias civibus, octavo demum die *resedisse. Fuit et hæc fortassis inundatio inter illa emergentia incongrua, non quod ad eam partem murorum, quæ renovari cœpta erat, pertigerit; sed quod alibi, quæ ad opus præparata erant, corruperit, aut immensa damna dederit, ut fieri solet, quibus præmature occurrere, opere intermisso, oportuerit.*

C *destitit,*

*forte ob hostes,*

*et inundationem Tiberis an 716.*

22 *Quæ absolvi cam mœnium substructionem vetuerunt caussæ, haudquaquam tamen efficere potuerunt,* D *quin idem magnanimus Pontifex templa Divorum alia reædificaret collapsa, alia ruinam minantia fulciret, et quæ labefacta neglectaque erant monasteria renovaret, atque ad pristina revocaret sanctorum Patrum instituta, nova etiam nonnulla exædificaret; fundaret gerocomia, sive gerontocomia, in quibus senes inopia conflictati alerentur. Quæ omnia prolixe enumerat infra in ejus Vita Anastasius num.* 3.

*AUCTORE I. B. multa instaurat templa et monasteria*

23 *Excivit ille fortassis (inter alia) vigor splendorque efflorescentis Gregorii industria pietatis exteros Romam, ut ipsa spectarent ac venerarentur templa locaque Sanctorum, et Urbi novum ipse quoque ornatum suæ sanctimoniæ luce ac munificentia afferrent. Præ ceteris Anglorum enituit pietas. De iis Beda sub finem libri de sex ætatibus in Theodosio Imp. narrata Tiberis inundatione,* His temporibus, *inquit,* multi Anglorum gentis, nobiles et ignobiles, viri et fœminæ, Duces et privati, divini amoris instinctu, de Britannia Romam venire consueverant. Inter quos etiam reverentissimus Abbas meus Ceolfridus, annos natus LXXIV, cum esset Presbyter annis XLVII, Abbas autem annis XXXV, ubi Lingonas pervenit, ibi defunctus atque in ecclesia beatorum Geminorum Martyrum sepultus est. *Ita Beda, qui et de donis meminit, quæ ille Romam ferebat, misitque ex itinere. De Sanctis Tergeminis Speusippo, Eleusippo, Melasippo fuse* E *egimus* XVII *Januarii. Agit de S. Ceolfrido alibi Beda, et Simeon Dunelmensis in historia Regum Anglorum. Nos Vitam ejus dabimus* XXV *Septembris.*

*multi ejus tempore Romam peregrinantur, Angli præsertim: in his S. Ceolfridus Abbas,*

*in via mortuus an. 716.*

24 *Sed libet hic ex ea S. Ceolfridi Vita, quæ apud Capgravium extat, exordium recitare epistolæ, qua eumdem Ceolfridum Pontifici successor suus Wetbertus, sive (ut habet Simeon Dunelmensis) Hwethyrhtus, commendavit. Ita ergo orditur:* Domino in Domino Dominorum dilectissimo terque beatissimo Papæ Gregorio, Wetbertus, humilis servus vester, Abbas cœnobii Apostolorum Petri et Pauli perpetuam in Domino salutem. Gratias agere non cesso dispositioni superni examinis, una cum Fratribus, qui mecum in his locis ad inveniendam requiem animabus suis, suavissimum Christi jugum portare desiderant, quod te nostris temporibus tam glorificum electionis vas regimini totius Ecclesiæ præficere dignatus est: quatinus per hoc, quo ipse impleris, lumen veritatis et fidei, etiam minores quosque affatim jubare suæ pietatis aspergeret. Commendamus autem tuæ sanctæ benignitati, dilectissime in Christo Pater et Domine venerabilis, Patris nostri dilectissimi canos, Colfridi videlicet Abbatis, ac nutritoris tutorisque F nostræ spiritualis in monastica quiete libertatis et pacis, *etc.* Obiit autem *Ceolfridus, ut in eadem Vita dicitur* septimo Kalend. Octobris, anno Domini septingentesimo sextodecimo.

*Pontifici commendatus a Wetberto per litteras.*

25 *Omitto hic Danielem Wintoniensem Antistitem, quem Chronologia Saxonica tradit anno* IↃCCXXI Romam adisse. *Omitto alios Episcopos et Abbates, qui frequenter ea ætate vel negotiorum caussa Romam ibant, vel pietatis, ut sacra loca venerarentur, atque a Pontifice Christi Vicario, supremo religionis præside in terris, benedictionem obtinerent. Duos Reges hoc ipso mense retulimus ex eadem Anglia Romam profectos,* Richardum *et* Inam, *quorum prior in itinere, alter Romæ mortuus est, uterque in Sanctorum numero habitus a posteris. De Richardo egimus* VII *Februarii, diximusque Lucæ in Etruria mortuum videri anno* IↃCCXXII, *cum præcedente* IↃCCXXI *iter capessivisset, una cum filiis Wunibaldo et Willibaldo, hujus præcipue hortatu, de quo mox iterum dicemus. Rex alter* Ina *fuit, cujus gesta ex variis auctoribus* VI *Februarii collegimus. Is cum antea regnum suum vectigale Pontifici Romano fecisset, ea ratione ut familiæ singulæ nummum argenteum penderent, quem* Denarium S. Petri *vocabant; tandem regno*

*Daniel Ep. an. 721.*

*S. Richardus Rex in itinere mortuus an. 722,*

*S. Ina Rex,*

A *quo se abdicans, Romam profectus est.* Quo cum pervenisset, *inquit Matthæus Westmonasteriensis ad annum Christi* 727, fecit in civitate domum, consensu et voluntate Gregorii Papæ, quam Scholam Anglorum appellari fecit: ad quam Reges Angliæ et genus regium, cum Episcopis, Presbyteris et Clericis, in doctrina et fide Catholica erudiendi venirent; ne quid in Ecclesia Anglicana sinistrum aut Catholicæ unitati contrarium doceretur, et sic in fide stabili roborati ad propria remearent..... Fecit præterea, juxta domum præfatam, ecclesiam in honorem beatæ Virginis Mariæ fabricari, in qua Anglis Romam advenientibus divina celebrarentur mysteria: in qua et posset, si quem ex Anglis Romæ mori contingeret, sepeliri. *Demum et ipse haud multo post illic mortuus est, miraculis a morte illustratus.*

*Auctore 3 hic denarium S. Petri instituit, Romæ Scholam Anglorum fundavit et templum, ibidem mortuus*

26 *Eodem Gregorii tempore Theudo, sive Theodo, ejus nominis quintus, Dux Boiorum* ad Apostoli Petri limina primus de gente eadem occurrit, orationis voto, *inquit Anastasius num.* 5. *Et quidem ante utrumque illum Anglicum Regem, Indictione forsan* XIV, *sive anno* DCCXVI, *ut ex eodem Bibliothecario colligit Brunnerus noster annal. Boior. lib.* 5. *Exemplo motum scribit Raderus aliorum Regum Anglorum Ceadwallæ, Coenredi et Offæ: ast hi non solum ad limina Apostolorum peregrinati fuerant, sed ibidem monachicam* B *vitam amplexi; Offa Orientalium Saxonum Rex, Kenredus Merciorum, anno* DCCX, *tempore Constantini Papæ, ut habet Westmonasteriensis: Ceadwalla autem Westsaxonum Rex, Inæ decessor, multo ante. Theodonis narrata peregrinatione, illud subnectit Andreas Brunnerus:* Hæres hujus pietatis felix posteritas, facem a suo Principe accensam prælucet hodieque orbi Christiano, neque enim facile gentem reperias sacrarum perigrinationum studiosiorem. *Matthæus Raderus in Bavaria pia aliqua affert posteriorum ejus gentis Principum exempla.*

*venit et Theudo 5 Bavariæ Dux, quem posteri sequuntur.*

27 *Alius Gregorii tempore Romam venit non illustri quidem conspicuus seculi dignitate vir, sed ad præclari molitionem operis, ejusdem Pontificis consilio instigatus. De eo lib. 6 de gestis Longobard. cap. 40 ita scribit Paulus Diaconus:* Circa hæc tempora Petronax civis Brixianæ urbis, divino amore compunctus, Romam venit, hortatuque tunc Gregorii Apostolicæ Sedis Papæ, Casinum castrum petiit, atque ad sacrum corpus beati Patris Benedicti perveniens, ibi cum aliquibus simplicibus viris, jam ante residentibus, habitare cœpit, qui eumdem venerabilem virum Petronacem sibi seniorem statuerant. Hic non post multum tempus, cooperante divina misericordia, et suffragantibus meritis B. Benedicti Patris.... C multorum ibi monachorum, nobilium et mediocrium, ad se concurrentium Pater effectus, sub sanctæ regulæ jugo et B. Benedicti institutione, reparatis habitaculis, vivere cœpit, atque hoc sanctum cœnobium in statum, quo nunc cernitur, erexit.

*S. Petronax a Gregorio II missus Casinum, monasterium restituit,*

28 *Leo Ostiensis lib. 1 Chronici Casinensis cap. 4 et M. Antonius Scipio in* Elogiis Abbatum sacri montis, *id sub Gregorio III scribunt contigisse. Petrus Diaconus in libro* de ortu et obitu Justorum sacri cœnobii Casinensis *cap. 21, ad S. Zachariæ, qui sub finem anni* DCCXLI *Gregorio* III *successit, tempora refert, ita scribens:* Petronax Casinensis Abbas, dum caussa salutis Hierosolymam pergere vellet, a Zacharia Papa monitus Casinum advenit, eumdemque locum restaurans, usque ad finem vitæ sanctissime ac religiosissime ibi conversatus est. *Camillus Peregrinus in* Serie Abbatum Casinensium *solide demonstrat, etsi Petronaci Gregorius* III *et Zacharias ingens ad eum cœnobii instaurationem auxilium postea præbuerunt, venisse tamen illuc sub Gregorio* II. *Nam, quod 7 Februarii ad Vitam S. Richardi* § 2 *annotavimus, S. Willibaldus ex Anglia cum patre ac fratre discessit an-* D *no* DCCXXI, *et decem in peregrinatione per varias provincias annis exactis, venit ad montem Casinum, ac decimo post anno Romam petiit, atque a Gregorio* III *ad S. Bonifacium missus est. Obiit S. Gregorius* III *anno* DCCXLI IV *Kal. Decembris. Discessit autem Roma* S. Willibaldus in Pascha, *ut ejus Vita habet*, qui illuc veniebat in nativitate S. Andreæ. *Venerat ergo Casinum anno* DCCXXX, *anno decimo suæ peregrinationis, ultimo S. Gregorii* II. Reperiebat *autem* ibi paucos monachos et Abbatem nomine Petronacem. *Igitur jam ante isthic erat Petronax.*

*præcipue sub S. Gregorio 3 et S. Zacharia, cœpit sub Gregorio 2. cujus tempore ibi repertus a S. Willibaldo.*

## § IV. *S. Corbinianus et S. Bonifacius in Germaniam ad prædicandum Evangelium missi a S. Gregorio II.*

V*enerat alius antea Romam vir sanctus, nomine Corbinianus, anno* DCCXVI, *ut Baronius, Brunnerus, atque alii putant. Venerat autem non e Germania, ut ad eum annum num.* 10 *scribit Baronius, sed, ut Brunnerus, Velserus, Raderus, e Gallia: nam Aribo Episcopus in ejus Vita*, Roma in Galliam reversum *ait. Hujus usus ad Gentilium conversionem industria est Gregorius.* Quartum decimum, *ut idem Aribo tradit, cum paucis discipulis*, in cellula impleverat annum. Tunc demum iniens consilium, ad limina sacratissima beatorum E Apostolorum Petri et Pauli orationis caussa ire decrevit, et ibi se Apostolici viri doctrinæ et orationibus commendare; et, si fieri posset, impetrare ab eo sibi et suis, qui cum eo venirent, in quodam angulo latitandi facultatem, ut ad sanctorum apostolorum patrocinia posset secretius pervenire, et ibi sub sanctæ conversationis regula liceret ipsi vitam ducere. Movit autem vir sanctus comitatum suum cum universis supellectilibus, et incolumis cœptum perfecit iter. Oratione autem facta in confessione beatissimi Apostolorum Principis Petri, ad beatæ memoriæ Gregorii Papæ pedes se prostravit, eique secretum animi sui diligentissime explicavit, et quibus necessitatibus coactus suum amisisset secretum....

*S. Corbinianum, petentem ut uspiam secreto posset vivere,*

30 Venerabilis autem Papa Gregorius audiens viri Dei verba, intellexit zelum animi ejus, qualiter et quam magnam in Dei opere haberet animi puritatem. Erat enim vir Dei valde facundus.... Spiritu sancto repletus, unicuique congruens erat sexui vel ætati, ut per sanctæ conversationis studium posset unicuique sanctarum exempla virtutum ostendere. Sed hæc beatissimus Papa Gregorius intuens, cœpit cum suis inire consilium, ne tanti luminis fulgor absconderetur sub modio; sed ut, secundum dicta veritatis, supra candelabrum posito illo, multi ab eo F illuminarentur: cogitavitque ut ex auctoritate B. Petri Apostoli sacerdotalem ei honorem conferret. Itaque in viro Dei, quæ consultando tractaverat, opere perficiens, per singulos gradus ad summum usque pontificalem eum provexit honorem. Vir itaque sanctus.... coactus sacerdotalem suscipit benedictionem, accepto etiam pallio cum benedictione, et adjutorio B. Petri Apostoli, ut ubique prædicationis officium exercere in toto orbe posset, et tanti Patris concessu potestatem haberet.

*idoneum ad conversionem aliorum cernens S. Gregorius II*

Matt. 5. 15

*Episcopum ordinat ad prædicationem Evangelii:*

31 Tanto autem accepto honore et privilegio in Galliam reversus est, cœpitque divinum largiter ex ore ejus emanare verbum... atque per universam Galliam verbum doctrinæ illius in virorum ac mulierum sanctis crevit moribus, et tam in sacrarum Virginum ac viduarum, quam et monachorum et Clericorum pectoribus diffusum est.... Ad pristinum ergo rediit ergastulum in finibus B. Germani ecclesiæ, ibique sub protectione ejus proprium quæsivit secretum, turbas hominum devitavit, paucosque secum Clericos retentavit, quos admonendo et docendo deserere

*cum in Gallia prædicasset,*

A serere non valebat.... Ibique continuis septem annis permanens, eo advenientibus secumque commorantibus verbum Dei sedulo ministravit. Sed quanto secretius se in ima loca contulit, eo amplius fama ejus sanctissima altius eminebat in publicum, et quotidie supervenientium turbas sustentare non valens.... ad pristinum se contulit orationis auxilium; iterumque Romam pergere disponebat, et a tanti Patris munimine absolutionem percipere, et secreta monasterii petere atque alterius magisterio se commendare pertractans, si eum summus Papa sub patrocinio, ut prius poscebat, B. Petri militare sub manuum suarum concessisset sudore. Qui non publicum a Gallorum partibus arripiens callem, sed secretiorem eligens viam, in Alemanniam pervenit, deinde in Germaniam: et sic in Noricum veniens, ibi aliquantulum demoratus, verbi divini seminavit doctrinam, et nonnullorum sacra verba penetrabant, gratia Dei, corda, in augmentum fidei Christi. Quæ gens adhuc rudis erat, et nuper ad Christum conversa. Eo namque tempore erat ibi devotissimus Theodo Dux *etc.*

*et in Bavaria,*

32 *Subnectit auctor, quæ apud Theodonem, dein ejus filium Grimoaldum egerit, ac tandem post multa, ita prosequitur:* Ipse vero iter persequens, Romam usque pervenit, et oratione facta ad utraque beatorum Apostolorum Petri et Pauli limina, ad summi Pontificis B. Gregorii præsentiam veniens, ad ejus se stravit vestigia. At ille surgere illi imperans, sedemque juxta se poni faciens, sedere præcepit. Qui cum sedisset, non modica dona tanto Dei viro obtulit, et cuncta sibi de sua conversatione displicentia enarravit, quomodo videlicet et quibus quasi immensis fluctibus quateretur hujus mundi honoribus, et quomodo ei nec murorum claustra tranquillitatem præstare potuissent, et quantum hujus mundi formidaret divitias, quippe qui nec unum vellet habere colonum. Secretum ergo petens, ut ei omnes perturbationes animi sui atque angustias libere posset referre, lacrymis fusis, flebili voce deplorat, ut suum secretum imposito honore perdiderit: in pristina petitione persistens, ut ad cœnobium ipsum ire permitteret, vel in quamdam cellulam includeret, vel in aliqua secreta silva ad operationem ipsi concederet agellum. His auditis, tantam humilitatem ejus miratus est summus Papa: eoque a se dimisso, ad secreta necessaria synodum congregavit, et in eo conventu ista recitavit. Quibus illi auditis, una voce omnes eum reverti debere proclamabant, multis testimoniis Scripturarum id confirmantes. His ita dicentibus, virum Dei in medium venire jussit. Quorum verbis se victum considerans, ut injunctum sibi a tanto Patre officium nullo modo omitteret, et a lucro vacuus rediret ad aream, cum summo ibi aliquantum temporis retentus honore, benedictione accepta, valefaciens omnibus tristis abscessit. *Deinceps auctor multa narrat, quæ in itinere, et in Bavaria gessit passusque est vir sanctus, utque Grimoaldus Theodonis filius interfectus sit, et Piltrudis ejus pellex Carolum Martellum in Gallias secuta, atque ab eo deinde repudiata, in Italia misere finierit vitam.*

*Romam reversus petit eo onere liberari:*

*sed jubentur a S. Gregorio et concilio ad opus redire.*

33 *Fusius hæc relata ex S. Corbiniani Vita per Aribonem, in qua insunt tamen nonnulla quæ correctione egeant: nam cum prima vice Roma redisset; dicitur ad Pipinum Herstallum accessisse, qui biennio ante obierat: quem errorem censet Baronius ad ann.* 716, *num.* 10 *culpa librariorum irrepsisse. Secundo autem Romam profectum ait Baronius anno* 724, *cum Episcopatu Frisingensi annos octo esset perfunctus. At quæ ex Vita protulimus, annos* VII *in Gallia hæsisse asserunt, vix forte menses* VIII *in Bavaria. Consentit Aribonı Velserus, cujus ipsa verba etiam Raderus describit. Otto Frisingensis Chron. lib.* 5, *cap.* 24 *a* B. Gregorio urbis Romæ Episcopo, Præsulem ordinatum, ad gentes destinatum *scribit: ac* per vallem Tridentinam redeuntem, ac Bajoariam ingressum, a Tassilone Duce, ejusque filio Theodone benigne susceptum, montem Frisingen accepisse; *nulla facta reditus in Galliam mentione. Plura de S. Corbiniano ad* VIII *Septembris, quo colitur. Sufficit hic indicasse, a S. Gregorio* II *ordinatum Episcopum, cumque id onus deponere postea optaret, ut in eo persisteret animatum, etiam habita ad eam rem synodo, sive instituta cum Cardinalibus et Præsulibus, qui aderant, deliberatione.*

*Quædam in ejus Vita corrigenda.*



AUCTORE J. B.

34 *Alium Germanis divini Evangelii præconem misit Gregorius, longe rerum gestarum gloria, exanthlati præsertim martyrii, illustriorem,* Bonifacium, *Moguntinum postea Archiepiscopum. Is in Anglia clarissimo genere natus,* Winfrid *antea dictus, monasticam vitam ab ineunte ætate complexus, ad prædicandum Gentilibus Dei verbum animum adjecit, atque in Frisiam navigavit. Sed cum ea expeditio, quod bello arderet provincia, optato successu caruisset, in Angliam rediit, junctisque sibi aliquot sancti operis adjutoribus, Romam profectus est; ubi quid egerit, ita narrat S. Willibaldus ejus consanguineus, Aystetensis Episcopus, in ipsius Vita:* Cum Sanctorum suffragante patrocinio, et Domino Deo dispensante, omnis quippe cohors contubernalium comitatu hujus sancti viri inhærens, limina beati Apostoli prospere aggressus: immensas statim E Christo pro sospitate eorum grates persolvunt, atque ecclesiam S. Petri Principis Apostolorum magno cum gaudio ingressi, abolitionem peccaminum postulantes, diversa quidem munera quamplurimi detulerunt. Transactis hic diebus non multis, sanctus vir venerabilem Sedis Apostolicæ Papam beatæ memoriæ Gregorium a primo secundum, et a novissimo priorem affatus est, qui et vulgarica Romanorum lingua dicitur Junior: omnemque sibi per ordinem itineris sui atque adventus occasionem manifestavit, et quali annexus desiderio diutius desudasset aperuit. Sanctus itaque Papa repente hilari vultu, arridentibusque oculis intuitus in eum, inquisivit, an litteras ab Episcopo suo commendatitias detulisset. At ille etiam concitus, exempto pallio, chartam ex more involutam litterasque protulit, deditque mirabili sanctæ recordationis viro, qui statim acceptis litteris annuit ei ut abiret.

*Winfridum, sive Bonifacium,*

*zelo animarum ardentem*

*benigne excipit Gregorius, et ab eo Episcopi sui litteras exigit:*

35 Apostolicus vero Papa perlectis litteris, et recensita commendatitiæ conscriptionis charta, sedulum deinceps cum eo habebat quotidianæ disputationis colloquium, donec proficiscendi redeundique æstivum instaret tempus. Cum vero Nisan mensis qui est Aprilis, præteriret, et Jair, qui et Maius, jam F portæ patescerent, tum etiam postulata atque etiam accepta Apostolicæ Sedis benedictione et litteris, a beatissimo Papa ad inspiciendos immanissimos Germaniæ populos directus est. *Recitat Othlonus monachus Fuldensis in S. Bonifacii Vita litteras S. Gregorii Pontificis, quibus ei Apostolatum, sive, ut loquitur,* in cunctis Germaniæ populis curam prædicandi commisit. *Ex* datæ Idib. Maii, imperante Domino piissimo Augusto Leone a Deo coronato, anno tertio Imperii ejus, Indictione secunda, *qui est annus Christi* DCCXIX.

ANIMADV. PAP. 106

*committit illi Apostolatum in Germaniam*

*anno 719:*

36 *Cum jam apud Frisones, Turingos, Hessones,* multa milia hominum baptismatis sacramento abluisset *Bonifacius, ut idem Othlonus scribit,* misit quemdam ex suis fidelem, nomine Binnam, ad Romam cum litteris, denuntians venerando Præsuli Apostolico universa quæ circa illum Divina pietas egerit, quantaque multitudo hominum sancti Spiritus gratia illustrata regenerationis lavacrum ab eo susceperit. Sed et de rebus variis quæ ad quotidianam regulæ Ecclesiasticæ necessitatem, populique noviter conversi curam pertinebant, prudenti interrogatione conscripsit.

*ejus dubiis respondet,*

AUCTORE J. B.

A Prædictus vero Legatus cuncta sibi commissa fideliter complens, Apostolico Præsuli missas detulit litteras; aliasque ab illo, super universis quæstionibus propositis continentes responsa, Magistro suo deferens quantocyus rediit. Cum autem sanctus vir delegatas legisset litteras; seque inter cetera invitatum ad Romam intellexisset, mox summum obedientiæ gradum contendens, clientum fratrumque circumseptus agmine, Italiæ fines adiit....

*cumque Romam evocat:*

37 Deinde comperto sancti viri adventu, statim venerabilis Papa Gregorius illum ad se invitavit, et verbis familiaribus salutatum honorifico xenodochio deputavit. Adveniente vero opportuno collocutionis eorum die, ad ecclesiam B. Petri Apostoli hic Dei famulus invitabatur. Ubi cum se mutuis ac pacificis satiassent colloquiis, Præsul Apostolicus illum de Symbolo fideique Catholicæ traditione inquisivit... Parvo dehinc tempore transacto, vir Domini sanctæ atque catholicæ fidei sententiam omni convenientia et eloquentia prolatam litteris præfato Principi obtulit. At ille lectis ejusdem litteris, eum juxta se sedere fecit, et ut hujusmodi fidem constanter retineret, diligenter edoceret, admonuit. Multa quoque de religione spiritalis vitæ cum illo conferens, ita ut interdum integrum pene diem colloquendo ducerent. Ad extremum quot populi per B devia idololatriæ vel facinorum prius oberrantes, fidei documenta prædicatione perciperent, sciscitatus est.

*honorifice excipit,*

*de fide interrogat,*

*de spiritualibus cum eo loquitur.*

38 Cumque Apostolico de his omnibus satisfecisset respondendo; tunc ille intimavit sancto viro, quia Episcopatus gradum sibi imponere voluisset, ut eo constantius errantes quoslibet corrigere et ad viam veritatis convertere posset, quo majori auctoritate Apostolicæ dignitatis fulciretur, essetque cunctis tanto acceptior prædicandi officio, quanto plus claresceret, quia ad hoc, a Præsule ordinatus esset Apostolico. Quæ omnia vir Dei sagaciter perpendens, simulque cavens quod scriptum est, Qui noluit benedictionem, elongabitur ab eo, benedictionis tantæ gratiam non recusavit. Adveniente ergo ordinationis ejus die, quæ erat pridie Kalendarum Decembrium, hoc est, in natali S. Andreæ Apostoli, imposuit ei venerabilis Papa et Episcopatus ordinem, et alterius nominis, quod est Bonifacius, dignitatem, nam antea Winfrid dicebatur. *Recitat deinde Othlonus juramentum, quo se is Pontifici obstrinxit; cujus initium est:* In nomine Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, imperante Domino Leone magno Imperatore, anno VII post consulatum ejus, sed et Constantini Magni Imperatoris ejus filii anno IV. Indict. VI, pro- C mitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus, tibi Beate Petre Apostolorum Princeps, Vicarioque tuo B. Gregorio Papæ et successoribus ejus *etc.*

*Episcopum eum designat,*

Psal. 108. 18

*ipseque ordinat,*

39 Postquam ergo hujusmodi promissionem jurando coram Gregorio Papa peregit, tunc et ipse eum in omnibus adjuvare, præferre et venerari studuit. Nam libellum, in quo sacratissima Ecclesiasticæ institutionis jura, pontificalibus digesta conventibus, habebantur, ei donavit præcipiens, ut tam Clerus quam ceteri populi, suo regimini subjiciendi, institutis talibus erudirentur. Sed et familiaritatem Sedis Apostolicæ sibi omnibusque sibi subjectis perenniter reservandam privilegio confirmavit: sicque eum litteris transmissis non solum Karolo Duci glorioso, qui per id tempus Francorum regnum gubernabat, sed etiam universis Ecclesiasticis viris Principibusque in Germania constitutis muniendum commendavit. *Recitat Othlonus hasce omnes epistolas. Quæ* Karolo Duci *inscripta, Martello nimirum, Pipini Herstalli filio, non habet diem nec annum, quo data, adscriptum. Noluit enim Pontifex ad Francos scribens Æram Imperatoriam signare. Quæ* Episcopis, Ducibus, Comitibus *etc.* data Kal. Decemb. imperante Domno D piissimo Augusto Leone, Imperii ejus anno VII, sed et Constantini Imperatoris ejus filii anno IV. Indict. VI. *Sunt et aliæ ad Clerum et plebem litteræ, aliæ ad Turingos Principes* Asolfum, Godolaum, Wilarium, Cuntharium, Albordum, *jam Christianos: aliæ ad* universum populum Turingorum: *aliæ denique ad* universum populum provinciæ Altsaxonum. *Ex quia ab Othlono Vitæ S. Bonifacii insertæ sunt, cum ea referentur V Junii. Recitat eas Baronius in annalib. ad an.* 723, *quo existimavit Bonifacium fuisse Episcopum ordinatum: idque opinor propter annum Leonis Isaurici septimum; nam cum Imperator sit factus anno* DCCXVII *mense Martio, annus ejus septimus, fuit Christi* DCCXXIII. *Verum Sirmondus in notis ad tom.* 1 *Conciliorum Galliæ corrigendum censet, ac reponendum annum sextum, quocum mense Novembri congruit Indictio sexta, a Septembri inchoata. At supra diximus, Leonem Indict.* XIV *Imperium in Asia invasisse: et ab ea Indict. subinde ejus annos supputantur. Itaque December Indictionis* VI, *congruet cum anno Imperii ejus septimo, ut nulla in eo numero correctione opus sit. Sed quid Constantini annis fiet? Est is* anno quarto Leonis, Indict. tertia, die Paschæ *a S. Germano coronatus, Christi* DCCXX. *Annus igitur Imperii ejus quartus non potuit* DCCXXII *censeri, sed sequens. De his alibi.*

*libris monitisque instruit.*

*et Carolo Martello commendat:*

*dat et ad varios litteras.*

*Hæc gesta an. 722 vel 723.*

E

40 *Alia extat Gregorii ad Bonifacium epistola, quæ* data pridie Non. Decemb. Leonis anno VIII, filii ejus anno V. Indict. VIII. *Qui calculus annorum cum præcedenti non congruit: nam in posteriore hoc Imperii initium ducitur ab anno* DCCXVII, *indicaturque annus Christi* DCCXXIV, *ut etiam statuit Baronius. Sæpius litteras, quæ non omnes extant, invicem scripsere duo illi Germaniæ Apostoli. Ita enim ambos licet appellare: nam ut Gregorius* I *misso in Angliam S. Augustino, fere etiam præ illo, Anglorum Apostolus est appellatus; ita misso in Germaniam Bonifacio Gregorius* II *meretur et Germaniæ Apostoli titulum, qui alioquin Bonifacio ipsi jure optimo tribuitur.*

*Uterque Gregorius Apostolus dicendus.*

## § V. *S. Gregorii II studium tuendæ auctoritatis Ecclesiasticæ, ac disciplinæ morum: cum Regibus amicitia.*

*Fuit eximium propagandæ religionis in Gregorio studium: sed et ingens ad tuendam Ecclesiæ auctoritatem, ac disciplinam Ecclesiasticorum moresque instituendos, vis fuit. Curavit, ut ante scriptum ipso Pontificatus sui initio deturbari e Cathedra Constantinopolitana Patriarcham hæreticum. Leonem Imperatorem, qui S. Germanum ex eadem Cathedra dejecerat, intrepide redarguit, ipsumque et Cathedræ illius invasorem Anastasium anathemate perculit. Serenum Forojuliensem Episcopum, quod Donati Gradensis Patriarchæ niteretur in*vadere jura, *paterne monuit, uti ex ejus ad illum litteris ad annum* 729 *num.* 3 *commemorat Baronius, ac diserte ista inculcavit:* Dum ad cumulum tui honoris, precibus eximii filii nostri Regis *(Luitprandi)* flexi,... rectitudine fidei, per quam te tuamque Ecclesiam amplecti cognovimus, provocati, Pallium tibi direximus, interdicentes, et inter cetera prohibentes, ne unquam aliena jura invaderes, aut temeritatis ausu usurpares jurisdictionem cujuspiam: sed his esses contentus, quæ usque hactenus possedisti.

*S. Gregorius acer contra improbos Episcopos,*

*aut alieni juris usurpatores:*

42 *Ejusdem Gregorii esse, atque ex eodem tuendæ Ecclesiasticæ auctoritatis zelo scriptam existimavit Baronius epistolam ad Tilpinum Remensem Archiepiscopum, quæ extat tom.* 2 *Conciliorum Galliæ, et apud Flodoardum lib.* 2 *historiæ. Ecclesiæ Remensis: est vero ea Adriani Papæ, annis amplius* XC *post Gregorii* II *decessum data. Sed quia fragmentum duntaxat illius epistolæ nactus erat Baronius, quod et recitat, de S. Rigoberto a Sede Remensi contra canones dejecto, existimavit*

*non legitur tamen scripsisse pro S. Rigoberto Ep. Rem*

A *marit scripsitque, quæ in eum gesta erant a Carolo Martello,* per Gregorium Romanum Pontificem irrita penitus reddita esse, *hujusque eam esse epistolam. Verum qui totum legerit, aliter sentiet : nam ea Adrianus antiqua jura Ecclesiæ Remensis confirmat, et quæ de S. Rigoberto inserit, sibi a Tilpino relata scribit : meminitque S. Abelis Ecclesiæ Remensi a S. Bonifacio præpositi Zachariæ et Stephani Pontificum : Caroli item et Carolomanni Regum, quorum ille* XVII *post Gregorii secundi mortem annis natus est, hic uno et viginti.*

43 *Ad corrigendam disciplinam illa spectant, quæ idem Gregorius contra sacrilegas atque incestas nuptias, contra incantatores ac magicis phylacteriis utentes, contraque Clericos comam relaxantes, constituit in Concilio Romano, Indict.* IV, *anno* DCCXXI, *Nonis Aprilib. habito, cui præter ipsummet Gregorium Episcopi* XXII, *Presbyteri Cardinales* XIV, *Diaconi* IV *subscripserunt.*

*synodum cogit pro morum emendatione.*

44 *Ut porro tutior esset Ecclesiæ sanctæ auctoritas, gratia effecit, qua Reges ac Principes sibi Gregorius conciliabat. Non repeto ante dicta de Imperatoribus Anastasio ac Theodosio, de Ina Rege Anglorum, ac Boiorum Principe Theodone : quorum potentia nixa alibi Catholica res, armis quoque defendi, si qua exegisset necessitas, poterat. Ita Neapolitani Ducis parata illi* B *arma fuere, quamvis non omnino gratuita. Auxilium Ducis Veneti imploratum adversus Longobardos, qui Ravennam occuparant. Extat epistola qua Ducem ita rogat :* Debeat nobilitas tua ei *(ut ante dixit,* filio nostro Domino eximio Exarcho) adhærere, et cum eo nostra vice pariter decertare, ut ad pristinum statum sanctæ Reip. in Imperiali servitio Dominorum filiorum nostrorum Leonis et Constantini magnorum Imperatorum ipsa revocetur Ravennatum civitas, ut zelo et amore sanctæ fidei nostræ in statu Reip. et Imperiali servitio firmi persistere, Domino cooperante, valeamus. *Neque inanis hic conatus fuit. Recuperata Venetorum armis Ravenna est, restitutaque Imperio, uti Sigonius lib. 3 de regno Italiæ scribit, atque ex eo Puteanus in Insubricis. Debuisset ea res ipsum quoque Pontifici conciliare Ecclesiæque Leonem Imp. si non ejus animum in belluinam immanitatem hæresis efferasset. At mox de eo plura.*

*Reges et Principes sibi conciliat :*

*Ducem Venetum instigat, ut Ravenna pellat Longobardos :*

45 *Luithprandum Longobardorum Regem qua eloquentia idem permovit alias Gregorius, ut injuste occupata restitueret Ecclesiæ, alios, ut quæ impiis scelerate consociarat, deponeret, ferretque retro arma! Utrumque in Vita ejus commemorat Anastasius, etsi, ut cetera, cursim fere. Post eum Sigonius :* Luitprandus regiæ consulendum vectigalibus ratus, Patrimonium Alpium Cottiarum paullo ante ab Ariperto Rege Pon- C tifici restitutum repetiit. *At postea de Gregorio ita scribit :* Luitprandum autem Regem haud obscure Italiæ imperium affectantem, gravibus ac piis admonitionibus tanto pietatis studio inflammavit, ut mox Patrimonium Alpium Cottiarum Romanæ Ecclesiæ restituerit, et ratam Ariperti donationem habuerit. *Ac postea ad annum* 728. Luitprandus Sutrium oppidum dolo Ecclesiæ ademit. Verum mox muneribus monitisque Pontificis victus post dies XL restituit. *Idem scriptor elegantem deinde componit orationem, qua Regem eumdem perpulerit, ut omisso Romanæ urbis obsidione in gratiam cum Ecclesia rediret.*

*horum Regem movet ut ablata restituat Ecclesiæ,*

*et ab injusto bello desistat :*

46 *Eudonem Aquitaniæ Ducem quam arcte, quam pie devinctum idem habuerit Gregorius, ex iis patet, quæ illum victis anno* DCCXXV *Saracenis scripsisse Anastasius memorat. Eam victoriam Martello plerique scriptores Galli tribuunt, post auctorem historiæ, quam Childebrandus Comes scribi curavit, extatque Chronico Fredegarii subnexa tom. 1 Francicorum scriptorum Chesnæi : sed neque in anno satis ii inter sese consentiunt, et primus ille auctor merito suspectus est, familiæ Martelli addictus. Videtur sincerior Pauli Diaconi narratio, utcumque cum Anastasio congruens. Ita ille* D *scribit lib. 6 de gestis Longobard. cap.* 46. Eo tempore gens Sarracenorum in loco qui Septem dicitur, ex Africa transfretantes, universam Hispaniam invaserunt. Deinde post decem annos cum uxoribus et parvulis venientes, Aquitaniam Galliæ provinciam, quasi habitaturi, ingressi sunt. Karolus siquidem cum Eudone Aquitaniæ Principe tunc discordiam habebat. Qui tamen in unum se conjungentes, contra eosdem Sarracenos pari consilio dimicarunt. Nam irruentes Franci super eos, trecenta septuaginta quinque millia Sarracenorum interemerunt. Ex Francorum vero parte mille et quingenti tantum ibi ceciderunt. Eudo quoque cum suis super eorum castra irruens, pari modo multos interficiens, omnia devastavit. *Hactenus Paulus Diaconus. Quem autem locum* Septem *vocat,* Septa *est ad fretum Gaditanum, aliis* Septem fratres *dicta,* Ἑπταδελφοί, *in Mauritania Tingitana. Non aliter evocasse mihi in Galliam Saracenos Eudo videtur, quos quadriennio ante ejus aditu arcuerat, quam quia inter eum ac Carolum inimicitiæ gliscebant, ut spes ita injecta Barbaris occupandæ Galliæ possit existimari. Ita Turcas solemus dicere Christianorum Principum inter se bellis ad reliquam occupandam Europam evocari.*

*pius muneribus devincit sibi Eudonem Ducem,*

AUCTORE J. B.

*a quo victi Saraceni :*

47 *Ceterum Carolum quoque sibi devinctum habebat* E *Gregorius, ad quem, ut antea diximus, commendatitias S. Bonifacio litteras dedit, in quibus profitetur se* comperisse. *Carolum* religiosæ mentis affectum gerere. *Non pertinent tamen ad hunc Gregorium (ut putavit Baronius ad an.* 726 *num.* 41) *quæ in historia Childebrandi jussu scripta narrantur cap.* 110 ; *sed ad S. Gregorium* III. *Ita habet scriptor ille anonymus :* Eo etenim tempore bis a Roma, Sede S. Petri Apostoli, beatus Papa Gregorius claves venerandi sepulchri cum vinculis S. Petri et muneribus magnis et infinitis, legatione (quod antea nullis auditis aut visis temporibus fuit) memorato Principi destinavit. Eo pacto patrato, ut ad partes Imperatoris recederet, et Romanum Consulatum præfato Principi Carolo sanciret. Ipse itaque Princeps mirifico ac magnifico honore ipsam Legationem recepit, munera pretiosa contulit, atque magna præmia cum suis sodalibus missis, Grimonem Abbatem Corbensis monasterii ac Sigobertum reclusum basilicæ S. Dionysii Martyris ad limina S. Petri et S. Pauli destinavit. *Verum ea ultimo Caroli Martelli Principis anno, ultimoque S. Gregorii* III *contigerunt ; Christi* DCCXLI, *ut in Annalibus Metensibus videre est. De his igitur nos* XXVIII *Novembris ad S. Gregorii* III *Vitam.*

*amicum habet Carolum Martellum,*

*quem majoribus muneribus Gregorius 3 coluit.*

## § VI. *Quæ pro cultu sacrarum Imaginum contra Leonem Isauricum Imp. gessit, et ab eo tulit S. Gregorius II.* F

*Ut autem quibus posset beneficiis Francos sibi Gregorius uterque demereretur, Leo Isauricus coegit. Nam cum honorari, atque adeo retineri sacras imagines, etiam Salvatoris, ac Deiparam Sanctosque ceteros invocari, scelestis edictis vetuisset, et tormentis quoque sævire in eos, qui nollent obtemperare, cœpisset, ecclesias crudeliter expilasset, in necem ipsius Pontificis manus impiorum ministrorum armasset ; Numinis sane Divorumque implorandum Pontifici auxilium fuit, et humana quoque conquirenda præsidia. His tamen ita Gregorius* II *usus est, ut nec Francum unum exciverit in Italiam, nec ipsos passus sit Italos alium sibi eligere Imperatorem, aut hæretici Principis jugum excutere, quamdiu spes fuit, eum revocari a furore illo posse. Minime autem hoc loco universa persequemur, quæ sunt a tyranno illo impie in sacras Imagines, in earum defensores truculente designata. Erit alibi sæpius de iis agendi locus, præsertim* VI *Maii ad S. Joannis Damasceni Vitam,*

*Necessaria S. Gregorio amicitia Regum, persequente ipsum Leone Isaurico Imp.*

atque

A *atque ad S. Germani Patriarchæ* XII *ejusdem mensis.*

AUCTORE I. B.

49 Anno Imperii Leonis nono, *inquit Theophanes ex eoque Anastasius,* Gregorius Papa Romanæ præest Ecclesiæ. Quo videlicet anno cœpit impius Imperator Leo depositionis contra sanctas et venerabiles imagines facere verbum. Quod cum didicisset Gregorius Papa Romanus, tributa Romanæ urbis prohibuit, et Italiæ : scribens ad Leonem epistolam dogmaticam, non oportere Imperatorem de fide facere verbum, et novitate violare antiqua dogmata Ecclesiæ Catholicæ, quæ a sanctis Patribus est prædicata. *De vectigalibus postea factum, ut ex ipso Theophane mox dicemus. Restitit illico Leoni Patriarcha Germanus, et Gregorium Papam, quid Leo machinaretur, admonuit. Extat Gregorii epistola apud Baronium ad an.* 726 *num.* 15, *quæ ut in* 2 *Concilio Nicæno act.* 4 *recitata : hac Germani litteris respondet, appellatque* benedictum et a Deo amatum fratrem, et insignem Ecclesiarum propugnatorem, *cujus* certamina omnium ore celebrentur ; *additque,* multa passum, et pro benefactis injuriam accepisse. *Tum varia subnectit de imaginibus, deque liberata antea Constantinopoli per Dei Genitricem : hancque appellat* Propugnatricem illam sanctam, et omnium Christianorum Dominam.

*cultumque sacrarum imaginum vetante :*

*cui restitit S. Germanus Ep. CP.*

*ideo laudatus a S. Gregorio :*

50 *Extant et duæ Gregorii ad Leonem ipsum epis-* B *tolæ, datæ postquam is suum de abolendis imaginibus edictum Romam miserat. Edidit utramque Græcolatine Baronius ad annum* DCCXXVI. *In priore ait se ejus* epistolas XIV, XV, I II III IV V VI VII VIII IX Indictionibus datas, in sancta Ecclesia repositas, in limine Confessionis sancti et gloriosi ac Principis Apostolorum Petri diligenter servare, ubi et Christi amantium prædecessorum *ejus,* qui pie imperarunt, sunt litteræ. *In iis autem litteris eum asserit,* recte admodum ac religiose confessionem inculpatæ et orthodoxæ Fidei nostræ edidisse. *Ac paullo post,* decem annos Dei benignitate recte ambulasse. *Primæ ergo Leonis litteræ Indict.* XIV *scriptæ fuerunt, sive anno Christi* DCCXVI, *quo Imperium in Asia invasit : et si non nisi ab* VIII Kal. Apriliarum decimæquintæ Indictionis, *sive die* XXV *Martii anni* DCCXVII, *regnasse eum Theophanes scribat : quia tunc fortassis diadema imperatorium accepit, obsessam a Saracenis urbem ingressus, cum se jam Theodosius eo honore abdicasset. Quas ultimas ab eo orthodoxas litteras se accepisse Gregorius testatur, ex anno* DCCXXVI *aut sub autumnum præcedentis datæ erant,* Indictione IX. *De prioribus autem illis Leonis epistolis ita scribit Gregorius :* Testis est Deus, quascumque misisti ad nos epistolas, auribus cordibusque Regum Occidentis obtulimus, C pacem illorum tibi ac benevolentiam conciliantes, teque laudantes ac mirifice efferentes, prout te antea conversantem intuebamur. Idcirco etiam laurata tua receperunt, ut Reges a Regibus honore affici convenit : idque cum nondum inceptum hoc conatumque tuum, quo adversus imagines insurrexisti, audivissent.

*Gregorius epistolas Leonis annorum 10 orthodoxas publice servat,*

*et cum aliis Regibus communicat,*

*quos illi conciliat :*

51 *Ceterum in ea epistola ita Ecclesiæ doctrinam de cultu Imaginum defendit, ut simul Imperatoris superbiam egregie castiget :* Necesse, *inquit,* habemus crassa tibi et indocta scribere, ut indoctus es et crassus... Per Deum obtestamur, ut arrogantiam deponas et superbiam, qua circumfluis. *Ac post plura :* Obtestamur te tamquam fratres in Christo, ingredere rursum ad veritatem, unde exivisti : excute spiritus elatos, et pervicaciam tolle, atque ad omnes scribe quoquoversum, eosque quibus offendiculo fuisti, erige, quosque excæcasti ; tametsi præ nimia tua stupiditate illud pro nihilo habes. *Ac deinde :* Averte cogitationes tuas malas, te obtestor ; et libera animam tuam a scandalis et execrationibus, quibus ab universo mundo incesseris, quandoquidem vel a pueris parvis illuderis. *Ac non paucis interjectis :* Scis, D Imperator, sanctæ Ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum etc. *Ostendit deinde supervacaneum esse ut concilium generale cogatur. Ac tandem :* Non animadvertis hunc tuum conatum, quo adversus Imagines insurrexisti, facinus esse turbulentum et insolens et superbum ?

*hæreticum factum litteris increpat, ut stupidum et superbum,*

52 *Postremo quantam sibi infamiam apud exteros conflarit, cum dejici imaginem Salvatoris jussisset, et mulieres aliquot id impedientes, necari, quæque damna Imperio suo accersiverit, docet, et ejus minas magnifice ridet. Ait ergo id factum,* adstantibus utilibus viris Romanis et ex Francia, ex Wandalis, ex Mauritania, ex Gothia, et, ut generatim dicam, ex toto interiori Occidente. Cum autem advenissent et in suis regionibus singulis juvenilia tua puerilia que facta narrassent ; tunc projecta laurata tua conculcarunt, et faciem tuam conciderunt : ac delectu habito Longobardi et Sarmatæ, ceterique qui ad Septemtrionem habitant, miseram Decapolim incursionibus infestarunt, ipsamque metropolim Ravennam occuparunt, et ejectis magistratibus tuis proprios constituere magistratus : et vicinas nobis sedes regias, ipsamque Romam sic tractare statuerunt, cum tu nos defendere minime possis. Et hæc ob imprudentiam ac stultitiam sustinuisti.

*et jam ubique terrarum infamem,*

*damnoque suarum urbium multatum*

E

53 Atenim nos perterrefacis, aisque : Romam mittam et imaginem S. Petri confringam, sed et Gregorium illinc Pontificem vinctum adduci curabo, sicut Martinum * Constantinus adduci jussit. Scire autem debes, ac pro certo habere, Pontifices, qui pro tempore Romæ extiterint, conciliandæ pacis caussa sedere, tamquam parietem integerrimum, septumque medianum Orientis et Occidentis, ac pacis arbitros et moderatores esse : quique ante te fuerunt Imperatores, in hoc componendæ pacis certamine desudarunt. Quod si nobis insolenter insultes et minas intentes, non est nobis necesse tecum in certamen descendere : ad quatuor et viginti stadia secedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex ; tum tu vade, ventos persequere. Prædecessor noster Martinus Pontifex ad pacem cohortans sedebat : idcirco malignus ille Constantinus de fide sanctæ Trinitatis male sentiens, et hæreticis Pontificibus proscriptis adstipulans Sergio et Paulo et Pyrrho, missis satellitibus rapuit illum, et Byzantium tyrannica violentia abduxit ; multisque malis obsessum in exilium amandavit. Quin etiam Maximo monacho, et hujus discipulo Anastasio mala multa exhibuit, et Lazicam in exilium misit. At Constantinus, qui eos relegarat, interfectus et in peccato suo mortuus est. Nezeuxius enim, qui tunc Comes obsequii ejus erat, ab Episco- F pis Siciliæ certior factus hæreticum eum esse, ipsum intus in templo trucidavit, et in peccato suo interiit. Beatum vero esse Martinum testatur civitas Chersonis, in quam relegatus est, et Bosphori, totusque Septemtrio et incolæ Septemtrionis, qui ad monumentum ejus accurrunt et curationes accipiunt. Atque utinam Dei munere nobis contingat, ut per Martini viam incedamus : tametsi ob plebis utilitatem vivere volumus et supervivere, quandoquidem Occidens universus ad humilitatem nostram convertit oculos : ac licet tales non simus nos, illi tamen magnopere nobis confidunt, et in eum, cujus denuntias te imaginem eversurum atque deleturum, Sancti scilicet Petri, quem omnia Occidentis regna velut Deum terrestrem habent. Quod si hoc velis experiri, plane parati sunt Occidentales ulcisci etiam Orientales, quos injuriis affecisti.

*ridet minas ejus, cupientis ut Martinum Papam abducere,*

*Constantius sive Constans*

*cum facile possit declinare :*

*sed cum persecutore male pereunte,*

*Martinus clarescat miraculis,*

*paratum se hunc sequi,*

*etsi ob alios vivere malit.*

54 Veruntamen per Dominum te obsecramus, a juvenilibus ac puerilibus factis avertere. Nosti quod Imperium tuum ulcisci Romam non possit, nisi forte solam urbem propter adjacens illi mare ac navigia. Ut

*hortatur ut resipiscat :*

A Ut enim ante diximus, si ad quatuor et viginti stadia Roma fuerit egressus Papa, nihil tuas minas extimescit. Unum est quod nos male habet, quod agrestes et barbari mansueti fiant, et tu mansuetus contra agrestis et ferus. Totus Occidens sancto Principi Apostolorum fide fructus affert. Quod si quospiam ad evertendam imaginem miseris S. Petri, vide, protestamur tibi, innocentes sumus a sanguine quem fusuri sunt: verum in cervices tuas et in caput tuum ista recident. Nuper siquidem ab interiori Occidente preces illius, quem Septetum appellant, accepimus, qui vultum expetit nostrum Dei gratia, et ut ad impartiendum ei sanctum baptisma illuc proficiscamur: ac ne socordiæ negligentiæque nostræ ratio nobis reddenda sit, ad iter nos accingimus. Deus autem timorem suum in cor tuum immittat, et te ad veritatem convertat ab iis, quæ in mundum perperam invexisti: tuasque litteras quamprimum accipiam, quæ nobis tuam annuntient conversionem.

*nuntiat se ire ad Principem recens conversum baptizandum:*

55 *Eadem Gregorius Leoni inculcat posteriore epistola, quæ ita incipit:* Accepimus vestri a Deo conservati Imperii atque in Christo fraternitatis litteras per Rufinum Legatum vestrum delatas: meque prorsus vitæ meæ tæduit, quod sententiam non mutaris, sed in eisdem malis perseveres, nec ea quæ Christi B sunt sapias. *Inter alia ei exprobrat:* Cum sanctas ecclesias fimbriatis aureis vestibus convestitas et variegatas invenisses, eas ornatu privasti atque vastasti. *Deinde:* Audi humilitatem nostram, Imperator, cessa, et sanctam Ecclesiam sequere, prout invenisti atque accepisti. Non sunt Imperatorum dogmata, sed Pontificum; quoniam Christi sensum habemus... Militarem ac ineptum quem habes sensum et crassum, in spiritalibus dogmatum administrationibus habere non potes... Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi; sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi et electiones in Clero peragendi, neque consecrandi, vel symbola sanctorum Sacramentorum administrandi, sed neque participandi absque opera Sacerdotis. Sed unusque nostrum in qua vocatione vocatus est a Deo, in ea maneat. *Sub finem epistolæ rursus meminit itineris, quod ad baptizandos Principes recens conversos ingredi parabat. Qui illi fuerint, nusquam legimus: Germani forsan, a S. Bonifacio conversi. Ne autem illud deinde iter susciperet, turbæ ex videntur effecisse, quos adversus eum identidem Leo excitavit. Ita autem scribebat ad eum de sua profectione:* Nos, prout ante scripsimus tibi, iter ingredimur, Dei benigni-C tate, in extremas Occidentis regiones, versus illos, qui sanctum baptisma efflagitant. Cum enim illuc Episcopos misissem et sanctæ Ecclesiæ nostræ Clericos; nondum adducti sunt, ut capita sua inclinarent et baptizarentur eorum Principes, quod exoptent, ut eorum sim susceptor. Hac de caussa nos ad viam, Dei benignitate, accingimus, ne forte damnationis et incuriæ nostræ rationem reddamus. Det tibi Deus prudentiam ac pœnitentiam, ut ad veritatem convertaris, a qua descivisti.

*alia epistola eum iterum hortatur ut resipiscat,*

*nec sacris se misceat:*

*ait se ad Principes quosdam conversos ire:*

56 *At non litteris solum conatus est Gregorius Imperatorem ab hæresi revocare, sed et Legatis ad eum missis, quos ille in exilium expulit, morique coegit. Ita Nicolaus I Papa epistola 8 Michaeli III Imperatori exprobrat, quod* antecessores *ejus* per tot annorum curricula diversarum hæreseon morbis languentes medicinale remedium non quæsierunt: quin potius medicinam sponte sibi porrectam, quasi desperati, vel quasi cor impœnitens gerentes, ab ipsis faucibus projecerint; dum tantæ salutis oblatæ ministros duplici modo interemerunt: quoniam aut participes illos sui erroris effectos spiritaliter occiderunt; sicut tempore reverendæ memoriæ Cononis Papæ contigit, qui post sextam synodum extitit; aut certe D corporaliter illos non consentientes sibi necaverunt, sicut sub venerabili Papa Gregorio factum est, qui post sextam synodum fuit; quando pro zelo fidei et sanctarum Imaginum reverentia religiosi viri ac Dei famuli directi in exilium missi sunt, et bona confessione hujus mundi finierunt vitam.

*mittit ad Leonem Legatos,*

*AUCTORE I. B.*

*quos ille in exilio mori cogit:*

57 *Quid autem adversus Gregorium Leo? Toto furore in id incubuit, ut eum seu vi seu fraude e solio vitaque exturbaret. Anastasius breviter quidem, sed solus ex antiquis, fideliter tamen, litteris, quæ ille machinatus, tradidit, quaque moderatione animi, qua ingenii lenitate Gregorius se gesserit, et Feronymum illum (ut Græci appellant) placare conatus sit, nisi plane colubrina indole fuisset præditus, ut magis efferaretur beneficiis. Tandem ergo mansuetissimus Pontifex, quos diu continuerat in officio Italicos populos, passus est jugum excutere impiissimi Principis, cædem ipsis, Ecclesiæque exitium parantis. Theophanes, qui et antea ne tributa penderentur sanxisse Gregorium scripserat, sed intempestive ad annum Leonis nonum, ad decimumtertium hæc habet:* In seniori vero Roma Gregorius vir apostolicus et Petri verticis Apostolorum consessor, verbo et actu coruscans, qui removit Romam et Italiam, nec non et omnia tam Reip. quam Ecclesiæ jura in E Hesperiis, ab obedientia Leonis et Imperii sub ipso constituti.

*omnibus frustra tentatis,*

*Italos solvit obligatione ei parendi:*

58 *At cum initio anni* DCCXXX *e throno patriarchali exturbatus esset S. Germanus, inque eum intrusus Anastasius Syncellus, tum vero, ut idem habet Theophanes,* Gregorius sanctissimus Præsul Romanus, Anastasium una cum libellis abjecit, Leonem per epistolas, tamquam impie agentem, redarguens, et Romam cum tota Italia ab illius Imperio recedere faciens. *Qui ii libelli fuerint, exponit in Gregorii Vita Anastasius num. 23, meritoque inflictum ei fulmen excommunicationis.*

*Anastasium S. Germano deposito, intrusum in ejus Cathedram.*

59 *Cedrenus nono quoque anno avertisse Gregorium Italiæ tributa (in tempore falli certum est) ita scribit:* Anno nono Leo impius cœpit de sacris imaginibus evertendis mentionem facere. Quo cognito Gregorius Romæ Papa tributis Italiæ et Romæ eum prohibuit: missa etiam decretali epistola monens, non esse Imperatoris de fide statuere, aut veteris Ecclesiæ decreta, a sanctis Patribus facta, convellere. *Melius idem Cedrenus, ubi de erecto in Germani Cathedram Anastasio egit, ista subdit:* Romæ autem Gregorius, apostolicus vir, et Petri Apostolorum coryphæi assessor, qui ob divinas suas lucubrationes Dialogi cognomen adeptus est, a Leone ob ejus impietatem defecit, et pacto cum Francis icto tributa F Leoni denegavit: Anastasium ac socios anathemate perculit, Imperatoremque multis epistolis et a multis lectis manifeste redarguit. *Ita ille De Dialogi cognomine quod ait, supra refellimus, et pluribus refellit Fronto Ducæus noster in annotationibus in priorem Gregorii ad Leonem epistolam apud Baronium. Excommunicationis sententiam in eumdem Leonem tulit, aut comminatus est, Gregorius in secunda epistola, priusquam depositus esset S. Germanus. Ita illic scribit:* Persequeris nos, ac tyrannice vexas, militari carnalique manu. Nos inermes ac nudi, qui terrenos ac carnales exercitus non habemus, invocamus Principem exercitus omnis creaturæ, sedentem in cælis, Christum, qui est super omnes exercitus supernarum virtutum, ut immittat tibi dæmonem, sicut ait Apostolus: Tradere hujusmodi in interitum carnis, ut 1 Cor. 5. 5 spiritus salvus sit.

*excommunicat,*

*et Leonem ipsum.*

60 *Ad ista sancienda synodum a Gregorio coactam indicat Zonaras. Habita enimvero synodus est quo Iconomachorum condemnata hæresis, usus que sacrarum imaginum confirmatus. Ejus meminit Hadrianus Papa I in*

Auctore II. habita prius Romæ Synodo.

*in epist. ad Carolum Magnum, ubi ista leguntur :* Pro his firmissimis exemplis, prædecessor noster Dominus Gregorius II Junior Papa, in suo sacro concilio (quod etiam in alio concilio prædecessoris nostri Stephani Papæ, una cum Sacerdotibus partium Franciæ atque Italiæ acto, susceptum et veneratum est) in eo ipso præsidente sanctissimo ac beatissimo quondam Domino Gregorio Papa, per semetipsum similiter dixit *etc. Sed Zonaram audiamus.* Gregorius, *inquit*, qui tunc Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiata societate præsidis novæ Romæ, necnon eorum qui illum sequerentur, illos una cum Imperatore synodico anathemate obstrinxit : et vectigalia quæ ad id usque tempus Imperio inde pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere. *Ac paucis de Francorum origine interjectis :* igitur Papa Gregorius deserta Imperatoribus obedientia, ut dictum est, ob perversam illius opinionem, pacem cum Francis fecit; cum prius sæpe dedisset operam, ut Leonem per litteras ab odio Dei revocaret, atque ad cultum sacrarum imaginum reduceret. Sed id plane erat Æthiopem lavare.

sæpe commonitum

## § VII. *S. Gregorii II scripta. Obitus. Acta.*

Gregorius II an. et quid scripserit ?

De *S. Gregorii II lucubrationibus ista habet ad annum* 726 *num.* 28 *Baronius :* Præter epistolas aliquid scripsisse nullus meminit : sed erant epistolæ illæ dogmaticæ, graves, quas ipsi Orientales in Græcum e Latino translatas custodierunt. *Ad annum* 731 *num.* 1 *videtur quod scripserat retractare :* Cujus si scripta extarent, *inquit, quasi innuat, aliqua eum scriptorum monumenta reliquisse posteris. De hisce ista tradit Sigebertus Gemblacensis libro de scriptoribus Ecclesiast. cap.* 74. Gregorius secundus hujus nominis Papa Romanus, interpellatus apud Constantinopolim a Justiniano Imp. super quibusdam capitulis, optima responsione unamquamque quæstionem absolvit, et scripta edidit. Rescripsit etiam ad synodicam, quam Joannes Constantinopolitanus Antistes Romam misit. Hic constans Ecclesiasticorum dogmatum defensor, et contrariorum fortissimus impugnator, scripsit, contra Leonem Imp. qui seductus a quodam refuga fidei, nomine Beser, jussit ubique imagines Dei et Sanctorum ejus deponi et incendi. *Ista Sigebertus. At supra ostendimus non Constantinopoli, sed Nicomediæ, cum Justiniano egisse. Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ita de Gregorii scriptis pronuntiat :* Scripsit plena eruditionis quædam opuscula, de quibus feruntur subjecta : Ad interrogata Justiniani Responsionum liber unus. Ad Joannem Epicopum Constantinop. lib. 1. Contra Leonem Augustum lib. 1 Epistolarum ad diversos lib. 1 *De epistolis nemo ambigit, (etsi non omnes, extant) quin plurimas scripserit. Neque contra Leonem Augustum, contraque Joannem, aut etiam Anastasium, Pseudopatriarchas, aliud reor edidisse quam Epistolas, sed prolixiores quasdam, ut ex iis patet quæ Græcolatine editæ a Baronio, e Græco versæ a Frontone Ducæo nostro, notisque illustratæ. De aliis quibusdam ejus epistolis et scriptis curiose inquirit Ludovicus Jacob a S. Carolo in Bibliotheca Pontificia. Quia horum quædam an ejus sint dubium est, nec ea vidimus, longiori disputatione supersedemus.*

62 *Eximia autem humanitate aliorum ipse lucubrationes promovit Testis Beda in historiæ gentis Anglorum præfatione ad sanctum Regem Ceolulphum, cujus* XV *Januarii dedimus Vitam. Illic recensens* quibus maxime auctoribus didicerit, *quæ scribit, ita habet :* Auctor ante omnes atque adjutor opusculi hujus Albinus Abbas, reverendissimus vir per omnia doctissimus extitit. Qui in Ecclesia Cantuariorum a beatæ memoriæ Theodoro Archiepiscopo et Adriano Abbate viris venerabilibus atque eruditissimis institutus, diligenter omnia quæ in ipsa Cantuariorum provincia, vel etiam in contiguis ejusdem regionibus, a discipulis beati Papæ Gregorii gesta fuere, vel monumentis litterarum vel seniorum traditione cognoverat, ea mihi de his quæ memoria digna videbantur, per religiosum Londinensis Ecclesiæ Presbyterum Nothelmum, sive litteris mandata, sive ipsius Nothelmi viva voce referenda, transmisit. Qui videlicet Nothelmus postea Romam veniens, nonnullas ibi B. Gregorii Papæ simul et aliorum Pontificum epistolas, perscrutato ejusdem Sanctæ Ecclesiæ Romanæ scrinio, permissu ejus, qui nunc ipsi Ecclesiæ præest, Gregorii Pontificis, invenit : reversusque nobis nostræ historiæ inserendas, cum consilio præfati Albini reverendissimi Patris attulit.

simul e bibliotheca Apostolicam describi, quæ alios scriptores juvent :

63 *Anno tandem* DCCXXXI, *Indict.* XIV, *multiplici decoratus ovansque victoria, in cœlum migravit Gregorius,* III *Idus Februarii, quo tamen die vix ulla meminere illius Martyrologia : pleraque cum Romano nomen ejus ipsis Idibus habent, cum variis elogiis e Vita sumptis, brevibus nonnullis, aliis prolixioribus. Alii pridie Id. ponunt, Notherus, auctor Florarii, plurimaque MSS. Martyrologia : Maurolycus utroque die. Quosdam in elogiis concinnandis fefellit ratio, dum quæ Gregorii* III *sunt, huic tribuunt. Ita Canisius ac Hermannus Greven* natione Syrum *faciunt; hic solum decem pontificatus annos tribuit, menses octo, dies* XIV, *quot circiter successori Anastasius aliique. In secundi alioquin Gregorii annis multorum fœde titubat calculus.*

moritur II Febr. inscriptus Martyrologiis 12 et 13.

64 *Præter eam Vitam, quam hic damus ex libro de Romanis Pontificibus, ab Anastasio Bibliothecario, ut creditur, compositam, sed a nobis in capita distributam, minuendi fastidii gratia; alia extat paullo brevior ab S. Abbone, sive Albone, Abbate Floriacensi : brevissimæ aliæ a Luithprando in Vitis Pontificum, Ferrario in Catalogo SS. Italiæ, Petro Equilino lib.* 10 *cap.* 117, *qui Syrum facit, successorem Romanum Marcelli filium;* ὕστερον πρότερον. *Scripsit denique Gregorii res gestas Platina, sed in multis hallucinatus; ut cum Saracenos a Martello victos ait*, a cervicibus Hispanorum et Gallorum pulsos, rabiem omnem et indignationem ex tanta clade conceptam in Constantinopolitanos vertisse, urbem enim terra marique triennio obsedisse. *Minimum septem annis prius soluta obsidione Constantinopolis est, quam cladem illam in Aquitania Saraceni accepere : et diversi hi erant ab iis qui Constantinopolim obsederant : neque sunt illa Gallorum victoria ab Hispanorum pulsi cervicibus. Ejusdem rationis est, quod Leonem Imperatorem ait Gregorio cædem per Paulum Exarchum machinatum*, quod ab eo prohibeberetur ne nova vectigalia exigeret... *ac tandem*, cum aperte invehi in eum non posset, edictum proposuisse, ut omnes qui sub Imperio Romano essent, Sanctorum omnium, Martyrum et Angelorum, statuas atque imagines e templis abraderent et auferrent. *Quamdiu Imagines suis edictis Leo non violavit, nihil ei cum Gregorio negotii fuit, ut fidem faciunt citatæ illius ab hoc litteræ, quas per decem annos plenas humanitatis et observantiæ dederat. Accuratius Gregorii hujus Acta prosecutus Ciacconius est in libro de Vitis Pontificum, licet Platinæ ferme narrationi insistat, sed plerisque erratis, quæ diximus, correctis.*

qui aliam Vitam ejus scripserint ?

Platina parum accurate.

65 *Corpus S. Gregorii* II *scribit Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis almæ Urbis, regione septima, quæ Burgi dicitur, eccl.* 17, *etiamnum in basilica Vaticana asservari.*

Reliquiæ in S. Petri.

VITA

A

# VITA
## auctore Anastasio Bibliothecario.
### CAPUT I.

*Gesta a S. Gregorio II primis duobus annis sui Pontificatus, circa publica ædificia, conversionem gentium, Ecclesiæ defensionem.*

*Gregorius varia munia gerit : Catholicam fidem defendit : vir egregius :*

Gregorius II natione Romanus, ex patre Marcello, sedit *a* annos XVI, menses octo, dies viginti. Fuit autem temporibus *b* Anastasii, Theodosii, Leonis, atque Constantini Augustorum. Hic a parva ætate in patriarchio nutritus sub sanctæ memoriæ Domno *c* Sergio Papa : Subdiaconus atque Sacellarius factus, Bibliothecæ illi est cura commissa. Deinde ad diaconatus ordinem provectus est, et cum viro sancto *d* Constantino Pontifice ad regiam profectus est urbem, atque a Justiniano Principe inquisitus de quibusdam *e* capitulis, optima responsione unamquamque solvit quæstionem. Erat enim vir castus, divinæ Scripturæ eruditus, facundus loquela, et constans animo, Ecclesiasticarum rerum defensor, et contrariis fortissimus impugnator.

*Urbem munit : hæretico Patriarchæ respondet :*

2 Hic exordio pontificatus sui *f* calcarias decoqui B jussit, et a porta S. Laurentii inchoans, hujus civitatis muros restaurare decreverat, et aliquam partem faciens, emergentibus incongruis, variisque tumultibus præpeditus est. Hujus temporibus Joannes Constantinopolitanus Antistes Synodicam ei misit, atque ad eum rescriptis idem usus est Pontifex *g*.

*reparat et ornat templa :*

3 Hic maximam partem basilicæ B. Pauli Apostoli, quæ ceciderat, allatis de Calabria trabibus cooperuit; et altare a novo fecit, et *h* ciborium argenteum, quod fuerat ruina quassatum. S. Laurentii pariter ecclesiam foris muros sitam, quæ trabibus confractis ruinæ jam erat vicina, reparavit, atque *i* aquam fistulis compaginatis post multum tempus in eamdem ecclesiam reduxit; diversasque ecclesias in ruinis positas innovavit, quas per ordinem dicere longum est. Hic in Germania per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicavit, et gentem illam, sedentem in tenebris, doctrina lucis convertit ad Christum.

*Germanorum conversionem curat :*

*monasteria varia restituit :*

4 Hic monasteria, quæ secus basilicam S. Pauli erant, ad solitudinem deducta innovavit, atque ordinatis servis Dei monachis, congregationem post longum tempus constituit, ut ibidem die noctuque Deo C redderent laudes. Hic *k* gerocomion, quod post absidam sanctæ Dei Genitricis *l* Ad præsepe situm est, monasterium instituit : atque monasterium S. Andreæ Apostoli, quod *m* Barbaræ nuncuparunt, ad nimiam deductum desertionem, in quo nec unus habebatur monachus, adscitis monachis ordinavit, ut utraque monasteria ad sanctam Dei Genitricem singulis diebus atque noctibus Deo laudes canerent.

*bona Ecclesiæ recuperat.*

5 Eo tempore *n* Luitprandus Rex donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Aripertus Rex fecerat, hicque repetierat, admonitione tanti viri, vel increpatione redditam confirmavit. Hujus temporibus signum in luna factum est Indictione XIV, et visa est cruentata usque ad mediam noctem. Eo itaque tempore *o* Teudo Dux gentis Baioariorum ad Apostoli B. Petri limina primus de gente eadem occurrit, orationis voto.

*Teudo Romam venit.*

6 Hujus temporibus Anastasius Imperator classem navium præparatam in partibus Alexandriæ direxit contra a Deo destructos Agarenos : qui ad aliud versi consilium, antequam pervenissent ad destinatum locum, ab itinere medio ad regiam regressi sunt urbem, Theodosium Orthodoxum inquirentes Imperatorem elegerunt, atque coactum in solio Imperii D confirmaverunt. Anastasius itaque cum civibus, vel quibus potuit de exercitu, munitam civitatem Nicæam perrexit : illic cum classe, in qua Theodosius fuerat Imperator, dimicavit, et fere septem millia excercitus sunt interempta. Cujus Anastasii superata pars verbum jam immunitatis expetiit : datoque sibi sacramento Clericus factus, atque Presbyter est consecratus. Protinus etiam ut ingressus est memoratus Theodosius regiam urbem, imaginem illam venerandam, in qua sanctæ erant sex synodi depictæ, et a Philippico nec dicendo fuerat deposita, in pristino erexit loco, ita ut hujus fidei fervore omnis ab Ecclesia cessaret quæstio.

*AUCTORE P. Theodosius 3 fit Imp. Anastasio victo, et Clerico facto,*

*inundationem Tiberis Urbi et agris exitialem*

7 Eo autem tempore fluvius, qui appellatur Tiberis, alveum suum egressus sese per campestria dedit : intumuit etiam inundatione aquarum multarum, et per portam, quæ Flaminia dicitur, ingressus est : transcendit interea aliquibus in locis et muros Urbis, atque ultra basilicam S. Marci per plateas se extendit, ita ut in via lata ad unam et semis staturam aqua ejusdem fluminis excrevisset, atque a porta B. Petri Apostoli usque ad pontem Milvium aquæ se distenderent, et juxta remissa in ipsius fluminis alveum se dederint. Domos itaque evertit, agros dissipavit, eradicans arbusta et segetes : nam nec serere ipso potuit tempore pars E maxima Romanorum. Pro hoc imminebat tribulatio magna. Per dies autem septem aqua Romam tenebat pervasam. A Domno itaque Papa Letaniæ crebro fiebant. Cumque in oratione et Letaniis persisteret, post octavum jam diem misertus Deus aquam amovit, et fluvius ad proprium regressus est alveum per XV Indictionem.

*divinitus reprimi Litaniis obtinet Gregorius,*

*Cumanum castrum dolo occupatum,*

8 Cumanum etiam castrum ipso fuerat tempore a Longobardis pacis dolo pervasum. Quo audito omnes sunt redditi tristes. Adhortans etiam sanctissimus Pontifex et commonens Longobardos ut redderent : qui si non acquiescerent, in iram se Divinam incidere pro dolo, quem fecerant, suis scriptis detestabatur; nam et munera eis dare, ut restituerent, voluit multa. Sed illi turgida mente neque monitis audire, nec reddere sunt passi. Unde nimis idem sanctus indoluit Pontifex, seseque spei contulit Divinæ, atque in munitione Ducis Neapolitani, et populi vacans, Ducatum eis qualiter agerent, quotidie scribendo præsentabat. Cujus mandato obedientes, consilio inito, mœnia ipsius castri virtute sub nocturno ingressi sunt silentio. Joannes, scilicet Dux, cum *p* Theodimo Subdiacono, et Rectore, atque exercitu, et Longobardos pene trecentos cum eorum F Castaldione interfecerunt, vivos etiam amplius quingentos comprehendentes, captos Neapolim duxerunt. Sic castrum recipere potuerunt : pro cujus redemptione septuaginta auri libras ipse sanctissimus Papa, sicut promiserat antea, dedit.

*per Neapolitanos recuperari impetrat, eosque muneratur*

a *Ita editio Moguntina et Parisiensis. MS. nostrum habet cum Luitprando*, annos 16, menses 9, dies 11. *Cusanum MS* annos 15, menses 8, dies 22. *Abbo Floriac.* an. 15, menses 8, dies 24. *Martyrologia quædam* annos 16, *nullis adjectis mensibus. De tempore quo ipse ac decessor Constantinus sederunt, egimus* § 2. — b *Quo hi tempore imperarint, explanatum in Prolegomenis.* — c *Ita hæc dispungenda,* § 1 *num.* 2 *ostendimus.* — d *De hoc quoque itinere actum fuse* § 1. — e *Capitula hæc, fuisse videntur Canones a pseudosynodo in Trullo conditi, opera potissimum Callinici Patriarchæ hæretici.* — f *De fornacibus calcariis et inchoato murorum opere actum* § 3. — g *Imo et e throno patriarchali, in quem a Philippico Bardane intrusus erat, dejici curavit, hominem hæreticum.* —h *Exponit Alexander Donatus de Urbe Roma lib.* 4 *cap.* 4 Tabernaculum. — i Aquam Martiam opinor, cujus formæ non longe absunt, eodem reduxit, *inquit idem Donatus.* — k *Est γηροκομεῖον sive γηροτροφεῖον, domus ubi senes aluntur. Id hic versum in monasterium ait Donatus.* — l *Hæc est basilica quæ vulgo* Maria major *appellatur, de qua 5 Augusti festo* S. Mariæ ad Nives. — m *Ecclesiam S.* Barbaræ *in urbe Romana, eidem, sive* oratorium, *ut supra januam ait inscribi, recenset Octavius Pancirolus, in regione nona sive Ripensi sitam, rer.* 31 *at præcedenti capite agit de ecclesia et monasterio S. Andreæ in eadem regione.* — *De pio hoc Rege Longobardorum a S. Gregorio plus vice simplici placato egimus ante.* — o *Quintus is fuit illius nominis, uti diximus.* — p *Theodimum hunc scribit Baronius ad an.* 715 *num.*

4 S.

AUCTORE ANASTASIO BIBLIOTH.

A S. R. E. Subdiaconum et Correctorem Campaniæ *fuisse recitatque ejus epitaphium, ac munus* Subdiaconorum regionariorum *num.* 8 *exponit. Theodorum vocat Platina, atque a Beneventano Duce Longobardo occupatum fuisse hoc castrum scribit.*

## CAPUT II.

*Saraceni bis ingenti clade affecti. Missi quater a Leone Isaurico Imp. qui S. Gregorium II occiderent.*

*a reparat ecclesiam sanctæ Crucis in Jerusalem.*

Hic *a* Hierusalem ecclesiam sanctam, quæ multo fuerat detecta tempore, et circumquaque porticus vetustate quassatas trabibus deductis cooperuit ac reparavit. Ambonem etiam marmoreum in eadem Ecclesia fecit, eamque diversis ditavit linteis atque ministeriis. Eodem tempore nefanda Agarenorum gens, cum jam Hispaniarum provinciam *b* per decem tenerent annos pervasam, undecimo anno Rhodanum conabantur fluvium transire, ad Francias occupandum, ubi Eudo præerat. Qui facta Francorum generali motione contra Saracenos, eos circumdantes interfecerunt. Trecenta enim septuaginta quinque millia uno sunt die interfecti, ut ejusdem Eudonis Francorum Ducis missa Pontifici epistola continebat. Mille tantum quingentos ex Francis fuisse mortuos in eodem bello dixerunt. Adjiciens quod anno præmisso in benedictionem a prædicto viro eis B directis tribus spongiis, quibus ad usum mensæ Pontificis apponuntur, in hora qua bellum committebatur, idem Eudo Aquitaniæ Princeps populo suo per modicas partes tribuens ad sumendum eis, nec unus vulneratus est, nec mortuus ex his, qui participati sunt.

*b Franci Saracenos 375000 cædunt paucis suorum desideratis.*

*ceteris per spongias a Gregorio missas servatis.*

10 Eo quoque tempore *c* in Campaniæ partibus combustum triticum, hordeum, seu legumina, quasi pluvia in loco quodam e cœlo missa sunt. Hic quadragesimali tempore ut in quinta feria jejunium, atque Missarum celebritas fieret in ecclesiis, quod non agebatur, instituit. Oratorium sane in patriarchio in nomine B. Petri Apostoli, diversis ornatum metallis, a novo refecit, et circumquaque altaris parietes deargentavit, ac depinxit duodecim Apostolos, qui pendunt libras centum et octoginta.

*c corrupta annona e cœlo pluit.*

*Gregorius oratorium in patriarchio struit.*

11 Illis interea diebus *d* Constantinopolis biennium est a nec dicendis Agarenis obsessa. Sed Deo eis contrario, maxima illic eorum parte fame ac bello interempta, confusi recesserunt, Leone Principe. Nam et ejusdem civitatis populum *e* trecenta dictum est millia diversi sexus et ætatis fuisse necessitate pestilentiæ vastatum. Eo namque tempore moribus certe Honesta et nomine, Pontificis mater ab hac vita subtracta est. Post cujus obitum Gregorius C domum propriam in honorem sanctæ Christi Martyris Agathæ, additis a fundamento cœnaculis, vel quæ monasterii erant necessaria a novo construxit. Prædia illic urbana vel rustica pro monachorum obtulit necessitate. Fecit autem in eadem Ecclesia B. Agathæ ciborium ex argento, quod pensabat libras septingentas et viginti; arcus argenti sex, pensantes singulos libras quindecim; canistra decem, pensantia singula libras duodecim, et alia dona multa largitus est.

*d Constantinopolis obsidio.*

*e fames secuta.*

*Gregorius ex domo sua templi et monasterium facit.*

12 Eo tempore castrum est Narniæ a Longobardis pervasum. Rex vero Longobardorum Luitprandus generali motione facta Ravennam progressus est, atque illam obsedit per dies aliquot, et castrum pervadens, classes captas abstulit plures, et opes abstulit innumeras. *f* Post aliquot dies Basilius Dux Jordanes Chartularius, et *g* Joannes Subdiaconus cognomento Lurion, consilium inierunt, ut Pontificem interficerent. Quibus assensum *h* Marinus Imperialis Spatharius, qui Romanum Ducatum tenebat, a regia missus urbe, Imperatore mandante hoc probavit: sed tempus invenire non potuerunt, quia Dei judicio dissolutus, et contractus est, et sic a Roma D recessit. Postmodum Paulus Patricius, et Exarchus missus in Italiam est, qui *i* denuo ut hoc scelus perficerent, meditabantur. Quorum consilium Romanis patefactum est, qui morte cuncti Jordanem interfecerunt, et Joannem Lurionem: *k* Basilius vero monachus factus, in loco quodam retrusus vitam finivit *l*. Paulus vero Exarchus, Imperatoris jussione, eumdem Pontificem conabatur interficere: *m* eo quod censum in provincia ponere præpediebat, et cogitaret suis opibus Ecclesias denudare, sicut in ceteris actum est locis, atque alium in ejus ordinaret loco *n*. Post hunc Spatharius cum jussionibus missus est alter, ut Pontifex a sua Sede amoveretur. Denuo Paulus Patricius ad perficiendum tale scelus, quos seducere potuit ex Ravenna cum suo Comite, atque ex castris aliquos misit. Sed motis Romanis, atque undique *o* Longobardis, pro defensione Pontificis in Salario ponte Spoletini, atque hinc inde Duces Longobardorum, circumdantes Romanorum fines, hoc præpedierunt.

*f Duces varii a Leone Isaurico Imp. missi, ut Papam occiderent,*

*g h i k l m n*

*a Romanis et Longobardis impediti sunt o*

a *Est hæc basilica* sanctæ Crucis in Jerusalem *a Constantino Magno in ædibus Sessorianis, extremis Esquiliis, ædificata. Consule Donatum lib.* 4 *cap.* 2 8 9. *Panvinium reg.* 2 *eccl.* 13 — b *Anno Christi* 714 *Roderico Rege cæso, Hispaniæ regno potiti sunt Saraceni: sæpius exinde Aquitaniam, aliasque Galliarum provincias aggressi: quæ hic relata de iis victoria memoratur, anno* 725 *contigit.* — c *Baronius legit*, in quibus non agebantur. *Ut edidimus habent omnia exemplaria. Hallucinatur autem Radulphus de Diceto, dum in Abbreviationibus Chronicorum ita scribit:* Hic constituit ut Quadragesimali tempore jejunium Missarumque celebritas fieret, quod ante eum non erat. *De sola feria quinta agit Anastasius, qua ut illa omitterentur, locis quibusdam prava consuetudo invaluerat.* — d *De hac obsidione agunt Theophanes, Cedrenus, Zonaras ceterique Græci. S. Nicephorus obsideri cœptam urbem scribit sub Theodosio, ideoque illi facilius persuasum, ut se Imperio abdicaret.* — e *Citati auctores non meminerunt ita grassatæ in urbe pestilentiæ, sed in hostium castris,* civibus multa instantia ad Deum clamantibus, *ut ait Beda de 6 ætatib. Soluta est urbs obsidione XV Augusti, ut habet Cedrenus et Baronius ad an.* 718 *num.* 2, *idque ope Deiparæ, ut sæpius auctores inculcant.* — f *Baronius legit*, Post aliquod tempus. *Initæ sunt, quæ hic narrantur, adversus sanctissimum Pontificem conjurationes, postquam is Leonis Isaurici Imp. impiis consiliis de abolendo sacrarum imaginum cultu, resistere missis litteris legatisque cœpit.* — g *Hic velut* alter Judas, *ut annotat Baronius, adjutorem se designati a regiis ministris parricidii præbuit.* — h *Baronius legit*, Mauritius. — i *Hæc secunda conspiratio ab iisdem initur, a quibus et prima.* — k *Notat Baronius nullum post hunc amplius legi Romam missum Ducem, quales mitti ab Imperatoribus solebant, ad curandam Urbem et ad eam spectantes civitates.* — l *Ista est tertia conjuratio.* — m *Ita MS. et Baronius. Edita,* eoque. — n *Quarta conjuratio.* — o *Id miraculi simile, quod qui tam per annos circ. Romanam urbem ditionesque Pontificis infestare non desierant Longobardi, nunc ad ejus defensionem ultro provolent.*

## CAPUT III.

*Hæresis Iconomachorum a Gregorio damnata. Hic neci sæpe ereptus, studiis Italorum, et Dei nutu.*

*a*

Jussionibus itaque postmodum *a* missis decreverat Imperator, ut nulla imago cujuslibet Sancti, aut F Martyris, aut Angeli ubicumque haberetur; (maledicta enim omnia asserebat) et si acquiesceret in hoc Pontifex, gratiam Imperatoris haberet: si et hoc fieri præpediret, a suo gradu decideret. Respiciens ergo pius vir profanam Principis jussionem, jam contra Imperatorem, quasi contra hostem, se armavit, renuens hæresim ejus, scribens ubique cavere se Christianos, eo quod orta fuisset impietas talis. Igitur permoti omnes *b* Pentapolenses, atque Venetiarum exercitus, contra Imperatoris jussionem restiterunt, dicentes numquam se in ejusdem Pontificis condescendere nece, sed pro ejus magis defensione viriliter decertare. Ita ut anathemati Paulum Exarchum, vel qui eum direxerat, ejusque consentaneos submitterent, spernentes ordinationem ejus, sibi omnes ubique in Italia Duces elegerunt, atque sic de Pontificis, deque sua immunitate cuncti studebant. Cognita vero Imperatoris nequitia, omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent Imperatorem, et Constantinopolim ducerent. Sed compescuit tale consilium

*Leonis ejusdem edictum de abolendis imaginibus detestatur, ejusque monitu ceteri Itali:*

*b*

*quos tamen impedit ne novum Imperatorem eligant:*

A consilium Pontifex, sperans conversionem Principis.

*varii Duces et necem machinantes occisi a populo :* c

14 Ipsis interea diebus Exhilaratus Dux Neapolis, deceptus diabolica instigatione, cum filio suo Adriano, Campaniæ partes tenuit, seducens populum, ut obedirent Imperatori, et occiderent Pontificem. Tunc Romani omnes eum secuti comprehenderunt, et cum filio suo interfecerunt. Post hunc et Petrum Ducem, c dicentes contra Pontificem Imperatori scripsisse, turbaverunt. Igitur dissensione facta in partibus Ravennæ, alii consentientes impietati Imperatoris, alii cum Pontifice et fidelibus tenentes, intra eos contentione mota, Paulum Patricium occiderunt. Longobardis vero Æmiliæ castra, d Ferrorianus, e Montebelli, f Verablum, cum suis oppidis g Buxo, et h Persiceda, Pentapolis quoque, et Auximana civitas, se tradiderunt.

*castra multa Imperii occupant Longobardi.*

15 Post aliquod vero tempus Eutychium Patricium Eunuchum, qui dudum Exarchus fuerat, Neapolim misit Imperator, ut illud, quod Exarchus Paulus, Spatarii quoque, et ceteri malorum consiliatores facere nequiverunt, perficeret ille. Sed nec sic jubente Deo latuit miserabilis dolus; sed claruit cunctis pessimum consilium, quia Christi violare conabantur Ecclesias, et perdere cunctos, atque diripere omnium bona. Cumque mitteret hominem proprium Romam cum scriptis suis, in quibus continebatur, ut Pontifex occideretur cum Optimatibus B Romæ; agnita crudelissima insania, protinus ipsum Patricii missum occidere voluerunt, nisi defensio Pontificis nimia præpedisset. Verum eumdem anathematizaverunt Eutychium Exarchum, sese magni cum parvis constringentes sacramento, numquam Pontificem Christianæ fidei zeloten, et Ecclesiarum defensorem se permittere noceri, aut amoveri, sed mori pro illius salute essent omnes parati.

*Papa ad se occidendum missum protegit, ne occidatur a populo*

*conjurato ad defensionem sancti Pontificis,*

16 Munera tunc hinc inde Ducibus Longobardorum, et Regi pollicentes plurima, ut ab juvamine desisterent Pontificis, per suos Legatos Patricius ille suadebat. Qui rescriptis detestandam viri dolositatem despicientes, una se quasi fratres fidei catena constrinxerunt, Romani atque Longobardi, desiderantes cuncti mortem pro defensione Pontificis sustinere gloriosam, numquam illum passuri perferre molestiam, pro fide vera et Christianorum i certantem salute.

*una cum Longobardis spernentibus hæreticorum dona.*

17 His ita se habentibus, elegit majus præsidium Pater ille, distribuere pauperibus largissima manu quæ reperiebat, incumbens orationibus, et jejuniis, et letaniis, Deum quotidie deprecabatur. Et spe ita manebat semper fultus plusquam hominum : gratias tamen voluntati populi referens pro mentis proposito, blando omnes sermone, ut bonis in Deum proficerent C actibus, et in fide persisterent, rogabat sed ne desisterent ab amore, vel fide Romani Imperii ammonebat. Sic cunctorum cordia molliebat, et dolores continuos mitigabat.

*ipse sanctis operibus insistit, divina ope fretus,*

*gratias agens populo :*

a *Quæ jam in Oriente promulgarat contra imagines edicta, misit in Occidentem Leo. Sed vanus is quoque rugitus fuit* — b *Continebat Pentapolis urbes quinque ut ex nomine patet*, Ravennam, Cæsenam, Classem, Forum Livii, Forum Pompilii, *Ita Hieron. Rubeus hist Raven. lib. 4, pag. 223.* — c *Nostrum MS. habet* dicentem contra Pontificem Imperatorem scripsisse. — d *MS. Nostrum* Ferromantis. *Cusan.* Ferromannus *Sigonius* Ferronianum *vocat.* — e *Sigon. et Leander*, Mons bellus. — f *Utrumque MS.* Verabulum, *deest Sigonio* — g *Sigon.* Buxelo. — h *Ita Cusan. MS at nostrum*, Persita *Editio Mogunt.* Pernicteta ; *et in margine*, Persiceda. *Sigonius* Persicetum *vocat.* — i *MS. nostrum*, certantes.

## CAPUT IV.

### *Bellici tumultus S. Gregorii II opera discussi. Hujus obitus, piaque opera.*

*a b*

Eodem tempore per a xi Indictionem dolo a Longobardis pervasum est b Sutriense castellum, quod per centum quadraginta dies ab eisdem Longobardis possessum est. Sed Pontificis multis continuis scriptis atque commonitionibus ad Regem missis, quamvis multis datis muneribus, saltim omnibus suis nudatum opibus castrum, donationem beatissimis Apostolis Petro et Paulo antefactam emittens Longobardorum Rex restituit atque donavit.

D

*AUCTORE ANASTASIO BIBLIOTH.*

*a Longobardis obtinet restitui castrum Ecclesiæ ereptum.* c

19 Eo autem tempore Indictione xii c mense Januario, per decem et amplius dies, stella, quæ antifer vocitatur, cum radiis in cœlo apparuit in occiduo, cujus radii partes Aquilonis respiciebant, et usque ad medium cœlum se extendebant. Eo vero tempore sæpius dicti Eutychius Patricius, et Luitprandus Rex inierunt consilium nefarium, ut congregatis exercitibus Rex subjiceret Duces Spoletanum, et Beneventanum, et Exarchus Romam; et quæ pridem de Pontificis persona jussus fuerat, impleret. Qui Rex Spoletum veniens, susceptis ab utrisque Ducibus sacramentis, atque obsidibus, cum tota sua cohorte, in Neronis campum secessit:

*apparente cometa,*

*conspirant contra Papam Exarchus et Luitprandus :*

20 Ad quem egressus Pontifex eique præsentatus, studuit, ut potuit, Regis mollire animum commonitione pia, ita ut se prosterneret ejus pedibus, et promitteret se nulli inferre læsionem : atque sic ad tantam compunctionem piis monitis flexus est, ut quæ fuerat indutus exueret; et ante corpus Apostoli poneret, mantum armilausam, balteum, spatham, atque ensem deauratum, nec non coronam auream, et Crucem argenteam. Post orationem factam, obsecravit Pontificem, ut memoratum Exarchum ad pacis concordiam suscipere dignaretur, quod et factum est. Et sic recessit, Rege declinante a malis, quibus inierat, consiliis cum Exarcho.

*is hunc adit et verbis placat,*

*et mirifice compungit :*

E

*ac per eum Exarcho reconciliatur,*

21 Igitur Exarcho Romæ moranti, venit in partibus Tusciæ in castrum d Mantuarianense quidam seductor, Tiberius nomine, cui cognomen erat Petasius, qui sibi regnum Romani Imperii usurpare conabatur; leviores quoque decipiens, ita ut Mantuarianenses, Lunenses, atque Bledani, ei sacramenta præstitissent. Exarchus vero hæc audiens, turbatus est : quem sanctissimus Papa confortans, et cum eo Proceres Ecclesiæ mittens, atque exercitus profecti sunt. Qui venientes in Mantuarianensi castello, ibidem Petasius interemptus est : cujus abscissum caput Constantinopolim ad Principem missum est.

d

*eumque contra Tiberium tyrannum.*

*missis copiis adjuvat.*

22 Et nec sic Romanis plenam gratiam largitus est Imperator : nam post hæc claruit ejusdem Imperatoris malitia, pro qua persequebatur Pontificem, ita ut compelleret omnes Constantinopolim habitantes, tam virtute, quamque blandimentis, ut deponerent, ubicumque haberentur, imagines tam Salvatoris, quamque ejus Genitricis sanctæ, vel omnium Sanctorum, easque in medio civitatis (quod dicere crudele est) igni cremarent, et omnes dealbarent depictas ecclesias. Et quia plerique ex ejusdem civitatis populo tale scelus fieri præpediebant ; aliquanti capite truncati ; alii in partem corporis excisi, pœnam pertulerunt.

*Leo Imp. jubet sacras imagines comburi :*

F

*in non parentes dire sævit.*

23 Pro qua caussa etiam Germanum sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistitem, eo quod ei consensum præbere noluisset, pontificatu privavit e isdem Imperator, sibique complicem Anastasium Presbyterum in ejus loco constituit. Qui missa Romam synodica, dum tali hæresi eum consentientem reperiret, vir sanctus non censuit eum Fratrem, aut Consacerdotem solito vocari : sed rescriptis commonitoriis, nisi ad Catholicam converteretur fidem, etiam extorrem a sacerdotali officio esse mandavit. Imperatori quoque suadens salutaria, ut a tali execrabili miseria declinaret, scriptis commonuit.

*Anastasium, S. Germano amoto, intrusum* e

*excommunicat Gregorius.*

24 Hic fecit calicem aureum præcipuum, diversis ornatum lapidibus pretiosis, pensantem libras xxx similiter et patenam auream pensantem libras xxviii et semis. Hic dimisit omni Clero, monasteriis, Diaconiæ

*et Leonem monet :*

*donat varia ecclesiis et Clericis.*

*AUCTORE ANASTASIO BIBLIOTH.*

*Ordines confert :*

coniæ, et mansionariis solidos duo millia centum sexaginta, et ad luminaria B. Petri Apostoli solidos mille. Hic fecit Ordinationes quinque, quatuor per mensem Septembrem, et unam mense Junio, Presbyteros triginta quinque, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca centum quinquaginta. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die III. Idus Februarii, Indictione XIII, Leone et Constantino Imperatoribus. Et cessavit Episcopatus dies quinque, mensem unum.

*moritur*

a *Caput est Septembri anni* 727. — b *Erat id olim Etruriæ claustrum.* — c *Anno* 729 *Meminit ad hunc annum Cometæ Chronologum Saxonicum, et Beda lib.* 5 *histor. Eccl. cap.* 24. — d *Baronius* Maturanense, *et in margine* Moranense. *MSS.* Manturianense. — e *Id factum an.* 730, *ut antea diximus, mense Januario.*

*J. B. ANIMADV. PAP. 107*

# DE SS. HAYMONE ET VEREMUNDO

## MEDÆ IN DIŒCESI MEDIOLAN.

*CIRCA AN. DCCXC. XIII FEBR.*

*Corii familia orti SS. Haymo et Veremundus*

Coriorum *est Mediolani familia antiqua et illustris, e qua ortus, Marco patre, anno* CIↃCCCCLX, Bernardinus Corius Patricius, primus origines et inclyta Mediolanensium gesta monumentis litterarum mandavit, *quam lucubrationem anno ætatis suæ* XXV *auspicatus, quadragesimo absolvit, Christi nimirum* CIↃCCCCXC, *die* VIII *Septembris, ut ipsemet testatur. Ex eadem Corii stirpe jam olim prognati existimantur* Haymo, *ut eum vocat Philippus Ferrarius, sive, ut alii,* Aymo *vel* Aymus, *ac* Veremundus: *adeoque idem Ferrarius eos* Comites Turbigii, *seu potius* Turbigi, *appellat, Bernardinum Corium secutus, quod eo nunc titulo potiantur ejus familiæ Proceres. Sancti autem illi fratres monasterium in Meda vico diœcesis Mediolanensis ædificarunt, ac* S. Victori Mauro Martyri, *qui* VIII *Maii Mediolani colitur, dedicarunt.*

*Medæ cœnobium fundant :*

*Hæc idem de iis affirmat Corius, ad* CIↃCLXXXIX *Christi annum :* Discessit tandem Mediolano, *inquit,* Henricus, *Frederici Ænobarbi filius,* cum Constantia uxore, Germaniam repetens, hospitatusque est prima nocte in castello Meda, pridem fundato ab Aymondo et Vermondo fratribus, ex vetustissima nostra Coriorum familia natis, ac Turbigi Comitibus, qui deinde Sanctorum Catalogo adscripti. Eorum res gestæ ex ipsorum Legenda notæ.

*coluntur 14 Febr.*

2 *Agitur illorum anniversaria solemnitas Idibus Februarii. Ita Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio desiderantur, ad eum diem :* Medæ in territorio Mediolanensi SS. Haymonis et Veremundi. *De iis idem meminit in Catalogo SS. Italiæ, ubi et Vitæ eorum epitomen a se contextam recitat, ac mortuos affirmat circa annum* DCCLXXXX. *Idem in annotationibus ad generalem Catalogum ista habet :* Extat ipsorum Vita cum officio eorumdem a F. Modesto, olim Comensi Inquisitore, edita. *Ad Catalogum tamen SS. Italiæ annotat,* in officio memorato nonnulla parum verisimilia, quæ corrigi possent, contineri. *Nos neque officium illud, seu Vitam, neque quam Corius citat (si non tamen eadem est) Legendam vidimus, neque aliam eorum Vitam editam ab* Gaspare Bugatto, gravi scriptore multæque auctoritatis, *uti Emanuel Laudensis, sive Lodi, ex Trivillio diœcesis Mediolanensis pago oriundus, Theologiæ Doctor, et sanctimonialibus Medanis ecenobii a confessionibus, testatur. Ipsemet Emmanuel quatuor capitibus Medanam historiam complexus, situm loci et antiquitatem, nuperam Sanctorum translationem, cui interfuerat, conversionem, miracula, Italico sermone explanavit, anno* CIↃIↃCXXIX, *inscripsitque eam narrationem Catharinæ Siccæ Medanæ Antistitæ ac sacro ipsius parthenoni : Joannes Baptista Alciatus typographus Comiti Antonio Corio dicavit. Eam nunc nos narrationem in pauca contuli, multa resecans, quæ visa ad ornatum elocutionis congesta potius ab auctore, quam ad veritatis expositionem necessaria.*

*mortui circiter an. 790.*

*Vita eorum a quibus scripta ?*

*unde hic edita :*

VITA CONTRACTA EX ITALICA.

*edita ab Emmanuele Laudensi.*

### CAPUT I.

*SS. Aymonis et Veremundi conversio, sanctitas.*

Meda passuum millia XIV abest Mediolano, via Comensi, pagus perantiquus, situ amœno, miti cœlo ac salubri, splendidis aliquot ornatus ædificiis, habitatoribus, pro loci capacite, satis frequens, etiam nobilibus habitatus familiis. Sed præcipuum illi ornamentum ab magnifica S. Victoris Martyris æde, ac monasterio, quod Virgines incolunt, instituta Benedictina sectantes, omnes illustri genere prognatæ, ac sanctimoniæ fama late per Italiam celebres. Sunt et Cœlitum illic exuviæ, ad ædis ornatum totiusque præsidium loci.

*Meda pagus diœcesis Mediolan.*

2 Origo nominis incerta : cujus vix pauci recentis memoriæ scriptores meminerint. Sunt qui olim ab advenis Trojanis primum habitum fingant, ac Medam appellatum in Medeæ honorem, cujus forma ac divinitatis quædam species, magicis asserta præstigiis, ea tempestate per Græciam Asiamque celebrabatur. Alii conditum ab Orobiis volunt, et a Medo fortassis quopiam eorum Duce Medam nuncupatum. Quid si ab situ ipso fluxerit nomen, ut quia æquali fere spatio ab Mediolano Comoque distet, Meda quasi Media dicta fuerit? Hemistichium se veteris, sed ignoti, poetæ reperisse Auctor scribit hujusmodi : Silva Medea fuit, vocibus reliquis ita vetustate exesis, ut legi non possent. Hinc ergo divinat, futili sane conjectura, silvam illic fuisse Medeæ sacram, ut multæ erant Dianæ, divisve aliis, superesse hinc nomen, licet mutilum.

*incertum, unde sic dictus.*

3 Sed mittamus mutilem eam de nomine disputationem, frustra veteribus implexam fabulis. Constat illic in summo colle ædem constructam dicatamque S. Victori Mauro, qui Mediolani lauream martyrii adeptus, multis in ea diœcesi templis honoratur. Monasterium postea condidere Haymo ac Veremundus fratres, e nobilissima (ut traditur) orti Coriorum familia, quæ nunc Turbigum oppidum ad Ticinum flumen, Comitatus titulo insignitum, tenet, pluresque vicos alios ac castella. Vixisse ii memorantur octavo post Verbi Incarnationem seculo, atque admirabili modo ad pietatis studium a vanis seculi curis traducti sub annum circiter DCCLXXVI. Venatu, qui fere mos nobilitatis, delectabantur. Accidit igitur, ut in avios colles, densis obsitos silvis, ardor quidam eos prædæ capiendæ, procul ab famulis comitibusque abriperet, ubi ipsi se in venabula divini Amoris, dudum in eam prædam imminentis, induerunt. Cum in profundos saltus ita soli devenissent, apros duos conspiciuntur insitatæ magnitudinis ac ferociæ, e latebris suis egressos, ad se rapido cursu provolare. Quid agerent? Erat iis quidem animus cuivis par discrimini, sed vires jam fortassis utcumque debilitatæ, spes auxilii nulla. Fugam igitur ineunt, unicam hanc rati superesse viam salutis. Sequuntur belluæ pari velocitate. Conspicati summo in colle ædem, quam diximus, S. Victoris, ad eam velut asylum feruntur. Imminebant, ac proxime vestigia premebant feræ. Stabant ad latus ædiculæ geminæ laurus, satis proceræ : quarum etiamnum radices supersunt, e quibus novi identidem frutices progerminant, magnoque apud sanctimoniales, ob sanctorum fratrum memoriam, in honore sunt. In eas ergo laurus celeriter singuli enituntur, vel sic rabiem frustraturi ferarum quæ neque

*illic Virginum cœnobium,*

*conditum a SS. Aymone et Veremundo :*

*ii in venatione ab apris discerpendi,*

*loco fugæ et in altas lauros ascendunt,*

A neque saliendo, neque adrependo pertingere ad eos possent.

*quas nitentibus subruere feris,*

4 Sed nec illa satis secura statio fuit. Belluæ enim ut sibi ereptam prædam senserunt, horribili primum circum arborem utramque rugitu edito, feralibus dentibus refodere terram cœperunt, ut nudatis convulsisque radicibus arbores ipsas prosternerent, unaque solo adolescentes affligerent, ac vorarent. In extremo hoc discrimine, metu jam fere exanimati adolescentes, cum exitus omnes obseptos viderent, neque modum esse quo ferarum immanitatem evaderent, ad cœleste auxilium, quo solo servari desperatis jam rebus suis poterant, recurrunt: ac (mirum dictu!) cum neuter conscius esset, quid alter animo agitaret, simul ambo, momento eodem temporis, votum Deo, Deiparæque Virgini, ac glorioso Martyri Victori nuncupant; si præsenti certoque exitio eripiantur, eo loci in Martyris ejusdem honorem monasterium se suis facultatibus, quæ erant peramplæ, ædificaturos. Vix conceptum erat votum, cum Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ratum id habuit, et, ut Danielem olim ex ipsis fere faucibus leonum eripuit, ita hos a præsentissimo periculo liberavit. Ejus numine, quæ ita efferatæ ad eorum perniciem erant belluæ, ab effodienda terra, radicibusque subruendis momento desistunt, submissisque capitibus, velut si adhibere adversus eos, qui se jam Dei servos professi essent, reverentiam cuperent, instar mitissimorum agnorum, ad sua antra recesserunt.

*vovent se monasterium ædificaturos*

*ac mox feræ abscedunt*

B

5 Exclamare cum Apostolo licet: Quam incomprehensibilia sunt judicia Dei, et investigabiles viæ
Rom. 11, 33 ejus! Petrum pauperem piscatorem blande invitat ad Apostoli munus, ac facile persuadet. Ut hosce fratres ad curam salutis pertrahat, quippe nobiles et opulentos, terrorem incutit: qua ratione et ipsum quondam Paulum ad Evangelii prædicationem perpulit. Divini igitur amoris jaculo icti, ac veluti cœlo jam auctorati pugiles, ingenti perfusi solatio et voluptate, fugatis sancti Martyris præsidio belluis, ex arboribus securi descendunt, ac de earum frondibus sibi coronas contexentes, iisque redimiti, veluti insignem de morte superata triumphum agentes, ædem ingrediuntur: infinitas Deo gratias agunt, cujus tam illustri essent beneficio liberati, ac sponsione, quam antea fecerant, firmata, domum revertuntur.

*ipsi lauro coronati in ecclesia vota firmant*

6 Hic continuo, ne qua surreperet oblivio aut segnities, qua ratione quod voverant peragi queat deliberant. Consilio deinde consanguineis amicisque indicato, famulos large muneratos dimittunt, supellectilem ac mobilia et possessiones quasdam divendunt: atque inde redacta non mediocri summa pecuniæ, ad locum, in quo periculum evaserant, adeunt, fundumque mercati, monasterium ædificant, quod sacris Virginibus habitandum tribuunt, præscripta, quam servarent, S. Benedicti Regula, quoniam ea præcipue illa ætate per Italiam vigebat. Luculentis deinde proventibus idem monasterium dotarunt: in quo mox virginitatem cœlesti sponso devoverunt quamplurimæ Virgines, pleræque nobili genere ortæ, e remotis etiam locis, non solum Mediolano ac vicinis urbibus, eo excitæ, florentis illic sanctimoniæ fama. Multis postea ornatum munitumque Imperatorum privilegiis idem cœnobium est. Nam Abbatissa pagum eum incolentibus vicinisque jus dicebat. Ea potestas, longinquitate temporis, qua cuncta mutantur, intercidit: amplificatus interim monasterii splendor est, ipsarum monacharum nobilitate ac sanctimonia.

C

*monasterium Virginum ædificant, ac dotant,*

*privilegiis celebre ac sanctitate:*

7 Illic se quoque generosi illi fratres cultui Numinis manciparunt: itaque vitam instituerunt, ut omnibus admirationi essent et exemplo, sacris præsertim Virginibus, dum eos cernerent quotidie se inedia macerare, tribus per hebdomadam diebus pane solo et aqua victitare, quasique contendere ne in psalmis hymnisque Deo decantandis monacharum ipsarum industria diligentiaque superarentur; millies in diem flexis genibus Deo supplicare, et quoties Christi sua caussa in crucem acti subibat memoria, solvi in lacrymas, pectoraque pugnis tundere, veniam peccatorum exposcentes. Virtutum, quarum se maxime studio dedebant, præcipua caritas erga proximum fuit, quotidie in viduas, orphanos, aliosque inopes, suas erogabant facultates, et quidquid ædificationi monasterii, monacharumque sustentationi supererat nummorum. Ipsi interim pauperem vitam agebant: stramen iis aut paucula sarmenta lectus erant; cervical, saxum; stragulum, rudis storea; indusium, asperum cilicium: ita enim existimabant, iis qui sequi Christum constituissent, propriam exuendam esse voluntatem, ferendamque Crucem pœnitentiæ et mortificationis. Hanc illi rationem vivendi tenuerunt ad extremum usque diem, quem obiisse existimantur sub annum DCCXC. Corpora eorum in S. Victoris, quod juxta veterem Sancti ejusdem ædiculam fabricarant, templo humata. Anniversaria eorum memoria, magna religione et populorum concursu recolitur, Idibus Februarii.

*ipsi juxta illud sancte vivunt,*

D

EX ITALICA EMMANUELIS LODI.

*in jejuniis,*

*precibus,*

*caritate,*

*vestitus asperitate:*

*hic sepulti,*

*et culti:*

## CAPUT II.

### *SS. Haymonis et Veremundi miracula.*

E

Cum multi ab horum obitu Sanctorum anni præterissent, Comitissa Besutia, quæ tunc monasterii erat Abbatissa, instaurare S. Victoris, in quo sepulti erant, templum cœpit, exædificatura subinde aliud, eorumque nomini dicatura. Tunc ergo lateritio opere tumulum erexit, in quo honorificentius reconderentur: atque eo ex tumulo translata nuper, ut infra narrabitur, eorum pignora sunt. Constituto, quo prior illa Translatio fieret, die, convocatisque (ut ea ferebant tempora) plurimis Sacerdotibus, virisque religiosis, immensa ultro confluente populi multitudine, reseratum est, magna cum reverentia ac pietate, Sanctorum sepulchrum. In eo juxta illorum corpora reperta est vivis expressa coloribus tota series vitæ, jam narratæ, aprorumque et lauri utriusque, in quam confugerant, effigies. Hæc cum fierent, magna circumstantium pietate, ac spirituali voluptate, subito ab Sanctorum corporibus suavissimus quidam plane que divinus odor late diffusus est.

*eorum prima translatio,*

*diffuso divinitus odore.*

9 Eidem Besutiæ Abbatissæ genu alterum acerbus invaserat dolor: cujus vim cum nulla levare medicorum ars posset, Sanctorum horum opem pie implorat, voto facto tibiæ ac genu e cera appendendi: et continuo incolumis extitit.

*sanata eorum meritis gonagra,*

F

10 Galdina, ejusdem cœnobii monacha, eorumdem invocata ope, arthritide, quæ brachium discruciabat liberata est.

*arthritis*

11 Conradæ de Besutiis, ibidem monachæ, pars corporis ita erat paralysi resoluta, ut neque moveri insito vigore posset, neque tactu quidquam sentiret. Lacrymabunda adit ad templum, Deum ac sanctos fundatores pie obsecrat, obtinetque pristinam sanitatem.

*paralysis,*

12 Margarita Jussana ibidem monacha, cum ægritudine molesta, et assiduo motu maxillarum, dentiumque stridore vexaretur, Deo et Sanctis Aymoni ac Veremundo, ubi convaluisset, quæ prima manibus dein fila nevisset, daturam se pauperibus vovit, et convaluit.

*dentium stridor,*

13 Cita in eodem cœnobio monacha erat. Huic enatum in gutture apostema, ita intumuerat, ut jam ducere spiritum vix posset, nec ulla eam medicamenta levarent. Ottolina illius neptis, ibidem et ipsa sanctimonialis, Deo et Sanctis votum nuncupat, jejunii

*apostema:*

jejunii

A junii in horum pervigilio servandi, pane dumtaxat et aqua adhibitis, integri recitandi Psalterii, cereique illis ponendi. Simul votum conceptum, subito ruptum est ulcus, infirmæ reddita sanitas.

*Ex Italica enarr. MS. Lom.*

*curatus moribundus:*

14 Bertarolo Porro adque puero incisum in gutture apostema: cujus sensu doloris ita prostratus est, ut omnes mortuum conclamarent, deque eo sepulturæ tradendo ageretur. Territa filioli periculo parens, ad filiam, quæ erat ejusdem cœnobii monacha, mittit, ut pro fratris salute Sanctos exoret. Paret illa, insolita quadam pietate: frater sanitati restituitur.

*mortuus suscitatus:*

15 In diœcesi Novariensi Margarita, uxor Ottonis viri nobilis, locum, cui Momo nomen, incolentis, filium enixa est omnino deformem ac monstrosum, in quo neque motus aut sensus, neque omnino ullum deprehendi vitæ judicium poterat. Perculsæ quæ parturienti adstiterant mulieres, Deum obtestantur, ut vivere infantem tantisper velit, dum sacris Baptismi aquis tingatur. Aderat in iisdem ædibus Gualdrada Medani cœnobii monacha, Ottonis soror: ob eam ceteris recordatio incidit SS. Aimi et Veremundi: his vota faciunt, et si tantillam vitæ usuram impetrent dum baptismate lustrari queat, Aimum appellaturas pollicentur. Plus etiam obtinuere, quam petierant: non vita solum data infantulo, verum et B membrorum idonea compago, ac totius forma corporis, pervenitque ad maturam ætatem, Aimi nomine insignitus.

*moribunda sanata:*

16 Mariam Andreæ Confalonerii Patricii Mediolanensis conjugem adeo gravis invaserat febris, ut jam viribus defecta haud longe ab exitu abesse videretur. Nuntiari id jubet germanæ suæ Guilielmæ, quæ Medæ monacha erat, ut sibi hæc Deum precibus conciliaret. Vovet illico, si sanitatem soror SS. Aimi et Veremundi patrocinio, recuperet, se per annum integrum quotidie gemina minimum genuflexione eos, Deumque in illis, veneraturam. Voto concepto, ægra continuo sanitate pristina potitur.

*eorum festum violans paralysi punita,*

*dein sanata:*

17 Mulier quædam Medana, Donella nomine; ipsa luce quæ Sanctis hisce erat dicata, nescio quid aggressa operis, ab alia muliere admonetur nefas id esse sacro die. At illa, Tu, cui Sanctorum munere affatim divitiarum est, eorum festum celebra: numquam ego id colam. Non impune tulit profanas voces. Nervos rigor quidam subito invasit, ut movere artus ad inchoatum opus non valeret. Agnoscit temeritatem, intento in Deum animo Sanctosque hos obsecrat, sibi ut impietatis veniam obtineant, se quotannis eum diem religiose peracturam. Ita precata, vigorem pristinum recepit.

*alia cæcitate.*

18 Alteram ejusdem vici inquilinam, Stramnazam C nomine, simile quid illiberalis operis iisdem Sanctorum feriis molientem, parique protervitate salutaria domesticæ cujuspiam suæ monita spernentem, cœlestis ultio luminibus multavit. Aperti tamen mentis oculi, ut scelus videret defleretque: votum adjecit, si Divorum istorum ope visum recuperasset, se festum eorum religiose quotannis veneraturam, nocte quæ præcederet pervigilata, et cereo ad tumulum accenso. Simul ista spopondit, cœlitus ei reparatus est visus.

*puella innoxie carro obtrita*

19 Ibidem bimulam puellam, nomine Allegranzinam, in platea lusitantem, humique temere jacentem, gravis carrus obtrivit, imprudente auriga. Vidit eminus mater, neque alia ratione valens pereunti opitulari, SS. Aimum et Veremundum, eam ut servent, precatur: mirabili eventu. Consurgit enim mox puella plane incolumis.

20 In pago Medam inter et Comum sito, Cantu vocitato, degebant Leo Olassus et Conrada conjuges, perpetuis parvulæ vixque in lucem editæ prolis funeribus mœsti: suscepere tandem filium vitalem ac vegetum, singulari ideo gaudio delibuti. Sed et hunc D (ut solet Deus lætis tristia miscere) lethalis ægritudo oppressit, ut extremum jam ducere spiritum videretur. Confecti ambo tristitia, mater ad filii cunas excubabat, dormiebat pater: qui visus est in somnis turbam militum, videre per conclave transeuntem, et quærenti. Qui essent, respondentem ex iis unum audire: Sumus Aimus ac Veremundus Medani; vade, vivit ac valet filius tuus. Experrectus illico, quærit qui filio sit? Videt ubera matris sugentem, morbo levatum. Beneficium hoc Sanctis acceptum tulit, eosque colere religiosius instituit.

*moribundus sanatus*

*bonorum Ecclesiæ invasores morte puniti:*

21 Quam graviter iidem sancti Fundatores injuriis monasterio a se condito illatis offendantur, declaratum viso, quod dignum sane ut hic memoretur. Discruciabat animum Mediolanensi cuidam nobili viro Medanæ familiæ studioso, quod monasterii fundos potentiores quidam e nobilitate injuste usurparent. Videt is in somnis SS. Aimum ac Veremundum supra Nobilium illorum ædes, vultu irato, ardentes tedas manu vibrantes, minantesque se acceptas injurias incendio ulturos. Ipse Sanctos obtestatur, ut incendio parcant, ne pars magna urbis eo involvatur. Evanuere tunc illi quidem cum somnio, neque ullum flammarum vestigium exstitit. At sacrilegi illi haud multo post urbe pulsi sunt, bonis ipsorum publicatis: alter deinde in acie interemptus, captus alter vitam in custodia miserrime finiit. E

*usus pedum ad eorum sepulchrum restitutus:*

22 Martinus Luaninus, Siroldi Biagognatis filius, Bono Fargæ famulabatur: is gravi correptus ægritudine, usu pedum captus est, ut jam fulcris nixus victum mendicare cogeretur. Cum audisset quæ SS. Aimi et Veremundi meritis ederentur miracula, eorum adit sepulchrum, opem summa pietate atque animi submissione implorat, voto addito, quotannis die qui illorum solemnitatem præcedit jejunium servandi, nocte religiosas cum precatione vigilias. Hæc ut ille vota susceperat, sanus consurgit. Deo Divisque sospitatoribus laudes canit, fulcris appensis, seque in reliquam ætatem servitio monasterii mancipat. Extant de hac re tota tabulæ, a publico tabellione confectæ, adscriptis testium nominibus, die XVIII Aprilis, feria VI anno CIƆCCCCXXXVII, Gualdrada Meniana cœnobii Antistita. Plura evenere miracula, sed vitandi fastidii caussa omissa.

*visitatum id a S. Carolo Borromæo,*

23 Nec illud præteriri silentio fas est. S. Carolus hujus diœcesis Archipræsul, cum primum nobile ac religiosum hoc cœnobium anno CIƆIƆLXXXI *a* die ultimo Maii visitavit, in interiorem Sanctorum ædem ingrediens, locum sanctitatis esse pronuntiavit. Erant tunc illic adhuc Sanctorum tumulata corpora. Est porro ea ædes antiquæ illi S. Victoris Martyris F contigua, aliquanto altior, lauris, in quibus ii servati fuerunt, propinqua, ab ipsis Sanctis ædificata, crypta adjecta. Nam priorem ædem, quæ tunc illic extabat cum ipsi mortis periculum evaserunt, haud quaquam demoliendam censuerunt, ampliori licet constructa. At vetus illa nunc S. Joannis Baptistæ appellatur, seu quia binas ædes prope contiguas eidem dicatas esse Sancto haud ita decorum putabatur, seu quæ alia monacharum devotio caussam præbuit: eaque videtur, cum habitari vicus cœpit, parochialis fuisse, quod in medio vas etiamnum extat prægrande lateritii operis, quod fontis baptismalis exhibere formam videtur. Specum, ubi pietati carnisque macerationi Sancti olim vacarant, subiit idem sanctissimus Antistes, accurate omnia contemplans, singulari perfusus sensu pietatis, ut sui eum inde abducere vix possent. Ea deinde caussa sculpi in sedilibus metropoliticæ ædis Mediolani horum Sanctorum conversionem curavit. Publica iisdem Mediolani in templo S. Francisci impenditur veneratio, anniversariam eorum celebritatem musico concentu festaque pompa peragentibus

*et specus:*

*coluntur Mediolani.*

A peragentibus, in sacello Doctoris Julii Cæsaris Corii, religiosissimis ejusdem cœnobii Patribus.

a Recenset Joannes Petrus Jussanus lib. 6 Vitæ S. Caroli Borromæi cap. 12 et seqq. quæ loca suæ diœceseos is illo anno visitarit, Medæ tamen peculiariter non meminit. De eo plenius agemus ad 4 Novembr.

## CAPUT III.

### *SS. Aymonis ac Veremundi reliquiæ solenniter translatæ a Federico Borromæo Cardinali.*

Jacebant SS. Aimi ac Veremundi corpora in æde nomini ipsorum dedicata, contigua templo quod olim S. Victori ædificarant, sed intimis monasterii septis inclusa, ut non tam exposita populorum venerationi, quam ab omnium aspectu notitiaque summota videri possent. Angebat ea res monachas, quod perspicerent neque sanctissimis sui cœnobii Fundatoribus honorem, quem mererentur, haberi, neque in ceteros mortales, quem optabant, fructum ab iis redundare pietatis cœlestiumque donorum. Jam diu obsecrarant, quibus fas erat modis, Cardinalem Federicum Borromæum Mediolanensem Archiepiscopum, ut sacra isthæc pignora in decentiorem magisque conspicuum locum transferenda, atque elegantiori includenda thecæ sanciret, ad spirituale ipsarum solatium, ac publicam utilitatem.

*transferri eorum corpora petunt monachæ :*

B 25 Annuit ille tandem earum diuturno desiderio. Alexander Mazenta, qui dein Archipresbyter Ecclesiæ Mediolanensis, tunc Archidiaconus erat, et sanctimonialium Vicarius generalis, insigni vir judicio ac prudentia, præmissus Medam est, ut de horum Divorum beneficiis, antiqua veneratione, atque editis jam olim portentis ad eorum testandam sanctitatem, indagaret. Quæ res omnes a Joanne Ambrosio Lonato in acta relatæ sunt.

*annuit Feder. Borromæus Card. omnibusque rite discussis*

26 Ipse tandem Cardinalis XXIV Aprilis, CIↃIↃCXIX, sacris rite operatus, perlustrata exteriori æde S. Victoris, cum eodem Mazenta, Aloisio Bosso Canonico ordinario et Theologo Ecclesiæ Metropolitanæ, cumque monasterii Confessario ac paucis aliis, et Lonato tabellione, in ipsum ingressus monasterium est : magno exceptus monacharum gaudio, cantantium psalmum, Benedictus Dominus Deus Israel : itaque sub umbella ad interiorem ædem deductus, sacram Eucharistiam brevi precatione veneratus, ad Sanctorum ædem, ubi eorum jacebant corpora, eodem ritu processit. Ad ipsorum tumulum prostratus concipit preces, tum recitari jubet quæ de eorum conversione ac sanctimonia vitæ et miraculis erant antea jam relata in tabulas, et cum veteri pictura, qua C eadem expressa erant, confert. Dein rogatus ab Abbatissa ut ipsas eorum recognoscere reliquias dignaretur, effringi sepulchri partem mandat : sicque sacra ossa ac cineres inspexit probavitque. Tum ad agendas Numini gratias compulsatæ Campani æris machinæ sunt, cantatumque Te Deum laudamus. Postea obstrui denuo sepulchrum præcipit, et, quod unice monachæ optabant, novam aram ædificari in majori S. Victoris æde, ac thecam collocandis honorificentius sacris pignoribus. Eam ad rem duo erecta altaria sunt pretiosissimi generis marmore, alterum in interiori æde, in exteriori alterum, sed contigua, eo artificio, ut sacrarum exuviarum conditorium sub interiori positum altari, a populo ex æde exteriori, per vacuum altare anterius spectari posset. Ter mille ad eam rem aurei impensi.

*et a se examinatis, ipsas reliquias 14 April. 1619 visitat. ac parari necessaria ad translationem jubet*

27 Ea ubi parata fuere, Praxedis Laudensis Antistita, ceteræque monachæ, per eumdem Mazentam Cardinali supplicaverunt, ut absolveret beneficium, ac sacrum thesaurum quo constituerat, transferret. Tandem benignissimus Princeps, iuito sæpius cum suis consilio, omnibusque mature discussis, præcipuo rei totius administro Mazenta, diem statuit perficiendæ translationi, Dominicam quæ intra octavas solennitatis corporis Christi occurrit, eoque anno CIↃIↃCXXVI in diem XIV Junii incidebat. Ut omnia rite disponerentur, biduo ante, die videlicet XII, Medam profecti sunt Alexander Mazenta, Julius Cæsar Vicecomes, Aloisius Bossus, Hieronymus Septalius, Canonici ordinarii Ecclesiæ Metropolitanæ Mediolanensis, cum Francisco Casato cæremoniarum magistro. Ii re divina peracta, ecclesiam omnem perlustrant, ac locum designant ubi constituendum Cardinali solium pulpitumque ac conopeum, ad majorem conciliandam actioni universæ gratiam ac majestatem.

D *EX ITALICA EMMANUELIS LODI, translationem faciendam 14 Junii 1626 decernit :*

28 Adfuit postridie Cardinalis ad horam IX, hospitio usus Parochi Cormanensis : salutatus, cum Medæ propinquaret, a geminis cohortibus peditatus Ecclesiastici e legione Ginetti, quæ in subsidium vallis Tellinæ eo tractu tunc excubabat. Eum ab illis honorem Cardinali haberi jusserat Torquatus de Comitibus supremus ejus militiæ Præfectus. Occurrere quoque, ad ejus adventum honestandum, Meda aliisque ex locis, viri nobiles permulti. E lectica desiliit ad imos gradus, per quos ad templum S. Victoris ascenditur. Hoc ingressus, ante sacram Eucharistiam, quæ in laterali ara erat locata, preces concipit : inde ad domum Parochi divertit, viatorias vestes positurus, ac tantilla quiete reparaturus vires.

*pridie Medam venit :*

E 29 Post paullo ad templum idem revertit, ac sacras induit vestes. Aderant, uti mandarat, Julius Cæsar Vicecomes Primicerius pluviali vestitus, Alexander Mazenta Archidiaconus, Hieronymus Septalius Pœnitentiarius Major, tuniculis, quas Dalmaticas vocant, amicti, atque Aloisius Bossus Theologus. Tum majus altare, quod ad recondenda sub eo sacra corpora, veteri everso, elegantius erat constructum, dedicare Cardinalis aggreditur, iis ritibus quos Romanum Pontificale præscribit, positis intra illud, ut moris, Divorum reliquiis, nimirum ipsius S. Victoris, a S. Zenonis aliorumque Martyrum e Catacumbis Romanis refossæ. In eodem postea sacrificium Missæ obtulit, ac perbrevem sermonem habuit ad monachas intra clathros considentes. Tum ad Parochi domum rediit, ubi hospitium sibi legerat.

*altare novum dedicat,*

30 Hora XX stola imposita supra Cardinalitiam exomidem, quam Mozzettam vocant, monasterium ingreditur, comitantibus Mazenta, Vice-comite, Bosso, Septalio cappas rubeas indutis, insuperque Joanne Paulo Corio, Cæremoniarum Magistro, Crucifero, et quem Caudatarium vocant, cardinalitiæ vestis syrma sustinentem. Sonantibus interea festivum in morem campanis, ac sanctimonialibus, quæ binæ anteibant, Benedictus Dominus Deus Israel ad F musicos numeros concinentibus, ad interiorem ædem processit : hinc adorata Eucharistia, fusisque ante eam precibus, eodem ordine alteram SS. Aimi et Veremundi ædem itidem ab accessu secularium seclusam, deductus est. Hic eorum tumulus stabat, coctis lapidibus fabricatus, cubitos duos ab solo eminens, pictis tabulis, quæ ipsorum sanctorum miracula exhibebant, circum ornatus. Eo accedentem duæ nobiles puellæ, ex iis quæ sub monacharum disciplina litteras, pietatem ac probos mores edocentur, vario carmine alternis salutarunt. Ipse ad tumulum prostratus ac pauca precatus, ad latus Evangelii sub conopeo consedit, adstantibus, quos ante diximus, et sanctimonialibus inspectantibus : tum effringi partem tumuli mandat, quatenus ad reliquias extrahendas opus videbatur. Canonici stolis supra cappas amicti, reverenter reliquias protrahunt sigillatim, idque plumbea theca reponunt intra marmoream postea includenda, et ipsa interius convestita candida sindone, qua et opertæ involutæque

*monasterium cum sacro comitatu ingressus, tumulo aperto extractas reliquias in nova theca ipse reponit.*

A que reliquiæ. Ipse Cardinalis suis eas manibus in theca locavit, eo situ ac modo, qui aptissimus videbatur : duo inde sibi frustula retinuit, quorum alterum Joanni Paulo Corio donavit, in parochiali æde S. Zenonis vici Castani, ad districtum Dairagum attinente, collocandum ; alterum Virginiæ Spinolæ Coriæ misit, in parochiali itidem æde SS. Nazarii et Celsi, vico Bussero, districtus Gorgonzolæ reponendum. In minori quadam lignea theca, ossa quædam capitis singulorum Sanctorum reposita sunt, eaque claustris obserata, appresso sigillo, ut dein venerationi publicæ ita proponerentur, inclusa argenteo capiti, aut alterius modi capsæ, quæ monacharum studio paranda esset, cujus rei sibi illæ facultatem fieri poposcerant.

*[illegible]*

*partemque in alia,*

*quas et obsignat :*

31 His ita peractis, Cardinalis manus, quibus sacras reliquias tetigerat, religiose abluit. Postea instituta inde per cœnobii hortum supplicatio. Cruce prælata, primæ incedebant monachæ, accensos cereos gestantes, psalmumque Laudate Dominum de cœlis modulate canentes. Feretrum, cui theca imposita pretiosis convestita pannis, gestabant Mazenta, Vicecomes, Bossus, Septalius : umbraculum sericum supra eamdem thecam palis in altum attollebant primariæ sex monachæ, tedas totidem aliæ ferebant. Feretrum sequebatur Cardinalis. Cum ad januam

*quæ per hortum,*

B ventum, in atrium ducentem, quod est ante S. Victoris exterius templum, quia id extra canonica monasterii septa erat, alterum stabat præparatum umbraculum, quod sex nobiles ferebant, et Sacerdotes aliquot e vicinis locis acciti superpelliceis induti, ac cereos manibus gerentes : claudebat supplicationem frequentissimus populus egregia ordinatus serie. Ingressi omnes in vicinam ædem, sonantibus campanis, tubis, organis, tympanis, militibus quoque sclopos in venerationis communisque lætitiæ argumentum identidem displodentibus. Cum ad aram maximam ventum, subter eam theca fulcris duobus imposita. Monachæ Litanias vocibus pulsuque organi decantarunt : Cardinalis orationem propriam hisce Sanctis concinuit, ac dein præsentibus solenni ritu bene precatus, de more indulgentiam concessit centum annorum, brevique rursus oratione Deum ac Sanctos veneratus, sub horam XXIII ad suum se hospitium recepit. Monachæ statis vicibus ad reliquias in sanctis obsecrationibus excubuere.

*atriumque,*

*ad templum deportantur*

32. Die insequenti, quæ Dominica erat XIV Junii, sub horam XIII, ad eamdem S. Victoris ædem exteriorem contendit Cardinalis, cum numeroso comitatu virorum nobilium, qui partim e castellis pagisque vicinis, partim Mediolano, ad cœlestia isthæc specta-

*14 Junii, die Dominica,*

C cula convenerant. Salutavere transeuntem festa displosione cohortes peditum, de quibus supra scriptum, in varias distributæ turmas. Ipse brevi peracta precatione, cultu pontificio vestitus, assistentibus sibi Canonicis antea memoratis, aliis pluviali, aliis Dalmatica indutis, Missam solenniter fecit, sacramque Eucharistiæ communionem sanctimonialibus impertiit. Dein pluviali sumpto pulpitum conscendit in eos usus antea ad cornu Evangelii erectum conopeoque inumbratum, et ad frequentissimum populum verba fecit de horum Sanctorum cœlesti vitæ ratione; illud tum eorum exemplo, tum aliis argumentis, graviter solideque affirmans, posse etiam Nobiles non solum æternam consequi salutem, sed illustris quoque sanctimoniæ gloriam, ut etiam publicis Ecclesiæ Fastis eorum nomina adscribantur : errare vero eos, qui veræ nobilitatis has esse notas laudesque arbitrentur, si in ludis, blasphemiis, perpetrandis cædibus, oppressione pauperum, ambitione, voluptatibus, aliisque id genus caducis rebus, alios antecellant : hanc enim esse summam nobilitatem, ut Deo Principi supremo ac monarchæ serviat quis, seque in illius conspectu humiliet, ac proximis opituletur : demum adversa, licet invitis eveniant, sæpe ad Dei cognitionem mortales adducere : ita namque sanctis illis adolescentibus Aymo et Veremundo, quod a feris animantibus imminebat, periculum ansam præbuisse vitæ sanctissimæ instituendæ. Ista prosecutus Federicus Boromæus Cardinalis eximia qua pollebat orationis efficacia ac suavitate, e suggesto descendit, et quinque puellas, ex iis quæ in illo monasterio erudiuntur, sacramento Confirmationis munivit. D

*Missa celebrata,*

*de Sanctis concionatur Cardinalis :*

33 Hora demum XVI in hospitium suum ad prandium secum duxit Optionem legionis Pontificiæ. Canonici, atque alii Nobiles, ipsaque Cardinalis familia, in exteriore monasterii diversorio prandere. Militibus copiosa præbita annona : nam per duos dies in eo pago substiterunt, in area templi et ad Cardinalis hospitium honorarias vigilias alternis obeuntes. Decantatis vesperis, venit rursus ad templum Cardinalis, sumptoque cultu pontificio, cum monachæ consonante organo canticum aliquod sacrum concinuissent, ipse orationem de Sanctis cantavit, thusque ad honoranda sacra pignora adolevit, posteaque hymnum Te Deum laudamus incinuit, prosequentibus ad musicos numeros sanctimonialibus. Interea versus horti januam, per quam intra monasterii septa intratur, instituta hoc ordine supplicatio. Crux Cardi-

*post prandium,*

*solenni supplicatione,*

E nalitia præferebatur : inde pagorum vicinorum Curiones superpelliceis amicti, cereos gestantes manu, Clerici alii cum thuribulis, navicella, tedis : feretrum cum sacra theca, succollantibus Vicecomite et Septalio Canonicis, Sebastiano Riccio ac Bernardo Porro, illo Secreti, hoc Cantus, locorum vicinorum Præpositis, singulis pluviale candidum indutis : umbraculum gestabant viri sex primariæ eo tractu nobilitatis : sequebatur proxime Cardinalis, stipantibus Mazenta ac Bosso.

34 Cum ad septa cœnobii, externis impervia, ventum, jussis subsistere ceteris, ingressus cum iis qui feretrum bajulabant Cardinalis, cumque duobus assistentibus Canonicis, cæremoniarum Magistro, monachorum Confessario, Joanne Paulo Corio, et paucis e sua familia superpellicea indutis. Ingressos excepit monacharum supplicatio, Cruce prælata, tedis lucentibus alioque umbraculo, sub quo feretrum gestabatur. Janua ceteris clausa, quæ antea exportatæ, ad ædem interiorem relatæ sacræ exuviæ sunt, cœtu omni sanctimonialium hymnum Te Deum laudamus concinente. Sub quo altari recondendæ intra arcam marmoream erant, ante illud depositæ in mensa ad id præparata. Orationem, quam ante, concinuit Cardinalis, atque omnibus solenniter benedixit.

*etiam per hortum,*

*sed ad hoc turba secularium exclusa,*

F

35 Tum Vicecomes ac Septalius cum artifice, qui ea altaria fabricarat, et operis aliquot, quæ summi altaris mensam, ex unico factam saxo, pridie fabrilibus machinis in altum elevarant, capsam plumbeam intra marmoream sub altari condidere : ita nimirum ut spectari queat ab iis qui in exteriore templo preces fundunt, per ipsum majus altare ejusdem exterioris templi, parte inferiore apertum, cancellis dumtaxat e ferro munitum affabre perpolitis varioque ornatu decoratis. Quamquam et ipsum sacrum depositum recludi extrinsecus possit, si quispiam aliqua conspicuus dignitate venerari contemplarique cœlestem thesaurum velit ; clausum alioquin clavibus duabus, quarum unam Confessarius monasterii, Abbatissa alteram custodit.

*reliquiæ relatæ reconduntur sub altari interiori,*

*sed ut etiam e templo cerni possint*

36 In ipsa autem plumbea capsa inclusa quoque e plumbo lamina, cui hæc insculpta epigraphe :

*posita intra thecam inscriptione,*

D. O. M.

CORPORA SANCTOR. AYMON. ET VEREMVN. FRATRVM COMITVM EX CORBOIORVM AGNAT. AB ANTIQ. COENOB. ECCLESIA, AD HANC ARAM A FEDER. CARDIN. ARCHIEP. TRANSLATA. XVIII. KAL. IVLII. CIↃIↃCXXVI.

In

A In basi vero ejusdem altaris interioris ecclesiæ, e marmore niveo fabricata, sed nigro circum insito eleganter ornata, quæ res singularem addit operi splendorem, uncialibus litteris hæc exarata : Sanctorum Ayni et Veremundi Comitum de Coiris corpora hujusce primum cœnobii fundamenta, nunc ornamenta, sacræ Virgines, ut quos in cœlo propitiores, loco propiores venerarentur, huc e proximo D. Victoris sacello, in quo diu asservata, Federici Cardinalis Archiepiscopi Mediolani nutu, transferri curarunt, CIↃIↃCXXVI, XVIII Kal. Junii.

*et alia basi insculpta :*

37 Dum fabri, quam diximus, summæ aræ lapidem denuo imponunt ac firmant, sanctimonialibus cantica varia voce pulsuque organi concinentibus, Cardinalis Pontificio cultu posito, ad latus consedit, magna cum animi voluptate contemplans quæ ab artificibus fiebant. Quibus peractis, frutices spectavit e radice germinantes utriusque lauri, in quas Sancti evaserunt, mortis periculum vitaturi : ac dein hospitium repetiit. Diei insequentis primo mane, ad S. Victoris ædem adit, ac facta precatione, in locum ingreditur, in quo clathris interpositis fas est externis sanctimoniales affari. Ibi universæ lætitia gestientes immensas illi gratias egere, quod tam diuturnis tamque inflammatis votis expetitam ab ipsis suorum fundatorum ac tutelarium Divorum translationem, ita benigne peregisset. Ipse iis fausta precatus, Mediolanum revertit. B

*Cardinalis tætus omnia spectat*

*lustrat sacræ laurus frutices :*

*postridie redit Mediolanum.*

38 Mirabitur lector, nullam fieri a nobis mentionem exterioris ornatus ad eam solennitatem adhibiti. D Cupiebant quidem monachæ, et natura magnanimæ, et splendoris, in iis rebus quæ ad Dei honorem pertinent, vehementer appetentes, apparatum quam possent nitidissimum adhibere ; sed Præsidum moderatione coercita earum studia sunt, certaque præscripta mediocritas, ne sumptu et magnificentia ultra prodirent, quam calamitosi temporis ratio pateretur. Est ecclesia exterior, sæpius jam memorata, anno CIↃIↃXX a Maria Cleophæ Carcana Abbatissa ædificata, forma et opere elegantissimo, longa cubitos XXXV, lata XVII, alta XXVIII, ornata præclaris divorum imaginibus, altaribus quinque. Par magnitudo elegantiaque ædi interiori, ubi et sedilia monacharum scite facta et venuste, triplexque organum. Ædes utraque præter eum quem diximus splendorem, vasis argenteis, luminaribus, floribus nativis atque arte factis, necnon peristromatis, perstringebat oculos ac mentes intuentium. Arcus varii foris erecti, tabulisque et inscriptionibus ac carminibus exornati erant. Quæ omnia accurate citatus auctor Emmanuel Lodi exponit.

EX ITALICA EMMANUELIS LODI

*qui ornatus fuerit templi exterioris et interioris*

*atque alius*

a Fas est conjicere, frusta hæc fuisse aliqua reliquiarum S. Zenonis M. qui 14 Febr. variis memoratur in Martyrol. vel ejus qui 9 Julii, quorum utriusque corpus tradit Ferrarius Romæ in æde S. Praxedis asservari, cujus titulo Cardinalis fuit S. Carolus, ejusque ædis reliquias, ut scribit lib. 1 cap. 8 Jussanus, honorificentius reposuit, ut fortassis particulas aliquas decidonas sibi sumere potuerit, quæ ad Fredericum fratrem postea devenerint, usque hic secundum ritus Ecclesiæ ad altarium consecrationem usus sit. Quanto alioquin studio ejusmodi reliquias undique colligeret S. Carolus, exponit idem Jussanus lib. 8 cap. 8 S. Victoris diximus § 1, agi nahdem 8 Maii. E

# DE S. FULCRANNO

## EPISCOPO LODEVENSI IN GALLIA.

ANIMADV PAP 108 J. B.

AN CHR CIↃVI XIII FEB

Civitas Lutavensium, id est Lutava castrum, *in Gallia Narbonensi prima, ut habet vetus Notitia provinciarum ac civitatum Galliæ, aliis* Loteva, Lodava, Lotova, *vulgo* Lodeva *dicta, inde a primis Christianæ religionis temporibus Episcopali solio ornata est. In quo primus consedisse traditur* S. Florus, *qui fidem illic plantavit. Ita in illius Vita* IV *Novembris scribit Bernardus Guido, et ipse ejusdem urbis Episcopus :* Perveniens, *inquit,* vir Dei ad civitatem Lodovensem, ubi Pastor Ecclesiæ et Episcopus electus est primus, et errantes oves propriis humeris ad ovile Dominicum reportavit. *Præcipuus urbis Patronus est S. Genesius Martyr Arelatensis, secundarius* S. Fulcrannus, *Lodovensis et ipse Episcopus. Illius* XXV *Augusti, hujus* XIII *Februarii aguntur feriæ.* Fulcranum *alii,* Fulchrannum, Fulcrandum, Folcrandum *appellant.*

*Lodeva a S. Floro olim conversæ,*

*Episcopus S. Fulcrannus :*

C 2 *Triplicem se ejus vitam habuisse Guilielmus Catellus lib. 4 Commentariorum historiæ Languedociæ testatur. Nos geminam nacti sumus. Breviorem unam Tolosa misit Petrus Possinus noster, in Lectiones distributam ad usum officii Ecclesiastici. Pleniorem alteram e codice Ecclesiæ metropolitanæ Pragensis describi nobis curavit Joannes Scholtzaus noster. Hanc solam damus, e qua altera contracta. Hujus vero auctor idem Bernardus Guido, ex ordine Prædicatorum, Episcopus Lodovensis creatus anno* CIↃCCCXXIV, *Catellio auctore. Testatur in titulo se hanc Vitam concinnasse* ex gestis ejus antiquis, reseratis superfluis, quæ ex prolixitate nimia fastidium legentibus generabant. *Et videtur aliquid sub finem desiderari, cum omnino abrupte desinat. In apographo, quod Praga accepimus, perpetuo* Sultrannus *scribitur, amanuensis vitio, ut reor : quare, ut altera habebat,* Fulcrannum *restituimus.*

*ejus Vita unde hic edita ?*

*quo scripta ?*

*alia prolixior antiqua*

NOT 3a

3 *Eleganti cum elogio prædicat Saussaius Idibus Februarii in Martyrologio Gallicano, ubi et tradit Ecclesiæ illi annos* LVII *præfuisse : dies novem adjicit Catellus. Vita diserte asserit* migrasse ad Dominum anno generationis Christi MVI Idib. Februarii, feria IV, *cum nempe Cyclo Solis* VII, *Lunæ* XIX, *Indict.* III, *littera Dominicalis erat F. Addit* mansisse in Episcopatu annis LXII diebus IX. *Verum cum antea tradat cap. 1 num. 6* pridie Non. Februarii, anno generationis Christi DCCCCXLIX consecratum esse, *alicubi error est, nam ab anno* CIↃCCCCXLIX *ad* CIↃVI, *non nisi* LVII *intercedunt anni. Forte pro* DCCCCXLIX, *legendum* CIↃCCCXLIV, *tumque omnia constant,* V *pro* X *posito. Verum aliud obstat, quod anno* CIↃCCCCXLIX *dies* IV *Februarii fuerit Dominicus, an.* CIↃCCCCXLIV *Sabbathum : solent autem ejusmodi Episcoporum consecrationes fere Dominicis diebus fieri.*

*ætas ac tempus Sedis :*

4 *Duravit S. Fulcranni corpus integrum atque incorruptum per annos* DLXVII. *Calvinistæ tandem anno* CIↃIↃLXXIII *Lodeva occupata, in ignem illud conjecere. Verum ignis, velut suam iis exprobraret immanitatem, sacris exuviis pepercit. Nihil tamen moti eo miraculo feri homines, per compita illud Bacchico furore rapturunt, dein in frusta dissecuerunt, vix ut manus altera, ac frusta quædam corporis subtrahi fœrali sævitiæ potuerint. Atque has nunc, licet exiles, sui Antistitis reliquias custodit ac religiose veneratur Ecclesia Lodevensis : multaque ad eas eduntur etiamnum miracula. Narrantur ista a Catellio in Catalogo Episcoporum Lodevensium, Andrea Chesnæo in Antiquitat. urbium Galliæ pag.* 699. *At vindicatum celebris sacrilegium indicat Claudius Robertus in Gallia Christiana, et Saussaius in Appendice ad Martyrol. Gallic. pag.* 1223, *atque si tempori missas ad se tabulas nactus esset, ad* IX *Julii signari hoc debuisse.*

*corpus 567 annis incorruptum,* F

*in frusta concisum a Calvinistis,*

*manu erepta, e frustis aliis.*

5 *Illud quoque ad S. Fulcranni honorem facit, quod ex MS. libro de Episcopis Magalonensibus auctore Joanne de Verdala Magalonensi seu Montepessulanensi Episcopo, Bernardi Guidonis æquali, narrat lib. 4 Catellus. Duas ait fuisse S. Fulcranno sorores, singulorum dominas pagorum, quorum alter Monspessulanus, vulgo Montpellier, alter Montpellieret dicebatur : quæ fratris æmulatæ in res sacras munificentiam ac pietatem, voto nuncupato, suas omnes ad divini cultus propagationem*

*sorores ejus sua bona dant Ecclesiæ.*

AUCTORE J. B.

A *rem facultates contulere, et pagos quidem illos Ecclesiæ Magalonensi atque Episcopo Ricuino donavere. Dein Melgorii Comiti id flagitanti, feudi jure Montispessulani oppidum contulit Ricuinus, pacto clientelam se posterosque debitis obsequiis testaturos. Restituit illa tamen Ecclesiæ Magalonensi Guilhelmus Melgorii Comes sub annum* CIↃXC. *At tunc cœpit in hodiernam amplitudinem splendoremque Monspessulanus excrescere: estque eo Sedes Magalonensis translata.*

*S. Fulcranni alibi memoria*

6 *Adfuisse reperitur* Folcrannus Episcopus Lodovensis *et subscripsisse donationi, quam Froterius Episcopus, in præsentia Reimundi Comitis et Garsendis Comitissæ aliorumque fecit,* anno ab Incarnatione Domini noningentesimo septuagesimo secundo. *Recitat tabulas ejus donationis Catellius lib.* 1 *historiæ Comitum Tolosanorum cap.* 15 *in Raimundo* III.

# VITA

## auctore Bernardo Guidone Ep. *ex MS. Ecclesiæ Pragensis.*

### CAPUT I.

### *S. Fulcranni ortus, educatio, Episcopatus.*

*S. Fulcrannus genere nobilis,*

*a qualis postea futurus, matri gravidæ declaratur in somnis.*

B Beatus Fulcrannus ex territorio Lodovensi, quod antiquitus Lutoronense territorium, et Luteva civitas dicebatur, Narbonensi provinciæ, Aquitaniæ regionis, ex parentibus secundum seculi dignitatem genere et potentia magnis extitit oriundus.Ferturque genitrici ejus *a* Bibgardi per noctem ostensa visio, cum gravida eum adhuc gestaret in utero, quod arborem frondosam, pomis refertam, loco filii peperisset; sub cujus umbra multos homines quiescere ac refici, multumque gaudere cernebat. Quam visionem cum cuidam sancto viro narrasset, audivit ab eo quasi divinum responsum, quod talem filium paritura esset, qui magnum in Ecclesia Dei locum teneret, magnique apud Deum meriti futurum esse: sub cujus umbra multi Ecclesiæ filii optimam sibi requiem invenirent, fortitudine roborarentur, bonis actibus, tamquam ramis, protegerentur, virtutibus quoque ac moribus, quasi floribus, ornarentur, ac reficerentur doctrinæ ejus pabulo et fructibus meritorum. Quæ omnia postmodum luce clarius rei veritas comprobavit. Percepto autem responso mulier læta efficitur, et in amorem needum nati geniti se totam effundens toto corde Dominum precabatur, ut sicut audierat, sic videret.

*litteris eruditur,*

2 Natus est autem infans, puerque effectus magistris traditur litteris imbuendus: in quibus non mediocriter eruditus, in brevi illarum scripturarum C præcipue scientiam attigit, quæ vel ad divinum cultum, vel ad salutem pertinent animarum. Prævenit enim eum Dominus in benedictionibus dulcedinis, notas faciens ei vias vitæ, et aqua sapientiæ potavit illum. Ab infantia namque sortitus est animam bonam, puer ingeniosus, docilis et amabilis valde: cui dulce erat ecclesiam frequentare, et studiosum esse in lectione audienda, pro viribus corporis et ætatis. In disciplina vero morum, atque virtutum profectu super coætaneos suos, imo supra docentes se, in brevi doctus apparuit, Divina unctione et gratia. Nobilitatem quoque sanguinis morum nobilitate venustare satagens, verecundus erat facie, purus mente ac corpore, omnibus placens, omnibus gratiosus. Talemque B. Fulcranni pueritiam melior subsecuta est adolescentia.

*optima indole præditus, diligens*

*et probus.*

*virginitatem tenere amat*

3 Cum autem jam majorem pervenisset ætatem, et juventutis flore vernaret; crescente in eo ætate crescebat simul sapientia ac gratia apud Deum et homines. Intantum enim virginitatis et castitatis amor animo ejus insederat, ut eam super salutem et omnem pulchritudinem adamaret, aspernareturque D atque fugeret, ut quamdam pestem, quidquid ejus contrarium foret. Castigabat corpus suum jejuniis et vigiliis, et spiritui servire cogebat. Innocens manibus et mundo corde et corpore in adolescentia sua conversatus, virginalem pudicitiam mentis et cordis usque ad finem vitæ suæ conservavit illæsam, prout ipse moriens in præsentia sacratissimi corporis Jesu Christi constitutus veraciter est confessus. Attestatur autem virginali corpori ejus examinata ipsius corporis integritas, quod post longa tempora contentum intra se fossa humus reddidit mirabiliter integrum et illæsum, sicut a corruptione carnis receperat alienum.

*atque illibatam servat,*

*quam corporis a morte incorruptio declaravit:*

*fit Sacerdos.*

4 Per singulos autem gradus Ordinis Ecclesiastici proficiens ad Ordinem Diaconatus, deinde ad Presbyteratus honorem ascendit: quem vita et moribus illustravit, proficiens atque succrescens, donec magnus effectus est vehementer. In carnis suæ maceratione tanti rigoris fuit, ut eam ob castitatis amorem indesinenter fame, siti, frigore, nuditate, laboribus, vigiliis, et jejuniis multis affligeret: jamque pretiosarum vestium cultus abjicitur ab eodem, et dulcium escarum despicitur apparatus. Intrinsecus enim ad carnem gerebat pro delicata veste cilicium, cum tamen forinsecus honoratis vestibus tegeretur. Pernoctabat in orationibus, quas cum lacrymarum effusione, ac mentis devotione, divinis auribus offerebat. Sic igitur secundum doctrinam Apostoli corpus suum possidere didicit et studuit, ut esset vas sanctificatum, in honorem coram Deo, et ad omne opus bonum paratum.

*castitatis amore, corpus varie macerat*

*ciliciis,*

*vigiliis.*

E

1 Thess. 11.

*b educatus ab Episcopo Theodrico,*

*ipsi et ceteris carus,*

5 Erat autem eo tempore venerandus vir et per omnia laudabilis *b* Theodricus Ecclesiæ Lodovensis Antistes, qui B. Fulcrannum ab ipso pueritiæ suæ ævo tenerrime diligens enutrivit, ac moribus bonis insignivit. Apud quem cum cottidie meritis crescentibus de virtute ascenderet in virtutem, tantam ipsius Antistitis, Cleri quoque ac populi totius, consecutus est gratiam, pro gratia Dei et sapientia, quæ relucebat in vultu ejus, ut eum omnes affectu nimio venerarentur diligenter, ac loco Patris haberent. Cumque prædictus Pontifex jam processisset in diebus suis, ipsum præ cunctis mortalibus desiderabat sibi in Sede Lodovensi habere et fieri successorem: et ad hoc ipsum Cleri et populi Lodovensis intentio suspirabat. Consummato igitur feliciter cursu dierum suorum memoratus Theodricus Pontifex, vocante se Domino, migravit ad Christum.

*expetitur ei successor, eoque mortuo eligitur.*

F

*ex fuga retractus*

*c consecratur 4 Feb. 949.*

*d*

6 Defuncto autem memorato Episcopo Theodrico convenit universa Civitas, cum Odone et Eldino Principibus populi, postulantes et requirentes sibi Dominum et Episcopum fieri Fulcrannum venerabilem Sacerdotem. Audientesque Cathedrales Canonici et attendentes devotionem populi, gavisi sunt, quod eum sibi præesse desiderarent, quem ipsi eligere proponebant. Convenientesque in eum uno ore eademque sententia, B. Fulcrannum elegerunt in Episcopum et Pastorem animarum, fitque repente lætitia magna in populo et civitate. Quo audito vir Dei ultra quam credi potest expavit, et fuga lapsus, latere cupiens, sed non valens, repertus tandem atque coactus Narbonam Metropolim urbem usque perductus est, et ab *c* Imerico Reverendissimo Archipræsule Sedis illius confirmatus est, et consecratus in basilica S. Pauli primi Episcopi civitatis illius, pridie Non. Feb. anno generationis Christi *d* DCCCCXLIX. Indeque reversus ad civitatem et Sedem suam Lodovensem, susceptus est cum gaudio, et exultatione universæ terræ.

a Eustorgiam *vocat Saussaius.* — b *Alia Vita* Theodoricum *vocat. Catellius* Teudericum. — c *Catellius* Aymericum *vocat Vita altera* Æmericum. — d *Supra monuimus, si hoc anno consecratus est,*

A *est, decessitque anno* 1006, *non potuisse, ut infra dicitur,* 62 *annos in Episcopatu exigere.*

## CAPUT II.

### *S. Fulcranni zelus justitiæ contra male agentes.*

Inter cetera vero charismatum dona quibus S. Fulcrannus refulsit, virtus humilitatis in ipsa exaltatione sua potissime claruit, per quam omnibus ita *valde humilis,* communem se fecit, ut in nullo a moribus discrepare ab eo quod prius fuerat videretur. Quia vero largitor omnium gratiarum Deus humilibus consuevit *omni gratia conspicuus,* dare gratiam, hunc humilem servum suum adeo gratia sua large perfudit, ut nihil ei in ulla gratia deesse videretur. Hic fuit veraciter arbor illa frondosa pomisque referta, quam venerabilis genitrix ejus Biligardis, antequam pareret, pariturum se in visione prævidit, sicut superius in sermonis exordio est prætactum. Quia igitur

Arbore de dulci dulcia poma cadunt,

quam cito potuit vir Dei Fulcrannus, sumpto Episcopatu, manum misit ad fortia, evaginato gladio Spiritus, quod est verbum Dei, per totam diœcesim *diœcesin visitat* suam discurrens, dicebat iniquis : Nolite inique agere. Et delinquentibus : Nolite exaltare cornu : manusque ejus fuerunt in cervicibus inimicorum, pacis- B que perturbatores perturbare studebat. Tantus ergo *Et justitiam zelose exercet :* justitiæ zelus in ejus corde fervebat, ut sola sua præsentia magnum metum incuteret criminosis.

8 Non ambigebat vir Dei se murum opponere pro Ecclesia Dei et domo Domini, præfulgens ipse regali sacerdotio tamquam Pontifex et Prælatus. Ita videlicet ut regali magnanimitate opprimeret fastuosos, et sacerdotali benignitate bonis et humilibus favorabilem se præberet. Hic vir sanctus zelo Dei ductus *Comitem adulterum repellit ab osculo et dure increpat.* Comitem Tholosanum nobilem ac potentem, sibi aliquando obviantem, officiose ac venerabiliter se osculari volentem repulit, ac dire redarguit coram multis, eo quod uxorem propriam dimisisset, et aliam a viro suo dimissam duxisset, ac pro hoc graviter improperando adulterum fore dicebat utrumque. In quo Heliæ ac Joannis Baptistæ factus est imitator, quia, sicut illi, maluit ejusdem Comitis indignationem incurrere et periclitari de capite, quam ipsum peccantem publice increpatione publica non ferire. Beato igitur Fulcranno omnes libenter obediebant, quia videbant quod vita sua non dissidebat a doctrina.

9 Aliquantulum autem temporis post susceptum Episcopatum effluxerat, cum humilem et exilem suæ *templum Cathedrale ædificat, et turrim,* Sedis ecclesiam, quam in honore S. Genesii Martyris vili schemate fabricatam invenit, exaltando et ampliando repararet, et in ejusdem extremitate basi- C licæ disponeret turrim ædificare. Quod audiens Vicecomes Heldinus, qui civitatem Lodovensem injuste ac violenter tunc dominari videbatur, nuntium suum ad B. Fulcrannum continuo destinavit, mandans ei et interdicens, ne turrim illam erigere plus auderet quam ipse juberet. Sed ipse qui missus fuerat cum tanti Pontificis oppressus auctoritate simul et animositate, non fuit ausus hoc Domini sui mandatum eidem significare, sed cuidam de famulis suis occulte signi- *contempta prohibitione Vicecomitis,* ficavit, ut sic mandatum Vicecomitis denuo in alium transfusum tandem ad aures Præsulis perveniret. Cujus nequaquam ausus est expectare responsum, sed occulte fugiens statim disparuit, et licet diligenter quæsitus, non tamen potuit inveniri. Sanctus autem Episcopus plenitudinem jurisdictionis, quam per donationem regiam et auctoritatem Apostolicam habebat in civitate Lodovensi, attendens, confisus in Domino et in potentia virtutis ejus, eminentiorem et fortiorem quam disposuerat perfecit turrim.

10 Tunc prædictus Vicecomes factus asperior so- D lito, cum ad eamdem urbem quadam die multum *AUCTORE BERNARDO GUIDONIS EPISC. EX MS.* commotus et quasi furibundus venisset, et ad contumeliam tanti Pontificis exigendo a civibus vectigalia male usurpata, dire nimis eos affligere cœpit. Licet autem per interpositas honorabiles personas ex parte Pontificis exoratus, a tanta barbarie resipiscere *quem injusta vectigalia extorquentem* nollet, vir Dei super contritione populi sui nobiliter iratus, prout nobilem virum nobilis ira decet, jussit illico Vicecomitem ipsum capi, captumque tamdiu detineri quousque redderet ac restitueret universa, quæ tam ipse, quam prædecessores sui violenter et injuste rapuerunt et abstulerunt Ecclesiæ Lodovensi, ac ut de cetero nihil eorum prorsus repeteret in *captivum detinet, donec ablata restituat,* perpetuum, data sufficienti et juratoria cautione. Quo facto, non per jus, muneribus placatum Vicecomitem liberum abire permisit. Sic igitur ne usque interemptionem mucro correctionis in manu S. Fulcranni *dein placatum dimittit :* sæviret, eo usque ipse correctionem suam temperare curabat, ut ultioni suæ aliquid demeret, quia vix est sine culpa totam semper prosequi, ut de eo veraciter dici posset :

Verbera Patris habes, ubera Matris habes.

Tanta nihilominus lenitate studuit dulcorare, nonnumquam exasperatos a se, ut eos non solum non pigeret fuisse contristatos ad pœnitentiam, sed multum inde gauderent, propter lætitiam et gratiam subsecutam.

11 Sic itaque vir Dei providentia sua alios quidem E blandimentis, alios alacritate, alios severitate, alios *alias lenis, alias severus* officiis, alios verbis, alios verberibus corrigebat, et ad vitæ semitam reducebat :

Vir pius atque gravis, vir sic in utrosque modestus,
Ut livor neutro reddere posset eum.

Licet enim B. Fulcrannus generosus esset potensque secundum seculi dignitatem, plus tamen ad faciendum ea quæ agebat, valebat in eo animi nobilitas, quam generis fortitudo. Propositum autem B. Fulcranni fundatum firmiter in corde ejus erat, ut adversariis Ecclesiæ, fidei et pacis pro posse suo sem- *fortiter resistit hostibus Ecclesiæ ;* per adversaretur, et ascendens ex adverso se murum opponeret contra eos. Eo enim in Sede sua sedente, filii multi Belial in virga furoris Domini perturbabant in patria quietem populi, et intantum exarsit eorum impietas, quod permultos servos Dei contristavit, multumque eis molestiæ intulit. Sicut enim *b* Juncellense cœnobium humiliaverunt usque ad ter- *b* ram, detraxeruntque usque ad pulverem, sic et alia sacra religiosorum loca ministri Sathanæ devastabant, nec sinebant in pace vivere filios pacis : bulliebant *c* ruptarii, sæviebant hæretici, ac fautores *c* eorum fideles : vix alicui et alicubi tunc licebat in suo tabernaculo operari. Inter hæc urebatur anima viri Dei, ubi tot rerum discrimina, tot crimina homi- F *zelose* num perditorum desævire multiplicarique cernebat; unde cum Apostolo dicere potuit : Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non *2 Cor. 11. 29* uror ? Adversus hominem jugem conflictum assump- *et pœnitentiis excruciat :* serat, indefessum certamen, vitamque ejus, quam ducebat asperrimam in vigiliis, disciplinis, et jejuniis multis, in ciliciis, et ferreæ tunicæ ad carnem nudam gestatione : cui non fuit ante sitim potus, nec cibus ante famem. Quasi grande martyrium sine gladio possumus in eo confirmare.

a *Quia plures* S. Fulcranni *tempore Comites Tolosani vixere, quorum tamen non satis perspicuus ordo statuitur, ac ne nomina quidem, apud Catellium in peculiari de iis volumine, qui hic fuerit a sancto viro objurgatus, nobis non liquet. Meminimus supra donationis factæ anno* 972, *Raimundo in, sive Regimundo, Comite Tolosano præsente, ipsoque S. Fulcranno.* — b *Ita minor Vita, cui, utpote apud Tolosates descripta certior in propriis nominibus fides. Apographum Prugense habebat* Mutllense. — c *Eadem vox cap.* 6 *num.* 38 *repetitur, extatque in minori etiam Vita. Gerardus Joannes Vossius lib.* 2 *de vitiis sermonis cap.* 16 *subscribere videtur cuidam existimanti* Ruptarium *equitem esse, a Belgico* Ruter. *Nescio sane, an qui cap.* 6 *num.* 38 *Gybretum castrum, in* prærupta rupe *positum, ideoque inaccessibile, insederunt ruptarii, equites esse potuerint.*



CAPUT III

A

*Auctore Bernardo Guidonis Episc. ex ms.*

## CAPUT III.

### *S. Fulcranni opera misericordiæ, sacra ædificia.*

Pauperum ac peregrinorum curam maximam B. Fulcrannus habebat, et ad supplendam eorum inopiam largissimus erat. *[liberalis in pauperes,]* In diebus illis vocavit Dominus famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit. Confluxit ad eum maxima multitudo pauperum, *[fame grassante]* tam ex vicinis locis quam a remotis et ignotis, ita quod vix erat locus in Lodovensi urbe vel circa, quem egenorum inopia alias frequentia non impleret. Vidensque pius Pater innumerabilem multitudinem pauperum, vehementer condoluit, cœpitque quomodo eis subvenire posset anxius cogitare: *[plurimos alit,]* tunc enim terra negaverat fructum cultoribus suis. Propterea pius Pater omnia quæ in stipendiis propriis habebat, pauperibus distribuit, sibique prorsus nihil retinuit. *[supellectili distracta, et aliunde conquisita annona]* Cumque omnia ejus mobilia pauperibus erogata fuissent, et adhuc multo plures pauperes superessent, qui urgente fame amplius indigerent, totum Episcopatum suum circuiens omnia pecora, a quæ cum magna diligentia adunaverat, divisit pauperibus universa.

B

13 Audito vero quod in b Ruthenico territorio frumentum venundaretur, assumpto secum non modico pretio, ivit illuc ut emeret pauperibus escas. Raymundus autem c Comes Ruthenensis ei in via paravit insidias, *[insidias sibi paratas evadit,]* ut totam pecuniam illam sibi tolleret, eamque haberet. Sed vir sanctus eo comperto, nil hæsitans, sed quasi leo confidens absque ullo terrore audacter accessit ad locum insidiarum. Tunc inimicum suum vis quædam divina perterruit, ut a loco fugavit. Cœpit enim Comes pallescere dolore, *[auctore divinitus punito:]* et vehementius anxiari. Et cum tot doloribus urgeretur ait suis: Dimittamus, quia iste quem persequimur, servus est Dei placidissimus. Vixque ad sua reversum durissima febris invasit.

14 Sanctus vero Pater consummato feliciter negotio suo, cum sufficienti annona secure reversus ad Sedem suam, multitudinem pauperum illorum usque ad novas fruges abunde refecit. Et tunc donante Domino benignitatem, et terra dante fructum suum, cum gaudio unusquisque ad propria remeavit. Consuetudinem sibi fecerat B. Fulcrannus, ut in omnibus Apostolorum festivitatibus, diebus quoque Dominicis et festivis, ac per Quadragesimam, pauperibus cottidie lavaret pedes, et victum et vestimentum præberet, excepta communi eleemosyna, quam largiter omnibus supervenientibus faciebat.

C

*[pedes pauperum lavat: ægris subvenit:]* Et insuper si quos in diœcesi sua sciret pauperes ægrotantes, quos diligenter inquiri faciebat, curam eis medendi tamquam suis domesticis impendebat: plusque gerebat curam pauperum, quam consanguineorum; qui nec ad argentum nec ad aurum lumina flexit, sed doluit quoties cui daret hæc, non haberet. Qui non cessavit inopum fulcire ruinas, donec inops dando factus et ipse fuit.

15 Consummato autem opere basilicæ S. Genesii, quod ipsam erexit, ampliavit et roboravit, tandem eam honorifice dedicare studuit convocatis ad dedicationem viris Reverendissimo Domino Imerico Archipræsule Narbonensi, d Ryquino Magalonensi, et e Deusdedit Ruthenensis Episcopis Reverendis. *[de dedicat ecclesiam Cathedralem an. 975]* Quæ facta est anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXV. Cujus celebritas dedicationis agitur in mense Octobris, in octavis S. Michaelis Archangeli. Cui Ecclesiæ, et altaribus quæ construxit in ea, multa contulit bona, et larga munera fecit ex bonis, quæ ei ex patrimonio suo proveniebant: *[et large dotat.]* et ordinavit quid Canonici, quid et quantum Presbyteri celebraturi in illis altaribus, et ministri eorum inde haberent; prout in testamento ejus plenius continetur.

D

*Animadv. pap. 109*

16 Construxit quoque cœnobium Ordinis S. Benedicti prope ipsam ecclesiam Cathedralem in honore f sancti Salvatoris, ex alio loco minus idoneo translatum ad locum illum subjectum ipsi Ecclesiæ S. Genesii, et Episcopo Lodevensi, *[f monasterium S. Salvatoris ædificat,]* quod multis donariis, et possessionibus ditare curavit, et dotare: et primo ecclesiam ipsam sancti Salvatoris ipsi monasterio contulit, quæ prius veterano ædificio in honore sanctæ Crucis ædificata, postmodum a prædecessore suo bonæ memoriæ Theodrico in honore sancti Salvatoris consecrata fuit. Quam pene dirutam ipse S. Fulcrannus firmiter reparavit, exaltavit, *[templumque restaurat,]* et ex patrimonii sui prædiis locupletavit, ac Algemarum quemdam dilectum suum, ex Canonico monachum factum, virum providum ac bene litteratum cœnobio illi præfecit. His itaque consummatis anni jam DCCCCXCVI Dominicæ Incarnationis computabantur.

17 Non solum autem in urbe seu diœcesi Lodovensi, ubi præsidebat, sed etiam extra eam ramos suæ sanctitatis et bonitatis extendebat. Studuit enim reparare atque propagare religionem. Monasterium enim g Juncelense, sibi vicinum, in honore S. Petri et omnium Apostolorum fundatum, sibi acquisivit, *[g monasterium Monalense restaurat,]* et a malefactoribus, qui tunc temporis humidabant in terra, jam pene eversum atque dirutum, multo labore et studio reparavit: et extirpavit inde quæ noxia erant, et Sarabaitis reprobis monachis inde eliminatis, et cœnobitis probis illuc introductis, strenuum et religiosum virum, nomine Stephanum, Patrem eisdem præposuit et dedit in Abbatem.

E

*[et reformat dyscolis ejectis:]* Quem, quia vir venerabilis vitæ erat, ipse S. Fulcrannus plurimum amavit. Pro cujus etiam amore monasterium ipsum multis et optimis possessionibus ampliavit.

18 Quis autem sufficiat explicare, quæ, qualia, et quanta bona et dona fecerit his et aliis piis locis, et ordinarit facienda post mortem suam? Quæ enim Ecclesia in ejus diœcesi fuit, quæ reparari indiguit, quam ipse aut non reædificavit, aut ad reædificandum sumptus non dedit? *[Ecclesiis multis benefacit:]* Quæ persona inclusa, quæ pauper, quæ peregrina et infirma, quam ipse scivit in Episcopatu suo, quam non pavit et vestivit, et cui medelam impendi non fecerit? Quam viduam pauperem de bonis suis non sustentavit? *[indigentibus subvenit:]* Quam pauperem adolescentulam non maritavit? Numerum et nomina pauperum et peregrinorum diligenter faciebat inquiri, et habere volebat in scriptis, ut in omni eorum necessitate, et indigentia paterno eis provideret affectu, et congregationi pauperum affabilem se præberet.

F

a *Vita minor ita habet:* quæ reperit, cum magna diligentia decimavit, et dimisit pauperibus universa. — b *Ruteni a Languedocia Tarno amne separantur. Galli urbem ipsam* Rutenam, *olim fortasse* Segodunum, *Ptolemæo lib 2 cap. 7 memoratum;* Rhodez *vulgo, territorium ipsum* Rouergue *vocant.* — c *Vita minor:* Comes impius Ruthenensis. — d *Catellus in Catalogo Magalonensium Episcoporum, ubi hujus dedicationis meminit,* Ricuinum *vocat: Vita minor* Deodatum Requinum. — e *Cl Robertus* Deusdedit, et Deodatum *vocat, sed non suo ordine locat.* — f *Meminit hujus cœnobii Cl. Robertus in Gallia Christiana.* — g *Ita minor Vita. In Progensi videtur esse* Monalense.

## CAPUT IV.

### *S. Fulcranni humilitas, aliæ virtutes, pœnitentia ob imprudens dictum.*

Cumque B. Fulcrannus virtutum varietate fulgeret, sic in eo virtutes virtutibus illustrabantur, ut modestiæ suæ, qua pollebat, numquam deesset auctoritas, mansuetudo constantiam commendaret, contineret patientia libertatem, et declinaret ubique superbiam. Humilitas namque sic ab eo amabatur, ut ejus existeret indefessus.... Ita namque se gerebat, ut

*omnibus est exemplo et venerationi ob singulares virtutes,*

A ut cunctorum imitatione pariter et veneratione dignus existeret, utpote vir nobilitate, scientia et doctrina ac sanctitate famosissimus, honestatis, gravitatis, totiusque probitatis quasi quoddam simulachrum et imago. Si staret ipse ad orandum, eo devotiorem, lacrymis profusiorem invenire non posses : si ad sacrificandum, non tam hominem quam Angelum crederes. Si caussas audiret, ita justi et æqui tenax erat judicii, ut regulis cœlestis juris omnia moderaretur.

*efficax in sermone,*

20 Alias ubique lætus et affabilis erat, sancta quadam affabilitate præsentes lætificans et recreans miro modo. Sermo ejus semper magistro sale conditus erat, ignitus incendio caritatis, incendium divini amoris audientibus, et sapientiæ condimentum infundens. Dederat ei Dominus linguam eruditam, ut sciret quando deberet proferre sermonem, ut lapsos posset erigere verbo. Tantaque docendi gratia divinitus ei data fuerat, ut audiendi verbum Dei ex ore ejus nulla unquam satietas audientium sequeretur. Nimirum diffusa gratia in labiis ejus, gratiam in audientium cordibus infundebat. Erat etiam homo Dei studiosus in litteris, unde non tam sibi legendo, quam aliis prædicando, salutem provideret æternam. Erat in pietate loquens, quia sermo ejus purus et efficax semper erat, nec aliquis audire contra B præceptum ejus audebat, cum sermones ejus rectissimos vita illustraret.

*gratus omnibus,*

21 Tantam gratiam virtus divina ei contulerat, ut populi ipsum audire, ipsum videre, sibique præsentem esse semper desiderabant. Noverat enim ipse gaudere cum gaudentibus, et cum flentibus flere. Nullus eo in a commendando urbanior, nullus temperantior in bibendo, nullus mansuetior erat afflictis, nullus pauperibus affabilior, nullus importabilior contumacibus ac superbis. Agnus erat domitis, indomitis leo. Ejus erat proprium dare dante Deo. Sic interior ejus homo cum exteriore conveniebat, ut in eodem statu semper inveniretur, nec unquam mutaretur, nisi forte de bono in melius : quamquam circa ipsum fieret multiplex et varia mutatio rerum. Non ergo mirum videatur si ab omnibus amabatur, qui tot bonis erat et gratiis cumulatus.

*semper sui similis :*

*indignum se Episcopatu profitetur.*

22 Cumque tot et tantis bonis ipsum gratia Divina cumulasset, ipse tamen de se humilia semper sentiens, se servum reputabat inutilem, se infructuosum aiebat, qui locum Pontificis occuparet, Pontificis honorificentiam susciperet, Pontificis vero nec merita, nec fructus se habere reputaret. Solus ea quæ sibi inerant bona non videbat, solus nesciebat quæ sciebant omnes : imperfectionem suam tantummodo cogitans, ut sciret quantum sibi deesset. Numquam sibi C virtutis aliquid esse, subtili valde ac studiosa discussione pensabat : intantum ut hujus considerationis aculeis, multoties corde compunctus resolveretur in lacrymas, et velut mortuum se defleret. Sola indignitatis suæ vox audiebatur, crebris intercepta singultibus, ita ut oculos audientium filiorum paternæ lacrymæ tunc replerent. Cum autem B. Fulcrannus dignitatem et nomen, sed non opus Episcopi se doleret habere ; martyrii quoque desiderio flagrans cuperet multum pro nomine Jesu Christi ludibria et verbera experiri, insuper et vincula et carceres, pro justitia pati, lapidari, secari, et in occasione gladii pro Domino consummari, ut posset esse de numero eorum qui tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia ; longe se distare ab his, quos legebat hæc omnia pro Domino passos, vitæ merito reputabat.

*et intimo animi sensu;*

*indignum quoque martyrio, quod valde desiderabat :*

*Episcopum judaizantem pronuntiat privatim incendio dignum :*

23 Quia vero bonarum mentium est, ibi culpam timere vel agnoscere ubi culpa non est ; remordebat eum multum conscientia sua, quod cum semel, in judicio seu extra judicium, simpliciter quidam fabularentur coram eo, de quodam illius temporis miserrimo Præsule, quod apostata a cultu Christianitatis D et fidei, ac nequiter judaizando grande in populo scandalum suscitasset ; ipse vir Dei, nimio fidei zelo succensus, hoc audito dixerat, non insinuando, sed simpliciter loquendo, Comburi deberet homo ille ; ac non longe post audierit apostatam illum a populo combustum, timens nimium homo Dei, quod incaute prolatum verbum illud, quod dixerat, illi apostatæ nocuit, grandi cœpit scrupulo permoveri, atque cogitare in corde suo, ne forte ad aures vulgi illud verbum delatum sit, et ob hoc crematus homo ille fuerit. Quod ergo totus populus fecerat, ipse sibi soli, et solum pro eo solo quod verbum illud sic incaute protulerit, imputabat. Et ut sibi et omnibus illa remitteretur offensa, quam ipse gravissimam reputabat, ac si ipsum suis manibus projecisset in ignem, gravem satis pro ea deluenda pœnitentiam facere voluit. Ob hoc igitur veniens Romam, cum appropinquaret portæ civitatis, exutus proprio indumento, spinisque circumdatus in utroque latere verberari acriter, ac duci verberando se fecit, publice spectante populo in ecclesia B. Petri Apostoli : et facta ibi confessione lacrymabili, se absolvi fecit ab hoc et ab omnibus aliis peccatis suis, ibique diutius mansit in vigiliis, in jejuniis, et obsecrationibus Deo serviens die ac nocte.

*AUCTORE BERNARDO GUIDONIS EPISC. EX MS.*

*cum id postea crevisset :*

*sibi imputans,*

*Romam it ut absolvatur,*

*curatque se palam verberari :*

24 Quia scriptum est, de propitiatu peccatorum noli esse sine metu ; iterum tandem non longe post repetiit Urbem, timens ne forte foret pro præmisso reatu insufficienter punitus, cum hoc ipsum, quod prius, in se ipso amplius fieri voluisset, impetrare non potuisset. Opportunum itaque præbuit exemplum cunctis pœnitentibus confluentibus ad Apostolicam Sedem, pro obtinenda suorum indulgentia peccatorum : ut non obstante humano pudore seu rigore pœnitentiæ austerioris, peccata sua confiteri, et injunctam sibi pœnitentiam perficere humiliter ac devote studerent, cum viderent tantum virum hoc facere tam ardenter.

E Eccl. 5. 5.

*iterum ea causa it Romam.*

25 Post hæc etiam S. Fulcrannus iter suum ad curiam Romanam tertio repetiit, et in ea, ut plenius absolveretur, per totam Quadragesimam mansit, atque divini amoris intuitu Cardinales omnes sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui tunc ibi erant præsentes, cottidie sumptu proprio usque ad Pascha copiose procuravit. Qui tandem Apostolica fretus benedictione et absolutione potitus, petito munere Apostolico sanctarum Reliquiarum, maxilla scilicet beati Martyris b Sebastiani et gratia privilegiorum, quæcumque voluit et postulavit, obtenta, feliciter remeavit ad propria. Ut autem luce clarius foret, quod hoc ipsius peccatum, si tamen aliquod fuit, deletum omnino fuit in eo per humilem ejus pœnitentiam supra scriptam, cœpit post hoc uberius gratia Dei se in eo per signa et miracula declarare, ita ut signis et miraculis ostenderetur, quanti foret meriti apud Deum, quorum aliqua inferius perstringemus.

*ac tertio,*

*munificus in Cardinales :*

*Reliquias impetrat b et privilegia :*

F

*clarescit miraculis :*

a *Ita scriptum fuit, an forte* comedendo *legendum, ut commendetur ejus in comedendo honestas et urbanitas?* — b *De variis reliquiis et translationibus* S. Sebastiani *egimus ad ejus Vitam* 20 *Januarii.*

## CAPUT V.

### *S. Fulcranni ægritudo, mors, post hanc miracula.*

Talis igitur fuit vita et conversatio S. Fulcranni, quam mors non dissimilis est secuta. Vere etenim pretiosa in conspectu Domini mors illius fuit. Cum enim placuit Deo, ut eum de mundo vocaret, et supra mundum mundi victorem remuneraret ; sanctus Pater longo confectus senio, ac laboribus fractus, tandem febre correptus lecto decubuit : convocatisque omnibus Canonicis Sedis suæ, et Abbatibus quibusdam

*febri corripitur :*

AUCTORE BERNARDI GUIDONIS EPISC. EX MS.

*a prædicit mortem suam : facit testamentum :*

A busdam et Reverendissimo Præsule Rutenensi, *a* Magfredo nomine, qui ei carissimus erat, indicavit omnibus diem vocationis suæ instare, fecitque tunc legi ac recitari ordinationem a se factam de Ecclesiis S. Genesii et sancti Salvatoris, quam inviolabilem atque perpetuam sanxivit habere firmitatem, prout in testamento plenius suo est expressum.

*magnus propterea omnium luctus :*

27 Audito autem quod dixisset instare finem dierum suorum, cucurrit statim hæc fama per totam diœcesim, imo longe lateque se sparsit. Et confluentium ad eum utriusque sexus populorum non erat numerus : plorabant omnes et lamentabantur, ac si mundi finis instaret. Videres omnes angulos basilicæ, claustri et domorum omnium Canonicalium, totiusque civitatis impleri gemitibus, suspiria suspiriis jungi, et communi lamentatione totius terræ desolationem ab omnibus implorari. Si quando seniores junioribus voluissent consolationis adhibere medelam, statim et ipsi lacrymis complebantur. Per omnes autem Missas oratio fiebat ab omni Ecclesia Lodovensi ad Deum pro eo, ut populus tutorem non amitteret, servi dominum, filii patrem, Episcopum Clerici, Abbatem monachi, discipuli doctorem, protectorem procuratoremve patria, Ecclesia lectorem. Hæc enim omnia illis semper extiterat, quia omnibus B omnia factus erat.

*flens orat pro suis,*

28 Cum autem violentia febris vir Dei acrius urgeretur, licet toto desiderio cuperet dissolvi, et esse cum Christo, motus tamen flentium fletibus, et ipse misericordiæ visceribus affluens, flere cum flentibus cœpit, et intentis in cœlum oculis, ac manibus protensis, flens largiter Dominum precabatur, ut Ecclesiæ Lodovensi misericorditer provideret, illustraret eam atque protegeret, et omnibus pius Pastor ipse existeret, ac sua providentia gubernaret. Assistebant ei omnes Canonici Lodovenses, monachi, Prælati, atque nobiles plures, qui audita infirmitate ejus convenerant, flentes atque dicentes : Cur nos, Pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Hæc et his similia multa gementes ingeminabant. Porro ipse, quantum poterat, consolabatur eos, et instruebat, monens ut semper Deum timerent, et amarent, et memores essent, quoniam misericordia Dei numquam defuit, sed semper affuit timentibus eum. Et se ipsum ipse dicebat eis cum voluntate Dei post mortem affuturum in omni eorum necessitate : dummodo præcepta bona, quæ illis dederat, custodirent.

*eosque solatur,*

*et patrocinium addicit :*

*amplius pati optat :*

C 29 Ipse quoque Sanctus preces ad Dominum, ac supplicationes fundebat, ut eum in præsenti cœlestis medicus urgeret et secaret, et in futurum sibi parceret, nihilque superesset quod purgandum vel puniendum in eo restaret. Cum ergo in antea semper verbis et operibus in anima ejus Deum habitare claruerit; præcipue tamen ejus infirmitatis afflictione extrema instante, quis vel quanti foret meriti claruit, et quam vera dilectione in vita sua justitiam dilexerit, et odio habuerit iniquitatem, latere non potuit.

*sibi sepulcrum fieri curat, idque benedicit :*

30 Ingravescente igitur morbo, jussit sibi parari sepulchrum in Cathedrali ecclesia S. Genesii, quam ipse reædificaverat, et dedicaverat, suis sumptibus, sub Oratorio sancti Michaelis, ad quod deferri se fecit pridie Nonas Febr. instante anno recurso Episcopalis Ordinationis suæ, ut benediceret illud. Quo benedicto, reportari se illico fecit ad proprium stratum.

*inungitur :*

31 His itaque gestis, cum fatiscentibus toto corde membris, hora jam transitus ejus instaret, beatus Pontifex Fulcrannus, recepto Ordine extremæ Unctionis, et facta humili confessione coram Sacerdotibus præsentibus et Reverendissimo Magfredo Rutenensi Episcopo, exitum suum perceptione sacri corporis Domini nostri Jesu Christi munivit. Et licet se D incusaret in multis offendisse, in præsentia tamen corporis Domini Jesu Christi tunc confessus est, numquam se, custode Deo, integritatem sui corporis perdidisse. Nonnulli autem audientes finem suum instare, cereos afferebant sacro ejus funeri profuturos.

*viaticum sumit : fatetur se virginalem pudicitiam non amisisse.*

32 Instante igitur hora felicis transitus ejus cœpit clamare ad Dominum, dicens : Domine Jesu Christe, suscipe in pace spiritum meum. His dictis sterni fecit cilicium et cinerem : omnesque qui convenerant, litanias, ipso præcipiente, cum magno fletu et planctu dicere coram eo cœperunt : quas cum ipse frequenter repeti faciebat, et moriens eas cum eis et ipse dicebat. Cum autem quasi jam penitus defecisset, quidam ex circumstantibus apprehensa manu ejus dextera omnes qui aderant, et totam civitatem Deo assignabat, ipso quoque, quantum poterat, conante, ac benedictionum verba frigescentibus labiis vix tenuiter proferente. Sicque dum benediceret et oraret, sancta illa anima carne soluta cœlum petivit. Migravit autem ad Dominum anno generationis Christi MVI, Idus Febr. III feria, VIII fere diei hora transacta, lætantibus cœlis pro suo concive, terris plorantibus pro amisso Pastore. Mansit autem in Episcopatu annis LXII et diebus IX. Protracta vero est mora sepeliendi sanctissimum corpus usque in E feriam sextam. Tanta vero luminarium ibi copia fuit et cereorum ardentium claritas, ut claritatem diei quodammodo vincere videretur.

*in cilicio jacens, Litanias cum suis recitat :*

*suis benedicens et orans,*

*sancte moritur 3 Febr. 1006 fer. 4*

33 Cum autem adhuc esset in feretro corpus ejus, quidam vir, Raynardus nomine, quem ipse *b* intervenerat, anxio nimis dolore dentium torquebatur adeo ut maxillam, in cujus parte dolor furebat, tumor nimius deformasset, et nec comedere, nec quiescere ipse patiens sineretur. Accedens autem ad feretrum, et applicans illi dolentem partem, ibi, præ tristitia quam habebat de morte Domini sui, aliquantulum obdormivit : evigilansque statim ab utroque incommodo, tumoris scilicet et doloris, se omnino curatum invenit, et in conspectu omnium, qui aderant, Deo et B. Fulcranno gratias egit, multis mirantibus, qui paullo ante viderant tumefactam nimis faciem ejus, et super nimio dolore, quem patiebatur, plangentem audierant vehementer.

*feretri ejus attactu dolor dentium ac tumor subito curantur.*

34 Sacro itaque B. Fulcranni corpore venerabiliter in sepulchro, quod ipse sibi paraverat et benedixerat, tumulato ; non pepercit sanctificatis amictus sui palliis, ac stramentis funeris ejus, populi fides : quæ pro maximo habuit, si vel minima potuerit unquam fimbria provenire, dum minutatim propter hoc omnia scinderentur, et rumperentur, singulis, prout F quisque potuit, partem sibi rapientibus, et hac de caussa inter se certantibus. Nam et ipsum feretrum serris desectum est, et ferramentis mox incisum, ita ut et ipsas minutias a serræ dentibus decidentes, diligenter in panniculis mundis sibi colligerent, et ligarent, et pro benedictione secum deferrent; fide firmiter præsumentes, non esse a beneficiis vacuum, quidquid corpus tam sanctum tetigisset. Movit autem populi fidem ac devotionem ad hoc, ut feretrum ejus confringerent ac secarent, atque ejus omnia stramenta sibi invicem partirentur, quia audierant, et viderant, quod applicatione maxillæ dolentis atque tumentis ad feretrum, Raynardus prædictus alumnus B. Fulcranni curatus fuerat, et ideo hoc fecerunt de feretro, quia viderant eum fecisse hoc signum in feretro. Corpus itaque sacrum B. Fulcranni sepultum fuit in tumulo, quem ipse vivens sibi fecerat præparari, infra ecclesiam S. Genesii Martyris, Cathedralis Sedis Lodovensis, in oratorio sancti Archangeli Michaelis.

*tegumenta feretri a populo discerpuntur pro reliquiis,*

*ipsumque feretrum :*

*sepelitur*

35 Postquam autem corpus sacrum sub terra latuerat

*corpus diu post integrum repertum transfertur,*

A latuerat multis annis, tandem divino nutu, ac Dei revelatione, populi devotio dignum duxit, ipsum, corpus, quod fuerat apotheca charismatum, a terra tollere, et elevare supra terram : fuitque repertum totum integrum et incorruptum penitus et illæsum in omnibus et singulis partibus et artubus suis, in pelle, carne, ossibus, et unguibus manuum ac pedum, divino munere conservatum. Sicut ab omni carnis corruptione, dum vixerat, fuit alienum, ita usque in hodiernum diem conservatur integrum et conspicitur in ecclesia Lodovensi, ubi ipse sanctus Pontifex et Confessor integer cum Sanctis et justis secundam expectat resurrectionem, decoratus una stola immortalitatis animæ, securus de reliqua corporis in die resurrectionis ornandus, ubi miraculis gloriosis cum Deo se vivere evidentius manifestat. Annus autem Dominicæ Incarnationis, quo levatum fuit corpus ejus sacrum a terra, non invenitur notatus in scriptis gestorum ejus, et hoc per incuriam et negligentiam Clericorum illius temporis, aut forsitan scriptura, si qua fuit, perdita fuit. Quædam vulgata narratio cucurrit ad posteros, quod post c annos ab ejus fideli transitu, corpus ejus sit translatum, et ut etiam fieret extitit divinitus revelatum, quamvis revelationis series non fuit per consimilem incuriam seu negligentiam scripturæ testimonio

*Divina revelatione, ut creditur. Translatio ea recolitur feriante Ascensionem.*

B commendata. Translationis autem prædictæ memoria a Clero et populo Lodovensi festive semper recolitur *c* feria quinta ante festum Ascensionis Domini.

a *Deest hic Cl. Roberti Catalogo : nisi is sit quem* Maganhedum, *sive* Mangafredum *appellat, sed male* circa annum 942 *sedisse scribit. Nam* Deusdedit *ejusdem Sedis Episcopus jam antea an.* 975 *adfuerat dedicationi basilicæ Cathedralis Lodovensis, uti dictum cap.* 3 — b *An* nutriverat, *aut quid simile? nam mox* alumnus B. Fulcranni *dicitur.* — c *Saussaius* 5 *Maii signat hanc translationem his verbis* Lodevæ feria quinta ante ipsa Dominicæ Ascensionis solennia illi festum translationis reliquiatum S. Fulcranni Episcopi ejusdem Ecclesiæ et Confessoris. *Si* 5 *Maii, et feria* 5 *ante Ascensionem, ea Translatio contigit, dicenda est contigisse an.* 1043 *aut* 1048 *aut* 1054. *Neque enim ab anno* 1006 *ad* 1127, *feria illa in* 5 *Maii, Pascha in* 3 *Aprilis, nisi tribus illis annis incidit, circa id tempus, si tabulæ non fallunt.*

## CAPUT VI.

### *Facta a S. Fulcranno miracula, dum adhuc viveret.*

Sequitur de miraculis, quibus Deus mirificavit Sanctum suum Fulcrannum, dum adhuc viveret in carne mortali. Cæcus quidam ex territorio *a* Albiensi venit ad S. Fulcrannum, dicens se in visione commonitum, ut quantocyus ad ipsum accedens, cæcatos oculos suos lavaret ex aqua, qua sibi Confessor Domini manus suas lavisset, et tanti Pontificis meritis lucem recuperaret amissam. Cum autem sanctus Antistes ad immolandum Deo hostiam laudis accessurus manus sibi lavisset, ex aqua ille a ministris sibi

*a aqua, qua manus laverat, cæcus illuminatur, divinitus præmonitus :*

C data oculos suos lavit ; et statim vidit, magnificans Deum.

37 Visitavit aliquando vir Dei quemdam nobilem Clericum, dominum castri Nipbiani, graviter infirmantem, qui ad suggestionem ejus atque consilium portionem quorumdam prædiorum ad se spectantium, monasterio sancti Salvatoris Lodovæ, ob suorum remissionem peccaminum, in sua ultima voluntate legavit. Qui etiam sanctum Episcopum a se recedentem rogavit obnixe, ut peracto pro quo festine recedebat negotio, ad se sine mora reverti dignaretur. Interim prædictus æger amissa loquela obmutuit, et jam reverso ad eum Episcopo, frater ægrotantis et consanguinei ejus, eum mortuum æstimantes dicebant, quidquid monasterio reliquisset, in ejus absentia revocasse languentem. Quorum mendaciis non adhibens fidem, accedens ad ægrum ultimum trahentem spiritum, postquam eum ter nomine suo vocavit, illico reacceptis viribus et apertis luminibus, quæsivit absoluta sermone, qua de caussa

*ægrum ad piam donationem inducit,*

*et ut eam confirmet, agentem jam animam excitat :*

vocatus fuisset. Cui cum vir Dei caussam exposuisset, et ab illo protinus responsum accepisset, se nolle aliquatenus irritum fieri quod fecerat, se perpetuo firmitatem habere, denuo se sanctis ejus commendans orationibus, migravit in pace. D

*AUCTORE BERNARDO GUIDONIS EPISC. EX MS.*

38 Quoddam castrum satis forte erat in diœcesi Lodovensi, quod Gybretum incolæ vocant, pertinens ad jurisdictionem B. Fulcranni. Quidam autem ruptarii milites, in rapinam rerum pessime inhiantes, intra fortem munitionem ejusdem castri, cum rapta præda se aliquando receperunt, confidentes in loci munitione, eo quod vastitate præruptæ rupis inexpugnabilis et inaccessibilis videretur, et quamlibet prædam in eo receptam securam, seque in eo tueri possent. Quo audito vir Dei zelo justitiæ succensus, tam immane scelus abhorrens, et volens ablatum sibi castrum repetere festinavit ad locum cum expeditione devenire. Et posita obsidione, cum inexpugnabile cerneret castrum esse, invocata virtute sanctæ Trinitatis, vicibus tribus castrum circuivit. Et (mirum dictu!) post ternum ejus circuitum, illico totus castri murus undique corruit, et præbuit expugnantibus patulum et latum ingressum. Tunc irruentibus hostibus cum se captos illi ruptarii cernerent, ad pedes sancti Præsulis prostrantes se quantumcumque potuerunt humilitate et instantia supplicarunt, ut eis saltem vita concederetur. Quod vir Dei clementer indulgens obsidibus ab eis acceptis, ne talia ulterius attentarent, vivos et illæsos abire permisit, prædamque eis restituit, quibus fuerat violenter ablata. Et cognovit omnis terra, quia exaudivit Dominus Sanctum suum, et orationem ejus suscepit, hostiumque vires ac munimenta miraculose subvertit. E

*castrum a prædonibus occupatum*

*invocata sancta Trinitate ter circuit, et muris collapsis recipit,*

39 Divulgatus est sermo iste per totam provinciam ab omnibus qui viderant et audierant, omnesque Deum in hoc facto magnificabant. In quo etiam novo facto antiquum illud Josue factum renovatum est, nisi quid tunc septeno dierum circuitu, cum Arca fœderis Domini, vociferante populo, muri Jericho corruerunt ; nunc vero post ternum circuitum, orante et clamante ad Deum S. Fulcranno, et significata Arcæ fœderis Domini in fide sua continente, murus castri maledicti Gybreti collapsus est. Et sicut per imprecationem Josue Jericho mansit diu inhabitabilis, sic quoque propter maledictionem hujus sancti Pontificis castrum Gybreti inhabitabile diu fuit. Comperto igitur, quod Dominus sic pro Sancto suo pugnasset, timor ejus et terror statim irruit super facientes mala, intantum, ut qui illum aliquatenus provocasset, Deum se provocasse metueret, et ei se nullo modo opponere audebat. Sanctum et terribile nomen ejus erat omnibus audientibus illud, propter bona opera, et miracula quæ per eum Dominus faciebat. F

*sicut Josue Jericho,*

*et maledictum inhabitabile reddit :*

*hinc a peccantibus timetur*

40 Dedicabat aliquando quamdam basilicam in *b* Averna sanctus Præsul, et cum in subsellio suo pontificalibus indutus, Clero cantante Graduale Missæ, ipse sederet, lapsus de pariete contiguo cereus ardens cecidit super eum, et in conspectu omnium qui aderant, prius quam ei subvenire quis posset, tamdiu ardens in indumento sericeo cereus mansit, quod damnosa multum combustio facta esse potuisset. Et cum qui viderant statim accurrerent, ut succurrerent ei, tollendo desuper eo cereum ardentem; ecce (mirabile dictu!) cereus ipse per se, nullo eum homine contingente, ipsi parieti, unde ceciderat, sese altius impressit, et vestimentum sancti Pontificis in nullo penitus læsum apparuit.

*b cereus vestem ejus nil lædit,*

*seque ultro parieti applicat :*

41 Veniens apud Anicium homo Dei, in festo SS. Simonis et Judæ, præmisit duos vel tres de familia sua, qui parare sibi facerent qualiter posset ibi celebrare divina. Et quia duorum Apostolorum festum

*AUCTORE BERNARDO GUIDONIS EPISC. EX MS.*

A festum fuerat, quatenus bis duodenos pauperes colligerent in hospitio suo, quibus, secundum quod consueverat, pedes lavaret, alimenta et vestimenta præberet. Cui venienti occurrentes de Clero quidam viri honorati petierunt secrete ab ejus domesticis dari sibi de aqua, qua sancti Pontificis manus lotæ fuissent. Quam cuidam nobili Clerico illius Ecclesiæ, febribus ac dolore laterum multum laboranti, dederunt in potum, et ex ea dolentem locum inunxerunt: qui confestim ab utroque curatus incommodo, dedit laudem Deo.

*aqua, qua manus laverat, febris et pleuritis sanatæ.*

42 Est monasterium sanctimonialium in Avernia, cui nomen est Enciatum, ubi multum rogatus ab ancillis Dei S. Fulcrannus quamdam ibidem basilicam dedicavit. Et cum finito prandio surrexisset a mensa, et recessisset a loco, sanctimoniales illæ, magno fidei ac devotionis ardore succensæ, reliquias ciborum ejus cum magna diligentia ac studio colligentes, et sibi altrinsecus rapientes, post discessum ejus, quotquot ex illis sanctificatis reliquiis gustaverunt, sani statim facti sunt a quacumque detinerentur infirmitate. Hoc totum illa congregatio ancillarum Dei, hoc multi sanitatis beneficium consecuti, hoc totum illa patria publice prædicabant, laudantes et benedicentes Deum.

*reliquiis ciborum ejus, varii morbi.*

B

43 Quidam vir potens et honoratus erat in Avernio, B. Fulcranno familiaris multum et carus, quem cum circa solis occasum aliquando suscepisset hospitio, et omnis ejus familia gratulabunda cum faculis ardentibus huc illucque discurreret, pro his quæ tanto hospiti erant paranda, casu accidit, ut carbo vivus ex ardenti facula decidisset in cellarium ejus, arentesque paleas, super quas cecidit, accenderet, ac flante vento vorax flamma statim totum invaderet penu. Et cum tota familia domus cum magno strepitu accurreret, clamitando Ad focum, et vicini pariter concurrerent, ut ignem illum extinguerent; ad hanc vocem ipse quoque sanctus Præsul de loco, in quo erat, exivit, ut videret quid hoc esset: vidensque flammam ignis cum vento luctantem, mox elevata dextera signo Crucis edito flammam sævientem

*in hospitalis viri domo*

D orando compescuit: et blande hospitem consolatus, omne damnum, quod ex illo incendio pateretur, se restauraturum ei promisit. Mira res! Perscrutatus totam domum suam, quæ combusta quasi penitus videbatur, illæsam prorsus, cum omnibus quæ in ea erant, hospes invenit, nihilque sibi deperisse gavisus est. Hoc autem miraculum celeberrimum fuit, tum quia multos testes habuit, qui ad extinguendum illum ignem accurrerant, tum quia alii multi excitati fama miraculi, nihilominus convenerunt ad locum, ut benedictionem et benedictionis virtute S. Fulcranni salvatam domum illam ab igne viderent. Cui cum lætus hospes nil damni vel læsionis se pertulisse referret, vir sanctus omnipotenti Deo, cujus bonitate hoc factum noverat, immensas gratias egit.

*incendium signo Crucis et precibus restinguit, damnumque divinitus reparari obtinet:*

44 Cum in monasterio *d* Itidoro sanctus Antistes aliquando præsens esset, contigit quamdam provectæ ætatis mulierem cæcam, quæ a remotis partibus ipsum Sanctum Dei expectaverat, ibi præsentem esse, quæ domesticis sancti Episcopi familiariter cum magna humilitate significavit, se in visione fuisse cælitus de novo commonitam, ut ad S. Fulcrannum mature ubicumque illum præsentem sciret fore, veniret, et de aqua manuum ejus oculos suos lavaret, sicque visum pro certo recuperaret. Quo audito gavisi sunt, et mulieri consulendo dixerunt, ne se longius absentaret a Sancto, sed cum patientia expectaret quo usque aquam, quam peteret, habere posset. Factum est autem ut et Sanctus ibi lavaret manus, et mulier ex illa aqua oculos ablueret, et continuo, sicut in visione sibi promissum fuerat, recuperata luce videret. *e*

*d*

*cæca divinitus monita, aqua illuminatur, qua is laverat manus.*

E

a Albiga, *et in Notitia provinciarum et urbium Galliæ* civitas Albiensium, *Gallice* Alby, *urbs est Episcopalis Galliæ Narbonensis, licet ejus Antistes subsit Metropolitæ Bituricensi, quia pleræque urbes Albigensis diœcesis cis Tarnum sunt, extra provinciam Narbonensem, ut observat Catellius lib. 2 cap. 10.* — b *Forte* Arverna *legendum, ubi et infra num.* 42 *pro* Avernia *ac num.* 43 *in* Avernio *positum, pro* Arvernico. *Nam et jam Galli* Auvergne *dicunt.* — c *Vellaunorum urbs est, vulgatius* Podium, *Gallice* le Puy. — d Issiodorum *esse videtur, sive* Icciodorum, *vulgo* Issoire, *oppidum in Arvernis, in quo monasterium S. Austremonii Benedictinum. De eo egimus* 23 *Januarii in* 2 *Vita S. Præjecti cap.* 1 *num.* 3 *et annot. b.* — e *Mirum est, si ita abrupte desierit auctor, satis alioquin verbosus.*

*e*

NOT. 37.

# DE S. GILBERTO, SIVE GISLEBERTO,

## EPISCOPO MELDENSI IN GALLIA,

J. B.

### Commentarius historicus.

C

*POST AN. CIƆ. XIII FEB.*

Meldi, *Ptolemæo* Meldæ *dicti, regionem Galliæ tenuerunt, quæ inter Matronam Sequanamque amnes jacet, ac postea* Saltus Brigensis, *nunc* Bria *appellata. Primaria eorum urbs, sive Ptolemæi* Jatinum, *seu quo alio nuncupata vocabulo, nomen deinceps assumpsit gentis, ut* Meldi, *aut* Meldæ, *Gallice* Meaux, *vocetur. Cathedra illic Episcopalis a S. Dionysii temporibus stetit. Fuisse enim is dicitur, ut Parisiorum, ita et propinquorum Parisiis Meldarum Apostolus, primumque illic Antistitem S. Sanctinum ordinasse, qui XXII Septembris colitur. Post hunc plures illic illustres Episcopi vixere, in Sanctorum tabulas relati: interque hos octavo post Sanctinum seculo* S. Gilbertus, *sive* Gillebertus, *aut* Gislebertus.

*S. Gilbertus Meldensis Ep.*

2 *Ætatem ejus indicat Franciscus Belforestus tom. 1 Cosmographiæ pag. 356, ubi et ceteros ejus urbis Episcopos usque ad Ludovicum Bressæum recenset:* Quadragesimus tertius, *inquit,* S. Gilbertus fuit, qui anno CIƆIV vivebat. *De eo ita meminit monachus Altissiodorensis pag. 74 Chronologiæ:* Floruit hoc tempore Gislebertus Meldensis Episcopus, vir eximiæ virtutis, et gloria miraculorum insignis: cujus Vita stylo clarissimo edita, multarum exempla virtutum viventibus et victuris per secula exhibet.

*quando vixerit*

*laudatus ab historicis,*

3 *Cl. Robertus in Gallia Christiana annotat a* Leotherico Metropolite consecratum.... dedisse Canonicis S. Mariæ et S. Stephani (quos vocat Fratres sanctæ Sedis Meldensis) plures Ecclesias, inter quas recensetur Abbatiola S. Rigomeri Episcopi et Confessoris: obiisse XIII Februarii circa annum Christi CIƆIX, ejusque festum agi in Ecclesia Meldensi: *et officio quidem duplici, uti ex Meldensi Breviario patet. Ejus ita memoriam consecrat Molanus in auctario ad Usuardum:* Civitate Meldensi, S. Gisleberti Ep. et Conf. *Eadem habet Canisius. Meminere illius etiam Ferrarius in generali catalogo SS. Constantinus Ghinius in Natalib. SS. Canonicor. Andreas Saussayus in Martyrol. Gallicano. Bellinus de Padua die IV Februarii, quo S. Gilberti Sempringamensis celebratur natalis, ista habet:* Eodem die S. Giliberti Ep. et Confess. *An illum perperam Episcopum existimarit fuisse, an Meldensem eo die coli, haud equidem scio. Fit hujus mentio in aliis quoque Episcoporum Galliæ indicibus, apud Democharem de sacrificio Missæ tom. 2 cap. 19, et Joannem Chenu. Quia autem Vitam illam* stylo clarissimo editam *necdum adipisci potuimus, dabimus hic illius aliquam epitomen ex Breviario Meldensi, tribus secundi Nocturni Lectionibus expositam: et quæ de eo Claudius Hemeræus ex eodem Breviario, alteroque vetustiore, et aliis monumentis, in* Augusta Veromanduorum

F

*multa ad causas pias largitus, colitur 13. Feb.*

*alibi 4 Febr.*

A Veromanduorum illustrata *congessit ad annum* 983. *Ita ergo habet Breviarium.*

*claro genere ortus,*

4 Lectio iv. Gilbertus in agro Viromandensi natus est, parentibus Fulcardo et Gilla : quorum nobilitatem, et cum Alberto II Comite necessitudinem, singularis pietas commendabat. Eosdem parentes habuit in ætate tenera sollicitos præceptores, et ad ea quæ cultum divinum spectant pios instigatores.

*egregie educatus,*

Ubi vero adultioris ætatis robur accessit, ipsi eum apud Clericos Ecclesiæ S. Quintini Viromandensis, tum sanctitatis et eruditionis nomine celeberrimus, deposuerunt. Ubi optimos sortitus duces Gilbertus,

*Canonicus Quintinopoli factus,*

paullo post militiæ Christianæ nomen dedit, et Canonicorum adjunctus collegio ita pie vixit, ut Clericis ac laicis magnæ esset admirationi, omniumque sibi conciliaret animos. Eumdem carissimum habuit Odo Comes Viromandensis Alberti successor, in cujus aula vel persæpe invitus versabatur : nec tamen ejus polluebatur puritas, aut devotio frigescebat.

*postea Meldis Archidiaconus,*

5 Lectio v. Illius sanctitatis virtutumque fama permotus piissimus Meldensium Præsul Hercanrandus eum accersiit, et in Archidiaconum assumpsit. Quo quidem in munere tanta cum caritate, prudentia et moderatione versatus est, ut si quid contra Canones aut Ecclesiasticum decorem accidisset, animadverteret statim benigne, pruden- B terque resarciret, atque id sæpe Clericis largiretur quod ab illis jure poterat reposcere.

*ac tandem Episcopus :*

Mortuo præfato Pontifice, Dei nutu, ac votis omnium, in defuncti locum suffectus est Gilbertus : qui tamen eum honorem tanto aversabatur studio, quanto in eum desiderio totus populus ferebatur. Electionem Odo Comes, qui tum in urbe Sparnaca morabatur, suo calculo comprobavit : et quem sæpius Episcopatu dignissimum pronuntiarat, eumdem ad id muneris electum non potuit non exosculari.

*quo in munere sancte vivit :*

6 Lectio vi. Consecratus in Episcopum, mores non mutavit, nec de consuetis pietatis officiis, orationibus, jejuniis, corporisque castigationibus quidquam remisit : in pauperes misericors, in bonos benignus, in pervicaces asperrimus semper fuit. Ejus mentem non erexit in vanum dignitas, sed humiliter et nihil de se magnificum sentiens, onus potius quam honorem suscepisse judicabat. Atque ita animo vere paterno, non imperioso, suos excipiebat, fovebat, instruebat. Cum autem Meldensem Ecclesiam sibi creditam pie ac sancte per XX annos administrasset, et verbis ac exemplis suæ plebi lampadis instar præluxisset; tandem meritis plenus, et miraculis clarus, vitam Angelicam felici exitu consummavit, Idibus Februariis, anno salutis CIↃIX, tempore

*moritur 13 Febr. 1009*

C Roberti Christianissimi Francorum Regis.

7 *Ista hactenus. Imperavit Francis Robertus ab obitu patris Hugonis Capeti, qui anno* IↃCCCCLXXXIX XXVIII *Augusti decessit, ad* XX *Julii* CIↃXXXII. *Qui hic Hercanrandus appellatur, Hemeræo* Hercaraudus *est,* Archanradus *Claudio Roberto,* XLIII *Ecclesiæ Meldensis Episcopus. Discrepat ab iis quæ Lectione* IV *affirmantur, Hemeræus : nam Alberti* I *tempore natum Gilbertum statuit, Albertum* II *anno* CIↃXV *capessivisse Veromanduorum regimen, Heriberto patre mortuo, Alberti* I *filio, cui Otho frater, sive Odo, successerit anno demum* CIↃXXV, *ut non potuerit in hujus palatio versatus fuisse, priusquam Meldas evocaretur ab Hercanrando, cui anno* IↃCCCCLXXXIX *in solium Episcopale suffectus sit, cum id tenuerit annos* XX, *defunctus* CIↃIX. *Ista porro de S. Gilberto scribit idem auctor, veteribus aliis usus monumentis, et ipsa fortassis, quam desideramus, veteri Vita.*

*Qui tunc Comites Veromanduorum?*

8 Clarissimum refulsit jubar Ecclesiæ S. Quintini Viromanduæque ditionis Gilbertus, Alberto principante, ortus Fulchardo et Gilla nobilissimis opulentissimisque Viromanduorum. Hic enim ubi atti- D gisset eos annos, qui primis litteris ad Christianas virtutes informantur, collegio Canonicorum San-Quintinensium traditus in disciplinam, vim indolis ad præclara quæque compositæ brevi exeruit : ob idque Alberto Comiti gratissimus, insinuante præsertim eum in Principis amicitiam, familiæ claritate; et in eodem Clero sortem assecutus suam, sacræque militiæ adscriptus, illuxit apud nostros ea sanctitate vitæ, nemo ut virtutibus ornatior haberetur.

*Gilbertus Canonicus sanctus*

Quarum suavitas ubi viciniam quoque afflasset, expetitus ab Episcopo Meldensi, (is tum erat Hercarandus) Archidiaconus efficitur ejus Diœcesis : et vita paullo post defuncto Præsule, omnium votis eligitur, qui Cathedræ præficeretur.

*fit Episcopus Meldensis,*

Cui se nominationi annuere Meldarum et Trecarum Comes Otho, successor Stephani, Clericis duobus ad se eam ob rem missis in villam Sparnacam, in qua tum residebat, benevolentissime testatus; gratulari se porro ait universæ diœcesi, et sibi, quod eum Præsulem Deus obtulisset, qui ab aula Alberti piissimi Comitis, sibique juncti consanguinitate, jam pridem ad Meldensem Archidiaconatum invitatus; is unus etiamnum ad infulas Episcopales, consentientibus omnium animis, evocaretur.

*probante Comite Meldensi.*

9 Præsulatum ille obivit integerrime sanctissimeque. Primus tamen Ecclesiasticam substantiam, E id fieri Meldensi Clero postulante, secuit in partes, alteram Episcopo, collegio alteram Canonicorum attribuendam. Cujus rei charta est in ejusdem Ecclesiæ archivis anni CIↃIV.

*bonorum portionem assignat Canonicis*

Illo in munere dum sustinet laboriosas et perpetuas curas, interceptus morbo, quo terris excessit, ad Leotericum Senonensem et Fulbertum Carnotensem, ad se ut venirent exoratos, Immortales, inquit, habemus grates vobis, sacra capita, luminaque Galliarum, qui extremos amici veteris halitus vestra benedictione coronetis : qui vestrum collegam cum ipsa morte, atque adversario insidianti vitæ cujusque calcaneo, colluctantem salutari viatico recreetis : qui denique cadaver exangue tumulo Christiano componatis.

*æger munitur Sacramentis a 2 Episcopis,*

Ac paucos post dies anima, innocentis vitæ meritis, velut alis, in cœlum sublata, corpus reliquit : quod sepultum in ecclesia B. Stephani Meldensis ante altare, sub gradibus apsidis, frequentissimis diu maximisque portentis coruscavit. Memoria ejus apud Viromanduos et Meldenses religiosa veneratione cultuque celebratur.

*et sepelitur :*

*clarescit miraculis.*

10 Est Fulchardus (nescio an Gilberti parens) inter illustres aulicos Alberti et Heriberti Comitum, in Regesto, ejusque liberi Anselmus et Raimboldus. Sed vetus Meldense Breviarium, unum tantum Gilberti fratrem Ivonem appellavit. F Gilbertum Hamenses civem suum esse, et in monasterio B. Mariæ ejus urbis Canonicum aliquando egisse volunt, priusquam in illud monachi Baldrico Novioduni episcopante, inducerentur. Certe municipium illud, quamquam mediocre, sua tamen dynastia nobile, præter Gilbertum, ortu etiam pariturаque gloriatur viri litterarum rerumque gestarum decore præcellentis Joannis de Bellinis Aroasiæ Abbatis, cujus illustrem et floridam in dicendo facultatem in concilio Lateranensi, sub Alexandro III, Patres summopere sunt admirati.

*Hami natus creditur, ibique Canonicus,*

11 *Est* Hamum, *quod (ut hic testatur Hemeræus) S. Gilberti sibi vindicat natales, oppidum exiguum illud quidem, sed validum, ad Somonam flumen, inter Quintinopolim et Peronam : nostrates vulgo* Han *appellant. Hallucinatur fortassis Claudius Robertus, dum consecratum scribit Gilbertum, a Leotherico Metropolite, quem alibi scribit anno* CIↃ *electum, cum jam undecimum annum Meldas regeret Gilbertus, secundum ea quæ ex Breviario Meldensi recitata de obitus anno ac Sedis tempore. Et vero Robertus idem fatetur synodum celebratam*

*sive Hami, ad Somonam.*

*a quo ordinatus?*

AUCTORE I. B.

A *bratam a Serino, qui ante Leothericum Senonensi Ecclesiæ præfuit, eique synodo cum aliis Reginaldum interfuisse Parisiensem Episcopum, cum alibi Glabro teste affirmet, ejusdem Reginaldi decessorem an. ꟾↃCCCCLXXXXIII obiisse. Igitur ante eum annum neque illa habita Senonensis est synodus, neque Leothericus Episcopus fuit, nedum quadriennio prius Gilbertum consecravit. Sed quæ nunc parum plana, expediemus, ubi Vitam illam ab Altissiodorensi monacho collaudatum nacti erimus.* D

# DE S. PETRO

## EPISCOPO VERCELLENSI IN ITALIA.

J. B.

*Circa an. ꟾↃX. XIII Feb.*

*S. Petri Episc. Vercellensis natalis,*

V*ercellis celebri Pedemontii urbe, colitur Idibus Februarii officio duplici* S. Petrus *illius urbis Episcopus. Meminit ejus Ferrarius in generali Catalogo SS. et in Catal. SS. Italiæ. Extat hoc ipsius elogium in Francisci Augustini ab Ecclesia Salutiensis Episcopi* Historia Chronologica Pedemontanæ regionis *cap.* 10 *de statu Vercellarum et serie Episcoporum :* S. Petrus tertius hujus nominis, qui ex devotione Palæstinam visitans, a Saracenis vinculis et compedibus adstrictus in carcerem detruditur : sed liberatus opera S. Bonini ad suam Ecclesiam reversus eumdem Boninum ad regimen abbatiæ S. Michaelis de Laucedio per certos nuntios evocavit. Obiit sanctitatis laude clarus Idibus Februarii,

B qui dies publicis Ecclesiæ Vercellensis officiis celebratur. *Ferrarius Petrum hunc non tertium, sed secundum ait fuisse illius nominis.*

2 *De eo tres hæ Lectiones ad secundum nocturnum in Ecclesia Vercellensi recitantur, ut ex Officiis patet an.* ꟾↃꟾↃLXXXI *ibidem excusis.* Lect. IV Petrus Episcopus Vercellensis, patriæ cœlestis sitiens, præclaris religionis studiis se in Episcopali munere excitavit ad omnem eximiam pietatis Christianæ exercitationem. Is aliquando peregrinationis Hierosolymitanæ religioso desiderio ductus, Babyloniam venit : quo tempore Christianorum copiæ a Babyloniorum Rege magnam cladem acceperunt : in qua ipse cum ceteris multis captus est. Itaque vinculis et compedibus astrictus, in carcerem detruditur : ubi profusis lacrymis continenter Deum orans, Divino admonitu in ea regione virum sanctum, Bononium nomine, esse cognovit, cujus opera inde liberaretur.

*Vita ex Officiis.*

*Captus in Ægypto a Saracenis,*

*divinitus discit se liberandum,*

3 Lect. V. Divina igitur ope ad liberationis spem excitatus, suppliciter cum B. Bononio egit, ut ad se veniret : qui perspecta hujus religiosa pietate, cognitaque caussa quamobrem is et ceteri Christiani eo loco in vinculis essent, huic et illis opem ferre non destitit. Primo enim id a custode impetravit, ut sibi

*quod factum S. Bononii opera,*

C ad eos consolandos aditus in carcerem patefieret : tum Regis domesticos, qui plurimum apud illum gratia possent, precatus, hoc effecit, ut Petrus Episcopus et ceteri Christiani e custodia liberarentur. Quamobrem data abeundi facultate, beatus Antistes, quo magis ad omnem sanctæ disciplinæ exercitationem instrueretur, monachum illum, ad religionis studia eruditum, secum socium et comitem adhibuit.

*quem secum ducit :*

4 Lect. VI Itaque navim Episcopus cum Bononio ceterisque Christianis conscendens, Hierosolymam venit. Ubi totus meditationis studio deditus, Domini sepulchrum imprimis, et reliqua illius sacra rerum gestarum monimenta, ac singula loca sancta quæ absens intima pietate coluerat, præsens veneratus est religiose. Quibus omnibus incredibili mentis ardore perlustratis, inde Constantinopolim appulit : unde B. Bononius cum Hierosolymæ desiderio ob loci sanctitatem teneretur, eo rediit, indeque ad Sinai montem. Sanctus autem Episcopus Vercellas tandem venit ad Ecclesiam suam. Paucis vero post diebus cum Abbas Locediensis monasterii obiisset, hic Hierosolymam certos homines misit, qui illum Vercellas perduxerunt. Cujus religiosa sanctaque consuetudine et frequenti congressu beatus Antistes ita perpetuo usus est, ut Bononii socius vocitatus sit. In omni autem Episcopali officio ad Dei inprimis religionem, ad gregisque salutem Petrus Episcopus attentissimus Ecclesia Vercellensi pie recteque administrata, sanctitatis laude clarus obiit in Domino, Idibus Februarii.

*visunt Hierosolymam :*

*Petrus Vercellas redit :*

*Bononium eo evocat, et Abbatem facit,*

*et perfamiliaris :*

E

5 *Hæc eadem in S. Bononii Vita XXX Augusti narrantur. Erat is patria Bononiensis, monasticam vitam ibidem in S. Stephani complexus : inde in Ægyptum profectus, in solitudine circa Babylonem Ægypti urbem vixit, miraculis clarus, etiam Alexandriæ. Tandem Petro Episcopo aliisque captivis, Reginæ aulicorumque patrocinio, libertatem obtinuit. Dein isto et illi et S. Petro Episcopo evenerunt :* Navi ergo impositos, postquam mare transissent, Hierosolymam primum, inde in montem Sinai perduxit.... Post quæ loca perlustrata Constantinopolim contendit, ubi cum ad littus appulissent, tamquam a quibus insidiæ metuendæ essent, ad Imperatorem delati, ejus jussu custodiæ mancipati sunt, antequam qui essent, et quid venissent, edoceri se esset passus. Quorum cum deinde innocentiam, referentibus in ea urbe Dei cultoribus, didicisset, non solum liberos, sed muneribus ex fisco insuper vestibusque donatos, eorum sortem miseratus, dimisit. Conscensa igitur rursus navi, cum læti in suam quisque patriam reversi essent, etiam Petrus Episcopus suæ Sedi est restitutus, cui multo post tempore præfuit. Ceterum Bononius Dei servus ad montem Sinai regressus *etc.*

*visitarunt antea simul montem Sinai : capti pro exploratoribus Constantinopoli,*

*dein benigne dimissi :*

6 *Dicitur in eadem Vita S. Bononius obiisse anno* ꟾↃXXVI. *Idemque in historia miraculorum ejus asserit scriptor coævus, qui profitetur,* eorum quæ refert plura se ipsum vidisse, non visa autem a se, a veridicis et fidelibus viris audivisse, multorum testimoniis confirmata. *Hinc de S. Petri ætate fieri conjectura potest. Ferrarius in generali Catal. SS. annotat anno* ꟾↃX *obiisse. Idem habet Franciscus Augustinus Episcopus Salutiensis antea citatus, qui pro Bononio* Boninum *scribit, atque abbatiam S. Michaelis de Lucedio, prope Crescentinum castrum diœcesis Vercellensis sitam, nunc S. Januarii appellari, ob S. Januarii corpus illuc Roma allatum. De S. Bononio, sive Bonino alibi.*

F

*utriusque ætas.*

# DE B. JORDANO II GEN. ORD. PRÆD.

G. H.

Commentarius historicus.

### § I. *B. Jordani patria, ingressus in religionem, generale Ordinis magisterium, virtutes.*

*An. Chr. ꟾↃCCXXXVII. XIII Feb.*

I*nter præclaros Heroes, qui sacratissimam* S. Dominici *familiam sub primum ejus exortum illustrarunt, extitit* B. Jordanus, *quem* natione Teutonicum, *sive Germanum,* de Westphalia natum esse, *tradit Thomas Cantipratanus lib.* 2 *Apum cap.* 57 § 52. *in Chronico MS. quinque primorum Generalium Ordinis Prædicatorum dicitur* Teutonicus de Saxonia, de villa quæ dicitur Burchberge, in diœcesi Maguntina, oriundus. *Locum hunc nativitatis illius alii* Borterge *et* Boterge *nuncupant. Ægidius Gelenius Serenissimi*

*B. Jordanus natus apud Westphalos seu Saxones,*

A *Serenissimi Electoris Coloniensis Historiographus, ac libris eruditis de antiquitate Ecclesiastica editis clarus, nobis de eo loco quærentibus respondit*, oppidum illud nunc Borrentrick appellari, situm haud procul Warburgo in diœcesi Padebornensi, quæ ad Metropolitanam Moguntinam spectat. *Gelenio assentitur Bernardus Mallinckrodt Ecclesiæ Cathedralis Monasteriensis Decanus, vir nobilis, omnigenæque antiquitatis peritissimus, suggeritque* B. Jordanum fuisse illustrem genere, ex familia Comitum de Eberustein in diœcesi Hildesiensi, seu potius in Ducatu Brunswicensi : *vestigia se aliqua hausisse e libello vetusto, cui titulus*, Mensa philosophica. *Verum cap.* 38 *istius libelli dicitur* Jordanus filium Comitis de Dachia, de cujus idem Jordanus progenie natus esset, ad Ordinem Parisiis recepisse : *ac reliqua describuntur ex Vita infra danda cap.* 8 *num.* 63, *ubi solum* nobilis de Teutonia Dominus secundum mundum *dicitur*.

*an in diœcesi Paderbornensi?*

*an ex illustri prosapia?*

2 *At minus probamus, quæ Guido in commentario de rebus Ordinis, eumque secuti Sebastianus de Olmeda in Chronico Magistrorum Ordinis, Joannes Rechacus in Vita ejus Gallice edita et Thomas Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad an.* 1220 *cap.* 2 *referunt*. Hic Jordanus, *inquit Guido*, fertur et scribitur in Vitis Fratrum, natus fuisse in Terra sancta, et baptizatus in flumine Jordanis a parentibus Teutonicis illic peregrinantibus, unde et nomen Jordanus habuit. *Nec dubitat Malvenda, quin a celebri illo* Palæstinæ amne, cujus laudes tantopere Scriptura commendat, nomen sancto viro factum : *ideoque variam nominis interpretationem ex Hebraico adjungit. Nos ex ipsis Vitis Fratrum Acta B. Jordani damus, sed nihil de ejus apud Palæstinos nativitate reperimus. Nomen ipsum Germanicum est, quo multos nuncupari observat Molanus in prima editione Usuardi a se aucti, ad hunc* XIII *Februarii : atque ex Actis S. Thomæ Cantuariensis colligit nomen Jordani ex voce Gordiani esse desumptum. Primam utriusque vocabuli litteram sæpius confundi certum est. Ipsa autem vox* Gorden *Teutonico sermone cingere seu zona adstringere significat. Hinc* Gordianus, Gordanus et Jordanus *usitata apud Germanos Latinorum terminatione scribitur, non* Jordanis, *ut Malvendæ aliisque placet. Inter alios hoc nomine appellatos floruit olim apud Augustinianos Jordanus de Saxonia, et rebus gestis et libris editis clarus, uti diximus* X *Februarii ad Vitam S. Guilielmi Magni in Commentario de Ordine Guilielmitarum* § 1 *num.* 4.

*ab aliis dicitur natus in Palæstina, et baptizatus in Jordane.*

B

*est nomen Germanicum sortitus.*

3 *Cœpit Ordo Prædicatorum auctore S. Dominico sub finem anni* CIↃCCXVI, *confirmatus ab Honorio* III *anno Pontificatus* I, *Indict.* V, II *Kalend. Januarii. Cujus proinde Ordinis annus primus componitur cum anno Christi* CIↃCCXVII. *Anno sequente eidem Ordini adjunctus est Reginaldus ante Aurelianis Ecclesiæ S. Aniani Decanus, quem S. Dominicus anno* CIↃCCXIX *Parisios misit, ubi in ejus notitiam pervenit* B. Jordanus, sacræ *ibidem* Theologiæ Baccalaureus, *ab eoque ad Ordinem receptus, cum altero socio Henrico Coloniensi, qui ambo voto, se obstrinxerunt, se Ordinem quam primum ingressuros. Mortuo interim eodem anno Reginaldo, ingressum distulerunt in Feriam quartam Cinerum anni* CIↃCCXX, *componendis rebus suis impediti. Rem gestam ita narrat Theodoricus de Appoldia in Vita MS. S. Dominici lib.* 3 *cap.* 10 : Post mortem vero ipsius *Reginaldi*, illi duo Teutonici, Jordanus videlicet et Henricus, valde gratiosi, qui in manibus ipsius votum emiserant, ut prædictum est, in capite jejunii, dum Fratres cantarent, Immutemur habitu, secularibus vestibus exuti, Ordinis habitum induerunt. *Incipit dictis verbis Antiphona, quæ canitur, dum cineres imponuntur capitibus. Sed pergit auctor* : Isti sunt duo Fratres limpidissimi, qui de obturato fonte protinus orti sunt, prout visio præfigurat, *infra in Actis num.* 6. Erant quippe virginei corporis munditia purissimi, effluentis doctrinæ gratia dulcissimi, laudibus præteritorum patentissimi. Isti sunt duæ olivæ, pietatis et misericordiæ visceribus affluentes, qui suæ suavitatis odore totam Ecclesiam resperserunt. Hi sunt candelabra, super quæ clara, quæ non marcescit, sapientia, lucem pedibus insipientium præbuit in hac vita, quæ nunc augent Sanctorum gaudia ante Dominum lucentia. *Hæc Theodoricus. In Chronico MS. quinque Generalium dicitur* Frater Henricus, juvenis Angelicus, gratiosissimus in omnibus, qui postea prædicatione sua totam Universitatem Parisiensem multum commovit, et fuit primus Prior Coloniensis. De cujus laudibus mira scripsit in libello suo prædicto *Jordanus*, quem, *ut ante dixerat*, composuit de initio Ordinis, qui sic incipit : Filiis gratiæ et cohæredibus gloriæ.

*Ordinem Prædicatorum confirmatum* 31 *Decemb. an.* 1216

C

*ingredi vovet an.* 1219,

*habitum sumit an.* 1220 *cum Henrico Coloniensi.*

*ambo excellentes,*

D

AUCTORE G. H.

*hujus ille virtutes descripsit*

4 *Eodem* anno CIↃCCXX, *uti legitur in dicto Chronico MS.* primum Capitulum Generale celebratum est Bononiæ sub B. Dominico, cui interfuit etiam Frater Jordanus missus ad illud de Parisius, ubi intraverat Ordinem paullo ante in Quadragesima præcedente. *Theodoricus lib.* 4 *Vitæ S. Dominici cap.* 4, Missus est, *inquit*, venerabilis Frater Jordanus Teutonicus cum aliis tribus, ut ipse mandaverat Pater sanctus. Frater vero Jordanus cum missus fuit ad Capitulum, nondum in Ordine peregerat tres menses. Erat autem gratia plenus, et ad omne opus bonum idoneus et paratus. In hoc Capitulo... collocata sunt hujus Ordinis fundamenta. *Statutum etiam* ut singulis annis generalia Capitula celebrarentur. Transacto Capitulo, Frater Jordanus, accepta benedictione a Magistro S. Dominico, valedicens eidem, Parisius est reversus : ubi Evangelium B. Lucæ tam gratiose Fratribus legit, quod ex ejus doctrina et profectum magnum veritatis in scientia et affectum pietatis in conscientia perceperunt. Eratque conversatio ejus sancta et vita perfecta : unde et doctrina ipsius utilis extitit et accepta. *Hæc Theodoricus. Interea, ut habet Chronicon MS.* anno Domini CIↃCCXXI celebratum est Capitulum secundum generale Bononiæ sub eodem Patre *S. Dominico*, et de illo Capitulo missi sunt Fratres in Angliam, et Fratri Jordano, qui præsens non erat, injunctum est officium Prioratus provinciæ Lombardiæ. Ad quod officium exequendum dum iret.... mortuus est B. Dominicus VIII Idus Augusti, et intra ecclesiam Fratrum est honorifice sepultus. Et Frater Jordanus cœptum iter perficiens Bononiam supervenit, *(ut addit Theodoricus lib.* 4 *cap.* 7) injunctum sibi per illam provinciam ministerium peracturus.

*interest novitius* 1 *Capitulo generali,*

E

*Parisiis exponit Evangelium S. Lucæ :*

*an.* 1221 *absens in* 2 *Capit. generali eligitur Provincialis Lombardiæ,*

5 *Vacavit post obitum S. Dominici per decem fere menses generale Magisterium Ordinis, usque ad feriam secundam Pentecostes* anni Domini CIↃCCXXII : *quando, ut in citato Chronico MS. legitur*, celebratum est tertium Capitulum generale Parisius, in quo electus est Frater Jordanus, licet nondum complesset annos duos et dimidium *in ordine. Quæ Theodoricus lib.* 6 *Vitæ S. Dominici cap.* 1 *ita explanat* : Anno Dominicæ Incarnationis CIↃCCXXII Patre nostro Dominico inter Angelos et Sanctos translato, celebratum est Parisius tertium Capitulum generale, in quo vitæ vir venerabilis Frater Jordanus Teutonicus, et de Saxonia oriundus, per voluntatem Dei, dirigente Spiritu Jesu, in Magistrum Prædicatorum Ordinis est electus. Hic primus ejusdem Ordinis Fundatori S. Dominico non tam administratione regiminis, quam æmulatione justitiæ et rectitudinis successit, intentionis ac religionis fervorisque Fratrum factus perfectissimus imitator. Qui dilectus Deo et hominibus, quæsivit quæ sunt bona genti suæ, et dilatavit gloriam Ordinis sui, amplificans eum in provinciis, in conventibus, et in optimarum multitudine personarum. Nam multi natalibus et dignitatibus præeminentes, plurimique

F

*et an.* 1222 *in* 3 *Capitulo generali Magister Ordinis,*

*hunc late adauget,*

A miquæ possessionibus et beneficiis locupletes, plerique divinarum scientiarum Magistri et Doctores: aliique innumeri juvenes et litterati scholares, ad sermonum ejus mellifluum compuncti eloquium, omnia propter Christum et Evangelium relinquentes, Prædicatorum Ordinem assumpserunt. Creverunt tunc filii Dei, et quasi germinantes multiplicati sunt, et roborati nimis impleverunt terram *etc. Hæc Theodoricus, qui toto libro sexto enarrat perfectam Fratrum Ordinis conversationem, mutuam caritatem, orationem assiduam ac diligentem Divini officii frequentationem, cultum ac venerationem Deiparæ Virginis, ceterasque eximias virtutes; quas hic omittimus recensere: quamvis, uti auctor gloriam honoremque S. Dominici illis conscribendis plurimum promovet, ita nec parum laudem splendoremque B. Jordani accumularemus.*

*AUCTORE G. D.*

*omni virtute decoratum,*

6 *In citato Chronico MS. hæc de ejus virtutibus summatim narrantur:* Fuit Magister iste valde notus et dilectus a Domino Papa Gregorio IX, et ab aliis mirabilibus, et gratiosus apud Magnates, et religiosus apud Clerum et populum et Universitatem scholarium, usque adeo, quod vix poterant satiari de verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus, sive in sermonibus, sive in sanctis collationibus, quas habebat. Unde quando erat Parisius, incumbebat ei omnes sermones Fratrum facere. Et quando alius B prædicabat, et scholares sciebant eum præsentem esse, vix valebant in fine recedere, priusquam ipse aliquid diceret post alios. Fuit autem ejus summum studium, Ordinem dilatare propter fructum animarum. Propter quod se totum dabat ad attrahendas personas ad Ordinem. Et ideo commorabatur in locis quasi semper, ubi scholares erant, et præcipue Parisius, nisi quando ad Curiam eum ire oportebat: Erat autem illi consuetudo, quando erat Parisius, quasi omni die, quando non erat sermo, facere collationem novitiis: ad quam etiam alii majores convenientes, magnam consolationem et instructionem recipiebant in eis. *Hæc ibi.*

*gratus Papæ, Magnatibus, aliis,*

*Academicos amat,*

*novitios libenter instruit.*

## § II *S. Dominici Translatio et Canonizatio a B. Jordano procurata: Libri ab eo editi. Provinciæ et cœnobia Ordinis sub utroque erecta*

In *eodem Chronico MS. ista traduntur:* Sub eo etiam *Jordano* anno Domini CIↃCCXXXIII translatum est corpus B. Dominici ad locum honorabiliorem, et eodem anno est Sanctorum catalogo aggregatus apud Perusium per Papam Gregorium IX: in quo tempore tanta gratia prædicationis et mirabilium per Fratres C diffusa est in Lombardia, et alibi per Fratres inde venientes, quod totus mundus fere ex auditu stupebat. *Hæc ibi, quæ Theodoricus integro fere libro VII Vitæ S. Dominici exponit, cujus hactenus non nisi parva fragmenta edita sunt, reliqua nos ad IV Augusti ex antiquo codice MS. supplebimus: paucula tamen hic excerpimus.*

*Anno 1233 corpus S. Dominici transferri procurat:*

8 Crescentibus, *inquit,* per totam Italiam per merita S. Dominici evidentibus miraculis, fidelium dignum duxit devotio, corpus ejus humili prius loco repositum ad altiorem locum debito cum honore reverenter transferre... Erat tunc Prior Provincialis Lombardiæ Frater Stephanus vir strenuus et probatus.. Ordinatione ipsius dies et modus transferendi sacrosanctum corpus Confessoris sanctissimi constitutus est, et devotione celeberrima frequentatus. Ad Capitulum namque Generale quod tunc occurrerat celebrandum, Fratrum copiosa confluxerat multitudo... Statuta igitur hora, qui ad hoc opus sanctissimum exequendum et intuendum digni et idonei reputati sunt, convenerunt; videlicet Dominus Archiepiscopus Ravennas, aliique plures Episcopi, nec non Magister Ordinis dulcis Pater Jordanus cum Diffinitoribus Capituli. Potestasque civitatis D cum multis Bononiensibus, aliarumque civitatum non paucis honoratis, cum Fratribus et Clericis adfuerunt, ambientesque sepulchrum almi Confessoris circumsteterunt simul... Erutis denique clavis ferreis, quibus firmata fuerat arca, inæstimabilis odor cum abundantia de sacrosanctis ossibus expiravit. Tunc Magister Ordinis aliique Fratres cum multa devotione et reverentia de veteri capsa tollentes ossa sacra, in nova, quam præparaverant, posuerunt, clausamque et firmatam clavi quam tenebat Potestas Bononiensis, et tenet idem Magister, et Provincialis Stephanus, coram omnibus ad sepulchrum marmoreum transtulerunt. Mane facto, præsidentibus Archiepiscopo aliisque Episcopis cum Fratribus et multis aliis, aperta denuo et reserata fuit arca, pristinum odorem fundens, per manusque Episcoporum deposita est capsa cum ossibus sacris in novo sepulchro, seris et clavibus obfirmato. Deinde cum octava die Potestas Bononiensis cum multis honorabilibus civibus, ad instantiam eorum, qui Translationi non interfuerunt, sepulchrum iterum aperuit, ut a devotis filiis sacrosanctæ Reliquiæ continenter viderentur. Tunc dulcis Magister Ordinis Jordanus piissimi prædecessoris sui Dominici corpus purissimis manibus tenens, filiis obtulit osculandum.... Facta est E autem Translatio hæc anno Domini CIↃCCXXXIII, Indictione VI, Pontificatus Domini Gregorii IX anno VI, Frederici II Romanorum Imperatoris XI, a confirmatione Ordinis anno XVII, a transitu vero Dominici anno XIII, *sed partibus anni pro anno numeratis, alias anno* XII. *Translatio namque hæc facta est* XXIV *Maii, quæ illo anno conveniebat in Feriam* III *Pentecostes, cyclo Lunæ* XVIII, *Solis* X, *littera Dominicali B et Pascha celebratum fuerat die* III *Aprilis.*

*coram Episcopis et Magnatibus,*

*imponit novæ capsæ,*

*præbet variis osculandum,*

9 *Ne autem tantæ rei gestæ memoria apud posteros aboleretur, B. Jordanus Translationis hujus historiam misit ad Ordinis cœnobia, postquam Gregorius* IX *eumdem Dominicum Sanctorum catalogo inscripsisset. Edidit illud monumentum Abrahamus Bzovius in Annalibus ad an.* 1233 *num.* 5, *cujus hoc est exordium:* Dilectis in dilecto Dei Filio Fratribus Ord. Prædicat. universis F. Jordanus ejusdem Ord. humilis Magister et servus salutem et gaudium sempiternum. Solet Divina bonitas sua indagabili sapientia plerumque bonum differre, non ut auferatur, sed ut dilatum surgat uberius in tempore opportuno. *At sub finem habet:* Delatum est corpus ad monumentum marmoreum, cum propriis aromatibus ibidem recondendum. Spirabat odor mirificus ex corpore sancto ostendens cunctis lucide, quam bonus odor Christi hic esset. Celebrantur Missarum solemnia F ab Archiepiscopo. Et quia tertius dies Pentecostes eniluit, Accipite jucunditatem gloriæ vestræ, gratias agentes Deo, qui vos ad cœlestia regna vocavit, in Introitu chorus intonat. Quam vocem de cœlis sonantes Fratrem in sua jucunditate susceperunt. Turbæ concrepant: innumeram cereorum multitudinem populi erigunt: processiones etiam honestæ fiunt. Benedictus Jesus Christus ubique resultat. Acta sunt in civitate Bononiensi IX Kalend. Junii, anno Gratiæ CIↃCCXXXIII. Indictione VI, Romanæ Sedi Gregorio IX præsidente et Imperii sceptra Frederico II gubernante

*de ea Translatione literas circulares ad suos mittit,*

10 *Peracta corporis S. Dominici translatione, cœptum agi de ejusdem memoria divinis honoribus ad aras consecranda. Theodoricus lib. 7. Vitæ S. Dominici cap. 10 ea de re hæc habet:* Eodem igitur anno, quo sancti Patris Dominici corpus translatum est, Summus Pontifex Dominus Gregorius IX honorabiles viros Tancredum Bononiensem Archidiaconum et Priorem S. Mariæ de Reno, Fratremque Palmerium

*peracta deinde canonizatione S. Dominici,*

A rium Ecclesiæ de Compagnola Bononiensis et Regmodiotum, Inquisitores auctoritate Apostolica delegavit, ut de vita, conversatione, transitu, miraculisque prædicti Confessoris perquirerent diligenter. *Coram quibus varii testimonia dederunt mense Augusto a die* VI *ad* XIV *dicti anni* CIↃCCXXXIII, *Indictione* XI. *Dein ut traditur cap.* 10, Anno *eodem* CIↃCCXXXIII constitutus apud Perusium Romanus Pontifex, Pater Patrum, præsentibus Archiepiscopis et Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis multis, cum Fratribus et populis, fidelem Christi famulum, humilem Dominicum inter Sanctos Dei nominavit, ejusque nomen adscribi Sanctis ac celebrari, universali Ecclesiæ mandavit. Consummatum est hoc Canonizationis officium solenniter apud Perusium per Dominum Gregorium Papam, regnante Frederico Imperatore Romanorum, a confirmatione Ordinis Prædicatorum XVIII, sub venerabili ac sancto Patre Jordano Prædicatorum Ordinis Magistro secundo. *Bulla canonizationis data traditur* Reate in Idus Julii, Pontificatus anno VIII *Christi* CIↃCCXXXIV, *ad quem diem et locum alii solennitatem reliquam peractam scribunt. Quæ ad* IV *Augusti erunt examinanda.*

*Vita ejus prima collecta est ex libro B. Jordani,*

11 *Cum igitur S. Dominicus Cælitibus adscriptus esset, varii ejus res gestas litteris mandarunt, de quibus agit Theodoricus præfatione ad Magistrum Ordinis :* B Sciendum, *inquit*, quod venerabilis Pater noster B. Jordanus secundus nostri Ordinis Magister, successor S. Dominici dignissimus, libellum de initio Ordinis composuit, in quo primorum Patrum et Fratrum sanctorum gesta gloriosa et mirabilia opera conscripsit. De quo libello prima S. Dominici Legenda conscripta. *At Bernardus Guido in MS. Commentario de Rebus Ordinis hæc tradit :* Gesta præclara B. Dominici conscripserunt, qui sequuntur, viri præclari. Primo omnium venerabilis Pater ac Frater Magister Jordanus, dignus ejus successor, in libello, seu tractatu suo, quem intitulavit de principio Ordinis Prædicatorum ante canonizationem ipsius et generale Capitulum approbavit, qui incipit in prologo : Filiis gratiæ, cohæredibus gloriæ, Fratribus universis etc. Vita autem incipit in secundo Capitulo : Hujus temporibus fuit quidam adolescens, nomine Dominicus etc. *Compositum etiam olim est Officium Ecclesiasticum, quod in hanc usque diem ejusdem S. Dominici festo a Prædicatoribus recitari solet, atque a nonnullis refertur ad B. Jordanum, ut primum ejus auctorem. Quo de re ista tradit Sebastianus de Olmeda in B. Jordano :* Edidit vero Jordanus Magister et successor S. Dominici officium Ecclesiæ diurnum pariter et nocturnum, quod in tanto die decantaretur, incipiens, C Gaude felix parens Hispania, cum sequentia et oratione. Quæ utique regnantis triumphum et peregrinantis spiritum aperte pronuntiant. Sunt qui tribuant Humberto, qui post quartus fuit a Jordane Magister. *Ita Olmeda, cujus et Guidonis verba citat Malvenda ad an.* 1234. *cap.* 3, *qui ad an.* 1237. *cap.* 25 *asserit* illud quoque sextu dignum, B. Jordanum singulari affectu dilexisse S. P. Dominicum adhuc viventem, et post mortem incredibili erga eumdem devotione et amore flagrasse, unde auctor extitit piissimæ illius orationis, cujus initium est, Sacerdos Dei sanctissime, Confessor alme etc. in qua miram devotionem et affectum erga carissimum parentem ostendit : quæ sane Dominicanis Fratribus assidue est merito recitanda.

*num hic composuerit Officium Ecclesiasticum de eodem S. Dominico?*

*auctor habetur orationis de S. Dominico*

12 *Quas præterea commentationes et lucubrationes composuit, necdum licuit ullus videre. Tradunt autem Philippus Bergomensis in Supplemento chronicorum, Trithemius, Ejisengreinius, Possevinus, atque alii qui de scriptoribus Ecclesiasticis egere, eum scripsisse* de Ordinis institutione commentarios, Sermones ad populum habitos valde utiles, et Exhortatorias ad Fratres suos plures epistolas. *Addit Jacobus Susatus in* D *Chronico Ordinis, eumdem scripsisse* super Apocalypsim Postillam gratiosam, item super Priscianum minorem, item quædam Grammaticalia delicata. *Verum expositionem illam Apocalypsis S. Joannis tribuunt reliqui auctores Jordano de Saxonia Ordinis Eremitarum S. Augustini, cujus etiam Sermones de Sanctis et in Dominicas Parisiis et Argentorati olim typis editi fuere, hic posteriores an.* 1483, *illic priores an* 1521. *De epistolis a B. Jordano scriptis hæc leguntur in citato Chronico MS.* Scribebat etiam sæpe Fratribus, quos videre non poterat, litteras dulcissimas sanctæ consolationis et exhortationis, et modo omnibus, modo aliquibus provinciis vel Fratribus sic scribebat. *At qui de Ordinis institutione commentarii citantur, forte alii non sunt a libello de Initio seu Principio Ordinis Prædicatorum, de quo egimus.*

*AUCTORE G. H. aliæ ejus commentationes :*

13 *Ordinem Prædicatorum administrandum suscepit B. Jordanus per varias regiones late sparsum, atque ante obitum S. Dominici in Capitulo Generali anno* CIↃCCXXI *in octo provincias distributum,* Hispaniam, Franciam, Lombardiam, Romanam, Provinciam Provinciæ, Teutoniam, Hungariam, Angliam, *in iisque fuisse tunc* sexaginta Conventus *passim tradunt : ex quibus recenset Malvenda erectos, in Hispania* Segoviæ, Zamoræ, Barcinone, Cæsaraugustæ, Madriti, Palentiæ, Toleti; *in Italia* Venetiis, Patavii, Romæ, Bononiæ, Bergomi, Mediolani, Novocomi, Florentiæ, Faventiæ, Genuæ, Viterbii; *in Gallia* Tolosæ, *ubi primum omnium cœnobium cæptum est,* Lemovici, Aurelianis, Remis, Parisiis, Narbone, Monte-Pessulano, Anicii, Cadurci, Baionæ, Massiliæ; *in Germania* Frisaci *et* Pragæ, *in Dalmatia* Spalati, *et in Polonia* Cracoviæ. Brixiæ *etiam in Italia tum cæptum domicilium tradit Ughellus in Alberto Brixiensi Episcopo.* In Angliam qui pro monasterio sufficerent missos *scribit Theodoricus lib.* 4 *cap.* 7, *quibus præfectum tradunt Provincialem Fr. Gisilbertum, et Hungariæ quoque denominatum Provincialem Fr. Paulum Hungarum. At B. Jordano anno* CIↃCCXXII *creato Magistro Generali, Ordo Prædicatorum plurimum crevit, ac tandem anno* CIↃCCXXVIII, *qui erat a fundato Ordine duodecimus, quatuor Provinciæ superadditæ sunt,* Polonia, Dacia, Græcia, Terra sancta. *Et hi referuntur a Malvenda sub B. Jordano erecti Conventus, in Hispania,* Ilerdæ, Pampelone Majoricæ, Corduba, Coimbriæ; *in Italia* Neapoli, Trani *in Apulia maritima,* Urbevetere, Perusii, Cremonæ, Senis, Lucæ, *in Gallia,* Burdegalæ *et* Avenione; *in Belgio* Insulis, Gandavi, Lovanii, *et in Burgundia* Vesontione, *in Germania* Ratisponæ, Constantiæ, Basileæ, Friburgi, Confluentiæ *Helvetiorum,* Argentorati, Wormatiæ, Francofurti, Treviris, Coloniæ, Turici, Erfordiæ, Isenaci, Magdenburgi, Erlingæ, Caminii, Vratislaviæ, et Rethavii, *quod cœnobium provinciæ Hungariæ attribuitur. In Polonia* Sandomiriæ, Posnaniæ, Ploci *in Mazovia,* Gedani, Culmi *in Prussia,* Krovniæ *in Russia; in Dalmatia* Ragusæ, Jaderæ, *et* Dirrachii. *Et quamvis certum tempus, quo Fratres Ordinis Prædicatorum in Daniam, Norvegiam, Sueciam, et ditiones Septemtrionales penetrarint, tradat Malvenda sciri non posse, id tamen sub B. Jordano contigisse vel inde colligimus, quod anno* CIↃCCXXVIII, *ut diximus, constituta sit provincia Daniæ, quam Daciam, illius ævi more, etiam Fratres Minores in antiquis Catalogis appellarunt. Primordia Ordinis magnifice illustrarunt tam duo et triginta Fratres pro Christo a Turcis submersi, tum alii circiter nonaginta partim gladio, sagittis, aut lanceis a Tartaris interfecti, partim igne cremati, dum erectis* apud Cumanos *conventibus, Paganos hosce mysteriis fidei imbuerunt. De quibus post alios Scriptores Ordinis Prædicatorum pluribus agit Malvenda ad an.* 1222, *qui* dolet certum tempus rerum tam præclare gestarum assignari

*Ordinis provinciæ et collegia erecta sub S. Dominico* E

*et B. Jordano.* F

*Varii in odium fidei occisi.*

A assignari non posse. *In codice nostro MS. post Vitas* AUCTORE ... B *Fratrum de hisce Comanis agitur, dicunturque ad fluvium de Neper habitasse. Alio is nomine Borysthenes appellatur. Alii eorum necem ad annum* XL *aut* LX *istius seculi referunt.*

## § III. *Locus et annus mortis B. Jordani. Acta unde edita. Titulus* Sancti *et* Beati.

*Ultima Ordinis Prædicatorum provincia sub B. Jordano constituta, appellatur, ut supra diximus,* Terra sancta, *ad quam visitandam mare transivit ipse Magister Jordanus, qui inde rediturus irruente tempestate cum duobus Fratribus Dominicanis et plurimis aliis submersus est, et multis clarus miraculis a Fratribus Achonensibus in ecclesia sua honorifice sepultus. Est autem* Achon, *sive* Accon, *a* Ptolemæo *quodam* Ægypti Rege, *ut docet Adrichomius in tribu Aser num. 66,* Ptolemais dicta, maritima et celebris Phœnices urbs, versus Septemtrionem a monte Carmelo quatuor, versus Meridiem a castro Lamberti totidem, a Jerosolyma vero triginta sex milliaribus distans. *Hoc in loco multis B. Jordanum miraculis claruisse, infra in Actis traditur, sed quæ auctor illi narrationi inserere noluit, neque ullus postea scripsisse creditur.*

*B. Jordanus sepultus Accone in Palæstina*

15 *Annus obitus infra in Actis num. 43 dicitur* millesimus ducentesimus trigesimus sextus. *Quem etiam annum exprimunt auctor sæpius citati Chronici MS. Matthæus Paris in Historia Anglicana, S. Antoninus 3 par. Histor. tit. 23, cap. 9, § 4, Leander lib. 1. Castillus lib. 2, cap. 13 et plerique auctores. Verum, ut Bernardus Guido Commentario de rebus Ordinis asserit,* anno Domini CIↃCCXXXVI celebratum fuit secundum Capitulum Generalissimum Parisius ab eodem Magistro Jordano, qui beatus Pater ipso eodem anno post Capitulum Generale memoratum, dum transiret ad visitandum Terram sanctam et loca sancta, transivit ex hoc mundo ad Patrem Deum ad terram viventium. Idibus mensis Februarii sequentis, *ergo anno* CIↃCCXXXVII : *sed quem auctores illi more Gallorum istis temporibus apud plurimos usitato, solum a Paschate sequenti inchoabant. Malvenda arbitratur* annum numerari a festo Pentecostes, quo celebratum est anno CIↃCCXXXVI Capitulum Generale ad sequentem usque Pentecosten anni CIↃCCXXXVII, *eumque* ritum annorum numerandorum per Generalia Capitula usurpari etiamnum in Ordine in plerisque rebus.

B

*Submersus, non an. 1236,*

*sed an. 1237.*

16 *Acta B. Jordani damus ex Vitis Fratrum Prædicatorum, quæ jussu Humberti, ejusdem Ordinis Magistri Generalis quinti, undequaque collectæ sunt, atque a Gerardo, sive Geraldo, Lemovicensi, Priore Provinciali Provinciæ conscriptæ. Extant hæ in duplici MS. Codice nostro, et tertio Rubeæ-vallis juxta Bruxellas: editæ etiam in lucem sunt Duaci typis Bellerianis, sed ea hic ex MSS. sæpius emendantur. Ille autem* Magister Humbertus, natione Burgundus de diœcesi Viennensi, villa quæ dicitur Romanis, oriundus, cum rexisset Parisius in artibus, et post jus canonicum aliquanto tempore audivisset, ingressus est Ordinem circa annum Domini CIↃCCXXVI, *uti legitur in Chronico MS. quinque Generalium, quod cum ejusdem Humberti obitu finitur. Vixit ergo assumpto habitu sub B. Jordano per decem annos, deinde sub S. Raimundo de Pennafort et Joanne Teutonico, cui successit* anno CIↃCCLII electus in Hungaria apud Budam, ubi vivente adhuc Magistro Joanne fuerat assignatum Capitulum ob devotionem Regis et Reginæ. *Quæ in eodem Chronico habentur. Humberto attribuit Vitas Fratrum Theodoricus de Apoldia in epistola ad Nicolaum de Tarvisio Magistrum Ordinis ante Vitam S. Dominici :* Succedens, *inquit,* sanctus Pater Humbertus, Magister Ordinis quintus... librum, qui Vitas-Fratrum dicitur, sua devotione et diligentia compilavit. D *At Bernardus Guido in MS. Commentario de rebus Ordinis asserit* Gerardum Frachetum Lemovicensis diœcesis, Priorem Provincialem Provinciæ librum, qui Vitas-Fratrum inscribitur, composuisse, et in quinque libellos distinxisse. *Dicavit Guido circa annum* CIↃCCCXV *suum Commentarium Aymerico Magistro Ordinis, ante quem Theodoricus anno* CIↃCCXC *res S. Dominici conscripsit septem libris quos integros et primigenio stylo dabimus* IV *Augusti.*

C

*Acta ejus hic eduntur ex Vitis Fratrum,*

*auctoritate Humberti collectis,*

*a Gerardo Fracheto conscriptis,*

17 *Constant hæ Vitæ Fratrum Ordinis Prædicatorum quinque partibus seu libris : ex his tertia pars complectitur gesta B. Jordani, a nobis in octo capita divisa, quibus adduntur capite 9 analecta ex aliis partibus decerpta. Est autem quinta et ultima pars* de pertinentibus ad egressum Fratrum de hoc mundo, *in novem capitula distincta : eaque solum in altero MS. nostro continentur, et finiuntur in editione Duacensi pag. 137, ac sequentibus præfigitur hic titulus :* Ista addita sunt post compilationem prædicti libelli. *Eadem continentur in altero nostro MS. aliaque subnectuntur sub duplici hoc titulo :* Sequitur Chronica Ordinis Fratrum Prædicatorum ; *et* Quædam devota de sancto Fratre nostro Wichmanno : *ad cujus sepulchrum* quidam nobiles venisse *dicuntur* circa annum Domini CIↃCCCXI, professi puerum a Deo sancti Dei Fratris Wichmanni meritis a morte suscitatum, *additque auctor :* Testimonium præsentis et videntis habui, quando miraculum istud scripsi. *At dicta* Chronica Ordinis *in editione Duacensi pag.* 100, *inter titulos capitulorum ultimo loco citantur, licet in ipso dein opere desint. Hinc Malvenda auctorem Chronici appellat Humbertum cum reliquo libro de Vitis-Fratrum. Verum cum Humberti gesta obitusque in eo Chronico narrentur, ab alio postea scriptum arbitramur, et Chronicon MS. quinque Generalium Ordinis Prædicatorum citavimus. Malvenda suum exemplar habuit a Constantino Cajetano, ex quo pag. 526 tradit* S. Dominicum catalogo Sanctorum aggregatum apud Reatem. *At nostrum MS. id factum tradit* apud Perusium, *consentitque, ut supra diximus, Theodoricus in ejus Vita.*

*auctis postea Chronico Ordinis et aliis rebus.*

E

18 *Addimus nonnulla virtutum B. Jordani exempla auctore coævo Thoma Cantipratano, qui etiam sub B. Jordano Magistro Generali circa annum* CIↃCCXXXII *ordinem Prædicatorum ingressus scripsit deinde* Bonum universale de Apibus, *postquam* Humbertus Generalis, *uti is in epistola operi præfixa huic scribit,* in quodam Capitulo generali Fratribus demandarat, ut in singulis provinciis digna memoriæ scriberentur, si per Fratres vel occasione Fratrum, sive alias nota Fratribus contigissent. *Quæ idem Cantipratanus ante in Vita B. Lutgardis de B. Jordano scripserat, infra in prioribus Actis habentur.*

*Edita ex Cantipratano*

F

19 *Extant etiam res gestæ B. Jordani in quodam codice MS. satis antiquo, qui pertinuit ad ecclesiam Ultrajectinam; in quo hic legitur titulus :* Vita S. Jordani Magistri Ordinis Prædicatorum, *quæ ita exorditur verbis Vincentii Bellovacensis lib. 30, cap. 137 :* Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo sexto, Idibus Februarii Magister Jordanus totius Ordinis Prædicatorum Pastor et Rector, obiit in mari. *Omittimus hanc Vitam proferre, quia passim omnia ex Vitis-Fratrum aut Cantipratano contracta sunt : ex eisdem aliam Vitam collegit Leander Albertus in opere de viris Ordinis illustribus edito lib. 1, et insertam Vitis Sanctorum Laurentii Surii. Similia habet S. Antoninus 3, par Hist. tit. 23, cap. 9, in varios §§ distincta, quæ fere ex Vitis-Fratrum, Cantipratano et Vita S. Dominici desumpta sunt : nonnulla addit cap. 12 et fere ex citato Chronico MS. Denium Thomas Malvenda in Annalibus Prædicatorum Acta B. Jordani proponit ex eisdem antiquis monumentis, et longo ordine*

*aliorum de B. Jordano scripta.*

A *ordine auctores, qui de eo agunt, pag.* 584 *et sequenti enarrat, quos hic repetere supervacaneum foret.*

*Titulus Sancti et Beati*

20 *Qui Jordano in codice MS. Ultrajectino* Sancti *titulus tribuitur, etiam expressit Lippeloos ad ejus Vitam, atque in titulis præfixis ejusdem Vitæ paginis. Theodoricus ab Appoldia a quadringentis fere annis uti Fundatorem Ordinis* Dominicum *appellavit* Sanctum, *ita successorem ejus* Jordanum *nuncupavit* Beatum, *quo eum honore illustres scriptores exornant. Odoricus Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis Romæ excusis ad ann.* 1236, *num.* 29, *ista habet:* Cum in sanctorum virorum historia stylus decurrat, superioribus B. Jordani supremi Ordinis Prædicatorum Magistri funus adjicere visum est. *Quo relato addit,* sepulturæ mandato B. Jordani corpore, per multos dies sepelientium manus suavissimum odorem spirasse. *At margini hæc inscribit:* B. Jordanus mari mergitur. *Idem numerum* 30 *ita concludit:* Hæc de B. Jordano sufficerint. *Denique sub calcem libri in Indice eadem repetit:* B. Jordanus supremus Ordinis Prædicatorum Magister mari mergitur, *etc. Henricus Spondanus Appamiarum Episcopus in Annalibus etiam Ecclesiasticis ad ann.* 1236, *num.* 10, *de eo ita scribit:* Hoc item anno B. Jordanus primus post S. Dominicum Ordinis Prædicatorum Generalis, vir scientia, prudentia, pietate valde insignis, ac miraculis tam in vita quam post mortem clarus, celebravit Parisiis ad

B Pentecosten Comitia totius Ordinis, quæ vocantur Generalissima. Post quæ Hierosolyma, visendi sancta loca ac Fratrum cœnobia visitandi gratia, navi delatus, in reditu prope Acconem, sive Ptolemaidem, orta gravissima tempestate, periit Idibus Februarii anni proximi, *etc. ubi in margine hæc habentur:* B. Jordani Generalis Prædicatorum naufragium. *In indice hujus libri idem* Beati *titulus præponitur. Omitto plura testimonia congerere, ac potissimum eorum, qui ex Ordine S. Dominici ejus res gestas scripserunt, inter quos Abrahamus Bzovius in suis Annalibus eumdem semper* Beatum *appellat: quem titulum centenis vicibus eidem tribuit Malvenda in Annalibus Prædicatorum Neapoli excusis. Hermannus Crombach lib.* 7, *Historiæ Ursulanæ cap.* 24 Sanctum *appellat.*

*ejus memoria in Martyrol.*

21 *Memoria B. Jordani inscripta est ad* XIII *Februarii variis Martyrologiis, Germanico a Canisio, Usuardi auctario ab Hermanno Greven et Molano, Catalogo generali Sanctorum a Ferrario, qui citato Martyrologio Prædicatorum ista habet:* Ptolemaide in Palæstina B. Jordanis, Magistri secundi Generalis, Ordinis Prædicatorum. *Antonius de Balinghem in*

C *Kalendario Mariano,* Natalis, *inquit,* dies S. Jordanis, Generalis Ordinis S. Dominici, *etc. Petrus Cratepolius eumdem inter* Sanctos Germaniæ *recenset, et* Sancti *titulo honorat. At Gelenius in Fastis Coloniensibus ad hunc diem* Beatis *adscribit, Rechacus cap. ultimo Vitæ hoc ejus elogium ex Martyrologio Ordinis Prædicatorum tradit:* Beatus Jordanus Saxo cunctarum choro virtutum et miraculorum laude resplenduit, cujus Vitam Leander Albertus accuratissime discripsit.

# ACTA

## ex Vitis-Fratrum Ord. Prædicat. *MSS. et Duaci editis,* auctoritate Humberti V Generalis collectis, *et a Gerardo Fracheto conscriptis.*

### PROLOGUS HUMBERTI.

Dilectis in dilecto Dei Filio Fratribus Prædicatoribus universis, Frater Humbertus, servus eorum inutilis, salutem, in patria et via salutaribus semper exercitiis occupari.

*b* Salvator mundi, cui cura est *b* de salute omnium

D seculorum, Spiritu suo sancto misso in corda multorum, inspiravit eisdem, ut quædam facta et dicta servorum suorum Dei laude digna et ædificatoria, in scriptis redigerent; ut tanto per generationes venturas pluribus fierent in salutem, quanto efficacius ad posteros eorum perpetuaretur memoria per scripturam. Sic Eusebius Ecclesiasticam historiam, Damascenus librum de Barlaam et Josaphat, Cassianus Collationes Patrum, Gregorius dialogum, *c* Hieronymus, Beda, Florus, Odo, Usuardus, diversa martyrologia, Gregorius Turonensis, Petrus Cluniacensis, et alii quammulti, plurima opuscula de hujusmodi materia ediderunt. Sane multimoda Fratrum de diversis nationibus relatione frequenter ad nos pervenit, quod multa contigerunt in Ordine et Ordinis occasione circumquaque per orbem in domibus Fratrum; quæ si scripto commendata fuissent, multum valere possent in perpetuum ad *d* consolationem Fratrum et spiritualem profectum. Sollicitaverunt nos insuper Fratres multi Deo devoti, ut super hujusmodi scripto compilando curam aliquam apponere non pigeret, antequam oblivio, quæ jam plurima de cordibus Fratrum detulerat, omnia sepeliret. Super his igitur habita collatione cum Prioribus Provincialibus in Capitulo generali, quod anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto fuit Parisius celebratum, de consilio eorum fuit Fratribus universis mandatum, ut si quid dignum memoria de

*Auctore G. Fracheto*

*petentibus variis,*

*Ex Vitis Fratrum MSS.*

*c*

*d*

*et constitutione in Capitulo generali facta.*

E prædictis occurreret, illud nobis significare curarent.

2 Circa quod exequendum et si multi de negligentia se non potuerunt excusare, quidam tamen nobis multa de hujusmodi conscripserunt. Nos autem hujusmodi scripta recepta, tradidimus carissimo nostro Fratri Geraldo Lemovicensi, tunc Priori Provinciali Provinciæ; de cujus industria in hujusmodi multam gerebamus fiduciam, rogantes et imponentes eidem, uti perlectis et examinatis singulis, de his, quæ laudabiliora reperiret, libellum aliquem ederet; quod et fecit, prout inferius continetur. Cum autem multis discretis Fratribus opus illud legentibus placuisset, et dignum approbatione judicarent; nos tandem de approbatione multorum discretorum et bonorum Fratrum illud inter Fratres duximus publicandum. Nolumus tamen, quod extra Ordinem tradatur sine nostra speciali licentia. Vos ergo, carissimi, prædicta legentes, advertite, quanta cura fuerit Providentiæ supernæ de Ordine: et hoc attendentes, confirmamini magis ac magis in ipsius amore. Consulimus autem et rogamus ut, qui negligentes in scribendo nobis de supradictis fuerint, negligentiam corrigant diligenter; illi vero, apud quos

*aliunde submissa in librum redegit Geraldus Lemovicensis,*

*approbat Humbertus,*

F similia contingent in posterum, nobis vel Magistro, qui fuerit pro tempore, scribere non omittant, ut ad utilitatem Ordinis vel post prædictum opus scribantur, vel in locis debitis in ipso opere inserantur.

a *Est hæc præfatio sub initium totius operis cum hac inscriptione* Epistola venerabilis Patris, Fratris Humberti, Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum, de libello qui dicitur (*in excuso* intitulatur) Vitas-Fratrum. *In alio MS. hæc præponuntur* Incipit prologus in Vitas Fratrum Prædicatorum — b *In altero MS. desunt* de salute. — c *In MS. altero,* Hieronymus, Florentius, Beda, Odo, *imo* Ado, Usuardus *de quorum martyrologiis egimus in Præfatione generali ad Januarium cap.* 4 § 4, 6, 7 8 — d *MS.* collationem. — e *Additur divisio libri* in 5 partes. Prima continet de pertinentibus ad inchoationem Ordinis. Secunda multa de B. Dominico, quæ in Legenda ejus non habentur. Tertia de Magistro Jordano, *quam hic edimus, de prioribus actum* 4 *August. ad Vitam S. Dominici.* Quarta de processu Fratrum. Quinta de egressu Fratrum de hoc mundo.

### CAPITULA TERTIÆ PARTIS DE B. JORDANO.

1 De munditia ejus.
2 De misericordia ejus, quam primo pauperi dabat.
3 De cingulo quod dedit, et in Crucifixo vidit.
4 De ingressu ejus, et visione fontis.
5 De pietate ejus ad pauperes, et ad Fratres.
6 De novitio quem a tentatione per orationem liberavit.
7 De oratione, et modo orandi, et meditatione, et qualiter se habeat in via.

de

*Ex vitis Fratrum MSS*

A 8 De panibus pauperibus datis, ac multiplicatis.
9 De fluxu sanguinis, ejus oratione restricto.
10 De Sacerdote a quartana sanato.
11 De gratia prædicandi, quam dederat ei Dominus.
12 De multitudine scholarium, quos ad ordinem traxit.
13 De efficacia verborum ejus.
14 De nobili, qui volens eum occidere, ab eo conversus est.
15 De Fratre a spiritu blasphemiæ tentato, quem verbi efficacia sedavit.
16 De febricitante sanato.
17 De compuncto Clerico, cui continentiam impetravit.
18 De animali silvestri, quod se ei domesticum præbuit.
19 De eo quem consolatione sua, et Fratrum oratione retinuit.
20 De humilitate sua, et qualiter honorem declinavit.
21 De patientia ejus.
22 De amissione unius oculi, et qualiter se consolabatur.
23 De abstractione ejus ab exterioribus, et de cingulo quod non advertit.
24 De devotione ejus ad B. Mariam.
25 De beata Virgine, quæ ei apparuit, et quanta Ordini impetravit.
26 De eo, quod B. Maria ei legenti cum Angelis astitit.
27 Quod ipsam cum filio, Fratres signantem vidit.
28 Quod B. Maria ad ejus consilium quamdam, quam liberaverat, misit.
29 Qualiter eum infirmum diabolus sub specie boni tentavit.
30 Qualiter ei sitienti potum mortis diabolus obtulit.
31 Qualiter diabolus pacem cum eo facere voluit.
32 Qualiter ei nocere voluit, sed non potuit.
33 Qualiter eum elatione decipere voluerit.
34 Qualiter eum per odorem decipere voluerit.
35 De læta paupertate ejus
36 De vino meritis ejus meliorato.
B 37 De muliere quam a veneno et peccato liberavit.
38 De visione, et miraculis in morte ejusdem.
39 De obitus ejus revelatione
40 De sanctimoniali ab eo consolata.
41 De Priorissa sanata.
42 De Carmelita in suo ordine confirmato ab ipso.
43 De puero matri reddito
44 De Fratre murmurante punito, quem Dominus ad ejus invocationem sanavit.
45 De prudentibus responsis, et verbis.

*Nos capitulis hisce in margine annotatis, more nostro Acta hæc distinguimus. In altero MS. capitula 42 solum prænotantur.*

## CAPUT I.

*Vita B. Jordani in seculo. Ingressus in religionem. Eleemosynæ. Orationes.*

*a b* / *CAP. I*

De sancto *b* ac venerabili Patre nostro Fratre Jordano, secundo Magistro Ordinis Prædicatorum et B. Dominici dignissimo successore, aliqua cum diligenti indagine quæsita, et quæ vidimus et audivimus ab eo, juvante Domino disseremus ad Dei gloriam et legentium utilitatem. In primis igitur dicimus, eum tamquam speculum totius religionis et virtutum exemplar, utpote virum, qui castimoniam mentis et corporis dicitur conservasse illæsam. *B. Jordanus caste vixit :*

*CAP. II* C

4 Denique pietatem, quæ secundum Apostolum utilis est ad omnia, non solum in Religione, sed etiam existens in seculo, sibi plenissime vendicavit. *1 Tim 4 B* Erat enim super miseros et afflictos pia gestans viscera, ita quod raro vel numquam, licet non multum esset pecuniosus, aliquis pauper sine eleemosyna ab eo recessit : sed maxime pauperi sibi primo occurrenti, etiam si non peteret, erat solitus dare. *liberalis in pauperes :*

*CAP. III*

5 Semel contigit, cum ipse Theologiæ studio Parisiis operam daret, et consuetudinis suæ esset, omni nocte surgere ad matutinas, quadam nocte solenni contigit eum subito surgere, cum jam ad matutinas crederet pulsatum. Unde solam cappam super camisiam induens, et cingulo se præcingens, festinanter ad ecclesiam properavit; cui illico quidam pauper occurrit, eleemosynam petens : qui nihil inveniens quod pauperi daret, corrigiam dedit. *pauperi dat cingulum,* Cum autem ad ecclesiam veniens eam clausam invenisset, quia pulsatum, ut crediderat, nondum erat; tamdiu permansit ante fores ecclesiæ, donec ministri surgerent, et ecclesiam aperirent, quam cum intrasset, et ante Crucifixum oraret, ipsum devote frequenter inspiciens, vidit eum corrigia ipsa cinctum, quam ante modicum pauperi amore dederat Crucifixi. *quo videt Christum crucifixum cinctum :*

*CAP. IV*

6 Cum igitur jam Baccalaureus esset in Theologia Parisiis, receptus est ad Ordinem a beatæ memoriæ Fratre *c* Reginaldo, quondam Decano *d* S. Aniani Aurelianensis, in cujus felici obitu visio mirabilis cuidam religioso viro apparuit. D *ingreditur Ordinem : c d* Videbat enim in claustro B. Jacobi Parisiis fontem limpidissimum subito arefieri, et post illum, rivum magnum in eodem loco oriri, qui discurrens per urbis plateas, et inde per totam provinciam *e* lavabat, potabat, et lætificabat omnes, et semper crescens usque ad mare currebat. *de eo cujusdam visio : e* Revera enim post obitum B. Reginaldi dictus Pater surrexit : qui primo legendo Parisiis Fratribus Evangelium B. Lucæ gratiosissime, et post prædicando discurrens per orbem fere viginti annis, citra mare et ultra verbo et exemplo annuncians Jesum Christum, æstimatur plusquam mille traxisse ad Ordinem, gratus Deo, et Ecclesiæ Romanæ, Prælatis devotus, Clerum et populum inducens ad pœnitentiam, et ad intrandum regnum Dei invitans. Consummavit autem beatus Pater cursum suum cum B. *f* Clemente in mari, et ibi ad Deum viam inveniens, sine impedimento in Dei potentias introivit. *f*

*g* / *CAP. V* / *vestes suas dat pauperibus,*

7 *g* In Religione tantum in eo pietas redundavit, ut frequenter se exueret tunicas, dum iret per vias, nudos tegens pro Christo : super quo Fratres sæpe reprehenderunt eum, ac etiam accusaverunt aliquando in Capitulo generali. E Fratribus autem intantum erat mansuetus et pius, non solum compatiendo infirmitatibus, subveniendo secundum posse ipsorum necessitatibus; sed etiam interdum parcendo humanis transgressionibus, ut plus ipsa pietatis virtute, ipsa attractionis mansuetudine Fratres corrigeret, quam austeritatis disciplina : quamvis et hanc secundum tempus et locum et personas habere optime ab eo, qui docet de omnibus, doctus esset. *mitis erga suos,* Tentatis autem et infirmis se pium et compassibilem exhibebat, præsentia sua sæpius visitando, et eos verbis et exemplis, exhortationibus et orationibus confovendo, unde consuetudo illi erat, cum ad aliquem conventum veniret, visitare infirmos, et ad mensam suam vocare novitios, et, si essent aliqui tentati, inquirere, ut consolaretur eosdem. *maxime ægros et tentatos :*

*CAP. VI*

8 Contigit autem cum semel venisset Bononiam, quod Fratres dixerunt ei de quodam novitio turbato ad exitum. Fuerat namque adeo delicatus, et singularis vitæ in seculo, vestibus, lectis, ornamentis, cibis, potibus, lusibus, et ceteris delectationibus carnis, quod nesciebat quid esset afflictio vel angustia spiritus; nisi quamtum se litterarum studio applicabat, in quo tantum profecerat, ut in sequenti anno posset in legibus commentari. F *novitium ante delicate educatum,* Numquam infirmatus fuerat, raro iratus : numquam nisi in Parasceve jejunaverat, rarissime a carnibus, nisi in sextis feriis se abstinuerat : numquam confessus fuerat, et eorum, quæ in Ecclesia dicuntur, nihil præter Dominicam orationem sciebat. Hic quadam die cum venisset ad Fratres ex mera curiositate, cum negare nesciret, Ordinem est ingressus; sed mox pœnituit, et omnia, quæ videbat et sentiebat, sibi mors altera videbantur : comedere non poterat et dormire, et, licet in seculo vix fuisset iratus, intantum succendit eum tentatio, quod Suppriorem, qui eum ad Ordinem traxerat, percutere voluit cum psalterio, quod tenebat. Sic igitur tentatum Magister Jordanus inveniens dictum Fratrem, audiens quod *h* Theobaldus vocaretur, cœpit eum confortare, ex ipso nomine dicens; Theobaldus dicitur, quasi ad altum tendens. *h tentatum oratione confirmat* Et post aliqua monita ducens eum ad altare B. Nicolai, monuit eum, ut flexis genibus diceret Pater noster, nullam enim aliam orationem sciebat : ipse vero positis manibus super caput ejus, cœpit toto cordis affectu Dominum deprecari, ut omnem tentationem ab eo auferret. Dum ergo orationem protenderet multum, videbatur novitio quamdam dulcedinem in mentem

A mentem ejus subintrare paullatim, et quamdam cordis sentire mutationem. Elevatis denique manibus a capite, visum est sibi, ut postea pluribus Fratribus retulit, quod duæ manus stringentes cor ejus subito elevarentur a mente, et quod animus ejus in magna tranquillitate et dulcedine remaneret. Remansit autem adeo consolatus et fervens, ut multos labores sustinuerit in Ordine, et plura utiliter fecit in eodem.

CAP. VII

*fervens et assiduus in precibus.*

9 Orationis gratia specialis Sancto huic collata fuit a Domino, quam nec cura officii circa Fratres, nec viarum laboribus variis, nec aliqua occupatione, seu sollicitudine negligebat. Mos suus in oratione erat flexis genibus, junctis manibus, erecto corpore, nunc, etiam diu sedendo orare, intantum quod interim quis octo milliaria posset ambulare de facili, maxime autem post completorium et matutinas horas hac faciebat. Lacrymarum autem erat multarum, propter quas oculorum infirmitatem gravem dicitur incurrisse. Item meditationibus se totum dederat, sive in domo, sive in itinere, et in eis miram dulcedinem sentiebat. Et hic erat mos ejus in via, totum tempus orationibus et meditationibus dare, nisi quando vel divinum dicebat officium vel de aliquo utili cum sociis conferret: quod tamen certa faciebat hora, et idem facere socios hortabatur. Unde sæpe B seorsum a Fratribus ibat, aliquando autem, Jesu nostra redemptio, vel Salve Regina, cum lacrymis cantabat in via alta voce, et affectus totus intrinsecus ex meditationibus et dulcedine cordis aliquoties a Fratribus oberrabat. Nullus tamen eum turbatum ex deviatione itineris vidit, aut conquerentem illum, aut socios culpantem: quin potius alios turbatos interdum confortando dicebat: Nec curemus, totum est de via cœli.

a *Leander ita incipit:* Jordanes vir sanctissimus, oppido Borlergæ provinciæ Saxoniæ originem duxit, quibus parentibus non produnt auctores. Constat eum, vitam, antequam religiosam togam indueret, mitem, sanctissimam atque justissimam eum egisse; *at quæ de eleemosynis habentur subjungit B. patria jam* [illegible]. — b *Leander*, memoriali, *aliud MS* memorabili. — c *De Reginaldo passim omnes historici Ordinis agunt, quorum quamplurimos citat Malvenda ad annum* 1210 *quo obiit.* — d *Colitur* S. Anianus 17 *Novemb. ad cujus honorem extat Aureliæ domus vetusta collegiata.* — e *Alii*, patriam. — f *Colitur S. Clemens Papa* 23 *Novemb.* — g *Alterum MS*: In corde suo tantum pietatis abundaverunt viscera, ut frequenter *etc.* — h *Leander* Thedaldum *vocat, uti etiam legitur in altero MS.*

## CAPUT II.

### *Miracula B. Jordani: vis dicendi. Plures ad Ordinem ab eo conversi.*

CAP. VIII

Quodam tempore de Lombardia in Theutoniam vadens, venit ad villam, quæ *a* Ursatia dicitur, si- a
C tam in Alpibus, habens secum duos Fratres, et unum Clericum secularem, qui post factus est Frater, qui etiam in illo loco deserto eis necessaria ministravit. Declinantes igitur lassi et famelici ad domum cujusdam tabernarii nomine Unthar, rogabant, ut eis velocius mensam et necessaria præpararet. Et ille, Non, inquit, habeo panes: quia ante vos transierunt hic plures, qui *b* omnia quæ reperta sunt consumpserunt, duobus exceptis panibus, quos mihi et familiæ reservavi: sed hæc quid sunt inter tantos? Cui illi simpliciter dixerunt: Appone, carissime, quod habes, nam multum egemus. Appositis igitur duobus illis parvis panibus, Magister Jordanus, data benedictione, cœpit illos per largas eleemosynas inter pauperes accurrentes dividere: unde hospes et Fratres valde turbati, dixerunt: Quid facitis, Domine? An nescitis quod panes inveniri non possunt, et etiam hospes clausit ostium, ne pauperes intrarent? Magister vero jussit quod aperiret, et iterum cœpit dare, ita ut triginta eleemosynas daret adeo magnas, ut singulis sufficere possent. Comederunt ipsi quatuor, et saturati sunt: tantumque adhuc illis superfuit,

b

*Panes benedictione multiplicat.*

quod hospes cum uxore, et tota familia ad unam refectionem satis habuit. Tunc hospes, viso miraculo, dixit: Vere hic homo sanctus est. Et noluit a dicto Clerico pretium accipere prandii, sed implevit lagunculam ejus vino, ut in via daret Fratribus ad bibendum. D

EX VITIS FRATRUM MSS

CAP IX

11 Postea Magister versus Turingiam dirigens iter suum, in villa, quæ dicitur *c* Rugir, quemdam fabrum, qui fluxum sanguinis multis annis per nares passus fuerat, ita quod triginta vicibus inter diem et noctem fluebat, cognita fide et devotione ipsius, tactu manus et oratione sua in eodem instanti perfecte sanavit. c

*fluxum sanguinis sistit.*

CAP X

12 Inde veniens in villam, quæ vocatur Uren invenit Sacerdotem quartana longo tempore laborantem, qui jam fere corpore defecerat, et in medicos totam substantiam suam consumpserat, sed frustra. Huic Magister, audita confessione sua, et imposita pœnitentia, suis precibus perfectam a Domino obtinuit sanitatem; sicut idem Sacerdos postea Fratribus retulit cum lacrymis, beati viri magnificans sanctitatem.

*quartanam pellit*

13 Cum autem alia vice transiret Magister Jordanus per Alpes, faber quidam, qui ex calore fornacis visum amiserat unius oculi, ab eo cum Crucis signo tactus, statim visum plene recuperavit. E

*visum restituit:*

CAP XI

*excellit in concionibus,*

14 Circa verbum Dei et prædicandi officium dictus Pater fuit adeo gratiosus et fervens, ut vix ei similis sit inventus. Dederat ei Dominus quamdam prærogativam et gratiam specialem, non solum in prædicando, sed etiam familiariter colloquendo; ut, ubicumque et cum quibuscumque esset, ignitis semper abundaret eloquiis, propriis et efficacibus fulgeret exemplis; ita quod secundum conditionem cujuscumque cuilibet loqueretur, unicuique satisfaceret, quemlibet hortaretur; unde omnes ejus eloquia sitiebant. Propter quod diabolus plurimum ei invidens, de eo aliquando conquestus est; laborans si quo modo posset eum a prædicatione avertere, ut infra patebit.

*et colloquiis;*

CAP XII

15 Frequentabat autem civitates in quibus vigebat studium: unde Quadragesimam uno anno Parisius, alio Bononiæ faciebat: qui conventus eo morante apum alvearia videbantur, plurimis intrantibus, et multis ex hinc ad diversas provincias transmissis ab eo. Unde cum veniebat, multas faciebat fieri tunicas, habens fiduciam in Deo, quod mitteret Fratres. Multoties autem tot ex insperato intrabant, quod vix vestes poterant invenire. Unde semel in festo Purificationis recepit ad Ordinem prædictus Pater viginti et unum scholares Parisius, ubi fuit maxima effusio lacrymarum; nam Fratres ex una parte flebant præ gaudio, et *d* seculares præ dolore, de amissione seu separatione suorum. De numero istorum fuerunt plures, qui post rexerunt in Theologia in locis diversis: inter quos fuit etiam quidam juvenis Theutonicus, quem Magister plures repulerat propter nimiam juventutem: sed, quia tunc aliis viginti se immiscuit, durum videbatur Magistro ipsum repellere, cum circumstarent fere mille scholares: sed dixit coram omnibus subridendo; Unus ex vobis furatur nobis Ordinem. Quod dicebat propter juvenem illum. Unde cum vestiarius non detulisset nisi viginti paria vestium, oportuit quod Fratres exuerent se, unus cappa, alius tunica, alius scapulari, quia non potuit vestiarius exire de Capitulo præ multitudine scholarium, qui astabant: tamen iste Frater junior intantum profecit, quod post fuit Lector, et optimus prædicator. Item frequenter obligavit dictus Pater suam Bibliam pro solutione debitorum scholarium, qui intrabant. *e* F

*multos ad Ordinem allicit*

*una vice XXI*

d

e

CAP XIII

16 Cum in quodam festo, facto sermone, quemdam scholarem reciperet, et plures adessent scholares; verbum ad adstantes dirigens, ait: Si aliquis vestrum

A vestrum ad magnum festum et convivium iret solus, numquid omnes socii adeo essent incuriales, quod nullus vellet eum associare? Ecce videtis, carissimi, quod iste ad magnum festum auctoritate Domini invitatus est, nonne eum solum permittetis abire? Mira res: verbum ejus tantæ virtutis fuit, quod mox quidam scholaris, qui prius nullam voluntatem intrandi habuerat, mox in medium prosilivit, dicens: Magister, ecce ad verbum vestrum associo in nomine Jesu Christi: et sic cum eo pariter est receptus.

*ex verbis Fratrum socium ei tertium trahit*

17 Cum quidam frater tentaretur, et supra modum doleret, quod non poterat accessum habere ad ipsum, quadam die cum veniret ad ipsum, invenit eum dicentem Vigilias pro mortuis, et tunc Frater incepit dicere Vigilias cum ipso ex parte opposita. Et cum versiculum illum diceret, Credo videre bona Domini in terra viventium; Magister respondit devote, et morose: Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum. Mox igitur Frater recepit in hoc verbo, tamquam ore prophetico prolato, magnam consolationem: et qui tentatus venerat, consolatus discessit.

*tentatum sedat:*

CAP. XIV *f*

18 Cum idem Magister *f* Paduæ, ubi tunc erat studium magnum instantissime prædicaret; recepit B quemdam Theutonicum, genere nobilem, ætate floridum, moribus gratiosum: cujus Magister, et socii præscientes ingressum, tamquam ministri diaboli, quamdam mulierem secundum carnem formosam cum eo in camera concluserunt, ut per voluptatem carnis mentem ejus averterent a proposito sancto: sed Christus in eo vicit, et ad Ordinem fortius traxit eum, qui etiam postmodum Magistrum suum ad Ordinem induxit. Denique pater ejus et potens, et dives valde, alium filium non habebat. Unde audiens ingressum filii, et ad mortem turbatus, cum multo comitatu venit in Lombardiam, proponens firmiter, vel quod filium retraheret, vel Magistrum Jordanum occideret. Cum ergo quodam die cum sociis equitans, Magistrum Jordanum obvium haberet; turbato vultu et rabido clamore cœpit quasi ab aliquo Fratre quærere, ubi esset Magister Jordanus, nesciens illum esse. Ille vero memor Dei, qui ait Judæis, Ego sum; læta facie et humili corde respondit: Ego sum M. Jordanus. Mox ille viri sancti virtutem præsentiens ex verbo veritatis, prosiliens de equo, ad pedes ejus humiliter se prostravit: et peccatum, quod in corde suo contra eum conceperat, cum lacrymis confitendo, ait: Jam de filio meo consola- C tione accepta, promitto tibi quod cum isto apparatu, antequam ad terram meam redeam, vadam ultra mare in servitium Dei, quod et fecit habens in comitatu fere centum equitaturas.

*alium filium unicum et divitissimum, admittit.*

*patrem summe iratum leni responso placat.*

Joan 18. 8

a *Aliis* Ursata, Ursacra et Ursario. — b *Malvenda, cum altero MS* qui omnes, qui reperti sunt. — c *MS* Ysuyer *Leander* Susim. *Malvenda* Hugim vel Zugium. *alterum MS.* Zugir. — d *MS.* Scholares. — e *Thomas Cantipratanus, qui an. 1232 et 6 ante obitum B. Jordani in Ordinem admissus est, tum scriptis clarus, lib. 2 de Apibus cap. 19 § 2 hæc refert.* Memor sum loci temporis et personæ quo beatissimæ memoriæ Frater Jordanus, Magister Ordinis Prædicatorum secundus prædicator strenuus, juvenes uno tempore tam parvæ litteraturæ ad Ordinem recepit Parisiis sexaginta, ut plures eorum vix possent, ut audivi, cum multa repetitione ad matutinale officium unam legere lectionem. Super quo ut dicitur, a Fratribus graviter ad generale Capitulum accusatus, Spiritu sancto repletus, dixit: Sinite istos, ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico vobis, quod multos et fere omnes Prædicatores videbitis gloriosos, per quos Dominus super multos lucidiores et litteratiores in salutem operabitur animarum. Qod nos veridico ore dictum usque in hodiernum diem vidimus et videmus. — *Patavium urbs ditionis Venetæ antiquitate, magnitudine, munitione ac doctrina celebris.*

*alios ex admittit, et parum litteratos,*

*prædicit illustres fore.*

## CAPUT III.

### *Varia B. Jordani in proximos beneficia: ejus humilitas et patientia.*

CAP. XV *a*

Quidam Frater fuit *a* Faventiæ, qui ob nimiam contemplationem et investigationem de Deo, in tantum cecidit nubilum cordis, ut jam sibi videretur credere, quod Deus non esset. Contigit autem Priorem illius conventus ire Bononiam: qui per ordinem D dicti Fratris tribulationem Magistro Jordano exposuit, et quomodo nec suasionibus, nec Scripturis, nec rationibus, Fratris poterat tentatio mitigari: cui Magister ait: Prior, dicas ei ex parte mea, quod ipse ita bene credit sicut ego. Igitur ad conventum suum rediens Prior, statim ut verbum Magistri Fratri retulit, quasi de gravi somno evigilans, atque a quadam extasi rediens ait: Certe verum dixit Magister, ego enim optime credo quod Deus sit: statimque ab omni illa tentatione blasphemiæ est liberatus ad plenum.

*Absens tentatum blasphemia, liberat*

20 Frater quidam in conventu Francofordiensi, Engelbertus nomine, quem Magister Jordanus juvenem receperat, infra annum novitiatus sui gravissima febre laboravit, quem cum multum debilem et gravatum dictus Pater Magister conspiceret, dixit: Si fidem, inquit, fili, haberes, ab infirmitate tua citius posses liberari. At ille cum responderet, se firmiter credere; Magister Jordanus imponens sibi manus, dixit: In nomine Domini recipias sanitatem. Et statim ab omni febre curatus est. CAP. XVI

*febricitantem sanat:*

21 Quidam Clericus *c* Sanctonensis diœcesis dum confiteretur semel Parisiis ipsi viro Dei, et inter cetera cum lacrymis conquereretur, quod continere non posset; pius Pater ex intimo cordis illi compatiens, firma de Deo concepta fiducia, ait: Dico tibi, carissime, quod numquam amplius hæc carnis incontinentia prævalebit contra te. Quod et completum sancti viri meritis, ipse Clericus multis Fratribus in confessione aperuit, gratias agens Deo. CAP. XVII E

*continentiam clerico obtinet:*

22 Exivit quodam tempore de *d* Lausana, volens videre Episcopum, qui in vicino erat: quia valde se mutuo longis temporibus diligebant. Cum ergo plures Fratres eum præcederent, et ille cum sacrista Lausanensi colloquens de Jesu, sequeretur; ecce mustela coram Fratribus pertransivit. Igitur Fratribus subsistentibus ante antrum, quod intraverat, Magister superveniens ait: Quid hic statis? Dicunt ei: Quia pulcherrima et candidissima bestiola intravit in caveam istam. Tunc Magister inclinans se deorsum, ait: Egredere pulchra bestiola, ut nos te videamus. Statim illa egrediens in os foraminis, fixo intuitu respiciebat in eum. Tunc Magister substernens anterioribus pedibus ejus manum suam et aliam manum, duxit frequenter super caput ejus et dorsum: quod totum mustela sustinebat. Cui Magister dixit: Modo revertere ad locum tuum, et sit benedictus Dominus Creator tuus. Statim ergo in antrum bestiola se recepit. Et hæc narravit prædictus sacrista. F CAP. XVIII *d*

*advocat mustelam sibi obedientem:*

23 In promotione Ordinis sicut ad attractionem scholarium erat sollicitus supra omnes, ita ad conservationem receptorum super omnes erat discretus. Refulserat enim eo quædam gratia specialis, ut numquam culpa sua vel negligentia perdiderit aliquem; ut cum Christo dicere possit, Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Unde Parisius accidit, quod cum quidam novitius tentaretur ad exitum; pius Pater omni qua poterat eum consolatione fovebat. Cumque ille nullam consolationem reciperet, sed vestes et res suas instanter repeteret; dixit ei Magister, quod in crastinum eum lincentiaret. Erat autem dies Pentecostes: et Fratres ad *e* Capitulum convenerant generale. Peracta igitur processione in caputiis albis, et omnibus rite peractis, dictum Fratrem in Capitulum vocans, coram omnibus monuit dulciter, rogavit suppliciter, ut maneret: nec a tanta et tam sancta societate recederet, suadente diabolo. Tandem cum ille in nullo emolliret cor suum, misit eum in vestiarium, ut vestes suas seculares reciperet. Interim tamen ipse dixit Fratribus: Pulsemus adhuc misericordiam Dei: et flexis genibus CAP. XIX

Joan. 18. 19

*egredi volentem ab Ordine*

*oratione detinet*

bus, Veni Creator Spiritus, legendo dicamus. Mira res sed amanda. Necdum hymnum compleverant, et ecce juvenis ille totus imbre lacrymarum perfusus, in medium Capituli se projecit, petens veniam, et Ordinis perseverantiam deinceps repromittens. Aguntur Deo gratiæ, Fratribus exultantibus cum timore de Fratre ab ipsa fauce tartari liberato. Profecit postmodum in vita et scientia, utilis Lector et gratiosus prædicator existens.

CAP. XX. *declinat honorem publicum:*

24 Fuit adeo humilis, quod omnem pompam seculi honores sibi oblatas discrete et sapienter scivērit declinare. Unde cum semel adveniret Bononiam, et tota civitas, ejus præscito adventu, processionaliter sibi exire obviam vellet; humiliter concito gradu declinavit a turba, et girans civitatem per quasdam semitas nescienter a tergo venit ad domum Fratrum Prædicatorum. Quod fuit pluribus in exemplum.

CAP. XXI *verberanti præbet alteram maxillam:*

25 Quidam fuit dæmoniacus Bononiæ, cui casu solummodo contigit in claustro Magistrum habere obviam: qui elevata manu dedit ei fortissimam alapam. Sanctus autem Pater, ut erat præditus patientiæ et humilitatis virtute, alteram mox præbuit maxillam. Qui virtutem ejus non ferens, inclinato capite, mox verecundus abscessit.

*renuit se excusare.*

26 In Capitulo autem generali multum elucebat ejus patientia et humilitas. Nam cum proclamaretur a Diffinitoribus de quocumque, et diceretur ei, quod excusare se posset si vellet, humili voce dicebat: Numquid credi debet latroni se excusanti? Quo verbo multum ædificati sunt.

CAP. XXII *agit gratias oculo amisso.*

27 Cum invalescente gravi infirmitate ex toto visum unius oculi perdidisset, convocatis Fratribus in Capitulum, dixit: Fratres agite gratias Deo, quia ego jam unum perdidi inimicum. Sed et rogate Dominum, ut alium, si sibi placet et mihi expedit, reservare dignetur.

CAP XXIII *f ad exteriora non multum attendit.*

28 Sed quis posset dicere, quomodo se ab exterioribus colligens totus internus esset, ut nihil de forinsecis cogitaret vel perpenderet? Contigit enim semel, quod quædam nobilis et devota persona corrigiam ejus peteret et accepit. Cum autem vir sanctus non haberet aliam, accepit suam. Post aliquamtulum autem temporis cum Magister sederet in quadam recreatione cum Fratribus, et corrigia illa, quæ fibulam habebat argenteam, *f* e fune penderet, accepit quidam Frater eam, et elevans, ait: Quid est hoc, Magister? Numquid vos corrigiam argenteam portatis? Ille autem eam diligentius intuens, ait: Deus meus, apposuit hæc? Certe ego numquam attendi istud. Unde ædificati Fratres perpenderunt animum ejus ad interiora intentum.

a *Ita MS. ast excusum,* in quodam conventu vicino Bononiæ, *a qua distat Faventia circiter* XX *millia passuum, urbs episcopalis Romandiolæ ad viam Æmiliam in qua S. Dominicus cœnobium impetravit an.* 1220. — b *Erectum esse Francofordiense cœnobium anno* 1240, *id est, uno ante obitum B. Jordani, scribit Malvenda, sed citius id factum esse hic locus innuit. Merianus in Topographia Hassiæ et vicinarum ditionum majori menda initium refert ad an.* 1260. *In eo diu adservatum fuisse caput S. Guilielmi parentis ordinis Guilielmitarum diximus* 10 *Februar. pag.* 485. — c Sanctonum *in Aquitania* II, *celebris urbs, et sua antiquitate nobilis, media inter Pictavos et Burdegalam.* — d Lausana, *seu* Losana, *ad lacum Lemanum, quæ a Bernensibus hæreticis occupata, Sedes Episcopalis Friburgum Helvetiorum translata est.* — e *Capitula generalia quotannis fiebant in Pentecoste, et alternis Parisiis.* — f *Ita Malvenda. at MS.* et fines penderent. *aliud MS.* et finis penderet. *edit. Duac.* et finem pendentem.

## CAPUT IV.

### *B. Jordani pietas erga Deiparam. Hujus beneficia illi et Ordini collata.*

CAP. XXIV

Erat autem quam plurimum devotus Dominæ nostræ B. Mariæ, utpote quam sciebat esse sollicitam circa promotionem et custodiam Ordinis, cui ejus adjutorio præerat ipse. Unde Frater quidam curiosa devotione explorans et auscultans ipsum ante altare Beatæ Mariæ devotius orantem, et sæpius Ave Maria cum pondere dicentem. Quem sanctus Pater adstantem deprehendens, ait: Quis es tu? Ego sum, inquit, filius vester Bertoldus. Cui ille: Vade, fili, quiescere. Qui respondit: Non, Magister. Imo volo, quod dicatis mihi, quid modo orabatis. Tunc Sanctus cœpit exponere ei modum orationis, et specialiter ad B. Mariam, et de quinque Psalmis secundum *a* litteras hujus nominis Maria, quod primo diceret, Ave maris stella, deinde Magnificat, Ad te Domine levavi, Retribue, In convertendo, et Ad te levavi: Et in fine singulorum post Gloria Patri, Ave Maria cum genuflexione: Et adjecit: Dicam tibi exemplum, fili, per quod videre poteris, quam bonum sit ipsam Matrem Christi laudare.

*EX VITIS FRATRUM EX MSS. Addictus B. Mariæ,*

*a legit quinque psalmos:*

CAP. XXV *b refert B. Mariam cellas circumire,*

30 Frater, inquit, *b* quidam stabat ante lectum suum orans, et vidit Beatam Virginem, quibusdam comitatam puellis, per dormitorium euntem, et aspergentem Fratres et cellas eorum, una puellarum aquam benedictam portante. Pertransivit autem cellam cujusdam Fratris, quam non aspersit. At qui hæc videbat, cucurrit ad pedes Dominæ dicens: Obsecro, Domina, dic mihi quæ es tu, et quare hunc Fratrem non aspersisti? Cui illa respondit: Ego sum Mater Dei, et veni visitare hos Fratres: istum autem non aspersi, quia non est paratus. Dic ergo ei, ut se paret. Diligo quidem speciali amore Ordinem tuum: et hoc inter alia habeo gratum, quod omnia, quæ facitis et dicitis, a laude mea incipitis, et in ea finitis. Unde impetravi a Filio meo, ut nullus in Ordine tuo possit diu in mortali peccato persistere; quin aut cito deprehendatur, aut cito pœniteat, aut extra projiciatur, ne Ordinem meum fœdet.

*et Ordinem a peccatis custodire:*

CAP XXVI *ab ea apparente honoratur.*

31 In nocte Circumcisionis Dominicæ cum secundum morem Parisius dictus Pater nonam legeret lectionem, quidam Frater obdormiens, vidit quamdam pulcherrimam Dominam stantem in pulpito, habentem coronam auream in capite, et pallio miri decoris ornatam, respicientem attentissime in legentem. Cum autem finivisset lectionem, ipsa librum accipiens de manu illius, cœpit mature ante ipsum per gradus descendere, hinc inde assistentibus Sanctis; inter quos unus aliquantulum calvus major et dignior videbatur: qui baculum portans in manu, quasi viam faciens, ipsam Dominam præcedebat. Frater autem, qui hoc manifeste viderat, æstimans ipsam esse beatam Virginem, et præcedentem Paulum vel B. Dominicum, qui circa finem vitæ fuerat calvus. Et accedens ad Magistrum, quæsivit, an in ista lectione aliquid sensisset dulcedinis, ei quod viderat manifestans. Qui ad verba ejus arridens, noluit aliquid revelare.

CAP. XXVII *et reliqui benedictionem accipiunt.*

32 Narravit idem Pater Fratribus in Capitulo, quod quidam Frater devotus vidit: et suspicati sunt Fratres quod ipsemet fuerit. In eodem conventu Parisiensi cum in festo Purificationis Fratres inciperent Invitatorium, Ecce venit; et quod Domina processit cum filio ad altare, ubi supra thronum paratum sedit, dulcissime respiciens Fratres, ad altare juxta morem conversos. Cum autem ad Gloria Patri inclinarent; ipsa apprehensa filii dextra eos et totum chorum signavit.

CAP XXVIII *Peccatrix sanitatem corporis et animæ impetrat, missa ad B. Jordanum.*

33 Nobilis quædam et valde pulchra puella, relicta a Patre suo sub custodia patrui, dum speravit ab eo tutelam; incidit in corruptelam. Denique imprægnata, bis eo suadente procuravit abortum, et imprægnata tertio, cum patruo non auderet resistere, in barathrum desperationis corruit, nulli audens facinus revelare. Unde cum quodam cutello tam valide se percussit, ut ipsum ventrem miserabiliter aperiret. Diri ergo vulneris dolore sauciata, sed Dei misericordia visitata, de peccato suo toto corde compungitur, et cum lacrymis ad Matrem misericordiæ conversa, deprecatur, ut solita pietate illi succurreret

EX VITIS FRATRUM MS

succurreret, ne saltem anima cum corpore periret. Mox beata Virgo ei adstans, et corporis conferens sanitatem, præcepit, ut se totam consilio Magistri Jordani, qui in brevi venturus erat, submitteret. Quod ipsa devotissime complevit: et Ordinem Cisterciensem eo monente intravit, et in sancto desiderio et proposito perseverans.

a *Imitatus est beatos monachos Benedictinos* Joscionem *apud Bertinianos in urbe Audomaropoli an.* 1163 *mortuum* et Josbertum *Dolensem in diœcesi Bituricensi anno* 1186 *defunctum, ex quorum auribus, oculis et ore in morte prodibant quinque rosæ referentes litteras* MARIA: *de Josberto agit Thomas Cantipratanus lib.* 2 *de Apibus cap.* 29 § 13 *et Saussayus in Martyrologio Gallicano ad* 29 *Novembris, ubi Pns cum adscribit. At* Joscionem *referunt idem Saussayus, Miræus in Fastis Belgicis, Molanus in Natalibus SS. Belgii ex monumentis Bertinianorum, Vincentius lib.* 7 *Speculi historialis cap.* 116 *aliique.* — b *Malvenda arbitratur* ipsummet B. Jordanum absque dubio fuisse *utrique similes habuit visiones interim S. Dominicus et Fr. R[illegible], quas refert an.* 1221 *cap.* 18 *et an.* 1233 *cap.* 28. — c *Monet Malvenda,* hæc rite intelligenda de primævo illo surgentis Religionis vigore, quando cuncta mirifice florebant, et tota quædam et eximia sanctimonia Ordinem ornabat, id divinum beneficium a diva Virgine impetratum; alioquin labente tempore in cœtibus quantumvis sanctissimis delitescere interdum occultos peccatores

## CAPUT V.

### *Variæ illusiones dæmonis a B. Jordano depulsæ.*

CAP. XXIX

*B. Jordanum tentat diabolus sub specie viri probi,*

Tentavit eum malignus semel cum esset Parisius infirmus, sub mira fraudulentia sanctitatis. Veniens enim ad portam in forma venerandæ personæ, petiit se ad Magistrum Jordanum deduci. Cum ergo deductus, cum eo aliquos habuisset sermones familiares; postulavit Fratres secedere, quasi secreto locuturus cum eo. Quo facto, sic ait: Magister, tu es caput hujus sanctissimi Ordinis, et quasi in te respiciunt oculi universorum Fratrum. Quod si parvum vel grande quid a te exierit, *a* contra religionis fervorem, relaxationis *b* vestigium, cum humana natura prona sit ad declinandum, tu exinde pœnam reportabis a Domino, et in tanto Ordine relinques exemplum dissolutionis, et turbationis materiam. Es enim infirmus, sed non tantum, ut non possis carere culcitra, et a carnibus abstinere. Quod si cras vel post cras non fiat eadem dispensatio Fratri plus vel æque infirmo; fiet inde judicium, murmur et turbatio orietur. Unde rogo et consulo, sicut hactenus fuisti religionis exemplum in aliis; ita et te præbeas in istis. Sic ergo versipellis ille verba sua colorans, licentiatus recessit, *c* ruminando aliquid, ac si diceret psalmos. Credidit homo Dei simpliciter verbis suis, et abstinuit multis diebus ab illis. Unde intantum crevit ejus debilitas, quod vix subsistere valebat. Revelatum est autem ei a Domino, quod, qui suggesserat illa, diabolus erat, qui ejus prædicationibus invidebat. *d*

CAP. XXX

*oblata potione,*

35 Alia vice cum transiret per *e* Bisuntium, antequam Fratres ibi domum haberent, contigit eum graviter infirmari. Quadam ergo die cum vehementer febribus æstuans, in immensum sitiret; ecce juvenis habens mappam albam ad collum, lagenam vini portans in una manu, et scyphum argenteum in alia, obtulit ei, dicens: Magister, ego porto vobis optimum potum, de quo bibatis secure: quia in nullo vobis nocebit. Qui non ignorans astutias suas, commendavit se Deo, signans se signo Crucis: statimque disparuit. Nec silenda est devotio, quam Episcopus et alii habuerunt ad ipsum ex his, quæ viderunt in eo, *f* ex signis sanctitatis: ob cujus reverentiam multa precum instantia conventum petierunt, et obtinuerunt.

CAP. XXXI.

36 Locutus est ipsi Magistro Jordano quandoque ipse diabolus per quemdam, quem obsessum tenebat, minas et maledicta congeminans, et multas querimonias de eo faciens; quod ei sua prædicatione multas animas subtrahebat, et ait: O cæce, cæce: ego tecum feriam pactum, quod numquam Fratres tuos tentabo spiritu, vel corpore vexabo, si mihi promittas quod numquam de cetero prædicabis. Cui vir sanctus respondit: Absit, quod *g* fœdus meum cum morte, et pactum faciam cum inferno.

*oblato fœdere mutuo,*

CAP. XXXII

*conando per energumenum nocere,*

37 Quidam alius Frater fuit Bononiæ dæmoniacus, qui adeo fortis erat, quod funes omnes rumpebat et vincula, et frequenter in Fratres sæviens, eis multas molestias inferebat. Semel ergo toto corpore ligatus, et resupinus in lecto, dixit Magistro adstanti: O cæce, si te modo haberem, confringerem te totum. Quem Magister statim jubens dissolvi, dixit: Ecce solutus es, fac quidquid potes. Ille vero non potuit se movere. Tunc iterum ait: O si nasum tuum tenerem inter dentes. Sanctus autem inclinans se, ad os ejus posuit nasum suum. Quem ipse in nullo potuit lædere, sed labiis contingens nasum Sancti, leni tactu lambebat. *h*

CAP. XXXIII

*inducendo ad inanem gloriam,*

38 Alia vice cum Fratres omnes vituperaret, adveniente Magistro Jordano mira quadam reverentia assurgens, laudavit eum tentationis gratia, de prædicatione singulari, de religionis fervore et omni perfectione commendans, ut per hæc posset eum in elationem deducere. Sed vir sanctus maligni astutias non ignorans, ipsum sua humilitate confudit.

CAP. XXXIV

*deceptione odoris.*

39 Cum esset beatus Pater Bononiæ, tantis eum tentator perfudit odoribus, ut ipse manus suas absconderet, ne aliis redolerent, veritus eam, de qua nondum sibi conscius erat, prodere sanctitatem. Si gestaret calicem, tanta de ipso prodibat odoris suavitas, ut totus conventus immensitatem dulcedinis miraretur. Sed non est passus Spiritus veritatis, maligni diu durare fallacias: nam quadam die, cum celebraturus Missam, Psalmum, Judica Domine nocentes me, expugna etc. pro propulsandis tentationibus efficaciter diceret, et illum ruminaret versum, Omnia ossa mea dicent, mira devotione perfusus est; ut revera viderentur ei omnes medullæ ossium Dei spiritu irrigari. Tunc igitur rogavit Dominum, ut si diabolicis odor dictus ageretur insidiis, ei sua gratia revelaret. Mox per Spiritum cognovit, hoc antiqui hostis esse figmentum, ut eum præcipitaret per inanem gloriam. Et ex tunc cessavit a manibus ejus ille deceptorius odor. Hæc in suo libello Magister descripsit: novitiis Parisiis me præsente narravit.

Psal. 34

a *Edit. Duac.* circa. — b *MS.* fastigium. — c *Idem MS.* murmurando. — d *Alia dæmonis illusione æger prope Alpes vexatus est, ut infra ex Cantipratano referemus.* — e *Bisuntium, Vesuntium et Vesontio, urbs libera et Imperialis in Comitatu Burgundiæ Sede Archiepiscopali nobilis.* — f *Ita MS. aliud et Malvenda, edit. Duac. cum altero MS.* insigniis. — g *De fœdere Bononiæ cum dæmone inito et soluto infra ex Cantipratano agemus.* — h *De B. Jordano Romæ a simili insano graviter vulnerato, et vino a b[illegible] in Missa sanato, agit infra idem Cantipratanus.* — i *Aliud MS.* pariter. *Cantipratanus refert similem odoris deceptionem.*

## CAPUT VI.

### *Necessaria B. Jordano suppeditata: ejus obitus: gloria revelata.*

CAP. XXXV

*Lætus in paupertate,*

Semel cum iret dictus Pater cum multis Fratribus ad Capitulum generale Parisius, quadam die dispersit Fratres per villam, pro pane pro prandio quærendo: mandans ut ad quemdam fontem convenirent. Qui cum reportassent modicum panis grossi, quod vix quatuor suffecisset; prorumpens sanctus in vocem exultationis et laudis, verbo et exemplo Fratres hortabatur ad idem. Quod cum mulier quædam e vicino vidisset, *a* male ædificata, dixit: Cum vos sitis religiosi, ita mane et tam jocunde lætamini? Intelligens autem ab eis quod propter defectum panis sic exultabant in Domino, pro quo pauperes erant; cucurrit ad domum, et attulit eis panem et vinum et caseum in abundantia, se eorum orationibus commendans.

*accipit necessaria.*

4 Quædam

CAP. XXXVI *excipitur hospitio,*

A 41 Quædam Domina in Francia devota Deo, Fratres recipiebat libenter: licet viro ejus admodum displiceret. Cum igitur recepisset Magistrum Jordanum cum sociis, et jam essent in prandio; contigit supervenire maritum ejus: et dissimulato corde posuit se ad mensam. Ubi autem comperit illud bonum vinum Fratribus propinatum, magis dolens clamavit ministro dicens: Vade cito, et porta de vino meliori, quod est in vegete. Hic autem ironice ista dixit, quia illud erat corruptum, ut perturbaret uxorem. *vino in melius mutato:* Ivit nuntius: attulit, propinavit. Quo gustato, inventum est vinum in summa excellentia bonum. Iste ergo in famulum turbatus, rabida voce dixit: Quare non apportasti de illo dolio, quod dixeram tibi. Qui respondit se pro certo attulisse. Secundo remittitur, et idem invenitur. Tunc cum furia surgens, ivit ipsemet; hausit, gustavit, et optimum invenit, et ex corrupto vino in bonum converso. Tunc ipse in melius conversus, factus est amator Fratrum, et uxorem invitans ad dandas eleemosynas.

CAP. XXXVII *liberat mulierem a veneno.*

42 Mulier quædam propter gravium peccatorum frequentem recidivationem lapsa in desperationem, ut se occideret, venenosam araneam deglutivit. Morte autem appropinquante compuncta, cœpit cum lacrymis Matrem misericordiæ invocare. Audivit B itaque vocem dicentem sibi: Frater Jordanus Prædicator, ordinis Magister venturus est modo, ipsum voca, dicens, te esse a me missam ad eum, et confitere illi, et salva eris. Venit Sanctus, et confessa est peccatrix mulier: et cum vomitu peccatorum araneam et venenum evomuit, et Deo gratias agens, plenissime sanata est.

CAP. XXXVIII b

43 Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo *b* sexto, Idibus Februarii idem Magister Jordanus, qui in Terram sanctam iverat, ad visitanda loca sancta et Fratres, obiit, ut patet in litteris infra scriptis.

Venerabilibus et dilectis Priori et conventui Fratrum Prædicatorum Parisiensium, Fratres Godefridus et Reginaldus, Domini Papæ Pœnitentiarii, salutem et Spiritus sancti consolationem.

c *Submergitur:*

Noveritis quod inundante maris sævitia, ac suo impetu *c* propellente navem ad littus Galileæ: in qua dulcis Pater noster Magister Jordanus erat, cum duobus Fratribus aliis, ipse et viginti novem personæ aliæ mortis vinculis liberati sunt ab hoc seculo nequam. Super hoc tamen carissimi, non paveat cor *d* nostrum: quia nobis orphanis pius Pater et Deus totius consolationis remedium, et post tempestatem providit tranquillum. Nam dum jacerent corpora in-*lumine cœlesti innotescit.* humata, ut testantur, qui de illo naufragio evaserunt, et qui eos tradiderunt propriis manibus sepulturæ, C luminaria de cœlo super eos singulis noctibus effulserunt; sed et cruces multæ super eos visæ sunt a multis. Ad quod miraculum loci incolæ confluentes tanti odoris fragrantiam hauserunt, ut juxta testimonium eorum, qui post visa miracula *e* eos tres sepelierunt, usque post decem dies odor nimius ab eorum *f* manibus non recessit. Sed et per circuitum *sepelitur:* sepulturæ ejusdem odoris suavitas latius emanavit; usquequo Fratres de *g* Achon venerunt cum *h* barcha, et eos in suam ecclesiam transtulerunt. Ubi *claret miraculis.* dictus Pater quiescit, et multa multis beneficia præstat. Per omnia benedictus Deus. Amen.

i CAP. XXXIX

44 In conventu *i* Lemovicensi, qui fuit de primis Ordinis, erat Frater quidam, qui diligebat multo affectu Magistrum Jordanum. Qui diu antequam circa Alpes innotuisset transitus ejus, stabat semel in ecclesia orans post matutinas: cumque Dominus rore cœli illustrasset cor ejus, subito obdormivit; cum *Revelatur submersio cuidam Fratri Lemovicensi,* prius orasset pro Magistro devote, quem esse audiverat ultra mare. Et ecce videbatur ei, quod esset in ripa cujusdam aquæ, latæ admodum, etiam profundæ: in qua videbat mortuos multos, quasi de D *EX VITIS FRATRUM MSS* aqua recenter eductos. Et cum hoc considerans miraretur, videbat ipsum Magistrum Jordanum, quasi ab inferioribus aquæ subito emergentem, fixum in cruce, jocundiorem solito, extensis manibus et pedibus, quemadmodum solet B. Andreas depingi, alacriter sine aliquo adjutorio ascendentem in cœlum. Quæ cum prædictus Frater aspiceret et stuperet; beatus Pater illi blande subridens, ait: Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos. Quo dicto, elevatis et confixis in cruce manibus, cum ipsa cruce ferebatur in cœlum. Quo disparente, videbat dictus Frater sigillum ejus jacere in terra. Cum igitur post sibi innotuisset obitus ejus et modus, quid portendebat visio, plenius intellexit.

CAP. XL k l

45 Eo tempore fuit in Brabantiæ partibus, in *k* Acquiria monasterio Cisterciensis Ordinis, sanctimonialis quædam, virgo grandæva, nomine *l* Lutgardis, per quam Dominus multa miracula fecit in vita et post obitum ejus. Hæc beato Patri Jordano valde nota exstitit et devota. Hæc cum quadraginta annis in sanctimonialis habitu Domino deservisset, jamque præ senio et lacrymis non videret, in ipsa vigilia Nativitatis Christi beatus Pater apparuit ei in hunc modum. Cum enim ipsa ab hora diei prima usque ad sextam orasset, nec solitam devotionem sentiret, tædere cœpit, et in hæc verba prorupit: Bone Domine, quid hæc patior. Certe si aliquem E *in cœlo ostenditur gloria S. Lutgardi,* amicum in cœlo vel in terra, qui pro me nunc oraret, haberem, talem cordis duritiam non sentirem. Hæc illa cum lacrymis dicente, subito ante mentis ejus oculos Frater quidam tam lucidus et tam gloriosus apparuit, quod eum præ claritatis magnitudine non agnovit. Unde stupescens dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Frater Jordanus, quondam Magister Ordinis Prædicatorum. Ego de hoc seculo ad gloriam transivi, et inter Apostolorum, et Prophetarum choros sublimatus sum, et missus ad te, ut te in festo isto gratissimo consolarer. Tu ergo jam secura esto: quia in proximo es ut a Deo coroneris. Psalmum vero, Deus misereatur nostri, cum collecta de sancto Spiritu, quem me rogante pro Ordine nostro dicere promisisti, usque in finem tuum dicere non omittas. Post hæc disparuit, eam in tanta consolatione, quantam numquam habuerat, derelinquens. Hæc eadem fere, etsi modo alio, dictus venerabilis Pater cuidam Fratri Ordinis *m* revelavit, et quod in *et alteri ex Ordine.* ordine sublimium *n* Prælatorum in cœlo locatus esset, honorabili schemate demonstravit. Hæc autem in vita ipsius B. Lutgardis per ordinem sunt descripta.

a *Alterum MS.* multum. — b *Ita MS. et edit. Duac. Malvenda* septimo, *quem secuti sumus supra diximus.* — c *Excussum,* propellente ad littus galeam. — d *Ex.* vestrum. — e *Alterum MS.* eos etiam. — f *Ex.* naribus. — g Achon *sive* Ptolemais *urbs maritima, de qua supra actum.* — h Burcha, *alias* barca, *pro minuto navigio, quæ vox est Matthæo Parisius, Alberto que multis de ea agit Vossius lib. 2 de Vitiis sermonis cap.* 3. — i *Lemovicense secundum Ordinis monasterium cœpit exstrui anno* 1217, *aut, ut alii* 1218, *quo S. Dominicus misit Petrum Scillanum seu Cellanum quem ferunt post S. Dominicum, Ordinem Prædicatorum primum amplexum et professum esse.* — k Aquiria, *vulgo* Ayvviers *in Brabantia Wallonica, distat Bruxellis quatuor nostratibus leucis, duabus Nivellis.* — l *Colitur* 16 *Junii. De ejus Vita tres libros scripsit Thomas Cantipratanus, qui illi familiarissimus fuit et lib.* 2 *de Apibus cap.* 57 § 53 *asserit se ab illa audivisse, quæ hic ex lib.* 3 *Vitæ lib* 2 *referuntur.* — m *Hæc ita narrat Cantipratanus dicto lib.* 2 *de Apibus cap.* 57 § 53. Frater quidam Ordinis prædicatorum electus et bonus, Arnoldus nomine, ex partibus Treverensibus natus, et Prior Fratrum in oppido Wiburgensi dictum beatum virum Magistrum Jordanum, ut ipsemet retulit *mihi*, statim defunctum vidit inter choros Apostolorum et Prophetarum, Angelorum manibus ferri. *De eodem Arnoldo refert* § 54 *eum vidisse* in pectore Christi librum vitæ, in quo invenit nomen suum scriptum aureis litteris. — n *MS.* Prædicatorum, *ut et Cantipratanus* Apostolorum et Prophetarum.

## CAPUT VII.

### *B. Jordani miracula post mortem.*

CAP. XLI b

Dictus Pater sororem excellentis vitæ instituit Priorissam *b* in monasterio quodam sororum. Quæ post

A *Ex vitis Fratrum MSS.*

post multos annos, cum laudabiliter administrasset in illo officio, incidit in paralysim; ita ut de lecto se movere non posset sine subsidio ministrantium sibi. Unde frequenter et instantissime petiit ab illo officio *c* absolvi: sed conventu reclamante numquam obtinere potuit; eo quod utilior videretur ad regimen sic etiam languida, quam quæcumque alia. Accidit autem quadam die post obitum dicti Magistri Jordani, cum nonnulla miracula dicerentur ad invocationem nominis ejus facta; ut prandente conventu, faceret a duabus sororibus in gestario se portari in ecclesiam ante altare: et emissis sororibus *d* devote rogavit B. Jordanum, quem firmiter credebat cum Christo glorificatum; ut impetraret ei a Domino, quatenus vel cito moreretur, ut sic sorores amplius non vexaret, vel ut impetrare posset a Prælatis ordinis benefecium absolutionis ab officio, quod exequi non valebat: vel ut daretur sibi virtus et sanitas, per quam valeret idonea fieri ad ipsum officium exequendum: statimque sensit sibi quamdam virtutem infundi divinitus: et cœpit primo unum pedem, et post alium ponere extra gestatorium: demum surrexit et cœpit deambulare per chorum, quasi tentans si vere sanata esset. Interim audivit nolam refectorii pulsari, surgente a prandio conventu: et processit obviam conventui ad ecclesiam venienti cantando, Miserere mei Deus. Quam cum vidissent Sorores juniores, primæ processionaliter de refectorio exeuntes, mirabantur si vere Priorissa esset: quæ contra consuetudinem sic ambularet erecta. Cantorissa autem cum antiquioribus ultimo exiens de refectorio, cum vidisset deambulare recte, quam paullo ante reliquerat in gestatorio, obmisso, miserere mei Deus, incepit alta voce, Te Deum laudamus. Et conventu altissime cantante, audientes vicini clamorem inconsuetum, et timentes insultum ab aliquibus malignis fieri in Sorores; venerunt cum armis, parati defendere illas. Sed cum rem ex ordine ab ipsa Priorissa per fenestram audirent, Deum pariter laudaverunt.

*B. Jordano invocato sanatur paralytica:*

B

CAP. XLII

47 Frater quidam de Ordine Carmelitarum, ad recedendum paratus; audito quod Frater Jordanus submersus fuisset, magis ac magis turbatus hæc apud se dicebat: Vanus est omnis, qui servit Deo. Numquid iste bonus homo non fuit qui sic periit? aut Deus non bene remunerat eos qui serviunt sibi? Cum igitur ad mane recedendum firmasset animum; ipsa nocte apparuit ei persona pulcherrima cum luce immensa circuiens eum. Tunc tremens et stupens orabat, dicens: Domine Jesu Christe adjuva me: et ostende mihi quid hoc sit. Et statim respondit: Non turberis, Frater carissime, quia ego sum Frater Jordanus, de quo hæsitabas: Et salvus erit omnis, qui usque in finem servit Domino Jesu Christo. Et disparuit, ipso in omnibus consolato. Hoc ipse Frater, et Prior ejusdem ordinis Frater Simon, vir religiosus et verax, nostris Fratribus retulerunt.

*eo apparente nutans in vocatione firmatur:*

C

CAP. XLIII

48 Fuit in Praga metropoli Bohemiæ quidam civis nomine *e* Cunsicus, cognomento Albus; qui habuit uxorem nomine Elizabeth. Quæ partui propinqua frequenter fœtum jam animatum senserat in utero: ut solent sentire gravidæ mulieres: sed tribus diebus antequam pareret non sensit: pro quo multum timebat, et in se turbabatur. Cum autem nocte partus graviter laboraret; devovit infantulum, si masculus esset S. Jordano Magistro Ordinis Fratrum Prædicatorum; affirmans impossibile eum non esse Sanctum, cujus vitam et doctrinam tam gloriosam sæpius audierat; si autem fœmina esset, devovit S. Elizabeth, quæ *f* de novo fuerat tunc canonizata. Nato igitur infante, quæsivit ab obstetricibus utrum masculus esset vel femina. Responderunt masculum esse, sed mortuum. Tunc mater cœpit

*voto illi facto*

inconsolabiliter ejulare, incessanter patrocinium invocans B. Jordani: ut sibi redderet filium suum. Cumque hæc ageret pene a noctis medio, faciebat semper aspici ad infantem. Tandem, ut experirentur certius si viveret, tempore hyemis posuerunt puerum in aquam frigidissimam: et nulla signa vitæ perceperunt in eo. Consolabantur autem Dominam ii qui astabant: sed illa tamquam mater perseverabat B. Jordani auxilium implorando. Et dum dies esset, fecit iterum aspici puerum: et ecce inventus est vivus. Unde gratias agens Deo, et B. Jordano, imposuit filio nomine Jordanus in miraculi testimonium, quod per ipsum fecerat Deus. Et dum signum daretur ad Primam in domo Fratrum Prædicatorum, misit pro Fratribus. Et ad illud signum et miraculum examinandum, missi sunt Frater *g* Tymmo Polonus, tunc Lector Pragensis, et Frater Simon quondam Archidiaconus, tunc Supprior, postmodum Prior domus ejusdem. Qui venientes ad locum, invenerunt universa, sicut in narratione prætacta sunt: cunctis qui aderant sic se habere attestantibus vere.

D

*infans mortuus reviviscit.*

49 Ceterum de miraculis, quæ in loco mortis suæ, et quæ in multis partibus evenerunt et quæ specialiter in Achon, ubi sanctum corpus ejus allatum est, facta sunt, describere nolumus ad præsens.

*alia miracula.*

50 Injunctum fuit cuidam Fratri qui scientiæ et auctoritatis alicujus videbatur, quod iret ad remotum conventum et incognitum sibi. Quod ipse moleste accipiens, ibat tota die de injuncta sibi pœnitentia murmurando, dicens frequenter: Quid feci, aut quid merui ego? Quare ego injunctum est mihi? Quis consuluit? Quis procuravit hoc mihi? Cum igitur quadam die taliter audiente socio murmuraret; subito percussit eum Dominus; cui nihil occultum est: et ad terram prostratus, omnibus fere sensibus est privatus. Inflata erat facies, et os inflatum: et lingua quam maxime ingrossata, ipsum os ita videbatur implere; ut merito crederetur a Deo propter peccata murmuris percussus. Frater autem, qui socius ejus erat, hoc videns, multo timore ac dolore perterritus, timens confusionem suam et Ordinis, quid faceret, penitus ignorabat. Tali autem perturbatione sollicito venit in mentem, Deum per merita Magistri Jordani, qui tunc obierat, humiliter invocare. Ait ergo: Magister Jordane, pie Pater: tu qui hunc Ordinem exaltasti, succurre nunc mihi filio tuo: ne Ordo confundatur in facto Fratris hujus. Domine Deus, per preces et merita servi tui Magistri Jordani libera nos a periculo isto. Dehinc conversus ad Fratrem, alta voce clamavit, dicens: Frater recogita, quod propter peccata tua et murmur, quod quotidie replicabas, hoc contigit tibi. Unde fac votum Deo, et Magistro Jordano in corde tuo, quod si te liberavit, cessabis a murmure: et quod obedientiam tuam in pace complebis.

CAP. XLIV

E

*contra obedientiam murmurans,*

*apoplexia punitus,*

*invocato B. Jordano*

F

Infirmus ergo ad verbum ejus compunctus: et ad se aliquantulum rediens, annuit nutu, nam voce non poterat, se ita facturum. Miranda Dei ultio, sed plus dignatio admiranda. Statim enim ut Frater fecit votum in corde suo, et ad Magistrum Jordanum preces devote direxit: mox recepit plene beneficium sanitatis, obedientiam non solum patienter sed hilariter complens. Hoc uterque eorum etiam in diversis locis positi Fratri Humberto Magistro Ordinis concorditer retulerunt.

*sanatur*

a *Idem miraculum videtur referri a Cantipratano lib.* 1 *Apum cap* 24 § 2 *nulla B. Jordani facta mentione* — b *Cantipr.* In provincia Sueviæ — c *Idem* Priorem Turicensem Fratrum Prædicatorum, qui Sororibus præerat, rogat cum lacrymis se absolvi. — d *Idem*, elevato vultu ad Corpus Christi in pyxide cum lacrymis dixit. — e *Alterum MS.* Tunsicus *Leander et Malvenda*, Cursitius — f *A Gregorio* IX *anno Pontificatus* 9 *Chr.* 1235. *Colitur* 19 *Nov.* — g *Ita MS. At Malvenda*, Timotheus. *Edit. Duac.* Tympolonus.

CAPUT. VIII.

A

## CAPUT VIII.

### *Dicta et responsa B. Jordani.*

CAP. XLV

*Oratio laici æque ac Clerici grata Deo.*

Laicus quidam interrogavit Magistrum Jordanum, dicens: Magister valet tantum Pater noster in ore nostro, qui sumus laici et ignoramus virtutem ejus: sicut in ore Clericorum, qui sciunt quid dicunt? Respondit Magister: Tantum valet, sicut lapis pretiosus, tantum valet in manu illius, qui ignorat virtutem ejus.

*Monita Frederico Imperatore data.*

52 Venit aliquando Magister Jordanus ad Fredericum Imperatorem: et cum sedissent simul, et diu tacuissent; tandem ait Magister: Domine, ego discurro per multas provincias pro officio meo; unde miror pro quo a me non quæritis rumores. Cui Imperator respondit: Ego nuntios meos habeo in omnibus curiis et provinciis: et omnia scio quæ fiunt per mundum. Cui Magister ait: Dominus Jesus Christus omnia noverat, sicut Deus, et tamen a discipulis quærebat. Quem dicunt homines esse filium hominis? Certe vos homo estis: et nescitis multa, quæ dicuntur de vobis, quæ vos scire plurimum expediret. Dicitur autem de vobis, quod Ecclesias gravatis, sententias contemnitis, auguriis intenditis, Judæis et Saracenis nimis favetis, Consiliariis veris
B non acquiescitis, Vicarium Christi et B. Petri successorem, qui Pater Christianorum et Dominus noster spiritualis est, non honoratis: et certe hæc personam vestram non decent. Et ita curialiter ingressus eum de multis correxit.

*Regula Prædicatorum.* Psal. 118. 66

53 Cum ab eo quidam quæreret quam regulam haberet; respondit: Regula Fratrum Prædicatorum hæc est: Honeste vivere, discere, et docere, quæ tria petit David a Deo dicens: Bonitatem, et disciplinam et scientiam doce me.

*Regiones puniuntur ob peccata scienter facta,* Psal. 106. 34

54 Secularis quidam dixit eidem Magistro: Magister, quid est quod nos seculares quandoque dicimus inter nos; quod, postquam Fratres vestri et Minores venerunt, numquam fuit ita bonum tempus in terra, nec terra portavit ita bene, sicut ante? Magister respondit: Possem hoc negare si vellem, et ostendere contrarium. Sed esto, monstro vobis quod hoc justum est. Postquam enim nos venimus in mundum, docuimus mundum, cognoscere peccata multa, quæ ante non cognoscebat, et ab illis nolunt cavere. Unde sunt illis graviora: quia peccatum scienter commissum gravius est. Igitur propter peccata hominum graviora, Deus immittit terræ sterilitatem, sicut dicit Propheta: Posuit terram fructiferam in salsuginem a malitia habitantium in ea. Et ideo juste immittit Deus modo sterilitates et tempes-
C tates. Et plus dico vobis: Nisi corrigatis vos, ex quo scitis, quid debetis facere, et a quo debetis cavere; adhuc pejus faciet vobis. Quia ipsemet, qui non mentitur, dicit in Evangelio: Servus sciens voluntatem Domini, et non faciens, plagis vapulabit multis. Luc 12 47

55 Tempore quo Frater *b* Joannes Vincentinus Bononiæ prædicans fructum mirabilem fecit, et totam fere Lombardiam *c* miraculorum, et prædicationis gratia commovit, et ad se videndum et audiendum trahebat; venerunt nuntii Bononiensium, quos vocant Ambasiatores, *d* Magistri et litterati ad Magistrum exeuntem ad eos cum Diffinitoribus et aliis Fratribus, qui convenerant ad Capitulum generale. Petierunt igitur ex parte totius civitatis et communitatis, quod Fratrem Joannem prædictum non removerent de illa civitate: inter multas rationes hanc prætendentes efficacem, et multum ponderantes, quod seminaverat in civitate verbum Dei gratiose, et fructus qui sperabatur secuturus de ejus prædicatione, totus posset in ejus absentia perdi. Magister autem commendata eorum devotione et benevolentia, quam habebant ad Ordinem, respondit D
in hunc modum: Boni Domini, illa ratio, quam vos allegatis, ut Frater Joannes deberet hic morari, quia seminavit vobis verbum Dei, et posset perire fructus si recederet, non multum *e* conturbet vos. Non enim est consuetudo seminatoris camporum, quod cum seminaverit agrum unum, apportet ibi lectum suum, et jaceat ibi quousque videat, quomodo semina fructificent: imo potius commendat semen et campum Deo, et vadit ad seminandum in alium campum. Ita fortassis expediret, quod Frater Joannes iret ad seminandum verbum Dei alibi, sicut de Salvatore scriptum est: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare verbum Dei. Luc. 4 43 Verumtamen propter amorem, quem habemus ad civitatem, habebimus consilium super petitione vestra a sociis nostris Diffinitoribus: et faciemus tantum pro vobis quod debeat vobis sufficere.

EX VITIS FRATRUM MSS. *Prædicatores debent variis evangelizare verbum Dei.* *e*

56 Cum esset in quadam abbatia Cisterciensi Magister Jordanus, circumdederunt eum multi de monachis, et dixerunt ei: Magister quomodo poterit durare Ordo vester, qui non habetis, unde vivatis, nisi eleemosynas? Et scitis bene, quod, licet modo sit vobis mundus devotus, tamen scriptum est in Evangelio, quod refrigescet caritas multorum, et tunc non habebitis eleemosynas, et deficietis. Respondit Magister cum omni mansuetudine: Ostendo vobis rationabiliter ex verbis vestris, quod prius deficiet Ordo vester quam noster. E Respiciatis illud in Evangelio, et invenietis quod dicitur. Refrigescet caritas multorum, scriptum est de tempore illo, quando abundabit iniquitas: et erunt persecutiones intolerabiles. Tunc autem bene scitis, quod persecutores et tyranni illi abundantes iniquitate, auferent vobis bona vestra temporalia: et tunc vos, qui non consuevistis ire de loco ad locum, et quærere eleemosynas, necessario deficietis. Fratres autem nostri tunc dispergentur, et facient fructum majorem, sicut Apostoli, qui dispersi fuerunt tempore persecutionis. Nec ita terrebuntur: imo ibunt de loco ad locum duo et duo, et quærent victum suum, sicut consueti fuerant. Et plus dico vobis, quod illi, qui vobis auferent, dabunt illis libenter, si recipere voluerint. Quia multoties jam experti sumus, quod raptores et prædones cum magno gaudio volunt nobis dare frequenter de illis, quæ auferunt aliis, si vellemus recipere.

Matth. 24 12 *Religio in paupertate melius subsistit.*

57 Cum Magister Jordanus semel in via dedisset unam de tunicis suis cuidam ribaldo, qui simulabat se pauperem et infirmum; accepit et portavit eam ad tabernam. Frater autem, qui hæc vidit, dixit Magistro: Ecce Magister, quam bene dedisti tunicam F
vestram: nam *f* ribaldus eam portavit ad tabernam. Respondit Magister: Sic feci, quia credidi quod multum indigeret tamquam qui pauper et infirmus videbatur, et erat valde pium ei succurrere: adhuc judico melius amisisse tunicam, quam pietatem.

*Eleemosyna data mendico improbo est pium opus.* *f*

58 Dum Papa Gregorius commisisset inquisitionem quorumdam monasteriorum quibusdam Fratribus, et ipsi, non servato juris ordine, deposuissent quosdam Abbates, quia invenerant eos malos, et essent de hoc Papa et Cardinales turbati intantum, ut vellent revocare quod fecerant Fratres; superveniens Magister et volens eos placare, dixit: Pater sancte, mihi accidit frequenter, quod cum vellem declinare ad aliquam abbatiam Cisterciensium, inveni interdum viam communem, quæ ducit ad portam, ita longam et circularem, quod tædium erat mihi et sociis tantum circuire, cum abbatia esset prope ante oculos meos. Et tunc aliquando ivi per prata, et sic citius perveni ad portam. Si tunc mihi dixisset portarius: Frater, per quam viam venistis? et ego dicerem: Veni per prata illa; et ipse diceret: Non venistis

*In depositione Abbatum.* *Via juris prolixa.*

per

A

Ex vitis Fratrum MSS.

per viam rectam, revertamini retro, et veniatis per viam usitatam, alioquin non intrabitis; nonne nimia esset duritia? Sic Pater sancte, licet Fratres non iverint per viam juris, quæ forte videbatur eis nimis prolixa ad depositionem istam, cum bene fuerint digni deponi hujusmodi Abbates, sicut potestis de facile scire, si volueritis inquirere; sustineatis, si placet, quod factum est, per quamcumque viam ad hoc deventum sit.

*g Philosophi præ Theologis et Juristis facilius ingrediuntur monasteria.*

59 Dum semel quæreretur ab eo, cur *g* Artistæ frequenter Ordinem intrant, et Theologi et Decretistæ tardius, respondit : Facilius inebriantur bono vino rustici, qui aquam consueverunt bibere, quam nobiles et cives, qui vina fortia non reputant, quia in usu habent. Artistæ quidem tota hebdomada aquam Aristotelis et aliorum Philosophorum bibunt. Unde cum in sermone diei Dominicæ vel festi, verba Christi vel suorum ferventium hauriunt; statim inebriati vino Spiritus sancti, capiuntur : et non tantum sua, sed et seipsos Deo donant. Isti autem Theologi frequenter audierunt talia : et ideo contingit eis sicut rustico sacristæ, qui ex frequenti transitu ante altare irreverenter se habet, et ad illud dorsum vertit frequenter, extraneis inclinantibus reverenter.

*h*

60 Cum venisset aliquando ad *h* aliquorum Episcoporum conventum, et quærerent ab eo, quomodo

B

*Cur monachi in episcopos electi, minus ædificent.*

Episcopi, qui de tantis Ordinibus assumebantur, se in Episcopatibus suis minus bene habebant; Hoc, inquit, vobis imputate : quamdiu enim de nostro fuerunt Ordine, nos bene correximus eos : sed hæc dissolutio, quam eis imposuistis, in Ordine *i* vestro accidit eis. Præterea ego fui multis annis in Ordine isto : nec recordor, quod a me aut alio Prælato, vel Capitulo generali vel provinciali Dominus Papa, vel aliquis *k* Prælatus, vel aliquod Capitulum cathedrale, petierit dari unum bonum Episcopum : sed ipsi vel amore parentum, vel alia minus spirituali caussa, eligunt sibi ad placitum : unde non est quod nobis imputetis. Item alias dixit quod non esset mirum, si Fratres nostri in Episcopatu minus bene se habebant, quam alii religiosi : quia magis contra suam professionem faciunt, quam alii religiosi : cum nos nec in speciali, nec in generali possessiones habeamus. Unde ipsi cum ad propria veniunt, magis quam alii religiosi faciunt contra suam religionem : quasi qui hæc saltem in generali habere possunt.

*Quomodo repleri possint Spiritu Sancto*

61 Cum in quodam Capitulo generali propter gravem infirmitatem non posset conventui prædicare; tandem rogatus, ut aliquod consolatorium verbum eis diceret; ingressus Capitulum, ait : Fratres hac septimana frequenter dicimus : Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Sciatis autem quod plenum non im-

C

pletur ab aliquo, sed potius effunditur quod infunditur super plenum. Sancti igitur Apostoli repleti sunt Spiritu sancto, quia evacuati fuerunt a suo

Psal. 103. 29 et 30.

spiritu. Et hoc etiam in Psalmo cantamus : Auferes spiritum eorum et deficient, a se scilicet, ut proficiant in te, et in pulverem suum revertentur : et sic emitte Spiritum tuum et creabuntur, quasi diceret David : Si tua gratia voluntatem propriam et sensum singularem et privatum a se amorem evacuaverint, tuo sancto Spiritu replebuntur. Quo verbo Fratres multum ædificati sunt.

*Fratres alii instar ovium.*

62 Semel monens Fratres, ut levitates caverent, ait : Mihi et veris Prælatis accidit, sicut pastori, qui magis gravatur custodia unius hirci, quam centum ovium : sic magis unus insolens gravat Prælatum, et turbat conventum; quam alii Fratres ducenti, qui sicut oves Domini Pastorem sequuntur, et sibilum ejus intelligunt, nec socios relinquunt; sed simul vadunt, stant, accubant, comedunt, capite inclinato herbas colligunt, in omnibus fructuose, in paucis tædiose. Sed aliqui, ut hirci turbantes pastorem et

D

*alii instar hircorum.*

gregem, discurrunt, perstrepunt, in socios capita impingunt, ad alta saliunt, viam non tenent, sata aliorum lædunt : nec virga nec pastoris clamore cohibentur, et ad ultimum brevem caudam, id est, curtam patientiam habent : et ideo quandoque fœda sua ostendunt. Pro Deo, carissimi, fugite hujusmodi mores hircinos, et estote ut oves Dei.

*l*

*Verba otiosa quomodo evitentur.*

63 Semel monens Fratres, ut *l* otiosa caverent, ait : Videtis, carissimi, quod imperceptibiliter, quantumcumque alte incipiatur Psalmus, paullatim vox cantantium cadit et frangitur : sic quantumcumque bona verba incipiamus dicere, vel ad alterutrum conferre, paullatim ex humana corruptione ad vana prolabimur. Sed qui bonus est, et hoc percipit, debet facere, sicut cantor in choro, qui in locis competentibus elevat vocem. Sic bonus vir casum otiosorum verborum advertens, debet interponere aliqua verba et exempla grata : ut interrumpat nociva. Eodem modo cum ex carnis corruptione paullatim non solum a verbis, sed etiam a solito religionis fervore tepescimus, nos invicem excitare debemus.

*Horror episcopatus.*

64 Fiebat mentio semel coram eodem Magistro de quodam Fratre viro magno et bono, quod deberet fieri Episcopus. At ille : Magis vellem videre eum portari in feretro ad tumulum, quam in cathedra exaltari ad episcopatum.

E

*Ob vaccam furto ablatam*

65 Quidam nobilis de Theutonia, dominus secundum mundum matris Magistri ejusdem, abstulit vaccam matri illi. Ipse autem Magister quemdam filium ejusdem nobilis traxit ad Ordinem. Cum ergo quidam ex parte prædicti nobilis conquererentur multum ipsi Magistro, quod filium illum abstulisset Domino illi; respondit in quodam solatio ad placandum eos in hunc modum : Vos, inquit, scitis secun-

*excusat filium admissum in Ordinem.*

dum consuetudinem Theutoniæ, quod si quis fecisset injuriam matri alicujus, et filius vindicaret in eum; nullus in Theutonia deberet hoc habere pro malo. Cum ergo Dominus vester et meus fecerit injuriam matri meæ, auferendo sibi vaccam; quomodo debetis vos, et ipse pro malo habere, si ego abstuli sibi vitulum.

*m*

*Concionatur Gallice vix linguæ peritus :*

66 Cum idem Magister invitatus fuisset a Templariis ultra mare, quod faceret eis *m* collationem aliquam, sed nesciret nisi valde parum de Gallico, et ipsi essent Gallici; exposuit se libenter ad dicendum. Cum autem esset in quadam platea, et ipsi ante ipsum; contigit, quod ante oculos suos habebat quemdam murum altum quasi ad staturam hominis. Volens autem eis in principio dare intelligere, quod licet nesciret de Gallico nisi parum, tamen confidebat, quod ex uno verbo modico intelligerent unam magnam *n* sententiam, dixit sic : Si unus, inquit, esset

*n*

F

asinus ultra murum illum, et elevaret caput, ita quod videremus unam auriculam ejus; jam omnes intelligeremus, quod ibi esset unus asinus totus : ita quod per modicam partem intelligeremus totum. Ita accidit quandoque, quod si in una scientia magna dicatur unum verbum modicum, per illud intelligitur tota scientia, *o* licet alia sint Theutonica.

*o*

67 Cum idem Magister duceret secum multos novitios, quos receperat in quodam loco, ubi non erat conventus; accidit quod in quodam hospitio cum Completorium cum eis et aliis suis diceret, unus cœpit ridere : et alii hoc videntes similiter fortiter inceperunt ridere. Quidam autem de sociis Magistri incipit eos per signa compescere : at illi magis ac magis ridebant. Tunc dimisso Completorio, et dicto

*risum novitiis permittens, corrigit :*

benedicite, incepit Magister dicere illi socio suo : Frater quis fecit vos Magistrum novitiorum nostrorum? Quid pertinet ad vos eos corrigere? Et conversus ad novitios dixit : Carissimi ridete fortiter, et non dimittatis propter Fratrem istum : ego do vobis licentiam. Et vere debetis gaudere et ridere, quia

exivistis

A exivistis de carcere diaboli, et fracta sunt dura vincula illius, quibus multis annis tenuit vos ligatos. Ridete ergo carissimi, ridete. At illi in his verbis consolati sunt in animo : et post ridere dissolute non potuerunt.

*Isa. 38. 10 peccatum portam inferni vocat.*

68 Cum Magister idem prædicaret semel Parisius de commorantibus diu in peccato, et occurreret ei, quod peccatum vocabatur in Scriptura porta inferni, dixit : Si quis veniens hodie ad domum istam, videret unum scholarem sedentem in porta, similiter cras, similiter multis diebus, nonne de facili cogitaret, iste scholaris intrabit ordinem? Quomodo ergo non est credibile quod illi intrent infernum, qui tam diu sedent ad portam inferni?

*qualis adhibenda disciplina.*

69 Dixit idem Magister : Sicut cæmentarius, qui indirectum murum reparare satagit, quosdam lapides extrahit absconditos, et repercutit prominentes : sic in emissione Fratrum Prælatum oportet facere : ut videlicet illos, qui nimis latitare cupiunt, ad actionem dirigat, et qui nimis exponunt se, intus remanere faciat.

*eadem repeti :*

70 Idem Magister in prædicatione solebat eumdem sermonem aliquoties reiterare. Quod cum objiceretur ei, respondit : Si aliquas bonas collegisset herbas, et illas ad faciendum pulmentum studiose præparasset; essetne conveniens illas abjicere, et pro colligendis aliis laborare?

B

*omnibus omnia factus : 1 Cor. 9. 22*

71 Idem Magister dixit : Si studuissem in alia facultate tantum, ut in hoc verbo Apostoli, Omnibus omnia factus sum, Magister jam in illa potueram extitisse. Semper enim studui qualiter me aliis conformarem, et me non deformarem, nunc videlicet me conformando militi, nunc religioso, nunc clerico, nunc tentato.

*apostatam recipit.*

72 Idem Magister quemdam apostatam ad ordinem recipere nitebatur : et cum de hoc consensum Fratrum quæreret in Capitulo, et unus non consentiret; dixit Magister : Etsi hic modo peccata multa fecit, forsitan adjiciet multo plura. Sed cum hoc ille se assereret non curare, Magister respondit : Certe, Frater, si vos unam pro isto fudissetis guttam sanguinis, sicut Christus pro isto sanguinem suum dedit, aliter curaretis. Tunc ille ad se reversus, et confusus, in terram se projecit, et libenter consensit.

*Quale pretium piæ orationis.*

73 Quidam Frater timorem habuit de eleemosynis, quas quotidie comedebat : quia per orationes tot beneficiis respondere difficile erat ei. Cum ergo Magistro de materia hac loqueretur, ille dubitanti sic respondit : Cum spiritualia sint impretiabilia respectu temporalium; constat illa in infinitum his præcellere, et esse incomparabiliter meliora. Unde sciatis certissime, si pro omnibus eleemosynis, quas comedistis,
C unum Pater noster devote dicitis, plenarie persolvitis.

*Procuratori præstanda et omittenda.*

74 Cum quidam Frater, procuratoris gerens officium, pro absolutione supplicaret instanter; respondit Magister : Officiis, ut frequenter, ista quatuor sunt annexa, scilicet negligentia, impatientia, labor, et meritum. A primis igitur duobus absolvo vos : reliqua vero duo in remissionem peccatorum injungo.

*Tactus manus mulieris malus :*

75 Quidam Frater accusavit alium in Capitulo, quod manum tetigerat mulieris. Qui ait : Mulier bona fuit. Tunc ille qui præsidebat, respondit : Pluvia bona est, et terra bona est, lutum tamen ex horum commixtione generatur. Sic et manus viri licet bona sit, similiter et mulieris, ex conjunctione tamen illarum cogitatio nonnumquam vel affectio mala consurgit.

*Oratio miscenda lectioni :*

76 Quæsivit a Magistro Jordano quidam Frater, utrum utilius foret orationibus insistere, aut Scripturarum se studiis occupare. Qui ait : Quid est melius, semper bibere vel semper comedere? Et utique, sicut competit ista alternatim facere, sic et ista.

77 Rogavit illum quidam Frater, ut instrueret, D quid ad orandum sibi melius expediret. Qui respondit : Bone Frater, quidquid tibi majorem devotionem excitat, huic obsistere non omittas. Nam ad orandum Deum salubrius tibi erit, quod affectum tuum fructuosius irrigat.

*EX VITIS FRATRUM MSS*
*e devotione non eligenda.*

a *Hic est* Fridericus II, *sub quo Italia in duas scissa est partes: quarum uni, quæ Pontifici studebat, Guelforum nomen inditum est, Gibellinorum alteri, quæ Fridericum sequebatur. De eo sæpius agimus, uti x Februarii ad Vitam B. Arnaldi Catanæi Abbatis, et alibi.* — b Joannes Vincentinus, *alias* Vincentius, *et* Vincii *cognominatus, in MS.* Bisuntinus, *cum* de Bononia *dictus, quod diutius in ea urbe prædicarit. Habitum Ordinis de manu S. Dominici accepit anno* 1220. — c *Mortuos suscitasse* 7, *vel, ut alii,* 10. *et* 200 *alia miracula patrasse, tradunt auctores apud Malvendam ad an.* 1233 *cap.* 14. — d *Ita MS. est excusum* Magni et litterati ad Magistrum existentem tunc in Capitulo. — e *Excussum* movit nos. — f Ribaldus *pro homine vili et nebulone accipitur, vulgo Germanis et Belgis* Rabaut. *Matthæus Parisius ad an.* 1251 Confluebant ad ipsorum consortium fures, exules fugitivi, excommunicati, quos omnes ribaldos Francia vulgariter consuevit appelare. — g Artistæ, *doctores artium liberalium, ut* Decretistæ *Magistri decretorum juris Canonici. Ita Cæsarius lib.* 11. *Miracul. cap.* 46 *ait,* Decretistam mortuum esse. — h *Edit. Duac.* quorumdam magnorum. — i *MS.* nostro non accidit. — k *Edit. Duac.* Legatis. — l *MS.* levitates. — m *MS.* consolationem aliquam in colloquio. — n *Edit. Duac.* sententiam. — o *Hæc desunt in MS.*

## CAPUT IX.

### *Analecta ex aliis libris de Vitis Fratrum.*

*Ribaldus,*

*Artistæ.*

LIB. I CAP. VII
*Antiphona* Salve Regina
*a*

Sanctæ memoriæ Frater Jordanus, secundus hujus Ordinis Magister scripsit in libello, quem De initio ordinis edidit, quod sibi retulit vir quidam sanctus et verus, se vidisse frequenter, cum Fratres *a* cantarent, Eia ergo Advocata nostra, ipsam B. Mariam, E ante Filium procidentem, et pro ipsius Ordinis dilatatione et conservatione devotissime supplicantem.

LIB. IV CAP. I
*Fervor in Ordine*
*b*
*eundi in Terram sanctam,*

79 Temporibus duorum Patrum Dominici et Jordani tantus fuit fervor Ordinis, quod nullus sufficit enarrare... In quodam *b* Capitulo generali Parisiis, cum incumberet aliquos Fratres mitti ad provinciam Terræ sanctæ, dixit Magister Jordanus Fratribus in ipso Capitulo, quod si qui parati essent bono animo illuc ire, quod hoc significarent ei. Vix verbum finierat, et ecce vix fuit aliquis in illa multitudine, quin faceret statim veniam cum multitudine lacrymarum et fletu, petens se mitti ad illam terram, Salvatoris sanguine consecratam.

CAP. IV

*Ob castitatem Fratris repulsa muliercula,*

82 Fratrem quemdam decorum corpore, et admodum simplicem mulier quædam, ferens speciem sanctitatis, multo tempore concupivit. Quem miris quibusdam et coloratis deceptionibus intantum seduxit; ut usque ad noctis crepusculi secreta silentia dulciter colloquendo pertraheret : eique tunc concupiscentiæ suæ venena occultans, expectabat infelix, ut opus aggrederetur nefarium, quem jam concupiscentiâ captum esse credebat, eo solum quod in tali F loco et tempore solus cum sola femina loqueretur. Sed mentita est iniquitas sibi : nam Frater licet fatue, tamen innocenter sedens, nihil immunditiæ cogitabat. Ubi ergo sensit affectum illius miseræ, subito quasi damula de loco, et manibus se trahentis exiliit, et aufugit. Cum autem illud esset omnino celatum, contigit sanctæ memoriæ Magistrum Jordanum, qui tunc temporis illic aderat, ad quemdam a diabolo vexatum fuisse deductum, ut oraret pro eo. Cum igitur vir sanctus dæmonem adjuraret, ut a Dei creatura exiret, respondit se non exiturum, nisi Frater veniret qui in igne extitit nec fuit combustus. Cum autem hoc sæpius dixisset, nullum specificans, mirabantur qui audiebant, nescientes quid facerent, unde secundo et tertio dictum Magistrum, quem sciebant virum sanctum et justum, ad visitandum obsessum, venire rogaverunt. Contigit autem, cum magister tertia vice venisset, ut dictus Frater socius ejus esset : statimque in ejus ingressu dæmon exivit clamans : Frater autem cum audisset a Magistro præcedentia, advertens quæ facta fuerant

*B. Jordanus energumenum liberat.*

*EX VITIS FRATRUM MSS. CAP. I*

A rant; Magistro retulit in secreto, et cum lacrymis universa.

*c* — *Vercellis admittit plures in Ordinem,* — *etiam qui alios abstrahebat,*

83 Tempore quo beatæ memoriæ Magister Jordanus prædicabat Vercellis, *c* ubi etiam tunc erat in paucis diebus, tredecim magnos Clericos et litteratos traxit ad Ordinem. Erat autem ibi Magister Walterus Theutonicus Regens in artibus, et physicæ peritissimus, qui ad legendum magno stipendio conductus erat. Hic audiens Magistrum Jordanum venisse, ait sociis et scholaribus suis: Cavete ne ad prædicationem ipsius eatis, neque aliquando verba ejus audiatis, quia sicut meretrix polit sermones suos, ut capiat homines. Mira res, sed a Domino facta: quia qui alios retrahebat, ab eo ipse primus captus est in sermone illius, imo verius Dei. Et cum sensualitas misera vellet eum ab Ordinis ingressu retrahere, claudens utramque manum, pugnis quasi calcaribus percutiebat latera sua, dicens sibi: Tu illuc ibis, vere tu illuc ibis. Venit ergo et receptus est, et fuit multis exemplum magnæ salutis.

*alium jurisperitum* — *dicentem se Dei esse:*

84 Fuit etiam ibi alius magnus Clericus et in jure peritus, qui audiens ingressum quorumdam scholarium amicorum suorum, oblitus suorum librorum, quos ante se tenebat apertos, quos etiam non clausit, oblitus etiam omnium quæ in domo sua habebat, solus quasi amens factus cursim festinabat ad Fratres. B Cum autem obviasset cuidam sibi noto, et quæreret quomodo sic solus curreret, non sistens gradum, hoc solum respondit: Ego vado ad Deum. Veniens autem ad locum, ubi se receperant Fratres, quia nondum habebant ibi domum, et inveniens Magistrum Jordanum et Fratres congregatos, projecto quodam mantello serico, prostravit se in medium quasi ebrius, nihil aliud dicens, nisi hoc: Ego sum Dei. Ego autem sum Dei. Magister Jordanus nulla alia facta examinatione vel responsione præmissa, hoc solum respondit. Ex quo estis Dei, et nos consignamus vos ei. et surgens, eum induit. Hæc autem duo narravit, qui interfuit illis, et hæc vidit et audivit, et unus ex illis fuit.

*CAP. II* — *d* — *Parisiis Joannem de Columna nepotem Cardinalis:*

85 Frater Joannes de Columna Romanus, dum juvenculus a *d* patruo suo Cardinali missus fuisset Parisius, et a sanctæ memoriæ Jordano induceretur, quod Ordinem intraret; a quodam magno Clerico retrahebatur. Cumque ei promisisset, quod non intraret priusquam ei super ea re iterum loqueretur, quadam die ivit ad locum, ubi ille manebat, ut scilicet illi suum denuntiaret ingressum, et hoc etiam de licentia Magistri Jordani, qui dicebat, quod confidebat in Deo, quod non perverteret eum. Cumque eum diutius quæsisset, tandem invenit eum defunctum, C in medium chori cujusdam Abbatiæ Parisiensis delatum, unde ex subita ejus morte ipse magis accensus, quod conceperat, devote complevit. Hic autem tantæ constantiæ fuit et fervoris in suo novitiatu, quod cum fuisset data audientia Magistro suo ut ei loqueretur, coram Fratribus multis adeo confudit eum in suis responsis, licet multum juvenis esset: quod ille stupefactus cum suis abscessit....

*CAP. III* — *alterius constantiam laudat:*

86 Narravit bonæ memoriæ Magister Jordanus de quodam juvene nobili pulchro et delicato, quod cum intrasset ordinem Prædicatorum suadebatur sibi a quodam magno et litterato, et amico parentum suorum, ut Ordinem exiret, et dicebat: Melius est ut modo exeas sine peccato et nota, quam postea. Tu tenerrimus es, tam durum Ordinem non poteris tolerare. Cui juvenis ille respondit: Caussam quam vos mihi allegatis ad exitum, hanc ego scio fuisse motivum ad meum ingressum. Cogitavi enim apud me dicens: Si nullam asperitatem sustinere possum in seculo, quomodo pœnas illas intolerabiles et inenarrabiles sufferre potero in inferno? Ideo decrevi istam in præsenti sustinere asperitatem, ut in alio seculo non patiar æternam. Sed quandoquidem cum pauperibus hic pauper sim, dives ero in regno cœlorum. D

*e* — *Quas B. Albertus Magnus patiebatur tentationes circa ingressum Ordinis.* — *concionans B. Jordanus,* — *eumque alloquio confirmans indicat.* — *f*

87 *e* Vir famæ eximiæ et sanctitatis magnæ, qui excellens fuit in physica et Prior Provincialis in Theutonia Frater Albertus Theutonicus, Magister in Theologia, cum adhuc juvenculus studeret Paduæ, ex admonitionibus Fratrum, et maxime ex prædicationibus Magistri Jordani, habebat sæpe voluntatem intrandi Ordinem, sed non plenam. Avunculus enim ejus, qui ibi erat, contradicebat ei. Unde et jurare ipsum compulit, ne infra certum tempus iret ad domum Fratrum. Post quod transactum, juvenis frequenter ad Fratres ibat, firmabatque propositum, sed timor, ne exiret, faciebat eum multum vacillare. Quadam autem nocte vidit in somnis, quod intrasset Ordinem, et quod post modicum exiisset. Evigilans ergo mirabiliter est gavisus, eo quod non intraverat, in animo suo dicens: Nunc video, quod illud, quod timebam, eveniret mihi, si unquam intrarem. Contigit autem eadem die, cum interesset sermoni Magistri Jordani, qui inter cetera loquens de tentationibus diaboli, quomodo subtiliter decipit aliquos, ait: Sunt aliqui, qui proponunt relinquere mundum, et Ordinem intrare; sed diabolus facit eis impressiones in somnis, quod intrent et post exeant, et equitantes vel in rubeis vestibus, vel variis vel E cum dilectis inveniunt se, ut scilicet sic eis timorem incutiat intrandi, quasi non possent perseverare: vel si jam intraverint, ut terreat, atque conturbet eos. Tunc juvenis mutatus vehementer, post sermonem accessit ad Magistrum Jordanum, et ait: Magister, quis revelavit vobis cor meum? et exposuit ei omnes cogitationes suas prædictas, et somnium. *f* Dixitque ei Magister Jordanus: Firma de Deo percepta fiducia, fili, promitto tibi, quod si intraveris, numquam de cetero exibis, replicans ei pluries hoc verbum. Ille vero ad verba ejus toto corde conversus, omnem moram rescindens, Ordinem introivit. Hæc autem omnia ipse Frater Albertus narrans dixit quod ad omnes quas habuit in Ordine, tentationes sive a diabolo, sive a mundo, recordatio promissionis illius sancti viri erat ei remedium singulare.

*CAP. XV* — *diabolum Fratri insidiantem compescuit*

88 Fratrem quemdam, nomine Martinum virum valde honestum et litteratum per tres annos continuos insecutus est diabolus, apparens ei sub formis diversis, ut eum terreret: quem cum Magister Jordanus secum Romam duxisset, et quodam sero in Biblia sua, quæ pulchra erat, legeret; venit diabolus in specie monachelli nigerrimi saltans coram eo, modo ad unam partem, modo ad aliam, et dicebat; Idolum, F Idolum. Cujus dicti caussam cum Frater quæreret, respondit: Cur tu bibliam istam pro Deo tibi fecisti? Cui cum Frater diceret, Cur me tantum persequeris? respondit: Cur? totus meus es. Et abiit. Tunc Frater admodum timidus, licet de nullo peccato sibi conscius esset, venit ad Magistrum exponens ei omnia quæ diabolus fecerat, et dixerat illi, et addidit: Non video, quid mihi possit objicere nisi bibliam istam, unde resigno eam vobis: facite de ea quidquid placuerit vobis. Magister ergo Jordanus tamquam a Deo illuminatus, intelligens astutias diaboli, qui per hunc modum volebat impedire studium Fratris, et animarum profectum, ait: Et ego in nomine Domini eam tibi concedo, ut proficias in ea. Ex tunc igitur cessavit diabolus ab infestatione Fratris propter suam humilitatem et Patris orationem.

89 Quidam Frater dæmoniacus fuit Bononiæ tempore Magistri Jordani, qui Fratribus multas vexationes et injurias inferens tam in die, quam in nocte, multa falsa seminabat, et vera aliquando dicere cogebatur

gebatur

A gebatur. Exponebat etiam aliquando Scripturas, quamvis prius illarum inscius esset. Cum ergo quadam die Fratres in scholis essent, et nullo modo audiri de Infirmaria possent; nec aliquis de adstantibus sciret, quid ibi dicebatur, ait: Modo disputant Caputiati, an Christus sit caput Ecclesiæ, cum magna indignatione et vultu turbulentissimo sæpius hæc repetens, quasi multum de hoc ipse doleret. Huic cum Magister diceret, Miser quid tentas Fratres, et animas pertrahis ad peccatum, cum tibi majorem pœnam ex hoc accumules? respondit: Non facio quod peccatum placeat mihi, imo fœtet, sed propter lucrum facio hoc, sicut Magister Olricus qui mundat cloacas Parisius, non quia fœtor eum gravet, sed omnia sustinet propter lucrum.

*interrogat quid lucri ex tentatione habeat.*

CAP. XXV

*Frater sentit tormenta a Christo tolerata.*

90 De quodam Fratre juvene Theutonico honesto et admodum devoto, narravit sanctæ memoriæ Magister Jordanus, quod Christus Dominus in die Cœnæ eum communicavit, et in die Paraceves passionem Christi totam in corpore suo sensit: eratque mirum, quod dicebatur illi, ut se pararet ad illam, vel illam passionem, et neminem inferentem videbat, sed tamen singulas sentiebat.

LIB. V CAP. II

91 Scripsit beatæ memoriæ Magister Jordanus in suo libello hoc modo: Cum intrasset Parisius Ordinem Frater Everardus, Archidiaconus Lingonensis, B vir multarum virtutum, opere strenuus, consilio providus; quanto fuerat magis notus in seculo, tanto plures assumptæ paupertatis ædificavit exemplo. *g* Hic mecum in Lumbardiam vadens, ut videret Magistrum Dominicum, apud Lausanam infirmatus est, ubi quandoque in Episcopum electus fuerat, sed renuerat acceptare. Cum autem medicos tristes mussitare videret, dixit: Cur celatur a me hic exitus vitæ? ego mori non timeo: celetur ab eis mors, quibus est amara mortis memoria: nec ei timendum est, qui, etsi domus ejus terrestris destruitur, domum non manufactam æternam in cœlis felici commutatione consolatus expectat. Vitam igitur hanc ærumnosam festivo quidem sed felici fine complevit. Felicis autem defunctionis ejus hoc mihi indicium fuit, quod in exitu spiritus ejus, cum me anxiari crederem, quia tam bonum socium et tam utilem Ordini amittebam, e contrario subito sum jucunda hilaritate et devotione perfusus, ut minime flendum eum, qui ad gaudium transierat, testimonio conscientiæ commonerer.

*g B. Jordanus socium itineris sancte mori lætatur.*

*Frater addictus Christo crucifixo,*

92 In conventu Parisiensi fuit quidam Frater Lumbardus, nomine Jacobus; qui sibi et doctrinæ attendens, ad tantam perfectionem venerat, quod in C corde et in ore nihil nisi Dominum Jesum Christum portabat crucifixum, nihil infelicius dicens, quam talem Dominum non amare. Hunc quia acceptus erat Deo, miserabilis probavit tentatio. Invasit enim eum gravis infirmitas, per quam ipse sibi innotuit; et qui sibi pro Christo mortem posse tolerare videbatur, ad tantam devenit impatientiam, quod nihil sibi fieri posset quod sibi placeret. Nullus ei cibus, nullus ei lectus acceptabilis erat: ipsum nomen Domini nostri Jesu Christi, quod sibi consueverat esse dulcissimum, jam audire non poterat. Imo dicebat, quod Dominus ei illuserat, qui sibi servientem tam violenta infirmitate oppresserat, ut neque corporis neque sui spiritus compos esset. Posthæc orantibus pro eo Fratribus cœpit paullatim patientia in eo nutriri, cœpitque jam in illa tribulatione silere, et inde ad tantam venit patientiam, ut jam, quæ prius nolebat tangere, libenter ederet, et omnia sibi diceret bona valde. Verum quia diuturna infirmitas carnem fere totam consumpserat, nec in lecto volvi poterat, nisi aliorum manibus verteretur; mirum omnibus videbatur, quomodo anima in tam consumpto corpore remanebat. Idcirco benignus D Jesus non est oblitus pauperis sui, sed effudit in abundantia oleum gaudii sui in visceribus afflicti: et cœperunt exultare ossa humiliata intantum, quod mortem expectabat cum desiderio, et ineffabili lætitia replebatur cum ei aliquis de hujusmodi loquebatur. Quod cum sanctæ memoriæ Magister Jordanus, qui tunc advenerat, cognovisset, statim ad eum vadens, sedensque in lecto in quo ipse jacebat, ait: Noli timere, carissime, quia in proximo es iturus ad Christum. Ad hoc ille Dei adjutorio fultus, subito surrexit et erecto brachio super collum Magistri, clamavit: Educ, bone Jesu, de carcere animam meam, ut confitear nomini tuo. Et in lectum recidens obdormivit in Domino. Si igitur aliquos impatientes in infirmitate videmus, non judicemus, neque indignemur: fortasse enim dispensatio Dei est, qui facit ventis pondus, et misericordia Dei est æterna, quod ira Dei videtur.

*æger impatiens,*

*dein summe patiens,*

EX VITIS FRATRUM MSS.

*coram B. Jordano sancte moritur.*

CAP. IV

*alius a morte et apparet.*

93 De duobus Fratribus et juvenibus et valde ferventibus qui se speciali affectione diligebant, narravit Magister Jordanus, quod unus post obitum suum apparuit alteri sole splendidior, et ait: Frater, sicut audivimus et frequenter contulimus, sic vidi in civitate Dei nostri. Et hoc dicto disparuit.

E

*Antiphona* Salve Regina.

a *Solebat tempore S. Dominici Antiphona*, Salve Regina, *post Completorium sine cantu dici ut scribunt Theodoricus lib.* 2 *Vitæ S. Dominici cap.* 13, *S. Antoninus et alii. At sub B. Jordano consuetudinem solemniter eam cantandi cœptam esse Bononiæ tradit Olmeda: utque id per totum Ordinem fieret statutum esse Parisiis in Capitulo generali anno* 1224 *annotat Michael Pius lib.* 2 *Virorum illustrium pag.* 346 *Quæ pluribus disputat Malvenda ad an.* 1237 *cap.* 14. — b Habitum anno 1222 et missum Brocardum cum sociis *tradunt Antoninus Senensis in Chronico, Bzovius, aliique ac tum* Hierosolymis, Damasci, Bethlehemi, Nazarethi *et alibi* erectos fuisse conventus. — c *Edit. Duac.* nam tunc studium ibi erat. — d *Hic et Joannes Columna an.* 1216 *ab Honorio III creatus Cardinalis, mortuus circa an* 1245. — e *Edit Duac.* Frater quidam famæ eximiæ et excellentis status atque scientiæ, *suppresso nomine. Est hic B. Albertus Magnus, postea factus Episcopus Ratisponensis in cujus Vita,* 15 *Novemb. danda, hæc cap.* 2 *referuntur.* — f *Reliqua hactenus edita multum abbreviata.* — g *Anno* 1221.

## ALIA VIRTUTUM B. JORDANI EXEMPLA

### auctore Thoma Cantipratano Ord. Prædicat. ex lib. II De Apibus.

CAP. LVII § LXIII

*B. Jordanus ægros invisit,*

Beatæ memoriæ Jordanus, frater et Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum, gratia visitandi Fratres, Romam venerat: qui accepta benedictione in domo Fratrum a Fratribus, legit Missam. Intravit postea infirmariam videre languentes, et invenit Fratrem Conversum, quasi sanæ mentis esset, tamen diligentissime compeditum. Quærit ergo Magister ab illo compedito caussam compedum. Respondet ille, Alienatum se fuisse hactenus; sed in F adventu ejus sanitati integerrime restitutum. Credidit Magister spiritui nequitiæ citius quam decebat, et compeditum solvi præcipit. Nec mora felix Papa Honorius, audito adventu ejus, mandat eum dormitatione facta post prandium intrare Curiam, facturum in Clero sermonem. Hinc postea venitur ad prandium: mandatur venire Frater Conversus, qui fuerat compeditus: accubuit ille, sensate se habuit.

*delirum solvi curat,*

*et mensæ accumbere:*

2 Ubi facto prandio, et dictis gratiis, Magistro stratum est ad pausandum; venit dæmoniacus ille, et accepto rasorio guttur Magistri dormientis incidit, sed non ex toto, nondum certo loco vulneri dato. Qui læsus, subito evigilans, manum objecit rasorio, et in duobus aut tribus digitis usque ad emutilationem, ut credebatur, læsionem accepit. Expergefacto ergo in tumultu toto conventu, accurrunt, Fratres, Magistrum quasi seminecem jacentem inveniunt, et elato fletu cum clamoribus ejulabant. Tunc Prior domus, imperato silentio, præcepit ne res in scandalum

*ab eo læditur in gutture et digitis*

*deploratur a toto monasterio*

A scandalum Ordinis diffunderetur, et ne inverteretur ab æmulis sæcularibus, celaretur. Venit ergo hora prædicandi, et Prior Fratrum vice Magistri prædicaturus accessit. At ubi themate prælibato prosequi sermonem debuit, subito resolutus in fletum, cum clamore valido mugitum emisit. Attonitis autem omnibus Cardinalibus quidam fidelissimus Ordini Priorem trahit in partem, quærit quid causæ sit doloris. Fatetur Prior. Nec mora, ambo ingrediuntur ad Papam, aperiunt infortunium, conclamat in planctum Papa dicens: Heu, Domine Deus, quid actum est? hodie magna Ecclesiæ columna cecidit. Quid plura? Accedunt chirurgici, perspiciunt et pertractant vulnera, divinum potius, quam humanum suadent adjutorium cum omni precum instantia postulandum.

*EX CANTIPRATANO.*

*et Summo Pontifice:*

*a medicis depositus,*

3 Tertia autem die hujus infortunii illucescente, innuit Magister adolescenti novitio, ut sibi altare præparet in occulto. Stupefactus igitur (nec mirum) juvenis, Priori indicat, quid sibi præcipitur. Qui quasi raptus stupore nimio, currit ad Magistrum; quærit si deliret, an falsum sit, quod Missam in supremo vitæ periculo velit celebrare. Magister ergo B intuitus Priorem aversis oculis, innuit, ut recedat. Quo parente, et exspectante rem tam grandis eventus, surrexit Magister, ut potuit, sacris vestibus se induit, celebravit. Et sumpto Corpore vivifici Sacramenti, vulnera manus et gutturis secundæ ablutionis in calice liquore perfudit, et sic in integrum sospitatus, eadem die in admirationem omnium, qui rem sciverant, in consistorio coram Papa, et Cardinalibus, et omni clero gloriosissime prædicavit.

*tertia die æger surgit,*

*Missam facit,*

*vino ablutionis vulnera lavat, sanus coram Pontifice concionatur*

*§ XLV*

4 Igitur ubi dies advenit, quo, accepta licentia a Cardinalibus, exire Curiam debuit, a Domino Papa invitatus, contra consuetudinem unquam visam, ad mensam ejus in modum lunæ corniculatam, sedere compulsus est, et post prandium sic dimissus. Et vide quid actum sit. Extra Romam ad sex fere milliaria noctis tenebris deprehensus, hospitium cum suis a Sacerdote villæ petiit, nec accepit. Sed cum receptus fuisset a paupere, et præ penuria recipientis, incœnatus vespere remansisset, dixit cum ingenti gaudio Fratribus, qui secum erant: Benedictus Presbyter ille, qui nobis negavit hospitium, quia mihi gloriam abstulit, qua hodie cum summo orbis Pontifice in una mensa consedi.

*cum eo prandet.*

*absque cœna lætus apud pauperem pernoctat*

5 Hinc per Alpium juga non longe a montis pede C digressus, acutam febrem gravissimam, labore itineris fatigatus, incurrit. Et vide Lector, quam callide et huic insidiatus sit diabolus sancto viro. Episcopus civitatis, ad quam declinavit, ut audivit tanti Patris adventum, hospitio recepit infirmum, et violenter in proprium sui secreti thalamum, et in lectum sibi proprium collocavit. Habebat autem Magister Priorem secum sui Ordinis, virum discretum, litteratum valde et providum, in moribus probatum et physicum; qui Magistri sciens propositum etiam in infirmitate durissimum, dixit: Oportet ut magisterio exinanias te, et mihi sis obediens et subjectus. Cui Magister humiliter: Fiat, inquit. Mox ergo contra consuetudinem Ordinis suaviter in plumis stratum est infirmanti. Primo enim, ut vidimus, in lectis plumeis jacere Fratribus non licebat: sed quia in multis locis et terris, maxime apud pauperes, palearum copia vel stramenta non sunt, statutum est, ut, sicut sterneretur, Fratribus jacere liceret.

*§ XLVI febri oppressus,*

*decumbit in lecto Episcopi:*

6 Nocte igitur Magistro solo in thalamo quiescenti apparuit diabolus, transfiguratus in Angelum lucis, dicens: Estne hic Magister Jordanus, qui fama celebris et virtute, Pater tanti Ordinis Prædicatorum claret? Dubitare poteram, nisi ante longo tempore te novissem. O quam vilis et impudens factus es, quasi dominator terræ in lecto plumeo, et sericis requiescis! O miser, quale exemplum Ordini D tuo et Fratribus relinquis? sed non est tui Deus oblitus in finem, qui ad redarguendum te, misit me. Et tu igitur surge, et terræ supplex incumbas. Nec mora, diabolo disparente, territus Magister, in terram corruit, et sic jacens, mane a Priore dicto et Fratribus invenitur. Quem Prior severe valde corripuit, et per obedientiam in lecto jacere coegit. Sequenti autem nocte Satan iteravit audaciam; durius quam prius sibi inobedientiem redarguit, et Magistro ad terram descendere mox præcepit. Quem cum mane Prior iterato invenisset ad terram, indignatus, dixit: Miror vestram, non tantum, ut ita dicam, stultitiam, imo prorsus insaniam, qui in periculum, non solum corporis, sed etiam animæ, contra obedientiam hoc facere voluistis. Et ego testor Altissimum, quod nollem pro toto mundo ita graviter contra Deum et Ordinem excessisse. Et hæc dicens, flere cœpit uberrime. Quod, ut vidit, conlacrymatus est et Magister, et procidens ad pedes ejus confessus est, qualiter ei (ut ideo verius crederet) transfiguratus diabolus in Angelum lucis, illusisset. Tunc Prior admiratus valde, mitigatus est, et præcepit, ut lectum ascenderet, et tempus criticum exspectaret. Erat autem debilitatus valde, et indurata materia, vix habebat spiritus ad pausandum. E

*a dæmone specie Angeli apparente, objurgatus,*

*humi cubat*

*iti sequenti nocte, iterum deceptus;*

*agnoscit fraudes dæmonis?*

7 Tertia autem nocte non destitit nequam diabolus triplicare vesaniam, et ubi mox ad increpandum verba composuit, prævenit eum vir beatus, et dixit: O nequissime humani generis inimice, quomodo simplicitatem meam, quasi per zelum qualemcumque ad Ordinem, illudere voluisti? Et ego quidem, nisi hoc omnipotentis Dei dispensatio permisisset, sapientius advertissem, quod multo melior est obedientia, quam stultorum victimæ: et quod quasi genus ariolandi est, nolle acquiescere. Sed et hinc mihi, o miserrime, accessit gloria; tibi autem confusio sempiterna. Et statim his dictis in faciem umbraticam expuit disparentis. Magister autem, postquam cum alacritate spiritus et sine perturbatione quievit, circa diem septimum optime criticavit: qui infra paucos dies ab ægritudine recreatus, integerrime convaluit. Quid autem sibi in ipsa sua infirmitate contigerit, ad exemplum posteris affuturum, Fratribus enarravit.

*quem tertia nocte apparentem sprevit,*

*expuens in illum.*

*convalescit.*

8 Hinc et aliud per illusionem dæmonis in Bononia contigit. Celebravit idem Beatus vir missam die quadam, ut solebat fere quotidie, in secreto. Sensit autem tam mirifici odoris fragrantiam in susceptione Dominici Sacramenti, ut nulli dubium esse posset, F hanc non esse nisi a Deo, nisi forsitan alieni, qui discretionem spirituum habuisset. Os mire odoriferum per longum tempus habebat et manus: ita ut vix ei cibus saperet ore sumptus. Palato tamen cordis interius discernebat, quia odor ille recreationem spiritui non præstabat. Adiit ergo Dominum deprecari, quid sibi vellet odor ille respersus in vanum, revelatumque est ei, quia dæmonis arte sit gestum, et facto Crucis signaculo mox cessavit.

*§ XLVII odoris fragrantiam arte dæmonis excitatam,*

*precibus et signo Crucis pellit.*

9 Eodem tempore, cum idem Magister Jordanus multos litteratos Clericos ad Ordinem convertisset, et in Bononia recepisset, multique ex eis gravissimis dæmonum impulsibus tentarentur, et propter hoc Magister mira orationum instantia repugnaret, una dierum dæmon libera voce locutus est ei: Facias, inquit, cessare Fratres tuos a prædicatione et confessionibus hominum audiendis; et ego cessare faciam socios meos ab omnimoda tentatione Fratrum et lucta. Consensit mox Magister ad tempus, et effectum mox consecutus est sponsionis. Nec multi post hoc dies effluxerunt, cum Magistro oranti dictum est ita: Quid est, quod facere voluisti, ut inires pactum cum morte? Orent Fratres pro tempore,

*§ XLVIII Ob tentationes subditorum, cum dæmone paciscitur*

*instruitur divinitus de modo iis resistendi,*

A pore, et pro tempore studeant proximorum instructionibus et saluti; et proculdubio puræ et vigilantis orationis instantia tentationes dæmonum repellentur. Nec mora, ubi hoc Magister in Capitulo Fratribus indicavit, et illi mandatum ejus miro spiritus fervore complerent, virtus dæmonum enervata est, et Fratres in communi omnes mira alacritate mentis ab omnibus tentationibus quieverunt.

*c. xxviii § xi Albertum filium Comitis de Flankenberch,*

10 Puer nobilissimus annorum tredecim, in Theutoniæ partibus fuit, filius Comitis de Flankenberch, a matre missus ad Regem Franciæ cognatum suum, cum ejus filiis educandus. At quoniam mos est in alienis maxime terris, compatriotas sibi invicem congaudere, accedit ut dictus puer, Albertus nomine, beatissimæ memoriæ Fratrem Jordanum, Magistrum Ordinis Prædicatorum, natione Theutonicum, eo tempore Parisiis commorantem, et alios Fratres Theutonicum visitaret. *colloquio privato docet* Cumque id sæpius et diutius faceret: ex collocutione sancti viri, puero cœperunt terrena vilescere, et placere cœlestia, concepitque intrare Ordinem, et apud Magistrum Jordanum occulte pro Ordine petere. Erat autem puer parumper imbutus litteris, sed Magister inconstantem ducens affectum pueri, eum ad regimen Comitatus sui, cujus solus puer legitimus hæres erat, ut mansuetudine subditos gubernaret, potius hortabatur. *regere subditos*

B 11 Factus ergo puer annorum sexdecim, per solennes nuncios a matre mandatus est, quasi ducturus uxorem nobilissimam, et Comitatus gubernacula suscepturus. Pater enim ejus jam longa ætate senuerat. Dicit ergo puer militibus, et servis suis: Eamus videre compatriotas nostros Fratres Ordinis Prædicatorum Parisiis, antequam recedamus. Veniens ergo cum suis omnibus ad domum Fratrum, in conclavi seorsum Magistrum vocavit et Fratres, *petentem habitum Ordinis* quorum pedibus provolutus, dixit. Contestor Deum coram vobis, quod hodie paratus sum mundum deserere, et vobiscum in Ordine Christo Domino deservire. Quod si volentem respuitis, videat et judicet ipse Deus, et non inultum ire a vobis meum sanguinem patiatur. Hæc ut dixit puer, Magister flevit et Fratres, et attoniti in verbis ejus, arctati sunt spiritu, et soli Domino negotium commiserunt. *post convocatum Capitulum admittit.* Convocato itaque Conventu, caussam et verba pueri diligenter exposuerunt, et receptum statim habitu Ordinis induerunt. Quod ubi suis innotuit, planxerunt valde, et reversi ad patriam rumores tristissimos parentibus detulerunt. Cujus pater senex assumpta copiosa familia, venit Parisios, et cum filium violenter extrahere conaretur, a novitiis Fratribus membratim fere laceratus, ad patriam infecto nego-
C tio est reversus.

a Videtur idem supra relatum cap. 5 num. 37, sed hic aliis adjunctis narratur.

## HYMNUS DE B. JORDANO

### auctore eodem Cantipratano.

*cap. lvii § ii*

De ipso autem pie memorabili, et vere sancto viro Magistro Ordinis Prædicatorum, Sancto Jordano, quid ad petitionem Fratrum in prosa posuerim, indicetur.

*E Germania*

Gaude, felix Theutonia,
Tempus instat lætitiæ,
Quondam virtutis gloria
Surgit virore gratiæ,
Rorem misericordiæ
Spondens in abundantia,
Si vas sit capax veniæ.

D *ex Cantipratano.*

Rivum rorantem edidit
Fons aquis indeficiens,
Qui patens idem indidit
Rivus late scaturiens:
Quem bibens ager sitiens, *instar rivi exortus*
Fructum centenum reddidit,
Triplo centenum faciens.

Pater Jordanus effluit,
Ut rivus fonte, gratia:
Quem numquam quis imminuit *B. Jordanus misericors,*
Bibens ex indigentia:
Sed stat misericordia
Plenus, qui pressos doluit
Dira mundi miseria.

Allexit ore melleo
Multos ut Christo viverent,
Spreto cultu phalereo, *multos ad Ordinem adducit,*
Cultum cordis induerent,
Et verba vitæ spargerent:
Ore flammantes igneo,
Frigus peccati pellerent.

Orbatus Sanctus oculo,
Fabro lumen restituit,
Et fame presso populo, *cæcum illuminat,*
Multiplicatum præbuit
Panem turbæ, dum eguit: E
Christum sequens miraculo, *panem multiplicat,*
Per quem hoc munus habuit.

Prece Sancti conceperat
Uxor viri Bohemiæ,
Prolem Sancto devoverat *prolem impetrat,*
Ob spem majoris gratiæ:
Sed abortiva specie
Nescivit quid commiserat
Sancti patris custodiæ. *et mortuam*

Peractis horis pluribus
Voti memor efficitur,
Inclamat Sanctum precibus, *resuscitat:*
Et in fletus resolvitur:
Nec mora, vitæ redditur
Puer, datis vagitibus,
Et sic Jordanus dicitur.

Satan Sanctum aggreditur,
Tentat modis mirificis:
Odor fuscatus spargitur *a dæmone tentatur ingesto odore,*
Dum sacris instat mysticis:
Sed non valet artificis
Diu dolus, dum proditur
In prece viri supplicis.

Hinc Terram sanctam adiit, F
Fratres illic invisere:
Sed cum per mare rediit, *in mare submersus,*
Mergendo cœpit psallere,
Christumque benedicere:
Sicque cœlum mox subiit, *claret miraculis*
Ut signis datur credere.

Nec mora, mox incanduit
Columna lucis maxima:
Quæ dum de cœlo micuit, *luce apparente*
Membra lustrans sanctissima,
In quo transisset anima
Videntes scire voluit,
In re manifestissima.

Adjecto Sancto littori
Cœli lampas emicuit,
Quæ ter superstans funeri, *corpus,*
Quarto quoque resplenduit
In hunc quem secum habuit:
Et sic recursu celeri
Rapta nube non patuit.

Corpus

A

EX CANTIPRATANO

*corpus agnoscitur,*

Corpus fragrans mirifice
Curatur a fidelibus,
A Græcis dantur unice,
Latinis, et gentilibus
Laudes Christo, cum fletibus:
Et sic verum magnifice
Sub tribus patet testibus.

Hinc in Achon deliciæ
Fertur Pater almificus,
Recipitur cum gloria,
Fit mox signo mirificus:
Sanatur paralyticus,
Sicque virtutum gratia
Propalatur magnificus.

*Achonem defertur: sanantur paralyticus, energumeni, surdi, claudi, cæci.*

Antiqua tunc prodigia
Jubar novum recipiunt:
Prece Sancti dæmonia
Victa clamant, et fugiunt,
Et surdi sonos audiunt,
Claudos solvit lætitia,
Cæci lumen recipiunt.

Nunc Patris tam eximii
Sequamur nos vestigia:
Ut digni Patris filii,
Patris ditemur gratia:
Sicque secum in gloria
Sortem sperantes præmii,
Bucamur ad cœlestia. Amen.

XIV FEB.

# XIV FEBRUARII.

## SANCTI QUI XVI KALENDAS MARTII COLUNTUR.

Sanctus Valentinus, Episcopus Martyr, Bagæ et Tauri in Hispania.
S. Vitalis, S. Felicula, S. Zeno, } Martyres Romæ.
S. Zeno Martyr Romanus, Bononiæ.
S. Vitalianus, S. Vitalis, et XLIV Milites } Martyres Spoletii in Umbria.
S. Julianus, S. Marcianus. } Martyres Ægeæ in Cilicia.
S. Anthimus, S. Marcianus, S. Tianus, S. Celerinus, S. Magnus, S. Julianus, } Martyres in via Flaminia.
S. Ammon, S. Jonas, S. Stoppius, S. Protidius, S. Proconidius, S. Moyses, } Martyres
S. Eleuchadius Episc. Ravennas in Italia.
S. Paulianus Episc. Velaunensis, S. Valentinus, S. Albinus, } in Gallia.
S. Bassus, S. Antonius, S. Protolycus, S. Cyrion Presb. S. Bassianus Lector, S. Agatho Exorcista, S. Moyses, S. Dionysius, S. Ammonius, S. Armata, S. Arbasus, } Martyres Alexandriæ.
S. Dionysius Episc. S. Paulus, S. Leviorus, S. Orbasus, S. Plebus, S. Dionysius Presb. S. Amantius, S. Saturninus, S. Advotus, S. Præcunus, S. Maximus, } Martyres Alexandriæ
S. Valentinus Presb. Martyr Romæ.
S. Valentinus I Episc. Martyr Interamnæ in Umbria.
S. Valentini Martyris veneratio Capitis Gemmetici in Gallia.
S. Valentinus, Romanus Martyr, Socuellami in Hispania.
S. Valentinus, Romanus Martyr, Ilamedii et Armenteriæ in Belgio.
S. Valentinus et Milites XXIV } Martyres in Africa.
S. Modestinus Episc. S. Florentinus Presb. S. Flavianus Diaconus, } Martyres Abellini in Italia.
S. Maro anachoreta juxta Cyrum in Cyria.
S. Abraames Episcopus, Carris in Mesopotamia.
S. Auxentius Presb. Archimandrita in Bithynia.
S. Theodosius Episcopus Vasionensis in Gallia.
S. Antoninus Abbas, Surrenti in Italia.
S. Bruno Archiepisc. SS. XVIII socii } Martyres in Prussia.
B. Christina de Vice-Comitibus, ex tertio Ordine S. Augustini, Spoletii in Umbria.

---

# PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sancti Severini passio. *Ita MS. Martyrologium S. Hieronymi, sive antiquum Romanum. Varii sunt* Severini Martyres, *ex his tres dedimus in Januario, sed duos in comitatu aliorum Martyrum, quorum unus* V *Januarii in Africa passus est, alter* XI *Alexandriæ, tertius Ravennæ in Italia Martyr occubuit, nullo addito socio, qui forsan ad hunc diem relatus est. De eo egimus* I Januarii.

SS. Felix et Januarius Heracleæ passi *leguntur in antiquo Martyrologio sub nomine S. Hieronymi. Iidem, quantum olim conjecimus, in Martyrologio Romano referuntur* VII Januar.

S. Palladius in Græcia Martyr *inscriptus est eodem Martyrologio S. Hieronymi, cum* Candidiano, *de quo mox agemus. Forte hic* Palladius *est*, in Græcia *cum aliis sociis passus, colitur* VIII Januar.

S. Polianus, S. Filoromus, S. Candidus, *seu* Candidianus, } Martyres *memorantur in eodem S. Hieronymi Martyrologio, et quidem* Candidus *cum duobus hisce sociis, at* Candidianus *cum* Palladio, *ut diximus. At MS. Richenoviense perantiquum conjungit* Filoronum *et* Candidianum. *Arbitramur esse* SS. Polyeuctum, Philoromum *et* Candidianum, *quorum Acta dedimus* XI Januar.

S. Sabinus Episcopus Placentinus *memoratur ad hunc diem in Martyrologio Galesinii. Vitam dedimus* XVII Januar.

S. Richmirus Abbas Cenomanis. *Saussaius in Martyrologio Gallicano, et Menardus in monastico. De eo egimus* XVII Januar.

S. Vitalis Martyris Romani *corpus, a Clemente* VIII *donatum, adservatur Abulæ in Hispania. De ejus veneratione agit hoc die Jo. Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico, uti infra dicemus ad* SS. Victorem (*quem ille* Vitalem *esse arbitratur*) Zenonem *et* Feliculam. *De Vitale actum est* VI Febr.

B. Guilielmus Presbyter, Fundator cœnobii Olivæ in Hannonia, *inscriptus hic est Menologio Cisterciensi Henriquez et Martyrologio Gallicano Saussaii. Vitam dedimus* X Febr.

S. Meletius Episc. Antiochenus Confessor *memoratur a Molano in prima editione auctarii ad Usuardum et Ferrario. De eo actum* XII Febr.

S Sabilina

S. Sabilina Martyr. *Florarium MS. Videtur intelligi* Savinella, *aliis* Savinilla, Sabbilina, *et* Sibinella, *quæ* S. Valentinum Presbyterum Martyrem, *ut infra in hujus Actis traditur, sepelivit. Verum eam obiisse Martyrem necdum legimus.*

S. Evodius,
S. Priscus,
S. Agutanus,
S. Vitalis,
S. Orentius,
S. Aurinus,
S. Caprasius,
S. Erus Episc. Lucensis,

Martyres in Gallæcia sub Diocletiano, *referuntur a Georgio Cardoso in Hagiologio Lusitanico. Citatur* Servandus *Confessarius Regis Roderici dein Episcopus Orensis, quem non vidimus. Neque hactenus aliud de his Martyribus legimus apud scriptores Gallæciæ et Hispaniæ. Silet Tamaius Salazar in prioribus mensibus Martyrologii Hispanici, qui forte in sequentibus aut appendice de iis aget.*

Conwanus, *vel* Conranus, *inscriptus est Martyrologio Anglicano et Menologio Scotico Camerarii, diciturque monachus in insula aliqua Orcadum vixisse circa annum* IƆCXL. *Agit de eodem Ferrarius, sed perperam citato Martyrologio Germanico Canisii, loco Anglicani. Confugiunt ad Wionem, qui in Appendice alphabetica ad Martyrologium, inter Sanctos, quorum ignoratur dies, collocat* Convanum Scotum, monachum Insulæ Helluensis, *qui anno* IƆCXL floruit. *Forsan* Huensis insula *intelligitur. Citantur Leslæus lib. 4 de Rebus gestis Scotorum in Donaldo* III *Rege, et Hector Boethius lib. 9 Histor. Scot. Sed hi ex Beda lib. 2 Hist. Eccl. Angl. cap.* 19 Convanum, *sive* Connanum, *proferunt, cum* Thomianus *legatur, ad quem ejusque socios Hilarius aliique Sedis Apostolicæ Consiliarii Roma scripserunt. Hunc* Thomianum Archiepiscopum Ardmachanum in Hibernia *statuit Colganus in Actis Sanct. Hiberniæ ad* x *Januarii, quo ait in Hibernia coli. Idem hoc die quemdam* S. Comanum *profert, sed num* inter Orcades vixerit, *ignorat. Hæc in re obscura indicasse sufficit, potissimum quod, quæ de templis atque aris huic* Conwano *erectis dicebantur in priore editione Martyrologii Anglicani, in posteriore omissa sunt.*

S. Manchanus, seu Mancheneus, Abbas Moethensis *ex quodam nobis ignoto Martyrologio MS. Hibernico refertur a Colgano de Sanctis Hiberniæ, additque in ea insula* decem Sanctos Manchenos *floruisse. At* Mancheneum *hunc conjicit esse, cujus Vitam scripsit Richardus Ardmachanus Episcopus, teste Usserio de primordiis Eccl. Britannicæ cap. 17 pag. 969. Quod nobis non satis probatur. Quare dum hæc Vita aut alia certiora monumenta eduntur, poterit Lector Colganum adire.*

Vitalis conversus a S. Sulpitio *refertur in Catalogo Sanctorum et Beatorum Ordinis Cisterciensis, verum sine Sancti aut Beati titulo.*

Otho Ordinis Minorum Presbyter, *sepultus in Conventu Halberstadiensi in Saxonia, quem a morte miraculis claruisse tradit Waddingus tomo* 1 *Annal. Minorum an.* 1234 *num.* 12, *et Martyrologio Franciscano inscripsit ad hunc diem Arturus a Monasterio, a quibus plures, qui de eo scribunt, indicantur.*

Joannes Ordinis Minorum, primus provinciæ Hungariæ Minister, *apud Francavillam in eodem regno conditus, inter alia miracula traditur tres mortuos resuscitasse. Agit de illo post alios Ordinis scriptores Arturus ad hunc diem, Waddingus tomo* 2 *an.* 1270 *num.* 37, *et an.* 1287 *num.* 7 *appellatque* V. P. F. Joannem, *in Indice etiam inter Beatos recenset.*

Tres sanctimoniales tertii Ordinis S. Francisci *Anconæ sanctissime vitam finierunt, ubi* maxima cum religione earum ossa custodiri *testatur Gonzaga* 2 *par. Conventu* 1 *Montol. provinciæ Marchiæ, additque :* Cum earum corpora integra perseverarent, maximique a Sororibus fierent, voluit quædam Abbatissa, ex Monialium tamen consensu, ea ex suis locellis exhumata ad honoratius sepulchrum transferre. Dumque ea pro religioso more lavari atque ad solem exiccari curat, consumpta protinus carne, ipsa tantum nuda ossa remanserunt. Quæ nihilominus in pulcherrimam arcam inferri et in editiorem locum statui fecit.

S. Faustinus *conjungitur cum* SS. Vitale, Cirione, Felicola *in MS. Aquisgranensi. Leguntur hi passim hoc die in plerisque Martyrologiis absque* Faustino : *hic forsan socius est* S. Jovitæ, *qui colitur* xv Febr.

S. Walfridus Abbas et Confessor. *Florarium MS. et Hermannus Greven in Auctario Usuardi. Vitam damus* xv Febr.

S. Proculus,
S. Ephebus,
S. Apollonius,

Martyres Interamnenses : *quorum conversio et martyrium narrantur infra in Actis* S. Valentini *Episcopi Interamnensis, et referuntur hoc die cum illo in variis Martyrologiis. Ast Ecclesia Interamnensis colit* xvi Febr.

Sancti XL Martyres Sebaste in Armenia passi, *coluntur hoc die apud Mediolanenses, alibi* IX aut X Martii.

S. Nectanus Confessor. *Martyrologium Anglicanum secundæ editionis, ex Cambdeno in Danmoniis, qui ait* Nectani viri sancti reliquiis Hertland, *prope* Cornwalliam ad Sabrinianum fretum, olim clarum fuisse : in cujus honorem monasteriolum *ibi erexit* Githa Godwini Comitis uxor, quæ Nectanum imprimis coluit, eo quod ejus meritis maritus efferatam tempestatem evaserit. *In Catalogo religiosarum ædium ex Anglico Joannis Speidi Latine post Historiam Anglicanam Harpsfeldii editam dicitur non* Nectanus Confessor, *sed* Necanus Martyr, *cui* templum monasterii nigrorum Canonicorum Hartlandiæ in Devonia *dicatum est. In Martyrologiis nostris nomen* Nectani *aut* Necani *nos legisse non meminimus. Dempsterus lib. 17 Hist. Eccl. gentis Scotorum ait* S. Nectanum a S. Davide Rege constitutum Episcopum Aberdonensem, *et* licet sileant Martyrologia, ut Sanctum ab Aberdonensibus coli. *Sed hic junior fuit Godwino Comite, quem circa an.* CIƆXL *floruisse constat ex Martyrologio Anglicano, et Vita S. Eduardi Conf.* v *Januarii. Antiquior* S. Nectanus, *nepos S. Patricii ex Mielania sorore memoratur ad* II *Maii in Martyrologiis Hibernicis a Colgano relatis* VI *Februarii in Vita S. Melis Episc. annot.* 18 *et* XXII *Martii in Vita S. Dacercæ viduæ cap.* 3, *uti in* 5 *appendice ad Vitam S. Patricii num.* 6. *Quare cum videatur hic dies a Wilsono designatus, quod deesset Angliæ Sanctus, qui eo die coleretur, malumus exspectare tomum 2 Monastici Anglicani de Canonicorum monasteriis, si major forsan lux aborietur. Alias quia hæc Devoniæ pars Hiberniæ objicitur, posset censeri* Nectanus Hibernicus, *de quo agetur* II Maii.

S. Quadragesimæ Virginis et Martyris *corpus inventum esse Calari in Sardinia* XIV *Februarii anno* CIƆIƆCXXVI *scribit Dionysius Bonfant lib.* 4 *Triumphi Sanctorum Sardiniæ cap.* 14. *Si quid certi de hac Virgine nanciscamur, referemus ad diem, quo passa dicitur* IV Maii.

Ceolathus Episcopus Lichfeldiæ in Anglia et Confessor *consignatur in Catalogo Sanctorum Ferrarii ex Calendario Scotico et Anglicano. In Martyrologio Anglicano nulla ejus mentio. At Menologio Scotico Dempsteri inscriptus est, citatis Collectaneis Bruni et Sinclari, quæ non vidimus. Colganus ob solam auctoritatem Ferrarii eumdem Sanctis Hibernis adjungit, conjicitque eum fuisse* Abbatem de Fothen-mhor in Hibernia. *At Ferrarius et Dempsterus tradunt* Lindesfarnensem postea Archiepiscopum rexisse Ecclesiam. *Beda vero lib.* 3 *Hist. Angl. cap.* 21, *ait*

*aut* Ceollah de natione Scotorum, relicto Episcopatu, reversum esse ad insulam Hy, ubi plurimorum caput et arcem Scoti habuere cœnobiorum. *Si quæ de cultu ejus rebusque gestis certiora occurrant, cum Kalendario MS. SS. Ordinis S. Benedicti, et Menologio Scotico Camerarii de eo agemus* II Junii.

S. Antonii de Padua corpus anno CIↃCCCXLIX. XIV Februarii fuisse translatum in arcam, super quam Legatus Papæ Missam celebravit, *legitur in Mantissa adjecta Chronico monachi Paduani, et adnotatur ea translatio in MS. auctario Carthusiæ Bruxellensis. Ac postridie eadem celebratur. Natalis hujus Sancti est* XIII Junii.

S. Sisinnius Tei in Ionia Episcopus *obiisse traditur hoc die, coli tamen officio duplici Torcelli prope Venetias scribit Ferrarius in generali Catal. SS.* XIV Julii.

S. Leum, *seu* Leonem, *urbis Montis-Feretrani, quæ ab eo* Leopolis *appellatur, Patronum, in aliqua veneratione esse hoc die colligimus ex Indice Catalogi SS. Italiæ Ferrarii. Natalis agitur* I Augusti.

S. Philiberti Abbatis translatio *hoc die consignatur in recenti MS. Carthusiæ Bruxellen. Colitur* XX Augusti.

S. Valerii Regis et Martyris *e sacro comitatu S. Ursulæ Translatio memoratur in MS. Florario, Martyrologio Coloniæ an.* 1490 *excuso, in Hermanni Greven auctario ad Usuardum, in Martyrologio Germanico, et Catalogo Sanct. Ferrarii, et pluribus ab Hermanno Crombach lib. 7 Historiæ Ursulanæ cap.* 27. *De sacræ illius legionis triumphali agone agemus* XXI Octobris.

S. Theodoræ filiæ S. Valerii Regis, et aliorum Martyrum ex eadem S. Ursulæ societate Translatio, *una cum S. Valerio, refertur a Gelenio in Fastis Agrippinensibus. De iis omnibus agendum eodem* XXI Octobris.

S. Cordulæ Virginis et Martyris *inventas hoc die a B. Alberto Magno et translatas esse reliquias legitur in ante citatis Martyrologiis Greven, Ferrarii, Canisii, Gelenii, et Menologio Virginum Labueri, et Hermanni Crombach Historia Ursulana lib. 7 cap.* 24 *et* 25. *Colitur* XXII Octobr.

Petrus Alexandrinus, qui et 10 Papphi celebravit. *Ita Kalendarium Copticum MS. Ast excusum a Seldeno in lib. de Synedriis veterum Hebræorum, pag.* 367 *habet* festum Petri Martyris XIII *Februarii, alterum vero pag.* 394, *refert hoc* XIV *Febr.* Petrum Patriarcham. *S. Petrus Episcopus Alexandrinus et Martyr, qui intelligi videtur, colitur potissimum* XXVI Novemb.

Helinwardus Episcopus Mindensis *in Saxonia inferiore inscriptus est Catalogo Ferrarii, iterum in eo et variis Martyrologiis monasticis (non tamen Breviario Mindensi)* XVI Decemb.

S. Syrus Martyr Alexandriæ præacuta sude per viscera transfixus, *refertur in Martyrologio Sarisburiensi Richardi Witfordi. Is est* Ischyrion, *inscriptus Martyrologio Romano* XXII Decemb.

S. Chæremon Episcopus Nicopolis, qui in persecutione Decii in montes Arabiæ fugit. *Idem Witfordus in Sarisburiensi Martyrologio. Est is* S. Chæremon Episcopus Nili, *seu* Nilopolis, *in provincia Ægypti Arcadia, et colitur cum S. Ischyrione* XXII Decemb.

# DE S. VALENTINO EPISCOPO MART.

## BAGÆ ET TAURI IN HISPANIA,

### Commentarius historicus.

G. H ANIMADV. PAP. 110

SUB TRAIANO XIV FEB. *Acta Sanctorum ejusdem nominis facile confunduntur.*

*Acta Sancti unius, alteri qui eodem appelletur nomine, sæpenumero attribui, a nobis est non semel inculcatum. Ita* XII *Februarii diximus duas SS. Eulalias, Virgines Hispanas, Emeritensem et Barcinonensem, ab ipsis etiam Hispanis scriptoribus aut in unum conflari, aut quæ unius propria sunt ad alteram transferri, aut quæ utriusque paria fuere uni illarum temere detrahi. At quod pronius est ut fiat, et jam aliquoties factum fuisse ostendimus, quæ ab aliis extra Hispaniam patrata sunt illustria facinora et Martyrii certamina, Sanctis Hispaniæ, quorum frequenter Acta latent, haud satis considerate ab nonnullis applicantur. Quod, ne ad hunc* XIV *Februarii iteratis erroribus contigerit, plurimum veremur. Obvium apud Romanos fuit nomen, Valentinum, Valentinorum, Valentinianorum, quo appellati Imperatores, Consules, Episcopi, viri sancti, imo et hæresiarchæ. E Sanctis plures ad hunc* XIV *Februarii inscripti Fastis sacris, publicam venerationem in Ecclesia obtinuere.*

*Plures SS. Valentini coluntur, 14 Febr.*

2 *Luitprandus, qui seculo Christi decimo floruit, in Adversariis (si vere illius sunt) hæc cap.* 62 *tradit* : S. Salvius Episcopus Ambianensis et Martyr creditur allatus prope Barcinonem, ut S. Valentinus Episcopus et Martyr (quem alii faciunt Interamnii Flavii in Hispania Episcopum, alii autem Italum, Romæ passum sub Trajano Imperatore) ad monasterium quoddam prope Rubricatam urbem ; nunc Mauresam dicunt. Alii putant hujus urbis Interamnii fuisse Confessorem Episcopum. *Meminerunt* Interamnii Flavii *Lanciatorum in Hispania Tarraconensi urbis Ptolemæus lib.* 2 *cap.* 6 *Antoninus in Itinerario a Bracara Asturicam directo, qui huic proximam collocat, Ambrosius Morales lib.* 9 *Chronici Hispaniarum cap.* 25, *ratus esse oppidum* Feunte en Calada *in Episcopatu Asturicensi vix altera a Navalensi monasterio leuca. Quem Bivarius ad Dextri Chronicon an.* 160 *num.* 2 *oppugnat, statuitque* Benaventum *jam dici oppidum inter* Ezlam *et* Orbigum *flumina. In Vita S. Valentini Episcopi ex Legendario MS. Asturicensi, a Tamayo Salazario in Martyrologio Hispanico ad hunc* XIV *Februarii edito, dicitur ejus* corpus ad urbem Rubricatam prope Barcinonem translatum, ubi in monasterio S. Benedicti Bagensi honorifice adservatur, et debita veneratione colitur. Caput ad Taurum urbem Zamorensis diœcesis, olim dictam Sabariam, devectum, argentea capsula custodiri. *Sunt* Zamora *et* Taurum, *vulgo* Toro, *urbes illustres ad Durium flumium in confiniis regnorum Legionis et Castellæ, de quibus post alios agit Ægidius Gonzales Davila tomo* 2 *Theatri Eccl. Hispan. asseritque Tauri in Ecclesia collegiata Deiparæ Virgini dicata* adservari caput S. Valentini Martyris ; *reliqua silet, ne ne quidem Episcopum nuncupat.*

*S. Valentini, forsan Hispani,*

*et Interamnii Flavii Martyris,*

*caput Tauri,*

3 *Meminit et* Rubricatæ, *civitatis Læetanorum mediterraneæ Ptolemæus loco supra indicato : eam nonnulli Mattoreltum oppidum nunc dici arbitrantur, ubi Noja amnis Rubricato flumini, vulgo Lobregat, illabitur. At Legendarii Asturicensis auctor, cum Luitprando Manresam oppidum intellexit : a quo non procul abesse Bagense monasterium indicat Antonius Vincentius Domeneccus de Sanctis Cataloniæ ad* XIV *Februarii, asseritque* a religiosis viris illius monasterii, qui reformationem, ut vocant, regulæ S. Benedicti assumpserunt, corpus S. Valentini magna veneratione adservari, ac per universum illum tractum, solenni ad ejus honorem cultu celebrari diem XIV Februarii.

*Corpus in Bagensi monasterio :*

*memoria annua 14 Febr.*

*Eam*

A *Eam* sacrorum S. Valentini pignorum apud Rubricatam depositionem *inscripsit Martyrologio Hispanico Tamayus Salazar, annotatque* monasterium Bagense nomen recipere ab antiqua urbe, quam olim dictam ferunt Baccasium, hodie Bagam, quam ædificasse Dionysium Bacchum referunt Petrus Joannes Nunnius et Hieronymus Pujadus. *Antonius Yepes tomo* 5 *Chronici Benedictini fundationem monasterii Bagensis factam scribit anno* DCCCCLXXI, *quo tempore florebat Luitprandus, qui ad illud monasterium, licet nomen reticeat, reliquias illas translatas primus tradidit.*

AU. TOBE . G.

4 *Et hæc de antiqua veneratione Reliquiarum S. Valentini Martyris apud Taurenses et Bagenses indubitata sunt. Latet earumdem Translationis historia, neque Acta hactenus sciri possunt. In Legendario Asturicensi excerpta ea sunt ex Vita S. Valentini Episcopi Interamnensis in Umbria, quam infra damus, sed ea parum considerate amplificata protruduntur hoc exordio :* Valentinus Interamnæ nobilis nascitur in Italia Aprutii, in Præcutiorum finibus intra colles Apennini montis, *ubi dein* Interamnensium Præsul effectus. *Collocat Ptolemæus duplicem in Hispania Tarraconensi urbem Interamnium. Plures in Italia urbes, quibus Interamna, Interamnia, Interamnium sit nomen. Quæ S. Valentinum Episcopum habuit Italiæ Interamna, ea* B *in Umbria est Nare flumine circumflua, unde ut ei nomen; vulgo nunc Italis Terni dicitur. Illius Valentini Antistitis Martyris Acta inferius dabimus, quem et vetera omnia Martyrologia celebrant. Verum ab hac*

*Acta ex S. Valentini, Itali gestis decerpta,*

*Interamna eum transfert auctor Legendarii Asturicensis ad Interamniam Prætutiorum in Piceno. De ea hæc tradit Ptolemæus :* Πικηνῶν μεσόγειοι πόλεις Οὔρβα Σαλουία, Σεπτέμπεδα... Πραιτουτίων, οἳ εἰσὶν ἀνατολικώτεροι Μαρσῶν, Βέρεθρα, Ἰντεραμνία. Picenorum oppida mediterranea sunt, Urba Salvia, Septempeda... Prætutiorum, qui Marsis sunt orientaliores, Berethra, Interamnia. D

*Ipseque Interamnia Prætutiorum adscriptus,*

5 *In eodem Legendario Asturicensi dicitur* S. Valentinus a S. Feliciano Fulginensium Episcopo Interamnensium Præsul effectus, *et tamen* anno Domini CXI imperante Trajano, jussu Placidi, fractis cervicibus vitam invenisse æternam. *Dedimus ad* XXIV *Januarii triplicia Acta S. Feliciani Episcopi Fulginatis, e quibus constat eum sub Decio martyrium subiisse anno* CCL, *ab eoque S. Valentinum Interamnæ in Umbria Episcopum consecratum eodem seculo floruisse, et plures fortassis post ejus martyrium annos vixisse. Demum Interamnates habent Episcopi sui corpus et solemni cultu venerantur. Venerentur et Bagenses et Taurenses quæ habent sacra pignora, cujuscumque demum Valentini ea sint. Quidni vero potius Hispanum natione fuisse conjecteni? Yepes supra citatus ait secundum traditionem hujus monasterii et vicinorum locorum S. Valentinum haberi consanguineum S. Benedicti Ordinis Fundatoris : unde infert, et recte, secundum hanc traditionem non esse S. Valentinum Martyrem, qui S. Cratonem aliosque ad Christi fidem convertit.* E

*aliaque de ætate perperam scripta.*

# DE SS. VITALE, FELICULA, ZENONE
## MARTYRIBUS ROMÆ,
### Commentarius historicus.

ANIMADV. PAP. III G. H.

### § I. *Horum Martyrum cultus sacer : reliquiæ.*

XIV FEB

**I**nter *varia Martyrologia hæsitabundi pendemus, dum quid fas sit affirmare, quid reticere oporteat, haudquaquam animo succurrit. Singula proferimus. S. Bedæ nomine vulgatum Martyrologium, MSS. Trevirensia ad S. Paulinum et S. Maximini, Leodiense S. Lamberti, Coloniense, S. Mariæ ad Gradus, Tornacense S. Martini, Centulense, Lætiense, omisso loco martyrii ista solum habent :* Eodem die sanctorum Martyrum Vitalis, Feliculæ et Zenonis. *Eadem ad diem* XIII *Februarii leguntur in MS. Trevirensi S. Martini. Antiqua hæc et magni nominis Martyrologia sunt.*

*Martyres relati absque loco :*

C 2 *Romæ hos athletas pro fide Christi passos scribunt alii, Usuardus, Ado, Galesinius, Canisius, Martyrologia MSS. Ultrajectinum S. Mariæ, et Bruxellense S. Gudilæ, et cum iis Romanum his verbis :* Item Romæ sanctorum Martyrum Vitalis, Feliculæ et Zenonis. *Belinus et Maurolycus titulum martyrii omittunt. Notherus ordinem mutat, et viam Ardeatinam adjungit, hoc modo ;* Item Romæ via Ardeatina Feliculæ, Vitalis, Zenonis.

*ab aliis Romæ attributi,*

*et viæ Ardeatinæ :*

3 *Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ eadem, quæ Usuardus et Martyrol. Romanum tradit : at* quo tempore, et quo genere martyrii affecti fuerint, nullibi legi. *Petrus Equilinus in Appendice libri* 11 *num* 64, *Ghinius in Catalogo SS. Canon. et ab eo citatus Joannes de Nigra-valle,* Vitalem Presbyterum *fuisse scribunt. Wandelbertus* S. Feliculam Virginem *celebrat hoc versu :*

*Vitalis Presbyter*

> Tum decimo sextoque die præeunte Kalendas
> Martis, Vitalis nitet, et Felicula Virgo.

*Eamdem Virginem appellat Lubertus in Menologio Virginum : qui et titulus etiam datur in Breviario Virdunensi anno* 1625 *excuso.*

*et Felicula Virgo habentur :*

4 *Cum Wandelberto* Zenonem *omittit auctor perantiqui Martyrologii Romani S. Hieronymi, in quo alii junguntur his verbis :* Spoleti civitate, Vitaliani, Vitalis, Marciani, Feliculæ, Juliani. *Suspicamur hic et loca omitti et nomina transponi, atque ita forte legendum :* Spoleti civitate, Vitaliani. Romæ, *vel,* via Ardeatina Vitalis, Feliculæ. In Ægæa civitate Juliani, Marciani. *Antiquum Martyrol. MS. Richenoviense, sive Augiæ-divitis prope Constantiam, hanc nobis lucem præfert istis verbis ;* Spoleti Vitaliani et in Via Ardeatina Feliculæ. In Egea civitate, Juliani, Marciani. *De his, uti et* Vitaliano, *seorsim agemus. MS. Aquisgranense alios socios jungit :* Natalis Zenonis. Via Appia in Tusculano Natalis SS. Vitalis, Cirion, Feliculæ et Faustini. *Est* Cyrion Presbyter *cum Cassiano, Agathone et Moyse igni combustus, de quibus quoque infra.* Faustinus *forte socius est S. Jovitæ, et cum eo* XV *Februarii colitur.* F

*alii juncti ut socii.*

5 *Via Ardeatina ibatur Ardeam Rutulorum urbem, quæ statim ab Urbis porta Capena procedebat ex Appia via. Hinc celeberrimum Callisti cœmeterium, quod via Appia extare apud omnes notissimum esse ait Paulus Aringhus lib. 3 Romæ subterraneæ cap.* 10, *in variis Sanctorum Actis via Ardeatina constituitur : ita viæ utrique potuerunt hi Martyres ab auctoribus attribui. Præterea, ut asserit Strabo lib.* 5, incipit via Latina ab Appia, ad sinistram ab ea prope Romam deflectens : transiensque super Tusculanum montem, inter Tusculum urbem et montem Albanum tendit ad Algidum oppidum. *Potuit binium Ardeatinæ Appiæque intelligi versus Tusculanos montes, aut villam Ciceronis Tusculanum, omnium scriptis celeberrimam, quod vulgo Tusculanum Ciceronis appellatur : aut forte ibi aut in oppido Tusculo Martyres sepulti fuerunt. Fuit alia* Felicula *Virgo et Martyr, S. Petronillæ collactanea, coliturque* XIII *Junii. Esse* via Ardeatina *hanc sepultam legimus in Actis SS. Nerei et Achillei* XII *Maii.*

*Viæ Ardeatina et Appia.*

*Tusculanum.*

A *Maii. An ab ea huic laurea virginitatis et via Ardeatina ab aliquibus attributa?*

*Officium de iis SS.*

6 *Celebris est memoria horum trium Martyrum in Missalibus et Breviariis variarum Ecclesiarum, in quorum nonnullis fit officium Ecclesiasticum de eis simul et de* S. Valentino Presbytero, *recitatis omnium nominibus in eadem Oratione; ut videre est in Breviariis Verdunensi, Ambianensi, Antverpiensi, Bambergensi, Raceburgensi, Caminensi, aliis. At propria de iis recitatur Oratio in Ecclesiis Burgensi, Argentinensi, Coloniensi, Mindensi, Leodiensi, Bruxellensi. Quam tamen Orationem sub unica clausula* Per Dominum *etc. dicendam esse cum Oratione de S. Valentino, in plerisque Breviariis præcipitur. In Herbipolensi et MS. et excuso anno* 1575, in crastino Valentini, *seu* xv *Februarii, officium solebat fieri de hisce solis Sanctis. Est autem hæc fere ubique præscripta Oratio:* Tuorum nos, Domine, precibus tuere Sanctorum, ut festa Martyrum tuorum Vitalis, Feliculæ et Zenonis sine cessatione venerantes, et fideli muniamur auxilio, et magnifico proficiamus exemplo. Per Dominum *etc. In Breviario Remensi Lectio* III *recitatur de* S. Valentino: *sub cujus finem hæc adduntur:* Vitalis autem, Feliculæ et Zenonis certamina pro Christi nomine solenniter recoluntur, quod eodem die itidem Romæ martyrio sint coronati.

*Oratio.*

B

*Corpus S. Zenonis Romæ in S. Praxedis.*

7 *Corpus* S. Zenonis *Martyris adservari Romæ in ecclesia S. Praxedis asserunt Ferrarius in Indice Alphabetico ad Catalogum SS. Italiæ, et Pancirolus in Thesauro sacro Urbis, regione* 2 *cap.* 42, *ubi addit in sacello S. Zenoni dicato S. Paschalem Papam collocasse corpora duorum sanctorum Martyrum, nomine eodem Zenonum, quorum alter Presbyter fuit, alter vero ille, qui* XIV *Februarii colitur. Alterutrius reliquiarum particulam unde fuisse, quam Fredericus Borromæus Cardinalis novo altari cœnobii Mediani inseruit, diximus* XIII *Februarii in SS. Hamonis et Veremundi Vita cap.* 3. S. Zenonis Martyris os longum *adservatur Antverpiæ in templo Societatis Jesu, quod Carolus Scribanius an* CIƆIƆCXV *tum Provinciæ Flandro-Belgicæ Provincialis, Romæ acceptum, una cum aliis Reliquiis permissu Pontificis Maximi, et Mutii Vitelleschi Generalis Societatis Jesu, tradidit Domui professæ Antverpiensi an.* CIƆIƆCXIX, *ut fidem faciunt ejusdem litteræ Societatis sigillo munitæ, et a Joanne Maldero Episcopo Antverpiensi anno* CIƆIƆCXXV *approbatæ. Dies hisce Reliquiis appositus* XIV *Februarii, quo hic* Zeno *Romanus colitur.*

*Reliquiæ Mediani, et Antverpiæ.*

## § II. *An aliquæ eorum Reliquiæ adserventur in Hispania, et S. Vitalis etiam Victor vocetur?*

C

In *monasterio B. Mariæ de Serrateix, quod apud Catalanos in diœcesi Urgellensi extat Ordinis S. Benedicti, magna veneratione adservari sacra corpora Victoris, Zenonis et Feliculæ, eorumque solennem memoriam* XIV *Februarii et septem sequentibus diebus celebrari tradunt Antonius Vincentius Domeneccus de SS. Cataluniæ, Antonius Yepez in Chronico Ordinis Benedictini tomo* 5 *ad an.* 977, *Tamayus Salazar in Martyrol. Hisp. ad hunc* XIV *Februarii; qui historiam Translationis ex antiquis illius cœnobii documentis ab illis Hispanice editam, Latine vertit; quod fere ipsius verbis damus.*

*Memoria SS. Victoris, Zenonis et Feliculæ 14 Febr.*

9 Anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi DCCCCLXXVII, regnante in Barcinona Serenissimo Comite D. Borello, D. Oliba cognomento Cabrera Comes Bisoldunensis, et Comitis D. Guifridi, cognomento Pilosi, avi, et Caroli Magni Imperatoris, e cujus linea fœminea originem trahebat, imitaretur opera, sciens quod Froylanus Abbas cœnobium construxisset apud Serrateixense oppidum sub invocatione beatæ Virginis Mariæ, approbantibus DD. Mirone Gerundensi et Wisaldo Urgellensi Episcopis, decrevit prædicto monasterio dotis nomine magna conferre donaria. Ideo Deo, beatæ Virgini, Abbatique Froylano et Fratribus Domino servientibus, omnem illam Serrateixensem parœciam cum omnibus decimis, domibus, primitiis, et redditibus, ex illis obvenientibus, una cum silvis, pratis, aquis, fontibus, rivulis: item et omnes aquas, quas in molendinorum usum necessarias habere dignosceretur, etiam in fluvio Cardesner, et in comitatu de Berga, sine aliqua diminutione concessit. At ista tali conditione donavit, ut nullo unquam modo Abbatis electio fieret sine consensu et consilio ipsius Comitis, aut ejus successorum, et Episcopi Urgellensis, et quod eligendus ex ipso esset cœnobio, interveniente monacho habili et bene merito, alias ab alio trahatur. Ad hoc monasterium translata sunt sacra Martyrum Victoris, Zenonis et Feliculæ pignora, ut eorum meritis et interventu Deus contra diaboli ei victoriam concederet fraudes.

*in cœnobio Serrateixensi a Comite Oliba Cabrera dotato,*

D *AUCTORE G. H.*

*ad quod illorum SS. corpora translata,*

10 *Hæc ex Domenecco Tamayus Salazar. Fuit autem Guifridus, sive Wifridus, aut Giffridus, cognomento Pilosus, ejus nominis* II, *Comes Barcinonensis* IV, *filius Gulfridi* I, *gener Balduini Ferrei,* I *Comitis Flandriæ, ducta in uxorem ejus filia Guinthilde, quæ ob matrem Juditham neptis erat Caroli Calvi, nati Ludovico Pio filio Caroli Magni, quod supra indicatur. Ejusdem Guifridi Pilosi facta mentio est* XII *Februarii in prima Translatione S. Eulaliæ Virginis et Martyris Barcinonensis, cui interfuisse dicitur num. 8. Fuere Guifrido Piloso ex Guinthilde Flandra filii quatuor, Rodulfus Episcopus Urgellensis, Wifridus* III, *Comes Barcinonensis* V, *sed nullo relicto hærede mortuus; Miro Comes Barcinonensis* VI, *et Sunnerus Comes Urgellensis, cujus filius Borellus fuit, Comes Barcinonensis* VIII, *idque in relato Domenecci testimonio anno* DCCCCLXXVII. *Ante hunc fuit* VII *Comes Barcinonensis, Seniofredus, filius Mironis* VI *Comitis, cujus fratres ab hoc Mirone prognati sunt: Miro Episcopus Gerundensis, qui cum Wisaldo Episcopo Urgellensi dictam donationem approbavit; Oliba Cabrera Comes Bisoldunensis, qui dona ista contulit monasterio Serrateixensi. De hac familia præ ceteris præclare scripsit Franciscus Diagus lib.* 2. *antiquorum Comitum Barcinonensium a cap.* 4 *ad cap.* 28. *Per eamdem familiam deduci ortum Regum Hispaniæ a Carolo Magno Imperatore indicat Olivarius Vredius in Genealogia Comitum Flandriæ tabula* I; *idem tabulis expansis ostendit Joan. Jacobus Chiffletius lumine* 8 *ad Vindicias Hispanicas.*

*Stirps Comitum Barcinonensium a Carolo Magno.*

E

*ad Reges Hispaniarum.*

F

11 *Tamayus Salazar ab Oliba Cabrera Comite Brisoldunensi scribit* corpora *horum* Martyrum Vitalis, Zenonis *et* Feliculæ *cum reliquis beneficiis* data fuisse monasterio Serrateixensi, *sed id non legerat apud Domeneccum, quem allegat. Is solum ait ad illud monasterium, ab Comite Oliba dotatum, translata esse sacra illa Martyrum lipsana. Præterea supra dictos Episcopos Gerundensem et Urgellensem addit ex thesauro Ecclesiæ largitos esse indulgentias iis qui isthic aut sepulturam eligerent, aut pia munera pro ecclesiæ reparatione conferrent. Sed ea etiam ad hanc Translationem non spectant: quæ tamen vel ideo a Tamayo Salazario referuntur.*

*an ab istis Comitibus donata SS. corpora?*

12 *Idem Domeneccus suspicatur hos tres sanctos Martyres esse illos eosdem, quorum mentio fit hoc die in Martyrologio Romano, atque, uti ostendimus, in plerisque antiquis Martyrologiis. Sed ubique in illis Martyrologiis* Vitalis *est, qui hic* Victor, *neque ullus Martyrologus ad hunc diem meminit* Victoris. *Deinde corpus* S. Zenonis *esse Romæ in ecclesia S. Praxedis supra ex Ferrario et Pancirolo diximus: imo esse ibidem corpus alterius* Zenonis *Presbyteri et Martyris, cujus in aliis Martyrologiis non est mentio. Possent alii ab istis*

*An iidem, qui supra relati ex variis Martyrologiis?*

AUCTORE G. H.

A *Romanis censeri, qui forte coronam martyrii in ipsa Hispania sunt adepti. Fateor interim de reliquiis* S. Feliculæ *Romanæ hactenus nihil nos reperisse : sed neque quod hic asseritur, eas in Catalaniam translatas esse.*

*An S. Victor idem qui S. Vitalis ?*

13 *Tamayus Salazar eos ortu quidem Hispanos facit, non tamen ab illis Martyribus Romanis diversos.* De S. Victore, *inquit*, si verum profitendum est, quis Martyr fuerit, penitus ignoro. At si conjecturis daretur locus, crediderim aut illum fuisse S. Victorem Episcopum Barcinonensem tempore Imperatoris Claudii passum, cujus sacras glebas oblitteravit temporum cursus, de quo agemus IV Aprilis ; aut hic non agi de singulari aliquo Martyre vocato Victore, sed agi de Vitali Archipresbytero Toletano, qui comes in vita SS. Zenonis et Feliculæ existens, itidem in sepulchro partem cum illis tenere concupivit : ideoque cum ipsorum lipsana ex cœmeterio Calixti extrahere Comes Oliba curavit, itidem aliquod ex S. Vitalis ossibus fragmentum cum illorum exuviis devenisse credendum est. Sed cum Vitalis prænomen Victorius esset, dilabentibus ævis, et nomen Martyris ignoratum, solo Victoris pro Victorii titulo cognitus Martyr perseverat. Qua bona fide illos copulavit cœnobium Serrateixense. *Hæc ille. Sed tradit Domeneccus, non ex ossibus S. Victoris, (quem hic Vi-*
B *talem facit) aliquod fragmentum, sed* sacrum corpus S. Victoris cum magna veneratione adservari *in illo monasterio. Dein* corpus S. Vitalis Martyris, *quod Clemens Papa* VIII *Sanctio Davila Carthaginis Spartariæ Episcopo anno* CIƆIƆXCV *donavit, atque ab hoc accepit anno* CIƆIƆC *Abulensis Ecclesia, in bulla Pontificia dicitur* Corpus unum integrum venerandum S. Vitalis Martyris ex religiosissimo cœmeterio S. Callisti ad Catacumbas. *Quem S. Vitalem non solum a S. Victore Serrateixensi, sed a S. Vitale socio SS. Feliculæ et Zenonis prorsus diversum arbitramur, deque eo scorsim hoc die ageremus, nisi illud fecissemus* VI *Februarii. quando Abulæ S. Vitalis Martyr ritu duplici colitur, ut patet ex Ordine recitandi Divinum officium Madriti anno* 1635 *excuso. Bullam Clementis de* S. Vitalis *corporis donatione excudit Tamayus Salazar ad hunc* XIV *Februarii, ejusque partem Thomas Tamaius de Vergas in Disquisitionibus ad Dextri Chronicon novitate 4 fol.* 96. *Denique nusquam legitur Comitem Olibam, aut horum Martyrum corpora curasse extrahi ex cœmeterio S. Callisti, aut ea monasterio Serrateixensi donasse.*

*a quo alius Vitalis adservatur Abulæ,*

14 *Videbamur hic posse concludere cum Ferrario in Indice ad Catalogum generalem SS. qui non sunt in Martyrol. Romano, ubi littera* V *hæc habet :* Victor, Zeno et Felicula Martyres in territorio, *seu diœcesi,*
C Urgellensi XIV Februarii. *Verum alia movetur controversia, postquam in lucem extracta sunt Chronica Flavii Dextri et Juliani Petri. Et quidem apud hunc ista num.* 37 *leguntur :* S. Vitalis Toletanus Archipresbyter missus a S. Eugenio ad consolandum Christianos detentos in insula Pontia, ex itinere consulit S. Dionysium Parisiorum Episcopum, deinde Clementem. D
Post visos et consolatos Martyres, ad exilium missos comitatur. Illo vero mortuo Romam rediens, illustre martyrium patitur cum Cenone et Felicula viæ comitibus. *In Flavii Dextri Chronico ad an.* 110, *num.* 6 *hæc traduntur :* S. Vitalis primi Toletanorum Archipresbyteri, (ex his quos venisse scimus) qui cum Zenone et Felicula venerant Toletum, Romamque ex Chersoneso reversi, mirificum certamen fuit, quod ad Ecclesias totius Occidentis scribitur. *His motus auctoribus Tamayus Salazar, hos Martyres inscripsit Martyrol. Hispan. his verbis :* Romæ SS. Vitalis Archipresbyteri Toletani, Zenonis et Feliculæ Martyrum, qui B. Marcello Eugenio adhærentes Toletano Pontifici, ab eo in insulam Pontiam dimissi, post Romam reversi, demum Trajani Imperatoris decreto comprehensi, martyrio coronati sunt. Eorum corpora demum ad Hispanias delata honorifice coluntur, Abulæ S. Vitalis, in cœnobio Serrateixensi SS. Zenonis et Feliculæ, Item ibidem S. Victoris Martyris, *quem, ut supra retulimus, divinat videri esse dictum ante* S. Vitalem, *quem appellatum putat* Victorium Vitalem Marcellum, *quod in Chronico Juliani Petri num.* 55 *hæc verba leguntur :* Floret Victorius Marcellus, ad quem Statius scribit. Fuit hic S. Marcelli frater, Vitalis dictus. *Addit,* Flav. Dextrum in Chr. an. 110 suppresso nomine cetera referre *num.* 7, *ubi ait :* Marcellus fratris S. M. Marcelli filius, vir pius, carus est, sicut et patruus, Imperatori Hadriano : cui quamdam Sylvam, ut viro doctissimo, Papinius Statius dedicavit. *Verum quomodo S. Vitalis anno Christi* CX *potuit, ut e Dextro diximus, sub Trajano Martyr obiisse, et Hadriano Imperatori carus deinde vixisse, cum Trajano* IV *Idus Augusti anni* CXVII *vita functo subrogatus sit Hadrianus? Quare Rudericus Carus ad hunc Dextri locum vocat hunc* quintum Marcellum, miraturque Thomam Tamayum, eumdem cum Vitali confundere.

*An S. Vitalis Archipresbyter Toletanus*

*et cum SS. Zenone et Felicula sub Trajano occisus ?*

*an ille Vitalis sit appellatus Victorius Marcellus ?*

E

15 *Nobis hæc omnia, ut diximus ad Acta S. Vitalis* VI *Februarii, neque confirmare, neque refellere animus aut otium est : quare ea citatorum auctorum fidei relinquimus. Illud solum monitum Lectorem volumus, in antiquis seu Martyrologiis seu Breviariis, nullum nos hactenus vestigium reperisse S. Vitalis Archipresbyteri Toletani, ne quidem in officiis propriis Ecclesiæ Toletanæ. Quæ de SS. Vitale, Felicula et Zenone in antiquis Breviariis, etiam Ecclesiæ Burgensis in Hispania anno* 1502 *euso, propria Oratio seu Collecta recitatur, eam supra dedimus, a qua diversa hæc legitur apud Serrateixenses de SS. Victore, Felicula et Zenone, quam Domeneccus refert his verbis :* Deus, qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum, Victoris Feliculæ et Zenonis natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum etc. *Ceterum iidem sint censendi an diversi, penes alios sit ultima decisio.*

*Ejus apud antiquos nulla mentio.*

F

*Oratio de SS. Victore et sociis*

# DE S. ZENONE

## MARTYRE ROMANO BONONIÆ.

G. H.

XIV FEB.

S*anctimoniales Ordinis S. Benedicti obtinent Bononiæ ab anno* CIƆXCIX *ecclesiam S. Margaritæ Virgini ac Martyri dicatam, quæ antea fuerat parochialis ædes. Ad pietatem suam et exterorum excitandam impetrarunt hæ Sanctimoniales a Gregorio* XV *anno* CIƆIƆCXXII *corpus* S. Zenonis *Martyris, cujus sacram memoriam recolunt hoc* XIV *Februarii, quo alius* S. Zeno *Martyrologio Romano inscriptus est. Agit de illo Masinus in Bononia perlustrata.*

# DE SS. VITALIANO, ITEM VITALE,
## ET XLIV MILITIBUS, SPOLETII IN UMBRIA.

G. H.

XIV FEB.

Spoleti

S. Vitalianus,

et Vitalis cum 44 militibus.

Spoletum, *Ptolemæo* Σπολήτιον *et passim antiquioribus scriptoribus* Spoletium, *splendida et rerum omnium copia affluens urbs Umbriæ, quæ Longobardorum Principum sedes aliquando fuit.* Civitas hæc, *quamvis admodum munita sit, tamen ea*, et permulta hujus diœcesis oppida, *inquit Ughellus tomo* 1 *Italiæ sacræ*, magis corporibus Sanctorum quam turribus aut vallis munita et honorata noscuntur. *Duas classes Martyrum illi urbi ad hunc diem adscribit Martyrol. MS. Romanum, sive S. Hieronymi, ac prima sic exprimitur :* Spoleti civitate, natale Vitaliani, Vitalis, Marciani, Feliculæ, Juliani. *Verum eos*, Vitaliano *excepto, ad alias urbes pertinere supra probavimus ex antiquo Martyrologio Richenoviensi, in quo hæc ita distinguuntur :* Spoleti Vitaliani. et in Via Ardeatina Feliculæ. In Egea civitate Juliani, Marciani. *Qui restabat Vitalis, S. Feliculæ in martyrio socium fuisse diximus. Altera Martyrum classis in eodem Martyrologio S. Hieronymi ita indicatur :* In civitate Spoleti Vitalis et militum quadraginta quatuor. *His adjunximus* S. Vitalianum, *licet alia forsan occasione, atque etiam persecutione, obierit, sed eadem in urbe Spoletina, et eodem* XIV *Februarii recurrente.*

# DE SS. JULIANO ET MARCIANO
## MARTYRIBUS ÆGÆÆ IN CILICIA.

G. H.

XIV FEB.

Egææ urbe Ciliciæ II,

varii Martyres coluntur

hoc die SS. Julianus et Marcianus :

an ab iis diversi Seganus et Julianus ?

*Ciliciam duplicem distinximus* IV *Februarii ad Acta S. Theophili Pœnitentis : in hujus altera metropolis fuit Anazarbus, et sub ea Ægæa urbs Episcopalis, cujus Antistes* Alexander *Concilio Chalcedonensi subscripsit. A Ptolemæo, Stephano, aliisque* Αἰγαὶ *dicuntur, a Strabone lib.* 14 Αἰγαῖαι *qui situm his verbis indicat :* Post Mallum Ægææ est oppidulum cum statione… post Ægæas est Issus oppidulum cum statione, et flumen Pindus. Domitius Corbulo *lib.* 13 *Annalium Taciti cap.* 8. Armeniæ retinendæ a Nerone præpositus, apud Ægæas civitatem Ciliciæ obvium Quadratum habuit. *Urbis hujus nulla hoc tempore extare monumenta dicuntur, cujus memoriam posteris immortalem reddant plures illic pro fide Christi interfecti Martyres, inter quos eminent SS. Cosmas et Damianus, quorum Acta illustranda sunt ad* XXVII *Septembris.*

2 *Antiquum Martyrologium MS. monasterii Richenoviensis, sive Augiæ-divitis prope Constantiam urbem Germaniæ, duos suggerit athletas Ægeæ passos, his verbis :* In Egea civitate Juliani, Marciani : *Notkerus :* In Egea civitate S. Juliani. *In Martyrologio MS. perantiquo Romano, quod S. Hieronymi appellatur, hæc leguntur :* Spoleti civitate Vitaliani, Vitalis, Marciani, Feliculæ, Juliani : *e quibus* Vitalem et Feliculam *passos Romæ attribui diximus, et* SS. Marcianum, Julianum *Ægææ in Cilicia.*

3 *Præter dictos Ægeæ urbis Martyres aliud par athletarum Christi profert idem Martyrologium S. Hieronymi his verbis :* In Cilicia Segani et Juliani. *Reliqua latent. Incidit hic scrupulus, num apposito nomine Marciani ita legendum sit :* In Cilicia, Ægææ scilicet civitate, Marciani et Juliani. *At forsitan, quia hi duo ante in eodem martyrologio leguntur, alii sunt : quod monuisse sufficit.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# ANTHIMO, MARCIANO, TIANO, CELERINO, MAGNO, JULIANO, IN VIA FLAMINIA.

G. H.

XIV FEB.

In via Flaminia

hi Martyres necati

*Inter Romanas vias præcipua fere habetur Flaminia, ex qua aliæ novem derivantur : de ea agimus hoc die ad Vitam S. Valentini Presbyteri et Martyris. Huic viæ adscribuntur sequentes Martyres in perantiquo Martyrologio Romano, quod S. Hieronymi nuncupatur, in quo isti ad* XIV *Februarii leguntur.* Via Flaminia Anthimi, Marciani, Tiani, Celerini, Magni, Juliani. *Celebris est* Anthimus Presbyter *ad* XI *Maii, sed viæ* Salariæ *attribuitur, et absque sociis.* Marciani *plures martyrio coronati sunt, et quidem alius hoc die in Cilicia passus : aliquis adscriptus est Auctario Hermanni Greven ad Usuardum. Alius colitur* XXVI *Martii, sed qui socios certaminis habuit* Petrum, Jovinum, Teclam, Cassianum, et alios. *Celebres sunt* Abundius et Abundantius *cum* Marciano, *ejusque filio* Joanne, in via Flaminia XVI *Septemb. decollati.* S. Magnum *dedimus* IV *Februarii, Forosempronii in Umbria ad eamdem viam Flaminiam martyrio coronatum, sed cum aliis sociis.* Juliani *nomen pluribus Martyribus commune est : ex illis hoc die alius in Cilicia, pro fide Christi occubuit ; alius Romæ colitur* VII *Augusti cum Petro aliisque coronatus.* Celerinum *dedimus* III *Februarii, sed* Afrum Diaconum, *quem, quia tormenta plurima passus est, non tamen iis immortuus,* Confessorem *appellamus. Solus* Tianus *alibi vix noto nomine, accedit.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# AMMONE, JONA, SAMMONO, STOPPIO, PROTIDIO, PRÆCONIDIO, MOYSE.

G. H.

XIV FEB.

*Martyrologium Romanum, sive S. Hieronymi, a mille fere annis exaratum, de his martyribus hæc habet :* Passio Ammonis, Jonas, Sammoni, Stoppi, Protidi, Præconidi, Moysis. *Quamplurimi occurrunt* Ammones *et* Ammonii, *uti in eodem Martyrologio ad hunc diem inter Martyres Alexandrinos* Ammonius *est.* Moseus *et* Ammonius milites in Ponto, ad metalla primo damnati, *dein* igni traditi *memorantur* XVIII *Januarii in plerisque Martyrologiis, et hoc etiam, quod S. Hieronymo attribuitur : sed alii desunt socii, hic recensiti, quorum nomina needum inter Martyres reperta meminimus.* Jonam *dedimus* XI *Februarii, sed monachum in Ægypto, non Martyrem. In eadem Ægypto Martyres referuntur,* Peticonides IX *Februarii, sed cum triginta aliis athletis, et* Protheus X *Februarii, cum aliis item sociis : neque horum nomina cum* Præconidio *et* Protidio *consentiunt.*

DE

# DE S. ELEUCHADIO
## EPISCOPO RAVENNATE IN ITALIA,
### Commentarius historicus.

G. B.

## § I. *S. Eleuchadii Episcopatus, cultus sacer, Reliquiæ translatæ.*

*AN. CAL. XIV FEB.*

*cultus sacer S. Eleuchadii 14 Febru.*

*Vitæ varia compendia.*

*et homilia S. Petri Damiani.*

T*ertium hunc damus hoc mense Episcopum Ravennatem, cum aliis Martyrologio Romano inscriptum, in quo ita legitur XIV Februarii:* Ravennæ S. Eleuchadii Episcopi et Confessoris. *Hermannus Greven in additionibus ad Usuardum non recte* Presbyterum *appellat. Ampliori encomio illustrant eum Galesinius, Felicius, Ferrarius, ex monumentis Ecclesiæ Ravennatis et historia Hieronymi Rubei: nec absimile elogium profert Ughellus tomo 2 Italiæ sacræ in Archiepiscopis Ravennatibus. Aliquod Vitæ compendium, sed pertenue, descripserat nobis Joannes Gamansius ex codice MS. cœnobii Bodecensis in Westphalia. Alia, nec sat plena, vitæ SS.* Aderiti et Eleuchadii *historia ex Rubeo decerpta extat apud Surium. Colitur* S. Aderitus *ejus decessor* XXVII *Septembris. Egimus* XI *Februarii de S. Calocero Episcopo,* B *ejus olim condiscipulo sub S. Apollinare primo Ravennatum Episcopo: atque ex ejus Vita,* XXIII *Julii illustranda, nonnulla dedimus S. Calocero, Sanctoque Eleucadio communia, quæ adire Lector poterit. Denique diem ejus natalem homilia exornavit S. Petrus Damianus.*

*A S. Apollinare Diaconus ordinatur*

*Fuit S. Apollinaris, patria Antiochenus, Roma Ravennam a S. Petro missus, multos ibi convertit: e quibus videtur fuisse hic* Eleuchadius, *natione Græcus, studio philosophus, ab illo intra duodecim primos annos, cum* S. Marciano *Diaconus ordinatus, uti SS. Aderitus et Calocerus Presbyteri. Relegato, ac tres annos, eoque amplius, absente Apollinare, Ecclesiam, quæ erat Ravennæ, gubernarunt hi Presbyteri et Diaconi; quod itidem factum cum is per quatuor annos captivus detentus. Cui tandem, sub Vespasiano Imperatore Martyrii palmam adepto, successit in Episcopatum Aderitus, qui omnibus muneribus optimi Antistitis traditur perfunctus ad annum Christi Centesimum, Sedem reliquisse S. Eleuchadio successori: de quo ita scribit Rubeus lib. 1 Historiæ Ravenn.*

*S. Aderito succedit,*

3 Aderito mortuo, Cum Ravennates convenissent, de Antistite eligendo tractaturi, Deumque precarentur, vellet eum eligi, qui populo ex Divina sententia C præesset; statim, uti in Aderito contigerat, descendens columba de cœlo, capiti insedit Eleuchadii, viri Græci, summique philosophi, quem jam Apollinaris sacris initiarat. Hic Græce Latineque doctus, interpretatus est gravissime ex divinis libris complures, elegantissimeque conscripsit de Christi conceptu atque ortu ex Virgine, deque ipsius nece: quæ omnia injuria temporum exhausit. Anno duodecimo supra centesimum ab Christi ortu XVI Kalendas Martias obiit: sepultus extra muros Classis: ubi non multo post ædificatum est ejus nomini templum, quod Petri Damiani tempore adhuc extabat, in eoque anniversaria sacra fiebant.

*columbæ indicio electus*

*libros scribit*

*moritur an. 112*

4 Ejus ossa demde, ut plerique opinantur, ab Astulpho Longobardorum Rege Ticinum translata sunt et in D. Michaelis posita. In cujus templi libro quodam, ubi de Reliquiis Divorum, quæ ibidem locatæ sunt, fit mentio, hæc de Eleocadio leguntur: A parte dextra in corum ipsius templi est corpus S. Eleocadii Archiepiscopi Ravennatis, qui dum ob philosophiam, cujus erat peritissimus, fidem Christi studiosissime impugnaret, tandem superatus et conversus est a B. Apollinari discipulo Principis Apostolorum et cœlestis Clavigeri Petri: qui post ejusdem conversionem de fide Christi mirabiliter scripsit et disputavit, adeo ut tempore suo apellaretur hæreticorum metus. Et primus in Italia ordinavit officium nocturnum pariter et diurnum, solenniter distinguendo libros novi et veteris Testamenti, ut hodie per totam leguntur Ecclesiam in Matutinis. Et Ravenna huc translatum fuit per Christianissimum Imperatorem Constantinum natum S. Helenæ, qui hanc basilicam fundavit anno nativitatis Domini CCCXV, propter gloriosum triumphum quem tunc obtinuit, contra Gallicos, Imperium non verentes, precibus signiferi S. Michaelis. Hæc ibi.

*transfertur Ticinum*

*an sub Constantino Magno?*

5 *Sigonius de Occidentali Imperio lib. 3 ad an. 314 hæc ita narrat:* Ticini etiam templum S. Michaelis dicitur *Constantinus* construxisse ob victoriam Francicam precibus ipsius Archangeli partam, atque eo Ravenna corpus S. Eleocadii transtulisse. *Eadem et de templo S. Michaeli a Constantino extructo, et reliquiis S. Eleuchadii eo translatis, habet Stephanus Breventanus lib. 4 Historiæ Ticinensis, sed annum exprimit* CCCXXV. *Antonius Maria Spelta de Episcopis Ticinensibus in Thoma Episc.* XI, *confirmat quæ de extructa a Constantino S. Michaelis æde diximus. At* E *Bernardus Saccus lib. 8 histor. Ticinensis cap. 1 solum ait,* templum S. Michaelis constare ante Gothorum incolatum ædificatum fuisse. *Jacobus Gualla lib. 4 Sanctuarii Papiæ cap. 1 ita sentit:* Illud Divi Michaelis Archangeli delubrum non a primo Constantino, post quem plures ejusdem nominis Principes fideli scripturarum testimonio Latio regnasse feruntur: at ab alio Italiæ Rege Ticinensium Chronicæ attestantur ædificatum: eumdemque Constantinum in eo fuisse tumulatum. Cujus generis et temporis non referam, quoniam me latent. . . . Decoratur basilica ipsa venerandis Reliquiis Ennodii, Antistitis Ticinensis.... Eleuchadii quoque natione Græci, magna sanctitate, doctrina et virtute Archiepiscopi Ravennæ corpus venerandum Ticinum delatum, scriptis antiquis ejusdem urbis attestantibus, eodem in templo servatur. *Antiquum scriptum id Constantino Magno attribuit: si alia alteri, proferantur. Sed quomodo Rubeus ante idem scriptum præfatur,* ossa S. Eleuchadii, ut plerique opinantur, ab *Astulfo Rege Longobardorum translata? Quinam illi* plerique opinantes? *An verba memorata apud Guallam,* ab alio Rege Italiæ, *legerit* F Aistulpho Rege? *Regnavit hic seculo Chr.* VIII, *temporibus Pippini et Caroli Magni Regum Francorum, cum quibus bella gessit.*

*observatur in templo S. Michaelis.*

## § II. *Excerpta ex S. Petri Damiani sermone de S. Eleuchadio Episc. et Conf.*

*S. Eleuchadius laudandus cum S. Apollinare magistro,*

Hodierna festivitas, Fratres carissimi, geminum sanctæ devotioni vestræ, imo nostræ, gaudium cumulat: quia, dum venerandi Confessoris Eleuchadii solennia celebramus, necessario mox etiam beati triumphatoris Christi Apollinaris ad memoriam præclara gesta reducimus. Quia enim, ut Salomon ait, gloria patris est filius sapiens, sic alterius caussa pendet ex altero; ut, quisquis unius laudes digne retulerit, alterius etiam insigne præconium tacere non possit. . . Habuit B. Apollinaris quatuor egregios discipulos, post felicem martyrii sui gloriam sibimet in Ecclesiastico regimine succedentes, Aderitum scilicet, et Beatum hunc, cui præsens sermo famulaturus

*Prov. 10. 1*

A famulaturus est, Eleuchadium, subinde Marcianum, postremo Calocerum. Erat autem Eleuchadius iste philosophus, sicut in ipsa beati magistri ejus narratur historia. Superata est ergo sapientia Platonis a discipulo Piscatoris. Misit rete verbi Dei in profundam salsuginem Ravennatis Oceani, et magnam auratam ad fidei littus traxit. Porro cujus magister olim noverat cuncta per stagna naviculam regere, discipulum docuit eum arguta dialecticorum versutia disputare: docuit, inquam, discipulum, acris ingenii et acutæ facundiæ homines simplici sermone concludere, qui ad includendos per profunda pelagi pisces, vilia consueverat retia subnodare. Plane postquam navicularius pelagi, Clavicularius constitutus est cœli, discipuli piscatorum magistri facti sunt oratorum, et sapientia mundi victa est a simplicitate Christi. Hac simplicitate conclusit B. Apollinaris Eleuchadium philosophum in urbe Ravenna: qui et ipse consultus de curationum peritia, respondit, nihil se scire sine nomine Jesu. . .

*ab eo a sapientia mundi ad simplicitatem Christi conversus,*

7 Beatus igitur Eleuchadius tunc Philosophus magnus, tamquam aureus vitulus, contritus est malleo prædicationis, et transfusus est in membra corporis Christi. Tunc doctor terrenæ sapientiæ, nunc magister effectus est Ecclesiasticæ disciplinæ. Tunc naturalium caussarum rimabatur indaginem, nunc B omnium naturarum ipsum perspicue contemplatur Auctorem. Et qui tunc sidera radio fortasse notaverat, nunc sub cœli machinam cum sideribus volvi gratulabundus aspectat. Nimirum qui prius fuerat philosophus vanitatis, conversus ad Dominum prædicator factus est veritatis, tertius scilicet a B. Petro Apostolo in ordine discipulatus, tertius etiam nihilominus a B. Apollinari in arce Pontificatus. Et personarum quidem ordo productus, sed eadem fidei puritas, quæ ex ipso summo et originali fonte processerat, per devexam alvei seriem decurrebat. Nam a Christo in Petrum, a Petro in Apollinarem, ab Apollinari in Eleuchadium cœlestis eloquii fluvius emanavit; ut illud Psalmistæ praeconium impleretur: Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus. Beati denique cultores et adjutores Christi Apollinaris et Eleuchadius, pater videlicet et filius, magister atque discipulus, unius operis ministerium, unius, ut ita loquar, agri fundum, unius susceperunt vineæ colonatum. ille nimirum ut obscura silvarum condensa succideret; iste vero ut residuos arbustorum truncos et horrescentium veprium dumeta radicitus extirparet. Ille ut acuto verbi vomere dura squalentis deserti rura proscinderet; iste ut nihilominus sanctæ prædicationis sarculo tumentium vitiorum post eum glebas effringeret, et bonoC rum operum frugibus novalia diligenter exculta vestiret. Ille ut cum Paulo plantaret; iste ut cum Apollo rigaret. Atque, ut altius repetam, ille cum Moyse populum Domini, diviso mari rubro, in deserta transposuit; iste cum Josue, magistro succedens, eumdem populum in terram repromissionis primus introduxit. Ille docuit, qualiter Ægyptum Israel accola sperneret; iste vero, qualiter terram lactis et mellis irriguam, distributis invicem sortibus, possideret. Alter nimirum colla de ferreo jugo Pharaonis excutere; alter admonuit triumphatricibus plantis devictas hostium calcare cervices. Alter edocuit servitutis opprobrium quam celeriter fugerent, alter autem ipsos libertatis titulos quam cautissime custodirent.

*et Doctor Ecclesiæ factus,*

Psal. 147. 15

*bene cœpta a S. Apollinare ad perfectionem deducit,*

8 Neque vero credendum est, fratres mei, B. Eleuchadium, dum adhuc viveret, martyrii caruisse laboribus, etsi non fuerit martyrio consummatus. Videbat nimirum gentilitatis nuper extinctæ nonnullas D adhuc superesse reliquias: dolebat in populo sibi commisso vel extrema superstitiosi ritus vestigia remansisse: atque ideo, licet persequentium manus gladios non exereret, cruciabatur anima sancta, pii zeli ac paternæ compassionis incendio concremata. Quid enim prodest, si quisquam Catholice credat, et gentiliter vivat?.. Quapropter beatus Pontifex Eleuchadius non contemnendum pertulit ipsa Ecclesiæ pace martyrium; quandoquidem etsi non cum perfide credentibus, sed perverse viventibus infœderabilem probatur habuisse conflictum: quamquam et in fidei doctrina desudasse eum non sine ratione colligimus, cum omnium Ravennati metropoli adjacentium diœcesium civitates et oppida nullos pene recondere Martyres agnoscamus. Unde B. Apollinaris quanta gloria, quanta sit excellentia, mirari digne non possumus: cujus martyrium cum per viginti et novem annorum spatium per innumerabilia fuerit tormenta productum, tantum solus elaboravit, quod alter quispiam, ubi in totis illis partibus pro testimonio fidei potuisset occumbere, non invenit. Si quid autem forte superfuit, discipulorum ejus successio veneranda supplevit, inter quos B. Eleuchadius, veluti aureum sidus emicuit, et juxta nominis sui etymologiam, paterni candoris atque splendoris insignia, ut revera filius, reportavit. Eleuchadius quippe Græce, Latine intelligitur candidus. Nec immerito. Ex eorum E nempe fuerat numero, de quibus dicitur: Candidi facti sunt Nazaræi ejus, splendorem Deo dederunt, et sicut lac coagulati sunt.

*instar Martyris habendus,*

AUCTORE G. D.

*a candore appellatus.*

ex Thren. 4. 7.

9 Quas divitias insinuat Propheta, cum dicit: Divitiæ salutis sapientia et scientia, timor Domini ipse est thesaurus ejus; has B. Eleuchadius concupivit, cum de cathedra se philosophicæ doctrinæ deposuit, cum ferulam præceptoris abjecit, cum de magisterii principatu Christi se discipulatui humiliter subdidit. Quidquid sane iste antea superfluum didicit, in hujus scholæ longe nobilioribus studiis amputavit: quidquid illic mendacii, quidquid superstitionis edocuit, in Ecclesiasticæ puritatis disciplina correxit... Moyses Israelitico populo aurum et argentum, cum vestibus ab Ægyptiis mutuari præcipit.. quod B. Eleuchadius mutuatus est ab Ægyptiis, profecit Israeliti, et thesaurum, quem Gentilitati surripuit, sanctæ dispensator Ecclesiæ fideliter erogavit.

Isa. 33. 6 *quales divitias concupierit,*

*aliisque donarit.*

10 Cujus quidem gesta non reperiuntur apicibus tradita, sed non sine caussa vetustas, vel basilicam in ejus honorem construxit, vel ejus obitum annuæ solemnitatis honoribus dedicavit. Nam et nonnulla super veteri et novo Testamento, sive etiam de Incarnatione vel passione Domini perhibetur exarasse volumina, quæ tamen scriptorum arbitramur oblivione deleta. Quamquam et hoc ad cumulum meritorum ejus pertinere non immerito videatur, quod tunc se fieri consensit Episcopum, cum Ecclesiam egestas opprimeret, et rudis adhuc fidei noviterque plantatæ labor difficilior immineret: cum denique ad pristini ritus pullulantia germina radicitus evellenda incumberet, graveque fatigium, et temporalis subsidii deesset emolumentum. Licet enim Ecclesia jam tunc fuerit in fide fundata, Christiana tamen religio necdum erat vivendi moribus expolita. Et nos itaque, fratres carissimi, hujus sancti ferveris imitemur exemplum... imitatorem Christi sequentes, fugiamus blanditias seculi, ad adversa quælibet pro Deo perferenda, lumbos mentis nostræ viriliter accingamus etc.

*templo et annuo festo celebris*

*libros scripsit*

*Episcopus Ecclesiam rexit difficili tempore.*

DE

# DE S. PAULIANO

## EPISC. VELAUNENSI, SIVE ANICIENSI, ET SS. VALENTINO ET ALBINO,

J. B.

### Commentarius historicus.

*XIV FEB.*

*Ruesium Ptolomæi, non S. Flori urbs, nec Rivi, sed Velava,*

Ruesium, sive Ruessium, *Velaunorum in Gallia urbem, Ptolemæo lib. 2 cap. 7 in tabula 3 Europæ, memoratum, quidam eum esse censent, quæ nunc* S. Flori *dicitur. Verum neque hæc vetusta, et in Arvernis sita, loco qui quondam* Mons planus *nuncupabatur, ac propter celebrem isthic erectum Prioratum, hominum confluxu, ut sit, frequentibus habitari ædificiis cœpit, tandemque Sede Episcopali a Joanne* XXII *Papa ornatus est. Alii* Rivos *esse, sive* Villam de Rivis *volunt, vulgo* Rieux, *episcopatu ab eodem Pontifice ornatum. At neque hæc in Velaunis est, sed supra Tolosam ad Risam flumen. Plures cum Odone Gisseio nostro in historia Podiensi, et Guiliel. Catellio lib. 2 Antiquitat. Languedociæ, illic* Ruesium *(quam* Velavam *S. Gregorius Turon. lib. 10 hist. Franc. cap. 25 appellat, ex ipsius populi Velavorum, aut Velaunorum, nomine, uti* Lutetia, Parisii *dicta,* Samarobriva, Ambiani; Atuatuca, Tungri, *aliæque passim urbes) illic igitur Ruesium fuisse censent, ubi nunc* S. Pauliani *est oppidum: ibique priores sex Episcopos sedisse.*

*nunc, Sede Anicium translata, S. Pauliani,*

2 *Cum deinde, extructa duobus inde leucis, in Anicio, sive (ut scribit Papirius) Anicio monte dicataque Dei parenti æde, plurimis isthuc miraculorum, quæ fiebant, fama excitis, haud modicum coaluisset oppidum; et fortassis aliqua clade labefactatum Ruesium esset, hanc ad novam urbem, Sedem* S. Evodius, *septimus Velaunorum Antistes, transtulit. Veteri urbi novum sensim nomen a* S. Pauliano *Evodii decessore, cujus ibi reliquiæ asservabantur, claræ miraculis, fieri cœpit. Innuere videtur Andreas Saussaius, eum locum solo S. Pauliani sepulchro nobilem in oppidi modum post ejus tempora primum excrevisse; ita enim,* XIV *Februarii scribit:* Apud Anicienses, in veteri Podio Velaunico, S. Pauliani sexti Podiensis Episcopi et Confessoris, qui attritam persecutionum procellis hanc Ecclesiam Apostolicæ virtutis præsidio suffulsit, mirabilisque zeli ac pastoralis studii officiis erectam feliciter instauravit: demumque idolorum ferme cultu prostrato, atque triumphantis undique Christianæ religionis erectis insignibus, beato fine quiescens, eo in loco sepultus est, ubi postea erectum in ejus memoriam oppidum cernitur; et proprio ejus nomine, et dicata Deo sub ejus patrocinio ecclesia haud magis insigne, quam sacratissimis ejus pignoribus, ac perenni veneratione conspicuum.

*nisi hoc oppidum ob ejus miracula post erectum sit*

3 *Verum ea missa quæstione, an Ruessium, sive Velava ibi extiterit, an sine nomine locus; oppidum nunc est* S. Pauliani, *Episcopo quidem Aniciensi, sive Podiensi subjectum, in iis quæ sacri sunt juris, in civilibus hoc tempore ad Arvernensis Præsidis jurisdictionem respiciens. Isthic in parochiali ecclesia ejus nomini dicata, sub majore altari honorifice asservatur illius corpus, capsæ inclusum.*

*ejus ibi reliquiæ,*

4 *Agitur anniversaria ejus solennitas* XIV *Februarii, in ipsa quoque Podiensi Ecclesia officio duplici. Quo die ista in Podiensi Martyrologio de eo recitari testatur Gisseius:* XVI Kal. Martii apud territorium Vellaicum natale S. Pauliani Episc. et Confess. *Eadem prope Ferrarius; plura Saussaius, jam relata. Ætas ejus nobis ignota. Nam quod Catellius scribit, successorem ejus Evodium circa tempora S. Callisti Papæ, tertio Christi seculo, ad novum Anicii montis oppidum migrasse, veremur ut certo firmari charactere queat. In obscuro quoque ejus sunt Acta, et quæ plurima ad ejus tumulum patrata feruntur miracula. Joannes Baptista Bellus noster, de quo I Februarii ad S. Agrippani Acta, hanc ex Officio Aniciensi, recitari solitam in secundo nocturno, Lectionem nobis transmisit.*

*natalis, ætas ignota, uti et Acta,*

5 S. Paulianus unus e primis Velaunorum Præsulibus extitit, antequam Anicium Cathedra deportaretur. Eum morte sublatum apud territorium Vellaicum, conditum esse constans est fama eo in oppido, quod vetulæ civitatis appellatione rejecta, ab ipso S. Pauliano sibi nomen invenit, ob frequentes piorum hominum ad beati hujus Antistitis sepulchrum conventus: ubi mirabilibus virtutum operibus erga multos clarescebat. In eo oppido templum visere est ipsi beato Præsuli dicatum, et ab eo cognominatum, ubi sacra ejus pignora asservantur, cum reliquiis et ossibus SS. Valentini et Albini in lapidea capsula sub altari principe collocata. In territorio autem Vellaico sepultum S. Paulianum testatur Aniciense Martyrologium ad XVI Kal. Martii. *Hæc ibi. Agunt, præter citatos, de* S. Pauliano *Joannes Chenu et Claudius Robertus in Catalogo Epp. Podiensium.*

*miracula, reliquiæ cum SS. Valentini et Albini,*

6 SS. Valentinus *et* Albinus, *quorum ossa cum reliquiis* S. Pauliani *condita sunt, qui sint, quove die colantur, et an omnino peculiares iis honores certo die exhibeantur, assequi hactenus non potuimus.* Albini *sunt quidam et* Valentini *in Gallia; sed eorum alibi asservantur exuviæ, ac fere Martyres aut Episcopi fuisse narrantur: cum hisce neuter ille titulus tribuatur. Quare ne fortassis horum intercidat memoria, ad hunc diem ipsorum nomina adscripsimus una cum S. Pauliano, quocum in eadem lapidea arca conditi sunt.*

*quorum itidem Acta ignota:*

DE

DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

# BASSO, ANTONIO, PROTOLYCO. ITEM CYRIONE PRESBYTERO, BASSIANO LECTORE, AGATHONE EXORCISTA, MOYSE. ITEM DIONYSIO, AMMONIO. ITEM ARMATA, ARBASO, DIONYSIO EPISCOPO, PAULO, LEVIORO, ORBASO, PLERO, DIONYSIO PRESBYTERO, AMANTIO,

G. H.

## Sylloge historica.

### § I. *Martyrium horum omnium an Alexandriæ urbi attribuendum?*

XIV FEB.

*Nomina priorum IX Martyrum:*

*Non satis inter scriptores explorate perspectum, an hi Martyres omnes una eademque in urbe Alexandrina passi sint. De prioribus novem hæc habet Usuardus:* Apud Alexandriam sanctorum Martyrum Bassi, Antonii, Protolici, qui in mare mersi sunt. Item Cyrionis Presbyteri, Moyseos, Bassiani, Agathonis, qui omnes igni combusti sunt. Item Dionysii et Ammonii decollatorum. *Eadem habent Beda excusus et MS. Ado, Notkerus, Bellinus,* B *Maurolycus, Martyrologia MSS. SS. Richarii, Maximini, S. Mariæ Ultrajecti, S. Gudilæ Bruxellis, Florarium MS. Pro* Cyrione *a nonnullis* Tyrion *vel* Tiron *scribitur: pro* Bassiano *in Usuardo MS. S. Germani* Bassinianus: *pro* Moyse *in MS. Adone Leodiensi S. Laurentii,* Mesamus. Bassianus *passim* Lector *et* Agatho exorcista *habentur.*

*non solum tres primi Alexandriæ passi,*

2 *Ceterum quam particula* item *bis repetita inferat connexionem, inquiritur. Indicari diem eumdem* XIV *Februarii opinantur aliqui. Interpolator Usuardi Coloniæ anno* 1490 *excusi ita intellexit qui ista habet:* Apud Alexandriam sanctorum Martyrum Bassi, Antonii, Protolici, qui pro defensione fidei in mare mersi sunt. Eodem die SS. Cyrionis Presbyteri, Moyseos, Bassiani Lectoris, Agathonis Exorcistæ, qui omnes igne combusti sunt. Item eodem die SS. Dionysii et Ammonii decollatorum. *Rosweydus noster in Indice ad Adonis Martyrologium,* Bassum, Antonium, Protolicum *agnoscit* Alexandrinos, *reliquorum locum martyrii tamquam incognitum prætermittit.*

*sed et 4 sequentes:*

3 *Verosimilius tamen arbitramur particula* Item *bis repetita indicari tres illas classes Martyrum, quorum alii aqua, alii igne, gladio ultimi interfecti sunt, ad unam eamdemque urbem Alexandrinam pertinere.* C *Antiqua habemus martyrologia monasteriorum S. Martini Tornaci, et Lætiensis, de quibus egimus cap. 4 Præfationis generalis ad Januarium § 6, In his Sancti aliqui ex secundo ordine horum Martyrum Alexandriæ tribuuntur ad hunc* XIV *Februarii istis verbis:* In Alexandria Bassiani, Orionis, Agathonis, qui igne combusti sunt. *Qui isthic* Orion *est, supra* Cyrion *dicitur. Constantinus Ghinius in Natalib. SS. Canonicorum de eisdem secundæ classis Martyribus, utpote suo instituto magis convenientibus, solum agit, et Alexandriæ attribuit:* Alexandriæ, *inquit,* sanctorum Martyrum Cyrionis Presbyteri, Bassiani Lectoris, Agathonis Exorcistæ, et Moysis, qui omnes igne combusti evolarunt in cœlum. *In Martyrologio MS. quod Coloniæ in ecclesia S. Mariæ ad Gradus adservatur, ante quingentos, ut creditur, annos conscripto Martyres primæ et secundæ classis Alexandrini habentur his verbis:* In Alexandria sanctorum Martyrum Bassi, Anthonii, Protolici, Cirionis, Prisci, Moseos lectoris, Agathonis. *Ubi forte legendum,* Cirionis Presbyteri, *non* Prisci, *ac post* Moseos, Bassiani lectoris.

*et cum iis SS Dionysius et Ammonius.*

4 *Canisius ultimam etiam Martyrum classem attribuit Alexandriæ in Martyrologio Germanico. Hic namque, proprio quodam more, post primum Sanctum quocumque die relatum ad reliquos transiens semper utitur dicta particula* Item. *Unde hic accurate explicaturus secundam classem addit,* Item etiam Alexandriæ SS. Cyrionis Presbyteri, Moysis *etc. ac dein pro tertia classe,* Item præterea Alexandriæ, *inquit,* sanctorum Martyrum Dionysii et Ammonii pro fide decollatorum. *Præivit Petrus Equilinus lib. 3 Catalogi cap.* 124. Bassus, *inquit,* Antonius, Protolicus, Tyrion Presbyter, Moyses, Bassianus, Agathon, Dionysius et Amonius apud Alexandriam passi sunt. E Quorum Bassus, Antonius et Protolicus pro Christi nominis confessione in mare demersi sunt. Tyrion vero Presbyter, Moyses, Bassianus et Agathon igne combusti sunt. Dionysius autem et Amonius gladio cædente passionem consummaverunt XVI Kalend. Martii. Hæc Hieronymus in Martyrologio. *Galesinius etiam citato in Notationibus Martyrologio S. Hieronymi martyrium hac paraphrasi exponit:* Alexandriæ sanctorum Martyrum Bassi, Antonii et Protolici, qui pro Christo Jesu contumelias cruciatusque fortiter perpessi, postremo in mare projecti coronantur. Sanctorum præterea Cyrionis Presbyteri, Moyseos, Bassiani, Agathonis, qui omnes in flammam positi, constanter martyrii cursum confecerunt. Beatorum item Martyrum Dionysii et Ammonii, quibus in maxima fidei constantia cervices abscissæ sunt. *Hæc Galesinius, qui dum particulas* præterea *et* item *aliis periodi cœptæ verbis subjungit, omnes Martyres eidem loco attribuendos esse innuit. Demum tabulæ Martyrologii Romani idem confirmant his verbis:* Alexandriæ sanctorum Martyrum Bassi, Antonii et Protolici, qui demersi sunt in mare. Item sanctorum Martyrum Cyrionis Presbyteri, Bassiani lectoris, Agathonis exorcistæ et Moysis, qui omnes igne combusti F evolaverunt ad cœlum. Ibidem SS. Dionysii et Ammonii decollatorum. *Hæc in Martyrologio Romano, in cujus Indice topographico omnes urbi Alexandriæ attribuuntur.*

*alii novem adjuncti in Martyrol. S. Hieronymi.*

5 *Baronius in Notis ad hos Martyres, ait a* Petro in Catalogo plures alios addi, quorum et nomina recenset. *Verba Petri dedimus, in quibus iidem prorsus Martyres, nec plures, recensentur. At Martyrologium Romanum antiquum, quod S. Hieronymi appellatur, plures habet Martyres, eorumque nomina ita recenset:* In Alexandria Basiani, Tonnionis, Proti, Lucii. Item Cyrion Presbyter. Moyseos, Bassiani. Item Agathon exorcista. Item Dionysius, Ammonius. Item Armatæ, Arbasi, Dionysii Episcopi, Pauli, Leviori, Orbasi, Plebi, Dionysii Presbyteri, Amantii. *Hæc ibi, et primis nominibus aliquantulum immutatis. Nam pro Basso,* Bassianus, *pro Antonio,* Tonnio, *pro Protolyco* Protus *et* Lucius *leguntur. Qui additur* Dionysius Episcopus, *forte Alexandrinus est, qui multis confessionibus clarus, variisque tormentis probatus, temporibus Valeriani et Gallieni quievit in pace. Celebratur*

A *ratur ejus memoria a nonnullis* XVIII *Februarii, a pluribus* XVII *Novembris: quibus diebus dictum S. Hieronymi Martyrologium ejus non meminit. At* Dionysius Presbyter *memoratur* XV *Februarii in parvo martyrologio, sed antiquo, monasterii S. Maximini, qui forte hic reliquis Martyribus est annumeratus.*

AUCTORE G. H.

## § II. *An SS. Dionysius et Ammonius non Alexandriæ, sed in Hispania passi?*

*In Hispania dicuntur passi SS. Dionysius et Ammonius,*

**A***lia sedet sententia quibusdam Hispanis post excusum anno* 1628 *quoddam Chronicon sub Fl. Lucii Dextri nomine, in quo ad an.* 300 *num. 7 hæc leguntur :* Rhodæ in Hispania Celtibera sancti Martyres Dionysius et Ammonius. *Ad quem locum Franciscus Bivarius annotat,* horum diem natalem in XIV Februarii incidere, ut apud Bedam, Adonem et Usuardum videre est his verbis : Item SS. Dionysii et Ammonii decollatorum. *Locum ipse adjungit, ex illo Chronico,* Rhodam Celtiberam, vocarique nunc Ruedam, ubi celebre adest cœnobium Cisterciensis Ordinis ad Iberi confluentem. *At Didacus Portocarrerus par.* 1 *Historiæ Ercavicensis cap.* 14 *et* 15 Ruedam *statuit aliam*, non procul ab Ercavica, quæ hodie Molina dicitur. *Verum ab utroque dissentit Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico ad* XIV *Februarii*, *et* Rosas

*Rhodæ, quæ triplex assignatur :*

B in Catalania, *antiquis* Rhodam *et* Rhodophen *appellatas, arbitratur intelligi : sed eam extra Celtiberiam fuisse alii ostendunt. Frustra controverti de loco innuit Rodericus Carus in Notis ad dicti Chronici verba pag.* 107 *litt. S. ubi ait,* SS. Dionysium et Ammonium in Martyrol. Rom. XIV Febr. Alexandriæ, non Rhodæ, passos inveniri.

7 *Huic sententiæ adversatur vehementer idem Tamayus Salazar, arguens* Petrum Equilinum, *qui* cum insequi debuisset Bedam, Usardum, Adonem, Notkerum, non fecit, quin imo apud Alexandriam passos effinxit. Cujus novitatem ut vidit Petrus Galesinius, protinus illi adhærentem, commento vires adauxisse. Istorum Baronium in Romano a se reformato amplexum sententiam, omissis antiquioribus, etiam Alexandrinos fecisse. *Contra allegat* Ferrarium, *qui* in nova Sanctorum Topographia hos Martyres ab Alexandria penitus amandet, ut videre est fol. 4 verbo, Alexandria. *Verum oscitanter legit Ferrarium, qui præfatur, quod* innumeri Martyres Alexandriæ sub diversis Imperatoribus passi *sint, se* eos tantum recensere, qui in Romano Martyrologio desiderantur, *ac ne quidem meminit ad* XIV *Februarii* SS. Bassi, Antonii, Protolici, *quos* Beda, Usuardus, Ado, Notkerus Alexandriæ *adscribunt : quibus alios secundæ classis Martyres addunt Martyrologia Tornacense et Lætiense, ante illorum forte tempora exarata, uti et Coloniense : quibus alii cum Martyrologio Romano adjungunt* SS. Dionysium et Ammonium, *nec refragantur dicti* Beda, Usuardus, Ado, Notkerus. *Demum in Martyrologio Romano sive S. Hieronymi, quod ante mille circiter annos exaratum, apud nos extat, alii novem adjunguntur.* D

*an iidem qui Alexandriæ decollati traduntur ?*

8 *Sed pergit Tamayus :* Si cupis, *inquit*, dissidii solvere involucrum, audi Flav. Dextr. in Chronico anno CCC, qui et tibi locum præbebit agonis et temporis exhibebit computum, absque tergiversatione martyrii. *ac dein ejus verba addit, quæ repeto :* Rhodæ in Hispania Celtibera sancti Martyres Dionysius et Ammonius. *Verum unde constat de iis agere* Bedam, Usuardum, Adonem, Notkerum? *Quomodo probatur* decollatos *esse, et quidem* die XIV Februarii? *Nam in solo Martyrologio S. Hieronymi tres* Sancti Dionysii *hoc* XIV *Februarii referuntur* Alexandriæ passi, *et præter socium* Ammonium *alius* Ammon *alibi passus traditur. Hinc tametsi minime dubia esset hujus Chronici auctoritas, non tamen continuo* SS. Dionysium et Ammonium Hispanos *referri posse ad* XIV *Februarii conjicerem, multo minus auderem Martyrologio Romano obniti. Possent Alexandrini suos retinere Martyres, possent et Hispani aliquo die anni suos habuisse Martyres, ac sic ea sopiri disceptatio.* E

*id non probatur ex Dextri Chronico.*

9 *Masinus in Bononia perlustrata ad* XIV *Februarii tradit aliquas reliquias* S. Ammonii *adservari in templo sanctimonialium quæ a Jesu Maria appellantur, de quarum instituto agit ad Kalendas Januarias.*

*Reliquiæ S. Ammonii Bononiæ.*

### DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

G. H.

## SATURNINO, ADVOTO, PRÆCUNO, MAXIMO.

XIV FEB.

**S***anctos hosce athletas alio a præcedentibus anno atque occasione passos arbitramur, qui seorsim, variis aliis Martyribus interpositis, in antiquo Martyrologio Romano, quod diximus sæpius S. Hieronymo attribui, ita indicantur :* In Alexandria Saturnini, Advoti, Præcuni, Maximi. *Hactenus non meminimus ullum* Advotum aut Præcunum *in Fastis sacris repertum esse.* Saturnini *et* Maximi *plurimi occurrunt.* XXXI *Januarii colitur* Saturninus *Martyr Alexandrinus, sed cum* XI *aliis sociis, et* XXVII *Decemb.* S. Maximus *Episcopus Alexandrinus, qui S. Dionysio anno* XII *Gallieni Imperatoris successit.*

C F

# DE S. VALENTINO PRESBYTERO

## MARTYRE ROMÆ, VIA FLAMINIA,

G. H.

### Commentarius prævius.

ANNO CCLXIX XIV FEB. *S. Valentini memoria in Martyrologiis :*

**I***llustris S. Valentini Presbyteri et Martyris Romani memoria in Fastis omnibus, ac Breviariis Missalibusque. Martyrologium antiquum Romanum a Rosweydo editum :* Romæ Valentini Presbyteri, *in Centulensi MS additur,* et Martyris. *Beda, Usuardus, Ado in excusis et manu exaratis codicibus, Rabanus, Notkerus, Bellinus, MSS. Martyrologia, Tornacense S. Martini, Lætiense, Ultrajectinum S. Mariæ, S. Cyriaci, aliaque eisdem fere verbis hæc tradunt :* XVI Kalendas Martii, Romæ natalis B. Valentini Presbyteri, qui post multa sanitatum et doctrinæ insignia, fustibus cæsus, et sic decollatus est sub Claudio Cæsare. *At Romanum incipit :* Romæ via Flaminia natalis B. Valentini Presbyteri et Martyris, qui post multa *etc. Nonnulla exemplaria apponunt*, pro fide Christi *decollatum esse. In paucis hæc clausula legitur :* Et a SS. Mario et Martha filiisque eorum venerabiliter traditus sepulturæ. *Imo illis tum carceri inclusis, sepultus est a Sabinella, illustri matrona. Alia, ex Actis desumpta, habent elogia Maurolycus, Galesinius, Ghinius, Canisius.*

2 *Vita S. Valentini continetur in Actis SS. Marii, Marthæ, Audifax et Abachum, quæ ad* XIX *Januarii edidimus ex Bonino Mombritio et pluribus antiquis MSS. duximusque fide dignissima : neque scimus, quid in iis reprehensioni obnoxium perspexerit Baronius ad an. Ch.* 270 *num.* 8, *ubi alia tradit, sed ex hisce contracta : quæ ex eo in tertia editione Surii sunt ad hunc* XIV *Februarii publicata, eliminatis prioribus Actis, quæ Surius, sed stylo emendato, ediderat. Gesta solius S. Valentini exhibent*

*Acta ex Vita SS. Marii, Marthæ etc.*

A *exhibent MSS. Ultrajectinum S. Salvatoris, et Romanum Patrum Oratorii. Sunt ea in sex Lectiones, quæ ad Matutinum recitabantur, distributa, quam nos distinctionem tenemus. Congruunt iis, quæ in antiquis Breviariis Hispaniarum, Galliarum, Germaniarum traduntur: cum quibus eadem collata damus. In plerisque Breviariis eadem Oratio legitur, quæ in Missali ac Breviario Romano habetur, ex libro Sacramentorum S. Gregorii. In aliquibus Breviariis colitur cum SS. Vitale, Felicula, Zenone, præposito nomine Valentini in Oratione, quam supra de illis dedimus. Eadem Acta in compendium redacta ediderunt Lippelous, Haræus, Ferrarius aliique, et quotquot Vitas Sanctorum in vulgares linguas verterunt.*

*Martyrium an. 269.*

3 *Martyrium obiit S. Valentinus sub Claudio* II, *qui regnare cœpit anno Chr.* CCLXVIII *circiter diem* IX *Kalend. Aprilis usque ad initium anni* CCLXX, *ut obitus necessario conferendus sit in annum* CCLXIX, *neque enim mense Februario anni insequentis in vivis fuit Claudius. Athletæ hujus palæstra fuit* via Flaminia, *quæ teste Strabone lib.* 5 e Roma per Etruriam et Umbriam Ariminum usque *munita strataque fuit: a qua urbis Romanæ porta, quæ ante ob Tiberim flumen vocabatur Flumentana, dein Flaminia appellata est: quam subsecutis temporibus* portam S. Valentini *dictam tradit, qui seculo Christi* XII *floruit, Willielmus Malmesburiensis lib.* 4 *historiæ Regum Anglorum in Wilhelmo* II B *Rege, ubi, dum portas Romanas describit, ista habet:* Secunda porta Flaminia, quæ modo appellatur S. Valentini, et Flaminia via, et cum ad pontem Molbium pervenit, vocatur via Ravennana, quia ad Ravennam ducit. Ibi in primo milliario foris S. Valentinus in sua Ecclesia requiescit. *Hac nostra ætate vocatur* Porta populi, *quod frequentiori hominum affluxu teratur: Via hæc Flaminia, seu S. Valentini, paullo ultra primum ab urbe lapidem a Tiberi fluvio intersecatur eo loco ubi* pons Milvius *(Malmesburiensi* Molbius, *in Actis MSS. S. Leopardi Martyris* XXX *Septembris* Molinus, *Italico sermone* Ponte-mole) *hactenus conspicitur.*

*extra portam Flaminiam, (quæ dein porta S. Valentini dicta, nunc Porta populi appellatur) et ultra Milvium pontem:*

4 *Ultra hunc pontem* in primo, *ut dictum,* milliario *S. Valentinus capite plexus est: cujus* corpus Savinellam collegisse, ac sepelisse in eodem loco ubi decollatus est *Acta habent: adduntque in MS. Romano*, ibi postea a Julio Papa fabricatam esse ecclesiam in honorem S. Valentini Presbyteri et Martyris, et mirifice decoratam. *Anastasius vero Bibliothecarius de Vitis Pontificum in ejusdem S. Julii gestis illum non ecclesiam solum, sed cœmeterium etiam ibidem construxisse scribit.* Fecit, *inquit*, duas basilicas in urbe Romana, unam juxta forum, et aliam via Flaminia. Fecit autem et cœmeteria tria, unum via C Flaminia, et aliud via Aurelia, atque aliud via Portuensi. *Paulus Aringhus lib. 4 Romæ subterraneæ cap.* 39 *asserit illud* cœmeterium unicum via Flaminia situm esse, quod B. Julii Papæ nomine, qui illud extruxit, ac item S. Valentini Martyris qui conditus ibidem fuit, ad hanc usque diem nuncupatur. *Sedit S. Julius Papa ab anno* CCCXXXVI *ad annum* CCCLII, *coliturque* XII *Aprilis.*

*sepulchrum, ecclesia a S. Julio Papa exstructa, cœmeterium,*

5 *Priore hac ecclesia destructa*, Theodorus Papa, *ut idem narrat Anastasius*, fecit ecclesiam B. Valentino via Flaminia juxta pontem Milvium a solo, quam ipse dedicavit, et dona multa obtulit. *Theodoro huic successit S. Martinus anno* DCXLVII *ut alibi ostendimus. Eamdem ecclesiam exornarunt alii Pontifices.* Benedictus II, *qui anno* DCLXXXIV *sedit*, in ecclesia B. Valentini via Flaminia fecit coopertorium super altare, cum clavis et sistellis, et in circuitu perlargum chrysoclavum pretiosissimum. *Seculo sequenti S. Hadrianus, qui ab anno* DCCLXXII *ad* DCCXCV *sedit*, fecit in basilica S. Salvatoris vestem de stauracin, seu cortinam majorem ex palliis quadrapolis.... In basilica autem B. Valentini simili modo fecit vestem de D stauracin. *S. Hadriani successor* Leo III in ecclesia S. Valentini fecit vestem chrysoclabam, et aliam vestem fecit de fundato pulcherrimam. *Et postea:* Fecit autem et in Ecclesia S. Valentini Martyris, quæ ponitur foris murum, ubi corpus ejus requiescit, fecit coronam de argento pensante libras sex. *Idem* Sanctissimus Pontifex sarta tecta basilicæ B. Valentini Martyris sita via Flaminia, quæ jam præ nimia vetustate ruitura erant, prudentissimo studio mirifice a novo refecit. *Denique Gregorius* IV, *qui ab anno* DCCCXXVII *Ecclesiam rexit*, in ecclesia S. Valentini fecit vestem de fundato et gammadias de octapulo. *Hæc Anastasius. Est autem* gammadia, *seu* gammadium, *vestis patriarchalis et episcopalis, a forma triangulari auro expressa, quæ figuram litteræ γάμμα imitabatur, dicta. At* stauracinæ vestes, *quibus intexti pampini: στουράκια Moschopulo ἕλικες* tortiles pampini: *dictæ autem a forma* quadrapolæ, octapolæ, *uti judicat Ludovicus la Cerda noster in Adversariis sacris cap.* 55 § 13, *quem consule.*

*alia de novo ecclesia extructa a Theodoro Papa, exornata a Benedicto* II, *S. Hadriano* I,

AUCTORE G. H.

*S. Leone* 3. *Gregorio* IV.

6 *Ceterum ecclesiam S. Valentini celeberrimam olim extitisse ac præcipuo conspicuam cultu, indicat receptus antiquæ consuetudinis ritus, secundum quem totus Romanæ urbis Clerus ad eam accedebat, dum publicæ supplicationes haberentur, quæ Litaniæ majores dicuntur, et in festo S. Marci celebrari consueverunt.* Tunc, E *inquit Aringhus cap.* 39, universa populorum collecta apud ecclesiam B. Laurentii in Lucina, ipso Bibliothecario in S. Leonis Papæ III gestis teste, fiebat: inde vero omnes ac singuli ad eamdem S. Valentini ecclesiam ordinatim procedebant: a qua per Milvium pontem ac Neroniana prata solenni ritu ad S. Petri basilicam progredientes, uno agmine et unanimi in supplicantium morem cœtu deveniebant. Sacræ autem ac recolendæ ejuscemodi supplicationis ordo in MSS. duobus vetustissimis ejusdem basilicæ codicibus recitatur: ubi et Collectæ inseruntur, quæ in eadem supplicatione recitari solent. *Illas numero quinque recenset Aringhus sub his titulis:* VII Kalendas Maii. Litania major. Ad S. Laurentium Oratio I ad Collectam. Ad S. Valentinum II. Juxta pontem Milvium III. Ad crucem Dominicam IV. *et* In atrio S. Petri V.

*Supplicatio solennis ad ecclesiam S. Valentini in Litaniis majoribus,*

7 *Denique, ne quid ad pium ac religiosum S. Valentini cultum ejusdemque ecclesiæ celebritatem deesset, hæc eadem ecclesia Abbatiæ olim titulo decorata est, et inter ceteras Urbis Abbatias a Petro Mallio apud Aringhum his recensita:* Extra Urbem via Flaminia Abbatia S. Valentini. *In vetusto etiam basilicæ S. Petri rituali hæc legi dicuntur:* Abbatia S. Valentini juxta pontem. Nunc vero, ut videre est, *addit Aringhus*, F Ecclesia ruinis obruta ac penitus inculta jacet: ejus tamen memoria, ut et ipsius cœmeterii, haud omnino inolevit. *Nam, ut tradit cap.* 41; dum lynceus sacrarum antiquitatum explorator Bosius Flaminiam viam, cœmeteria, si quæ ibi forte laterent, investigaturus, frequenter terit, atque perlustrat, in villa Fratrum Eremitarum S. Augustini, quæ via eadem est, dextrorsum quidem Milvium pontem respiciendo progrediens, nonnulla antiquissimæ B. Valentini ecclesiæ vestigia, perexiguas videlicet ejusdem parietinas ostendit, quæ nunc ruinis omnino interceptæ subsidunt. Porro subest villa hæc monti, quem in antiquis quibusdam villæ suæ tabulis Valentini nomine nuncupatum Bosius testatur. Villa autem illa olim Bosii, nunc Abbatis Francisci et Laurentii fratrum de Rosa, nobilium Parmensium, in vertice ejusdem montis sita est: ad cujus radices scrobs quædam perscrutanti se obtulit, in quam ubi primum ille ingressus fuisset, cœmeterialem adinvenit semitam, quæ deduxit ad locum quemdam parvæ cujusdam ædiculæ, vel certe cubiculi formam præ se ferentem

*Abbatia S. Valentini: ecclesiæ dejectæ vestigia: mons S. Valentini, cœmeterii ingressus.*

[A] [*AUCTORE G. H.*] ferentem, in qua sacras nonnullas extare adhuc imagines quamvis magna ex parte exoletas, didicit. *Ita Aringhus, qui iconismum ædiculæ exhibet, cum duabus tabulis rerum in ea inventarum.*

8 *Ex hac S. Valentini æde, corpus sancti Martyris intra Urbem delatum est, atque in ecclesia S. Praxedis in regione Montium collocatum, ubi hactenus pie adservari tradit Pancirolus cap. 42. At caput Sancti depositum est in templo S. Sebastiani extra eamdem portam Flaminiam, quod appellari* SS. Valentini et Sebastiani et monasterium habere adjunctum *tradit idem Pancirolus regione* 10 *cap.* 5, *qui in Indice addit,* digitum ejusdem Valentini esse in ecclesia S. Clementis, aliasque reliquias in aliis ecclesiis ostendi. *Aliquas ejusdem S. Valentini reliquias adservari in duabus ecclesiis Bononiæ tradit Masinus in Bononia perlustrata. Maceratæ in Marchia Anconitana in templo Societatis Jesu, S. Joanni dicato, est brachium S. Valentini, et creditur esse hujus* S. Valentini Presbyteri et Martyris.

*Corpus S. Valentini in S. Praxedis, caput in S. Sebastiani, digitus in S. Clementis, reliquiæ Bononiæ,*

*Maceratæ brachium :*

9 *Aliud ejusdem* S. Valentini Presbyteri et Martyris brachium adservari, et publice venerationi Christianorum exhiberi ac proponi in ecclesia Abbatiæ Benedictinæ S. Dionysii in silva Brochorensi, secundo a Montibus Hannoniæ lapide, *tradit in Hierogazophylacio Belgico Rayssius. Inter sacras Reliquias Domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ, quas Joannes Malderus Episcopus Antverpiensis* XXX *Octobris* [B] *anno* CIↃIↃCXXV *approbavit, est S. Valentini magna ossis pars, de qua aliisque una acceptis hæc leguntur in Episcopali diplomate littera I.* S. Severi Martyris ex IV Coronatis os longum. S. Valerii Mart. ossis longi medietas. S. Valentini Mart. Presb. ossis magna pars. S. Zenonis Martyris os longum. Has reliquias P. Carolus Scribanius anno CIↃIↃCXV acceptas permissu suæ Sanctitatis et Rev. Patris Generalis, Domui professæ tradidit XIV Augusti CIↃIↃCXIX, ut fidem faciunt ejusdem litteræ sigillo Societatis munitæ. *De* S. Zenone *supra hoc die egimus. At S. Valerius colitur* XIV *Junii, et S. Severus* VIII *Novemb. In Gallia aliquas S. Valentini reliquias esse testatur Saussaius in Martyrologio Gallicano his verbis :* Ipso die claret triumphus S. Valentini Presbyteri et Martyris, cujus Reliquiarum pars Roma in Gallias cum aliquot pretiosis Cœlitum lipsanis delata, Meloduni ad Sequanam in S. Petri cœnobio deposita est, non sine signorum divinorum coruscatione.

*aliud in Belgio :*

*aliquæ Reliquiæ Antverpiæ,*

*et in Gallia.*

## ACTA

Ex MSS. Ultrajectino et Romano, Breviario Romano anni CIↃIↃXXII aliisque, collata cum Vita SS. Marii et Marthæ, XIX Januarii. [C]

[*Lect. I*] Tempore quo persequebatur Claudius Christianos, tenuit quemdam Presbyterum, venerabilem virum, Valentinum nomine, et clausit in carcere in compedibus et catenis. Quem post biduum jussit præsentari in palatio suo *b* juxta amphitheatrum. Qui dum præsentatus fuisset aspectibus ejus, dixit ad eum : Quare amicitia nostra non frueris, et *c* vivis cum cœtu Reipublicæ nostræ? satis mirandam sapientiam de te audio, et cum sis sapiens ostendis in superstitione vanitatis. Respondit Valentinus Presbyter, et dixit : Si scires donum Domini, gauderes et tu, et Respublica tua, et refutares dæmones et idola manu facta, et confitereris unum *d* Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli et terræ, maris, et omnium quæ in eis sunt, et filium ejus Jesum Christum. Respondit quidam *e* Legis consultor, qui adstabat Claudio, et dixit voce clara ad B. Valentinum Presbyterum : Et quid disputas de deo Jove vel Mercurio? Respondit Valentinus Presbyter, et dixit : Homines miserrimos et turpes, qui toto tempore vitæ suæ semper in immunditiis et delectationibus et contumeliis corporum suorum male vixerunt. Sed ostende mihi genealogiam eorum, et videbis quam turpes fuerint. [D]

*a S. Valentinus Claudio Imp. adblandienti b c ostendit veritatem fidei Christianæ, d e et vanitatem deorum :*

[*Lect. II*] Respondit Legis consultor voce clara exclamans : Blasphemavit Deos et gubernatores Reipublicæ. Eodem die Claudius magis patienter audiebat, et respondebat ad Valentinum Presbyterum, dicens : Si Christus Deus est, quare mihi, non divulgas, quod verum est? Respondit Valentinus Presbyter, et dixit : Audiat pietas vestra. Tu vero audi me Rex, et anima tua salva erit et Respublica tua augebitur, et inimici tui exstinguentur, et tu in omnibus victor eris, et hic regno frueris, et in futuro seculo. Hoc tantum commoneo, ut pœnitearis de sanguine Sanctorum, quem effudisti, et credas Jesum Christum, et baptizeris, et salvus eris. Respondit Claudius, et dixit adstantibus sibi : Audite cives Romani, et cœtus Reipublicæ, quam sana doctrina divulgatur ab homine isto. Respondit *f* Calpurnius Præfectus, et dixit voce clara : Seductus es, Princeps, in doctrina falsa. Et si justum est, ut derelinquamus, quod a cunabulis nostris coluimus et adoravimus, vos judicate.

*cum benigne auscultantem instruit,*

*f quo averso*

[*Lect. III*] Eadem hora mutatum est cor Claudii, et cum tristitia tradidit eum Calpurnio Præfecto, dicens : Patienter audi eum, et si sanum consilium non est quod declarat, fac in eum, quod in sacrilegum leges præfixerunt. Sin vero, audiatur justa postulatio ejus. [E] Tunc Calpurnius Præfectus suscipiens Valentinum Presbyterum, dedit eum cuidam Asterio Principi suo, dicens : Si potueris eum mollibus sermonibus humiliare, intimabo doctrinam tuam Claudio, et ejus eris amicus, et multiplicaberis divitiis et facultatibus. Accipiens autem Asterius eum, duxit in domum suam. Et cum introisset in domum Asterii Valentinus Presbyter, genibus positis oravit, dicens : Deus omnium rerum, visibilium et invisibilium, factor et creator generis humani, qui misisti filium tuum Dominum Jesum Christum, ut nos præsenti seculo liberares, et de tenebris ad lucem veram perduceres, qui nobis præcipiens, dixit : Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; tu converte domum hanc, et dona ei lumen post tenebras, ut cognoscant te Dominum et Christum, in unitate Spiritus sancti in secula seculorum. Amen. [Matth. 11. 28]

*a Calpurnio Præfecto, traditur Asterio.*

*coram eo invocat Christum :*

[*Lect. IV*] Audiens hoc Asterius Princeps, dixit ad Valentinum Presbyterum : Miror prudentiam tuam, ut dicas, quia Christus vester verum lumen est. Respondit Valentinus Presbyter, voce clara dicens : Vere quia Dominus Jesus Christus, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, verum lumen est, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum. Respondit Asterius dicens : Si illuminat omnem hominem, modo probabo, si Deus est, aut fallaciam tuam extinguam. Et subjunxit dicens : Habeo filiam adoptivam, quam diligo a cunabulis, et subito ante fere duos annos *g* hypochymatis obscurata est fœditate : ipsam adducam ad te, ut, dum curata fuerit, omnia quæcumque præceperis faciam. Respondit Valentinus Presbyter, et dixit : In nomine Domini nostri Jesu Christi adduc eam ad me. Currens vero Asterius anxiando adduxit puellam cæcam ad B. Valentinum Presbyterum. Elevans autem B. Valentinus in cœlum manus, oculis *h* fluentibus lacrymans, dixit : Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, qui misisti filium tuum Dominum nostrum, ut nos de tenebris ad lucem veram vocares, te invoco ego peccator indignus, qui omnes vis salvos fieri, et neminem vis perire, ut cognoscant, quia tu es Deus, et Pater omnium et Creator, qui cæco nato oculos aperuisti, et fœtentem Lazarum de monumento resuscitasti : Te invoco qui lumen es verum, et Dominus omnium Principum [F]

*cum instruit*

*g filiam cæcam,*

*h invocato Christo,*

A Principum et Potestatum, ut non mea voluntas, sed tua fiat super hanc famulam tuam, et dignare eam illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Et posuit manus suas super oculos ejus, dicens : Domine Jesu Christe illumina famulam tuam, quia tu es Deus lumen verum. Et cum hoc dixisset, aperti sunt oculi ejus.

*et manibus impositis illuminat :*

Lect. v

Hoc cum vidisset Asterius, cecidit ad pedes B. Valentini, et ita agebant ambo, dicentes : Per Christum, per quem lumen cognovimus, rogamus, ut, quod scis facias, ut salventur animæ nostræ. Respondit Valentinus Presbyter, et dixit : Ergo facite quod dico : et si ex toto corde creditis, confringite omnia idola, et jejunate, et relaxate culpas omnibus, et baptizetur unusquisque in confessione sua, et salvus erit. Tunc indixit eis triduanum jejunium, et quia multos habebat Asterius in custodia de Christianis, relaxavit omnes. Tribus autem consummatis diebus, die sancto Dominico baptizavit Asterium cum omni domo sua. Et vocavit ad se S. i Callistum Episcopum, qui veniens signavit Asterium cum omni domo sua, animas fere promiscui sexus numero k quadraginta quatuor. Hoc factum audientes Marius et Martha uxor ejus cum filiis suis Audifax et Abbacum, scilicet quia cæca illuminata est a B. Valentino, et per illuminationem ejus omnis domus Asterii credidit, venerunt cum gaudio ad domum Asterii, gratias Deo agentes, et fuerunt ibi dies triginta duos.

*credentem,*

*post triduanum jejunium,*

*baptizat cum familia ad 44.* i k

*gratulantibus SS. Mario, Martha, Audifax et Abbacum,*

B

Post hos dies requisivit Claudius Asterium Principem. Et nuntiatum est illi, quia illuminata fuisset puella in domo ejus, et per hoc signum baptizatus esset in nomine Christi cum omni domo sua per Valentinum Presbyterum. Qui iratus misit milites, et tenuit omnes, quos invenit in domo ejus. Et cum adducti fuissent vincti, inter quos erant Marius et Martha, Audifax et Abbacum nobilissimi ex Perside, qui venerant ad orationem sanctorum Apostolorum: jussit eos separari a congregatione Sanctorum, et præcepit Asterium cum omni domo sua duci vinctum in civitatem Ostiam, et ibi eum sub pœnarum examinatione l exhalare. Marium et Martham, Audifax et Abbacum per se audiri. Valentinum vero Presbyterum fustibus cædi, et subire sententiam ut capite truncaretur. Qui decollatus est via Flaminia sub die sexto decimo Kalendarum Martiarum. Cujus corpus collegit quædam matrona m Savinella, et sepelivit in eodem loco, ubi decollatus est, accipiens coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. n Ibi postea a Julio Papa fabricata est ecclesia in honorem S. Valentini Presbyteri et Martyris, et mirifice decorata, in qua devote petentibus beneficia Domini præstantur usque in hodiernum diem.

*His jussu Imperatoris occisis,*

D EX MSS.

*S. Valentinus capite plectitur,* m *sepelitur :* n *ei ecclesia construitur.*

a *In Actis S. Marii et sociorum* 19 *Januar. incipit caput.* 2. Tunc tenuit Claudius quamdam *etc. MS. Ultraject. incipit :* Claudius Imperator quamdam. *Breviarium Rom. anni* 1522, Romæ natale S. Valentini Presbyteri et Martyris quem Claudius Imperator ad se adduci faciens reclusit in carcerem *etc. Similia habent Breviaria, Eborense anni* 1548, *Passaviense* 1505. *Slesvicense*,1512 *aliaque, sed brevius. Andegavense, Turonense, Lexoviense, aliaque ita incipiunt :* Valentinus Presbyter sapientiæ eximiæ multa edidit sanitatum et doctrinæ insignia. Is Claudio in Christianos sæviente de Christiana religione accusatus *etc. Moguntinum anni* 1570. Valentinus Presbyter urbis Romæ, ea persecutione, quæ sub Claudio secundo excitata fuit, comprehensus *etc. Alia aliter paullulum incipiunt, re omnia conveniunt.* — b *MS. Ultraject.* in amphitheatro — c *Breviar. Rom. an.* 1522, unus sis. — d *Ita idem Breviar. alii,* Dominum omnipotentem et Jesum Christum filium ejus, Creatorem *etc.* — e *Idem breviar.* Regis consultor. *MS. Ultraject. solum* Consultor. — f *MSS* Calphurnius. *Acta S. Marii*, Calpurnius, *MS. Ultraject.* Calporinus, *Breviar.* Calphurnianus. — g ὑπόχυμα *suffusio est, vitiose MS. Rom.* ymocimatis *MS Ultraject.* epithematis obscuritate fœdata est. — h *MS. Ultraject.* flentibus. *Acta S. Marii*, fluentibus lacrymis. — i *MS. Ultraject.* Callistum *MS. S. Maximini* Capiasium *Baronius an.* 270 *num.* 14, *quia Romæ sedebat S. Dionysius Papa, existimat* proximum Portuensem *aut* alium quempiam intelligendum esse. — k *Acta S. Marii et Breviaria.* quadraginta sex. — l *Eadem Acta*, judicium sumere, *aliqua MSS.* exhalare spiritum. *In eisdem Actis additur martyrium S. Asterii et sociorum, quos arbitramur* 18 *Januarii coli, ut ad eum diem diximus.* — m *Eadem Acta* Savinilla, *MS. Ultraject.* Sabbillina. *Surius* Sabinella *etiam Martyr habetur, ut supra inter Prætermissos dictum.* — n *Reliqua solum habentur in MS. Romano. De Julio Papa supra egimus. In Breviariis Turonensi, Andegavensi, Lexoviensi, aliisque tradunt* capite plexum juxta pontem Milvium, ubi postea S. Theodorus Papa ecclesiam Martyris nomine ædificavit, multisque locupletavit donis.

E

# DE S. VALENTINO I

## EPISCOPO INTERAMNÆ IN UMBRIA, MARTYRE,

### Commentarius prævius.

G. H.

*CIRCA AN. CCLXXIII XIV FEB.*

*Interamnæ urbe Umbriæ* 3 *Episcopi Valentini.*

Interamna *urbs Umbriæ antiqua, inter amnis Naris cornua, qui situs nomen ei peperit, ab Apostolorum discipulis illuminata, fidem Christi inter primas Umbriæ civitates creditur suscepisse. Tertius hujus urbis Episcopus habetur in Italia sacra Ughelli* S. Valentinus *Martyr. Alter ibidem Episcopus Valentinus Confessor, de quo egimus* VII *Januarii, vixit circa annum* CCCCXC, *post quem duobus interpositis floruit Valentinus III ejusdem urbis Episcopus circa annum* CCCCLX.

C

2 *Quæ S. Valentinus primus Interamnæ gesserit, ita narrat idem Ughellus :* S. Valentinus, *inquit*, Romanus, ex nobili prosapia, ut videtur non nemini, cum sanctissimis moribus esset, nobiliter litteris excultus, a S. Feliciano Episcopo Fulginate, qui illam provinciam tunc temporis per prædicationem ad Christum adducere conabatur, supplicante populo, Interamnensis Episcopus ordinatus est, circa annum Dominicæ salutis CCIII. *Eo anno S. Felicianum Romæ a S. Victore Papa consecratum esse Episcopum tradit in hujus Vita Ludovicus Jacobillus, quam ex Italico Latine versam dedimus* XXIV *Januarii. In ea hæc leguntur cap.* 1 *num.* 7. Hac auctus potestate, *S. Felicianus*, summique Pontificis benedictione, iter Fulginium versus arripuit cum suis, Divinæ gloriæ Christianæque fidei propagandæ studio æstuans. Comes illi itineris Abundius Interamnas fuit, vir sanctitate et doctrina conspicuus, qui postmodum martyrii lauream adeptus est, existimaturque is esse Abundius, qui Romæ cum Irenæo XXVI Augusti anno CCLXI gloriosum certamen peregit. Vulgata sanctitatis fama, amplissimæque potestatis, quæ Feliciano erat collata, Interamnæ appropinquantem, ejus urbis Clerus obviam progressus, maxima excepit honoris et reverentiæ testificatione. Hospitio isthic usus et Valentini Diaconi, clari cumprimis civis, et virtute eruditioneque præstantis, qui ante memorati Abundii germanus erat, et nobile martyrium Romæ XIV Februarii sub Placido Præfecto subiit. Hic Felicianus prædicationem insigni doctrina et ardente quodam spiritu auspicatus, multis in ea urbe ut Christianis sacris initiarentur, persuasit. Aliquot isthic commoratus est dies cum optimis suis hospitibus Valentino et Abundio, identidem erudiens atque exhortans populum, ipsumque tandem Valentinum Episcopum sacravit, et petentibus Interamnatibus præfecit : Sacerdotes quoque complures ordinavit, quasdam reparavit ecclesias, omnique populo benedixit. *Hæc Jacobillus, qui S. Valentinum, non Romanum, sed Interamnatem statuit cum S. Abundio, de quo suo tempore reliqua examinanda hic omittimus. De Episcopatu S. Valentini in Actis ejusdem Feliciani ex MSS. Metensi et Trevirensi hæc edidimus :* Tunc namque *S. Felicianus* Valentinum Diaconum Interamnentium civitatis, dum sibi fortiter adhærere recognosceret, permissu supradicti Victoris

*primus nobilis, litteris excultus,*

*fratrem habuisse creditur S. Abundium Martyrem,*

*hospitio excipit S. Felicianum Episc. Fulginatem,*

F

*ab eo Episcopus ordinatur :*

*permissu S. Victoris Papæ,*

*AUCTORE G. H.*

A toris eum Episcopum ipse sacravit: aliosque nonnullos, quos ipse docuerat, per Domini aspirationem Presbyteros ordinavit.

*congregationes instituit,*

*erudit varios, dein Martyres:*

3 S. Valentinus in dignitate Episcopali *constitutus, ut pergit Ughellus,* ubique et semper studium Christianæ pietatis mirabiliter ostendit. Duas Congregationes instituit, alteram Clericorum, Virginum alteram, e quarum S. Agapes fuit. Erudivit præterea in fide Saturninum, Castulum, Magnum, atque Lucium qui postea illustres Martyres evasere, quorumque meminit Martyrologium Romanum die XV mensis Februarii, Ecclesiaque Interamnensis concelebrat festum die XVII ejusdem mensis. *Hæc ibi. De S. Agape Virgine et Martyre agemus cum eadem Ecclesia Interamnensi* XV *Februarii. Joan. Tamayus Salazar Martyrologio Hispanico inscripsit S. Valentinum ad* XIV *Februarii, ejusque Acta addit ex Legendario MS. Asturicensi, in quibus Sedes ejus Interamna, non Umbriæ urbs, quæ vulgo* Terni *dicitur, sed altera Aprutiorum civitas,* Teramo *passim appellata, asseritur. Ita enim incipiunt illa Acta:* Valentinus Interamnæ nobilis nascitur in Italia Aprutii in Præcutiorum finibus intra colles Apennini montis, qui præmissis primarum studiis litterarum, ad Diaconii ministerium accitus est, omnesque suæ ætatis et majoris Clericos superando, postulante populo et

B instante Clero, a S. Feliciano Fulginensium Episcopo Interamnensium Præsul effectus est. Hoc novo indutus onere, ad religionis Christianæ fidem propagandam animum convertens, duas Clericorum et Virginum congregationes, ex cujus claustro quædam mirabilis Agapes alumna virgo processit, *instituit. Hæc in MS. Asturicensi.*

*zelosus fidei propagator:*

*Acta martyrii et Romæ gesta,*

4 *Quæ a S. Valentino, ante martyrium Romam evocato, in extrema vita præclare gesta sunt, extant accurate ab antiquo auctore scripta. Ea Surius ex pervetustis MSS. codicibus, sed, ut monet, stylo aliquot locis modice mutato, ad hunc diem edidit: quæ nos, primigeniis verbis servatis, damus ex Mombritio, et MSS. variis, potissimum Gladbacensi in Ducatu Juliacensi, S. Maximini prope Treviros, Ultrajectino, alio codice nostro, alio Serenissimæ Christinæ Suecorum Reginæ. Extant eadem in monasterio S. Huberti et in Cæsaris-insula. Recitantur eadem Acta, sed aut contracta, aut non integra, in Officio Ecclesiastico ad Matutinum in varias lectiones distributa: uti videre est in antiquis Breviariis, Argentoratensi anni* 1478, *Spirensi anni* 1477, *Osnabrugensi anni* 1516, *Erfurtensi anni* 1518, *Surisburiensi admodum antiquo, Insulensi, Brugensi, Lingonensi aliisque. Additur eadem Oratio, seu Collecta, quæ de S. Valentino Presbytero habetur in libro Sacramentorum S. Gregorii, et hactenus in Breviario*

*in variis Breviariis relata,*

C *et Missali Romano: in aliquibus dignitas, seu gradus Pontificis aut Episcopi interponitur. In Erfurtensi Breviario tres priores Lectiones de S. Valentino Presbytero recitantur, quibus totidem de S. Valentino Episcopo Interamnensi adduntur. In codice Patrum Oratorii Romæ Vita S. Valentini Presbyteri in sex Lectiones distributa est, quibus adduntur septima, octava, nona de Vita S. Valentini Episcopi Interamnensis, quæ illic minus quam in aliis Breviariis contracta est. Baronius hæc forsan Acta intelligit dum in Notis ait,* haberi eorumdem vetustiora exemplaria MSS. in sua bibliotheca. *Alia Vitæ hujus compendia ediderunt Petrus Equilinus in Catalogo lib. 3 cap.* 122, *qui* Episcopum Ichtyranensem *appellat, Georgius Vicelius, qui* Ithuraeam in Parthia *collocat, sed* Interamnæ *potius credit Episcopum fuisse. Zacharias Lippelous,* ex ea, *inquit,* quæ optima fide extat apud Mombritium, *Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ.*

*ab aliis scriptoribus contracta.*

*memoria sacris Fastis inscripta.*

5 *Celebris est ejusdem S. Valentini antiquis Martyrologiis adscripta veneratio. In antiquo Romano, quod S. Hieronymo attribuitur, hæc primo loco leguntur:* XVI Kalend. Martii Interamnæ via Flaminia Natalis Valentini. *Occisus est illa via alter* S. Valentinus, *ut videatur utriusque memoria confusa. Utrumque passim alii celebrant, et de hoc vetus Romanum a Rosweydo editum hæc habet:* S. Valentini Interamnensis Episcopi. *MS. S. Richarii:* Interamnis S. Valentini Episcopi et Martyris. *Beda, Ado, Rabanus, Notkerus, Martyrologia MS. S. Cyriaci, S. Maximini Treviris, S. Martini Tornaci, Lætiense, Aquisgranense, aliaque hoc elogio, ex Actis sumpto, exornant:* Eodem die natalis S. Valentini Interamnensis Episcopi, qui tentus a paganis ac virgis cæsus, et post diutinam *(aliis* diuturnam) cædem custodiæ mancipatus, cum superari non posset, mediæ noctis silentio ejectus de carcere decollatus est, jussu furiosi Placidi Urbis Præfecti. Tunc Proculus, Ephebus et Apollonius discipuli transferentes ejus corpus ad suam Ecclesiam Interamnæ urbis, noctu sepelierunt. Ubi cum quotidianis vigiliis incubarent, tenti a Gentilibus, custodiæ sunt traditi Consulari Leontio, quos ille jussit noctis medio suis tribunalibus præsentari, et cum a fide revocari, nec blandimentis, nec minis possent, jussit capite cædi. Qui non longe sunt a corpore S. Valentini sepulti. *Quorum martyrium officio Ecclesiastico celebrat* XVI *Februarii Ecclesia Interamnensis. Solius Valentini meminerunt Usuardus, Bellinus, MSS. Martyrologia Leodiense S. Lamberti, Ultrajectinum S. Mariæ, aliaque: quarum verba fere in Martyrologio*

E *Romano extant:* Interamnæ S. Valentini Episcopi et Martyris, qui post diutinam cædem custodiæ mancipatus, cum superari non posset, mediæ noctis silentio ejectus de carcere, decollatus est, jussu Placidi Urbis Præfecti. *In Martyrologio Romano additur martyrium* SS. Proculi, Ephebi *et* Apollonii. *Alia ex Actis elogia formarunt Galesinius et Maurolycus, et* Chæremonem *S. Cratonis filium ab eo sanatum tradunt. S. Cratonis natalis est* XV *Februarii.*

*floruit seculo Christi* III,

6 *Quo tempore floruerit* S. Valentinus, *indicant Acta MSS. S. Feliciani, a quo* permissu S. Victoris Papæ *est Episcopus consecratus. Præfuit Ecclesiæ S. Victor ab anno* CXCII *ad annum* CCI, *quando martyrio coronatus est* XXVIII *Julii: in cujus locum* circiter annum nonum Severi Imperatoris successisse S. Zephyrinum *docet Eusebius lib.* 5 *Histor. Eccles. cap.* 27. *Martyrium obiit S. Felicianus in septima persecutione a Decio anno* CCL *in Christianos mota. At sub quo Imperatore passus sit S. Valentinus, nescitur.* Arbitrantur, *inquit Ughellus,* circa an CCLX, alii CCLXXIII sub Aureliano, *qui persecutionem, quæ nona habetur, in Christianos instauravit. Ast Aureliani decessorem Claudium* II *tradunt Acta S. Valentini in MS. nostro, quæ sic incipiunt:* Tempore Claudii Imperatoris fuit quidam Christianus, nomine Valentinus, Interamnæ civitatis Sacerdos, qui illustre duxit martyrium sub Placido urbis Romæ Præfecto. Cum igitur Athenienses nobiles nati Proculus *etc. Sed potuit conversio Cratonis aliorumque contigisse sub Claudio, ac martyrium sub Aureliano. Quocumque sub Imperatore occubuerit, id factum est seculo Christi tertio, et menda variorum scriptorum ultro innotescunt. In Legendario MS. Asturicensi, dicitur et* Præsul a S. Feliciano effectus, *et* jussu Placidi fractis cervicibus vitam invenisse æternam anno Domini CXI imperante Trajano. *Quæ non cohærent, atque ab alio Valentino Martyre perperam ad hunc translata.*

*num mortuus sub Aureliano aut Claudio*

F

*non sub Trajano,*

7 *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad* XXX *Septembris, citatis* Ecclesiæ Aquisgranensis Lectionibus, *refert* S. Leopardum Martyrem, *cujus in ea Ecclesia corpus adservatur,* Romæ juxta pontem Molvium scholasticum fuisse Valentini, *illumque* Juliani decreto extra muros civitatis fuisse decollatum, *atque a* Valentino Utricolæ sepultum. *Eadem habent Acta MSS.* et pontem Molinum, *qui* Milvius *est, appellant*

*neque sub Juliano,*

A *pellant, de quo egimus ad Acta S. Valentini Presbyteri et Martyris. Molanus arbitratur* Valentinum dictum, esse Interamnensem Episcopum, cujus tempus in gestis non exprimitur. *Molanum sequuntur in Historia Aquisgranensi Petrus Beeckius cap. 9, et Franciscus Haræus, ad* XIV *Februarii. Molanum oppugnat Ferrarius in Notis ad S. Leopardi Vitam, asseritque* S. Valentinum Episcopum Interamnensem sub Diocletiano martyrio affectum fuisse : *neque est ipse Ferrarius satis sui memor, qui ad diem* XIV *Februar. dixerat* sub Imperatore Aureliano circa an. CCLXXIII caput illi amputatum. *Et in nova Topographia,* sub Claudio *Martyrem occubuisse : quando* S. Valentinus Presbyter *Christi athleta obiit. Hius vero* Valentinus S. Leopardi Magister *nusquam in hujus Actis aut Sanctus aut Martyr appellatur.*

*neque tempore Justini Imp.*

8 *Annotat idem Ferrarius ad* XIV *Februarii,* acta alterius Valentini Episcopi Interamnensis, qui sub Justino Imperatore, a nonnullis cum hujus actis confundi : *quod in hujus successore Proculo etiam observat Ughellus. Lippeloos etiam, seu Cornelius Grassius, in recognitione ad Acta S. Valentini præmonet,* hunc alium esse ab eo, cujus meminit Petrus in Catalogo lib. 1 cap. 15 in Vita S. Proculi Episcopi et Martyris, qui vixit temporibus Justini Imperatoris. *Ob* B *quem locum Tamayus Salazarius ait illos* martyrium *hujus* Valentini ad tempora Justini Imperatoris rejicere, *cum prorsus asserant cum Baronio,* passum videri tempore Gentilium Imperatorum. *In breviario Wormatiensi anno* 1578 *excuso Legenda S. Valentini ita desinit :* Senatores indignati, Valentinum virgis primo cædunt, postea decollaverunt, anno Domini millesimo quadragesimo octavo. *Mendum suspicor in numeris alicubi irrepsisse, et forte scriptum fuisse* anno CCXLVIII, *et a quopiam descriptum* anno CIƆXLVIII.

*neque an 1048.*

*Corpus inventum an. 1605.*

9 *Corpus S. Valentini anno* CIƆIƆCV, *die* XXI *mensis Julii, ab Episcopo Interamnensi repertum fuisse in arca plumbea tradunt Ughellus et Ferrarius : qui in generali Catalogo ad illum diem ita consignat hanc inventionem :* Interamnæ in Umbria Inventio S. Valentini Episcopi et Martyris, *annotatque de eadem agi* in monumentis ejusdem Ecclesiæ *MSS. seu needum excusis. Præfuit tunc Ecclesiæ Interamnensi Episcopus Joannes Antonius Honoratus, anno sequente* CIƆIƆCVI *vita functus. Fuerunt simul inventa corpora* SS. Proculi, Ephebi et Apollonii, *uti dicemus* XVI *Februarii.*

# VITA

## auctore anonymo antiquo, *ex* V *MSS. et Mombritio.*

*S. Valentinus clarus virtute miraculorum,*

C Propheta loquitur ad Deum : Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. In ipsa ergo multiplicatione illi specialiter ad Deum pertinent, qui vitam suam voverunt Creatori, ita ut corpus et animam intentissime Christo faciant adhærere. Unde beatus vir Interamnensis Episcopus, S. Valentinus, bene vivendo meruit virtutibus adhærere, quæ virtutes latentem hominem omnimodo credentium animis perspicuum tradiderunt.

*a evocatur Romam a S. Cratone ob morbum filii.*

2 Igitur cum Athenienses quidam, nobiles nati, Proculus, *a* Ephebus et Apollonius, scholastici viri apud Græcos, Latina studia desiderassent, apud Cratonem civem suum, oratorem utriusque linguæ in urbe Roma hospitabantur, cujus et magisterio et hospitio fovebantur. Factum est autem, ut unicus Cratonis filius, *b* Chæremon nomine, juvenis scholasticus, sic incurreret ægritudinem, ut incurvatus dorso, caput habens inter genua, remaneret. Cumque omnes pene medici, qui in urbe Roma erant, nulla ei possent ratione succurrere, extitit quidam Fonteius *c* Tribunitius, qui diceret, istam passionem acrius suo evenisse germano, et curatum esse a quodam Sancto, Valentino Episcopo, qui est Interamnis urbis civis, et hortabatur transmittere ad eum. Denique et ipse puer, ex quo curatus est, non illum deseruit, dicens, se nimio ejus bonitatis affectu constrictum. Audiens hæc Craton, mittit ad illum nobiles viros, amicos suos, qui illum rogarent, ut ad urbem Romam dignaretur venire. Quem cum venientem Craton hospitio recepisset, ostendit ei filium suum Chæremonem, et cœpit petere eum, ut, sicut curavit germanum Fonteii, ita et huic succurreret. D

AUCTORE G. S.

*d utque fidem complectatur, petit :*

3 Cui S. Valentinus Episcopus dixit : Tu si vis, curabitur. Et Craton ad eum, Dimidiam, ait, partem substantiæ meæ tibi dare disposui, si tu eum ab hac infirmitate liberare potueris. Cui S. Valentinus respondit : Miror te magistrum prudentem non advertisse quod dixi : Tu si vis curabitur. Nam si credideris Christo meo, fides tua pretiosa est Deo magis, quam tu, qui in rebus vilissimis et vanis *d* spem collocas tuam, credens effigies malignorum hominum, in ligno aut in quocumque metallo expressas, aliquam divinitatem habere : qui suo merito hoc obtinuerunt. Nunc autem, ut non possint dii credi, cum sordidissimis actibus et crudelissimis occupati, nullum tempus immune ab sceleribus habuerunt. Sed si fidem, quam insinuo, ab hac defendas injuria, et E Deo illam invisibili et omnipotenti committas, dabitur salus filio tuo, quam postulas : censum vero tuum, cujus mihi medietatem polliceri voluisti, offer pauperibus, qui orent pro filio tuo : mihi autem nulla ratione persuadere poteris, ut pro salute ejus aliquid aliud abs te quam fidem quæram. Crede ergo filium Dei, verum Deum esse, Jesum Christum, et omnibus renuncia simulacris, et videbis salvum filium tuum. Dicit ei Craton : Licet ignorem, quo ordine religio vestra teneatur, audivi tamen, quod unusquisque per fidem suam salvetur, nec prosit alteri alterius fides, nec obesse poterit alteri alterius infidelitas.

*docet ob fidem aliorum plures adjutos esse*

4 S. Valentinus Episcopus dixit : Certæ caussæ sunt conversationis humanæ, quæ alios pro aliis nec liberari faciant, nec perire. Neque enim in fide dubius pater, filio potest obesse fideli. In his ergo caussis, quas necessitas flagitat, sanitatem quærunt, dum patitur, pater pro filio, soror pro fratre, pro servo dominus : et filium patri esse redditum, et fratrem sorori, et servum legimus domino restitutum. Igitur pro eorum interitu hi, qui cruciabantur, fidem integram acceperunt ad hoc, ut efficerentur utrique fideles, et salus temporalis data corporibus, ut acquirerent animabus æternam salutem sicut et factum est, ut Centurio morientem servum suum reciperet, et filiam mortuam archisynagogus ad vitam reversam adspiceret, et sorores Lazarum, jam sepulturam quatriduanam habentem, quem lugebant et flebant, voce Domini suscitatum esse gauderent. Sunt et multa alia, quæ in novis et veteribus sacris voluminibus ista affirment, et fides alterius subvenisse aliis doceatur, et infidelitas alterius aliis nocuisse, quæ nunc memorare longum est. *e* Nam et Pharaonis unius hominis infidelitas totam Ægyptum cædi fecit variis plagis, quoadusque cum suo interiret exercitu. Et fides Moysis præsentibus victoriam, ex hostibus tribuit. Et Jesu Nave sanctitas populis in dispersione positis plurimum triumphum attribuit. Quid memorem viduæ credenti ab Elia mortuum unicum suscitatum, dolenti e feretro redditum a Christo unicum viduæ? Quid paralyticum a credentibus cum lectulo suo funibus depositum ac curatum? Nonne fides alterius ita aliis profuit, ut fides credentium Divini oris laudem *f* adquireret, et a non credentibus incredulitatem ejiceret, et sanitatem languentibus restitueret, et vitam in mortuis repararet.

5 Hæc

*Ex MSS.*

A 5 Hæc et his similia multa S. Valentino Episcopo prosequente, Craton orator cecidit ad pedes ejus, dicens : Credo, quod ille, quem prædicas, verus sit Deus, et præter ipsum non sit alius, qui imperet languori, ut abscedat; imperet morti, ut fugiat; imperet vitæ, ut redeat. S. Valentinus Episcopus dixit : Fides Christiana non tantum verbis, sed et operibus demonstratur. Dicit ei Craton : Quæ sunt opera, per quæ fides possit ostendi? S. Valentinus Episcopus dixit : Ut abrenuncietur idolis manufactis, quorum effigies adoratur in templis, et ab omni peccato lotus fonte purissimo, Dei filius adopteris. Craton dixit, Aqua, quæ sordes corporis lavat, quomodo poterit peccata mundare? S. Valentinus Episcopus dixit : Aqua ipsa per mysterium invocatæ Trinitatis, Spiritum sanctum in semetipsam recipit, et per ipsum universa peccata et crimina dimittentur. Dicit ei Craton : Dum disputatio nostra longius tenditur, vita filii mei Chæremonis breviatur.

*suadet confractis idolis baptismum :*

6 Dicit ei S. Valentinus Episcopus : Nisi credideris ea, quæ nec audire potuisti aliquando nec videre, salvus esse non poterit filius tuus. Dicit ei Craton : Quid est, quod ego nec audire potui, nec corde concipere? S. Valentinus Episcopus dixit : Numquid audisti aliquando virginem concepisse, virginem peperisse, virginem post partum permansisse? Audisti B aliquando aut vidisti quempiam siccis pedibus undarum pelagus pertransisse, imperasse ventis, tempestatem jussu compescuisse, postremo crucifixum, mortuum et sepultum, die tertia resurrexisse, atque multis videntibus in cælos ascendisse, Angelis testantibus, ita ut ascendit, denuo venturum ad judicium? Si ista facta credis, accede et baptizare, ut possis ad salutem filii tui pertingere, et per ipsum ad vitam perpetuam pervenire. Dicit ei Craton : Quantacumque dixeris, et verborum ampliata fuerit multitudo in uno hoc colligi poterit, si salvetur hic, pro quo ista dicuntur.

*explicat vitam Christi et mysteria religionis :*

7 S. Valentinus Episcopus dixit : Quoniam sapientia mundi, in qua tu magister esse videris, stultitia est apud Deum, et non potes tam perfecte credere, quam fides ipsa deposcit, cui credendum est; da mihi fidem tuam sub hac pollicitatione, ut si filius tuus per meam fidem salvetur; tu per salutem filii tui cum omni domo tua convertaris ad Christum. Tunc Craton vocavit conjugem suam cum omni familia, et prostratus pedibus ejus, cœpit promittere, quod, si ille salvus esset, omnes crederent Christo. Erant autem in hoc spectaculo Proculus et Ephebus atque Apollonius, quos cognovimus in Græco perfectos, ad C Latina studia pervenisse. Hi itaque simili modo oratoris sui filium Chæremonem cupientes salvum fieri, se credituros affirmant.

*Cratone admittente pactum, si filius sanetur,*

8 Tunc S. Valentinus Episcopus jussit sibi cubiculum præparari, et unius diei atque noctis silentium fieri, et clausit ostium super se et puerum Chæremonem, qui tertio anno transacto ita per totum corpus implicatus atque glomeratus jacebat, ut caput inter genua habens remaneret, et nullam partem corporis posset liberam in membris habere. Erant enim ejus brachia simul et crura contorta, ut nullus medicorum passionis istius adsereret repertum esse vocabulum. Tunc S. Valentinus Episcopus vir Dei, fide plenus, clauso, ut diximus, ostio, stratoque humi cilicio, elevavit puerum Chæremonem de lecto, et projecit eum seminecem in eo cilicio, in quo ipse orare consueverat, et per totam noctem in Dei laudibus et oratione manenti, lumen circa mediam horam noctis tantum apparuit, ut hi, qui in spectaculis erant circa cubiculum, putarent intus flammam accendi. Sed spatio unius horæ transacto, surgens sanissimus puer, simul cœpit voce clara in Dei laudibus incolumis concrepare. Audientes autem

*inclusus cubiculo, orat,*

*impetratque puero sanitatem :*

D illum parentes ejus Domino canere, cujus per tres annos solum gemitum audierant, mugitumque reddentem, omnes simul gaudentes, fores ut reseraret eis, S. Valentinum exorabant. At ille dixit : Nisi complevero statutum orationis numerum et hymnorum, non vobis aperiam.

9 Sed cum jam aurora nocti finem imponeret, S. Valentinus reserat claustra cubiculi, et Chæremonem juvenem parentibus, ac si nihil perpessus fuisset, ab omni ægritudine liberatum assignat. Tunc Craton cum conjuge et omni domo sua credidit, et baptizatus est. Chæremon autem vestigia S. Valentini relinquere, nulla potuit ratione suaderi. Proculus vero et Ephebus atque Apollonius, abjicientes studia humanæ sapientiæ, ita se contulerunt ad Dominum, ut ultra penitus nihil humanarum legerent litterarum : sed conversi ad Dominum, spiritalibus se studiis tradiderunt magistro, cujus non tantum verba, sed etiam facta probarentur mirabilia.

*baptizat S. Cratonem cum familia,*

*et SS. Proculum, Ephebum, Apollonium, applicantes se studiis spiritualibus.*

10 Interea per hos confluebat multitudo scholasticorum ad Christum, ita ut g Abundius Præfecti Urbis filius animo duceretur, et tota fidei plenitudine Christi se famulum publica voce clamaret. Tunc indignatio pene omnium Senatorum accensa est, et tentus S. Valentinus Episcopus atque virgis cæsus, compellebatur sacrificare dæmoniis, et post diuturnam cædem custodiæ mancipatur. Videntes autem E eum constantiorem fieri, et in ipsa cæde et custodia gloriari, et omnium, qui per ipsum Christo crediderant, animos confortantem, medio noctis silentio ejectum de carcere decollaverunt jussu furiosi Placidi, Urbis Præfecti. Tunc a Proculo, Ephebo atque Apollonio ablatum corpus venerandi Christi Martyris, ad suam ecclesiam Interamnæ urbis nocturno itinere transtulerunt, ibique in suburbano empto terræ spatio non longe ab eadem civitate sepulturæ honestissimæ tradiderunt : ubi cum quotidianis vigiliis in Dei laudibus permanerent, tenti a Gentilibus, custodiæ sunt traditi Consulari Leontio. Qui Leontius agnoscens Proculum, Ephebum atque Apollonium, multos e populo, quos cognoverant, amatores habere, timens ne violenter ei a populo tollerentur, noctis medio suis eos jussit tribunalibus præsentari. Quos cum vidisset nec blandimentis decipi, nec terroribus frangi posse, jussit eos capitalem subire sententiam. Ipse autem statim fugiens cum officio, et quo porrexit, non se permisit sciri. Tunc omnis populus luctum quidem de nece eorum, sed gaudium de martyrio habuerunt. Porro Martyres sancti a S. Abundio non longe a corpore S. Valentini sunt sepulti, collaudantes Dominum Jesum Christum, qui vivit et regnat cum Deo Patre et sancto Spiritu in secula seculorum, Amen. F

*g pluribus conversis,*

*captus, cæsus, capite plexus :*

*Interamnæ sepelitur.*

*SS. Proculus, Ephebus, Apollonius Martyrium subeunt.*

a *MS. S. Maxim. et Breviar. Argentinense anni* 1478, Esibus, *Gladbac.* Esybus *Breviar. Erfurtense anni* 1518, Esibus qui et Phebus. *Mombritius* Ephibus. — b *MS. Regium, Mombritius, Breviar. Argentinense et Insulense* Cerimon, *Spirense* Cerumon, *Osnabrugense* Kerimon. — c *MS. S. Maxim. et Breviar. Wormatiense.* Tribunus, *qui* Frontonius *dicitur in Breviar. Erfurtensi.* — d *Idem MS.* Vitam tuam consumis. *MS. Regium, Gladb. Mombritius* Vitam tuam expendis. — e *Reliqua istius numeri desunt in Surio.* — f *Sequentia in MS. S. Maxim. ita leguntur :* promeruit, et vitam in mortuis reputavit. — g *MS. S. Max.* Abundantius. — h *Mombritius.* Licentio, *varia MSS.* Lucentio. *Fuit quidam* Leontius Præfectus Campaniæ sub Diocletiano, *de quo Acta SS. Archelaæ, Theclæ, et Susannæ* 18 *Januar.* — i *MS. S. Max.* Abunculo. *Fuisse quemdam* Abundium *fratrem S. Valentini tradit Jacobillus in Vita S. Feliciani Episc. Fulginatis* 24 *Januar. cap.* 1 *opinaturque, eumdem deīn Martyrem occubuisse cum S. Irenæo, colique* 26 *Augusti, quo suo tempore examinabitur.*

## DE VENERATIONE CAPITIS

# S. VALENTINI MARTYRIS

## GEMMETICI IN GALLIA.

### Commentarius prævius.

G. H.

**G***emmeticum Ordinis Benedictini antiquum monasterium in Sequanæ fluminis peninsula, a Rotomago, in* XIV FEB.

*cujus*

*Historiam hujus venerationis scripsit Baldricus Dolensis Episcopus circa an.* 1020,

A *cujus situm est diœcesi, quinque circiter leucis distat. In hujus monasterii ecclesia adservatur caput S. Valentini Martyris, Roma eo delatum : quod pluribus miraculis clarum, ac venerationi publicæ expositum, annuo festo honoratur. Translationis hujus et miraculorum historiam scripsit Baldricus urbis Dolensis in Britannia Armorica Episcopus, sive, ut ipsemet scribit, Pontifex Metropolitanus, qui sub initium seculi* XII *floruit : a cujus calamo habemus Historiam Hierosolymitanam libris quatuor distinctam, et inter Gesta Dei per Francos editam. Orditur eam ab anno* CIↃXCV, *a quo initium habet militaris illa in Orientem expeditio : desinit vero cum captis Hierosolymis, quod quinquennio post contigit. Eam describit Ordericus Vitalis in Historia Ecclesiastica lib.* 9, *ubi sub finem hæc de auctore tradit :* Civis fuit Aurelianensis, monachus et Abbas Burguliensis, liberalibus imbutus studiis, et religiosæ meritis vitæ venerabilis. Inde pro religione et sapientia ad gradum Dolensis Archiepiscopatus, delectione provectus est Ecclesiastica. In Episcopatu monachatum servavit, et cum monachis, prout fors dabat, plerumque habitavit. Indomitis enim Britonibus præerat, quorum perversitatem tolerare non poterat. Unde protervos et exleges frequenter deserebat, et

*qui sæpe in Normannia degebat,*

B in Normanniam fugiebat : ubi Dolensis Ecclesia super Riselam fluvium a temporibus S. Sampsonis regnante Hildeberto Rege Francorum fundos habebat, et quiete pacificeque possidebat. Ibi scriptis et dogmatibus suis auditores suos ad Dei cultum incitabat, et vicina cœnobia, Fiscannum scilicet ac Fontinellam atque Gemmeticum aliaque plura visitabat,

*et Gemmeticenses invisebat :*

et in timore Dei sacris sermonibus confortabat. Tandem in senectute bona defunctus est, et Pratellis in basilica S. Petri Apostoli ante Crucifixum sepultus. *Hæc Ordericus, qui Historiam suam absolvit anno Christi* CIↃXLI. *De aliis Actis Sanctorum ab eodem Baldrico scriptis suo tempore agemus.*

2 *Hanc historiam Translationis capitis S. Valentini et miraculorum ex codice MS. Ecclesiæ S. Audoeni nobis communicavit Fredericus Floretus noster. Baldricus Episcopus pro scriptionis hujus auctoritate allegat num.* 1 Gemmeticensium non discredendam sinceritatem, antiquam simplicitatem, puram relationem,

*qua auctoritate censeat eam :*

*et pro miraculis* testimonia. *Ac num.* 17 *relato miraculo valetudinis redditæ Fratri Hugoni Præcentori, addit :* Hoc ex ipsius ore hausimus, Fratribus aliis, qui cum eo illud attestati sunt, audientibus.

3 *Cujus* S. Valentini *illud caput sacrum censeri debeat, non æque liquet. Appellatur num.* 2 Presbyter

C Interamnensis. *Ast* Interamnensis Episcopus *fuit : et S. Valentinus* Presbyter, Romanus *traditur fuisse, ejusque apud Romanos in S. Sebastiani æde adservari*

*cujus Valentini sit caput.*

*caput. Anno autem* CIↃIↃCV *corpus S. Valentini Episcopi apud Interamnenses in arca plumbea inventum est, quod itidem in monasterio S. Benedicti Bagensi ad urbem Rubricatam prope Barcinonem opinati sunt Hispani adservari, ejusque caput ad Taurum urbem Zamorensis diœcesis devectum, argentea capsula custodiri. Quæ de altero Sancto ejusdem nominis Valentino accipienda esse videntur.*

## ACTA TRANSLATIONIS CAPITIS ET MIRACULA,

### auctore Baldrico Episcopo Dolensi, *ex MS. Rotomagensi.*

### CAPUT I.

*S. Valentini caput Roma Gemmeticum delatum. Agris incursu bestiarum liberatis, veneratio accessit.*

Qualiter beatissimi Valentini caput Gemmeticum usque allatum sit successivis temporibus, stylus noster licet admodum impolitus, scribere non pigritetur; sicut nobis retulit Fratrum non discredenda D

*Ex MSS Prologus auctoris*

sinceritas, et ipsis illud promulgaverat antiqua Patrum et mira simplicitas. Ego igitur sanctæ Dolensis Ecclesiæ Sacerdos, quamvis indignus, dignitate Pontifex metropolitanus, nomine Baldricus, monachorum Gemmeticensium puram relationem pro auctoritate recompensans, litteris perstringere procuravi, quod de capitis translatione audivi : nec non et pauca quæ de multis miraculis, quæ per eum Dominus operari dignatus est, ipsorum testimonio credulus cognovi.

2 Quidam qui sacerdotio fungebatur, orandi gratia ad Apostolorum limina properans, Romam perrexit, et iter arreptum, Deo prosperante, consummavit. Quasdam tamen ascensiones in corde suo disposuerat, ut, si quo modo Sanctorum pignora reperisset, ea diligenter apportaret, et diligentius conservaret. Et Sacerdos in domo cujuslibet hospitatus est, patefecit alicui desiderium suum; si quod forte sui desiderii solatium inveniret. Dum super his confabularentur, quispiam affuit, qui de Valentino Presbytero Interamnensi mentionem fecit : Illius caput, care mi, tibi possem largiri, non cupiditate lucri allectus, sed Ultramontana ut inde gaudeat et illustretur provincia, valde sollicitus. Quod, si mihi dicenti discredis, saltem juranti credas volo : quia, quod dico, sic verum esse profiteor : et illico juravit igitur id ita Sacerdoti ultroneus, et caput Valentini, quod absconditum sciebat, post Sacramentum exsculuit, et illud Presbytero tradendo satisfecit. Nam et Presbyter ei de honorifice tractando capite adjuratus spopondit : et sic alter ab altero salutatus discessit. Intellexit ergo Sacerdos, quia Dominum itineris sui habuerit prosperatorem : quia voti sui eum effecerat compotem.

*Obtinetur a Sacerdote Romam profecto*

*caput S. Valentini Mart.*

E

3 Redit sacerdos thesauri diu desiderati bajulus, spemque suam totam collocat in Valentini orationibus : aspera et invia montium et rupium indemnis transvolat, et demum Neustriam applicat. Commendavit Presbyter illud sanctissimi capitis patrocinium, ubi libuit : quod aliquanto post tempore Gemmeticum ad cœnobium allatum, Ecclesiæ illius alumnis tradidit, ibique monachum induit. Reposuerunt autem illud pro tempore retro secus altare beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quoniam non audebant de eo adhuc publice prædicare. Multa consumpta sunt tempora et hos rumores senescens pene obliteravit vetustas : creber tantum inter Fratres illos de Valentino fiebat sermo et frequens confabulatio. Noverant quidam eorum locum, in quo caput erat absconditum, quod tamen nemini exterorum volebant propalare. Differebant igitur in tempus, usquequo temporum Moderator eis opportunum indulgeret tempus. Timebant quatenus ab eis exigeretur, quod occultatum servabatur. Jam tantum illud pignus nobile in theca reposuerant eburnea, et inter alias veteres capsas collocaverant. Quidam siquidem dubitabant, ne forte pro Valentini capite caput aliud haberent. De sacramento tantum audierant ; sed perjurium suis in cordibus avidissime timebant. Beatus etiam Valentinus nondum quibuslibet auditus evidenter eis innotuerat.

*defertur Gemmeticum.*

*deponitur absque veneratione,*

F

*in theca eburnea,*

*quibusdam dubitantibus.*

4 Contigit aliquando, quatenus benignus Deus colonos Gemmeticenses visitaret, eosque clementer corriperet : nec jam famulum suum ulterius volebat absconditum, quem Neustriæ decreverat profuturum. Misit ergo Rex Regum, artifex mirabilis, quemdam suæ ultionis exercitum, Gemmeticensibus valde nociturum et omnes suas segetes, nisi cito ad eum clamaverint, exterminaturum. Misit, inquam, bestiolas ad genus humanum impugnandum et expugnandum, muribus assimiles, quas vocant mulotes : quæ totam agriculturam depopulabantur, et mirum in modum

*Bestiolis agros vastantibus,*

*Ex mss.*

modum hominibus cunei truces inimicabantur : sata secabant, grana consumebant, et terram excultam in vastitatem redigebant. Sic serenissimus aliquoties contra nos immissiones malas præparat, ut corrigamur, ut clamemus, nec deficiamus, quatenus exaudiamur. Clamaverunt autem Gemmeticenses ad Dominum, ad quem et clamare oportebat : quia jam ab animalibus illis vix aliquid residuum erat. Non enim vel in nocte a segetum consumptione absistebant : sed inimicum examen inimico dente omne messium culmen secabant. Videres illas feras legiones per agros lascivientes : nec erat qui ultioni Divinæ resisteret. Clamaverunt igitur ad Dominum medullitus, qui tandem exaudivit eos, et hoc modo liberavit afflictos : etenim fateri compellebantur, non aliunde passionem illam illudve flagellum, nisi, ex Dei vindicta, processisse.

*opem Dei invocantibus accolis,*

5 Erat in ecclesia Gemmeticensi quidam inter Fratres religiosos religiosus, cui semel in ecclesia et denuo Sanctus apparuit Valentinus. Erat autem honesta persona, pallio comptus candido, sacerdotali decoratus indumento : voce quoque imperiosa dicit ei : Vade, inquit, et dic Fratribus, ut caput nostrum, de quo quidam ambigunt (Valentinus siquidem ego sum) per agros et regionem istam deferant, compita vel plateas circumeant . quia revera Deus eis propitiabitur, si nostri ex hoc nunc festinius reminiscentur. Contempsit homo, quoniam arbitrabatur de somnio. Die altera Valentinus eadem visus est replicare verba. Nec tunc monachus acquievit : sed adhuc taciturnus exspectavit. Nocte subsequenti dum Fratres pene Matutinas consummarent orationes, increpativus affuit Valentinus : et voce, quæ a multis audiri potuit, monachum desidiosum ita redarguit : Usquequo dissimulas? usquequo pigritaris? nonne vides, quantæ terræ isti imminent clades? Vade, loquere : jam noli tardare. Sin autem. Audierunt aliqui homines loquentem, et strepitum : sed tamen non intellexere verbum. Adest, cui erat imperatum, evocatus, minis Valentini terribiliter excitus, enarrat primam et secundam visionem, suamque redarguit negligentiam.

*S. Valentinus apparens monacho,* B *sæpius,* *monet ut caput suum in supplicatione circumferatur.*

6 Postquam is de tertia collocutione locutus est, crediderunt ei ; quoniam audierunt vocem increpantis. Statim omnes accelerant moras, exornant B. Valentini capsulam, ut portari debeat, coaptant illi, venerando subdunt colla gestatorio : quia id præsumebant de Domino. Confluunt accolæ catervatim : fundunt preces et lacrymas, aliquatenus castigati : agunt processionem, per Beati suffragia Valentini expetunt et expectant pietate sua liberationem. Peragunt Litanias, et Christianas in circuitu deducunt choreas. Feretrum illud sanctissimum, nobile illud propitiatorium, quod vehebatur, continebat : in quo post Deum singulariter confidebant. Mira res. Agmen inimicum hominibus, et satis inimicum, mulotes illi, ac si Valentini sensissent increpationem, ex tunc indemnes conglobati ad Sequanæ fluvium properabant, vel ultronei, vel Valentini jussu coacti, alveum fluminis inextricabilem ingrediebantur, et mergebantur, et vastis gurgitibus intercepti, suffocabantur. Omnipotens etenim, ad ostendendam cari sui virtutem, illum exterminatorem cuneum exterminabat, et Valentini sui nomen per hoc propagabat.

*circumfertur caput :* C *bestiolæ in Sequanam insilientes merguntur :*

7 Mirabantur et obstupescebant piscatores inconsuetam providentiam, retibus suis retinentes. Sic paucis diebus mulotes illi altis hiatibus absorpti sunt, et de eorum absentatione omnes indigenæ gavisi sunt. Nam nondum ille malus exercitus usque ad internecionem totum trituraverat, quoniam Valentini oratio luem illam anticipaverat. Messuerunt igitur quod residuum invenerunt, plus de tam præsenti miraculo hilarati, quam de præcedenti damno fere contristati : siquidem secum habebant fidelem Patronum, exauditorem promptum, adjutorem efficacissimum, cui se commiserant, Dominum suum Valentinum. Confidebant etiam. quia de omnibus aliis angustiis per B. Valentinum liberaret eos Dominus : quoniam promittebant se illum posthac habituros honorificentius. Divulgatum est istud circumcirca miraculum : et jam in ore omnium frequentari, beatissimum audire Valentinum. Apparatum igitur extemplo prœordinant venustiorem, in quo requiesceret vel circumferetur et capsulam deargentant suis munificis largitionibus.

*lætantur accolæ* D *Patronum eligunt S. Valentinum :* *thecam argento tegunt.*

## CAPUT II.

### *Ope S. Valentini incendia extincta. Pestis et siccitas sublatæ.*

Ad ignes autem nocivos sopiendos experta fuit in hujusmodi virtus sæpe nominandi Martyris. Officinæ famulorum amplæ et porrectæ monachorum officinis erant conterminæ et contiguæ; ita ut vix angustum spatium a seipsis dirimeret utrasque. Ignis incaute subcineratus incanduit, et totam domum illarum fabricarum illico corripuit. Flammis crepitantibus furebat incendium et graviter minabatur domibus monachorum, quod etiam esset ipsius ecclesiæ detrimentum. Ventus tectis monachilibus erat contrarius et prosilientes scintillæ et flammæ invehebantur in Dei servorum ædibus. Monachi Matutinos psallebant : sed ignis necessitate cogente, psallentium illud interruperunt . quia quod imminebat periculum formidabant. Jam vero totam spem evadendi amiserant, cum quidam eorum ferculum Valentini advehunt, et pene flammis ingerunt, incendiisque furentibus opponunt. Deseruerunt autem thecam illam inter domos propinquiores et discesserunt : quia vim et calorem ignis exciti ferre non potuerunt. Eodem momento ventus ille desipuit, et ventus ei contrarius sufflare cœpit : ita et ignis in seipsum retortus extabuit et defecit. Videres cujusdam domus tignum altera parte combustum, altera manere illæsum. Ad tam præsentis miraculi præbendum testimonium gaudebant omnes. Quis enim inde non gauderet, Deum et B. Valentinum alta voce collaudantes? Quanto enim erat Martyr ille in miraculis copiosior, tanto erat eis populisque finitimis gloriosior.

*Incendium exortum,* E *interposito capite S. Valentini,* *sistitur, vento in contrarium verso*

9 Iterum contigit, quatenus temporibus nocturnis furtivus ignis escam in domo sibi præparatam invenerit et corripuerit : nec jam clandestinus domus fastigia transilivit; sed tetris vaporibus, quidquid ligneum erat, consumendo invasit. Vis vaporantis incendii sidera reverberabat, et densarum favillarum globus ipsi ecclesiæ periculum intentabat : nam et ventus contrarius scintillas in ipsam ecclesiam retorquebat. Allatæ S. Valentini Reliquiæ, et ventus confestim tamquam erubuit, et equis a furore suo descivit, et omnis fervor immanissimus illico siluit.

*iterum incendium allatis Reliquiis* F *restinguitur ;*

10 Sancti Martyris Valentini virtutem in aliis etiam expertam habemus miraculis. Nam et immoderatam hominum mortalitatem sæpe mansuetavit, et quanti sit apud Deum meriti, manifestis indiciis insinuavit. Ut vero de multis pauca reducamus ad memoriam, adhuc aliquid addam, quatenus et in his glorificetur Deus, Beatus quoque magnificetur Valentinus. Modernis temporibus mortalitas horribilis cujusdam villæ, quæ Durclerus videtur, hominibus incubuit, quæ sic mortalibus illis gravis lues irrepsit, ut quotidie vel decem vel ad minus septem vel sex efferrentur cadavera, vix a superstitibus tumulanda. Qui enim aliquando sani putabantur, veloci morbo affecti, oppetebant et subsequebantur, quos heri vel perendie humandos extulerant. Sic erat in illa clade, ut quicumque parum quid doleret, nihil nisi

*Pestis in pago quodam,*

A nisi mortem intempestivam expectaret. Desierant aliquatenus consuetas exequias celebrare, quia vel omnis vel unus quilibet sibi timebat in commune. Lacrymas quoque, quas residui solent immolare sepultis, quas a caris suis humanitatis extorquet affectus, ordine prosposterato, ex se impendebant vivis, quia jam securi de mortuis: et tamquam eorum exsiccatis lamentis, postquam aliquis suorum morbo percellebatur, ipsi diminueret, mox migraturo dumtaxat plorabatur. Luctum suum et lamentationes gens tremula, gens anxia, convertunt ad Dominum, et supplicant sibi Beatum afferri Valentinum: erat enim et est locus ille Fratrum Gemmeticensium. Quid longius morer? Fertur illuc illud amplectendum propitiatorium, et Sancti Dei sentiunt adjutorium. Qui enim ægrotabant, Deo gratias, confestim convaluere: nec postea nisi naturali morte et diuturniori infirmitate aliqui migraverunt. Lætatur et exultat plebs illa, quia aufugerat pestis iniqua: gratias agunt Deo, seque cordetenus beatissimo commendant Valentino.

*illuc allato capite S. Valentini, sistitur:*

11 Quia semel de mortalitatis effugio per Divum Valentinum fecimus mentionem, quoniam huic rei interfuimus, aliam per Valentinum hominibus impensam referamus consolationem. In loco, qui dicitur B Blinguitutum, mortalitas cœpit desævire: et potestatem illam profligare. Mittitur Gemmeticum: rogat populus, et coloniæ illius Majores, illuc sanctissimum debere dirigi Valentinum, utpote vico illi satis conterminum. Valentinus illuc dirigitur et quantum apud Deum valeret confestim ostenditur. Sedata lues tepuit, Divus quoque Valentinus ad sua rediit magna cum alacritate et ingenti processione, cui et nos interesse promeruimus. Quia in nullo inefficax Valentinus invenitur, die tertia subsequuntur illum terræ illius habitatores, gratias agentes, et quod cessavit pestis illa, nuntiantes. Adjiciunt etiam: Qui in lectulis decubabant, et velut in extasi, dum nobiscum essetis, extabuerant, ecce per Divum nostrum Valentinum convaluerunt.

*idem alteri pago contigit*

12 Unum aliquid, licet multa supersint, scripto adjiciendum autumo, quod nullatenus deputari possit, nisi miraculo. Herbæ marcuerant, segetes exalbuerant, quoniam terram intempesta siccitas siccaverat: omnis ager pulverulentus sterilitatem minabatur, et omnis homo timoratus conquerebatur. Indicunt Gemmeticenses processionem, ad quam populorum conspiceres devotionem: nec remanere potuit C Valentinus processionem necessariarum comes opportunus, et idcirco irremotus: per illum siquidem spem omnes habebant in Domino. In honore S. Philiberti quædam est ecclesia, aliquanto interstitio a Gemmetico semota, tamen orantibus idonea: illuc pedem dirigunt, et ad oratorium perveniunt. Sol in nimio fervore suo coruscabat, et nubilum nullum polus ostendebat: imo serenus erat. Ibant interim monachi per B. Valentinum, suum collegam, ad Deum conquesturi, et pluvias impetraturi: neque super hoc diffidebant. Quis enim diffideret qui Valentinum propter se intercessorem statueret? Intraverunt ecclesiam, et sacrificare accelerabant (tanto dum scribo vel relego concutior tripudio, ut vix explicem quod sentio) cœlum ex se nubeculis obfuscari cœpit et modicum, et iterum modicum intonuit, et statim pluvia copiosa distillare cœpit. Missa celebrata chorus ille monachorum sedit, expectans si forte pluvia cessabit: non enim poterant ad monasterium redire, nimia disturbati imbrium distillatione. Ea re nudus aer modicum quid exalbuit, et nubium densitas latices suos sustinuit, et tempus illis Fratribus redeundi opportunitatem permisit. Revertebantur, et pluvias imminentes reverebantur: nec tamen a pluviarum elapsu fatigabantur: videlicet quæ magis stupeas, pluviæ a dextra et a læva ipsis videntibus D cadebant, nec tamen processionem offendebant. Reversi sunt ad monasterium, et a pluvia, pro qua supplicaverant, exhilarati, et a pluvia illa in nullo læsi.

*ob magnam siccitatem,*

*circumlato capite S. Valentini,*

*pluvia impetrata,*

*Ex MSS. intactis supplicantibus.*



## CAPUT III.

### *Varii ægri, implorato S. Valentini patrocinio, sanati.*

Impium est silere de Valentino, pium est autem, sicut coactus fuerit, de Valentino loqui. Taciturnitatis impiæ et ingratitudinis redarguendi sunt, et præcipue sui, qui vident hæc et alia, et silent, qui contegunt Valentini gloriam, quem decet publice commendare. Corrigant igitur culpam suam et loquantur, adjiciant scriptis scripta, quia summus Opifex non cessat adjicere miraculis miracula. Modo ad pluviam iterum postulandam Fratres cum Valentino suo exierant et redibant. Abbatis agaso, quem magistrum equorum intelligimus, jam diu videndi usum amiserat, et jam super hoc in desperationem exciderat. Vident propinqui sui capsam Valentini præsentem, et cucurrerunt, ut adducerent ingemiscentem; quem tenentes manibus generosum quid intonuerunt auribus, et sistunt eum coram Valentini occursibus. Substitit parumper processio, quoniam E suo condolebant mancipio, circumdant famuli collum ligno ad candelam faciendam, et adjungunt ad illud Sancti mausoleum. Capsam tangit, et tenerrime deosculatur, et pro infirmitate sua singultuosus deprecatur. Subjungebant qui aderant (aderant autem et multi) suas preces ejus precibus, et nullatenus vacabant a supplicationibus. Vovet et immolat pro se ipso Ranulphus, (Ranulphus etenim vocabatur) utpote pro se ipso gemebundus. Parvo dierum intervallo postquam de se ipso satisfecit Valentino, utrumque ex integro recuperavit sensum, quia sibi separaverat Valentinum.

*sanatur cæcus,*

14 Hæc quidem pauca sunt, quia plura et ampliora supersunt, Nepos ejusdem agasonis ætate juvenis, nec multo post valetudine gravi detentus, in lecto decubuit, et vehementer ægrotavit; ægrotavit, inquam, quoniam et visum et auditum amisit, insuper et amentiæ passionem incurrit. Parentes adolescentuli dolebant, et corde et voce pro nesciente Valentinum invocabant. Per parentum invocationem visus ei redditus est, sed auditus aliquatenus abstupefactus est. Amentia quoque parum quid siluerat, sed adhuc omnimodis ægrotabat. Per manus ad Valentinum F adducitur, et pro eo ingemiscitur. Subjiciunt eum Sancti feretro: et quid agere debeat, illi plus indicitur signo, quam verbo: aures siquidem ejus oppilate claudebantur Parumper obdormivit, et totus illico sanus surrexit.

*item cæcus, surdus et amens:*

15 Mulier quædam tempore meridiano ad suas segetes visendas exivit, sed nescio quid vidit, quoniam dementiam incurrit. Tenta est gratis a suis et alligata vinculis: quoniam aliter nequaquam poterat cohiberi. Adducta est vincta Gemmeticum, ubi non nesciebant dominum cum Deo perennare Valentinum. Adducta est, inquam, et vesano spiritu sauciata in ecclesiam illam immunda fœmina inducta est. Pro sua vero immunditia de cœnobio illam emiserunt, et extra in atrio locaverunt: lotum est illud Sancti domicilium, et insanæ præbuere loturam ad sorbendum. Sorbuit et exemplo convaluit; et post gratiarum actiones ad proprios lares incolumis repedavit.

*alia demens,*

16 Quoniam de in amentiam versis, et per Beatum illum curatis, qualibet parvula facta est mentio; aliud haud ei dissimile occurrit animo, quod nec præterire vel dissimulare non audemus; ne forte frustremur.

A frustremur ejusdem Protectoris patrocinio. Quædam annis illa, de qua dictum est superius, junior, amens casu accidente effecta est, et ultra modum efferata est, vel pro amicorum inopia, vel pro gravi nimis injuria, vel pro vicinorum incuria passim vagabatur, et a nemine compescebatur. Idcirco semper invalescebat furor, quoniam agitabatur vagabunda per compita et per agros : quidam subsequebantur eam illudentes, et super ejus stultitia plerumque ridentes. Talis est enim inscitia secularis, et levitas puerilis, ut inde persæpe rideant unde dolere debuerant. Erat jam horrori et timori omnibus, timentibus ut malum aliquod singularis hominum inimicus per ipsam ipsis machinaretur, et nox erat nocte et die, quoniam talium insensatorum abdicatur dormire. B. Valentini festivus dies advenerat, et populus aliquantulus confluxerant : adducunt eam, dum Missas celebrant, ante Sanctum, et dum adhuc celebrarentur, pristinum dementata illa recuperavit sensum. Egerunt Deo gratias, et B. Valentino voluntaria immolavere præconia.

*Ex MSS. Item alia demens :*

17 Agamus et nos Valentino laudes, qui omnibus Christianis et specialiter Gemmeticensibus semper præsto et promptus exauditor. Quod miracula miraculis nova veteribus proponimus nemo caussetur, quoniam non ignorantur. Tempora temporibus anticipamus, dum et a narrantibus, sed modeste ingentibus, anticipamur. Quidam Præcentor in Gemmeticensi ecclesia, Hugo nomine, gravi corporis in B infirmorum domo deprimebatur infirmitate : Valentini solennitas aderat et de vespertina synaxi Fratres Hugoni suggerebant : Non poteris, inquiunt, ad ecclesiam pergere, quocirca te oportet hic seorsim Vesperas celebrare : hic tecum remanebimus, et prout poterimus, solennizabimus : infirmus enim a nudiustertius multis anxiaris passionibus. Absit, inquit, ut hic audiam : quia, ut illuc, quo caput est Valentini Domini mei, vadam, me ipsum cogam. Ibat ut audiret, ibat ut capsam deoscularetur, ibat ut oraret et rediret : non ad usque monasterium pervenit, quia pro devotione sua ei sanitas obviavit : et ut laudibus peractis sanus redivit et ut gustaret famelicus obtinuit : appetitum siquidem comedendi retroactis diebus amiserat, quem curatus recuperaverat. Ad Matutinos quoque choro Fratrum interfuit, et ac si nihil passus fuisset, tota nocte, sequenti quoque die Præcentoris officium explevit. Hoc ex ipsius ore hausimus, Fratribus aliis, qui cum eo illud attestati sunt, audientibus.

*Gemmeticensis Præcentor gravi morbo æger,*

18 Frater alius, Turaldus nomine, ætatis aliquantulum provectæ, sacerdotalis dignitatis et ipse, in C sinistra mamilla graviter patiebatur, multisque diebus affectus affligebatur. Vix tamen stare poterat, vix poterat anhelare; quia corpus et lectus ei versabatur in infirmitate. Tempus affuit, quo Valentini solemnitatem celebrari oportuit. Turaldus, qui sui ipsius compos non erat, quoniam dominabatur ei infirmitas, ut ad ecclesiam properaret, secum deliberavit : sed per se non potuit, donec infirmario accito, super eum incubuit, et sic ad ecclesiam tremulo gressu maturavit. Spem enim habebat in S. Valentino, nec ab ipsius volebat defraudari festo. Subjacuit feretro, et post septem Psalmorum expletionem ac Litaniarum consummationem ad capsam deosculandam erigitur, sed quia statura pusillus erat, ipsam minime deosculatur. Strepitum dedit illa tamen quam maximum, ita ut famulus ille, qui longiuscule abscesserat, tinnitum illum audierit, et expavit monachus, quod aliquod infortunium capsæ accidisset veritus est : sed postquam omnia solerter perspexit et aliter esse perpendit, factus securior, in se ipsum reversus, et sanus factus est. Alluserat enim sibi Valentinus exultationis signo, strependo, non loquendo.

*Item alius Sacerdos æger,*

19 Tempora mihi deficient, vel ego temporibus, D si recapitulare singula præsumo, quæ per B. Valentinum operari disposuit Dominus. Multis autem prætermissis, saltem ad pauca succingamur. Frater quidam Ursio magnæ opinionis homo, et Prior ecclesiæ Gemmeticensis erat, qui et honestate vitæ et litterarum peritia affatim perlucebat. Sed sicut imperium Imperatorem, regnum Regem, principem nequaquam defendit a morte; ita honor et littera neminem tuetur ab infirmitate : possumus tamen differre et exinde quodlibet emolumentum habere : sed tandem non omnino possumus aufugere. Passus est itaque Prior, quem non satis munierat vel littera vel honor. Jacebat pene per duodecim dies impastus, quoniam privatus ab eo abscesserat appetitus. Imbecillis membris omnibus tabescebat et per momenta singula deficiebat. In mente ei venit Valentini pia recordatio : quia nec erat negligendum etiam insipido de tanti Patroni patrocinio. Rogat famulum, ut se ad thecam beati viri ducendo vel bajulando sustentet : quia per se pedes ire non valeret. Discalceatus erat caligis monachilibus, quoniam vehementer imperitabat ei morbus, toto corpore sustentatus, adductus est, et capsam alte sublatam subingressus est. Oravit, vovit, ploravit : sanusque effectus sine sustentante, quo voluit, reversus est. Nemini siquidem Valentinus est inexaudibilis, qui eum tetigerit unguento pietatis : adest desolato, adest afflicto, adest E quibuslibet miseris.

*Ursio Prior vir eruditus,*

*admodum languidus,*

20 Humores mali hominibus aliquoties dominantur, per quorum immoderantiam vapores ignitos patiuntur. Procedit autem hæc passio vel ex inordinato phlegmatis vel sanguinis vitio : multoties vero provenit occulto Dei judicio. Est autem hujusmodi, ut calor ille igneus vix possit extingui, nisi vel usque in mortem, vel plerumque per misericordiam invocati Dei. Aufert autem illa passionalis infirmitas somnum patientibus, quoniam semper stridentes dentibus, dumtaxat ululant. Est autem morbus ille furori assimilis, quia caro marcida putet, fumat et deficit. Hujusmodi duo patientes, alter homo, mulier altera, Beato astiterunt Valentino, horrendum vociferantes, et tamen auxilium ejus efflagitantes. De sua paupertate obtulerunt alter pedem cereum, alter manum : quia et in his auxiliabantur membris : et sani facti uterque ad propria remeavit incolumis. In nullo siquidem Valentinus impotens est, nisi si quis ei ingratus et inconveniens est.

*2 laborantes aliquo furore,*

21 Vere mirabilis Deus in Sanctis suis, qui et ipse facit mirabilia magna solus : in quo sane vivit Valentinus, operarius et ipse per eum non otiosus. Non etenim potest otiosus esse, quicumque Deo noscitur adhærere. Ecce iterum per B. Valentinum, imo Va- F tinus per Deum cuidam subvenit misellæ, quam prius Dominus Deus percusserat cæcitate. Sanctæ quippe percussiones omnipotentis Dei multæ sunt, et ejusdem sanitates innumeræ. Est tamen in utroque gratia Dei tam multiformis, ut sit etiam indicibilis. Ipse percutit ut sanet, sanat ut salvet, salvat ut coronet et glorificet. Ipse prædictam mulierem orbavit lumine; cui per Dominum Valentinum decreverat subvenire. Et credo, ipsa peccaverat : sed occultum Dei judicium hoc ad laudem suam et ad fidelis sui memoriale futurum esse providebat. Scriptum quippe est, neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei. In illo fuit autem sic. Uxor cujusdam famuli Gemmeticensis, famuli videlicet monachi eleemosynarii, gravissimam incurrit invaletudinem, ita ut pene omnibus dissoluta membris multo tempore debilis in lectulo quieverit, imo laboraverit : erat namque languor fortissimus, ita ut vix in ea remanserit halitus. Eadem urgente incommoditate, oculorum lumine privata est, magnæque miseriæ

*cæca,*

*Joan. 9. 3*

A miseriæ irremediabiliter addicta est. Processit tempus et tempus, et mulier inopibiliter conquerebatur. In somnis enim vix quolibet somno potiebatur, vel magis semimortuo suo marcebat orba lumine : qualiscumque sua sanitas, infelix erat, quoniam in lamentis tota subsistebat. Tempus diutinum ita processit, et ipsa ab oculis pene desperavit. Locutus est tamen vir ad conjugem, et ita blandiloque consolatus est lugentem. Jam quoque stillare inceperant oculorum pupillæ, ut magis desperaretur a salute. Si mea, inquit, mulier te voveres B. Valentino, cujus dies ista festiva, ut Sancti te servam illius profitearis, ut ei capitale tuum reddas quotannis, credo convalesces : quia apud omnipotentem adjutor efficacissimus est. Mulier lugubris, cujus specialiter mentem præcordiales corrodebant injuriæ, libenter acquievit, et præambulum gradu maturato subsequens, ad ecclesiam in die festo cucurrit : vovit, oravit, dormivit, et mirum in modum applaudentibus populis sine duce domum suam illuminata redivit, promissumque capitaneum annuatim B. Valentino reddidit : D nec immerito, quoniam Valentinum valens sibi repererat refugium. Luctus ipsius diuturnus diuturnum reversus est in gaudium : quia fugatis tenebris deinceps habuit lucis oculare subsidium. Fratres præ gaudio flentes ad Dei laudem signa pulsaverunt, et quoddam Jubilæum cecinerunt canticum : quia super his virtutibus tacuisse autumabant sacrilegium.

*EX MS.*

22 Frater alius ægrotavit, et pene usque ad ultimum defecit : ab aliis obnixe Fratribus amabatur, quoniam bona conversatione decorabatur. Quadragesimale tempus adfuit, ipsum tamen carnibus sustentari oportuit. Tandem de morte Fratris dubitaverunt, et juxta Christianitatis consuetudinem, infirmorum oleo delibutus est. Ipse tamen in se utcumque reversus plus signo quam verbo famulos exhortatus est, quatenus eum coram Beato sisterent Valentino, si forte ipsius adjuvaretur precario : factum est, et illico ab infirmitate illa curatus sanus egressus est.

*monachus ad mortem æger.*

# DE S. VALENTINO ROMANO MART.

## SOCUELLAMI IN HISPANIA.

G. H.

*XIV FEB. S. Valentinus Martyr colitur 14 Febr.*

B *Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico ad* XIV *Februarii*, Romæ, *inquit*, S. Valentini Martyris, qui pro Christi nomine tentus, et cruciatibus afflictus, tandem intrepidus agonista ad Superos evolavit. Cujus sacra lipsana Urbano VIII Pontifice Maximo concedente, e Calixti cœmeterio extracta, et Fratribus Ordinis sanctissimæ Trinitatis Excalceatis tradita, in monasterio ipsorum, quod de Socuellamos dicitur, collocata, honorifice quiescunt.

*ejus Romæ refossum corpus,*

2 *De cœmeterio S. Callisti, et variis nostra memoria ex eo refossis Martyrum corporibus egimus* XII *Februarii, occasione S. Damiani Martyris, cujus corpus Salmanticam delatum est, eadem Urbani* VIII *auctoritate, qua corpus* S. Valentini, *ex dicto cœmeterio extractum. Utrumque* Joannes Baptista de Alteriis, *uti ibidem diximus*, Episcopus Camerinensis, atque Eminentissimi Urbis Romæ Vicarii vices gerens *die* IX *Januarii anni* CIƆIƆCXL *donavit* R. P. F. Joanni de Annuntiatione, FF. Discalceatorum Ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum in Romana curia Procuratori Generali, *concessa facultate* ab Urbe E transmittendi seu transportandi, aliis donandi, ac in Ecclesiis collocandi et exponendi, ut a piis fidelibus devote venerari possent.

3 *Porro Salazar recitatis donationis tabulis publicis addit*, Corpus S. Valentini Martyris cum aliis XXXV sanctis corporibus a dicto R. P. F. Joanne de Annuntiatione eodem anno die XXVIII Augusti donatum fuisse Fratribus excalceatis sanctissimæ Trinitatis Congregationis Hispaniæ; *eaque* sancta Corpora in Hispaniam adlata R. P. F. Isidorum a S. Joanne Ministrum Generalem ipsius Ordinis distribuisse inter Ordinis conventus, et illi, quem de Socuellamos dicunt, S. Valentini lipsana donavisse. *Liquere illa, tum* ex autographo signato a Joanne Bapt. Maro Presbytero Romano, I. V. D. Notario Apostolico *tum* ex instrumentis donationis et distributionis coram Apostolico Notario Lamberto Tito Madridii facto XXXI Martii CIƆIƆCXLI.

*missum in Hispania,*

*donatum monasterio de Socuellamos.*

# DE S. VALENTINO MART. ROMANO,

## HAMEDII ET ARMENTERIÆ IN BELGIO.

G. H.

*XIV FEB. Corpus S. Valentini Mart. Gandavi,*

C *Duo sacra corpora, quibus* Valentini Martyris *nomen inscriptum erat, in Belgium advecta sunt, Romæ ex subterraneis sacellis elevata. Horum alterum quieverat in cœmeterio S. Cyriacæ, et nunc Gandavi in templo Societatis Jesu colitur Dominica* II *post Pascha, publicæ primum venerationi expositum an.* CIƆIƆCII, *quo illa Dominica incidebat in* XXIII *Aprilis, ad quem diem authentica instrumenta dabimus. Alterum* S. Valentini Martyris corpus Excellentissimus Dominus Ludovicus Comes Egmondanus anno CIƆIƆCXXIII a Gregorio XV ex muris cœmeterii S. Laurentii via Flaminia obtinuit, ac *primum* F in sacello castri sui Hamediensis in Hannonia juxta Athum oppidum, venerabili loco reposuit, ubi et miraculis claruit : et in subsidium advocatus herniosis maxime auxilio fuit et opitulationi. *Hæc Ruyssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 238. *Colebatur ibidem* XIV *Februarii, quo die jam exponuntur Reliquiæ aliquæ* S. Valentini *in templo dicti pagi Hamediensis, non sine populi concursu. At reliquum Corpus relatum est Armenteriam, oppidum Gallo-Flandriæ ad Lisam fluvium, atque in monasterio S. Brigittæ adservatur.*

*aliud Hamedii in Hannonia,*

*nunc Armenteriam delatum.*

# DE SS. VALENTINO ET XXIV MILITIBUS

## MARTYRIBUS IN AFRICA.

G. H.

*XIV FEB.*

*Lustravimus hactenus præcipuas Europæ regiones in cultum SS. Valentinorum, et sacrarum Reliquiarum eorumdem, venerationem hoc* XIV *Februarii evocatas. Modo antiqua Africa accedit, et* S. Valentinum *tamquam illustrem Principem cum sacra militum cohorte præsentat. Ejus rei testimonium extat in antiquissimo Martyrologio Romano, quod S. Hieronymi appellamus : in quo ista leguntur :* In Africa Valentini et militum viginti quatuor. *Reliqua horum Martyrum notitia latet.*

DE

DE SANCTIS MARTYRIBUS ABELLINENSIBUS

# MODESTINO EPISCOPO, FLORENTINO PRESBYTERO, FLAVIANO DIACONO.

G. H.

XIV FEB.

*Abellini adservantur Reliquiæ S. Modestini :*

*Abellinum urbs est Episcopalis, olim Hirpinorum, nunc Principatus ulterioris (ut ea provincia in regno Neapolitano appellatur) ad Sabatum flumen. Celebris hic* XIV *Februarii veneratio est* S. Modestini *Episcopi, quod sacræ ejus Reliquiæ in æde cathedrali ibidem quiescant, olim, ut mox ex Actis antiquis constabit,* sub Guilhelmo II *utriusque Siciliæ Rege translatæ. Regnavit is ab anno* CIↃCLXVI *ad* CIↃCLXXXIX. *Quo imperante Guilielmus urbis Abellinensis Episcopus sacrum illum thesaurum obtinuit. Historiam Translationis damus ex antiquo codice MS. ab Antonio Beatillo nostro anno* CIↃIↃCXXXVI *Neapoli nobis transmissam, cui hic titulus præfigitur :* Illustris admodum et Reverendissimi Rogerii, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Abellinensis civitatis Episcopi, tractatus de sanctorum Martyrum Modestini et sociorum a Prætorio in Cathedralem ejusdem civitatis translatione. *Auctor coævus est, ut qui testatur num.* 2 quinque miracula, *quæ* in ipsa Translatione *contigerunt, se* ab illis, qui viderunt, veraciter excipere potuisse.

*Translationis historia :*

B *His addidimus ex eodem codice MS. tres hymnos, in quibus ad aliqua Modestini gesta tormentaque alluditur.*

*Acta in 2 MS. suspecta :*

2 *Ceterum Acta ejus ac sociorum nacti sumus duplicia utraque ab eodem Beatillo procurata, suspecta nobis utraque : quod eadem passim continentur, eisdemque pene verbis, quæ in Actis S. Erasmi Martyris* II *Junii leguntur. Utrorumque initium damus. Vita ergo SS. Modestini et sociorum in altero MS. ita incipit :* Antiochiæ civitate facta est persecutio Christianorum a Diocletiano Imperatore, ut si quis inventus fuisset, qui diis non sacrificaret, diversis interiret suppliciis. Hoc audiens B. Modestinus, qui illis temporibus ibidem Episcopus præerat, eremum annis septem petiit, in qua multa mirabilia fecit, die ac nocte Dominum deprecans et per columbam ei esca de cœlo veniebat. Angeli vero etiam cum eo loquebantur, et agrestes bestiæ in ejus locis venientes, obsequium ei faciebant, ejus manus et pedes lingentes. Tunc ab eo vox de cœlo audita est, ut ad urbem Antiochiæ descenderet : cumque per viam iret, qui ab immundis spiritibus vexabantur, ei obviaverunt. Ille autem eis in nomine Domini manus imponens, omnes sanabat : multi autem per baptismum ad Dominum convertebantur.

*pars eorum relata :*

3 *Hactenus Acta S. Modestini. En et Vitæ S. Erasmi initium, quam suo loco daturi sumus ex pluribus codicibus MSS. ac fere convenit cum ea quam Mombritius edidit, quæque ex eo tertiæ editioni Surianæ inserta. Ita autem incipit :* Apud Antiochiam civitatem facta est persecutio Christianorum a Diocletiano Imperatore, ut si quis inventus fuisset, qui non sacrificaret diis, multis interiret suppliciis. Hoc audiens B. Erasmus, eremum petivit annis septem : ubi multa mirabilia fecit in monte, qui dicitur Libanus, die ac nocte Dominum deprecans : nam et esca ei per corvum veniebat. Multas enim virtutes per eum Dominus faciebat, ita ut Angeli cum eo loquerentur. Diversæ etiam feræ veniebant in cellulam ejus, et prosternebant se ad vestigia ejus, et adorabant eum. Et facta est ad eum vox de cœlo, dicens : Erasme, descende ad tuam civitatem. Et statim surrexit, et descendit, in civitatem Antiochiam. Cumque descendisset, multi, qui vexabantur a spiritibus immundis, occurrebant ei. Tunc B. Erasmus imponebat eis manus in nomine Domini, et statim salvi fiebant. Multos etiam per baptismum convertebat ad Dominum.

C

*eadem in Vita S. Erasmi*

*alia utriusque Vitæ exordia.*

4 *Ita Acta illa S. Erasmi, quæ aliquantum contracta extant in Legenda, annis* 1483 *et* 1485 *Coloniæ et Lovanii excusa. Alia nobis Bellovaco submisit Petrus Louvetus, idem ille a quo historia Bellovacensis extat edita. Horum est ejusmodi exordium :* In Antiochia civitate persecutio gravis adversus Christianos a Diocletiano Imperatore concitata est, decretumque ab eo processit ut quicumque diis non sacrificaret, multis suppliciis deperiret. Hoc audiens B. Herasmus eremum petiit, et inhabitavit in ea per annos septem etc. *Similis extat S. Modestini Vita, verbis paullum diversa, quæ sic incipit :* In Antiochia civitate, Diocletiano Imperatore facta est Christi fidelium persecutio : idque mandatum est, ut quisque diis sacrificare respuens acerbis ac variis obiret suppliciis. B. Modestinus, tunc temporis illic Pastor, hæc audiens eremum petiit, ibidemque septem annis habitavit etc.

5 *Et hæc quidem Acta utriusque, quæ paucis admodum exceptis ubique eadem sunt. Ex iis edidere epitomen de SS. Modestino et sociis Marius Vipera in Catalogo Sanctorum Ecclesiæ Beneventanæ, Neapoli anno* 1635 *excuso, et ante eum Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ : qui annotat hanc historiam sibi maxime suspectam esse, quod eadem prorsus contineat, quæ in Actis S. Erasmi Episcopi et Martyris leguntur : seque plura omisisse, quæ ne quidem verisimilia videbantur. Nos integra illa Acta, quamvis prælo parata, omittimus, veriti ne Abellinates, quas Formiana Ecclesia in Latio maritimo solita fuit de S. Erasmo recitare lectiones in officio Ecclesiastico, easdem paucis immutatis assumpserint ob nonnulla forsan quæ utrique illata sunt eadem tormenta. De S. Modestino et sociis altum est apud Martyrologos antiquos silentium. Ast pervetusta Martyrologia, manu exarata et excusa, Bedæ, Usuardi, Adonis, ac ceterorum, Breviaria item Romanum atque alia quamplurima, aliquod S. Erasmi encomium ex antiquis Actis suggerunt : ut hinc ea potius quam S. Modestino vindicanda videantur : quamvis neque illa omni careant difficultate :* confundi enim cum Actis alterius Erasmi, qui apud Antiochiam passus est, *scribit ante citatus Ferrarius ad* II *Junii. Duos etiam Erasmos, Antiochenum alterum, alterum Italum statui a Canonico Capuano Michaele Monacho, indicavit nobis ejus ex sorore nepos D. Silvester Aiossa, dum alia S. Erasmi Episcopi et Martyris Acta transmitteret, in quibus traditur post excisas a Saracenis Formias, corpus S. Erasmi Cajetam delatum fuisse, et in æde Deiparæ Virginis reconditum, ac deinde elapsis triginta annis, temporibus Joannis Papæ* VIII, *inventum a Bono Episcopo Cajetano : quod contigisse anno* IↃCCCLXXX *indicat Ughellus tom.* 1 *Italiæ sacræ in Cajetanis Episcopis. Ista accuratius* II *Junii. Corpus S. Modestini Episcopi et Martyris, sed quis ille sit non constat, adservari in Sanctuario magno monasterii Montis Virginis, tradit ad Vitam S. Guilielmi hujus Ordinis Fundatoris Felix Renda* sot 38

E

*epitome Vitæ S. Modestini ab aliis edita.*

F

## TRES HYMNI

I.

In Martyrum rosario, cœlicoque populo,
Rosa fulget prærutilans, Modestinus cum sociis.
In passione rosa est, vita prælucens lilium,
Enituit mirifice, Christum sequendo filium.
Hæc rosa de Prætorio, Avellinum translata est,
Nares

*Comparatur rosæ.*

A
Nares sic implet omnium, spernant ut noctis [somnium.
Avellinensis civitas, hujus odorem redolens,
Dat avitis ab erroribus, sacris instare moribus.
O rosa plena roribus, infunde rorem moribus,
Fac extinctis nequitiis, tuis jungi militiis.
O rosa rore divino, Deique verbo munita,
Talis apud te fidei, fac quilibet sit ut Dei.
Patris suprema potestas, Natique sapientia,
Spiritusque benignitas, benignos nos efficiat. Amen.

II.

*varia Antiochiæ passus,*
Translationem Martyrum, Modestini et comitum,
Avellinenses pariter placando colant hodie.
Hic ad lethum fortissimus, Christi æmulator extitit,
Vincula, pœnas, carceres, passus est Antiochiæ.
Advenit in Italiam, sed stipatus agmine,
Illum conducens Angelus, quem miserat Altissimus,
*obit cum sociis Prætorii,*
Ad locum diu perveniens, qui dicitur Prætorium,
Complevit cum concivibus, metam sui certaminis.
In quo loco Reliquiæ illius sacratissimæ
Requieverunt tempora feliciter per plurima.
*Abellinum translatus.*
In Abellinum postea translatæ sunt ubi jacent :
Quarum florent illustria in dies beneficia.
Cœlestia quæ munera grato condamus animo :
Ut hujus Sancti meritis, donis fruamur cœlicis.
Sit præpotenti Patri laus, Natoque unigenito,
Spiritui paraclito in seculorum secula. Amen.

B

III.

Invicti festum Martyris, omnes canamus socii,
Et Modestino Præsuli vota solvamus debita.
*Docet Antiochenos fidem.*
Hic Pastor Antiochiæ, verbum salutis docuit,
Prædicans Dei filium, sævum subit martyrium.
Sævire cœtus fustibus, dilaniantes ungulis,
Sacra tunduntur latera plumbatis et crudelibus.
*dira tormenta patitur,*
Æris candentis tunica vestitur Martyr inclytus,
Cuncta fert imperterritus, habens hæc dona cœlitus.
O nobilis victoria, novus triumphus gloriæ,
Martyrium mirabile nunc et in perpetuum.
Precamur omnes supplices Te, Præsul Martyr inclyte,
Nobis exores gravimo ut peccatorum veniam.
Patri Deo sit gloria, laus, honor Unigenito,
Benigno sit et Flamini in secula laudabili. Amen.

*ANIMADV. PAG. 112*

# ACTA TRANSLATIONIS
## auctore Rogerio Episcopo Abellinensi.
### PROLOGUS.

*Exempla sanctorum Martyrum.*

Beatorum gesta meritaque sæpius recensere non laudabile solum, verum etiam ad salutem apprime meritorium semper fuit : ut illis Christi fidelium C mentes in dies magis devotiores reddantur, et ad martyrii æternæque gloriæ certamen alacriores erigantur. Quid enim Domino pro tot tantisque in nos collatis beneficiis referre valemus, ni salutarem calicem, Domini nomen invocantes, accipiamus? Ex Augustini namque sententia, nihil Christo Domino gratius, nihil delectabilius, quam pro illius nomine reddere sanguinem ac mori : quod ipsemet pro nobis facere non dubitavit. Quæ me caussa movit, ut sanctorum Martyrum Modestini et sociorum perquam illustria gesta enarrarem, quorum memoriam, dum hac fruimur luce, numquam deponemus, quæ cœlitus stylo ferreo exarata, vigebit semper. Quare cum filiorum Zebedæi genitrix efflagitasset a Domino, ut natorum suorum alter ad dexteram, alter vero ad sinistram in cœlorum regno assideret, responsum accepit, quod ab angustiis ad gaudia, ab hac communis naturæ fragilitate ad æternitatis memoriam non essent transituri, nisi ærumnarum miseriarumque calicem potarent, quem Christus pro humani generis redemptione erat bibiturus. Cupiebat ipsa, ne filii sui inexorabile lethum subirent : cui ob primi nostri parentis peccatum genus humanum, nemine excepto, subjacet : et non attendens quæ per Prophetam dicuntur, Vox in Rama audita est, Rachel plorans quotidie filios suos, petiit ut in perpetuæ felicitatis gloriam transferantur, etc. Sed Sanctorum sanguine in temporis progressu, ut sacræ testantur Litteræ, sic est Ecclesia inundatione fertili fœcundata, ut a Psalmista non dissidentes dicere possimus : Sicut crassitudo terræ erupta est super terram, et in eam uberrime redundat, ita sunt ossa nostra secus infernum dissipata. Velut enim terrestri crassitudine (cœlesti adeo inferiore, ut præ illa habenda nihil ista videatur) nimium pinguescit terra ; sic etiam, qui ab communi rerum omnium vanitate se discretos esse facile sunt passi, in altissimo Dei domicilio nimiam habent pinguedinem. Ut autem inde fides Ecclesiæ pullularet, hæc Sanctorum mors extitit caussa, quæ pro nihilo a mortalibus habetur, Domino vero pretiosa. Contemptibilia namque elegit Deus, ut exaltet illa : at quo sunt in terris abjectiora, eo illustriora in cœlis sedent.

*uti et S. Modestini ac sociorum,* *multa patiendo* D *ex MSS.* *Jerem. 31. 15* *Psa. 140.7* *pervenitur ad cœlos.*

*auctor agit de S. Modestini Translatione,*

2 Quapropter ego Rogerius præpotentis Dei et Apostolicæ Sedis gratia Abellinensis basilicæ Flamen, ad ipsius honorem et gloriam, sanctorum Martyrum Translationem Modestini et sociorum majore qua fieri poterit pietate et apparatu magnificentiore faciendam curavi, ut Sanctorum memoria cœlestis habeatur, templique ad limina omnes alliciantur. Quinque enim miracula, quæ in ipsa Translatione Christus Dominus suis demonstravit fidelibus, ut ab illis, qui viderunt, veraciter excipere potui, hic annectere procuravi : ut exinde Martyrum merita effulgeant gloriosa, et Deus in Sanctis suis potens, et majestate mirabilis veneretur : cui sit honor, et gloria in secula seculorum, Amen.

*et miraculis in ea factis.* E

## CAPUT I.
### *Historia translationis.*

*ANIMADV. PAG. 113*

*Ab Episcopo Abellinensi,*

Tempore quo Rex Guilielmus regni Siciliæ secundus regnabat, nec minus feliciter quam pacifice gubernabat, in Abellinensi vero Ecclesia Guilielmo venerabili Episcopo nimiæ sanctitatis ac religionis, in loco, quod Prætorium dicitur, a civitate Abellinensi tria distante milliaria, gloriosis sanctorum Martyrum corporibus quiescentibus, prædictus Episcopus cœlitus de Sanctorum eorumdem illustri in Abellinensem Cathedralem facienda Translatione inspiratus atque commonitus fuit : idemque diu mente animoque pervolvebat. Qui cum pacifice et absque ulla degeret populi commotione, ut voti compos redderetur, utque opus sancte religioseque ad finem usque perduceretur; Clero et populo convocatis præpotentis Dei voluntatem nuntiavit. Nacta itaque occasione F de quadam asportanda columna Episcopo perutili, quæ tunc temporis, ubi dicti Martyres quiescebant, erat, omnis populus illuc eo convenerunt consilio, ut cœlestia illa secum deportarent munera. Cumque omnes unanimiter ad effossæ jam columnæ delationem solliciti forent, præfatus Præsul una cum quibusdam religiosis Presbyteris aliisque nonnullis in defossæ columnæ loco sese abdidere, ac sollicite quærentes, ubinam Sanctorum Reliquiæ laterent, illico ad unius illorum percussionem locus propter suam concavitatem insonuit : non secus ac si Deus, qui mutis loquelam concedit animantibus, et insensibilia ad sentiendum immutat, Martyrum illic esse sepulchra apertius indicaret. Genuflexo itaque ac supinis manibus innixe Deum orante Præsule, ut per suæ misericordiæ viscera Sanctorum sepulchra revelare dignaretur, ex tempore, quærentibus aliis, inventus est loculus, in quo Modestini Martyris corpus, argenteam columbam ante pectus habens, quiescebat, ut

*post effosam columnam,* *ac preces fusas,*

A ut, quod in illius depositionis tractatu legitur, apertius demonstraretur. Illi namque in eremo degenti cœlestis apportabatur a columba cibus, in quo spiritualiter ipsius Martyris meritorum attollitur titulus, cui Spiritus extrinsecus apparere dignatus est. Et hæc dico quoad charismatum infusionem, quibus indutus miles ille strenuus loricatus, martyrium minime formidabat. Columba namque, Augustino asserente, innoxie pascitur, et ejus victus est innocuus; corvi vero mortiferis nutriuntur.

*Ex MSS. reperitur corpus S. Modestini cum columba argentea*

4 Deo itaque dante desideratis diu Martyrum corporibus repertis, dictus Antistes, sine ulla vociferatione desumptis reliquiis, diu tandem cum silere omnino nequiret, una omnium voce in simile canticum prorupit: Gaudete, iterumque gaudete, et in Domino exultate, Fratres carissimi, modestia vestra nota sit omnibus hominibus, flores namque apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit. Statuite itaque, dilectissimi fratres, diem hunc solennem in assiduis frequentationibus. Hæc dies, quam fecit Dominus nobis, posterisque nostris sit in perpetuum celebris, sancta ac salutaris, in qua nova resonent cantica. Nostras itaque haud rectæ conscientiæ pravitates amputemus, ac trita eradamus, ut Sanctorum flores ac lilia legere valeamus. Sic ergo socios

*facta ad populum exhortatione,*

B alloquente Præsule, eusque exorante, omnibusque unanimiter de veneratione Sanctorum reliquiis impendenda fideliter promittentibus, cuidam viro bonitate conspicuo, omnibus noto, Guilielmo de Archidiacono S. Modestini Martyris corpus dedit bajulandum, secum moliens animoque pervolvens, quod si quis fortasse ex juxta positi Merenliani civibus irrueret, nullis lacessitum injuriis Antistitem, Modestini secum reliquias non deferentem, haud detineret, sed progredi permitteret.

*defertur a Guilielmo de Archidiacono,*

5 Cumque dictus Guilielmus istorum catervas deserens ad locum, qui dicitur Terminus, pervenisset, ibique tutus atque ab omni quoque periculi suspicione alienus, traditas sibi reliquias in curru, ad civitatem asportaturus, collocasset, mirum quidem, tanto gravatus est pondere currus, ut nulla prorsus ratione moveri posset. Interea eo loci idem, qui insequebatur, Antistes advenit; cumque currum, cui dictæ Reliquiæ erant impositæ, haud moveri posse cerneret, devote ac reverenter illum præire cœpit, mandans viros, mulieres, ceterosque, qui de civitate illuc confluxerant, immortales gratias Deo referre, laudes et hymnos cum lacrymis intonantes. Quibus sic stantibus ex communi omnium concentu, cœlo laudibus et canticis resonante, immobilis currus agillimus redditus est, et quasi sponte civitatem versus

*impositum currui, mox reddito immobili,*

*sed actis Deo gratiis*

*celerrime moto:*

C tendere cœpit.

6 Hic itaque veneranda senectus gravi modulamine, juventus pleno ore, pueritia deductis vocibus, diversos edere corpore sonos, hymnos et cantica. Mulieres præterea preces multiplicant, Clerus omnis illius exultationes faucibus modulatur, vulgus demum rudis vocibus obstrepit lætabunde. Floribus sternuntur plateæ, ramis et undique redolent odores: unde resultat innumera cantantium multitudo citharædorum, omnisque generis musicorum. Quid plura? Mœror omnis pulsus et exterminatus est, omneque lugentium gaudium adventavit: succedunt cantibus cantilenæ, mentes tripudiant singulorum: venerationem condignam Martyribus impendendam omnes devovent et singuli. Sic igitur ad Cathedralem ecclesiam, in honorem beatæ Deiparæ conditam, honorificentissime delatis Sanctorum Reliquiis, ibique honore, quo potuit majori, collocatis, absolutis divinis laudibus universoque populo benedicto, lætabundus quisque suam petiit domum, præpotentem Deum enixe laudans, qui sit benedictus in secula. Amen.

*summo cum triumpho in urbem vehitur,*

*collocatur in æde cathedrali.*

D

## CAPUT II.

### *Miracula in translatione facta.*

Dum vir bonæ memoriæ Guilielmus de Archidiacono venerandas reliquias Abellinum asportaret, quia sibi ossis unius particulam clanculo retinuerat, in quadam ara, in eadem basilica ab eo erecta, illam condere quam maxime desiderabat. Dum autem in sui thalami arca posuisset, illico et in dies magis diu noctuque per illam quasi cursitationes audiebat, eamque ac suam identidem illa percuti sentiebat. Videns præterea ignis quasi flammam, scintillantesque favillas, suam fere comburentes domum, perculsus terrore ante lucem surgens, ecclesiam petens, subreptas restituit Reliquias, rem uti gesserat, enarrans Pontifici. Cumque tanti commissi sacrilegii pœnas dedisset, tumultus illi et hujuscemodi cessavere visiones, et Sanctorum precibus veniam exoravit.

*Ob surreptas aliquas Reliquias terrores varii incussi,*

8 Eodem prorsus fere tempore cum undique ad Abellinensem urbem sanctorum Martyrum corpora visuri propemodum confluerent infiniti, Sereni Comitissa sub nomine deosculandæ capsæ dictarum reliquiarum quoddam surripuit os, quod asportans, antequam e civitatis foribus pedem efferret, illius intumuit guttur. Cumque autem nollet crimen agnoscere, pejusque ad suam pervenisset domum, gula

*inflictus tumor gutturis*

E capitis sui adæquavit magnitudinem, et obdurato persistens animo, palam a dæmone vexari cruciarique cœpit. Diutius itaque vexata, suo agnito peccato, corde contrito ad Sanctorum basilicam pedem referens, triduo pernoctans, Deo Sanctisque dantibus, prorsus a gulæ tumore ac dæmonis vexatione meruit liberari, immortales agens gratias, quod etiam iratus non desinit misereri. Hæc quidem cum Sereni Comitissæ innotuissent, ut suam præ se ferret pietatem religionemque, lineam cortinam in Sanctorum laudem transmisit, ut in ea Sanctorum corpora requiescerent.

*cum dæmonis vexatione:*

*patrocinio S. Modestini sanitas reddita:*

9 Insuper non multum post temporis intervallum Illustrissimus vir Guilielmus de S. Severino, nobilissimæ familiæ, et in Magnatibus facile Princeps brachii inimia laborans infirmitate, quæ vulgo ignis silvester dicitur, plurimaque pro recuperanda valetudine fuerat medicis elargitus, nec tamen a languore diutino, ullo poterat auxilio liberari. Magna itaque stipatus caterva cum Abellinum venisset, basilicam majorem ingressus, corde contrito, puris lacrymis supplex ac humilis ad Deum fundens preces, brachii sanitatem meruit exorare. Cujus non immemor be-

*sublata Principi brachii infirmitas*

F neficii recepti, domum rediit, Sanctorum merita publice prædicans, Deum illorum meritis mirabilia operari testabatur, brachiumque purissimo ex argento confecto ad basilicam, in qua Martyrum memoria veneranda colitur, transmittendum curavit, idque ad eorum tabernaculum, ut nemini celaretur, appensum dimitti jussit, ex quo miraculo et aliud provenit.

10 Clerici namque Abellinenses dum pro Ecclesiæ necessatibus Salernum peterent, argentum, quod ex fidelium pervenerat oblatione, asportarunt: et itinere defatigati, in pervia consederunt via, pecuniam cum argento obliti reliquerunt, et numquam facta innotuit illis jactura, donec Salernum ingressi cum in exarato hospitio sarcinas deponerent, pecuniam et argentum non invenientes graviter dolere et mœsti esse cœpere. Cumque credibilem excusationem aliquam investigare molientes, qua suam apud Antistitem suosque socios possent purgare vecordiam, nec adinvenirent, domum referre pedem decrevere, id damnum propriis bonis compensaturi. Cumque

*amissa pecunia*

A Cumque mœsti ideo fuissent, iter aggressi preces multiplicabant, Martyres obnixe deprecantes, et votis omnibus obsecrantes, ut amissum invenirent argentum. Quid plura? Mœstis ac præ dolore lentis passibus cum ad locum, in quo, gradientes Salernum versus, consederant, pergerent, qui locus omnibus et singulis patens erat, Martyrum meritis tantopere rutilabat, ut nemo prætereuntium amissum argentum videre posset. Verum cum eo præfati Clerici pervenissent, multa defatigati mœstitia, quod desperaverant argentum, oculis lustravere: quod lætabundo levantes animo, immortales Deo ac Sanctis agentes gratias, diligentius custodierunt, et patriam propriam ingressi, concivibus nuntiaverunt, quæ quantaque fuissent a Deo sibi intercessione Sanctorum collata beneficia. D

*recipitur.*

AUCTORE ROGERIO EP. ABELLIN.

11 Præ ceteris vero memoriæ traditis miraculis, hoc potissimum celebrandum videtur, quod quæ juxta Sanctorum tumulos requieverat columna, in ædificio tunc temporis subjacens Episcopatus, ea erat virtute prædita, ut quicumque uteri vexatus dolore, propria zona eamdem præcingi curaret columnam, eademque deinde se accinxisset, de Martyrum meritis confidens, propulsatis doloribus, pristinæ restituebatur sanitati. Deo gloria, cultus et honor sit in secula seculorum. Amen.

*ex attactu columnæ sanatur dolor uteri.*

# DE S. MARONE ANACHORETA

G. H.

## JUXTA CYRUM IN SYRIA.

CIRCA AN. CCCLXX.

XIV FEB.

*S. Maronis Vita,*

*Cyrus, Ptolemæo Κύῤῥος urbs Episcopalis provinciæ Euphratensis in Syria, itinere duorum dierum ab Antiochia, multos olim sub suo districtu, seu territorio, aluit sanctos anachoretas, variaque habuit a viris religiosis excitata cœnobia: de quibus agit Theodoretus Cyri Episcopus in Philotheo,* B *qui est liber* IX *de Vitis Patrum, a Rosweydo nostro editus, Græce item ac Latine, a Sirmondo nostro tom.* 2 *Operum Theodoreti recusus. Qui illic capite* XVI *memoratur* Maro, *colitur die* XIV *Februarii a Græcis in magnis Menæis, et a Maximo Episcopo Cytheræo* ἐν βίοις ἁγίων *ejusque Acta ex citato Theodoreti Philotheo descripta, memorantur, præfixo hoc disticho:*

*cultus sacer.*

Μνήμη τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Μάρωνος.

Λύσει μαρανθεὶς σαρκίου θάλλει Μάρων

Μεταφυτευθεὶς τῆς Ἐδὲμ τῷ χωρίῳ.

Memoria sancti Patris nostri Maronis.

Dum soluto corpusculo emarcuit, floret Maron,

Transplantatus in regionem Edem.

2 *Alius ab hoc* Marone *est, qui ab eodem Theodoreto cap. 4 in Vita S. Eusebii, quam* XXIII *Januarii edidimus, appellatur* monachus Marosas, *quem* ex Nechebis oriundum *commemorant Sozomenus lib. 6, cap. 34 et Nicephorus lib. 11, cap. 41. Quorum scriptorum dicta idem huic* Maroni *adscribit Laurentius Surreus in sua Philothei editione, perperam res utriusque gestas confundit, uti bene in Notationibus num. 27 et 45 a Rosweydo observatum est. Aliqua etiam hujus* Maronis *Acta a Jacobo Jacobillo attribuuntur* S. Mario Abbati Bodanensi *quæ* XXVII *Januarii ante hujus Vitam § 9* C *refutavimus. De hoc autem* Marone *agit infra Theodoretus cap. 24 in Vita SS. Zebinæ et Polychronii, quibus* XXIII *Februarii sacer est, ubi hæc leguntur:* Zebinam magnus etiam ille admiratus est Maro vehementer, adventantesque ad se omnes hortabatur, ut ad eum se conferrent, ejusque benedictione fruerentur, Patrem illum vocans et Magistrum, et virtutum omnium exemplar appellans. Quin et eodem sepulcro ut conderetur, orabat. Sed non permisere, qui sacrum illud corpus rapuerunt, et memoratum in locum deportarunt.

*non idem est qui Marosas monachus*

*et S. Marius Abb. Bodanensis*

*Magistrum agnoscit S. Zebinam:*

3 *Inter ipsius discipulos Maronis infra habetur* S. Jacobus Hypæthrius, *qui et* Syrius *cognominatur, quem Græci colunt* XXVI *Novembris: de quo Theodoretus, cap. 21 hæc habet.* Cum Jacobus in inclyti Maronis consuetudinem esset receptus, divinaque ejus doctrina institutus, Magistrum ipsum laborum magnitudine obscuravit. Habuit siquidem ille pro muro vetusti erroris delubrum, et ex pellibus ciliciis tabernaculum, cujus ope pluviæ nivisque injurias omnes declinabat. Hic vero his omnibus valere jussis et tabernaculo et tugurio et muro, cœlum habet pro tecto, contrariis aeris impressionibus omnibus expositus, *etc. Alter ejus discipulus est* S. Limnæus, *qui cum* S. Thalassio *colitur* XXII *Februarii: utriusque Vitam habet Theodoretus cap. 22, in qua hæc leguntur:* Postquam Limnæus Thalassii divini senis doctrinam abunde percepit, virtutisque illius effigiem in seipso expressit, ad magnum Maronem se contulit. Convenit autem eodem ipso tempore, quo divinus Jacobus. Et multum hinc quoque utilitatis fructum cum cepisset, vitæque subdialis æmulandæ studio teneretur, cacumen alterum occupavit, vico cuidam imminens, quem Targalam vocant. *Demum teste eodem Theodoreto cap. 30,* divini Maronis vitam æmulata est admiranda Domnina, quæ in maternæ domus horto parvum tugurium defixit: in quo dies totos continuis lacrymis ducens non solas rigat genas, sed amictus quoque cilicinos, *etc.* S. Domninæ *dies natalis incidit in Kalendas Martias. Denique meminit S. Maronis cap. 6, in Vita* S. Simeonis Prisci, *quam dedimus* XXVI *Januarii.* E

*ipse discipulos habuit S. Jacobum Hypæthrium,*

*S. Limnæum.*

*et S. Domninam.*

## VITA

### Ex Philotheo Theodoreti cap. XVI.

Maronem post hæc commemorabo: hic enim divinum quoque Sanctorum chorum exornavit. Nam vitam cum sub dio agere instituisset, verticem montis apud impios olim in honore habitum occupavit, dæmonumque delubrum cum Deo consecrasset, in eo versatus est parvo extructo tabernaculo, quo tamen raro usus est. Laboribus autem se non consuetis modo exercebat, sed alios excogitabat, philosophiæ opes accumulans. Agonotheta vero gratiam supra labores dimensus est. Curationum enim donum tam abunde illi largitus est munificus Deus, ut omnes in oras ejus fama pervaderet, omnesque undique attraheret, et famæ veritatem experientia doceret. Videre namque erat benedictionis rore exstinctas febres, et horrorem sedatum, et dæmones in fugam actos, et diversos omnium generum morbos uno pharmaco sanatos. Medici quippe unicuique morbo suum applicant remedium: Sanctorum autem oratio commune malis omnibus est remedium. F

*S. Maro sub dio vivit.*

*oratorium extruit:*

*curat morbos corporum.*

2 Nec vero corporum tantum ægritudines curabat, sed animis etiam congruentem curationem adhibebat, hujus sanans avaritiam, illius iracundiam: huic temperantiæ doctrinam tradens, illi præcepta dans justitiæ: hujus castigans incontinentiam, illius excitans socordiam. Hanc exercens agriculturam, multas philosophiæ *a* plantas eduxit, et hortum hunc, qui in Cyri regione nunc floret, Deo ipse consevit. Hujus plantationis opus est magnus Jacobus: in quem propheticam vocem illam merito quis transferat: Justus ut palma florebit, sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur, aliique omnes quorum, Deo dante, faciam mentionem singulatim. Psal. 91. 13

*animi vitia tollit,*

3 In hunc modum divinæ opem dans agriculturæ, animasque simul sanans et corpora, brevi morbo defunctus

*moritur.*

A functus, qui et naturæ imbecillitatem et constantiam illius declararet, excessit e vita. De corpore autem inter vicinos acre ortum est bellum. Sed vici finitimi et populosi adventantes incolæ simul omnes, ceteris fugatis optatissimum thesaurum abstulere, temploque extructo maximo, in hodiernum usque diem utilitatem capiunt, publica celebritate victorem illum honorantes. Nos vero etiam absentes benedictione D fruimur : sufficit enim nobis memoria illius pro loculo.

*Sepultus in templo ei extructo.*

a *Hæc sic explicantur in Menæis*, Πολλὰ κατασκευάσας μοναστήρια, πολλοὺς δὲ ἀσκήσεως τῷ Θεῷ προσῆξε. Multa condidit monasteria, et multos per religiosam disciplinam Deo adjunxit. *Eadem habentur apud Maximum Cytheræum.*

# DE S. ABRAAME EPISCOPO

## CARRIS IN MESOPOTAMIA.

G. H.

*CIRCA AN. CCCXC. XIV FEB.*

*Carrarum in Mesopotamia Episc. S. Abraames, colitur 14 Feb.*

C*arræ urbs Mesopotamiæ antiqua ad Chaborem fluvium, ob Crassi cladem olim nota, ut Sede Episcopali ac sanctis Antistitibus postea magis illustrata. Carrarum namque Episcopus fuit* S. Protogenes, *tabulis Martyrologii Romani ad* XI *Maii adscriptus : a quo fides Catholica adversus hæreticum Imperatorem Valentem strenue propugnata. Huic suffectus* Vitus *interfuit Concilio Œcumenico Constantinopolitano anno* CCCLXXXI. Vito *successit* S. Abraames, *quem sub Theodosio Magno et floruisse, et diem extremum obiisse tradunt Græci in Menæis, et Maximus Cytheræus* ἐν βίοις ἁγίων *ad hunc* XIV *Februarii, quo sacram ejus memoriam recolunt, atque aliquam Vitæ epitomen recitant, sed fere ex cap.* 17 *Philothei desumptam ;* B *in quo Theodoretus ejus Vitam, quam hic damus, satis accurate describit.*

*alii Abraamæ anachoretæ.*

2 *Idem Theodoretus lib.* 4 *Histor. Eccl. cap.* 25 *contexens aliquem celebriorum monachorum catalogum, duas memorat* Abraamas. Fuere et alii, *inquit*, per id tempus, qui monasticæ vitæ fulgore collucerent. In Chalcidensi eremo Avitus et Marcianus et Abraames, et alii vix numerabiles, qui in patibilibus corporibus impatibilem vitam meditabantur. *Et nonnullis interpositis.* In Antiochena rursus Marianus et Eusebius et Ammianus, Palladius et Simeones, et Abraames, et præter hos alii divinam imaginem integram conservantes. Sed nos et horum et illorum Vitam litteris consignavimus, *in historia nempe, quam ipse capite præcedenti* Philotheon *appellat. Eadem hæc descripsit Nicephorus lib.* 11 *cap.* 41. *Colitur* S. Eusebius XXIV *Januarii, ubi in ejus Vita de Mariano et Ammiano etiam actum ex cap.* 4 *Philothei : ex cap.* 6 *dedimus Vitam* S. Simeonis Prisci XXVI *Januarii, et* XVIII *ejusdem ex cap.* 7 *Vitam S. Palladii, in qua hæc de Abraame leguntur.* Ejusdem quoque ordinis fuit admirandus Abraames, qui Paratomum, quod vocant, extruxit, virtutisque suæ radios omnem in partem diffudit. Vitæ autem illius claritatem testantur, quæ post mortem fiunt miracula. Scatet enim hodieque loculus ejus omnium generum curationibus, C quarum testes sunt, qui has inde per fidem affatim hauriunt. *Hæc de illo Abraame, viro prorsus sancto, qui alius a S. Abraame Episcopo videtur fuisse, et de quo forsan Theodoretus et Nicephorus ante relati agunt, quos tamen pro Episcopo Abraame allegat Rosweydus in Notationibus.*

## VITA

### Ex Philotheo Theodoreti cap. XVII.

*Abraames simul monachus et Episcopus :*

Nec admirabilis Abraamis memoriam fas est prætermittere, hoc prætextu, quod post vitam monasticam pontificiæ sedi fuerit ornamento. Nam hoc quidem certe nomine jure fuerit dignior qui commemoretur, quod institutum vitæ mutare coactus, vitam non mutaverit; sed cum monasticæ exercitationis transierit afflictione, et simul monasticis laboribus et curis pontificalibus circumsessus, vitæ cursum peregerit. Porro autem est hic quoque fructus Cyri regionis. Hic enim et natus et educatus, collegit opes virtutis monasticæ. Qui enim simul cum eo versati sunt, dicunt eum et vigilando et stando et jejunando ita corpus edomuisse, ut longissimo tempore permanserit immobilis, minime valens ingredi. Divina autem providentia liberatus ab illa imbecillitate, voluit gravia pati pericula pro divina gratia.

*corpus domat vigiliis, statione, jejunio*

2 Venit ergo in Libanum, cum didicisset vicum quemdam teneri magna impietatis caligine : et sub persona mercatoris vultum celans monasticum, cum iis qui simul versabantur ferens canistros, tamquam nuces empturus : hunc enim fructum præcipue ferebat vicus. Cum domum conduxisset, et aliquantum pecuniæ prærogasset possessoribus, quievit quidem tres et quatuor dies. Deinde paullatim divinum aggressus est officium, utens voce moderata. Postquam autem senserunt psalmodias, præco quidem clamavit, et omnes convocavit. Erant autem simul con- E gregati et viri et pueri et mulieres : et obstructis extrinsecus foribus, desuper ex tecto multum pulverem congerentes dejiciebant. Postquam autem eos viderunt suffocari et obrui, et nec aliquid aliud velle facere nec dicere; sed solum Deo preces offerre, seniorum monitu destiterunt ab insania. Deinde apertis foribus cum eos evulsissent ab aggere, jusserunt eos statim abire.

*personam mercatoriæ induit, ut alios lucrifaciat :*

*variis injuriis afficitur :*

3 Sed eodem tempore venerunt exactores, qui eos vectigalia cogebant exolvere : et alios quidem ex iis vinciebant, alios vero per contumeliam afficiebant verberibus : sed vir ille divinus, nullius ex iis quæ in ipsos facta erant recordatus, Dominum imitans, qui cruci affixus, eorum qui hoc fecerant curam gerebat, oravit illos exactores ut moderate ac clementer exigerent. Cum autem fidejussores requisiissent, sua sponte suscepit fidejussionem : et paucis post diebus centum aureos se daturum est pollicitus. Qui autem gravia illa eis fecerant, valde admirati viri benignitatem, de iis quidem quæ ausi fuerant petunt veniam, rogant autem ut ipse fiat eorum præses : neque enim habebat vicus dominum, erant autem ipsi et agricolæ et domini. Centum autem aureos, cum venisset in civitatem, (est autem ei nomen a Emesa) et notos aliquos invenisset, accepit mutuo. Deinde in vicum reversus, die præstituto implet quod promiserat.

*pro adversariis orat, et fidejubet :*

*in præsidem ab adversariis eligitur :* a

4 Cum hoc ejus vidissent studium, vehementius id ab eo contendunt. Cum is autem se id facturum esset pollicitus, si se pollicerentur ædificaturos ecclesiam, rogarunt ut statim aggrederentur, et deduxerunt beatum virum, aptiora loca illi indicantes : et unus quidem hunc, alius vero locum illum laudabat. Cum autem meliorem elegisset, et fundamenta jecisset, tectum brevi tempore imposuit. Cumque finem accepisset ædificium, jussit ut admitterent Sacerdotem. Cum autem dicerent se nullum alium electuros, et rogarent ut eum haberent et Patrem et Pastorem, accipit gratiam sacerdotii. Postquam autem cum eis versatus est tres annos; et eos pulchre deduxit ad res divinas, cum effecisset ut unus ex eis qui simul erant, vice sui præficeretur, ad monasticum rediit habitaculum.

*ecclesiam ædificat :*

*Sacerdos ordinatur :*

5 Et ne, si omnia illius narrem, prolixiori utar narratione, cum in his resplenduisset, fit Carrarum Pontifex. Erat autem ea quidem civitas circumsessa ab

*fit Carrarum Episcopus :*

A ab ebrietate *b* impietatis, et seipsam dederat debacchationi dæmonum; sed cum esset dignata hujus agricultura, et accepisset ignem hujus doctrinæ, permansit quidem libera a prioribus sentibus, nunc autem uberem profert segetem Spiritus, maturarum frugum Deo offerens manipulos. Sed non sine labore vir divinus hanc exercuit agriculturam, sed laboribus utens innumerabilibus, et eorum qui corporibus medentur artem imitans, partim quidem dulcem adhibens adhortationem; partim vero acribus utens medicamentis, nonnumquam vero et urens et secans, effecit hanc sanitatem. Doctrinæ autem et alii ejus diligentiæ vitæ quoque lumina suffragabantur : illis enim illuminati, et audiebant ea quæ dicebantur, et ea quæ fiebant lubenter accipiebant.

*subditos instruit :*

6 Toto enim tempore quo fuit Antistes, ei quidem fuit panis supervacaneus, aqua quoque superflua, inutilis autem lectus, et supervacaneus usus ignis. Noctu enim quadraginta hymnos, quos inter se invicem loquendo et respondendo dicunt, implebat, earum quæ intercedunt precum duplicans numerum; reliquum autem noctis in sede sedebat, concedens palpebris ut aliquantulum quiescerent. Atque quod non in solo quidem pane vivit homo, dixit quidem contemplator Dei Moyses; meminit autem hujus B quoque vocis Dominus, provocationem diaboli recusans. Quod autem etiam sine aqua vivi possit, a nullo loco divinæ Scripturæ didicimus. Etenim tantus ille Elias primum quidem ex torrente aquam hausit, deinde etiam cum ad viduam accessisset Sarephtanam, sibi primum jussit aquam afferri, deinde panem. Sed hic vir admirabilis, toto tempore pontificatus, neque panem, neque legumina, neque olera quæ igni appropinquassent, comedit : neque aquam bibit, quæ ab iis qui in his rebus sibi docti sunt visi, propter usum existimata est prima ex elementis : sed lactucas, intyba, et apia, et similia, cibum ducebat et potum, pistorum et coquorum artes ostendens supervacaneas : tempore autem autumni, fructus ei illum usum implebant. Hæc autem sumebat post officium vespertinum.

*non panem non aquam gustat :* *40 hymnos noctu decantat :* Deut. 8 Matth. 4. *lactucis vivit*

7 Cum corpus autem talibus consumeret laboribus, in aliorum cura gerenda erat insatiabilis : advenientibus enim hospitibus erat et totus paratus, egregius autem et selectus panis eis offerebatur; et vinum odoriferum, piscesque et olera, et quæcumque sunt eis conjuncta. Quin etiam ipse quoque meridie assidebat convivantibus, eorum quæ apponebantur partes unicuique offerens, et dans unicuique calices, et jubens bibere, et eum qui erat ejusdem secum *c* nominis imitans, Patriarcham, inquam, qui C ministrabat quidem hospitibus, sed non simul convivabatur.

*liberalis in hospites,* *Abrahamum Patriarcham imitatus :* *c*

8 Interdiu autem versans in judiciis eorum qui inter se litigabant et decertabant, aliis quidem persuadebat ut inter se invicem reconciliarentur, alios autem cogebat, qui leni et mansuetæ doctrinæ non parebant. Nullus autem injustus recessit, sua audacia adversus justum victoria potitus. Ei enim qui injuria afficiebatur, justi partem semper addens, reddebat eum inexpugnabilem; et eo qui volebat injuriam facere superiorem. Similisque erat optimo medico; qui semper prohibet eos humores qui redundant, et procurat ut sit inter materias æqualitas.

*judicia recta procurat :*

D *EX PHILOTHEO THEODORETI*

9 Hunc quoque desideravit videre *d* Imperator, (est enim allata fama, quæ facile omnia quæ bona sunt et quæ mala significat) et ad se accersivit, et veniens salutavit et excepit : et agreste illud cilicium sua purpura existimavit præstantius. Jam vero Reginarum quoque chorus ejus et manus prehendit et genua; virumque rogabant qui nec audire quidem poterat linguam Græcam. Adeo et Regibus et omnibus hominibus res honore et reverentia digna videtur philosophia : Quin etiam ubi obierint ii qui ejus sunt amatores et sectatores, majorem assequuntur gloriam. Et potest quidem hoc sciri etiam ex multis aliis, sed vel maxime quidem ex iis quæ divino huic viro acciderunt.

*d a Theodosio Imper. accersitus,* *honoratur :*

10 Postquam enim *e* obiit, et hoc rescivit Imperator, voluit quidem eum deponere in aliqua æde sacra : cum autem intellexisset pium esse et honestum, ut gregibus redderetur corpus Pastoris, *f* ipse quidem et id deduxit præcedens, et Reginarum chorus consequens, omnesque et magistratus et qui ab iis regebatur, populus, militesque et privati. Tanto E studio eum accepit et civitas Antiochia, et quæ eam sunt consecutæ, donec pervenit ad magnum illum fluvium. Ad ripam autem Euphratis concurrebant quidem cives et concurrebant etiam hospites, concurrebant etiam rustici : quin etiam finitimi festinabant ad fruendum benedictione. Lectum autem multi sequebantur lictores, eos percutiendo terrentes, qui corpus veste nudare conabantur, et cupiebant illinc pannos sumere. Et licebat audire alios quidem psallentes, alios vero lamentantes. Alia enim deflens eum vocabat Præsidem, alia vero Altorem, alia autem Pastorem et Magistrum : et alius quidem lacrymans nominabat Patrem, alius vero Adjutorem et Curatorem; et cum tot laudibus et lamentationibus sanctum illud et sacrum corpus sepulcro mandavere.

*e mortuus asportatur apud suos sepeliendus,* *f in comitatu Imperatoris.* *populis pannos pro reliquiis auferre conantibus,* *sepelitur,*

11 Ego autem admiratus quod cum vitæ mutasset institutum, vitam non una commutaverit, neque dum esset Antistes, remissum ac solutum vitæ genus sit amplexus, sed exercitationis monasticæ labores adauxerit, eum recensui in historia monachorum : nec recessi ab eo qui ei placuit ordine, benedictionem quoque ab eo desiderans.

*ejus benedictionem expetit scriptor.*

a *Emesa in Phœnicia Libani, de qua egimus 6 Febru. ad Vitam Sanctorum Martyrum Emesenorum, Silvani Episcopi, Lucæ Diaconi et Mocii Lectoris, qui ibidem sub Maximino Galerio passi sunt.* — b *Theodoretus lib. 4 Hist. Eccl. cap 15. de temporibus S. Protogenis, quem Carrarum sub Valente Imp. futuræ Episcopum diximus, hæc scribit* Protogeni admirando excolendæ datæ sunt Carræ, urbs inculta, et spinis Gentilium referta, multoque egens labore ac studio. — c *Alludunt Menæa in disticho apposito* [Ὀρέξει τὸ πάντων, ὑπερελάσει τὸ ἄλλον] [Πρὸς τὸν σύνοικον Ἀβραὰμ Ἀβραάμης.] [Re idem, appellatione plus habet.] [Cum ille familiaris sit Abraam, hic Abraames ] — d *Theodosium Magnum appellant Menæa, quæ sic incipiunt:* Οὗτος ἦν ἐπὶ τῆς βασιλείας Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου. *Eadem habet Cytheræus. Sed juniorem fuisse conjicere licet ex choro Reginarum num. 9, quæ ejus sorores.* — e *Obiisse* in urbe regia *Constantinopoli addunt Menæa.* — f *Menæa* Τὸ δὲ σῶμα αὐτοῦ ὁ εὐσεβέστατος καὶ μέγας βασιλεὺς Θεοδόσιος ἐν Κάρραις μετὰ τιμῆς ὅτι πλείστης παρέπεμψεν. Corpus ejus religiosissimus et magnus Imperator Theodosius cum ingenti honore Carras remisit.

*Emesa* *S. Protogenes.*

# DE S. AUXENTIO PRESBYTERO,

## ARCAHIMANDRITA IN BITHYNIA,

### Commentarius prævius.

G. H.

CIRCA AN. CCCCLXX XIV FEB

*Auxentium Orientalis plaga natum suscepit educavitque, aula junioris Theodosii Constantinopolitana inter milites virum suspexit, virtute ornatum, atque ad miraculum dæmonibus terribilem; denique Archimandritam habuit Bithynia Thaumaturgum, ac post plures variis in locis exantlatos labores cælo transmisit, ubi deinceps experiretur Patronum. Quæ de eo narratur apud Sozomenum lib. 7 Hist. Eccl. cap. 21 indicant progeniem ejus ac militiam. Relata namque inventione ac translatione capitis S. Joannis Baptistæ, facta sub Theodosio Magno, dicitur* Vincentius Presbyter natione Persa, cum tempore

*Auxentius* *ex Perside oriundus, natus Adda patre,*

*AUCTORE G. H.*

A pore Constantii Imperatoris persecutio in Perside Christianos affligeret, fugiens una cum Adda consobrino suo ad Romanos venisse : atque ipse quidem in Clerum assumptus est, et ad Presbyterii dignitatem pervenit. Addas autem uxore ducta plurimum profuit Ecclesiæ, et filium reliquit Auxentium, virum erga Deum fide, erga amicos promptitudine insignem vita integrum, litterarum amatorem, et omnigena tum gentilium, tum Ecclesiasticorum scriptorum eruditione præditum, moribus commodis, licet Imperatori et aulicis familiaris esset, et in bellicis expeditionibus splendide se gessisset, et in illius quidem crebra mentio est tum apud probatissimos quosque monachos, tum apud homines studiosos, qui ejus virtutem experti sunt. *Hæc Sozomenus, qui Theodosio Juniori suam historiam inscripsit, quam sub calcem dedicationis asserit se* ad XVII *ejus* Consulatum, *id est annum* CCCCXXXIX, perduxisse : *ac necessario ante ejus obitum, sive annum* CCCCL, *absolvit, quando jam Constantinopoli S. Auxentius secesserat in Bithyniam. De ejus familiaritate cum S. Marciano aliisque viris studiosis agitur infra in hujus Vitæ num. 2, ubi auctor eodem quo Sozomenus loquendi genere usus, ejus familiares etiam* ἄνδρας σπουδαίους *appellat.*

*vir eruditus, militia clarus, adhuc vivus laudatus a Sozomeno,*

2 *In duplici apud Bithynos monte vixit, primo e regione montis Oxiæ, decem circiter ultra Chalcedonem* B *milliaribus in partibus desertis. Inde evocatus jussu Marciani Imperatoris atque Episcoporum in Synodo Oecumenica* IV *Chalcedone congregatorum, aliquamdiu in vicinis monasteriis fuit, ac fidem Synodi Chalcedonensis probavit. Unde Cardinalis Baronius ad ann.* 451, *num.* 159 plane Dei consilio factum fuisse *ait*, quod prope Chalcedonem in prominenti loco, tamquam supra cathedram collocatus, sublimis professor fidei Chalcedonensis Auxentius degeret : ut clarissima atque altissima voce virtutis, nempe signorum omnium, plus satis manifestum redderetur, quænam esset fides vera, nempe ea, quam Deus in Auxentio jugi operatione miraculorum firmissime approbaret : *cum scilicet post hanc Synodum ad vicinum montem Siopa recessisset, in quo tandem sanctissimam Deo reddidit animam. De hoc monte agit Cedrenus in Constantino Copronymo :* Anno XXV, *inquit*, insania contra omnes Deum timentes percitus, Stephanum juniorem, quod illustribus excelleret virtutibus, omnibus venerandum, (sexaginta enim annos inclusus in colle S. Auxentii exegerat) varie excruciatum occidit. *Hunc Baronius ad ann.* 767 *num.* 8 insignem illum sanctissimum Stephanum Auxentianum *indigetat : Cujus* S. Stephani et sociorum Acta Martyrum omni fide conscripta extare apud S. Joannem Damascenum *ait ad ann.* 726 *num.* 4. *Sunt eadem a Surio* C *edita ad diem* XXVIII *Novemb. in quibus de monte S. Auxentii hæc cap.* 5 *leguntur.*

*secedit in montem Bithyniæ Oxiam, propugnator Synodi Chalcedonensis : degit in monte Siopa,*

3 Tum videre erat multos eorum, qui orthodoxam fidem complectebantur, patrium solum tamquam inimicum et hostile fugientes, atque ad solitudines et deserta perfugii caussa se conferentes, tutiusque censentes cum feris habitare, quam cum viris hujusmodi conversari. Cum quibus tametsi admirabilis quoque Stephani parentes patriam relinquere constituissent, tamen hoc eorum cupiditatem morabatur, quod Stephani ætatem expectarent, ut pollicitationem eam, quam de eo fecerant, minime fallerent, sed eam ad finem perducerent. Cum autem id secum una perpendissent, haudquaquam utile esse eum in Byzantinis monasteriis detondere, ad Auxentii montem se conferunt. Situs est porro hic mons e regione Byzantii circa Bithyniæ provinciam : vicinosque omnes montes altitudine longe superat, nomenque ab eo Patre traxit, qui primus in eo domicilium fixit. Hic autem locus ad vitæ tranquillitatem non parum iis adjumenti adfert, qui ejus cupiditate tenentur : ut qui ab omni turba ac tumultu immunis D sit. Est enim in ipsius fastigio antrum quoddam, in quo Patres, sede per successionem sibi constituta, tandem hinc in Paradisum migrarunt. Siquidem post divini viri Auxentii e vita discessum Sergius ipsius discipulus tum vitæ generi, tum antro successit. Hunc secutus est vir admiranda virtute ornatus Bendianus, demum S. Gregorius, ac denique ille Stephani antecessor ac singulari mentis perspicacia præditus Joannes, ad quem beati hujusce viri parentes filium, quem ex promissione susceperant, cum duxissent, precibus ab eo contendebant, ut ipsum exciperet ac monastica veste donaret. *At Joanne, ut cap.* 9 *legitur*, ad Deum profecto, statim et speluncæ et gratiæ non solum duplicis, sed multo etiam amplioris, hæres spiritualis ipsius filius Stephanus extitit. Ergo augustissimam illam speluncam ingreditur, atque apiculæ more in antrum seipsum includens dulce virtutis mel conficiebat. *Eumdem dein tum Constantinus Copronymus, tum ejus ministri*, monachum Auxentianum, *et* Auxentianum Stephanum *appellant, ut videre est cap.* 38, 45, 47 *et* 48. *Quin et ejus habitatio* Auxentianus mons, *aut* collis *nuncupatur cap.* 19, 22 *et* 28.

*inde S. Auxentii dicto, sito e regione Constantinopolis.*

*Successores ejus fuere, Sergius, Bendianus, S. Gregorius, Joannes, S. Stephanus junior, Auxentianus dictus.*

4 *Ab hoc* monte, *seu potius* antro in ipsius fastigio constituto, longo ac difficili spatio, *ut legitur cap.* 6, dissitum erat admirandi viri Auxentii cœmeterium, quod ille adhuc superstes extruxerat, atque in sanctarum mulierum monasterium consecrarat, ac Trychinariam, vel ob itineris asperitatem ac difficulta- E tem, vel etiam ob vestium ipsarum rigiditatem appellarat. *Quæ infra ex Vita S. Auxentii cap.* 10 *confirmantur. At S. Stephanus, ut in hujus Vita dicitur cap.* 20, ab Imperatore a cella sua abstrahi, et ad inferius monasterium deduci *jussus* mox a sicariis ad Patris Auxentii cœmeterium, una cum monachis, qui cum eo versabantur, inclusus est. *At cap.* 22 monasterium *illud* ad Auxentiani montis radices positum traditur. *Et infra in Actis S. Auxentii num.* 61 *dicitur* circiter uno milliari distare, Gyreta nomine. *Græce* ὡς ἀπὸ ἑνὸς σημείου, τοὔνομα Γυρῆτα. *Ibidem S. Auxentius sepultus atque miraculis claruisse dicitur num* 66.

*S. Auxentii cœmeterium, Trychinaria, ad radices montis Auxentiani.*

5 *Acta S. Auxentii magno judicio scripta ab auctore coævo, qui suam indicat ætatem, dum a Sergio discipulo ejus, quem illi et in genere vitæ et in antro successisse diximus, num.* 57 *se aliqua accepisse testatur.* Οὗτος γὰρ, *inquit*, οὗτος ὁ περὶ τούτου ἡμᾶς στοιχειώσας, τῇ γλώττῃ μὲν βάρβαρος ὑπῆρχεν, ἐκ τῆς Μυσίας ὁρμώμενος, τῇ γνώμῃ δὲ πάνσεμνος, ὃς προσκαρτερῶν τῷ μακαρίῳ Αὐξεντίῳ... καὶ μετὰ τὴν τοῦ μακαρίου κοίμησιν σὺν τῷ τρόπῳ καὶ τὸν τόπον διαδεξάμενος. Ille enim, qui nos de hoc instruxit, erat quidam lingua barbarus, ut qui ortus esset ex Mysia, mente autem honestissi- F mus, qui perseveravit apud B. Auxentium... et postquam Beatus obdormivit, cum moribus in loco quoque successit. *Hanc Vitam damus ex antiquo codice MS. bibliothecæ Regis Christianissimi, collatam cum interpretatione Gentiani Herveti, quam edidere Aloysius Lipomanus et Laurentius Surius, ex collectione Metaphrastæ, qui Vitam hanc, utpote accurate scriptam, fere intactam reliquit, pauculis hinc inde aut additis aut immutatis, nisi hæc variis amanuensibus sint attribuenda.*

*Acta ejus Græce accurate scripta ab auctore coævo, adservata MSS. Parisiis, collata cum Vita a Metaphraste edita.*

6 *Meminit ejusdem Sancti Nicephorus Callistus lib.* 14 *hist. Eccl. cap.* 52. Eodem etiam tempore, *inquit*, virtutis incrementis longe processit celeberrimus ille monachus Auxentius in monte Bithyniæ eo, qui ex adverso Constantinopolis situs, omnes circa colles altitudine superat. *Hæc Nicephorus, qui cum Sozomeno ad tempora Theodosii Junioris ea refert, post cujus obitum superfuit sub Imperio Marciani et Leonis Imperatorum ad annum circiter* CCCCLXX. *In Actis*

*Ejus mentio apud Nicephorum*

A *Actis apud Metaphrasten traditur obiisse sub imperio Zenonis, sed ejus loco Leonem habent Acta Græca, quibus usi sumus.*

*obitus sub Leone Imp.*

*7 Celebris est memoria ejus in Fastis sacris apud Latinos et Græcos ad* XIV *Februarii, quo die decessit. Tabulæ Martyrologii Romani hæc habent :* In Bithynia S. Auxentii Abbatis. *Annotat Baronius* res ejus gestas pure germaneque conscriptas haberi. *Referunt eumdem Molanus in auctario Usuardi ac nonnulli alii. Græci Officium Ecclesiasticum hoc die ad S. Auxentii laudem honoremque propriis Odis, antiphonis, aliisque canticis concinnatum habent, et ad pleraque miracula in Actis contenta alludunt. In Menologio Henrici Canisii hæc leguntur :* Commemoratio sancti Patris Auxentii sub Theodosio minore, pietate et exercitatione monastica illustris. *In magnis Menæis hi versus adduntur :*

*Memoria in fastis Latinis*

*et Græcis.*

Ὁ βουνὸς ὡς Κάρμηλος ἦν Αὐξεντίῳ
Φανέντι τἄλλα, πλὴν τελευτῆς, Ἠλίᾳ.
Λεῖψε βίον δεκάτῃ Αὐξέντιος ἠδὲ τετάρτῃ.

Collis instar Carmeli erat Auxentio,
Qui, excepto obitu, in omnibus visus est alter Elias.
Reliquit vitam Auxentius die decima quarta.

*At mirum proinde hunc alterum Eliam non esse Paradiso Carmelitico ab Alegræo inscriptum. Breve Vitæ compendium tradunt Græci in eisdem Menæis, et* B *Anthologio Arcudii auctoritate Clementis* VIII *edito, et* Βίοις Ἁγίων *Maximi Cytheræi, quod hic addimus.*

8 Floruit S. Auxentius imperante Theodosio minore, ex Oriente oriundus, atque inter scholares miles factus. At monastica vita suscepta, montem ex adverso Oxiæ situm adscendit. Exercitia pia constanti patientia peregit, sinceræ fidei propugnator, infames hæreses Eutychetis et Nestorii plurimum aversatus, et quartam Synodum Chalcedone habitam amplexus, ab ipsis etiam Imperatoribus in veneratione habitus. Et omnes, quibuscum agebat, ex vultu ejus divinam quamdam gratiam effulgere cernebant fontesque miraculorum et curationum semper scaturire. Postquam in pace requievit, in oratorio, quod ipse condiderat, depositus est. Festus autem dies in Callistrati cœnobio peragitur.

*elogium ex Menæis.*

ANIMADV. PAP. 114

# VITA

## auctore coævo,

### *ex MS. Græco,*

collata cum versione Metaphrastæ, a Lipomano et Surio edita.

### CAPUT I.

C *Vita S. Auxentii Constantinopoli acta. Virtutes inter opera militaria.*

Cum antiqui Patres, factis ac verbis clari, labores Sanctorum, qui in vineam spiritalem, mane simul, et hora tertia et sexta, similiter et nona vocati sunt, ad ædificationem corporis Ecclesiæ variis voluminibus conscripserint : non est absurdum, si nos quoque, qui propter socordiam et inscitiam ab eis longe sumus remoti, ad utilitatem fidelium accurrentium et auscultantium, vitam justorum virorum, qui circa horam undecimam in eadem vinea laborarunt e veritate conscribamus : ut, qui volunt ducem vitæ præsentis habere piam rationem, constanter sequantur viam Patriarcharum, Prophetarum, et Apostolorum, Martyrumque et justorum : ut eorum et fiant virtutum æmuli atque imitatores, et orationibus suffulciantur. Quæcumque enim scripta sunt, ut dicit divinus Paulus, ad nostram doctrinam scripta sunt. Eo ergo freti, qui dixit : Dilata os tuum, et implebo illud, convertamur ad propositam narrationem.

*Prologus auctoris.*

Rom. 15. 4

Psal. 80. 11

2 Tempore Theodosii junioris, *a* anno XXXV, fuit vir quidam, nomine Auxentius, adscriptus quartæ scholæ fortissimorum et Christi amantium Scholarium *b*, genere quidem ab Orientalibus ducto, in pietate autem et omni Christiana doctrina eruditus, robur et fortitudinem ipsa corporis forma præ se ferebat, morumque modestiam et virtutem in animo gerebat, dogma habens sanum in fide Apostolica, et plurimum studium in generalibus vigiliis pernoctationum. Quoniam vero, quæ ante hæc ab eo facta sunt, nos latuerunt, ab hoc argumento initium ducemus orationis. Habebat hic vir Bizantii patruum in militia *c* Optionem cohortis constitutum. Quem requirens cum ascendisset ex Syria, et non invenisset, propterea quod prius discessisset, militavit inter Scholares. Cum ergo esset in exercitu insignis, frequenter etiam versabatur cum iis, quorum celebrabatur exercitatio et virtus : maxime autem cum quodam Joanne monacho, qui prope *d* Hebdomum stabat in Clubo, cujus etiam vestigiis insistebat *e* miles Christi, simul cum quodam, qui vocabatur Setas, viro omni ex parte honesto, et *f* Marciano, qui tunc erat laicus *g* sectæ Novatianorum, haud ita multo post unitus Catholicæ fidei, ac factus Œconomus sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ ; et Anthimo viro magno et admirabili, qui tunc *h* decimus erat in ordine divini palatii, deinde factus Diaconus, et postea etiam Presbyter : qui etiam post decessum eorum, qui prius dicti sunt, ornavit, et cum lætitia in hymnis et canticis, per choros virorum et mulierum, celebravit easdem pernoctationes, quibus assidebat B. Auxentius. Ut plurimum autem ambo simul congregabantur in S. *i* Irene, quæ sita est ad mare, humi cubantes et vigilantes, et fontes lacrymarum effundentes, perseverantes in jejuniis et orationibus.

D AUCTORE G. B.

*S. Auxentius miles,*

*pietati deditus, habet socios S. Marcianum et alios.*

E

3 Cum ergo ad quamdam congregationem cum eis venisset, antequam auspicarentur *k* doxologiam nocturnam, siti eum vexante, *l* aquam petiit ab uno ex ministris : qui currens in Diaconicum, dicit Oeconomo, Dominum Auxentium cum reliquis viris bonis petere potum. Data ergo commissione vini benedictionis poculum temperavit, atque ad eum tulit. Postquam autem id accepit magnanimus Auxentius, ori admovens refecit naturalem sitis necessitatem : et sic prius dicto pio Marciano, qui petiit, reliquum tradidit. Ille vero cum labris admovisset, et sensisset esse vinum, ægre ferens, quod præter morem talis potus esset eis allatus, proximum hac voce compellavit : Vinum est, o frater. Memoratus autem ei dicit Auxentius : Ne ægre feras, inquit, Dei dona : nam nos quidem aquam petiimus. Sin autem Dominus Christus ejus loco vinum præbuit, gratias agamus, et ne ægre feramus. Etenim cum vinum defecisset in nuptiis, per suam gratiam aquam mutavit in vinum. Sic alter quidem ostendit invitus perfectam, quæ ei aderat, abstinentiam : alter vero lubens conculcavit fastum vanæ gloriæ.

*In siti aquam petens vinum admittit,*

F

4 Rursus autem quidam ex hujus studii comitibus, se pauperem esse significans, molestus erat B. Auxentio, petens ab eo *m* tunicam interiorem, benedictionis gratia et paupertatis. Is vero dicit ei : Ora, ut Dominus mittat, et accipies. Non enim supererant ei vestimenta, propterea quod quæcumque ei obtingebant daret pauperibus. Ille vero promissionem arripiens tamquam schedulam, assidue exigebat. Quamobrem cum multum ei esset molestus, quadam vespera rursus ab eo admonitus, Adsis Frater, inquit, in loco opportuno, accepturus petitionem, ut talem submoveas necessitatem. Postquam autem fuit in loco occulto, exuit se tunica, qua erat indutus, et dedit ei, et mansit in sola penula. Post hymnum vero dictum ambobus recedentibus, sensit quod factum fuerat,

*liberalis in importunum mendicum,*

*EX MS. GRÆCO.*

A fuerat, qui prius dictus est vir pius, et dicit ei : Estne hæc omnis tua vivendi ratio et caritas, Domine Auxenti, ut carens tunica, nobis non fidas? At tamquam subridens dicit ambobus : Ab eo, qui mihi sæpissime vobis præsentibus impudenter parabat insidias, vix tandem sum liberatus. Sed rogo vos, ut eamus ad Dominum Joannem monachum, qui est in Clubo, visuri Dei gloriam.

*eo juste punito gaudet.*

5 Cum itaque inter eos convenisset, post unum diem ad eum veniunt, et vident eum, qui tunicam acceperat, adesse tristem. Finitis autem precibus, dicit B. Joannes, tamquam amicis suis et familiaribus : Orate Fratres pro hoc mendico. Nam quos habebat viles pannos, abstulit aliquis et aufugit. Beatus vero Auxentius læto vultu cœpit ei, qui id fecerat, benedicere. Dicit autem ei vir justus, sicut Balaam Balac : Jussi te execrari; et tu ei benedicis? (Num. 23. 11) Respondens autem B. Auxentius, dicit mendico : Redde vota tua Domino, Frater, quot habebas tunicas? Ille vero respondit cum fletu : Septem ad obsequium tuum, et quam mihi dedisti. Dicit ei B. Auxentius : Quoniam ergo cum septem haberes, non fuisti contentus, sed unam, quam habebam, tantam mihi molestiam exhibens, accepisti; desine tristari; hæc B effecit; ut illæ quoque fugerent. Cum eum ergo placide redarguisset, et cum iis, qui simul erant, ferculum accepisset, recessit.

*Psal. 34. 10 liberat vinctum.*

6 Quodam vero die in palatio procedens, videt quemdam teneri et trahi a militibus, orans autem dicit de more : Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, veni nunc quoque ad dandum auxilium. Quæ cum dixisset, effecit ut is relaxaretur.

7 Transiens autem per *n* Battopolium, vidit quosdam opifices deflentes et dicentes : Venit ad nos tempus, quo sumus absque opere : claudamus nostras officinas. Cum vero audiisset, et eorum esset misertus Christi miles Auxentius, die sequenti in unam ex illis officinis divertit mutato habitu, ut fertur de *o* Serapione, et dicit : Quam mercedem mihi dabitis, et stabo in vestra officina? Illi autem dixerunt : Ludificaris nos juvenis, unde tibi dabimus mercedem, cum simus pauperes? Respondens vero, dixit eis : Laboro vobiscum, accipiens quotidie tres *p* obolos. Illi autem læti eum acceperunt. Qui cum fuisset illic tres dies, valde crevit et floruit illa officina. Acceptis itaque novem obolis, recessit ab illis. Is autem ea dedit pauperibus. Dolore vero affecti sunt opifices illius officinæ, egresso admirabilium C effectore Auxentio. Tres enim dies, quos illic egit, non gustavit neque panem neque vinum, nec aliquid aliud, adeo ut mirarentur, qui illic erant, et dicerent ei. Cur non comedis et bibis nobiscum? et dicebat eis : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. (Matt. 4. 4) Illi vero siluerunt, non ausi amplius ei esse molesti. Renunciarunt autem omnem copiam et prosperitatem, quæ facta est per preces ejus in officina sua, Deum glorificantes.

*cum opificibus laborat.*

8 Rursus vero aliquot post diebus, venienti ipsi in palatium occurrit prægnans quædam mulier passis crinibus, clamans : O vis, quæ affertur ab Auxentio, qui comedit dæmonia! Viginti annos latui in hac creatura, et ejus transitus me abduxit ab hujus unguibus. Sic enim per me transiit tamquam ensis, et me discerpsit : et ecce separor ab hac creatura post viginti annos. Equo autem suo subditis calcaribus Christi servus Auxentius, ne cognosceretur ab hominibus, festinabat transire, celans, quæ in se erat, gratiam. Immundus autem spiritus sequebatur eum, dicens : Quid me trahis? egredior. Congregatæ vero sunt circa eum multæ turbæ, adeo ut suspirans et flens Beatus oraverit, ut ea curaretur. Hoc autem facto, et ea statim mundata, illæso fœtu, (erat enim gravida) stupebant omnes et admirabantur, Deum

*curat dæmoniacam.*

glorificantes, qui talem potestatem dedit servis suis D adversus immundos spiritus.

a *An. Christi* 442 *Nam Arcadio patri anno* 404 *successit.* — b Scholarii *ex militiæ peritis exercitatisque præmii loco seligi solebant, ut in aula versarentur, atque Imperatorem in publicum prodeuntem comitarentur, a Gordiano juniore una cum Candidatis et Protectoribus primum instituti : uti diximus* 7 *Februarii ad Vitam* cum *Martyrum Nicomediensium ex clientela Sanctorum* iv *Protectorum.* — c *Græce* Ὀ'πεῖονα νουμέρου καταλεγόμενον. *Oecumenius ad Acta Apostolorum cap.* 10. σπεῖρα δέ ἐστιν ὁ καλούμεν νῦν νούμερον. Cohors autem est, quam nunc vocamus numerum. *De utroque vocabulo a Latinis sumpto consule Glossarium Meursii.* — d *De* Hebdomo *suburbio Constantinopoleos, ubi Theodosius Magnus templum S. Joannis Baptistæ extruxit, agit Gillius lib.* 4 *Topographiæ Constantinop. cap.* 4 — e *Gentianus,* tanquam nubes *At. Græce* ὁ στρατιώτης τοῦ χριστοῦ. — f *Vitam S. Marciani dedimus* 10 *Januar.* — g *Theodorus Lector lib.* 1 *Collectaneorum ait, cum* relicta Catharorum secta, ad Ecclesiam translatum. *Volebant autem Novatiani,* Κάθαροι, *ut est, puri, appellari, suamque illam unam puritatem ea superiorum dicebat, quam doctrina Apostolica complectitur.* — h *Græce.* Τότε δεκανῷ ὄντι ἐν ὀρθίνῳ. *Videtur* δεκανὸς *quasi* δέκατος decimus, *sumi, Gentianus vertit,* qui erat ordinarius Decanus, *sed vox* Δεκανὸς *Græcis etiam tum in usu erat, ut constat ex Homilia* 13 *S. Chrysostomi in epistolam ad Hebræos. Consule Notas Goaris in caput.* 1 *Curopalatæ num.* 86, *et Meursium in Glossario.* — i *Esse illud templum a S. Marciano extructum dicitur in hujus Vita cap.* 5 *num.* 14, *ubi de variis Sanctis, quæ Irenæ vocantur, egimus litt.* A. — k *Inter preces Ecclesiasticas Græcorum eminet Doxologia, quæ duplex* μεγάλη, *et est Hymnus Angelicus* Gloria in excelsis Deo, *et* μικρὰ, *dum* Gloria Patri et Filio *sæpius in fine Psalmorum repetitur : eaque est Doxologia seu glorificatio sanctissimæ Trinitatis.* — l *Græce* εὔκρατον, *quasi* bene temperatum potum *dicas, ast mox ait se aquam petiisse.* — m *Gentianus,* Indusium, *Græce* τῶν χρωτῶν σαρκοσκέπασμα *quasi dicat* corporum carnis operimentum, *ac mox vocat* στιχάριον, *tunicam oblongam virilem, et fere Sacerdotum et Diaconorum, ubi Gentianus* tunicam *vertit, uti dein, ubi Græce* χιτὼν *et* χιτωνίσκος *appellatur. Ast ea veste data mansit in penula, seu pallio, Græce* ἐκ τοῦ φαινολίου διῆγε. — n *Gentianus,* Bassopodion — o *Colitur hic S. Serapion* 21 *Martii. Legendus in Vitis Patrum lib.* 2. *Ruffinus cap.* 18 *et lib.* 8 *Palladius cap* 83. *Leontius et Metaphrastes in Vita S. Joannis Eleemosynarii* 23 *Januarii cap.* 8. — p *Gentianus,* pholes, *et mox* pholibus. *Græce* φόλλεις. *Suidas* ὀβολοὺς, καὶ φόλλεις καλοῦσιν. Obolos, quos pholles dicunt.

*Scholarii. Numerus pro cohorte. Hebdomum. Cathari hæretici. Decanus. Doxologia major et minor. Vestes et Auxentii. Pholles.*

## CAPUT II.

### *Habitatio S. Auxentii juxta Oxiam montem : cæca illuminata, energumeni liberati.*

*Secedit ex urbe*

Postquam autem hæc facta sunt, non volens Christi miles Auxentius efferri laude hominum, sed encomiis celebrari Angelorum; spiritu prævidens in sanctissima Ecclesia nascituram vani dogmatis hæresim, *a* Nestorii, inquam, et *b* Eutychis, relicta terrena militia et aula Imperatoris, cum magno gaudio peregit id, quod olim desiderabat. Nam omnia, quæ ad vitam hujus mundi pertinent cum ipsa regia civitate relinquens, proficiscitur ad partes desertas Bithyniæ : et cum ascendisset ex transverso montis, qui vocatur *c* Oxia, qui distat decem circiter milliaribus a Chalcedone; stetit supra rupem extollens sanctas manus, Deumque glorificans, et dicens : Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. (Psal. 4. 10) F

*in Bithyniam habitatum monte Oxia.*

10 Cum ipse vero uno circiter mense fuisset in montis latere supra petram, ascenderunt illuc pueri gementes et clamantes, quoniam cum pascerent oves, eas perdidissent : et cum vidissent virum justum, valde sunt consternati, existimantes eum esse feram agrestem, et fugerunt. Indutus enim erat veste contexta ex pilis et pellibus, imitans vitam Joannis Præcursoris et Baptistæ. Cum eos autem advocasset B. Auxentius, dixit : Nolite timere, filii, sum enim homo vobis similis. Quid vero quæritis? Dicunt pueri : Greges nostros : eos enim amisimus, et ideo affligimur. Christi autem servus Auxentius misertus, oravit multas horas. Cum vero ipsis pueris benedixisset, dicit eis : Ite ad sinistrum latus montis, et invenietis vestros greges. Respondentes autem pueri, dicunt ei : Ter circumivimus montem hunc inaccessum, et non potuimus eos invenire : et quomodo nunc invenientur? Sanctus autem dixit eis : Ite, ut dixi vobis, in nomine Domini ad sinistrum latus montis et eos invenietis. Euntes vero, eos statim invenerunt : et cum redivissent, renuntiarunt suis parentibus : Cum perdidissemus greges, et ter Oxæ montem

*asperis vestitus indutus. oves perditas precando restitui impetrat*

A montem circuissemus, et eos non inveniremus, adpeximus virum in veste ex pilis, et gravi timore affecti, fugiebamus. Ille autem nobis advocatis precatus est, et cum accepisset caussam propter quam flebamus, jussit nos ad sinistrum latus montis ire, pecudes illic reperturos. Cum sic ergo fecissemus, eas statim invenimus.

11 Cum hæc autem audiissent parentes illorum puerorum, congregatis viris ex vicinis circumquaque prædiis, supplicantes ad eum iverunt, et invenerunt Beatum solum stantem supra petram, ac Deum precantem: et omnes uno ore eum rogarunt, ut ascenderet supra verticem montis, et oraret pro eis. Sanctus vero persuasus eorum adhortationibus, jussit eis ædificare parvam cellam, et *d* seram extrinsecus apponi cellæ, in qua etiam fuit inclusus, lætus corde psallens et dicens: Factus sum sicut passer solitarius in tecto. Frequenter ergo ascendentes, fruebantur ejus precibus. Nam per parvam fenestram eis benedicens, et consulens quæ pertinent ad salutem, lætos dimittebat.

*cellæ includitur.* — *d* — Psal. 101. 8

12 Cum ergo Dei in eo scaturiret gratia, et ejus fama in omnem partem pervaderet, quædam Comitissa ad eum venit *e* Nicomedia, repente excæcata, procidensque ad ejus pedes, dixit: Miserere mei serve Dei altissimi. Beatus autem præsentibus iis, B qui convenerant, dixit: Ego quidem sum homo peccator, et iisdem affectionibus, quibus vos, obnoxius. Si vero creditis, quod qui eum, qui erat ab ortu cæcus, curavit, hanc quoque rogantem non despicit; sincere pro ejus salute deprecemur. Cum autem omnes orassent, tangens ejus oculos, dixit: Sanat te Jesus Christus lux vera. Cumque ea statim respexisset, et pauperibus, qui in eo loco assidebant, plurima erogasset, eam dimisit Sanctus lætantem et Deum glorificantem. Hoc fuit principium miraculorum ejus in monte Oxiæ.

*e* — Joan. 9 — *cæcam sanat.*

13 Eorum autem, qui ab immundis vexabantur dæmonibus, magna adventabat multitudo, partim quidem ex indigenis, partim autem ex alienis: ex quibus plurimi fideliter accedentes, et digne pœnitentiam agentes, per ejus preces sunt curati. Non sustinens vero nullam curam geri eorum, qui assidebant in monte, et eorum, qui longi intervalli labore erant afflicti, cum ipse nullo egeret eorum, quæ oblata fuerant, jussit panes afferri hora sexta, et dari iis omnibus.

*curat dæmoniacos:*

14 Cum decem autem annos illic esset versatus, et plurima peregisset certamina, non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates et principes tenebrarum mundi hujus, C ut dicit Apostolus, adversus spiritalia nequitiæ, et ea vicisset fide per patientiam; vir quidam fidelissimus, ex iis qui aliquando fuerant ejus familiares, cum soleret ad eum accedere, et ex eo magnam caperet utilitatem, dicit cuidam alii ex eadem quarta schola: Volo die sequenti ire ad Dominum Auxentium. Veni tu quoque, et plurima frueris utilitate. Ille autem diabolico quodam instinctu ab eo alienus, non solum non fuit persuasus ut iret, sed etiam eum cœpit maledictis incessere et irridere, eum vocans planum et impostorem, et mercedem præbentem iis, qui se simulant esse dæmoniacos propter tres et sex obolos, ut videantur convinci, multos ita deceptos esse. Cum alter vero his esset obstupefactus, et majus studium adhibuisset, postquam eum increpavit et juvit, moderatius egit, ita ut incredulum secum assumeret. Quem etiam persuasum, vix tandem secum sursum duxit. Sed cum ad eum venisset, ut solebat, hora tertia excepit eos, qui accedebant. Neque enim licebat indiscriminatim ei exhibere molestiam, nisi in tempore solito: in quo eos, qui aderant, primum adhortabatur ad doxologiam. Deinde sic

Ephes. 6. 12 — *patitur acerbum obtrectatorem* — *quem ad se adductum,*

verbo gratiæ adhortans et benedicens, unumquemque dimittebat. Cujus quidem doxologiæ expressas quoque ab eo laudes dicemus postea. Læto ergo vultu ei, qui ad eum accedebat cum fide, dixit quæ erant conducibilia: cum altero, qui erat incredulus, ne verbum quidem locutus. Quamobrem postquam fuit dimissus, pluribus rursus maledictis B. Auxentium insectatus est incredulus, ut qui gloriæ caussa, et non virtutis, quidquam faceret. D

EX MS. GRÆCO. — *non alloquitur:*

15 Cum ipsi autem ad Hemerum descenderent ad navigandum, (hoc est autem emporium Chalcedonis) puer increduli fit obviam scissa tunica, ejulans et lamentans. Cum vero caussam sciscitatus ejus dominus, non quamprimum intellexit, puero præ timore et mœrore id, quod acciderat, narrare differente; hoc autem solum dicente, Quoniam res mala, o domine, nobis accidit; acrius et vehementius respondens ejus dominus, dixit: Dic, quid sit: furtumne in me est admissum, an passus sum incendium? Puer dicit: En filia tua domi graviter vexatur a dæmone, adeo ut nos eam non possimus superare. Tunc ille stimulo motus conscientiæ, cœpit faciem suam percutere, et vellere capillos suos, et magna voce clamare: Væ meæ incredulitati. Eo autem se diu lacerante et lamentante intolerabiliter, alter, qui cum ipso erat fidelis, dixit ei, sicut Servator Jairo: Solum crede, et salva erit puella. Cum ille vero incredulitatem perfecta fide correxisset propter hanc occasionem, et clamaret: Credo, Domine, fer opem meæ incredulitati; trajicientes simul venerunt domum. Qui cum vidissent calamitatem, et puellam, vexari intolerabiliter, et invocare B. Auxentium, clamabant omnes cum fletibus et ejulatibus. Deinde dicit amicus patri puellæ: Age, quamprimum et quomodocumque poterimus, eam vinciamus, et transmittentes adducamus ad sanctum virum, cum ipse a Deo possit impetrare ejus curationem. E

*punitum filia a dæmone obsessa,* — Marc. 5. 36

16 Cum hoc autem fecissent, et viro sancto appropinquarent, puella cœpit efferari, et mirandum in modum furere, et latrare ut canis, et perinde ac si traheretur ab aliquo, majori cursu currere. Cum vero pervenisset ex adverso fenestræ cellæ Beati, constitit, et ibi graviter torquebatur. Et qui sequebantur, cum valde deflerent calamitatem, et ipsa valde vexaretur, aperiens fenestram sanctus Pater noster Auxentius, et eam graviter adspiciens, dixit: Propter tres obolos aut sex obolos. Qui autem aderant, cum iterum hanc vocem a Sancto dictam audiissent, se cum patre puellæ humi projecerunt, clamantes: Miserere, serve Dei altissimi, et ignosce. Omnium enim Dominus et Servator Christus per te prævidet ea, quæ procul absentia per te dicuntur et F fiunt, ut qui in te habitet, qui es ejus famulus. Beatus itaque mansuetudine reprimens severitatem, omnibus prope accersitis, dixit patri puellæ: Si etiam reliquis, ut tu dixisti, mercedem præbeo trium et sex obolorum, filiæ tuæ quantum dedi? Ille autem rursus flens vehementer, se projiciens in terram, petebat veniam.

*atque ad cellam adducta.* — *objurgat*

17 Cum itaque esset precatus B. Auxentius, et Crucem, quæ super baculum erat in ejus manibus, misisset per unum ex iis, qui apud eum perseverabant, fecit cessare puellæ vexationem, et docuit omnes, qui convenerant, non oportere non habere fidem Dei admirabilibus, quæ ab ipso fiunt in unaquaque generatione per eos, per quos ei videtur. Patriarchæ enim et omnes Prophetæ, et similiter etiam Apostoli, erant homines, et a Divina incitati gratia, secundum divinum Apostolum, extinxerunt vim ignis, obstruxerunt ora leonum, et fecerunt omnia quæ deinceps scripta sunt. Porro vero ipsa quoque vox Domini, quæ nos adhortatur ut credamus, sic dicit: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia

*Cruce compescit dæmonem* — Heb. 11 — Marc. 11. 24

A quia accipietis, et evenient vobis. Deo ergo præbente quando vult, et per quos vult, non oportet nos esse incredulos. Cum itaque unam hebdomadam jussisset puellam manere cum parentibus, precatione armatis et jejunio, et ipsam sanam restituisset, dimisit eos in pace, atque ut frequenter ad sanctissimam Ecclesiam irent, injunxit.

*EX AS GRÆCO et puellam liberat*

a *Nestorii hæresis ante an.* 428 *cœperat, quo is factus Episcopus Constantinopolitanus eam vulgarat, dicens Christum personâ duplici constare, ac B. Mariam haud esse Dei matrem. Quæ hæresis in Ephesina Synodo an.* 431 *damnata est.* — b *Eutyches Archimandrita Constantinopolitanus, dum Nestorii hæresim oppugnat, novam condidit an.* 448, *qua naturarum in Christo omne discrimen sustulit. Circa hoc tempus contigit S. Auxentii recessus.* — c *Gentianus,* Oxea *Græce,* Ὀξεία. *Ortelius S. Auxentii montem postea dictum asserit, sed eum* Sopiam *esse, in quo sepultus est, supra diximus.* — d *Gentianus,* Clubum extra cellam, in quo etiam fuit inclusus. *Est autem* κλοῦβον sigillum, sera, claustrum. *infra etiam pro cellula clausa accipitur, uti vulgo* claustrum. *Vide Meursium, qui hinc illustrari potest.* — e *Nicomedia metropolis Bithyniæ.*

*Nestorius.*
*Eutyches.*
*Oxia mons.*
*Clubum.*

## CAPUT III.

### *Leprosus, paralyticus, energumenæ sanantur.*

Aliquot autem post diebus ascenderunt ad eum duo quidam viri laborantes elephantia, qui a Deo per ipsum petebant sanationem. Sanctus vero dicit eis: Quodnam est vestrum peccatum, quod hæc plaga in vos incidit? Illi autem hæc audientes, procidetunt ad ejus pedes, dicentes: Miserere nostri, serve Christi, et ora ut nos curemur. Respondens vero Beatus, dicit eis: Hoc vobis accidit, o fratres, propter juramenta vestra. Sed decetero oportet vos desistere, neque ad iram provocare Dominum Deum vestrum. Quæ cum dixisset, et omnes esset ad precandum adhortatus, ipse quoque flexis genibus ad aliquot horas, et effusis lacrymarum rivis, surgens accepit oleum Sanctorum, eosque unxit a vertice usque ad pedes, dicens: Sanat vos Jesus Christus, ego enim sum homo peccator. Statim autem sunt sanati, et domum redierunt cum gaudio, Deum laudantes, eique tribuentes gloriam, et omnibus renunciantes, quoniam vidimus hominem, qualis nec fuit in *a* sanctis generationibus. Dixit enim nobis omnia peccata nostra: et cum pro nobis multum ad Deum deflevisset, nos curavit ungens sancto oleo.

*Ob Crebra juramenta punitos lepra*

B

*oleo sancto curat*

*a*

19 Rursus autem duæ mulieres ad ipsum venerunt e Phrygia: quarum una quidem habebat coxam ab immundo spiritu percussam; altera autem habebat legionem dæmonum, quæ etiam tertio a monte lapide cœpit clamare et dicere: Quid mihi tecum rei est, o Auxenti, quod me castigans traxisti e Phrygia? Nescis me esse legionem? Sed scio rursus legionem Angelorum te circumdare noctes et dies: qui quidem accipiunt tuas preces, quæ nos urunt, et eas offerunt altissimo Deo, per quas etiam punimur. Ecce etiam post triginta annos me separas ab hac creatura. Hæc ergo et his plura dicens, accessit proxime cellam, in qua Beatus erat inclusus: quam spiritus ante fenestram discerpit, fecitque obmutescere. Sanctus autem cum respexisset eam intuitus, jussit uni ex iis qui aderant, ei dare manum, eamque erigere: jacebat enim humi tamquam mortua. Cum vero surrexisset, rogabat Sanctum cum altera muliere, vehementer ambæ flentes et ad ejus genua procidentes, ut a Deo impetraret, ut ipsas curaret. Sanctus autem dicit eis: Undenam huc venistis, et quis de me vobis dixit, quod possum vos sanare? Quæ læsam habebat coxam, dixit: Ego, o Domine, huc veni per revelationem. Quæ autem habebat legionem, dixit ei: Ego nescio, quomodo venerim. Quamobrem miserere mei, quia triginta annos vexor a legione. Earum itaque misertus Beatus, cum Deum vehementer orasset cum lacrymis, eas curavit. Illæ autem propter insignem suam grati animi virtutem, permanserunt in monte Oxiæ, in quo stabat Beatus, neque domum reversæ sunt.

*fœminam coxæ dolore,*

C

*aliam dæmonio liberat*

20 Quidam vero alius paralyticus ad eum est allatus, jacens super currum. Parentes autem ejus proni ceciderunt, rogantes B. Auxentium cum magno fletu, ut eorum misereretur, et eum curaret, dicentes: Propter multa nostra peccata hoc accidit filio nostro. Sanctus autem Auxentius dixit eis: Et creditis, quod per me humilem et abjectum potest Deus eum curare? Illi vero dixerunt: Certe, Angele Dei, missus es ad nostram salutem, et credimus omnia apud Deum esse possibilia. Sanctus autem dixit: Secundum fidem vestram fiat vobis: et accepto oleo Sanctorum, cum totum corpus ejus per se unxisset, et eum sanum reddidisset, tradidit eum suis parentibus: qui abierunt læti in domum suam, laudantes Deum et glorificantes propter magnalia, quæ fecit per servum suum in filio unigenito. D

*paralyticum sanat inunctum oleo benedicto*

21 Paucis autem post diebus venit mulier quædam ex *b* Claudiopoli, filia cujusdam civis, quæ habebat dæmonem formæ serpentis similem, ut quæ sibilaret solum, et non posset loqui, nisi ut canis, propterea quod eam desolasset Satanas. Quam cum vidisset Dei servus Auxentius, flevit acerbe, dicens: Hei mihi, quomodo redactum est genus hominum in servitutem alieni? Ipsa enim non est hoc passa propter sua peccata, sed propter multam sævitiam et in homines malevolentiam adversarii: et clausa fenestra cellæ, spatio trium dierum, non convenit aliquem, sed rogabat Deum, ut conculcaret tyrannidem draconis. Eo autem orante in cella, cœpit draco loqui, rugiens in muliere, et dicens: O ab utero, qui te edidit, mihi infeste Auxenti, quomodo non combussisti tuam parentem, sed natus es ad mei exterminationem? Rivi enim tuarum lacrymarum me conburunt, et preces tuæ, tamquam tela arcus, discerpserunt mea intestina. Non potes me separare ab hac creatura. Nam valde amo ejus crines, et ejus ætatem, et decetero ex ea non egredior. Compressus autem statim fuit aer, extiteruntque fulgura et tonitrua, et valde magnus imber. Mulierem vero discerpens draco, et ei os obstruens, eam projecit humi, ab ea egressus. Cum fenestram autem aperuisset Beatus post tres dies, vidit eam jacentem tamquam mortuam: et cum jussisset iis, qui adstabant, eam erigere et solam reclinare, adhortatus omnes ad orationem, cum sanctas suas manus multis horis sustulisset, clamabat cum omnibus: Gloria tibi Domine, Gloria tibi Domine, Gloria tibi Domine. Mulier autem jacebat muta, non dans homini responsum. Post preces vero jussit eam coram se adferri: et cum dedisset ei potum ex oleo Sanctorum, statim locuta est: et cum surrexisset, ambulavit, usque ad suam senectutem a monte non separata, sed precibus et Sancto perpetuo assidens, et Deo agens gratias, qui eam sanavit.

*b*

*dæmoniacam:*

E

*triduo inclusus orans,*

*liberat,*

*ac dato potu olei sancti, ei loquelam reddit.*

F

a *Gentianus,* in antiquis generationibus. *Græce est* ἐν ταῖς ἀγίαις γενεαῖς. — b Claudiopolis *erat metropolis Honoriadis, quæ ad Pontum Euxinum sicuta est Bithyniæ provinciæ, cujus tunc erat Calogerus Episcopus, qui Chalcedonensi Concilio subscripsit.*

*Claudiopolis*

## CAPUT IV.

### *Evocatur S. Auxentius ad Concilium Chalcedonense. Miracula in via.*

Post decem aut circiter annos, cum jam decessisset fidelissimus et orthodoxus Imperator *a* Theodosius minor, imperassetque venerandus et Christi amans Marcianus, fuit magna confusio et perturbatio circa dogma veræ nostræ fidei, sicut etiam cœpimus dicere superius, cum esset B. Auxentius recessurus a rebus hujus seculi. Quidam enim Eutyches Presbyter et Archimandrita unius ex monasteriis urbis regiæ, conabatur renovare *b* Apollinaris deliramenta et verba, quæ fuerant refutata et abolita a sanctæ et beatæ memoriæ Dei amantissimis Episcopis,

*Sub Marciano Imper.*

*b*

A scopis, Basilio et Gregorio c et aliis post illos. Cum ergo alii quidem ejus dogma sequerentur, alii vero eadem sentirent quæ Nestorius, adeo ut venirent in periculum dogmata fidei Catholicæ, videns Imperator Ecclesiam in magna confusione et perturbatione, decernit ut Dei amantissimi Episcopi totius fere orbis terræ venirent Chalcedonem, civitatem Bithyniæ.

*ad Synodum Chalcedonensem evocatus, se excusat,*

d 23 Cum omnes ergo convenissent Episcopi, d jusserunt etiam convenire B. Auxentium Imperator et indigenæ Episcopi. Cum autem resisteret, et nollet descendere, dicens non esse monachorum docere, sed potius doceri, hoc vero iis solis convenire, qui sunt honorati pontificatu; misit Imperator Marcianus quosdam ex monachis et Clericis, qui erant circumcirca, simul cum militibus, res ejus cognoscentes, et jussit, ut nisi vellet sua sponte venire cum eis, invitum adducerent. Illi autem cum accessissent, eum maxime urgentes, nequaquam persuasere, adeo ut conversi sint ad eum incessendum maledictis, et affirmarent eum non sapere. Conabantur itaque eum vi exturbare. Sanctus autem eis cedebat, sed nondum perfecta mente, absque superna voluntate. Nam cum duxissent artifices ad seram cellæ, in qua erat, solvendam, et totum diem permansissent, nihil potuerunt facere. Mane vero dicit eis: Dicite mihi,

*neque vi cogi potest.*

B Fratres et Patres, in quanam re male credo? et deinde sic providentia Dei sera aperietur. Illi autem dixerunt: Quod cum pius Imperator Marcianus pios, qui ubique sunt, Episcopos congregaverit ad utilem considerationem dogmatum sanctissimæ Ecclesiæ, tu non vis venire. Scis enim eam, quæ nunc est, confusionem: cum alii quidem sentiant cum Nestorio et schisma moliantur, propterea quod vocem Deiparentis auferant a casta et veneranda Virgine et Matre Domini: alii vero Eutychis et Apollinaris potius tueantur dogmata, et confitentur Dominum Jesum Christum non perfecte carnem succepisse ex semine David: sed specie externa eum fuisse hominem, prodigiose asserunt.

*profitetur fidem:*

24 Hæc cum Beatus audiisset Auxentius, dixit: Ego confiteor Verbum perfecte carnem suscepisse ex non experta opus nuptiarum: et ipsum adoro, ut qui sit Filius unigenitus, qui cum Patre quidem est expers principii, quod attinet ad Divinitatem; in ultimis autem diebus ex ea visus est, quod spectat ad humanitatem. Solum enim hominem, ut nonnulli nugantur, Filium Dei confiteri, est impium. Hæc cum dixisset, et eos vidisset instare, et manibus in cœlum sublatis jussisset intensam fieri precationem, e tradidit seipsum. Illis autem insultantibus, et dis-

*e exit e cella.*

C solvere seram rursus aggredientibus, et nihil omnino valentibus efficere, Beatus cum signasset seram, et ter dixisset, Benedictus Dominus; miti voce imperavit artificibus, et sic ejus voluntate sublatis tabulis, quæ erant clavis affixæ ejus fenestræ, eum exemerunt.

25 Adstiterunt vero jumenta et currus, ut eum collocarent, ubi vellet ascendere. Cum autem recusasset locari super jumentum, aptato clathris curru, Sanctum in eo reclinarunt. Erat enim imbecillis et dejectus toto corpore, ex nimia exercitatione, et maxime ex laboribus, adeo ut exiret sanies cum vermibus. Inter quos quidam, nomine Theophilus, acri fide accurrens, cum vidisset effluxisse unguem magni digiti dexteri ejus pedis, eum abstulit. Sanctus vero dolens dixit: Ego quoque sum homo, obnoxius iisdem quibus vos affectionibus, ne mihi exhibeatis molestiam. Cum autem cum magno tumultu imperarent bobus ii qui missi fuerant, ut moverent currum, et nihil efficerent, diu animalibus manentibus immobilibus, cœperunt eos crudeliter verberare, et stimulis pellem eorum sauciare. Ægre ferens

*imponitur curru,*

*Cruce, quam gerebat, boves signatos, facit progredi*

ergo Beatus jussit eos cessare: et cum Cruce, quam, D ut solebat, habebat in manibus, signasset animalia, eisque leniter imperasset, fecit iter ingredi.

*ex ms. cuseu.*

26 In via autem occurrit agricolis dellentibus et lamentantibus propter suas bestias, quod scilicet paterentur, sicut homines, vexatæ ab immundis spiritibus. Misertus itaque Beatus, cum omnes jussisset intentos esse orationi, et ex imo corde suspirasset, et Deo supplicasset, eas curavit.

*pellit dæmones a bestiis,*

27 Quædam autem mulier passis capillis ei mox occurrit in via, quæ etiam ad eum attulit infantem circiter trium annorum, qui possidebatur a dæmone. Justus vero cum eum vidisset, cœpit manus extendere, et lacrymas effundere, et dicere iis qui aderant: Ne existimetis, o insipientes, qui corde estis submersi, hunc puerum peccasse, et vexari ab immundo spiritu: sed hoc propter nos contigit et propter nostram conversionem, erat enim et vultus infantis in cervicem versus. Cum ergo precatus esset B. Auxentius, et increpasset immundum spiritum, inspirans in faciem infantis, eum curavit. Egresso enim execrando dæmone, fuit ejus vultus sicut prius restitutus. Cumque eum sanum recepisset mulier, domum rediit læta, et Deo agens gratias.

*infante,*

28 Rursus autem in via puella quædam, neptis Dorothei Comitis, ex peregrinatione venit f in lectica, vexata a sævo dæmone. Quam etiam a modico E spatio allisit humi immundus spiritus ex lectica in terram. Cum autem surrexisset, scissa veste cucurrit ad currum, in quo erat Beatus, latrans et clamans: Quid tibi rei mecum est, Auxenti? Quid me uris? Quid me persequeris? Utinam abortum fecisset uterus, qui te peperit ad nostrum exitium. Ecce enim cum quatuordecim annos latuerim in hac creatura, studes me ab ea separare. Cum autem vidisset Christi athleta ejus, cum vexaretur a dæmone, nuditatem, magna ira percitus, non sivit eam loqui: sed cum increpasset immundum spiritum, clamans magna voce, dixit: Egredere immunde spiritus ex hac creatura, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui incarnatus fuit ex Spiritu sancto et Maria Virgine. Stridens itaque et ejulans dæmon, exiit protinus ex puella, cum nec ei quidem fuisset omnino permissum nugari per creaturam.

*f*

*et puella.*

29 Milites autem cum Clericis et monachis, qui consequebantur ex monte, cum viderent signa, quæ per ipsum faciebat Servator, admirabantur, et magis dubitabant, quam crederent, dicentes ei: Hæc facis, ut oculis appareant, o illusor Christi. Sanctus autem subridens, dicit eis: Ego non sum Christi illusor, sed servus Dei, credens in sanctam ejusdemque essentiæ et individuam Trinitatem, confitensque Deiparentem, sanctam et incorruptam Virginem.

*ab incredulis calumnias patitur*

30 Cum vero pervenisset ad prædium, quod dici- F tur g Digides, juvenis quidam, nomine h Ægorius, i ex regione Lyddorum, habens spiritum immundum, accessit ad Sanctum in eamdem possessionem, ad ejus pedes procidens, et dicens: Miserere mei serve Dei altissimi, quoniam vexor a maligno dæmone. Beatus autem Auxentius, imposita manu ejus capiti, cum esset precatus, spiritum quidem non sinit loqui, ut ipse autem exiret, per Christi gratiam procuravit. Malus vero dæmon egressus, latebat sub spina propter viam, ut revertente adolescente, ad eum rursus rediret, postquam autem percussi sunt boves, et ipsi currum erant moturi, cognoscens Beatus in sancto Spiritu, dixit adolescenti: Adolescens, tibi dico, cave ne eas per viam sinistram, per quam venisti. Illic enim a spinis est absconsus, qui te expectat, malignus: sed vade ad dexteram, Deo agens gratias, et dicens: Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto, qui locutus est per suos Prophetas.

*g h i*

*energumenum liberat.*

*Mortuus*

A EX MS. GRÆCO.

a *Mortuus est Theodosius Junior Kalendis Augusti anno* 450. *Ab hujus sorore S. Pulcheria Marcianus factus Imperator, mortuus exeunte Januario anni* 457. — b *Vixit Apollinaris potissimum sub Valente et Valentiniano, cujus hæreses damnavit S. Damasus Papa in Concilio Romano anno* 373. *Consule Baronium ad illum annum, qui num.* 16 *recenset ejus hæreses circa Verbi divini Incarnationem.* — c *Hæc apud Metaphrasten ita augentur.* A Basilio Magno beatoque et luminari orbis terræ, et Gregorio inclyto Theologo, et Joanne Chrysostomo et iis similibus. *Quæ tum alibi tum ad eorum Vitam, præsertim S. Basilii* 14 *Junii, et S. Gregorii* ix *Maii plenius dicentur.* — d Sexcenti triginta, *ut additur apud Metaphrasten, a quibus capta Synodus an.* 451, 8 *Octob. ac post sessiones* 13 *finita Kal. Novemb. sequentia ex hac Vita tradit Baronius ad an.* 451 *num.* 155 *et seqq.* — e *Gentianus,* non tradidit seipsum. *Abest a Græcis particula negativa.* — f *Idem,* eques venit. *Græce* ἐν βαστερνῷ in basterna, *seu* lectica. *S. Augustinus epist.* 116, Bastarno innoxie te vehi posse, noster Lucianus auctor est. *Glossæ Isidori,* Basterna, lectica manualis. — g *Gentianus,* Sycides. — h *Idem,* Gregorius. — i *Græce,* ἀπὸ χωρίου Λύδδων. *Gentianus,* ex pago Lyddorum. *Videtur Lydia Asiæ minoris regio intelligi, inter quam et Bithyniam interjacet Phrygia. Est etiam Lydda urbs Palæstinæ Episcopalis, de qua ad Vitam S. Georgii* xxiii *Aprilis agemus.*

*Apollinaris hæreticus.* *Syn. Chalcedonensis.* *Bastarna.* *Lydia.* *Lydda.*

## CAPUT V.

### *Quæ S. Auxentius egerit tuleritque in monasteriis ad Ruffinianas et in Philio.*

a Cum autem jam accessissent in martyrium *a* S. Thalalæi, eum sequentes pauperes ex monte Oxiæ, simul deflebant, et lamentabantur, et amplectebantur sancta ejus vestigia. Videns vero Christi discipulus Auxentius intolerabilem luctum cordis eorum, dixit eis: Abite filii, et sedete interea in monte, ego enim sum vobiscum. Nam etsi corpus meum abducunt, at meus spiritus est inter vos, nec vos unquam relinquam. Atque milites quidem hæc ægre ferebant: pauperes autem reversi sunt, sicut eis dixit Christi servus. *Jubet pauperes redire in montem:* B

32 Cum in curru autem venisset ad monasterium, quod erat in *b* Philio, repente juvenis quidam, nomine Isidorus, cœpit vexari a dæmone, et clamare: Væ tibi Auxenti, qui non dedisti mihi potestatem ulciscendi impios deorum hostes, qui te suscipiunt, ad meam et meorum perniciem. Tuus enim transitus omnia sanctificavit, et fugavit ex nobis plurimos. Dixit autem ei Beatus: Tace et obmutesce, qui malis gaudes dæmon in nomine Jesu Christi. Deduxerunt ergo e curru virum justum, et eum introduxerunt in ecclesiam S. Joannis. Stans ergo oravit horas aliquot, propterea quod ob vibices pedum non posset genu flectere. Postquam autem implevit suas preces, eum introduxerunt in inferius triclinium, undique clausis januis. Eo vero intus precante, foris fuit curatus Isidorus, qui vexabatur a dæmone. *b* *venit in monasterium in Philio:* *dæmoniacum sanat:*

33 Quædam autem mulier, uxor Maximiani aurigæ, putans B. Auxentium esse in monte Oxiæ, venit, ferens oneratis animalibus oleum, vinum, panem, caseum, legumina, stupam et ceram. Et magno C quidem dolore est affecta, cum sanctum virum illic non invenisset. Distribuit vero omnia pauperibus, qui in eo loco perseverabant. Ejus enim puella, quæ vexabatur ab immundo dæmone, ab ipso assecuta fuerat curationem, et beato viro valde erat dedita. Mirata ergo, quod vi propemodum deductus fuerat a monte, et degeret inclusus in monasterio, quod est in Philio, venit illuc meditans eloquium Scripturæ, quod dictum est in pulcherrima Sapientia Salomonis, et impletum in vita sanctissimi Patris nostri Auxentii, *c* Examinemus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris. Nam cum condemnassent eum tamquam maleficum, incluserunt, non concedentes, ut quisquam eum conveniret. Cum fidelissimæ ergo huic fœminæ Beatum videre non licuisset, aut eum convenire, abiit flens domum, et marito suo omnia renuntians. *inclusus non permittitur adiri:* *Sap. 2. 12* *c*

34 *d* Constantinus autem Dux exercitus et *e* Artacius Comes, qui soliti erant venire ad sanctum virum, venerunt ubi erat, ut viderent eum, et fruerentur solita utilitate. Qui cum eum convenissent, et ab eo consecuti essent benedictionem, rogarunt ne daret occasionem iis, qui male sentiebant: sed spe in Deum omnia quidem probaret, quod bonum autem est, teneret, ad pacem et concordiam sanctissimæ et Catholicæ Dei Ecclesiæ. Sanctus autem dicit eis: Fiat voluntas Dei, sicut in cœlo et in terra. Rogarunt vero Beatum, ut aureos aliquot acciperet, qui dedita opera ab eis adferebantur. Ille autem id non sustinuit, dicens eis: Pauperibus, qui sunt in monte Oxiæ, et Fratribus meis in Domino, eos date: Ego enim habeo omnia, et abundo per gratiam Dei. Valde vero magna sunt ex hac re affecti molestia, qui erant in loco, monachi. Sed illi quidem Christi amantes impleverunt, quod eis fuerat mandatum. Plurimi autem cum de cetero audivissent, Beatum de monte esse deductum et illic degere, eo venerunt. *d e* D *invisitur et animatur a Constantino Duce:*

35 Cum vero ad eum accessissent monachi monasterii, rogabant tentantes, quare non comederet. Ille autem dixit eis: Quoniam experimentum quæritis Christi, qui in me loquitur, qui non est infirmus, sed potens in nobis. Præterea scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Quodam itaque die aperuerunt domum, in qua erat, et posuerunt in ea sportam betarum, et sportam dactylorum, et sportam diversorum bellariorum, omnia autem certa mensura: et eum rogabant, ut ex eis sumeret. Cum itaque candelam fecissent et puerum apud eum manere jussissent, incluserunt eum una hebdomada. Et candelam quidem invenerunt non consumptam et ardentem; puerum vero rogarunt, quidnam faceret, et undenam aleretur. Is autem dixit eis: Cum eo quidem vidi somno correptus, glorificantium multitudinem, quin etiam ingredientem columbam et eum pascentem. Vermes autem, qui cadebant e suis pedibus, recolligens, eos rursus imponebat ulceribus. Quoniam autem puer a Sancto jussus nemini dicere, quæ viderat, rursus coactus fuerat effari, febre arreptus, uno post die decessit. *Matt. 4. 4.* *cibum oblatum non gustat:* *ei prælucens candela non consumitur* E *cœlitus alitur:*

36 Cum hæc autem facta essent, deductus fuit a monachis et Clericis, et quibusdam aliis viris præclaris ad *f* Ruffinianas, prope sanctos Apostolos, in monasterio *g* B. Hypatii, illic jussus agere silentium. Cum magno vero gaudio eum exceperunt, qui illic erant monachi cum eorum Præposito, viro undequaque optimo et gratia Dei dignato, ut qui esset Christi discipulus. Ab illo autem tempore non clauserunt fores monasterii, propter multitudinem eorum, qui affluebant, partim ex hac regione, partim autem ex longe beatissima Constantinopoli: sed omnes benigne excipiebant, promptoque et alacri animo, plurimas accipientes oblationes, magnum vero propter victum facientes apparatum, adeo ut fieret illud monasterium tamquam Abrahæ tabernaculum. Omnes enim fere, seu dignos seu indignos, tamquam Angelos Dei accipiebant. Beatum autem Auxentium cum in alto triclinio cancello inclusissent, rogabant ut oraret pro mundi et ipsorum salute, omne ei ministerium, et iis, qui ad ipsum concurrebant, impigre offerentes, propter cujusvis boni operis a Deo promissam remunerationem. *benigne excipitur in monasterio S. Hypatii* *f* *g* F

37 Multi, qui immundos habebant spiritus, et lunatici, infirmique et paralytici illic assidebant, et illic curationem petentes per servum Dei Auxentium, omnes curabantur. Unde etiam quædam Comitissa, cum de hoc Beato audivisset Auxentio, contendit venire et eum adorare. Chalcedone ergo in lectica venit. Et cum fuisset prope sanctos Apostolos, descendit ex lectica, et venit in monasterium. Cum autem esset ascensura, ubi erat Beatus, rupta veste et abjectis ornamentis suis, cœpit clamare: Quid mihi rei tecum est Auxenti vermipes? pulchre abscondebar in ejus intestinis. *h* Cum increpuisset malignum et immundum spiritum, et jussisset eum obmutescere *multos curat:* *h*

A mutescere, et e creatura non erumpere, a Deo supplex petiit, ut faceret suam cum ea misericordiam. Cum autem dedisset ei de oleo Sanctorum, et eam jejunare jussisset quadraginta dies, sanam eam dimisit Christus, eam curans per hujus orationem. Multa vero præbuit pauperibus et monasterio S. Hypatii.

*Comitissam dæmone liberat.*

a *Colitur* S. Thalelæus *Martyr* 20 *Maii. De variis Thalelæis egimus* 20 *Januar. ad cap.* 11. *Vitæ S. Euthymii litt. C.* — b *Gentianus*, in Phelio. *ut Græce*, ἐν τῷ φιλίῳ. — c LXX *Interpretes*, Ἐνεδρεύσωμεν. *Vulgata*, Circumveniamus. — d Constantino et Rufo Coss. *obiit Marcianus Imp. An idem Constantinus, qui hic Dux exercitus appellatur, nondum nobis constat. Inter appositos Concilio Chalcedonensi ex amplissimo Senatu sub initium actionis primæ, est* magnificentissimus et gloriosissimus Expræfectus prætoriorum Constantinus. *Græce* ὁ μεγαλοπρεπέστατος, καὶ ἐνδοξότατος ἀπὸ ἐπάρχων πραιτωρίων Κωνσταντῖνος. — e *Gentianus*, Artabius. *Græce*, Ἀρτάβιος. — f *Est id* suburbium Chalcedonis, *quod, inquit Sozomenus lib.* 8 *cap.* 17 *a* Ruffino Consulari cognomen habet, in quo et regia est, et ampla ecclesia, quam ipse Ruffinus in honorem Apostolorum Petri et Pauli extruxit et Apostolorum ab ipsis appellavit. *unde ad* Quercum, εἰς Δρῦν *dicebatur, ubi Pseudosynodus contra S. Chrysostomum habita fuit an.* 403. — g *In Menæis* 17 *Junii est memoria S. Hypatii* τοῦ ἐν Ῥουφινιαναῖς, *uti hic Græce appellatur. Gentianus etiam* ad Ruffinianas. *Ita infra num.* 43 *mons Stopa dicitur* ἐνδοτέρω τῶν Ῥουφινιανῶν. *Idem eo die refertur in Martyrol. Romano. Videtur illo monasterio præfuisse, ut qui sub Arcadio natus, et octogenarius obierit.* — h *Ex Metaphraste hæc interponit Gentianus.* Et certe me eduxisti post viginti annos. Eum enim ingressus sum, cum esset duodecim annos nata, nec me cognovit quisquam ad hoc usque tempus, et me invitum ab eo separas. Significr vero et magnus Pater noster Auxentius cum increpasset, *etc.*

*S. Thalelæus.*

*Constantinus Dux.*

*Suburbium Chalcedonis.*

*S. Hypatius.*

## CAPUT VI.

B

### *Colloquium S. Auxentii cum Marciano Imp. professio fidei orthodoxæ.*

*a* *b*

Post hæc autem pius Imperator, misso *a* dromone ex Hebdomo, quod illic esset *b* Procensus, ad se accersiit B. Auxentium: et cum eum vidisset toto corpore afflictum ex exercitatione, magnam in eum ostendens reverentiam, dicit ei: Scio te esse Dei servum, Domine Auxenti, et debes consentire sanctæ et œcumenicæ Synodo ad hoc, ne tu fias auctor offensionis iis, qui eam *c* nolunt admittere. Sanctus autem respondens, dicit Imperatori: Quis sum ego canis mortuus, quod ut cum sanctis Pastoribus connumerer, jubet tua Potentia, qui non recuso pasci, et doctrina egeo? Imperator vero postquam plurima cum eo esset locutus, dixit: Considera quid expediat, et ne nos afficias molestia. Nam nec nos quidem quidquam præter id, quod oportet, sed ut decet, ad sanctissimæ Ecclesiæ concordiam, et non destructionem, Concilium congregavimus. Hæc cum dixisset Imperator, et preces ab eo petiisset, eum dimisit.

*c* *Evocatus loquitur cum Marciano Imp.*

39 Cum vero venisset B. Auxentius in monasterium S. Hypatii in Ruffinianis, et vidisset illuc magnam affluxisse multitudinem, cœpit omnibus præ-C cipere, ut abstinerent a theatris, ut quæ essent caussa impudicitiæ, adulteriorum, et falsi testimonii, et omnium, quæ sunt prohibita et Deo minime placent: hortabatur autem sincere credere in sanctam, et quæ est ejusdem essentiæ, Trinitatem, et confiteri Dominum nostrum Jesum Christum incarnatum ex sancto Spiritu et Maria semper Virgine et Deiparente, et assidere sanctissimis ecclesiis, in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus. Quidam vero ex multitudine, qui accesserant, febricitantes et horrentes, dignati contactu ejus manus, sani sunt redditi. Ei autem significatum est, adesse puellam quamdam recens nuptam, quæ in thalamo correpta fuit ab immundo dæmone, et se divellit et comedit. Sanctus vero cum eam jussisset ascendere, dixit lacrymans. O malam vestram phalangem, quæ generi hominum semper insidiatur, obmutesce maligne spiritus, et egredere e Dei creatura sine perturbatione et ulla injuria. Perinde ergo ac si in soporem esset resoluta puella, ab ea recessit dæmon. Cum autem surrexisset, abiit rursus sana in domum suam, lætans et Deo gloriam tribuens.

*regressus in monasterium instruit accedentes,*

*tactu curat febrem*

*energumenam liberat.*



40 Cum vero rursus mittens Imperator eum accersiisset, rogavit an assentiretur sanctæ Synodo, D et cum sancta communicaret Ecclesia. Dixit autem Beatus: Quomodo possum communicare, si non confiteatur esse Deiparentem semper Virginem? Dixit ei Imperator: Si videris, quæ sunt recte confirmata et stabilita a Synodo ad destructionem reliquarum hæresum, tunc quoque assentieris? Respondit Sanctus: Si nihil aggressa est hæc sancta Synodus, quod tendat ad evertendum Concilium trecentorum decem et octo Patrum, qui erant Nicææ, sed perfectam enuntiavit carnis susceptæ œconomiam Servatoris nostri Jesu Christi, et quæ convenit Virgini Deiparenti, vocem rursus non abstulit, communico et assentior, Deo agens gratias et vestræ pietati. Hæc cum audiisset Imperator, osculatus est venerandum ejus caput: et sic deinde jussit eum cum maximo honore venire in magnam et sanctissimam Dei ecclesiam. Quamobrem magna eum populi consequebatur multitudo. Significans autem Imperator Archiepiscopo Constantinopolitano, quæ ab eo dicta fuerant, jubet ei legi omnia, quæ a sancta Synodo fuerant definita.

EX MS. GRÆCO.

*ab Imperatore interrogatus profitetur fidem concilii Nicæni,*

41 Qui cum diligenter et accurate acta legisset, et persuasum habuisset, quod Dei voluntate, quæ a Nestorii impiis nugis, et Eutychis manifesto furore in perniciem multorum decreta fuerant, execrabilia E esse sancta confirmavit Synodus; quandoquidem illa quidem direxit aciem adversus eos, qui negabant essentiam unigeniti Dei Filii; hæc autem adversus eos, qui infirmant et convellunt Dei œconomiam, dicendo quod cum Deus esset ex Deo Dei filius, coæternus et ejusdem essentiæ, et similiter atque pater carens principio, in ultimis diebus nostræ unitus naturæ, carnem suscepit immutabiliter, inconfuse, individue. Nam cum quidam plane emotæ mentis, quæ propter nos facta est, Servatoris dispensationem ausi essent corrumpere, humanæ naturæ susceptionem putantes esse phantasiam; quidam autem cœleste corpus Dominum detulisse prodigiose assererent; alii vero duarum naturarum commixtionem et confusionem definirent; et alii Divinitatem passam esse nugarentur; reliqui autem Virginem Deiparentem nominare recusarent; qui in hac magna et Oecumenica Synodo erant sancti Patres, omnium, quos ante scripsimus, evertentes hæreses, non ex suis syllogismis, sed ex divinis Scripturis, et præclaris, qui antea fuerunt, Doctoribus, magnum pietatis mysterium obsignantes, confirmaverunt unicum et unigenitum Dei Filium, convenienter fidei trecentorum decem et octo sanctorum Patrum, propria sua natura esse inaccessum: hoc enim labefactant Ariani, adversus quos fuit illa Synodus Nicæna: et F quæ postea fuit in urbe regia, Synodus centum quinquaginta Patrum adversus Macedonianos, ut qui cum Spiritu sancto pugnarent Scripturæ testimoniis munitam comprobarunt. De cetero adversus eos, qui abolebant Servatoris nostri Jesu Christi œconomiam, ut qui specie externa et non veritate esset incarnatus; et qui nudum esse hominem, qui natus erat ex sancta Virgine et Deiparente Maria, nugati fuerant; adversus eos, inquam, operam dederunt: et ex divinarum Scripturarum testimonio, et ex Synodalibus beatissimi Cyrilli Alexandrini, et Leonis sanctissimi Archiepiscopi Romani, et omnium, qui cum eis erant, et prorsus beatissimi Petri confessioni consentiebant, congruenter ei, quod est, Tu es Christus filius Dei vivi: excelsam quamdam columnam contra eos, qui mala imbuti erant opinione, merito erexerunt, ad confirmanda recta et vera dogmata.

*et mysterium Incarnationis secundum decreta in aliis Conciliis.*

Matth. 16. 16

42 Nam et adversus eos dirigunt aciem, qui œconomiæ mysterium conantur distrahere in duos Filios,

A EX MS. GRÆCO. lios, et eos, qui patibilem unigeniti Filii Dei audent dicere Divinitatem, expellunt a sacro cœtu : et iis resistunt, qui duarum naturarum in Christo inducunt confusionem : et eos, qui cœleste corpus aut alicujus alterius essentiæ dicunt esse, ex nobis ab eo acceptam servi formam tanquam delirantes ejiciunt et eos, qui duas quidem Domini naturas fabulantur ante unionem, post unionem vero unam feriunt anathemate : unum et eumdem Filium concorditer confitentes, Dominum nostrum Jesum Christum, perfectum in Divinitate, et perfectum in humanitate : Deum vere, unum et eumdem : et hominem vere, ex anima rationis compote et corpore, qui est ejusdem essentiæ, cujus pater, quod attinet ad Divinitatem : et ejusdem essentiæ, cujus nos, præter peccatum, eumdem, quod ad humanitatem : ante secula quidem natum ex Patre, in ultimis autem diebus, propter nos homines et propter nostram salutem, ex Maria Virgine et Deiparente, quod attinet ad humanitatem : unum et eumdem Dominum Jesum Christum in duabus naturis, inconfuse, immutabiliter, indivise, qui pie cognoscitur et adoratur ab omnibus fidelibus : quoniam Sanctus quidem Joannes conscribens principium Evangelii, dixit : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Sanctus vero Matthæus, Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham : et iis convenienter, qui postea secuti sunt sancti Patres, Divinitatem et humanitatem unius Filii Dei docentes, tradiderunt omnibus. Quomodo etiam dicit divinus Paulus : Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod prius promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem : qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri. Qui etiam rursus dicit reverentius : Quoniam enim per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et hæc interpretans, subjungit : Quomodo enim in Adam omnes moriuntur, ita etiam in Jesu Christo omnes vivificabuntur. Hæc ergo cum legisset et admisisset Beatus, in divina satisfactione et spiritali intelligentia assensus, abiit Ruffinianas. Non oportet autem nos ex ignorantia maledictis insectari aut calumniari hanc sanctam Synodum : sed potius quod manifestum est et verum agnoscentes admittere.

*et Scripturam sanctam.* — Joan. 1. 1 — Matt. 1. 1 — B — Rom. 1. 1 — 1 Cor. 15. 21 et 22

a Dromo, *seu* Dromon, *velox ad cursum navis. Cassiodorus var. l. 5* Decrevimus mille dromones fabricandos assumere. *Marcellinus in Chronico* cum 100 armatis navibus totidemque dromonibus *et hic Græce* ἀποστείλας δρόμωνα. — b *Græce*, διὰ τὸ εἶναι προκένσον. *Ita Cedrenus ad an. 22 regni Justiniani meminit* προκένσου γενομένου ἐν τῷ Ἑβδόμῳ. *Est autem procensus, processus regius sive ad pietatem sive ad solam pompam. Legatur Goar in cap. 15 Curopalatæ num. 6.* — c *Germanus,* volunt admittere. *Græce*, μὴ βουλομένοις ἀποδέξασθαι.

*Dromogenus navigii* — C — *Processus :*

## CAPUT VII.

*Habitatio S. Auxentii in monte Siopa. Insultus dæmonum superati. Modi orandi. Adhortatio.*

*Degit in monte Siopa,* Itaque cum sancti quidem Patres hæc concorditer in Synodo declarassent et definiissent, et unusquisque ad suos reverteretur, noluit B. Auxentius redire ad priorem montem, sed in alium asperiorem et altiorem, propiorem autem Ruffinianis, nomine a Siopa, rogavit eos, qui conveniebant, ipsum deducere. Sicque in priori habitu ejus desiderium implentes, cum Fratribus, qui erant ex monasterio, in quo est versatus, cum psalmis et hymnis et canticis spiritalibus, eum deduxerunt : et cum cellulam obseratam ex lignis fecissent, tamquam avem sublime volantem ipsum in ea incluserunt, unam solam sinentes fenestram, ad conveniendum eos, qui accedebant, eo ritu quo prius. Quibus bene precatus, et unumquemque *arcte inclusus :* osculatus, omnes dimisit, relictus tamquam passer D solitarius supra tectum, Deo agens gratias propter consuetam conditionem et doxologiam.

44 Non alienum autem existimamus, atque adeo utile, singulatim narrare, quæ hic ei contigerunt tentationes ab immundis et malignis spiritibus. Una enim nocte eo orante, accedentes dæmones innumerabiles, diversarum visionum species præ se ferentes, strepentes, rugientes, minantes, non potuerunt mentem ejus terrere. Cum enim ergo plagis affecissent; putabant fore, ut se deturbaret per fenestram, cum vi magna tumultum edentes, et seipsos magis quam illum conturbantes inconditis vocibus exclamantes : Quid tibi cum desertis? Recede a rebus nostris. Sed B. Auxentius fortiter ferens, Crucis salutaris figuram in eos exprimens, reddidit imbecilliores. Facto autem mane, Deo ita volente, ex sæpedicto emporio Ruffinianarum, et eo, quod illic erat, monasterio, accesserunt plures monachi et mundani, ut benedictionem ab eo consequerentur, et fruerentur pulcherrima ejus societate. Cum vero propter nimiam immundorum spirituum afflictionem vix tandem eis aperuisset fenestram, et verbis usus esset apud eos consolatoriis, rogarunt caussam tantæ imbecillitatis. Cum is autem dixisset, non esse afflictionem corporis, sed diabolicam operationem, id cognoscentes, qui aderant, siluerunt, et contentionem auferri deprecantes descendebant. Frequentius autem accedebant ad eum visitandum, maxime qui erant ex monasterio. Nos vero, ne in immensum cresceret oratio, reliquas tentationes, quæ in priori monte et in hoc factæ sunt in eum, narrare recusavimus. In Angelum enim lucis mutatus malignus, ut dicit Apostolus, putabat se eum decepturum. Sed non facile capi poterat Beatus, at fortiter resistebat, valde peritus doctrinæ divinarum Scripturarum.

*contra dæmonum insultus se Crucis signo munit :* — E — 2 Cor. 11. 14

45 Unde etiam iis, qui ad ipsum conveniebant ex clarissima Constantinopoli, et reliquis ejus loci hominibus, erat valde mitis et placidus, et ad eos consolandos accommodatus, ut si quis alius : omnes advocante ejus verborum virtute, et ejus fama trahente eos etiam, qui procul erant remoti. Ut ergo consueverat, eos, qui mane veniebant, dimittebat post horam tertiam : et qui postea, post sextam. Non sinebat autem in otio considere eos, qui accesserant : sed erant intus cum ipso, dum ipse legeret aut oraret. Conveniebat enim sine intermissione ad ipsum multitudo, maxime ex Ruffinianis et reliquis emporiis, propter ejus beneficia, quæ accipiebant per curationem eorum, qui ægrotabant, et laborabant. Multi enim gratia Domini nostri Jesu Christi, dum F ipsi illic esset, curati sunt dæmoniaci : et quotidie, et semel dicam, curabantur.

*callet sacras Scripturas* — *quotidianis claret miraculis*

46 Quosdam autem versus ex duobus aut tribus dictis, valde jucundos et utiles, cum simpliciori et minus curioso ritu descripsisset, faciebat omnes eos psallere. Nam cum primus sæpe dictus esset per successionem, rursus quoque jussu beato incipiebant alterum : et deinde post secundum, tertium, et reliquos ordine. Consentaneum autem fuerit eorum quoque dicta inserere narrationi, ad eorum, qui legunt, utilitatem. Sunt vero hæc. Mendicus et pauper laudamus te Domine. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto, qui locutus est per Prophetas. Cum eo autem exercitus in cœlis hymnum emittunt, et nos quoque, qui sumus in terra, doxologiam ; Sanctus, sanctus, sanctus Dominus : pleni sunt cœli et terra gloria tua. Et deinceps : Creator omnium, dixisti, et facti sumus : mandasti, et creati sumus. Præceptum posuisti, et non præteribit. Servator, agimus tibi gratias. Et rursus : Domine virtutum, passus es; resurrexisti, visus es, ascendisti, venturus es judicare mundum, miserere et salva nos. Et rursus

*preces præscribit advenientibus*

A rursus : In anima afflicta tibi procidimus, et rogamus te Servator mundi. Tu es enim Deus eorum, qui agunt pœnitentiam. Et rursus : Qui sedes super Cherubim et cœlos aperuisti, miserere et serva nos. Deinde : Exultate justi in Domino, intercedentes pro nobis. Gloria tibi Christe, Deus Sanctorum.

47 Atque multitudo quidem eorum, qui aderant, tam divitum quam pauperum, et tam virorum quam mulierum, servorumque et liberorum, ex cantico, a vana gloria alieno, a Beato definito hæc psallebat numerose : alii quidem eorum usque ad horam tertiam, et dimittebantur in spiritali exultatione : alii autem perseverabant usque ad horam sextam. Ipse vero de cetero per se eis sub finem acclamabat hymnum trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, et Misael, qui est in Propheta Daniele : Benedicite omnia opera Domini Domino : respondentibus omnibus, Laudate et superexaltate eum in secula. Cum autem hymnum implesset, secundum gratiam verbi quam habebat, eos qui aderant consolabatur, sic dicens :

*cum iis recitat Canticum 3 puerorum :* Dan. 3.

48 Omni tempore propter facultates et copias, in astutiis et negotiis rerum, quæ ad hanc vitam pertinent, corpus consumentes, debemus etiam propter res spiritales aliquam partem tribuere laudibus Divinis, ut Dominus Jesus Christus et nostra opera dirigat et vitam nostram ædificet. Oportet ergo menti nostræ, quæ ita est occæcata, et obdurata, ut neque divinarum Scripturarum doctrinam admittat aut intelligat, adhibere ducem piam rationem, et præcipue timorem Dei, qui recte suo fungitur officio per frequentem orationem, ad hoc, ut relictis rebus terrestribus, et corruptibilibus, ad cœlestia et incorrupta suspiciat. Qui enim est animo perspicax, et mente eruditus, non corporeis solum mandat oculis inspectionem eorum, quæ cernuntur; sed animæ quoque, atque adeo multo magis, oculis intendere in considerationem eorum, quæ non cadunt sub adspectum; eorum, quæ intelligentia et fide percipiuntur, contemplans sine errore substantiam, fugiens autem errantem et improbam vitæ affectionem, et sensus diligenter exercens ad boni et mali discretionem. Homines enim, qui a cura et studio ejus, quod est vere bonum, defecerunt ad amorem corporum atque in pecuniæ inanimam materiam, per avaritiam prolapsi sunt, ac circa gulam ac ventrem omne studium posuerunt. Unde nobis quoque antiquus lapsus contigit. Qui ergo ab his defecimus, erigamus animum ad ea, quæ sunt diviniora. Fruamur illa magnificentia, quæ est supra cœlos quidem elata, promissa est autem omnibus electis : et nihil mali patiamur a lapsu affectionis, sed efficiamur digni bonis æternis. Deus enim nos fecit libero arbitrio præditos, neque servientes ulli externæ necessitati, sed libere nostro arbitratu eligentes, quod nobis placet.

*adhortatur ad relinquenda caduca et inquirenda cœlestia,* B C

49 Hanc enim calamitatem, qua nunc tenetur humanum genus, fraude inducti attraximus, non a Deo factam; Deus enim mortem non fecit, neque delectatur interitu vivorum ; sed quodam modo nos homines sumus mali creatores. Quomodo enim lux Solis est communiter proposita omnibus, quibus adest vis videndi; potest autem, si velit quispiam, claudens oculum, separari a dono lucis, non quod Sol in illo effecerit tenebras, sed quod radii splendorem aversatus, tenebras sua sponte attraxerit. Et quomodo si quis domum sibi construens, nullum luci aditum præbeat, intrinsecus obscuram domum efficit ; ita nos quoque in natura habentes bonum et honestum, nostro arbitratu innovamus, quæ sunt præter naturam, nostra sponte malorum experientiam, in boni et honesti aversione, electione nostra et instituto fabricantes. Malum enim secluso animi proposito, propria substantia consideratum, nullum est in rerum natura. Quidquid enim a Deo creatum est, bonum est, et omnia quæcumque fecit Deus, sunt valde bona. Sed quoniam modo jam dicto ad peccandum vita nostra fuit inducta; et consequenter ex parva occasione in nos maximum est effusum vitium, adeo ut divina illa animæ pulchritudo, quæ facta erat ad imitationem primariæ, tamquam ferrum est nigrefacta rubigine vitii; non amplius nobis a natura propria est, quæ ad imaginem conservatur gratia, sed ad extremum peccati transformata, ut propterea nobis perierit dignitas incorruptionis, quæ est secundum imaginem; debemus omni studio a mortuis operibus recurrere ad opera vitæ per pœnitentiam, ut nostram recipiamus naturam summo Dei munere. Si ergo a nobis expurgemus sordes, quæ a vitio inuruntur, et illustremus, quæ latet in anima, pulchritudinem, tunc fit intra nos regnum Dei : etenim Dominus dixit : Quia regnum Dei intra vos est.

*et reformandam naturam peccato depravatam* D EX MS. GRÆCO Luc. 17 21

50 Hoc autem dicens, ostendit quod bonum Dei non est separatum a nostra natura, neque procul ab iis qui eum quærere eligunt, positum, sed est in unoquoque. Ignoratur quidem et latet, quando a curis hujus vitæ suffocatur : invenitur autem et cognoscitur quando ad illum solum nostram convertimus cogitationem. Hoc enim etiam in drachmæ, quæ periit, inquisitione nobis Dominus ponit in Evangeliis. Si enim accensa lucerna nostra cogitationis, quæ latet et periit, drachmam inquisierimus, sub stercore eam omnino inveniemus. Stercus vero intelligere oportet sordes carnis. Quibus ablatis, et per bonæ vitæ curam ac studium repurgatis, fiet manifestum quod quæritur : et cum invenerit anima, quæ est per boni privationem vidua, id quod perierat, gaudet gaudio ineffabili : et ad talis lætitiæ societatem convocat omnes vicinas, nempe proprias facultates per sensus, dicens : Mihi congratulemini, quoniam inveni drachmam, quam perdidi : hoc est, id quod erat ad Dei imaginem, quod perdidi peccatum, recipi autem per pœnitentiam. Si ergo est hæc intelligentia ejus, quod quæritur, inventionis, nempe divinæ imaginis restitutio, quæ nunc est absconsa in sordibus animæ, studeamus illud fieri, quod erat protoplastus in prima ejus vita : nudus quidem ab amictu mortuarum pellium, *b* revelata autem facie et libera gloriam Domini speculans. Per quam ergo rationem extra paradisum ejecti sumus, expulsi simul cum primo parente, per contrariam ascensionem licet nobis reverti ad antiquam beatitudinem. Nam tunc quidem voluptas, quæ ingressa est per deceptionem, dedit initium lapsui. Nunc autem vitæ puritas, per doctrinam Christi mandatorum et curam bonorum operum, nos illic rursus restituit. Sed quoniam est paradisus viventium, et purum habitaculum, nos vero carnales et mortales et sordidati peccatis; nec in hac regione esse possunt, qui mortis tenentur potestate ; necesse est modum aliquem et rationem invenire, ut cum fuerimus extra banc potestatem, acquiramus vivendi rationem, quæ potestatem mortis non extimescit, ut æternis quoque bonis fruamur.

Luc. 15. *explicat exemplo drachmæ Evangelicæ,* E *b in Paradiso perditæ.* F

a *Gentianus* Scopem. *Græce,* Σιωπᾶ, *ut videatur nomen impositum a* silentio. — b *Perfectiori adhuc modo, quam Moyses in monte, non tamen assecutus visionem beatificam.* *Siopa mons.*

## CAPUT VIII.

*Vestis anachoritica variis a S. Auxentio data : itemque monita. Dæmonum insultus varii, et remedia.*

Cum hæc et his plura Beatus diceret Auxentius, ex iis, qui convenerant, non solum viris sed etiam fœminis, plures divino amore sauciati, volebant renunciare rerum mundanarum et nefariarum vanitati, et per ipsum Christo Domino adhærere. Ille autem

A

EX MS. GRÆCO.

autem eos magis admonebat, ut vitam suam corrigentes, dispensarent eas, quas habebant facultates: et non in præsentia quidem bonum et honestum expetentes, postea vero labentes, reverterentur tanquam canis ad vomitum, nempe rursus ad imbecilla et egena hujus mundi elementa. Cum maxima enim cautione et non levi consideratione oportere eum, qui vult ad præclarum hoc opus accedere, tanquam jam moriturum esse, et simul expellere omnem corporis voluptatem. Deinde panibus de more distributis, sicut in priori monte, omnes dimisit. Quidam autem ex eis stabiliori armati cogitatione, illic perseverabant, quæ quotidie illic suppeditabatur, contenti benedictione. Si quis enim volens, aliquid ad Sanctum afferret, nihil accipiebat præter oleum et ceram: jubebat autem id rursus dari *a* pistori, qui illa suppeditabat. Plurimi enim ex iis, qui morbis aliquibus laborabant, et qui egebant, illic permanebant. Maximam vero molestiam et plurimum laborem sustinebat ab iis, qui erant dæmoniaci: adeo ut quosdam ex eis (non enim omnes, sed eos, qui erant digni) per suas preces curaverit Dominus. Quod autem rei faciendæ et pecuniæ amplificandæ nullam haberet rationem, vere sciet, tam qui legit,

*Instruit desiderantes perfectiorem vitam.*

*a nihil ab aliquo accipit, præter oleum et ceram:*

B

quam qui audit, quod cum post ejus decessum deberet pistori plusquam centum numismata, admonitus ab ejus successore et discipulo, de quo suo loco dicetur, quidam Christi amans et pius ea solverit.

52 Æmulantes autem et beatam ducentes quidam hanc divinam ejus vitam, negotium ei exhibebant, ut ab eo initiarentur et consecrarentur ejus habitu. Cum itaque dedisset tunicam ex pilis contextam, aut pelliceum ex iis, quibus erat indutus, precabatur dicens: Vade Frater, quo te ducet Dominus. Inter quos ex numero eorum, qui illic perseverabant, Basilius quidam nomine hoc petiit. Cum largus ergo esset Beatus, et Fratrum valde amans, ei bene precatus, et data quam induerat pelle ovilla, eum dimisit. Ille autem longius abiens ad viginti milliaria, cum in quodam colle curasset cellam sibi ædificari, illic habitavit. Post aliquod vero tempus accedentes dæmones, eum adeo invaserunt, ut eum propemodum fecerint expirare. Ad quem cum qui ex locis, quæ erant circumcirca, venerant ii qui pascebant pecora, abiissent, et consuetas ejus preces dum sæpe clamassent, non essent assecuti, cellæ fenestra vi aperta, vident eum mutum et pronum jacentem: et existimantes eum esse mortuum, rursus accurrentes, suis renunciarunt. Qui cum ascendissent, invenerunt eum fere semimortuum, et nec valentem

*induit varios veste ex pilis contexta et pellicea,*

*et Basilium dein a dæmonibus cæsum*

C

omnino loqui, sed solum parum respirantem. Cum autem corpus ejus vidissent sauciatum, curru cito allato, eum in ipso imponunt, et ducunt ad B. Auxentium. Qui cum post horam nonam despexisset e fenestra, et eum vidisset, voce dixit apertiore: Frater Basili. Cum is ergo eum vocasset, et ille non exaudiisset, tertio magna vi clamavit: O tibi dico, Frater Basili. Cum is autem cito assedisset, dicit ei: Surge, accipe potestatem adversum tentatorem, non amplius timens improbos et immundos dæmones. Jussit itaque eum surgere, et sumere venerandum corpus et vivificum sanguinem Domini nostri Jesu Christi, et statim rursus reverti in suum locum. Qui cum abiisset, et hoc modo non amplius fuisset tentatus, et se tribus annis fortiter exercuisset, in pace migravit ex hac vita.

*erigit,*

*et sacro Eucharistia securum contra dæmones reddit.*

53 Sed post ejus discessum monachis et mundanis, qui aderant, et omnibus reliquis dixit Beatus: Dæmones homini invidentes, o fratres dilecti, perpetuo machinantur nobis esse impedimento in bonis operibus, et maxime in temperantia et continentia, humilitateque et beneficentia, orationeque et silentio, lenitateque et patientia, paceque et tolerantia,

*explicat varios modos, quibus dæmon seculares oppugnat:*

D

et caritate in proximum, qua nihil est majus. Objiciunt enim iis quidem, qui volunt esse temperantes, diversas quasdam et inter se discrepantes species, et corporis titillationes: quemadmodum continentibus etiam ventris appetitiones: et iis, qui volunt humiliter de se sentire, vanam gloriam: iis autem, qui in animo habent benefacere, suorum potius curam: iisque, qui orant, et agunt silentium, diversas animi perturbationes et multitudinem veterum negotiorum: iis vero, qui se in lenitate exercent et tolerantia, opponunt animi angorem atque timiditatem, et omnem suam improbitatem: paci autem et patientiæ, malevolentiam, per quam post odium erga proximum perdit eam, quæ est in Christo, caritatem, et omnes, ut semel dicam, fructus sancti Spiritus, quos enumeravit Apostolus, per contraria conantur evertere. Sed qui sunt muniti gratia Domini nostri Jesu Christi, permanent immobiles. Quamobrem non est mirandum, quando nos plagis concidunt. Quando enim per cogitationes et reliquas corporis perturbationes non possunt nos deturbare, tunc per se, si adsunt, terrent exercitatores.

Gal. 5. 22 *qui Sanctos per se terret.*

54 Qui sæpissime signo Crucis repressi, deflent se esse victos, et ululantes discedunt. Nos ergo ne

E

cedamus, et illi dejiciuntur: nos resistamus, et illi evertuntur: nos Dominum invocemus, et dissipatur universum eorum consilium. Est enim stadium, certamen et martyrium, vita cujuslibet Christiani, qui vult ingredi convenienter præceptis nostri Servatoris: et maxime ejus, qui est insignis in vita monastica, ut dicit Apostolus: Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ. Præcipit autem nobis, dicens: Induite armaturam Dei, ut possitis resistere insidiis diaboli: et loricam fidei, et galeam salutis, et gladium spiritus docet ipse nos possidere: ut per hæc invicta arma, quæ non cadunt sub adspectum, resistamus nostris cogitationibus, quæ videri nequeunt, et per eas inimicis, quomodo dicit: Consilia destruentes et omnem altitudinem, extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, qui semper vincit in nostra imbecillitate diabolicam audaciam, et non permittit nos tentari supra id quod possumus, sed præbet eventum per tolerantiam, ut nos possimus sustinere. Nam absque ejus auxilio nos infirmi et imbecilli, et quibusvis volucribus et pecudibus captu faciliores. Dignati au-

*quibus armis vincatur?*

Ephes. 6. 12

Ibidem.

2. Cor. 10. 5

F

tem ejus auxilio, qui imbecilli, fortes; qui abjecti, gloriosi; qui terreni, cœlestes; qui mortales, immortales reddimur, per multitudinem ejus miserationum, et æterni regni hæredes efficimur.

a *Græce μάγκιπι, quod Gentianus servavit. Ita apud Socratem lib. 5 cap. 18 præerant panibus conficiendis, οἱ μάγκιπες τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ καλοῦνται.* Qui mancipes a Romanis appellantur. *Et Suidas ἀρτοποιεῖον, τὸ μαγκιπεῖον, ἐν ᾧ οἱ ἄρτοι γίνονται,* pistrinum in quo panes fiunt.

*Mancipes, pistores.*

## CAPUT IX.

### *Cultus divinus a S. Auxentio aliis præscriptus. Mors S. Simeonis Stylitæ, aliaque revelata. Monasterium sanctimonialium inceptum.*

Cum satis ergo utilitatis percepissent, qui ingenue auscultabant, læti descenderunt, gratias agentes universorum Domino nostro Jesu Christo. Porro autem hoc quoque præcipiebat Beatus ut non solum die Dominico, sed etiam die Parasceves singulis hebdomadis feriarentur, si posset fieri: maxime quibus quotidianus victus abunde suppetit: hunc quidem in jejunio et precatione, propter passionem Servatoris; illum autem in convivio et Sacramentorum participatione, propter ejus resurrectionem. Quamobrem

*Præscribit divitibus ut Dominicam celebrent et feriam 6*

A Quamobrem si quando contigisset ipsum habere operarios, aut etiam ejus successorem, de quo suo loco dicemus, hos duos dies jubebant feriari: die quidem Parasceves cum impensis mercedem quoque præbentes, Dominico autem solum impensas. Illucescente vero die sabbatorum, familiares suos cum iis, qui inveniebantur, Pater jubebat tota nocte vigilare.

*Sabbatis tota nocte vigilat cum suis.*

56 Cum de more ergo in quadam nocturna vigilia ipse intus precaretur, et reliqui foris insomnes permanerent, aperta fenestra Beatus, cum, Benedictus Dominus Deus, ter vehementer dixisset, et graviter suspirasset, et caput in terram inclinasset, dicit: Quod erat in oriente luminare, o filii, *a* Simeon Pater noster dormiit. Cum ii autem propter psalmodiam non sensissent, quod dictum fuerat, valde flens Beatus, rursus dicit eis: Sanctus Pater noster, columna et firmamentum veritatis Simeon requievit, et nulli culpæ affinis et munda ejus anima me inutilem et sordibus inquinatum, non est dedignata præteriens salutare. Hæc cum audiissent et valde essent perculsi, non sunt ausi respondere, sed siluerunt, signantes noctem, in qua hæc dicta fuerant. Cum autem paucis post diebus hoc ad pium *b* Imperatorem inter primos regni annos, relatum esset, et omnibus id esset notum, diligenter scrutati B qui audiverant, invenerunt, fuisse certum, quod Sanctus dixerat, ut quod divina gratia prædixisset per revelationem in consummatione S. Simeonis. Valde ergo obstupefacti et Deum glorificantes, in hoc quoque docti fuere, Deum posse omnia.

*S. Simeonis Stylitæ mortem indicat suis.*

57 Quod vero hæc a nobis, non sola motis conjectura, dicta sint, sed quod ea accuratissime didicerimus, nemo dubitet. Nam ille, qui nos de hoc instruxit, erat quidem lingua barbarus, ut qui esset ortus ex Mysia, mente autem honestissimus, ut qui perseverans apud B. Auxentium, non vinum biberit, non oleo usus sit, non pulmento, non fructu, non denique ullo alio, præter panem et aquam et semina, quæ non coquebantur, eaque non ad satietatem. Tota fere nocte orabat, interdiu autem parvas quasdam cruces ex siliquis valde elegantes, suis manibus assidue faciebat. Qui autem ascendebant, eas accipiebant gratia benedictionis. Ipse nobis hæc ore suo significavit, qui etiam postquam dormiit Beatus, cum moribus in loco quoque *c* successit.

*nominatim suo successori, a quo scriptor ea accepit:*

58 Rursus ergo pluribus congregatis, et ex prædicta consueta regula hymnum dicentibus, cum beatissimus Auxentius aperuisset fenestram, et, ut consueverat, precum finem fecisset, respondens unus ex iis, qui aderant, dixit: Rogo te, Domine, benedic, C et precare, quod cum tribus mensibus unam pro mercede menstrua ovem accipiam, ea perdita, frustror mercede unius mensis: solebam enim Beato hostias adferre. Ad hæc subridens, respondit Beatus: Mihi hoc dicis, ut qui sim solitus divinare, aut qui greges possideam? Ille dixit: Nequaquam, sed adoro te, ut ores, et inveniatur. Deinde cum paullulum intermisisset, Alypium quemdam clara voce, ut solebat, Beatus accersiit. Cum duo ergo inventi essent ejusdem nominis; Tibi, inquit, dico, qui stas a sinistris. Scio te non esse suffuratum ovem, sed invenisse: vade ergo, et redde. Hic enim, qui perdidit, dat vobis ad sumptum sex obolos, ut vos congregemini. Qui cum fecisset ut jussus fuerat, recepta ove, Domino egit gratias, qui per Sanctos suos facit magna et investigabilia, gloriosaque et admirabilia, quorum non est numerus.

*ovem perditam curat restitui:*

59 Quodam autem die congregata multitudine tam rusticorum quam civium, et Beato ea disserente, quæ pertinebant ad salutem, quidam qui advenerat rusticus salutans dixit ei: Bonus dies tibi, Domine mi. Cum ille autem honeste arrisisset, (erat enim D revera lepidus) et dixisset, Bonum tibi tempus; qui aderant, apud se ridebant. Ille vero dicit eis: Est sermo Scripturæ, o fratres; *d* Ne responde stulto juxta stultitiam suam. Si dixisset, Benedic; audivisset Dominus te benedicet, sicut consuevimus. Ipse est enim, qui honorem per suos servos in se accipit, et unumquemque remuneratur mercede suæ gratiæ. Quoniam autem bonum diem mihi attribuit, is contra accepit bonum tempus. Cum sic correxisset non solum eum, qui offenderat, sed etiam reliquos; intro ingressus, rursus siluit.

*ex MS. græco*

*d* Prov. 26. 4

*lepide modum pie salutandi docet:*

60 Servatoris autem nostri Jesu Christi opem ei ferente gratia, multi dæmoniaci ad eum veniebant, sua quidam sponte et per se quærentes curationem, quidam autem inviti atque ab aliis adducti. Quos quidem oleo sanctarum reliquiarum irrigans, quartumque et Parasceves diem maxime jubens jejunare, cum oratione intensa et sincera fide, curans dimisit. Inter quos quidam ab eo sunt deprehensi, qui turpis lucri gratia se simulabant esse dæmoniacos. Quos quidem Sanctus vehementer increpuit, dicens: Nisi essetis dignati dono sancti *e* Spiritus, immedicabilis dæmonis dominatus vos tenuisset.

*dæmonio eos imposito jejunio liberat:*

61 Quædam vero nomine quidem Eleuthera, ortu splendida, at splendidior quia piæ *f* Pulcheriæ fuerat cubicularia, solebat ad eum venire, et cum omE nibus ejus fruebatur precibus. Ea, cum esset ipsi animus divino amore saucius, quas habebat Sanctorum reliquias, deposuit apud Beatum. Deinde tentabat supplex ei persuadere, ut vitæ monasticæ ab eo initiatam, avelleret a terrenis negotiis. Eo autem variis modis differente, et dicente, eam, se recte gerendo, et beneficentia utendo, etiam in mundana vita posse placere Domino; illa non cessabat ei negotium exhibere, ut hoc assequeretur. Postquam vero perspicaci oculo animadvertit firmam et immobilem ejus constantiam, et, quæ nunquam deficiebat, compunctionem, voluntate Dei, qui vult omnes esse salvos, annuit Sanctus, et in campo suburbano, qui distabat circa unum milliarium, nomine *g* Gyreta, jussit interea perseverare vacantem meditationi divinarum Scripturarum. Atque hæc quidem se in Domino jucundissima explente voluptate, et omnem laborem corporis lubenter ferente ob gratiam, quæ a Deo Patre ei suppeditabatur; conjux quoque alterius cujusdam *h* Pentepitropi, nomine Cosmia, accedens rogabat eum, cum illa locaretur recedens a corruptione. Cum autem plurimis admonitionibus non potuisset ei persuadere, ut marito conjungeretur, ejus quoque necessariis eam cum minis ad id incitantibus, neque quidquam proficientibus, propter insuperabilem ejus in Deum amorem; id animadvertens Sanctus, jussit hanc quoque versari cum priore. F Quinetiam uxor cujusdam *i* nutritoris ferarum, omnibus relictis, suam exigens salutem, rogabat Sanctum, ne eam expelleret. Quam cum satis instituisset, ut prius fieret templum Dei, quomodo ostendit ejus vita, quæ postea est consecuta, jubet eam admitti. Non multo post autem dat eis habitum, ad exercitationem plane accommodatum; ut qui *k* tunicis ex pilis contextis eas induerit, et magnis quibusdam palliis; adeo ut revereretur quispiam, vel solum videns tantam tristitiam. Nondum enim in his partibus talis unquam habitus apparuerat.

*Eleutheræ, f*

*Cosmiæ, h*

*alterique feminæ,*

*vestem religiosam tradit.*

a *Mortuus est S. Simeon Stylites 5 Januarii, ad quem diem varia ejus Acta dedimus, diximusque obiisse anno* 460. — b Leonem *nominat Metaphrastes, qui Marciano successerit an.* 457, *cujus* 3 *anno obiit S. Simeon, et dicitur* ἐν ταῖς ἀρχαῖς αὐτοῦ *in plurali, ut est* inter primos regni annos, *quia imperavit usque ad* 474. — c *Sergium illi nomen fuisse supra ex Vita S. Stephani junioris diximus.* — d *Ita ex versu* 4. *At Gentianus absque particula negativa ex versu* 5 Responde insipienti ad ejus insipientiam. — e *Gentianus*, baptismatis. *Græce*, ἁγίου Πνεύματος. — f *Mortua est anno* 453 *S. Pulcheria Augusta, soror Theodosii Junioris* 10 *Augusti, quo colitur.* — g *Græce*, Γυρῆτα, *Gentianus*, Cyreta. *De eo supra egimus.* — h *Gentianus* Pantipitropi *forte* Procuratoris generalis, ἐπίτροπος *Procurator, et* Παντεπίτροπος *e*

*Pentepitropus.*

*Quinque*

A *Quinque viris rerum procurandarum.* — *i Iterum vocat Gentianus, appellatque* Arcotrophum, *et Græce,* Θυρεοτρόφου τινός. — *k Ob hunc vestitum monasterium dein Thrychinarium appellatum diximus supra ex Vita S. Stephani junioris.*

*Ex MSS. Græco. Trich varia.*

## CAPUT X.

### *Monasterium sanctimonialium constitutum. Adhortatio de virtute castitatis. Obitus et sepultura S. Auxentii.*

Deinceps ergo ab eo tempore aliæ quidem ad idem exercitium accedebant, harum aliquæ ab ingenuis adducebantur parentibus ad custodiam virginitatis; aliquæ theatro et scena relictis, diabolo renuntiabant: adeo ut brevi tempore congregatæ sint plusquam septuaginta, quibus jussit Beatus oratorium ædificari. Citra ullam igitur intermissionem in die Parasceves et in die Dominico eas accersens, et de virginitate pudicitiaque eis verba faciens, rogabat eas, admonens persuadensque, ut obliviscerentur omnium, quæ sunt in vita jucunda, utpote quod sint jucundiora et his incomparabilia bona, eis promissa: et ut ne attraherentur a carnis voluptatibus, nam etsi nobis ad conjugium naturam dedit Creator, at nos rursus dignatus est meliori instituto, ut bono id, quod est melius, præferamus: pro naturali namque B matrimonio, in quo situm est illud: Crescite et multiplicamini, et replete terram, opponitur viduitas et orbitas liberorum; et pro conversione ad virum cum servitute intolerabili, mysticas et admirabiles, et quas non cadit viduitas, nuptias eligamus, sponso uni immortali, forma specioso præ filiis hominum. Quamobrem non oportet intueri ad alium, qui sit in terra speciosus, cum Filii Dei specie non sit alia speciosior. Si autem et divitiæ et insigne ornamentum a marito procedit, quid eo ditius, qui est cœli et terræ Dominus, et præbet spiritum et vitam? Si vero sponsus est claro genere natus, quid est Rege Angelorum clarius et gloriosius? Si autem est sapiens et circumspectus conjux, quid est sapientius opifice omnium, tam quæ sub adspectum cadunt, quam quæ non cadunt? Cujus conjunctio iis, quæ illi sunt desponsatæ, affert gaudium ineffabile; iis autem, quæ ordinem deserunt, est supplicium inevitabile. Hujus desponsationis nulla est carnalis experientiæ voluptas; sed universæ virtutis, beneficentiæque et concordiæ, cum ea, quæ ex jejunio vigiliisque, percipitur, animi fortitudo.

*ad 70 sanctimoniales diebus Dominicis et feria VI dicit.* — *adhortatur ad continentiam.* — Gen. 1. 28

63 Majori vero sobrietate opus, quod iis quidem, C qui in mundo vexantur a libidine, in promptu est remedium per legitimum consensum: Virginibus autem et continentibus, si propensæ sint ad voluptates, grave est naufragium et gravis casus. Est enim magnum certamen temperantiæ, quoniam magna quoque est ejus corona. Sed quo est major labor, eo est etiam major merces. Si eam ergo non tradideritis torpori et segnitiæ, in vestris membris frustra laboravit voluptas, fores obsidens. Audiet enim a vobis, illud, quod in peccato est jucundum esse brevissimum: æterna autem est gravitas supplicii. Recede a nobis; cœlesti enim sponso desponsæ Christo, nos Virgines castas exhibemus. Statuite ergo rationes vestras, custodes hujus thesauri in sensibus mandata Christi semper ferentes ad virginitatis et temperantiæ sanctificationem: ne forte ejus latrones ascendant per fenestras oculorum, ingrediantur per auditum, ne facile persuadeant animo, tanquam janitori, et aperta virginitate, clanculum vobis vestram eripiant lætitiam, et faciant virginitatem quavis viduitate miseriorem. Est vero hoc magnum et grave peccatum iis, qui faciunt. Non est enim par peccatum, tunicam frangere et purpuram: Imperatoris imaginem rumpere et privati. Dei enim imagines sunt Virgines, ipsum habentes descriptum in cogitationibus: in quas audere aliquid admittere, D est facinus tyrannicæ amentiæ: et ideo Virgini, quam ei, quæ fornicatur, vitium afferre, est magis sceleratum. Non est enim par libido in eam, quæ prostat, et in eam, quæ est Christo conjuncta. Non est enim par furtum vasis *a* argentei, et sacerdotalis. Vas autem sacerdotale est Virgo, et purpura, quam nulli alii licet induere, præterquam Regi et Domino universorum.

*docet pro magnitudine certaminis continentiæ ingens esse præmium* — *ubi est gravior labentium culpa* — *a*

64 Quod si etiam vos legitimum movet matrimonium, audite ejus calamitates, et quæ in Evam pronuntiatæ sunt sententiæ, a quibus vos estis liberatæ, remotæ per virginitatem a mala suspicione patiendi crimina mariti fornicantis, qui habet potestatem ut eas, quo tibi expedit, non permittendi, conversationem prohibendi, corruptas zelotypia prosequendi, ei, quæ peperit, exprobrandi: Cur non est masculus, sed fœmina fœtus, quem peperisti? Quod si sit etiam masculus, cur non formosus? Major restat cura: nondum est ablactatus, et de educatione magna est contentio. Sin autem creverit, ne ægrotet: si autem ægrotat, ne forte moriatur: quomodo etiam si vivat, major est sollicitudo, ne non fiat eruditus, ne malus evadat, ne evertatur ab aliquibus, ne in improborum pertrahatur consuetudinem, ne a bestiis mutiletur, ne, dum proficit, in invidiam vocetur et seditionem. Undenam suppeditabunt, quæ sunt necessaria? Undenam comparabunt, quæ pertinent ad contrahendum matrimonium? Undenam suppeditabunt, quæ faciunt ad ejus decus et ornamentum? Undenam alet ministros? Eadem ratio est reliquarum, quæ huc et illuc distrahunt, curarum et sollicitudinum: ne dicam dolores partus et naturæ necessitates. Revera, ut dicit divinus Apostolus, innupta cogitat quæ Domini sunt, ab his omnibus liberata: sola autem ornata incorruptione, quam subministrat et perficit ejus auctor Jesus, et qui vos potest custodire in tolerantia, et augere in spe bona. Custodite ergo vos ipsas in ea, in qua vocatæ estis, vocatione, ut Virgines Christo castas vos exhibeatis, ut etiam bona æterna consequamini, gratia ejus, qui vos vocavit in suum regnum et gloriam.

*ostendit incommoda matrimonii.* — E — 1 Cor 7 34

65 Postquam autem cessavit ab adhortatione, bene precatus, eas Christo commendavit, jubens omnibus, ut die sequenti venirent ad synaxim, quæ circumcirca erant, hymnis sanctificans. Postquam ergo venisset in monasterium, quod extruebatur, intensis fusis precibus, cum multitudine, quæ eum sequebatur ascendit in montem: ubi post tres quidem dies ægrotavit, post alios vero decem est mortuus.

*Moritur,* — F

66 Congregata ergo multitudo piorum virorum ex Clero, et iis, quæ circumcirca erant, monasteriis, cum iis, qui erant amantes virtutis, ex mundanis, et justa fecerant quartodecimo mensis Februarii. Atque volentibus quidem aliquibus, et maxime iis, qui erant ex monasterio beatissimi Hypatii, in quo versatus est, cum descendisset propter Synodum, pretiosas ejus reliquias deponere in templo sanctorum Apostolorum, quibusdam autem in templo S. Zachariæ, quod est aliquot milliariis illinc situm in prædio, quod dicitur Theatrum. *b* Quæ ab eo congregatæ fuerant, iis, qui aderant, supplicabant cum multis lacrymis, ne pater separaretur a liberis. Tunc Dei voluntate, ad *c* habitantium illic salutem, in oratorio ab eo condito instar monasterii, eum deposuerunt. Cujus monimentum per multiplicem Christi benignitatem efficit curationes usque in hodiernum diem.

*sepelitur in oratorio a se extructo.* — *b claret miraculis.* — *c*

67 Consummatus autem fuit sanctus Pater noster Presbyter et Archimandrita et magnus inter exercitatores Auxentius in imperio pii et Christi amantis *d* Leonis, Februarii mensis XIV. Fuit vero depositus in

*d*

A in prædicto monasterio, ad gloriam Dei nostri, qui operatur dona in Sanctis suis. Quoniam eum decet gloria cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

*defunctus sub Leone Imp.*

a *Gentianus*, forensis *At Græce* ἀγοραῖος. — b *Idem*, Quæ ab eo congregata fuerant monasteria *At Græce* αἱ ὑπ' αὐτοῦ συναχθεῖσαι. *Et constat ex Vita S. Stephani junioris.* — d *Ita Græce* Λέοντος. *At Metaphrastes habet Zenonem, qui illi successit.* D

AUCTORE I. B.

# DE S. THEODOSIO
## EPISCOPO VASIONENSI IN GALLIA,
### Commentarius historicus.

CIRCA AN CHR. IↃLIV XIV FEB. *Vasionensis Episc. Theodosius*

Vasio *civitas olim Vocontiorum, in Venaxino est nunc Comitatu, sub ditione Pontificis Romani, in colle sita, a metropoli sua Avenione* XIV *leucis distans, ut in Gallia Christiana tradit Claudius Robertus. Episcopus hic fuit sexto seculo Æræ Christianæ* Theodosius, *S. Quinidii, de quo* XV *Februarii agemus, decessor. Ætas illius ita colligi potest. Concilio Aurelianensi* IV, *habito anno* IↃXLI *Christi, interfuit* Alethius Episcopus Vasensis. *Arelatensi* V, *anno Childeberti Regis* XLIII, *Christi* IↃLII *ita subscripsit S. Quinidius :* Quinidius in Christi nomine Archidiaconus missus a Domno meo Theodosio subscripsi. *Cum autem Theodosius, jam senio, fors et ægritudine, inhabilis ad onus Episcopale gerendum, eumdem Quinidium sibi curaverit adjungi Coadjutorem, sive successorem futurum designari, consentiente Childeberto Rege, qui anno* IↃLVIII *obiit, conjicere licet circiter annum* IↃLIV *aut* IↃLV *ipsum decessisse* Theodosium.

*quando vixerit?*

B

2 *Andreas Saussayus in supplemento Martyrologii Gallicani eum inter Sanctos recenset, an Breviarium Vasionense, quod non vidimus, aliave monumenta secutus, haud scio. Reposuit autem* XIV *Februarii, credo ut sancti decessoris mentionem sancti successoris recordationi præmitteret. Hoc autem eum elogio ornat :* Vasione Vocontiorum S. Theodosii Ep. et Conf. qui plenus Dei gratia, illam Ecclesiam gubernavit : factusque imminentis excessus, jam gravatus senio, divinitus præscius, S. Quinidium Apostolicis charismatibus præditum, omnique gratia rutilantem, ex supremo afflatu, suum designavit successorem. Cum autem pia sua vota Cleri adstipulatione, populi desiderio, Primatis Arelatensis comprobatione, et Regis Childeberti consensu, vidisset obfirmata, alter Elias, relicto cum pastorali melote duplici suo spiritu huic novo Elisæo, ovans de ejus delectu et provectione, gregisque tantum Pastorem sua cura consecuti, futura utilitate, denique de peracto ad Dei beneplacitum ministerio, securus de præmio, exuta carnis mole, glorificandum spiritum ad æthereas sedes transmisit. *Ita Saussayus, qui quod de successore designato videri posset Ecclesiasticis Canonibus contrarium, speciose purgat, dum et* divinitus præscium factum imminentis sui excessus *scribit, et* ex supremo afflatu *id procurasse.*

*Sanctis adscriptus 14 Feb.*

C

3 *Hoc quidem postremum in S. Quinidii Vita diserte non traditur, sed de virtutibus ejus alia, publicam ejus sanctimoniæ opinionem testantia, ut et consecratam ejus ad aras memoriam conjicere liceat, dum cum Quinidio in eumdem gradu componitur. Igitur cap.* 2 *num.* 5 *ista habentur.* Tunc temporis Vasensem Ecclesiam venerabilis et Domino carus Episcopus Theodosius regebat. Huic obsequentissime Dei vir Quinidius adstabat... Accedente ætate, et succedentibus temporibus, vir Domini Theodosius senio gravatus, annuente populo, cunque pariter et Clero, de custodia gregis Dei sollicitus, ut sanctum virum sibi successorem relinqueret moliebatur. Communis omnium utilitas in sancto viro, communis necessitas, commune universorum votum fecerat. Divino nutui Episcopi, Cleri et populi animus se subdiderat. Quinidium Episcopatu dignissimum, Quinidium solum esse, qui alter alteri, Sanctus Sancto succederet, populi suffragium prælatura vox una efficitur. Urbes vicinæ consentire : Arelatensis Episcopus etiam votis populorum cedere : nullus de Clero, nullus de plebe contradicere.

*Coadjutorem sibi adoptat S. Quinidium,*

*cum publica approbatione,*

4 *Archiepiscopi Arelatensis, cujus hic mentio fit, quemque superius Saussayus* Primatem *vocat, Suffraganeus erat Vasionensis, qui modo Avenionensi subest. Erat autem tunc Arelatensis Archiepiscopus* Sapaudus, *sive* Sabaudus. *Sed reliqua de S. Theodosio ex Vita S. Quinidii recitemus. ita num. 6 habet :* Confirmatur sententia Episcopi Theodosii : votum et petitio populi ad Childebertum Regem, qui Francorum genti principabatur, pia sollicitudine dirigitur... Celeres alacresque Legati repedant, festivam lætitiam urbi suæ referentes. Lætus et ipse Pontifex, jam sub spe boni Pastoris oves sibi commissas relinquens, ad diem ultimum, præmia æterna percepturus, accedit : dormit in Domino : corpusculum illius clauditur tumulo : fructus et profectus boni operis ipsius fulget in Quinidio. Remuneratur et hoc inter alia merita gratiæ Dei in Theodosio, quod amore gregis prælegit Pastorem Quinidium. Licet fuerit corpore mortuus, quia beatum hæredem post se reliquit, in quo imago ipsius vitæ reluceret, dixerim quasi non fuerit mortuus. Quis separare possit horum duorum merita? Quis temperantiam imperii senis, quis ardorem fidei et obedientiam junioris non miretur? Quis caritatem illius, et hujus humilitatem non susciperet? Video Eliam et Eliseum Prophetas Dei, diverso donorum munere florentes : Eliam cœlum petentem, Elisæo gratiam muneris relinquentem. Sic omnino Theodosius et Quinidius clari Dei muneribus, unus alterum præcessit, Christi gloriam petendo : alter munus præmisit, alter promeruit remanendo.

*etiam Regis*

E

*pie moritur.*

*sanctitate par successori.*

5 *Honoreturne tamen Theodosius sacrorum celebritate, et quo die, haud nobis constat, qui Tabulas Ecclesiæ Vasionensis non vidimus. Viri gravissimi auctoritatem secuti, et moti iis quæ in successoris Vita de illo dicuntur, hic nomen ejus adscripsimus.*

6 *Operæ pretium videtur Vasionensis Episcopi memoriæ epitaphium subnectere Pantagathi Senatoris, nuper Vasione in parietinis veteris ecclesiæ repertum : quod Reverendissimus Vasionensis Antistes cum Joanne Ferrando nostro communicavit, hic ad nos Camberio misit* XX *Aug. anno* CIↃIↃCLIII. *Ambigi potest an non in Sanctorum album adscribi debeat, præsertim ob istum epitaphii versum :*

NOT. 30

F

*Pantagathi Senatoris*

Quem sic Christicolæ celebrent post fata jacentem.

*Verum accipi is fortasse potest de tumuli honore, quo eum Christicolæ celebrarunt. Fateor tamen prima fronte aliter visum nobis fuisse, cælestes nimirum ei habitos honores. Erit fortassis qui certiora alia de eo eruet. Nec incredibile est* S. Theodosii *ævo vixisse, quo et alius* Pantagathus *Viennensi Ecclesiæ præfuit, qui* XVII *Aprilis colitur. An* Pantagathus vir inlustris, *qui cum aliis post Episcopos subscripsisse Synodo Arelatensi secundæ reperitur, hic Vasionensis Senator fuerit, an idem ille Viennensis Episcopus, haud temere conjectem. Ille certe ante Episcopatum secularis dignitates gessit, ut ex ejus epitaphio tom.* 1 *Francicorum Chesnæi patet, ubi pag.* 515 *ista de eo dicuntur :*

*(dubium an Sancti)*

Cujus

A Cujus vita fuit gemino sublimis honore,
Fascibus insignis, religione potens.
Arbitrio Regum Quæsturæ cingula sumpsit, *etc.*

*AUCTORE J. B. referuntur nuper Vasione Epitaphium.*

*At Vasionensis Pantagathi epitaphium sic habet :*
Inlustris titulis meritisque haud dispar avorum
Pantagatus fragilem vitæ cum linqueret usum
Malluit hic propriæ corpus committere terræ
Quam precibus quæsisse solum. Si magna Patronis
Martyribus quærenda quies sanctissimus ecce
Cum sociis paribusque suis Vincentius ambit
Hos aditus servatque domum dominumque tuetur
A tenebris lumen præbens de lumine vero
Militiam si forte roges quam gesserit ille
Prestiteritque boni positus in luce superna D
Quem sic Christicolæ celebrent post fata jacentem
Invenies quod jura dedit justissima sanxit :
Arbirtiis nam custus patrie Recturque vocatus
A patria rexit quoniam promtissima cives
Libertate animi parcus sibi largus amicis
Et fidus Dominis primum quod postulat ordo
Vitæ et æternum fama transmittit in orbem.
Abstulit hunc rebus decimo mors invida lustro
Namque Senatoris posuit post cingula vitam.

*Sola mutata forma litterarum, cetera dedimus ut scripta fuere, cum erratis contra orthographiam, et absque interpunctionibus.*

# DE S. ANTONINO ABBATE
## SURRENTI IN ITALIA,
### Commentarius prævius.

J. D.

### § I. *S. Antonini natalis, patria, vitæ historia.*

*CIRCITER AN. DCCCXXX XIV FEB.*

B *Surrentum regni Neapolitani urbs celebris, solioque Archiepiscopali ornata, quinque veneratur, ut alibi diximus, Divos Tutelares; Episcopos quatuor,* Valerium XVI *Januarii,* Athanasium XXVI, Baculum XXIX *ejusdem,* Renatum XII *Novembris, Abbatem unum* XIV *Februarii* Antoninum. *De quo ista leguntur in Martyrologio Romano :* Apud Surrentum S. Antonini Abbatis : qui e monasterio Cassinensi a Longobardis devastato, in solitudinem ejusdem urbis secedens, ibidem sanctitate celebris obdormivit in Domino, cujus corpus multis quotidie miraculis, et præsertim in liberandis energumenis effulget. *Eadem in monastica sua Martyrologia transcripserunt Arnoldus Wion, Hugo Menardus, Benedictus Dorganius. Verum quæ ad ætatem illius attinent, atque ad id, in quo primum vitam monasticam amplexus est, cœnobium, infra discutientur. Citat Antonius Caracciolus vetera aliquot Martyrologia Longobardica manu exarata, unumque Florentiæ excusum anno* CIↃCCCCLXXXVI *opera Antonii Vespucii Canonici; in quibus isthæc habentur :* Idib. Febr. S. Antonini Confessoris. *Cetera a Cardinale Baronio ad diem insequentem tabulis Martyrologii adscripta, auctores haud usquequaque in omnibus solitos secuti, quos mox citabimus.*

*S. Antoninus Surrenti patronus*

*colitur 14 Febr.*

*alibi II.*

2 *Iis certe refragatur S. Antonini Vita, quam* ante C aliquot secula ab auctore anonymo scriptam, *e vetustis exemplaribus publicavit idem Caracciolus, atque eruditis illustravit Notationibus, e quibus nonnulla delibabimus. Vitam aliquam eamdem MS. Neapoli ab Antonio Beatillo nostro pridem accepimus. Auctoris in ea nomen expressum non est. Erui utcunque aliunde possit, haud equidem scimus, cum* Surrentinæ civitatis vetera monumenta adeo multa periisse *idem auctor sit Caracciolus,* ut proinde viri ex ea urbe, aut regione, longe Biographo illo illustriores nunc prorsus lateant in obscuro. Hanc deplorandam veterum codicum calamitatem tot tantæque Campanis Picentinisque illatæ a Barbaris clades direptionesque pepererunt : a Gothis videlicet, Wandalis, Langobardis, Sarracenis, Nortmannis, et ab impiis denique Turcis, qui anno superioris seculi quinquagesimo octavo spoliatam civibus fortunisque urbem tantum non funditus everterunt. *Fuisse tamen scriptorem illum Surrentinum, conjicere licet, non solum quia cap. 7 num. 33 S. Antoninum obsecrat, ut* sui scriptoris recordetur, *et* civitatem istam suæ intercessionis adjutorio protegat, *sed præcipue ex iis quæ cap. 1 num. 3 idem scribit :* Sanctus iste noster Patronus Antoninus ad has partes advenisse... dicitur. *Et in prologo num.* 2 : quando in has partes venisset.

*Vita ejus scripta ab anonymo,*

*Surrentino,*

3 *Scriptoris antiquitatem ista probant : scribit cap. 1 num. 5, in ædicula S. Michaelis, quam olim cum S. Catello Stabiensi Episcopo ædificarat S. Antoninus,* bonorum omnium auctori Domino et B. Michaeli Archangelo habitatori laudem quotidie offerri... De vicinis et longinquis partibus concurrere, et vota pro quibuslibet tribulationibus promissa solventes, accepta consolatione alacres in propria redire. *At* E desiit jam pridem frequens illa peregrinatio. *Vocatur nunc ædicula illa* S. Angeli ad Faitum : *sed celebrem illum* cultum ante aliquot hominum ætates cessasse compertum est, *inquit Caracciolus : additque,* characterem Longobardicum, quo codices de Vita S. Antonini scripti sunt, multis ab hinc seculis obsolevisse, ut hinc etiam scriptoris conjici possit quatuor circiter seculorum antiquitas. *Scriptor idem anonymus cap. 2 num. 11 ista habet :* In ipso igitur muro, adjuncto nunc oratorio decoro, corpus B. Antonini fovetur. *Atqui* nemo Surrentinorum civium, *ut Caracciolus ait,* quantumvis longævus, meminisse potest, se vidisse Agrippini ædem, et illi quondam inclusum, sive adjunctum, oratorium S. Antonini nomine ædificatum, neque a majoribus, qui id sua ipsorum ætate viderint, audivisse : adeo magnum temporis spatium præteriit, ex quo id oratorium Agrippinensi ædi adjunctum est.

*antiquo.*

4 *Huic Vitæ subnectit Caracciolus, et nos ex illo,* Vetus Ecclesiæ Surrentinæ Lectionarium, sive Vitam ejusdem S. Antonini, per Lectiones antiqui F Ecclesiastici officii distributam. *Alia citat S. Antonini Legenda, Neapoli anno* CIↃIↃXXXV *edita, auctore* Fr. Antonio de Ebulo de Porta Ordinis Minorum regularis observantiæ, *uti ipsemet tradit in fine capitis ultimi, licet se* Antoninum *ibi vocet, sed in dedicatoria ad Marianum Branciam S. Antonini apud Surrentum Abbatem,* Antonium, *uti eum et alii appellant. Usus is fuit veteri Vita, quam damus : sed multis adeo lacunis eam interpolavit Vitam, ut crebro doctissimi Caraccioli censuram incurrat : a qua neque omnino immunis David Romæus Philocasius, qui anno* CIↃIↃLXXVII, *stylo alioquin non ineleganti, gesta descripsit* quinque Divorum custodum ac Præsidum urbis Surrenti : *neque Paulus Regius Vicensis in Surrentina provincia Episcopus, qui anno* CIↃIↃXCIII *tomos duos Italice edidit de Sanctis regni Neapolitani, in quorum altero pag.* 611 *Vita quoque recensetur S. Antonini. Brevem ejus epitomen e Romæo expressit Philippus Ferrarius in Catal. SS. Italiæ. Solutius Vitam eamdem Italice composuit anno* CIↃIↃCXXVI *Michael Lacchens Campaniensis, qui usum se fatetur Romæi, Regii, Caraccioli commentariis, Ecclesiæque Surrentinæ antiquis Lectionibus.*

*Alia de eo scripta.*

5 *De S. Antonini* patria aut parentela tractare, *inquit in Prologo auctor anonymus,* sicut incognitum habemus

*Natus is Campaniæ in Picentinis,*

A habemus, ita non necessarium existimamus. *At constans minimeque contemnenda traditio est, Campaniæ urbis Picentinorum civem fuisse. De ea re ita Romæus :* Campania est oppidum agri Picentini prope fluvium Silarum, qui xxx millia passuum a Surrento abesse dicitur. Hoc superioribus annis Paulus III Pont. Max. in Urbium numerum aggregavit. Hic Antoninum honesto loco natum esse, constanti fama atque omnium sermone celebratum est : cujus domus modo stare, atque extra oppidum manere, religiosaque facta, eidem Divo Antonino consecrata dicitur : imo vero ager ille, qui circum templum est, hodie D. Antonini territorium est. Cacciotti eum suum gentilem fuisse dicunt. *Probantur ea omnia Caracciolo, nisi quod* Cacciuttos *vocat, Latine* Catellos, *e quorum stirpe prognatus fertur Antoninus. Itaque* Campaniensibus, *inquit idem*, utpote B. Antonini civibus, danda jure est sui municipis cognitio exactior, quam in extero hoc scriptore extiterit. *Quod ad familiam attinet, e qua natus, nobilem fuisse indicat Lectio prima sacri officii his verbis :* Antoninus itaque noster ex quam nobili processerit genere, honestisque parentibus fuerit ortus *etc. Ac deinde :* Optimæ namque indolis infans, honestis natus parentibus *etc. Laccheus nobili Catellorum familia procreatum asserit, quæ ad hæc tempora Campaniæ, in hac Principatus citerioris, ut vocant, viguit, ac nuper adolescentis cujusdam, itidem* B *Antonini dicti, funere extincta est. Caracciolus S. Catellum Stabiensem Episcopum, ad quem, monasterio suo incursione hostili ejectus, confugit Antoninus, consanguineum ejus fuisse, aut certe gentilem, conjicit.*

*Catellorum familia*

*nobili,*

*nuper extincta*

## § II. *Ætas S. Antonini.*

*mortuus paullo ante obsessum Surrentum a Sicardo,*

**D***e S. Antonini ætate sic idem ratiocinatur Caracciolus :* Post decessum B. Antonini non multo tempore evoluto, Princeps Beneventanus Sicardus, ceteris finibus suæ ditioni subjugatis, terram etiam Surrentinorum eadem intentione invasit. *Ita enim cap. 3 num. 12 scribit auctor anonymus. Siconi patri successit Sichardus, sive Sicardus, anno* DCCCXXXII, *tenuitque principatum ad finem ferme anni* DCCCXXXIX, *uti* IX *Februarii diximus ad Vitam S. Sabini Episcopi Canusini* § 11 *num.* 68. *Si porro is* post decessum B. Antonini non multo tempore evoluto *Surrentum obsedit, post* DCCCXXXII *tamen annum Christi ; consequens est, ut circa* DCCCXXX *fortassis, aut non multo ante, vir sanctus decesserit : ut proinde Stabias ad S. Catellum venerit*, quo tempore Longobardorum ferina immanitas, *ut cap.* 1 *num.* 3 *dicitur*, Campaniæ provinciam hostili gladio et incendio vastavit, *Sicone Duce, seu Sigune, Sichardi patre, qui Grimoaldo Principi Beneventano anno* DCCCXVIII *interfecto subrogatus erat. Nam manifestum est, recentiores quosdam, qui (ut ait Notat.* C *3 Caracciolus)* de Vita Divi hujus scripserunt, magno consensu, sed nulla prorsus Chronologiæ, quæ lux historiæ est, consideratione, in quamdam plane absurdam, et secum pugnantem, convenisse sententiam, atque asseverasse B. Antoninum tunc emigrasse Stabias, cum Zoto Dux Longobardorum, Cassinense monasterium diripuit atque vastavit. *Quam opinionem ipse pluribus confutat.*

*sub cujus patre Sicone venerat Stabias,*

*non sub Zotone,*

7 *Ita perstringi res breviter potest : Mortuus est Zoto, sive Zotto Dux primus Beneventanus, homo crudelis et impius, circiter* DXC *annum Christi, cum aliquanto ante Cassinum vastasset. Sed demus hoc factum ultimo ipsius anno : S. Antoninum autem, ut volunt, anno* DCXXV *aut* DCXXX *obiisse : erunt tamen ab hujus decessu ad initium Sichardi* CCII *anni. Qui ergo potest, quod sub Sichardo gestum, dici accidisse* post decessum B. Antonini non multo tempore evoluto? *An quisquam exiguum, aut* non multum *censebit tempus* CC *annorum? Neque hiatum illum immanem satis explet Antonius a Porta, dum a*

*qui anno 590 obiit,*

*240 annis ante Sicardum,*



Romoaldo *Beneventano Principe obsessum Surrentum* D *scribit cap.* 8, *contra omnium antiquorum codicum fidem, qui constanter* Sichardum *retinent. Etenim si de Romoaldo* I *loquatur, is patri Grimoaldo vita functo successit anno* DCLXXI *vel* DCLXXII, *tenuitque principatum annos* XVI, *quem et antea patris in Insubria regnantis nomine* IX *annos gubernarat : ab anno ergo ultimo Zotonis, Christi* DXC, *ad Romoaldi primum, Christi* DCLXXI, *intercurrerunt* LXXXI, *qui* non multi temporis *nomine haud videntur apte intelligi. Major etiam erit temporis intercapedo, si de* Romualdo II *Duce nono, qui post annum* DCC *provinciam illam rexit, accipiatur. Primus sententiam illam de S. Antonini ob Zotonis incursionem fuga excogitavit Antonius a Porta, secuti Romæus, Regius Ferrarius, ipseque Baronius : ad Siconis tempora revocat Laccheus.*

AUCTORE J. B.

*pro quo male fingitur Romualdus Surrentum obsedisse :*

8 *Caracciolus Notat.* 3 *disertius rem explanat his verbis :* Cum jam satis constet, non multo ante Sichardum Principem, in cœlum migrasse Antoninum, cogimur proinde illum statuere circa annum Salutis DCCC. Atque adeo dicere non dubitamus, beatum virum secessisse Stabias, quo tempore Sico Beneventanus Princeps, Sicardi pater, Campaniam longe lateque populatus, Neapolim etiam longa obsidione fatigavit, ut Herempertus in historia fusiore et Leo Ostiensis lib. 1 cap. 19 tradunt. Id quia accidit Bono Neapolis Consule et Duce, uti ex epitaphio lapidi inciso constat : Bonus autem iste annum tantummodo cum dimidio Ducatum gessit, mortuus- E que est v Id. Januarii, anno Christi DCCCXIX, quod ex Indict. XII, quæ ibi legitur, facile habetur ; necesse proinde erit figere jam dictam cladem a Sicone illatam, et B. Antonini secessum Stabiensem, ad annum Christi DCCCXVIII. Idque bene congruit cum anno primo Siconis, quem Annales Francorum, ab auctore illius temporis scripti, tradunt Principem Beneventanum factum eo anno, non autem an. DCCCXVII, ut Leoni Ostiensi lib. 1 cap. 19 placuit. Erat vero tunc jam senex B. Antoninus. Sic enim vetus pictura imaginis ejus aperte significat : ut mirum haud sit, non ultra XII annos produxisse vitam. *Ita Caracciolus. Perspicuum est quidem ex Heremperto, sive Erchemperto, bellum a Sicone adversus Neapolitanos ipso mox principatus sui initio motum; mortem tamen Boni Consulis et Ducis censet doctissimus Camillus Peregrinus anno* DCCCXXXIV *contigisse, quo anno æque ac* DCCCXIX *Indictio* XII *fuit. Recte tamen statuit Caracciolus circa annum* DCCCXVIII *videri S. Antoninum Stabias venisse : nam eo anno bellum cœpit, quo, ut ait idem Erchempertus*, oppressi durius a genitore et filio per XVI continuos annos cives *Neapolitani, et socii. Postea salutu, S. Antonini patrocinio, Surrenti obsidione, pace ad quinquennium data.* Promittimus nos F Dominus vir gloriosissimus Sicardus Langobardorum gentis Princeps, *(inquit ipse in suo Capitulari Sicardus apud jam citatum Camillum)* vobis Joanni Electo sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ et Andreæ Magistro Militum, vel populo vobis subjecto Ducatus Neapolitani, et Surrenti et Amalphi, et ceteris castellis vel locis in quibus dominium tenetis terra marique, pacem veram et gratiam nostram vobis daturos ab hac quarta die mensis Julii, Indict. XIII, usque ad annos quinque expletos. *Erat is annus Christi* DCCCXXXVI. *Præcedenti forsan anno, aut etiam superiore, obsessum fuerat ab eo Surrentum, ac postea de pace, non soli illi urbi, sed et reliquis ejusdem Ducatus, concedenda, actum.*

*venit Stabias Antoninus an. 818 cum a Sicone vexati bello Neapolitani,*

*+ imo 22*

*postea a Sicardo,*

*uti et Surrentini :*

*an. 836 iis pax data, mortuo non longe ante Antonino*

9 *Ad hanc normam corrigenda, quæ* XIX *Januarii de S. Catelli ætate statuimus, Regium, Romæum, et Italicum narrationem, quæ missa Stabias erant secuti ; nondum visis Caraccioli Notationibus, neque MSS. S. Antonini miraculis satis accurate expensis. Sabiniani Papæ, aut Bonifacii* III *mandato Romam pertractum Catellum,*

A lum, detentumque haud exiguo tempore in custodia, illi statuere, nosque eorum auctoritate. Sedit autem Sabinianus a Kalendis Septemb. DCIV, ad XI Kalend. Martii DCV. Et Bonifacius III subrogatus XV Kalend. Martii DCVI, cum Sedes menses XI, dies XXVI vacasset; obiit XII Novemb. anni ejusdem. Creatus Papa insequente Septembri Bonifacius IV, a quo demum Stabias remissum voluit S. Catellum. Verum toto Sabiniani ac Bonifacii III tempore, et quinque prioribus Bonifacii IV annis, non S. Catellus Stabiis, sed Laurentius Episcopus fuit. Testantur enim Caracciolus. Equis extare inscriptum lapidi hocce epitaphium: In hoc tumulo requiescit V. B. Laurentius Episcopus sanctæ Ecclesiæ civitatis Stabiensis, qui vixit annis plus minus XXXX. Sedit in Episcopatu XII. Depositus die IIII Kal. Martiarum Ind. XV imperante Heraclio Aug. anno secundo. Annus is fuit Christi DCXII. Sederat ergo ab anno DC Christi, sub Pontificibus Maximis, Gregorio Magno, Sabiniano, Bonifacio III et IV. Quare credibilius videtur, S. Catellum accusatum esse apud Paschalem Papam, qui DCCCXXIV XIV Maii decessit; ab Eugenio II, qui quarto post Paschalis obitum die in solium Apostolicum evectus est, Stabias remissum: vel, ut sentiunt Caracciolus et Lucchesius, apud hunc accusatus, a Valentino successore anno DCCCXXVII absolutus videri potest. Sed B cum solum XL dies sederit Valentinus, nescio an ei satis illa conveniunt, quæ in Vita S. Catelli narrantur, ad menses aliquot captivi ratis oblitum.

*AUCTORE I. B. nec S. Catellus Episcopus Stabiensis fuit circa an. 605, sed Laurentius, ipse circa 820.*

10 Ex jam dictis erui et illud certo videtur, nequaquam e Casinensi monasterio profugisse Stabias Antoninum. Primus id Antonius a Porta eam ob rem excogitavit, quod Zotone imperante id factum existimaret. Hoc jam subrutum fundamentum est, ostensumque sub Sicone, anno DCCCXVIII, vel paullo post, contigisse, quando S. Apollinaris Casinense cœnobium feliciter administrabat. Neque vero eum tractum armis Sicu infestasse legitur sed Campanum: et Casinensibus vel ideo fuisse existimandus, quod Radelchis Comes, qui interfecto Grimoaldo, ipsum Siconem Principem constituerat, illic monachus esset sub S. Apollinare Abbate, ut habet Leo Ostiensis lib. 1. cap. 22, qui cap. 24 tradit donationes quasdam S. Apollinaris successori Deusdedit ab eodem Sicone factas. Neque omnino asseveranter affirmavit Porta monachum Casini fuisse Antoninum. Nam cap. 1 sic scribit: In quo (Casinensi cœnobio) cum Sanctus Dei Antoninus vitam cœlibem semel Deo oblatam, ut pium est credere, degeret, cum aliis Deo famulantibus fuga servatus etc. Quid vero pium est credere? Vitam cœlibem egisse? At certum est. In Casinensi cœnobio habitasse, inquit. Quia id nullo C testimonio constat, se pia id conjectura posse comminisci autumavit.

*neque S. Antoninus antea Casini monachus fuerat,*

11 David Romæus non monachum tantum, sed Abbatem eum cœnobii Casinensis constituit: Credibile est, inquit, illum et a primis temporibus ætatis in Casinati societate Divi Benedicti esse versatum. Corroborata ætate ita vivebat, ut quasi lumen aliquod eluceret ejus sanctitas, et universa societas illustrius in juventute veteris sanctitatis exemplum non habens, una voce eum præsidem declaravit, Abbatem vocamus. Eadem fere narrat ex Romæo Ferrarius. At Bonitum Abbatem fuisse constat, cum cœnobium demolitus est Zoto, Romamque cum suis se recepisse. Mirum sane foret, si unquam Casini Antoninus habitasset, nullam ejus mentionem fieri a Petro Diacono, Leone Ostiensi, Trithemio, et aliis, qui viros illustres monasterii Casinensis recensuerunt. Marcus Antonius Scipio aliique recentiores e Martyrologio acceperunt, in quo id ante Baronium non legebatur, ac ne nomen quidem Antonini. Cum autem in Notationibus non alium citet Baronius auctorem nisi Surrentina monumenta a Paulo Regio Italice edita, ostendit ejusce rei fidem penes unicum illum auctorem se reponere.

*nedum Abbas,*

12 Caracciolus Notat. 3 ita arbitratur: Anno DCCCXVIII B. Antoninus ex incerto quodam Campaniæ monasterio Benedictini instituti, et Cassinensi Abbati, ut puto, subjecto, profugit Stabias. Ex incerto inquam, monasterio: quia nullus veterum scriptorum quodnam fuerit declarat. Michael Lucchesius suspicatur in patria monachum fuisse. Nam illic, ubi nunc monasterium est S. Mariæ Novæ ordinis Minimorum, fuisse olim aliud traditur instituti Benedictini, eo ipso vico in quo natus memoratur Antoninus: cumque a prima ætate monachicam fuerit vitam complexus, non alibi id quam in patria fieri commodius potuit. Ut proinde minus videri mirum debeat, quod Stabias se receperit, non admodum quidem validam urbem, munitiorem tamen quam Campania erat, nullis tunc adhuc circumdata mœnibus.

*D sed alibi, forte in patria, monachus.*

## § III. S. Antonini ecclesia, præsidium curandis energumenis, statua argentea.

Quod cap. 2 num. 11 ait vetus scriptor, in ipso muro, adjuncto nunc oratorio decoro, corpus B. Antonini fovetur; id oratorium Caracciolus notat. 17 S. Agrippini templo adjunctum fuisse interpretatur, eique inclusum: sed utrumque ab immemorabili tempore destructum. At Notat. 12, in eodem propemodum loco, ubi olim ecclesia stetit S. Agrippini, atque oratorium S. Antonini constructum, ibi nunc ecclesiam esse ipsius S. Antonini. Nam posteaquam, inquit, in ea sepultum est sacrum Antonini corpus, adeo ob crebra miracula celebre evasit Antonini nomen, ut non jam Agrippini aut Martini, sed solius Antonini titulo ecclesia illa postmodum fuerit appellata. Existimare videtur David Regius, quæ nunc Surrenti extat S. Antonini ecclesia, eam post paullo quam est urbs obsidione liberata, fuisse ædificatam, atque oratorium illud, quod destructum putat Caracciolus, ipsum illud esse quod nunc extat. Ita enim scribit: Confirmata ac ab omni morbo et ab omnibus tentationibus Theodatæ valetudine, perspectum Surrentinis est, B. Antoninum multum posse, ac piorum virorum caussa velle: fanum ei nobile ac religiosum cum sacello subterraneo fecerunt ubi est ejus sepulchrum. Quod templum pavimentatum dignitatem habet: nam et pavimenta et interiores ejus parietes emblemate sunt vermiculato, columnæ marmoreæ rectæ, politæ et e regione collocatæ, quæ sacellum subterraneum, templum et porticum sustinent.

*Vetus S. Antonini oratorium destructum*

*E ecclesia ædificata,*

*non tempore Sicardi,*

14 Scriptor antiquus solius oratorii meminit: ut templum postea ædificatum, possimus agnoscere. Consentit Caracciolus Notat. 17. Nunc, inquit, non jam, ut olim, parvum aliquod oratorium, sed amplam et antiquo schemate decoram basilicam, de B. Antonini nomine nuncupatam, frequentant fidelium turmæ populorum, et remotis etiam provinciis toto propemodum anno, aut subsidii adversus dæmones, aut voti orationisque caussa confluentium. Incolunt vero eam ex nostro ordine Patres, ac sacris officiis noctu diuque celebrant, et Divini verbi satione, cultuque Sacramentorum opimant. Fuit autem Caracciolus ex ordine Clericorum Regularium, qui vulgo Teatini appellantur. Idem alibi testatur, ædiculas complures in ecclesiis Surrentinæ diœcesis, et in civitate Campaniæ basilicam, eique attigua prædia ab Antonini hujus sanctissimi Abbatis nomine appellata.

*sed post ætatem scriptoris Visæ. F*

*data Teatinis; alibi plures ei dicatæ*

15 Quod hic de perfugio ad S. Antonini ædem energumenis parato dictum, confirmat Martyrologium Romanum, cujus ex verbis, superius relatis, constat ejus corpus multis quotidie miraculis, et præsertim in liberandis energumenis effulgere. Ad quæ ista annotat Baronius: Quæ autem nostra ætate ad sepulchrum ejus admiranda fiunt, eademque crebrius iterantur, percepi non a quibusvis narrata, sed a sincerissimis prudentissimisque Sacerdotibus, qui interfuerunt.

*Ad corpus energumeni liberantur,*

Romæus

A *Romæus quoque relato miraculo quod cap. 4 num 17 memoratur, ista subnectit :* Ex hoc evenit, ut hoc tempore, cum quis a veteri, nefario, sempiternoque hoste vexatur ad sepulchrum Divi Antonini ad columnas alligent : et extra ostium limenque sacelli subterranei ad breve tempus expectant, et valvas aperientes, illum ab Antonino solutum, et in libertatem vindicatum vident. Horum miraculorum testes non solum Surrentini, sed etiam omnes finitimi citari possunt. *Caracciolus quoque in scholiis num.* 23 *ita morem illum illustrat :* Refert hoc loco observare atque cognoscere antiquum morem, id est, a multis retro seculis usitatum, ante sepulchrum B. Antonini alligandi energumenos ad columnam aræ proximam, eosque clausis foribus ibi relinquendi, quousque suam Divus cœlestem virtutem, si ei libitum esset, in iis a dæmone liberandis ostenderet. Idem successu temporum factitatum, imagines in pariete hypogæi antiquitus depictæ significant. Idem quoque alibi ad Sanctorum sepulchra lipsanaque usitatum, historiæ produnt... Romæ etiam ad columnam illam e Salomonico templo ad Vaticanum advectam energumeni, successu salutifero, alligantur.

*ad columnam alligati,*

*more antiquo :*

16 *Campaniæ quoque, S. Antonini urbe natali, ut Larchens est auctor, multa istius generis prodigia eveniunt.* In parochiali æde sancti Salvatoris, *inquit*, pia visitur Antonini imago in ara sodalitii S. Mariæ ad nives, quam turmatim vicini ac longinqui frequentant : ad eam plurimi quotidie a dæmonio insessi perducuntur, et libertate adepta læti abscedunt : ac sæpenumero vix ingressi pomœrium urbis, ad eam visendam imaginem, illico liberi et incolumes evadunt.

*Campaniæ quoque ad ejus imaginem liberantur :*

B

17 *Ista singulis mortalibus impensa ab Divo beneficia; hoc ad universam civitatem pertinet. De eo cap.* 10 *scribit Antonius a Portu, quod sua ætate acciderat.* Barbarussum, *inquit*, magni Turchi classis Ducem adversus Tunetum irruentem terruit : qui cum duas illuc speculatrices triremes destinaverit, classe haud longe distracta, veluti a persequentibus fugatas, quasi exanimes retro accepit. *Hoc* ciↄiↄxxxiv *Christi anno contigisse patet ex Supplemento Spondani ad Baronii annales, qui eo anno Prochytam, Fundos, Tarracinam aliaque loca a Barbarossa incendiis, cædibus, captivitatibus deformata narrat, ac dein Tuneti regnum occupatum : unde est anno sequenti pulsus a Carolo* V *Imp.*

*ejus ope an. 1534 repulsi a Surrento Turcæ*

18 *Illud quoque suorum saluti civium consulere Antoninum argumento est, quod sibi Romæus,* de eo curiose requirenti, fidelissimo animo narrasse Surrentinos *testatur.* Non multo, *inquit*, antequam Surrentum caperetur a Turcis, extiterunt veridicæ voces,

C

cum ex occulto missæ, tum ab æde Divi Antonini sunt exauditæ, ut consulerent sibi, prospicerent patriæ, providerent saluti : futurum esse brevi, nisi provisum esset, ut Surrentum caperetur. Quod neglectum, cum caveri poterat, post acceptam illam maximam cladem explicatum est. Triduo post hoc est, Idibus Junii ciↄiↄlviii, Surrentini capti sunt, sanctissimis simulacris Dei depulsis, statuis Divorum dejectis, Divi Antonini simulacrum argenteum ex religiosissimo delubro hostes sustulerunt : ex quo liquefacto pecuniam redegerunt, monilia, bullas, annulos, ceteraque florentis prosperæque fortunæ indicia et insignia facienda curarunt.

*an 1558 monitum cœleste negligentes cives capti a Turcis 13 junii, direpta statua argentea S. Antonini :*

19 Lacertum ex argento, intus in quo inclusa erant ossa lacerti Divi Antonini Turca quidam venale habebat Bysantii, circumferebat, et ostendebat omnibus, qui circum fora erant. Neminem invenire potuit, cui argentum addiceret. Argentum illud jacebat, non propter nummorum caritatem sed omnes ut sibi non aptum, nec venustum, divino Spiritu acti, contemnebant. Cum quidam Surrentinus, qui apud Turcas serviverat, et pecunia se ex illis incommodis liberaverat, a divino Spiritu (quod pie dicam) obviam missus, non magno pretio ab eo mercatus, et allatum certum constitutum pretium, nobis non notum, enumeravit, et secum in patriam reportavit.

*theca argentea cum brachii reliquiis miro modo redempta*

D

AUCTORE I. D.

20 Superioribus annis Surrentini statuam Divi Antonini argenteam, non solidam, altiorem duobus cubitis, faciendam, et in ejus templo statuendam HS. xx locaverant : nec constitutam mercedem persolverant, nec quod esset simulacrum corporis et faciei Divi Antonini dicere aurifici sciebant. Polliciti sunt tamen se paucis diebus, coacta pecunia, Neapolim redituros, et secum nummos laturos, et qua facie Divus Antoninus fuisset, dicturos. Stips, quæ tantisper rogebatur eorum profectionem impediebat et retardabat. Cum ignotus senex Neapoli præsto fuit cælatori ad officinam : interrogat eum num D. Antonini speciem cælarit. Non, inquit, expressam imaginem vidi, nec ad nummos perventum est. Senex exposuit, numeravitque reliqua HS. viii. rogatque ut se intentis oculis tamquam exemplar intueretur : tum deinde nusquam apparuit. Surrentini factis nominibus versurisque, nummos secum tulerunt : et ita seipsos excusabant, ut omnem culpam in pecuniam transferrent, quæ moram et tarditatem attulerat. Cum caussam suam se probasse sperarent, aurifex sibi satisfactum, et a quodam sene sibi ignoto solutum respondit, et ab initio res quemadmodum gesta esset exposuit. Surrentini quisnam fuerit ab eo quæsiverunt, et acutissima omnibus vestigiis, inusitatas vias, tritas non relinquentes, indagarunt : scrutati sunt quæ potuerunt, et quæsiverunt omnia, quis fuerit : nec de eo aliquid sciverunt, vel existimaverunt, ut qui ad aurificem profectus sit, scire non potuerint. Eum fuisse Divum Antoninum, qui semper benigne facit, opemque suis fert, nullum ejus officium, nullumque studium in absentes, vel in præsentes defuit omnes crediderunt.

*statua nova curata,*

*Sancto apparente et pretii partem solvente.*

E

21 *Hæc Romæus, qui deinde exponit, unde sumptus ad ædem S. Antonini reficiendam præbeantur :* Hoc tempore, *inquit*, de ejus ædis sacræ tuendis sartis tectis nautas, quoad facultas fert, cura attingit : qui ædem sacram, præter campanas, et organa, quæ vocamus, pecunia cum sua tum aliena refecerunt, tabulam pingendam et in ara ponendam curarunt. Nullum intermittunt diem, quin navigent, nisi hieme maxima, vel Neapolim vel alio : et antequam perveniatur eo, quo sumpta est navicula, navarchus pyxidem, quæ et arcula dicitur, in medium profert, et stipem a singulis navigantibus cogit. Aliquot post menses, proferunt nummos ex arculis denariorum impletis, numerantque iis quibus per ea tempora sacræ ædis procuratio est commissa.

*sarta tecta ejus templi curant nautæ.*

F

# VITA

## auctore Surrentino anonymo,

*ex veteri MS. et Ant. Caracciol. editione.*

### PRÆFATIO AUCTORIS.

Commendat nobis *a* orthodoxorum traditio, ut ad salutis nostræ augmentum, ad fidei quoque confirmationem, nec non ad beatæ spei certitudinem, sanctorum operum insignia, seu virtutum miracula, in lucem prolata propagemus : quatenus visa et audita in segete Domini, videlicet Ecclesia, fructificent. Hæc enim in memoriæ conclavi reposita, vigilantes Christi ministros in divinæ Legis custodia confirmant, dormientes ad præcepta Dei exequenda excitant, sedulos promovent, tardos admonent, fidem adaugent Catholicam, divinam notificant gloriam. Hinc saluberrimæ doctrinæ magister idemque Redemptor noster Christus Jesus sic inquit : Luceat lux vestra coram

*a*

*Ad Dei gloriam, et proximorum utilitatem*

Matt. 5. 16

*AUCTORE ANONYMO, EX MS. ET CARAC.*

A coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Hujusmodi profecto judicium communi hominum saluti, et omni religionis ordini est proficuum, ut puta per quod humana fragilitas divinæ Majestati tali ordine conciliatur, ut dum gloria Dei in splendoribus Sanctorum manifestata nobis *b* insinuatur, ipsi a nobis debita reverentia, nobis ab ipso solita clementia exhibeatur : quatenus qui in Sanctis suis faciens prodigia semper est gloriosus, a nobis devote famulantibus glorificetur. Ipsi quoque Sanctorum communioni taliter est nos associari, ut dum merita eorum magnificata et preces apud Deum, virtutum signis testantibus, non dubitamus, nos ipsis debitam *c* venerationem, ipsi nostræ necessariam fragilitati consolationem; illi nobis auxilii beneficium, nos illis obsequii præbeamus officium. Hujus rei gratia, scripturæ istius Antonini merita stylo prosequi aggredimur, quia ejus insignia silentio deprimi, aut litterarum invidia aboleri, indignum, inutile, immo perniciosum, et nefas judicamus : et hujus judicii id rationis reddimus, quia quanta gratiarum actio, auditis ejus virtutibus, Deo refertur, tanta eisdem prætermissis, illi denegatur : et quod possunt in meliorem viam permovere sanctæ vitæ exempla prædicata, tot poterunt, aut in negligentia detinere, aut in semitam deteriorem detorquere taciturnitati data : B quamvis pene idem sit negligere, quod errare : sicut non longe distat delinquere et peccare; delinquere enim est non facere, quod debes : peccare, facere quod non debes : et non faciendo tibi mandata, delinques ; faciendo tibi prohibita, peccabis : hoc est, justum vitando, delictum ; injustum amando, peccatum perpetrabis. Idcirco si Deo datori data, aut ex datis non offerimus ea, quæ ingrati retinemus, et si concessa largitori parcitate iniqua denegamus, eadem nos inconsiderate cupidos, violenter rapere censeamus.

*scribenda fuit S. Antonini Vita.*

2 Age ergo in commune consulamus, et ad Dei laudem, et auditorum ædificationem de sancti Patris hujus meritis sit mihi fas audita loqui. Ac primum de ejus *d* patria, aut parentela tractare, sicut incognitum habemus, ita non necessarium existimamus. Nam omne hominum genus in terris simili surgit ab ortu. Unus enim rerum pater est, unus cuncta ministrat, apud quem servus et liber, nobilis et ignobilis, dives et pauper, omnes unum sumus : cum non sit personarum acceptor, sed operum indeceptus sequestrator. Frustra etiam inquiris generis qualitatem, cum opera sancta veram testantur nobilitatem. Nequicquam disponis indagare conditionem, C cum felicem vitæ miraris conversationem. Supervacue exploras ejus nativitatis ortum, quo decedente utilitatis opimæ possides fructum. Prætermissis igitur iis, quæ cum incerta habeamus, non necessaria existimamus, ad expedienda in rem pertinentia succingamus, id est, quando in has partes venisset, quibus, aut ubi, aut quomodo vixisset : finem etiam vitæ, et locum sepulturæ assignabimus. Deinde virtutes per ipsum hominibus demonstratas, quantum ad nostras aures pervenit, subnectentes, ad calcem operis perveniemus.

*d Omissa patria, quæ de eo dicturus sit Auctor?*

a Ita editio Caraccioli MS. hodierna — b MS intimatur — c Idem MS reverentiam — d De eo quod traditur, diximus § 1 num 5

## CAPUT I

### *S. Antonini adventus Stobias, vita in solitudine acta.*

Quo *a* tempore Longobardorum ferina immanitas Campaniæ provinciam hostili gladio et incendio vastavit, sanctus iste noster Patronus Antoninus ad has partes advenisse, et Episcopo Stabiensis Ecclesiæ *b* dicitur adhæsisse. Cujus cum idem Episcopus D et vitæ puritatem et honestam morum conversationem actuumque didicisset, suo eum consortio familiarius associavit, quo fine jam deinceps nihil ageret. Omnibus denique consiliis consors astitit, cuncta curarum pondera particeps adæquavit, fidelis amici et strenui ministri officium observavit. Denique morum et sensuum conveniente parilitate, tam tenaciter brevi coaluerunt, ut cor unum et animam unam in duobus veluti gemellis esse dixisses : quippe in quibus nec velle nec nolle aliud invenisses.

*b S. Antoninus venit Stabias ad S. Catellum Ep.*

4 De hujus talis hospitis, imo proprii jam filii, seu unici amici, prudentia et fide securus Catellus, pastoralis curæ regimen ex toto illi commisit. Ipse vero secularis pelagi fluctus declinans, *c* vastas silvarum solitudines, inter nubigera montium cacumina Eremitis convenientia, petiit. Mons ipse, cui Michael Archangelus, propter caussam paullo post demonstrandam, nomen dedit, per transversum extensus, utraque extremitate marinis fluctibus alluitur. Laterali vero longitudine terram Surrentinorum, quasi linguam terræ in mare porrectam, a mundo patente distinet, et per præcipites scopulos angustas viantibus semitas præbens, ab omni hostili tumultu securam reddit. In summitate autem, dorso ipsius jam finito, continuatim caput mare versus audacius erigit : ita ut latera sæpius nubilosis cinctus involucris, E nubesque imbresque serenus despiciat. Quo de loco totus Campaniæ situs, civitates, oppida, castella item, et marina planities, quantum oculus penetrare potest, videri et demonstrari solet. Illum tunc verticem prædictus Dei famulus Catellus assumpto certamini aptum judicans, occupavit : ibique Dominum pura mente contemplando, divinis officiis vacavit.

*qui commisso illi Episcopatu, c in montem juxta Surrentum secedit;*

5 Nec socii unanimis *d* disparationem diutius ferens Antoninus, concito gressu, ad eum properavit : et sicut in mundana occupatione, ita in divina servitute sibi inseparabiliter adhæsit. Quorum unanimitatem et parem conversationem taliter demonstrata visio Angelica probavit. Nocte enim intempesta unus et idem utrique apparens, Volo, inquit, ut in quo loco vos orationibus insistere soletis, et ubi cereum ardentem *e* nuper vidistis, oratorium sub meo nomine construatis. Qui cum de nomine interrogatus, Archangelus Michael respondisset, disparuit. Qui confestim *f* expergefacti, cum alter alterius eamdem visionem audisset et retulisset, mutui testimonii auctoritate confirmati, Angelico præcepto assentire parant. Accinguntur deinde strenui divinæ fabricæ opifices, et *g* ligneis compaginibus parvum quidem, sed Archangelo monitori gratum, habitaculum prospero successu ædificarunt. F O mira justorum potentia! o saluberrima Sanctorum fortitudo! o ineffabilis mundarum precum virtus! o inæstimabilis puræ mentis efficacia! Ecce meritis Sanctorum istorum operantibus, et orationibus eorum quodammodo fundamenta ponentibus, in lustris *h* ferarum construitur oratorium, in cubilibus bestiarum ædificatur Angelicum habitaculum, in terra vacua, vasta et inculta fabricatur domus sancta, celebris et humanæ saluti apta. Ibidem enim bonorum omnium auctori Domino, et B. Michaeli Archangelo habitatori laus quotidie offertur. Cujus beneficiis præstantibus, nullus non impetrat, quod digne postulat. De vicinis et longinquis partibus concurrunt, *i* et vota pro quibuslibet tribulationibus promissa solventes, accepta consolatione alacres in propria redeunt.

*d eodem venit Antoninus e cælitus ambo seorsim moniti f g oratorium S. Michaeli ædificant, h peregrinationibus celebre. i*

6 Hujusmodi beneficia hominibus ægris illic concedenda, et fidelium gaudia multiplicanda, jam tunc prævidens humanæ salutis inimicus, juxta solitam invidiam frustra gratiam Dei subvertere nitebatur quod ad laudem Dei, et ad provectum hominum condebatur

A debatur. Concitabat ergo suos familiares detractores, qui querimonia supervacua murmurarent, Catellum Episcopum Sedem et plebem suam deseruisse, et, quod pejus esset, contra ritum Christianorum Missarum solennia per horrida ferarum cubilia et invia montium cacumina celebrare; hæresim denique periculosissimam seminare. Quid plura? Catellus comprehenditur, Sedis Apostolicæ Rectori statuitur. Quo *k* volente districte rem examinare, Catellus in carcerem retruditur, et divino, ut dignum est credere, nutu, (ut sequens rei eventus comprobavit) quidam ex Clericis Papæ custos sibi adhibetur. Cui paullo post Catellus prophetiæ afflatus Spiritu, Memento, inquit, mei dum bene tibi fuerit, ut educas me de isto carcere, qui violenter sublatus sum, et hic innocens in lacum missus sum: cito enim Papa defuncto in Sedem Apostolicam succedes.

*Catellus ab æmulis accusatus comprehenditur:*

*prædicit cuidam Pontificatum:*

7 Juxta verbum vaticinantis in summum Pontificem elevatus, et prosperitatis abundantia circumfluus suæ dignitatis significatorem tunc oblivioni transmisit. *l* Quem tamen paullo post eductum, tanto honoris cumulo donavit, ut quicquid peteret, se procul dubio daturum promisisset. Quem cum omnes aliquid magni rogaturum putarent, ille tantum Christo et monitori suo Michaeli Archangelo deditus, Rogo, inquit, ut quantum plumbi petam, mihi B concedas. Quo ille accepto, prospero navigio in sua reversus, oratorium lignea materia constructum, petris a fundamento reædificavit, et plumbo quod apportavit, cooperuit.

*a quo liberatus*

*plumbum obtinet tegendo oratorio*

a *Ostendimus gesta hæc esse sub initium noni ab Christi exortu seculi, cum Sico Grimoaldo interfecto principatum Beneventanum occupasset, non vero ea tempestate, qua Italiam primum barbara ea gens invasit, quando et Casinense cœnobium ab Zotone primo Duce Beneventano direptum combustumque, monachis fuga servatis.* — b *S. Catellus is fuit, qui* 19 *Januarii colitur, ubi de eo egimus, non tamen satis rationem temporum asserentes, uti hic fatemur* § 2 *num.* 9. — c *De Stabiis ita David Romæus:* Hanc urbem in littore in finibus agri montis Gauri positam, Castellum ad mare Stabiarum vocant. *Dicimus olim Gaurum montem eis Neapolim fuisse: eum qui ad Stabias Surrentumque pertingit,* Lactarium *fuisse olim appellatum.* — d *Romæus, Regius, Ferrarius, Vitaque ex schedis Stabiensibus, priorem secessisse Antoninum volunt. Potior nobis scriptoris vetusti fides; quem et Lacchens sequitur.* — d *MS* separationem *reliquimus ut ediderat Caracciolus: ita enim primitus scriptum conjicimus, quia Porta, qui ea quoque Vita usus,* disperactionem *habet.* — e *Romæus et alii, facem ardentem his utrique visam, et orantibus quidem scribunt; ac secunda vice simul adstitisse Angelum, egregia juvenis specie.* — f *Non ergo orantibus visum illud objectum, ut Romæus, Regius, a Porta, et altera S. Catelli Vita, atque etiam Lacchens habent.* — g *A Porta et Romæus scribunt, Catellum ad celeritatem e lignis, Antoninum, posteritati serviendum, e lapidibus construi voluisse: sed huic illi, ut par erat, cessisse.* — h *Dum ædiculam eam construerent, sæpius eo convenisse ferarum multitudinem, velut sanctis illis fabris gratulantem, scribit Romæus, Porta id factum ait sacello jam constructo. Altera S. Catelli Vita num.* 4 *habet, cum ædificantes aqua defecisset, eos fontem precibus elicuisse, qui etiamnum fluit dicturque Aqua sancta, adversus morbos salutaris. Item Sanctorum conspectu cervosque recreatos.* — i *Desiisse magnum illum peregrinorum concursum scribit Caracciolus. Romæus stare adhuc eam ædem tradit, dicique S. Michaelis ad fagos, quia plurimæ in eo monte confluere præcipue ad eam ædem populum S. Mari.* — k *MS. ita habet:* Quo non perpendente, in omni loco dominationem Dei esse, et mundi cordis arcanum Christo esse gratum habitaculum, illo, inquam, inconsiderate rem examinante, et inconsulte judicante, Catellus in carcerem retruditur. *Recenset Caracciolus plures Sanctos, qui hæreseos, etiam apud Apostolicam Sedem, accusati, sed postea absoluti sunt: additque ad Pontificis excusationem illa S. Gregorii verba lib.* 1 *Dialog.* Multum vero necesse est, quod uniuscujusque Præsulis mentem curarum densitas devastet: cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula, tantoque ei in una qualibet subripitur, quanto latius in multis occupatur. *Fatetur autem se* verba aliquot *hic in Vita S. Antonini,* quæ sententiam depravabant, *correxisse. Romæus inepte negligentiam, si quæ fuit, ordinatam certe judicat, ita exaggerat:* Pontifex de iis rebus ab adversariis et obtrectatoribus laudum Catelli doctus, temere, inconsiderate ac negligenter rem agens, ei injuriam intulit, pontificatu eum abrogavit, comprehendi et in carcerem condi jussit, nec ejus satisfactionem accepit. *Quis tunc Pontifex fuerit, superius dictum.* — l *Porta, Romæus, Lacchens aiunt, visum in somnis novo Pontifici monachum Benedictinum (ipsum videlicet Antoninum) Catelli caussam agentem: utrumque vivente adhuc decessore, itidem in somnis admonitum, misse ad carcerem ubi Catellus detinebatur, ex eoque futurum se Pontificem didicisse, et spopondisse ipsi libertatem: Antonino quoque divinitus revelatum, brevi absolutum iri Catellum: ipsumque sibi visum in somnis pro eo coram Pontifice perorare. Quæ ab veteri scriptore omissa, an ab Antonio a Porta conficta sint, an ex veteribus aliis hausta monumentis haud disquirimus.* — m *Romæus, a Porta, alii, plus quam plumbum in tegulis petiisse aiunt,* quantum *nempe* ad sacellum sat esset Divo Michaeli ex lapidibus, et tegulas ex plumbo faciendas.

*Stabiæ urbs.*

*Fons a SS. Antonino et Catello elicitus.*

C

*Qui fieri possit ut in S. R. ecclesia judicia tarda aut minus æqua reddantur?*

*S. Antoninus absens S. Catelli caussam agit.*

## CAPUT II.

### *Surrenti a S. Antonino gesta: monasterii præfectura, ædificia, sepultura.*

D

*AUCTORE ANONYMO EX MSS. ET CARACC.*

Antoninus autem sub exulantis amici tempore, haud segnius solito in loco eodem Domino serviebat, non jam sibi soli sed utrique orabat: in commune precum libamina Domino offerebat. Sed quia civitas supra montem posita non potest abscondi, nec lucerna accensa sub modio ponitur, sed supra candelabrum, ut lumen in domo manentibus præbeat, talem tantumque virum suæ Ecclesiæ Christus quasi columnam supponere voluit. Et ecce cives Surrentini celeberrima ejus fama perculsi, suæ Reipublicæ consultissime prospicientes, intra suæ civitatis mœnia honorifice invitatum accuratissime susceperunt. At ille susceptæ professioni, in seculari licet turbine, tenaciter inhærens, beatæ memoriæ viro Abbati *a* Bonifacio apud oratorium S. *b* Agrippini titulo ascriptum sese associavit. Ibi ille mira admodum conversatione, et illustrissimo operum certamine agonizans, cunctis beatæ vitæ prætendebat exemplum.

*Antoninus Surrentum migrat, civium rogatu;*

*a b*

9 Nec multo post Abbas supra nominatus, ad hujus vitæ metam perductus, Fratribus persuasit, ut Antoninum probatæ vitæ sibi successorem subrogarent. Illo igitur defuncto, Fratres consilio Patris acquiescentes, uno ore, pari consensu, unanimi judicio, dignum acclamarunt Antoninum, qui prolapsum magisterii culmen susciperet gubernandum. Quibus ille primo quidem pro humilitate, temperata contradictione, reclamans, tandem consensit, et pro voluntate eorum abbatiam suscepit. In hujus dignitatis gradum promotus vivebat, quod dicebatur: qui Pater appellabatur vocabulo, vere pater erat misericordiæ et pietatis officio, cunctis benevolus, cunctis compatiens, omnibus mitis aderat. Ipse magister omnium virtutum prærogativa insignis, discipulis doctrinæ felicis regulam sermone et opere commendavit, admonens, castigans, instans, opportune, importune, arguendo, increpando, obsecrando, desipientium vulneribus oleum et vinum infudit. Fratribus, aut necessaria communiter præbendo, aut si non erat unde, *c* patientiæ virtutem piis verbis et exemplis proponendo, murmurationis periculo occasionem abstulit. Detractionis autem et invidiæ morsus, item alias vitiorum pestes, sicut ipse declinabat, ita alios declinare commonebat.

E

*fit Abbas*

*suos exemplo et verbo stimulat ad virtutem,*

*revocat a vitiis:*

*c*

10 Inter cetera etiam suorum operum monimenta, construxit in honorem S. Martini *d* oratorium, cujus introitus valvas *e* haud ignobili opere sculptas ipse manibus suis composuisse dicitur: nam in arte architectonica laudabilis magister perhibebatur. Nullum igitur tempus unquam sibi ad inimicam animæ otiositatem est elapsum, de quo servitutis Christo non redderet pensum. Aut enim aliquid in rem pertinens faciendo utilis artifex, aut in orationibus pura mente Christum contemplando spiritualis cœlicola, aut communi necessitati providens terram colendo frugi reperiebatur agricola. Ita demum sese beatum, et bene sibi esse judicans, si suis alimentis spiritu primitus cibato, ipse etiam labores manuum suarum manducaret. Plantavit igitur in terra inculta vineam, quæ capite ad atrium suæ basilicæ juncto, extremitatem in ipso marinæ ripæ præcipitio terminat. Hæc vinum virtute et sapore mirabile emittit, quod suo inventori Antonino etiamnum in proprio nomine monimentum servat, vinum omni condito melius, ut puta quod natura, non ars, quod sanctis manibus plantatæ vites, non peregrinæ species temperarunt. Ex hoc quia celeberrime prædicatur, Principibus et Magnatibus pro munere dato misceri solet

E

*d*

*e*

*construit ædem S. Martini:*

*otium fugit*

*vitem plantat*

*vini optimi fecuem:*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

A let, dicas ipsum Antoninum ineffabili benignitate largum, hoc suis civibus in laudem et utilitatem contulisse, et in jugem sui memoriam quasi pignus reliquisse.

*moriturus jubet se nec intra nec extra urbem sepeliri*

11 His aliisque talibus virtutum operibus infatigabiliter insistens, dies huic vitæ concessos exegit. Emenso tandem vitæ corruptibilis spatio, Fratres et populos, ubi sibi sepulturæ locus placeret quærentes, rogabat, ut nec intra nec extra urbem eum sepelirent, et hoc dicto expiravit in Domino *f* sexto decimo Kal. Martii, *g* Consule Prohiano. At illi de dubio quasi oraculo incerti, et quod loci spatiolum, nec intra, nec extra urbem, fuisset reliquum, hæsitando volventes, tandem, prudentia monstrante, in ipso muri civitatem circumdantis latere, a terra quantum humana statura potest esse, contra Orientem levaverunt, et ibi corpus sanctum posuerunt. *h*

*sepelitur in muros:*

Ecce autem ipsius *i* parentes curiosa indagatione circumquaque eum quærentes, fama tandem duce Surrentum applicuerunt, supplici voce a civibus rogantes, ut vel exanime corpus in patriam reducere daretur. A quibus salva nimirum veritate audientes, quod nec intra nec extra suam urbem eum sepeliissent, nec nocua, imo proficua fraude, nec falsa assertione decepti abierunt. *k* Hanc igitur suorum parentum inquisitionem vir Dei in suis extremis; Spiritu sancto indicante, prævidens, paterna deliberatione prospexit, ut qui vivum eum civem et Patrem foverunt, nec tristitia afficerentur corpore amisso, nec mendacii aut perjurii reatum incurrerent, eodem retento, cum in distermino interiorum et exteriorum, non autem intra nec extra corpus ejus positum fuisset.

*hinc eluss repetentes corpus ejus.*

B

In ipso igitur muro, ut diximus, adjuncto nunc oratorio decoro, corpus B. Antonini fovetur. Cujus meritis præstantibus, digne quæsita indigenis et advenis beneficia præbentur, et insignia virtutum miracula frequenter demonstrantur. Quæ quia multa et præclara esse constat, nec ad plenum dicere, nec ex toto reticere possumus.

a Bonifacii *hujus nusquam reperi relatum in sacras tabulas nomen.* — b S. Agrippinus *Ep. Neapolitanus, unusque ex illius urbis Protectoribus, colitur 9 Novemb.* — c *Addit* Ebulensis *Unde accepto, ipse viderit) miraculo.* Sæpe e cælo, *inquit*, numquam excogitata, paterna Salvatoris clementia ministravit. Et non sufficiente humana industria, inopiæ subveniebat divina miseratio. — d *Caracciolus Notat.* 12 *ait et hoc* S. Martini *oratorium et ipsam* S. Agrippini *ecclesiam pridem diruta, ut et nos supra ex eo retulimus.* — e *Lucibens ait, Antoninum insculpsisse in marmore Dominicæ Passionis mysteria. Idem fere tradit Bonæus. Obscure loquitur a Porta.* — f *Quædam Martyrologia, teste Caracciolo, habent pridie obiisse. Suspicatur ipse, Idibus obitum, postridie depositionem contigisse.* — g *Surrentinæ urbis, inquit idem Bonæus, id anno* 625 *id contigisse. Baronius in Notat. ad Martyrol.* Migravit, *inquit*, ex hac vita sub (eorum) anno Domini 625. *Antonius a Porta cap.* 7 *habet* Salutis anno 825 *tumulatum: quod cum iis quæ cap.* 1 de Zotonis *temporibus (qui illi* Zatus, *seu* Zato) *haud satis concordat, quamvis propius ad nostram chronologiam accedat.* — h *Capsæ marmoreæ inclusum, ut ait Lucibens.* — i *Id est, consanguinei. Ita vulgo mediæ ætatis scriptores.* — k *Bonæus destitisse ab Antonini repetendis exuviis Campanienses scribit, et si satis scirent tumulum ejus possent, propterea quod facile præsagirent se causa casuros.*

C

## CAPUT III.

### *Surrentum ab hoste defensum per S. Antoninum.*

*Sicardus Surrentum obsidens,*

Post decessum B. Antonini non multo tempore evoluto, Princeps Beneventanus *b* Sicardus ceteris finibus suæ ditioni subjugatis, terram etiam Surrentinorum eadem intentione invasit. Cunctis ergo in circuitu terminis hostili manu vastatis, prædictam civitatem, acie in gyrum ordinata, expugnare aggreditur. Bellica mox eriguntur instrumenta: *c* vineæ in altum prominentes proxime murum allabuntur: de quarum propugnaculis armati urbem despicientes, ædificia petris, miseros cives palis cuspide præfixis, aut igne duratis, desuper impugnant. Interius autem murum creber aries tundit: phalanx inimica testudine facta impellit: jacula crebra volant, nec ullum telorum genus cessat. Interea per D totam civitatem trepidatur: uterque sexus, omnis ætas, omnis ordo pavore percellitur. Planctus mulierum cum vagitu infantium sidera ferit, et quod extremæ spei residuum fuerit, ad ecclesias curritur, *d* divina clementia et Sanctorum suffragia implorantur. Cum interim lapis murali tormento emissus, vasto impetu stridens ferebatur, et ad muri locum, ubi corpus sanctum fovetur, advolavit, sed non violavit: assiluit, sed non comminuit: *e* clamor furentium attollitur: plausus interea dissultat, credentium se hiatu per lapidem facto pro porta mox usuros. Sed cum ingenti crepitu repercussa *e* mole ne signum quidem collisionis dedisset, mirantibus quidem cunctis, sed cæco furore ad repetendum ictum machinam reficientibus, nox soporifera perveniens prælium diremit.

*d murum, in quo sepultus S. Antoninus, frustra quatit,*

*ab eo in somnis objurgatus,*

13 Ducem dehinc in somnum artus fessos resolutum sanctus Christi Confessor Antoninus super assistens, Tune, inquit, etiam ossa in Christo quiescentium dissipare venisti? et viso, auditoque Dei miraculo, ne sic quidem ab incepto noxio desistere voluisti? Tene jus et fas contumaciter confundente, et violenter disturbante, nobis in cubilibus nostris lætari non datur? Disce nunc, qui levem admonitionem sprevisti, severa saltem correptione castigatus resipiscere, et accepta tuo nondum rigore digna animadversione, disce errata corrigere, disce Christo satisfaciendo jam deinceps disciplinate agere. Hæc dicens, *f* virga, quam manu gestabat, itus et reditus per dorsum emetiens salubris magisterii, graviter ad viam eum errabundum retraxit.

E *et verberatus, f*

14 Mane igitur facto, visa per ordinem referens, et minus credentibus lividos ictuum tractus in cute demonstrans, quid opus esset facto sciscitatus est. Illis in diversum consilia distrahentibus, et de statu discessuque, bello et pace dissentientibus; ecce nuntii propero cursu vix respirantes astiterunt, qui filiam *g* herilem a dæmonio vehementissime correptam, humanos tactus et affatus fugere, artus proprios morsibus laniare, et horrenda quæque facere et pati assererent. A quibus cum didicisset eamdem horam filiæ primum desipientis, quam petræ tumulum sanctum pridie ferientis, omni jam erroris perpetrati et Confessoris exacerbati ambiguitate remota, castra illico deserens, propria repetiit, et filiam confestim malesanam, salubri consilio reperto, gemmis auroque fulgentes vestes indutam, et pretiosissimo metallici operis apparatu exornatam, sui monitoris arbitrio transmisit regendam. Rogabat ab eo veniam, cui nuper intulit injuriam. Tumulato pro sanitate recuperanda commendavit filiam, cujus pridem tumulo petra illa fecit violentiam.

*intelligensque filiam a dæmone possessam,*

*discedit,*

*ac filiam ad Sancti tumulum mittit* F

15 Nec preces supplicis, solitus subvenire miseris, aspernatus Antoninus, inimicum expulit, animum reddidit, hostem fugavit, hominem redintegravit: et quæ veniebat rationis et sui nescia, redibat tranquillissima mente composita; juxta præceptum patris, totum ex integro, quo parata venit, ornatum, suæ salutis mediatori Antonino tradens. Dedit etiam sibi Crucem unam gemmis et auro compactam. In cujus medio particula de ligno Dominico, lucidissimo crystallo cooperta, quasi nuda resplendet, quam collo appensam quasi pectoris et totius corporis custodem apportavit. Ipsa sibi ad restituendam sanitatem satis efficax fuisset, nisi Christus sui Confessoris gloriæ adscribere maluisset. His omnibus ibidem dimissis, sana et hilaris remeavit, sua relinquens, et sese recipiens.

*ibi sanata,*

*donaria offert:*

16 Quid ergo? Sanctusne Dei Confessor, cunctis in commune largus, et ultra quam credi potest benevolus, beneficium sanitatis vendidit? Numquid ipse juxta Apostolum justificatis gratis per gratiam Dei, gratiam

*quamquam Deus et SS. magis donantis animum, quam dona respiciunt.*

A gratiam divinam, sub commercii mutuatione redimendam exposuit? Absit a cordibus fidelium ista dictu horrenda cogitatio. Eradicetur ista nefanda opinio. Simoniaca avaritia, per Petri Apostoli sententiam semel damnata, amodo jam radicitus extirpata emarcescat. Quum ergo talem audis compensationem, o fidelis, Christum principaliter accipere crede devotionem, ipsum mundum complecti fidem, qui cunctis divitum muneribus duo parvissima viduæ paupercula, sed devotæ minuta præposuit. Non ergo datum, sed datoris animum respicit: te, non tua, aut te cum tuis non autem sine te tua recipit, ut ipse testatur. Si, inquit, offers munus tuum
Matt 5. 23. ante altare, et recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum. Ac si dixisset: Si vis, ut tua recipiam, te prius mihi præparato, et præparatum offerto: quia sine te tua non admittam: te autem accepto, tunc demum tua recipiam. Hac autem receptione, ut ex vocatis prædestinati, et ex prædestinatis justificati, digni efficiantur, diverso modo, alii spontanei, alii etiam inviti, ad veritatis nutum diriguntur. Multa enim et occulta esse Dei
B judicia non dubitamus, qui per innumeras misericordiæ semitas, nec hominibus cognitas, errabundos
Joan. 6. 44. ad se trahit, ut ipsa veritas ait: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Propterea igitur omnem filium, quem recipit, flagellat, castigat et mortificat, mortificat item et vivificat: vivificat in spiritualibus, mortificat in carnalibus, ut Apostolus,
Coloss 3, 5. Mortificate, inquit, membra vestra, quæ sunt super terram fornicationem, invidiam, avaritiam, etc. Ita et nunc iste Dei famulus Antoninus documento et assensu Christi, sine quo sui nihil possunt facere, ipsius inquam, exemplo, et auxilio prius castigavit, deinde blandivit. Ducem errantem correxit, corrigendo exacerbatum mitigavit, desipienti filiam abstulit, resipiscenti reddidit pro erroris abrenuntiatione, non pro auratarum vestium oblatione; pro culparum emendatione, non pro gemmarum rutilanti splendore; pro fidei devotione, non pro terrenæ dignitatis possessione.

a *Caracciolus habet*: Explicit Vita. Incipiunt miracula S. Antonini Confessoris. *At MS.* Inventio S. Antonini Confessoris. *Cujus contextus videtur, ab eodemque auctore.* — b *Porta*: Beneventanus Princeps, Romoaldus nomine. *Regius*: Romoaldus, vel Sicardus Grimoaldi F. qui Beneventi dominabatur. *Qui Beneventi dominatus est Sicardus, Siconis filius fuit, non Grimoaldi. Quod addit, illud contigisse* aliquibus interpositis annis circiter annum 745.
C *Certe eo anno, ut 9 Febr. diximus, non* Romoaldus, *sed* Gisulphus 2, *Romoaldi 2 filius, Gisulfi nepos, Beneventanum principatum regebat. Et vero qui ratione dici possunt,* anni aliquot *sive, ut ipse habet,* aliqui, interpositi, *inter* 625, *quo obiisse S. Antoninum scribit, et 745 quo hæc gesta vult?* — c *Vineæ hic machinæ militares sunt.* — d *Amplificat hæc hyperbolice Porta*: Urbe fere ab omnibus destituta, singuli mares et feminæ ad templa fugerunt ad Sanctorum suffragia et præcise ad S. Antonini merita atque ad promissa patrocinia. — e *Excussum erat* mola, *in MS. correctum* machina, *ut mox sequitur.* — f *Romæus*: hastili, quo utebatur, ejus humeros tangens et pulsans, discessit. — g *Romæus e Porta* Theodatum *vocant, additque eum Tarenti*, ex victoriæ paternæ manubiis in Apostolorum Principis Petri gloriam, templum a fundamentis ædificasse, cui Virginum cœnobium insigne adjecit, et sese illi Domino consecravit. *Subnectit Porta*: Quare Romualdus Grimoaldum fratrem sibi hæredem instituit: cui virili stirpe orbato Gisulphus germani filius successit. *Imperite ista dicuntur.* Romualdus *primus eo nomine Dux Beneventanus, Grimoaldi Regis filius ex Theodora filios* 3 *habuit, Grimoaldum, Gisulfum, Arichis. Grimoaldo Gisulphus frater successit, huic filius suus* Romualdus 2 *post quem Gregorius Luitprandi Regis nepos, post hunc Godeschalcus, ac tandem Gisulfus* 2 *Romualdi* 2 *filius imperavit. Neuter ergo* Romualdus *prole mascula caruit. Caruit Sicardus, principatu ideo diviso inter Radelchim ipsius Thesaurarium, et Siconolphum ejusdem Sicardi fratrem.*

## CAPUT IV.

### *Variæ ægritudines ope S. Antonini curatæ.*

Neque solos nobiles aut divites curat Antoninus, curare solet et pauperes. Ecce enim qui nuper sanavit filiam ditissimi Principis, modo suscepit curam rustici pauperis. Qui paullo ante gloriosi Ducis sanavit prolem, nunc despecti ruricolæ similem curavit furorem. Quemdam enim per quinquennium totum ab hoste maligno vexatum, contribules sui rata fiducia patrom Antonini animati, ad ecclesiam ipsius traxerunt, et nocte superveniente, ne quid aut sibi nocui, aut intra sancta sanctorum illicite committeret, ad columnam manus et pedes miserum arctius ligarunt, et foribus obseratis solum intus benigni et salutiferi hospitis contubernio usurum reliquerunt. Dato autem ad vigilias nocturnales signo, ostio, quod ipsi hora vespertina occluserunt, ab ipsis item reserato, introierant, et ad columnam depositi conscium properantes, cum sola ligamina dissoluta, et induvias ibidem, sed seorsum convolutas, invenissent, obstupefacti per diversas conjecturas animos versarunt. Cum interim eminus eum super nudam petram nudum conspexerunt sedentem, brachiis strictim complicatis, et corpore angustum in modum coarctato: cui appropiare dubitantes, eo quod pristina rabie dissimulata intractabilem adhuc crederent, per diversos sermones cum circuitu mentem ejus a longe explorabant. Quem cum sanum sapere, sanum loqui lætarentur, placatissimis ejus responsis animati ad tactum usque processerunt. Deinde cum omnia circa eum tuta, tranquilla, et ad plenum composita perspexissent, gratias Deo datori, et B. *a* Antonino sanitatis conciliatori devotione intima retulerunt: cum gaudio reducentes sui compotem, quem attraxerant mentis et rationis inanem.

D *AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*alius energumenus in S. Antonini ecclesia curatus,*

E

18 Audi nunc non minori admiratione stupendum beneficii ordinem, et salutiferam Antonini medicinam gratanter excipe. Erat quidam Stephanus Sacerdos religiosus, idemque sancti loci Præpositus, et venerandi corporis custos sollicitus, vir rigidæ abstinentiæ, intantum ut toto anno per tres legitimas hebdomadæ ferias, pane et aqua contentus, semel die se reficeret. Quod si forte festivitas celebrior remissionem indixisset, leguminum aut olerum deliciis admissis, et aqua vino modico condita convivabat. Ille Surrentinis, item et aliis, pro qualibet infirmitatis molestia opem implorantibus, propter vitæ probatæ merita nuntius ad benevolum Patronum missus, tali ordine solatii mandatum referre solebat. Fecit cerotum, *b* sive unguentum, cujus compositionem diligentius inquisitam subscribere non gravarer, si aut ejus medicamini, et non potius Antonino medicanti virtutem curationis operatricem ascriptam cognovissem, aut ipse compositor in hoc solummodo curandi fiduciam habuisse videretur. Confectum enim medicamentum, in pyxide eburnea diligenter sigillatum, in ipsa altaris *c* arca reposuit: triduoque cum jejuniis et orationibus peracto, depositum repetit: et si resignatum signo Crucis per vestigium pollicis evidenter impresso exaratum reperit, efficacis medicinæ securus, languentibus membris induxit, totumque dolorem consequenter effugavit: si autem absque Crucis signaculo planam superficiem invenit; nullam prorsus curandi fiduciam habuit.

*Stephanus sanctus Presbyter,*

*unguento in S. Antonini ara posito, et divinitus signato, morbos sanat.*

F

19 Hoc igitur modo, sicut dictum est, salubris signi, et sancti pollicis impressione facta, unguento virtutem cœlitus illapsam, et pia curatoris Antonini arte medicamen intellexit conditum, ac sanitatem quærentibus promittebat. Sin autem, patientiam laborantibus persuadebat: ut quos superno judicio obstante curare non potuit, monitis salutaribus instrueret: et, Deus, inquit, omnipotens pius animarum medicus omnes homines vult salvos fieri, non ut convalescant ad complenda desideria illicitæ voluptatis, sed ut veniant ad agnitionem veritatis, fide videlicet et opere, quia fides sine operibus mortua est. Hoc ut fieri possit, diverso ordine diversos hominum appetitus, multiplices singulorum voluntates

*alios ad patientiam hortatur.*

A *ALIA TORE ANONYMO. EX MSS.* tates, divinæ dispensationis clementia ad unum salutis iter temperat: hunc humiliat, et hunc exaltat: illum flagellatum sanat, alium sanum flagellat: et ipsum flagellare, sanare est, ut est illud:

Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.

Idcirco cum divinum imploramus auxilium, et misericorditer audimur, et misericorditur non audimur.

Noxia si petimus, si jure neganda precamur,

misericordiam non auditi consequimur. Si proficua rogamus, misericordiam auditi impetramus: nam

Ps 144,18 et 19 prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos. Si ergo non in veritate invocamus, quomodo Deum timemus? Si non timemus, quomodo exaudiemur? Si non exaudiemur, quomodo sanabimur? Quocirca, ut ista consequantur, antecedat necesse est veræ invocationis affectus. Vera autem invocatione utimur, si non ut nostra, sed ut sola Dei voluntas in nobis fiat, precamur. Vera igitur invocatione veri et pii Judicis arbitrio, vos fratres ex toto commendate: et omnem adversus Deum, aut B. Antoninum murmurationem procul a cordibus vestris relegate. Quin potius juxta Apostolum, Spe gaudentes in tribulatione, patientiæ virtutem servate: et clementiam Divinam æquo animo expectate, sicut scriptum est:

Rom. 12, 12

B

Thre 3. 26 Bonum est cum silentio præstolari Dominum. Hæc et his similia repetens B. Antonini interpres Stephanus Presbyter, tam non curatos quam sanatos alacres reddidit, quos pro medicamenti virtute saluteri admonitione perunxit, et quibus pro corporali sanitate spiritualem curam exhortando adhibuit.

a *Porta cap.* 9 Propius accedentes acceperunt ab eo, Sanctum Domini Antoninum propriis manibus contrectatum absolvisse a nexibus, et pristinæ valetudini reddidisse. *Idem aliis verbis refert Romæus.* — b *Porta ait eum a S. Antonino edoctum fuisse rationem hujus conficiendi unguenti.* — c *Romæus* in sepulchro Divi Antonini tenebat *Porta* intra capsam, in qua sacrum corpus servabatur.

## CAPUT V.

### *Victoria de Barbaris relata, juvante et exhortante S. Antonino.*

*a* Tempore autem procedente *a* Sarracenorum infinita multitudo contra Christianæ pacis tranquillitatem conjurata, omnia quæ attigit loca more nimbosissimæ grandinis proterens erasa reliquit. Emenso tandem infesti illi prædones pelagi spatio, applicuerunt ad insulam Neapolitanæ potestati subjectam, *b c* quæ *b* Ænaria, usitatiori vero nomine *c* Insula major nuncupatur. Navibus in alto relictis, terram Liburnicis petierunt, et castris sitis consederunt, terrarum culta flamma prædaque vastantes, cultores sine humanitate, sine pietate miserabiliter necantes, aut in captivitatem et exilium traducendos ad naves vinctos trahentes. Illorum immanissimam crudelitatem, adhuc autem et securam stationem, vicinarum urbium habitatores, scilicet Surrentini, Neapolitani, et Caietani non ferentes, felici fœdere, et omine prospero conspirarunt, Christianos captos et capiendos liberare, patriam defendere, gentem nefandam propellere.

*Contra Saracenos, capta Ænaria sævientes,*

C

*conspirant cum vicinis Surrentini*

21 Hic, Antonino, ut paullo post apparebit, duce, *d* et ceteris, *d* quorum corpora Surrentum fovet, Sanctis comitantibus, gloria Surrentinorum emicuit. Quibus non immerito victoria ascribitur, dum ipsorum Patronis signiferis rabies hostilis vincitur. Triduo namque ante futurum prælium, quinque, quorum nomina posterius liquebunt, in navi Gentilium ductrice, deambulantes apparuerunt: in quos hostes, aut vinculorum nexibus extricatos fugam tentare, aut occulte inlapsos navim amoliri suspicantes, cæco furore irruerunt. Sed sanctis subito ab aspectu subtractis, ab incepto haud sine admiratione desierunt.

*S. Antonino et aliis 4 in navi hostili apparentibus,*

D Rursus cum armis in abditis latentibus sese occultius locantes, et custodiam vigilantius adhibentes; ecce iterum priore habitu et incessu eodem in loco spatiantes Sanctos Dei viderunt. Quos subitaneo terrore et clamore assilientes, alius conto, alius gladio, alius saxo furibundi petierunt: sed Sanctis item disparentibus, cum ictus non nisi in navium cecidissent, sese miro modo frustratos obstupuerunt. *frustraque impetiti,*

22 Sed cum iterum atque iterum mente cæcati eodem impetu tentato, eadem illusione deciperentur, ductor idemque augur eorum a longe rei ordinem considerans, Isti, inquit, dii sunt Christianorum, ad quorum, ut opinor, defensionem, aut ultionem convenerunt. Deinde cum sors, gentilis superstitionis more, consuleretur, et paganis adversa, Christianis prospera portenderet, Acceleremus, clamat, fugam, et navibus festinanter armatis, avolemus. Juxta verbum præcipientis, sociis circumquaque dispersis, cum rapinarum congerie congregatis, et ceteris omnibus ordinatis, quum festinanter diis jejunaturi retulissent; ecce prædictæ conspirationis socii subito irruentes, cunctis quos consequi potuerunt occisis, decem navigia cum armamentis, cum præda, cum captivis arripuerunt, iisque superfuerunt, sine remigiis, sine gubernaculis, sine sustentaculis, vix et inutiliter elapsis. *sortium monitis,* *fugiunt barbari,* *et a fœderatorum classe opprimuntur:*

E

23 In ipsius autem noctis bellum antecedentis extremitate, id est, matutino tempore, in ipso, inquam, imminentis pugnæ articulo, quinque viri superius in navi demonstrati, cuidam civi Neapolitano *e* seni, cui Sergius Pipinus nomen, tali ordine, sicut ipse postea retulit, *f* apparuerunt. Præcedebat habitu monachi venerandus, et sancta canitie reverendus, qui sese, de nomine interrogatus, Antoninum dicebat, quem velut ordine, et, ut mox patebit, affatu priorem comitabantur reliqui quatuor: quorum unus calvus, barba prolixa, canus, maturus, venerabilis, sese Renatum: duo vero comitantes, ambo senes, ambo barbam rasi, sed alter calvus, Athanasium sese, alter cæsarie crispus, sese Bachulum, quartus vero, juventutis gratia floridus, Valerius, sese nominavit. Illis ita ordinatis, Antoninus, sicut prior venit et stetit, ita excellentioris personæ etiam in loquendo prosequebatur officium, et semivigilem senem ita affatur severa increpatione, et amica cohortatione admonens: Vos, inquit, nunc istius urbis habitatores per stratus vestros mollissime compositos securi laborum quiescitis, et civibus vestris pro Reipublicæ salute in ipso extremi periculi discrimine laborantibus subvenire nec cogitatis. Ignavi, pigri, inertes, qui nec precibus, nec viribus vestros adjuvetis; qui nec divinam nec humanam opem eis conferre curetis: qui tot defensores vobis a Deo concessos, et pro vobis quamvis ingratis sollicitos implorare negligatis. Nam egomet ipse modo Dominum *g* Januarium vestrum Patronum conveniebam, et sicut nos nostros in periculo non reliquimus, ita eum ad vestrum auxilium invitans. Cum imminente vestrorum periculo citius eum subvenire urgerem, et nisi ocyus succurreret, aliquot de suis casuros affirmarem, Sustine, inquit ille, paullulum: nam istius, quam offero, *h* immolationis consummato mysterio absque mora veniam. His dictis B. Antoninus cum sociis comitantibus abscessit, et senex somno solutus visa per ordinem retulit. *i* Cujus visionis approbatio mox consecuta est. Nam confecto prælio venerunt, qui dicerent, hostibus fusis, fugatis, aut captis, victoriam feliciter patratam, et ex Neapolitanis septem tantum in primo congressu cecidisse, ex Surrentinis vero nec unum quidem vel leviter plagatum esse: in qua assertione probantur verba Antonini, nam ipse et superius nominati Sancti, suis Surrentinis continuatim assistentes, omnes pariter

*e*

*f*

*S. Antoninus seni apparens cum SS.*

*Neapolitanorum desidiam arguit,*

*non succurrentium suis, sollem precibus:*

F

*g*

*h*

*unde serius iis subveniente S. Januario, aliquot occisi ab hoste*

*i*

A riter ad portum salutis evexerunt. Tardante vero in oblatione sacrificii B. Januario, septem, ut diximus, ex tota multitudine Parthenopensium corruerunt. Ipso vero adveniente, reliqui, qui reperti sunt, omne periculum sani evaserunt.

*k* 24 Factum est autem post hæc, ut unus ex nobilioribus Neapolitanorum Gregorius *k* Prancacius civili decreto in exilium Surrentum relegaretur: *l* qui *l* unum ex Sarracenis in prælio captum, et jam baptizatum secum deduxit: quo referente, seseque unum ex persequentibus esse affirmante, quinque jam nominatos Sanctos, tali habitu, et forma in navi regia apparuisse didicimus, qualem habitus aut formæ proprietatem unicuique eorum visione senis assignatam supra docuimus.

*Saracenus Sanctos in navi visos testatur.*

25 O felix Surrentum! O felices Surrentini habitatores! O secura Surrentinorum tranquillitas, quibus Deus quinque Patronos, quasi quinque Legis Doctores, eos denique defensores præfecit! defensores, inquam, si audiuntur, si amantur, si venerando coluntur: accusatores, si negliguntur, si contemnuntur, si refutantur. Vere beati convincuntur Surrentini: tali tamen duntaxat conditione, si quinque, quos habent, Patres audiendo, custodiunt judicium, et faciunt justitiam omni tempore. Si corpora ipsorum B venerando colunt et diligunt, altaria et oratoria eorum accuratissime reficiendo et ornando; servitia eorum in Sacerdotibus et Clericis promovendo; luminaria nocturnalibus horis procurando; donaria juxta facultatem quisque propriam sedule offerendo; præsidia Dei in suam suæque divinitatis protectionem per ipsorum suffragia implorando, et dicendo: Nisi dominus custodierit civitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam. Hæc illi facientes, et ista de corde dicentes, Dominum continuo civitati suæ audient promittentem: Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis civitas sancta; quia voluntas mea in ea, et terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te. Quod si studiis in contrarium versis, ecclesias eorum dirutas negligunt, reliquias sanctas negata veneratione, aut debita servitute, contemnunt, proprio se judicio damnant, dum beneficiorum per ipsos sibi sæpius collatorum, et quotidie supervenientium immemores, bonis mala rependunt. Suo se gladio confodiunt, si patribus impii, si tutoribus inofficiosi, si largis parci, si benefactoribus ingrati existunt. Surrentum Hierosolymæ propter repudiatos Sanctos damnatæ addicunt, si Salvatorem, item per Sanctos suos custodire ipsos volentem, rejiciunt, justa de caussa dicturum: Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos C sub alas, et noluisti? Duritiam sibi salvare venienti reclamantium redarguit, et sic judicavit, culpam præmisit, sententiam subintulit. Prius accusavit, deinde damnavit. Ecce, inquit, relinquitur vobis domus vestra deserta. Constat igitur, et per rationem, et per sacræ Scripturæ auctoritatem, Surrentinos, imo omnes Christianos felici prosperitate promoveri per Sanctorum venerationem, et dilectionem: et e contra per ipsorum contemptum deprimi adversitate, quia par est ut unde per observantiam adscendas, inde per negligentiam cadas; et ubi obedientia levat, ibi superbia demergat. Quicquid ergo in servitia Sanctorum promovenda expendimus, non solum non perdimus, sed multiplici lucro rediturum credendo deponimus, dum ipsis pro nostra devotione gratum et acceptum per multa indicia cognoscimus.

*Sancti protegunt se colentes.*

*cultum suum negligentes deserunt:*

Matth. 23 37.

a *Hæc imperite Antonius a Porta ad tempora Desiderii Regis, annumque Christi* 776 *refert. cum, ut alibi aliquoties diximus, extremis temporibus Michaelis Balbi, videlicet* 828 *vel* 829 *Christi anno Saraceni illam occuparint, Liparam aliasque Vulcanias, sive Æolias Sicardi tempore, quando inde Beneventum translatum est S. Bartholomæi corpus anno* 839. *Caracciolus Notat.* D 25 *circa annum* 840 *suspicatur hæc contigisse. ac multa habet de fœdere contra eosdem Saracenos inito a Campaniæ urbibus populisque multa quoque Baronius ad eumdem annum ex Anastasio Bibliothecario in Vita Leonis* 4 *Papæ.* — b Ænaria, *nunc* Ischia. *Miseno promontorio objacet.* — c *Ita forsitan dicta, quia inter eam et continentem alia interjacet.* Prochyta *dicta olim,* Procita, *avulsa forsan ab Ænaria, vel potius utraque a continente.* — d *Ii supra a nobis nominati,* Valerius, Athanasius, Baculus, Renatus — e *Porta* Patricio *At Romæus ita eum laudat:* cujus vita et existimatio sanctissima erat. — f *Romæus et Porta aiunt lampadem accensam in cubiculo habuisse, ut facile agnoscere eos potuerit.* — g *Colitur* S. Januarius 19 *Septembris.* — h *Sæpius ejusmodi immolationis in actis SS. mentio fit, non quod vere in cælis Deo fruentes Sancti, incruentum sacrificium, ut nos in terris, offerant, sed quod Christi Passionis merita Deo Patri coram repræsentent, ita fere Caracciolus.* — *Episcopo et ceteris Patriciis, inquit a Porta, et Romæus.* — k *Ita MS. at Romæus et Porta,* Pancratius. *Fatetur Caracciolus* Pancracios *olim dictos, qui nunc* Brancatii *Atque ipsum quoque sanctum Martyrem* Pancratium *Joannes Villanus Chronic. Florentin. lib.* 3 *sub finem cap.* 2 *S.* Brancatium *appellat* — l Puerum unum ex hostibus captis emit, *inquit Romæus,* qui in Christianorum numererum adscriptus *etc.*

*AUCTORE ANONYMO EX MSS.*

*Quomodo SS. in cælo sacrum offerant?*

## CAPUT VI.

### *Divinitus inflicta ultio, præsertim perjuris; ac depulsa. S. Antonini nutu.*

Hoc etiam mihi probare datur, quod non solum majora suæ domus ornamenta, sed etiam minima quæque, ut ita dicam, utensilia Sanctos inspicere et custodire videmus, ut subjectæ rei eventus probat. Pessulum, quod vulgo *a* catenatium vocatur, cum quo valvæ majores casæ S. Antonini claudebantur, longo usu attritum ad exitum facile ferebatur, et non tam affixum, quam appensum videbatur: Hoc, adolescens quidam percipiens, sicut est levis adolescentia, E prona ad malum, januæ approximavit, et callida dissimulatione, quasi acclinandi gratia assistens, pessulum agitare tentavit: quod cum facile sequeretur, audaci manu extraxit, et nocuo gaudio repletus, in sinu quasi ignem in paleis reposuit. Mox enim dementiæ fervore succensus, hominem animo exuit, et per immanissimum furorem tamdiu bestialiter vixit, quousque benevolus Antoninus, nulli malum pro malo reddens, magistrum ejus, eumdemque Presbyterum dormientem visitavit, et pessulum, quod discipulus ejus a domo sua rapuisset, reddi commonuit. Ille autem excitatus, raptorem cum rapina B. Antonino præsentavit. eumdemque sanitate mox recepta lætum et hilarem reduxit.

*a*

*S. Antoninus, furem amentia castigatum sanat:*

27 Adverte et aliud signum, quod item Sanctis res suas curæ esse indicat. Quidam ostio, quod est ex latere ecclesiæ, latenter reserato, noctu introivit, et rebus, quas invenit, rapaci tractu et avaris manibus corrasis, exire, unde ingressus est, trepida festinatione paravit. At contra suum conatum mora tardante, lucem ibidem expectare coactus est. Nam caligine oculis mentis ab Antonino immissa, neque ostium ingressus sui conscium, neque exitum alicubi potuit invenire. Errore igitur probabili, imo confesse bono, per totam noctem sanctam domum gyF rando, et parietes palpando, quum non nisi in murum solidum ubique offenderet tempore matutino deprehensus est. Qui cum ingressus sui locum monstrare urgeretur, ostium quod eum introduxit visitando ostendit patulo quidem ictu, et eodem quo ipse reseravit modo apertum. Tunc digna castigatione recepta, et B. Antonino satisfactione peracta; via tandem aperta abscessit.

*furem ex ecclesia egredi non sinit.*

28 Nec prætermittendum existimo, quod et ipsi Antonino inter cetera signa specialem quamdam non tam miraculorum, quam justitiæ prærogativam ascribit, et cunctis audientibus utilis observantiæ cautelam indicit. Ferunt enim, quod et ipsa veritas, ut mox audies, testatur, nullum unquam per suas reliquias impune perjurare; quin et aliquo severæ animadversionis flagello punitus, aut ad præsens, aut cito vindictæ succumbat, et mendacii procaciam Christo et Antonino faciendo luat. Nuper duæ pauperculæ, quarum altera creditum acceptum negabat alteri

*per suas reliquias pejerantes punit,*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

A alteri, conflictu diuturnæ altercationis collisæ, ad sacramenti testimonium coram Antonino judice prorupere; illa se credidisse, ista se non accepisse juraturæ. Videns hanc contendentium protervíam Petrus Archipresbyter Ecclesiæ custos, rigidam Antonini censuram cognoscens, pro humanitatis condescensione, periculo utriuslibet perterritus, rogabat quærentem, ut ex credito aliquantulum resecaret. Et juxta consilium suadentis quum tertiam partem remisisset, illa nec sic quidem a rigore noxio emollita, audaci incessu procaci vultu ad altare accessit, et obstinato animo linguaque perniciosa creditum abjuravit: non autem impune, nam recedere parans, quasi debiti exactione jam soluta, subito in terram elisa corruit ejulans, spumans, palpitans, et bestiali more frendens. Deinde cum tota jam *b* præmortua extremum palpitaret, quum raros singultus traheret, quum spiritus in suprema lingua hæreret, prædictus Archipresbyter aquam benedictam in calicem sanctum missam guttatim in os reclusum stillabat, et inter hæc simul cum astantibus pro ea incessanter orabat. Hac illi refectione injecta, anima in sedem propriam reversa vitam reddidit, et calor paullatim in ossa diffusus sensum restituit. Per hanc sententiam castigata perjura, omnibus exemplum sanxit, ne quis in præsentia Antonini mendacium jurejurando confirmare præsumat. Præsens enim omni B tempore in aula sua regnat Antoninus justis præsidium, injustis excidium, perfugium miseris, offendiculum elatis, subversio, ut audisti, male pertinacibus, spes et solatium, ut mox audies, bene supplicibus.

*in his quamdam creditum negantem, b*

*quæ aqua benedicta sanata.*

29 Idem ille, de quo nuper nobis sermo fuit, Archipresbyter Petrus, cujus ipsius relatione quæ sequuntur didicimus, horridissimam elephantiæ lepram contraxit, adeo ut in totius corporis superficie, ne unum quidem naturalis coloris signum notare potuisses. Tota cutis asperitate fulcosa, in modum quercini corticis exarata, horrorem tangere volentibus, horrorem videntibus ingerebat. Omnes eum fugiebant, cuncti pro contagii timore vitabant, eundo, stando, reficiendo, dormiendo, per omnia omnibus immunis manebat. Huic tam intolerabili molestiæ quum medicina peritissimorum ne levamen quidem adhibuisset; quod solum extremæ spei residuum erat, ad Antoninum suum cucurrit. Imo ægre prorepsit, et manibus in cœlum expansis, (manibus nam oculos, pro gravitate doloris palpebras prementis, aperire non potuit) palmis, inquam, et corde sursum intentus, ante altare astitit: Et, O, inquit, clementissime Pater Antonine, respice me miserum, respice mori- C bundum, miserere tui famuli, recordare tui quondam ministri. Ecce vindicta peccatis meis ingruente, omnes me quasi profanum fugiunt, omnibus sum horribilis, et mihi meisque quum per omnia sim inutilis, nec cœlo vivendo frui, nec terram moriendo datur ingredi.

*lepra laborantem*

Antonine Pater famuli miserate labores,
Tolle, precor, miseram tali de carcere vitam,

aut me redde mihi mortuo. Exaudivit Antoninus, et nocte proxima semivigilem super assistens, totum eum, ut sibi videbatur, denudavit: deinde unguento, quod induxit, a summo vertice incipiens, cum ambabus manibus extensis, totum corpus non tam perunxit quam perfudit. Expergefactus ille ulceribus potenti medicamine arefactis, tunicam illam horribilem exuit, et novus exiit non aliter ac si novellæ arbori librum detrahas, et renitentem albicantis ligni gratiam aspectibus occurrere videas. Nocte iterum sequenti prima somni illabentis parte sopito, Antoninus affuit, et, Ecce, inquit, sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Cohibe vagam mentem, astringe lubricam juventutem, abige voluptatem prævaricatricem, et averte oculos D tuos ne videant vanitatem, illud Evangelii semper in corde ferens: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo. Hoc dicens *c* commonefecit eum de quodam humanæ fragilitatis errore, quem ille quidem patrare destinarat, sed pia sui magisterii vigilantia per supradictam plagam prævenientem non perpetravit. Hac ille disciplina correctus, jam deinde temperata omni lubricæ temeritatis offensa, studiosus in mansione sua paterfamilias Antonino, continentia comitante, serviebat, ubi ipse semper, ut dictum est, præsens inhabitat, quod adhuc etiam de subjecta probatione affirmatur.

*in somnis apparens sanat,*

*iterum apparens indicat cur eam incurrerit: c*

30 In latere muri, ubi sanctæ ejus reliquiæ continentur, in imagine ipsius designata, quum pictor coronam inauratam capiti circumponere pararet, parietem prout necesse fuit cavabat. Et ecce per rimas factas lux inæstimabilis et inenarrabilis subito emicans, vultum dolantis feriebat. Quam ille per intolerabiles radios oculorum acie reverberata non sustinens, ruinam dare in terram minabatur: sed tamen pro devotionis intentione confirmatus, opus festinanter consummavit. Confesse igitur pronuntiamus, quod B. Antoninus in suo tabernaculo numquam non invenitur, ubi sicut raptores damnat, ita offerentium vota suscipit, et remunerat: sicut elatos repudiat, ita oppressos relevat. Ibi beneficia petentibus per ipsum quotidie præstantur. Ibi per ipsum Christus suarum virtutum miracula fidelibus ad spei certitudinem, et ad fidei confirmationem incessanter ostendit. E

*pictorem a lapsu servat*

a *Eamdem vocem retinet Portu. Romanus nec* pessullum, *nec* catenatium *habet, sed* repagulum. — b *Amplificat Romanus* Non secus ac membra fustibus debilitata, manus ictibus contusæ, digiti lapidibus confracti, nervi virgis concisi essent, mortua concidit *ac postea* et reviviscens, depulso morbo, a morte, ex omni periculo, ex miseriis erepta *etc.* — c *Ita MS. recte Editio Caracciol. habebat.* commotione fecit.

ANIMADV. CAP. 115

## CAPUT VII.

### *Epilogus auctoris.*

Sed quid ego ista? quid nocens? quid pollutus? quid aggregatus peccatoribus, innocentis, impolluti, segregati a peccatoribus potentiam polluto ore violo. Perversæ vitæ conscientia, et veri Judicis sententia perterritus, timeo ne unde quærere destinavi remedium, inde horrendum incurram judicium; unde Deum affectavi mihi facere propitium, inde justa de caussa audiam iratum, et dicentem: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum. Utique Domine, fateor, assentior, nec cordis ac renum scrutatorem mendose pertinax inficiari ausim. Et si quis diligit F me, sermones meos servabit, dum te dicente audio, Ps. 49. 16 et 17 mea conscientia accusante, jam damnatum cognosco, qui dum sermones tuos retrorsum projeci, non dilexi: dum non dilexi, erravi: dum erravi, perii, sicut ovis quæ perierat. Quid ergo prodest peccatori, te solis laudare verbis, dum nullius meriti mihi conscius, a te tremebundus audio: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, Matth. 7. 21 ipse intrabit in regnum cœlorum. Et iterum: Populus hic labiis me honorat, cor autem ipsorum longe est a me. Fateor plane peccata mea majora Marci 7. 6 esse, quam ut veniam merear: quia omni genere impietatis pollutus, tuæ pietatis opera per famulum tuum hominibus demonstrata, lingua scelerata attingere præsumpserim, qui tuæ potentiæ miracula modis absonis obscurando, fumum ex fulgore dare non perhorruerim.

*excusat se scriptor, quod peccator ipse Sanctum laudet,*

32 Sed inter cetera tuæ misericordiæ documenta, peccatoris Sacerdotis ab eremita repudiati exemplo animatus, eo audaciæ prorupi, ut tuas virtutes, posteritati

A teritati quoquomodo tradere, quam omnino abscondere maluerim. Majus certe est misericordiæ judicium, peccatorem corpus tuum manibus tractantem non puniri, quam de te loquentem non damnari, et plus est te tangere, quam de te dicere. Legitur enim eremitam quemdam Sacerdotem Missarum solennia sibi celebrare solitum, pro fama sese sanctum, illum vero mundanis contagiis involutum prædicantem, quasi immundum nec Deo jam servire dignum, repudiasse. At illum in visione Angelus Domini per invia silvarum deducens, sitis ardore ad extrema usque redactum, tandem super puteum statuit, cujus os auro circumdatum, cujus aqua purior electro, aurea hydria, aurea catena, sed leproso hauriente trahebatur. Qui cum admonitus bibere, solam haurientis immunditiam sibi cupienti obsistere docuisset, ab Angelo audivit: Sicut, inquit, omnia ista quæ ad usum bibendi pertinent per se jucundissima, ministrantis non maculantur lepra, ita Sacramenta divina per se saluberrima, Sacerdotis nequaquam violantur culpa. Expergefactus ille, didicit divini mysterii efficaciam per ministri nequaquam labefactari culpam: credidit supremæ majestatis virtutem per lubricam nullo modo infirmari posse fragilitatem. Tali modo Christum prædicans, et auditores utiliter instruens oratio, oratoris nequaquam contaminatur vitio: nec scribentis peccata ad ædificationis efficaciam impediunt B scripta, sicut et mundæ materiæ naturam nullo modo videmus corrumpi per artificis culpam.

*licet ut speret laudi ejus nil obstare.*

33 Credo etiam te, Pater Antonine, scriptoris tui non pravam actionem, sed officiosam devotionem respicere, et sicut per te mediatorem facta sunt, quæ scripsi, ita per te intercessorem non puniri, si qua scribendo peccavi. Quin etiam pro tua ineffabili benevolentia præmio me donari non diffido, quod potius in futurum judicium mihi reservari cupio, ubi sola veritate nocentem vitam accusante periclitari, et sola misericordia adjuvante liberari me posse non dubito. Recordare, quæso, tui exulis scriptoris, nam et tu quondam in hoc mundo exul factus, qualis ærumnarum tumultus cor exulantis circumvallet non nescis: expertusque malum, miseris succurrere nosti. Communi nunc supplicatione, et unanimi deprecatione te, Pater sancte, te, Patrone benevole Antonine, rogamus, ut civitatem istam tuæ intercessionis adjutorio protegas, populumque ipsius Christo tibique devotum facias, quatenus Deo serviendo, et te amando et venerando, officium complens, hic et in futuro mercedem accipiat ab eo, qui est retributor omnium bonorum, Christo Jesu Domino nostro: qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit C et regnat Deus per infinita secula seculorum, Amen.

*S. Antoninum invocat:*

## EJUSDEM SANCTI VITA

ex antiquis Lectionibus Ecclesiæ Surrentinæ, *edita ab Antonio Caracciolo.*

Cum ex fructu cognoscatur arbor, ut ab effectu cognoscimus caussam, nil verendum arbitremur, bonos fructus præ Domini sententia ex bona arboris radice progredi, ut solares radios ex solis luce cernimus effulgere. Antoninus itaque noster, ex quam nobili processerit genere, honestisque parentibus fuerit ortus, tum gravitate morum patefecit, tum vitæ sanctimonia plurimum commendavit. Optimæ namque indolis infans, honestis natus parentibus, honeste adeo vixit a puero, ut non solum mundo gratus esset juvenis, verum etiam cœlo quam gratissimus senex. Nam superno illustratus lumine cor suum illico Spiritui sancto dignum sacravit sanctuarium. Quo quidem duce, velut alter Patriarcha Abraham, de terra sua, de cognatione sua, et de domo patris sui egressus, D tempore, quo immanis Longobardorum feritas, et ferina *a* Winilorum immanitas omnia fere Campaniæ oppida igne succenderet, ferroque devastaret, Parthenopes ingressus est agros, ubi amplissimo Stabiensis Ecclesiæ Præsuli, nomine Catello, viro quidem doctrina insigni, sanctæque vitæ fama præclaro, familiarissime adhæsit.

*S. Antoninus grassantibus Barbaris*

*EX LECTIONIB. ANTIQUIS.*

*a*

*Stabias fugit:*

LECT. II. Cui cum perinde conjungeretur, atque umbra corpori, unus in duobus corporibus animus erat, par voluntas, idem de virtute in virtutem proficiendi studium, non discors ad beatitudinem regni perveniendi officium. Pontifex non ut Clericum diligebat Antoninum, sed tamquam Episcopum et collegam. Venerabatur Clericus Catellum, ut Pontificem Christi atque Dei vicarium: certatim se honore præveniebant, amore exosculabantur, virtute instruebant, adeo pie, religiose atque Christiane communem vitam degebant, ut alter alterius magister et discipulus facti, uterque pari studio Christum imitarentur: mutua humilitate decertabant, vicariis officiis alter alterum superare contendens, sanctæ vitæ exemplis populum Dei ædificare absque odio et invidia moliebantur: cor unum et anima una facti, idem velle, idem nolle in sancta conversatione habebant: nulli graves, nulli agrestes, nulli inhumani, omnibus grati, cunctis urbani, singulis benigni, in humana conversatione Angelicam vitam universis præferebant: lectione atque oratione spiritum roborantes, carnem jejuniis ac vigiliis edomabant, non minus sal terræ, quam lux mundi singulariter effecti. E

*cum S. Catello Ep. vivit concorditer*

LECT. III. Verbum Crucis non erubescebant, sed omnibus palam revelata facie voce et opere evangelizabant. Crucem Christi non tamquam Cyrenæus ille in *b* agonia deferentes, sed velut athleta Paulus Crucem et stigmata Jesu in suis corporibus exprimentes, mundo crucifixi, vitiis et concupiscentiis mortui, dilecti Deo et hominibus inter homines vivebant in terris: inter Angelos ut cœlestes Angeli mente versabantur in cœlo, ut cives Sanctorum et Domestici Dei: Pontifex interea Catellus, cum quietius sacræ theoriæ operam navare vellet, nec alterum haberet, cui fidentius pastoralem curam committeret, quam Antoninum, protinus illum ad se accersitum, ad subeundum Episcopatus onus adhortatus; in nemorosos silvarum recessus, atque in vasta montium fastigia se illico recepit, ubi velut emensus undisoni maris fluctibus in tuto portu delatus, anachoriticam diu vitam solus transegit. Denique montem quemdam et maris prospectu gratum, et camporum planitie amœnum ascendit, cui nomen, ob nocturnam Michaelis Archangeli apparitionem accensique cerei visionem sibi et B. Antonino ibidem cœlitus factam, atque ob oratorium eodem in loco erectum in Michaelis Archangeli honorem, Michael Archangelus vulgo inditum est. F

*b*

*et sancte:*

*eo secedente in solitudinem, regit Episcopatum.*

LECT. IV. Huc non multo post tempore B. Antoninus, dimissa Episcopatus cura, atque contemptis seculi favoribus perrexit: ubi tamquam civitas supra montem posita, et lucerna super candelabrum accensa, non solum cœli se in dies reddebat municipem puritate spiritus sed etiam omnium circumjacentium oppidorum populis, vitæ sanctitate, bonorumque operum exemplis adeo se præferebat imitabilem, ut ab omnibus certatim populis diligeretur ut pater, veneraretur ut sanctus. Inter quos Surrentinus populus majori erga eum dilectione affectus, præstantiorique pietatis officio studiosus, nacta opportunitate adit, consulto alloquitur, humiliter rogat, enixe compellit, precibus persuadet, ut ob Christi amorem, hominumque salutem, posthabitis ferarum lustris atque squalentibus montium antris, in Surrentinam descenderet urbem, inter homines conversaturus, atque eos ad melioris vitæ frugem suæ sanctæ conversationis exemplo allecturus,

*secedit et ipse:*

A lecturus. Cui, ut pius erat et benignus, gratanter annuens, civitatem sibi fecit eremum, eremitam sub monachali cucullo gessit. Monachus vero sub Bonifacio monasterii S. Agrippini Abbate, viro quidem doctrina præstante ac morum gravitate insigni, militare Deo cœpit, subesse potius quam præesse desiderans, atque discere magis tentans quod nesciret, quam docere impudenter quod ignoraret.

EX LECTIONIB. ANTIQUIS *Surrentum ingressus, in monasterio degit,*

LECT. V

Hic vigiliis et orationibus incumbens, non tantum cum Angelo, acsi alter Jacob, usque mane luctabatur, sed cum Elia speluncæ otio innixus, sibilum auræ tenuis degustabat, non tam lipposæ Liæ junctus, quam speciosæ Racheli copulatus. Stivam, quam acceperat aratri, non dimittebat, sed posita manu super aratrum, quæ retro sunt oblitus, ad anteriora se in horas extendebat, tunc minus otiosus cum otiosus esset. Illecebras gulæ carnisque petulantiam lectione et oratione infrænans, jejunio et quotidiana manuum opera edomabat, non modo cum satagente Martha Christum pascens in paupere, verum etiam cum Maria ad Christi pedes sedens, pauper ipse opipare pastus. Ligone et ascia non minus utebatur, quam fabricatoris trulla et perpendiculo c...

*pietati et mortificationi deditus :*

c

.... ut ejus vinum ob sui optimi saporis virtutem, Antoninum nomine vocetur vulgo. Exstruxit quoque oratorium quoddam, Divoque Martino dedicavit, ejusque ostia perquam fabre dolavit, exsculpsit, atque artificiose composuit, otiositatem omnium virtutum novercam, cunctorumque vitiorum alumnam ita quotidiano labore effugabat, ut de virtute in virtutem strenue ascenderet, et inter Angelos crebro discurreret.

LECT. VI

B

*sacellum suis manibus ædificat :*

LECT. VII

Cum autem Abbas Bonifacius gravi affectus ægritudine, capulo pene instaret, accersitis ad se Fratribus persuasit, ut post obitum suum, Antoninum, quem præ ceteris dignum decernebat, in Abbatem sibi eligerent. Quod illico monachi omnes communi consensu, pari voto, unanimi studio, quam libentissime perfecerunt. Ipse autem diu, qua præstabat humilitate, reluctans, et se potius ab aliis regendum, quam alios recturum existimans, importunis Fratrum precibus tandem devictus, humillime consensit. Institutus itaque Abbas, talem se omnibus exhibuit, ut a singulis amaretur ut pater, timeretur ut magister, diligeretur ut socius, virga non minus utens quam baculo, et desides correptionis verbere excitabat ad bonum, et infirmos sustentabat caritatis officio ne laberentur in vitium, infundens oleum et vinum in eorum vulnera. Nil aliis inconsulto imperabat, C quod ipse prius consulto non egisset : opere potius docebat, quam voce. Se ita Abbatem erga monachum gerebat, ut monachum optaret erga se acturum, si esset Abbas, nulli infestus, omnibus comis. Aliorum virtutes ita invidebat ut vinceret, non ut negligeret : ita persequebatur vitia, ut vitiosos non exulceraret, sed converteret. Aliena facinora ut propria deflebat, et suam miseriam animadvertens, aliorum defectus benigne curabat; omnibus omnia factus ut Christo singulos lucrifaceret. Opere potius quam verbo Fratribus se reddebat imitabilem, atque amari potius studebat quam timeri, et humilitate ceteris præstare, quam elatione superare.

*Abbas eligitur :*

*præclare regit cœnobium,*

In uno eodemque homine et devotum præseferebat monachum, et humilem agebat Abbatem, non quærens quæ sua sunt, sed quæ alterius. Zelum sic exercebat, ut amaritudinem non sentiret : justitiam sic operabatur, ut hypocrisi nulla afficeretur. Caritate profusus, a proprietate alienus, sua curabat, ut omnibus essent communia providebat, ut nihil sibi D reservaret : prodesse cunctis, nulli obesse, unquam invigilabat. Seniores, ut patres honorabat, juniores in Christi amore, ut filios diligebat. Nil sibi carius cœlo existimans, omnia mundi oblectamenta ut stercora reputabat. Quam felix Pastor, quam illustris qui gregem suum quandoque ita præibat imitabilis, ut tardos operum luce accenderet ad virtutes, et celeres verbo averteret a vitiis : infirmos manna pasceret : parvulos nutriret lacte, et fortes reficeret pane et solido cibo. Tentationes dæmonum, oblectamenta carnis, mundique irritamenta fide firma, spe certa, caritate non ficta, superabat, suggestiones dæmonum oppugnans, carnis illecebras edomans, mundi luxum ludumque contemnens, vere Israelita, in quo dolus non erat. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam : qui accepta talenta non in sudario ligavit, nec effodit in terra, diligens vinitor, strenuus agricola, qui non minus laboravit in vinea Domini, quam in agris illius.

*suam et suorum vitam ad omnem sanctitatem instituens*

His demum studiis invigilans vir Dei Antoninus, non velut villicus iniquitatis, sed tamquam servus, qui in pauca fidelis super multa esset constituendus, intraturusque in gaudia Domini sui, gravi mox ægritudine affectus, strato decubat, quieturus quidem a labore suo, et de talentis geminatis accepturus in brevi mercedem suam. Monachi vero prospectantes Abbatem in momento deficere, mortique paullatim adhærere, post divina ejus monita, et salutis documenta, humillime percunctantur, ubi post funera vellet sepeliri. Quibus ipse sagaciter : Nec me intra nec extra urbem sepeliatis, suppliciter oro, devoti filii, piissimi Fratres. Quo dicto, corpus terræ commendandum alacriter dimittens, spiritum super æthera, ad eum qui dederat illum, feliciter emisit XVI Kal. Martii. Monachi autem extrema Abbatis verba diligenter et accurate scrutati, uno omnium consensu decreverunt, venerandum Abbatis cadaver intra civitatis mœnia honorifice tumulandum. Quod et pie, et religiose confestim perfecerunt, aspirante eis gratia Spiritus sancti, qui cum Patre et Filio regnat Deus in seculorum secula. Amen.

LECT IX

E

*de sua sepultura quid statuerit ?*

*14 Febr. moritur : in mœnibus sepelitur.*

a *Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib.* 1 *cap.* 9 *ita scribit* Certum est Langobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum primitus Winili dicti fuerint, ita postmodum appellatos Nam juxta illorum linguam, LANG longam, BAERT barbam significat. *Cap.* 8 ridiculam, *ut ipsemet fatetur,* fabulam *de illius nominis origine narrat et alibi sæpe a prolixa barba denominatos tradit, uti et alii quidam scriptores. Nonnulli* a Bardis Saxoniæ populis dictos affirmant *Haud scio tamen, an non a longis securibus aut lanceis, vel etiam machæris, dicti potius videri debeant.* Langebarden *gentis sermone nuncupatos minime dubium est. Perspicuum item lingua Teutonica, qua et illi usi,* Langh *longum significare. Malim tamen a veteri vocabulo* Barde *quod bipennem, asciam, dolabram significat, quam a* Baerd, *id est barba, deduci. Ita* Hellebarde *securim bellicam vocamus, ab* hel *quod lucidum, clarum, altum est, et* barde *Ita* Haeghebarde *securis est aut forfex major, qua sepes nimium hirsutæ attondentur* Ysenbarde, *stiria in longam veluti securim gelu durata. Plura id genus, vetusta præsertim, reperire facile esset vocabula Nomen inde factum Langobardis conjicio quod istiusmodi gestarent et dextre vibrarent, longa cuspide contos. Id ex ipso Paulo Diacono eruo, qui lib.* 5 *cap* 10 *ita scribit* Tunc unus de exercitu Regis (*Grimoaldi*) nomine Amalongus qui regium contum ferre erat solitus, quemdam Græculum eodem conto utrique manibus fortiter percutiens de sella, super quam equitabat sustulit, eumque in aera super caput suum levavit *Quid aliud est hic* contus, *quam hastæ lanceæve genus, longæ ac validæ, ut ea in aera attolli eques e sella exturbatus posset? Neque existimandum, Regem solum ejusmodi conto uti solitum. Nam illi prælio Rex non interérat, ut nec contus ejus illuc afferri debuerit Sed qui enim prægestare contum, sive* bardam, *Regi solebat vir fortissimus, in aciem descenderat alia armatus barda, ut Romualdo Principi virtutem suam probaret* — b Angaria *scribi debuit,* παρ' ἀγγαρίας *violento et coacto ministerio. Patet Matth* 27, 32, *et Marci* 15 21, *ad quæ loca respexit auctor Lectionum.* — c *Hic aliqua desunt*

F

*Langobardi a longa barda appellati, id est, securi vel hasta,*

*qua in bellis utebantur.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# BRUNONE ARCHIEPISCOPO ET XVIII SOCIIS IN PRUSSIA,

ANIMADV. PAP. 116

## Commentarius prævius.

AN. CHR. CIↃV-III. XIV FEB.

*Prussos maris Balthici accolas*

Sinum Codanum, *sive* Balticum mare, *variæ circumsident nationes : ad Australe littus, quod inter Vistulæ amnis ostia ac Samogitiam spatii jacet, Prussi tenent, Germanicæ an Slavicæ originis, nil modo attinet quærere. Helmoldus* Pruzorum *nomine etiam Livonum ac Samogitiam complecti videtur, dum cis* mare *illud* barbarum, *ut vocat,* seu pelagus Scythicum, *primos ab Oriente Ruzos locat, dein Polonos,* qui a Septemtrione Pruzos habeant, ab Austro Boiemos. *Arctius aliquanto nunc patet nomen.*

*fidei adversantes*

2 *Ea gens serius Christi fidem percepit. Nam Helmoldi ævo, qui Frederico* I *imperante scripsit, circiter* CIↃCLXX *Christi annum,* Pruzi necdum lumen fidei cognoverant, *ut ipse Chronici Slavorum lib.* 1 *cap.* 1 *testatur. Et mox :* Multa poterant, *inquit,* dici de hoc populo laudabilia in moribus, si haberent solam fidem Christi, cujus prædicatores immaniter persequuntur. Apud illos martyrio coronatus est illustris Boemiæ Episcopus Adelbertus. Usque hodie perfecto B inter illos cum cetera omnia communia sint cum nostris, solus prohibetur accessus lucorum et fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu. *Ista Helmoldus.* Passus est autem sanctus et gloriosissimus Martyr Christi Adalbertus IX Kal. Maii, imperante rerum Domino Ottone III pio et clarissimo Cæsare, feria sexta, *ut tradit illius Vitæ scriptor, quam* XXIII *Aprilis dabimus : Imperavit Otto* III *ab anno* IↃCCCCLXXXIV *usque ad* XXIII *Januarii* CIↃII. *Bis eo imperante incidit dies* XXIII *Aprilis in feriam sextam; anno imperii ejus* III *et* XIV, *Christi* IↃCCCCLXXXVI *et* IↃCCCCXCVII, *quibus littera Dominicalis* C *fuit. Non potest priori martyrium subiisse S. Adalbertus. Nam Gregorio* V *Papa jubente Pragam reversus, eodem annuente Prussos paullo post adiit, ut ex citata jam illius Vita patet : atqui anno demum* IↃCCCCXCVI *Pontifex renuntiatus est Gregorius. Anno igitur* IↃCCCCXCVII *coronatus martyrio est Adalbertus.*

*adiit S. Adelbertus Ep. Pragensis ;*

*eoque occiso,*

*S. Bruno Querfortensis,*

3 *Ejus vel exemplo, vel etiam monitu, eamdem provinciam* Bruno *petiit, et cum* XVIII *sociis eamdem martyrii lauream retulit anno* CIↃVIII. *Erat is illustri genere ortus, Ditmari Episcopi Merseburgensis (quem constat Sifrido Comite natum) consanguineus. Prosapiam Brunonis disertius exponit Paulus Langius monachus Bozaviensis Ord. S. Benedicti in Chronico Citizensi :* C Bruno *inquit,* Episcopus et Martyr, et ipse nostri ordinis, Apostolicus extitit prædicator. Qui natione Saxo, ex illustri Baronum de Querfurt prosapia genitus, educatusque in monasterio Magdeburgensi sub Adelberti cura et magisterio Archiepiscopi supradicti, crevit in religionis probatissimæ et eximiæ virum sanctimoniæ. *Petrus Cratepolius lib. de SS. Germaniæ,* ex illustri Saxonum Ducum familia *ortum scribit. Est Querufurtum inter Salam, Unstrutum, Ravam amnes situ ditio, quæ peculiares olim Comites habuit, nunc Mansfeldiæ conjuncta est : sed ex Querufurtensibus genus ducunt, qui Mansfeldiam tenent clarissimi Comites. Falluntur Trithemius in lib. de scriptorib. Eccles. et Guilielmus Eysengreinius in Catalogo testium veritatis, dum volunt natione Italum fuisse Brunonem ; itemque Sixtus Senensis, qui lib. 4 Bibliothecæ ait* in Italiam natum et eruditum.

*non Italus,*

4 *Idem Trithemius lib.* 2 *de viris illustrib. Ord. S. Benedicti tradit fuisse* monachum cujusdam cœnobii in Italia, cujus nomen non occurrebat *scribenti, idque repetit lib.* 3 *cap.* 230 *et lib.* 4 *cap.* 116. *At Sixtus Senensis* monachum Cassinatem *ait fuisse. Probabilius est (quod et Gabriel Bucelinus in Germaniæ annalib. ad annum* 1008 *annotavit) Magdenburgi, ubi cum Ditmaro litteris erat eruditus, monachum deinde esse factum. Ædificaverat illic monasterium, Edithæ sanctissimæ conjugis suæ hortatu, Otto Magnus : deinde in Sedem id Archiepiscopalem mutandum curavit, monachis in suburbanum collem translatis. Adalbertus porro sub cujus magisterio et cura educatum Brunonem Langius scribit, Treviris in S. Maximini cœnobio monachus fuerat, et Russiæ ordinatus Præsul. Inde a Gentilibus pulsus, primus Magdeburgensis Archiepiscopus anno* IↃCCCCLXX, XV *Kal. Novembris* Apostolica auctoritate *constitutus est, ut scribit Ditmarus, cum monasterio post Annonem et Otwinum, ad Episcopatum alibi evectos, Richarius præesset, qui et sibi delatum Episcopale munus deprecatus est. Ad illum ergo sanctissimum Antistitem Adalbertum missus est alter Adalbertus, (qui deinceps Pragensis Episcopus et Prussorum Apostolus fuit) deditque Magdeburgi Othrico doctissimo monacho operam, donec is Archiepiscopo Adalberto anno* XIII *suæ ordinationis vita functo, successor electus, in Italiam ad Ottonem* II *abiit, ibique extinctus est. Hic ergo litteras quoque didicit Bruno, vel eodem superstite Adalberto Archiepiscopo, vel post illius decessum, quippe qui Geddonem philosophum audierit, quem verisimile est post Othricum scholæ præfectum fuisse.*

*nec in Italia monachus.*

*sed Magdenburgi,*

*ubi litteras didicerat :*

E

5 *Ad Aulam postea ab Ottone* III *evocatus Bruno, magna benevolentiæ significatione susceptus; post paullo eam omninoque seculum deseruit, vitam religiosam complexus. Elias Reusnerus in auctario operis genealogici pag.* 45 *scribit* Canonicum Magdeburgium *fuisse,* post monachum Benedictinum. *Trithemius lib.* 3 *de viris illustrib. Ord. S. Benedicti cap.* 230 *prædicat eum* moribus et conversatione sanctissimum, doctrina quoque et scientia Scripturarum valde præclarum. *Et lib.* 4 *cap.* 116 *ait* scientia Scripturarum et morum honestate nobiliter effulsisse. *At lib.* 2 *cap.* 85. Scripsit, *inquit,* præclarum opus in Genesim, et nonnulla alia, quæ ad manus nostras non venerunt. *Eadem habet in lib. de Scriptorib. Ecclesiasticis, et post eum Eysengreinius et Sixtus Senensis. Verum, ut optime Arnoldus Wion animadvertit, ii Brunoni huic tribuere, quæ alterius sunt S. Brunonis, Signiensis in Italia Episcopi, ac deinde monachi in monte Cassino, cujus Vitam dabimus* XVII *Julii : ejus enim extant non solum in Genesim commentarii, sed in totum Pentateuchum, et aliæ præclaræ lucubrationes Venetiis excusæ anno* CIↃIↃCLI. F

*Aula relicta monachus factus.*

*sanctitate et doctrina clarus.*

*non tamen scriptis :*

6 *Prodiit dein duodecimo post anno sanctis suis e latebris Bruno, Adalberti Martyris, ut reor, tropæis potissimum excitatus : statuitque et ipse Gentilium terras adire, vel Christo eas lucraturus, vel sibi martyrii comparaturus triumphum. Neque eam tamen suo nutu aggressus est expeditionem. Sed Romano primum Pontifici coram consilia aperuit sua : qui fausta apprecatus, censuit Episcopali ornandum dignitate, et Pallium, quo consecratus insigniretur, dedit. Detulit id secum in Germaniam Bruno, et probante quæ moliebatur S. Henrico Rege, Merseburgi consecratus est a Tagmone quarto Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, quem Reineccius et alii* Tagmonem *appellant; Krantzius* Dagonem; *Bucelinus* Dadonem, Dageni, Dudonem; *Paulus Langius* Dagenonem.

*fit Archiepiscopus,*

7 *Martyrologium Romanum Brunonem indigitat* Rutenorum Episcopum. *Quare eum Antonius Demochares lib.* 2 *de Missæ sacrificio cap.* 25 *Rutenensibus in Gallia Episcopis perperam annumeravit. Quem secutus Andreas Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani ad* XIV *Februarii ita scribit ;* Apud Rutenos

*non Rutenorum Galliæ.*

A tenos passio S. Brunonis Episcopi et Martyris, qui gregem suum viscerali amore complectens, fidemque et justitiam servare contra omnem impietatem et injustitiam contendens, ab iniquis, quos insectabatur boni Pastoris voce, ceu a lupis ovis, imo ovilis generosus aries, ferociter interemptus, agonis supremi coronam emeruit sempiternam. *Fatemur esse quidem* Rutenos *Galliæ populos, quorum civitas vulgo* Rutena *appellatur, Gallice* Rodez en Rouergue; *sed alii sunt finitimi Polonis* Ruteni, *qui rectius forte* Russi *aut* Rossi *appellantur, et S. Brunonis ætate adjuncti sunt Christo. Baronius tom.* 11 *ad an.* 1008 *num.* 8 *existimat, cum in Prussiam intulisse fidem Bruno dicitur, Prussiam pro Russia poni. Verum qui tum vivebat Ditmarus, multaque de Russis scripsit, diserte ait eum ad* Prussiam perrexisse, *ac deinde* in confinio prædictæ regionis et Russiæ *occisum. Erat quidem haud multo ante Wlodimirus Russorum Rex cum duodecim filiis ac gente fere universa Christiana religione initiatus: sed quia Græcanicos ritus, etsi orthodoxus, sequebatur, merito ambigi potest, an Latinum Antistitem vel expetierit vel omnino fuerit admissurus, nisi fortassis ut extraordinarium Pontificis Maximi Legatum. Verisimilius est, Brunonem non Russis, sed Prussis Apostolum et Episcopum fuisse destinatum. Certe quo tempore adversus Jaroslaum Wlodomiri filium bellum gessit Boleslaus,* B *erat proprius Kioviæ, Russorum tunc metropoli, Archiepiscopus, ut ex eodem Ditmaro constat. Illos tamen Russos adhuc tunc Ethnicos fuisse colligimus ex Vita S. Romualdi* VII *Februarii cap.* 8, *ubi memoratur ipsorum Rex a S. Bonifacio, ejusdem Romualdi discipulo conversus.*

*sed Russorum,*

*vel potius: Prussorum*

8 *Comites videtur Bruno, sanctique operis adjutores, ex suo monasterio secum duxisse. Octodecim certe quidem cum eo mortem oppetiere: sed eorum nonnulli Prussi fortassis neophyti fuere. Favit præclaris Brunonis conatibus Boleslaus Polonorum Rex, quem* Chabrum *Russica voce, id est,* Annosum *et Potentem, ob res præclare gestas, cognominatum tradit Matthias Michovius historiæ Polonicæ lib.* 2 *cap.* 7. *Is cum S. Adelberti Martyris corpus Gnesnam reportandum, ibique magnifice collocandum curasset; Brunonem ac socios, sancti Martyris cœpta urgentes, amplis muneribus prosecutus est, illiusque exemplo alii Poloni Proceres. Et Prussiam idem Boleslaus bello adortus, ad pendenda tributa traditur coegisse. Id tamen, si recte computum iniit Michovius, post S. Brunonis cædem contigit: in ejus fortassis ultionem.*

*favente Rege Poloniæ Boleslao,*

*eumque donis honorante,*

C 9 *Porro quæ a religioso ac munifico Principe acceperat Bruno,* ea mox Ecclesiis ac familiaribus suis et pauperibus divisit, *ut Ditmarus testatur. Quod argumento est, aliquanto amplius quam S. Adalbertum profecisse, qui et Ecclesias isthic excitarit: nisi forte Poloniæ Ecclesiis regia dona ab eo erogata sensit Ditmarus. Ut est,* horrida *Prussorum* corda non potuit facile mollire. *Quamdiu in eo colendo agro desudarit, inde colligi potest, quod non ante annum Christi* CIↃV *est Episcopus ordinatus a Tagimone, qui ipso eodem anno* II *Februarii Magdeburgenses infulas suscepit. Lituanos ab eo conversos censet Bucelinus. Nam in annalibus ita scribit:* Magnus Germaniæ Apostolus cœlos triumphans laureatusque ingreditur S. Bruno monachus S. Joannis Magdeburgensis cœnobii, idem illustrissimæ familiæ decus æternum; Gebhardi Saxoniæ Ducis germanus: qui post Lithuanos ad Christum conversos, cum in Prussia magno similiter fructu laboraret, a barbaris quibusdam crudeliter interemptus est. *Ferme* CCCC *post ejus martyrium annis conversi sunt Lituani sub Jagellone et Vitolda: licet subinde quidam veritatem amplexi ante id tempus reperiantur, sed non gens universa. Neque video qui potuerit amplissimam provinciam triennio ita imbuere religione, ut sacris ibi ordinatis ad Prussos ei abire licuerit.*

*in Prussia cum fructu prædicat,*

*non diu:*

*nec Lituanos convertit*

10 *Quod idem ait Gebhardum Saxoniæ Ducem fuisse, nescio quo auctore id affirmet. Elias Reusnerus in operis genealogici auctario pag.* 45 *ubi stemma exhibet* Nobilium Dominorum Querfortensium, a quibus Comites Mansfeldenses suam deducunt originem, *Brunonis fratres recenset* Gebhardum et Burchardum, *sororem* Elisabeth *quam ait Pragæ Abbatissam fuisse. Burchardo genitum ait Gebhardum alium, cujus filius Lotharius Dux Saxoniæ creatus ab Henrico* V *Imp. ac demum anno* CIↃCXXV *Imperator. Sed neque Gebhardus pater, neque Gebhardi hujus patruus, Brunonis germanus, Duces Saxoniæ nominati apud Saxonicarum rerum scriptores reperiuntur. Seniori illi Gebhardo, ut tradit idem Reusnerus, ex antiquis familiæ monumentis, ut reor, uxor fuit Sophia Mansfeldensis, quæ novem illi liberos unico partu edidit, quos omnes* in fonte limpidissimo infra Querfortum *Bruno patruus baptizavit,* cujus nomen postea retinuit. *An ex iis fuerit* Mechtildis, *quæ Conrado Carinthiæ Duci nupta fuit, non indicat. Ea mater fuit* S. Brunonis *Episcopi Herbipolensis, cui ipsa a patruo suo, quo de hic agimus, Brunone Martyre indidisse nomen videtur. Geminorum e numero fuit Burchardus, Mechtildis frater.*

D *non fuit ejus frater Dux Saxoniæ,*

*fratris nepos S. Bruno Ep. Herbipolensis.*

11 *Anno* CIↃVIII XIV *Februarii, cum* XVIII *suis comitibus interfectus est S. Bruno. Ita Marianus Scotus ad eum annum:* Brunus Episcopus a Prucis multis suppliciis affectus, et pedibus manibusque abscissis, postremo capite plexus cœlos petiit. *Idem habet Urspergensis, Paulus Langius:* Qui cum constantissime novis frugibus Dominicum locupletare agrum satageret, et Christum assidue ingenti ardore memoratis evangelizaret gentibus, in confiniis Russiæ, ab quibusdam induratis et furibundis fidei irrisoribus, manibus truncatis et pedibus, lingua insuper præcisa, acerutis sancti viri oculis, ad palmam pervenit martyrii. *In Sigeberti Chronico ad anno* CIↃIX *dicitur contigisse, in Miræi editione* CIↃX. *Meminit ejusdem martyrii Krantzius Saxoniæ lib.* 4 *cap.* 28 *et Metropolis lib.* 4 *cap.* 3. *Trithemius item et Sixtus Senensis supra citati: et Trithemius quidem multos suscepisse labores, multis claruisse signis, antequam interficeretur, tradit.*

E *ipse cum* 18 *sociis martyrio coronatus anno* 1008.

12 *Subjiciemus Ditmari de Brunonis agone ceteris exactiorem narrationem, quæ et in tertia Surii editione. Idibus Octobris excusa, cum alium martyrii diem ipsa exhibeat, videlicet* XVI *Kal. Martias. Quo die in generali Catalogo SS ita scribit Ferrarius:* In Prussia passio SS. Brunonis Episcopi et sociorum. *Eodem die MS. Kalendarium Ordinis S. Benedicti:* S. Brunonis Archiepiscopi Ruthenorum, martyrizati a Ruthenis, prius monachi in Italia. *Nec in Italia monachum fuisse, nec a Rutenis interfectum, jam ante ostendimus. Saussaius eodem die illum refert, sed quod Rutenis Galliæ populis eum tribuit, jam refutatum.*

*die* 14 *Febr. quo colitur,*

F

13 *Martyrologio Romano inscriptus est* XV *Octobris his verbis:* In Prussia S. Brunonis Episcopi Ruthenorum et Martyris, qui Evangelium in ea regione prædicans, ab impiis tentus, manibus pedibusque præcisis, capite truncatus est. *Eadem habent illo die Arnoldus Wion et Hugo Menardus. Benedictus quoque Dorganius ita scribit:* S. Brunonis Episcopi et Martyris, Prussorum et Lituanorum Apostoli. *Censet Baronius in annalib. ad annum* 1008, *eo die factam illius translationem, cum* XIV *Februarii constet interemptum. Wion lib.* 2 *Ligni vitæ cap.* 29 *de eodem sancto Antistite multa scribit: illud mendose,* Idib. Octobris *obiisse.*

*ab aliquibus* 15 *Octob.*

*quo forte translatus.*

# VITA

ANIMADV. PAP. 117

## auctore Ditmaro Episc. Merseburg. [a]

## *ex codice [b] MS et editione Reineccii.*

a

b

Fuit quidam [c] Brun nomine, contemporalis et [d] conscholaris meus, ex genere clarissimo editus, sed

c d *S. Bruno nobilis,*

Divina

A Divina miseratione præ ceteris parentibus suis inter filios Dei dilectus. Hic ab *e* Ida venerabili matre sua unice dilectus, magisterio *f* Geddonis philosophi traditur, et omne quod habere debuit cum abundantia ei *g* præbebatur. Hujus pater *g* Brun dicebatur, senior clarus et per omnia laudabilis, amicus mihi consanguinitate et omnibus familiaritate erat proximus. Filius autem ejus et æquivocus cum mane ad scholam ire debuisset, antequam ab hospitio exiret veniam petiit, et ludentibus nobis in oratione ipse fuit. Otto negotium præposuit, et sic fructificans ad maturitatem pervenit. A tertio Ottone igitur desideratus suscipitur. Quem non longe post deserens, solitariam vitam quæsivit, et de opere manuum suarum vivebat.

*puer liberaliter educatus :*

*fit monachus*

2 Regnante vero, Dei gratia, secundo Heinrico post mortem gloriosissimi Imperatoris, Merseburg veniens benedictionem Episcopalem cum licentia Domini Papæ ab eo petiit, et ejus jussione ab Archiepiscopo Thagimone consecrationem, et quod ipse huc detulit Pallium ibidem suscepit. Dehinc ad lucrum *h* animarum, laborem grandis et diversæ viæ subiit, castigans et crucians corpus suum inedia et vigiliis. Multa a Bolizlavo ceterisque divitibus suis bona suscepit : quæ mox Ecclesiis et familiaribus et pauperibus, nil sibi retinens, divisit.

*factus Episcopus,*

*favente Rege Poloniæ*

3 Duodecimo *i* anno suæ inclytæ conversionis ad B *k* Pruciam pergens, sterilesejus agros semine divino fœcundare studebat. Sed spinis pullulantibus horrida non *l* poterant facile mollire. Cum itaque in prædictæ regionis confinio et *m* Russiæ, primo ab incolis prohiberetur, et plus evangelizans capitur, et amore Christi, qui Ecclesiæ caput est, XVI Kalend. Martii, mitis ut agnus decollatur, cum decem et octo suis sociis. *n* Quorum corpora insepulta jacuerunt, quoad usque Bolizlavus id comperiens ipsa mercatus est, et domui suæ futurum solatium acquisit. Facta sunt autem hæc tempore Serenissimi Regis Henrici, quem omnipotens Deus triumpho tanti Præsulis honorificavit, et, *o* ut spero, multum salvavit. Pater autem prædicti Antistitis longe post infirmatus, et, ut ipsē mihi narravit, præcepto filii monachicum habitum suscepit, et quartodecimo Kalend. Novembris in pace quievit.

D AUCTORE J. B.

*prædicat Prussis :*

*occiditur cum 18 sociis :*

*corpora redimit Rex Poloniæ.*

*S. Brunonis pater fit monachus.*

a *Lib. 6 Chronici.* — b *Qui penes nos est, fuit olim collegii Paderbornensis Societatis* Jesu. — c *Ita MS. at Reineri Reineccii editio,* Bruno. — d *Eadem Reineccii editio,* conscholasticus. — e *Rein.* Ida. — f *Rein.* Giddonis — g *Idem, erat* Bruno. — h *Idem,* animæ. — i *Reinecc.* conversionis ac inclytæ conversationis suæ. — k *Fefellit ergo Philippum Cluverium memoria, dum German. antiq. lib. 3 cap. 44 ita scribit* : Prussiorum primus, quorum scripta extent, meminit Helmoldus in Chronico Slavorum. *At fuit Helmoldo 150 annis antiquior Ditmarus. Omitto inter utrumque medios Marianum supra citatum, et auctorem Vitæ S. Adalberti etc.* — l *Rein.* potuit. *forte melius.* — m *Rein.* Russiæ. *Male ergo Cluverius loco cit.* Russi nullo unquam ævo prope Prussiam incoluerunt. — n *Reinec.* Corpora tot Martyrum. — o *Idem,* ut multum spero. E

# DE B. CHRISTINA

## EX TERTIO ORDINE S. AUGUSTINI, SPOLETII IN UMBRIA,

G. H.

### Commentarius prævius.

AN. CI ICC CLVIII XIV FEB. *Spoletii*

S*Poletum Umbriæ urbs antiqua ac munita, olim in Ducatum erecta, regioni circumjacenti hactenus nomen titulumque suum communicavit. Præter alias religiosorum hominum domos, plura extant in Spoletino Ducatu monasteria Ordinis Eremitarum S. Augustini quorum provincia* Vallis Spoleti *appellatur. Eorum monasteriorum syllabum, quæ quidem extabant anno* CIↃIↃLXX, *edidit Alphonsus de Herrera par. 2 Alphabeti Augustiniani pag.* 414. *interque ea secundum collocat Spoletinum : cujus ædem S. Nicolao Episcopo sacram anno* CIↃCCLXV *Fratribus Eremitis S. Augustini donavit Episcopus Spoletinus Bartholomæus Vorutus.* Ditatur hæc ædes, *inquit Herrera,* pretiosis exuviis B. Christinæ de Vice-Comitibus de Spoleto, quæ in arca supra altare S. Michaelis honorifice custodiuntur. *Idem Herrera par. priore pag.* 138 *ad hujus Vitam eadem repetit.* Quiescit, *inquit,* sacrum Christinæ corpus, integritate virginea incorruptum, Spoleti in urna, sive arca, supra altare sancti Archangeli Michaelis, in templo S. Nicolai Ordinis Eremitarum S. Augustini. *Quæ etiam scribit Jacobillus de Sanctis ac Beatis Umbriæ ad* XIV *Februarii.*

*apud Augustinianos*

*in altari est corpus B Christinæ de Vice-Comitibus,*

C

2 Imaginem B. Christinæ et S. Claræ de Monte-Falco altari S. Monicæ impositam esse in monasterio Pisano *scribit Simplicianus a S. Martino in Historia Augustiniana pag.* 626. *Colitur B. Clara de Monte-Falco* XVII *Augusti.* Imagines B. Christinæ, *addit Herrera,* titulo et diademate referunt fœminam Beatorum numerum adscriptam. *Quod obtenta* Superiorum facultate factum credi *tradit Ludovicus Torellus in Compendio Vitarum virorum ac fœminarum sanctitate illustrium Ordinis Augustiniani centuria* 3 *cap.* 86, *adjuncta inscriptione, quæ prope ejusdem corpus appensa legitur his verbis :* Anno Domini MCCCCLVIII, die XIV mensis Februarii, hora quinta decima, migravit de seculo B. Christina Virgo, innumeris decorata miraculis, cujus corpus in ecclesia S. Nicolai de Spoleto est reconditum. *Herrera eadem habet cum hoc Epigrammate ad tumulum.*

*imago Pisæ in altari,*

*Beata declarata creditur :*

*mortua an. 1458.*

Virginis illustris Christinæ hic sanguine Divæ
Ossa sub hoc tumulo sancta sepulta jacent.
Ipsam Augustini pia regula sustulit. O quam
Limite servato fortis et acris erat !
Clara Ducum veteris Comitum-vice gloria gentis.
Italiæ, ut radiet, cernite, signa docent.

ANIMADV PAP. 118

Tertium S. Augustini Ordinem a duodecimo ætatis anno suscepisse Christinam, et nigra eucullа adinstar Fratrum Eremitarum D. Augustini indutam fuisse *scribit idem Herrera.*

*ex tertio Ordine S. Augustini.*

3 *Vitam B. Christinæ conscripsit olim Coriolanus, ut ipsemet in Chronica apud Herreram testatur :* Christina, *ait,* de Vice-Comitibus, nostris temporibus obivit Spoleti cum innumeris miraculis, cujus vita et sanctitas, sicut in Vita, quam de ipsa edidimus, constat, stupenda fuit. Hæc ob memoriam Passionis Christi clavo perforavit pedem suum. In die Veneris comedebat absinthium, et acetum felle mixtum, ob memoriam Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, bibebat. *Quam Coriolanus scripsit Vitam B. Christinæ, se habere MS. testatur Herrera : aliam hic damus, sed stylo nitidiore excultam a Cornelio Curtio Ordinis Augustiniani historiographo generali, et Coloniæ anno* 1636 *excusam. Adjungimus* Carmina pro Diva Christina *composita ab Adamo de Montaldo, sive Montalto, Genevensi, qui in eodem Ordine Augustiniano circa an.* CIↃCCCCLXX *floruit, et Philippo de Lenz Cardinali, atque Archiepiscopo Arelatensi dicavit Joannis Aretini Orthographium. Carmina illa ex veteri membrana monasterii Spoletini, sed mutila, edidit Herrera his verbis :*

*Vitam olim scripsit Coriolanus,*

F

*nuper Cornelius Curtius,*

*carmina de illa Adamus de Montaldo circa an. 1470.*

4 Nota de Nigrarum gremio data gloria terris,
. . . . . . . . . . . . . . .
Ecce Augustini Virgo immaculata parentis,
Exemplum humanæ per opaca piacula vitæ,
Filia, quæ quondam teneris exarsit in annis,
Subdere se rigido, Christo auxiliante, labori.
Stabat habens habitum sacra Religiosa cruentum,
Cilicii introrsum domitans sua membra flagellis.
Tota

*Vitæ epitome.*

A AUCTORE CORN. CURTIO.

Tota videbatur siliqua contenta refundi.
Morte tenus fuerant jejunia panis et undæ :
Sæpe cibo cineres, asperrima vita, tot annis
Miscuit, urgebant lacrymæ noctesque diesque.
Sæpe flagellatum faciendo precamina corpus.
Destitit attonitum gravibus, dum vita manebat,
Vulgus imaginibus, quibus arida nympha rigebat.
Formosum diadema patris, spectabile sidus,
*... gloria* Lumen et Italiæ, decus immortale potentis.
Inter Amadryadas turbatis..... campis
Clara refulgebat Christinæ invicta, nec usquam
Defuit armato contra idola marte triumphus.
Ornavit benedicta patrem, Monicamque gementem
Pro genito; atque Eremi lux Tolentina coruscat.
Si qua fuit mulier titulis famosa Latinis,
Si qua per Italiam sacra Virgo refloruit annis
Nive pudicitiæ, aut si qua est celeberrima mundo,
Sol micat hæc soboles, atque eminet alma. Quid [unquam
Ulterius? redolet nitidis eremita tiaris.
Prata virent, cœlumque exultat imagine tantæ
Virginis. Accelerat gens Spoletana per urbem
Accensas offerre faces. Tot stantia circum
Vota dabat populum et pendentia signa Latinum.
Plaude Augustini, et manibus jace lilia plenis
B Regula, da flores roseis circum ista quadrigis.
Marmora qui hæc relegis, tumulum cole, munera [confer.
Oscula fer lapidi pia Virginis ossa tegenti.
Audiet Omnipotens populorum vota, precantis
Christinæ in meritis, superasque extollet in auras.
Vosque viatores huc huc dare vota venite :
Ut dedit hæc aliis, vobis dabit auxiliumque.

5 *Vitæ ejusdem compendia ediderunt varii historici Ordinum Eremitarum S. Augustini, ut ex Cornelio Curtio Franciscus Lahierus noster in Menologio Virginum ad hunc XIV Februarii, et Ludovicus Jacobillus supra relatus.*

# VITA

## auctore Cornelio Curtio.

## CAPUT I.

*Res a Christina gestæ : ejus obitus : sepultura.*

*Christina illustri progenie orta,*

Vice-Comitum *a* Mediolanensium domus a multis toga sagoque clarissimis Principibus illustris diu fuit : sed Christina omnem familiæ claritudinem superavit : quæ non modo per Insubriam, sed Picenum C etiam totamque Italiam sanctitatis suæ radios transmisit.

*a primis annis jejunio dedita:*

2 Altioris vitæ spiritu eam agi primi statim anni prodiderunt. Vix primum lustrum absolverat, cum virgo imbellis acre bellum carni indixit, in quam flagris asperrimis sæviebat, et certas sibi esuriales ferias præscripsit, quas orationum suavitate condiebat. Rarum in teneris exemplum obstupuere cognati et cogniti, futuræque vitæ certum id præsagium jam tum habuerunt.

*a parentibus ad nuptias destinata,*

3 Parentes, qui Deo, filiæque et sibi imprimis exinde gratulari debebant, more et amore humano, nepotum magis quam virtutis cupidi, moram injicere voluerunt tam sancto exercitio, et occinere castissimis puellæ auribus ingratum hymenæum. Alterum ergo vitæ lustrum nondum egressa, quando aliæ adhuc nuces tractant, ad nuptias transire jubetur : Christina vero, vel solo nominis sui etymo monita, Christum sponsum jam diu cogitabat, cui soli pudoris sui lilium sacrare statuerat, neque odorem ejus libandum mortali homini concedere. Genus, divitias, formam adolescentis pater laudare : Virgo, et ista et alia omnia præ cœlo insuper habere. Ille sacris argumentis probare connubia, et thorum maritalem D verbis evangelicis etiam celebrare : hæc vero pluris æstimare immaculatas Agni nuptias, et in pretio non æstimabili habere præmium virginale. Velitatio hæc acris juxta ac longa annis non minus duobus duravit, cum voce a cœlo animata, proponit Sirenia propinquorum lenocinia fugere, et declinare periculum, in eremo tutius inter feras, quam parentes victura.

*se Christo maritat :*

*fugit in solitudinem :*

4 Alas itaque quæ non habuit, animos sumpsit; et norte conubia, paternis relictis laribus, in loca sola aufugit : cum prius familiarem virginem, quæ sequeretur, ad præsignatas silvæ latebras, auctore Numine, invitasset. Illic plusculos dies sine socia, sine cibo vixit. Sed cœli interim deliciis satura ebriaque, densum fluentibus inter orandum lacrymis.

*vestem eremiticam induit :*

5 Sodalem advenientem, seque ipsam nigro, qui Eremitarum Augustinianorum est, cucullo induit : ut hac se veste cœlo signarent, hominibus autem viverent ignorabiles. In eam caussam nullo stabiles loco, crebro latibulum suum mutarunt, ad maxime remota horridaque silvarum penetrantes. Ita absolutum decem annorum curriculum, herbulis tantum, quas eremus dabat, et fontana victitantibus.

*asperam vitam ducit.*

6 Veritæ insuper, ne hæ quoque lautitiæ ad carnis petulantiam excitabulum fierent, perquam duriter corpus habuerunt, assiduis vigiliis longoque orationum numero exercitum, et verberibus crebris in servitutem datum. Hisce earum studiis cœlum quo- E que benigne adspiravit, ut tenellum corpusculum neque frigoris asperitas læderet, neque solis ignes adurerent, neque affligeret loci duritia, neque corrumperet temporis diuturnitas. Videres rediisse patrum Hebræorum felicitatem; quibus in deserto continuum a cœlo alimentum pluit, et vestimentis sua duravit integritas.

*Romanam peregrinationem instituere a cœlo jubetur :*

7 Annorum decas fluxerat, cum divino monito jubetur Christina sacram profectionem instituere, et Romana Apostolorum limina osculo salutare. Urbem ergo ingreditur ætatis suæ anno circiter vigesimo. Credi non facile potest, quanto gaudio perfundi cœperit, cum loca tam multorum Martyrum sanguine purpurata, tot sanctorum corporum monumentis celebria adspiceret. Dixisses, fontes esse illius oculos, ita large manantibus dulcium lacrymarum rivis scaturiebant. At vero cum *b* Veronicæ sacram sindonem, et in ea expressum Sponsi sui multo sanguine madentis vultum videret, rerum omnium sensu destitui, et in statuam saxescere visa est : ita penito dolore, suo Christo Christina condoluit.

*tendit Assisium :*

8 Aderant Calendæ Sextileis, et Virgini animus petere Assisium, Reginamque Angelorum (de Portiunculis vulgo vocant) pietatis officio devenerari; F ac veniæ gratiam, quam stato illic tempore cœlum indulget, lucri facere. Commodum accidit, ut in via Spoletii apud Galitiam religiosissimam feminarum amicum diversoriolum reperiret. Inde transiit ad sanctam Magnæ Virginis ædem, ubi tanta piorum hominum unda confluxerat, ut luctando per confertam multitudinem vix evadi illuc posset.

*iterum Romam abit, illinc Assisium revertitur?*

9 Dum vis fit, et Christina huc illuc, quasi in procelloso mari, ab æstu ferventis populi, propellitur, socia ejus, quo nescio abrepta, numquam postea visa fuit. Anxia Christina Assisium totum oberrat, Fulginii, in Falconio-monte, Mevaniæ, Spoletii, et ubi non, eam, sed frustra, investigat. Cum in quæstione tam diu ei fuisset, Romam revertitur, illic etiam, pro reperiunda sua, nihil omissura. Illi quoque nodum quærit in scirpo. Cum ergo turturis instar sola inter suspiria et gemitus annum exegisset, recurrente Sextili iterum ad Reginam Angelorum Assisium cogitat.

*in oratione pernoctat :*

10 Spoletii eamdem hospitem habuit Galitiam, quam et viæ comitem secum Assisium traxit. Peracto

A acto ibi studiose pietatis obsequio, matrona reditum adornabat : sed comitari eam Virgo non sustinuit, quod noctem insequentem sancto pervigilio consecrare statuisset.

*in xenodochio ægrotis famulatur Spoletii :*

11 Postridie ergo legit illius vestigia, et Spoletium revertit quidem; sed divertit ad hospitalem pauperum domum : ubi amice accepta, sex totos menses produxit, ministrando pauperibus, et ægrotis famulando tam sedulo, ut ære multo conducta videretur.

*pœnitentiæ operibus incumbit :*

12 Interim, dum benigne ibi alios habet, in corpus suum crudelis est, adeo immani *c* castigatione; ut non tantum vibicibus livedinis depictum dorsum, sed profundis etiam stigmatibus plagosum utrumque latus circumferret. Dominicis diebus pauxillulum vini sumebat, quo ad reliquum hebdomadis in pane cibario et aqua jejunium se roboraret. Durum solum illi pro cubili erat, securus castitati thalamus : pro interula asperrimum cilicium, tota contra carnis jaculum lorica : pro veste superiori ex panniculis cento consutus, quo ceu muliebri mundo, quantum nulla alia virgo, superbiebat. Alteram noctis partem cubitu, alteram genuflexione transigebat. At vero ne somnus, quo premi imbecille alioqui corpusculum aliquando senserat, invitæ subreperet, collum sibi fixo ad parietem funiculo, illaqueabat, a quo, capi-B tis ad somnum declinatione intenso, vigilare moneretur.

*inter orandum radiare visa :*

13 Interea a precibus numquam desistebat : in quibus ita fervebat, ut sæpe non sui, non vitæ compos pro exanima haberetur. Imo orantem nocte intempesta ignes cœlestes honorare non ab uno aut semel visi, qui splendidissimis eam radiis ambiverunt. Quotidiana pene apud Sacerdotem exomologesi animum expiabat, et parabat ad Eucharisticum epulum. Tota vero erat in commentanda Sponsi sui passione : cujus memoriam ut plane imbiberet, sextis quibusque feriis bibit acetum felle mixtum. Porro in Cruce Domini vivebat, ut Domino posset commori.

*tota est in meditatione Dominicæ Passionis,*

14 Illud æterna memoria dignum miraculum magis, quam exemplum. Percurrebat curioso piæ mentis oculo omnia patientis Sponsi sui mysteria, et in singulis examinabat attente Divinæ erga homines caritatis pondus : cum autem ad immanem manuum pedumque clavationem attonito diu animo obstupuisset, se ipsam verbis Deo plenis ita adhortata fertur : Vah te ingratam, et terræ cœlique propudium! Ecce Sponsus tuus, quam multo sanguine pro te fluit! quam dira sibi tormenta inferri pro te amat! ut denique te sibi adfigat, quam horridis clavis infami se ligno adfigi patitur! ecquid tu vicem illi reddis, aut C redhostis insigni aliquo amoris testimonio? O mi Sponse, inquit divino igne accensa Christina, quis mihi det dolorum tuorum, quos pertulisti, partem aliquam in hoc etiam corpusculo persentiscere?

*clavo pedem suum transfigit,*

15 Et ecce, non exiguum clavum fixum avellit a proximo pariete, et valido illum nixu, per alterum pedem transadigit. Ita non satis illi fuerat imbibisse patientis Sponsi memoriam, nisi quoque fortiter infixisset. Inter hæc corporis animique præclara exercitamina, Spoletii mensibus sex peractis, adornat iter Romam ad quadragintadiale jejunium. Prope enim aberant insolentiæ publicæ solennes dies, quos Christiani adhuc de veteri superstitione aliquid sapientes, Bacchanales nuncupant. Sed, indicante Deo, quam illic obhæsisse istac-tenus non cognoverat; Christinam suam Galitia feliciter reperit : decurrensque in amplexus amicos, multa prece exorat eam, tandem ut nota tecta subeat, et aliquantillum apud se moræ trahat.

*intelligit vitæ terminum sibi instare,*

16 At vero Christina, quæ vaticinio alia plura prænuntiaverat, intelligit quoque vitæ hic sibi metam a cœlo figi. Febricula ergo eam tentare cœpit. Ad ægram cœlestes medicos invisisse testis est Ga- D litia; quæ cum beatis Geniis dulce ejus colloquium non semel audivit.

AUCTORE CORN. CURTIO.

*Virg. Maria apparente :*

17 Sæpe etiam sæpius Cœlitum Regina manifesta in luce ei se obtulit, et invitavit verbis mellitissimis ad Filii sui thalamum, quem unum contemptis aliis, ambitiosa expetierat. Vi ergo majore fores animæ ad exeundum pulsantibus febribus, Viaticum sacrum rogavit accepitque : et ad luctam, quæ postrema, difficillima est, ungi voluit. Eaque omnia tam placido vultu, ut, quod res erat, e servitute ad libertatem, e miseriis ad gaudia, e solitudine ad delicias nuptiasque transire videretur.

*obit 14 Febr. d e*

18 Mortuam aiunt, ætatis suæ anno *d* XXII, restaurati vero orbis *e* CIↃCDLIII, mensis Februar. die XIV. Sed quis mortuam eam putet, quæ vitam vivit immortalem? Certe id non dicunt, sed clamant mira, quæ ab obitu statim plurima maximaque patravit.

*Æger, qui feretro ejus humeros supposuit, subito valet.*

19 Cum deportando ad Ecclesiam funerali ejus ferculo succollasset aliquis, cui dorsum malo inveterato adfectum omnem medicinam respuerat, sensit sub sancto isto onere vegetiorem se fortioremque reddi, et invisibili manu velut spongia, quod nulli ante Machaones curare potuerant, totum toto tergo malum simul detergi. E

*Corpus ejus post mortem vividos colores retinet :*

20 Reclinato in terram corpore, matrona quædam, more ingenii feminini, pie curiosa, sublato tribus digitis velamine, quo integebatur, in faciem ejus intuita, ut vivido adhuc colore roseam eam notavit, ore ridenti, Ecce, inquit, vultum jam non humanum, sed Angelicum; neque mortuæ, sed quasi in novam melioremque vitam redditæ. Quo præconio, veluti sonoro cymbalo excitus Spoletinus populus, catervatim in ædem sacram irruit, spectaculi hujus amœnissimi ergo : miratusque est tum, quod hodie quoque omnes stupent, cadaver manere tractabile, et facile ductu alienæ manus quolibet inflecti.

*et hodie adhuc tractabile est.*

a *Ita plerique scriptores. Simplicianus a S. Martino ait in Hungaria a parentibus dignitate Vice-Comitibus natam.* — b *De S. Veronica et sacro hoc velo egimus 4 Februarii.* — c *Nicolaus Crusenius par. 3 Monastici Augustiniani cap. 28 ait se* Spoleti vidisse corpus adhuc integrum, una cum cilicio et disciplinis sanguine quasi recente madentibus. — d *Herrera*, annos ætatis 22, vel potius 23. — e *Imo* anno CIↃCCCCLVIII, *forsan incuria typothetarum uno* is V *omisso. Hanc infert Elssius in Encomiastico Augustiniano*, natam anno 1435 vel 1436. *At Josephus Pamphilus Episcopus Signinus in Chronico Ord. Eremit. S. Augustini* ex hac vita decessisse *anno* 1465 *scribit, eum sequitur Crusenius, sed ex supra dictis rejiciendi.*

## CAPUT II.

### *Miracula S. Christinæ post mortem.*

*Tibias diu affectas sanat*

Tumulum ejus, morbidorum asylon fuisse testes loquuntur : cives imprimis Spoletini, qui medicinam F et salutem hic non frustra petiverunt. Quando enumerare omnes non licet, libet aliquot e plurimis advocare. Luculentum certe testimonium Racella dedit, quæ utramque tibiam, a quibus portari solebat, interno quodam vitio afflictam et omnino enervem, molestissimum onus, plus sex mensibus tulerat, cum tanto interim tormento, ut præ illo crurifragium optare potuerit. Cum in medica manu nullum reperisset solatium, animum ad Christinam pedesque ægros convertit; genu cum dolore, ut potuit, flexit ad ejus tumulum, et finita prece, cum gaudio in sanos pedes surrexit.

*mulierem a gravi malo curat*

22 Matthiam, nobilem sanguine mulierem, incredibilis in tergo dolor tria lustra pertinaciter vexaverat, ut nullas ei ferias daret. Unguenta et fomenta pluria adhibita, sed omnia conatu irrito : omnibus remediis superius erat malum. Desperatis ergo naturæ atque artis subsidiis, placuit novissime B. Christinæ opem implorare. Consilium fœminæ oppido bonum. Invocata enim Virgo confestim affuit, et

 fracta

A fracta morbi contumacia, Matthiæ restituit integram sanitatem.

*AUCTORE CORN. CURTIO.*

*vertiginem capitis sedat*

23 Illuminata (id fuit fœminæ nomen) magni mali crucem, gravem cephalalgiam, et cum ea vertiginem continuam adeoque sævam diutine tulerat : ut totum caput non nisi mola machinaria sibi videretur. Quid solatii misellæ? Ad tumulum Christinæ accessit : hæc omnem mali nubem dispulit, et statim stare jussit postilla semper in perenni quiete futurum caput.

*oculum amissum reddit.*

24 Parthenonis ad D. Paullum Spoletii Antistita, Gratiosa, nescio quo sequiori casu alterum oculorum amiserat. Ex alterius oculi præstantia facile æstimavit lusca, quantum boni perdidisset. Nihil ergo antiquius habuit, quam utroque oculo diem et amicam lucem admittere. Humanis auxiliis non esse fidendum jam satis experta, in tutelam se Christinæ dat, eamque pro alterius luminis usura suppliciter invocat. Et mirum! rediit oculo sua acies prorsus integra, ut numquam ante læsa fuisse credi posset. Tanti erat luscam fuisse, ut omnes oculorum tenebras Christina depelleret. Certe medicæ suæ Gratiosa gratias egit immortales, et professa est se Christinam deinceps amaturam plus ambobus suis oculis.

B

*cuidam brachii facultatem*

25 Mulieres Spoletinas produxi : cur viros prætercam? Eorum quoque preces Virgo audivit non surdis auribus. Labatritius (barbara vox, vir non item) unimanus erat : altera enim manus esse manus desierat, gravi nervorum resolutione cum brachio ipso reddita inutilis. Ut hanc integram reciperet, medicorum manum rogaverat : sed ad eam reddendam illi quoque nullam habebant, cum nihil profutura opera tempus consumpsissent. Ab hominibus ad Christinam ivit : admotum ad sacra lipsana leviter brachium retraxit cum manu sanum vividumque.

*puero utriusque manus usum*

26 Malum simile simili iterum curatione sublatum. Paullus de Massa ex conjuge sua filium genuerat vitiosum manu utraque, scilicet, quæ nervis suis destitutæ penderent, et nullam officii partem implerent. Cum ætate vitium quoque creverat. Miserati parentes futuri semper miseri calamitatem, Numini committunt, et spem in Christinam transferunt, a qua sola corrigi posse puerum credunt. Adeunt ejus tumulum : quam cum precibus filiolo suo conciliassent, ille e vestigio protendit utramque manum, quæ bona fide ad integritatem redierant, quasi nullo ante morbo languidæ fuissent.

C

*febrienti viro sanitatem;*

27 Marianus Angelus, acuta horridaque febri prostratus ad ipsa mortis limina jacebat : cui medicorum filii ad plures abiturienti jam vale dixerant. Nondum tamen desperavit æger. Christinam pie salutat, oratque supplex, ut se ab hominibus derelictum in suam tutelam accipiat, præsentique fato eripiat. Quid faceret salutata tam blande Virgo? salvere virum rursus jussit, et melius quam medici, Vale, dixit.

*mulier sermonis et pedum usum recipit:*

28 Non minus benefica Christina in extraneos, quam cives Spoletinos fuit. Anna, domo et gente Polona, neque lingua, neque pedibus uti poterat, ad loquendum et gradiendum omnino inepta. Et nulla spes salutis reliqua illi erat. Nam ad quem iret clauda, aut cujus opem invocaret muta? Fecit tamen jam non inepte utrumque. Ad Christinam profecta est, sed pedibus alienis : eamdem quoque invocavit, sed corde intus loquente. Et vero audita, recepit linguam, qua Divæ gratias referret, et pedes, quibus ad omnes ejus laudes deferret.

*aliam morbus comitialis deserit.*

29 Implevit certe aures mulieris Hungaræ, Margaritæ, margaritæ jam non venustæ; fœdus enim morbus, imo morborum omnium monstrum epilepsia eam deformaverat. Quam turpe, præsertim in fœmina, subito languescere, rigescere, stridere dentibus, ore spumare et latrare, caput ad terram elidere, volutare humi corpus, et pudoris etiam velamina non servare! Res spectantibus terribilis juxta et miseranda. Ærumnosa mulier nequidquam apud homines remedium quæsierat : sacer morbus erat, non curabilis nisi sacra quoque manu. Audierat de miraculis per Christinam patratis, votum concipit, et Crucis-Castellum sacros illius cineres veneratura, abit. Sed rediit venusta iterum Margarita, et libera deinceps ab omni comitialis morbi fœditate. D

*cardiaco sanitas redditur*

30 Matthæus quoque de Longissa, e D. Francisci familia, præsentem ibi Numinis favorem expertus est claro miraculo. Vitæ fontem obstructum, cor, inquam, dolore continuo obsessum habebat : quo languente reliqua etiam corporis membra deficere necessum est. Morbo nomen invenire medici poterant (syncopen vocabant) sed non remedium. Christina voto nuncupata totum fontem purgavit, et vitam fluere a corde in reliquos artus jussit libero meatu.

*infirmæ pristinus membrorum vigor:*

31 Ut multa Divæ beneficia ad compendium conferam, Clara, religionem professa virgo, jacebat resolutis morbo artubus, affixa lecto : sed cum oculos in cœlum defixisset, seque Christinæ voto addixisset, rediit subitus in nervos vigor, et ad Divam celebrandam, ægram, jam non amplius ægram, erexit. E

*membrorum contractio remittitur*

32 Antonillam item Aquilanam arescentes toto corpore nervi ita sensim contraxerant, ut lignum non mulierem dixisses. Virginis nostræ opem flagitavit, et pleno succo validosque nervos recepit.

*podagricus convalescit*

33 Baptistæ, de Monte S. Mariæ, quam tollere nescit medicina, podagram chiragramque nostra momento Diva abstulit.

*a pluribus concepta pestis avertitur ab aliis febris periculosa*

34 Theodorus Mediolani pictor, Margarita Spoletina, aliique plures, grassantis pestilentiæ lue infecti, patrocinio ejusdem Divæ venenum a se depulerunt.

35 Martinus ex oppido S. Joannis, et mulier quædam Jordana, febrium æstu ardenter exerciti, pestilentiæ ignem eadem ope a se propulsarunt.

*e mulieris corpore dæmon pellitur.*

36 Neque in morbos tantum, etiam in malos dæmones valuit Christinæ potentia. In Florentinæ mulieris corpore hospitium rebellis genius ceperat, et tyrannidem illic solens more suo insolenter exercebat. Venit propinquis in mentem, eam ad tumulum Christinæ adducere. Papæ! quanto opere pugnandum hic fuit, ut illuc (invita erat) vi raptaretur. Validissimi quæsiti lacerti, loco eam movere non potuerunt : ita fortiter contra cacodæmon nitebatur. Nulla est fera in silva Hercinia, aut Africæ desertis, cujus terribilia ora iste non efformaret. Audisses repente bovem Lucam barrire, rugire leonem, lupum ululare, vidisses spumare aprum, melem sudare : denique omnibus modis viribusque obluctari stygium monstrum, ut ne ad Christinæ cineres perduceretur. Vi certe humana premi non potuit : stola sacra veluti catenari debuit, adeoque cicurari infernalis bellua. Virginis deinde flagello, quo in corpus suum desævire consueverat, collum vincta mulier, ad sacram tumbam procumbere, et sancta lipsana tangere compulsa est. Ibi horrendum latrare auditus Cerberus ille, timensque flagris dare, fugæ terga dedit. F

*alia mulier energumena liberatur.*

37 Pulsi frequenter postea atri isti Genii sedibus, quas invaserant. Divitiam ex villa Barsano, Feliciani neque divitem neque felicem uxorem, injustus possessor habitaverat triginta perpetuos annos, et videbatur præscriptionis jus allegare mali juris consultus : sed quam nihil valeret pro violentia, ostendit Christina, quæ eum meliori jure de possessione dejecit.

*item plures alii.*

38 Alterum similiter deturbavit ex veteri domicilio, quod invita Domina, Matthæa Paullo Tridentino nupta, sibi usurpaverat, et annis quindecim incoluerat : et, ut brevis sim, ex aliis pluribus.

39 Miraculorum

A *Mulier in difficillimo partu servatur.*

39 Miraculorum catalogum non absolvo, sed abrumpo, et claudo uno maxime memorando, quod magno cum stupore Romæ visum. Prægnans illic Catharina quædam, ferebat uterum, aut, ut verius dicam, vivum denati prius quam nati homini sepulchrum. Mensem enim totum extincto se fœtu gravidari adverterat. Sudarunt medici, arte aliqua aut medicata buccea infelix onus depellere : sed cassa erant eorum omnia tentamina. De matris ergo vita ipsi medici conclamarunt, et abjecerunt tamquam pueri sui tumulum simul in alterum tumulum quammox efferendam. In eo statu jam desperatissimo, virili animo mulier spem maximam concipere, et quando eam homines deseruissent, suppetias Cœlitum rogare. Salutem suam cum B. Christina paciscitur et sacram ad ejus cineres peregrinationem vovet, si id periculi evaserit. Voti damnata confestim ejicit fœtidum fœtum, ipsa salva incolumisque. Medici, et qui morbum mulieris non ignorabant, miraculum confiteri, et naturæ vim illatam. Idem ego : et præterea non sufficere hunc calamum, qui omnia Christinæ miranda præscribat : quare tollo manum de tabula. D



# XV FEBRUARII.

## SANCTI QUI XV KALENDAS MARTII COLUNTUR.

Sanctus Faustinus Presbyter,
S. Jovita Diaconus,
fratres Martyres Brixiæ in Italia.

S. Josephus Diac.
S. Zeno,
S. Apollonius,
S. Phœbus,
S. Romanus,
S. Zosimus,
S. Barolus,
S. Zoeus Presbyter,
Martyres, Antiochiæ in Syria.

S. Rufinus,
S. Craton Orator, ejus uxor, domestici,
Martyres Romæ.

S. Agape Virgo, Martyr Interamnæ in Umbria.

S. Adventus,
S. Xystus,
S. Pomponius,
S. Gemella,
S. Victor,
S. Generosus,
S. Victor,
S. Gemellianus,
S. Cuturnus,
S. Castula,
Martyres in Syria.

S. Faustina Virgo Martyr.
S. Major miles Maurus, Martyr Gazæ in Palæstina.
S. Eusebius anachoreta Asichæ in Syria.
S. Georgia Virgo Deo devota, Claromonte in Gallia.
S. Severus Presbyter, in Valeria apud Italos.
S. Quinidius, Episcopus Vasionensis in Gallia.
S. Berachius, Abbas et Episcopus in Hibernia.
S. Faustus monachus Casinensis, Romæ.
S. Decorosus Episcopus Capuanus in Campania.
S. Walfridus Abbas Montis-Viridis in Etruria.
S. Columbanus Abbas, Inclusus Gandavi in Flandria.

S. Sigfridus Episcopus,
S. Vinamannus,
S. Unamannus,
S. Sunamannus,
Martyres
Vexione in Suecia.

S. Henricus,
S. Alfardus,
Martyres in Suecia et Norwegia.

S. Euseus, Eremita calceolarius, Serravalle in Pedemontio.

---

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sancti Antonii Abbatis Translatio *inscripta est MS. Florario Sanct. De hac post Vitam illius egimus pag.* 149 *ad diem* xvii Januarii.

S. Deicolus Abbas, discipulus S. Columbani, *ut habet idem Florarium. Vitam dedimus* xviii Januarii.

S. Severi Episcopi Ravennatis Translatio *refertur in eodem Florario, Martyrologio Coloniæ* 1490 *excuso, Auctario Usuardi per Hermannum Greven, et Martyrol. German. Canisii, a quo* Elevatio *appellatur, uti diximus ante ejus Vitam num.* 22 i Februarii.

SS. Blasius Episcopus et vii mulieres Martyres Sebastæ *memorantur ad hunc diem in variis Martyrologiis relatis* § 1 *num.* 3 *ante* S. Blasii *Acta, quæ dedimus* iii Februarii.

S. Veronæ, alias Veronicæ, matronæ, quæ sudario faciem Domini crucem portantis extersit, in Aquitania commemoratio. *Ita Saussaius in Martyrol. Gallic. Uxor statuitur S. Amatoris, diciturque cum S. Martiale in Gallias venisse. Multa, quæ circa hanc* Veronam *obscura difficiliaque sunt, examinavimus ad Vitam S. Veronicæ* § iv iv Februarii.

S. Gilbertus Abbas *in quibusdam Belgicis Kalendariis memoratur. Opinamur esse eum, de quo egimus* v Februarii.

S. Dionysius Presbyter *inscriptus parvo Martyrologio MS. sed perantiquo, monasterii S Maximini. Inter Alexandrinos Martyres celebrantur tres* Dionysii, *quorum unus* Episcopus, *alter* Presbyter *fuit. De his egimus* xiv Feb.

S. Vitalis,
S. Feliculæ,
S. Zenonis,
Martyrum *solemnitas in Breviariis Antverpiensi, Herbipolensi, aliisque ad hunc transfertur diem, hesterno celebritate S. Valentini impedita, quando de iis egimus* xiv Februarii.

Descensus Dominæ a monte *refertur in priore Kalendario Coptico a Seldeno edito. Aliquod singulare festum Deiparæ Mariæ Virginis apud Ægyptios fuisse arbitramur.*

S. Camillus Martyr Romanus *(cujus corpus ex S. Callisti cœmeterio extractum, et ab Urbano* viii *donatum D. Emmanueli de Maura Marchioni Castri-Roderici, atque ab hoc in Hispaniam delatum) inscriptus hoc die Martyrologio Hispanico Jo. Tamaii Salazarii, quia in Kalendario MS. reperit nomen* Camilli Martyris, *adjunctum* SS. Saturnino, Castulo, Magno, et Lucio, qui Romæ sub Hadriano Imperatore pro fide cruciati *dicuntur. Hi Martyres inscripti Martyrologio Romano hoc die, sed* Interamnæ in Umbria, *et, ut multi conjectant,* sub Aureliano Imper. *coluntur Interamnæ* xvii *Februarii, quo die de* Camillo *ex illo Martyrologio adjuncto nonnulla refutamus : ab eoque alium credimus* S. Camillum, *cujus corpus in oratorio Marchionis Castri-Roderici Madriti servatur, quousque alibi collocetur, et forte alius tum dies cultui ejus assignabitur.*

S. Darercæ Virginis Hibernæ natalem *hoc die in Martyrologiis Hibernicis notari tradit Colganus* vi *Februarii ad vitam S. Melis Episcopi annot* 22. *Verum illius hoc die non meminit.*

Oswius Rex Northanhymbrorum, *teste Beda lib.* 4 *cap.* 5, die xv Kalend. Mart. defunctus est anno mclxx. *Cujus res præclare gestas (cæde tamen S Oswini Regis obscuratas) refert idem Beda lib.* 3 *cap.* 14, 21, 24, 28. *et lib.* 4 *cap.* 3 *et* 5. Oswii *filia fuit S. Elfleda Virgo, Abbatissa Streneashalensis monasterii, cujus Vitam dedimus* viii *Februarii. Sepultus*

pultus in eodem monasterio videtur Oswius Rex: nam, ut § 9 num. 62 diximus, testatur Malmesburiensis, inventa illic noviter et in eminentiam elata Sanctorum corpora, Trumwini Episcopi, Oswii Regis et Elfledæ filiæ ejus, quæ eidem monasterio post Hildam præfuit. Hinc etiam Martyrologio Anglicano anno CIƆIƆCXL recuso insertus est ad hunc diem Rex Oswius, ac Sanctus appellatur. Nos uni huic Malmesburiensis loco non satis fidimus, quasi corpus Oswii non potuerit etiam in eminentiori loco collocari ob hanc solum caussam, quia ipse Rex fuerat, et pater S. Elfledæ, a qua cœnobium illud possessionibus ei a patre donatis fundatum videri diximus § 5 num. 24. Quare absque aliis antiquorum scriptorum et martyrologiorum de ejus veneratione testimoniis nihil audemus asserere, remittentes lectorem ad Vitam S. Elfledæ Virginis, in qua gesta Oswii parentis pleraque explicantur.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus memoratur in Kalendario Coptico MS. Agitur de eo in Georgii Elmacini historia Saracenica lib. 2, diciturque constitutus anno Hegiræ cccı, Christi ıɔccccxıı, sedisseque annos undecim, monasteria viris et mulieribus ædificasse, et die xxı Amsiiri obiisse; id est xv Februarii. Orthodoxus fuit Patriarcha; cui oppositus ab aliis Cosmas Jacobita. Nihil tamen de veneratione Gabrielis audemus statuere, in illis vere Ægyptiacis tenebris miserrimorum temporum.

Anno, sive Hanno, Ep. xxvı Mindensis in Saxonia inferiore, obiit anno CIƆCLXXXV in crastino B. Valentini Martyris, ut ait auctor Chronici Episcoporum Mindensium a Pisterio editi, in quo et sanctus Episcopus et sanctus Hanno Episcopus appellatur. Hinc Ferrarius in Catalogo generali ad hunc diem: Memoria B. Hannonis Episcopi Mindensis. Agunt de eodem Krantzius in Metropoli lib. 7 cap. 12, Demochares, Cratepolius, Bucelinus de Episcopis Mindensibus, sed omnes absque Sancti aut Beati titulo: neque aliis Martyrologiis hactenus nomen reperimus inscriptum. Fuisse sanctarum Reliquiarum conquisitorem sedulum observant auctor Chronici Mindensis et Bucelinus.

Joannes Joyaci Abbas in diœcesi Senonensi, ac dein Meldensis Episcopus, inscriptus cum Beati titulo Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez: sed nemo alius, quod sciamus, Beatum appellat.

Milonis Episcopi Taruanensis consecrationem hoc die contigisse scribit Chrysostomus vander Sterre in Natalib. SS. Ord. Præmonstrat. Claudius Robertus xvıı Aprilis. Sed non colitur ut Sanctus aut Beatus, licet in Ordine recitandi divinum officium Madriti 1635 excuso dicatur ritu duplici coli. Sunt plura in eo libello menda.

Gertrudis reclusa juxta castrum Volmsteine in Westphalia sancte vixit, ob revelationes nota: de qua agit Cœsarius lib. 5. cap. 47 et lib. 12 cap. 27. Aliquam inde illius Vitam Gallice concinnavit Lahierius in Menologio Virginum ad hunc diem, quo etiam Chrysostomus Henriquez eam inscripsit Menologio Cisterciensi, et uterque Beatam appellat: Gelenius in Fastis Coloniensibus Venerabilem indigitat.

Joannes Leonardus Cerusus, cognomento Litteratus, hoc die anno CIƆIƆXCV obiit, et ut in ejus epitaphio habetur, vir vitæ integer, et paterne egenos notus in pueros benignitatis. Habemus ejus Vitam Italico sermone scriptam a Marcello Mansio Presbytero e religione Ministrantium infirmis. Sed nihil adhuc cœlestium honorum illi ab Ecclesia decretum.

S. Onesimi Ephesiorum Episcopi festum hoc die agitur apud Græcos: apud Latinos die sequenti xvı Februar.

S. Faustinus Episcopus Brixiensis inscriptus Adonis Martyrologio MS. Ecclesiæ Teloneusis, nunc Reginæ Sueciæ. De eo agimus infra ad Acta SS. Faustini et Jovitæ § 1. At colitur xvı Februarii.

S. Saturninus,
S. Castulus, aut Castula,
S. Magnus,
S. Lucius,
S. Rogatus,
S. Joannes, varii socii,
Martyres, cum S. Agape Virgine Interamnæ in Umbria occisi, referuntur in pluribus Martyrologiis hoc die, ut ad vitam S. Agapes dicemus. Priores quatuor, addito Camillo hactenus ignoto, leguntur in MS. Kalendario apud Tamayum Salazarium in Martyrol. Hispanico, sed Romæ passi: Coluntur reliqui Interamnæ . xvıı Februar.

S. Silvinus Episcopus memoratur in MSS. Martyrologiis, S. Lamberti et S. Laurentii Leodii, S. Richarii, Bruxellensi, aliis. Vitam dabimus xvıı Febr.

SS. Agape Virgo Martyr et Thionia soror ejus. Martyrol. MS. Carthusiæ Ultrajectinæ. Sunt hæ Agape et Chionia, coluntur que ııı Aprilis.

S. Josephus Confessor, hymnorum scriptor, sub Theophilo Imperatore in exilium missus, refertur a Ghinio in Natalibus Sanct. Canon. et Notationibus Baronii ad Martyrol. Roman. idemque putatur, qui hoc die colitur S. Josephus Martyr Antiochenus, a quo eum infra diversum ostendimus, colique ııı Aprilis.

S. Calocerus ex officio Hadriani Imperatoris, ob miracula facta, dum torquerentur SS. Faustinus et Jovita, ad fidem conversus, inscriptus ad hunc diem Martyrol. Sarisburiensi Witfordi. In Actis istorum Martyrum Vita illius continetur. At passus est xvııı Aprilis.

S. Farannani Confessoris Hiberni Vita ex sermone Hibernico versa editaque hoc die a Colgano, qui tamen an ea Vita sit indubitatæ fidei ambigit, additque Farannanum, cujus hoc die volunt Marianus et Martyrol. Tamlachtense celebrari natalem, eum videri, qui Walciodori in diœcesi Namurcensi, ut loci Patronus colitur, quod ad hujus Vitam examinabimus xxx Aprilis. NOT. 40

S. Cœlestini Papæ v et Ordinis Cœlestinorum Fundatoris Translatio Ferentini in Hervicis celebrata, memoratur hoc die in Martyrologiis monasticis Wionis, Dorganii, Menardi, Catalogo Ferrarii et Saussaii Supplemento ad Martyrol. Gallic. qui addit ejus Reliquias aliquas inde in Gallias fuisse translatas. Natalis agitur xıx Maii.

S. Austregisili Episcopi Bituricensis depositio refertur hoc die in MSS. Martyroll. Tornacensi, Lætiensi, Leodiensibus S. Lamberti et S. Laurentii, Florario, et Excerpto ex MS. monasterii S. Sabini apud Saussaium pag. 1247, qui tamen Saussaius in Martyrologio Ordinationem appellat. Colitur xx Maii.

S. Desiderii Episcopi et Martyris passio adscripta hoc die MS. Martyrologio Tornacensi S. Martini. Videtur Episcopus Viennensis indicari, qui a pluribus refertur xı Februarii, Acta ejus rejecimus in xxııı Maii.

Mater et duæ filiæ Virgines in persecutione Diocletiani et Maximiani pro fide Christi ad mortem ductæ, memorantur a Witfordo in Martyrologio Sarisburiensi: a quo ad diem præcedentem xıv Februarii referuntur S. Syrus Martyr Alexandrinus, et S. Chæremon Episcopus Nilopolitanus, inscripti Martyrologio Romano ad diem xxıı Decemb. Hos autem Witfordus repererat in Catalogo Petri Equilini, lib. 11 cap. 27 et 28, qui cap. 29 agit de sancta matre quadam et filiabus Virginibus et Martyribus, quas Witfordus ad hunc diem retulit. Earum obitum narrant Eusebius lib. 8 cap 24, Ruffinus lib. 8 cap. 12, Baronius an. 309 num. 15 et 16, dubitatque num eæ sint, quarum S. Ambrosius lib. 3 de Virginitate res gestas mirifice laudat, earumque unum

unum appellat Pelagiam, ad cujus Vitam hæc accuratius inquirentur ix Junii.

Zacharias Episcopus in Coptico Kalendario MS. Ignotus est nobis, nisi forte sit S. Zacharias Episcopus Nicomediensis, qui colitur x Junii.

S. Antonii de Padua corporis translatio, quando illud areæ argenteæ et magna capitis pars pretiosissimæ thecæ inclusum dicitur anno ciↃccccl et in capitulo generali anno ciↃccccliii decretum, ut xv Februarii ritu duplici Officium divinum fieret de illa Translatione. Ita post Wadingum aliosque Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano. Refertur ea Translatio in Martyrol. MSS. Bruxellensi, Albergensi, Florario, et recentioribus excusis. De ea agemus ad illius Natalem xiii Junii.

Arnwal sive Arnual memoratur quidam S. Kiliani Episcopi et Martyris socius, quem alii Erwaldum vocant, ut Thritemius lib. 3 de Viris illust. Ord. S. Benedicti cap. 146. Hunc alii xix Januarii ponunt, ut ad eum diem diximus. David Camerarius hoc die, plures cum S. Kiliano viii Julii.

Locufati Arciana in Spaniis. Ita MS. Martyrol. S. Hieronymi. Forte Cucufatis Barcinonæ legendum, cujus postridie in eodem et aliis Martyrologiis fit mentio. Colitur is xxv Julii.

S. Dominici capitis elevatio, et depositio in theca argentea, annotatur a Masino in Bononia perlustrata ad hunc diem, quo contigit anno ciↃccccLxxxiii, stella crinita, ut addit, tamdiu apparente, atque loculus, cui inclusum corpus fuit apertus. De eo agemus iv Augusti.

S. Faustus Martyr Mediolanensis, adscriptus ad hunc diem a Galesinio et Ferrario. Is est cujus celebris extat memoria vii Augusti.

S. Ereneus Eremita hoc die refertur a Ferrario, consentiente Dempstero in Menologio Scotorum, et in Histor. Eccl. gentis Scotorum lib. 5. cap. 493. Laudatur a S. Adomnano lib. 1 Vitæ S. Columbæ. Si certiora venerationis occurrant monumenta, poterimus cum Camerario locare xxvi April.
aut cum Colgano xviii Augusti.

Ebbo sive Elbo, Episcopus adscriptus ad hunc diem in MS. Coloniensi Carmelitarum, Florario, Martyrol. Coloniæ anno 1490 excuso, a Maurolyco, Hermanno Greven, et a plerisque Episcopus Terovanensis dicitur, qui nobis ignotus. Ferrarius Senonensem Archiepiscopum esse ait, de quo agemus xvii Augusti.

S. Juliani, S. Ferreoli, Martyrum inventio memoratur in MS. Martyrol. Coloniensi Carmelitarum et a Maurolyco. De iis agemus xxviii Augusti.
Iterumque de S. Ferreolo xviii Septemb.

S. Marcellus Episcopus inscriptus Martyrol. MS. Aquisgranensi et Auctario Hermanni Greven. Sed cum plures hujus nominis celebrentur Episcopi, haud facile, quis hic sit, licet conjicere. S. Marcellus Diensis colitur ix Aprilis.
Apameensis xiv Augusti.
Trevirensis iv Septemb.
Parisiensis i Novemb.

S. Anthilia Virgo colitur hoc die Urbeveteri in Etruria, ut scribit Ferrarius in Catalogo generali et SS. Italiæ, atque in hoc Vitæ epitomen recitat: sed Aretii, ubi ait commoratam, proque castitate et fide interfectam, coli fatetur die xxiv Septemb.

S. Thomas Episcopus Herefordensis in Anglia, a Galesinio ex Annalibus Anglorum profertur. Est martyrol. Romano adscriptus. ii Octobris.

Petrus Metropolita Damasci inscriptus posteri Kalendario Coptico Seldeni. Quis sit nescimus. Occisus est ob Arabibus Damasci S. Petrus Majumenus, sive, ut in Romano Martyrol. scriptum, Mavimenus, xxi Feb. aliusque S. Petrus Episcopus Damascenus, (qui hic est fortassis) iv Octobris.

S. Leopoldi Ducis Austriæ Translatio facta est hoc die anno ciↃiↃvi, ut observat Galesinius, qui uti etiam Canisius in Martyrol. Germanico eum huic diei ideo adscripserunt. Colitur xv Octobris.

S. Aquililinum Episcopum Ebroicensem in sua Ecclesia cathedrali hoc die coli tradit Claudius Robertus. Nos, Martyrologia secuti, Vitam ejus dabimus xix Octob.

S. Donatus inscriptus est ad hunc diem Catalogo præcipuorum SS. Hiberniæ ab Henrico Fitzimon nostro. Quis hic sit haud divinamus in silentio Colgani. Est S. Donatus Episcopus Fæsulanus, qui ponitur etiam in illo Catalogo, et aliis Martyrologiis xxii Octobris.

S. Aurelianus Episcopus Lemovicencis, S. Martialis discipulus, refertur hic a Ferrario: ab aliis xiii Novembris. NOT. 41. ANIMADV. PAP. 119 et 120.

## DE SANCTIS FRATRIBUS
# FAUSTINO PRESBYTERO, ET JOVITA DIACONO,
## MARTYRIBUS BRIXIÆ IN ITALIA,

G. H.

### Commentarius prævius.

#### § I. *Memoria sacra SS. Faustini et Jovitæ. Vita a variis conscripta.*

AN. CHR. CXX, XV FEB. ANIMADV. PAP. 121 Brixia

Brixia antiqua Galliæ Transpadanæ apud Italos civitas, gentis Cenomanorum caput, a quibus in Italiam profectis eam conditam fuisse innuit Livius lib. 5. qui alia ejus decora memorat lib. 21 et 32. Sita est ad radicem fere Alpium Rhæticarum, quarum Præfecto sub Imperatoribus subjectam fuisse infra Acta horum Martyrum tradunt. Strabo lib. 4 Geographiæ, quam imperante Tiberio scripsit, asserit τοὺς Ῥαιτοὺς μέχρι τῆς Ἰταλίας κατήκειν, τῆς ὑπὲρ Οὐήρωνος καὶ Κώμου. Rhætos in Italiam usque protendi supra Veronam et Comum. Inter quas urbes Brixia est, quam Veronæ matrem, a qua minus distat, cecinit Catullus et Ptolemæus, qui temporibus Aurelii et L. Ælii Veri Imperatorum floruit, lib. 2 Geographiæ cap. 12, affirmat τῆς μὲν Ῥαιτίας τὴν ἀπὸ μεσημβρίας πλευρὰν ὁρίζεσθαι τοῖς ἐντεῦθεν ὑπὲρ τὴν Ἰταλίαν Ἀλπίοις ὄρεσιν. Rhætiæ latus meridionale terminari Alpibus, quæ hinc super Italiam extenduntur. (sub Alpium Rhæticarum Præfecto,)

2 Sub eisdem Imperatoribus Brixia ab Apostolorum temporibus lumen fidei Christianæ hausit, ac plurimos cælo transmisit cives martyrii palma coronatos. Ex his fuerunt sancti fratres Faustinus Presbyter et Jovita Diaconus, quos xv Februarii, post plurima, ut infra constabit, tolerata tormenta, capite plexos veneratur Ecclesia Romana, et singulari cultu, ad octo etiam dies extenso, ut Divos tutelares ac Patronos, prosequitur urbs ac diœcesis Brixiana. Antiquam venerationem testantur præcipuorum Martyrologiorum tabulæ. Ac Beda ita paucis: In civitate Brexia SS. Faustini et Jovitæ Martyrum. Eadem leguntur in Martyrologiis MSS. Coloniensi Carmelitarum, Trevirensi S. Martini, Ultrajectino ecclesiæ S. Mariæ et alio Reginæ Sueciæ, sed absque mentione Brixiæ. In alio antiquo MS. nostro, quod in Italia exaratum videtur, loco Brixiæ, traduntur civitate Colonia possi Coloniam huc fuisse deductum (Martyres SS. Faustinus et Jovita,)

A *adscripti antiquis Martyrologiis* *tum a Romanis testatur Plinius lib. 3 cap. 19.* In mediterraneo, *inquit*, regionis decimæ, coloniæ Cremona, Brixia Cenomanorum agro. *Unde forte aliquot verbis illi Martyrologio additis, sic legi debet :* Brixiæ civitate, colonia Romanorum, Sanctorum Martyrum Faustini et Jovittæ, *alias*, Jovitæ. *Sed majore implicantur errore plerique codices Usuardi tum manu exarati, quam excusi, dum Jovita quasi fœmineo adscribenda sexui foret*, Virgo *appellatur. Sic etenim legitur :* Civitate Brixa sanctorum Martyrum Faustini et Jovitæ Virginis. *In antiquo MS. nostro, quod Bedæ nomen præ se fert*, Sobita Virgo *appellatur. Scimus S. Joannem Evangelistam aliosque Sanctos viros ob singularem continentiam, qua eminuerunt, subinde* Virgines *cognominari ab auctoribus, sed id in Usuardo similibusque Martyrologiis necdum observavimus. Notkerus omisso Jovita, (quia forsan minus res ei dilucida erat)* In Brixia, *inquit*, Faustini Martyris. *In Adone MS. Leodiensi S. Laurentii additur*, et Jobitæ Virginis, *quasi Martyrium non subiisset. At Molanus eraso vocabulo* Virginis *substituit vocem* Diaconi.

3 *In aliis Martyrologiis plura ex Actis horum Martyrum commemorantur. MS. Albergense Canonicorum Regularium hæc habet :* In Italia civitate Brictia, natale SS. Faustini et Jobitæ Diaconi : Qui Adriano B *et cum majori ex Actis elogio* imperante, ferocissimis bestiis, flammisque expositi, eorum brachia constringi et in altum suspendi jubentur, ibique vehementer torqueri : demum lampadibus accensis ad eorum latera positis, decollatione capitis gloriosum martyrium consummaverunt. Crediderunt autem eorum passione roborati plusquam tria millia hominum. *Eadem leguntur in Martyrologio Coloniæ excuso anno* 1490, *et apud Hermannum Greven in auctario Usuardi. Sed in his error Usuardi de* Jobita Virgine *retinetur. Tormenta illis illata in utrisque Actis infra referuntur; quod vero dicuntur* credidisse amplius quam tria millia, *ex Actis posterioribus desumptum est : de quo numero ita Martyrologium MS. Bruxellense S. Gudilæ :* Apud Brixiam natale SS. Faustini et Jobitæ Diaconi. Qui sub Adriano Imperatore post diversa tormentorum genera capitis abscissione gloriosum martyrium compleverunt. Quorum passione plusquam tria millia hominum Christo crediderunt. *Similia leguntur in MS. Florario. At quæ apud Bellinum in Martyrologio secundum morem Romanæ curiæ anno* 1498 *excuso traduntur, ex aliis Actis, quæ integra necdum vidimus, videntur excerpta. In eo hæc habentur :* Apud Brixiam natale sanctorum C Martyrum Faustini et Jovitæ, qui sub Adriano Imperatore examinati, dixerunt ei : Audi Adriane, tortuose coluber, imo et sævissime anguis, per ambages et anfractus cursitas, ut nos a recto possis deviare tramite. Hoc tibi sit agnitum, quod latratui tuo non obedimus, nec diis thura ponemus : sed Domino Creatori nostro thura simul et libamina jugiter immolamus. Quod audientes populi ex Mediolanense urbe Sanctorum constantiam, conglobantes se mutuo venerunt ad beatos Dei Maryres et baptizari se fecerunt. Tunc Adrianus hæc audiens, furore accensus, mox eos gladio plecti fecit, et capita truncari. *Hæc Bellinus; ac fere eadem, citato Martyrologio Romano, Molanus. Quæ passi Martyres sunt Mediolani, referuntur in prioribus Actis num.* 16, *sed abest illa in Imperatorem invectiva. Alia elogia habent Wandelbertus, Felicius, Maurolycus, Galesinius, Canisius. De Epitome Actorum, quæ in aliquibus codicibus Adonis est, mox agemus. In martyrologio hodierno Romano hæc leguntur :* Brixiæ natalis sanctorum Martyrum Faustini et Jovitæ, qui sub Hadriano Imperatore post multa præclara pro Christi fide suscepta certamina, martyrii coronam acceperunt.

4 *Acta horum Sanctorum diversa a variis conscripta sunt. Horum alia damus ex MS. codice monasterii* D *S. Maximini prope Treviros, collata cum editione Laurentii Surii. Extant eadem Acta MS. Romæ apud Patres Oratorii, et Capuæ in monasterio sanctimonialium S. Joannis, uti inde per litteras nobis indicavit vir humanissimus D. Silvester Agussa. Alia Acta Neapoli ad nos misit Antonius Beatillus noster, quæ hactenus inedita etiam luce publica digna existimamus. Horum aliquam partem citant Antonius Bosius et Paulus Aringus lib. 3 Romæ subterraneæ, ille cap. 11, hic sequenti 12, asseruntque ea Acta MSS. in Codice Lateranensi haberi. Videntur utraque illa Acta ex aliis uberiori et stylo et rerum copia conscriptis esse contracta. Ejus rei indicium in prioribus est num. 19, ubi hæc leguntur :* Quia longum est beatissimorum Christi Martyrum Faustini et Jovitæ omnem textum passionis seu miraculorum exponere, ad gloriosum eorum exitum veniamus. *Illorum autem uberiorum Actorum pars forsan aliqua est, quam de S. Calocero edidit Mombritius, et nos hic ex illo adjungimus, quia res ab his Martyribus gestas præclare illustrat : et sunt etiam verba in aliis Actis subinde eadem. Demum excerpta addimus ex Vita S. Secundi Martyris Astensis a S. Faustino baptizati, quam ex pervetustis MSS. Ecclesiæ Astensis ac variis aliis dabimus* XXX *Martii. Quæ fere eadem continentur in Vita S. Marciani Episcopi Dertonensis et Martyris ex Mombritio et MSS. ad diem* XXVII *Martii edenda.* E

*AUCTORE G. H.*

*Acta hic eduntur duplicia ex MSS. et Surio:*

*aliorum partes ex Mombritio,*

*et Vita MS. S. Secundi :*

5 *Galesinius annotat ad suum Martyrologium,* SS. Faustini et Jovitæ martyrium primo mandasse Faustinum vii Brixiæ Episcopum, deinde Philastrium itidem Episcopum, a quorum scriptione gesta extare, quæ a Surio exscripta sunt. *Ughellus etiam in Episcopis Brixiensibus asserit a* S. Faustino Episcopo consignata esse litteris Acta S. Apollinaris Sanctorumque Faustini et Jovitæ : *et Ascanius Martinengus, Abbas Brixianus monasterii S. Afræ, in proœmio ad Vitam horum Martyrum, quam Italico sermone edidit, antiqua fama celebrari ait, septem a S. Faustino Episcopo conscriptas esse epistolas, quibus non tantum gloriosa martyrii certamina, sed etiam res aliæ, tota vita ab his fratribus præclare gestæ, accurata narratione exponantur, sed quam periisse ingemiscit. Colitur hic scriptor S. Faustinus* XVI *Februarii factus Episcopus circa annum* CCCL, *diciturque in Adone MS. Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ* corpora SS. Faustini et Jovitæ collegisse : *at qua occasione, necdum legimus.* S. Philastrius *ejus successor, teste Ughello in proœmio ad Brixienses Episcopos*, descripsit certamen pro Christo S. Afræ martyris, *cujus infra* F *in Actis conversio habetur, ac natalis celebratur* XXIV *Maii : in qua non potuit non agere de illustri martyrio SS. Faustini et Jovitæ. Extare horum passionem anno* CIƆIƆXI *excusam, eamque in adjuncta præfatione Jacobi Ricci attribui S. Philastrio, scribit ante memoratus Martinengus, dubitatque num ejus possit censeri opus, qui a libro ejus de Hæresibus, in Magna Bibliotheca Patrum excuso, stylo ac modo scribendi prorsus differat. Fuit S. Philastrius vir nobilissimus tum doctrina tum sanctimonia vitæ, familiaris SS. Ambrosio, Augustino aliisque viris sui temporis primariis, adscriptus Martyrologio Romano ad* XVIII *Julii : cujus Vitam S. Gaudentius successor scripsit.*

*auctores habentur Episcopi, S. Faustinus,*

*et S. Philastrius*

6 *Quidquid sit de Vitæ horum Martyrum auctoribus sane antiquis, illud videtur dicendum, eum ex præsulalibus Actis, quæ a notariis olim excerpta erant, sequentibus seculis scriptum fuisse, ab aliisque auctoribus nunc auctum, nunc breviatam. Sunt eorumdem Actorum variæ epitomæ : quarum præcipua censeri potest, quæ in Adone a Surio edito exstat, atque a Rosweydo nostro in Appendicem rejecta. Est idem Adonis martyrologium inter libros MSS. Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ, quod fuit olim Ecclesiæ Telonensis in Provincia, ejusque aliquos Episcopos alibi ignotos in prioribus foliis suggerit : ac multa per totum annum de Sanctis* *Brixianis*

*epitomæ apud Adonem,*

A *Brixianis, et ad hunc* XV *Februarii illustre horum Martyrum elogium, ex uberiore aliqua Vita, quam modo habeamus, profert, cum hac conclusione :* Quorum Missa habetur in Gelasio solummodo. *reliqua apud Surium et Rosweydum videri possunt, et infra in notationibus nostris indicantur. Alia epitome est in Officio Ecclesiastico in Lectiones secundi Nocturni pro urbe ac diœcesi Brixiensi distributa, quæ eadem aliquanto contractior in Breviario Romano continetur. Alias epitomas edidere Petrus de Natalibus in Catal. SS. lib.* 3 *cap.* 127, *et Vincentius lib.* 10. *Speculi historialis cap.* 83, *a quibus ipsa antiqua Acta dum summatim attinguntur, magis certa atque indubitata redduntur. Inter recentiores elogia horum Martyrum texuere Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, Peregrinus Merula in Sanctuario Cremonensi, ob singularem cultum, quo eos prosequitur Ecclesia Cremonensis, Haræus, Lippeloos, aliique, qui Vitas SS. variis linguis vulgarunt.*

*AUCTORE G. H.*

*in Breviario Brixiensi,*

*apud Equilinum, Vincentium et alios.*

## § II. *Tempus martyrii SS. Faustini et Jovitæ, item SS. Marciani, Secundi, Caloceri, et aliorum.*

*Tertiam persecutionem an. 107 cœptam a Trajano,*

I*nter persecutiones ab Gentilibus Imperatoribus contra Christianos motas tertia numeratur, quam* Trajanus *anno regni* X, *Christi* CVII, *cum in Oriente esset, instituit. In ea* S. Ignatium Episcopum Antiochenum B *Romæ dentibus leonum devoratum esse anno* CIX *diximus Kalendis Februarii. In eadem occisi sunt* S. Simeon Hierosolymorum Episcopus *cruci affixus, et* S. Onesimus Episcopus Ephesinus *lapidibus obrutus, quorum hic colitur* XVI *Februarii, iste* XVIII *ejusdem mensis. Post hanc indictam persecutionem* Trajanus *in Oriente semper mansit, numquam Romam aut in Italiam reversus : ac tandem Selinunte in Cilicia, quæ urbs deinceps Trajanopolis est appellata, vivere desiit die* IV *Idus Augusti,* Coss. Quintio Nigro et Vipsanio Aproniano *anno Christi* CXVII. *Trajano successit* Ælius Adrianus. *Plotina, quæ Trajani uxor fuerat, studio et favore, homo versutus et callidus, quem Dio in epitome apud Xiphilinum* περίεργον καὶ πολύτροπον *appellat. Erat, teste Ælio Spartiano in ejus Vita,* idem severus, lætus : comis, gravis : lascivus, cunctator : tenax, liberalis, simulator, sævus, clemens et semper in omnibus varius : *quem Dio scribit* in odium venisse propter nefarias et indignas cædes, quas initio et sub finem principatus fecit. *Interim sub initium Imperii, ut tradit Spartianus,* omnia quæ displicere vidisset, mandata sibi, ut faceret, decreto Trajani esse simulabat. *Hinc etiam* persecutio Trajani *contra Christianos, ab eo aliquamdiu continuata est : unde et* SS. Faustinus et Jovita C *dicuntur in Lectionibus Officii Ecclesiastici, sæviente* Trajani persecutione vincti per varias Italiæ urbes ducti; *cum tamen, ut mox constabit, sub* Hadriano *comprehensi primum et carceri inclusi sint.*

*Hadrianus an. 117 succedens continuat :*

8 *Sulpitius Severus lib.* 2 *sacræ historiæ* quartam ait sub Hadriano persecutionem numerari, quam tamen postea exerceri prohibuit. *Verum alii aliam in persecutionibus numerandis rationem inierunt, et hanc* Hadriani *ab ea, quam cœpit* Trajanus, *non distinguunt : quod, teste Tertulliano in Apologetico adversus Gentiles cap.* 5, leges nullas Hadrianus, quamvis curiositatum omnium esset explorator, contra Christianos impressit : *scilicet publicum aliquod edictum per totum Imperium promulgando. Sed qui, teste Spartiano,* sacra Romana diligentissime curavit, peregrina contempsit, et Pontificis Maximi officium peregit; *aliis id rogantibus potestatem fecit sæviendi in Christianos, data* sacra scriptione, *sive* imperiali sanctione, *ut Acta priora num.* 2 *et* 3 *explicant. At quo hæc anno sunt facta, indagamus. Imperium adeptus, cum Parthis composuit, illisque Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam restituit, Alexandriam publicis restauravit impensis.*

*nullum novum edictum promulgat per Imperium,*

*sed sæviendi dat facultatem :*

*Et hæc anno* CXVII. *Sequenti vero,* Coss. Imp. Cæsare D Hadriano II et Claudio Fusco Salinatore, *(quem Baronius annum Imperii primum, Petavius secundum appellat) Romam reversus est : sed Sarmatis et Roxolanis tumultuantibus in Mœsiam profectus, pacem cum iis firmavit. Quo eodem anno Imperatori, forsan proficiscenti versus Mœsiam, occurrit ad Adduam fluvium Italicus Rhætiarum Comes, ac potestatem in Christianos sæviendi accepit, et captos dein* SS. Faustinum et Jovitam *in reditum Imperatoris reservavit carceri inclusos. Redit Imperator, examinantur Martyres, objiciuntur feris, sed illæsi permanent. Convertuntur tria hominum millia, inter illos* S. Calocerus *ejusque ministri. Hos decollari jussit Imperator* XIII *Kalend. Decemb. Unde mense Novembri eum Brixiæ fuisse scimus.*

*an.* 118,

*Brixiæ coram se jubet SS. Faustinum et Jovitam torqueri,*

*alios occidi 19 Novemb.*

9 *Anno* CXIX Imperatore Cæsare Hadriano III et Quintio Rustico Coss. *die* XVIII *Aprilis* S. Calocerus *occisus palmam martyrii meruit, qui post interemptos* XIX *Novembris officiales suos una cum* SS. Faustino et Jovita *abductus* Mediolanum, *variis jussu* Hadriani *excruciatus est tormentis. Inde solus* Astam *abductus, ac tandem* Albingauni *Martyr effectus evolavit in cælum. Eadem tempora confirmantur in Actis* SS. Marciani Episcopi Dertonensis, *et* Secundi civis Astensis. *Illum comprehendit* Antiochus Alpium Cottiarum Præfectus, *cum Mediolanum ad Imperatorem Hadrianum proficisceretur : quo tempore illic variis tormentis* E *affligebantur* SS. Faustinus, Jovita et Calocerus. *In locum Antiochi substitutus* Sapricius *Astam abduxit* S. Calocerum : *a quo instructus* S. Secundus, *Mediolanumque profectus a* S. Faustino *baptizatus est. Regressus Dertonam, vidit* S. Marcianum Episcopum *capite plecti, raptumque corpus ejus sepelivit* XXVII *Martii, ac regressus Astam cum* S. Calocero *collocutus, amputato capite martyrium passus est* XXX *Martii, quo eodem die Albingaunum abductus est* S. Calocerus, *ibidem, ut diximus,* XVIII *Aprilis interemptus. Jussi dein Romam proficisci* SS. Faustinus et Jovita, *inviserunt Romanum Pontificem ad Catacumbas latitantem. Is erat* S. Evaristus, *dein hoc eodem anno* CXIX, *die* XXVI *Octobris, martyrio coronatus.* Campaniam *eodem adhuc anno* petiit Hadrianus, *ejusque* omnia oppida beneficiis et largitionibus sublevavit, *uti apud Spartianum legitur. Arectus etiam navi cum Hadriano Imperatore fuisse* SS. Faustinum et Jovitam *ejusque jussu in mare projectos, sed Angelorum ministerio ereptos, Neapolim venisse, tradunt Acta posteriora. Tandem Neapoli remissi Martyres sunt, atque* Aureliano Comiti *traditi : cujus jussu Brixiæ decollati sunt* XV *Februarii anni* CXX, Coss. L. Catilio Severo et T. Aurelio Fulvo.

*anno 119 Mediolani degit :*

*eo tempore occisi S. Marcianus 27 Martii,*

*S. Secundus 30 Martii, S. Calocerus 18 Aprilis,*

*S. Evaristus Papa 26 Octob.*

*SS. Faustinus et Jovita 15 Febr. an.* 120.

10 *Eodem anno* Hadrianus *rebus in Urbe et Italia* F *compositis, in Gallias et Germanias profectus est : inde in Britanniam transiit, ubi murum per* LXX *millia passuum duxit, qui barbaros Romanosque divideret, quod factum esse anno* CXXI *verosimilius est. Anno sequenti Imperator e Britannia in Gallias reversus, Nemausi basilicam in honorem Plotinæ Trajani uxoris construxit. Post hæc Hispanias ingressus, Tarracone hiemavit. Inde in Orientem anno* CXXIII *profectus, anno solum sequente transacta Athenis hyeme, Romam revisit : quando S. Quadratus Apostolorum discipulus et S. Aristides Atheniensis philosophus libros de religione Christiana eidem Imperatori obtulerunt : quibus hic commotus Minutio Fundano Asiæ Proconsuli scripsit, sine objectu criminum Christianos non esse condemnandos. E quibus constat assignatis annis prædictos Martyres captos, tormentis afflictos, et capite plexos fuisse. Baronium epocham annorum Christi biennio prævertere sæpius monuimus, ideoque anno* CXXII *eos Consules cum anno tertio Hadriani proferre, sub quibus anno* CXX *interemptos hos Martyres diximus.*

*Hadrianus abest ab Italia usque ad an.* 124 :

*remittit persecutionem.*

§ III

A § III. *Variæ translationes SS. Faustini et Jovitæ. Altaria, templa, cœnobia iis dicata.*

*In cœmeterio a S. Latino dedicato*

*sepulturæ SS. Faustini et Jovitæ :*

INter *Episcopos Brixienses quartus numeratur* S. Latinus, *Martyrologio Romano inscriptus ad* XXIV *Martii, quem ferunt pro religione Christiana sub Domitiano Imperatore multa perpessum esse, ac cœmeterium Martyrum prope urbis mœnia dedicavisse : in quo et ipse e vita discedens sepultus fuit, ac sancti Martyres* Faustinus et Jovita *ab Apollonio Episcopo S. Latini successore uno eodemque tumulo contecti. Quo in loco insignis extat basilica, quam Canonici Regulares tenent, ad honorem S. Afræ excitata : hanc enim una cum multis millibus civium Brixiensium pro confessione Christi Jesu necatorum, ibidem conquiescere tradunt Ascanius Martinengus ejusdem cœnobii S. Afræ Abbas in horum Sanctorum Vitis Italice editis, Ughellus in Episcopis Brixiensibus, Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, aliique. Locum hunc Christiani cœperunt olim castissima veneratione excolere. Nam volunt tempore Alexandri Imperatoris circa an.* CCXXV *aram erectam fuisse, lumina accensa, sacrificium oblatum, ac dein sub Philippis Imperatoribus circa an.* CCXLVI *ædem sacram sive oratorium erectum, quod* SS. Faustini et Jovitæ ad Sanguinem *ideo appellarint, quia ibidem pro Christi nomine morientes sanguinem suum fuderant. Ad tempora forsan Constantini Magni aut aliorum Christianorum Imperatorum hæc referenda potius videntur, nisi tum, quæ in summa Diocletiani ac Maximiani aliorumque fidei Christianæ hostium persecutione destructa fuerunt, dicantur restaurata : quod post crudelem Italiæ devastationem a Radagaiso Gothorum Principe, Attila Hunnorum Rege, factum esse memorant. De qua Brixianorum traditione consulendus est Martinengus. Templum S. Faustino Martyri dicatum extitisse Brixiæ suo tempore testatur S. Gregorius Magnus lib. 4 Dialog. cap.* 52, *quod hic recitabimus.*

*ara illis erecta.*
*ædes SS. Faustini et Jovitæ* ad sanguinem *dicta.*

B

12 Joannes, *inquit*, vir magnificus, in hac Urbe locum Præfectorum servans, cujus gravitatis atque veritatis sit, novimus : qui mihi testatus est, Valerianum Patricium in civitate, quæ Brixia dicitur, fuisse defunctum. Cui ejusdem civitatis Episcopus, accepto pretio, locum in ecclesia præbuit in quo sepeliri debuisset. Qui videlicet Valerianus usque ad ætatem decrepitam levis ac lubricus extitit, modumque suis pravitatibus ponere contempsit. Eadem vero nocte, qua sepultus est, B. Faustinus Martyr, in cujus ecclesia corpus illius fuerat humatum, custodi suo apparuit, dicens : Vade, et dic Episcopo, ut projiciat hinc fœtentes carnes, quas hic posuit ; quod si non fecerit, die trigesima ipse morietur. Quam visionem custos Episcopo timuit confiteri, et rursus admonitus declinavit. Die autem trigesimo ejusdem civitatis Episcopus, cum vespertina hora sanus atque incolumis ad lectum rediisset, subita et inopinata morte defunctus est. *Hæc S. Gregorius : ex cujus verbis non liquet an templum* SS. Faustini et Jovitæ ad sanguinem, *quo loco nunc S. Afræ basilicam esse diximus, tunc illorum sacra corpora adservabantur, intelligi debeat ; num illud SS. Faustini et Jovitæ templum, ad quod post ducentos fere annos illorum Reliquiæ translatæ sunt, tunc fuerit extructum. Priorem ecclesiam fuisse innuunt Martinengus aliique Brixiani : et Ughellus ait* Cunipertum Episcopum, *non multis ante eam Translationem annis,* sepultum esse in æde SS. Faustini et Jovitæ ad sanguinem.

*in æde S. Faustini sepulto homine nefario,*

*denuntiante S. Faustino*

C

*moritur Episcopus.*

13 *Cuniperto successit Amphridius, sive Amphrigius, qui, ut idem Ughellus tradit,* Brixiensem tenuit Sedem optima fama Pastoris, annoque iↄcccvi, die xiii mensis Maii, solenni pompa transtulit corpora SS. Faustini et Jovitæ, ut in Vita eorumdem Sanctorum legitur. Amphridius, dum precum instantia cœlum pulsaret, sancte pieque decessit, sepultusque est in ecclesia S. Faustini : ubi sequens memoria legitur Longobardorum litteris exarata, ut Octavius Rubeus observavit : Hic jacet Beatus Amphridius Episcopus, qui in orando coram sanctissimis Faustino et Jovita animam Deo reddidit. *Successit Amphridio* Petrus, *qui fertur* anno iↄcccvii die xiii Aprilis sacellum consecrasse in ecclesia S. Faustini ; anno iↄcccxiv excessisse e vivis, sepultusque esse in ecclesia S. Faustini majoris : *in qua scilicet tum corpus ejus et S. Jovitæ quiescebat.* Subvectus *eodem* anno iↄcccxiv ad hanc Sedem Rampertus, qui gallum æneum fundi curavit, collocarique in turris fastigio, ubi adhuc spectatur cum hac inscriptione : Dominus Rampertus Episcopus Brixianus gallum hunc fieri præcepit an. D. N. Jesu Christi P. M. octogentesimo vigesimo, Indictione 13, anno Translat. SS. decimoquarto, sui Episcopatus vero sexto. *Hæc Ughellus : e quibus annus Translationis* iↄcccvi *confirmatur, quando et Carolus Magnus Imperio potiebatur, a quo tradunt Capreolus et Martinengus Brixianæ urbi præfectum esse Naimum, seu Namum, Ducem e Bojoaria oriundum, ejusque directione et sententia rem totam fuisse confectam.*

*Anno 806 transferuntur corpora SS. Faustini et Jovitæ 13 Maii ab Amphridio Ep.*

D

AUCTORE G. H.

*ad ecclesiam S. Faustini majoris,*

*sub præfecto Naimo :*

ANIMADV. PAP. 122

14 *Idem* Episcopus Rampertus Leuthgarum abbatem ac Hildemarum monachum (*verba sunt Ughelli*) sanctimoniæ laude doctrinaque præstantes evocavit e Gallia, constructoque cœnobio illis attribuit ecclesiam, ubi SS. Faustini et Jovitæ corpora requiescunt.... Diu superstes fuit Rampertus, abiitque ad superos, cum sibi creditam Ecclesiam, qua disciplina Ecclesiastica, qua opibus mirifice auctam suis successoribus reliquit, sepultusque jacet in eadem ecclesia SS. Faustini et Jovitæ, quam augustiorem fecerat. *Translatæ ab eo etiam sunt* Reliquiæ SS. Faustini et Jovitæ, *forte ad augustiorem locum, aut novum altare illis erectum. Ado MS. olim Ecclesiæ Telonensis in Provincia, nunc Serenissimæ Reginæ Suecorum, diem* IX *Maii ab ea Translatione auspicatur his verbis :* Translatio beatorum Martyrum Faustini et Jovitæ in civitate Brixia, facta a Domino Ramperto ejusdem civitatis Episcopo, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi iↄcccxliii, Indictionis vi. *Ferrarius etiam in Catalogo generali refert eodem* IX *Maii* Translationem sanctorum Martyrum Faustini et Jovitæ, *citatque* Ecclesiæ Brixiensis tabulas.

*monasterium extruitur a Ramperto Ep.*

E

*et Reliquiæ iterum transferuntur anno 843, 9 Maii,*

ANIMADV. PAP. 123

*non sub S. Antigio aut Ansigino Ep.*

15 *Alii aliam Translationem assignant, factam a S. Antigio, sive Ansigino, Episcopo. Ughellus hos distinguit, et* S. Antigium *asserit post S. Apollonium fuisse anno* CLX sextum Brixiensem Episcopum, de quo Brixiense martyrologium xviii Kalend. Decemb. et Sanctorum ejusdem Ecclesiæ indiculus. *At* S. Ansiginum *ait* vixisse anno iↄclxxxii Deodedit Episcopo suffectum, cujus festum Brixiæ celebratur xviii Kalend. Decembris, *quem diem ante assignarat S. Antigio. Hunc Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ et Catalogo generali eodem die refert asserens cum* Sancto Deusdedit successisse : ferrique in sanctorum Martyrum Faustini et Jovitæ translatione orando expirasse, ac corpus in æde S. Faustini quiescere : *quæ supra de Amphridio legi diximus. Citantur Elias Capreolus et Ascanius Martinengus : apud quos tempora rerum gestarum ac translationum* SS. Faustini et Jovitæ *confusa sunt et intricata. Si antiquitati sua auctoritas concedatur,* corpus S. Antigii Episcopi, *sed non Brixiensis Ecclesiæ, adservari* in templo SS. Faustini et Jovitæ *docemur in citato ante Adone MS. ecclesiæ Telonensis, nunc Reginæ Sueciæ, quem apud ipsos Brixienses auctum olim suspicamur, quod accuratissima de Sanctis Brixiensibus encomia complectatur. In eo autem codice de S. Antigio ad* xviii *Kalend. Decemb. hæc leguntur :* Lingonis civitate Galliæ in territorio Maguomontense transitus S. Antigii Confessoris et Episcopi : qui primo ibidem sepultus, postea vero

F

*cujus corpus e Gallia Brixiam translatum.*

A AUCTORE G. H.

inde translatus et in Caiciaco villa in ecclesiam S. Mariæ et S. Martini a Domno Haymone venerabili Sacerdote honorifice reconditus est. Deinde post non plurimos annos, ob metum Nortmannorum, qui tunc maximam partem Franciæ ac Burgundiæ vastaverunt, ab ipso sancto Sacerdote perlatus, et in Italiam adductus, atque in civitate Brixia, in monasterio sanctorum Martyrum Faustini et Jovitæ, quod ipse jam dictus venerabilis Abba postea per annos octo, menses quatuor, dies viginti tres honorifice rexit, venerabiliter collocatus quiescit. *Hæc in illo Martyrologio.*

*Templi SS. Faustini et Jovitæ privilegia confirmata.*

16 *Hujus monasterii* SS. Faustini et Jovitæ *privilegia ad preces Notengi Episcopi Brixiani perhumaniter confirmavit Stephanus Papa Romanus* IX, *aliis* VIII *habitus, qui præfuit Ecclesiæ ab anno* IↃCCCCXXXIX *ad annum* IↃCCCCXLIII. *In basilica eorumdem Martyrum sepultus est seculo undecimo Adelmannus ex Clerico et Scholastico Leodiensi Episcopus Brixiensis, qui inter alia ingenii sui monumenta posteritati reliquit librum de Corpore et sanguine Domini in Eucharistia, seorsim et in magna Bibliotheca Patrum sæpius recusum, quo Berengarii, sui olim condiscipuli, hæresim jugulavit. Hujus et trium aliorum Episcoporum corpora in decentiorem locum hoc seculo translata sunt, ut videre est in hac adjecta inscriptione :* Donec immortalitatem induant, Apsidii, Petri, Ramperti, et Adelmanni Brixiæ Episcoporum reliquias hic grata Cassinensis Congregatio reposuit MDCXII. *Est* Apsidius, Amphridius *alius appellatus, sub quo ad eam ecclesiam corpora SS. Faustini et Jovitæ translata fuisse diximus, cui successere Petrus et Rampertus, illic etiam sepulturæ dati. Seculo Christi duodecimo extructa est nova ecclesia SS. Faustini et Jovitæ, quam Idibus Augusti anni* CIↃCLII *Maifredus Episcopus Brixiensis simul cum Oberto Archiepiscopo Mediolanensi, Gerardo Episcopo Bergomate, et Theobaldo Veronensi consecravit. Apud Martinengum extat instrumentum sequens repositionis reliquiarum SS. Faustini et Jovitæ, quod hic damus.*

*In eo sepultura 4 Episcoporum*

B

*nova ecclesia dedicata 13 Augusti an 1152.*

17 Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio, Indictione undecima, octavo die intrante Augusto, aperta est arca sanctorum Martyrum Faustini et Jovitæ : et reposita est in loco isto cum corporibus eorumdem Martyrum et B. Faustini Confessoris, præsente Archidiacono et Archipresbytero, una cum Clero suo Brixiano, et Fratre Jordano Magistro Ordinis Prædicatorum et Fratre Gualla Priore ejusdem loci cum Fratribus suis : et hoc factum cum solenni processione. Et tunc reposita sunt corpora eorum Sanctorum Faustini et Jovitæ Martyrum in hac arca lignea, et corpus S. Faustini Confessoris in hac alia, a venerabili Patre nostro Alberto Brixiensi Episcopo, et inventum est ibi epitaphium marmoreum, cujus tenor est talis : Faustino et Jovitæ Martyribus Victor Maurus ex voto posuit mensam civibus suis. *Hæc ibi. Interfuit Albertus Concilio Lateranensi* III *anno* CIↃCCXV, *et S. Dominicum Brixiæ excepit, eidemque locum idoneum cœnobio exædificando attribuit : cui memoratus Gualla, nonnullis Guala, præfectus, tanta sanctimoniæ fama vixit, ut, Alberto ad sedem Antiochenam in Syria promoto, Episcopus Brixiensis fuerit ordinatus anno* CIↃCCXIX. *Vitam B. Jordani Generalis dedimus* XIII *Februarii.*

*Reliquiæ an. 1223, 8 Augusti repositæ.*

C

18 *Demum Ughellus in encomio Brixiensis urbis ante catalogum Episcoporum hæc scribit :* Divos tutelares colit SS. Faustinum et Jovitam, quibus dicatum est insigne templum, et cœnobium Ordinis S. Benedicti invidiosis divitiis dotatum. Horum sacra lipsana celebri in arca marmorea super altari majori ejusdem templi, ære civitatis extructa, figurisque ornata asservantur. *Arcam illam sex columnis marmoreis inniti factamque anno* CIↃCCCCLV *tradit Martinengus.*

*arca Reliquiarum marmorea.*

19 *In Adone MS. monasterii Lobiensis adscripta est ad* XVIII *Martii memoria* SS. Faustini et Jovitæ, *forsan ob aliquam, quæ eo die contigit, reliquiarum elevationem aut repositionem. Bononiæ in æde parochiali S. Joannis in monte Oliveti, quam possident Canonici Lateranenses, aliquas SS. Faustini et Jovitæ reliquias in veneratione esse, testis est Masinus in Bononia perlustrata. Aliquas item SS. Fausti et Jovitæ Martyrum Reliquias Veronæ in ecclesia S. Georgii in locello prope altare S. Helenæ reconditas fuisse ab Andrea Aquileiensi Patriarcha circa an. Ch.* IↃCCCXXVIII *inscriptio lapidi incisa testatur, edita ab Ughello tomo* 5 *Italiæ sacræ in Theobaldo* LXXIII *Episcopo Veronensi colum.* 716. *Romæ obtinuerunt Brixienses ab anno* CIↃIↃLXXV *locum aliquem, in quo ecclesiam sive oratorium ad SS. Faustini et Jovitæ honorem excitarunt, cui anno* CIↃIↃCIV *adjunctum domicilium, in quo pauperes, peregrini, ægrique Brixienses excipiuntur, uti legi potest apud Octavium Pancirolum in Thesauro urbis Romæ regione* 6 *eccl.* 15. *In memorato ante Adone MS. ecclesiæ Telonensis celebratur* XXI *Septembris memoria* S. Castoris *Episcopi Aptensis in Provincia, qui necdum Episcopus in agro possessionis propriæ ecclesiam S. Faustini construxit, et collectis monachis regulam a S. Cassiano Massiliæ petitam præscripsit. Sed num Faustinus Brixiensis Martyr et frater S. Jovitæ ecclesiæ hujus assumptus fuerit Patronus, non liquet.*

D

*Aliquæ reliquiæ Bononiæ,*

*et Veronæ.*

*ecclesia Romæ,*

*an etiam Aptæ in Provincia*

E

# VITA

auctore anonymo,

*Ex MS. S. Maximini et Surio.*

## CAPUT I.

*SS. Faustini et Jovitæ fides, ordo sacer, captivitas, constantia. Statua Solis dejecta.*

Beatissimi viri Faustinus et Jovita, nobilissimis in civitate *a* Brixiana orti parentibus, fidem Christi, quam religiosa mente didicerant, instante solicitudine prædicabant. Erant enim non solum germanitate carnis conjuncti, sed etiam virtute spiritus ita uniti, ut concordi ubique studio Christum annunciantes, copiosam regionis illius multitudinem ad veræ fidei cultum perducerent. Erat siquidem eo tempore ejusdem Brixianæ civitatis Episcopus, *b* Apollonius nomine, qui ob metum persecutionis sese in abditis occultabat. Is cum famulos Dei ardentissimum fervorem erga prædicationis studium habere conspiceret, ad se accersitos, *c* Ecclesiasticis eos gradibus sublimavit. Denique Faustino, quia major natu erat, presbyterii *d* ordinem tradidit ; Jovitam vero juniorem natu, ministrorum Christi numero sociavit. Susceptis itaque beati viri Faustinus et Jovita divinis ministeriis, cœpere nihilominus tanto propensius verbo prædicationis insistere, quanto magis eos ipsa etiam sacerdotalis dignitas invitabat. Cumque innumerabilem quotidie populum Christo acquirerent, nec esset aliquis qui eorum doctrinæ repugnaret, cœpit opinio prædicationis eorum ad vicinas etiam provincias se circumquaque diffundere.

*a*

*Fidem Christi prædicant,*

*b*

*c*

*d*

*ordinantur Faustinus Presbyter, Jovita Diaconus*

F

2 Eo itaque tempore Italicus *e* Comes, qui *f* Rhætiarum populis præerat, cum esset paganissimus, et supra modum dæmoniacis cultibus occupatus, lumen fidei, quod ipse cæcitatis suæ involutus tenebris respuebat, moliebatur etiam insano studio a suæ provinciæ hominibus arcere. Unde factum est, ut veniente Adriano Imperatore *g* in partes Liguriæ, ad fluvium *h* Adduam ei occurreret, ac talibus apud eum ore sacrilegio uteretur conquestionibus : Invictissime Imperator ac triumphator, inquit, consule Romanæ reipublicæ tuæ, consule sacratissimus diis nostris. Sunt duo viri in civitate Brixiana, qui nescio quem Christum prædicantes, plures jam a magno-rum

*e f*

*g*

*h*

A rum deorum nostrorum cæremoniis averterunt. Hos nisi vestri numinis censura coercuerit, certum est, eorum subversionibus divinam in his locis oblitterari culturam. Audiens talia Imperator Adrianus, dat ei, utpote quem tenebat studiosissimum sui erroris fautorem, hujusmodi per sacram scriptionem potestatem, ut ubicumque Christianos invenisset, ut diis eos inclinaret, aut diversis suppliciis exterminaret.

*sistuntur Italico Comiti* i

3. Accepta itaque Italicus Comes, ut optaverat, sæviendi in Christianos potestate, processit iturus Brixiam, sicut jusserat Adrianus. Qui mox ut in civitatem ingressus est, misit statim *i* Liberium consiliarium suum ad Faustinum et Jovitam, qui eis imperialem innotesceret sanctionem. Quos cum in fide nominis Christi persistere immobiles comperisset, repletus indignatione præcepit militibus, ut eos comprehensos suis adspectibus præsentarent. Qui cum adducti essent, ita eos Comes Italicus allocutus est dicens : Invictissimus Imperator sacris suis jussis constituit, debere omnes Christianos ad deorum nostrorum religionem converti. Si qui vero ejus inventi fuerint repugnare præceptis, diversa in eorum contumaciam animadvertit supplicia. Unde æquum est, vos, o Faustine et Jovita, tam salubribus monitis colla submittere, et relicto novo superstitionis errore, ad veterem sacrorum deorum, quam status B reipublicæ constituit, repedare culturam. Beatissimi Faustinus et Jovita dixerunt : Tempus nostrum advenit, ut exultare potius, quam terreri, debeamus. Unde scire te certius volumus, quia neque fidem Domini nostri Jesu Christi, qua semel imbuti sumus, ullo possumus modo relinquere, neque hujusmodi præceptis obedire. Audiens hæc Italicus Comes, jussit eos in carcere custodiri usque ad Adriani Imperatoris adventum, qui in proximo sperabatur venturus.

*includuntur carceri :*

l

4. Quinta igitur die cum introisset *l* Adrianus Imperator Brixiam, retulit ei Italicus Comes de beatissimis Faustino, et Jovita, quod jussis ejus obtemperare contempsissent, et quia ad ejus audientiam clausi reservarentur in carcere. Adrianus Imperator dixit : Et quali progenie orti sunt, ut ad nostram majestatem audiendi reservarentur? Italicus Comes respondit : Ex præclaro genere originem ducunt. Nam parentes eorum caput senatus in hac civitate fuerunt, qui tantam diis nostris exhibuerunt reverentiam, ut, sicubi comperissent esse Christianos, summo eos flagrantis zeli studio persequerentur. Isti vero qua insania dementes effecti sint, nescio, ut obstinata cordis intentione deos nostros blasphemantes respuant, et Christum, qui a Judæis ligno C affixus asseritur, colant. Adrianus dixit : Isti homines mihi plurimum necessarii sunt, ut per eorum supplicia multos ad deorum nostrorum religionem convertam. Tunc præcepit eos eductos de carcere, suis præsentari adspectibus, quibus et dixit : Estne aliquis Deus *m* Sole præstantior, ut relicto ejus nomine, ad alium vos quasi potiorem debeatis conferre? B. Jovita respondit : Nos verum Deum veneramur et colimus qui est Deus cœli et terræ et universæ creaturæ : qui et ipsum Solem constituit, ac dedit illi officium, ut luceat per diem, sicut et lunæ stellarumque ordinibus, ut tenebras illuminent noctis. Adrianus dixit : Consultius facitis, si nostram impleatis voluntatem, ut primi in nostro palatio esse possitis, quam in hac insania perseverantes, acerbissima morte consummemini. Sanctissimi Faustinus et Jovita dixerunt : Non faciemus rem nefariam, quæ nos ad interitum perducat æternum. Adrianus dixit : Nefarie facitis, cum vos Christianos esse denuntiatis, ut exclusa a vobis tranquillitatis nostræ gratia, infamiæ macula denotemini. S. Jovita respondit : Optime nos profitemur et denunciamus esse Christianos :

*accusati apud Imperatorem,*

m

*adducuntur in ejus conspectum :*

*respuunt oblatos honores*

nam gratia tua nobis vitanda est, ut ad æterni Regis D gratiam pervenire possimus. Adrianus Imperator dixit : Nimis duro corde estis, quos verba mea inclinare non possunt. Pietas enim nostra erga vos est : ideoque vos optamus modis omnibus effici meliores, ut dignam habeatis apud nos militiæ potestatem. B. Faustinus respondit : Dignam habemus militiam, quam nobis Christus noster tradidit. Nam militia vestra cum tempore finienda est, quia et vos ipsi cum tempore deficietis : nostra vero militia in æternum permanet.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS. ET SURIO.

5. Adrianus dixit : Jam satis est, quod vos patienter sustinui. Aut sacrificate Deo invicto Soli, aut permulta faciam in vos tormenta expendi. Faustinus et Jovita responderunt : Nos sacrificamus Deo vivo, qui Solem in ornamenta constituit. Sol autem quem nobis adorandum præcipis, a Deo vero nobis in obsequium datus est. Tunc Adrianus ira commotus jussit eos ante templum Solis perduci. Erat autem statua Solis auro perfusa, habens in capite radios ex auro puro. Quibus dixit Adrianus : Videtis gloriam invicti Solis? Accedite, et sacrificate ei, ut dignos vos habeat in conspectu suo, et liberi efficiamini ab his, quæ vos expectant, tormentis. B. Faustinus respondit : Nunc videbis gloriam Dei nostri, ut cognoscas hunc invalidum esse, quem tuum Deum confiteris. Tunc una voce pariter dixerunt : Sol cognovit occasum suum : posuisti tenebras, et facta est nox. Adrianus dixit : Quid est, quod submurmuratis? Accedite propius, et sacrificate Deo invicto Soli. E

*renuunt sacrificare Soli.*

6. Tunc Jovita conversus ad statuam Solis, dixit : Nos adoramus Deum, qui regnat in cœlis, qui solem lucere constituit : tu autem cum sis statua in adspectu tantum Solis, transfigurare in effigiem picis ad confusionem eorum, qui te quasi Deum adorant. Cumque hæc dixisset, illico facta est statua ut fuligo in conspectu populi : radii autem, qui in capite illius erant, tamquam carbones mortui decidebant in terram. Cernens Adrianus talia, dixit : Quid est, quod video? Italicus Comes dixit : Præcipe ministris, ut cum spongiis ei restituant splendorem. Jubet ergo Adrianus ascendere ministros cum spongiis, ut superductam fuliginem eidem statuæ detergerent. Quod dum ministri conarentur efficere, tota simul in favillam resoluta est, ut nihil penitus ex ea remaneret. Beatus vero Faustinus ait ad Imperatorem : Animadvertis quod factum est Deo, quem colis? Quomodo ad nihilum redactus est?

*verbo reddunt Solis statuam instar fuliginis,*

*mox in favillam redactam*

a *MS. S. Maximini*, Brixania. — b *Colitur* S. Apollonius 7 *Julii, quem Ughellus asserit anno* 116 *Episcopum creatum, diutissime in ea dignitate vixisse, ac* totam Brixiam, (*Ferrarius*, maximam civium partem) ad fidem Christi convertisse, et SS. Faustinum et Jovitam sacro baptismate lavisse. — c *In altera Vita post plurima ab iis tolerata tormenta dicuntur ab Angelo, e carcere ad* S. Apollonium *educti et ordinati.* — d *Surius*, officium. — e *Jul. Capitolinus in Vero Imperatore* : Confecto bello regna Regibus, provincias vero Comitibus suis regendas dedit. — f *Brixiam ad radices Alpium Rhæticarum sitam supra diximus, et eidem Comiti subjectam fuisse hinc colligimus.* — g *Forte legendum esse* ex partibus Liguriæ, *innuunt sequentia.* — h Addua *fluvius exoritur in excelso Rhæticarum Alpium jugo, et per vallem Tellinam lapsus*, Larium *lacum transit, dein per agros Orobiorum et Insubrum inter Placentiam et Cremonam in Padum devolvitur. Hac forsan venit Imperator ex Liguria, inde progressus contra Roxolanos et Sarmatas, quod anno* 118 *factum esse supra probavimus.* — i *Alia Acta* Tyberium, *Martinengus* Tiberium. — k *Sanctione hac voluisse eum decreta Trajani contra Christianos lata obscurari, supra diximus.* — l *Post reditum e Mœsia, et Danubii accolis firmatam pacem, anno* 118 *in hyemem vergente.* — m Soli *Hadrianum Imper. addictum fuisse constat ex Spartiano, dum colossi, opera* 24 *elephantum translati, simulacrum ante Neroni dicatum, testatur* Soli *ab eo consecratum esse.* F

## CAPUT II.

*SS. Faustini et Jovitæ victoria de feris, et igne. SS. Caloceri, Afræ et aliorum conversio.*

Tunc iratus valde, jussit eos ad bestias damnari. Cumque introducti essent in medio *a* ludi, Adrianus

a

*Auctore anonymo ex mss et suro.*

*Contemnunt Saturnum,*

*et Dianam.*

A nus dixit ad Italicum : Introducantur feræ sævissimæ, ad quarum adspectum statim timore deficiant. Conversus vero Adrianus, dixit ad Martyres : Animadvertite, o Faustine et Jovita, quia jam in morte estis constituti, et prope est, ut acceleretur finis vitæ vestræ. Consentite itaque mihi, et sacrificate deo Saturno, sive Dianæ, ut ab ferarum morsibus absolvamini. S. Faustinus respondit : Saturnus, quem dicitis, homo fuit pollutus immanissimis sordibus, qui suorum fertur carnes vorasse filiorum. Diana vero turpis extitit mulier, quæ pudore abjecto succincta more venantium, feras dicitur insecuta. Hosne tales nobis præcipis ad summi Dei injuriam adorare? Adrianus Imperator dixit : In morte estis constituti, et adhuc in blasphemiis perseveratis?

*manent illæsi inter leones, leopardos, et ursos, ministris interemptis*

8 Tunc conversus ad satellites suos, imperat eis, ut quatuor adversus Christi athletas *b* leones admitterent. Dimissi sunt itaque leones, quorum erant oculi flammantes, et adspectus terribiles. Qui venientes cum grandi velocitate projecerunt se ad pedes Sanctorum, dantes intolerabiles fremitus, ita ut contremisceret populus paganorum. Ipsi vero demisso in teram capite, lingebant Sanctorum vestigia. Cernens Adrianus quod gerebatur, jussit ministris suis, ut dimitterent leopardos. Qui et ipsi venientes ad locum, ubi servi Dei stabant, volutaverunt se ad pedes eorum. Videntes hæc populi, clamaverunt, dicentes : Tolle magos de medio nostri, ut possimus libere deos adorare. B Adrianus amplius ira stimulatus, ait ad ministros : Dimitte ad eos *c* ursos, ponentes prius tamen circa latera eorum faculas ardentes, ut cum exusti fuerint, dolore eos instigante, ipsos devorent. Fecere ergo ministri, ut sibi fuerat imperatum, dimiseruntque ursos. Qui cum ad servos Dei appropiassent, leones et leopardi faciebant in ipsos ministros impetum, et ita eos morsibus suis conciderunt, ut ne unus quidem vivus evaderet.

*insultant victores Imperatori.*

9 Electi autem Dei stabant inter bestias securi, quibus ait Adrianus : Animadvertitis, Faustine et Jovita, quia miserationem suam adhuc deus Saturnus, cui injurias intulistis, erga vos exhibet, et idcirco a feris minime contingimini? Faustinus respondit : Erubesce Christianorum tyranne. Non enim, ut tu putas, Saturnus tuus ab his feris nos eripuit, sed potius verus Deus ille, cui nos servimus, qui regnat in cœlis. Ubi itaque sunt minæ, quas nobis intendebas? Ecce feræ, quas cum grandi ad nos feritate, misisti, adorantes Deum, jacent ante pedes nostros prostratæ, nihil feritatis habentes. Sed si qua adhuc habes fortiora, accelera, ut in omnibus te victum esse cognoscas. Adrianus dixit : Nolite C urgere, quia jam duriora præparata sunt, quæ vobis adhiberi præcipiam.

*Devorantur Italicus Comes, et Sacerdotes Saturni*

10 Tunc quidam sacerdos, Orphetus nomine, qui *d* consanguineus erat Imperatoris, dixit ad eum : Si jubet pietas vestra, tollentes invictissimum deum Saturnum, eamus ad eos, ut liberentur a feris, et sic poterimus lucrari animas eorum. Adrianus dixit : Facite, sicut vobis videtur. Tunc Orphetus una cum aliis sacerdotibus, nec non Italico Comite, tollentes Saturni statuam, pergebant ad locum, ubi erant Sancti inter bestias positi. Qui cum propius accessissent, continuo feræ insilientes super eos, universos suis morsibus peremerunt clamantibus paganis ac dicentibus ; Deus Saturne, adjuva ministros tuos. Statua quoque ipsa, bestiarum conculcata pedibus, suorum jacebat fœdata sanguine sacerdotum.

*Calocerus, Afra et alii multi credunt in Christum*

11 Audiens uxor Italici, Afra nomine, virum suum a feris interemptum, cum magna velocitate venit ad theatrum, et ita cum clamore dicebat Adriano : O quales deos colis, Adriane, qui nec sacerdotes suos, nec seipsos potuerunt liberare. Quapropter et ego misera ob vestram perfidiam D vidua facta sum. Quid multa? Videntes populi, quod erat factum, magnificabant Deum Faustini et Jovitæ, et multi *f* ex eis crediderunt in Domino : inter quos simul etiam *g* Calocerus, qui erat in officio Imperatoris, cum multis officialibus suis crediderunt Christo : sed et Afra, conjux Italici, relicto errore idololatriæ, credentium sociata est numero.

*feræ ad vocem Martyrum cicures discedunt.*

12 Adrianus Imperator ait ad Martyres : Si verus Deus est, quem colitis, exite liberi a feris. Beatissimi athletæ responderunt, dicentes : Et in hoc tibi ostendimus potentiam Domini nostri Jesu Christi. Tunc conversi, dixerunt ad bestias : In nomine Domini imperamus vobis, ut exeatis extra civitatem, neminem omnino contingentes. Quæ statim a conspectu eorum, velut oves mansuetissimæ, recedentes, portas civitatis egressæ, montium deserta petierunt. Adrianus vero fortissimos Christi milites præcepit retrudi in carcerem.

*Manent Martyres in flammis illæsi : in carcere ab Angelis corroborantur :*

13 Postera igitur die jubet sibi in Capitolio Adrianus sedem parari : quo cum Sanctos Dei adduci præcepisset, compellabat eos Jovi thura imponere. Qui cum immobiles in fide Christi persisterent, jussit Adrianus ignem copiosum accendi, et in medium incendii eos projici. Stabant vero bellatores Christi inter flammas immobiles, et expansis manibus hymnum dicentes. Ampliori ergo dehinc Adrianus indignatione correptus, magos eos esse et sceleratissimos inclamitans, præcepit eos rursus in carcerem trudi, et nullum penitus ad visitationem eorum admitti, ut famis penuria interirent. Angeli autem Domini E intempestæ noctis silentio descenderunt ad eos, quorum adspectus in modum radiorum Solis, tenebras effugabat. Qui confortantes beatissimos Christi athletas, ab oculis eorum lapsi sunt.

*imperterriti minitanti Imperatori respondent.*

14 Jubet itaque post hæc Adrianus tribunal ante templum Martis præparari, et ibidem sibi beatissimos Faustinum et Jovitam exhiberi. Cumque isset Calocerus, ut eos exhiberet, ecce occurrit sanctis Martyribus totum officium Caloceri, et præcedebat eos cum magna reverentia, usque dum venirent ad fanum Martis. Cernens vero Adrianus omnes ex officio pari consensu Sanctis exhibere reverentiam, suspirans, animique dolore permotus, recepit se in palatium, et jussit Faustinum et Jovitam inscio populo ad se adduci, quibus et ita dixit : Existimatis, quod et me vanum per maleficia vestra faciatis, sicut et populum fecistis? Unde nisi sacrificaveritis, per *h* diversas vos faciam vinctos trahi civitates, et per varia demum tormenta vivendi vobis terminum imponam. B. Faustinus respondit : Quocumque nos duci præceperis, semper in nomine Domini nostri te scies confundi : quia Salvator noster, qui nos protegit, semper nobiscum est. Adrianus dicit : Probabitis tunc, cum vehementiora vobis adhiberi præcepero F tormenta. B. Jovita respondit : Quascumque nobis pœnas adhibueris, non timebimus mala, quoniam Dominus suscipiet nos. Tunc præcipit eos iterato in carcerem claudi usque ad diem profectionis suæ, mandans ministris, ut nullum ad eos ingredi permitterent. Sed et carcerem annuli sui impressione obsignari præcepit.

*carceri arcte includuntur.*

a Spartianus *de Hadriano*, In omnibus, *inquit*, pene urbibus ludos edidit. — b In circo multas feras, et sæpe centum leones interfecit; *scilicet per suos, at de ipso ait*. Venatu frequentissime leonem manu sua occidit. *SS. Eustachius et socii ab Hadriano leonibus objecti, manserunt etiam illæsi. Acta* 20 *Septemb.* — c *Idem Spartianus tradit* Hadrianum ursam in venatione occidisse. — d Hadrianum Pontificis Maximi officium peregisse *supra diximus ex consanguineis etiam Sacerdotes in comitatu habuisse hæc Acta confirmant*. — e *S. Afra ad fidem Christi conversa, martyrio etiam coronata est an.* 120 *die* 24 *Maii*. — f Ad tria millia credidisse *habent alia Acta*. — g S. Calocerus *colitur* 18 *Aprilis : a quo incipiunt uberiora Acta mox danda*. — h *Eu fuisse indole Hadrianum, ut plures socias urbes, quam ullus unquam Imperator, viderit, ac publicis operibus auxerit atque ornarit, scribit Dio in epitome apud Xiphilinum.*

## CAPUT III.

A

## CAPUT III.

*Officialium S. Caloceri martyrium, itemque SS. Caloceri, Faustini, Jovitæ, post alia tormenta.*

Omnis vero populus, qui crediderat una cum Calocero et officialibus ejus, inquirentes B. Apollonium, qui propter metum infidelium occultabatur, invenerunt eum non longe a Brixiana urbe absconditum. Cui cum omnia, quæ gesta fuerant, retulissent, Deum benedicens Apollonius, ivit pariter cum eis ad cujusdam montis remotiorem locum: ibique eis juxta morem fidei seriem tradens, baptizavit eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: et confortans eos in Christo, dimisit a se. Nuntiatum est autem Adriano, quia Calocerus et Officium ejus credidissent. Qui iratus valde, præcepit eos comprehendi, et vinctos sibi in circo præsentari, et ait ad Calocerum: Calocere, quæ te dementia invasit, ut universis, qui in palatio meo sunt, te abjectiorem redderes? Conversus quoque ad officium ejus, dixit: Dicite, morti destinati, qua vos insania compulsi, deos nostros reliquistis, ut inter damnatitios puniri non metuatis? Illi ad hæc responderunt, dicentes: Non timemus hujus seculi mortem, quia adjutor noster Deus est, qui regnat in cœlis. Tunc furore nimio succensus Adrianus, jussit eos circumduci, et in eodem loco decollari. Quod cum factum fuisset, venit Apollonius cum Christianis, et rapuit corpora eorum, et digne tradidit eos sepulturæ sub die *a* XIII Calend. Decembrium.

*S. Calocerus et Officiales ejus baptizantur.: hi martyrio afficiuntur.*

B

a

16 Calocerum vero præcepit Adrianus una cum Faustino et Jovita catenis adstrictos, post se ad Mediolanensem civitatem, quo erat profecturus, adduci. Cumque portas civitatis beati Martyres fuissent egressi, prosecutus est eos omnis populus Christianorum una cum S. Apollonio Episcopo, et venerunt cum eis usque ad fluvium, qui dicitur Mella: et ibi confortantes se invicem, dataque sibi pace, multis cum lacrymis separantur. Revertentibus itaque populis beatissimi athletæ Faustinus et Jovita, una cum Calocero vincti catenis, sub custodia perducti, die tertio Mediolanum sunt ingressi: statimque Adrianus jubet sibi in thermis Herculanis tribunal parari, et in conspectum suum fortissimos Christi Martyres, sic ut erant fatigati ex itinere, exhiberi, sperans infelix robustissimos Dei milites, fessos jam dolore viæ, suis obedire præceptis. Ad quos taliter inflata voce locutus est: Scitis miseri, quomodo translati estis de civitate vestra: vel modo convertimini ad sacrificia deorum magnorum, ut liberi a pœnis esse possitis, et interea primos in nostro palatio computari. Beati Martyres responderunt: Sacrificium offerimus Deo nostro, qui nobis in omnibus præbet auxilium: ceterum securus esto, quia dæmoniis, quæ colis, non sacrificamus, promissiones tuas pro nihilo computantes.

*Faustinus, Jovita, et Calocerus vincti ducuntur Mediolanum.*

*respuunt primos palatii honores:*

C

17 Adrianus hæc audiens, stimulis furoris *b* sui exagitatus, jussit eos supinos alligari, et supra ora eorum fistulas poni, et liquefactum plumbum infundi: quod dum eorum guttura pertransisset, vocem simul eis et vitam extorqueret. Faciunt ministri imperata: sed mox resiliens plumbum in eos, qui illud infundebant, dispergebatur: Sanctos autem in nullo contingebat incendium. Cernens talia Adrianus, magis infremuit, jussitque eos in eculeo torqueri, et circa latera eorum laminas ardentes adhiberi. Quod cum ministri fecissent, exclamans Calocerus, dixit: Orate pro me, beatissimi Martyres, quia graviter comburor ab his flammis. S. Faustinus dixit: Sustine modicum Calocere: adest ecce Angelus Domini ferens auxilium tibi. Nec mora affuit adjutorium Domini, confortatusque Calocerus, gratias Christo cœpit referre, asseverans se dolorem minime sentire. Adrianus dixit: Calocere, vere ignem non sentis? Calocerus dixit: Vere tibi dico, quia flammarum tuarum incendia prorsus non sentio. Adrianus dixit ad Officium: Afferte stupam, resinam et oleum, et circa eculeos ignem supponite ut cum ipsis pariter eculeis concrementur. Cumque ministri sibi imperata perfecissent, cernens Adrianus prolixam circa eculeos flammam diffundi, æstimans Sanctos Dei vehementer aduri, præcepit eis acclamari: Vel modo sentite fortissimorum deorum virtutem. Beati vero Martyres vultu lætissimo benedicebant Dominum, ita ut cunctis patenter innotesceret, quia nequaquam eos incendium molestaret. Videntes autem populi, qui assistebant, tanta mirabilia, clamare cœperunt: Vere magnus est Deus Christianorum. Et multi ex ipsis crediderunt in Domino.

*b*

*illæsi a plumbo liquefacto, et a laminis ardentibus:*

D

*AUCTORE ANONYMO. EX MSS. ET SURIO*

*in pœnis corroborati*

18 Confusus igitur Adrianus, et jam nesciens quid ageret, jussit *c* eos celerius ad carcerem trahi: et dehinc post aliquot dies proficiscens Romam, præcepit invictos Christi Martyres per singulas quasque civitates ferro vinctos secum pertrahi, quatenus et Christianis eorum exemplum metum incuteret, et Dei athletas itineris labore conficeret. Calocerum vero tradidit cuidam Antiocho, Alpium Cottiarum Rectori, præcipiens illi, ut eum ad immolandum compelleret; aut si in sua sententia persisteret, diversis excruciatum suppliciis, morti addiceret. Accepto itaque Antiochus Calocero, proficisci ad Alpes Cottias parans, ante se eum *e* vinctum *f* præmisit. Sed quia res ita exigebat, ut Antiochus cum Adriano proficisceretur, *g* Fabricium quemdam, qui ejus vices pageret, ad Alpes Cottias direxit, a quo B. Calocerus multa pro Christi perpessus nomine, ad extremum reductus *h* Mediolanum, ibique fortis in fide *i* martyrium constanter accepit.

c

E

e f

g

*Calocerus martyrium peragit:*

h

i

19 Porro beatissimi Martyres Faustinus et Jovita, Romam perducti sunt, trahentes ubique per prædicationis officium populum ad Christum. Quibus non longe ab Urbe positis, *k* Calimerus quidam, jam Christi fide imbutus, occurrit, eosque in vehiculum suum, quo ipse sedebat, ascendere persuasit, Urbemque eam cum eis ingressus est. Cujus fidem beati Martyres explorantes, permissi a custodibus, petierunt a *l* Romano Pontifice, qui eodem tempore occultus ad *m* Catacumbas morabatur, ut Calimero Episcoporum honorem traderet, eumque ad Mediolanensem populum, qui in Christo crediderat, confortandum dirigeret. Quod et factum est. Verum quia longum est, beatissimorum Christi Martyrum Faustini et Jovitæ omnem textum *n* passionis seu miraculorum exponere, ad gloriosum eorum exitum veniamus. Denique cum apud urbem Romam ab Adriano Imperatore diis immolare compulsi essent, et fortissima, suffragante Deo Martyribus suis, cordis intentione restitissent, ac multum, tam robore suæ constantiæ quam verbo fidei, Christo populum acquisissent, novissime tradidit eos Adrianus Aureliano Comiti, dicens: Tolle istos deorum nostrorum contemptores, et reduc eos in civitatem Brixianam, et ibi eos, nisi sacrificaverint, interfice.

k

*Faustinus et Jovita abducti Romam, agunt cum Pontifice:*

l

m

F

n

20 Qui suscipiens beatissimos Martyres, vinctos eos ferro ad civitatem rursus Brixiam reduci præcepit. Quibus occurrentes Christiani cum S. Apollonio Antistite, nimia de eorum regressione exultatione gavisi sunt. Tunc Aurelianus Comes jussit sibi beatos Martyres exhiberi. Quos cum de immolandis, deorum suorum sacrificiis compellasset, beati Martyres responderunt: Nos libenter parati sumus pro nomine

*reducti Brixiam:*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

A nomine Domini Nostri Jesu Christi potius mori, quam tuis obedire præceptis. Audiens hæc Aurelianus, jussit eos foras civitatem duci, et ibidem eos decollari. Ducti sunt ergo fortissimi Martyres Christi extra portam civitatis in via Cremonensi, ibique genibus positis, a gladiatoribus decollati sunt, suscipientes momentaneam mortem, ut vitam acquirerent sempiternam. Facta sunt autem hæc tam in Brixiana, quam in ceteris urbibus vel regionibus sub Adriano Imperatore. Et consummata est gloriosissima eorum passio sub die *o* quintodecimo Calendarum Martiarum, regnante Domino nostro Jesu Christo.

*capite plectuntur, 15 Febru.*

a *Anno* 118. *De iis Martyribus ad eam diem Martyrologos silere valde mirum est.* — b *Ita* Marius Maximus *apud Spartianum* dicit Hadrianum natura crudelem fuisse, *quod hinc confirmatur.* — c *Jussit* Calocerum *Astam duci secundum Acta S. Secundi Mart. Astensis; qui ab eo instructus venit* Mediolanum *ad* SS. Faustinum et Jovitam. — d Alpes Cottiæ *a Rege Cottio, qui eas montium partes possedit, dictæ. Oriuntur in iis flumen Druentia, et Duria. Hic Segusium, vulgo Susam, alluit, ac dein haud procul ab Augusta Taurinorum in Padum labitur. Druentia ex Cottiis Alpibus, defluit Ebredunum, et longo per Provinciam circuitu, juxta Avenionem Rhodano immiscetur. Cum his Alpibus Cottiis simul præfuisse videtur Antiochus Alpibus maritimis et finitimis Liguriæ locis, in quibus Asta, Dertona, Albinganum. Antiochi etiam mentio fit in Actis S. Eustachii et sociorum num.* 15. — e *MS. S. Maximini,* vinculatum. — f *Astam usque, Urbem Liguriæ, nunc Principis Pedemontani ad Tanarum amnem.* — g *Aliis omnibus* Sapritium, *ut infra constabit.* — h *Imo* abductum Albinganum *habent Acta reliqua.* — i *Die* xviii *Aprilis anni* 119. — k Calemerus et Calimerius *aliis, Martyr obiit* 31 *Julii.* — l S. Evaristo Papa *eodem anno* 119, 26 *Octobr. pro fide Christi interempto.* — m *Locus* ad Catacumbas *extabat ad Callisti cœmeterium, ubi etiam S. Urbanum Papam latitasse tradunt Acta S. Cæciliæ. Legenda Roma subterranea lib.* 3 *cap.* 11 *et* 12. — n *Reliqua hic omissa in sequentibus Actis continentur.* — o *Anno* 120.

B

# ALIA VITA

## auctore anonymo, ex MS. Neapolitano,

## CAPUT I.

### *SS. Faustini et Jovitæ captivitas et constantia. Divina protectio contra feras, ignem, aliaque tormenta. Multorum conversio.*

Dum crebra sanctorum Martyrum acta revolvimus, a nostris nos desideriis torpentes, citius agnoscimus, quia cum illos telorum mucrones terrere nequiverunt, nos vero exigua verborum molestia perturbat. Igitur si volumus ad Beatorum eorum usque pervenire certamina, prius ortus, tempus, finisque eorum indagandus est. Eodem quoque tempore, quo perfidus Adrianus Imperator totum quadrato cardine mundum *a* cœpit magis perturbare, quam regere, ac numerus Christianorum Divino auxilio pubescere, tum claruerunt in urbe Brixiana duo viri germani inclyti: ex quibus unus Faustinus, alter vero Jovita vocabatur. Quorum generositas, et laus longe lateque per orbem emicat terrarum.

*Inter alios Christianos clari sunt SS. Faustinus et Jovita*

C

2 Quadam namque *b* anno, advenienti Imperatori eodem tempore in partes Italiæ, occurrit Italicus Comes *c* Regnarum... una cum Tyberio consiliario ad Adduam fluvium. Qui cum adorasset, sic ait: Invictissime Imperator triumphator, Romano subveni Imperio tuo, subveni et diis nostris: sunt namque duo viri in civitate Brixiana, qui prædicant verum Deum esse in cœlis, deos autem nostros pro nihilo habent, et multum populum seducunt. Audiens hæc Adrianus dedit tali modo conscripta: Dignitas nostra constituit, ut liceat tibi, ubicumque Christianos inveneris, aut sacrificent diis, aut variis tormentis eos facias puniri. Acceptis itaque Italicus Comes conscriptis processit sicut jusserat ei Imperator. Qui ingrediens in civitatem Brixianam, misit statim Tyberium consiliarium suum ad Faustinum et Jovitam, ut eis imperialia innotesceret jussa, scilicet ut omnes Christiani aut sacrificent diis, aut gladio puniantur. Audientes hæc verba Faustinus et Jovita, constanter responderunt: Nos non obedimus præceptis Principis vestri, neque adoramus deos

*accusantur apud Hadrianum Imperatorem.*

D

ligneos æreosque, atque lapideos, in quibus non est auditus, neque intellectus. Hæc cum audisset Tyberius, omnia retulit Italico Comiti. Ille autem statim, ut hæc audivit, furore arreptus misit, ut comprehenderentur a militibus, ductique sunt ante eum: qui sic allocutus est, dicens: Invictissimus noster Imperator ita constituit, ut omnes Christiani aut deos nostros adorent, aut certe diversis sententiis vel gladio puniantur. Sancti autem Dei, quia jam decreverant mortem pro Domino libentissime suscipere, respondentes dixerunt: Tempus nostrum advenit, ut gaudeamus. Nam minas vestras non pertimescimus, neque præceptis vestris obedimus. Audiens hæc Italicus Comes, jussit eos in carcerem recludi usque ad adventum Adriani Imperatoris.

*sistuntur coram Italico Comite.*

*includuntur carceri*

3 Cumque ingressus esset Adrianus in civitatem Brixianam, Italicus Comes cum ingenti clamore suggessit, dicens: Clementissime Imperator, datis sacris conscriptis constituisti de contemptoribus legum vestrarum, debere eos gladio interire. Adrianus dixit: Et ubi sunt, qui jussa nostra contemnunt? Italicus respondit: Secundum præceptum vestrum, in custodia sunt reclusi. Adrianus inquit: Ex qua progenie sunt, ut per me audiantur? Italicus Comes respondit: Ex nobili genere quidem descendunt; isti vero qua insania arrepti sint, ignoro, ut deos nostros respuant, et Christum, qui in ligno suspensus est, adorent. Adrianus ait: Isti homines mihi plurimum necessarii sunt, ut per eos multos contemptores deorum faciam ad nostram religionem converti. Tunc jussit eos ante se vocari, quibus dixit: Estne alius deus præter Solem, aut potior illo? Jovita respondit: O qualem rem dixisti! Et meliorem dico Sole, qui ipsum constituit Solem. Deum colo, qui dedit potestatem Soli lucere per diem, et lunæ per noctem, atque ornavit cœlum stellis. Adrianus dixit; Nefarie facitis, ut vos Christianos annuntietis. Jovita respondit: Optime profitemur et annuntiamus nos esse Christianos, ut alta cœlorum ad gaudia pervenire possimus. Tum Adrianus veluti invidiose ait illis: Duro corde estis, et ferrea habetis viscera, quos mea revocare nequeunt verba: sed nolite mihi tam audacter respondere, cito sacrificate Deo Soli. Faustinus et Jovita responderunt: Nos non sacrificamus Deo Soli, sed Deo, qui constituit Solem in ornamento cœli, offerimus hostiam laudis. Adrianus dixit: Modo vos dicitis alium Deum habere, et non adoratis in conspectu magni Solis? Faustinus et Jovita responderunt: Vis videre gloriam Dei? Tunc uterque una voce dixerunt: Sol cognovit occasum suum; posuisti, Domine, tenebras, et facta est nox. Inscius Adrianus dixit: Ignoro carmen, quod mihi cecinistis. Continuo autem facta est statua solis furva et caligo in conspectu populi. Respiciens vero Adrianus, ait: Quid est quod video? Beatus Faustinus respondit: Vides quod factum est de Deo, quem colis; quomodo ad nihilum redactus sit.

*accusati apud Imperatorem,*

E

*renuunt sacrificare Solis statuæ.*

F

*mox furva facta.*

4 Tunc iratus Adrianus sæviens jussit eos ad bestias damnari, dixitque Italico Comiti: Introducantur feræ sævissimæ, in quarum aspectu præ timore statim deficiant. Quibus introductis, dixit Adrianus: Faustinus et Jovita videte, quia jam accelerat finis vester: adquiescite consiliis et sacrificate diis nostris Saturno, et Dianæ, ut liberemini a morsibus ferarum, et honoratiores in aula regali habeamini. Sancti vero Dei in magna responderunt constantia: Sis tu, ut Saturnus, quem adoras, et uxor tua Dianæ similis computetur. Tunc Adrianus: In morte estis, et in blasphemia perseveratis? Electi autem Dei stabant alacres corde in medio ludo, et quatuor leones lingebant vestigia eorum, neminem lædentes. Post quos dimissi sunt pardi, qui abeuntes prostraverunt se

*contemnunt Saturnum et Dianam*

*manent illæsi inter leones,*

*pardos,*

A se ante pedes Sanctorum. Ait autem Adrianus ministris: Mittite super eos *ursos;* ursos potentes, et circa latera eorum ardentes faculas ponite, ut flammeis cruciati doloribus, in furoris iram conversi, protinus perimant eos. Ministri vero, ut eis fuerat imperatum, fecerunt: sed Divina in eis cooperante virtute bestialis ferocitas ita in mansuetudinem conversa est, ut in nullo penitus Dei Martyres terrerent.

5 Audiens autem quædam mulier, nomine Afra, signa virtutum, quæ per hos Dominus Sanctos suos *S. Afram accedentem ad se* operabatur, perrexit ad amphitheatrum. Cumque introgressa fuisset, intuens procul, vidit beatos Dei Martyres inter feras crudelissimas intrepidos adstare, et licet timore perterrita, ut femineus sexus fragilis esse solet, tamen ad locum, in quo sancti Martyres stabant, usque pervenit, prostravitque se ante plantas eorum, cœpitque rogare eos dicens: Obsecro vos æterni ostensores luminis, ut dignemini mihi *instituunt fidei mysteriis.* insinuare, quemadmodum in Christum credere certius possim. At illi videntes ejus constantiam, ovanter sacris eam imbuerunt doctrinis, ut uni soli Domino, cœli terræque conditori, mundo corde castoque amore impenderet famulatum, integritatemque fidei illibatam totis viribus conservaret. Quam postea a B. Apollonio Episcopo cum ceteris in Christum credentibus sacri baptismatis unda perfusam fuisse, B haud dubium est. Videntes autem populi mulierem inter feras intrepidam stantem, multi crediderunt, et magnificabant Deum Cœli.

6 Igitur Adrianus videns hæc, ira repletus, ait *d tauros signo Crucis cicures reddunt:* ministris: Adducite mihi *d* tauros indomitos, quorum magnitudo et furor ingens sit, ut cornibus perforent latera, et sic expirent. Quibus venientibus sancti Dei Faustinus et Jovita signum Crucis opposuerunt, in magna vero humilitate versi sunt tauri, ita ut se pedibus eorum prosternerent. Quod videntes populi, una voce dixerunt, Magnus est Deus cœlorum. Quibus B. Faustinus dixit: Videte concives mei mira- *convertunt 3000 homines* bilia, quæ per nos Dominus ostendit, nolite credere in iniquitate Adriani. Credentes autem ex eis amplius quam tria millia, a B. Apollonio Episcopo sacri fontis unda perfusi sunt. Post hæc tauri jussu Sanctorum abierunt ad pascua, neminem tangentes. Conspiciens autem Adrianus quod factum fuerat, *in carcere cælitus illuminantur:* gemens in semetipso, dixit ministris: Tollite eos a conspectu meo, et trudite in carcerem. Erant autem Sancti Dei in carcere lætantes et psallentes die ac nocte, cœlesti circumfusi lumine.

7 Surgens autem diluculo Adrianus jussit sibi Dei Sanctos offerri, quibus et ait: Ego vos liberos esse *imperterrite respondent Imperatori* volo ab omni injuria, tantum sacrificate Deo Saturno. B. Jovita cum fiducia respondens, dixit: Adriane, C Princeps malitiæ, veritatis inimice, cur nos cogis sacrificare simulacro nefando, cujus os si colapho tundas, non tibi irascitur: si vero poplite curvo præsidium ab eo deposcas, non tibi opitulabitur. Desine ab hac dementia, et noli surdum mutumque adorare metallum. Adora Deum vivum et verum, qui fecit cœlum et terram, mare, fontesque aquarum; cujus jussu mare a fervore suo quiescit, cujus intuitu fundamenta montium contremiscunt. Qui habet potestatem mittendi diabolum suosque satellites in profundam foveam mortis, quorum tu primus es, nisi conversus fueris. Adrianus hoc audiens iratus est, jussitque afferri ligna, et adhiberi in flammam, atque *manent in flammis illæsi* beatos Martyres mitti in eam: sicque factum est. Stabant autem Sancti Dei in medio flammæ expansis manibus, dicentes: Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, ab æterno usque in æternum, et benedictum nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum, qui nos inter flammæ globos integros ita custodire dignatus es, ut nec capillum capitis nostri contingere queant.

8 Videns autem impius Imperator, quod nihil eis D flamma officere valuisset; iratus dixit ministris: Afferte huc cultros acutissimos, et sub oculis nostris *AUCTORE ANONYMO, EX MS.* decoriate corpora eorum, ut sciant quia ego regno in terra per deos immortales. *f* Ministri vero satagebant jussis parere iniquis, sed opitulante divina *f pelle nequeunt nudari,* gratia, quod Princeps iniquus maluit, ministri implere nequiverunt. Erat enim quidam ibi homo, Dux militum, Calocerus nomine, qui ingressus videns, quod nihil Sancti Dei adversi paterentur, clamavit voce qua poterat: *g* Vere magnus est Deus Christia- *g stupente S. Calocero* norum. Audiens Adrianus clamorem ejus, jussit eum cum contumelia foras expelli. Videns autem eos Imperator nihil penitus læsos, dedit palmam in faciem suam, dicens: Certe victus sum ab eis: præcipiensque ministris trudi eos in carcerem, dixit: Cogitabo quibus pœnis eos afficiam. Beati Martyres ingressi in carcerem psallebant, dicentes: Ecce quam bo- *psallunt in carcere cum Angelis.* num, et quam jucundum habitare fratres in unum. Statimque apparuerunt Angeli Dei, psallentes cum eis, ac confortantes eos, abierunt.

a *Anno 117 Trajano IV Idus Aug. mortuo substitutus.* — b *Anno* 118 — c *Imo* Rhæticarum Alpium. — d Tauri superbissimi *appellantur apud Adonem, eorum non meminit prior Vita.* — e *Eumdem numerum exprimunt Vincentius Bellovacensis lib.* 10 *cap.* 83 *et varia supra indicata martyrologia. Silent Acta priora.* — *Eadem habent Lectiones Officii Ecclesiastici, et Vincentius: desunt in priori Vita.* — g *Hæc ejus verba referunt Petrus Equilinus et Vincentius.*

E

## CAPUT II.

### *SS. Faustinus et Jovita non læsi plumbo liquefacto et fornace accensa. Energumeni liberati. Variorum martyrium.*

Altera autem die procedens Imperator ad templum Martis, ut ibidem sanctos Martyres Dei Faustinum et Jovitam audiret, jussit afferri *a* vas æneum, quod *a Nolunt Marti sacrificare:* præparari jusserat, eductisque de carcere sic ait: Intuemini formidolosam, quam vobis præparavi pœnam: prius sacrificate, quam vobis mortis sententia detur. B. Faustinus respondit: Cui nos compellis sacrificare? Adrianus ait: Magno Deo Marti. S. Jovita respondit: Adriane, ut intuemur, magna tibi dominatur stultitia, qui putas nos *b* latratu tuo a sancto proposito revocare. Erubesce infelix, et plures deos colere noli. Iratus autem Princeps sævissimus, ait: Antequam me faciatis erubescere, ego vos morti tradam utrosque. B. Jovita respondit: Tormenta tua pro nihilo habemus, fac quod facturus es, ut videant populi magnalia Dei. Audiens autem ver- *manent illæsi a plumbo liquefacto,* ba eorum Imperator, iratus est vehementer: jussitque eos in vase æneo poni, et plumbum liquefactum dextra lævaque mitti. Sancti autem Dei in nullo tan- F gebantur. Videns itaque Imperator eos non lædi in *et in fornacem ardentem missi* aliquo, jussit incendi fornacem, et ibidem vas æneum cum sanctis Martyribus mitti, quousque concremaretur cum eis. Sancti autem Dei stabant in medio flammarum tamquam in fonte et delectantes canebant hymnum Domino, quem tres pueri in Babylonia cecinerunt. Videntes hæc populi, clamaverunt dicentes: Vere magnus est Deus Christianorum: qui tanta mirabilia per Sanctos suos operatur.

10 Cognovit enim Adrianus omnes in uno consensu, fugam sibi petiit et intra palatium se recepit: jussitque Faustinum, et Jovitam, inscio populo, ad se deduci, quibus et dixit: Æstimatis quod et me vanum per artem magicam faciatis, sicuti fecistis et populum. Amodo deducam vos per diversas civitates, ut per varia tormenta finem vitæ excipiatis. B. Faustinus respondit: Ubicumque nos duxeris, semper te scias in omnipotentis Dei nomine confundi, quia Salvator noster nobiscum est semper. Tunc *e carcere ab Angelo educti,* jussit eos Imperator in carcerem recludi usque ad diem profectionis suæ, et ait ministris: Videte ne ab aliquo

A aliquo videantur, signate carcerem annulo meo. *AUCTORE ANONYMO EX MSS.* Ministri vero ita fecerunt. Eadem autem nocte eduxerunt Angeli Dei beatos Martyres de carcere, adduxeruntque eos ad B. Apollonium Episcopum, cui et dixerunt: Impone istis manus et consecra eos, qui multos in Christi partem sunt lucraturi. Beatus vero Apollonius *c* consecravit Faustinum Presbyterum, et Jovitam Diaconum: *c ordinantur S. Faustinus Presbyter, Jovita Diaconus:* populi autem, qui crediderunt, venientes ad sanctum Episcopum, et ad sanctos Martyres Dei, rogabant eos ut sibi baptismi gratiam retribuerent: et baptizati sunt eadem nocte promiscui sexus numerus non modicus.

11 Currens autem Calocerus, venit ad eos cum officio suo, et volutans se ad ante vestigia Sanctorum, hanc sibi suisque gratiam sancti baptismatis dari poscebat. *S. Calocerus et Officiales baptizantur:* Qui eadem hora baptizatus est cum officio suo in trino Majestatis nomine. Audiens autem Adrianus, quod Calocerus Christianus esset effectus, iratus est valde, jussitque eum comprehendi, et ferro vinctum tradidit hunc *d* Sapritio *e* primicerio scholæ candidatorum, ut, cum ad Alpes Cottias pergeret, multis eum suppliciis laniaret. Sapritius vero innumeris eum pœnis afficiens, in *f* Albeganense oppido eum decollari præcepit. *ille Albingauni,* Ibique sanctus requiescens Calocerus præstat orationibus suis beneficia cunctis fidelibus suis. Deinceps intimatum B est sævissimo Imperatori de officio ejus et confestim in furorem versus, præcepit eos ad se celerius pertrahi: quos multis ac diversis exprobravit sermonibus, cupiens eos a bono sanctoque revocare proposito. Illos vero in confessione Domini perseverantes jussit Tyrannus potius, quam Princeps, foras muros Brixiæ circumdeduci, et capita eorum amputari. *isti Brixiæ capite plectuntur:* Quo facto, a Domino in gloria sunt suscepti æterna.

12 Cumque hæc agerentur, Angeli Dei deduxerunt sanctos Martyres Faustinum et Jovitam ad carcerem, et introduxerunt eos, intacto signaculo. *SS. Faustinus et Jovita divina apparitione dignantur:* Factum est autem in noctis medio odor suavissimus fragrans, et lumen magnum refulsit in carcere, quia Dux Sanctorum Angelicis officiis in splendore claritatis, ac suavitatis odore, suos visere dignatus est milites. Sancti vero Dei Martyres cadentes in facies suas, adoraverunt Deum, dicentes: Benedictus es, Deus immortalis, quia visitasti nos, et non deseris servos tuos in tuo fidentes nomine: adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi, in Trinitate Deus regnans: tibi honor, tibi virtus, et perpetua gloria in cuncta secula seculorum. Amen.

13 Cum autem egrederetur Adrianus Imperator civitate Mediolanensium ut Romam pergeret, beatos Martyres Faustinum et Jovitam sub custodia C dari Antiochi præcepit, cui et ait: Per singulas civitates properantibus nobis ad urbem Romam, diversis eos suppliciis fac subjacere, *abducuntur Romam:* ut videntes eorum pœnas ceteri, minime nitantur deorum nostrorum culturam contemnere. Cumque perducti essent ad urbem Romam, hoc est, ad *g* pontem Milvium, Adrianus ad Lubras resedit; et ecce multitudo populi occurrens Adriano, pervenit ad *h* pontem Milvium, ubi erant Martyres Christi Faustinus et Jovita sub custodia militum, inter quos venit et Calimerus. Dumque ibidem morarentur, cœperunt eis beati Martyres de æterni Regis adventu et de gloria ejus ac perpetua felicitate multa prædicare. Plerique ex eodem populo per eamdem prædicationem crediderunt, *convertunt multos:* et baptizati sunt in nomine sanctæ Trinitatis. eratque clamor magnus in populo laudantium Deum et dicentium: Vere modo cognoscimus, quia unus est et verus Deus in cœlis, semper vivens in gloria, quem nobis prædicant boni ministri ejus. Falsi autem et sine sensu sunt dii, quos usque hactenus cernimur adorasse. Audiens autem Imperator clamorem populi, dixit: Quis clamor tantus D est? aut ubi sunt voces istæ? Cui proceres sui responderunt, dicentes: Voces quæ ad aures vestras perveniunt, populi sunt, qui cum lætitia magna pietati vestræ occurrunt. Tunc Imperator ait: Ergo propter nostrum adventum gaudent Romani. Populi vero erant alacres corde cum beatissimis Martyribus Dei, stantes ad pontem, expectantes eum. Igitur cum appropinquasset Adrianus ad pontem Milvium, videns beatos Dei Martyres cum innumera turba populi adstare, in ira furoris sui commotus, præcepit Aureliano Comiti suo, ut sibi eos intra aulam palatii repræsentaret. Dumque ibi aliquamdiu moras facerent sancti Martyres Dei, multa turba populi, audita fama Sanctorum, cucurrit ad pontem Milvium, ubi sancti Martyres erant prædicantes in Christo renatis. Qui audientes eos in populo prædicantes, ac videntes multa fieri signa, crediderunt et ipsi, *clarent miraculis:* atque baptizati sunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

14 Cumque hoc ageretur, venit Aurelianus ad beatos Dei Martyres, et ait illis: Invictissimus Imperator præcepit vos suo conspectui præsentari, ut sacrificetis deo Mercurio, Marti, Jovi, et Saturno, si vultis vivere. Statimque Satanas comprehendit eum, *Aurelianum ad se missum,* deditque ululatum vocis magnum, dicens: Video undique igneis catenis me ligatum, si vado autem ad E deos nostros quid mihi proderunt? *a diabolo obsessum,* eratque percutiens caput in terra dicens. Subvenite mihi Sancti Dei, ut quid me tormentis atrocibus subditis? aut quid ignem ministratis? Ardeo cruciorque vehementer. Tunc jusserunt ei Martyres Christi dicentes: *remittunt ad Imperatorem,* Perge, ingredere Urbem, et ostende Adriano, quod pateris, aut quales deos venerantes adoratis, vel quid sit pœna eorum. Statimque pergens vociferando ibat, quousque ad nequam Principem perveniret, ita ut metuens Adrianus tremens fieret. Tunc Aurelianus, ait illi: Adriane, attende quod patior propter deos, quos veneramur nefandos.

15 Audiens hæc Adrianus, et intuens, quæ contigissent Aureliano, indoluit valde, jussitque eum diligentissime custodiri, adhibens curam. Altera autem die misit Adrianus Calimerus ad Beatos Faustinum et Jovitam, ut compelleret eos ingredi Urbem. Moxque abiit Calimerus ad beatos Dei Martyres, *vocati ad Imperatorem veniunt:* dicens: Cito properate ingredimini Urbem, ut signa et prodigia in populo faciatis. Qui adhuc Deum ignorant, forsitan convertentur. Sancti vero sequebantur Calimerum, usque dum ad palatium pervenirent, ac in Adriani obtuitu astarent. Jussitque Adrianus Aurelianum deduci in conspectu Martyrum: qui cum adductus fuisset, statim a dæmone correptus est præsente Adriano. Cum autem cœpisset F vehementer ac crudeliter vexari, Adrianus flens, orabat beatos Martyres, dicens: Obsecro vos, subvenite Comiti nostro, quia super hunc doleo valde. Beatus enim Faustinus dixit: Volumus, Adriane, ut prius coram populo confiteatur, quæ facturus est, eique innotescat. *extorquent a dæmone confessionem de diis,* Tunc vehementius in eo dæmon exarsit, cœpitque vociferari, dicens: Ego sum dæmon, qui habito in omnia idola paganorum. Ego sum qui habito in superbia Adriani. Ego vos, etiam Faustine et Jovita, gladio faciam vitam finire, omnesque metuentes Deum atque colentes tradam in damnationem mortis. Tunc B. Faustinus dæmoni dixit: Exi ab eo miserande, ut videat Adrianus cunctusque populus, quem adorabant. Statimque exiit dæmon, eratque valde turpissimo vultu teterrimus ac despicabilis nimis et subito nusquam comparuit. *eumque ejiciunt ex homine:*

16 Adrianus vero procedens, ascendit in Capitolium cum ingenti turba, offerens suis sacrificia diis; jussitque Faustinum et Jovitam secum in Capitolium scandere et sacrificare. Cumque ingressi fuissent

A sent in Capitolium, loci ipsius fundamenta contremuerunt, ita ut omnis populus timore perterritus fugeret. Tunc Adrianus præcipiens beatis Martyribus, dixit: Sicuti ego sacrifico, et humilio me ante conspectum deorum, venite vos, ac facite similiter. Videntes quoque cœlorum Dei cultores, simulacrorum ac dæmonum cultores, præsentem licet iniquissimum omnium tamen principem terrenorum, precibus subnixum curva cervice, flexisque genibus simulacra adorare nefanda, corde compuncto palam cunctis adsistentibus dixerunt: Væ vobis corde cæcati, cæca, surda mutaque venerantes metalla. Audiens hæc Imperator, furibunde præcepit militibus, dicens: Confestim comprehendite hos contemptores legum nostrarum deorumque inimicos, eosque vehementer coarctate. Quo facto, mox dæmon comprehendens ministros, cœperunt huc atque illuc discurrere, vociferantes ac dicentes: Eruite nos, Christi beati Martyres, per Deum quem colitis vivum. Statimque dæmoniis per virtutem Domini ejectis, sani effecti sunt, ac projicientes se ad vestigia Sanctorum, supplici prece petebant, ut eis baptismi gratiam tribuerent. At illi, sacri eis baptismatis contulerunt undam. Cumque hoc Adrianus audisset, statim jussit eos capitalem subire sententiam.

*reprehendunt Imperatorem adorantem simulacra:*

*ministros a dæmone obsessos liberant et baptizant.*

B a Olla ænea *dicitur apud Adonem* — b *Bellinus et ex eo Molanus in Martyrologio*: Latratui tuo non obedimus. *Sed Mediolani ita responsum. Ubi et alia tormenta passos tradunt Acta reliqua.* — c *Ita post prædicta tormenta consecratos esse jussu Angelico legitur, apud Adonem et Martinengum aliosque, quod ante captivitatem factum habent Acta priora.* — d *Monumenta Astensia tradunt hunc* Sapritium *fuisse* Astensem civem ex familia Cosindradæ, quæ castrum Costembradi ædificarat atque a se denominarat, adhuc post annum 1000 inter illustres familias recensita. *Ita observavit ad Acta MSS. S. Secundi Martyris Astensis nobis missa, R. P. Philippus Malabayla Visitator Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis.* — e *Eodem modo appellatur in epitome Adonis. De schola candidatorum alibi sæpe egimus.* — f Albium Ingaunum *antiquis*, Albingaunum, *et corrupte* Albenganum *vulgo* Albenga, *ad mare Ligusticum inter Savonam et Vintimilium antiquis* Albentimelium. — g Pons Milvius, *vulgo* Ponte Molle, *viam Flaminiam pandit supra Tiberim, paullum ultra primum ab Urbe lapidem. De eo etiam egimus ad Vitam S. Valentini Presbyteri* 14 *Febr.*

## CAPUT III.

### *Feræ cicures redditæ. Varia tormenta terra marique superata. Martyrium consummatum.*

Eodem vero die Adrianus in arena munera dabat, jussitque sibi Martyres Dei Faustinum et Jovitam exhiberi, ut eos ibidem audiret. Tunc vero ministri euntes comprehenderunt eos, ac ante Adrianum adduxerunt, quibus et ait: Accedite protinus, sacrificate Deo nostro, sin autem, dies mortis vestræ accelerat. Beati autem Martyres respondentes dixerunt: C Nequaquam deos tenebrosos, quos hactenus non veneravimus, nec nunc adoramus. Tunc Adrianus fremens dentibus, jussit deduci eos in arenam, præcepitque deduci bestias velociores, nec non et sævissimas, id est, leones, tygres, ac leopardos, ut horum rugitibus pavore perterriti expirarent. Cumque introducti fuissent, continuo amissa feritate, cum ingenti mansuetudine coram omni populo ruerunt ante plantas beatorum Martyrum. Cunctus autem populus stupore depressus, admirans quidnam hoc esset, pariter clara voce clamaverunt, dicentes: Magnus vere est Deus, quem isti egregii Martyres, prædicant, atque annuntiant esse venturum. Erat enim ingens turba populorum, quibus beati Dei Martyres dixerunt: Credite in Deum, qui in Trinitate regnat in secula, et gloriam consequemini sempiternam. Tunc populi una voce respondentes, dixerunt: Vere credimus in Deum, quem vos prædicatis, qui magnus est super omnes deos. Hæc audientes Martyres Christi, illico exeuntes de arena, venerunt ad locum, ubi fons purissimus erat emanans aquam. Tunc sancti Dei Martyres orationem pro eis fecerunt, apparuitque eis Angelus Domini, stans ante D fontem, amictus nivea veste, coruscans oculis, ita ut a populo videretur. Cumque vidissent eum, nimio pavore perterriti, corruerunt in facias suas. Angelus autem Domini conversus ad B. Faustinum et Jovitam ait: Festinate baptizare populum, eosque firmate. Deinde vero proficiscimini ad beatum Papam a Telesphorum atque ad consecrandum ei Calimerum Christi tradite servum, ut ab eo in civitate Mediolanensi Episcopus ordinetur, atque sit Pastor populi, quem Domino acquisistis. Et hæc dicens Angelus, ab oculis eorum ablatus est: Sancti vero Dei erexerunt populum, atque dixerunt: Benedictus dominus deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Post hæc baptizaverunt innumeram turbam populi in trino Majestatis nomine. Ac post hæc confirmaverunt eos sacro corpore Domini et sanguine.

*objiciuntur feris,*

*sed illæsi.*

*excitant populos ad fidem Christi*

*AUCTORE ANONYMO, EX MS.*

*et jussu Angeli apparentis*

*a*

*baptizant:*

18 His peractis omnibus, juxta sermonem Domini ad locum, qui ad Catacumbas dicitur, usque pervenerunt, ibique beatum repererunt Episcopum Telesphorum inter sepulchra sanctorum Martyrum propter metum paganorum latitantem. Qui dixerunt ad eum: Benedictio Domini cum spiritu tuo, beatissime Pontifex. B. Telesphorus læta facie vultuque sereno dixit: Venite benedicti, ac sanctissimi Martyres, in quibus habitat Dominus, atque Salvator E noster qui est desiderium vestrum: benedictio illius permaneat vobiscum in misericordia per secula. Quo prædicto osculatus est eos. Denique beati Martyres clara voce locuti sunt ei: Nos quoque Dominus atque Redemptor noster ad te usque direxit, ut fratrem nostrum Calimerum ordines Episcopum, eumque ad urbem Mediolanensem dirigas. Audiens hæc B. Telesphorus, magno repletus gaudio, beatorum Martyrum sancta adimplevit monita, consecravit eum, et ad urbem Mediolanensem juxta præceptum Martyrum direxit, ut ibidem Christiani populi Pastor existeret. Cumque B. Telesphorus hæc omnia consummasset, subito ministri Adriani advenientes, comprehendentes eos, ac usque ad palatium perduxerunt. c

*invisunt Pontificem:*

*petunt S. Calimerum consecrari Episcopum Mediolanensem:*

19 Post hos non multos dies Adrianus itinere lymphatico pergens Neapolim, præcepit armari navim cataractas habentem, ac in eadem sanctos ascendere Martyres perfidus jussit, in aliam vero navim stolidus Princeps Adrianus ascendit, jussitque afferri deos suos cunctos in navi, id est, Jovem, Mercurium, Apollinem, ac Saturnum, et Martem, eosque ornavit lapidibus pretiosis. Electi vero Dei Marty- F res ex jussu iniqui ferro vincti tenebantur astricti. Cum autem navigassent biduo, jam lucescente die tertia, requiescentibus navibus, cœperunt universa genera musicorum clangoribus resonare. Tunc quoque tuba rauca altaque roboans voce, fistula etiam cum cytharis clamantibus æthera pulsant: sambuca vero salpicibus respondens musica crebris, ut flexis genibus sancti Dei Martyres simulacris Tyranni ponerent thura. Adrianus vero aptans deorum ostendere suorum gloriam, jussit omne velamen a conspectibus eorum tolli: vocansque Faustinum et Jovitam, ait illis: Ecce dii quos tam audacter stulti contemnitis. B. Faustinus respondens, dixit: Tu enim, Adriane, vocaris stultior, et in hac sermocinatione pecorum similis, qui tam vilibus diis tam magnos tamque altos honores impendis. Commotus Adrianus dixit: Nunc videbo, quod præsidium vobis Deus vester præbuerit. Jovita vero ait illi: Videntur mihi, Adriane, cuncta, quæ ex ore tuo profers, de insulso pectore manare, atque consilia patris tui diaboli fore.

*navi impositi,*

*musicam diu impensam spernunt*

20 Cumque Adrianus sæpe talia a beatis Martyribus responsa perciperet, furibundatus est valde, jussitque

A jussitque tortoribus Dei Martyres suspendere in eculeo, ac vehementer torquere. *AUCTORE ANONYMO, EX MS. in eculeo suspenduntur :* Cumque in eculeo suspensi fuissent, virtus tortorum enervabatur, Martyrum vero virtus confortabatur in Domino. Intuens hæc Adrianus jurejurando pollicitans, dixit : Per deos immortales atrocibus flammis vos faciam interire. *admotis lampadibus ardentibus, sed extinctis :* Tunc juxta pollicitationem suam iniquam incendi lampades jussit, easque erga latera eorum poni, sed, Divina gratia annuente, statim lampades extinctæ sunt. Martyres autem Christi stabant soluti, et in nullo penitus flammarum pœnas perpessi. Adrianus vero, qui in necem beatorum Martyrum sæviens crudeliter dimicabat, voce procaci exclamavit, nautis suisque militibus dicens : Festinanter apprehendite omni cum virtute argatam, ut deorum nostrorum contrarii subito in clausum demergantur gurgitem. Cumque eos in ponti demersissent cerula, confestim sancti Dei Martyres Angelico suscepti officio, *projecti in mare, ab Angelis liberantur :* veluti in lintre positi, marinos fluctus pedibus calcantes, velocius abibant, quo usque ad littora maris pervenirent.

21 Adrianus vero cum ad portum adpropinquasset Neapolitanum, beatos vero Martyres Dei reperisset in cœtu populi prædicantes verbum Dei, statim in iram conversus, suis præcepit militibus, ut comprehenderentur ab eis, vocatumque Aurelianum, ei B dixit : *remittuntur Brixiam :* Festina, tolle hos contemptores de medio nostri, duc igitur eos ad Urbem Brixiensem, ibique eos interfice gladio. Statimque, dictata sententia, Aurelianus cum quinquaginta militibus vinctos trahentes beatos Dei Martyres, ad Brixianam civitatem profecti sunt. Hi vero cum ad Padum fluvium usque pervenissent, audierunt vocem dicentem sibi : Ecce jam viri triumphatores, et adnuntiatores justitiæ, *docentur ab Angelo finem instare :* calcantes mundi istius illecebras, nunc tempus advenit, ut a labore quiescatis, et ad vitam quam semper optastis, perveniatis æternam. Septem namque diebus vobis induciæ in hoc dabuntur seculo, octava vero die cum radiante corona martyrii, ad palmam pervenietis victoriæ. *a S. Apollonio Episc. salutantur :* Audiens autem B. Appollonius, quod sancti Dei Martyres advenerunt, gratias Deo Creatori omnium maximas retulit, eo quod sanctos Dei Martyres intueri meruisset : sanctumque sibi dantes osculum pacis invicem, pariliter introierunt in urbem.

22 Cumque relatum nequissimo Aureliano fuisset de adventu beatorum Martyrum, furoris ira repletus est, statimque sibi eos præsentari præcepit. Quibus superbe ac furiose minitari cœpit, dicens : Adhuc in priori sententia perseveratis? Nunc autem videbitis, quod vobis Deus vester, quem colitis, auxilium defensionis ac liberationis præstiterit, cum ego vos C illico interfici jussero. *constantes in confessione fidei,* Tunc beati Martyres de spe certi retributionis æternæ, respondentes dixerunt : Miser, quid tamdiu moraris? accede huc propius, et hoc quod nobis jam longo tempore minaris, fac celeriter : nos autem pro nomine Domini nostri Jesu Christi parati sumus mori. Audiens hæc Aurelianus, sævire cœpit, jussitque eos extra civitatem deduci, eosque una cum populo, qui sacram eorum doctrinam secuti sunt, decollari. Milites vero, sicuti eis ab Aureliano fuerat imperatum, ita fecerunt. Exeuntes autem de civitate, haud procul ab urbe, juxta viam Cremonensem, optimo in loco positis genibus orationem fuderunt, Domino gratias referentes, moxque gladio plexi, *capite plectuntur* sacris amputatis capitibus, mortis pro Domino debitum reddiderunt : sanctas quoque reddentes animas astris, corpora vero terris de terræ corpore sumpta. Purpureo namque suo sanguine passum Christum Dominum venerantes gloriosi effecti Martyres *15 Febr.* quinto decimo Kalendarum Martiarum, Angelicis provecti manibus, a Domino sunt in gloria suscepti æterna : cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

D

a *In epitome Adonis et Lectionibus Ecclesiasticis dicitur* Evaristus, *quod nobis verosimilius videtur. Creatus S. Telesphorus Papa an. Ch.* 140. — b *Sequentia habentur in Roma subterranea, ubi etiam observatur error de intruso Telesphoro Papa.* — c *Hæc* § 19 *et* 20 *desunt in priori Vita. Verum eos Neapolim perductos fuisse etiam legitur in Officiis Ecclesiasticis, epitome Adonis, et Vita Italica per Martinengum. Et* Hadrianum Imperatorem apud Neapolim Demarchum *creatum fuisse,* et Atheniis Archonta, *cumque in* Campaniam *profectum,* omnia ejus oppida beneficiis et largitionibus sublevasse, *tradit Spartianus.*

# VITÆ MAJORIS PARS
## ex Mombritio.
## CAPUT I.

*SS. Faustino et Jovitæ illata Brixiæ tormenta. Eductis per Angelos e carcere sacri Ordines collati. S. Caloceri et aliorum conversio ac baptismus.*

Cum beatissimi Martyres Faustinus et Jovita diversa tormentorum genera ab Adriano Imperatore pro Christi nomine sustinerent, accedens unus ex ministris, nomine Calocerus, vidit Faustinum et Jovitam stare extra Capitolium. Et ingressus ad Adrianum, vidit eculeos vacuos, *SS. Faustinus et Jovita divinitus eculeis erepti,* et ministros torquere : levavit vocem ante Adrianum populumque, dicens : Vere magnus est Deus, quem Faustinus et Jovita colunt, qui tanta beneficia in se credentibus præstat. E Adrianus dixit : Qua insania arreptus es, Calocere? Attende sanguinem tuum. Quid vidisti, ut ista loquaris? Calocerus dixit : Bone Imperator, quid modo vides in his eculeis torqueri? Cui ille, Faustinum, ait, et Jovitam. Et Calocerus : Visionem vides. Ministri autem clamabant : Jam torquendo deficimus, et hi in nullo pœnas sentiunt. Hæc fieri cernens Calocerus, doluit valde, atque exiens flevit vehementer. Et ecce apparuerunt ei Faustinus et Jovita, dicentes : *apparent S. Calocero,* Calocere, quid de nobis doles? Vade, et intra ad Adriani conspectum, et quod ministri faciant, vide. Quibus Calocerus, Non recedam, ait, a vobis, quousque detis mihi signum Christi, per quod liber efficiar. Faustinus dixit : Calocere, confidenter spera te Christi signum accepturum, in quo diabolus effugatur. Ille vero : Utique obsecro vos, Sancti Dei, ut dignus merear esse, et ad tantam claritatem pervenire. Jovita, inquit : Fidem serva, Calocere, Creatori tuo, Redemptori animæ tuæ. *eumque confirmant :* Et cum hæc ille dixisset, intravit Calocerus ad Adrianum, viditque ministros congerere carbones, quasi super Sanctos Dei. Tunc scindens chlamydem suam Calocerus, Vere, ait, magnus, et potens est Deus Christianorum, quem, Adriane, denegas, et eos persequeris, qui ei sancte deserviunt. Adrianus ait : Calocere, ista loquendo vanus capite factus es. Cui ille, Vere caput, inquit, mortuum habetis, et sensus in vobis F nullus est, ut contra Deum cœli, factorem hujus mundi, statuas diversorum, opera manuum hominis, factas conferatis. *illæsi ab igne prodeunt* Audiens Adrianus Caloceri vociferationem, jussit eum foras mitti, ne amplius magnificaret Deum, et ait ad ministros : Videte jam si mortui sunt? Ministri prunas excutientes, invenerunt eos tamquam de somno faciem habentes, et nulla in eis arsura apparuit.

2 Et videns Adrianus nihil passos, jussit eos in carcerem reduci, ut aliam illis pœnam excogitaret. *includuntur carceri* Qui ad carceris custodes conversus, Cavete, inquit, ut a nullo penitus videantur, vel sic dementetur magia eorum. Ducti itaque Sancti Dei in carcerem Dominum collaudabant, dicentes : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. *visitantur a Christo,* Et Salvator ad eos advenit circa mediam noctem : erat enim in carcere lux magna nimis, et odor suavitatis fragrabat, ita ut custodes præ timore domum Caloceri fugerent, *fugientibus custodibus :* omniaque ei, quæ in carcere fieri viderant, retulerunt : quibus Calocerus, Ambulate

A late, inquit, mecum ad carcerem, ut videam quæ narratis. Tunc abeuntes nullo modo potuerunt appropinquare, sed procul stabant propter Salvatoris splendorem, qui cum Faustino et Jovita ad eos confortandos prospiciebatur. Hic tunc Calocerus fide ductus accessit ad ostium carceris, et dixit : Memento mei, Salvator Domine, ut merear ingredi in numerum ovium tuarum, et signatus inter eos cognoscam te esse Creatorem meum : et accepta purificatione merear pati, et sustinere persecutionem pro nomine tuo, ut contra diaboli artes possim resistere. Tunc facta est ad eum vox, dicens : Calocere, accipies quod petisti : crastino enim venies cum servis meis Faustino et Jovita ante Adrianum, refutare eum in conspectu populi ad ejus confusionem. Quæ ubi Calocerus audivit, fletu magno ingemuit, projiciens se ante carceris ostium usque mane.

*S. Calocero orante in socium iis dato :*

3 Postea ministri ad Calocerum venerunt, dicentes : Ecce Adrianus ad templum Martis vadit, ut Faustinum et Jovitam audiat. Calocerus mox ad Officium suum conversus, ait : Usque hodie dæmonibus militavi : similis enim ero cymbalo tinnienti, in quo sensus non est. Audite me, et faciam vos fieri collegas et consortes meos : quoniam militia hujus seculi damnum est animæ. Vero vobis dico, quia magnus est Deus Christianorum, quem colunt Faustinus et Jovita. Hæc dicebat ad Officium suum, ut et B ipsi converterentur. Iterum ait ad eos : Fratres audite me, et convertamur ad Dominum Deum cœli, qui est super omnes deos et super omnes Reges terræ : qui unus est Deus, Creator puræ conscientiæ, qui fecit mirabilia solus in Ægypto. Audientes eum omnes ex Officio ejus, dixerunt ad eum : Unde nobis, ut possimus ad istam tantam virtutem attingere, aut quis erit homo, qui nos ducat ad illum Deum, quem gloria vestra præfert? Calocerus dixit : Si ex toto corde vestro quæritis Deum, veniet ad vos, et videbitis eum, et erit vobis salus, et illuminabuntur corda vestra, et dabuntur vobis habitacula, in quibus requiescere possitis ante conspectum Salvatoris, qui vos eripiet ab inimicis vestris. Et cum hæc diceret, omnes uno animo illi responderunt : Nunc usque fuimus sicut oves sine pastore, non habentes ad quem converteremur : cito anticipiet misericordia tua, Domine, quia pauperes facti sumus. Mitte ad nos veritatem lucidam de sede regni tui, quæ obscuret mendacium cordis nostri : ut refutemus Adrianum principem iniquitatis, et perveniamus ad te Principem veritatis, in quo veritas lætatur una cum Sanctis tuis. Hæc illis ad Calocerum dicentibus, misit C Adrianus Calocerum ad templum Martis vocari, cui dixit Adrianus : Paratum est, quod jusseram vobis ut faceretis? Calocerus respondit : Sed ad confusionem tuam hæc dicis, ut iniquitas tua confutetur. Cui Adrianus, Calocere, ait, dignum te inter omnes habeo; sed ista dicendo pro Faustino et Jovita, inimicum me facis animæ tuæ. Et ille : Propitiatio tua animam meam ducit usque ad mortem. Adrianus, Adducite, inquit, Faustinum et Jovitam, ut ab eis veritas excerpatur. Ministri vero statim e carcere eos produxerunt : et ecce occurrit eis totum Officium Caloceri, et præcedebant eos usque ad templum Martis. Adrianus dixit : Ego inimicus vester sum, et nihil apud me valetis cum Deo vestro. Jovita dixit : Sufficit tibi ut per plures deos erubescas. Tunc iratus Adrianus jussit eos iterum recludi in carcerem.

*ab eo, et Officialibus per eum conversis, ad Hadrianum frustra admonitum adducuntur remittuntur ad carcerem :*

4 Congregaverunt autem se omnis populus civitatis Brixianæ, quærens Pastorem bonum Apollonium Episcopum, ut eis baptismum traderet. Invenerunt autem eum absconsum propter persecutiones Adriani, et adduxerunt eum secrete in civitatem, dicentes : Trade nobis signum, per quod civitas nostra vel nos liberi efficiamur. Ait ad eos S. Apollonius : D Filioli venite, et ascendite mecum ad montem, qui est supra civitatem : ut, cum adoraverimus, ostendatur nobis signum de cœlis. Verebatur enim Apollonius propter populi turbam, ne circumvenirent, ascenderentque cum eodem omnes in montem : ibique genua ponentes adoraverunt in conspectu Dei. Tunc B. Apollonius erexit se a terra, et dixit : Domine, exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniat. Hæc cum dixisset, populo orante, apparuerunt septem Angeli fulgentes sicut sol, et dixerunt Apollonio, Quid quæris? Misit nos Dominus, ut tibi simus in auxilium ad istum gregem, qui fontem salutis desiderat numquam deficientem. Ecce paratum habemus fontem, in quo eos renoves : fac eos surgere, imponens eis benedictionem Domini. Nos enim ibimus ad carcerem, et adducemus Faustinum et Jovitam, quos jussit Dominus fieri Sacerdotes; Faustinum Presbyterum, et Jovitam Diaconum propter oves, quæ errant per diversa, ut restituant eas Creatori suo. Et abierunt Angeli ad carcerem, et salutaverunt Faustinum et Jovitam, dicentes : Gaudete justi in Domino, in conspectu gentium date laudem et claritatem. Surgite ergo sancti Martyres Dei, et venite nobiscum, ut videatis oves, quas Domino acquisivistis. Qui mox exeuntes de carcere abierunt cum Angelis ad S. Apollonium, et invenerunt eum benedicentem populum.

*AUCTORE ANONYMO, EX MOMBRITIO*

*ad S. Apollonium Episc. et populum Brixiensem : ab Angelis apparentibus e carcere adducuntur :*

E 5 Consummata vero benedictione venit ad locum, ubi erant Angeli cum Faustino et Jovita, et salutavit eos, dicens : Ecce viri, in quibus dolus non est inventus. Imposuit Faustino manum, et benedixit illum in Presbyterum : similiter et Jovitam benedixit, et fecit eum Diaconum et, dedit eis pacem. Tunc dixerunt Angeli Faustino et Jovitæ : Ubicumque habueritis cum Adriano certamen, baptizate omnes, qui crediderunt per martyrium vestrum in Domino. Accedite ergo, modo baptizate oves istas. Erat autem quasi hora diei sexta, et baptizare cœperunt populum credentium in Domino. Venit deinde Calocerus cum Officio suo, et prostravit se in terram sic precatus : Misereminі mei, quoniam deficio vehementer; et corpus meum tremor comprehendit a timore Dei gloriæ, qui in Sanctis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra. Videns audem Apollonius confidenter Calocerum petere signum Christi, jussit venire eum ad fontem, edixitque ad eum : Calocere, credis te Deum resuscitaturum a mortuis? Respondit : Utique credo per renovationem fontis me resurrecturum a mortuis. Fecit adduci et Officium ejus : Credimus unum Deum in Trinitate esse in cœlis. Et imposuit illis manus, et fecit eos catechumenos, et baptizavit eos. Suscepit vero Calocerum F Apollonius : et Officium ejus Faustinus et Jovita sicut omnem populum. Erant omnes baptizati quasi ad duodecim millia hominum, et erat hora circiter duodecima : et altare non habebant, in quo eis firmamentum Dominici Corporis traderent. Fecerunt itaque orationem, et respicientes viderunt sindonem niveum expansum tamquam supra altare : et erat plenum Corpore Domini; et calix Dominici Sanguinis erat plenus in eo. Tunc accedens Apollonius ante altare Domini, precari cœpit : et ecce apparuerunt quatuor luminaria ardentia in conspectu populi, quoniam jam nox erat : et fecit Missam, et tradidit Corpus Domini, similiter et Calicem.

*ordinantur S. Faustinus Presbyter, S. Jovita Diaconus : baptizant populum, et cum Episcopo S. Calocerum, et Officiales, simul 12000 hominum, qui omnes mox sacra Eucharistia refecti,*

## CAPUT II.

*Martyrium officialium S. Caloceri : huic et SS. Faustino ac Jovitæ inflicta Mediolani tormenta.*

Omnes deinde per noctem abierunt cum Apollonio : beati autem Martyres Dei redierunt ad carcerem. mane

*reversi ad carcerem,*

AUCTORE ANONYMO, EX MOMBRITIO.

A Mane facto venit Calocerus ad carcerem cum Officio suo et intrantes ad Faustinum et Jovitam salutaverunt eos, dicentes. Ecce firmati sumus accepto Corpore et Sanguine Christi, ut et noster sanguis fundatur pro nomine ejus. Faustinus dixit : Oremus in conspectu Salvatoris nostri. Cumque orarent, ecce Angelus Domini venit ad eos, dicens : Forti animo estote ; accepistis petitionem vestram. Tu vero Calocere, sic dicit Dominus omnipotens : Mitto te in medio luporum, ut convertas eos, et accipias paratum tibi fructum. Tunc dixit Calocerus ad Angelum : Ego fui homo in peccatis meis ambulans ; quid faciam, si non conversi fuerint homines ad Deum cœli ? Respondit Angelus : Calocere, tu tamen spera in Domino, et in illa hora dabitur tibi petitio tua ; et replebuntur omnes Spiritu sancto, qui crediderint verbis tuis : et ibi accipies coronam martyrii. In illa die venient Angeli, qui tollant te de isto seculo, et portabunt te ad Creatorem tuum. Transactis igitur diebus, in quibus Adrianus luxit fratrem suum Pompeium, jussit dare Circum, ut valediceret populo ; et misit ad carcerem Aurelianum Comitem Italiæ, ut videret signaturam annuli ejus : qui veniens ad carcerem, ut fuerat, ita signatum invenit. Tunc aperuerunt ostium carceris, ubi erant Faustinus et Jovita inclusi : et invenerunt cum eisdem
B Calocerum et Officium ejus. Admirati sunt valde, quod ostiis clausis et signatis ad eos ingressi fuissent. Renuntiatum est Adriano Calocerum cum Officio suo in custodia carceris inventum, ut erat Faustinus et Jovita. Admiratus est valde, et eos jussit ligatos adduci.

*excipiunt S. Calocerum cum Officio*

*ab Angelo confirmatum,*

*eos januis clausis ingressos esse mirantibus aliis*

*cum Imperatore :*

7 Quo facto, sic alloquitur eos Adrianus : Calocere, quid fecisti, infirmum te reddere his, qui sunt in palatio meo? Deinde conversus ad Officium ejus dixit : Vos vero qualis insania compulit, ut participatam cum Faustino et Jovita, et Calocero mortem desideretis? Illi vero una voce dixerunt : Adriane, non timemus mortem istius seculi : quia adjutor noster est in cœlis. Adrianus dixit : Et vos scitis Deum esse in cœlis? Simul omnes dixerunt : Per renovationem fontis vidimus eum ascendentem in cœlis cum multitudine Angelorum : et hunc credimus Deum verum et vivum esse in cœlis. Tunc jussit Adrianus eos post terga ad Circum adduci, et amputari capita eorum ; Calocerum vero cum Faustino et Jovita in ferrum mitti præcepit, et proficisci Mediolanum. Quibus post triduum ingressis civitatem Mediolanensem, jussit Adrianus in thermas Herculinas Faustinum et Jovitam cum Calocero in conspectum suum adduci, quibus dixit : Scitis quoniam
C translati sub custodia estis de civitate vestra : modo ergo convertimini ad me, ut liberi a pœna esse possitis : Sacrificate ergo deo Saturno : et eritis nobiles in Italiæ partibus. Calocerus respondit : Tyranne Christianorum, ubique oratio eorum confundit deos tuos et teipsum cum eis. Et Adrianus : Audite me et sacrificate, priusquam morti vos tradam. Faustinus respondit : Sacrificamus, et offerimus Deo nostro, qui nobis in omnibus auxilium præstat. Adrianus dixit : Videbo citius, qualiter adjuvat vos Deus vester.

*capite plexis Officialibus,*

*ducuntur Mediolanum SS Faustinus, Jovita, Calocerus*

*respuunt promissa et minas Imperatoris*

8 Tunc ait ministris : Afferte eculeos, ut videant populi pœnam eorum, et suspendite eos, et torquete usque dum animam reddant. Ministri ita fecere, torquentes eos vehementer. Calocerus clamabat : Beati Martyres orate, quia graviter circa me diabolus pœnam exercet. Faustinus respondit : Sustine modicum : ecce enim Angelus veniet in auxilium tibi contra diabolum. Calocerus dixit : Orate, quia video me superasse diabolum, qui mihi dolores inferebat : modo enim pro nihilo habeo tormenta Adriani. Audiens Adrianus verba Caloceri, cum grandi risu dixit : Calocere, modo senties, cum videris circa vos vehementiora adhiberi tormenta. Tunc dixit ministris : Afferte ante nos lampades, et ponite circa latera eorum : ut sciat Calocerus si non sentit sententiam nostram. Ministri autem infigebant membris eorum multitudinem lampadum. Calocerus clamabat : Adriane nondum est tertia hora : quomodo te tenebræ comprehenderunt, ut lampades tibi afferri præciperes? Adrianus dixit : Calocere, quantum video, adhuc ignem non sentis. Cui ille : Vere tibi dico, quia in nullo tormenta tua sentio. Adrianus dixit : Afferte stupam, resinam, et oleum, et ponite circa eculeos, ut cum ipsis eculeis concrementur. Faustinus respondit : Adriane, pœnam nobis adhibuisti ad confusionem tuam. Tunc ministri, quod jussum est, impleverunt. Videns Adrianus flammam circa eculeos copiosam, jussit eis clamari : Vel modo sentite vim deorum, quos non adoratis. Erat enim flamma ignis circa eculeos : beati vero Martyres ab igne non tangebantur.

*suspenduntur in eculeis.*

D *lampadibus ad latera admotis,*

*infusis in ignem oleo et resina,*

*illæsi manent :*

9 Calocerus de igne clamabat : Adriane infestissime, cultor idolorum, præpara tibi aliam pœnam, quia hanc non sentimus. Hæc Adrianus audiens, jussit ministris, dicens : Augete stupam et resinam, ut sentiant calorem deorum. Faustinus respondit : Vide, quia in mediis flammis stamus : modo videbitis et confusionem vestram. Erant enim statuæ Saturni et Herculis, ubi sedebat Adrianus et audiebat sanctos Dei servos. Jovita dixit ad ignem : Imperamus tibi in nomine Domini, vade ad statuas Saturni et Herculis, ut calefacias eas, quia frigidæ sunt. Tunc ignis ad præceptum eorum perrexit, ubi stabant statuæ, et ita circumplexus est eas, ut mox velut cera defluerent. Adrianus videns ardere statuas, exiliit de sede, et foras fugit : quia statuæ, quæ ardebant, super sede ejus positæ stabant. Faustinus et Jovita, et Calocerus foras secuti sunt Adrianum, dicentes : Ubi pœnæ tuæ sunt Adriane? Confudit te Dominus Deus noster, et pro nihilo habemus pœnas tuas.

E *verbo accendunt statuas Saturni et Herculis*

*fugientem Imperatorem sequuntur :*

10 Adrianus ad ministros ait : Adducite tauros, et auferte istos magos ab oculis meis : ligate eos ad posteriora taurorum, ut in deserta loca delati deficiant. Tunc ministri tulerunt Faustinum et Jovitam et Calocerum, et ligaverunt eos post tauros indomitos, et dimiserunt eos in silva abdita. Steterunt autem tauri in silva quasi ad præsepe ligati. Venerunt Angeli ad eos, dicentes : Faustine, misit nos Dominus, ut reducamus vos ad civitatem, ut videat Adrianus confusionem suam. Conversi postea Angeli dixerunt ad tauros : Abite cum Faustino, Jovita, et Calocero in civitatem, et dabitur vobis virtus, ut multa per vos mirabilia ostendantur. Regressi sunt Faustinus, Jovita, et Calocerus in civitatem, sicut præceperant eis Angeli, tauri vero sequebantur eos. Qui intrantes civitatem, prima luce perrexerunt ad palatium, ut a populo viderentur. Annuntiatur Adriano : Faustinus, Jovita et Calocerus foris stant, et tauri, ad quos ligati fuerant, cum ipsis sunt. Audiens ille valde miratus est, et præcepit, ut ad se intrarent : tauri vero illos sequebantur : custodes autem palatii, eos foras expellebant. Quod videntes tauri, et a sanctis servis Dei se segregari, facti sunt subito tamquam tempestas valida intrantes palatium, ostia confregerunt, et quotquot in medio invenerunt, tamquam ferro percussi, mortui sunt, donec ad Martyres Dei pervenirent. Ubi vero pervenere, mansere ut agni læti quasi de pascuis redeuntes. Adrianus vero tauros videns grandi furore ingressos, et subito tamquam agnos effectos, miratus dixit : Faustine, video in vobis gratiam esse magnam dei nostri Silvani ; adeo ut tauri, quos vobis quasi leones adhibuimus, facti sint tamquam oves. Cui Calocerus : Quem

*alligati ad tauros deferuntur in silvam,*

*liberati ab Angelis,*

F

*redeunt ad palatium,*

*tauris vi facta sequentibus.*

A Quem dicis deum Silvanum, cujus similitudinem sibi infantes de frondibus faciunt, et statim mittunt focum, et nusquam comparet? Adrianus dixit: Audite me, priusquam faciam vos ferarum morsibus tradi, et sacrificate. Calocerus respondit: Non audimus consilia tua, sed quam habes paratam pœnam adhibe: ut qui non viderunt, videant, et qui non audierunt, audiant.

## CAPUT III.

### *S. Caloceri a SS. Faustino et Jovita separatio. Certamen, obitus.*

*Calocerus adhortatur Mediolanenses ad fidem Christi:*

Audientes hic populi verba eorum, omnes una voce clamabant: Tolle magos de medio nostrum. Quibus Calocerus, Audite nos, inquit, cives Mediolanenses: intendite veritati, et nolite sperare in mendacio Adriani, a quo veritas alienata est. Et subdit: Ubi sunt minæ tuæ, Adriane? Ecce tauri jacent in conspectu nostro mites ad tuam confusionem: sed provideat tibi pater tuus diabolus acriora tormenta adversum nos. Audite itaque populi, et intendite verbis meis. Dei, quos colitis, cum tempore veterascunt. Si enim in vobis esset sensus, et acciperetis verba nostra in cordibus vestris; Deum cœli pure adoraretis et dæmonia idolorum execraremini. B Unum Deum timete, qui est super omnem faciem terræ, qui suscitat a terra inopem, et de stercore erigit pauperem. Certe videtis, quanta sit misericordia in servis suis, ut non patiatur verum in mendacio teneri: quoniam justus est Dominus, et justitiam diligit, æquitatem vidit vultus ejus. Tunc facta est vox ad eum, dicens: Tibi dicitur, Calocere, quia hodie traderis in manus judicis, qui te ducat per diversa loca, quo usque pervenias in civitatem, in qua multi per te in nomine meo credent, et ibidem accipies coronam tuam.

*voce cœlesti admonetur de instante corona:*

12 Tunc jussit Adrianus Calocerum ad palatium adduci, ut eum traderet Antiocho Præsidi. Quare Antiochus ad Officium suum dixit: Tollite Calocerum foras, ut per me mortem evadere non possit. Hic Calocerus osculatus est Faustinum et Jovitam, dicens: Memores estote mei, incessantem orationem facientes, ut detur mihi diabolum superare. Cui Faustinus: Calocere frater vide, quoniam certamen tuum non est grave: dederuntque ei pacem, dicentes: Vade in nomine Domini, et præpara nobis habitacula; ut, cum superaverimus diabolum omniaque phantasmata ejus, accipiamus palmam justitiæ, C et inveniamus a Deo preparatam habitationem, in qua gloriemur. Tunc dixit Antiochus: Calocere, exi foras. Erat enim complexus Faustinum et Jovitam, feceruntque sibi invicem vale. Hic ministri ligaverunt Calocerum, et duxerunt ad palatium, cui Adrianus ait: Calocere vide, quantæ magiæ te averterunt a nobis, ut Judex in nostro palatio constitutus, ita sis circumventus, ut nos per multas fallacias refutares. Hic Antiochus Præses dixit: Per clementiam vestram jubete mihi parari secretarium, ut eos jussu vestro audiam, et adorent Deos nostros, aut gravissimis tormentis eos faciam extendi. Cui Adrianus: Ecce quinquennii tibi dono administrationis honorem; tantum age, ut convertantur ad Deos nostros: ecce satis age, ut sacrificent diis. Tunc jussit Adrianus in capitolio secretarium Antiocho parari, ut audiret Faustinum et Jovitam, Calocerum vero ad Alpes Cottias præcedere jussit. Et dixit Adrianus Antiocho: Isti homines mihi in Urbe plurimum sunt necessarii: tu vero nobiscum proficiscere, ut te agente ad nostram religionem convertantur.

*valedicit SS. Faustino et Jovitæ,*

*destinatis ut Romam mittantur:*

13 Antiochus dixit: De Calocero quid faciemus, quem ad Alpes Cottias præcedere jussistis. Adrianus dixit: Mittemus, qui vices tuas agat, quamdiu nobiscum fueris. Antiochus respondit: Pietas vestra D talem ordinet, qui versutus sit circa contemptores legum vestrarum. Erat quidam Sapritius valde in legem nostram durus: hic militabat in palatio Primicerius Candidatorum: hunc ordinavit Adrianus vices gerere Antiochi, cui sic præcepit: Mittemus te ad Alpes Cottias, vices gerere Antiochi, ita ut quoscumque inveneris Christianos, gladio animadvertas. Sapritius itaque cum ingressus fuisset civitatem Astensem, ait B. Calocero: Sacrifica, ut possis indulgentiam consequi. Calocerus respondit: Sacrifico Deo meo, et adoro in loco sancto eum; quia suavis est laudatio ejus. Sapritius dixit: Quem dicis Deum? quem nemo videt? Nam certe dei, quos colimus, omni hora videntur, et ab omnibus adorantur: et quæ ad ipsis postulata fuerint, ea hora præstantur. Jussitque Sapritius ministris, ut regelarent picem et mitterent super resinam. Quique Sapritius denuo ad Calocerum ait: Calocere: priusquam tibi adhibeantur tormenta, quæ sunt præparata; consenti mihi, et sacrifica, ut liber a pœna esse possis. Calocerus respondit: Non videbis servum Dei in aliquo contristari: tu vero vide retro, quia non valebis lædere famulum Dei. Sapritius itaque ministris, Afferte, inquit, ut videat præparata sibi tormenta. Et attulerunt ministri ollas cum pice et resina, quas jussit iratus Sapritius mitti in caput ejus. Cum vero mitterent, resilivit in eos, et Sanctum Dei penitus non tangebat. Iterum fecit afferri liquamen fervens, et in eos ejus mitti præcepit. Quod ubi ministri facerent; quasi aquam suavissimam biberet, gaudio magno delectabatur: proinde levans oculos ad cœlum, dicebat: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine. Et ad circumstantem populum conversus ait: Ergo, inquit, cavete, ne vos seducat Sapritius per pœnas, quas mihi infert, quandoquidem eas penitus non sentio. Vos vero respicite ad Creatorem vestrum, et convertimini ad eum, et adorate Deum, qui est in cœlis et fecit vos, et nolite adorare deos lapideos et ligneos, in quibus non est salus.

*AUCTORE ANONYMO, EX MOMBRITIO.*

*Astæ a Sapritio examinatur:*

*nullis pœnis terretur:*

E

*illæsus a pice, resina,*

*liquamine fervente.*

14 Audiens hæc verba Sapritius, jussit Calocerum fustigari, et in carcerem recipi: et furore correptus dedit Calocero sententiam, ut mox Albiganum ductus esset, et finem vitæ acciperet. Tunc exiens muros civitatis Astensis, ait: Domine fac cum servo tuo, ut videam ante conspectum tuum Faustinum et Jovitam. Et accepta sententia ductus Albiganum, hujus vitæ finem accepit: et in locum subito advenit non parva multitudo psallentium Angelorum. Universas vero sententias, quas in Calocerum tulerat Sapritius, transmisit ad Principem Adrianum: cui, cum omnia relecta fuissent, valde placuerunt. F

*Albinganum anhelans ad SS. Faustinum et Jovitam, occiditur.*

## EXCERPTA

### ex Vita MS. S. Secundi Martyris Astensis.

Secundus civis Astensis, miles strenuus, atque Comes Palatinus genere præclarus fuit, dignitate, divitiis ac moribus adornatus: idolorum tamen errore deceptus. Eo tempore regebat Romanum Imperium quidam Imperator impiissimus, nomine Hadrianus, et erat Præfectus Alpium Cottiarum quidam Antiochus in crudelitate ei similis: qui missus fuerat ab Imperatore persequi Christianos. Hic cum Mediolanum pergeret ad Hadrianum Imperatorem, transiens per Dertonensem civitatem, audivit quod Marcianus ipsius civitatis Episcopus multos quotidie induceret ad relinquendum adorationem idolorum, et suscipiendam fidem Christi. Sed cum non posset ibi tum morari, jussit illum tum in carcere custodiri usque ad suum reditum. Ubi vero Mediolanum pervenit

*S. Marciano Dertonæ capto,*

*SS. Faustinus et Jovita torti Mediolani reservantur,*

*Ex vita S. Secundi.*

A venit, salutavit Imperatorem, qui eodem tempore ad eamdem civitatem adduci fecerat sanctos fratres Faustinum et Jovitam et S. Calocerum ex Brixiensi civitate. Quos cum multis modis ac tormentis afflixisset, ut eos ad adorationem idolorum pertraheret; videns quod nihil proficeret, SS. Faustinum et Jovitam reservavit, ut eos Romam secum perduceret: Sanctum vero Calocerum consignavit eidem Antiocho, ut eum Astam mitteret... *a* Sed loco ipsius Hadrianus Imperator crudelissimum sibi vicarium substituit quemdam, qui Sapritius vocabatur. Idololatra enim erat, et contra Christianos crudelissimus persecutor....

*a S. Calocero Astam misso.*

*ad S. Secundum a S. Marciano missum Mediolanum*

2 Cum Sapritius et B. Secundus a S. Calocero instructus, Dertonam ingrederentur, B. Marcianus Angeli præcepto de carcere exiens, ad portam civitatis B. Secundo occurrit, eique dixit: Intra Secunde viam veritatis, et perge Mediolanum, ut accipias palmam fidei, ibique invenies præclarissimos Christi ministros Faustinum et Jovitam, a quibus baptizatus ad me venies.... Tunc acceptis vehiculis Secundus abiit cum duobus servis suis. Cumque ingressi fuissent Mediolanum quasi hora circiter sexta, cœpit in semetipso cruciari, qualiter ad sanctos Dei Faustinum et Jovitam pervenire posset, qui in carcere tenebantur. Et cum medio civitatis appropinquasset, B ecce Angelus Domini apparuit Secundo, dicens: Secunde, vade foras muros civitas in dextram partem muri. Ego adducam ad te Faustinum et Jovitam. Audiens Secundus verba Angeli, gaudio repletus perrexit ad locum. Angelus vero Domini abiit ad carcerem, et dixit: Faustine et Jovita, fratres et consortes nostri, venite mecum: quia venit ad vos vir sapiens de civitate Astensi Secundus nomine, ut baptismum recipiat, qui a B. Calocero eruditus est, et a B. Marciano vobis missus. Faustinus et Jovita dixerunt: Gratias tibi agimus, Domine, quia visitasti nos et misisti ad nos salutem Caloceri servi tui. Et eduxit eos Angelus de carcere, et duxit eos ad Secundum. Qui videns eos a longe, projecit se in terram ante conspectum eorum et dixit: Redimite animam meam de manu inferi, ut liber ad Deum cœlorum perveniam. Faustinus dixit: Domine, respice super fidem famuli tui, ut perveniat ad desiderium suum.

*ab Angelo e carcere educuntur.*

3 Et cum hæc verba orationis finita fuissent, ecce subito deficiente aqua, apparuit tamquam columna nubis descendentis, et aquam eis ministravit abunde. *b* Videns Faustinus *c* quem ad effectum Secundus venerat ad eum, apprehendit Secundum et posuit eum sub aqua fluente de cœlo, lavans eum et dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizo te. Et signavit eum: et ecce subito columba de cœlo venit, Corpus et Sanguinem Domini deferens, quod C posuit in manibus Faustini et Jovitæ, dicens: Ecce D panis vivus, qui de cœlo descendit, dare vitam mundo huic. Tunc Faustinus tradidit Corpus et Sanguinem Domini Secundo, dicens: Vade Secunde, et accipe palmam justitiæ in civitate tua. Et data ei pace dixerunt: Audiamus de te cursum consummationis fidei tuæ. Et dederunt pacem denuo dicentes: Hoc Corpus commixtum in sanguine Domini porta ad fratres nostros Calocerum et Marcianum, quos per fontem martyrii renovandos esse scimus. Et facta oratione fecit eis vale, et ascendit vehicula in quibus venerat... Et ingressus civitatem Dertonensem dixit Secundus ad Angelum: Rogo te, perduc me ad Marcianum, ut eum salutem, et tradam ei transmissum Faustini et Jovitæ. Tunc Angelus duxit eum ad locum, ubi erat B. Marcianus in custodia. Et cum ingressi fuissent in carcerem, salutaverunt S. Marcianum dicentes: Gaude et lætare sapiens cultor Dei. Secundus dixit: Ecce quod tibi Dominus transmisit, mittentibus Faustino et Jovita. Accipiens Marcianus Corpus et Sanguinem Domini, sumpsit sibi dicens: Corpus et Sanguis Domini sit mecum in vitam æternam. Et osculatus est Secundum, dicens: Pacem eam portabis fratri nostro Calocero...

*b c S. Secundum accepta e nube aqua baptizat S. Faustinus, communicat ei sacram Eucharistiam,*

*donat ad S. Calocerum et Marcianum deferendum,*

4 Tunc B. Marcianus Episcopus sublatus est foris murum civitatis Dertonensis... posuit genua, et facta oratione spiculator amputavit caput ejus. Secundus vero misit se, et rapuit corpus ejus, ac sepelivit cum omni studio sub die VI Kalend. Aprilis... Tunc ministri tollentes B. Secundum duxerunt eum E in custodiam obscuram carceris. Ubi cum esset S. Secundus, facta est subito in eodem carcere lux præclara et resplendens: et ecce Angelus... illæso et clauso carcere eduxit eum ex civitate Dertonensi perduxitque eum in civitatem Astensem... ut eum poneret in custodia cum B. Calocero... Audiens hæc Sapritius, jussit S. Calocerum fustibus cædi et in carcerem recludi: Beatum vero Secundum capitalem jussit subire sententiam. Sanctus autem Secundus apprehendens Calocerum, osculatus est eum præsente populo et Sapritio. Quod videns Sapritius, furore repletus, dedit Calocero sententiam, ut mox ipse Albiganni finem mortis acciperet. Tunc exierunt sancti Christi Martyres foras muros civitatis Astensis: dicentes: Domine, fac cum servis tuis, ut ante conspectum tuum videamus SS. Faustinum et Jovitam, sed et Patrem nostrum Marcianum, et fecerunt sibi vale. Quo facto abiit Secundus cum spiculatore ad locum, ubi posuit genua, et sic deprecabatur: Domine, suscipe spiritum meum, ut mereatur in conspectu tuo invenire gratiam. Et hoc dicto ablatum est caput ejus sub die tertio Kalendas Aprilis. F

*S. Marcianum occisum 27 Martii sepelit S. Secundus:*

*ab Angelo Astam ductus.*

*anhelans ad SS. Faustinum et Jovitam occiditur 30 Martii.*

a *Hinc paucis mutatis incipiunt Acta S. Marciani apud Mombritium.* — b *Interponitur in Vita S. Marciani* Tunc dixit Angelus Domini. Faustine; ecce aqua quam desiderabas. — c *Ibidem*, quia Dei præcepto Secundus venerat.

### DE SANCTIS MARTYRIBUS

# JOSEPHO DIACONO, ZENONE, APOLLONIO, PHOEBO, ROMANO, ZOSIMO, BAROLO, ZOCO PRESBYTERO, RUFINO,

G. H.

## ANTIOCHIÆ IN SYRIA.

XV FEB.

*Antiochiæ S. Josephus, seu Josippus variis ab aliis assignati socii,*

*Antiochia amplissima quondam Syriæ et clarissima urbs, infinitum prope numerum Martyrum habuit: ex quibus ad hunc XV Februarii spectat illustris turma, a qua cum diem auspicatur perantiquum Martyrologium MS. Romanum, quod sub nomine S. Hieronymi citari solet, in quo hæc leguntur:* XV Kalendas Martii, Antiochiæ S. Josippi Diaconi, Zenonis, Apollonii, Phœbi, Romani, Zosimi, Barali, Zoci Presbyteri, Rufini. *Et ex hac turma duo priores inscripti sunt antiquo MS. Martyrologio Richenoviensi sive Augiæ-divitis prope Constantiam:* In Antiochia Josippi Diaconi, Zenonis. *In MS. Tornacensi S. Martini valde antiquo:* Eodem die in Antiochia natalis SS. Josippi et Rufini. *At Bedæ Martyrologium tertio tomo operum ejus excusum, et manu exaratum apud Richenbergenses in Bavaria, hæc habet:*

In

A In Antiochia natale S. Joseph Diaconi, Zenonis. *Quæ fere eadem leguntur in Martyrologio Rabani*: In Antiochia nativitas S. Josephi Diaconi, Zenonis. *MS. Leodiense S. Lamberti hæc refert*: Natale SS. Josephi Diaconi, et Apollonii. *Galesinius ex codice MS.* Antiochiæ sanctorum Martyrum Josephi, Joannis et Victoris. *Verum hos duos alios et quidem distinctis classibus adjungendos esse arbitramur*, Joannem *Martyribus Interamnensibus*, Victorem *Syris. In antiquo MS. Trevirensi S. Maximini*: Josippi Diaconi, Dionysii Presbyteri, Aventi. *Ex quibus* Aventus, *alias* Adventus, *primus habetur Martyrum aliorum, qui in Syria occisi, hoc etiam die referuntur. De* Dionysio *major controversia, num his adjungendus, an censendus, qui in Martyrologio S. Hieronymi est* Zocus Presbyter. *Inter Alexandrinos* XIV *Februarii sunt* Dionysii, *quorum unus* Episcopus, *alius* Presbyter *fuit: quem ad hunc diem videtur retulisse auctor Martyrologii Trevirensis.*

*ab aliis solus refertur;*

2 *In aliis Martyrologiis solius* S. Josephi, *absque ullo socio, mentio fit: qui nullo etiam loco adscripto refertur in Martyrol. MS. Lætiensi. MS. Bruxellense S. Gudilæ* Antiochiæ Josippi Diaconi. *At Notkerus, Bellinus, Maurolycus, Canisius, Hermannus Greven, Molanus,* B *MS. Florarium, et Martyrologium Romanum*: Antiochiæ S. Joseph Diaconi. *Addit Baronius*: Beda, Usuardus, ac ceteri eadem hac die. *Verum nulla in sinceris Usuardi exemplaribus* Josephi *hujus mentio est. Apud Molanum, typographorum errore, verba tali charactere excusa sunt, ut videantur Usuardi, quæ ab Molano ex Bellino sunt adjecta. At majus in eisdem Notationibus mendum, dum ait,* S. Josephum *hunc coli* a Græcis III Aprilis, ut ex eorum Menologio apparet, fuisseque sacrorum hymnorum scriptorem, qui temporibus Theophili Imperatoris ob cultum sanctarum imaginum factus est Confessor illustris: de eoque agere Nicephorum lib. 21, cujus libri tantum habetur summarium. *Baronium sequutus Ghinius in Natalibus S. Canonicor.* Antiochiæ, *inquit*, S. Joseph Diaconi. Fuit sacrorum hymnorum scriptor, et sacrarum imaginum propugnator acerrimus, et pro earum cultu temporibus Theophili Imperatoris multa perpessus, tandem Confessor illustris dormivit in pace.

*perperam creditus 9 seculo vixisse,*

*Hymnorum scriptor:*

*Hæc ibi. Forte prævit auctor Martyrologii Coloniæ an. 1490 excusi, quod etiam* Usuardus augmentatus *appellatur, in quo hæc leguntur*: Ananiæ S. Josephi Diaconi et Confessoris; *ubi ut pro* Antiochia *legitur corrupte* Anania, *ita loco* Martyris *titulus* Confessoris *est appositus.* D

AUCTORE G. H.

3 *Ceterum scimus sacrorum hymnorum Græcos scriptores, duos seculo Christi* IX *floruisse* Josephos; *ambos ob cultum sanctarum imaginum propugnatum illustres confessores, sed qui huc nullo modo spectant. Alter horum Archiepiscopus Thessalonicensis fuit, S. Theodori Studitæ frater, Constantinopoli cum S. Platone in monasterio Studii sepultus, ad quod etiam sub S. Theodora Imperatrice corpus Sancti Theodori delatum esse, diximus ad hujus Imperatricis Vitam* XI *Februarii* § 8 *num.* 56. *Colitur hic Josephus* XIV *Julii: alter eo junior, ut bene advertit Baronius,* III *Aprilis, Hymnographi nomen in Ecclesia Græca sortitus. Hic Thessalonicæ Presbyter ordinatus, Constantinopolim migravit. Inde sub Theophilo Imperatore in exilium est pulsus, atque a morte ejus redux, diu Constantinopoli vixit, custos suppellectilis ecclesiæ a S. Ignatio Patriarcha constitutus: postea iterum sub Photio Patriarcha exul in Chersonem relegatus est, sed eo pulso* E *revocatus, tandem Constantinopoli in pace obdormivit, miraculis a morte clarus. Quæ exactius ad* III *Aprilis narranda sunt. Hæc sufficiunt ut constet ab utroque S. Josepho, et maxime juniore, diversum esse* S. Josippum *sive* Josephum, *de quo agimus; utpote qui* Diaconus *obiit, non* Sacerdos *aut* Episcopus: *qui* Antiochiæ in Syria *vixit, non* Constantinopoli *aut* Thessalonicæ: *cujus præterea sacra memoria est in antiquis martyrologiis, omnis centum aut ducentis ante conscriptis, quam duo illi nati essent Josephi. Arbitramur proinde S. Josippum, seu Josephum, sub Imperatoribus Gentilibus in aliqua contra Christianos persecutione mota cum indicatis sociis, martyrii palmam assecutum esse. Ab eo diximus hunc diem inchoari in antiquo S. Hieronymi martyrologio, illique postponi Martyres Interamnenses sub Aureliano Imperatore occisos. De illis autem Josephis hymnographis agit Simon Wangnereckius in prolegomenis ad Pietatem Marianam Græcorum num.* 22.

*quales fuerunt S. Josephus Archiep. Thessalonicensis,*

*et S. Josephus Presbyter;*

*ab hoc Diacono diversi.*

# DE S. CRATONE

## ORATORE, EJUS UXORE ET DOMESTICIS,

### MARTYRIBUS ROMÆ.

C F

G. H.

CIRCA AN. CCLXXIII. XV FEB.

*S. Craton*

*Duo in* S. Cratone *expendi præcipue debent; primum vitæ institutio atque ad fidem Christi conversio, alterum pro fidei suscepta defensione certamen. Prius in Actis S. Valentini Episcopi Interamnensis, quæ die præcedenti,* XIV *Februarii dedimus, tam accurate explanatum, ut, si pauca demantur, possit Vita et conversio* S. Cratonis *nuncupari: posterius, quod de mortis genere agit, tabulæ pleræque martyrologiorum docent. Nos hic ad Vitam illam S. Valentini pauca observamus, sed quæ solum S. Cratonem spectant, reliqua in eisdem Actis lector reperiet.*

*Atheniensis,*

2 *Primo* Craton civis Atheniensis *fuit, ut recte advertit Petrus Equilinus lib.* 3 *Catalogi SS. cap.* 126. *Nam* SS. Proculus, Ephebus, et Apollonius, nobiles, *et* viri scholastici apud Græcos Athenienses *erant*: *qui* cum studia Latina desiderassent, apud Cratonem, civem suum, Oratorem utriusque linguæ, in urbe Roma hospitabantur, cujus et magisterio et hospitio fovebantur. *Hæc Acta S. Valentini. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ,* philosophum et rhetorem *appellat. Acta* utriusque linguæ, *Latinæ et Græcæ,* Oratorem. *Ac certe adeo eximius fuit, ut S. Valentinus ab eo per nobiles viros ad se missos rogatus, relicta urbe ac diœcesi sua, Romam venerit, ejusque adhuc Gentilis se permiserit hospitio.*

*Romæ Orator, lingua Latina et Græca clarus,*

ANIMADV. PAG. 124.

3 *Hæc conversionis ejus occasio. Instabat S.* Craton, *ut filio suo Chæremoni ægro valetudo pristina redderetur, oblata etiam omnium facultatum suarum media parte. Respuit quæ obtendebantur Valentinus, solumque ut fidem Christianam amplecteretur, expetiit. Explicantem mysteria religionis nostræ lubens auscultavit Craton, atque ut docentem quasi amplius excitaret, quæ sibi difficilia videbantur, proposuit. An non unusquisque per suam fidem assequeretur salutem? Quomodo uni prodesset alterius fides, aut infidelitas obesset? Quæ sint difficilia ad credendum, quæ hactenus nec audire potuerat, nec corde concipere? Quæ etiam sint opera Christianorum, per quæ fides ostendi possit? Quomodo aqua, quæ sordes corporis lavat, possit a peccatis mundare? Hæc et his similia S. Valentino Episcopo explicante,* Craton orator cecidit ad pedes ejus, dicens: Credo quod ille, quem prædicas, verus sit Deus, et præter ipsum non sit alius, qui imperet languori, ut abscedat; imperet morti ut fugiat, imperet vitæ ut redeat. *Ac tandem* vocavit conjugem suam cum omni familia, et prostratus pedibus ejus, cœpit promittere, quod si salvus

*docetur mysteria fidei a S. Valentino Ep.*

A salvus esset filius, omnes crederent Christo. *Pactum admisit S. Valentinus, inclusus cubiculo oravit, et filio sanitatem impetravit.* Tunc Craton cum conjuge et omni domo sua credidit, et baptizatus est. Chæremon autem vestigia S. Valentini relinquere, nulla potuit ratione suaderi. *Hactenus illa Acta S. Valentini.*

*Auctore G. H. de filio per eum sanato, baptizatur cum suis:*

5 *Martyrium Cratonis ita narrat Equilinus:* Postquam Valentinus Episcopus passus est, Craton etiam a senatu Romano ex invidia detentus, et eorum sententia decollatus est. Cujus corpus Chæremon filius sepelivit in prædio suo xv Kalendas Martii: qui post patris martyrium in sanctis operibus Christo deserviens, et ipse post tempus aliquod laudabiliter ex hac vita decessit. *Hæc Equilinus, quæ fere eadem edidit Ferrarius. Inscriptus hoc die est S. Craton Martyrologio veteri Romano a Rosweydo edito, Martyrologiis MSS. S. Richarii, Coloniensi S. Mariæ ad Gradus, Serenissimæ Reginæ Sueciæ Christinæ, in quibus hæc leguntur:* Romæ S. Cratonis Martyris, *addunt Beda et Ado,* qui cum haberet filium, Chæremon nomine, scholasticum, qui inciderat in ægritudinem gravissimam, eumque B. Valentino Episcopo ad sanandum obtulisset sub tali conditione, ut si puer sanaretur, ipse cum omni domo sua fieret Christianus; sanato puero, quod promiserat implevit, atque cum uxore atque universa domo baptizatus, non multis post B diebus martyrio est consummatus. *Similia habent* D *Notkerus, Maurolycus, MS. Florarium, Viola Sanctorum, Martyrologium Coloniæ anno* 1490 *excusum, aliaque.*

*Martyrio coronatur*

*inscriptus Martyrologiis,*

*In aliis Martyrologiis martyrium clarioribus verbis ad uxorem et reliquam familiam extenditur. De iis Usuardus, Bellinus aliique ita scribunt:* Romæ S. Cratonis Martyris, qui a B. Valentino fidei documentis institutus, non multis post diebus, cum uxore et universa domo, martyrio est consummatus. *Similia habent Martyrologia MSS. Ultrajectinum S. Mariæ, Bruxellense S. Gudilæ, Viola Sanctorum. At Galesinius* Romæ, *inquit,* S. Cratonis Martyris. Hic cum filium a B. Valentino Interamnæ Episcopo sanatum vidisset, fidei rudimentis ab eodem instructus et baptizatus, paucis post diebus una cum uxore et universa familia capitis damnatus martyrium constanter et fortiter subiit. *Denique in Martyrologio Romano omnium martyrium ita exponitur:* Romæ S. Cratonis Martyris, qui cum uxore sua et universa domo a B. Valentino Episcopo baptizatus, non multo post una cum illis martyrio consummatus est.

*una cum uxore et domesticis occisis,*

6 *S. Valentinum Episcopum videri in persecutione Aureliani circa annum* CCLXXIII *interemptum esse, supra ad ejus Acta diximus, circa quod tempus etiam S. Cratonem cum suis occubuisse necesse est. Annus* CCLXXI *assignatur in MS. Florario.* E

*circa an. 273*

# DE S. AGAPE VIRGINE MARTYRE

## INTERAMNÆ IN UMBRIA.

G. H.

CIRCA AN. CCLXXIII XV FEB.

*Inter Patronos Interamnenses colitur S. Agape 15 Febru.*

Q*uatuor continuis diebus festum duplici ritu, ut vocant, de sanctis suis Patronis agit Ecclesia ac diœcesis Interamnensis in Umbria. Illorum præcipuus est* S. Valentinus Episcopus, *reliquorum fidissimus Pastor, cui* XIV *Februarii sacer est, quo die ejus Acta dedimus. Succedit proxime* S. Agape, *sive* Agapes *(nam utroque modo nomen apud antiquos scriptum reperitur)* Virgo ac Martyr, *cujus venerationi* XV *Februarii est attributus. Utrique plures in Martyrologiis adjuncti socii sunt,* Valentino Proculus, Ephebus *et* Apollonius, *qui* XVI *Februarii coluntur:* Agapæ *vero* Saturninus, Castulus, Magnus, Lucius, Rogatus, Joannes, *aliique quorum sacra veneratio ab* XV *ad* XVII *diem translata est, quando cum Ecclesia Interamnensi de illis agemus. Hoc ergo die solam* Agapen *damus, cui dum in MS. Martyrologio Carthusiæ Ultrajectinæ adjungitur* soror Thionia, *quæ* Chionia *est, alia pro hac* Agape *ponitur, Thessalonicæ sub Diocletiano* III *Aprilis passa, uti ad eum diem dicitur.*

C 2 *Celebris est hoc die in quamplurimis Martyrologiis memoria* S. Agapes, *quam solam referunt Usuardus, Bellinus, Canisius, MS. Florarium, Martyrologia MSS. S. Richarii, Ultrajectinum S. Mariæ, Bruxellense S. Gudilæ, aliique his verbis:* Interamnæ S. Agapes Virginis. *Notkerus:* Interamnis S. Agapæ Virginis. *Maurolycus:* Apud Interamnium Agapes Virginis. *Galesinius:* Interamnæ S. Agapis Virginis, *Wandelbertus.*

*inscripta Martyrologiis aut sola,*

Hinc decimo et quinto meritum clarescit Agapes. *Nusquam apud hos auctores de martyrio ejus mentio; et videtur Equilinus lib.* 11 *Catalogi cap.* 130 *num.* 67 *eam illi laurean præcidere:* Agapes Virgo, *inquit,* in civitate Interamnis eodem die (XV *Kalend. Martii)* in Domino obdormivit.

3 *Alii socios jungunt. Rabanus,* Interamnæ S. Agapæ Virginis, Saturnini, Castulæ. *Eadem habet Beda excusus, in MS. Richenbergensi* Agabæ *scriptum. MS. Tornacense S. Martini, et Ado MS. S. Laurentii juxta Leodium:* Interamne natalis S. Agabæ Virginis et triginta Martyrum. *Martyrologium MS. Romanum, quod S. Hieronymi appellatur:* Interamnæ natalis S. Agapis Virginis, Saturnini, Castulæ, Magni, Lucii, Rogati, Joannis et aliorum XII. *At Martyrologium Romanum hodiernum martyrium clare exprimit:* Interamnæ S. Agapis Virginis et Martyris. Item natalis sanctorum Martyrum Saturnini, Castuli, Magni et Lucii. *Jo. Tamayus Salazar ex quodam MS. adjungit* Camillum, *ut mox dicetur. De sociis, ut diximus, inquiretur* XVII *Februarii. Acta* S. Agapes *ex monumentis Ecclesiæ Interamnensis ita exponit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ.*

*aut variis cum sociis:*

4 Agapes Virgo nobilis Interamnæ nata, sub Valentino Episcopo Interamnensi floruit, una ex numero earum, quæ ex ejusdem S. Valentini institutione, in societate tamquam in cœnobio ac uti moniales, degebant. Cum autem idolorum cultores in Christianos furerent, Interamnæque eos maxime persequerentur, post Magistri mortem, et ipsa Interamnæ comprehensa, cum in Christi confessione immobilis persisteret, gladio animadversa, virginitati martyrii palmam adjunxit XV Kalend. Martii. F Cujus corpus in eo loco, qui Inter-turres dicitur, a Christianis conditum est: ubi templum ejus nomini a S. Anastasio Episcopo Interamnensi erectum fuit. Caput hujus Virginis Romæ in basilica sanctorum Apostolorum asservari dicitur.

*Acta ejus ex Ferrario,*

5 *Tamayus in Martyrologio Hispanico edidit aliqua Acta S. Valentini Episcopi Interamnensis ex Legendario MS. Asturicensi in quibus hæc leguntur.* Hoc novo indutus onere *Episcopali Valentinus,* ad religionis Christianæ fidem propagandam, animum convertit, duas Clericorum et Virginum congregationes, ex cujus claustro quædam mirabilis Agapes alumna Virgo processit, *instituit. Ludovicus Jacobillus in Vita hujus, cum Actis Sanctorum Umbriæ Italice scripta addit* S. Agapen voto virginitatis Christo sponso suo fuisse adstrictam, ob ejusque amorem, quas habebat possessiones, in pauperes erogasse *ac tandem, post vitam religiose sancteque peractam,* sub Leontio Præfecto Aureliani Imperatoris anno CCLXXIII Martyrem obiisse.

*pia sub S. Valentino institutio,*

6 *Qui templum* S. Agapes *extruxit Episcopus Anastasius, colitur* XVII *Augusti, Martyrologio Romano adscriptus*

A *scriptus: cujus Sedis controversa est ætas; nam alii electum anno ɪↃXLII contendunt, obiisse anno ɪↃLIII. Ughellus tomo 1 Italiæ sacræ asserit sub S. Martino Pontifice anno ɪↃCLII concilio interfuisse, quod suo tempore examinabitur. Octavius Pancirolus in Thesauris Urbis Romanæ regione 3 cap. 5 tradit etiam caput hujus sanctæ Virginis ac Martyris in templo sanctorum Apostolorum adservari. Addit Jacobillus aliquas ejusdem Sanctæ reliquias reperiri in ecclesia S. Petri in* D *capella, quæ vulgo Sancta Sanctorum appellatur: reliqua ossa permansisse in cœmeterio prædictæ ecclesiæ anno* CIↃCLXXIV *ab exercitu Frederici Ænobarbi Imp. dirutæ cum monasterio Virginum Ordinis Benedictini. De S. Agape agit etiam Laherius noster in Menologio Virginum.*

*templum,*

*reliquiæ Romæ,*

AUCTORE THEODORETO EP. *et Interamnæ.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS SYRIS

# ADVENTO, XYSTO, POMPONIO, GEMELLA, VICTORE, GENEROSO, VICTORE, GEMELLIANO, CUTURNO, CASTULA.

G. H.

XV FEB.

*In Syria S. Adventus*

G*enerosus hic piorum athletarum manipulus vitam pro fide Christi in Syria profudit.* S. Adventi *solius mentio est in antiquo et brevi MS. monasterii S. Maximini prope Treviros et* Aventus *dicitur, uti et apud Hermannum Greven in auctario Usuardi.* Advento *velut Duci reliqui adjunguntur in perantiquo martyrologio MS. Romano, quod S. Hieronymo attribuitur, in quo hæc leguntur:* In Syria Adventi, Xysti, Pomponii, Gemellæ, Victoris, Generosi, item Victoris, Gemelliani, Cuturni, Castulæ. B *Alium ex eodem MS.* Castulam *dedimus* XXV *Januarii, sed* Capuæ *in Campania adscriptam. Plures, uti hic duo sunt, alibi coluntur* SS. Victores Martyres: *at reliquorum sociorum nullus hactenus a nobis memoratus est: ut vel ideo, dum acta latent, a nominum confusione securiores videamur esse debere. Qui a Galesinio* Victor *additur socius Josephi Antiochiæ passi, ad hanc classem pertinere arbitramur. Quæ vero* Castula *additur Martyribus Interamnensibus, iterato expressa in eodem MS. S. Hieronymi, ac nonnullis Martyrologiis; in aliis* Castulus *est, quem Interamnenses colunt.* E

*et socii,*

*alia alibi Castula, plures Victores,*

# DE S. FAUSTINA

## VIRGINE MARTYRE.

J. B.

XV FEB.

*S. Faustina cultu olim Ultrajecti.*

NOT. 42.

E*xcusum est anno* CIↃIↃXVIII, *Leydæ in Hollandia, typis Joannis Severini, Breviarium Ecclesiæ Ultrajectinæ, cujus solam partem æstivam habemus. Sed ei præfixum Kalendarium anni totius, inque hoc ad* XV *Februarii ista leguntur:* Faustinæ Virginis. De hac ut supra Eulaliæ. *Eodem die ista habet MS. Florarium:* Et Faustinæ Virginis. *Fuisse Martyrem inde colligimus, quia officium de ea idem quod de S. Eulalia V. M. præscribitur. Nondum alibi nomen ejus reperimus. Dubitari posset, an non una fuerit ex S. Ursulæ sodalibus, quarum reliquiis omnes Belgicæ Ecclesiæ olim locupletatæ fuerunt.*

# DE S. EUSEBIO ANACHORETA

## ASICHÆ IN SYRIA.

G. H.

POST AN. CCCC XV FEB.

I*nter illustres asceticæ vitæ exercitatores, quos Theodoretus in Philotheo, seu lib. 9 de Vitis Patrum prædicat, duo appellantur* Eusebii, *ambo sacris fastis Græcorum adscripti. Horum primus fuit Abbas montis Coryphes in Syria, coliturque* XXIII *Januarii, ad quem diem ejus vitam dedimus ex cap. 4 Philothei. Alter in eadem Syria vixit in vico Asicha,* C *familiaris Theodoreto Episcopo Cyri, a qua urbe non procul videtur abfuisse. Ejus Vitam aliquam habet cap.* 18 *Philothei, quam ad hunc* XV *Februarii referunt Græci in magnis Menæis, et Maximus Cythseræus* ἐν βίοις ἁγίων. *Præponitur in Menæis hoc distichon.*

Ἀνθρώπινον παρῆλθεν ἀσμένως βίον
Εὐσέβιος τὸ θαῦμα καὶ τῶν Ἀγγέλων.

Humanam prætergressus est suaviter vitam
Eusebius ad stuporem etiam Angelorum.

## VITA

Ex Philotheo Theodoreti cap. XVIII.

Prius dictis Sanctis magnum quoque addam Eusebium, qui non longo quidem abhinc tempore est mortuus. Cum multis autem annis vixisset, tempori quidem æqualem sustinuit laborem, labori autem æqualem simul delegit virtutem. Multiplex autem lucrum ex eo retulit: magnitudine enim remunerationum agonotheta superat certamina. Hic ergo cum primo aliorum fidei sui curam credidisset, quo illi ducebant, ducebatur; erant enim ipsi quoque viri divini virtutisque athletæ et exercitatores: et cum aliquo tempore cum eis esset versatus, et bene recteque philosophiæ accepisset scientiam, vitam monasticam est amplexus: et cum quoddam dorsum montis occupasset, (imminet autem ei vicus maximus, quem nominant Asicham) fossa solummodo F facta, et lapidibus ne luto quidem conjunctis, sub dio reliquiam transegit vitam, seipsum affligens, veste quidem opertus pellicea, cicere autem et fabis aqua madefactis se nutriens. Quin etiam aliquando quoque vescebatur caricis, sic utcumque conans sustentare imbecillitatem corporis.

*S. Eusebius sub aliorum disciplina degit,*

*dein solus sub dio:*

*pelle vestitus, cicere et fabis victitat:*

2 Cumque ad summam pervenisset senectutem, ut etiam dentes plurimos amisisset, neque mutavit cibum, neque habitationem. Sed et cum hieme congelaretur, et æstate ureretur, fortiter ferebat contrarias qualitates aeris, faciem quidem habens corrugatam, arefacta autem omnia membra corporis. Tam multis autem corpus consumpsit laboribus, ut ne zona quidem maneret super lumbos, sed caderet inferius: nihil enim erat quod vetaret: nam et clunes et coxendices consumpti erant, et zonæ facilem descensum præbebant ad inferiora. Zonam itaque adsuit tunicæ, hac ratione ut staret excogitans. Ægre ferebat autem conversari cum multis. Nam cum divinam contemplationem visione assidue apprehenderet, mentem ab ea nolebat abstrahere: sed tamen, etsi esset amore tam vehementi præditus, permittebat aliquibus ex notis, ut id quod portam obstruebat aufferrent

*constans in mortificatione*

*aversatur conversationem terrenam:*

*AUCTORE G. H.*

A anferrent, et intrarent : et cum eis exhibuisset doctrinam ex divinis eloquiis, jubebat rursus abeuntes portæ lutum imponere.

*cellæ aditum obstruit :*

3 Verum cum omnino satius existimasset, etiam cum paucis vitare congressionem, aditum omnino obstruxit, illi portæ maximo admoto lapide. Per quamdam autem fossam colloquebatur quidem cum paucis ex familiaribus, sed non videbatur. Sic enim providerat : illinc autem illud quoque exiguum accipiebat nutrimentum. Rursus autem cum omnibus colloqui denegasset, me solum dulci illa et Deo grata voce dignabatur, et abire volentem me sæpe detinebat, de rebus disserens cœlestibus. Cum multi autem ad eum venirent, et postularent bonum benedictionis, et eum ægre ferret tumultum, nec senectutem considerans, nec urgentem reputans imbecillitatem, transilit fossam quæ nec a robustis quidem et valentibus facile transiri poterat : et cum ad quamdam propinquam venisset monachorum classem, parva rursus fossa arcta ad muri angulum, cum consuetis decertabat laboribus. D

*solum Theodoretum admisit.*

4 Hujus autem gregis Præfectus, vir omni virtute plenus, dixit, eum cum comedisset quindecim caricas, transegisse septem hebdomadas sancti jejunii. Hoc autem subiit certamen, cum vixisset plus quam nonaginta annos, imbecillitate autem, quæ narrari non potest, esset affectus : sed imbecillitatem superabat animi alacritas, et Dei amor omnia facilia reddebat et expedita. Cum hic talibus circumflueret sudoribus, pervenit ad metam cursus, et agonothetam videns, et coronam desiderans. Ego autem rogo, ut illam consequar intercessionem, quam huc usque percepi dum esset adhuc superstes. Credo enim eum vivere, et habere puriorem ad Deum fiduciam.

*caricis 18 transigit Quadragesimam :*

*feliciter obit,*

# DE S. GEORGIA

## VIRGINE DEO DEVOTA, CLAROMONTE IN GALLIA.

J. B.

XV FEB.

*S. Georgia colitur 15 Febr. alibi 11 Martii*

*Claromonte metropoli Arvernorum in Gallia celebratur* XV *Februarii* S. Georgia *Virgo Deo devota, de qua Martyrologium Romanum :* Arvernis S. Georgiæ Virginis. *Prolixius elogium contexuit Saussaius in Martyrol. Gallicano.* B *Petrus Galesinius* XI *Martii ejus natalem ita consignavit :* Arvernis S. Georgiæ Virginis, quæ orationibus ac jejuniis dedita, vitam et mentem virginalem ita spirituali cultu exercuit, ut virginitatis fructum Dei gratia et munere consecuta, dum ad ecclesiam efferretur, mirabiliter cœlestibus honorata sit exequiis. *Eodem die illam reposuit Molanus in additionibus ad Usuardum in prima editione, sed omisit in posterioribus. Item Canisius, et Ferrarius.*

*ruri degit :*

2 *De ejus vita ac funere ita scribit S. Gregorius Turonensis lib. de gloria Confessorum cap.* 34, *a quo veteri descripserunt :* Fertur etiam fuisse in ea urbe (Arverna, *ut præcedenti capite dixerat)* puella quædam religiosa atque devota Deo, quæ in rure commanens, quo ab urbica populatione summota, liberius dignas Deo laudum hostias exhiberet. Quotidie autem jejuniis et orationibus insistebat. Factum est igitur, ut migrans ab hoc mundo, ad basilicam oppidi, caussa sepeliendi portaretur : verum ubi levato feretro corpus per viam ferri cœpisset, adveniens grex magnus columbarum super eam volare cœpit, atque illuc volitando sequi, quo hæc a proximis ferebatur. Qua in basilicam delata, grex totus super tectum ædis ipsius visus est consedisse. C Illaque sepulta ad cœlos evolavere columbæ. Unde non immerito Georgia nuncupata est, quæ sic exercuit mentem cultura spiritali, ut adepto virginitatis sexagesimi fructus proventu, egrediens de seculo, cœlestibus honoraretur exequiis.

*funus ejus comitati Angeli specie columbarum :*

3 *Hactenus Gregorius, qui dum sexagesimi fructus proventum assignat Virgini, centesimum Martyri vult convenire. Saussaius diserte scribit, ejus* funus Angelos in columbarum specie ambitioso quasi famulatu prosecutos fuisse. *Franciscus Lahierius noster in magno Menologio Virginum asserit, columbas hasce nive candidiores fuisse. Fallitur quoque dum* Georgiæ *nomen* terrestrem *ait sonare : significat enim γεωργία* agriculturam, aut segetem. E *Vult item funus Virginis ad majorem urbis ecclesiam deportatum : cum ex libro veteri de ecclesiis urbis Claromontanæ a Savarone edito constet, majorem, sive Matrem ecclesiam in S. Mariæ honorem esse consecratam; S. Georgiam autem in ecclesia S. Cassii quiescere, ut dicitur cap.* 9. *Eam idem Savaro* hodie parochialem *esse affirmat, inque ea* reliquias *S. Georgiæ* arca lignea inclusas superesse, cum hoc titulo, qui incisus est opertorio marmoreo :

*sepulta in templo S. Cassii :*

Hoc jacet in tumulo sacrata Georgia Christi
Et devota bonis, mente, fide, merito :
Ob quam magna patrem premeret cum turba procorum,
Illa Deum legit feliciore toro.

*multis procis expetita, Christum prætulit :*

4 *De ætate S. Georgiæ idem ista notat :* Vixisse circa annum Domini 480 Baronius sine auctore scribit tom. 6. Fides sit penes eum. *Non scribit hoc Baronius, sed solum ejus meminit ad illum annum num.* 21 *et* 22 *occasione Victorii Præfecti Arvernensis. Quamquam ita ejus meminit Turonensis, ut perantiquam esse ejus memoriam ostendat : quare non temere conjicere quis possit sub finem quinti seculi aut sexti exordium vixisse, aut etiam prius. Nam quod Lahierius circa annum* IↃC *dicat decessisse, probari cui potest, qui meminerit ipsum Gregorium Turonensem ante eum annum obiisse?* F

*quando vixerit ?*

5 *S. Georgiæ* sepulchrum, *ut addit Savaro,* anno Domini CIↃIↃXXXII Guillelmus Duprat Claromont. Episcopus aperuit, caputque Illidiano cœnobio concessit. *Est* S. Illidii *cœnobium Ordinis Benedictini ad urbem Claromontanam.*

*Reliquiæ visitatæ.*

# DE S. SEVERO

## PRESBYTERO IN VALERIA APUD ITALOS,

### Commentarius historicus.

J. B.

CIRCITER AN. CHR. DLXX
XV FEB.

*S. Severus Presbyter in Valeriæ provinciæ valle,*

*Nobilis olim* via Valeria *fuit, quæ, ut Strabo lib.* 5 *scribit,* a Tibure *(aut ubi Tiburtina desinebat)* incipiens, ducebat in Marsos et Corfinium Pelignorum urbem primariam. *Quæ circum eam fusa late regio, Gothorum temporibus ab ea nomen accepit* Valeriæ, *aut, ut quidam volunt, ab adsita illi urbe* Valeria, *quæ alibi* Varia *appellatur. Erant in Valeria urbes Tibur, Reate, Amiternum, atque aliæ, ut* XXIII *Januarii ex Paulo Diacono diximus ad S. Martyrii Vitam. Inter Reate et Amiternum, haud longe ab Aquis Cutiliis locus erat, qui Straboni* Ἰντεροκρέα κώμη, Interocrea vicus *appellatur, in Romanis*

*Itinerariis*

A *Itinerariis* Interocrium, *atque urbs non modica videtur, cum ea scripta Itineraria sunt, extitisse : nunc* Interdoio, *vel* Anterdoio *aiunt vocari.*

2 *Ab Interocrio nomen adepta videtur* vallis Interocrina, *in qua* S. Severus *Presbyter vixit, S. Gregorio lib.* 1 *Dialogorum cap.* 12 *laudatus.* *dicta Interocrina,* *Quamquam aliter eam ipse appellare videatur :* In eo etiam loco, *inquit, id est, in* Valeriæ provinciæ partibus, *uti habet cap.* 10 *sub finem*, Interorina vallis dicitur, quæ a multis verbo rustico Interocrina nominatur. *MS. nostrum pro* Interorina, *habet* Interurina. *Browerus in Annalib. Trevir.* Terrorinam. *S. Zacharius Papa, vel quisquis Dialogos S. Gregorii Græce vertit, vallem illam ait* ἐπιχωρίως Ἰντεροκρίναν ὀνομαζομένην, vulgo aq accolis, *vel* more ejus regionis, Interocrinam nominatam. *Sed in Etruria eam, vel Tuder Etruriæ urbem in Valeria locare videtur. Antea enim cap.* 10 *ita sensum recte expresserat S. Gregorii :* ἡδέως δὲ πάλιν Πέτρε τῶν μερῶν τῆς Βαλερίας χώρας τὴν τοῦ λόγου διήγησιν ἐπανάγω, *ubi verba S. Gregorii sunt :* Sed libet, Petre, adhuc ad Valeriæ provinciæ partes narrationis meæ verba reducere. *Hic autem ita habet Græcus interpres :* In iisdem Tudertinæ urbis partibus (τῆς τουδέρεως πόλεως μέρεσι) inter duos montes in valle quadam, accolarum vocabulo Interocrina appellata, ecclesia est Dominæ nostræ sanctæ Deiparæ et sem-

B per Virginis Mariæ. *Fortassis id fefellit interpretem, quod cum illo cap.* 10 *multa S. Gregorius narrasset de* S. Fortunato *Episcopo Tudertino, sub finem capitis ista habet :* De quibus me eximia valde miracula ex ore venerabilis Fortunati, cujus longe superius memoriam feci, contigit audisse. Qui crebro ad me nunc usque veniens, dum facta mihi veterum narrat, nova refectione me satiat. *Verum alius hic a S. Fortunato Episcopo Tudertino,* Abbas *nimirum* monasterii quod appellatur Balneum Ciceronis, *ut idem Gregorius eodem libro, cap. 4 scribit, ubi eum ait* S. Equitio, in Valeriæ provinciæ partibus, familiariter notum fuisse.

3 *Porro* S. Severi, *qui in ea valle Presbyteri, et (ut reor) Curionis, functus munere est, inscriptum ad* XV *Kalendas Martii nomen Martyrologus. MS Carmeli Coloniensis et Franciscus Maurolycus ita habent :* Et B. Severi Presbyteri. *MS. Ser. mæ Reginæ Succiæ :* *colitur 15 Febr.* In Valeria provincia S. Severi Presbyteri, de quo B. Gregorius scribit. *Luculentius de eo agit Martyrol. Romanum a Cardinale Baronio auctum :* In provincia Valeriæ S. Severi Presbyteri, de quo B. Gregorius scribit, quod fusis lacrymis defunctum revocavit ad vitam.

4 *Kalendis Februarii ista leguntur in vetustissimo*

C *Martyrol. Romano MS. quod S. Hieronymi præfert nomen :* *et 1 Febr.* Item S. Severi Confessoris. *Quos in eo Martyrologio recentissimæ memoriæ Sanctos reperimus, quantum valeo reminisci,* Avitus *est Viennensis Episcopus et* Brigida *Virgo, quorum ille anno Christi* DXXIV, *hæc* DXXIII *videntur obiisse. Nihil caussæ est cur non eodem tempore vixeri possit vixisse* Severus, *de quo S. Gregorio Pontifici fere* LXX *post annis narrabat venerandæ senectutis Abbas Fortunatus. Nolim tamen asseveranter affirmare de eodem* Severo *sermonem esse Gregorio et illius vetusti Martyrologii scriptori. Eodem die ita illum Hermannus Greven in auctario ad Usuardum ante annos* CXL *edito, inque Germanico Martyrol. Petrus Canisius noster inscripserunt :* Severi Presbyteri et Conf. de quo I Dial. Gregorius narrat, quod ad infirmum vocatus, cum propter opus putationis vineæ suæ paullulum tardasset ire, illeque defunctus fuisset, amarissime flens ad vitam eum revocaverit. Alii tamen hunc habent XV Kalend. Martii.

5 *Petrus de Natalibus lib.* 3 *cap.* 6 *duos in unum conflat* Severos, *Martyrem Ravennatem, quem ex Rubeo Kalendis Januarii lauream adeptum diximus, et Presbyterum hunc Interocrinensem, et fortassis tertium, qui* D *AUCTORE J. B.* *Urbeveteri colitur. Ita ergo scribit Petrus :* Severus Presbyter et Martyr Ravennæ ortus et nutritus, ab infantia Deum timens, miraculis clarere cœpit : inter *apud Equitium idem habitus qui Ravennæ Martyr :* quæ Eutityum cum annorum decrepitum senio visu privatum illuminavit. Veniens autem ad urbem Romam adhuc juvenis in valle Interocrina ecclesiam in honore Dei Genitricis ædificavit : in qua et Presbyter ordinatus Deo multis annis devote servivit, et pauperibus sedule ministravit. Cum autem quidam paterfamilias.... Hæc Gregorius I Dial. cap. ultimo. Post hæc Maximianus Imp. audita fama Severi, eum comprehendi fecit : et sacrificare nolentem in prædicta valle decollari mandavit. Cujus animam duo Angeli in specie columbarum visi sunt ad cœlum deferre. Corpus autem ejus apud Urbemveterem conditum est. Passus est autem Cal. Februarii. *Rubeus Urbeveteri, sive Herbani, corpus S. Severi Martyris asservari scribit, Interocrinensis Presbyteri Ferrarius, citatque MSS. codices Ecclesiæ Urbevetanæ.*

6 *De eo Severo, qui* 1 *Octobris colitur, ista habet Martyrolog. Romanum :* Urbeveteri S. Severi Presbyteri et Confess. *Orvieti colitur 1 Octob.* *Eadem Galesinius. Citat in Notis ipse ac Baronius antiqua monumenta ejus Ecclesiæ. At Maurolycus hunc nostrum esse indicat :* Apud Urbemveterem, *inquit,* S. Severi Presbyteri, de quo Gregorius. *Asserit idem Ferrarius, qui* XV *Februarii* illius E natalem celebrari *existimat,* Kalendis Octobris Translationem, aliamve festivitatem recoli. *Ista tamen subdit :* Corpus Treviris extare Tabulæ Trevirenses testantur, cum Urbevetere asservari fama sit. *Sola ergo fama nititur eorum sententia, qui Urbeveteri, sive Orvieti extare contendunt. At quando illuc delatum? Kalendis Octobris, inquit Ferrarius. Qua ratione?* Plaustro duobus indomitis juvencis juncto imposi- *si tamen idem :* tum. *Cur hoc capi consilium debuit? Propter* ortam inter incolas ubi sepeliendum esset controversiam. *Ergone credibile est, ita lente indomitos illos juvencos processisse, ut in non longissima via, ab Interocrio Herbanum, menses septem, et quod excurrit, consumpserint? aut controversia illa multos menses duravit, et inhumatum tamdiu jacuit corpus? Haud fortassis erraverit, qui Severum aliunde Urbemveterem advectum ex Etruria Umbriave existimarit, seu martyrii gloria clarum, seu solius sacerdotii : cum deinde, tot populationibus Italiæ, urbiumque direptionibus, intercidissent vetera monumenta, arreptum quod de Severo alio scripserat S. Gregorius, eumdemque creditum. Quæ de corpore Interocrinensis Severi Treviros, indeque Meyfeldiam devecto, tradita ab antiquis, ut neutiquam abhorrentia a fide, infra depromemus. De actis ejus, quæ minime ambiguæ fidei, ea a S. Gregorio conscripta loco citato. His subnectemus quæ Ferrarius* 1 *Octobris ac* XV *Februarii ex* F *ejus Vita.* *codice Urbevetano in membrana exarato profert.*

## VITA S. SEVERI

auctore S. Gregorio lib. 1 Dial. cap. 12.

In *a* eodem etiam loco Interurina vallis dicitur, *a* quæ a multis verbo rustico Interocrina nominatur : in qua erat quidam vir vitæ valde admirabilis, nomine Severus, Ecclesiæ B. Mariæ Dei Genitricis et *S. Severus Presbyter ad ægrum vocatus,* semper Virginis Sacerdos. Hunc, cum quidam paterfamilias ad extremum venisset diem, missis concite nuntiis rogavit, ut ad se quantocyus veniret, suisque orationibus pro peccatis ejus intercederet, ut acta de malis suis pœnitentia, solutus culpa ex corpore exiret. Qui videlicet Sacerdos inopinate contigit ut ad putandam vineam fuisset occupatus, atque ad se venientibus diceret : Antecedite ; ecce ego vos subsequor. Cumque videret sibi in eodem opere parum aliquid superesse, paullulum moram fecit, ut *paullum differt :* opus, quod minimum restabat, expleret. Quo expleto cœpit

*AUCTORE S. G.* *eum interea mortuum,*

A cœpit ad ægrum pergere. Eunti vero in itinere, occurrentes ii qui primi venerant, obviam facti sunt, dicentes : Quare tardasti, Pater? Noli fatigari : quia jam defunctus est. Quo audito, ille contremuit, magnisque vocibus se interfectorem illius clamare cœpit.

*orans cum lacrymis,*

2 Flens itaque pervenit ad corpus defuncti, seque coram lecto illius cum lacrymis in terram dedit. Cumque vehementer fleret, et in terram caput tunderet, et se reum mortis illius clamaret, repente is qui defunctus fuerat, animam recepit. Quod dum multi qui circumstabant aspicerent, admirationis vocibus emissis, cœperunt amplius præ gaudio flere. Cumque eum requirerent, ubi fuerit, vel quomodo rediisset, ait : Tetri valde erant homines, qui me ducebant, et ex quorum ore ac naribus ignis exibat, quem tolerare non poteram. Cumque per obscura loca me ducerent, subito pulcræ visionis juvenis cum aliis nobis euntibus obviam factus est, qui me trahentibus dixit : Reducite illum : quia Severus Presbyter *b* plangit : ejus enim lacrymis Dominus eum donavit. Qui scilicet Severus protinus de terra surrexit, *c* eique pœnitentiam agenti opem suæ intercessionis præbuit : et dum per dies septem de perpetratis culpis pœnitentiam æger redivivus ageret, octavo die lætus de corpore exivit. Perpende, *d* B quæso, hunc (de quo loquimur) Severum, quam dilectum Dominus adtendit, quem contristare nec ad modicum pertulit.

*resuscitat, e dæmonum manibus ereptum,* *b* *c* *eumque absolvit, qui deinde lætus moritur.* *d*

a *In provincia scilicet Valeriæ, ut ex cap.* 10 *et* 11 *liquet. S. Zacharias, ut antea diximus, circa Tuder vallem hanc locat.* — b *Ita excusi codices. MS. noster habet* plangit cum lacrymis, et Dominus eum ei donavit. *Græca excusis consentiunt* τοῖς γὰρ ἐκείνου δάκρυσιν ὁ Κύριος αὐτὸν ἐδωρήσατο. — c *In Græco additur* καὶ τῷ Θεῷ εὐχαριστήσας. Et cum gratias Deo egisset. — d *Excusi codices hic interjiciunt,* Petre. *Deest Græcis et MS.*

## VITÆ EPITOME

### auctore Ph. Ferrario in Cat. SS. Ital. *a*

*a*

Severus Presbyter ex valle Interocrina Valeriæ provinciæ, quæ et Vallis S. Severi nominatur, ortum ducens, puer a parentibus magistro litteris imbuendus traditur. Is inter ceteras virtutes, quibus præditus erat, humilitatem et caritatem maxime coluit. Factus Clericus per gradus ad sacerdotium pervenit. Ecclesiam B. Mariæ Virginis in ea valle frequentare *b* devotionis caussa solebat : seque post preces, et alias spiritales excercitationes, ne otio torperet, in suorum agrorum cultura exercere. Pauperes, orphanos et viduas suis facultatibus laboribusque sustentabat ; non tantum famelicos pascens, C sed etiam nudos operiens. Tanta fuit illius sanctitas, ut infirmi, qui ad eum nequirent accedere, sanitatem nihilominus consequerentur, si panis aut alterius cibi ab eo benedicti tantillum degustassent.... *Describit deinde suis verbis, quod ex S. Gregorio retulimus miraculum, ac demde ista subnectit :* Denique vir sanctus cum aliquot sui instituti discipulos reliquisset, cessit e vita. Cujus corpus, orta de loco sepulturæ controversia, a rustico in somnis admonito, plaustro impositum, ab indomitis juvencis nusquam divertentibus ad Urbemveterem delatum, ibi honorifice conditum fuit.

*S. Severus Presbyter* *b* *agros colit,* *beneficus in pauperes,* *miraculis clarus :* *corpus dicitur Orvietum delatum.*

a *Ad* 1 *Octobris. Eadem fere habet* 15 *Febr.* — b *Imo S. Gregorius ait illius Ecclesiæ* Sacerdotem *fuisse, id est, ut interpretor, Parochum seu Curionem.*

## DE TRANSLATIONE S. SEVERI

### in Meinſelt diœc. Treviren.

*Meinfeldense monasterium unde dictum :*

N*unc quia diximus supra, non satis probari translatum ad Urbemveterem S. Severi corpus, saltem integrum ; quid de eo Treviros, indeque ad Meinfeldense monasterium advecto scribatur, videamus. Est* Mein *sive* Mayen, *oppidum ad Nettam amnem, qui prope Andernacum, infra Confluentiam, Rheno illabitur.* D Magniacum *vocat Browerus in Notis ad ep.* 12 *lib.* 3 *Fortunati, atque* agrum Magniacensem, *alibi* pagum Meginensem, *qui inde ad Mosellam protenditur districtus miræ fertilitatis. In hoc, non procul a Mosella, jacet oppidum, quod* Monasterium Meinfeldense, *vulgo* Munster in Meinfelt, *aut absolute* Munster *appellant. Id primus muro cinxit Arnoldus Iseuburgius, ut parte* 15 *Annalium Treviren. testatur Kyriander, atque elegantius Browerus lib.* 16 *ad an.* 1249 *hisce verbis :* Confluentiam nullis dum suo tempore mœnibus aut turribus instructam, sed ad villæ campestris modum peregrinis juxta atque incolis apertam, vallo et munitionibus circumdedit, ac aliquatenus obsepsit, septingentis marcis Coloniensis monetæ parta sibi, Ecclesiæque, ejusdem oppidi advocatione. Monasterium Meinfeldiæ, quod istius tractus nomen aliquando proprium fuit, Advocatia arctius sibi obstricta, aggere item et vallo, muris aliquousque productis, firmavit. *Monasterium quod illi oppido nomen fecit, suspicatur Gabriel Buccelinus Germaniæ sacræ parte* 2. Virginum *esse. Browerus lib.* 10, *ut postea dicemus,* Canonicorum collegium *fuisse ait, cœpisseque inde* S. Severi Monasterium *appellitari.*

*crevit in oppidum,* *murisque circumdatum :*

2 *Eo translatarum sancti hujus Presbyteri reliquiarum meminere quoque Martyrologia. Quod Coloniæ* E *anno* CIↃIↃXC *excusum fuit, ita habet ad* XV *Februarii :* In monasterio Meyfelt circa Confluentiam S. Severi Presbyteri et Conf. de quo beatus Papa Gregorius in Dialogo scribit. *Hermannus Greven Carthusianus Coloniensis in additionibus ad Usuardum anno* CIↃIↃXV *editis :* In monasterio Meyfelt circa Confluentiam, S. Severi Presb. et Conf. qui supra etiam ponitur Kal. Febr. *Petrus Canisius noster in Martyrolog. Germanico :* In monasterio Mayfelt juxta Confluentiam, sancti Presbyteri et Conf. Severi, de quo S. Gregorius scribit. Positus etiam est primo hujus mensis. Corpus ejus per Robertum Trevirensem Episcopum ex Italia eo est translatum. *Doctor Molanus in auctario Usuardi :* Ipso die B. Severi Presbyteri et Confess. cujus meminit B. Gregorius in libro Dialogorum. Hujus corpus attulit ex Italia Robertus Episc. Trevirensis. *Brevius MS. Florarium :* Apud Treverim S. Severi Presb. et Confess.

*eo translatum seculo* 10 *S. Severi corpus,*

3 *Videtur illius Translationis memoria recoli* XXX *Junii, quo fortossis contigit. Eo certe die vetus Martyrologium Coloniæ an.* CIↃIↃXC *excusum, sic habet :* In monasterio Meyfelt translatio S. Severi Presb. et Conf. *Eadem habent Greven et Canisius : sed hic addit, ex Italia allatum. MS. Florarium :* Item translatio S. Severi Ep. et Conf. *Sed videtur de alio quopiam Severo esse sermo, nam in Indice ita habet :* Severi Ep. et Confess. XVIII Novemb. Ejus translatio XXX die Junii. F

*30 Junii,*

4 *Quæ in citatis Martyrologiis Roberto, sive Runtberto, aut Ruperto Archiepiscopo tribuitur S. Severi translatio, ea alibi imputatur S. Egberto, qui quartus ab eo Trevirensem rexit Ecclesiam. In hujus certe Vita ista habentur :* Iste namque Egbertus Archiepiscopus et Theodericus Metensis Episcopus anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo cum Ottone Magno et gloriosissimo Imperatore Augusto, cujus conjux filia Theophani Regis Græcorum, in Italia constituti per triennium, multa Sanctorum corpora collegerunt, quæ ad Sedes suas transmiserunt. Egbertus S. Severum Presbyterum in Tarentina valle sepultum, de quo S. Gregorius in libro Dialogorum meminit, adjutorio Regis Ottonis acquisivit. Obtinuit etiam in Spoleto civitate ossa Gregorii Martyris, et caput Pontiani Martyris, reliquiasque Felicis et Regulæ. Episcopus autem Corfinii Theoderico Episcopo Metensi dedit corpus S. Luciæ Virginis

*a S. Egberto Episc. Trevir. allatum cum aliis reliquiis ex Italia.*

A Virginis, testificans manu sua Evangelio superposita, hanc ipsam esse Syracusanam, de qua Responsoria et Antiphonæ cum Missa cantarentur ubique: quod dimidium idem Theodoricus Egberto Archiepiscopo devotissime petenti tradidit. *Eadem habentur in Chronico Belgico Joannis Gerbrandi a Leidis lib.* 8 *cap.* 2, *sed quæ hic* Tarentina *dicitur vallis*, Tarontinam *scribit, et in margine* Tridentinam: *sed hoc forsan a Francisco Swertio, qui edidit, adscriptum. Sumpta hæc videntur ex Gestis Trevirorum ante annum Christi* CIↃCCC *conscriptis, ubi totidem verbis ea habentur, atque alia nonnulla quæ illi auctores omisere: ut illud de S. Lucia*, eo loci per Fordum *(voluit* Foroaldum *scribere)* quemdam Ducem Spoletinum translata. *Severum ibidem obtinuisse Egbertus dicitur* in Terientina valle, *reliquias Felicis et Regulæ* in castro Turegum.

5 *Licet porro eo anno Deodericum Metensem in Italia fuisse, multasque Sanctorum reliquias in Galliam attulisse testetur Sigebertus Gemblacensis, qui Metis in monasterio S. Vincentii, quod Deodericus ædificarat, multis annis habitavit: Egberti tamen non meminit. Et vero repugnant hæc Chronologiæ quam in Annalibus Trevirensibus sequitur Browerus, qui S. Egbertum anno demum* IↃCCCCLXXVIII *scribit Archiepiscopum esse factum. Potuit tamen partem istarum reliquia-* B *rum a Deoderico adhuc superstite impetrasse, aliasque ex Italia attulisse. Nam quod dicitur Otto, cujus favore S. Severi corpus sit adeptus, Theophanu Regis Græcorum filiam conjugem habuisse, manifestum est de Ottone* II *sermonem esse, cui Theophano, sive Theophania, Constantini Imperatoris filia, agente Joanne Zemisce Imp. anno* IↃCCCCLXXII *nupta fuit. Hic autem Otto* II *anno* IↃCCCCLXXX *iterum Italiam petiit: quem tunc fortassis Egbertus comitatus.*

*quo Ottonem 2 secutus erat,*

6 *Christophorum Browerum audiamus accurate hæc in Annalibus lib.* 10 *pag.* 600 *expendentem.* Profectus, *inquit*, in Italiam Egbertus, Henricum Trevirorum Antistitem, Parmæ nuper sepultum reduxit in Treviros: qui, ne incomitatus rediret, magno undique studio quæsitas beatorum Cœlitum exuvias adjunxit. Ideoque ferunt, Ottonis Imp. auctoritate, Severum Presbyterum, quem B. Gregorius laudat in suis Dialogis, ex valle Terrorina Valeriæ provinciæ, corporaque Martyrum Felicis et Regulæ, quæ præclaro a Ludvico Germaniæ Rege, Magni Caroli nepote, sanctimonialium condito monasterio, vico Turego, aut Tuguri quiescebant, impetrasse. Beati autem Severi corpus Egbertus (id quod nonnulli, diversam forte traductionem significantes, Ruotberto tribuunt)

*et in Meinfelt devectum,*

D in pervetustam pagi Meginensis sacram S. Martino basilicam, quam Pipinum majorem Cleri cœnobio cohonestasse legimus, non sine miraculorum gloria transtulit. Atque ex ejus tam insignis Patroni corporis accessione, Canonicorum Meinfeldiæ collegium, S. Severi Monasterium appellari cœpit. Quod monasterium inde tectorum frequentia in oppiduli formam coalescens, sanitatis caussa fidissimique patrocinii confluentium eum in locum, ætas insequens tanta frequentia coluit, ut ex ultima Aquitania magno numero isthuc accurrerint ægri, compotesque sint facti votorum, experimento redditæ valetudinis minime dubio.

AUCTORE J. B.

*quo dein frequens peregrinatio:*

7 *Ita illic Browerus. Idem antea lib.* 9 *pag.* 563 *eo inclinare visus, ut a Ruotberto allatum ex Italia Severi corpus, ab Egberto deinceps Meinfeldiam devectum vellet.* Nec vanitatis arguerim, *inquit*, quædam Ecclesiæ collegialis Meinfeldensis oppidi documenta, quæ S. Severum Presbyterum, loci Patronum ac Tutelarem, ex Italia et provincia Valeria meminere in Treveros primum a Ruotberto traductum: etsi gloriæ partem Egberto quoque concedamus licebit. Nam in translationis actis Ruotbertum, ait vetus scriptor, corpus S. Severi in Terrorina valle invenisse, ubi Deiparæ Matris ædem Sacerdotum nonnemo procurabat.

*vel a Roberto Ep. sub Ottone I allatum ex Italia,*

8 Quæ hinc vero nectit, Egberto dederim: placuisse scilicet Episcopo, annis aliquot evolutis, ut B. Martini monasterium, in Meinfeldia positum, S. Severi patrociniis dicaretur. Itaque navi impositum, Divi pignus: quam cum, oborta procella seu tempestate, ne remis quidem vectores propellerent, undis denique ventisque permissam, sponte prolabi cœpisse, donec appulsa ad ripam, cui Condeda Mosellæ vicus adjacet: ubi, quia sarcinam piam ad vigilias nocturnas Clerus deposuerat, exortam tunc Divi memoriam, quæ consequentes item attinuit seculorum ætates. Et inveni in nonnullis quoque temporum monumentis, etsi non probatissimis, S. Severi corpus sub * Ruotberto traductum pari miraculo, eum in vicum, qui infra Caradunum, * Hattonis tunc portus appellitatus: indeque exceptum a Clero monasterii Meginensis pagi, conditumque veteri basilica. *Ista Browerus. Sanctorum porro, quorum facta mentio agitur anniversaria memoria hisce diebus:* S. Pontiani XIV *Januarii*, Felicis et Regulæ XI *Septembr.* IX *Decembris* Egberti, XIII Luciæ, Gregorii Spoletini XXIV *ejusdem*.

E

*a S. Egberto in Meinfelt translatum.*

*navi ultro ad eum locum appulsa, secutisque aliis miraculis.*

* forte Egberto.

* Hatzeport jam vulgo.

C

# DE S. QUINIDIO

F

## EPISCOPO VASIONENSI IN GALLIA.

J. B.

CIRCA AN. CHR. IↃLXXVIII. XV FEB.

V*asionensem in Gallia Episcopum circa* IↃL *Christi annum extitisse* S. Theodosium XIV *Februarii diximus. Ei* S. Quinidius, *successit, qui a quibusdam* Quinidus, *ob aliis* Quindius *appellatur, multo celebrius quam decessor nomen adeptus, quippe urbis Tutelaris, ut Claudius Robertus et alii scribunt. De eo Usuardus* XV *Kalendas Martii*: In Galliis civitate Vasionensi, S. Quinidii Episcopi, cujus mortem in conspectu Domini pretiosam miracula crebra testantur. *Eadem extant in Beda vulgato, Adone, Bellino de Padua, Martyrologio Romano, Canisio, aliis. Hagiologion Francogalliæ a Labbeo nostro ex antiquo Martyrologio abbatiæ S. Laurentii Bituricensis editum ita habet:* In Galliis civitate Vasionensi S. Quindii Episc. *Idem legitur in Martyrol. MS. Carmeli Colonien. sed* Narsionensem *urbem habet apographum nostrum, pro* Vasionensi. *Sunt partim apud alios de eodem nomine menda. Hermannus Greven in additis ad Usuardum, et vetus Martyrol. Adonis monasterii Lobiensis* Vangionensem *nuncupant. Ejusdem Adonis Martyrol. quod extat in cœnobio S. Laurentii juxta Leodium*, Vangionensem. *Viola SS.* Vasconnensem. *Bellinus* Vasianensem. *MS Florarium* Wansionensem. *Beda MS.* civitatem Wangionum. *Antiquæ Notitiæ* Vasiensium, Vasionensium, Vasensium. *Meminere hoc die* S. Quinidii *Maurolycus, Galesinius, et, veluti nomen ejus non esset in Martyrologio Romano, Ferrarius in generali Catalogo SS. Breviarium MS. S. Mariæ ad gradus Coloniæ*: Et S. Quinidini Ep.

*S. Quinidii Ep. natalis.*

2 *Gesta ejus in Ecclesia Vasionensi extare scribit Galesinius et Claudius Robertus. Ea ad nos misit Camberio Joannes Ferrandus noster anno* CIↃIↃCLII, *in Lectiones ad usum Ecclesiasticum distributa, ex antiquo codice membranaceo, qui exstat in archivo Episcopi Vasionensis Gothico charactere exaratus. Robertus ait nuper editum ejus Officium*, in quo dicitur monachus Lirinensis, tempore Suffredi Carpentoratensis, et Eutropii

*Vita.*

A Eutropii Arausicensis. *Eadem prolixius tradit Saussaius : Vasione Vocontiorum, inquit,* S. Quinidii ejusdem civitatis Episcopi et Confessoris. Hic S. Suffredi Carpentoractensis Ecclesiæ Episcopi (sub cujus magisterio Sancti permaximi adoleverunt) nobilis discipulus, ex monacho cœnobii Lerinensis (celebris Ecclesiarum Galliæ seminarii) ob virtutis et sapientiæ suavissimos odores ad pontificalem hanc Cathedram divino nutu evocatus, summa pietate et doctrina gregi credito præluxit, adeoque Episcopalibus dotibus excelluit, ut inter sui ævi Pontifices præcipuum sanctitatis decus consequeretur. Cumque in terris vitam cœlestem duceret, tandem divinæ gratiæ charismatibus cumulatus, ad cœlos, gloriæ munera quæ promeruerat percepturus, evolavit : multisque post excessum miraculis divinitus clarificatus est.

*AUCTORE J. B. dicitur discipulus S. Siffredi fuisse, monachus Lerinensis,*

3 *Sed hæc non admodum cum Vita congruunt : in hac enim neque monachicæ professionis mentio fit, neque Suffredi magistri. At neque Abbas cœnobii Lerinensis fuit S. Siffredus, sive Suffredus; sed monachus : inde anno* XXX *ætatis ad Episcopatum eductus. An sub eo jam Episcopo divinarum litterarum studiis forsan vacarit aliquamdiu S. Quinidius, an puer in Lerinensi cœnobio rudimenta hauserit scientiarum, neque argumentum suppetit, quo affirmemus, neque ut inficiemur perspicua ulla ratio movet.* In Vasensi Ecclesia Diaconi officium sortitus *dicitur cap.* 2 *num.* 5. *Ad id officium evocari e claustris monachi vulgo non solent. Reliquus Vitæ contextus innuit in eadem Ecclesia assidue esse versatum, nisi si quo spatio temporis studiorum caussa abfuerit. S. Siffredi Vita extat in Chronologia Lerinensi Vincentii Barralis Salernæ et in tertia Surii editione ad* XXVII *Novembris. Longe minus probabile est, quod scribit Cl. Robertus* S. Eutropii *Arausicensis temporibus vixisse, quo totis centum annis posterior fuit, ut ad Eutropii natalem* XXVII *Maii liquebit.*

*quod non satis probabile :*

B

4 *Ceterum ipsius ætas* Quinidii *minime obscura est. Nam Concilio Arelatensi* V *(quod habitum dicitur anno* Chideberti XLIII. *Christi* ƆLII, *ut ex alibi dictis constat) ita subscripsit :* Quinidius in Christi nomine Archidiaconus missus a Domino meo Theodosio Episcopo subscripsi. *Adoptatus est ab eodem Theodosio sene Coadjutor, sive successor designatus, assentiente Childeberto Rege, circa annum fortassis* ƆLIII, *ante saltem* ƆLVIII *quo Rex idem decessit. Concilio deinde Parisiensi* IV, anno Chilperici et fratrum Regum XII, *Christi* ƆLXXII *ita subscripsit :* Quinidius in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Vasensis constitutionem nostram relegi et subscripsi. *Obiit fortassis circiter* ƆLXXVIII. *Nam concilio Matisconensi* I, die Kalendarum Novembrium *coacto*, anno Guntramni Regis XXI, *Christi* ƆLXXXI, *subscripsit* Artemius Episcopus Ecclesiæ Vasensis. *Unde Claudium Robertum refutes, qui illi concilio interfuisse Artemium fatetur, eum tamen Quinidio præponit.*

*floruit post annum 550,*

*mortuus ante 578.*

C

Sur 43

## Incipit Vita beatissimi Quinidii Episcopi et Confessoris, quæ celebratur XV Kalendas Martii.

### CAPUT I.

*S. Quinidii ortus institutio.*

Secularis eloquentiæ viri, seculari eloquentia præditi, et famosissimorum verborum copia ditati, memorias priorum diversarum rerum, sive in certaminibus potentium, sive carminibus favores indebitos succinentium, sive quid aliud ad mundi gloriam faventium, ad notitiam juniorum præmittere studuerunt : ipsum hujusmodi suum laborem vanitati et plausibus popularibus subdidere. Quid enim ad rem flagitia, stupra, insecutiones etiam turpissimas, non dicam hominum, verum etiam, quos false dixerunt, suorum deorum; in aures vulgi speciosissimis orationibus diffundere? Quid conferunt utilitatis magicarum rerum miserabilium et fallentium animas superstitiosissimæ commendationes? Quid superantibus verbis turpissima illa *a* bos Ægyptia miserabiliter a miseris pro Deo culta? Quid nobis fœdissima fabula utilitatis præbebit? Quid Minois taurus, et *b* Pasiphaæ non dicendus concubitus? Quid Tantali cupiditas? Quid *c* Pygmalionis, Sichæi, Didonisque fabulæ, doctrinæ conferent? Nisi forte Titanis et Saturni dura pro regnis quæsita concertatio, Jovisque, patris *d* patruique postmodum fraudulentissima regni expulsio, affectum naturæ docuerit postponere. Ulyssis proinde, Achillisque non tantummodo certamina, verum mendacissima tropæa scire, si animo humano suadibile sit, commodumque vel parum afferat : mentis judicio submittendum. Digesserunt tamen ista studiosissimi, et ad decipiendum solertissimi locutores : ut qui veritatis inscii, et divinarum bonarumque rerum minus erant experti, post vanitatem, quæ ex cultura creaturæ eis accreverat, errando deperirent. Servierunt ipsi tempori, non rationi : famæ non veritati : ingenium in rebus visibilibus exacuerunt. Nobis, quibus longe aliter animus est, non transitoriis gravari, sed sine fine mansuris et æternis gaudiis oportet interseri : pro quibus vera fide vivere, vera divinarum rerum religione crescere, amatores veritatis, vera fidei pietate, *e* caritate juvari, honorare et excolere, et ad profectus nostri cumulum vitam illorum continuo expedit meditari : si quid lingua potest, laudem Dei in his narratu porrigere, devotissime convenit, ut egrediatur expellere. Hac re permoti, hoc amore compulsi, Vitam B. Quinidii, Vasensis Ecclesiæ Pontificis, ad notitiam multorum scriptis perducere curavimus. Non dubitantes, quod ingenio deesset, propter meritum viri, Domini Dei gratiam suppleturam.

*Non ut Ethnici vanas fabulas canere,*

D

a

b

c

d

*sed Sanctorum acta scribere debemus :*

E

e

*atque inter hos S. Quinidii.*

2 Quinidius igitur non infimis parentibus infra Galliam, ea parte quæ mediterraneo adjacet mari, Vasensium municipio oriundus fuit. Qui quantus erat futurus, ipse ortus sui primordiis, ut vulgatur, clarissime prætulit. More Christianæ religionis, festivitas *f* B. Genesii Martyris Christi, Arelas pro ejus confessione passi, agebatur. Et ecce inter turbam, quæ undecumque ad limina beati Martyris colligebatur, Quinidii mater mox futura, gravata sinu, felici puerperio onerata, ardore pietatis ducta pervenit : nam et ipsa familiarius locum amplectebatur. Obseratis januis Ecclesiæ, cum pro amore Martyris vigilias factura foris substitisset, affectu pio lacrymis suffusa, ut in amorem Dei rapitur, orationem continuat, illico audit, propter memoriam sancti Martyris, Angelorum dulcissimum stupendumque concentum. Nam januæ, quas custodiæ vigilum clauserant, Divino nutu panduntur. Sancta fœmina terrore pio verecunde introgressa, et visione mirabili perculsa, solo prosternitur, claritate inexperta pascitur. Cui, ne timeret, de beatis Angelis unus ex multitudine illa consolationem præstiturus astitit. Diligenter, inquit, fœmina, quæ munere Dei tibi donantur, accipe : habitura es filium, quem Vasensium urbs aliquando susceptura est Sacerdotem. Is votis obsequiisque Deo placiturus, multis est caussa salutis futurus.

*qui, gravidæ matri,*

f

*in pervigilio S. Genesii, divinitus patefactis foribus,*

F

*ecclesiam ingressæ, ab Angelo qualis futurus sit indicatur :*

3 Redit Angelus. Mulier gratulabunda Domino promissa committit : spectatæ prolis sustollitur gaudiis : non jam nascituri filii, verum meritis potissimum ipsius reficitur. Miramur Isaac repromissum senibus parentibus, natum fide et obedientia patris, Deo proinde, sed in figura Christi, oblatum. Miramur et Samson Nazaræum matri prædictum : cujus crines Dalilæ fraudibus abscissos, oculos suffusos : et si contemplamur, majoris enim tamen victoriæ mortis articulo tropæum subsequitur, quam usquam potuerit illi alicubi succedere. Sed et Salomon

*similis in eo, Isaaco,*

*Samsoni,*

A mon, qui dignitate nominis adeo sublimatur, qui sapientia præ ceteris decoratur, qui templum Deo famosissima potentia dicavit, prudentiæ luminibus in senectute turbatis, alienarum complexu in stultitiam decidit fœminarum. Miramur tam felices hujus viri progressus. Miramur tam beatum in puero auspicium, judicii discretione sapienter procedere apparatum. Sed finem Apostoli, vasis Dei, sapientia concludimus : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius! Et huic Christi figura comitando non defuit. Porro Josiæ nomen, priusquam nasceretur, hominibus notum, si aliud figura re non deferret, simulacrorum interitus et ararum destructio mundo prope universo fructum salutis ministraret. Ac de Præcursore Christi, veteranis parentibus nato, nisi gratiam in eo et pietatem supernam excrevisse prædicemus, nisi ejus vitam singularem, ipsamque lucernam mundi venisse, parum aut nihil dictum parebit. Jam noster Quinidius, nostro ævo venerabilis, si non figura illis accedit, gratia et pietate, Dei promissione, illis non impar succedit. In illis divina munera sic exuberant, ut fide roborent, verbis edoceant, figuris suis nos pascant : in isto divina gratia sic coruscat, ut vita sanctitatis ipsius nos ad primum lætificet, ad vitam beatam quærendum arctissime incitet. In illis Christus figuratus ostenditur : in istius opere Christus idem verus jam donatus mundo præcinitur. Beati illi, nempe fide, beati spe, qui Christum venire ad suam utique salutem desiderabant, expectabant, prophetias videbant. Beatus sane iste, qui eumdem Dominum Christum mundo advenisse, salutem attulisse, fide credidit, piis moribus, et dignis operibus hoc ipsum, quod credidit, declaravit. Crediderim et istam fœminam consimilem B. Annæ, cujus vultus persistentes in oratione, et alacriter perseverantes, et filium Deo petentes, non sunt amplius in diversa mutati. Illi tabernaculum et domum Dei frequentanti Pontifex filium pollicetur ; isti memoriam Martyris honoranti Angelus Sacerdotem futurum prædicit. Illa Prophetam parit : ista Prophetarum omnium Domino servum et Sacerdotem gignit.

*Salomoni.*
Rom. 11. 33
*Josiæ,*
*S. Joannis ;*
B
*mater Annæ matri Samuelis.*

4 Complentur igitur quæ mulieri divinitus fuerant concessa : parit puerum : cum affectu pietatis officium naturæ *g* quousque protendit, ut eum sacro fonte renatum Domino Christo potius sacrum esse faceret. Denique litteris imbuendus traditur ministris Ecclesiæ, ut sicuti Samuel Propheta in templo summi Dei religione pietatis, sinceritatis, fidei, pararetur futurus populo Dei Antistes, quousque profecit, ut tonsoratus præclariorem sortem populi Dei assequeretur. Qualis vero aut quantus in ipsis adhuc tenerissimis annis, in ipsis deinde puerilibus, abinde juvenilibus fuerit, non verbum cujusquam nostrorum supplebit. Maturitate morum sic circumspectus, ut senibus coæquaretur. Verecundia, quæ in ipsis adolescentibus prima virtus est, adeo illi sociata, ut innata ei videretur. Humilitas autem et patientia præter humanum modum. Castitas gratum Deo et hominibus veris judiciis commendabat. Vigilantia orationis, lectionis assiduitas, meditatio et scrutatio Legis Dei, illi continuam contra hostes invisibiles expedituram præstabant.

*g*
*Quinidius infans Deo oblatus,*
C
*in pueritia ac juventute præclaris virtutibus præditus,*

a Isis, *antea Io dicta, Inachi filia, Jovis pellex.* — b *Minois ea conjux fuit, Cretæ Regina, cujus nefandum partum poetæ cecinerunt.* — c *Satis hæc nota ex Virgilii Æneide.* — d *Jovis pater* Saturnus *fuit, Saturni senior frater* Titan. — e *Error ne mendose hæc scripta.* — f 25 *Aug.* — g *Minus clara sententia, si librarii mendum abest.*

## CAPUT II.

### *S. Quinidii Episcopatus, robur animi in adversis.*

Ecclesiastico favore aliquando perventum, ut in Vasensi Ecclesia Diaconi officium sortiretur, quod per omnes gradus decurrendo Canonico ordine servus Domini promeruerat. Tunc temporis Vasensem Ecclesiam venerabilis et Domino carus Episcopus *a* Theodosius regebat. Huic obsequentissime Dei vir Quinidius adstabat : augebatur meritis, inde augebantur in eo superna munera : Evangelica præcepta et viva voce populis, et sinceris moribus, et integritate fidei proferebat. Sed cum unum oppidum munera omnipotentis Dei in eo redundantia nequaquam prævaleret tegere, circumquaque regiones fama ipsius occupavit. Alpes *b* Cottias, Apenninas villas, Italiamque pervagatur. Romam non usque latuit. Regna Gallorum, Remis denique *c* cum suis Germanicis populis, Pyrenæa juga non eam texerunt. Erat siquidem sectator justitiæ, pietatis, fidei, caritatis, de corde puro et conscientia bona, quærens quæ Dei sunt, semper omnium utilitati deserviebat. Accedente ætate, et succedentibus temporibus, vir Domini Theodosius senio gravatus, annuente populo, cumque pariter et Clero, de custodia gregis Dei sollicitus, ut sanctum virum sibi successorem relinqueret moliebatur. Communis omnium utilitas, in sancto viro, communis necessitas, commune universorum votum fecerat. Divino nutui Episcopi, Cleri et populi animus se subdiderat, Quinidium Episcopatu dignissimum, Quinidium solum esse, qui alter alteri, Sanctus Sancto succederet, populi suffragium præbitura vox una efficitur. Urbes vicinæ consentire, Arelatensis *d* Episcopus etiam votis populorum cedere : nullus de Clero, nullus de plebe contradicere.

D
*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*
*fit Diaconus.*
*a*
*ubique celebris opinione sanctitatis,*
*b*
*expetitur successor a Theodosio Ep.*
E
*Clero populoque consentiente,*
*d*

6 Confirmatur sententia Episcopi Theodosii : votum et petitio populi ad *e* Childebertum Regem, qui Francorum genti principabatur, pia sollicitudine dirigitur. Sed nec ipsius voluntas dispar, in tam bono et præclaro opere invenitur : accipit Ecclesiæ preces : dat sua auctoritate favorem : Proceres ipsius absque mora roborant : Regina, *f* Ultrogota nomine, nec ipsa excluditur, sed particeps tantæ bonitatis festinat inveniri. Celeres alacresque legati repedant, festivam lætitiam urbi suæ referentes. Lætus et ipse Pontifex, jam sub spe boni Pastoris oves sibi commissas relinquens, ad diem ultimum, præmia æterna percepturus, accedit : dormit in Domino : corpusculum illius clauditur tumulo : fructus et profectus boni operis ipsius fulget in Quinidio. Remuneratur et hoc inter alia merita gratiæ Dei in Theodosio, quod amore gregis Dei prælegit Pastorem Quinidium : licet fuerit corpore mortuus, quia beatum hæredem post se reliquit, in quo imago ipsius vitæ reluceret, dixerim quasi non fuerit mortuus. Quis separare possit horum duorum merita? Quis temperantiam imperii senis, quis ardorem fidei, et obedientiam junioris non miretur? Quis caritatem illius, et hujus humilitatem non susciperet? Video Eliam et Elisæum Prophetas Dei diverso donorum munere florentes : Eliam cœlum petentem, Elisæo gratiam muneris relinquentem. Sic omnino Theodosius et Quinidius, clari Dei muneribus, unus alterum præcessit, Christi gloriam petendo : alter munus præmisit, alter promeruit remanendo.

*e*
*Rege Childeberto annuente,*
*designatur Episcopus,*
F
*virtute par decessori.*

7 Suscepto Episcopatu, qua temperantia in omnibus usus sit, dictu supergreditur. Prudentiam, quam in omni vita sua tenuerit, cum lingua, multo minus pagina sufficiet *g*... Unumquemque in ordine suo religiose manere, et secundum Apostoli Petri dictum vigilare in orationibus, ne adversarius omnium diabolus, qui quasi leo rugiens circuit quærens quem devoret, quemquam illorum inordinatum et incautum inveniret, sollicitissime præmonebat. Intentus itaque tam digno officio, sicut solet sanctis viris ad remunerationem et meritum augendum, tentatio

*g*
*in Episcopatu sancte vivit.*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A tentatio per diabolum ipsi beato viro infertur. Nam quidam Patricius, cui nomen *h* Mummulo, ferocis naturæ, Vasensem urbem fastu turgidus ingreditur. Cui sanctus vir præceptum præ oculis habens Apostolicum, Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam; obviam elati Patricii aliquantulum processit. Tunc idem seipsum vix præ superbia ferens, (sicut familiare est stultis hominibus, qui ea quæ foris se, non quæ infra se habent, potiora putant) in contumeliam servi Dei prorupit, indignans cur ad recipiendum submissius et pomposius non paruisset; atque inter alia, ut se habet opinio, malitiose composuit: Dos necdum cornua geris. Cur nostrum adventum non sustinuisti, nobisque occursum solennem non præbuisti? O veternose serpens, qui similis Deo, superbia instigante, esse concupisti, tu in Patricio circa servum Dei, ut eum tua fraude prosterneret, et per impatientiam reponeres, venena tuæ malitiæ sparsisti. Ad vocem superbi hominis, et gestu austerioris circa se animi B. Quinidius armis virtutum subcinctus, ad cellulam suam regreditur, ac sese in orationem

*Mummolo Patricio sibi superbe indignante.*

1 Pet. 2. 13

*ad preces convertitur:*

B profundens, Domine, inquit, Jesu Christe, tibi servit omnis creatura: sub tuo nutu omnia disposite et ordinate currunt: in potestate tua non tantummodo rationabilis creatura, verum feræ, jumenta, boves, et si qua in montibus errando tua provisione aluntur: tu nosti omnia volatilia cœli: tecum est pulchritudo agri: tu cum Patre et Spiritu sancto, creasti omnia, gubernas omnia, regis omnia, disponis omnia: tu superbos humilias, et exaltas humiles: te benedicit anima mea, et omnia interiora mea in nomine tuo, et in confessione tua exultant.

8 Properat iter cœptum Mummulus perficere: divino judicio e vestigio correptus, tandem invitus meminit se hominem esse quod erat. Vi caloris nimii siquidem præreptus, lassitudine et defectione corporis gravissime fatigatus, vicinam sibi mortem inesse putabat. Inter famulantium vero manus sustentatus ad sancti viri cellulam protrahitur, potius quam progreditur. Æstuante incendio officium membra perdunt: horrore vitali sanguis congelascit: supponitur ad pedes sancti hominis, affectu, lacrymisque, quibus potuit, deprecans, numquam se deinceps in quemquam servorum Dei talia tentaturum pollicitus. Vir Domini misericordiæ et pietatis visceribus plenus, ultro veniam roganti misero indulsit, sanatumque, ut in servis Dei Christum veneraretur, pius Pastor monuit: Habeas, inquit, fili et cordis tui præcepta salutaria: Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.

*mox ægritudine percussum*

C

*sanat, et monitis instruit:*

9 Humiliatus vero ille, et de castigatione cautior factus, reddi debere curatori suo cupiens munera condecentia, servo Dei direxit: quæ ille ad sublevationem pauperum, ne hominem contempsisse videretur, recipere jussit. Sed quid fraus antiqua experiri voluit? Unum de sociis vel contubernalibus ipsius Patricii, nota avaritiæ adgreditur. Is consiliatore diabolo Pontificem post paullulum, suppresso dolo, alloquitur, se missum, qui pecuniam olim datam, a Patricio pauperibus erogandam, jussu ipsius reciperet. Sed mentientem, non eum ultio divina usquequaque sustinuit. Ut enim mentientem Spiritui sancto, per Apostolum Petrum, Ananiam sententia divina coercuit, et ne deinceps quicumque talia præsumerent, pœna mortis cum uxore perculit, ita et hunc suo justo judicio morte festina prostravit. Ponat autem in talibus cavendi exemplum aliis ne in similibus præcipites veniant, quando ipsis malis

*ab eo munera recipit, in usum pauperum,*

*quæ fraudulenter repetens quidam, subito moritur.*

D pœnam corporis subitam infligit. Nonne Giezi a S. Elisæo, pecuniam Naaman cupide petiturus, clanculo discessit, quod oculo Prophetali nequaquam celare possibile fuit, et pro eadem pecunia, quam fallaciter avareque subripuit, lepra Naaman æternaliter est damnatus? Sic sancti viri in peccatoribus quotiens plagam correptionis incurrunt, aut a pœna æterna eos per flagella corporis absolvunt, aut ne plures ipsorum exemplum sectando pereant, ferire et damnare circumspectius vident. Sic Paulus *i* Barjesum magum, conantem Paulum Sergium Proconsulem a fide veritatis avertere, cæcitate percussit. Credibile est eodem spiritu, Quinidius noster fallentem, et pietatis opus removere cupientem, pœna corporis tantum corripuerit.

Act. 13. 7

a *De eo egimus* 14 *Febr.* — b *MS. habebat*, Scoticas. — c *Nam sub Rege Austrasiæ Remi erant, et Germanicæ Francorum provinciæ.* — d *Erat is* Sapaudus, *sive* Sabaudus, *cujus sæpe in conciliis Gallicanis mentio fit.* — e *Fuit Childebertus Chlodovei* I *filius, Rex Parisiensis.* — f *Extat Fortunati in ejus hortum carmen. Ex multis locis historiæ Francicæ constat, valde religiosam fuisse.* — g *Aliquid videtur deesse.* — h *Celebris in historia Francica* Mummoli Patricii *memoria est.* — i *Scriptum erat* Bergæum: *sed patet, magum illum esse, cujus mentio fit Act.* 113, cui nomen erat: Bar-jesu.

## CAPUT III.

### *S. Quinidii miracula, mors, sepultura.*

E Multa sunt quæ ex dono gratiæ Dei indigentibus, et opem poscentibus beneficia ministravit, dissolutis paralysi, lepræ maculis fœdissime turpatis, et asperrime exulceratis et dilaceratis, a dæmonibus miserrimis possessis quibuscumque, et qualibuscumque infirmitatibus prægravatis, virtute omnipotentis Dei, quotiens manus imposuit, totiens opus salutis instituit, et si quos diabolus suasione perversa in culpam dejecit, sanis et secretis suis consiliis ad salutem reducere medicabiliter vir Dei amore succensus curavit. Fuit ei familiare, blandientem et sævientem mundum, oratione supervincere in adversis hilariorem fieri, secula fortiori gressu calcare, omnibus omnia factus, ut omnes faceret salvos. Nullus unquam æger ab eo non melioratus recessit. Dolere de aliorum miseriis, gemere cum quemlibet in malo jacere, et maxime cum pœnitentiam spernere videret, lacrymis assiduis, contemplatione præcipuus, compassione piissimus. Hæc tua sunt, Domine, hæc tua sunt: quia servi tui gratia tua sunt quod sunt. Et quid enim essent, si ex te non essent? Sed qui dedisti, ut ex te tales essent, perfecisti ut in eis gratia tua vacua non esset, ut non modo ipsis prodesset, verum et per ipsos aliis misertus subvenires.

*Sanctus miraculis clarus,*

*omnibus succurrit spiritualiter:*

F 11 Jam porro cum veniret tempus, ut beatus vir laborum suorum messem colligeret, et quod seminaverat in lacrymis in gaudio meteret, tanto ferventior in tam felici opere perstitit, quam remunerationem sui viciniorem adesse, januamque sibi præ manibus tenere conspiciebat. Paucis præterea diebus ante quam dormiret in Domino, grato sibi languore correptus, tandem quintodecimo Kalendarum Martiarum die, functum sui cursus officium consummatur. Civitas se Patre orbatam, se solatio tanti Pastoris destitutam, profundis lacrymis, et altis suspiriis ingemebat.

*moritur 15 Febr.*

12 Grex universus, filii pane vitæ ab eo nutriti, funus beati viri mœstissimi, nisi quod spe sublevabantur, procurant. Dici non potest, quot multitudo hominum, cum tumulandus ferretur, lacrymosis vocibus undique se obviam tulerit. Inter canentium voces et pie flentium, ad sepulturæ usque locum deducitur. Inde condigne a piis filiis Patronus pius, Pastor ab ovibus sepelitur. Tantus affectus circa Patrem, ut vix corpus exanime caris oculis separaretur. Incertum qua potius arte mœstitia de morte Pastoris curaretur

*sepelitur*

A *magno suorum dolore :* curaretur. Extinctum videre affectus nimii doloris non sinebat : et iterum separari, ut vel frigidum corpus oculorum acies non diu lustrarent, viscerum excruciatio non ferebat. In utroque dubia concertatio : quid mallent, non facile eligere. Defuncti membris, ultima necessitate adducti, se jam credunt consolari, quia vivum secum non potuerunt amplius promereri. Tandem consummantur exequiæ : mirus circa locum cultus, et frequentatio obinde crescit populorum.

*illustratur miraculis :* 13 Quærunt in cœlis oratorem, quem aliquando meruerunt in terris doctorem. Fiunt præterea divina miracula : commendatur pretiosa mors sancti viri, et beati Pontificis dæmoniaci et variis oppressi infirmitatibus curantur, et quantus apud Dominum esset, signis et miraculis continuis monstratur. D

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.* *Patronus suorum,* 14 Habemus Patronum, habemus protectorem : et noster semper erit, quia cum Christo, cujus sumus, sine fine regnabit. Et eum tanto plus habebimus, quanto quod docuit arctius sectari fuerimus, vitam, mores, doctrinam, et pietatis opus. Potest juvare conjunctus Christi visioni jam plurimum, qui ut ei jungeretur, ovibus ipsius non destitit, ministrare beatæ incitationis solatium. *ab iis invocatur.* Ora pro miseris, subveni opem poscentibus, impetra de Christo misericordiam, per quem meruisti, beate Pontifex, sine fine æternam et felicem coronam : quam nobis retribuere dignetur ille, qui cum Patre et Spiritu sancto regnat per immortalia secula seculorum, Amen.

# DE S. BERACHIO, SIVE BERACHO,

## ABBATE ET EPISCOPO IN HIBERNIA,

### Commentarius prævius.

J. B.

CIRCA AN. CHR. IↃC.

XV FEB.

*S. Berachii nomen a miraculis*

*Inter veteres illos Scottorum Antistites, per variorum prodigiorum editionem testato fide celebratos,* S. Berachius, *sive* Berachius, *non infimum decus tulit : quippe vel ipsum suum ex hujus gratiæ prognostico nomen adeptus. Nam* primum illi nomen Fintanus : deinde Berach appellatus est, propter insignem numquamque frustratam in patrandis mira- B culis efficaciam ac virtutem. *Ita in posteriori Vita num. 2 dicitur in priore autem, nulla alterius nominis facta mentione, de* Berachi *vocabulo ita pronuntiat S. Frigius ejus avunculus :* Recte hoc nomen est ei impositum, nam beatus erit, et locus ejus in cœlis permanebit. *Joannes Colganus, doctissimus vir ac religiosissimus, ait* Berach *apud Hibernos significare eum qui sagittam aut jaculum aliquo directe collineet, aut scopum prospere feriat. Vim ejus in ostentis faciendis illa declarat oratio, quam recitat Colganus :* Deus, qui B. Berachum Abbatem in terris fecisti coruscare magnis miraculis, concede propitius ejus nos hic precibus adjuvari, et æterna beatitudine cum Angelis adunari. Per Christum Dominum nostrum, Amen. *Multa tamen ejus miracula sunt ita scriptorum ignorantia vel variis adjunctis exaggerata, vel eorum caussa modoque prætermissis involuta, ut appareat potius ex fama, quæ quo longius serpit, plura contrahit mendа, quam ex certis hausta monumentis. Sed communis ea fortuna est plerisque Scottorum aut Hiberniensium Divorum Actis.*

C *Vita duplex 1 non antiqua :* 2 *Duplicem* S. Berachii *Vitam damus, utramque a Colgano primum vulgatam. Priorem ait e codice* monasterii insulæ omnium Sanctorum *descriptam : ejusque auctorem esse suspicatur Augustinum Magraidinum ejusdem monasterii Canonicum regularem. Nam hunc Jacobus Waræus lib. 1 de Scriptoribus Hiberniæ cap. 11* scripsisse Vitas Sanctorum Hiberniæ *testatur, annoque* CIↃCCCCV *decessisse. Et sane multa sunt, quæ ostendunt Vitam hanc non esse admodum antiquam, ut cum cap. 3, num. 16 Ædanus filius Gaurani* Scoticæ gentis Rex *appellatur : quasi non et alii tunc Scoticæ gentis Reges haberentur. Beda lib. 1 Eccles. historiæ gentis Anglorum cap. 34 eum vocat* Edan Regem Scotorum, qui Britanniam inhabitant. *Tum illud cap. 2, num. 8,* Anno siquidem probationis in novitiatu elapso, professionem ex more juxta ordinis observantiam complevit, *magis ex disciplina dictum ejus ætatis, qua scriptor vixit, quam antiquo instituto, quod apud Coemgenum aliosque veteres Hiberniæ ascetas viguisse constet.* *2 ex Hibernica :* *Vita altera ex ampliore Hibernica decerpta ad ea supplenda quæ in priore vel omissa erant, vel aliter narrata. In neutra tamen Vita habetur, quod idem Colganus* XI *Februarii ad S. Echani vitam notat, ut ibidem num. 5 diximus.* S. Barachium *a S. Eciano Episcopo Presbyterum ordinatum, cumque eo confraternitatis et spiritualis amicitiæ fœdus iniisse.*

3 *Mentionem fieri S. Berachii in variis Hibernicorum Sanctorum Actis, quæ nos adhuc non vidimus,* E *auctor est Colganus. De eo agi videtur in Vita S. Columbæ Abbatis per S. Adamnanum scripta, quam* IX *Junii dabimus, ubi lib. 1, cap. 19 ista habentur :* Quadam die cum vir venerabilis in Iona demoraretur insula, quidam Frater Berachus nomine, ad Ethicam proponens insulam navigare, ad Sanctum mane accedens, ab eo benedici postulat. Quem Sanctus intuitus, inquit : O fili, hodie intentius præcaveto, *ipse neglecto S. Columbæ consilio inter navigandum periclitatur.* ne Ethicam cursu ad terram directo, per latius coneris transmeare pelagus : sed potius circumiens minores secus naviges insulas, ne videlicet aliquo monstruoso perterritus prodigio, vix inde possis evadere. Qui a Sancto accepta benedictione secessit, et navem conscendens, Sancti verbum quasi parvipendens transgreditur. Majora proinde Ethici transmeans spatia pelagi, ipse et qui ibi inerant nautæ vident, et ecce cetus miræ et immensæ magnitudinis, se instar montis erigens, ora aperit patula, nimis dentosa, supernatans. Tum proinde remiges, deposito velo, valde perterriti, retro reversi, illam obortam ex belluino motu fluctuationem vix evadere potuerunt, Sanctique verbum recognoscentes propheticum, admirabantur.

F 4 *Ætas* S. Berachii *tum ex dictis, tum ex Vita colligi potest, at non annus obitus ejus definiri.* S. Columba *anno* IↃLXIII *ex Hibernia in Britanniam migravit, obiitque* IↃXCVII. Edanum *Regem, de quo jam egimus, tradunt ab S. Columba in Iona insula anno* IↃLXXIII *Regem inauguratum. Eumdem Beda lib. 1, cap. 34 scribit, anno* IↃCIII *ab Ethelfrido Rege Nordhumbrorum prælio victum. Is autem postea, ut ex Fordono scribit Usserius,* continue mœrens, tantis seipsum afflixit doloribus, quod anno secundo post fugam, adeo grandævus ut annorum octoginta pene metas attingens, apud Kentyre obierit. *vixit sub finem seculi sexti :* *Cum ad hunc jam regnantem* S. Barachius *adierit, constat sub finem sexti seculi vixisse, licet annus mortis, ut etiam Colganus fatetur, incertus sit. Eadem Barachii ætas ex S. Coemgeni confirmatur ætate, qui S. Columbæ familiaris fuit, diciturque obiisse anno* IↃCXVIII, CXX *aut plures natus annos : sub eo autem in Glendalochensi cœnobio vitæ monasticæ rudimenta posuit Berachius.*

5 *Natalem ejus præter Hibernicos scriptores, quos citat Colganus, consignant* XV *Februarii Hermannus Greven in auctario ad Usuardum anno* CIↃIↃXXI *edito,*

A *et Canisius, his verbis :* In Hibernia Beracii Ep. et Conf. *MS. SS. Florarum :* Beracii Ep. et Conf. *Ferrarius in generali Catalogo SS.* In Hibernia S. Beracii Ep. *At scriptores Hibernici a Colgano citati Abbatem solum faciunt. Verum iis temporibus multi Abbates vel coactis ad sua monasteria frequentibus oppidis, horum Episcopi facti; vel ad munus Apostolicum, cum doctrinæ et sanctitatis nomine celebres essent, Episcopi ordinati : etiam in Belgio nostro, et apud alias nationes, sed nullibi frequentius quam in Hibernia. Quamquam sunt, qui existiment nonnullos a posteris Episcopos appellatos, qui solum Presbyteri fuerant, quia id honorificentius videretur, et ne aliis urbibus, quibus Apostoli obtigerant qui vere Episcopi essent, cedere viderentur, quod alibi monuimus.*

*Auctore J. B. colitur 15 Febr.*

*an fuerit Episcopus?*

6 *Quem quidam XXIX Februarii referunt* Berectum monachum, *haud alium esse quam hunc* Berachium *existimat Colganus.* Berectum *primus in lucem protulit Petrus Galesinius, ex MS. Martyrologio, ut ait, hocque elogio ornavit :* In Scotia S. Berecti monachi et Confess. qui profuit et vitæ sanctissimæ exemplo et prædicatione. *Galesinium secuti Wion, Menardus, Dorganus, cum suis Martyrologiis, seu Benedictinum monachum, adscripserunt, licet fateatur Wion, nihil se de eo præter verba Galesinii reperisse. Recenset eum quoque Henricus Fitzsimon noster in Catalogo SS.* B *Hiberniæ. David Camerarius hæc ejus Acta, nescio unde hausta, procudit :* Ejus Consilio, *inquit*, narratur Mordacum Scotorum Regem ordine quinquagesimum nonum Scotiam in summa pace, subditorum gaudio et commodo, annos rexisse multos. Præter ceteras Sancti hujus virtutes, magnus illi fuit animarum zelus, in summisque se habere deliciis ait, si Deo suo vel unius peccatoris animam lucrifaceret. Esca quippe justorum (ut bene S. Gregorius lib. 31 Moralium cap. 22) est conversio * peccatorum. Vitam hanc cum beatiore mutavit anno Christi DCCXX. *Hæc Camerarius. De Mordaco agunt Hector et Leslæus :* Berecti *non meminerunt. Joannes Wilsonus in Martyrologio Anglicano miraculorum gloria in Scotia floruisse circa annum DCCXIV scribit. Demsterus, qui solum Wionem et Galesinium citat, addit tamen scripsisse Berectum* homilias in sacram Scripturam, lib. 1. *Sed* quo seculo floruerit, cum illi non prodiderint, *se* divinare non posse. *Unde ergo divinavit, eum scripsisse, quod illi non prodiderunt? Nihil de Berecto certum, nisi Berachius sit.*

*videtur idem esse qui alibi* Berectus *appellatur.*

* perversorum *habet S. Greg.*

# VITA INCERTO AUCTORE

## ex MS. edita a Joan. Colgano.

C

## CAPUT I.

### *S. Berachii ortus, institutio.*

Inter cetera, quæ Dei plena sapientia, infinita potentia, perfecta bonitas in creaturis hujus nascentis mundi ab ipsius exordio tam magnifice, quam mirifice perfecit, ipsa incomprehensibilis in se Deitas summe et excellenter in Sanctis, quos ab æterno prædestinavit atque præordinavit, specialiter relucet. Regnum siquidem Hiberniæ ab ortu Solis longius existens, ipsius incolas idololatriæ cultui diu inhærentes, per plures Sanctos gloriosos in Domino suam voluntatem mirificavit, voluit, ne perirent, visitare. Inter hos autem Sanctos post sanctissimi Patricii transitum surrexit in finibus *a* Connaciæ vir præclarus, et magni apud Deum meriti, Berachius nomine, qui velut novum sidus refulgens, obscura quæque tollebat, et viam veritatis errantibus et viventibus in regione umbræ mortis ostendebat. Fuit enim homo a Deo missus, qui viam Domini præparabat in hujus mundi eremo : ipse etiam populum cultui dæmonum deditum pie visitans, nunc increpando, nunc visitando, nunc exhortando, nuncque miraculis coruscando, ad fidem Christi perfecte convertit. De ipso quoque potest dici illud Prophetæ : Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. D

*S. Berachius ex Connacia oriundus,*

*a*

*vir Apostolicus,*

2 De eo etiam *b* B. Patricius spiritu prophetiæ plenus prophetavit : nam cum terram, in qua vir Dei nasceretur, ex more visitasset, nec tamen cultores ejus omnino a gentilitatis errore converteret, discipulis hoc admirantibus, quare monitis ac sanctis exhortationibus tanti viri Dei non obedirent, Spiritu sancto edocente respondit prophetizans : Sinite Fratres, sinite, *c* in brevi post me venturus est, qui hanc plebem vita et doctrina illuminabit, qui et de hoc genere hominum nascetur : et hic potens erit, non solum gentem hanc, quam furentem, quam indomitam conspicitis, verum etiam multas alias plebes suis sanctis documentis velut agnos ad Christum convertere. Et hoc totum evenit, ut Propheta egregius pronuntiavit.

*b*

*c*

*a S. Patricio prædictus,*

3 Hujus viri sancti pater *d* Nendalus, mater vero Finscad vocatur. Et licet inter nobilium catervas fuerint educati, et terrenis rebus nimium locupletati, tamen omni mentis studio spretis idololatriæ cultibus, cœlibem vitam actitare satagebant. Hunc enim cum in primævo juventutis flore genuissent, in nativitatis ejus primordio, qualis esset, divinitus præmonstratur eis : nam illa nocte, qua matris uterum exivit, *e* S. Frægius circa mediam noctis horam, post laudes matutinales cellam exiens, et versus fines Connactiæ oculos dirigens, circa locum habitationis parentum ejus conspicuum lumen conspexit, ac si globus igneus extitisset.

*d*

*piis parentibus,*

E

*e*

*in ipso ortu lumine cælesti illustratus.*

4 Admirans autem vir sanctus quid hoc signum portenderet, quodam de suis ad se accersito, ait : Ad domum Nendali *f* generi mei progredere, et si forte soror mea partum edidit masculum, cum partu ad me veniat. Nuntius vero jussa Patris Frægii complens, ad domum parentum pueri nati veniens, speciosum valde infantem cum matre reperit, ac voluntatem hominis Dei eis indicavit. Auditis quoque nuntii verbis, mox infans ad S. Frægium ducitur. Conspiciens autem vir Dei infantem donis Dei luculenter *g* præventum, gratias divinæ pietati reddens, ait : Hunc infantem ad ecclesiam perducite, ut lavacro salutis abluatur, et sic Christo adjungatur. Cumque ad locum baptisterii addicitur, a S. Frægio requisiti parentes, quo nomine infans vocaretur, respondent : Ipsum Beracum vocate. Ipso vero baptizato, et hoc nomine ei imposito, ait S. Frægius : Recte hoc nomen est ei impositum : nam beatus erit, et locus ejus in cœlis permanebit. F

*f*

*a S. Frægio avunculo baptizatus*

*g*

*et Berachus appellatus,*

5 Infantem autem in Christo regeneratum mater secum detinere conabatur, ut scilicet lacte proprio tenerius aleretur, quam cum nutrice aliena. Sed sanctus vir Dei hoc non permisit, dicens : Scias, soror mea carissima, quod hujus pueri sollicitudinem amplius non portabis : mecum enim in Christi nomine remanebit. Potens est enim Deus, qui ipsum creavit, ut ad perfectum perveniat incrementum membrorum absque ministerio lactis mulierum : quod et rei probavit eventus. Nam cum a viro Dei diligenti cura educaretur, solitus erat ut matris mamillam, S. Frægii auriculam *h* sugere dexteram : sicque factum est nutu illius, qui mel de petra potens est producere, ut contactu auriculæ viri Dei puer cresceret, tamquam omnem lactis materni exuberantiam haberet.

*ab eoque mirabiliter nutritus,*

*h*

6 Peractis sic quidem infantilibus annis, litterarum studiis traditur imbuendus; in quibus magno cum ingenio intellectus capacitate de die in diem proficiebat. Hic siquidem Doctoris sui S. Frægii vestigia sacra diligenti animo amplectens, nunc studio

*et litteris eruditus.*

A dio, nunc orationi ac Dei laudibus vacabat : sub tanto quoque Doctore proficiens. Ejus vota Deus ex alto prospiciens, bonis operibus Sanctum hunc decoravit, ut vix in terra similis putaretur ei. *i*

a Connacia, *sive* Conacia, *et* Conachtia, *pars occidentalior Hiberniæ.* — b *De* S. Patricio *Hibernorum Apostolo fuse agemus* 17 *Martii.* — c *Videtur tamen S.* Berachius *facile annis* 30 *aut etiam pluribus post S. Patricii obitum natus.* — d *Colganus hic de nominibus parentum* S. Berachii, *deque eorum genealogia, multa disserit in Notationibus.* — e *Idem,* Frœglus *habet, postea* Fræglus, *quomodo passim vocari annotat ; Hibernice autem* Cruimther Fræch *vel* Fræch, *quod est* Presbyter Fræchus *colitur* 20 *Decemb. ut in nostris quibusdam Martyrologiis videre est.* — f *Sororis maritum intelligit, ut mox liquet.* — g *Quæ scilicet ei jam Divina bonitas destinarat, non autem contulerat, quasi ante baptismum esset sanctificatus.* — h *Ridicule id a posteris ex anili fama excogitatum, ut multa in Hibernicensium Sanctorum Vitis. Conatur excusare Colganus exemplis Sanctorum aliorum qui a feris nutriti leguntur. Non tamen lac suxisse ex sancti viri auricula ait, sed* aliis Divinæ providentiæ viis potuisse enutriri. *Quis dubitat? Quid ad id mentione auriculæ opus?* — i *In* 2 *Vita, num.* 3 *dicitur septennis traditus S. Dageo, ut litteris imbueretur, ubi et miracula ab eo facta narrantur.*

S. Frægius.

## CAPUT II.

### *S. Berachii vita monachica Glendalochæ, miracula, quæsitus novo cœnobio locus.*

*Angelo duce it Glendalocham:*

Postquam vero ad annos pervenit discretionis, parentum suorum consortium effugere satagens, licentia Doctoris sui habita, ad partes *a* Lageniæ, Angelo comite, properat uno cum comitante ministro. Ad B civitatem tandem *b* Glendalochensem perveniens, sub S. *c* Koemino monasterii Glendalochensis præclarissimo Abbate, se subjicit disciplinæ. Cumque ecclesiam oraturus ingrederetur, ecce S. Coeminus præ foribus illius ecclesiæ consistens, prævidens in spiritu quantæ conversationis futurus esset, eum intuens, Fratribus dixit : Ecce servus Dei ; eamus, et salutemus eum. Quem, cum salutassent, caussam sui itineris ab eo quærunt. Quibus ille : De finibus Connachtiæ huc veni, cupiens omni desiderio sancti Patris Koemini parere præceptis, ac sacra doctrinæ pocula ab eo haurire. Quo audito S. Koeminus gratias Deo egit ac ejus propositum commendans, eum benigne suscepit, atque sacræ religionis habitum ei tradens, normam bene vivendi edocuit.

*fit monachus sub S. Coemgeno :*

8 Anno siquidem probationis *d* in novitiatu elapso, professionem ex more juxta ordinis observantiam complevit. Qui deinceps ob sanctitatis meritum, propositi stabilitatem, ab omnibus commendatur, et in ipsius monasterii Præpositum illo renitente assumitur. Sed vir Dei sollicitudinem tanti officii patienter supportans, ministerium sibi traditum juxta datam C sibi a Deo gratiam convenienter administrabat. Nunc enim necessitatibus Fratrum providus intendens, nunc pauperum inopiæ pie subveniens, interdum culturæ ac aliis laboribus ipsius monasterii insistebat. Sicque curam, quam suscepit, tamquam strenuus dispensator, cum summa diligentia peragebat. Sub ipsius enim cura bona monasterii de die in diem crescebant : de quo omnes gratias Deo et sibi referebant.

*dein Præpositus,*

*quod munus strenue gerit*

9 *e* Post hæc evigilante monasterii armentario minus caute erga curam armenti sibi commissi, ecce lupus e vicino loco prædam expectans, rapido cursu irruens, vitulum occidit cujusdam vaccæ, lactis copia superabundantis, secumque tulit, et comedit. Protinus mater vituli horribiles mugitus dabat, ac huc illucque quasi insana ferebatur. Sed viro Dei orante, res mira accidit. Lupus enim amissa feritate ad mugientem vaccam revertitur, ac more vituli se mansuetum offerens, eum vacca lambendo, lac abundanter præbebat. Sicque factum est, ut Dei virtute feritas lupina in vitulinam converteretur mansuetudinem, ita quod non ut lupus, sed ut vitulus in posterum vaccæ serviret.

*divinitus obtinet, ut lupus vorati vituli loco vaccæ ubera sugat.*

10 Non multo post tempore filius *f* Regis Lageniæ, qui cum S. Coemino a pueritia fuit nutritus, tam gravi infirmitate cœpit laborare, ut vitalem videretur expirare spiritum. Ad quem S. Cayminus D accedens ait : Heu, inquit, mihi misero, quia non habeo quod dolori tuo possit mederi. Cui puer infirmus ait : Ad refrigerandum calorem intolerabilem, quo interius exuror, pomis et acidulis mihi opus est pro remedio sanitatis opportuno. Tunc S. Coeminus accersivit suum baculum ad se, dicens : Mi Frater Berache, cito, si placet, egredere ; et tecum defer, quæ anima languentis hujus pueri desiderat. Tunc Berachus, jussionem Patris Caymini complere desiderans, ascendit in vicinum collem, et flexis genibus Dominum oravit, ut desideriis subveniret. Sciens quoque se in orationibus exauditum, salicibus vicinis in nomine Domini imperans ait : In nomine Domini nostri Jesu Christi, qui omnia creavit ex nihilo, fiat ut hæ salices poma producant, et terra acidulas germinet : ut sciat omnis populus, quia tu es Deus solus potens cum Patre et Spiritu sancto omnia ex nihilo creare. Et subito flores produxerunt salices, ac speciosa poma postmodum protulerunt. Similiter in *g* hyemis algore, cum tunc terra esset sterilis et arida, dedit copiose acidulas. Collectis ergo herbis cum pomis de salicibus productis, gratias Deo, cui omnia sunt possibilia, egit, ac ea S. Caymino obtulit. Cumque hos fructus mirabiles E vir Dei infirmo puero offerret, mox sanitatem recuperavit. In hujus miraculi insoliti signum fertur quod *h* usque ad hæc tempora in loco eodem salices ibi crescentes producunt poma, quæ infirmis sæpe conferunt sanitatem. Hac in re Dei magnificentia debet devotissime venerari, quæ tam mirabiliter, extra naturæ potentiam, suam ostendit inexhaustam sufficientiam.

EX COLGANO.

*item ut media hieme acidulæ herbæ, et in salicibus poma nascantur,*

*quibus ægrum sanat :*

*ac deinceps salutaria ægris poma in iis salicibus nata :*

11 Quodam alio tempore uxor Regis Lageniæ, maligno eam excitante spiritu, eumdem Regis filium arte magica, ut perfida *i* noverca, interimere voluit : timuit enim quod proli suæ prævaleret, ac eam contemneret, si post obitum Regis regnaret. Ascendit ergo, cum aliis concinnatricibus magicæ artis peritis, cujusdam collis summitatem, ut adorando dæmones, ab eis impetrarent vel filii Regis mortem, vel membrorum ejus mutilationem. Sed desiderium peccatricis Reginæ periit ; quia Spiritu Sancto, qui in Sancto suo operabatur, contraire non valuit. Dei enim virtute instigante, vir Dei ad videndum pecora monasterii eumdem locum ascendit, ac Deo sibi revelante quænam Regina ibi ageret didicit. Quamobrem vir Dei ad orationis præsidia convolans, Deum cœli F devotissime rogavit, ne malignantium mulierum incantationes puero innocenti prævalerent : et exaudivit Dominus Sanctum suum, puerum innocentem defendendo, ne magica ars ei prævaleret. Sed qui vindictam accepit de iniquitate malorum laqueum parantibus fecit eadem in laqueum. Sicut enim quondam deglutivit Dathan et Abiron propter malitiam suam, sic simili pœna has magicas concinnatrices *k* cum Regina terra absorbuit.

*magicæ incantationis vim precibus elidit,*

*terra sagam deglutiente :*

12 Post hæc cum jam omnipotens Deus vitam Sancti hujus super candelabrum in domo Dei ponere conaretur, ut omnibus radios lucis suæ immitteret, ecce vir Dei in noctis visu Angelicum accepit responsum dicens ei : Cras mane occurret tibi *l* cervus ad fores monasterii, quem sarcinulis appositis sequaris recto tramite, et in loco, quo requiescat, ibi et tu fac requiem : nam ibi erit sedes tua, et memoriale tuum in posterum. Mane igitur facto cervum ad fines monasterii reperit, et S. Caymino et Fratribus vocatis, quidquid in visione fuerat ostensum enarrans, licentiam eorum cum benedictione obtinuit. Apposuit igitur sarcinulas super cervum tamquam super domitum asinum, eum gressu mansueto præcedentem, et vir Dei cum suo ministro Deum laudantes sequuntur

*Angeli monitu*

*sarcinas cervo imponit,*

*eumque sequitur cum socio.*

EX COLGANO.

A sequuntur. Ab hujus igitur itineris labore non cessant usquequo ad locum, qui dicitur Cluainchoirpi prospere pervenientes requiescunt. Et cum ibi cervus onus suum deponeret, paullisper requiescens ab oculis viri Dei disparuit.

13 Tunc S. Berachus gratias Deo agens mandat ministro, ut locum quærat opportunum, in quo solitarii possint Deo servire. Cumque minister locum aptum ad manendum requireret, reperit octodecim virorum corpora in terra palpitantia, ut si eadem hora illi viri occisi essent. Duo enim filii Regum hostilium inibi commisere conflictum, sicque in conflictu eodem cecidere totidem viri. Horrore igitur ac terrore minister attonitus ad virum Dei revertitur, nuntians ei quod viderat, scilicet agrum quemdam ad inhabitandum aptum, nisi quod sanguine noviter occisorum corrumperetur ac fœdaretur. Cui vir Dei ait : Tu loco quod ignoras nomen imposuisti; Ager enim corruptus vocabitur in posterum locus ille, quod in Hibernico sonat Cluain-coirpthe. Coirpthe enim Hibernice sonat idem quod mortale vel corruptum. Tunc vir Dei ad locum accedens eumdem, Deum pro occisis illis rogavit suppliciter, ac ressuscitationem eorum promeruit. Ressuscitati igitur ad viri Dei pedes se prostraverunt, ac gratiarum vota Deo et sibi persolverunt. Filii quoque Regum, qui B inter ceteros erant ressuscitati, in posterum ac si essent duo germani se mutuo diligentes, Deo fideliter servierunt.

*18 occisos precibus suscitat*

a Lagenia *pars Hiberniæ Orientalis, quæ ceteris cultior habetur : metropolis ejus Dublinium est.* — b *Ejus situs describitur in Vita S. Coemgeni 3 Junii his verbis* Ambulans beatissimus Coemgenus per deserta loca solus invenit quadam die vallem quamdam inter concava montium altissimorum positam, irrigatamque pulchris aquis duo enim stagna et clari rivuli hinc et inde confluunt in ea de montibus *etc. Monasterium illic construxit S. Coemgenus, quod in urbem Episcopalem dein excrevit,* Glandilaugh *vocat Cambdenus, qui* Desolatam *ait, ex quo* Archiepiscopatui Dubliniensi fuit adjunctus *eius Episcopatus.* — c S. Coemgenus, *hic Coemimus a Colgano* Kymnus et Coemginus *appellatur, vulgo* Keivinus, *ut scribit pag. 956 Usserius, colitur 3 Junii.* — d *Hinc conjicio Vitam non admodum antiquam.* — e *Quod hic* S. Berachio *tribuitur miraculum, id in majori S. Coemgeni Vita dicitur ipse Coemgenus jubente S. Brunno fecisse absque ulla Berachii mentione.* — f *In Vita S. Coemgeni vocatur* Felanus, *filius* Colmani Ducis quartæ partis Aquilonalium Lagenensium, *multoque fusius tota hæc historia narratur. Colganus infantem patre orbatum scribit anno 576. Fuit deinde apud S. Coemgenum educatus (ut hic dicitur, et clarius in Coemgeni Vita) et quidem lacte cervino.* — g *In Vita S. Coemgeni, dicitur ipsemet Coemgenus benedixisse arborem, quæ statim dulcia poma produxit, id*que vernali tempore — h *Confirmat hoc Silvester Giraldus dist. 2 de Mirabilibus Hiberniæ cap. 28 ita scribens :* S. Keiwinus cum apud Glindelacham vita et sanctitate claruisset, puer quidam nobilis, quem alumnum habuerat, ægrotans forte poma desiderabat. Cui Sancto compatiente et orationem ad Dominum fundente, salix quædam non procul ab ecclesia poma protulit tam puero quam aliis ægrotantibus salutifera. Et usque in hodiernum diem tam salix illa, quam aliæ ex ea circa cimiterium transplantatæ, more pomarii (salicis tamen alias per omnia tam foliis quam frondibus natura permanente) singulis annis poma producunt. Sunt autem hæc poma alba et oblonga, salubria magis quam sapida, in magna reverentia ab indigenis habita, quæ etiam ad remotas Hiberniæ partes contra varios conferentia morbos a multis deferuntur, et S. Keiwini poma dicuntur. — i *In Vita S. Coemgeni dicitur prima fuisse Colmani uxor, sed repudiata,* cum non convenirent sibi invicem moribus suis, *quod illa forsan adhuc idola coleret, venefica, et artibus magicis dedita. Hinc quotquot liberos ex secunda uxore suscipiebat Colmanus, eos illa magicis incantationibus necabat. Felanus patre jam sene natus, baptizatus et statim ad S. Coemgenum missus, ab eoque sollicite servatus et educatus.* — k *Vita S. Coemgeni non meminit sociarum, sed ipsam Coemgeno orante excæcatam, cumque* adhuc in malitia persisteret, cecidisse de cacumine montis per aspera in præceps, in vallem scilicet Cassam, et membratim laceratam, ibi infelicissime periisse. *Respexit fortassis scriptor Vitæ S. Berachii ad id quod in Vita S. Patricii cap. 40 narrat Jocelinus.* — l *Notat Colganus, in Hibernica Vita dici, S. Coemgenum cervo in vicino monte pascenti mandasse hoc ministerium : quod cum in supplemento ipse minime referat, perspicuum est, quod supra diximus, non totam Vitam ex Hibernico editam ab eo, sed illa solum quæ in Latina deerant, aut aliter narrabantur.*

*Glendaloch urbs.*

*S. Keiwini poma in salicibus nata, ægris salutifera.*

C

## CAPUT III.

### *S. Berachii de fundo construendi cœnobii longa cum pertinace mago contentio.*

Fuit in regione eadem vir magni honoris apud gentiles, qui in magicæ artis peritia erat valde peritus : hic enim apud illos quasi numen cœleste vocabatur, ac in reverentia habebatur. Idem magus D vindicabat sibi jus *a* hæreditarium in terram, quam vir Dei ex miraculo ibi facto possederat. Audiens autem quod vir Dei ibi inhabitare proponeret, festinus ad locum accessit, et suis machinationibus et magicis artibus turbare virum Dei cœpit : verbis contumeliosis ipsum a suo proposito subvertere satagebat. Sed homo Dei nec minis nec terroribus quatiebatur, sed tamquam murus inexpugnabilis constanter permanens, opus, quod inceperat, Deo commendabat.

*a monasterium ædificat,*

*magi machinationes contemnens*

15 Tandem magus Sanctum ad examen Regis convocat : in cujus præsentia allegat, quod jure suo nemo privari debet, nec ipse terra nativa. Cui constanter vir Dei respondens ait : Pater tuus Sathanas a cœlesti hæreditate dejectus, ad ima miserabiliter corruens, profunda petiit inferni : tu ergo tuo similis patri dignus non es hanc terram Deo dicatam possidere : quin potius etiam hæreditatem infernalem cum patre tuo diabolo comparticipabis.

*ab eo in jus vocatur*

16 His aliisque rationibus coram Rege decertantibus, ad Ædanum filium Gaurani *b* Scotiæ gentis Regem mittuntur, ut quomodovis motam litem dijudicet. Cumque jussu mittentis Principis ad oppidum Regis Scotiæ venirent, magus gressu veloci virum Dei prævenit, ac pueris regiæ aulæ ad pilam ludentibus in platea ait : O juvenes nobiles, hunc miserum E pauperem me in via sequentem cernite, et a vestro conspectu, quo dignus non est, projicite : non enim decet nobilitatem vestram, ut per vos transitum faciat. Cujus monitis juvenes lascivi parentes, in virum sanctum impetum unanimiter fecerunt, atque quidam ex eis lapides in eum projecerunt, alii alapis percutiebant, alii verbis contumeliosis ei improperabant. Sed Dei virtute factum est, ut pedes improperantium, terræ, quam calcabant, sic fixi inhærerent, acsi lapides grandes immobiliter permanerent.

*b remittitur ad Regem Scotiæ*

*magi technis,*

*illuditur et lapidatur a petulcis juvenibus, qui terræ hærent immobiles :*

17 Magus vero, cum esset cultioribus vestitus indumentis, ostium palatii regalis statim aperitur : sed viro sancto Beracho tamquam despicabili ac vilibus pannis induto clauditur. Cumque vir sanctus sic positus prope portam staret, et massam ibi de nivibus confectam inspiceret, invocato Dei nomine nivem insufflavit, et mox congeries illa nivea instar lignorum aridorum flamma vehementi exuritur, ita ut ædes vicinæ portæ inciperent comburi.

*ab aula exclusus,*

*flatu nivem accendit*

18 Talium itaque signorum notitia ad aures Regis cum perveniret, illum magum ea fecisse putavit, ad quem ait : O bone vir, scimus te in magicis artibus potentem, et quod numina deorum tibi parent ad nutum : vade ad pueros, et eos solve, et ignem similiter extingue, ne ejus incendio periclitemur. Cumque magus hæc nequiret, licet attentaret, Rex suum F vocat ariolum, mandans eidem ut cito egrederetur, et quænam essent hæc signa agnosceret. Qui cum jussa Regis compleret, et quis esset horum signorum factor addisceret, ad Regem rediens ei nuntiat, quod unus Sanctus de Hibernia, Berachus nomine, qui cum in omni opere bono sit potens, a pueris illusus esset, et ad fores curiæ regalis sederet, et quod in Dei omnipotentis virtute hæc signa fecisset. Quo audito Rex ad virum Dei accedens, ejus pedibus provolutus, veniam petiit de offensis, et eum cum honore debito admisit, qui talia fecit signa : insuper rogat ut pueros solvat, atque ignem extinguat.

*Rege deprecante, illos solvit, ignem extinguit*

19 His jam peractis vir Dei caussam sui itineris ac magi Regi per ordinem enarravit. Rex igitur, consilio cum suis inito, sententiam quæstionis in se suscipere pertimescens, ad arbitrium *c* Odonis Nigri, Regis scilicet Breffenensium, et Odonis Principis *d* Telfeorum, ipsos decrevit remittendos. Promisit nihilominus amplas agrorum possessiones Sancto Dei, si secum in regno suo vellet permanere : sed vir Dei

*recusat bona a Rege oblata*

*c*
*d*

A *2 leprosos et 3 cæcos aqua benedicta curat :* Dei renuit, nolens deserere locum a Deo deputatum. Duo quoque leprosi et tres cæci Sanctum ibi insequuntur, clamantes importune ut sanitati restituerentur. Qui miserorum infirmitati compatiens, in Deo suo confidens, aqua benedicta leprosos aspersit, et mox mundavit. Et loca oculorum cæcorum eadem aqua lavit, et statim sanitati pristinæ restituit.

20 Responso quidem Scotorum Regis accepto, vir Dei et magus alta pelagi remigantes, ad propria remearunt. Tandem per *e* Midensium terram iter agentes, ad quemdam locum, qui nunc *f* Imbberaith dicitur, pervenerunt. *g* Tunc vir Dei labore itineris fessus, domum cujusdam divitis, qui ibi dominabatur, subintrans, et se siti aggravari pandens, potum sibi dari famulam exhortatur : sed licet septem vasa medone plena pro Rege terræ villicus ille præfatus haberet parata, viro tamen sancto repulsam dedit, asserens quod pro eo potum non haberet paratum. Cui Sanctus : Quæso, omnipotentis Dei jussu ut sic fiat prout ore tuo es locutus.

*e* *f* *g* *cerevisiæ haustu sibi negato,* *7 vasa imprecatione exsiccat :*

21 Tunc Sancto recedente, Rex statim advenit, et potum sibi propinari postulavit. Cumque pincerna vasa omnia per ordinem probaret, et Dei virtute vacua reperiret; nihil aliud quam aranearum telas in eis se reperisse Regi nuntiavit. Qua de re hospes B plurimum contristatus, Regi nuntiavit, quod cuidam viro advenienti, ac potum in Dei honore petenti denegavit, et quod in hoc verbo prorumperet : Fiat prout ex tuo ore es locutus. Dixi enim, inquit, quod pro eo paratum non haberem. Quo audito, Rex statim agnovit, quod S. Berachus fuit, qui hæc verba sibi dixit; et quod in pœnam potus sibi denegati, eorum vasa fiebant vacua. Tunc Rex ministros suos statim in equis velocibus post Sanctum misit, ut cum honore reducerent, qui sine honoris dignitate recessit. Precibus igitur supplicantium condescendens vir sanctus, revertitur ad Regem, a quo cum gaudio est receptus. Ad pedes vero ejus Rex procidens veniam de commissis postulavit. Sanctus igitur Regis devictus precibus, invocata Dei potentia, stans supra vasa vacua, infundensque benedictionem, liquore pristino sunt repleta. Quamobrem Rex multas Sancto donavit ibi terras.

*Rege deprecante, eadem benedicens replet*

22 Ibi quoque vir Dei construxit in honore Dei omnipotentis cellam ad cujus constructionem Rex dedit necessaria. Et licet magus maleficus tantis virtutibus coruscare virum Dei conspiceret, flecti tamen non potuit, ut in Deum crederet : potentes C adeo contra eum provocabat, ut non sanctum, sed miserandum eum æstimarent. Quod tamen vir Dei patienter sustinuit, ut per patientiam vinceret malitiam, et Dei de mago judicium.

*construit in Media monasterium :* *multa patitur a mago*

23 Tandem præsentiam illorum judicum adeunt, cupientes diffinitivam ab eis audire sententiam. Judices ergo timentes offendere partes, viros sanctos sibi assignant assessores, scilicet *k* S. Samthannam et Athracteam, cum aliis Prælatis, Virginibus, ac viris sanctis. Magus vero dæmonibus immolat, nomina deorum suorum invocans, ut eum in suo certamine contra tot Sanctos ac Sanctas defenderent. Tunc judices cum aliis in unum convenientes, cum magna virorum ac mulierum multitudine ad judicium audiendum properant, ut finem rei viderent. Unus quoque ex judicibus, scilicet Odo Niger, qui Rex Breffenensium dicebatur, ait : Heu mihi infelici, cum sim turpis et niger corpore, quod inter tot honestos viros ac mulieres debeam comparere! Quid enim mihi prodest generis nobilitas, aut divitiarum opulentia, cum a tot hominibus habeam opprobrium meæ turpitudinis? Vadam igitur ad hos Sanctos, quorum virtutem novi esse admirabilem in sanandis infirmorum corporibus, ac suffragium pietatis eorum implorabo, ut pusilli corporis mei reforment staturam. Cumque præsidium horum omnium Sanctorum D nominatim imploraret, ad ultimum se ad S. Berachum convertit, flagitans obnixe, ut desiderium suum adimpleret. Ad quem vir Dei ait : Fili rem insolitam tibi petis a nobis dari. Sed ut experimento sensibili ediscas potentiam Dei nostri esse visitandam, et ad omnia quæcumque paratam, cuculla mea te modo indue, ac fidem Trinitatis in corde complectere. Cumque Rex jussa viri Dei compleret, ac se veste ejus indueret, super gremium Sancti recumbens, gravi est somno soporatus. Pro quo dormiente vir sanctus per unam horam Deum exorat, ut staturam ac formam corporis ejus mutaret. *l* Tunc exurgens se agnoscere non poterat, eo quod longam staturam se habere sentiret, qui parvus homuncio ante erat, et speciosam formam se habere conspiceret, qui ante deformis ac niger erat. Ministri quoque, qui eum comitabantur, ipsum cognoscere recusabant : quousque signis evidentibus se miraculose sic transfiguratum asserebat.

*k* *eodem mago dæmones invocante,* *ipse Regem quemdam brevem et turpem cuculla sua tegens, magnum et formosum reddit.* EX COD. ALNO *l*

24 Magus autem perfidia atque invidia plenus judicium coram tot viris bonis subire recusavit : et dixit quoque, quod in loco, qui dicitur Raithin, et non in alio subiret judicium. Et hoc ideo promisit, quod ibi erat arbor excelsa quædam, in qua, ut fertur, diabolus responsa dare consuevit infidelibus : arte enim magica ibi inclusus, cultoribus suis quæ poterat responsa dabat. Credens enim, ut præsidio dæ- E monum fulcitus ibi facilius posset judicum sententiam pro se flectere, et propter hoc sub arbore dæmonibus consecrata judicium subire voluit. Cui judices aiunt : Quia illuc nobis eundi accessus non patet, tu qui arte magica es imbutus, *m* radices illius solve, et illam ad nos ducere festina, ex quo in ea confidit anima tua : aliter enim vere justum et æquum judicamus, ut si S. Berachus in nomine Dei sui in hoc tibi prævaleat, ut scilicet possit arborem adducere, tu ipsi succumbas. Tunc S. Berachus assumens secum viros sanctos ac Virgines, protelantes se in oratione fere usque ad quatuor horas diei permanserunt prostrati. Tunc nubes caliginosa universum populum operuit, et ecce arbor illa, quam magus desiderabat, per aera virtute orationis Sanctorum ad eos volitabat, tamquam alter Abacuc ad lacum leonum, ubi Daniel orabat. Ibi quoque miraculose arbor illa in terra est transplantata atque firmiter radicata. De hoc signo insolito populus qui aderat admirabatur, ac Deum, qui in suis Sanctis est mirabilis, collaudabat.

*m* *arborem ex remoto loco in divino alio transplantari, precibus impetrat*

25 Post modicum vero tempus lux immensa de F cœlo refulsit, ac in admirationem duxit. Facto autem silentio, audita est vox Angeli de medio fulgoris dicens, *n* Hæc mandat Dominus Judex magnificus, quod magus perfidus est victus cœlitus. Quo audito omnes sunt stupefacti, et judicium Angelica voce prolatum se recepisse protestantur : sed et judices ipsi, quod non est opus in hac caussa humano laborare judicio, ex quo divino est satisfactum. Magus autem nec voci Angelicæ, nec arboris transplantationi mirificæ, ad credendum est motus, quinimo more furentis bestiæ furore repletus, in verba contumeliæ ac blasphemiæ prorumpere non formidavit, asserebat enim non fuisse verum, quod in aere intonuit verbum, sed esse phantasticum. Vir itaque sanctus moleste tulit, quod magus voce malefica dixit. *o* Videte, Fratres mei, quid maleficus iste agat, qui nec Deum timet, nec Angelum, vel hominem reveretur. An non dignus est, ut ultione divina feriatur, qui signis divinis credere renuit? Nunc igitur omnipotentis Dei clementiam obsecro, ut miser ille maledicus officio linguæ sit privatus, ne in Deum vivum et verum verba blasphemiæ valeat amplius proferre, quousque pœnitentiam de commissis velit peragere.

*n* *Angelica voce et judicum suffragio caussa superior,* *o* *magum blasphemum mutum reddit,*

A peragere. Et quod Sanctus optavit, cœlitus evenit. Magus enim vindicta Dei correptus loquelam amisit.

*ex Colgano*

*qui diu latet,*

26 Antiqui autem hostis laqueo constrictus jam pœnitere noluit, sed se in quodam loco secreto abscondit a ceterorum hominum communi habitatione segregatus: ubi per totum annum deorum suorum flagitavit auxilium, sed non invenit. Expleto autem anno, quo se sic occultavit, ecce venatores Regis cervum quemdam insequentes, ad habitaculum magi pervenerunt: qui clamore ac strepitu venatorum commotus, per fenestram respicit, quid tantus tumultus portenderet scire cupiens. Sed nutu Dei accidit, ut venator hastam post cervum aptare cupiens, non cervum, sed ipsum magum in frontis vertice vulneravit: et sic fracto vertice miserabiliter miser interiit, et cervus nusquam apparuit.

*ac tandem male perit.*

*ejus cognati Berachii monasterium incendere cupientes,*

27 Non post multum vero temporis spatium post hæc, supradicti magi nepotes circiter octo convenientes, consilium fecerunt, ut virum Dei occiderent, et sic sanguinem fratris sui vindicarent. Ex eis vero quidam existimabant fore justum opus in Sanctum irruere, et eum mala morte damnare. Alii autem, si hoc fieri non posset, annuunt monasterium ipsius incendio devastare, et sic ejus habitatio fieret deserta. Sed superna pietas, quæ suos novit semper protegere, hæc peccatorum desideria non permisit B adimpleri: nam miseris sanguinem innocentem effundere cupientibus, infortunium tale mox contigit. Terra enim sub pedibus eorum se aperiens vivos eos transglutivit, sicut quondam Dathan et Abiron absorbuit: unde adhuc est ibi puteus valde horribilis, qui ab incolis loci illius Puteus infernalis vocatur. Ex eo enim, ut fertur, immensus fœtor ascendit, ita quod præ nimio horrore vix ei aliquis appropinquare audeat.

*terra absorbentur,*

*patente deinceps fœtido hiatu.*

a *Colganus ex Hibernica Vita tradit Notat.* 30, *jure hæreditario ad* S. Berachium, *aut ipsius saltem majores fundum illum pertinuisse; mago vero donatum a Rege Connaciæ in mercedem vani poematis, in ejus laudem a nequissimo illo mago compositi; nec ausum Regem donationem retractare, ne magus satyricos in ipsum versus scriberet, uti minabatur.* — b *Hunc Scotorum in Britannia habitantium Regem, Gauranum, sive Gabranum filium, a S. Columba anno* 574 *in Iona insula inauguratum scribit Usserius, anno* 606 *mortuum. Quid vero ad eum lis hæc spectabat? an possessiones in vicinia habebat? an arbiter, honoris causa, velut inter illustres viros, sapientia ac justitia fama clarus, electus est? Ejus Beda aliique meminerunt.* — c Ædus *aliis, sive* Edus, *aut* Aldus *appellatur, aliis* Hugo. *Colganus ait utriusque Brefniæ in Connacia Principem fuisse.* — d *Idem Colganus, quæ olim* Teffa *sive* Teffia *dicebatur regio, nunc* Engaile *sive* Angaile, et Comitatum Longfordiæ *ait appellari.* — e Midia *sive* Media, *Hibernis* Myth, *Anglis* Methe, *olim regnum fuit, et quinta Hiberniæ portio, fere in totius insulæ meditullio.* — f *Colganus ait esse in regione Bregiorum in Media.* — g *Paullo aliter id narratur in altera Vita, diciturque potus hic paratus fuisse Regi Temoriæ a Rege Bregiorum.* — i *Hic aliquid deesse patet ex Colgani Notat.* 24 *et* 25, *ubi* S. Finianum *et* S. Ultanum *ait adfuisse.* — k *Dedimus* 9 *Febr. Vitam* S. Attractæ, *quæ cum velata dicatur a S. Patricio vix videtur ad tempora S. Berachii potuisse pervenire.* S. Samthannam *ait Colganus multo serius vixisse. Conjicit ergo huic judicio adfuisse præfectam monasterii quod S. Attracta rexerat, itemque alteram, cui postea S. Samthanna præfuit.* — l *Rex hic, ut idem ait, in historiis Hibernicis propter hoc miraculum passim vocatur* Aedh Fionn, *id est, Edus Albus. Simile fere miraculum retulimus ex Vita S. Patricii per Jocelinum,* 6 *Febr. in Vita SS. Melis et fratrum* § 4 *num.* 27. — m *Qui id postulare a mago licuit? Arbitror ironice id Judices poposcisse, quod crederent fieri non posse.* — n *Fuse insectatur Colganus, Notat.* 30 *imperitiam multorum scriptorum Hibernicorum, qui prodigiorum causas reticent, aut ineptis quibusdam adjunctis ea deturpant. Suspicor multa ex vulgari fama inscite assuta, et quæ ab uno Sancto semel sunt facta, pluribus tribui, aliter atque aliter composita.* — o *Videtur verbum aliquod deesse.*

C

## CAPUT IV.

### *Varia S. Berachii miracula, obitus.*

Non est prætermittendum hic, qualiter quidam impii numero duodecim venerunt quadam nocte ad monasterium viri Dei, ut liberius valerent prædam secum deferre, unum ex Fratribus, qui super bonis monasterii custodiendis invigilabat, occiderunt. Cumque rapta præda boum monasterii per quoddam vadum saxosum transire vellent; factum est Dei virtute, ut hastæ, quas manibus tenebant, saxis vadi firmiter inhærerent, ac manus eorum similiter hastis: et sic immobiliter in medio fluminis stabant, D tamquam lapides immobiles essent. Quod factum cum ad notitiam viri sancti cœlitus pervenisset, multitudine monachorum secum assumpta, ad locum ubi defuncti Fratris corpus jacebat, festinant: et prece ad Deum omnipotentem fusa, occisum Fratrem ad vitam resuscitavit. Ad miseros quoque fures propter scelus suum ligatos postea accedens, eos misericorditer absolvens abire permisit. Qui ad pedes viri Dei se prosternentes, sub ipsius monitis in posterum religiose vixerunt.

*S. Berachius monachum occisum precibus suscitat*

*homicidas medio flumine hærentes solvit:*

29 Fuit in collegio venerabili sancti Patris Berachii monachus a quidam, qui sine consensu sui Superioris votum emisit peregrinationis, videlicet quo limina Apostolica noviter visitaret. Hic cum propositum omnino adimplere desideraret, de ejus recessu pius Pater plurimum anxius, et excogitans quomodo eum a voto suæ peregrinationis retrahere valeret, ait. Mi Frater, cellam nostram ambo ingrediamur ante ingressum tui itineris. Quod cum complessent, clauso ostio tribus diebus et tribus noctibus, jejuniis et orationibus ibidem vacantes, tandem discipulus somno est oppressus. quo tandem evigilante, somnium quod viderat enarrare viro sancto curavit: Vidi, inquit, me iter peregrinationis arripuisse, in quo juvenis quidam valde pulcher se mihi in peregrinatione sociavit, et marinis fluctibus transactis recta via eodem comite me ducente Romam E perveni, et per ordinem peregrinationem, quam vovi, cum prædicto juvene ad nutum voluntatis meæ peregi. Quo audito, Altissimo gratias reddiderunt, qui voventis desiderium adimplevit, et caritatis ardorem in S. Berachio augmentavit.

*a*

*intempestive peregrinari cupienti imperat, ut in somnis sacra loca urbis Romæ lustret:*

30 Postquam vero sanctissimus Pater Berachius tantis miraculorum prodigiis coruscaret, fama sanctitatis ejus per Hiberniæ regnum diffusa est: et ecce ad eum ex diversis terræ partibus confluunt diversi generis languidi ac infirmi, ut sanitati valerent restitui, a quo quicumque fide integra sanitatem poscebant, obtinebant. Ipse etenim in se miræ sanctitatis et perfectionis erat, et præpotens in ejiciendo dæmones de obsessis ab eis.

*plurimos ægros sanat:*

31 Hic multis præerat monachorum gregibus, quos Dei operante gratia perfecte rexit veluti Abbas præclarus, sanctitate vitæ eminens, luce sapientiæ fulgens, et caritate fervida flammescens. Ipse quoque aspectu erat decorus, sermone facundus, prædicatione mellifluus, in oratione devotus, in judicio verax, in injuriis sibi illatis patientissimus, in morum disciplina rigidus, in conversatione mansuetus. Cum igitur his et aliis polleret virtutibus, cernens mortem corporis esse vicinam, armis se cœlestibus F muniens, astantibus Fratribus benedicens, ac Deo animam suam recommendans, signo se salutiferæ Crucis munivit, et sic in pace dormiens beatam animam suo reddidit Creatori.

*plura monasteria præclare regit:*

*pie moritur.*

a *In altera Vita appellatur* S. Colmanus Coel, *et diverso paullum modo miraculum hoc narratur*

# ALIA VITA

## ex Hibernico translata, editaque a Colgano.

Lucerna ardens et jubar præfulgidum S. Berachus, prænobili in Connacia ortus familia, patrem habuit a Nemnaldum Nemargenii filium; matrem vero Finnathiam Carthagii filiam, S. Frægii sororem. Nemargenio pater fuit Fintanus, ex Mailo filio nepos Dynastæ cujusdam nomine Dubhtha, qui e stirpe Briani Connaciæ Principis descenderat.

*S. Berachus illustri genere ortus,*

*a*

2 Editus autem est in lucem S. Berachus apud avunculum suum S. Frægium Presbyterum in prædio de Gort-na-luachra prope Cluanam in Connacia: a quo unda salutaris lavacri regeneratus, et in

*a S. Frægio avunculo infans educatus,*

A in litteris ab infantia educatus, ac demum loco isto nativitatis suæ donatus fuit. Primum illi nomen Fintanus: deinde Berach appellatus est, propter insignem numquamque frustratam in patrandis miraculis efficaciam et virtutem. Peperit præterea Finmathia marito suo Nemnaldo filiam, postea sanctitatis fama percelebrem, nomine *b* Midabariam, cui dicata est Ecclesia de Buimlinn.

*frater S. Midabariæ, b*

3 Postquam autem sanctus puer Berachus septimum ætatis annum complevit, ad S. *c* Dagæum Carilli filium deductus est, in bonis litteris et divinæ scientiæ paginis instruendus: sub quo doctore tantos fecit progressus, ut sapientissimus vir evaserit, signis et virtutibus, ac singularis obedientiæ prærogativa clarus et illustris.

*c litteras doctus a S. Dagæo,*

4 Quodam autem die hospites aliqui ad S. Dagæum diverterunt, cum nec panem, quo illos reficere, nec ex ministris aut monachis ullum, qui eos tractare aut eisdem inservire posset, præter S. Berachum, præsentem haberet. Mandat ergo pius Pater Beracho duas, quas habebat, tritici mensuras ad molendinum in Campo Murthemne positum molenda pro hospitum refectione deferre. Confestim filius obedientiæ Berachus Patris jussa executurus B ad molendinum contendit: quo cum jam pervenerat, *d* fœminam quamdam cum puerulo filio, granorum, quæ ipsa quoque advexerat, molituram præstolantem, ibidem invenit. Cum autem servus Christi, mandata sui Patris, et necessitatem hospites in caritate excipiendi humiliter exponeret, mulier illa duræ cervicis, animique malignantis, pertinaciter recusavit viro Dei molæ usuram permittere, sanctum insuper juvenem, ejusque magistrum Dagæum, atrocibus verbis et diris imprecationibus insecuta. Videns autem mitis juvenis inexorabilem pervicacis mulieris animum, ejus insolentiam patienter sustinuit, voluntati tamen non acquievit: sed jacto in Deum cogitatu, quæ apportaverat grana molæ commisit. Quod videns perversa mulier, sua etiam grana simul injicit: et sic ambo pergunt, nec desistunt a granis hinc inde orificio molæ contradendis, donec stupendo miraculo videant, ex mola, juxta variam immissi grani naturam, hinc avenaceam et illinc seorsim triticeam profluere farinam.

*missus ut moli curet triticum in escam hospitum, d*

*mulieris cedere nolentis procacia miraculo confusa,*

5 Quod miraculum cum omnes, qui aderant, attoniti admirantur, mirabiliora mox succedunt: nam ut mundo manifestius fieret, quantum Deus illatas suis servis detestetur et ulciscatur injurias, memoratæ mulieris filiolus in vicinum fluvium delapsus C submergitur, et mox ipsa mater in suæ perversitatis pœnam, extremis perculsa doloribus, ex tempore e vita decedit. Mox ergo accurrit vicinia, amici et cognati defunctæ advolant, clamantes S. Berachum esse tantæ miseriæ auctorem, eumque idcirco nituntur opprimere. Verum nec in hos etiam tardior fuit divina animadversio: nam eorum plantæ solo adhæserunt, extenta obriguerunt brachia, ipsique viribus destituti toto corpore immobiles hæserunt.

*filio ejus submerso, ipsa mortua, amicis obrigescentibus,*

6 Rumore tantæ cladis perlato ad defunctæ maritum, et submersi pueri patrem, ad salubriora consilia se convertens, festinus ad S. Berachum accurrit, eumque in terram prostratus precibus simul et lacrymis afflicte rogat, ut tam multiplicem inopinatamque calamitatem suam clemens respiciat, commiseratus avertat, et Deum juste iratum placare, atque ad misericordiam flectere satagat: daturum se prompte quamlibet possibilem sibi satisfactionem, sancto viro injuste provocato, juste offenso. His aliisque viri precibus flexus Berachus, pietate plenus, ad divinæ misericordiæ fontem preces devotas effudit, meruitque pro sua reverentia, et Christi clementia exaudiri; et non tantum membris captos libertati, sed et puerum et matrem vitæ restituere.

*marito mulieris orante, omnes restituit vitæ ac sanitati.*

Unde in tanti beneficii recognitionem, devotus ille D resuscitati pueri pater pagum illum, qui exinde Raen-Beraigh, et molendinum, quod Mulendeleand appellatur, Deo et S. Berachio in perpetuum consecravit.

*EX COLGANO.*

7 Post hæc S. Berachus ad monasterium de Iniscaoin ad Patrem suum Dagæum reversus, ex farina ista miraculose confecta, et postea in alimoniam magnæ multitudinis non sine miraculo adaucta, hospites et monachos, et multos insuper adventantes pauperes, abunde refecit. Cum autem videret S. Dagæus tantas discipuli virtutes, ait ad eum, se indignum esse discipulo, cujus magisterio ipse potius esset instruendus. Igitur discedenti baculum seu pedum dedit, quod Hibernice Bacullhgearr, id est, baculus brevis; et cymbalum, quod Clog-beraigh; id est tintinnabulum Berachi vocatur, quod Cluandalachiæ usque in hodiernum diem asservatur.

*farinam mirabiliter augeri impetrat: discedit a S. Dagæo.*

8 Perecturus autem S. Berachus in Lageniam ad S. Coemginum, transiit per Campum Murthemne in regione de Crich-rois, et per *e* Boandam fluvium in regione Bregiorum, venit ad quemdem locum, in quo per Regem Bregiorum instruebatur pro Rege Temoriæ convivium. Ubi sanctus vir siti pressus pro Dei amore, ab eo qui præparandi convivii et regii promptuarii curam habebat, haustum petiit: E quem illiberalis homo divinum amorem semel atque iterum alleganti recusavit. Digresso igitur cum repulsa Christi famulo, supervenit Rex Temoriæ: cui cum œconomus haustum præsentare properaret, nihil prorsus liquoris in vase ex quo promptuarus erat, aliisve vicinis, vel ullo ex quinquaginta plaustris, quæ in cavea habebat, reperit, sed omnia plane vacua. Ea re cum suis circumstantiis ad Regem perlata, miraculi caussam conjiciens, mandat extemplo suis asseclis, ut virum Dei insequantur, ipsumque, citra tamen omnem violentiam, reducant. Reductus igitur vir sanctus, quemadmodum rogatus erat, caveam benedixit: et mox vasa omnia, ut prius, plena reperiuntur. In cujus miraculi memoriam Rex viro Dei concessit locum in ea regione situm, qui ab ejus nomine postea Disert-Beraigh, id est, Desertum Berachi, appellatus est.

*e*

*ob negatum sibi potum vasa divinitus exhausta*

*benedictione caveam replet:*

9 Quidam alias ex monachis sancti viri, Sillanus nomine, dum ad locum Rath-ond appellatum, obedientiæ executurus mandatum, proficisceretur, in latrones in via incidit, qui in ipsum irruentes, innocentem impie trucidarunt, et truncati caput a collo excisum crudeliter in terram projecerunt. Id immane facinus illico fuit viro Dei divinitus revelatum. F Qui statim accurrens, grassatores in flagranti delicto offendit: quibus, dum virum Dei directis in eum lanceis interimere conantur, manus et membra obriguerunt. Unde miseri in fletus resoluti veniam precantur, pœnitentiam promittentes et vitæ emendationem. Indulget ergo illis vir piissimus, et liberos dimittens jubet occisi monachi caput discissum corpori adaptent: ipseque in junctum vicinum secessit, ubi flexis genibus ardentissimas ad Deum preces fudit pro innocentis discipuli resuscitatione, meruitque vir mirificus a clementi Domino exaudiri. Quare oratione finita extractum inde juncum occisi collo circumdat, mandans ut Christi nomine resurgat. Ad cujus imperium vitæ et integritati mox restitutus est. Et ab eo die junci, quos locus iste germinat, qui junci S. Berachi vocantur, multas virtutes faciunt, et multis infirmitatibus medentur.

*absentia cognoscit: latrones membrorum rigore punitos, sanat: occisum suscitat, oratione inter juncos, ex eo alexinacos.*

10 Quidam discipulus S. Berachi, Colmanus cognomento Coel, cui vir Dei dedit Cellam de Cluainingreach, firmo et constanti animo statuit Romam proficisci, visum veneratumque limina Apostolorum: nec ullis sancti Patris renitentis, vel alterius persuasionibus, aut precibus a proposito retrahi potuit.

Itaque

A Itaque discipulum supremum valedicentem, et propositum iter aggredientem, velut aliquantisper eum in itinere deducturus, comitatur : donec ad locum veniunt, in quo Kieranus, cognomento Moel, habitabat, qui et ipse Colmani iter dissuadebat. Cum autem Colmanus neutri acquiesceret, diceretque numquam se posse requiem habere, donec propriis oculis Romam videret, S. Berachus illum simul et S. Kieranum benedixit, formato super amborum oculis salutiferæ Crucis signo : et mira Dei virtute Romam clare et dilucide intuentur. Et S. Colmanus suo sic expleto desiderio a concepta destitit peregrinatione : ibique postea duæ Cruces erectæ sunt, una in horum Sanctorum et patrati miraculi memoriam, altera in honorem sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

*EX COLGANO signatis oculis, [ambo] Romam clare videant in Hibernia.*

a *Nomina parentum paullo aliter referuntur in priore Vita num. 3* — b *Notat Colganus hujus [ejus] anniversariam memoriam 22 Februarii, ad quem tamen diem ejus non meminit.* — c *Colitur S.* Dagœus *ut hic notat Colganus, 18 Aug.* — d *Breviter hæc et nonnihil diverso modo narrantur in Vita S. Dagæi a Colgano citata Not. 7 ad priorem vitam his verbis* : Quadam die cum B. Dagæus in quodam suo monasteriolo, quod Deleum dicitur, fuisset, quædam fœmina molendinum ejus ad grana molenda ingrediens, ab aliquo homine vulnerata est : quam Berachus B. Dagæi discipulus, ab eo ad eam missus, illico sanavit. Quæ deinde domum rediens de filio suo antea relicto ibi, sed tunc temporis non invento, domesticos suos ubinam esset interrogavit. Qui dixerunt : Post te ad molendinum abiit. Quo audito, illa misera puero diligenter quæsito et non reperto, in amne, qui supradictum præterfluit molendinum, ipsum fuisse submersum conjiciens, ad virum Dei miserabiliter lacrymans festinanter cucurrit. Qui eumdem cum ea ad amnem misit discipulum : qui oratione facta antea submersum de profundo fluminis revocans matri vivum assignavit et incolumem, insuper hoc firmiter promittens, quod in posterum nemo in eadem fluminis parte mergeretur : quod usque hic in miraculi commemoratione Piscina Berachi dicitur. *Alias* Boandus *dicitur, olim* Buvinda, *vulgo* Boyn, et Boan, *in mare influit ad Droghedam urbem.* D

*S. Berachus sauciam sanat.*

*submersum suscitat.*

# DE S. FAUSTO

## MONACHO CASINENSI ROMÆ,

### Commentarius historicus.

J. B.

*CIRCA AN. DCVII. XV FEB.*

*Faustus monachus jam olim Sanctus habitus.*

Etsi Faustus, *S. Benedicti discipulus, ac S. Mauro coloniam instituti Casinensis in Galliam deducenti comes adjunctus, nondum est sacrorum Officiique Ecclesiastici honoribus dignatus : Sanctus tamen est pridem indigetatus, et in tabulas Divorum relatus. Vincentius Bellovacensis, qui ante CCCC* B *annos vixit, ita caput 68 libri 21 inscripsit, si ipsius sunt tituli capitum :* De institutione SS. Fausti et Mauri sub B. Benedicto. *Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus, qui anno Christi* CIↃCCCLXXI *Catalogum Sanctorum, qui in manibus est, absolvit, capiti 128 libri 3 hunc titulum præfixit :* De S. Fausto monacho et Conf. *Joannes quoque Trithemius de viris illustribus Ord. S. Benedicti, (quod opus ante annum* CIↃIↃV *composuit) libri tertii, qui est de* Sanctis et Canonizatis, *caput 3 inscribit,* De S. Fausto monacho.

2 *Hinc Martyrologiis inscriptum ejus nomen. Hermannus Greven in auctario ad Usuardum edito anno* CIↃIↃXV *et* CIↃIↃXXI, *ita scribit ad XV Februarii :* Fausti monachi et Confessoris, discipuli B. Benedicti, qui Vitam ipsius scripsit. *Eadem habet Constantius Felicius, et paullum variantibus verbis Franciscus Maurolycus. At Galesinius :* Apud Casinum Sancti item Fausti monachi. Is ut sanctissimi Abbatis Benedicti discipulus fuit, sic eximia illius imitatione clarus. *Arnoldus Wion et Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino eum hoc elogio celebrant :* Apud Casinum S. Fausti monachi, discipuli S. P. N. Benedicti, qui aliquamdiu in cœnobio Andegavensi sub S. Mauri Abbatis disci- C plina religiose conversatus, eo mortuo Romam reversus, bonis operibus plenus quievit in pace. *Benedictus Dorganius ad eumdem diem ista habet :* S. Fausti discipuli S. P. N. Benedicti, magnæ obedientiæ viri, quem sanctus Pater specialiter dilexit ob ejus regularem observantiam. *Celebrat eum quoque insigni encomio Saussaius in Supplemento Martyrol. Gallicani :* Depositio, *inquit,* S. Fausti monachi Cassinensis, ac discipuli S. Benedicti : qui aliquamdiu in cœnobio Glanofolii, in Andegavensi præsulatu ad Ligerim, sub S. Mauri disciplina conversatus, postea redux in Italiam, apud Cassinum suum cursum finivit, bonisque opereribus affluens, optatum æternæ felicitatis bravium assecutus est. XIII *Februarii memoratur in MS. Kalendario ordinis S. Benedicti his verbis :* S. Fausti monachi, discipuli S. Benedicti. Hic Vitam ejusdem conscripsit, et socius S. Mauri Abbatis fuit.

*inscriptus Martyrologiis 15 Febr.*

*et 13 Feb.*

3 *Quæ de S. Fausti rebus gestis a variis traduntur, ex S. Mauri Vita hausta sunt, quam Faustus ipse composuit, Odo Abbas Glannafoliensis nono Æræ Christianæ seculo interpolavit, nos XV Januarii edidimus. Ita ergo tradit in Præfatione :* Cum a parentibus meis, omnipotentis Dei servitio nutriendus, secundum regularis normam institutionis, septennis B. Benedicto, in ejus sanctissimo cœnobio, quod idem totius sanctitatis vir in Casino ædificaverat castro, traditus fuissem, juxta miserantis Dei pietatem, qua et velle E et operari in nobis perficit, pro bona voluntate, gratuita nos et omnipotentissima miseratione ut velimus prævemens, ac misericordissima gratia, ne frustra bona, quæ inspirare dignatur, aggredi conemur, subsequens; quin magis, ut recta in illum fide credentes, atque in bonitate et simplicitate cordis de illo sentientes, pro his quæ ipse tribuit et immittit, præmia nos æternorum ab eo recipere speremus gaudiorum ; si tamen propositi nostri et fidei rigorem ad finem usque firmum ac inconvulsum servemus. Postquam autem, ut ipsi superno placuit opifici, annos puerilis ætatis emensus sum, et uti jam liberæ facultatis cœpi permissione ; ex integro me pro viribus, uti licuit posse tunc et scire, monasticæ mancipavi observationi : adeo ut ne momento quidem visiom beatissimi et sanctissimi Benedicti disjungi ullo modo vellem ; sed semper ejus Deo placita et hominibus imitanda instrui doctrina, ac radiantibus ædificari exemplis, ardentissimo desiderabam amore.

*septennis traditur S. Benedicto formandus in monachum,*

*cui sedulo auscultat,*

4 Cernens itaque beatissimus Pater, me per omnia saluti propriæ et regulari institutioni operam dare, multis sæpissime argumentationibus propositum animi mei nisus est experiri, etiam de his, quæ ipse homini omnibus modis impossibilia ac importabilia esse sciebat. Sed ubi per gratiam omnipotentis F Dei, qui omnes homines vult salvos fieri, me paratissimum atque promptissimum ad omne quidquid illud erat aggrediendum ac attentandum, sive etiam perferendum, esse pervidit ; illico specialius præ ceteris obsequiorum meorum uti servitiis cœpit, meque arcanis quibusque, et nulli pene ab eo, ut ipse asserebat, antea creditis, paterno affectu instruere, ac contra tentamenta præmunire vitiorum. Unde factum est, ut cum beatissimo Mauro discipulo suo, qui ab eo religiosissime nutritus et eruditus fuerat, quique vitæ merito et perfectione virtutum Magistri cooperator exstiterat, me ad partes dirigeret Galliarum, quo illi aliquod solatium mea præberet cohabitatio : (ego quippe ex prioribus, qui ab eo educati primi fuerant, solus superstes eram tironibus) gratia siquidem fundandæ cœnobialis Religionis, ad tam longinquas exterasque ab eo transmissus est regiones.

*variaque ab eo probatur,*

*et serio instituitur :*

*mittitur cum S. Mauro in Gallias.*

5 *Ac paullo post, quo apud S. Benedictum loco Faustus esset, ipsemet indicat, dum ista refert divinitus inculcata Benedicto, post prænuntiatum Casinensis cœnobii*

A *nobis excidium mœrenti:* Noli, probatissime ac dilecte Deo Benedicte, pro his quæ huic eventura didicisti loco, mœstum ullo modo gerere animum : quoniam quod semel præfixum atque decretum inscrutabili summæ Deitatis consilio est, intransibile atque irrevocabile, sine dubio patrabitur, solis tibi tuo merito cunctorum concessis habitantium animabus. Sed aderit omnipotentis quam nuperrime propitia consolatio, quæ et locum hunc in pristinum, imo in ampliorem, quam nunc videtur, tuis nihilominus meritis, restituet gradum : et aliis perinde nationibus hujus lumen religiositatis de hoc eodem irradiabit loco. Pro quo ut interpellatus, vel potius efflagitatus fueris, extemplo quos probabiliores in hujus grege sanctæ habes congregationis, quo deposceris mittere maturato, sciens procul dubio, quoniam laboris eorum fructus uberrimus et tibi ad cumulum recipiendorum augmentabitur præmiorum, et illos ad habitationem perennis introducet beatitudinis. Hoc ergo sanctissimus Deoque carissimus Pater certus factus responso, mox ut legatione Cenomanici Antistitis conventus et exoratus est, continuo summæ religionis virum evocans Maurum, cum consilio totius congregationis, legatis eum ipsius assignat Præsulis; dans illi socios et cooperatores, Simplicium et Antonium, ac Constantianum; me quoque laboris eorum et pe-B regrinationis, non dico operum perfectorum, comitem deputans.

*monito divinitus S. Benedicto,*

*ut probatos aliquos monachos mitteret,*

6 *Cenomanicus Antistes, cujus hic mentio fit, cap.* 3 *num.* 16 Bertigrannus *appellatur. Verum memoria lapsum videri Odonem Abbatem, dum S. Mauri Vitam stylo suo expolivit, breviter monuimus ad caput* 6. *Annot.* a, *cum* S. Bertigrannus *multo post Ecclesiæ Cenomanensi præfuerit, ut ad ejus Vitam* VI *Junii ostendemus. Evocatus ergo erat S. Maurus a S. Innocentio Episc. qui* XIX *Junii colitur : repulsus ab eo qui inter illum et S. Domnolum eam Ecclesiam tenuit. Qua de re docte et solide disserit Joannes Bondonetus in Actis Episcoporum Cenomanensium.* Legatis supradicti Antistitis *(inquit cap.* 3 *Faustus, id est S. Innocentii)* tam beatissimum Maurum, quam nos quatuor, quorum nomina prœmio inseruimus, assignavit; præcipiens nobis, ut non minus ipsi beatissimo Mauro, quem nobis Magistrum constituebat, quam ei eatenus, pareremus. *Quæ in itinere, quæque in Gallia per annos* XL *gesta a S. Mauro, ea in hujus Vita Faustus idem descripsit : quorum ipsi quoque et tribus sociis gloriæ pars communicari debet, cum eum ipsi in omnibus fideli consilio et opera adjuverint.*

*petente Episcopo Cenoman.*

*præfectus ceteris Maurus ;*

7 *S. Mauro mortuo, Antonioque et Constantiano, in Italiam reversus est cum Simplicio Faustus. Ita cap.* C 10 *num.* 68. Post obitum denique ipsius sancti viri, cum ego una cum Simplicio, sicut ipse nobis ipso die depositionis suæ præceperat, ad nostrum decrevissem reverti monasterium : vir Domini Bertulphus nos obtestando deprecatus est, ne illum, quoad viveret, desereremus tempore. Quem cum offendere pro sua sanctitate ausi non fuissemus, per biennium, quo supervixit, cum illo commorati sumus. Quo defuncto ; cum Florianus vir totius religionis, filius ductoris nostri Harderadi, qui a B. Mauro nutritus fuerat, ei in monasterii regimine successisset, ac nos multis precibus retinere voluisset, reversi ad vos, o sanctissimi Patres, Deo gubernante sumus ; atque hæc vestris obsecundantes imperiis, de vita et conversatione seu virtutibus B. Mauri, imperito licet sermone, conscripsimus.

*quo mortuo, ut ipse jusserat, redit in Italiam Faustus.*

8 *Quæ hic de se Faustus, eadem de ipso, sed brevius aliquanto, commemorant alii : Bellovacensis Spec. hist. lib.* 21 *cap.* 67 *et* 68. *Trithemius de viris illustr. Ord. S. Benedicti lib.* 2 *cap.* 2 *et lib.* 3 *cap.* 3. *Antonius Yepezius in Chronico Benedictino ad annum* 606 *etc. Ex Gallia reversum ad Casinense cœnobium scribit Trithemius : Equilinus etiam illic obiisse, uti et Saussaius atque alii antea citati, cum Ferrario, qui in gener. Catal. ista habet :* In monte Casino S. Fausti mona-D chi. *At Petrus Diaconus in libro de ortu et vita Justorum sacri cœnobii Casinensis cap.* 6. Faustus, *inquit,* septennis in Casino B. Benedicto oblatus, atque ab eo in Galliam ad construendum monasterium cum B. Mauro transmissus, stetit ibi annis XL. Indeque post obitum B. Mauri Romam reversus, plenus dierum obiit. Sepultus vero est in monasterio Lateranensi. *Merito* plenum dierum *ait* obiisse, *qui octogesimum octavum ætatis annum videtur attigisse; aut etiam superasse : nam septennis in S. Benedicti disciplinam traditus est,* XX *annos cum eo vixit,* XLII *aut* XLIII *in Gallia, Romæ facile* XX, *cum ante* IↃLXXXVII *eo redierit, qui tamen Vitam S. Mauri a se scriptam testatur sese Bonifacio Papæ ostendisse : non secundo, qui anno* IↃXXXI *decessit, cum Faustus circiter* XVII *esset annorum. Porro Bonifacius* III *creatus est Papa* XV *Februarii* IↃCVI, *obiitque* XII *Novembris ejusdem anni, cui sequente Septembri Bonifacius* IV *successit. Vixit ergo minimum Faustus usque ad annum* IↃCVII.

*Februarii T. II.*

*AUCTORE S. non Casinum,*

*sed Romam,*

9 *Refelluntur ex his quæ de tempore reditus S. Fausti scribit Leo Ostiensis lib.* 1 *Chronici Casin. cap.* 3 *illis verbis :* Tertio interea Bonifacio Apostolicæ Sedi præsidente, memoratus Faustus, qui cum B. E Mauro ad Gallias perrexerat, ad prædictum Lateranense cœnobium rediit : atque a B. Theodoro (qui tunc post sanctæ memoriæ Valentinianum, tertius eamdem congregationem regebat) rogatus, atque compulsus, historiam de vita B. Mauri signata veritate conscripsit : quam idem Papa Bonifacius approbans, sua auctoritate roboravit. *Rediisse videtur Pelagio* II *Ecclesiam Apostolicam moderante. Sequitur Leonem in temporis ratione Antonius Yepezius in Chronico Benedictino ad annum* IↃCVI *ita scribens :* S. Faustus autem hoc ipso tempore e Gallia in Italiam revertit, vetus S. P. N. Benedicti discipulus.... Labente anno sexcentesimo sexto in montem Casinum profectus, ubi squallere locum vidit, Romam e vestigio conscendit grandævus senex.... Ipse vero annis, viribus, ad Dei gloriam, ad sacri ordinis incrementum consumptis, beatam animam Romæ edidit, quem Ecclesia ad XV Februarii colit.

*non anno 606*

*sed ante 590 :*

10 *De Vita S. Mauri a se conscripta ita meminit in Præfatione idem Faustus :* Ego itaque cum longe post transitum egregii Confessoris Christi Benedicti Magistri nostri, operum mirabilium patratoris, sepulto jam beatissimo Mauro, et duobus comitibus nostris, Constantiano scilicet et Antonio, ad nostrum monasterium, ultimam pene jam agens ætatem, una cum Simplicio, juxta mandatum B. Mauri fuissem re-F gressus ; compulsus ab omnibus Fratribus Casinensis cœnobii, de quo profecti fueramus, et præcipue a religiosissimo viro ac cum honore nominando Theodoro, qui tertius post sanctæ memoriæ Valentinianum prolixiori tempore Lateranensis congregationem rexit monasterii, historiam de vita et conversatione sive etiam de profectione ejusdem beatissimi Mauri, necnon etiam de constructione cœnobii, quod Deo se juvante strenue atque comptissime ædificavit, quin et de miraculis quæ per illum Dominus ad laudem et gloriam nominis sui operari dignatus est, quæ et nos ipsi coram positi oculis nostris inspeximus, altius et ab ipsa ejus repetens infantia, scribere sum aggressus, ad omnium ædificationem monachorum. De veritate porro gestarum rerum et narrationis, neminem ambigere suadeo, quia multo melius de toto silere esse scio, quam aliquid frivolum contictumque narrare. Denique hoc opusculum beatissimo Papæ Bonifacio ostendi : quod ipse sanctissimus Pontifex approbans dignum laude duxit, suaque sancta auctoritate roboravit.

*ibi, Fratrum rogatu,*

*scripsit exacte Vitam S. Mauri,*

*probatam Bonifacio 3.*

106 Deprecor

AUCTORE I. B. *licet suam imperitiam ipse excuset.*

A 11 Deprecor autem eos, qui hoc ad legendum sumpserint, ne rustico incultoque conscripta stylo fastidiant : sed potius veniam mihi tribuant, qui quamvis imperitus existerem, ac nullius prærogativa litterariæ artis, qua inniti valerem, essem instructus, ea tamen quæ per servum suum Dominus operari voluit, et quibus ipse interfui, silentio non sum passus abscondi : præsertim cum ad hæc exaranda, quoquo modo possem, tam fraterna caritate et deprecatione, quam non parvipendendo sanctorum virorum sim provocatus imperio. *Hæc Faustus : qui cum se ad suum monasterium redisse scribit, illud intelligit, non quod jam in Casino monte a Zotone Longobardo Beneventi Duce erat eversum, sed quod Romæ erat ædificatum, sive Fratres ipsos Casinensis congregationis, qui Romam refugerant. Ita exponit Marcus Antonius Scipio Placentinus in Elogiis Abbatum sacri monasterii Casinensis, et alii. Romam e Gallia redisse Faustum, Vitæ aliæque antea citati consentiunt, licet apud Casinum agi præcipue ejus memoriam significent.*

12 *Sigebertus Gemblacensis lib. de scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 32, *Faustum* Vitam S. Mauri descripsisse *tradit. Petrus de Natalib. atque antea citati Maurolycus, Greven, Felicius, etiam S. Benedicti composuisse Vitam volunt. Nobis hoc non liquet. Fatetur*

B *Odo Abbas Fossatensis in prima Præfatione ad historiam Translationis S. Mauri num.* 3. *se* reperisse in sportula cujusdam Clerici, qui Petrus, ut asserebat, vocabatur; quique ante biennium, ut fatebatur, *Romam* ex pago Abrincatino, de loco sancti Angeli Michaelis, qui Ad duas vocatur Tumbas, perrexerat, quaterniunculos nimia pene vetustate consumptos,

*an et S. Benedicti Vitam scripserit, incertum.*

D antiquaria et obtunsa olim conscriptos manu, Vitam B. Benedicti, ac quinque discipulorum ejus continentes, Honorati videlicet, Simplicii, Theodori, Valentiniani atque Mauri : quos vix emeruit datis non paucis redimere nummis. Et quia tam inculto sermone, quam vitio scriptorum depravati videbantur, Vitam B. Mauri, prout potuit, corrigere satagens, viginti dierum plus minus consumpto labore, salva fide dictorum ac miraculorum inibi repertorum, sicut nunc habetur, apertiorem eam legentibus reddidit atque expressit. *Majorem sane a curiosa posteritate gratiam iniisset Odo, si edidisset ut repererat : aut si quid addere cupiebat, id alio commentario præstitisset. Quid aliis quatuor Vitis factum, an neglectæ ab Odone, postea perierint, an uspiam in vetustis codicibus lateant, augurari haud possumus : neque an earum auctor Faustus fuerit. Vita certe S. Benedicti alia videtur ab ea quam S. Gregorius lib.* 2 *Dialogorum edidit, neque enim hæc poterat Odoni esse ignota. Petrus Diaconus in libro de viris illustrib. Casinensibus (nuper Romæ edito cum egregiis annotationibus Joannis Baptistæ Mari) cap.* 2 *non recenset præter S. Mauri Vitam aliam ullam Fausti lucubrationem. Ita porro illic scribit :* Faustus ejusdem Patris *(Benedicti)* discipulus, septennis in Casino oblatus, et a sanctissimo Benedicto cum Mauro Casinensi Præposito in Gallias

E directus, post suam reversionem, B. Mauri Vitam ex jussione Abbatis Theodori lucidissime valde composuit. *De Fausti scriptis et ætate quæ tradit Gerardus Joannes Vossius lib.* 2 *de historicis Latinis cap.* 24, *quæque Joannes Baptista Marus in Annot. ad Petri Diaconi cap.* 2 *jam citatum, omnino solida sunt.*

*S. Mauri interpolavit Odo Ab.*

# DE S. DECOROSO

## EPISCOPO CAPUANO IN CAMPANIA,

### Commentarius prævius.

G. H.

CIRCA AN. IↃCXC. XV FEB.

*S. Decorosi cultus sacer.*

E*cclesia Capuana in Campania veneratur* XV *Februarii* S. Decorosum, *suum olim Episcopum : cujus in Martyrologio Romano hoc extat testimonium :* Capuæ S. Decorosi Episcopi et Confessoris. *Eadem habentur apud Michaelem Monachum in Sanctuarii Capuani Kalendario tertio, quarto et quinto; in hoc additur* Duplex, *in prioribus* novem lectionum. *Est tertium Kalendarium desumptum ex MS. Thesauro Capuano charactere Longobardico, alia ex aliis antiquis MSS.*

2 *Acta ejusdem S. Decorosi aliqua edidit dictus Michael Monachus, quæ in novem Lectiones distributa in*

C *Officio Ecclesiastico ad Matutinum solebant recitari. E quibus Vitæ epitomen edidere Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ et Ludovicus Zacconus de Vitis Sanctorum Italice editis. Oratio sequens ab eodem Monacho ex dictis Breviariis edita, ejus sepulturam indicat :* Propitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis, per hujus S. Decorosi Confessoris tui atque Pontificis, qui in præsenti requiescit ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis.

*Acta,*

*sepultura*

3 *In Actis S. Rufini Episcopi Capuani, qui colitur* XXVI *Augusti, hæc de S. Decoroso leguntur apud eumdem Monachum lect.* 2. Temporibus Justiniani Minoris Imperatoris, filii Constantini, sub Sergio Papa atque Grimoaldo Duce Longobardorum, erat quidam religiosus valde, nomine Decorosus, in Sede Capuanæ Ecclesiæ Episcopus. Hujus siquidem tempore cum religiose a Longobardorum gente cœmeteria excolerentur, contigit ut in Martyrologio seriatim nomina Sanctorum exquirerent; et inventa sunt hoc modo duorum Sanctorum nomina scripta : Octavo Kalend. Septemb. natales S. Rufini Confessoris, et uno intermisso die, quod est sexto Kalend. Septemb. natales S. Rufi Martyris. *Hactenus ex Vita S. Rufini, qui ad dictum diem reperitur in antiquioribus Martyrologiis MSS. S. Hieronymi, Richenoviensi, aliis. At Rufus passim in omnibus Martyrologiis inscriptus est. Vixit cum S. Decoroso S. Barbatus Episcopus Beneventanus, in cujus Vita infra* XIX *Februarii danda hæc leguntur :* Quamquam Longobardi lavacro baptismatis se simularent perfundi, tamen despicabilis error illorum amentia corda satis suffocata tenebat : *quem errorem ut S. Barbatus Beneventi, ita Capuæ S. Decorosus laboravit excellere* luculentis et mellifluis sermonibus, *ut infra Acta* F *vocant.*

*ejus tempore cœmeteria exculta,*

*martyrologia discusso,*

*Longobardi emendati.*

4 S. Decorosum triginta vel etiam amplius annos in Episcopatu vixisse affirmandum *censet Monachus, ab anno circiter* IↃCLX *ad annum* IↃCXC. *Nam et in Actis S. Rufini, et in Vita ejus traditur Episcopus fuisse sub* Duce Grimoaldo, *quem ex Duce creatum esse Regem Longobardorum anno* IↃCLXII *aut sequente diximus* IX *Februarii ad Vitam S. Sabini Episcopi Canusini* § 10 *num.* 60. *Habita ab S. Agatone Papa contra Monothelitas Synodus Romæ anno* IↃCLXXX, *centum et quinquaginta Episcoporum, inter quos post S. Barbatum decimus tertius subscribit S. Decorosus epistolæ ex hac Synodo ad Constantinum Imperatorem Heraclium et Tiberium Augustos missæ, quæ refertur actione quarta sexti Concilii Oecumenici eodem anno* IↃCLXXX *mense Novembri inchoati : ubi hæc S. Decorosi subscriptio habetur :* Decorosus gratia Dei Episcopus sanctæ Ecclesiæ Capuanæ provinciæ Campaniæ, in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra fide unanimiter construximus, similiter subscripsi. *Græce* Δεκόρωσος *appellatur. Dicto Constantino successit anno*

*Fuit Episcopus sub Grimoaldo Duce,*

*interfuit Synodo Romæ an.* 680,

*vixit adhuc sub Justiniano II et Sergio Papa.*

A *no* ɪↄᴄʟxxxv *filius ejus Justinianus* ɪɪ, *ob præcisas dein nares Rhinotmetus a posteris appellatus, quo imperante creatus est Sergius Papa* xxvɪ *Decembris anni* ɪↄᴄʟxxxvɪɪ, *sub cujus Pontificatu mortuus creditur S. Decorosus.*

## VITA

### ex antiquo Breviario edita a Michaele Monacho.

Lect. 1. *Prologus.* Psal. 39. 10 Tob. 12. 7 Commendabilia Sanctorum trophæa, et Christi gesta fortium athletarum, factaque victricia memoratu digna venerabili, ad imitationem animos provocantia infirmorum, non sunt aliquatenus reticenda, juxta Psalmigraphi celebris dicentem versiculum : Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna : ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti. Nec non juxta illud Tobiæ misericordis elogium adstruentis : Etenim secretum Regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est.

Lect. 2 *S. Decorosus laude dignus ;* Ideo hujus Confessoris almifici, et egregii Antistitis Decorosi vitam celebrem recensendo, Fratres carissimi, jubilationibus ovantes mentaneis, sincerisque præcordiorum affectibus, et indefessis laudum præconiis jocundemur. Hæc est enim dies, in qua B sancta Mater Ecclesia multiplici exultatione tripudiat hujus recolendo festum : cujus exemplis et verbis multifariis supernorum civium participem se esse cognoscit.

Lect. 3 *virtutibus ornatus,* Beatus igitur Decorosus Capuanæ urbis indigena, qui non tantum fuit nomine Decorosus, sed opere et sermone. Fuit quippe caritatis observator invictæ, cultor fidei, spei sectator, pietatis alumnus, zelator justitiæ, prudentiæ norma, temperantiæ forma, et veræ titulo fortitudinis insignitus : largus pauperibus, hospitibus gratus, orphanorum ac pupillorum et certa protectio viduarum.

Lect. 4 *seculo 7 floret :* Residebat enim in Ecclesia Capuana idem B. Decorosus Episcopus et Antistes Christi, temporibus Justiniani minoris Imperatoris, filii Constantini, ex patre Constantino sub Papa Sergio Romanæ Ecclesiæ et sub Grimoaldo Duce gentis Longobardorum. Erat enim B. Decorosus valde religiosus ac timens Deum, qui cum quadam die staret in cella sua solus, et cum Deo oraret, subito factus est ejulatus et clamor maximus ante fores ecclesiæ beatorum Martyrum Stephani et Agathes.

D AUCTORE G. H. Lect. 5 *accepti a matre puerum moribundum* Ad cujus clamoris strepitum de cella exiens, quæsivit humiliter quidnam hoc esset. Illico sibi quædam mulier occurrit, cujus filius gravi arreptus incommodo, et ad extrema quasi deductus tandem pro mortuo habetur. Quæ anxia et plena doloribus de gravi ejus filii statu, a S. Decoroso Episcopo diligenter cœpit inquirere de Translatione corporis B. Rufini Capuani Episcopi et Confessoris, prædecessoris sui, facta per ipsum de loco, in quo id condiderat.

Lect. 6 *juxta tumulum S. Rufini deponit,* Qua per manum apprehensa, ad tumulum, in quo ejusdem S. Rufini erat conditum corpus, perrexit cum ea, ipsius filium quasi defunctum secum ferens. Et cum vehementi gemitu et ejulatu ante altare sancti Protomartyris Stephani juxta locum, ubi tumulatum fuerat ipsius S. Rufini corpus, puerum posuere prædictum, et clausis januis, quæ ante ipsum consistebant altare, præfati pueri mater intus ecclesiam degens, orabat.

Lect. 7 *orat,* *reddit sanum matri,* Beatus autem Decorosus orans foris stabat, et dum aliquantisper expectarent, sollicita mater plorans et ejulans videre voluit, quid de filio esset actum : et cum appropinquaret loco, in quo ipsum posuerat, vidit eum ambulantem et ambientem altare sancti Protomartyris Stephani, et per manum eum apprehensum ad B. Decorosum hilarem perduxit et sanum.

E Lectio 8 *monet Deo offerendum ;* Demum mater sciscitata est Decorosum, quid de filio esset factura. Cui B. Decorosus respondit : Vade et educa eum usque ad tempus conveniens, et ad illum serviturum reduc, a quo hilarem et sospitem assumpsisti. Et mulier facto vale, cum filio ad propria remeavit, et sic in caritate Dei et proximorum dilectione perseverans, soli Deo vitam finire gaudebat.

Lect. 9 *concionatur :* *sancte moritur.* Cumque jam dictus Antistes Decorosus, ut per cuncta laudabilis, quodam die Dominico loca sancta ex consuetudine circumiret, ascendens pulpitum, sermonem ad populum fecit mellifluum ac etiam luculentum. Quo expleto syncopi cordis sibi superveniente, statim ad cœlum extensis brachiis, manibusque complosis, Salvatorem omnium collaudabat, dicens : Magnus es, Domine Deus noster, magnus et mirabilis, cujus magnitudinis non est finis. His dictis, conversus ad Clericos suos, ante altare Domini in pace et tranquillitate obdormiens, spiritum Altissimo commendavit.

C

# DE S. WALFRIDO ABBATE

## MONTIS VIRIDIS IN ETRURIA,

F G. H.

### Commentarius prævius.

CIRCA AN. DCCLXV. XV FEB. *S. Walfridi Vita scripta* Mons-*Viridis Etruriæ oppidum, inter Volaterras et Populonium, quod vulgo Plumbinum dicitur, videtur suum debere primordium monasterio Palatiolo, quod modo dicitur* in Monte-Viridi situm, *modo* secus Viridem-Montem positum. *Abbas hujus monasterii primus, seu fundator, fuit* S. Walfridus xv *Februarii vita mortali exutus. Ei successit Gimfredus filius ; nam relicto conjugio tam S. Walfridus, quam ejus uxor vitam suscepere monasticam.* *ab Andrea Abbate 3.* *Tertius postea Abbas, nomine Andreas, fuit filius Gundualdi, quem etiam relictis vitæ hujus deliciis socium conversionis et monasticæ disciplinæ fuisse tradunt Acta S. Walfridi, quæ hic tertius Abbas Andreas conscripsit. Acta illa damus ex antiquo codice MS. celeberrimi monasterii S. Maximini prope Treviros, quibus hic titulus erat præfixus :* Vita S. Walfridi Abbatis, *dictusque anni.* 7 mense Februario quinto decimo Kalendas Martii vitam finivisse. *natalis 15 Febr.* *Quo die in MS. Martyrologio seu Kalendario Sanctorum Ordinis S. Benedicti (quod annexum MS. Usuardo adservatur in monasterio S. Salvatoris Ordinis Cisterciensis) hæc leguntur :* Sancti Waltfridi Abbatis monasterii Palacioli. *At pridie seu* xɪv *Februarii in MS. Florario refertur his verbis :* Sancti Waltfridi Abbatis et Confessoris. *Quæ etiam leguntur apud Hermannum Greven in auctario Usuardi anno* 1515 *et* 1521 *excuso.* *aliis 14 Febr.*

2 *Joannes Trithemius de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti libro* 3, *in quo se agere* de Sanctis et Canonizatis *præfatur*, De Sancto Walefrido Abbate *caput* 281, *his verbis proponit :* Walefridus monachus et Abbas cœnobii Palatioli (quod dudum esse desiit) vir sanctus et Deo dilectus, fertur sanctitatis magnifica reliquisse indicia, quæ studiosi lectores possunt inquirere : cujus festum agitur xv Kalendas Maii. *et 17 Aprilis*

*Quo*

AUCTORE ANDREA ABB. EX MS.

A *Quo die, nimirum* XVII *Aprilis, Martyrologiis monasticis Wionis, Menardi et Dorganii adscriptus est : uti et Indici Alphabetico Ferrarii de Sanctis Italiæ, ejusque Catalogo generali Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano : ubi illud emendandum, quod Palatiolum monasterium in Belgio statuat.*

*floruit sub Langobardis*

3 *Quod Walfridus, ac comites sequerentur, exemplum dedit ipso tempore Rex sanctissimus Rachis, qui regno Langobardorum relicto, comaque a S. Zacharia Papa attonsa Clericus factus, et monastico habitu indutus, inter Casinenses monachos reliquam vitam exegit : uti et uxor ejus Thesia, ac filia Rattruda, in extructo a se monasterio. Successit Rachisi anno* ꟾↃCCL *Aistulphus frater, cujus regni anno* IV *S. Walfridus ad veram pietatem conversus, divino se servitio mancipavit. Mortuus vero est cum* decimo anno *præesset circa annum* ꟾↃCCLXV. *Post quem* regimen monasterii triginta annis peregit Gimfredus filius, *ad annum circiter* ꟾↃCCXCV, *cui dein successit* Andreas *vitæ hujus scriptor, qui in titulo* Beatus *appellatur.*

*mortuus circa an. 765.*

# VITA

## auctore Andrea Abbate ex MS. S. Maximini.

### CAPUT I.

### *S. Walfridi secularis vita : eaque relicta, monastica.*

B

a [a] Incipit vita vel obitus Beatissimi Walfridi Abbatis, qui fuit oriundus de civitate Pisa, moderno tempore instituta a B. Andrea venerabili Abbate monasterii siti in Monte Viridi.

*Prologus.*

Multis siquidem relationibus fateor me per experimentum cognovisse hujus sancti viri miracula vel acta, quæ gesta sunt nuper in monasterio meo, et a multis relata sunt Fratribus, nos vero sub brevitate, juvante Domino, exponere conamur. Igitur illo tempore regnante *b* Aistolfo Rege in Italia, hoc primum miraculum relatum est nobis. Multi quidem discipuli post Patres vel suorum Magistrorum obitum remanentes, Vitam illorum vel sancta miracula ad supernum amorem describere conati sunt, quia sæpe bona audientes, vel nova miracula ad amorem Dei humana corda accendere solent. Et quosdam de multis legimus, qui talia audientes, de seculo exierunt, et Christi servitio se mancipaverunt. Sicut *c* Antonius adhuc puer cum esset, et ecclesiam ingressus fuisset, audiens sanctum Evangelium legi, dicente Domino discipulis suis, *d* Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus; C (Luc. 14. 33) ipse hoc audiens, non solum res, sed semetipsum relinquens, secutus est Christum. Porro ista audiens, majora borum intellexit ab ipso promissa, qui supra hæc mandaverat, ut est illud : (Matth. 19 29) Et omnis qui reliquerit patrem, matrem, fratres, sorores, uxorem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Iste amor illum trahit ad vitam, qui diligit vitam.

*Tempore Aistulphi Regis Langobardorum,* *e* *f* *S. Walfridus Pisa oriundus,*

2 Namque illo in tempore Rex magnus Haistulfus, Italiæ, Tusciæ, Spoletanæ, Beneventanæ provinciæ principabatur, anno regni ipsius fere plus minus *e* quarto antequam regnum ipsum, in manibus magnorum Regum Galliarum vel Francorum, Domino permittente, *f* traderetur. Fuit illis diebus quidam vir illustris Walfridus, secularis habitu, sed vir Christianissimus et timens Deum. Qualiter autem ad summæ sanctitatis gratiam pertigisset, subsequamur : vel unde ortus fuerit plenius indicemus. Igitur ex Tuscia provincia ortus, de civitate quæ tunc Pisa nominatur, quæ antiquitus *g* Alfea dicta erat, pro eo quod urbs ipsa in typo litteræ posita fuisset, quæ apud Græcos Alfa nominatur. D Quamquam secularis et magnus in vita, et sua persona decorus, mente purus, fide rectus, sermone nitidus et suavis, divitiis locuples, in pauperibus largus, in suis misericors, in proximos fidelis, in caritate perfectus, dilectione plenus, ad justitiam rectus, in judicio verax, sapiens in verbis, litteris imbutus : conjugem diligens, in ea Dominicum complens præceptum, quemadmodum Apostolus dicit : (Ephes. 5. 25) Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam. Quæ mulier sic ab eo dilecta est, ut præter ipsam solam conjugem, numquam eum aliam fœminam novisse manifestum sit : cui ex ea Dominus quinque filios dedit, qui toti perfecti, et ad summum sunt studium perducti. Nam pater ubi pompas hujus seculi aspexit suum nauseare animum, mutuo inter se sua cum conjuge quærere cœperunt, ut istud triste desererent seculum, et Deum possent sequi. Sed ille pius et misericors Deus, qui ista in cordibus illorum accenderat, ipse suum per hominem ad eos misit Angelum, qui talia et horum similia in suo gerebat pectore.

*virtutibus deditus, post susceptos 5 liberos, statuit vitam monasticam assumere*

*k* *accipit socios Fortem e Corsica oriundum,* E

3 Nam erat quidam vir sanctissimus, nomine et opere Fortis, de insula quæ *h* Cyrnus dicitur, quæque vulgariter Corsica nominatur, et ipse nimis dives in rebus et in famulis famulabusque, qui ad eum caritatis amore sedulo venire consueverant, et inter se invicem de regno Dei disputantes, qualiter se in monasterio collocarent, tractabant; secuti illum qui dixit : (Matth. 18 20) Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Tunc assumpto secum et tertio viro perfecto, cognato ipsius Walfridi, qui Gundualdus dicebatur, de urbe Luca : qui et ipse erat dives in multis facultatibus, cui unicus erat filius, nomine Andreas, qui tertius in regimen monasterii Pastor successit. Hi tres caritate conjuncti, firmati fide, cœperunt anxie quærere, huc illucque pergere, ubi pro Divino amore colla sua submitterent, atque alienæ se subjicerent potestati, Domino servituri. Sed Dominus, qui tres illos conjunxit amore, illorum conspexit devotionem : quique se solos salvare sciebant, a Domino erat futurum, ut ab eis plurimi salvarentur.

*et Gundualdum Lucensem;*

*i* *hi facta Episcopo revelatione ædificant monasterium* ·

4 Ecce autem talia in suis cordibus tractantes, factum est ut quadam nocte dormiens *i* supradictus Episcopus, magnopere ducens per visionem, quasi avis volans ad locum deductus est, qui nunc usque hodie Palatiolus, secus Viridem Montem positus, dicitur, qui in prædio supradictæ personæ pertinens erat : in quo loco fontem, qui Sanctus dicebatur, reperit, qui miræ magnitudinis emanabat aquas, qui et hactenus ad Fratrum officium ibi profluit : sed illo in tempore inter *k* frutecta et magnis condendis sistebatur locis. Sed post hæc expergefactus Episcopus, omnia per ordinem retulit ad suos. F Qui confestim equos ascendentes, ad locum, quantocyus potuerunt, festinantes venerunt : qui locus a supradicta urbe sexaginta fere distat miliariis. Quo cum venissent, viso loco, gaudio sunt repleti, in quo loco oraculum construxerunt ad honorem B. Petri Apostolorum Principis, ejusque ibidem recondentes Reliquias simul et multorum Sanctorum, pariter sunt ibi honorifice cumulatæ. Quo in loco de die in diem magnum ædificaverunt monasterium sibi ipsis ad habitandum. Nam et aliud simili modo construxerunt oraculum in loco, qui dicitur Pytiliano, situm secus fluvium *l* Versiliam, in honore Domini Salvatoris, nec non et B. Mariæ semper Virginis et S. Petri Apostoli : et aliorum multorum Sanctorum reliquias ibidem pariter recondentes. Similiter in suo prædio longe ab altero supradicto, non minus quam octo decies miliaria, aut quinque supra : in quo monasterio suas conjuges devotissime cum aliis nobilissimis fœminis

*k* *Aliud suis uxoribus* *l*

A fœminis intromiserunt, quæ sacras ac religiosas vestes per manus Sanctorum accipientes, capita sua sancto velamini submiserunt : et data sibi regula, colla regulari disciplinæ manciparunt. Et hi supradicti viri cum supra memorato Episcopo de suis facultatibus sua monasteria mirifice dotaverunt. E quibus relictis suis conjugibus, revertentes ad priorem cum gaudio refestinant locum. Hæc videntes de suis parentibus multi seculum cœperunt relinquere, et monasterio se sociare.

a *Hic titulus a posteris adjunctus videtur, et forte ab eisdem Vita paullulum contracta.* — b *Imperavit Aistulphus Rex Longobardorum ab an.* 750 *ad* 756. — c *Vitam S. Antonii dedimus* 17 *Januar.* — d *In Vita hæc sententia legitur* : Si vis perfectus esse, vade ; vende omnia, quæcumque habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo. *Matt.* 19. 21 — e *Anno Christi circiter* 754. — f *Anno* 774, *quando Carolus Magnus Desiderium Regem, Aistulphi successorem, cepit, atque in Galliam abduxit.* — g *Pisam cognomento Alpheam dici apud Virgilium lib.* 10 *Æneidos v.* 179 *legimus his verbis* :

Hoc parere jubent Alphææ ab origine Pisæ,
Urbs Hetrusca solo.

*Certe Plinius, Solinus aliique Pisam conditam volunt a Pisanis Græciæ populis, qui e Pisa Achaiæ castello, quod Alphæo alluitur fluvio traduntur advenisse.* — h *Plinius lib.* 3 *cap.* 6 *tradit* Corsicam a Græcis Cyrnon appellari. *Ita et Græci, Diodorus lib.* 5, *Dionysius in* Περιηγήσει *Procopius, Eustathius, Stephani epitomator aliique a Cluverio indicati.* — i *Hinc patet Vitam hanc contractam, cum in ea Episcopi illius ante non sit mentio facta.* — k *Potius* fruteta, *vel* frutiçeta, *legendum.* — l *Versilia fluvius Etruriæ, inter Lucensem et Genuensem ditionem mari illabitur, ubi* B *locus Mostrone, forte ab antiquo monasterio nomen sortitus est.*

## CAPUT II.

### *Præfectura monasterii, mors, sepultura.*

*S. Walfridus fit Abbas*

Factus est prædictus Walfridus Abbas, habens secum sanctam regulam, seu et Magnum peregrinum, monachum ex monasterio S. Vincentii, doctum, et miræ conversationis virum : qui ei et Fratribus disciplinæ magnum præbuit exemplum. Cœpit prædictus Abbas miræ vitæ cursum peragere, sanctæ conversationis habitum custodire, curam monasterii gerere, suam et Fratrum animas custodire. Et quidem non post multum tempus tanta de illorum conversatione sanctitatis exiit opinio, ut pene infra paucos annos, non minus quam fere sexaginta efficerentur monachi. Sed cum ipse sanctissimus Pater in multis se affligeret jejuniis et orationibus seu vigiliis ; malignus spiritus affuit, et eum magnis impugnationibus de spiritu fornicationis stimulare cœpit. Sed miles Christi, qui hæc patiebatur, amplius pugnare cœpit, et suis spiritualibus Fratribus confiteri. Hæc agens Deum fortiter rogabat, ut a se impugnationem hanc repelleret, et vitium pollutionis a sua carne abscideret. Et ecce quadam nocte Angelum ad se C venire conspiciens..... confestimque pugna ab eo recessit : et ultra suæ carnis pollutio nulla fuit usque dum servus Dei vitam finiret. Cui dum plene sex annis vixisset, hoc testatus est : sed in vita sua patefacere noluit, cavens ne vana gloria in ejus corde adscenderet, et causam sui certaminis perderet. Veniens itaque ad exitum vitæ discipulis narravit miraculum : ut tali in Patre facto signo esse firmi deberent discipuli in Domino.

*60 monachorum :*

*divinitus accipit donum castitatis.*

6 Jam ut cœpimus fateri, juvante Domino, in suo servo facta miracula usque ad finem ut valemus integre fatebimur, dicente Domino per Prophetam : Aperi os tuum et ego adimplebo illud. Jam dictus Pater non minus secum, quam sexaginta fere habens monachos, prudentes et perfectos in Dei servitio, contigit una cum Fratrum consilio, ut unus ex filiis suis, plus a patre dilectus, Gimfridus nomine, qui supra adhuc infantulus a parentibus Ieronymus vocabatur, ad Diaconatus honorem perduceretur. Quo perductus aliquamdiu mansit : deinde ad Presbyterii pervenit honorem. Cui grave cum esset onus portare, instigante diabolo, fugam petiit. Monasterio egressus secum homines, caballos, chartas monasterii abstulit. Pater vero more solito ad vigilias surgens, filium requirens, ut solitum sibi fuerat obsequium præstare, non invenit. Intelligens autem quod D fecerat, expletis vigiliis matutinisque laudibus jam clara die, orto jam sole cum Fratribus residens, more solito sanctam lectionem legit, et verbum prædicationis suis discipulis fecit. Inter hæc quid de filio eadem nocte contigisset aperuit. Nam electos de Fratribus viros prudentes post filium misit, ut si possent eum ad monasterium reducere deberent. Qui pater plus animam quam affectum filii sitiebat, et filium deplorans orationemque faciens, ut suum sibi Dominus filium redderet, precabatur. Nam factum est ut ipse die tertio inter Fratres residens, irato animo dixisset filio nominatim : Quia turbasti me, fili Gimfride, et te Dominus turbet : et tale in te signum ponat, quod, quoad usque vixeris, ante oculos habeas. Et tunc eadem die, eadem hora a militibus comprehensus, secundus ejus digitus manus dexteræ fere medius ei amputatus est, qui quamdiu vixit ita permansit. Et ipse quidem cum Fratribus, qui eum sunt persequuti, domum rediens, colligentesque diem vel horam, factum esse repererunt, quando pater per commotionem animi contra filium irascebatur. Et tamen ipse post patrem magnus et egregius Pastor effulsit : et regimen monasterii triginta annis peregit. Et hoc Dei pietas fulsit, ut in se E ipse cognosceret, qualiter in aliis sibi commissis misereri debuisset, sicut de Petri Apostoli legimus negatione, qui Pastor Ecclesiæ futurus erat, et reliqua.

Psal. 80. 11

*Gimfridus filius, fuga elapsus,*

*AUTORE ANDREA ABB. EX MS.*

*illo orante amittit partem digiti :*

*redit, dein Abbas 2 factus :*

7 Sed quando voluit Deus servum suum a labore quiescere, sicut ipse promisit, dicens : Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam, ei de suo obitu voluit indicare. Nam cuidam de suis Patribus per Angelum contigit, ut quasi in excessu mentis ad paradisum deductus sit, sedes aureas vel gemmatas multas ibidem aspiciens ; alias vacuas, et alias in se sessores habentes. Sed de una quidem, quam inter vacuas sedes plus omnibus speciose fabricatam esse conspexerat, Angelus ait : Vides hanc sedem præ ceteris speciosam ? Abbati tuo Walfrido debetur : et in Pascha præsenti veniens ipse super eam sedere debet. Sed cum hæc Pater audisset, expavit dicens : Et quis mihi hanc rem credere potest ? Et Angelus ait ad eum. Hoc erit signum quia monachum talem in Corsicam direxistis, et Clericus ille, quem secum habuit, defunctus est, et damnum maximum pertulit, quia ipse in aquis interiit. Et Presbyter in se rediens, omnia Abbati suo retulit : et infra paucos dies nuntius venit, et sicut Presbytero per visum revelatum fuerat, de F Clerico contigit. Nam mense Augusto hanc visionem Presbyter vidit : Abbas vero mense Februario, quinto decimo Kalendas Martii vitam finivit : ut sedem acciperet, quæ per Angelum in Presbytero ei fuerat revelata.

Matth. 11. 28

*Walfridi mors et sedes in cœlo parata, alteri revelata.*

8 Factum quippe est, ut *a* decimo veniens in anno, postquam erudierat monachorum agmen, non minus quam sexies decem monachos, ipse vero dolore lateris attactus, die septima ad se Fratres convocans, et eos docens de verbo vitæ et regno Dei, et in se factum miraculum narrans ; quod in vita latuit, in morte aperuit : ut de morte Magistri fisi in Domino essent discipuli, et Fratribus præcepit dicens : In medio claustro monasterii ibi me sepelite. Nam tabulam insertam cera ferri sibi jussit : in qua tabula ipse suis manibus sepulchrum designans, et super sepulchrum modicum cœnaculum, in quo cœnaculo in utrasque partes arcus haberentur : ut transeuntes Fratres sui memoriam fecissent. Hæc explens et Fratres singillatim exosculans, benedicens jussit sibi corpus Domini nostri Jesu Christi afferri. Quo accepto gaudens et gratias agens, orationem fudit : Fratribusque benedicens, sancta illa anima carne soluta est

*a Æger adhortatur Fratres :*

*statuit de sepultura :*

*sumpto Viatico obit :*

A est. Factumque statim est ut spiritum emisit, tanta eadem hora Angelica psalmodia psallentium audita est, ut non solum a Fratribus audiretur, verum etiam a pastoribus ipsius monasterii, animantia foris pascentibus, audiretur; sed et nobiles homines non minus longius a monasterio positi, quam pene triginta milliaria, se has laudes audisse testati sunt: et tam diu illa psalmodia permansit, donec penitus corpus sancti hominis sepulturæ traderetur. Nam completo a Fratribus funeris officio, psalmodia recessit. Sed quid ad ejus sepulchrum Domino annuente post evenerit, indicemus.

*AUCTORE ANDREA ABB. EX MS. auditur cœlestis musica.*

a *Circa annum 764 aut sequentem.*

## CAPUT III.

### *S. Walfridi miracula post obitum.*

*S. Walfridi patrocinio curantur, dolor dentium,*

Monachus quidam erat, nomine Adhelmus, magnus vita qui nimium dolorem dentium suorum patiebatur, qui dormire nec cibo aliquo vesci poterat, ad sepulchrum Sancti veniens, ibique corruens eum rogare cœpit, ut sibi remedium præstaret. Inter hæc sopori deditus monachus, et prædictus Pater apparens dixit: Herbam, quam primitus foris sepulchrum meum repereris, eam carpe et bibe: et sanus efficieris. Ipse evigilans, extra exiens, herbam invenit; B quæ verbago appellatur, quæ a multis septemnervia vocatur: eamque colligens et in mortariolo terens, vino mixto bibit: qui statim ut eam accepit, ab eo dolor recessit, et molaris in suo permansit loco.

*febris,*

10 Contigit etiam et alia vice, ut quidam vir juvenculus monachus, quem nomine et facie scimus, nam Nuncius dicebatur, vexaretur acriter a febribus, qui pene ardere in suo corpore putabatur: sed nocte surgens, ut potuit, ad sepulchrum hominis Dei venit, eumque cum juramento rogabat, dicens; ut si sanctus Dei esset, sibi auxilium præstaret. Qui diu in terram prostratus, et sepulchrum exosculans, de terra surgens, ambulare cœpit, jam ad lectum sanus rediens, nec ulterius illa febris eum invadere præsumpsit. Qui mane surgens, quid sibi contigisset, Fratribus omnibus indicavit. Igitur Abbas, qui tunc monasterio præerat, cujus superius mentionem fecimus, dilectissimus inter sancti hominis filios Gimfredus, magnus vita, et sapientia doctus cum hæc tanta miracula de Patre agnovisset suo, cognoscensque ex Deo esse, conatus est aliquos philosophice factos versiculos, ad laudem ipsius superius sepulchrum in pariete describere. Sed mox ut gradus adscendit et scribere cœpit, illico a febribus correctus recessit: sed a febre liberatus, iterum rescribere voluit: C sed tunc majores in eum febres expressæ sunt. Intelligens ergo, quia Pater in hac vita vanam fugit gloriam, ita post mortem, non sibi placere: ita ab eo correptus est scriptor, et post hæc ulterius scribere non præsumpsit. Sed ipse Pater habens apud Deum meritum, virtutes operari non cessat.

*dolor renum,*

11 Frater quidam erat vir religiosus, qui gravem renum dolorem patiebatur. Qui ut potuit ad sepulchrum hominis Dei venit, psallere cœpit, eumque anxie rogare, ut sibi adjutorium præstaret: et a renum dolore, quem patiebatur, liberaret. Qui stans in oratione defixus in terram se dejiciens, sursum deinde se elevans jam sanus, et absque ullo dolore a sepulchro egressus est.

*ab eo apparente monachus objurgatus cæditur.*

12 Præterea Frater quidam erat, qui suæ negligentiæ usu ducebatur, et nocturnis vel meridianis temporibus extra cucullam illicite jacere præsumpsit, eique per visum apparens fortiter increpavit: et ubi suam haberet cucullam inquirebat. Et dum ipse per somnium ubique quasi angustians cucullam quæreret, ab eo ferula quam tenebat manibus cæditur, et sic fortiter, ac si verius ab aliquo cæderetur. Nam mane surgens Fratribus narravit: Abbatem, qui D præerat, veniam petiit, cum juramento affirmans, quod sic omnia sui corporis membra dolerent, quasi verius acriter verberatus fuisset: et a die illo hoc vitium monachus penitus ultra non incurrit, ut Pater, qui vivens eorum curam gerebat, mortuus apud Deum semper de eorum salute curam haberet.

*alius e pœnis purgatorii liberatur.*

13 Nam verum hoc esse sanctissimo de Patre quod narramus, ut curam animarum Fratrum tam mortuus quam vivens haberet, vel de sanctitate et merito apud Deum, non dubitet quisquam. Monachus quidam ex ejus monasterio defunctus est: sed negligentem quia duxit vitam, pœnalibus deputatus est locis. Infra paucos itaque dies, quidam secularis homo vicinus monasterio, qui etiam ejusdem pertinens erat, sed simplex et rusticus, contigit ut moreretur: qui de corpore exiens, ad paradisum deductus veniens, sanctissimum Abbatem cum monacho transire velocius conspexit. Qui se ducentes interrogans dixit: Ut quis ille esset si innotescerent, eique aiunt: Iste est Abbas Walfredus Sanctus. His verbis inter se conferentibus, ipse jam rediit hilari vultu gaudens. Cum hæc secularis ille aspiceret, dixit ubi fuisset, et quid fecisset inquisivit. Cui supradicti sui ductores dixerunt: Monachus ille, qui modo ex ejus monasterio defunctus est, pro suis de- E lictis inter tormenta est deputatus. Pro hoc sanctus Abbas Dominum deprecatus est, ut sibi eum concederet, a pœnalibus locis erueret, et ad Sanctorum consortium monachorum suorum secum in paradiso sociaret. Pro hoc ipse Pater lætus regreditur: quia secum monachus qui perierat reducitur. Et secularis ille ad corpus rediens, hæc omnia ad quosdam monachos retulit, affirmans quod sic certius vidisset: et quamdiu vixit ita tenebatur.

*Monasteriorum Walfridi incrementum.*

14 Manent usque hodie duo cœnobia, ab eo constructa puellarum atque virorum: in quibus quotidie ampliatur numerus Fratrum atque Sororum ad laudem Domini nostri Jesu Christi. Sed qualiter amplietur numerus Fratrum et Sororum, et salva consistant ipsa monasteria, vel cujus sint meriti apud Deum omnipotentem, crebrius est revelatum a Domino quibusdam Fratribus. Nam de numero Fratrum et sororum quod sint ampliati narrabimus. Sex decies, ut supra legimus, fuisse in tempore primi Abbatis homines sanctos, interito vero Abbate, cujus superius mentionem fecimus, non minorem ibidem manere numerum monachorum, quorum bis octo decies numerum esse cognovimus. Et in alio supradicto monasterio fœminarum, non minus quam novem fere decies, et supra illas quæ illic effectæ sunt monachæ. Similiter et tertia manens in Abbatissæ F officio. Nam ut præfati sumus superius: salvationem de prædictis monasteriis narremus. Monasterium illud virorum positum quidem longius a mari videtur: pene milliaria triginta a portu qui Populonius dicitur, ubi corpus quiescit humatum *a* S. Cervonii Confessoris atque Pontificis, et de alia parte longe a mari, fere plus minus milliaria duodecim: in quo nullus reperitur portus in quo se naves salvare possint: et ipsa via quæ ascendit ad monasterium arcta et angusta nimis videtur. Et illud aliud monasterium non plus a mari longius videtur manere, quam duo miliaria ad radicem montis positum, eminens supra fluvium Versiliæ. Sed sic clausæ manent ipsæ sorores hactenus, ut nec una ex illis postquam intraverit possit exire: sed illic in claustro sui monasterii ut defuncta fuerit sepelitur. a

*contra Mauros piratas,*

15 Contigit autem tempore Karoli Cæsaris Augusti, nec non et Pontificis *b* Leonis urbis Romæ, quod gens nefandissima Maurorum ex Mauritania cum classe multa exiret, et per marinas aquas iter habens, huc illucque per *c* insulas pergeret, Ecclesias b c

A sias et aras Dei suffoderunt et igni cremaverunt et captivos multos deduxerunt : sed et de illis Francis et Langobardis multi interierunt. Sed nec sic erubescebant filii scelerati, et insonuerat illorum terror et malitia in longinquis regionibus, in tantum ut prædicti Fratres et Sorores de monasteriis egredi debuissent. Sed omnipotens Deus, qui salvat confidentes in se, ipse cuidam Fratri de ipso monasterio voluit per suum Angelum revelare, quid Abbas agere cum Fratribus debuisset. Erat quidam Frater, qui in obedientia sibi injuncta extra monasterium manebat longius non minus quam decem miliaria ad Ecclesiam B. Jacobi fratris Domini : cui per visum quidam senex splendidissimus, vultu præclarus, ante spatium noctis mediæ ad lectum stetit, eique dixit : Surge et quantocyus potes ad monasterium perge : quia Abbas cum Fratribus magnam pro Mauris illic ducit tristitiam. Et ad hæc Frater ille respondens, ait : Certe, Domine, verum est. Et iterum ad eum Angelus ait : Vade, dic Abbati tuo et Fratribus ut cuncti pariter cum letaniis pergant ad sepulchrum Walfridi Abbatis, et ipsum deprecentur, ut pro vobis apud omnipotentem Dominum intercedat, quia tale ejus est meritum apud Deum, ut si ipse pro vobis intercesserit nullus vobis Maurus nocebit. Hæc

*jussi cœlitus ad sepulchrum S. Walfridi confugere,*

B dicens disparuit. Monachus vero surgens, Ecclesiam ingressus est, et, prout potuit, suum officium fecit. Quod complens, mox equum ascendit, et quam cito potuit, ad monasterium venit, Abbati suo omnia retulit per ordinem. Abbas vero hæc audiens, flere cœpit præ gaudio : et Fratribus præcepit statim letanias agere, sanctum Evangelium, Cruces cum Reliquiis sanctis secum omnes deducere : et ad sepulchrum hominis Dei venire : et diutissime illuc cum fletibus Dominum deprecari, et ipsum sanctissimum Patrem inter Sanctos invocare, ut intercessor pro illis existeret : quatinus a supradicta tribulatione fierent securi. Peracto itaque die illo officio, alio die compleverunt similiter : tertio vero die fecerunt iterum similiter.

*cum inter Sanctos invocant*

16 Sed cum omnes primo mane ad sepulchrum hominis Dei venirent, letanias facerent, de cœlis emissa tonitrua conspexerunt, et cœlum contemplantes, arcum eadem hora apparuisse viderunt : D sed quid hæc signa significarent nesciebant. Completa letania, eadem die et eadem hora nuntius venit, qualiter Mauri illi qui se monasterium prædaturos censuerant interfecti sunt. Nam ter quaternas naves plenas hominum numero sexcentorum septuaginta, qui ad portum venerunt d Populonium, Deo contrario sibi, volentes venire monasterium destruere, sed omnipotens Deus, qui servis suis pridie antequam quid facere deberent, innotuerat, ut scriptum est : Et in servis suis consolabitur. Sic a Deo electi, non plusquam quadraginta pugnatores homines inventi sunt, qui illis nefandissimis resisterent, ne venire possent ad monasterium. Sed eodem die, quo ipsi ad prælium procedere debuerant, Fratres omnes ad sepulchrum Walfridi venerunt, cœperuntque omnes letanias facere, et ipsum inter Sanctos Dei attentius invocare, videruntque subito de cœlis emissa tonitrua, et arcum apparuisse super eos, qui in certamine steterant contra eos. Pugnaverunt enim ipsi a prima hora diei usque fere septimam : et ceciderunt ex Paganis vulnerati non minus quadringenti octoginta, et reliqui qui in navibus remanserant fugerunt : etiam et de ipsis cum navibus plurimi perierunt. De Christianis autem hominibus nec unus quidem cecidit neque læsus fuit : sed omnes E ovantes de triumpho, cum illorum spoliis et armis ad suas redierunt domos : agentes Christo gratias, qui suis cultoribus talem dignatus est dare victoriam, et suorum famulorum, monachorum videlicet monacharumque animos a timore impiorum liberare meritis et intercessionibus beatissimi Walfridi, sicut Fratri illi per suum Angelum revelare dignatus est Jesus Christus Dominus noster, cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

*AUCTORE ANDREA AUG. EX MS.*

*d*

*et pauci Mauris cæsis victores fuere.*

a *Colitur S. Cerbonius* 10 *Octob. — Est hic Leo* III, *qui Carolum Magnum an.* 800 *Imperatorem coronavit, mortuus an.* 816. — c *Mauros piratas anno* 809 *Corsicam insulam diripuisse tradunt Annales Francorum Loisoliani, Bertiniani, Eginhardi, et Vita Caroli Magni auctore incerto. — d In iisdem Annalibus dicitur* Populonium civitas maritima *eodem an.* 809 a Græcis, qui Orobiotæ vocantur, depopulata. *Sed Abbas Andreas, qui tum vicino monasterio præerat, id melius scire potuit, nisi aliæ et distinctæ sint incursiones.*

# DE S. COLUMBANO ABBATE,

## INCLUSO GANDAVI IN FLANDRIA.

G. H.

*AN. DCCCCLIX XV FEB. S. Columbanus Gandavi inclusus*

Varii apud *Hibernos seu Scotos fuere* Columbæ, Columbani, Columbini, *doctrina ac sanctitate conspicui. Is, de quo hic agimus, honores fugiens, in Flandriam venit, atque in cella inclusus vitam sancte peregit. De ejus adventu hæc pauca* C *extant ex MS. codice cœnobii S. Bavonis apud Sanderum lib.* 4 *rerum Gandensium :* Anno DCCCCLVII Columbanus Abbas Hiberniensis, vir sanctissimus inclusit se in cœmeterium Gandensis cœnobii IV Nonas Februarii, sanctam ibidem ducens vitam. *Ad quem diem de eo agunt Molanus in Natalibus SS. Belgii, Sanderus in Hagiologio Flandriæ, Menardus in Martyrologio Benedictino, Gazæus in Vitis Sanctorum et tabulis sacris SS. Belgii, Colganus in Actis SS. Hiberniæ, aliique.*

*an.* 957

2 *Febr.*

2 *Henricus Fitzsimon in Catalogo SS. Hiberniæ natalem ejus statuit* XIII *Februarii. Dempsterus in Menologio Scotico inscripsit eodem die* S. Columbanum Abbatem Sotrii, cognomento Reclusum, *cum magna, ut ad eum diem inter Omissos monuimus, in paucis verbis confusione. Fuit* S. Deicolus *seu* Deicola, Abbas, Lutrensis *in Burgundia, quem* Sutrensem Abbatem *appellat Wion ad* XVIII *Januarii, quo die ejus Acta dedimus, in quibus frequens mentio fit S. Columbani, seu Columbini, de quo Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani ad* XIII *Septemb. ista scribit :* In minori Britannia S. Columbini Abbatis Sutrensis, discipulique et successoris S. Deicolæ. *Majori mendo Dempsterus* Lutrensi, *istis* Sutrensi. Columbino *conjungit* Columbanum, cognomento Reclusum, *quem hunc innuit eumdem esse qui Gandavi reclusus fuit, dum Molanum citat qui de eo non* XIII, *sed* II *Februarii agit.* F

*quo et Martyrologiis inscriptus aliis 13 Febr.*

3 *De obitu S. Columbani hæc leguntur in eodem codice MS. apud Sanderum :* Anno DCCCCLIX Columbanus Abbas, vir sanctissimus, et Gandensis ecclesiæ S. Bavonis inclusus, in ipso cœnobio Gandensi obiit, qui in crypta B. Mariæ ante altare B. Andreæ parum remotius sub arcu lapideo sepultus requiescit. *Eadem ex eodem Chronico contractius habent Rosweidus et Madsardus in Annalibus Ecclesiasticis Belgicis sermone Belgico editis, Molanus aliique. Obitum autem S. Columbani in libris Rubeæ-vallis notari* XV *Kalend. Martii, id est* XV *die Februarii monet Molanus supra, et Rayssius in Hierogazophylacio Belgico, agens de Cathedrali S. Bavonis apud Gandenses ecclesia : quamquam non in ejus ecclesiæ vel cœmeterio inclusus vel crypta sepultus fuit Columbanus; sed ejus quæ tunc S. Bavoni sacra erat, ubi postea arx est ædificata.*

*mortuus an. 959*

*15 Febr.*

4 *Extat Processionale ritibus Romanæ Ecclesiæ accommodatum*

AUCTORE G. H.

*inscriptus Litaniis ecclesiarum Belgicarum.*

A *commodatum, jussu et auctoritate Matthiæ Hovii Archiepiscopi Mechliniensis concinnatum, atque editum Antverpiæ typis Plantinianis anno* CIↃIↃCII, *idque, uti Hovius in epistola adjuncta monet,* ut omnibus Belgicæ Ecclesiis, quæ usum Romanum receperunt, aut in posterum recipiem, usui sit. *In hoc Processionali præscribitur* Litania major, *feria secunda Rogationum* D *cantanda, in qua plerique Sancti, qui in Belgio floruerunt, invocantur, et inter Confessores non Pontifices,* S. Columbani, ut pro nobis oret, *patrocinium imploratur. Eumdem* Sancti *titulo insigniunt Menardus, Gazæus, Fitzimon, Colganus: alii* virum sanctissimum *appellant.*

# DE S. SIGFRIDO

## EPISC. CONF. VINAMANNO, UNAMANNO, SUNAMANNO, MARTYRIBUS VEXIONE IN SUECIA,

G. H.

### Commentarius historicus.

### § I. *S. Sigfridi cultus sacer, Adventus ex Anglia in Norwegiam ad S. Olaum Regem.*

CIRCA AN. CIↃ XLV. XV FEB. *Vexione in Smalandia*

Smalandia, *seu Smolandia, Gothorum in regno Sueciæ provincia est, Sconiæ et Bleckingiæ versus meridiem contigua, inter Westrogothiam media et Ostrogothiam, cui annumerari solet, a nonnullis* Gothia meridionalis, *sive* australis, *dicta. In hac visitur urbs antiqua*, Vexio, Vixia, *et* Wexionia *appellata, ac Sede Episcopali olim exornata, ad lacum et fluvium sita Salen, qui inde per Bleckingiam decurrens, in mare Balthicum exoneratur. Celebris fuit, dum fides orthodoxa in Suecia floreret, apud Vexionenses die* XV *Februarii* S. Sigfridi Episcopi *memoria: de quo Martyrologium Coloniæ anno* 1490 *excusum hæc habet:* Ipso die S. Sigfridi Episcopi et Confessoris. *Molanus in auctario Usuardi:* Vexione in Dacia S. Sigfridi Episcopi, præclaræ sanctitatis viri, qui Sueciam ad Dominum convertit. *Galesinius:* Vexione in Dacia S. Sigfridi Episcopi. Hic ab impietate ad verum Dei cultum Suetiam avocavit, ceteraque divine gessit, ob quæ in cœlis sempiterno perfruitur gaudio. *Eadem in Martyrologio Germanico Canisii leguntur: at Daniæ, quæ a pluribus scriptoribus* Dacia *appellatur, perperam urbs Vexio adscribitur. Melius Ferrarius in Catalogo generali:* Vexione in Gothia S. Sigfridi Episcopi Gothorum Apostoli. *At magna exornatur elogio in Vite Aquilonia Joannis Vastovii, et Martyrologio Anglicano. In antiquo Missali Suecico solenne de eo officium recitatur, ex quo Orationes et Hymnum, qui* Sequentia *vulgo dicitur, hic edimus adjuncto ex Officiis propriis regni Sueciæ altero Hymno.*

*colitur 15 Febr. S. Sigfridus Episc.* — B — *Gothorum Apostolus,*

2 *Hermannus Greven in auctario Usuardi ad* XVI *Februarii hæc habet:* In Swecia S. Sigfridi Episcopi et Confessoris. *Utroque die refertur in Florario MS. sed aut Daniæ aut Norwegiæ adscriptus: et forsan auctor duos fuisse arbitratus est: ad* XV *diem hæc leguntur:* In Dacia S. Sigfridi Episcopi et Confessoris. *At sequenti die:* In Norwegia S Sifridi Episcopi et Confessoris. *In illud namque regnum ex Anglia ad S. Olaum Regem primum venit, inde in Sueciam progressus. Quæ altius aliquanto repetenda duximus.*

*et 16 Feb.* — C — *Norwegorum Doctor.*

3 S. Olaus, *ut in ejus Vita ad* XXIX *Julii illustranda legitur,* Evangelicæ veritatis sinceritate in Anglia olim comperta, fidem toto admisit pectore, et ad baptismi gratiam, in urbe Rotomagi, devota animi alacritate convolavit. *De ejus in Angliam navigatione Adamus Bremensis lib. 2 Hist. Eccl. apud Septemtrionales cap. 36 ista narrat:* Suein Rex Danorum atque Nordmannorum, *seu Norduegorum,* veteres injurias tam occisi fratris, quam suæ repulsionis ulturus, classe magna transfretavit in Angliam ducens filium suum secum et Olaph filium Craccaben. *Hanc primum expeditionem refert Simeon Dunelmensis in historia de gestis Regum Anglorum ad an.* DCCCCXCIII, *et hæc de Anlafo, qui Olaus est, addit:* Interea jussu Regis Ethelredi Elfegus Wintoniensis Episcopus, nobilisque Dux Ethelwardus, Regem Anlafum adierunt, obsidibusque datis illum ad regiam villam Andeafaram, ubi Rex manebat, cum honore deduxerunt: Quem Rex honorifice suscepit, confirmari ab Episcopo fecit, sibi in filium adoptavit, regioque munere donavit. Ille vero se non amplius ad Angliam cum exercitu venturum, Regi Ethelredo promisit, et ad naves postea rediit, æstateque imminente ad patriam devectus, sua promissa bene custodivit. *Eadem habent Chronologus Anglo-Saxo, Wigorniensis, alii. Sed quæ deiu gesta sunt, ita paucis exponit Adamus:* Itaque multo tempore plurimis præliis adversum Anglos exactis, Suein veteranum Regem depulit Ethilredum, et insulam in sua tenuit ditione, verum brevi tempore. Nam tertio mense postquam victoriam adeptus, ibidem morte E præventus occubuit, *anno* CIↃXIV, *ut indicant præfati Dunelmensis, Wigorniensis, aliique. Tunc* Knut filius Suein Regis *(pergit Adamus)* cum exercitu reversus in patriam, denuo bellum molitur in Anglos. Olaph a Nordmannis, *id est, Norwegis,* electus in Principem, separatus est a regno Danorum: *quod factum est anno* CIↃXV. *At titulus regius eidem in gestis prioribus, ut a pluribus eodem Olui nomine appellatis diversus agnosceretur, a citatis supra scriptoribus aliisque per quamdam anticipationem attributus fuit.*

*S. Olaus* — *cum classe Suenonis Regis in Angliam profectus* — *an. 993.* — *et ad fidem conversus,* — *mortuo Suenone Rege an. 1014. creatur Rex Norwegiæ an 1015.*

4 *Quos ab Anglia evocatos viros Apostolicos suscepit S. Olaus, recenset idem Adamus Bremensis, qui in descriptione Norwegiæ sub calcem historiæ ista tradit:* In Nordmanniam primus ab Anglia venit quidam Joannes Episcopus, qui Regem cum populo conversum baptizavit: cui successit Grinkeil Episcopus, qui tunc erat ad Unwanum Archiepiscopum Regis Olaph legatus. Tertio loco venit ille Sigafridus, qui et apud Suecos et Nordmannos juxta prædicavit. Isque du- F ravit usque ad nostram ætatem, cum aliis æque non obscuris in illa gente Sacerdotibus. *Idem Adamus lib. 2 histor. cap. 40 eorumdem virorum Apostolicam missionem ita exponit:* Habuit etiam secum Olaph Rex Episcopos et Presbyteros multos ab Anglia quorum monitu et doctrina cor suum Deo præparavit, subjectumque populum ad regendum commisit. Ex quibus clari doctrina et virtutibus erant Sigafrid, Grimkil, Rodulf et Bernard. Hi jussu Regis ad Sueciam et Gothiam, et ad ceteras insulas, quæ trans Normanniam sunt accedentes, barbaris verbum Dei et regnum Jesu Christi evangelizabant. Misit etiam Rex nuntios ad Archiepiscopum nostrum cum muneribus, petens suppliciter, ut Episcopos ejus benigne reciperet, suosque ad eum transmitteret, qui rudem Nordmannorum populum in Christianitate confortarent. *Hæc Adamus. Sedit Unwanus Archiepiscopus Bremensis annis* XVI, *substitutus S. Libentio vita functo pridie Nonas Januarii anni* CIↃXIII, *ad quem diem ejus Vitam dedimus. Obiit vero Unwanus* VI *Kalend. Februarii anni* CIↃXXIX. *At S. Olaus Rex Norwegiæ, facta Procerum cum Kanuto Rege Anglorum et Danorum conspiratione, ex regno depulsus est anno* CIↃXXVIII

*accipit ex Anglia Episcopos, Joannem,* — *Grinkelum,* — *S. Sigfridum,* — *aliosque* — *mittit ad Unwanum. Arch. Bremens.*

A CIↃXXVIII, *et biennio post a Norwegis injuste peremptus: uti Dunelmensis, Wigorniensis, aliique narrant.*

*moritur an.* 1030.

## § II. *Adventus S. Sigfridi in Sueciam.*

*S. Sigfridus Archiepiscopus appellatur, an honoris gratia?*

*Illustre profectionis S. Sigfridi ad Suecos testimonium habetur lib. 8 Revelationum S. Birgittæ cap. 46, ubi Deipara Virgo,* Regina cœli, loquitur sponsæ *S. Birgittæ,* dicens: S. Sigfridus Archiepiscopus exivit de Anglia, et fecit voluntatem Dei in regno Sueciæ. Sic ille Sacerdos, pro quo tu oras, constituat Ecclesiam *etc. Qui S. Sigfrido hic datur Archiepiscopi titulus, ob eminentium legationis ad Reges Norwegiæ et Suediæ posset videri attributus. Ita Drogo Episcopus Metensis filius Caroli Magni, quod Archicapellanus esset Ludovici Pii Imperatoris fratris sui, passim Archiepiscopus fuit appellatus. In Lectionibus nuper excusis solum* Episcopus Anglus *dicitur. Joannes Magnus lib.* 17 *historiæ Gothorum et Sueonum cap.* 18 *S. Sigfridum et Archiepiscopum Eboracensem, et ad Suecos primum, non Norwegos, evocatum scribit his verbis;*

*an petente Olao Rege Sueciæ*

6 Cum Olaus, cognomento Sebotkonung, juxta morem priorum Sueciæ Regum, qui cum Anglis contra Danos confœderati consueverant, integerrimam amicitiam cum Mildredo Anglorum conjunxisset, diuque inviolatam conservasset, tandem per idoneos Legatos apud eum egit, ut viros aliquot optimos (B) in Christiana lege eruditos, ad se mittendos curaret. Quam quidem petitionem ipse tamquam ex pio affectu depromptam, decrevit optimo effectui quantocyus mancipare. Proinde Mildredus, alias Eldredus, ut erat in Christiana fide propaganda studiosissimus, ita nulla intercedente mora, congregato omnium Pontificum et Prælatorum concilio, justam et honestam Sueonum Regis postulationem coram omnibus aperit, hortaturque ut ex suo numero aliquot idoneos dilatandæ Christianæ fidei ministros eligant, qui labores et vitæ pericula, ac mortem pro Christi gloria sufferre velint. Actum est hoc pium negotium triduano concilio, dictæque hinc inde variæ sententiæ, nunc de periculorum et laborum magnitudine, nunc de gentium illarum severitate, nunc de dulcedine patriæ in perpetuum exilium commutandæ. Tum sanctus Archiepiscopus Eboracensis Sigfridus, cum considerasset nullos aut paucissimos esse, qui auderent, aut vellent se tot tantisque periculis committere, in medium omnium surgens, longam et eruditam ac pietate plenissimam orationem habuit, in cujus fine se ad tam longinquam et difficillimam peregrinationem sponte offerens, suo exemplo ostendit primum in pontificatu, primum esse (C) debere ad martyrium et persecutionem pro Christi gloria sustinendam. Excepta est ea sanctissimi Pontificis oratio, non solum a Pontificibus, verum etiam ab optimo Rege Mildredo per summam congratulationem: actæque sunt ei in publico regni consistorio singularibus verbis gratiæ, quod in humeros suos tantam negotii molem suscipere decrevisset. Itaque postquam omnia ad tam gloriosam peregrinationem necessaria, disposita essent, videri poterant in Pontificibus ac proceribus, et præsertim in optimo Rege gemini affectus, unus mœroris, alter gaudii: gaudebant quidem per tam insignem et piissimum Pontificem divinæ voluntati gratissimum præstari obsequium: dolebant vero plurimum, quod ab eis amplius non videndus abiret, quod tanti Pastoris solatio destituerentur, quod dulcissimam patriam perpetuo exilio commutaret, quod in totum reliquum vitæ tempus inter duros Paganos in summo discrimine victurus esset. Quis etiam dubitat maximum in eo Rege fuisse dolorem, quando tam propinquum consanguineum suum a se, non secus ac dimidium animæ suæ, avelli pateretur. Sed necesse fuit Regi Anglorum voluntati Regis Angelorum subservire. D

*ipse ante Archiepiscopus Eboracensis*

*expetierit in Sueciam proficisci.*

*et quidem consanguineus Regis Angliæ?*

AUCTORE G. H.

*non fuit Archiepiscopus Eboracensis:*

7 *Hæc magnifico stylo Joannes Magnus, quæ tamen non omnem continuo apud alios fidem merentur. Ac primo nulla apud antiquos scriptores Archiepiscopatus Eboracensis S. Sigfrido collati extat mentio: at contra eorum, qui eo tempore, quo S. Sigfridus vixit, fuerunt Archiepiscopi Eboracenses, accurata extat successio, ex qua necessario videtur Sigfridus excludendus. Fuerunt namque S. Oswaldus, cujus Vitam damus* XXVIII *Februarii, ad regimen illius Ecclesiæ adsumptus anno* IↃCCCCLXXI, *vita functus anno* IↃCCCCXCII, *cui Adulphus Medeshamstudensis Abbas successit, mortuus pridie Nonas Maias anni* CIↃII. *Substitutus Abbas Wlstanus, defunctus* V *Kalend. Junii, feria* III *anni* CIↃXXIII, *successorem habuit Alfricum Wintoniensem Præpositum, qui ad annum* CIↃLI *in ea dignitate vixit. Quæ accuratissime leguntur conscripta apud Simeonem Dunelmensem in Historia de Gestis Regum Anglorum et in Epistola de Archiepiscopis Eboracensibus, et alios scriptores rerum Anglicarum. Auctor Martyrologii Anglicani, qui ad marginem Joannem Magnum et Molanum citat, ratus S. Sigfridum non posse appellari Archiepiscopum Eboracensem, id nomen, et forsan ex nuda conjectura, in Archidiaconi titulum permutavit. Vastovius in Vite Aquilonia idem postea edidit: qui descripta ex Joanne Magno Olai Regis Sueonum legatione, addit,* B. Sigfridum, regio virum genere, doctrina et auctoritate illustrem, sponte sua ad eam se peregrinationem obtulisse, atque ex Eboracensi Archidiacono Episcopum creatum esse. E

*an ex Archidiacono Eboracensi creatus Episcopus?*

*Olaus Rex Sueonum quando vixerit?*

8 *Hæc ita absque antiquorum scriptorum testimonio; quod etiam requiri videtur, ut memoratæ a Joanne Magno legationi Olai Suevici in Angliam, et triduano illic habito concilio, indubitata adhibeatur fides. Verendum enim est, ne quæ Adamus Bremensis aliique de S. Olao Rege Norwegorum tradiderunt, per errorem ad Olaum Sueonum Regem sint translata, potissimum si, quod idem Joannes Magnus sub finem libri* 17 *asserit,* Olaus Sueticus tantæ pacis consiliator et conservator circa annos Christi MXVIII in fata concessit, *cum tertio solum aut quarto anno regnaret apud Norwegos S. Olaus. Verum post hujus Olai cædem, quam diximus contigisse anno* CIↃXXX, *adhuc superfuisse Olaum Suecicum, arbitramur cum Vastovio, qui eum usque ad annum* CIↃXXXVI *vixisse conjicit, et Confessoribus Scandianiæ annumerat. Adamus Bremensis postquam lib.* 2 *cap.* 40 *narrasset, jussu Regis Norwegorum S. Olai, ut supra diximus,* S. Sigafridum *aliosque* ad Suediam et Gothiam accessisse, et barbaris verbum Dei et regnum Jesu Christi evangelizasse; F *hæc cap.* 41 *addit:* Simili religionis amore alter Olaph in Suedia dicitur floruisse. Is subditos sibi populos ad Christianam volens convertere fidem, magno laboravit studio, ut templum idolorum Upsola, quod in medio Sueoniæ situm est, destrueretur. Cujus intentionem Pagani metuentes, placitum cum Rege constituerunt, ut si ipse Christianus esse vellet, optimam Suediæ regionem, quam vellet, suo jure teneret, in qua ecclesiam et Christianitatem constituens, nemini de populo vim recedendi a cultura Deorum inferret, nisi qui sponte ad Christum vellet converti. Hujusmodi Rex placito gavisus, mox in Occidentali Gothia, quæ Danis proxima est vel Nordmannis, Ecclesiam Deo Sedemque fundavit Episcopalem. Hæc est civitas Scarane maxima, in qua petente Christianissimo Rege Olaph, primus ad Unwano Archiepiscopo, Thurgot est ordinatus Episcopus. Ille vero strenue legationem suam agens in gentibus, duos nobiles Gothorum populos Christo suo lucratus est labore. Per illum ergo Episcopum Rex Olaph ingentia Metropolitano Unwano direxit munera. *Hæc ibi.*

*Christianam amplexus religionem.*

*Scaranæ erigit Sedem Episcopalem.*

9 *Unwano Archiepiscopo Bremensi anno* CIↃXXIX

AUCTORE G. H.

A *mortuo, creatus est* Libentius II, alterius Libentii nepos, seditque annos fere quatuor. *Hic* Thurgoto successorem posuit de Ramsola Gotescalcum Episcopum. Illis namque diebus beatissimus Thurgot Episcopus pro labore prædicationis Bremæ cum Archiepiscopo diutius consistens, asperrimo lepræ percussus morbo, diem vocationis suæ cum magna expectavit patientia, tandemque bono consummatus fine, in S. Petri sepultus est basilica. Aderant vero tunc cum Archiepiscopo prædicatores inclyti, Odinkar junior, Sigafrid a Suedia, Rodolf a Nordmannia Episcopi, narrantes ei, quanta fecerit Dominus in salute gentium, quæ quotidie convertebantur ad Dominum. Quos noster Pontifex, ut par fuit, honorifice dimissos ad prædicationem denuo misit. *Hæc Adamus cap. 45 et 46. In descriptione vero Norvegiæ ait,* S. Sigfridum, *ut supra monuimus,* apud Suedos et Nordmannos usque ad suam ætatem durasse cum aliis Sacerdotibus : postque eorum excessum petentibus Nordmannorum populis ordinatum esse Tholf in civitate Trondemni, et Siguardum in easdem partes. *Fuerunt hi duo Episcopi ordinati ab Adalberto Bremensi Archiepiscopo, qui Alebrando* XVII *Kal. Maii anni* CIϽXLIII *defuncto successit. Hujus Adalberti anno* XXIV, *Christi* CIϽLXVII *se Bremæ Canonicum factum esse innuit Adamus lib. 3 cap. 5. Hinc de tempore quo* B *apud Norvegos et Suecos vixit S. Sigfridus, statui potest. Venit in Norwegiam, cum ibi regnaret S. Olaus, ergo post* CIϽXV *annum : imo post Joannem et Grinkelum tertio loco, forsan circa an.* CIϽXX *aut serius. Missus a S. Olao in Sueciam est, ergo ante annum* CIϽXXVIII, *quo is e regno pulsus est. Demum superfuit ad tempora circiter Sedis Adalberti, qui successores consecravit. At Rex Angliæ Ethelredus, supra Eldredus, et Mildredus, a quo ab aliis dicitur* S. Sigfridus *ad Olaum Regem Sueciæ missus, post varias a Danis acceptas clades mortuus est* IX *Kalend. Maii anno* CIϽXVI.

*S. Sigfridus confert cum Libentio Archiep. Bremensi :*

*a reditu in Sueciam diu vivit.*

*quo potissimum tempore ibi laborarit ?*

## § III. *Miraculum Eucharistiæ. Baptismus Regis Suecorum. Fontes S. Sigfridi.*

*Aliquam laborum a S. Sigfrido in Suecia susceptorum partem enarrat ante memoratus Joannes Magnus eodem lib. 17 historiæ Gothorum Sueonumque : atque ista quidem cap. 19 tradit :* Hoc igitur modo Gloriosus Christi Pontifex Sigfridus, relicta patria et amplissima prosperitate, quam felix patria ei polliceri poterat, superatis longissimi et periculosi maris itineribus, pervenit ad Gothiam meridionalem, ubi nunc cernitur ecclesia Cathedralis Vexionensis, quam tunc, Angelica visione in somnis præmonitus, C erigendam curavit. Interea vero cum in eodem loco extensis tentoriis paullulum moraretur, regius Præfectus, explorata, ut poterat, conditione advenarum, Regem apud Vestrogothos in civitate Scarensi constitutum velocissimo cursu accessit : a quo de peregrinorum moribus aliquid referre jussus, respondit, pacificos esse homines, et nullas moliri insidias : senem eis præesse venerando vultu et gravi auctoritate conspicuum, qui lintea et candidissima veste ad talos dimissa utitur : huic omnes assurgunt, et genibus flexis se ad ejus pedes prosternunt.

*S. Sigfridus ecclesiam Vexione erigit :*

*a suis honoratur :*

11 Præterea, inquit, vidi tabulam sive mensam quamdam mappis albissimis cooperiri, panemque candidum et admodum exiguum superimponi, una cum vasculo, cui potus parcissime ab aliquo astantium infundebatur. His ita dispositis, nunc submissa voce murmurabat, nunc altiore clamabat. Interea senex ille mirum in modum a planta pedis usque ad verticem capitis indutus, panem illum post multa murmura in manus acceptum elevavit, visusque est mihi puerum parvulum, admodum speciosum, qui eidem seni arridebat, elevare. Tum Rex Olaus ex ea Pagani militis relatione prudenter collegit, Anglos D esse, quos ad se pridem a Mildredo mitti petiverat. Proinde expedita confestim ad eos solenni legatione, effecit ut ad se cum summo honore adducerentur : processitque obviam adventantibus, et nihil omisit, quo erga eos summum amorem suum testari potuisset. Nec diu distulit se ad veræ fidei sacramenta conferre. Quippe auditis per interpretem eximii et doctissimi Archiepiscopi Sigfridi sermonibus, quos de fide in Deum omnipotentem et Filium ejus, quem pro redimendo humano genere in terras miserat, adduxit; mox Divina cooperante clementia plene persuasus, atque in fide confirmatus evasit, statimque suscepto per manus Pontificis Baptismatis sacramento, arcem regiam Husaby, quæ in eodem loco erat, in ecclesiam consecrari præcepit : in qua sanctus Christi Pontifex diuturnam moram complexus, totam Vestrogothiam, quæ est tertia Gothiæ regni pars, ad Christum convertit, conversamque sacri baptismatis unda perfudit.

*celebrat missam puero in hostia apparente :*

*Regem instruit.*

*baptizat*

*Vestrogothiam convertit :*

12 *Hæc Joannes Magnus, quæ socius itineris adjunctis apud Vastovium in Vita S. Sigfridi ita exponuntur :* Igitur patria relicta, superatis longissimis et periculosissimis maris itineribus, cum tribus nepotibus et B. Æschillo consanguineo suo pervenit ad Gothiam meridionalem, ubi nunc Cathedralis E ecclesia Vexionensis conspicitur. Quo in loco cum sub papilionibus Missæ sacrificium Deo offerret, a Præfecto Regio in elevatione hostiæ puerum visus est elevasse. De cujus appulsu et miraculis Rex ab eodem Præfecto certior factus, mox obviam processit adventanti, atque viro Dei verba salutis prædicanti credidit ipse et omnis populus. Hac præda Christo acquisita lætus Sigfridus, signa fidei Christianæ quaquaversum per Gothiam, et uti fidelis servus et prudens talentum sibi creditum, non sine multi spe fœnoris, erogavit. *Idem Vastovius in Vita Olai Regis Suecorum, hæc addit :* S. Sigfridum Episcopum dum prædicantem auscultaret Olaus, et Christo dedit manus, et baptismatis salutari lavacro initiatus est, quodam Vestrogothiæ in fonte, qui ob crebram, præsertim in morbis curandis, miraculorum coruscationem ad hæc usque tempora celeberrimus habetur, et a multis, qui valetudini suæ consultum volunt, frequentatur, vulgoque Fons S. Sigfridi nuncupatur. Idem Rex mox arcem Husaby in magnificum templum et Ecclesiasticos usus convertit, quam Sigfrido et Christianis in stationem tutissimam assignavit.

*socios habet S. Eschillum et 3 nepotes :*

*accipit a Rege arcem Husaby :*

13 *Joannes Loccenius in historia rerum Suecicarum ex MSS. quam plurimis Suecicis concinnata, de hoc Rege Olao agens, ista scribit :* Ab Sigfrido, qui postea Episcopus Wexionensis fuit, Rex sacræ F lotionis aqua tinctus est in fonte Westrogothiæ prope Husabyum, qui morborum curandorum miraculis clarus, fontis Sigfridi nomen accepit. Inde Rex delubrum Upsaliæ destruere conabatur. Sed obstitere non pauci *etc. ut supra ex Adamo retulimus. Sed hinc confirmatur supra statutus rerum gestarum ordo, placetque ejusdem Loccenii præmonitio ad chronologium Jacobi Gislonis subjunctum.* Chronologia antiquior, *inquit,* in historia Sueonum valde lubrica et incerta est, priscis rerum quam temporum observantioribus. Proinde ne lectori studiose imponerem, placuit nullam potius quam incertam ad oram Annalium attexere, donec ad ætatem S. Erici deveniretur : *a quo librum 2 incepit apposito margini anno 1150. De S. Anschario Archiepiscopo Hamburgensi et primario Danorum et Suecorum apostolo egimus III Februarii, ubi § 11 primam ad ejus Suecos legationem ostendimus convenire in annum Christi* DCCCXXIX, *non autem* DCCCXVI, *ut cum Joanne Magno Jacobus Gislo aliique Suecici scriptores tradunt. Simili mendo, aut etiam graviori, aberrant in annis S. Sigfridi et Olai Regis. Michael*

*ubi fons S. Sigfridi miraculis clarus*

A *chael O Wexionius in epitome descriptionis Sueciæ, anno* 1650 *Aboæ excusa, lib.* 10 *cap.* 10 *asserit* Episcopatus Wexionensis fundatorem et primum Episcopum numerari S. Sigfridum : *at lib.* 7, *cap.* 41, *ait* Wexoniæ S. Sigfridum primum Episcopum templum Cathedrale fundasse circa annum Chr. IↃCCCCIX. *Eumdem errorem chronologicum repetit, dum lib.* 10 *cap.* 3 *scribit* S. Sigfridum decimo a nativitate Christi seculo ex Anglia ab Olao Rege accersitum fuisse. *Quæ satis superque refutata sunt. Idem Michael O lib.* 1 fontes *variis occasionibus enumerat, et cap.* 4 in Uplandia *ait* innumeros esse celebriores S. Erici Upsaliæ, S. Sigfridi ad Swingarn; *et cap.* 10 Smolandiam fontibus scatere, celebres esse S. Sigfridi, *aliosque.*

*alius fons S. Sigfridi in Uplandia.*

## § IV. *Socii laborum S. Sigfridi SS. Æschylus et David. Item III nepotes. Horum martyrium. S. Sigfridi obitus.*

*S. Sigfridus habet S. Æschillum Capellanum,*

Qui *supra relatus est S. Æschyllus S. Sigfridi consanguineus, ejusque ex Anglia ad has septemtrionales plagas peregrinationis comes, colitur* XII *Junii.* Hic, *inquit Vastovius in ejus elogio,* in Sueciam perrexit cum S. Sigfrido, cujus Capellanum agebat, certus tanto plus se appropinquare cœlo, quanto longius B propter Deum a solo paterno recederet. Crevit in ipso cum annis gratia, et cum ætate justitia, et fecit omnia secundum exemplar, quod ei in monte, scilicet in S. Sigfrido virtutum speculo, monstratum est, cujus vitæ sanctissimæ statuit esse imitator. Cumque Christianam fidem apud Gothos et Sueones indefesso animo prædicaret, bonumque omnibus honorem afflaret. . . in Episcopum a B. Sigfrido fuit consecratus. *Hæc fusius in Lectionibus* II *Nocturni in Officiis propriis regni Sueciæ leguntur. Agunt de eodem Joannes Magnus lib.* 18, *cap.* 11, *aliique scriptores rerum Suecicarum, et passim Stregnensis primus Episcopus, aut potius Sedis fundator habetur, ubi, ceu quondam Stephanus, pro zelo fidei ac defensione veritatis, lapidibus obrutus, Martyr in cœlum migravit.*

*cumque creat Episcopum,*

15 *Alii peregrinationis S. Sigfridi comites fuerunt tres ejus nepotes, et ipsi apud Vexionem martyrio coronati : de quibus Joannes Magnus lib.* 17 *cap.* 20 *ista habet* : Interim vero, cum ea apud Vestrogothos feliciter ageretur, Proceres quidam sanguine quam moribus nobiliores, tres nepotes S. Sigfridi Vinamannum, Unannum et Susamannum, quibus Ecclesiam Vexoniensem custodiendam commiserat, crudeliter occiderunt, occisosque multis et pretiosis rebus, quas ex Anglia secum adduxerant, spoliaverunt. Insuper corporibus eorum in vicinam paludem, ne inveniri C possint abjectis, capita in vasculo imposita, et grandi saxo alligato, in proximum stagnum submerserunt. Quo audito sanctus Archiepiscopus vehementer indoluit : nec minor mœstia Regem invasit, qui confestim sumpto secum Archiepiscopo ad terras illas descendit, sumpturus condignum de tam atrocibus sanguinariis supplicium : pro quibus etiam benignissimus Pontifex, ne occiderentur oravit : factumque est ob preces ejus, ut vitam, quam juste amissuri essent, pecunia data redimerent. Quam cum Rex Pontifici tam insigniter offenso dare voluisset, ipse Pontifex magnanimiter rejecit et contempsit, atque interim se totum in Divinam providentiam jactans, desursum omnem consolationem expectabat.

*tres nepotes.*

*crudeliter occisos dolet :*

*pro occisoribus Regem exorat.*

16 Nec Deus Sancto suo in tanto dolore laboranti defuit. Cum enim una noctium circa stagnum ecclesiæ Vexionensi contiguum orans et plorans ambularet, vidit longe tria luminaria divinitus micantia ad se per aquas afferri. Quæ cum littoribus appropinquarent, subito ingenti desiderio succensus, aquas insiliit, remque stupendam et sempiterna admiratione dignam contemplatur : quippe urnam prægrandi saxo D alligatam pariter adnatare : in qua capita suorum carissimorum nepotum adhuc roseo cruore perfusa adspiciens, flendo inquit : Vindicet Deus. Cui mox unum ex capitibus respondit : Vindicatum erit. Alterum vero inquit : Quando? Tertium vero nimis horrendum subintulit verbum, dicens : In filios filiorum. Quod hodie adeo veraciter prædictum fuisse experimur, ut passim ex illis nobilium familiis, quorum majores tam nefarium scelus perpetraverunt, illæ querulosæ voces audiantur :

*triplici lumine coruscante,*

AUCTORE G. H.

*eorum reperit capita, auditque loquentia ;*

Sentit adhuc proles, quod commisere parentes.

17 *Hæc Joannes Magnus, quæ fere eadem in Vita S. Sigfridi referuntur apud Vastovium, cui* Vivamannus *est, qui apud Joannem* Vinamannus. *Horum cædis mentio est in Vita S. Davidis abbatis ex Annalibus Suecicis et vetustis Breviariis breviter a Vastovio collecta.* S. David, *inquit,* in Anglia nobilibus et Christianis parentibus natus. . . postquam de sanctorum Martyrum S. Sigfridi nepotum nece certior factus erat, cupiens et ipse Martyrii pro Christo particeps fieri, in Sueciam se contulit, atque ex consilio S. Sigfridi apud ecclesiam Snevingensem in Vesmania, (locus hodie Munkatorp dicitur) sedem fixit, ubi verbum Dei constanter annuntiando, multas injurias et persecutiones perpessus est. *Eadem leguntur in Officiis propriis regni Sueciæ, ad* XV *Julii, quo S. David colitur. Eum æque ac SS. Sigfridum et Æschillum ex Anglia in Sueciam sub Canuto Suecorum Rege advenisse asserit etiam supra nominatus Loccenius. Tres Nepotes Martyres, una cum patruo, aut certe avunculo, Sigfrido referimus hoc die* XV *Februarii, quo die eorum memoriam olim viguisse apud Suecos innititur in antiquo eorum Kalendario apud Michaelem O, qui lib.* 3 *cap.* 4 *de Baculo Runico agens, tradit securim in eo Kalendario depictam indicare festum S. Sigfridi Episcopi Wexionensis, quod nepotes ejus ibi securi percussi fuerint. Ita tres spicæ indicant festum S. Erici Regis, rapa S. Botulphi, bipennis vel securis Amazonum S. Olai Regis ædes S. Birgittæ.*

*horum martyrio excitatum S. Davidem excipit,*

*locum prædicationis assignat :*

E

18 *De S. Sigfridi extremis laboribus, obitu et sepultura, Joannes Magnus eodem capite* 20 *scribit : Nepotibus occisis* justo Deo sanctus Christi Confessor Sigfridus suam caussam judicandam commendavit. Neque interim animum a Christi fide propaganda et ejus sancto Evangelico quotidie annuntiando remisit : qui tandem post multiplices labores et continua sanctissimæ vitæ studia felicem spiritum Deo commendavit, sepultus in ecclesia Vexoniensi, et demum multis miraculis clarus in numerum Sanctorum dignissime est relatus, annuaque festivitate usque ad hæc nostra infelicia tempora ab omnibus Gothis et Sueonibus ceterisque Aquilonaribus regionibus merito honoratus. *Hactenus Joannes Magnus. Vastovius hisce paucula addit, prima* S. Sigfridum indefesso studio nunc Gothos nunc Norvegos, intervisentem, plurimosque lucratum, Ecclesiam Dei lætis passim reddidisse floridam incrementis : *dein* plenum dierum ad Deum, cui fideliter servierat, migrasse anno salutis humanæ circiter millesimo trigesimo. *Atquindecim aut viginti annis serius vixisse supra diximus magis probari. Demum tradit* ab Adriano IV circa annum CIↃCLVIII Sanctorum numerum fuisse relatum.

*in fide propaganda perseverans,*

*sancte obit,*

F

*in Sanctos ab Adriano IV relatus.*

## § V. *Officium Ecclesiasticum de S. Sigfrido.*

Extat Missale *regni Sueciæ* votivale *cognominatum, olim ante annos forsan et quinquaginta, aut etiam prius (nam annus impressionis nusquam additur) excusum : in quo Officium Missæ de S. Sigfrido ordinatur fere in hunc modum : Introitus,* Statuit ei Dominus. *Oratio:* Omnipotens sempiterne Deus, qui semper ubique es præsens, ubique gloriosus in Sanctis tuis atque mirabilis,

AUCTORE G. H.

A rabilis, meritis B. Sigfridi Confessoris tui atque Pontificis quæsumus immensam clementiam tuam, ut sicut illi inenarrabilem gloriam contulisti, sic ad consequendam misericordiam tuam ejus nos precibus facias adjuvari. Per Dominum *etc. Epistola*, Ecce Sacerdos magnus : *quibus etiam verbis Graduale incipit. Tum post Alleluia, hic versus :* Sigfridi reverende Pastor et Patrone, nobis dona gratiæ posce, Pater bone. *Dein hæc Sequentia, ut vocant, additur :*

20 Clara laude turma plaude
  Dulci voce aera.
Ad æterni Regis laudem,
  Qui gubernat omnia,
Quam jubilant cœli lumina,
  Sol, luna atque astra,
Mare, solum et flumina
  Cunctaque nascentia.
Qui Sigfridum his adduxit
  Oris olim ab Anglia,
Ut gentium nationes
  Unda dilueret sacra.
Dæmonum dolo seducta
  Idolatra effecta,
Redemptoris in contemptum
  Errorum per devia ;
Ad cultum Dei vocata
  Sigfridi per doctrinam, B
Pro meritis cœlestia
  Si colis vestigia ;
Sponsa Christi jam es facta,
  Cooperante gratia,
Fœcundaris infœcunda,
  Prole lætaris inclyta.
Gaude namque Christicola
  Sweorum nunc Ecclesia :
Tanto Patre sublimata ;
  Lauda Sigfridi merita.
Cujus festa jam devota
Frequentate, jam sacrate
  Colendo celebria.
Nunc Beate o Sigfride,
Commendare nos dignare
  In cœli palatia.
Ubi Deum collaudare,
Mereamur et amare,
  Per æterna secula. Amen.

*De ejus apostolatu, et conversione Gentium,*

*ac festi celebritate.*

21 *Evangelium Matthæi :* Homo quidam peregre proficiscens. *Offertorium*, Veritas mea. *Oratio Secreta :* Deus fidelium remunerator animarum, præsta quæsumus, ut B. Sigfridi Confessoris tui atque Pontificis, cujus venerandam celebramus festivitatem, precibus veniam consequamur. Per Dominum. D

*Communio*, Beatus servus. *Ultima Oratio :* Deus, qui populo tuo B. Sigfridum fidelem dedisti prædicatorem, concede propitius, ut tanti Pontificis et Doctoris intercessione et tua pietatis defensione, ab omnibus ubique liberemur adversis, et tranquilla prosperitate in tua jugiter laude lætemur. Per Dominum.

22 *Quæ nunc extant typis Plantinianis et aliis sæpius recusa* Officia propria sanctorum Patronorum regni Sueciæ, ex vetustis Breviariis ejusdem regni deprompta *atque* ad instantiam Sigismundi in Sueciæ et Poloniæ Regis a Sacra rituum Congregatione auctoritate Apostolica recognita et approbata ; *in his præscribitur* festum S. Sigfridi Episcopi et Confessoris ritu duplici *celebrandum, cujus Lectiones secundi Nocturni citatis* Annalibus Sueticis, *sunt fere desumptæ ex Joanne Magno. Duplex ad ejus laudem compositus Hymnus additus, alter ad Vesperas, alter ad Laudes recitandus : hunc omisso priore damus.*

*In Officiis regni Sueciæ*

*Lectiones de S. Sigfrido.*

*Hymnus ad Laudes.*

Ignitus sancto Flamine
  Et Dei tactus famine
  Sigfridus gentem patriam
  Postponens, adit Sueciam. E
Illic Regem cum populo
  Potatum fraudis poculo
  Invenit, et condoluit,
  Quod hæc gens deos coluit.
Mox unum Deum prædicat,
  Regi sic fatur et indicat :
  Salvus erit, qui crediderit,
  Baptizatusque fuerit.
Rigatus verbo fidei
  Olaus, fit cultor Dei :
  Cor præbens sancto dogmati,
  Collum subdit baptismati.
Sigfridus dictus signifer,
  Et Dei verus armiger,
  Hostem stravit nequitiæ,
  Gentem baptizans Sueciæ.
Deo Patri sit gloria :
  Ejusque soli Filio
  Cum Spiritu paraclito
  In sempiterna secula, Amen.

*De genere S. Sigfridi regio hæc in priore Hymno habentur :*

Hic Anglicus, natalibus
  Procreatus nobilibus,
  Testatur id prosapia
  Anglorum Regum regia.

C F

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# HENRICO, ET ALFARDO,

## IN SUECIA ET NORWEGIA.

G. H.

CIRCA AN. CHR. MLV.
XV FEB.

Sigfrido *Episcopo et Apostolo Norwegiæ ac Sueciæ, ejusque nepotibus Martyribus, conjungimus hos duos Martyres, quorum alter* Henricus, Hericus, *seu* Ericus, *effuso sanguine Sueciam, alter* Alfardus, Alvardus, *vel* Alfuardus, *Norwegiam decoravit. Recenset eos Adamus Bremensis lib. 4 Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 16, *quorum martyrium a Rege Daniæ Suenone Esthritio se intellexisse scribit his verbis :* Novissimis Archiepiscopi Adalberti temporibus, cum ego Bremam veni (*quod anno* CIↃLXVII *factum innuit lib.* 3, *cap.* 5) audita ejusdem Regis Suein sapientia, mox ad eum venire disposui : a quo etiam clementissime susceptus, ut omnes, magnam hujus libelli materiam ex ejus ore collegi. Erat enim scientia litterarum eruditus, et liberalissimus in extraneos, et ipse prædicatores suos Clericos in omnem Suediam direxit et Nordmanniam, atque in insulas, quæ sunt in illis partibus ; cujus veraci et dulcissima narratione didici, suo tempore multos ex barbaris nationibus ad Christianam fidem conversos : aliquos etiam tam in Suedia quam in Norwegia martyrio coronatos, ex quibus, ait, Henricus quidam peregrinus, dum apud Sueones ulteriores prædicaret, martyrii palmam capitis abscissione meruit. Alter quidam, Alfardus nomine, inter Nordmannos sancta conversatione diu vivens ac latenter, abscondi non potuit. Ille igitur, dum protexit inimicum, occisus est ab amicis. Ad quorum requietionis locum, magna hodie sanitatum miracula populis declarantur. *Hæc Adamus, quæ ex eo refert Baronius tom.* XI *historiæ*

*Referente Rege Suenone scribit Adamus.*

*Martyrio perfuncti, S. Henricus in Suecia,*

*Alfardus in Norwegia,*

A *toriæ Eccl. num. 18. ann. Chr.* 1067 *quo hæc Adamus a Rege Suenone intellexit. Agit de illis Joannes Vastovius in Vite Aquilonia, eosque inter Sanctos Martyres Scandinaviæ magnæ numerat, arbitratus floruisse ann.* 1055, *et quos Henricus ulteriores Suenones instruxit, Maris Bothnici accolas intelligit* D

*clarent miraculis.*

# DE S. EUSEO
## EREMITA CALCEOLARIO,
### Serravalle in Pedemontio.

J. B.

XV FEB.

*Serravalle, oppido agri Vercellensis,*

Sessites *est amnis Galliæ Cisalpinæ, vulgo nunc* Sesia, *qui diœcesim Novariensem a Vercellensi, ab Ducis Sabaudi ditione Mediolanensem dividit. Ad eum vallis est quædam non incelebris, quæ inde* Valsesia *Italis dicitur : cujus circa extremas fauces, minus aliud in Sessitem decidit flumen,* Sessera *dictum. In horum confluente oppidum positum, cui primum* Burgo Franco *nomen aiunt fuisse : nunc Serravallis, quasi Vallis Sesiæ claustrum, appellatur, invidioso apud Vallis Sesiæ incolas vocabulo. Ejus oppidi originem, incrementa, secundas res adversasque, descripsit Italico sermone Vercellinus Bellinus, Nobilis Vercellensis, Serravalle oriundus : edidit vero in lucem Carolus Amadeus Bellinus, ejus filius, juris civilis ac Pontificii Doctor. In eo libello meminit* S. Eusei, *cujus aliunde needum nobis innotuerat nomen. Quia vero* B *pestilentia, hostili direptione, incendiis scripta pleraque ejus oppidi deperdita sunt, fatetur Vercellinus, fama sese a majoribus tradita didicisse, aut inspectis quibusdam monumentis eruisse, quæ breviter de S. Euseo commemorat, in hunc fere modum.*

*ortus Euseus eremita,*

2 *Ortus fuit Euseus Serravalle, vitamque anachoreticam ante* CCC *minimum annos egit in ea rupe, ubi ejus nomini dicata ecclesia, in qua corpus illius asservatur. Inter vepres ac virgulta, quibus ea obsita erat rupes, vile tuguriolum construxerat, in quo degens victum sibi suendis calceis parabat. Id opificii agentem exhibent veteres picturæ in multis templis illius districtus atque etiam Vercellis. Ex ergo picturæ, multaque appensa donaria, ac populorum ad eum venerandum confluxus, clara indicia sunt ejus sanctitatis, quæ et miraculis divinitus est confirmata. Hinc templum S. Eusei nomine constructum : ejusque fit in divino officio commemoratio. Peragitur autem anniversaria dedicati templi celebritas* III *Kal. Junias, beati vero illius obitus pridie Cinerum, sive feria* III *post Dominicam Quinquagesimæ. Eo enim die traditur e vita migrasse, quo mense, quove anno, non constat.*

*sutor,*

*ab antiquo Sanctus habitus, colitur pridie Cinerum.*

3 *Narrant autem, cum personati quidam, pro illorum dierum ludicra hilaritate, e vico Bornato Serravallem ambularent, saxum, ubi casa Eusei stabat, prætereuntes, vidisse (quod ea anni tempestate prodigiosum) supra eam casam tria lilia, eaque præalta floruisse : excitos ergo miraculi novitate, spectatum accessisse vidisseque Eusei corpus exanime. Parochus Serravallensis atque oppidani, re cognita, eo quoque venere, ut et lilia viderent, et corpus sepulturæ mandarent. Deportatum hoc ad S. Martini parochialem ædem tumulandum. Sed novo prodigio in priorem locum ultro, vi divina, relatum : idque tribus vicibus. Nemini dubium fuit, quin illic sepeliri se vellet vir sanctus, ubi vitam egerat. Subito ergo constructa ad ejus sepulturam ædicula : quæ populi crescente pietate ac concursu, ampliata in eam formam, quæ nunc cernitur. Semper celebratum illius festum pridie Cinerum, sed quo anno cœperit, cujusve auctoritate, incertum. Novem aliæ eo tractu Ecclesiæ sunt, in quibus Officio Ecclesiastico honoratur S. Euseus.*

*Lilia eo moriente nata :*

E *corpus ad eumdem locum ter divinitus relatum :*

*ecclesia illi erecta.*

4 *Hæc Bellinus. Quia vero, ut is scribit, quo anno, mense, die obierit, ignoratur, hic adscripsimus, ut ad eum diem ejus exstaret memoria, circa quem ut plurimum dies Cinerum occurrit.*

XVI FEB.

# XVI FEBRUARII.

## SANCTI QUI XIV KALENDAS MARTII COLUNTUR.

Sanctus Onesimus Apostolus, Episcopus Ephesinus, Martyr.
S. Simeon, Episcopus Metensis in Gallia.
S. Honestus Presbyter Martyr, Apostolus Pampelonensium.

S. Proculus,
S. Ephebus,
S. Apollonius,
Martyres, Interamnæ in Umbria.

S. Cornelius Martyr Romanus, Gandavi in Belgio.

S. Julianus Episcopus,
S. Joannes Diaconus, vel 10
Martyres in Egypto.

S. Maximus,
S. Vincentius,
S. Paulus,
S. Honoratus,
S. Maurus,
S. Maximus,
S. Paulus,
S. Martialis,
S. Therapius,
S. Marcus,
S. Marobius,
S. Marcellinus,
S. Donatus,
S. Marcus,
S. Secundus,
S. Macrobius,
S. Lucilla,
S. Secundus,
S. Saulus,
S. Stupuris,
S. Mustacius,
S. Præsens,
S. Secunda,
S. Maxima,
S. Junilla,
ANIMADV. PAG. 125 socii LIV aut CIV,
Martyres in Africa.

S. Elias,
S. Jeremias,
S. Esaias,
S. Samuel,
S. Daniel,
Egyptii — Martyres Cæsareæ in Palæstina.

S. Porphyrius famulus S. Pamphili,
S. Seleucus Cappadox,
Martyres Cæsareæ in Palæstina.

S. Plesius,
S. Dionysius,
S. Hierapius,
S. Martialis,
S. Nundianus,
S. Pessianus,
S. Paulus,
S. Gallo,
S. Honorius,
S. Jocundus,
S. Memmius,
S. Vincentius,
S. Fructuosus,
S. Primus,
S. Fabianus,
S. Cæcilius,
S. Paulus,
S. Maximus,
Martyres.

S. Faustinianus,
S. Juventia,
Martyres in Britannia.

S. Juliana, Virgo Nicomediensis et Martyr, Bruxellæ in Belgio.

SS. 10 viri,
SS. CXXX fœminæ,
Martyres Nicomediæ.

S. Juliana Virgo Martyr, Veronæ in Italia.
S. Juliana Virgo Mart. Rom. Bononiæ in Italia.
S. Faustinus, Episcopus Brixiensis in Italia.
S. Flavianus anachoreta in Oriente.
S. Tigridius Presbyter, Claromonte in Gallia.
S. Tetradius Episcopus.
S. Eulalius Episcopus Syracusanus in Sicilia.
S. Tanco Episc. Verdensis in Saxonia inferiore.

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sancti Sebastiani natalis via Appia *in Martyrologio MS. Ecclesiæ Aquisgranensis consignatus. Est et mentio Sancti ejusdem hoc die apud Hermannum Greven in auctario Usuardi. Una ex septem Romanis ecclesiis quæ visitari solent, est via Appia basilica S. Sebastiani. Ejus Acta dedimus* xx Januarii.

S. Adaucus *aliique integræ in Phrygia civitatis incolæ sub Diocletiano passi martyrium, referuntur in Martyrologio Richardi* Witfordi. *Coluntur* VII Februarii.

Maron Episcopus *inscriptus est hoc die Kalendario MS. Coptico. Is nobis ignotus. De S. Marone anachoreta Syro egimus* XIV Februarii.

Sigfridus Episcopus in Suecia *refertur in auctario Hermanni Greven. At* Sifridus Episcopus in Norwegia *in MS. Florario. Unus idemque est* S. Sigfridus, *cujus Acta dedimus* XV Februarii.

Zenas et Q. Serenus Samonenses ex Gallæcia conveniunt Romæ ad Justinum, et, licet conjugati, reversi in Hispaniam utebantur officio Catechistarum. Serenus Samone in Gallæcia cum opinione sanctitatis anno CLXV, XIV Kalend. Martii decessit. *Ita Luitprandus in Adversariis num.* 176 *et* 177. *Hinc Tamaius Salazar utrumque ad hunc diem inscripsit Martyrologio Hispanico, fassus ante se* illorum nullum meminisse scriptorum, qui martyrologia contexuit, *et se* breviter Acta a nullo scripta attexere. *Quod monuisse sufficit.*

Sanctorum Martyrum Alexandriæ in persecutione Diocletiani passorum *inscripta hoc die memoria Martyrologio Richardi Witfordi. Varii toto opere a nobis recensentur.*

S. Paulus Eremita in Africa. *Martyrol. MS. Aquisgranense et auctarium Hermanni Greven. Agimus hoc die de pluribus Martyribus Afris, inter quos duo appellantur* Pauli : *ubi et hujus* Pauli Eremitæ *mentionem facimus.*

Aidus,
Diermitius,
Foelarchus,
Maclasrius,
Marchinus,
Tarchellus,
Tinius,
Fratres et Episcopi in Hibernia : *quos* XVI *Februarii in Rath-na-Nespoc coli tradit Colganus in Appendice* V *ad vitam S. Patricii pag.* 268 *col.* 2. *et* V *Martii ad Vitam S. Kierani notat.* 20 *ad cap.* 12, *pag.* 464 *col.* 2. *Ast idem Colganus ad hunc* XVI *Februarii*

*bruarii diem eorum non meminit, licet S. Tancuenem, qui ab aliis Scotus habetur, solum habeat huic diei adscriptum, et omnibus Martyrologis Hibernis incognitum. In Fastis Tamluctensibus et Mariani Gormanni* Aidus, sive Hugo, Ængusius Episc. *et* Robneus Abbas *recensentur, quorum etiam non meminit Colganus.*

Joannes Archiepiscopus Salisburgensis in Germania *adscriptus est Martyrologio monastico Menardi, et Troparis Benedictinorum Anglorum Edouardi Mathew, atque ab utroque* Beatus *indigetatur. Wion lib.* 2 *Ligni vitæ cap.* 31 *in Catalogo Archiepiscoporum Saltzburgensium eumdem cum reliquis Episcopis* Dominum *appellat : at cap.* 53 *in Catalogo primorum Episcoporum ejusdem urbis Saltzburgensis non* D. Joannes, *sed* S. Joannes *scribitur, errore, ut reor, typographi, quod lib.* 3 *eumdem Martyrologio Benedictino non inseruerit. Dictum tamen* Sancti *titulum illi impertitur Bucelinus par.* 1 *Germaniæ sacræ nuper editæ. Agunt de eodem* Joanne Episcopo *Trithemius lib.* 4 *de Viris illust. Ord. S. Benedicti cap.* 105, *Hundius in Metropoli Salisburgensi tomo* 1 *pag.* 3, *sed absque titulo* Sancti *aut* Beati. *Fuit Episcopus constitutus a S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, in cujus Vita* magnarum virtutum vir *appellatur.*

S. Waldredus Episcopus Trevirensis Confessor *legitur hoc die in scripto quodam recenti Carthusiæ Bruxellensis. At nullus eo nomine Episcopus Trevirensis fuit.*

Eustasius Lector *refertur in eodem MS. sed alibi ignotus.*

Haymo Martyr a Normannis apud Virdunenses occisus hoc die, *traditur in fragmento apud Wassenburgium lib.* 3 *Antiquitatum Galliæ-Belgicæ in Dadone* XXXI *Episcopo Virdunensi, quem epistola sive elegia ait descripsisse miserias et calamitates a Normannis illatas, potissimum Sacerdotibus et Clericis ecclesiarum Virdunensium S. Vitoni et Deiparæ Virginis, quorum plurimos in odium fidei occiderunt. Verba fragmenti de Haymone sunt ista :*

Haymo tuus germanus obit cum cæde piorum,
 Pro Domino moritur, et tibi junctus adest.
Et quartodeno Martis hunc ante Kalendas
 Normanni jugulant, æthere Martyr ovat.

*Ceterum hactenus nullam ejus mentionem reperimus in Martyrologiis, Breviariis, aliisque scriptis.*

Joannes, Abbas Casamarii monasterii *in Hernicis inter Verulas et Soram,* Beatus *appellatur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi et in Fasciculo SS. Ord. Cisterc. lib.* 2 *dist.* 26 *cap.* 11. *Fuit S. Bernardi Claravallensis Abbatis discipulus, scripsitque ad eum epistolam, quæ est* 333 *inter epistolas S. Bernardi, qua eum consolatus est de infelici Orientalis expeditionis successu, et de obitu propinquo divinitus cognito admonuit. De ejus cultu nihil uspiam legimus.*

Siffridus Propheta monachus in Valle-S. Petri. *Ita Calendarium Ord. Cisterc. Divione anno* 1617 *editum. Sequuntur Henriquez in Menologio Cisterc. et Gelenius in Fastis Agrippinensibus, ac Beatum appellant. Est Vallis-S. Petri sita in diœcesi Coloniensi et Ducatu Montensi, vulgo* Heisterbach *dicta, ubi Cæsarius monachus cum dicto Siffrido vixit, et lib.* 7 *cap.* 40 *hæc de eo testatur :* Post mortem Abbatis Geruardi, hujus prædecessoris, qui hodie abbatizat, fuit apud nos Sacerdos quidam ætatis decrepitæ, Sifridus nomine, spiritum aliquando, ut nobis videbatur, habens prophetiæ. Hic multis diebus ante celebrationem electionis quibusdam secrete prædixerat, quod Dominus Henricus, tunc Prior, Abbas esset futurus, et in Ecclesia Trevirensi in Abbatem consecrandus. Requisitus unde hoc sciret, respondit : Dominam nostram vidi ante presbyterium ejusdem ecclesiæ, videlicet B. Petri, virgam ei porrigere pastoralem. Modum tamen nemini dicere voluit. *Hæc ibi, neque alia apud antiquos scriptores de eo reperimus.*

Adolphus de Scouvenberg ex Comite Holsatiæ Minorita et Sacerdos, *inscriptus est Martyrologio Franciscano Arturi a Monasterio ad hunc diem : diciturque moribundus a Deipara Virgine apparente invitatus ad cælestem gloriam. Agunt de eo Albertus Stadensis in Chronico ad an.* 1239, *Krantzius lib.* 7 *Wandaliæ cap.* 18 *et lib.* 8 *Saxoniæ cap.* 7, *Bzovius ad an.* 1234 *num.* 14, *et post plures scriptores minoritas Waddingus ad an.* 1239, 1244, 1249 *et* 1253.

XVI Fratres Ordinis Minorum, *quando Petrus Rex Cypri intercepit Alexandriam, capti et post carceres variaque tormenta Damasci annis quinque tolerata, jugulati sunt. Factus est Petrus Rex Cypri an.* CIↃCCCLXII, *intercepta Alexandria an* CIↃCCCLXV. *Quæ accurate traduntur in Vita S. Petri Thomasii a nobis* XXIX *Januarii edita, potissimum cap.* 8 *et* 16. *De his* XVI *Fratribus agunt Pisanus, Marcus Ulyssiponensis, Tossinianus, Bosius, Waddingus aliique, quos allegat ad hunc diem in Martyrologio Franciscano Arturus a Monasterio.*

Henricus de Flore, *sive* von der Bloom, *fundator monasterii tertiæ regulæ S. Francisci juxta Nouesium in diœcesi Coloniensi vir sanctus, obiit Aquisgrani octogenario major, anno* CIↃCCCCXLVI. *Caput anno* CIↃIↃXXI ANIMADV. pag 126
*ad suum monasterium relatum, et capsulæ inclusum, in oratorio cœmeterii sub pede Crucifixi collocatum est. Id postea Batavi hæretici, capsula diffracta, in cumulum ossium Fratrum ceterorum abjecere. Cogitabat illud Joannes Gelenius Archiepiscopi Coloniensis Vicarius Generalis, si secerni ab ceteris potuisset, in honorificum locum reponere. Ægidius Gelenius, Joannis frater, ac nunc Episcopi Osnabrugensis Suffraganeus, in Fastis Agrippinensibus* B. Henricum *nuncupat. Hactenus neque is titulus illi ab Ecclesia decretus, neque alius, quam quem diximus, honos habitus.*

Franciscus de Gatta, laicus Ordinis Seraphici, vir miræ abstinentiæ et perfectionis, *dicitur miracula in vita et a morte patrasse, ob quæ Martyrologio Franciscano est ad hunc diem adscriptus. Agunt de eo Bosius de signis Ecclesiæ, Marcus Ulyssiponensis, Gonzaga, aliique ibidem citati. Claruit circa an.* CIↃIↃXX.

Joannes Raulinus e Professore Parisiensi sacræ Theologiæ monachus Cluniacensis *ob spiritum in concionibus et lectionibus* viva Spiritus sancti tuba *appellatus, hoc die Parisiis obiit, adscriptus Corollario Martyrologii Gallicani Saussaii.*

S. Theodulus, S. Julianus, Martyres Cæsareæ in Palæstina, *cum aliis ejusdem loci Martyribus, qui hoc die coluntur, referuntur in Menæis et Anthologio Græcorum a Cytheræo* ἐν βίοις ἁγίων, *item a Galesinio et Canisio. Nos cum Martyrologio Romano de iis agimus* XVII Feb.

S. Victoris Romæ *meminit Martyrol. MS. Aquisgranense. Varii* Victores. *Cum* Romulo *(nam ita forte legendum) sed absque loco, adscripti Martyrol. MS. S. Hieronymi duo die proximo* XVII Februarii.

S. Finnanus Episcopus in Anglia *memoratur a Dempstero in Menologio Scotico et Ferrario, qui citat etiam Martyrologium Anglicanum, in quo aliisque refertur* XVII Februarii.

S. Leo monachus, S. Paragorius, Martyres *collocantur hic a Felicio. de illis agemus* XVIII Februarii.

S. Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus a Dioscoro hæretico in exilium actus, in eoque mortuus, *colitur hoc die a Græcis in Menæis et apud Cytheræum : a Latinis cum Martyrol. Romano* XVIII Februarii.

S. Wlricus

S. Wlricus Eremita Haselburiensis in Wintonia *adscriptus hoc die Martyrol. Anglicano Wilsoni secunda editione, in priore, aliisque Fastis* xx Febr.

S. Barochas minister S. Porphyrii Episcopi Gazei in Palæstina. *Ferrarius* ex Menologio Græcorum, *sed quod illud sit nescimus. De eo agemus ad Vitam S. Porphyrii* xxvi Februarii.

S. Apponoculus Episcopus Trevirensis Confessor *nominatur in citato supra scripto Carthusiæ Bruxellensis ad hunc diem. Ignotus is est, nisi sit* Aprunculus *vel* Abrunculus *qui colitur* xxii Aprilis.

S. Pamphilus Presbyter,
S. Valens Diaconus,
S. Paulus,
Martyres Cæsareæ in Palæstina *hoc die passi sunt : quorum socii fuerunt* Elias, Jeremias, *aliique quinque hoc die a nobis relati, quibus illi tres adjunguntur a Græcis in Menæis, Anthologio, Vitis Sanctorum Metaphrastæ et Cytheræi, uti etiam in Martyrologiis S. Hieronymi, Galesinii, Canisii. Ast alii Latini eos venerantur* i Jun.

S. Babolenus Abbas Fossatensis *refertur hoc die in MS. Kalend. Ord. S. Benedicti : ab aliis* xxvi Junii.

S. Marthæ,
S. Mariæ,
sororum,
S. Lazari,
natalis Hierosolymæ. *Martyrol. Aquisgranense MS. Coluntur*
*S. Martha* xxix Julii.
*S. Maria Magdalena* xxii Julii.
B *S. Lazarus* xvii Decemb.

S. Cucufatis natalis Barcinone in Hispania *refertur in Martyrologiis MSS. S. Hieronymi et Richenoviensi, et a Notkero. Eodem die celebratur Memoria translationis corporis ejusdem in Alsatium, factæ a S. Fulrado Abbate, de quo agimus* xvii *Februarii, ast præcipua solemnitas S. Cucuphatis fit die quo in Actis passus dicitur* xv Julii.

S. Juliana Virgo et Martyr, *una ex sodalibus S. Ursulæ colitur hoc die Osnabrugi in Westphalia, ubi in ecclesia cathedrali sacrum ejus corpus quiescit. De ea habetur officium proprium, et nomen Martyrologio ejusdem ecclesiæ adscriptum. De ea aliisque S. Ursulæ sodalibus agemus ad hujus diem natalem* xxi Octobris.

SS. Martyrum Persarum Martyropoli quiescentium memoria. *Item.*

S. Maruthas Episcopus, qui a Theodosio Magno ad Regem Persarum missus, Regis filiam a spiritu maligno obsessam liberavit, et petitis sanctorum Martyrum in Perside passorum reliquiis *ad eorum honorem conditam a se urbem* Martyropolim *appellavit. Ita Græci in Menæis et Cythereus ἐν βίοις ἁγίων hoc die. De Persis Martyribus sæpe agimus toto hoc opere. De memorata Reliquiarum Translatione commodius agi poterit cum de* S. Marutha, *qui Martyrologio Romano inscriptus est* iv Decemb.

E

ANIMADV. PAP. 127

# DE S. ONESIMO APOSTOLO
## EPISCOPO EPHESINO, MARTYRE,

G. H.

Commentarius historicus.

### § I. *S. Onesimi conversio. Apostoli nomen. Epistola S. Pauli pro eo ad Philemonem.*

AN. CHR. CIX XVI FEB.

*S. Onesimus a S. Paulo*

Sanctus *Apostolus Paulus cum Romæ biennio detineretur captivus, inter alias epistolas, quas e vinculis ad varios misit, ultimo anno scripsit publicam ad omnes Colossensis urbis in Phrygia majore cives, illisque privatam ac perbrevem Philemoni inscriptam adjunxit. Urbem eam attribuunt Phrygiæ cum S. Chrysostomo et Oecumenio Cornelius a Lapide, Benedictus Justinianus, Tirinus, aliique interpretes : ejus meminerunt Plinius lib. 5 cap. 32, Herodotus lib. 7 Strabo lib. 12. Annus, cum scriberet Paulus,* *anno 58* *labebatur Imperii Neronis* iv, *Christi* lviii, *quo Consules erant Nero Imperator* iii *et Valerius Messala. Occasionem scribendi illam ad Philemonem epistolam dedit* *commendatus Philemoni,* *S. Onesimus. Erat Philemon vir nobilis ac dives, urbis Colossensis primarius civis, antea Gentilis, tum ad fidem Christi conversus : in cujus domo fideles, tamquam in ædibus communibus sacro cultui dicatis, solere ad synaxin* C *convenire innuitur in hac dictæ epistolæ inscriptione sive exordio.* Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater, Philemoni dilecto et adjutori nostro, et Appiæ sorori carissimæ, et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiæ, quæ in domo tua est. Gratia *Archippo,* vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. *Creditur S. Archippus in cura pastorali S. Epaphræ Episcopo successisse, inscriptus Martyrologio Romano ad diem* xx *Martii, uti ad* xxii *Novembris SS. Philemon et Appia, sive Apphia, quam illius uxorem plurimi arbitrantur. Voluit autem Apostolus et suo* *et Appiæ, etiam nomine S. Timothei :* *et Timothei nomine SS. Archippum et Appiam in hac pia caussa apud Philemonem fautores habere, ac pro S. Onesimo deprecatores, ut cum S. Hieronymo, Chrysostomo, Theodoreto et Theophylacto, alii multi ad hanc epistolam tradunt interpretes.*

*fuerat ante servus Philemonis,*

2 *Hujus Philemonis, inter alios servus fuit S. Onesimus Gentilis et ex eadem Phrygia oriundus, qui profugus Romam venit, non tam* Pauli amore, cujus prædicationem in Asia positus paullulum degustasset, *ut tradit Baronius ad an. 60 num. 40, quam ut se in libertatem vindicaret, compilatis quibusdam Domini sui rebus, sicut S. Hieronymus, Theodoretus, et Theophylactus collegerunt ex his Pauli versu 18 verbis :* Si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. *Cum itaque S. Onesimus Romæ versaretur, Divino bonitate ita disponente, in S. Paulum incidit, a* *Romæ a S. Paulo conversus :* *quo ad fidem et pœnitentiam inductus, baptismum suscepit, et ad Dominum suum remissus est cum litteris commendatitiis, quibus quanti Onesimum æstimet, et quam singulari prosequatur affectu, abunde significat. ac primo ut Philemonis sibi benevolentiam conciliet,* *heri conciliata benevolentia,* *virtutes cum quadam gratiarum actione commemorat :* Gratias ago Deo meo, *inquit a versu 4*, semper memoriam tui faciens in orationibus meis : audiens caritatem tuam et fidem, quam habes in Domino Jesu et in omnes Sanctos, ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. Gaudium enim magnum habui et consolationem in caritate tua, quia viscera Sanctorum requieverunt per te, Frater. *Hoc artificio laudes Philemonis, teste S. Hieronymo, accumulat* F *Paulus, ut quod ab illo pro S. Onesimo beneficium postulabatur, negare non possit, alioquin suis se laudibus spoliaturus. Ita ergo progreditur :*

3 Propter quod multam fiduciam habens in Christo *enixe hac epistola ei commendatus.* Jesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet, propter caritatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et tibi et mihi utilis, quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera suscipe, quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii. Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes, jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem, maxime mihi, quanto autem magis tibi et in carne et in Domino? Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.

Si

A Si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam: ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes: ita Frater, ego te fruar in Domino: refice viscera mea in Domino. Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quod et super id, quod dico, facies. Simul autem et para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.

4 *Hæc Paulus, ostendens in ea epistola quomodo* S. Onesimum *ex virtute ponderet, quam singulari caritate diligat, quoque gradu amoris apud S. Philemonem haberi velit: ac sub finem addit salutationem eorum, quibuscum tum Romæ degebat tam ipse, quam S. Onesimus.* Salutat te, *inquit*, Epaphras concaptivus meus, in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas adjutores mei. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, Amen. *Eorumdem nomine salutat Colossenses, capite 4 epistolæ, illis scriptæ, in qua de itinere S. Onesimi, ejusque socio hæc scribit:* Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater, et fidelis minister, et conservus in Domino, quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat, quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra, cum Onesimo carissimo et fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis. *Esse eam epistolam Roma per Tychicum et Onesimum missam, alteram ad Philemonem per Onesimum, Græce sub finem utriusque epistolæ additur. In ultima hæc leguntur:* ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Ὀνησίμου οἰκέτου. *quasi dicat:* Scripta est ab urbe Roma, et missa per Onesimum domesticum servum. *Colitur* Tychycus XXIX *Aprilis.*

*proficiscitur Colossas cum S. Tychico:*

B

5 *Quid dein contigerit* S. Onesimo, *silent sacræ Litteræ. Non videtur dubitari posse, quin ubi Colossas pervenit, ac dictas S. Pauli epistolas tam Christianis civibus, tum S. Philemoni tradidit, perhumaniter fuerit statim receptus, ac libertate donatus, neque amplius ut servus, sed ut frater habitus, sicut ardentissima caritate commendarat Paulus. Quæ præclare explicat Massutius noster lib.* 12 *Vitæ S. Pauli cap.* 12. *Imo addit ex Theodoreto, Onesimum a Philemone Romam ad S. Paulum remissum, ut ejus opera in vinculis, quod optare se Paulus indicarat, uteretur, et S. Hieronymum de hoc tempore intelligi, dum ait epist.* 62 *ad Theophilum,* Onesimum inter Pauli renatum vincula, Diaconum cœpisse esse de servo. *Ibi ergo inter Clericos assumptus, tantum in virtute et sanctitate profecit, ut in Episcopum Apostolicum videatur ordinatus esse, ac S. Timotheo commendatus, cui tandem in Ephesina Ecclesia administranda substitutum mox dicemus.*

*libertate donatus*

*remittitur ad S. Paulum*

6 *Martyrologia antiqua eum et* Apostolum *et* discipulum S. Pauli *deprædicant. Græci in magnis Menæis, et Anthologio* XV *Februarii.* Μνήμη τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Ὀνησίμου, μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Παύλου. Memoria sancti Apostoli Onesimi, discipuli S. Pauli Apostoli *Eadem habet Cythe̜ræus* ἐν βίοις ἁγίων. *De elogio addito infra agemus. In Menologio a Canisio edito ista leguntur:* Natalis sancti Martyris Onesimi, discipuli S. Pauli Apostoli. *Latini* XVI *Februarii eum colunt: quem diem his verbis auspicantur Rabanus, et Martyrologium MS. monasterii S. Cyriaci:* XIV Kalend. Mart. Natale S. Onesimi Apostoli. *MSS. Treverense et Aquisgranense:* XIV Kalend. Mart. Natale S. Onesimi Apostoli. *In MS. Leodiensi S. Lamberti additur:* De quo B. Paulus Philemoni familiares litteras mittit. *Eumdem* Apostolum *appellant MS. Coloniense S. Mariæ ad Gradus, Beda, alii. Ita nomen Apostolorum attributum primis Christi discipulis, aliisque coævis sæpius diximus. Ex his* Titum, Parmenam, Timotheum, *et* Ananiam Apostolos *celebravimus in Januario. Auctor Florarii MS. ut nimium cautus, substituit nomen* Acolythi. Natale, *inquit*, B. Onesimi Acolythi, de quo scribit B. Paulus Philemoni. *MSS.*

C

*in Martyrologiis* Apostolus *appellatur*



*Tornacense S. Martini, et Lætiense:* S. Onesimi discipuli S. Pauli Apostoli. *Wandelbertus etiam hæc versu exprimit.*

D

AUCTORE G. H. *et discipulus S. Pauli.*

Quartus cum decimo Juliana Virgine lucet,
Onesimumque colit Paulo doctore beatum.

## § II. *S. Onesimi Episcopatus Apostolicus. An Ephesi vices Timothei suppleverit? an in Hispania prædicarit.*

E*piscopum Ephesi in Asia floruisse* Onesimum, *anno Trajani Imperatoris* X, *Christi* CVII, *cum S. Ignatius Episcopus Antiochenus Romam captivus abduceretur, ex hujus epistolis eo anno scriptis mox constabit. Illum autem Episcopum* Onesimum *esse eumdem, de quo ex S. Paulo aliisque auctoribus hactenus egimus, cum aliis Ecclesiæ Doctoribus confirmant antiqua Martyrologia: in quorum nonnullis obscura quædam. Primum, quo potissimum tempore sit constitutus Ecclesiæ Ephesinæ Episcopus. MS. Martyrol. S. Richarii ista habet:* XIV Kal. Martii, Romæ passio S. Onesimi Ephesiorum Episcopi, qui lapidatus est a Romanis. *MS. Coloniense, quod apud Carmelitas adservatur:* Romæ natale S. Onesimi, discipuli Pauli Apostoli, quem ipse Epheso ordinavit, qui Romam perductus pro Christo lapidatus est. *Beda excusus, Usuardus, Notkerus, Ado, plura tradunt examinanda.* Natalis, *inquit Usuardus*, B. Onesimi, de quo S. Paulus scribit Philemoni, quem idem Apostolus Episcopum ordinans, prædicationisque verbum ei committens, apud Ephesiorum civitatem reliquit. *Interponunt Beda, Ado, Notkerus:* Cui Episcopus post B. Timotheum et ipse præsedit. *Ac de martyrio cum Usuardo hæc tradunt:* Hic Romam perductus, atque ibi pro fide Christi lapidatus, inde ad loca, ubi fuerat ordinatus, corpus ejus delatum est. *Occisum esse* S. Timotheum *anno Nervæ Imperatoris primo, Christi* XCVII *diximus* XXIV *Januarii ad ejus Vitam* § 2 *num.* 8, *cum trigesimus annus laberetur a cæde S. Pauli, anno Neronis* XIII, *Christi* LXVII *cum S. Petro interempti. Hinc dictorum verborum hic videtur sensus esse debere, ut dicatur S. Paulus remissum a Philemone Onesimum instruxisse, ordinavisseque Episcopum Apostolicum, eique prædicationis verbum commisisse sine limitatione ad certam Ecclesiam aut civitatem: attamen pro aliquo tempore apud Ephesiorum civitatem relinqui mandarit, dum ipse apud se laborum socium detineret S. Timotheum: cui ab obitu designarit prædixeritque, illi Ecclesiæ præficiendum successorem Onesimum. Hoc modo intelligendum est Martyrologium Romanum: in quo hæc leguntur:* Natalis B. Onesimi, de quo S. Paulus Apostolus ad Philemonem scribit: quem etiam post S. Timotheum Ephesiorum Episcopum ordinavit, prædicationisque verbum illi commisit *etc. Quæ apud Bedam, Adonem, Notkerum clarius distinguuntur. Simili prorsus ratione apud Colossenses tum arbitramur factum esse, ubi S. Archippus vices S. Epaphræ Episcopi supplevit, dum hic Romæ S. Paulo adesset, qui eum* concaptivum suum in Christo Jesu *appellat. Rediit dein Epaphras ad Sedem suam Colossensem,* ibidemque martyrii palmam pro ovibus Christi sibi commendatis virili agone percepit XIX *Julii, uti ad eum diem referunt Beda, Usuardus aliique, et cum iis Martyrologium Romanum.*

*Fuit Episcopus Ephesinus,*

E

*successor S. Timothei*

*an. 97 occisi:*

*ante Episcopus Apostolicus,*

*an Timothei vices suppleverit?*

F

*uti S. Archippus Colossis?*

8 *Inter alias regiones fide ac religione Christi a S. Onesimo excultas Hispania a nonnullis collocatur. Hinc Martyrologio Hispanico a Jo. Tamaio Salazario inscriptus est his verbis:* Hispaniæ celebris est memoria S. Onesimi, discipuli B. Pauli, et totius Carpetaniæ regionis Magistri, qui cum a Philemone hero manumissus, Colossos deveniret, inde ad Patras, ibidem beatam Virginem Polyxenam Hispanam et Sarram pedissequam B. Andreæ discipulas adinvenit, qui-

*in Hispaniam profectus dicitur apud Tamaium Salazarium,*

A *AUCTORES B.* bus Hispaniam contendens, post plurima navigationis dissidia Nostras ingressus, Carpetanos lustravit, prædicavit, inde Ephesum reversus, B. Timotheo ipsius urbis Episcopo suffectus, post Romam adlatus, post longa pro fide certamina tandem lapidatus occubuit. *Hæc ille. Præterea ex Hispanis Julianus Petri Archipresbyter S. Justæ et Flavius Lucius Dexter, aut qui sub eorum nomine Chronica et Adversaria vulgarunt.* *in Juliani Petri Adversariis* *In Adversariis Juliani cum relatus fuisset cap.* 70 S. Indeletius per oram Carthaginis habitus celeberrimus, *et cap.* 71 Eucherius sanctus vir celebratus per Hispanias; *hæc cap.* 72 *traduntur :* Non minus celebris est memoria S. Onesimi, Ephesiorum Episcopi, qui profectus ex Hispaniis Ephesum anno CIII, ibi regit Ecclesiam usque ad XV super centesimum, et sub Trajano raptus Epheso Romam, graviter tortus sub Tertullo Præside, Romæ lapidibus obrutus est XV Februarii anno CXV. *Et cap.* 73 *pergit :* Quin et idem secutus est Paulum, jam liberum, ad Hispanias : ubi prædicavit, rediit cum illo Romam, interfuit Pauli martyrio. Inde profectus est Colossos, et venit Patras : ubi reperit Polyxenam Hispanam, et anno LXX venit in Hispaniam, a Juliano Episcopo Carpetanorum factus Presbyter, prædicavit Evangelium in Hispania plusquam XXXV annis. Rediens Ephesum ibi successit Timotheo defuncto illo anno, B scilicet CVIII. *et Chronico,* *In Chronico ejusdem Juliani cap.* 44, *hæc enarrantur ad eumdem* CVIII *annum :* Xantippe et Polyxena ejus uxor *(imo soror)* Virgo sanctissima, et ejus socia Rebecca, item Virgo, et S. Onesimus S. Pauli discipulus, frequenter Laminio Toletum ventitant, eoque Eugenio consulto, nimis animati revertuntur domum, *et cap.* 45. Frequenter S. Onesimus Toleti prædicat, et per totam discurrit Carpetaniam : qui reversus Romam, ibi pro Christo viriliter passus, Martyr fit. *Dein cap.* 46, Hoc anno CIX Xantippe et Polyxena ad meliorem vitam demigrant. *Hæc sub nomine Juliani Petri edita sunt. In Chronico Dextri pauca ista ad an.* 71 *num.* 2 *leguntur :* *uti et Chronico Dextri,* S. Onesimus S. Pauli discipulus ex urbe Patararum in Achaia, cum sanctis Virginibus Polyxena et Sarra, discipulis Andreæ Apostoli, per Hispanias prædicat. *Quæ Tamayo Salazario et Bivario est* Sarra, *Ruderico Caro est* Saria, *in Chronico Juliani et Menæis Græcorum* Rebecca *appellatur.*

10 *Coluntur SS. Xantippa et Polyxena* XXIII *Septemb. inscriptæ Martyrologio Romano his verbis :* In Hispania sanctarum mulierum Xantippæ et Polyxenæ, quæ fuerunt Apostolorum discipulæ. *Eodem die Græci in Menologio et magnis Menæis, et ἐν βίοις Ἁγίων apud Cytheræum de eisdem agunt. verba Menæorum* *et in Græcis Menæis,* C *Græca hæc sunt :* Μνήμη τῶν ὁσίων γυναικῶν Ξαντίππης καὶ Πολυξένης τῶν αὐταδέλφων.

Τὰς συγγόνους Ξαντίππην καὶ Πολυξένην
Χοροὶ συνοίκους λαμβάνουσιν ἀγγέλων.

Αὗται ὑπῆρχον ἐκ τῆς Ἱσπανῶν χώρας, ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος. Ὧν ἡ μὲν Ξαντίππη, γυνὴ ὑπῆρχε Πρόβου, ἀνδρὸς τὴν ἀρχὴν τῆς χώρας ἰθύνοντος. αὕτη δὲ ἐμαθητεύθη παρὰ τοῦ ἀποστόλου Παύλου κατὰ τὴν χώραν ἐνδημήσαντος μετὰ τῶν ἄλλων δὲ καὶ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς. Ἡ δὲ Πολυξένη ἡρπάγη παρά τινος κακοχόλου, ἀλλὰ χάριτι θεοῦ ἄφθορος ἔμεινε, καὶ ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου Ἀνδρέου ἐβαπτίσθη. πολλῶν δὲ πιστευσάντων δι' αὐτῆς, παραλαβοῦσα Ὀνήσιμον τὸν ἀπόστολον, ὥρμησεν ἐπὶ τὴν πατρίδα αὐτῆς Ἱσπανίαν, καὶ μετὰ τὸν πολὺν ἐκεῖνον πλοῦν καὶ τὰς ἀπείρους φυγὰς, συνεπαγομένη ἔχουσα καὶ τὴν Ῥεβέκκαν μεθ' ἧς ἐβαπτίσθη, κατέλαβε τὴν ἑαυτῆς ἀδελφὴν Ξαντίππην. Αὗται τὸν ἐπίλοιπον βίον καλῶς διανύσασαι, καὶ πολλὰς δυνάμεις ἐπιδειξάμεναι, πρὸς κύριον ἐξεδήμησαν.

Memoria sanctarum feminarum Xantippes et Polyxenæ sororum.

Sorores gemellas Xantippen et Polyxenam
Chori Angelorum cohabitantes accipiunt. D

Ortæ hæ erant ex Hispanorum regione, Claudio Cæsare. Ex his Xantippe uxor fuit Probi, qui regionis illius imperium dirigebat. Hæc a Paulo Apostolo, qui regionem illam obibat, instituta fuit, uti et cum pluribus aliis maritus ejus. Polixena vero ab improbo quodam homine rapta est, sed per gratiam Dei inviolata permansit, et ab Apostolo Paulo baptizata, *profectus cum S. Polyxena,* et multi per eam ad fidem conversi sunt. Hæc assumpto Onesimo Apostolo redire statuit in patriam suam Hispaniam, et post longam navigationem et perpetuas fugas, habens adjunctam comitem Rebeccam, cum qua baptizata fuerat, venit ad sororem suam Xantippen. Hæ post reliquam vitam præclare actam, multasque virtutes editas ad Dominum migrarunt. *Eadem apud Cytheræum leguntur.*

11 *De itinere S. Pauli in Hispanias disputat Baronius ad annum* 61 *num.* 2, 3 *et* 4, *ubi Xantippes et Polyxenæ meminit. At ex calculo nostro contigisset anno* LIX *aut sequenti : de eo egimus* I *Februarii Vita S. Cæcilii Martyris num.* 18 *et seqq. At tum itineris S. Pauli comitem fuisse S. Onesimum, eique ad mortem usque adhæsisse, ac postea secundo cum S. Polyxena redivisse in Hispanias, ex solis adversariis Juliani non audemus adfirmare. Porro non admittimus eum post annum Christi* LXX *a Juliano Episcopo Carpetanorum creatum solum Presbyterum, quem ante plures annos a S. Paulo ordinatum Episcopum fuisse ostendimus.* *Nonnulla σφάλματα correcta,* E *Eadem fide cum expressit : quippe in Hispania plusquam* XXXV *annis vixisset, ab* LXX *ad* CVIII, *quo dicitur S. Timotheus obiisse, quem anno* XCVII *vita functum esse constat. De anno obitus S. Onesimi infra agemus.*

## § III. *Episcopatus S. Onesimi Ephesinus. Martyrium Romæ consummatum. Acta duorum SS. Onesimorum confusa.*

Polycrates Episcopus Ephesinus *(quem temporibus* Severi Principis floruisse *asserit S. Hieronymus lib. de Script. Eccl. cap.* 45) *in Vita S. Timothei edita* XXIV *Febr. tradit num.* 7 *ab obitu* Timothei divinum Apostolum et Evangelistam Joannem per eorum postulationem, qui tunc inventi sunt sacrorum Principes, præsulatum Apostolici throni suscepisse et moderatum ipsam magnæ Metropolis sacratissimam Sedem usque ad Trajani imperium. *id est annum Chr.* XCVIII : *quo S. Onesimus ex sua Apostolica missione evocatus, sexagenario major Ecclesiam suscepit ut proprius Pastor regendam. Quam autem præclare illam Ecclesiam, a SS. Joanne Evangelista et Timotheo erectam, in fide ceterisque virtutibus excoluerit, docet S. Ignatius Episcopus Antiochenus in sua ad Ephesios Epistola, cum ex Syria Romam proficiscenti S. Onesimus cum aliquot Ephesinis Smyrnæ occurrisset, scripta anno Chr.* CVII. *De epistolis S. Ignatii egimus ad ejus Vitam* § 6, *ubi num.* 46 *ostendimus emendatiores et magis genuinas esse, quæ ex codice MS. Florentino Græce editæ sunt ab Isaaco Vossio anno* CIↃIↃCXLVI *cum antiqua versione Latina in Anglia reperta. Inde particulam epistolæ ad Ephesios excerpimus : in qua de S. Onesimo magis propria indicantur. Ita ergo pag.* 17 *legitur :*

*Mortuo S. Timotheo, Ecclesiam Ephesinam suscipit S. Joannes Evang.* *dein S. Onesimus :* F *hic occurrit S. Ignatio Smyrnæ :*

Plurimam multitudinem vestram in nomine Dei suscepi in Onesimo, qui in caritate inenarrabilis est, vester autem in carne Episcopus : quem oro secundum Jesum Christum vos diligere, et omnes vos ipsi in similitudine esse. Benedictus enim, qui tribuit vobis dignis existentibus talem Episcopum possidere. *in hujus epistolis laudatur* *et pag.* 21. Ipse Onesimus superlaudat vestram divinam ordinationem, quoniam omnes secundum veritatem vivitis, et quoniam in vobis neque una hæresis habitat, sed neque auditis aliquem amplius quam Jesum Christum loquentem in veritate. *Ejusdem*

Onesimi

A Onesimi *nomine salutat suos Antiochenos in epistola ipsis scripta.* Salutat vos, *inquit,* Onesimus Ephesiorum Pastor. *Ejusdem salutationis meminit in epistola ad Heronem tum Diaconum Ecclesiæ Antiochenorum ac postea Episcopum.*

*Romam ductus lapidatur,*

13 *Exemplo S. Ignatii S. Onesimus ab Asiæ Proconsule teneri ac vinciri jussus est, et, ut tabulæ Martyrologii Romani testantur,* vinctus Romam perductus, et pro fide Christi lapidatus, primo ibidem sepultus fuit, inde ad locum, ubi fuerat Episcopus ordinatus, corpus ejus delatum est. *Consentiunt Beda, Usuardus, Ado, Notkerus, alii. In tempore constat Nicephorum lib. 3 cap. 11 errasse, dum ipsum sub Domitiano tradit occubuisse martyrio, post quem adhuc vixit S. Timotheus, sub Nerva interfectus. Occurrisse S. Onesimum Ignatio anno* CVII *diximus. Proximo anno post martyrium S. Ignatii, quod contigit anno* CVIII, *refert Petavius obitum S. Onesimi, quod nobis etiam vel maxime probatur. Annus is est* CIX. *In Juliani Adversariis mortuus dicitur anno* CXV, *qui numeratur* VIII *ab obitu S. Timothei relato ad annum* CVIII. *Quæ non merentur refutari.*

*an 109,*

*Puteolis occisus perperam traditur a Galesinio,*

14 *De martyrio S. Onesimi hæc tradit Galesinius :* S. Onesimi Martyris, qui beati Apostoli Pauli discipulus post illius martyrium Tertulli Urbis Præfecti jussu conprehensus Puteolos ducitur, ubi gravissime cæsus, cum a fide desciscere nollet, imo vero liberius B et constantius Christum Deum prædicaret, contusis cruribus et brachiis, sanguinem pro illius nomine profudit. *Hæc Galesinius, quem* apertissime hallucinari *ait Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ in Annotationibus ad* XVI *Februarii. Exclamat Tamaius Salazar contra hunc* majorem errorem, *et quærit* a quo hæc Protonotarius? *Respondet in Notis se* a Græcis *accepisse : in quorum Menæis S. Onesimus cum S. Polyxena in Hispaniam profectus dicitur. In illis ad* XV *Februarii hoc elogium datur :* Onesimus erat servus Philemonis, hominis Romani, ad quem scribit S. Paulus Apostolus : a quo in fide institutus est, eique ministravit. Post hujus mortem captus est, et ad Tertylum provinciæ Præsidem abductus; et ab eo Puteolos relegatus. Illic superveniens Tertylus Onesimum in Christi fide persistentem primum virgis crudeliter cædi imperavit, deinde confractis cruribus ex hac mortali vita ad æternam transmisit. *Hæc ibi : in quibus mendum particulare est dum* Philemon, homo Romanus, *ἀνὴρ Ῥωμαῖος appellatur, qui in eisdem Menæis ad* XIX *Februarii, et* XXII *Novemb. dicitur vixisse et pro fide Christi mortuus ἐν Κολοσσαῖς, ἥτις ἐστὶ πόλις Φρυγίας,* in Colossis urbe Phrygiæ. *At pergit Tamaius :* Ejus *Onesimi* Acta scripsere Metaphrastes, a quo Surius, et illius compilator Grasius, sed Galesinii errorem ebibens, duos Onesimos confun- C dit. *Sed ad notatum ab iis errorem accedo, cujus auctor Galesinius, neque scriptor Menæorum, sed Metaphrastes, aut quisquis ea Acta compilarit, quæ Latine transtulit Gentianus Hervetus, et ediderunt Lipomanus, Surius, aliique. In his Actis cap. 7 e distinctione Surii hæc leguntur :* Onesimus vero cum Aptione strenuo in vero Dei cultu commilitone cum Puteolos venisset, non cessabat vivificam prædicare gratiam iis qui accedebant *etc. ac dein cap. 8 martyrium ejus refertur.*

*a Græcis in Menæis,*

*et in Actis apud Lipomanum et Surium*

15 *Ferrarius ista ad hunc* XV *opponit :* Qui Puteolis passus est, non Apostoli Pauli discipulus, sed longe ab illo diversus est, ut Acta utriusque demonstrant. *Ast alia ab his non proferuntur Acta S. Onesimi, nisi quæ in epistolis SS. Pauli et Ignatii, et Martyrologiis supra relatis traduntur, a quibus Acta apud Lipomanum et Surium prorsus discrepant. Colitur* S. Onesimus *Martyr Puteolanus* XXXI *Julii, ubi iterum annotat Ferrarius,* confundi Acta Onesimi discipuli S. Pauli Apostoli Romæ die XVI Februarii coronati, cum Actis illius *Puteolis interempti. Acta hujus Onesimi continentur in Vita SS. Alphii, Philadelphi et* D *Cyrini fratrum Martyrum, quos Onesimus eorum Magister in fide Christiana instituit. In horum officio Ecclesiastico, quod a Paulo* V *Pontif. Max. approbatum, per totum Siciliæ regnum* X *Maii legi potest, in Lectionibus* II *Nocturni* ex Metaphraste, Codice Cryptæ-Ferratæ et Menologio *ista recitantur :* Alphius, Philadelphus et Cyrinus nobiles Vascones, S. Benedictæ Martyris et B. Vitalis filii, in persecutione Decii Imperatoris propter Jesu Christi religionem comprehensi sunt cum Onesimo Magistro, Erasmo nepote ex sorore ac tredecim condiscipulis. Cumque coram Judice constantissime Christum confiterentur, ejus mandato totum diem capillis appensi a sancto proposito dimoveri nullo modo potuerunt. Inde vincti Romam perducuntur ad Decium, qui profecturus contra Persas Licinio Valeriano eos committit... Postea ducti Puteolos, Diomedi Præfecto sistuntur sub quo Onesimus quidam et alii tresdecim martyrio coronantur, sanctis vero fratribus lapidibus ora tunduntur : tum Valeriani mandato ad Tertullum Siciliæ Præsidem delegantur. *Consentiunt Lectiones, quæ in officio Ecclesiastico in Puteolana civitate* XXXI *Julii de SS. Onesimo, Erasmo et sociis Martyribus recitantur, a Paulo* V *approbatæ, ac Romæ anno* CIↃIↃCXII *excusæ. Idem tres fratres traduntur in magnis Menæis τραφέντες ἐπ' εὐσεβείᾳ καὶ τῇ τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσει διʼ Ὀνησίμου τινὸς ἁγίου ἀνδρὸς κηρύττοντος* E *τὸν Χριστόν.* educati ad omnem pietatem, sacrisque litteris instituti, ab Onesimo quodam viro sancto, qui christum prædicabat. *At Romam dicuntur* transmissi ad Licinium, ab hoc Valeriano traditi, *dein* Puteolos ad Diomedem amandati qui illos ad Tertullum, *Græce πρὸς Τέρτυλον,* Siciliæ Præsidem deduci curavit. *Acta horum Martyrum Latina, Panormi rudi charactere anno* 1522 *excusa,* Licinium Imperatorem *appellant, nulla Decii facta mentione, et* Pontiolis *S. Onesimum aliosque occisos asserunt :* Tunc iratus, *inquit auctor,* et furore percitus Diomedes, S. Onesimum supinum extendi jussit, et prægrandi lapide ventrem ejus a carnificibus premi, atque ita Sanctus Deo tradidit spiritum. *In lectionibus Ecclesiæ Puteolanæ dicitur* accensus Præfectus, ingenti lapide Onesimum comprimi jussisse. *Ast Acta apud Surium ad hunc diem de S. Onesimo ista habent :* Cum totum corpus tormentis disruptum esset, et vidisset Tertullus eum jacentem supinum, jubet ejus tibias et femora confringi : et sic coronam incorruptionis consummatus B. Onesimus a Deo accepit. *Quæ fere coincidunt dempto* Tertullo, *quem Acta aliorum Martyrum* Tertyllum *appellant, sub quo in Sicilia passi sunt Alphius, Philadelphus, et Cyrinus, discipuli istius Onesimi, ut in re confusa facile Magistro judex discipulorum potuerit adscribi. His ita expen-* F *sis videtur* certamen S. Onesimi *apud Lipomanum et Surium discipulo S. Pauli attributum, multo certius pertinere ad S. Onesimum Magistrum SS. Alphii, Philadelphi et Cyrini, ideoque illud certamen hoc loco omittendum arbitramur, in quo nulla Episcopatus Ephesini mentio, sed solum nonnulla interjecta sunt ex epistola Pauli ad Philemonem ejusque occasione apposita præfatio, quod gratio Dei etiam servi excitentur.*

*occisus Puteolis est S. Onesimus Magister SS. Alphii Philadelphi et Cyrini :*

AUCTORE G. H.

*illis certamen S. Onesimi potius convenit.*

16 *Denium cum hac sepultura ea narratio finitur :* Quædam mulier, quæ erat ex genere Imperatoris, cum thecam construxisset ex argento, in ea imposuit reliquias Martyris, ex sua in Sanctum memoria æternorum bonorum sibi mercedem comparans. *Julianus Petrus in Adversariis cap. 75 hæc applicat Onesimo S. Pauli discipulo his verbis :* Matidia Augusta, Imperatoris Cæsaris Trajani soror, discipula secreta S. Clementis, accepit corpus S. Onesimi, a Tertullo Præfecto Romæ perempti, et arca argentea clausit. *Hæc auctor ille, cujus unius auctoritati parum fidendum est.* Matidia Augusta *ex sorore Marciana fuit neptis Trajani*

*De sepultura S. Onesimi addita in illis Actis*

*et adversariis Juliani.*

AUCTORE G. H.

A *Trajani, mater Matidiæ et* Juliæ Sabinæ Augustæ, *Adriani Imperatoris uxoris. Senioris Matidiæ numisma edidit Joannes Tristanus tomo 1 pag. 446, at Sabinæ pag. 531, adjuncto Commentario historico admodum docto et eleganti. Vixit etiam sub Trajano Cornutus Tertullus sæpius in epistolis C. Plinii memoratus, qui cum illo in duos menses suffectus est Consul anno* CI, *quo Trajanus* IV *cum Articuleo Pæto consulatum gerebat : sed non continuo assentimur aut dictam Matidiam, aliamve ejus amitam, S. Clementis secretam discipulam fuisse, et corpus S. Onesimi obtinuisse, aut eum aliumve Tertullum Romæ Præfectum fuisse, sub quo interemptus sit S. Onesimus.*

Vita MS.

17 *Perbrevis aliqua Vita S. Onesimi extat in codice MS. Ultrajectino S. Salvatoris, ex Epistolis SS. Pauli Apostoli et Ignatii Antiocheni, et Martyrologiis desumpta : quæ ex suis fontibus singula derivata dedimus.* D *Extant similia in Vincentii Speculo historiali, lib. 9 cap. 49, in Catalogo Equilini lib. 3 cap. 130 et passim in aliis.*

Reliquiæ Suessione

18 *In MS. Relatione Sanctorum Suessione in Gallia quiescentium, quæ nunc est Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ, num. 1466 prænotata, in Lectione* XI *hæc de reliquiis S. Onesimi narrantur :* S. Onesimum turba fidelium præsens suum ab antiquis temporibus amplectitur Patrem, veneratur auctorem, gaudet adesse defensorem. *Ubi hunc S. Onesimum intelligi arbitramur. Relationem illam edemus ad* II *Junii cum Actis SS. Marcellini et Petri. In Menologio Græcorum Kalendis Decembris refertur* commemoratio SS. Antonii junioris et Onesimi Archiepiscopi Ephesi.

commemoratio 1 Dec.

ANIMADV. PAP. 128

# DE S. SIMEONE

J. B.

## EPISCOPO METENSI IN GALLIA.

SECULO II XVI FEB.

S. Simeonis Ep. Meten. natalis,

**S***eptimus Ecclesiæ Metensis in Gallia Belgica Episcopus memoratur a Paulo Diacono* S. Simeon. *Colitur* XVI *Februarii, quo die ista leguntur in Metensi Martyrologio, ut testatur in historia Metensi Meurissius .* Metis depositio S. Simeonis B Ep. *Plurima MSS. nomen Usuardi præferentia, sed ad usum variarum Belgicarum Ecclesiarum aucta, itemque Greven Carthusianus, Molanus, Canisius et alii :* Metis civitate natalis S. Simeonis Ep. et Conf. *Eum quoque referunt hoc die Galesinius, Ferrarius, ac pluribus verbis Saussaius, qui et* XXVI *Februarii eum denuo ponit.*

genus,

2 *Nihil de illius rebus gestis traditum litteris extat, quod quidem viderimus. Meurissius ex monumentis Ecclesiæ Metensis unum illud eruit :*

Septimus Hebræo est Simeon de sanguine cretus.

ætas,

*Mortuus dicitur in Florario SS.* anno salutis CXCIV, *apud Meurissium* CLXXXIII, *sedisse annis circiter* XXX.

sepultura :

*Corpus ejus conditum in celebri crypta S. Clementis primi illius urbis Episcopi.*

corpus, non admissum in Senonense cœnobium,

3 *Est vero idem corpus tempore Caroli Magni ad monasterium Senonense, Tullensis diœcesis, translatum ab Angilramo Metensi Episcopo, cui Carolus ita monasterii præfecturam contulerat, ut ejus tuendi curam, sive jus Advocationis, penes successores quoque, Metenses nempe Episcopos, esse vellet; repugnantibus licet monachis, qui nullo sibi tutore præter ipsum Carolum ac Pontificem Romanum opus esse dicebant : metuentes, ne sensim Episcopi illo tutelæ prætextu ad invadendas monasterii possessiones abuterentur. Verum alia mens* C *erat Angilrami : qui tandem ut monachos in suam sententiam induceret, ipsorum ecclesiam honorare S. Simeonis corpore statuit. Sed hoc ipsi inferri in ecclesiam aut septa monasterii non sunt passi, ne (ut aiebant) quoquo modo arrogati juris possessionem firmare Episcopus niteretur. Cessit ergo sapientissimus Antistes eorum timori aut improbitati potius, ut loquitur Joannes Ruerius in Vosagensibus antiquitatibus parte 3 lib. 1 cap. 5. Propinquus monasterio ad meridiem est collis, in cujus clivo ædiculam construxit, in eaque sacrum thesaurum locavit.*

in vicino colle ponitur

miraculis illustratum,

4 *Non defuit aut piis Episcopi consiliis, aut Sancti honoribus numen : nam ejus implorata ope, ac reliquiis vel prolatis vel religiose adoratis, dissipata tonitrua ac tempestates, placidi imbres gravissima terræ siccitate eliciti, febres sopitæ, pulsa pestis, aliaque cælitus obtenta beneficia.* E *Tandem cum et Episcopatus sui cura, et palatinis officiis nimium premeretur Angilramus, Senonensibus Abbatem præfecit Horgantum, ejusdem instituti monachum, suprema dumtaxat tutela sibi ac successoribus retenta. Splendore miraculorum, quæ S. Simeonis meritis in ea ædicula fiebant, motus Horgantus, monachis in concilium adhibitis, statuit inde sacrum corpus in ecclesiam monasterii, sanctis Apostolis Petro et Paulo dicatam, transferre : quod insigni pompa, maximo populorum concursu, peractum est. Quo fere tempore ea contigerit translatio, inde colligi potest, quod ex Annalibus Francorum constet Angilramum anno* DCCXCI *obiisse.*

transfertur in cœnobium,

ubi honorifice servatur :

5 *Asservatur nunc in Senonensi monasterio S. Simeonis corpus, inclusum arcæ argenteæ affabre factæ atque elegantibus ornatæ emblematibus, hac incisa epigraphe .*

Pausat in hac arca Simeon noster Patriarcha.
Si relegas Vitam, genus hunc probat Israelitam.
Metis septenam Præsul moderavit habenam.

*Caput alteri thecæ argenteæ ad capitis humani formam expressæ inclusum. Brachium alteri ad brachii modum efformatæ, itidem ex argento. Ejus translationis* XXV *Octobris in eo monasterio anniversaria memoria honorifice recolitur : cum Metenses, ut diximus,* XVI *Februarii natalem ejus celebrent. Hæc fere Meurissius ex Ruerio.* F

Translatio 25 Octob.

plura miracula

6 *Addit Ruerius, quosdam undis suffocatos, meritis S. Simeonis revocatos ad vitam ; lampades, ante ejus corpus pendentes, in pavimentum collapsas, neque vel fractas vel eversas, nec omnino effusum oleum : et non imbres solum, sed, cum hi immodici sunt aut nimis diuturni, serenitatem per eum impetrari, et aliis quibusvis calamitatibus remedium.*

# DE S. HONESTO

J. B.

## PRESBYTERO MARTYRE, APOSTOLO PAMPELONENSIUM.

CIRCA AN. CCLXX. XVI FEB.

S. Honestus Nemausensis,

**P***rimus Pampelonæ in Navarra (quantum ex veteribus non ambiguæ fidei monumentis statuere licet) Christum prædicavit* S. Honestus *Presbyter. Hunc S. Saturninus, cum Roma Tolosam tenderet, Nemausi reperit, liberalibus disciplinis egregie eruditum, ac fidei nostræ mysteria docuit, secumque duxit, haud adhuc maturæ ætatis. Quæ ubi adolevit, et cuncta interim fidei mysteria ipse condidicit, cum esset sanctis moribus præditus, communisque salutis perquam studiosus, sacerdotio est ab eodem magistro suo et Antistite Saturnino initiatus, missusque Pampelonam ad fidei sementem illic faciendam. Eo paullo post ipsummet Saturninum invitavit, ac S. Firminum, Firmi Senatoris filium, qui dein primus Ambianorum in Gallia*

discipulus S. Saturnini Ep.

magister S. Firmini Ep. M.

A *Gallia Belgica Episcopus fuit, baptismi lavacro tinxit, docuitque per* VII *annos litteras, sacras præsertim, et ad omnem virtutem instituit.*

2 *Qua vixerit ætate, ex SS. Saturnini ac Firmini actis colligi potest. Firminus, ut* XXV *Septembris ostendemus, sub Diocletiano et Maximiano martyrium fecit Samarobrigæ Ambianorum : Saturninus sub Decio Tolosæ, cum multo ante Roma eo venisset, et per plures annos sparsis circum gentibus Evangelium prædicasset, etiamque Hispanias adiisset, de quo* XXIX *Novembris agemus. Sanctus vero* Honestus XVI *Februarii colitur, martyrio clarus, quod circiter* CCLXX *fortassis annum Christi subiit : quo loco aut modo, adhuc exploratum non est. Nomen ejus Martyrologii Usuardi, ut est Parisiis editum anno* CIↃIↃXXXVI, *adscriptum legitur his verbis :* Ipso die S. Honesti Martyris. *Idem habet Richardus Whitfordus in Martyrol. Anglicano. At Molanus in auctario ad Usuardum :* Ipso die Ambianis S. Honesti Martyris. *Prolixius ejus elogium habet Saussaius; ut mox dicemus. Fit illius commemoratio hoc die in Ecclesia Ambianensi, olim Officium* IX *Lectionum, ut patet ex Breviario Ambianensi excuso annis* CIↃIↃL *et* CIↃIↃLIV, *ubi ista habentur :* In festo S. Honesti Presbyteri et Martyris, qui fuit Magister B. Firmini Martyris, fiunt novem Lectiones simplices. *Eæ Lectiones nihil de ejus rebus gestis memorant.*

*mortuus circa, an. 270*

*16 Febr.*

*quo colitur.*

B *Nos nonnihil ex Vita S. Firmini recitabimus : quam Vitam cum sex septemve MSS. codicibus, et Francisci Bosqueti Prætoris Narbonensis editione, contulimus.* S. Honesti *meminit Prudentius Sandovallius libro de Episcopis Pampelonensibus, sed nec quando colatur ; quamve mortem oppetierit, indicat. Meminit et Petrus Episc. Equilinus lib.* 8 *cap.* 119, *Guilielmus Catellus rer. Occitan. lib.* 5 *pag.* 817 *et* 825, *atque alii Hispanici Gallicique scriptores.*

*Vita ejus.*

3 *De reliquiis ejus, ac veneratione, ita scribit hoc die Saussaius in Martyrol. Gallicano :* In Gallia Narbonensi S. Honesti Presb. et Mart. qui Tolosæ B. Saturnini viri apostolici primarius discipulus, S. Firminum, Ambianensem primum Præsulem, in sacris litteris, Pompeiopoli, adhuc adolescentem erudivit, sanctitatisque moribus informavit. Zelo autem ferventissimo Christum undique prædicans, et falsorum numinum impium cultum eradicans, demum cum multos a nefandis sacris abduceret, comprehensus, exacto pro Christi gloria extremo certamine, præclari martyrii coronam recepit. Cujus caput Tolosæ argenteo opertorio conditum, in ecclesia S. Saturnini exosculandum devotis supplicibus exhibetur. Corpus per varias Galliæ Ecclesias, quæ gloriosam tanti athletæ memoriam peculiari affectu percolunt distractum, condigno honore perfruitur. Cujus pars in regali monasterio Virginum sanctissimæ Deiparæ Hederensi, Parisiensis diœcesis, reposita, ibidem summa potitur veneratione. Ecclesia vero adjacens

*caput Tolosæ*

*pars reliquiarum Hederæ*

C pagi, ipsius præcelsi Martyris gloriosa fulget opitulatione insignita. Ceterum duplici festo illic beata ejus memoria est celebris, nempe isto die, et Dominica proxima post natalem S. Dionysii Areopagitæ : quorum alter est passionis, alter translationis.

*Translatio mense Oct.*

4 *Idem Saussaius ad diem* XII *Julii ista habet :* Tolosæ festivitas S. Honesti Presbyteri et Confessoris, cujus gloriosus transitus contigit XVI Februarii. Caput vero ejusdem in basilicæ S. Saturnini sacello, quod beatissimæ Deiparæ de Consolatione nuncupatur, ad lævam altaris glorioso apparatu reconditum, hodie honorandum de more exhibetur. *Ita quem ipsemet antea aliique* Martyrem *vocarunt, hic* Confessorem *facit : uti et collector annotationum recenti manu adscriptarum ad Martyrologium Usuardi in Carthusia Bruxellensi, quæ ad* XVII *diem Maii ista habent :* Apud Tolosam natale sanctorum Martyrum et Episcoporum Silvani, Papuli, Hilarii, Honorati : et S. Honesti

*Ostensio capitis Tolosæ 12 Julii :*

*Martyr an Confessor ?*

D Confessoris. *An Translatio tunc facta reliquiarum, aliave solennitas, non indicatur, nec in ullo alio ad eum diem Martyrologio. De quatuor illis Episcopis alibi seorsim agemus.*

AUCTORE I. B.

# VITA S. HONESTI

## ex Actis S. Firmini Episcopi M.

Temporibus Maximiani et Diocletini Imperatorum, quo tempore tyrannica rabies in Christiano populo sæviebat, erat vir vitæ honestate venerabilis, genere et ordine primus inter Senatores, nomine et opere Firmus. Eratque ei uxor, moribus et venustate similis, Eugenia nomine : erantque ambo secundum seculi dignitatem inclyti, facultatibus et divitiis locupletes. *b* Cumque in diebus illis secundum ritus Gentilium ad fanum Jovis ad orandum procederent, quodam die ibidem supervenit quidam Sacerdos Christianorum, Honestus nomine. Cumque libera prædicationis voce in populo execranda idola proclamaret, accessit ad eum Firmus vir clarissimus, et ait illi : Si nostri dii, ut asseris, idola sunt, quos vetusta antiquitas et Romani Principes a seculo coluerunt : dicito ergo, quam religionem, aut quem Deum colendum potius nobis inducere velis. Cui Honestus respondens ait : Factorem cœli et terræ, E maris et omnium quæ in eis sunt, hunc noveris esse verum unum et solum Deum, per quem omnia, et in quo sunt omnia, et sine ipso nulla creatura consistere potest. Ipse est dominator vitæ et mortis. Nam dii gentium, quos profana religio vestra colit, et delusa gentilitas *c* exercuit, dæmonia plus credenda sunt, quam religio divinitatis. Sic enim Spiritus sanctus per Prophetam loquitur dicens : Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.

*a*

*S. Honestus Pampelonæ prædicat,*

*b*

*idola execrans,*

*Deum verum annuntians :*

*c*

Psal. 95. 5

2 Audiens hæc et talia Firmus Senator, convertens se ad Faustinum et Fortunatum, ait : Quid contra hæc dicendum est? Numquid iste solus hospes et advena culturam sanctorum deorum per otiosa sua colloquia destruere potest? Ad quem Fortunatus ait : Audiamus adhuc rationem ejus, et discamus rei caussam ut ex sua ipsa ratione eum convincere levius valeamus. Firmus vero convertens se ad Honestum, dicit ei : Vel tu cujus sectæ aut religionis es, ut tam nefandam sententiam contra deos deasque nostras proferre præsumas? Cui Honestus constanter respondens, ait : Si de me scire velis, quis sim, vel ex quo ortus fuerim, *d* luculenta ex parte ostendam ratione. Nam ego ex patre Æmilio, et matre Honesta, ex urbe *e* Nemusana ortum me esse profiteor.

*Firmo et 2 aliis Senatoribus quærentibus,*

*d*

*parentes suos indicat, patriam,*

F

3 De eo vero, quod amplius est, sicut interrogasti, cujus sectæ fuerim aut doctrinæ, seu qualis esset mea religio, libera voce et constanter edoceam. Christianus sum, instructus fide Catholica, dicatus in ordine presbyteratus, Saturnini Episcopi discipulus, et in baptismo filius, eruditus litteris liberalibus, et divinarum Scripturarum a primævo juventutis meæ tempore instrumentis imbutus; sicut ibidem per doctrinæ studium reperi doceo. Quoniam videlicet Deus unus est, qui omnium dominatur, visibilium et invisibilium; qui est et erat et erit; in quo sunt omnes thesauri sapientiæ : qui in pugillo suo, nutu suæ majestatis, omnia concludit, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus Deus in tribus personis, et tres personæ in vero Patre et Filio et Spiritu sancto. Quod mysterium si quis pleniter scire voluerit, aperire, ipso donante, poterimus. Sed hoc, *f* sicut insistit, sine Spiritus sancti gratia et inspiratione nemo comprehendere potest. Si quis vero ex vobis Deum verum scire et cognoscere voluerit : primum confiteatur, non esse alium Deum *g* extra unum, omnipotentem

*e*

*sacerdotium :*

*explicat divinitatis mysterium,*

*f*

*g*

*EX ACTIS S. FIRMINI.*

A omnipotentem, qui est trinus et unus, et abnegare illi fas non est: quoniam scilicet dii, quos prisca gentilitas excoluit, simulachra muta et surda sunt. *vanitatem idolorum,* Aut enim ex metallis aut ligno, vel lapidibus ab artifice adinstar humanæ imaginis efficiuntur: seu etiam, quod amplius est, aurei, argentei, ærei fabrorum artificio adornantur. Os habent, et non loquuntur; oculos habent, et non vident; aures, et non audiunt; nares, et non odorantur; manus, et non palpant; pedes, et non ambulant; sicut divina *Psal. 113 8* Scriptura meminit, dicens: Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

4 Deus autem noster omnipotens Jesus Christus unigenitus Dei Patris filius, ante secula ex arcano divinitatis genitus, in nostro seculo de Maria Virgine *Filii Dei incarnationem* natus, cui data est potestas in cœlo et in terra, qui humanum genus de mortis vinculo per tropæum suæ Passionis absolvit: qui triumphans de diabolo, ab inferis genus humanum eripuit, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de servitio ad libertatem, omnes in eo credentes eduxit, et pretio sanguinis sui de captivitate et potestate diaboli omnes redemit: qui pedibus siccis abyssum perambulando calcavit: qui Lazarum quatriduanum a mortuis suscitavit: *ejusque miracula.* quem Deus Pater de supernis sedibus respiciens, voce divina testificatus est: Hic est Filius meus di- B lectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite. Qui sedet a dextram Dei Patris: qui venturus est judicare vivos et mortuos et seculum per ignem. Qui *extremum judicium,* tunc reddet unicuique secundum quod in brevi vita gessit, et operatus est: cui assistunt Angeli et Archangeli: qui justos et sanctos in regnum perpetuum constituet; pœnas et tormenta infinitas impiis et peccatoribus apponet.

5 Istam talem religionem et claram veritatis doctrinam vobis Saturninus Episcopus, *h seque missum a S. Saturnino Ep.* *h* Apostolorum discipulus, ostendit, et jussit vobis prædicare Evangelium veritatis in omnibus gentibus; et per hanc salutiferam doctrinam docere et baptizare omnes homines in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, in remissionem peccatorum, et in vitam sine fine perpetuam. In hanc animadversionem *i* Faustinus Senator admirans illius facundiam, et rei prolatæ sententiam infra se compensans, dixit: Si Saturninus Episcopus, quem profers, Apostolorum discipulus, nobis tales sermones et sententias asseruisset, huic forsitan mentis aciem vertissemus. *qui, ipsis audientibus,* Audivimus enim famam et virtutes ipsius emicantes in verbis et signis multis, quæ in nomine Jesu Christi Nazareni operatur. Ad quem Honestus, ut erat intentus, dixit: *ab eo accersitus,* Si vestra animadversio est, ut veritatis lumen re- C cognoscere valeatis, Dominus meus, Pater et magister, Saturninus in promptu est, ut vobis salutiferam perennis vitæ prædicationem inserat, et de tenebris ad veram lucem perducat. His peractis ipse Præsul *venit Pampelonam,* ac Pontifex Saturninus septima decima fere die ad *k* Pampelonensem urbem pervenit: ibique residens sub terebintho, ubi vetustissimum fanum Dianæ *l* in loco Oppressivo colebatur, verbum prædicationis palam omnibus obtulit, execrandasque superstitiones et culturas idolorum. Deum verum magis colendum, instituit. Ad quem concursus urbis undique *ac plurimos convertit,* factus est: et ibidem per triduum docens populum, verba salutis signis potentibus confirmans, utriusque sexus fere *m* quadraginta millia hominum ab errore et profana idolorum cultura, ad cognoscendum Deum verum Jesum Christum unigenitum Dei Patris filium revocavit: eosque in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, abstersis vetustatis piaculis, in sacri *fanis ubique eversis,* baptismatis fonte ad novitatem vitæ perduxit: fanumque ipsum vetustissimum Dianæ a fundamentis destruere jussit, et *n* locum radicitus extirpavit.

6 His talibus gestis *o* ita auditis, transacta una D hebdomada, Fortunatus, Firmus et Faustinus, ut *utque ipsum Firminum et 2 socios,* erant primi et seniores in senatu, venerunt ibidem cum multitudine plebis, et civibus urbis ad Saturninum Episcopum, ut mysteria sanctæ doctrinæ ipsius præsentialiter perciperent: nam antea per plurimorum relationem plurima de ipso audierant. Ut vero ante conspectum ipsius tribus fere diebus perstiterunt, et haurientes ex ore ejus gratiæ divinæ existentiam, cognoverunt veritatis tramitem, et vias justitiæ, verique luminis flagrantiam in prædicatione et doctrina ipsius consistere, tunc inito salubri consilio, profanas idolorum culturas dereliquerunt: et Deum verum, quem Saturninus Episcopus prædicavit, sequi et credere decreverunt. Tunc prostrati Firmus, Faustinus et Fortunatus, ad pedes Pontificis, abrenuntiaverunt idolis, et Deum verum Jesum Christum unigenitum Dei filium esse colendum et credendum professi sunt. Statimque percepto sacri baptismatis mysterio, per confessionem sanctæ Trinitatis, *qui baptizati, et ipsi prædicant.* non solum Christiani, sed etiam Christianorum doctores et magistri effecti sunt.

7 Erat itaque præfatus Firmus primatum tenens populi et senatus, vir miræ mansuetudinis; honestate et religione præ ceteris civibus suis prælatus. *Firmi uxor, et liberi:* Huic erat uxor, nomine Eugenia, ex qua genuit Firminum et Faustum, et *p* Eusebiam sororem eorum. E Succedente vero tempore præfatus Firmus, cum esset fide et opere Catholicus, tradidit filium suum primogenitum, nomine Firminum, Honesto Presbytero, ut eum litteris liberalibus et Christiana *ex his Firminum docet Honestus per 7 annos.* disciplina imbueret, qui et antea in baptismo ejus filius erat. Firminus vero cum esset decem et septem fere annorum, litteris et doctrina Catholica instructus, cœpit religionis studio proficere. Nam ad ecclesias horis singulis inhianter laudes et honores Deo reddere assidue properabat. Cumque *q* proficeret annis fere septem in religionis studio, et sapientiæ gradibus ad virtutum culmina prominebat. Honestus vero Presbyter præfatus, dum in senectutis tempore adgravatus esset, sæpe dirigebat eum per vicos et *r* *cumque mittit prædicatum,* suburbanas civitates, ut prædicationis verbo populum jam Deo devotum confirmaret. Ipse vero quamvis in juventutis floribus existeret, cum mira gravitate et constantia populum ubique ad Christianæ religionis studium provocabat.

8 Et dum hoc Pater et magister ejus Honestus consideraret, quod in ipso gratia spiritualis coram *et curat Episcopum ordinari* omnibus in verbo et doctrina magis ac magis crescebat, direxit eum ad *s* Honoratum Tolosanæ urbis *a S. Honorato,* Episcopum, ut eum in Episcopatus gradum et gratiam impositis manibus constitueret. Quem ut vidit Honoratus Episcopus, cognovit in eo, quia ad hoc prædes- F tinatus et electus esset a Domino, ut verbum vitæ et *a quo mittitur ut gentibus prædicet* salutis gratiam gentibus prædicaret: ordinavitque eum Episcopum, ut nomen Domini in Occidentis partibus prædicaret. Qui et his verbis eum coram omnibus allocutus est: Gaude fili, quoniam vas electionis Domino esse meruisti. Perge itaque ad dispersionem gentium: accepisti enim a Domino gratiam et apostolatus officium. Noli timere, quoniam Dominus tecum est in omnibus. Scias enim, quia oportet te pro nomine ejus multa pati, quatenus ad coronam gloriæ pervenias. Valedicens itaque Firminus Episcopus Honorato Episcopo, et fratribus et consacer- *quod is S. Honesto narrat.* dotibus suis, reversus est vita comite ad Honestum Presbyterum, magistrum et nutritorem suum. *t* Qui et retulit ei omnia quæ in via illi contigerant, vel quibus verbis imbuisset eum sanctus Antistes ille Honoratus, et quomodo vel qualiter præceperat ei, ut verbum prædicationis et nomen Jesu Christi in dispersione gentium annuntiaret. *u*

a *MSS. Ambianense et Regiæ Sueciæ* Temporibus priscis, quibus fides Christiana, illustrante Spiritus sancti gratia, per diversa

A diversa orbis climata cœpit florere, unde perfidorum tyrannica rabies in Christianum populum sæviebat; erat in urbe Hiberiensi, nuncupata Pampelona, vir vitæ honestate etc. *Bosquetus et 4 MSS habent, ut expressimus. Clarum tamen est, verba illa,* Temporibus Maximiani et Diocletiani, *designare tempus, quo martyrium subiit S. Firminus, non quo natus est Pampelonæ.* — b *Mauricius a Prato Ord. Præmonstrat. in MS. Vita Gallica, putat hoc fanum fuisse Nemausi, ubi nunc domus quadrata visitur, de qua multa habet Joannes Poldo Albenatensis. Ceteri omnes volunt Pampelonæ contigisse et videtur ex contextu hujus narrationis constare.* c *Quædam MSS.* exercet — d *Aliud MS* luculenter — e *Ita MSS. tria, ut Bosquetus. aliud MS.* Venusana, *aliud* Nemansana *pro* Nemausana. *Est Nemausus urbs antiquissima in Gallia Narbonensi, vulgo* Nismes — f *MSS unum, quo ordine illi Bosquetus et MS. Treverense.* nisi qui consistit in Spiritus Sancti gratia et inspiratione, nemo comprehendere potest. — g *Addit Bosquetus* nec aliam virtutem extra unum omnipotentem. — h *Non ita accipiendum, quod auditor fuerit alicujus e primis Christi Apostolis sed quia eorum doctrinæ præco, quam ab eorum discipulis hauserat.* — i *Duo MSS.* Firmus. — k *Quædam MMS.* Pampolonensem. — l *Quædam MSS. habent,* luco Cypressino, *forte melius. Locum eum, ubi S. Saturninus prædicavit, aiunt nunc vocari* Burgum S Serni, *sive* Saturnini, *a Carolo, 3 Rege Navarræ urbi Pampelonensi adjunctum. In Vita S. Papuli 3 Novembris dicitur S. Saturninus* duobus annis et amplius apud Pampilonam moratus. — m *MS. Audomar* quinquaginta *Bonifonius,* viginti. — n *Quædam MSS.* locum — o *Quædam,* et hoc audito. — p *Bosquetus et unum MS.* Sebaam. — q *MSS. duo* perficeret annos — r *Multa MSS.* suburbana civitatis. — s *Hic secundus ponitur Tolosanæ urbis Episcopus. colitur* 22 *decemb. Mariana scribit* natione Cantabrum *fuisse* — t *Dubius horum verborum sensus, an scilicet S.* Honestus *divinitus edoctus, quæ S. Firmino accidissent, redeunti ultro retulerit, ut magis illum ad labores apostolicos animaret; an potius ipse Firminus Magistro suo, quæ gesta essent, sibique ob S. Honorato imperata, narravit. Hoc posteriore modo exponit Breviarium Burgense his verbis* Reversus est ad Honestum Presbyterum, magistrum et nutritorem suum, et retulit ei omnia, quæ in via ei contigerant. — u *Deinceps narrantur apostolici labores Firmini. de S.* Honesto *nihil amplius.* D

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# PROCULO, EPHEBO, APOLLONIO,

## INTERAMNÆ IN UMBRIA.

*CIRCA AN. CCLXXIII XVI FEB.*

G. H.

Horum Martyrum nomina, patria, vitæ institutio, ad fidem Christi conversio, et mors denique pro ejusdem fidei confessione adita, indicantur in Actis S. Valentini, Interamnensis in Umbria Episcopi, a nobis XIV Februarii ex variis codicibus MSS. et Mombritio editis. Pauca hic transferemus. Appellantur Proculus, Ephebus, et Apollonius. *Horum duo nomina ubique eadem ratione scribuntur. At* Ephebus, *alius* Ephibus, Esibus, Esybus *et* Phebus *est.* Nobiles *erant,* Athenis nati, *et* scholastici viri apud Græcos, qui cum Latina studia desiderassent, apud Cratonem civem suum, Oratorem utriusque linguæ, in urbe Roma hospitabantur, cujus et magisterio et hospitio fovebantur.

*SS. Proculus, Ephebus, Apollonius,* B *Athenienses, Romæ student*

2 *Erat* Cratoni filius, Chæremon nomine, juvenis scholasticus, *horum condiscipulus, qui incurrit* ægritudinem, ut incurvatus dorso, caput inter genua habens, remaneret. *Evocatur Interamna S. Valentinus Episcopus: initur pactum de fide Christi amplectenda, si Chæremon sanetur. Orat cubiculo inclusus Valentinus ac sanitatem ei impetrat.* Tunc Craton, *ut Acta habent,* cum conjuge et omni domo sua credidit et baptizatus est: *eorumque martyrium celebratur* XV *Februarii.* Proculus vero et Ephebus atque Apollonius, abjicientes studia humanæ sapientiæ, *ita se* contulerunt ad Dominum, ut ultra penitus nihil humanarum legerent litterarum: sed conversi ad Dominum, spiritalibus se studiis tradiderunt Magistro, cujus non tantum verba, sed etiam facta probarentur mirabilia. Interea per hos confluebat multitudo scholasticorum ad Christum, ita ut Abundius Præfecti urbis filius animo duceretur, et tota fidei plenitudine Christi se famulum publica voce clamaret.

*sanato per S. Valentinum Cratonis filio,*

*convertuntur ad fidem,*

*per eos alii:*

3 *Captus dein est S. Valentinus et in carcere decollatus. Cujus* corpus ablatum Proculus, Ephebus atque Apollonius ad suam ecclesiam Interamnæ urbis nocturno itinere transtulerunt, ibique in suburbano empto terræ spatio, non longe ab eadem civitate, sepulturæ honestissimæ tradiderunt: ubi cum quotidianis vigiliis in Dei laudibus permanerent, tenti a Gentilibus, custodiæ sunt traditi Consulari Leontio. Qui Leontius agnoscens Proculum, Ephebum atque Apollonium multos e populo, quos cognoverant, amatores habere, timens ne violenter ei a populo tollerentur, noctis medio suis eos jussit tribunalibus præsentari. Quos cum vidisset nec blandimentis decipi, nec tortoribus frangi posse, jussit eos capitalem subire sententiam. Ipse autem statim fugiens cum Officio, et quo perrexit, non se permisit sciri. Tunc omnis populus luctum quidem de nece eorum, sed gaudium de martyrio habuerunt. *Hæc in Actis S. Valentini. Qui in iis Consularis* Leontius *dicitur, in multis MSS.* Lucinius *et* Licinius *appellatur, a Ferrario* Leonicus.

C *corpus S. Valentini Interamnam deferunt. capiuntur:*

*occiduntur*

4 Porro Martyres sanctos a S. Abundio non longe a corpore S. Valentini sepultos *fuisse eadem addunt Acta. Jacobillus in horum Vita asserit, hunc* Abundium *esse, quem ante diximus* per hos *cum* multitudine scholasticorum ad Christum confluxisse, *et* filium Præfecti urbis Romanæ Furii Placidii, *seu potius, ut Acta tradunt,* furiosi Placidi, *cujus* jussu S. Valentinus decollatus est. *Ceterum eos cum S. Valentino in persecutione Aureliani Imperatoris circa annum* CCLXXIII *passos esse vero similius videtur.*

*sepeliuntur*

*circa an* 273 E

5 *Anno* CIↃIↃCV *inventæ sunt arcæ duæ plumbeæ, in quarum una continebatur S. Valentini Episcopi corpus, in altera, infra priorem posita, horum trium Martyrum ossa, quæ quamvis juxta rivum jacerent, tamen, qui peculiaris Dei favor fuit, intime conjuncta permanserunt. Translatum est primo solenni pompa a Clero ac populo corpus S. Valentini, dein sacra lipsana horum Martyrum aliquot post diebus, e decreto Antistitum, delata sunt ad ædem Cathedralem, ad corpus S. Valentini illic depositum. Cum jam ædi sacræ appropinquarent qui eas Reliquias secreto ferebant, neque qui in ecclesia erant thesauri qui apportabatur conscii essent, matrona quædam a dæmone vexata repente exclamat: Jam huc veniunt Proculus, Ephebus et Apollonius, visaque admodum torqueri. Mirari adstantes, atque sacra pignora in ecclesiam illata viderunt, gratias Deo referre. Sub majori altari aliquamdiu latuerunt, dum nova ecclesia apud Carmelitas Discalceatos in honorem S. Valentini extrueretur, ad quam magna cum solennitate translata, sub altari majori summa cum veneratione adservantur.*

*Corpora inventa an.* 1605.

*deferuntur secreto ad ecclesiam Cathedralem:*

*inde solenniter ad Carmelitas Discalceatos.*

6 *In S. Valentini Actis sociorum natalis non exprimitur: quare in plerisque Martyrologiis ejus memoria celebratur etiam* XIV *Februarii, quo S. Valentinus creditur obiisse. Beda, Ado, Rabanus, Notkerus, Martyrologia MSS. S. Cyriaci, Treverense S. Maximini, Tornacense S. Martini, Lætiense, Aquisgranense, longo elogio ex Actis jam relatis desumpto eos exornant, quod etiam* XIV *Februarii retulimus. In Martyrologio Romano postquam actum de S. Valentino, ista de sociis seorsim adduntur.* Ibidem SS. Proculi, Ephebi et Apollonii, qui cum ad corpus S. Valentini vigilias agerent, jussu Leontii Consularis comprehensi, gladio cæsi sunt. *Verum Interamnenses, die* XIV *Februarii solenni S. Valentini venerationi dicato, reliquos colunt* XVI *ejusdem mensis, et ritu, ut vocant, duplici. Ferrarius in generali Catalogo hoc die,* Interamnæ in Umbria, *inquit,* sanctorum Martyrum Proculi, Ephebi et Apollonii. *Idem in Catal. SS. Italiæ aliquam vitæ ac martyrii epitomen exhibet. Jacobillus singula accuratius examinat in libro de SS. Umbriæ: unde quæ de Translatione Reliquiarum allata descripsimus.*

F

*Coluntur* 14 *Febr.*

*et potissimum* 16 *Febru.*

# DE S. CORNELIO

## MARTYRE ROMANO, GANDAVI IN BELGIO.

J. B.

XVI FEB.

Complurium reliquiæ Martyrum his quinquaginta annis Roma sunt in Belgium allatæ: nempe ut qua ex urbe majores nostri doctrinam fidei accepere, inde fidei ejusdem propugnatorum exuvias nancisceremur, non inane adversus grassantia in propinquo hæreseon monstra præsidium, ac cœlestis tutelæ pignus. Gandavo Flandriæ urbi primariæ ejusmodi aliquas obtigisse reliquias indicamus ad XII et XIII Februarii diem in hujus tomi appendice. Coluntur ibidem die XVI et XVII Februarii publica religione SS. Cornelius atque Eusebius Martyres Romani. Eorum lipsana e cœmeterio S. Priscillæ via Salaria refossa sunt, atque ab Eminentissimo Martio Cardinali Ginetto Papæ Vicario, donata Balthassari Ballono Societatis Jesu religioso, qui per annos aliquot magna fide et industria in Sanctorum corporibus eruendis ex eo cœmeterio aliisque desudarat. Is cum non paucas haberet ejusmodi reliquias, atque integrorum etiam corporum ossa, accepta potestate, ea aliis in Urbe donandi, extraque eam mittendi, ut publicæ populorum venerationi exponerentur; quædam jam distribuerat, nonnulla adhuc servabat pius senex, cum e vita migravit.

*S. Cornelii Mart. ossa ex cœmeterio S. Priscillæ extracta,*

B

2 Præerat tunc universæ Societati nostræ Vicarius Generalis R. P. Florentius Montmorencius. Is thesauri illius distribuendi adeptus facultatem, P. Ferdinando del Plano collegii Bruxellensis Rectori, (qui in Urbe tunc erat, ad comitia Ordinis nostris a Flandrobelgica provincia missus) os oblongum, duoque ossium aliorum fragmenta S. Cornelii Martyris; duo item tibiarum ossa S. Eusebii Martyris, donavit: collocanda in sacello S. Ignatii, quod Gandavi in æde S. Livini Episcopi ac Martyris, quæ nostræ est Societatis, erexit vir perillustris Georgius de la Faille, illius collegii fundator.

*missa Gandavum,*

3 Constat ex actis, quæ die VIII mensis Decembris, anno CIↃIↃCXLIX pontificatus Innocentii X anno VI, Indict. II, confecit Leonardus de Leonardis civis Romanus, ejusdemque Eminentissimi Cardinalis almæ Urbis Vicarii notarius publicus, legitime hæc eruta e cryptis ossa, donataque, ut retulimus. Quibus etiam actis idem Cardinalis postridie subscripsit, suoque ea sigillo munivit.

*cum actis a notario confectis,*

4 Eæ reliquiæ cum repositæ essent in theca cypressina, vittæ byssina circumligata, ac locis duobus sigillo ejusdem Cardinalis Vicarii signata, in Belgium demum allatæ sunt. Quia vero secundum Concilii Tridentini decreta exponere publicæ venerationi reliquias Sanctorum non licet, nisi Ordinarii approbatio accedat; D. Maximilianus de la Faille Ecclesiæ Cathedralis S. Bavonis Gandavi Canonicus, thecam, quam diximus, Illustrissimo et Reverendissimo Antonio Triestio Gandavensi Episcopo inspiciendam et approbandam obtulit. Episcopus accurate thecam sigillaque contemplatus, illam aperuit, acta, quæ diximus Romæ conscripta, atque P. Florentii Montmorencii Vicarii testimonium, seorsim datum, perlegit: ac legitime peracta omnia servataque, pronuntiavit, atque in dicto sacello palam venerationi eæ reliquiæ exponerentur sanxit, Gandavi in palatio suo Episcopali anno CIↃIↃCL die sexta Decembris. Extant de his Acta tunc conscripta, Gandavi in collegio Societatis Jesu.

*ab Episcopo Gandavensi approbata,*

5 Eæ autem reliquiæ, una cum corpore S. Valentini, et capitibus SS. Benigni et Cœlestini Martyrum, in templum Societatis Jesu, quod diximus S. Livino Episcopo ac Martyri et Gandavensium Apostolo dicatum, illatæ sunt, sabbato ante Dominicam Quinquagesimæ, anno CIↃIↃCLI post vesperas, insigni pompa et supplicatione, tedis innumeris prælucentibus, inque magnifico pegmate collocatæ. Postridie vero, ipsa videlicet Dominica Quinquagesimæ, quæ ea anno erat XIX Februarii, egregio splendore, concursuque amplissimæ urbis peracta Translationis solennitas. Statutum vero ut anniversarium S. Cornelii festum XVI Februarii deinceps celebretur, S. Eusebii postridie. Sunt eorum ossa capsis argenteis inclusa quæ in sacrario asservantur, sed solennioribus per annum diebus, ac præcipue qui iis dicati, in ara sacelli S. Ignatii exponuntur. Quid egerit Cornelius hic, quo tempore vixerit, quo lethi genere perfunctus sit, incompertum est: solum id constat in S. Priscillæ cœmeterio via Salaria conditum ejus corpus fuisse. Romæ qui martyrium fecerit Cornelius, præter Cornelium Papam, de quo ad XIV Septembris, nemo in Martyrologiis memoratur.

E

*translata Dominicam Quinquagesimæ 1651,*

*inclusa capsæ argenteæ,*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# JULIANO EPISCOPO, JOANNE DIACONO,

# ET V MILLIBUS IN ÆGYPTO,

### Commentarius historicus.

J. D.

C

F

XVI FEB.

In omnibus passim Martyrologiis celebratur XVI Februarii memoria S. Juliani et sociorum. Antiquum MS. Romanum, quod S. Hieronymo tribuitur: Juliani cum Ægyptiis quinque millibus. Beda, Usuardus, Ado, Notkerus, Bellinus, MSS. Martyrologia S. Maximini, S. Richarii, S. Mariæ Ultrajecti, aliique: Apud Ægyptum S. Juliani Martyris cum aliis numero quinque millibus. Consentit Martyrologium Romanum. In Ægypto S. Juliani Martyris cum aliis quinque millibus. In his illustris antiquorum Martyrologiorum consensus est, non indicata aut dignitate Juliani, aut ullo sociorum nomine, aut mortis genere, temporeve.

*Natalis S. Juliani et 5000.*

2 Julianum alii Episcopum statuunt. Maurolycus: Apud Ægyptum S. Juliani Episcopi, cum aliis numero quinque millibus. Idem facit Galesinius, qui beneficio codicis MS. Martyrii socium facit Joannem Diaconum. In Ægypto, inquit, SS. Juliani Episcopi, Joanni Diaconi, et aliorum quinque millium Martyrum. Galesinium sequitur Canisius in Martyrologio Germanico. Ferrarius etiam in Catalogo Sanctorum qui non sunt in Martyrologio Romano, hæc habet: In Ægypto S. Joannis Diaconi cum aliis multis. annotatque S. Juliani Episcopi Diaconum fuisse. Idem in Topographia, verbo Ægyptus, et Julianum Episcopum et Joannem Diaconum hoc die coli Martyres cum aliis quinque millibus tradit. At fallitur Ferrarius, dum asserit horum certamen ab Adone referri, ab eoque addi Joannem Diaconum.

*an is fuerit Episcopus,*

*ejusque Diaconus Joannes?*

3 Aliquam de præfato S. Juliani episcopatu suspicionem injicit Baronius in Notis, dum ait: Fuit clarus item in Ægypto Julianus Alexandrinus, qui primo anno Commodi Imperatoris sedere cœpit, de quo Eusebius lib. 5 cap. 9 et alii. An hic Episcopus Julianus alius creditus hoc die passus, tot millium Martyrum factus dux et antesignanus? Creatus est anno Ch. CLXXX Episcopus, et sub eodem Commodo Imperatore, ubi decimum complevisset annum, Ἰουλιανοῦ δέκατον ἔτος ἀποπλήσαντος, ut idem Eusebius ait cap. 21, Ecclesiæ Alexandrinæ præfectus est Demetrius. Quo Eusebii

*alius ab eo Julianus Episc. Alexandrinus.*

A sibi loco nulla martyrii species adumbratur, maxime talis martyrii, in quo quinque millia sociorum fuissent interempta. *Alius sequenti die adscriptus est Martyrologio Romano* Julianus, *Cæsareæ lento igne combustus, et hoc die refertur a Galesinio et Canisio, iisque adjungitur* S. Valens Diaconus, *etiam Martyrologio S. Hieronymi ad hunc diem adscriptus, ut Martyrologio Romano ad Kalendas Junii. Hinc forsan aliquis rerum nominumque factam confusionem suspicetur, ac pro* Valente Diacono, *Cæsareæ in Palæstina cum SS. Pamphilo, Paulo aliisque passo, nomen* Joannis Diaconi *Ægyptiis Martyribus accessisse? Maneat sua singulis auctoribus fides, donec contrarium probetur.*

*alius a Joanne S. Valens Diaconus,*

4 *De* S. Juliano *Martyre aliqua apud Græcos Acta exstitisse tradit in Notis Baronius.* Græci, *inquit*, in Menologio de ipso agunt XXI Junii, ubi et brevi compendio certamen ejus describunt : passumque esse in persecutione Diocletiani sub Marciano Præside eumque a S. Joanne Chrysostomo celebri oratione laudatum ibidem testantur. *Verba Menologii ad XXI Junii hæc sunt :* Certamen Juliani in Ægypto. Hic fuit sub Diocletiano Imperatore, et Martiano Præside in urbe Ægypti Antinopoli, qui monasterio illo magno decem millium monachorum congregato, detentus a Præside, et Christum confessus, fustibus cæsus ejusque ovile et monachi una cum Episcopis B et Sacerdotibus fugientibus aufugerunt. Sanctus vero Julianus, non verberibus, non carcere, non ullis tormentis, non ipsa denique morte detineri potuit, quo minus pro Christi confessione sanguinem effunderet. Hunc et magnus Doctor Chrysostomus encomiorum honore celebravit. *Hæc in Menologio, cujus* D *verba ultima, quibus passus in Ægypto* Julianus, *a Chrysostomo laudatus dicitur, ad hunc non recte translata sunt a S. Juliano Cilice, qui eodem* XXI *Junii colitur, in sacco serpentibus et viperis pleno consutus, ac in mare projectus. Hic postea, corpore Antiochiam ad templum ejus nomini dicatum delato, miraculis claruit : idemque in hujus solemnitate S. Chrysostomus homiliam habuit, a Frontone Ducæo nostro Latine redditam, ac tomo 3 operum editam, cujus Græci in magnis Menæis et Anthologio, narrato hujus Juliani Cilicis martyrio, meminerunt his verbis :* Τοῦτον καὶ ὁ μέγας Χρυσόστομος ἐγκωμίοις ἐτίμησεν. *Quæ verba in Menologio, hoc secundo Juliano Cilice expuncto, perperam ad Julianum Ægyptium translata sunt, quod etiam in Notationibus ad hanc Homiliam observavit Ducæus.*

*alii item Juliani,*

*Ægyptius Antinoi occisus,*

*AUCTORE G. H.*

*et Cilix a S. Chrysostomo laudatus.*

5 *Sed altera mota a Baronio difficultas est, num S. Julianus Ægyptius, a Græcis ad* XXI *Junii relatus, sit ille idem, quem ante memorata Martyrologia ad hunc diem habent. Verum alius est hic Julianus S. Basilissæ maritus, qui monasterium decem millium monachorum congregavit, et sub Diocletiano Imperatore et Martiano Præside fustibus cæsus, verberibus, carcere, aliisque tormentis vexatus, pro Christo sanguinem fudit, et quidem, ut Græci in Menæis ad* VIII *Januarii tradunt, Antinoi Ægypti urbe. Quæ exactius ad hujus* S. Juliani *Vitam examinata sunt* IX *Januarii, potissimum* E *§ 2 et 3. De Juliano ergo marito S. Basilissæ agitur* XXI *Junii in Menologio, et* XXII *ejusdem Junii in Ecclesia Mediolanensi : a quo hic* Julianus *dux illustris quinque millium Martyrum diversus videtur.*

*Antinoita ille videtur esse maritus S. Basilissæ.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS

# MAXIMO, VINCENTIO, PAULO, HONORATO, MAURO, ITEM MAXIMO, PAULO, MARTIALE, THERAPIO, MARCO, MAROBIO, MARCELLINO, DONATO, ITEM MARCO, SECUNDO, MACROBIO, LUCILLA, ITEM SECUNDO, SAULO, STUPURE, MUSTACIO, PRÆSENTE, SECUNDA, MAXIMA, JUNILLA.

## ET LIV, AUT CIV SOCIIS.

*G. H.*

*XVI FEB.*

*Martyres Afri ex Notkero,*

H*anc generosorum Martyrum aciem instructam cælo dedit Africa. Eorum Ducem* Maximum, *sed exiguo cum comitatu, Fastis sacris olim adscripsit Notkerus.* In Africa, *inquit*, S. Maximi. Item Secundæ, Sauli. *Henricus Canisius pro* C Saulo, *arbitratur legendum esse* Seleucum. *Ast hic non in Africa sed Cæsareæ in Palæstina martyrium passus, ut seorsim de eo dicitur. Est etiam* Saulus *adscriptus Africanis hisce Martyribus in perantiquo MS. Richenoviensi, sive Augiæ-divitis, in quo hæc leguntur :* In Africa Maximi. Item Secundæ, Sauli, Mustacii, Præsentis, Secundi, Maximæ, Junillæ, et cum eis LIIII. *MS. monasterii S. Cyriaci Romæ :* Alibi Maximæ, Jumellæ, et cum eis quinquaginta quatuor. *Plenam aciem produxit nunquam satis laudatum antiquum MS. Martyrologium Romanum, quod S. Hieronymi appellatur, et quidem hoc ordine :* In Africa Maximi, Vincentii, Pauli, Honorati, Mauri, Item Maximi, Pauli, Martialis, Therapii, Marci, Marobii, Marcellini, Donati, item Marci, Secundi, Macrobii, Lucillæ, item Secundi, Sauli, Stuperis, Mustacii, Præsentis, Secundæ, Maximæ, Junillæ, et cum eis CIIII. *Ita numerum illum accurate antiquus codex, ante annos fere mille exaratus exprimit. at MSS. S. Cyriaci et Richenoviense tradunt* cum eis LIIII *coronatos. Qui in MS. S. Hieronymi* Saulus *a nobis expressus est, ubi Richenoviense et Notkerus habent, potius* Situlus *legebatur, quod amanuensis vitium arbitrati correximus.*

*MS. Richenoviensi,*

*et S. Hieronymi :*

*quot anonymi?*

2 *Martyrologium MS. Aquisgranense et Hermannus Greven in auctario Usuardi* Paulum *etiam* Africa- F num *habent, sed* eremitam. In Africa, *inquiunt*, natalis S. Pauli eremitæ. *Alios tres* Paulos in Africa Martyres, *sed aliis, atque hi duo sunt, junctos sociis, dedimus* XVIII, XIX *et* XXIX *Januarii : neque ullus etiam illorum* eremita *fuisse dicitur. Aliusne ab his ergo statuendus sit* S. Paulus in Africa eremita, *merito dubitari potest. Forsan loco* Therapii *alteriusve socii vox* eremitæ *posset videri irrepsisse. Duo alii* Pauli *infra recensentur.*

*An Paulus eremita iis annumerandus?*

3 *Plures Africa dedit* Martyres, *nomine* Secundos, *eorum aliquos retulimus* V, IX, XIX, XXVI *et* XXVII *Januarii. Ita et* Vincentii *in Africa varii : ex quibus nonnulli coluntur* IX, XI, XV *et* XXVII *Januarii, duo etiam* XI *Februarii, sed Carthagine passi una cum* S. Secunda *qui etiam insignita nomine alia diem* XXVII *Januarii habet sacrum : ubi* Martialis III, et Donatus XXVII *Januarii, et alius* Donatus IX *Februarii. Alios ejusdem nominis in Africa passos necdum dedimus.*

*Aliqui ejusdem nominis Martyres in Africa.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# ELIA, JEREMIA, ESAIA, SAMUELE ET DANIELE ÆGYPTIIS. ITEM PORPHYRIO FAMULO S. PAMPHILI, ET SELEUCO CAPPADOCE : CESAREÆ IN PALÆSTINA.

G. H.

## Commentarius prævius.

AN. CHR. CCCVIII. XVI FEB.

*Coluntur 1 Junii SS. Pamphilus Presb.*

Tabulæ Martyrologii Romani ad Kalendas Junii hæc habent : *Cæsareæ in Palæstina B. Pamphili Presbyteri et Martyris, viri admirandæ sanctitatis et doctrinæ, atque in pauperes munifici : qui ob Christi fidem in persecutione Galerii Maximiani, primo sub Urbano Præside cruciatus, et in carcerem trusus, deinde sub Firmiliano iterum revocatus ad pœnas, una cum aliis martyrium consummavit. Passi sunt etiam tunc Valens Diaconus et Paulus, aliique novem, quorum memoria aliis diebus celebratur.* Hæc Kal. Junii. Celebratur autem memoria septem ibidem passorum XVI Februarii, de quibus in iisdem Romani Martyrologii tabulis hæc leguntur : *Cæsareæ in Palæstina sanctorum Martyrum Ægyptiorum Eliæ, Jeremiæ, Esaiæ, Samuelis et Danielis, qui cum spontanee ministrassent Confessoribus in Cilicia ad metalla damnatis, inde recurrentes comprehensi, et a Firmiliano Præside sub Galerio Maximiano Imperatore sævissime torti, gladio demum percussi sunt. Post quos S. Porphyrius Pamphili Martyris famulus et S. Seleucus Cappadox, qui iteratis certaminibus sæpe vicerant, rursus cruciati, alter incendio, gladio alter martyrii coronam acceperunt.* Reliqui duo coluntur XVII Februarii cum hoc in eisdem Romanis tabulis elogio : *Cæsareæ in Palæstina S. Theoduli senis, qui ex familia Præsidis Firmiliani, Martyrum excitatus exemplo, cum Christum constanter confiteretur, cruci affixus martyrii palmam nobili triumpho promeruit. Ibidem S. Juliani Cappadocis, qui exosculans necatorum Martyrum corpora, ut Christianus delatus, et ad Præsidem ductus, lento igne jussus est comburi.*

*Valens Diac. Paulus.*

*16 Febru. SS. Elias, Jeremias, Esaias, Samuel, Daniel,*

B

*Porphyrius, Seleucus :*

*17 Febr. SS. Theodulus*

*et Julianus.*

2 *Horum omnium certamen narrat Eusebius lib. 8 Hist. Eccl. cap. 21, et ex eo Baronius ad ann.* 308. *Quæ aliquantum a Metaphraste exornata sunt, et a Gentiano Herveto Latine reddita, editaque a Lipomano ad XVI Februarii, a Surio ad Kalendas Junii. Eadem habemus Græca ex MS. Medicæo Regis Galliæ cum hoc titulo :* Ἄθλησις τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων τοῦ Χριστοῦ Μαρτύρων Παμφίλου, Οὐάλεντος, Παύλου, Σελεύκου, Πορφυρίου, Θεοδούλου, Ἰουλιανοῦ, Αἰγυπτίων, συγγραφεῖσα παρὰ Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου. Certamen sanctorum et gloriosorum Christi Martyrum Pamphili, Valentis, Pauli, Seleuci, Porphirii, Theoduli, Juliani, Ægyptiorum, ab Eusebio Pamphili conscriptum. *Id dabimus integrum ad Kalendas Junii; hoc loco quæ ad VII Martyres, quorum XVI Februarii solemnitas peragitur, spectant, ex Eusebii historia excerpemus.*

*Omnium Acta tradit Eusebius, et ex eo Metaphrastes.*

C

*excerpta hic dantur*

3 *Græci in Magnis Menæis et Anthologio, Cythereus ἐν βίοις Ἁγίων, omnes hos Martyres uno eodemque cultu venerantur XVI Februarii, cum hoc ex Actis elogio :* Memoria sanctorum Martyrum Pamphili, Valentis, Pauli, Seleuci, Porphirii, Juliani, Theoduli, Eliæ, Hieremiæ, Esaiæ, Samuelis et Danielis. Inclyti hi Martyres anno sexto persecutionis a Diocletiano excitatæ ad martyrium deducti, ex diversis urbibus prognati sunt, atque ex diversis vitæ studiis dignitatumque officiis in unam Christi fidem coaluerunt. Capti sunt autem hoc modo. Cum portam urbis Cæsareæ transirent, a custodibus interrogati, quinam essent, et unde venirent, se Christianos appellarunt, et patriam habere supernam Jerusalem. Quamobrem comprehensi Firmiliano Præsidi sistuntur : et Elias quidem, cum suis quatuor sociis, post multos cruciatus toleratos, sententiam gladii accepit, cum quibus capite plexi sunt Pamphilus et alii. Porphyrius autem cum corpus Pamphili Domini sui quæreret, captus est et flammis absumptus. Similiter et Julianus dum Sanctorum corpora oscularetur, in ignem est conjectus. Theodulus autem e cruce suspensus, martyrium consummavit. Peragitur illorum celebritas in sanctissima magna ecclesia.

*epitome ex Menæis. Gr*

ANIMADV. PAP. 129

4 *Galesinius Græcos imitatus, eosdem omnes hoc die conjunxit, et sua phrasi elogium ex Menæis contraxit. In antiquo MS. Martyrol. Romano, quod S. Hieronymo tribuitur, confusa eorum memoria est his verbis :* Sissiani Pamphili, Valentis Diaconi, Seleuci, Perfidii, Theophili. *Ubi Theophilus est, qui Eusebio aliisque* Theodulus, *et loco* Porphyrii, Perfidius *positus. At vox* Sissiani, *aut* Fissiani *(num dubium e scriptura relinquitur) quid ibi significet, ignoramus. An* Juliani *nomen substituendum? An uti Hierosolymis locus, supplicii reorum deputatus, Golgotha dicebatur, sic Cæsareæ eo fuerit nomine similis locus appellatus? In Martyrologio Germanico solum referuntur* Julianus, Theodulus et Porphyrius, *quorum duo priores, ut diximus, ad diem sequentem spectant.*

*plurimorum cultus apud Latinos*

E

5 *Idem Galesinius ad Kalendas Junii, cum seorsim de S. Pamphilo egisset, de aliis interpositis hæc scribit :* Hoc ipso die sanctorum Martyrum Valentis, Pauli, Seleuci, Porphyrii, Theoduli, Juliani, et aliorum quinque sociorum, quorum Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, concertatio pro Christi gloria fortiter suscepta, multis nominibus nobilis extitit, ut res tota pluribus a Græcis auctoribus pie, et a nobis alio loco, narratur.

*iterum 1 Junii,*

6 *Nonnullæ Reliquiæ S. Danielis Martyris asservantur Bononiæ in æde S. Cæciliæ, aliæ in ecclesia S. Gabrielis, ut tradit Masinus in Bononia perlustrata ad hunc diem, quasi ex Reliquiæ S. Danielis forent, qui cum aliis Cæsareæ hoc die passus est.*

*Reliquiæ S. Danielis Bononiæ.*

F

ANIMADV. PAP. 130

## ACTA MARTYRII

auctore Eusebio lib. 8 cap. 21.

Interea fratrum Ægyptiorum, qui cum illis una martyrium subierunt, accessio facta est. Isti Ægyptii simul atque Confessores illos, qui erant ex Cilicia, ad metalla usque, quæ ibi erant produxerunt, domum redierunt. Qui similiter apud ipsos portarum Cæsareæ introitus a custodibus (barbari autem isti erant et moribus agrestes) quinam essent, et unde venissent, interrogati ; cum veritatem occultare non possent, tamquam malefici in ipso facinore manifesto prehensi, tenebantur. Quinque erant numero, qui quidem ad tyrannum deducti, et coram illo libere fidem confessi, statim in carcerem contruduntur. Postridie, hoc erat decimo sexto die mensis Peritii, id est, secundum Romanos, ad decimum quartum Calend. Martii, hi pariter cum Pamphilo et reliquis ejus sociis, quos supra posuimus, ex mandato ad judicem producuntur. Istic primum inexpugnabilis Ægyptiorum constantiæ et firmitatis animi diversis cujusquemodi

*Quinque Ægyptii Christiani comprehenduntur :*

A cujusquemodi tormentorum formis, novis peregrinarum et variarum machinarum inventis periculum facit.

*torquentur*

2 Et simul ac illum, qui inter eos omnes principatum tenuit, his certaminibus exercuerat, quisnam esset, primum sciscitatus est. Deinde ubi pro proprio nomine, Prophetæ cujusdam nomen ab eo acceperat (hoc enim ab illis factitatum erat, quod pro nominibus idolorum, quæ erant forte a parentibus ipsis imposita, nova nomina, facta mutatione, ipsi sibi ascivissent: Eliæ enim, Hieremiæ, Esaiæ, Samuelis et Danielis nomine seipsos nuncupasse, et germanum ad verum Dei Israelem, qui Judæis erat in occulto, non solum rebus ipsis, sed nominibus proprie et significanter explicatis, commonstrasse audire potuisses) ubi inquam, tale nomen a Martyre acceperat Firmilianus, non in verbi vim et significationem animum omnino intendens, secundo loco eum interrogavit, quæ illius patria esset. Ille nomen priori apte respondens effert, Hierusalem suam patriam esse ait: eam certe intelligens, de qua apud Paulum dicitur: Quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum. Item alio loco: Accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei viventis, cælestem Hierusalem. Is quidem plane hanc intellexit.

*unus assumpta Prophetica nomina indicat:*

Galat. 4 26
Hebr. 12 22
*patriam Hierusalem dicit:*

B

3 Sed Firmilianus cogitatione sua humi abjecta, quæ tandem civitas illa esset, et ubi terrarum sita, accurate et curiose disquirit. Unde cruciatum illum affligit, ut verum fateretur. Hic manibus a tergo vinctis, obtortisque, et pedibus machinamentis peregrinis inusitatisque divulsis excruciatus, verum se dixisse constanter asseverat. Deinceps judice rursus sæpe quærente, quisnam esset, et quo loco civitas illa quam dicebat, locaretur? eam affirmat piorum solum patriam esse, neque alios præter hos solos fore illius participes: illamque ad Orientem, ubi Sol primo mane suos radios fundere incipit, positam. Atque in istis denuo proferendis seorsum apud animum suum ita divinitus philosophatus est, ut eorum, qui illum undique tormentis divexabant, nullam prorsus rationem duceret: sed tamquam carnis corporisque expers, ne minimum quidem videretur doloris sensum percepisse. Judex animo hæsitans, intra se tumultuari cœpit, putabatque Christianos eam civitatem, de qua Martyr locutus fuisset, infestam omnino et inimicam Romanis effecturos. Multum igitur de ea re scrutari, et ubinam tandem illa regio, quæ in Orientem ferebatur, existeret, admodum conquirere.

*crudelius tortus*

*patriam ad Orientem sitam ait·*

4 Postquam autem adolescentulum verberibus sæpius dilaniatum, et tormentis cujusque generis discruciatum, firma et immutabili mentis constantia illis, quæ ante dixerat, adhærescere animadvertit, ad extremum mortis sententiam, ut securi percuteretur, contra eum protulit. Tandem igitur is velut vitæ suæ peregit fabulam. Ceteri ejus socii paribus certaminibus a judice exagitati, pari mortis genere e vita cesserunt.

C

*dire verberatus, capite plectitur cum 4 sociis*

5 Postea demum Firmilianus, quamquam prope defatigatus erat, et frustra viros illos supplicio affici cernebat, sua tamen cupiditate eorum morte exaturata, ad Pamphilum et ejus socios se contulit: et cum satis expertus erat, quam inflexibilem in fide tenenda constantiam etiam jam antea in tormentis ostendissent, iterum interrogat: utrum deinceps modo, illi mortem gererent. Atque cum a singulis eorum definitum et postremum responsum de fidei confessione, quæ est martyrii propria, excepisset, similem cum prioribus pœnam et supplicium illis irrogat. Quibus ad exitum perductis, adolescentulus quidam ex famulis Pamphili, qui ita erat excultus instructusque, ut dignus ingenua talis et tanti viri educatione et disciplina merito videretur, simul atque judicis sententiam contra dominum suum pronuntiatam intellexit, e media hominum multitudine exclamat, et uti illius aliorumque sociorum corpora, cum e vita decederent, terræ mandarentur, postulat.

*S. Pamphili*

*famulus S. Porphyrius expetit occisorum corpora.*

D

EX EUSEBIO.

6 Judex vero non hominis, sed belluæ aut si quid sit bellua immanius, naturam secutus, ne adolescentulo quidem ætatis caussam quidquam veniæ tribuit: sed ut primum eum rogarat, essetne Christianus, ipseque se esse responderat, iracundiæ æstu intumescens, quasi telo saucius, tortoribus in mandatis dedit, ut omnes suas vires et impetus contra eum exercerent. Postquam vero, cum immolare ei jussum esset, recusantem videbat, non ut hominem carne circumdatum, sed ut statuam ex lapidibus, aut ligno, aut alia re quapiam confectam ad ossa usque et intimos viscerum recessus, acriter et absque ulla remissione deradi dilacerarique præcepit. Quo supplicii genere diu sustentato, judex cum illum nec vocem emittere, nec sensum doloribus ullum præ se ferre vidit, idque cum parum abesset, quin illius corpus esset omnino inanimatum, et tormentis pene contritum exhaustumque, se frustra illum torquere perspexit, tamen animo duro ferreo et omnis humanitatis experte perstans, confestim igni pedetentim exardescente et remisso, comburi decernit.

*crudelissime excarnificatur,*

E

7 Hic igitur adolescentulus postremus, ante Pamphili mortem, qui erat dominus ejus secundum carnem, in certamen ingressus, ante illum e corporis vinculis solutus fuit, propterea quod qui erant in aliis trucidandis occupati, tardare videbantur. Licuerat ergo Porphyrium videre (sic enim puer vocabatur) jam in omni genere certaminum exercitatum, incredibili studio et ardore, more hominis pro augusta et sacra victoria decertantis, incensum, corpore pulvere quidem consperso sordidatum, sed decoro oris habitu eximium, erecta et generosa animi elatione post tantos cruciatus ad mortem gradientem, divino Spiritu revera completum, habitu philosophico, quo uti solebat, hoc est, indumento ad modum pallii humeros solum obtegentis vestitum, familiaribus suis, quid illos ejus causa facere vellet, modesto et tranquillo animo præcipientem, nutuque significantem, et cum jam ad palum esset alligatus, vultum splendidum et hilarem servantem: quin etiam cum rogus longo intervallo ab illo tanquam in ambitum orbemque exardesceret, hinc illincque flammam ore ad se arripientem, et post hæc verba, quæ jam flammarum incendio primum corpus attingente clara voce profundebat, nempe Jesum filium Dei ejus adjutorem fore, constantissime cum silentio omnes cruciatus ad extremum usque spiritum tolerantem. Tale Porphyrii in martyrio certamen fuisse constat.

*adjudicatur lento igni.*

*philosophico habitu et moribus.*

*constantissime fert ignem et decedit.*

F

8 Cujus vitæ exitum Seleucus Confessor quidam ex militum numero, Pamphilo nuntiavit: qui, ut par erat, ex ejusmodi nuntii ministro, quamprimum fuit eadem sorte cum illis Martyribus dignatus. Nam mox ut mortem nuntiaverat Porphyrii, et unum ex Martyribus osculo sancte salutaverat, eum milites quidam comprehendentes, ad Præsidem deducunt. Iste tamquam ejus profectionem maturans, quo Porphyrio comes itineris ad cælum suscepti adjungeretur, extemplo capitis supplicio mulctari jubet. Hic in Cappadocia natus, præ delecto juvenum globo, qui in exercitu Romano militabant, præque illis, qui erant apud Romanos in amplis dignitatum gradibus locati, non exiguum honorem adeptus est. Ætate enim florente, robore, proceritate firmitateque corporis plurimum omnibus militibus antecelluit: adeo ut aspectus ejus celebris, et

*Seleucus osculatus Martyrem capite plectitur,*

*Cappadox.*

*militari gloria clarus.*

EX EUSEBIO.

A et omnium sermone prædicatus existeret, tota corporis forma ac specie tum ob magnitudinem, tum ob pulchritudinem et aptam membrorum compositionem admirabilis.

*Confessor ante plagis acceptis:*

9 Qui in ipso persecutionis initio, plagarum perpessione in certaminibus pro fidei confessione susceptis, admodum enituit : et ubi militiæ munere, quo fungebatur, spoliatus fuit, eorum qui ascetæ, id est, pietatis cultores vel monachi, qui dies noctesque divinis meditationibus se exercent, æmulum se et imitatorem effecit : orphanis desertis, viduis omni ope destitutis, hominibus inopia et corporis infirmitate afflictatis, instar patris alicujus indulgentis et curatoris, benigne prospexit et opitulatus est. Unde merito quidem, cum Deus ab ejusmodi pietatis officiis plus capiat oblectationis, quam a victimis fumo redundantibus et sanguine aspersis, ad insigne et eximium martyrii decus per ejus gratiam accersitus fuit. Hic decimus athleta inter eos, quos supra ostendimus, uno eodemque die mortem oppetiit : quo certe, ut apparet, maxima quasi cœli porta Pamphili martyrio decora illa quidem et congruens patefacta, tum illi, tum aliis qui cum eo erant, in regnum cœlorum aditum, dedit perfacilem..... D

*omnia virtutum opera exercuit.*

10 Talis erat caterva eorum, qui per Dei gratiam in martyrii societatem cum B. Pamphilo asciti fuerunt. Sacra autem et sancta revera illorum corpora ex impii Præsidis mandato quatuor diebus, totidemque noctibus, ut a bestiis avibusque carnivoris devorarentur, sub dio servabantur. Verum ubi tamquam miraculo quodam nulla neque bestia, neque volucris, neque canis ad ea accedebat, rursus per divinæ providentiæ dispensationem integra illæsaque inde ablata fuerunt : et exequiarum justis potita, sepulturæ ut moris est, honorifice commendantur....

*Corpora a bestiis non attinguntur :*

*sepeliuntur.*

11 Ceterum operæ pretium est hoc loco commemorare, quo pacto tandem non idque longo tempore post, cœlestis et divina providentia eos impios magistratus cum ipsis tyrannis vita sit. Nam Firmilianus qui tam petulanter et contumeliose in Christi Martyres debacchatus fuisset, cum aliis ejusdem sceleris participibus extrema supplicia subiens, gladio finem vivendi fecit.

*Firmilianus Præf. gladio caditur.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# B PLESIO, DIONYSIO, HIERAPIO, MARTIALE, NUNDIANO, E PESSIANO, PAULO, GALLONE, HONORIO, JOCUNDO, MEMMIO, VINCENTIO FRUCTUOSO, PRIMO, FABIANO, CÆCILIO, PAULO, MAXIMO.

G. H.

XVI FEB.

*Illustris hæc octodecim Martyrum corona est : quorum duos referunt Martyrologium Aquisgranense et Hermannus Greven in auctorio Usuardi, scilicet* S. Plesium *ceterorum Ducem, cum* S. Fabiano. *Omnes inscripti sunt perantiquo MS. Martyrologio Romano, quod S. Hieronymo tribuitur : quod ita incipit :* XIII Kalend. Mart. In Britannis natale SS. Faustiniani et Juventiæ. In Spania Barcilone natalis Cucubatis. In Campania Cumbas Natalis Julianæ. *De Cucufate agemus* XXV *Julii, de aliis hoc die. Dein hæc leguntur :* Et alibi Plesii, Dionysii, Hierapii, Martialis, Nundiani, Pessiani, Pauli, Gallonis, Honorii, Jocundi, Memmii, Vincentii, Fructuosi, Primi, Fabiani, Cœcilii, Pauli, Maximi. *Cetera, quæ ad locum, tempus, genus martyrii spectant, prorsus latent. Inter Martyres Africanos, qui hoc die ex eodem Martyrologio dantur, sunt etiam* Martialis, Vincentius, Maximus *et duo alii hic* Pauli : *a quibus hos diversos arbitramur. Inter* XXXVII *Martyres Ægyptios ad* XVIII *Januarii relatos sunt etiam* Paulus, Dionysius, Plesius. *Vix alios alibi conjunctos reperimus : aliquorum etiam hactenus incognita nomina. In parvo Martyrologio S. Maximini, sed antiquo, ad* XVII *Februarii hæc solum leguntur :* XIII Kalend. Mar. Passio SS. Pauli, Maximi, Januarii. *De Januario ibidem agemus ex aliis Martyrologiis, sed quia ab nullo alio isthic mentio fit* SS. Pauli et Maximi, *eos ad hunc diem rejecimus.*

# C DE SS. FAUSTINIANO ET JUVENTIA F

## MARTYRIBUS IN BRITANNIA.

G. H.

XVI FEB.

*Antiquum MS. Martyrologium Romanum, sive S. Hieronymi, ex Britannia in Belgium et forsan a S. Willibrordo Anglo deportatum fuisse diximus in Præfatione generali ad Januarium cap. 4 § 10. Imo illud usu olim apud Britannicas Ecclesias receptum fuisse, ex hoc die similibusque locis concipi potest. Auspicatur namque ab his Sanctis, minus alibi notis, et ista habet :* XIII Kalend. Mart. In Britannis natalis Sanctorum Faustiniani et Juventiæ. *Solius* Faustiniani *mentio fit in MS. Martyrol. Aquisgranensi, et in auctario Hermanni Greven. Cetera latent.*

# DE S. JULIANA

## VIRGINE NICOMEDIENSI ET MARTYRE BRUXELLÆ IN BELGIO ET ALIBI,

J. B.

### Commentarius prævius.

#### § I. *S. Julianæ Virg. Mart. ætas, patria, natalis, Acta Latina duplicia.*

SUB MAXIMIANO XVI FEB.

*Nicomedia urbs Bithyniæ, ad sinum Astacenum* (περικαλλὴς perelegans *dicta Athenæo lib.* 1, *et Simeoni Metaphrastæ, septingentis est Athenarum annis,* civitatum pulcherrima,) *alterum Diocletiano crudelitatis in Christianos exercendæ theatrum fuit. Hinc in tabulis ecclesiasticis multa ab eo Maximianoque Herculeo collega, Romæ interempta millia Martyrum leguntur. Nicomediæ ab eodem ac Galerio Maximiano Armentario multa. In his* S. Juliana *Virgo fuit : quæ anno nono ætatis, ut Menæa asserunt ac Metaphrastes, desponsa Eleusio nobili et opulento adolescenti : nono post anno, cum ipsa decimum octavum ageret,*

*S. Juliana Nicomediæ passa sub Maximiano Imp.*

A *ageret, neque ei nubere vellet, nisi prius Christianam religionem capesseret, ab eo, Urbis quippe jam Præfecto variis tormentis cruciata, demumque plexa capite est. Quo anno id contigerit, haud satis constat. Baronius tom. 3 ad annum* 311 *num.* 17 *illius aliorum Nicomediæ occisorum meminit, sed certum martyrii tempus non assignat.* Sub Maximiano contigit. *Is Cæsar creatus anno* CCXCI, *Augustus* CCCIV, *extinctus* CCCXI. *Quia a Præfecto consultus in Julianæ et sociorum Martyrum caussa dicitur, nullo Diocletiani facta mentione, verisimile est, id factum post annum* CCCIV, *quo Diocletianus imperio se abdicarat.*

2 *Græci anniversariam ejus memoriam celebrant* XXI *Decembris. Quo die ista habet Menologium ab Henrico* (21 *Dec.*) *Canisio editum :* Commemoratio sanctæ Martyris Julianæ apud Nicomediam, sub Maximiano Imp. *Fusius de ea agunt Menæa, Maximus Cythereus, Arcudii Anthologium, traduntque* solennitatem ejus celebrari in æde ipsi dicata, quæ est juxta templum S. Euphemiæ in Petrio. ἐν τῷ Πετρίῳ. *Meminit ejus illo die ex Latinis Galesinius et Ferrarius : hic natalem agi tunc scribit, Translationis memoriam* XVI *Februarii, quod et Baronio visum. Acta Latina, scripta, ut mox probabimus, antequam Cumas esset corpus S. Julianæ translatum, eam interfectam* XIV *Kalend. Martii habent. Eo etiam die vetera omnia Latinorum Martyro-*

B *logia illius consignant celebritatem. Vetustissimum Romanum, sive S. Hieronymi, ista habet :* (*aut potius* 16 *Febr.*) Nicomediæ passio S. Julianæ Virg. *Minus Martyrol. MS. monasterii S. Maximini Treviris :* Natale S. Julianæ Martyris. *Wandelbertus :*

Quartus cum decimo Juliana Martyre lucet. *Cetera Cumis eam tribuunt, quod eo translatæ ejus fuere* (*ut habent vetera Martyrologia.*) *postea reliquiæ. Ita vetus Romanum a Rosweydo editum, Centulense item, aliaque :* Et in Cumis S. Julianæ Virg. *Pervetus MS. Serenissimæ Reginæ Sueciæ :* Et in Cumas civitate passio S. Julianæ Virginis, quæ tempore Maximiani Imp. omni genere tormentorum afflicta, ad ultimum decollata est. *In eamdem sententiam alia. Usuardus :* Civitate Cumis S. Julianæ V. quæ post varia tormenta et carceris custodiam, palam cum diabolo conflixit : dein flammas ignium, et ollam superans ferventem, capitis decollatione martyrium consummavit. *Addunt exemplaria quædam,* tempore Maximiani Imp. *Ado, Beda vulgatus, Rabanus, Notkerus, MS. Lætiense, et S. Martini Tornaci :* Et in Cumis S. Julianæ Virg., quæ tempore Maximiani Imp. *etc.* Quæ passa est quidem in Nicomedia, sed post paucum tempus Deo disponente in Campaniam translata. *Phrasi alia Romanum Martyrologium Baronii :* Cumis in Campania translatio

C S. Julianæ Virg. et Mart. quæ Nicomediæ sub Maximiano Imp. *etc. Refragatur doctissimi Annalium scriptoris sententiæ sapientissimi Pontificis Pauli* IV *auctoritas. Nam hic S. Julianam* XVI *Februarii victoriam de dæmone ac tyranno retulisse judicabat. Ita Antonius Caracciolus cap.* 16 *de Neapolitanæ urbis sacris monumentis :* (*et censebat Paulus 4 Papa*) Quod Magnus ille Paulus IV nostræ Religionis Canonicorum regularium cum B. Cajetano Thienæo, Conditor, huic Virgini (*Julianæ*) valde devotus, observabat, illo ipso decimo sexto Februarii, a Joanne Christum baptizante quadragesimo, quo ante ducentos circiter annos, sponsus ejus Christus dæmonem in deserto vicerat, eumdem Virgo hæc fortissima vicit et vinxit. Nam (ut martyrii Acta tradunt) ipsismet catenis, quibus in carcere ligata erat, inaudito seculis omnibus miraculo, dæmonem, qui humana ei apparuerat specie, arctius illigavit, *etc. Cum autem idem Caracciolus antea S. Julianæ martyrium statuerit anno* CCXCIV, *non* CC *solum, sed minimum* CCLXIV *anni fluxerant a Christi baptismo.*

3 *Constantius Felicius videtur ambigere, an non duæ fuerint* Julianæ, *una Nicomediensis, Cumana altera. Postquam enim de Nicomediensi egit, ista subjicit :* D Ponunt aliam Julianam ex civitate Cumana, quæ et (AUCTORE J. B.) in ea martyrium obierit. Quidam eamdem esse volunt, quæ Cumis nata, Nicomediæ fecerit martyrium. (*an Cumis nata fuerit?*) *Ita ille. Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitanico ad hunc diem, Notat.* 6, *ait probabiliorem opinionem esse eorum, qui Cumas, Campaniæ urbem, patriam S. Julianæ statuunt. Quinam vero illi? Unicum reperio Felicium medicum, qui id scripserit a quibusdam dici. Nam quod alii ita habent,* Cumis passio S. Julianæ, *id solum volunt, ejus certaminis eo die Cumis recoli memoriam : non autem, quod nata Cumis, in Asiam dein profecta, Nicomediæ triumphum martyrii sit adepta. In MS. Martyrologio Ecclesiæ Aquisgranensis, post prolixum elogium S. Julianæ, quale fere est in Beda vulgato, Adone, et aliis, quo et passa Nicomediæ narratur, et in Campaniam postea translata, alii enumerantur Sancti, ac demum illud additur :* Julianæ Virg. et Mart. *Quæ si diversa est a priore, ad Nicomediam tamen Cumasve quid attineat, non video.*

4 *Acta* S. Julianæ *antiquissima sunt, conscripta cum adhuc illius corpus esset in territorio Puteolano : quod* (*Acta ejus antiqua :*) *deinde, ut in altera Vita num.* 24 *dicitur,* imminente Ethnica feritate,.... translatum est in civitatem Cumanam. *Cumis autem erat, cum Martyrologium suum composuit Usuardus tempore Caroli Magni, ante annos* DCCCC *et quod excurrit. Prius ergo, adeoque ante tempora* E *Longobardorum, quorum hic videtur indicari* Ethnica feritas, *conscripta ea Acta fuere : quæ tamen acerbe perstringit Joannes Hesselius a Lovanio in Censura de historiis Sanctorum cap.* 2, *his verbis :* Vita S. Julianæ (cujus initium est, temporibus Maximiani Imp. persecutoris Christianæ religionis, erat quidam Senator in civitate Nicomedia) non placet. (*severa de iis censura Jo. Hesselii,*) Quia ipsa orat ut Præfectus fiat particeps dæmoniorum. Item dæmon apud eam dicit se primos parentes vicisse, Judam ad proditionem instigasse, et omnia mala quæ in isto mundo fiunt se perficere. Item a nemine vel Patriarcharum vel Apostolorum vel Martyrum sic se afflictum, sicut a Juliana. Item se non esse satanam, sed unum ex subditis ejus; cum Scriptura dicat satanam invasisse Judam, et primos parentes vicisse. Et licet dici posset, diabolum mentiri, hoc tamen dicendum non est, quando Martyr cogit eum dicere veritatem : aut oportet Martyrem superstitionis accusare, quæ videlicet societatem amicitiæ, et non coactionis tantum, ineat cum dæmone.

5 *Verum iis argumentis haudquaquam grave inest pondus. Nam cum sancta Virgo cap.* 1 *num.* 5 *ita orat,* (*refutatur*) Et fac ipsum Præfectum, participem dæmoniorum, a me derideri, et ipsum consumptum a vermibus F magno dolore torqueri *etc. non id orat, ut particeps dæmoniorum fiat; sed potius, ut qui jam nefariam cum dæmonibus societatem coierat, infamia aliisque temporalibus pœnis torqueatur, sicque Dei virtus ostendatur. Quidni vero orare et illud potuit, ut traderetur satanæ in interitum carnis, sicque consors fieret dæmoniorum, quo vel ei vexatio daret intellectum, vel ejus saltem retunderetur superbia? Eum certe, quem Apostolus* I *Cor.* 5 *excommunicari jubet, et tradi satanæ, fatentur Patres multi atque Interpretes vere a dæmone possessum fuisse. Nitide precationem illam Julianæ ita explicat ac lenit Metaphrastes :* Eum autem, qui adversus me bellum gerit, confringe Rex invicte, et per eum, adversarium, et, qui nos conatur supplantare, satanam.

6 *Apud eumdem Metaphrasten, perinde ut in Latinis Actis, gloriatur dæmon, Evæ lapsu, proditione Judæ,* (*per singula capita*) *aliisque sceleribus, ut suo impulsu perpetratis, sive alteri præcipue suadenti minister solum ac satelles fuerit, seu primarius auctor, totiusque confector nequitiæ scelerisque. Nam de satana quod affert Hesselius, in Judam intrasse, unde constat eum fuisse omnium dæmonum principem? Ea vox, quæ* adversarium *significat*

*AUCTORE J. B.*

*cat, frequenter pro quolibet dæmone accipitur : ut Matth.* 12 *v.* 16 si satanas satanam ejicit : *atque alibi sæpe. Esto tamen, reperiatur quandoque alia notio vocis illius, ut cum Paulus* 2 *Cor.* 12 *colaphizari se fatetur* ab angelo satanæ, *id est ab emissario vel principis omnium dæmonum, vel ejus qui unius præcipue flagitii incentor est; ubi tamen legit Hesselius vocem* satanæ *usurpatam cum de Evæ peccato agitur? Neque in his S. Julianæ actis negat se dæmon satanam esse : licet suum ducem, sive* patrem, *ut num.* 8 *loquitur, satanam fateatur, sed nomine* Beelzebub. *Si autem existimat idem Doctor dæmonem, cum vel Ecclesiæ exorcismis, vel Sanctorum imperio, veritatem dicere cogitur, ita obtemperare, ut non aut sæpe tergiversetur, aut multa admisceat mendacia, valde fallitur. Nec superstitio est, aut cum dæmone societas amicitiæ, si jubeatur nonnulla effari, ad quæ plane et vere exponenda cum non semper Deus cogit, uti qui ea illi imperat, futurum sperarat. Quamquam nil temere ex eo sciscitari oportet, neque pati ut parerga effutiat, quibus dolum nectat incautis. Nolim autem hic contendere, nihil librarios, dum hæc acta transcribunt, addidisse de suo. Cum ait dæmon a nullo Patriarcharum, aut Apostolorum, Martyrumve sibi tantos inflictos esse cruciatus, verum dicat an mentiatur nolo quærere : nec liquet. Christus certe eum qui se in deserto tentarat, non legitur tunc aut vinculis ligasse, aut verberibus multasse, sed solum a se abegisse. Denique non ait dæmon,* omnia mala, quæ in mundo fiunt, se perficere : *sed addit,* cum fratribus suis, *quod verum est.*

*ea Acta hic edita ex* XI *MSS.*

7 *Porro Acta hæc passim in omnibus antiquis extant MSS. Legendariis aut Passionalibus. Undecim præcipue usi sumus exemplaribus, plerisque optimæ notæ, monasterii Gladbacensis in ditione Juliacensi, Cusano, Trevirensibus duobus e monasteriis S. Maximini et S. Martini, Ultrajectino Ecclesiæ S. Salvatoris, Rubeæ vallis Canonicorum regularium in Sonia silva, monasterii Hubergensis Guilielmitarum in diœcesi Antverpiensi, Serenissimæ Reginæ Sueciæ, ac tribus nostris, quorum unum maxime cum Gladbacensi congruebat, alterum paullum subinde contractum erat, tertium aliquanto magis. Alia extabant apud amicos, quæ ut ad nos mitti curaremus, necesse haud duximus.*

*similia apud Metaphrasten :*

8 *Eadem Acta, aut consimilia, habuit Simeon Metaphrastes, quæ egregie explanavit, ornavitque. Latine verti curavit Aloisius Lipomanus, et in lucem emisit : suo deinde de Sanctorum actis operi inseruit Laurentius Surius. Nos ea, quia in manibus sunt, missa fecimus. Prætulimus Latine aliquot ante Metaphrasten seculis scripta, at nondum cusa typis, prætorquam in* 2 *parte Legendæ Lovanii anno* CIↃCCCCLXXXV, *ubi tamen nonnihil decurtata. Ea ante* CCCC *annos summatim in suum Speculum historiale transscripsit Vincentius Bellovacensis lib.* 12 *cap.* 34 *et seqq. ex eoque S. Antoninus Chronic.* 1 *par. tit.* 8 *cap.* 1 § 8, *Petrus Equilinus lib.* 3 *cap.* 131.

*alia Latina*

9 *Alia se habuisse S. Julianæ Acta scribit Baronius in Notat. ad Martyrol.* e Græco Latine reddita a Petro quodam, qui ea ad Petrum Neapolitanum Episcopum direxit, ut docet ejus præfatio. *At non docet præfatio,* e Græco Latine reddita, *sed expolita tersiore stylo : scribit enim,* cum ejus passio propter incompositas dictiones in cœtu fidelium legi minime prævaleret, *instigatum se a Petro Antistite fuisse, ut* suo eam elogio clarificare studeret. *Petrum porro, cui eam lucubrationem scriptor ille dedicavit, existimat Bartholomæus Chioccarellus in præclaro de Neapolitanis Episcopis commentario,* Petrum de Surrento *fuisse, qui anno* CIↃCCXVII *ad eam Cathedram erectus. Ast erat decem annis prius, anno nimirum* CIↃCCVII *ab Anselmo Archiepiscopo Cumis Neapolim translatum S. Julianæ corpus, ut infra plenius narrabitur. Cumis tamen adhuc fuisse constat, cum Vitam ejus composuit Petrus. Perspicuum id est ex prologo, ubi ita Petrum Archiepiscopum compellat :* Quia beatæ et gloriosæ Martyris Julianes sacratissimum corpus in vicinia vestræ urbis, hoc est in Cumanæ Sedis ecclesia requiescit, sacrisque miraculis optime fulget. *Atque aliquanto disertius sub finem illius Vitæ :* Postea vero imminente Ethnica feritate, ne talis tantusque thesaurus dehonestaretur, translatum est corpus ejus in civitatem Cumanam, ibique in ipsius et B. Maximi basilica cum gloria collocatur : ubi plurima petentibus beneficia ad laudem Domini præstare non desinit usque in hodiernum diem.

*dedicata Petro Archiep. Neapolit.*

*non 2,*

10 *Scripta igitur est Vita illa, cum adhuc Cumis quiesceret, fulgeretque miraculis Julianæ corpus, ante Petri* II *Episcopatum. Antonius Caracciolus scribit,* Acta prædicta a Petro litteris mandata sub Leone ultimo Cumarum Episcopo. *Æqualis Anselmo fuit Leo : neque sub eo composita Acta sunt, cum dedicata sint* Egregio Patri Domno Petro, sanctæ Parthenopensis Ecclesiæ optimo Pastori. *Quis ille, sacro corpore adhuc Cumis existente, nisi Petrus eo nomine primus Archiepiscopus, centum ante Leonem annis, cum eum idem Chioccarellus Ecclesiæ Neapolitanæ præfuisse ostendat anno* CIↃXCIV, *ac deinceps ad* XVI *minimum annos? Vitam eam ex Actis Ecclesiæ Neapolitanæ anno* CIↃIↃCXXXVIII *ad nos misit Antonius Beatillus noster. Auctorem illius Petrum Caracciolus* Subdiaconum *ait fuisse. De iis qui cum S. Juliano eodem tempore, atque etiam (ut videtur) die, martyrii lauream Nicomediæ adepti, agemus infra seorsim. Quæ cum S. Barbara martyrium* IV *Decembris Nicomediæ quoque pertulit* Juliana Virgo, *diversa nobis ab hac videtur.*

*sed* 1 *circa an.* 1100,

*a Petro quodam,*

## § II. *S. Julianæ triplex translatio : ecclesiæ illi dicatæ. Ejus reliquiæ an Neapoli?*

*S. Julianæ corpus translatum Nicomedia in agrum Puteolanum.*

**N***icomedia asportatum S. Julianæ corpus,* post paucum tempus, *ut habent Acta. Petrus ait,* cum sanctæ Ecclesiæ pax esset reddita. *Obtinuit illud senatoriæ dignationis matrona, quam multi MSS. codices* Sephoniam, Sophiam *quidam cum Metaphraste, Petrus* Sophroniam *appellat : Caracciolus* Melaniam *fuisse asserit. Censetne igitur* paucum tempus *esse* XC *annos, quot fere a martyrio S. Julianæ ad Melaniæ ex Oriente in Italiam reditum intercessere? Existimavit Metaphrastes cœleste id pignus, Romam usque delatum, et quidem mox a martyrio.* Mulier, *inquit,* quædam, nomine Sophia, forte fortuna TUNC transiens Nicomediam, et ad magnam urbem proficiscens Romam, illas sacras secum accipit reliquias, easque domum portans, excitat Martyri templum dignum ejus certaminibus. *At cum ad mare Tyrrhenum pervenisset cum cœlesti hoc thesauro Sephonia,* exurgens tempestas valida uti Acta memorant, abiit navis usque ad fines Campaniæ. Posita est autem B. Juliana prope territorium Puteolanum, ubi habet mausoleum uno milliario a mari.

*postea Cumas,*

12 Postea vero imminente Ethnica feritate...., translatum est corpus ejus in civitatem Cumanam, *ut habet altera Vita a Petro scripta num.* 24, *cujus verba jam retulimus num.* 8 *Arbitramur per* Ethnicam feritatem *intelligi Longobardorum sævitiam, qui sub annum* DLXVIII *Italiam invaserunt, lateque populati sunt, nonnullis urbibus exceptis, quæ in fide Reip. perstiterunt : inter quas numerari* castrum Cumanum *debet, uti liquet ex Vita S. Gregorii* II *auctore Anastasio Bibliothecario, quam* XIII *Februarii dedimus. Nam in ea cap.* 1 *num.* 8 *dicitur postea illud a* Longobardis pacis dolo pervasum, *sub autumnum anni* DCCXVI, *uti ibidem* § 3 *num.* 21 *ostendimus, recuperatum deinde auxilio Joannis Ducis Neapolitani : nam et Neapolis Longobardis semper restiterat.*

*urbem munitam :*

13 *Neque dubium est, quin S. Julianæ reliquiæ sint*

A *sint Cumas, assentiente Neapolitano Episcopo deportatæ : qui ea occasione illarum fragmenta fortassis obtinuerit, aut obtinere deinde a Cumano Antistite potuerit. Quare S. Gregorius Magnus lib. 7 Registri, ep. 84, Indict. 2 anno* IↃXCIX *data, mandat Fortunato Episc. Neapolitano, ut* oratorium, *quod* Januaria religiosa fœmina *in loco quodam* juris sui fundarat, et in honorem SS. Severini Confessoris, et Julianæ Martyris desiderabat consecrari... *ipse consecret, si* in suæ parœciæ memorata constructio jure consistat, *etc. ac de reliquiis subdit :* Sanctuaria vero suscepta sui cum reverentia collocabis. *Ac deinde ep. 85 eadem ita inculcat :* Januaria religiosa fœmina sanctuaria BB. Severini Conf. et Julianæ Mart. oblata petitione sibi postulat debere concedi : quatenus in eorum nomine oratorium propriis sumptibus constructum possit solenniter consecrari. Et ideo, Frater carissime, præfatæ Januariæ desideriis ex nostra te præceptione convenit obedire. *Erant S. Severini Noricorum Apostoli reliquiæ centum annis ante, S. Gelasii Papæ temporibus, ad castellum Lucullanum, inter Neapolim ac Puteolos situm, translatæ, ut diximus ad ejus Vitam* VIII *Januarii. Fallitur Cæsar Eugenius, dum in Neapoli sacra scribit pag.* 302 *Cumas allatum Nicomedia S. Julianæ corpus ab Sophia matrona Romana. Hæc enim illi in agro Puteolano mausoleum construxit, unde demum Cumas pervenit.*

*reliquiæ ante annum 600 expetitæ ad dedicationem ecclesiæ*

B

14 *Mansit Cumis sacrum illud pignus per annos* IↃC *coque amplius, ac demum translatum Neapolim ab Archiepiscopo Anselmo anno* CIↃCCVII *die* XXV *Februarii. Colitur Neapoli et per diœcesim officio semiduplici, uti præscriptum a Decio Cardinali Carafa Archiepiscopo Neapolitano anno* CIↃIↃCXIX *in libello cui titulus,* Catalogus Sanctorum aliquot *etc. ubi et illud annotatum :* Sacrum corpus honorifice conditum in ecclesia S. Mariæ Donnæ Romitæ, ut habetur in historia translationis litteris Longobardicis MS. Extabat olim Neapoli vetus ecclesia S. Julianæ, cujus meminit S. Gregorius Papa lib. 8 Registri ep. 14. Celebrabatur autem ejus festum solenni officio in Neapolitanis Ecclesiis, ut videre est in duobus MSS. SS. Kalendariis, et in antiquis Litaniis Ecclesiæ Neapolitanæ, atque in vetusto Missali MS. quod extat in Bibliotheca sanctorum Apostolorum. A monialibus autem monasterii D. Romitæ proprio celebratur officio cum Octava. *Hæc ibi. Verba porro S. Gregorii, in epistola hic citata, ista sunt :* Fuscus Abbas monasterii SS. Erasmi, Maximi atque Julianæ, quod Neapoli ab Alexandra clarissimæ memoriæ fœmina, sicut nosti, fundatum est *etc. Quod SS. Maximum et Julianam esse patronos fundati a se monasterii Alexandra voluit, indicium est, jam tum fuisse Cumas translatum Julianæ corpus, ibique in basilica S. Maximi conditum, cum eo effulsisse vel miraculis vel gloriosa martyrii commemoratione. S. Erasmus, ut* 11 *Junii dicemus, Formiis in eadem ora maris Tyrrheni, ubi martyrium passus, colitur.*

*corpus allatum Cumis Neapolim*

*ubi colitur,*

*et ante a tempore S. Gregorii habebat ecclesiam.*

C

15 *Historiam Translationis hujus tertiæ* SS. Julianæ et Maximi *litteris tradidit scriptor anonymus, qui spectavit, eratque fortassis ex eorum numero Presbyterorum, qui sacro sanctimonialibus S. Mariæ Donnæ Romatæ administrabant; Abbatissæ certe quidem subditus. Patet ex iis quæ num. 8 ipse precatur :* Guberna, Domine, Abbatissam nostram : salva et auge hanc congregationem : quia in te Domine speramus. *Sunt hoc tempore ejusmodi Sacerdotes, qui Missas faciant, aliasque obeunt sacras functiones, omnino octo, cum duobus Clericis : monachæ vero* LXXX. *Eam historiam ex Actis Ecclesiæ Neapolitanæ nobis olim misit Antonius Beatillus noster, quam Chioccarellus quoque et Caracciolus habuisse se significant. Videtur prologus, sive epistola ad Anselmum Archiepiscopum præfixa fuisse, sed a librario omissa. Nam eum ita auctor num. 7 compellat :* Quos tu misisti, Pater sanctissime. *ac deinde :* Quo audito, veniens tu, Pater beatissime, cum processione magna totius Cleri *etc. Huic historiæ subnectemus Lectiones in officio Ecclesiastico die S. Julianæ recitari solitas, quas nobis Capua vir humanissimus atque eruditissimus Silvester Aiossa submisit.*

*Translationis historia a quo scripta?*

*unde hic edita?*

D

AUCTORE J. B.

16 *Monasterium, in quo reconditæ Neapoli S. Julianæ reliquiæ fuere, appellat scriptor* S. Mariæ de Donna Aromata, *ac deinde* S. Mariæ Donnæ Aromatæ, *vel* Aromate, *ita utrumque scriptum, fors mendose. Lectiones officii,* B. Mariæ de Donnaromata. *Cæsar Eugenius, ubi de hoc cœnobio agit in Neapoli sacra, fundatum scribit a sanctimonialibus, quæ Constantinopoli vitandæ persecutionis caussa Neapolim advenerant, servabantque S. Basilii regulam, ac postea instituta Cisterciensia amplexæ, dein Benedictina. Firmat id antiqua traditione, ac variis Regum Neapolitanorum diplomatibus, aliisque actis publicis, quorum recitat verba. In iis vocatur* monasterium monialium Ecclesiæ S. Mariæ de Perceio de Constantinopoli, Neapoli Ordinis Circerciensium. *alibi,* Ecclesia S. Mariæ Dominarum de Romania de Neapoli Ord. Cisterciensis. *alibi,* S. Maria de Perceio de Constantinopoli. S. Maria de Perceio Dominarum de Romania. *alibi,* S. Maria Donna Romita. *et,* monasterium S. Mariæ Donna Romita. *Caracciolus arbitratur appellatam eam ædem* τῆς Μαρίας κυρίας ῥώματος Mariæ Dominæ potentis; *quod* ῥώμη *vim, robur, impetum significet. Unde loco nomen, necesse non est ut disputemus. Id solum pronuntiamus, eo allatum S. Julianæ corpus, majorem in modum hoc flagitante Abbatissa Bienno.*

*positum corpus in cœnobio S. Mariæ Donnæ Romitæ :*

E

17 *Plura exinde templa honori S. Julianæ erecta Neapoli esse tradit Eugenius : extare enim in publicis tabulis memoriam* terræ venditæ a Rectore Ecclesiæ Beatiss. Joannis Christi Apostoli et Evangelistæ et B. Julianæ Virg. et Mart. intus hanc civitatem Neapolim, juxta vicum qui nominatur de S. Juliana, in regione portæ S. Januarii. *Verum cum signatas hasce tabulas fateatur Eugenius anno* 1 *Wilhelmi Regis, certum est id contigisse* XL *annis ante quam Neapolim S. Julianæ corpus deveheretur, si de Wilhelmo Bono agatur; pluribus, si de patre, Malo appellato. Fuerit ejus Ecclesiæ patrona adoptata cum S. Joanne Juliana, uti monasterii, quod Neapoli ab Alexandra fundatum supra retulimus ex S. Gregorio, atque oratorii quod alibi a Januaria.*

*alia ante dicata illi ecclesia Neapoli*

18 *Aliam monachæ Donnæ Romatæ, ipsaque fortassis Bienna Abbatissa, ædem S. Julianæ juxta veterem suam construxerunt, ubi illius res gestæ, tormenta, miracula, picta visebantur. Ea deinde eversa, atque profanam habitationem mutata cum parte monasterii, quod aliis coemptis ædificiis egregie amplificatum. Hæc Eugenius, pluraque alia. Servari etiamnum in eo monasterio S. Julianæ corpus affirmant Chioccarellus et Caracciolus. At fatetur hic, neminem esse qui norit ubi id conditum sit : negat tamen, inde fieri conjecturam posse, alio id esse avectum, cum nemo inficietur S. Hieronymi corpus Romæ esse, Ticini S. Augustini, S. Ambrosii Mediolani; Tolentini S. Nicolai, et si ubi hæc quiescant, nemini sit compertum. Recte ista quidem, quando alia urbs nulla est, quæ eorum ad se delatas esse reliquias contendat.*

*nova constructa in Donna Romita :*

F

*ubi illic conditum ejus corpus ignoratur :*

19 *At S. Julianæ lipsano plures sibi vendicant urbes : in sola Italia Comum, Beneventum, Verona, Ravenna, Mons Virginis, ut ipse fatetur Caracciolus. Comenses scribit Ferrarius S. Julianam, ut civem suam, et apud se martyrii agone perfunctam, venerari, ea motos ratione, quod Comum aliquando Cumæ appellatum dicatur. At ne Cumis quidem ea martyrium exanthlavit, sed Nicomediæ.* Neque Comum aliquando Cumæ, *inquit Ferrarius,* nisi apud imperitos appellatum fuit. *Accuratum Catalogum Sanctorum Beneventanæ civitatis*

*id se habere jactant*

*Comum,*

*tis, qui sive anniversariis feriis, seu fama solo sanctitatis, sed majorum testimonio confirmata, celebrantur, selegit edidítque Marius de Vipera anno* CIↃIↃCXXXV *: nulla in eo* S. Julianæ *mentio. Veronæ quæ colitur* S. Juliana *Virgo et Martyr, alia est, ut infra ostendimus.*

*Verona,*

20 *In monasterio Montis Virginis, de quo agemus* XXV *Junii ad Vitam S. Gulielmi fundatoris, asservari* corpus S. Julianæ Virg. et Mart. *scribit Felix Renda ejusdem monasterii Prior. Hieronymus Rubeus histor. Ravenn. lib. 6 pag. 385 scribit, Ravennæ* in cœnobii S. Mariæ Rotundæ sacra æde B. Julianam Virginem et Martyrem Dei requiescere. *Probat Simeonis Archiepiscopi testimonio : quem cum affirmet anno* CIↃCCXVII *ad eam Cathedram evectum ; constet autem S. Julianæ corpus decem dumtaxat annis prius Neapolim Cumis fuisse translatum; vel alia fuit apud Ravennates Juliana, vel pars fortassis non magna hujus nostræ antea Cumis obtenta.*

*Mons-Virginis,*

*Ravenna.*

## § III. *S. Julianæ reliquiæ in Hispania, Lusitania, Germania, Belgio : non omnes hujus.*

At *Nicomediensem, sive Cumanam, qua de hic agimus,* Julianam *penes se extare Hispani jactant. Quæ enim* Santillana *appellatur Asturum urbs, eam prius* Lobaniam *dictam, S. Julianæ translato illuc corpore, ab ea novum tulisse nomen autumant, Joannes Maldonatus, Alphonsus Villegas, Franciscus Padilla centuria 4 hist. Eccl. Hispan. cap. 18 Joannes Marietta lib. 4 cap. 42, Joannes Tamayus Salazar ad 6 Martii, Rodericus Mendez de Silva, Prudentius Sandovallius in Vita Alfonsi Catholici, aliique. Describemus hic quæ de ea Joannes Maldonatus prodidit, quia et ceteris jam citatis antiquior, et præ iis gnarus antiquitatum Ecclesiæ Burgensis, cujus teste Padilla Provisor, est autem in ea diœcesi Santillana. Ita ergo scribit :*

*Santillanæ in Asturia*

22 Juliana Nicomediæ, quæ civitas est Bithyniæ, ab Eulosio Præfecto, cui erat desponsata, martyrio affecta est : ejusque corpus a Sophonia patricia femina in Campaniam (sic fama tenet) deportatum. Ceterum Burgensis Ecclesia haud quidem immerito eam, veluti tutelarem Divum, numenque propitium, suspicit ac veneratur. Constat profecto reliquias ejus, priscis ante nostram memoriam seculis, in Burgensem regionem fuisse translatas : licet a quibus, aut quo tempore, majorum incuria oblitteratum sit. Est in Burgensi ditione oppidum nomine Santilana, non sane incelebre, in quo basilica sacra, veterem quamdam referens structuram, conspicitur : quæ quoniam reliquias Divæ Julianæ continet, nomenque refert, cunctis est adjacentibus populis religiosa. Oppidum etiam ipsum a Juliana nomen traxisse, manifestum est, si paucas reponas litteras, quæ vetustate obsoleverunt.

*S. Julianæ reliquiæ*

*(unde et oppido nomen)*

23 Alfonsus igitur Carthaginensis, Burgensis Episcopus, vir parentum nostrorum memoria certe pius ac prudens, venerandum ex officio pastorali adiens monumentum, cernensque non satis ex merito tantum Julianæ pignus decenti loco teneri (erat enim in meditullio templi quasi desertum) ex auctoritate Cleri populique, in caput ejusdem templi, et aram ipsam primariam, magna Sacerdotum pompa, profanæque turbæ concursu transferendum curavit. Atque ut translationis, tanto cunctorum ordinum plausu celebratæ, memoria ad posteros emanaret, Clero præsertim Burgensi, quod vocant Capitulum, et nobilibus plerisque suffragantibus, censuit, ac sub anathematis interminatione sancivit, ut festum S. Julianæ, quod quartodecimo Calendas Martias ad eam diem agebatur, pridie Nonas Martii in favorem novæ translationis ageretur. Deprecemur ergo sanctissimam Julianam, ut quæ nostram voluit suo funere provinciam honestare, quæque non dedignata est toties hinc inde, quo nobis patrocinaretur, transferri ; obtineat apud Deum omnipotentem, hinc nos depositis commissorum sarcinis, ad superas sedes post vitæ cursum transferri.

*ex medio templi ad aram principem translatæ,*

*festo indicto 6 Martii*

24 *Hactenus Maldonatus ; eadem fere ceteri. Istud perperam Padilla, translatum* S. Julianæ *corpus per Alfonsum de Cartagena Episcopum, Santillana Burgos : cum solum e meditullio templi Santillanensis ad aram primariam, aut (ut alii habent)* capellam majorem, *transpositum sit. Cum autem quæ de sanctæ Virginis Martyris* Julianæ *corpore Nicomedia in agrum Puteolanum, hinc Cumas, iis eversis anno* CIↃCCVII *Neapolim devecto, relata sunt, certis constent testimoniis; videanturque citati scriptores Hispani opinari, longe ante eum annum in Hispaniam fuisse deportatum,* transactis, *ut habet Tamayus Salazar, a prima per Sophiam translatione,* aliquot annis ; *possumus haud temere suspicari, vel solum partem aliquam reliquiarum Santillanæ esse, vel potius alterius Julianæ corpus. Quid si, occupata a Mauris Hispania, uti Ovetum arca multis conferta Sanctorum reliquiis, ita et Santillanam aliquæ allatæ, præsertim quando ex variis destructis urbibus eo colonos Alfonsus Catholicus Rex, Pelagii gener, deduxit? Evenire deinde potuit, ut cum ignoraretur, quorum eæ essent Divorum reliquiæ, ex nomine urbis Santillanæ, aliquis imperitus* S. Julianæ *esse conjecerit, idque sensim ad posteros transierit. Esto tamen,* Juliana *colatur illic, non ficto nomine, (neque enim convellere immemorabilem traditionem volo, quod esset publicæ obstrepere pietati) ut quanta ibi portio reliquiarum ejus sit, non exprimitur, nec quo tempore modove illuc pervenerit. Franciscus Gonzaga par. 3 Seraphicæ religionis in provin. Cantabriæ cap. 13 scribit* Horduniæ in conventu S. Marinæ, *præter alias reliquias, capita asservari SS.* Joannæ, Cæciliæ, Julianæ, Eugeniæ, quæ cum Ursula olim pro Christi fide passæ sunt. *Quidni vel ejusdem vel alterius Julianæ Ursulanæ suspicemur in Asturiam æque ac Cantabriam reliquias aliquas deportatas?*

*incertum an Nicomediensis Julianæ,*

*an alterius Sancti,*

*alteriusve Julianæ :*

*quid si Ursulana?*

25 *Nostram etiam illud conjecturam fulcit, quod Villegas, Padilla, Mendez Silva, martyrium consummasse Santillanensem illam scribunt die* XXVIII *Junii : quamquam uti Nicomediæ priores duo statuunt evenisse, anno Christi* CCCVII. *Hinc illam Marietta ad eum quoque diem refert. Quo etiam die Ferrarius in generali Catalogo SS. ita scribit :* In diœcesi Burgensi S. Julianæ Virg. et Mart. *Atque in Notis significat eam esse, quæ Santillanæ urbi dederit nomen. Georgius Cardosus in Notis ad Hagiologium Lusitanicum scribit,* XXVIII *Junii allatas esse Santillanam S. Julianæ reliquias, qui dies idcirco ejus honori dicatus fuit. In Breviario Burgensi excuso anno* CIↃIↃI *auctoritate Paschasii Burgensis, ad eum diem officium ponitur de S. Juliana cum* IX *Lectionibus, nullo apposito natalis aut translationis discrimine.*

*coli solet 28 Junii.*

26 *Nunc* VI *Martii colitur : quæ postremæ translationis anniversaria est celebritas, uti jam ex Maldonato retulimus, cui Marietta ceterique subscribunt. Quo die etiam Ferrarius :* Santillanæ in Asturibus translatio S. Julianæ Virg. et Mart. *ac plenius Joannes Tamayus Salazar ad eumdem diem :* Apud urbem Burgensem in Hispania translatio corporis S. Julianæ Virg. et Mart. Nicomediæ, quod ab antiquis temporibus e Campania ad oppidum S. Julianæ, et decurtato nomine Santillana, Burgensis diœcesis, asportatum, ibidem requiescit. *In notis pollicetur se ejus* Acta ad XXVIII Junii tomo 3 exscripturum. *Sed consilium postea mutavit : nam ad eum diem non meminit S. Julianæ.*

*jam 6 Martii.*

27 *Georgius Cardosus, ut jam diximus, Hispanis adstipulatur de* S. Julianæ *corpore Santillanam advecto : caput vero ait in Lusitania esse. Illic pagus est, quem Sacaven vocant, haud longe distans Ulysippone : in quo monasterium*

*caput S. Julianæ in Lusitania,*

A *monasterium S. Mariæ de Martyribus dictum, fundavit Michael Moura, Regis Sebastiani secretarius, caputque illi* S. Julianæ *donavit. Unde id ipse sit adeptus, negat Cardosus se comperisse: sed plures illic et præclaras asservari Cælitum reliquias ait. Cur ergo affirmat, id* S. Julianæ *Nicomediensis caput esse? Imo alterius esse ostendit Franciscus Gonzaga parte 3 Religionis Seraphicæ in provin. Algarbior. cap. 30, ubi de hoc cœnobio agit; ita enim scribit:* Penes se caput beatæ Virginis et Martyris Barbaræ, et alia quinque capita ex XI millibus Virginum, nec non partem sanctissimæ crucis Christi devotissime custodiunt. Quas omnes sacras reliquias præfactus fundator aliunde adductas dono ad domus decorem, ornatum atque devotionem, munificentissime maximaque liberalitate donavit.

*sed Ursulanæ:*

28 *Retulimus* I *Februarii ad Vitam S. Ignatii Antiocheni, § 4 de ejus Reliquiis num.* 15 *diploma Antonii Archiepiscopi Pragensis, quo testatur ejusdem sancti Martyris et Episcopi, Sanctique Joannis Evangelistæ capitis frusta, craniumque S. Julianæ Virginis et Martyris, binis inclusa argenteis capitibus, ab Abbate Osseceusi Ord. Cisterciensis donata Mariæ Mauriciæ, Wratislai Perustainii Bohemiæ Cancellarii uxori. Et* S. Ignatii *quidem templo Societatis* Jesu *Romæ donatæ postea reliquiæ: quid* S. Julianæ *cranio factum sit, nondum comperi. Ceterum idem Archiepiscopus in eo diplomate fidem facit,* S. Julianæ festivitatem die XVI Februarii quotannis in ecclesia Metropolitana devote commemorari et peragi consuevisse. *Quo etiam die* hæ sanctæ reliquiæ, *ut ait,* semper ad altare majus in monasterio Ossicensi expositæ fuerunt, et cum omni veneratione, debito cultu a populo frequentatæ. *Unde constat, illud creditum fuisse Nicomediensis Julianæ cranium.*

*cranium olim in Bohemia:*

B

29 *Halæ quoque, celebri Comitatus Tirolensis oppido, in parochiali basilica, immenso sacrarum reliquiarum thesauro locupletata, caput est* S. Julianæ Virginis et Martyris, *aut forte capitis pars. Hujusne tamen Julianæ sit, an alterius, haud mihi liquet. Sunt illic plurimarum Virginum ac Martyrum, sodalium S. Ursulæ, quarum aliquæ nominantur, plures sine nomine sunt, reliquiæ: sed plerisque, in Catalogo, quem nobis P. Albertus Faber Halensis collegii Societatis Jesu Rector transmisit, apponitur si ex illo virgineo cœtu sint: quo signo caret hoc* S. Julianæ caput. *Nam complures Julianas sodales S. Ursulæ recenset Hermannus Crombachius noster in S. Ursula vindicata. Quare Reverendissimus D. Ægidius Gelenius, qui nunc est Osnabrugensis Suffraganeus, cum scribat lib. 3 de Coloniæ magnitudine syntagm. 2 in S. Gereonis collegiata ecclesia* S. Julianæ bonam partem cranii asservari; *syntagm. 4 in S. Cuniberti itidem collegiata,* de Juliana Martyre; *syntagm. 12 in S. Pantaleonis monasterio,* digitum S. Julianæ Virg. et Mart. *syntagm.* 22 *in parochiali S. Lupi,* reliquias S. Julianæ; *nusquam, ut aliis Sanctis, diem apponit, neque lib. 4 in sacris Fastis ad* XVI *Februarii nomen* S. Julianæ: *ratus nimirum, qui domi nascantur, legi potius uniones oportere, quam peregrinos incerta fide accersi. Monachii, quæ Boicæ Ducum sedes, templum magnificum habet Societas Jesu, plurimis illustrium Sanctorum exuviis locuples, ac Sanctæ etiam Julianæ, quæ propterea Officio Ecclesiastico illic* XVI *Februarii colitur: sed quæ ejus reliquiæ ex sint, unde, quando oblatæ, nondum comperi.*

*caput S. Julianæ Halæ in Tiroli:*

*dubium cujus.*

*variæ reliquiæ Coloniæ, fors Ursulanarum:*

C

*aliquæ Monachii in Bavaria,*

30 *An ex triumphali, de quo antea, agmine S. Ursulæ fuerit* S. Juliana *Virgo et Martyr, cujus Duaci in Belgio custoditur in S. Petri collegiata æde brachium, haud possumus certo statuere. Recensetur certe quidem ab Arnoldo Rayssio cum aliis earum Virginum reliquiis. Ibidem in S. Amati collegiata itidem ecclesia, eodem teste Rayssio,* dens S. Julianæ Virg. Mart. *servatur: cujus non constat. Neque cujus exuviæ extent, in Præmonstratensi SS. Cornelii et Cypriani cœnobio juxta Ninoviam Flandriæ oppidum, quas eleganter ornatas idem scribit. Probabilius est* S. Julianæ *Nicomediensis fuisse reliquias, quas Fredericus Badensis, Episcopus Ultrajectinus, diplomate dato* XVIII *Junii* CIƆIƆXV, *testatur apud Rayssium, suo tempore cum aliis plurimis inventas in collegiata S. Joannis ecclesia, olim a B. Bernoldo Episcopo, seculo Christi undecimo, reconditas: quas Cumis fortassis ille acceperat.*

*Duaci in Belgio,*

D

AUCTORE J. B.

*Ninoviæ,*

*Ultrajecti olim:*

## § IV. *S. Julianæ V. M. reliquiæ Bruxellæ in Belgio.*

*Urbes multas enumeravimus, ac cœnobia nonnulla, quæ S. Julianæ penes se exuvias esse jactent, quædam nullo, ut ostendimus, incerto jure alia. Urbs una restat, secundam quam pronuntiare non vereamur, si traditione niti graviumque scriptorum testimoniis volumus. Ea est Bruxella, Brabantiæ, primariæ Belgarum provinciæ, Ducum olim domicilium, nunc Gubernatorum Belgii Catholici. Hic ergo corporis S. Julianæ insignes reliquiæ asservantur, in ecclesia S. Mariæ de Sabulone dicta. Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Ital. ad hunc diem ista adnotat:* Bruxellenses etiam, teste Molano, corpus hoc venerandum habere se credunt. *Molanus ad Usuardum in prima editione ista hoc die addit de S. Juliana:* Quæ passa est quidem in Nicomedia; sed post paucum tempus, Deo disponente, in Campaniam est translata: postmodum Bruxellam ad Sabulonem. *Idem scribit Canisius in Martyrol. At MS. Florarium:* Civitate Cumis S. Julianæ Virg. et Mart. Passa est in Nicomedia anno salutis CCLXXXVII, sed post paucum tempus, Deo disponente, in Campaniam translata. Modo vero servatur corpus ejus Bruxellæ in capsa argentea. *Aubertus Miræus in Fastis Belgicis, ubi de S. Juliana egit, ista subnectit:* Pars reliquiarum ejusdem Bruxellæ ad D. Virginis in Sabulo, ut vocant, magno cum honore adservatur. *Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico ista scribit pag.* 335. S. Mariæ parochialis Ecclesia Sabulensis Bruxellæ, portionem corporis insignis Virginis S. Julianæ possidet, quæ olim per quemdam Brabantiæ Ducem, reportata de hostibus victoria, ad hanc beatæ Virginis ecclesiam, ex Gallia delata est. *Ea ecclesia, quamvis ornata et ampla, non est tamen parochialis, ut putavit Rayssius. Denique Andreas Saussaius in Martyrol. Gallico ita habet:* Bruxellæ in Basilica B. Mariæ de Sabulo, susceptio reliquiarum S. Julianæ Virg. et Mart. quæ sub Maximiano, *etc.*

*notabiles Bruxellæ,*

*ut testantur graves scriptores,*

E

32 *Extant in cœnobio Rubeæ vallis in Sonia silva, tom. 2 Hagiologii Brabantinorum, Acta S. Julianæ V. M. quibus iste præfixus Prologus est, concinnatus, ut opinor, ab Joanne Gilemanno, qui illic Canonicorum Regularium Supprior fuit ac plura de rebus gestis Sanctorum volumina collegit, manuque sua descripsit, mortuus demum anno* CIƆCCCCLXXXVII. *Ita ergo in eo Prologo loquitur:* Aggrediar jam, Deo mihi subsidium ministrante, manum movere pariter et calamum, ad posterorum memoriam scripto contradens martyrialem historiam sanctæ, castæ fortisque Virginis Christi Julianæ: quæ licet dudum in partibus orientalibus passa sit, ejus tamen venerabilium exuviarum pignus hactenus Brabantia continet ac honorat. Granum quippe frumenti in hac terra missum, post mortem multum fructum effecit, dum ejus sacri corporis præsentia coruscantibus virtutibus ipsius et meritis, devotos Brabantinos non parum devotiores reddidit. Video sane oculis nostris objectum præclarissimum speculum constantiæ in passione hujus Virginis. Video, inquam, virilis etsi non sexus tamen animi fœminam, cunctis seculis satis ad-

F

*præsertim ante annos fere 200 Joan. Gilemannus in Prologo ad Acta:*

 mirandam

AUCTORE J. B.
* *imo Joannis* ep. 1. 4.

A mirandam. Hæc enim, juxta consilium Apostoli * Pauli, omni spiritui nullatenus fidem adhibens, in sponso suo cœlesti spem totalem reposuit : pro quo castam vitam morte breviare maluit, quam præsentis exilii jocunditate temporaliter perfrui. Auxilio igitur confortata illius, qui suis fidelibus novit potenter semper adesse, seductionem antiqui serpentis sapienter cavit, caput ejus proprio calcaneo subjiciens, cui non solum ore ad os loqui donatum est, sed et ipsum ligare, verberare atque omnibus omnimodis coercere. Juvet igitur nos suis orationibus et meritis, ut qui ejus præsentiam in carne dum adviverat non meruimus, saltem ejus sacri corporis martyrizati pignus debito honore veneremur, ejusque passionem ea qua decet diligentia recenseamus : quatenus ipsum, quem in suo certamine compescuit et suppeditavit, gratia Dei muniti, nos quoque superare mereamur : omnibusque tentationibus viriliter subactis, cœlestis regni gloriam per eam assequamur, in qua una cum suo sponso vivit et gloriatur in perpetuas æternitates.

*traduntur donatæ a Rege Galliæ Duci Brabantiæ Joanni 3.*

33 *Qua vero ratione sacrum illud pignus adepti sint Bruxellenses, non exponunt citati scriptores. Id, ex majorum traditione, nonnulli eorum, qui illius basilicæ curam gerunt, ita narrant contigisse. Joanni illius nominis tertio Duci Brabantiæ cum bellum adversus Gal-* B *liæ Regem annis aliquot fuisset, tandem pacem coaluisse : hujus bona fide sanciæ pignus a Rege ad Ducem missum* S. Julianæ *Nicomediensis Virg. et Martyris corpus, arcæ argenteæ inclusum, varieque exornatum. Quod Dux Ecclesiæ Sabulonensis mox dedit. Petrus Divæus rer. Brabanticar. lib. 14 scribit anno* CIↃCCCXXX, *quod Joannes Dux Robertum Atrebatem e Gallia profugum honorifice recepisset, nec dedere reposcenti Regi vellet,* nempe nulla clientela Regi obstrictus; *hunc Duci bellum intulisse, fœdere sibi sociatis plerisque Belgarum principibus, ac Rege Bohemiæ Joanne antea Brabanto infensis. Sed Guilielmum Hollandiæ et Hannoniæ Comitem, Regis sororium sedulo ad pacem coagmentandam incubuisse, tandemque* pervicisse ut colloquio dies præscriberetur. Perductus tum Dux noster a Senonum ac Teruanæ Episcopis in Franciam, a Rege Compendii exceptus est summo honore... Inde Lutetiam una profecti, pace inter sese firmata, affinitatem inierunt, Maria filia Regis Joanni Ducis filio desponsata... His peractis reversus domum Dux, filium pulchro comitatu in Franciam misit : quem, mortua ante nuptias sponsa, Rex multis honoratum muneribus patri remisit. *Hæc anno* CIↃCCCXXXIII *gesta, quæ et Franciscus Haræus tom. 1 Annal. Brabantiæ, Divæi verbis narrat. Eo igitur tempore probabile est, eas S. Julianæ reliquias Duci a Rege donatas. Et fuere* C *forsan pars munerum, quibus Joannes Ducis filius a Philippo* VI *Valesio honoratus dicitur.*

*pace cum eo facta*

*anno 1333.*

34 *Quidam non Joanni* III, *ejusve filio donatas S. Julianæ reliquias autumant, sed Joanni* I *illius avo : tunc fortassis cum is sororem suam Galliæ Reginam, liberavit, de privigni nece falso insimulatam, provocato ad singulare certamen accusatore, et mox aliorum scelerum convicto et in furcam acto, quod ad annum* CIↃCCLXXVI *in Annalibus narrat Haræus. Aut fortassis sacratum illud pignus adeptus est Joannes, cum, ut idem prodit Haræus aliique nostrates scriptores, Philippo* III *Galliæ Regi adversus Aragonium suppetias tulit : et Rege anno* CIↃCCLXXXV *mense Octobri mortuo, Franci in Gallias, ipse in Brabantiam sub exitum autumni reverti, hoc forsan a Philippo* IV, *defuncti filio, munere honoratus. Eodem spectat, quod in memoriam celeberrimæ victoriæ, quam idem Joannes* I *Dux de Gelro, eique fœderatis Principibus, ad Woringum arcem haud procul Colonia* V *Junii anno* CIↃCCLXXXVIII *retulit, anniversaria Bruxellæ instituatur supplicatio ab eadem æde S. Mariæ in Sabulone, in qua S. Julianæ reliquiæ ab* D *omni retro memoria circumferuntur, Dominica prima Quadragesimæ. Hac autem de victoria Brabanti ad Woringam ridiculum est quod Henricus Spondanus Apamearum in Gallia Narbonensi Episcopus, in Continuatione Annalium Baronii ad annum 1288 num. 9 scribit,* nullos omnino pedites; Brabantino CIↃCIↃ equites, *hosti (quem* Lutzenburgensem *facit, quia hic cum fratribus ad Gelri auxilia venerat)* CIↃCCC tantum fuisse. *Citat Hocsemium, qui tunc vivebat, nec admodum Brabanto favebat : hic tamen ita scribit cap. 16 :* Pars Ducis adversa bellatores habebat fere tertia parte numero potiores. *Ac deinde :* Ex parte Comitis Geldriæ duo millia et quingenti, præter captos et confossos vulneribus ceciderunt. *Consentiunt ceteri scriptores, maximas fuisse partis utriusque copias. Arbitror quot is scribit, fuisse fortassis* Equites, *id est, eminentes nobilitate viros.*

*vel forte Joanni 1 an. 1276,*

*vel 1285*

*in supplicatione ob ejus victoriam instituta circumferuntur.*

35 *In Galliam vero quando eas reliquias Neapoli devenisse censebimus? Nempe cum regnum Neapolitanum Gallici Reges tenuerunt, ab anno circiter* CIↃCCLXIV, *Carolus Andegavensis S. Ludovici Regis frater, Carolus Claudus ejus filius, hujusque Robertus. Facile enim evenire potuit, ut horum Regum quispiam, aut aliqua Reginarum, eas reliquias a sanctimonialibus S. Mariæ Donnæ Romatæ, aut ceteris nescientibus ab earum Abbatissa, impetraret, aut vi auferret, mitteretque in Galliam; aptum munus ad conciliandam gratiam Regum Christianissimorum, quorum identidem illi auxiliis egebant. Et Neapoli certe quidem, uti diximus, cum existiment piæ sanctimoniales eum se thesaurum adhuc possidere, tamen ubi lateat omnino ignoratur.* E

*post an. 1264 allatæ in Galliam.*

*Neapoli ubi nunc sint ignoratur :*

36 *Nec est quod memoriam illius donationis translationisve, si facta esset, debere in eo cœnobio extare quis arbitretur. Vel clanculum res gesta; vel si palam, consignata fortasse litteris non est. Neque semper, cum ea ratione distrahitur pars sacri thesauri, id Actis in eo loco, unde asportatur, reservandis mandatur. Vulgo satis habent, si tabulas donationis conficiunt, quas et tradunt, cui reliquias donarunt. Scio ex thesauro nostræ hujus Domus, assentiente Præposito Generali Mutio Vitellèsco, donatas reliquias insignes sodalium S. Ursulæ Coresopitensi Societatis nostræ collegio, in Britannia Armorica, alias earumdem Virginum ac Martyrum missas in Indias Occiduas ab Andrea Judoci, qui tunc huic Domui præerat : quasdam item variorum Sanctorum antea a Joanne Tolenario datas collegio Aldenardensi in Flandria : neque tamen hujus rei ulla in annalibus Domus mentio fit. Sufficere ambo judicarunt, si publicas litteras donationis testes conficerent, exhibendas Antistibus, quorum in diœcesim deportarentur. Neque vulgo fieri aliter reor. Tot hoc nostro seculo Roma in Belgium, Hispaniam, Poloniam, Austriam deportata sunt corpora Sanctorum, additæque singulis legitime confectæ tabulæ : quæ tamen in tabulario Apostolico repositæ non sunt. Ista historici curamus : ceteri, quoad ipsis bono est. Demus tamen cum ille in Galliam transmissus est thesaurus, diligentissime rem totam in acta relatam : ipsa acta nonne frequentissime pereunt, incendio, situ ipso, negligentia eorum qui custodire ea debuerent?* F

*nec ibi Acta donationis servata,*

*vel deperdita*

37 *Merito igitur Bruxellenses, quem a* CCC *annis, aut etiam prius habuere sacrum thesaurum, religiose asservant. Qua autem tempestate hæretici rerum in ea urbe potiti, templorum ornamenta depeculati sunt, et Sanctorum, quæ potuere, lipsana igni modisque aliis dissiparunt, thesaurus ille penes homines integræ fidei asservatus est, pulsisque hæresi restitutus in priorem locum. Est tamen theca illa argentea postea, nescio quos ad usus, sive illius basilicæ, sive Reip. diffracta conflataque. Sed vivunt etiamnum qui sibi parentes suos aliosve fide dignos homines narrasse asserunt, eam sibi olim visam cultamque thecam esse.*

*Bruxellæ in theca argentea servata tempore hæreticorum*

38 *Nunc in lignea oblonga theca conditæ reliquiæ*

A *sunt, neque admodum affabre facta, partim tamen auro partim coloribus ornata. Appensa tabella itidem lignea, in qua aureis litteris ista exarata epigraphe est :* Reliquiæ S. Julianæ Virg. et Mart. *Supra eam thecam alia capsa visitur, ibidem ex ligno, forma ac magnitudine humani capitis, facie in Virginei vultus similitudinem picta. Humeri (nam desunt brachia et reliquum pectus) ex argento ductili sunt : et visuntur aliquæ ad collum reliquiæ. Pars cranii in superiori parte capitis posita conspici potest, cum tenuis lamina argentea, quæ illam cranii partem tegit, avertitur. Locata hæc theca ac caput supra januam sacelli, quod est in illius basilicæ choro ad cornu altaris, ad quod Epistola canitur, clathris et columellis æneis septum.*

*nunc in lignea aurata :*

*seorsim pars capitis.*

39 *Testatur Saussaius in Martyrol. Gallicano, S. Julianæ* memoriam Senonis, Augustodini, Aureliis, Remis et Suessione hodie agi; at Lemovicis coli die præcedenti. *Habeantne illæ Ecclesiæ ejus reliquiarum particulas, an sola martyrii ejus celebritate motæ eam venerentur, haud nobis exploratum. Solet in plurimis aliis, Belgicis præsertim, Ecclesiis agi S. Julianæ commemoratio, uti et Herbipoli in Franconia, atque alibi.*

*Colitur et alibi S. Juliana.*

## ACTA AUCTORE ANONYMO, ex XI veteribus MSS.

B

### CAPUT I.

### *S. Juliana connubium Gentilis Præfecti aversata, ab eo et patre dire torquetur.*

Benignitas Salvatoris nostri, Martyrum perseverantia comprobata, eo usque processit, ut fidei amicos coronaret, et inimicos eorum ex ipsis inferorum claustris *b* erueret. Denique temporibus Maximiani Imperatoris, persecutoris Christianæ religionis, erat quidam Senator in civitate Nicomedia, nomine *c* Eleusius, amicus Imperatoris. Hic desponsaverat quandam puellam nobili genere ortam, nomine Julianam. Cujus pater Africanus cognominabatur, qui et ipse erat persecutor Christianorum : uxor vero ejus dum intentione animi sacrilegia *d* Martis perhorresceret, neque Christianis neque paganis miscebatur. Juliana autem habens animum rationabilem, prudensque consilium, et dignam conversationem, et virtutem plenissimam, hoc cogitabat apud se, quoniam verus est Deus, qui fecit cœlum et terram : et per singulos dies *e* vacans orationibus concurrebat ad ecclesiam Dei, ut Divinos apices intelligeret. Eleusius vero sponsus ejus nuptiarum complere festinebat festivitatem. Illa autem dicebat ad C eum : Nisi dignitatem præfecturæ administraveris, nullo modo tibi possum conjungi. Hæc audiens Eleusius, dedit munera Imperatori Maximiano, et successit Præfecto alio administranti, seditque in *f* carruca, agens officium præfecturæ. Transactis autem paucis diebus, denuo misit ad eam. Tunc Juliana prudenti pertractans consilio dixit ad eos : Euntes dicite Eleusio : Si credideris Deo meo, et adoraveris Patrem et Filium et Spiritum sanctum, accipiam te maritum. Quod si nolueris, quære tibi aliam uxorem.

*b*

*S. Juliana Ethnicis parentibus nata, c*

*d*

*sapiens*

*e sponsum pia arte differt,*

*f deinde respuit, ni Christianus fiat*

2 Audiens hæc Præfectus, vocavit patrem ejus, et dixit ei omnia verba quæ ei mandaverat Juliana. Pater vero ejus hæc audiens dixit : Per misericordes *g* et amatores hominum Deos, quod si vera sunt hæc verba, tradam eam tibi. Et his dictis perrexit ad filiam suam cum magno furore, et convocavit eam, dicens : Filia mea dulcissima Juliana, lux oculorum meorum, quare non vis accipere Præfectum sponsum tuum? En vero volo illi complere nuptias vestras. Beata Juliana confidens in Christum dixit : Si coluerit Patrem et Filium et Spiritum sanctum, nubam illi : quod si noluerit, non potest me accipere in conjugium. Hæc audiens pater ejus dixit : Per misericordes Deos Apollinem et Dianam, quod si permanseris in his sermonibus, feris te tradam. Juliana respondit : Noli credere, pater, quia te timere habeo. Per Filium Dei vivi, quod si viva habeo incendi, numquam tibi consentiam. Tunc denuo rogavit eam pater suus, ut ei consentiret, nec tale perderet decus. Ad hæc Juliana respondit : *h* Eia pater, non intelligis quæ a me tibi dicuntur. Verum dico et non mentior, quia omnem quæstionem et omnia judicia gratanter sustineo, nec recedam a Domini mei Jesu Christi præcepto. *i* Statim pater ejus jussit eam exspoliari et cædi, dicens ad eam : Quare non adoras Deos? Illa autem clamans dicebat : Non credo, non adoro, non sacrifico idolis surdis et mutis : sed adoro Dominum Jesum Christum, qui vivit semper et regnat in cœlis. Tunc pater ejus cruciatam tradidit eam Præfecto sponso ejus. *k*

*g*

*patris blanditias et minas contemnit.*

D

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*h*

*i ejus jussu nuda verberatur.*

*k*

3 Præfectus autem jussit eam diluculo adduci ante tribunal suum, et videns pulchritudinem ejus, mollissimis eam allocutus est verbis : Dic dulcissima mea Juliana, quomodo me tanto tempore delusisti? Quis te persuasit colere alienum Deum? Convertere ad me et declina omnes cruciatus, qui tibi parati sunt, si sacrificare nolueris. B. Juliana respondit : Et tu si consenseris mihi, ut adores Deum Patrem E et Filium et Spiritum sanctum, acquiescam tibi : si vero nolueris, non mihi dominaberis. Præfectus dixit : Domina mea Juliana, consenti mihi, et *l* credo Deo tuo. B. Juliana respondit. Accipe Spiritum Dei, et nubam tibi. Præfectus dixit : Non possum, Domina mea, quia si fecero, audiet Imperator, et successorem mihi dans caput meum gladio amputabit. S. Juliana respondit : Et si tu times istum Imperatorem mortalem, et *m* in stercore sedentem, quomodo me cogere potes immortalem Imperatorem negare? unde multum blandiens decipere me non potes. Quæ tibi videntur, in me exerce tormenta. Ego autem credo in quem credidit Abraham, Isaac et Jacob, et non sunt confusi, quia potens est me liberare de tormentis tuis.

*sponsi, jam Præfecti, blanditias refutat.*

*l*

*m ridet tormenta :*

4 Audiens hæc Præfectus, commotus iracundia jussit eam cædi. *n* Extensa vero in terra S. Juliana, jussit eam quatuor virgis nudam cædi, ita ut mutarentur in ea *o* tres milites vicissim cædentes : et post hæc jussit cessari ab ea, et dixit ei Præfectus : Ecce principium quæstionis : accede, et sacrifica magnæ Dianæ, et liberaberis de tormentis. Quod si nolueris, per magnum Deum Apollinem, non tibi parcam. S. Juliana respondit : Noli credere, quod suasionibus tuis me revocare poteris a Domino meo F Jesu Christo. Tunc Præfectus jussit eam capillis suspendi. Appensa vero per *p* sex horas clamans dicebat : Christe fili Dei veni, adjuva me. Tunc Præfectus jussit eam deponi, dicens ad eam : Accede Juliana, et sacrifica, ne in tormentis deficias : *q* non enim te poterit liberare, quem putas Deum colere. Juliana respondit : Vincere me non poteris miser per tua tormenta : sed ego in nomine Domini mei Jesu Christi vincam mentem tuam inhumanam, et faciam erubescere patrem tuum satanam, et inveniam fiduciam in conspectu Domini mei Jesu Christi. Præfectus autem commotus ira jussit *r* æramenta conflari, et spoliatam eam a capite, usque ad talos perfundi, et sic eam incendi. Quo facto, nihil ei nocuit. Iterum jussit *s* ligamen per femora ejus mitti, et sic eam in carcerem recipi. *t*

*n dire cæditur virgis :*

*o*

*per capillos suspenditur :*

*p*

*q*

*r liquato ære perfunditur illæsa :*

*s*

*t ferro ligatis femoribus, traditur in carcerem :*

5 Hoc autem facto posita S. Juliana in carcerem cœpit dicere : Domine Deus omnipotens, anima mea in exitu posita est, confirma me, et exaudi me, et miserere mei, et dolentibus circumstantibus mihi miserere : et præsta mihi misericordiam tuam, sicut et omnibus qui tibi placuerunt. Deprecor etiam te, Domine,

*AUCTORE ANONYMO EX MSS.*

*orat ut a Deo juvetur,*

A Domine, ne deseras me, quia pater meus et mater mea dereliquerunt me : Sed tu Domine Deus meus suscipe me ; et ne projicias me a facie tua, et ne deseras me in isto tempore doloris, sed serva me in his tormentis, sicut servasti Danielem in lacu leonum, et sicut liberasti Ananiam, Azariam, Misaelem de camino ignis ardentis, sic et me custodi in brevitate vitæ istius, et deduc me in portum voluntatis tuæ, sicut deduxisti filios Israel fugientes ex Ægypto per mare sicut per terram, inimicos autem illorum operuit mare ; ita me Domine exaudire dignare, et extingue minas tyranni, qui contra me exsurrexit, et destrue potestatem ejus ac mentem, quoniam tu Domine scis naturam humanam, quia captivitatem non potest pati. Esto mihi Deus præsens auxiliator et adjutor in tormentis, quæ inducturus est super me, ille qui judicii tui præceptum non servat : *x* et fac ipsum Præfectum, participem dæmoniorum, a me derideri, et ipsum consumptum a vermibus magno dolore torqueri, ut ostendatur virtus tua super me ancillam tuam, quia tu es Deus solus, et tibi gloriam dicimus in secula seculorum, Amen.

*x et tyrannus confundatur.*

a *Multa MSS. incipiunt,* Temporibus Maximiani, *quædam,* Martyrum perseverantia comprobata. — b *MS. Cusanum,* erudiret. — c *Ita MSS. plerNque et Menæa ac Metaphrastes, quædam MSS.* Helysæus, *unum nostrum,* Gelasius. *Baronius,* Evilasius. *Ferrar. etiam* Elvisius *Nova Legenda excusa Lovanii anno* 1485 B Eulolius, *ac postea* Eleugius. *Felix et Maurol.* Eulasius *MS. S. Cyriaci,* Bolesius, *alii,* Eolasius *Aquisgran.* Colesius *Max.* Eblesius. *Martin.* Eulolisius — d *Fatetur Metaphrastes fuisse* in confinio erroris Gentilium et pietatis : *sed caussam cur minus ad dicta Gentilibus esset omittit, Pro* Martis, *MSS. quædam habent,* Jovis *duo nostra,* mariti. — e *Metaphr.* His vero tribus suam vitam dispertiebat, orationi et templis Dei et lectioni sacrarum Scripturarum — f *Ita MSS. pleraque duo,* curru. *unum* cathedra. — g *Quædam MSS. hic habent,* Principes et amatores *etc. Unum,* Per misericordes et amantes omnium deos. — h *Quædam MSS.* Deliras pater. — i *Metaphrastes ait, traditam in custodiam, noctu eductam, et cum de constantia nihil remitteret, plagas ei inflictas.* — k *Addit MS. S. Maximini* : dicens Si non acquieverit ut nubat, diversis pœnis interfice eam. — l *Quoddam MS.* crede. *Atque ita quoque loquitur apud Metaphrasten Eleusius* . Quod si etiam nolis diis sacrificare, nos tibi nullam vim afferemus : tu solum mihi annue nuptias. — m *MSS. quædam,* stercora edentem *MS. S. Max.* stercore fœtentem. *Unum nostrum,* stercore madentem *Cetera ut vidimus.* — n *Hoc tormentum ita explicat Metaphrastes* : ut a quatuor lotis extensa, aridis quidem nervis, viridibus autem viminibus ipsa diu a multis verberaretur. *Menæa habent* crudis bubulis nervis cæsam a sedecim lictoribus. — o *MS. Cusanum et Vincentius* septem. *S. Max Hubergense, et aliud nostrum,* sex. — p *MS. S. Martini Treviris* septem *Vincentius,* quinque. *Ita amplificat Metaphrastes* : magna autem diei parte pendens, adeo ut propter violentam extentionem avulsa quidem sit pellis a capite, vultus vero sit valde perturbatus, et super frontem tracta fuerint supercilia. — q *Ita MSS aliquot, Gladbacense, Hubergense, et aliud nostrum* Et non te liberabit Deus tuus quem colis. — r *Ita MSS. Cusanum, quædam,* tormenta afflari. *Gladbac. Hubergen. et aliud,* æs incendi. *S. Max et unum nostrum,* æramentum conflari *Menæa et Metaphrastes, eo hic omisso tormento aiunt,* latera illi candentibus laminis adusta. — s *Ita MSS. pleraque et Vincentius, ut Cusanum, Reginæ Sueciæ, et quædam alia* ligamenta *Menæa* Aliud quoque ferramentum igne candefactum per medium ejus femur transadigit *Metaphrastes* Deinde lateribus jubet alligari manus, et aliquod aliud ferrum transadigi per media ejus femora, et sic colligatam, vel potius confixam, abduci in carcerem — t *Addunt Menæa* manibus C post terga revinctis — u *Addunt MSS. Gladbac. Huberg. et aliud nostrum.* Pater omnium, dispensator omnium bonorum spei infertor, consilii dator, defensor mœrentium, susceptor ligatorum, servator et recreator dolentium, pastor errantium — x *Desunt ista in MSS. Treverensibus S. Max. et S. Martini, Cusano item, et Reginæ Sueciæ, ac duobus nostris, et Vincentio, habentur in ceteris plerisque. Heschio in Historiarum censura cap.* 2 *displicet propterea hæc Vita,* quia *Sancta* orat ut Præfectus fiat particeps dæmoniorum : *quod supra refellimus*

## CAPUT II.

### *Dæmon S. Julianæ impia suadens, ab ea verberatur, et vinctus trahitur.*

*Dæmonem in forma Angeli impia suadentem,*

Et dum finisset orationem apparuit ei dæmon, nomine Belial, in figura Angeli, et dixit ad eam : Juliana dilecta mea, mala et pessima tormenta tibi parat Præfectus. Modo audi me, et salva eris. Cum te de carcere jusserit egredi, accede et sacrifica, et effugies tormenta. Putabat autem S. Juliana quod Angelus Dei esset, et dicit illi : Tu quis es? Dicit ad eam diabolus : Angelus Domini sum. Misit me ad te, ut sacrifices, et non moriaris. Juliana autem ingemiscens amarissime exclamavit ad Dominum, et oculos suos levans ad cœlum cum lacrymis dixit : Domine Deus cœli et terræ, ne deseras me, neque D permittas perire ancillam tuam : sed confirma cor meum in virtute tua : et confidenti in nomine tuo significa mihi quis est iste, qui mihi talia loquitur, et persuadet idola adorare. Statimque vox facta est de cœlo ad eam, dicens : Confide Juliana, ego sum tecum, qui loquor ad te. Tu autem apprehende istum, qui tecum loquitur, ut scias quis sit ille.

*dæmonis edocta,*

7 Tunc S. Juliana *a* exsurgens de pavimento, facto Christi signaculo, tenuit Belial dæmonem et dixit ei : Dic mihi, quis es tu? et unde es? vel quis te misit ad me? Tunc dæmon respondit : Dimitte me, et dicam tibi. B. Juliana dixit : Dic primo et sic te dimittam. Tunc dæmon cœpit loqui : Ego sum Belial dæmon (quem aliqui *b* Jopher Nigrum vocant) malitiis hominum oblectatus, homicidiis gaudens, amator luxuriæ, amplectens pugnam, dissolvens pacem. Ego sum, qui feci Adam et Evam in paradiso prævaricari : ego sum, qui feci ut Cain interficeret Abel fratrem suum : ego sum qui feci omnem substantiam Job perire : ego sum qui feci populum Israel in deserto idola venerari : ego sum qui feci Isaiam *c* Prophetam ut lignum ad serram secari : ego sum qui feci *d* Nabuchodonosor Regem facere imaginem : ego sum qui tres pueros feci mitti in caminum ignis ardentis : ego sum, qui feci Jerusalem *e* inflammari : ego sum, qui feci ab Herode infantes occidi : ego E sum, qui feci *f* Judam tradere Filium Dei : ego præoccupavi Judam, ut laqueo vitam finiret : ego sum, qui compunxi militem lancea sauciare latus Filii Dei : ego sum, qui feci ab Herode Joannem decapitari : ego sum qui per Simonem locutus sum quia magi essent Petrus et Paulus : ego sum, qui ad Neronem Imperatorem ingressus sum, ut Petrum crucifigeret, et Paulum decapitaret : ego sum qui Andream feci tradi in regione Patras : ego ista omnia et alia deteriora feci cum fratribus meis.

*a*

*tenet, et interrogatum quis sit,*

*b*

*multaque de suis malefactis effutientem,*

*c* *d* *e* *f*

8 B. Juliana dixit : Quis te misit ad me? Dæmon respondit : Satanas pater meus. S. Juliana dixit : Et quomodo dicitur pater tuus? Dæmon respondit : *g* Beelzebub. S. Juliana dixit : Et quod est opus illius? Dæmon respondit : Totius mali inventor est. Statim enim ut ei assistimus, dirigit nos tentare animas fidelium. S. Juliana dixit : Et qui repulsus fuerit a Christiano, quid patitur? Dæmon respondit : Mala et pessima patitur tormenta. Si missi fuerimus contra justum, ut subvertamus illum ; quod si non potuerimus *h* non videbimur ab illo a quo mittimur. Quando enim quæsiti ab illo fuerimus, et non inventi, demandat aliis dæmonibus, ut ubi inventus fuerit is qui missus est, male tractetur ab illis : deinde fugit, F ut non possit inveniri. Necesse ergo est nobis facere quod præcipit, et obaudire illi ut gratissimo parenti. S. Juliana dixit : Ad quæ opera justa proficiscimini, narra mihi. Dæmon respondit : Ecce Domina mea, ut omnia tibi dicam, et agnoscas a me veritatem, quomodo ego malo meo huc ad te introivi, et putavi te inducere ut sacrificares et negares Deum tuum ; sic ingredimur ad omnes homines, tam ego quam fratres mei.

*g deque tentatione hominum,*

*h*

9 Et ubi invenerimus *i* prudentem ad opus Dei consistere, facimus eum desideria multa appetere, convertentes animum ejus ad ea quæ apponimus ei : facientes errorem in cogitationibus ejus, et non permittimus illum vel in oratione vel in quocumque opere bono perseverare. Et iterum si viderimus aliquos concurrere ad ecclesiam *k* et pro peccatis suis se affligentes, et scripturas divinas cupientes audire, ut aliquam partem ex ipsis custodiant, statim ingredimur domos ipsorum, et non permittimus illos boni aliquid agere, et multas cogitationes immittimus in corda eorum. Nam si quis ipsorum superare potuerit, et recesserit a cogitationibus suis vanis, et ierit orare

*i etiam bona negantium,*

*k*

A orare, et sanctas Scripturas audire, et communicare divinum mysterium, ab illo præcipites effugamur. Quando enim Christiani communicant divinum mysterium, recedentes nos sumus illa hora ab eis. Nos enim nullius rei curam gerimus, nisi solum subvertere homines bene viventes. Si vero viderimus eos aliquid boni tractare, amaras cogitationes inferimus illis, ut nostras voluntates sequantur.

10 S. Juliana dixit : Immunde spiritus, quomodo præsumis Christianis te admiscere? Dæmon respondit : Dic mihi et tu, quomodo ausa es me tenere, nisi quia confidis in Christum? Si et ego confido in patrem meum, quia malarum actionum est auctor, et quæ vult hæc facio. Multa enim mala conatus sum perpetrare, et aliquotiens prosperi occursus fuerunt desiderii mei. Sed quomodo nunc malo meo missus sum ad te! Utinam te non vidissem! Heu mihi misero quid perfero? Quomodo non intellexit pater meus, quid mihi eveniret? Dimitte me, ut vel ad alterum mihi liceat transire locum. Nam accusabo te patri meo : *l* et non expediet tibi. Tunc S. Juliana ligavit illi post tergum manus, et posuit eum in terram, et apprehendens unum e vinculis, de quibus ipsa fuerat ligata, cædebat ipsum dæmonem. Tunc dæmon clamavit rogans et dicens : Domina mea Juliana, Apostolorum comes, Martyrum consors, B participes Patriarcharum, socia Angelorum, *m* adjuro te per passionem Domini Jesu Christi, miserere infelicitati meæ.

*et poscentem dimitti,*

*l ligat ac verberat,*

*m*

11 S. Juliana dixit : Confitere mihi immunde spiritus, cui hominum injuriam fecisti? Dæmon respondit : *n* Ego multorum hominum oculos extinxi, aliorum pedes confregi, alios in ignem misi, alios appendi, alios autem sanguinem vomere feci, alios in pontum submersi, alios vitam finire feci violenter, alios autem in suo furore manibus suis cruciari feci : et ut breviter dicam, Omnia mala, quæ in isto mundo sunt, meo consilio peraguntur, et ego ipse perficio : et alios quos inveni non habentes signaculum Christi, interfeci. Et, cum omnia mala fecerim, nemo ausus fuit me torquere, quantum tu. Nemo Apostolorum manum meam tenuit : tu autem et ligasti me. Nemo Martyrum me cecidit, nemo mihi Prophetarum injurias fecit, quas a te sustineo : nemo Patriarcharum in me manum misit. Nam et ipsius Filii Dei experimentum cepi in deserto, et feci illum ascendere in montem excelsum, et nihil mihi fecit : et tu me sic tormentis consumis? O virginitas, quid contra nos armaris? O Joannes, quid contra nos virginitatem tuam ostendisti?

*n multoque iterum maleficia sua referentem,*

12 Et ista dæmone dicente, jussit Præfectus Julianam de carcere accersiri ad se. Sancta autem Juliana, C dum duceretur, trahebat secum dæmonem. Dæmon autem rogabat eam, dicens : Domina mea Juliana dimitte me, jam amplius noli hominibus me ridiculum facere : non enim potero postea homines *o* convincere. Patrem meum superasti, me vinxisti, quid adhuc vis? Dicunt increduli Christianos misericordes esse, tu autem in me ferox visa es. Et dum hæc diceret dæmon, S. Juliana trahebat eum per forum : et dum diu rogaret eam, projecit eum in locum stercore plenum.

*vinctum in forum ducit,*

*o*

*ac tandem abjicit in sordes,*

## CAPUT III.

### *S. Juliana varie torta decollatur, et* CXXX *ab* E *ea conversi. Translatio corporis.*

Et veniens intra prætorium, facies ejus gloriosa visa est omnibus. Et cum respexisset ad eam Præfectus, admiratus eam, dixit : Dic mihi Juliana, quis te docuit talia? Quomodo tanta et talia tormenta incantationibus superasti? S. Juliana respondit : Audi me, impiissime Præfecte, et dicam tibi. Dominus meus Jesus Christus docuit me colere Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et ipse vicit patrem tuum satanam et dæmones ejus, et misit de sedibus suis sanctis Angelum suum, qui mihi auxiliaretur et confortaret me. *a* Tu autem miser ignoras, quia tibi parantur æterna tormenta, ubi habebis æternos cruciatus, vermem edentem, nec deficientem, atque obscuritatem æternam. *b* Pœnitere infelix. Nam Dominus Jesus Christus misericors et pius est, et vult omnes homines salvos facere, et dat pœnitentiam salutis, et remissionem peccatorum.

*ad tribunal professæ, se ab Angelo adjutam,*

*a*

*b hortata Præfectum ad fidem,*

14 Tunc Præfectus jussit adduci rotam ferream *c* et figi in ea gladios acutos, et super ipsam rotam imponi Virginem, ut staret rota in medio duarum columnarum, et quatuor milites de ista parte, et alios quatuor ex alia parte : et milites trahebant rotam, *d* et Julianam habebant superpositam. Trahentes F autem milites machinam tangebant, et nobile corpus Virginis Christi omnibus membris findebatur, et medullæ de ossibus ejus exibant, et tota rota tingebatur de illa, et sæviebat *e* ignis ex incendio. Beata autem Juliana stabat immobilis in fide Christi, contrita corpore, sed rigida fide. Angelus autem Domini descendit de cœlo, et extinxit flammam, et vincula soluta sunt ab igne.

*c rotæ alligata,*

*d gladiis discerpitur, et igne torquetur :*

*e liberatur ab Angelo :*

15 Sancta autem Juliana stans sine dolore glorificabat Dominum, et extendens manum ad cœlum cum lacrymis et gemitu cœpit dicere sic : *f* Domine Deus omnipotens, solus habens immortalitatem, vitæ dator, creator omnium seculorum, qui cœlum extendisti manibus, et terræ fundamenta fecisti, et hominem tuis manibus plasmasti, paradisi plantator et viventis arboris humani generis gubernator; qui Loth a Sodomis propter hospitalitatem liberasti, qui Jacob, benedixisti, et Joseph de fraterna invidia liberasti, qui et venditus est in Ægypto, et honorem Principum ei donasti, qui servum tuum Moysen misisti in Ægyptum, et servasti eum de manu Pharaonis, et per

*f gratias Deo agit*

a *Duo MSS.* de doloribus, in quibus erat constricta. *Metaphrastes ait, ad vocem cœlestem soluta fuisse vincula, cecidisse ferrum a femoribus Julianæ, illam vero humo statim surrexisse, et factam sui juris : dæmonem autem vinctum tunc fuisse.* Vincentius *quoque ait Julianam* sanam factam a doloribus suis. — b *In Gladbacense unum nostrum* Jovem nigrum *Vincentius,* Jophin nigrum. *Cusan. S. Maximini, Ihbergense.* Jofer *Alia* Jofen, et Topher Schachor *forsan fuit, quod Hebraice* Nigrum *significat, a* שָׁחֹר. *Sed in similibus nugari et mortalibus illudere acerbissimus hostis solet, ut non magni dicta ejus facienda sint. Nam et si cogatur quandoque vel exorcismis Ecclesiæ, vel alia ratione, ut hic factum, ad dicendam veritatem, multa admiscet ad rem non pertinentia, atque etiam falsa : quibus temere credentes quidam, facile delusi sunt. Quædam MSS nomen dæmonis hic non habent, sed verba ista :* Ego princeps malignorum spirituum, malitiis hominum *etc. At num. 6 habet MS Reginæ Sueciæ et alia duo,* Belial dæmon et satanas. — c *MS. S. Max.* serra lignea secari unum *nostrum,* in ligno cum serra *alia,* ab ictu ferreo. *MS Cusanum et alia* qui feci Esdram Prophetam in ligno ad serram secari. — d *Hoc de Nabuchodonosor deest Cusano et quibusdam aliis MSS.* — e *MSS. Cusanum et S. Martini Treviris, atque unum nostrum* infamari, *aliud nostrum,* in fame deficere. — f *Hæc de Judæ proditione et morte, de nece S. Joannis, ac S. Andreæ, Desunt MSS. Cusano, S. Maximini, et quibusdam aliis. Sed addit Cusanum* ego sum qui feci Stephanum lapidari. *Multa sibi arrogat hic superbus dæmon malefacta, quæ forsan aliorum sunt. Quid si librarii aliqua adjecere, ne parum nocens videtur uno alterove scelere? In Metaphraste tamen gloriatur dæmon de Evæ lapsu, Caini scelere, Nabuchodonosaris statua, cæde infantium, Judæ proditione et laqueo, lapidatione Stephani, Petri ac Pauli nece, idololatria Hebræorum, Salomonis insanis amoribus.* — g Beelzebub *deus Accaron fuit, ita dictus quasi Dominus muscarum, quæ nimirum in ejus fanorum frequentiam sacrificiorum plurimæ erant, cum in templo Hierosolymitano, ubi plura multo fiebant sacrificia, nullæ dicuntur fuisse, neque fumo denigrati parietes, perenni miraculo, si Judæis hæc tradentibus haberi fides debet. In Evangelio vocant eum Pharisæi* principem dæmoniorum. *Neque inde tamen, neque ex hac Vita certum est, supremum fuisse principem dæmonum, quem vulgo Luciferum appellamus.* — h *Hæc de dæmonum quibus sui adversus nos homines doli non successerint, pœna, fuga, latebris, absunt ab aliquibus MSS.* — i *Multa MSS* promptum. — k *MS Gladbac.* aut ad sepulchra Martyrum, (*nimirum* concurrere, *ut præcedit*) aut aliquam partem mandatorum Dei custodire. *Aliud MS.* aut aliquam pauperibus eleemosynam tribuentes, aut Patris mandata custodientes. — l *Ridicula comminatio. MS. Gladbac.* Nam si accusavero te Patri meo non expediet mihi. — m *MS. Cusan.* per Crucem Patris tui tremendi miserere mei. Per orationem Domini Jesu Christi te conjuro, miserere infelicitati meæ. — n *Hæc quoque maleficia memorantur apud Metaphrasten, sed brevius.* — o *MS Cusanum,* seducere *S. Max.* convenire.

*Ardentes gratias agit*

A per mare rubrum populum tuum deduxisti terrestri similitudine, et genus allophylorum subjugasti, et gigantem Goliam per manus sancti pueri tui David stravisti, et David in regno sublimasti; qui de Virgine carnem assumpsisti, et a pastoribus visus es, qui ab Angelis magnificaris, et a Magis adoratus es, qui mortuos resuscitasti, et Apostolos congregasti, et regnum tuum eos annuntiare jussisti, qui a Juda traditus es, et in carne crucifixus es, et in terra sepultus, et post resurrectionem a discipulis visus es, et ad cœlos ascendisti; qui diffusis per mundum Apostolis notitiam tuam omnibus credentibus donasti; qui es salus pereuntium, via errantium, refugium deficientium, unus potens et solus verus Deus, quem nullus injuste sed juste laudare potest; gratias tibi ago omnium Deus, qui me indignam et peccatricem, ad tuum auxilium perducere dignatus es. Et peto, Domine, ut me liberare digneris a malitia istius tyranni, ut perfecte erubescat cum patre suo satana; et gloriam tibi dicam semper in cuncta secula seculorum.

16 Et ipsa dicente, Amen, clamaverunt carnifices Nicomediensium civitatis : Unus Deus omnipotens sanctæ puellæ Julianæ, et non est alius Deus præter

*conversi carnifices, aliique* B

ipsum. Pœnitet nos, Præfecte, quod usque nunc inducti sumus in errorem. Et dixerunt omnes una voce : Ad te confugimus, Domine, sufficiat nobis huc usque errasse : amodo credemus ipsum Deum, quem colit Juliana. Et conversi, ad Præsidem dixerunt : Pereant omnes dii paganorum, succumbant omnes qui idola colunt. Tu autem impie Præfecte, infer nobis supplicia, simus in pœna, qui nunc usque coluimus idola : *g* incende ignem, excogita opera patris tui. Nos enim eligimus amodo habere Dominum Jesum Christum patrem, quia multo tempore afflicti sumus a patre tuo diabolo. Præfectus autem ira repletus renuntiavit omnia Maximiano Imperatori. Imperator vero Maximianus dedit adversus eos sententiam, ut omnibus capita truncarentur. Ipse vero jussit omnes simul gladio feriri. Decollati autem sunt viri cum mulieribus *h* centum triginta.

*jussu Imperatoris decollantur 130,*

17 Præfectus vero jussit S. Julianam *i* vivam ardere. Sancta autem Juliana hæc audiens, extendens manus ad cœlum cum lacrymis dixit : Domine Deus omnipotens, non me deseras, neque discedas a me, et ne projicias me a facie tua; sed esto mihi adjutor, et libera me de isto supplicio, et dele peccata mea, si quid in verbo, si quid in cogitatione peccavi. Domine Deus meus pie et misericors, miserere mei, ut non dicat inimicus meus Eleusius tyrannus, ubi est Deus ejus? Tu enim es Deus benedictus in secula. Et

*Juliana ab incendio per Angelum liberatur.*

C dum hæc diceret, ecce subito *k* venit Angelus Domini, et separavit ignem, et flammam *l* excussit. Sancta autem Juliana stans illæsa glorificabat Dominum in igne.

18 Sed Præfectus fremebat contra ipsam, quasi fera maligna, cogitans quale supplicium illi inferret. Tunc jussit ollam afferri, et plumbum mitti in ea, et super ollam ferventem eam poni. Cumque superposita esset, factum est illi sicut balneum bene temperatum. Ipsa autem illa *m* olla resilit, et incendit de adstantibus hominibus numero septuaginta quinque. Et cum hæc vidisset Præfectus, iratus scidit vestimenta sua, et cum gemitu vituperavit deos, quia non potuerunt illam lædere, et quia cum ipsis quoque injuriam fecisset, nullatenus eam lædere potuerunt. Et statim dictavit adversus eam sententiam, ut gladio puniretur.

*plumbo bullienti imposita, non læditur,*

*jubetur decollari*

19 Audiens autem hæc S. Juliana gaudio magno repleta est, eo quod appropinquasset finis certaminis ejus. Cumque ad locum traheretur ubi decollanda erat; dæmon, qui cruciatus fuerat ab illa, subito currens venit *n* ad Præsidem, et dicit ei : Noli ei

*dæmonem denuo blaterantem fugat*

D parcere : Deos vituperavit, et hominibus injuriam fecit, *o* multa etiam mala ego ab ea perpessus sum; reddite ergo ei quod meretur. Sancta autem Juliana paullulum aperuit oculos, ut videret quis esset qui talia loquebatur. Tunc timidus dæmon clamavit et dixit : Heu me miserum! Forsitan modo iterum vult me tenere. Et statim evanuit, et obmutuit fugiens.

20 Et cum ducta fuisset ad locum ubi decollanda erat, cœpit dicere his qui conversi erant ad fidem, præsentibus aliis Christianis : Patres mei et matres audite me, et pœniteat vos dæmonibus immolasse, et ædificate domos vestras super firmam petram, ne venientibus ventis validis disrumpamini. Sed semper orate indeficienter in ecclesia sancta, et ad sanctas Scripturas intenti estote, et amate vosmetipsos, et dabit vobis Dominus invenire misericordiam in conspectu Sanctorum suorum. Bonum est vigilare ad Deum, bonum est frequenter psallere, bonum est orare sine cessatione, quia nescitis quando vitam istam finatis. Ego autem rogo vos, ut oretis pro me, ut Dominus meus Jesus Christus acceptabilem me dignetur habere, et me humilem ancillam suam introducere dignetur in aulam sanctam suam, et provideat cursum agonis mei, ut non me vincat inimicus. Et cum dedisset omnibus pacem, iterum oravit ad Dominum dicens : Domine Deus, pater omnium, amator *p* fidei, qui non tradis figuram tuam in manus inimicorum tuorum, miserere mei et auxiliare mihi, et cum pace suscipe spiritum meum Domine. Et cum hoc in oratione diceret *q* decollata est.

*Christianos ad constantiam hortata:*

E *Deumque precata,* *decollatur :*

21 Post paucum autem tempus quædam mulier *r* Sephonia senatrix transiens per civitatem Nicomediensem, et veniens ad urbem Romam, tulit corpus B. Julianæ, et condiens cum aromatibus et linteaminibus pretiosis *s* cum veniret ad urbem, exsurgens tempestas valida, abiit navis usque ad fines Campaniæ. Posita est autem B. Juliana prope territorium Puteolanum, ubi habet mausoleum uno milliario a mari.

*corpus transfertur Puteolos.*

22 Præfectus autem Eleusius cum navigasset *t* in suo suburbano, venit tempestas valida, et mersit navem ipsius, et mortui sunt viri numero *u* viginti quatuor : et cum aqua jactasset *x* eos in locum desertum ab avibus et feris corpora eorum sunt devorata. Passa est autem B. Juliana die *y* decima quarta Kalendarum Martiarum a Præfecto Eleusio, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

*Præfectus submergitur.*

F

a *MSS. S. Martini* : te autem erubescere fecit.— b *MS. Cusan.* O pessima hora natus, hoc te pœniteat infelix. — c *MS. Unum nostrum, pro gladiis clavos habet. Gladbac. Hubergense, et aliud nostrum* : et fieri verbera acuta. *Vincentius*, acuta tubera. *Hujus tormenti non meminerunt Menæa et Metaphrastes.* — d *MSS. Cusan. et S. Max.* ut S. Julianam contererent. Trahebant milites machinam : erat corpus immobile, et custodiebatur famula Christi immaculata. Angelus autem Domini descendit et comminuit carastam, et omnia vincula resoluta sunt. — e *Citata MSS. ignis in hoc tormento non meminerunt : erat fortassis suppositus, ut sacrum Virginis corpus dum deorsum devolveretur, inflammaret. Unum nostrum MS. habet* : Ignis ex ingenio. — f *Multo brevius hæc S. Julianæ precatio effertur in MSS. Cusano, S. Martini, S. Maximini.* — g *MS. Cusanum.* Fac quod vis, Præfecte : infer nobis supplicia : ignes affer et rotam : para malos insidias, et cogitationes patris tui satanæ perfice. — h *MSS. Cusan. et S. Maximini* 120. *Græci horum non meminerunt, sed post sequens tormentum conversos habent viros* 500, *feminas* 130. *At MS. unum nostrum hic habet* : viri quingenti cum mulieribus 130. *Videtur in aliis MSS. numerus virorum excidisse.*— i *Metaphrastes et Menæa habent in fornacem sarmentis aliaque materia succensam injici Julianam jussisse.* — k *Idem habent, lacrymis ex oculis Virginis erumpentibus ignem extinctum.* — l *MS. Cusan. et unum nostrum*, extinxit. — m *MS. Cusan.* resilierunt guttæ, et incenderunt *etc. MS. S. Max.* exilierunt : *Metaphrastes.* Cum repente erupisset lebes, et circumcirca tamquam ab aliqua machina esset effusus, admirabiliter et præter opinionem perdidit eos qui circumstabant. *Menæa* : Lebes diruptus et effusus circumstantes in orbem infideles necavit. — n *MSS. Cusan. Huberg. S. Max. et unum nostrum, omittunt*, ad Præsidem : *habentque*, clamans dicebat : nolite parcere ei. — o *MS. Cusanum ita sequentia effert* : Nam mihi multa mala ostendit in nocte una : et dum non potuissem perferre plagas ejus, omnia ei confessus fui quæcumque egi a juventute mea. *Eadem habet MS. S. Maximini*

A *mini, paucis verbis mutatis.* — p *MSS. Gladb.* Filii. *Hæc Sanctæ precatio ita effertur in MS. Lusano* Benedictus Dominus, qui non dedit nos in opprobrium inimicis nostris, miserere mei et auxiliare mihi, et in pace suscipe spiritum meum. — q *MSS. Gladbac. Hubergense, et aliud nostrum* tradidit animam Deo. — r *Ita MSS. S. Max. S. Martini Trevir. Cusanum, et Equitinus, at Gladbac. et unum nostrum, ac Legenda Lovaniensis* Suffragoria senatoria. *aliud nostrum MS.* Suffrago senatoria. *MS. Reginæ Sueciæ. et Metaphrastes,* Sophia. *Petrus in secunda Vita,* Sophronia, *MS. Hubergense, haud scio an non optime,* suffragatu senatorio. — s *Addunt quædam MSS.* in locellum. — t *Jacet enim Nicomediæ ad sinum maris.* — u *MS Hubergense.* xxxii. — x *Metaphrastes mersos ceteros, ipsum etiam ejectum a canibus voratum scribit.* — y *Quædam MSS.* vii Id. Feb. *fortassis, quia eo die S. Juliana vidua colitur. MS. Cusanum.* v Id. *Neutro die hujus Julianæ meminere Martyrologia.*

# ALIA VITA

## auctore Petro Subdiacono,

## *ex MSS. Eccles. Neapolit. et Capuanæ.*

ANIMADV. PAG 131.

a *a* PROLOGUS AUCTORIS.

*b c* Egregio Patri Domno *b* Petro, sanctæ *c* Parthenopensis Ecclesiæ optimo Pastori, Petrus cœlestis patriæ vota. Sacræ Scripturæ studiis eruditus, utpote sanctæ matris Ecclesiæ dilectus filius, exhortari
*d* dignatus es, ut, quia beatæ et gloriosæ Martyris *d* Julianes sacratissimum corpus in vicinia vestræ ur-
*e* bis, hoc est, in Cumanæ Sedis ecclesia *e* requiescit, sacrisque miraculis optime fulget, sed ejus passio propter *f* incompositas dictiones in cœtu fidelium legi minime prævalet; nostro eam elogio clarificare
*f* studeremus. Reniti equidem in tali opere conati
B sumus, ne forte, obtentu obedientiæ, inertis ingenii titulo denotaremur. Interim considerantes religiosi pectoris vestri desiderium, et dispensationem Dei omnipotentis, qui præfatam Martyrem de Orientis partibus ad nostræ patriæ tutelam destinare dignatus est, magis cum periculo imperitiæ nos tradere volumus, quam vestris sacris exhortationibus non obedire. Ergo quia in hoc opere et Dominicis obtem-
1 Cor. 16. 14. peramus præceptis, et beati Apostoli dicentis, Omnia vestra in caritate fiant, ipse vobis orantibus, nobisque famulantibus opem suæ gratiæ conferre dignetur, quatenus ad gloriam et honorem sui nominis, Martyris suæ triumphalis gloria nobiliter declaretur, et spirituale pabulum suæ plebi efficaciter exinde ministretur.

Petro Ep. Neapolit. hortante hanc Vitam expolit auctor.

a *Hunc Prologum, qui deerat in MSS. Neapolitanis, ad nos Capua misit Silvester Atosia V. CL.* — b *Hunc supra diximus ejus nominis primum Archiepiscopum fuisse, unde consequens est, Vitam hanc a 550 annis esse scriptam.* — c *Neapolis olim* Parthenope *non a Sirenibus.* — d *Ita in Prologo, in perpetuo est* Juliana, Julianæ. — e *Hinc liquere ostendimus supra, non Petro 2 dicatam esse hanc Vitam, cum priusquam pontificatum adiret, Neapolim esset S. Julianæ corpus translatum ab Anselmo Archiepiscopo.* — f *Non ergo e Græco vertit, sed expolivit veterem Latinam.*

## CAPUT I.

C *S. Julianæ propositum non nubendi Ethnico, verberibus a patre, multiplici argumentatione a Præfecto, frustra impugnatum.*

Inter ceteros sanctæ Ecclesiæ persecutores, post gloriosam Domini ad Patrem ascensionem, Diocletianus Cæsar adeo crudelis extitit, ut legionem The-
*a* bæam (hoc est, *a* sex millia in armis viros) in qua fuerat B. Mauricius, sicut in ejus passione legitur, cum Christi fidem reperisset colentem, per summum nefas, uno die, uno in loco, sine aliqua miseratione, gladio necari præceperit. Idem vero, ut Christianam religionem penitus destruere posset, secundo anno
*b* decimæ persecutionis *b* Maximianum Galerium, cognomento Herculeum, sibi socium in regno assumens, suamque filiam Valeriam illi in conjugem tradens, in omnibus partibus ordinavit. Ille nimirum accepto regno anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi
*c* fere *c* ducentesimo nonagesimo primo, residente in
*d* Sede B. Petri *d* Marcellino sanctissimo Papa, cum Præfectum constituisset illustrem quemdam virum,

Eleusio Præfecto Nicomediensi

etiam per universum Orientem Præfectos ac Præsi- D
des ordinaret, in civitate Nicomediæ Præfectum instituit illustrem quemdam virum, nomine Eleusium, dans illi in mandatis, ut omni studio per universam ditionem Christicolas inquireret, et inventos diis sacrificare compelleret: quod si contemnerent, suppliciis maceratos crudeliter jugularet.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS

3 Præfectoria itaque dignitate potitus, ex nobili prosapia conjugem assequi cupiens, Julianam quamdam puellam speciosam, cujusdam Africani nomine, filiam, reperit: qui secundum seculi dignitatem prædives valde, pollens, et paganorum erroribus
*e* cum *e* conjuge admodum irretitus erat. Hanc utique cum nobilem desponsare vellet, cœpit ante nuptias præcordia illius sciscitari, quo ejus animum, si rectus esset, agnosceret. Virgo autem Domini Juliana, quoniam non hominis sed Christi Domini sponsa esse cupiebat, sanctæ Trinitatis documentum percipiens, et baptismatis sacramento se muniens, suamque pudicitiam jejuniis et orationibus Domino commendans, talia præsidi responsa direxit: Si relictis erroribus simulachrorum, et cultu dæmonum, illum Deum adoraverit, qui fecit cœlum et terram, quem me adorare et colere profiteor, recte nostra connubia inquirere valeat. Aliter autem qua ratione fieri potest, ut Christi ancilla dæmonum famulum habeat virum, et amica lucis amicum habeat tenebrarum? Procul hæc a præcordiis Christi famulæ, procul a
E Christiana religione.

nubere recusat S. Juliana, nisi Christianus fiat

4 Audiens hæc Præfectus, contristatus est valde. Proinde genitorem illius advocans, omnia illi quæ ejus nata dixerat, intimare curavit. Ille autem convocans B. Julianam, ita eam alloqui cœpit:

Quis tua, cara nimis, præcordia farsit iniquus?
Ecce tuam mentem dementia tetra replevit,
Quod spernas celsi Præfecti gaudia læta,
Et tristis pergas ad tartara mortis amara.

patris sui consilium minasque sapienter refutat.

Audiens hæc Virgo respondit: Non me, genitor, circumvenias, quam prævenit amor Jesu Christi filii Dei omnipotentis, quem mihi complacet habere sponsum magis quam hominem mortalem, omnique putredine tabescentem, ac dæmonum cultibus servientem. Obsecro suppliciter et oro, pater amande, ne unquam talia suadeas agere natam. Genitor audiens infamationes deorum, iracundiæ facibus accensus, Per omnipotentiam, inquit, Apollinis et Dianæ, quos tu impudenter denotare præsumis, nisi nostris monitis obtemperaveris, te tuo sponso tradere festino, quatenus ejus incendiis flammarum intereas. Hactenus enim de connubii copulatione, nunc autem de sacrorum numinum veneratione suggerimus. Alias autem nec paternæ dilectionis, nec Præfectoriæ conjunctionis memor sacrilega placere valeas. Quod
F si hoc te purificaveris diisque libaveris, et nostris præcordiis et tuo sponso admodum placere potes. Cui sancta Virgo, Ut cupis, inquit, neque paternis obedire mandatis. Equidem non una religione, nec gratia connexi sumus: ex te enim carnalis procreata, sed in Christi fide spiritualiter sum renata. Quæ ergo communicatio lucis ad tenebras? Quæ connexio Christi ad Apollinem et Dianam?

5 His genitor auditis jussit eam acriter cædi, dicens:
Taliter officiis, mulcentur corda ferina,
Numina quæ temnunt proterviter ore superbo.
Sicque dilaniatam et cædibus quassatam tradidit Præfecto iniquo. Ille autem gavisus, reputans eam blandimentis posse ab intentione sancta mutari, nectareis verbis ac suasionibus cœpit alloqui dicens: Quidquid hactenus protulisti, et puellari ætati et Præfectoriæ dignitati attribuimus. Ergo depone omnem timorem, et lætior esto, quoniam plus te carissimam habeam, quia constanti animo renuens restitisti, nec ad primam cessisti petitionem. Et revera

acriter verberatur:

Præfecto blandienti

A *AUCTORE PETRO, EX MSS.* dissolutus ac fragilis animus proclivior est ad omnem ruinam: constans vero et fortis, quæ inchoat, complere laborat.

Fac ergo ut fugias quæ sunt mala gaudia vitæ,
Et capias hilaris nostri consortia lecti.

6 Argumentose autem Virgo Christi Præfecti dicta explorans, ita eum irretire cœpit: Secundum Præfectoriam dignitatem legis, quæ regia censura est, o Præfecte inclyte, et mensura, modeste dicta proferre curasti. *ambigue respondet* Equidem si in viris inconstantia vituperatur, quanto magis in sexu fragili fœmineo? Nam illud, quod cœpimus, implere satagimus, quo fugere valeam, quæ sunt mala gaudia, et consequi illa quæ sunt sine labe malorum. Præfectus hæc audiens, reputans eam suis velle parere præceptis, hilaris effectus respondit: Quoniam quidem hoc protulisti, quod te proferre minime dubitabamus, unum solummodo restat, quo puris læta numinibus sacrificia persolvas, et tunc demum nostra consortia consequaris. *de diis inquirens,* Et B. Juliana, Quibus, inquit, numinibus sacrificare jubes? Et Judex: Apollini et Dianæ. Et Sancta, Quis Deus, inquit, talia patrare mandavit? an iste solus, cui sacra offerre præcipis? Præfectus ait: Est prorsus alius, cui cuncta numina parent, et omnia obtemperant elementa. Respondit Sancta ac dixit: Quod nomen ejus? Et Judex: Jovem hunc B dicimus, qui et Jupiter vocatur, eo quod vivos omnes adjuvat. Sed ideo minoribus diis reverentiam exhibemus, quo eorum precibus hunc magnum Jovem placare possimus. Et Sancta dixit: Confirmant illa litteræ vestræ sic Deum colere? et ipsæ litteræ authenticæ esse dicuntur? Præfectus dixit: Nonne omnis sacra scriptura nostra Deum illum esse fatetur, *et scriptis Gentilium:* et ipsa authentica per omnia esse constat? Nam quisque astruit, quisque reputat æquum, atque honestum dijudicat. Per eum quippe Reges regnant, et ipsi Reges per illum reguntur, et omnes sibi subjecti sunt.

7 Declarans autem B. Juliana intentionem animi sui sic ait: Ad hoc usque tuam prudentiam oravi, *tum ex his deos ridet,* quo tuo ex ore audirem veridicas esse nostras litteras et ab omnibus venerandas. Ergo Præfecte sagax, si ita est, crede tuis dictis, crede authenticis dictis seu scriptis: et disce istum, quem Deum colitis, *Jovem,* filium esse Saturni Cretensis, qui filios, ne de regno suo expelleretur, devorasse dicitur: et iste Juppiter, ut evadere posset, absconditus est: postea vero genitorem nequiter de regno expellens, plurima iniqua exercens, fatuitate quadam a fatuis est appel- *f* latus f Ζεύς. Præfecte habes de Deo tuo magno *Appollinem,* Jove, quod recolas. C Apollo autem qui Pythonem serpentem interemit, non ideo Deus appellari debet: *Dianam,* nam postea judicio condemnatus, dignitate expoliatus, Regis armenta pavisse legitur. Dianam vero quis nesciat esse mulierculam, et muliebria impudica exercuisse? Postmodum vero hi omnes, utpote fragiles et caduci, morte præventi, ad tartara sunt demersi. Numquid non ita est, ut adstruo, Judex? Numquid non vestræ talia litteræ promunt? Tales vos ut deos adorem suadetis. Pro quantum scelus, quantum est in rebus inane! Quis sapiens et intelligens talibus his largitur honores?

Hoc scelus a nobis depellat gratia Christi,
Et sua nos doceat cœlestia dona tenere.

8 Iratus ad ista Judex cœpit B. Julianam conviciis et opprobriis dehonestare, dicens: Improba seductrix formatissima et malefica, sæva, nefanda, ad hæc *increpatur, cum contemptu omnium fæminarum* te tua pertraxit iniquitas, ut de beneficio ad maleficia prorumpens, de caritate nostræ copulationis ad infamiam Deorum, ad ipsum etiam præcelsum Jovem, ut fatua, devenires! Talia igitur agere condecet. Talis est prorsus natura impia fœminarum, quæ semper quietis impatientes, vana excogitant, impia perspectant, inaudita exercent. D Unde non immerito a viris sæpius comprimi debent, ne unquam suam malam expleant voluntatem. Recte utique de talibus scriptum est:

Fœmina nulla bona est: quod si cui contigit ulla,
Nescio quo pacto res mala facta bona est.

Quam vilis facta es, nimis quæ semper cara fuisti. Jam minime dulcia tibi sed amara dicta promantur. Nonne in pœnis perspicere inhias, quod in requie posita denegasti? Attamen quia non decet nostram mansuetudinem risui habere, nec calliditatem fœmineam imitari: nec est servanda severitas, ubi affuerit venialis humilitas, adhuc te monemus de ignorantiæ cæcitate, et ad viam lucis perducere curamus. Quia si resipiscere volueris, et nostræ religioni subdere colla, deosque venerari, quos nequiter derisisti, continuo ad pristinam revertimur caritatem.

9 Christi autem famula respondit: Qui rationabiliter apta profatur, talibus conviciis argui debet, talibus iræ facibus concremari. Nescis quia scriptum est, Justitia nisi per sapientiam noscitur, et ira ejus *ea convicia refutat;* justitiam Dei non operatur? Si fœmineum arguisti genus, atque constantiam virilem habes, et lege constringeris ne irascaris, quare superaris iniquo furore? Respice ergo et noli fœmineum denotare genus, quoniam neque omnes viri boni, neque omnes E fœminæ malæ. Namque, ut cetera fœminarum sileam bona, hoc solummodo sufficere potest, quod sine illis nulla in mundo humana progenies generetur. Quod autem gloriosius est atque infallibile, una sola extitit Virgo et mater, quæ talem edidit filium, qui antequam nasceretur, cœlum et terram ex nihilo condidit: et postquam nativitas ejus fuit, ruinam cœli, quæ facta est de angelis malis, ut Christiana religio docet, ex viris atque fœminis restauravit. Hoc quia ita est, cum accusas aliam, tuam ipsius inspice vitam.

Nam turpe est Regi, cum culpa redarguit ipsum.

Quod autem proposuisti, ut si Deos tuos adorem, ad pristinam tuam redeam caritatem, ex tuis ostendi mortales illos et sceleratos homunciones fuisse. Qua ergo ratione illos ut deos adorare jubes, qui neque sibi neque aliis prodesse possunt? Sed quia jam aliud veraciter proferre non potes; ego tibi ostendo verum Deum omnipotentem, non habentem initium *ac Deum verum prædicat:* neque finem, factorem cœli et terræ, Angelorum et hominum, g ὡρατων και αωράτων, hoc est, visibilium *g* et invisibilium. Si in istum credere promittis, tuis alloquiis collætabor, et vitam æternam confidenter promitto.

a *Licet non semper Romanæ legiones tot capita censuerint; de Thebæa tamen scribitur in S. Mauricii Actis, quæ dabimus* 22 *Septembris*, sex millia, sexcentos, sexaginta sex viros validos animis, et instructos armis, antiquorum Romanorum habuisse exemplo. *At non per Diocletianum, sed per Maximianum Herculeum dedita neci est.* — b *Non satis apte distinguit hic auctor duos* Maximianos Herculeus *anno* 2 *Diocletiani, Christi* 285 *Cæsar factus,* 286 *Augustus Kal Aprilis.* Galerius Maximianus, *cognomento* Armentarius, *an.* 291 *Cæsar factus,* 304 *Augustus. Et huic data uxor Valeria Diocletiani filia, non Herculeo.* — c *Ego quidem anno Æræ vulgaris Cæsar factus Galerius, sed qua ratione is annus secundus dicatur decimæ persecutionis, non video. Nam si initium illius persecutionis ducatur ab initio imperii Diocletiani, sive anno* 284, *Herculeus anno* 2 *Cæsar factus, Galerius* 7. *Si vero decimæ persecutionis initium statuatur uti multis placet, anno* 18 *Diocletiani, quando maxime sub tempus paschale exarsit, fuit is* 302. — d *Sedisse dicitur S. Marcellinus in libro de Romanis Pontif.* a consulatu Diocletiani 9 et Constantii 2, *anno nimirum* 296, usque ad Diocletiani 9 et Maximiani 8, *sive Christi* 304. *De S. Marcellino agemus* 26 *April.* — e *Repugnant prior Vita et Metaphrastes aiuntque eam nec Christianis nec paganis adhæsisse.* — f *Ita videtur legendum, scriptum erat* Euxe, *sic infra verba Græca Latinis litteris et mendose quidem scripta.* — g *Et hæc Latinis verbis scripta,* opaton heupaton. *patet ex adjuncta interpretatione, scripsisse, auctorem* ORATON KAI AORATON, *sive, ut expressimus.* F

## CAPUT II.

*S. Julianæ secunda interrogatio: in tormentis constantia, ac sapientia.*

Tunc confusus ad ista Judex, cum nequiret Sanctæ veris

*publice a Præfecto specie clementiæ*

A veris assertionibus obviare, distulit sententiam, disputare cogitans secum in theatrali conventu, ut concussa terrore servandi pudorem, a sancta intentione animum revocaret. Postera namque die glorioso theatro ordinato tribunali sedens, B. Julianam suis fecit aspectibus præsentari, eamque alloqui cœpit : Intentionem animi nostri, et inviolabile vinculum caritatis, quam in te hactenus habuimus, et in dilatione pœnarum hactenus cognoscere potuisti : nempe si ita non esset, saltem ad secundam non veneras responsionem, sed diversis cruciatibus inauditaque pœna atque incendio interieras. Hanc itaque nos secundum legis censuram modeste et placide tecum incedimus. Tandem aliquando nobili orta prosapia, noli, suadeo, te tuamque progeniem in barathrum mortis mergere et perditionis, ut et his pereatis, et illic Acherontis judicia experiamini.

*sollicitatur ut ei consentiat*

Depone ergo duritiam, frange animi obstinationem, et nostra monita percipe. Nam si nefario errore Christianæ fidei infecta non esses, nequaquam per varia duxeram, sed nostræ te sociaveram Præfectoriæ dignitati.

11 Respondit sancta Virgo, et dixit : Jam superius tibi ad cuncta proposita respondi. Quid est quod iterum audire cupis? Ecce mollisti sermones tuos super oleum, pestifera jacula ministrasti, dum me B infectam Christianæ fidei errore dixisti. Si enim tu times Cæsaris potestatem, hominem utique mortalem times, et pastum vermium mox futurum; et ego quare non timeam illum Regem æternum, cui cœlum et terra, maria et tartara parent; qui postquam occiderit corpus, potest animam perdere in gehennam?

*ipsa eum ad fidem invitat :*

Sed oro, ut audias consilium meum, ut relictis erroribus, ineptisque fabulis, quibus Deum vestrum adoratis; unanimiter illum adoremus, quo in cœlesti regno cum illo perenniter gaudeamus.

12 Commotus ad ista Judex, Video te, inquit, per varia me trahere velle, et in malignitatem tui erroris perducere : sed non ita erit, ut tu opinaris. Numina sacra tua conquassent pectora dura, quibus contemnis pestifera flectere colla.

*cæditur virgis.*

Tunc jussit eam a quatuor militibus virgis cædi, insultando et dicendo : Ferrea pectora, quæ gaudia nolunt, verbera pessima et impia frangant. Talia te condecet habere præmia sæva, quæ monitis dignis renuisti flectere colla. Testes sunt dii, quorum toto conamine mentis gloriam despexisti, te decorare, non dehonestare, curavi. Sed quia renuisti, et nos nostramque gloriam despexisti; insuper ad deorum infamiam prorupisti; tu tibi has pœnas tua protervia irrogasti.

*iterum blanditiis tentatur :*

Plus tibi peperci, quam tui viscera genitoris. Ille nimirum ad unius suasionis vocem nobis te tradidit : nos autem C versa vice blanditiis et suasionibus tuum interitum hactenus distulimus.

13 Et sancta Virgo gaudens inquit : De talibus anima mea exultat in Domino, quandoquidem nec blanditiis, nec cædibus a Christi Domini caritate seducta sum. Ergo quia ita est, nolo amplius ex hoc crucieris. Intende et sententiam breviter conclude. Nam quantacumque crudeliter irrogasti, constantiam potius inferre existimato, quam pœnam. Præfectus dixit : Si talia tibi placent, non desint digna tormenta; si tibi non placent, sedamur tuis condictis.

*capillis suspenditur*

Tunc jussit eam per sex horas capitis suspendi capillis. Illa vero suppliciter orabat Deum, dicens : Adjuva me, Domine, et miserere mei : da constantiam, condona mihi vigorem, ut mediter in tuis justificationibus, spernamque omnes iniquos, quia injusta cogitatio eorum est.

14 Hæc cum dixisset, jussit eam Præfectus deponi, dicens : Ne existimes nos defatigari, et te impunitam relinquere, quia tibi de pœnis aliquid irrogavimus. Ignem depictum vidisti, nec illius incendia cognovisti. Cum ad hæc perveneris, mutabis profecto loquelam.

*AUCTORE PETRO, EX MSS*

*minas ridens,*

Christi autem Martyr respondit : D Nimis infelix atque insipiens est, qui rectum, quod inchoat, aliquo terrore relinquit. Ignem vero, quem mihi injicere minaris, Dominus meus Christus extinguere prævalet. Proinde non tuis præceptis alliciar ad illum negandum, ne æternis absumar incendiis. Experiamur, ait Judex, quæ sunt ista pessima dicta. Ferream animam ignito fomento [a] mollescam.

*ære liquefacto perfunditur, illæsa :*

Tunc liquefacto ære, super caput Sanctæ effudit. Illa autem tamquam nectareo rore perfusa, nullam combustionem, nullumque sensit ardorem.

15 Qua ex re valde gavisa, stabat intrepida, repleta Christi gratia, et sævienti Præfecto talia promebat : Eia Præfecte, potes saltem cognoscere potentiam Domini nostri Jesu Christi. Jam desine inimicari, et crede in illum, ut possis ab eo salvari. Numquid non cernis, quod adustio incendii tui corpus ancillæ Dei cremare non prævalet? Quando enim dii tui Juppiter et Apollo talia operati sunt? Præfectus dixit : De Christo tuo nihil mihi curæ. Quid enim boni de illo referre vales, quem profecto scimus de fœmina natum, passum, mortuum ac sepultum? Et quia sibi in talibus subvenire non valuit, qua ratione alicui prodesse potest? Sed quia in tenebris ambulas, et deorum lumine non es irradiata, ideo talia E loqueris.

*Præfecto explicat mysterium Incarnationis,*

Respondit Sancta et dixit : Si scires, o Judex, mysterium ejus nativitatis, passionis et mortis ac sepulturæ, mirari hoc debueras et venerari, et non subsannare. Nam ideo Dominus ad suam imaginem hominem condidit, ut æternum illum ac sempiternum haberet, et locum unde angeli per superbiam ceciderunt, ex progenie hominum restauraret. Sed quia invidente illi principe angelorum, qui de angelo satanas factus est, per inobedientiam de paradiso ejectus est, noluit Deus creaturam suam penitus perdere : sed fallendo diabolum, ex Virgine natus est, ut nobis novam virginitatem, novamque nativitatem renascendi per sacrum baptisma tribueret. Et sic per singulos gradus ambulans tentatus est, ut nos a dæmoniaca tentatione erueret : esuriit et sitivit, ut nos gratia sua reficeret, ac pocula cœlestia ministraret :

*et passionis Christi.*

spinis coronatus est, ut nos a spinarum et tribulorum maledictionibus eriperet, et flores paradisi donaret : ligno crucifixus est, ut lignum concupiscentiæ, et peccatum quod per illud operatum est, damnaret : mortuus atque sepultus est, ut morte sua nostram mortem destrueret, et resurgendo non solum paradisum terrenum, sed insuper cœlorum regna donaret. Hæc sunt mysteria Domini Jesu Christi, quem tu, Præfecte, insipienter et impie infamare præsumis.

*ferro vincta truditur in carcerem.*

Stimulatus ad ista Præfectus ait : Quidquid ore maligno protuleris, pœnæ F poterunt expiare. Hæc dixit, et jussit eam ferreis nexibus alligari, et squallore carceris coarctari.

[a] Ita MS. pro emolliam aut simili verbo.

## CAPUT III.

*S. Julianæ de dæmone victoria : post nova tormenta, cædes illius atque aliorum : Translatio I et II.*

Ingressa igitur in carcerem, expandit manus suas ad Dominum dicens : O Domine Deus, totius conditor orbis, auxiliare mihi et solamen mitte salutis, quo superare queam supplicia sæva tyranni, et tua, quæ semper optavi, regna videre. Finita vero oratione, angelus satanæ transfigurans se in Angelum lucis, adstitit, dicens : Salve o famula Dei, o Virgo ne timeas neque pavens fatigeris, cum a Christo argueris : quem enim diligit corrigit : flagellat autem omnem, quem recipit.

*dæmone in forma Angeli suadente ut in speciem idola adoret,*

Ecce accessisti ad servitutem Dei, ad testificandam Christi gloriam : esto constans et fortis et præpara animam tuam ad supplicia, quæ tibi

*AUCTORE PETRO, EX MSS.*

tibi meditatur inferre tyrannus. Attamen si ejus obtemperaveris dictis, prudenti ratione illum prævales dominare et superare. Fac ergo quod moneo, et cum vocata fueris, specie tenus sacrifica diis, et da locum iræ, quo et mundi valeas perfrui deliciis, et non tam crudeliter per vana incendia crucieris. Nam et ego Angelus Domini sum, qui misit me te confortare, et talia monita dare.

*territa Deum orat:*

17 Dum beata Virgo negandi verba audisset, attonita nimis, et salutari vexillo se muniens, conversa ad Dominum oravit, et dixit : Domine Deus creator cœli et terræ, qui conceptus es de Spiritu sancto et ex sacra Virgine natus; qui me vocare ad tuæ fidei credulitatem ideo dignatus es, ut relictis erroribus idolorum, te verum Deum cognoscerem, quia tu es verus Deus, qui in hunc mundum venisti, te obsecro et flagito, ut ostendas mihi, quis est iste, qui me Deum abnegare commonet propter timorem tyranni. Hæc illa orante, vox facta est ad eam dicens : Constanti animo esto Juliana, nec dictis crede nefandis : nam fallax est nuntius et dicta mortifera monet. Detine namque illum, mox tibi cuncta profabitur. Refecta autem cœlestibus dictis, comprehendit dæmonem, et dixit :

*cœlitus admonita,*

Tunc cruente, procax, perverse, nefande, maligne,
Angelus es lucis, et nuntia vera profaris?
Dicta maligna tua, dæmon, sunt somnia falsa,

Dum Christum Dominum, vitam, lucem, atque salutem callide fallendo suades me denegare. Sed quia Rex Christus fallentes conteret, te noveris esse meis manibus valide ligatum. Unde per illius te adjuro numen amandum, omnia mihi pandas, nec differas vera dicere verba. Tunc dæmon se religatum Dei virtute conspiciens, quasi impudens mancipium cœpit satisfacere dicens : Non meo debito ad te, Sancta, perveni. Rex meus misit me, et talia dicere jussit. Cui Christi famula, Quod, inquit, nomen ejus, et quod opus ejus, si nosti? Respondit dæmon : Nomina ejus mille, milleque nocendi artes, sed ut breviter concludantur plura, ex quo Angelus lucis esse desivit, et de cœlesti sede per superbiam dejectus est, quidquid malitiæ in mundo patratum est, ab illo exortum est : et hoc in illis qui suis iniquitatibus a Domino Jesu Christo recedunt. Nam qui ei adhærent, ejusque dicta sequuntur, lædere illos minime possumus : insuper etiam judicamur ab illis, sicut ego miser retineri et judicari a te Sancta, videor. Sed miserere mei per Regem tuum Christum, qui te talem possidet famulam, quoniam deinceps tentare te numquam præsumam. Hæc et talia cum dixisset, signo sanctæ Crucis in eum a Virgine expresso, statim velut fumus evanuit. Nemo itaque miretur, quare Virgo Domini dæmonem posset ligare, cum sit ille spiritus, illa autem carne gravata. Memineris in terra olim Jacob cum Angelo luctasse, et nervum femoris ejus ab eo esse debilitatum. Iterum recordemur Abachuc Prophetæ de Judæa in Chaldæam ab Angelo cum prandio esse delatum, et Danielem esse refectum, et ab ipso reductum. Accipiunt enim Angeli (sic sancti edocent Patres) ex aere corpus, et quasi carnales verissime carnalia patrant.

*eum ligat,*

*et quædam de tentatione hominum fateri cogit,*

*cum signo Crucis abiit.*

18 Hisque peractis, satellites missi a Judice Julianam illi detulerunt. Cui Judex : Longanimitas clementiæ nostræ, tuæ obstinationi profuitne aliquid? Et Sancta respondit : Ita plane; nam Deus meus Jesus Christus, qui me hactenus confortavit, ipse me docuit in carcere tuam sævitiam sustinere, tuasque repellere pœnas, dicens : Ego enim dabo tibi os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii tui, sed in patientia tua possidebis animam tuam. Præfectus dixit : Cum omnis homo vivere cupiat in seculo, si possit, quare Christicolæ quadam infecti vesania gaudent in pœnis vitam finire, et gaudent perdere vitam? Nonne magna est ista dementia? S. Juliana dixit : Recte peragunt, nec illa est dementia, sed sancta et salubris sapientia; quandoquidem ista vita caduca et fragilis est, et suis blanditiis amantes circumvenit, quasi semper vivere possint : sicque illusi ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad tartara demerguntur, ubi nulla indulgentia pœnæ. Qui autem credunt in Domino, et pro ejus nomine hic mortui fuerint, in cœlesti regno cum illo sine fine exultant. Ipse enim hoc promittere dignatus est, dicens : Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam in vitam. Matth. 10. 39 Præfectus dixit : Non mihi sit fautor ille Deus, qui talia mandat, qui suos in præsenti non liberat, sed post mortem gaudia spondet; te protegat ille, non mihi commoda præstet. Attamen si plus cruciatus, quam gaudia cupis,

*Præfecto reddit rationem cur tormenta non timeat.*

Ecce tuis votis præbemus commoda digna.

Hæc dicens jussit afferri rotam constratam ferreis instrumentis, et insuper illam alligari, ut dum a trahentibus revoluta fuisset, Dei Martyr discinderetur in frusta. Hoc cum factum fuisset, et Virgo Domini exoraret Divinam potentiam, viscera sua quassata sunt, et illæsa permanens glorificabat Dominum Christum.

*rotæ alligata discinditur, post illæsa*

19 Cernentes autem qui adstabant tale miraculum, compuncti sunt corde, clamantes ad invicem et dicentes : Quid ultra possumus ad ista opponere, quo tam tremendi Dei non adoretur majestas? Quis similis illi, qui suis tanta ministrat? Hæc dicentes, conversi ad Præsidem talia dicta promebant : Hactenus errore illecti in tenebris ambulavimus, et plures erroneos colentes deos ad illum qui verus est Deus pervenire nequivimus. Amodo itaque nulla illectio, nulla nos ab ejus cultura separabit suasio.

*convertuntur multi ex adstantibus,*

20 Tremefactus ad ista Judex distulit auditionem illorum, et præfato Cæsari talibus scriptis intimare curavit : Totius orbis Rectori et Conservatori clementissimo Maximiano Cæsari Eleusius civitatis Nicomediæ Præfectus. Triumphalia jussa vestræ Magnificentiæ exequentes, prudenti studio de iniquis Christicolis inquisitione facta, totam nostræ districtionis provinciam ex nefaria illorum religione purgare curavimus. Una solummodo reperta impudens et formosissima puella, nomine Juliana, quæ obstinata mente superbire contendit. Quam cum arguere studeremus instrumentis pœnarum, illa maleficiis infecta penitus omnia quassavit, et ignea supplicia pro nihilo duxit. Quod videntes ex nostra inclyta nobilitate pollentes commoti sunt, et toto conamine profitentes se prius velle mori, quam sacris diis libamina amplius ministrare. Unde quod commodius vestræ complacet gloriæ, sacris jussionibus intimare curavimus.

*quos consulius a Præfecto per epistolam Imperator,*

21 His lectis Cæsar apicibus talia scripta remisit. Cæsar Maximianus Eleusio Præfecto Nicomediæ urbis. Relectis vestræ prudentiæ litteris, qualiter erga nostrum famulatum curiosius vigilas, clarius in eis animadvertimus. Sed quia de protervia insolentium nos inquirere voluisti, præcipimus ut illam maleficam Julianam, per cujus iniquitatem aliqui ex nostris commoti sunt, flammarum incendiis concremare festines, ne illius doctrinam ceteri sequentes existant. Illos autem, qui per maleficia ipsius seducti apostatare ausi sunt, nisi citius conversi fuerint, gladio necare curato. Hac jussione Præfectus iniquus præfatos viros, qui Christianam fidem relinquere noluerunt, gladio necari præcepit : fuitque numerus eorum centum viginti. Sic in suo sanguine sine dubio baptizati, siderea regna percipientes cum Christo in perpetuum regnant, pro cujus amore suas animas tradiderunt.

*jubet decollari,*

*Julianam comburi :*

*decollantur 120.*

22 Beatam

A 22 Beatam vero Julianam ignis incendiis concremari præcepit. Quam nefariam jussionem satellites perficere cupientes, copiosum ignem succendentes, illam in medio posuere flammarum. Cumque incendiis undique circumdata fuisset, expansis manibus oculisque ad cœlum erectis, his verbis cœpit orare Tonantem : Domine Rex cœli et terræ Creator, respice in agonem famulæ tuæ : esto mihi adjutor et libera me de isto incendio, sicut liberare dignatus es sanctos tuos tres pueros de camino ignis ardentis. Hæc illa orante, Angelus Domini e cœlo missus ignem continuo extinxit, et Christi Virginem illæsam per omnia conservavit. Quod miraculum Præfectus videns, unde resipiscere debuit, inde inflammatus aliud patravit incendium. Nam jussit liquefieri plumbum, et crudeliter super eam effundi præcepit. Sed illa, ut prius, Deum exorando, illæsa perseveravit. De quo tyrannus valde succensus, eo quod in omnibus superatum se conspiceret, jussit eam gladio percuti. Audiens Christi Martyr quod per gladium vitam finiret, gratias Deo retulit, dicens : Benedictum sit nomen tuum, Domine Deus, qui non dedisti nos in captionem et opprobrium inimicorum nostrorum. Et ecce nunc quod te jubente inchoavi, te adjuvante perficio, dum pro amore nominis tui sancti effundo sanguinem meum. Tu autem Salvator meus in pace, obsecro, suscipe spiritum meum. Finita vero B oratione, percussa est gladio : et sic in pace cum triumpho Martyr migravit ad Dominum Jesum Christum, cum quo perenniter gaudet in secula seculorum. Amen.

*igne per Angelum extincto,*
*illæsa exit Juliana :*
*oleo liquenti perfunditur :*
*Decollatur :*

23 Post hæc autem quædam Senatrix, nomine Sophronia, cum sanctæ Ecclesiæ pax esset reddita, et Romam properaret, et per civitatem Nicomediam transiens, B. Julianæ gloriosa miracula cognosceret, abstulit corpus ejus, et condiens aromatibus secum ferebat cum gaudio. Navigante autem illa, tempestas magna exortat est, quæ ipsam navem perduxit in confinibus Campaniæ juxta civitatem Puteolanam, quæ distat ab urbe Parthenope fere milliaribus novem. Cumque prudenti animo cognovisset Dei Martyrem illic velle habere oraculum, spontanee illius patrociniis continuo basilicam in ejus nomine construxit : corpusque illius ibidem cum hymnis et laudibus nobiliter collocatum est.

*corpus transfertur Puteolos :*

24 Postea vero imminente *a* Ethnica feritate, ne talis tantusque thesaurus dehonestaretur, translatum est corpus ejus in civitatem Cumanam, *b* ibique in ipsius et in B. Maximi basilica cum gloria collocatur : ubi plurima petentibus beneficia ad laudem Domini præstare non desinit usque in hodier- C dum diem. Passa est autem beata Martyr Juliana quartodecimo Kalendas Martias, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum, Amen.

*a inde Cumas. b*

a *Quando id contigisse videatur supra diximus.*—b *MS. exemplar quo usus Caracciolus, habebat* in ipsum Episcopum : et in beati Martyris Maximi basilica cum gloria collocatum.

# TRANSLATIO III S. JULIANÆ

## a teste oculato descripta, ex actis Ecclesiæ Neapolit.

### CAPUT I.

### *Cumæ a Neapolitanis eversæ an.* CIↃCCVII.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo septimo, quinto Kalend. Martii, *a* x Indict. cum civitas Cumana, quæ propter inhabitantium malitiam civitatis nomen amiserat, et latrocinantium locus, et malorum omnium sentina effecta, tam civitati Neapoli quam Aversæ, et omnibus tenimentis earum nimis esset infesta, transeuntibus quoque tam D per mare quam per terram damna plurima et pericula ministraret; omnipotens Deus, qui per aquas diluvii propter mala, quæ multiplicata erant in terra, totum genus humanum delevit, et Sodomitas et Gomorræos propter immanitatem scelerum suorum in igne et sulphure judicavit; ipse utique prædictæ urbis excidium, quod mirabiliter comminatus erat, complevit. Nam cum tanto tempore expectasset, ut pœnitentiam agerent, et a tantis se iniquitatibus coercerent nullum in ea fructum invenit. Nam ad deteriora et nequiora semper totis nisibus labebantur. Indignum itaque visum fuit majestati Divinæ, ut locus ipse diu subsisteret, et impietatis ac injustitiæ potestas diutius grassaretur, quæ omnem pietatem omnemque justitiam abdicarat. Cogor ad ea quæ dicturus sum, profunditatem et magnitudinem mysteriorum Dei vehementissime admirari, et dicere cum Apostolo : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus, et judicia ejus abyssus multa! Et, Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Ipse enim ordinat, et disponit omnia prout vult, et quando vult. Ipse prædicti loci exterminium mirabili atque inæstimabili modo dignatus est operari : ne quis forte suis viribus et meritis attribueret, quod Divinæ erat pietati E et misericordiæ attribuendum. Licet autem arcana Divini mysterii ignoremus, tamen nec factum largitionis suæ clementiæ convincere possumus quomodo id factum fuerit, et ex quanta Dei dispensatione mirabiliter sit patratum.

*AUCTORE TESTE OCULATO, ET MSS. Cumæ an. 1207 ob diuturna scelera excisæ,*
*justo Dei judicio.*
Rom. 11 33

2 Cum itaque tam milites, quam universus populus inclytæ civitatis Neapolis inter se quærerent et conferrent, qualiter contra Theotonicos, qui totam Terram Laboris, imo totum regnum Siciliæ devastabant, agere possent, et ad confusionem et destructionem eorum quotidie niterentur, statuerunt ut milites sui extra civitates existerent præparati, ut inimicis resisterent, et casalia et tenimenta civitatis ab eorum incursibus defensarent. Quo audito viri Comites et Barones in tam laudabili facto eos plurimum commendantes, se et vires suas unusquisque ad civitatis auxilium invitabat.

*Militum stationes tunc extra urbes.*

3 Ergo Dei gratia vir strenuus Gotfridus de Montefusculo Cumas advenit, et a venerabili Episcopo Aversano, qui locum tenebat, honorifice satis susceptus est, et cœpit ibi aliquantisper morari. Verum quia illuc fuerat de nocte ingressus, et tam Neapolitanis quam Aversanis nescientibus locum ipsum F intraverat, grave tulerunt admodum et molestum, nescientes qua de caussa venisset, et quid facere vellet. Verebantur enim ne ab eo molestationes et pericula sustinerent, quæ ab aliis, qui locum tenuerunt graviter fuerant jam perpessi. Aversani autem tanto factum ipsum pro malo habere cœperunt, quanto Episcopus eorum, eis ignorantibus, eumdem nobilem virum in castrum receperat : et quia, ut diximus, illuc idem fuerat de nocte ingressus. Unde adventum ejus suspectum habentes, Episcopum facti hujus conscium, contra civitatem suam fecisse, unanimiter clamabant. Sed quia omnino certi non erant, sed dubitationis scrupulo movebantur, miserunt Cumas quosdam ex civibus suis, qui castrum, ne ab eo occupari posset, sollicite custodirent. Qui advenientes, ab Episcopo sunt recepti, et turrim protinus ascendentes, eam cœperunt magna cum diligentia custodire.

*Golfrido noctu Cumas ingresso,*
*Aversani turrim occupant.*

4 Prædictus autem nobilis hoc cernens, ab Episcopo se credidit esse præventum, et ideo Aversanos, ut ipsum caperent, venire fecisse. Unde se cum sociis suis diligenter unitis, ne ab illis incommodum aliquod pareretur, se cum suis in locum armavit, et in

A in domum accepit. Aversani quoque se et turribus et armis et quibuscumque necessariis munierunt. Et sic utrique suspicionis in scrupulo morantes, in alterutrum pericula verebantur. Dictus autem Gotfridus in tanto se videns periculo constitutum, et præcavens Aversanos suis in adjutorium adventuros, misit statim Neapolim, et Neapolitanos in suum auxilium accersivit, rogans ut se de adversariorum manibus liberarent, et de castro facerent quidquid vellent. Quod audiens Comes Petrus de Lin.... cum esset affinis ejus, statim equitavit, et ivit ad locum, ubi erant milites a civitate statuti, et exhortans eos diligenter super hoc verbo, cum ipsis pariter Cumas advenit. De quorum idem nobilis vir plurimum lætificatus adventu, sacramentum prius ab eis securitatis accepit. Quod etiam firmatum est ei, ut si turris caperetur, tam homines quam mobilia in ejus manibus traderentur. Quod cum factum fuisset, transvadato muro ingressi sunt communiter civitatem. Post hæc etiam tam de militibus quam de populo civitatis Neapolitanæ multitudo illuc copiosa accessit.

*Auctore teste oculato, ex MSS. [illegible]*

*ipse Neapolitanos ad auxilium evocat,*

*in urbemque admittit.*

5 Tali igitur modo præfato nobili viro de tanto periculo liberato, habito Neapolitano concilio decreverunt, ut antequam inde recederent, ut locum ipsum *b* dirui penitus facerent et everti. Et quia idem multoties cum Aversanis convenerant, et etiam sacra- B mento firmaverant, et nondum id fuerat effectum, accesserunt ad turrim, ubi se Episcopus cum Aversanis receperat, et eos super hoc diligentius allocuti rogabant, ut de turri descenderent, et locum ipsum, sicut inter eos sacramento firmatum fuerat, destrui communiter facerent, et ad solum usque perduci. Et illi responderunt, se nec de turri velle descendere, nec locum ipsum aliquatenus destrui. Cumque eos super hoc iterum iterumque monerent, nec illi vellent eorum verbis salutaribus acquiescere; verentes Neapolitani, ne mora ad se traheret periculum, et quia nocuit differre paratis, animati cum præfato nobili viro accesserunt ad turris murum, et cœperunt eam acriter obsidere : nec multo post cum fundis baleariis, et sagittis, igneque supposito omnes qui erant in turribus ceperunt, et Episcopum, et eos qui cum ipso erant, vix ab ignis incendio subtraxerunt. Statutis autem ibi aliquibus militibus, et aliquantis de populo, qui civitatem diruerent, inde cum gaudio et pompa laudabili feliciter ad propria sunt reversi. Et sic locus ipse, qui tanto tempore scandali materia fuerat, et malitiæ caussa, dirutus et per Dei gratiam penitus est eversus, dignam suæ iniquitatis recipiens ultionem.

*de ea evertenda deliberant : b*

*resistentibus Aversanis, turrim expugnant :*

*dein urbem totam evertunt.*

a *Hinc patet anni initium non a Paschate duci, ut esse debeat* 1206, *sed a Januario, quando Indictio* 10 *fuit anno* 1208 11
C — b *Apographum nostrum habebat*, dirimi.

## CAPUT II.

### *Translatæ Cumis Neapolim reliquiæ S. Julianæ, et aliæ.*

Postea vero ne loco destructo, reliquiæ *a* præfatorum sanctorum Martyrum ab extraneis tollerentur, consilio inito Archipræsul cum viris religiosis ad locum ipsum, qui eisdem sanctis reliquiis dives erat, consilio etiam Dominæ *b* Abbatissæ S. Mariæ de Donna Aromata, quæ ad obtinendas reliquias sanctæ Virginis et Martyris Julianæ maximam devotionem habebat, missi sunt de voluntate et mandato viri religiosi, Leo Cumanus Episcopus, Domnus Joannes Abbas S. Mariæ in Pede-cryptæ, et Domnus Petrus Fictarolus Subdiaconus Ecclesiæ Neapolitanæ. Cum quibus etiam adeuntes venerabiles Abbates S. Petri ad Aram, et S. Mariæ ad Cappellam, cum quibusdam militibus et probis viris ad ecclesiam *c* B. Maximi Martyris, intraverunt mausoleum ex marmore factum, in quo erant ossa B. Maximi Martyris, ita or- D dinata et composita ac si eodem die illuc collocata fuissent. Subtus quoque pulverem ipsarum sanctarum reliquiarum non modicum invenerunt. Et ecce subito tantus odor efflavit, ut omnium circumstantium nares et corda refecerit, acsi balsamum ibi et omnia odoramenta fragrarent. Sublevatisque sanctis pignoribus foderunt inferius, et invenerunt aliud mausoleum, in quo sancti *d* pueri erant reliquiæ, quem tres menses tantum habentem loqui fecerat B. Maximus coram Fabiano Præfecto. Quibus peractis, subter cavantes invenerunt loculum ex marmore compositum, in quo erant reliquiæ ejusdem Virginis : ex quibus etiam tantus odor ascendit, ut omnium nares suaviter et corda repleret. Quibus inde levatis, cum honore maximo et jubilatione ad ecclesiam beatæ Dei genitricis et Virginis Mariæ de Pede-cryptæ eas perducere studuerunt.

*a*

*b*

*Missi ad reliquias asportandas viri venerabiles,*

*c*

*S. Maximi M. ac puerul M.*

*d*

*cum S. Julianæ V. M. reliquias reperiunt, erumpente ex omnibus suavissimo odore*

7 Audiens autem Abbatissa S. Mariæ Donnæ Aromatæ venisse illuc sanctas reliquias, pergit illuc cum sodalibus Virginibus. Secutæ sunt eas multæ nobiles nuptæ et viduæ, et ibi preces fundunt cum lacrymis, laudantes Dei magnalia, dicentes : Sit nomen tuum benedictum in secula, qui dedisti Sanctis tuis victoriam pugnando contra spiritales nequitias, ad liberandas multas animas, quas ipsi dæmones captivaverant. Ecce, inquit, ipsi dæmones merguntur ad tartara, et sancti scandunt ad cœlestia. Luge, luge hostis nequitiæ, luge pro tua superbia, quæ te de cœlesti regno expulerat : et qui dicebas, Ero similis Altissimo, nunc nullus es, victus a sexu fragili fœmineo : desine pugnare contra Christicolas, quos suo sancto redemit Dominus sanguine. Tibi, Christe, sit gloria nunc et semper per immensa secula. Tunc surgentes ab oratione, perrexerunt ad locum ubi erant reliquiæ sanctæ Virginis. Et videns Abbatissa loculum, currens, amplexans, stringens, orans cum lacrymis, dixit : Obsecro te, Virgo sanctissima, rogo te per eum, pro quo tuum fudisti sanguinem, ne despicias tuam ancillam. Pro te veni anxians, quærens tuas sanctas reliquias : ad nostram mansiunculam cupimus transferre, ut per te fiat amplissima. Te nobis ergo concedere digneris. Deinde tota nocte vigilantes, cum psalmis et hymnis, laudes Deo cantaverunt.

*occurrit Abbatissa S. Mariæ Donnæ-Romatæ, cum aliis,*

E

*S. Julianam orat ut ad suum cœnobium veniat.*

8 Mane vero surgens prædictus Leo Cumanus Episcopus simul cum aliis, quos tu misisti, Pater sanctissime, deduxerunt eas honorifice. Et obviantes eis Sacerdotes et Milites de regione *e* Nidi, simul cum magna plebe, portabant ramos olivæ in manibus, cantantes et dicentes : Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis. Deinde adorantes sanctas reliquias præibant cantantes, et dicentes : Benedictus, qui venit etc. Et sic canendo pervenerunt ad ecclesiam B. Nicolai, Christi Confessoris de castro Lucullano, sitam prope mœnia civitatis. Quo F audito, veniens tu, Pater beatissime, cum processione magna totius Cleri et populi civitatis, mulierum quoque et infantium turba non modica ad locum ubi sanctæ erant reliquiæ, devote satisque humiliter accessisti. Quibus cum maxima reverentia et devotione susceptis, humerisque impositis tuis et Episcopi Cumani : aliaque capsula, in qua erant reliquiæ sanctæ Virginis et Martyris Julianæ, a duobus Presbyteris Cardinalibus suscepta, quam præcedebat icona ipsius sanctæ Virginis pulchra nimis, cum hymnis et laudibus cereisque accensis, cum maximo jubilo et exultatione, Te Deum laudamus, canora voce cantando civitatem intrasti, et cum honore et lætitia maxima ad ecclesiam beatæ Genitricis et Virginis Mariæ de Domna Romata properasti : ubi reliquias sanctæ Virginis et Martyris Julianæ, quas propriis manibus bajulabant, satis honorifice reponere studuisti, oratione ibi in Dei laudibus celebrata. Deinde

*e*

*ad mœnia*

*occurrit Archiepiscopus cum Clero, ipsasque reliquias gestat;*

*S. Julianæ reponitur S. Mariæ Donnæ-Romatæ,*

A *alias in Cathedrali.* Deinde alias sanctas reliquias Martyris et Levitæ Maximi, et ipsius Christi Martyris discipuli, quæ cum eo repositæ fuerant, cum honore ac lætitia maxima ad majorem ecclesiam veniens, satis devote et honorifice collocasti. Ubi data nihilominus oratione et benedictione, Clerum et populum universum totamque multitudinem illam in Dei laudem congregatam, ad propria cum gaudio remisisti.

*Scriptor adfuit, odoremque illum percepit.* 9 Fateor me numquam tantum odorem tantamque fragrantiam percepisse, quantam ex odore ipsarum sanctarum reliquiarum ego peccator et indignus percepi. Et revera pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus: et Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex eis non conteretur. Gaude igitur et exulta, Pater sanctissime, tanto ditatus thesauro, tanto privilegio decoratus. Gaude et lætare Parthenope, civitas gloriosa, tantis suffulta Patronis, per quos et hostes Deo annuente procul fugabis, et in pace securissima in ævum permanebis. Et gaudeat nihilominus chorus sanctarum Virginum ditatus cœlestibus donis. Hinc et inde laudes resonent, et vocibus organa concrepent: quia exultandum est in hac die, lætandum est in hoc festo; eo quod tantum thesaurum habere meruimus, et amicos Dei sanctos Martyres obtinere patronos. Tua hæc, Domine, dona sunt, tua sunt munera, qui sic nosti B glorificare Sanctos tuos, sic et mirificis laudum præconiis coronare. Guberna, Domine, Abbatissam f nostram: salva et auge hanc congregationem: quin in te, Domine, speramus, in te confidimus. Tibi honos et gloria in seculorum secula. Te quoque, beatissima Virgo Juliana, humiliter imploramus, ut nostris semper invocationibus assidua precatrix assistas, civitatem protegas, petitiones nostras ad Deum porrigas, ut tuis sanctissimis meritis et nostra nobis peccata relaxet, et in futuro seculo nos faciat in æternum manere. Ultimo loco peto ego et supplico, gloriosissima Martyr, ut qui ob amorem tuum, ad laudem et gloriam Christi tantum opus subire tentavi, mei misereri digneris; ut tuo suffultus auxilio et vitia superare valeam, et ad virtutum culmina pervenire, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum, Amen.

*f ipse dictæ Abbatissæ subditus*

*S. Julianam invocat.*

a *De iis ante non egit unde suspicio est, omissum Prologum, in quo eorum meminerit.* — b *Ea* Bienna *appellatur in Lectionibus. De nomine monasterii breviter egimus* § 2 *num.* 15. — c *De* S. Maximo *agemus* 30 *Octobr.* — d *De eodem in Actis S. Maximi.* — e *Ea una est de regionibus ac sedilibus urbis Neapolitanæ.* — f *Hinc conjecturam superius duximus, scriptorem videri fuisse unum ex iis Presbyteris, qui sacra ejus cœnobii sanctimonialibus administrabant.*

C

## DE EADEM TRANSLATIONE

### *a* LECTIONES.

*ANIMADV. PAP. 132*

*a*

Lect. 1 Anno ab Incarnatione CIↃCCVII, V Cal. Martii, cum civitas Cumana propter malitiam inhabitantium destrueretur, venerabilis Pater Anselmus Neapolitanus Pontifex, a religiosa Domina *b* Bienna Ecclesiæ S. Mariæ Donnaromata Abbatissa, quæ hujus Virginis reliquias flagitabat habere, sedulo requisitus, pro deferendis eisdem Leonem Episcopum Cumanum D cum pluribus Abbatibus et militibus de Neapoli Cumas sollicite destinavit. Qui de Cathedrali Ecclesia B. Maximi gloriosum corpus effodientes (unde odor nimius exhalavit) cum hymnis, et canticis ad Ecclesiam Dei Genitricis B. Mariæ de Pede-criptæ detulerunt.

*AUCTORE TESTE OCULATO, EX MSS. S. Julianæ reliquiæ Cumis elatæ.*

Lect. 2 *occurrente Abbatissa Bienna,* Quod audito venerabilis Abbatissa cum sodalibus Virginibus suis et multitudine nobilium Dominarum, illuc concita properavit. Et cum omnes in terram prostratæ benedixissent Dominum, surgens ab oratione religiosa Abbatissa, locellum sanctarum reliquiarum amplectens stringensque, cum lacrymis dixit: Obsecro te, Virgo sanctissima, per eumdem, pro quo sanguinem tuum fudisti, ne despicias tuam ancillulam. Pro te veni anxia: diu est quod te optaveram. Supplico ne despicias nostram mansiunculam. Credimus, sanctissima, ut per te fiat amplissima, te nobis concedente divina potentia. Deinde tota nocte vigilantes cum psalmis et hymnis Deo servientes.

Lect. 3 *Neapolim versus feruntur:* Mane vero surgens prædictus Leo Cumanus Episcopus, simul cum his, quos tu misisti, Pater sanctissime, deducentes eas, honorifice, obviantes ei Sacerdotes, et milites de regione Nidi, simul cum magna plebe, portantes ramos olivæ in manibus, cantantes Hosanna in altissimis Deo: deinde adorantes E cunctas Reliquias, præibant canentes, et dicentes: Benedicta, quæ venit in nomine Domini. Et sic canendo pervenerunt ad Ecclesiam B. Nicolai Christi Confessoris de castro Lucullano, sitam prope mœnia civitatis.

Lect. 4 *suscipiuntur ab Episcopo.* Quo adveniens, tu Pater beatissime, cum processione magna totius Cleri, et populi civitatis, mulierum quoque, et infantum turba, ad locum ubi sanctæ Reliquiæ erant, satis devote atque humiliter accessisti. Quibus cum maxima reverentia et devotione susceptis, humerisque impositis tuis, et Episcopi Cumani; aliaque capsula, in qua erant Reliquiæ sanctæ Virginis et Martyris Julianæ a duobus Presbyteris Cardinalibus suscepta, quam præcedebat icona ipsius sanctæ Virginis pulchra nimis, cum hymnis, et laudibus cereisque incensis, cum maximo jubilo et exultatione, Te Deum laudamus, canora voce cantando, civitatem intrasti, et cum honore et lætitia maxima ad Ecclesiæ beatæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ de Donnaromata properasti.

Lect. 5 Ubi Reliquias sanctæ Virginis et Martyris Julianæ, quas propriis manibus bajulabas, satis honorifice reponere studuisti, oratione ibi in Dei laudibus celebrata.

F

Lect. 6. 6 Deinde alias sanctas Reliquias, Martyris videlicet, et Levitæ, id est Maximi, quæ cum eo repositæ fuerant, cum honore et lætitia maxima ad majorem ecclesiam *c* B. Januarii Martyris satis honorifice collocasti.

a *Misit has nobis Capua Silvester Aiossa V. CL. ex veteri Officio sua manu descriptas. Sumptæ præcipue sunt ex præcedenti historia Translationis.* — b *Hujus nomen non erat in historia expressum, nisi forte in prologo, quem adhuc nacti non sumus.* — c *Hic celeberrimus Patronus est urbis Neapolitanæ, de quo agemus* 19 *Septemb.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS NICOMEDIENSIBUS,

# IↃ VIRIS, FOEMINIS CXXX.

J. B.

*SUB MAXIMIANO XVI FEB.*

Ex S. Julianæ *Virginis ac Martyris actis constat, complures illius constantiæ miraculo motos, fidem Christi suscepisse, eamque generose profitentes laurea martyrii donatas. Græci eorum memoriam recolunt die* XXI *Decembris, qua ipsam Julianam agonem autumant consummasse, uti et quidam Latinorum cum Baronio. Nos, cum antea ostenderimus, ex antiquissimis Actis Latinis, probabilius videri, hoc die eam martyrium finisse, illos quoque hoc die ponemus.*

*Hi cum S. Juliana hoc die passi,*

2 *De eorum numero non eadem tradunt scriptores. Acta Latina antiquiora ita habent num.* 16. Decollati autem sunt viri cum mulieribus centum triginta. *Posteriora Acta a Petro scripta:* centum viginti. *Videtur in utrisque actis virorum numerus excidisse, ac legendum:* Decollati autem sunt viri IↃ, cum mulieribus CXXX. *Atque ita habet codex unus noster, et Legenda Lovanii an.* CIↃCCCCLXXXV *excusa. Bellovacensis lib.* 12 *cap.* 36 *solum ait:* Et divisi sunt quingenti homines una voce clamantes

*eorumque numero ex sententia Latinorum*

A clamantes... Hæc Præfectus renuntiavit Imperatori, qui jussit illos omnes captos gladio puniri. *Ita et S. Antoninus par.* 1 *tit.* 8 *cap.* 1 § 8. Conversique sunt ad hoc spectaculum quingenti homines *etc. Uterque, dum breviter rem comprehendit, videtur* CXXX *feminas omisisse. Petrus Canisius noster in Martyrologio diserte expressit viros* D, CXXX *feminas.*

*auctore R.*

3 *Metaphrastes ita scribit* : Maximo itaque sunt obstupefacti miraculo totus populus Nicomediensium, et viri numero circiter quinginti una voce et mente exclamaverunt... Atque eos quidem statim accepit ensis, cum sic jussisset Præfectus, nullo relicto qui non fuerit in Christo consummatus. Ejusdem quoque exitus fuere sociæ centum et triginta mulieres : neque enim viris visæ sunt inferiores, quod attinet ad pietatem. *Duas quoque confiriunt turmas Græci in Menæis, unam* D *virorum, alteram feminarum* CXXX. *Ita et Maximus Cytheraeus* : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ οἱ ἅγιοι πεντακόσιοι μάρτυρες οἱ ἐν Νικομηδείᾳ, ξίφει τελειοῦνται. Eodem die sancti quingenti Martyres Nicomedienses gladio finiuntur. *Ac deinde* : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ αἱ ἅγιαι ἑκατὸν τριάκοντα γυναῖκες αἱ ἐν Νικομηδείᾳ, ξίφει τελειοῦνται. Eodem die sanctæ centum triginta mulieres Nicomedienses gladio finiuntur. *Horum conversio ac martyrium in prioribus Actis memoratur cap.* 3 *num.* 16, *ac fusius in posterioribus cap.* 3 *num.* 20. D

*et Græcorum.*

# DE S. JULIANA VIRG. MART.

## VERONÆ IN ITALIA.

*J. B. ANNO DV. PAP 133*

*XVI FEB.*

*S. Julianæ V. M. corpus,*

Verona, *Venetæ ditionis in Italia urbs, tum aliis Divorum exuviis, tum* S. Julianæ *Virg. Mart. corpore gloriatur. Allatum eo corpus illud* ex partibus ultramarinis *dicitur anno* CIↃCLXXIV. *Unde consequens est, diversam esse ab Nicomediensi : licet eamdem esse Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, ac deinde S. R. E. Cardinalis, scribat fol.* 53 *libri, cui titulus,* SS. Episcoporum Veron. antiqua monumenta et aliorum Sanctorum, quorum corpora habentur Veronæ. *At Nicomediensis Juliana tunc Cumis erat ab sexcentis minimum annis, estque Neapolim anno* CIↃCCVII *translata, ut antea narratum. Non igitur afferri tunc Veronam* ex ultramarinis partibus *potuit. Verum aliæ reperiuntur in Martyrologiis* Julianæ, *in ultramarinis partibus adeptæ coronam martyrii : una Amisi in Paphlagonia cum sex aliis mulieribus,* XX *Martii ; alia cum germano suo Paulo Ptolemaide in Palæstina* XVII *Augusti ; alia* XVIII *Aug. Myræ in Lycia cum Leone ; denique* I *Novembris alia Tarsi in Cilicia, aut verius Rhossi cum Cyrenia, vel Cyriæna, ut est in Menæis : denique alia etiam Nicomediæ cum S. Barbara* IV *Decembris. Potuit harum aliqua Veronam eo anno advehi, vel alia quæpiam. Quæcumque vero sit, nihil de illa nobis exploratum, præter ea quæ idem tradit Valerius, his verbis* :

B

*sed non Nicomediensis,*

2 S. Blasii Episcopi, et Martyrum duorum discipulorum ejus, et S. Julianæ Virg. et Martyris, corpora requiescunt in ecclesia S. Nazarii, translata ex ultramarinis partibus Veronam anno Domini CIↃCLXXIV. De qua translatione late patet in tabula vetusta ex membranis, quæ est in ecclesia S. Nazarii appensa parieti in capella S. Blasii versus Orientem. Idem asserit Franciscus Corna in libro de quo supra : et in dicta ecclesia est epitaphium in lapide his versibus incisum, quod erat apud arcam in capella majori, antequam ædificaretur capella S. Blasii.

*Veronam allatum an. 1174*

C

*cum corpore S. Blasii et sociis,*

Hic Martyr Blasius requiescit Episcopus almus,
Ejus et almorum duo corpora dicipulorum,
Et corpus sane jacet hic Sanctæ Julianæ :
Romanæ Sedi præsidebat tunc Alexander,
Et tunc Augustus regnabat Rex Federicus,
Bonum et Veronæ tunc erat Episcopus omne,
Et tunc patrono gaudet Clerus Omnibono,
Cœnobii canam Abbatem tunc fore Adam.
Hæc dum locantur, anni Domini numerantur
Mille, semel centum, septies decem, quatuorque.

In tabula marmorea in pariete a latere sinistro majoris altaris dictæ ecclesiæ versus montem sunt hæc carmina.

IC
Mille quadringentis sex sexaginta Decembres
Errabant, Martemque dies quindena trahebat,
Cum sacer hic Blasius Martyr Præsulque verendus,
Et Juliana, simul pueri duo, marmore clausi,
Hoc habuere novum divino munere templum.
Tum Regina potens æternæque gloria mundi
Pontifici Paulo applaudebat Roma secundo :
Tertius Imperii sceptrum Federicus habebat :
Hermoleosque decus Venetum, sidusque refulgens,
Veronam Præsul decorabat Barbarus urbem :
Clarus erat templi Pastor Gulielmus et auctor,
Cujus bonos nomenque diu laudesque manebunt.
D. Divis Martyribus D.

*iterum translatum an. 1466.*

E

3 In eadem ecclesia S. Nazarii, in quadam tabula apud societatem S. Blasii, transscripta est bulla Apostolica, sive Breve, Innocentii Papæ VIII, datum sub die XXIII Decembris CIↃCCCCLXXXIX, quo inter cetera hæc continentur : Nuper autem nobis exponi fecistis, quod vos quamdam capellam in honorem S. Blasii, in ecclesia SS. Nazarii et Celsi Veron. construi cœpistis, in qua corpora ipsius Sancti, ac duorum ejus discipulorum, et S. Julianæ Martyris, quæ in quadam arca lapidea in dicta ecclesia conservantur, decenter et cum honore reponere et collocare intenditis *etc. Hactenus Valerius.*

*Ejus meminit Bonifacius 8 Papa,*

4 *Duplex hic S. Julianæ translatio memoratur : prima ex Oriente Veronam, ad SS. Nazarii et Celsi ecclesiam, quæ est monachorum Cassinensium. Ea facta ab Omnibono Episcopo Veronensi, anno Christi* 1174, *Alexandri* III *Papæ* 15, *Frederici Ænobarbi Imp.* 22, *qui nominantur in priori inscriptione, ab Ughello quoque tomo* 5 *Italiæ sacræ relata : qui et diserte fatetur in abbatia S. Nazarii* jacere corpora S. Blasii Ep. et Mart. et duorum discipulorum ejus, S. Julianæ Virg. et Mart. aliasque venerandas sine nomine reliquias. *Altera translatio contigit sub Hermolao Barbaro Veron. Ep. Pauli* II *Papæ anno* 2, *Frederici* III *Imp.* 27.

F

*et Ughellus.*

5 *In aliis quoque ejusdem urbis ecclesiis aliquas* S. Julianæ *asservari reliquias (a corpore nimirum, quod in S. Nazarii æde est, avulsas) testatur idem Augustinus Valerius* : In consecratione, *inquit,* altaris S. Jacobi et S. Helenæ ecclesiæ SS. Apostolorum, repositæ fuerunt reliquiæ S. Julianæ. In altari majori ecclesiæ S. Mariæ in Organis asservantur reliquiæ S. Julianæ. *Asservantur item aliquæ, ut scribit Ughellus, in abbatia S. Zenonis majoris, et caput in abbatia SS. Firmi et Rustici minoris in Brayda.*

*aliæ ejus in aliis ecclesiis reliquiæ.*

# DE S. JULIANA ROMANA
## VIRGINE MARTYRE BONONIÆ IN ITALIA.

G. H.

XVI FEB.

*E*cclesia est quædam Bononiæ parochialis, SS. Nabori et Felici dicata, vulgo Abbatia appellata, quam monachi Benedictini possederunt ab anno CIƆCCC ad CIƆIƆX. *Donata tunc sanctimonialibus S. Claræ, ut tradit Masinus in Bononia perlustrata ad* XII *Julii. In hac ecclesia* XVI *Februarii solenni cultu peragitur officium de S. Juliana Romana Virgine et Martyre, cujus isthic sacrum corpus adservatur, a Gregorio* XV, *ortu Bononiensi, illi ecclesiæ donatum. De ea donatione et cultu agit idem Masinus ad hunc eumdem diem, quo alia* Juliana *Nicomediensis colitur.*

ANIMADV. PAP. 134.

# DE S. FAUSTINO
## EPISCOPO BRIXIENSI IN ITALIA,

G. H.

CIRCA AN. CCCLXX
XVI FEB.

*S. Faustinus Ep. colitur 15 Febr.*

*C*elebravimus XV *Februarii Divos ecclesiæ Brixiensis Tutelares, sanctos fratres* Faustinum et Jovitam Martyres : *quibus in MS. Adonis Martyrologio, nunc Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ, olim Ecclesiæ Telonensis Provinciæ, adjungitur eodem* XV *Februarii* Episcopus Faustinus, *utque a* Faustino Martyre *distinguatur,* Confessor *appellatur. Ita autem legitur :* Item S. Faustini Confessoris Brixiensis, qui corpora SS. Faustini et Jovitæ
B
collegit. *Verum ea die ob solennitatem Martyrum impedito colitur postridie : quo in antiquo S. Maximini Martyrol. MS. hæc habentur :* In Bri... Faustini.

*et 16 Feb.*

*Clare adstipulatur Martyrologium Romanum, in quo ad* XVI *Februarii hæc leguntur :* Brixiæ S. Faustini Episcopi et Confessoris. Hic, *addit Galesinius,* in beatorum Martyrum Faustini et Jovitæ familia natus, vir singulari pietate, Ursicino illius urbis Episcopo succedens, et sacris concionibus et vitæ exemplo in Brixiensium animis ardentes amores excitavit Christianarum virtutum. *Hæc Galesinius, et quidem, ut annotat,* ex monumentis Ecclesiæ Brixiensis. *Eumdem ex illorum familia Martyrum fuisse aiunt Elias Capreolus lib. 2 Historiæ Brixien. Ascanius Martinengus in Vita hujus S. Faustini Italice edita cum Actis aliorum Sanctorum urbis Brixiensis, et Joannes Franciscus Florentinius in Indice Chronologico Antistitum Brixianorum.*

*e familia SS. Faustini et Jovitæ ortus,*

*habuit decessorem S. Ursicinum an. 347,*

2 S. Ursicinus *decessor interfuit Sardicensi Synodo anno* CCCXLVII *habitæ, ubi tamen pro* Ursicino Ursatius *legitur. Ei* S. Faustinum *successisse anno* CCCL, *asserunt Florentinius et Ughellus in Episcopis Brixiensibus. Successorem habuit* S. Philastrium, *qui interfuit Concilio Aquileiensi Siagrio et Eucherio Consulibus, anno* CCCLXXXI *Nonis Septembris celebrato, ut ante illud tempus necesse sit* S. Faustinum *e vita migrasse.*
C
*Coluntur* S. Ursicinus I *Decemb.* S. Philastrius XVIII *Julii.*

*successorem S. Philastrium an. 381.*

*scripsit Vitam SS. Faustini et Jovitæ,*

3 *Acta SS. Faustini et Jovitæ Martyrum ab hoc* S. Faustino *litteris consignata fuisse tradunt Galesinius, Ughellus, Martinengus, alii. Septem fuisse epistolas asserit Martinengus, easque periisse, quibus non solum ultima certamina, sed res aliæ tota vita ab iis præclare gestæ, expositæ fuerint, ut diximus ante horum Acta num. 5. Addit Ughellus ab eodem* Faustino *conscripta fuisse* Acta S. Apollinaris, *de quibus inquirendum ad hujus natalem* XXIII *Julii. Fuit porro Brixiæ templum* S. Apollinaris, *cujus etiam meminit Ughellus in Ursicino. At Florentinius non* S. Apollinaris *sed* S. Apollonii Episcopi, Brixiensis *ait* Acta *conscripsisse. Colitur hic* VII *Julii.*

*et S. Apollinaris vel potius Apollonii.*

4 *Sacra ossa* S. Faustini *reperta sunt in basilica SS. Faustini et Jovitæ anno* CIƆCVII. *Seculo sequenti ab Alberto Episcopo comprobata ejus Sancti esse, addita hac inscriptione :* Hic jacet corpus B. Faustini Confessoris et Episcopi Brixiensis. *Instrumentum repositionis reliquiarum SS. Faustini et Jovitæ Martyrum, et hujus Faustini Confessoris dedimus* XV *Februarii, cujus partem hic repetimus; est autem ejusmodi.* Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio, Indictione undecima, octavo die intrante Augusto, aperta est arca sanctorum Martyrum Faustini et Jovitæ et reposita est in loco isto cum corporibus eorumdem Martyrum et B. Faustini Confessoris, præsente Archidiacono et Archipresbytero, una cum Clero suo Brixiano, et Fratre Jordano Magistro Ordinis Prædicatorum et Fratre Gualla Priore ejusdem loci cum Fratribus suis : et hoc factum cum solenni processione. Et tunc reposita sunt corpora eorum Sanctorum Faustini et Jovitæ in hac arca lignea, et corpus S. Faustini Confessoris in hac alia, a venerabili Patre nostro Alberto Brixiensi Episcopo. *De Alberto ejusque successore Gualla aliqua adjunximus ad* XV *Februarii : Vitam B. Jordani dedimus* XIII *ejusdem mensis.*

*ejus corpus inventum an. 1107*
E

*iterum elevatum an. 1223,*

5 *Eadem sacra ossa mirifico pietatis studio ex veteri altari in novum transtulit anno* CIƆIƆXXXVIII *Hieronymus Uselenus, alias Vascherius, Guardiensis Episcopus ac Suffraganeus Andreæ Cornelii Episcopi Brixiensis. Quæ referunt Martinengus, Florentinius et Ughellus. Huic tamen non assentimur scribenti* nonum Episcopum Brixiensium, *quem melius alii passim* septimum *appellant. De intruso in Catalogum* S. Antigio *egimus ante Vitam SS. Faustini et Jovitæ num.* 15, *ubi diximus ejus corpus e Gallia Brixiam allatum.*

*ad novum altare translatum an. 1538*
F

6 *Aliquas* S. Faustini *Episcopi reliquias adservari Bononiæ in ecclesia S. Jacobi Majoris, quæ est Eremitarum S. Augustini, tradit in Bononia perlustrata ad hunc diem Masinus.*

*Reliquiæ Bononiæ.*

# DE S. FLAVIANO
## ANACHORETA IN ORIENTE.

G. H.

XVI FEB.

*S. Flavianus anachoreta*

*D*uos *Græci in magnis Menæis et Cythereus* ἐν βίοις ἁγίων XVI *Februarii celebrant* Flavianos, *alterum, de quo jam agimus, anachoretam, alterum Episcopum Constantinopolitanum : cujus Acta damus* XVIII *Februarii, quo eum Martyrologio Romano inscriptum colunt Latini. De priore hoc recitant Græci distichon :*

*Ζωῆς ματαίας ἐκπεράσας χρόνον,*
*Ζῇ Φλαβιανὸς εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον.*
Vitæ caducæ traducto tempore,
Vivit Flavianus æternum duraturo tempore.

*Vitæ epitome hæc additur :*

2 Sanctus hic Pater noster occupato montis cujusdam vertice, ædiculaque parva excitata, semet inclusit, annosque

A annosque se intra illam sexaginta continuit, ita ut neminem videret, cum nemine loqueretur : sed in seipsum conversus, Deum sibi præsentem sistebat, ejusque contemplatione animam saginabat, secundum Prophetæ verbum : Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Porrigebat autem, dum allatum cibum acciperet, per angustum foramen manum : et ne casu in desiderantium eum videre oculos incurreret, obliquam et insinuosam fecerat fenestram. Cibus illi legumina aqua macerata : eaque semel dumtaxat per hebdomadem sumebat. Hanc vivendi legem sexaginta integris annis tenuit, nihil omnino immutando, neque in cibo, neque in sublimi hac exercitatione. Magna ergo a Deo faciendorum miraculorum gratia donatus, precibus draconem ingentem occidit, aspidem interfecit, locustarum regionem illam depasci solitarum multitudinem abegit, ab adolescente quodam dæmonem expulit : feminæ illustris papillam cancro depastam solo Crucis signo sanavit : et quemdam a ceraste (id serpentis genus est) ictum, et jam expirantem precibus quasi a morte resuscitavit. Sanctus ergo cum in hunc modum vixisset, vitam vita permutavit et pro laboriosa molestaque æternam senio et tristitia carentem omnibusque bonis abundantem accepit.

*AUCTORE J. B. cellulæ inclusus 60 annis :*

*Psal. 36. 4*

*semel in hebdomade comedit :*

*clarus miraculis :*

3 *Hactenus Menæa, absque ullo temporis locive indicio.* B *Raderus noster in Annotationibus ad Menæa necdum editis conjicit oculos in tempora Valentis Imperatoris, quando* S. Aphraades *(ut dicitur* VII *Aprilis in Martyrologio Romano)* in Syria anachoreta Catholicam fidem virtute miraculorum adversus Arianos defendit. *Theodoretus lib. 4 Histor. Eccl. cap. 24 de S. Aphraate agit, et cap. 25 meminit* Flavian. *his verbis :* Eodem tempore Julianus ille celebris, cujus supra memini, et relinquere solitudinem, et Antiochiam venire coactus est. Nam cum Ariani educati mendaciis, et ad calumnias contexendas valde parati, magnum illum virum suæ sectæ favere constanter affirmarent, tria veritatis luminaria Flavianus, Diodorus et Aphraates Acacium strenuum virtutis athletam, qui postea Ecclesiam Berœensem valde sapienter gubernavit, mittunt ad Julianum virum omni laudis genere præstantem, oratum, uti in infinitam hominum multitudinem misericordem se præbeat ; adversariorum de se confictum mendacium coarguat, doctrinam denique veritatis confirmet. *Hæc ibi, quæ etiam refert Nicephorus lib. 11 cap. 25. De S. Aphraate agit idem Theodoretus in Philotheo sive lib. 9 de Vitis Patrum cap. 8, ubi iteratis vocibus mentio fit* Flaviani. *Verum hic tunc Presbyter Antiochenus erat, post S. Meletium (de quo* XII *Februarii egimus) Episcopus ejusdem Ecclesiæ factus : unde diuturni schismatis origo, de quo alibi.* E

D *an sub Valente Imper. vixerit cum S. Aphraate ?*

# DE S. TIGRIDIO PRESBYTERO

## CLAROMONTE IN GALLIA.

*J. B.*

*CIRCA AN. CCCCXC XVI FEB. S. Tigridii natalis,*

Inter *numerosas Sanctorum turmas, quibus Arvernorum in Gallia urbs est nobilitata,* Tigridius *quoque censetur, qui, ut lib. 1 de Sanctis, ecclesiis et monast. Clarom. a Savarone edito, cap. 34 dicitur,* in ecclesia S. Andreæ requiescit. *Cujus fit commemoratio* XVI *Kal. Martii, quod ad illud caput notat idem Savaro ex MSS. Breviariis : additque, in Martyrol. Claromontano hæc de eo legi :* Ipso die in suburbio urbis Arvernæ, depositio S. Tigridii Confessoris.

2 *De illius rebus gestis ista solum ex MS. suo, et MS. rituali S. Illidii, recitat idem Savaro :* Urbis Arvernæ civis, ordine Sacerdos, officio Archidiaconus S. Illidii Claromontensis Episcopi, in pietatis officiis totus consenuit, plenusque dierum septuagesimo ætatis anno, XIV Kalend. Martii mundo mortuus, Christo natus est. *Et infra :* Cujus tumulus ad sinistram ingressus Andreani chori. *Soussaius in Martyrol. Gallicano* Præsulem *indigetat, et* S. Illidii Coantistitem. *At Savaro in Originib. Clarom. pag.* 39 *S. Illidii fratrem fuisse ait; Sanctum autem Illidium (qui Gallice* Allyre *appellatur) pag.* 122 *scribit, anno* CCCLXXXV *admodum senem obiisse. In hujus Vita, quæ extat apud Surium ex S. Gregorio Turonensi* VII *Julii, nulla fit* S. Tigridii *mentio.*

*ordo,*

*ætas, sepultura.*

# DE S. TETRADIO EPISCOPO

*J. B.*

*XVI FEB. S. Tetradius Martyrologiis adscriptus :*

Ignotum S. Tetradii *nomen vulgatis Martyrologiis ac Fastis. Memoratur* XIV *Kal. Martias in veteri MS. Martyrol. Romano, sive S. Hieronymi, his verbis :* Et alibi depositio Tetradii Episcopi. C *Atque in perantiquo Lætiensi MS.* Et depositio Tetradi Episcopi. *Idem habetur in MS. Martyrol. Philippi Labbæi nostri. Fuit in Gallia illustre Tetradiorum nomen. Nam et Episcopi complures Tetradii in Conciliis Gallicanis leguntur. Nulli tamen horum* Sancti *tribui titulum memini, præterquam Bituricensi apud Joannem Chenu, et ipsum Biturigem, quarum proinde indigenarum Sanctorum. Fallitur is tamen cum obiisse* S. Tetradium *scribit anno* CCCCXCVI, *cum Concilio Agathensi, habito* Messala V. CL. Cos. *sive anno Æræ vulgaris* DVI, *subscripserit, atque Aurelianensi* I, *anno* DIX.

2 *Vix dubitem hunc esse, qui citatis Martyrologiis inscriptus est. Prius illud Martyrologium, si est a S. Hieronymo, ut quidam nolunt, collectum, auctum certe postea, ut sæpe monuimus, cum S. Aviti Viennensis Ep. S. Brigidæ Virg. S. Severi Presbyteri, qui omnes* Tetradii *fuere æquales, nomina exhibeat. Bituricensem porro* Tetradium *S. Gregorius Turonensis* gloriosæ memoriæ *appellat, lib. 2 Mirac. cap. 14 ita scribens :* Tunc Sigivaldus cum Rege *(Theoderico Austrasio, Clodovæi I filio)* præpotens, cum omni familia sua Arvernam regionem ex Regis jussu migravit : ubi dum multorum res injuste competeret, F villam quamdam, quam gloriosæ memoriæ Tetradius Episcopus Bituricensis basilicæ S. Juliani reliquerat, sub specie obumbratæ commutationis avidus pervasit.

*an Bituricensis.*

*hic in sacra loca liberalis,*

3 *Hunc ipsum esse* Tetradium *censet Chenu, cui nondum Episcopo Sidonius Apollinaris scripsit epistolam 10 libri 3, ubi illius doctrinam, præsertim juris, ita deprædicat, ut* meracissimum scientiæ fontem *appellet. De eodem fortassis Tetradio agit idem Sidonius car. 24 ita scribens :*

Hinc te jam Fidulus, decus bonorum,
Et nec Tetradio satis secundus,
Morum dotibus aut tenore recti,
Sancta suscipit hospitalitate.

*Nescio cur putet Claudius Robertus,* parum convenire temporis rationem, *ut prior illa epistola censeri possit ad* Tetradium *hunc scripta a Sidonio : cum Sidonium tradat ipsemet circa annum* CCCCLXXXVI *obiisse, viginti dumtaxat ante priorem illam synodum annis.*

*vir doctus,*

*a Sidonio laudatus,*

DE

# DE S. EULALIO
## EPISCOPO SYRACUSANO IN SICILIA.

G. H.

POST AN. CIRC. DIII XVI FEB. *S. Eulalius Ep. Syracusanus,*

Octavius Cajetanus in Idea operis de Sanctis Siculis sæpius* S. Eulalii *meminit. Nam primo in Indice Alphabetico ex antiquis Actis Factisque memoratur* Eulalius Episcopus xvi Februarii. *In Indice topico* Syracusis *adscribitur* Eulalius Episcopus. *In Indice chronico ad* annum DI *collocatur* S. Eulalius Episcopus. *Denique in Martyrologio Siculo hæc leguntur :* xvi Februarii, Syracusis S. Eulalii Episcopi et Confessoris. *Citantur ad marginem* Tabulæ Syracusanæ, et Vita S. Fulgentii. *Ferrarius in Catalogo generali, citatis eisdem tabulis et Martyrologio Siculo hæc scribit :* Syracusis S. Eulalii ejusdem civitatis Episcopi. *Ghinius in SS. Canonic. Natal. refert eum* xiv *Junii :* Ibidem *(Syracusis)* S. Eulalii Episcopi qui S. Fulgentium Episcopum Ruspensem hospitio recepit, et ipse in cœlo receptus est. *Roccus Pirrus in Notitia Ecclesiarum Siciliæ statuit* Eulalium Syracusanum Episcopum xxi : *sed* hujus nominis II, sanctitate, prudentia, doctrinaque insignem fuisse *ait,* ac S. Fulgentium Episcopum Ruspensem hospitio suscepisse. *Kalendis Januarii S. Fulgentii Vitam dedimus, per quemdam ejus discipulum scriptam, in qua capite* xii *hæc de S. Eulalio traduntur :*

*colitur 16 Februarii*

*et 14 Jun.*

B

2 Ventis flatu prospero consequentibus, Syracusanum contigit *Fulgentius* feliciter portum, Deique summi providentia gubernante, ductus est ad hanc civitatem, ubi tunc Ecclesiam Catholicam beatus Papa Eulalius gubernabat, vir eximiæ sanctitatis, admirabilis hospitalitatis, perfectissimæ caritatis : in cujus corde thesaurus sapientiæ spiritalis absconditus multos talentorum Dominicorum negotiatione ditabat. Virtute enim discretionis super omnia decoratus, monachorum professionem singulariter diligebat, habens etiam ipse monasterium proprium, cui semper adhærebat, quoties ab Ecclesiasticis actibus vacabat. Ad hunc ergo B. Fulgentius veniens, inter alios peregrinos hospitalitatis officio libenter excipitur, neque tamen diu latere permittitur. Mox enim, sicut moris est, in convivio Sacerdotum, dum de divinis rebus ortus est sermo, virum singularis scientiæ locutio sua continuo prodidit. Intellexit Episcopus ex ornatu sermonis, et responsionum moderatione, sub monachico habitu magnum latere Doctorem : distulit tamen eumdem vel quis esset, curve advenisset, convivis præsentibus inter epulas quærere.

*vir eximiæ sanctitatis,*

*excipit hospitio S. Fulgentium dein Ep. Ruspensem*

C

3 Post prandium vero cum meridianis horis in domo sua deambularet Episcopus, per fenestram respiciens, observantem sibi sicut ceteros, B. Fulgentium vidit : quem continuo peculiariter vocans, de Institutionibus, ait, et Collationibus loqui cœperas, dum pranderemus : Affer, obsecro, mihi codicem si portas. Ille sine mora jussis obediens, codicem detulit, in quo quid contineretur, verbis propriis jussus exponit. Admiratur S. Eulalius scientiam juvenis, et tali hospite delectatus, cur ex Africa venerit, diligenter inquirit. Ille metuens arrogantiæ notam, si desiderium suum fateretur, incurrere : Parentes, inquit, meos requiro, quos in illis partibus vivere peregrinos audivi. Vere enim parentes suos requirebat, quorum suavissimos mores imitari cupiebat. Intellexit Episcopus responsum non manifestum, totiusque itineris ejus per alterum Fratrem (fuit enim simplex) investigat caussas.

*inquirit de PP. Collationibus,*

*ex socio ejus rationem viæ intelligit :*

4 Ibi tunc B. Fulgentius salubriter proditus veritatem simpliciter confitetur : iturum se ad ultimam Thebaidæ regionis eremum dicit, ut illic, sicut lectio monebat, mundo mortuus viveret : ubi major abstinentium numerus assumptioni suæ nullum gigneret impedimentum, sed forte potius præberet exemplum. Recte facis, respondit Episcopus, cupiens meliora sectari : sed scis, quoniam Deo sine fide impossibile est placere, Terras, ad quas pergere concupiscis, a communione B. Petri perfida dissensio separavit. Omnes illi monachi, quorum prædicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecum altaris Sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere jejuniis corpus, ubi solatiis spiritalibus indigebit anima, quæ multo melior est corpore? Revertere fili, ne vitæ melioris intuitu periculum rectæ fidei patiaris. Ego etiam quondam juvenis antequam me Pontificalis honoris gratia præveniret indignum, diu cogitavi sanctissimæ hujus professionis E in ipsius provinciæ monasteriis adimplere propositum, sed hæc caussa me prohibuit assumpta perficere.

*dissuadet iter in Thebaidem,*

*ob monachos a fide aberrantes,*

5 Consentit B. Fulgentius monentis Patris consilio salutari, suæque intentionis fervore deposito, suadetur ibi apud Syracusam paucis mensibus degere, S. Eulalio præbente victum et hospitium congruum. Sed quia bonæ mentis indoles numquam vacat, caritatis opera semper exercens, in ipso parvissimi hospitii quod acceperat habitaculo, cœpit hospitalitatem multis supervenientibus exhibere, peregrinus et alterius indigens solatio, consolandos suscipere peregrinos. Miratur S. Eulalius affluentem sancti animi libertatem, magnoque gaudio saginatur, dum per manum B. Fulgentii, cui victum quotidianum nihil habenti ministrabat, alimenta ministrari non habentibus videret. Et si fas est dicere, comparatione minorum crescere solere majores, quamvis esset S. Eulalius in pauperibus gubernandis omnino perfectus, opera tamen B. Fulgentii considerans, de die in diem plus misericors efficiebatur et largus.

*detinet aliquot mensibus;*

*miratur hospitalitatem,*

*ejus exemplo proficit in virtute :*

6 *Interfuit S. Eulalius Synodo Romanæ* IV *sub Symmacho Papa, quæ Palmaris est dicta, in qua ejusdem Symmachi electio est confirmata, et lex Odoacris Regis, quia libertati Ecclesiasticæ et Pontificis electioni repugnabat, sublata. Subscripsit quarto loco hac formula :* Eulalius Episcopus Ecclesiæ Syracusanæ, huic constituto, a venerabili Papa Symmacho facto, subscripsi. *Constitutum Symmachi ita incipit :* Flaviano Avieno viro clarissimo juniore Consule *(is est annus Christi* DII) sub die VIII Iduum Novembrium in basilica B. Petri Apostoli, residente venerabili viro Papa Symmacho, *etc. Pro defensione hujus quartæ Synodi Romanæ et Papæ Symmachi, scripsit libellum apologeticum Ennodius Diaconus : quem anno sequenti post* Consulatum Avieni, *in quinta Synodo Romana omnes Patres, qui ad* CCXVIII *erant congregati, in suo confessu recitatum, unanimi plausu approbarunt. Inter hos S. Eulalius ita quarto loco suam notavit sententiam :* Eulalius Episcopus Ecclesiæ Syracusanæ huic statuto a nobis inspirante Domino peracto subscripsi. *Quamdiu post hanc Synodum vixerit non liquet.*

F *interest Romæ Synodo Palmari an.* 502.

*et ulteri an.* 503.

# DE S. TANCONE EPISC. VERDENSI
## IN SAXONIA INFERIORE.

G. H

*CIRCA AN. CHR. DCCC. XVI FEBR.*

*Verdenses Episcopi primi SS. Suibertus, et Patto,*

*Saxoniam inferiorem intersecat Visurgis flumen : olim pars occidentalis, Westphalia : orientalis, Ostphalia dicebatur. In hac ultra Visurgim erectus est a Carolo Magno Episcopatus Verdensis, cujus primi Antistites fuerunt* SS. Suibertus *et* Patto, *quorum ille Kalendis Martii, alter III Kalend. Aprilis colitur. Agit de his Albertus Krantzius lib. 1 Metropolis cap. 6 et 21, et hæc capite sequenti de proximo successore scribit :*

*dein S. Tanco,*

2 Tanco tertius ejus Ecclesiæ Pontifex, cum prædecessor ejus III Kalendas Aprilis ad Superos concessisset (hoc enim solum ex omnibus invenimus annotatum) successit in Ecclesia ministerio pontificali, Scotus et ipse natione, et ejusdem in provincia monasterii Abbas Amarbaricensis, utroque loco Pattoni succedens. Qui et ipse pro divina religione peregrinatus, invenit se dignum locum, in quo Christo militaret, exoptans in feroci gente coronam capere martyrii, quod non multis ante annis in Frisia D. Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo, na- B tione Anglico, audierat eam gloriam provenisse. Poterat et iste per similem occasionem ad bravium supernæ vocationis pervenisse, sed invida sors (ne dicam socordia scriptorum) nobis subduxit, quo sit exitu in Superos translatus. Quanto tempore suæ præfuerit Ecclesiæ, martyrio sanguinis, quod temporibus ejus gravissimi in Saxonia rebellionis motus extitissent, an spiritus solo cruciatu, quod cerneret Dei gloriam non ita ut cuperet succedere, finierit, habemus incompertum. Nortila quartus hunc excepit successione : cujus vita et acta soli Deo sunt cognita. Hoc solum in Annalibus commemoratur. Nam cujus fuerit nationis, quantum præfuerit Ecclesiæ, quid rerum gesserit, quomodo finierit, omnino nihil scribitur : sed cum prædecessor ejus Tanco XVII Kalend. Martii hinc ad meliora regna concessisset, iste in Episcopum sit sublimatus. *Hæc ibi. Verum quia dies* XVII *Kalendarum in Februario non occurrit, videntur alii* XIIII *Kalend. Martii legisse, et huic diei ejus obitum assignasse.*

*ante Abbas Scotus*

*quo mortis genere obierit, nescitur,*

*et quoto die Februarii.*

3 *Subsecutis temporibus, ut idem Krantzius tradit cap.* 29, Episcopus Verdensis octavus *fuit* Harruch, vir omnium plenus virtutum, cujus neque tempora neque acta signantur. Hoc tantum est annotatum, quia obierit Idibus Julii. Erat et hic natione Scotus, C uti et ante eum duo et ipse Amarbaricensis... Devotio singularis et sitis ipsa martyrii traxit viros egregios, ut se mitterent in laborem ad bravium supernæ vocationis. Hoc vero annotavit Annalis. Reliquias hujus Episcopi, et Domini Pattonis secundi ex hoc ordine Episcopi, relatas esse cum Dalmatica Tanconis ad ecclesiam Verdensem, et in medio monasterio, non in uno loco, sed segregatim positas, ad quarum tumbas virtutes multæ visæ sunt de infirmis. Res, inquit, antiqua est et quasi abolita, et ideo anni Incarnationis Dominicæ non sunt adscripti. Verba posui Annalis ad fidem. Quod dicitur allatas Reliquias in ecclesiam, ostendit alibi vixisse et esse mortuos, quam in ecclesia Verdensi, forte in Konende, qui primus erat locus institutæ Ecclesiæ episcopalis. Longe enim ea diœcesis procurrit in Orientem per terram ditionis Luneburgensis usque in Marchiam Brandenburgensem. *Hæc Krantzius, e quo alii auxerunt.*

*Dalmatica S. Tanconis cum reliquiis aliorum Episcoporum adservata,*

4 *Quemadmodum sola Dalmatica* S. Tanconis, *quod corpus non reperiretur, pro Reliquiis sacris majori veneratione adservata olim videtur apud Verdenses fuisse, ita nomen ejus Tabulis Sanctorum a variis est adscriptum. Gelenius in Coloniensibus Fastis hunc diem ita auspicatur :* S. Tanconis Scoti, quem Imperator noster Carolus Magnus Verdensi Ecclesiæ tertium Antistitem dedit. *Omittit martyrii titulum, apud Krantzium non expressum ; quem etiam Gaspar Bruschius in Episcopis Verdensibus non apponit, cujus hæc verba sunt :* Tanco tertius Episcopus successit S. Pattoni, et ipse Scotus. *Et postea de Harrucho :* Sub hoc Episcopo canonizati et in Divorum numerum a Pontifice Maximo relati sunt S. Patto et S. Tanco Episcopi Verdenses, miraculis clari. *Eadem de Canonizatione leguntur apud Bucelinum part. Germaniæ sacræ.*

*Adscriptus ipse Martyrologiis 16 Februarii.*

*traditurque canonizatus.*

5 *Martyrem obiisse scripsit Wion in Martyrol. Be-* E *nedict.* In civitate Verdensi, *inquit*, S. Tanchonis Episcopi et Martyris. Hic primum monachus, deinde Abbas monasterii Amarbaricensis in Scotia, unde originem trahebat, martyrii consequendi desiderio inflammatus, in Saxoniam contendit : ubi S. Pattoni in episcopatum Verdensis Ecclesiæ successit, et tandem populi furore, cujus vitia reprehendebat, crudelissime trucidatus per martyrii palmam ad Christum migravit. *Wionem describunt Menardus, Dorganius, Bucelinus, et ipsi Benedictini, uno et Ferrarius in Catalogo generali, Wilsonus in Martyrol. Anglicano, aliique, et* Martyrem *appellant, quod in silentio antiquorum non continuo probatur. Certe incompertum genus mortis esse ait Krantzius.*

*ab aliis Martyr habetur.*

6 *Altera controversia de patria et monasterio Amarbaricensi est. Fitzimon Catalogo Sanctorum Hiberniæ adscripsit. Hunc secutus Colganus in Actis Sanctorum Hiberniæ, duabus motus rationibus; prima,* quod omnes Scoti, qui temporibus istis et superioribus in Gallia et Germania pietate aut doctrina claruerunt, fuerint Hiberni. *Secunda, quod* Amarbaricense monasterium *arbitretur* Armachanense *apud Hibernos legi debere. Sed neutra nobis ratio probatur. Eumdem Menologio Scotorum inscripserunt, Camerarius ad hunc* F *diem et Dempsterus* XIII *Februarii et iterum hoc* XVI, *quo* festum canonizationis *asserit celebrari. Idem lib.* 18 *hist. Eccles. gentis Scotorum, addit eum* scripsisse in omnia Evangelia librum unum. *Sed quo id auctore probat? Silet Leslæus, qui lib. 5. de Rebus gestis Scotorum in Convallo* LXVI *Rege eidem martyrii lauream tribuit primus Scriptorum, quos hactenus legimus. Hunc alii sunt absque ulteriore inquisitione secuti.*

*Hibernusne an Scotus fuerit*

7 *De tempore Sedis hoc tantum colligimus octo priores Episcopos non diu illam Ecclesiam administrasse, quod Heligundus* IX *Episcopus Verdensium anno* DCCCXXXI *Drogoni Metensi S. Anscharium Archiepiscopum Hamburgensem consecranti cum aliis Episcopis adstiterit, ut dicitur in S. Anscharii Vita 3. Febr. cap. 5. num. 19. Hinc circa an.* DCCC *aut etiam citius arbitramur obiisse.*

*Quo tempore floruerit?*

APPENDIX

# APPENDIX
## TOMI SECUNDI FEBRUARII,
### SIVE
# ADDENDA, EMENDANDA, ANNOTANDA
### AD X DIES, A VII AD XVII.

## AD VII FEBRUARII

NOT. 1. *Pagina 3 col. 1 E, ante* S. Matthiæ *hæc repone:* S. Agabus Martyr *in veteri Martyrologio MS. Philippi Labbei nostri ad hunc diem inscriptus ante alios Martyres. Is esse videtur* S. Agabus *Propheta, de quo (ubi in illo MS. omittitur) agemus* XIII *Februarii.*

NOT. 2 *Pagina 13 post ea quæ traduntur de SS.* Anatolio, Ammone *etc. adde : Hi omnes Martyres, ut in Martyrologio S. Hyeronymi, referuntur in MS. Labbei* B *nostri : sed pro Sarnæ est* Sarneandreæ. *Fortassis legendum* Sarnæ. Andreæ. *Num et in nonnullis aliis Martyrologiis* Andreas *quidam hoc die memoratur, nobis ignotus, uti indicavimus pag. 4 D. in Syllabo Prætermissorum.*

DE S. THEODORO DUCE MARTYRE.

NOT. 3 *Pagina 25 col. 1 num. 17. lin. 3 expunge hæc verba :* Neque nos aliud nacti MS. exemplar sumus. *Atque ista substitue : Cum hæc essent excusa, Latina Acta vetustissima nacti sumus ex MS. codice Serenissimæ Suecorum Reginæ Christinæ, cui codici numerus erat 79 adscriptus. Ea Acta antiquiora videntur Metaphrastæ ætate : quæ si prius habuissemus, omisissemus quæ ab illo interpolata pridem extabant. Atque ideo nunc quoque Latina illa hic damus, ut perspiciat lector, quod sæpe monuimus, Metaphrasten, ejusve scribas, nonnulla sæpe, explanationis aut ornatus gratia, addidisse, aut immutasse.*

*Ibidem consequenter lin. 4 pro* Videri tamen possit, *pone : Videri fortassis cuipiam possit, utraque hæc Acta commentarii, quem etc.*

## ACTA LATINA ANTIQUA
### ex MS. Sereniss. Reginæ Sueciæ.

C CAPUT I.

*S. Theodori de immani dracone victoria, ope divina relata.*

Sicut cœlum ornatur stellis, sic sancta Ecclesia decoratur Martyrum ornamentis. Et sicut campi diversis vernant floribus, sic Ecclesia Dei Sanctorum diversis pollet virtutibus. Memoria enim Martyrum, culparum relaxatio, dæmonum expulsio, mœrentium consolatio est. Sunt namque magna Sanctorum certamina, et splendidissimæ Martyrum coronæ, qui tradiderunt corpora sua ad supplicia, omniaque visibilia mundi pro nihilo habuerunt. Unde et Dominus suscepit eos, et inter Angelos connumeravit.

*Martyrum gloria.*

2 Excogitavit autem antiquus hostis, inimicus generis humani, hoc est diabolus, ut expugnaret eos : sed Deus habitatores Paradisi illos constituit. Etenim non cessabant persecutores, quasi bestiæ agrestes, exurgere contra eos, qui benigne vivebant. Unde surrexit velut agrestis bestia contra Christi ecclesiam et turbam Christianorum Licinius, de genere *a* Constantini Magni Imperatoris. Suscipiens enim sceptra ab impiissimo Maximiano Imperatore, assimilatus est operibus ejus : et cœpit persecutionem exercere adversus Christianos, et misit præceptiones per omnes civitates, et provincias, et per omnes ordinationes militiæ suæ. Et tunc occisi sunt in illo tempore quadraginta Martyres, et septuaginta Centuriones, et trecenti in Macedonia. Consilium autem hoc Tyrannus habuit, ut omnes honoratos, seu milites de diversis civitatibus suis, qui in Christum credebant, apprehenderet, et cogeret immolare : putabat enim stultus per timorem eos sibi subjectos facere. D

*Licinio Christianos persequente.*

*a*

*præsertim honoratiores;*

3 Tunc nuntiatum est ei de quodam Doctore, Dei viro, nomine Theodoro, qui multum pulcher visu, et velox in sensu, factus erat *b* Judicator imperialis vacantiæ. Juvenis erat ætate, senior in sapientia, qui etiam draconem occidit in Euchaita civitate : ibi enim erat ipse immanissimus draco, et nemo poterat ei resistere : quando enim commovebat se, ut exiret, tremebat terra in commotione ejus : quando vero exibat de spelunca sua; sive fera, sive homo ei obviasset, cibum suum exinde faciebat. Cum ergo audisset istud miles Christi Theodorus, non fecit turbationem militiæ suæ. Dicebat enim *c* in semetipso : Vado in nomine Domini, et liberabo paternæ substantiæ meæ locum ab immanissimo isto dracone.

*defertur ad eum Theodorus,*

*b*

*vir egregius :*

*qui patriam a dracone liberat :*

*c*

4 Venit ergo ad locum, statimque descendit de equo, et obdormivit super fœnum; nesciens, quia ibidem erat spelunca *d* latronum in parte *e* septentrionali de Euchaita civitate. Mulier vero quædam, cui nomen erat Eusebia, Christiana ac timens Deum, dum transiret, vidit S. Theodorum dormientem, et cum timore adiit, et apprehendens manum ejus, levavit eum, dicens : Surge, frater mi, et proficiscere, ambulans viam tuam. Tunc Martyr Christi Theodorus surgens, dixit ei : dic mihi, o mulier, qualis timor est in loco isto? Respondit famula Dei, dicens : Fili, draco immanissimus in loco isto habitat, et nemo potest transire per hunc locum : dum enim de spelunca sua ille egreditur; sive homo, sive fera inventa fuerit ante eum, occidit eos. Tunc B. Theodorus dixit mulieri : Gratias tibi ago, o mulier, quia aperuisti mihi hanc rem : sed vade pusillum, et ora pro me, et videbis gloriam Domini nostri Jesu Christi. Statimque mulier abiit pusillum, et jactavit se in faciem suam super terram, lugens, et dicens : Deus Christianorum, isti pulchro juveni fer auxilium. E

*d e*

*quando periculi admonitus a pia femina,*

*ea eminus orante,*

5 Tunc B. Theodorus fecit sibi signum Christi, et percutiens pectus suum, gemens multum, et aspiciens in cœlum, dixit : Jesu Christe, fili Dei, qui ex substantia Patris illuxisti ad nostram salutem; ne tardaveris petitionem meam, quam hac hora coram te effundo. Tu mihi in bello semper affuisti : tu mihi adversus inimicos meos victoriam semper dedisti. Et nunc, Domine Deus meus, patra mihi victoriam, ut vincam

*cruce se signans,*

*Christo invocato,*

A vincam impugnatorem diabolum. Hæc eo orante conversus ad equum suum, quasi ad hominem dicebat: Scio, eque, quia in omnibus confortabit te Deus: sive enim in homines, seu in bestias semper mecum egisti viriliter: itaque Christus te confortet, ut vincamus contrarium inimicum. Ut autem audivit equus suum dominum dicentem hæc verba, stetit, et quasi in figura humana adspiciebat hinc et inde, expectabat namque draconis commotionem.

*Ex MSS Latinis*

*equumque suum allocutus,*

6 Tunc B. Theodorus clara voce dixit draconi: Tibi præcipio in nomine Domini mei Jesu Christi, qui crucifixus est pro genere humano, ut egrediaris de loco tuo, et venias ad me. Statim ut audivit draco vocem S. Theodori, paravit se, ut exiret ad eum, commovens seipsum et furens. Tunc B. Theodorus, ut vidit eum commoventem se cum furore, ascendit viriliter super equum suum, et recalcitravit eum: et statim equus dans saltum, ascendit super iniquissimum draconem, calcans eum sub pedibus suis. Tunc fortissimus Martyr Christi Theodorus extendit *f* lanceam suam, percutiens eum in corde: et extensus est draco, et mortuus est. Tunc elevavit B. Theodorus oculos suos in cœlum, dicens: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia exaudisti me in hac hora, ut vincerem contrarium inimicum. Et B abiit viam suam, gaudens, et laudans Deum. Similiter autem et illa Deo amabilis mulier, glorificando Deum, reversa est in civitatem suam, et annuntiabat virtutem Dei. Multi autem pagani audientes hæc, cucurrerunt, ut viderent bestiam: et videntes eam mortuam, crediderunt in Dominum Christum: Tota ergo civitas Euchaita exibat, ut videret impiissimam bestiam, quia magna erat. Dum introisset autem S. Theodorus in suam militiam, interrogaverunt eum dicentes: Ubi fuisti? Ille vero annuntiabat eis potentiam Dei. Multi igitur ex militibus ejus, qui erant pagani, audientes hoc miraculum, quod fecerat Princeps militiæ eorum, crediderunt, dicentes, quia magnus est deus Christianorum: et baptizati sunt per eum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: et facti sunt omnes sub Rege uno, glorificantes Deum.

*draconem e specu evocatum occidit,*

*multosque cives*

*ac milites convertit.*

a *Nempe Sororis ejus maritus, ut a Metaphraste, et fusius a Bonito exponitur* — b *Metaphrastes* Defensorem Regium *appellat* — c *Idem addit,* portans Crucem pretiosam. — d *Fortius,* draconis — e *Ita et Bonitus. Metaph.* ad lustrum. — f *Ita etiam Bonitus, et consentiunt antiquæ picturæ, Metaphrastes* Stricto gladio percussit draconem — g *Desunt hæc Metaphrasti.*

## CAPUT II.

### *Licinii Imp. idola a S. Theodoro confracta, ejusque perturbatio irrisa.*

C Tunc audivit de eo impiissimus Licinius Imperator, et misit ad eum a Nicomedia in Heraclia, ubi tunc erat B. Theodorus: misit autem *a* gloriosissimos viros cum ministris suis, ut cum *b* timore magno deducerent eum. At illi venientes in *c* Heracliam, festinabant ad B. Theodorum, et, ut viderunt eum, dixerunt ei: Veni Princeps militiæ, quia Imperator cupit te videre: multa enim dicta sunt illi de te, et pulchritudinem tuam videre perdesiderat. Tunc B. Theodorus diu dissimulans, suscepit eos, secumque per tres dies eos detinuit. Illi volebant abire: ipse autem conabatur eos secum retinere. In crastinum ergo dimisit eos ad Licinium, scribens ad eum epistolam habentem figuram istam: Ab omnipotentia vestræ Majestatis missos suscepimus, qui mihi annuntiaverunt, ut venirem ad vestram clementiam, et honorem diis offerrem. Parati sumus non solum venire ad vos, verum etiam hanc venerationem complere. Si autem potest fieri, præsumimus et rogamus, ut dignitatem vestram dignemini commovere usque ad nos: quia desiderant patriæ et civitates nostræ videre vos, et deos vestros, ut sacrificent eis coram omnibus Judicibus. Reversi sunt D autem ad Imperatorem, et dederunt ei epistolam, recensentes ei benignitatem, et sapientiam viri, et longanimitatem ejus. Tunc consiliati sunt ei, dicentes: Quia pertinet fastigium facere, o benignissime Imperator: quo facto, omnes habitatores loci illius venientes, adorabunt, dicentes: Magni Dii tui, o omnipotens Imperator. Et statim collegit turbam magnam, hoc est octo millia, et fecit jungere currum suum, et veniebat cum gaudio magno.

*Evocatus a Licinio Imp.*

*eum ad se invitat:*

8 In illa nocte vidit visione B. Theodorus, quia apertum est tectum ubi habitabat, et sicut *d* radius igneus descendebat de cœlo super eum, et vox Domini facta est ad eum, dicens: Confortare Theodore, quia ego tecum sum. Tunc surgens B. Theodorus, cognovit somnum, quia Domini erat testificatio, gaudens et exultans in corde suo. Ut autem agnovit, quia appropinquabat Licinius introivit in cubiculum suum, et cum fletu orabat, dicens: Perge mecum, Domine, in certamine isto propter nomen sanctum tuum.

*d* *in somnis cœlesti viso ad martyrium animatur.*

9 Hæc eo orante, nuntiatum est ei, quia appropinquavit Licinius. Et statim surgens, lavit faciem suam, et induit se vestimento pulchro, quod erat textum ex bysso et purpura, et sedit super equum E Dardanum splendidissimum, quo et draconem occidit, et in quo habebat consuetudinem in bello sedere. Et obviavit ei Licinius, et dixit: Decet te honor. Tunc B. Theodorus collaudans Imperatorem, dixit: Gaudeas, Domine piissime Imperator. Tunc Imperator vale faciens, dixit ei: Bene venisti, quia similis es figuræ solis et lunæ: *e* jubemus te una nobiscum in imperio sedere. Introeunte autem illo in Heracliam, et sedente eo pro tribunali in medio civitatis, dixit Licinius: Obsecro te, carissime Theodore, demonstra in die ista servitium, et sacrifica diis omnipotentibus. Tunc B. Theodorus dixit ad eum: Jube Imperator dari mihi Deos tuos, ut vadam in habitaculum meum, et unguentis variis illos infundam, et iterum adduco eos ante tuum conspectum, et coram te offero sacrificium. Tunc Imperator citius jussit fieri petitionem ejus. Suscipiens autem B. Theodorus deos Licinii Imperatoris, abiit cum eis in habitaculum suum: media vero nocte confregit eos, dans pauperibus, viduis, et orphanis.

*splendide occurrit Licinio.*

*e* *ab eoque blanditiis sollicitatus ad sacrificandum diis*

*eos sibi tradi petit,*

*et confractos dat pauperibus.*

10 Transactis autem duobus diebus vocavit Imperator B. Theodorum, et dixit ei: Sicut nobilissimus et gloriosus et honoratus fuisti ante conspectum antecessorum nostrorum Imperatorum, accede nunc, et ante conspectum omnium sacrifica diis, ut omnes, qui te viderint hæc facere, veniant et F ipsi, sacrificentque diis nostris. Maxentius vero quidam centurio astans, dixit: Per deos, benignissime Imperator, derisa est divina potentia tua per virum istum: quia ego transacta nocte vidi *f* caput Artemiæ Magnæ deæ tuæ quemdam pauperem portantem, et ibat gaudens. Ut autem audivit hoc Imperator, stupore perterritus remansit sine voce. Respondit B. Theodorus, et dixit ei: Bene feci, Imperator, nam dii tui adjutorium sibi exhibere non potuerunt, aliis autem quomodo adjutorium poterunt præstare? Per Deum omnipotentem, quia sic est, sicut Maxentius tibi dixit. Statim autem ut hoc audivit, Imperator, mutavit faciem suam; et *g* posuit manus super genua sua cum fletu, et dixit: Væ mihi! væ mihi, quia factus sum omnibus in derisum! Jam enim quid dicam, aut quid faciam, aut quid loquar, nescio. O qualem exhonorationem inveni, cum sim ego Imperator, apud impiissimum virum istum! Et ad circumstantem turbam dixit Imperator: Ego volui remunerare omnes; sed ut video, factus sum omnibus in derisum in omnes civitates. Ego in omni bello victor fui, et nunc per unum impiissimum virum

*denuo evocatus ad Imp.*

*f* *factum illud fatetur.*

*g*

*illique ideo mœrenti et tragice expostulanti*

A virum victus sum. Et non solum hoc; sed etiam deos meos confregit, et dedit eos pauperibus. Et lugens, dicebat. O benignissimi et inauri Dii, quid vobis obvenit? Tunc B. Theodorus subridens, dixit ei : *h* Turbatus es Imperator? Ego non sum turbatus. Tu ebullis ira? Ego lætor. Tu Dei es explorator? ego vero laudator. Tu blasphemas? sed ego hymnum dico. Tu fles deos mortuos? Sed ego lætor in Deo vivo. Tu Serapi deo tuo servis? sed ego adoro Deum, qui sedet super Seraphim : tu vero Apollinem, sed ego omnipotentem Deum. Tu es Licinius impiissimus : sed ego Theodorus, quod est munus Dei. Unde tu Imperator non debes conturbari, neque recalcitrare, neque te in pœnis adducere. Hæc omnia faciendo temetipsum demonstras stultum, et similem animalibus.

*insultat,*

a *Bonitus* nobilissimos viros ejusdem Nicodemiæ, cum aliis ex Officio suo. *Metaphr.* Protectores cum satellitibus. — b *Melius Metaphr.* cum omni honore. *Bonitus,* honorabiliter. — c *MS ubique habebat.* Eraclium, *omissa aspiratione.* — d *Bonitus* coruscus nitor cœlitus illuxit, et solis adinstar irradiavit. *Metaphr.* Ignea jacula ad ipsum de cœlo ferebantur. — e *Hyperbolice apud Metaphrasten.* Oportet te post me constitui Imperatorem. — f *Ita et Menæa* τὴν κεφαλὴν μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, caput magnæ deæ Artemidos. *Metaph.* manum *habet.* — g *Gentianus interpres Metaphrastæ* : manibus complexis genibus. — h *Sequentia paullum diverse efferuntur apud Metaphr.*

## CAPUT III.

B *S. Theodori post gravia tormenta cædes, sepultura, miracula.*

Tunc furore plenus Licinius jussit spoliari B. Theodorum, et extendi eum, et dari ei ictus sexcentos in dorso ejus et *a* quinquaginta in ventre ejus : deinde cum plumbatis ossa ejus conterere sine misericordia. Post hæc suspensum in eculeo, jussit radi ungulis ferreis latera ejus. Questionarii autem in tantum raserunt eum, ut costæ ejus, et omnia interiora nudarentur. Præterea faculas accensas imponi super plagas ejus, et testis acutissimis fricari corpus ejus. Et post hæc jussit eum carcerem introire, et pedes ejus in cippo poni : et per dies quinque negato cibo et potu custodiri. Post hæc jussit Imperator crucem fieri, et in medio atrii figi, ut eum ibidem crucifigeret. Tunc ergo ministri eduxerunt eum de carcere, et levaverunt eum in crucem, clavantes manus et pedes ejus; et unum actum inter secreta natium ejus fixerunt. Aliud autem consilium impiissimum fecerunt. adduxerunt pueros, ut sagittarent eum in oculis : alii vero verenda membra ejus, quidam præputium absciderunt.

*Cruciatur flagris, a plumbatis, eculeo, ungulis, facibus, testulis, inedia, cruce, atque fœdis modis :*

12 Ego autem *b* Aucharus velociter scribens, quia ibidem præsens fui, et cum omni diligentia omne certamen ejus, et pœnas, quas patiebatur, C scripsi videndo et audiendo, gemitumque in absconso faciebam : et dum non potuit cor meum sustinere, abjeci librum, quem tenebam in manu mea, et projeci me ad pedes ejus, cum fletu lugens. Tunc B. Theodorus Martyr Christi vocem pusillam emisit, et dixit mihi : Auchare, non relinquas opera tua, neque dimittas *c* recensationes scribere, quæ de me facta sunt : sed ista, ut pœnas meas, et certamen meum, et diem obitus mei velociter scribas. Hæc mihi dicendo exclamavit, dicens : Domine antea mihi dixisti, quia semper tecum sum; et nunc, inquit, dereliquisti servum tuum. Vide Domine, quia immaculatum me plasmasti, et totum sanum; et bestiæ istæ agrestes disruperunt omnia membra mea, oculos meos eruerunt, carnes meas igni combusserunt, capillos meos per terram abjecerunt, dentes evulserunt, faciem alapis ceciderunt : nec remansit in me, nisi sola ossa arida in cruce suspensa. Memor esto, Domine, quia propter te crucem sustineo. Non solum hoc, sed etiam ferrum, ignem, et stimulos. Et per hæc omnia veniat apud te anima mea, et suscipe spiritum meum : et nunc ubi vis, colloca eum, quia exire de hac vita desidero. Hæc dixit : tunc non est amplius locutus, eo quod esset corpus ejus abscissum. Æstimans autem Licinius, quod jam obiisset, jussit eum pendere in ligno usque mane.

*Aucharum monet, ut sua acta scribat. Deum invocat,*

D *AUCTORE AUGARO EX. MS*

13 Prima autem noctis hora missus est Angelus Domini, et absolvit eum de ligno, et fecit ei signum Crucis : et statim corpus ejus sanum factum est, et salutavit eum, dicens : Gaude, et suscipe virtutem Theodore, et gratiam Domini Dei nostri Jesu Christi, quia ipse Dominus Deus noster tecum est. Esto fortissimus, et comple cursum certaminis tui : et tunc venies ad Dominum nostrum Jesum Christum, et suscipies ab eo coronam immortalem. Et hæc dicens, abiit. Tunc B. Theodorus cum vidisset corpus suum sanum factum, gratias agens Deo, cœpit psallere hunc psalmum : Exaltabo te, Deus meus Rex; et benedicam nomen tuum in æternum, etc. Psal. 144

*ab Angelo de cruce depónitur sanus et integer :*

14 Tunc vero Licinius, ante quam lux fieret, misit Antiochum et Patricium duos Centuriones suos, qui ordinarii regni sui erant, et dixit eis : Ite, et videte corpus Theodori seductoris, ut eum demergamus in profundum abyssi : ne forte inveniant Christiani reliquias ejus. Illi autem abeuntes, et appropinquantes loco, lignum quidem invenerunt jacentem in terra; illum autem non invenerunt. Et dixit Antiochus ad Patricium : Certe veritas est vox Galilæorum, qui dicunt, quod Christus resurrexit, qui E et istum hodie resuscitavit. Tunc Patricius, ut appropinquavit loco, et vidit S. Theodorum sedentem, et loquentem verba Dei, exclamavit voce magna, dicens : Magnus est Deus Christianorum. Et statim ambo accesserunt ad pedes S. Theodori, dicentes, Obsecramus te famule Dei Altissimi, quia et nos Christiani sumus; dona nobis signum Christi. Similiter autem et milites, qui cum eis abierant, crediderunt in Christum, numero *d* octoginta duo.

*duos centuriones convertit, et milites eorum*

15 Ut ergo audivit Licinius, iterum misit *e* Cestum Anthypatum, et cum eo *f* quadringintos milites, ut eos occiderent. Illi autem abeuntes, et videntes mirabilia, quæ fecerat Christus in famulum suum Theodorum, crediderunt in Dominum Jesum Christum. Et occurrentes turbæ multæ, ut viderunt eos, exclamaverunt, dicentes : Vere Deus Christianorum, ipse est Deus solus, et præter ipsum non est alius. Et statim tumultus magnus factus est in populo, unanimiter dicentium : Quis est Licinius impiissimus, *g* cujus dii sunt lapidei, opera manuum hominum? Noster vero Deus, et Imperator Christus est, qui per famulum suum Theodorum nobis prædicatus est. Et facta est confusio magna, et tumultus, et effusio sanguinis. Occurrit autem quidam F nomine *h* Leandrus, habens gladium adversus S. Theodorum, et volebat eum occidere. Tunc obviavit ei Cestus Anthypatus et tulit gladium de manu ejus, et concidit eum per medium. Et ecce unus ex illis occurrit, et occidit Anthypatum.

*dein Cestum Procos. et alios.*

16 Et statim cucurrit beatus Martyr Christi Theodorus, et cœpit docere turbam, et rogare eos, ut vix potuit eos sedare, silentium facere, dixitque : Quiescite, carissimi fratres, quia dominator meus Christus, quando venit ad patibulum Crucis, habuit dena millia Angelorum, et noluit disperdere genus humanum; sed rogabat Patrem suum, dicens : Pater, dimitte eis, non enim sciunt, quid faciunt. Et statim abiit B. Theodorus in custodiam, et secutæ sunt eum turbæ multæ. Illi autem, qui in carcere erant, exclamaverunt, dicentes : Miserere nostri, famule Dei altissimi. Et statim ille solo verbo absolvit eos de vinculis, et dicebat illis : Ite in pace, et credite in Dominum nostrum Jesum Christum, et memores estote mei. Multi autem pagani conversi sunt, et crediderunt in Dominum nostrum Jesum Christum. Et multi

*sedat populi tumultum : captivos verbo solvit :*

*Ex MSS. Latinis. ægros et energumenos sanat:*

A multi ægri habentes annos plurimos in infirmitate sua, et qui vexabantur a spiritibus immundis veniebant ad eum: et ille in nomine Domini imponens manus super eos, salvos reddebat.

*jubetur occidi:*

17 Nuntiata sunt autem hæc omnia Licinio Imperatori, quia turba multa dereliquerunt deos, et crediderunt in Christo, quem S. Theodorus prædicabat. Tunc furore repletus Licinius misit spiculatorem, ut amputaret caput ejus. Videntes autem turbæ, cœperunt resistere adversus Licinium loquentes. Statim B. Theodorus docebat eos, dicens: Fratres carissimi, nolite resistere Licinio: minister est enim patris sui diaboli, et festinat, ut placeat ei. Oportet me nunc, ut per ipsum pergam ad Dominum meum Jesum Christum. Et hæc dicens, statim fidelis populus adquievit. Stans autem B. Theodorus in parte Orientis orabat, dicens: Domine Deus virtutum, qui ex nihilo omnia in verbo tuo fecisti, suscipe orationem famuli tui, ut requiescat tempestas, quæ exorta est contra sanctam Ecclesiam tuam, et dona ei pacificam constantiam. Memor esto, Domine, famulorum tuorum, qui in carcere sunt constituti, sive in montibus, seu in speluncis, et in cavernis terræ absconsi sunt, propter nomen sanctum tuum, ut citius facias unumquemque ad meliora pervenire. B Prolixius vero orationem eo faciente, conversus est ad fidelem populum, et levavit oculos suos in cœlum, et voce pusilla oravit super eos. Et cum complesset orationem, signavit omnes Fratres; et statim conversus est ad me, dicens: Auchare, non relinquas diem obitus mei; sed tolle reliquias meas, et porta eas in Euchaita, et sepeli eas in paternæ substantiæ meæ loco. Quia dum ego abiero, citius tu obdormies. Et hæc mihi dicens, expandit iterum manus suas ad cœlum, et dixit: Deus omnipotens creator omnium, exandi me indignum famulum tuum; et suscipe in pace animam

*populum cohibet, ne obsistat:*

*orat pro ecclesia,*

*captivis etc.*

meam. Et ignosce omnia peccata, quæ per ignorantiam in juventute egi, quia tu scis, quomodo concupisco diem certaminis mei. Exandi me orantem famulum tuum; ut si quis in mari, sive in terra, seu in ægritudine, aut in tribulatione visibili fuerit, citius exaudias eos: et mittas super eos adjutorium de altissimo cœlo, conservans et protegens omnes, qui in fide recta semper amaverint te misericordissimum Deum in gloria sancta nominis tui. Et cum complesset orationem, signavit totum corpus suum; et salutavit omnes Fratres, extendens pretiosam cervicem suam, et statim spiculator amputavit caput ejus. Et finivit in Domino mense Novembrio, die nono intrante. D

*prædicit Aucharo mortem:*

*se Cruce signat:*

*decollatur:*

18 Suscipiens vero turba sanctum corpus ejus, et portaverunt eum ab Heraclia in Euchaita cum luminibus et incenso, hymnos Domino psallentes: et posuerunt eum in propria sua, sicut prædixerat. Ubi nunc præstat mirabilia, cæcis visum, paralyticis gressum, dæmoniacis protinus sanitatem: et omnes qui in tribulatione sunt et veniunt ad eum, et desiderant videre diem festivitatis ejus, et osculari sanctum sepulchrum ejus, statim suscipiunt beneficia ejus, glorificantes laudabilem Deum, cui est honor et gloria et potestas in secula seculorum. E Amen.

*corpus Euchaitam defertur,*

*ubi plurimis illustratur miraculis.*

a *Metaphr.* quingentos. — b Augarus *est Metaphrastæ et Bonito.* — c *Forte* recensitiones. — d *Ita et Bonitus. Metaphr. solum* 80. — e *Bonitus quoque* Cestum Anthypatum *scribit. Metaph.* Sextum Proconsulem: *est enim* ἀνθύπατος proconsul. — f *Metaphrastes*, trecentos *Bonitus*, 40. — g *Metaph.* ut eum appetamus lapidibus. — h *Ita et Bonitus. Genuinus vero* Leander, *recte.* — i Merpas *vocatur Metaphraste*, Merphesius *Bonito, et uterque, Hunnum fuisse tradit.* — k *Bonitus quoque idem aliis verbis expressit. Aliam prædictionem hic omissam, posuit Metaphrastes:* in tua vero consummatione dormitas mihi a sinistris. — l *Metaphrastes et Bonitus.* Septimo Februarii *interfectum ponunt. Aliquis forsan librarius Acta MSS. mutavit, quod sciret* S. Theodorum Martyrem nono Novembris *coli. Sed* Tiro *is, non Dux fuit, ut ante dictum.*

# AD VIII FEBRUARII.

NOT. 4

## DE S. CYRIACO MART.

*S. Cyriaci corpus Genuæ.*

P*agina* 156 *col.* 2. *E post num.* 7 *adde:*

8 *Genuæ in æde S. Bartholomæi, quæ est sanctimonialium, colitur* VIII *Februarii* S. Cyriacus Martyr, *cujus et corpus ibi asservatur: uti refertur in Kalendario Sanctorum, qui in particularibus illius urbis Ecclesiæ celebrantur, cum Officiis propriis Sanctæ Genuensis Ecclesiæ excuso anno* 1640. C *An is sit Romanus Martyr* Cyriacus, *qui in variis Martyrologiis hoc ipso die memoratur; an alius, necdum comperimus: neque si Romanus est, an ejusdem sint Cyriaci reliquiæ, quæ feruntur Bononiam allatæ, ab reliquo forsan corpore, Genuam mittendo, avulsæ, an alterius. Nolumus temere diversum pronuntiare absque certis documentis, neque tamen quod de reliquiis illis Genuensibus comperissemus, reticere.*

NOT. 5.

## DE S. STEPHANO GRANDIMONT.

P*agina* 203. *col.* 2 *D post num.* 22 *ista adde: Cum pridem hæc* S. Stephani *Vita, cum nostra præfatione, esset excusa, prodiit Sammarthanorum* Gallia Christiana, *doctum opus et laboriosum. Cujus tom.* 4. 493 *sub finem de obitu* S. Stephani *ista tradunt, cum iis quæ hic scripseramus consentientia:* Tandem Stephanus a seculo ad Christum migravit, in cella de Moreto, Diaconus tantum existens in Ordine Levitarum, in hoc imitator effectus alterius S. Stephani Protomartyris et Levitæ, ætatis suæ anno octogesimo plenus miraculis et sanctis operibus, VI Idus Februarii, Epacta III, Concurrente VII cum bissexto anno MCXXIV, cum in eremo vixisset annis ferme quinquaginta, duobus mensibus minus, ut his carminibus colligi potest.

Nimbosus luces jam Februus egerat octo,
Lucifluus Stephani cum Spiritus astra petivit,
Anno milleno centeno bis quoque deno
Adjuncto quarto, regno cœli sibi parto.
Proposito fixo Crucifixus cum Crucifixo,
Christo servivit Stephanus, per quem modo vivit.

*Ibidem col.* 2 *lin. penultima, post ista verba,* quinto ab illius obitu mense, *adde:* Grandem-montem *ita describit vetus MS. ab iisdem Sammarthanis citatum:* Grandismons est situs in montanis in territorio Lemovicensi, austerus et gelidus, infertilis et scopulosus, nebulosus ac ventis expositus, lapidibus exuberat ad ædificandum, sed ligna ad ædificium apta ibi pauca raro inveniuntur. Omnis etenim terra, quæ in confinio loci hujus habetur, vix aut numquam sufficeret ad ea quæ ibi sunt necessaria, ob infertilitatem et sterilitatem, egestatemque illius territorii. Attamen ad radicem montis istius sunt ibi vineæ, arboresque fructiferæ: sunt ibi prata virentia, horti et agriculturæ. Locus vero iste solitarius est, aptus pœnitentiæ et religioni: in quo qui permanent, asperam ducunt vitam cibis et indumentis. *Ita MS. a Sammarthanis citatum.* Eo *igitur deportatus,* reconditus *etc.* NOT. 6. F

*Pagina* 205 *ad finem num.* 38 *adde:*

39 *Cum S. Stephani Vita, quam hic damus, excusa jam esset, ac tertius etiam tomus Februarii; eamdem Vitam Parisiis edidit ex* veteri codice chartaceo *Philippus Labbeus noster, inter* Vitas aliquot Sanctorum ad Aquitaniam spectantium. *Nostram cum ea editione contulimus, atque has variantes lectiones excerpsimus.* NOT. 7.

*Pag.* 205 *cap.* 1 *num.* 5 *lin.* 1, Et discedens. *MS. Lab.* Hic discedens. NOT. 8.

*Pag.*

A NOT. 9. *Pag.* 206 *cap.* 2. *num.* 9. *lin.* 2. Ambasaco. *Lab.* Amberzaco.

NOT. 10. DE REVELATIONE S. STEPHANI *Pag.* 212 *post Notat. H*, *adde : Labbeus pro* Boscoaloni, *habet* Boscoalone. D

NOT. 11 *Ibid. post Notat. K*, *adde : Editio Labbei habet*, de Planche.

# AD IX FEBRUARII.

NOT. 12. **P***agina* 277 *col.* 2 *in Syllabo Prætermissorum lin.* 4 *a fine*, *post* Aquisgranensi, *adde*, *MS. Martyrologio Philippi Labbei nostri.*

## DE S. NICEPHORO MART.

NOT. 13 **P***ag.* 283 *post num.* 2 *adde : Acta eadem Latina, et forte antiquiora ætate Metaphrastæ, postea reperimus in Sereniss. Suecorum Reginæ codice, signato* 863, *quæ hic ideo danda censemus. Adjecit tamen fortassis antiquius interpres exclamationes quasdam*, Pro dolor *etc.* *ac loca Sacræ Scripturæ : nisi in Græco exemplari negligentia librarii omissa existimentur.*

## S. NICEPHORI MART.

### ACTA LATINA ANTIQUA

### ex MS. codice Seren. Reginæ Sueciæ.

*a* B *Nicephorus Sapricii odium incurrit :*

In partibus *a* Orientis quidam Presbyter, nomine Sapricius, et Nicephorus Laicus, dum se invicem ut Fratres diligerent, ac per seriem annorum plurimum sic amici viverent; inimicus humani generis diabolus inter eos discordiæ semen jactavit, ita ut nec etiam in platea publice sese optarent videre : Hoc etenim per multi temporis spatium, obduratis ambobus dum agitur, Nicephorus aliquando mente revolvens; Qui odit Fratrem suum, homicida est : et quia omnis homicida non habet hæreditatem in regno Christi et Dei : pœnitentia ductus, amicos rogavit Sapricii, ut eum sibi in amicitiam pristinam revocarent. Qui nec amicos audire, nec (pro nefas!) pie petenti voluit indulgere. At ille alios rursus ejus amicos petiit, humiliter supplicans, quatenus vel per eos mereretur indulgentiam, tertioque alios misit.

*per amicos postulat sibi ignosci,* 1. Joan. 3, 15.

2 Sed ille duricors; imo sibi adversans, nec his, nec illis adquiescere maluit, neque tam constanter Fratri roganti, quod petebat, largiri. Oblitus est sane, vel neglexit illud Dominicum, quod nequam ille servus a decem millibus talentis solutus, qui, confratri centum sibi denarios debenti misereri renuit traditus est tortoribus, et in carcerem missus, donec universum debitum redderet. Et, Dimittite, et dimittemini. Date, et dabitur vobis. Neque etiam illud expavit, quod horrendum illic resonat : Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Et : Ea ipsa mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

*nec obtinet ab duro homine,* Matth. 18 Luc. 6. 37 et 38 C Matth. 18. 35 Matth. 7. 2

3 Nicephorus vero ut vidit quod toties contemneretur, perrexit ipse ad Sapricium, et prosternens se ad pedes ipsius, veniamque petens, publica voce clamans rogabat, ut sibi laico Presbyter indulgentiam præstaret. Et quid plura? nam qui sibi miser jam ostium supernæ clementiæ ac amoris clauserat, numquid pœnitenti proximo januam cæcati cordis aperire valebat? Negat tandem amicitiam, negat conservo veniam, sibique (pro dolor!) ipsi omnem salutis adimit gratiam.

*ne ipsemet quidem humiliter deprecans*

4 Dum hæc igitur agerentur, supervenit *b* easdem in partes orta in Christianos persecutionis non modica tribulatio, percurrentibus eam militibus provinciam, atque investigantibus quibuscumque in locis Christiani possent reperiri. Interea memoratus Sapricius Presbyter comprehenditur, duciturque ad Præsidem. Ad quem Præses respiciens, ait : Quod nomen est tibi? qui respondit, Sapricius. Præses dixit : Laicus es, an Clericus? Sapricius dixit : Licet indignus, Presbyteri officio fungor. Præses dixit : Domini et Augusti nostri, ac orbis Dominatores *c* Valerius et Galienus hoc bonum optimumque senserunt, ut qui se dicunt Christianos, diis immortalibus et perennibus sacrificent : quicumque autem contemnendos putaverint, sciant se diversis pœnis cruciari, atque nequissima morte damnari. Sapricius dixit : Nos, Christiani qui sumus, Christum Dominum Imperatorem ac dominatorem habemus, qui verus est Deus, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Pereant, inquit, dii gentium, qui nihil sunt, nihilque valent, quique nec juvare, nec imperare possunt : opera enim sunt manuum hominum : et vos similes illis, qui facitis et colitis ea.

*b ab eodem Christum confesso,* *c* *et idola detestato,*

5 Tunc Præses nimium in eum iratus, jussit eum suspendi equuleo. Cumque torqueretur, ita respondit : Carnem quidem meam in potestate habes, exerce tuam miser crudelitatem : quia nullam in anima potestatem habebis, nisi Dominus, qui eam creavit, tibi permiserit. Postquam vero acriter diutius in equuleo tortus fuisset, nec a fide ullatenus recederet; crudelissimus Judex hanc in eum dedit sententiam, dicens : Sapricius Presbyter, Imperatorum contemptor, et Deorum immortalium inauditor, præcipimus tandem aliquando, ut capitalem subire debeat sententiam.

*ideoque torto* E *et morti addicto,*

6 Cum ergo sic in se data sententia exiret a Judice, et ad coronam quasi cœlestem pergeret, nuntiatum est Nicephoro. qui festinanter ei occurrit, inclinansque se humiliter ad pedes ejus, cœpit clamare, ac rogare eum, dicens : Miserere mei, Domine Martyr Saprici, miserere mei, et indulge quod in te peccavi. At ille non respondit ei verbum. Tunc iterum Nicephorus occurrit eidem per aliam viam, antequam exiret de civitate, et provolvens se in omnium, quicumque aderant, præsentia, ad pedes ejus, dixit. Peto, sancte Martyr, ut des mihi veniam et indulgeas si quid in te peccavi : homo siquidem sum, delinquendi patiens infirmitatem. Ecce enim jam tibi corona de cœlo dabitur a Domino, quem non negasti, sed constanter es confessus in terris. Ille vero obstinatus animo, nec veniam precanti, nec ullum insuper sermonem voluit respondere, sibi quoque salutis remedium operari volenti. At Nicephorus sic perseveranter, quasi importune, sibi parci rogitabat, in tantum ut ipsi carnifices eum nimis aporiarent, dicentes : O qualem, et quam magnæ stultitiæ virum! Nescimus quis insanus ducitur homo ad decollationem, et hic vivens veniam postulat mox morituro. Ad quos Nicephorus ita respondens, ait : Vos, o filioli, nescitis, quid ego Confessorem peto Altissimi. Deus, inquit, novit. Et pervenerunt ad locum.

*publice veniam petit,* *ac sæpius* F *ideoque ut stultus videtur a lictoribus :*

7 Iterum vero atque iterum plenus Deo Nicephorus veniens, Dominique reminiscens dicentis, Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis; proclamans aiebat : Miserere mei, imo tui, sancte Christi Martyr Saprici, miserere, precor. Ita honeste hones[tissi]mus vir Nicephorus, omnibus fidelibus Christum sequi volentibus imitabile in hoc ac decens factus exemplum. Petebat, et nemo ei dabat : quærebat, et non inveniebat, pulsabat, et non ei aperiebatur. Durissimus autem, nec non justo Dei judicio jam inclusus, aures surdas durissimi pectoris

Matth. 7. 7 *iterum jam periturum orat.*

A pectoris clauserat, veluti aspidis surdæ et obturantis aures suas, ut non exaudiat vocem incantantis se.

*EX VETERI MS.*

8 Interea quæstionarii dixerunt Presbytero : Flecte genua Saprici, ut decolleris. Respondit Sapricius : Quare? dicunt illi : Quia sacrificare noluisti; et præcepta regalia sprevisti, propter hominem nescimus quem, qui dicitur Christus. Hæc cum audisset infelix et apostata Sapricius, dicit ad carnifices : Nolite me percutere, et facio, quod jusserunt Augusti Principes nostri.

*sed a fide deficientem*

9 Quod videns B. Nicephorus, ait ad eum : Noli, Saprici, noli prævaricari, et perdere coronam cœlestem, quam per tot et tanta tibi pœnarum adquisisti tormenta. Noli, noli carissime, noli apostatare ab eo, vel refugere mori pro eo, qui te ut in viam salutis adduceret, et regnum tibi æternum tribueret, pro te et pati et mori dignatus est. Qui, ut erat amens, obsurduit, et eum, qui jam quasi sui oblitus, ejus curam gerebat, audire respuit, festinansque in perpetuæ præcipitium mortis cæcus et miser, æternam vitam, et sine fine indeficientem lætitiam, puncto unius parvissimi temporis spatii perdidit.

*acriter monet,*

*frustra,*

10 Et hoc ideo, quantum occurrit, quia, inter cetera Domini præcepta, illius quoque immemor extitit dicentis : Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi

*illo ob pertinax odium pereunte,*

B recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, et

Matth. 5. 23

vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens, offeres munus tuum. Nam et de venia largienda Petro interroganti, atque dicenti : Domine, quotiens

Matth. 18

peccabit in me Frater meus, dimittam ei usque septies? Idem totius veniæ largitor Dominus sic respondit, dicens : Non dico tibi, Petre, usque septies, sed usque septuagies septies. Et alibi : Dum, inquit, statis ad orandum, dimittite, si quid habetis

Marc 11 25

adversus aliquem aliquid. Si igitur offerentis, vel orantis, sed in se peccantibus indulgere nolentis sacrificium et oratio non inmerito ab eo, qui talia monet, id est, a Christo, respuitur; quanto magis martyrii sacrificium, quod nemo nisi mundus, nemo nisi simplex, nemo nisi Dei et proximi sincerus, ardensque Spiritu sancto dilector, offerre prævalet.

11 Beatissimus igitur Nicephorus, cum vidisset sic irrevocabiliter Sapricium prævaricatum esse, et quod nulla sibi consulenti ratione, ut in Christi fide permaneret, adquiescere vellet; ne nomen Christi quasi debile, et suos in passione non valens juvare, ab incredulis et sacræ fidei insectatoribus blasphemaretur, non quasi ultro se offerens, (utpote scius, Si

*S. Nicephorus se morti pro Christo offert :*

Matth. 10 23

vos persecuti fuerint in hac civitate fugite in aliam)

C sed clara potius ac prompta voluntate se Christi electum militem lorica fidei protectum, et scuto inexpugnabili æquitatis insuperabilem, ostendens, ait ad carnifices : Me, me, inquit, me me propter ejus, quem iste negat, nomen percutite : quatenus non ex ipso Christo negandi infirmitatem, sed ex diabolo, justo suo judicio, damnationi traditum esse noscatis. Quibus hoc veluti per extasin mirantibus, et sine Principum judicio se id agere non audere respondentibus; Nicephorus sanctus magis magisque sese ingerebat, ut eum interficerent.

12 Tunc eorum unus ad Præsidem quantocius, D uti de Saprici consensu gaudium reportans, accurrens dixit, quia spopondit se Sapricius diis immortalibus sacrificare. Unde Præside lætante, atque quatenus Sapricium et milites remuneraret, disponente; idem, qui nuntiaverat, adjecit, dicens : Sed dum hæc, o semper metuende Præses, agerentur, et a Sapricio, Principum jussis ut obediret, merito pararetur; alius quidam, Nicephorus nomine, qui se Christianum profitetur, advenit. Eumdem Sapricium a Deorum cultura, et Reipublicæ gubernatorum decretis conans multis modis stupendis avertere monitis. Quod quidem minime prævalens, cœpit ad nos clamare, et dicere : Me, me, inquit, me me propter ejus, quem iste negat, nomen percutite. Et ego, inquit, diis vestris non sacrifico : insuper respuo, et blasphemo opera manuum hominum, ac simulacra surda et muta, quæ nec sibi, nec aliis juvare possunt : nec præceptum vestrorum tyrannorum Principum exaudio, imo abaudio, qui hujusmodi errorum pestibus seque ipsos et alios miseros æternis et perennibus tradere contendunt suppliciis.

*quod ut Præsidi renuntiatum,*

13 Præses autem hæc audiens, vehementer exarsit, atque totus statim versus in iram, hanc sententiam protulit, dicens : Si diis immortalibus Nicephorus non sacrificat, secundum Imperatorum et nostra, quæ non licet prævaricari, præcepta, absolute moriatur. His auditis nuntius, atque festinanter pro- E

currens, venit ad locum, quo Sanctus adhuc Christum confitebatur Nicephorus : et absque ulla mora, vel discussione aliqua sancti ac felicissimi Nicephori caput, ut sibi fuerat mandatum, amputavit. Complevit igitur sic Martyrium in pace, pacem et caritatem diligens, ac usque ad mortem perquirens, ad gloriam et laudem Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus una cum Patre et Spiritu sancto Deus in secula seculorum. Amen.

*ejus jussu decollatur.*

a *Locum nullum expresserat antiquum MS. Græcum, Metaphrastes adjecit,* in magna Antiochia Syriæ — b *Metaphr. habet*, in Antiochia civitate, ubi ambo habitabant. *In veteri MS. Græco deest hic quoque nomen civitatis.* — c Valerianus *legendum, is enim cum* Gallieno *filio imperare cœpit anno* 253, *et cruentam movit persecutionem Metaphrastes* Valerianum et Gallum *habet, Incuria forsan librarii* Gallus *pro* Gallieno *positus Quamquam etiam sub Decio ante* Galli *imperium* Valerianus Censor *Christianos est persecutus, et ad huc vivente* Gallo *acclamatus Imperator, semper Christianis infestus.*

### DE MARTYRIB. ÆGYPTIIS.

P*ag.* 294 *col.* 2 *E post numer.* 1 *adde : In Philippi Labbei nostri MS. ante* Germani *nomen est et* Nili. NOT. 14
*An pro* Milicuti; *an vero ipsum* Milicuti *ex duobus conflatum* Nili, Cutii *ambigere queat nonnemo.*

F

### DE S. ANSBERTO ARCHIEP. ROTOMAG.

P*ag.* 346 *col.* 2 *lin.* 12 *a fine pro* anno Christi DCXCIII, *lege* anno Christi DCXCI, aut sequente, *qui est* NOT. 15.
annus II aut III Præsulatus S. Ansberti, *pro quo annus* V *infra intrusus est. Num habita est hæc Synodus ante translationem corporis S. Audoeni, factam anno* IV *Præsulatus S. Ansberti, ut infra ad cap.* 7 *demonstratur.*

## AD X FEBRUARII.

NOT. 16

P*agina* 381 *col.* 2 *E lin.* 9 *post* absque ullo socio; *adde : In MS. Philippi Labbei nostri ita hi referuntur :* Apollonis Martyris, Protei, Orientis, Plausi Mart. *Ita qui aliis* Orion, *hic* Oriens *est.*

### DE S. PEREGRINO CONF.

NOT. 17.

P*ag.* 390 *col.* 2 *D post num.* 3. *adde : Petrus Maria Campus tom.* 1 *historiæ Eccles. Placentinæ lib.* 5 *ad annum* 429 *pag.* 132, *scribit, haud satis distincte constare, quo tempore* S. Peregrinus *vixerit. Solitam ejus effigiem pingi lilium candidum manu tenentem, quod est pudicitiæ ejus argumentum. Cum incendio absumpta ædes esset, in qua conditus erat* S. Peregrinus, *ejus tamen ac plurium aliorum Divorum reliquias illæsas esse conservatas, atque ab Evrardo Præsule sub annum* CMIII *translatas, testatur idem Petrus Maria Campus lib.* 8 *pag.* 242.

*S. Peregrini imago*

*reliquiæ ab igne salvæ*

AD

# ADDENDA AD XI FEBRUARII.

NOT. 18. Pagina 506 col. 1 inter Martyres Carthaginenses quatuor, nescio qua præcipitantia aut incuria, omissi, ut ex pag. 513 manifestum est. Ita hic post S. Ampelium restituendi :

S. Rogatianus,
S. Quintus,
S. Maximianus,
S. Telica,
Martyres Carthagine.

NOT. 19. Pag. 508 col. 1 A in catalogo Prætermissorum, ante S. Desiderium Viennensem Ep. repone :

S. Desiderius Episcopus Lingonensis hoc die annotatus est in veteri MS. Martyrologio Philippi Labbei nostri, his verbis : Lingonis, Desiderii Episcopi. Sammarthani tom. 2 Galliæ Christianæ aiunt, notari XI Kalendas Junii in Martyrologio, (Lingonico fortassis) eoque die solemne ejus festum agi in diœcesi. In plerisque aliis Martyrologiis, ut suo loco dicemus, notatur X Kalend. Junii, sive XXIII Maii.

### DE SS. BASILIANO, TULICO etc.

Pag. 511 col. 2 F iis quæ de sanctis Martyribus Basiliano, Amantio, Tulico dicta sunt, subjunge hæc : In MS. Labbei nostri pro Tulico est Julicus. NOT. 20.

Pag. 512 B. DE S. SIMPLIDE EP. VIENNEN. post num. 2 adde : Sammarthani de eo ista habent : IX Simplides, vel Simplidius, die tertia Februarii. Forte III Id. Febr. scribere voluerunt. NOT. 21.

### DE S. EUPHROSYNA VIRG.

Pagina 537 col. 2 in fine post numer. 14 adde : Genuinæ Euphorina appellari videtur, uti liquet ex Kalendario Officiis propriis subnexo. NOT. 22.

# AD XII FEBRUARII.

NOT. 23. B Pagina 573 col. 2 post S. Florum adde :
S. Benignus Martyr Rom., Gandavi in Belgio.

### DE S. HIPPOLYTO MART.

NOT. 24. Pagina 583 col. 2 D post num. 5 adde : Verum ob clausulam litteris Pontificiis appositam, (Si nulla alia indulgentia eidem Ecclesiæ esset antea concessa, quæ etiamnum vigeret, uti erat) eadem secunda Indulgentia vim suam minime obtinuit. E

# DE S. BENIGNO

## MARTYRE ROMANO, GANDAVI IN BELGIO

J. B.

NOT. 25. Repone hæc pag. 584 post ea quæ de S. Floro M. dicuntur. XII FEBR.

Anno eodem, quo (ut diximus) S. Flori Martyris corpus a Baldassare Ballono ædi Antverpiensi donatum erat, excessit ipse e vivis Baldassar, nondum distributis compluribus Divorum lipsanis, quæ ab Eminentiss. Martio tit. S. Petri ad vincula Cardinali Ginetto, Pontificis in alma Urbe Vicario Generali acceperat. Quo ex thesauro Admodum R. P. Florentius Montmorencius Societatis Jesu Vicarius Generalis, VIII Decembris, MDCXLIX, donavit R. P. Ferdinando del Plano, tunc collegii Bruxellensis Rectori, ad comitia generalia Societatis ab nostra hac Flandro-belgica provincia misso, capita duo sanctorum Martyrum Benigni et Cœlestini, hoc integrum, illud in plures partes confractum, utrumque ex eodem, e quo S. Florus, S. Agnetis cœmiterio extractum. Donavit autem utrumque, ut in præclaro sacello Bronckhorstiano Deiparæ Virginis intra ecclesiam Societatis Jesu Gandavi in Flandria, fidelium venerationi exponeretur : ut ex publicis tabulis, eodem die conscriptis ac signatis a Leonardo de Leonardis cive Romano, et curiæ ejusdem Eminentiss. Cardinalis Vicarii Notario publico, patet.

S. Benigni caput

C

in Belgium missum,

2 Ex tabulæ, atque admodum R. P. Florentii Montmorencii litteræ, quibus se has reliquias R. P. Ferdinando del Plano, in eum quem diximus finem, donasse testabatur; una cum dictis reliquiis repositæ sunt in capsula cypressina, decenter ornata, ac vitta byssina circumligata, duobusque locis Eminentiss. Cardinalis Ginetti sigillo munita. Quæ capsula dum in Belgium deportata, atque Reverend. et Illust. Antonio Triest Episcopo Gandavensi die II Decembris anni MDCL esset exhibita; et coram eo, omnibus accurate inspectis, ipsius jussu, aperta; inventa sunt, quæ citavimus, publica instrumenta, et bina Martyrum capita. Hæc autem ut in dicto sacello, publicæ venerationi exponerentur, idem sanxit Illust. Antistes. Delectus postea, ipso quoque annuente, dies XII Februarii, quo S. Benigni solennis memoria ageretur. At S. Cœlestinus postridie celebratur. De neutrius Actis quidquam nobis est exploratum.

ab Episcopo Gandavensi approbatum,

colitur 12 Febr.

### DE S. SIMPLICIO EP. CONF.

Pagina 603 E. post. num. 2 adde : Vetus MS. Martyrolog. Labbei nostri solum habet, Simplici confessoris, omisso Episcopi titulo. NOT. 26.

### DE S. BASILIO MONACHO.

Pag. 604 col. 2. F initio num. 2 expunge hæc verba, Verum ubi insula Ratensis in Galliis sit, necdum reperimus; atque ista subtitue : Ratennem insulam in Aquitania fuisse conjicere licet ex Annalibus Metensibus tom. 3 Francicorum a Chesnæo editis. In iis ad annum 744, pag. 273 ista habentur : Sed non post multos dies, Hunaldus, corona capitis deposita, et monachi voto promisso, in monasterium, quod Radis insula situm est, intravit, filiumque Waifarium in principatu reliquit. NOT. 27. F

### DE S. ETHELWODO EP. LINDISFARN.

Pag. 607 col. 2 D post num. 13 adde : Ad Vitam S. Oswaldi Episcopi Wigorniensis, XXIX Februarii § 1 pag. 750 col. 2 num. 11 conjecimus eumdem videri, qui in variis Martyrologiis Oswaldus appellatur ad diem XII Octobris. In MS. Kalendario Benedictino monasterii S. Salvatoris ad XII Junii ista habentur : S. Oswaldi Episcopi Lindisfarnensis et monachi Mailrosensis. NOT. 28.

# ADDENDA AD XIII FEBRUARII.

NOT. 29. Pagina 642. *col.* 1 *post*, S. Palladium *adde :*

S. Cœlestinus Martyr Romanus, Gandavi in Belgio.

NOT. 30. Pag. 644 *col.* 1 *in Catalogo Prætermissorum de* S. Dicentio *lin.* 2 *post*, S. Cyriaci Romæ, *adde : in antiquo MS. Philippi Labbei nostri* Decentius *vocatur, jungiturque Martyribus Alexandrinis. Ita enim habet MS.* Juliani Martyris, Tulliani, Cyriaci, Ammoni, Decenti. *At S. Hieronymi Martyrol. diserte sejungit. Nam recensitis tribus Alexandrinis addit :* Nicomediæ passio S. Julianæ Virg. et alibi natalis Dicenti.

DE S. AGABO PROPHETA.

Pag. 644 *C col.* 1 *post num.* 2 *adde : In MS. Labbei nostri, dies* VII *Februarii (ut in Appendice ad eum diximus) ita inchoatur*, Agabi Martyris. *Quod de hoc Agabo accipiendum videtur, cum ejus hoc die nulla illic mentio fiat.* NOT. 31.

Repone hæc pag 657. post S. Palladium.

# DE S. CÆLESTINO

J. B.
NOT. 32.

## MARTYRE ROMANO, GANDAVI IN BELGIO.

XIII FEBR

S. Cœlestini caput

Gandavi, *clarissima Flandriæ urbe, colitur Idib. Februarii in ecclesia Societatis* Jesu, S. Cœlestinus Martyr Romanus : *cujus caput integrum ex cœmeterio S. Agnetis extractum, missumque in Belgium, ab Admodum Reverendo P. Florentio Montmorencio, Societatis* Jesu *Vicario Generali*, B *donatum præclaro sacello Bronckhorstiano Deiparæ Virginis in eadem ecclesia; atque ab Illustriss. Gandavensi Episcopo Antonio Triest, publicis instrumentis accurate examinatis, approbatum. Sancitum deinde, ut anniversaria ejus memoria* XIII *Februarii celebraretur. Quæ omnia fusius explanata sunt* XII *Februarii, in Appendice, ubi de* S. Benigno *est actum, cujus una allatum eo est caput. Sitne porro hoc caput illius* Cœlestini Martyris, *cujus* 11 *Maii in Martyrologiis mentio fit, an potius alterius, nihil est unde possimus certe definire.*

Gandavum Roma missum colitur 13 Febr

DE S. DOMNINO EP.

NOT. 33 Pag. 660 *col.* 2 *post numer.* 7 *adde : Eamdem Vitam, aliaque de* S. Domnino *habent Sammarthani in Catalogo Episcoporum Diniensium tom.* 2 *Galliæ Christianæ.*

DE S. GUIMERRA EP. CARCASSON.

NOT. 34. Pag. 671 *col.* 1 *post num.* 1 *adde : Sammarthani in Episcopis Carcassonensibus asserunt*, traditionem esse, sepultum fuisse in Cathedrali e regione capellæ S. Sacramenti, cum ea epigraphe : Sanctvs Gvimera primvs Episcopvs præsentis Ecclesiæ.

DE S. LICINIO EP. ANDEGAV.

NOT. 35 Pag. 677 *col.* 2 *D post num.* 11 *adde : Sammarthani* C *tradunt tom.* 2. *Galliæ Christianæ pag.* 115 *fragmentum tumuli S. Licinii adhuc servari in ecclesia S. Joannis Baptistæ Andegavis, ante aram majorem, sub hoc lemmate :*

Vas habet hoc fracti senio fragmenta sepulchri,
Licinii Sancti quo gleba beata quievit.

*Addunt festum ejus celebrari, ritu duplici, hoc die.*

DE S. FULCHRANNO EP. LODEV.

NOT. 36. Pagina 711 *col.* 1 *post num.* 2 *adde : Vitæ S. Fulcranni subnectemus ipsius testamentum, quod ex veteribus schedis Capituli Loderensis eruit Franciscus Bosquetus tunc Loderensis Episcopus, nunc Monpeliensis, communicavitque Philippo Labbeo nostro, hic nobis.*

NOT. 37 *Pagina ergo* 717 *post Vitam* S. Fulchranni, *adde sequentia.*

TESTAMENTUM S. FULCRANNI.

*e veteribus schedis Capituli Luceveasis, erutum ab Illust. D. Francisco Bosqueto Lucevensi tunc Episcopo, nunc Monpeliens.*

Quantum intellectus et sensus humanus potest mente sagaci pensare, atque solerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in hujus seculi cura de gaudio superno curare, quam quod de rebus mobilibus in alimoniis pauperum curatur exhibere : quatenus fragilitatem dum omnia generaliter patiuntur priusquam subitanea transpositio eveniat, oportet pro salute animæ vigilare, ut non inveniat quemquam imparatum, et sine aliquo respectu discedentem a seculo. E Quia Scripturarum serie Christianis fidelibus declaratur, ut dum homo viribus corporis viget, videat ne in barathrum mortis incidat, sed potius curet, ut ad æternam beatitudinem feliciter valeat pervenire : quia mors secus introitum delectationis est posita, et neminem præterit, sed per omnes transit.

*In vita subveniendum pauperibus,*

*et curanda animæ salus.*

2 Igitur ego in Dei nomine Fulcrannus gratia Dei Episcopus, ac si indignus peccator, timeo ne me mors præoccupet : propterea rogo atque suppliciter deprecor dilectissimos ac fideles meos, his nominibus, Macfredo Episcopo, et Aranfredo Archidiacono, et Bernardo Archidiacono, et Angelmaro atque Stephano Abbates, et Ansaldo Canonico, ceterosque Fratres sub regula Canonicali degentes in Sede Lutevense, non meis meritis, sed per benevolentiam et caritatem, quam vos erga me habere cognosco, rogo, ut eleemosynam meam per fidei commissum manu mea firmatum recipere non dedignemini, omnes res meas mobiles tam aurum quam argentum seu ornamenta, cunctaque animalia, vinum et omne penu annonæ, et universim omnes omnino res, quas in tempore, quo ab hac luce migravero, a me videritis possideri, juxta providentiam vestram, pro remedio animæ meæ distribuendi in Christianis, sive F Canonicis, nec non et monachis, ceterisque sub fide Christi degentibus, habeatis licentiam.

*S. Fulcrannus executores sui testamenti constituit.*

3 Ob hoc ego in Christi nomine Fulcrannus gratia Dei Episcopus, sciens quod maternus uterus me nudum protulit, cupiens ut ita me mater omnium terra recipiat, nihil mecum ex his quæ sunt mundi auferens, omnes res meas pro amore et dilectione æterni Patris Domini, et pro caritate nostri Redemptoris Jesu Christi, ac pro confessione ab utrisque procedentis Spiritus, et pro amore Dei Genitricis Mariæ, ut ipsa sit mihi in adjutorium intercedendo pro me ad Dominum, et in veneratione S. Michaelis Archangeli, ut ipse in egressu animæ meæ a corpore pius propugnator occurrat, et in amore B. Petri Principis Apostolorum, ut ipse me absolvere dignetur ab omni mole peccaminum, et propter amorem S. Genesii Martyris, omniumque Sanctorum, quorum reliquiæ in ejus basilica reconditæ sunt, et in amore S. Laurentii et S. Sixti, cum cuncto cœtu Martyrum, et in amore S. Martini et S. Amantii cum omni caterva Confessorum, ut eorum piis intercessionibus valeam

*ad Dei honorem et variorum Sanctorum sua distribuit :*

* *erat* contendere

A valeam * conscendere cœlum, et saltem in extremo agmine eorum merear gaudere nunc et in æternum: omnes res dividere cupio quod ita et facio.

*Monasterio S. Salvatoris multa donat.*

4 In primis Domino et Salvatori nostro Jesu Christo in ipsa civitate Luteva, in ipso loco, quem annuente Deo, vel ejus inspirante clementia elegi pro adquirenda æterna vita monasterium stabilire; ad altaria, quæ sunt consecrata in honore Salvatoris mundi, et sanctæ Apparitionis, sive Dominicæ Ascensionis, ac vivificæ sanctæque Crucis; ecclesia, quæ est fundata in honore S. Martini et S. Mariæ vel S. Joannis, cum ipsa curte, et cum villis his nominibus, Cumbas, Montilici, Leaizano, et Curtavalle: et in ipso Comitatu ecclesia, quæ est fundata in honore S. Vincentii cum villa quæ vocatur Gutta, inquantum mihi advenit ex parte Radulfi filii Bernardi in ipsa villa, et cum ipsa convenientia, quæ mihi debet venire ex parte Bernardi fratris Radulfi post mortem suam, et post mortem de infantes suos, et villa quam vocant Baturellas et Cagnago, et manso de Poir, quem vocant Monte carroso, et villa quam vocant Crosos: et in alio loco villa, quam vocant Monte Vinairoso, et in villa quam vocant Gragingo, illas decem mediatas de vineas, quæ mihi advenerunt ex parte Guidonis, et tali ratione, ut omni tempore

*pro anima sua et Pontii fratris,*

B in convivia monachorum ibidem Deo servientium, pro remedio animæ meæ, et pro remedio animæ Pontii germani mei, et pro remedio animæ Guidonis permaneat: ita ut nullus Episcopus, nec ullus Abbas, nec ullus unquam homo habeat potestatem, nec licentiam, ad fevum donare, nec consentire ac nullum hominem, nec ad ullam fœminam: sed ipsi Deo et suprascripsis ejus propriis altaribus servientes pro æterna retributione animæ meæ omni tempore teneant in opus Dominicum. Tali vero tenore ut Macfredus Episcopus sit provisor et pater et ordinator et defensor ac tutor ipsius monasterii, et omnes Canonici S. Genesii Sedis Lutevensis advisores et consolatores propter Deum, quatenus illis æterna merces reddatur a Domino Jesu Christo. Id minime volo vel spero futurum aliud quod absit pro minoratione vel irruptione, seu aliqua diminutione numquam ullam calumniam præsumpserit ingerere, tremendo atque æquissimo Judici Deo redditurum se sciat rationem in diem judicii, et in perpetua condemnatione sit in conspectu Domini. Ego vero Fulcrannus gratia Dei Episcopus in diebus meis fundam preces in conspectu pii retributoris, ut educatores loci illius a Christo remunerentur, et contrarii ab ipso condemnentur.

*vetatque ea alienari, gravari imminui.*

*Ecclesiæ Cathedrali S. Genesii plurima donat.*

5 Ad altaria quæ sunt consecrata in honore Nativitatis Jesu Christi atque ipsius Resurrectionis,

C quæ sunt in aula S. Genesii, dono in villa, quam vocant Pruneto, mansos quatuor, qui advenerunt mihi de Arleno: et ad S. Eulaliam, in loco, quem vocant Padernis, mediatas quinque de vinetis: ad altare S. Michaelis in ipsius domum dono mansum meum de Carumbo, et vineam quam conquisivi de Ricardo, in tali ratione ut Andreas Presbyter quamdiu vixerit, teneat et possideat, et per singulas noctes de luce in lucem ipsis sacris altaribus luminaria subministret: Matutinas vero et Missas aut ipse, aut suus legatus ante sacra altaria quotidie celebret. Post obitum vero ejus, ipsi, quibus hæc cura successerit, ut similiter faciant obsecramus. Ad altare quod est constructum in honore sancti Sepulchri, et altaribus S. Laurentii et S. Martini et S. Georgii dono villam, quam vocant Lavarna, in tali ratione, ut Aranfredus et Ansaldus Presbyteri teneant eam in vita sua: Matutinas vero et Missas et omne sacrum mysterium ad luminaria ipsis sacris altaribus quotidie ministrent cum omni diligentia, et post obitum eorum, ipsi quibus hæc cura successit, ut similiter agant præcipimus. Ad altare quod est fundatum in honore S. Mariæ, dono mansum de Tudu, ita ut D teneat eum Ansaldus in vita sua, et post obitum ejus pro remedio animæ meæ S. Mariæ remaneat. Ad altare quod est consecratum in honore S. Genesii, ubi Sedes Pontificalis esse dignoscitur, dono alodem meum, ecclesiam quæ est fundata in honore S. Petri vel omnium Apostolorum cum villis ipsis nominatis Obivedo et Condomna, et mansum Decenre et Gabarger: et in alio loco ecclesiam mediam, quæ est fundata in honore S. Mariæ in villa Lumignago, ejus quantum in ipsa villa visus sum habere et possidere. Et alio loco ecclesiam quæ est fundata in honore S. Juliani Martyris in villa quam vocant Anizalis ejus quantum ibidem habeo: et in alio loco ecclesiam mediam, quæ est fundata in honore S. Mariæ in villa Avolatis cum ipsa medietate de ipsa villa: et in alio loco ecclesiam quæ est fundata in honore S. Vincentii cum ipsa villa, quam vocant Masomas, et cum ipso castro quod vocant Gibreto: et in alio loco ecclesiam quæ est fundata in honore S. Joannis, in villa quam vocant Plenis cum omni integritate, et cum ipsis sex mansis, qui mihi advenerunt ex parte Duitranni, qui sunt in ipsa parochia, et insuper silvam quam vocant Margaritæ. Et alio loco tertiam partem de Ecclesia, quæ est fundata in honore S. Stephani in Alba-aqua. Et in ipso Comitatu in alio loco ecclesiam mediam, quæ est fundata in honore S. Genesii in villa quam dicunt Furnis, cum E ipsis duobus mansis, qui mihi advenerunt de infantes Girardi: et de villa quam vocant Balmas, mansos tres et unam appendariam, et villam quam vocant Clairaco cum ipsa Reculata, et mansos duos de Carumbello, qui mihi advenerunt ex parte Radulfi et Bernardi: et in alio loco ecclesiam quæ est fundata in honore S. Martini, cum omni integritate, et cum ipsa villa quam vocant Castellare, et in villa Minus mansos tres: et in Vicaria Lunatense, in villa quam vocant Vernedobre, quantum ibidem habeo, quæ evenit mihi ex parte Evia proxima mea. Et in villa Genesredo mansos sex, qui mihi advenerunt de Aranfredo fratre meo, ipsas res suprascriptas dono et cedo et trado in amorem et dilectionem et caritatem Patris et Filii, et Spiritus sancti, per nomen et caritatem Christi Filii Dei, et per præcepta ipsa Dominica, quia dilexit nos, et ego diligo illum, trado et in plenissimam potestatem omnia suprascripta et illas capellas, quæ in Episcopatu S. Genesii Sedis Lutevensis sunt consecratæ, cedo et dono Domino Jesu Christo et eidem S. Genesio, in villa quam vocant Solasico ecclesiam quæ est fundata in honore sancti Salvatoris. Et in villa quam vocant Mobgarias ecclesiam quæ est fundata in honore S. Jacobi: et in villa quam dicunt * Fodinas, ecclesiam quæ fundata F est in honore S. Mariæ cum ipsa turre et cum ipsis forticiis quæ modo sunt et in antea erunt: et in villa quam vocant Supertis, ecclesiam quæ est fundata in honore S. Geraldi, cum ipsa turre et cum ipso cincto et cum ipsis forticiis quæ modo sunt et in antea erunt. Et in villa quam vocant Villare Usclato ecclesiam, quæ est fundata in honore S. Ægidii. Et in villa quam vocant Cevelarias ecclesiam quæ est fundata in honorem S. Michaelis. Et in villa quam vocant Capariolas ecclesiam quæ est fundata in honorem S. Geraldi, cum totum Ecclesiasticum, quod ad suprascriptas ecclesias procedit vel procedere debet, sic dono ad supradictam aulam Dei in tali ratione, ut ipsi qui eas ædificaverunt, et illorum posteritas habeant honorem, quem inter me et illos convenimus: ipsæ vero ecclesiæ sint in potestate et subjectione S. Genesii, et Fulcranni Præsulis et Macfredi Episcopi et Canonicorum S. Genesii successorum eorum.

*Aranfridus alter ejus frater fuit.*

* al. Foderias

6 Et turrem de Bernardo de Bella-aqua in tali ipsa

A ipsa convenientia similiter ecclesiam S. Vincentii teneat Bernardus Archidiaconus in vita sua cum ipsa villa, in tali convenientia, ut per singulos annos ad festivitatem S. Petri quæ est in Kal. Julias, et ad festivitatem omnium Sanctorum, Fratribus Canonicis refectionem tribuat. Ecclesia media de S. Maria de Remugnaco, et villam de Castellaro, excepto Ecclesiastico teneat Aranfredus Archidiaconus in vita sua, et per singulos annos pro manso, et pro masata, quam ego dedi S. Martino pro luminaribus, donet eidem altari officii de oleo. Ecclesiam mediam S. Genesii de Furnis teneat Bernardus Canonicus cum ipsis iis mansis quos conquestavi de infantes Geraldi in vita sua, et per singulos annos ad festivitatem S. Genesii donet canonicis ad collationem ff tres de pulmento et ff duos de vino, et pro anima mea mittat ante altare S. Genesii candelam valentem de nummis septem. In villa Ramigaco mansum de Christophoro teneat Aldequerius Canonicus in vita sua, et in Dominica de Quadragesima donet Canonicis ff duos de pulmento. Mansum de Benedicto de Geresredo teneat Sifredus, et in ipsa villa Stephanus de Mocguarias alium, et in ipsa villa Petrus Stephanus de Muatis alium, et in ipsa villa Oddo

*Canonicis Lodevensibus sigillatim varia legat ad vitam, sub certa conditione :*

*an libras? an denarios? an nummos?*

B Canonicus alium, et in ipsa villa Petrus Canonicus alium, et in ipsa villa Garnerius Clericus alium. Ipsos sex mansos sicut Gifredus diviserit inter illos, ita teneant : et donec per singulas Dominicas in Quadragesima unusquisque de quinque donet Canonicis ff duos de pulmento, et in Cœna Domini Gifredus ff tres. Et in villa quam vocant Minus, Andreas Canonicus nepos meus mansos duos, unum majorem et alium minorem, et tertium Hugo Canonicus teneat : et donet Andreas S. Genesio in Resurrectione Domini candelam valentem denarios septem : et in Nativitate Domini Ugo candelam valentem denarios tres : et si Andreas supervixerit Ugonem, ipse mansus illi remaneat. Et apud mansum, qui mihi evenit de parte Guimerandi, teneat Genesius, et det in Adscensu Domini nocturnalem de candela S. Genesio. Et in villa quam vocant Balmas, mansum, quem acquisivi de Bernardo, teneat Macfredus Canonicus, et per singulos annos donet S. Genesio candelam valentem denarios duos. ipsos octo dies quos supra sicut scriptum est ducido, ita esse volo, ea tamen ratione, ut Macfredus Episcopus et Canonici S. Genesii simul teneant, ille unam partem vel medietatem, et Canonici aliam : et per singulos annos ad Nativitatem Domini Fratribus Canonicis S. Genesii

C refectionem simul præparent dimidio modio de annona optima, et de vino fl viginti, et una vacca, et porcos tres, cum omni dignitate ad Apparitionem Domini : similiter ad dedicationem de altariis Dominicis : similiter in honore sancti Sepulchri die sabbathi sancti, de annona et de vino : similiter die festo Paschæ de annona et de vino : similiter et porcos tres optimos et multones sex, et omnem dignitatem die Ascensionis Domini : similiter in Die Pentecostes : similiter in Idus Maii in dedicatione sancti Sepulchri : similiter pridie Nonas Octobris in dedicatione S. Genesii, refectionem abundantem cunctis Canonicis subministrent Pridie Nonas Februarii, quando ego Fulcrannus Cathedram Pontificalem suscepi valentes plus perfecta refectione suprascripta. Ipsa vero die qua me Dominus de hoc seculo migrare

*jubet agi anniversarium suæ consecrationis et mortis :*

jusserit, Missas et omne Divinum officium et refectionem abundanter. Ipse vero Macfredus Episcopus, nec ullus Comes, nec ulla Potestas, non habeant licentiam donare vel consentire ad fevum, nec ad alodem ad nullum hominem, nec ad ullam fœminam, ipsos alodes suprascriptos, nisi ad ipsos Deos servientes, qui in ipsa ecclesia in Dei servitio desudaverunt. Post obitum vero Macfredi Episcopi in communia Canonicorum S. Genesii permaneat ea ratione ut sint per singulos annos pro me factæ caritates suprascriptæ, unaquæque in supra taxato tempore. Et si ullus homo aut ullus Episcopus regimen Ecclesiæ S. Genesii tenens, disrumpere aut diminuere voluerit istas caritates suprascriptas, Christo Filio Dei reddat rationem in die judicii. D

*vetat hæc legata alienari*

7 In Comitatu Ruthenico mansum de Piro Bertrando dono S. Petro Juncellensi : et in alio loco, in villa quam vocant Cumba-rotunda, mansum unum in alio vero loco villam quam vocant Mala fossa, et in villa quam vocant Amavenses, mansos duos, et in villa Gaucignago mansos tres, qui advenerunt mihi de parte Aleberii : et in villa quam vocant Ripa mansum, quem comparavi de Stephano Abbate : ecclesiam S. Stephani in villa Diano, dono S. Petro : E et in villa quam vocant Rogatis mansum, qui advenit mihi de Clodomere Comite : istas partes suprascriptas dono S. Petro Juncellensi, in tali convenientia, ut quandiu Stephanus Abbas vixerit, usum et fructum habeat, et sine adjuramento de nullo homine teneat et possideat, et per singulos annos in Quadragesima pro remedio animæ meæ Officium et Missas celebret, et per solennitates duodecim Apostolorum, duodecim pauperes reficiat, eisque singulos denarios pro remedio animæ meæ. Post obitum vero ejus in communia monachorum S. Petro servientium, sive ullo contradicente remaneat. Et in pago Nemausense, in villa quam vocant Cassanalis, et in villa quam vocant Valle-Luposa, quantum mihi advenit ex concambio Bernardi, et unam partem de castello quod vocant Rocafolio, dono S. Petro Nantensi : et in valle quam vocant Aire, ipsum alodem, qui advenit mihi de ipso Bernardo, si Adalradus convenientiam non voluerit mihi attendere et tenere, dono S. Petro mansum, quem vocant Johanne, cum ipsa silva Margarita teneat * Dornandus in vita sua et post obitum suum S. Genesio remaneat. Vineas quas Aldegerius et Focedisclus laxaverunt mihi, dono Gontardo in tali ratione, ut ad Purificationem S. Mariæ det fratribus Canonicis duos sextarios de provento per singulos annos, et post obitum suum S. Genesio remaneat. F

*aliis Ecclesiis varia donat.*

* *al.* Dorcrandus

8 Istas res vel istos alodes suprascriptos, sicut superius resonat, ego Fulcrannus Episcopus corroboro et firmo et testibus corroborandum trado. Stephanus Abbas scripsit factum brevem eleemosynarum istum id complectentem, pridie Nonas Februarii, Christo imperante ac Rege sperante. Signum Agelmaro Abbate, sicut Stephano Abbate, et Petro Præposito et Bernardo Archidiacono et Bernardo Canodico et Ansaldo Canonico, et Arenfredo Archidiacono et Andrea Canonico, et Adelguerio Canonico et Macfredo Canonico, et Gerardo Canonico, Alcberio Canonico et Petro Canonico, et Hectore Canonico, et Gontardo Canonico, et Genesio Canonico.

*Testium nomina.*

AD

# ADDENDA AD XIV FEBRUARII.

## DE SS. MODESTINO ET SOCIIS MARTYRIBUS.

NOT. 38. **P***agina* 764. *col.* 1 *A post lin.* 9 *adde :*

*Socii S. Modestini S. Florentinus et Flavianus.* 6 *Socii porro* S. Modestini *Episcopi fuere*, S. Florentinus, Presbyter, *qui et* Florentius, *ac* S. Flavianus Diaconus. *Eorum mentio quidem fit in Hymno sequenti et Translationis historia, sed nomina reticentur. Ea Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ et Marius Vipera in SS. Beneventanorum Catalogo expressere. In MSS. Actis quæ hic omisimus, nonnulla quæ hic de* S. Modestino *narrant, utrique etiam socio tribuuntur, uti illud de mortuo suscitato :* Anastasii primarii civitatis ejus filius cum ad sepeliendum efferretur, a Domino jussum est, ut B. Modestinus una cum Florentino Presbytero et Flaviano Diacono illius sociis eum resuscitarent. Convocatis itaque patre ceterisque consanguineis, dixerunt : Anastasi in Dominum Jesum de Spiritu sancto ex Maria Virgine natum si credis, tuum ad præsens mortuum filium, vivum restituemus. *Cum eo mortuum suscitant* Quorum verba cum et ille et populus mirarentur valde, respondit Anastasius : Si per vos mortuus filius meus reviviscat, et id si videro, ego cum B omni familia mea credam. Cui Sancti : Non per nos, sed per Christum quem colimus, reviviscet filius tuus. Quibus dictis, deposito feretro, et mortui corpore soluto, ut præceperant Beati, flexis genibus oraverunt. Qua oratione peracta, se Modestinus erigens, clara et intelligibili voce dixit : Tibi dico, puer, Surge. Quibus prolatis verbis, (mirum quidem) illico surrexit puer qui mortuus erat, *etc.*

*Christum confitentur :* 7 *Ac paulo post :* Tunc Imperator Modestinum et socios ante suum tribunal adduci jussit, illis dicens: *Quem confitemini et adoratis? Cui intrepide Modestinus respondit : Quem nos credamus et adoremus et confiteamur, præter Christum humani generis Salvatorem? Tunc illius maxillas contundi jussit, et dixit : Diis sacrificandum vobis est. Cui Sancti : Nos sacrificamus et hostias laudis offerimus ei, qui totum* illuminat orbem terrarum. *Ac post multa, in ollam ferventi olea, cera, plumbo plenam ac bullientem injecti narrantur.* Verum *e tormentis erepti* illico olla deferbuisse, ac si flammam haud unquam sensisset : *atque* illæsi ex ea egressi *Sancti : ac demum ab Angelo in Campaniam perducti.* Abellinensis civitatis fines attigerunt, et in loco quod Prætorium di- *simul moriuntur* citur, consederunt, ubi quiescentes, non multum post temporis, ultimum suæ vitæ spiritum efflaverunt sexto decimo Kalen. Martii : ubi Deo dante ipsorum merita in præsentem usque diem apparent C amplissima.

8 *Quamquam vero Acta illa minime hic integra edenda censuerimus; epitomen tamen eorum quæ in Ferrario extat, dare visum : quam vix pauculis verbis variatis habet etiam Marius Vipera.*

## EPITOME ACTORUM

### SS. MODESTINI ET SOCIORUM

### ex Catalogo SS. Italiæ Phil. Ferrarii.

*S. Modestinus miraculis multos convertit :* **M**odestinus Episcopus, cum Diocletiano Imp. persecutio in Christianos apud Antiochiam vigeret, in monte annos VII fugiens mansit, plura ibi operatus mirabilia : donec Divino admonitu Antiochiam descendit, multis in via possessis a dæmone curatis, ad fidemque Christi conversis. Quapropter ad Imperatorem perductus, deque religione interrogatus, se Christi servum libere professus est. Jussus autem diis sacrificare, se vero Deo et vivo, qui cuncta creavit, non lapidibus, sacrificare respondit. Quo responso ira accensus Imperator, Modestinum in cœlum aspicientem, Christoque gratias agentem, plumbatis cædi jubet. *Christum confessus plumbatis cæditur :*

2 Cumque Diocletianus multa illi pollicitus, ut juventuti suæ consulens, deos coleret, illum hortaretur; *Imperatoris munera spernens,* Modestinus subridens, se non auro, non argento, nec alio præmio, neque quovis supplicio a Christo separatum iri respondit. Qua de re magis iratus Imperator, illum extendi ac durissime cædi imperat. Cumque nulla læsionis signa in eo viderentur, idque Imperator maleficiis tribueret; Modestinus ait ; Hæc, Imperator, non maleficia, sed beneficia sunt Christi. *variis tormentis atrociter cruciatur,* Tunc illum Imperator ungulis ferreis dilaniari, plumboque, pice, sulphure, resina, aliisque rebus ferventibus perfundi jubet. Ex quibus cum nihil læderetur, populusque commotus Deum Christianorum verum conclamaret; *nec læditur :* E ingens terræ motus, tonitruis, fulguribusque subsequentibus, fit, ita ut Imperator perterritus fugeret. Modestinumque in carcerem, ferreis vinculis constrictum, recludi imperaret. *ab Angelo e custodia educitur in Italiam :* Unde ab Angelo eductus, vinculis omnibus resolutis, in Italiam venit circa Campaniæ littora : ubi multos ægrotos curavit, et defunctum, qui ad sepulturam deferebatur, vitæ restituit, multis eo miraculo ad Christum perductis.

3 Erant autem cum illo Florentinus, seu Florentius, Presbyter et Flavianus Diaconus. His Maximiano Imperatori delatis, Modestinum cum sociis ad se adductum, ut deos colerent, hortatur. Sed orante Modestino, statua, quam adorare jubebatur concidit, *multos ibidem miraculis convertit :* et ex ea egressus draco, multis interfectis, metum omnibus afferebat. Quo ad Modestini præceptum disparente, plurimi fidem suscepere, gladio mox jussu Imperatoris animadversi. Tunc Imperator Modestinum tunica ærea candenti indui jubet, inquiens : Nunc videbimus, an Deus tuus te eripere possit. Cum autem illa frigefacta statim nullam sensisset læsionem; in ollam oleo, pice, sulphure, plumboque fervente immittitur : ac cum etiam illæsus exisset, cum sociis carceri denuo excruciandus includitur. *iterum dire torquetur.* F

4 Unde ab Angelo nocte educti, apud Abellinum in locum, qui Prætorium dicebatur, veniunt, ibique non multo post XVI Kal. Mart. obdormierunt. Quorum corpora ab Episcopo Abellinensi, Guilielmo II regnante, Abellinum translata sunt, multis miraculis perpetratis. *cum sociis moritur 14 Febr.*

## DE S. THEODOSIO EP. VASION.

**P***agina* 783 *col.* 2. 5 *post* adscripsimus, *adde : Postea prodiit Gallia Christiana Sammarthanorum, qui in Catalogo* Vasionensium *Episcoporum ista habent :* 7 S. Theodosius. Legenda et Officium S. Quinidii et Kalendarium MS. Ejus natalitia celebrant VIII Cal. Novemb. *Quo tamen die hactenus in nullo Martyrolog. ejus nomen reperimus.* NOT. 39

# ADDENDA AD XV FEBRUARII.

NOT. 40. **P**agina 805 *col.* 2 *F ante* S. Cœlestini Papæ v. *pone:* S. Aurelianus, S. Martialis discipulus, Episcopus Lemovicensis, *ad hunc diem Ferrarii generali catalogo Sanctorum inscriptus est. Et vero celebratur hoc die, officio duplici, in Ecclesia Lemovicensi, ejus* Revelatio, *quæ contigit anno* MCCCXV. *ut ex illius Ecclesiæ Breviario patet. Sed præcipua ejus solennitas, ritu item duplici, agitur* VIII Maii.

NOT. 41. *Expunge ergo* 2 *lineas quæ pag.* 806 *in fine syllabi Prætermissorum de eo habentur.*

Pag. 828 post *S. Faustinam* hæc repone, quæ antea typothetis exciderant

NOT 42

J. B.

# DE S. MAJORE

## MILITE MAURO MARTYRE GAZÆ IN PALÆSTINA.

SUB DIOCLET. XV FEBR.

**S**ancti Majoris *Martyris primus Latinis Fastis nomen inscripsisse videtur Galesinius, ac post eum Ferrarius. De eo ad hunc diem Mænea Græcorum* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος μάρτυς Μαίωρ αἰκιζόμενος τελειοῦται. Eodem die Sanctus Martyr Major verberibus confectus emoritur. *Dein certamen ejus ita describunt:* Hic Imperatoribus Diocletiano et Maximiano militabat in Maurorum coborte. In Gazæorum autem urbe apud Præfectos accusatus, atque interrogatus, se Christianum professus est. Quare

S. Major miles

B

Gazæ immaniter et diu cæsus

immaniter est cæsus, totumque illi dilaceratum corpus, militibus XXXVI vicissim sibi ad infligendas ei plagas succedentibus. Manabat ubertim terramque purpurabat cruor, ac mox pulvere mistus ex corruptione in saniem quodammodo concretus resolvebatur. Cumque septem diebus eos cruciatus doloresque generose tolerasset, morte agonem consummavit, ab humana militia ad cœlestes Dei exercitus translatus. *Variat nonnihil in Mencæorum interpretatione Galesinius, ita postrema efferens:* Quibus cruciamentis ita graviter Dei Martyr affectus, ut in eo hominis imaginem vix agnosceres, semivivus iterum in carcerem detruditur. Unde septem post diebus rursus eductus, aliis etiam suppliciis fœde excruciatus, denium cum a proposito dimoveri non posset, securi percussus, palmam martyrii tulit. *Quod* Maurum *audis, sive* στρατευόμενον ὑπὸ τὸ τάγμα τῶν Μαύρων, *memento postea in eadem Palestina* Equites Mauros Illyricianos *fuisse Æliæ, sive Hierosolymis, ut habetur in Notitia Imperii Orient. Sub eodem Maximiano in Germania* II *prope Coloniam Agrippinam coronatus est Martyrio* S. Gregorius cum CCCLX militi- E bus Mauris, *qui die* XV *Octobris coluntur.*

martyrium consummat 15 Febr.

### DE S. QUINIDIO EP. VASION.

NOT 43. **P***ag.* 830 *col.* 1 *in fine, adde: At Summarthani tom.* 3 *Galliæ Christianæ pag.* 1135 *successisse* S. Quinidio S. Barthum, *sive* Barsium, *scribunt, citantque* MS. Breviarium et ordinem Officii. *Ipsum vero* Quinidium *in bulla quadam Paschalis* II *vocari* Clinidium *aiunt: atque* in Divorum numerum relatum ab Innocentio III Summo Pontifice. *Sedit Innocentius III ab* VIII *Januarii* MCXCVIII *ad* XVIII *Julii* MCCXVI.

ANIMADVERSIONES

# ANIMADVERSIONES EXTEMPORALES

DANIELIS PAPEBROCHII, HAGIOGRAPHI,

## NUNC PRIMUM EX MSS. EDITÆ.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI VII FEBRUARII.

ANIMADV. 1. *Pag.* 5. *col.* 1. Initio proponitur dubium, quod vide an solutionem habeat ex dictis in Martio ad S. Cyrillum Hierosolymitarum Epiphanii chronotaxis expenditur.

ANIMADV. 2. *Pag.* 11. De B. Chrysolio, quod fuerit ex *Armenia* Vereor, ne pro *Arvernia* positum sit Archiepiscopi titulus de falsitate suspectus est, uti et vertilis abserssi deportatio ad locum sepulturæ, ex eo quod uti S. Piatus ac cæteri martyres Galli rescissam partem pinguntur habere in manibus. Secunda vita omnino superflua est, et solum modice ex priori aucta a viro qualicumque id factum.

ANIMADV. 3. *Pag.* 12. *litt. De Canolam* omnino puto esse cantharum parvum poculum, a *kan*, poculum, et significare ampullam ad usus sacrificii usurpatam, quæ *cannulæ* formam habere solebat. Immo erat tubus argenteus, ferri particulus de catena S. Petri continens.

ANIMADV. 4. *Pag.* 18. SS. Nicomediensium ter mille Acta Græca exstant in musæo.

ANIMADV. 5. *Pag.* 20. Sufficerent omnino quæ de S. Maximo habet Beda cum cætera in Januario edita jam semel sint, et nihil novæ substantiæ habeant.

ANIMADV. 6. *Pag.* 22. Liber de Pontificibus a Damasso missus Hieronymo huic, male adscribitur. Cf. tractatus Præliminaris ad I Tomum Aprilis.

ANIMADV. 7. *Pag.* 23, *col.* 1, *lin.* 57. Deleantur verba : *Neque nos aliud nacti MS. exemplar sumus. Videri tamen posset.*

ANIMADV. 8. *Pag.* 26. *n.* 31. *lin. Antepenult.* Dele Episcopus Antiochenus ; et de ætate vide accuratiora in Aprili ; ubi distincti sunt Anastasii duo, ambo scriptores.

ANIMADV. 9. *Pag.* 26. *n.* 31. Corrigendæ ultimæ lineæ de Anastasio Senaitæ.

ANIMADV. 10. *Pag.* 28. S. Theodori Acta Græca, forte primigenia, ex MS. Florentino allata sunt in Musæo ; item antiquior versio eorum, quæ edita sunt, ex MS. Bodecensi. Nova a Sirleto facta est. Extant et alia prolixiora græca in Vallicellensi. B. 14. f. q. Ejus costa servatur Cæsenæ.

ANIMADV. 11 *Pag.* 30. Vide an operæ pretium sit, retinere secundam Vitam ; item an draco cæsus non sit symbolica narratio ad indicandam Idololatriæ destructionem. Talia non puto, scripsisse Passionis Sancti scribam, sed sub ejus nomine acta conficta ex narrationibus popularibus. Vide diem 23 Martii, ubi de S. Gregorio.

ANIMADV. 12. *Pag.* 31. *Annot. b.* Non placet correctio, quia καθηγητής revera bonum verbum eo loco est significans auctorem, magistrum, etc.

ANIMADV. 13. *Pag.* 38. S. Parthenii Acta Græca, quorum solum principium ad nos scriptum est, innotuerunt : reliqua petenda, si opus. Alia exstant in MS. Vallicoll. B. 14. f. 2.

ANIMADV. 14. *Pag.* 42. *n.* 28. Notandum esset aliquid de duplici calculo Romanorum et Asiaticorum.

ANIMADV. 15. *Pag.* 48. S. Moysim Alfordus ridicule, adscribit Britanniæ ut alicubi monui.

ANIMADV. 16. *Pag.* 48. B. Julianæ de Banchis Vita exstat in Chronico S. Stephani Bononiensis coll. num. XXIX.

ANIMADV. 17. *Pag.* 49. *n.* 4. Addo, quod tempore Cœlestini I aut II non fuerit usus dandarum locis piis aut ad altaria indulgentiarum.

ANIMADV. 18. *Pag.* 51. *n.* 17. Ex *nobili Banciorum familia.* Omitte hæc verba, aut si opus refuta eos, qui hoc finxere. *Banciorum* nomen a *Bank* illo ævo ignotum erat.

ANIMADV. 19. *Pag.* 53. S. Tresani Vita duplex diversa est non nihil ab edita. Oportebit facere novam versionem, quia hæc obscurissima est et confusissima.

ANIMADV. 20. *Pag.* 57. De S. Laurentio Sipontino, si lacunæ primæ Vitæ possint suppleri ex secunda per uncinos, id fiat potius, quam geminetur ; aut ponatur sola secunda cum utraque non sit magni momenti. De ejus brachio vide Ughellium.

ANIMADV. 21. *Pag.* 63. *n.* 2. De S. Fidele omittenda auctoritas Pseudodextri.

ANIMADV. 22. *Pag.* 72. Paragraphus III magna ex parte nititur fictis diplomatibus, ut ostenditur ante tomum II Aprilis ; et talis etiam videtur esse charta Baldredi Regis. Pro tot epitomis Vitæ S. Richardi possit unum aut nullum poni et commentarius uno paragrapho contrahi ex compendio vitæ, Epithaphio, etc.

ANIMADV. 23. *Pag.* 83. S. Luciæ junioris acta græca possent haberi integra ex MS. Wallicellensi B. 14 f. 14. Habentur excusa apud Combesis Tom. II auctarii 970 collectionis.

ANIMADV. 24. *Pag.* 102. De S. Romualdo Varia excerpta ex Aug. Fatanio consulenda ; item de ætate ejus scriptæ utrimque epistolæ, quibus nostra sententia plenius stabilitur.

ANIMADV. 25. *Pag.* 104, *n.* 11. Fidentius rejiciendum figmentum de Magdalo ; Malduli nomen diminativum est Grimaldi aut alius similis.

ANIMADV. 26. *Pag.* 116, *n.* 52 *l.* 5. *Monarchiæ* lit. *a* mallem correctionem *Marchiæ*.

ANIMADV. 27 *Pag.* 122. *n.* 91 *lit. a.* Est *reges* dolium ; ita explicatum fuit in Martio et patet ex sequentibus, (et late demonstratum a Cangio in Glossario.)

ANIMADV. 28. *Pag.* 122 *l. b et qui tunc quasi circulum vasis abstrahere*, etc. Mutanda ergo annotatio et delenda inepta conjectura de *tegete*.

ANIMADV. 29. *Pag.* 125 Secundam vitam S. Romualdi recudere non erit operæ pretium, quandoquidem, qua parte historica est, sumpta sit ex prima ; qua parte adhortatoria non magni momenti.

ANIMADV. 30. *Pag.* 142. Pro processu et miraculis citatis pag. 141. Scriptum Venetias ad Priorem S. Matthiæ Muranensem, mense Martio anno 1671. Item Camaldulum pro scripto Justiniani de translatione Brachii, citata pag 144 n. 7. (Edita fuerunt in Appendice tomi VII Annalium Camaldulensium.)

## IN ACTA SANCTORUM DIEI VIII FEBRUARII.

ANIMADV. 31. *Pag.* 149. Inter omissos ponenda Marina ex Surio.

ANIMADV. 32. *Pag.* 150. De S. Barsanuphio dicta ad 11 Aprilis rectius ad hunc diem referrentur, quia Baronius mero arbitrio diem ei in Aprili constituit.

ANIMADV. 33. *Pag.* 157. Acta SS. Æmiliani et sociorum ex Jacobillo

Jacobillo fere videntur accepta ex fabulosissimis actis S. Gregorii, confusi cum S. Gregorio, Spoletino Mart.

ANIMADV. 34. *Pag.* 159. Epitaphium S. Communis Mart. et si qua de eo alia petii per P. Herculem Mattioli Senis concionantem 1671 in Martio; sed frustra.

ANIMADV. 35. *Pag.* 160, *n.* 3. Notandum Card. Baronium linguæ græcæ prorsus ignarum fuisse.

ANIMADV. 36. *Pag.* 162, *n.* 9. Non placet divinatio et correctio Goaris. Quidni enim ἀγκύλαι dicantur, etiam poplites seu nervi poplitum, per quos fit curvatio? (Cfr. Lexicum Scapulæ, edit. Oxon. anni 1820, ubi ostenditur hac voce poplites reapse designari.)

ANIMADV. 37. *Pag.* 168. Annot. *K* de S. Eusebio, nihil nos de eo in Martio ad 23.

ANIMADV. 38. *Pag.* 174. De S. Paulo episcopo Virdunensi vide chronicon Virdunense vita MS. accuratior missa dein ad nos fuit Casimiro.

ANIMADV. 39. *Pag.* 176. Citatum hic tractatum Berthari de episcopis Virdunensibus descripsimus Luxemburgi.

*Pag.* 179, *n.* 10. *Herntcu*: quid si *Hertry*, cervi insula? ANIMADV. 40.

*Pag.* 187, *n.* 8. Conjectura est an ante annum 1173 scripta sit Vita S. Mengoldi. Sed in hac, num. 26, fit mentio S. Magdalenæ in Provinciam cum Maximino appulsæ: an hæc historia tunc nota? Non existimo. Vereor, ne multo recentior vita sit. ANIMADV. 41.

Vita S. Stephani Grandimontensis, Gallice a Fremono edita, citatur pag. 203, n. 21 in fine, et ex ea strictim multa proponuntur: an non expediret plenius antiquæ Vitæ supplementum, ex eadem desumptum, sicut fecimus in S. Catharina Bononiensi in Martio?

*Pag.* 189, *n.* 25. Citantur tabulæ. S. Inæ, quas fabulosas esse arguimus ante tomum II Aprilis. Ergo hæc corrige et muta: non deerunt exempla magis solida. ANIMADV. 42.

*Pag.* 202. S. Stephani Grandimontensis Vitæ eo MS. Bodecensi omissa est mentio. Exstat etiam tomo II Bibliothecæ Labbei. ANIMADV. 43.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI IX FEBRUARII.

ANIMADV. 44. *Pag.* 276. B. Nicolai de Finis Augustomano Vita extat apud Corn. Dielman in Norma Vitæ monasticæ p. 169.

ANIMADV. 45. *Pag.* 276. De B. Bernardino Ceunio monumenta accepta.

ANIMADV. 46. *Pag.* 277. B. Paulus inter Vincentinos refertur hoc die parte II Barbarani.

ANIMADV. 47. *Pag.* 277. S. Conradus Eremita colitur ut patronus Molficti in Calabria diversus a Netino. Promissa de eo ea mitti documenta responsum anno 1668, curarent Aprili inserenda. Missa Vita, ab Antonio Damiano italice conscripta, et anno 1670 edita Neapoli. (Hactenus de eo in Actis dictum non est.)

ANIMADV. 48. *Pag.* 279. *Col.* 2. *Lin.* 56. Ejus non meminerat. Adde nisi ad calcem libri.

ANIMADV. 49. *Pag.* 282 *n.* 46. Non est oratio, sed antiphona rythmica ante orationem; quam non negabimus, in usu fuisse, ad vesperas vel alias in commemoratione facienda.

ANIMADV. 50. *Pag* 283. S. Nicephori M. Acta Græce exstant.

ANIMADV. 51. *Pag.* 283. S. Nicephori Mart. Acta diversa ab editis pag. 21, sunt in Vallicellensi bibliotheca B. 19. f. 41. Instituenda collatio, antequam fiat supplementum.

ANIMADV. 52. *Pag.* 304. *n.* 7. Privilegia, citata ab Usserio omnino videntur supposititia.

ANIMADV. 53. *Pag.* 310. De S. Sabino Episcopo Canusino, vide Ughellum.

*Pag.* 329. Vita metrica S. Sabini Canusini omittenda. ANIMADV. 54.

*Pag.* 333. *Col.* 1. *Lin.* 58. *Quamquam auctor vitæ S. Hyppolisti* lege: *Quamquam auctor appendiculæ ad vitam S. Hypolisti.* ANIMADV. 55.

*Pag.* 333. *N.* 9. Ex forma characterum Longobardicorum non recte infertur ante annos minimum 700 facta esse epitaphia, cum hæ litteræ etiam diu post in usu fuerint. ANIMADV. 56.

*Pag.* 339. S. Cronanus ex Florario melius referetur inter prætermissos, nam, quod ibi ponitur ex Vita S. Columbæ, potest quadrare in eum, cujus Vita datur 28 Aprilis. ANIMADV. 57.

*Pag.* 343. *Col.* 1. *Inter ac Parisios.* Lege: *inter ac Marr.* ANIMADV. 58.

*Pag.* 359. *n.* 7. Scoti promiscue dicendi tam, qui veterem, quam qui hodiernam Scotiam incolebant, etsi Scotia sola dicatur Hibernia: quare jus utrisque in Altonem; cujus tamen nomen magis videtur Saxonicum. ANIMADV. 59.

*Pag.* 366. *n.* 4. Locus fabulosus de fide copiose prædicata Hibernis ante S. Patricium; melius omitteretur totum primum caput. ANIMADV. 60.

*Pag.* 373. S. Rainaldi, episcopi Nucerini in Umbria Vita et miracula Italice *manuscripta postmodum accepimus;* et alteram latinam ex codice Vaticano antiquo. ANIMADV. 61.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI X FEBRUARII.

ANIMADV. 62. *Pag.* 381. De S. Charalampii cultu contra pestem Fornaci editus est libellus Gallicus.

ANIMADV. 63. *Pag.* 382. *n.* 7 *lin.* 5. Dele hæc verba in regione secunda, sive, Circa Menologium Sirleti nota non esse ex Græco redditum, et nomen natalis apud Græcos non dici, quare non subreptio excusari, sed ignorantia accusari deberet.

ANIMADV. 64. *Pag.* 382. S. Charalampii Acta valde misera sunt et multam sapiunt fabulam. Alia postea nacti sumus græce, paulo meliora.

ANIMADV. 65. *Pag.* 384. Dicendum erat de B. Pagano: quippe qui cultu ecclesiastico honoretur.

ANIMADV. 66. *Pag.* 385. B. Ludovicus Fulginas cultum habere videtur, ut ex Jacobillo aliisque colligi potest; adeoque non in prætermissis ponendus, sed commentario illustrandus.

ANIMADV. 67. *Pag.* 389, *n.* 18. Citatur marmorea tabula ex Baronio ut antiqua, sed recentior multo esse probatur ex Verbo indulgentiæ. Vide ad diem 8 Aprilis de B. Alberto; ubi de hujus vocis usu.

*Pag.* 392. S. Silvani Terracinensis translatio tardius ad nos devenit. ANIMADV. 68.

*Pag.* 394. Non merebatur libellus famosus Lypæi, ut per Bollandi refutationem clararesceret; itaque omittenda refutatio; vel res tractanda, quasi Lypæus non scripsisset. Expendenda etiam, quæ Angelus de Nuce postea attulit. ANIMADV. 69. Translatio reliquiarum S. Scholasticæ ex MS. S. Victoris venerunt in manus nostras post impressum Februarium. De reliquiis S. Scholasticæ, Cenomannis et Treviris servatis, vide notatu dignissimo in opere Courvaisier de episcopis Cenomannensibus.

*Pag.* 412, *n.* 33. Propter B. Theodicam scripsi Dresdam ad Henricum Juliani Baronem de Blum, legatum Cæsaris apud Electorem Saxoniæ, ut per amicos Lipsienses conetur aliquid indagare circa cultum ANIMADV. 70.

cultum et vitam illius Beatæ an scilicet memoria per hæresis fata non omnino extincta sit, scripsi 16 Julii 1671. Nil hactenus rescivi.

ANIMADV. 71 *Pag.* 414, *col.* 2, *lin.* 28. *Hujus... Scripti mentio fit in Vesuntino Breviario lect.* 3 *adde habemus nunc Ecgraphum.*

ANIMADV. 72. *Pag.* 420. S. Austreberatæ Vita genuina adhuc desideratur, data est ex Surio, quamvis hic stylum mutarit, quia etiam sic melior, quam quæ passim in MS.

ANIMADV. 73. *Pag.* 436, *col.* 1, *lin.* 13. *Cujus Ebolus trituvus habetur. Est autem illi circa annum Chr.* 935. *Lege cujus Ebulus tritavus habetur, mediantibus duobus Guilielmis* II *et* III. *Est enim Ebolo circa annum Christi* DCCCCXXXV.

ANIMADV. 74. *Pag.* 446, *n.* 53, lineas ultimas sic lege : *Ex actis tamen S. Guilielmi Roschildensis in Dania Abbatis, qui, antea Canonicus Regularis S. Genovefæ Parisiis, jussus est, Senonas pro innocentiæ suæ defensione ire, aliqua videntur huc tributa Guilielmo, eaque exaggerata* Notabilis est diversitas lectionum in breviariis Romanis, annorum 1490 et 1522, ad confundendos, qui forte vellent contra nos agere, et retegendos Augustinionorum errores.

ANIMADV. 75. *Pag.* 482, *ad num.* 35, in principio notari potest, quomodo in monasterio S. Marthæ nobis die 24 aprilis anni 1662, Mediolani ostensum sit breviarium Augustianum MS.

In membrana in 4° valde nitidum, quod B. Veronicæ de Binasco allatum est ab Angelo, ut inde officium recitare disceret; in quo officium exstat S. Guilielmi, lectiones habens de vita S. Guilielmi Gellonensis.

ANIMADV. 76. *Pag.* 491. S. Paschasii, Abbatis Pulsanensis qui hic intelligitur, Vita exstat; sed opportuno tempore eam nacti non fuimus.

ANIMADV. 77. *Pag.* 500. De B. Arnaldo Cataneo iterum dictum est ad diem 14 martii, quasi Patavio proprius esset. Deleatur ibi ejus memoria, et quæ nova sunt ad diem 10 Februarii transferantur.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI XI FEBRUARII.

ANIMADV. 78. *Pag.* 506 Immerito omissus est S. Neon, episcopus Revennas, qui hac die obiit et cujus Vitam scripsit Agnellus.

ANIMADV. 79 *Pag.* 525, *n.* 6. De capite S. Castrensis vide recognita Sanctuarii Capuani p. 4 et de ecclesia in Marano.

ANIMADV. 80. *Pag.* 532. Alia inventio S. Secundini propter lacimose styli obscuritatem non meretur tota dari, cum nihil habeat, quod melius non legatur in secunda historia. Sufficiet caput in primæ historiæ jungere sub titulo Appendicis ex Guaiferio.

ANIMADV. 81. *Pag.* 536, *n.* 6. Post medium dele de SS. Ephrem et Sophonio, quod scripserint Vitas Mariæ neptis Abrahæ et Mariæ Ægyptiacæ; juxta dicta in Martio et Aprili Euphrosynæ Vita secunda, auctore (ut sensit Allatius) Metraphaste omnino superflua est. Textus Græcus nusquam invenitur. Vita prima Græce exstat in musæo, inscriptum habens tamquam auctorem. Patrem Paphnutium cum titulo Sancti; posset inde peti.

ANIMADV. 82. *Pag.* 537. Quod dicitur col. 1, in fine. Rosinæ nomen ab Euphrosina in Germania frequentari, nugæ sunt: obstat quantitas penultimæ, et *Rosina* absolute est diminutivum a *Rosa*.

ANIMADV. 83. *Pag.* 544. S. Severini abbatis Vita Germanica apud Mureruni f. 65. Ea videnda est et ejus facienda mentio.

ANIMADV. 84. *Pag.* 548. S. Severini, abbatis Agaunensis Vita non interpolata exstat in Appendicem ad sæculum 1 Benedictinum p. 568.

ANIMADV. 85. *Pag.* 561, ad num. 51 addi possunt, quæ de anima Theophili opem implorantis habentur in actis SS. Davidis, Amonis et Gregorii reservatis ad 1 Februarii.

ANIMADV. 86. *Pag.* 569. S. Elioharni cultus non probatur; ideo melius omittetur.

ANIMADV. 87. *Pag.* 570. Vita S. Martini, Canonici Legionis, haberi poterit ex libro ipso Tudensis de translatione S. Isidori; quem dabimus ad diem 4 Aprilis.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI XII FEBRUARII.

ANIMADV. 88. *Pag.* 578, *n.* 4. Requirenda Barcinonæ acta translationis S. Eulaliæ, quæ citat Diagus l. Petii anno 1674 et accepi eodem anno, mense Septembri.

ANIMADV. 89. *Pag.* 580. De translatione S. Modesti agit Vipera in Chronologia Episcoporum Beneventanorum, p. 25.

ANIMADV. 90. *Pag.* 605. S. Constantii, Brixiensis Confessoris, Vita Italica ex MS. simul cum officio aliisque documentis exstat in Musæo.

ANIMADV. 91. *Pag.* 616, *col.* 1 *lin.* 45. Hic multa desunt legenda Apud Mabilionem seculi 4 parte 1, ubi et festum sancti notat XI Februarii.

ANIMADV. 92. *Pag.* 616. In ann. C diploma, cui plures quam trecenti episcopi subscripserunt, debet omnino censeri supposititium.

ANIMADV. 93. *Pag.* 623. S. Antonii patriarchæ CP. Vita per Nicephorum Gregoram exstat. Exstat item græca altera, jam latine ex Lipomano edita per Nicephorum Philosophum. Versio hæc intricata et obscura deberet renovari. Vide errorem ad diem sequentem.

ANIMADV. 95. *Pag.* 639, *col.* 1 *lin.* 10. Pro ipsa putem legendum *Alsam* vel *Elsam*.

ANIMADV. 96. *Pag.* 641. Adde de festo inventionis S. Alexii ex Kalendario Moscoviensi ad diem 20 Maii.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI XIII FEBRUARII.

ANIMADV. 97. *Pag.* 643. B. Eustochiæ Patavinæ cultus certus est et plures exstant vitæ. Clemens XIII concessit ut quotannis officio liturgico ejus natalis celebraretur.

ANIMADV. 98. *Pag.* 645. De S. Policeto, Caravis Diacono et martyre; præstat totum omittere quia omnia sunt ex fide famasi; et Athanasius Cæsar Augustanus vero similiter confictus est.

ANIMADV. 99. *Pag.* 648. Fascæ et Mauræ Acta secunda sunt omnino superflua præter num. 8; quæ hic leguntur addi prioribus actis in notis.

ANIMADV. 100. *Pag.* 651. S. Polyeucti martyris Acta Græca alia requirenda ex Vallicensi; B. 17 f 56; et alia ex Vat. 1638 f. 161.

ANIMADV. 101. *Pag.* 657. S. Benigni lectiones quærendæ Tuderti.

ANIMADV. 102 *Pag.* 666 S. Martiniani Erem. acta Græca repetenda ex Vallicellensi. B. 14 f. 56; quæ et in Vatic. 800.

ANIMADV. 103. *Pag.* 673. De apibus in Hibernia vide dicta in commentario de S. Patricio ad diem 17 Martii.

ANIMADV. 104. *Pag.* 675, *n.* 11 Fidentius rejicienda sunt figmenta Maximi.

ANIMADV. 105. *Pag.* 690, *n.* 18. Privilegium Wulfheri suspectum, ob annum incarnationis, etc.

ANIMADV. 106. *Pag.* 691. *n.* 21. Vita exstat in Bibliotheca Cottoniensi et in duabus aliis. (Vide Tanneri Bibliothecam v. *Gotzelinus*, et Duffus Hardy Catalogum descriptivum, tom. 1, pag. 368.

ANIMADV. 107. *Pag.* 697, *n.* 35, litteræ Gregorii papæ ad S. Bonifacium merito suspectæ ob clausulas; item. n. 39. (Abjecit postea ipse Papebrochius systema saltem diplomaticum.)

ANIMADV. 108. *Pag.* 706 De SS. Haymone et Veremundo commentarium habemus P. Manderscheidt et præterea librum Italicum.

*Pag.* 711. S. Fulcranni Vita Gallica per Bosquet ANIMADV. 109.
serius allata est Parisiis.

*Pag.* 714 ad litt. *c.* Nihil ista ad rem, componun- ANIMADV. 110.
tur hic *hæretici* et *ruptarii;* qui sunt coloni seu terræ *ruptores*, seditiosi omniaque vastantes. (c. Congius. v. Rumpere.)

## IN ACTA SANCTORUM DIEI XIV FEBRUARII.

ANIMADV. 111. *Pag.* 743. De Valentino episcopo et martyre Bagensi in Hispania aut omittenda aut mutanda omnia.

ANIMADV. 112. *Pag.* 744 De S. Vitale Spoletino plura alia deinceps in Musæum devenerunt.

ANIMADV. 113. *Pag.* 765. Passio SS. Modestini et Sociorum et alius hymnus alibi edita sunt; (et recentiores etiam exstant Vitæ.)

ANIMADV. 114. *Pag.* 765 *col.* 2 *lin.* 55. *historia translationis* etc. etc. *de aliis translationibus vide Ughellum* tom. 1 et 2 in appendice. sed ubi?

ANIMADV. 115. *Pag.* 771 S. Auxentii Vita per Michaelem Psellem indicata est a Leone Allatio in Diatribo de Simeonum scriptis, *quærenda.* Ἀρχὴ μὲν ἡμῖν. Acta ejusdem Græca require die priori cum actis S. Martiniani.

ANIMADV. 116. *Pag.* 794 S. Antonini, Abbatis Surentini, miracula vide apud Viperam in Chronologia episcoporum Beneventanorum. c. Ughellus. Exstant insuper S. Antonini Abbatis Vita et miracula. Italice MSS. usque ad annum 1644.

*Pag.* 797 De Apostolatu et Martyrio S. Brunonis ANIMADV. 117.
plures scripserunt postmodum.

*Pag.* 798. *lin* 52 *Idibus octobris obiisse* adde : *In* ANIMADV. 118.
*MS. Chronico Saxonico dicitur obiisse Martyr* XII *idus Martii.* — Unde plura in Chronico Adamari apud Labbæum Bibl : MSS. tom 2. pag 168.

*Pag.* 799. Videntur omittendi versus ex Herrera, ANIMADV. 119.
quippe qui nihil dignum continent. Pro Vita MS. auctore Coriolano, quam petii, accepi anno 1675 per P. Chrystophorum Grinum Processum formatum ad instantiam Calvisanorum.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI XV FEBRUARII.

ANIMADV. 120. *Pag.* 806. S. Potamiena seu Potamenia ponenda inter prætermissos ex Martyrologio Romano anno 1583, 1584 et 1586. Agitur de ea absque nomine in historia Lausiaca cap. 1 et in annotatis ad Romanum Martyrologium, ad 28 Junij.

ANIMADV. 121. *Pag.* 805 S. Dagobertus, episcopus Bituricensis; videtur olim cultus fuisse.

ANIMADV. 122. *Pag.* 806, *col.* 1, *lin.* 52. In margine *An. Chr.* CXX. *Vide : Acta S. Afræ et potius adscribendus an.* CXXXIII.

ANIMADV. 123. *Pag.* 809, *n.* 13. De Naimo vide Propylaeum tom. II Aprilis, parte 3, ubi de Brixiensi Martyrologio.

*Pag.* 809. SS. Faustini et Jovitæ arcæ apertio ANIMADV. 124.
1620 et 1623, Italice scripta, simul cum translatione reliquiarum exstat in Musæo. Faynus duo paria constituenda esse censet sed hoc indiget majori examine. Vide libellum Italice ea de re excusum. Brixiæ anno 1602.

*Pag.* 823, *n.* 3. Quid si hic idem Joseph sit, qui ANIMADV. 125.
similiter Antiochiæ refertur in Martyrologio Hieronymiano, in Martio; quæ nos ad Josephum, nutritorem Domini deflexímus, num. 13.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI XVI FEBRUARII.

ANIMADV. 126. *Pag.* 853. S. Aldemarii monachi Cassinensis, vita descripta ex MS. Vallicellensi edenda in supplemento.

ANIMADV. 127. *Pag.* 854. Vita Henrici de Flore, descripta ex MS. codice, exstat in Musæo. Inquirendum an habeat nunc cultum aliquem, sin minus dari posset in appendice inter Vitas illustrium.

ANIMADV. 128. *Pag.* 855. S. Onesimi apostoli. Acta græca non quidem habemus; sed dari debebant latina ex Lipomanno.

ANIMADV. 129. *Pag.* 860. De Simeone, episcopo Metensi, vide Spicilegium, tom. III p. 300, 303, 423.

ANIMADV. 130. *Pag.* 866, *n.* 3 in fine. Videtur posse indicari festum id agi occasione translationis aliquarum reliquiarum.

*Ibid.*, *n.* 6. Quin potius hæ Bononienses reliquiæ ANIMADV. 131.
sunt Danielis Patarini.

*Pag.* 878. Secunda Vita S. Julianæ omnino vide- ANIMADV. 132.
tur superflua et neutra magni momenti est.

*Pag.* 884. Translatio ex lectionibus plane super- ANIMADV. 133.
flua est; quippe quæ acceptæ sint verbotenus ex historia.

*Pag.* 885. De S. Juliana, Martyre Veronæ, plura ANIMADV. 134.
addenda ex Augustino Valerio.

*Pag.* 886. S. Faustini, Episcopi Brixiensis, varia ANIMADV. 135.
monumenta collecta extant in Musæo.

INDEX

# INDEX HISTORICUS
# IN VITAS SANCTORUM
## TOMI II FEBRUARII.

*Continet hic Index propria fere nomina hominum, non tamen* Sanctorum *illorum, quorum in hoc tomo memoria aut res gestæ illustrantur: de quibus peculiaris Index confectus sub initium tomi præponitur.*

Nota † *præponitur iis, quibus alibi* Sancti *aut* Beati *titulus tribuitur. Poterat* **S** *aut* **B** *præfigi; sed fors oculo quidpiam pervestiganti litterarum diversarum occursu moram injecisset.*

*Compendiorisus ttasa, laureolæ, temporis, aut locorum notas facile quivis perspiciet, scilicet* R. Rex, Com. Comes, M. Martyr, V. Virgo, Ep. Episcopus, Hisp. Hispanus, 3 sec. seculo *etc. significare, quæ ad majorem perspicuitatem adduntur.*

A


† *Abel Ep. Remen.* 81 *f* 82 *b*
*Abercius Marcellus 2 sec.* 5 *f* 8 *d*
† *Abrahamus eremita* 38 *b d*
*Abranus Hibern. fr. SS. Tresani, Gibriani et Helani* 53 *c* 54 *b*
*Absidius Ep. Brixien.* 810 *b*
† *Abundantia vidua Spoletina* 158 *f*
† *Abundius M. Interamnæ* 755 *c f*
*Abundius filius Præfecti Urbis a S. Valentino conversus* 758 *e*
*Acacius hæret. Patriar. CP.* 160 *e f* 161 *a d*
*Acacius Ep. Cæsareensis, auctor 3 factionis Arianorum* 585 *a b* 586 *d* 591 *c*
*Acacius Ep. Beræensis* 593 *b*
† *Acca Ep. Hagulstaden.* 606 *d*
*Acheron fil. Cerreris* 648 *a c*
† *Achivus Agaunensis* 545 *f*
† *Adalbertus Ep. Pragensis M.* 114 *b* 134 *c d* 135 *c* 797 *b*
*Adalbertus Ab. Heidenheimen.* 69 *f*
*Adalgisus Hibern.* 53 *e*
*Adamus de Montalto Ord. S. Augustini* 799 *f*
*Adda pat. S. Auxibii* 769 *f*
† *Adalardus Ab. Corbeiæ* 271 *e*
*Adelardus R. Occident. Saxon.* 72 *e*
† *Adelbero Dux. Ital. vir. 1000 an.* 117 *c*
*Adelheidis mater Conradi Salici Imp.* 377 *c*
*Adelmannus Ep. Brixien.* 810 *b*
† *Aderitus Ep. Ravennas* 509 *a d* 748 *b*
† *Adjutor Aser in Italia* 524 *a An Benignus dictus* 527 *f* 528 *c*
*Adolphus de Scouvenberg ex Comite Minorita* 855 *e*
*Ægidius de Trasignies* 495 *a*
*Æmiliani illustres apud Venetos* 221 *c d*
*Æmilius pat. S. Honesti Presb.* 861 *e*
*Ænaria insula* 792 *c*
*Ængusius Ep. in Hibernia* 855 *a*
† *Æschyllus Ep. in Suecia* 849 *e* 850 *b*
† *Æthelredus R. Merciorum* 688 *e f* 690 *a b*
*Æthelstanus Ep. Herefordensis* 377 *f*
*Æthelwuldus R. Occident. Saxonum in Anglia convertitur* 687 *f* 688 *a*
† *Afra uxor Italici Com. conversa ad fidem M.* 812 *c* 815 *a*
*Africanus pater S. Julianæ V. M.* 873 *f*
† *Agabus M. an Propheta* 644 645 *a* 897 *a d*
† *Agape et Chionia MM.* 805 *d*
† *Agapetus Papa mittit S. Sabinum Constantinopolim* 316 *b f et ipse missus* 316 *c d e*
*Agapetus Archimand. Dii* 160 *b c*
*Agapitus Rusticus Ep. Camertinus* 142 *b c*
*Agareni pro Saracenis* 84 *b* 85 *d*
*Agelmarus Ab. Lodeven.* 890 *d*
*Agnes Augusta Henrici* III *uxor* 437 *c*
*Agnes uxor S. Leopoldi* 372 *e*
† *Agrippinus Ep. Neapolitan.* 78 *b d*
*Aidanus R. Scotorum fil. Gabrani* 836 *d* 838 *c*
*Aidanus Ep. Angl. 7 sec.* 180 *e f*
† *Aidus fil. Feradachi Hibern.* 574 *c*
† *Aidus Ep. Slepteusis Hibern.* 2 *c*
*Aidus, Diermitius et alii* V *fratres, Epp. in Hibernia* 854 *f*
*Aigradus mon. scriptor Vitæ S. Ansberti Ep. Rotomag.* 344 *c* 348 *c*
† *Aigulfus Ab. Lirinen. M.* 398 *a*
† *Ailbei regula* 673 *e*
*Aio Dux Beneventanus* 319 *b*
*Airardus Ep. Carnoten.* 353 *d e*
*Aircol R. in Wallia 6 sec.* 305 *c e*
*Aistolphus R. Longobard.* 748 *f* 843 *c d*
*Alemundarus R. Saracenorum* 162 *f* 163 *f*
*Alayda* II *filia Guilielmi ultimi Ducis Aquitaniæ nupta Radulpho Comiti Veromanduorum* 442 *f*
*Albericus Arch. Bituricen.* 441 *d*
*Alberici Diac. sermo de S. Scholastica* 393 *d e*
*Albero Ep. Virdunensis* 169 *a* 174 *b c*
† *Albertus Magnus Ordinem Prædicat. ingreditur* 736 *d e*
*Albertus Ep. Brixien. 13 sec.* 809 *d*
*Albertus* I *et* II *Com. Veromanduorum* 719 *a d e*
*Albertus fil. Comitis de Flanchenberch Ord. Prædicat sub B. Jordano* 739 *a b*
*Albertus disc. S. Guilielmi in Stabulo Rodis* 378 *c scriptor Vitæ ejus* 449 465 *f* 467 472 *d*
*Alboinus R. Longobardorum* 163 *c f* 164 *d* 326 *f*
*Albruda fil. Ludovici Transmarini R. Gal.* 452 *c f*
*Albricus Dux 9 sec.* 192 *e f* 193 *a b c d* 194 *d e f*
*Aldequercus Canonicus Lodeven.* 899 *c*
† *Alcuinus Flaccus* 609 *b c*
† *Aldelmus Ep. Schireburn.* 72 *e*
*Alethius Ep. Vasensis* 783 *a*
† *Alexander Firmianus, Primianus, Tellurius MM.* 337 *d e*
*Alexander* IV *Papa 5 Congregationes Eremitarum eidem Generali subjicit* 478 *b c d separat ab iis Guilhelmitas* 479 *a b*
*Alexander Archimand. Dii* 160 *c*
† *Alexandri Ep. Antiochiæ ætas* 390 *e* 391 *d*
† *Alexandria fœmina 4 sec.* 49 *d*
*Alexandria Calaritana an Martyr* 507 *a*
*Alexius Muselus gener Theophili et S. Theodoræ Imper. fit Cæsar, dein monachus* 556 *e f*
† *Aleydis Pœnitens Ord. Cistercien.* 643 *b*
*Alfleda uxor Peadæ R. Middelengl.* 179 *d*


*Alfridus*

*Alfridus R. Northumbr.* 179 *e f* 182 *b* 183 *a* 184 *f*
*Alfurinus R. Northumb.* 179 *f* 182 *a*
*Algrinus a secretis Ludovico* VI *R. Gal.* 440 *c Cancellorius Ludovici* VII 441 *d*
*Alienordis uxor Guilielmi ultimi Ducis Aquitaniæ* 439 *f*
*Alienordis filia ultimi Guilielmi Ducis Aquitaniæ, primum nupta Ludovico* VII *Regi Gall.* 439 440 441 *repudiata nubit Henrico Regi Angliæ* 441 *f*
† *Alipius Cionita* 230 *d*
† *Alphius, Philadelphius, Cyrinus MM.* 358 *d e f*
† *Albertus an Cancellarius Chlotharii* III 248 *e f*
† *Alwred Saxonica* 2 *e*
*Amalaswintha mater Athalarici R. Gothorum* 316 *c d*
† *Amalberga V.* 412 *a*
*Amalbertus conditor Pauliaci monast.* 417 *e f* 419 *f*
*Amalfridus conditor Hunulficurti monast.* 417 *d e*
† *Amandinus Claromonte* 3 *f* 9 *a*
† *Amantii Conf. cultus Lodevæ* 898 *b*
† *Ambrosius Ep. Mediol. laudat S. Julianam viduam* 49 50 *ejus encomium de S. Sotere V. M. consanguinea* 387
† *Ambrosius Ab. Agaunen.* 546 *a*
*Ambrosius Generalis Camaldulensium* 103 *b*
† *Ammones Martyres* 13 *d*
*Ammanius Origenis discip.* 293 *b d*
† *Ampelius Ep. Mediolanen.* 150 *f*
† *Amphilochius Ep. Iconiensis* 595 *d* 598 *b*
*Amphridius Ep. Brixien. transfert corpora SS. Faustini et Jovitæ* 809 *c*
*Amulricus Com. in pago Hainou* 10 *sec.* 189 *f*
*Amulricus Ep. Monasterien.* 642 *f*
*Anacletus Antipapa* 440 *b* 454 *c*
† *Anastasia Abb. in Horreo* 412 *a*
*Anastasia fil. Theophili et S. Theodoræ Imper.* 558 *a*
† *Anastasii Papæ corpus Romæ* 389 *d*
† *Anastasius Sinaita* 26 *d e*
*Anastasius intrusus Patriar. CP. a Leone Isaurico* 377 *e* 701 *c* 705 *f*
*Anastasii Imp. bella cum Cabade R. Persarum* 162 *d e f*
† *Anatolii Martyres* 13 *a d*
*Andoarus Ab. Menati* 617 *a*
† *Andragisina V.* 277 *d* 348 *f* 412 *a*
*Andreas Ab. Montis-viridis in Etruria scriptor Vitæ S. Walfridi Ab.* 342 *f*
*Andreas Generalis Eremitarum S. Augustini de Bretinis* 474 *e*
*Andreas Dandulus Dux Venetiarum* 14 *sec.* 27 *d*
*Andreas Stella scriptor Vitæ Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congr. Somaschæ* 217 *f* 266 *c d e f* 267 *a*
*Angelarius Ep. Canusinus et Bariensis* 301 *d* 323 *d* 324 *c* 331 *b*
*Angelmarus Ab. Lodeven.* 898 *e*
*Angelus Æmilianus Senator Venetus* 221 *e*
*Angelus Marcus Gambarana Generalis Congregationis Somaschæ, an scripserit Vitam S. Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congregationis Somaschæ* 217 *f ejus virtutes et gesta* 253 254
*Angelus Tancredi Ord. Minor.* 643 *a*
*Angilbertus Ep. in Anglia* 178 *c* 181 *c*
*Anianus in Gall. Narbonen.* 9 *sec.* 613 *c*
*Anna Rex Oriental. Anglor.* 686 *f*
*Anna filia Theophili et S. Theodoræ Imper* 558 *a*
*Anno Ep. Mindensis* 805 *b*
*Ansaldus Canon Lodeven.* 890 *d* 898 *e*
*Anselmus Ep. Neapolitan.* 884 *c*
*Anso Ab. Laburn* 82 *b*
*Ansa Ab. familiaris S. Romualdi* 116 *d*
*Ansoaldus Ep. Pictaven.* 353 *d e*
† *Anthilia V. Urbevetert* 806 *d*
*Anthimus Presb. CP. cum S. Auxentio* 771 *e*
*Anthimus hæreticus Episc. CP.* 316 *e*
*Anthusa mater S. Chrysostomi* 893 *e*
† *Antidius Ep. Vesontionen.* 167 *e* 168 *e*
† *Antigii Ep. obitus, corpus Lingonis Brixiam translatum* 809 *f*
*Antiochus Centuria Licinii Imp. conversus* 892 *e un Martyr* 2 *a* 25 *e* 30 *b* 36 *d*
*Antoninus Verus Imper.* 4 *f*
† *Antonii de Padua Translatio* 743 *a* 806 *a*
*Antonius Præfectus monasterii Thebarum* 10 *sec.* 93 *e f* 94 *a b* 97 *a*
*Antonius de Ebulo de Porta Ord. Minor.* 785 *d*
*Antonius Criminalis M. e Societate Jesu* 3 *a*
*Antor Præfectus Gall. sub Diocletiano* 12 *c*
† *Aphraates eremita* 594 *d* 888 *d*
† *Apollinaris Ep. Ravenn.* 508 *e f* 509 *a b c* 718 *c* 749 *a b* 886 *d*
*Apollinaris hæreticus* 774 *f*
† *Apolloniæ VV. Ursulanæ MM.* 282 *b*
*Apollonia V. Romana sub Juliano apostata* 277 279 *f* 280 281
† *Apollonius Ep. Brixien.* 886 *d*
† *Apollonius Senator M. pater S. Apolloniæ* 3 *e* 280
† *Appia in epist. S. Pauli* 856 *c*
*Appion, Appius, scriptor Eccles.* 377 *c*
† *Aprunculus Ep. Treviren.* 856 *a*
† *Aquila et Priscilla MM.* 643 *f*
† *Aquilinus Ep. Ebroicen.* 353 *d e* 806 *e*
*Arabianus, Brabianus, scriptor Eccles.* 377 *c*
*Aranfredus Archidiac. Lodeven.* 898 *a* 900 *c*
*Aranfredus frater S. Fulcranni* 898 *e* 899 *a*
† *Archippus disc. S. Pauli* 856 *c* 858 *a*
† *Ardagius Ab. Trecacensis* 507 *c*
† *Ardo mon. Anianæ, scriptor Vitæ S. Benedicti Abbatis Anianæ et Indæ* 610 *e f* 611
*Arduinus monachus sub S. Romualdo* 122 *e*
*Arechis* I *Dux Beneventanus, Catholicus, moderatus* 319 *b c*
*Arechis* II *Dux Beneventanus* 321 *a*
† *Arnoinus, Arnolphus, Ep. Catalaun.* 352 *f* 353 *b*
*Arnoldus Cools Carmelita* 488 *e* 489 *a b*
*Arnoldus Prior Wiburgensis Ord. Prædic.* 731 *f*
*Arnulfi Ep. Metensis Translatio* 172 *e*
*Arnulfus Ab. cum S. Benedicto Indensi* 610 *a*
*Arnulphus Imp.* 187 *e* 188 *e* 189 *d e* 190 *d e* 192 *a f* 193 *c d* 194 *d*
*Arnwal socius S. Kiliani V. M.* 806 *a*
† *Arsenii fuga* 94 *d* 95 *c*
*Artacius Com. sub Marciano Imp.* 776 *f* 777 *a*
*Artemia Magna dea ethnicorum* 892 *f*
† *Artemii M. corpus Romæ* 389 *d*
*Artemius Anastasius Imp.* 693 *e* 694 *c* 703 *b d*
*Arzaber Magister sub Theophilo* 554 *c*
*Ascholius Ep. Cyzici* 39 *a* 42 *e*
† *Asterius a S. Valentino convertitur, filia cæca illuminata* 754 *e f baptizatur cum* 44 *e familia et martyrium patitur* 755 *a b d ejus et filiæ corpora Romæ* 389 *d*
*Asterius Ep. Salernitanus* 316 *e f*
† *Athanasius pro S. Meletio Ep. Antioch.* 598 *d*
*Athanasius Ep. Cæsaraugustanus* 645 *b e*
† *Athenodorus M. in Mesopotamia* 288 *b f*
*Attilio in Gallia Narbonensi* 9 *sec.* 613 *c*
*Attila R. vastat Mediolanum* 521 *e*
*Audualt Archidiaconus Barensis* 328 *b*
† *Audoenus Ep. consecrat S. Austrebertam Abbatissam* 418 *c tempus Sedis* 344 *e* 345 *d* 352 *b corporis translatio* 353 354
*Audoinus Ep. Andegavensis* 683 *f*
† *Audomarus Ep. Teroanensis* 345 *c* 353 *e f tempus Sedis* 417 *b c*
*Audomarus Ab. in Synodo Rotomagen.* 7 *sec.* 353 *f*
*Augarus notarius scriptor martyrii S. Theodori Ducis* 37 *a* 892 *c* 893 *d e*

*Augustinus*

† *Augustinus Ep. Cantuariensis* 304 *f*
*Augustinus Turtura scriptor Vitæ Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congr. Somaschæ* 218 *a*
† *Augustus, Augustinus, Afer in Italia* 524 *a* 527 *f*
† *Avitus Ep. Viennen.* 672 *c d e*
*Aunobertus, Alnobertus, Ep. Sagien.* 353 *d f*
† *Aurea Abbatissa Parisiis* 412 *a*
*Aurea Abbatissa Pauliaci* 417 *e f*
† *Aurelianus Ep. Lemovicensis* 806 *e* 901
*Aurelianus Imp. favet Christianis* 292 *d*
*Aurelianus minister Hadriani Imp.* 816 *d*
*Auriana Abbatissa Hunulficurti* 417 *f*
† *Aurinus M. in Gallæcia* 742 *a*
*Ausbertus Ab. Moissiacen.* 276 *b* 344 *b*
*Austerius Ep. Venusinus* 63 *f* 325 *e f*
† *Austregisili Ep. Bituric. depositio* 805 *f*
*Azo monachus sub S. Romualdo* 124 *e*


B


† **B***abolenus Ab. Fossatensis* 856 *a*
*Badefridus Com. Palatinus pater S. Austrebertæ* 420 *b*
*Badiulla Totila R. dictus* 61 *e*
*Baldredus R. Occident. Saxonum in Anglia* 72 *d e*
*Baldricus Ep. Noviomensis* 719 *f*
*Baldricus Ep. Dolensis scriptor historiæ translationis et miraculorum capitis S. Valentini M.* 759 *a c*
*Balduinus Dux 9 sec.* 193 *b c e*
† *Barbaræ V. M. 3. sec. Translatio* 575 *e templum in Attica* 97 *b*
*Barbarussus vastat Italiam* 787 *b*
*Bardas Cæsar frater S. Theodoræ Imperatricis* 554 *c* 557 *b* 559 *d* 564 *d* 565 *b f* 566 *b c* 568 *c*
† *Barsanuphius, Barsanus* 150 *f*
*Bartholomæus Archiep. Turonen. 12 sec.* 204 *d*
*Bartholomæus Justinianus Ep. Abellinus* 335 *b*
*Bartholomæus Lutimanus scriba Arch. Mediolanensis* 102 *f*
† *Basilissa Abb. in Horreo* 412 *a*
† *Basilius Magnus* 390 *b e* 775 *a* 776 *a ad episcopatum postulatus, Diaconus factus* 589 *d e f Sacerdos, dein Episcopus* 590 *a b laborat pro concordia Ecclesiæ* 595 *d e obit* 595 *f*
*Basilius alius a S. Meletio factus Diaconus* 590 *c*
*Basilius Macedo Imp.* 564 *e* 565 566 *c f*
*Basilius Dux Leonis Isaurici* 704 *c*
† *Bassus, Eusebius, Eutychius, Basilides MM. Nicomediæ* 1 *f* 18 *e*
*Bautus an Sanctus* 575 *b*
† *Beani Hiberni reliq. Peronæ* 66 *c f*
*Beatrix ordinis Carthusiani* 643 *c*
*Bendimus Ab. S. Auxentii* 770 *d*
† *Benedicta Abb. in Swestris* 412 *a*
† *Benedictus Ab. Casinensis* 58 *e* 274 *b ejus ædificatio* 277 *a familiaritas cum S. Sabino Canusino* 315 *d* 318 *a* 325 *c cum S. Scholastica sorore colloquium* 392 402 403. *Institutio ac regula ei data* 406. *An corpus in Galliam delatum* 397 398 399 *Vita an a S. Fausto scripta* 842 *b*
*Benedictus II Papa* 753 *c*
*Benedictus Ep. Sipontinus* 60 *d*
† *Benignus Afer in Italia* 527 *f*
† *Benignus Divionensis* 637 *e*
*Beortwaldus Archiep. Cantuariensis* 71 *f* 72 *e*
*Berardus mon. discipulus S. Romualdi* 121 *f* 122 *a*
† *Berarius Ep. Cenomanensis* 400 *a*
*Berdeberus R. Scytharum 14 sec.* 640 *f* 641 *d*
† *Berrectus idem qui Berachius* 833 *b c*
*Berengarius Ep. Virdunensis* 169 *b*
† *Bernardinus Senensis* 269 *c*
*Bernardinus Caimus Ord. Minorum* 276 *e*
† *Bernardus reducit a schismate Guilielmum Ducem Aquitaniæ* 440 *c d* 452 *e* 453 454 455
*Bernardus Guido Ep. Lodeven. scriptor Vitæ S. Fulcranni Ep. Lodevensis* 711 *c* 712 *a*
*Bernardus Archidiac. Lodeven.* 890 *d* 898 *a* 899 *b*
*Bernardus Canon. Lodeven.* 890 *d* 899 *c*
*Bertaldus mon. Indensis 9 sec.* 621 *a*
*Berifridus Dux Anglus 7 sec.* 184 *f*
† *Berthæ corpus Avenaci* 53 *a*
*Bertha filia S. Leopoldi* 364 *b* 369 *f*
† *Bertharius Ab. Casinensis scriptor Vitæ S. Scholasticæ* 393 *a b c*
*Bertharius scriptor Vitarum Epp. Virdunensium* 169 *a* 176 *d*
† *Bertigrannus Ep. Cenomanensis* 841 *b*
*Bertrandus pater S. Huberti Dux Aquitaniæ* 433 *b*
† *Bertrannus Ep. Cenomanensis* 677 *a* 680 *c*
*Besutia Abb. Medensis in Italia* 706 *e* 707 *b*
*Betselmus Ratisponensis 11 sec.* 368 *d*
*Betta Presb. Apost. Merciorum* 507 *b*
*Bienna Abb. Neapoli 13 sec.* 885 *c*
*Biligardis mater S. Fulcranni* 712 *b*
† *Bilichildis Comit. et Abbatissa* 412 *e*
*Bisuntius Arch. Borensis* 330 *c e*
*Bozanes Ep. Iberiæ* 163 *c*
*Boburdus Cardinal. S. Angeli 12 sec.* 204 *d*
*Boetius Hibernus* 53 *e*
*Boggis Dux Aquitaniæ pater S. Odæ* 433 *b*
*Bogoris R. Bulgarorum convertitur* 563 *b c fit monachus* 563 *f* 564 *a*
† *Boleslaus Chabri Busclavus, R. Poloniæ* 113 *e ejus uxores, liberi, fratres* 114 *f* 115 *a* 798 *b*
† *Bonifacius Arch. Moguntinus* 70 *e* 73 74 78 79 80 360 *d patria apud Occiduos Saxones* 71 *accipit a Gregorio* II *Apostolatum in Germaniam: Episcopus ordinatur, Carolo Martello commendatur* 696 697 698 *levat corpora SS. Kiliani et soc.* 411 *a*
† *Bonifacius disc. S. Romualdi, Russorum Apostolus* 113 114 134 *d e*
*Bonifacius* III *Papa* 841 *e*
*Bonifacius Ab. Surrenti* 789 *d* 796 *a*
*Bonitus Subdiac. Neapolitanus, scriptor Vitæ S. Theodori Ducis* 25 *b* 30 *e*
*Bonitus Ab. Casinensis* 786 *c*
*Bonna uxor S. Richardi* 74 *d*
† *Bononius Ab. Lucedii in Italia* 720 *c d e f*
*Bosanhamur eremita Scotus* 507 *c*
*Bosochindus Ab. in Synodo Rotomagen. 7 sec.* 353 *d*
† *Brendanus extruit monasteria Clymafertam et Orbsen* 66 *f*
*Brianus Princeps Connaciæ* 838 *f*
*Bringa Præpositus legionis Marmaritarum* 23 *a* 25 *a*
† *Briscam an filius Regis Croatiæ, et Bulgariæ?* 115 *a* 134 *b*
*Brunechildis Reg. Franciæ* 167 *e* 168 *d*
† *Bruno Ep. Segniensis* 393 *f*
† *Bruno Ep. Herbipolensis* 798 *a*
*Budicus R. in Wallia 6 sec.* 305 *e*
*Bulgari vastant Græciam 10 sec.* 90 *e*
† *Burchardus Ep. Herbipolensis* 151 *d* 411 *a*
*Bursa Ep. Barensis* 328 *b*


C


**C***abades R. Persarum pulsus, ab Hunnis restitutus, bellum Anastasio Imp. infert* 161 *in Christianos persecutionem movet* 162 163 *Iis æquior redditus* 161 *f* 162 163 *d*
*Cadocannanus Ep. Macloviensis* 353 *e*
*Cadoenus Ep. in Gallia 7 sec.* 353 *d*
† *Cæcilia Abb. in Swestris* 412 *a*


† *Cælestini*

† *Cælestinus* I *Papa* 48 *f Translatio* 808 *f*
† *Cælestini reliq. Rotnaci* 608 *b*
*Cælestini* III *Papæ bulla de Sanctis Bononiæ quiescentibus* 19 *a*
*Cælius Sedulius* 574 *c*
*Cæstus Anthypatus, Proconsul, ab Hunno occisus an Martyr* 2 *b* 25 *c d* 30 *b* 36 *e* 893 *f*
† *Cajetanus Thienensis* 239 *c*
*Calionistus Ep. Adriæ in Æmilia* 69 *d*
† *Caius et Alexander MM. Apameæ* 7 *a c*
*Caldonius Ep. in Africa* 574 *a*
*Cale soror S. Lucæ Junioris* 84 *c f*
† *Calimerus M.* 813 *c* 814 *b*
† *Callistus* I *Papa* 755 *a e*
*Callistus* II *Papa* 369 *b* 372 *b*
*Callistus ex Ecclesia ejectus* 4 *sec.* 22 *c*
† *Calminius Dux Aquitaniæ* 433 *b*
† *Calocerus M. convertitur* 812 *c baptizatur* 813 *a* 815 *d* 818 *e Mediolanum ducitur* 813 *b torquetur* 819 820 *f animatur a SS. Faustino et Jovita* 817 *d* 818 *a Albingauni occiditur* 814 *a* 816 *a* 821 *e*
† *Calocerus M. Romanus* 508 *a*
† *Calocerus Brixiensis M.* 631 *e f*
*Calpurnius Præf. Claudii* II *Imp.* 754 *d e* 755 *c*
† *Camilli M. Romani corpus in Hispania* 804 *f*
*Candidus Scotus socius B. Mariani Scoti* 367 *a b*
† *Canion Afer in Italia* 524 *a* 527 *f*
† *Canocus in Wallia Conf.* 508 *e*
† *Caprasius M. in Gallæcia* 742 *a*
*Caracalla Imperator* 646 *e*
† *Carilefus Conf.* 575 *b*
*Carolomannus Princeps fit monachus* 400 *f redit in Gallias et obit* 401 *a b*
† *Carolus Borromæus* 523 *b c invisit sepulchrum SS. Haymonis et Veremundi* 708 *a honorat reliquias Hieronymi Æmiliani Fundatoris Cong. Somaschæ* 218
*Carolus* VIII *R. Franc. occupat regnum Neapolit.* 222
*Carolus R. Siciliæ frater S. Ludovici* 435 *c*
*Carolus Martellus* 698 *c* 699 *e*
† *Carthagus Hibernus* 377 *c*
*Carus Ab. Herbipolensis, Capellanus Conradi Imp.* 371 *a*
*Casimirus R. Poloniæ* 14 *sec.* 214 *d*
† *Cassianus Ep. Hortanus et Augustodunen.* 277 *a*
† *Cassius Ep. Narniensis* 80 *f* 81
† *Castor Ep. Aptensis* 810 *d*
*Cataneo familia in Italia* 501 *b*
*Cataphrygum hæresis exorta* 5 *oppugnata a S. Apollinare* 6 *sanctitus ante secessionem explosa* 7
*Catgueaun Trediciì R. in Wallia* 6 *sec.* 306 *a*
*Catharina Abb. de Olivo in Hannonia* 495 *f*
*Catellanus Fabri Ord. Minor.* 507 *e*
† *Catellus Ep. Stabiensis* 788 *e* 789 *a b* 795 *d*
*Catellorum familia in Italia* 785 *a*
† *Ceadda Ep. Merciorum* 687 *e* 688 *c*
† *Cendvalla R. Occiduorum Saxonum in Anglia* 71 *c* 72 *d* 73 *a*
*Cecholinus Perusinus Dux exercitus* 375 *c* 376 *d*
*Cedeus Comes* 12 *sec.* 81 *a*
*Celsus Ab. in synodo Rotomag.* 7 *sec.* 353 *d*
† *Centolla M.* 647 *a*
*Centuinus R. Occident. Saxonum in Anglia* 72 *d e*
*Ceoluthus Ep. Lichfeldensis* 742 *f*
† *Ceolfridus Ab. Anglus* 695 *d*
*Ceonredus R. Merciorum* 688 *f*
† *Cerbonii Ep. corpus Populonii* 846 *f* 847 *e*
† *Chæremon Ep. Nilopolis* 743 *e*
*Chæremon fil. S. Cratonis* 823 *f* 824 *a a S. Valentino Ep. Interamnensi sanatus, conversus, baptizatus* 757 758
*Chagnoaldus Ep. Laudunensis* 151 *a*
*Charimerus Ep. Virdunensis* 171 *d*
*Childebertus R. Parisiorum fil. Chlodovei* I 831 *e* 832 *d templum S. Severino extruit* 851 *a*
*Chlodoveus* I *R. Franc. duos annos ægrotat* 848 *d petit liberari a S. Severino Agaunensi* 548 *c d sanatur* 850 *a*
*Chlotharius* II *R. Franc.* 676 *b c* 678 *f* 679 *f consulit et honorat S. Protadium Ep.* 414 *d*
*Christianus Ab. Ratisponæ* 12 *sec.* 369 *c* 370 *d*
*Christianus Suis Ord. Minorum* 379 *b*
† *Christina Stommelensis* 487 *a*
*Christodulus pater S. Parthenii* 38 *e*
*Christophorus Cravellus Ord. Minorum* 574 *f*
† *Chrittanus filius Darii Hibernus* 2 *c*
† *Chrysanthus et Fortunatus Ticini* 152 *f*
† *Chumbaldus socius S. Ruperti* 151 *d*
*Cissa subregulus Occident. Saxonum* 72 *f*
† *Clara de Monte-Falco* 799 *c*
*Claudius* II *Imp. auscultat S. Valentinum instruentem in fide* 754
† *Clementis Papæ caput Kioviæ* 370 *a b*
*Clemens* III *Papa* 204 *d* 211 *b*
*Clemens* IV *Papa* 480 *d*
*Clementis* VIII *constitutio de festo S. Romualdi* 144 145
† *Clemens Ancyranus* 271 *d*
*Clemens socius B. Moriani Scoti* 368 *f*
† *Coemanus Hibern. fr. S. Attractæ* 297 *c*
† *Coemgenus, Koeminus, Hibernus* 552 *a* 834 *b c e f* 839 *e*
† *Columba Abbas* 366 *c f* 833 *f Presb. ordinatur* 551 *c e S. Cronanum agnoscit esse Episcopum* 339 *f*
† *Columbanus Ab. Luxovien.* 53 *e* 168 *a* 171 *c* 366 *c f*
† *Columbanus Ab. Sutrii* 644 *d* 847 *c*
*Comanus Hibernus* 742 *a*
*Concordius excommunicatus* 4 *sec.* 22 *a*
† *Conledus Presb.* 346 *a* 381 *b d*
† *Connallus Dromo Hibernus* 298 *b c*
*Connial Constantinus R. Hibernus* 67 *a*
*Conradus* III *Imp.* 411 *d f*
*Constans Archimandr. Dii* 160 *c*
† *Constantia M. Nuceriæ* 372 *c*
*Constantia sor. Constantini M. uxor Licinii* 31 *b*
† *Constantinus Magnus Imp.* 31 *b c* 37 *d* 39 *a b* 748 *d e*
*Constantinus Imp. CP.* 10 *sec.* 96 *b*
*Constantinus Papa* 692 *c e* 693 *c d* 694 *a*
*Constantinus Rossius Ep. Veglensis scriptor Vitæ Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congreg. Somaschæ* 218 *d*
*Constantinus Dux Marciani Imp.* 776 *c* 777 *a*
*Constantinus Babutzicus Magister sub Theophilo* 554 *c*
*Constantius pater Constantini Magni* 31 *b*
*Conwanus mon. in Orcadibus* 742 *a d*
† *Corbinianus Ep. ordinatus ad prædicationem Evangelii in Gallia et Bavaria prædicat* 696 *d e f* 697 *a b c*
† *Cordula V. M. ex Ursulanis* 743 *d*
*Corta familia Mediolani* 706 *a*
*Coriolanus scriptor Vitæ B. Christinæ Ord. S. Augustini* 799 *d*
† *Cornelii Papæ reliq. Rotnaci* 608 *b caput Indæ prope Aquisgranum* 608 *d*
*Cornelius Curtius Ord. S. Augustini scriptor Vitæ B. Christinæ ejusdem Ordinis* 800 *c*
† *Cosmas et Damianus, Anargyri dicti* 87 *a*
*Cosmas æditutus sepulchri S. Lucæ Junioris* 88
*Cosroes major R. Persarum* 161 *c*
*Cosroes minor R. Persarum* 161 *c*
† *Crescentiani M. corpus Romæ* 389 *d*
† *Crescentius Senator Romanus* 10 *sec.* 102 *a c*
*Crescentius disc. S. Adalberti Ep. Pragen.* 134 *d*
*Crinitus Prætor Atticæ* 96 *e f* 97
† *Crispinus Lampsacenus scriptor Vitæ S. Parthenii* 38 *b c*


*Crispus*

Crispus fil. Constantini M. 31 c
Crispus Præfectus Pisidiæ sub Severo Imp. 384 d e f
† Cronanus Ab. Hibern. M. 377 c
† Cucufates, Cucuphas M. Barcinone 575 b 578 c 806 b 856 d
† Cunigundis uxor S. Henrici Imp. 135 d 410 d
† Cuthbertus Ep. 67 a b 415 e f 605 c 606 futura prædicit S. Elfledæ 182 183 et sanitatem restituit 183 184
† Cyprianus apparet S. Fideli 660 reliq. Rotnaci 668 b
† Cyprianus Ab. Fabrianensis 16 sec. 145 c d
† Cyriaci M. corpus Genuæ 894 b
† Cyriaci et Mauri corpora Romæ 389 d
† Cyrillus Ep. Hierosolym. 595 d
† Cyrillus Apost. Moravorum et Bulgarorum 564 b
Cyrillus Archimandrita Dii Acacio hæretico resistit 160 d
† Cyrus Patriarcha CP. 693 c

D

Dachonna Hiberna 298 a b
Dacianus præses in Hispania sub Diocletiano 577 c
Dado Ep. Virdunensis 168 c f
† Dagæus Hibernus 839 b d
† Damasus Papa 594 f patrocinio S. Maximi Nolani morbo et infamia liberatur 22 d
† Daniel Ep. Wintoniensis 72 a b f 695 c
† Darerca V. Hiberna 804 f
† David Ep. Menevensis et Legionensis in Anglia 304 b 305 f 306 d 307 e 308 a d 309 a c e
† David prædicat Suecis 851 d e
† Decentius M. Pisauri 644 a
† Decentius, Dicentius M. 644 a 837 b
Decii persecutio in Ægypto citius cœpta 155 a
Decius Præfectus Diocletiani 12 c
† Deicolus Ab. discip. S. Columbani 804 b
Deidonus monachus Indensis 9 sec. 621 a
† Demetrius Megalomartyr 26 c
Demetrius Dux Russiæ 14 sec. 641 a
Derianus in Britannia Armorica 2 b
† Desideratus Ep. Bituricensis 508 a
† Desiderius Ep. Cadurcensis 171 f 344 b
† Desiderius Ep. Redonensis 353 d f
† Desiderius Ep. Viennensis 508 a 575 a 804 f
Desiderius mon. Indensis 9 sec. 621 a
Deusdedit Ep. Ruthenensis 714 c
Diemo mon. Hirsaugiensis 507 d
Diermitius Ep. in Hibernia 854 f
Dina uxor Apollonii Senatoris Rom. 280 c
Diodorus Ep. Tarsensis 593 b 594 d 595 c
† Dionysia M. Alexandriæ 575 e
† Dionysius Ep. Alexandr. 291 e f
† Dionysius Ep. Parisien. 9 e 10 c 11 c 12 c
† Dius Thaumaturgus 160 a
† Dunmangardus Hibernus 673 f
† Dominator Ep. Brixiensis 521 e f
† Dominicus fundator Ord. Prædicat. 721, obit 721 e corpus transfertur 721 c d e f Canonizatur 722 b c Scripta Vita 723 b officium Ecclesiasticum 723 c d conventus sub eo erecti 722 c capitis elevatio 806 b
Dominicus Michael Dux Venetus 12 sec. 27 c d
† Domitianus Ep. Trajectensis 191 a b f 192 a b
† Domnina in Syria 767 e
† Domnini corpus Placentiæ in Italia 390 a
Domnus Ab. Ratisponensis 12 sec. 368 f
† Donatus Ep. Fæsulanus 806 b
† Donatus et Hilarianus MM. 136 d
† Dorothea Alexandria 1 f
Dorotheus Comes CP. 5 sec. 775 e
† Dubonus Hibernus frater S. Cunoci 507 b
† Dubricius Ep. Landaven. in Wallia 303 c f 304 305 b 306 f 307 e 308 d

E

† Eada Presb. 277 e
Eadbaldus R. Cantuar. 178 d 686 c
† Eadberti Angli reliquiæ 606 e 607 a
† Eadburga 690 e
Eanfleda mater S. Elfledæ V. 178 d
† Eadfridus Ep. Lindisfarnensis 605 f 606 c e
† Eanswyda Angla 690 f
Eata Ep. Hagulstadensis 182 f
† Ebba Abb. Cludiani monast. Angliæ 180 c 181 d
† Ebbo, Elbo, Epus. Senonen. 806 c
Eberhardus Ab. monast. S. Altonis 361 a
Ebolus Dux Aquitaniæ 436 a b
Ebrardus Ab. Veteris-campi 571 c
† Ebrulfus Conf. 575 d
Ecelinus Dux Frederici II Patavium occupat 501 f crudelis 502 e f 503 a impie obit 503 f
† Edelberga Abb. Brigensis 412 a
† Edelburga Angla 690 e
† Edelburgis Abb. Bercingen. 412 a
† Edeldreda Angla 690 f 691 b
† Edeltrudis Regina, Abb. Elyensis 412 a
† Editha Angla 412 a f
† Eduardi R. Angl. M. translatio 643 e
† Edwinus R. Northumbriæ 178 c d 180 d
Egbaldus Ab. Waltheim 72 a 75 f 77 f 78 d
† Egbertus Ep. Treviren. 3 e 828 f
Egfridus R. Northumb. 180 a 182 b 183 a Pictos cædit 415 b ejus piæ donationes 416 a cæditur a Pictis 416 c
Eleonora mater Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congreg. Somaschæ 221 e
Eleusius Præses Nicomediæ, procus S. Julianæ 875 876 877 878 879 880 881
Eleuthera e cubicularia S. Pulcheriæ sanctimonialis 781 e
Elfegus Ep. Wintonien. 848 f
Elias Archiep. Barensis 324 b 330 f
† Eligius elevat corpus S. Chrysolii 10 e 12 a 13 f
† Elisabeth mater S. Joannis Baptistæ 379 e
† Elisabetha Thuringica 269 c 411 f a Gregorio IX Canonizatur 137 e
† Elisabetha Abb. Schonaugiensis 411 d f
† Eloquius Hibernus 53 e
† Elpidius Afer in Italia 524 a 527 f
Embrico Ep. Herbipolensis 370 d e
Emerith Princeps Salentinorum 312 c d e f 329 c
Emma uxor Guilielmi ultimi Ducis Aquitaniæ 439 f
Emmanuel Laudensis scriptor Vitæ SS. Aymonis et Veremundi 706 c
Engelbertus Ord. Prædic. sub B. Jordano 727 e
† Ennatha V. M. in Palæstina 379 e
† Ennius M. 2 a
† Ennodius Ep. Ticinensis 672 b reliq. Ticini 748 e
† Enogatus Ep. Macloviensis 642 c
† Epaphras Ep. disc. S. Pauli 856 c
† Epaphroditus disc. Apostolorum 392 d
Epiphanius Ep. Esculanus 316 e f
Epiphanius frater Lucæ Junioris 84 e
Eponychus Ab. in Ægypto 520 b
Eppo Ab. in diœc. Salisburgen. 574 e
† Equitius 827 b
† Erardus Conf. 275 c
† Erasmus M. 764 c d e 858 d e
Ercombertus R. Cantiorum 686 f
† Erembertus Arch. Tolosanus 351 b d
† Erenæus eremita Scotus 806 b
† Erendrudis V. Abb. 4 a
Ericus discip. S. Joannis Gualberti 376 c
† Erkantrudis Angla 412 b
† Erlulphus Ep. Vendensis M. 377 b

Ermenfridus

*Ermenfridus Ep. Virdunensis* 170 *e* 171 *b* 176 *e* 276 *b*
*Ermentrudis uxor Ottonis Guilielmi Ducis et Comitis Burgundiæ* 452 *c f*
*Ermetrannus Archidiaconus in Synodo Rotomag. 7 sec.* 353 *d*
† *Erminus Ab. Lobiensis Ep.* 81 *c f* 82 *c*
† *Erus Ep. Lucensis M.* 742 *a*
*Escwinus R. Occident. Saxonum in Anglia* 72 *d*
† *Ethelburga uxor S. Edwini R. Northumbriæ* 178 *a d* 690 *f*
*Ethelredus R. Angl. 10 sec.* 848 *c d*
† *Ethildreda uxor Egfridi R. Northumbr.* 181 *b e*
*Etrio Com. sub Ludovico Pio Imp.* 358 *c*
† *Etto* 53 *e*
† *Evaristus Papa* 808 *e* 813 *f* 814 *b*
*Eudo Dux Aquitaniæ* 699 *c d* 703 *c*
† *Eudoaldus Ep. Lugdunen.* 151 *a*
*Eudoxius Ep. Antiochenus* 585 *c e* 587 *d*
*Eventius Ep. Conetensis aut Ticinensis 4 sec.* 151 *b* 152 *a*
*Everardus Ep. Placent. in Italia* 390 *d*
*Everardus Ord. Prædicat. sub B. Jordano* 737 *b*
*Everardus Ord. Vallis scholarium* 484 *d*
*Eufredus Comes circa Fulginium* 373 *c*
*Eugenia mat. B. Martini Legionen.* 570 *b*
*Eugenia mater S. Firmini Ep. Ambianen. M.* 861 *d* 862 *c d*
† *Eugenius Ep. Toletanus M.* 575 *c Translatio* 508 *e*
*Eugenius* IV *Papa* 446 *e f* 450 *e* 459 *a*
*Eugenius Tyrannus Imperii invasor* 51 *a*
† *Eulalia Emeritensis* 65 *a e* 66 *d*
† *Eulaliæ Emeritensis et Barcinonensis cultus et acta non satis distincta* 575 *c f* 576 *a b c d*
† *Eulalius Ep. Nivernen.* 549 *d* 550 *c*
† *Eulogius Ep. Alexandriæ* 644 *a*
† *Evodius, Priscus, Agatinus etc. MM. in Gallæcia* 742 *a*
† *Euphraxia, Euphrasia V. CP.* 507 *f* 535 *f*
*Eusebia curatrix sepulturæ S. Theodori M.* 23 *c* 28 *d* 31 *f*
*Eusebia soror S. Firmini Ep. Ambianen.* 861 *d*
*Eusebia Christiano Eucharitæ 4 sec.* 890 *f* 891 *a*
† *Eusebius Ep. Mediolanensis* 521 *f*
† *Eusebius Ep. Vesontionensis* 168 *d*
† *Eusebius Ep. Vercellensis redit ab exilio* 588
† *Eusebius Ep. Samosatenus* 585 *c* 587 *a* 594 *c* 595 *d* 596 *f*
*Eusebius mon. Camaldulen.* 379 *b*
*Eustathius Ep. Parii in Hellesponto* 42 *e*
*Eustathius Ep. Saracenorum* 45 *b*
*Eustochia V. Patavina* 643 *c*
† *Euthymius Magnus* 650 *b c*
*Eutychetis hæresis* 772 *c* 774 *a*
*Eutychius Eutitius Ep. Tranensis* 62 *f* 63 *e* 324 *e*
*Exhilaratus Dux Neapolitanus 8 sec.* 705 *a*

F

*Fabricius Ep. Placentinus in Italia* 390 *a*
*Fara Abb. Evoriaci* 412 *b*
† *Furannanus Conf. Hibernus* 805 *e*
† *Fausta V. M. Cyzici* 80 *f* 81 *c*
*Fausta uxor Constantini Magni* 31 *c*
† *Faustinus Ep. Brixien. an auctor Vitæ SS. Faustini et Jovitæ MM.* 807 *e corporis translatio* 810 *b*
*Faustinus Senator Pampiloneusis* 861 *e* 862 *c d*
† *Faustus Emeritensis* 65 *b* 66 *d*
† *Faustus M. Mediolanensis* 806 *b*
*Faustus Presb. scriptor Vitæ S. Severini Abb. Agaunensis* 546 *e* 548 *a* 550 *d*
*Faustus frater S. Firmini Ep. Ambianen.* 861 *d*
*Federicus Borromæus Card. Archiep. Mediolan. transfert reliquias SS. Haymonis et Veremundi* 709 710 711
*Felanus R. Lageniæ* 835 *c* 836 *c*
*Felicia uxor Petri Urseoli Ducis Veneti* 108 *f*
† *Felicianus Ep. Fulginas M.* 204 *f* 754 *e f* 755 *f*
† *Felix* III *Papa* 160 *e f* 161 *a b d e*
† *Felix Ep. Sipontinus in Apulia* 26 56 *d* 57 *c*
† *Felix Presb. M. Nolanus* 20 21 22
† *Felix Presb. M. Nuceriæ* 392 *c*
† *Felix M. Gerundæ* 575 *b* 578 *c*
† *Felix et Januarius MM. Heracleæ* 741 *c*
† *Felicis et Regulæ reliq. in Germania* 829 *b*
† *Felix Ep. Bracharensis* 276 *a*
*Felix Ep. Urgellitan. hæret.* 608 *f* 614 *d*
*Felix Defensor, Legatus S. Felicis* III *Papæ* 161 *a e*
*Felix monachus Floriacen. restaurat monasterium S. Gildæ* 869
*Felix Zabensis Donatista in Africa* 295 *a d*
*Ferrarius Abella Ep. Barcinonen.* 579 *d*
† *Ferreoli M. Inventio* 806 *d*
*Ferrocinctus Archidiac. in Synodo Rotomag. 7 sec.* 353 *d*
*Fescenninus Præfectus Gall.* 12 *c*
*Finscad, Finmathia, mater S. Berachii* 834 *e*
† *Firmoni M. corpus inventum* 339 *d*
*Firmilianus Patricius Cappadox 3 sec.* 289 *e f Ep. Cæsareæ Capp.* 290 *b c* 291 *e f* 292
*Firmilianus Præses Palæstinæ sub Galerio Maximiano* 866 *b* 867 *c* 867 *d*
† *Firminus Ep. Ambianen. M.* 859 *f* 860 861
*Firmus pater S. Firmini* 860 *d* 861 *c d*
† *Flavianus Ep. Antiochenus* 593 *b* 594 *d* 596 *b* 599 *d* 602 *d*
*Florentius Montmorencius Societ. Jesu* 896 *c f* 897 *b*
† *Floriani et 40 sociorum corpora Bononiæ* 48 *c*
*Folbarchus Ep. in Hibernia* 854 *f*
† *Folanus Hibern.* 299 *d*
† *Foillanus* 53 *e*
*Fordredus Ep. Schireburnen.* 72 *e*
*Fortinus Archidiac. in Synodo Rotomagen. 7 sec.* 353 *d*
*Fortis socius S. Walfridi Ab.* 844 *e*
*Fortunatianus Carthaginensis ethnicus frater S. Victoriæ V. M.* 516 *f* 519 *b*
C *Fortunatus Ep. Tudertinus* 827 *b*
*Fortunatus Ab. Baluci Cirronis* 827 *b*
*Fortunatus Senator Pampelonæ* 861 *e* 862 *c d*
† *Fragius Presb. Hibernus* 834 *e* 835 *a* 838 *f*
*Framehildis mater S. Austrebertæ* 420 *b* 421 *e*
† *Franciscus* 374 *c*
*Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis liberalis erga Hier. Æmilianum Fundatorem Ord. Somaschæ* 250 *d* 251 252 *a*
*Franciscus a Baucio Dux Andriensis* 314 *d*
*Franciscus Combefis Ord. Prædic.* 83 *f* 84 *a*
*Franciscus de Gatta Ord. Minor.* 855 *e*
*Fredericus* II *Imp.* 501 *e* 732 *c* 734 *e deponitur* 502 *b c a Gregorio* IX *excommunicatur* 137 *c*
*Franco Ep. Leodien.* 195 *f*
*Fruida Hiberna soror SS. Tresani, Gibriani et Helani* 54 *b* 55 *f*
*Fridericus Com. de Francinlys 11 sec.* 369 *b*
† *Frigidianus Ep. Lucensis* 76 *f* 77 *b* 79 *b* 80 *f* 81 *a c* 142 *f*
*Frodoinus Ep. Barcinonensis* 578 *e f*
*Froylanus Ab. Fundator monast. Serratexensis in Hispania* 745 *d*
*Fulcardus pater S. Gilberti Melden.* 719 *a c. e*
*Fulbertus Ep. Carnotensis* 719 *e*
*Fulcherius Patriar. Hierosolym.* 447 *a* 460 *a*
*Fulcrannus Ep. Gall. 7 sec.* 353 *d*
† *Fulgentius Ep. Ruspensis* 889

† *Furseus*

† *Furseus* 275 c 366 d

G

*Gabriel Patriarcha Alexandrinus* 805 a
*Gabriel Ab. Montis-Virginis* 491 e
*Galeatus Moronus Ep. Maceraten.* 250 f
*Galena filia Severi Imp. Christiana* 384 e 385 a *patrem monet, idola evertit* 385, *sepelit S. Charalampium* 386 e
*Galerius Maximianus* 31 c 33 b
*Galerius Maximinus* 31 b c
† *Gallienus Consul Romanus M.* 273 b
† *Gallus Ab.* 366 d f
*Gandulfus Presb. Mosomensis* 9 *sec.* 341 f
*Garnerius Ab. Castri-Nantonis* 547 c
*Gaspar Nemius Ep. Antverpien. Archiep. Cameracensis* 583 c
† *Gaucherius Conf.* 206 a
† *Gaudentius Ep. Brixiensis* 52 c
*Gaudentius Ep. Gnesnensis* 134 c 135 e
*Gaudentius ou. discip. S. Romualdi* 121 e f 122 a
*Gaufredus Ep. Carnoten.* 441 a d 454 d
*Gaufridus Archiep. Burdegalen.* 441 a d 442 a
*Gebo falso filius S. Theodoræ Imperatricis creditus, occisus* 557 b
† *Gelasius Papa* 57 c f 58 c 62 f *dedicat ecclesiam Barolitanam* 313 f 325 e *extruit in monte Gargano ecclesiam præcipit* 311 b 314 a b c
*Geldingus Presb. Mosomensis* 9 *sec.* 342 d
† *Geminiani Eccl. Venetiis* 27 f
*Genardus Vicedominus S. Ansberti* 353 d f
† *Genebaudus Ep. Laudun* 51 d
† *Genesius Archiep. Lugdunensis* 346 a 351 b
† *Genesius M.* 829 f *ecclesiæ Lodevæ* 713 c 714 d 716 a f 898 899
*Genesius Canon. Lodevensis* 890 d
*Georgius Ep. Laodiceæ* 587 b
*Georgius Ab. Anianæ* 621 b
*Georgius de Lucerna Ab. Taurini* 633 a d
† *Geraldus Com. Auriliacensis* 436 a
† *Geraldi cultus Lodevæ* 899 f
*Geraldus Ep. Engolismen.* 440 b 454 c
*Gerardus de Lippia Ep. Osnabrugen. Archiep. Bremen.* 572 b
*Gerardus Ep. Cameracensis* 500 f
*Gerardus Ab. Veteris Campi* 571 e
*Gerardus Canon Lodeven.* 890 d
*Gerardus Frachetus scriptor Vitarum Fratrum Prædicatorum* 724 c 725 e
*Gerbertus Arch. Ravennas dein Silvester* II *Papa* 111 d 136 f
*Gerebaldus Ep. Bajocensis* 353 d f
*Gerennius R. Cornubiæ* 306 d 307 c
† *Gerefiun, matertera S. Ursulæ* 575 d
*Gerhardus Comes apud Eystadium* 12 *sec.* 371 f 372 e
† *Germanus Patriar. CP.* 694 e *expulsus a Leone Isaurico* 700 a 701 c
† *Germanus Ep. Autissiodoren.* 303 f
† *Germanus Ep. Capuan.* 58 e 325 e f
† *Germanus Ep. Parisien.* 169 d 176 e 547 d
*Germanus frater SS. Tresani, Gibriani et Helani* 53 b d e f
† *Gertrudis Nivell.* 369 b 410 f 411 f *Elevatio* 379 e
† *Gertrudis filia Pippini Herstalli* 410 f 411 f
*Gertrudis reclusa in Westphalia* 805 c
† *Gervasius et Protasius* 154 d *festum* 106 b
*Geyla uxor S. Meingoldi M.* 192 f 194 b c
*Geza Ep. Taurinensis* 631 f
† *Gibriani reliq. Remis* 53 b c d f
† *Gildas Sapiens* 569 a e
*Gilla uxor S. Stephani R. Hungariæ* 135 b c
*Gilla mater S. Gilberti Meldensis* 719 a d
*Gilo Ep. Tusculanus Cardinal.* 454 d 554 c
*Gimora Ep. Carcassonen.* 9 *sec* 671 b c
*Gimfredus Ab. Montis-viridis in Etruria filius S. Walfridi Ab.* 844 a 845 d
*Girardus Ab. Josaphatis* 441 c
† *Gislarius Presb. S. Ruperti* 151 a
*Gislouldus Ep. Virdunensis* 173 b
*Gisulfus* I *fil. Romualdi* II *Dux Beneventanus* 321 a
*Gisulfus* II, *filius Romualdi* II, *Dux Benevent.* 321 a
† *Glebus et Boryssus MM. Russi* 640 a
† *Glodesindis Metis* 412 b
† *Glyceria M. ecclesiæ Heracleæ* 41 d
† *Glycerius Ep. Mediolan.* 521 b 523 e
† *Gobnata Abb. Bornicen. Hibern.* 507 b
*Godefridus de Cortebeke mon. Villarien.* 378 f
*Godefridus Ord. Prædicat. sub B. Jordano* 731 b
*Godescalcus Dux Beneventanus* 321 a
*Godo Ep. Virdunen.* 171 a b
*Goduinus Anglus an Cisterciensis* 378 d
*Goericus Ep. Metensis* 172 f
*Gondobadus R. Burgundionum* 672 b
† *Gonsalvus Amoranthus Ord. Prædicat.* 1 c
*Gontardus Canon. Lodeven.* 891 e
† *Gordianus M. sub Juliano* 280 b 281 c
*Goslinus Ab. Floriacensis* 568 b
*Gratianus Imp. Episcopos exules restituit, ecclesias hæreticis adimit, conventus prohibet* 595 b c
† *Gregorius* I *Papa* 168 d *scriptor Vitæ S. Scholasticæ V.* 393 a
† *Gregorius* IV *Papa* 753 d
† *Gregorius* VII *Papa* 330 c e
*Gregorius* IX *Papa* 137 c 722 a 733 f *ædem sacram extruit S. Guilielmo* 450 b *monasterium condit in Stabulo Rodis* 475 e f *dat regulam Guilielmitis* 475 b
† *Gregorius Thaumaturgus* 288 289 290
† *Gregorius Ep. Nazianzenus* 595 d 774 b 776 a *fit Episcopus CP.* 597 f 598 a b f
† *Gregorius Nyssenus* 595 d 599 b
† *Gregorius Ab. S. Aurentii* 770 d
† *Gregorius Presb. M. Spoletinus* 158 f 828 f
† *Gregorii reliq. Venetiis* 27 e
*Gregorius Archiep. Neapolitan.* 25 c 30 f
*Gregorius Ab. monast. S. Theodosii* 68 c f
*Gregorius Ab. Herbipolen.* 370 f 371 c
*Gregorius Ab. Ratisponen.* 371 f 372 b
*Gregorius disc. S. Romualdi Archiepiscopus in Gentibus* 117 a f 118 a
*Gregorius Dux Beneventanus* 321 a
*Gregorius Pancratius Neapolitan.* 9 *sec.* 793 a d
*Gregorius monachus Græcus* 10 *sec.* 95 f 96 a b
*Grimo Ab. Corbeien.* 699 e
*Grimo, qui et Adelgisus, Diac.* 7 *sec.* 170 d e 176 e 177 b
*Grimoaldus* I, *fil. Gisulfi Dux Beneventanus* 312 d *dein Rex* 312 e 319 b e d 320 b 327 a 842 e f
*Grimoaldus* II, *fil. Romualdi, Dux Beneventanus* 312 d e 320 f
*Grimoaldus* III, *fil. Arechisi, Dux Beneventanus* 312 e 320 f
*Grimoaldus* IV *Dux Beneventanus* 312 f 321 a
*Grimkelus Ep. Anglus Norwegos convertit* 848 c
*Grullus inimicus Patriar. CP.* 565 c d
*Gualterus de Glysberg Erfurti M sec.* 362 c
*Guarinus Ab. Galli* 10 *sec.* 108 c d 110 bc
*Guayserius mon. Casinensis* 507 d *scriptor inventionis corporis S. Secundini* 530 a 532 a b
*Guido Com. Flandriæ* 608 b
*Guido Com. Italus vir.* 1000 *an.* 117 b
*Guido cum S. Falcranno Ep.* 899 c
*Guifredus Pilosus Comes Barcinonen.* 745 c d

† *Guilielmus Ep. Eboraci* 3 *d*
† *Guilielmus Ep. Bituricensis* 202 *d*
*Guilielmus Arch. Remensis Cardinal.* 12 *sec.* 204 *d*
*Guilielmus Archiep. Tyrius* 507 *e*
*Guilielmus Ep. Abellinen.* 765 *e*
*Guilielmus Ep. Petracoricen.* 441 *a*
*Guilielmus Ep. Pictavorum* 454 *d* 455 *b*
*Guilielmus Ep. Taurinensis scriptor* 658 *b c*
*Guilielmus Ep. Trecorensis* 508 *b*
*Guilielmus* II *Rex Siciliæ* 525 *b*
† *Guilielmus Vercellensis Abbas Montis-Virginis* 458 *f*
† *Guilielmus Dux Aquitaniæ sub Carolo Magno* 379 *e* 433 *d per errorem creditus Fundator Ordinis Guilielmitarum* 433 *e f* 434 *a* 481 *c ejus parentes, militia* 434 *c monachus Gellonensis, pie obit* 434 *f virtutes* 616 *filius Jacelinus* 435 *c*
*Guilielmus Pius,* I *Dux Aquitaniæ fundator monast. Cluniacen.* 378 *a* 435 *f* 436 *a*
*Guilielmus Dux Aquitaniæ nepos Guilielmi Pii Ducis* 436 *c*
*Guilielmus* II *Dux Aquitaniæ, Caput-stupæ dictus* 436 *b*
*Guilielmus* III *Dux Aquitaniæ Ab. S. Hilarii* 436 *c*
*Guilielmus Ferrei-Brachii,* IV *Dux Aquitaniæ* 378 *a* 436 *d tres habuit uxores* 436 *e*
*Guilielmus* V *Dux Aquitaniæ, Pinguis et Crassus dictus* 437 *a*
*Guilielmus* VI *Dux Aquitaniæ, Acerrimus dictus* 437 *b*
*Guilielmus, ante Wido Goufredus dictus,* VII *Dux Aquitaniæ* 378 *a* 437 *d plures habuit uxores* 437 *e, a filio non distinctus* 437 *e*
*Guilielmus* VIII *Dux Aquitaniæ mortuus* 10 *Febr.* 378 *b* 453 *b habuit duas uxores* 438 *b e, ejus gesta* 439 *liberi* 438
*Guilielmus* IX *sive ultimus, Dux Aquitaniæ nascitur* 439, *duas duxit uxores* 439 *c d ab Innocente* II *ad Anacletum Antipapam deficit* 440 *a b a S. Bernardo reducitur* 440 *d c Normannos vastat* 440 *e Compostellæ obit* 440 441 442 443 444. *Acta S. Guilielmi Eremitæ et applicata* 452 *et seqq.*
*Guilielmus Com. Pontivi* 12 *sec.* 440 *f*
*Guilielmus de S. Severino Princ.* 766 *b e*
*Guilielmus auctor instituti Vallis scholarium* 378 *e* 484 *c d e* 485
*Guilielmus discip. S. Romualdi* 112 *c*
*Guilielmus de Dongelbiert mon. Villarien.* 379 *e*
*Guilielmus Stravus Ord. Minor.* 379 *b*
*Guilielmus Olis Ord. Minor.* 379 *b*
*Guillelmus Gardradi Ep. Santonen.* 440 *b*
*Guillelmus Com. Nivern.* 12 *sec.* 440 *f* 442 *d*
*Guillermus Ep. Xantonen.* 440 *d* 441 *a*
† *Gumberti corpus Avennaci* 53 *b*
*Gunduualdus socius S. Walfridi Ab.* 844 *e*
† *Gunzalus* 1 *f c*
*Gurcant Maur R. in Wallia* 6 *sec.* 306 *a*
*Gurgena R. Iberiæ in Asia* 163 *c*

H

*Hademarus Mosomensis* 9 *sec.* 342 *d e f*
† *Hadrianus Papa exornat ecclesiam S. Valentini* 752 *d*
*Hadrianus Imp.* 808 *b e* 810 813 *continuator persecutionis coptæ a Trajano* 808 *b jubet coram se torqueri SS. Faustinum et Jovitam* 808 *c alios MM. occidi* 808 *d e ab anno* 120 *ad* 124 *abest ab Italia* 808 *f Solis cultui addictus*
*Haimricus Ep. Herbipolen.* 210 *b e* 213 *e*
*Halidulphus Ab. Alti-montis in Hannonia* 370 *c* 354 *b f* 355 *b f*
*Halwaldi servi S. Elfledæ anima videtur ad cœlum ferri* 184 *a b*
*Hamgislus Ab. Glastoniæ* 72 *e*
*Harruch Ep. Verdensis* 889 *c*
*Haymo apud Virdunenses a Normannis occisus an Martyr* 855 *b*
*Hector Canon. Lodeven.* 890 *d*
† *Hedda Ep.* 72 *e*
† *Hedwigis* 410 *f* 411 *c corpus Cracoviæ* 215 *e*
† *Heina Abb. Angliæ* 180 *a*
† *Helanus Hibern.* 53 *b d f*
† *Helena Reg. reponit corpus S. Thomæ* 379 *f*
† *Helenæ Augustæ Translatio* 152 *a altare Veronæ* 886 *f*
*Helenus Ep. Tarsi aut Sardium* 3 *sec.* 292 *a*
*Helias Archiep. Burdegalen.* 12 *sec.* 204 *d*
*Heligaudus Ep. Verdensis* 889 *f*
*Helinwardus Ep. Minden.* 743 *d*
*Helisachar Canon. dein Abbas S. Richarii, Cancellarius Ludovici Pii* 611 *e* 620 *e*
† *Helpidius, Elpidius, Ep. Lugdunens.* 303 *a b d*
*Hemma Abbatissa Ratisponæ* 11 *sec.* 367 *c*
† *Henricus Imper.* 797 *f* 799 *d Trojam capit in Apulia* 529 *f bella gerit cum Polonis* 115 *f agit cum S. Romualdo* 123 *b c d* 124 *a* 135 *a b d*
*Henricus* III *Imp. ducit uxorem Agnetem filiam Guilielmi* IV *Ducis Aquitaniæ* 437 *c*
*Henricus* IV *Imp.* 367 *a* 368 *d*
*Henricus* V *Imp.* 368 *f* 369 *b*
*Henricus* 2 *R. Angliæ* 204 *d* 211 *c*
*Henricus Dux Austriæ filius S. Leopoldi* 371 *e* 372 *d*
*Henricus gener S. Leopoldi* 363 *e* 370 *c Burgravius Ratisponensis* 369 *e*
*Henricus Ab. Veteris-campi* 571 *c*
*Henricus Ab. in Vitæ-schola in Dania* 507 *e*
*Henricus Prior Cluniacensis frater Guilielmi ultimi Ducis Aquitaniæ* 439 *c*
*Henricus Prior Colon. Ord. Prædic.* 643 *c*
*Henricus Coloniensis socius B. Jordani Ord. Prædic. virtute excellit* 721 *c d*
*Henricus pat. S. Conradi Ep. Constant.* 358 *e f*
*Henricus de Flore Aquisgrani* 15 *sec. mortuus* 855 *d*
† *Heraclius Afer in Italia* 524 *a* 527 *f*
*Hereuntaudus Ep. Meldensis* 719 *a c*
*Herefridus Presb. Lindisfarnen.* 7 *sec.* 183 *b*
*Hermacharus Ep. Ultrajectinus* 644 *a*
† *Hermagoras disc. S. Marci* 151 *b* 152 *c*
*Hermannus disc. S. Francisci* 150 *d*
† *Hermas sive Hermes disc. Christi* 644 *c*
† *Hermelandus Ab. Antri* 351 *a*
*Hermenfridus Ep. Virdunen.* 149 *f*
*Hermengarda uxor Ludovici Pii Imp.* 616 *f* 617 *f*
*Hermengarda uxor Guilielmi* 8 *Ducis Aquitaniæ* 438 *d e*
† *Hermolaus Presb. M.* 3 *d*
*Hermolaus Presb.* 3 *sec.* 644 *a*
† *Hermetis M. reliq. Rotnaci* 608 *b*
† *Hermippus M. Trebiæ* 157 *d f* 158 *c f* 159 *a*
*Hermogenes Ep. Cæsareæ* 590 *b*
† *Hermolaus Presb. baptizat SS. Fuscam et Mauram* 647 *a* 648 *d*
† *Herodion, Asyncritus, Phlegon disc. Christi* 644 *c*
*Herivæus Archiep. Remensis* 340 *c* 343 *d*
*Hetti Ep. Treviren.* 662 *d e f* 666 *d*
*Hiberni dediti peregrinationi* 365 *f*
† *Hierlatius Ep. Tuamen.* 508 *e*
† *Hieronymus Pragensis scriptor Vitæ S. Romualdi* 102 *c* 103 *a* 141 *e*
*Hieronymus Dungershemius scriptor laudis S. Scolasticæ* 394 *b* 405
*Hieronymus de Stufa Ord. Minor.* 507 *e*
*Hieronymus Molfetta Capucinus* 263 *b*
† *Hilarianus M. Trebiæ* 157 *c d* 159 *a*
† *Hilarii Ep. Gratianopol. Translatio Parisios* 172 *d*


*Hilarionis*

† *Hilarionis cella* 128 *e*
*Hilbertus Ab. Fontanell.* 344 *e* 348 *c*
† *Hilda Abb. Angliæ* 179 *c* 180 *a* 181 *a* 412 *b*
† *Hildebertus Ep. Meldensis* 353 *d*
† *Hildegardis* v *Abb.* 411 *c d f*
*Hildemarus Francus mon. Brixiæ* 9 *sec.* 809 *d*
*Hilteboldus Dux Scotorum pater S. Luduni Presb.* 639 *b*
*Hincmarus Archiep. Remensis* 342 *f*
*Honesta mater S. Gregorii* II *Papæ* 692 *b*
*Honesta mat. S. Honesti Presb.* 861 *e*
*Honestus Archiep. Ravennas* 104 *f* 105 *b*
† *Honoratus Ep. Tolosanus* 862 *e f*
† *Honorius Archiep. Cantuar.* 179 *b*
*Hoelus R. Britannum Armorican.* 6 *sec.* 307 *a*
*Hugo Archiep. Turonen.* 441 *d*
*Hugo an aliquis Rex Angliciæ ditionis* 189 *c d* 192 *b c*
*Hugo Magnus Marchio Etruriæ* 105 *b* 107 *b*
*Hugo de S. Victore* 508 *b*
*Hugo Generalis Eremitarum B. Joannis Boni* 475 *c*
*Hugo disc. S. Norberti Ab. Præmonstrat.* 378 *d*
† *Hugo Lacerta discip. S. Stephani Grandimontensis* 206 *e f*
*Humbertus* v *Generalis Ord. Prædic.* 724 *c d e* 725 *c*
*Humbertus* I *Ab. Igniacensis* 508 *d*
† *Hyacinthus Ord. Præd.* 215 *f* 639 *f*
*Hymenæus Ep. Hierosol.* 3 *sec.* 291 *f*
† *Hymnemodus Ab. Agaunen.* 545 *f* 546 *a*
*Hypatianus Ep. Heracleæ Thraciæ* 41 *f*
† *Hypatius in Ruffinianis* 776 *e f*
† *Hypolitus Presb. M.* 332 *b d* 333 *b c* 334 *d e f* 508 *a corpus inventum, translatum* 335


I


*Icasia V. pia CP.* 9 *sec.* 554 *f* 555 *a*
*Idon fil. Inir Guent. R. in Wallia* 6 *sec.* 306 *a*
† *Ignatius Patriar. CP.* 564 *f* 565 *d pellitur in exilium* 567 *a b*
*Imericus Archiep. Narbonen.* 712 *f* 714 *c*
† *Ina R. Occident. Saxonum* 71 *f* 72 *c*
*Ingelbertus disc. S. Romualdi, Archiepiscopus in Gentibus* 115 *f.* 117 *a* 126 *f*
*Ingelfridus Judex sub Arnulpho Imp.* 193 *c*
† *Innocentii Papæ corpus Romæ* 389 *d*
*Innocentius Papa contra Anacletum Antipapam* 440 *a b* 454 *b c favet monasterio Ratisponensi* 369 *d*
*Innocentius* III *Papa Sanctis adscribit S. Guilielmum* 450 *a b*
*Innocentius* IV *Papa Guilielmitis varia concedit* 475 *f et Eremitis S. Augustini in Etruria* 476 *e f* 477
*Innocentii* IV *bulla cœnobio Olivæ in Hannonia data* 493 *f alia Vallisucensi monasterio* 494 *c*
† *Innocentium* 5 *corpora Bononiæ* 48 *b*
† *Irenes ecclesiæ CP.* 771 *c* 772 *d*
*Irene soror S. Theodoræ Imper.* 554 *c*
*Irmentrudis Welphonis* II *uxor* 11 *sec.* 359 *a* 361 *b*
*Imgardis Saxonica* 2 *e*
† *Irmina Abb. in Horreo* 412 *b*
*Isabella mater B. Antonii de Stroncone* 146 *a*
*Isauri Syriam vastant* 5 *sec.* 391 *b c*
† *Isidori Ep. Hispalen. reliq. Legione* 569 *c monasterium* 570 *a apparitio* 570 *e*
† *Isidori M. corpus e Chio Venetias delatum* 27 *d*
† *Ismael Ep. Menevensis* 305 *a b* 307 *c*
*Ismaelitæ in Arabia an Saraceni* 43 *b c pro iis sumpti* 84 *b*
*Italicus Comes Præses Rhætiarum et Brixiæ sub Hadriano Imp.* 811 *a b c* 813 814 *d* 815
*Itha uxor Rudolphi Comitis* 11 *sec.* 361 *a e*
*Ivo frater S. Gilberti Melden.* 719 *c*


J


*Jucelinus fil. S. Guilielmi Ducis Aquitaniæ reliquias S. Antonii defert in Gallias* 435 *c d*
*Jacoba de Septem foliis Romana* 150 *d*
† *Jacobi discipuli in Hispania* 510 *b d e f*
† *Jacobus erem. Presb. Amidenus* 162 *a d*
† *Jacobus Hypæthrius eremita* 767 *c*
*Jacobus Lumbardus Ord. Prædicat. sub B. Jordano* 733 *b c*
*Jacobus Dandulus Venetus* 13 *sec.* 27 *d*
*Jacutus socius S. Winwaloci* 149 *c*
*Jairus Præfectus Gall.* 12 *c*
*Januarius Flumenpiscensis Donatista in Africa* 295 *b d*
*Jarento Abbas Divionensis* 378 *a*
*Jarlaithus Archiep. Armacanus* 507 *b*
*Joruman Ep. Merciorum* 687 *e*
*Joanna Balduini Com. Flandriæ et Imperatoris CP. filia* 496 *c* 497 *a*
*Joannes Evang. Ecclesiam Ephesinam post obitum S. Timothei regit* 858 *e*
† *Joannes Chrysostomus a S. Meletio instructus* 593 *c baptizatus* 593 *c d ad studia sacra translatus* 593 *e f*
*Joannes Beverlacensis Ep. Eboracensis* 185 *c*
† *Joannes Silentiarius* 163 *f*
† *Joannes et Benedictus discip. S. Romualdi MM.* 114
† *Joannes Bonus cœpit Congregationem Eremitarum sub regula S. Augustini* 474 478 *c*
*Joannes Petrus Caraffa* 239 *e* 251 *f Somaschenses unit Theatinis* 219 *f Idem Paulus* 4 *Papa separat* 218 *b familiaris Hieronymo Æmiliano* 233 234
*Joannes Cardinal. S. Marci* 12 *sec.* 204 *d* 211 *c*
*Joannes Patriar. CP. hæreticus* 8 *sec.* 693 *f* 694 *f* 703 *b*
*Joannes magus, iconomachus, præceptor Theophili Imp.* 557 *f fit Syncellus dein Patriarcha CP.* 557 *f* 558 *b ejicitur* 558 *d mulctatur* 560 *e f* 562 *e*
*Joannes Archiep. Barensis* 12 *sec.* 323 *f*
*Joannes Archiep. Salisburgen.* 855 *a*
*Joannes Danus Archiep. Upsalen.* 643 *c*
*Joannes Ep. Anglus Norwegos convertit* 848 *e*
*Joannes Ep. Abrincen.* 353 *d*
*Joannes Ep. Apameensis* 596 *f*
*Joannes de Bethunia Ep. Cameracen.* 494 *f* 496 *c*
*Joannes Saresberiensis Ep. Carnotensis* 200 *b*
*Joannes Ep. Meldensis Ab. Joguci* 805 *b*
*Joannes Ep. Rubesinus* 62 *f* 325 *e*
*Joannes Ep. Sardium scriptor Vitæ S. Nicephori M.* 283 *b* 285 *d*
*Joannes de Compesio Ep. Taurinensis* 633 *c e* 638 *d*
*Joannes Zimisces Imp.* 25 *f*
*Joannes* I *Dux Brabantiæ* 873 *a b*
*Joannes* III *Dux Brabantiæ* 873 *e* 874 *b*
*Joannes Danielis Dux Russiæ* 640 *e* 641 *a b*
*Joannes de Bellinis Ab. Arousiæ* 719 *f*
*Joannes Ab. Casamarii in Italia* 855 *b*
*Joannes Ab. Neapoli in Pede-cryptæ* 13 *sec.* 884 *c*
*Joannes Archidiac. Barensis, scriptor Vitæ S. Sabini Ep. Canusini* 313 *b* 329 *d et Inventionis* 323 *f* 330 *b*
*Joannes Bapt. Guilhermus Canonic. Feltrensis* 262 *a*
*Joannes de Nivella Canon. Oigniacen* 497 *f*
*Joannes Diac. S. Januarii, scriptor Vitæ S. Nicolai* 313 *c*
*Joannes Gradenicus socius S. Romualdi* 108 *c f* 110 *c*


*Joannes*

*Joannes Raulinus Gluniacen.* 855 f
*Joannes Scotus socius B. Mariani Scoti* 367 a *in Austria degit* 368 f
*Joannes Mauburnus* 547 d
*Joannes mon. CP. cum S. Auxentio* 772 a
*Joannes Minister Prov. Hungariæ Ord. Minor.* 742 c
*Joannes Teutonicus Ord. Minor.* 276 c
*Joannes Strincouensis Ord. Minor.* 146 b
*Joannes de Columna Ord. Prædicat. sub B. Jordano* 736 b
*Joannes Vincentius Ord. Prædic. sub B. Jordano* 733 c 735 d
*Joannes Wilvarii Prior Ord. Præd. Francofurti* 15 *sec.* 487 c
*Joannes de Monte Cassiana Ord. Erem. S. Augustini* 486 f
*Joannes de Salina Conversus Villarien. Ord. Cister.* 150 c
*Joannes Hesselius a Lovanio* 869 c
*Joannes pater B. Martini Legionen.* 570 b
*Joannes Leonardus Cerusus* 16 *sec.* 805 c
*Joannis Hau nomine adulterata diplomata* 447 f
*Joannis Bucheli figmentum de simulata morte Guilelmi Ducis Aquitaniæ* 447
† *Joannicius eremita* 564 f
*Jodocus Palmerius Ord. Montis Virginum* 150 e
*Joffredus Com. Andegaven.* 12 *sec.* 440
*Joffredus Vindociuensis* 12 *sec.* 440 e
*Jordanes Chartularius Leonis Isaurici* 704 f
† *Jordanus Prior S. Benedicti Novelli* 501 f 502 d
*Joscelinus Ep. Suessionen.* 440 c 454 e
† *Josephus Archiep. Thessalonic.* 562 b *hymnorum scriptor* 823 b
† *Josephus Presb. hymnorum scriptor* 823 b
† *Josephus Conf. hymnorum scriptor sub Theophilo Imp.* 805 d
† *Julianæ V. M. corpus Romæ* 389 e
† *Juliana V. Ursulana M.* 856 d
† *Julianæ Ursulanæ caput in Lusitania* 872 f
*Juliana matrona CP. sub Justiniano* 655 b
† *Julianus Ep. Apameæ* 2 *sec.* 7 c 8 b
† *Julianus M. in Armenia* 149 c
† *Julianus Antinoi occisus* 865 a d
† *Juliani et Ferreoli MM. Inventio* 806 d
† *Juliani M. Cultus Lodevæ* 898 f
† *Julianus hospitator* 573 c 642 c
† *Julianus Sabas eremita* 594 d
*Julianus Card. S. Angeli* 102 e
*Julianus Ep. Alexandrinus* 864 c f
*Julianus Apostata* 279 e 280 281. *Episcopos exules restituit, et persecutionem blandam movet* 587 f 588 a b
*Julius Papa* 152 *a extruit ecclesiam et cœmeterium S. Valentini* 753 b 755 d
*Julii* II *Papæ bella* 223 f 224 a
*Justinianus Imper.* 655 *a b d fidei professionem ad Pont. Rom. mittit.* 316 b 317 b *Dioclecianus appellatur* 316 c
*Justinianus Rhinotmetus Imp.* 692 f 693 702 b
*Justinianus Ep. Valentiæ* 302 f 303 a d
*Justus Ep. Urgellitanus* 6 *sec* 303 b
*Juvenalis Calaritanus an Martyr* 574 b

K

*Keannfaclaid Regulus in Connacia* 299 e
† *Keinanni, Caemgeni, poma* 836 c
*Kenredus R. Merciorum* 688 f
*Kenwulchius R. Occident. Saxonum in Anglia* 72 e
*Kieranus Moel Hibern.* 6 *sec.* 840 a c
† *Kilianus Ep. Herbipol. Scotus* 370 c 371 c 643 f
† *Kiliani Ep. Colonati Presb. et Totnani Diac. Inventio* 410 d
† *Kinesburga et Kinesuida sorores in Anglia* 688 f 690 c
† *Kunegundis Regina Poloniæ* 410 d

L

*Laconius Consiliarius Gundobadi R.* 672 c
*Laudradus Ep. Lugdunensis* 608 f
*Lambertus Ep. Engolismen.* 441 d
*Lancfrannus Generalis eremitarum B. Joannis Boni* 475 c *deinde omnium Eremitarum S. Augustini* 477 f
† *Landrada in dioc. Leodien.* 412 b
*Langobardi a longa barda, id est securi vel hasta dicti* 796 d
*Langobardi e Pannonia egressi, Italiam occupant* 318 f 319 *a sæviunt in templa, cœnobia et corpora SS.* 319 a b 326 a
† *Lantbertus Arch. Lugdunen.* 346 a 349 b 350 b f 351 a f
† *Largi et Smaragdi corpora Romæ* 389 d
† *Latinus Ep. Brixien.* 809 a
*Latinus Præfectus Gall.* 12 c
† *Laurentius apparet S. Fideli* 66 b
† *Laurentius Ep. Sipontinus* 7 *Feb.* 311 b 314 c d e
*Laurentius Ep. Stabiensis* 786 a
*Laurentius filius S. Julianæ* 50 b 52 a
*Laurentius a Bagnacavallo Ord. Min.* 574 f
*Laurentius Leodien. scriptor Vitarum Epp. Virdunensium* 169 a
† *Lazarus frater SS. Marthæ et Mariæ* 856 b
† *Leander Ep. Hispalen.* 582 b
† *Leo* I *Papa* 521 f 522 a b
*Leo* III *Papa* 311 f *exornat ecclesiam S. Valentini* 753
*Leo* IV *Papa* 389 e
† *Leonis Ep. corpus Romæ* 389 d
† *Leonis reliq. Veurtiis* 27 e
*Leo Ep. Cumanus* 884 e 885 d e
*Leo Ep. Nolanus* 316 c f
*Leo Ep. Ratisponensis* 480 c
*Leo* I *Imperator* 781 a f
*Leo Isauricus Imp.* 695 *a cultum imaginum vetat* 700 *a admonetur a S. Gregorio* II 700 b c 701 a b c d *excommunicatur liberis Italis obligatione ei parendi* 701 f 702 a b *mittit qui Papam occidant* 700 e 704 f *jubet imagines comburi* 705 e
*Leonis Carpani socii Hieronymi Æmiliani Fundatoris Ord. Somaschæ vita et obitus* 246
† *Leocritia Emeritensis* 65 b 66 e
*Leogarius fil. Neyl. R. Hibern.* 366 f
† *Leonides M. pater Origenis* 508 a
† *Leopardi M. corpus Aquisgrani* 757 a
† *Leopoldus Marchio Austriæ* 364 b *translatio* 806 e
*Leotericus Archiep. Senonen.* 719 f
† *Leufredus Ab. familiaris S. Ansberto* 344 e f
*Leuigildus mon. Indensis* 9 *sec.* 621 a
*Leutharus Francus, Ab. Brixiæ* 9 *sec.* 809 d
† *Leus, Leo, Patronus Leopolis urb. Ital.* 743 b
*Libanius magister S. Chrysostomi* 594 a b
*Libentius* II *Archiep. Bremen.* 850 a
*Liberius Consiliarius Brixiæ sub Hadriano Imp.* 811 a
*Licentius Consularis Romæ* 3 *sec.* 754 c
*Licinianus fil. Licinii* 31 c
*Licinius Imp. persequitur honoratiores* 890 c *et S. Theodorum* 891 892 893 *imperium* 25 c d e 31 c *persecutio* 28 b 31 c 33 *de iter Heracliam* 34 a b *interitus* 37 d e
*Liethardus fil. Wilhelmi Com. Hannoniæ* 9 *sec.* 192 f 193 b c 194 b c.
*Liuthardis, Lithogardis, matrona Germ.* 12 *sec.* 369 f 370 c
† *Liuba. Abb.* 412 b

Livini

† *Livini Ep. M. Translatio* 644 *a*
† *Lonanus fil. Darii Hibernus* 2 *b*
*Lotharius R. Cantii* 74 *c*
*Lubecia Electa S. Helenæ ancilla* 3 *e*
† *Lubentius Presb. Trevir.* 662 *b*
† *Lucas Siculus prope Corinthum mortuus* 82 *f*
† *Lucas Junior, Stylita* 83 *a*
† *Luciæ V. M. reliq. in Germania* 828 *f* 829 *a*
† *Lucianus Apost. Bellovac.* 11 *e d* 12 *c*
*Lucianus, Lucius Ep. Arianus Alexandriæ* 44 *d f*
*Lucianus Præses Magnesiæ sub Severo Imp.* 383 *b*
*Lucifer Ep. Calaritanus* 588 *d e Luciferiani ob eo hæretici dicti* 588 *e f* 596 *c*
† *Lucii Martyres* 13 *b*
*Lucius Dux Magnesiæ sub Severo Imp. fit Christianus* 383 *a b c*
† *Ludovicus Rex Galliæ* 435 *b* 485 *a*
*Ludovicus pius R. Aquitaniæ et Septimaniæ* 607 *e Imperator extruit Indense monasterium* 607 *b favet Ordini S. Benedicti* 609 *e*
*Ludovicus* II *Imp. Saracenos in Apulia oppugnat* 322 *e f*
*Ludovicus senior R. German.* 828 *d juvat in conversione Bulgarorum* 563 *f*
*Ludovicus* VI *Crassus R. Franc.* 441 *a b c*
*Ludovicus* VII, *Junior, R. Galliæ ducta filia Guillelmi ultimi Ducis Aquitaniæ accipit Aquitaniam* 441 442 *repudiat* 443 *f*
*Ludovicus Fulginas Ord. Minor.* 379 *a*
*Ludovicus maritus S. Elisabethæ* 411 *c f*
*Ludovicus pater B. Antonii de Stroncone* 146 *a*
*Luitprandus R. Longobardorum* 699 *c* 702 *e* 703 *e f*
*Lupardus grassator Gall.* 12 *sec* 206
*Lupus Dux Forojuliensis* 327 *f* 328 *b*
*Lupus Comes circa Cameracum* 373 *c*
† *Lutgardis Ord. Cistercien.* 731 *f*
† *Luttrudis Corbeiæ* 412 *b*

M

*Macarius Alexandrinus* 272 *c*
*Macarius Ab. Herbipolen.* 370 *d e f*
*Macfredus Ep. Lodeven.* 899 *e* 900 *b d*
*Macfredus Canon. Lodeven.* 891 *d*
*Maclasrius Ep. in Hibernia* 854 *f*
*Madocus Fernensis Ep. Hibern.* 308 *e* 309 *a*
*Magfredus Ep. Ruthenen.* 716 *a*
*Magilmunen mon. Anglus* 276 *b c*
*Maglocunus R. in Wallia* 6 *sec.* 306 *b c d*
† *Magnericus Ep. Trevir.* 508 *b*
† *Magnobodus Ep. Andegaven.* 676 *d e f* 677 *c d* 681 *f* 685 *c*
*Magnus, Migno, Archiep. Senonen.* 546 *e*
*Malduinus R. Scotiæ* 73 *f*
*Maldulus donator fundi Camalduli* 103 *d f ejus prosapia* 104 *a b c*
† *Mamas M.* 565 *a*
† *Mamertus Ep. Viennen.* 522 *f*
*Manasses Ord. Vallis scholarium* 484 *d*
*Manchanus Ab. Moethensis Hibernus* 742 *b*
† *Moneticus Ab. in Jona ins.* 574 *c*
† *Mansuetus Ep. Tullensis an Scotus* 366 *a c*
*Manuel Magister ac Domesticus Scholarum sub Theophilo Imper.* 558 *f* 559 *a b c* 560 *f* 566 *c*
*Marbodus Ep. Redonensis, scriptor Vitæ S. Licinii Andegaven.* 676 *a* 682 *d* 686 *e*
† *Marcellinus Papa* 157 *f*
† *Marcellinus Ep. Ebredunensis* 660 *b e f* 661 *b*
† *Marcellinus scriptor Vitæ S. Suitberti* 70 *f*
† *Marcellus Ep. Treviren.* 806 *d*
† *Marcellus Ep. Parisien.* 806 *d*
† *Marcellus Ep. Diensis* 806 *d*
† *Marcellus Ep. in Sicilia M.* 277 *a*
*Marcellus pater S. Gregorii* II *Papæ* 692 *b*
*Marchinus Ep. in Hibernia* 854 *f*
† *Marcianus Ep. Raven.* 509 *a* 510 *e*
† *Marcianus Ep. Dertonen. M* 808 *d* 822 *a e*
† *Marcianus Ep. Syracusanus* 277 *a*
† *Marcianus Oeconomus* 771 *d*
*Marcianus Imp. curat haberi Chalcedonensem Synodum* 775 *a b evocat ad colloquium S. Auxentium* 777
*Marcus Afer in Italia* 524 *a* 527 *f* 530 *e*
*Marcus Generalis Eremitarum B. Joannis Boni* 475 *c*
*Marcus Dandulus Venetus* 13 *sec.* 27 *d*
† *Maria Magdalena* 856 *b d*
† *Martha V. Tarvisii clara miraculis* 226 *c d e*
† *Maria Oigniacensis* 269 *d* 412 *b* 500 *c f*
*Maria Cleopha Carcana Abb. Medensis in Italia* 711 *d*
*Maria soror S. Theodoræ Imper.* 554 *c*
*Maria filia S. Theodoræ Imper.* 556 *e* 558 *a*
*Maria soror S. Lucæ Junioris* 84 *e*
*Maria mater Alexii Kijoviensis* 641 *b*
*Marianus Scotus Chronographus* 363 *a b c d e f*
† *Marina V.* 575 *b*
† *Marinus Ab. Lirinensis* 546 *a*
*Marinus pater S. Theodoræ Imper.* 554 *c*
*Marinus Spatharius Leonis Isaurici* 704 *c*
*Marinus Caracciolus Princ. Abellinatium Dux Atripaldæ* 334 *b* 335 *d*
*Marinus Erem. director S. Romualdi* 107 *f an Martyr* 108 *e* 110 *f*
† *Marius, Martha MM.* 752 *f* 754 *b d*
*Marius Ab. Rodanensis* 767 *b*
*Marmaritarum legio* 23 *a*
*Marosas mon. Syriæ* 767 *b*
† *Martha V.* 856 *d*
*Martinacia familia sub Theophilo Imp.* 558 *c*
† *Martinianus Ep. Mediolan.* 521 *b* 523 *f*
*Martinianus a Licinio Cæsar creatus* 37 *e*
*Martinus Ep. Grosselanus* 472 *b f*
*Martius Presb. Treviris* 665 *b*
† *Martyres Persæ Martyropoli quiescentes* 856 *e*
† *Martyres* XXXIII *Melitenenses* 650 *c*
† *Martyres* XL *Sebasteni* 742 *d*
*Martyres* 1000 *Trebiæ occisi* 158 *f*
† *Maruthas Ep.* 856 *e*
† *Massona Ep. Emeritensis* 66 *d f*
† *Maternus Ep. Treviren.* 662 *f*
*Mathildæ fil. Roberti Guiscardi Ducis nubit Comiti Barcinonensi* 330 *c f*
*Matthæus Archiep. Barensis* 13 *sec.* 324 *c*
*Matthæus Generalis Eremitarum B. Joannis Boni* 475 *c*
† *Mauritius et socii Thebæi Mart.* 545 *a* 548 *c e* 657
*Mauricius Ep. Legionen.* 570 *e*
*Mauricius Ab. Ratisponæ* 12 *sec.* 369 *b* 370 *a*
*Mauroceni illustres apud Venetos* 221 *d e*
*Mauvia Regina Saracenorum Christiana* 43 *f bella gerit cum Romanis,* 44 *a b Episcopum petit* 44 *a b*
† *Maximi Levitæ M. reliq. Neapoli* 883 *c* 885 *a b*
† *Maximianus Ep. Ravennas* 166 *b*
*Maximianus Præses Umbriæ sub Diocletiano* 158 *a* 159 *b*
*Maximiliani* I *Imp. bella in Italia* 223 *f* 224 *a*
*Maximilla ex hæresi Cataphrygum* 5 *a b c d* 6 *d* 7 *c d e* 8 *b*
† *Maximinus Apostolus Aquarum Sextiarum* 196 *b*
† *Maximinus* II *Ep. Treviren.* 663 *d e* 664 *f*
† *Maximus Ep. Geneven.* 545 *c*
*Maximus Ep. Aquilejensis* 165 *d*
*Maximus Ep. Bostræ* 3 *sec.* 292 *a*
*Maximus Cynicus sub Theodosio Magno* 598 *a*

*Maynetus*

† Maynetus, Boninus, Satyrus MM. Ticini 152 f
Mazolinus Dux Ottonis III 134 b
Megingaudus Com. aut Dux 9 sec. 188 c 189 a b
† Mel Ep. Hibern. 551 c
Meldanus avunculus S. Cuthberti 67 a b
Meldanus de Cluain-Chembre 67 a
Meletius Chorepiscopus regionis Antiochiæ 597 a
Melanus fil. Darii Hibern. 2 c
Memmiæ V. M. Corpus Romæ 389 e
Menæ eccl. Venetiis 26 f
Mencleus fundator Menati monast. 617 a f
Mennas Ep. CP. 316 b c d
Mercelmus R. aqud Mercios 688 f
Mereraldus R. Merciorum 688 f
Meriandeni populi Orientis 23 b 24 f
Merpas Hunnus 4 sec. 30 c 36 e
† Methodius Patriar. CP. multa passus sub Theophilo, ab eo consulitur in aulam vocatus 559 a b 560 a b calumniam adulterii eludit 560 c d e f 561 a b 562 e
Metrophanus Ep. Smyrnæ 560 f
† Michael apparet in Gargano monte 59 63 a
† Michaelis imago Archistategus dicta 26 c
Michael III Imp. filius Theophili cum S. Theodora matre imperat 558 c d e 562 c dissolute vivit 564
Midabaria soror S. Berachii 839 a
† Mildanus, Modanus Ep. Scotiæ 67 c
Milites 83 Licinii an Martyres 2 a 28 d 30 b 36 d e
Miltiades scriptor 2 sec. 7 e
† Milo Ep. Beneventanus 205 c
Milo Ep. Tarvanen. 805 c
Mimborinus Scotus Ab. Hibernus 362 b
Miro Ep. Gerundensis 744 d f
Misenus Ep. Legatus S. Felicis III Papæ 160 e f
Modarius Ab. S. Tiberii 621 d
† Modesta Abb. 412 b
† Modestini Ep. M. corpus in Monte-Virginis 764 f
† Modestus Levita M. 575 d
† Modoaldus Ep. Trevirorum 170 a
Mombolus Hibernus 53 e
Montanus auctor hæresis Cataphrygum 5 a b c d 6 c d e f 8 e
Mordacus R. Scotorum 834 b
† Moyses Æthiops 3 e 45 e f 46 d e
Moyses vorii Abbates et monachi 45 f 46 e
Mucius Cinquinn Ep. Abellinas 334 c 335 a
Mummolus Ab. Floriacen. 398 b
Mummolus Patricius Gall. 6 sec. 832 a d
Muricherodachus Scotus in Germania 363 c 364 b
Myriandini populi Orientis 23 b


N


Naimus Bojus sub Carolo M. Præfectus Brixiæ 808 c
Narses Dux 26 f 27 a
† Nathi Hibernus 299 f 300 d
Naucratius Ab. Studitarum 561 f
† Nazarius et Celsus Mart. 152 d e f 154 f
Neapoleo Com. pater S. Reynaldi Ep. Nucerini 373 d
† Nearchus M. 651 a d f 552 f 653
† Nectanus Conf. an Ep. Aberdonen. et Sanctus 742 d
Nectarius Ep. CP. 599 e
Nefredius Ep. Narbonensis 608 f
Nendalus, Nemnaldus, pater S. Berachii 834 e 838 f
† Nerei et Achillei reliq. Venetiis 27 e
Nestorii hæresis 772 e
Nibridius Arch. Narbonen. 614 b
Nibridius in Gall. Narbonen. 9 sec. 613 c
† Nicandri M. corpus Romæ 389 d
† Nicephori Patriar. CP. corpus transfertur 562
† Niertius Ep. Vesontinus 414 e
† Nicolai Ep. Myræ sepulchrum 317 c d revelatio de S. Sabino 332 f Translatio Barium 206 a
Nicolaus I Papa juvat in conversione Bulgarorum 563 e ejus epistola ad S. Theodoram Imperatricem exulem 566 e f 567 a b
Nicolaus Ep. Barensis 330 c
Nicolaus Igniacensis Ord. Cisterc. 276 c
Nicolaus de Gemblaco 574 e
Nicomas Ep. Iconii 3 sec. 292 a
Nivardus frater S. Bernardi 2 f
Notburgis Coloniæ 412 b
Nun Subregulus Occident. Saxon. 72 f


O


Octavianus Cardinal. 12 sec. 204 d
Odilo Dux Bavariæ 70 e
Odo Ep. Cantuarien. 3 d
Odo R. Galliæ 190 a b
Odo Niger R. Breffenensium in Hibernia 836 f
Odo Princ. Teffeorum in Hibernia 836 f
Odo Comes Melden. et Trecen. 818 c d e
Odoacer R. Erulorum 57 d 58 a d 60 e
Offo R. Anglosax. conditor Offenburgi 74 a 79 b
Offo R. Orient. Anglorum 74 b
Olaus R. Norwegiæ 849 b c e f
Olaus R. Sueviæ 10 sec. 848 c 849
Oliba Cabrera Com. Bisoldunen. Hisp. 744 d e f
Olibanus Com. Italus 10 sec. 110 b 111 b
Onchuo poeta Hibernus 149 f
† Onesimus M. Puteolanus alius a S. Onesimo Ep. Ephesino 859 c d e f
† Orentius M. in Gallæcia 742 a
Origenes 289 b c e f 290 a
Origenes Presb. et œconomus Pambo Abbatis 293 d
Ormanetius Vicarius S. Caroli Borromei 245 d e
Orphetus sacerdos idolorum Brixiæ 812 c
Osbrichtus R. Northumbriæ a Danis occisus 190 d 192 f
Ostritha uxor S. Ethelredi R. Merciorum 180 a
† Oswaldus R. Northumbriæ 178 c f 179 c 190 b c 192 b c 195 caput 606 b
Oswinus R. Deirorum 178 e
Oswius pat. S. Elfledæ R. Northumbriæ 178 f 179 etiam R. Merciorum 687 d 689 f 691 d Pictos domat 414 a an Sanctis adscriptus 804 f
Othlonus scriptor Vitæ S. Bonifacii 71 b
Otho Presb. Ord. Minor. 742 c
Otreius Ep. Melitenæus 650 b
† Otto Ep. Bambergen. 367 a b
Otto Ep. Ratisponen. 365 c 367 b
Otto III Imp. 798 d invisit S. Romualdum 113 d 126 f 134 a
Otto Præfectus Ratisponen. 11 sec. 369 b 372 b
† Oudocens Ep. Landaven. in Wallia 303 c 304 e 305 d 306 b 307 d f.


P


† Pachomius Ab. 272 a 274 b 520 b c
Paganus mon. Catanæ 378 b
† Palæmon Ab. Ægypti 272 a
Palladius Ep. Salapiæ in Apulia 62 f 63 d 325 d
† Pamphilus Presb. Valens Diac. Paulus MM. Cæsareæ Palest. 866
† Pancratii reliq. Venetiis 27 e
† Pancratius Ep. Tauromenitanus 277 a
Pancratius mon. Græciæ 10 sec. 97 c f
Pantagathi Senatoris epitaphium Vasione 783 f
† Pantaleon M. 382 c
† Paphnutius Ab. 270 a 277 b
Paphnutius pater S. Euphrosynæ precibus hanc impetrat

*trat* 537 *f eam quærit* 539 *c cum ea loquitur, non agnoscens* 540 544 *moribundam agnoscit* 540 544 *pie moritur* 541 *c* 544 *e*
† *Parthenius M. Romanus* 508 *a*
† *Paschasius Ep. Namneten.* 351 *a d*
† *Paschasius Ab. Montis-Virginis* 493 *c*
*Paschasius Presb. Castri Nantonis* 6 *sec.* 546 *d* 550 *d*
† *Paterius Ep. Brixien.* 52 *c f*
† *Paternus Ep. Venetensis* 304 *e* 307 *f* 309 *a c d e*
† *Patricius* 36 *b c Consecrat S. Attractam* 297 *a* 299 *b reliq. Peronæ* 66 *c*
*Patricius centurio Lucini an Martyr.* 2 *a* 25 *e* 30 *b* 36 *d* 892 *c*
† *Patrocli Ep. Gratianopolit. Translatio* 172 *c*
† *Patto Ep. Verdensis* 889 *a c d e*
† *Paula vidua* 666 *d* 669 *e f*
*Pauliciani Manichæi dicti* 564 *b*
† *Paulina V. M. corpus Romæ* 389 *d*
† *Paulinus Ep. Trevir.* 508 *b*
† *Paulinus Ep. Eboracen.* 178 *e* 180 *c.*
*Paulinus Ep. Antiochiæ Eustathianorum* 588 *c f* 589 *f* 595 *d e f* 596 *e d.*
† *Paulo Apost. captivitas prædicta a S. Agabo* 644 *f* 645 *a*
† *Paulus Papa* 156 *f*
† *Paulus* I *Ep. Brixiensis* 52 *b c*
† *Paulus Episc. Emeritensis* 63 *c f* 64 *b* 66 *d*
† *Paulus M. in Palæstina* 379 *e*
*Paulus Samosatenus Ep. Antioch.* 290 *e f ejus hæreses, et vita* 290 *f* 291 292
*Paulus* II, *seu Paulinus, Ep. Brixiensis* 82 *b e*
*Paulus, Paulinus, Pseudo Ep. Aquileiæ* 165 *e* 166
*Paulus Diaconus scriptor Vitæ S. Scholasticæ* 393 *a*
*Paulus Diaconus Ticinensis* 152 *c* 155 *a*
*Paulus Exarchus, Patricius Leonis Isaurici* 704 *d e* 705 *a*
*Paulus Justinianus* 16 *sec.* 144 *b*
*Paulus Trincius Fulginas* 146 *b e*
*Paulus Conversus de Luka Ord. Cisterc.* 150 *c*
*Peoda R. Middelengl. et Merciorum Austral.* 179 *c e* 687 *e* 689 *f*
† *Pelagia M.* 805 *a*
† *Pelagius Ep. Laodiceæ* 593 *b* 594 *c* 595 *d*
*Pelagius Papa* 166 *f*
*Pelagius* II *Papa an Sanctis adscriptus* 150 *f*
*Pelagius Ep. Salapitanus* 311 *b* 314 *d*
*Penda R. Merciorum* 687 *c*
*Pepuziani hæretici* 51 *c*
*Petranus Hibern. fr. SS. Tresani, Gibriani et Helani* 53 *b* 54 *b*
*Petronas Domesticus Legionum fr. S. Theodoræ Imperatricis* 554 *e* 555 *c d e* 559 *e*
*Petronax restaurat Casinum monast.* 398 *d* 696 *c d*
† *Petronius Ep. Bononiæ* 48 *f* 52 *d*
† *Petrus Apost. mittit Episcopos in Cyprum* 277 *c f*
† *Petrus Ep. Alexandr. M.* 18 *d* 742 *c*
† *Petrus Metropolita Kijovien.* 640 *c* 641 *d*
† *Petrus Ep. Damascenus* 806 *d*
† *Petrus Damascenus M.* 276 *f*
† *Petrus Damianus scriptor Vitæ S. Romualdi* 102 *b* 106 *c* 141 *c ejus sermo de S. Eleuchadio Ep. Ravennate* 748
† *Petrus M. Hispalensis* 582 *b*
† *Petrus M. cubicularius Diocletiani* 18 *e*
*Petrus Ep. Alexandr. successor S. Athanasii* 197 *d*
*Petrus Mongus hæret. Patriar. Alexandr.* 160 *c f*
*Petrus* I *Archiep. Neapolitanus* 870 *c*
*Petrus* IV *Archiep. Ravennas* 509 *c*
*Petrus Igneus Ep. Albanensis Cardinal* 150 *b c*
*Petrus Ep. Bixien.* 9 *sec.* 810 *b*
*Petrus Ep. Canusinus* 310 *b* 311 *f* 327 *c quando sederit* 312 *a b transfert corpus S. Sabini* 220 *a*
*Petrus Italus Ep. Virdunensis* 174 *a*
*Petrus Ab. Cellensis* 200 *c*
*Petrus Urseolus ex Duce Veneto monachus Camaldulensis* 105 *b* 108 *b e f* 110 111 *b*
*Petrus Urseolus alterius fil. Dux Dalmatiæ* 108 *c f*
*Petrus Princ. Bulgarorum* 10 *sec.* 91 *d*
*Petrus Florentinus ope S. Guilielmi sanatus, monachus clarus miraculis* 469 *e*
*Petrus* 2 *Prior Ord. Grandimontensis* 203 *e* 210 *c*
*Petrus a S. Christophoro* 3 *Prior Ord. Grandimontensis* 203 *e*
*Petrus Bernardus* 5 *Prior Ord. Grandimontensis* 204 *a b*
*Petrus Burdenheuver Prior ultimus Guilielmitarum Marcoduri* 489 *a*
*Petrus Fictarolus Subdiac. Neapoli.* 13 *sec.* 884 *c*
*Petrus disc. S. Guilielmi* 449 *e*
*Petrus de Bifurco disc. S. Romualdi* 116 *b c*
*Petrus Paschalius de Salento Ord. Minor.* 507 *e*
*Pharanitæ in Arabia an Saraceni* 42 *f*
*Phanulphus Com. Orvietanus* 118 *b*
† *Philastrius Ep. Brixiensis* 52 *b c* 886 *c an auctor Vitæ SS. Faustini et Jovitæ MM.* 807 *f*
† *Philemon disc. S. Pauli* 856 *c e*
*Philetus Ep. Melitopoleos* 38 *e* 42 *e*
† *Philibertus Ab.* 420 *a* 421 *e Translatio* 743 *a*
*Philippa Mathildis uxor Guilielmi* 8 *Ducis Aquitaniæ* 438 *b*
*Philippicus Bardanes Imp.* 693 *c d e*
*Philippus Ep. Eistetten.* 70 *a*
*Philippus Spatharius Imperatoris* 10 *sec.* 97 *e* 98 *b*
*Phœbi caput Kioviæ* 370 *b*
*Photina puella in rupe maris vixit et mortua, Cæsareæ Palæstinæ sepulta* 642 *e* 670 671
† *Piatus, Piato M.* 9 *c e* 10 *c* 11 *c* 12 *b* 547 *c*
*Picti muro a Britannis submoti: domiti ab Anglis* 414 *c f* 415 *a*
*Pippinus Herstallius* 351 *c mittit S Ausbertum in exilium* 354
*Pippinus R. Franc.* 360 *b*
† *Placidus M. Ord. Benedictini visitat S. Sabinum* 315 *e f*
*Placidus Præfectus urbis* 3 *sec.* 755 *f*
† *Plato* 562 *b*
† *Polycarpus Presb.* 280 *c d e f* 281 *c*
† *Pompeius Episc. Ticini* 152 *c f* 154 *e*
† *Pontianus Ep. Tudertinus* 656 *c*
*Pontius frater S. Fulcranni Ep.* 899 *b*
*Porphyrius Dux ad fidem Ticini conversus* 2 *sec.* 153 155 *a*
*Possenna Hiberna soror SS. Tresani Gibriani et Helani* 53 *e* 54 *b*
*Pothus Prætor Atticæ* 10 *sec.* 96 *b c d* 97 *a*
† *Primiani M. Corpus Lesinæ inventum* 338 *c*
*Primosus Ep. Lemellensis in Africa* 295 *a*
*Primus Comes, socius Hieronymi Æmiliani Fundatoris Ord. Somaschæ* 244 *f ejus res gestæ et obitus* 244 *f* 245
*Prisca, Priscilla, ex hæresi Cataphrygum* 5 *c d e*
† *Priscus Ep. Afer Capuæ* 524 *a* 526 *e* 527 *c*
† *Probi reliq. Raven.* 509 *d*
*Probus Ep. Canusinus* 314 *b*
† *Procopius Megalomartyr* 26 *d oratorium* 91 *c*
*Promptia Hiberna soror SS. Tresani, Gibriani et Helani* 53 *e* 54 *b*
*Pulcheria Augusta* 781 *e*
*Pulcheria fil. Theophili et S. Theodoræ Imp.* 556 *e*

*Q*

† *Quadragesima V. M.* 742 *f*
† *Quinidius Ep. Vasionensis* 782 *b c d e*
*Quintianus Præses sub Decio* 647 *f* 648 *b* 649 *a b d*

*Quintinianus*

† *Quintinianus Ab.* 571 e
† *Quintinus M.* 9 e 10 c 11 b 12 b
*Quintus Ep. Nolanus* 20 d
† *Quiriacæ viduæ corpus Romæ* 389 d
† *Quiriacus aut Quiricus Ab.* 680 f
† *Quirillæ V. M. corpus Romæ* 389 d
† *Quirini Ep. corpus Romæ* 389 d
† *Quodvult Deus Ep. Mediolan.* 523 f 524 b

R

*Rachis e Rege Longobard. monachus* 397 b c d
*Radagaisus in Tuscia cæsus* 51 e
† *Radegunda Reg. Gall.* 410 c *Translatio* 508 d
*Radelchis Dux Beneventanus* 322 a *Saracenos advocat in Apuliam* 322 c
*Radulphus Com. Veromanduorum* 441 c d 442 f
† *Ragenfledis Sanctimonialis Dononiensis* 412 b 413 d
*Ragnomirus Lector Synodi Rotomagen. 7 sec.* 353 d
*Raimundus Princ. Antiochiæ frater Guilhelmi ultimi Ducis Aquitaniæ* 439 c 462 e
*Reinaldus Guilhelmita in Stabulo Rodis* 468 e f
*Reinardus Ab. Indensis* 608 c
*Raineruş Conversus Villariensis* 2 f
*Rampertus Ep. Brixien.* 9 *sec.* 809 d e
*Ranulfus Dux Aquitaniæ* 436 a
*Raphael Galeottus Cardinalis* 143 b 144 b
*Raymundus Ep. Agennen.* 441 a d
*Raymundus Can. Ruthenensis* 714 b
*Raynerius Marchio Tusciæ* 11 *sec.* 118 f
*Reginaldus Ep. Parisien.* 720 a
*Reginaldus Ord. Prædicat.* 726 a
*Reginaldus junior Ord. Prædic. sub B. Jordano* 730 c
*Reginoldus Ep. Eistetten. scriptor Vitæ S. Willibaldi* 69 f
† *Regulus Arch. Remensis* 353 d e
*Rein R. in Wallia* 6 *sec.* 306 a
† *Remigius Ep. Rotomag.* 400 f
*Restituta Calaritana an Martyr.* 506 f
*Ricardus S. Angeli Cardinal.* 477 c 479 b
*Ricardus Ord. Vallis scholarium* 484 d
† *Richardus Imp. Abb.* 412 b
† *Richardus Ep. Andrensis* 311 b 314 c d f
*Richardus nepos S. Mengoldi* 194 b c *filius Regis Northumbrorum* 195 a
*Richardus Mirodius* 489 c
† *Richmirus Ab. Cenomanis* 741 f
† *Rictrudis et filiarum elevatio* 3 c
*Rigobaldus Chorepisc. Remensis* 9 *sec.* 341 f 342 c
† *Rigobertus Ep. Remen.* 699 a
† *Rumi caput Belliporti* 574 c 604 f
*Rizericus a Mutina* 3 a
*Robertus Ep. Engolismen.* 441 a
*Robertus, Ruotpertus, Rupertus Archiep. Trevir.* 829 e
*Robertus Chlotharii in Referendarius* 348 f 349 d
*Robertus Guiscardus Dux Apuliæ* 330 b c f
*Robneus Ab. in Hibernia* 855 a
*Rodoaldus Dux Beneventanus* 320 d
*Rodulphus Com. frater S. Conradi Ep. Constantien.* 358 f 360 b 361 d
† *Rogerius Ep. Cannensis* 311 b 314 b c e
*Rogerius Ep. Abellinen.* 764 a 765 c
*Rogerius fil. Roberti Guiscardi Dux Apuliæ* 330 f
*Rogerus Ab. S. Vitoni Ord. Præmonst.* 174 b
† *Romani Presb. Blavien. Translatio Parisios* 172 d
*Romualdus* I *Dux Beneventanus* 320 e 321 a 327 a f
*Romualdus* II *fil. Gisulfi Dux Beneventanus.* 312 a
† *Romanus Ep. in Scotia* 2 d
† *Rossius Affer in Italia* 524 a 526 e 527 f
*Rosvida Gandershemii* 412 c
*Rotrodus Perticensis* 12 *sec.* 442 d
*Ruodbertus, Rutbertus Arch. Turon.* 353 d e
*Rudolphus Ab. monast. S. Altonis* 361 a
† *Rufinus Ep. Marsorum* 508 d
† *Rufinus Ep. Capuanus* 842 e f 843 d
† *Rufinus et Valerius Mart.* 575 a *elevatio Suessione* 643 e
† *Rufus disc. Christi* 644 c
*Ruricius Ep. Lemovicen.* 672 f d
*Russorum Duces* 370 a
† *Rusticius Ep. Lugdunen.* 672 f
*Rusticus Ep. Fæsulanus* 316 c f
*Ryquinus Ep. Magalonen.* 714 c

S

† *Sabinus Ep. Placentinus Ital.* 390 d 741 b
† *Sabinus Spoletinus M. Ep. Asisinas* 327 d 328 b
† *Salaberga Abb.* 412 b
† *Salomea Reg. Poloniæ* 215 e f
† *Salomon R. Britonum* 150 f
† *Salomon M. Cordubens.* 150 e
† *Salvius Ep. Ambianen.* 353 d
† *Samthanna Abb. Hiberna* 837 c
† *Sampson Ep. Dolensis in Armorica* 306 e f 307 a b
† *Sanctinus Ep. Meldensis* 718 c
† *Sanctinus Ab. Viennæ Germ.* 371 f
† *Sanssimus Conf. est S. Tresanus* 2 e 54 a
*Sapaudus Ep. Arelaten.* 831 d 832 d
*Sapricius primicerius scholæ Candidatorum sub Hadriano Imp.* 816 a 821 d e
*Sapricius Presb. apostata* 3 *sec.* 283 e f 284 286 287 894 895
*Saraceni αὐτόχθονες Arabiæ* 43 a b e *an Ismaelitæ* 43 c *Christianis infensi* 43 c *conversi ad fidem* 43 e f
*Saraceni in Apuliam evocati* 9 *sec. dire grassantur* 322 b c
† *Saturninus Ep. Tolosanus* 612 d 613 c 860 c f 861 862 *translatio Parisios* 173 b *pars Virdunum delata* 173 c e 177 c 178 d
† *Saturnini Martyres* 13 d
*Savinella seprlit S. Valentinum Presb.* 755 d e
† *Savinus* 617 c f *monasterium in Pictonibus* 617 e f
*Saxorum familia a Grimoaldo R. Longobardorum* 107 d
*Saxulphus Ab. Medeshamstede* 690 a
*Scenitæ an Saraceni* 4 a c
*Scipio Albanus scriptor Vitæ Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congregationis Somaschæ* 217 f 255 e
*Scladio Ab. in Synodo Rotomagen. 7 sec.* 353 d
*Scoti in Germania peregrinantur, prædicant, monasteria extruunt* 361 362 *horum aliqui Hiberni* 362
† *Secundinus Afer in Italia* 524 a 527 f
† *Secundus M. Astensis* 807 e 821 c 822
*Sedulius Ep. Dublinen.* 574 c
*Sebrandus Ep. Lemovicen. 12 sec.* 204 d
*Seodan Saracenus, R. Barii* 322 e f
† *Sequanus Ab. in diœc. Lingon.* 608 e 612 c d 621 b
† *Serapion M. Alexandriæ* 151 d
† *Serapion anachoreta* 166 c 772 b e
† *Sergius Papa educat S. Gregorium* II *Papam* 692 c 703 a
*Sergius* II *Papa* 389 c
† *Sergius M.* 3 b
*Sergius Ep. Carcassonen.* 671 c
*Sergius Ep. Damascenus* 134 c
*Sergius Ab. S. Auxentii* 780 d
*Sergius Patricius frater Photii Patriar.* 554 c
*Sergius pater S. Romualdi* 110 105 c 108 f 109 b c
*Servanus Apost. Orcadum* 366 f
*Setas mon. CP. cum S. Auxentio* 771 d


*Sereri*

† Severi M. reliq. Antverpiæ 754 b
Severus Ep. Treviren. 303 f
Severus Imp. initio favit Christianis 381 f dein persecutus 381 f 382 c 383 e f 384
† Seustius M. Tudertinus 377 b
† Sexburga Regina Cantiorum 687 a 691 a
Sextus scriptor Eccles. 377
Sextus Proconsul sub Licinio Christianus 2 a 25 c d 30 b 36 e
Sicardus Dux Beneventanus 322 a 785 b f
Sico, Sigo, Princ. Beneventanus. 785 c e
† Sidonius Ab. familiaris S. Ansberto 344 e
† Siffridus mon. Lerinensis 830 a b
Siffridus Propheta Cisterc. 855 c
Sigebodus Archiep. Narbonensis 578 d
Sigenulfus oppugnator Ducis Benevent. 322 c
Sigherus Rex Orient. Saxonum in Anglia ab apostasia convertitur 688 e
Sigo Dux Beneventanus 322 a
Sigobertus Ab. S. Dionysii 699 e
Sigohardus Com. Hanoensis 189 f
Sillanus mon. Hibern. 6 sec. 838 f
† Silverius Papa 317 a c 392 d
† Silvester Papa jejunium Sabbati defendit 109 d corpus Romæ 389 d
Silvester II Papa 112 e f 136 f
† Simeon senex 277 d
† Simeon Stylites 781 a
Simeon Princ. Bulgarorum 9 et 10 sec. 90 e 91 c
† Simplicianus Ep. Mediolan. 521 b
Siwinus pat. S. Ansberti Ep. Rotomag. 348 f
† Sisinnius Ep. Tei in Ionia 743 a
Solina V. M. apud Carnutes 508 d
† Solutor, Adventor, Octavius MM. 631 c 632 a 658 659 Inventio 379 d
† Sophiæ V. M. corpus Romæ 389 d
Sophia soror S. Theodoræ Imper. 554 c
† Sophronius Ep. Cypri 271 e
† Soteris Papæ M. corpus Romæ 389 d
Soteris nomen usitatum Romanis 386 c
† Stabilis Ep. Claromont. 429 b
Stabulus Ep. Mogulonen. 620 b
† Stanislai Ep. M. corpus Cracoviæ 215 e
† Stephani rel. Siponti 58 a 60 f
† Stephani Papæ M. corpus Romæ 389 d
† Stephanus R. Hungariæ 135 c
† Stephanus Patriar. CP. 622 b 626 b
† Stephanus Arch. Bituricensis 642 c
† Stephanus Ab. S. Justinæ Paduæ 501 d
† Stephanus Auxentianus M. 770 b c d
Stephanus Nardinus Archiep. Mediolan. 523 a
Stephanus Ep. Parisien. 441 c
Stephanus Catalaunensis Ep. Prænestinus 574 e 643 b
Stephanus Hungarus Ep. Prænestinus 480 e
Stephanus Ep. Tornacensis 200 f
Stephanus Ep. Trojanus in Apulia 532 d
Stephanus Ab. S. Justinæ Patavii 378 f
Stephanus Ab. Lodeven. 898 a
Stephanus Ab. Ratensis in Lusitania an Sanctus 642 f
Stephanus Cancellarius Ludovici VI R. Gal. 441 c
Stephanus Prior Lombardiæ Ord. Prædicat. 722 c
Stephanus de Lisiaco 4 Prior Ord. Grandimontensis 203 f
Stephanus pater S. Lucæ Junioris 84 d
Sueno R. Daniæ infestat Angliam 848 c d
Sugerius Ab. S. Dionysii 441 c 442 a e
† Suitberti Vita mendosa 70 f
Suitgarius Comes Germaniæ 70 e
† Sulpitius Ep. Trajecten. 275 c
† Susanna Hebræa Babylone 575 e
Swartzenburgici Comites antiqui 370 b





Symmachus Papa 389 c
Syroy, Seroi pater S. Fuscæ V. M. 647 e f 648 a f 649 b
† Syrus I Ep. Ticinensis 3 f 152 b d 154 f Acta ejus scripta 155
† Syrus M. Alexandriæ 743 e


## T


Tagino Archiep. Maydenburg. 797 c 799 a
Talanus Hibern. pater S. Attractæ 297 b c
Tammarus Afer in Italia 524 a 526 d 527
Tanculfus Camerarius Ludovici Pii 620 c
Tarchellus Ep. in Hibernia 834 f
† Tatiana, Zatiana M. 150 b
Taurinus Ep. Namnetensis 353 d
Tedaldus mon. sub S. Romualdo 120 f 121 b
† Telesphorus Papa 817 d e
† Telluri M. corpus iuventum 339 b
† Terentianus Ep. Tudertinus 657 a
Tetradius Ep. Bituricensis an Sanctis adscriptus 888 c f
† Thais meretrix 270 a
† Thalalæus M. 776 a 777 a
Thammus Theutonicus monachus S. Romualdi 133 c 134 c
Thecla fil. Theophili et S. Theodoræ Imp. 556 e 557 a
Theotecnus Ep. Cæsareæ Palæst. 3 sec. 292 a
Themizon in Phrygia 2 sec. 6 f 8 b
Theobaldus Palatinus Com. Blesensis 12 sec. 442 b 443 f
Theobaldus Ord. Prædic. sub B. Jordano 726 f
Theobaldus auctor Vitæ S. Guilielmi qualis? 444 a b non Episcopus Cantuariensis aut Gosselanus aut Pictavensis 444 e f 445 a b
† Thebredia Abb. 412 b
Theoctista Florina mater S. Theodoræ Imperatricis 554 c 555 c 558 a
Theoctistus Logotheta Dromi sub Theophilo Imp. 558 d e et Michaele III 266 a 559 a 564 c 566 e
Theodaldus Ep. Aretinus 103 e 137 e
Theodatus R. Gothorum 316 a
Theodefridus, Teufridus, Ep. Tallensis 172 f
Theodica in Hassia 412 e
Theodimus Subdiac. S. Gregorii II 703 e
Theodericus R. Burgund. cir. 600 an. 167 e 169 a d
Theodericus fil. Chlodovei II R. Franc. 350 b e f 351 b
Theodericus Ep. Meten. 828 f
† Theodora filia Valerii R. ex Ursulanis 743 d
Theodora Augusta uxor Justiniani Imp. 316 d
Theodorada uxor Romualdi Ducis Benev. 320 f 327 f
Theodoretus invisit S. Zenonem 390 f
Theodoricus R. Gothorum 57 d f 59 d 60 e
Theodoricus Ab. Veteris-campi 571 c
Theodoricus Ab. S. Vitoni Ord. Præmonst. 174 f
† Theodori Studitæ corpus Constantinopolim transfertur 562 e f
† Theodorus Archiep. Cantuar. 182 e f 183 a 415 c 416 e
† Theodorus Conf. CP. 562 a
† Theodorus Tiro M. 23 24 25 26 c d
Theodorus Papa extruit ecclesiam S. Valentini 753 c d
Theodorus Ep. Mopsuestenus perit 593 b 594 e
Theodorus pat. S. Alexii Knoriensis 641 b
Theodorus fr. S. Lucæ Junioris 84 e
Theodorus disc. S. Benedicti Ab. Lateranensis monasterii 842 d e
Theodosius Magnus Gothos vincit 597 c fit Impe-

*rator* 597 *d ægrotat Thessalonicæ* 597 *e Concilium Episcoporum convocat CP.* 598 *c d honorat S. Abraamem Ep.* 769 *d*
*Theodosius Adramyttenus Imp.* 694 *f* 703 *c d*
*Theodosius mon. disc. S. Lucæ Junioris* 96 *a b*
*Theodricus Ep. Lodeven.* 711 *f* 712 *b*
*Theoduinus Ab. Lobien.* 82 *b*
† *Theodulphus Ep. Ab. Lobien.* 82 *b*
† *Theonas magus M. Nicomediæ* 19 *a*
† *Theopemptus Ep. M. Nicomediæ* 18 *f*
† *Theophanes Conf. CP.* 561 *d*
† *Theophano Imperatrix* 558 *c*
*Theophilus Imp. ducit S. Theodoram conjugem* 554 *e f* 555 *a b egregie jus dicit* 555 *avarus* 556 *c magnificus in ædificiis* 556 *d castus* 556 *sacras imagines persequitur* 557 *obit* 558, *an salvus* 561 *a*
† *Theophylactus vir illustris Corinthi* 10 *sec.* 94 *e*
† *Theopistes V. M. corpus Romæ* 589 *e*
*Thesia Regina Longobard. monacha* 397 *b c*
*Theudo Dux Bavariæ* 696 *a* 699 *a* 703 *c*
*Theudric R. in Wallia* 6 *sec.* 306 *a*
*Theulfus scriptor Chronici Maurimacensis* 442 *c*
† *Thomæ Ap. depositio* 151 *e* 277 *e* 293 *f repositio* 379 *f*
† *Thomas Archiep. Cantuar.* 547 *b*
† *Thomas Ep. Hereforden.* 806 *c*
*Thomas Ep. Hierosolym.* 507 *c*
*Thomas Caracciolus Archiep. Tarentinus* 334 *c* 338 *c d*
*Thomas Cantipratanus Ord. Prædicat. scriptor* 724 *e f*
*Thomianus Archiep. Ardmachanus* 742 *b*
*Thurgot Ep. Scaranen. in Suecia* 849 *f*
† *Tiberius, Modestus, Florentia MM.* 621 *d*
*Tiberius Consiliarius Hadriani Imp. Brixiæ* 814 *c*
*Tiberius Petasius Tyrannus in Italia* 8 *sec.* 703 *c*
† *Tiburtii, Primi, Feliciani MM. reliq. in Pedemontio* 637 *c*
† *Timotheus et Symphorianus* 195 *c* 196 *f*
*Timotheus Patriar. Alexandrinus* 2 *b*
*Tiunius Ep. in Hibernia* 854 *f*
† *Tirasii eremitæ reliq. Venetiis* 27 *c*
*Totilas R.* 59 *e* 60 *b* 61 *c patitur Apulia* 318 *a b c illusurus S. Sabino, fit propitius* 326 *a* 329 *f*
† *Tranquillinus Presb. M.* 643 *f*
*Tranquillinus medicus Chlodovei* I 548 *d*
*Transvarius Cubicularius Chlodovei* I 548 *e*
*Trebellius R. Bulgarorum an ad fidem conversus* 564 *a*
*Triagrimus Ep. Halberstadiensis* 149 *f* 150 *a*
*Tristundus Archiep. Senonen.* 547 *e*
† *Troadius M.* 290 *d*
† *Trojanus Ep. Santonen.* 379 *f*
*Trumherus Ep. Merciorum* 688 *b*
† *Trumwinus Ep. Angl.* 414 *c f* 415 416
† *Tryphon M.* 508 *e*
*Trumbertus Ep. Hagulstaden.* 182 *f*
*Turcæ incursantes Atticam* 10 *sec.* 95 *c*
*Tutus Defensor sub Felice* III *Papa* 160 *f* 161 *d*
† *Tychicus disc. S. Pauli* 857 *c*
† *Tyfei M. in Wallia* 305 *b c* 307 *e*
*Tymmo Polonus Ord. Prædic. sub B. Jordano* 732 *d*


U


† *Ugo Ep. Volaterran.* 272 *e*
*Ugo Ep. Nucerinus* 373 *d*
† *Ugnuli Eccl. Gall.* 547 *e reliq.* 547 *e*
† *Ultanus* 53 *c*
*Ultrogota uxor Childeberti R. Parisien.* 831 *f* 832 *e*
*Unwanus Arch. Bremensis* 849 *f*
*Urbanus* II *Papa* 330 *f* 331 *f*
*Urbanus* IV *Papa dat privilegia Augustinianis* 479 *f et Guilielmitis* 480 *a*
† *Urbanus Præses Cæsareæ Palestinæ sub Galerio Maximiano* 866 *b*
† *Ursicinus Ep. Brixiensis* 887 *b*
*Ursicinus Presb. Castri-Nantonis* 6 *sec.* 546 *d* 550 *d*
*Ursicinus schismaticus an Ep. Neapol.* 22 *d f*
† *Ursmarus Ab. Lobien. Ep.* 82 *a e*
*Urso Archiep. Barensis* 11 *sec.* 301 *a* 313 *b* 330 *b c* 331 *b*
† *Ursulæ V. M. corpus inventum Lesinæ* 337 *d* 339 *a*
† *Ursus Ep. Ravennas* 510 *a*


V


*Valens Imp.* 43 *c cum fratre fidem strenue professus baptizatur ab hæretico Ep.* 592 *a b f ejicit Episcopos* 592 *b c* 593 *a Procopium opprimit* 592 *d e bella gerit* 592 *f omnibus sectis dat libertatem exceptis Catholicis* 594 *c*
*Valentina V. M. in Palæstina* 379 *e*
*Valentinianus disc. S. Benedicti Ab. Lateranensis monasterii* 842 *d*
*Valeriani et Gallieni persecutio* 283 *a* 895 *d* 896 *e*
† *Valerii M. reliq. Antverpiæ* 754 *b*
† *Valerius R. M. ex Ursulanis* 743 *b*
*Vascones a Pippino R. debellati* 612 *d*
† *Venantius Ep.* 150 *e*
† *Venerius erem. Tiburtinus* 112 *c* 113 *d*
† *Veranus Ep. Cabelliceu.* 166 *f* 631 *c*
*Veranus Hibern. fr. SS. Tresani, Gibriani et Helani* 53 *c e f*
*Vercellinus Bellinus scriptor Vitæ S. Eusei eremitæ* 853
*Viccus Comes circa Nuceriam* 373 *c*
† *Victor Papa* 755 *f* 756 *a*
† *Victor Ep. Taurinensis* 631 *f* 658 *d* 659 *a*
† *Victor Maurus M.* 705 *c* 707 *a c*
† *Victoris corpus Placent. Ital.* 390 *a*
*Victorius Marcellus Statio notus, an sit Sanctus, aliis Victor, et Vitalis dictus* 746 *d e*
† *Vincentius soc. SS. Marcellini et Domnini* 660 *b* 661 *a d*
*Vincentii Gambarani e Congreg. Somaschæ virtutes* 254 255
† *Vindonius Afer in Italia* 524 *a* 527 *f*
† *Vitalis monachus Alexandriæ* 270 *bd*
† *Vitalis M. in Gallæcia* 742 *a*
† *Vitalis et Agricolæ corpora Bononiæ* 48 *c* 49 *c d e reliq. Florentiæ* 51 *a b c d*
† *Vitalis M. corpus Abulæ* 746 *b*
*Vitalis Archipr. Toletanus an Sanctus* 746 *d*
*Vitalis Ep. Mediolanen.* 166 *c*
*Vitalis Ep. Legatus S. Felicis* III *Papæ* 160 *e f*
*Vitalis Candianus Dux Venetorum* 108 *a e*
*Vitalis mon. Agaunen. socius S. Severini* 550 *c*
*Vitalis Conversus Ord. Cistercien.* 741 *f*
*Vitoldus Princ. Lithuaniæ* 102 *e*
*Viventiolus Ep. Lugdunen.* 672 *e*
*Vladislaus R. Poloniæ* 14 *sec.* 102 *c*
*Vulfrannus Arch. Senonen.* 345 *a variæ corporis Translationes* 346 347
*Vulfridus Anglus Ord. Cistercien.* 643 *a*
*Vulgani reliq. Lensii* 10 *f*
*Vuina uxor S. Richardi* 74 *e*


W


*Walbrunnus Præpositus Eystettensis* 371 *f* 372 *e*
† *Walburgis V. Abbatissa Heidenheim.* 69 *c f* 73 74 75 78 *e f* 79 86
† *Waldetrudis Abb.* 412 *b*
*Waldredus Ep.* 855 *b*
*Walterus Theutonicus Ord. Prædicat. sub. B. Jordano* 736 *a*


*Wandalorum*

*Wandalorum persecutio in Africa* 523 *c* 525 *f* 526
*Wandregisili anni vitæ digesti* 344 *e* 345 *c d e f*
*Wantingus Parochus Mosomensis* 9 *sec.* 341 *d e*
*Warnecharius Major-Domus* 679 *c d*
*Warnerius Com. Burgund. aut Major-Domus Austrasiæ, an pater S. Licinii* 679 *d*
*Welpho* II *nepos S. Conradi Ep. Constan.* 350 *b* 351 *a* 358 *c d*
*Wendelinus Ep. Treviren.* 3 *e*
*Wendelinus mon. in Vosago* 170 *b c*
*Weomadus Ep. Treviren.* 662 *c d* 665 *a*
*Werbertus Ab. Anglus* 695 *c*
*Wichmannus Ord. Prædicat. miraculis clarus* 724 *e*
*Widmarus soc. S. Benedicti Ab. Anianæ* 612 *c*
*Wiho Ep. Osnabrugen.* 572 *e*
† *Wilfridus Ep. Eboracen.* 180 *f* 181 *d e f* 184 *c d e f* 185 *a juvat in convertendis Merciis* 688 *c*
† *Wilfridi* II *Eboracen. Ep. Translatio* 379 *e*
*Wilgefridus Ep. Virdunensis* 174 *a*
*Wilhelmus Ep. Lausanen.* 378 *f*
*Wilhelmus Rothensis Ord. Præmonstrat.* 379 *c*
*Wilhelmus Comes in Hannonia* 9 *sec.* 189 *f* 192 *e* 193 *a*
*Willibaldus Ep. Eystetten.* 69 *c f* 70 71 72 *f* 73 74 75 76 77 78 79 80 696 *a*
† *Willibrordi reliq. Lensii* 10 *f*
† *Winandus Ep.* 277 *d*
*Winfridus Ep. Merciorum* 687 *e* 688 *d*
† *Winwaloeus* 603
*Wisaldus Ep. Urgellen.* 745 *d f*
† *Witeburga* 691 *c*
† *Wladomirus R. Russorum* 114 *c* 115 *b* 639 *c*
† *Wulfilaicus eremita* 577 *b c*
*Wulferus R. Merciorum maritus S. Ermenildæ* 182 *b* 687 *a ejus majores* 687 *b c d constituit Episcopos* 687 *e* 688 *c d fidem Christianam propugnat* 687 *f juvat in conversione Regum et Vectæ insulæ* 687 *f* 688 *a b obit* 688 *d afficta ei cædes SS. Wulfhadi et Ruffini, et quidem filiorum, rejicitur* 689 *donata monasterio Mesdeshamstede* 690 *a b*
† *Wulfhadus et Ruffinus MM. perperam a Wulfhero, eoque patre, Rege Merciorum occisi traduntur* 689 *b c d e f*
† *Wunibaldus Ab. Heindenheim* 69 *c f* 70 71 73 74 75 76 78 79 80
*Wynbertus Ab. Nuiscellen. in Anglia* 72 *a*

X

*Xantippa et Polyxena* 858 *c d*
† *Xenu V. sive Eusebia* 275 *c* 293 *a*

Z

*Zacharias Propheta* 151 *a* 277 *a*
† *Zachariæ patris S. Joannis inventio* 508 *e*
† *Zacharias Ep. Nicomed.* 806 *a*
† *Zachariæ reliq. Venetiis* 27 *e*
*Zacharias mon. in Ægypto* 48 *a*
† *Zeno Ep. Majumenus* 390 *b*
*Zeno Imp.* 57 *c e f* 60 *e* 160 *e f*
† *Zenobius Ep. Florentinus* 51 *e*
*Zocimus Saracenus conversus* 4 *sec.* 43 *d*
*Zoe meretrix a S. Martiniano conversa* 643 *a* 667 *b f* 668 669
† *Zoilus* 390 *b*
† *Zoticus Ep. Comanæ* 2 *sec.* 6 *f* 8 *b*
† *Zoticus Romanus* 271 *c*
*Zoticus Otrenus Presb.* 2 *sec.* 7 *c*
*Zotto Dux Beneventanus* 319 *d* 785 *c*
*Zucca familia Ital.* 504 *d*

## INDEX TOPOGRAPHICUS

# IN VITAS SANCTORUM

## TOMI II FEBRUARII

*Quæ loca Sancti alicujus patria, morte, reliquiis aut singulari cultu nobilitata sunt; iis Sancti illius nomen adscriptum, sed ea sæpe pagina solum expressa, qua de Sanctis singulis, locire agi cœptum, licet frequenter eorum mentio fiat.*

*Omissa sunt ea regionum et urbium nomina, quæ passim etiam pueris, nota, ut Italiæ, Hispania Gallia etc. Roma, Constantinopolis, Hierosolyma.*


A

Abellinum ur. Hirpinorum. *SS. Modestinus Ep. Florentinus Presb. Flavianus Diac.* 764
Abercornum monast. Scotiæ, *Sedes S. Trumwini Ep.* 415 c 416 f
Abitina ur. Episc. Africæ 515 f 516 b
Abula ur. Hispan. *Caput S. Vitalis M.* 746 b
Abydus ur. Hellesponti 40 b 41 b
Accon, Achon, ur. Palæstinæ *B. Jordanus Ord. Prædic. sepultus* 724 a 731 c f 740 a
Adbearne monast. Angliæ 688 c
Addua fl. Italiæ 810 f 811 f 814 c
Adria in Æmilia. *S. Colianus Ep.* 69
Æcana in Apulia, an nunc Troja 530 c 532 f
Ægæa ur. Ciliciæ. *SS. Julianus et Marcianus MM.* 747
Ægina ins. Græciæ 83 a 84 b 85 d
Ægyptus. *SS. Julius, Mihcutus et alii* xxx *Mort.* 294 *SS. Julianus Ep. Joannes Diac. et* 5000 *MM.* 864
Æsis, Æsinus fl. Ital. 118 c e
Æsium ur. Piceni 142 b 143 a *reliq. S. Romualdi* 105 d 144
Africa. *S. Damianus miles M.* 581 *SS. Felix, Victor, Januarius, Vitalis, Herenæus* 510 *S. Valentinus M. et* 24 *milites* 763 *SS. Maximus, Vincentius, et alii* xxiii *cum* 54 *aut* 104 *anonymis MM.* 854
Agatha ur. Galliæ Narbonen. 302 a b 303 d
Agaunum in Vallesia 544 c f vetus monasterium a S. Sigismundo Rege dein novum extructum 545 a b c *S. Severinus Ab. in priori* 545 e 548
Ageius in provin. Remensi 54
Agennum ur. Aquitaniæ 302 a
Agrabia ur. Bæticæ 301 f
Agraga ur. aut Hispaniæ 301 e aut Africæ 301 f
Albiga ur. Galliæ 717 c 718 e
Albingaunum ad mare Ligusticum 630 a 631 f *S. Benedictus Ep.* 629
Alexandria 289 e *S. Cointha M.* 155 *S. Apollonia V. M.* 277 *SS. Apollo, Protheus, Orion, Plausus et socii multi* 381 *S. Euphrosyna V.* 535 *SS. Julianus, Victor et alii* viii *Mart.* 580 *SS. Modestus et Ammonius infantes. Zoticus, Cyriacus, Symplicius* 580 *SS. Tullianus, Antius, Cyriacus, Ammonius MM.* 656 *SS Bassus, Antonius et alii* xvi 751 *Saturninus, et tres alii* 752
Alexandria ur. Ital. *B. Guilielmus Zucchius* 504
Alostum op. Flandriæ. *Reliq. S. Guilielmi* 493 d
Alpes Cottiæ 813 e 814 a 821 c
Altenmunster monast. Bavariæ. *S. Alto Ab.* 358
Altorfium monast. German. 358 f
Altum-villare monast. in diœc. Remensi 55 d
Altus-mons monast. Hannoniæ. *S. Ansbertus in exilio mortuus* 343 b 354 e
Amasia ur. Ponti 23 a 25 a
Ambasacum in diœcesi Lemovicen. 206 c 210 c
Amida obsessa a Cabade R. Persarum 162 f 163 a b e f
Ampelos ins. Græciæ 94 e 95 f
Anagrates Prioratus sub Luxovio 168 e
Andainum monast. in Belgio. *Dens S. Scholasticæ* 402 c
Andegavum *S. Licinius Ep.* 675
Aniana monast. Galliæ Narbonen. *S. Benedictus Ab. Fundator* 607 613 620 d
Anicium ur. Gall. 750. *Reliq. S. Pauliani Ep. Velaunen. et SS. Valentini et Albini* 750
Antandrus ur. Phrygiæ 15 e. *Adaucus sive Adauctus, et Senatus populusque Martyres* 13
Antiochia ur. Syriæ. *S. Nicephorus M* 283 *S. Romanus Thaumaturgus mon.* 295 *S. Meletius Ep. Conf.* 584 *S. Agabus Propheta* 644 *SS. Josephus Diac. Zenon et alii* vii *MM.* 822 Juxta Antiochiam *S. Zeno mon.* 390
Antiochia ur. Pisidiæ. *SS. Charalampius Presb. Porphyrius et Baptus milites et* 3 *mulieres* 381
Antiochia ur. Cariæ unde dicta 4 c
Antverpia ur. Belgii. *Corpus S. Flori M. Romani* 583 *corpus S. Palladii M. Romani* 657 *dens S. Scholasticæ* 402 c *Reliq. S. Apolloniæ* 281 f *S. Zenonis* M 745 c *S. Valentini Presb.* M. 754 b eo delatum caput S. Guilielmi 489 d apud varios servatum 490 donatum Societati Jesu 490
Apamea juxta Mæandrum 7 c
Apameæ variæ urbes. *SS. Pæna seu Pæon et Euphraxius MM.* 571
Apenninus mons 102 c 119 e 136 f
Appia via Romana 744 f
Aqua-bella in Apennino monte 119 e
Aquileiæ Pseudosynodus duplex habita 165 e
Aquiria monast. Brabantiæ 731 e
Aquisgranum 609 e Aquis 612 c 618 b
Aquitania olim habuit Duces, Reges, Comites 433 b c. Iterum Duces 433 d 435 et seqq. Aquitania ii et iii, non i subjecta ultimis Ducibus 441 b c
Arcæ-locus mons Palæstinæ 667 c
Ardaban pagus Mysiæ 6 a 7 e
Ardeatina via 744 f
Arena opp. Italiæ 153 e


Argentinensis

Argentinensis diœcesis. *S. Ludanus Peregrinus* 638
Arisba opp. Hellesponti 40 b 41 b
Armenia regnum 3 sec. 11 c 12 b c *S. Basilius* 311
Armenia minor. *SS. Dionysius, Æmilianus, Sebastianus* 157
Armenteria op. Flandriæ. *Corpus S. Valentini M. Romani* 763 f
Aroasia monast. Artesiæ. *Dens S. Apolloniæ* 282 a
Asculum, Esculum ur. Piceni 118 c e
Asermus vicus Cherronesi Thraciæ 40 e 41 b
Asicha in Syria. *S. Eusebius anachor.* 825
Aslum, Asilum op. Tarvisinæ diœc. 503 b 504 d
Asta vr. Ital. 821 f 822 a e
Athenæ 86 b 289 c *S. Martinianus anachoreta* obit 670 c 671 d
Atrebatum vr. Arthesiæ. *reliq. S. Theodori* 27 f
Atripalda ur. Ital. *SS. Sabinus Ep. et Romulus Diac.* 332
*Corpus S. Sabini Ep. Canusini an senioris?* 311 c
Attica a Turcis vastata 10 sec. 94 e 95 f Sedes Prætoris 95 c 96 b
Audomarum ur. Artesiæ. *Reliquiæ S. Austrebertæ* 418 f 419 a
Avella, Abella ur. Apuliæ 336 d
Aveniacus in prov. Remensi. *S. Tresanus Presb.* 52
Averna, Avernia, Arvenia in Gallia Narbon. 717 f
Aufidus fl. Ital. et ejus pons 528 a b
Auginiacum in diœc. Lemovic. *S. Stephani Grandimontensis dens* 204 f
Augusta ur. Britanniæ, forte Eboracum aut Londinum. *S. Augulus Ep. M.* 16
Auraris fl. Gall. Narbonen. 613 c 614 b

B

Baga monast. Hispan. *Corpus S. Valentini Ep. M.* 743 f
Balneum locus Apennini 111 e 133 f
Bambergæ monasterium S. Michaelis 367 b 368 a
Barcino ur. Hispaniæ 301 c f 302 b e *S. Eulalia V. M.* 576
Barcinonenses Comites 745 d e f
Barium vr. Apuliæ Archiepiscopalis ob Sedem Canusio translatam 310 e *Corpus S. Sabini Ep. Canusini* 311 c 321 e 323 c
Barulum ur. Apuliæ 313 f 314 f
Basonis villare in Gallia 176 e
Battopolium locus CP. 772 b e
Benacus lacus 258 d 259 a b c d e
Beneventum ur. Apuliæ Sedes Ducum 318 319 320
*Reliq. S. Maximi. Ep. Nolani* 19 f
Bergomum ur. Ital. 241 242 243
Berœa ur. Syriæ. *an S. Meletius Ep.* 584 f
Berytus 289 b c
Bethlehem Judæ. *SS. Andreas et Aponius sive Aporius* 379
Bethunia op. Artesiæ. *Reliq. S. Guilhelmi* 493 a
Betulo opp. Catalaniæ 151 c
Bigerra ur. Galliæ 302 b c d 303 d
Binchium opp. Hannon. *Corpus S. Amolwini Abb. Lobien. Ep.* 82 e
Besuntium, Vesontio 730 c 731 e
Bitterra ur. Languedociæ 302 c
Bituriges 888 c f
Bifurcum eremus Italiæ 116 d e
Blacherna Eccl. CP. 555 c f
Bladulphi-Villa in Pontivo 347 e
Blangiacum monast. Artesiæ. *Reliq. S. Apolloniæ* 282 a
Boandus flu. Hiberniæ 840 d
Bononia ur. Italiæ. *S. Juliana vidua* 48 *Corpus S. Julianæ Romanæ V. M.* 886 *Corpus S. Zenonis Romani M.* 745 *Reliq. S. Richardi R. SS. Pauli, Lucii, Cyriaci* 156 *S. Apolloniæ* 281 e *S. Euphrosynæ* 536 f *S. Fuscæ V. M.* 646 e *SS. Faustini et Jovitæ* 810 d *S. Faustini Ep. Brixien.* 887 f
Bononia vr. Gall. 347 f
Borrentrick opp. Westphaliæ. *An patria B. Jordani Ord. Prædicat.* 721 a
Bresnia regnum in Connacia 836 f 837 c
Bricolliense monast. Galliæ *Reliquiæ S. Soteris* 389 e
Britannia. *SS. Faustinianus et Juventia MM.* 868
Britannia Armorica *S. Ehoarnus Eremita M.* 569
Brixia ur. Ital. 241 258 259 d e sub Alpium Rhæticorum Præfecto 806 c *S. Paulus* 111 *Ep.* 52 *SS. Valerianus, Valentinus, Saprutius MM.* 578 *S. Constantius* 605 *S. Faustinus Ep.* 887 *SS. Faustinus Presb. et Jovita Diac. fratres MM.* 805
Broucburgum opp. Flandr. *Reliq. S. Appolloniæ* 282 a
Brugæ ur. Fland. 9 e *Reliq. S. Chrysolii* 10 d *S. Guilielmi* 493 d
Bruxella ur. Brabantiæ. *Reliquiæ S. Julianæ a Rege Galliæ Joanni Duci Brabantiæ donatæ.* 873 874
Burchberge villa diœc. Moguntinæ. *An patria B. Jordani Ord. Prædic.* 720 a
Byrsa ur. Thraciæ 40 d 41 e

C

Cæsarea Cappadociæ 390 b c
Cæsarea Palæstinæ 289 b c d 290 b 666 c e 671 d *SS. Elias, Eremias, Esaias, Samuel, Porphyrius, Seleucus MM.* 866
Calabium prope Corinthum. *Sedes S. Lucæ junioris* 94 d
Calcaria opp. Angliæ 180 e
Calceium pagus Gall. 347 f 348 e
Callium ur. Umbriæ. Callenses montes 119 b e
Camaldulum primum Ordinis Camaldulensis monasterium unde appellatum, ejus situs 102 103 a *reliq. S. Romualdi* 104 b 136 e
Cameracum ur. Belg. *Corpus S. Hippolyti M. Romani* 582 *Reliq. S. Theodori* 27 f *S. Apolloniæ* 282 a *S. Guilhelmi* 493 d
Camerina regio Italiæ. 117 d 118 a
Campania *S. Basilianus et forsan Amantius MM.* 507 a
Campania opp. Picentinorum. *Patria S. Antonini Ab. Surrentini* 784 c 786 c
Candida-Casa in Scotia 416 e f
Candilianus fl. Italiæ 119 b
Cannæ vicus, dein urbs Epp. jam eversa 300 a b c
Canusium ur. Apuliæ eversa, alibi extructa 300 d 322 c alia a Cannis 300 b c Sedes Archiepiscopalis 310 c Barensi unita 310 e *SS. Ruffinus et Memor Epp.* 300 *S. Sabinus Ep.* 310 319 a *S. Petrus Archiep.* 357
Capreola civitas 116 a
Capua ur. Campaniæ. *S. Decorosus Ep.* 842 *Corpus olim, nunc caput S. Castrensis* 525 a
Caradonum ad Mosellam. *S. Castor Presbyter* 661 c 664 f 665 d f
Caravi ur. Hisp. *S. Polyctus Diac. M.* 645
Carcasso ur. Gall. *S. Guimerra Ep.* 671
Cariniacum op. Pedemontii 637 f
Carlegio ur. Walliæ 304 c
Carnutum ur. Gall. 347 f
Carræ ur. Mesopotamiæ. *S. Abraames Ep.* 768
Carthago ur. Africæ. *S. Prima M.* 295 *SS. Saturninus Presb. Saturninus et Felix Lectores et alii nominati* XLV 513 *SS. Modestus et Posinnus sive Posinna* 580
Casa-nova monast. Galliæ 617 a d 620 d
Casimiria ad Cracoviam. *B. Esaias Bonnerus Ord. Eremit. S. Augustini* 213

Casinum monast. Ital. 110 c 113 e spoliatum 9 sec. 322 f *S. Faustus* 839 *S. Scholastica V.* 392
Castilio opp. Etruriæ 159 a 165 a *Reliquiæ S. Guilielmi* 487 b
Castorium opp. Thessaliæ 84 c 85 e
Castrum ur. et Ducatus Italiæ 472 c
Castrum-Xantonis op. Gall. *S. Severinus Ab. Agaunensis* 546 d f 549 f 550 e
Castrum-novum ur. Ital. ab Hieronymo Æmiliano propugnatum 224 227 direptum 225
Catacumbæ Romæ 813 e 814 a
Catria, jugum Appennini 112 e f
Cella-nova monast. diœc. Tolosan. 620 d
Ceneta ur. Italiæ 151 f 152 a
Cenomani ur. Gal. *corpus S. Scholasticæ* 401 d e f 402 a b
Cestra ur. Angliæ 606 f
Chalcedone Concilium habitum 774 775 776
Chenoboscia monast. Ægypti 520 b
Cherium castrum Pedemontii 634 a e
Chius iusula 27 c
Chrysiariæ partes in Græcia 97 c e
Chrysis, olim Phocis, prov. Achaiæ 84 b 85 e
Chrysopolis, Vesontio, ur. Burgundiæ 167 d 413 d
Clarus mons ur. Galliæ. *S. Amantius M.* 9 *plurimi Martyres* 9 a *S. Sigo Ep.* 429 *S. Desideratus Ep.* 552 *S. Georgia V.* 826 *S. Tigridius Presb.* 888
Classense monast. S. Apollinaris 105 b 110 f 112 b 118 d 141 e Classensis palus 112 c
Claudiopolis ad Pontum Euxinum 774 d
Clodianus flu. Hispan. 301 c
Cluainfodia in Hibernia. *S. Ecianus sive Echenus Ep.* 551
Cluan-dalachia in Hibernia 838 e
Coberinum pagus diœc. Trevirensis 662 e
Colonetum monast. Gall. 679 d
Coloniæ monasterium Scotorum 362 b *Dentes et reliq. S. Apolloniæ* 282 a *Reliq. S. Theodori* 27 f *S. Scholasticæ* 402 f *S. Julianæ* 873 b
Comaclum ur. Ital. et Comiaclensis palus 112 c f
Cominium op. Flandriæ. *S. Chrysolius Ep. et socii Mart.* 9
Compostellæ obit Guilielmus ultimus Dux Aquitaniæ 440 f
Comum ur. Ital. *Reliq. S. Julianæ V. M.* 871 f
Confluentia ur. Germaniæ 827 e f *S. Castoris Presb. Reliquiæ et cultus* 662 663 a 666 a
Conuacia prov. Hiberniæ 834 c
Constantinopolis. *S. Antonius Cauleas Patriarcha* 622 *S. Theodora Imperatrix* 554 *Martyres monachi S. Dii* 160 *Ecclesia S. Polyeucti*, 650 c 655 *Synodus sub Theodosio* 597 f 598 a b c
Coquet ins. Angliæ 183 b
Corinthus 10 sec. 90 e 91 e *Episcopus sub Romano Pont.* 92 e
Cormeriacum monast. diœc. Turonen. 620 d 621 b
Corsica 844 f 845 a a Mauris an. 809 direpta 846
Cottovicum monast. Austriæ 368 f 369 a
Cridiantum op. Devoniæ 71 f
Croatia regnum 115 a
Cumæ ur. Italiæ dein eversa 870 f 883 884 c d *an patria S. Julianæ V. M.* 869 d *ejus ibi reliquiæ* 870 883 885 d
Cumanum Castrum Ital. 702 f
Cyprus ins. *S. Philagrius Ep. M.* 277 *SS. Alexander et Ammonius et* 20 *socii MM.* 292
Cyrnus, Latinis Corsica 843 f 844 c
Cyrus ur. Syriæ. *S. Maro anachoreta* 767
Cyzicus metrop. Hellesponti 39 a d 42 e

D

Dii monast. Constantipoli 160 a
S. Dyonisii monast. in Hannonia. *Brachium S. Valentini Presb. M.* 754 a
Dinia ur. Galliæ *S. Domninus Episc.* 660
Dordracum ur. Hollandiæ. *S. Sura, sive Soteris aut Zuwarda V. M.* 430 *Loca olim ibi Sacra* 431
Dorostrorum ur. Mœsiæ 25 f
Duacum ur. Flandriæ. *Dens S. Apolloniæ* 282 a *brachium S. Julianæ* 873 c
Dubberaith in Hibernia 833 c 836 b
Dunelmum ur. Angl. 607 b d
Dusera monast. Delphinatus 350 f 351 a e

E

Ebernstein Comitatus Saxoniæ inferioris. *An inde oriundus B. Jordanus Ord. Prædicat.* 721 a
Egara ur. Ep. prope Barcinonem destructa 301. *S. Nebridius Ep.* 301
Eliense monast. Angliæ. *S. Ermenilda Regina Abb.* 686
Elornus fl. Britan. Armor. 604 b
Emerita ur. Hispan. *S. Fidelis Ep.* 63
Enciatum monat. Galliæ 717 b
Ephesus ur. Asiæ *S. Onesimus Ep. M.* 856
Eporedia ur. Pedemontii 636 d 637 c *S. Juliana vidua* 658 a b
Erphordiæ monasterium Scotorum 361 f 362 b
Essendia monast. Westphaliæ. *Reliq. S. Apolloniæ* 282 b
Estancastre monast. Angliæ 71 f
Euchaita, Theodoropolis dicta 23 24 26 b c 28 c 30 d 31 e 37 a
Exara ur. Aragoniæ 302 d
Eystadium ur. German. 71 a 80 c *Reliq. S. Richardi* 80 d e

F

Fabalis-mons monasterium, caput unius Congregationis S. Guilielmi 473 b 476 d 479 b
Fabrianum in Marchia Anconitana. *Corpus S. Romualdi* 105 f d 142 143
Faventia ur. Ital. 728 c
Firmensis monarchia, pro Marchia Anconitana 116 a e
Flaminia via. *SS. Anthimus, Marcianus, Tianus, Celerinus, Magnus, Julianus MM.* 747
Flanchenberg. Comitatus Germaniæ 739 a
Floreffia monast. diœc. Namurcen. *Reliq. S. Apolloniæ* 282 a
Florentia. *S. Juliana vidua* 51
Floriacum monasterium in Velcassino a Pippino Herstallio extructum 344 f
Flumenpiscis ur. Africæ 295 a d
Fons-cavatus monast. in Pictonibus. *Reliq. S. Stephani Grandimontensis* 204 f
Fontis Avellanæ monast. Ital. 373 d
Fontanæ Prioratus prope Luxovium 168 a e
Fontanella monasterium Gall. extructum 345 b *S. Ansbertus Ab. Ep. Rotomagensis* 343 355
Fontinella monast. Hannoniæ 494 e 498 c 499 a
Francofurti monasterium Prædicatorum 727 c 728 d *Ibi olim caput S. Guilielmi* 487 d e f
Fransindum Franium op. Gal. 176 e 177 a
Frius opp. Hispaniæ 15 b

G

Gallinaria insula Ital. 630 e 631 e
Gandavum ur. Flandriæ. *S. Columbanus Ab. inclusus* 846 *Corpus S. Cornelii M. Romani* 864 *corpora SS. Wandregisili, Ansberti, Vulfranni* 348 a *ab hæreticis erepta* 348 c

Garganus

Garganus mons Apuliæ 59 a 61 a e 116 b
Gebenna mons prope Trevirim 169 f
Gellonense monast. Gall. a S. Guilielmo Duce sub Carolo Magno fundatum 434 b f 616 b e 620 d
Gemmeticum monast. Gall. fundatum 419 f *Caput S. Valentini M.* 759
Gestinga monast. Etruriæ datum Augustianis 479 e
Glendaloch ur. Hiberniæ 835 b 836 b
Guesna ur. Poloniæ 133 c
Gothia in Gallia 612 a b 620 c
Græcia 10 sec. sub Romano Pontif. 92 d
Grandis-mons. *S. Stephanus fundator* 199 203 210 d e
Greveriæ in Belgio 190 f 191 a
Gybretum castrum diœc. Lodevensis in Gallia 717 d e

H

Hadrianopolis ur. Thraciæ. *S. Lucius Ep. et socii Mart.* 519
Hala ur. Tirolis. *Caput S. Julianæ* 873 b
Hamedium pagus Hannoniæ. *Reliquiæ S. Valentini M. Romani* 763
Hamelea-mutta portus Angl. 72 b 78 b
Hamptonia prov. Angl. 72 a b
Hamum opp. Picardiæ, *An patria S. Gilberti Meldensis?* 719 f
Hannoniæ Comites particulares 189 f
Hartepola opp. Angliæ 180 f
Hebdomum suburbium CP. 771 d 772 d
Hebrides ins. 366 d f
Hedera monast. Galliæ. *Reliq. S. Honesti Presb.* 861 c
Heidenheim monast. Germaniæ extruitur a S. Wunibaldo 70 c 78 e 80 c
Hemerum portus Chalcedonis 773 d
Heraclea metrop. Thraciæ 41 e 42
Heraclea in Ponto. *S. Theodorus Dux M.* 23
Herbipoli monasterium Scotorum 362 f 370 c 371 b
Hibernia. *S. Attracta V.* 296 *S. Cronanus Ep.* 339
Hierapolis ur. Phrygiæ a quibus conversa 4 c *S. Claudius Apollinaris Ep.* 4
Hierosolyma 450 e 460 capta a Christianis 460 c
Hispalis ur. Hispaniæ. *SS. Macarius, Rufinus, Justus* 581
Hojus, Hojulus flu. Hui 191 f
Husabii arx regia Sueciæ 850 d
Hubergum monast. Brabant. *Reliq. S. Guilielmi* 493 d
Hunulficurtense monasterium fundatum 417 a f
Huum, Hojum. opp. Belgii. *S. Mengoldus M.* 186
Hujensis Comitatus 186 c

I

Iberia ad mare Caspium Christiana 163 b
Inda monast. prope Aquisgranum, nunc S. Cornelii. *S. Benedictus Ab. Fundator* 607 617 e 620 d
Insulæ ur. Flandriæ. *Dens S. Apolloniæ* 282 a
Insula S. Mariæ monast. Bohemiæ 481 a
Insula-Barbara monast. ad Lugdunum 620 c
Interamna ur. Umbriæ. *S. Valentinus i Ep.* 755 *S. Agape V. M.* 824 *SS. Proculus Ephebus, Apollonius MM.* 863
Interocrina vallis Italiæ. *S. Severus Presb.* 827 828 c
Italia. *SS. Donatus, Heraclius et alii* IV 581
Italica ur. Hispaniæ 157 b
Itidorum monast. Galliæ 718 d

J

Jacca ur. Hispan. 156 d
Joannitza mons prope Corinthum 85 e 87 a 94 d
Jordanes flu 721 b
Juvenyn monast. Lotharing. *Reliq. S. Scholasticæ* 401 f

K

Kiiovia, Ciovia, Chios ur. Russiæ 369 c 370 a *S. Alexius metropolita* 639

L

Lagenia prov. Hiberniæ 835 b
Lampsacus ur. Hellesponti. *S. Parthenius Ep.* 38
Landavia ur. Walliæ. *S. Telians Ep.* 303
Landenevecum monast. Britanniæ Armoricæ. *S. Rivocus mon.* 603
Larissa ur. Thessaliæ 96 e
Lateranense monast. 845 d
Laubacum, Laubiæ, Lobiæ, monast. Belg. *S. Amulwinus, Ab. Ep.* 82
Laucedium monast. S. Michaeli sacrum in Ital. 720 d
Laudunum 54 d
Lavicana via unde dicta 381 a
Lausana ur. Gall. 728 e 729 c
Laus-Pompeia ur. Italiæ 153 a
Leburnum op. Pedemontii 638 a d
Legio ur. Hispan. *B. Martinus Presb. Canonicus Regularis* 569
Lemelefi ur. Africæ 293 e
Lemelense castellum Africæ. *SS. Primus et Donatus Diac. MM.* 294
Lemovici monasterium Ord. Prædicat. extructum 723 725 e
Lensium op. Artesiæ. *Reliq. S. Chrysolii* 10 f
Lesina ur. Italiæ olim celebris et Comitem habuit et Episcopum 336. *SS. Sabinus et Eunomius Epp.* 337 *S. Paschasius Ab.* 493
Lieeidfelt Sedes Ep. in Anglia 688 e
Lindisfarna in Anglia. *S. Ethelwoldus Ep.* 605
Livallia silva Etruriæ 463 c 472 c 481 f
Lixtin monast. forte Hungariæ 481 e
Lodeva ur. Galliæ. *S. Fulcrannus Ep.* 710 c
Logana prope Rhenum 662 b
Lotharingia unde dicta 366 a e
Luca ur. Ital. *S. Richardus R. Anglo Saxonum.* 70 74 75
Lugdunum ur. Gall. *S. Stephanus Ep.* 672 *An Julianus M.* 13 *Febr.* 672 a
Lugna regio Hiberniæ 298 c d 299 b
Lupocavum monast. Etruriæ 483 b c
Luxemburgum ur. Belgii. *reliq. S. Soteris* 389 f *S. Scholasticæ* 402 c
Luxovium monast. Gall. 168 b e

M

Macerata ur. Ital. *Brachium S. Valentini Presb. M.* 753 a
Marchianæ monast. Belgii. *Reliq. S. Theodori* 27 f
Madritum ur. Hispan. *Corpus Soteris alicujus* 389 f *Reliq. S. Guilielmi* 493 a b
Magnesia ur. Asiæ. *S. Charalampus Presb.* 381
Magolona ur. Episc. Galliæ 607 c 612 a d
Mailros monast. Scotiæ 605 f
Manfredonia ur. Apuliæ 56 c
Maranum in diœcesi Neapolit. *Reliq. S. Castrensis* 524 e f
Marcodurum ur. ditionis Juliacensis 487 f
Mariæ montium in Hannonia 493 c
Maridunum ur. Walliæ 310 d
Marketta monast. Flandriæ. *Dens S. Apolloniæ* 282 a
Marogillum in prov. Remensi 54 e 55 f

Massiacum

Masciacum monast. in Biturigibus 617 e 618 620 d
Massaceium in Italiæ 142 e
Massilianum castrum. Italiæ 119 a
Materna, Matrona, flu. Gall. 54 b e
Maurum monast. Alsatiæ 617 d e 620 d
Mecblinia ur. Belg. *Pars dentis S. Apolloniæ* 282 a
Meda cœnob. in ditione Mediolanen. *SS. Haymo et Veremundus* 706 *Reliq. S. Zenonis M.* 744 c
Medelham monast. Sueviæ 481 b
Medeshamstede monast. Angliæ extructum 690 a
Media, Midia, regio Hiberniæ 837 a 838 b
Mediolanum 153 b e 249 250 251 812 a b c d 816 d ab Alboino R. Longobardorum captum, direptum 163 f 164 ab Attila vastatum 521 e *S. Lazarus Ep.* 521 *S. Honoratus Ep.* 163
Meinfelda monast. et opp. diœc. Trevir. *Corpus S. Severi Presb.* 828 d e f
Meldi, Meldæ ur. Galliæ. *S. Gilbertus, sive Gislebertus Ep.* 718
Melfia ur. Apuliæ et Melfitana Synodus sub Urbano II habita 330 f 331 f
Melitene ur. Armeniæ. *S. Polyeuctus M.* 650
Melitopolis ur. Hellesponti 38 e 39 d 42 e
Melodunum ad Sequanam monast. *Reliq. S. Valentini Presb. M.* 754 b
Membressa ur. Africæ. *SS. Ammon, Æmilianus, Lassa, Didymus, Pœnus et Ammon et 38 socii Mart.* 293
Menatum monast. in Arvernis 617 a f 620 d
Menevia ur. Walliæ 304 f 308 e f
Meratum op. Italiæ 255 d
Merciæ regnum in Anglia *S. Ermenilda Regina* 686
Mesembria ur. Mœsiæ 27 e
Metæ, ur. Lotharing. *S. Simeon Ep.* 860
S. Michaelis de eremo monast. Gall. 108 f in monte Tumba 108 f in Cusano 109 a
Miciacum monast. diœc. Aurelian. 621 a
Milvius pons prope Romam 753 b d f
Mona ins. Britanniæ 308 f
Monachium ur. Bavariæ *Reliq. S. Julianæ* 873 c
Monasterium. cœnob. Virginum ad Sabim 500 b *Reliq. S. Fredegandi* 500 f
Mons-Carlerius opp. Pedemontii 634 e f
Mons-Coronæ monast. in diœc. Perusina 104 d
Mons Oliveti monast. Umbriæ 159 c
Mons-regalis ur. Siciliæ. *Corpus S. Castrensis* 525 b
Mons-rubeus monasterium Guilielmitarum prope Parisios 415 e
Mons-Virginis. Monast. Ital. *Reliq. S. Julianæ V. M.* 872 a
Mons-viridis monast. Etruriæ. *S. Walfridus Ab.* 843
Monstrolium op. Gall. *Reliq. S. Austrebertæ* 419 b
Moreta opp. Pedemontii 634 c f
Moronium locus Italiæ 247 c
Mosomum ur. Gall. Belg. *S. Victor M. et Susanna V.* 339
Muchonse monast. Ægypti. *S. Jonas mon.* 520
Muretum in diœcesi Lemovicensi. *Ibi cœptus Ordo Grandimontensis a S. Stephano* 199 f 200 a b 205 d 210 e
Mutiniacus in prov. Remensi 546 f
Mutusca opp. Italiæ 157 f 158 a

Neapolis. *Corpus S. Paschasii Ab.* 493 *Reliq. S. Appoloniæ* 821 f *Ecclesia et reliquiæ S. Julianæ V. M.* 871 b c d e 884 885 *eo SS. Sabini et Eunomii Epp. corpora translata* 337 d Eam adit Hadrianus Imp. 816 e f
Nemausus ur. Galliæ. *Patria S. Honesti Presb.* 860 c 863 a
Neocæsarea in Ponto 288 c 289 b
Nicomedia 773 b *Juliana V. M.* 868 *ib viri, cxxx fœminæ MM.* 885. *Martyres plurimi* 19 a *sun ex familia 4 Protectorum Imperatoris Mart.* 18 *An Julianus M.* 13 *Febr.* 655 f
Ninovia opp. Flandriæ. *Reliq. S. Julianæ* 873 d
Nitria in Ægyto 123 a b 130 b
Nivernum op. Gall. 549 b 550 c
Nola ur. Campaniæ. *S. Maximus, sive Maximianus Ep.* 19
Northumbria regnum Britanniæ, primi Reges 177 c
Novocomum ur. Ital. 244
Nuceria ur. Umbriæ 120 d f destructa 374 b *S. Raynaldus Ep.* 373
Nuiscellense monast. Angliæ 72 a
Numidia. *Martyres sub Diocletiano passi* 513
Nurimbergæ monasterium Scotorum 362 c 371 a
Nursia ur. Italiæ. *Patria S. Scholasticæ* 403 b 405 e 406 d

O

Oa insula Græciæ 41 a
Oliva monasterium Hannoniæ. *B. Guilielmus Presb. eremita* 493 494
Oratorium locus agri Bellovac. 348 c e
Orbsen monast. Connaciæ 67 a
Orcades ins. 366 c f
Osnabrugum in Westphalia. *S. Adolphus Ep.* 571
Ossoria in Hibernia *S. Modomnocus sive Dominicus* 673
Otrus ur. Phrygiæ 6 c 7 e
Oxia mons Bithyniæ, *habitatione S. Auxentii celebris* 772 e 774 a

P

Padua, Patavium ur. Ital. 728 b
Palæstina *S. Martinianus eremita* 666
Palatiola loca Italiæ 111 e
Palatiolum in Etruria 843 f
Palentius ur. Hispan. *An ibi passa S. Soteris?* 388 e f
Pampelona, ur. Navarræ. *S. Honestus Presb.* 860
Paradisus monasterium Guilielmitarum prope Marcodurum extructum et destructum 487 d e f. *Ibi olim caput S. Guilielmi* 487
Parentium ur. Istriæ 116 b e f 119 b 127 e 128 d
Pareum ur. Hellesponti 40 e 41 a 42 e
Parisii. *Reliq. S. Theodori* 27 f *S. Guilielmi* 493 d
Partiniacum op. Gal. 455 d 456 d
Patavium. ur. Ital. *B. Arnaldus Cataneus* 500
Paternum op. Italiæ obitu Ottonis 3 celebre 116 b e
Patræ 10 sec. 90 f
Pauliacum monast. Normanniæ 417 b c d 419 f *S. Austreberta Abb.* 421 *ejus reliquiæ* 419 a *monast. monachis datum* 427
Pauli-mons prope Trevirim 169 f
Peloponnesus habita ditio occidentalis 94 e
Pena-firma monast. Lusitaniæ 482 f
Pennalun ur. Walliæ 310 c
Pentapolis in Italia. 704 f 705 c
Pereum ins. prope Ravennam 112 c 115 b 135 c
Perona opp. Gall. *S. Medanus, aut Meldanus Ep. Hibernus* 66
Petranus mons Italiæ 119 b
Philium monast. prope Chalcedonem 776 b
Phocis prov. Achaiæ, Chrysis dicta 84 b 85 d
Phrygia regio ampla 13 c
Pinarolium opp. Pedemontii 634 c f
Pisa, olim Alfea, ur. Etruriæ 844 c 845 c
Piscalus mons Etruriæ 472 a


Placentia

Placentia ur. Ital. *S. Peregrinus Conf.* 390
Placentia ur. Hispan. *Reliq. S. Gulielmi* 493 d *Dentes S. Apolloniæ* 282 c
Plumbariola monast. fœminarum prope Casinum quando extructum 397 a b
Pola ur. Istriæ 116 f
Polonia regnum Sclavonicum 113 e 114 e
Pontus regio Asiæ. *S. Atheuudorus Ep. M.* 288
Populonium portus Etruriæ 847 a d e
Portense monast. Galliæ juxta Somonam 418 a f *Austreberta monacha* 421 b f
Praga metropolis Bohemiæ 134 c d
Provincia ditio Gall. latius sumpta 351 a c
Pruno mons Etruriæ 463 e
Prussia. *S. Bruno Arch. et* 18 *socii MM.* 797 799 e
Puteoli ur. Italiæ 869 f *Corpus S. Julianæ* 883 b

Q

Quernfurtum ditio Saxoniæ 797 c

R

Rapolla ur. Italiæ 330 a e
Rate monast. Lusitaniæ 675 a b
Ratense monast. in Novempopulania. *S. Basilius mon.* 604
Ratisponæ monasteria Scotorum 363 a b d Superius monasterium 367 e f monasterium S. Petri 368 c monasterium S. Jacobi 369 371 f
Ravenna ur. Italiæ. *S. Caloccrus Ep.* 508 *S. Eleuchadius Ep.* 748 *SS. Fusca V. et Maura nutrix MM.* 646 *Reliq. S. Julianæ V. M.* 872 a Patria S. Romualdi 107 c
Reate ur. Italiæ. *S. Stephanus Ab.* 674
Reaulieu monast. Picardiæ. *Caput et ossa S. Euphrosynæ* 537 a
Rippoli opp. Pedemontii 635 e
Roma. *SS. Zoticus, Irenæus, Hyacinthus, Amantius Mart.* 380 *et* 10 *milites Mart.* 380 *Soteris V. M.* 386. *reliq. S. Scholasticæ V.* 401 *e f. SS. Craton Orator, ejus uxor et domestici MM.* 822 *S. Faustus mon. Casinensis* 839 *SS. Vitalis, Felicula, Zeno MM.* 743. *S. Valentinus Presb. M.* 751 753 a *S. Paulus Ep. Lucius, Cyriacus Mart.* 156 *An S. Apollonia V. M. Apollonii Senatoris filia* 279 f 280. *reliq. S. Apolloniæ V. M.* 281 e *S. Theodori* 27 e *S. Agapes V. M* 824
Romæ porta Flaminia, porta S. Valentini, et porta populi 752 b
Rosus ur. Ciliciæ 295 c f 296 a
Rotnacum op. Flandr. 608 a b c
Rotum, Rotumacum, Rotomagum 76 e f *S. Ansbertus Ep.* 343
Rubi ur. Ep. Apuliæ 325 d f
Rubi ur. Samnii an Rufæ, Rufræ, Rufrium dicta 62 f 63 d
Rubicatus flu. Hispaniæ 301 c
Ruffinianæ monast. Chalcedone 776 b d e 777 a
Russia prope Prussiam 799 d
Rutila, Rotila, monast. ad Mosellam fl. 189 b *Reliq. S. Apolloniæ* 282 a *S. Euphrosynæ* 537 a

S

Sabrata ur. Africæ. *SS. Fusca V. et Maura nutrix MM. sepultæ* 645 f 646 b 648 f
Salapia ur. Apuliæ 636 d
Salentinorum regio 312 c
Salmantica ur. Hispan. *Corpus S. Damiani Mart. Romani* 581
Salodium ad Benacum lacum 259 d 274 f
Sanctonum urbs Aquitaniæ 728 e 729 c
Santillana ur. Asturiæ *a S. Juliana dicta : cujus ibi corpus* 872 b c d



Sapis fl. Italiæ 112 a b
Saraca regio Arabiæ sedes Saracenorum 43 b
Sarsina, Saxina, ur. Flaminiæ 111 e
Scarana ur. Sueciæ 849 f
Schera amnis Alsatiæ 638 c
Scithi solitudo Ægypti. *S. Moyses Ab. et* 6 *MM.* 46
Scythia minor seu Pontica 90 b 91 e
Scytopolis ur. Palæstinæ 46 b
Sebastia ur. Armeniæ. *S. Meletius Ep.* 584 b f
Secusia opp. Pedemontii 634 b f
Semanshusium monast. Bavariæ 480 d
Senonense monast. Vosagi. *Corpus S. Simeonis Ep. Metensis* 860 b c e
Serrateix monast. Hispaniæ. *Corpora SS. Victoris, Zenonis, Feliculæ* 745 c d e
Serravallis op. Pedemontii. *S. Euseus eremita calcolarius* 853
S. Severi monast. prope Ravennam 107 d
Sigona, Sequana flu. Gall. 76 e f
Siope mons Bithyniæ. *S. Auxentius Presb.* 760 b 778 e
Sipontum ur. Apuliæ eversum 56 b *S. Laurentius Ep.* 56
Sitria mons et monast. Italiæ 120 f 123 a b monachorum sanctitas 130
Socuellamum monast. Hispan. *Corpus S. Valentini M. Romani* 763
Soli ur. Cypri 292 f
Somaschæ pagi Italiæ descriptio, aeris temperies 247 248. Sedes prima Congreg. Somaschæ 248 *Hieronymus Æmilianus Fundator* 217 et seqq.
Somana fl. Gall. 421 b f 428 e
Soncinum op. agri Cremonensis 503 d e f
Soterium in Græcia. *S. Lucas Junior* 83 b 96 d
Spinetum castrum Belgii 194 b
Spoletium ur. Umbriæ 157 f 158 f *SS. Vitalianus Vitalis et* 14 *milites MM.* 746 *B. Christina tertii Ord. Eremitarum S. Augustini* 799
Stabiæ ur. regni Neapolitani 788 c 789 b
Stabulum-Rodis monast. Etruriæ. *S. Guilielmus eremita* 433 464 f 469 c *monasterium eversum et instauratum* 486
Stampæ opp. Gal. 454 c 455 b
Stenninga in Normannia. *S. Cuthmanus Conf.* 197
Stommelium pagus Juliacensis 488 e
Streneashala monast. Angl. *S. Trumwinus Ep.* 415 416 d e *S. Cedmonus mon.* 552 *S. Elfleda V. Abb.* 177 181 185 b c
Stroncone, Stronconium op. Umbriæ. *B. Antonius, laicus Ord. S. Francisci* 145
Sublacum monast. Italiæ 397 f
Suessio ur. Gal. *S. Gaudinus Ep.* 554 *reliq. S. Onesimi Ep. Ephesini* 860 d
Suessa, Sinuessa ur. Campaniæ 524 e 528 c
Suenus aut Suennus in Cypro 292 c
Surrentum in regno Neapolit. *S. Antonius Ab.* 784
Sutriense castrum Ital. 705 c
Swiveca monast. Flandr. *Dens S. Apolloniæ* 282 a
Syracusæ ur. Siciliæ. *S. Eulalius Ep.* 889
Syria. *SS. Adventus, Xystus et alii* VIII *MM.* 825

T

Tabia castellum Liguriæ 630 b 631 e
Tarracina ur. Ital. *S. Silvanus Ep. Conf.* 392
Tarnadus vicus an Agaunum 545 a
Tarvisium miraculis Deiparæ clarum 226 227
Taurinum ur. Pedemontii 512 a *S. Tigrinus M. Romanus* 512 *S. Goslinus Ab.* 631 *S. Juliana matrona* 657
Taurum ur. Hispaniæ. *Caput S. Valentini Ep. M.* 743
Tebeste ur. Africæ 295 d e

Tecber stagnum Hiberniæ 299 b
Teffia regio Hiberniæ 836 f 838 c
Temoria regnum Hiberniæ 838 f.
Tenolium monast. Tirasciæ 495 e 496 d
Terracia juxta Barcinonem in Hisp. 301 b
Thebæ ur. Bœotiæ, et monasterium vicinum 10 sec. 93 c 94 c.
Theodoropolis, olim Euchaita. 24 f 26 a
Theologium monast. in Vosago 170 c 171 a 175 f 176 d e *Reliq. S. Pauli Ep. Virdunen.* 174 c
Thermopylæ in Thessalia 102 a b
Thessalonica 598 a
Tibur ur. Ital. ab Ottone III obsessa 112 e f
Ticinum ur. Italiæ 152. *S. Juventius Ep.* 152 *Reliq. S. Elenchadii Ep. Ravenn.* 747 e f 748 a
Tiernum ur. Arverniæ. *S. Stephani Grandimontensis brachium* 204 f patria ejus 205 b f
Tolosa ur. Gall. *Caput S. Honesti Presb.* 860 c
Torcellum ur. Venetæ ditionis 646 c *S. Fuscæ V. et Mauræ nutricis MM. corpora* 646 d
Tornacum ur. Belg. 9 c f *reliq. S. Chrysolii* 10 e 11 d
Tranum ur. Apuliæ 62 f 63 e
Trebia ur. Umbriæ 157 c f 159 f
Trebula opp. Italiæ 158 a
Trichinaria monast. S. Auxentii 369 f 381 b c
Troja in Apulia condita, ab S. Henrico Imp. intercepta 529 f an olim Costa aut Castra Hannibalis dicta 530 d num potius Æcana 530 d *S. Secundus Ep.* 529
Tudertum ur. Umbriæ. *S. Benignus Presb. M.* 656
Tullum op. Lotharingiæ 366 a e
Turonensis ur. Gall. 206 f provincia non fuit subjecta ultimis Ducibus Aquitaniæ 441 f
Tuscania ur. Etruriæ. *S. Communis M.* 159
Tusculanum 744 e
Twifford in Northumbria 415 e

U

Ulysippo ur. Lusitaniæ. *Dens et reliq. S. Apolloniæ* 282 b
Urbs-vetus, Orvietum 118 b e f *Corpus S. Severi Presb.* 827 d f
Ursatia in Alpibus 727 c
Uxentium ur. Salentinorum Ital. 581 d

V

Valeria prov. Italiæ. *S. Severus Presb.* 826
Vallis-Bona monast. Ital. 121 f
Vallis-castri monast. in Camerina prov. 117 d 118 b 140 f 141 b e f 142 b d 144 c
Vallis-S. Joannis de Pinonia monast. Bohemiæ 481 b
Vallis-scholarium monast. Gall. 484 c d e
Vallis speciosa monast. Bavariæ 481 c
Valperga op. Pedemontii 638 e
Vasio ur. Galliæ *S. Theodosius Ep.* 783 *S. Quinidius Ep.* 829
Vecta ins. Angliæ ad fidem conversa 687 f
Velava, Velaunum ur. Gall. *S. Paulianus Ep.* 750
Veliocassinus pagus Gall. 348 e
Velitræ ur. Italiæ, an S. Silvianus, aut Silvinus Ep. 392 a
Venetiæ urbs, unde illustris 220 f 221 a b 257 *corpus S. Theodori Ducis M.* 26 f 27
Vercellæ ur. Italiæ 735 b *S. Petrus Ep.* 720
Vergeretus vicus in Apennino monte 132 d 133 f
Verlingehemium vicus Flandriæ. *S. Chrysolius et socii Mart.* 10
Veromandui populi Galliæ Belgicæ 719 a b d f
Verona ur. Ital. 240 f 258 d *S. Gaudentius Ep.* 602 *S. Juliana V. M.* 886 *reliq. SS. Faustini et Jovitæ* 810 d *S. Julianæ V. M.* 872 a
Versilia fl. Etruriæ 844 f 845 a
Versolanum in Gallia 206 d
Verviniium Tirasciæ opp. in Gall. Belgica 495 f 496 d
Vesontio ur. Burgundiæ. *S. Nicetius Ep.* 167 *S. Protadius Ep.* 413
Vetus-campus monast. diœc. Coloniensis 671 a
Vexio ur. Sueciæ. *S. Sigfridus Ep. Conf. SS. Vinamanus, Unamanus, Sunamanus MM.* 848
Vienna ur. Gall. *S. Simplides Ep.* 512
Vienna Germ. 372 e monasterium Scotorum 365 a 371 d 372 e
Villare in prov. Remensi 54 c
Virdunum ur. Galliæ Belgicæ. *S. Paulus Ep.* 168
Virzilliacum monast. 492 e
S. Vitoni monasterium Benedictinum dein Præmonstratense 174 b c
Volaterræ. *Reliq. S. Apolloniæ* 281 e *S. Richardi R.* 75 a *S. Theodori* 27 f
Vosagus eremus et mons. 171 b
Vulturnum op. Campaniæ. *S. Castrensis Ep.* 524 e

W

Walbodegem villa in Bononiensi Gall. 346 e
Wallia regio Britanniæ varios Reges habet 6 sec. 305 f
Waltheim monast. Angliæ 72 a 75 f 77 e 78 d
Windessemensis monasterii reformatio 547 e
Winwed fl. Angl. 179 b Winwid felda 179 c
Wiremurb monast. Angliæ 184 f
Wirus fl. Angl. 181 a
Whitbii in Anglia 181 c 185 c d f

Z

Zabi ur. Africæ 295 d

# INDEX ONOMASTICUS

## TOMI II FEBRUARII.

*Indicantur brevi collectione voces barbaræ, vel minus usitatæ atque etiam tituli dignitatum, potissimum si addita significatione explicentur, ut cui vox aliqua minus obvia occurret, dispicere possit, num hic similis existat.*


A

Abandio *contemno* 896 d
Alpes *pro altis montibus* 126 f 137 a
Angarizator 527 d
Aporiare 896 a
Archarium Ecclesiæ, *archivum* 177 d f
Archistrategus, *imago S. Michaelis* 261 c
Artistæ, *Doctores artium liberalium* 734 a 735 d

B

Barberius, Barbator, Barbitonsor, *chirurgus* 635 b
Barcha, Barca *minutum navigium* 731 c f
Barda, *hasta, securis : inde* Langobardi, *ab longæ hastæ usu* 796 f
Bastarna, *lectica* 775 e
Birrus, *genus chlamydis* 134 f 135 c
Bladum, *frumentum* 636 b c
Brunus, *fuscus, equus,* 31 f 33 c
Bryo, rhetor, *fons eloquentiæ* 28 c f

C

Camisæ *laneæ interulæ* 619 c
Candidatorum *dignitas apud Imperatores* 18 a
Canola, Canolum, *an capensa?* 11 c 12 a
Cantabrum, *furfures frumenti* 138 e
Capisterium, *ad repurgandum frumentum* 403 b 404 e
Catomari, catomis *cædi, in* catamo, *levari* 578 b
Centurio, *præpositus regno* 36 c
Cerminiculum 327 c
Clubum, *sera* 773 c
Collecta et Collectio *Christianorum ad orandum* 516 517
Confessio, *in templo quis locus* 330 b e
Conidarius, *pediculosus, sordidus, nomen diaboli* 95 f 96 d
Consobrini, *pro patruelibus* 351 b d f
Coruscus, *pro fulgure* 402 e
Cuculla 619 e f

D

Dardanus, *equus* 31 f 33 c
Defensor regius scholasticus 28 b 29 d
Deuterarius, *Præfectus sub Archimandrita* 160 d
Dietim, diatim 406 c d
Doxologia, *major et minor apud Græcos* 772 d
Dromo, *genus navigii* 777 d 778 c
Drungarius Biglæ, *Præfectus vigiliarum* 555 c
Duellaris ludus 464 d f
Duricors 895 b

E

Encæniatus, *novis vestibus indutus* 128 d e
Epithema, *genus medicamenti* 457 d f
Evitudo, *evidentia* 34 a 35 c
Exemplare, *alios ad suos mores formare* 127 d

F

Faraari 405 c
Filiaster, *pro privigno* 193 b f
Flammula, *Zimiscæ Imp.* 26 c
Flasco, *lagena* 616 d f
Forensis, *Presbyter externus, rare aut ab alia ecclesia adveniens* 177 b f

G

Garciones, *pueri* 459 b f
Gestorium substernere, *lecticam, culcitram, floream* 140 b d
Getæ *pro Gothis accepti* 612 a
Grapti *SS. Confessores dicti a notis faciei impressis* 561 c

H

Hascaria, *mulcta* 193 e 194 a
Hedra *sedes, Græcis* ἕδρα 34 b 35 c
Hierocomia, *ubi igne sacro infecti curantur* 538 f 539 d
Horripilare 468 d f

I

Inauditor, *contemptor* 896 a

J

Jactus profundius, *magis humilis* 406 d

L

Latex, *pro vino* 92 b d
Lebito, *vestis monastica* 520 f
Lectaria, *pro culcitris* 613 c 614 b
Lenticulum, *neutro genere* 129 b f

M

Magister officiorum, *sub Diocletiano* 14 c
Magistriani officium 40 c 41 c
Malagma, *medicamentum emolliens* 615 c
Mancipes, *pistores* 780 b
Manicatio, *ambulatio matutina* 297 e 298 b
Mappula, *pro sudario aut sacculo cui aliquid imponitur* 617 f 618 a
Massarius, *custos supellectilis* 501 f 502 a
Mausoleum opus, *id est, magnificum* 58 f
Metanœa monastica 137 f 139 b
Migrana, *hemicrania* 637 a c
Missa præsanctificatorum 92 b
Monasterium, *pro quavis ecclesia* 414 a d e

N

Νᾶμα, *latex pro vino* 92 d
Neronianus lapis, *smaragdus, gemma* 755 f
Nondecim, *novemdecim* 76 f
Numerus, *pro cohorte* 771 d 772 d

O

O

Octapodion, lingulis 8 sectum vexillum, unum e Flammulis 26 c
Orthodoxia, festum restitutarum imaginum 561 b

P

Palearia, femin. gen. 613 b
Pannum, neutro gen. 612 f 613 b
Parochia, pro diœcesi Episcopali 193 c f
Pelliceæ, apud Benedictinos 619 a c
Pentepitropus, e Quinque viris rerum curandarum 781 e f
Phagedæna, ulcus 100 b f
Phalanga, pertica 111 f 112 a
Pholles, oboli 772 b e
Placitus, Placitum, conventus judicialis 193 d 194 a 619 b f
Planetæ, vestes 614 b
Planca, tabula plana 112 a b
Polyandrium 390 e 391 e
Præfectus ærario, sub Diocletiano 14 d
Procensus, processus regius 777 b 778 c
Proœmiacæ, preces 97 f 98 b
Protectorum dignitas, apud Imperatores 18 a 29 e
Psiathium, Psyatium, mattula 541 b c
Puppæ, appellatæ pueriliter imagines 558 a

Q

Quæstor generalis, sub Diocletiano 14 c
Querelari et Querulari, 405 b c
Quinternetum, Quinternio, libellus 5 foliorum 638 e

R

Renuitæ, monachi inobedientes 120 d f
Ribaldus, pro homine vili et nebulone 733 f 735 d
Rosina, nomen muliebre, id est Euphrosyna 573 c
Rotum, Rotumacum, urbs Rotomagum 76 e f 78 b f
Ruptarii, an equites? 713 f

S

Sacellum, Sacculus, Saccus, ærarium ad eleemosynas et Sacellarius huic ærario præfectus 692 e 703 a
Sagmarius, sarcinas ferens 110 f 111 b
Sagum, stragulum 614 b
Sarabaitæ, monachi vagi 120 d e
Schematis tunica, monastica 539 a d
Scholares, Scholarii, in militia 612 d 770 e 771 c
Scholarium dignitas, apud Imperatores 18 a
Scindulæ et Scandulæ 129 e f
Sigona, pro Sequana fl. 76 e f 78 f
Solutares, calcei 210 f 211 a
Spatharii, satellites regii 97 e 98 b
Squilla, Sckilla, pro tintinnabulo 618 d 619 c
Stamineæ, loneæ interulæ 619 a c
Stichologia, preces Græcorum 97 b 98 e
Stratorium, instrata 618 d f

T

Tironum cohors 23 a
Tonitruus, mascul. genere 401 a 402 e
Tornearis ludus 463 f 464 f
Traditores, qui sacros libros tradebant 515 e
Trisagion, apud Græcos 92 b d
Typicorum officium, apud Græcos 92 b d

V

Valentia, robur, exercitus 367 a
Vegetem, malleo percutere, an vectem, tegetem, pessulam? 121 f 122 b
Verbositare, præcipitanter loqui 138 f 139 b
Vigennium, pro vicennio 127 b e
Virgo castissimus, de Sancto 207 d
Virgo, pro sanctimoniali, etiam de viduis 691 c
Volucrum, involucrum 365 e 366 e

Z

Zoccolanti, Minoritæ 146 a e

# INDEX MORALIS

# IN VITAS SANCTORUM

## TOMI II FEBRUARII.

*Non solum hic virtutum aut vitiorum nomina expressa, sed rerum omnium vocabula, quorum notitia ad virtutum vitiorumque tractationem visa est accommodata : ut sint veluti universales loci communes, qui postmodum ex toto opere ampliores poterunt confici.*

A

Abbates Sancti *in hoc Tomo. Antoninus Surrenti,* 784 *Paschasius Lesinæ* 493 *Romualdus Fundator* 102 *Stephanus Reate* 674 *Walfridus Montis-Viridis in Etruria* 843 *Arnaldus Cataneus Patavii* 500 *Goslinus Taurini* 631 *Severinus Agaunensis* 544 *Marianus Scotus Ratisponæ* 361 *Alto in Bavaria* 358 *Benedictus Anianæ et Indæ* 607 *Columbanus inclusus Gandavi* 847 *Amulwinus Ep. Lobiensis* 81 *Berachius Ep. in Hibernia* 833 *Moyses Mar. in Ægypto* 45 Abbas *exemplo et virtute præit suis S. Antoninus Surrentinus* 789 *e* 796 *d* Abbas *invitus præest, suis inservit S. Romualdus* 126 *b c* Abbates *vult S. Romualdus ut monachos vivere* 118 *f* Abbatis *virtutes in S. Antonio Caulea elucent* 625 *b c et in reliquis ante nominatis.*

Abbatissæ Sanctæ. *Ermenilda Regina* 686 *Elfleda V. Regia* 177 *Austreberta* 417 *Baldegundis* 429

Absentia *cognoscit S. Sabinus* 317 *e S. Romualdus* 116 *d* 117 *f* 121 *d*

Absorbentur *terra sagæ ad orationem S. Berachii* 835 *f, alii volentes ejus monasterium incendere* 838 *a b*

Abstinentia *S. Romualdi quotidie per annum unicum pugillum ciceris elixi sumentis* 108 *d* 128 *e* 138 *c S. Bonifacii Camaldulensis sæpe tantum feria 5 et Dominica comedentis* 114 *a b. S. Jonæ monachi sola olera cum aceto comedentis, qui* 85 *annos hortulanus non gustavit fructus arborum* 520 *f S. Abraamis Ep. viventis solis crudis lactucis absque pane et aqua* 769 *a b S. Venerii eremitæ absque pane, vino, re cocta, vescentis crudis radicibus et pomis* 113 *a b* Abstinentiæ *dedita S. Scholastica* 407 *d* Abstinet *cibis delicatis S Lucas Junior adhuc puer* 84 *f vide* Panis.

Aculeis *Martyres concisi a Persis* 162 *d*

Adhortatur *advenientes ad relinquenda caduca et inquirenda cælestia S. Auxentius* 779 *a b c d e*

Adolescentia *pia S. Cuthmani* 197 *c In studiis S. Licinii* 678 *f* 683 *a b S. Fulcranni* 712 *d S. Castoris Presb.* 663 *c* Adolescentia *S. Romualdi pia, sed proclivis in carnis libidinem* 106 *f*

*ob* Adulteram *assumptam excommunicatur Guilielmus* VIII *Dux Aquitaniæ* 438 *f* Adulterum *Comitem ab osculo repellit et dure increpat S. Fulcrannus Ep.* 713 *b* Adulterii *calumniam illatam ostendit S. Methodius CP.* 560 *f* 561 *a*

*in* Aera *rapti blasphemi in Christum, manent suspensi, precibus S. Charalampii liberantur* 384 *d e*

Ære liquato *perfunditur illæsa S. Juliana V. M.* 875 *f* 881 *d*

Ægris *serviunt SS. Bernardinus Senensis, Elisabetha, Maria OignIacenses, Ægyptii Martyribus adscripti* 269 *b c d* Ægris *in xenodochio servit B. Christina Spoletina* 801 *a* Ægrorum *et valetudinarii curam suscipit Hieron. Æmilianus* 29 240 263 *d* 269 *b*

Æthiopum *in figura insultant dæmones S. Romualdo* 111 *d*

Agrum *colit S. Romualdus* 108 *d S. Lucas Junior* 85 *a*

Alapis *cæditur faciem offerens S. Soteris* 387 *e f*

Altare *defendentes occisi SS. Primus et Donatus* 295 *a*

Amari *mavult a suis quam timeri Abbas S. Ansbertus* 351 *f* Amoris *paterni victoria in S. Euphrosyna inter monachos degente* 539 543 Amicitia *integerrima S. Polyeucti et Nearchi* 652 *b c d*

Amentes *sanati ope S. Valentini* 761 *e f* 762 *a*

Angelus *nomen et sanctitatem futuram S. Austrebertæ needum natæ annuntiat matri* 420 *e matri gravidæ S. Quinidii templi fores aperit, et indicat quis futurus sit ex ea nasciturus* 830 *e f* Angelus *adolescentis specie visus eximere libidinem carnis a S. Luca Juniore* 89 *d donum continentiæ sua visitatione confert S. Walfrido Ab.* 845 *b* Angeli *S. Raynaldum dicentem Missam ob vestem pauperi datam induunt manicis aureis argenteisque* 375 *b* Angeli *nocte psallunt cum S. Sabino* 315 *c* Angelis et Sanctis *canentibus apparet S. Medanus S. Furseo* 67 *e* Angelus *monet ad pœnitentiam B. Guilielmum de Oliva* 496 *f S. Attractam, ut submersos S. Foelanum et alium resuscitet* 299 *d* Angelus *captum S. Martinum Legionensem liberat, furtum impositum refellens* 570 *d invisit S. Fuscam in carcere* 649 *a e* Angeli in carcere *excitant SS. Castrensem, Rossium, Priscum, Tammarum* 527 *a in carcere corroborant SS. Faustinum et Jovitam* 812 *d cum iis psallunt* 815 *d* Angelus *in tormentis corroborat S. Julianam V. M.* 877 *e liberat rotæ alligatam* 877 *f, et ab incendio* 878 *b* 883 *a educit S. Felicem Presb. e carcere, ut S. Maximum Ep. Nolanum fame moribundum in silva ad hospitium portet* 20 *e d* 21 *f ab* Angelo *e carcere educti SS. Faustinus et Jovita, fiunt ille Presbyter, hic Diaconus, baptizant SS. Calocerum et Officiales reducuntur ad carcerem sigillo intacto* 815 *a b* 819 *d e f ad baptizandum et communicandam Eucharistiam S. Secundo iterum educti* 822 *a b in mare projectos SS. Faustinum et Jovitam liberat* 818 *a et tauris alligatos* 820 *e monet finem vitæ instare* 818 *b educunt S. Secundum e carcere Dertonensi ad Astensem* 822 *e* Angelus *cruci affixum S. Theodorum sanum deponit* 30 *a* 36 *b* 893 *d* Angelo *indicante præscit S. Severinus Agaunensis se evocandum alio et illic moriturum* 549 *a* Angelis *apparentibus moritur S. Romualdus* 141 *a* Angelus *moribundo S. Ludano defert Eucharistiam* 639 *d* Angelorum *musica in obitu S. Walfridi audita* 846 *a cantu honoratur S. Mengoldus dum occiditur* 195 *e psallunt capite plexo S. Calocero* 821 *f* Angeli *visi per scalam deducere in cælum animam S. Stephani Grandimont.* 206 *d Inter* Angelos *psallentes visus a morte S. Guilielmus* 469 *b* Angelus *monet corpus S. Austrebertæ transferendum* 425 *c* Angeli *in festo S. Austrebertæ nocte laudes matutinales canunt* 427 *e* Angelus Michael *cryptam in Gargano consecrat* 59 *a Victoriam*

riam de hostibus addicit S. Laurentio Sipontino 59 b Garganum eligit pro suo cultu, cryptam dedicat, imaginem ostendit, ad cujus exemplum sit pingendus 314 f

Angina curatur a S. Stephano Grandimont. apparente 213 b

Angues duos nutrit S. Lucas Junior 88 f

Anima caritate ardente B. Macarii Ab. Herbipolensis brevi morituri designata noctu per turrim igneam 370 f et Sanctini Ab. Viennensis per arborem ad cælum altam 371 f Anima S. Scholasticæ columbæ specie in cælum evolare visa 402 f 404 b 408 f uti et S. Eulaliæ Barcinonen. 578 a Anima S. Stephani Grandimont. ab Angelis in cælum deducta est 206 d Anima Theophili Imp. an orationibus aliorum sit liberata pœnis inferni an potius purgatorii 561 b c Animi candor cum neglectu corporis in B. Gulielmo Zucchio 505 a

Annona diurna pro se data alit 7 amanuenses Crucis signo S. Martinus Legionensis 571 d

Annorum 100 moritur S. Calocerus 509 d

Annulo se Christo Virginem desponsat S. Stephanus Grandimontensis 205 e

Apes discedentem S. Modomnocum sæpius comitantur 673 c d

Apoplexia punitus contra obedientiam murmurans, sanatur ope B. Jordani 732 e f

Apostatam a fide filium excæcat Bogoris R. Bulgarorum, et regnum dat juniori 564 a

Apostema capitis curatum ope S. Goslini 636 a et pectoris 637 a

Apostolus appellatur S. Agabus 644 c Apostoli Germanorum habiti SS. Corbinianus et Bonifacius 696 697 698 e Prussiæ SS. Adelbertus Pragensis et Bruno M. cum sociis 18 296 c f 797 a b 799 d Gothorum et Norvegorum S. Sigfridus 849 a 851 e Pampelonensium SS. Honestus Presb. et Saturninus Ep. 860 861

ab Apris ne devorentur, voto monasterii ædificandi facto, liberantur SS. Haymo et Veremundus 706 e f 707 a

Aquam in puteo precibus Prioris impetrat S. Moyses Ab. 47 f super Aquas ambulat facto signo Crucis S. Austreberta nuptias fugiens 420 f Puella eam invocans ut pudorem servet 426 e Aqua benedicta et thure lustratum ignem illæsus transit S. Bonifacius Episc. Russorum 114 c Moribundus aspersus a S. Stephano Grandimontensi sanatur 213 a Aqua a S. Winwaloco benedicta suscitat matrem suam mortuam S. Riocus 603 e f Aqua benedicta lotis oculis ad sepulchrum S. Guilielmi cæcus illuminatur 469 d Leprosum lotum sanat S. Licinius Ep. 681 c d 685 d Leprosos 2 et 3 cæcos S. Berachius 837 a paralyticam S. Parthenius 40 c 2 energumenas 40 e et incommodantem piscationi pellit 40 f Dæmoniacum S. Romualdus 122 d Aqua qua lotæ manus S. Fulcranni, cæci illuminantur 717 b 718 a febris et pleuritis curantur 718 a

Aquila protegit contra æstum Episcopos in dedicatione Ecclesiæ S. Michaelis in Gargano 314 e

Arbor crescit ex baculo S. Tresani terræ infixo 55 a Arbor, cui alligatus S. Æmilianus M. novis frondibus et fructibus efflorescit 159 e Arbor dæmonis oraculis celebris, oratione S. Berachii procul subito transplantatur 837 e Arbor ad cælum alta cum avibus visa a moribundo Sanctino Ab. Viennensi designat ejus caritatem 371 f

Asthma curatum a S. Antonio Caulea apparente 628 c

Avarus importune mendicando colligens vestes, omnes simul perdit 771 f 772 a ob Avaritiam ægrum, persuasa liberalitate in pauperes, sanat precibus S. Parthenius 41 c

ex Avium cantu absentia cognoscit S. Sabinus 317 e

ex Aulico monachus S. Bruno M. 797 e

Aurigam agit ob mores dissolutos Michael III Imp. 564 f 565 a

Aurum ab Episcopo oblatum respuit S. Lucas Junior 91 e eo repulsam ægre ferente, unicum nummum accipit 91 f 92 a

B

Baculus S. Tresani terræ infixus in arborem crescit 55 a

Barbæ S. Charalampi vincula innectuntur, 383 d flammis admota, milites adurit 383 f Barbam evellere volenti mentum offert Hieron. Æmilianus 231 d e

ad Baptizandos SS. Calocerum et officiales e carcere ab Angelo ducti SS. Faustinus et Jovita 815 f et cum iis 12000 hominum 819 e f et S. Secundum 822 a Baptizant mortuos Cataphryges hæretici. 5 e

Belli rabies evitatur ope S. Raynaldi Nucerini 375 e vide Victoria

Benedictione panes multiplicat B. Jordanus 727 c Benedictionem dextra Filii Fratribus Ord. Prædic. visa Deipara Maria dare 729 d

Bestiæ corpora Martyrum non devorant 158 e 868 d Bestiarum instar reptat B. Guilielmus de Oliva, ut pœnitentiam agat 195 f vide Feræ

Blanditias fratris et Proconsulis spernit S. Victoria M. 519 b Blanditias ministrorum rejiciunt SS. Priscus et Castrensis 526 f vide Constantia, Fortitudo

Blasphemi in Christum, in aere rapti, manent suspensi, oratione S. Charalampi liberantur 384 d e Blasphemias in Deum et Deiparam fratrum rixantium, luto mundendo, coercet Hieronymus Æmilianus 268 c Blasphemus magus in S. Berachium fit mutus, et male perit 837 f Blasphemus et maledicens S. Cathmano, morte punitur 199 a

Boni homines appellantur monachi Grandimontenses 200 d

Brachia occidentium SS. Joannem et Benedictum arefiunt 115 e Brachia trahentis stola S. Castrensem arefiunt, eo orante sanantur 527 c d Brachium 18 annis aridum curatur ope S. Goslini 636 f 637 e Brachii dolor ope S. Austrebertæ 428 d

C

Cæcus S. Sabinus spiritu prophetiæ donatur 318 b

Cæca redditur ad servandam virginitatem S. Susanna 341 c Cæci et immobiles redduntur occisores S. Bonifacii Apost. Russorum, precibus aliorum sanantur, baptizantur 114 d e Cæcam sanat S. Auxentius his verbis : Sanat te Jesus Christus, lux vera 733 b Cæca Regina sanatur a S. Alexio Knoriensi 641 e Cæci alii ope S. Mengoldi 197 d B. Esaiæ Bonneri 217 a S. Goslini 634 d 637 e S. Valentini 761 d e 762 f signo crucis a S. Licinio Ep. 681 b 685 c a B. Jordano 727 d aqua benedicta a S. Berachio 837 a oleo sacro a S. Licinio Ep. 680 e 684 f 685 a voto festi SS. Haymonis et Veremundi cum jejunio prævio celebrandi 708 c in templo S. Lucæ Junioris 101 b ad Reliquias S Stephani Grandimontensis 210 f 211 e 212 a ad sepulchrum S. Guilielmi 469 d 470 b et S. Austrebertæ 425 e lotis oculis e fonte ejus 426 c oblata candela 426 f Cæco et oculi et visus dati ad sepulchrum S. Licinii Ep. 682 c 686 d Cæcus, surdus contractus ad sepulchrum S. Sabini missus sanatur 328 c Cæci illuminantur aqua, qua manus abluerat S. Fulcrannus Ep. 717 e 718 d Cæca filia S. Asterii a S. Valentino Presb. illuminata, is et 44 ex familia baptizati Martyres obeunt 754 f 755 a b

Calculus ope S. Goslini curatur 636 e 637 d

Calumniam infamem patitur S. Romualdus 120 c Calumniatores adulterii sibi impositi morte liberat S. Methodius CP. 560 f 561 a b Calumniator S. Auxentii punitur filia a dæmone obsessa, quæ, instante patre emendato, ab eo sanatur 773 d e f

Campanæ

Campanæ ultro sonant moriente S. Ludano 639 d dum Reliquiæ S. Romualdi advehuntur 143 e Campanula S. Teliai miraculis clara 309 d

Cancellarius Regis S. Ansbertus 349 b

Cancer morbus sanatur ope S. Austrebertæ 425 d signo Crucis a S. Parthenio 38 f a S. Flaviano Erem. 888 a

Candela ultro accenditur orante S. Alexio Kiioviensi 641 d Candela ardens apud S. Auxentium non consumitur 776 d Candelis S. Austrebertæ oblatis sanantur cæca, contracta, ægra 426 f pro Candelis digiti B. Mariani noctu lucent 367 e

Canis ore refert amissas claves invocato S. Guilielmo 471 a b Canem sævum signo Crucis arcet S. Parthenius 39 f

Canonicus Regularis S. Martinus Legione in Hispania 569

a Cantilenis turpibus abstrahit messores Hieron. Æmilianus 242 a Cantus auditus SS. accedentium ad S. Fidelem Ep. 65 d Canentibus SS. et Angelis apparet S. Meldanus S. Furseo 67 c d

Caput Præsidis spuentis in S. Charalampum in tergum detortum, hujus precibus restituitur 382 f 383 a Capite plexi SS. Æmilianus et 3 socii 159 b c d S. Nicephorus 285 b 287 f 896 c MM. Hadrianopolitani 320 a Dionysius, Ammonius 751 d Valentinus Presb. 755 d Valentinus Ep. 758 e S. Bruno et XVIII socii 799 d S. Crato 824 a ejusdem uxor et domestici 824 d SS. Elias, Jeremias, Esaias, Samuel, Daniel Ægyptii 867 c S. Henricus in Suecia 852 f S. Seleucus 867 f SS. Proculus, Ephebus, Apollonius 863 c S. Juliana v et 500 viri et 130 feminæ 878 886 d Officiales S. Caloceri 813 b 820 b Faustinus et Jovita 814 a 818 c signo Crucis munitus S. Theodorus Dux 30 d Caput manibus gestat S. Adolbertus occisus 134 d Capitis verticem cum cerebro amputatum defert Comminum ad altare S. Chrysolius 11 e 12 d Capita abscissa SS. Vinamanni, Unamanni et Sunamanni MM. triplici lumine coruscante inveniuntur a S. Sigfrido et loquuntur 851 c d Caput e reliquiis S. Benigni furatus, egredi e templo divinitus impeditur 657 a Capitis dolores acerbissimi curantur ope S. Goslini 634 b 635 b d 637 a Hieronymi Æmiliani 266 b B. Esaiæ Bonneri 216 d 217 c insufflatu S. Romualdi 121 b Capitis vertigo pellitur ad sepulchrum B. Christinæ Spoletinæ 802 a

Capillis suis suspenditur torquenda S. Juliana v 875 f 881 c Capillis exilibus colligat ligna S. Attracta 300 d

Captivus a Saracenis in Ægypto S. Petrus Vercellensis, divinitus discit se liberandum 720 b Captivos liberat S. Stephanus Grandimont. apparens 206 e 212 d 213 b et apparens S. Austreberta 427 e verba solvit S. Theodorus Dux M. 30 e Captivus liberatur voto S. Raynaldo facto 375 f Captum a latronibus ope Deiparæ implorata liberari Impetrat S. Stephanus Grandimont. 209 b a Captiva sorore ad fidem conversa initium conversionis Bogoris R. et Bulgarorum subditorum 563 b c

ob Caritatem in Deum mente facile elevatur, et multum orat, et terrena despicit Hieron. Æmilianus 267 e Caritatis conditiones omnes expressit S. Scholastica 408 d e ea S. Benedictum fratrem superat 408 b

Carne ad ossa usque dilacerata torquetur S. Porphyrius M. 867 d Carnis libido a meretrice excitatur in S. Martiniano 667 d e f adustione stantis in igne tollitur 668 e Carnis appetitus domatur jejunio, vigilia, continua occupatione, lectione sacra, oratione 230 f 231 b Carnis insultus infringit in aquam gelidam hieme intrans B. Guilielmus de Oliva 499 a jejunio, cilicio, humi cubatione S. Guilielmus Magnus 466 a cum Carnibus piscem elixum sentiens evomit S. Lucas Junior et triduo jejunat 85 a Carnifices videntes S. Julianam in tormentis fortem, ab Angelis liberari convertuntur, Martyres obeunt 878 b c Carnibus semper abstinent etiam ægri Grandimontenses 201 f

Carceri tenebricoso inclusus, fame et squalore moritur B. Arnaldus Cataneus cum aliis pluribus 502 c d e f Carcer eo moriente cælitus illuminatur 503 b e Carcere liberatur Hieron. Æmilianus a Maria v apparente 226 e f Carcere signo Crucis aperto captivos liberat S. Licinius Ep. 681 d e

Castam vitam amplectitur S. Licinius sponsa subito leprosa facta 679 b c 683 d e Castitatis servandæ amore invocans S. Austrebertam super aquas ambulans servatur 426 e vide Virginitas.

Catena ferrea ad sepulchrum S. Ermenildæ dissoluta super altare evolat 692 a

Cella monacho fons quietis 130 a in Cella 38 annis solitaria vivit S. Euphrosyna 540 e 544 a Cellæ arctæ inclusus degit S. Auxentius 773 a Cellulæ inclusus S. Flovianus erem. 60 annis neminem vidit aut allocutus 888 a Cellas aspergens visa circumire Deipara V. et Ordinem Prædicatorum a peccato custodire 729 d e Cellas curiosus aversatur S. Romualdus 117 b 128 a

Cereus ardens vestem sericeam S. Fulcranni non lædit 717 vide Candela.

Cervus a Deo submissus sarcinas S. Berachii deportat ad locum divinitus destinatum et disparet 835 f Cervi silvestres oratione S. Attractæ advocati ligna portant 300 a Iis pro jumentis utitur S. Elianus 308 e Cervum e silva evocatum loco bovis applicat aratro S. Ecianus 551 f Cervum correptione prosternit, prostratum contra venatores tutum præstat S. Lucas Junior 87 f

Chiragra curata ope S. Victoris Mosomensis 342 b

Christus apparens S. Polyeucto visus dare vestem pretiosam et equum alatum 652 f iterum inter tormenta confirmat 654 c in carcere invisit SS. Faustinum et Jovitam 818 f Christus apparens cum Angelis, S. Charalampum occidendum solatur 386 b in habitu peregrini apparet S. Cuthmano, et trabem currum dirigit 199 e Christi apparentis colloquium cum B. Guilielmo de Oliva 499 c d Christum puerum in Missa pacem circumferentem idem videt 500 d Christo in pauperibus et ægris servit S. Stephanus Grandimont. 208 e Christi crucifixi imago in templo cincta cingulo videtur a B. Jordano, quod amore Crucifixi dederat pauperi 726 c erga Christum crucifixum pietas Hieron. Æmiliani 229 e 236 Christo crucifixo pie addictus sancte moritur 737 a b Christi Passioni meditandæ dedita B. Christina Spoletina 801 b et hujus amore pedem transfigit clavo 801 c Christo se desponsat Virginem annulo S. Stephanus Grandimontensis 205 e Christum se in specie Regis apparentem fingens dæmon pellitur humilitate Christi a S. Raynaldo 375 e Christi notitia Hiberniæ primum illata, tum fides per prædicatores et jam ante S. Patricium illata 365 f 366 a b

Cibos in necessitate submissos inopinato accipit S. Romualdus 123 f 129 a Ciborum reliquiis S. Fulcranni sanantur ægri 718 a Cibum appositum inclusus S. Auxentius non gustat, cælitus a columba submissu alitur 776 e

Cilicium semper gestat S. Licinius Ep. 680 d Cilicium post 30 dies mutat, non lavat S. Romualdus 121 a

Claudi sanantur ope S. Goslini 635 f signo Crucis a S. Licinio Ep. 681 b 685 b ad sepulchrum S. Lucæ Junioris 99 f et S. Austrebertæ 425 c ad Reliquias S. Stephani Grandimont. 211 d 212 e f liquore manante e corpore S. Sabini 334 b

Clavi infiguntur corpori S. Charalampi 383 d Clavo pedem transfigit amore Christi patientis B. Christina Spoletina 801 e

Clemens

Clemens erga delinquentes S. Licinius Ep. 680 b 684 c

Clerico continentiam obtinet B. Jordanus 728 e

Clibanum ardentem facto signo Crucis illæsa ingreditur S. Austreberta 121 d Clibanum calefactum illæsus ingressus, purgat cuculla S. Paulus Virdunensis 176 e

Cocto cibo non usus quadriennio S. Venerius 113 b vide Panis

Cœlorum pulchritudine recreatur S. Polyeuctus 653 e ad Cœlestem gloriam a Christo evocata fertur S. Juliana vidua 52 d in Cœlo sedes Hieron. Æmiliano parata revelatur puero moribundo 265 a Pretiosissima S. Walfrido parata alteri revelatur 845 c

a Cœna Domini usque ad Resurrectionem jejunus manet, et fere in templo B. Antonius a Stroncone 146 e

Colicus morbus sublatus ope Hieron. Æmiliani 266 e

Colloquia pia Hieron. Æmiliani et Joannis Petri Caraffæ 234 b SS. Benedicti et Scholasticæ ob pluviam subito impetratam continuantur 402 f 404 a

Columba descendens supra capita SS. Aderiti et Eleuchadii designat eos Episcopos eligendos 748 c cœlitus adveniens alit S. Auxentium 776 e defert sarmenta ad locum ubi a S. Constantio Brixiensi extruendum templum 605 a b in Columbæ specie in cœlum evolat anima S. Scholasticæ 402 f 404 b 408 f et S. Eulaliæ Barcinon. 578 a Columbæ cœlitus advenientes comitantur funus S. Georgiæ V. 826 b Columbæ moribus virtutes S. Scholasticæ expressæ 408 409 Columba argentea reperta corpori S. Modestini adjuncta 766 a

Columna juxta sepulchrum S. Modestini effossa laborantibus doloribus uteri per zonam curtam salubris 767 d

e Comite Stabuli Episcopus S. Licinius 678 f 679 b 683 d

Comitialis morbus curatur ope B. Christinæ Spoletinæ 802 c

Communio sacræ Eucharistiæ sub una specie usitata apud Græcos 92 b d vide Eucharistia

Comparatio S. Antonii Cauleæ cum Patriarchis antiqui testamenti et Apostolis 628 629

Confessione frequenti usus Hier. Æmilianus 229 f, generali liberatur a scrupulis 230 a b

in Concionibus omnes a peccato studet avocare S. Licinius Ep. 680 a a Concionibus compunctus despicit res caducas, ardet Christi amore Hieron. Æmilianus 229 a b c Concionatores non debent in eodem semper loco concionari 733 d

Conjuges MM. Craton et ejus uxor 823 a Conjugio separantur S. Mengoldus et uxor ut Christo serviant 195 b Conjugati S. Walfridus et 2 alii vitam monasticam assumunt, et aliud sibi, aliud uxoribus monasterium extruunt 844 d e f Conjugii molestiæ 782 d e

Consilio S. Ansberti sancte regit monasterium S. Lantbertus 350 f

Constantia in tormentis S. Theliceæ 516 e S. Dativi 517 c S. Saturnini 518 f S. Hilariani pueri 519 d S. Eulaliæ V. Barcinonen. 577 S. Fuscæ contra minas et iram patris 647 b c d 649 b d S. Polyeucti M. inter lamenta soceri, uxoris, filiorum 654 a b S. Porphyrii ad assu usque dilacerati et lento igni combusti 867 d e f Constantia in martyrio integræ urbis Antandri 13, 14, 15, mille et trium e familia et clientela 4 Protectorum Diocletiani, ultro hanc accedentium, blanditias spernentium, morientium 19

Continentiæ donum accipit divinitus S. Walfridus Ab. 845 b

Contracta sanatur in Translatione S. Ansberti 356 f Contractæ manus ad tumulum S. Austrebertæ 425 b c

Contumelias hilares ferunt S. Franciscus et Hieron. Æmilianus 273 f

Convertuntur ad fidem collaborante Wulfhero R. incolæ Vectæ 687 f Australes et Orientales Saxones 688 a b mille visis miraculis in S. Æmiliano necando factis et pro fide occumbunt 158 c VI lectores, quod gladio non læderetur 159 d Tria millia hominum ob constantiam et miracula SS. Faustini et Jovitæ 815 b XII millia baptizantur, et Eucharistia reficiuntur 819 f Convertuntur Proconsul, Centuriones, milites ob miracula S. Theodori Ducis 30 b 36 d e f 893 e f S. Asterius cum suis filia cæca illuminata 754 f 755 a S. Craton cum suis filio morbis obruto sanato 757 758 Convertitur Bogoris R. cum subditis Bulgaris, instigante sorore, famis levamine cœlitus impetrato, et motus pictura extremi judicii 563 b c Convertit Saracenos doctrina et miraculis S. Moyses Ep. 45 a Lampsacenos prædicatione et miraculis S. Parthenius 39 a Russos S. Bonifacius junior 114 d 134 e Conversio S. Romualdi ob cædem a patre factam, et apparitionem iteratam S. Apollinaris 107 a Meretricis per conjicientem se S. Martinianum in ignem 668

Convivio carnifices excipit S. Julianus Taurinensis, ut corpus S. Solutoris auferat 657 f

Cordi S. Julianæ viduæ fertur a morte Crux impressa 52 d

Coronæ septem cœlitus visæ supra capita S. Moysis et 6 Monachorum MM. 46 a

Corpus Regis parvum et deforme oratione magnum et formosum reddit S. Berachius 836 d Corpus S. Eulaliæ Barcinonen. in cruce pendens nive tegitur 578 a Corpus Martyris petens S. Porphyrius, lento igne necatur 867 d e Corpora Martyrum bestiæ non attingunt 158 f uti et SS. Eliæ, Jeremiæ et sociorum MM. 868 d Corpus vivo colore et membris flexibilibus post mortem B. Christinæ Spoletinæ 804 c Corpus suum honesto sepulchro mandari jubet S. Victor Mosomensis apparens 341 d e f Corporis sui sepulti neglectum reprehendit Petrus monachus apparens 68 f Corpus S. Modestini immobile, dum actæ Deo gratiæ 765 c Corpus S. Tresani moveri nequit 55 d Ultro a burdis vehitur ad sepulturam 55 e Corpus post 50 dies incorruptum B. Arnaldi Cataneï 503 e B. Antonii de Stroncone post annum integrum 148 a S. Romualdi post 5 annos integrum 124 f iterum post 540 annos 141 f S. Theodori Studitæ post 18 annos integrum, odore fragrans transfertur CP. 562 b S. Nicephori post 19 annos integrum solennissime transfertur 562 f post 300 et amplius annos S. Cuthberti 606 b post annos 411 S. Goslini 633 a S. Fulcranni annis 567 incorruptum ob illibatam virginitatem et pœnitentias 711 e f a Calvinistis comburi nequit, in frusta concisum 711 f Corpus S. Secundi inter ruinas urbis Trojæ repertum 531 a 533 a S. Austrebertæ Angeli monitu transfertur 425 c Corporis S. Victoris Mosomensis negligens translationem sæpius monitus verberibus et baculis excipitur 342 d e f Corpus S. Eusei ter divinitus ad eumdem locum refertur ubi ecclesia illi erecta 852 e S. Teliai miraculose replicatum pro tribus locis 310 b d

Corvorum et vulturum in figura insultant dæmones S. Romualdo 111 d

Cranium Regis a se interfecti in pateram, e qua bibat, adaptat Alboinus Rex 318 f

Crux impressa fertur cordi S. Julianæ viduæ mortuæ 52 d brachio S. Ansberti in exilio mortui 355 e Crucem manu gerens S. Auxentius, pellit dæmones e bestiis, et hominibus 774 e f Cruce se signante B. Jordano sitiente, dæmon adferens potionem evanescit 729 d Crucis signo dæmones pellit S. Auxentius 778 a et specie mulierum tentantes B. Gulielmus de Olivа 498 f et spectris territantes S. Lucas Junior 95 e f Monstrum diabolicum expugnat S. Attracta 298 e f Crucis signo armatus, draconem horrendum interimit S. Theodorus Dux 28 a d 31 d e f 32 a b 891 a equum ferocissimum Totilæ mansuefacit S. Laurentius Sipontinus 61 e et canem sævum necat 39 f Crucis signo munitus conjiciens se in mare, delphinorum tergo ad littus evehitur S. Martinianus 670 a super aquas ambulat S. Austreberta

*Austreberta nuptias fugiens* 420 *f ardentem clibanum ingreditur illæsa* 421 *d* Crucis signo *arborem in cellam casuram aliorsum avertit S. Romualdus* 137 *d Manus volentis perrumpere facit obrigescere S. Modomnocus* 673 *b Ex aquis eruit navem mersam S. Castor* 664 *b c Incendium restinguit S. Fulcrannus* 718 *d Annona diurna pro se data alit* 7 *amanuenses S. Martinus Legionenses* 571 *d Panes comminutos auget Hieron. Æmilianus* 264 *d e carcere aperto captivos dimittit S. Licinius Ep.* 681 *d e* 685 *f* Crucis signo *energumenum liberat S. Licinius Ep.* 680 *e* 684 *e sanat* XII *qua cæcos qua claudos S. Licinius Ep.* 681 *b* 685 *c cancrum S. Parthenius* 38 *f S. Flavianus erem.* 888 *a paralyticam S. Juventius* 153 *e oculum amissum restituit B. Jordanus* 726 *e* Crucis signum *divinitus impressum thecæ unguenti S. Antonini Surrentini contra morbos salutaris* 791 *b c* Crucis signo *genu male affectum sanatur, ut sub Missam inflecti possit* 254 *d e* Cruce prælata *Bogoris R. Bulgarorum vincit rebelles* 563 *d* Crux *erigitur ubi corpus S. Ausberti fuerat immobile* 356 *f* Cruci affixus *S. Theodorus sanus deponitur ab Angelo* 29 *f* 30 *a* 36 *b* 893 *c d* Cruci affixi *MM. pater et filius* 640 *c f* Crucifixæ *SS. Martha et Maria VV. sorores, cum puero ferro conciduntur* 156 *c f*

Culices *quorum maxima circumquaque copia, in crypta reliquiarum SS. Paschasii Sabini etc. numquam visi* 338 *e*

D

DÆmon *in forma Angeli impia suadet S. Julianæ, tenetur, cogitur sua scelera fateri, ligatur, in sordes abjicitur* 876 877 *a* 882 *Aliter seculares oppugnat, aliter viros sanctos, et quibus armis vincendus* 780 *c d e conatur impedire conciones B. Jordani sub specie viri probi* 730 *b oblato fœdere mutuo* 730 *d* 738 *f conatur inducere ad vanam gloriam etiam collato manibus ejus odore suavissimo* 730 *d* 738 *e laudando eum per energumenum* 730 *d evanescit ob Crucis signum* 730 *c* Dæmon *constructioni monasterii adversatus, tempestatem excitat: in nomine SS. Trinitatis a S. Romualdo fugatur* 122 *f a SS. Faustino et Jovita coactus deorum falsitatem confitetur, expellitur* 816 *e f* 817 *a* Dæmones *S. Guilielmum in persona patris infestantes verberant* 463 *f* 464 *a b c verberant S. Romualdum cicatricem servantem* 111 *c insultant in figura Æthiopum, corvorum, vulturum etc.* 111 *d* Dæmon *super pedes et crura S. Romualdi de nocte per quinquennium jacet, fugatur verbis asperis* 107 *e specie Draconis terret S. Martinianum* 667 *a submissa meretrice, deinde puella in rupe maris tentat* 669 670 *Canis specie terret equum S. Romualdi* 122 *e Obsidens vaccam pellitur a S. Raynaldo* 375 *c specie Jovis et aliorum Deorum et Regis fingentis se Christum esse apparens S. Raynaldo, pellitur* 375 *e specie mulierum tentans, signo Crucis et oratione pellitur a B. Guilielmo de Oliva* 498 *f a S. Luca Juniore Condarius, id est, pediculosus appellatur* 96 Dæmon *figura nigri pumilionis lubens apparet, fugatur signo Crucis a S. Luca Juniore* 95 *f pellitur, invocato Jesu a S. Romualdo* 130 *d reliquiis S. Romualdi* 124 *e sola præsentia S. Antonii Cauleæ* 628 *d* a Dæmone obsidetur *percutiens faciem S. Lucæ Junioris* 91 *a latro ob necem S. Elvoarni, et insanus* 20 *annos nudus oberrat* 568 *b e Filia ob calumnias patris in S. Auxentium, hoc emendato liberatur a S. Auxentio* 773 *d e f sacrilegus ope S. Stephani Grandimont. liberatus* 213 *d furaturus bona hominis ideo occisi, liberatur ope S. Charalampi* 384 *b c* Dæmoniacus *optans lædere B. Jordanum, nequit etiam oblato, inter dentes naso* 730 *d ab alio graviter læsus subito convalescit* 737 *f.* 738 *a* Dæmoniaci *liberantur a S. Antonino Surrentino* 790 *e f* 791 *d a S. Castrense* 528 *e f S. Richardo* 81 *e a S. Auxentio* 772 *c* 773 *b d e* 774 *c* 775 *f* 776 *b f a S. Luca Juniore* 99 *d* 100 *e f* 101 *a* 102 *a a B. Esaia Bonnero* 216 *e B. Christina Spoletina* 802 *e signo Crucis a S. Licinio Ep.* 680 *et* 684 *e tactu a S. Theodoro Duce M.* 30 *c pane benedicto a S. Romualdo* 122 *d reliquiis S. Nazarii a S. Juventio* 152 *e in Translatione S. Ausberti* 356 *c ad sepulchrum S. Guilielmi* 468 *et* 469 *c f* 472 *a b et S. Austrebertæ* 425 *e* 426 *a b* 427 *a* 428 *b* Dæmoniacum *liberat oblata frustra potestate diabolo in se ingrediendi S. Parthenius* 39 *c tres in nomine Jesu* 40 *a alium insufflando in oculos* 40 *e duos aqua benedicta* 40 *e tres oratione* 40 *e* Dæmoniaci *ad columnam prope corpus S. Antonini Surrentini alligati, ultro ab eo solvuntur liberi* 786 *f* 787 *a b ad ejus imaginem liberantur* 787 *a*

Dedicata *crypta in Gargano a S. Michaele, ecclesia et altaria ab Episcopis, eos protegente contra æstum aquila* 314 *e*

Dei *contemplationi sexaginta annis immersus S. Flavianus, neminem vidit aut allocutus, semel in hebdomade comedit* 888 *a* Deos *et cultorem Licinium Imp. irridet S. Theodorus Dux M.* 29 *c* 35 *b*

Delphini *deferunt S. Martinianum in littus, ne solus cum puella in rupe degat* 670 *a*

Dentes *S. Apolloniæ excussi* 278 *f* Dentium *dolori medetur* 282 *d* Dentes *excussi Episcopo ob ædiculam S. Apolloniæ non restauratam* 282 *f* Dentium *dolor curatus ope S. Goslini* 638 *b tactus S. Romualdi* 119 *f ope S. Walfridi* 846 *b*

Diaconus *S. Romulus Atripaldæ* 331 Diaconi *Martyres Primus et Donatus in Africa* 294 *Joannes in Ægypto* 864 *Josephus Antiochiæ* 822 *Jovita Brixiæ* 806 *Flavianus Abellini* 764 *a* 891 *Policetus in Hispania* 645

Digiti *B. Mariano nocte scribenti libros pios instar candelæ lucent* 367 *e*

*sub* Dio *degunt S. Eusebius anachor.* 825 *e S. Maro* 769 *e*

Disciplinæ *monasticæ negligens a S. Walfrido Ab. apparente objurgatus cæditur* 845 *e.* Disciplinæ *laxamentum inductum in Ordinem Grandimontensem per laicos prævalescentes* 201 *d*

Dormit *in angusta scrobe, quasi sepulchro S. Lucas Junior* 88 *e Humi cubans S. Guilielmus* 466 *f S. Raynaldus Ep.* 374 *f* Dormiens *post nocturnum officium aut circa diluculum, Missam celebrare inhibetur a S. Romualdo* 108 *b*

Draconem *horrendum, Cruce se signans, interimit S. Theodorus Dux M.* 28 *c d e* 31 *c d e f* 32 *a b* 891 *f* 892 *a b* Draconem *terrentem occidit signo Crucis S. Attracta* 298 *e f* 299 *a*

*e* Duce Andegavensi *Episcopus S. Licinius* 679 *b e* Duce Aquitaniæ *monachus Gellonensis S. Guilielmus sub Carolo Magno in pistrino et culina laborat* 615 *c d e e* Duce Veneto *monachus Petrus Urseolus* 108 *b c d*

E

Ecclesiæ Orientalis *pacem promovent S. Antonius Cauleas Patriarcha CP. et Leo* VI *Imp.* 626 *b c d e in* Ecclesiæ *S. Michaelis in Gargano dedicatione aquila contra æstum Episcopos protegit* 314 *e* Ecclesiæ *bona sua dat S. Fidelis Ep.* 64 *e* Ecclesiæ *bonorum invasores morte divinitus puniti* 708 *d vide* Templum

Eleemosyna *etiam mendico improbo data est bonum opus* 733 *c in* Eleemosynis *dandis liberalis et in afflictos misericors S. Ausbertus Ep.* 352 *d e* Eleemosynarius *magnus B. Guilielmus Zucchius cum crumena et turba pauperum pingitur* 504 *b* 505 *c in ejus crumena numquam pecunia deficiebat* 504 *b* 505 *d* Eleemosynas *largas dat in fame publica S. Benedictus Indensis* 614 *c etiam supellectili distracta S. Fulcrannus* 714 *a in annonæ caritate liberalis, et alios excitat Hieron. Æmilianus* 232 *e f* 233 *a b* 269 *a b maxime ad virgines*

*gines in honestate servandas et ingenuos juvandas* 230 *e f* Eleemosynas *large tribuit S. Licinius Ep.* 680 *a* 682 *a* 684 *a pro monasterio extruendo* 680 *c* Eleemosynas *oblatas accipi mandat S. Stephanus Grandimont.* 209 *e f largas dat pauperibus maxime accolis* 209 *c in* Eleemosynas *distribui facit decimas fructuum oblatas S. Parthenius* 42 *d Pauperibus annonam distribui curat S. Theodorus Tiro apparens* 24 *a dat idola aurea argentea Licinii a se confracta S. Theodorus Dux M.* 29 *c* 892 *f ob* Eleemosynas *factas colligit fruges majores S. Lucas Junior* 85 *c ad* Eleemosynas *liberales inductus avarus æger a S. Parthenio, precibus ejus sanatur* 41 *d e in* Eleemosynis *liberalis S. Antonius Cauleas, pecuniam divinitus accipit* 625 *f* Eleemosynam *petenti dat cingulum B. Jordanus, eoque videt Christi cruci affixi statuam in templo cinctam* 726 *c pro* Eleemosynis *destinatas pecunias fraude sibi obtinere satagens, morte punitur* 832 *c vide* Pauperes.

Emendationem *vitæ ob honorum ambitionem, et dein carceri inclusus, ad mortem æger arripit Hieronymus Æmilianus* 223 *e* 225 *e f*

Epidemia *curata ope S. Goslini* 637 *d*

Epileptici *ope B. Esaiæ Bonneri sanati* 216 *c d*

Episcopi Sancti *hoc tomo Gregorius* II *Papa Romanus* 692 *Antonius Cauleas Constantinopolitanus* 622 *Meletius Magnus Antiochenus* 584 *Onesimus Ephesinus* 856 *Claudius Apollinaris Hierapoli in Phrygia* 4 *Parthenius Lampsacenus in Hellesponto* 37 *Abraames Carris in Mesopotamia* 768 *Moyses Saracenorum in Arabia* 42 *Castrensis Afer* 523 *Eulalius Syracusanus* 889. *In Italia Canusini Rufinus et Memor* 300 *Sabinus* 310 *et Petrus* 337 *Laurentius Sipontinus* 86 *Sabinus Atripaldæ* 332 *Sabinus et Eunomius Lesinæ* 336 *Secundus Trojæ* 529 *Decorosus Capuanus* 842 *Maximus, sive Maximianus Nolanus* 19 *Silvanus Terracinensis* 391, *Raynaldus Nucerinus* 372 *Ravennates Calocerus* 508 *et Eleuchadius* 748 *Colonus Adriæ* 68 *Brixienses Paulus* 52 *et Faustinus* 887 *Gaudentius Veronensis* 602 *Petrus Vercellensis* 720 *Mediolanenses Honoratus* 163 *et Lazarus* 521, *Juventius Ticinensis* 151 *Benedictus Albinganensis* 629 *In Hispania Fidelis Emeritensis* 63 *Nebridius Egarensis* 301 *In Gallia Stephanus Lugdunensis* 672 *Simplides Viennensis* 512 *Vasionenses Theodosius* 783 *et Quinidius* 829. *Domnianus Diniensis* 660 *Guimerra Carcassonensis* 671 *Fulcrannus Lodevensis* 711 *Paulianus Velaunensis* 760 *Claromontani Sigon* 429 *et Desideratus* 552 *Licinius Andegavensis* 675 *Ausbertus Rotomagensis* 343 *Gilbertus Meldensis* 718 *Gaudinus Suessionensis* 554. *Item Simplicius* 603 *et Tetradius* 888 *an Bituricenses? Vesontionenses in Burgundia Nicetius* 167 *et Protadius* 413 *Paulus Virdunensis* 168 *Simeon Metensis* 860 *Amalwinus Ab. Lobiensis in Belgio* 81 *Adolphus Osnabrugensis in Westphalia* 571 *Tanco Verdensis in Saxonia* 890 *Sigfridus Vexione in Suecia* 847 *Alexius Kitoviensis in Russia* 639 *Trumwinus Pictorum Australium* 414 *Teliaus, sive Eliud, Landavensis in Wallia* 303 *Ethelwoldus Lindisfarnensis in Anglia* 605. *Hiberni Medanus* 66 *Cronanus* 339, *Ecianus* 551 *et Berachaus Ab.* 833.

Episcopi Martyres. *Julianus in Ægypto* 864 *Phylagrius in Cypro* 277 *Æmilianus in Armenia* 157 *Athenodorus in Ponto* 288 *Lucius Hadrianopolitanus* 519 *Valentinus Interamnensis* 755 *Modestinus Abellinensis* 764 *Valentinus in Hispania* 743 *Augulus in Britannia* 16 *Bruno in Prussia* 797 *Chrysolius Apostolicus in Belgio* 9

Episcopi *virtutes elucent in S. Licinio* 680 684, *S. Fulcranno* 714 *et passim aliis indicatis.* Episcopi *ad prædicationem Evangelii ordinati a S. Gregorio* II *Papa S. Corbinianus* 696 *et S. Bonifacius* 697 Episcopatum *Neapolitanum oblatum renuit Leo Carpanus Somaschus* 247 *a* Episcopus *ne fiat fugit S. Juventius* 153 *a* Episcopum *esse S. Cronanum divinitus agnoscit S. Adamnanus* 340 *a* Episcopi *eligendi SS. Aderitus et Eleuchadius designantur a columba supra capita eorum descendente* 748 *b* Episcopus *invitus ordinatur S. Licinius* 679 *f* 684 *et diu recusans S. Paulus Virdunensis* 176 *b c e fuga retractus S. Fulcrannus* 712 *f* Episcopatu *se indignum censet* 715 *b præ* Episcopatu *optat sepulchrum viro magno B. Jordanus* 734 *d in* Episcopos *electi monachi cur minus ædificent* 634 *b* Episcopum *judaizantem incendio dignum censet S. Fulchrannus* 715 *c* Episcopos *improbos acriter arguit S. Gregorius* II *Papa* 698 *e f ex* Episcopo *monachus S. Vulfrannus* 314 *e* Episcopi *duo Catholici, qua occasione et conditione simul Antiochiæ S. Meletius et Paulinus* 595 596 Episcopatu *Sasimorum licite ad Episcopatum Constantinopolitanum transfertur S. Gregorius Nazianzenus* 597 *f* 598

*in* Equuleo *suspensi torquentur SS. Dativus et Thelica* 516 *c f SS. Saturninus Presb. et Eremitus* 517 *d e f* 518 *d S. Æmilianus* 159 *d SS. Faustinus et Jovita* 818 *a divinitus eripiuntur* 818 *d* 820 *d e* Equuleo *torta Præsidi insultat S. Eulalia V. Barcinonen.* 577 *e*

Equus *voce humana arguit feros lictores S. Charalampii* 383 *e* Equo albo *vectus S. Theodorus Dux M. apparens, primus in hostem ruit, victoriam procurat* 25 *f* Equus *determinat, quo S. Ludani corpus templo sepeliri debeat* 639 *e* Equum *ferocissimum a Totila missum signo Crucis mansuefacit S. Laurentius Sipontinus* 61 *e* Equino *chamo ori injecto trahitur per urbem S. Charalampus* 385 *a*

Eremitæ Sancti. *Martinianus in Palæstina* 666 *in Syria Maro* 767 *et Eusebius* 825 *Lucas Junior in Græcia* 82 *Guilielmus Magnus in Etruria* 433 *Euseus in Pedemontio* 853 *Guilelmus de Oliva in Hannonia* 493 *Elworinus in Britannia Armorica* 569 Eremitæ Camaldulenses *a S. Romualdo instituti* 102 *et seqq.* Eremitæ *alii* 13 *seculo, in quinque classes distributi, horum duæ sunt S. Guilielmi, tres S. Augustini* 472 *singulæ sub proprio Generali* 473 *et seqq.* Eremitæ *S. Augustini, alii de Brittinis dicti* 473, *alii B. Joannis Boni* 474, *alii in Etruria* 476. Eremitæ *S. Guilielmi alii a dictis S. Augustini Eremitis* 474 ; *adjuncti eremitis S. Augustini sub unico Generali ab Alexandro* IV, *et ab ea obedientia soluti vixerunt ut ante, sub regula S. Benedicti, sub uno et proprio Generali* 478 *obtinent varia privilegia* 478 479 480. *Domus et monasteria Ordinis* 481. Eremitica vita *Pauli Ep. Virdunensis* 175 *a* Eremitarum *occupationes a S. Romualdo præscriptæ* 137 *f in* Eremum, *relicto Episcopatu, ne discedat, a Rege et Episcopis impeditur S. Licinius* 681 *a* 685 *a*

Evagatio *monachis et eremitis noxia, occasio peccati* 130 131

Evangeliorum *liber in mare lapsus, et illæsus extractus, ornatur gemmis et auro a S. Ethelwoldo* 606 *a b c*

Eucharistia *in Missa a S. Sigfrido elevata, visus est puer formosissimus* 850 *e* Eucharistia *in palude demersa et igne cælesti reperta, fuit occasio Casimiriæ prope Cracoviam conditæ* 213 *f* Eucharistiam *moriturus ab Angelo accipit S. Ludanus* 639 *d* Eucharistia *reficiuntur baptizati a SS. Faustino et Jovita* 819 *f datur S. Secundo deferenda ad SS. Calocerum et Marcianum* 822 *d Frequentem communionem suadet S. Licinius Ep.* 680 *c* Corpus Christi *adservat, atque absque attactu manuum sumit cum vino S. Lucas Junior* 92 *a b* Corpus Christi *non sumit, nisi lacrymatus ubertim præ devotione S. Guilielmus Gellonensis* 616 *d ad* Eucharistiam *sumendam vestem unam mundam servavit* 85 *annis S. Jonas mon.* 520 *f* Eucharistia *securum contra dæmonum insultus discipulum reddit S. Auxentius* 780 *c* Eucharistia *sumpta a Christo die Cœnæ, passionem Christi totam sentit in corpore suo in Parasceve*

*Parasceve* 737 *a Ad* Eucharistiam *conficiendam usus vasis ligneis, vitreis, stanneis, non argenteis, S. Benedictus Indensis* 614 *a* Corpus Christi *manu tenens monitione acri ab schismate Ducem Aquitaniæ avertit S. Bernardus* 455 *e f*

Examinis particularis *usus commendatus* 231 *f* 232 *a b c*

Excommunicationis *sententiam Acacio tradunt monachi Acœmeti, martyrio ideo affecti* 162 *a d*

Exemplo *suo multos etiam Principes convertit S. Romualdus* 126 *c f aliis prælucet S. Stephanus Grandimont.* 209 *f* Exemplo 4 *Protectorum Diocletiani martyrium subeunt mille e familia et clientela* 19 *a* Exemplo *S. Francisci excitatur S. Raynaldus Nucerinus* 374 *a*

Exercitum *siccis pedibus per medium lacum ducit S. Attracta* 299 *b c*

Exorcista Martyr *Agatho Alexandriæ* 751

Exul *degit, nec data potestate vult redire S. Ansbertus Ep.* 354 *e f* Exul *tertio ob fidem S. Meletius, sub Constantio* 586 *f Juliana Apostata* 591 *b Valente Imp.* 593 *c* 594 Exul *obit S. Lucius Ep. Hadrianopolitanus* 520 *a*

F

Fabis *et cicere victitat S. Eusebius anochor.* 825 *f*

Faciem *lepra deformem impetrat, ne nubat, S. Andragisina* 348 *f* Faciem *S. Lucæ Junioris percutiens, a dæmone corripitur* 91 *a b*

Faces *ad latera S. Eulaliæ urenda admotæ extinguuntur, aut in lictores vertuntur* 577 *f* Facibus *ustulatur S. Theodorus Dux M.* 35 *c*

Fœminæ *vultum* XL *annis non aspexit B. Antonius de Stroncone, multis occasionibus implexus* 147 *c* Fœminarum *attactus manuum cur malus* 735 *c*

Famis *levamen cœlitus impetratum, occasio conversionis Bogoris R. et Bulgarorum subditorum* 563 *c* Fame *et squalore carceris mortui B. Arnaldus Cataneus et plurimi alii* 502 *f* 503 *a Plurimi MM. Cartaginenses* 515 *c* Fame 5 dierum *in carcere torquetur S. Theodorus Dux* 29 *e* 35 *f* 893 *c* Fame *exhaustus S. Maximus Ep. Nolanus uva in sente reperta reficitur* 20 *c* 21 *a*

Famulus M. *Porphyrius* 866

Febre *punita repellens in monacham admitti petentem, a S. Austreberta sanata admittit* 424 *e f* Febrim *biennalem Chlodovei R. Franc. curat S. Severinus Agaunensis oratione et casulæ impositione* 550 *a* Febris *curatur ope B. Esanæ Bonneri* 216 *e* 217 *a S. Goslini* 634 *c* 635 *a d* 636 *d f* 637 *a d f* 638 *a B. Christinæ Spoletinæ* 802 *c e S. Walfridi* 846 *b aqua, qua lotæ manus S. Falcranni* 718 *a aqua fontis S. Tresani* 55 *b tactu S. Auxentii* 777 *e oratione S. Gulielmi* 465 *b pane benedicto ab eodem* 467 *c frustis panis ab Hieron. Æmiliano signo Crucis aucti* 264 *d e* Febrim *audita confessione pellit oratione B. Jordanus* 727 *d et impositione manus* 728 *d* Febris *Episcopi sublata a S. Sabino apparente* 328 *c d* Febris quartana *ope S. Stephani Grandimont.* 212 *d* 213 *d*

Feris *objecti leonibus, leopardis, ursis, manent illæsi SS. Faustinus et Jovita* 812 *a* 814 *f devorantur ministri Imperatoris* 812 *c feræ cicures discedunt* 812 *d* 814 *f* 817 *c vide* Bestiæ

Festum *S. Gulielmi celebrandi voto facto læsus e gravi lapsu sanatur.* 472 *a* Festum *S. Austrebertæ honorant Angeli nocte laudes matutinales canentes* 427 *d e*

Ficus *excidi jussa ob inobedientiam exsiccatur una nocte* 520 *e*

Fidei *veræ signum, sunt Martyres* 6 *f ob* Fidem *aliorum plures adjuti* 757 *f* Fidei *professionem facit S. Auxentius coram Marciano Imp. evocatus ad Concil. Chalcedonense* 777 778 Fidei *veritatem explicat Claudio Imp. S. Valentinus Presb.* 754 *c Cratoni S. Valentinus Ep.* 757 758 Fidei *eximius propagator Wulfherus R. Merciorum* 687 *f* 688, *a* Fide *aberrantes monachi, etsi austere viventes, fugiendi* 888 *d vide* Hæresis, Zelus.

Fiducia *Divinæ opis in S. Romualdo* 123 133 Fiduciam *expostulatus a febricitante, sanat B. Jordanus* 728 *d*

Figuli *arte an SS. Justus et Rufinus Hispalenses?* 582 *a*

Flagellatur *nervis boum S. Theodorus Dux* 29 *e* 35 *d* 893 *c* Flagellatur *dire jussu patris et proci Præsidis S. Juliana V. M.* 875 *b c* 879 *f* 880 *c* Flagellata *dire negat se plagas sentire S. Eulalia Barcinonen.* 577 *d e* Flagellatus, *consputus, derisus ob fidem S. Chrysolius M.* 11 *e* 12 *d* Flagris *laceratur B. Cointa* 155 *c* S. Fusca 648 *a* 649 *d*

Flumini *injectus saxo alligatus liberatur S. Æmilianus* 158 *e* Fluvii *per medium divisi dant iter S. Julianæ Taurinensi avehenti corpus S. Solutoris* 658 *a*

Fluxus *longus curatus ope S. Goslini* 634 *a* 635 *a c* 636 *a e* 637 *b e f* 638 *a b*

Fons *S. Altonis inaccessus fœminis* 360 *d* Fons *sitiensi S. Chrysolio M. e terra emergit, febricitantibus salubris* 11 *a* 12 *e uti et* Fons *S. Tresani divinitus datus* 55 *a b Adversus morbos salutares sunt,* Fons *precibus SS. Catelli et Antonini Surrentini elicitus* 789 *b* Fons *S. Suræ e terra prorumpit* 430 *b* Fontes *S. Benedicti Albinganuensis* 631 *d S. Sigfridi* 850 *f* 851 *a S. Austrebertæ* 429 *d lotis oculis cæcitas depulsa* 419 *c*

*in* Fornace *ardenti illæsi SS. Faustinus et Jovita* 315 *f vide* Clibanus.

Fortitudo animi *Gregorii* II *Papæ in castigando Leone Isaurico Imp. hæretico, ejus minas contemnendo* 699 *f* 700 *a b f* 704 *c d Italos solvendo obligatione ei parendi* 701 *d excommunicando et Isauricum et intrusum Patriarcham CP.* 701 *f* 705 *f* Fortitudo animi *in S. Eusebio Samosateno offerente utramque manum abscindendam, dum una solum peteretur* 587 *b vide* Constantia.

Fratres Sancti Episcopi *Nebridius, Justinianus, Justus, Elpidius* 303 *b* Fratres Martyres *Faustinus et Jovita Brixiæ* 806 Fratres et sorores Sancti *Victor M. et Susanna* 340

Frontibus *SS. Theophanis et Theodori inusta carmina ob cultum imaginum* 661 *d e*

Frumenti *copiam ex agro exsucco prædicit S. Parthenius* 42 *a*

Fructus *arborum non gustavit* 85 *annos S. Jonas monachus hortulanus* 520

Fugit *in silvam ob persecutionem S. Maximus Ep. Nolanus* 20 *b* 21 *d* Fugit *in solitudinem, sanato precibus moribunda, vanam gloriam evitans S. Lucas Junior* 93 *f*

Fundatores Sancti, *Romualdus Ordinis Camaldulensis* 102 *Stephanus Ordinis Grandimontensis* 199 *Venerabilis Hieronymus Æmilianus Congregationis Somaschæ* 217

Fur *amentia punitus: alius egredi ex ecclesia nequit* 793 *d e* Furatus *caput S. Benigni Tudertini egredi e templo divinitus impeditur* 657 *e* Fures *et latrones in medio fluvio immobiles, a S. Berachio liberantur pœnitentes* 838 *c d* Furto *ablatam vaccam restituere recusans S. Romualdo, male perit* 109 *f* Furto *ablata dum restituantur nantæ e portu nequeunt egredi* 429 *a* Furem *auri terræ infossi divinitus cognoscens S. Lucas Junior designat* 93 *b* Furem *cibo recreatum dimittit S. Romualdus* 118 *a* 140 *c alium increpitum dimittit* 118 *c* Furibus *benefacit S. Benedictus Indensis* 614 *a* Furtum *falso impositum S. Martino Legionensi refellit Angelus* 569 *e*

Fustibus *acciduntur duo SS. Felices* 518 *b*

G

Genua flectit millies de die B. Antonius a Stroncone 146 d e Genuflexione frequenti callos contraxit S. Stephanus Grandimont. 207 f

Gladiis discerpi cepta S. Juliana liberatur ab Angelo 877 a Gladio necari nequit S. Æmilianus, convertuntur sex lictores 159 d Gladiis Martyres concisi a Persis 162 d Gladio interempti SS. Nicephorus et Stephanus 156 c S. Polyeuctus 654 c vide Capite plexi.

Gloria cœlestis B. Jordano data revelatur S. Lutgardi 731 c ad Gloriam cœlestem electio B. Galenæ filiæ et reprobatio patris Severi Imp. ostensa explicatur a S. Charalampio 385 b Gloriam hominum vitans S. Lucas Junior, sanato precibus moribundo fugit in solitudinem 93 f

Grandine ingenti contusi impii in S. Juventium, eo invocato liberantur et credunt in Christum 153 c d

Gratiarum actione debite peracta corpus S. Modestini immobile celerrime movetur 766 b

Gulam irritat odore ciborum solum percepto S. Romualdus 121 b 128 f Gulæ et incontinentiæ mala 128 e f 129 a b Gulosi monachi furtum detegit, et castigat S. Lucas Junior 94 b

Gutturis tumor sublatus ope S. Modestini 766 d e

H

Hæreticos Arianos recipere renuentes MM. Hadrianopolitani capite plectuntur 519 f 520 a S. Lucius Ep. post carceres exul moritur 520 a ab iis varie torti necantur MM. Afri 526 a Hæretico Imperatori Leoni Isaurico parendi obligatione solvit Italos S. Gregorius II Papa 701 d Hæreticis ecclesias adimit Gratianus Imp. 595 b c ab Hæretico Episcopo renuit ordinari S. Moyses Ep. etiam cum periculo vitæ 44 de f Hæresim Pauli Samosateni Christi Divinitatem negantis oppugnat S. Athenodorus cum aliis 290 291 Cataphrygum S. Apollinaris 567 Felicianum S. Benedictus Indensis 608 f 613 d Iconomachorum eradicat S. Theodora Imp. 560 d in Hæresi obstinatus Valens Imp. male perit 594 f

Hernia curata ad reliquias S. Valentini M. in Belgium allatas 762 f

Hilaris semper inter vigilias, jejunia et aspera quæque S. Lucas Junior 88 a b

Honores oblatos, ut fidem abnegent, respuunt SS. Faustinus et Jovita 811 e 813 b Honorem fugiens S. Moyses Ab. fatuum se et hæreticum dicit 46 c Honorum ambitione a vitiis carnis emendatur Hyeronymus Æmilianus 223 e illi viam præcludit 230 d

Hortulanus S. Jonas monachus 520

Hospitum adventum præsciens, cibos parari jubet S. Lucas Junior 94 a Hospites benigne suscipit S. Lucas Junior 88 b pisces idea ex mari exilientes accipit 88 d in Hospites liberalis S. Abraames Ep. cum ipse salis crudis lactucis absque pane et aqua viveret 769 b ob Hospitalitatem dispensat in jejunio S. Moyses Ab. 46 b Hospitalitas ut exhibeatur S. Benedicto Indensi, vinum in vase augetur 617 a Hospitali viro bona incendia absumpta, divinitus reparari obtinet S. Fulcrannus hospes 718 b d Hospitio excipit S. Fulgentium, et aliquot mensibus detinet cum ejus admiratione S. Eulalius 889 ad Hospitium humeris portat S. Maximum Ep. Nolanum fame moribundum S. Felix Presb. 20 c 21 a f

Hostes a muro urbis arcet in eo sepultus S. Antoninus Surrentinus 790 c d Ducem hostium apparens virga percutit 790 d alios apparens cum sociis SS. repellit 792 Hostem ad occidendum se missum, ne occidatur ideo a populo, protegit S. Gregorius II Papa 705 a vide Victoria.

Humilitas Ordinis Grandimontensis 200 d et S. Stephani fundatoris 208 b Humilitas S. Romualdi miraculis mirabilior 139 c Humilitatis actibus evellit superbiam Hieron. Æmilianus 230 e iis excellit 273 d e Humilis et abjectus S. Guilielmus ex Duce Aquitaniæ sub Carolo Magno monachus Gellonensis 615 d Humilis S. Auxentius miracula Christo attribuit his verbis: Sanat vos Christus, ego enim sum homo peccator 774 b

Hymnorum scriptores SS. Josephus Archiep. Thessalonic. et Josephus Presb. 823 d

I

Idola frangit S. Polyeuctus 653 e Idola Severi Imp. confringit B. Galena filia 385 c d Idola aurea et argentea Licinii Imp. confringit et dat pauperibus S. Theodorus Dux M. 29 c 34 e 892 f

Ignem aqua benedicta et thure lustratum illæsus transit S. Bonifacius Apost. Russorum 114 c in Ignem injecti manent illæsi SS. Faustinus et Jovita 812 ? 815 c 818 f S. Calocerus 821 e S. Charalampius 383 f reliquiæ S. Secundini 531 e 534 a item palla 535 a digitus S. Eulaliæ Barcinonen. 579 b Ignis admotus barbæ et faciei S. Charalampii satellites adurit 384 c in Ignem insilit ultro, igni adjudicata S. Apollonia 278 b Igne combusti SS. Cyrion, Moyses, Bassianus, Agatha 750 b S. Porphyrius 867 e in Igne stans aduritur S. Martinianus, a meretrice ad peccatum incitatus, se et illam convertit 668 Ignis specie accepit Spiritum sanctum S. Raynaldus Nucerinus 374 d Igne cœlesti reperitur Eucharistia in palude demersa 213 f honoratur sepulchrum B. Esaiæ Bonneri 216 b percutitur sæviens in Christianos 154 b Ignea turris nocte apparens designat animam caritate ardentem B. Macarii Ab. Herbipolensis brevi morituri 370 e Ignis sacer curatur ope S. Goslini 634 c 635 f ad sepulchrum S. Lucæ Junioris 100 d affusa aqua, qua lapis sepulchri S. Stephani Grandimont. lotus 211 f.

Illudentes et lapidantes S. Berachium, terræ adhærent immobiles 836 e

Imagines Sanctorum in vexillis militaribus 26 c Imago S. Theodori M. a Saraceno læsa sanguine manat 26 d Imaginem S. Meletii certatim exprimunt Antiocheni 601 c Imagines sacras ut frangat et pingi vetet Theophilus Imp. persuadetur a mago 557 d e eas veneratur S. Theodora Imperatrix et pupas suas vocat 557 e f a morte mariti restituit 558 f favet Manuel, ideo sanitatem moribundus assecutus 559 b Orthodoxiæ festum ob restitutas 560 d Imaginum cultum contra Leonem Isauricum Imp. promovet S. Gregorius II Papa 699 700 704 Imaginem Hieron. Æmiliani osculatus moribundus sanatur 266 a b

Immobile corpus S. Ansberti mutato itinere movetur 355 e iterum oblatis possessionibus movetur 356 b Immobile corpus S. Eulaliæ Barcinonen. ob præcisum digitum 579 a b Immobiles redduntur sævientes in S. Juventium 153 d sagittis petentes S. Jacobum eremitam 161 f 162 a

Immunitatem monasterio apud Carolum Magnum impetrat S. Benedictus Indensis 615

Imperatorem se a S. Meletio coronari in somnis videt Theodosius, postea factus Imperator 597 c Imperatori Sacerdotem præfert in mensa S. Raynaldus Nucerinus 374 a Imperatori Frederico II monita prudenter data a B. Jordano 733 a Imperatrix Orientis S. Theodora 554

Impietas Michaelis III Imp. in S. Theodoram matrem 564 565 566

Impudicæ fœminæ repelluntur a sepulchro B. Esaiæ Bonneri 216 c Impudicarum fœminarum saluti ut consulat, ædes iis comparat, et leges præscribit Hieron. Æmilianus 242 f exemplo SS. Paphnutii et Vitalis 270 a b

Incensa urbs Phrygiæ Antandrus ob fidem Christi omnes

omnes cives Martyres habet 13 14 15 Incendia repressa ope S. Stephani Grandim. 211 f 212 c 213 e precibus S. Romualdi 111 a 130 d oratione S. Benedicti Indensis 614 f 615 a signo Crucis a S. Fulcranno 718 d Reliquiis S. Valentini 760 d et S. Guilielmi 170 d ab Incendio servatur mensa S. Stephani Grandimont. 204 f in Incendio illæsus S. Raynaldus Nucerinus 375 a Incendere volentes monasterium S. Berachii terra absorbet 838 a b

Inclusi Sancti Maricheratus Ratisponæ 361 Columbanus Ab. Gandavi 846 Inclusus VII annos degit S. Romualdus 130 a

Infamia liberatur S. Damasus Papa post visitatas reliquias S. Maximi Ep. Nolani 22 c d

Infans sacra verba primum balbutit S. Antonius Cauleas 623 f Infantes Martyres Modestus et Ammonius Alexandrini 580 alii ubera sugentes 19 e

Inguinaria lues sublata ope S. Raynaldi 375 e

Inimico benefacit Hieron. Æmilianus jam mortuus 264 c Inimico nolens reconciliari etiam allato S. Austrebertæ corpore, dolore viscerum torquetur, reconciliatus sanatur 428 f 429 a Inimici sui Præsidis, a quo expellebatur, caput veste obtegit S. Meletius, ne lapidibus obruatur a populo 601 d

Injurias beneficiis remuneratur Hier. Æmilianus 231 c d patienter fert 263 e in iis ferendis hilaris 273 f

Innocentia vitæ S. Scholasticæ 405 f 406 a b

Inobediens graviter læditur: oleo benedicto sanatur 423 b c ob Inobedientiam, ficus excidi jussa, una nocte arescit 520 e

Insanus sanatur ope S. Stephani Grandimont. 212 f

Insidias Juliani apostatæ detegit S. Theodorus Tiro apparens 23 f 24 a b

Instituit in pietate et a studio profano ad sacra transfert S. Chrysostomum S. Meletius 594 a

Intestina diffluentia curantur oleo lampadis S. Lucæ Junioris. 101 e

Inundationem Tiberis reprimit Litaniis S. Gregorius II Papa 703 d e

Ira frangitur variis modis 231 b c d e

Irruptione barbarorum adveniente divinitus moneri solet S. Lucas Junior 97 c

Ischias curata ope Hier. Æmiliani 165 b S. Goslini 637 d

Iter a Maria V. ostenditur Hieron. Æmiliano 227 a

J

Janua templi ultro panditur gravidæ matri S. Quinidii ab Angelo indicante quis hic futurus esset 830 e f Januis clausis et sigillo munitis educti e carcere ab Angelo SS. Faustinus et Jovita, et inductus S. Calocerus cum Officialibus 815 f 816 a b 819 d e f 820 a b vide Porta.

Jejunat 4 et 6 feria puer S. Lucas Junior 84 f et datis cibis pauperibus 85 b Jejunat arcte S. Romualdus exceptis sabbato et Dominica die 109 c Sabbato dein jejunat, non feria 5 et Dominica 109 d Jejunat duas Quadragesimas 109 d etiam senex 121 a Jejunium tridui ante elevationem corporis S. Castoris 665 c in Jejunio ob hospites dispensat S. Moyses Ab. 46 b

Jesu invocato dæmonem fugat S. Romualdus 127 d 130 d 137 d in Jesu nomine omne genus morborum curat et energumenos liberat S. Parthenius 40. vide Christus.

Judicii extremi pictura motus Bogoris R. Bulgarorum convertitur ad fidem, et fit e Rege monachus 563 c f Judicium temerarium de virtute et miraculis S. Auxentii quasi confictis punitum filia a dæmone obsessa, et a S. Auxentio liberata 773 d e f

Juramenta in pactis sanciendis per S. Polyeuctum 650 d ob Juramenta crebra puniti lepra, sanantur a S. Auxentio 774 a b

Justitiæ amans Theophilus Imp. pretia rerum venalium moderatur, damna privatis sarciri a Proceribus cogit 555 c d e

L

Lac pro sanguine fluit e cervice præcisa S. Æmiliani 159 e

Lacrymis S. Auxentii uri se dæmon queritur 774 e

Lacrymarum donum obtinet S. Romualdus 116 c 117 c e 138 f Lacrymas nimias dissuadet suis 116 d Lacrymatur apposita lautiore mensa Hieron. Æmilianus 258 e nisi Lacrymis fusis coram Deo, XL annis non comedit S. Benedictus Indensis 620 f Lacrymatur ubertim ante sumptionem Corporis Christi S. Guilielmus Gellonensis 616 d

Lactucis crudis solis vixit S. Abraames Ep. absque pane et aqua 769 a b

per Lacum medium siccis pedibus ducit exercitum S. Attracta 299 b c

Laici in Grandimontensi Ordine prævalescentes inducunt laxamentum disciplinæ et caritatis 201

Lampas ad sepulchrum S. Ansberti indesinenter ardet et redundat 355 d Lampadibus ustulantur ulcera S. Theodori Ducis 29 e Lampades ardentes admotæ lateribus SS. Faustini et Jovitæ extinguuntur 818 a 820 d

Lancea latera perforantur SS. Fuscæ et Mauræ 649 e

Lapis, in quo sedere solitus S. Cuthmanus, miraculis claret 197 e Lapidati S. Onesimus 858 a S. Comta 155

Laqueo suspensi se interimunt Montanus et Maximilla hæretici 6 d

Laterum ustione torquetur S. Æmilianus 158 d Laterum dolor sublatus ope S. Richardi 81 e S. Secundi 531 c d 533 d e

Latro occiso S. Ebhorno a dæmone possessus, insanus 20 annos nudus oberrat 569 b d a Latronibus illæsus, Cruce signatus a S. Benedicto Indensi 615 b

Lectores Martyres Saturninus et Felix fratres Carthagine 513 Bassianus Alexandriæ 751

Legit ad mensam Passiones Sanctorum et Vitas Patrum S. Stephanus Grandimont. humi sedens 208 d

Lectus S. Stephani Grandimont. tabulæ ligneæ instar sepulcri consertæ 207 b Lecto S. Austrebertæ irreverenter utens morbo corripitur 424 b

Legata pia ut confirmet, agonizans loquitur, a S. Fulcranno rogatus 716 d

Leones abblandiuntur S. Æmiliano 158 e Leopardis objecti manent illæsi SS. Faustinus et Jovita 812 a 814 f devorantur idololatræ 812 c

Lepram in facie impetrat, ne nubat, S. Andragisina 348 f Lepra sponsam subito invadens ad castitatem inducit S. Licinium sponsum 679 b 683 d Lepram incurrit ob libidinem juvenis, a S. Antonino Surrentino apparente monitus sanatur 794 b c Lepra ob crebra juramenta incussa, oleo sacro curatur a S. Auxentio 774 a b ope B. Esaiæ Bonneri 216 f Goslini 634 c aqua benedicta a S. Berachio 837 a osculo S. Raynaldi Nucerini 374 d Leprosum hospitio excipit, cibo recreat, aqua benedicta lotum sanat, Sacerdotem consecrat S. Licinius Ep. 681 c d 685 d e

Libido carnis ab Angelo repressa S. Lucæ Juniori 89 d ob Libidinosos affectus lepra punitus, a S. Antonino Surrentino apparente admonitus sanatur 794 b c

Librum comedendum S. Martino Legionensi ingerens S. Isidorus apparens, scientiam infundit 571 a b Libros a se scriptos gratis dat indigentibus B. Marianus 367 c d scribenti digiti instar candelæ lucent 367 e

Lignum aridum attactu S. Charalampii reflorescit 385 f

Lilia tria supra casam, in qua mortuus jacebat S. Eusebius, subito enata sunt 853 d

Lingua

Lingua Martyrum præcisa a Persis 162 d S. Brunonis M. 798 c Linguarum donum divinitus accipiunt S. Telians, David, Paternus 309 e Lingua sua concionans S. Telians, ab aliis intelligitur 309 c

Liquor odoratus manat e sepulchro S. Sabini 328 f et corpore S. Sabini Atripaldæ 334 b 335 f

Litanias triduanas instituit in Italia S. Lazarus Ep. Mediolanen. et dein in Gallia S. Mamertus Ep. Vienn. 522 f 523 a in Litaniis majoribus supplicatio solennis Romæ 753 d Litaniis reprimit inundationem Tiberis S. Gregorius II Papa 703 d e Litanias moribundus recitat cum aliis S Fulcrannus Ep. 716 d

Lorica ferrea indutus etiam dormiens S. Stephanus Grandimont. 207 b c Lorica catenis connexa S. Guilielmus 450 d

Luciferum astrum colunt Saraceni 43 a

Locustas oratione abigit S. Benedictus Indensis 615 a

Lumen nocte supra corpus S. Sabini apparet 329 a Luce immensa deteguntur Reliquiæ S. Romualdi furto sublatæ 142 f brachium S. Severini Agaunensis ab hæreticis dejectum 547 f Lumine triplici capita trium MM. a S. Sigfrido reperta 850 c d Lumen super tumulum B. Antonii de Stroncone apparens, extingui nequit 148 a Luce cœlesti illustratur cubiculum psallentibus nocte cum S. Sabino Angelis 315 c orans B. Guilielmus de Oliva 498 a in nativitate S. Berachius 834 e Luminaria multa in Missa accensa placent Christo 147 a

Lupus loco vorati vituli ubera vaccæ sugit 835 c

Luto mandendo coercet blasphemias rixantium Hieron. Æmilianus 268 b c d

M

Magiæ accusatus S. Sabinus, Angelis cum eo psallentibus absolvitur 315 b c

Mandata S. Altonis apparentis negligens, verberibus exceptus implet 360 e f

Mansuetus eodem semper vultu S. Guilielmus 467 a Mansuetus erga suos, maxime ægros et tentatos B. Jordanus 726 c

Manus obrigescunt jaculantium in S. Jacobum eremitam 163 a Manus Ducis verberantis S. Charalampium excidunt: precibus hujus restitutæ, illo ad fidem converso 382 f 383 a Manus dextra ob fidei constantiam dum jussu Constantii Imp. esset amputanda S. Eusebio Samosateno, utramque manum offert 587 b Manus arida sanatur a S. Placido 315 e ad reliq. S. Stephani Grandimont. 211 d Manus contractæ et aliæ debiles ad sepulchrum S. Austrebertæ 425 b

in Maris rupe sub dio sex annis degit S. Martinianus 669 d e tota vita Photina puella 670 in Mare se projiciens S. Martinianus ob castitatem, ad littus a delphinis defertur 670 a b in Mare projecti SS. Faustinus et Jovita, ab Angelis liberantur 818 a vide Submersi.

Maria Deipara visa est adhortari S. Theodorum Ducem M. ut succurrat Zemiscæ Imp. sibi devoto 25 f 26 a Maria V. ad verba, Eia ergo advocata nostra, visa Christum pro Ordine prædicatorum orare 735 e Mariæ V. addictus 5 Psalmos legit B. Jordanus 729 d refert eam cellas circuire, et Ordinem a peccato servare 729 d benedictionem dextra filii dare 729 e peccatricem ab ea ad se Mariam invocans in aerem elevatus B. Esaias Bonnerus canit Ave Regina cœlorum 215 d Maria V. invocata apparet Hieron. Æmiliano, animat, e carcere liberat 226 d e f iter per milites ostendit 227 a Mariæ V. ope implorata captum a latronibus liberari impetrat S. Stephanus Grandimont. 209 b Maria V. apparens sanat S. Guilielmum a dæmonibus verberatum 464 e Cum SS. Poloniæ invisit B. Esaiam Bonnerum moribundum 215 f mortuum resuscitat eo invocante 216 b Maria V. apparens invitat ad cœlum B. Christinam Spoletinam 801 c d

Marmori impressa vestigia pedum S. Julianæ Taurinensis hactenus servantur 658 b

Martyrii cupidus se eo indignum censet S. Fulcrannus Ep. 715 c Martyrii desiderio clam parentibus Decianum arguit S. Eulalia V. Barcinonen. 577 b c ad Martyrium animatur cœlesti viso S. Theodorus 29 a 34 b 892 e Martyrii palmam accipit integra urbs Phrygiæ Antandrus 13 14 15. mille et tres e familia et clientela Protectorum Imp. 98 Martyrum certamina ad imitationem proposita, feros motus sedant 285 e mentem ad Deum elevant 285 f Martyrium perenne S. Romualdi ob mortificationem 125 e illud expetens Ungaros adit 134 e

Matrem pauperem et ægram circumvectat mendicans S. Cuthmanus 197 f

Maxillam alteram verberanti præbet B. Jordanus 729 b

Medici SS. Cosmas et Damianus gratis ægros curant 18 d

Mensa S. Stephani Grandimont. pro reliquiis habita, ab incendio servata, contra morbos salutaris 204 f 205 a

Mercatoris personam induit, ut alios Christo lucretur, S. Abraamius 768 d in Præsidem electus fit eorum Episcopus 768 f 769 a Mercatura honesta a Regibus et Imperatoribus exercita 228 c d Mercaturam exercentem S. Theodoram maritus Theophilus Imp. prohibet navi incensa 555 e f

Merces sero vocatis ad fidem datur copiosa 653 e

Meretrix in peccatum conata allicere S. Martinianum, sed post datum aliquod verbis consensum pœnitentem, et conjicientem se in ignem, et ipsa conversa in monasterio sancte vixit 667 668

Milites Martyres Porphyrius et Baptus 381 Damianus 581, XLIV Spoletini 747 Valentinus et XXIV Afri 763 Ægyptii V 864 S. Seleucus 868 a e Milite monachus et Abbas S. Benedictus Indensis 612 b c e Milite Presbyter Archimandrita S. Auxentius 769 Militis S. Auxentii pia exercitia 770 771

Miracula S. Stephanus Grandimontensis Priori obediens non facit 203 e Miraculis S. Austrebertæ detrahens, angina percutitur, ad ejus sepulchrum sanatur 427 b c Miraculo paralyticis non a sacrificulis, sed a S. Æmiliano sanatis veritas fidei ostenditur 158 b c

Missam celebrare S. Romualdus inhibebat qui circa diluculum aut post nocturnum obdormisset officium 108 b Missam facturo S. Patricio patenam divinitus impetrat S. Attracta 298 f sub Missam ut inflecti genu male affectum posset Crucis signo sanatur 254 f ut Missa fieret et Eucharistia daretur baptizatis, pro altari cœlitus adfertur sindon nivea expansa et quatuor luminaria ardentia apparent 819 f in Missa orantibus indicatur voce cœlesti Grandis-mons inhabitandus 210 c d Missam quotidie celebrat S. Licinius Ep. 680 c 684 b in Missa Christus visus pacem circumferre, prætermissis quibusdam malæ conscientiæ 498 f in Missa abluens vulnera liquore secundæ ablutionis, subito sanatur B. Jordanus 738 b Missæ sacrificio peracto moritur S. Castrensis 529 b

Mitem reddit Totilam S. Laurentius Sipontinus 79 f vide mansuetus.

Monachi Martyres, Constantinopolitani monasterii S. Dii 161 Ægyptii sex 45 Monachi Sancti, Petrus in Monobatis 68 Romanus Thaumaturgus Antiochiæ 295 Zeno juxta Antiochiam 390 Jonas in Ægypto 520 Cedmonus in Anglia 552 Riocus in Britannia Armorica 603 Basilius Ratensis 604 Faustus Casinensis 899 Monachus e Rege Bogoris Bulgarus 563 f Monachum facere vovens S. Willibaldum filium, sanum recipit pater S. Richardus 75 e f 77 d f 78 d Monachos, maxime tirones, quomodo instituit S. Romualdus 137 inter Monachos sancte vivit S. Euphrosyna V. 538 539 540 542 Monastica vita S. Pauli Ep. Virdunensis

*nensis* 175 Monasticæ *vitæ desiderio nuptias fugiens S. Austreberta, super aquas ambulat* 420 *f* Monasteria *plurima condit S. Romualdus* 116 *a b* 117 *d f* 118 *b c* 122 *f* 137 *a c* 139 *a* 140 *f* Monasteria *plurima reformat S. Benedictus Indensis* 609 *d* Monasteria *varia restituit S. Gregorius* II *Papa* 703 *a b S. Fulcrannus Ep.* 714 *d* Monasterii *Scotorum Ratisponensis tutor Imperator, sub Pontificis subjectione* 369 *c* Monasterio *inhabitanda Grandis-mons orantibus in Missa voce cælesti indicatur* 210 *c d* Monasterii *extruendi voto facto ab apris dilacerandi liberantur SS. Haymo et Veremundus* 706 *e f* 707 *a* Monasterii *constructionem ut dæmon impediat, tempestatem excitat* 122 *f*

Morbos *vegetus fert S. Benedictus Indensis* 619 *f* Morborum *omne genus in nomine Jesu curat S. Parthenius* 40 *a* Morbi *ad perfectionem conducunt* 94 *b*

Mortis *semper memor ad eam se parat S. Stephanus Grandimont.* 210 *a* Mori *non timens gladio in se stricto cervices offert S. Austreberta* 422 *c* Mortem *præsentiens Hieron. Æmilianus, cœleste iter præfert Romano invitatus a Card. Caraffa* 260 *a b* Mortem *instantem B. Mariæ Oigniacensis in visione cognoscit B. Guilielmus de Oliva* 498 *e* Mortem *Ottonis III prædicit S. Romualdus* 116 *b Episcopi S. Parthenius* 42 *b* Mortem *suam a S. Syro apparente cognoscit S. Juventius* 154 *d* Mortis *tempus præscit S. Ansbertus* 355 *b Diem prædicit S. Nicetius* 168 *b* Moriturum *se post* 7 *dies prædicit S. Austreberta* 423 *c* Moriturum *se alibi ex Angelo cognoscit S. Severinus Agaunensis* 549 *a b* Moribundi *sanantur ope S. Stephani Grandimont.* 212 *f* 213 *d e B. Esaiæ Bonneri* 216 *e* 217 *e Hieronymi Æmiliani* 219 *c d SS. Haymonis et Veremundi* 708 *a b d* Moribundus *ac triduo cæsus scriptor Vitæ S. Guilielmi, hujus ope sanatur* 472 *d e alius osculatus imaginem Hieron. Æmiliani* 266 *a b alius voto facto scribendi ejus Vitam* 267 *b* Moribundum *conctus invisit, et precibus sanat S. Lucas Junior* 93 *d e f* Moribundi *S. Sabini illustria monita* 325 *d e* Moribundus *S. Tresanus oleo sacro et Eucharistia munitur* 55 *b e S. Austreberta videt Sanctos ab aliis invocatos* 423 *f Eucharistiam ab Angelo accipit S. Ludanus* 639 *d pater S. Romualdi videt Spiritum sanctum* 110 *e* Moritur *nemine præsente S. Romualdus* 124 *c* Morienti *S. Stephano Reatino soli Angeli adstant* 674 *f* Moritur *sumpta Eucharistia et Cruce se signans S. Cedmonus* 553 *d e f post Missam suos confirmans S. Juventius* 154 *e peracto sacrificio Missæ ingressus sepulchrum S. Castrensis* 529 *b junctis manibus texens S. Jonas mon.* 521 *a jacens in cilicio et cinere S. Fulcrannus Ep.* 716 *d dicens*, In manus tuas, Domine, *etc. S. Lucas Junior* 98 *f dicens*, Justus es, Domine. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam *S. Benedictus Indensis* 620 *b* Moritur *B. Hugo Lacerta a S. Stephano Grandimont. apparente ad cœlum evocatus* 206 *e* Mortui *suscitantur ope B. Esaiæ Bonneri* 217 *b c d e. S. Stephani Grandimont.* 211 *e f* 212 *f alia ut Sacramenta suscipiant* 212 *c tres oratione S. Parthenii* 40 *c d S. Charalampii* 384 *b Ope Mariæ V. implorato a B. Esaia Bonnero* 216 *b ut a peccatis absolvatur a S. Severo Presb.* 828 *a* Mortuam *matrem suscitat S. Riocus aqua a S. Winwaloco benedicta* 603 *e* Mortui *suscitantur ad reliquias S. Stephani Grandimontensis* 203 *f ad corpus S. Scholasticæ* 401 *d Ortodrcim in pugna occisi, a S. Berachio* 836 *a b et monachus occisus* 838 *c* Mortuus *infans suscitatur ope S. Haymonis, ex voto Haymo appellandus* 708 *a, alius ope B. Jordani, Jordanus appellandus* 732 *d* Mors *S. Simeonis Stylitæ revelatur S. Auxentio* 781 *a* Mortuos *noctu sepelit, cadavera humeris ad cœmeteria defert Hier. Æmilianus* 233 *d* Mortem *Christianis inferre volens a dæmone arreptus insanit, et igne cœlesti perculsus, liberatur a S. Juventio* 154 *b c*

Mortificationem *nimiam B. Jordano ægro suadet diabolus, ut conciones et opera pia impediat* 730 *b* 738 *c d e* Mortificatio *corporis austera B. Antonii a Stroncone* 146 *c d e vide* Abstinentia, Panis, Cilicium *etc.*

Mundi *contemptus in Hier. Æmiliano* 229 *b* 268 *b* 272 *e f* 273 *a in S. Gulliano* 272 *d*

Munera *oblata accipit in usum pauperum S. Quinidius* 832 *c*

Murus *castri ultro corruit, invocata SS. Trinitate in triplici circuitione a S. Fulcranno* 717 *d*

Musica *cœlestis auditur moriente S. Walfrido* 645 *b* Musicæ *concentu ad cœlestis Musicæ concentum movetur S. Ansbertus* 349 *c* Musicam *Imperatoris pro diis spernunt SS. Faustinus et Jovita* 817 *f*

Mustela *vocanti B. Jordano obedit* 728 *e*

Muti *sanati ad sepulchrum S. Austrebertæ* 425 *b* 428 *c ad corpus S. Guilielmi* 470 *c ad reliq. S. Stephani Grandimont.* 211 *d* 213 *a* Mutum *et surdum S. Eulalium Ep. Nivernensem precibus sanat S. Severinus Agaunensis* 549 *d e*

Mutilatur *manibus ac pedibus S. Bruno M.* 798 *e*

N

Nasum *in obliquum curvavit frequentibus osculis terræ S. Stephanus Grandimont.* 207 *f* Nasus *oblatus, Dæmoniaco cupienti lædere B. Jordanum, lambitur leni tactu* 730 *d*

Nascitur *e sterilibus parentibus, oratione impetrata S. Euphrosyna* 541 *d sterilibus antea parentibus SS. Benedictus et Scholastica* 403 *b dum* Nascitur *S. Berachius, lumine cœlesti illustratur* 834 *e necdum* Nati *S. Fulcranni sanctitas et futura vita matri revelata* 712 *b necdum* Natus *S. Quinidius ab Angelo quis futurus sit, indicatur, idem aliis pluribus factum* 830 *e f et S. Berachius a S. Patricio prædictus* 834 *d*

Naufragii *periculum discussum ope S. Austrebertæ* 428 *e* Navigantium *patrona S. Eulalia Barcinonen* 579 *f* Navibus *fractis impositi S. Quodvultdeus Ep. Carthaginensis et ejus Clerus* 523 *f SS. Priscus, Castrensis et alii Epp.* 524 *a* 527 Navim *mersam signo Crucis ex aquis eruit S. Castor* 664 *b e* Navis *deferens reliquias S. Severi Presb. ultro in Meinfelt appellit.* 829 *e*

Nervorum *rigiditas et contractio curata ope S. Goslini* 634 *f* 635 *b*

Nix *operit corpus S. Eulaliæ Barcinonen. in cruce appensum* 578 *a* Nivium *cumulum flatu accendit S. Berachius* 836 *e*

Nomen *S. Austrebertæ necdum natæ matri indicat Angelus* 420 *c* Nomen *Meletii imponebant Antiocheni ex affectu erga S. Meletium* 601 *a* Nomine *Haymonis appellandus infans mortuus, ope S. Haymonis suscitatur* 708 *a alius nomine Jordani appellandus a B. Jordano suscitatur* 732 *d* Nomina *Prophetarum assumunt SS. Elias, Jeremias, Esaias, Samuel et Daniel MM.* 867 *a*

Novitius *interest Capitulo generali B. Jordanus Ord. Prædic.* 721 *d*

Nuptias *a parentibus obtrusas fugit S. Attracta* 297 *d S. Austreberta* 420 *e S. Victoria M.* 219 *a S. Euphrosyna desponsata* 538 *a b* 541 *f cogenda a parentibus B. Christina Spoletina* 800 *c* Nuptias *proci Præsidis aversata S. Juliana V, ejus et patris jussu dire flagellata et torta occiditur* 875 877, 879, 880 Nuptias *secundas prohibet hæresis Cataphrygum* 5 *b vide* Castitas, Virginitas.

O

Obedientiæ *obmurmurans apoplexia punitur* 732 *e*

Obstructio *naturæ curata ope S. Goslini* 636 *a*

Oculo *amisso gratias Deo agit lætus B. Jordanus, asserens inimicum periisse* 729 *c* Oculus *amissus recuperatur ope B. Christinæ Spoletinæ* 802 *a* Oculum *erutum*

*erutum restituit S. Parthenius* 38 *f in* Oculos *insufflando liberat energumenum S. Parthenius* 40 *c* Oculi *eruuntur S. Brunoni M.* 798 *e vide* Cæci.

Odor suavis *in apparitione Angelorum cantu festum S. Autrebertæ celebrantium* 427 *d e et apparente S. Austreberta* 427 *e moriente S. Tresano* 55 *c in ecclesia dum sepelitur S. Licinius Ep.* 682 *b* 686 *a in translatione SS. Haymonis et Veremundi* 707 *c* Odor suavis *e corpore S. Ausberti* 355 *c S. Ludani* 639 *d S. Eulaliæ Barcinonen.* 578 *f* 579 *f S. Theodori Studitæ post* 18 *annos integro* 562 *b Ob virginitatem e vivo corpore S. Stephani Grandimont.* 208 *b ex reliquiis SS. Maximi et Julianæ MM* 884 *d* 885 *c e sepulchro S. Sabini* 327 *f* 328 *f ex* Odore suavissimo *S. Carolus Borromæus cognoscit Reliquias esse* 218 *c*

Odium *infestissimum ex summa amicitia Sapricii cum S. Nicephoro* 283 *is renuens odium deponere martyrio excidit* 285 286 287 895 896

Officium *Ecclesiasticum illustrat observationibus, præscribitque Benedictinis S. Benedictus Indensis* 618 *a b c d*

Oleo *liquenti perfunditur illæsa S. Juliana V. M.* 882 *a*

Olei *instar liquor e reliquiis S. Pauli Virdunensis manat* 174 *a* Oleo *tumuli S. Antonii Cauleæ pleuritis sublata* 628 *a* Oleo *lampadis S. Lucæ Junioris unctus diffluentibus intestinis sanatur* 101 *c* Oleo sacro *leprosi sanati a S. Auxentio ita loquente,* Sanat vos Jesus Christus : ego sum homo peccator 774 *b item paralyticus* 774 *d cæcum illuminat S. Licinius Ep.* 680 *f* 684 *f* 685 *a unctum aridum orans S. Parthenius sanat* 41 *e* Oleo benedicto *graviter læsam sanat S. Austreberta* 423 *c ægros S. Romualdus* 130 *b*

Omnibus *omnia factus B. Jordanus* 735 *b*

Opifices *ditantur cum illis laborante S. Auxentio* 772 *b c*

Oratio *laici æque grata Deo quam Clerici* 733 *a* Oratione *cervos silvestres ad ligna portanda evocat S. Attracta* 300 *d S. Alexius Kiovensis candelam ultro accendit* 641 *d* Orationis *piæ pretium immensum* 735 *b* Orandi *modum B. Alcuini Flacci inquirit S. Benedictus Indensis* 609 *b* Orationem *ob caritatem subinde differt, numquam omittit S. Stephanus Grandimont.* 207 *c* Orans *luce cælesti illustratur B. Guilielmus de Oliva* 498 *a* Orat *integris noctibus S. Lucas Junior* 87 *c in* Oratione *luce cælesti irradiatur B. Christina Spoletina* 801 *b elevatur a terra S. Lucas Junior* 65 *e f in* Oratione *et lacrymis pernoctat S. Romualdus* 127 *c et ab* Oratione *inflammatus recedit* 127 *d* Oratione *scientiam divinitus acquirit S. Marinus Legionensis* 569 *c* 571 *a b Pœnitentiam impetrat obstinato peccatori S. Stephanus Grandimont.* 209 *a in* Oratione *fervens et assiduus B. Jordanus* 727 *a ea tentatum novitium confirmat* 726 *f* 727 *a* 729 *a fluxum sanguinis sistit et febrim pellit* 727 *d* Oratione *mutum et surdum S. Eulalium Ep. Nivernensem sanat S. Severinus Agaunensis* 549 *d febrim biennalem Chlodovei R. Franc.* 550 *a* Oratione *pluviam impetrat S. Parthenius* 41 *f incendium avertit S. Benedictus Indensis* 614 *f* 615 *a et S. Romualdus* 112 *c* 130 *d et tempestatem sedat* 117 *a liberat e tempestate emergentes S. Lucas Junior* 95 *a locustas abigit S. Benedictus Indensis* 615 *a Dæmoniacos liberat S. Parthenius* 40 *a c e manus avulsas et faciem in tergum retortam restituit S. Charalampius* 383 *f fons adversus morbos salutaris elicitur a SS. Catello et Antonino Surrentino* 789 *b moribundus sanatur a S. Luca Juniore* 93 *f mortui suscitantur a S. Charalampio* 384 *b S. Parthenio* 40 *d* Oratione *S. Berachii sagas vivas terra deglutit* 835 *f*

Ordinis Benedictini *per Galliam et Germaniam Magister Generalis habitus S. Benedictus Indensis* 609 *f* Ordinis Prædicat. *Generalis* 2 *electus B. Jordanus* 2 *annis in Ordine transactis* 721 *e f* Ordinis *conventus erecti sub S. Dominico et B. Jordano* 723 *d e* Ordinis Eremitarum *S. Augustini, B. Esaias Boncerus in Polonia* 215 *a B. Christina Spoletii* 799 Ordinis Minorum *B. Antonius a Stroncone Asisii* 145 Ordo Clericorum Regularium *Teatinorum instituitur a Joanne Petro Caraffa* 233 *f* Ordo Grandimontensis *est non Canonicorum, non monachorum, non eremitarum* 207 *c*

Osculatur *ulcera sordida ægrorum velut vulnera Christi Hieron. Æmilianus* 248 *c* Osculo *dilato dyscolos corrigit S. Benedictus Indensis* 617 *b* Osculo *insaniam curat S. Romualdus* 121 *c* 130 *a leprosum sanat S. Raynaldus Nucerinus* 374 *d et S. Severinus Agaunensis* 550 *a* Osculandum *præbetur corpus S. Dominici in translatione* 722 *d* Osculatus *vultum S. Euphrosynæ mortuæ oculum recipit* 541 *b* Osculis *frequentibus terræ, nasum curvat S. Stephanus Grandimont.* 207 *f*

Otiosa verba *quomodo evitentur* 734 *d*

Oves *pascit S. Lucas Junior* 85 *a* Oves *perditas oratione curat restitui S. Auxentius* 772 *f iterum* 781 *c*

P

Pacem *inter Tiburtes et Imperatorem facit S. Romualdus* 112 *c* Palmarum *sacer usus et festum* 92 *b e*

Panes *benedictione multiplicat B. Jordanus* 727 *c* Panes *comminuti signo Crucis uncti ab Hieron. Æmiliano, febrim aliosque morbos pellunt* 264 *d e f* Pane *benedicto sanat ægros S. Romualdus* 130 *c* Pane *in cœna Domini benedicto curantur ægri* 212 *b* Pane et aqua *victitat S. Zeno* 390 *f et plerumque B. Antonius a Stroncone* 146 *c* Pane et aqua *contentus lautiores rejicit cibos Hier. Æmilianus* 258 *d e f* 271 *f exemplo S. Palæmonis et monachorum Ægyptiorum* 272 *a b* Pane, *vino, re cocta non usus quadriennio S. Venerius* 113 *b absque* Pane et aqua *vixit solis crudis lactucis S. Abraames Ep.* 769 *a b*

Papa Romanus *S. Gregorius II.* 692 *a* Papa *mittuntur in Galliam et Belgium Apostolici viri S. Chrysolius et alii* 11 *c* 12 *b*

Paralytici *sanati ope S. Victoris Mosomensis* 343 *a S. Austrebertæ* 427 *f* 428 *a S. Guilielmi* 470 *e S. Richardi* 81 *a SS. Haymonis et Veremundi* 707 *f B. Jordani* 732 *a signo Crucis a S. Juventio* 153 *c aqua benedicta a S. Parthenio* 40 *e ad reliquias S. Romualdi* 142 *a S. Stephani Grandimont.* 210 *f* 212 *d in Translatione S. Ansberti* 356 *a sub feretro S. Mengoldi* 197 *a*

Parentibus *rebellem invadit dæmon, expulsus a S. Parthenio* 40 *a b*

Parturiens *adjuta patrocinio Hier. Æmiliani* 266 *d* Partus *difficilis servatus ope B. Christinæ Spoletinæ* 803 *a*

Passeribus *annonam providet S. Lucas Junior* 88 *f*

Pater *et filius crucifixi* 649 *c* Pater *et liberi Martyres Saturninus Presb. Saturninus et Felix Lectores, Maria et Hilarion* 513 Patrem *suum in monachum attondet S. Antonius Cauleas Abbas* 625 *d* Patris *planctus ob filiam S. Euphrosynam amissam, colloquium cum ea inter monachos incognita* 539 540 543 *agnitio in morte* 540 *f* 544 *b,* Patre *S. Walfrido infortunium corporis filio inobedienti optante hic partem digiti amittit, et emendatus fit Abbas* 644 *e f* Patris *ethnici blanditias et minas contemnens S. Juliana V. ejus jussu dire flagellata et torta occiditur* 875 876 Patris *sui ethnici iram, minas, carcerem fortiter sprevit S. Fusca V. filia* 648 *a b* 649 *b d*

Patriam *relinquit divino monitu S. Alto* 360 *a* Patriam, *Jerusalem, scilicet cœlestem, ad Orientem sitam respondet Præsidi Martyr* 867 *b*

Pati *pruritum sævum ob æternam gloriam mavult S. Lucas Junior, quam remedium a Sancto edoctus adhibere*

bere 94 f 95 a ad Patientiam majorem vermes ex ulceribus pedis decidentes reponit S. Auxentius 776 a Patientiæ exempla S. Theodoræ Imperatrici expulsæ ex aula a Nicolao Papa proposita 567 f Patientissimus de nullo unquam questus, pœnas impositas innocens sustinet B. Antonius de Stroncone. 147 b

Pauperes ad 2000 in nosocomio Lesinæ aluntur 336 e inter Pauperes in convivio, sedet relictis in alia mensa nobilibus S. Ansbertus Ep. 352 f Pauperibus inservit in solenni translatione corporis S. Audoeni 354 a Pauperum pedes lavat S. Licinius Ep. 680 a S. Fulcrannus Ep. 714 c Pauperibus cibos et vestes dat S. Lucas Junior, nudus et jejunus manens 856 Pauperibus danda annona multiplicatur ope S. Antonii Cauleæ 628 b c Pauperum domicilia et xenodochium extruit S. Ansbertus Ab. 352 a in Pauperibus Christum excipit S. Stephanus Grandimont. 208 e Paupertas Ordinis Grandimontensis 200 b vide Eleemosyna.

Peccata propria, non aliena judicanda 46 e 47 b Peccata Doctorum Ecclesiæ et Principum caussæ calamitatum 67 f ob Peccata publica impunita regiones puniuntur 733 e Peccata porta inferni 735 a ob Peccata enormia justo Dei judicio Cumæ evertuntur 883 d 884 b Peccati occasionem non evitans S. Martinianus in aliquem attrahitur consensum 667 e f. evitaturus deinceps in rupe maris solus 6 annos degit. 679. ob appulsam e naufragio puellam conjicit se in mare : a Delphinis in terram defertur 670 Peccatum incendentium messem suam magis sentit S. Stephanus Reatinus quam suum damnum 674 e a Peccato ut Ordinem Prædicatorum præservet, visa cellas aspergens circuire Deipara V. 729 d e in Peccatores obstinatos rigidus S. Raynaldus Nucerinus 373 f. in Peccatores pœnitentes benignus 375 a Peccatores pœnitentes benigne admittendi 735 c Peccatrix a Deipara V. ad B. Jordanum missa sanitatem corporis et animæ impetrat 729 f

Pecora pascit S. Cuthmanus, ea illi obediunt 197 e

Pecunia in crumena B. Guilielmi Zucchii magni eleemosynarii non deficit 504 b 505 d Pecunia divinitus submissa ad eleemosynas S. Antonio Cauleæ 625 f Pecuniam e flumine emergere jubet S. Juventius et Domino reddit 154 b Pecuniam oblatam recusat Hier. Æmilianus 230 a b

Pedem clavo transfigit amore Christi patientis B. Christina Spoletina 801 c Pedum languor et dolor curatur ope B. Esaiæ Bonneri 216 c d S. Victoris Mosomensis 341 d S. Goslini 634 d 635 c 636 e

Pejerantes per reliquias S. Antonini Surrentini puniuntur 793 e f in templo S. Polyeucti divinitus puniuntur 655 a

Peregrinantur versus limina Apostolorum pater S. Richardus et filii SS. Willibaldus et Wunibaldus 76 b Sanctorum patrocinio se commendant 77 b Romam SS. Ceolfridus et Richardus in via mortui 695 d e S. Ina R. 695 f Peregrinationi dediti Hiberni 365 c exteros convertunt 365 f Peregrinari volentes, oratione S. Berachii, sacra loca urbis Romæ in somnia lustrant 838 d 840 a Peregrinatur ob cœleste monitum Romam B. Christina Spoletina 800 e Peregrinatur mendicans 7 annis S. Mengoldus 195 b

Perfectionem vitæ non nisi cum silentibus tradit S. Moyses Ab. 47 e

Perdita pecunia recuperatur ope S. Modestini 766 f 767 a Perditæ claves invocato S. Guilielmo a cane referuntur 470 b c

Perseverantiam oranti S. Sabino S. Nicolaus addicit 317 a

Persecutionem timens fugit in silvam S. Maximus Ep. Nolanus 20 e f 21 d

Peste infectis inservit Hieron. Æmilianus cum suis et servatur sanus 231 b c d 269 a Pestis arcetur ope S. Raynaldi 376 d B. Christinæ Spoletinæ 802 e ad reliquias S. Romualdi 141 b allato capite S. Valentini 760 f 761 a Pestis pecorum ope S. Goslini 635 a Pestilentiæ tempore fugit cum Clero et populo S. Teliaus 306 c 309 f 310 e

Phthisis curata ope S. Goslini 634 a B. Esaiæ Bonneri 216 f

Phrenetici sanantur ope S. Guilielmi 468 d osculo S. Romualdi 120 c 129 b ad caput S. Euphrosinæ 537 c

Pictor B. Guilielmus de Oliva 494 c

Pictura extremi judicii motus Bogoris R. Bulgarorum convertitur ad fidem 563 c

Piscatu pauperibus subvenit S. Parthenius 38 f Pisces capiuntur hamo in nomine S. Lucæ Junioris misso 90 c

Pleuritis curatur oleo tumuli S. Antonii Cauleæ 628 a aqua qua lotæ manus S. Fulcranni 718 a

Plumbeis globis verberatur S. Theodorus Dux 29 f 35 d 893 c Plumbo liquato torquetur S. Æmilianus 159 d a Plumbo liquefacto illæsi SS. Faustinus et Jovita 813 c 815 e S. Juliana V. M. 878 b

Pluviam precibus impetrat S. Parthenius 42 b Pluvia precibus fulminatricis legionis impetrata exercitui M. Aurelii Antonini 655 e f Precibus S. Scholasticæ ad continuanda colloquia pia cum S. Benedicto fratre 402 a 403 e d circumlato capite S. Valentini 760 e f invocata S. Eulalia Barcinon. 580 a

Podagra curata ope S. Goslini 635 d 636 f 638 a B. Christinæ Spoletinæ 802 e

Poeta S. Cedmonus in somno carmina facit et canit 552 f 553 a b

Pœnitentia arcta SS. Haymonis et Veremundi 707 d Hier. Æmiliani in cibo, potu, lecto, laboribus, flagellatione corporis etc. 271 f 272 a b c d ut Pœnitentiam faciat certo loco B. Guilielmus de Oliva, monet Angelus 496 f reptat manibus pedibusque more bestiarum 495 f in Pœnitentiis constans et indefessus S. Stephanus Grandimont. 207 f Pœnitentiam publice agit Guilielmus Dux Aquitaniæ ob molestiam ac vim monachis illatam 440 b vide Abstinentia Panis.

Poma in salicibus nata, ægris salutifera 835 d e f

Portæ urbis ultro aperiuntur S. Fideli 95 vide Janua.

Prælatorum reprehensa negligentia et luxus 135 136

Presbyteri Sancti. Tresanus Averniaci in Gallia 53 Guilielmus de Oliva in Hannonia 493 Martinus Legione 569 Castor Confluentiæ 602 Auxentius in Bithynia 769 Severus in Valeria 826 Presbyteri Martyres, Charalampius in Pisidia 381 Saturninus in Africa 513 Benignus Tuderti 656 Cyrion et Dionysius Alexandriæ 756 Valentinus Romæ 752 Florentinus Abellini 764 et 892. Faustinus Brixiæ 705 Zocus Antiochiæ 822 Honestus Pampelonæ 851

Principibus malis terrori est S. Romualdus 119 a

Procuratoribus sui Ordinis præstanda præscribit B. Jordanus 735 c

Propheta S. Agabus famem et captivitatem S. Pauli prædicit 637 f 644 e f

Proprietas in monachis et eremitis damnata 132 133

Protectores Diocletiani SS. Bassus, Eusebius, Eutychius, Basilides MM. 18 e

Pruritu sævo vexatus, remedium a Sancto edoctus negligit ob æternum præmium S. Lucas Junior 94 f

Puella habitu virili sola in rupe maris sancte vivit 670

Puer S. Lycarion crucifixus ferro conciditur 156 f S. Hilarinus tormenta spernit 519 d e Pueritia sancta S. Altonis 559 e S. Lucæ Junioris 84 S. Austrebertæ 420 d S. Eulaliæ Barcinonen. 577 a b Pueritia inter studia pia B. Guilielmi Zucchii 504 e f Puer septennis S. Faustus traditur S. Benedicto formandus in monachum 840 d Puerorum orphanorum curam suscipit Hieron. Æmilianus 237 opificiis curat instrui 237 c

*piis moribus imbuit* 237 *e f hos orphanos ubique colligit domibus excitatis* 240 241 244 251 252 263 270 *exemplo SS. Zotici, Clementis Ancyrani, Adalardi, Sophronii* 270 *f* 271 *vide* Adolescentia

Puerpera *adjuta ope S. Goslini* 637 *d*

*e* Purgatorii *pœnis liberatur anima ope S. Walfridi* 846 *d*

Q

Quadragesimam *transigit* XV *caricis S. Eusebius anachor.* 826 *d*

Quæstor *et Magister generalis Officiorum S. Adaucus M.* 14 *b*

R

Rex *Bogoris Bulgarorum fit monachus* 563 *f e* Regia *stirpe S. Licinius Ep.* 689 *f* Regia *stirpe Armeniæ S. Chrysolius Archiep. venit in Belgium, fidem Christi annuntiaturus et Martyr obit* u Regis *filia S. Elfleda V. Abbatissa in Anglia* 177 Regnum *Theoderico filio Chlodorei u prædicit S. Ansbertus in ejusque fidem fore locum hieme viridem* 350 *c*

Regula propria *Ordinis Grandimontensis* 201 208 *f an Vita S. Stephani Fundatoris* 203 *a digesta a uu Priore* 203 *f*

Regula *vivendi S. Scholasticæ a S. Benedicto præscripta* 403 *f* 406 *d e f* Regulas *monasticas colligit S. Benedictus Indensis* 615 *f* Regularum *Concordiam scribit* 619 *b* Regula *a B. Jordano præscripta suis: Honeste vivere, discere et docere* 733

*ad* Religionis *ingressum promovet plurimos B. Jordanus* 727 *e* 728 736 739 *a b etiam impedientem aliorum ingressum* 736 *a et B. Albertum Magnum, concionans tentationes ei a diabolo suggestas* 736 *d*

Reliquias *suas veneraturis opem a Christo apparente impetrat occidendus S. Charalampius* 386 *b d* Reliquias *Sanctorum nudis pedibus invisit B. Esaias Bonnerus* 215 *d e* Reliquias *S. Maximi Ep. Nolani, invisit S. Damasus Papa, liberatur morbo et infamia* 22 *d* Reliquiæ *Hieronymi Æmiliani a S. Carolo Borromæo ob suavissimum odorem cognoscuntur* 218 *c pro* Reliquiis *discerptum feretrum et tegumentum S. Fulcrannii Ep.* 716 *e f pro* Reliquiis *tegumenta corporis S. Abraamis Ep. ne auferrentur, adhibiti lictores* 769 *c* Reliquiæ *S. Richardi oblata multa pecunia petuntur* 80 *c d* Reliquiæ *SS. immobiles, voto facto iis extruendi templum moventur* 58 *b c* 60 *f* Reliquiarum *S. Secundi particula nequit comburi, alteri parti ultro unitur* 531 *e f* 534 *a* Reliquiarum *S. Stephani Grandimont. involucrum pannus comburi nequit* 210 *f* Reliquiarum *SS. Haymonis et Veremundi solemnis translatio a Federico Borromæo Card. facta* 709 710 711. *de* Reliquiis *dubitans Episcopus punitur laterum dolore, confessus culpam subito sanatur* 131 *a b c* 533 *c d e* Reliquiæ *S. Romualdi furto sublatæ luce immensa deteguntur* 142 *f ob earum adventum campanæ ultro sonant* 143 *e per* Reliquias *S. Antonini Surrentini pejerantes puniuntur* 793 *c f* Reliquiis *S. Romualdi dæmon pellitur.* 124 *d*

Renum *dolor sublatus ope S. Goslini* 635 *b* 638 *a S. Walfridi* 846 *c*

Rheumatismus *sublatus ope Hieron. Æmiliani* 266 *c*

Risum *noxitus permittens B. Jordanus, corrigit* 734 *f*

Rixas *fratrum et blasphemias luto mandendo coercet Hieron. Æmilianus* 268 *b c d*

Rosa *in manu B. Antonii de Stroncone sepulti reperta* 149 *d*

Rotæ *alligata S. Juliana liberatur ab Angelo* 877 *e* 888 *c*

Ruina *domus opprimendus, divinitus servatur S. Fidelis Ep.* 64 *f et cum suis S. Austreberta* 423 *a*

Ruri *degit ab urbium tumultu semota S. Georgia V.* 826 *b.*

S

Sacramentis *extremis, Confessione, Eucharistia et Oleo sacro munitus moritur S. Fulcrannus* 716 *d ad* Sacramenta *extrema suscipienda, suscitatur mortua ope S. Stephani Grandimont.* 212 *c* Sacramenta *detestans, impius Ecelinus moritur.* 503 *f*

Sacerdotem *Imperatori præfert in mensa S. Raynaldus Nucerinus* 374 *e* Sacerdotio *initiatur B. Gulielmus de Oliva ob revelationem ei factam* 499 *e ex* Sacrificio *idolorum comedi prohibet S. Theodorus Tiro apparens* 24 *a vide* Eucharistia.

Sagas *ad orationem S. Berachii vivas terra deglutit* 835 *f*

Sagittis *impetitur S. Theodorus Dux cruci affixus* 36 *a* Sagittis *petentes . Jacobum Sermitam immobiles redduntur* 161 *f* 162 *a*

Salutandi *pium modum docet S. Auxentius* 781 *d*

Salus æterna *an Theophilo Imp. orationibus aliorum procurata post mortem* 561 *e f*

Sanctorum *patrociniis iter faciens se commendat S. Richardus* 77 *b* Sanctos *ab aliis invocatos videt moribunda S. Austreberta* 423 *f in* Sanctorum *consortio sæpe visus S. Fidelis Ep.* 65 *c d cum iis ecclesias visere, processiones obire* 65 *d e cantus auditus* 65 *a* Sancti *invocati victoriam contra hostes procurant* 792 *cultum suum negligentes deserunt* 793 *a b a* Sanctis *e cœlo invisitur et colloquitur S. Raynaldus Nucerinus* 374 *e in* Sanctitate *pares SS. Theodosius et Quinidius Vasionenses* 783 *e*

Sanctimoniales *e regia familia Cantuorum et Anglorum* 690 *e* Sanctimoniales Sanctæ *Ordinis Benedictini imitatrices S. Scholasticæ enumeratæ* 410 411 412 Sanctimonialis *ex meretrice sancta, miraculis claret* 662 *e f*

Sanguis *effluit ex imagine S. Theodori M. a Saraceno læsa* 26 *d erumpit e sepulchro S. Mengoldi* 196 *e* Sanguinis *fluxum sistit oratione et tactu B. Jordanus* 727 *d* Sanguinis *evomitio, item fluxus sistitur ope S. Goslini* 634 *a e* Sanguine *infantum et farina conficiunt Eucharistiam Cataphryges hæretici* 5 *b*

Scabiem *ternа lotione imperata sanat S. Romualdus* 121 *c d*

Scala *ad cœlum usque porrecta visa, per quam anima S. Stephani Grandimont. ab Angelis deducta est* 206 *d*

Scientia *divinitus imbuitur S. Tresanus* 54 *c* Scientiam *divinitus acquirit precibus S. Martinus Legionen.* 569 *c* 571 *a*

Scripturas sacras *tradere nolentes Christiani Afri comprehenduntur, occiduntur* 515 *e f* 516 517 Scripturæ sacræ *in igne illæsæ* 516 *a eas cordi inscriptas habet S. Emeritus* 517 *f*

*in* Sepulchro *degit S. Zeno* 390 *e* Sepulchro *cum* 2 *latronibus inclusus, et altero mortuo diu vivit S. Methodius Patriar. CP.* 559 *e* Sepulchrum *sibi effodit S. Alexius Kiovienis* 641 *c* Sepulchro *honesto mandari corpus suum mandat S. Victor Mosomensis apparens* 341 *e f* 342 *a* Sepulchrum *ingressus moritur S. Castrensis* 529 *de* Sepultura *S. Ludani litigantibus Parochis, equus vehens corpus, litem sustulit* 639 *e* Sepelitur *Missarum vestibus indutus S. Ansbertus* 355 *c* Sepeliri *se Eucholtæ mandat S. Theodorus Dux M.* 24 *d* Sepelitur *cum cereis et suffitibus* 24 *e unguento et vino conditus S. Theodorus Tiro* 23 *e* Sepeliri *se neque intra neque extra urbem jubet moribundus S. Antoninus Surrentinus. Sepelitur in muro urbis* 790 *a* Sepulchrum *B. Esaiæ Bonneri luce cœlesti illustratur* 216 *b ab eo impudicæ fœminæ repelluntur* 216 *c ad* Sepulchrum *S. Sabini cœlitus monetur Hispanus æger in Italiam venire et sanatur* 327 *d e f alius cæcus, surdus, contractus monitu divino veniens sanatur* 328 *c d*

Serpens *venenosus abactus ope S. Goslini* 636 *b vide* Anguis

Servitio

Servitio monachi Stylitæ se mancipat x annos S. Lucas Junior 90 f e Servo S. Philemonis Apostolicus vir et Episcopus S. Onesimus 856 f vide Famulus
Silentium 7 annos inclusus tenet S. Romualdus 120 f Silentium 60 annos tenet, nulli vel verbum locutus S. Flavianus erem. 888 a
Silvam extirpat donatam ad monasterium S. Alto 360 b
Simoniacos oppugnat S. Protadius 413 f 414 a zelo magno persequitur S. Romualdus 139 e f 140 a
Simulatam communionem Arianorum refugiunt Afri MM. 526 c
Sinceritas imitanda S. Romualdi 126 c
Sitim in honore Christi in Cruce sitientis tolerat B. Antonius a Stroncone 146 c
in Solis radio chirothecas apponit S. Cuthmannus 199 d
Solitudinem Ecclesiasticis cœtibus præfert S. Lucas Junior 87 e
Somnolenta monacha a S. Austreberta apparente percutitur, signo per annum permanente 424 d e Somnum rumpit collo illaqueato funiculo ad parietem fixo B. Christina Spoletina 801 a Somnum tantum sedens et texens juncos parum capit S. Jonas mon. 520 f Somnum genuflexionibus et stationibus impedit S. Lucas Junior totis noctibus orans 87 c
Sorores Martyres SS. Martha et Maria VV. 156
Spiritus Sanctus apparet moribundo patri S. Romualdi 109 c Spiritum Sanctum sub specie ignis accipit S. Raynaldus Nucerinus 374 d Spiritu sancto replentur evacuati spiritu proprio 734 c
Sponsam suam, regnum Christi vocat S. Charalampius 384 a
Statuam apparens S. Antoninus Surrentinus ex vultus et corporis idea curat confici et partem pretii solvit 787 c d Statuam Solis instar fuliginis furvam reddunt et in favillas redigunt SS. Faustinus et Jovita 811 e 814 e alias Statuas verbo incendunt 820 e
Stomachi morbus curatur ad sepulchrum S. Goslini 633 e f Stomachi fastidium aufertur ope S. Goslini 636 e
Struma curatur voto S. Raynaldo facto 376 a
Studia arripiens in virili ætate S. Lucas Junior, desistit ob condiscipulorum vitia 90 f a Studio profana ad sacra transfert S. Chrysostomum S. Meletius 594 a
Stylitæ, alius Zemenensis, alius prope Patras 10 sec. 90 f
Submersi SS. Bassus, Antonius, Protolycus 754 a Submersus B. Jordanus Ord. Præd. 724 b 731 b lumine cælesti innotescit 731 b Submersus ope B. Esaiæ Bonneri reviviscit 217 d e Submersos S. Foelanum et alium resuscitat S. Attracta 299 d
Submersionis periculo, invocans S. Guilielmum, eripitur 471 a vide Mare
Subulcus S. Tresanus divinitus scientia imbuitur 54 c
in Supplicatione capite S. Valentini circumlato bestiolæ agros vastantes in fluvium merguntur 760 pluria impetratur 761 c d Supplicationem cum Sanctis visus obire S. Fidelis 65 c
Surdi sanati per calceos S. Stephani Grandimont. 210 f 213 a ad reliquias Hier. Æmiliani 249 a ad reliq. S. Stephani Grandimont. 204 f
in Surgendo ad preces velox S. Ansbertus 350 a
Sutor S. Eusebius erem. 853 b

T

Tauros signo Crucis cicures faciunt SS. Faustinus et Jovita 815 b Tauris alligati liberantur ab Angelis 820 e Tempestate suis precibus emersuris junces reservat S. Lucas Junior 95 a b Tempestas maris, ope S. Guilielmi sedatur 470 c d e oratione S. Romualdi 117 a 127 f Tempestate excitata monasterii constructionem impedit dæmon 122 f
Templa varia ædificat S. Laurentius Sipontinus 58 f 59 c 61 c S. Constantius Brixiensis 605 b eidem Templi extruendi locum designat columba deferens sarmenta 605 b oratorium peregrinationibus celebre extructum S. Michaeli a SS. Catello et Antonino Surrentino cælitus seorsim monitis 788 f Templum in crypta Gargani consecratum esse indicat S. Michael apparens S. Laurentio Sipontino 59 a in Templo frequens S. Juliana vidua cum filiabus 50 e Templum S. Austrebertæ everrere et tumulum ornare solita de die mortis ab ea monetur 426 e Templi fabricæ præfectus B. Guilielmus Zucchius 504 a Templi profanatores Saraceni morte puniti 26 e vide Ecclesia.
Tentatos mansuetis verbis sedat B. Jordanus 728 a b Thesaurarius Dagoberti R. S. Desiderius Cadurcensis. 172 e
Tibiarum usus ope B. Antonii de Stroncone redditus 149 d Tibiæ vulnera, dolores, morbi curantur ope S. Goslini 635 d e f 636 b d f 637 e f
Tonderi se ob alio non permittit S. Romualdus 121 b
SS. Trinitatis nomine fugatur dæmon, impediens monasterii constructionem 122 f SS. Trinitate invocata a S. Fulcranno murus castri post triplicem circuitionem ultro corruit 717 d
in Triticum vertitur secale a Guilhelmo de Oliva satum 499 b c

U

Ulcera sordida ægrorum osculatur, ut vulnera Christi, Hieron. Æmilianus 249 c Ulcus lethale curatur ad sepulchrum S. Austrebertæ 424 c Ulcerosum oleo ungens oratione sanat S. Parthenius. 41 a
Ultione divina occisores S. Bonifacii Apost. Russorum cæci et immobiles facti, precibus oliorum sanantur, baptizantur 114 d occisores SS. Joannis et Benedicti puniuntur arefactis brachiis 115 e
Uncinis dum laceratur gratias agit tortoribus S. Charalampius 382 f
Unguentum S. Antonini Surrentini ut morbos pellat debet divinitus ejus thecæ Crucis signum imprimi 791 e f Unguentum ab loculo S. Lucæ Junioris manat contra morbos salubre 99 b e f
Ungulis ferreis laceratur S. Theodor. Dux 29 e 35 d 893 c
Urbs Casimiria ad Cracoviam conditur ob Eucharistiam ibi demersam igne cælesti ostensam 213 e f Urbs integra Phrygiæ Antandrus ob fidem Christi incensa omnes cives Martyres habet 13 14 15 Urbs Cumæ ob scelera justo Dei judicio eversa 883 d e f 884 a b Urbis portæ ultro reserantur S. Fideli 65 b in Urbis muro sepelitur S. Antoninus Surrentinus, jubens se neque intra, neque extra Urbem sepeliri 790 a 796 e Urbis murum contra obsidentes servat: Ducem apparens virga percutit 790 d e
Ursis objecti manent illæsi SS. Faustinus et Jovita 812 b 814 c devorantur idololatræ 812 c
Uva in sente reperta fame moribundus reficitur S. Maximus Ep. Nolanus 20 c 21 b
Uxoris lamenta spernit S. Polyeuctus M. 654 b

V

Vacca a dæmone insessa, et in rabiem acta liberatur a S. Raynaldo Nucerino 375 c
Vaticinium regni miraculo firmat S. Ansbertus 350 c d
Vectigalia injusta extorquentem Vicecomitem captivum detinet S. Fulcrannus Ep. dum ablata restituat 713 c d
Velum sanctimoniale impositum invitæ S. Theodoræ Imp. et filiabus 567 a
Venatores

Venatores *SS. Haymo et Veremundus ab apris liberati sancte vivunt* 706 *e f* 707 *a b*

Venenum *bibit innoxius S. Sabinus, et moritur qui procurarat, Archidiaconus* 318 *c* 326 *b c* 329 *f* Venenum *expuit mulier peccata confessa* 731 *a*

Verbera *patitur negligens mandatum S. Alionis apparentis* 360 *e f* Verbera *inflicta patienter fert S. Lucas Junior ob vestes pauperibus datas* 85 *b e* Verberibus *et plagis a dæmonibus exceptus B. Guilielmus de Oliva, divinitus sanatur* 499 *a* Verberibus *excipitur ab apparente spiritu negligens post monitiones plures curare translationem S. Victoris Mosomensis* 342 *d e* Verberantes *S. Raynaldum equites, immotis equis, veniam impetrant abeundi* 374 *f*

Vermes *ex putrido pede decidentes, reponit S. Auxentius* 776 *e*

Vestis *S. Fulcranni a cereo ardente illæsa* 717 *f* Veste *eadem ad Corpus Christi sumendum* 85 *annis usus S. Jonas mon. alias* 3 *pellibus ovis indutus* 520 *f* Vestibus *iisdem æstate et hieme utitur S. Stephanus Grandim.* 207 *b* Vestes *delicatas respuunt S. Romualdus et alii* 127 *a b c* Vestes *suas dat pauperibus B. Jordanus* 726 *d* Veste *pauperi data accipit ab Angelis manicas aureas argenteasque S. Raynaldus Nucerinus* 375 *b* Vestis *S. Polyeucto per revelationem Christi apparentis data* 652 *f* Veste *cœlesti indutus S. Fidelis cum SS. nocte ecclesias visit et processiones obit* 65 *b c* Vestium *S. Romualdi adhuc vivi particulæ ab aulicis S. Henrici pro reliquiis tolluntur* 123 *c* 135 *b* Vestibus *Missarum indutus sepelitur S. Ansbertus* 355 *c*

Vestigia *pedum S. Julianæ Taurinensis marmori impressa hactenus servantur* 658 *b*

Victoria *impetratur ope Mariæ Deiparæ mittentis S. Theodorum Ducem M. protectorem et in albo equo præeuntem* 25 *f* 26 *a* Victoriam *de hostibus ope S. Michaelis impetrat S. Laurentius Sipontinus* 59 *a b* Victoria *potitus Oswius R. e voto filiam S. Elfledam tradit Christo sponsam* 179 *f* Victoria *de Barbaris relata ope SS. Antonini et aliorum Surrentinorum apparentium et juvantium* 791 *f* 792 *a b c* Victores *ut contra Mauros cedant, jubentur ad sepulchrum S. Walfridi confugere.* 847 *a b d*

Victus *durus et asper S. Stephani Grandimont.* 205 *f*

Vidua *junior mater L. Chrysostomi ob castitatem admirationi est Libanio ethnico* 593 *c* Viduæ *S. Julianæ virtutes a S. Ambrosio descriptæ* 49 *c d*

Vincula *captivorum verbo solvit S. Theodorus Dux M.* 30 *c* Vincula *energumenæ solvens S. Austreberta apparens sanat* 426 *b*

Vindictam *divinam enuntiant capita trium Martyrum* 851 *d*

Vineam *excolit S. Ansbertus Sacerdos* 350 *c* Vini *copiam ex vinea a vermibus exesa prædicit S. Parthenius* 42 *a* Vinum *in melius mutatur B. Jordano hospiti* 731 *a* Vinum *in vase augetur in adventu hospitis S. Benedicti Indensis* 617 *a* Vinum *in aquam versum B. Macario Ab Herbipolensi vini abstemio* 370 *d*

Virgines Sanctæ, *Attracta sive Tarahata in Hibernia* 296 *Susanna soror S. Victoris Mosomensis* 340 *Scholastica* 392 *Euphrosyna* 535. *Christina Spoletina* 799 *Georgia Claromonte* 826 Virgines Martyres. *Apollonia Alexandriæ* 277 *Soteris Romæ* 386 *Sura, seu Soteris aut Zuwarda Dordraci* 430 *Eulalia Barcinone* 575 *Fusca Ravennæ* 645 *Agape Interamnæ* 824 *Faustina* 825 *Juliana Nicomediæ* 868 *Juliana Veronæ* 886 *Bononiæ* 887 Virgo *S. Euphrosyna nuptiis relictis inter monachos sancte vivit* 538 541 *ob* Virginitatem *excæcatur S. Susanna* 341 *b* Virginitatis *amore super aquas ambulat nuptias fugiens S. Austreberta* 420 *f ob* Virginitatem *impetrat faciem lepra deformem S. Andragesina desponsata S. Ansberto, et sacro velo accepto sanatur* 348 *f* 349 *a b* Virginitatis *laus a S. Ambrosio sub nomine S. Julianæ viduæ hujus filiabus proposita* 49 *ad* Virginitatem *et continentiam servandam adhortatio S. Auxentii* 782 *b c d e f* Virginitatem *illibatam servat S. Fulcrannus, ideo a morte corpus annis* 567 *incorruptum* 711 *e moriens eam servatam testatur* 716 *d* Virginitas *illibata S. Stephani Grandimont annulo Christo desponsata* 205 *e caussa odoris suavis* 208 *b*

Virtutibus *omnibus conspicua S. Austreberta* 422 *d* Virtutes *monasticæ S. Romualdi* 125 *e f*

Vitam *et martyrium suum scribi mandat S. Theodorus Dux moriens* 29 *f* Vitæ Sanctorum *scriptæ ad Dei gloriam et hominum utilitatem* 787 *f ad ædificationem fidelium* 57 *b* 60 *c* Vitam *Hier. Æmiliani scribendi votum faciens moribundus sanatur* 267 *b c* Vitæ *S. Guilielmi scriptor, moribundus, ac triduo cæcus, ejus ope sanatur* 472 *d e* Vitæ *S. Licinii scriptori Marbodo dantur variæ preces* 686 *e* Vitas *Patrum legit S. Romualdus* 109 *c* Vitas et Passiones *Sanctorum legit ad mensam humi sedens S. Stephanus Grandim.* 208 *d* Vita *aspera eremitica B. Christinæ Spoletinæ* 800 *d et in Xenodochio* 801 *a*

Vitia *singillatim et seorsim singula evellendo* 231 *f* 232 *a b c*

Voce cœlesti *monitus S. Guilielmus venit in Etruriam* 450 *d* Voce cœlesti *Grandis-mons orantibus in Missa monasterium indicatur inhabitandum* 210 *d e* Voce cœlesti *ad coronam martyrii evocatur S. Calocerus* 821 *b animatur in tormentis S. Fusca* 648 *f* 649 *d* Voce humana *equus arguit feros lictores S. Charalampii* 383 *c*

Vomitus *horribilis curatur ope S. Goslini* 635 *e* 636 *e* 637 *b*

Voracitas *immensa afficta Guilielmo Duci Aquitaniæ* 453 *d*

Voto *facto coram Cruce de filio ægro faciendo monacho sanum recipit S. Richardus* 75 *e f* 77 *d e f* 78 *d* Voto *facto templum extruendi reliquiæ immobiles ante, moventur* 58 *b c* Voto *S. Guilielmo facto captivus liberatur, votum non implens iterum capitur* 470 *e* Voto *facto celebrandi ejus festum e lapsu graviter læsus sanatur* 472 *a b* Vovet *Oswius R. a se victoria potito S. Elfledam filiam Christi tradendam servitio* 180 *b*

Vulnus *e canum morsu curatum ope S. Goslini* 637 *b* Vulnera *abluens liquoris ablutionis Missæ subito sanatur B. Jordanus* 727 *c*

Z

Zelus *S. Apollinaris contra Cataphrygas hæreticos* 467 Zelus *pro justitia et ecclesia S. Fulcranni Ep.* 713 Zelus *pro fide Bogoris R. Bulgarorum, apostatam filium excæcantis, ac regnum juniori filio dantis* 564 *a* Zelo *animarum ardet S. Bonifacius Moguntinus* 697 *e vide* Hæresis, Constantia, Fides.

Zona *S. Cuthberti pellitur ægritudo S. Elfledæ* 183 *c d et dolor capitum varius* 183 *d*

**FINIS.**

MONTE ALBANO EXCUDEBAT VICTOR BERTUOT, DD. EPISCOPI TYPOGRAPHUS. MDCCCLXV.

FALVEY MEMORIAL LIBRARY
VILLANOVA UNIVERSITY

VILLANOVA UNIVERSITY
BX4655.A2 v.005
3 9346 00067335 2

FOR REFERENCE
NOT TO BE TAKEN FROM THIS ROOM
CAT. NO. 1935